image
not
available

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
G
27-29
NAPOLI

XV
G.
27-29

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS CANONICI
METHODUS NOVA

R. P.

ERNRICI PIRHING

SOCIETATIS IESU.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS CANONICUM
IN V. LIBROS DECRETALIUM

Diſtributum, novâ Methodo explicatum,

OMNIBUS CAPITULIS TITULORUM
(qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiſcuè & confuſè poſitis, in ordinem doctrinæ digeſtis.

ADJUNCTIS ALIIS QUÆSTIONIBUS CONNEXIS, QUÆ AD PLENAM CUJUSQUE TITULI, AUT MATERIÆ COGNITIONEM, ET EXPOSITIONEM PERTINENT.

APPOSITO QVOQVE DVPLICI INDICE IN FINE CVIVSQVE LIBRI; uno rerum, ſeu quæſtionum; altero Capitulorum, quo in loco ſingula ſint poſita, & explanata.

AUCTORE
R. P. ERNRICO PIRHING
SOCIETATIS JESU THEOLOGO
SS. CANONUM
IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE DILINGANA PROFESSORE EMERITO.

TOMUS PRIMUS.



Cum Gratia, & Privilegio *Sacra Cæſarea Maieſtatis.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

DILINGÆ
Superiorum Permiſſu.
FORMIS ACADEMICIS. Per JOANNEM FEDERLE.
Proſtat apud Joan. Caſparum Bencard Bibliopolam Acad.
ANNO M. DC. LXXIV.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI,

DOMINO, DOMINO

MARQUARDO II.

EPISCOPO

EYSTADIANO,

SACRAE CAESAREÆ

MAJESTATIS

AD IMPERII COMITIA

RATISBONÆ

CUM PLENA POTESTATE

LEGATO,

DOMINO, ET PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.

Pontificia Iura explicandi labor meus, ſi difficultate ferreus eſt, Tua R.^me^ & Celſiſſime Princeps MARQUARDE *Humanitas Magnes eſt; ſi aliquâ utilitate aureus, Tu Chryſomagnes. Ita enim hoc qualecunque opus ad* R.^mæ^ Celſitudinis Tuæ *Sacratiſſimas manus innatâ vi luctabatur, ac ſi polari illâ virtute, etiam antequam eſſet, raperetur. Nondum animum ſcribendi induceram, cùm iam conditionalia vota ad Te anhelabant, nulli, ſi ſcriberem, quàm Tibi ſervitura. Poſtquam verò ſtylum arripui, primum Decretalium meorum Decretum fuit, non aliam lucem his paginis quærendi, quàm quæ à fulgore Tui Nominis reſplenderet.*

Cauſas

Cauſas ſic ſentiendi tot, mihique tam domeſticas habebam, ut, quæ cum Orbe toto, cum Germania, & cum ipſa mea Societate JESV communes erant, quantumvis numero, & pondere præſtarent, non vacaret attendere. Relinquo aliis prædicanda, quæcunque non mea ſunt ſolius. Depingat Eyſtadianum Collegium ædium ſuarum redivivum pluſquam Phœnicem, quia ad Tuæ Munificentiæ Solem ex cinere non ſimilis priori, (quod illius Avis eſt) ſed longè magnificentior ſurrexit, plumis etiam aureis novæ Fundationis inſtructus, ad Clementiſſimæ Liberalitatis Tuæ laudes perpetuo volatu longiſſimè differendas. Gratuletur ſibi Germania Epiſcopum annorum glorioſè exactorum multitudine, Præſulum, quos nunc adorat, Omnium Decanum: Virtutis verò, & Authoritatis Maieſtate, ut ad Modeſtiæ Tuæ guſtum parciſſimè loquar, nulli ſecundum.

Mundus denique Chriſtianus cum ſuo Auguſtiſſimo Imperatore Sapientiæ Tuæ oracula admiretur, atque in Herculeos humeros Tuos Atlanticum Orbis pondus tantiſper Ratisbonæ deponat.

Ego interea minora, ſed tamen mea, perſequar. Illam in primis felicitatem, quâ cælum me beavit, cùm Ingolſtadij adoleſcentem Adoleſcenti ſtudiis coniunxit, ut iam tum obſervare, & venerari inciperem ſemen tam Excelſæ Dignitatis; ea cum mea admiratione, ut ſæpe mihi notata in Te morum comitas, gravitáſque, & propè iam Epiſcopalis maturitas exprimeret voces illas, (quas R.^ma^ Celſitudo Tua *adhuc clementiſſimè meminiſſet, niſi laudes ſuas ſoleret oblivíſci) Mitræ nimirum tam digno Capiti imminentis haud vanè præſagas. Non quòd ego vaticinandi vi præſtarem: ſed quòd ad tam ſplendidam Tuarum dotium Auroram, cuilibet intuenti difficile eſſet Inſulæ diem ſecuturum non divinare. Nec ſolum oraculum; ſed etiam fructum Inſulatæ fortunæ Tuæ, ſi cuiquam alteri, mihi Superi conceſſerunt; nam, cùm viginti abhinc annis ſupra memorati Collegij Tui Eyſtadiani, non tantùm exuſti muri, & rudera: ſed etiam exhauſta penus, (vetere fundatione collapsâ, & novâ nondum excitatâ) Tuam unius munificentiſſimam Manum identidem reſpicerent, & pro temporum illorum calamitate propè ſupra vires, certè ſupra omnem expectationem, antea exercerent; meo tamen ad illud Collegium acceſſu, incredibilis in me Clementia Tua largitionem annuam magnâ portione augere clementiſſimè promiſit primò, deinde etiam largiſſimè, conſtantiſſiméque præſtitit. Præter alia apud me nunquam intermoritura beneficia, & ita quotidiana, ut Almonius non conſtantiùs ſuas aquas ab Arce Tua ad Vrbem deveheret, quàm Beneficentiæ Tuæ Fons ſua Munera ad Collegium noſtrum diſpenſaret. Hæc eſt illa vis Magnetica, quâ Cor, linguam, & calamum meum ita imbuiſti, ut velut nautica lingula non alium, quàm*

R.^ma^

R.^me^ Celſitudinis Tuæ, *Polum ſpectare poſſent, irrequieto motu ad hanc unam tenderent Cynoſuram.*

Accipe itaque, Clementiſſime Princeps, *hunc animi mei partum, de officio, & dignitate Epiſcopi præcipuè diſputantem, & ad Te non magìs prædictâ Authoris, gratum animum teſtatum, inclinatione, quàm argumenti ſui conditione ideo feſtinantem, ut ipſa lucubratio mea ſe ad vitam tuam, velut Lydium lapidem, aut Prototypum ſuum, examinet, tunc ſibi creditura, ſe Epiſcopi munus præclarè explicuiſſe, cùm viderit, ſe ea omnia aliis facienda propoſuiſſe, quæ à Tua Vigilantia in tam diuturno Regimine notaverit eſſe facta. Accipe inquam, & vive* R.^me^ & Celſiſſime Præſul, *& librum hunc cum ſuo ſcriptore, vetere Clementiâ complectere, anniſque, quibus VVilibaldaos Tui primi Anteceſſoris, feliciter exceſſiſti, etiam Remigianos pari virtute, tranquilliore fortunâ Supera. Ita vovet, & aſſiduis deſiderijs à DEO impetrare ſatagit Dilingæ, die 2. Feb. Anno M. DC. LXXIV.*

R.^me^ Celſitudinis Tuæ

Servus obſtrictiſſimus

ERNRICUS PIRHING
SOC. JESU.

INDEX ALPHABETICUS TITULORUM
LIBRI PRIMI DECRETALIUM.

	Titulus.	*Paginâ.*
DE Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.	XIV.	441.&839.
Alienatione judicii mutandi causâ factâ.	XLII.	787.&858.
Arbitris.	XLIII.	790.&858.
Auctoritate, & uſu pallij.	VIII.	335.&834.
Bigamis non ordinandis.	XXI.	489.&842.
Clericis peregrinis.	XXII.	499.&842.
Conſtitutionibus.	II.	14.&817.
Conſuetudine.	IV.	118.&822.
Corpore vitiatis ordinandis, vel non.	XX.	485.&841.
Electione, & Electi poteſtate.	VI.	164.&825.
Filiis presbyterorum ordinandis, vel non.	XVII.	463.&840.
His, quæ vi, metúſve cauſa fiunt.	XL.	751.&856.
In integrum reſtitutione.	XLI.	764.&857.
Maioritate, & obedientiâ.	XXXIII.	670.&851.
Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.	XIX.	483.&841.
Officio Archidiaconi.	XXIII.	505.&842.
Officio Archipresbyteri.	XXIV.	506.&843.
Officio Cuſtodis.	XXVII.	510.&843.
Officio Judicis.	XXXII.	663.&851.
Officio, & poteſtate Judicis delegati.	XXIX.	534.&845.
Officio Judicis ordinarij.	XXXI.	612.&848.
Officio Legati.	XXX.	601.&848.
Officio Primicerei.	XXV.	509.&843.
Officio Sacriſtæ.	XXVI.	509.&843.
Ofifcio Vicarij.	XXVIII.	510.&843.
Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui, vel ab excommunicato.	XIII.	439.&839.
Pactis.	XXXV.	689.&853.
Poſtulando.	XXXVII.	713.&854.
Poſtulatione Prælatorum.	V.	150.&824.
Procuratoribus.	XXXVIII.	719.&854.
Renunciatione.	IX.	339.&834.
Reſcriptis.	III.	55.&819.
Reſtitutione in integrum. *Vide:* De in integrum reſtitutione.		
Sacramentis non iterandis.	XVI.	461.&840.
Sacrâ Unctione.	XV.	460.&840.
Scrutinio in ordine faciendo.	XII.	437.&839.
Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione.	XVIII.	480.&841.
Summâ Trinitate, & fide Catholica.	I.	11.&817.
Supplendâ negligentiâ Prælatorum.	X.	383.&836.
Syndico, & actore.	XXXIX.	749.&856.
Temporibus ordinationum, & qualitate Ordinandorum.	XI.	391.&837.
Tranſactionibus.	XXXVI.	701.&853.
Translatione Epiſcopi.	VII.	328.&833.
Treugâ, & pace.	XXXIV.	687.&853.

PROOE.

PROOEMIUM,

SIVE

PROLEGOMENA IN JUS CANONICUM.

I.

IUri operam daturum (ſive Civili, ſive Canonico) priùs nôſſe oportet, unde nomen juris deſcendat, ait Ulpianus J. C. in l. 1. ff. de juſtit. & jur. nam cujuſque rei potiſſima pars eſt principium, & inconveniens eſt, omiſſis initiis, atque illotis (ut ita dixerim) manibus, protinus materiam interpretationis tractare, ut dicitur in l. 1. ff. de orig. jur. Nomen autem Juris, vel à juſſu ſeu jubendo derivatur, juxta Ariſtotelem 5. Ethic. c. 1. prout idem eſt, quod lex ſive juſſum Superioris: vel per ſyncopen à juſto denominatur jus, ut vult Iſidorus in c. 2. diſ. 1. ubi ait: *Jus autem eſt dictum, quia juſtum eſt*: vel denique etiam jus à juſtitia appellatum eſt; ut ait Ulpian. in cit. l. 1. ff. de juſt. & jur. non quidem proximè, ſed remotè, nam jus proximè à juſto, mediatè verò à juſtitia appellationem ſortitur, quia jus ſumptum pro juſto eſt objectum virtutis juſtitiæ, teſte S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 1. juſtitia enim facit, & conſtituit juſtum ſive æquum.

II. Sicut autem Jus variè derivatur, ita & variis modis accipitur, ut teſtatur Paulus J.C. in l. pen. ff. de juſt. & jur. Et quidem primò ac præcipuè Jus, ſecundùm primævam nominis Etymologiam, ſignificat idem, quod juſtum. Juſtum autem dupliciter accipitur. 1. generatim, ita ut idem ſit, quod legitimum, ſeu legi & rectæ rationi conforme & conſonum, tanquam regulæ omnis operationis humanæ, quo pacto omne opus virtutis jus & juſtum dicitur; quia legi & rectæ rationi eſt conſentaneum: & jus ſive juſtum ſic acceptum ad generalem ſeu legalem Juſtitiam pertinet, per quam quiſque reddit, quod juſtum ac debitum eſt Reipubl. cujus ipſe pars eſt. 2. accipitur juſtũ ſpecialiter ac ſtrictè pro eo, quod eſt æquum, ſive æquale & alteri debitum, & ut ſic eſt formale objectũ juſtitiæ particularis, hæc enim definitur per jus tanquam ſuum objectum ab Ulpiano in l. 10. ff. de juſtit. & jur. ubi ait, *juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*: cujus definitionis ſenſus eſt: juſtitia eſt virtus firmiter & conſtanter inclinans voluntatem ad tribuendum aliis, quod juſtum eſt, ſive debitum ſecundùm æqualitatem, S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 1. Molin. tract. 1. de juſtit. diſ. 2. n. 3. Laym. L. 3. Theol. mor. tract. 1. c. 1. n. 2. Ex quo ſequitur, tres conditiones ad juſtum & juſtitiam propriè dictam requiri: ut verſetur circa debitum ſive obligationem aliquam, reddat ad æqualitatem, & ut ſit ad alterum; nihil enim ſibi eſt æquale, ſed alteri, ut docet S. Th. cit. q. 57. a. 1. & q. 58. a. 2.

III. Secundò Jus accipitur pro morali facultate ſeu legitima, id eſt, à lege conceſſa poteſtate ad aliquid agendum, petendum, acquirendum, diſponendum, utendum, retinendum, alienandum &c. quo ſenſu Jus eſt quaſi radix ſeu fundamentum Juris accepti pro æquo alteri debito, nam ex eo, quòd alicui ex juſtitia quippiam eſt debitum, acquiritur ei facultas agendi, petendi, utendi &c. Et hoc ſenſu dicitur quis jure ſuo uti, habere jus agnationis vel cognationis ad hæreditates vel tutelas, quod jus neceſſitudinis appellatur in l. ult. ff. de juſtit. & jur. Eodem ſenſu dicitur hæres ſuccedere in omne jus defuncti, reg. jur. 59. & 62. in ff. Et nemo plus juris ſeu poteſtatis in alterum transferre poteſt, quàm ipſe habeat, reg. jur. 54. in ff. & nullus videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur, reg. 55. ff. eod. Molin. c. l. n. 4. Leſſ. L. 2. de juſtit. c. 2. dub. 1. n. 2. Laym. cit. c. 1. n. 3.

IV. Tertiò accipitur jus pro lege, quæ eſt regula juſtitiæ, ſeu juſti in genere. nam cùm legibus nonniſi id, quod juſtum eſt, ſive debitum inter cives, vel ergà Rempubl. ſtatuatur, hinc factum eſt, ut ipſæ leges tum divinæ, tum humanæ jura appellarentur. In qua ſignificatione Jus accipitur in c. 2. diſ. 1. ubi Iſidorus ait, *Jus generale nomen eſt, lex autem* (ſcripta ſcilicet) *juris eſt ſpecies*. Molin. cit. diſ. 2. n. 1. Et hinc etiam ipſa judicis ſententia jus dicitur in l. pen. ff. de juſtit. & jur. quia eſt veluti quædam lex, non quidem publica, ſed privata, per quam inter partes litigantes jus dicitur, & pronuntiatur, quid juſtum ſit, & alteri debitum, quid item legitimum, ſive legibus conſonum; Molin. c. l. n. 4. Laym. c. l. n. 3.

Quartò accipitur jus pro ipſa ſcientia jurium ſive legum, quo ſenſu uſurpavit Jus Ulpianus cit. l. 1. dum ait: juri, id eſt, ſcientiæ legum operam daturum, nôſſe oportet, unde nomen juris deſcendat: & definitur Jus ſic acceptum in cit. l. 1. *eſt ars boni & æqui*, ſive *Jurisprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia*, §. 1. Inſtit. de juſtit. & jur. id eſt, cognitio ſeu peritia præceptorũ, quæ docent, quid juſtum, vel injuſtum, quid æquum vel iniquum ſit. Ita Jus Civile pro ſtudio ſeu notitia legum civilium, & Jus Canonicum pro ſtudio ſeu notitia Eccleſiaſticorum Canonum frequenter accipitur, ſicut etiam ipſa ars ſeu peritia adhibendi medicamenta ad ſanitatem obtinendam Medicina appellatur, denominatione ab ipſo objecto ad habitum ſcientiæ translatâ, Mol. cit. diſ. 2. n. 1.

Quintò denique e tiam ipſe locus, in quo jus partibus litigantibus redditur ſeu dicitur, Jus appellatur in cit.l.pen. ff.de juſt. & jur. Ex quo natæ ſunt hæ loquendi formulæ: in jus vocare,ambulare,in jure comparere,ſeu ſe ſiſtere, id eſt,in loco judicii,ubi judicium exercetur, S.Th.cit, q. 57.a. 1. ad 1.Molin. c. l. n. 4. Laym.cit.c.s.in fine.

V. Porrò juſtitiæ duæ ſunt ſpecies, juxta Ariſtotelem 3.Ethic.c.2.& S.Thom.2.2.q.6s.a.s.& 3.&DD. communiter, commutativa & diſtributiva. Prior circa commutationes verſarur, quæ inter perſonas verè diſtinctas, ut Titium & Caium, vel quaſi perſonas, ut cùm contrahitus cum Collegio vel Republica, quæ eſt perſona ficta, vel damnum ei infertur, ſecundùm perfectam æqualitatem fieri debent, videlicet ut, quantum acceptum fuit, tantundem viciſſim detur,ſeu reſtituatur. Sunt autem duplicis generis commutationes, & inde ortæ obligationes; aliæ voluntariæ, quæ mutuo conſenſu partium fiunt, v.g. per contractum emptionis ac venditionis, in quibus ſervari debet perfecta, & arithmetica æqualitas inter quantitatem rei acceptæ, & rei datæ; ut ſi quis v.g.domum emit,& accepit æſtimatam 300.aureis, debet totidem dare venditori, qui domum tradidit. Aliæ ſunt commutationes involuntariæ, quæ ex delicto, ſeu damno injuſtè illato oriuntur, ut ſi quis v.g. furatus eſt alteri equum æſtimatum 50.florenis,debet totidem ei reſtituere, etiamſi nullum pactum cum ipſo inierit, quia rem ablatam vel invitus reddere,aut damnum illatum reſarcire cogitur, ut ſi domum alicuius pes iniuriam exuſſit,Laym.l.3.Theol. moral.tr.s. c.4.n.2. Poſterior juſtitia, videlicet diſtributiva, verſatur circa diſtribntiones bonosum communium Reipnbl. membris debitorum, ſecundùm merita & dignitatem eorum. quomodo v. g. beneficia Eccleſiaſtica conferenda ſunt Clericis pro cuiuſque ſtatu ac meritis, ita ut dignitates & beneficia maiora conferantur ijs, qui in Eccleſia digniores & aptiores reperiuntur. Deficit autem juſtitia diſtributiva aliquo modo à juſtitia particulari propriè ac ſtrictè accepta, non enim eſt omnino ad alterum,ſive perſonam adæquatè diſtinctam,ſed eſt totius Reipubl. ad partem ſeu membrum illius. totum autem non omnino,ſeu totaliter, ſed inadæquatè ſolùm à ſingulis partibus diſtinguitur, quas includit. Deinde juſtitia diſtributiva non continet propriè ac ſtrictè debitum,ſicut juſtitia commutativa: nam ille,cui ex emptione v.g. vel donatione res debetur, longè maius & arctius jus habet ad illam tanquam ſibi debitam petendam, quàm v.g. Clericus, qui dignior eſt in Eccleſia,vel alius in Republ. is enim non poteſt dignitatem vel beneficium vacans, tanquam ſibi propriè ac ſtrictè debitum,exigere,ideóque etiam maior iniuria eſt violare juſtitiam commutativam, quàm diſtributivam. Denique juſtitia diſtribntiva non conſtituit æqualitatem perfectam & arithmeticam, quæ eſt inter duas quantitates,v.g.50. & 50.ſed æqualitatem ſolùm geometricam ſeu proportionalem,ut,qualis eſt proportio inter ſtatus ſeu dignitates, & merita perſonarum, talis proportio ſervetur in diſtribuendis inter illas communibus bonls vacantibus, nempe officiis & beneficiis. V.g. ſi dignitas & merita Præpoſiti alicuius Eccleſiæ duplò excedant ſimplicem Canonicum, æquum eſt,ut illi duplò plus ex reditibus Eccleſiæ detur,quàm huic, S.Th. 2. 2. q. 61. a.1. & 2.Molin.tr.1.de juſt.diſſ. 12.n.3.Leſſ.l.2.c.1.dub.4.n.20.& 21.Laym.c.l.

Præter has duas ſpecies juſtitiæ particularis, tertia datur,videlicet juſtitia vindicativa, quæ ad commutativam reducitur, quatenus ſecundùm quantitatem arithmeticam delicti,pœnam imponit: deficit tamen à perfecta ratione juſtitiæ, quia per pœnam, quæ delicto imponitur, propriè non compenſatur aut tollitur delictum,nec damnum per illud illatum reparatur, Molin.tract.1. diſ.12. n. ult. Laym.cit.c.in fine. Nunc de quibuſdam acceptionibus Juris ſuprà allatis in ſpecie aliqua præmittemus.

§. I.

De diviſione Iuris accepti pro facultate aliquid legitimè & licitè agendi.

QUia hæc acceptio Iuris eſt freqnentiſſima, & valde neceſſaria ad plurima, quæ in Iure Canonico tractantur, intelligenda, ideo de illa in prolegomenis Iuris Canonici breviter agendum.

VI. Ius ſumptum pro poteſtate legitima aliquid agendi,obtinendi, poſſidendi, diſponendi, utendi, duplex eſt. Unum Jus in re; ſive reale; aliud jus ad sem,ſive perſonale; ex communi & recepta omnium DD. ſententia. Ius in re, ſeu reale eſt, quod alicui competit, ratione dominii directi vel utilis, vel quaſi dominii, quod in re habet, quale jus habet dominus in mancipio ſuo, vel veſte, vel equo, vel domo, aut agro: tale etiam jus habet, cui competit jus utendi & fruendi ſive percipiendi fructus ex fundo alterius: item jus ſervitutis, quod quis habet in fundo, vel re aliena: jus hypothecæ & pignoris, quod habet creditor in re debitoris &c. Ex hoc jure provenit actio realis,ſeu ad sem, quæ adhæret rei,eámque comitatur, ita, ut ad cujuscunque poſſeſſionem, detentionem, vel cuſtodiam res deveniat, poſſit à domino, vel quaſi domino vindicari, ſeu repeti talis res ipſi ohligata, §. omnium Inſtit. de act. & ibi gl. fin. l. officium 9. ff. de rei vindic. Jus ad rem ſive perſonale eſt, quod alicui competit, ratione contractùs cum alio initi, vel quaſi contractùs, vel ratione delicti ab alio commiſſi,vel quaſi delicti,ex quo deſcendit actio perſonalis, quæ proximè ac directè tendit in perſonam nobis obligatam, vel voluntariè ex contractu, v.g. venditione, aut mutuo: vel involuntariè ex delicto, ut furto, homicidio &c. quæ etſi detur ad aliqnid dandum vel faciendum, ita tamen perſonæ illi cohæret, ut contra alium rei poſſeſſorem inſtitui non poſſit; ut ſi v.g. Titius vendidit domum Caio, & tradidit, quam ille, nondum ſoluto pretio, vendidit Sempronio,ac tradidit. Hoc caſu Titius non poteſt agere contra Caium actione reali, ſive in rem ad domum ſibi reſtituendam, quia dominium per venditionem jam translatum eſt in Sempronium, nec inter hunc & Titium celebratus eſt circa hanc rem contractus vel quaſi, nec intervenit delictum vel quaſi, ut ſupponitur: ſed ſolùm competit Titio actio perſonalis ex venditione contra Caium emptorem, juxta l. pen. ff. de action. & oblig.& hæredem ipſius,quippe qui eadem perſona cum defuncto juriſdictione cenſetur, cit.

§. omnium

§. omnium & ibi gl. fin. Inſtitut. de action. Schneidew. ibid. n. 12.

Porrò actio duobus modis accipitur, ut notat gl. in princ. V. actio autem Inſtitut. eodem. vel pro actu, per quem ſcilicet petitur res ab alio debita: vel pro potentia ſeu jure agendi, & definitur cit. tit. in princ. *Ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur.* Oritur autem omnis actio ex obligatione aliqua, quæ eſt cauſa & mater actionis, ideo enim competit nobis actiò ſive perſonalis, ſive realis, ſeu jus perſequendi in judicio, quià perſona vel res aliqua nobis eſt obligata, gl. cit. loc.

§. II.

De varia diviſione Iuris accepti pro lege.

VII. JUS ſumptum pro lege variè dividitur, ſicut ipſa lex. Itaquè in primis aliud eſt Jus publicum, aliud privatum, l. 1. §. huius ſtudij ff. de juſtit. & jure. §. fin. Inſtitut. eod. Jus publicum eſt, quod ad ſtatum Reipubl. Romanæ, ſive Imperij Romani pertinet, & conſiſtit in ſacris, in Sacerdotibus, & Magiſtratibus, cit. l. 1. & §. fin. in quo ſcilicet agitur de Religione, de Magiſtratibus, & generatim de omnibus, quæ ad publicam utilitatem totius Communitatis ſeu Reipubl. ſpectant. Jus verò privatum eſt, quod ad ſingulorum civium privatam utilitatem principaliter pertinet, licet acceſſoriè, & ex conſequenti etiam privata ſubditorum utilitas in bonum commune ſeu publicum redundet. Huc pertinent leges de contractibus, ſucceſſionibus, judiciis, & ſimilibus, Schneidew. in §. fin. Inſtit. de juſt. & jur.

VIII. Secundò dividitur ab Ariſtotele 5. Ethic. c. 7. & Theologis communiter Jus in naturale & poſitivum, ut videre eſt apud Molin. tract. 1. de juſtit. diſ. 3. n. 5. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 2. dub. 2. n. 9. Jus naturale dicitur, ſecundùm Ariſtotelem. c. l. *quod ubique eandem vim habet, non quia ita viſum fuit, vel non fuit*; id eſt, cuius obligatio, nòn ex libera præcipientis voluntate, ſed ex ipſa rei præceptæ vel prohibitæ natura oritur, quæ, quia immutabilis eſt, & eadem ubique, ideo etiam ipſum jus naturale ubique & apud omnes gentes eandem vim habet, manentibus iiſdem circumſtantiis, ut poſtea dicetur. Jus poſitivum eſt, *quod ab initio* (priuſquam ſcilicet latum eſt) *hoc, an illo modo fiat, nihil refert: cùm verò poſitum fuerit, refert*: id eſt, quod non ex rei natura, ſed libera Dei vel hominis voluntate pendet & vim obtinet, Molin. tract. 1. diſ. 4. n. 1. & 3.

Et hinc ea, quæ ſunt de jure naturæ, non ideo ſunt bona & neceſſariò facienda, quia ſunt præcepta, nec ideo mala, quia prohibita ſunt, ſed è contrario ex eo, quia in ſe intrinſecè, & ex ſua natura bona ſunt vel mala; ideo ſunt præcepta & neceſſariò facienda, vel prohibita & omittenda. Secus eſt in iis, quæ ſunt de jure poſitivo, nam illa ideo tantùm ſunt bona, & neceſſariò facienda, quia præcepta ſunt, & ideo mala & non facienda, quia prohibita: ex ſe ipſis autem, ſive ex obiecto ſuo ſunt indifferentia, ita ut ſecluſo præcepto poſitivo, vel prohibitione, poſſint licitè fieri, vel non fieri, ut ex Ariſtotele ſuprà dictum; quia nimirum eorum obligatio non oritur ex natura ipſius obiecti, ſeu rei præceptæ, ſicut obligatio juris naturalis, ſed provenit à præcepto & libera voluntate legiſlatoris, quamvìs ex parte rei ſit congruentia quædam & exigentia, ut præcipiatur, vel prohibeatur: ſicut eſt v. g. jejunium quadrageſimale, confeſſio annua &c. Molin. c. l. n. 2. & 3.

IX. Porrò Juris Conſulti hac in re diſcrepant à Theologis & Philoſophis, nam illi Jus immediatè dividunt in naturale, gentium, & civile, l. 1. §. privatum ff. de juſtit. & jur. §. fin. Inſtitut. eod.

Jus naturale, definitur in cit. l. 1. §. Jus naturale, & in princ. Inſtit. de jur. nat. gent. & civ. *quod natura omnia animalia docuit*, ut maris atque feminæ coniunctio, liberorum procreatio, educatio: adeoque ſecundùm Juriſperitos, *Ius naturale eſt ipſe inſtinctus ſeu propenſio naturæ ſenſitivæ, quæ hominibus cum brutis animantibus communis eſt*: quamvis hic inſtinctus & impetus naturalis ad operationes ſenſitivas, prout in brutis reperitur, non propriè, ſed abuſivè ſolùm dicatur Jus naturale, ut notat Mynſing. in princ. Inſtit. de jure nat. gent. &c. in ſcholiis, quia bruta, ſicut ſunt incapacia iniuriæ, §. pauperies Inſtit. ſi quadrup. pauper. fec. &c. ubi *definitur pauperies, damnum ſine iniuria facientis datum*: ita etiam ſunt incapacia juris, quod à ratione originem ducit, qua bruta carent. Et hoc jus naturale dicitur in cit. l. 1. non eſſe proprium generis humani, ſed commune omnium animalium, non propriè ac formaliter, quoad rationem juris & legis, ſed materialiter ſolùm, quoad inſtinctus ſeu propenſiones ſenſitivas à natura inſitas, quæ communes ſunt hominibus cum brutis, ut eſt maris & fæminæ conjunctio, prolis procreatio & educatio, & id genus alia, Zœſ. ff. de juſtit. & jur. n. 24. propriè verò & formaliter jus naturale ineſt ſoli homini, quod generatim ſumptum nihil aliud eſt, quàm ipſum naturale lumen rationis ab auctore naturæ homini inditum, juxta illud pſ. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: ſivè potiùs eſt *dictamen naturale præcipiens, quæ iuxta rectam rationem naturalem agenda ſunt; vel prohibens, quæ non ſunt agenda: ſeu conſcientia hominis recta præcipiens, & prava prohibens.* Suar. l. 2. de legib. c. 4. n. 9. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 8. §. unic. n. 7. & alii Theologi communiter.

X. *Ius gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, quódque ſolis hominibus inter ſe commune eſt.* cit. l. 1. §. ult. ff. de juſtit. & jur. ubi per jus gentium intelligitur omne illud jus, quod omnibus aut ferè omnibus hominibus eſt proprium, iiſque ſolis convenit, ſive interim re-verà pertineat ad jus naturale, ſive ad jus gentium, ut notat Molin. cit. tract. 1. diſ. 6. n. 2. Nam Juris Interpretes duplex communiter diſtinguunt Jus gentium; unum, quod ſolis hominibus convenit, ſic tamen, ut ab initio cum hominibus natum ſit, & mentibus hominum à Deo naturaliter inditum. Et hoc jus vocari ſolet Jus gentium Primarium, quia illo communiter omnes gentes utuntur, etſi aliàs intrinſecè ſit Jus naturale, non ab aliqua hominum conſtitutione, ſed à naturali inſtinctu rationis ortum habens, ideóque etiam interdum Jus naturale vocatur, ſed ſecundarium, ad diſtinctionem juris naturalis primarii, quod continet dictamina juris naturalis quoad inſtinctus, ſeu inclinationes hominibus cum brutis communes. Schneidew. Inſtit.

dejur. natur. gent. &c. in princ. n. 3. Et de boc Jure gentium primario fit mentio in l. omnes 9. ff. de juſtit. & jur. §. 1. Inſtit. dicto tit. ubi dicitur: quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes populos peræquè cuſtoditur, vocatúrque Jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur. Exempla huins juris ſive naturalis, ſive gentium habentur in c. 7. diſ. 1.

Alterum eſt Jus gentium propriè dictum, quod opponitur Juri naturali, & Juris Conſulti ſecundarium appellant, & Jus gentium humanum, ad diſtinctionem prioris, quod ſcilicet ex ratione quidem naturali proficiſcitur, non tamen ſimpliciter & ab initio ſolo rationis inſtinctu ac lumine hominum menti eſt inditum, & nobiſcum natum, ſed poſtea humanis neceſſitatibus ita exigentibus, vel utilitatibus ſuadenribus, uſu ac moribus omnium, aut ferè omnium gentium eſt introductum, ſive per modum legis præceptivæ aut prohibitivæ; ſive ſolùm per modum poteſtatis ſeu facultatis permiſſivæ quippiam agendi, quod uſu ſeu conſuetudine omnium vel pene omnium gentium conceſſum &, tanquam utile hominibus in communi ſocietate viventibus. Et hoc jure introducta ſunt bella, paces, & fœdera, captivitates, & ſervitutes, diviſio bonorum, & omnes pene contractus: de quo Jure gentium eſt ſermo in l. ex boc jure 5. ff. de juſtit. & jur. & §. jus autem gentium Inſtit. dicto tit. & c. jus gentium 9. diſ. 1. de quo videri poteſt Suar. l. 2. de legib. c. 18.

XI. Ex dictis colligitur, quomodo Jus naturale à Jure gentium propriè dicto, & quovis alio Jure poſitivo differat. Nam Jus naturale, per ſe loquendo, & ſuâpte naturâ, eſt immutabile, §. ſed naturalia Inſtit. de jure nat. gent. &c. & per accidens ſolùm, ob mutationem materiæ, ſive obiecti ſui, cui nova circumſtantia advenit, mutari dicitur per denominationem extrinſecam, ratione cuius novæ circumſtantiæ, ipſum obiectum ſeu materia deſinit eſſe de jure naturali, quæ ſeclusâ tali circumſtantiâ, ſub præceptum juris naturalis cadebat. V. g. hominem occidere eſt prohibitum jure naturali, non abſolutè, ſed privatâ auctoritate, & extra caſum neceſſariæ defenſionis: unde ſi homo occidatur, vel auctoritate publicâ Magiſtratûs, vel neceſſariæ defenſionis causâ, non tollitur, aut mutatur jus naturæ, quia hominem occidere ſub his circumſtantiis non eſt prohibitum jure naturæ. Sic etiam jure naturæ ptohibitum eſt retinere alienum, invito domino, quàm diu manet alienum. per præſcriptionem verò legitimè completam, auctoritate legis, id, quod fuit alienum, fit proprium eius, qui præſcripſit, & ſic is retinet ſunm, cuius dominium legitimè acquiſivit per præſcriptionem. ac proinde per hanc non tollitur aut mutatur jus naturale, ſed ex parte obiecti, per jus poſitivum apponitnr nova circumſtantia, nempe tranſlatio dominij, ob bonum commune Reipubl. ne rerum dominia diu maneant incerta, & ut innumeræ lites evitentur, & pax inter cives conſerverur: quâ poſitâ, rei præſcriptæ retentio non ampliùs adverſatur juri naturali. Similiter tametſi jure naturali primævo, omnes bomines naſcebantur liberi, ob novam tamen circumſtantiam ex parte obiecti advenientem, nempe propter gravem iniuriam illatam Principi, vel Reipubl. ab aliis populis, ob quam licitum erat juſto bello captos interficere, multò magìs licitum eſt eos ſub poteſtate ſervare, pœnâ mortis in perpetuam eorum ſervitutem commutatâ. Molin. cit. diſ. 4. n. 9. Adde, quòd libertas hominis non pertinet ad jus naturale præceptivum, quaſi eam præceperit, & ſervitutem prohibuerit, ſed ad permiſſivum, quia jus naturale conceſſit, ut quiliber eſſet liber, & dominus ſuę libertatis, neque hoc jure ſervitus eſt introducta, quæ autem boc modo ſolùm pertiuenr ad jus natutale, mutari poſſunt, Axot p. 1. Inſtit. mor. l. 6. c. 1. q. 2. Contrà verò Jus gentium propriè dictum mutari poteſt, non tantùm per accidens ratione materiæ ſeu obiecti mutati, ſed etiam per ſe, quamvìs omnes circumſtantiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant. Unde Jus gentium, non ſemper omnibus, ſed regulariter & ferè omnibus gentibus commune eſt, ut dicitur in c. Jus genrium 9. diſ. 1. ideóque, quod apud aliquos populos cenſetur eſſe de jure gentium, poteſt apud alios non ſervari. Idémque multò magìs locum habet in quovis alio Jure poſitivo ſeu humano, quod ſicut Principis vel Reipubl. arbitratu latum fuit, ita etiam, cùm iia placuerit, ex parte mutari, vel omnino abrogari, & tolli poteſt, Molin. c. l. n. 6.

XII. *Jus Civile* (quod eſt tertium membrum diviſionis ſuprà allatæ ex Juriſperitis) *dicitur, quod quiſque populus, vel quæque civitas ſibi proprium conſtituit*, §. Jus autem Civile Inſtit. de jure nat. gent. &c. l. omnes 9. ff. de juſtit. & jur. c. jus civile 8. diſ. 1. ut Jus Civile Athenienſium, Romanorum. Et de hoc Jure Civili dicitur in l. jus civile 6. ff. d. t. quod neque in totum à naturali, vel gentium jure recedit, neque omnino ei ſervit, ſed efficitur jus proprium, id eſt, civile, cùm aliquid additur, vel detrahitur juri communi, ſcilicet naturali vel gentium, gl. ibid. v. juri communi. Ex. gr. jus gentium præſcribit, ſontes puniendos eſſe, non autem præſcribit, quo genere pœnæ: ſed jus civile addit aliquid, determinando pœnam, ut ſi latro ſit, puniatur gladio, ſi fur, laqueo.

Interdum verò aliquid detrahit, quia præcepta juris gentium & naturalis, ob circumſtantias perſonarum & rerum, ſæpe limitantur. V. g. jus gentium præcipit, pacta eſſe ſervanda: quòd ſi pupillus mihi promittat 100. aureos, vel mulier fideiubeat pro aliquo, ſecundùm Jus civile, non obligantur ex tali promiſſione, ob ætatis & ſexûs fragilitatem: & hoc caſu jus civile detrahit juri gentium. Atque hæc de diviſione Juris in naturale, gentium, & civile, quæ eſt Juris Conſultorum.

XIII. Verùm ſequendo diviſionem Juris bimembrem ſuprà allatam in jus naturale, & poſitivum (quæ eſt diviſio aptior, & magìs congrua) Jus poſitivum pront opponitur Juri naturali, ſubdividitur in Jus poſitivum divinum, & poſitivum humanum. Jus divinum poſitivum (quod additur, ut excludatur Jus naturale, quod certo reſpectu & ratione etiam divinum appellatur, quatenus à Deo tanquam auctore naturæ mentibus humanis eſt inditum) eſt, quod à Deo vel Chriſto, quatenus Deus ſimul & homo eſt, de iis quæ ad jus naturale non ſpectant, auctoritate divinâ latum & conditum eſt, ſive per ſe, ſive per alios miniſtros & Vicarios ſuos, ut Moyſen & Apoſtolos, Molin. tract. 1. diſ. 3. n. 4.

Hoc Jus divinum ſubdividitur in Vetus, & Novum. Vetus eſt, quod Deus in Veteri Teſtamento tulit, quod

qui-

quidem triplicis generis præcepta continebat: 1. Moralia, quæ ad mores formandos ſpectabant, ut ſunt præcepta Decalogi, de quibus Exod. c. 20. & ſunt juris naturalis, immutabilia & indiſpenſabilia, quæ adhuc hodie, non quatenus ſunt præcepta Veteris Teſtamenti, ſed vi legis naturæ, quæ in mente noſtrâ ſcripta, & impreſſa eſt, obligant, adeóque ad Jus naturale ſpectant: 2. præcepta Cæremonialia, quæ erant de rebus & cauſis ad divinum cultum ſpectantibus, de quibus in libro Levit. c. 1. & ſeqq. ac denique 3. præcepta judicialia, quæ erant de rebus civilibus, & politicis, ad rectam gubernationem populi, & juſtitiam adminiſtrandam pertinentibus, de quibus Exod. c. 21. & ſeqq. Et hæc juris poſitivi erant, quæ pendebant ſolùm ex divina inſtitutione, & voluntate, & jam per mortem Chriſti ſunt antiquata.

Jus divinum poſitivum novum eſt, quod Chriſtus in novo Teſtamento condidit, & promulgavit, & continet præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum. Porrò non omnia præcepta, quæ Apoſtoli condiderunt, ſunt juris divini, ſed illa ſolùm, quæ velut ex ore ipſius Chriſti accepta tradiderunt, & promulgârunt: reliqua verò, quæ Apoſtoli, tanquam Paſtores, & Rectores Eccleſiæ ſtatuerunt, ad Jus humanum pertinent, ut ſunt præcepta de obſervanda die Dominica, de jejunio quadrageſimali, de bigamis non ordinandis, & alia hujuſmodi, Mol. cit. diſ. 5. n. 2.

Jus poſitivum humanum eſt, quod proximè ab humana auctoritate procedit, & conditum eſt, ſive cujus obligatio immediatè oritur, & vim habet ex libera hominis publicâ poteſtate aliquid præcipientis vel prohibentis, voluntate. Hoc Jus humanum ſubdividitur in Jus gentium, quod apud omnes, vel ferè omnes gentes ſervatur, de quo jam ſuprà dictum: & in Jus Civile, & Canonicum. Jus Civile eſt, quod auctoritate Principis vel Magiſtratûs ſecularis eſt conditum, ad Reipubl. gubernationem, & temporalem pacem, & ſalutem civium conſervandam. Hoc Jus rurſum dividitur in Jus commune, & particulare ſeu Municipale. Jus Civile commune dicitur, quo omnes, qui Imperio Romano ſubjecti ſunt, ligantur, & continetur in Corpore ſive Libris auctoritate Imperatoris Juſtiniani editis. Dividitur autem totum Jus commune civile ſeu Cæſareum in tres præcipuè partes: Digeſta, Inſtitutiones, & Codicem. Prima pars Digeſtorum L. Libris complectitur potiſſimùm Veterum Juris Conſultorum reſponſa in tria volumina collecta: quorum primum Digeſtum Vetus, ſecundum Infortiatum, tertium Digeſtum novum appellatur. Inſtitutiones Imperiales IV. Libris comprehenſæ, ſunt quoddam Juris compendium, ut ſint totius legitimæ ſcientiæ elementa, ut loquitur Imper. Juſtinianus in proœmio Inſtitutionum. Codex Conſtitutiones, & Reſcripta Imperatorum Antiquiorum Libris XII. complectitur, quorum tres ultimi tractantes de Jure publico in ſcholis explicari non ſolent. His tribus Juris Civilis partibus poſtremò Authenticæ, ſeu Novellæ, Conſtitutiones Juſtiniani, & Leonis Imperatorum, Conſuetudines feudales, & aliæ quædam Conſtitutiones Imperiales ſunt adjectæ.

Jus verò Civile particulare ſeu municipale dicitur, quod non ligat omnes ſubditos Imperii Romani, ſed tantùm ſubditos loci vel territorii, pro quibus hoc Jus conditum eſt. Porrò de Jure Canonico, quod eſt tertium membrum ſubdiviſionis allatæ, agemus §. ſeq.

§. III.

De Iure Canonico, ejúſque objecto, & cauſis.

XIV. JUS Canonicum dicitur à Græco verbo Canon, in c. 1. diſ. 1. quod Latinè idem ſignificat, quod regula, & quidem per antonomaſiam Regula Eccleſiaſtica, ſic dicta, eò quòd rectè ducit, nec aliquando aliorſum trahit, quàm ad rectitudinem, vel quòd regat, vel quòd normam rectè vivendi præbeat, vel quòd diſtortum, pravúmque corrigat, c. 2. cit. diſ. 3. Unde Jus Canonicum Jus Regulare non malè appellari poteſt, quia ſpiritualem vivendi normam continet, unde dicti ſunt Regulares, ut notat Lancelottus Inſtit. Jur. Canon. l. 1. in princ. ſive quia collectum eſt ex Canonibus, id eſt, regulis ad rectè vivendum inſtitutis. Vocatur etiam Jus Eccleſiaſticum, ratione materiæ, quia agit de rebus & perſonis Eccleſiaſticis, quæ potiſſimùm hoc jure reguntur. Dicitur & Jus Pontificium ab ejus Auctoribus, nempe ſummis Pontificibus, à quibus vim & auctoritatem habet. Vocatur præterea ſubinde Jus divinum, largè ſumendo jus divinum, tum quia inſtinctu & gratiâ S. Spiritûs Canones editi ſunt, ut dicitur in c. violatores 5. cauſ. 25. q. 1. tum quia Canones ſunt veluti concluſiones deductæ ex principiis Juris ſeu legis divinæ, c. qualiter. 24. de accuſat. & quædam ex SS. Litteris excerpta continent. tum denique quia S. Pontifex poteſtatem condendi leges ab ipſo Chriſto velut ipſius Vicarius, & Petri ſucceſſor accepit, ut colligitur ex c. translato 3. de Conſtitut.

XV. Porrò *Jus Canonicum ſic definiri poteſt* ex Greg. Tholoſano partit. Jur. Canon. lib. 1. tit. 2. c. 2. & Lancelotto c. l. *Jus poſitivum, quod à Summis Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ traditum, conſtitutum, vel approbatum, actiones fidelium ſeu Chriſtianorum proximè ad divinum cultum, ad pacem & juſtitiam Chriſtianam (quæ in puritate fidei & morum honeſtate, ſeu mandatorum Dei & Eccleſiæ obſervatione conſiſtit) in populo Chriſtiano conſervandam & augendam, ultimatè verò ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Dicitur 1. Jus poſitivum, quia auctoritate SS. Pontificum latum eſt, qui cùm in Eccleſia Dei ſupremi Principis locum obtineant, ad eos ſpectat univerſales Leges Eccleſiæ condere. Dicitur 2. traditum, quia quædam Juri Canonico inſerta ſunt, quæ ex SS. Scripturis ſunt excerpta, & in Univerſalibus Conciliis repetita, ut patet ex c. ſignificâſti 4. de elect. Dicitur 3. conſtitutum, nempe per Decretales Epiſtolas, Reſcripta, Conſtitutiones SS. Pontificum. Dicitur 4. vel approbatum, niſi enim iis, quæ poſita ſunt in Jure Canonico, accedat auctoritas, & approbatio S. Pontificis, vim legis, ſeu Juris Canonici non habent. Dicitur 5. actiones fidelium ſeu Chriſtianorum, quia regulariter infideles, qui Chriſtiani non ſunt, Papæ, aut Juri Canonico non ſubjiciuntur, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 5. V. 12. *quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Dicitur 6. proximè ad divinum cultum &c. quib⁹ verbis indicatur finis, tum proximus, tum ultimatus & principalis Juris Canonici.

XVI. Et hinc patet 1. quæ ſit differentia inter Jus Canonicum, & Civile. nam hoc à poteſtate prorſus ſeculari, laicâ & temporali procedit, & finem merè temporalem, civilem ac politicum reſpicit, nempe naturalem felicitatem, ſeu vitam civium talem, quæ rationi naturali ſit conformis: ſive, ut loquitur Abb. in Procemio Decretalium n. 16. Jus civile intendit hominem dirigere in bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati civiliter viventi: cuiuſmodi vita conſiſtit in legali juſtitia, & civili amicitia. At verò Jus Canonicum promanat à poteſtate merè ſpirituali à Chriſto Petro, eiúſque Succeſſoribus communicata, & omnes omnino Chriſti fideles, etiam Reges & Imperatores obligat, c. 1. de conſtit. c. omnes 4. de maior. & obed. & finem merè ſpiritualem habet, nempe æternam beatitudinem, & vitam Chriſtianorum talem, quam æterna ſalus conſequatur, ad quam eos per mores Chriſtiano homine dignos, ſive per juſtitiam Chriſtianam dirigere nititur; adeóque hanc habet pro fine proximo, pro ultimato æternam beatitudinem, Abb. c. l. ubi ait, Jus Canonicum intendit dirigere hominem ad bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati, quatenus non ſolùm civiliter vivit, ſed ſecundùm fidem in Deum Intendendo; & vitam aliam expectando, qui utique eſt finis ſpiritualis, & ſupernaturalis. Eſt igitur Jus Canonicum ſcientia mixta, partim ex Theologia, in quantum ſcilicet tendit in finem æternæ beatitudinis, & ſpiritualia ſpeculatur & tractat: partim ex Jure Civili, in quantum tractat de temporalibus, ſine quibus ſpiritualia diu eſſe non poſſunt, c. ſi quis 7. cauſ. 1. q. 3. Abb. c. l.

Patet 2. quæ ſint cauſæ Juris Canonici: Materia circa quam, ſive ſubiectum materiale remotum ſunt perſonæ, res, actiones ſeu judicia, circa hæc tria enim verſatur Jus Canonicum: ſubiectum materiale proximum ſunt actiones hominis Chriſtiani, quas rectificare & dirigere ad juſtitiam Chriſtianam, & æternam beatitudinem intendunt SS. Canones. Cauſa formalis eſt ipſa regulatio ſeu directio illarum, adeóque objectum formale adæquatum Juris Canonici ſunt actiones hominis Chriſtiani, prout ab externa poteſtate Eccleſiaſtica ad juſtitiam Chriſtianam, & conſequentem inde temporalem & æternam felicitatem ſunt dirigibiles. Cauſa efficiens remota eſt Deus; proxima S. Pontifex Dei Vicarius. De cauſa finali tum proxima, tum ultimata jam dictum fuit. Lancelot. c. l. in gl.

§. IV.

De diviſione Iuris Canonici, eiúſque principiis, ex quibus eſt derivatum, ac deſumptum.

XVII. JUS commune Eccleſiaſticum ſive Canonicum, ad inſtar Juris Civilis, dividitur in ſcriptum, & non ſcriprum, ſive in id, quod legibus aut moribus conſtat, c. 2. diſ. 1. c. Eccleſiaſticarum 5. diſ. 11. Quæ ad Jus ſcriptum pertinent, ea vel ex Jure divino, ſive S. Scriptura, vel ex Decretis Conciliorum auctoritate Pontificiâ confirmatorum, vel ex Conſtitutionibus & decretis SS. Pontificum, vel ex placitis & conſtitutionibus Principum ſecularium, vel ex ſententiis SS. Patrum deſumpta ſunt. Jus non ſcriptum traditiones & conſuetudines continet, cit. c. Eccleſiaſticarum diſ. 11. Ubi

Notandum 1. Jus divinum ſcriptum, ſive S. Scriptura, qua non ſolùm paſſim reſperſum eſt Jus Canonicum, ſed etiam ex ea potiſſimùm profluxit, continetur Legibus tam Veteris, quàm novi Teſtamenri, c. qualiter 24. de accuſat. ubi dicitur, quòd ex auctoritatibus veteris & novi Teſtamenti proceſſerunt canonicæ ſanctiones. Præcepta autem Veteris Teſtamenti, quæ à SS. Pontificibus reperta, & Decretalibus ſuis inſerta ſunt, ut in c. 1. de adulter. c. 1. de furtis, c. 1. & 4. ſeqq de injuriis, & aliis locis, nō obligant Chriſtianos, nec ab iis obſervantur, ut Veteris Legis divinę præcepta ſunt, ſed ut ſunt Juris humani, novâ nimirum conſtitutione à SS. Pontificibus renovata & recepta; eáque ipſá interdum vocantur pręcepta divini juris, ſive legis, non quòd adhuc ſint, ſed fuerint, Canis. in Summ. Jur. Canon. lib. 1. tit. 2. in notat.

XVIII. Notandum 2. decreta Conciliorum Eccleſiaſticorum, vel ſunt Univerſalium, vel particularium. Concilia Univerſalia ſeu Generalia ſunt, quæ ab Epiſcopis ſeu Prælatis Eccleſiaſticis ex univerſo Orbe in unum locum, auctoritate S. Pontificis, congregatis celebrantur, ad univerſales leges ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas, ſive Canones, qui totam Eccleſiam obligent, condendas, & fidei controverſias decidendas: unde & Oecumenica, id eſt, generalia, ſeu totius Orbis Chriſtiani Concilia appellantur, quæ Catholicam, ſeu Univerſalem repræſentant Eccleſiam. Porrò Concilia Univerſalia, eorúmqne decreta auctoritatem nullam habent, niſi conſenſu, & auctoritate S. Pontificis congregata & confirmata fuerint, c. ſignificâſti 4. de elect. alioquin nec legirima, nec rata ſunt: & conciliabula potiùs, ſive improbata conventicula, & Synagogæ Sathanæ, quàm Concilia cenſenda ſunt, c. 1. & 2. & c. multis 5. diſ. 17. quia diſponere de iis, quæ univerſalem Eccleſiæ ſtatum concernunt, & ad id Concilia generalia convocare ſolùm ſpectat ad Univerſalis Eccleſiæ Rectorem, ac Paſtorem, & ſupremum Judicem omnium Chriſti fidelium. Quamob rem etiam Concilia Generalia extra Urbem celebrata, quibus S. Pontifex, in propria perſona, intereſſe non ſolet, ſed ſolùm per Legatos ſuos præſidet, vim & auctoritatem non habent, niſi decreta in illis facta ad Romanum Pontificem tanquam totius Eccleſiæ Caput transmittantur, & ab eo approbentur, & confirmentur, ut ex perpetua traditione conſtat, & docet Navarr. l. 1. tit. 2. conſil. 1. q. 1. n. 4. Suar. l. 4. de legib. c. 6. n. 2. Laym. l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 6. §. 2. n. 9. ex communiore & veriore ſententia. Qnod autem dictum eſt, Generalia Concilia illa dici, ad quæ univerſi Orbis Chriſtiani Epiſcopi conveniunt, id non ita accipiendum eſt, quaſi neceſſe ſit, ut omnes Epiſcopi perſonaliter compareant, ſed quòd nullus excludendus ſit, & omnes intereſſe poſſint. Soli verò Epiſcopi in eiuſmodi Conciliis jure ordinario vocem deciſivam habent, ſive jus definiendi controverſias tanquam judices, & leges ferendi, quia ipſi ſunt paſtores fidelium à Chriſto conſtituti, juxta illud Apoſtoli Actor. c. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Attamen ex privilegio, aut conſuetudine, etiam alii Prælati Eccleſiaſtici,

ſtici, ut Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, ſententiam deciſivam dicere poſſunt, & ſolent: non item perſonæ laicæ, nec quidem Reges, aut Imperatores, nec Oratores eorum, Laym. c. l. n. 10. Inter cætera autem Concilia Oecumenica, quatuor ſunt, quæ totam principaliter fidem Chriſtianam complectuntur, ideòque ab Eccleſia Catholica tanquam IV. Evangelia probata & recepta ſunt, videlicet Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe, c. 1. §. inter cætera, & c. 2. diſ. 15. quamvis etiam reliqua Concilia Generalia auctoritate S. Pontificis convocata & confirmata vim & auctoritatem habeant, c. 3. cit. diſ. 15.

XIX. Particolaria ſive non Oecumenica Concilia, ad quæ non vocantur omnes Epiſcopi totius Orbis, alia ſunt Nationalia, alia Provincialia, alia Synodalia & Diœceſana, ſeu Epiſcopalia. Nationalia ſunt, quæ indicuntur ab aliquo Primate ſeu Patriarcha, convocatis Archiepiſcopis & Epiſcopis unius Regni aut Nationis, ſeu duarum, trium vel plurium Provinciarum: cuiuſmodi ſunt multa Concilia Romana à S. Pontifice celebrata, convocatis tantùm Epiſcopis Italiæ: item Toletana & Africana: quamvis nonnulli Nationalia Concilia velint comprehendi ſub Provincialibus, ut obſervat Caniſ. c. l. in notis, quia certis provinciis continentur, nec ad omnes Chriſtianos, uti Oecumenica, pertinent. Provincialia Concilia ſunt, quæ coguntur ab Archiepiſcopo ſeu Metropolitano, convocatis omnibus Epiſcopis ſuffraganeis, ſeu Coëpiſcopis Provinciæ, ad quæ etiam Capitola Cathedralium Eccleſiarum invitantur, ita tamen ut in illis votum conſultivum tantùm, non deciſivum habeant, ſecundùm Abbat. in c. ult. n. 2. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. Concilia Epiſcopalia ſeu Diœceſana (quæ tamen magis propriè Synodi, quàm Concilia vocantur, ut patet ex c. Sicuti olim. 25. in fine de accuſat.) ſunt, quæ ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, convocatis Prælatis & Parochis, indicuntur, Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. §. 1. n. 1. Quibus annumerari poſſunt Capitula, ſeu Congregationes, in quibus ex Superiorum ſuorum auctoritate, Monachi aut alij Religioſi eiuſdem Ordinis, conveniunt, eæque ſunt vel Generales, vel Provinciales, de quibus agitur in c. pen. & ult. de ſtatu Monach. Porrò ut Concilia non Oecumenica, ſeu particolaria vim & auctoritatem habeant in Diœceſi, Provincia, vel Natione, non requiritur conſenſus vel approbatio S. Pontificis, modò in ijs nihil ſtatuatur contra Canones vel Conſuetudines Univerſalis Eccleſiæ, Laym. c. l. n. 2. Diſtinguuntur etiam particularia Concilia ab Univerſalibus in eo, quòd decreta iſtorum omnes omnino Chriſtianos aſtringant, c. 1. in princ. diſ. 15. c. 1. de conſtitut. Particularium verò ſtatuta tantùm ſubditos obligant, quàm diu in regno, Provincia vel Diœceſi ſunt, extra territorium enim jus dicenti impunè non paretur, c. 2. de conſtit. in 6. l. fin. ff. de juriſd. Quæ tamen ex his in Corpus Juris Canonici relata ſunt, ut videre eſt in c. 2. de elect. c. Nec Epiſcopi. 7. de temp. ordin. & alibi, vel aliàs à S. Pontifice generaliter approbata ſunt, perinde obligant omnes Chriſti fideles, atque ſi ab ipſomet convocata, & celebrata eſſent, iuxta illud Juſtiniani Imper. in l. 1. C. de Jure ver. enucleand. *omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impertimus.*

XX. Notandum 3. Canonibus ſive decretis Conciliorum æquipollent etiam decreta & Conſtitutiones SS. Pontificum, cùm ipſorum Conciliorum decreta vim & auctoritatem non habeant, niſi fuerint à Sede Apoſtolica approbata: omnis enim voluntas Pontificis, ſive per Epiſtolam, ſive per Decretum, ſive per Edictum promulgata vim & auctoritatem Juris habet, c. 1. & 2. diſ. 19. ubi dicitur: *ſic omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius D. Petri voce firmatæ ſint.*

Notandum 4. Conſtitutiones ſive leges Imperatorum & Principum ſecularium, quæ in ipſum Corpus Juris Canonici relatæ ſunt (in Jus videlicet Decretalium, non quæ Decreto Gratiani privatâ eius auctoritate comprehenſæ ſunt, ut poſtea dicetur) vel etiam aliis Conſtitutionibus SS. Pontificum inſertæ, Juris Eccleſiaſtici vim & auctoritatem habent, quia *omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impertimus,* cit. l. 1. Aliæ verò leges Civiles, etſi quoad res, & perſonas Eccleſiaſticas, ex ſe nullius ſint momenti & roboris, in foro tamen Eccleſiaſtico recipiuntur; quia *ſicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari: ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adiuvantur,* cap. 1. de novi oper. nunciat. dummodo S. Scripturæ, vel decretis Canonum, vel bonis moribus non adverſentur, c. 1. & 3. ſeqq. c. 7. & 9. diſ. 10. neque expreſsè ac nominatim de rebus aut perſonis Eccleſiaſticis ſtatuant, ſed ſimpliciter & generatim loquantur, cùm de his poteſtas ſecularis nihil validè poſſit ſtatuere, c. Quæ Eccleſiarum. 7. de conſtit. de quo plura infrà ſuo loco.

Notandum 5. quod attinet ad dicta, & ſententias SS. Patrum, quamvis & hæ nullam habeant auctoritatem Juris, ad quod condendum non ſolùm ſcientia, ſed magis poteſtas eſt neceſſaria, SS. Patres verò non habent poteſtatem ferendi leges, ſed interpretandi S. Scripturam tantùm, neque fuerunt Canonici Scriptores, diſ. 20. in princ. §. ſed aliud. ceſſante tamen diſpoſitione Juris, poſſunt allegari ſententiæ SS. Patrum ad probationem, & deciſionem cauſarum: & ſic poſt decreta, & Conſtitutiones Pontificum, & Conciliorum (imò & poſt leges civiles, Caniſ. c. l. in notar.) auctoritatem & locum habent in decidendis cauſis, c. 1. cit. diſ. 20. quia aliud eſt habere doctrinam interpretandi, aliud definiendi poteſtatem, Tholoſan. lib. 1. part. Jur. Can. tit. 2. c. 8. Excipiuntur illæ ſententiæ Patrum, quæ in Corpus Juris Canonici relatæ, vel in alia Pontificia Conſtitutione comprehenſæ ſunt, ut ex dictis patet.

Notandum 6. per Traditiones, quæ ad Jus non ſcriptum pertinent, ea dicuntur accepta, quæ initio ſolâ voce ab Auctoribus Juris prodita, ad nos veluti per manus pervenerunt, etſi poſteri ſcripto ea complexi ſint, c. Eccleſiaſticarum. 5. diſ. 11. qualia ſunt trina immerſio eorum, qui baptizantur, jeiunium Quadrageſimale, baptiſmus parvulorum, aquæ cum vino permixtio in Miſſa, & alia plura, quæ parem auctoritatem habent, ac ſi ab initio Juri ſcripto inſerta, & promulgata eſſent. cit. c. Eccleſiaſticarum. Verùm de traditione, ſicut & de conſuetudine; quæ etiam ad Jus non ſcriptum pertinet, ſuo loco agendum erit.

His addenda alia diviſio Juris Canonici, cuius meminit Tholoſan. c. l. c. 14. in Jus commune & ſpeciale ſeu

ſeu ſtarutorum. Commune dicitur, quod pro univerſa Eccleſia latum eſt, adeóque omnes fideles obligat. Speciale eſt, quod pro certo loco, provincia, diœceſi, vel communitate latum eſt, ideóque extra illius fines non obligat. Jus commune Canonicum turſum ſubdividitur in illud, quod in Corpus Juris Canonici eſt rtanslatum, quod in c.Paſtoralis 8.de fide inſttum. ſpeciali ratione Jus commune appellatur: & in id, quod eſt extra Corpns Jutis Canonici, ſive quod in eodem non continetut, ut ſunt Dectetales quædam Exttavagantes, quæ Corpori Juris non ſunt inſertæ, ſecundùm quas Judex judlcare poteſt, ſi Juri communi ſint conſonæ, cit.c.Paſtoralis: quò etiam pertinent Regulæ Apoſtolicæ Cancellariæ, quæ ſaltem Romæ juris auctoritatem habent. Porrò per Jus Canonicum abſolutè prolatum intelligitur Jus commune in Corpus Juris translatum, de quo nobis deinceps agendum erit.

§. V.

De partibus, ex quibus conſtat Corpus Juris Canonici.

VOlumen illud, in quo illa jura, quæ ad totius Eccleſiæ gubernationem ſpectant, antea diſpetſa in certum ordinem redacta continentur, Corpus Juris Canonici appellatut, ſicut volumen Legum Civilium Corpus Jutis Civilis vocari ſolet. Univerſum autem Corpus Juris Canonici, quo in ſcholis ac foro hodie utimur, quinque partes præcipuas ac principales in ſe continet; Decretum Gratiani, Decretales Papæ Gregotij IX. Sextum Decretalium Bonifacij VIII. Decretales Clementis V. & denique Extravagantes, tum Joannis XXII. tum Communes, id eſt, aliorum SS. Pontificum.

Prima pars Juris Canonici eſt Decretum à Gratiano Monacho Ordinis S. Benedicti ex S. Scripturæ ſententiis, decretis ac reſponſis Conciliotum & SS. Pontificum, Legibus Romanorum Imperatotum, ſententiis SS. Patrum, & Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum, ac propriis ipſius Gratiani, eiúſque diſcipuli Paleæ compilarum ſeu collectum, ut nonnulli putant apud Barboſam in procœmio Decteti n.9. quamvìs alii exiſtiment, has paleas eſſe additiones quaſdam non eodem tempore factas, ſed in prima compilatione, & nonnullas fortè etiam ab ipſo Gratiano adſcriptas inter componendum, aut telegendum, quas deinde Librarii vel omiſerint, vel in contexru poſuerint, interdum conjunctas cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo diſcrimine, ut habetur in cit. procœmio Decreti. Inſcribitur autem Decretum ab auctore Opetis, Concordantia diſcordantium Canonum, cui tandem uſus nomen Decreti attribuit.

Dividirur Decretum Gratiani in tres partes principales: quarum prima continet diſtinctiones centum & unam, in Canones ſive Capitula diviſas. Altera XXXVI. Cauſas, quarum ſingulæ in quæſtiones dividuntur, & quælibet quæſtio in Canones ſeu Capitula: inter quas cauſæ XXXIII. quæſtio tertia 7. diſtinctiones de pœnitentia continet. Tertia denique pars Decreti quinque diſtinctiones de Conſecratione comprehendit, ſubdiviſas etiam per Canones ſive Capitula. In 1. parte Decreti de varia juris origine, partibus, & ſpeciebus agitur, & de iis, quæ ad jura, & dignitates, gradus, electiones, ordinationes & officia perſonarum Eccleſiaſticarum pertinent. Altera pars materiam rerum juridicarum, & judiciorum Eccleſiaſticorum complectitur. In 3. parte totius juriſdictionis & Miniſterii Eccleſiaſtici jura, ritus, ordinationes, conſecrationes, & executiones explicantur.

XXII. Cæterùm volumen hoc Decreti à Gratiano collectum, ſi Auctor ſpectetur, nullam juris auctoritatem habet, quia Gratianus illud privato ſtudio conſarcinavit, qui velut homo privatus auctoritatem legis ferendæ non habuit. Sed neque hactenus totum hoc Opus complexum Gratiani, auctoritate publicâ, confirmatum fuit, quoad omnia in illo contenta, ut docet Suar.l.4.de legib.c.5.n.6.& 7. Caniſ.in ſumm. l. 1. tit. 1. in annotat.Laym.cit.c.6.§.3. n.12. ideóque ſingula Capitula, quæ in eo continentur, ad ſuam originem revocanda ſunt, ita ut non maior auctoritas eis, quàm Auctori ipſi tribuatur, à quo deſumpta ſunt, ac proinde ea, quæ in Decreto continentur, vim Canonis minimè habent, niſi ex S.Pontificis, aut Concilij Generalis decretis deſumpta ſint, ut præter cirr. docet etiam Sanch.l.9.de matrim. diſ. 12. n.5. vel etiam ex decretis Concilij particularis, quod tamen poſtea à Sede Apoſtolica confirmatũ eſt. Conſtitutiones verò Imperatorũ & Reſponſa Juriſconſultorũ, quæ Gratianus in Corpus Decreti transtulit, non ſunt hoc ipſo canonizata, ſive nõ habent vim Canonis, ſeu legis Eccleſiaſticæ, ſed retinent eam ſolùm auctoritatem, quam antea habuerunt, nempe civilem, manéntque diſpoſitiones Juris Civilis, perinde, acſi nunquam Operi Decretorum fuiſſent inſerta, cùm ipſe Gratianus non habuerit poteſtatem ferendi leges, aut eas canonizandi. SS.Patrum quoque dicta, & ſententiæ, ex quibus multi Canones deſumpti, & in opus Decreti relati ſunt, per ſe loquendo, Juris auctoritatem nullam habent: ex diuturna tamen conſuetudine & uſu in foro externo, teſte Laym. c.l. ut authentici Canones obſervari, & ad cauſarum deciſionem allegati ſolent, ſaltem ad directionem.

Aliud eſt de cæteris Juris Canonici partibus, ut de Decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus, has enim vim & auctoritatem Juris habere indubitatum eſt, nam ipſos SS.Pontifices Auctores habent, quorum nomine inſcriptæ, & auctoritate promulgatæ ſunt, cùm contrà Volumen Decretorum in vetuſtiſſimo Exemplari Vaticano Decretum Gratiani nuncupetur, ut refértur in admonitione ad Lectorem Editioni Gregorianæ præfixa.

XXIII. Secunda pars Juris Canonici complectitur V. libros Decretalium, in quibus continentur variorum SS. Pontificum reſcripta, & reſponſa, mandato Gregorij IX. per Raymundum eiuſdem Capellanum, & Pœnitentiarium congeſta, & vatiis Titulis & Capitulis diſtincta. Inſcripti ſunt hi libri ſub nomine Decretalium potiùs quàm Decreti, deſumptâ appellatione à maiore parte eorum, quæ in ijs continentur, quia in his multò plures ſunt Epiſtolæ SS. Pontificũ, quàm ſint reliquæ auctoritates ſimul ſumptæ: contrà verò in in Opere Gratiani multò plura ſunt Decreta Conciliorum, quàm Conſtitutiones, vel Epiſtolæ decretales SS.Pontificum, ideóque Gratiani opus Decretum eſt appellatum; Gregorij IX. verò Decretales.

Porrò

Porrò in hac compilatione Decretalium Papa Gregorius I X. Pandectarum & Codicis rationem & ordinem ferè ſecutus eſt, & Univerſum Jus Canonicum ad judiciorum rationem digeſſit, & accommodavit: nam in I. Libro, expoſitis Juris Canonici principiis, de Ordinibus, gradibus, juriſdictionibus & officiis Magiſtratuum, qui juriſdictioni Eccleſiaſticæ præſunt, agitur. deinde ſubjunguntur quædam, quæ circa perſonas, & res litigantium in principio judiciorum verſantur, ut infrà dicetur. In I I. Libro agitur de Judiciis Eccleſiaſticis, eorúmque ordine, & proceſſu. In III. Libro de rebus civilibus Clericorum, tum ſecularium, tum regularium, eorúmque juribus, & obligationibus, tum propriis Clericorum, ut ſunt Eccleſiaſtica beneficia, vota &c. tum communibus cum laicis, ut ſunt contractus, teſtamenta, uſus ſacrorum, jus ſepulturæ &c. In I V. Libro agitur de rebus potiſſimùm laicorum propriis, & ideo de ſponſalibus & matrimonio, eiſque annexis tractatur. In V. Libro denique agitur de criminibus, eorúmque inquiſitione, accuſatione, & punitione, adeóque cauſæ judiciorum criminales explicantur. Unde ſumma horum V. Librorum continetur hoc Verſu: *Judex, judicium, Clerus, ſponſalia, crimen.* Ex quo patet, totum Jus Canonicum in V. Libros Decretalium diviſum ad quatuor capita potiſſimùm reduci, nimirum ad perſonas Clericorum vel laicorum, ad res earundem perſonarum, ad judicia & actiones, ad delicta & eorum pœnas. Solent autem horum V. Librorum Tituli à quibuſdam DD. citari, additâ particulâ, *Extra*, quòd ſit extra Gratiani Decretum, hoc enim priùs tempore prodiit: & Decretales quidem Gregorij I X. Antiquæ vocantur, aliæ verò poſteriores Novæ, ſeu Novellæ, ad inſtar Novellarum Conſtitutionum Juſtiniani Imper.

XXIV. Tertia pars continet Librum ſextum Decretalium à Papa Bonifacio VIII. ex diverſorum SS. Pontificum Reſponſis congeſtum, qui Sextus inſcribitur: eo quod V. Libris Decretalium tanquam ſextus Liber ſpecialis, & ſeparatim acceſſerit, ut habetur in prooemio ad Librum V I. Decretalium, & totidem libros complectitur, quot Volumen Decretalium Gregorij I X. quorum ſinguli iiſdem Titulis, etſi non omnibus conſtant, & parem cum V. Libris Decretalium juris auctoritatem habent. Porrò ſicut civilia Imperatorum reſponſa, juxta l. 1. ff. de conſtitut. ita & Epiſtolæ, ſeu Reſponſa SS. Pontificum etiam uni loco vel Eccleſiæ data, ſaltem poſtquam in Corpus Juris Canonici redacta ſunt, Legum vel Decretorum univerſalium vim obtinent; ita, ut in altero quoque loco, vel Eccleſiâ, ad controverſiæ deciſionem cum auctoritate allegari poſſint, niſi ex ſpeciali cauſa, perſona, loco vel tempore prodierint, tunc enim ad alias cauſas transferri non poſſunt, diſ. 20. in princ. & c. 1. Laym. c. l. n. 13.

Quarta pars Juris Canonici comprehendit Conſtitutiones Clementis V. in Concilio Viennenſi, quin & antè ac poſt editas, quæ ideo ab Auctore ſuo Clementinæ dictæ ſunt, quamvìs ab eiuſdem ſucceſſore primùm Joanne XXII. abſolutæ, & promulgatæ ſint. Conſtant etiam V. Libris, ſicut Decretales, & iiſdem Titulis, ſed multò paucioribus, qui in Capitula quoque diſtinguuntur.

Quinta Pars denique continet Conſtitutiones Extravagantes Papæ Ioannis X X I I. (quarum numero XX. ſunt, iuxta decretalium Ordinem poſitæ) & communes aliorum Pontificum, quæ quia antea, extra Corpus Juris Canonici, incertâ quaſi ſede vagabantur, nec, quia paucæ erant, peculiaris alicuius Voluminis Decretalium nomen merebantur, ideo Extravagantes nominatæ ſunt, quod nomẽ adhuc retinent, licèt poſtea in ordinem librorum Juris Canonici redactæ ſint.

Ad has Extravagantes reduci debent Canones & Decreta Conciliorum Generalium, imò etiam particularium, quæ vel à SS. Pontificibus, vel Univerſali Eccleſiarum conſuetudine approbatæ fuerunt. Item huc pertinent Bullæ, & Extravagantes Conſtitutiones poſteriorum Pontificum, quæ in commune Corpus Juris necdum receptæ ſunt, quarum præcipuas Petrus Matthæi J. C. Lugdunenſis in unum volumen collegit, & diſtribuit, iuxta ordinem V. Librorum Decretalium, quod ſeptimum Decretalium appellavit, qui tamen in Corpus Juris Canonici publicâ auctoritate nondum eſt receptus: etſi in recentiore Juris Canonici editione, aliis Libris Decretalium in calce additus ſit.

Illud hîc addendum, in multis Capitulis Juris Canonici, poſt initia capitum, & in decurſu addi, *Et infrà*: per quod ſignificatur, non integram Epiſtolam decretalem, vel Conſtitutionem Pontificiam fuiſſe appoſitam, ſed partem tantùm aliquam illius ad negotium pertinentem ibi referri, aliqua verò fuiſſe omiſſa à Compilatore, quæ ad rem non videbantur facere.

§. VI.

De Methodo tractandi Jus Canonicum.

Tres præcipuè modi reperiuntur, quibus Jus Canonicum ab eiuſdem Doctoribus & Interpretibus explicari, & tradi ſolet.

Primus eſt eorum, qui Inſtitutiones ſeu ſummas Juris Canonici ſcripſerunt, utili quidem operâ & omnino neceſſariâ. quia tamen in his prima ferè elementa ſeu principia Juris Canonici ſolùm traduntur, ideo haud ſufficiunt ad plenam cognitionem huius Juris, ſed Tyronibus potiſſimùm ſubſerviunt ad terminos intelligendos, & prima fundamenta huius ſtudij ponenda, & perdiſcenda.

Secundus modus tractandi Jus Canonicum eſt communis, & in ſcholis ab antiquo uſitatus, quo omnia & ſingula Capitula, iuxta ſeriem & ordinem, quo in Libris, & Titulis Decretalium ſunt poſita, explicantur, & accuratè declarantur, quæ in iis controverſa, vel obſcura ſunt. Quem modum plerique antiqui & celeberrimi Doctores, & Interpretes Iuris Canonici ſecuti ſunt, ut Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Imola, Decius, & Abbas Panormitanus ſeu Siculus, aliíque: quorum nonnulli tamen, non omnia & ſingula Capitula, ſed ſolùm præcipua, & magìs ardua explicanda ſelegerunt.

Tertius modus eſt eorum, qui arbitrariâ ferè methodo, Ius Canonicum tractant, non ſervato ordine Librorum, vel Titulorum, neque ſigillatim explicatis Capitulis, ea tamen, quæ ad doctrinam Canonicam pertinent, & variis locis ſparſa ſunt, ac propoſita, ad certa capita, & quæſtiones revocant, & accuratè explicant, quem modum plerique ferè ex recentioribus,

qui in Ius Canonicum bactenus ſcripſerunt, & Commentarios ſeu Tractatus ediderunt, tenuerunt. Ex his duobus poſterioribus modis tractandi & explicandi Ius Canonicum, nobis viſum eſt eligere aliquem tertium modum mixtum ex utroque, per quem, ſervato ordine Librorum, & Titulorum, non nimis longè à Inte Canonico, prout extat in Libris Decretalium, & in Academiis iuxta antiquum morem à Profeſſoribus Canonum explicari debet, recederemus, & tamen Capitula in omnibns Titulis contenta exponeremus. Idque quia illa ſunt fontes & ſcaturigines, ex quibus omnis doctrina Canonica promanat, & quidem non ea ſolùm, quæ ad forum externum, ſed etiam, quæ ad internum forum, ſive caſus conſcientiæ pertinet, potiſſimùm deſcendit, & derivatur, in omnibus ijs ſcilicet, quæ ad Ius Eccleſiaſticum poſitivum ſpectant. Tum quia pleraque Capitula ſunt difficilia, & ſine ſtudio & explicatione haud intelligi poſſunt, ut patet ex tot grandibus Tomis, & Commentariis in explicationem Capitulorum à Viris doctiſſimis editis, qui propè ſingula verba textûs ponderant, examinant, & declarant. Sed quia Capitula promiſcuè, & confusè, ac ſine ordine ſunt poſita in Titulis, ita, ut vix unum cum altero cohæreat, pront nemo negare poterit, qui non ſuperficie tenus, ſed paulò profundiùs ipſa Capitula inſpexerit, legerit, & intellexerit, ideo ad confuſionem evitandam neceſſarium eſſe, exiſtimavimns, ea ad ordinatam methodum, ſeu in ordinem doctrinæ reducere: qnia ubi non eſt ordo, ibi neceſſariò eſt confuſio. Quoniam verò multa ſuperſunt, quæ in Capitulis ſingulorum Titulorum non continentur, & tamen ad plenam cognitionem materiæ in Titulis propoſitæ, & ipſius Iuris Canonici ſpectant, & præſupponuntur, atque à Canoniſtis tractari quoque ſolent, idcirco illa non omittenda, ſed pro complemento Operis neceſſariò adjungenda eſſe, cenſuimus. Multa etiam ex Iure Civili afferimus & proponimus, ſed non, niſi in materiis mixti fori, & utrique Iuri communibus, & quæ à Iure Canonico etiam ſupponuntur, ac ſine quibus ea, quæ in illo tractantur, ſufficienter intelligi non poſſunt: præſertim ab ijs, qui ex inſtituto operam Iuri civili non dederunt. In ipſis Capitulis ſubinde etiam aliqua proponimus, quæ ad alias materias ſpectant, ſed non niſi breviter, & quatenus præciſè neceſſarium videbatur ad ipſum textum intelligendum, ulteriore eorum, & uberiore explicatione in propria loca, in quibus ex inſtituto de ijs agitur, rejectâ.

Explicabimus autem Libros Decretalium, eorúmqne Titulos, & Capitula omnia, non tantùm Gregorij IX. ſed etiam, quæ extant in Libro Sexto Bonifacii VIII. in Clementinis, & Extravagantibus Joan. XXII. & Communibus. Et quamvìs Decretum Gratiani in ſcholis explicari non ſoleat, ea tamen, quæ in illo hinc inde ſparſa reperiuntur, & ad Titulos Decretalium etiam ſpectant, ſuis quoque locis inſeremus. Porrò ipſos Titulos plerumque in Paragraphos dividimus, longiores verò & prolixiores in Sectiones, & has rurſus in paragraphos ſubdividimus. In fine cujuſvis Libri apponemus duplicem Indicem, unum rerum ſeu quæſtionum: alterum continentem ſeriem Capitulorum, in quo loco quodvis ſit poſitum, & explicatum.

Cæterùm ad hoc arduum & prolixum Opus moliendum, non proprio motu acceſſi, ſed quia Viri utriuſque Juris periti, & in his etiam Prælati, & in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, ac præcipuè plures Vicarii Generales Epiſcoporum, aliique, in quorum manus devenerunt Diſſertationes Canonicæ, quas per plures annos in pleroſque Titulos Libri I. Decretalium typis evulgaveram, qua voce ſeu verbo, qua ſcripto, & litteris ad me datis, ſunt adhortati, ut totum Jus Canonicum ſimili methodo in ordinem redactum, bono publico, in lucem darem; quibus tandem voluntas Superiorum ſupervenit: ideo ſolâ divinâ ope nixus hoc laborioſum, & vaſtum opus, ad eius gloriam & honorem ſuſcepi, cui vitam & labores meos jam dudum conſecravi, & dicavi.

LIBER

LIBER I. DECRETALIUM.

In hoc libro I. Decretalium, jacto fundamento, quod eſt Deus Trinus & unus, & fides Catholica, & præmiſſis principiis, ac veluti prolegomenis totius Juris Canonici, agitur de Jure, poteſtate, & officio Perſonarum Eccleſiaſticarum, modiſque, quibus ea poteſtas acquiritur, aut amittitur. Deinde à Titulo XXXV. uſque ad finem ſubjunguntur quædam præparatoria Judiciorum, de quibus tractatur in Libro 2. & ea, per quæ controverſiæ, ante litis inchoationem, & extra Judicium, componuntur, ut ſunt pacta, tranſactiones, procurationes, poſtulationes, reſtitutiones in integrum, & arbitria.

TITVLVS I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

I.

SIcut Juſtinianus Imperator ſuum Codicem, ita ſummus Pontifex Gregorius IX. Jus Canonicum auſpicatur à Summa Trinitate, & fide Catholica; partim quia SS. Canones ſunt veluti quædam determinationes; vel sonclusiones ex lege divina; & fidei præceptis tanquam principiis deductæ, c. Qualiter 24. in princ. infrà de accuſationib. ubi dicitur; *quòd ex auctoritatibus Veteris & novi Teſtamenti Canonicæ ſanctiones proceſſerunt.* Partim quia SS. Trinitas, quæ eſt Deus; eſt principium Univerſorum, c. 1. h. t. præſertim Jurium & legum, Jura enim humana per Imperatores, & Reges ſeculi Deus diſtribuit generi humano, c. 1. diſ. 8. & fides Catholica eſt fundamentum, cui inædificata eſt Eccleſia, ac proinde ei etiam innititur univerſum Jus Eccleſiaſticum, quo gubernantur membra Eccleſiæ.

Inſcribitur hic Titulus (qni eriam extat in Libro VI. Decretalium & Clemenėnis) de Summa Trinitate & fide Catholica: Summa dicitur, quia omnibus maior, & prior eſt: Trinitas verò, quia licèt una ſit Subſtantia, ſeu natura Divina, tres tamen ſunt Perſonæ. Hoſtienſ. hîc in Summa n. 1. & 2. Fides hîc accipitur pro Summa; ſivè collectione articulorum, qui ſunt credendi. Additur verò Catholica, id eſt, univerſalis per totum Orbem diffuſa. Abbas Panormitanus in rub. huius Tit. in princip. His præmiſſis.

II. Quæritur I. quænam proponantur credenda in c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Conſilio Generali Lateranenſi ſub Innocent. III. c. 1. & 2.

Reſp. 1. firmiter credendum eſt, quòd unus ſolus verus eſt DEUS; una Eſſentia ſimplex, & tres Perſonæ, eæque conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternæ. Ubi tamen voces hæ *coomnipotentes*, & *coæternæ* non ſunt accipiendæ ſubſtantivè, ita ut deſignent Eſſentiam, quo ſenſu non ſunt tres omnipotentes, nec tres æterni, ſed unus omnipotens, & unus æternus, prout dicitur in ſymbolo S. Athanaſij, ſed accipiendæ ſunt adiectivè, ita ut deſignent Perſonas, quæ tres ſunt, & ſingulæ omnipotentes & æternæ. gl. hîc. V. coæternæ. & Hoſtiens. Hic DEUS unus & Trinus eſt, unum Univerſorum Principium (bonorum & malorum contra Manichæos, qui faciebant duo principia; unum bonorum, alterum malorum) Creator omnium viſibilium, & inviſibilium; ſpiritualium; & corporalium; qui ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, id eſt, Angelicam & mundanam; ſcilicet corpoream tantùm, & deinde humanam quaſi communem: id eſt, mediam inter Angelicam & mundanam, ſive utrique conformem. gl. hîc. V. quaſi communem: ex corpore & ſpiritu conſtitutam. Diabolus enim, & alii dæmones à DEO quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe (id eſt, ex abuſu liberi arbitrii ſui) facti ſunt mali: homo verò diaboli ſuggeſtione peccavit. Uti habetur in cit. c. 1. princip.

III. Secundò firmiter credendum eſt Myſterium Incarnationis, quòd Unigenitus DEI Filius à tota Trinitate communiter incarnatus (quia opera Trinitatis inſeparabilia ſunt, ſive indiviſa ad extra. gl. hîc. V. totâ Trinitate) ex Maria ſemper Virgine, Spiritûs Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compoſitus, una Perſona in duabus naturis. & reliqui articuli, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum de Chriſto, & referuntur in cit. c. 1. §. hæc ſancta.

IV. Tertiò firmiter credendum eſt, quòd una eſt fidelium Univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur: item dari verum ſacrificium Miſſæ, in quo Chriſtus ſimul eſt Sacerdos & Sacrificium, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris veraciter continetur, tranſmutatis pane in corpus, & vino

in ſanguinem, poteſtate divinâ. Et quòd hoc Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos rite ordinatus, ſecundùm claves Eccleſiæ (id eſt, ſecundùm poteſtatem conceſſam Eccleſiæ) quam ſcilicet Ipſe Chriſtus conceſſit Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus. Et quòd Sacramentum Baptiſmi, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. confertur, tam parvulis, quàm adultis, in forma Eccleſiæ, à quocunque rite collatum proficit ad ſalutem: & ſi poſt baptiſmum quis relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. Denique quòd non ſolùm Virgines, & continentes, ſed etiam coniugati per rectam fidem, & bona opera ad æternam beatitudinem pervenire merentur, cit. c. 1. §. Una verò. Ubi

V. Notandum eſt 1. etſi aliàs communiter per Claves Eccleſiæ intelligatur poteſtas ligandi & ſolvendi à peccatis, aliiſque vinculis ſpiritualibus animæ, tamen hîc ſub conceſſione Clavium Apoſtolis à Chriſto facta intelligitur illis, eorúmque ſucceſſoribus in Sacerdotio data fuiſſe poteſtas conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem Chriſti, prout definivit Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 1. & notat Barb. in collectaneis hîc. §. Una. n. 17.

VI. Notandum 2. tres ſunt in genere Ordines in Eccleſia Dei: Virgines; continentes, id eſt, cælibes non Virgines; & coniugati, quorum ſtatus etſi minùs perfectus ſit prioribus, eſt tamen gratus Deo, & ab eo approbatus, gl. fin. hic, quod eſt contra antiquos hæreticos, qui prohibebant matrimonium, de quibus meminit Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. Porrò ſimilis doctrina fidei, quam profiteri olim debebant Epiſcopi in ordinatione ſua, habetur in c. 2. diſ. 23. qui eſt deſumptus ex Libro antiquiſſimo Ordinis Romani.

VII. Quæritur 2. quales errores damnantur circa Myſterium SS. Trinitatis in c. 2. h. t? Reſp. in hoc c. quod eſt deſumptum ex eodem Concilio Lateranenſi c. 2. habetur, quòd Magiſter Petrus Lombardus Lib. 1. ſententiarum diſt. 4. dixit, quòd Pater, Filius, & Spiritus S. ſit una quædam ſumma Res, ſeu Eſſentia increata, & quòd illa Eſſentia divina non ſit generans, nec genita, nec procedens, ſed quòd Deus Pater eſt, qui generat, Filius eſt, qui gignitur, Spiritus S. qui ab utroque procedit. Contra hunc Magiſtrum ſententiarum ſcripſit, edito libello, Joachimus Abbas Monaſterii Florenſis, in quo accuſaviteum de hæreſi & inſania, eò quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſſereret in Deo, videlicet tres Perſonas, & illam communem Eſſentiam quaſi quartam, & quòd nulla res eſt, quæ ſit Pater, Filius, & Spiritus S. nec Eſſentia, nec Subſtantia, nec Natura, quæ verè & propriè ſit una & communis omnibus tribus Perſonis divinis, ſed ſolùm una Natura ſeu Eſſentia, unitate impropriâ & quaſi collectivâ, ac ſimilitudinariâ, ſicut multi homines ſunt unus populus, & multi fideles una Eccleſia. Ad hoc probandum allegabat idem Abbas potiſſimùm, quòd Chriſtus Joan. 17. pro fidelibus rogavit Patrem, *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*; ſed nos ſumus unum, id eſt, una Eccleſia, ſolùm propter fidei Catholicæ unitatem, & unum regnum propter unionem indiſſolubilis charitatis, ergo etiam tres Perſonæ divinæ non ſunt verè & propriè una Res ſeu Eſſentia, ſed ſolùm per unionem charitatis. Ratio autem ipſius fuit, quia cùm unum & plura, diviſum & indiviſum ſint oppoſita, imperceptibile videtur, quòd tres diverſæ & diſcretæ Perſonæ ſint una & indiviſa Eſſentia divina.

VIII. Verùm Concilium Lateranenſe. c. l. reprobatâ ſententiâ dicti Abbatis, approbavit ſententiam Magiſtri ſententiarum, nempe quòd una eſt vera, & ſimpliciſſima Eſſentia divina Patris, Filii, & Spiritûs S. quæ eſt communis omnibus tribus Perſonis, imò eadem Res cum illis, & ideo non eſt quaternitas in DEO, ſed Trinitas tantùm, quia omnes & ſingulæ Perſonæ ſunt una eadémque Res, ſive Eſſentia: & diſtinctio duntaxat eſt in Perſonis, & proprietatibus perſonalibus, cuiuſmodi ſunt generare, vel generari, vel procedere, nam Eſſentia divina non generat, ſed Deus Pater eſt generans, nec Eſſentia divina generatur, ſed Filius Dei eſt genitus, nec Eſſentia divina procedit, ſed Spiritus Sanctus eſt procedens. Subſtantia verò ſive Eſſentia divina tota à Patre per generationem communicatur Filio, cùm ſit indiviſibilis, & omnino ſimplex, ita tamen, ut Pater eandem ſibi totam retinuerit, alioquin deſiiſſet eſſe ſubſtantia; & ſimiliter eadem tota Eſſentia communicatur Spiritui S. à Patre & Filio, qui ab utroque procedit. Unde licèt alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus S. non tamen eſt aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt etiam Filius, & Spiritus S. idem omninò quoad Eſſentiam.

IX. Ad locum ex S. Joanne ſuprà in contrarium allegatum reſpondet Concilium Lateranenſe in cit. c. 2. §. cùm ergo. quòd vocula *ſicut*, non ſignificet perfectam ſimilitudinem ſive unitatem, ſed ſolùm ſecundùm aliqualem proportionem: ac proinde hoc nomen *unum*, prout dicitur de fidelibus, ſignificat ſolùm unionem charitatis per gratiam: prout verò dicitur de Perſonis divinis, ſignificat unitatem identitatis in natura: quemadmodum etiam Matth. 5. Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: ac ſi diceret manifeſtiùs: Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ; utràque ſcilicet ſuo modo: quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo eſſe, quin inter eos major ſit diſſimilitudo.

Ad rationem verò ſuprà in contrarium allatam reſpondetur, quòd ipſa Eſſentia divina in ſe una quidem eſt, & ſimpliciſſima, virtualiter tamen eſt plura, ſive æquivalet pluribus realiter diſtinctis, quia identificatur cum tribus Perſonis divinis, quæ ſunt unus DEUS, ſeu indiviſa Subſtantia, ſeu Eſſentia, unde nulla eſt oppoſitio inter Eſſentiam, & Perſonas divinas: ipſæ tamen Perſonæ ſunt ſibi invicem relativè oppoſitæ, ideóque realiter inter ſe diſtinctæ ac diſcretæ. Ex quo infertur, quòd relationes Perſonarum ab Eſſentia divina non realiter, ſeu ex natura rei actu, ſed ſolâ ratione ratiocinatâ diſtinguuntur, ut docet Concilium Florentinum. ſeſſ. 14. ubi ait: *in divinis Subſtantiam & Perſonam, ſive hypoſtaſin eſſe idem re, differre autem noſtro modo intelligendi & ratione.* Et S. Thom. 1. p. q. 28. a. 2. in corp. ait: *manifeſtum eſt, quòd relatio realiter exiſtens in DEO, eſt idem Eſſentiæ ſecundùm rem, & non differt, niſi ſecundùm intelligentiæ rationem.*

X. Porrò ex dictis colligitur, duos eſſe errores Abbatis Ioachimi. Primus eſt, quia falsò imputabat

Digitized by Google

bat Magiſtro ſententiarum, eum aſſerere quaternitatem in DEO, videlicet tres Perſonas, & unâ communem Eſſentiam quaſi quartam, cùm tamen Eſſentia divina non ſit ſeparata aut diſtincta, ſed realiter identificata cum tribus Perſonis. Secundus error, qui ex priore procedit, eſt, quòd diceret, Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe unum non verâ unitate eiuſdem Subſtantiæ; ſed collectivâ ſolùm, ſeu ſimilitudinariâ unione, ſicut fideles dicuntur unum unitate fidei, & charitatis. Abb. hîc. not. 2. Etſi verò hæc doctrina Abbatis Ioachimi fuerit hîc damnata tanquam erroneâ & hæretica, non tamen Ipſe Auctor fuit damnatus tanquam hæreticus, quia omnia ſua ſcripta ſubiecit judicio Sedis Apoſtolicæ, ſeu approbanda, ſeu corrigenda; & inſuper per epiſtolam propriâ manu ſubſcriptam confeſſus eſt, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ eſt cunctorum fidelium mater & magiſtra, prout habetur in cit. c. 2. §. in nullo. gl. fin. ibid. Quare hæreticus non fuit, etſi errorem contra fidem tradiderit, quia hæreſis non incurritur ſine pertinacia, cùm ſit error in fide cum pertinacia junctus, Clement. unic. §. porrò. h. t. c. dixit. 29. cauſ. 27. q. 3. nam ut gl. V. pertinaci. ibidem ait, licèt teneat quis ea, quæ ſunt contra fidem, dummodo paratus ſit corrigi, non eſt habendus hæreticus, nec poteſt de hæreſi puniri, ut tradit, gl. margin. ibid. Sed neque Monaſterio inſtituto ab Abbate Ioachimo aliquid, propter eius errorem in fide, derogandum eſt, quia in eo regularis diſciplina & obſervantia vigebat, ut habetur in cit. §. in nullo. neque huius erroris aut criminis ſui Abbatis fuit particeps. Ex quo colligitur, quòd delictum Prælati etiam circa fidem, ſi Capitulum in id non conſentiat, ipſi Capitulo ſeu Eccleſiæ non præiudicet, Abbas hîc n. 2. iuxta reg. juris 46. in 6. *delictum perſonæ non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare:* quamvìs interdum ex juſta cauſa delictum unius noceat alteri. de quo alibi. Denique In fine huius c. reprobatur, & condemnatur hæreſis & perverſiſſimum dogma impij Almarici, quod tamen quale fuerit in ſpecie, in textu non exprimitur, de quo videri poteſt Hoſtienſ. hîc in fine.

XI. Quæritur 3. quales errores damnentur in c. unic. h. t. in 6. circa proceſſionem Spiritûs Sancti? R. hoc c. deſumptum eſt ex Concilio Generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. habito, ubi contra errorem Græcorum definitur, quòd Spiritus ſanctus ab æterno à Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit: ſicut hactenus prædicavit, & docuit, & etiamnum firmiter tenet, prædicat, & docet S. Romana Eccleſia, mater omnium fidelium, & magiſtra. Deinde idem Papa, ſacro approbante Concilio, damnat, & reprobat omnes, qui negare præſumpſerint, ab æterno Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, vel etiam aſſerere, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio tanquam à duobus principiis, & non tanquam ab uno procedat.

XII. Notandum 1. duo hîc damnantur errores contra proceſſionem Spiritûs S. Primus eſt Græcorum, qui dicebant, Spiritum ſanctum non à Filio ſimul & à Patre, ſed à ſolo Patre procedere, eò quòd Joan. 15. de Spiritu ſancto dicit Chriſtus, *qui à Patre procedit.* ergo non à Filio. Sed negatur conſequentia, quia ibi non dicitur, quòd à ſolo Patre, ſed à Patre procedit. expreſſio autem Patris non eſt excluſio Filij, nec ideo negatur ſimul procedere à Filio; Idque in eiſdem verbis ſignificatum eſt, nam ibidem dicitur, *quem ego mittam vobis*, non mitteret autem Filius Spiritum ſanctum, niſi ab ipſo, qui mittit, procederet; ſicut Filius non poteſt Patrem mittere, quia ab eo Pater non procedit: quia ergo immediatè antè dixit Chriſtus de Spiritu ſancto, *quem ego mittam vobis*, adeóque jam ſignificaverat, ipſum eſſe, & procedere à Filio, idcirco non dixit, qui à me & Patre, ſed ſolùm, qui à Patre procedit, ut oſtenderet, etiam à Patre eum procedere, prout explicat Tolet. in c. 15. Joan. Annotat. 25. Itaque hoc ipſo, quòd à Filio mittitur Spiritus S. ab eo etiam procedit, cùm enim propter identitatem Eſſentiæ, ſumma etiam ſit inter tres divinas Perſonas æqualitas, & paritas, non poteſt una Perſona divina mitti ex imperio, vel poteſtate alterius, ſed ideo ſolùm mittitur, quia ab altera procedit, ut docet Tertullianus lib. adverſùs Praxeam. c. 8.

XIII. Notandum 2. alter error eſt, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam à duobus principiis, & duabus ſpirationibus, non unâ, quia ſi duæ ſunt Perſonæ Pater & Filius, à quibus Spiritus ſanctus procedit, conſequenter etiam duo ſunt ſpirationis principia, & duæ ſpirationes. Sed reſpondetur negando, id ex eo ſequi, quia Spiritus ſanctus nō procedit à Patre & Filio, quatenus ſibi invicem relativè opponuntur, ſive non procedit à Patre, ut Pater eſt, & à Filio, ut Filius eſt; ſed quatenus uterque eſt ſpirator, & unam ac eandem poteſtatem ſpirativam habent, quam ab æterno Pater, unâ cum Eſſentia ſua, Filio communicavit, ac proinde non ſunt duo principia ſpirandi, ſed unum; nec duæ ſpirationes, ſed una, prout definivit Concil. Florent. ſeſs. 22. ubi ait: *Spiritus ſanctus per ſe neque ad Patrem, neque ad Filium refertur, quatenus Pater & Filius: Spiritum enim ut Spiritum, ad ſpirantem referri oportet: ſpirantes autem ſunt Pater & Filius, Patris namque & Filij ſpiritus eſt; ſpirant ergo iſti Spiritum ſanctum unâ ſpirativâ, ſeu productivâ potentiâ.* Et hinc etiam rectè dicitur, cum S. Thom. 1. p. q. 36. a. 3. quòd Spiritus S. à Patre procedat per Filium, quia non ſolus Pater, ſed unâ cum Filio, virtutem ſpirandi ab eodem Patre habente, ſpirat Spiritum ſanctum, ut videre eſt apud Tanner 1. p. diſp. 4. q. 4. dub. 5. n. 22.

XIV. Quæritur 4. quæ dogmata proponuntur tenenda, & qui errores contra fidem reprobantur in Clementina Fidei. unic. h. t. Reſp. inprimis profitetur Concilium Viennenſe, Unigenitum Dei Filium in Eſſentia DEI ab æterno ſubſiſtentem verum corpus humanum, paſſibile, & animam intellectivam, ſeu rationalem ipſum corpus verè, per ſe, & eſſentialiter, informantem aſſumpſiſſe de Virgine, & in eo paſſum, etiam mortuum, lanceâ in latere perforatum, ex quo aqua, & ſanguis profluxit, ut formaretur unica & immaculata Virgo, & ſancta Mater Eccleſia, coniunx Chriſti. Et approbat in his Ordinem, quem tradit Joannes Evangeliſta c. 19. narrando, quòd Chriſto jam mortuo, unus militum lanceâ latus eius aperuit. Deinde idem Concilium reprobat tanquam erroneam, & veritati Catholicæ adverſam illam doctrinam, quæ tenet, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ non ſit verè, ac per ſe, & eſſentialiter, humani corporis forma, ita ut

 quiſ-

quiſquis deinceps contrarium aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, tanquam hæreticus cenſendus ſit, prout habetur in cit. Clem. unic. §. porrò. Ubi gl. V. intellectivæ, circa medium ait, quòd hæc opinio damnata ſit tanquam hæretica; quia eſt contra fidem Incarnationis Chriſti, ſi enim anima rationalis non eſt vera eſſentialis forma corporis, Chriſtus non eſſet verè, & eſſentialiter homo. Eſt etiam contra fidem reſurrectionis corporum, ad quid enim reſurgent corpora, ſi anima non eſt eſſentialis forma corporis? ideo enim anima humana appetit reuniri ſuo corpori, quia ex ipſo & animâ fit unum compoſitum, & ſine corpore non habet anima perfectam beatitudinem, Abb. in cit. Clem. unic. n. 10. h. t.

XV. Præterea confitendum eſt, eſſe unum baptiſma (ſicut unus eſt DEUS, & una fides, ad Epheſ. 4.) illúdque collatum in aqua, in nomine Patris & Filij, & Spiritûs ſancti, eſſe tam adultis, quàm parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem: ac denique, quantum ad effectum baptiſmi in parvulis attinet, ex duabus opinionibus contrariis, quarum una dicit, per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: altera verò tenet, quòd & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, ac informans, ſive juſtificans gratia, & virtutes (ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis) infunduntur, ſaltem quoad habitum, etſi non pro illo tempore, quoad uſum: Concilium Viennenſe, approbat hanc ſecundam ſententiam, tanquam probabiliorem, & dictis SS. Patrum, Doctorum modernorum Theologiæ magis conſentaneam, prout habetur in cit. Clem. unic. §. ad hoc, ideóque illa nunc tenenda eſt, gl. fin. hîc.

Verùm poſt Concilium Tridentinum oppoſitum nullo modo aſſerere licet, quippe quod ſeſſ. 6. c. 7. ait; in ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum, ſimul infundi homini fidem, ſpem & charitatem, ut notavit Azor p. 1. Inſtit. moral. lib. 4. c. 34. §. octava ſententia. An autem non ſolùm virtutes Theologicæ, ſed etiam morales, ut prudentia, temperantia, fortitudo, & juſtitia, & aliæ ſimiles infundantur in baptiſmo, ſive adultis, ſive parvulis, dubium eſt inter Doctores, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ut refert gl. hic. V. ſanctorum. & Abb. in fine. Sed de his nihil Concilium Viennenſe, nec Tridentinum expreſſit, vel definivit.

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

POſt jactum fundamentum, agitur de Jure Canonico ſive Eccleſiaſtico in communi, & quia omne Jus, quo utimur, ſcripto conſtat, aut non ſcripto, §. conſtat autem. Inſtit. de Jure natur. gent. civil. c. Jus generale. 2. diſt. 1. Jus autem ſcriptum firmius eſt, ac certius propter ſcripturam, & ferè antiquius, quàm Jus non ſcriptum, cùm lex deficit, c. conſuetudo 1. d. 1. ideo priùs de Jure ſcripto, ſive Conſtitutionibus agitur, quàm de Jure non ſcripto, ſive conſuetudine. Hoſtienſ. in ſumma. h. t. in princip. Porrò leges ſive conſtitutiones dicuntur Jus ſcriptum, non quòd ſcriptura requiratur ad ſubſtantiam legis, cùm præceptum Superioris, etiam ſine ſcripto, publicâ voce, communitati promulgari poſſit, ut ex communi docet Abbas Panorm. in rubrica huius tit. n. 3. Suar. l. 1. de legibus. c. 11. n. ult. ſed quia leges plerumque & ordinariè ſcripto ferri, & promulgari ſolent, ideo ab hac origine ſua vocantur Jura ſcripta. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

SECTIO I.

DE CONSTITUTIONIBUS IN genere, earúmque obligatione, & effectu.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Conſtitutio?

I. Aſſertio 1. Conſtitutio dupliciter ſumitur, uti notavit Abb. in rub. h. t. n. 1. Primò generaliter, & latè, pro omni Jure humano ſcripto, quod à quocunque ſive à Principe, ſive ab inferiore (qui tamen habeat conſtitutionis ferendæ poteſtatem) conditum eſt. Secundò accipitur conſtitutio ſpecialiter, & ſtrictè pro illo Jure Scripto, quod vel S. Pontifex, vel Imperator, vel alius Princeps Supremus ſtatuit, vel edicit. c. conſtitutio. 4. diſt. 2.

II. Aſſertio 2. Conſtitutiones aliæ ſunt civiles, aliæ Canonicæ, ſive Eccleſiaſticæ. Illæ ſunt, quæ à Principe vel Poteſtate ſeculari conduntur & promulgantur: cuiuſmodi ſunt lex, Plebiſcitum, Senatûs conſultum, Principum placita, Edicta Prætorum, Reſponſa Prudentûm, §. conſtat autem. & ſequentibus. Inſtit. de jure natur. gent. &c. de quibus videri poſſunt Legiſtæ. Conſtitutiones Canonicæ, ſeu Eccleſiaſticæ ſunt, quæ à Poteſtate Eccleſiaſtica feruntur: quarum plures quaſi ſpecies recenſentur à gl. diſt. 3. in Summa V. omnes. Veluti 1. Canon, qui ſi ſtrictè ſumatur, eſt Conſtitutio Eccleſiaſtica edita in Concilio Univerſali. 2. Decretum, quod eſt Conſtitutio edita à Papa de conſilio Cardinalium, ad nullius conſultationem. 3. Epiſtola Decretalis, quæ eſt Conſtitutio, quam Papa ad alicui⁹ conſultationem, vel ſolus, vel cum conſilio Cardinalium, ſcripto tranſmittit, & promulgat. Quamvis in latiore ſignificatione Canones, Decreta, & Epiſtolæ Decretales ſæpe promiſcuè, & pro ſynonymis uſurpentur. Sunt & aliæ quædam appellationes, quæ nomine Canonicæ Conſtitutionis veniunt, ut tradit gl. cit. veluti dogma, quod eſt conſtitutio Eccleſiaſtica pertinens ad doctrinam fidei Chriſtianæ. Mandatum, quod eſt Conſtitutio Eccleſiaſtica ad diſciplinam, & mores pertinens. Interdictum, quod dicitur Conſtitutio prohibitiva ſine pœna. Sanctio denique, id eſt, Conſtitutio, ſeu prohibitio pœnalis, quæ certam pœnam non obtemperantibus irrogat.

Cæterùm

III. Cæterùm Conſtitutio hoc loco ſumitur latè pro omni Jure humano, ſive lege ſcripta; uſus tamen hodie ferè obtinuit, ut Conſtitutiones Principum ſecularium leges; SS. Pontificum verò potiùs Decreta, Canones, & ſimpliciter Conſtitutiones, quàm leges appellari ſoleant. Eſt autem hîc ſermo non de Canonibus, ſive decretis, & dogmatis Fidei, quæ cùm nitantur certâ & infallibili auctoritate, & revelatione divinâ, nullo unquam tempore mutari, vel abrogari poſſunt: ſed agitur potiſſimùm de Canonibus, ſeu decretis morum, quæ humanâ auctoritate, ac poteſtate Prælatorum Eccleſiaſticorum ſunt condita, & cùm à variis perſonarum, locorum, temporum, & aliis circumſtantiis pendeant, mutari, limitari, vel etiam omnino tolli, & abrogari poſſunt: quamquàm in Corpore Juris Canonici multa etiam contineantur decreta ad fidem pertinentia, ut conſtat ex Tit. præcedente, & in progreſſu magis patebit.

§. II.

De poteſtate condendi Leges, ſive Conſtitutiones.

IV. Quæritur 1. quinam habeant poteſtatem condendi Leges, vel Conſtitutiones Eccleſiaſticas?

Reſp. 1. Conſtitutiones Eccleſiaſticas poteſt inprimis condere S. Pontifex obligantes totam Eccleſiam, etiam independenter à Conſilio Cardinalium. Item Prælati inferiores, ut Legatus Pontificis intra fines ſuæ legationis, c. fin. de offic. legat. Epiſcopi pro ſuis diœceſibus, c. a. de maiorit. & obed. Archiepiſcopi in Concilio provinciali, non item extra illud; quamvis Archiepiſcopus in ſua particulari Diœceſi, cuius eſt immediatus Paſtor, idem poſſit, quod Epiſcopus. Cardinales in Eccleſiis ſui Tituli, in quibus juriſdictionē quaſi Epiſcopalem habent, c. his, quæ. 11. de maiorit. & obed. Abbates exempti, aliique Prælati obtinentes in ſuis territoriis juriſdictiouem quaſi Epiſcopalem. Hoſtienſ. in ſummâ h. t. n. 3. & 4. Suar. lib. 4. de legib. c. 3. & c. 4. n. a. & ſeqq. & c. 5. n. 3. & 4. Cæterùm Epiſcopus regulariter & ordinariè poteſt ſtatuta facere, etiam ſine conſenſu Capituli, quia poteſtatem ſuam non habet ab illo, ſed à Papa, adeóque in ferendis legibus non pendet à Capitulo, Abb. in c. cùm conſuetudinis 9. n. 5. de conſuetud. Suar. l. 4. de legib. c. 5. n. 2. Excipi debet 1. niſi ſtatuta faceret de rebus arduis, ſeu gravibus, tum enim requiritur, ut fiant ſaltem cum conſilio Capituli, arg. c. novit. 4. & c. quanto. 5. de his, quæ fiunt à Præl. ſin. Conſ. Capit. Epiſcopus enim, & Canonici conſtituunt unum corpus, cuius ille eſt caput, hi membra. Abbas. c. l. Suar. & Laym. l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 7 §. 4. n. 9. 2. Requiritur conſenſus Capituli in condendis ſtatutis de rebus, quę ſpectant ſimul ad Epiſcopum & Capitulum, vel quæ poſſunt cedere in damnum, ſive præiudicium Capituli, vel Cleri, ut ſi fiat ſtatutum contra privilegium à Superiore Capitulo conceſſum, vel contra conſuetudinem legitimè præſcriptam, Abb. c. l. Suar. c. l. quia tunc etiam conſenſus Capitularium tanquam collegarum ſeu conſortium in tali caſu requiritur. Quòd ſi Capitulum, ſine juſta cauſa, nolit conſentire, valent nihilominus, quæ Epiſcopus ſtatuit, quia non tam conſenſus, quàm conſilium Capituli à jure exigitur, cit. c. novit, & c. ſeq. Abb. c. l. & Laym.

V. Reſp. 2. Concilium Generale & Oecumenicum poteſt facere Conſtitutiones obligantes totam Eccleſiam, modò S. Pontifex conſenſum præbeat, eáſque confirmet, Suar. c. l. 4. c. 6. n. 1. & 2. Item Concilium Provinciale, & Synodus Diœceſana infra limites juriſdictionis ſuæ, tam quoad territorium, quàm quoad materiam, uti ſumitur ex c. Catholica. 8. d. 11. Suar. cit. c. 6. n. 8 9. & 10.

VI. Præterea Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, vacante ſede Epiſcopali, poteſt leges & ſtatuta facere pro tota Diœceſi, duratura & obligantia, etiam poſt electionem novi Epiſcopi, niſi iſte illa, ſi ita expedire videatur, revocaverit, Felin. in c. cùm omnes. 6. n. 10. h. t. Abbas in c. cùm olim. 14. n. 7. infrà de maiorit. & obed. Sylveſt. in ſumma. V. Capitulum. a. 6. Suar. l. 4. de legib. c. 6. n. 14. & 17. & alij communiter; licèt plures contrarium teneant apud eundem n. 15. & 16. Ratio eſt, quia Capitulum, ſede vacante, ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione ordinaria, & in tota adminiſtratione, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, c. cùm olim. 14. de maiorit. & obed. c. unic. eod. in 6. ergo poteſt, quidquid poteſt Epiſcopus, niſi quid illi ſpecialiter ſit prohibitum: ſed facere leges, ſeu ſtatuta pertinet ad poteſtatem Epiſcopi, & non reperitur prohibitum Capitulo. ergo illa poteſtas non eſt deneganda Capitulo. Aliud eſt de Collegio Cardinalium, quod non poteſt, vacante ſede Apoſtolicâ, condere novas leges univerſales, pro tota Eccleſia, quia juriſdictio S. Pontificis, illo mortuo, non devolvitur ad Eccleſiam, vel Concilium, aut Collegium Cardinalium, ſicut Juriſdictio Epiſcopalis, mortuo Epiſcopo, ad Capitulum devolvitur, quia Juriſdictio Pontificia datur immediatè à Deo, nec Deus inſtituit, ut eo mortuo, tráſeat ad Eccleſiam, vel Concilium, aut Collegium Cardinalium. juriſdictio verò Epiſcopalis, ſaltem immediatè, datur per homines, at jure humano ſtatutum eſt, ut mortuo Epiſcopo, eius Juriſdictio devolvatur ad Capitulum, ideóque hoc poteſt, vi illius, leges ferre, Suar. c. l. n. 14.

VII. Sede Epiſcopali non vacante, ſive vivente Epiſcopo, non poteſt Capitulum ferre leges, aut ſtatuta in rebus gravioribus, ſine conſenſu & auctoritate Epiſcopi, cuiuſmodi ſunt illa, quibus Eccleſiæ ſtatus, aut antiqua jura, vel conſuetudines mutantur, ut ſumitur ex c. conſuetudinis 9. infrà de conſuetud. & ex c. cùm acceſſiſſent. 8. h. t. ubi ad ſtatutum à Capitulo factum in re gravi confirmatio Papæ (vel alterius Superioris) requiritur. & ratio eſt, quia Capitulum Cathedrale, ſpectato Jure communi, & ſecluſis ſpecialibus privilegiis, & conſuetudinibus, ſede non vacante, non habet ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam Juriſdictionem, nam Epiſcopus ſolus eſt caput, & Paſtor ordinarius totius Diœceſis, Innocent. in c. cùm acceſſiſſent 8. n. 2. h. t. Abb. in cit. c. cùm omnes n. 4. eodem. Suar. cit. c. 6. n. 11. Poteſt tamen Capitulum in rebus minoribus ſtatuta facere, quæ pertinent ad ordinem & bonum regimen ipſius Capituli, v. g. quæ ad adminiſtrationem redituum ſpectant, vel quomodo Capitulum congregandum ſit, quia etſi abſolutè loquendo, Capitulum Cathedrale nullam Eccleſiaſticam juriſdictionem habeat, vivente Epiſcopo, in Eccleſia, habet tamen partem, vel potiùs uſum, ſive exercitium juriſdictionis in ordine ad res ſuas adminiſtrandas à Superiore

perioꝛe ei conceſſum, vel conſuetudine acquiſitum. Laym. c. l. & alij DD. citt. Porrò ſolent plerumque Canonici in ſtatuta à Capitulo facta ad maius robur jurare, ſeu juramento illa confirmare, ut tantò firmiùs obſerventur, vel etiam Epiſcopo tradere approbanda, & confirmanda, ut notat Laym. in c. cùm omnes 6. n. 2. h. t.

VIII. Similiter Communitates Inferiores Eccleſiaſticæ, & Univerſitates, ſeu Collegia Eccleſiarum non Cathedralium non poſſunt facere ſtatuta in rebus maioribus, ſive gravioribus, ſine conſenſu Epiſcopi: poſſunt tamen facere ſtatuta in rebus minoribus pertinentibus ad ſuæ communitatis adminiſtrationē, etiam ſine conſenſu Epiſcopi, Innoc. in cit. c. cùm acceſſiſſent n. 2. Imola in cit. c. cùm omnes n. 14. & ibid. Abb. n. 4. quamvìs talia ſtatuta non obligent ex vi ſtatuti, ſive ratione juriſdictionis, ſed per modum conventionis, ſeu pacti inter membra talis communitatis initi, niſi eiuſmodi Univerſitates aut Eccleſiæ Collegiatæ ex ſpeciali conceſſione, vel privilegio, vel ex præſcripta conſuetudine juriſdictionem habeant, tunc enim propriè dictas leges, aut ſtatuta ferre poſſunt, ſecundùm modum, ac limites juriſdictionis ſuæ. Suar. cit. c. 6. n. 19.

IX. Denique Communitates, ſeu Ordines Religioſi, eorúmque Prælati poſſunt ferre leges, & ſtatuta propria, iuxta modum in Regula præſcriptum, & conſuetudines, ac privilegia, Suar. c. l. n. 21.

X. Quæritur 2. quinam poſſint condere leges, ſeu conſtitutiones politicas, ſive civiles? Reſp. inprimis S. Pontifex in terris, temporali ſuo dominio ſubiectis; Imperator pro Imperio; Reges alij pro ſuis Regnis; aliíque Duces, & Principes ſupremi, qui in juriſdictione temporali ſuperiorem non agnoſcunt, pro ſuis Provinciis. ut colligitur ex l. 1. ff. de Conſtitutionibus Principum. Abb. in c. quæ in Eccleſiarum. 7. n. 6. h. t. Suar. l. 3. de legib. c. 9. n. 2. & 3. Principes verò inferiores, & non ſupremi leges ferre poſſunt, ſecundùm limites poteſtatis, quam à Supremo Principe acceperunt, vel per expreſſum eius conſenſum, vel per legitimè præſcriptam conſuetudinem. Suar. c. l. n. 5. Item Regina domina regni, etiam poſt matrimonium contractum cum privato & inferiore, retinet regnum, & liberam adminiſtrationem regni, ideóque etiam leges ferre poteſt, quia per matrimonium non transfertur regnum in maritum, nec poteſt in alium transferri, ſine conſenſu regni, Suar. l. 3. de legib. c. 9. n. 10.

XI. Præterea communitates laicorum perfectæ, ſive Reſpublicæ Liberæ, quæ juriſdictionem ſupremam, & independentem habent, nullúmque Superiorem agnoſcunt, ut eſt Reſpubl. Veneta, Genuenſis &c. poſſunt leges ferre pro territorio ipſis ſubiecto, l. omnes populi. 9. ff. de juſtitia, & jure: ubi dicitur, *quòd quiſque populus ipſe ſibi ius conſtituere poteſt*; quod intelligendum eſt de populis liberis, ſive nulli ſubiectis. Abb. in c. quæ in Eccleſiarum 7. h. t. n. 6. Suar. cit. c. 9. n. 18. & 19. Civitates verò, ſeu communitates, quæ ſuperioris magiſtratûs juriſdictioni ſunt ſubiectæ, & juriſdictionem dependentem habent, non poſſunt leges ferre, niſi ex ſpeciali Principis conceſſione, vel conſuetudine, talem facultatem habeant, vel confirmationem earum à Principe obtinuerint; & ſic ſolùm ferre poſſunt leges, ſecundùm limites juriſdictionis ſibi conceſſæ, & modificatæ à ſuperiore, cui ſubiiciuntur, Abb. c. l. n. 6. in fine, Suar. c. l. n. 20. Denique Communitates, quæ nullam juriſdictionem habent, v. g. plebs alicuius pagi ſubiecta nobili alicui, vel magiſtratui Civitatis; vel Collegia licita & approbata Opificum, non poſſunt facere leges vel ſtatuta propriè dicta, cùm hoc ſit actus juriſdictionis, qua carent; poſſunt tamen quædam ſtatuere pertinentia ad bonam adminiſtrationem, aut defenſionem rerum ſuarum, quæ non per modum legis, vel ſtatuti, ſed vi pacti, vel juramenti inter ipſos præſtiti, obligent, ideóque, ordinariè loquendo, neceſſarium eſt, ut omnes conſentiant, quia nemo cogitur invitus paciſci, aut contrahere, ſecundùm gl. in l. 2. V. rationem. poſt medium, Cod. quæ ſit longa conſuetudo. Abbas in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 5. & 7. & ibid. Laym. n. 3. Felin. in c. cùm omnes 6. n. 13. h. t. Suar. cit. c. 9. n. 12. Quòd ſi eiuſmodi communitates Rectorem ſeu Præpoſitum habeant, à quo gubernari debent, tum ſine eius conſenſu, nihil ſtatuere poſſunt, niſi per modum mutui pacti circa res leviores ſuæ adminiſtrationi commiſſas, ut ſuprà dictum. Abb. in cit. c. quæ in Eccleſiarum. n. 7. & Laym. ibid. n. 4. Cæterùm Collegium ſive Univerſitas Magiſtrorum, ſeu Profeſſorum, artium, aut ſcientiarum liberalium, ſtatuta condere poteſt pertinentia ad profeſſionem ſuam, cùm juriſdictionem aliquam habeat, ut colligitur ex l. ult. C. de juriſd. omn. jud. & ex Auth. habita. c. ne filius pro patre &c. & ſumitur etiam ex c. ex literis. 11. ibi *ordinationi Univerſitatis* h. t. unde id communiter colligunt Canoniſtæ. Et quidem ſi Collegium, ſeu Univerſitas Caput, ſive Rectorem habeat, ſine ipſo ſtatuere nihil poteſt: ſin autem Rectorem non habeat, nihilominus ipſum corpus Collegii, ſeu omnes collectivè ſumpti ſtatuta facere, & juriſdictionem exercere in ſingulos è Collegio, eóſque delinquentes punire poteſt, quia ad Univerſitatem non neceſſariò requiritur, ut habeat Rectorem, ſed maior pars eius eſt loco capitis principalis. Abb. in cit. c. ex literis n. 7. & ib. Felin. n. 5. & Imola. n. 5. Laym. n. 51. Unde verba illa in cit. c. *licet à vobis, fide præſtitâ, fuerit conſtitutum.* non de ſtatuto obligante ex ſola fidelitate, ob mutuum pactum, & interpoſitum juramentum, ut vult Suar. l. 4. de leg. c. 6. n. 18. ſed de vero ſtatuto proveniente ex juriſdictione, & juramento confirmato intelligi debent, Laym. ibid. n. 1.

§. III.

Quouſque ſe extendat legislativa poteſtas humana?

XII. Quæritur 1. an poteſtas legislativa humana poſſit aliquid ſtatuere circa ea, quæ ſunt juris naturalis, divini, aut gentium? Reſp. 1. Magiſtratus humanus, ſive laicus, ſive Eccleſiaſticus, non poteſt leges vel ſtatuta facere contra jus naturale, vel divinum præceptivum, ſive ſtatuere aliquid contra id, quod lex naturalis, aut divina præcipit vel prohibet. Ita S.Th. 1.2. q.94. a. 5. & alij Theologi communiter. Ratio eſt, quia inferior non poteſt abrogare, vel relaxare legem ſuperioris in ea diſpenſando.

XIII. Nec obſtat, quòd Prælati Eccleſiaſtici frequenter ſoleant diſpenſare in votis, & juramentis fidelium, quæ jure divino obligant; nam per promiſſionem

ſionem hominis acceptatam à Deo jus eſt Deo acquiſitum, quod homo nō poteſt tollere, vel relaxare, quin diſpenſet in jure divino. Sed reſpondetur, Prælatos Eccleſiæ diſpenſando, ex juſta cauſa, in votis fidelium, non directè mutare, vel relaxare legem divinam præcipientem, vota ſervanda eſſe: ſed ſolùm tanquam fideles diſpenſatores, ſeu Vicarios Dei, per poteſtatem ipſis à Chriſto conceſſam, ut quicquid ſolverent ſuper terram, eſſet ſolutum & in cœlis, relaxare, ſeu remittere jus divinum, id eſt, debitum Deo acquiſitum ex promiſſione voventis ad exigendam rem promiſſam; & ſic non relaxant jus divinum, ſive remittunt debitum Deo ex voto hominis acquiſitum, poteſtate merè humanâ, ſed tanquam Vicarij Dei, per poteſtatem ab eo commiſſam. Quomodo etiam in humanis Protex v. g. vel Oeconomus Regis, vel alterius domini, eo abſente, ex commiſſione expreſſa, vel tacita Regis vel domini, ſi neceſſitas, vel cauſa juſta ita exigat, poteſt remittere, & condonare jura, ac debita domini, quin cenſeatur aliquid facere contra legem, vel præceptum domini, cùm ex eius voluntate ſaltem præſumpta id faciat. Et hoc caſu mutatur quidem, ac tollitur per eiuſmodi remiſſionem lex præcipiens reddi debitum, ſed tantùm indirectè, ac per accidens ob interveniente mutationem ex parte obiecti; nam cùm Vicarius ſeu Officialis domini debitum remittit, loco & auctoritate domini, eo ipſo lex imperans redditionem debiti ceſſat, ſeu obligare deſinit. Simili modo, quando Prælatus tanquam Vicarius Dei, remittit obligationem, ſive debitum ex promiſſione hominis Deo acquiſitum, lex naturalis ſive divina præcipiens, ut vota reddantur, iuxta illud Pſalmi 71. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro*, per ſe ceſſat, ſive obligare deſinit, quia lex illa ſolùm præcipit, ut vota reddantur, quàm diu Deus, tanquam promiſſarius, vult illa reddi, & ſervari; non autem, ut illa etiam reddantur, poſtquam Deus illorum obligationem remiſit, juréque ſuo ceſſit per ſe, vel per Vicarium ſuum. Et ſi Vicarius Dei poteſt remittere peccata, per quæ vel maximè homo fit debitor Dei, cur non etiam poſſit remittere debita ex promiſſione hominis Deo acquiſita? Suar. tom. 2. de relig. l. 6. de voto. c. 9. n. 15.

XIV. Reſp. 2. poteſtas legislativa ſive Magiſtratus humanus poteſt mutare, ac tollere ea, quæ ſunt juris naturalis, non præceptivi, ſed permiſſivi ſolùm, non ſtatuendo aliquid ei contrarium, ſed addendo, quod jus naturæ neque ſtatuit, ſeu præcepit, neque etiam prohibuit, ſed indefinitum, & indeterminatum reliquit, S. Th. cit. q. 94. a. 5. ad. 3. & 2. 2. q. 66. a. 2. ad 1. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 1. c. 5. n. 5. & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia ſicut ars naturam, ita lex poſitiva, ſive humana interdum perficit legem naturalem, ſupplendo, quæ illa indefinita reliquit, ſive de quibus illa nihil diſpoſuit. Sic per jus poſitivum Eccleſiaſticum multa impedimenta dirimentia matrimonij ſunt conſtituta, quæ nō ſunt à lege naturæ ſtatuta, non tamen etiam ſunt illi contraria, ſed lex naturæ, vel etiam divina illa permittit, nihil pro vel contra ſtatuendo. Porrò ut diſpenſatio propriè fiat in lege naturæ, debet aliquis eximi à jure naturali præceptivo, & quidem manente immutatâ legis materiâ, ſeu obiecto, etiam quoad circumſtantias. Quare licèt lex naturalis præcisè ſpectata præcipiat matrimonium mutuo conſenſu maris & fœminæ, etſi clàm contractum: & voluntatem ultimam defuncti duobus vel tribus teſtibus confirmatam, ſervari oportere: poſtquam tamen juſtas ob cauſas eiuſmodi contractus vel teſtamentum publicâ auctoritate infirmatum eſt, lex naturæ, vel divina non ampliùs ita præcipit, ob mutatas circumſtantias ex parte obiecti; Laym. cit. c. 5. n. 5.

XV. Reſp. 3. Sed neque contra Jus gentium præceptivum Magiſtratus humanus ſtatuta facere poteſt. v. g. ut impunè ac licitè violentur fœdera, etiam cum hoſtibus inita, aut Legatorum non violandorum religio, §. jus gentium. 9. diſt. 1. & §. jus autem gentium. Inſtit. de jure nat. gent. &c. ſiquidem pax & ſocietas humana nequaquam conſiſtere poteſt, niſi talia inviolabiliter & fideliter ſerventur. Poteſt autem per leges, ſeu conſtitutiones poſitivas, ſeu humanas aliquid addi, vel etiam detrahi Juri gentium permiſſivo; nam pleraque, quæ ad jus gentium ſpectant, ſunt potiùs permiſſiva, quàm præceptiva. Sic v. g. etſi ſpectato jure gentium, ad probationem rei geſtæ communiter ſufficiat teſtimonium duorum, vel trium non ſuſpectorum, imò etiam nullus teſtis requiratur, ſi de re geſta certò conſtet: non tamen Jus gentium prohibet, ſed permittit, ut ob juſtam cauſam, v. g. ad vitandas fraudes ſæpe intervenire ſolitas, plures teſtes requirantur, ſive ad actûs probationem, ſive etiam ad eius valorem, ſeu formam ſubſtantialem: ut patet in teſtamentis, & aliis ultimis voluntatibus, Innocent. in cit. c. quæ in Eccleſiarum 7. n. 4. h. t. & alii.

XVI. Hinc infertur, etſi Magiſtratus ex juſta cauſa poſſit denegare actionem, quæ alicui Jure civili competit contra debitorem, ad exigendum debitum juris naturalis v. g. ex nudo pacto ſeu ſimplici promiſſione: non tamen poteſt ſtatuere, quòd ea, quæ jure naturæ ſunt debita, non ſint ſolvenda: niſi in caſu publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, ob quam Magiſtratus poteſt rem aliquam uni auferre, & dare alteri, de quo poſtea. Innocent in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 3. h. t. Abb. ibid. n. 13. & Felin. n. 55.

XVII. Quæritur 2. quis poſſit interpretari, ſeu declarare legem naturalem. Reſp. Magiſtratus, non ſolùm Eccleſiaſticus, ſed etiam laicus, ſeu ſecularis, poteſt interpretari, & declarare legem naturalem; Papa quidem in rebus Spiritualibus, Princeps verò ſeu Magiſtratus ſecularis in rebus politicis, ac profanis. Abb. in cit. c. quæ in Eccleſiarum. n. 9. Felin. ibid. n. 2. nam qui declarat, nihil immutat, vel de novo addit. Id autem procedit, ſi interpretatio, ſeu declaratio juris naturalis, vel divini clara ſit, & indubitata, ut v. g. præceptum de non occidendo non comprehendere, nec prohibere occiſionem ob defenſionem propriæ vitæ factam, l. 3. ff. de juſtit. & jur. nec occiſionem iniuſti homicidæ auctoritate publicâ factam: item præceptum de non furando, ſeu auferendo rem alienam, invito domino, non eſſe extendendum ad caſum extremæ neceſſitatis. Quòd ſi verò dubium ſit de obligatione juris naturalis, an v. g. contractus aliquis, ſpectato jure naturali, ſit illicitus & iniuſtus, néc ne, tum eius declaratio, non ad magiſtratum laicum, ſed Eccleſiaſticum pertinet, quia declarare, an in contractu ali-

quo peccatum interveniat, nécne, v. g. peccatum uſuræ: ad judicium Eccleſiæ ſpectat.

XVIII. Quæritur 3. an per leges vel ſtatuta poſſit aliis auferri jus ſuum, iiſque præiudicari? Reſp. 1. nullus magiſtratus, vel Princeps, ne quidem ſupremus, ut Papa, vel Imperator, aut Rex, poteſt, abſque juſta cauſa, ſtatuere, vel decernere aliquid, cum præiudicio, ſive diminutione juris aliorum, etiam ſubditorum, juxta certam, & communem ſententiam Doctorum apud Felinum in c. quæ in Eccleſiarum. 7. n. 26. & 33. h. t. Abb. ibid. n. 11. & 12. v. g. ſi ſtatuatur, quæ à militibus ſubditis iniuſtè ablata ſunt, reſtituenda non eſſe: vel, ut liceat ob urgentem inopiam feudum, ſine conſenſu domini, alienare, quod exemplum habetur in cit. c. quæ in Eccleſiarum, h. t. Ratio eſt, quia etſi Imperator, vel alius Princeps habeat juriſdictionem in univerſos imperio ſuo ſubiectos, non tamen habet dominium rerum privatarum ſpectantium ad ſubditos, idcóque non poteſt ſine cauſa ſtatuendo ac decernendo jus & dominium jure gentium acquiſitum illis auferre. Felin. c. l. n. 27. Gail. l. 2. obſerv. 56. n. 2. Quin imò ad officium Principis, ſeu Magiſtratûs pertinet juſtitiam colere, & jus ſubditis reddere, cùm ad hoc ſit conſtitutus. Et hinc reſcripta juſtitiæ, quæ à Principe emanant, ſemper hanc tacitam clauſulam continent, *ſalvo iure alterius*, vel *ſine præiudicio alterius*, hoc eſt, ita intelligenda ſunt, ut nemini iniuriam faciant, nec jus alterius lædant, ſed ſalvum, & illæſum ſervent, l. ex facto 43. in princ. ff. de vulg. ſubſtitut. l. 2. §. ſi quis à Principe. ff. ne quid in loco publico, c. ſuper eo 14. juncta gl. V. intentionis de offic. deleg. Gail. l. 2. obſerv. 58. n. 4.

XIX. Reſp. 2. ex juſta tamen & urgente cauſa, videlicet ob publicam neceſſitatem, vel utilitatem, poteſt Princeps ſtatuere, & decernere, etiam cum præiudicio juris alterius, unique rem, vel jus ſuum auferre, & alteri dare, Fel. cit. loc. n. 26. & 27. Abb. c. l. n. 11. & eſt recepta, & communis ſententia. quia cùm bonum publicum ſit univerſalius & præſtantius, meritò præferendum eſt bono privato ſive ſingulorum, Gail cit. obſ. 26. n. 3. Porrò in dubio nunquam eſt præſumendum, quòd Princeps ſtatuendo, vel præcipiendo, voluerit alterius juri præiudicare, vel jus alteri quæſitum tollere, iuxta cit. l. 2 §. ſi quis à Principe. & ibi gl. v. impetraverit, juncta gl. marg. c. ex tuarum. 5. & ibi gl. v. permittat. de auctorit. & uſu Pallij: etiamſi adiecta ſit clauſula, *motu proprio & ex certa ſcientia*, quia hæc nihil operatur in præiudicium tertij, eáque in ijs tantùm vim habet, in quibus Principis ſcientia, non autem ignorantia præſumitur, hoc eſt, in ijs, quæ in facto conſiſtunt. Gail c. l. n. 5. niſi certò conſtet, Principem alterius juri derogare voluiſſe, tunc enim etiam ex juſta cauſa id ab ipſo factum fuiſſe, præſumi debet, Abb. in cit. c. quæ in Eccleſiarum, n. 14. h. t. Quido Papæ deciſ. 589. n. 4. ubi ait *pro Principe præſumitur, & pro geſtis eiuſdem.*

XX. Declaratur id ulteriùs 1. quòd Princeps etiam ſupremus, ſive ſuperiorem non recognoſcens, non ſolùm non poſſit ſtatuendo, vel decernendo, tollere jus privatorum, quod ex jure naturali, aut gentium provenit, ut ſunt dominia rerum, contractus & obligationes, quæ ex jure gentium deſcendunt: §. ſingulorum. Inſtit. de jure natur. gent. & civili. Felin. in cit. c. quæ in Eccleſiarum. n. 48. ſed etiam, ſi alicui jus vel dominium rei ſit acquiſitum ex jure ſive lege poſitiva, videlicet per beneficium præſcriptionis, quod ſolo jure poſitivo & humano eſt inductum & conceſſum, id à Principe auferri non poteſt pro libitu, & ſine legitima cauſa, alioquin peccat, & illicitè agit, Abb. in cit. cap. quę in Eccleſiarum, n. 17. contra Felin. c. l. Ratio eſt, tum quòd Princeps debet procedere & decernere ſecundùm publicas leges poſitivas & juſtas, non contra illas, ſine cauſa, ſtatuere, cùm debeat eſſe vindex & cuſtos legum publicarum. tum quia poſtquam alicui, ex conceſſione legis poſitivæ, per præſcriptionem jus eſt acquiſitum, non debet eo ſinè cauſa privari: licèt faciliùs poſſit Princeps, decernendo vel ſtatuendo, præiudicare vel derogare juri alterius acquiſito, beneficio legis poſitivæ, quàm juris naturalis, aut gentium, quia eſt ſupra jus poſitivum, & illud mutare, vel tollere poteſt, non item jus naturale, aut gentium, Felin. c. l. n. 49. & Laym. n. 11. Quamvis autem Princeps ſupremus poſſit, poteſtate abſolutâ, ſive ex plenitudine poteſtatis, legi publicæ, præſertim poſitivæ derogare, & ob publicam cauſam res privatorum auferre: non tamen in dubio cenſendus eſt tali poteſtate extraordinariâ uti voluiſſe, niſi id exprimat, aut ex aliis indiciis certò conſtet, ſed potiùs non niſi poteſtate ordinariâ & legibus conformi, Innocent. in c. innotuit 20. n. 5. & 6. de elect. Gail cit. obſer. 58. n. 9. & obſer. 142. n. 16. Nicolaus Everhardus in locis argumentorum legalibus, in loco à plenitudine poteſtatis. 129. n. 12. ubi generatim tradit, quòd in dubio Princeps non præſumitur uti poteſtate abſolutâ, ſed ordinariâ. Solus autem Princeps ſupremus poteſt rem, ſive jus uni acquiſitum auferre, & alteri dare, ex plenitudine poteſtatis, non autem Magiſtratus inferior, etiam ex cauſa, niſi à Principe talis poteſtas ei ſpecialiter conceſſa, ſeu delegata ſit, à quo & alia Regalia, aut reſervata Principi alteri demandari poſſunt. Felin. c, l. n. 32. Gail. cit. obſerv. 56. n. 12. & obſ. 142. n. 3. & 4. Quòd ſi Princeps, ob publicam cauſam ſive neceſſitatem, rem privato abſtulit, debet, causâ ceſſante, eam ei reſtituere, ſi poteſt, vel pretium rei domino ſolvere, aut aliunde damnum compenſare, Felin. c. l. n. 28. Gail cit. obſ. 56. n. 8. ubi n. 12. id limitat, niſi velit uti abſolutâ poteſtate. Et hinc etiam Princeps non poteſt cum hoſtibus pacem componere, niſi eo pacto, ut damna ſubditis iniuſtè illata reſarciantur. Si tamen aliter pax Reipub. neceſſaria, vel utilis obtineri non poſſit, niſi damna illata remittantur, neque etiam ipſe Princeps illa reſtituere poſſit, tum præferendum eſt bonum commune pacis privatis damnis ſubditorum, Felin. in cit. c. n. 53. & Laym. ib. n. 14. His adde, quòd Princeps, etiam ſine cauſa urgente, poteſt alicuius juri derogare, & præiudicare, ſi non magnum, ſed modicum damnum inde illi inferatur. Sic poteſt Princeps dare debitori dilationem ad tempus, ut non poſſit interim conveniri à ſuis creditoribus, l. 2. C. de precibus Imper. offerend. Quamvis nequeat, ſine cauſa gravi & publica, concedere, ut non poſſit unquam debitor ab illis conveniri, Felin. c. l. n. 47. & Abb. n. 12.

XXI. Declaratur 2. Si per juſtam ſententiam Judicis alicui jus aut dominium rei acquiſitum, & adiudicatum ſit, non poteſt Princeps, reſciſſâ ſententiâ,

tentiâ,

ſentiâ, illud ſine cauſa, aut pro arbitrio ei auferre, niſi ſententia lata errorem, aut nimium juris rigorem contineret, quia ſententia judicis, non tam jus de novo tribuit, quàm authenticè interpretatur, & declarat, quòd parti, quæ in Judicio vicit, jus competierit, Laym. in cit. c. quæ in Eccleſiarum. n. 11. h. t. Et hinc etiam reſcriptum contra ſententiam impetratum à Principe, quæ tranſivit in rem judicatam, quia ab illa non fuit appellatum, invalidum eſt, l. ult. C. ſententiam reſcindi nō poſſe, l. cauſas. 16. C. de tranſact. etiamſi adiecta ſit clauſula, *non obſtante tali ſententiâ.* Gail l. 2. cit. obſ. 58. n. 6. Aliud verò obtinet in gratiis ſive privilegiis, quæ à Principe ſubditis conceſſa ſunt, ea enim, etiam ſine cauſa, revocare, & iterum auferre poteſt, etiamſi jus illis quæſitum ſit: niſi tamen per modum contractûs conceſſa ſint ſubditis, tunc enim pro libitu, ſeu ſine cauſa, Princeps ea tollere nequit, quia etiam Princeps jure naturali tenetur obſervare contractus, & donationes abſolutè factas, Felin. in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 51. Gail l. 2. obſ. 55. n. 6. & 7. Unde Princeps non poteſt feudum vaſallo ſuo conceſſum iterum auferre, ſinè legitima cauſa, eâque cognitâ, quia feudum non eſt merè gratuitum beneficium, ſed quidam contractus, ex quo ultro citróque naſcitur obligatio, Abb. in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 15. & Felin. ibid. n. 52.

XXII. Declaratur 3. quòd faciliùs Princeps, & ex minore cauſa, poſſit ſtatuendo derogare juri alterius nondum acquiſito, ſed acquirendo, ſive juri in ſpe, quàm tollere jus jam acquiſitum alteri, ſive jus in re, quia hoc firmius eſt, ac certius, Gail. l. 2. obſ. 142. n. 14. & 15. Sic Princeps, etſi poſſit filium naturalem & illegitimum legitimare, patre adhuc vivente, & conſentiente, & multò magìs petente, etiam extantibus liberis naturalibus, & legitimis, in præiudicium eorundem; quia hi in bonis paternis ſolùm habent jus in ſpe, non in re, ſive jus acquirendum, nondum acquiſitum, non tamen poteſt Princeps, patre jam mortuo, extantibus filiis naturalibus, & legitimis, talem filium legitimare, niſi ex cauſa gravi, & ob publicam neceſſitatem, aut utilitatem, quia poſt mortem patris hæreditas filiis legitimis jam eſt delata, & acquiſita, quæ illis jure naturali, & gentium debetur, excluſis illegitimis, Gail c. l. n. 7. & 8. Covar. l. 3. reſol. c. 6. n. 2. Similiter poteſt Princeps ex legitima cauſa (quæ requiritur, ut id licitè & juſtè fiat) legitimare filium naturalem, & illegitimum ad feuda etiam antiqua, ſive quæ ex pacto, & providentia primò acquirentis deſcendunt, in præiudicium agnatorum, quia agnati ad hæc feuda non habent jus in re, ſive jus quæſitum, ſed ſolùm ſpem ſucceſſionis, ſi poſſeſſor feudi mortuus fuerit, adeóque jus tantùm acquirendum, quod faciliùs tollitur, quàm jus acquiſitum, Covar. c. l. Gail. c. l. n. 13. & 14. cuiuſmodi jus acquirendi, ſive ſuccedendi non cenſetur eſſe in bonis noſtris. l. pretia 63. ff. ad leg. falcid.

XXIII. Declaratur 4. quòd cùm S. Pontifex plenam & liberam habeat poteſtatem diſponendi de beneficiis Eccleſiaſticis, c. 2. de præbend. in 6. ſicut & de aliis bonis, aut reditibus Eccleſiarum, ideo liberè etiam poteſt (ſaltem validè, & ex juſta cauſa etiam licitè) de illis ſtatuere, vel decernere, uníque Eccleſiæ illa auferre, & in aliam transferre, Felin. in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 40. h. t. non item de fructibus, ſeu reditibus Eccleſiaſticorum non ſuperfluis, quorum dominium, ac proprietas ad ipſos Clericos ſpectant: & multò minùs de bonis eorum patrimonialibus Papa poteſt pro arbitrio liberè ſtatuere, vel aliàs diſponere, Laym. in cit. c. n. 12.

§. IV.

Quomodo, & quando leges, ſive Conſtitutiones humanæ obligent.

XXIV. Quæritur 1. an leges, ſive Conſtitutiones humanæ obligent in foro conſcientiæ, & ſub peccato? Reſp. affirmativè, cum S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 4. & tradunt etiam Canoniſtæ in c. nam concupiſcentiam 4. h. t. idque colligitur ex eod. c. quod eſt deſumptum ex gl. ordinaria in Epiſt. ad Rom. ſuper ea verba Apoſtoli c. 7. v. 7. *peccatum non cognovi, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſcie-* » *bam, niſi lex diceret: non concupiſces.* Ex quo infer- » tur, quòd veniens contra prohibitionem legis (juſtæ ſcilicet,) peccat, Abb. hic. n. 2. Additur in cit. c. 4. Bona ergo eſt lex, quæ, dum prohibet pravam » concupiſcentiam, ſeu cupiditatem, unde omnia » mala oriuntur (*radix enim omnium malorum eſt cupi-* » *ditas*, 1. ad Timoth. 6. v. 10.) omnia mala prohibet; » quod dicitur ad oſtendendum univerſim, leges eſſe bonas, & utiles hominibus.

Quòd autem leges ſive conſtitutiones humanæ obligent etiam in conſcientia, & ſub peccato gravi, ſi materia ſubiecta ſit gravis, probatur, quia omnes ſubditi obligati ſunt in conſcientia ad obediendum omnibus juſtis præceptis, ſive legibus ſui legitimi ſuperioris, ſeu Magiſtratûs, alioqui enim *ordinationi DEI reſiſtunt, & ipſi ſibi damnationem acquirunt*, ut ait Apoſtolus ad Rom. 13. v. 3. idque etiam jus naturale dictat, tanquam lumine naturæ notum, ut tradit Suar. d. 3. de legib. c. 21. n. 7. ergo qui non obediunt juſtis præceptis, ſive legibus ſuorum Superiorum, & magiſtratuum, peccant, & quidem graviter, ſi materia ſit gravis, cùm damnatio æterna non incurratur, niſi propter peccatum grave.

XXV. Hinc colligitur, quòd illæ Regulæ, ſive Ordinationes Superiorum, quæ non obligant in conſcientia ſub peccato, non ſint propriè dictæ leges, vel conſtitutiones, cuiusmodi ſunt Regulæ quarundam Religionum, quæ quoad ea, quæ ad votorum obſervationem non pertinent, per ſe ſub nulla culpa ſeu peccato obligant, ſed ſolùm ad pœnam, ſi ea à ſuperiore imponatur, ſubeundam, ut notat Laym. in cit. c. 4. n. 1. h. t. Quin imò, univerſim loquendo, de omnibus Ordinibus religioſis, non omnia, quæ in regula continentur, præcepta ſunt ſub culpa, præſertim mortali, ſed tantùm, ſi Religioſus tranſgrediatur ea, quæ ad tria ſubſtantialia vota religionis pertinent, ſcilicet in materia gravi, ut docet S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. Abb. in cit. c. 4. n. 4. h. t.

XXVI. Quæritur 2. quando lex ſeu conſtitutio, ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica incipiat obligare? Reſp. 1. certum eſt, legem ſive conſtitutionem non obligare priùs, quàm publicè eſt promulgata, ut ex communi omnium DD. ſententia tradit Azor p. 1. Inſtit. l. 5. c. 3. q. 1. & conſtat ex c. in iſtis 3. §. leges diſ. 4. l. leges 9. c. de legib. Ratio

eſt, quia lex, cùm ſit juſſum, ſeu præceptum publicum obligans totam communitatem, non poteſt vim habere, & obligationem inducere, niſi publicè communitati ſit propoſita, & denunciata, ſive voce præconis proclametur, ſive in loco publico affigatur, aut alio ſimili modo publicetur, ut in omnium notitiam facilè devenire poſſit: quamvis non ſit neceſſarium, cùm conſtitutio ſolenniter editur, aut publicè promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel literas inculcare, prout dicitur in c. 1. inf. de Poſtul. Prælat. ſive ut ſingulis ſubditis in particulari intimetur; ſed ſufficit ad obligationem actualem legis, ſive ut ſinguli ſub peccato ad eius obſervationem aſtringantur, eos quomodocunque certam notitiam legis promulgatæ accepiſſe, gl. in cit. c. 1. V. publicè promulgaverit, & ibid. Abb. n. 9.

Etſi verò Abbas in cit. c. 1. n. 10. diſtinguat inter ſolennem editionem, & publicam promulgationem legis, purétque, legem ſeu conſtitutionem ſtatim obligare, cùm primùm ſolenniter in publicò Concilio editur, etſi nondum publicè promulgata ſit, ac proinde ad ſubſtantiam, & obligationem legis ſufficere ſolennem editionem, ſinè publica promulgatione populo facta, eò quòd in cit. c. ſub disiunctione dicatur, *cùm conſtitutiò ſolenniter editur, aut publicè promulgatur*: rectiùs tamen ſentit Suar. l. 3. de legib. c. 16. n. 2. nempe ſolennem editionem, & publicam promulgationem ibi accipi pro æquipollentibus, & particulam *aut* poſitam eſſe pro *ſeu*, ut aliàs frequenter fit. Quare etſi lex ſeu Conſtitutio fuerit lata, ſeu edita ſolenniter, hoc eſt, in publico Concilio Regis, vel Senatorum Reipub. vel in Concilio Univerſali & Oecumenico; ſi tamen non fuerit publicè Communitati promulgata, non obligat, etiam præſentes, & ſcientes, quia lex non obligat ſingulos, antequam poſſit Communitatem obligare, adeóque aliquo publico modo Communitati ſit propoſita, quia non ſingulis, ſed toti Communitati fertur. Quòd ſi lex vel conſtitutio ſolenniter ſit edita in Concilio populi, ut loquitur Abb. c. l. tum ſolennis editio jam includit publicam promulgationem, & ab eâ non diſtinguitur.

XXVII. Reſp. 2. ſi legiſlator expreſſit locum, in quo debeat fieri legis promulgatio, vel certum tempus, à quo velit legem ſuam obligare, v. g. ſtatim ac in Curia, Metropoli, vel poſtquam in ſingulis provinciis, civitatibus, parochiis, promulgata eſt: vel elapſo uno aut altero menſe, poſt promulgationem factam, tum lex ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica, non niſi poſt promulgationem in loco præſcripto factam, vel lapſum temporis præſcripti, obligare incipit, ſecundum legiſlatoris voluntatem, à quo tota lex pendet, & vim obligandi habet, Abb. in c. 2. n. 7. h. t. Navar. l. 1. conſ. 1. q. 4. h. t. Azor. c. l. q. 2. Exemplum habetur in c. cùm ſingula 32. in fin. de præbend. in 6. ubi qui plures Prioratus vel Eccleſias detinent, infra menſem, poſtquam præſens Conſtitutio pervenerit ad eoſdem, relinquere tenentur. Item in Concilio Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 1. ubi ſtatuitur, decretum irritans matrimonia clandeſtina non habere vim, niſi promulgatum ſit in ſingulis parochiis, & poſt 30. dies à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.

XXVIII. Reſp. 3. ſi legiſlator nullum locum promulgationis, vel tempus obligationis exprimat, Conſtitutiones Cæſareæ, ſive Imperatoriæ non priùs obligandi vim habent, quàm elapſis duobus menſibus, poſt promulgationem earum in ſingulis provinciis factam, prout habetur in Authent. Ut factæ novæ Conſtitutiones, Collat. 5. Novell. 66. in qua etſi expreſsè ſolùm agatur de Conſtitutionibus teſtamentariis, ut patet ex cap. 1. eiuſdem Authenticæ: eam tamen extendi ad omnes alias leges Imperatorias, non ſolùm irritatorias, ſed etiam præceptorias, patet inprimis, tum ex ipſa Rubrica Authenticæ, quæ generalis eſt, & cùm perfectum ſenſum reddat, ut ex ipſius verbis conſtat, habet, juxta receptum dogma Juriſtarum, textûs auctoritatem in his, in quibus nigro non repugnat, id eſt, in his, quæ non ſunt contraria legibus ſub rubro contentis: & conſequenter etſi textus legis ſtrictiùs loquatur, non limitat rubricam, ſed extendi debet juxta generalitatem rubricæ, ſive inſcriptionis, ſi nihil repugnet, nec abſurdum aliquod ſequatur, juxta regulam communem traditam à gl. ibid. V. huiuſmodi lex, & notat Suar. cit. c. 16. n. 10. Deinde id ipſum patet, tum ex communi doctrina Juriſperitorum, qui ſic illam Authenticam explicant & extendunt, & ex praxi Imperii, & ex Bulla Pii IV. de Evulgatione Concilii Tridentini, qui citat dictam Authenticam, tanquam Jus commune Cæſareum: tum denique ex ratione allata in textu, quæ etiam generalis eſt, nimirum diſtantia provinciarum, & ut ſufficienti hoc tempore omnibus (nova conſtitutio) manifeſta fieret.

XXIX. Quamvis autem gl. in c. 2. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. V. hactenus, Abb. in cit. c. 2. n. 7. h. t. & ibid. Felin. n. 7. limit. 2. Sylv. v. lex n. 6. dicto 3. hoc limitent, nempe quòd Conſtitutio Imperatoria, etiam ante lapſum duorum menſium, obliget ſcientes eam latam & promulgatam eſſe, quia fruſtra exſpectatur eventus, cuius nullus eſt effectus, c. cùm contingat 36. infr. de offic. deleg. ergo qui eſt certus de conſtitutione, fruſtra exſpectat lapſum duorum menſium: contrarium tamen eſt verius, quod tenet Navarr. c. l. n. 17. & Suar. cit. l. 3. c. 18. n. 5. & 2. ſeqq. tum quia in cit. Authent. expreſsè dicitur, Conſtitutiones novas poſt duos menſes, & non antea, valere, & conſequenter ante illos non obligare: tum quia nemini juris beneficium auferendum eſt, arg. l. 4. §. ſi quis condemnatus. ff. de re judic. tum quia etſi partialis cauſa, cur leges Imperatoriæ ante bimeſtre non obligent, ſit, ne ignorantes obligentur: non eſt tamen ea cauſa adæquata, quia exſpectatur lapſus duorum menſium, tum ut notitia legis priùs haberi poſſit ab omnibus; quæ ratio licèt in uno vel altero ceſſet, id per accidens eſt, nec mutat vim legis, nec voluntatem Legiſlatoris: tum ut lex omnes incipiat eodem tempore obligare, & non priùs hos, quàm illos, itaque omnis confuſio, querimonia, & imparitas ſubditorum evitetur, dum alii ante alios obligantur: neque etiam hæc dilatio temporis datur, ut certior fiat promulgatio legis, ſed ut lex incipiat eſſe valida, & habere vim actu obligandi, nam ante illud tempus non cenſetur perfectè conſtituta.

XXX. Cæ-

XXX. Cæterùm Reges & Principes, qui non ſubduntur Imperio Romano, non obligantur prædictâ Authenticâ, quæ illis nihil præſcribere potuit, & conſequenter leges ab ipſis latæ ſtatim obligant, ac promulgatæ ſunt ſemel in Curia, vel Metropoli Principis, niſi vel conſuetudine aliud præſcriptum ſit, vel niſi Jus illud Cæſareum tacitè receptum ſit in Regno, vel provinciâ, Suar. c. l. n. 8.

XXXI. Reſp. 4. tametſi quod de Imperatoriis Conſtitutionibus dictum eſt, nonnulli non improbabiliter, ſaltem quoad forum conſcientiæ, extendant etiam ad Conſtitutiones Pontificias, nempe ut hæ quoque non obligent, niſi elapſo bimeſtri, poſt promulgationem in ſingulis provinciis vel Diœceſibus factam: probabilius tamen eſt, leges ſeu Conſtitutiones Pontificias ſtatim, ac in Romana Curia promulgatæ ſunt, incipere obligare, etiam intra duorum menſium ſpatium, modo tamen infrà explicando. Priorem ſententiam tenet Abbas in cit. c. 2. n. 7. in fine h. t. quamvìs poſtea ſententiam mutaverit in c. noverit. 49. de ſent. excommunic. in fine. Felin. in cit. c. 2. n. 3. & plures alii DD. apud Suar. l. 4. de legib. c. 15. n. 1. & 2. cuius fundamentum præcipuum eſt; quia quando nihil Jure Canonico diverſum diſpoſitum eſt, judicandum eſt ſecundùm Jus Civile, c. 1. de novi oper. nuntiat. ergo cùm Jure Civili ad legis obligationem requiratur promulgatio in ſingulis provinciis, & dilatio duorum menſium, idem requiretur Jure Canonico, quia hoc Jure diverſum, vel contrarium non reperitur ſtatutum, & Juris civilis diſpoſitio, non ſolùm bonis motibus non repugnat, ſed utilis ac neceſſaria eſſe videtur.

XXXII. Sed poſterior ſententia communior eſt, quam tenent Suar. cit. c. 15. n. 3. & ſeqq. Navarr. cit. conſil. 1. n. 19. b. t. Sylv. v. lex. q. 6. dicto 3. Azor cit. l. 5. c. 3. q. 3. Salas tract. de legibus d. 12. ſec. 2. & alii plures. Et quidem 1. quòd ad leges Pontificias ſufficiat una promulgatio in Curiâ Romanâ facta, probatur, tum quia ſpectatâ rei naturâ, non requiritur promulgatio in ſingulis provinciis vel diœceſibus, cùm lex ſuâpte naturâ ſit ſufficienter propoſita, ſi ſit promulgata in loco aliquo celebri, velut Romæ, unde facilè per alia loca divulgari poſſit: neque etiam ſpectato Jure poſitivo, cùm nullum jus Pontificium ſcriptum extet id requirens. Authentica verò illa, *ut factæ novæ Conſtitutiones &c.* non eſt recepta à Jure Canonico, ut patet ex praxi, & ſtylo Curiæ Romanæ, in qua lites deciduntur, juxta leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas, contra omnes totius Orbis Chriſtianos, niſi juſtam illarum ignorantiam probent. Et Bulla Cœnæ Domini Romæ tantùm promulgatur, cùm tamen alibi etiam obliget in locis, in quibus non eſt promulgata, item Regulæ Cancellariæ in provinciis non promulgantur, & tamen ſecundùm earum præſcriptum, cauſæ omnes definiuntur, Navarr. c. l. n. 19. Azor cit. c. 3. q. 3. Tum quia quando ſummi Pontifices, pro rei, quæ conſtituitur, qualitate & exigentiâ, neceſſarium eſſe putant promulgationem in ſingulis provinciis vel Diœceſibus, id ſolent exprimere, ergo ſignum eſt, ordinariè & extra caſus ſpeciales, illas particulares promulgationes non requiri. Tum denique ſi ad valorem legis civilis latæ non pro pluribus, ſed pro una tantùm integra provincia vel regno, ſufficit una promulgatio facta in Curia Principis, cur non ſufficiat promulgatio Legis Canonicæ in Curia Romana pro tota Eccleſia, quæ non minorem, ſed potiùs maiorem unionem habet cum ſuo Capite viſibili, nempe S. Pontifice, quàm unum regnum aut Provincia cum ſuo Rege aut Principe. Ratio autem congruentiæ eſt, quia S. Pontifex non ſolet vagari per provincias, ſicut Reges & Imperatores, ſed Romæ fixam ſedem habet, & ideo Romana Curia eſt aptus & ſufficiens locus ad promulgandas leges pro univerſa Eccleſia, tum propter maiorem Eccleſiæ unitatem, maioremque obedientiam Vicario Chriſti debitam, tum etiã, ne leges Pontificiæ ab Epiſcopis dependere videantur, Suar. c. l. n. 6. & 7.

XXXIII. Ad alterum quod attinet, nempe quòd leges Pontificiæ ſtatim obligent, poſt promulgationem Romæ factam, non exſpectato bimeſtri ſpatio, probatur, tum quia Authentica illa Juris civilis, ſicut quoad priorem partem, nempe quoad promulgationem faciendam in ſingulis provinciis, non eſt acceptata à Jure Canonico: ita nec quoad poſteriorem ſive dilationem duorum menſium, nam hi computandi ſunt à die promulgationis factæ in unaquaque Provincia, ergo quando in non tantùm loco ſit promulgatio, non cenſentur obligare leges poſt duos primùm menſes. Idque ſtylus & praxis Curiæ Romanæ confirmat, in qua tranſgredientes Conſtitutiones Pontificias rite promulgatas, etiam ante duos menſes elapſos, poſt promulgationem puniuntur, non ſolùm qui confitentur, vel probantur ſciviſſe illarum promulgationem, ſed etiam qui non probant, ſe juſtè illas ignoràſſe, quia præſumitur, eos ſcire, teſte Navarr. c. l. q. 4. n. 18. Tum quia reſpectu remotiſſimarum provinciarum, tempus duorum menſium non ſufficit, ut promulgatio legis Romæ facta in notitiam veniat, Suar. cit. c. 15. n. 17. & ſeq.

Itaque Leges ſeu Conſtitutiones Pontificiæ, ſtatim ac promulgatæ ſunt in Curia Romana, quantum eſt ex ſe, ubique terrarum vim obligandi habent, ita ut re ipſâ & actu ſtatim obligent præſentes & vicinos, non exſpectato duorum menſium ſpatio; abſentes verò & remotos, poſt tempus moraliter neceſſarium & ſufficiens, ut lex promulgata in eorum notitiam devenire poſſit, ſpectatâ diſtantiâ locorum à Curia, in qua facta fuit promulgatio, quia lex humana, ſicut non poteſt obligare ad impoſſibile, ita nec poteſt obligare modo impoſſibili; cùm enim lex non obliget, niſi mediante notitiâ, impoſſibile autem ſit, ut lex alicubi publicata ſtatim perveniat in notitiam ſubditorum diſtantium, ſive in remotis locis degentium, per conſequens impoſſibile eſt, ut hi ſtatim eiuſmodi lege obligentur, priuſquam ſciant, illam eſſe promulgatam. Idque ſumitur ex c. 1. §. nec obſtaret. de conceſſ. præbend. in 6. ubi dicitur, *lex ſeu conſtitutio & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut niſi poſt tempus, intra quod ignorare minimè debuiſſent*, Navarr. c. l. n. 21. & 22. Suar. l. 3. de legib. c. 17. n. 6. & ſeqq.

XXXIV. Porrò Regula illa allata ex c. 1. de novi oper. nuntiat. vel habet tantùm locum in cauſis judicialibus, quæ in foro Eccleſiaſtico, ſecundùm leges civiles, decidendæ ſunt, quando Jure Canonico nihil ſtatutum reperitur; non verò applicari poteſt ad modum promulgandi & ferendi leges, quia hic

pertinet ad ſummam & propriam poteſtatem S.Pontificis, ideóque non eſt illa generalis regula ad hunc caſum extendenda. Vel tunc ſtandum eſt diſpoſitioni Juris civilis,quando Jus Canonicum, nec ſcriptũ, nec conſuetudinarium diverſum ſtatuit. hic tamen praxis & conſuetudo Curiæ Romanæ contrarium obſervat,teſte Navar.c.I.n.20. quamvis nec ſcriptum Jus Canonicum extet,ut notat Azor c.l. Vel deniq; Jus civile ſervandum eſt, deficiente Jure Canonico, in rebus temporalibus,non autem in merè Eccleſiaſticis & Spiritualibus,Salas cit.diſ.52.ſec.2.n.13.Neque obſtant alia jura ſeu Canones,qui in contrarium adferri ſolent,nam inprimis in c. cùm infirmitas 13. de pœnit. & remiſs. ſolùm quoad incurrendam pœnam,per quam Medici non monentes infirmum de accerſendo Medico ſpirituali arcentur ab ingreſſu Eccleſiæ, requiritur,ut conſtitutio illa à Prælatis Eccleſiæ fuerit publicata,quod non requireretur,niſi id ſpecialiter cautum fuiſſet,Navarr.in cit.Concil.n.21. h.t. Item in c.ult.ne Clerici vel Monachi &c. aſſignatur tempus duorum menſium non ad complendam legis obligationem,ſed pro ſufficiente admonitione ad incurrendam cenſuram, ideóque etiam poſt longiſſimum tempus à promulgatione illius legis, requiruntur illi duo menſes ad contrahendam excommunicationem: ſicuti etiam in c. noverit 49. de ſent.excommun. requiruntur duo menſes, non propter legis promulgationem, ſed pro ſufficiente admonitione ad incurrendam contumaciam. In c. 5. verò de præbend.in 6.nulla fit mentio duorum menſium,ſed in genere dicitur, *niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent*, adeóque de eo ſolùm tempore eſt ſermo, quod ex rei natura ad inducendam obligationem legis humanæ requiritur, Suar. cit. l. 4.c.55.n.56.

Denique nihil prorſus huc facit text. in c. ult. d.18.ex quo gl.in c.2.v. non probatur. d.82. probare vult, leges Canonicas non obligare,niſi poſt 6. menſes: ſed ſine ratione ac jure;nam in cit.c. ult.ſex menſium ſpatium aſſignatur,non ad promulgandas leges Canonicas, ſed ad pleniùs inſtruendam plebem, ut nimirum intra hos menſes ſinguli Epiſcopi univerſum Clerum & plebem convocent, ut coram eis referant omnia, quæ eodem anno in Concilio provinciali acta vel definita ſunt, ut patet ex illo c.cit. Suar. c.l.n.15. Neque verò id nimis grave eſt,quod Conſtitutiones Pontificiæ ſemel rite promulgatæ, ſtatim etiam extra Romam,ubique locorum, vim obligandi habeant, quia in effectu non obligant, nec quoad culpam, nec quoad pœnam eos, qui bonâ fide & abſque culpa,illas eſſe legitimè publicatas,ignorant, etſi contra fecerint, Azor. c.l.in reſponſ. ad 3.& patet ex ſupra dictis.

Cæterùm decreta & Conſtitutiones Concilij Univerſalis à Papa approbati publicari debent, & ſtatim obligant poſt promulgationem,ſicut ſuprà de legibus Pontificiis dictum eſt.

XXXV. Similiter Conſtitutiones ſeu leges, quas inferiores Principes & Magiſtratus, ſive Eccleſiaſtici,ut Epiſcopi, aliique Prælati Papâ inferiores; ſive ſeculares,ut Duces aliique Principes,vel Civitates ferunt pro uno tantùm populo, provinciâ vel diœceſi aut civitate, ſtatim obligant, ac promulgatæ ſunt,unicâ ſolemni publicatione factâ in Curiâ Principis,vel in Eccleſia Matrice,vel in alio loco, ſecundùm morem patriæ vel regionis,conſueto, niſi aliud in ipſa lege exprimatur. Hoſtienſ. in ſumma. h. t. n. 14.Suar.l.3.de legib.c.16.n.7.& l.4.c.55.n. 8. & alij communiter. Ratio eſt,quia cùm inferiores Principes & Magiſtratus non adeò amplam & latè parentem habeant Juriſdictionem, ſufficit una promulgatio legum in uno loco: & cùm Jure poſitivo communi nihil reperiatur præſcriptum de huiuſmodi legibus & ſtatutis,(nam authenrica ſupra citata loquitur ſolùm de Conſtitutionibus Imperatoriis) ideo cenſendæ ſunt obligare,quando ex naturâ rei poſſunt: ſpectatâ autem rei naturâ, poſſunt obligare, quàm primùm in præcipuo loco ſunt promulgatæ, ex quo facilè per totum reliquum territorium eorum notitia evulgatur.

XXXVI. Quæritur 3. quando obligent, ſive effectum habeant leges irritatoriæ contractuum, vel aliorum actuum? Reſp. leges non tantùm Cæſareæ,ſed etiam Pontificiæ,ſi irritent contractum,vel alium actum, qui jure divino & naturali alioquin eſt validus, plerumque non quidem ſtricto jure, ſed ex æquitate & benigna interpretatione, non priùs effectum habere cenſendæ ſunt, quàm ſi in ſingulis provinciis aut diœceſibus promulgatæ ſint,vel ſaltem aliâ viâ communiter ſciantur,Molin.tract.2.de juſtit. diſ.595. Salas tract.de legib.diſ.52. ſec.2. n.55. & ſ. 4. in fine.Laym. l. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 2. n.7. Ratio eſt, quia alioquin eiuſmodi leges magis obeſſent communi bono Reipubl.quàm prodeſſent,& in multorum detrimentum cederent. v.g. ſi ſtatueretur nova lex irritans matrimonium inter conſanguineos in quinto gradu, gravia incommoda ſequerentur, ſi lex illa, poſt generalem promulgationem in Curia Romana factam, ubique locorum effectum ſortiretur,etiam in illis provinciis, in quibus nondum eſt particulariter promulgata,vel necdum eius communis notitia haberi potuit, multi enim etiam, qui ex invincibili ignorantia contraxerunt matrimonium in tali gradu, deberent, cum magno ſcandalo & damno ſuo,ab invicem ſeparari, cùm lex irritans contractus,non tantùm erga ſcientes, ſed etiam ignorãtes vim habeat, ut infrà dicetur. Aliud exemplum habetur in Concil.Trident.ſeſſ. 23. c.15. de reform. ubi requiritur, ut ſacerdos expoſitus ad audiendas confeſſiones ſit approbatus ab Epiſcopo, alioquin abſolutio ſacramentalis non valet.

Excipiuntur illæ Pontificiæ leges irritantes,quę verſantur circa beneficia Eccleſiaſtica, profeſſionem Religionis, vel ſimiles res aut actus, in quibus Papa liberam habet poteſtatem diſponendi vel diſpenſandi, hæ enim ſtatim poſt promulgationem in Curia Romana, ubique vim & effectum habent, Suar. l. 5. de legib. c. 33. n. 7. Salas & Laym. cit. locis.

§. V.

An obligent Leges ſeu Conſtitutiones uſu non receptæ?

Solet frequentiſſimè, cùm quæritur, cur hæc vel illa lex ſeu Conſtitutio, ſive in Corpore Juris extet, ſive extra illud, in pluribus locis, non obſervetur, reſponderi, quia non eſt uſu recepta ſive acceptata,

ptata, videndum igitur; an talis exceptio contra Conſtitutiones ſeu leges Canonicas, vel etiam Civiles obiici poſſit, & admittenda ſit?

XXXVII. Quæritur 1. an leges ſeu Conſtitutiones Canonicæ, poſt promulgationem, ſtatim obligent ſubditos ad illas acceptandas? Reſp. Pontifex non tantùm poteſt obligare fideles ad acceptandas ſuas leges legitimè & ſufficienter promulgatas, ſed etiam Conſtitutiones Pontificiæ ſeu Canonicæ ritè publicatæ actu obligant fideles ad eas acceptandas, ita ut primi, qui ab initio illas non ſervant, peccent, eas non recipiendo, & in uſum deducendo, niſi legitimam cauſam allegare poſſint, cur illam non obſervent, Suar. l. 4. de legib. c. 16. n. 4. & eſt Theologorum ſententia magis recepta, & per ſe loquendo, abſolutè vera, quam noviſſimè etiam tenet & fusè probat Fagnan. in c. 1. inf. de treuga & pace n. 48. & ſeqq. Probatur utraque pars, quia ad hoc, ut ſubditi obligentur ad acceptandam legem, duo requiruntur ex parte legislatoris, poteſtas & voluntas, prout ſumitur ex c. cùm ſuper. 23. de offic. deleg. Et inprimis quod ad poteſtatem attinet, ſupremus legislator habet poteſtatem ferendi legem abſque conſenſu ſubditorum, l. 1. ff. de conſtit. princ. §. ſed & quod Principi, Inſtit. de jure nat. gent. &c. & poteſtatem etiam habet obligandi & cogendi ſubditos ad illius obſervationem, l. leges. 7. ff. de legib. & per conſequens etiam ad illius acceptationem c. 1. ad finem. d. 20. alioquin poteſtas legislativa eſſet planè inefficax, & eludi ac enervari poſſet à ſubditis, ſi legum obligatio & obſervatio à libero eorum conſenſu & acceptatione dependeret. Idque confirmatur, quia ſubditi ſubiiciuntur foro Iudicis ſui, etiam inviti, & non conſentientes, quia judicium redditur in invitum, l. inter ſtipulantem 83. §. 1. ff. de V. O. ergo neque conſenſus ſubditorum requiritur, ut legibus obligentur, quia forum ſortiri, & ſtatutis ligati pari paſſu procedunt, c. 2. h. t. in 6. Fagnan. c. l. n. 50. Quòd autem S. Pontifex habeat ſupremam poteſtatem ferendi leges, ſine conſenſu & acceptatione populi Chriſtiani, probatur, quia ea poteſtas ſoli Petro, & eius ſucceſſoribus à Chriſto immediatè data fuit, Matth. 16. *quodcunque ligaveris ſuper terram*, & Joan. 21. *paſce oves meas*; & quidem abſolutè, & non ſub conditione, ſi populus acceptaverit, vel conſenſerit, alioqui poteſtas eius non eſſet abſoluta & efficax, & ludibrio fieret, debitóque fruſtraretur effectu, ut dicitur in c. commiſſa 35. de elect. in 6. Ratio eſt, quia hanc poteſtatem Papa non accepit per electionem à populo, ergo independenter ab eius acceptatione obligant Conſtitutiones Canonicæ. Accedit, quòd ſi lex non poſſet obligare, niſi populo conſentiente, populus eſſet ſimul legislator cum Papa, quod abſurdiſſimum eſſe colligitur ex c. Eccleſia 10. h. t. Itaque certum eſt, Papam habere abſolutam poteſtatem ferendi leges, & obligandi ad eas acceptandas, independenter à conſenſu populi, ut colligitur etiam ex c. cuncta 17. ibi, *ſinè ulla ſynodo præcedente*, cauſ. 9. q. 3.

Sed neque alterum, ſcilicet voluntas obligandi ad acceptandas & ſervandas leges deeſt in legislatore, quia quando verba legis ſunt ſimpliciter præceptiva, tum lex abſolutè obligationem & neceſſitatem imponit, & non tantùm ſub conditione, ſi ſubditi velint acceptare, alias eſſet conſilium potiùs, quàm præceptum, c. quiſquis 3. cauſ. 14. q. 1. voluntas enim legislatoris præcipuè ex verbis legis colligitur, l. Labeo 7. §. id Tubero. ff. de Supell. legat. ergo quando legislator fert legem abſolutè aliquid præcipientem vel prohibentem, cenſetur velle obligare ſubditos ad eam ſervandam & acceptandam, niſi aliud exprimat, vel ex aliis coniecturis de contraria voluntate appareat, ideóque etiam Principes ſubditos pœnis cogunt, ad executionem legis, c. non fruſtra 18. c. 23. q. 5. c. ut Clericorum 13. de vita & honeſt. Cleric. neque cùm lex ab initio promulgatur, ſi ſubditi allegarent, ſe legem non ſervâſſe, eò quòd illam non acceptârint, audirentur, ſed propter hoc ipſum punirentur, quòd legem non ſervârint, nec obſervando acceptârint; cùm igitur & poteſtas, & voluntas ſit in Papa, vel alio legislatore ſupremo obligandi ſubditos ad obſervandas & acceptandas leges, ſequitur, quòd ſubditi vi legis, poſtquam ea ſufficienter promulgata eſt, ſtatim ſint obligati eam ſervare & acceptare, alioquin peccant, niſi juſta cauſa eos excuſet. Confirmatur, quia acceptatio legis eſt effectus ipſius legis, eámque ſubſequitur, ſicut actio obligationem, quæ idcirco mater actionis dicitur, l. licèt 42. §. ea obligatio. ff. de procurat. gl. in l. 1. V. juſtitia. ff. de juſt. & jur. ac proinde impoſſibile eſt, ut acceptatio neceſſariò requiratur ad producendam obligationem legis, quia acceptatio præſupponit legem jam in ſuo eſſe conſtitutam & obligantem, tanquam ſuam cauſam, ideo enim acceptanda eſt lex à ſubditis, quia obligat eos ad acceptationem illius, adeóque obligatio legis præcedit ipſam acceptationem, tanquam cauſa ſuum effectum, & per conſequens non poteſt eſſe conditio neceſſaria ad producendam obligationem legis, Suar. l. 3. de leg. c. 19. n. 5.

Et ita deciſum eſſe in Rota Romana, nempe quòd in Conſtitutionibus Papæ, qui immediatè habet poteſtatem à Deo, non ſit neceſſaria acceptatio inferioris, refert Fagnan. c. l. n. 55. Neque obſtat, quòd in c. in iſtis 3. §. leges. d. 4. dicitur, *leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur*: nam leges firmantur moribus utentium, non quòd tunc incipiant obligare, cùm ipſe uſus legis ex obligatione deſcendat, eámque ſupponat, ſed quia maiorem quandam firmitatem ſeu ſtabilitatem acquirunt leges ex ipſo uſu, ita ut poſtea non ita facilè per contrariam legem vel conſuetudinem poſſint abrogari, arg. l. minimè 23. ff. de legib. Suar. c. l. n. 9.

XXXVIII. Cæterùm quod dictum eſt de Conſtitutionibus Pontificiis, eas obligare independenter ab acceptatione populi, idem cum proportione eſt dicendum de legibus & ſtatutis Epiſcoporum, aliorúmque Prælatorum Papâ inferiorum, ut docet Suar. l. 4. de legib. c. 16. n. 2. & 3. nam quamvìs Epiſcopi, aliíque Prælati huiuſmodi Eccleſiaſtici probabiliter juriſdictionem habeant, non immediatè à Deo, ſed à S. Pontifice, qui eam etiam augere, vel minuere & limitare poteſt; non tamen eam accipiunt à populo, unde nec ab eiuſdem acceptatione vel conſenſu pendet legum, quas ferunt, vis & obligatio.

XXXIX. Quæritur 2. an lex ſive conſtitutio Canonica non recepta ab initio, tollatur per non uſum

uſum vel deſuetudinem, ita ut obligare deſinat? Reſp. ſi lex ſive Conſtitutio Canonica legitimè promulgata, à tota communitate, vel maiore eius parte, ex rationabili cauſa, non fuit recepta, nec obſervata, tandem deſinit obligare, etſi fortè ab initio culpabiliter non fuerit acceptata, Suar. l. 4. de legib. c. 16. n. 9. & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia per contrariam conſuetudinem vel deſuetudinem, ſeu non uſum poteſt lex etiam uſu recepta abrogari, ut non ampliùs obliget, c. ult. infrà de conſuet. ergo faciliùs poteſt abrogari, priuſquam recepta eſt, cùm ante acceptationem ſive uſum, lex nondum habeat tantam firmitatem, quantam poſtea, poſtquam recepta & uſu confirmata eſt, iuxta cit. c. in iſtis. §. leges. d. 4. Idque uſus & praxis Eccleſiæ confirmat.

XL. Porrò ut deſuetudo ſive non obſervantia, ſeu non acceptatio legis prævaleat contra legem Canonicam, non requiritur certum tempus, ſive interveniat ſcientia S. Pontificis ſeu Legislatoris, ſive ignorantia, ſed ſufficit repugnantia populi per actus contrarios in numero ſufficiente, iuxta arbitrium prudentûm: quia licèt Princeps ignoret ſubditorum non uſum, ſive illos non obſervare legem à ſe latam, ſemper tamen cenſetur habere actualem voluntatem non obligandi contra morem ſeu uſum, arg. c. 1. de conſuet. in 6. & nullum eſt jus præſcribens certum tempus. Illud tamen eſt diſcrimen, quòd quando Princeps ſcit, legem non eſſe receptam à maiore parte populi, & non obſervari, idque diſſimulat, nec contradicit, cùm poſſet, ſtatim poſt nonnullos actus contrarios toleratos, cenſetur legem tacitè revocâſſe, tanquam ſubditis difficilem & incommodam. At verò quando Princeps id ignorat, requiritur maius tempus, tantum nimirum, quantum prudentûm arbitrio ſufficit, ut cenſeatur lex facta populo inutilis, & conſequenter juſtè præſumatur virtualiter & tacitè à Papa vel Principe eſſe revocata, Suar. c. l. n. 11. & 12. quamvìs probabile etiam ſit, quòd hoc caſu, quo, ignorante Papâ, lex Canonica non eſt recepta, determinatum tempus ſaltem 10. annorum requiratur, per quod non ſit uſu recepta, nec obſervata, ut docet Navarr. in Conſil. 1. q. 5. n. 24. h. t. Azor l. 5. c. 4. q. 4. Laym. cit. c. 3. n. 4. etſi enim ad legem Eccleſiaſticam uſu jam receptam, viâ præſcriptionis, abrogandam requiratur communiter tempus 40. annorum, de quo infrà tit. 4. minus tamen tempus, adeòq; ſpatium 10. annorum videtur ſufficere ad abolēdam legem Eccleſiaſticam non receptam, quippe quæ nondum ita confirmata, & roborata eſt, ſicut lex jam acceptata. Fagnanus tamen in cit. c. 1. de treuga & pace n. 67. putat, quòd lex Eccleſiaſtica non recepta initio, non tollitur per non uſum, niſi tempore 40. annorum, ſive Princeps id ſciat, ſive ignoret, eò quòd obligatio legis jam ſit orta ante eiuſdem acceptationem, adeóque non agitur de vinculo legis impediendo, ſed potiùs de eo tollendo, & ipſius legis abrogatione: ſecus tamen fit in legibus civilibus, in quibus ſufficit ſpatium 10. annorū, vel ſi non uſus non ſit cōtra, ſed præter legem, Fagnan. ibid. n. 68. & 69. Verùm etſi lex Canonica non recepta ab initio obligaverit, nihilominus tamen ad abrogationē eiuſdem minus tempus requiritur, quàm ſi uſu approbata & confirmata fuiſſet.

XLI. Hinc infertur 1. quòd ea decreta Concilij Tridentini, quæ novum jus inducunt, & aliæ cōſtitutiones Pontificiæ ſeu Canonicæ, quæ in Diœceſibus hactenus non ſunt receptæ, vel in praxin deductæ, ibi non obligent, non præciſè, quia non ſunt receptæ ab initio, ſed quia jam per deſuetudinem, ſive non uſum longi temporis ſunt ſublatæ, ut ſaltem hic & nunc non ampliùs obligent, Laym. cit. c. 3. n. 4. ubi tamen monet, ut Epiſcopi decreta, quæ ad morum reformationem ſpectant, & hactenus in ſuis diœceſibus non ſunt recepta, ultro in obſervationem deducere conentur.

XLII. Infertur 2, etſi fortè primi, qui legem Pontificiam vel Diœceſanam latam, & ſufficienter promulgatam non receperunt nec obſervârunt, peccârint: niſi juſtam cauſam habuerint non acceptandi: ſucceſſores tamen eorum, illam non obſervando, non peccant, quia poſtquam talis lex longo tempore in diœceſi non eſt unquam recepta & obſervata, exiſtimare poſſunt illam per non uſum titulo præſcriptionis eſſe abrogatam, Laym. c. l.

XLIII. Infertur 3. Epiſcopi, præſertim Metropolitani, ex officio tenentur novas Conſtitutiones Pontificias in Diœceſibus pomulgare, & curare, ut illæ obſerventur, ſaltem poſtquam ex Curia Romana authenticè ipſis tranſmiſſæ fuerunt, Laym. c. l. n. 2.

XLIV. Quæritur 3. an etiam leges civiles obligent independenter ab acceptatione populi? Reſp. 1. Supremus Princeps habens abſolutam & independentem poteſtatem, poteſt obligare ſubditos ad legis obſervationem, etiam ante acceptationem eorum, ſi exprimat, ſe velle obligare, Suar. l. 3. de leg. c. 19. n. 4. 6, & 7. Ratio eſt, quia populus poteſtatem ſuam abſolutè & ſimpliciter, abſque limitatione, tranſtulit in Principem, ut ex ordinario modo regiminis conſtat, ergo qui habet abſolutam poteſtatem ferendi legem, habet etiam poteſtatem ad obligandum ſubditos, ut acceptent & obſervent legem, alioquin inefficax & inutilis foret illa poteſtas, ut ſuprà etiam dictum. Aliud eſt, ſi Princeps à populo accepiſſet limitatam poteſtatem, ita, ut leges vim non haberent obligandi, niſi acceptarentur, tunc enim certum eſt, requiri populi acceptationem, Suar. c. l. n. 6.

XLV. Reſp. 2. probabilius eſt, legem latam à legislatore habente abſolutam poteſtatem obligare independenter à conſenſu populi, & antequam populus illam acceptet, etiamſi Princeps id non exprimat, Suar. c. l. n. 7. & 8. & eſt communior ſententia Theologorum. Probatur iiſdem rationibus, quibus id ſuprà de legibus Canonicis probatum eſt, nam lex operatur, non ex voluntate populi, ſed Legislatoris: & Principes cogunt ad legis obſervantiam eorum tranſgreſſores, nec admittunt excuſationem ſubditorum, quòd legem non ſervaverint, quia recepta non fuerit: ac denique quia ſequeretur, quòd ſubditi paſſim poſſent reijcere leges ſinè culpa, unde graviſſima incommoda orirentur. Quòd ſi lex de facto non fuit acceptata à tota communitate, vel maiore eius parte, & tranſiit ſufficiens tempus, ut arbitrio prudentûm cenſeri poſſit promulgatio illius legis inutilis, cuiuſmodi ſaltem in legibus civilibus eſt tempus longum ſive decennium, tunc deſinit obligatio legis, ut patet etiam ex ſuprà dictis.

XLVI. Excipi tamen debet 1. Si maior pars communitatis de facto legem non ſervet vel recipiat,

alij

alij poterunt licitè, & ſine peccato, ſe maiori parti conformare, etiamſi tempus ſufficiens ad abrogandam legem nondum expletum ſit, quia non videtur Princeps velle obligare paucos, quando pleriq; non obſervant legem, & datur juſta cauſa excuſationis; nam lex, cùm ſit commune præceptum, communiter obſervari debet, Navarr. in Conſil. 1. q. 5. n. 24. h. t. Suar. cit. c. 19. n. 13. Laym. cit. c. 3. n. 3. ubi ait, idem dicendum de lege Pontificia, ſi in propria diœceſi non ſit promulgata, neque uſu recepta à maiore parte communitatis.

XLVII. Secundò, ſi lex ſit nimis dura & gravis, & talis communiter à populo ſeu Republ. judicetur, probabile eſt, populum non obligari ad acceptandum, & excuſari à peccato eos, qui incipiunt legem non ſervare, quia tunc probabiliter præſumitur, vel Principem ignorare difficultatem, vel legem propoſuiſſe, non cum intentione abſoluta obligandi, ſed ſolùm experiendi, quomodo populus ſe accommodet in tali lege recipienda, Suar. c. l. n. 12. ubi tamen addit, quòd in rigore juris aliud videatur dicendum, ſi lex non ſit iniuſta, etſi dura.

XLVIII. Porrò fundamentum contrariæ ſententiæ, quæ aſſerit, ut lex obliget, requiri acceptationem populi, quam tenet Navarr. c. l. q. 5. n. 23. Azor c. l. q. 1. & plerique Canoniſtæ & Legiſtæ, aliud non probat, quàm moribus legem firmari, ita ut firmiter ac ſtabiliter non obliget, niſi interveniente acceptatione populi, quia ſi non obſervatur, nec recipitur per longum tempus, tandem fit, ut legis obligatio deſinat, ut ex dictis patet. Et ſic explicari etiam debet text. in l. de quibus 32. ff. de legib. ubi dicitur, *cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt*: quia nimirùm legum obligatio ſtabilitur per acceptationem & uſum: non tamen leges ab uſu vel acceptatione vim obligandi accipiunt. Vel etiam dici poteſt, ibi ſermonem eſſe de legibus latis eo tempore, quo populus Romanus habebat poteſtatem, ut ſinè illius conſenſu leges non ſtatuerentur.

Denique falſum etiam eſt, leges populo ferri & promulgari eâ tacitâ conditione, ſi ab ipſo acceptatæ fuerint: nam verba legis, univerſim loquendo, ſunt præceptiva, præceptum autem abſolutè datum non obligat ſub conditione, ſi ſubditus velit illud acceptare, ſed abſolutè imponit neceſſitatem, ſive obligationem exequendi, quod præcipitur.

§. VI.

An leges, ſeu Conſtitutiones Canonicæ, vel Civiles obligent etiam ignorantes?

XLIX. Aſſertio 1. Lex ſivè Conſtitutio, etiam poſtquam ſufficienter & legitimè promulgata eſt, & poſt illud tempus, quo publicè innoteſcere potuit toti Communitati, non obligat ignorantes nec ad pœnam: modò non ſit ignorantia affectata, craſſa & culpabilis, ſed juſta ſeu probabilis, invincibilis & inculpata, prout ſumitur ex c. 2. h. t. ubi ratio, cur „ lex novum aliquid ſtatuens, non ad facta præterita ſeu antecedentia extendatur, ſed ad futura tantùm, iſta redditur, ne detrimentum ante prohibitionem (legis ſcilicet) vel eius præceptum ignorātes incurrant, quod eos, ſi poſtea deliquerint, dignum eſt ſuſtinere „, gl. ibid. in caſu. & Abbas n. 6. Idem habetur in c. 1. de conceſſ. præbend. in 6. ubi dicitur, *quòd lex ſeu Conſtitutio & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam pervenerint eorundem.* Ratio eſt, quia cùm lex ſit præceptum rationale, nemo poteſt, aut tenetur illi parère, ſi ipſi ſinè ſua culpa non ſit cognita: nam ignorantia tollit voluntarium: ubi autem voluntarium non eſt, nulla culpa eſt, & conſequenter neque pœnæ locus eſſe poteſt, cùm culpa & pœna ſint correlativa, ut colligitur ex cap. ſatis. 7. diſ. 56. *Et rem, quæ culpâ caret, in damnum votari non convenit*, cit. c. 2. in princ. h. t. *Et ſinè culpa non eſt aliquis puniendus*, reg. jur. 23. in 6. quod tamen limitari debet, niſi cauſa ſubſit, nam ex cauſa legitima poteſt quis privari, etiam ſinè culpa, jure ſuo; præſertim ob bonum publicum, quod cùm ſit univerſalius & præſtantius, præferri poteſt ac debet bono privato, gl. in cit. c. 2. v. culpâ caret, & ibid. Abb. n. 2. & 3. h. t.

L. Aliud verò dicendum eſt de lege irritante aliquem actum, nam illa obligat, poſtquam ſufficienter promulgata eſt, ita ut communiter ſciri poſſit, etiam invincibiliter ignorantes. v. g. lex ſi præſcribat certam formam contractui, ita ut eâ non ſervatâ, ſit irritus, tum ſiquis talem contractum inivit contra illam formam, etſi bona fide, & per ignorantiam etiam inculpabilem, contractus erit invalidus, quamvis talis à culpa & pœna legis immunis ſit. Ratio eſt, quia irritatio actûs propriè non eſt pœna, quæ ſupponit culpam, ſed damnum, quod ex legitima cauſa, etiam ab ignorante bonâ fide, & invincibiliter, ſuſtineri debet, Abb. in cit. c. 2. n. 5. h. t. Azor p. 1. l. 5. c. 3. q. 9. & alii DD. communiter in cit. c. 2.

LI. Aſſertio 2. præterea „ ut animarum periculis obvietur, Jure Canonico conſtitutum & declaratum fuit, ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, dummodo eorum ignorantia non fuerit craſſa aut ſupina „, ita habetur in c. 2. in princ. h. t. in 6. Ubi ſermo eſt de ſententiis, quæ ligant animam, ſive de cenſuris Eccleſiaſticis, juxta gl. ibid. v. ſententiis, & quidem præcipuè & ex inſtituto, non de cenſuris Pontificiis, ſed de iis, quæ per ſtatuta Epiſcoporum, aliorúmque Prælatorum inferiorum feruntur, quia *ſtatuti* nomine propriè ac ſtrictè ſumpto, plerumque non comprehenduntur Canones ſive leges univerſales Juris communis, quæ ab omnibus ſciri & cuſtodiri debent, gl. in cit. c. 2. V. ſtatuta h. t. in 6. ſed ſtatuta ſolùm particularia ſive Diœceſana, de quibus in cit. c. duntaxat quæſtio mota fuit: hæc enim cùm, poſtquam in Diœceſibus promulgata ſunt, citiùs in notitiam omnium diœceſanorum deveniant, ideo videbantur illa minùs probabiliter ignorari poſſe, quàm Conſtitutiones, & decreta Pontificia Romæ de novo edita: nihilominus tamen hîc deciditur, quòd ſi ſtatutum v. g. ſit in aliqua Diœceſi, ut ſi quis furtum commiſerit, vel Iniuſtè quid acceperit, & non reſtituerit, excommunicatus ſit, talis cenſura non obliget ignorantes, niſi ignorantia fuerit craſſa aut ſupina. Idem quoque dicendum eſt, ſi cenſura lata ſit per Conſtitutiones ſeu Bullas Pontificias aut Canones Generales Juris com-

communis, quòd ea ooo liget, oec afficiat probabiliter ignotantes, etſi id in hoc c. noo ſit expreſſum; nihil tameo obſtat, quo minùs nooien *ſtatuti* hoc loco latè accipiatur, ita ut etiam Conſtitutiones Pontificias comprehendat, quia ſub nomine *Ordinarn* etiam Papa continetur, cùm ſit Ordinarius Ordinariotum, Laym. in cit. c. 2. n. 2. h. t. in *6*.

LII. Quin imò non tantùm ij, qui ſtatutum patticulare, vel Canonem aut legem Eccleſiaſticam generalem ſecundùm ſe ignorant; ſed etiam qui cenſuram tali ſtatuto vel Canooi ſeu legi anoexam eſſe, ignorant, illam non incurrunt, ut docet Suar. diſ. 4. de cenſur. n. 5. 9. & 19. Molin. tract. 5. de Iuſtit. diſ. 71. n. 9. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 5. p. 1. c. 5. n. 7. Ratio eſt, quia quamvìs regulariter, ſi quis ſciat, opus ſecundùm ſe ſtaruto vel lege eſſe præceptum, vel prohibitum, & contta ſtatutum vel legem agat, non excuſetur à pœna, ſaltem ordinaria, etſi neſciat, illam eſſe pto tali delicto impoſitam: ſi tamen ſcienter tranſgrediatut ſtatutum vel legem Eccleſiaſticam, neſciat tamen excommunicationem, vel aliam cenſutam ei eſſe annexam, is illam non incurrit: quia cenſura non incurritur, niſi propter inobedientiam & contumaciam, ac virtualem contemptum aoctoritatis Eccleſiaſticæ: at qui ignorat, Eccleſiam aliquid præcepiſſe, vel prohibuiſſe ſub cenſuræ comminatione, non poteſt cenſeri contumax erga Eccleſiam, nec eius auctoritatem contemnere, qui enim ignorar, noo contemnit, l. ſi ignorans 50. ff. locati, ergo non poteſt incurrere cenſuram. Confirmatur, tum quia Jure Cayonico generatim definitum eſt, *ſententiis, ſive cenſuris per ſtatuta Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes*, cit. c. 2. quod cùm ſit decretum favorabile continens beneficium juris, latè iorelligendum eſt, ſalvâ verbotum proprietate, nempe ut tametſi aliquis ſtatutum vel legem ſciat, ſi tamen ſeotentiam ſeu cenſuram ei annexam eſſe ignoret, eâ non ligetur. Tum quia cenſura eſt pœna medicinalis, qualis non eſſet, ſi etiam ab ignotantibus incurreretur, oon enim tuoc prodeſſet, ſed tantùm obeſſet, Laym. cit. c. 5. n. 8. & colligitur ex cit. c. 2. ibi. *ut animarum periculis obvietur*.

Excipi tamen debet, niſi ex craſsa ſeu ſupina negligentia, quis ignoret, cenſuram eſſe ſtatuto vel legi annexam, tunc enim etiam cenſurâ ligabitur, cit. c. 2. cuiuſmodi ignorantia eſt, ſiquis occurrente dubio vel ſuſpicione, an oon opus aliquod ſub Eccleſiſtica cenſura ſit prohibitum, nullâ aut pene nullâ factâ inquiſitione, illud exequatur, talis enim virtualiter & interpretarivè cenſetur Eccleſiam, eiúſque prohibitiooem ſub cenſura contemnere: multò minùs excuſat ignorantia affectata ab incurrendis cenſuris per legem vel ſtatutum latis, ut ſi quis ideo velit neſcire legem, vel eius pœnam, ne illâ ligetur, Laym. cit. c. 5. n. 8. Barb. in cit. c. 2. n. 8. h. t. in 6.

LIII. Potrò ante legitimam promulgationem legis, & elapſum tempus duorum menſium in legibus Imperialibus ſive Cæſareis, juxta Auth. ut factæ novæ conſtitutiones, §. Sancimus, collat. 5. vel tempus arbitrarium, quod ſcilicet juxta locorum diſtantiam, aliaſque circumſtantias, moraliter neceſſarium & ſufficiens videtur, ut lex ſubditis ionoteſcere poſſit, in legibus ſeu Conſtitutionibus Pontificiis, & inferiotum magiſtratuum, iuxta dicta ſupr. n. 33. & 35. intra hoc, inquam, tempus, allegans ignorantiam legis ſive Conſtitutionis, non tenetur illam probare, cùm lex nondum legitimè promulgata ab omnibus ſubditis ſciri non poſſit, nec obliget, c. 1. de poſtul. Prælat. & ibi gl. V. publicè promulgavetit, Azor p. 1. l. 5. c. 3. q. 1. & alii DD. communiter. At verò poſt ſufficieotem promulgationem legis vel ſtatuti, ſi quis in foro externo alleget ignorantiam illius, id probare debet, alioquin non excuſatur à culpa vel pœna legis, quia tunc non jam ignorantia, ſed ſcientia legis, quæ publicè promulgata eſt, præſumitur, Abb. in c. 2. n. 8. h. t. Sanch. l. 9. de matrim. diſ. 32. n. 4.

LIV. Nec obſtat, quòd *ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur*, reg. jur. 47. in 6. quia ſcire eſt quid poſitivum, ignorare verò negativum ſive privativum, atqui non ei, qui oegat, ſed qui affirmat, imponitur onus ſive obligatio probandi, l. 2. ff. de probat. l. actor 23. C. eodem. Nam reſpoodetur, regulam illam fallere 1. ſi quis igooret ea, quæ publicè geſta ſuot, circa illa enim præſumitur ſcientia, niſi probetur ignorantia: ſicut vice verſâ, circa ea quæ fiunt occultè, præſumitur ignorantia, niſi probetur ſcientia, gl. in cit. reg. V. præſumitur ignorantia. Et hinc allegantì ignorantiam legum, quæ publicè promulgatæ ſunt, fides oon habetur, cit. c. 1. & ibi gl. v. allegans de poſtul. Prælat. niſi ex probabilibus conjecturis, ſive ſemiplenè probantibus veriſimilem reddat ſuæ ignorantiæ allegationem, v. g. oſtendendo, ſe fuiſſe abſeotem à loco, ubi lex promulgata & obſervata fuerat: & tunc ei in ſupplementum probationis, & ad plenam ignorantiæ probationem, juramentum à Jodice deferri poterit, ſpectatâ qoalitate perſonæ, allegantis ignorantiam, & qualitate ipſius ignorantiæ & facti, ut colligitur ex c. ult. qui matrim. accuſ. poſſ. ibi. *cùm rationabiliter præſumatur, quòd denunciationem publicè factam idem exiſtens in ipſa diœceſi minimè ignoravit &c.* & paulò pòſt, *niſi proprio firmaverit juramento* &c. gl. in c. 2. V. non probatur diſt. 82. Abb. in cit. c. 2. n. 9. h. t. Felin. ibid. n. 11. Molin. tract. 5. de juſt. diſ. 71. n. 3. nam ea, quæ occulta ſunt, & in animo conſiſtunt, aliter probari, vel confirmari oon poſſunt, quàm per juramentum, juxta regulam communiter receptam, quam tradit gl. in c. ſi verò aliquis 4. v. propriâ manu de ſent. excommunic. 2. nemo præſumitur ignorare factum proprium, vel illius eſſe oblitus, proue ſumitur ex c. ab excommunicato 41. io fine inf. de reſcript. & ibi gl. v. de facto ſuo: oiſi factum ſit antiquum, quòd jam dudum prætetiit, tum enim ob temporis diuturnitatem, etiam in facto proprio præſumitur ignorantia, Maſcardus de probat. concluſ. 879. o. 40. & 41. 3. in iis, quæ aliquis ſcire debet, qoia ad eius officium pertinent, ſi alleget ignorantiam, eam probare debet, alioquin audiendus non eſt, c. innotuit 20. & ibi gl. v. ignorantiam de elect. 4. in mulieribus, militibus, minoribus 25. anois, ruſticis ac ſimplicibus, & ſimilibus perſonis faciliùs præſomitur ignorantia probabilis ſive ioculpabilis legis publicæ, l. regula 9. in princ. ff. de juris & facti ignorantia. l. 1. & l. quamvis. 11. & l. ult. C. eodem. Denique multò minùs præſumi poteſt ignorantia juris ſive legis naturalis, quæ lumine

rationis

rationis cognoſci poteſt , ſi quis illam alleget , niſi probetur, eum amentem fuiſſe, vel infantem, vel non tam perſpicui intellectûs , quin probabilis ignorantia in eũ cadere potuerit alicuius legis naturalis valde obſcuræ , & non niſi doctioribus cognitæ. Ut ſi quis contractum aliquem ſecundùm ſe iniquum & uſuratium iniit, bonâ fide , in tali loco , in quo illicitus & uſurarius etiam à quibuſdam viris cęterà doctis non habebatur , Molin. cit. diſ. 71. n. 10. & tract. 3. diſ. 9. n. 5.

§. VII.

An lex, vel ſtatutum obliget ſubditos extra territorium ſtatuentis exiſtentes?

LV. Aſſertio 1. Leges vel ſtatuta facta ab eo, qui habet territorium limitatum, non habet vim obligandi ſubditos , ſi extra territorium contra illa delinquant , ſed reſtringuntur ad limites territorii leges vel ſtatuta ferentis, Suar. l. 3. de legib. c. 32. n. 3.
» & alii DD. communiter. Quare ſtatuto Epiſco-
» pi , quo in omnes , qui furtum commiſerint , ex-
» communicationis ſententia promulgatur , ſubditi
» eius furtum extra ipſius diœceſin committentes ,
» non ligantur, *cùm extra territorium jus dicenti impu-*
» *nè non pareatur*, id eſt , non parens ideo pœnam non incurrit, ita expreſsè habetur in c. 2. §. ſtatuto h. t. in 6. gl. fin. ibid. Ratio eſt , quia nemo poteſt juriſdictionem exercere , adeóque nec legem ferre ultra limites poteſtatis ſive jurisdictionis ſuæ , l. ult. ff. de juriſd. omn. judic. ſi autem ſuperior vel legislator per legem vel ſtatutum obligare vellet ſubditos , etiam extra territorium exiſtentes , tum extenderet legem vel ſtatutum extra limites juriſdictionis, ac poteſtatis ſuæ ; nam lex ſive ſtatutum per ſe & directè non tendit , nec fertur in perſonas abſolutè, ſed non, niſi dependenter à territorio, vel diœceſi pertinente ad juriſdictionem legem vel ſtatutum ferentis , cui quaſi cohæret & affixum eſt , cùm pro illius pace & legitima gubernatione lex vel ſtatutum feratur, ideóque jus proprium civitatis appellatur, in l. omnes populi 9. ff. de juſtit. & jure. ſicut ergo in naturalibus nullum agens poteſt vim agendi extendere extra ſphæram activitatis ſuæ : ita neque lex ſive ſtatutum poteſt extendere vim obligandi extra limites territorii , ad quod poteſtas ferendi leges vel ſtatuta eſt limitata, & reſtricta, ideóque non poteſt obligare ſubditum extra territorium exiſtentem , Suar. c. l. n. 4. & diſp. 5. de cenſur. ſec. 4. n. 4. Nec refert , quòd ſubditus etſi actu exiſtat extra territorium domicilij, in quo degit, ſemper maneat ſubditus, dum domicilium non mutat, ergo adhuc obligabitur legibus vel ſtatutis ſui territorii , quia fundamentum & radix huius obligationis eſt ſubiectio. Nam reſpondetur, manere ſubditum quaſi habitualiter ſive radicaliter ; non tamen actu , ſive quoad uſum ſeu exercitium , in ordine ad ſervandas leges vel ſtatuta territorii, quia extra terminos & limites eius eſt conſtitutus, Suar. cit. c. 32. n. 7.

LVI. Porrò quod dictum eſt, ſubditum exiſtentem extra territorium non obligari legibus vel

ſtatutis territorij , id limitandum , vel potiùs declarandum eſt, non procedere , ſi exiſtens extra territorium delinquat in ipſo territorio. Ut, ſi v.g. exiſtens extra territorium , emiſsâ ſagittâ , occidat hominem in territorio exiſtentem ; quia tunc etſi delictum ſit inchoatum extra territorium , eſt tamen conſummatum intra illud: adeóque ut ſubditus exiſtens extra territorium non obligetur ſtatuto illius, requiritur, ut & perſona operans, & res, circa quam operatur, ſive ipſe actus externus ſit, vel fiat extra territorium, alioquin ſi perſona ſit extra, actio verò vel res , circa quam fit operatio, ſit intra territorium, poterit obligatio legis, eiúſque pœna habere locum, Suar. l. 3. de legib. c. 22. n. 8. & diſ. 5. de cenſur. ſec. 4. n. 9. nam ſi ſtatutum ſit affirmativum præcipiens aliquid fieri in territorio , tunc omiſſio eius ibi cenſetur fieri , ubi actus omiſſus fieri debuiſſet , ibi enim quis videtur delinquere, ubi non facit, quod facere deberet, l. qui non facit 121. ff. de reg. jur. ibi: *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversùs ea , quæ non facit.* v.g. ſi in Diœceſi aliqua ſtatutum ſit latum, quo pręcipitur, ne Beneficiarij à ſua Eccleſia , ſinè legitima cauſa, ſint abſentes , ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ , tunc beneficiatius exiſtens extra diœceſin obligatur tali ſtatuto, eiúſque pœnâ, quia deliquit intra diœceſin , cùm enim in illa deberet eſſe præſens , iuxta c. tuæ. 11. de Cleric. non reſident. ibi cenſetur omittere reſidentiam , ſive non reſidere, ubi præſens eſſe ſive reſidere deberet, Suar. cit. ſec. 4. n. 8. Azor p. 1. l. 5. c. 25. q. 2. Sin autem ſtatutum ſit negativum, aliquid prohibens fieri ſub pœna excommunicationis, tunc ibi cenſetur delictum cõmitti contra illud, ubi delictum pleuè eſt conſummatum, adeóque ſi in territorio , ad quod delinquens pertinet, delictum conſummetur, locum habet obligatio ſtatuti, eiúſque pœna, tametſi delinquens extra illud exiſtat, ut in primo exemplo ſuprà allato, Suar. cit. c. 32. n. 8.

Hoc autem procedit , quoad pœnam cenſuræ, quæ non incurritur, ſi per legem vel ſtatutum lata ſit, v.g. in eos, qui homicidium commiſerint, niſi delictũ ſit conſummatum (ſupponimus enim cenſuram non eſſe latam in attentantes tantùm homicidium, vel inchoantes) ſi ergo homicidium ſit conſummatum intra territorium, incurritur cenſura , etiamſi extra illud ſit inchoatum, Suar. cit. ſec. 4. n. 9. ſecus eſt quoad alias pœnas temporales , nam ſi delictum ſit inchoatum in uno territorio , conſummatum verò in alio, delinquens in utroque loco ſeu territorio ſortitur forum, ratione delicti , & puniri poterit , eritque locus præventioni , quia in utroque loco verè deliquit, l. 1. C. ubi de crimine agi oportet, in illis verbis, *ubi commiſſa vel inchoata ſunt.* Abb. in c. fin. n. 25. de foro compet. Suar. c. l. de quo infrà ſuo loco.

LVII. Præterea quando dicitur, lege vel ſtatuto non obligari ſubditos extra territorium exiſtẽtes, id limitandum eſt, niſi lex vel ſtatutum principaliter reſpiciat rem in territorio ſitam, vel ipſius territorij commodum, tunc enim obligare poteſt ſubditos abſentes, etiam quoad cenſuram ipſi ſtatuto annexam. v.g. ſi ſtatutum Diœceſanum ſit præcipiens ſub pœna excommunicationis, ut omnes Clerici ſingulis annis certo tempore veniant ad Synodum, Item ſi ſtatutum ſit prohibens ex juſta cauſa, ne inco-

colæ extra territorium exerceant mercaturam, vel ne frumentum exportent, vel qnid ſimile. Nam quando ſtatutum factum eſt in utilitatem ipſius Diœceſis ſeu Provinciæ, tunc obligatur ſubditus ſtatuto territorij, & pœnâ ei annexâ, etiam extra illud exiſtens, quia tunc, licèt alibi delinquat, non cenſetur ſimpliciter extra territorium delinquere, cùm in iniuriam ipſius territorij delinqnat, adeóque quodammodo in illo, Suar. cit. diſ. 5. de cenſur. ſec. 5. n. 17. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 11. n. 3.

LVIII. Aſſertio 2. non ſolùm ſubditi extra diœceſin vel territorium exiſtentes, ſed etiam ij, qui in locis exemptis intra diœceſin ſitis exiſtunt, non obligantur legibus vel ſtatutis territorij, quia locus exemptus in ordine ad juriſdictionem Epiſcopi vel Principis territorij, à quo eſt exemptus, æquiparatur loco extra diœceſin vel territorium ſito, quamvìs enim ſit in diœceſi quoad ſitum, non tamen eſt quoad juriſdictionem, Sylveſt. V. excommunicatio 2. n. 12. Avila de cenſuris. p. 2. c. 2. diſ. 2. dub. 5. & alij. Vbi tamen diſtinguendum eſt, nam vel Eccleſia ſive locus eſt omnino ac per ſe exemptus, etiã quoad populum, ita ut Prælatus eius loci quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in eo exerceat, excluſo Epiſcopo diœceſano: & tum talis locus exemptus intra diœceſin exiſtens æquiparatur loco extra diœceſin ſito, quia in tali loco Epiſcopus nec per ſe, nec per alium ſedere pro Tribunali poteſt, vel judicia exercere, nec validè quidem, ut per ſenſum contrarium colligitur ex c. cùm Epiſcopus 7. de offic. ordin. in 6. ubi dicitur, *quòd Epiſcopus in quolibet loco ipſius diœceſis non exempto, per ſe vel per alium, poſsit pro tribunali ſedere*, ergo à contrario ſenſu in loco exempto pro tribunali ſedere non poteſt, nec judicia exercere. Quare ſi Epiſcopus diœceſanus ſtatutum condat, ſub pœna excommunicationis, vel alia cenſura, v. g. ne quis Clericorum aleis ludat, eo ſtatuto & cenſurâ ei annexâ non obligantur Clerici ludentes in loco pleniſſimè exempto intra diœceſin ſito. Vel Eccleſia ſeu locus exemptus non eſt omnino & pleniſſimè exemptus à Juriſdictione Epiſcopi diœceſani: & hoc caſu ſubditi illius, ſi agant contra ſtatutum in tali loco exempto, v. g. ludant aleis Clerici, peccant & cenſuram ei annexam incurrunt, quia ligantur ſtatuto, Petr. Ancharanus in cit. c. 2. q. 2. in gl. h. t. in 6. & ibid. Philip. Francus n. 11. Suar. cit. ſ. 4. n. 6. Ratio eſt, quia quicquid per privilegium exemptionis non acquiritur Prælato talis loci exempti, intelligitur Epiſcopo reſervatum; cùm enim privilegia exemptionis præiudicent juriſdictioni Ordinariæ Epiſcopi, ſtrictè illa interpretari oportet, nec extendenda ſunt de caſu expreſſo ad alios non expreſſos, arg. c. cùm Capella 16. de privil. nam talia loca, v. g. Eccleſiæ & Monaſteria aut Collegia Monaſteriorum exemptorum, quæ populum ſibi ſubiectum non habent, non tam per ſe & ratione ipſorum locorum, quàm ratione perſonarum privilegiatarum, quæ ibi habitant, ſunt exempta: adeóque illorum exemptio non debet extendi ad ſubditos Epiſcopi in ijs delinqnentes, quia per hoc præberetur occaſio delinqnendi, & turbaretur juriſdictio ordinaria Epiſcopi diœceſani, qui inter perſonas ſibi ſubditas in tali loco exempto exiſtentes judicia exercere poteſt, ſaltem validè, imò & licitè, accedente conſenſu Abbatis ſeu Prælati talis loci, ut colligitur ex c. luminoſo 6. cauſ. 18. q. 2. gl. in Clement. unic. v. aut eorum pacta de foro comper. Laym. in cit. c. 2. n. 5. & 6. h. t. in 6.

LIX. Aſſertio 3. Etſi lex vel ſtatutum non obliget ſubditos exiſtentes extra territorium, ut ſuprà dictum, aliud tamen dicendum eſt de præcepto Superioris: nam ſi Epiſcopus v. g. præcipiat ſubdito diſcedenti ad tempus ex diœceſi, ne aleis ludat, ubicunque locorum fuerit, etiam extra diœceſin, illo præcepto obligatur, Suar. diſ. 5. de cenſur. ſec. 5. n. 15. & 16. Ratio deſumitur ex differentia inter legem ſive ſtatutum, & præceptum Snperioris, quia lex ſive ſtatutum, cùm perpetuam ac ſtabilem obligationem habere debeat, directè & immediatè afficere cenſetur territorium legiſlatoris vel ſtatuentis, indéque in perſonas ibi exiſtentes fertur: præceptum verò directè & immediatè tendit in perſonas ſubiectas ſecundùm ſe, eorúmque velut oſſibns cohæret, ideóque illas obligat & afficit, ubicunque exiſtant, etiam extra territorium Superioris præcipientis, Suar. c. l. n. 15.

L X. Idémque dicendum eſt de ſententia Judicis, quod de præcepto, nam poteſt ſententia excommunicationis particularis ab homine ſeu Judice ferri in ſubditum abſentem & exiſtentem extra territorium: ut ſi v. g. Epiſcopus Clerico peregrinaturo prohibeat ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ne aleis ludat; is illam incurret, ludendo etiam extra diœceſin, quia ſententia, ſicut præceptum, directè & immediatè fertur in perſonas ſubiectas, eaſque ligat, ubicunque locorum fuerint. Neque verò hoc caſu Epiſcopus fert ſententiam extra, ſed intra territorium ſeu diœceſin, adeóque propriè non dicit jus extra territorium, nec alienam juriſdictionem violat: nam licèt Clericus extra diœceſin ludens aleis, excommunicationem aliamve cenſuram incurrat, id tamen fit, ſinè cauſæ cognitione, & ſtrepitu judiciario, quia excommunicatio vel quævis alia cenſura latæ ſententiæ tacitam ac veluti inſenſibilem executionem ſecum trahit, c. paſtoralis § 3. in fine de appellat. ideóque cùm Clerici etiam extra diœceſin adhuc ſubiecti maneant juriſdictioni Epiſcopi, ipſis quoque extra diœceſin exiſtentibus præcipere, & ſententiam in eos ferre poteſt, Laym. l. 1. tract. 5. p. 1. c. 4. n. 7.

L XI. Similiter ſi per ſententiam generalem lata ſit cenſura, v. g. *quicunque furtum fecerit, & intra menſem non reſtituerit, excommunicatus eſto*; etiamſi reus extra diœceſin verſetur, ſi non reſtituat intra menſem, adeóque contumax fuerit, excommnnicationem incurrit, quia illa cenſnra non fertur per modum ſtatuti, ſed per modum ſententiæ, quæ directè fertur in perſonas, ut earum contumaciam coerceat & puniat, adeóque ferri poteſt etiam in abſentes, & extra diœceſin exiſtentes, c. cùm ſit 5. in fine de appellat. Francus in cit. c. 2. n. 13. h. t. in 6. Suar. cit. ſec. 5. n. 5.

§ VIII.

Quoſnam obligent Conſtitutiones Canonicæ ſive Eccleſiaſticæ?

LXII. Aſſertio 1. Canonum ſtatuta ſive le-

ges

» ges Eccleſiaſticæ ab omnibus ſunt cuſtodiendæ ſi-» ve obſervandæ, ita habetur in c.1.h.t. quod eſt deſumptum ex Concilio Meldenſi c. 12. Id verò declarandum eſt 1. ut procedat, dummodo Conſtitutiones tales ſint legitimè promulgatæ ſeu publicatæ, quia aliàs non obligant, c. in iſtis.3.§. leges diſ. 1. c. 1. & ibi gl. v. ſolemniter edita de Poſtul.Prælat.cùm promulgatio ſit de eſſentia legis, S. Thom. 1.2. q.90. a.4.Navarr.l.1.Conſil.1.n.2.h.t.& patet ex ſuprà dictis. Declaratur 2. quòd ſtatuta SS.Canonum ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticæ non obligant, quæ per contrariam legem ſive Canonem vel coõſuetudinẽ ſunt abrogatæ,l.de quibus 32.ff. de legib. gl.in cit. c. 1.v. ſtatuta h.1. quòd ſi non omnino abrogatæ, ſive prorſus ſublatæ fuerint,ſed ſolùm illis ex parte derogatum, id eſt,pars tantùm detracta fuerit, iuxta l. derogatur 102. ff. de verb. ſignif. quoad reliquam partem oon abrogatam,adhuc obligant,& ſervandæ ſunt,Decius in cit.c.1. n. 11. Declaratur 3. qoòd Statuta ſive Cooſtitutiooes,quæ pręceptum vel prohibitionem contineot, obligent: non item ſi conſilium tantùm contineant, tum enim neceſſariò haud obſervandę ſunt,in hoc enim diſtinguitur conſilium à lege,aut præcepto,c.ult. in fine.c.14. q.1.gl. in cit. c.1.v. ſtatutum h.t.& ibid.Abb. n.4.

LXIII. Declaratur 4. quòd ſtatuta Canonum generalium ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticæ univerſales obligent omnes ſubditos, qui Eccleſiæ eiúſque poteſtati & juriſdictioni ſuot ſubiecti, c. ult. in princ. ubi dicitur, *Conſtitutio Apoſtolicæ Sedis omnes aſtringit*,h.t.gl.in cit.c.1.v.ab omnibus, ſcilicet ſubditis,Abb.ibid.n.5. Ratio eſt, quia jure tam divino, quàm naturali & humano, quiſque obligatus eſt ad ſervandas leges ſeu conſtitutiones à ſuis Superioribus,ſeu Magiſtratibus legitimè ſancitas,quorum poteſtati, & conſequenter etiam legibus, quæ ab illa poteſtate emanant,& ferunotur,eſt ſubiectus, prout idem quoq; ſtatutum eſt de legibus civilibus,quæ ab omnibus æquabiliter obſervandæ ſunt, qui ad eandem Rempublicam ſpectant, à qua leges promanârunt,l.3.C.de legib.& l.2.ff.eodem.

LXIV. Ex quo infertur, quòd Judæi & infideles,omnéſque homines noo baptizati, etiam Catechumeni, ſtatutis Canonum, aliiſque legibus Eccleſiaſticis oon obligentur, cùm Eccleſiæ non ſiot ſubiecti,c.de infidelibus 4.de Conſanguin. & affioit. c.gaudemus 8.de divort. *de his enim,quæ foris ſunt, non judicat Eccleſia*,c.multi 18.c.2.q.1.& cit. c.gaudemns. Quod tamen intelligendum eſt de legibus Eccleſiaſticis & pœnis ſpiritualibus, qoæ animam concernunt: ſecus, quoad leges temporales & pœnas corporales, quibus etiam Judæi & pagani ſubiiciuntur, & puniri poſſunt ab Eccleſiaſticis & ſecularibos Judicibus ſeu Magiſtratibus, quorum temporali juriſdictioni ſunt ſubiecti, ſi inter Chriſtianos tolerati pacem Reipublicæ turbent, vel ſi quid in opprobriũ Chriſtianæ Religionis faciant, vel contra probibita illis,ne faciant,c.In nonnullis 15.inf.de Judæis. l.Judæis 3.& l.ult.C.eodem.Abb.io c.1.n.5. h.t. Gregor. Tholoſanus in eod.c.in ſcholiis. Quod verò ad hæreticos attinet,illi ad obedientiam & obſervatiooem SS.Canonum pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis compelli poſſunt, qui cùm fidem & baptiſmum Chriſti ſuſceperint, Eccleſiæ membra,& ſubditi facti ſunt,ut colligitur ex c.de Judæis 5.diſ.45. Laym.in cit. c. 1. num.2.

LXV. Declaratur 5. Statuta SS. Canonum & Conſtitutiones obligare omnes ſubditos, ad quos illæ ſpectant,quia Conſtitutiooum Eccleſiaſticarum quædam ſunt generales, quæ omnes Chriſtianos obligant, ut ſunt præcepta Eccleſiæ omnibus nota, & Decreta generalia in Corpore Juris Canonici contenta,quæ omnes concernunt: quædam ſunt ſpeciales, quæ certo tantùm perſonarum generi ſuot impoſitæ,v.g. ſolis Clericis, non laicis;vel locales, quæ certo tantùm loco imponuntur, & unius duntaxat Provinciæ, vel Civitatis incolas obligant, hæ enim ab omnibus eiuſdem reipoblicæ membris & ſubditis obſervandæ ſunt, non item ab aliis non ſubditis, ut ſunt ſtatuta particularia,v.g.Provincialia aot Epiſcopalia ſeu Diœceſana,gl.in cit.cap.1. v. Canooum, Suar.1.de legib.c.6.n.5. Leges verò & Canooes perſonales ac privati; qui tantùm ad particulares perſooas tendunt,eiſque imponuntur,de quibus fit mẽtio io l. 1.ff.de Conſtit.Princ. ubi dicitur, quòd quædam ſuot leges perſonales,nec ad exemplum trahũtur: hæ,ioquam,leges non habent rationem propriè dictæ legis aut Canonis, quia lex eſt præceptum commuoe pluribus,l.1.ff.de legib.& Jura oon in ſingulos, ſed geoeraliter conſtituuntur, l. jura 7.ff.eodem.& Caoones ac Decreta à SS. Patribus edita ſunt leges reipublicæ.c.2.c.19. q. 2. Suar.cit.l. n.10. Sed neque privilegium, quà tale, lex eſt propriè dicta, tum quia uni tantùm particulari perſonæ ſæpe datur,tum quia obligatiooem ei,cui conceſſum eſt,oon impooit,cùm nemo privilegio uti cogatur, reg. jur. 10.in ff.Laym,in cit.c.1. o.5.

LXVI. Declaratur 6. Conſtitutiones Canonicæ ſive leges Pontificiæ in rebus & cauſis ſpiritualibus,videlicet io cauſis piis, & quæ periculum peccati involvunt, & per ſe ac directè ad ſalutem animæ pertinent,obſervandæ ſunt ab omnibus,etiam laicis, quin eo ipſo,quo per Baptiſmum fidem Chriſti ſuſceperunt, omnes etiam laici juriſdictioni Eccleſiæ ſubiiciuntur,c.novit 13.de Judiciis. Quare in huiuſmodi cauſis ſpiritualibus etiam Imperator ſtatutis SS. Canooum ſubiicitur,c. duo ſunt,10. & c.ſeq. diſ. 96.c omnes,4.de maiorit.& obed.Abb.in cit.c.1.h.t. num.6,

LXVII. Declaratur 7. quòd Papa non obligetur ſtatutis Canonum, cùm ſit ſupra omne jus poſitivum ſeu humanum, c.propoſuit 4. de Conceſs. præb.c.ult.§.his ita,c.25.q.1. Azor p.1. Inſtit.moral. l.5.c.11.q.1.& alij DD. communiter. Quod tamen intelligendum eſt non obligari, quoad vim coactivam,cùm oemo poſſit cogi propriè à ſe ipſo, nec à pari,quamvìs Papa obligetur in iis,quæ ſtatui ac dignitati ipſius congruunt, ex vi rationis & æquitatis naturalis,quæ dictat,ut,quod quiſque in alium ſtatuit, ipſe eodem uti debeat, & patiatur legem, quam ipſe tulit,c.cùm omnes,6.h.t.Azor c.l. Sed neque Decretis Conciliorum Generalium obligari poteſt Papa directè, cùm ipſe illis non ſubſit,ſed præſit, & inferior per ſuam legem ſuperiorem ligare noo poſſit, arg.Clement.2.in princ.de elect.Tholoſan.in cit.c.1. n.4. h. t.

LXVIII. Porrò licèt Magiſtratus ſummi ſive maiores,ut Papa, Imperator, Rex,legibus vel ſta-

tutis ſuis communitati latis per ſe ac directè non obligentur, nec tam ſtrictè, ut ſubditi, l. digna vox 4. C. de legib. l. Princeps 31. ff. eod. Alij tamen Magiſtratus inferiores ſtatutis ſuis obligantur, ſicut populus, cùm & ipſi ſint de populo, non enim propriè dominium juriſdictionis in alios tanquam ſubditos exercent, ſed potiùs ſolùm adminiſtrationem aliquam ſibi conceſſam gerunt, ut ex Zaſio tradit Laym. in cit. c. cùm omnes n. 5. Quare Præpoſitus vel Decanus Eccleſiæ Cathedralis ſtatutis à Capitulo communiter latis etiam ipſe obligatur, non minùs, quàm alij Capitulares, nam & ipſe eſt pars ſive membrum Capituli, licèt præcipuum & dignius, quia Capitulo præſidet, Laym. c. l. n. 6. Unde ſi maior pars Capituli cõſentiat in ſtatuto condendo, etiamſi ipſe Præpoſitus vel Decanus diſſentiat, & ſuo ſuffragio non accedat, validum eſt ſtatutum, Suar. l. 4. de legib. c. 6. n. 20.

LXIX. Aſſertio 2. non ſolùm Conſtitutiones Canonicæ ab omnibus obſervandæ ſunt, ſicut hactenus dictum, ſed etiam ſecundùm illas in foro externo judicandum eſt: nam etſi aliàs ſi in materia profana & temporali aliud ſtatutum ſit Jure Canonico, & aliud Jure Civili, utrumque Jus in ſuo foro, ſervandum ſit, Canonicum in foro Eccleſiaſtico, Civile in foro ſeculari, cùm poteſtas Eccleſiaſtica ac ſecularis ſint poteſtates diſtinctæ ac ſeparatæ, nec una alteri ſubordinata in materia profana ac ſeculari, gl. communiter recepta in c. 2. V. lex civilis de arbitriis in 6. & gl. in reg. 2. v. poſſeſſor de reg. jur. in 6. Abb. in c. 1. de novi operis nunciat. n. 7. ſi tamen materia ſit Spiritualis ſive Eccleſiaſtica, quæ peccatum continet, vel animæ ſalutem concernit, in qua aliud reperitur ſtatutum Jure Canonico, quàm Civili, tunc non ſecundùm Jus Civile, ſed Canonicum, etiam in foro ſeculari, judicandum eſt, quoad ea, quæ ſpectant ad deciſionem cauſæ, & ferendam ſententiam, quia lex Civilis correcta cenſetur & abrogata per legem Canonicam, c. 1. & ſeqq. diſ. 10. Abb. c. l. n. 5. quamvis quoad Ordinationem judicii & proceſſum formandum, obſervetur lex fori & ſtylus Curiæ ſecularis, ubi judicium agitatur, Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t. v. g. ſi Clericus contra laicum agat coram Judice ſeculari, petens uſuras reſtitui, proceſſus non fiet ſummariè & de plano, ſed ſervabitur modus procedendi ordinarius & conſuetus in foro civili, quia Papa non poteſt, nec intendit judiciarium ordinem tollere, niſi quoad ſuum forum, gl. in Clement. 2. V. uſuris de judiciis. Tales leges Cæſareæ correctæ per Jus Canonicum ſunt, quæ permittunt concubinatum cum una, uxoris loco, domo retenta; approbant uſuras lucratorias; præſcriptionem cum mala fide, ſeu conſcientia juris alieni ſuperveniente; quæ alimenta negant dari liberis ſpuriis, ſeu ex damnato concubitu genitis; quæ decernunt matrimonium à filio vel filia initum, ſine conſenſu patris, eſſe invalidum: matrimonium verò inter liberos duorum fratrum, vel duarum ſororum eſſe validum: quæ puniunt mulierem intra annum viduitatis alteri nubentem; quæ permittunt, adulterum in crimine deprehenſum cum uxore à marito, vel cum filia à patre impunè occidi, & aliæ ſimiles, Azor p. 1. l. 5. c. 20. n. 21. Quòd ſi circa materiam temporalem & profanam nihil reperiatur ſtatutum Jure Canonico, vel non niſi dubia ſit deciſio; in Jure Civili verò id clarè ſit expreſſum, tunc etiam in foro Eccleſiaſtico ſervari debent leges civiles, & ſecundùm illas procedi & judicari, c. 1. de novi oper. nuntiat. & ibid. Joan. Andreas n. 5. Tholoſan. in cit. c. 1. h. t. n. 3. ſicut & vice verſâ, ſi quid in materia temporali & politica ſpecialiter ſtatutum ſit ac deciſum Jure Canonico, quod tamen ſpectato Jure Civili, dubium eſt, & non ſatis deciſum, tunc etiam in foro ſeculari, ſecundùm Jus Canonicum judicandum erit, Felin in c. Eccleſia 12. n. 49. h. t. Abb. in cit. c. 1. de novi oper. nunciat. n. 6. quia decet, ut Magiſtratus Eccleſiaſticus & ſecularis ſe mutuò adiuvent, & *ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adiuvantur*, cit. c. 1. de nov. oper. nunc.

LXX. Porrò quòd Judex in cauſis Eccleſiaſticis ſecundùm SS. Canones procedere, eáſque definire debet, confirmatur ex cit. c. 1. h. t. ubi dicitur, nemo in actionibus vel judiciis (civilibus vel criminalibus) Eccleſiaſticis ſuo proprio ſenſu, ſed Canonum auctoritate duci debet, gl. ibid. v. in actionibus & V. vel judiciis, Hoſtienſ. v. eod. Nam Judex non de legibus, poſtquam illæ legitimâ anctoritate latæ & promulgatæ ſunt, ſed ſecundùm illas, earúmque præſcriptum judicare debet, c. in iſtis 3. diſ. 4. Unde & Salomon monet, *ne innitaris prudentiæ tuæ*, Proverb. 3. v. 5. prudentiæ verò ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit, c. ne innitaris 5. h. t. quod eſt deſumptum ex S. Hieronymo in parabolis. Ubi per Decreta Patrum intelliguntur Conſtitutiones Decretorum, ſeu ſtatuta SS. Canonum, quæ à Patribus per Eccleſiæ traditionem accepta ſunt, & ſingularibus opinionibus ſunt præferenda, gl. in cit. c. ne innitaris V. decretis, & Abb. ibid. in ſumma & Tholoſan. in ſcholiis n. 7. Quòd ſi dicta ac ſententiæ SS. Patrum à ſtatutis Canonum aut Conſtitutionibus SS. Pontificum fortè diſcordarent, his potiùs ſtandum eſt, quàm illis, quia SS. Patres ſolùm interpretandi ſacras ſcripturas facultatem habent: SS. Pontifices verò etiam auctoritatem condendi leges, definiendi ac decidendi cauſas Eccleſiaſticas, quin & declarandi articulos fidei, Abb. c. l. n. 3. Tholoſan. c. l.

§. IX.

Utrùm Leges Civiles, & ſtatuta Magiſtratus ſecularis obligent perſonas Eccleſiaſticas?

LXXI. Aſſertio 1. Leges Civiles, & ſtatuta Principum & Magiſtratuum ſecularium, quæ expreſsè & nominatim de Eccleſiis, perſonis & rebus Eccleſiaſticis diſponunt, vel decernunt, ſive præcipiendo, ſive prohibendo, non obligant Eccleſias, aut perſonas Eccleſiaſticas, ſed ipſo jure ſunt irritæ, Abb. in c. quæ in Eccleſiarum 7. not. 1. h. t. & eſt communis omnium Juris Canonici & Civilis Interpretum ſententia. Idque conſtat ex c. Eccleſia, 10. h. t. nam cùm Eccleſia S. Mariæ in via lata litem moviſſet Joanni de Alteia coram Judice ſeculari, quòd poſſeſſiones quaſdam ſeu bona ad eandem Eccleſiam pertinentia detineret, Joannes propoſuit coram

Judice

» Judice, ſe non eſſe conveniendum, ſiquidem
» bona illa non poſſideret, ſed per venditionem
» transtulerit in Monaſterium Sancti Sylveſtri. Ve-
» rùm Senator Urbis, vi alicuius ſtatuti, appro-
» bante populo Romano, facti (in quo contine-
» batur, ut ſi quis rem litigioſam, pendente li-
» te, in alium transferret, poſſeſſio ei auferretur, &
» daretur petitori, ut alter, in quem translatio facta
» eſt, cogeretur fieri petitor) ſpoliavit Monaſterium
» S. Sylveſtri dictis bonis, & reſtituit illa Eccleſiæ S.
» Mariæ, de quo Monaſterium conqueſtum fuit In-
» nocentio III. qui reſpondit, cùm laicis quamvis
» religioſis (ſeu piis) ſuper Eccleſiis & perſonis Ec-
» cleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſe-
» quendi (Prælatis Eccleſiaſticis) manet neceſſitas,
» non auctoritas imperandi, ideo quod à Senatore
» factum fuerat in præiudicium Monaſterii non con-
» venti ſive citati, nec confeſſi, nec convicti, irri-
» tum eſſe, & poſſeſſiones eidem reſtituendas eſ-
» ſe, per ſententiam definitivam. Addit inſuper
» Papa, etſi à laicis, motu proprio, ſtatutum fu-
» erit, quod etiam Eccleſiarum commodum & fa-
» vorem ex parte reſpicere, vel continere videatur,
» tamen firmitatem nullam habere, niſi ab Eccleſia
» fuerit approbatum. Unde ſtatutum Baſilii Præ-
» fecti Urbis Romæ de non alienandis prædiis ruſti-
» cis vel urbanis, miniſteriis, id eſt, vaſis & orna-
» mentis Eccleſiarum, licèt favorabile Eccleſiis vi-
» deretur, tamen eâ potiſſimùm ratione reprobatum
» fuit, quòd auctoritate Sedis Apoſtolicæ non fuit
» approbatum, prout declaratum fuit in Synodo Ro-
mana ſub Symmacho Papa, & refertur in c. 1. diſ. 96.

Ratio autem prædictæ aſſertionis eſt, quia nulla poteſtas ſeu juriſdictio poteſt ſe extendere extra limites ſuos, l. ult. ff. de juriſd. omn. jud. atqui Eccleſiæ, perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſunt extra limites poteſtatis ac juriſdictionis ſecularis, cùm nullus Princeps vel Magiſtratus ſecularis habeat poteſtatem ſuper Eccleſiis & perſonis ac rebus Eccleſiaſticis, cit. c. Eccleſia & c. ult. de reb. Eccleſ. non alien. quippe *quæ jure divino pariter & humano ab omni poteſtate & juriſdictione ſeculari ſunt immunes & exemptæ*, c. quamquàm 4. de cenſib. in 6. ergo nullus Magiſtratus laicus ſive ſecularis, neque etiam Imperator, aut alius Princeps ſupremam in temporalibus iuriſdictionem obtinens, poteſt quicquam diſponere vel ſtatuere de perſonis & rebus Eccleſiaſticis, ob defectum poteſtatis ſtatuendi de illis, à qua vires ſumit omnis lex aut ſtatutum. Idem habetur ſtatutum Jure civili in l. privilegia 12. & Authent. Caſſa. C. de SS. Eccleſ. Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. ubi ait, *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus conſtitutam eſſe*, & c. 2. h. t. in 6.

LXXII. Neque verò Magiſtratus ſecularis ullam poteſtatem habet in perſonas Eccleſiaſticas, earúmque bona, ratione juriſdictionis territorialis: nam utroque Jure Canonico & Civili notiſſimum eſt, quòd juriſdictio territorialis non ſe extendat, niſi erga perſonas & res ſubditas, perſonæ autem & res Eccleſiaſticæ non ſunt ſubiectæ Magiſtratui civili arg. c. à nobis 21. de ſent. excommun. Abb. in cit. c. Eccleſia n. 10. h. t. ergo ad illas non poteſt ſe extendere, Laym. in cit. c. n. 5.

LXXIII. Extenditur autem 1. ſi eiuſmodi leges vel ſtatuta ſpecificè diſponant etiam de patrimonialibus bonis Clericorum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, invalida ſunt, nec obligant; nam & illa ſunt exempta ab omni juriſdictione & foro ſeculari: quando enim perſonæ ſunt exemptæ, etiam res & bona illarum ſunt exempta, bona enim ſunt acceſſoria perſonis, illiſque adhærent, ergo cùm non competat juriſdictio in perſonas, nec in bona competit, Abb. in c. qualiter 17. n. 8. de judiciis, ubi ait, *certum eſt, quòd ſi perſona eſt exempta, ergo & res.* Accedit, quòd lex vel ſtatutum non poſſit diſponere vel ſtatuere de bonis, niſi obligando perſonam, cuius bona ſunt, cùm bona ſecundùm ſe non ſint capacia legis vel ſtatuti, niſi ratione perſonæ, quæ illa poſſidet: atqui lex civilis non poteſt ſpecialiter obligare perſonas Eccleſiaſticas, ob defectum juriſdictionis in illas, ergo nec quidquam de earum bonis propriis ſpecificè ac nominatim ſtatuere vel decernere poteſt, prout ſumitur ex c. fin. de vita & honeſt. Cleric. & c. 1. de immunit. Eccleſ. in 6. ubi indiſtinctè *quæcunque res ſeu bona Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum dicuntur exempta eſſe à juriſdictione ſecularium; etiamſi intra illorum diſtrictum vel territorium ſint conſtituta*, Abb. in cit. c. Eccleſia n. 21. h. t. Felin. ibid. n. 8. conſentit textus in l. decernimus, 13. C. de Epiſc. audient. Excipiuntur tamen bona feudalia, nam vaſalli Clerici feudum poſſidentes à domino laico, quoad illud juriſdictioni einſdem & poteſtati ſubiiciuntur, c. ex transmiſſa 6. & c. ſeq. de foro compet. Abb. c. l. n. 23. & alij communiter. Ratio eſt, quia dominium directum feudi, ſive proprietas manet penes dantem ſeu dominum ſeniorem, ratione cuius retinet juriſdictionem in bona, & uſusfructus tantùm ſive utile dominium ad accipientem ſive vaſallum tranſit, cap. Obertus in fine. In quib[9] cauſis feud. amitt. l. 2. feud.

LXXIV. Extenditur 2. Lex civilis vel ſtatutum Magiſtratûs ſecularis generale toti communitati latum, nullâ in ſpecie factâ mentione Eccleſiarum vel perſonarum, quantumcunque alioquin ſit lex juſta & rationabilis, non comprehendit Eccleſias aut perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona, in præjudicium earundem, Abb. in cit. c. Eccleſia n. 1. Felin. ibid. n. 8. & alii DD. communiter. Ratio eſt, quia ſicut non poſſunt Principes & Magiſtratus ſeculares expreſsè & ſpecialiter diſponere vel decernere, ferendo leges vel ſtatuta de Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis, aut bonis illarum, ob defectum poteſtatis in illas, earúmque bona: ita nec tacitè ſive generaliter poſſunt de illis quippiam ſtatuere vel decernere, non enim debet, nec poteſt talis lex vel ſtatutum generale extendi ad non ſubiectos poteſtati ſive juriſdictioni Legislatoris vel ſtatuentis: nam verba generalia legis vel ſtatuti reſtringenda ſunt ad limites poteſtatis ſtatuentis, ut non comprehendant, niſi ſubiectos, Abb. in c. à nobis 21. n. 4. de ſentent. excommunic. Nec refert, quòd lex ſive ſtatutum ſecundùm ſe ſit juſtum & æquum, quia non idcirco tribuit poteſtatem vel juriſdictionem Legislatori vel ſtatuenti in nõ ſubditos, Felin. in cit. c. Eccleſia n. 81.

LXXV. Extenditur 3. Lex civilis etiam

Cæſa-

Cæſarea, vel ſtatutum laicorum nominatim ac ſpecificè diſponena de Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis, aut eorum bonis, præcipiendo vel probibendo, invalidum eſt, & nullius firmitatis exiſtit, etiamſi commodum aut favorem earum reſpiciat, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum, prout expreſsè habetur in cit. c. Eccleſia. h. t. & c. 1. diſ. 96. Ratio eſt, quia præcipere vel prohibere per legem eſt actus juriſdictionis, ſinè qua lex vim obligandi non habet: cùm ergo ſeculares nullam habeant poteſtatem juriſdictionis in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, earúmque bona, ſequitur, huiuſmodi leges eorum eſſe irritas, etiamſi in favorem & commodum earum cedere videantut: nam laici ferendo legem eiuſmodi, uſurpant ſibi poteſtatem, & exercent directam juriſdictionem in perſonas & res Eccleſiaſticas, quod libertati Eccleſiaſticæ adverſatur, & in maius Eccleſiæ præiudicium ac detrimentum, quàm commodum cedit, cùm per boc aliis etiam Magiſtratibus ſecularibus anſa præbeatur de perſonis & rebus Eccleſiaſticis pro arbitrio ſtatuendi, Laym. in cit. c. Eccleſia n. 1.

LXXVI. Ex quo infertur ulteriùs, quòd Conſtitutiones Imperatoriæ, quæ in Codice & Novellis de Eccleſiis, Epiſcopis, Clericis & Monachis nominatim & ſpecificè diſponunt, licèt de facto olim vim habuerint ob diſſimulationem SS. Pontificum, qui Imperatoribus reſiſtere tum non valebant, abſolutè tamen ſunt & ſemper fuerunt invalidę, tanquam latæ à non habente poteſtatem, Decius in cit. c. Eccleſia n. 24. niſi Jure Canonico ſint receptæ & approbatæ, quia tunc non obligant Eccleſiaſticos, ex vi poteſtatis ſecularis, ſed potiùs Eccleſiaſticæ, ſive poteſtatis Pontificiæ, à qua approbatæ & confirmatæ fuerunt, cit. c. Eccleſia, & ibi gl. v. ab Eccleſia, ubi ait. *ſic ergo, quod aliàs eſt infirmum, confirmatio Papæ facit firmum.* Azor p. 1. l. 5. c. 12. q. 3. Exempla habentur in c. nulla, 5. de rebus Eccleſ. non alien. c. 1. de juram. calumn. c. unic. de cognat. legali, c. licèt, 4, de ſepult. in 6. Neque verò ex eo, quòd plures Conſtitutiones Imperiales de perſonis & rebus Eccleſiaſticis editæ Decreto Gratiani inſertæ ſint, eo ipſo cenſeri debent eſſe approbatæ à Jure Canonico, quia Gratianus nullam poteſtatem habuit leges ſeculares canonizandi vel approbandi, Joan. Andr. in c. 2. n. 23. & ſeqq. de reſcript. Felin. ibid. n. 39. & 44. Imola n. 6. ubi aiunt, *Volumen decreti eſſe approbatum à Papa, ſed non dicta Gratiani*: nam leges civiles approbare pro foro Eccleſiaſtico ſolus Papa poteſt, non item Prælati Eccleſiaſtici inferiores, Imol. in cit. c. Eccleſia n. 3. Abbas in repetit. eiuſdem n. 15. Cenſetur autem Papa Conſtitutionem Cæſaream in Decreto ſuo vel Decretali reſponſo allegando, eam boc ipſo approbare & confirmare, Felin. in cit. cap. Eccleſia, n. 40. quamquàm etiam quædam Conſtitutiones Imperatoriæ generali Eccleſiarum uſu & conſuetudine receptæ & approbatæ ſint, ut jam non Imperiales, ſed Eccleſiaſticæ ſint cenſendæ, Laym. in cit. c. Eccleſia. n. 3.

LXXVII. Extenditur 4. Leges & ſtatuta Magiſtratuum ſecularium non valent, nec obligant, quæ diſponunt de iis rebus ſeu bonis Eccleſiaſticis, quæ ratione ſolius dominij directi, pertinent ad Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas; quoad dominium utile verò ad laicos, Abb. in c. quæ in Eccleſiarum 7. n. 2. h. t. & alij DD. communiter. Unde lex vel ſtatutum conditum à communitate laicorum, ut ſi quis eorum ad inopiam ſe vergere probabiliter probaverit, liberam facultatem babeat alienandi feudum, » quod ab Eccleſia vel perſonis Eccleſiaſticis tenet » ac poſſidet, eſt invalidum, ac nullius roboris. Sed & » alienationes ſeu venditiones feudorum Eccleſiaſticorum, vi talis ſtatuti, ſactæ, ſinè legitimo perſonarum Eccleſiaſticarum aſſenſu, ſunt ipſo jure irritæ, prout expreſsè deciſum habetur in c. jam cit. » Ratio eſt, quia laici ſtatutis ſuis Eccleſiarum juribus derogare non poſſunt, c. 1. diſ. 10. c. 1. diſ. 96. c. noverit. 49. de ſent. excommun. ubi lata eſt excommunicatio in ſtatuentes laicos, & alienatio feudi ſacta à vaſallo, ſine conſenſu domini directi, etiam ſecundùm leges civiles ſive Cæſareas eſt irrita, cap. Imperialem de prohib. feudi alienat. l. 2. feudor. tit. 55. Idémque dicendum, ſi ſtatutum diſponat de rebus, quæ ad Eccleſiam ſpectant, quoad utile dominium tantùm, Decius in cit. c. quæ in Eccleſiarum. n. 6. Neque refert, quòd tale ſtatutum juſtâ ratione nixũ ſit, latúmque ob neceſſitatem inopiæ: nam etſi detur, quòd ob cauſam gravis neceſſitatis, Magiſtratus ſecularis poſſit aliquid ſtatuere erga ſubditos laicos, quod aliàs licitum non eſt: velut in propoſito facere ſtatutum, ut feuda ſecularia liberè, etiam ſinè conſenſu domini, alienare liceat, ob inopiam vel ſimilem neceſſitatem, non tamen tale ſtatutum fieri poteſt à laicis, quoad feuda Eccleſiaſtica, ſive quæ ab Eccleſia ſunt conceſſa: nam ad valorem ſtatuti non ſufficit juſta cauſa neceſſitatis vel utilitatis, ſed etiam requiritur juriſdictio ſive poteſtas ſtatuendi, quam nulla neceſſitas etiam graviſſima tribuere poteſt non habenti, adeóque nec laicis poteſtatem diſponendi de Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis, earúmque bonis, præſertim in præiudicium earundem, cùm laicis ſuper Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis nulla ſit attributa facultas, cit. c. Eccleſia in princ. Decius in cit. c. quæ in Eccleſiarum n. 6.

Extenditur 5. etſi lex civilis vel ſtatutum diſponat de Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel earum bonis in materia, in qua contrarium non reperitur diſpoſitum ſeu ſtatutum à Jure Canonico, non tamen obligat vel ſervanda eſt, ob defectum poteſtatis ſtatuendi de illis. Abb. in cit. c. Eccleſia n. 10. & in repetit. n. 15. Felin. ibid. n. 40. limit. 1.

LXXVIII. Cæterùm quod dictum eſt, leges civiles, vel ſtatuta ſecularium, quę nominatim ac ſpecificè diſponunt de Clericis, eorúmque bonis, nullam vim habere, id limitandum eſt, niſi lex vel ſtatutum laicorum de perſonis Eccleſiaſticis vel eorum bonis nihil præcipiat vel prohibeat, ſed merum favorem ſive privilegium Eccleſiis aut Clericis concedat, tunc enim ea valet: ut ſi diſponat, quòd Clerici primogeniti poſſint ſuccedere in feudis, Maioratibus, & fidei commiſſis, Abb. in cit. c. Eccleſia, n. 26. Ratio eſt, quia dans privilegium nullam juriſdictionem exercet in privilegiatum, tum quia privilegia concedi poſſunt etiam non ſubditis & omnino extraneis: tum quia nemo obligatur acceptare privilegium ſibi datum, vel eo uti, adeóque etiam laicus poteſt privilegium dare Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis. Præterea etſi lex vel ſtatutum in genere aliquid diſponat, quod merum favorem ſive commodum tribuit, illud extenditur etiam ad Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas;

Digitized by Google

ſiaſticas; v.g. ſi ſtatutum ſit, ut fœmina non ſuccedat, quàm diu ſuperſtes eſt agnatus maſculus, comprehenditur etiam in hoc beneficio Clericus aut Monachus, Abb. c. l. n. 25. Nec obſtat, quòd ſtatutum magiſtratuùm ſecularium etiam in favorem Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum non valeat, niſi fuerit ab Eccleſia approbatum, cit. c. Eccleſia. Nam id verum eſt, ſi ſtatuat aliquid, præcipiendo vel vetando, tunc enim non extenditur ad Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, ſive ſpecificè diſponat de illis, ſive generaliter, quia talis modus ſtatuendi importat quandam ſuperioritatem ſive poteſtatem in Eccleſias & Clericos: Secus eſt, ſi ſimpliciter concedat ſive tribuat eis favorem vel commodum, Abb. in c. quòd Clericis 9. n. 41. & 42. de foro compet. & in repetit. cit. c. Eccleſia n. 37. quia tunc potiùs cenſetur habere rationem privilegii, quàm ſtatuti. Porrò Statutum, ut extantibus maſculis, non ſuccedant fœminæ, non præiudicat fœminis ingreſſis religionem ante editum ſtatutum, quia non ſunt ampliùs juriſdictioni ſtatuentium ſubiectæ; præiudicat verò poſteà ingreſſis, Abb. in cit. c. quòd Clericis n. 40.

LXXIX. Aſſertio 2. Leges ſive Conſtitutiones civiles, quæ non repugnant SS. Canonibus, & ſtatum Clericalem non dedecent, ſed ob publicam utilitatem Reipublicæ, eiúſque bonam gubernationem latæ ſunt, circa materiam communem Clericis cum aliis civibus, & quæ æquè ab omnibus ſervari poſſunt, ſine ullo iniuſto gravamine Clericorum, ſervandæ ſunt etiam à Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, illáſque obligant, quoad vim directivam ſive obligationem in conſcientia; non autem quoad vim coactivam, ſive reatum, & obligationem ad pœnam, uti ſumitur ex c. 1. c quoniam. 8. & ſeq. diſ. 10. c. cùm ad verum. 6. diſ. 96. & c. 1. de novi operis nuntiat. Abb. in cit. c. Eccleſia. n. 13. & in repet. eiuſdem c. n. 17. & ibi Canoniſtæ communiter, & eſt communis etiam ſententia Theologorum apud Suar. l. 3. de legib. c. 34. n. 6. Ratio 1. partis eſt, tum quia Clerici ſunt aliquo modo membra Reipublicæ, adeòque æquum eſt, ut ſe conforment cęteris in iis, quæ ad publicam gubernationem neceſſaria ſunt, alioquin magna perturbatio ſequeretur, & communis pax, & quies inter cives difficilè ſervari poſſet, ſi eiuſmodi legibus Clerici non obligarentur. Tum quia cùm Clerici fruantur communibus Reipublicæ commodis ac privilegiis, par eſt, ut etiam communia cum aliis onera, à quibus ſpecialiter non ſunt exempti, & obligationes legum ſubeant, quę ipſorum ſtatui non repugnant. Tales inprimis leges ſunt, quæ præſcribunt certam formam in contractibus aut teſtamentis celebrandis vel condendis, vel etiam in judiciis inſtituendis ſervandam: nam ſi Clericus laicum in cauſa pecuniaria conveniat, in foro civili coràm ſuo judice, cauſa tractanda eſt, non ſecundùm modum præſcriptũ Jure Canonico, ſed Civili ſive municipali, gl. in c. quòd Clericus 9. v. aliquos de foro compet. Felin. in cit. c. Eccleſia. n. 81. caſu tertio, quia decens eſt, imò neceſſarium, ut Clerici, unâ cum laicis, inter quos degunt, eiſdem legibus & ſtatutis obligentur: ſic enim etiam extranei, ſeu non ſubditi leges vel cõſuetudines eius loci, in quo contrahunt, vel litigant, obſervare debent, arg. l. ſi fundus 6. ff. de evictionib. ubi dicitur, inſpiciendam eſſe conſuetudinem loci, in quo negotium geſtum eſt. Idémque dicendum eſt de Eccleſiis, ſi enim earum nomine contractus ineuntur, vel judicia inſtituuntur in foro civili, ſervandæ ſunt leges & conſuetudines eiuſdem fori, dummodo juſtæ ſint, & SS. Canonibus non repugnent: ſalvis tamen juribus ſpecialibus & privilegiis Eccleſiarum, v.g. reſtitutionis in integrum, ſi læſæ ſint, Laym. in c. cit. Eccleſia. n. 16. h. t. Tales præterea leges ſunt, quæ taxant pretia rerum, v. g. ne frumentum ultra pretium à lege definitum cariùs vendatur: quæ conſtituunt & imponunt valorem monetæ, illúmq; augent vel minuunt: quæ prohibent incedere cum armis noctu, vel deferre certum genus armorum: quæ prohibent exportare frumẽtum vel alias merces extra civitatem, Regnum vel Provinciam, & ſimiles, quæ ſtatui Eccleſiaſtico non repugnant, & etiam à Clericis ſervandæ ſunt, Sayr. in Clavi Regia l. 3. c. 4. n. 17. & ſeqq. & alii DD. communiter. Altera pars aſſertionis, quòd quoad vim coactivam, Clerici aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ legibus civilibus obligari non poſſint, patet ex eo, quia Judex laicus Clericos cogere non poteſt, eos citando, condemnando vel puniendo, c. at ſi Clerici 4. c. qualiter 17. de judic. c. 2. de foro compet. in 6. tales enim actus juriſdictionis coactivæ non poſſunt exerceri, niſi erga ſubditos, Clerici autem Magiſtratui ſeculari non ſunt ſubiecti: & ſumitur ex cit. c. Eccleſiâ h. t. ubi Papa Innocentius III. declaravit, irritum eſſe, quod à Senatore Urbis factum in præiudicium Monaſterij, quia licèt ſecundùm ſtatutum civile in l. ult. C. de litigioſ. approbatum Jure Canonico in c. Eccleſia 3. & c. ſeq. inf. Ut lite pendente nihil innovet. Monaſterio poſſeſſiones, quas ſcienter, lite pendente, emit, auferri poſteà potuerint: non tamen potuit Senator Urbis tale ſtatutum exequi erga Monaſterium, cùm huiuſmodi actus juriſdictionis coactivæ ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectent, Laym. ibid. n. 16. in fine. Quare ſi talibus legibus civilibus adiecta ſit pœna, eam non incurrent Clerici, ſed ſi contra huiuſmodi legem civilem deliquerunt, ad proprium Judicem Eccleſiaſticum deferri, ab eóque puniri debent, vel pœnâ ordinariâ & ſtatutâ per legem civilem, vel aliâ arbitrariâ, Suar. cit. c. 34. n. 18. Poſſe autem Eccleſiaſticas perſonas à ſuis Prælatis puniri, propter tranſgreſſionem etiam talium legum civilium, vel inde probatur, quia talis tranſgreſſio eſt delictum contrarium juri & bono communi, & publicè etiam expedit, ne talia delicta maneant impunita, ergo cùm non poſſint puniri per poteſtatem civilem, debent per Eccleſiaſticam; Suar. c. l.

LXXX. An autem perſonæ Eccleſiaſticæ civilibus legibus & conſtitutionibus, quæ ſunt communes civium, & SS. Canonibus ac ſtatui Eccleſiaſtico non adverſantur, directè obligentur, an verò ſolùm indirectè, controvertitur inter DD. Probabilius eſt, obligari non directè, ex vi ipſarum legum civilium, quippe quæ extra limites ſuæ poteſtatis ad Clericos civili poteſtati non ſubiectos extendi nequeunt, adeóque nec vim directè eos obligandi habere poſſunt: ſed potiùs iis obligantur ex vi poteſtatis Eccleſiaſticæ, in quantum Jus Canonicum eiuſmodi leges civiles, quæ non ſunt contra Canones, nec Clericis præjudicant (quia etſi quandoque iis incommodum, aliàs

verò eiſdem etiam commodum afferre poſſunt) expreſſè ac ſpecificè, vel ſaltem tacitè & generaliter approbat, & ſervandas Clericis præcipit, ac ſecundùm illas in defectu Canonum, judicandum eſſe, decernit. Præſertim quia ipſa ratio & æquitas naturalis exigit, ut Clerici in huiuſmodi legibus pro communi bono & pace ac quiete publica ſervanda editis, cum teliquis civibus, qui illis legibus directè ſubjiciuntur, ſe conforment. Decius in c. Eccleſia 10. n. 27. h. t. Azor p. 1. l. 5. c. 12. q. 3. Suar. cit. c. 34. n. 13. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 13. n. 6. & alii apud ipſos citt. Idq; ſumitur ex c. 1. de nov. oper. nunciat. ubi deciditur caſus ex diſpoſitione legis civilis, non per novam approbationem & extenſionem legis, quia deciditur caſus præteritus, ad quam lex nova non ſe extendit, ideóque ibi ſupponitur, tales leges civiles approbari à Jure Canonico, eo ipſo, quòd non reprobantur, & ex ſe ſunt utiles & convenientes Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, Decius. cit. loc. Item ex c. innotuit 12. de arbitris ibi: *cùm legali ſit proviſione ſtatutum*: ubi non ſolùm cauſa ſecundùm leges deciditur, ſed etiam prior ſententia ab Eccleſiaſticis Judicibus contra leges lata nulla declaratur. Idem colligitur ex c. 1. & c. ſi in adiutorium 7. & c. ſeq. diſ. 10. & ex c. ſuper ſpecula 28. de privileg. ubi dicitur: *S. Eccleſia legum ſecularium non reſpuit famulatum, quæ æquitatis & juſtitiæ veſtigia imitantur.* Quia verò Clerici non ſunt ſubjecti poteſtati ſeculari, nec ab illa coërceri poſſunt, nec forum ſeculare ſortiuntur, c. 2. c. cùm ab homine 10. de judic. & aliis juribus ſuprà citt. ſequitur, neque legibus ſecularis poteſtatis directè obligari poſſe, cùm obligatio legis proficiſcatur ex poteſtate & ſubjectione; quam neceſſariò ſupponit, ſed ſolùm indirectè, ex vi poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut jam explicatum.

Neque ſatisfacit, ſi quis dicat, Principes & Magiſtratus ſeculares habere juriſdictionem in Clericos, non in rebus Eccleſiaſticis, nec in ordine ad ipſos puniendos, ſed ut eis præcipiant, quæ nec cum eorum ſtatu, nec cum Conſtitutionibus Canonicis ſive legibus Pontificiis pugnant, nec Eccleſiaſtica ſunt, ſed merè temporalia. Nam ſi Principes ſeculares juriſdictionem in Clericos habent in rebus temporalibus, & hi directè illorum legibus obſtricti ſunt, quomodo iis cum poteſtate præcipere poſſunt, quos cogere non poſſunt? cùm poteſtas legiſlativa & præceptiva, ſinè poteſtate coërcitiva, vana ſit & inanis, ſeu inefficax, & quomodo non ſaltem in cauſis civilibus & temporalibus coram Judicibus & magiſtratibus ſecularibus forum ſortientur, & conveniri poterunt in his cauſis, ſi directè eorum legibus civilibus ſubjiciuntur, quod tamen expreſſè repugnat ſacris Canonibus. Accedit, quòd, ſi ſemel concedatur directa juriſdictio laicis in Clericos ad obligandos eos ſuis legibus, facilè hanc extendent, vel ad eoſdem etiam puniendos, ſi tales leges tranſgrediantur, vel ad plures alias leges faciendas, quæ ſtatui Eccleſiaſtico non conveniunt, & ad omnimodam everſionem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Suar. cit. c. 34. n. 12.

Nec refert, quòd Clerici ſunt partes & membra civilis Reipublicæ, in qua degunt, adeóque etiam legibus communibus ſubjecti eſſe debent, ſicut reliqui cives. Nam non ſunt abſolutè membra, ſive partes civiles, aut cives Reipublicæ, ſed membra privilegiata & exempta. Ac proinde neque ipſe Princeps ſecularis eſt caput Clericorum ſimpliciter, etiam in politicis & civilibus, ſed non niſi æquivocè ſeu analogicè, quia nec habet juriſdictionem in illos, ſicut antea, nec illi ei jam ſunt ſubjecti, ſed per Clericatum à legibus eius ſunt ſoluti, Salas tract. de legibus. diſ. 14. ſec. 8. licèt aliàs contrarium teneat. Porrò contractus, qui legibus civilibus irritantur, ſi inter ipſos Clericos celebrentur, ſunt etiam irriti, non præciſè, ex vi ipſarum legum civilium, ſed vi legis naturalis, qua tenentur ſe aliis civibus in hoc conformare, & Juris Canonici approbantis tales leges civiles irritantes, ut ex dictis patet.

LXXXI. Illud hic addendum, à Jure Canonico potiſſimùm approbatas eſſe leges civiles communes, maximè Cæſareas, ideóq; eæ etiã in foro Eccleſiaſtico ſervandæ ſunt, modò non ſint contrariæ SS. Canonibus: non ita verò approbatur jura municipalia, ſive ſtatuta ſpecialia locorum, quæ contra Jus commune à ſecularibus magiſtratibus inferioribus ſunt edita. Abb. in repetit. cit. c. Eccleſia, n. 14. & in c. 1. de novi oper. nunciat. n. ult. Et hinc ſi alicubi ſtatutum ſit, ut teſtamentum non inſinuatum magiſtratui per hæredem intra ſex menſes, ſit invalidum, vel ſi plures ſolennitates ad valorem Teſtamenti requirantur, quàm per Jus commune, v. g. 8. teſtes, tali ſtatuto non obligantur Clerici teſtantes de bonis ſuis, quia ipſis aufertur facultas teſtandi, quæ ſecundùm Jus commune eis competit. Si ergo Clericos non obligat ſtatutum diſponens contra privilegium Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis conceſſum, multò minùs debet obligare, ſi diſponat aliquid contra Jus commune, quia faciliùs tollitur, quod competit jure ſpeciali, quàm quod jure communi. Abb. in repetit. cit. c. n. 39. Felin. ibid. n. 81. Præterea ſtatutum municipale, per quod filio primogenito defertur hæreditas patris, excluſis fratribus poſtea genitis, nõ obligat eos, qui tempore editi ſtatuti jam Clerici erant, cùm ſecularis magiſtratus nihil ſtatuere poſſit in præiudicium Clericorum: ſi verò eo tempore adhuc laici erant, & ſubjecti magiſtratui ſtatuenti, tunc, vi illius ſtatuti, excluduntur à paterna hæreditate, ſalvâ eorum legitimâ portione, quia per ſtatutum jam tunc acquiſitum fuit jus ſuccedendi ſoli filio primogenito, excluſis filiis poſtea natis, qui cùm tempore conditi ſtatuti adhuc fuerint laici & ſubditi, potuit per illud derogari juri illorum, Abb. in repetit. cit. c. Eccleſia, n. 36. Felin. ibid. n. 101.

Aliud eſt de legibus civilibus Juris communis; & hinc ſi Clericus hæres inſtitutus inventarium non fecit, tenetur ultra vires hæreditatis, ſicut laicus, quia diſpoſitio Juris civilis communis approbata eſt Jure Canonico, juxta leg. fin. C. de jure de liber. Abb. in repetit. cit. c. n. 18. Veruntamen maior favor & exemptio à legibus civilibus competit ipſis Eccleſiis & cauſis piis, quàm perſonis Eccleſiaſticis in particulari, quia cauſa publica magìs favorabilis eſt, & propinquiùs tendit ad cultum Dei, quàm cauſa privata & particularis, Laym. in cit. c. Eccleſia n. 14. Unde quamvis donatio ultra 500. ſolidos aureos facta, ſine inſinuatione, apud Judicem, Clerico ſive perſonæ Eccleſiaſticæ particulari ſit irrita, etiam in foro

in foro Canonico; non tamen facta Eccleſiæ vel cauſæ piæ, ut pauperibus vel Xenodochio, Abb. in c. quòd Clericis 9. n. 26. de foro compet. & in repet. cit. c. Eccleſia n. 38. Felin. ibid. n. 82. Similiter teſtamentum minùs ſolenne, ſive deſtitutum ſolennitatibus jure civili requiſitis, irritum eſt quoad ea, quæ in illo relicta ſunt Clericis aut aliis perſonis religioſis: non tamen quoad ea, quæ Eccleſiis, vel ad alias cauſas pias ſunt legata vel relicta, Abb. in repet. c. n. 38. Felin. n. 83.

SECTIO II.

DE LEGIBUS SEU CONSTITUTIONIBUS reprobatis & prohibitis Jure Canonico.

§. I.

De legibus & ſtatutis civilibus, quæ adverſantur immunitati Eccleſiaſticæ.

LXXXII. Aſſertio 1. Statuta & leges civiles, quæ directè vel indirectè adverſantur & derogant immunitati Eccleſiarum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, earúmque rebus, ſunt ipſo jure nullæ, iniuſtæ, ac reprobatæ utroque Jure, Canonico & Civili. De Canonico conſtat ex c. quæ in Eccleſiarum 7. & c. Eccleſia 10. h. t. c. noverit 49. c. gravem 53. de ſentent. excommun. c. 1. & ſeqq. diſ. 10. c. ſi Imperator 11. & c. nunquam 12. diſ. 96. De Jure Civili ex l. placet 5. l. privilegia 12. & auth. caſſa C. de SS. Eccleſiis, ubi Imperator *caſſa & irrita denuntiari præcipit omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ, eiúſque perſonas inductas adversùs Canonicas & Imperiales ſanctiones.* Cuiuſmodi ſunt ſtatuta contra ea, quæ Jure Communi Canonico vel Civili competunt Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, Decius in cit. c. Eccleſia, n. 8. vel contra privilegia illis conceſſa à Deo, vel SS. Pontificibus, vel etiam Imperatoribus, Innocent. in cit. c. noverit n. 1. & 2. de ſentent. excommun. Decius cit. loc. n. 2. vel ſi per talia ſtatuta laicorum Clerici timidiores reddantur, quod fit, ſi onera vel gravamina à laicis ipſis imponantur, vel inferantur, per quæ ſtatus Eccleſiaſticorum deprimitur, dehoneſtatur & deſpicitur, ipſique Clerici à ſuis muniis, aliíque à ſtatu Eccleſiaſtico abſterrentur, Decius c. l. n. 4. Bart. in cit. auth. caſſa n. 5. Laym. in cit. c. Eccleſia n. 8. vel denique ſi iniuria etiam uni particulari Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ inferatur, cùm id, quod fit uni Clerico, vel Eccleſiæ particulari, in univerſalis Eccleſiæ honorem vel contumeliam redundet, arg. c. ſi diligenti 12. de foro compet. Decius c. l. n. 5. Porrò lex civilis vel ſtatutum tunc directè repugnat libertati, ſeu immunitati Eccleſiaſticæ, quando vel de materia ſpirituali aut eccleſiaſtica directè diſponit, vel circa perſonas Eccleſiaſticas in particulari aut expreſſè verſatur, præcipiendo vel ſtatuendo: indirectè verò eſt contraria, quando circa propriam materiam ita diſponit, ut ex eius obſervatione aliquid in præiudicium Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticarum perſonarum & jurium earundem redundet; nam in moralibus directum & indirectum æquivalent, & tam directa, quàm indirecta violatio jurium Eccleſiaſticorum per SS. Canones reprobata eſt, cùm in effectu utraque idem operetur, Abb. in repet. cit. c. Eccleſia n. 27. Suar. l. 3. de legib. c. 34. n. 3.

LXXXIII. Itaque omnes leges ſive ſtatuta Principum & Magiſtratuum ſecularium, etſi generatim lata ſint pro Republica ſeu tota communitate, ſi tamen per ſe ac directè merum onus ſeu gravamen imponant, aut juri acquiſito ſive directè, ſive indirectè derogent, adverſantur libertati & immunitati Eccleſiaſticæ, ideóque Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas non comprehendunt, nec ad illas extendi poſſunt, Abb. in cit. c. Eccleſia n. 9. & 13. h. t. & in repet. eiuſdem c. n. 17. Felin. ibidem n. 69. & DD. communiter. Neque verò ſatisfacit, ſi quis dicat, Eccleſias vel perſonas, aut res Eccleſiaſticas obligari eiuſmodi legibus vel ſtatutis, quæ Clericis æquè ac laicis onera imponunt, non ex eo, quòd laici poteſtatem juriſdictionis in Eccleſias vel perſonas, aut res Eccleſiaſticas habeant, ſed ex vi taciti alicuius pacti, ſive conſensûs Eccleſiæ, aut S. Pontificis, & ex quadam æquitate juris naturalis; nam cùm Clerici, aliæq; perſonæ Eccleſiaſticæ ſint partes & membra civilis Reipubl. ſive communitatis, & communibus commodis ac juribus gaudeant, decens & æquum eſt, ut etiam communia onera & gravamina ferant, iuxta regulam juris: *qui ſentit onus, ſentire debet commodum*, & è contra: reg. juris 55. in 6. & cùm Principes ac Magiſtratus ſeculares teneantur defendere Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, earúmque res & bona, non minùs, quàm laicos, eorúmque bona, non eſt iniquum, ſi viciſſim ab Eccleſiaſticis quippiam exigant, vel onera eis imponant. Sed reſpondetur, inprimis nullum tacitum pactum, vel conſenſum hîc poſſe allegari, cùm SS. Pontifices, non ſolùm in Canonibus & decretalibus antiquis, ſed etiam in novis ſuis Conſtitutionibus & Bullis editis, tales leges & ſtatuta, quibus à ſecularibus Principibus & Magiſtratibus onera, & gravamina Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, ac rebus earum imponuntur, & juribus derogatur, ac immunitati Eccleſiæ præiudicatur, damnent & reprobent, iiſque perpetuò contradicant, taléſque leges oneroſas Clericis illicitas, & ipſo jure irritas eſſe, nullámque vim obligandi habere poſſe, declarent, non obſtante, quòd per tempus immemoriale huiuſmodi onera Clericis ſint impoſita vel exacta, vel ſub prætextu aut fama privilegij Apoſtolici, vel quòd huiuſmodi Conſtitutiones & Bullæ Pontificiæ non ſint publicatæ, vel non uſu receptæ &c. ut patet ex Bulla Urbani VIII. edita anno 1641. die 23. Decembris, quæ incipit: Rom. Pontifex, & extat in Bullario Romano tomo 4. Conſtit. 159. & ex Bulla etiam Cœnæ Domini ſingulis annis promulgari ſolita. Deinde tales leges aut ſtatuta non poſſunt etiam niti æquitate juris naturalis; nam quòd perſonæ Eccleſiaſticæ communibus juribus & commodis Reipublicæ ſive civium fruantur, id illis debetur propter adminiſtrationem Sacramentorum & ſpiritualia officia, quæ Clerici laicis continuò præſtant, ideóque non debent ab illis aliis oneribus gravari, contra eorum jura & privilegia exemptionis, utroque jure, conceſſa & ſtabilita; nam ut Apoſtolus ait: *ſi nos vobis ſpiritualia ſe-*

Digitized by Google

minamus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? 1. ad Corinth. 9. v. 11. Denique neque titulo defenſionis poſſunt Principes & Magiſtratus ſeculares contra immunitatem Eccleſiaſticam gravare vel onera imponere perſonis Eccleſiaſticis, earúmque bonis, quia ad hanc defenſionem Clericorum ex officio ſuo ſunt obligati, nemo autem poteſt juſtè exigere aliquid, vel onus imponere ratione eius, ad quod ex officio & juſtitia eſt obligatus. Laym. in cit. c. Eccleſia. n. 6.

7 LXXXIV. Aſſertio 2. In ſpecie verò tales leges oneroſæ & præiudiciales ac repugnantes immunitati Eccleſiaſticæ ſunt, quæ feruntur de ſolvendis ac præſtandis vectigalibus, angariis, collectis, & ſimilibus exactionibus ac tributis, & quæ, vi illarum legum, perſonis Eccleſiaſticis imponuntur, contra earum privilegia & immunitates utroque jure conceſſas, in c. non minùs. 4. & c. adversùs 7. de immunit. Eccleſ. c. 1. & c. Clericis 3. eodem in 6. c. quamquàm, 4. de cenſib. in 6. Auth. caſſa C. de SS. Eccleſ. Auth. Item nulla C. de Epiſc. & Cleric. ídque notiſſimum eſſe ait Laym. in c. Eccleſia 10. n. 7. h. t. & huiuſmodi leges ſeu ſtatuta ſub pœna excommunicationis eſſe prohibita, conſtat ex c. noverit. 49. & c. gravem 53. de ſent. excommunic. ubi generatim *omnia ſtatuta edita contra libertatem Eccleſiaſticam ſervari prohibentur, ſub pœna excommunicationis* Et in Bulla Cœnæ Domini cenſurâ 14. excommunicantur, qui ſtatuta, Ordinationes, vel cōſtitutiones in genere vel in ſpecie, quovis quæſito colore fecerint, vel publicaverint, vel factis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiæ tollitur, ſeu in aliquo læditur, aut alio quovis modo reſtringitur.

LXXXV. Secundò ſi ſtatuto municipali decernatur, ut omnia prædia & bona ſita in territorio Magiſtratûs ſecularis, ſint deinceps in perpetuum tributaria, ita ut poſſeſſores eorum, ad quoſcunque bona illa devenerint, teneantur ſolvere contributiones, ſeu collectas, quas Magiſtratus quocunque tempore impoſuerit, & ſolvi juſſerit, tali ſtatuto comprehendi non poſſunt Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ, nec illas ſolvere tenentur, ſi ad eas bona illa poſtea perveniant, quia cùm tales collectæ ſive tributa ſint variabilia, nec perpetua, nec certam præſtationem habeant, non inhærent rebus ſeu bonis, ſed imponuntur à Magiſtratu perſonis propter bona, ideòq; non, niſi ſubditis imponi poſſunt; Clerici autem non ſunt ſubiecti Magiſtratui ſeculari, ac proinde illis, vi talis ſtatuti, huiuſmodi collectæ imponi non poſſunt, ſinè violatione immunitatis Eccleſiaſticæ. Aliud eſt, ſi prædiis impoſitum ſit onus ſive tributum merè reale, certum, invariabile, ac perpetuum, quod bonis ipſis inhæret, & annexum eſt, ita ut ex ijs, v. g. quot annis ſolvatur certa ac definita & invariabilis penſio; talia enim bona manent ſubiecta huic oneri, etiamſi ad Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas tranſeant, Felin. in cit. c. Eccleſia. n. 76. h. t. Azor. p. 1. l. 5. c. 13. q. 1. & alij plerique, quia res tranſit cum onere ſuo, ſcilicet merè reali, ſive ipſis bonis impoſito & annexo, non perſonis propter bona: quale onus nemo imponere poteſt, niſi dominium proprietatis ad ipſum ſpectet, c. ex literis. 5. de pignoribus.

LXXXVI. Tertiò ſi Magiſtratus ſecùlaris ſtatuat, ut, ſi quis incolarum ex civitate in alium locum migret, ex bonis, quæ ſecum defert, partem aliquam, v. g. decimam fiſco vel communitati ſolvere debeat, non obligat Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas, quia laici nihil poſſunt ſtatuere de bonis Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, præſertim in præiudicium earum, Laym. in cit. c. Eccleſia n. 7. Item non valet ſtatutum, ut, ſi quis ad piam cauſam legaverit vel donaverit, partem aliquam ad publicam fabricam applicare debeat, quia detrahere ex relictis ad piam cauſam eſt violare immunitatem Eccleſiaſticam, cùm cauſæ piæ ſint privilegiatæ & exemptæ ab omni poteſtate ſeculari. Idque procedit, etiamſi detracta ex legatis piis ad alium uſum pium applicarentur, non enim eſt unum Altare diſcooperiendum, ut alterum veſtiatur, Felin. in cit. c. Eccleſia. num. 94.

LXXXVII. Quartò ſtatutum municipale, quo decernitur, ut ingredientes Religionem à ſucceſſione hæreditaria excludantur, vel ut parte aliquâ hæreditatis, vel uſufructu bonorum ad vitam ſint contenti, invalidum eſt, quippe præiudicans libertati Eccleſiaſticæ, cùm per huiuſmodi ſtatuta retrahantur homines ab ingreſſu Religionis, & fiant deterioris conditionis, quàm laici, Abb. in repet. cit. c. Eccleſia. n. 35. Felin. ibid. n. 78. Idémque eſt de ſtatuto, quo expreſsè diſponitur, ut fœminæ ingredientes Monaſterium non ſuccedant, extante maſculo, Gail. l. 2. obſ 32. n. 4.

LXXXVIII. Quintò ſi ſtatuto municipali cautum ſit, ut res immobiles, ſicut mobiles, tempore triennij præſcribantur, tale ſtatutum non obligat perſonas Eccleſiaſticas, ſed in ordine ad illas irritum eſt, ídque propter regulam, quòd ſtatuta laicorum non ligent Clericos, cùm ſint contra libertatem Eccleſiaſticam, Gail. c. l. in princ. ubi ait, *ita deciſum eſſe, in Camera Imperiali.*

LXXXIX. Sextò leges civiles ſeu ſtatuta municipalia, quæ inhabiles reddunt perſonas ad contrahendum, vel teſtandum, in pœnam delicti proprij, vel parentum, comprehendendo etiam perſonas Eccleſiaſticas, non poſſunt illas obligare, ſed quoad illas ſunt irritæ, cùm ſint leges pœnales, & vim coactivam contineant, Navarr. l. 1. conſil. 3. n. 5. h. t. Suar. l. 4. de defenſ. fidei c. 16. n. 21. Laym. l. 1. Theol. moral. c. 13. n. 5. v. g. ſi ſtatutum ſit, ut filij illegitimè nati non poſſint de bonis ſuis teſtari, ſed ut in ijs, poſt mortem illorum, fiſcus ſecularis ſuccedat, tale ſtatutum extendi non poteſt ad Clericos. Idque procedit, non ſolùm quoad bona acquiſita ex quacunque cauſa, poſtquam Clerici facti ſunt, nam tunc bona illa non ſunt ſubiecta Magiſtratui ſeculari, (cùm enim ipſæ perſonæ Eccleſiaſticæ ſint exemptæ à juriſdictione ſeculari per Clericatum, conſequenter etiam bona illarum) Abb. in repet. cit. c. Eccleſ. n. 26. Sed etiam locum habet quoad bona, ante ſuſceptum Clericatum, ab illis acquiſita; nam etiam iſto caſu bona illegitimè nati, ratione ſtatuti municipalis, non ſunt per ſe ſive realiter obligata fiſco, ſed tantùm per accidens propter perſonam, quæ eſt ſubiecta, ſi ea ſubiecta maneat, uſque ad mortem: at ſi perſona à ſeculari Magiſtratu eximatur, quia nimirum Clericatum ſuſcepit, eo ipſo eximuntur etiam res ſive bona illius. Accedit, quòd tale ſtatutum effectum habere non poſſit, nec executioni mandari, ante mortem illegitimè geniti, nam refertur ad tempus mortis illegitimi, cùm ante mortem non poſſit habere locum

cum ſucceſſio, quo tempore ipſe nõ eſt ampliùs ſubiectus juriſdictioni ſecularis Magiſtratûs ſtatuentis, quippe jam ante mortem Clericus factus. Laym. in cit.c.Eccleſia n.7,h.t. Denique inter leges vel ſtatuta, quæ apertè repugnant libertati & immunitati Eccleſiaſticæ (pluribus aliis exemplis omiſſis) etiam numerari debet, ſi lex civilis vel ſtatutum municipale prohibeat, ne res ſeu bona immobilia Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis ſive ſecularibus, ſive regularibus, vendantur, vel donentur, vel legentur, vel teſtamento relinquantur, vel pignori obligentur, aut hypothecæ ſubijciantur, vel quovis alio modo in illas alienentur. De quo §. ſequenti.

§. II.

An lex civilis vel ſtatutum Principis vel Magiſtratûs ſecularis prohibens quovis modo alienari bona immobilia in Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas, ſit validum, & licitum?

XC. Præmittendum, quòd dupliciter poteſt talis lex vel ſtatutum ferri. 1. Si lex vel ſtatutum ſimpliciter ac generatim decernat, ut non liceat res immobiles vendere, vel alio modo alienare in extraneos, aut non ſubditos: & tunc certum eſt, talem legem vel ſtatutum non comprehendere Clericos, aliasve perſonas Eccleſiaſticas, nec ad illas poſſe extendi, quia lex vel ſtatutum non extenditur ad non ſubditos, Joan. Andr. in c. ult. de immunit. Eccleſ. in 6.n.2.& Phil.Franc.ibid.n.1.& 2.Gail.lib. 2.obſ. 32. n.3. 2. Si lex vel ſtatutum ſpecificè & expreſsè probibeat, ne res immobiles à ſubditis vendantur, vel donentur Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis, vel quovis alio modo in illas alienentur: & boc ſenſu potiſſimùm procedit hæc quæſtio, an talis lex vel ſtatutum ſit validum ac licitum.

XCI. In qua re dicendum 1. Lex vel ſtatutum Principis ſecularis probibens, ne ſubditi vendant vel alio modo alienent bona immobilia in Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, eſt contra libertatem ſeu immunitatem Eccleſiaſticam, eique derogat, adeóque prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Idque probatur in » primis ex c.ult.de immunit.Eccleſ.in 6. ubi ſtatui» tur, eos, qui temporale dominium obtinentes, ſuis » ſubditis, ne Prælatis, aut Clericis, ſeu perſonis Ec» ſiaſticis quidquam vendant, vel emant aliquid ab » eiſdem, nec ipſis bladum molant, coquant panem, » aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando » interdicunt, cùm talia in derogationem Eccleſia» ſticæ libertatis præſumantur, eo ipſo excommuni» cationis ſententiæ ſubiacere decernimus. In quo c. etſi diſertis & formalibus verbis non probibeatur, ne ſubditi vendant, vel alio modo alienent bona immobilia in Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas, quia de bonis immobilibus nulla fit ibi expreſſa mẽtio: ſatìs clarè tamen id probibitum eſt illis verbis: *ne Clericis quidquam vendant:* quæ verba, cùm generalia ſint, utique ſub illis continetur etiam prohibitio venditionis bonorum, ſeu rerum immobilium, & non tantùm mobilium, quarum aliquæ ibi ſpecificantur.

Sed dato etiam, ſub verbis textûs non comprehendi prohibitionem, ne à ſubditis vendantur bona immobilia Clericis, ſatìs eſt, quòd comprebendatur ſub mente & intentione legislatoris, quod fit, quando ob adæquatæ rationis ſimilitudinem, ſeu identitatem (quia mens & ratio anima legis eſt, l. ſcire. 17. ff.de legibus. l. non dubium. 5. & ibi gl.v.amplexus. C.eod.ibíque DD.) vel ex aliis circumſtantiis probabiliter præſumi poteſt, intentionem legislatoris vel ſtatuentis fuiſſe, etiam alia comprehendere ſimilia ijs, quæ verbis ſunt expreſſa, & certos caſus in ſpecie exempli tantùm causâ expreſſos fuiſſe, quia ad ſpeciem ſeu narrationem facti pertinebant, & ipſo facto ita contigerunt: exempla autem non reſtringunt regulam ad caſus expreſſos in lege vel canone, ſi reſponſio legislatoris & diſpoſitio Canonis ſit generalis comprehendens omnes ſimiles caſus, in quibus locum habet generalis & adæquata ratio in textu expreſſa, ut in cit.c.fin. de immunit. Eccleſ. in 6. poſtquam Pontifex retulit ea, quæ in caſu propoſita fuerunt, ſubiungit banc generalem rationem, in qua fundatur illius canonis diſpoſitio: *cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur*, ergo in omnibus caſibus, in quibus derogatur libertati Eccleſiaſticæ, habet locum diſpoſitio huius Canonis, & pœna excommunicationis in eo expreſſa, adeóque etiam ſtatutum prohibens alienationem bonorum immobilium in Eccleſias & Clericos, comprehenditur ſub diſpoſitione buius c. quia etiam per illud derogatur libertati Eccleſiaſticæ, ut mox probabitur. Quare gravis error eſt Canones, qui extant in Jure Canonico, velle reſtringere ſolùm ad caſus in illis ſpecificè expreſſos, non enim omnes caſus in legibus ſpecificè exprimi poſſunt, l. neque 10. & l. non poſſunt 12. ff. de legib. ſed ſufficit, ſi comprehendantur ſub mente ſeu intentione legislatoris, quæ potiùs attendẽda eſt, quàm verba, l. ſcire, 13. §. aliud ibi: *ſed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult*, ff. de excuſ.tut. quæ potiſſimùm colligitur ex ratione principali in lege expreſſâ. Idq; confirmatur, quia pleraque reſponſa SS. Pontificum, quæ extant in libris Decretalium, data ſunt ad caſus particulares Sedi Apoſtolicæ propoſitos. ſi ergo reſponſio Papæ, & diſpoſitio horum Canonum reſtringenda eſſet ſolùm ad caſus ibi expreſſos, Jus Canonicum, præſertim prout extat in Libris Decretalium, eſſet ſolùm Jus particulare reſolvens particulares caſus tantùm, non Jus commune ſeu univerſale, quod nemo dicere poteſt. Unde gl. & Interpretes paſſim, poſito caſu particulari canonis, ex reſponſione Papæ colligunt generale Jus ſeu diſpoſitionem comprebendentem caſus ſimiles, etſi verbis non expreſſos. Quod ita notum eſt, ut, ſi quis id ignoret, nimis peregrinus & imperitus ſit in Jure Canonico.

Neq; verò ex verbo, *Præſumantur*, poſito in cit. c.ult.de immunit.Eccl.in 6. rectè colligitur, quaſi ibi dicatur, quòd talia ſtatuta non re ipsâ ſint, vel fiant contra libertatem Eccleſiaſticam, eique derogent, ſed tantùm præſumantur à jure derogare: hic, inquam, ſenſus non convenit litteræ, ut apertè colligi-

tur ex verbis immediatè præcedentibus,nam per tale ſtatutum prohibetur ſubditis,ne ipſi præſumant,hoc eſt,attentent vendere aliqnid Clericis, vel alia obſequia exhibere: nam quæ contra legis vel ſtatuti prohibitionem ſnbditi faciunt,dicuntur præſumere,ſeu illicitè facere & attentare. hoc ſenſu dicitnr, nemo præſumat gladium de nocte portare, frnmentum evehere ex provincia &c. Similiter ergo, quando poſtea ſubiungitur, *cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur*, non à jure, ſed ſive ab ipſis ſubditis, ſive etiam à dominis temporalibus,qui hæc interdicunt ſubditis,præſumantur, id eſt, illicitè fiant, & attententur. Deinde admiſsâ etiam hac expoſitione (qnam aliqui tenent) quòd in cit. c. fin. lex ſeu Canon præſumat ſolùm,talia eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam: nibilominus illa præſumptio eſſet præſumptio jnris & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, l. is, qui fidem 30.junct.gl.v.præſumptionem. ff. de ſponſal. ac proinde in effectu idem eſt, acſi dixiſſet Canon, cùm talia libertati Eccleſiaſticæ derogent, ut notavit etiam Diana p.6..tr.3. reſol.4. Itaque probatum eſt in cit. c.fin.prohiberi ſub pœna excommunicationis ſtatutum prohibens ſubditis, ne vendant, vel aliter alienent bona immobilia in Eccleſias,vel perſonas Eccleſiaſticas.

XCII. Idem etiam probatur ex ſumma & gloſſa cit.c.fin.nam in ſumma dicitur, quòd domini temporales prohibentes ſubditis, ne cum perſonis Eccleſiaſticis contrahant, vel communia obſequia exhibeant, ipſo facto excommunicationem incurrant. Unde ſic argumentor: quando ſub pœna excommunicationis prohibetur genus, ſive actus in genere, prohibetur etiam ſpecies ſub eodem, ſive omnia contenta ſub genere, quia genus ſine ſpecie exiſtere non poteſt, & conſequenter nec prohiberi: ſed in cit. c. fin. excommunicationem incurrunt in genere omnes,qui prohibent ſubditis,ne contrahant cum Clericis, ut expreſsè tradit ſumma ibidem: ergo etiam eandem incurrunt, qui in ſpecie probibent,ne vendant res Clericis,ſive mobiles, ſive immobiles, quia omnes contractus in ſpecie comprehenduntur ſub generali prohibitione, ne ſubditi contrahant cum Clericis. Similiter gloſſa ex eod.c.fin. tradit, & colligit hanc generalem doctrinam, & regulam (nota,quòd prohibitio directa ad ſubditos, ex qua indirectè præiudicatur Clericis, quoad ipſorum libertatem,non tenet.) atqui ſtatutum prohibens ſubditis res immobiles vendere Clericis,præindicat libertati Clericorum, ut mox evidenter probabitur, ergo vi dicti c.fin.non tenet, adeóque apertè falſnm eſt,etiã ſecundùm gloſſam,quòd tale ſtatutum non comprehendatur,nec prohibeatur ſub pœna excommunicationis in cit.c.ult.

Et ſic etiam intelligunt & explicant paſſim cit. c.fin,Interpretes Joan. Andr. ibid. Ancharan. & Philip. Franc. qui aiunt, dupliciter poſſe fieri ſtatutum prohibens vendere res immobiles;vel ita, nt generatim probibeat vendere res immobiles non exiſtentibus ſub juriſdictione ſtatuentium: & tale ſtatutum non comprebendere perſonas Eccleſiaſticas,nec poſſe ad illas extendi, ut jam ſnprà dictum. Vel ita,ut ſtatutum expreſsè prohibeat ſubditis,ne vendant res immobiles Clericis,& tale ſtatutum non tenere,quia indirectè præiudicat Clericis,quoad ipſorum libertatem. paria autẽ ſunt directè,vel indirectè facere contra prohibitionem,aut contra libertatem Eccleſiaſticam. Audiamus,quid præter Auctores citatos,de hac re aſſerat Ancharan.in cit.c.fin. not. 3. col.2. his verbis. Præterea ſi expreſsè hoc ſtatuiſſent,quòd ſubditi non poſſent Eccleſiis (& Eccleſiaſticis perſonis) donare, vendere, vel relinquere, tum eſſent excommunicati ipſo jure ſtatuentes, & qui ipſa fecerint obſervari, ut in hoc c. (ſcilicet fin. de imm. Eccleſ. in 6.) quia ſic ſtatuere eſſet contra libertatem conceſſam Eccleſiis, & contra privilegia data Univerſali Eccleſiæ à Deo, & eius Vicario, vel Imperatore, ergo ad hunc perverſum intellectum trahi non debet (ſcilicet ſtatutum generaliter prohibens, ne venditio rerum immobilium fiat non ſubditis) cum ſub generalitate non veniant illicita. Hactenus Anchar.

Ex dictis ſic argumentari licet, illa ſunt contra libertatem Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, per quæ non tantùm violantur privilegia ipſis conceſſa Jure communi poſitivo, ſive Canonico, ſive civili, qualia ſunt immunitas à ſolvendis gabellis & contributionibus,& privilegium exemptionis à foro ſeculari &c. ſed etiam, imò multò magis, per quæ auferuntur Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis jura,quæ ipſis jure divino ſeu naturali,& gentium competunt, ſive ea, quæ ipſis communia ſunt cum aliis membris Reipubl. etiam laicis. Sed per talem legem vel ſtatutum hoc fit, ergo per illud derogatur libertati Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum etiam naturali, ſive quæ jnre naturæ & gentium ipſis competit. Major propoſitio probatur, quia longè gravior iniuria & læſio eſt, aliquem privare iis, quæ ipſi jure naturali, & gentium competunt, quàm quæ ſolùm ex jure vel privilegio juris poſitivi & humani, quia jus naturale & gentium eſt longè altius, eminentius, & magis debitum hominibus, & conſequenter hoc jure aliquem privare longè gravior eſt iniuria. Et hinc nullus Magiſtratus vel Princeps,nec quidem ſupremus, poteſt ſtatuendo tollere jus ſubditorum ſuorum, quod ex lege naturali & gentium provenit, ut ſunt dominia, contractus & obligationes, quæ ex jure gentium deſcendunt, §. ſingulorum Inſtit. de jure nat. gent. &c. Felin. in c. Eccleſiarum 7. n. 48. de Conſtit. & alii DD. communiter, niſi ex graviſſima causa, vel in pœnam delicti, ut ſnprà dictum n. 18. & 2. ſeqq. h. t. ergo multò minimè poteſt Princeps ſecularis per ſtatutum tale jus auferre non ſubditis, nempe Clericis, & quidem toti ſtatui Clericorum ſecularium & regularium in aliquo regno vel provincia. Minor probatur, per tale ſtatutum prohibitorium,ne ſubditi vendant,vel alio modo alienent bona immobilia in Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, tollitur illis, non quidem directè, ſed indirectè & re ipsâ, ac in effectu jus ad acquirenda ac retinenda bona immobilia, cuius jure naturali & gentium ſunt capaces, & excluduntur ab hoc jure, qnod aliis omnibus civibus, etiam laicis competit, cùm tamen & ipſi Clerici ſint cives & membra Reipubl. in qua degunt,ideóque iiſdem juribus gaudere debent, quibus alij cives, ad quæ ſunt babiles, nec eſſe debent deterioris conditionis, quàm opifices, & alij mechanici ac plebei, ac proinde non ſinè manifeſta injuria tali jure privari poſſunt à Principe

vel

vel Magiſtratu ſeculari. Quis ergo negare poteſt per tale ſtatutum graviſſimè lædi libertatem naturalem Eccleſiaſticorum, ſive Jus competens Clericis jure naturali & gentium?

XCIII. Portò non tantùm in cit. c. fin. ſed etiam in c. novit 49. & c. gravem 53. de ſent. excomm. generaliter excommunicantur ipſo facto omnes, qui ſtatuta fecerint contra Eccleſiæ libertatem, nec non & illi, qui ſecundùm illa præſumpſerint judicare, & qui jura quæcunque Eccleſiæ auferre conantur, vel quodcunque onus, aut gravamen ei imponunt, gl. ibid. V. Eccleſiæ libertatem. Hinc patet, gravem errorem eſſe, ſi quis libertatem Eccleſiaſticam, eiúſque læſionem reſtringere velit ad privilegia exemptionis à communi Jure poſitivo ſeu Canonico Clericis cōceſſa, ſi eis derogetur, nam licèt per tale ſtatutum non violetur ſola libertas Eccleſiæ legalis ſeu canonica, quoad privilegia ſpecialiter Clericis conceſſa præ laicis, violatur tamen ſimul libertas Eccleſiarū naturalis, quę eis competit jure naturali & gentium, imò & communi poſitivo, & communis eſt cum laicis. Et hoc ſenſu verè dixit Caietanus, tale ſtatutum non eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam propriè ſeu ſtrictè dictam, eſſe tamen contra humanam ſocietatem, adeóque contra jus naturale & gentium, quæ eſt gravior læſio & iniuria; ut ſuprà dictum.

Idque ulteriùs probatur ex c. ult. de reb. Eccleſ. non alien. ubi Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. generaliter decernit, quòd laicis de rebus Eccleſiæ diſponendi nulla ſit attributa poteſtas, & addit, quòd quidam immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis non formidant ſuis conſtitutionibus, vel potiùs deſtitutionibus impugnare, & juriſdictionem Eccleſiæ uſurpare illicitè præſumant. Quare Concilium tales conſtitutiones, & alia omnia, quæ faciunt in præiudicium Eccleſiarum, non tenere, decernit.

XCIV. Dicendum 2. lex vel ſtatutum, de non alienandis bonis immobilibus in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, non ſolùm eſt iniuſtum, & illicitum, ſed etiam eſt omnino invalidum. Probatur ex eodem c. fin. de immun. Eccleſ. in 6. ubi generaliter decernitur, quòd ſtatuta, quæ derogant libertati Eccleſiaſticæ, non teneant, juxta gl. ibid. in fine caſûs. Idque evidenter probatur ratione fundatâ in principiis receptis omni jure naturali & humano, quia ad validum ſtatutum neceſſariò requiritur legitima poteſtas in ſtatuente, ut notiſſimi juris eſt: ſed Principes, & Magiſtratus ſeculares nullam poteſtatem habent directè vel indirectè aliquid ſtatuendi, præcipiendo vel prohibendo, quod cedat in præiudicium & gravamen Eccleſiarum vel perſonarum Eccleſiaſticarum, aut jurium illatum, quia paria ſunt directè, vel indirectè facere aliquid contra privilegium, vel jus alterius, ſive in fraudem illius, c. quando 26. de privileg. & in moralibus directum & indirectum æquivalent, & tam directa, quàm indirecta violatio jurium Eccleſiaſticorum, utroq; Jure, reprobatur, cùm in effectu utraque idem operetur, Abb. in relect. c. Eccleſia 10. n. 27. de conſtit. Suar. lib. 3. de legib. c. 34. n. 3.

Nam licèt talis lex vel ſtatutum, ſpectatis præcisè verbis, directè & immediatè videatur ſolùm diſponere de bonis immobilibus ſuorum ſubditorum, quibus prohibet, ne illa Eccleſiis vel Clericis vendant, aut donent, adeóque non excedere limites poteſtatis ſuæ: re ipsâ tamen & in effectu ac indirectè diſponit etiam de perſonis Eccleſiaſticis, in grave earundem præiudicium: hoc ipſo enim, quòd Princeps vel Magiſtratus ſecularis prohibet ſubditis, ne vendant aut alienent bona immobilia perſonis Eccleſiaſticis, conſequenter etiam prohibet, & impedit illas emere, vel alio modo acquirere, quorum jure naturæ & gentium ſunt capaces. Et hinc Silveſt. in ſumma V. ſtatutum q. 2. ait, quòd tale ſtatutum, ne quis vendat Clericis, vel ab eis emat, quia eſt in præjudicium Clericorum, & eos tangit indirectè, non excuſat ab excommunicatione lata in c. ult. de immun. Eccl. in 6. Quare tale ſtatutum non ſolùm eſt illicitum, ſed etiam omni jure invalidum, ob notorium defectum poteſtatis in ſtatuentibus aliquid circa jura Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, vel in præiudicium earum, cùm Clerici Jure Canonico & Civili, imò etiam ex valde probabili ſententia, divino omnino exempti ſint ab omni poteſtate legislativa, & juriſdictione ſeculari, adeóque nullam penitus tale ſtatutum vim obligandi habere poteſt, neque in foro externo, neque in foro conſcientiæ.

Aliud eſt, ſi tale ſtatutum conditum fuiſſet, cum licentia & permiſſione S. Pontificis, vel ab eo approbatum, quia is poteſt ex valde gravi & publica cauſa, derogare, non ſolùm privilegiis, & juribus Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis à SS. canonibus conceſſis, ſed etiam permittere, ut Clerici renuncient juri acquirendi & retinendi bona immobilia, ob publicam neceſſitatem, vel utilitatem, quorum, de jure naturæ & gentium ſunt capaces, quia hoc non pertinet ad jus naturale vel gentium præceptivum, cui derogari non poteſt, ſed ſolùm ad permiſſivum. Verùm poteſtate ſeculari, & propriâ auctoritate Principum ſecularium, id nullo modo fieri poteſt, quia excedit limites poteſtatis eorum, ut ex dictis patet, & tradit Silveſt. V. immunitas 1. n. 9. ubi ait: Laicorum ſtatuta non habent locum ſuper rebus Eccleſiæ, niſi tale ſtatutum expreſsè & nominatim approbetur à Papa: ſecus ſi generaliter ſolùm approbavit tale ſtatutum, quia per talem approbationem contra Eccleſiam non valeret, cum ſit contra Eccleſiaſticam libertatem. Hæc ille. & hanc licentiam S. Pontificis neceſſariò requiri ad valorem talis ſtatuti, vel inde evidenter probatur, quia nullus, etiam juriſdictione alioquin prędītus, poteſt quidpiam ſtatuere vel decernere in non ſubditum, niſi cum licentia illius, cui eſt ſubditus, quia aliàs violaret juriſdictionē alterius.

Atque hanc ſententiam tenent communiter Theologi & Canoniſtæ, quorum longum catalogum ponit Diana p. 6. tract. 3. reſolut. 6. qui omnes tenent, ſtatutum vel legem prohibentem alienationem bonorum immobilium in Eccleſias & Clericos eſſe illicitam, eámque ſententiam eſſe communem contra plures legiſtas, qui nullo juris textu, nullâ ſolidâ ratione nixi, imò contra expreſſos Canones oppoſitum tenent. Neque verò dicti legiſtæ huic ſententiæ approbanti tale ſtatutum aliquam probabilitatem extrinſecam ab eorum auctoritate deſumptam dare poſſunt, ut quis illam, tutâ conſcientiâ,

ſequi

ſequi poſſit, nam etſi experto in ſuâ ſcientia ſit credendum, hæc tamen quæſtio, non ex Jure Civili & legibus Cæſareis, ſed potiſſimùm ex SS. Canonibus decîdi debet, ſunt autem Jus Canonicum & Civile diverſæ ſcientiæ, ſicut diverſa jura, & experientiâ conſtat, multos Juris Civilis DD. non æquè in Jure Canonico peritos eſſe, ideóque iſtorum auctoritati non multum deferendum eſt in hac re, præſertim ubi ſtant in contrarium SS. Canones, & communiter Canoniſtæ, imò & Theologi, ut in præſenti quæſtione, & ab auctoritate improbabili, & incertâ nullum ſumitur argumentum, ut ex Baldo tradit Nicol. Everh. in locis argument. legalib. loco 95. ab auctoritate n. 5. Accedit, quòd ſententia hæc legiſtarum nitatur falſo fundamento, ut mox probabitur, adeóque argumentum ab auctoritate hîc nullum habere locum poteſt, quia tale argumentum per textum juris, & per rationem neceſſariò concludentem omnino tollitur, Everh. c. l. n. 3. quantò magìs ſi fundamentum manifeſtè falſum ſit.

XCV. Obiicitur contra hanc ſententiam communem 1. quòd talia ſtatuta prohibentia alienari bona immobilia in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, ferantur ob bonum publicum, & commune totius Reipublicæ, ſive communitatis, quia ſi huiuſmodi bona immobilia tranſeant ad Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, de jure fiunt exempta ab omnibus exactionibus & collectis, quæ antehac ipſis imponi poterant à Magiſtratu ſeculari, ob neceſſitates Reipublicæ, c. non minùs. 4. & c. adversùs 7. de immunit. Eccleſ. & c. 1. eodem in 6. idque cederet in grave detrimentum laicorum, & Magiſtratuum, & ſubditorum: ergo bonum publicum Communitatis meritò præferendum eſt libertati Eccleſiaſticæ, & hæc illi cedere debet. Sed reſpondetur inprimis, quòd, etſi ob neceſſitatem vel bonum publicum, juriſdictio jam fundata ſeu præexiſtens extendi poſſit, non tamen ulla neceſſitas, vel ratio boni publici poteſt dare juriſdictionem, ubi non ſubeſt, quia ſola neceſſitas vel bonum publicum non dat juriſdictionem, Felin. in cit. c. Eccleſia. n. 89. de Conſtit. Suar. l. de immunit. Eccleſ. c. 31. n. 8. & patet ex dictis ſuprà. Sed illa (de ordinaria loquor) vel à lege datur, vel à Principe ſupremo, vel conſuetudine legitimè præſcripta: uti ſumitur ex c. duo. 9. de offic. jud. ordin. & alibi dictum: atqui Magiſtratui ſeculari, eo ipſo, quòd ſecularis eſt, nulla juriſdictio erga perſonas & res Eccleſiaſticas competit, vel competere poteſt, cùm laici ſint ex ſe incapaces omnis juriſdictionis ſpiritualis, c. Eccleſia 10. de conſtit. c. 2. de judiciis: ergo neque in cauſa neceſſitatis, vel ratione boni publici, eandem acquirere poteſt, adeóque tale ſtatutum de non alienandis bonis immobilibus in Clericos, etiamſi ob neceſſitatem, vel bonum publicum editum ſit à Magiſtratu ſeculari, ipſo jure nullum eſt & irritum, ob defectum poteſtatis quidpiam ſtatuendi in præiudicium Clericorum. Deinde reſpondetur, ſi graves neceſſitates, vel utilitates publicæ & communes Clericis & laicis occurrant, & bona laicorum non ſufficiant ad eis ſatisfaciendum, etiam Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ contribuere tenentur, ratione bonorum immobilium, quæ poſſident, non tamen ad impoſitionem & exactionem ſecularium Principum & Magiſtratuum propriâ auctoritate factam, ſed ſervato modo, & conditionibus præſcriptis Jure Canonico, & in Conciliis Generalibus & Oecumenicis, in cit. c. non minùs, & c. adversùs. Quare privilegium exemptionis Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum à contributionibus & collectis non cedit in grave præiudicium & detrimentum laicorum, ut ab adverſariis ſupponitur; præſertim quia etiam Principes & Magiſtratus ſeculares laicis & ſubditis ſuis juſtè & licitè exactiones & cōtributiones imponere nequeunt, abſque publica neceſſitate, & magna utilitate Reipublicæ, ex communi & receptâ omnium Doctorum ſententia.

XCVI. Obiici poteſt 2. Quilibet privatus poteſt prohibere, ne res ſua immobilis in Eccleſiam, vel Monaſterium, vel perſonas Eccleſiaſticas alienetur vel transferatur, ut patet in emphyteuſi & feudo, nam ſi quis rem immobilem alicui concedat in feudum, vel emphyteuſin, poteſt prohibere, ne illam alienet, vel vendat, aut donet alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, vel Collegio Clericorum, ex quo redderetur deterior cauſa domini directi, quia periret ſpes, quòd unquam ſolveretur laudemium, & quòd dominium utile aliquando reverteretur ad directum, ſive dominium proprietatis, Molina tract. 2. de juſt. diſ. 140. §. eandem regulam, & eſt communis ſententia; ergo multò magis Princeps vel publicus Magiſtratus poterit per legem vel ſtatutum idem decernere de bonis immobilibus ſitis in ſuo territorio, & prohibere, ne alienari poſſint in Eccleſiam, vel Monaſterium, vel Eccleſiaſticos, ſiquidem id quilibet privatus poteſt in re ſua particulari. Reſpondetur, negando conſequentiam. Ratio diverſitatis eſt, quia quilibet privatus poteſt per pactum vel contractum prohibere, ne res ſua propria in Eccleſiam, vel perſonas Eccleſiaſticas, vel alias perſonas, v. g. extra familiam alienetur, quia id facit, jure dominij ſive proprietatis, quilibet autem eſt rei ſuæ moderator & arbiter, l. in re. 21. C. mandati, & de re ſua pro arbitrio diſponere poteſt. at verò Princeps vel Magiſtratus ſecularis non habet dominium directum ſive proprietatis: imò nec utile in bonis immobilibus, quæ ad privatos pleno jure ſpectant, ſed ſolùm poteſtatem juriſdictionis, ideóque non poteſt generatim per legem vel ſtatutum prohibere, ne bona immobilia quæcunque alienentur in Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas, cum derogatione juris ſive privilegij Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis jure communi cōceſſi, tale enim ſtatutum apertè eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, ideóq; non valet, Bart. in l. filiusfam. 114. §. Divi. n. 12. ff. de legatis. 1. Quare nec valet argumentum à pacto vel contractu privatorum ad legem vel ſtatutum Magiſtratûs publici, editum in præiudicium Clericorum, Felin. in cit. c. Eccleſia. num. 89.

XCVII. Obiicitur 3. huic ſententiæ communis praxis in multis regnis & provinciis, in quibus talia ſtatuta facta ſunt & obſervantur. Verùm non quid factum ſit, ſed quid fieri debeat, ſpectandum eſt, neque exemplis eſt judicandum, l. ſed neque, 12. ff. de offic. Præſid. junct. gl. marg. ibid. & non ſunt exempla, niſi bona, ſequenda, ut ex Gellio tradit Diana, c. l. ſed neque ſententiæ approbantis tale ſtatutum probabilitati patrocinatur quidquam, quòd S. Pontifex non poſſit neſcire talia ſtatuta in pluri-

bus

bus Regnis & Provinciis Orbis Chriſtiani eſſe condita, & in viridi obſervantia, præſertim ubi ſunt Nuncij Sedis Apoſtolicæ, adeóque cenſeatur illa tacitè approbare: nam inprimis tacitus cõſenſus Principis non poteſt præſumi, ubi jure contrarium eſt expreſſum. Deinde de facto SS. Pontifices & Concilia generalia talia ſtatuta reprobârunt, & illicita ac invalida eſſe declarârunt, prout videre eſt apud Dianam, c.l. reſ.5. ac denique *multa*, ait S. Pontifex, in c. cùm jam dudum. 18. in fine de præb. & alibi, *per patientiam toleramus, quæ non approbamus*, præſertim in iis, quæ ſunt prohibita ſub pœna excommunicationis, ad vitanda ſchiſmata, & alia gravia mala, quæ inde inferri poſſent Eccleſiæ Catholicæ.

XCVIII. Illud poſtremò hoc loco addendum, ſi in provincia aliqua, quidam Prælati, aliique Clerici abuterentur hoc jure communi cum laicis, & nimis multa bona immobilia ad ſe traherent, hoc caſu, tales poſſent indirectè impediri, & querela deferri ad eorum Superiores, vel etiam in horum defectu, ad Papam, ut ab ipſis cohibeatur & reſtringatur immodica iſta coacervatio bonorum immobilium, quæ avaritiam arguit, & ſcandalum parit; & ſic tolli poſſet talis abuſus: non tamen propterea debet omninò tolli uſus, nec generatim per ſtatutum, præſertim propriâ auctoritate Principis ſecularis, ſinè licentia S. Pontificis, conditum, omnes indifferenter Epiſcopi, Prælati, aliique Clerici privari debent, vel poſſunt jure acquirendi, & poſſidendi bona immobilia, per quod redigeretur totus ſtatus Clericalis ad ſtatum Ordinum Mendicantium, qui bona immobilia etiam in communi poſſidere non poſſunt: ex quo graviſſima Eccleſiis & Clericis incommoda inferrentur; tum quia faciliùs intereunt & amittuntur bona mobilia, quàm immobilia. Idque confirmatur ex c. futuram, 15. & c. ſeq. cauſ. 12. q. 1. ubi ratio redditur, quarè Eccleſia habeat poſſeſſiones & prædia, quia plus utilitatis confertur Eccleſiæ de poſſeſſionibus, quàm de pretio.

Nec obſtat, ſi quis dicat, per tale ſtatutum non privari Eccleſias & Clericos bonis immobilibus acquiſitis, ſed ſolùm acquirendis. Nam inprimis ſicut Princeps ſecularis non poteſt ſtatuere de bonis Clericorum acquiſitis, ita nec de acquirendis, ex eodem principio, ob defectum poteſtatis. Deinde SS. Canones, quando loquuntur de privilegiis Eccleſiis & Clericis conceſſis Jure communi Canonico, non diſtinguunt inter bona acquiſita vel acquirenda, ut clarè patet ex c. 1. de immunit. Eccleſ. in 6. ubi prohibetur, ne Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis imponantur collectæ, non ſolùm ſuper bonis acquiſitis, ſed etiam acquirendis: & generaliter privilegia conceſſa Eccleſiis ſunt data ſuper bonis acquiſitis & acquirendis, c. ea enim. 2. cauſ. 10. q. 2. l. jubemus 29. §. 1. C. de SS. Eccleſ. ex qua deſumptus eſt Canon ille. Multò igitur minùs diſtinctio facienda eſt inter bona acquiſita, & acquirenda, quando agitur de jure communi Clericis & laicis. Denique tale ſtatutum generaliter prohibens alienationem bonorum immobilium in Eccleſias, vel Clericos, eſt contra Religionem, adeóque ſi non poſitivè impium, ſaltem non pium, quia evertit omnes fundationes & diſpoſitiones ad pias cauſas, ita ut nemo deinceps hæreditaria bona ſua immobilia, ſive teſtamento, ſive legato, ſive per donationem inter vivos, poſſit relinquere Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, ad obſequium & gloriam Dei, pro ſalute animæ ſuæ, & redemptionè peccatorum ſuorum, cùm tamen cauſæ piæ, non ſolùm divino, ſed etiam utroque Jure, Canonico & civili, ſummè ſint favorabiles, quippe cauſæ Dei.

Quòd ſi tale ſtatutum olim fuiſſet editum, nullos haberemus Epiſcopatus dotatos, vel Eccleſias ſeculares aut regulares. Dices, poſſunt, vi talis ſtatuti, bene adhuc donari, vel teſtamento relinqui bona immobilia Eccleſiis aut perſonis Eccleſiaſticis, ita tamen, ut illa non retineant, ſed vendant, & pretium ex venditione acceptum poſſunt dare ad cenſum annuum. Verùm hæc ipſa conditio nimis dura & iniqua eſt Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, quia multùm intereſt inter bona immobilia, quæ etſi vaſtari & deſtrui, non tamen auferri poſſunt, quin ſaltem fundus maneat: at cenſus facilè perdi poſſunt, ſi debitor cenſûs ad inopiam redigatur, vel ob alios caſus fortuitos, ita ut ſors ſeu ſumma capitalis omnino perdatur, ſicuti frequentiſſima exempla teſtantur. Videmus etiam, hoc tempore, paſſim, vel nullos omnino cenſus annuos ſolvi, vel mediam partem tantùm, idque quàm diu placuerit debitori: neque huic periculo provideri poteſt, ſtante tali ſtatuto, per hypothecam ſpecialem in bonis immobilibus, quia alienationis nomine continetur etiam hypotheca rerum immobilium, adeóque etiam huius incapaces fiunt Eccleſiæ & Clerici. Certè ſi bene ponderentur omnes rationes hactenus allatæ contra tale ſtatutum, non facilè Princeps timoratæ conſcientiæ permittet ſe conſiliis politicis induci ad illud condendum.

§. III.

De aliis Conſtitutionibus reprobatis à Jure Canonico.

XCIX. Aſſertio 1. Statutum alicuius Collegij vel Communitatis, quod vergit in aliquorum commodum, & in aliorum damnum, ſive per quod aliqui magis, quàm alij eiuſdem Collegij, & æquale jus habentes gravantur, iniuſtum eſt, & invalidum. ſumitur ex c. cùm omnes 6. h. t. ubi ſic ſtatutum habetur. Si Canonici alicuius Eccleſiæ Cathedralis, „ in qua antiqua conſuetudo viguit, ut omnes fru- „ ctus ſive reditus ſuarum præbendarum percipiant, „ etiamſi abſentes ſint, & non reſideant, novum ſta- „ tutum faciant, ut antiqui quidem Canonici omnes „ reditus ſuos, tam in abſentia, quàm in præſentia in- „ tegrè percipiant, ſicut hactenus omnes in hoc con- „ ſueverunt eſſe pares: at verò, qui poſt illud ſtatu- „ tum fuerunt facti Canonici, vel deinceps inſtituti „ fuerint, reditus in abſentia non perciperent, ſed „ tunc ſolùm, cùm reſiderent. Item ut vineæ, quæ ſin- „ gulis Canonicorum præbendis hactenus annexæ „ erant, antiquis Canonicis quidem, dum vixerint, „ annexæ manerent, poſt mortem verò eorum, vineæ „ illæ ad ſucceſſores ſive novos Canonicos nõ tranſ- „ irent, ſed provẽtus ſive reditus earum inter omnes „ Canonicos dividerentur. Tale ſtatutum, quoad u- „ tramque partem, iniquum eſt & invalidum, ideó- „ que non obſervandum, ſed omnes Canonici anti- „

» quiores & juniores in perceptione fructuum, tam
» præbendarum, quàm vinearum, debent adæquari,
» ſive pares eſſe, ſecundùm antiquam conſuetudi-
» nem uſque ad illud tempus in eadem Eccleſia ob-
» ſervatam, vel ſecundùm rationabilem conſtitutio-
» nem obſervandam, ſiqua impoſterum condita fu-
» erit, prout habetur in cit. c. cùm omnes, qui eſt caſus illius c. Ratio huius deciſionis eſt, quia lex ſive conſtitutio eſt commune præceptum, ad cuius normam ſeu præſcriptum omnes, qui è communitate ſunt, ſe dirigere debent, vitámque inſtituere, & non ob privatum commodum ſingulorum, ſed ob publicum bonum, & communem utilitatem totius Collegij vel communitatis ferri debet: l. 1. & 2. ff. de legib. c. 2. diſt. 4. At verò prædicta illa conſtitutio Canonicorum, non commune Capituli & Eccleſiæ, ſed potiùs privatum ſingulorum Canonicorum antiquiorum bonum ſeu commodum ſpectat, ut augeant proprios reditus, & in juniorum Canonicorum gravamen cedit, ideóq; iniuſtum eſt, & invalidum: cùm enim ipſi Canonici ſint quaſi unum corpus, non debent diverſo & inæquali jure cenſeri, c. cùm in tua 30. de decimis, gl. fin. in cit. c. cùm omnes v. conſtitutum. Quare hic locum habet illud ſapientis Catonis dictum: *patere legem, quam tu ipſe tuleris: & quod quiſque juris in alterum ſtatuit, eo ipſe uti debet.* cit. c. cùm omnes, & l. 2. ff. Quòd quiſque juris in alterum ſtatuerit. Denique prædictum ſtatutum etiam ex eo capite invalidum eſt, quia cùm omnes Canonici ſint pares, non poſſunt antiquiores de junioribus quidpiam ſtatuere, par enim in parem imperium non habet, l. nam Magiſtratus 4. ff. de recept. Arbitr. Tholoſan. in cit. c. cùm omnes. n. 11.

C. Hinc patet, quòd per conſuetudinem ſaltem immemorialem introduci poſſit, ut Canonici, aliique non curata, ſed ſimplicia beneficia obtinentes, fructus ſeu reditus beneficij ſui, etiamſi abſentes ſint, & non reſideant, percipere valeant, quia jure Canonico antiquo talis conſuetudo non eſt reprobata, ut apertè colligitur ex cit. c. cùm omnes. h. t. & docet gl. fin. ibid. & Abb. ibid. n. 1. dummodo Canonicus vel Clericus beneficiarius non abſit vagandi causâ, nec Eccleſia, propter abſentiam Clericorum, miniſtris ad cultum divinum neceſſariis deſtituatur, alloquin abſens ſaltem per Vicarium ſeu ſubſtitutum deſervire Eccleſiæ debet, Abb. in cit. c. n. 10. Verùm Jure novo Concilii Tridentini ſtatutum fuit, ut obtinentibus in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones non liceat, vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes, ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe. ſeſſ. 24. c. 12. de refor. Poteſt autem Capitulum, cum conſenſu & auctoritate Epiſcopi, per contrarium ſtatutum editum, antiquam conſuetudinem in aliqua Eccleſia receptam non reſidendi, ſive in abſentia fructus ſeu reditus beneficiales percipiendi tollere & abrogare, cùm tale ſtatutum ſit Eccleſiæ utile & conforme Juri communi, ſecundùm quod omnia beneficia, etiam ſimplicia, perſonalem reſidentiam requirunt, c. ſuper inordinata 35. de præbend. c. conquerente 6. de Cleric. non reſident. & ibi Abb. n. 3. quamvìs ſinè conſenſu Epiſcopi, Capitulum Cathedrale id non poſſit, Jo. Andr. in cit. c. cùm omnes n. 5. & 6. & Abb. n. 3. quia non poteſt Eccleſiæ ſtatum mutare, & ſpectato Jure communi, ac ſecluſis ſpecialibus privilegiis & conſuetudinibus, Epiſcopali ſede non vacante, Capitulum, abſolutè loquendo ſpiritualem juriſdictionem non habet, quippe quæ ad Epiſcopum, tanquam paſtorem ordinarium totius Diœceſis pertinet, c. quoniam 9. prope finem de vita & honeſtate Cleric. Suar. lib. 4. de legib. c. 6. n. 11. & ſumitur ex c. cùm conſuetudinis 9. de conſuet.

Excipi tamen debet 1. niſi talis conſuetudo non reſidendi, ſucceſſu temporis, Eccleſiæ damnoſa, adeóque irrationabilis effecta ſit, quia experientiâ conſtat, per illam cultum divinum diminui, & diſciplinam Eccleſiaſticam diſſolvi, vel etiam bona Eccleſiaſtica diſſipari; tunc enim Capitulum per editum commune ſtatutum talem conſuetudinem abrogare poteſt, & ad Jus commune redire, arg. c. 1. de his, quæ fiunt à maiore parte Capit. ſive potiùs declarare, illam non poſſe ampliùs obligare, cùm ad eum caſum devenerit, à quo ab initio nō potuiſſet introduci, Laym. in cit. c. cùm omnes. n. 3. Quin imò hoc caſu Epiſcopus, etiam Capitulo diſſentiente & contradicente, huiuſmodi conſuetudinem Eccleſiæ noxiam tollere poterit, Abb. in c. ad audientiam 15. n. 4. de Cleric. non reſident. Felin. in cit. c. cùm omnes. n. 9. Excipitur 2. niſi Capitulo Cathedrali privilegium non reſidendi, & in abſentia fructus percipiendi, à Sede Apoſtolica conceſſum eſſet, tunc enim Canonici tale privilegium principaliter in favorem eorum conceſſum ei renunciando tollere poſſunt, & ſtatuere, ut deinceps Jus commune obſervetur, c. cùm acceſſiſſent 8. in fine h. t. in quo habetur, quòd Canonici poſſunt renunciare privilegio, quod principaliter in eorum favorem eſt conceſſum, Laym. in cit. c. cùm omnes. n. 3. in fine.

CI. Porrò illud hoc loco adhuc quæri poteſt, an Epiſcopus, cum conſenſu Capituli vel Cleri, ſtatutum facere poſſit, ut Canonici, vel alij Beneficiarij antiqui, & jam recepti, juxta veterem conſuetudinem, liberè poſſint non reſidere, & nihilominus fructus percipere: novi verò Canonici aut Clerici, qui deinceps inſtituendi erunt, omnes reſidere teneantur, ſi fructus percipere velint? Affirmant communiter Canoniſtæ in cit. c. cùm omnes. h. t. Innoc. n. 1. Hoſtienſ. col. 3. §. quid ergo. Jo. Andr. n. 24. Abb. n. 3. contra gl. ibid. v. conſtitutum. Ratio eſt, quia non eſt iniquum, ut antiqui, ſeu jam inſtituti Canonici ſervent antiquam conſuetudinem, novi verò ſive poſtea inſtituendi novo ſtatuto ligentur, quod ſcienter admiſerunt, quia proprium eſt conſtitutionis, ut reſpiciat non præterita, ſed futura, c. 2. h. t. & poteſt tale ſtatutum eſſe rationabile, & Eccleſiæ utile. Nec obſtat, quod obiicit gl. cit. per tale ſtatutum inæqualitatem induci inter Canonicos, qui cùm conſtituant unum corpus, ſeu Collegium, nō debent diverſo jure cenſeri, c. cùm in tua 30. inf. de decimis. Nam reſpondetur, quòd etiam inter eos, qui ſunt ex eodem Collegio, & eiuſdem aliàs juris eſſe cenſentur, poſſit aliqua inæqualitas conſtitui, ob cauſam rationabilem, & neceſſitatem aliquam, qualis hîc reperitur, quia v. g. antiqui Canonici difficulter induci poſſunt, ut in novum ſtatutum, quoad ſuas perſonas, conſentiant, etſi aliàs utile Eccleſiæ foret: & quia talis mutatio antiquæ conſuetudinis ipſis gra-

vis

vis accideret, ſi ad reſidentiam de novo obligarentur, à qua antea liberi erant: non verò tale ſtatutū ita gravabit Canonicos novos, quia ipſi eâ conditione recipientur, ut juxta Jus commune reſidere teneantur, ut notavit Laym. in cit. c. cùm omnes n. 7.

Simile ſtatutum fieri poteſt in Generalibus Capitulis ſeu Congregationibus Religioſorum Ordinum, causá reformationis, ut nimirum antiquis profeſſis liberum ſit vivere ſecundùm regulam per privilegium vel conſuetudinem toleratam, mitigatam, ſeu relaxatam, illi verò, qui deinceps recipiendi erunt, teneantur ſervare regulam ſtrictè, ſecundùm primævam ſuam inſtitutionem; dummodo tamen non ſit nimis magna diverſitas inter perſonas eiuſdem Collegii ſeu Communitatis aut Monaſterij, ut limitat Laym. c. l. n. 8. quia duplicitas plerumque reprobatur, inquit Jo. Andr. in cit. c.

CII. Aſſertio 2. Præterea non valet ſtatutum à Capitulo vel Collegio Clericorum editum, quod in cultûs divini diminutionem cedit: ſumitur ex c. ex parte 12. h. t. & tradunt ibi Canoniſtæ communiter. Ratio eſt, quia tale ſtatutum, per quod diminuitur cultus divinus, & conſequenter etiam ſpiritualis animarum ſalus impeditur, eſt Eccleſiæ damnoſum, adeóque irrationabile & invalidum, » Laym. in cit. c. n. 2. Quare ſtatutum Capituli, » per quod numerus præbendarum alicuius Eccleſiæ » ex antiquo tempore per ſtatutum vel conſuetudi» nem definitus reſtringitur, ſive diminuitur, licèt » reditus diminuti non ſint, non valet, ſed manda» to & auctoritate Sedis Apoſtolicæ antiquus nume» rus præbendarum ſervari, & reſtitui debet: ideóq; » ſi quæ præbendæ à tempore ultimi ſtatuti vacave» rint, ex perſonis idoneis, adhibito Epiſcopi conſi» lio, conferendæ ſunt, non obſtante aliquâ conſti» tutione ſuper hoc ab ipſis Canonicis factâ, vel con» firmatione à Sede Apoſtolica de præbendis mi» nuendis obtentâ. ita expreſsè dictum in cit. c. ex parte. Ratio eſt, tum quia tale ſtatutum cadit in diminutionem cultûs divini Numinis, qui potiùs augeri debet, quàm minui, cit. c. ex parte; tum quia procedit ex radice cupiditatis & avaritiæ, c. eodem ibi: *propriis commodis inhiantes*, id eſt, cupiditati intendentes, gl. v. eodem. ut, quantò inter pauciores cuiuſvis Eccleſiæ proventus dividuntur, tantò majores fieri poſſint ſingulorum percipientium portiones, prout dicitur in c. ult. de conceſſ. præb. in 6. c. dilecta 4. de confirmat. utili. ideóque iniquum eſt & irritum. Idque extenditur, quòd eiuſmodi ſtatutum non valet, tametſi à Papa confirmatum ſit, in forma communi ſcilicet, quia talis confirmatio nihil de novo tribuit, nec dat actui ulli valorem, quia, quod non eſt, non poteſt confirmari, gl. in cit. c. ex parte v. confirmatione; quamvis hoc operetur huiuſmodi confirmatio, ut ſtatutum non poſſit revocari per ſtatuentes. Secus eſt, ſi Papa ex certa ſcientia confirmaret tale ſtatutum, ob juſtam & legitimam cauſam, tum enim validum foret, gl. in cit. c. in fine caſûs. Quòd ſi fortè confirmatio ſtatuti de minuendis præbendis ſubreptitiè impetrata fuit à Papa, eò quòd à Capitularibus in impetratione confirmationis nulla facta eſt mentio de numero præbendarum antiquo ſtatuto definito, nec expreſſum, reditus earum diminutos non eſſe, etiam ex hoc capite invalida eſt confirmatio, nullúmque effectum habere poteſt, gl. in cit. c. v. confirmatione in fine. Aliud verò dicendum eſt, ſi reditus notabiliter fuerint diminuti, & decreverint, tum enim Canonici Capitulares, cum auctoritate Epiſcopi, numerum præbendarum etiam antiquo ſtatuto, & à Papa confirmato inſtitutum poſſunt diminuere, ita ut præbendæ ſuppreſſæ ſeu extinctæ non ampliùs cenſeantur vacare, ut à contrario ſenſu colligitur ex cit. c. ex parte, & ibi gl. v. diminuti & Abb. n. 2. & habetur etiam in c. cùm M. 9. h. t. ſicut vice verſâ, auctis reditibus, plures præbendæ poſſunt inſtitui, etiam ultra numerum ab antiquo ſtatutum, cit. c. cùm M. gl. in cit. c. ex parte, v. diminuti, de quo infrà.

CIII. Aſſertio 3. Denique ſunt invalida ſtatuta Clericorum condita contra Jus Canonicum, quia Epiſcopi, aliique Prælati inferiores, & Collegia Clericorum, etiam cum auctoritate Epiſcopi, nihil ſtatuere poſſunt contra SS. Canones, ſeu Leges univerſales Eccleſiæ, c. quòd ſuper his. 9. de maiorit. & obed. ubi habetur, quòd Epiſcopus etiam in Synodo non poſſit aliquid ſtatuere contrarium SS. Canonibus. Quamvis Duces, Marchiones & Comites, qui à Cæſare Regalia habent, poſſint ex eiuſdem conceſſione, pro terris ſuis ſtatuta municipalia condere cōtra Jus civile ſive leges Cæſareas; ſalvis tamen ijs, quæ Principi ſummo ſive Imperatori ſpecialiter in ſignum ſupremæ poteſtatis reſervata ſunt, & dummodo per huiuſmodi ſtatuta nullum præiudicium inferatur Imperatori, nec aliis Principibus ac populis, Abb. in c. ult. n. 9. de conſuet. ubi rationem diverſitatis reddit inter Clericos & laicos, ſed quæ non videtur ſufficiens, Imola in c. quæ in Eccleſiarum 7. n. 14. h. t. Rationem autem diverſitatis, cur Principes & Magiſtratus ſeculares poſſint ſtatuta facere contra Jus Cæſareum, non item Prælati Papâ inferiores, vel Collegia Eccleſiaſtica contra Jus Pontificium, communiter hanc aſſignant, quòd poteſtas legis Eccleſiaſticæ condendæ in Papa ſit immediatè à Deo, ideóque inferiores Papâ non poſſint ſtatuta facere contra leges Pontificias, poteſtas verò ferendæ legis civilis ſeu ſecularis immediatè jure gentium ſit data populo, ideóque hic poteſt ſtatuere contra Jus Civile, licèt poſtea eā poteſtas à populo ſit translata in unum Principem, ut tradunt DD. in l. fin. C. de legib. Verùm rectiùs dicitur, quòd populus idcirco poteſt ſtatuere contra Jus Civile, quia etiam poſtquam omnis poteſtas translata fuit à populo in Principem, ſeu Imperatorem, libera poteſtas ſtatuendi, ab Imperatore fuit relicta populo, & denuò conceſſa: iuxta l. omnes populi. 9. ff. de juſtit. & Jure. Imola in c. fin. n. 10. de officio Legati, Felin. in cit. c. quod ſuper his n. 3. de maiorit. & obed. In ſpecie verò Ducibus & Principibus Imperij conceſſit Imperator talem poteſtatem ſtatuendi, quæ ſuis provinciis ſunt convenientia, etiam adversùs leges Juris communis. Nullibi autem reperitur libera poteſtas ſtatuendi & proprias leges ferendi contra SS. Canones conceſſa Prælatis Papâ inferioribus, inferior enim non poteſt tollere legem Superioris, maximè ſi inferior ab illo Superiore accipiat poteſtatem, ut Prælati Eccleſiaſtici inferiores à Papa, Clement. 2. in princ. & ibi gl. v. inferiorem de elect.

SECTIO III.

DE INTERPRETATIONE, EXtenſione, & abrogatione Conſtitutionum, ſeu Statutorum.

§. I.

De Interpretatione Legis, vel Statuti.

CIV. Aſſertio 1. In interpretatione Legum vel Statutorum obſervandæ ſunt certæ regulæ, quæ communiter à Doctoribus traduntur, Suar. l. 6. de legib. c. 1. n. 7. & ſeqq. Sylveſt. v. lex n. 16. & ſeqq. & alij communiter. Prima eſt, in interpretatione legum non tam verba ſpectanda ſunt, quàm mens & voluntas ſeu intentio legislatoris, quæ eſt veluti anima legis, à qua hæc omnem vim obligandi habet, l. ſcire. 17. ff. de legib. l. non dubium. 5. C. eodem. reg. ult. in 6. c. in his 15. ibi: *cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni debeant deſervire*, de verb. ſignific. c. humanæ, 11. cauſ. 22. q. 5. Suar. cit. loc. n. 12. Colligitur autem ea mens & voluntas, tum ex materia legis, tum ex circumſtantiis, præcipuè verò ex fine & cauſa, ſive ratione motiva, ob quam lex fertur, Laym. l. 1. tract. 4. c. 18. o. 4. Secunda regula, verba legis interpretanda ſunt, ſecundùm communem & uſitatam, ſeu propriam eorum ſignificationem, à qua recedendum non eſt, niſi neceſſitas, vel ratio cogat, l. 1. §. licèt autem. ff. de exercitor. actione, ubi dicitur: *in re dubia melius eſt verbis Edicti ſervire*. Suar. cit. c. 1. n. 7. ut quia de mente legislatoris aliunde certior coniectura habetur, arg. l. non aliter. 69. ff. de legatis. 3. vel quia ex uſitata & propria ſignificatione aliquod abſurdum & incommodum ſequeretur, l. benigniùs. 18. & l. ſeq. ff. de legib. vel antiquiorum jurium correctio, quæ, quoad fieri poteſt, vitanda eſt, ſed jura juribus concordanda ſunt, ſi rationabiliter poſſint, c. cùm expediat. 29. de elect. in 6. vel ſi recepta conſuetudo aliter legem interpretetur, cùm communis uſus & conſuetudo ſit optima legum interpres, l. ſi de interpretatione 37, ff. de legib. Tertia regula, lex univerſalis & generalis ſive generatim & indefinitè loquens, etiam generaliter & univerſaliter intelligenda eſt, ita ut locum habeat in omnibus, quæ ſub tali genere in propria verborum ſignificatione continentur; v. g. lex loquens de filiis, etiam filias comprehendit, ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, Suar. l. 6. de legib. c. 2. n. 3. & 4. niſi lex generalis per ſpecialem priorem vel poſteriorem limitetur, ſive in ea aliquis caſus excipiatur, gl. in l. de pretio. 8. v. pretium. ff. de publiciana in rem actione. Imò etiam lex pœnalis loquens in communi & in genere comprehendit omnes ſpecies ſub propria verborum ſignificatione contentas, uti ſumitur ex l. cum lege 26. ff. qui teſtam. facere poſſunt. Decius in l. factum 155. aliàs 195. §. in pœnalibus o. 10. ff. de reg. jur. Quarta regula, verba legum ita accipienda ſunt & intelligenda, ut ipſæ non reddantur otioſæ, & inutiles, ſed ſemper aliquid operari debent, & effectum ſuum habere, etiamſi lex decernat aliquid in materia ſtricta & pœnali, vel odioſâ: ſic lex prohibens uſurarios facere teſtamentum, niſi ſervatis certis conditionibus, comprehendit etiam facientes codicillos, quia aliàs conſtitutio facilè eludi poſſet, gl. communiter recepta in c. 2. §. fin. v. aliter facta, de uſuris in 6. arg. c. in his 30. de privileg. aliud exemplum habetur in c. ſi civitas 17. de ſentent. excommun. in 6.

CV. Aſſertio 2. Præterea verba ſtatuti in dubio explicari debent, ut, quãtum fieri poteſt, ſalvâ eorum proprietate, & communi acceptione, à Jure communi non recedatur, ſed ut cum eodem conſentiat, gl. communiter recepta in c. cùm dilectus 8. v. juri communi de conſuetud. quia derogatio, ſeu correctio Juris communis, cùm ſit favorabile, vitanda eſt, ſi poſſit, c. cùm expediat 29. in princip. de elect. in 6. Unde etiam ſtatuta particularia recipiunt interpretationem à Jure communi propter eius favorem, & à ſtylo ſeu conſuetudine Curię principalis, qui etiam jus facit, c. quàm gravi 6. de crimin. falſ. ita quidem, ut, ſi ſtatutum ſit Eccleſiaſticum, interpretari illud oporteat, ſecundùm Jus commune Canonicum, & ſtylum Curiæ Romanæ: ſin autem ſit ſtatutum civile ſeu ſeculare, interpretandum ſit ſecundùm Jus commune civile, & ſtylum Curiæ Regni, Abb. in c. ex literis 11. n. 5. h. t. Quin imò etiam in interpretatione ſtatutorum attendenda eſt conſuetudo cuiuſque loci, ita ut Communitas, ſecundùm conſuetudinem ab antiquo tempore obſervatam, ſtatuere voluiſſe cenſenda ſit, niſi aliud ſignificet, arg. c. cùm conſuetudinis 9. de conſuetud. & l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo, Laym. in cit. c. ex literis n. 4. h. t. Ex dictis infertur, ſi ſtatutum decernat in aliquem pœnam privationis, ſive excluſionis à communione aliorum propter eius contumaciam, non exprimendo, ut ea ſit perpetua privatio, ſeu remotio, tunc cenſendum eſt, eam pœnam non eſſe perpetuam, ſed temporalem ſolùm, ita ut lata ſeu decreta ſit dependenter à contumacia, ac proinde, eâ ceſſante, etiam pœna ceſſare & remitti debet, quia ita obſervatur Jure Canonico, & ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, circa privationes ſeu ſuſpenſiones à beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, ſi propter contumaciam infligantur; ſumitur ex cit. c. ex literis. 11. h. t. & ibid. Abb. in ſumma huius c. ubi habetur: Si in Univerſitate aliqua Collegium Ma- »
giſtrorum ſeu Profeſſorum ſtatutum juramento »
confirmatum condidit, ut, ſi quis ex Magiſtris ſeu »
Profeſſoribus ordinationi Univerſitatis ſive totius »
Collegij ipſorum reſtiterit, & tertiò monitus infra »
triduum parère contempſerit, ex tunc conſortio a- »
liorum Magiſtrorum ſive communione Collegij »
privaretur, & ab actibus communibus, videlicet »
conventibus, conſiliis, publicâ Profeſſione, exami- »
nationibus, & Doctorum creatione excluderetur: »
nous verò ex Magiſtris Ordinationem illam tranſ- »
grediatur, & contumax ſit, ſeu parère nolit, ideó- »
que communione Magiſtrorum privetur, & ab eo- »
rum ſocietate excludatur: poſtea verò à contuma- »
cia deſiſtat, & ad condignam ſatisfactionem ſe of- »
ferat, hoc caſu tranſgreſſor ille, poſt præſtitam de- »
bitam ſatisfactionem, ad communionem ſeu con- »
ſortium Collegij in actibus Magiſtralibus recipi »
& reſtitui poteſt, ac debet, non obſtante juramento »
ſtatuto adiecto, quia cùm in ſtatuto non fuerit ex- »
preſſum, ut in perpetuum huiuſmodi privatio ſeu »
exclu-

» excluſio propter contumaciam inflicta dntaret, cē-
» ſeri debet, quòd tantùm ad tempus fuerit inflicta,
» donec reus à contumacia receſſerit, nam etiam ſe-
» cundùm Jus commune Canonicum, & ſtylum ſeu
» conſuetudinem Cutiæ Romanæ, is qui propter
» contumaciam communione privatnr, ſi ſatisfactio-
» nem congruam exhibuit, reſtitui ſolet; ita habetur
in cit.c. ex litteris. Confirmatur, quia in interpre-
tatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm
aſperandæ, l.pen.ff.dc pœnis.l.factum 155.§.fin. ff.de
reg.jur. & in pœnalibus cauſis benigniùs interpre-
tandum eſt; adeóque in dubio, an pœna privationis
ſit perpetua, an temporalis, ſolùm temporalis cenſe-
ri debet.

CVI. Prædicta autem procedunt, ſi pœna
privationis impoſita ſit propter contumaciam, ſecus
enim eſt, ſi impoſita ſit propter crimen, ſive ſi contu-
macia tranſiit in ſpecificum crimen, tunc enim in
dubio cenſetur eſſe perpetua; ut ſi Clericus per con-
tumaciam non reſideat in ſua Eccleſia, poſtquam ter
citatus & admonitus fuit, & non paruit, pœna pri-
vationis ei infligitur in perpetuum, per modum pœ-
næ abſolutæ, c. ex tuæ. 11. de Cleric. non reſidenr.
Abb.in cit. c.ex litteris. n. 10.b.t. quamvls talis pœ-
na etiam per ordinariam diſpenſationem ſeu relaxa-
tionem tolli poſſit, ſi non ſit reſervata, Felin. ibid. n.
18.& Laym.n.5. Si autem pœna v.g. exilij ob aliud
crimen ſimpliciter & abſolutè ſit lata à Judice per
definitivam ſententiam, & cùm cauſæ cognitione,
cenſetur eſſe perpetua, ſaltem donec revocetur, ſive
remittatnr, quia cùm non ſit tempus determinatum
ac certum adiectum, de quolibet tempore intelligi-
tur, gl.in cit. c.ex litteris v. in perperuum, Abb. ibid.
n.10.Imola n.7.Felin. n.11. Quòd ſi pœna à Judice
ſen Magiſtratu ſit impoſita extra judicium, & ſinè
præmiſsa cauſæ cognitione, interlocutoriè ſolùm
pronunciando; v.g. ſi interdicatur alicui bonorum
adminiſtratio, vel exercitium artis ſuæ, tunc cenſe-
tur eſſe tantùm pœna temporalis, ita ur non duret
ultra tempus juriſdictionis Judicis imponentis, quā-
diu ille juriſdictionem obtinet, l.fin. ff. de pœnis. In
dubio autem, an pœna impoſita ſit propter contu-
maciam, an ob crimen, cenſeri debet, eſſe impoſitam
ob contumaciam, quia in pœnis benignior eſt inter-
pretatio facienda, iuxta reg.jur.49.in 6. Abb.& Imo-
la citt. locis.

CVII. Aſſertio 3. Ad interpretationem &
explicationem legum ſeu ſtatutorum etiam perti-
net, ut conditio ſive clauſula, ſecundùm præſcriptum
Juris communis, vel ſtylum Curiæ, aut loci conſue-
tudinem apponi ſolita tacitè ſubintelligi debeat, etſi
expreſſa non ſit. Abbas in c.cùm Martinus 9.n.5. h.t.
Felin.ibid.n.6.& alij DD.communiter. Sic ſtatutum,
tametſi à Papa confirmatum ſit, de certo ac determi-
nato præbendarum numero in Eccleſia inſtituendo,
intelligendum eſt cum clauſula, niſi in tantum ex-
creſcerent Eccleſiæ facultates, nt pluribus poſſint
competenter ſufficere, quia hæc clauſula ſecundùm
SS.Canonum præſcriptum, & ſtylum Curiæ tacitè
ſubintellecta cenſetur, etſi non exprimatur, cit. c.
cùm M.& tradit ibid. Abb. n.4. nam prout in cit. c.
» habetur, Canonici Capitulares Cathedralis Eccle-
» ſiæ Ferrarienſis ut reditus ſuos augerent, contra an-
» tiquam conſuetudinem ſtatuerunt, ut præbendæ
Canonicorum ad minorem numerum, v.g. 14. re- »
digantur, & reliqnos reditus, præter partem quan- »
dam proventuum communi menſæ Capitulari de- »
putatam, inter ſe diviſerunt, ita ut reditus, qui an- »
tea dividi conſueverant inter plures, in uſus cede- »
rent paucorum; quod ſtatutum Capituli de nume- »
ro præbendarum 14. conſtituendo à Papa confir- »
matum fuit: quia juſta cauſa minuendi numerum »
Canonicorum, & ſupprimendi Eccleſiaſtica bene-
ficia eſt, ſi Eccleſia valde tenues reditus habeat, cùm
non plures Canonici & Eccleſiæ miniſtri inſtitui de-
beant, quàm ex reditibus decenter ſuſtentari poſſint.
c.1.de inſtit c.ult.juncta gl.v.iuxta facultates de ver-
bor. ſignif. Ideóque Capitulum, cum conſenſu E-
piſcopi, talem diminutionem præbendarum validè
& licitè facere poteſt, & confirmationem talis ſtatuti
à Sede Apoſtolica petere, gl.in c.ex parte 12.v. dimi-
nuti h.t. Abb.in cit.c.cum M. n. 1. Sed poſtea Ca- »
nonici iſti contra propriam Conſtitutionem veni- »
entes, alios quinqne in Canonicos receperunt, nul- »
lis præbendis eiſdem aſſignatis: & licèt reditus Ec- »
cleſiæ, ſeu menſæ Capitularis non modicum aucti »
fuerint, non tamen voluerunt ex auctis reditibus »
eis providere, ſive præbendas aſſignare. Cùm ve- »
rò poſtmodum in Eccleſia illa una præbenda va- »
caret, Capitulum, ad quorundam inſtantiam, duos »
ad eam inſtituit (ſcilicet, ut reditus inter ſe divide- »
rent, nam ipſa præbenda dividi non poteſt, ſive ſi- »
mul duobus conferri, ſaltem ſinè ſuperioris aucto- »
ritate, c.maioribus.8.de præbendis) poſtea verò ad »
preces Epiſcopi duos alios in Canonicos recepit, »
ſinè præiudicio tamen prædicti ſtatuti, & eâ condi- »
tione, ut jus Canoniæ haberent, ſed nullos reditus »
perciperent, donec priores duo integras præbendas »
eſſent aſſecuti, proventus verò Eccleſiæ, qui per »
quorundam Canonicorum induſtriam aucti fue- »
runt, communi Menſæ Capitulari deputati fue- »
runt, eò quòd minùs ſufficientes eſſent, quos dicti »
quinque contra Capituli conſtitutionem ſibi in »
beneficium ſeu prębendas aſſignari petebant. Qua- »
re ex mandato Papæ Innocent.III.4.Canonicę prę- »
bendæ ex reditibus excreſcentibus ſive auctis con- »
ſtitui debent, non obſtante Papali confirmatione »
ſtatuti de minuendo numero præbendarum uſque »
ad 14.cùm in eo vel fuerit, vel eſſe debuerit, ſicut »
conſuevit, expreſſum, vel ſaltem tacitè ſubintelle- »
ctum, *niſi poſtea Eccleſiæ facultates ſeu reditus in tan-* »
tum excreverint, ut pluribus Canonicis inſtituendis com- »
petenter ſufficere poſſent, ita ut noviter recepti æqua- »
les cum antiquis ſortiantur præbendas. Accedit, »
quòd ipſi Canonici à ſtatuto ſuo ſponte receſſe- »
runt, ſupra ſtatutum numerum, 4. in Canonicos ad »
vacaturas prębendas recipiendo, (præter illam, quæ »
integra & non dimidiata, ut Capitulum volebat, aſ- »
ſignari debet ei, qui primus ad illam vacantem re- »
ceptus eſt) quod autem ſuperfuerit, in communes »
Canonicorum uſus, ſicut primi ſtatuerant, ſive ali- »
ter, prout melius videbitur, convertatur. Quæ ve- »
rò, poſt litem motam & conteſtatam, circa præben- »
das & earum poſſeſſionem innovata fuerunt, re- »
ſcindenda ſunt, & irrita declaranda. ita habetur in »
cit.c.cùm M.h.t.qui eſt caſus illius c.

CVIII. Hinc infertur 1. quòd ſtatutum de
certo numero Canonicorum & præbendarum reci-

F 3 nendo,

nendo, etiamſi à Papa confirmatum ſit, adiectâ clauſulâ irritante, *ſi quid contra factum fuerit*, nihilominus mutari poteſt, eâ confirmatione non obſtante, ita ut ſi reditus notabiliter aucti ſint, etiam numerus Canonicorum & præbendarum augeri poſſit, ſicut & vice versâ diminui, ſi reditus notabiliter diminuti fuerint, dummodo etiam augmentum vel decrementum ſtabile futurum eſſe, probabiliter exiſtimetur, Abb. in c. cùm acceſſiſſent. 8. n. 4. h. t. Felin. ibid. n. 17. Garcias p. 12. de benef. c. 1. n. 5. & 6. Idémque dicendum, ſi tale ſtatutum juramento ſit confirmatum, poteſt enim illud mutari, & numerus Canonicorum & præbendarum augeri vel minui, notabiliter auctis vel diminutis reditibus, non obſtante juramento, & abſque periculo perjurii, Abb. in c. dilecto 25. n. 18. de præbend. Ratio eſt, quia tam in juramento, quàm in confirmatione, & aliis diſpoſitionibus, tacitè ſubintelligendum eſt, ſi res in eodem ſtatu permaneat, ſive notabiliter mutata non fuerit; ſi verò naturalis ratio æquitatis & SS. Canones requirant, mutationẽ faciendam eſſe, tum quando mutatio eſt notabilis, res quaſi in alio ſtatu conſtituitur, ad quam veriſimiliter intentio promittentis, vel jurantis, vel ſtatuentis ſe non extendebat, prout ſumitur ex c. veniens. 16. & c. brevi. 17. & c. quemadmodum. 25. de jureiurando. Sanch. l. 4. Moral. c. 2. n, 22. Aliud eſt, ſi reditus non notabiliter augeãtur, vel minuantur, nam ob modicum augmentum vel decrementum redituum, ſtatutum, præſertim juratum vel à Papa confirmatum, mutari non debet: gl. in c. 1. v. abſque penuria de inſtitut. & ibid. Abb. n. 5. Sed reditus exteſcentes ad cõmunem uſum Capituli, vel aliter, prout melius fore videbitur; applicari poſſunt, iuxta cit. c. cùm M. h, t.

CIX. Infertur 2. Si ſtatutum à Capitulo, cum conſenſu Epiſcopi, factum ſit de certo ac definito numero Canonicorum admittendo & retinendo, & Capitulum, ultra numerum definitum, aliquem in Canonicum extraordinariè recipiat, ut ſit ſupernumerarius, eâ tamen conditione, ſive cum expreſsa proteſtatione, ut interim, donec præbenda aliqua vacaverit, reditus nullos percipiat, tum valet talis proteſtatio, quia Capitulum non tenebatur ultra numerum eum recipere in Canonicum, neque volebat excedere & augere numerum Canonicorum ſtatuto definitum, ſed ſolùm gratiam extraordinariam facere; ut ex eo patet, quòd tanquam ſupernumerarium recepetit. gl. in cit. c. cùm M. v. extra numerum h. t. Felin. ibid. n. 23. limitar. 1. Idem dicendum, ſi Papa ſimpliciter mandaret Capitulo aliquem recipi in Canonicum, extra ordinem, & tanquam ſupernumerarium, quia tum non cenſetur velle derogare numero ſtatuto definito, adeóque non velle, ut ſic receptum plenum jus habeat in Canonicatu, ſed ſolùm jus extraordinarium, & præparatorium ad jus plenum, Felin. c. l. limitat. 2. Aliud eſt, ſi Capitulum, ſecundùm præſcriptum SS. Canonum, debeat aliquos Canonicos recipere ſupra numerum ſtatuto definitum, quia reditus præbendarum ſunt notabiliter aucti, ut & pluribus Canonicis congruè alendis ſufficiant, ideóque non liberâ voluntate, ſed ex obligatione, & debito officij, novos Canonicos recipiat, tunc enim nihil juvat proteſtatio, ut Canonici noviter recepti nullos reditus habeant; dum præbenda una vel plures vacaverint, quia talis proteſtatio eſt facto contraria, id eſt, cum eo, quod agitur, non poteſt conſiſtere, ut patet ex cit. c. cùm M. gl. ibid. v. ſinè præiudicio. Abb. num. 16.

CX. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel factum ſive actus, contra quem fit proteſtatio, non eſt in libera poteſtate proteſtantis, tunc talis proteſtatio non valet, quia proteſtatio cõcernit jus in futurum, ideóq; non valet, ſi facta ſit de eo, quod non eſt in libera poteſtate proteſtantis, nõ enim poteſt conſervare jus in futurum, quod de jure per ipſum proteſtantem exerceri non poteſt, Quido Papæ deciſ. 172. n. 2. v. g. ſi Clericus contra aliquem criminalem actionem inſtituat de crimine capitali ſeu morte digno, quamvìs proteſtetur, ſe vindictam ſanguinis non intẽdere, nihil juvat, quò minùs ſecuto mortis ſupplicio, irregularitatem contrahat ex defectu lenitatis, quia Clericus non poteſt criminaliter accuſare ad pœnam ſanguinis. Vel factum, ſeu effectus eſt in libera poteſtate proteſtantis, & tunc iterum diſtinguere oportet: vel enim proteſtatio eſt contraria actui pendenti ex libera voluntate agentis, ſecundùm rei naturam, ſive ſecundùm intrinſecam ipſius actûs ſubſtantiam ſeu conſtitutionem: vel repugnat actui ſecundùm extrinſecam legis ſeu juris diſpoſitionem, quod enim de jure agere non poſſumus, id cenſendum eſt abſolutè nos agere non poſſe. Priore caſu, ſi proteſtatio oppoſita ſit contra ſubſtantiam actûs, quia non videtur is voluntariè agere, qui actui conditionem apponit contrariam ſubſtantiæ ipſius actûs, Felin. in cit. c. cùm M. n. 72. h. t. Ut ſi quis v. g. Religionem profiteatur, cum proteſtatione, ut liceat ei poſſidere proprium, profeſſio eſt irrita, quia talis conditio ſeu clauſula repugnat ſubſtantiæ profeſſionis, Joan. Andr. in cit. c. cùm M. n. 30 Quido Papæ c. l. n. 2. Excipi tamen debet, niſi contractus aliquis deſcendens ex jure gentium vel civili, ratione proteſtationis aut conditionis adiectæ, cenſeatur tranſire in aliam ſpeciem contractûs, Felin. c. l. n. 73. Ut ſi quis v. g. alicui mandavit negotium, conſtitutâ ipſi mercede, talis conventio tranſit in contractum locationis, quia mandato contraria eſt merces, cùm enim originem trahat ex officio & amicitia, ſuâpte naturâ, debet eſſe gratuitum, l. 1. in fine ff. mandati. Poſteriore caſu, ſi proteſtatio ſit contraria actui liberâ voluntate exercito, ſecundùm extrinſecam legis diſpoſitionem, actus quidem valet, ſed proteſtatio ſeu cõditio appoſita habetur pro non adiecta, adeóque inutilis eſt, Abb. in cit. c. cùm M. n. 16. Laym. ibid. n. 15. Ut in exemplo ſuprà allato, ſi Capitulares quoſdam in Canonicos recipiant, additâ proteſtatione, ut reditus præbendæ non percipiant, donec vacaverit, tunc receptio quidem & inſtitutio Canonicorum valet, ſed quia proteſtatio illa repugnat legibus Eccleſiaſticis, quæ requirunt, ut Canonicis inſtitutis præbenda aſſignetur, ſi reditus notabiliter creverint, ideo proteſtatio illa reiicitur, & pro non adiecta habetur, cit. c. cùm M,

Similiter ſi Princeps vel communitas ſtatutum edat, appoſitâ proteſtatione, quòd id ampliùs revocari non poſſit, nec debeat, ſtatutum ſubſiſtit, ſed revocabile eſt, non obſtante dictâ proteſtatione, ſeu clauſulâ, quia cùm non pertineat ad eſſentiam ſtatuti revocabilitas, ideo proteſtatio ſeu clauſula adiecta de non revocando, non eſt contra intrinſecam ſubſtan-

ſtantiam ſtatuti, ſed ſolùm extrinſecè ei contraria eſt, propter legis poſitivæ conſtitutionem, ut revocari poſſit (nam regulariter qui legem fert, poteſt illam etiam revocare & tollere) & proteſtatio illa ſeu clauſula tum ſolum habet effectum, ut, ſi poſtea ſtatutum priori cõtrarium fiat, ſinè expreſſa derogatione prioris ſtatuti, poſterius irritum cenſendum ſit: Laym. cit. loc. nam ſi prior voluntas vel diſpoſitio deroget poſteriori, prior valet, niſi per poſteriorem expreſsè revocetur, Bart. in l. omnes populi. 9. n. 31. ff. de juſtit. & jur. Abb. in c. cùm acceſſiſſent. 8. n. 3. h. t.

§. II.

De Extenſione Legis vel Statuti.

CXI. Supponendum inprimis, duplicem eſſe extenſionem legis, unam comprehenſivam ſive incluſivam, quæ eſt extenſio impropriè dicta: alteram purè extenſivam, quæ eſt extenſio propriè dicta. Extenſio comprehenſiva ſive incluſiva legis eſt, per quã diſpoſitio ſeu deciſio legis transfertur ad alium caſum, vel perſonam non contentam ſub verbis legis, ſeu per verba non expreſſam, comprehenſam tamen in mente legiſlatoris, Sylveſt. v. lex n. 18. Suar. l. 6. de legib. c. 3. n. 9. Et hæc non eſt propriè extenſio, cùm enim in omni lege præcipuè attendi debeat ad mentem, ſive intentionem legiſlatoris, & non præcisè ad verba, quibus uſus eſt; ſi quæ deciſio ſive diſpoſitio ſit ſecundùm mentem legiſlatoris, quæ ex lege probabiliter colligi poteſt, in ipſa lege comprehenſa cenſeri debet, uti ſumitur ex c. ſi poſtquam 33. §. ſi verò electus juncta gl. v. mente de elect. in 6. & ex l. ſcire. 13. §. aliud ibi: *ſed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legiſlatoris aliud vult.* ff. de excuſat. tutor. Extenſio merè extenſiva & propriè dicta eſt, per quam transfertur, ſive extenditur alicuius legis diſpoſitio ſeu deciſio, propter paritatem rationis, ad alium caſum vel perſonam, nec ſub verbis legis, nec ſub mente legiſlatoris comprehenſam, ideóque etſi non ſit contra mentem legiſlatoris, eſt tamen præter vel ultra illam, Suar. c. l. Laym. in c. translato. 3. n. 4. h. t.

CXII. Aſſertio 1. Extenſio legis impropriè dicta ſive comprehenſiva, ob adæquatæ rationis omnimodam ſimilitudinem ſeu identitatem, fieri poteſt ac debet, non tantùm in lege favorabili, ſed etiam odioſa aut pœnali, idque tam intra, quàm extra judicium, Sylveſt. cit. loc. Suar. cit. l. 6. c. 4. n. 2. Ratio eſt, quia quando ob identitatem adæquatæ rationis probabiliter præſumi poteſt de mente legiſlatoris vel ſtatuentis, eum voluiſſe etiam alia comprehendere, quæ eiuſdem generis ſive ſimilia ſunt, & certas perſonas aut caſus ſolùm exempli causâ expreſſiſſe, vel occaſione oblatâ; tum interpretatio ad caſus ſimiles non expreſſos non debet cenſeri propriè extenſiva, ſed potiùs comprehenſiva ſive incluſiva; quia etſi non contineatur ſub verbis legis, comprehenditur tamen ſub mente legis, adeóque etiam in ipſa lege: dummodo ratio legis adæquatè ſive per omnia locum habeat in aliis caſibus per verba non expreſſis; nam ſi in bis ratio aliqua diſparitatis aſſignari poſſit, talis extenſio fieri non poteſt, quia ea non tantùm eſſet ultra verborum proprietatem, ſed etiam ultra probabiliter præſumptam mentem legiſlatoris, adeóque non comprehenſiva, ſed merè extenſiva, Suar. cit. l. 6. c. 3. n. 4. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 18. n. 9. de qua poſteà.

CXIII. Cæterùm probabilis huiuſmodi coniectura ſeu præſumptio de mente legiſlatoris, quòd ob identitatem rationis, comprehendere voluerit ſub lege etiam alios caſus ſimiles verbis legis non expreſſos, faciliùs fieri poteſt in legibus favorabilibus, vel non odioſis: at verò in legibus pœnalibus, correctoriis, exorbitantibus à Jure communi, aliiſque odioſis, ob rationis identitatem, ultra verborum proprietatem, ſed intra præſumptam intentionem legiſlatoris, fieri non debet, niſi neceſſitas id poſtulet, ut quia aliàs iniquitas, jurium correctio, vel aliud abſurdum ſequeretur, Suar. cit. c. 4. n. 3. & ſeqq. Laym. cit. c. 18. n. 9. in fine. Exemplum extenſionis comprehenſivæ ſive incluſivæ, & impropriè dictæ eſſe poteſt, ſi v. g. mulier, ſoluto matrimonio, à viro dotem repetat, ſed vir objiciat, quòd non poſſit repetere, quia adulterium commiſit, ipſa verò replicet, quòd viri lenocinio, ſive cum eius conſenſu adulterata ſit, maritus nihil ex dote retinere poteſt: imò nec accuſare uxorem vir de adulterio poteſt, quia licèt verbis legis non ſit expreſſum, quòd uxor non poſſit de adulterio accuſari, ſed ſolùm, quòd maritus non poſſit excipere contra illam repetentem dotem, ſi ipſe vir leno fuit: tamen ſecundùm præſumptam mentẽ, ſeu intentionem legiſlatoris, ob identitatem rationis, vir repellitur etiam ab accuſatione uxoris, ſi viri lenocinio uxor adulterium commiſit. ita habetur in l. cùm mulier 47. & ibi gl. ff. ſoluto matrimonio. hoc ipſo autem, quòd aliquid eſt ex mente legiſlatoris, in ipſa etiam lege comprehenſum eſt, adeóque talis extenſio, in materia etiam pœnali, cõprehenſiva ſive incluſiva eſt, & non propriè dicta extenſio, ut patet ex dictis. n. 105.

CXIV. Aſſertio 2. Extenſio legis propriè dicta ſive merè extenſiva, etiam ob paritatem ſeu identitatem rationis, nullam vim obligandi habet extra judicium, & in foro conſcientiæ. Suar. c. l. 6. c. 3. n. 6. Ratio eſt, quia lex non poteſt obligare ad id, quod non præcipit, vel prohibet: ſed id, quod in lege, nec quoad verba, nec quoad mentem legiſlatoris continetur, lex non præcipit, nec prohibet, ergo non poteſt ad id obligare. Idque procedit, tam in lege favorabili, quàm in pœnali, correctoria, vel quomodocunque odioſa, ob rationem jam allatam, Suar. cit. loc. n. 10. Aliud eſt, ſi agatur de facultate agendi, vel de liberatione, ſeu exceptione à legis obligatione; tunc enim extenſio etiam propriè dicta, ob identitatem rationis, non ſolùm in judicio, ſed etiam extra judicium, & in foro conſcientiæ fieri poteſt: ſi enim caſus à lege exceptus ſit, exceptio, non tantùm in eo, ſed etiam in aliis ſimilibus caſibus locum habere debet, Abb. in c. cùm omnes. 6. n. 7. h. t. & alij DD. communiter. V. g. Jure communi Canonico ſtatutum eſt, ut teſtes, ſi periculũ in mora ſit, quia v. g de morte eorum timetur, ante litis conteſtationem recipiantur, c. ult. in princip. Ut lite non conteſtata &c. qui caſus exceptus à lege, ſeu Jure communi, propter ſimilitudinem ſeu identitatem rationis, etiam extenditur ad privilegium, quòd & illud; ſi timor ſit, ne privilegij inſtrumentum corrumpatur, ante litis cõteſta-

teſtationem renovari poſſit, c.cùm dilecta.4. de confirm.util. vel inutil. Quare in foro externo Judices extenſionem legis propriè dictam, ob rationis identitatem, præſertim ſi ea io lege expreſſa ſit, facere poſſunt, imò & debent, ad alios caſus ſimiles, ut conſtat ex l.non poſſunt.12.ff.de legib. ubi dicitur, quòd ſi caſus noo ſit comprehenſus legibus, is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita judicare debet. Idem etiam colligitur ex c.inter cæteras.4. in fine de reſcriptis. dummodo illi caſus non babeant legem ſpecialem contrariam, Abb.in c. translato. 3. n.4.h.t.

CXV. Ex doctrina jam tradita infertur, quando duo vel plura inter ſe ſunt connexa, ſtatutum de uno cenſetur etiam ſtatutum de aliis connexis, & ad illa extendi debet: ſumitur ex c.translato. 3. ibi: *quod de uno dicitur, neceſſe eſt, ut de altero intelligatur*, h. t. gl. ibid. in ſumma. Joan. Andr. Abb. & alij Ioterpretes communiter. Idque procedit, etiamſi lex ſive conſtitutio ſit pœnalis, Abb.ibid.n.1. quę etiam ob identitatem rationis extenditur, ſi appareat, caſum ſpecificum veluti exempli loco adiectum fuiſſe, diſpoſitionem autem etiam in aliis ſimilibus, & connexis locum habere. Sic pœna lege, ſive civili, ſive Canonicà decreta in uxoricidas, ſecundùm probabilem ſententiam, etiam locum habet in uxore, ſi maritum occidat, etiamſi lex de uxore expreſsè nihil ſtatuat, quia diſpoſitum de uno correlativorum cenſetur etiam diſpoſitum de altero. Item lex ſtatuens ut maritus ſuccedat in bonis uxoris, debet etiam extendi, ut uxor viciſſim ſuccedat in bonis mariti, alioquin iniuſta foret, Laym.cit.c.18. n.10. Idque confirmatur ex eo, quia, quando aliquid legitimâ auctoritate conceditur, vel tollitur, cenſeri etiam debent eſſe cõceſſa vel ſublata, quæ cum illo coonexa ſunt: atqui poteſtas præcipiendi, & prohibendi, & legem ioterpretandi, ac populo propooendi pertinebat olim in Lege Veteri ad ſummum Pootificem ſeu Sacerdotem, adeóqpe connexa erat cum ſummo Sacerdotio, ut patet ex illo Matth. c. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixe-» rint vobis, ſervate & facite.* nam ſimul & eodem » tempore, & ſub eadem ſponſione, ab eodem Deo » populo Iſraëlitico per Moyſen in monte Sinai da-» ta ſunt lex & ſacerdotium, cit.c.3. h.t. ergo ſublato ſacerdotio Veteris Legis per Legem Chriſti, conſequeoter etiam ſublata eſt lex vetus Moſaica & poteſtas condendi & interpretandi legem translata eſt ad Vicarium Chriſti ſive S.Pootificem, quia quod de uno connexorum dicitur, etiam de altero intelligi debet. ita habetur in cit.c.rtanslato, ex quo communiter Interpretes tradunt hanc regulam, *quod de uno connexorum ſtatuitur, ad aliud connexum extenditur.*

CXVI. Porrò alia plura exempla huius regulæ afferri poſſunt. Veluti 1. Judex delegatus in cauſa ſibi commiſſa omnia exercere poteſt, ſine quibus cauſa illa expediri non poteſt, etiamſi in reſcripto delegatioois nulla de ijs facta ſit mentio, quia acceſſoria ſuot & connexa, c.prætereà 5. de offic. deleg. l.2.ff.de juriſd.omn.jud. Gail.l.1.obſ.35.n.8.& 9. 2. Diſpenſatio licèt aliàs ſit ſtricti juris & reſtringeuda, quia derogat Juri communi, tameo extenditur etiam ad connexa, Navarr.l.1. conſ.3. de reſcript. 3. Si quis procurator ad agendum ſit conſtitutus, & expediat ea, quæ mandato connexa ſunt, non cenſetur excedere fines mandati, quia cui committitur unum, illi quoque omoe id cenſetur committi, per quod pervenitur ad illud, & ſinè quo illud rite expediri non poteſt, Gail.cit.loc.n.10. 4. Regula illa, caſum omiſſum relinqui, ſive manere ſub diſpoſitione Juris communis, non habet locum in connexis, quia non poteſt dici omiſſum, quod eſt connexũ, & quod de uno connexo ſtatuitur, hoc ad aliud quoque connexum extenditur, Felin.in c.translato. 3. o. 6. h. t. Gail.cit.obſer.n.10. 5. In ijs, quæ ſecundùm Jus æquiparantur, ſtatutum de uno, quatenus parificatum, cenſetur etiam ſtatutum de altero, Laym.l.1.tr. 4.c.18.n.10.& alij DD. communiter Unde excommunicationem incurrit non tantùm percuſſor Clerici, ſed etiam qui mandat, vel ratam habet percuſſionem, ob juris æquiparationem, c. mulieres. 6. §. illi verò de ſement.excommun. Item qui legitimè præſcribit jus eligendi, cenſetur etiam præſcripſiſſe acceſſoriè & indirectè jus poſtulandi, quia hoc æquiparatur juri eligendi, eique acceſſorium eſt & ordinariè connexum, cùm ad eundem finem tendant, Abb. in c.bonæ.4.n.4.de poſtul. Denique univerſim loquendo, de connexis & ſimilibus idem judicium fieri debet; gl. communiter recepta in cit. c. translato v.quod de uno: quamvis non ſit neceſſarium, ut unum alteri ſimile ſit, quò ad omnia, ſed ſatis eſt ſi ſimilia ſint quò ad id, in quo æquiparantur ſeu comparantur, Felin.in cit.c.n.10. Ita in jure Religioſi in multis æquiparantur ſervis, & filiisfam. ideóque de ijs ſtatuta ob æquiparationem extenduntur ad Religioſos, & quæ ſtatuta ſunt de libertis erga patronum, transferuntur ad vaſallos erga dominum, ad quod ſufficit, ſi in re, de qua agitur, æquiparentur. Menochius de recuper.poſſeſs.remedio 1.n.97.& 98.

§. III.

An Lex, ſive Conſtitutio extendatur ad præterita.

CXVII. Aſſertio 1. Lex ſive Conſtitutio, quæ novum jus condit, ſive de novo aliquid ſtatuit ac diſponit, ad præterita, ſive quæ jam facta ſuot, non extenditur, ſed futuris tantùm negotiis formam modùmque præſcribit, niſi in lege nominatim expreſſum ſit, ut ad præterita etiam exteodatur. ita habetur in c. 2. h.t. ubi dicitur, rem quæ culpâ caret, in da-» mnum vocari non convenit: quoties verò novum » quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, » ut diſpendia præterita non commendet. Senſus eſt, » ut explicat gl. ibid. in caſu: ſi conſtitutio aliqua de novo promulgetur, ad futura tantùm ponienda, quæ contra ipſam committuntur, extenditur, ita ut præterita damnis ſeu gravaminibus non ſubiiciat, ſive non puniat. gl.ibid.v. diſpendiis & v. non commendat. ubi etiam ratio ſubiicitur: ne detrimentum » ante prohibitionem ignorantes incurrant, quod » eos poſtmodum (id eſt, ſi poſtea deliquerint) di-» gnum eſt ſuſtinere. »

Idémque habetur in c.ult.h.t. ubi Gregorius IX. declarat, quòd Conſtitutio à ſe edita (quæ extat in » c. ſtatuimus.15.de maiorit, & obed.) ut Clerici alij » alios antecedant, ſecundùm Ordinum gradus, Preſ-»

byteri

» byteri Diaconos, & hi Subdiaconos, & ſic de reli-
» quis, etiãſi poſteriùs recepti ſint; & ut, qui maiores
» in Ordine ſunt, in portione beneficiali percipien-
» da aliis potiores ſint, tametſi ſimiliter poſteriùs ſint
» recepti, & ut Clerici inferiores ſive in minoribus
» Ordinibus conſtituti Superioribus obſequia præ-
» ſtent: ea, inquam, Conſtitutio, (quamvis correcto-
» ria ſit conſuetudinis ſeu obſervationis inter Cleri-
» cos receptæ in aliqua Eccleſia) non extenditur ad
» præterita, ſed ad futura tantùm, id eſt, non obligat
» Clericos ante conſtitutionem illam promotos ſeu
» inſtitutos, ſed ſolùm Clericos poſt illam promo-
» vendos, quia leges ſeu conſtitutiones futuris tan-
» tùm negotiis formam præſcribunt: non autem ad
» præterita trahi debent, niſi expreſsè de præteritis
» cautum fuerit. conſentit l. leges. 7. C. de legib. Ratio autem, cur lex ſive conſtitutio de novo aliquid præcipiens vel prohibens, non extendatur ad facta præterita ſeu antecedentia, eſt, ne alioquin legis præceptionem vel prohibitionem ignorantes detrimentum aliquod incurrant: cit. c. 2. ſive ne aliqui puniantur ſinè cauſa, qui actum novâ lege præceptum vel prohibitum, ante illam editam & promulgatam geſſerunt. Abb. in cit. c. ult. n. 3. h. t.

CXVIII. Aſſertio 2. Eſt tamen hîc ulteriùs diſtinguendum, nam vel in lege ſeu conſtitutione expreſſum eſt, ut extendatur etiam ad præterita; vel expreſsè dicitur, quòd tantùm futura reſpiciat, ſive ad illa referri debeat: vel lex ſimpliciter & abſolutè diſponit, nullâ factâ de præteritis aut futuris mentione, Abb. in cit. c. ult. n. 9. h. t. Bart. in l. omnes populi. 9. n. 39. ff. de juſt. & jur. In primo caſu lex ſive conſtitutio etiam actus ſeu facta præterita comprehendit. Ratio eſt, quia ſicut ex juſta cauſa poteſt Princeps legem ferendo tollere jus alteri quæſitum, ita etiam poteſt, propter bonum publicum, cavere in lege, ut extendatur etiam ad actus vel negotia præterita, etſi per hoc jus alteri auferatur, Abb. cit. loc.

Excipi tamen debet, niſi illa negotia præterita eſſent jam antehac per tranſactionem, ſententiam, juramentum, vel ſolutionem, v.g. hæreditatis acquiſitionem deciſa, tunc enim nova lex ſive conſtitutio ſuperveniens ea non comprehenderet; licèt in lege expreſsè dicatur, quòd etiam ad præterita extendi debeat, intelligitur enim illa clauſula de negotiis præteritis non deciſis: *nam cauſas vel lites tranſactionibus legitimis definitas, imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet*: l. cauſas 16. C. de tranſact. & l. contractus 12. C. de fide inſtrument. quia Princeps ſeu Magiſtratus non cenſetur velle per verba generalia revocare quæſtiones jam deciſas, neque poteſt ſine juſta cauſa, id ſtatuere ac decernere, per quod jus alteri quæſitum auferatur, c. ex multiplici. 3. & ibi gl. v. intentionis de decimis, Abb. in cit. c. ult. n. 9. Idémque dicendum eſt de cauſis præteritis, nondum quidem deciſis aut omnino abſolutis, ſed adhuc pendentibus coram Judice, ad has enim non extenditur lex ſive conſtitutio nova, poſt litis pendentiam edita, etſi in ea expreſſum ſit, quòd etiam ad præterita extendatur: Vel enim cauſa ſeu lis judiciaria pendet in ſecunda inſtantia & per appellationem; & tum cauſa decîdi debet per Judicem, ad quem appellatum eſt, ſecundùm Jus, quod erat in prima inſtantia, ſive ſecundùm leges, quæ obtinebant, tempore ſententiæ latæ à Judice primæ inſtantiæ, non ſecundùm leges, quę poſtea, pendente appellatione, emanârunt, princ. & §. 1. Ut cùm de appellat. cognoſc. collat. 8. novell. 115. gl. in c. licèt 14. v. de cętero de elect. in 6. Judex enim, ad quem appellatum eſt, veluti ſuccedit in locum Judicis, à quo eſt appellatum, ideóque non debet ea, quæ à priore Judice legitimè definita & deciſa ſunt, improbare, vel retractare. Abb. cit. loc. Vel cauſa ſive lis judiciaria pendet in prima inſtantia, & neque tunc ad illam extenditur nova lex ſive conſtitutio, adeóque non ſecundùm leges poſteriùs emanantes, ſed ſecundùm priùs editas cauſa illa decidenda eſt, §. 1. auth. In medio litis non fieri ſactas formas novell. 113. Abb. cit. loc. Ratio eſt, quia partes litigantes cenſentur conſentire in Judicem, ut cognoſcat ſecundùm jura & leges, quæ tunc ſunt editę, & promulgatæ, cùm futura ſeu poſtea ſtatuenda plerumque ignorent, & ſcire non poſſint, Laym. in cit. c. ult. n. 4. Niſi tamen Princeps, motu proprio, novam legem tuliſſet, in eáque expreſſiſſet, ut cauſæ etiam pendentes, ſecundùm illam legem novam, ac poſtea latam, decidantur, Abb. cit. l. Quare ſi v. g. ſtatutum ſit editum, ut extantibus filiis maſculis, fœminæ à communi ſucceſſione parentum nobilium excludãtur, in eóque expreſsè addatur, ut talis conſtitutio etiam ad hæreditates devolutas extendatur; tunc ſi ante ſtatutum editum, hæreditas jam erat diviſa inter fratres & ſorores, vel ſaltem de facienda diviſione lis jam pendebat coram Judice, ſive in prima, ſive in ſecunda inſtantia, ſeu in judicio appellationis, tale ſtatutum locum non habebit: ſecus ſi hęreditas tempore editi ſtatuti nondum diviſa, vel lis de ea facienda necdum mota erat, tunc enim ſtatutum etiam ad hæreditatem jam devolutam extenditur, Abb. in cit. c. ult. n. 10.

CXIX. In ſecundo caſu, quando nimirum lex ſive conſtitutio expreſsè dicit, quòd non ad præterita, ſed ad futura tantùm referatur, tunc non eſt dubium, ad præterita extendi non poſſe, cit. c. ult. h. t. & l. leges ſacrariſſimæ. 9. C. de legib. Abb. in cit. c. ult. n. 10. Ratio eſt, quia hoc eſt proprium legis ſive conſtitutionis aliquid præcipientis, vel prohibentis, ut ſolùm feratur de actibus futuris, non autem de præteritis; nam lex eſt regula externa humanorum actuum, actus autem præteriti, quatenus præteriti ſunt, non ſunt ampliùs capaces ullius regulæ, quia factum non poteſt fieri infectum, ergo lex ex natura ſua fertur pro actibus futuris, non pro præteritis. Deinde lex ſive conſtitutio eſt præceptum datum ſubditis, præceptum autem, ut tale eſt, non poteſt dari de actu præterito, ſed de futuro, ut per ſe conſtat, ergo quoad effectum obligandi, non poteſt legiſlator, etiamſi maximè velit, extendere legem novam ad actus præteritos, quia ſi illi facti ſunt ſinè culpa, non poſſunt fieri culpabiles propter legem poſtea latam, Suar. l. 3. de legib. c. 14. n. 8. Veruntamen poteſt Legiſlator extendere legem, quoad effectum pœnæ, etiam ad actum præteritum, per novam legem imponendo pœnam delictis priùs commiſſis contra legem aliquam antiquam & priorem, vel naturalem, vel poſitivam ſeu humanam, v.g. novâ lege puniendo factũ præteritum; quia actus non meretur pœnam ſaltem propriè dictam, niſi quatenus per illum violatur aliquod jus ſive lex: per actum autem præteritum non

poteſt violati lex poſteriùs condita, ergo ut poſſit juſtè puniri per legem poſteriorem, neceſſarium eſt, ut actus talis fuerit contra legem aliquam priorem, alioquin non eſſet culpabilis, nec pœnâ dignus, Suar. cit. loc. n. 9.

CXX. In tertio caſu, ſi lex ſive conſtitutio abſolutè lata ſit, nullâ factâ mentione nec de præteritis actibus vel negotiis, nec de futuris, tunc iterum diſtinguendum eſt, num ſit lex propriè diſpoſitiva, ſive novi juris conſtitutiva, an verò ſolùm interpretativa ſeu declaratoria juris antiqui, an infirmans vel irritans actum aliquem? Si lex propriè diſpoſitiva, præcipiendo vel vetando, decernat de ipſo facto vel forma faciendi, non extenditur ad præterita, ſeu quæ jam facta ſunt, uti conſtat ex c. ult. h. t. Si verò diſponat tantùm de executione aut ulteriore proceſſu negotij cœpti, tunc extenditur ad præterita nondum executioni mandata, modò eadem omnino vel major ita ſtatuendi ratio reperiatur in præterito, quæ in futuro. Abb. in cit. c. ult. n. 11. Navarr. in c. ſi quando. 5. de reſcript. except. 21. Laym. ibid. n. 10. v. g. ſtatutum eſt, ut Religioſi etiam exempti, ſi deputati fuerint ad executionem ultimæ voluntatis, teneantur reddere rationem executionis ſuæ Ordinariis locorum, hæc conſtitutio comprehendit etiam eos Religioſos, qui eo tempore, quo emanavit, deputati erant, ſed nondum executi: non autem extenditur ad eos, qui jam fuerunt executi, quia lex ad facta præterita non trahitur, niſi in ea id exprimatur, Clement. un. juncta gl. v. deputatis de teſtament. Similiter, ſi lege ſtatutum ſit, ut debitores, ſi intra viginti dies à creditore moniti non ſolverint, nec moram purgaverint, in carcerem coniiciantur, extenditur hæc lex non tantùm ad futura debita, ſed etiam ad ea, quæ ante illam legem contracta ſunt, quia diſponit non de modo ac forma contracti debiti, ſed de futura executione ſive ſolutione debiti contracti, Laym. cit. loc. Unde poteſt lex etiam prohibere in futurum, ne actus jam inchoatus conſummetur ſive perficiatur, Suar. l. 3. de legib. c. 14. n. 12. Sic Concilium Tridentinum de novo prohibuit, ne quis infra annum probationis profeſſionem in Religione edat, Seſſ. 25. c. 15. de Regular. talis lex extenditur etiam ad eos, qui tempore, quo hæc lex nova edita eſt, jam erant Novitij, & habitum ſuſceperant, Suar. c. l.

CXXI. Aſſertio 3. Si Lex ſeu Conſtitutio interpretativa ſive declarativa juris antiqui abſolutè lata ſit, non tantùm comprehendit futura, ſed etiam ad præterita eſt extendenda, Abb. in cit. c. ult. n. 8. & n. 11. h. t. Felin. ibid. n. 4. Suar. cit. l. 3. c. 14. n. 2. & eſt communis ſententia: & ſumitur ex c. cùm tu. 5. de uſuris, ubi conſtitutio juris naturalis ac divini declarativa, quòd uſurarij obligati ſint ad reſtitutionem, extenditur ad præterita, ſive ad uſuras etiam ante editam conſtitutionem illam extortas, quia jam ante illam uſuræ prohibitæ erant in utroque Teſtamento, veteri & novo, gl. ibid. v. poſt. Quare potiùs obligat conſtitutio antiqua declarata, quàm nova declarans. An autem lex aliqua non de novo aliquid ſtatuat, ſed ſolùm jus antiquum declaret aut renovet, ideóque etiam ad facta præterita ſit extendenda, id colligi poteſt, partim ex verbis legis, partim verò ex materia & ratione legis, præſertim ſi ratio non tantùm ſit motiva, ſed etiam deciſiva, id eſt, ex ſe ſufficiens ad oſtendendum, materiam illam ſive actum, etiam ſeclusâ novâ lege, jam fuiſſe malum & illicitum, Navarr. in c. ſi quando 5. except. 21. n. 4. de reſcript. Suar. cit. loc. tunc enim etſi, ſpectatis verbis præcisè, videatur lex ſive conſtitutio præcipere aliquid in futurum, vel prohibere, reverâ tamen potiùs cenſeri debet eſſe declarativa juris antiqui, vel illud renovare velle, & in uſum reducere, quod obſervari deſiit, Laym. cit. c. ult. n. 6. Exemplum eſſe poteſt, ſtatutum eſt, quòd matrimonium contractum & conſummatum, poſt matrimonium ratum priùs cum altera initum, ſed nondum conſummatum, ſit irritum: hæc conſtitutio extendenda eſt etiā ad matrimonia priùs ſive ante illam conſtitutionem contracta, quia ratio deciſiva legis, nimirum Eccleſiæ traditio, & Sedis Apoſtolicæ obſervatio, etiam in matrimoniis priùs contractis locum habet, quamvìs verba conſtitutionis videantur eſſe diſpoſitiva ſive præceptiva in futurum tantùm, prout habetur in c. ult. de ſponſa duorum.

Hæc autem procedunt de lege, quæ duntaxat eſt declarativa veteris legis ſive juris antiqui, quod ad præterita etiam extendi debeat: nam ſi lex ſive conſtitutio ſit partim declarativa juris antiqui, partim conſtitutiva novi juris, licèt referatur ad præterita, quatenus eſt declarativa juris antiqui, non tamen, quatenus eſt juris novi conſtitutiva, niſi contrarium exprimatur, Abb. in cit. c. ult. n. 8. & 11. Unde ſi lex ſive conſtitutio nova antiquum jus declaret, & renovet, irrogando novas pœnas, vel pœnas jam antè decretas, ultra verborum proprietatem, & juris terminos extendendo, eas pœnas non incurrunt ij, qui antè deliquerunt, quia ut ſic non poteſt extendi ad actus præteritos, niſi aliud expreſsè declaretur, ſed ad futuros tantùm, Sylveſt. in ſumma. v. lex. n. 23. Azor p. 1. l. 5. c. 16. q. 13. Talis lex ſive conſtitutio non merè interpretativa legis veteris, ſed pœnæ extenſiva eſt, per quam decernitur, cenſuram excommunicationis incurrere non ſolùm eos, qui poſitivè cooperantur, ſive coadiuvant percuſſionem Clerici, ſed etiam, qui non impediunt, cùm poſſint, & ex officio debeant impedire, c. quanto. 47. de ſentent. excommun.

CXXII. Aſſertio 4. Denique ſi lex ſive conſtitutio irritans ſit, ita, ut non ipſa de novo actum irritet & annullet, ſed ab anterioribus legibus, præſertim jure naturali, jam vetitum & irritatum, nullum declaret; tum talis lex irritans comprehendit etiam actus præteritos, modò eadem ratio irritationis ſit in præteritis, quæ in futuris, adeóque ante legem vel conſtitutionem jam ineràt cauſa annullationis actibus præteritis, Abb. in cit. c. ult. n. 11. h. t. Imola ibid. n. 13. Laym. ibid. n. 7. Sic matrimonium contractum cum uxore fratris demortui, quamvìs carnaliter non cognitâ, irritum decernitur & declaratur, l. pen. C. de inceſtis nuptiis, quam legem eſſe declaratoriam colligitur ex l. ult. C. eodem. Item irritum declaratur pactum de hæreditate viventis, ſi abſq; eius conſenſu fiat, l. ult, C. de pactis. Quòd ſi lex ſive conſtitutio de novo irritum reddat aliquem actum, tum vel ita irritum facit, ut actum, qui jam validè factus erat, reſcindat, & irritet: & hoc caſu comprehendere poteſt etiam actus præteritos: nam cùm Judex ex juſta cauſa actum mero jure validum, v. g. electionem

vel

vel collationem beneficij, in pœnam, quia contra canonem facta eſt, per ſententiam irritare & reſcindere poſſit, & legiſlator ex juſta cauſa poterit per generalem legem irritare & reſcindere eiuſmodi electiones vel collationes, etiam præteritas, Suar.l.3. de legib.c.14.n.11. Si verò lex ſive conſtitutio ita irritet actum, ut impediat, ne validus fiat, quia v.g. novam formam præſcribit, ſecundùm quam contractus aliquis iniri debeat, alioquin non ſit validus; tunc eiuſmodi lex ad actus præteritos extendi non debet, arg.cit.c.ult.Laym.ibid.n.8. Tum quia notum eſt, leges & conſtitutiones futuris negotiis formam dare, non præteritis, cit.c.ult.tum quia, quando nova conſtitutio aliquid circa contractus diſponit, tunc ſemper leges & conſuetudines, quæ tempore contractûs extiterunt, non quæ poſtea introducuntur, ſpectari debent, quia contrahentes futurorum ſcientiã ſeu cognitionem habere non poterunt, Gail. l. 2. obſ.9.n.3. tum quia, cùm ipſis per contractum mutuo conſenſu initum, jus ſit acquiſitum, eo privari non debent, Laym.cit.loc.

CXXIII. Hinc infertur 1. Si nova lex vel conſtitutio præſcribat certam formam teſtamenta faciendi, eam non extendi ad teſtamenta ante illam condita, vivente adhuc teſtatore, adeóque illa ſunt valida, etiamſi, non ſervatâ formâ præſcriptâ, ſint facta, l.jubemus.29.C.de teſtament.Abb.in cit.c.ult.n. 11.in fine.h.t. quia actus iam eſt perfectus, licèt quoad effectum pendeat uſque ad mortem teſtatoris, ante illam enim teſtamentum vim habere non poteſt, Navarr.in c.ſi quando.5.except.21.n.13.de reſcript. contra Felin. Ubi tamen vel maximè attendendum eſt ad verba legis ſive conſtitutionis, an ea etiam ad teſtamenta ante legem condita referri poſſint, nécne? Laym.in cit. c.ult.n.9.

Infertur 2. Si lex vel ſtatutum loquens per verba præſentis vel præteriti temporis aliquid indulgeat, concedendo veniam delicti criminoſis, ea non debet extendi ad futura, ſive ad eos, qui poſtea futuro tempore delinquent, ne alioquin detur anſa, & occaſio delinquendi, Abb.in c.2.h.t. n. 2. *cùm enim lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat*, l. cùm lex 22. ff.de legib.v.g. ſi ſtatuto caveatur, ut omnes Banniti ſolventes 10.aureos, banno liberentur, illud nõ comprehendit eos, qui futuro tempore banno afficientur, quia aliàs daretur occaſio & incitamentum delinquendi, Abb.cit.loc.

CXXIV. Ex dictis colligitur, regulæ illius, quòd conſtitutio nova reſpiciat tantùm futura, non autem præterita, tres eſſe, generatim loquendo, limitationes. 1. Niſi contineat aliquid pertinens ad jus naturale ſeu divinum, ut in c.cùm tu.5. de uſuris, de quo ſuprà n.114. 2. Niſi conſtitutio nova concordet cum jure ſive lege antiqua, per quam idem præcipiatur, ut in c. cùm in cunctis. 7. §. hoc ſanè de elect.ubi conſtitutio Papæ Alexandri III. trahitur ad præterita, quia, ut gl, ibid.v. promovendis notat, non eſt nova Conſtitutio, quæ aliquid de novo ſtatuat, ſed declaratoria, ſeu potiùs confirmatoria juris antiqui, quo eadem de ætate & ordine promovendorum ad beneficia jam ſtatuta erant. 3. Niſi in nova conſtitutione exprimatur, ut extendatur etiam ad præterita, cit.c.ult.h.t. Hoſtienſ. ibid. in fine.

§. IV.

An ſtatutum Superioris auctoritate confirmatum poßit à ſtatuentibus ſinè eiuſdem conſenſu tolli, & revocari?

CXXV. Præmittendum inprimis, duplicem eſſe confirmationem, unam eſſentialem ac neceſſariam, aliam accidentalem. Eſſentialis dicitur, quæ dat formam ſeu ſubſtantiam legi ſive ſtatuto, ideóq; neceſſariò & eſſentialiter ad illud requiritur, ut, quãdo inferiores non habent per ſe ipſos poteſtatem ſtatuendi ſeu ferendi legem, quæ vim obligandi habeat, niſi priùs à Superiore confirmetur. Accidentalis verò confirmatio vocatur, quæ non dat formam & ſubſtantiam legi ſeu ſtatuto, quia inferiores habent poteſtatem per ſeipſos condendi ſtatutum, quod ex ſe vim obligandi habeat, nihilominus tamen à Superiore confirmationem illius petunt, ut maius robur, & auctoritatem habeat, nec ita facilè oppugnari poſſit. Suar.l.6.de legib. c.26. n.17. & alij DD. communiter.

CXXVI. Aſſertio 1. Statutum inferiorum Magiſtratuum ſeu Communitatum, quod confirmatum eſt à Principe ſeu Superiore, confirmatione ſolùm accidentali, non ex neceſſitate, ſed ad maiorem auctoritatem ac firmitatem, poteſt tolli & revocari ab iiſdem inferioribus, qui poteſtatem habent propriâ auctoritate condendi ſtatutum tale, non obſtante confirmatione Principis ſeu Superioris, Bart. in l. omnes populi.9.n.33.ff.de juſt.& jure.Suar.cit. loc.n.22.Azor p.1.Inſtit.mor.l.5.c.26.q.15. Ratio eſt, quia per talem confirmationem non mutatur natura ſtatuti, nam lex ſive ſtatutum conditum ab Epiſcopo, vel Capitulo, vel Civitate, ex eo, quòd à Principe v.g. Papa confirmatum ſit accidentaliter, non ſit lex Papalis, ſed manet ſtatutum Epiſcopale, vel Capitulare, vel municipale, ergo eâdem auctoritate inferiorum ſtatuentium, quâ tale ſtatutum eſt conditum, etiam tolli & revocari poteſt, cùm ad eandem poteſtatem ſpectet ligare & ſolvere; & confirmatio Papæ ſeu Superioris ſolùm ſit accidentalis quædam ſolennitas, quæ ſtatuto addit maiorem auctoritatem & firmitatem; ſublato autem ſtatuto per revocationem inferiorum ſtatuentium, conſequenter etiam, tanquam ſublato fundamento ſeu ſubiecto, tollitur ac deſinit ipſa confirmatio, Suar.cit.loc. Excipi tamen debet, niſi Princeps ex certa ſcientia aut ex plenitudine poteſtatis ſtatutum inferiorum confirmet, tunc enim cenſetur maiorem firmitatem ei adiicere voluiſſe, quàm ex ſe & ſuapte natura habeat. Sylveſt.v.abſolutio,2.n.5.Gail.l. 2.obſ. 1. n. 17. vel niſi clauſula irritans confirmationi ſit adiecta, decernendo irritum & inane, ſi aliquid contra factum fuerit, iuxta c.dilecto. 25. junctâ gl. v. huiuſmodi clauſula de præbend. quia Princeps adiiciendo talem clauſulam, ſtatutum, quod confirmat, ſuum facere vult, ut proinde ab inferioribus ſtatuentibus tolli non poſſit: niſi ratio, veluti formale obiectum ſtatuti, ceſſaverit, gl.in c.ult. v. decreviſſe de verb. ſignific.

CXXVII. Aſſertio 2. Statutum, quod à Superiore v.g. Papa eſſentialiter & neceſſariò confirmatum eſt; propter bonum publicum principaliter, non poteſt ab inferioribus ſtatuentibus tolli vel revocari, ſinè conſenſu & auctoritate Superioris, Bart. in cit. l. omnes populi. n. 33. Abb. in cit. c. cùm acceſſiſſent. 8. n. 2, Suar. cit. c. 26. n. 17. & Azor cit. c. 26. q. 15, Ratio eſt, quia eiuſmodi ſtatutum eſt conditum potiùs auctoritate ipſius Superioris, v.g. Papæ, quàm inferiorum, qui per ſe ipſos talem ſtatuendi poteſtatem non habent, *omnia enim noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur*: l. 1. C. de jure veteri enucleando. inferior autem non poteſt tollere legem Superioris, c. inferior 4. diſt, 21. quæ ad jus publicum & bonum ſtatum totius Reipubl. pertinet. Quare ſicut tale ſtatutum non poteſt condi, ſinè Superioris auctoritate; ita nec ſinè eiuſdem auctoritate, tolli & revocari, quia eadem auctoritas & ſolennitas requiritur ad deſtruendum, quæ ad conſtruendum, Bart. cit. loc, & ſumitur ex Auth. è contra C. de repudiis. Aliud verò dicendum eſt, ſi ſtatutum, quod à Superiore eſſentialem & neceſſariam confirmationem accepit, per ſe, directè ac principaliter tendat in commodum & favorem ipſorum ſtatuentium; tum enim illud ipſi ſtatuentes tollere & abrogare poſſunt, ſinè conſenſu Superioris confirmantis, quia tale ſtatutum habet ſe ad inſtar privilegij ſeu legis ſpecialis, Abb. in cit. c. cùm acceſſiſſent. n. 2. Felin. ibi. n. 4. Azor loc. cit. Suar. cit. c. 26. n. 21. in fine. quilibet autem poteſt privilegio ſibi conceſſo non uti, juréq; ſuo cedere, ſeu favori pro ſe introducto renunciare, l. ſi quis 29. C. de pactis.

CXXVIII. Exemplum habetur in c. cùm ac- » ceſſiſſent. 8. h. t. nam cùm Canonici quidam Eccle- » ſiæ Tullenſis ſignificâſſent Papæ Innocentio III. » quòd dignitas Primicerιatûs tanto tempore vaca- » verit, ut eius collatio ad Sedem Apoſtolicam ſit » devoluta, ideo Pontifex mandavit quibuſdam, ut » inquirerent veritatem, & ſi, tanto tempore vacâſſe, » repererint, ipſi perſonam idoneam in illo perſona- » tu inveſtirent. Cùm autem ad hoc executores pro- » cedere vellent, ex parte Capituli Tullenſis propo- » ſitum fuit, quòd ipſi Canonici Capitulares com- » muni conſenſu ſtatutum fecerint, ut dignitas illa » ſeu officium Primicerij extingueretur, eiúſque » proventus & poſſeſſiones inter Canonicos diſtri- » buerentur; idque ſtatutum à Papa confirmatum » fuerit (ſcilicet ex certa ſcientia, Hoſtienſ. hîc. v. » confirmatum.) Quare mandavit idem Innocẽtius, » ut, ſi, rem ita ſe habere conſtiterit, ſtatutum illud » auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmatum in ſuo » robore permaneat: niſi Canonici poſtea huic ſta- » tuto ſuo contravenerint, Primicerium aliquem » eligendo. Ratio patet ex dictis, quia, cùm hoc ſtatutum principaliter ac directè in utilitatem & favorem ſolius Capituli ſeu Capitularium fuerit confirmatum à Papa, potuerunt illud tollere ſtatuentes, etiam ſinè novo conſenſu Papæ, Abb. hîc. n. 2.

Etſi verò aliàs Epiſcopus, ex juſta cauſa, tollere & extinguere poſſit dignitatem aliquam vel perſonatum in Eccleſia, ut docet Hoſtienſ. in cit. c. cùm acceſſiſſent col. 1. §. ſed nunquid, & alij Canoniſtæ cõmuniter: ſi tamen dignitas ſit talis, quæ ſecundùm commune Jus Canonicum in Eccleſia eſſe debet, (ut in caſu huius c. dignitas Primiceriatûs) non poteſt illa tolli vel extingui ſinè auctoritate Papæ, gl. hîc v. confirmatum, quia inferiores Papâ non poſſunt ſtatuere quidpiam contra Jus commune Pontificium, Laym. ibid. n. 1. & dictum ſuprà. n. 96.

CXXIX. Porrò ſi ſtatutum à Superiore confirmatũ, non tantùm in favorem ſtatuentium, ſed etiam in aliorum gratiam factum ſit, tum illud tolli non poteſt ſinè conſenſu eorum, quorum intereſt, Abb. in cit. c. cùm acceſſiſſent. n. 2. & Felin. n. 4. Velut ſi in civitate aliqua ſtatutum ſit, ut, ſi qui mercatores animo ibi habitandi acceſſerint, certo quodam privilegio ſeu immunitate fruantur, eámque ob cauſam aliqui mercatores eò venerint, non poteſt, cum eorum præiudicio, ſtatutum hoc tolli, niſi gravis cauſa ſeu neceſſitas id poſtulet, Bart. in cit. l. omnes populi. n. 30. nam ſtatutum, quòd tranſivit in contractum vel quaſi contractum, cum aliorum præiudicio, revocari non poteſt; Bart. c. l. n. 29. quod enim ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt, reg. jur. 21. in 6. & ibi gl. fin.

CXXX. Aſſertio 3. Statutum confirmatum eſſentialiter & neceſſariò à Papa, vel alio Superiore, iterum tolli & revocari poteſt, ſinè conſenſu eiuſdem, ſi per eius revocationem redeatur ad obſervationem Juris communis priſtini, Abb. in cit. c. cùm acceſſiſſent. n. 2. Felin. ibid. n. 3. quia Jus commune favorabile eſt, ideóque ad illud redire facilè permittitur, & cùm abrogetur ſpeciale ſtatutum, & redeatur ad Jus commune, non cenſetur illud abrogari, ſinè auctoritate & conſenſu Principis, quia præſumitur velle potiùs obſervari Jus commune, quàm ſpecialia jura, quæ ſunt quaſi diſpenſationes & exceptiones à Jure communi, Suar. cit. c. 26. n. 18. Requiritur tamen, ut abrogatio ſtatuti per Papam confirmati, eſſentiali ac neceſſariâ confirmatione, fiat ab iis, qui poteſtatem habent leges ferendi, & Eccleſiæ ſtatuta immutandi, ſitque probabiliter Eccleſiæ utilis futura, Laym. in cit. c. n. 8. quia Capitulum, etiam cum conſenſu Epiſcopi, non habet poteſtatem tollendi jura Eccleſiæ utilia, vel eius ſtatum deteriorem reddendi, uti ſumitur ex l. jus publicum. 38. ff. de pactis.

CXXXI. Cæterùm, qui ſtatutum per expreſſam revocationem tollere non poſſunt, ij neque tacitè, ſive ipſo facto contraveniendo illud tollere poſſunt, quia taciti & expreſſi eadem eſt vis, Laym. in cit. c. n. 13. Si verò expreſsè tollere poſſint, quia habent poteſtatem per ſeipſos, ſive propriâ auctoritate ſtatuendi, tunc ei ipſo facto contraveniendo, per unum vel etiam plures actus contrarios, ſtatutum non tollitur abſolutè, ſed tantùm quoad eos actus. v. g. ſi in Eccleſia aliqua ſtatutum ſit, ut nullus, qui ex hæreſi converſus, vel ex Judæis oriundus eſt, in Canonicum recipiatur, & unus vel alter à Capitulo receptus fuerit, non abſolutè abrogatum eſt ſtatutum, ſed tantùm quoad eos actus, & perſonas receptas, Boich. apud Laym. cit. loc. n. 13.

Excipi debet, niſi ſtatutum à Capitulo factum ſit juramento confirmatum, v. g. ſi Capitulares juraverint, ſe obſervaturos ſtatutum, videlicet non recepturos in Canonicos ex Judæo genere natos, vel duos fratres in Capitulum, tunc enim ſi vel ſemel, ſive unico actu contraveniant, cenſentur id agere animo tollen-

tollendi ſtatutum, quia alioquin fierent perjuri, ſi ſtatutum juratum violaretur, quod non eſt præſumendum, cùm nemo præſumatur delinquere, adeóque potiùs præſumi debet, quòd voluerint tollere ſtatutum, quo tanquam principali ſublato, tollitur etiam juramentum ei acceſſoriè adiectum, Felin. in cit. c. cùm acceſſiſſent. n. 11. h. t.

§. V.

An, & qua ratione prior Conſtitutio tollatur per poſteriorem?

CXXXII. Aſſertio 1. Lex ſeu Conſtitutio poſterior Principis (ſive Papæ, ſive Imperatoris, aut alterius Principis ſecularis) ſi ſit directè contraria priori, eam tollit, & abrogat, quamvis de priore conſtitutione nullam mentionem faciat, ita habetur in c. 1. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Pontifex (qui Jura omnia in ſcrinio pectoris cenſetur habere) poſteriorem Conſtitutionem condendo, priorem (poſteriori directè contrariam) quamvis de illa mentionem non faciat, revocare velle cenſendus eſt. Idémque de legibus civilibus habetur in l. ſed & poſteriores. 28. ff. de legib. Ratio eſt, quia in Principe ſive Legislatore adeſt poteſtas tollendi, ſeu abrogandi legem priorem à ſe vel anteceſſoribus ſuis latam. ſi ergo condat conſtitutionem novam priori directè contrariam, hoc ipſo eſt in eo voluntas ei derogandi, eámque revocandi, quia Princeps ſcire cenſetur omnes leges communes ſeu publicas Reipublicæ, conſequenter legem ferendo priori cõtrariam, illam abrogare vult & revocare, quippe quæ cum poſteriore lege conſiſtere non poteſt, quamvìs id non exprimat: *nam Papa ſeu Princeps jura omnia in ſcrinio pectoris ſui habere cenſetur*, cit. c. 1. & l. omnium. 19. C. de teſtament. Idque propter Conſiliarios & ſapientes ipſi aſſiſtentes, qui dicuntur pars corporis ipſius Principis, quorum ſcientiâ ac prudentiâ adiuvatur, gl. magna in cit. c. 1. Ex quo infertur, quòd error ſive ignorantia juris communis Principem non excuſat, cuius ſcientiam ſe habere, profitetur.

CXXXIII. Extenditur autem tradita doctrina 1. Quòd Princeps vel Legislator, condendo legem novam generali, ſive communiter receptæ conſuetudini contrariam, eam quoque abrogare velle cenſetur, etiam nullâ factâ mentione huiuſmodi cõſuetudinis, cùm & ipſa ſit lex quædam communis, ſive jus non ſcriptum, ideóque non minùs illã Princeps ſcire cenſetur, quàm legem ſcriptam, alioquin inutilis foret novæ legis promulgatio, gl. in cit. c. 1. v. ſingularium.

Extenditur 2. quòd etiam Magiſtratus inferior, qui poteſtatem ſtatuta ferendi & abrogandi habet, ſiquid contrarium priori legi ſeu conſtitutioni ſui fori ſeu territorij ſtatuat, cenſetur velle eam abrogare, quia & is leges ſeu ſtatuta ſua ſcire præſumitur, Laym. in cit. c. 1. n. 15. Idémque dicendum de ſtatuto adverſante priori conſuetudini loci, ut ſi Civitas faciat ſtatutum contra receptam in eo loco cõſuetudinem: hæc enim tollitur, quia cives præſumuntur ſcire ſuam conſuetudinem, Abb. in c. ult. n. ult. de conſuetud.

CXXXIV. Excipiuntur tamen à tradita doctrina Decreta Concilij generalis, quibus per poſteriorem Conſtitutionem Pontificiam contrariam non cenſetur derogatum, niſi clauſula derogatoria expreſsè adiiciatur, v. g. *non obſtante quacunque lege aut conſtitutione in Concilio generali editâ*: colligitur ex c. ex parte 3. & ibi gl. v. nulla mentio. & c. ult. de capellis monachor. Felin. in c. nonnulli. 28. n. 2. de reſcript. quia cùm decreta Concilij generalis valde maturâ deliberatione ſint condita, videntur continere tacitam clauſulam derogatoriam omnium poſteriorum conſtitutionum, quæ illis contrariæ ſunt, niſi de iiſdem mentionem faciant, Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 26. n. 7. Imò ſi Concilium generale ſit noviſſimum, quale nunc eſt Tridentinum, non ſufficit generalis derogatio decretorum cuiuſcunque Concilij, ſed neceſſe eſt ſpecialem illius mentionem fieri. Idem cit. loc. At verò aliæ leges communes anteriores debent continere expreſſam clauſulam derogatoriam legum ſubſequentium contrariarum, tunc enim non cenſentur revocatæ per poſteriores, niſi in his priorum mentio fiat, Philipp. Franc. in c. 1. n. 12. h. t. in 6.

CXXXV. Ubi tamen præterea notandum eſt 1. magnum eſſe diſcrimen inter Conſtitutionem, ſive illa ſit Concilij Generalis, ſive alia quæcunque, quæ non cenſetur revocata per poſteriorem conſtitutionem, niſi in illa clauſula derogatoria ſubſequentiũ diſpoſitionum ſeu conſtitutionum expreſsè ſit appoſita, ſive niſi eius ſpecifica & expreſſa mentio fiat: & inter conſtitutionem, in qua talis clauſula derogatoria tacitè ſolùm, ſive præſumptivè continetur: nam prior conſtitutio non tollitur, nec ei derogatur per clauſulam generalem, *non obſtante quacunque Conſtitutione contrariâ*, ut docet Abb. in c. nonnulli. 28. n. 10. de reſcript. Laym. ibid. n. 5. Ratio eſt, quia cùm Princeps cenſeatur habere notitiam legis anterioris, ſpecificè & expreſsè ei derogaret, prout lex ipſa requirit, ſi vellet eam tollere. iuxta c. 1. h. t. in 6. At verò ad abrogationem legis, quæ talem clauſulam derogatoriam ſubſequentium diſpoſitionum vel conſtitutionum expreſsè non requirit, ſufficit, ſi generalis clauſula derogatoria cuiuſcunque legis antecedentis habeatur in lege poſteriore, etiamſi in hac expreſſa ſeu ſpecifica mentio prioris illius legis non fiat. Quin imò, ſi ex coniecturis colligi poſſit, mentem Principis fuiſſe per poſteriorem legem publicè latam ac promulgatam derogare velle legi anteriori, etiam Concilij generalis, cui tacitè ſolùm clauſula derogatoria ſubſequẽtium diſpoſitionum ineſt, non erit opus talem clauſulam derogatoriam addere. Abb. c. l. n. 8. & Laym.

CXXXVI. Notandum 2. Per poſterius decretum Concilij Generalis tollitur prius ei contrarium, quamvìs in poſteriore non derogetur expreſsè priori, nec de illo mentio fiat, quia utrumque decretum factum eſt pari conſilio & maturitate, & ſic ceſſat ratio, ob quam decretum Concilij generalis non abrogatur per poſteriorem conſtitutionem Decretalem, niſi de eo mentio fiat, faciliùs enim tolluntur ſimplices Conſtitutiones Decretales, quàm decreta univerſalium Conciliorum, quia quod multorum auctoritate fit, maioris roboris cenſetur, Felin. in c. nonnulli. 28. n 2. de reſcriptis. Fagn. ibi. l. n. 31. & ſeqq. ſicut ergo Conſtitutio Decretalis Papæ per poſteriorem Conſtitutionem eiuſdem tollitur, etiamſi

in ea non fiat mentio prioris Conſtitutionis, c.1.b.t. in 6. ita etiam prius decretum Concilij generalis tollitur per poſterius contrarium decretum Concilij, etſi priori expreſsè non deroget, nec mentionem de eo faciat, Et hinc per Concilium Tridentinum multa Decreta antiquiorum Conciliorum ſunt abrogata, etiamſi in eo expreſſa derogatio ſive ſpecifica mentio de ijs non fiat, ut pluribus exemplis oſtendit Fagn. c. 1. n.42. Porrò quòd etiam Decretum Concilij generalis per poſteriorem Conſtitutionem decretalem S. Pontificis abrogetur & tollatur, etiãſi expreſsè ei nõ deroget, nec mentionem de eo faciat, tradit Fagnan. in cit.c.nonnulli.n.28.&ſeqq.& alij apud ipſum citt. nam etſi per reſcriptum ſeu litteras Apoſtolicas gratiæ, vel quæ emanant contra Jus commune, non tollantur Decreta conciliorũ generalium, niſi in illis reſcriptis per ſpecialem clauſulam eis derogetur, *non obſtante ullo priore decreto Concilij Generalis*, ut conſtat ex c.ex parte, 3.de Capellis Monach. ubi Abbas quidã & Conventus aſſerebant, ſe per litteras Apoſtolicas obtinuiſſe, ut poſſint ſinguli Monachi in ſingulis eorum Prioratibus commorari, contra diſpoſitionem Concilij Lateranen. ſub Alexandro III. in c.2. de ſtatu Monach.& ex cit. c. nonnulli, ubi ſtatuitur, ne quis, vi reſcripti Apoſtolici, trahi poſſit ultra duas dietas, contra Conſtitutionem generalis Concilij Lateran. ſub Innoc.III. niſi in illo mentio fiat de eadem Conſtitutione: nullibi tamen habetur expreſſum, quòd priori Conſtitutioni Concilij generalis per poſteriorem legem Canonicam non derogetur, niſi in ea fiat mentio prioris Decreti Concilij; quin imò in c. 1. b. t. in 6. generaliter & indiſtinctè dicitur, per poſteriorem legem priorem revocari, quamvis de ipſa mentio non fiat, quia etiam lex ſive Conſtitutio Papæ, etſi ſinè Concilio generali lata ſit, cum magna deliberatione fertur, & generalia Concilia habent quidem clauſulam derogatoriam ſequentiũ ſive poſteriorum reſcriptorum; non autem poſteriorum Conſtitutionum, Jo.Monach. in cit.c.1. in addit. Probi n.3.h.t.in 6. Ratio autem diſparitatis, inter reſcripta & leges ſeu Conſtitutiones eſt, quia maturiùs & magìs deliberatè fit legis promulgatio, quàm reſcripti conceſſio, gl. in cit.c.1.v.noſcatur. h. t. in 6. Atque hæc ſententia eſt etiam valde probabilis.

CXXXVII. Aſſertio 2. Princeps per generalem Conſtitutionem non cenſetur abrogare velle particularia ſtatuta & conſuetudines ſpecialium locorum & perſonarum, quibus lex illa poſterior eſt contraria, dummodo illa ſint rationabilia, niſi id exprimat, cit.c.1.h.t.in 6. ubi idem Bonifacius VIII. » ait, quia Pontifex ſpecialium locorum & ſingula- » rum perſonarum conſuetudines & ſtatuta, cùm » ſint facti & in facto conſiſtant, probabiliter poteſt » ignorare, ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per nò- » vam Conſtitutionem à ſe editam non intelligitur » in aliquo derogare, niſi id expreſsè in illa caveatur. Ratio redditur in textu, quia conſuetudines & ſtatuta particularia, etſi in jure conſiſtant, quia ſunt Jura quædam particularia, reſpectu ſubditorum, quos obligant, ideóque ab ijs probabiliter ignorari non poſſint: reſpectu tamen Principis, & eorum, quos non aſtringunt, ſeu ad quos nõ pertinent, ſunt quid facti, & in facto conſiſtunt: cùm enim varia ſint & innumera, ſciri non poteſt, an & quænam talia ſtatuta & conſuetudines exiſtant, ideóque cùm id ad factum pertineat, probabiliter à Principe ignorantur, & conſequenter non cenſetur Princeps per novam conſtitutionem contrariam ea revocare velle, niſi expreſsè in ea id caveatur (nemo enim videtur revocare quod ignorat) ſaltem per clauſulam generalem, *non obſtante quocunque contrario particulari ſtatuto, vel conſuetudine*, gl.ibid. v.facti. Neque verò lex nova & poſterior Juris communis, etſi contrarium particulare ſtatutum vel conſuetudinem non tollat, eſt ſuperflua & inutilis, quia licèt non ſervetur in loco, ubi contrarium particulare ſtatutum vel conſuetudo viget, ſervari tamen debet, & vim obligandi habet in aliis locis, & ſic non eſt fruſtra lata: ſecus eſt de nova conſtitutione contraria Juri communi, quæ inanis foret, & ſinè effectu, ſi non tolleret & revocaret Jus commune contrarium, vel generalem conſuetudinẽ, quia nullibi obligaret, cùm leges contrariæ ſimul conſiſtere nequeant, gl. magna in cit.c.1.

CXXXVIII. Porrò ſi in conſtitutione Principìs generaliter latâ, adiecta ſit clauſula generalis, *non obſtante quocunque ſtatuto aut conſuetudine in contrarium*: cenſentur, vi illius, ſublata eſſe omnia particularia ſtatuta & conſuetudines locorum, ac ſi in ſpecie expreſſa eſſent; cùm enim Princeps non teneatur, imò plerumque non poſſit in ſpecie ſcire ſingularia ſtatuta & conſuetudines, ſufficit ad illa tollenda clauſula derogatoria generalis, ac veluti conditionalis, ſi quæ contraria ſint. Gail.lib.1.obſ.18,n.2. Quòd ſi lex ſive conſtitutio particularia ſtatuta vel conſuetudines, quæ ei contraria ſunt, damnet ac reprobet, tanquam irrationabilia, vel quæ cedant in damnum Reipubl. vel peccatum nutriant, tum non tantùm quæ nunc vigent, ſed etiam in perpetuum tolluntur, ita ut etiam futuris temporibus nullum tale ſtatutum condi, vel conſuetudo introduci poſſit. Gail.cit. loc.n.4. Idémque eſt, ſi Jus ſive lex communis aliquid ſimpliciter prohibeat, quia illicitum eſt & intrinſecè malum, tunc enim contra talem prohibitionem non poſſunt fieri ſtatuta directè legi, & menti eius contraria, nec conſuetudines in contrarium introduci. Idem cit.loc. n.2.

CXXXIX. Aſſertio 3. Si ſtatuta municipalia ſeu particularia, non præter, ſed ſecundùm Jus commune ſint condita, quia ſcilicet non diverſum, ſed idem diſponunt & decernunt, quod Jus commune, nihil ei addendo vel detrahendo, tum ſi per novã legem generalem contrariam tollatur, & abrogetur Jus commune, conſequenter etiam cenſentur ſublata & abrogata illa ſtatuta particularia fundata in Jure communi; ſublato enim principali, tollitur etiam acceſſorium, gl.in cit.c.1.in fine caſûs, & v. facti h.t. in 6. Ratio eſt, tum quia cùm tale ſtatutum municipale nihil aliud contineat, quàm quod Jure communi ſancitum eſt, quò ad ſubſtãtiam non differt à Jure communi, ſed eſt tantùm eius quædam declaratio, & propoſitio, adeóque non eſt Jus aliquod peculiare ac proprium, ſed commune, quod per ſtatutum reperitur, quia magìs aliquando attendi & terrere ſolet cautio, ſive diſpoſitio ſpecialis, quàm generalis, Azor p.1.Inſtit.mor.l.5. c.26. q.17. Tum quia ſicut Princeps præſumitur ſcire Jus commune; ita & ſtatutum conforme Juri communi, idémque decernens, eique per legem generalem contrariam Juri communi deroga-

rogare voluiſſe,gl.in cit.c.1.v.facti,ubi gl.marg. id limitat,niſi alia eſſet ratio ſtatuti,quàm Juris communis. Et hinc etiam per legem generalem contrariam Juri communi tolluntur privilegia in Corpore Juris contenta, quia illa pertinent ad univerſales leges,& conſequenter non præſumuntur ignorari à Principe ſeu Legiſlatore, qui proinde cenſetur etiam illa revocare voluiſſe, per legem poſteriorem derogantem Juri communi,etiamſi id non exprimat, Suar. lib. 8. de legib. c.39. n. 2. Quamvis per legem generalem abſque clauſula derogatoria latam non tollantur privilegia non contenta in Corpore Juris, quia Princeps ſeu Legiſlator non cenſetur ſcire omnia Jura privata & particularia , cuiuſmodi ſunt huiuſmodi privilegia,Suar. cit.loc.

CXL. Cæterùm omnes leges priores vel poſteriores omnino tolli vel abrogari poſſunt, ſaltem validè,etiamſi illæ ſint adhuc Reipubl.utiles,nam licèt Legiſlator ſinè juſta cauſa abrogando legem Reipubl. utilem peccet; abrogatio tamen valida eſt, & effectum ſortitur, quia ſicut lex liberâ voluntate legiſlatoris conſtituitur, ac vim obligandi accipit: ita etiam eiuſdem arbitratu abrogari poteſt,ac obligare deſinit,nam per quaſcunque cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, c. 1. de regulis Juris, & eiuſdem poteſtatis eſt ligare & ſolvere , legem ferre & tollere. Nec refert,quòd lex ſinè ratione & utilitate lata nullam vim obligandi habeat , unde conſequens videtur , quòd ſicut ſinè juſta & rationabili cauſa,ferri non poteſt,ita nec abrogari poſſit,ſolâ ac merâ voluntate legiſlatoris. Nam diſparitas eſt, quòd ſicut in aliis pleriſque rebus etiam naturalibus plus requiritur, ad rei generationem , quàm ad eius corruptionem ſeu deſtructionem: ita etiam in propoſito ad legis conſtitutionem requiritur cauſa juſta & rationabilis,ſed ad eiuſdem abrogationem ſaltem validam ſufficit mera voluntas auctoris ſive legiſlatoris exteriùs indicata, Laym.in c.1. h. t. in 6. n. 10. & lib.1.Theol.moral.tract.4.c.1. num. 3. & cap. 21. num. 1.

TITVLVS III.

DE RESCRIPTIS.

Poſt Conſtitutiones ſive Leges, rectè agitur de Reſcriptis,nam & ea inter Placita Principum numerantur, quæ legis vigorem habent, l. 1. ff. de Conſtitut. Princ. ac proinde etiam ipſa vim conſtitutionis ſeu legis habent, ſaltem inter partes ſeu perſonas, inter quas reſcriptum eſt,& in negotiis duntaxat,pro quibus reſcripta ſunt edita, l. 2. C. de legib. Felin.in rubr. h. t. n. 1. Etſi verò reſcriptum, quatenus pro certis perſonis emanavit, legis rationem habere non poſſit; ſi tamen ſententia definitiva à Principe lata ſit in certa cauſa, vel juris alicuius interpretatio facta ſit in reſcripto, ea jus generale facit quoad omnes,ita ut omnes judices, non tantùm in illa cauſa, ſed etiam in aliis ſimilibus eam ſequi debeant, iuxta l. ult. C. de legibus. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE RESCRIPTIS IN GENERE, eorúmque diviſione, & impetratione.

§. I.

Quid ſit Reſcriptum, & quotuplex?

Nomine Reſcripti in genere continentur omnes reſponſiones ad petitionem verbo vel ſcripto factam, literis mandatæ, quo ſenſu etiam ſcriptæ epiſtolæ reſponſoriæ privatorum reſcripta dici poſſunt, Greg. Tholoſan. l. 1. h.t. n. 4. Verùm hic non de privatorum, ſed Principum & publicæ auctoritatis reſcriptis agitur.

I. Aſſertio 1. Reſcriptum propriè eſt reſponſum à Principe ſeculari,vel Eccleſiaſtico,ut S.Pontifice,vel Imperatore, aut alio potiſſimùm ſupremo Principe alicui ſupplicanti,vel conſulenti in ſcripto datum, ſic dictum, non quaſi iterum ſcribatur, ſed quaſi reſponſum ſcriptum. Colligitur ex l. 1. §. 1. ff. de appellat. Azor. par. 1. Inſtir. l. 5. q. 1. Differt reſcriptum ab Oraculo, quia hoc eſt reſponſum Principis ore ſeu vivâ voce datum, quamvis poſtea in ſcripturam ſit redactum: ab Epiſtola verò decretali differt, quòd hæc non ſemper ad alicuius conſultationem vel petitionem detur, ſed interdum etiam, proprio motu Principis, adeóque epiſtola latiùs patet,quàm reſcriptum, quia etſi omne reſcriptum ſit epiſtola,non tamen vice versâ,omnis epiſtola eſt reſcriptum, ſed interdum aliqua duntaxat ſcriptum, nullâ præcedente petitione,datum, Tholoſan.cit.c.1. n.6.& 11.

II. Porrò reſcriptum ſumitur aliquando latè,pro omni privilegio & beneficio Principis in ſcriptis obtento: aliquando verò ſtrictè & propriè, prout diſtinguitur à privilegio & beneficio Principis: nam privilegium conceditur à Principe ad aliquid agendum, vel non agendum ,contra jus commune,

ſub

ſub quocontinentur etiam diſpenſationes; & dicitur privilegium, quaſi lex privata, & non communis, in favorem alicuius dara; beneficium verò eſt gratia Principis conceſſa, præter jus commune. Reſcriptum verò propriè ac ſtrictè acceptum eſt decretum Principis ad alicuius conſultationem vel petitionem emanans, ſecundùm Jus commune, ſive ad Juris communis obſervationem; ut ſi Princeps alicui per litteras committat poteſtatem cognoſcendi ac definiendi cauſam aliquam inter partes controverſam, vel ſi reſpondeat ad dubia juris ſibi propoſita, & decidat, quid in re aliqua, ſecundùm Leges vel Canones, faciendum ſit, Abb. in rubr. h. t. Sylv. in ſumma v. reſcriptum. in princip. Azor cit. c. 24. q. 2. Sumitur autem hoc loco reſcriptum latè ac generaliter, prout omne privilegium, & beneficium Principis, adeóque litteras, ſive ſecundùm jus, ſive contra, vel præter jus, conceſſas complectitur: quia de reſcriptis tum ad lites decidendas, cauſáſque definiendas, tum ad beneficia Eccleſiaſtica, aliáſque gratias obtinendas hic agitur. Privilegium verò, ſive beneficium, ſinè ſupplicatione vel petitione alicuius, à Principe conceſſum propriè inter reſcripta numerari non debet: quamvìs interdum Papa clauſulam (motu proprio) addere ſoleat, quando ſcilicet non ob petitionē impetrantis, quàm propriâ ſuâ liberalitate, & ex mera gratia ad concedendum movetur, Rebuff. in praxi benefic. p. t. tit. de clauſulis mandatorum. n. 21.

III. Aſſertio 2. Reſcripta ſeu reſponſa Principis variè dividuntur: nam inprimis quędam reſcripta ſunt generalia, quædam ſpecialia, Sylv. v. reſcriptum. q. 1. Generalia ſunt, quæ vim obligandi habent erga omnes ſubditos, & in toto territorio Principi ſubiecto: idque quia vel ab initio eo fine data ſunt, ut generaliter ubique, & omnes obligatent, L. Prætor. 3. §. D. Hadrianus. ff. de ſepulchro violato, ubi dicitur: *oportet imperialia ſtatuta vim ſuam obtinere, & in omni loco valere.* Vel quia poſtea juſſu & auctoritate Principis, talia reſponſa Corpori Juris inſerta, & omnibus ſervanda ſunt propoſita, ita ut rationem ac vim Legum ſeu decretorum habeant, ut conſtat ex præfatione Gregorij IX. in Libros Decret. & c. 1. diſt. 20. Specialia autem reſcripta ſeu reſponſa ſunt, quæ inter certas ſolùm perſonas, & ad certas cauſas, vel negotia, certum locum, vel tempus, ſunt data: neque poſtea ad alias perſonas vel cauſas ſunt extenſa: cuiuſmodi reſcripta generalia jura, ſeu leges non ſunt, ſed leges faciunt his duntaxat negotiis ac perſonis, pro quibus fuerunt promulgata, c. 1. diſt. 29. l. 2. C. de legib. Quòd ſi tamen tale reſcriptum ſpeciale, quod ad certam cauſam, & erga certam perſonam emanavit, Corpori Juris inſertum ſit, vel etiam à Magiſtratu Principe inferiore, qui jus habet ſtatuta condendi, inter ſtatuta municipalia vel ſynodalia ſit collocatum, legis ſeu ſtatuti rationem ac vim ſortietur, Felin. in rubr. h. t. n. 1. Laym. in c. 1. de conſtitut. n. 6. Præterea dividuntur reſcripta in perpetua & temporalia, Greg. Tholoſan. cit. c. 2. n. 14. Hæc ſunt, quæ certum ac determinatum tempus præfixum habent: illa ſunt, quæ nullum, vel indefinitum & indeterminatum tempus habent; nam perpetua dicuntur, quæ tempus limitatum ſeu definitum non habent, l. juriſperitos 30. & ibi Gothofr. lit. h. ff. de excuſat. tutor. Ad reſcripta perpetua pertinent etiam perſonalia, quæ ad vitam hominis conceduntur, arg. l. 1. ff. pro ſocio, Tholoſ. cit. l.

IV. Alia & quidem præcipua diviſio eſt in reſcripta juſtitiæ, & illa, quæ ſunt gratiæ. Reſcripta juſtitiæ dicuntur, quæ dantur, vel ad explicandum ſeu declarandum Jus, vel ad lites expediendas, ſeu ad dicendum jus, ſive juſtitiam adminiſtrandam, cum cauſæ cognitione, inter partes. Et licèt huiuſmodi reſcripta interdum præter jus dentur, in caſibus ſcilicet à jure non deciſis: dicuntur tamen dari ſecundùm ius, ſive ad obſervantiam juris, quia vel ad eius interpretationem, vel ad debitam executionem dantur: in quo differunt à privilegiis, quia privilegium datur potiùs contra jus, vel ſaltem ultra jus, cùm ſit lex privata aliquid ſpeciale concedens. Suar. l. 8. de legib. c. 2. n. 8.

Reſcripta gratiæ dicuntur, quæ ex gratia, ſeu beneficio & liberalitate Principis procedunt, vel conceduntur ad obtinendam aliquam gratiam ſeu beneficium, Greg. Tholoſ. cit. c. 2. n. 15. Et hæc reſcripta ſubdiſtingui poſſunt in illa, quæ verſantur circa beneficia conferenda; & differunt à privilegiis, quia huiuſmodi reſcriptum non eſt lex privata, nec dat propriè facultatem operandi aliquid contra, vel præter legem, ſicut dat privilegium: ſed talia reſcripta, quæ beneficialia vocantur, dari ſolent ad collationes, reſignationes, & alias diſpoſitiones de beneficiis Eccleſiaſticis faciendas, quæ reſcripta in eo videntur convenire cum reſcriptis juſtitiæ, quòd ſecūdùm jus commune concedi intelligantur, niſi aliud exprimatur: quibus reſcriptis in jure civili reſpondent illa, quæ per Imperatores concedi ſolent ad dignitates & adminiſtrationes civiles, de quibus in l. ſi qua beneficia. 4. & l. ſeq. C. de diverſ. reſcriptis.

Alia verò ſunt reſcripta gratiæ, quæ verſantur circa jus operandi, non ſolùm præter, ſed etiam contra legem; & ſub his reſcriptis continentur etiam privilegia, latiùs tamen ſumpto nomine privilegij, quarenus continet etiam alias gratias, quæ propriè ac ſtrictè privilegia non ſunt, ut diſpenſationes, quæ frequenter dantur ad unum actum tantùm exercendū, contra legem communem, ut ad matrimonium contrahendum ei, qui impedimentum canonicum habet, vel ad Ordinem ſuſcipiendum ei, qui irregularitatem incurrit, &c. ideóque privilegia propriè dici non poſſunt, quia diſpenſatio non conceditur, per modum legis privatæ, ad operādum ordinariè & ſtabiliter contra jus commune, Suar. cit. loc. n. 9. & 10. Porrò in dubio præſumitur eſſe reſcriptum juſtitiæ, & non gratiæ: hoc eſt, juſtitiam, & non gratiam continens, quia, qui gratiam allegat, eam probare debet, Card. Tuſchus lit. R. concluſ. 209. Datur etiam reſcriptum mixtum, quod ſcilicet continet gratiam & iuſtitiam, ut ſi executori mandetur, ut conferat beneficium, ſimúlque detur poteſtas compellendi reſiſtentes vel impedientes, ut ſic etiam continet juſtitiam, Tuſchus cit. loc. n. 7. Porrò quomodo reſcripta gratiæ & juſtitiæ inter ſe differant, ex ijs, quæ dicentur, patebit.

V. His adde, quòd quædam Reſcripta Pontificia Brevia vocari ſolent. Eſt autem Breve Apoſtolicum reſcriptum paucis verbis & compendioſis cōcluſum, ſive conceſſio paucis verbis ſummatim comprehenſa, ſigillata ſub annulo piſcatoris in cera rubra:

bra: per illud olim & à principio, cùm in uſum inductum eſt, negoria juſtitiæ tantùm expediebantur, ideóque inter Reſcripta juſtitiæ à nonnullis numerari ſolet; quamvìs nunc etiam plura, quæ ad gratiam pertinent, per Breve expediantur, Tholoſan. lib. 1. de Reſcriptis c. 36. ubi plura de Brevibus Apoſtolicis legi poſſunt.

§. II.

Quinam impetrare poſſint reſcriptum, qui non, & à quibus, contra quos, & in quibus rebus impetrari poſſit?

VI. Aſſertio 1. Supplicare Principi, ſive impetrare reſcriptum poteſt quilibet, ſive actor, ſive reus, niſi ſpecialiter prohibeatur, ut hæreticus, l. 2. C. de ſumma Trinit. & excommunicatus, de quo poſtea. Item ſervis regulariter probibitum eſt ſupplicare Principi, l. 1. C. de precib. Imperat. offerend. niſi ex atrociſſimis cauſis, ut ſi dominus in ſervos ſævierit, vel ad impudicitiã & turpem violationem compellat, l. 2. ff. de bis, qui ſui vel alieni juris ſunt, Hoſtienſ. in ſumma. n. 3. h. t. Sylveſt. v. reſcriptum. q. 2. Impetrari verò poteſt reſcriptum ab eo, qui poteſt illud concedere, nempe Papa in ſpiritualibus, Imperator in temporalibus, & quilibet alius Princeps Superiorem non recognoſcens: & univerſim, quicunque cõſtitutionem facere poteſt, & juriſdictionem habet, is etiam reſcriptum concedere poteſt, Hoſtienſ. c. l. n. 2. Præterea reſcriptum impetrari poteſt contra quemlibet, ſive Clericum, ſive laicum; ſive maiorem, ſive minorem 25. annis, etiam contra excommunicatum, ne ex malitiã ſua commodum referat, c. intelleximus 7. inf. de judic. modò is, contra quem impetratur, ſubſit juriſdictioni concedentis, Hoſtienſ. c. l. n. 6. Denique reſcriptum impetrari poteſt ſuper rebus omnibus, de quibus litigari poteſt, corporalibus & incorporalibus, profanis & ſacris ſeu religioſis; item ſuper Eccleſiis & beneficiis Eccleſiaſticis, Hoſtienſ. c. l. n. 8. Et univerſim pro omnibus illis rebus ſupplicari & reſcriptum impetrari poteſt, quæ vel ex officio, & ſecundùm jus alicui debentur, vel ex gratia concedi poſſunt ac ſolent.

VII. Aſſertio 2. Excommunicatus (ſcilicet maiore excommunicatione) non ſolùm reſcriptum impetrare prohibetur, c. dilectus. 26. h. t. Sed etiam reſcriptum ab eo impetratum ipſo jure eſt irritum, ſicut & proceſſus, vi talis reſcripti, inſtitutus non valet, c. 1. h. t. in 6. ubi ſtatuit Gregorius IX. quòd » reſcriptum ab excommunicato impetratum, & » proceſſus ex eo reſcripto inſtitutus, ſint ipſo jure in» valida, niſi in cauſa ipſius excommunicationis, vel » appellationis articulo ſit impetratum. gl. ibid. v. ab excommunicato, quia cùm per excommunicationem reddatur quis inhabilis ad impetrandum reſcriptum, ideo hoc ipſo jure eſt irritum, & conſequenter etiam proceſſus judicis delegati ex eo reſcripto inſtitutus, quippe qui vi talis reſcripti non acquirit juriſdictionem, ſinè qua velut fundamento, nullus actus judicialis valere poteſt, ſaltem quoad proceſſum in cauſa principali. Verumtamen delegatus ex vi talis reſcripti cognoſcere poteſt, num ſua ſit juriſdictio, adeóque an impetrans reſcriptum verè fuerit excommunicatus, nécne, quia cùm hoc caſu non deſit juriſdictio in delegante, eàque in dubium non revocetur, ideo habet etiam delegatus, qui eius vices gerit, poteſtatem cognoſcendi de eo, quod ab ipſo promanat, videlicet utrùm reſcriptum delegationis validum ſit, nécne? Laym. in cit. c. 1. n. 3. & c. ex parte 33. n. 3. eodem in antiquis.

Non obſtat, quòd, ſi excommunicatus agat in iudicio, & per oppoſitam exceptionem adverſarij, vel à Judice ex officio non repellatur, ſententia, & omnia acta ſint valida: ut colligitur ex c. 1. §. fin. de exceptionib. in 6. ibi: *ſed ſententia quæ præceſſit, non minùs robur debitum obtinebit*, ſcilicet ac ſi ille tempore ſententiæ excommunicatus non fuiſſet, ut ſupplet gl. ibid. v. obtinebit: ergo non ſunt ipſo jure irrita. Nam id verum eſt, quando excommunicatus agit coram Judice Ordinario, qui non accipit juriſdictionẽ novam per aliquod reſcriptum, ſed jam ante fundata eſt eius juriſdictio, ideóque proceſſus tenet, niſi de excommunicatione actoris excipiatur, iuxta cit. c. 1. de except. in 6. at verò judex delegatus acquirit novam juriſdictionem, per reſcriptum impetrantis talem judicem, eiúſque juriſdictio ſumit initium ex perſona actoris ſeu impetrantis: ideóque tam reſcriptum ab excommunicato impetratum, quàm proceſſus judicii ab eo pendens, tanquam habentia vitioſum principium, non valent, gl. in cit. c. 1. v. proceſſus. h. t. in 6. Unde ſi actor non fuit excommunicatus, tempore impetrati reſcripti, ſed primùm poſt eius impetrationem, adeóque reſcriptum validum fuit, tum etiam proceſſus ab eo inſtitutus, coram judice delegato, non eſt ipſo jure irritus. Vel etiam dici poteſt, quòd reſcriptum juſtitiæ, in quo cauſa aliqua delegatur, laté loquendo, ſit gratia ſeu beneficiũ Papæ delegantis, omnis autem gratia ſeu beneficium Papæ excommunicato conceſſum, juxta ſtylum Curiæ, eſt irritum, idque in odium excommunicationis. At verò actor litigans, coram judice, jus ſuum proſequitur, ideóque acta valent, niſi illi exceptio excommunicationis opponatur, Laym. in cit. c. 1. h. t. in 6. n. 3. q. 1.

VIII. Extenditur autem tradita doctrina 1. quòd non ſolùm omne reſcriptum juſtitiæ ſeu ad lites, ſive in judicio petitorio, ſive poſſeſſorio, etiam in cauſa ſpoliationis, vel alterius interdicti poſſeſſorij, Francus in cit. c. 1. n. 11. de except. in 6. ſed etiam omne reſcriptum gratiæ, vel privilegij, vel ad diſpenſationem, vel ad Eccleſiaſtica beneficia ab excommunicato obtentum, ſit ipſo jure irritum; nam Regula Canonica univerſalis eſt, quòd nullæ litteræ impetratæ ab excommunicato valeant, præter eas, quæ in jure ſunt exceptæ: exceptio autem firmat regulam in omnibus aliis caſibus non exceptis, gl. in cit. c. 1. v. alio. Franc. ibid. n. 3. in princ. Suar. diſp. 13. de cenſur. ſect. 1. n. 12. Præſertim quia reſcripta gratiæ faciliùs annullantur, quàm reſcripta juſtitiæ.

2. Idem procedit, non tantùm ſi excommunicatus notorius, ſeu publicus impetret reſcriptum, ſed etiam, ſi occultus, quamvìs aliàs nõ ſit vitandus: nam Jus Canonicum generaliter & indefinitè irritum reddit reſcriptum impetratum ab excomunicato, ideóq; ſinè fundamento reſtringitur ad excommunicatum publi-

publicum: præſertim cùm hoc in odium excommunicationis ſit ſtatutum, & excommunicato occulto per Extravag. Concilij Conſtantienſis nullus favor ſit factus, Sylveſt. v. reſcriptum q.2. Suar. diſp. 17. de cenſur. ſect. 1. n. 4. Barboſa in cit. c. 1. n. 3. h. t. in 6. & alij communiter, contra Navarr. lib. 5. conſil. 44. n. 8. de ſententia excommunic. Et hinc etiam in Reſcriptis Papalibus præmitti ſolet abſolutio ad cautelam; ſive excommunicatio aliáve cenſura ſit notoria, ſive occulta: nam etiamſi excommunicatio publicè ignoretur, inhabilem reddit perſonam, quam afficit, ut patet in electione excommunicati, etiam occulti ſeu non denunciati. Excipi poſſet, niſi excommunicatus occultus, vi talis reſcripti, quædam ageret, ratione publici officij, v.g. judicis delegati; tum enim acta eius valida forent, quia jus ipſum propter publicam & probabilem ignorantiam, adeóque ob bonum commune, defectum occultum ſupplet, arg. l. Barbarius. 3. ff. de offic. Prætor. Suar. cit. ſec. 1. n. 4. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 22. n. 19.

3. Reſcriptum impetratum ab excommunicato irritum eſt ipſo iure, non tantùm in foro externo, ſed etiam interno conſcientiæ, ante omnem judicis ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam, ita ut excommunicatus, etiam occultus, illo in conſcientia uti non poſſit, quia leges, quæ non meram pœnam inferunt, ſed privativum effectum habent, & ſecum executionem trahunt, aut ſimpliciter irritant actum aliquem, vel inhabilem ad aliquid reddunt, ſtatim effectum habent, & obligant, Sylv. cit. l. Suar. c. l. contra Navarr. cit. loc. n. 7.

4. Excommunicatus eſt inhabilis ad impetrandum reſcriptum, non tantùm per ſe ipſum, ſed etiam per Procuratorem, c. fin. de procurator. Anchar. in cit. c. 1. column. fin. q. 7. de except. in 6. Et ſive reſcriptũ fuerit impetratum ab illo pro ſe, ſive pro alio excommunicato, vel etiam non excommunicato; Barb. in cit. c. 1. n. 10. ex Felino.

5. Reſcriptum impetratum ab excommunicato in cauſa individua, ſimul cum non excommunicato, ex parte utriuſque eſt irritum: in cauſa verò dividua ſive ſeparabili, ſi impetratum ſit reſcriptum à nõ excommunicato ſimul cum excommunicato ignoranter, quia neſcivit, illum eſſe excommunicatum, valet reſcriptum ex parte non excommunicati tantùm: ſi verò ſcienter, invalidum eſt ex parte utriuſque, Barb. in cit. c. 1. n. 4. Ratio eſt, quia utile per inutile non vitiatur, ſi ab invicem ſeparari poſſint; ſecus, ſi non poſſint, reg. jur. 27. in 6. & ibi gloſſ. magn. & DD.

IX. Limitari verò tradita doctrina debet, 1. quòd excommunicatus ſuper cauſa excommunicationis ſuæ poſſit à Papa impetrare reſcriptum, ſi dicat eam eſſe invalidam, vel iniuſtam; alioquin enim non haberet medium neceſſarium ad defenſionem ſuam, c. 1. h. t. in 6. & ibi gl. magna.

2. Si excõmunicatus à ſententia judicis appellavit, poteſt ſuper cauſa ſeu articulo appellationis reſcriptũ impetrare, cit. c. 1. Ratio eſt, quia excõmunicatus poteſt appellare, ut reparetur iniuria ipſi facta à Judice à quo, cùm enim appellatio ſpectet ad propriã defenſionẽ, quæ eſt juris naturalis, nemini denegari debet, gl. cit. Et hinc univerſim loquendo, ſi excommunicatus non audiatur ſuper exceptionibus ſuis, aut ſuper articulis cauſæ pendentis, coram Judice Ordinario, poteſt impetrare reſcriptum delegationis, Francus in cit. c. 1. n. 12. quia cùm excommunicatus poſſit in judicio ſtare ut reus, ſive conveniri, c. intelleximus 7. de judic. etiam alia ei conceſſa eſſe, cenſendum eſt, quæ ad jus ſuum obtinendum ſunt neceſſaria: nam talis impetratio reſcripti cenſetur potiùs eſſe defenſio, quàm impugnatio. Id autem intelligendum eſt, de impetratione reſcripti ſuper excommunicatione & appellatione propria, non autem ſuper excommunicatione vel appellatione alterius; Francus cit. l. n. 3. verſic. 2. poteſt. His adde, quòd etiam excommunicatus, poſt interpoſitam legitimam appellationem, poteſt impetrare reſcriptum, pendente causâ appellationis, licèt interim non poſſit illo uti, tanquam actor, Barb. in cit. c. 1. n. 25. h. t. in 6.

3. Excommunicatus ſub conditione poteſt, pendente conditione, validè impetrare reſcriptum: ſicut etiam, qui ſolùm minorem excommunicationem incurrit; nam nomine excommunicationis ſimpliciter & abſolutè poſitæ intelligitur ſolùm maior, Barboſ. ibid. n. 26. & 27.

X. Limitatur 4. Quòd reſcriptum, quod excommunicatus impetravit ab Epiſcopo, vel alio Ordinario Papa inferiore, non ſit ipſo jure irritum, ſed validum, etiamſi impetrans tempore conceſſionis ſit excommunicatus. Ratio eſt, tum quia ſub appellatione reſcripti ſimpliciter & abſolutè prolati comprehenditur tantùm reſcriptum ſeu reſponſum Principis, ſive illius, qui Superiorem non habet: tum quia, iuxta communem conſuetudinem Curiæ Romanæ, in omnibus reſcriptis ſeu litteris Apoſtolicis præmittitur abſolutio ad cautelam ab omnibus cenſuris, in ordine ad effectum eorum conſequendum, per quam tollitur is effectus excommunicationis, cùm alioqui irrita foret impetratio reſcripti: quæ tamen abſolutio non ſolet præmitti in reſcriptis Epiſcoporum & aliorum Ordinariorum. Tum quia reſcripta Principum faciunt jus, etiam quoad alios non nominatos in reſcriptis, ſaltem in ſimilibus caſibus, non autem reſcripta Ordinariorum inferiorũ. Tum denique, quia non videtur eadem ratio de impetratione reſcripti facta à Papa, & de impetratione facta ab Ordinario; nam facilius, ob ſuſpicionem de vitio ſubreptionis, irrita redduntur reſcripta Papæ vel alterius Principis plurimis intenti, quàm Ordinarij inferioris minus occupati, Navarr. in cit. conſil. 44. n. 4. & ſeqq. de ſentent. Excomm. Suar. cit. diſ. 17. ſec. 1. num. 2.

Limitatur 5. quod dictum eſt, reſcriptum ab excommunicato impetratum eſſe ipſo jure irritum, id ſolùm procedit in reſcriptis Eccleſiaſticis & Pontificiis, non autem in reſcriptis Imperatoriis, Regiis, vel aliorum Principum ſecularium: nam quamvis titulus, qui extat in Jure Canonico, ſimpliciter inſcribatur de Reſcriptis, videtur tamen S. Pontifici ſolùm, vel ſaltem præcipuè ibi propoſitum fuiſſe ſtatuere de Reſcriptis Eccleſiaſticis & Papalibus, ut ex fine & diſcurſu illius Tituli colligitur. Deinde cùm conſtitutio illa irritans reſcripta impetrata ab excõmunicato ſit odioſa, potiùs reſtringi debet, quàm extendi. Denique non eſt eadem quoad hoc ratio in reſcriptis ſecularium Principum, quæ in reſcriptis Papalibus, quia ſi reſcripta ſecularia ipſo jure irrita

forent,

forent, eò quòd impetrata ſint ab excommunicatis, hoc incommodum ſequeretur, quòd Princeps ſecularis, qui conceſſit reſcriptum, non poſſit impetrantem habilem reddere, ad effectum reſcripti obtinendum, quia non poteſt tollere excommunicationem, abſolvendo ab illa, quod tamen poteſt S. Pontifex, ideòque ad hoc incommodum vitandum, rectiùs dicitur, reſcripta ſecularium Principum non eſſe ipſo jure irrita, propter excommunicationem impetrantium, ut ex probabiliore docet Suar. cit. loc. n. 3. quem ſequitur Laym. in cit. c. 1. n. 4. q. 3. h. t. in 6. contra Navarr. c. l. n. 2. & 6. Barboſ. in cit. c. 1. n. 8.

§ III.

An quis non tantùm pro ſe, ſed etiam pro alio impetrare poſſit reſcriptum?

XI. Aſſertio 1. non poteſt quiſpiam reſcripta ſive litteras Apoſtolicas juſtitiæ, ſeu ad lites pro alio, ſive nomine alterius impetrare, ſinè ſpeciali eius mandato, alioqui eæ non valent, & impetrator tanquam falſarius puniri debet. ita habetur in c. nonnulli. 28. §. ſunt & alij h. t. nam quidam novum genus mercimonij, ſive illicitum quæſtum circa litteras Apoſtolicas exercentes, ut lites ſopitas excitare, vel novas ſuſcitare poſſent, fingebant cauſas, ſuper quibus à Sede Apoſtolica litteras impetrabant, abſque mandato dominorum, id eſt, principalium perſonarum, quarum cauſa agebatur; quas deinde litteras, vel reo, ad redimendam vexationē ſuam, ne ab actore fatigetur laboribus & expenſis; vel actori, ut litem ſuam proſequendo, indebitè reum moleſtet, vendiderunt. Cùm autem lites reſtringendæ potiùs ſint, quàm extendendæ; ideò in Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. decretum fuit, ut, ſi quis de cætero, ſinè ſpeciali mādato domini, ſive agentis principalis, ſuper aliqua cauſa ſive quæſtione litteras à Sede Apoſtolica impetrare præſumpſerit, eæ non valeant, & impetrans tanquam falſarius puniatur: niſi fortè ſit ex illis perſonis, à quibus non debet de jure (civili) exigi mandatum. Idem etiam habetur in c. ex parte 33. h. t. ubi dicitur, *Apoſtolicæ litteræ, quas ſinè ſpeciali mandato domini quis impetrat, valere non debent.* Ratio eſt; quia reſcripta ad lites ſunt odioſa, cùm præbeant cauſam litigandi, & cedere poſſint in alterius præjudicium, ideòque potiùs ſunt reſtringenda, quàm extendenda, cit. §. ſunt & alij. Quod autem dictum eſt, impetrantem tanquam falſarium puniendum eſſe, id ita intelligendum eſt, non quòd verè ſit falſarius; cùm litteras non falſaverit, ſed quia perindè ac falſarius puniendus eſt, quamvis pœnâ mitiore & arbitrariâ, Abb. in cit. §. ſunt & alij. n. 7.

XII. Porrò reſcripta ſeu litteræ ad lites pro alio, ſinè eius ſpeciali mandato; impetratæ ſunt ipſo jure irritæ, etiamſi reus contra illas nihil excipiat; idque ob defectum mandati, ſeu poteſtatis, cùm enim quiſque inhabilis ſit ad impetrandum reſcriptum ad lites pro alio, niſi ſpeciale à domino mandatum habeat, ideo impetratio talis reſcripti eſt omninò nulla: non enim poteſt actus aliquis eſſe validus ſinè poteſtia agendi vel recipiendi, Imola in cit. c. nonnulli. §. ſunt & alij. n. 4. in fine, contra gl. in cit. c. v. ſinè ſpeciali mandato, & Abb. ibid. n. 6. idque ſumitur ex l. licèt. 36. ff. de judiciis, & l. licèt. 24. C. de procurat. Quare etiam dominus ſeu Principalis litteras juſtitiæ, ſinè ſuo ſpeciali mandato; impetratas ab alio, poſtea ratificare non poteſt, gl. in cit. c. nonnulli. v. ſinè ſpeciali mandato, & alij DD. communiter. Nam quamvis aliàs quiſque ratum habere poſſit, quod ſuo nomine eſt geſtum, cit. l. licèt. ff. de judiciis. & c. 2. de pactis: & ratihabitio huiuſmodi (fictione juris) retrotrahatur, & mandato æquiparetur, regula juris 10. in 6. ideòque etiam geſta per falſum procuratorem in judicio poſtea à domino ratificari poſſint; l. cùm minor. 3. §. falſus. ff. rem ratam haberi, & docet gl. cōmuniter recepta in cit. c. ex parte v. procurator h. t. & Abb. ibid. num. 8. tamen hæc omnia procedunt, ſi actus non ſit nullus ſeu irritus, niſi ob defectum conſensûs illius, cuius nomine geſtus eſt, quia cùm conſenſus ipſius in eiuſdem favorem requiratur, is poſtea ſuppleri poteſt, ut fieri ſolet in pactis & contractibus. cit. c. 2. de pactis, & in litis conteſtatione, cit. l. licèt. ff. de judic. Aliud verò dicendum eſt, quādo actus aliquis eſt ipſo jure nullus & irritus, propter bonum publicum, & ob defectum jurisdictionis publicæ: cùm enim hæc ſit conditio intrinſecè pertinens ad ſolemnitatem judicii, ideo defectus illius per judicem poſtea ſuppleri non poteſt, Bart. in cit. l. licèt. Abb. in cit. §. ſunt & alij. n. 5. Ut ſi v, g. judex alienus, & nullâ juriſdictione præditus cauſam aliquam inter ſubditos alterius cognoſcat, ac decidat, non poteſt judex eorum proprius, ad quem cognitio cauſæ de jure pertinet, acta illius poſtea ratificare; quamvis ab initio ei potuiſſet cauſam illam committere ſeu delegare, gl. in cit. l. licèt. v. deducta, Bartol. ibid. & Abb. c. l. Item ſi is, qui alterius nomine, ſinè mandato illius, in judicio litigavit, ſervus fuit, vel pupillus, qui in judicio ſtare non poſſunt, non poterunt poſtea huiuſmodi acta rata haberi, ob defectum ſubſtantialem judicii, gl. recepta in cit. l. licèt, v. non eſſet. Sed in his caſibus locum habet regula illa juris. *Quòd ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere*, reg. jur. 29. in ff. Simili modò in caſu propoſito; cùm quis ipſo jure ſit inhabilis redditus ad impetrandum reſcriptum ad lites pro alio, niſi ad id ſpeciale mandatum à Principali habeat; idque ſtatutum ſit, ob bonum publicum ad minuendas lites, & alia publica incommoda vitanda, ideò non poteſt ipſe dominus ſeu Principalis reſcriptum ſic impetratum poſtea per ratificationem confirmare, Laym. in cit. §. ſunt & alii. n. 4. q. 2.

XIII. Excipiuntur à tradita doctrinâ perſonæ conjunctæ, quæ ſicut agere poſſunt pro aliis in judicio, quibus ſunt propinquitate vel amicitiâ conjunctæ, dummodo caveant de rato, ſive principalem ratum habiturum, quod fuerit actum, l. ſed & hæ perſonæ 35. in princ. ff. de procurat. ita & impetrare pro illis poſſunt reſcripta, ſinè ſpeciali mandato, cit. c. nonnulli, §. ſunt & alii, in fine, & cit. c. ex parte h. t. gl. ibid. v. ſinè ſpeciali mandato, in fine, & in c. ad aures, 8. v. litteras impetrantes, eodem. Cuiuſmodi perſonæ conjunctæ ſunt liberi, parentes, fratres, affines, liberti: cit. l. ſed & hæ. Imò & aliæ perſonæ jure non expreſſæ, quæ tamen ita erga alios bene affectæ, judicis

arbitrio, cenſebuntur, ut ſinè fraudis ſuſpicione ad agendum pro illis in judicio admitti poſſe videantur, etiamſi ab illis ſpeciale mandatum non habeant. Abb. in cit. §. ſunt & alij. n. 10. ubi ait, illas perſonas veluti exempli loco enumeratas eſſe in cit. l. ſed & hæ perſonæ: exempla autem non reſtringunt regulam, ſed declarant tantùm, quòd etiam in ſimilibus locum habere debeat.

Deinde etiam excipi debet Procurator generalis, qui ſicut poteſt agere in judicio, cum ſolo mandato generali, exceptis ijs cauſis, quæ ſpeciale mandatum requirunt, c. qui generaliter. 5. de procurator. in 6. ita etiam impetrare poteſt reſcriptum ad lites, nomine proprio, ad eiuſmodi cauſas judiciarias, abſque ſpeciali mandato, Abb. in cit. §. ſunt & alij. n. 3. nam cùm procurator impetraverit tale reſcriptum, ſive litteras ad lites nomine proprio, tanquam procurator in cauſa, quam poteſt proſequi in judicio, vi generalis mandati; ideo non poteſt tale reſcriptum ſive litteras tradere, aut vendere vel reo, ad redimendam ſuam vexationem; vel actori, ſive ipſi principali ſeu domino, ad litis ſuæ proſecutionem, quia illas litteras, non in perſona domini, ſive nomine illius, ſed nomine proprio impetravit, ideóque ceſſat ratio, ob quam jure prohibitum eſt impetrare reſcriptum pro alio, ſinè ſpeciali eius mandato, quæ affertur in cit. §. ſunt & alij in princ. Porrò ſecundùm hodiernam conſuetudinem Curiæ Romanæ, poſſunt reſcripta, ſive litteræ ad lites etiam ab extraneis perſonis nomine alieno impetrari, ſinè ſpeciali mandato, nec ſolet admitti exceptio defectûs mandati, ut teſtatur Navarrus l. 1. conſil. 4. n. 9. h. t. Gregor. Tholoſan. l. 2. de reſcriptis in cit. §. ſunt & alij. n. 7. in fine.

XIV. Aſſertio 2. Reſcripta gratiæ, ſive litteræ ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica, diſpenſationes, vel alias gratias impetrari poſſunt etiam pro alio capace, ſinè ſpeciali eius mandato, gl. in cit. §. ſunt & alij, v. ſinè ſpeciali mandato, in fine h. t. Navar. l. 1. in conſil. 2. & conſil. 4. h. t. Suar. l. 6. de legib. c. 13. n. 6. & 7. Ratio eſt, tum quia reſcriptum per quemcunque pro altero ſupplicantem impetratum fuerit, valet, prout generatim & abſolutè habetur in l. univerſis 6. C. de precib. Imperat. offerend. Tum quia poteſt Princeps beneficium, vel diſpenſationem, vel quamcunque aliam gratiam, motu proprio, nemine petente, alicui conferre, etiam abſenti & ignoranti, c. accedens. 24. de præbend. & c. ſi tibi abſenti. 17. eodem in 6. ergo etiam id poterit, ſi aliquis interveniat, & pro altero petat, etiamſi mandatum petendi ab ipſo non habeat: quamvìs jus in re non acquiratur ei, pro quo beneficium, vel gratia eſt impetrata, ante eius acceptationem ſeu conſenſum. Quin imò neque is, qui pro alio abſente & ignorante beneficium, vel aliam gratiam impetravit, poteſt nomine eius illam acceptare, ſinè ſpeciali eiuſdem mandato, tametſi impetrans perſona conjuncta fuerit, quia acceptatio ſeu conſenſus eſt actus perſonalis, qui fieri debet ab eo, cui gratia cõceſſa eſt, cit. c. Si tibi abſenti. Sufficit tamen, ſi quis ex poſtfacto ratam habeat acceptationem ab alio nomine ſuo factam, gl. ibid. v. habueris, quia cùm acceptatio nomine alterius facta ſolùm irrita fuerit ob defectum conſensûs ipſius, is poſtea per ratihabitionem ſuppleri poteſt, ut patet ex ſuprà dictis. n. 12. Nec obſtat textus in c. innotuit. 20. de electione, quia ibi non fuit denegata diſpenſatio, eò quòd petita fuerit ſinè ſpeciali mandato eius, pro quo impetranda erat diſpenſatio; ſed quia Capitulares Archidiaconum illegitimè natum, ſinè interpoſita poſtulatione, eligere tentârunt, & confirmationem illius petebant, quæ illis, ſicut & diſpenſatio in impedimento Canonico electi, denegata fuit, nè Papa approbare videretur vota Capitularium, aut factum eorum contra SS. Canones, Suar. cit. loc. n. 6. Laym. in cit. c. innotuit. in fine.

SECTIO II.

DE INTERPRETATIONE Reſcriptorum.

§. I.

Quomodo interpretari oporteat reſcripta Iuſtitiæ, ſeu ad lites?

XV. Aſſertio 1. Reſcripta juſtitiæ ſeu ad lites in dubio, ſi de contraria voluntate reſcribentis non conſtet, intelligi & explicari debent ſecundùm Jus commune, ne illi derogent, etſi neceſſarium foret à verborum proprietate recedere, vel clauſulam adiectam tranſponere, prout ſumitur ex c. cauſam 18. h. t. ubi cùm inter duas Eccleſias ſuper quibuſdam poſſeſſionibus controverſia verteretur, cauſa commiſſa fuit quibuſdam Judicibus delegatis ſub tali forma: ſi alterutra partium legitimè citata non venerit, vel judicio parêre contempſerit, recipiant partis præſentis probationes, & quantum de jure poterunt, in cauſæ cognitione ac deciſione procedant: ex quo videbatur colligi, quòd mox poſt citationem, & lite non conteſtatâ, poterunt recipi teſtes, & ſententia ferri, propter contumaciam partis abſentis, quod eſt contra Jus commune, inf. toto tit. Ut lite non conteſtatâ non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam. Conſultus ſuper hoc Papa Innocent. III. reſpondit, clauſulam illam, *quantum de jure poteritis*, licèt ſpectato ordine verborum, poſtpoſita fuerit, tamen ita accipiendam eſſe, ac ſi poſita fuiſſet ante teſtes, aliáſve probationes recipiendas, quandoquidem ita Jure communi requiritur, ut lite non conteſtatâ, non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam, niſi in caſibus jure exceptis in c. ult. §. porrò, eodem tit. gl. hîc in notand. & v. præcedat. Deinde mandat Papa, ut Judices in cauſa illa, iuxta tenorem & intellectum prioris delegationis, quem jura Canonica exigunt, procedant, ita tamen, ut, ſi aliter auctoritate priorum litterarum in eodem negotio legitimè ſit proceſſum, illud firmum ac ſtabile perſeveret: ſi verò occaſione illius clauſulæ aliquid in præiudicium alterius partis ſit attentatum, illud invalidum ſit: ipſi verò Judices in deciſione huius negotij, tam ſuper principali, quàm ſuper quæſtionibus incidentibus, appellatione remotâ, ſecundùm jura Canonica procedant. Ex quo colligitur, quòd reſcriptum juſtitiæ debet intelligi, ſecundùm Jus commune, etiamſi neceſſarium ſit recedere à propria ſignificatione verborum, vel clau-

clauſulam adiectam tranſponere, ut in caſu huius c. clauſula illa, *quantum de jure conceſſum eſt*, ad utrumque extremum referendum eſt, videlicet ad probationes recipiendas, & ad definitivam ſententiam procedendum eſſe, quatenus jure communi conceſſum eſt. Ratio eſt, quia reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, emanare ſolent ſecundùm Jus commune & ordinarium, adeòque non debent continere aliquid contra Jus commune, alioquin non differrent à privilegio, Abb. c. I. & in dubio non cenſetur Papa ſeu Princeps aliquid velle contrarium Juri communi decernere, niſi expreſsè ei deroget per clauſulam, *non obſtante tali lege:* l. reſcripta. 7. C. de precib. Imperat. offerend. l. fin. C. ſi contra Jus vel utilit. public. &c. Quia mens Principis cenſetur eſſe talis, qualis de jure eſſe debet, l. ex poſt facto 43. ff. de vulg. & pupill. ſubſtitut. Imò etiam tali caſu, ſi ordo aut conſtructio verborum aliam explicationem aut ſenſum non admittat, niſi qui ſit contrarius Juri communi, potiùs præſumendum eſt, per errorem ſcriptoris verba eſſe tranſpoſita, vel aliter mutata, cuiuſmodi error veritati obeſſe non debet, l. errore 7. & l. ambiguitates. 24. C. de teſtamentis. gl. in cit. c. v. fuerat inferenda. Alia verò ratio eſt de ſtatutis particularibus, nam quamvis etiam verba ſtatuti diſponentia circa materiam, de qua etiam Jure communi aliquid diſpoſitum reperitur, quatenus fieri poteſt, ſalvâ eorum proprietate, aut communi acceptione, ita intelligi debeant, ut à Jure communi non recedatur, dummodo ſtatuentes tali poteſtate ſint præditi: quia cùm Jus commune ſit favorabile, eius derogatio ſeu correctio reſtringenda eſt, & vitanda; c. cùm dilectus 8. & ibi gl. v. jure communi de conſuet. arg. c. cùm expediat, 29. in princip. de electione, in 6. non tamen propterea verba ſtatuti in impropria ſignificatione accipiēda ſunt, cùm ſtatuta municipalia ſæpe contra jus commune edi ſoleant, eique derogent, reſcripta verò juſtitiæ non emanent eo fine, ut aliquid addant Juri communi, vel ei derogent, ſed potiùs ad einſdem obſervationem, Abb. in cit. c. cauſam. n. 6. Idémque pari ratione dicendum de privilegiis propriè dictis, cùm & illa plerumque à Principe concedantur contra Jus commune, eique derogent, gl. ibid. v. præcedat, in fine, & Abb. n. 7.

XVI. Ex dictis infertur ulteriùs 1. quòd propter formam reſcripti non ſit recedendum à Jure communi, nec ea ſervanda ſit, ſi ſit contra Jus commune, niſi conſtet, Papam aliud voluiſſe, gl. in cit. c. cauſam in notandis. h. t. 2. Si proceſſus judiciarius illegitimè ſit inſtitutus propter falſum intellectum legis vel reſcripti, is reſcindi debet, quatenus in eo erratum eſt, non autem quoad id, in quo erratum non fuit, gl. in cit. c. cauſam in notandis, ubi ait, *illud ſolum revocatur, quod eſt illegitimè factum.*

XVII. Aſſertio 2. Præterea in reſcriptis juſtitię, ſeu ad lites ſtricta interpretatio fieri debet, tum quia per illa detrahitur juriſdictioni Ordinariorum: tum quia ſunt odioſa, cùm præbeant anſam & materiam litigandi, lites autem potiùs reſtringendæ ſunt, quàm ampliandæ, ideóque etiam reſcripta ad lites ad caſum ſeu perſonam non expreſſam in reſcripto extendi non debent, gl. in cit. c. nonnulli. 28. v. lites reſtringendæ. h. t. c. cùm olim. 32. & c. P. & G. infrà de offic. & poteſt. judic. deleg. Et hinc ſi quis à Sede Apoſtolica reſcriptum impetravit, in quo expreſſæ ſunt quædam perſonæ minores, aut minùs dignæ, quæ in judicio conveniri poſſint, adiectâ clauſulâ generali, & indefinitâ: *Et quædam aliæ perſonæ*, vi talis reſcripti & clauſulæ, non poterunt conveniri perſonæ maiores ac digniores expreſſis, neque etiam multitudo perſonarum, prout decernitur in c. ſedes. 15. in princ. h. t. quæ olim uſque ad 40. poterat aſcendere, arg. c. cùm cauſam. 37. de teſtib. Hoſtienſ. hîc v. multitudinem.

Sed hodie cùm quis contra certam perſonam reſcriptum à Sede Apoſtolica impetravit, cum clauſula, *Et quoſdam alios*, vi illius non poſſunt plures, quàm tres, vel ad ſummum quatuor in judicium trahi, cùm infinitas ſeu multitudo nimia perſonarum in multis juris articulis reprobetur, quorum nomina in prima citatione, coram Iudice delegato, exprimi debent, ne alioqui locus ſit fraudi, ſi impetrator reſcripti poſſet liberè variare, & pro nominatis, quos intendit convenire in judicio, alios ſubſtituere, prout ſtatuit Innocentius IV. in c. 2. h. t. in 6.

XVIII. Duo tamen hîc notanda ſunt 1. quòd dictum eſt, impetrantem reſcriptum debere in eo coram Judice exprimere perſonas non nominatas, ſed ſub generali & indeterminata clauſula, *Et quoſdam alios*, contentas, id intelligendum eſt ſub cōditione, ſi aliquas perſonas in judicio convenire velit, & contra eas litem inſtituere: ſi verò cum reliquis perſonis non nominatis litigare nolit, ſed litem cum ipſis aliter componere velit, v. g. per tranſactionem, poteſt id facere, & libellum contra perſonam in reſcripto nominatam offerre, quia nemo cum alio litigare cogitur, gl. in cit. c. 2. in notatis. 2. Si impetrans reſcriptum, perſonam in prima citatione nō nominatam, vel pro nominata aliam poſtea perſonam citari faciat, eáque comparens nihil coram Judice excipiat, non videtur proceſſus valere, quia cùm perſonæ in reſcripto non nominatim expreſſæ, in primâ citatione coram Judice exprimi debeant, iuxta c. 2. h. t. in 6. ſequitur, quòd Judex, vi huius reſcripti, ſuper perſona nominatim non expreſſa nullam juriſdictionem accepit, adeóque neque illam ab adverſario citato & nihil opponente acquirere poteſt, gl. in cit. c. 2. v. quorum, hoc tit. in 6. Laym. ibid. num. 2.

XIX. Cæterùm, quod dictum eſt de perſonis non nominatis in reſcripto, ſed ſub generali ſeu indefinita clauſula ſolùm contentis, idem ſimiliter dicendum eſt de rebus ſeu cauſis, nam ſi in reſcripto impetrato res ſeu cauſæ minores ac leviores expreſſæ fuerint, adiectâ clauſulâ, *cognoſcatis ſuper his, & aliis quibuſdam*, vi illius non poterunt cognoſci cauſæ maiores ſeu graviores expreſſis, ſed tantùm æquales vel leviores, cit. c. ſedes. §. nec ſuper, h. t. Ratio eſt, quia clauſula generalis ſeu indefinita ſubſequens ordinatiè reſtringitur ad ſimilia iis, quæ præceſſerunt, & ſunt expreſſa, nec comprehendit diverſa, & dictio *alius* vel *alia* implicat, ſeu involvit ſimilia, Abb. in cit. c. ſedes. n. 2. Felin. n. 3. & 6. Imola n. 19. In qua re tamen inprimis conſiderandum eſt, quæ fuerit mens ſeu intentio diſponentis, eáque rum ex ſubiecta materia, utrùm amplam vel ſtrictam interpretationem mereatur; tum ex modo

loquendi & verborum conſtructione colligi poterit. Ex quo etiam patebit, quòd dictio *alius* interdum non ſimilia expreſſis involvat, ſed diverſa comprehendat, vel etiam maiora, modò non ſint extraordinaria & inſolita, quæ non facilè concedi ſolent, & de quibus veroſimiliter, nec in genere quidem cogitatum fuit, arg. reg. 18. in 6. Abb. c. l. n. ult. Felin. c. l. n. 6. & Imola c. l. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 20. n. 3.

» XX. Denique ſi quis in petitione expreſſit per- » ſonas, non quòd eas velit in judicio convenire, ſed » ut poſſit alias perſonas paris vel minoris conditio- » nis, vi adiectæ clauſulæ, *Et quaſdam alias*, trahere ad » judicium, tanquam mendax precator penitus ca- » rere debet impetratis, quia nemini ſua fraus & do- » lus patrocinari ſeu prodeſſe debet, cit. c. ſedes, in fine, adeòque totum reſcriptum invalidum eſt; nam cùm in caſu eiuſdem c. Judices à Papa principaliter delegati fuerint ad expedienda negotia expreſſa, ad alia verò non expreſſa ſolùm concomitanter, ac veluti acceſſoriè, idcirco corruente parte principali reſcripti circa expreſſa, ob dolum & mendacium impetrantis, etiam ea, quæ concomitanter & acceſſoriè ei adhærent, nempe non expreſſa, corruere debent, Laym. ibid. n. 3.

XXI. Ex doctrina ſuprà tradita quædam utilia & practica deduci poſſunt corollaria. Veluti 1. ſi Epiſcopus alicui donet prædium, & omnia alia jura, quæ in illo habet, non cenſentur donata jura ſpiritualia, v. g. jus decimarum, quia clauſula generalis vel indefinita ſubſequens, *Et omnia jura, vel alia jura*, debet reſtringi ad ſimilia iis, quæ antea expreſſa ſunt, videlicet ad jura temporalia prædij, Abb. in cit. c. ſedes. n. 2. h. t. Imola ibid. n. 14. niſi tamen jus ſpirituale acceſſoriè tranſeat cum re temporali, cui eſt annexum, videlicet jus patronatûs, ut ex litteris 7. de jure patron.

2. Si à Duce vel Comite aliquo vendatur alicui prædium, cum omnibus juribus ſibi in eo competentibus, non cenſetur venditum telonium ibi conſtitutum pro vectigalibus exigendis, nec locus ſupplicij pro malefactoribus, vel ſimilia jura, quæ ad merum imperium ſpectant, quia clauſula generalis adiecta ad ſimilia ei, quod ibi eſt ſpecificè expreſſum, reſtringi debet, videlicet ad prædium, & jura, quæ prædio communiter annexa ſunt, & cum eo vendi ſolent; non autem ad ea, quæ velut maiora non comprehenduntur ſub generali clauſula, niſi ſpecialiter exprimantur, Baldus in l. 3. procuratore 13. C. mandati. Imola cit. loc. n. 11. Excipi debet, niſi Princeps alicui conceſſiſſet ampliſſimam ſeu omnimodam juriſdictionem, adeòque tam civilem, quàm criminalem; nam ſub tam generali conceſſione comprehenditur etiam merum & mixtum imperium, gl. in Clement. unic. v. omnimodam, de foro competent.

3. Si quis in teſtamento ſuo legavit Titio vinum Græcum, & omnia alia dulcia, non cenſendus eſt voluiſſe legare de aliis dulcibus, niſi quæ potionis ſunt, ſive quæ potari poſſunt, l. ult. in fine ff. de tritico, vino & oleo legato.

4. Si diſpenſatum ſit cum Titio, ut quæcunq; beneficia ſimplicia, quæ ſunt in Diœceſibus ſuperioris & inferioris Germaniæ, conſequi poſſit, & poſtquam ad legitimam ætatem, videlicet 25. annorum, pervenerit, duo beneficia curata, vel alias incompatibilia, ubique locorum exiſtentia, obtinere poſſit, non poterit, vi huius diſpenſationis, conſequi beneficium curatum vacans extra Germaniam ſuperiorem & inferiorem, quia generalia illa verba, *ubivis locorum exiſtentia*, debent propter verba præcedentia reſtringi ad beneficia curata, quæ exiſtunt in Diœceſibus Germaniæ ſuperioris & inferioris, generalitas enim relata ad locum reſtringitur, ratione ſubiectæ materiæ, quæ in præſenti eſt odioſa & ambitioſa, ideóque reſtringenda, Nicol. Evenbard. loco 5. à generalitate, n. 5. & 6.

5. Si colonus renuntiet caſibus fortuitis, exprimendo quoſdam in ſpecie, & adiecta clauſula, & *cæteris fortuitis caſibus*, id reſtringi debet ad caſus æquales & minores expreſſis, non autem extendi ad caſus fortuitos maiores & rariùs contingentes, arg. cit. c. ſedes. & Clement. 2. de procuratorib. Moliu. tract. 2. de juſtit. diſ. 495. n. 19. niſi appoſita eſſet clauſula generalior, *& aliis quibuſcunque & qualitercunque incidentibus*, Laym. in cit. c. ſedes. n. 3. ubi plura exempla affert.

XXII. Aſſertio 3. Quia reſcripta juſtitiæ ſive ad lites, quippe odioſa, & ſtricti juris ac interpretationis eſſe debent, & conſequenter etiam verba illorum in ſtricta ſignificatione accipienda ſunt, ideò per reſcriptum impetratum contra homines, qui exiſtunt in Diœceſi, nō poſſunt conveniri homines, qui exiſtunt in Civitate Epiſcopali, quæ eſt Caput Diœceſis, prout ſumitur ex c. Rodulphus. 35. h. t. nam Reginaldus litteras impetravit à Sede Apoſtolica » contra Epiſcopum Sagienſem, & quoſdam alios » Sagienſis Diœceſis, ſuper controverſiis de reditibus » & aliis quibuſdam rebus. Judices delegati, vi » huius reſcripti, citârunt Rodulphum Rectorem » Eccleſiæ S. Chriſtophori in civitate Sagienſi, cum » quo Remigius controverſiam habebat, forte ſuper » jure decimarum. Sed Rodulphus excipiendo pro- » poſuit, quòd cùm ipſe ſit de civitate Sagienſi, ſub » clauſula autem illa, *Et quoſdam alios de Diœceſi Sagienſi*, non comprehendantur exiſtentes in civitate, » ſed extra civitatem, ideo non poſſit, vi huius Re- » ſcripti Apoſtolici, conveniri. Cùm autem dicti Ju- » dices exceptionem hanc admittere nollent, Ro- » dulphus ad Papam Gregor. IX. appellavit, qui re- » ſcripſit, exceptionē Rodulphi juſtam fuiſſe, & quæ » contra illum à Judicibus poſt appellationem acta » fuerunt, irrita eſſe declaranda. Ratio huius deci- » ſionis eſt, quia licèt civitas Epiſcopalis, in qua eſt Eccleſia Cathedralis, te ipſa contineatur in Diœceſi, ſicut caput in corpore; & ita nomen Diœceſis, etiam in propria ſignificatione, civitatem illam comprehendat, ut colligitur ex c. 1. de officio jud. ord. & c. un. juncta gl. v. Diœceſi, de rerum permutat. in 6. interdum tamen ſtrictiùs accipitur pro reliquo territorio, quod ad ſpiritualem juriſdictionem Epiſcopi pertinet, præter civitatem Epiſcopalem, adeóque nomine Diœceſis non comprehenditur, ut colligitur ex c. quamvis. 4. de præbend in 6. ubi dicitur, *cum Papa alicui de beneficio mandat in aliqua Eccleſia civitatis vel Diœceſis provideri, ad Cathedralem Eccleſiam (quæ propter ipſius honorem ſub hac generalitate hoc caſu non cenſetur includi) ſe mandatum huiuſmodi non extendit.* Sic enim non infrequenter una ſpecies ſive pars præcipua ita uſurpatur, ut ſub nomine ſive appellatione commu-

communi non contineatur, ſive oon cenſeatur incluſa, propter ſpecialem eius honorem: quomodo caput ſæpe accipitur, prout diſtinguitur à reliquis membris corporis.

XXIII. Qua in re ooranda eſt regula, qoam hîc tradunt communiter DD. ſi verbum vel vocabulum aliquod in propria ac ſtricta ſignificatione accipi poſſit, vel genericè & latè, vel ſpecificè & ſtrictè, tum in dubio, ſi de mente ſtatuentis aut diſponentis non conſtet, & ſecluſâ fraude vel eluſione ſtatuti aut diſpoſitionis, in materia odioſa vocabulum illud accipi debet ſtrictè & ſpecificè: in materia verò favorabili, vel indifferente accipi debet latè & genericè, Abb. in cit. c. Rodulphus. n. 3. Imola ibid. n. 1. Felin. n. 8. concluſ 3. & alij. Sic in reſcriptis ad lites, quæ odioſa ſunt, nomen Diœceſis, in ſtricta & ſpecifica ſignificatione, accipi debet pro locis, quæ ſunt extra civitatem Epiſcopalem, ut eam non comprehendat, quemadmodum etiam nomine civitatis Epiſcopalis non comprehenditur Diœceſis in materia odioſa; Imola. c. l. Et nomine Clericorum non venit Epiſcopus, neque Religioſi: & oomine populi, ſi is v. g. interdictus ſit, non comprehenduntur Clerici. c. ſi ſententia, 16. de ſentent. excommun. in 6. Et nomine civitatis ea tantùm veniunt, quæ murorum ambitu contineotur, non ſuburbia, & pagi ad civitatem pertinentes: niſi ex circumſtantiis aliud appareat, Abb. in cit. c. Rodulphus, n. 4. & Felio. c. l. concluſ. 1. & colligitur ex c. ſi civitas. 17. de ſentent. Excommun. in 6. At verò in favorabili materia, ſi agatur de privilegiis & gratiis, nomine Diœceſis comprehenditur etiam Civitas Epiſcopalis, quæ eſt caput Diœceſis: ſicut etiam loca, & perſonæ intra Diœceſin exemptæ: non autem in odioſis & oneroſis, Felin. in cit. c. n. 18. Denique nomine civitatis etiam loca adiacentia, ut colligitur ex l. 1. ff. de offic. Præfecti urbis, & l. ædificia 139. ff. de verborum ſignificat. & nomine populi etiam Clerici & Religioſi incolæ in favorabilibus veniunt, arg. §. plebs autem Inſtit. de jur. natur. gentium &c. Sylveſt. v. Clericus. 1. q. 2.

XXIV. Ex dictis ulteriùs deducitur, quòd ſi reſcriptum impetratum ſit à Papa ad Judices delegatos, ut cognoſcant de cauſa, quæ eſt mota contra Epiſcopum, & alios quoſdam de Diœceſi ipſius, & ex vi talis reſcripti conveniatur aliquis ex civitate Epiſcopali ſeu Cathedrali, proceſſus ſit invalidus, etiamſi conventus nihil excipiat contra Judices delegatos, ſed in eos conſentiat, gl. fio. in cit. c. Rodulphus, & ibid. Joan. Andr. n. 12. & Abb. n. 10. Ratio eſt, quia privati non poſſunt ſuo conſenſu dare juriſdictioné illi, qui nullam habet, l. privatorum. 3. C. de juriſdict. omn. judic. ſed Judex delegatus ad cognoſcendam cauſam Diœceſanorum nullam habet juriſdictionem in perſonas exiſtentes in civitate Epiſcopali, cùm in illas nulla ſit ei juriſdictio demandata, ſeu commiſſa à delegante, ergo non poteſt illam conſenſu partium litigantium acquirere: nam delegata juriſdictio ad perſonas in reſcripto non comprehenſas conſenſu partium prorogari ſeu extendi non poteſt, c. P. & G. 40. de Officio Judic. delegati. Verumtamen licèt non poſſit juriſdictio delegata, partium conſenſu, de una perſona ad aliam perſooam prorogari ſeu extendi: poteſt tamen fieri prorogatio juriſdictionis delegatæ de re ſeu cauſa, ad rem ſeu cauſam etiam in reſcripto non comprebenſam, ſi partes expreſsè vel tacitè, nihil excipiendo, conſentiant, dummodo juriſdictio Judicis delegati ſit fundata erga perſonam, Jo. Andr. & Abb. l. cit. v. g. ſi Præpoſitus Eccleſiæ impetret reſcriptum delegationis ad Judices contra Decanum ſuper mutuo, & aliis quibuſdam rebus ſeu cauſis, poſſunt Judices delegati, vi huius reſcripti, ſi impetrator reſcripti, ſeu actor petat, & reus non excipiat, etiam maiorem cauſam, quàm quæ expreſſa eſt, cognoſcere, quia quoad maiores etiam res ſeu cauſas non deficit juriſdictio, ac proinde ſi non opponatur exceptio contra illas, valet proceſſus, Abb. c. l. & Laym. ibid.

XXV. Aſſertio 4. Ex eo quòd reſcripta juſtitiæ ſeu ad lites ſtricti juris ſint & interpretatioois, ſequitur etiam, quòd reſcriptum à Papa impetratum contra aliquem, cum clauſula generali ſeu indefinita, *Et quoſdam alios Clericos vel Laicos*, non ſit extendendum ad eius hæredem ſeu ſucceſſorem, re adhuc integrâ, ita, ut is noo poſſit, vi talis reſcripti, ſeu factæ delegatiouis, conveniri, ſi conveniendus mortuus ſit, ante litem conteſtatam, prout ſumitur ex c. ſignificavit. 36. h. t. ubi habetur, quòd Gaſpar & Bonifacius » laici impetrârunt litteras à Sede Apoſtolica adver- » sùs Epiſcopum Tullenſem, & quoſdam alios Cleri- » cos & laicos, (qui niſi juncti Clericis, vi huius re- » ſcripti conveniri non poterant, Hoſtienſ. hic v. Cle- » ricos & laicos) Judices delegati, vigore clauſulæ » generalis his litteris inſertæ, *Et quoſdam alios*, citâ- » runt Comitiſſam Namurenſem, eò quòd fratri ſuo » in Comitatu ſucceſſerat, cui prædicti laici pecu- » nias mutuas dederunt, & hi eam tanquam hære- » dem cooveniebant: ſed Comitiſſa per procurato- » rem ſuum exceptionem oppoſuit, cùm frater ipſi⁹, » tempore, quo hæ litteræ impetratæ ſunt, adhuc in » vivis fuerit, nec vi illarum in judicium fuerit voca- » tus, ideo ipſam non poſſe ampliùs conveniri, au- » ctoritate huius reſcripti. ſed quia Judices hanc ex- » ceptionem admittere noluerunt, ipſa ad Sedem A- » poſtolicam appellavit. Quare mandavit Gregorius » IX. Abbati S. Jacobi, ut ſi res ita ſe habeat, omoia » acta cootra Comitiſſam irrita eſſe, declaret. Ratio » huius deciſionis eſt, quia obligatiooes perſonales, quas defunctus ante mortem non cootraxit, non tranſeunt ad eius hæredem, etiamſi is hæreditatem adierit, cùm hæres, quà talis, ſolùm obligetur ex perſona defuocti, quam repræſentat. Atqui defunctus, qui in Papali reſcripto non fuit nominatus, ſed ſolùm, vi clauſulæ generalis, *Et quoſdam alios*, conveoiri poterat, nullam obligationem ex illo reſcripto contraxit, ſi reſcripti impetrator nondum ſe declaravit, quemnam convenire velit, & nulli perſonæ particulari litem movit, ergo cùm defuncto lis non fuerit mota, vi reſcripti impetrati, ante eius mortem, non potuit hæres eius ex illo reſcripto obligationem aliquam contrahere, ideóque reſcriptum corruit, quia non fixit radicem in perſona conveniendi, Abb. ibid. n. 4. & Laym. n. 1. arg. c. paſtoralis. 14. §. quoniam h. t. Aliud verò dicendum foret, ſi defunctus fuiſſet nominatim expreſſus in reſcripto Papali, quia cùm tunc reſcriptum in particulari & ſpecificè fuerit impetratum contra perſonam defuncti, qui tempore impetrationis reſcripti adhuc vivebat, ideo tranſit etiam ad hæredem illius, qui in bona defuncti ſucce-dit,

dit, & juris fictione eadem cum defuncto perſona cenſetur, Authent. de jureiurando à moriente præſtito in princip. collat. 5. gl. in cit. c. ſignificavit, v. dum viveret, Abb. ibid. n. 4. Quòd ſi verò res non fuit integra, quia defunctus ante mortem ſuam fuit vocatus in judicium, vigore reſcripti ab adverſario contra illum impetrati, etiam ſub clauſula ſolùm generali, ſeu indefinitâ, *Et quoſdam alios*, tum cùm lis jam cœpta fuerit per citationem, etiam ad hæredem illius extenditur, & tranſit obligatio ex reſcripto, iſque vi illius conveniri poterit, gl. in cit. c. in notandis, & v. dum viveret. Abb. ibid. n. 6. & colligitur ex eodem c. per ſenſum contrarium; ibi: *nec per ipſos, dum viveret, fuerat ad judicium evocatus.*

Si denique reſcriptum impetratum ſit contra aliquem, v.g. Prælatum aut Comitem, etiam expreſſo proprio nomine perſonæ, in cauſa debiti pecuniarij ſolvendi, ratione Eccleſiæ vel dignitatis, aut Comitatûs, quia poſſeſſor illius eſt, adiectâ clauſulâ generali ſeu indefinitâ, *Et alios quoſdam*: tunc mortuo Prælato, ſeu Comite, vi illius reſcripti, etiam Prælatus ſucceſſor vel hæres Comitis conveniri poteſt, quia tunc Prælatus non per ſe, & ratione perſonæ ſuæ, ſed ratione Eccleſiæ ſuæ ſeu dignitatis ac Prælaturæ, convenitur, quæ mortuo Prælato anteceſſore non extinguitur, ſed ad Prælatum ſucceſſorem tranſit: ſicut etiam Comes ex reſcripto illo conveniri poterat tanquam poſſeſſor Comitatûs, & conſequēter etiam hæres illius, ad quem Comitatus eſt devolutus, vigore eiuſdem reſcripti, conveniri poterit, prout conſtat ex c. dilecti. 17. de foro compet. ex quo colligitur, quòd Prælatus ſucceſſor per eiuſmodi clauſulam generalem conveniri poſſit, in cauſa Eccleſiæ, etſi reſcriptum impetratum ſit, vivente adhuc anteceſſore, gl. in cit. c. ſignificâſti. v. viveret, Jo. And. n. 12. & 13. & Abb. n. 4. & 6.

XXVI. Aſſertio 5. Reſcriptum ad lites ſimpliciter impetratum, vel etiam adiectâ clauſulâ, *Ex quibuſdam aliis cauſis*, non debet extendi ad cauſas ſeu controverſias, quæ poſt impetrationem reſcripti ſunt exortæ, c. ult. h. t. ubi inter alia vitia, quæ committun-» tur in impetratione reſcriptorum, ponitur etiam, ſi » qui litteras ipſas ad futuras trahunt controverſias, » quæ nondum fuerant tempore impetrationis ex-» ortæ. Ratio eſt, tum quia hæc reſcripta ſunt ſtricti juris & interpretationis, ideóque non extendenda: tum quia univerſim loquendo, omnis diſpoſitio quamvìs generalis, cenſetur tantùm fieri de rebus præſentibus, non autem de futuris, quæ nondum exiſtunt, niſi aliud exprimatur, arg. l. ſi ſcripſiſſet, 46. ff. de legat. 2. Tum quia reſcriptum juſtitiæ, cùm ſit diſpoſitio, quæ datur ad juris obſervantiam, debet habere aliquod ſubiectum, & veluti fundamentum, cui innitatur, adeóque ſupponit, rem, de qua diſponitur, actu exiſtere, Abb. in cit. c. ult. n. 8. Et hinc etiam in reſcripto ad lites inſpici debet tempus datæ, quia extenditur tantùm ad lites eo tempore ortas, non item ad orituras, ut ſumitur ex cit. c. ult. Nec obſtat, quòd rei, quæ nondum eſt, poteſt conſtitui ſervitus, l. ſi ſervitus. 23. in fine. ff. de ſervitut. prædior. urban. Nam actū non poteſt rei, quæ nondum eſt, imponi ſervitus, quia non poteſt eſſe qualitas ſinè ſubiecto, poteſt tamen perſona obligari ad conſtituendam ſervitutem in re, cùm exiſtet in rerum natura, Abb. in cit. c. ult. n. 8.

§. II.

Qualis interpretatio fieri debeat in reſcriptis gratiæ, ſive ad beneficia?

XXVII. Aſſertio 1. Quamvìs aliàs in beneficiis Principum, quæ nemini præiudicant, pleniſſima ſeu ampliſſima facienda ſit interpretatio contra ipſum concedentem, c. quamvìs 4. de præbend. in 6. c. cùm dilecti. 6. de donat. reſcripta tamen impetrata ad beneficia conferenda ſtrictè interpretari oportet, & reſtringenda ſunt, quia ſunt ambitioſa, ſive per ambitionem impetrari ſolent, cit. c. quamvis, ideoq; huiuſmodi reſcripta de caſu aut perſona expreſſa, ad caſum, aut perſonam non expreſſam extendi non debent, nec poſſunt, Sylv. v. reſcriptum. q. 8. Ratio eſt, quia reſcripta beneficialia continent mandatum de proviſione facienda, ſed fines mandati diligenter ſunt cuſtodiendi, l. diligenter. 5. ff. mandati. neque per Epiikiam ſeu benignam interpretationem extendi poteſt mandatum, quaſi principalis etiam alterum mandaturus fuiſſet, ſi menti occurriſſet; cùm enim hoc, & non aliud mandârit, tenor ſeu forma mandati ſervanda eſt, Innoc. in c. ſuper litteris, n. 3. h. t. Excipi tamen debet, niſi litteræ beneficiales ſimpliciter favorem contineant, nimirum quando per ipſas, res ad ſuum primævum ſtatum reducitur, ut ſi detur Epiſcopo facultas conferendi beneficia propriæ Diœceſis, quæ erant reſervata: vel niſi motu proprio Principis ſint conceſſæ, tunc enim maiorem favorem & ampliorem interpretationem merentur, quàm ſi ad alicuius inſtantiam ſint impetratæ, Felin. in c. cauſam. 18. n. 7. h. t. nam proprius motus non minorem favorem & latitudinem habet in interpretando, quàm ultima voluntas, Tuſchus v. reſcriptum, concluſ. 212. n. 16. Vel ſi litteræ beneficiales alicui conceſſæ ſint in compenſationem damni, quod quis paſſus eſt, occaſione Eccleſiæ, cui pro ipſo ſcribitur. Felin. c. l.

XXVIII. Hinc infertur, ſi in reſcripto beneficiali à Sede Apoſtolica impetrato mandetur alicui conferri beneficium vacans, aut vacaturum per ceſſionem, ſeu renunciationem, non poteſt ei cōferri, ſi vacet, vel vacaturum ſit per mortem, prout habetur in c. ſuſceptum. 6. h. t. in 6. & ibi gl. v. ſuſceptū. Nam » ſi Papa mandet Epiſcopo, ſive Ordinario, ut bene- » ficij, quod Titius obtinet, reſignatione ab eo rece- » ptâ, illud conferat Caio, Titius verò, antequam re- » ſignaret, moriatur: hoc caſu, Epiſcopus Apoſtoli- » cum mandatum exequi non poteſt, cùm beneficiū, » non per reſignationem, ſed per mortem vacaverit. » Ratio eſt, quia vacatio beneficij per reſignationem beneficiati, & vacatio per mortem illius, ſunt diverſi modi, ac veluti ſpecies vacandi, ergo quod de uno vacationis modo eſt expreſſum, non poteſt ad alium vacationis modum non expreſſum extendi, quia à diverſis non fit illatio, l. ſed ſi antè. 17. ff. de except. l. ſi maritus. 10. in fine. C. de donat. inter virum & uxorem.

rem: & mandata beneficialia, quippe quæ ſtrictæ interpretationis ſunt, in propria ac ſpecifica forma impleri debent, l. diligenter. 5. ff. mandati, gl. in cit. c. ſuſceptum. v. eodem, & v. per mortem.

Excipi tamen debet, niſi de mandantis intentione aliud expreſsè appareat, quia ſcilicet expreſsè dixit, ſe velle beneficium tali conferre, ſive per reſignationem, ſive quocunque alio modo vacaverit, cit. c. ſuſceptum, juncta gl. v. expreſsè: tunc enim etiam à propria & communi ac recepta verborum ſignificatione recedendum eſt, quia intentio præferenda eſt verbis, quando de illa conſtat, ſive ea probari poteſt, cùm verba inſtituta ſint ad ſignificandam intentionem, ſive mentem loquentis aut ſcribentis, ideóque ſi de illa conſtet, non eſt habenda ratio verborum, l. non aliter. 69. ff. de legat. 3. Francus in cit. c. ſuſceptum. n. 4. quamvis talis extenſio facta, ex mente ſeu intentione loquentis, ultra propriam ac communem ſignificationem verborum, faciliùs & largiùs fieri poſſit, ac debeat in materia favorabili, v. g. in gratia Principis, quæ nemini præiudicat, quàm in materia odioſa, vel ſtrictæ interpretationis, ut in reſcriptis beneficialibus, Suar. l. 8. de legibus. c. 28. n. ult. Neque prædictis obſtat, quòd mors civilis, v. g. depoſitio, aut renuntiatio Beneficiati in jure æquiparentur morti naturali; quia iſta æquiparatio non habet locum, niſi in caſibus jure expreſſis, adeóque etiá in litteris beneficialibus, appellatione mortis intelligi debet mors naturalis, niſi aliud exprimatur: ut ſumitur ex l. ex ea parte 121. §. in Inſulam. ff. de verb. obligat. ubi gl. v. non niſi moriente eo, ait, quòd appellatione mortis, naturalis intelligatur, non civilis. gl. in cit. c. ſuſceptum. v. non morte; Francus ibid. n. 16. & in materia, quæ ſtrictam interpretationem requirit, non fit extenſio verborum ad non expreſſa, propter ſimilitudinem, vel etiam maioritatem rationis, gl. marg. in cit. c. v. morte.

XXIX. Quod autem dictum eſt, vacationem beneficij per reſignationem non extendi ad vacationem per obitum, idem ſimiliter dicendum eſt de aliis ſpeciebus, ſive modis vacationis; ut ſi quis impetravit mandatum de conferendo ſibi beneficio, quod vacat, vel vacaturum eſt, per conſecutionem ſecundi beneficij incompatibilis cum priore, non poteſt ei conferri, quod vacat ex cauſa permutationis, vel per contractum matrimonij, vel per profeſſionem in religione, Franc. in cit. c. ſuſceptum. n. 8.

Idque non ſolùm locum habet in mandatis, & reſcriptis beneficialibus, quæ velut odioſa ſtrictè interpretari oportet: ſed etiam in aliis reſcriptis gratiæ, ſeu beneficiis Principis, quæ largam ſeu amplam interpretationem merentur. Ut ſi alicui conceſſa ſit facultas conferendi quinque beneficia vacantia in Diœceſi, per ceſſionem vel obitum Clericorum, non poteſt is, vi talis facultatis, conferre vacantia per alium modum vacationis non expreſſum, idem c. l. Ratio eſt, quia gratia ſive privilegium in ſua forma tantùm ſervari debet, & non extendi; gl. fin. in c. Porrò. 7. de privilegiis; ſcilicet ultra verborum propriam & communem acceptionem, adeóque etiam ultra mentem ſeu intentionem concedentis, quæ ex verbis colligi debet, ſi aliunde de illa non appareat. Et hoc procedit, tametſi gratia, motu proprio Principis ſit conceſſa, quia motus proprius non ampliat gratiam ultra vim & proprietatem verborum, quamvis excludat vitium ſubreptionis, gl. in Clement. 2. v. directas de præbend. imò etiam extendat ipſam gratiá, quatenus propria verborũ ſignificatio patitur, Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 1. n. 5. Quæ omnia ob identitatem rationis, etiam locum habent in reſcriptis beneficialibus, & aliis gratiis conceſſis ab aliis Ordinariis Papâ ſeu Principe inferioribus, Laym. in cit. c. ſuſceptum. n. 2. in fine.

Limitari autem debet ſuprà tradita doctrina, niſi in mandato de conferendo alicui beneficio certo modo, v. g. per renuntiationem vacante, vel vacaturo, adiecta ſit clauſula, *vel quovis alio modo vacaverit:* tunc enim poterit ipſi conferri beneficium, etiamſi alio modo, quàm qui expreſſus eſt, vacaverit, quia jam apparet de intentione mandantis, Franc. in cit. c. ſuſceptum. n. 9. Quod tamen adhuc ſublimitari debet, niſi in mandato impetrato expreſſum ſit, ut conferatur alicui beneficium vacans per mortem Petri proximi Rectoris decedentis, tali loco & tempore, vel alio quovis modo: tunc enim ſi beneficium, non per mortem Petri, ſed alterius proximi anteceſſoris vacârit, non valebit reſcriptum, quia ſicut modus vacationis, & tempus, & locus referuntur ad perſonam Petri; ita & illa clauſula, *vel alio quovis modo:* ſi ergo Petrus non fuit proximus Rector, ſed alius, non poteſt de illo verificari, quia illa clauſula refertur tantùm ad id, quod proximè anteceſſit, Francus c. l.

XXX. Additur præterea in cit. c. ſuſceptum. h. t. in 6. ſi duo ſuper eodem beneficio litteras à Papa impetrent, quorum primus propoſuit, illud vacare per obitum eius, qui id obtinebat; ſecundus verò per ceſſionem eiuſdem: hoc caſu, ſecundus, qui dixit, vacare per reſignationem, debet primo præferri, in illius beneficij aſſecutione, poſito quòd non per mortem, ſed per ceſſionem ſeu renuntiationem beneficium illud vacaverit: nam etſi aliàs, qui prior eſt tempore, potior eſt jure, iuxta reg. jur. 54. in 6. hoc tamen intelligendum eſt, cùm utriuſque par eſt cauſa: ſi autem potior eſt cauſa poſterioris, is potior erit in jure, etſi tempore ſit poſterior, ut in caſu propoſito, quia ſecundus impetrans verum dixit, primus falſum, gl. in cit. c. ſuſceptum. v. primo, & v. præferri.

XXXI. Aſſertio 2. Ad ſtrictam interpretationem reſcriptorum beneficialium quoque pertinet, quòd mandata ſeu litteræ à Papa emanantes ſuper conferendo alicui beneficio vacaturo, ad beneficiũ, poſt datam ipſarum, creatum ſive de novo erectum non poſſint, nec debeant extendi: ita habetur ſtatutum in Clement. ult. h. t. v. g. Titius impetravit à Papa litteras ad beneficium proximè vacaturum in certa Eccleſia, datas Calendis Januarij, in qua Calendis proximi menſis Februarij novum beneficium eſt erectum, illud non debet Titio conferri, vi illius reſcripti, quia inſpicitur, an jam extiterit beneficium tempore datæ, ſicut inſpicitur etiam ætas impetrantis illo tempore, c. ſi eo. 9. h. t. in 6. gl. hic v. poſt datam. Ratio eſt, quia in reſcriptis debet attendi mens ſeu intentio mandantis ſeu concedentis, qui non videtur cogitâſſe de beneficio, quod tempore

reſcripti dati nondum erat in rerum natura, Vivian. in ration. Jur. Pontif. ibid. Et ideo ad talem caſum reſcriptum, præſertim odioſum, non eſt extendendum: nam mandans voluit conferri beneficium vacaturum, quod non poteſt verificari de beneficio primùm erigendo, cùm illud non poſſit dici propriè vacare, quia nunquam fuit proviſum, nova enim beneficij creatio vel erectio non eſt modus, per quem beneficium vacat, ſed potiùs per quem ipſum beneficium ad eſſe perducitur, Barboſ. in cit. Clement. n. 7. Sicut ergo reſcripta ad lites non extenduntur ad lites poſtea exortas, c. ult. h. t. ita nec reſcripta beneficialia ad beneficia poſtea inſtituta, cùm iſta etiam ſint odioſa. Accedit, quòd aliàs fundatores beneficiorum retrahi poſſent à novis beneficiis inſtituendis, ſi viderent, illa ſtatim conferri debere impetrantibus, quaſi debita. Unde ſicut beneficium vacans ex cauſa permutationis non debetur habenti gratiam expectativam, quia forſan aliàs non fuiſſet vacaturum, c. un. de rerum permut. in 6. Ita æquum eſt, ut etiam beneficium de novo erectum non debeat conferri habenti mandatum de beneficio vacaturo, quia aliàs fortè erectum non fuiſſet, gl. fin. in cit. Clem. ult. h. t.

§. III.

De quibuſdam Clauſulis Reſcriptorum.

Ad explicanda & probè intelligenda Reſcripta multùm refert ſcire vim quarundam Clauſularum, quæ in reſcriptis communiter inſeri ſolent, vel non expreſſæ ſubintelligi debent, de quibus hoc §. agemus.

XXXII. Aſſertio 1. Prima Clauſula eſt: *ſi preces veritate nitantur*, id eſt, ſi ita eſt, vel ſi vera ſunt, quæ in ſupplicatione ſeu petitione referuntur, eáque conditio de Jure Canonico ordinariè apponi ſolet, vel etſi non exprimatur, ſubintelligi tamen debet in quovis reſcripto conceſſo ad inſtantiam ſive petitionem ſupplicantis, prout conſtat ex c. ex parte 2. h. t.
» nam quidam Clericus Guilielmus nomine impe-
» travit litteras à Papa Alexandro III. ad Epiſcopum
» Conventrenſem, contra alium Clericum nomine
» Franciſcum ſuper quadam præbenda, in quibus
» continebatur, ut, ſi ipſi Epiſcopo conſtaret, Fran-
» ciſcum de perjurio convictum eſſe, & beneficio in
» perpetuum renuntiâſſe, (ubi vocula coniunctiva
Et ponitur pro disjunctione *Vel*. quia ad remotionem ſufficit, alterutrum probatum eſſe, gl. hîc. v. & perpe-
» tuo) illum ab eo removeret, & conferret Guiliel-
» mo. Epiſcopus re cognitâ & probatâ, beneficium
» contulit Guilielmo. Ab hac ſententia Franciſcus
» ad Pontificem appellavit, à quo litteras reportavit,
» ad Epiſcopum Cantuarienſem, in quibus illi man-
» dabatur, ut præbendam abſolutè, & ſinè cauſæ co-
» gnitione, Franciſco reſtituat. Quo intellecto, Papa
» reſcripſit ad dictum Archiepiſcopum, quòd non
» credat, ſe ita præcisè ſcripſiſſe ad Epiſcopum Con-
» ventrenſem (& ſi ita ſcripſit, hoc ex nimia occupa-
» tione contigiſſe, ut habetur in integra lectione hu-
» ius c.) & in huiuſmodi litteris (ſecundùm ſtylum
Curiæ) apponi, vel etſi non apponatur, intelligi »
debet hæc conditio, *ſi preces veritate nitantur*. Quare »
mandat eidem Archiepiſcopo, ut inſpectis litteris, »
quas ad prædictum Epiſcopum direxit, ſi reperiat, »
quòd ſecundùm prædictum modum ei ſcripſerit, »
& in litteris ipſius Franciſci nulla fuerit mentio fa- »
cta priorum litterarum, quas Guilielmus impetra- »
vit ad Epiſcopum Conventrenſem, ſententiam à »
prædicto Epiſcopo priùs latam confirmet, & Fran- »
ciſcum ad Sedem Apoſtolicam, cum litteris ab ea- »
dem impetratis, accedere compellat. »

Hinc colligitur. Si quis afferat reſcriptum alienum à ratione, vel contrarium Juri communi, aut ſtylo Curiæ (quale erat iſtud impetratum in caſu cit. c. 2. h. t. ut Commiſſarius, abſque cauſæ cognitione, procederet) tum lator eius tanquam ſuſpectus de falſitate & ſubreptitia impetratione, unà cum reſcripto, ad Curiam remitti debet; nec Commiſſarius tale reſcriptum exequi debet, ſed expectare, donec Princeps, certior factus, aliud reſcribat, uti ſumitur ex cit. c. 2. h. t. & ex c. quando. 5. eodem. & ex l. ult. C. de precib. Imperat. offerend. Abb. hîc. n. 4. & Imola n. 3.

XXXIII. Cæterùm quòd ſuprà dictum eſt, clauſulam hanc, *ſi preces veritate nitantur*, ſubintelligendam eſſe, etſi non fuerit expreſſa, id procedit de Jure communi Canonico, & excipi debet, niſi Jus vel ſtylus Curiæ, qui pro lege habetur, neceſſariò requirat, ut huiuſmodi clauſula expreſsè apponatur, quemadmodum Jure Civili id exigitur, l. fin. C. de diverſis reſcript. tunc enim ſi non exprimatur, invalidum eſt reſcriptum, quippe carens formâ ſeu conditione ad ſubſtantiam eius pertinente, Rebuff. in praxi benefic. tit. de differentia inter reſcripta grat. & juſtit. n. 60. Quare licèt alioquin taciti & expreſſi regulariter eadem vis ſit, id tamen non habet locum, quando expreſſio requiritur ad formam, ſeu eſſentiam rei, Laym. in cit. c. 2. n. 1. Ratio autem, cur prædicta clauſula in reſcriptis Pontificiis apponenda, vel ſaltem ſubintelligenda ſit, reddi poteſt, quia ſicuti in juramentis, & pactis quædam conditiones ſemper ſubintelliguntur, etſi non exprimantur, v. g. *ſi vixero*, *ſi ſuperior non contradixerit*, *ſi res in eodem ſtatu permanſerit*, & ſimiles, quæ ipſo jure tacitè pactis ineſſe cenſentur: ita & in reſcriptis eiuſmodi conditiones ſubintelliguntur, & cenſentur appoſitæ ex mente concedentis vel mandantis, etſi non exprimantur: nam ea, quæ in facto conſiſtunt, & ſpecialia ſunt, probabiliter Princeps ignorat, ideóque non præſumitur habere notitiam de facto in tali reſcripto contento, niſi ſecundùm narrationem in ſupplicatione factam, ac proinde ſolùm ſecundùm narrata reſcribit, eorúmque veritatem ſupponit, gl. in cit. c. 2. v. conditio. Azor part. 1. l. 5. c. 24. q. 3. Quòdſi adverſarius, contra quem reſcriptum impetratum eſt, neget, vera eſſe, quæ in eo continentur, onus probandi ipſi impetranti incumbit, Abb. in cit. c. 2. n. 3. qui tamen ſolùm debet probare ea, quæ pertinent ad cauſam & intentionem ſeu petitionem ſuam fundandam, ſinè quibus Princeps in eius petitionem non conſenſiſſet; non autem opus eſt probare ea, quæ relata ſunt in petitione ſolùm narrativè, & ad cauſam nil faciunt, Felin. ibid. n. 24.

XXXIV. Suprà dictis addendum 1: Dicta clauſula ſive conditio, *ſi preces veritate nitantur*, ſive

expreſſa

expreſſa fuerit, ſive non, ſed ſubintellecta, non eſt conditio eſſentialiter requiſita ad reſcriptum juſtitiæ, ita ut illud ipſo jure irritum reddat, ſi narrata in eo ſint veritate deſtituta: quia clauſula illa non inſeritur ad fundandam ſeu inchoandam juriſdictionem judicis, cui cauſa demandatur, ſed ad eius inſtructionem, quomodo ſecundùm juſtitiam procedere debeat; Felin. in cit. c. 2. n. 6. h. t. niſi tamen huiuſmodi reſcriptum non judicem inſtruat, & ad cauſæ cognitionem diſponat, ſed cauſam definiat, ac decidat, tum enim velut ſubreptitiè impetratum ipſo jure eſt irritum, Laym. ibid. ex Baldo. Nam quamvis Papa, abſolutè loquendo, poſſit cauſam definire, ſicut & definitionem vel executionem illius aliquando alteri committere, abſque cauſæ cognitione; non tamen id facilè & ordinariè facere ſolet, ideóque non eſt præſumendum ita reſcripſiſſe, prout ſumitur ex cit. c. 2. ibi: *quoniam non credimus ita præcisè ſcripſiſſe*, Barb. ibid. n. 5. Alia verò ratio eſt, quoad diſpenſationes, & alia reſcripta gratiæ, ea enim, ſi narrata in ijs, ob quæ Papa ſeu Princeps motus fuit ad diſpenſationem, vel aliam gratiam concedendam, vera non ſint, ipſo jure ſunt irrita, ita ut Commiſſarius illa executioni mandare non poſſit, ut ex infrà dicendis patebit.

XXXV. Addendum 2. quòd clauſula, *ſi ita eſt*, ſeu, *ſi narrata vera ſunt*, in fine poſita interdum refertur ad id tantùm, quod proximè anteceſſit; interdum verò ad omnia antecedẽtia, ſecundùm negotij qualitatem, ſive prout materia ſubiecta exigit, ut colligitur ex c. olim. 25. h. t. & ibid. tradit Joan. Andr. n. ult. Abb. n. 3. & Imola n. 16. nam Pancratius Clericus poſſidebat Parochiam de Salice, quam Robertus de Clivo ſibi per intermediam perſonam legitimè collatam fuiſſe dicebat. Causâ delatâ ad Innocent. III. ipſe eam tribus Abbatibus delegavit, qui ſemel, ſecundò ac tertiò partes citaverunt; ſed cùm Pancratius nec per ſe, nec per Procuratorem, coram eis comparere vellet, eum ob contumaciam excommunicârunt, & fructus Parochiæ interim ſequeſtrârunt. Cùm autem poſtea idem Pancratius ad Judices accedens, ſe ipſis pariturum promiſiſſet, à cenſura abſolutionem obtinuit: & litteris abſolutionis ei datis, aſſignârunt ei diem & locum, quibus, quod promiſerat, adimpleret. Sed ille in iiſdem litteris, quod poſitum erat de die & loco, in quo ſe ſiſtere in judicio debebat, abradens, ſcripſit, quòd fructus ſequeſtrati ſibi reſtitui deberent. Idque ipſum coram duobus Judicibus delegatis (nam tertius aberat, & ſe excuſaverat) confeſſus fuit. Quare Innocent. Papa aliis duobus Judicibus mãdavit, ut, ſi ita eſſet, ipſi Pancratio ſuper petitione Parochiæ perpetuum ſilentium imponant, eámque Roberto, cum fructibus ſequeſtratis, aſſignent. Sed quia dictus Robertus probaverat per idoneos teſtes, raſuram in litteris abſolutionis eſſe factam, dubitârunt tamen hi Judices, an clauſula, *ſi ita eſſet*, ad omnia ſuperiora, an verò ſolùm ad id, quòd proximè anteceſſerat, referri deberet? Reſpondet Papa, quòd ad omnia antecedentia ſit referenda, quia etſi ſufficiat, crimen falſi probatum eſſe, ad imponendum ipſi perpetuum ſilentium ſuper parochia petenda; non tamen illa adverſario eius Roberto eſt aſſignanda, niſi priùs eam ſibi legitimè collatam eſſe, plenam fidem faciat, ſive plenè probet.

XXXVI. Hinc colligitur 1. Judices delegatos in caſu huius c. non rectè proceſſiſſe, nam etſi aliàs in cauſa beneficiaria, ob contumaciam Rei, fructus beneficij ſequeſtrari poſſint, quia actor, priuſquã oſtendat, ſibi jus in beneficio competere, in poſſeſſionem mitti non debet, ne vitium intruſionis incurrat, juxta c. unic. de eo, qui mittit. in poſſeſſ. &c. in 6. tamen in caſu cit. c. olim reo primò excommunicatio ob contumaciam eius inflicta fuit, adeóque ſimul & principaliter fructus beneficij ſequeſtrari non potuerunt, quia non poteſt Judex ab initio Reo contumaci duplicem pœnam imponere, nempe excommunicationem, & miſſionem in bonorum poſſeſſionem, ut conſtat ex c. ult. in fin. Ut lite non conteſtatâ &c. & per conſequens, neque ſimul ſequeſtrationem bonorum, ſeu fructuum, quæ hîc vicem tenet miſſionis in bonorum poſſeſſionem. Sed neque acceſſoriè, propter præviam excommunicationem poterant fructus Parochiæ ſequeſtrari, cùm excommunicato fructus meritò ſubtrahantur, cap. paſtoralis. 53. in fine de appel. quia cùm reus, poſt depoſitam contumaciam, ab excommunicatione fuerit abſolutus, ſequeſtrum tolli debuit, & fructus ſequeſtrati ei reſtitui debebant, cit. c. ult. §. in aliis. Nihilominus tamen reo juſtè ſilentium impoſitum eſt ſuper petitione Parochiæ, eáque, cum fructibus ſequeſtratis, adverſario aſſignata, quia non debebat litteras radere & falſare, ſed poterat à proceſſu Judicum delegatorum appellare ad Papam, Joan. Andr. hîc, & Abb. n. 5. Imol. n. 12. & quia litteras ſuper beneficio, de quo litigabat, falsâſſe cõvictus fuit, juſtè privatus fuit jure ſuo, ſi quod habuit, eíq; perpetuum ſilentiũ eſt indictũ, uti ſumitur ex cit. c. olim. & ibid. gl. in notatis.

XXXVII. Colligitur 2. quòd in caſu cit. c. olim Clauſula, *ſi ita eſt*, in ordine ad privationem inferendam reo, ſive poſſeſſori beneficij, referri debet ad vitium falſi, de quo proximè mentio facta fuerat, ſatiſque eſt, ſi illud oſtenſum probatúmque ſit: At verò, reſpectu Parochiæ conferendæ actori ſeu petitori, referri debet dicta clauſula etiam ad ſuperiùs poſita de legitima collatione Parochiæ ipſi factâ, adeóque dicta clauſula non verificatur ſive impletur, niſi omnia narrata probata fuerint, videlicet non tantùm commiſſam eſſe à reo raſuram, in litteris abſolutionis ipſius ab excommunicatione, ſed etiam collationem Parochiæ ipſi actori legitimè factam eſſe, ut habetur in fine cit. c. quia beneficium Eccleſiaſticum licitè, ſinè Canonica inſtitutione, obtineri non poteſt, c. 1. de reg. jur. in 6. Neque ſufficit regulariter, ſi contendens, beneficium ad ſe pertinere, probet, adverſarium ſive poſſeſſorem jus in eo nullum habere, ſed debet etiam probare, ſibi jus in eo per legitimam inſtitutionem vel collationem competere, Felin. in cit. c. olim. n. 9.

XXXVIII. Colligitur 3. Quamvis in cit. c. olim, reus confeſſus fuerit crimen falſi, coram Judicibus delegatis: nihilominus tamen Papa mandavit aliis Judicibus, ut de hoc crimine ulteriùs inquirerent, & cognoſcerent, &, ſi ita eſſe repererint, reo ſilentium imponant: quia nimirum confeſſio iſta, cùm facta fuerit ſolùm coram duobus judicibus delegatis, tertio eorum abſente, non fuit judicialis, adeóque nec valida, quia oportet, omnes delegatos eſſe præſentes, ſi ſimpliciter dati ſint, ita, ut uno abſen-

re,reliqui cognoſcere non poſſint,c. cauſam. 16. &c. pen.de offic.deleg.Abb.in cit.c.olim.n.12.Confeſſio autem extrajudicialis in criminibus regulariter non præiudicat,Felin.in c. iam cit.n.2.

XXXIX. Aſſertio 2. Altera clauſula,quæ in reſcriptis ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, vel apponi ſolet, vel ſubintelligi debet,eſt. *Salvo jure alicuius*,ſive *ſinè præiudicio alterius*, quia Papa ſeu Princeps non cenſetur velle derogare juri alterius, ſed cuiq; jus ſuum ſalvum & illæſum ſervare, niſi aliud exprimat, l. ex facto.43.in princip.ff.de vulga.ſubſtitut. l.2.§.ſi quis à Principe.ff.ne quid in loco publico &c. c. ſuper eo. 25.juncta gl. v. intentionis de officio judicis delegati,Gail.l.2.obſerv.58.n.4. neque ſolet etiam beneficium, vel aliam gratiam uni concedere, ita ut alter lædatur;ſaltem graviter ſeu enormiter,modicum autem præiudicium æſtimari non ſolet, c. ad aures.8. juncta gl.v.intentionis.h.t, Si enim non poteſt ſubveniri alteri,niſi alter lædatur,commodius eſt, neutrum juvari, quàm gravari alterum, c. denique. 10. cauſ.14.q.5. Quare nunquam in dubio præſumendum eſt,Principem voluiſſe reſcribere, mandare, beneficium conferre vel privilegium concedere, cum gravi & notabili præiudicio alterius.

X L. Aſſertio 3. Tertia clauſula, quæ in omnibus reſcriptis ſeu litteris ad beneficia datis, vel expreſsè ponitur, vel etiam non expreſſa ſubintelligitur,eſt, *ſi is, cui datur, dignus ſit, ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum*,c.cùm adeò.17.in fine,juncta gl. fin.h.t.adeóque nullum Canonicum habeat impedimentum. Et hinc clauſula hæc non efficit conceſſionem gratiæ, vel beneficij collationem conditionalem,nec illam ſuſpendit, quia tacitè, ipſo jure,ineſt, & potiùs quædam inſtructio eſt, quàm conditio propriè dicta,Navarr.in c.Si quando.h. t. except.11.n.1.

X L I. Aſſertio 4. Præter allatas generales clauſulas,ſunt & aliæ quædam ſpeciales, quæ reſcriptis,ſive juſtitiæ, ſive gratiæ ſeu ad beneficia inſeri ſolent,qualis eſt,ſi reſcripto juſtitiæ inſeratur : *Si duo vel tres* (ad quos litteræ delegationis diriguntur) *ipſis exequendis ſimul intereſſe* (ſive in cauſa procedere) *nequiverint, alter vel plures reliqui nihilominus exequantur*,& in cauſa procedant. Quæ clauſula intelligi debet tum de impotentia juris, ut ſi v.g. unus ex delegatis ſit ſervus vel infamis, vel alio legitimo impedimento detentus (nempe quia eſt excommunicatus vel illitteratus, ſive judiciorum omnino imperitus) quàm de impotentia facti, ut ſi mortuus fuerit,aut gravi morbo, vel aliâ inevitabili neceſſitate impeditus, quò minùs cauſam cognoſcere poſſit,c.ſciſcitatus,13,& ibi gl. v.impedimento.h.t. Ratio eſt,quia impoſſibile cenſetur, non tantùm id, quod naturaliter vel omnino non, aut non niſi difficillimè fieri poteſt,ſed etiam quod honeſtè & licitè fieri non poteſt, quia contra bonos mores fit,l.ſi ſtipulor.35.de verb.obligat. l.filius.15. ff. de condition. inſtitut. ubi dicitur : *& generaliter quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe cenſendum eſt* : Debet tamen delegatus, qui impeditus eſt cauſam commiſſam cognoſcere, aliis collegis ſuis ſive conjudicibus impedimentum ſuum (per litteras aut certum nuntium) ſignificare,ut ipſi nihilominus in cauſa demandata procedant; quia ille non cenſetur legitimè excuſatus,qui non vult cauſam cognoſcere,cùm tamen poſſit : niſi in reſcripto expreſſũ fuerit,ut ſi non omnes ſimul cauſã cognoſcere potuerint, aut voluerint, alij in cauſa procedant,cit. c. ſciſcitatus in fine.& ibi gl. v. doctrina.

Notandum hîc 1. Quamvìs per clauſulam inſertam reſcripto juſtitiæ, *ſi omnes delegati intereſſe nequiverint, alter, vel duo reliqui nihilominus in cauſa procedant*, is,qui nõ vult intereſſe,cùm poſſit, nõ excuſetur ab inobedientia; aliorum tamen juriſdictio confirmatur, ita ut etiam ſinè ipſo procedere poſſint, c. prudentiam. 21. §. adiicimus. de offic. deleg. nam ſi unus v.g. ex tribus, intereſſe non vult, verum eſt dicere,quòd omnes tres intereſſe ſimul non poſſunt, quamvìs ille tertius in gravi culpa ſit,quòd cùm poſſet,nolit intereſſe,Abb.in cit.c.13.n.4.& ult.h.t.

Notandum 2. Ut Judices dati, cum prædicta clauſula, *ſi omnes ſimul intereſſe, vel mandatum exequi nequiverint, alter vel reliqui exequantur* : vi huius clauſulæ,procedere poſſint ſinè Collega impedito, non ſufficit impedimentum à parte rei ſubeſſe, ſed neceſſe eſt,ut impeditus per nuncium ad alios conjudices deſtinatum,vel alia ratione impedimentum illis notificet,alioquin proceſſus ab ijs inſtitutus non valet, Felin.in cit.c.13.n.12.h.t.Abb.ibid. n.4.

X L I I. Aſſertio 5. Si duo impetrent,& afferant mandatum à Sede Apoſtolica ad eandem Eccleſiam,de Canonicatu ipſis conferendo, & in ſecundo mandato fuerit appoſita clauſula, ſive conditio, *ſi pro alio non ſcripſimus, qui huiuſmodi gratiam proſequatur* : hoc caſu, ſi illi, qui priùs impetravit mandatum,jam proviſum fuit de Canonicatu, non debet poſteriori impetranti de alio provideri, quia non eſt intentio Papæ, collatorem ordinarium ſuper receptione ſeu inſtitutione duorum gravare, niſi id exprimatur : ita habetur in c. mandatum. 38. h.t.quæ clauſula,etſi non expreſsè apponatur, tamen ſubintelligitur,neque enim eſt abſurdum,vel ſuperfluum exprimere ea,quę tacitè inſunt,ideóque Papa, quando contrarium intendit,& vult,ſecundum impetrantem recipi,addere ſolet in poſteriori mandato clauſulam, *non obſtante, ſi pro alio vel aliis ſcripſimus*, gl.ibid.v.ſuper receptione duorum,& Abb.n.3.Nam cùm beneficij collatio ſit quædam gratia & donatio pertinens ad exercendam liberalitatem ordinarij Prælati, ideóque etiam velut inter fructus Eccleſiaſticæ dignitatis & poteſtatis numeretur,non præſumitur Papa per ſua mandata velle derogare juri ordinarij collatoris, eúmque privare liberalitate ac facultate donandi ſeu conferendi,gl.fin. in cit. c. mandatum,& Ab.ibid.n.3. Ratio autem de hac re dubitandi hæc fuit,quia in ſecundo mandato fuit appoſita conditio de præſente,ut patet ex illis verbis. *Si pro alio non ſcripſimus, qui proſequatur huiuſmodi gratiam*; nemo verò tunc erat, qui huiuſmodi gratiam de facto proſequeretur, ſeu peteret beneficium, quia is, qui primò impetravit mandatum; jam fuit receptus in Canonicum,& ſic jam erat proſecutus, & conſecutus illam gratiam ſeu beneficium, & tamen nihilominus reſcribit Papa, quòd non debeat, vi poſterioris mandati impetrati, conferri beneficium,ſi priori impetranti jam fuit collatio facta, quia tunc jam ſatisfactũ eſt intentioni Papæ, qui non vult Eccleſiã vel eius Pręlatũ ſuper receptione duorum gravare,gl. in cit. c.v.mandatum. Poſſet quidem collator ordinarius,

natius, eiúſque Capitulum, hoc caſu, utrumque impetrantem recipere, & beneficium cuivis conferre, quando ambo non ad idem, ſed ad diverſa beneficia vacatura in eadem Eccleſia litteras impetrârunt, quia tunc utraque gratia valet; non tamen tenetur poſteriori impetranti conferre, ſed poteſt illum per viam exceptionis, ſeu oppoſiti gravaminis repellere, Abb. in c. capitulum 30. n. 4. h. t.

» XLIII. Aſſertio 6. Si Papa, v. g. Gregorius
» IX. pro aliquo Clerico, v. g. Subdiacono ſcripſit, ut
» in certa Eccleſia in Canonicum reciperetur, adie-
» ctâ clauſulâ, *Niſi Eccleſia illa ſimili mandato ſuo gra-*
» *vata iam fuiſſet*, ſive *mandatum à ſe accepiſſet, ut alij*
» *Clerico Canonicatus conferretur*: hoc caſu, Sub-
» diacono illi conferri debet Canonicatus proximè
» vacaturus, tametſi idem Papa priùs litteras exe-
» cutorias dediſſet ad eandem Eccleſiam pro alio
» Clerico, qui à Papa anteceſſore litteras monitorias
» priùs ad illam etiam Eccleſiam impetrârat, de Ca-
» nonicatu illi conferendo, cuius anteceſſoris factũ
» potiùs, quàm ſuum eſt proſecutus, prout habetur
» in c. litteris. 39. h. t. Neque obſtat, quòd Papa non ſoleat duobus eiuſmodi mandatis gravare eundem collatorem, niſi id exprimat, quia hoc caſu Papa Gregorius IX. qui ſucceſſit Honorio III. per ſuas litteras executorias tantùm proſecutus eſt factum anteceſſoris ſui, qui monitorias dedit, ipſe verò poſterioris ſolùm mandati auctor fuit, prius verò originem traxit ab Honorio III. anteceſſore, qui monitorias litteras dando de providendo, cœpit gravare Eccleſiam illam, ac proinde illud gravamẽ ſeu mandatum prius magìs anteceſſori tribuendum eſt, quàm ſucceſſori, qui opus cæptum ab anteceſſore tantùm executus fuit, ad quod vi officij ſui, ſaltem ex quadam decentia & honeſtate tenebatur, principium enim cuiuſque rei ſpectandum eſt, ut patet ex c. litteris. 39. h. t. & ibid. gl. & Abb. n. 4. Verumtamen poſtea more introductum fuit in Curia Romana, ut Papa ſucceſſor, ſtatim poſt promotionem ſuam, omnes gratias exſpectativas, ſive mandata de providendo in beneficiis vacaturis revocaret, quæ nondum executioni data fuerant; ita ut jus in re acquiſitum in ijs fuerit, ut conſtat ex c. ſi is cui. 39. & c. ſeq. de præbend. in 6. & c. ult. de conceſ. præbend. Abb. in cit. c. litteris. n. 3. quia huiuſmodi gratiæ exſpectativæ ad beneficia vacatura, non ſolùm gravant Eccleſias, ſed etiam velut pactũ quoddam continent de futura ſucceſſione in beneficiis, quod improbatur, in c. 2. & 3. de conceſ. præbend. c. 2. eodem in 6. ideóque etiam per Concilium Tridentinum penitus ſunt ſublatæ, ſeſſ. 24. c. 19. de reformat.

SECTIO III.

DE FORMA RESCRIPTORUM.

§. I.

Qua ratione ſervandus ſit ordo, & forma ſeu modus præſcriptus in Reſcriptis?

XLIV. Aſſertio 1. In reſcriptis inprimis ordo verborum ſeu Scripturæ ſervandus eſt, ita ut, quod in reſcripto vel mandato priùs narratur, vel præcipitur, ante alia ſit expediendum; ſumitur ex c. cum dilecta. 22. juncta gl. v. tranſponentes. h. t. Alioquin ſi ordo hic pervertatur aut tranſponatur, proceſſus ipſo jure eſt irritus, modò conſtet, ordinem eſſe ſubſtantialem, Felin. ibid. n. 4. Ex quo infertur, quòd is, qui prior ſive primo loco nominatur in reſcripto, cenſeri debeat dignior, Felin. c. l. Deinde forma reſcripti ſeu mandati exactè obſervari debet, alioquin omnia, quæ acta ſunt, ipſo jure ſunt irrita, gl. in cit. c. cùm dilecta v. irritum, & alij communiter: diligenter enim fines mandati cuſtodiendi ſunt, & qui exceſſit, aliud quid facere videtur, l. diligenter 5. ff. mandati. nam ſi Commiſſarius ſeu delegatus contra formam mandati ſibi præſcriptam agat, adeóque limites conceſſionis ſeu delegationis ſibi factæ excedat, nihil agit, cùm nullam habeat poteſtatem agendi, niſi conceſſam à delegante ſeu mandante, Suar. diſ. 3. de cenſur. ſect. 12. n. ult.

XLV. Extenditur autem primò, quòd proceſſus non ſolùm factus contra, ſed etiam præter ſeu ultra formam reſcripti, ſeu mandati, ſit irritus, ut ſi aliquid ei addatur vel detrahatur, quia poteſtas conceditur delegato limitatè, ut procedat iuxta præſcriptum ab eo, qui dat poteſtatem, ſi ergo aliud faciat, quàm ipſi præſcriptum, actus eſt nullus, quippe factus ſinè poteſtate, Felin. in cit. c. cùm dilecta. n. 6. Ampliat. 1. Extenditur 2. etiamſi partes conſentiant in tranſgreſſionem formæ datæ in reſcripto, quia reſcripta Principum, eorúmque forma ſubſtantialis ſunt juris publici, cui pactis privatorum derogari non poteſt, l. 3. C. de juriſdict. niſi forma reſcripti data eſſet merè in favorem partium, tunc enim ab eis remitti poteſt, Felin. c. l. Ampliat. 5. Denique neque per aliud æquipollens ſeu æquivalens forma reſcripti ſuppleri poteſt, quia ſpecificè implenda ac ſervanda eſt, idem in cit. c. Ampliat. 11. n. 7. ubi plures huiuſmodi ampliationes affert.

XLVI. Aſſertio 2. Quod dictum eſt, ſi forma mandati ſeu commiſſionis factæ non obſervetur, proceſſum eſſe irritum, id locum habet, ſi forma mãdati aut modus procedendi, ſpectato jure communi, non requiratur, ſed à delegante de novo præcipiatur, & inducatur, tum enim cenſetur pertinere ad ſubſtantiam, ita ut eâ formâ non ſervatâ, actus ſit irritus, colligitur ex c. cùm dilecta. 22. h. t. Abb. ibid. n. 12. Felin. in c. ult. de præſumpt. n. 23. Sanch. l. 3. de matrim. diſp. 33. n. 4. Exemplum habetur in cit. c. cùm dilecta. 22. h. t. ubi talis caſus proponitur. Vacante «
Monaſterio Heſienſi, duæ Moniales apud Sedem «
Apoſtolicam litigabant ſuper electione Abbatiſſæ: «
Regina, quæ erat Caſtos Monaſterij, per ſe, & Ger- «
trudis per Procuratorem. Quam cauſam Papa In- «
nocent. III. delegavit inprimis Scholaſtico Hilden- «
ſi, & aliis quibuſdam, cum mandato, ut perſonali- «
ter ad Monaſterium accedentes, perſonæ idoneæ «
committerent adminiſtrationem Abbatiæ, cui fie- «
ret reſignatio, ſeu reſtitutio ſubtractorum ex Mo- «
naſterio ab utraque parte. Sed quia Judices iſti cõ- «
tra formam mandati proceſſerunt, eadem cauſa «
poſtea delegata fuit Abbati de Remech, & aliis, «
cum ſimili mandato. Verùm examinato utrorum- «
que Judicum proceſſu, deprehenſum fuit, quòd lit- «

» teræ poſteriorum Judicum ſubreptitiè erant impe-
» tratæ, quia in ſecundis litteris nulla de prioribus
» litteris, in quibus eadem cauſa priùs aliis judicibus
» delegata fuerat, facta eſt mentio; ideóque Papa caſ-
» ſavit proceſſum poſteriorum Judicum, & irritum
» eſſe decrevit. Præterea proceſſum etiam priorum
» Judicum per ſe eſſe irritum, declaravit, quia in illo
» formam mandati non obſervaverunt, ſed præter-
» miſſo principali articulo, ut adminiſtrationem Ab-
» batiæ perſonæ idoneæ committerent, cui fieret re-
» ſignatio ſeu reſtitutio hinc inde ſubtractorum, ipſi
» de aliis articulis, nempe ad electionem Abbatiſſæ
» pertinentibus, inordinatè cognoverunt, & contra
» juris ordinem proceſſerunt. Quare mandat Papa
» Archiepiſcopo Magdeburgenſi, & alteri cuidam, ut
» reſtitutis Gertrudæ, & aliis quibuſdam Moniali-
» bus (quæ, uti videtur, ſpoliatæ erant, vel ex Mona-
» ſterio ejectæ) formâ mandati Apoſtolici exactè &
» diligenter obſervatâ, in negotio iſto prudenter &
» diſcretè procedant.

XLVII. Ex quo patet, quòd in caſu hujus c. à Papa ſpecialiter fuerit præſcripta Judicibus delegatis nova forma procedendi, nempe ut ad Monaſterium perſonaliter accederent, & adminiſtratorem conſtituerent, cui ſubtracta reſtituerentur, ideóque cenſenda eſt hæc forma ſubſtantialis, ita ut eâ non ſervatâ, proceſſus ſit ipſo jure irritus: & quamvis etiam Judices delegati in hoc caſu contra juris ordinem proceſſerint, prout dicitur in cit. c. cùm dilecta, dum ſcilicet ante cognitionem de ſpoliatione, de proprietate, ſive jure electionis cognoſcere cœperunt, contra l. 1. C. de appellat. & c. cùm dilectus. 6. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. & c. ex conqueſtione. 10. de reſtitut. ſpoliat. & notat gl. hic v. juris ordinem: tamen ex eo præcisè capite, proceſſus non fuiſſet ipſo jure irritus, ſed irritari potuiſſet, & per appellationem reſcindi, cit. l. 1. C. de appel. niſi Papa novam formam procedendi jure communi non præſcriptam inducere voluiſſet, Abb. in cit. c. cùm dilecta. n. 12. & Laym. ibid. n. 6.

XLVIII. Aliud verò dicendum eſt, ſi forma ſeu conditio judici delegato præſcripta, ut ſecundùm illam procedat, etiam ſpectato jure communi requiratur, ita tamen, ut non pertineat ad formam ſeu ſubſtantiam actûs, tunc enim illicita quidem erit executio delegantis, non obſervatâ tali formâ ſeu conditione, ſed nihilominus valida; quia ſi in commiſſione ſeu delegatione exprimatur conditio, quæ jure communi tacitè ineſt, non inducitur nova forma, ſeu cõditio ſinè qua non, ſi ſecundùm ſe non ſit ſubſtantialis actûi exercendo, ſed ſolùm admonetur commiſſarius, ſeu delegatus, ſive inſtruitur, quid facere debeat, Abb. c. l. n. 12. Sanch. c. l. n. 2. & 6. v. g. ſi alicui delegata ſit facultas abſolvendi ab omni excommunicatione, præmiſsâ priùs ſatisfactione, aut cautione ſatisfaciendi parti læſæ, & delegatus culpabiliter illam exigere prætermittat, valida erit nihilominus abſolutio, quamvis illicita, quia licèt jure communi requiratur, ut hujuſmodi ſatisfactio vel cautio ante abſolutionem exigatur, non tamen illa conditio pertinet ad ſubſtantiam abſolutionis, ideóq; etiamſi fuerit in mandato ſeu delegatione expreſſa, non inducit novam formam, ſed ſolùm continet commonitionem ſeu inſtructionem judicis delegati: niſi delegatio ipſi non abſolutè, ſed cùm expreſsa limitatione facta ſit, ut non aliter abſolvat, ſive ut abſolutio aliter facta ſit nulla, vel ex circumſtantiis id colligi poſſit, niſi priùs parti ſatisfactum fuerit, tunc enim, eo prætermiſſo, invalida erit abſolutio, Sanch. c. l. n. 4. Laym. l. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 8. in fine. Veruntamen quamvis delegans præſcripſerit formã ſeu modum procedendi, qui jure communi non requiritur, tamen ex materia ſubjecta, modo loquendi, aliiſque circumſtantiis, vel ex Curiæ conſuetudine interdum colligi poteſt, non eſſe mentem delegantis formam ſubſtantialem mandati præſcribere, ſed ſolùm monitionem quandam, ſeu inſtructionem facere, quid circa negotij expeditionem fieri debeat; tunc enim proceſſus propter formam reſcripti non ſervatam, non erit irritus, cùm tota poteſtas judicis delegati ex voluntate delegantis pendeat, Sanch. c. l. n. 6. in reſponſ. ad 2. Laym. in cit. c. cùm dilecta. n. 6. v. g. ſi Epiſcopus committat alicui Sacerdoti facultatem aſſiſtendi matrimonio, & ſimul diſpenſet in denuntiationibus præmittendis, eo tamen pacto, ut delegatus ſponſis præcipiat, ne matrimonium conſumment, ante denuntiationes factas; Sacerdos verò, prætermiſſo iſto præcepto, matrimonio aſſiſtat, validum erit matrimonium: quia illa forma ſeu cõditio in mandato expreſſa, etſi jure communi requiratur, non tamen pertinet ad eſſentiam facultatis conceſſæ, ſed tantùm ad inſtructionem Sacerdotis, cùm enim denuntiationes non ſint de eſſentia matrimonij, non poteſt dici præceptum de illis præmittendis conſummationi matrimonij, eſſe eſſentiale requiſitum ad valorem illius, Sanch. c. l. n. 2. & 3.

XLIX. Aſſertio 3. Si Princeps in reſcripto ſeu mandato de duobus vel pluribus, alternativè ſive ſub disjunctione, unum inquiri mandet, in ordine ad certum effectum, tum ſufficit unum ex illis eſſe verum & probari, ut Commiſſarius exequi poſſit, etiãſi alterum ſit falſum. v. g. ſi Papa reſcribat Epiſco- »
po, eique mandet, ut inquirat, an Rector alicujus »
Eccleſiæ ex Sacerdote illegitimè ſit genitus, & ſi »
legitimè genitus, quia ante Sacerdotium patris na- »
tus, an proximè & immediatè in eadem parochia »
patri ſucceſſerit, vel aliàs parochiam illam illegiti- »
mè acquiſierit, veluti ſi intruſus ſit; quod ſi ita eſſe »
compererit, eo remoto, parochiam alteri conferat; »
hoc caſu ſufficit, ſi alterutrum verum eſſe, probatũ »
ſit, ut Rectorem illum amovere, & parochiam al- »
teri conferre poſſit, ac debeat, ita habetur in c. in- »
ter cæteras. 4. h. t. qui eſt caſus illius c. Idemque in ſimilibus caſibus eſt obſervandum. Ratio eſt, quia ad veritatem propoſitionis alternativæ ſeu disjunctivæ, ſatis eſt, alterutram partem eſſe veram: ſed ad veritatem propoſitionis copulativæ requiritur, ut utraque pars ſit vera, §. penult. Inſtit. de hæredib. inſtituend. Abb. in cit. c. 4. n. 1. Et hinc etiam in contractibus & promiſſionibus alternativis electio eſt debitoris, & ſufficit alterutrum adimpleri, juxta reg. 70. in 6. At verò in pœnis, quæ ſive à lege, ſive ab homine, propter delictum ſub disjunctione imponuntur, attendendum eſt, ad quem verba alternativa dirigantur, num ad Judicem? v. g. *puniat illum Judex tali vel tali pœna*, & tum ipſius erit optio: an ad reum? v. g. *ſolvat centum aureos*, vel *excedat civitate*; & tum ad ipſum pertinet electio. In dubio verò præſumendum

Digitized by Google

dium eſt, verba ad Judicem referri, quandoquidem ad ipſum ſpectat, pro varietate perſonarum & circumſtantiarnm, pœnam decernere, & alioquin reus ſemper eligeret pœnam mitiorem, l. perſpiciendum. 11. l. aut facta. 16. ff. de pœnis. Abb. in cit. c. inter cæteras. n. 5. Felin. ibid. n. 7. Porrò ſi à Principe præſcribatur Judici certa forma procedendi, ſecundùm juſtitiam, in una cauſa, eadem quoque in aliis cauſis ſimilibus ab ipſo obſervanda erit; quia de ſimilibus ſimile debet eſſe judicium, l. non poſſunt. 12. ff. de legib. gl. fin. in cit. c.

L. Illud hìc notandum, quòd interdum vocula copulativa *Et* ponitur in reſcriptis juſtitiæ vel gratiæ aut diſpenſationum pro disjunctiva *Vel*, l. ſæpe. 53. ff. de verb. ſignif. & tunc ſufficit unum ex pluribus membris ſen partibus propoſitis verificari & probare, idque ex materia ſubiecta, & intentione mandantis aut concedentis colligendum erit. Exemplum habetur in c. 2. h. t. ſi Papa mandat alicui, ut, ſi probatum fuerit, beneficiarium periurium commiſiſſe, & beneficio renunciâſſe, eo inde amoto, beneficium alteri conferat; ſatis erit, ſi de alterutro, ſive periurio, ſive renuntiatione conſtiterit, ad eum amovendum, niſi Papa expreſsè mandârit, ut utrúque probetur, gl. in cit. c. 2. v. & perpetuò h. t. ubi ait, id colligi ex textu ibi: *eo cognito & probato*, & nō dicitur, *his cognitis & probatis.* Vel niſi adverſarius ſe ad utrumque probandum expreſsè obligârit, ut limitat gl. margin. ibid. arg. c. licèt. 9. de probat. juncta gl. v. ſe adſtrinxit.

Sed & interdum, vocula disjunctiva *Vel*, *ſive*, *aut*, in diſpoſitione, vel mandato aliquo poſita non dat electionem, ſed ordinem Scripturæ ſervandum eſſe denotat, gl. in cit. reg. jur. v. in alternativis. Idque etiam ex ſubiecta materia, vel modo loquendi colligi poteſt: ut ſi teſtator leget alicui prædium, & mandet, ut illud relinquat liberis vel propinquis ſuis, non cenſetur ipſi legatario data eſſe electio, ſed, ut liberis deficientibus, legatum cedat conſanguineis, aut affinibus; l. cùm pater. 77. §. à te peto, & ibi gl. v. eodem. ff. de legatis. 2.

§. II.

An & quomodo, duobus Reſcriptis impetratis in eadem cauſa, in poſteriore mentio fieri debeat de priore?

LI. Ad formam ſeu modum reſcriptorum etiam pertinet, ut ſi diverſæ litteræ juſtitiæ, in eadem cauſa, ad judices delegatos ſint impetratæ, in poſterioribus mentio fiat de prioribus. In qua re tamen tres notandæ ſunt regulæ. Prima eſt, ſi quis à Sede Apoſtolica litteras impetravit, in quibus cauſa aliqua judicibus eſt delegata, poſteà verò eius adverſarius alias litteras impetret à Papa, in quibus eadem cauſa aliis judicibus delegatur: tunc poſteriores litteræ, ſi in ijs nulla fiat mentio de commiſſione facta in prioribus litteris, nullum robur ſeu firmitatem obtinent, ſed poſſunt priores judices delegati ad deciſionem cauſæ procedere, non obſtantibus poſterioribus litteris, c. cæterùm. 3. in princip. h. t. Ratio eſt, quia ſi Papa ſeu Princeps recordatus fuiſſet prioris reſcripti, poſterius vel omnino non, vel non eodem modo conceſſiſſet, ideóque hoc non ſubſiſtit, defectu voluntatis concedentis, c. ex parte 12. ibi: *Si memores fuiſſemus, nos pro prædicto N. litteras direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus*, de offic. delegat. Abb. in cit. c. cæterùm. n. 3. quod tamen tum demum procedit, ſi prius reſcriptum fuerit præſentatum Judicibus delegatis, & vigore illius citatio facta: alioquin valeret poſterius reſcriptum, quod priùs fuit præſentatum, etiamſi in illo de priore reſcripto nulla mentio facta ſit, c. ut debitus. 59. & ibi gl. v. aſſignatæ de appellat. gl. in cit. c. cæterum. v. eodem, & v. impetravit. nam juriſdictio ſeu poteſtas cognoſcendi cauſam Judici delegato non antè acquiritur, quàm litteræ delegationis ipſi ſint præſentatæ, c. ſuper eo. 12. in fine. de appellat. non enim confertur, nec aufertur juriſdictio ante litteras præſentatas, Felin. in cit. c. cæterùm. n. 11.

LII. Porrò poſterius reſcriptum juſtitiæ, quod, nullâ factâ mentione prioris reſcripti, emanavit, non eſt ipſo jure nullum, quamvis per oppoſitam exceptionem reſcindi & annullari poſſit, adeóque etiam proceſſus initus à Judicibus poſteriùs delegatis eſt validus, donec contra reſcriptum illud ab adverſa parte excipiarnt, Abb. in cit. c. cæterùm. n. 5. & alij DD. communiter. Quare cùm dicitur poſterius reſcriptum non obtinere roboris firmitatem, ſeu eſſe nullum, id intelligi debet, quòd ſit nullum in effectu, quia ope exceptionis elidi poteſt, arg. l. ſi dari. 25. ff. de verbor. obligat. Abb. c. l. n. 8.

Id ipſum tamen limitari debet, niſi reſcriptum juſtitiæ acceſſoriè ſolùm ſit conceſſum in reſcripto gratiæ obreptitiè impetrato: ut ſi ſiquis v. g. per ſubreptionem impetravit reſcriptum gratiæ de conferenda ipſi parochia, & in eodem reſcripto, in quo ipſi facta eſt gratia, acceſſoriè etiam concedatur juriſdictio ad executionem illius gratiæ, ſive conſtituatur executor; tale reſcriptum, licèt juſtitiæ ſit, tamen eſt ipſo jure irritum, ſicut enim ipſa gratia, ſive beneficij conceſſio ipſo jure eſt irrita propter ſubreptionē, ita etiam ipſa conſtitutio executnris, quæ eſt acceſſoria gratiæ, Abb. c. l. n. 6. corruente enim principali, corruit etiam acceſſorium, regul. Jur. 42. in 6.

LIII. Altera regula eſt, ſi in poſteriore reſcripto mentio fiat prioris reſcripti ſen factæ delegationis, tunc tollitur prius reſcriptum, & procedi debet ſecundùm poſterius, quia cùm hoc non ſit, tacitâ veritate, impetratum, cenſetur Papa voluiſſe cauſam à prioribus judicibus avocare, cit. c. cæterùm. §. ſi verò. h. t. & ibi gl. v. judicio, nam cùm hoc caſu conſtet de intentione Principis volentis prius reſcriptum revocare, poſterius reſcriptum derogat priori, & validum eſt, in quo facta eſt mentio prioris, arg. c. bonæ. 3. ibi: *poſteriores debent prioribus præiudicium generare.* de confirmat. utili & inutili. Quòd ſi hoc caſu priores judices delegati in cauſa procedant, cum permiſſione poſterioris impetrantis, ſecundùm reſcriptum, quod priùs eſt conceſſum, tum vel apparet, quòd Papa abſolutè voluit revocare priorem delegationem; & proceſſus eſt ipſo jure irritus, ob defectum poteſtatis & juriſdictionis. Vel revocavit ſolùm illud ad inſtantiam poſterioris impetrantis, & in gra-

in gratiam illius; & tunc valet proceſſus, tum quia is potuit favori ſuo renunciare & conſentire, ut cauſa ſecundùm prius reſcriptum, coram Judicibus prioribus tractetur: Joan. Andr. in cit. c. cæterùm. n. 7. tum quia reſcriptum poſterius revocatorium juriſdictionis à prioribus Judicibus, ſi ad inſtantiam partis emanavit, cenſetur datum ſub hac tacita conditione, ſi pars impetrans eo uti voluerit, Felin. ibid. n. 11. Porrò, ſi clarè conſtet, mentem Papæ fuiſſe ſtatim, ſive tempore dati reſcripti poſterioris, avocare cauſam commiſſam à Judicibus priùs delegatis, ut vel ipſemet cognoſcat, vel aliis committat, ut quia Papa ſeu Princeps dicit: *revocamus commiſſionem prioribus Judicibus factam*, & decernimus irritum & inane, quidquid ex nunc actum fuerit, vi illius commiſſionis; tunc acta ab eo tempore à prioribus delegatis invalida ſunt, ob defectum juriſdictionis, etiam antequam revocatio illis innotuit per præſentationem mandati revocatorij; Abb. ibid. n. 10. & Felin. n. 18. & 19. nam cùm juriſdictio à judice delegato ipſo jure ſeu lege ſtatim cenſeatur revocata per mortem delegantis, ſi res adhuc ſit integra, c. relatum. 19. & c. gratum. 20. de offic. deleg. multò magis revocata cenſeri debet, quando hoc claris verbis Princeps expreſſit, tunc enim ſimul adeſt & voluntas, & poteſtas revocandi juriſdictionem delegatam, idque procedit, ſive res ſit integra, ſive non, cùm totum pendeat ex voluntate Principis, Laym. in cit. c. cæterùm. n. 6. ubi addit. non decere eiuſmodi avocationes fieri cum præiudicio aliorum, & perturbatione judiciorum, niſi ex cauſa, v. g. in pœnam malè procedentis aut judicantis.

„ LIV. Tertia regula eſt; ſi prius reſcriptum ad
„ judices delegatos, communi conſenſu utriuſque
„ partis litigantis, fuit impetratum; poſtea verò una
„ pars, alterâ neſciente, aliud reſcriptum impetret, ut
„ cauſa illa aliis Judicibus delegetur, nullâ factâ mé-
„ tione, quòd prius reſcriptum communi conſenſu
„ impetratum fuerit (etſi in illo mentio fiat de prio-
„ re commiſſione facta) tunc poſterius reſcriptum
„ irritum eſt, & impetrans in expenſas condemnari
„ debet, quas adverſarius ipſius propterea fecit, cit. c.

cæterùm in fine, & ibi gl. v. de commiſſione. Ratio prioris partis eſt, quia reſcriptum, ſi impetratum ſit tacitâ veritate intrinſecè ad rem pertinente, quâ cognitâ, Princeps probabiliter poſtulatum non conceſſiſſet, vel non tali modo ac formâ dediſſet, eſt ſubreptitium & invalidum, Abb. ibid. n. 3. & patebit ex infrà dicendis. At verò Princeps non ſolet judicem dare ſeu delegare, quem una pars tantùm petiit, ſed non niſi ex utriuſque partis conſenſu, l. obſervandū. 47. ff. de judic. ſaltem ſi utraque pars ſit præſens, ſi verò altera pars abſit, poteſt & ſolet, iuxta ſtylum Curiæ, dari Judex delegatus, etiam ad petitionem unius partis tantùm, gl. in cit. l. obſervandum v. iniqui, Abb. in cit. c. cæterùm. n. 11. ſalvâ interim manente poteſtate alteri parti ex cauſa rationabili recuſandi Judicem datum, c. cauſam 17. de offic. delegat. multò minùs ſolet Papa ſive Princeps Judicem, communi partium conſenſu, datum ad unius partis petitionem tantùm revocare. Ratio poſterioris partis eſt, quia qui malitioſè & fraudulenter litteras impetravit ad alios Judices delegatos, nullâ factâ mentione, priores ad utriuſque partis petitionem eſſe datos, ille iniuſtum damnum infert adverſario, ita, ut is propterea cogatur expenſas facere, accedendo ad judicium, vel procuratorem mittendo, ſi citatus ſit, ergo alter tenetur ad compenſationem huius damni, & tanquam temerarius litigator puniendus eſt, & condemnandus in expenſas litis, c. ult. h. t. l. eum quem. 79. ff. de judic. Tholoſan. in cit. c. cæterùm. num. 16. de reſcriptis.

LV. Cæterùm hodie non ſufficit, ut in ſecundo ſeu poſteriore reſcripto mentio fiat de priore, expreſſis etiam qualitatibus, quæ niſi expreſſæ fuiſſent, Principem difficiliorem reddidiſſent ad poſterius reſcriptum concedendum: ſed inſuper requiritur, ut expreſſè & nominatim derogetur Regulæ Cancellariæ XVI. de non tollendo jus alteri quomodolibet quæſitum, per quamcunque commiſſionem, ſeu conceſſionem, alioquin ſecundum reſcriptum eſt ipſo jure nullum, prout videre eſt apud Eraſm. Cochier in reg. 16. Cancellariæ, & apud Fagnan. in cit. c. cæterùm. n. 27. h. t. quæ regula locum habet, etiamſi Papa certam ſcientiam de præiudicio tertij ex narratis habuerit, vel gratiam aut reſcriptum conceſſerit, motu proprio, & ex certa ſcientia, vel etiam ex plenitudine poteſtatis, Rebuff. in praxi benef. in cit. reg. de non tollendo jus quæſitum in gl. 6. n. 1. quia proteſtatio, quæ fit in hac regula, tollit omnino conſenſum, ſeu voluntatem Papæ tollendi jus alteri quæſitum, vel etiam ſi per viam reſcripti aut legis, generaliter ſolùm Conſtitutionibus Apoſtolicis & regulis Cancellariæ fuerit derogatum, Cochier l. c. v. toller jus quæſitum, & Fagn. c. l. n. 19. & ſeqq. Excipitur, niſi derogatio juris alterius in ipſo reſcripto aut gratia tacitè contineatur, tum enim non opus eſt ſpeciali derogatione huius regulæ, quia non tollitur jus, ſed aperitur jus quod latebat, Rebuff. c. l. in gl. 5. §. limitatur, Cochier c. l. n. 17. Unde quando reſcriptum vel gratia conceſſa neceſſariò involvit præiudicium tertij, non obſtante prædictâ regulâ, præiudicatur juri alteri quæſito, uti eſt exemptio à decimis, vel à juriſdictione Epiſcopi, quia ſublato præiudicio, ceſſat omnino conceſſio aut gratia, Fagnan. in cit. c. 3. n. 28. & ſeqq. h. t.

LVI. Præterea quod dictum eſt in prima re- „
gula, poſterius reſcriptum, in quo non eſt facta „
mentio de priore, non ſubſiſtere, id verum eſt; dum- „
modo prior impetrans reſcripto ſuo fuerit uſus; „
nam ſi Titius v. g. reſcriptum ad lites à Sede Apo- „
ſtolica impetravit, eóque ob dolum & negligen- „
tiam non fuit uſus, coram Judice delegato: interim „
verò adverſarius eius Caius alio reſcripto impetra- „
to à Papa, in quo de priore reſcripto nulla mentio „
facta eſt, Titium in eadem cauſâ ad Judicium tra- „
hat, non poteſt prior impetrans Titius contra valo- „
rem poſterioris reſcripti excipere, eò quòd in illo „
prioris non fuerit facta mentio, ſi Titius illo ob „
dolum vel negligentiam non fuit uſus: ſi verò eo- „
dem reſcripto nō fuit uſus, ſinè culpa ſua, ſed quia „
non potuit habere copiam Judicis delegati, ideó- „
que convenire Caium coram illo intermiſit; tum „
competit eidem Titio exceptio contra poſterius „
reſcriptum Caij, nec vi illius poterit conveniri, non „
enim eſt alicui imputandum, quod per eum non „
ſtetit, ita habetur in c. ſi autem. 9. h. t. gl. fin. ibid. & „
Hoſtienſ. in fine. „

LVII. Verumtamen quia non rarò accidit, „
ut aliqui litteras à Sede Apoſtolica contra adverſa- „

rios

» rios ſuos impetrarent, ſed eas longo tempore non
» præſentarent: cùm autem poſtea adverſarij ipſo-
» rum alias litteras ſuper eadem cauſa ad alios Judi-
» ces impetrâſſent, quarum vi & auctoritate primi
» impetrantes citati fuerunt; tum demum ipſi prio-
» res ſuas litteras exhibuerunt, & contra poſteriores
» litteras exceperunt, eas validas non eſſe, eò quòd
» in eis nulla de prioribus litteris fieret mentio. Id-
» circo cùm malitijs hominum non ſit indulgen-
» dum, ſtatuit Innocentius, III. ut, ſiquis litteras à
» Papa impetraverit, & eis intrà annum ex malitia
» vel negligentia uſus non fuerit, poſtquam Judi-
» cum delegatorum copiam habuit, auctoritate po-
» ſteriorum litterarum; conveniri poſſit; licèt in eis
» nulla de prioribus litteris mentio facta ſit, prout
» habetur in c. plerumque 23. h. t. Hinc patet, quòd, ut poſterius reſcriptum; in quo nulla mentio facta eſt de priore, valeat, ita, ut auctoritate illius, prior impetrans in eadem cauſa coram alijs Judicibus delegatis conveniri poſſit, duo requiruntur; videlicet dolus vel negligentia, & lapſus anni, adeóque quòd prior impetrans reſcripto ſuo ex dolo, vel negligentiâ intra annum, poſteaquam Judicum delegatorum copiam habere potuit, uti intermiſerit, illúdque Judicibus non præſentáverit, Abb. in cit. c. plerumque n. 5. Porrò anno elapſo, intra quem prior impetrans reſcripto non eſt uſus, præſumitur in eo negligentia, ita ut, ſi allegat cauſam ſeu impedimentum, propter quod non potuit agere in judicio, coram Judice delegato, illud probare debeat, quia præſumptio ſtat contra ipſum, poſt annum elapſum: non autem præſumitur in eo dolus, ideóque is ab adverſario, qui illum allegat, probari debet per conjecturas, vel indicia exteriùs apparentia, l. quoties 18. §. qui dolo ff. de probation. Abb. in cit. c. ſi autem n. 4. Decius ibid. n. 2. & 3. cùm enim dolus conſiſtat intus in animo, per ſe non apparet, l. dolum 6. C. de dolo malo. Quòd ſi impetrans poſteriores litteras per dolum tacuit de prioribus litteris, tùm potiùs valebunt priores litteræ, quàm poſteriores, quia ſecundus impetrans fuit in dolo, primus ſolùm in culpa, non utendo per annum; dolus autem præponderat culpæ, Abb. in cit. c. plerumque n. 7. h. t.

LVIII. Hinc colligitur 1. Quòd reſcriptum juſtitiæ, ſeu ad lites ſubreptitiè obtentum, quia v. g. in eo non eſt facta mentio prioris reſcripti ad alios Judices impetrati, non ſit ipſo jure irritum, ſed per adverſarij exceptionem elidi debeat: ſi enim ipſo jure invalidum eſſet, non poſſet, propter dolum aut negligentiam adverſarij intra annum non utentis reſcripto priore impetrato, vires ac valórem poſtea acquirere, non enim firmatur tractu temporis, quod de jure non ſubſiſtit, Abb. in cit. c. ſi autem n. 2. & cit. c. plerumque n. 3. juxta reg. jur. 18. in 6.

Colligitur 2. licèt alioquin reſcripta juſtitiæ ſint perpetua, ſi tempus certum eis appoſitum non ſit, ita ut impetrans ſemper eis uti poſſit, quàm diu permanet jus agendi aut excipiendi, ſuper quo fundantur, l. 2. juncta gl. v. perennia, & gl. marg. C. de diverſis reſcriptis. Excipi tamen debet, niſi poſtea aliud contrarium reſcriptum, nullâ prioris factâ mentione, à Principe impetretur, tunc enim prius per exceptionem infirmari ac tolli poteſt, propter dolum aut negligentiam eo intra annum non utentis, cit. c. ſi autem & c. plerumque. Non obſtat, quòd, quæ temporalia ſunt ad agendum, perpetua ſunt ad excipiendum: ut docent communiter Legiſtæ in l. licèt 5. C. de exceptionib. ſeu præſcript. ergo licèt impetrans prius reſcriptum, eóque intra annum per dolum vel negligentiam non utens, ex eo non poſſit agere poſt annum; poterit tamen excipere contra poſterius reſcriptum ſubreptitiè impetratum, ſi ex eo conveniatur ab adverſario. Verùm illa regula ſolùm habet locum, ſi exceptio ſive jus excipiendi, non ex actione legibus conceſſa & certo tempore definita originem trahat; ſed ex æquitate ſive jure naturali defenſionis, quod per legem poſitivam tolli non poteſt, proveniat, adeóque radicem & fundamentum perpetuum & ſtabile habeat; tunc enim etſi jus agendi temporale ſit, & certo tempore definitum per legem, jus tamen excipiendi perpetuò durat, Joan. Andr. in cit. c. ſi autem. n. 7. & 8. Abb. ibid. n. 5. Decius n. 6. & 7. Ut ſi v. g. Titius per dolum ab aliquo in contractu emptionis vel alio circumventus ſit, poteſt contra eum intra biennium inſtituere actionem de dolo, non autem, eo elapſo, l. ult. C de dolo. Si tamen adverſarius contra Titium actionem inſtituat ac petat contractum impleri, ſemper poteſt Titius contra illum opponere exceptionem doli mali, quia naturalis æquitas non patitur, aliquem ex ſua iniquitate commodum referre, vel cum alterius injuria locupletari, Abb. cit. l. n. 3. & 5. Aliud eſt, ſi exceptio ſive jus excipiendi fundetur in actione lege ſive jure poſitivo conceſsâ, & certo tempore definitâ, adeóque radicem & fundamentum mutabile habeat; tunc enim actione ſublatâ, corruit etiam exceptio, ſive jus excipiendi. Ut in propoſito caſu, impetrans prius reſcriptum poteſt ex illo agere coram Judice delegato; non obſtante reſcripto poſteriore, in quo nulla prioris mentio vel revocatio eſt facta, & conſequenter etiam poteſt contra idem reſcriptum excipere, illúdque elidere; ſed quia jus poſitivum, in pœnam per dolum vel negligentiam eo reſcripto intra annum non utentis, denegat, poſt annum elapſum, ex eo actionem, conſequenter etiam tollit exceptionem, quæ fundata eſt in actione, DD. citt.

LIX. Alia limitatio regulæ ſuprà traditæ eſt, quòd poſterius reſcriptum valeat, etiam non factâ in eo mentione de priore, ſi hoc ſubreptitium ſit, vel per exceptionem elidi poſſit, prout ſumitur ex c. ex parte 12. h. t. ubi habetur, quòd Onuphrius Dia- »
conus litem movit Capellano Emptonenſis Capel- »
læ coram Ordinario, quæ ſuberat Eccleſiæ de Ta- »
rento, cujus Director erat Sebaſtianus, & à ſenten- »
tia Ordinarij appellàvit ad Sedem Apoſtolicam, ſed »
poſt appellationem à ſe factam, expulit Capella- »
num, quam etiam non eſt proſecutus. Verùm Se- »
baſtianus Eccleſiæ Matricis Rector cauſam ſui Ca- »
pellani eſt proſecutus, & à Sede Apoſtolica litteras »
ad Judices delegatos impetravit. Et cùm ab his in »
judiciū vocatus eſſet Onuphrius, objecit, ſe impe- »
trâſſe à Sede Apoſtolica priores litteras, de quibus »
nulla mentio in poſterioribus fiebat, quas tamen »
uſque ad tertiam citationem ſuppreſſit, & per do- »
lum vel negligentiam eis uſus non fuit; quæ negli- »
gentia & dolus inde etiam apparebat, quia in im- »
petratione litterarum nullam de appellatione »

» mentionem fecit, cùm tamen biennium à tempo-
» re appellationis jam fuiſſet elapſum. Quare Pa-
» pa Clemens III. mandat, ut, ſi ita eſſe conſtiterit,
» omnibus, quæ poſt appellationem ipſius Onnphrij
» attentata fuerant, in priſtinum ſtatum reſtitutis,
» prædicta Capella Eccleſiæ Matrici reſtituatur,&O-
» nuphtius ad expenſas neceſſarias Rectori Eccleſiæ
» Matricis ſolvendas condemnètur, ſi conſtiterit, i-
» pſum appellationem ſuam non eſſe proſecutum.

Ex quo colligitur inprimis; quòd, ſi Tirius appellans à ſententia Ordinarij ad Papam impetret litteras in cauſa, ſuper qua appellavit, nullâ in earum impetratione factâ mentione de appellatione, eámque non ſit proſecutus intra biennium à tempore appellationis, nec etiam iiſdem litteris per dolum vel negligentiam uſus ſit; interim verò adverſarius Tirij à Sede Apoſtolica litteras impetret ad Judices delegatos; hæ poſteriores litteræ validæ ſunt,etiamſi in illis nulla mentio fiat de litteris priùs à Titio impetratis, quia cùm in his non fuerit facta mentio de appellatione, cui renunciare non potuit, cùm res non eſſet ampliùs integra, litteræ illæ irritæ erant, & quia inſuper ijs non uſus fuerat per annum, imò per biennium ex dolo aut negligentia, per oppoſitam exceptionem potuit repelli. Quare omnia, quæ poſt appellationem attentata ſunt, in priſtinum ſtatum reſtitui, & Titius adverſario ad expenſas præſtandas condemnari debet, ſi conſtiterit, ipſum appellationem proſecutum non fuiſſe, juxta cit. c. ex parte, Abb. ibid. n. 10. & c. reprehenſibilis 26. & c. Nicolao 64. de appell.

Colligitur 2. Quòd ob 4. cauſas reprobata fuerint geſta ab Onuphrio in hoc c. 1. quia ſuppreſſit litteras Papales. 2. quia longo tempore ijs non eſt uſus, unde negligentia vel dolus præſumi potuit. 3. quia in litteris impetratis ſuper cauſa, in qua appellavit, de appellatione interpoſita mentionem non fecit. 4. quia appellationem ſuam, intra terminum à jure definitum, non eſt proſecutus, Hoſtiens. in cit. c. ex parte V. elapſum, de quibus plura ſuis locis.

§. III.

De quibus mentio fieri debeat in Reſcriptis beneficialibus?

Præmittendum, quòd reſcripta beneficialia ſive litteræ, quibus à Papa mandatur alicui conferri beneficium Eccleſiaſticum, aliæ dantur in forma pauperum, ſeu in forma communi, per quas providetur, ſive mandatur conferri beneficium Clericis pauperibus, qui ab Epiſcopo, ſinè beneficio aut patrimonio ſufficiente, contra Canones ſunt ordinati, juxta formam c. cùm ſecundùm 16. de præbend. quæ etiam vocantur reſcripta Juſtitiæ, quia æquum & juſtum eſt, ut pauperi Clerico, & ad Ordines promoto de beneficio provideatur, ne cogatur mendicare in opprobrium Cleri, licèt alioqui gratis & liberaliter conferantur: alia verò vocantur reſcripta gratiæ ſive litteræ gratioſæ, quæ pro alijs non pauperibus ſeu indigentibus Clericis à Sede Apoſtolica conceduntur, Abb. in c. poſtulâſti 27. notand. 3. h.t. Azor p. 2. l. 6. c. 32. q. 5. & alij communiter.

LX. Hoc poſito, ſit Aſſertio 1. Si in reſcripto juſtitiæ impetrato in forma communi Clericorum pauperum, non fiat mentio proprij patrimonij, ad quod impetrans eſt ordinatus, obreptitium & invalidum eſt reſcriptum, neque tenetur Epiſcopus, vel alius executor mandati providere ei, qui ſufficiens patrimonium habet; at verò reſcriptum gratiæ validum eſt, etiamſi in eo non fiat mentio de proprio patrimonio Clerici, cui providetur, Abb. in cit. c. n. 3. Rebuff. in praxi benefic. tit. de differentijs inter reſcripta gratiæ & juſtitiæ n. 31. & 32. Ratio diverſitatis eſt, quia per litteras beneficiales juſtitiæ providetur ſolùm Clericis pauperibus, ſed non poteſt dici pauper, qui ſufficiens patrimonium habet, adeóque tales litteræ ſubreptitiæ ſunt, quippe impetratæ, tacitâ veritate, quam ſi Papa cognoviſſet, probabiliter non ita ſcripſiſſet, nec beneficium impetranti conferri mandaſſet. Aliud eſt in reſcriptis ſive litteris gratiæ, quæ concedi ſolent Clericis non pauperibus, ſeu indigentibus, etiam illis, qui ſufficiens patrimonium habent, adeóque non eſt neceſſe, ut in illis fiat mentio de proprio patrimonio, quia non fundantur in juſtitia, ſed in gratia, & eo etiam expreſſo, nihilominus Papa litteras tales conceſſiſſet, Abb. & Rebuff. locis citt.

Porrò quod dictum eſt, in litteris juſtitiæ fieri debere mentionem de proprio patrimonio Clerici impetrantis, id procedit, ſive is fuerit ordinatus ad titulum ſui patrimonij, ſive non; nam cùm non indigeat, ceſſat utroque caſu cauſa concedendi illi litteras juſtitiæ in forma pauperum, cùm pauper non ſit, qui ſufficiens patrimonium habet, ſive ad titulum illius ſit ordinatus, ſive non. At verò non eſt neceſſe in litteris gratioſis facere mentionem de patrimonio impetrantis, etiamſi ad titulum illius ſit ordinatus, Imola in cit. c. poſtulâſti. n. 7. §. item adverte, quia ſi non habeat aliud beneficium Eccleſiaſticum, non tenetur ſuis ſtipendiis ſive ſumptibus militare, aut Eccleſiæ ſervire ex bonis patrimonialibus, Abb. ibid. n. 4. ergo etiamſi Papa ſciviſſet impetrantem ſufficiens patrimonium habere, tamen tales litteras ei dediſſet. Et ita quidquid ſit de rigore juris, obſervatur uſu, & ex ſtylo Curiæ Romanæ, ut non fiat mentio in litteris gratiæ de patrimonio, licèt impetrans ſit ad eius titulum ordinatus, qui ſuccedit in locum beneficij, Abb. l. c. Rebuff. c. l. n. 33.

LXI. Aſſertio 2. Non ſolùm reſcripta ſeu litteræ beneficiales juſtitiæ, quæ pro pauperibus Clericis è Curia Romana emanant, ſed etiam litteræ gratioſæ ſunt ſubreptitiæ & irritæ, ſi in ijs non fiat mentio Vicariæ perpetuæ, vel alterius beneficij Eccleſiaſtici, quòd impetrans obtinet, ut conſtat ex c. poſtulâſti. 27. h. t. nam Epiſcopus Veratiſamenſis quæ- »
ſivit ex Papa Innocentio III. an, ſi Vicarius aliquis »
perpetuus, qui ex proventibus Vicariæ boniſque »
paternis habet, unde commodè ſuſtentari poteſt, à »
Sede Apoſtolica litteras impetrârit ad Epiſcopum, »
qui ipſum ordinavit, in quibus jubetur beneficium »
ei conferre, iuxta formam communem Cap. ſecun- »
dùm Apoſtolum 16. de præbend. teneatur nihilo- »
minus Epiſcopus (vel alius, cui proviſio manda- »
tur) de beneficio Eccleſiaſtico illi providere. Re- »
ſpondet Papa, quòd per illam formam dicti Cap. »
Sedes Apoſtolica conſuevit pauperibus Clericis, »

qui

» qui nullum beneficiũ Eccleſiaſticum habent, pro» videre, & ideo perpetuus Vicarius ex huiuſmodi » litteris commodum reportare non debet, quippe » tacitâ veritate impetratis: non enim beneficio ca» rere dici poteſt, cui ex perpetuæ Vicariæ proventi» bus competenter eſt proviſum: ſed neque pro » habente ſufficiens beneficium Papa reſcribere ſo» let, ut aliud beneficium ei conferatur, niſi de primo » in ipſis litteris faciat mentionem. Ratio igitur prioris reſponſionis eſt, quia intentio Papæ eſt, per huiuſmodi litteras juſtitiæ ſuccurrere neceſſitatibus pauperum Clericorum, qui nullum Eccleſiaſticum beneficium habent, ideóque ſubreptitiæ ſunt, quippe impetratæ, tacitâ veritate, quæ fuit cauſa finalis conceſſionis eius, quâ expreſſâ, Papa probabiliter non ita, nec tali modo ſcripſiſſet, cit. c. poſtulâſti. Ratio poſterioris eſt, quia etiam litteras gratioſas non ſolet Papa dare, ut provideatur alicui de beneficio, qui jam aliquod ſufficiens habet, niſi de primo beneficio mentionem faciat, c. jam cit. in fine. Præterquam cùm etiam ſtylus Curiæ huiuſmodi expreſſionem requirat, ita ut non valeat reſcriptum ad beneficium conferendum impetratum, ſi in eo non fiat mentio, quòd impetrans jam aliud beneficium habeat, ut colligitur ex c. cùm adeo. 17. h. t. & c. ſi motu. 23. de præbend. in 6. Tametſi verò in cit. c. poſtulâſti de duobus quærebatur, ſcilicet de hæreditate paterna, & de Vicaria perpetua; Papa tamen ſolùm reſpondit de Vicaria, quia de hac principaliter quærebatur, hoc addito, quòd habeat etiam bona paterna, per quod innui videtur, quòd litteræ teneant, quamvìs in ijs non fiat mentio de hæreditate paterna, quia dum Papa hìc negat, eſſe validas litteras, in quibus non fit mentio de Vicaria perpetua, tacitè videtur affirmare, eſſe validas, in quibus non fit mentio de hæreditate paterna, quia de utraque fuit quæſitum, arg. c. nónne. 5. de præſumpt. gl. hìc. v. proventibus & Hoſtienſ. v. eodem: quod verum eſt in litteris beneficialibus gratiæ, non autem juſtitiæ, iuxta ſuprà dicta. n. 60.

LXII. Portò hoc eſt diſcrimen inter reſcripta gratiæ & juſtitiæ, quòd in impetratione reſcripti gratiæ non debet fieri mentio de obtenta penſione clericali, ſi alicui illa data ſit, non in titulum beneficij, ſed tantùm ut ſtipendium, ſicut laico, Joan. Andr. in cit. c. poſtulâſti. n. 4. At verò in reſcripto juſtitiæ, quod eſt in forma pauperum impetratum, neceſſe eſt, ut fiat mentio etiam de huiuſmodi penſione, aut aliis reditibus non Eccleſiaſticis, alioquin erit irritũ, vel ſaltem per exceptionem peremptoriam elidi poterit, ſi contra Ordinationem impetratum ſit, quia per huiuſmodi reditus tollitur cauſa conceſſionis talis reſcripti, videlicet paupertas. Quòd ſi tales litteræ non dirigantur ad Ordinatorem, tanquam contentioſæ ad exequendum jus debitum, & obligationem ab ipſo contractam, ſed ſimplex mandatum contineant de providendo alicui Clerico tanquam pauperi, tum veluti gratioſæ litteræ cenſeri debent, & conſequenter ſunt ſubreptitiæ, & ipſo jure irritæ, Felin. in cit. c. poſtulâſti. n. 5. & Laym. ibid. n. 2. & ſumitur ex l. 1. ff. de natalib. reſtituend.

LXIII. Quòd autem dictum eſt, litteras beneficiales ſive juſtitiæ, ſive gratiæ irritas eſſe, ſi in ijs non fiat mentio de beneficio obtento, id extenditur, ut, etiamſi beneficium priùs habitum modicum ſit ac tenue, neque ad vitæ ſuſtentationem ſufficiens, nihilominus de eo mentio fieri debeat, tam in petitione beneficij ſeu ſupplicatione, quàm in reſponſione, ſive ipſo reſcripto Pontificio ad illud obtinendum: alioquin nec collatio beneficij impetrati, neque gratia ſeu reſcriptum valet, ſed tanquam ſubreptitiè & fraudulenter obtentum eſt irritum, prout conſtat ex c. ſi proponente 42. h. t. ubi deciditur, ſi aliquis mo» dicum beneficium obtinens, ex quo competenter » ſuſtentari non poteſt, Papæ proponat, ſe nullum » beneficium habere, & reſcriptum ab eo impetret, » ut beneficium ei conferatur, in quo de priore etſi » modico beneficio nulla ſit mentio, tale reſcriptum » tanquam fraudulenter obtentum non valet.

Idque procedit, ſive ſecundum beneficium fuerit ſubreptitiè impetratum per ſuggeſtionem falſi, dicendo, ſe nullum adhuc beneficium habere: qui eſt caſus propoſitus in cit. c. ſi proponente: ſive fuerit impetratum per ſuppreſſionem, ſeu taciturnitatem veri, quia nimirum impetrans nullam mentionem fecit de beneficio ſuo priùs obtento, quamvìs modico, utroque enim caſu tale reſcriptum cenſeri debet ſubreptitium, gl. ibid. in principio & Imola n. 2. Azor p. 2. l. 6. c. 10. q. 3. in fine: & apertè colligitur ex c. ſi motu 23. de præbend. in 6. cùm enim id ibi ſtatutum ſit de gratia proviſionis Pontificiæ facta, ad inſtantiam ſeu petitionem alicujus; multò magìs idem dicendum de reſcripto impetrato ad beneficium, ſi vacaverit, conferendum, quippe cùm tale reſcriptum magìs odioſum, & ſtricti juris ſit: ſaltem ſecundùm jus novum & conſuetudinem ac ſtylum Curiæ, qui jus facit; Imola in cit. c. ſi proponente, n. 3. c. quàm gravi 6. de crimine falſi. Idque locum habet in omni beneficio, quod ſcilicet in titulum datur, ſive perpetuum, ſive temporalem: cùm jus non diſtinguat, an beneficium ſit perpetuum, an temporale, & ad nutum revocabile, Felin. in c. in noſtrâ 32. n. 18. h. t. Et quamvìs aliàs modicum in jure pro nihilo habeatur, & vix æſtimari ſoleat, ideóque modicum ſive exiguum beneficium videatur non eſſe cenſendum beneficium; nullum tamen beneficium Eccleſiaſticâ auctoritate erectum ſeu inſtitutum, ita modicum, ſive exiguum cenſeri debet, ut nulla illius ratio habenda ſit, quando impetratur aliud beneficium à Sede Apoſtolica, Laym. in cit. c. ſi proponente.

Nec refert, quòd, quamvìs Papa ſciviſſet, impetrantem jam habere beneficium, ſed modicum, & ad ſuſtentationem non ſufficiens, nihilominus alterum ipſi contuliſſet, vel conferri mandâſſet, ergo error aut ignorantia beneficij exigui, non eſt cauſa gratiæ aut reſcripti Apoſtolici de altero beneficio conferendo, adeóque non vitiat illud. Nam reſpondetur, negando conſequentiam, quando enim jus ſive ſtylus Curiæ requirit, ut exprimatur veritas aliqua, tanquam neceſſaria ad valorem gratiæ vel reſcripti, tunc illa cenſetur pertinere ad formam ſubſtãtialem reſcripti, ac proinde, etiamſi error vel ignorãtia illius veritatis non fuerit cauſa impetrationis, nõ valet tamen reſcriptum, quia ſinè forma non ſubſiſtit actus ſive res, l. Julianus 9. §. ſed ſi quis ff. ad exhibendum, & patebit ex infrà dicendis. Idque ſalubriter ſtatutum eſt ad multas fraudes, aliáque incommoda vitanda.

LXIV. Hinc ulterius infertur, quòd in impetratione ſecundi beneficij, etiam ex minoribus, non ſatis ſit mentionem facere de primo beneficio, ſed oportet etiam exprimiere qualitatem beneficij antè obtenti: v. g. ſi ſit dignitas vel perſonatus, alioquin tale reſcriptum obreptitium eſt & irritum, ut
» conſtat ex c. ad aures 8. h. t. nam cùm quidam De-
» cani, Archidiaconi, Præcentores, & alij Eccleſia-
» ſticis dignitatibus prædìti, ſuper minoribus bene-
» ficijs litteras à Sede Apoſtolica impetrarent, tacitâ
» dignitate ſeu perſonatu ſuo, & ſimplici nomine ſe
» appellantes, tanquam non habeant aliquem per-
» ſonatum; hoc intellecto, Papa Lucius III. reſcri-
» pſit Linconenſi Epiſcopo, non eſſe ſuæ intentio-
» nis, ut perſonæ pluribus reditibus abundantes per
» litteras ſuas, pauperes Clericos ſuper minoribus
» beneficijs inquietent, ac proinde nolle ſe, ut hu-
» juſmodi litteræ, in quibus impetrans nomen digni-
» tatis ſuæ ſuppreſſit, vim obtineant. Quare tales litteræ ſunt ſubreptitiè & invalidè impetratæ per taciturnitatem veritatis per ſe ad rem pertinentis, quâ expreſſâ, Papa probabiliter illas non conceſſiſſet, cùm non ſit ejus intentiò perſonis, quæ jam antè pluribus eccleſiaſticis reditibus abundant, maximè minora, quæ pauperibus Clericis obvenire deberent, conferri, ut habetur in cit. c. ad aures, ubi licèt ſermo ſit ſolùm de beneficijs minoribus, tamen ſubintelligi debet, *maximè*, ut notat Innoc. hîc in princ. quia univerſim loquendo, non valet reſcriptum impetratum ſuper beneficijs, ſive minoribus, ſive majoribus, in quo non ſit mentio de beneficiis, quæ impetrans obtinet, cit. c. ſi motu 23. de præbend. in 6. Abb. in cit. c. ad aures n. 2. & 4.

LXV. Similiter exprimi debet, ſi beneficium impetratum ſit curatum ſeu curam animarum annexam habeat, c. cùm in illis. 16. in princ. de præbend. in 6. Abb. in cit. c. ad aures. n. 3. h. t. vel perpetuam reſidentiam requirat, arg. c. ult. de Cleric. non reſident. Abb. cit. loc. vel ſi ſit juris Patronatûs, Menoch. de arbitrar. Judic. caſu 201. n. 71. vel electivum, idem cit. l. n. 84. vel unitum alteri beneficio, idem c. l. n. 91. vel ſi beneficium ſit Eccleſiæ Cathedralis, quod non venit nomine beneficij in reſcriptis ambitioſis, cap. quamvìs. 4. de præbend. in 6. Menoch. c. l. n. 73. Item valor ſive quantitas redituum beneficij exprimi debet, non quidem jure communi, quia beneficium principaliter conferri debet propter ſpirituale officium, temporalia verò veniunt ſolùm acceſſoriè ad ſpiritualia, ſed iuxta praxin & ſtylum Curiæ, quia expediens & neceſſarium videtur, ut diſpenſatio etiam temporalium non cuique committatur, ſed ſpectatâ qualitate perſonæ, Abb. in cit. c ad aures, n. 4. Quæ tamen tum demum procedunt, niſi certum vel veriſimile ſit, Papam nihilominus, etiamſi qualitas beneficij expreſſa fuiſſet, illud conceſſurum fuiſſe, tunc enim non poteſt ſubreptio propter taciturnitatem veri locum habere, cùm ad intentionem mandantis ſeu concedentis gratiam ſeu beneficium recurrendum ſit: ut colligitur ex cit. c. ibi: *cùm non ſit intentionis noſtræ*, juncta gl. in caſu: præterquam ſi expreſſio qualitatis, tanquam forma requiratur, ita ut ſinè ea reſcriptum ſit irritum, Felin. in cit. c. ad aures. num. 12.

LXVI. Deinde hactenus dicta locum habent in impetratione beneficiorum à Papa; ſi verò beneficium ab inferiore, Ordinario, v. g. Epiſcopo petatur, non ita neceſſarium eſt, qualitates beneficij petiti, aut ſupplicantis pro beneficio exprimere, ſicut ſi à Papa petatur: quia Ordinario cenſentur eſſe notæ tum qualitates beneficiorum ſuæ Diœceſis, tum conditiones petẽtium; niſi tamen taceatur aliquid, quod reddit collationem beneficij nullam, quia eius expreſſio requiritur tanquam forma; alioquin verò ſubreptioni per taciturnitatem veritatis non eſt locus, ſi ea concedenti veriſimiliter ſit cognita, Felin. in cit. c. in noſtra. 32. n. 25. corollar. 29.

LXVII. Aſſertio 3. Non tantùm de beneficio priùs obtento, ſed etiam de reſcripto ſeu mandato priùs impetrato à Sede Apoſtolica ad beneficium obtinendum, ab impetrãte fieri debet mentio, quamvìs eidem renunciâri, prout habetur in c. ad audientiam. 31. h. t. nam cùm quidam Clerici à Sede Apo- »
ſtolica litteras impetrâſſent ſuper proviſione bene- »
ficij in Eccleſiis ſubiectis Archiepiſcopo Bituricen- »
ſi eis facienda, ipſi renunciârunt illis litteris, eâ cõ- »
ditione ſeu pacto, ut penſio annua, vel aliud bene- »
ficium ipſis conferatur: poſtea verò à Papa alias ſi- »
miles litteras impetrârunt ſuper proviſione de be- »
neficio ipſis facienda, nullam mentionem de litte- »
ris priùs impetratis, & dicto modo venditis, facien- »
do. Re delatâ ad Honorium III. ipſe mandavit di- »
cto Archiepiſcopo, ut eos, qui poſt tales litteras ita »
venditas, ſive tali pacto renunciatas, alias hactenus »
impetrârunt, vel de cætero impetrabunt, nullâ fa- »
ctâ mentione de litteris priùs impetratis, decernat »
carere omni commodo earundem, ſcilicet poſte- »
riorum litterarum, nec permittat Eccleſias, occa- »
ſione earum, vexari, revocando in irritum, quid- »
quid earum prætextu factum fuerit. Ratio au- »
tem, cur poſteriores litteræ ipſo jure ſint irritæ, eſt, quia impetrans per priores litteras conſequi poterat beneficium, qui enim actionem habet, ſive jus petendi, rem ipſam quodammodò habere videtur, reg. jur. 15. ff. Imò reipsâ vi illarum conſecutus fuit annuam penſionem vel beneficium, quia juri ſuo ad beneficium obtinendum tali pacto renunciavit, ideo tenetur de primis litteris, & venditione ſeu renuntiatione illarum tali modo factâ, mentionem facere: alioquin his expreſſis, veriſimiliter Papa poſteriores litteras non conceſſiſſet, Abb. in cit. c. ad audientiam num. 4.

LXVIII. Quod ut meliùs intelligatur, notandum, tametſi quis beneficio obtento renunciare non poſſit, abſque licentia Superioris, c. admonet 4. de renunt. litteris tamen ad beneficium vacaturum obtinendum renunciare liberè poteſt, cùm collatio beneficij ei nondum ſit facta, adeóque non habet jus ad beneficium, niſi remotè, eíque necdum eſt obligatus, Abb. in cit. c. ad audientiam n. 3. Quin imò habens gratiam exſpectativam ad beneficium, v. g. curatum vel dignitatem, hoc ipſo ei tacitè renunciare cenſetur, ſi ante adeptionem ejuſdem, aliud beneficium ſimile ſive incompatibile cum priore expectato aſſequatur, illúdque pacificè poſſideat, prout ſtatutum habetur in Clement. gratiæ 4. h. t. ubi di- »
citur, ſi quis obtinuit à Papa gratiam expectativam, »
ut de dignitate vel beneficio curato ſibi providea- »
tur, is renunciare ei videtur, ſi ante adeptionem e- »

juſdem

» jusdem (dignitatis vel beneficij curati, quod ex- » pectat) aliud beneficium (ſcilicet curatum vel dignitatem vel perſnnatum, vel etiam aliud beneficium ſimplex, qund tamen ex ſpeciali jure vel ſtatuto cnntinuam reſidentiam requirit, gl. in cit. Cle- » ment. V. beneficium) pacificè aſſequatur (vel ſi » poſt collationem acceptatam, per illum ſtetit, quò » minùs pacifieè illud pnſſideret, gl. hîc V. pacificè) » quod ſimul de jure cum dignitate vel beneficio, » virtute prædictæ gratiæ ipſi debito, retinere onn poſſet; (nam ſi tale eſſet beneficium, quod cum beneficin expectato retineri poſſit, gratia expectativa nnn periret, ut colligitur à contrario ſenſu, gl. hîc. » V. non poſſet) licèt illud (quod iocerim adeptus » eſt) reſignaverit, aut paratus ſit reſignare. Nam quamvis habens gratiam expectativam ad beneficium vacaturum, ſecundum beneficium, quod poſtea obtinuit, reſignaverit, vel dimittere paratus ſit, non tamen recuperat jus expectativæ, qund antè habebat ad beneficium vacaturum, & per adeptionem ſecundi incompatibis perdidit, quia gratia ſive jus ſemel extinctum oon reviviſcit. Verùm nihil obſtat, quò minùs reſignans ſecundum beneficium, primum beneficium, cujus gratiam expectativam aoiſit, per nnvam gratiam aut Ordinarij collatinoem cnnſequi poſſit, cùm non ſit ſimpliciter inhabilis ad illud, ſed ſnlùm vi gratiæ expectativæ, ooo ſit ipſi ampliùs debitum, quippe quam per tacitam renuntiatiooem amiſit, nec per executores gratiæ ei conferri poteſt, gl. in cit. Clement. V. reſignaveris, & V. paratus, Abb. ibid. in fine. Ratio autem bujus Conſtitutionis eſt, tum quia in beneficijs, áliiſque juribus incompatibilibus acceptatin unius inducit tacitam renunciatinnem alterius, adeò, ut etiam, ſi quis proteſtetur, quòd ſecundum beneficium recipiendo, gratiæ expectativæ ad primum vacaturum renunciare nno intendat, nihil agat, cùm talis proteſtatio ſit facto contraria, gl. hic V. renuociare, & Abb. ibid. n. 2. Tum quia ſicut per acquiſitionem dignitatis vel beneficij curati ſecundi, ipſo jure vacat primum ſimile, c. de multa. 28. de præbend. ita etiam vacat gratia expectativa, quam quis habet ad tale beneficium nbtioendum; nam ſi perditur jus in re, quod eſt majus & potentius, multò magìs perditur jus ad rem, quod eſt minus & debilius, arg. c. pen. de præbeod. in 6. Vivianus in ratiooali Juris Pontif. in cit. Clement. 4. h. t. Simile eſt in præſentato ſeu nominato ad beneficium, qui liberè poteſt renuociare beneficio, ad quod eſt præſentatus, etiam in manibus ſolius patrnni, quia non niſi remotum ſive inchoatum jus acquiſivit, Pariſius l. 2. de reſignat. benefic. q. 23. n. 10. & 11.

LXIX. Præterea notandum, quòd renunciatio gratiæ expectativæ ad beneficium vacaturum, ſi non abſolutè, ſed cum conditinne ſeu pacto acquirendæ annuæ penſionis vel beneficij, facta ſit, illicita eſt, & ſimoniaca, niſi Papæ conſenſus accedat, Abb. in cit. c. ad audientiam n. 6. & Felin. ibid. n. 11. contra gl. ibid. v. renuotiantes, & colligitur ex cit. c. ibi: *taliter venditas*. Ratio eſt, tum quia nmnis pactio in ſpiritualib⁹ taoquam ſimoniaca jure eſt reprobata. c. ult. de pactis. Tum quia permutationes beneficiorum cùm ſint odioſæ, quippe conceſſiones quædam ac veluti diſpenſationes contra jus commune Canonicum, quo omne pactum in ſpiritualibus probibetur, iden nnn ſunt extendendæ, Suar. tom. 1. de religioo. l. 4. de ſimonia c. 33. o. 8. Neque obſtat, quòd beneficium cum beneficio in manibus Ordinarij, & cum ejus conſeoſu permutari poteſt, c. unic. de rerum permutat. in 6. ergo etiam litteræ impetratæ ad beneficium obtinendum, ſive gratia exſpectativa permutari poſſe videtur. Neganda enim eſt conſequentia, quia Clerici beneficia ſua in manibus Ordinarij reſignare, ac ita etiam permutare poſſunt, cit. c. un. beneficium autem ſperatum ſeu expectatum, quod nondum vacat, non poteſt permutari pro annua penſione, vel alio beneficio, cùm expectans, propriè loquendo, nondum jus in illo vel ad illud babeat, ſed ſnlùm remotè & incboativè, adeóque ſuum dici non poſſit, Joann. Andr. ibidem num. 2.

Ex quo infertur, quòd litteræ expectativæ poſterlores ad beneficium vacaturum, ſi in eis nulla mentio facta ſit de litteris expectarivis priùs impetratis, quibus impetrans non abſnlutè & purè, ſed pro annua penſione aut beneficio Eccleſiaſtico renũtiavit, irritæ ſint & ſubreptitiæ, quia non eſt facta mentio cooditionatæ ſeu nnerosæ renuntiationis, Abb. in cit. c. ad audieotiam n. 4. & Felin. ibidem n. 1. & colligitur ex eodem cap. à ſenſu contrario, & conſequenter etiam irrita ſuot, quæcunque occaſione illarum poſteriorum litterarum, vel propter illas acta ſunt, cit. c. ad audientiam in fine, quia corruente principali, corruit etiam acceſſnrium. Aliud eſt, ſi impetrans gratiam expectativam purè & abſnlutè renontiavit, tunc enim, cùm liberè id facere poſſit, nnn eſt neceſſe, ut in poſterioribus exſpectativis mentio fiat de priùs impetratis, Felin. cit. loc. Neque etiam ſimoniaca eſt renuntiatio, tametſi poſtea ei aſſignetur annua penſio, dummodo oullum pactum intervenerit. Abb. in cit. c. n. 6.

LXX. Aſſertio 4. ſi quis, vigore reſcripti Apoſtolici, receprus eſt in Canonicum alicujus Eccleſiæ, ita tamen ut noodum præbendam ſit ennſecutus in eadem, ſed poſtea alias litteras à Papa impetrat ad beneficium alterius Eccleſiæ, boc caſu, in ſecundis litteris expreſſa mentio fieri debet, illum in una Eccleſia jam eſſe in Canooicum receptum, habet enim jus ad beneficium ſeu præbendam ſibi acquiſitum, ſaltem radicaliter, quia receptn in Canonicum proximè debetur præbenda, c. relatum. 9. de præbend. Idque ſumitur ex c. in noſtra 32. b. t. nam propoſitum fuit Papæ Gregorio IX. quòd quidam Clerici à Se- » de Apoſtnlica plures litteras impetrant, ut in plu- » ribus Eccleſijs admittantur, nullam facientes in » poſterinribus litteris de alijs priùs impetratis » mentionem, & ſic vi unius Apoſtnlici reſcripti, ſeu » maodati de providendo in una Eccleſia recepti, » (quia licèt beneficium Eccleſiaſticum, ſive litteras beneficiales, in quibus collatio beneficij ſeu præbendæ ſit, nnndum ſint aſſecuti, jus tamen Canoniæ, cum ſpe præbendæ proximè conferendæ, ſunt adepti, gl. bîc. V. beneficium ſunt aſſecuti, & Hoſtiens. V. eodem) in alijs Eccleſijs, vi aliarum litterarum, re- » cipi poſtulant. Quare mandat Pontifex Archie- » piſcopo Mediolanenſi, ut faciat hos Clericns in u- » na Eccleſia receptos illâ eſſe contentns, nec per- » mittat eos, vigore aliarum litterarum Apnſtolica- »

 rum,

» rum, beneficium alterius Eccleſiæ poſtulare, niſi » in poſterioribus litteris expreſſa mentio fiat, eos » in una Eccleſia eſſe receptos. Neque enim ſufficit generalis, ſed requiritur ſpecialis, v.g. non obſtante quòd per litteras noſtras ſit receptus in tali Eccleſia, vel quòd babeat tale beneficium curatum, Abb. hîc. n. 4.

Ex quo colligitur, quòd in impetratione reſcripti Papalis ad beneficium, debeat fieri mentio non ſolùm de jure, quod quis habet in re, ſive de beneficio priùs habito & poſſeſſo, c. cùm adeò. 17. h. t. ſed etiam de jure, quod quis babet ad rem, ſive ad beneficium ſeu præbendam conſequendam: nam per receptionem in Canonicum ſub expectatione præbendæ, non conſequitur receptus jus in præbenda, ſed ſolùm ad præbendam, & tamen de eo jure expreſſam mentionem facere debet in impetratione alterius reſcripti ad beneficium, Abb. in cit. c. in noſtra. n. 2. Simili ratione etiam is, qui injuſtè ſpoliatus eſt beoeficio jam obtento & poſſeſſo, debet de eo facere mentionem in impetratione alterius beneficij, quia per ſpoliationem non perdit titulum beneficij, ſed ſolùm poſſeſſionem, adeóque licèt de facto nullos reditus percipiat, jus tamen ac titulum eos percipiendi retinet; Abb. in cit. c. n. 10. & qui actionem habet, ſive jus ad rem petendam, vel ablatam repetendi ſeu recuperandi, ipſam rem habere videtur, ſive realem, ſive perſonalem actionem tantùm habeat, reg. jur. 15. in ff. junctâ gl.

» LXXI. Aſſertio 5. Si beneficium alicui ab» ſenti & ignoranti collatum ſit ab ordinario colla» tore, v.g. Epiſcopo, iſque impetret aliud beneficium » à Papa, (vel etiam ab alio) nullâ factâ mentione » beneficij priùs ſibi collati, valida eſt impetratio, & » collatio alterius beneficij, ita tamen, ut utrumque » ſimul retiocre noo poſſit, ſi beneficia ſint ſecun» dùm Canones incompatibilia, ſed in optione im» petrantis eſt, retinere, quod voluerit, c. gratia. 7. h. t. » in 6. & ibi gl. v. à Sede Apoſtolica. Imò ſi prius beneficium ſibi ab Epiſcopo collatum nondum acceptavit, tum poteſt, ante acceptationem eiuſdem, aliud beneficium impetrare à Papa, non factâ mentione prioris; etſi ſciat, ab Epiſcopo ſibi collatum fuiſſe, gl. ibid. v. ignoranti: cùm enim ante acceptationem vel ratihabitionem collationis factæ, non habeat jus in re, & quaſi dominium prioris beneficij, imò neque jus ad rem, abſolutè loquendo, niſi quod jus in eo acquirere poſsit, ita ut beneficium abſenti collatum, ante eius declaratum diſſenſum, interim non poſsit alteri conferri, c. ſi tibi abſenti. 17. de præbend. in 6. ideo non eſt neceſſe, de illo fieri mentionem in impetratione alterius beneficij, nec ob illam taciturnitatem gratia ſubreptitia cenſeri poteſt, Sanch. l. 8. de matrimon. diſp. 2. n. 60. Idque confirmatur, nam tale reſcriptum beneficiale non eſt obreptitium, eò quòd ſecundùm ſtylum Curiæ, mentio fieri debeat prioris beneficij, iuxta c. penult. h. t. & c. ſi motu. 23. de præbend. in 6. quia hoc ſolùm requiritur, quando beoeficium eſt obtentum; in caſu autem propoſito prius beneficium non eſt obtentum, quia nondum acceptatum, cit. c. ſi tibi.

Neque etiam tale reſcriptum eſt obreptitium, ob taciturnitatem factæ collationis, etſi noodum acceptatæ; quia ſi Papa veritatem cognoviſſet, nempe collationem eſſe factam, etſi nondum acceptatam, veriſimiliter alterum beneficium ooo coocesſiſſet, adeóque hæc taciturnitas eſt cauſa impetrati reſcripti ſeu gratiæ Papalis, illámque reddit obreptitiam. Nam contra eſt, quòd reſcriptum ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, ſinè dolo obtentum, ob tacitam veritatem, ooo redditur ſubreptitium, ſi Papa, etiam veritate illa expresſâ, oihilominus concesſiſſet, quamvis alio modo, aut ſub quadam conditione; tum enim reſcriptũ ſive gratia executioni mandari poterit, ſaltem cum eo modo aut conditione, prout accidit in caſu propoſito. Vel enim impetrans poteſt duo illa beneficia ſimul de jure, & ſecundùm Canones obtinere, quia ſunt compatibilia; & tunc non poteſt dici taciturnitatem prioris beoeficij collati, ſed ooo acceptati, eſſe cauſam reſcripti ſeu gratiæ à Papa conceſſæ, quia is, etiam veritate expresſâ, abſolutè & eodem modo conceſſiſſet: vel utrumque beoeficium impetraos ſimul de jure obtinere, & retinere oon poteſt, ſive quia incompatibilia ſunt, juxta c. referente. 7. & c. de multa. 28. de præbend. ſive quia unum eſt ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiens: & tunc Papa illi, qui beneficium priùs ſibi collatum non acceptavit, aliud quoque conferret, ſed ſub modo & conditione, nempe ut utrumque ſimul non retineat, ſed vel poſterius à Papa impetratum relinquat, vel, ſi hoc retinere velit, prius non acceptet, vel acceptatum relinquat, prout maluerit, Laym. in cit. c. gratia. h. t. in 6.

LXXII. Aſſertio 6. Reſcriptum gratiæ ſeu beneficiale à Papa impetratum, contra Eccleſiæ alicuius coosuetudinem vel ſtatutum, non valet, niſi eius mentio fiat; ſaltem per clauſulam derogatoriam generalem. *non obſtantibus ſtatutis vel conſuetudinibus contrariis:* Sumitur ex c. conſtitutus. 19. h. t. & c. cùm aliquibus. 4. eodem in 6. & tradit ibid. Francus n. 1. Ratio eſt, quia mens ſive inteotio Pontificis non eſt, laudabili locorum ſtatuto aut conſuetudini præiudicium adferre, niſi id exprimat, c. 1. de conſtitut. in 6. multóque magis tale reſcriptum non valet, ſi deroget Eccleſiæ alicuius ſtatuto jurato, vel aliàs ſpeciali ratione coofirmato, nullâ eius factâ mentione, ſed eſt ipſo jure irritum, prout conſtat ex cit. c. conſtitutus. 19. h. t. Nam quidam Clericus nomine Pau» lus impetravit litteras à Cæleſtioo III. ad Deca» num & Capitulum Eccleſiæ Bituricenſis, in quibus » mandatum fuit, ut ipſum Paulum in Canonicum » reciperent, eique præbendam, ſiqua tunc vacaret, » vel proximè vacaturam conferrent; cùm autem » Capitolum mandatum implere negligeret, ipſe Pa» pa executores ſuper hoc conſtituit. Mortuo verò » Cæleſtino, coram eius ſucceſſore Innocentio III. » controverſia hæc iterum propoſita fuit, & Capitu» lum pro ſui defenſione allegavit, quòd cùm in Ec» cleſia Bituricenſi certus ſit Canooicorum numerus » conſtitutus, iſque juramento confirmatus, & à Se» de Apoſtolica approbatus, de hoc autem in litteris » impetratis à Paulo nulla facta ſit mentio, inde patet » illas, tacitâ veritate, adeóque ſubreptitiè eſſe impe» tratas. His intellectis, Innocentius III. mandavit » Archiepiſcopo Senooenſi, ut, ſi legitimè conſtite» rit, numerum illum Canonicorum in Eccleſia Bi» turicenſi ſtatutum, & juramẽto confirmatum fuiſ» ſe, priuſquam dictus Paulus litteras executorias à » Sede Apoſtolica impetrâſſet, quicquid occaſione & »

» vigore earum litterarum factum fuerat, irritum eſ- » ſe, declaret: alioquin verò, ſi numerus ille, tempo- » re datæ reſcripti, necdum conſtitutus fuit, vel jura- » mento confirmatus, impetrans, vi illius reſcripti, in » Canonicum recipi debet, aſſignatâ ei præbendâ, ſi » vacaverit, & ſublato omni appellationis remedio. Ratio eſt, quia quamvis in tali ſtatuto, v. g. de certo Canonicorum numero recipiendo per juramentum confirmato, tacitè cenſeatur excepta auctoritas Superioris, videlicet Papæ, ſive ſalvo jure Superioris; non tamen præſumitur Papam velle derogare tali ſtatuto jurato, propter additum juramentum, quo DEO eſt obligatio acquiſita, niſi id exprimat, vel ſaltem clauſulam derogatoriam addat; *non obſtante ſtatuto etiam juramento confirmato.* gl. in cit. c. v. juramento. Abb. ibid. n. 7. & 8. Francus in cit. c. cùm aliquibus n. 1.

LXXIII. Notandum hìc 1. reſcriptum impetratum in caſu hujus Cap. non ſolùm irritum fuit, quia in eo non eſt facta mentio de ſtatuto certo numero Canonicorum, ſed etiam quia tacebatur illud ſtatutum fuiſſe juratum, Felin. hìc n. 1. in fine. adeóque etiamſi fiat mentio ſtatuti, ſi tamen non addatur, quòd juramento firmatum ſit, irritum & obreptitium eſt reſcriptum, quia ſtatuta jurata non tolluntur per generalem derogationem ſtatutorum, ſicut diſpoſitio tollens pacta non tollit pacta confirmata, Felin. hìc n. 3. ubi rationem dat, quia non eſt veriſimile, quòd Superior v. g. Papa tollens ſtatuta, velit etiam tollere ſtatuta jurata, niſi id exprimat, addendo clauſulam derogatoriam, *non obſtante ſtatuto, etiam jurato*, ſiquidem duplex vinculum, ſcilicet ſtatuti & juramenti, firmius eſt, quàm ſimplex, nempe ſtatuti tantùm, ideóque non ita facilè ſolet derogari ſtatuto jurato, ac ſimplici. Nec obſtat, quòd juramentum ſit acceſſorium ad ſtatutum, cui eſt adjectum, ſublato autem principali, tollitur acceſſorium, ergo etiam ſublato ſtatuto, cenſetur ſublatum juramentum: Nam id verum eſt, quando ſcienter tollitur ſtatutum juratum, ut ſi Canonici collegialiter abrogent ſtatutum juratum, non incurrunt perjurium, quia juramentum tollitur, abrogato ſtatuto, ut notatur in c. dilecto 25. de præbend. Aliud eſt ſi tollens ſtatutum ignoret, juramentum ei eſſe adjectum, tunc enim non cenſetur velle tollere juramentum, per quod obligatio eſt Deo acquiſita, Abb. in cit. c. conſtitutus n. 7. h. t.

LXXIV. Notandum 2. reſcriptum gratiæ ob tacitam veritatem irritum redditur, etiamſi eam impetrans probabiliter ignorârit; idque non tam ob dolum aut culpam impetrantis, quàm ob defectum voluntatis in concedente, quia Princeps probabiliter gratiam non conceſſiſſet, ſi rem plenè cognitam habuiſſet, Abb. hìc n. 1. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 21. n. 56. ideóque in hoc c. tantùm dicitur, attendendum eſſe, utrùm numerus Canonicorum juramento ſtatutus fuerit, priuſquam P. Clericus litteras executorias impetravit, quod ſtatutum probabiliter ignorari poterat.

LXXV. Notandum 3. qui aſſerit reſcriptum ſubreptitiè impetratum eſſe, ob tacitam veritatem, idipſum probare tenetur, ut in cit. c. conſtitutus. h. t. Capitulum probare debebat, tempore illo, quo litteræ executoriæ à Sede Apoſtolica impetratæ fuerunt, numerum Canonicorum in Eccleſia ſua juramento decretum fuiſſe, quia qui fundat intentionem ſuam in certo tempore, debet id probare, Abb. hìc. n. 2. Imola n. 3. Decius n. 2. at verò qui ait, reſcriptum impetratum fuiſſe per narrationem falſi, id probare non tenetur, ſed impetrans probare debet, vera eſſe, quæ propoſuit ſeu narravit, & conſequenter reſcriptum non eſſe impetratum per narrationem falſi, idque ſumitur ex l. 2. ff. de probationibus. *Ei incumbit probatio, qui dicit ſeu affirmat aliquid actum, non qui negat.* Abb. c. l. n. 4. & Decius n. 3.

Excipi debet, niſi impetrans reſcriptum fundatam habeat intentionem ſuam ſuper narratis, tum enim non ipſe eam probare, ſed adverſarius contrarium oſtendere debet; v. g. ſi parochus, qui in quieta poſſeſſione eſt parochiæ, impetret reſcriptum pro percipiendis decimis in fundis intra parochiam exiſtentibus, arg. c. 2. de reſtit. ſpoliat. in 6. & ex Rabuff. notat hìc Laym. n. 5.

LXXVI. Notandum 4. an reſcriptum ſubreptitium ſit ob taciturnitatem veritatis, id cognoſcendum eſt ex tempore impetrationis ſeu datæ litterarum, ideóque illud inſpiciendum eſt, prout ſumitur ex cit. c. conſtitutus, juncta gl. V. impetrâſſet, non enim ſufficit, narrata fuiſſe vera antè vel poſtea, ſi non ſint vera tempore impetrationis, Abb. in c. quia circa 6. n. 4. de conſang. & affinit. & in c. dilectus 27. n. 9. de præbend. Similiter ut reſcriptum, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ aut diſpenſationis, non ſit ſubreptitium, propter expreſſionem falſitatis, debent narrata in eo vera fuiſſe, tempore impetrationis ſeu datæ litterarum, prout habetur in cit. c. quia circa, ubi diſpenſatio obtenta à Papa in Matrimonio contracto inter conſanguineos, decernitur ſubreptitia & invalida; quia falſa cauſa allegata fuit, nempe quòd proles nata ſit; quæ tamen tempore impetrationis jam erat mortua, Abb. ibid. n. 4. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 30. n. 4.

LXXVII. Notandum 5. ſi reſcriptum gratiæ ſive beneficiale, ob ſubreptionem vitietur, quoad partem principalem, etiam quoad partem acceſſoriam illud irritum cenſeri debet, Abb. in cit. c. conſtitutus n. 5. h. t. Decius ibid. n. 3. Sanch. cit. l. 8. diſ. 21. n. 6. ſic in caſu hujus Cap. principale intentum Papæ fuit, ut Clericus Paulus in Canonicum reciperetur, ſed quia Canonico præbenda debetur, adjecit, ut, ſi aliqua vacaret, vel proximè vacatura eſſet, illa eidem conferretur. Cùm igitur reſcriptum hoc, quoad partem principalem, fuerit obreptitium, quia ſi Papæ relatum fuiſſet, certum numerum Canonicorum in Eccleſia illa juramento ſtatutum eſſe, veriſimiliter non mandâſſet, Paulum in Canonicum recipi, ultra numerum definitum, ideo etiam pars acceſſoria de præbenda ſeu redditibus eidem aſſignandis, & quicquid occaſione hujus reſcripti actum fuit, ſubſiſtere non potuit.

LXXVIII. Cæterùm ſi in aliqua Eccleſia » talis conſuetudo vel ſtatutum ſit juramento, vel Se- » dis Apoſtolicæ confirmatione, aut aliâ ratione ſpe- » ciali, roboratum, ut ultra certum ac definitum nu- » merum, Canonici non recipiantur: Papa autem » facultatem concedat aliquem recipiendi, ultra il- » lum numerum, non obſtante conſuetudine, vel » ſtatuto contrario, etiam jurato, hoc caſu ſi rece- »

pto

» prlo & inſtirutio Canonicorum non ſpectet ad eos, » ad quos hujuſmodi litteræ diriguntur, impetrans » Apoſtolicâ auctoritare eſſe receptus cenſeri debet, » ita habetur in c. cùm aliquibus 4. h. t. in 6. adeóque ſic receprus in Canonicum, cum exſpectatione præbendæ; in ejus aſſecutione alteri etiam priùs receptro ab ordinario collatore, vel etiam auctoritate Legari Apoſtolici; præferri debet, c. hi qui 12. de præbend. in 6. gl. in cit. c. cùm aliquibus in caſu. Si » verò Canonicorum receptiò ſeu inſtirurio perti» neat ad ipſos Capirulares, v. g. ad quós litteræ de» ſtinantur, tunc non auctoritate Apóſtolicâ, ſed » eorundem Capitularlum poteſtate receptus cenſeri » debet; niſi in litteris expreſſum fuerit, ut aucto» ritate Apóſtolicâ recipiatur, cit. c. cùm aliquibus » in fine. Ratió eſt, quiâ ſi Papa, vel aliùs Princeps aut Superior; mandet aliquid ei; qui aliàs ordinariam poreſtatem haber id faciendi, non videtur illum facere delegatum, ut mandatum exequatur ſuo nomine & auctoritate; ſed excirare ejus poreſtarem ordinariam vel ſi ea impedita ſit, ob contrarium ſtatutum, conſuetudinem, vel privilegium, cenſendum eſt, quòd velit diſpenſare, & impedimentum illud tollere, c. licèt 12. de Offic. ord. gl. marg. in cit. c. cùm aliquibus & ibidem Joann. Monachus num. 4. & Francus n. 3.

Hinc colligitur etiam; quòd gratia ſeu reſcriptum benficiale impetratum à Papa contra Eccleſiæ alicujus privilegia, conſuetudines vel ſtatuta irritum ſit, niſi mentio eorum fiat, ſaltem per generalem clauſulam derogatoriam, *non obſtantibus, &c.* prout ſumitur ex cit. c. & docet ibidem Joann. Andr. Francus num. 1. ſicuti etiam de juramento mentio fieri debet, ſi ſtatutum ſit juratum, ut patet ex ſuprà dictis.

LXXIX. Aſſertio 7. in impetratione beneficij exprimi quoque debet, non ſolùm quòd impetrans aliud, & quidem ſufficiens, beneficium habeat, ut jam ſuprà dictum, ſed etiam, quòd ſit Clericus, quia Laicus Eccleſiaſtici beneficij non eſt capax, c. 2. de inſtitut. cùm hoc ſit jus quoddam ſpirituale, quod in Laicum non cadit. Idque conſtat ex c. cùm » adeò 17. h. t. ubi cùm Petrus Clericus jam in una » Eccleſia ſufficientem præbendam eſſet conſecutus, » impetrâvit litteras à Papa, quibus eidem Canoni» catum in alia Eccleſia conferri mandabat. Hoc » intellecto, Innocent. III. reſcripſit, ex litterarum » tenore apparere potuiſſe, eas ſubreptitiè impetra» tas fuiſſe, cùm nec de præbenda Petri, nec quòd » Canonicus, imò nec quòd Clericus eſſet, ulla in eis » facta fuerit mentio. Inſuper in litteris Papalibus » adjecta erat hæc conditio, ſi ad Eccleſiaſticum be» neficium obtinendum dignus exiſteret, quæ tamen » conditio, ſine omni expreſſione, ſemper ſubintelligitur, gl. fin. hîc. Quin imò expreſſio etiam Clericatûs ſolùm requiri videtur ſecundùm ſtylum & conſuetudinem Curiæ Romanæ; nam ſpectato Jure communi, non eſt neceſſarium, ut exprimatur Clericatus, quia tacitè ſubintelligitur clauſula, *ſi eſt idoneus*, adeóque etiam Clericus, qui beneficium petit, Abb. in cit. c. cùm adeò. n. 2. Inſuper debet etiam in impetratione beneficij, v. g. Canonicatûs, mentio fieri, non ſolum de præbenda, ſed etiam de Canonicatu; aliud enim eſt Jus Canoniæ ſpiritualis, & aliud jus præbendæ, ſeu fructuum temporalium percipiendorum, poteſt enim aliquis eſſe Canonicus, & nullos adhuc reditus ſeu fructus beneficij percipere, adeóque poteſt eſſe Canonicatus, vel aliud beneficium, ſinè præbenda; quamvis talis propriè beneficium habere non cenſendus ſit. Sed & vice verſâ, fieri ſolet, ut aliquis, non tantùm Clericus, ſed etiam Laicus, v. g. Cantor, aut Ædituus templi, præbendam habeat ex reditibus Eccleſiaſticis; nullam tamen Canoniam ſeu Jus ſpiritualis officij. gl. in c. cùm M. Ferrarienſis 9. v. receperunt, de conſtitut. ideóque neceſſe eſt, ut de utroque in impetratione reſcripti beneficialis mentio fiat, Abb. in cit. c. cùm adeò, n. 1. Quòd ſi Papa mandet alicui conferri Canonicatum in Eccleſia aliqua, non eſt neceſſe, de præbenda mentionem fieri, quia præbenda debetur Canonico, adeóque eſt quid conſequens ad Canonicatum, eique annexum, c. ſi Clericus. 11. & c. ſi poſtquam 13. de præbend. in 6. qui autem vult antecedens, vult etiam conſequens, & qui mandat principale, cenſetur etiam mandare acceſſorium, Abb. in c. mandatum 38. n. 2. h. t. & in c. dilectus 27. n. 6. de præbend. Plura adhuc exprimenda ſunt in litteris Beneficialibus, de quibus tamen non hîc, ſed in tit. de præbend. lib. 3. agitur.

§. IV.

De aliis quibuſdam, quæ exprimenda ſunt in impetratione reſcripti, vel non.

LXXX. Aſſertio 1. ſi Ordo aliquis Religioſus privilegium habeat à Sede Apoſtolica conceſ» ſum, ut per reſcriptum conveniri non poſſit ſuper » decimis, vel alijs rebus; in quibus Ordo ille ſpe» cialiter eſt privilegiatus, niſi expreſſum ſit, cujus » Ordinis ſit Monaſterium ſeu Collegium, tunc re» ſcriptum à Papa contra illum Ordinem impetra» tum, cùm in illo ejuſdem mentio non fiat, ſubre» ptitium eſt & irritum; nec tenentur Regulares ad » illud reſpondere. ita habetur in c. cùm Ordinem 6. h. t. ubi dicitur, tale privilegium conceſſum eſſe Profeſſis Ordinis Ciſtercienſis. Ratio eſt, quia, quando privilegium à Principe conceſſum generaliter præſcribit formam reſcriptis impetrandis, non valet reſcriptum, non ſervatâ formâ præſcriptâ in privilegio; nam aliàs illud privilegium inutile foret, Abb. ibid. n. 2.

Exempli causâ, Rector alicujus Eccleſiæ impetravit reſcriptum à Sede Apoſtolica, ut Monaſterium S. Stephani intra ſuam parochiam ſitum, licèt alioquin à decimis præſtandis exemptum ſit, unâ tamen vice, eas ſolvere cogatur, tum ſubreptitium reſcriptū cenſeri debet, ſi in eo non ſit poſitum, Monaſterium illud eſſe v. g. Ordinis Ciſtercienſis. Sin autem alterius Ordinis ſic ſpecialiter non privilegiati Monaſterium ſit, ſatis eſt, illud in reſcripto nominatum eſſe, licèt cujus Ordinis ſit, expreſſum non fuerit, Abb. in cit. c. cùm Ordinem n. 1.

Si verò ulteriùs quæratur, an debeat etiam fieri mentio privilegij, v. g. exemptionis à decimis ei competentis, contra quem reſcriptum eſt impetratum;

tum

tum diſtinguendum eſt, vel enim eſt reſcriptum gratiæ, & non valet, ſi præiudicet ei, contra quem eſt impetratum, non factâ mentione de gratia vel privilegio exemptionis, c. inter. 20. de ſentent. & re judic. & ſi Papa ſciviſſet, non dediſſet tale reſcriptum. Vel eſt reſcriptum juſtitiæ, ſeu ad lites ad juris obſervantiam conceſſum; & tunc non eſt opus fieri mentionem illius exemptionis, quia nullum fit præiudicium privilegiato, cùm poſſit ſemper in progreſſu litis opponere exceptionem ſui privilegij ſive communitatis, ſicut & alias exceptiones peremptorias, c. 1. de litis conteſtatione in 6. Abb. in cit. c. cùm ordinem. n. 3.

LXXXI. Portò ſi aliquis reſcriptum Papale accepit, in quo ipſi mandatur, ut, tanquam delegatus Papæ, viſitare & in judicium vocare poſſit Regulares, cuiuſcunque Ordinis ſeu Religionis ſint, adiectâ clauſulâ: *non obſtantibus privilegiis quibuſcunque, ſub quacunque verborum forma conceſſis*; per huiuſmodi clauſulam generalem derogatur privilegiis Regularium uon inſertis Corpori Juris, ita ut vi talis reſcripti, viſitari & conveniri poſſint, etiamſi ſpeciale privilegium acceperint, ut per reſcripta Apoſtolica conveniri non poſſint, niſi ſpecialis & expreſſa mentio fiat vel Ordinis, vel privilegij conceſſi. Ratio eſt, tum quia cùm Papa ſeu Princeps non poſſit in ſpecie ſcire, vel recordari omnia & ſingula privilegia, quæ in facto conſiſtunt, & non ſunt in Corpore Juris poſita; non poteſt etiam illa in ſpecie exprimere; tum quia non debet, nec poteſt Princeps privari poteſtate revocandi privilegium conceſſum, ſi velit; velle autem tum revocare, ſatis patet ex adiecta clauſula generali revocatoria, Abb. in c. cùm inſtantia. 17. n. 5. de cenſib. Felin. in c. nonnulli. 28. n. 6. h. t. Suar. l. 8. de legib. c. 38. n. 2. Attamen ſi privilegium huiuſmodi ſit contentum in Corpore Juris, non ſufficit ei derogari per talem clauſulam generalem, ſed requiritur, ut in ſpecie ei derogetur, & expreſſa mentio fiat privilegij conceſſi; nam cùm Princeps cenſeatur ſcire omnia jura, adeóque etiam privilegia in Corpore Juris contenta, c. 1. de conſtit. in 6. ſi alicui derogare vellet, de eo in ſpecie mentionem faceret, cùm huiuſmodi privilegia, ſecundùm formam in eorum conceſſione præſcriptam, ſpecialem & expreſſam derogationem requirant. Accedit, quòd privilegium in commune juris Corpus redactum inſtar publicæ legis eſſe cenſeatur, ergo non præſumitur Princeps, qui legum publicarum cuſtos eſſe debet, ei velle derogare per clauſulam generalem revocatoriam, ſed opus eſt ſpecificâ derogatione, Felin. in cit. c. nonnulli. n. 9. ampliat. 1. Suar. cit. c. 38. n. 1.

LXXXII. Aſſertio 2. Si excommunicatus impetret reſcriptum juſtitiæ, in quo nulla fit mentio excommunicationis, qua eſt aſtrictus, non valet reſcriptum, ſed obreptitium eſt, propter taciturnitatem veritatis neceſſario exprimendæ, c. dilectus. 26. h. t. & ibi gl. v. excommunicationis. nam excommunicatus inhabilis eſt ad impetrandum ſeu recipiendum reſcriptum, ideóque illud ipſo jure eſt irritum. c. 1. eodem in 6. Similiter, ſi quis tanquam à Judice ſpoliatus & poſſeſsione ſuâ deiectus, v. g. à beneficio amotus, à Sede Apoſtolica litteras impetret de reſtitutione ipſi facienda, non expreſsâ causâ amotionis, tales litteræ irritæ ſunt & viribus carent.

Idque probatur ex cit. c. dilectus. 26. h. t. nam Abbas Monaſterij S. Stephani à Papa conſtitutus fuit Viſitator Civitatis ac Diœceſis Bononienſis (cum poteſtate ſcilicet corrigendi, & judicandi, & conſequenter etiam privandi Clericos beneficiis, ac deponendi, ſi commiſſa crimina talem pœnam mereantur, Abb. hîc. n. 5.) Is in Viſitatione duos Presbyteros, propter gravia & manifeſta delicta, ab Eccleſiis ſeu beneficiis ſuis amovit, & excommunicavit. Illi autem à Papa in forma communi litteras impetrârunt de reſtitutione ſua, quaſi ſpoliati fuiſſent, nulla de cauſa amotionis ſuæ, & excommunicationis, quâ tenebantur aſtricti, factâ mentione. Quare Innocent. III. reſcribit Epiſcopo Imolenſi, eique mandat, ut, ſi ita eſſe cognoverit, litteras illas tanquam ſubreptitiè per veri oppreſſionem obtentas, viribus carere decernat. Ratio deciſionis eſt, quia contra Judicem ſpoliantem ſeu privantem non poſſunt impetrari litteræ ſuper ſpoliatione, & reſtitutione in forma communi, ſicuti contra privatum, nempe ut ſpoliatus illico, & ante omnia reſtituatur, ſicut ſi ab alio ſpoliatus eſſet, ſed priùs de cauſa privationis ſeu ademptæ poſſeſſionis cognoſcendum eſt, an juſtè ſit ſpoliatus, néc ne? ideóque neceſſe eſt, ut in impetratione reſcripti fiat mentio de cauſa privationis ſeu amotionis: nam Judex judicialiter procedendo, non cenſetur aliquem ſpoliare, ideóque non competit contra illum interdictum poſſeſſoriũ recuperandæ, Abb. ibid. n. 4. Felin. in cit. c. dilectus. n. 1. & in dubio ſemper pro judice ſtat præſumptio, quòd juſtè proceſſerit, niſi contrarium probetur, Felin. ibid. n. 1. Aliud eſt, ſi procedat Judex extraiudicialiter, adeóque tanquam perſona privata, aliquẽ privando poſſeſſione, aut non ſervando juris ordinem, v. g. non citando poſſeſſorem, qui ſaltem titulum coloratum habet, vel ſi aliàs notorium ſit, ipſum iniuſtè proceſſiſſe, aut poſſeſſorem ſpoliâſſe, tunc enim ſpoliatus incontinenti reſtitui debet, Abb. cit. loc. & in c. conquerente. 7. n. 3. & 7. de reſtit. ſpoliat. Felin. c. l.

Itaque ob duas cauſas invalidæ fuerunt litteræ impetratæ à Presbyteris in cit. c. dilectus. 1. quia in iis non eſt facta mentio de excommunicatione, quâ obſtricti erant: 2. Quia in iis non eſt expreſſa cauſa amotionis ſuæ, nempe quòd per ſententiam Judicis privati ſunt beneficiis ſuis, à qua non fuit appellatum, gl. in cit. c. dilectus. v. viribus carere h. t.

LXXXIII. Aſſertio 3. In reſcripto impetrato in cauſa, quæ eſt communis Prælato & Conventui regulari, tametſi ferme conſuetum ſit, ut fiat mentio ipſius Conventûs, non tamen id eſt abſolutè neceſſarium, prout ſumitur ex c. edoceri. 21. h. t. nam aliquis à Sede Apoſtolica impetravit litteras contra Abbatem quendam, nullâ factâ mentione ipſius Conventûs, etſi cauſa eſſet communis: ideo dubitabatur, an Abbas, vi illarum litterarum, teneatur reſpondere, coram Judice delegato, in cauſa pertinente communiter ad Abbatem & Conventum, & an poſſit Abbas appellare, ne cogatur ad reſpondendum coram illis? Reſpondet Innocent. III. quòd Abbas per appellationem ſe tueri non poſſit, quominùs coram Judice delegato, auctoritate huiuſmodi litterarum, reſpondere teneatur, niſi alia cauſa rationabilis ipſi ſuffragetur, quia Abbas ex officio ſuo negotia ſui Conventûs procurare tene-

„ tur: niſi fortè negotia Abbatis & Conventûs eſſent „ omnino diviſa & ſeparata, ita ut adminiſtratio ne- „ gotiorum Conventûs ad Abbatem non pertineret; „ tum enim, vi talis reſcripti, reſpondere non tenea- „ tur, coram Judice delegato, ſed coactus ad reſpon- „ dendum appellare poſſit. Ratio huius deciſionis eſt, quia ad eum propriè pertinet in judicio reſpondere, cauſámque defendere, ad quem ſpectat rerum, de quibus agitur, adminiſtratio, arg. jam dicti. c. at verò bonorum ſeu rerum communium Monaſterij ſive Congregationis Regularis adminiſtratio, eáque plena & libera, ſive independens à Conventu, ſecundùm SS. Canones, competit Abbati ſive Prælato, & non tantùm in rebus temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, & conſequenter etiam actio & defenſio in judicio ad eundem pertinet, ut colligitur ex c. Abbatem. 4. cauſ. 18. q. 2. c. cùm dilatio. 11. §. cùm huius cauſ. 12. q. 1. & docet Abb. in cit. c. edoceri. n. 2. & Imola ibid. n. 2. niſi cauſa ſit gravis & valde ardua, quæ ſinè conſenſu vel conſilio Conventûs expediri non poteſt, Abb. cit. loc. Imola. c. l. n. 4. Secus tamen dicendum eſt, ſi ex ſpeciali jure privilegij, vel conſuetudinis, vel ſtatuti, præſertim à Papa confirmati, bona Conventûs omnino ſeparata ſint, non tantùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad adminiſtrationem à bonis Prælati, quæ ad ipſius menſam ſpectant; tunc enim non valet reſcriptum impetratum contra Prælatum ſuper bonis ſpectantibus ad Capitulum, ſeu Conventum, nec vi illius poterit Abbas ſeu Prælatus conveniri, quia ad ipſum non pertinet procurare negotia Conventûs, quando jura & bona utriuſque omnino ſunt diviſa ac ſeparata, cit. c. edoceri in fine. & ibid. Abb. n. 5.

Quod autem dictum eſt, ſi Prælatus Regularis in cauſa ipſi & Conventui communi conveniatur per reſcriptum, non eſſe neceſſariò faciendam mentionem Conventûs, id etiam procedit in aliis Prælatis ſecularibus, quoad bona aut negotia communia Prælato, eiúſque Eccleſiæ, cùm quilibet Prælatus teneatur procurare negotia ſuæ Eccleſiæ, adeóque ſolus agere poſſit, & conveniri in judicio, & conſequẽter valebit reſcriptum contra illum ſolum impetratum, idem Abb. cit. loc. n. 13.

LXXXIV. Cæterùm illud præterea hîc quæri poteſt, an in reſcripto gratiæ beneficialis dato pro eo, qui ſe antea in beneficium per vim intruſerat, vel aliàs non canonicè illud obtinuerat, mentio fieri debeat intruſionis vel illicitæ aſſecutionis? Reſpondetur 1. Si quis ſe intruſit in beneficium, & poſtea idem beneficium, tacitâ intruſione, impetravit, obreptitium eſt reſcriptum, ob taciturnitatem intruſionis, quæ cùm ſit Canonicum impedimentum, per quod impetrans inhabilis fit ad beneficium obtinendum, ideo collatio beneficij, quippe inhabili facta, eſt ipſo jure irrita, neque Papa beneficium conceſſiſſet, ſaltem tali modo, ſi vitium intruſionis ſciviſſet, Felin. in c. poſtulaſti. 27. n. 15. & Laym. ibid. n. 4. h. t. Idémque dicendum eſt, ſi quis beneficium Eccleſiaſticum accepit de manu ſeu poteſtate laicâ, talis enim fit incapax ad illud canonicè conſequendum, arg. c. quiſquis. 43. de elect. Sylveſt. v. beneficium. 3. n. 1. ac proinde etiam irrita erit eius impetratio, niſi in reſcripto ſeu conceſſione beneficij mentio fiat de inhabilitate iſta, adeóque ea tollatur, Felin. c. l. n. 16. circà finem, & Laym. n. 5.

Reſpondetur 2. Si quis per intruſionem conſecutus ſit unum beneficium, illicitè quidem, & non canonicè, non tamen à laica poteſtate, & poſtea aliud beneficium impetret, tacitâ quidem intruſione, faciendo tamen mentionem de primo beneficio, ſive quòd beneficium poſſideat, tum valida videtur eſſe impetratio, ut docet Felin. c. l. & Laym. n. 6. quia licèt, ſi intruſio expreſſa fuiſſet, Papa non conceſsiſſet alterum beneficium, tamen non requiritur ad intrinſecam ſubſtantiam reſcripti, ut vitium intruſionis exprimatur, cùm hoc per illud purgari non debeat, ſicut in prioribus duobus caſibus; per taciturnitatem autem veritatis non pertinentis ad intrinſecam ſubſtantiam rei impetratæ, non vitiatur reſcriptum, etiamſi eâ veritate expreſsâ, Princeps gratiam non conceſsiſſet, ut infrà dicetur.

SECTIO IV.

DE SVBREPTIONE RESCRIPTORUM, & aliis modis, quibus vitiantur Reſcripta.

§. I.

An ob ſubreptionem vitientur Reſcripta, ipſo iure ſeu facto, & ob quas cauſas fiant obreptitia?

LXXXV. Aſſertio 1. reſcripta beneficialia, & quæcunque alia gratioſa, propter obreptionem, ipſo jure ſeu facto, irrita fiunt, ideóque etiam, quicquid vi illorum factum eſt, penitus eſt irritum, c. ad audientiam 31. h. t. & clariùs in Clement. 1. ibi: *gratia hujuſmodi velut ſubreptitia nullius penitus eſt momenti*, de præbend. c. ſi motu 23. eodem in 6. c. 2. de filijs Presbyt. in 6. ubi eſt ſermò de litteris diſpenſationis per ſubreptionem obtentis, Abb. in c. cæterùm 3. n. 6. h. t. Felin. in c. ad audientiam 31. n. 22. h. t. & Imola ibid. n. 2. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 21. n. 3. & 54. & alij DD. communiter.

At verò reſcripta juſtitiæ ſive ad lites, communiter & ordinariè loquendo, non ſunt ipſo jure irrita, ſed ope exceptionis infirmari debent, id eſt, valida ſunt, donec adverſarius, contra quem ſunt impetrata, opponat, ea eſſe ſubreptitia, ac proinde etiam proceſſus, virtute hujuſmodi reſcriptorum, factus, eſt validus, niſi de ſubreptione contra illa excipiatur, prout ſumitur ex c. ſi autem 9. h. t. & dictum ſuprà num. 58. & ex c. plerumque 23. h. t. ubi habetur, ſi poſterius reſcriptum ad alios Judices impetretur, non factâ mentione prioris reſcripti, per exceptionem rejici poteſt, niſi is, qui prius reſcriptum impetravit, eo per annum dolo vel negligentiâ uti intermittat, de quo actum ſupra n. 57. Et ita docet Abb. in cit. c. cæterum n. 5. h. t. Felin. in cit. c. ad audientiam 31. n. 17. Imola ibid. n. 5. Sanch. cit. diſ. 21. n. 3. Ratio diſcriminis eſt, tum quia faci-

Digitized by Google

faciliùs concedantur litteræ juſtitiæ, quàm gratiæ, ideóque hæ citiùs etiam & faciliùs irritæ redduntur; præſertim quia magis ingratus videtur, qui beneficium ſeu gratiam obtinet per ſubreptionem: Tum quia in reſcriptis beneficialibus vel gratiæ negotium determinatur ac definitur, & jus tribuitur impetranti. At verò in reſcriptis juſtitiæ ſeu ad lites cauſa ſive negotium præparatur tantùm, aut committitur, nec in illo jus tribuitur, ſed judex datur, & illa verſantur ſolùm circa media ſeu ordinem cognitionis: & hinc non obſtat illis, quò minùs adhuc cauſa principalis juſtè determinari & definiri poſſit. Quare non eſt mirum, quòd ſubreptio magis vitiet & infirmet litteras gratiæ, quàm juſtitiæ, cùm illæ ſint majoris præjudicij, quàm iſtæ, Felin. c. l. in fine. Imol. in cit. c. n. 6. gloſſat Abbat. ibid. v. ſubreptio ipſo facto, Gail. l. 1. obſerv. 14. n. 5.

Aliam rationem diverſitatis aſſignat Fagnan. in cit. c. ad audientiam n. 37. h. t. quia nimirum in litteris gratiæ ſeu beneficialibus, cùm non ſit pars, quæ poſſit excipere de ſubreptione, impetrans veriſimiliter diu pergeret detinere beneficium injuſtè obtentum. Unde ceſſante proviſione hominis, neceſſe fuit, ut lex provideret, irritando gratiam ſubreptitiè obtentam, ut ſic falſus precator conſuleret ſuæ conſcientiæ per ceſſionem beneficij, ut notat gl. in c. niſi cùm pridem 10. §. propter conſcientiam. V. ſed duntaxat de renuntiat. At verò in litteris juſtitiæ adeſt pars, cujus intereſt, quæ poteſt opponere exceptionem ſubreptionis, & appellare; unde ſtante proviſione hominis, non fuit neceſſe, ut lex provideret per irritationem hujuſmodi litterarum.

LXXXVI. Aſſertio 2. reſcripta ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, generatim loquendo, duas ob cauſas fiunt obreptitia ſeu ſubreptitia. 1. ob taciturnitatem veritatis ad rem per ſe, ſive intrinſecè pertinentis, adeóque neceſſariò exprimendæ. 2. per expreſſionem falſitatis itidem per ſe & intrinſecè ad rem ſpectantis, c. ſuper litteris 20. ibi: *tacitâ veritate, vel ſuggeſtâ falſitate*, & infrà: *ſi verò per falſitatis expreſſionem vel ſuppreſſionem etiam veritatis*, de reſcript. & colligitur etiam ex l. 2. C. ſi contra jus, &c. Ratio eſt, quia reſcripta omnino pendent ex libera voluntate Principis, ſive ejus, qui illa concedit: duæ autem ſunt cauſæ, quæ conceſſionem reddunt involuntariam: una eſt falſa narratio, per quam aliquid proponitur ad rem pertinens, ut moveat Principem ad concedendum beneficium, vel gratiam in reſcriptis gratiæ, vel ad delegandam juriſdictionem in reſcriptis juſtitiæ, quod tamen verum non eſt, ideóque reddit conceſſionem involuntariam. Altera eſt ſuppreſſio veri, quando tacetur aliquid, quo expreſſo, conceſſio facta non fuiſſet, ideóque etiam involuntariè facta eſſe cenſetur, Suar. l. 8. de legib. cap. 21. num. 6.

Præterea cauſa in reſcriptis ſuppreſſa per taciturnitatem, vel falsò expreſſa & allegata, alia eſt finalis, alia impulſiva. Cauſa finalis in ordine ad inducendam ſubreptionem in reſcriptis juſtitiæ, & gratiæ, ea dicitur, quâ non exiſtente, Princeps non concederet id, quod petitur; vel qua verè allegatâ, illud denegâſſet, vel ſaltem non eo pacto ac modo conceſſiſſet, quo conceſſit, ſed non niſi adbibito moderamine. Cauſa verò impulſiva eſt, quâ non exiſtente, Princeps quidem abſolutè conceſſiſſet, & eodem pacto ac formâ, licet non tam facilè, ſed multò difficiliùs conceſſiſſet, Sanch. l. 8. de matrimon. diſp. 21. num. 8.

Porrò quamvis nonnulli DD. diſtinguere ſoleant inter obreptionem, & ſubreptionem, quòd obreptio committatur per narrationem ſeu expreſſionem falſi; ſubreptio verò per taciturnitatem veri neceſſariò exprimendi; vel quando per confuſam aut perplexam ejus narrationem occultatur, ut videre eſt apud Sanchez. c. l. n. 2. & Barboſ. in cit. c. ſuper litteris n. 3.

Alij tamen communiter cenſent, hæc nomina eſſe ſynonyma, & indifferenter ac promiſcuè illa uſurpant, appellando omnia reſcripta, malè impetrata, obreptitia vel ſubreptitia, ſive falſum in ijs narretur, & exprimatur, ſive veritas neceſſariò explicanda taceatur, Decius in cit. c. ſuper litteris num. 1. Menoch. de arbitrar. judicum. caſu 201. n. 10. qui plures allegat.

§. II.

An, & quomodo Reſcripta fiant obreptitia, ſi per dolum ſint impetrata?

LXXXVII. Reſcripta tam per taciturnitatem veri, quàm per ſuggeſtionem ſeu expreſſionem falſi, duobus modis fieri poſſunt obreptitia: videlicet vel quia per fraudem ſive malitiam impetrata ſunt, vel per ſimplicitatem & ignorantiam, ut conſtat ex c. ſuper litteris 20. h. t. de priore modo agemus hoc §. de poſteriore §. ſeq.

LXXXVIII. Aſſertio 1. ſi obreptio doloſa commiſſa ſit in reſcripto ad lites ſive litteris juſtitiæ, ſeu tacendo verum, ſive exprimendo falſum, totum reſcriptum, ſeu quoad omnes partes in eo contentas, fit irritum, ita ut Judex in eo datus (poſtquam ei fides ſuper hoc facta fuit, videlicet per probationes, ad inſtantiam partis opponentis obreptionem, vel ſi ex evidentia facti obreptio notoria ſit) non debeat, nec poſſit de cauſa principali cognoſcere, ne quidem ſecundùm formam Juris communis: quamvis Princeps, ſi dolus, ſive obreptio doloſa non intervenisset, nihilominus reſcriptum dediſſet, non tamen eâ formâ, ſed formâ communi, ſive ſecundùm terminos juris communis, prout habetur in cit. c. ſuper litteris in priore ejus parte; nam cùm aliqui litteras à Sede Apoſtolica impetrâſſent ex malitiâ, alij verò ex ſimplicitate ſeu ignorantiâ, tacitâ veritate, vel ſuggeſtâ ſeu expreſſâ falſitate, dubium ortum fuit, quidnam de hujuſmodi litteris ſentiendum ſit; alij enim aſſerebant, illas eſſe omnino irritas, ita ut impetrans nullum ex ijs commodum percipere poſſit, cùm mendax precator carere debeat penitus impetratis: alij verò dicebant, licèt ſecundùm formam à Papa in his litteris præſcriptam, quippe ſubreptitiam, procedi non debeat, nihilominus tamen à Judice delegato, juxta rigorem juris, id eſt, ſecundùm formam aut Ordinem juris, in hoc negotio procedendum eſſe, ſive cognoſcendum & ſententiam ferendam. Conſultus

» ſuper hac re Innocent. III. reſpondit, diſtinguen- » dum eſſe inter eos, qui per fraudem & malitiam : » & illos, qui per ſimplicitatem vel ignorantiam lit- » teras hujuſmodi impetrârunt, tacitâ veritate, vel » expreſsâ falſitate ; nam illi, qui priore modo (ſci- » licet per fraudem vel malitiam) falſitatem expreſ- » ſerunt, vel veritatem ſuppreſſerunt, in pœnam ſuæ » perverſitatis, nullum ex hujuſmodi litteris com- » modum conſequi debent ; ita nimirum, ut Judex » delegatus, poſtquam ipſi ſuper hoc facta fuerit fi- » des (id eſt, dolus ſufficienter demonſtratus fuerit) » nullatenus de cauſa illa cognoſcat. Idque conſti- » tutum fuit in pœnam doli commiſſi ab impetran- » te tale reſcriptum, cùm mendax precator, id eſt, » qui per dolum tacuit verum, vel expreſſit falſum, » penitus carere debeat impetratis, nec ex litteris » conceſſis commodum conſequi, prout etiam ha- betur in c. Sedes 15. in fine h. t. Abb. in cit. c. ſuper litteris n. 2. Sanch. cit. diſ. 21. n. 65.

LXXXIX. Exemplum doloſæ ſubreptionis, per expreſſionem falſi, in reſcriptis ad lites eſt: ſi quis falsò dicit, ſe miſerabilem perſonam eſſe, ideó- que impetravit reſcriptum, ut procedatur ſummariè & de plano, ſinè ſtrepitu Judicij, illud irritum eſt, & ſubreptitium, nec ei prodeſt, qui callidè ſe pauperem mentitus eſt, ſeu finxit, arg. l. unic. C. de mendicantibus validis lib. 11. Bald. apud Fagnan. hic. num. 27.

XC. Exemplum verò doloſæ ſubreptionis per ſuppreſſionem ſive taciturnitatem veri, in reſcriptis ad lites eſt in eo, qui contra aliquem ſuper eodem negotio diverſa reſcripta impetrat ad diverſos judices, nullâ in poſteriore reſcripto factâ mentione prioris, is enim propter dolum commiſſum, utriuſque commodo carere debet, ut neutro uti poſſit, ne fraus ſua ipſi patrocinetur, prout ſumitur ex » c. ex tenore 16. h. t. nam cùm Romanus Presby- » ter contra Abbatem de Becco litteras à Sede A- » poſtolica impetrâſſet, & earum vigore Judices de- » legati Abbatem citâſſent, noluit Romanus coram » eis litigare: poſtea verò alias litteras ad alios Ju- » dices, ſuper eadem cauſa, à Papa impetravit, nul- » lâ in eis factâ mentione de prioribus litteris: ſed » cùm poſteriores Judices dictum Abbatem citâſſent, » is coram eis propoſuit, quòd non teneatur coram » eis reſpondere, vi poſteriorum litterarum, eò quòd » per litteras priores in judicium vocatus à primis » Judicibus comparuerit, & reſpondere paratus fue- » rit, quorum poteſtas per poſteriores litteras non » ſit revocata, cùm in illis nulla ſit facta mentio de » prioribus litteris. Re hac delatâ ad Innocent. » III. is reſpondit, Romanum propter fraudem i- » pſius duas commiſſiones, ſive duo reſcripta dele- » gationum ſuper eodem negotio (& ad diverſos Ju- » dices, ut ex caſu patet) impetrantis, quarum una » de altera delegatione non faciebat mentionem, u- » triuſque reſcripti commodo carere debere, ita ut » neutro uti poſſit, quia fraus & dolus alicui patroci- » nari non debent.

XCI. Notandum hic 1. ſi quis ab uno Judice citatus coram eo comparuit, & poſtea ab alio ſuper eadem cauſa citetur, non tenetur coram eo reſpondere, ſed exceptionem fori declinatoriam opponere poteſt, quia ubi judicium ſemel acceptum eſt, ſive lis cœpta (etiam per citationem) Ibi & finem accipere debet, l. ubi acceptum 30. & ibi gl. V. ubi acceptum ff. de judicijs. Abbas. in cit. c. ex tenore num. 3. not. 3. h. t. & ſumitur etiam ex eodem c.

Notandum 2. in caſu hujus c. poſtquam reſcriptum præſentatum eſt Judici, non tantùm juriſdictio ei acquiſita fuit, ſed etiam poſtquam reus citatus eſt, & comparuit ad ſe defendendum, non potuit impetrans illi renunciare, ſinè conſenſu partis adverſæ, quia reſcriptum commune factum eſt utrique parti, Abb. hic n. 2. not. 1. poſt Innoc. in c. ex conqueſtione 10. n. 2. de reſtitut. ſpoliator.

XCII. Notandum 3. impetrans diverſa reſcripta juſtitiæ contra aliquem, ſuper eadem cauſa, ad diverſos judices, non incurrit hanc pœnam, ut utriuſque commodum perdat, niſi utroque reſcripto uſus fuerit, ut tradit gl. in cit. c. ex tenore V. negotio, & Abb. ibid. n. 5. & alia gl. in c. diſpendia 3. V. fecerit eod. in 6. quia verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu, c. hæc autem verba 17. diſ. 1. de pœnitent. & ibi Navarr. num. 2. Quòd ſi neutro reſcripto impetrans uſus ſit, ſive neutrum Judicibus præſentârit, poteſt uti priore, cùm per poſterius, in quo nulla eſt facta mentio prioris, illud non fuerit revocatum vel irritum redditum: Poſteriore verò reſcripto uti non poteſt, quia ſi, prætermiſſo priore, poſterius præſentat, oritur præſumptio doli: niſi tamen ex circumſtantiis appareat, bonâ fide, & ad cautelam, poſterius reſcriptum impetratum eſſe, quia v. g. impetrans timebat, ne Judex delegatus in priore reſcripto moreretur, vel in remota loca diſcederet; tunc enim utrumque reſcriptum ſubſiſtit, ita ut impetrans ſive priore, ſive eo omiſſo, poſteriore uti poſſit, gl. in cit. c. ex tenore. v. negotio & Abb. n. 5. Vel niſi priùs reſcriptum ob aliquem defectum ſit nullum, tum enim etiam uti poteſt poſteriore ad alios Iudices impetrato, etſi in eo nulla mentio prioris ſit facta, cùm illud ſit firmum & validum, gl. in c. cùm noſtris. 6. v. non vacaret de facto de conceſſ. præbend. iuxta reg. juris. 52. in 6. *non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Idémque probabiliter dicitur, ſi reſcriptum priùs impetratum per exceptionem infirmari poſſit, validum enim eſt poſterius ad alios judices impetratum, etſi nulla in eo facta ſit mentio prioris, gl. in cit. c. v. negotio in fine, & Abb. n. 6. Decius ibid. n. 5. arg. l. ſi dari. 25. ff. de verb. oblig. ubi ſtipulatio cenſetur quaſi nulla, quæ per exceptionem elidi poteſt, gl. ibid. v. quaſi nulla, & arg. c. plerumque. 23. h. t. ubi narratur, poſteriores litteras non facientes de prioribus ad alios judices datis mentionem non valere, cùm tamen non ipſo jure irritæ fuerint, ſed tantùm per exceptionem elidi poterant, Laym. in cit. c. ex tenore. n. 4.

XCIII. Porrò prædictis obſtare videtur textus in l. 2. C. ſi contra jus &c. ubi habetur reſcriptũ Principis per mendacium impetratum valere, quoad judicem in eo datum, eíque juriſdictionem tribuere, ut de veritate negotij principalis poſſit cognoſcere, adeóque totum reſcriptum non eſt irritum. Reſpondet Abb. in cit. c. ſuper litteris. n. 3. ibi ſermonẽ eſſe de mendacio non doloſo, quod non ex propoſito, & ſinè animo decipiẽdi, committitur, ſed cùm per errorem ex re ipſa dolus provenit; vel ſi ibi ſermo ſit de

de mendacio doloſo, ſive dolo malo, intelligendum eſſe,quòd cognoſcere debet non judex delegatus,ſed aliàs Ordinarius partium,gl.fin.ibid. Verùm Baldus ibid.n.13.ait,eum textum procedere de jure civili,in reſcriptis imperatoriis,non autem de Jure Canonico in reſcriptis Pontificiis.

XCIV. Aſſertio 2. Non ſolùm Reſcripta ad lites, de quibus tantùm ſpecificè loquitur textus in cit.c.ſuper litteris. h.t. Sed etiam,& multò magis Reſcripta ad beneficia fiunt obreptitia, propter doloſam expreſſionem falſi, vel ſuppreſſionem veri in iis factam,ita ut tale reſcriptum vitietur in totum,ſive quoad omnia in ipſo contenta,Abb.in cit. c.ſuper litteris.n.2.Felin.ibid.n.5. & Decius n.5. Sanch. l.8. de matrim.diſ.21.n.54. & alij communiter. Ratio eſt,quia hæc reſcripta ſunt magìs odioſa,c.quamvis. 4.de præbend.in 6.Idémque eſt de privilegiis,& aliis litteris gratioſis, cùm hæ longè faciliùs reddantur nullæ & irritæ propter ſubreptionem, quàm litteræ juſtitiæ, ſive ad lites: reſcripta enim gratiæ vitiantur propter ſubreptionem ipſo jure ſive facto; reſcripta verò ad lites regulariter per ſubreptionem etiam doloſam non infirmantur ipſo jure.ſed ope exceptionis,Abb.in cit. c. ſuper litteris. n. 5. & dictum ſuprà. num.85.

XCV. Aſſertio 3. Præterea,obreptio doloſa reddit irritum reſcriptum,ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, etiamſi expreſſio falſi, vel ſuppreſſio veri non fuerit cauſa conceſſionis reſcripti, quia eo non expreſſo, vel non tacito, Papa ſeu Princeps nihilominus litteras conceſſiſſet; nam illa diſtinctio, an Princeps veriſimiliter litteras dediſſet, nécne, ſolùm habet locũ quando ſubreptio committitur per ſimplicitatem vel ignorantiam; at ubi reſcriptum impetratur per dolum vel malitiam, ſubreptio indiſtinctè vitiat reſcriptum, etiamſi non fuerit cauſa illud obtinendi, idque in pœnam doli ſeu malitiæ. gl. in cit. c. ſuper litteris.v. nullatenus.h.t.Abb. ibid. n.2. Imola n. 3.v. g. aliquis à Papa impetravit litteras contra debitorem ſuum, falsò aſſerens, in patria ſua conſuetudinem eſſe, ut lites, ſinè ſtrepitu Judicij, & ordinario juris proceſſu, de plano ac ſummariè cognoſcantur, ideóque Papa ſeu Princeps cauſam delegavit cuidam judici,cum mandato,ut ſummariè ac de plano procedat: hoc caſu,ſi impetrans,ſciens & volens, adeóque per dolum ſeu malitiam falſum allegavit, totum reſcriptum impugnari & infirmari poterit, oſtenſo dolo impetrantis, ita ut judex cauſam nullo modo cognoſcere poſſit; ſecus eſt, ſi per ignorantiam falſum allegavit,ut paulò pòſt dicetur, quod exemplum affert Abb.c.l. Porrò dolus ſeu fraus & malitia probari debet ex perſpicuis indiciis, videlicet ex qualitate perſonæ,& ex forma reſcripti, l. dolum. 6. C.de dolo.gl.in cit.c.v.nullatenus in fine: imò etiam eo ipſo,quòd impetrans probatur ſciens,plerumque dolus probatus cenſetur, l.verius. 21. ff. de probat. Hoſtienſ.in cit. c. ſuper litteris. v. priori modo.

XCVI. Aſſertio 4. Quando ſubreptio per dolum ſeu malitiam commiſſa,non fuit cauſa, nec ſubſtantiæ reſcripti ad lites,quæ in juriſdictione delegata conſiſtit,nec formæ reſcripti,quæ eſt ipſe modus procedendi præſcriptus judici delegato, nec alicuius alterius, quod per ſe & intrinſecè ad cauſam commiſſam pertineat, ut quia in petitione aliquid falſum ſcienter & doloſè expreſſum fuit, vel verum ſuppreſſum, quod tamen omnino impertinens fuit ad cauſam contentam in reſcripto; talis doloſa ſubreptio non reddit irritum reſcriptum, cùm penitus non fuerit cauſa cõceſſionis reſcripti, Auguſt. Beroius in cit. c. ſuper litteris. 20. n.43. & in repetitione ejuſdem n.53.h.t.arg.eiuſdem c. à ſenſu contrario.Idque procedit etiam in reſcriptis gratiæ, Beroius in repetitione cit. c. ſuper litteris. n. 53. Ut ſi quis v.g. in poſſeſſionem beneficij evidenter intruſus ſit, nullo colorato vel probabili titulo munitus, & alios illud impetret,etiam ſcienter, nullâ mentione factâ de huiuſmodi injuſta poſſeſſione, talis taciturnitas non vitiat reſcriptum, quia non eſt cauſa conceſſionis; nam etiam veritate expreſſâ, Papa beneficiũ petenti eodem modo, imò faciliùs conceſſiſſet, Joan. Andr. in c. ex litteris.6.n.3.de tranſactionibus. Beroius cit.loc.arg.cit.c.ſuper litteris.h.t.

Similiter ſi non ipſe impetrans,qui verum propoſuit,ſed Curialis,ſeu ſollicitator, aut ſcriptor dolum commiſit, qui ſciens ac volens falſum expreſſit, vel veritatem ſibi ab impetrante expoſitam tacuit, ut reſcriptum obreptitiè emanaret, tum non eſt locus pœnæ illi, ut videlicet totum reſcriptum ſit irritum, etiamſi Papa nihilominus illud conceſſiſſet, ſed non, ſecundùm eum modum ſeu formam, quia ipſe impetrans, ſive cuius nomine reſcriptum impetratum fuit,non fuit in culpa,ergo non debet eâ pœnâ affici, ut litterarum commodo prorſus careat,ſed de eo perinde cenſendum eſt, ac ſi per ignorantiam impetrâſſet,Sanch.cit.diſp.21.n.67. & colligitur ex cit. c. ſuper litteris ibi: *in ſuæ perverſitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum conſequantur.*

XCVII. Porrò ſubreptio doloſa, cùm quis ſcienter & malitiosè reſcriptum impetrat,exprimendo falſum,vel ſupprimendo verum,reſcriptum ad lites non reddit irritum,ipſo jure,ſed ſolùm ope exceptionis, ſi ea opponatur, gl.in cit. c. ſuper litteris. v. nullatenus h.t.Beroius ibid.n.25.& 26.Sanch.cit.diſ. 21.n.76.& Canoniſtæ communiter. Idque probatur 1. quia ex tali reſcripto ſubreptitio ob dolum acquiritur & datur juriſdictio Judici delegato in litteris, ita ut is cognoſcere poſſit,ſaltem de veritate precum, & articulo ſubreptionis, & coram illo probationes ſuper ſubreptione fieri debeant, ut colligitur ex cit. c.ſuper litteris;ergo cenſetur eſſe,& eſt judex,vi ipſius reſcripti,quia probationes non poſſunt fieri, niſi coram judice,c.ex litteris.3.de probationib.l.quingenta. 12. in fine. ff. eodem. ac proinde reſcriptum tale non poteſt eſſe nullum,quia ex actu nullo nullus poteſt ſequi effectus, c. ſi ſuper. 9. de officio delegati.

Deinde Judex datus in litteris ſubreptitiis non poteſt cognoſcere de cauſa ſibi commiſſa, poſtquam ipſi conſtiterit, quòd impetrans per dolum falſum expreſſerit,vel verum tacuerit; ergo antequam ipſi Judici facta eſt fides de ſubreptione doloſa, poterit ipſe de cauſa cognoſcere,& proceſſus valebit,ut conſtat ex cit. c. ſuper litteris. Rurſum quòd litteræ ad lites per dolum ſeu malitiam impetratæ ſint invalidæ,& impetrans carere debeat impetratis, id ſtatutum fuit in pœnam dolum committentis, jam cit. c. ergo non ſunt irritæ ipſo jure, quia pœnæ à Jure decretæ nunquam cenſentur ipſo jure inflictæ, niſi lex ſeu Canon id exprimat verbis, quæ hoc ſignificent,

cent, ut notatur in c. in pœnis.49. de regul.juris in 6. quod in hac pœna non reperitur expreſſum. Unde cùm in Jure Civili vel Canonico dicitur, quòd mendax precator debeat penitus carere impetratis, nullúmque ex illis litteris commodum conſequi, l. etſi 5. C. ſi contra jus &c. & cit. c. ſuper litteris; id intelligi debet, non illico & incontinenti, adeóque ipſo facto, ſed poſtquam exceptio doli oppoſita fuerit, & legitimè probata ſubreptio doloſa: nam tum demum totum reſcriptum, quoad omnes ejus partes, penitus annullatur, & invalidum redditur, & conſequenter in effectu dicitur nullum, ſi contra illud fuerit oppoſitum, & dolus probatus, Berojus c. l.

Denique dolus dans cauſam diſpoſitioni ſeu contractui ſtricti juris, non reddit contractum irritum, ipſo jure, ſed ope exceptionis, in quo differunt contractus ſtricti juris à contractibus bonæ fidei, l. ſi quis 36. ff. de verbor. obligat. & notant ibid. DD. ſed reſcripta ad lites ſunt ſtricti juris, c. ſedes 15. & c. Rodulphus 35. h. t. ergo ob ſubreptionem doloſam non ſunt ipſo jure irrita; idque confirmatur ex cit. c. ſedes, ubi in fine dicitur, *ut mendax precator careat penitus impetratis*, & tamen litteræ illæ ſunt validæ, priuſquam contra illas excipiatur.

§. III.

An, & quomodo ob ſubreptionem vitientur Reſcripta obtenta per ſimplicitatem vel ignorantiam?

XCVIII. Aſſertio 1. ſubreptio non doloſa, facta ex ſimplicitate vel ignorantiâ, etiam craſsâ, (modò non ſit ingens temeritas) ſive per expreſſionem falſi, ſive per ſuppreſſionem veri, non reddit irritum reſcriptum juſtitiæ ſive ad lites, ſi non ſit cauſa conceſſionis, eò quòd Papa ſive Princeps, etiam falſitate non expreſsâ, vel veritate non tacitâ, nihilominus reſcriptum conceſſurus fuiſſet. Quare ſi Princeps, non interveniente obreptione, reſcriptum dediſſet, ſaltem in forma communi, quamvis non in forma ſpeciali, poteſt ac debet Judex delegatus procedere in cauſa ſibi commiſſa, ſecundùm ordinariam formam juris communis; non ſervatâ formâ in reſcripto præſcriptâ, Innocent. in cit. c. ſuper litteris n. 1. h. t. Joan. Andr. ibid. n. 25. Abb. n. 4. Imol. n. 6. & habetur ſtatutum in cit. c. ſuper litteris §. inter alios, ubi dicitur, inter alios autem, qui poſteriori modo (ſcilicet per ſimplicitatem vel ignorantiam) litteras impetrant, diſtinguendum eſt, quæ falſitas ſuggeſta ſive expreſſa fuerit, vel quæ veritas ſit ſuppreſſa: nam ſi talis expreſſa ſit falſitas (ut ſi quis dixerit ſe de poſſeſſione vi dejectum, cùm non eſſet, gl. ibid. V. expulſa ſit falſitas) vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, Papa nihilominus litteras dediſſet (non quidem tali modo ac formâ, tamen ſecundùm formam Juris communis) tunc Judex delegatus, non ſecundùm formam in litteris appoſitam, ſive ſpecialiter præſcriptam, ſed ſecundùm ordinem juris communis in cauſa procedat, eámque cognoſcat (& ita aliquando receditur à forma in reſcripto data, & reditur ad Jus commune: ſecus ſi per fraudem vel malitiam talis falſitas fuerit expreſſa, vel veritas occultata, gl. hîc V. procedat, & patet ex ſuprà dictis) ſi verò per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel etiam veritatis ſuppreſſionem litteræ fuerint impetratæ (etiam per ſimplicitatem vel ignorantiam) quâ tacitâ vel expreſsâ; Papa nullas omnino litteras dediſſet, tunc Judex delegatus in cauſa, ſcilicet principali, procedere non poteſt: niſi forſitan (quæ particula hîc ponitur non dubitativè, ſed affirmativè, gl. hîc V. niſi forſitan) ut partibus convocatis, cognoſcat de precum qualitate (id eſt, veritate vel falſitate, gl. hîc v. eodem, ſive de modo ſubreptionis, & utrùm ea fuerit ratio impetrationis litterarum, ita ut Papa ſeu Princeps cauſam nullo modo delegâſſet, ſi veritatem cognoviſſet) ut ſic in utroque caſu (ſive nimirum etiam expreſsâ falſitate, vel tacitâ veritate per ſimplicitatem vel ignorantiam, Papa nihilominus litteras conceſſiſſet, ſaltem in forma communi, ac ſi eſſet veritas dicta, vel falſitas tacita: ſive etiam litteras nullas dediſſet, ſi falſitas tacita, vel veritas expreſſa fuiſſet per ſimplicitatem vel ignorantiam, gl. fin. hîc) eadem ratio, quæ delegantem moveret, etiam delegatum moveat: & ubi delegatus litteras denegaret, etiam delegatus cognitionis officium nullo modo impendat.

Res hæc exemplo magìs declarabitur, Titius v. g. impetravit reſcriptum, in quo per errorem aſſeruit, venditori ſolutum eſſe pretium per procuratorem ſuum, ac petiit, ut res empta ſibi traderetur à venditore, & ſic obtinuit litteras ad Judicem delegatum, ut is hanc cauſam, abſque ſtrepitu & figura judicij de plano, & ſummariè cognoſceret: hoc caſu, quia falsò narravit, pretium ſolutum eſſe, Judex datus, non ſecundùm illam ſpecialem reſcripti formam, ſummariè cauſam cognoſcendo, procedere debet, ſed ſervato juris communis ordine, ut citato venditore, libellus offeratur, litis conteſtatio fiat, juramentum de calumnia præſtetur, cæteráque ſolemnia judicij & ordinarij proceſsûs obſerventur, juxta l. prolatam. 4. & ibi DD. C. de ſentent. & interlocut. omn. jud. Ratio eſt, quia ſubreptio non doloſa, ſed ex ſimplicitate vel ignorantia proveniens non reddit vitioſum reſcriptum, ſive contenta in eo, niſi quatenus eſt cauſa inductiva conceſſionis: ſi ergo ſubreptio fuit cauſa inductiva ſolius formæ accidentalis reſcripti, videlicet quoad ſpecialem modum procedendi, ipſam formam ſpecialem tantùm vitiabit, non ſubſtantiam reſcripti, quæ in juriſdictione conſtitit, cujus ſubreptio non fuit cauſa, & quam nihilominus Princeps dediſſet, etiamſi ſubreptio non interveniſſet, Abb. c. l. n. 2.

Ex dictis infertur, quòd Judex delegatus procedere debeat in cognoſcendo ſecundùm voluntatem ac intentionem delegantis, cui proceſſum ſuum conformare debet, quia ejus vices gerit, & ab illo juriſdictio ipſius dependet, ut docet hîc Abb. n. 3. & Decius n. 4. idque colligitur ex cit. c. ſuper litteris §. ſi verò, ubi habetur, ſi appareat, quòd delegans nullas litteras dediſſet, ſi obreptionem ſciviſſet, ſive veritatem cognoviſſet, quòd etiam Judex delegatus nullatenus cauſam cognoſcere debeat: ſecus ſi dele-

ſi delegans, etiam cognitâ obteptione, litteras dediſſet, ſaltem in forma communi, tunc enim etiam delegatus ſecundùm formam communem procedere debet.

XCIX. Porrò prædictam regulam plures DD. extendunt, ut etiam locum habeat in reſcriptis beneficialibus, & alijs litteris gratiæ, quòd nimirùm non virientur, ob ſubreptionem non doloſam, ſive taciturnitatem qualitatis, quâ expreſſâ, Papa nihilominus litteras conceſſiſſet, Abb. in cit. c. ſuper litteris n. 5. Felin. ibid. n. 2. Alij tamen id negant, quia non ſufficit, quòd Papa veriſimiliter conceſſiſſet gratiam vel beneficium, etiamſi qualitas illius fuiſſet expteſſa, ſed requiritur, ut actu facta ſit proviſio, & facta in uno caſu non extenditur ad alium non expreſſum, cùm reſcripta gratiæ ſen ad beneficia ſint ſtrictæ interpretationis, c. ſuſceptum 6. h. t. in 6. gl. in c. ſi motu 23. v. taceatur de præbend. in 6. Decius in cit. c. ſuper litteris n. 6. h. t. Berojus in relectione ejùſdem c. n. 57.

C. Limitatur autem regula ſupra tradita: 1. utrum demum locum habeat, dummodo qualitates non expreſſæ ſint tales, quarum expreſſio de jure communi non requiritur: ſecus, ſi ſint tales, de quibus impetrans ex præſcripto juris ſpecialem mentionem facere debet, quia tunc taciturnitas earum viriat reſcriptum, etiamſi Papa ſeu Princeps, eâ expreſſâ, eodem modo ac facilitate rem poſtulatam conceſſiſſet, Felin. in c. ſuper litteris 20. n. 2. limitatione 1. h. t. Decius ibid. n. 6. & 9. Sanch. cit. diſp. 21. n. 13. Sic ob taciturnitatem beneficij priùs obtenti, quantumvis modici, vitiatur reſcriptum, in quo novum impetratur, tametſi conſtet, Papam, etiam factâ mentione de priore beneficio exiguo, aliud æquè facilè conceſſurum fuiſſe, quia ſpectato jure communi, de obtento priore beneficio etiã modico mentio facienda eſt, c. ſi motu 23. de præbend. in 6. Ratio eſt, quia jura exigunt harum qualitatum expreſſionem ad formam ſubſtantialem impetrationis; ſinè forma autem actus non poteſt ſubſiſtere, formâ enim rei mutatâ, proximè interimitur ſive mutatur & rei ſubſtantia, l. Julianus 9. §. ſed ſiquis ff. ad exhibend. Unde quamvis per ignorantiam etiam inculpatam qualitas de jure neceſſariò exprimenda tacita vel omiſſa fuerit, vitiatur reſcriptum ob defectum formæ, quem ignotanria, etſi inculpata, non ſupplet, licèt excuſet à culpa, Sanch. l. c. n. 14. Similiter ſi qualitas quædam ex ſtylo vel conſuetudine Curiæ Romanæ ſeu Cancellariæ Principis, in reſcriptis neceſſariò exprimenda ſit, eâ tacitâ, ſubreptitium redditur reſcriptum, etiamſi, eâ expreſſâ, Princeps illud eodem modo concederet, Menoch. de arbitrar. jud. caſu. 201. n. 28. Sanch. c. l. n. 16. Ratio eſt, quia ſtylus Curiæ jus facit, c. quàm gravi 6. de crimine falſi, & conſuetudo pro lege habetur, l. minimè 23. ff. de legibus; ideóque idem de tali qualitate eſt ſentiendum, quod de illa, quam jura exprimi jubent; quare nec ignorantia excuſat harum qualitatum taciturnitatem à ſubreptione, Sanch. c. l. & patet ex dictis.

CI. Limitatur 2. ut regula tradita procedat, ſi Princeps, etiam ceſſante obreptione, idem quoad ſubſtantiam reſcriptum dediſſet, vel gratiam conceſſiſſet; ſecus eſt, ſi non eandem gratiam ſeu rem poſtulatam conceſſiſſet, ſed aliam, adeóque aliud reſcriptum in ſubſtantia dediſſet; tum enim reſcriptum impetratum ſubreptitium eſt, etiamſi per ignorantiam vel oblivionem vera cauſa ſuppreſſa, vel falſa fuerit expreſſa. v. g. Titius impetravit reſcriptum contra debitorem ſuum Cajum, & in petitione per ignorantiam vel oblivionem dixit, ipſum ſibi obligatum eſſe ex cauſa mutui, poſtea verò in libello oblato judici delegato ait, eundem ſibi obligatum eſſe ex cauſa donationis; hoc caſu, Judex non poteſt procedere, ne quidem ſecundùm ordinem ſeu formam juris communis, quia cauſa, quæ allegatur in libello, omnino alia eſt, ac diverſa, etiam ſecundùm ſubſtantiam, ab illa, quæ continetur verbis reſcripti; Innocent. in cit. c. ſuper litteris n. 3. h. t. Abb. ibid. n. 3. in fine. Ratio eſt, quia ex eo, quòd Princeps, ſi obreptio non intervenuiſſet, aliam rem conceſſiſſet, vel aliud reſcriptum dediſſet, non ſequitur, quòd eam conceſſerit, vel illud dederit, ſed potiùs oppoſitum, quòd non conceſſerit, quia voluntas conditionata nihil ponit in eſſe, ſive actu & à parte rei. Aliud eſt, ſi eandem rem, ſecundùm ſubſtantiam, etiam non interveniente obreptione, abſolutè conceſſiſſet, vel mandâſſet, tunc enim ex parte Principis concedentis vel mandantis, adeſt abſoluta voluntas, licèt non eodem modo conceſſiſſet, vel ſub eadem forma reſcripſiſſet, ſi obreptio per expreſſionem falſi vel taciturnitatem veri abfuiſſet. Laym. ibid. n. 4. declaratione 4. Cæterùm ſi Princeps reſcriptum omnino non dediſſet, veritate non tacitâ, vel falſitate non expreſſâ, tum reſcriptum ſubreptitium eſt, & irritum, ſive per dolum aut malitiam, ſive per ignorantiam, etiam inculpabilem, fuerit impetratum, ob defectum voluntatis in concedente ſeu reſcribente, dummodo res tacita, vel falsò narrata per ſe ſive intrinſecè ad negotium pertineat, Sanch. tit. diſp. 21. n. 17. & 18. alia limitatio hujus regulæ infrà afferetur.

CII. Aſſertio 2. ſubreptio, per quam ſupprimitur verum, vel exprimitur falſum, tametſi ex ſimplicitate vel ignorantia, vitiat totum reſcriptum, ſi ſit cauſa conceſſionis totius reſcripti, quoad ſubſtantiam, ita ut Papa ſeu Princeps, ceſſante ſubreptione, nullo modo reſcriptum dediſſet, vel rem poſtulatam conceſſiſſet, Innocent. in cit. c. ſuper litteris n. 4. h. t. Abb. ibid. n. 2. & 4. Felin. n. 6. limit. 5. & conſtat ex cit. c. ibi. *Si verò per hujuſmodi falſitatis expreſſionem vel ſuppreſſionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expreſſâ, nos nullas litteras dediſſemus, à delegato non eſt aliquatenus procedendum.* Ratio eſt, quia tunc deeſt voluntas concedentis, à qua pendet ſubſtantia reſcripti. Exempla plura occurrunt in jure: ſic litteræ à ſuperiore impetratæ teſtantes de abſolutione ei collata, qui appellaverat à ſententia, vel cenſura judicis inferioris, non valent, ſi in ijs non contineatur facti ſpecies, ſeu cauſa non fuerit expreſſa, ob quam appellans vel conquerens cenſurâ conſtrictus erat, c. ſuper eo. 5. de cohabit. Cleric. & mulierum, & ibi gl. v. ſetiem.

Similiter reſcriptum Principis vel alterius Judicis impetratum contra ſententiam priùs ab eo latam, in quo illius non fit mentio, invalidum eſt, & obreptitium, c. cùm olim. 12. & ibi Abb. n. 12. de ſententia & re judic. Idque locum habet quoque inte-

ſcripiis

ſcriptis gratiæ ſeu ad beneficia, quæ fiunt irrita, propter taciturnitatem veritatis etiam probabiliter ignoratæ ab impetrante, Abb. in cit. c. ſuper litteris. n. 2. & 6. Felin. ibid. n. 6. limitat. 5. & ſumitur ex c. Conſtitutus. 19. h. t. ubi deciditur, impetrationem beneficij contra ſtatutum Eccleſiæ, ne certus numerus Canonicorum excedatur, non factâ illius mentione, eſſe ſubreptitiam. Ratio eſt, quia in ordine ad valorem gratiæ, non ſpectatur culpa, aut ſimplicitas ſeu ignorantia impetrantis, ſed intentio concedentis, à qua conceſſio gratiæ vim ſuam obtinet: ſi ergo concedens, expreſsâ veritate, aut non allegatâ falſitate, ſive per dolum, aut culpam, ſive ſinè culpa, nullatenus concederet gratiam ſive beneficium, irrita eſt omnino conceſſio, ob defectum voluntatis in concedente, Sanch. cit. diſp. 21. n. 56.

§. IV.

An ob ſubreptionem, quæ contingit circa cauſam non finalem ac principalem, ſed impulſivam tantùm, vitientur Reſcripta?

CIII. Aſſertio 1. Etſi plerique DD. tradunt hanc regulam, non ſolùm reſcripta ſaltem beneficialia obreptitia fieri, ſi taciturnitas veri ſit cauſa propriè finalis conceſſionis, ſed etiam ſi ſit cauſa impulſiva tantùm, quia nimitum, eâ ſublatâ, adeóque cognitâ veritate, Princeps conceſſiſſet quidem rem poſtulatam, ſed difficiliùs, reſcripta vitiari, Abb. in cit. c. ſuper litteris. n. 7. b. t. Garc. tract. de benefic. p. 6. c. 2. n. 200. & alij DD. plerique: probabilius tamen eſt, reſcriptum quodcunque, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, non eſſe ſubreptitium, niſi ſuppreſſio veritatis, vel expreſſio falſitatis ad rem poſtulatam per ſe, & intrinſecè pertinentis, contingat circa cauſam finalem ſeu principalem conceſſionis, quia ſcilicet Princeps, falſitate non allegatâ, vel veritate expreſsâ & cognitâ, probabiliter rem petitam non conceſsiſſet, vel non tali modo ac formâ conceſſiſſet, ſed cum certa reſtrictione, aut conditione. Quòdſi verò ſubreptio, ſive per expreſsionem falſi, ſive ſuppreſsionem veri, tantùm fiat circa cauſam impulſivam conceſsionis, quia nimirum, eâ etiam remotâ, & veritate cognitâ, Princeps rem petitam eodem modo conceſſiſſet, quãvis difficiliùs, non debet cenſeri reſcriptum obreptitium, niſi jus vel ſtylus Curiæ veri expreſsionem ſpecialiter requirat, Decius in c. poſtulâſti. 27. n. 4. h. t. Covarr. lib. 1. reſolut. c. 20. n. 5. Sanch. l. 8. de matrim. diſp. 21. n. 17. & 32. idque ſumitur ex c. dudum. 14. §. nos igitur, de præbend. in 6. ubi habetur, taciturnitatem veri, quo cognito, Pontifex nihilominus conceſſiſſet, non officere gratiæ: *Conſiderantes*, ait *Bonifacius VIII. quòd nos, expoſito nobis de poteſtate prædictas nihilominus litteras gratioſas daremus &c.* Neque obſtat textus in cit. c. poſtulâſti. h. t. qui videtur loqui de cauſa impulſiva, quando veritate expreſsâ, non ita facilè concederetur gratia. Verùm, ut bene advertit Decius ibid. n. 4. erat ibi defectus, non in cauſa impulſiva, ſed finali, nam taciturnitas Vicariæ perpetuæ fuit cauſa finalis conceſſionis, cognitâ enim veritate, Papa nullatenus ſecundum beneficium conceſsiſſet, ut colligitur ex illis verbis: *Pro habente beneficij competentis ſubſidium de levi non ſcribimus*, id eſt, non ſolemus ſcribere, *quin faciamus de primo in noſtris litteris mentionem.*

Ratio prioris partis eſt, quia quando ſubreptio ſive veritatis tacitæ, ſive falſitatis expreſſæ, eſt cauſa finalis concedendæ gratiæ, vel alterius rei petitę, tum conceſsio eſt involuntaria, ob intervenientem errorem ſive ignorantiam; nam Princeps, veritate intellectâ, vel falſitate non expreſſa, omnino non conceſſiſſet, vel certè tali modo non conceſſiſſet rem petitam, adeóque tale reſcriptum eſt irritum, cùm deficiat conſenſus & voluntas ex parte concedentis, à qua præcipuè pendet conceſsio: ac proinde etiamſi talis falſitas per errorem invincibilem fuerit expreſſa, vel veritas ſuppreſſa, quia probabiliter ignorata ab impetratore, reſcriptum nihilominus eſt irritum, quia talis ſubreptio vitiat reſcriptum, non tam ob dolum aut culpam impetrantis, quàm ob defectum voluntatis in concedente.

Ratio poſterioris partis eſt, quia ſubreptio, quæ fit circa cauſam impulſivam, non tollit voluntarium, quandoquidem non movet animum ad ſimpliciter concedendum, quod petitur (nam eâ etiam remotâ, concederetur) ſed ſolùm ad citiùs, promptiùs & libentiùs concedendum, Laym. lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 22. n. 22. & in c. ſuper litteris. n. 1. & c. poſtulâſti. 27. n. 5. h. t.

CIV. Non obſtat etiam, quòd in omni reſcripto vel exprimatur, vel tacitè ſubintelligatur ea conditio, *ſi preces veritate nitantur*, ergo hoc ipſo, quòd reſcriptum contineat falſa narrata, vitioſum erit. Nam reſpondetur, quòd illa conditio intelligi debeat de veritate principali, & ſubſtantiali, nimirum cauſæ finalis, propter quam, & ſinè qua non, Princeps rem poſtulatam concedere voluit; non autem de veritate accidentali, & ſecundariâ, ſive cauſæ impulſivæ, quæ non abſolutè movet ad concedendum, ſed ſolùm ad faciliùs concedendum, & ſinè qua abſolutè adhuc voluiſſet eodem modo concedere, ſubſiſtente veritate ſeu verâ causâ principali, etſi fortè difficiliùs conceſſiſſet, Sanch. cit. diſp. 21. n. 32. & alij apud ipſum citati.

Idque confirmatur à pari, quia donatio procedens ex cauſa ſolùm impulſiva falſa, & ſimulata, non eſt irrita, ſi donator, etiam perſpectâ veritate, donâſſet, quamvìs fortaſsis falſitas & dolus eum impulerit, ut faciliùs & citiùs donaret; ſed tunc ſolùm eſt irrita, quando falſitas contingit in cauſa finali, ita ut, falſitate expreſsâ, abſolutè non donâſſet. Idem c. l. Idémque eſt de aliis contractibus, in quibus dolus propriè non præbet cauſam contrahendi, etſi fortè ad contrahendum impellat, ſeu ſecundariò moveat, Laym. cit. c. 22. n. 20.

CV. Porrò ſi quæratur, unde cognoſci poſſit, an cauſa in reſcripto expreſſa ſit finalis, quâ non expreſsâ, Princeps rem petitam non concederet, an verò impulſiva ſolùm? Id equidem prudentis arbitrio definiendum relinquitur, ſi de eo ex verbis reſcripti non conſtet: qua in re attendi debet, quis ſit ſtylus Curiæ, aut conſuetudo Principis, inſpectis etiam ſimilibus reſcriptis, Felin. in c. ſuper litteris. n. 8. h. t. Sanch.

h.t. Sanch.c.l.n.19. & alij apud ipſum. Utrùm verò in æquali dubio, an cauſa in reſcripto tacita, vel inter alias falsò expreſſa ſit finalis cenſenda, an verò tantùm impulſiva, controvertitur inter DD. Prius affirmant nonnulli, nempe reſcriptum in dubio pro irrito habendum eſſe, nam cùm v. g. impedimentum matrimonij, ſuper quo diſpenſatio petitur, certum ſit, diſpenſatio autem dubia, ſtat poſſeſsio pro impedimento, Molin.tr.2.de juſtitia diſp.173. §. hinc colligitur in fine, & plures alij apud Sanchez c.l.n.20. Sed poſterius & contrarium non minùs probabile eſt, nempe in omnibus litteris gratioſis cauſam tacitam, vel falsò expreſſam cenſendam eſſe potiùs impulſivam tantùm, & non finalem, adeòque etiamſi verè expreſſa foret, adhuc Principem conceſſurum fuiſſe rem poſtulatam, quia in dubio pro actûs nemini præiudicantis valore præſumendum eſt, ut magis valeat, quàm pereat, c. Abhate. 25. de verbor. ſignif. l.quoties 12. ff. de rebus dubiis. quæ juris præſumptio præponderat poſſeſſioni illi ſtanti pro impedimento, eámque elidit, Sanch. c. l. n. 20. & 25. Laym. cit.c.22. n.20.

Quòd ſi cauſa unica in reſcripto exprimatur, ea finalis, non impulſiva cenſeri debet, ac proinde, ſi falſa eſt, irritum eſt reſcriptum, quia Princeps non cenſetur velle concedere rem peritam, ſinè vera aliqua causa, ut patet ex clauſula apponi ſolita, *ſi preces veritate nitantur*, ergo cùm hâc unâ causâ motus fuerit ad concedendum, quando alia non eſt expreſſa, eâ non ſubſiſtente, deficit conſenſus & voluntas Principis concedentis, & conſequenter vitiatur reſcriptũ, ſive ſcienter, ſive ignoranter unica cauſa falſa narrata fuerit; utroque enim caſu, vitiatur reſcriptum, ob defectum conſensûs Principis, qui ſemper præſumitur motus ad concedendum ex cauſa illa expreſſa, Gutierez Canon. quæſt. l. 2. c.15.n.103. & 104. Sanch. c.l.n.41.

CVI. Aſſertio 2. Si veritas tacita, vel falſitas expreſſa merè extrinſecè & per accidens, & impertinenter ſe habeat ad rem poſtulatam, non vitiatur reſcriptum, ſive id ſit juſtitiæ, ſive gratiæ; tametſi Princeps, cognitâ veritate, reſcriptum non dediſſet, v. g. ſi quis vitiis imbutus, quæ tamen non reddunt inhabilem ad beneficium, ijs diſſimulatis, impetrat beneficium, valet conceſſio, etiamſi Pontifex, ſi illa vitia cognita habuiſſet, beneficium non conceſſiſſet: ſicuti nec eleemoſyna data pauperi improbo cenſetur ſubreptitiè impetrata, etſi dans non dediſſet, ſi hominem vitæ improbæ eſſe ſciviſſet, Sanch. cit.diſp.21.n.18. Laym, cit.c.22. n.21. & in cit. c. ſuper litteris. n.1.h.t. Ratio eſt, quia quando veritas diſſimulata, aut falſitas expreſſa extrinſecè tantùm & accidentariè ſe habet ad rem poſtulatam, talis ſubreptio revera non eſt, nec poteſt dici cauſa finalis, imò nec impulſiva conceſsionis, quia non tollit ſimpliciter voluntarium in concedente, quominùs ipſe adhuc velit rem poſtulatam abſolutè concedere, & re ipsâ concedat, quæ voluntas non tollitur per habitualem illam diſpoſitionem & voluntatem non concedendi, quippe quæ actu non exiſtit, vel ſaltem efficaciter non influit, aut afficit conceſsionem rei poſtulatæ, alioquin dicendum foret, non valere impetrationem beneficij à Papa, ſi taceat, alium ipſi valde familiarem mox illud petiturum, quia ſi id ſciret Papa, huic illud denegaret, Sanch.c.l.

§. V.

An vitiatâ unâ parte reſcripti ob ſubreptionem, vitientur etiam alia partes eiuſdem Reſcripti?

CVII. Aſſertio 1. Si reſcriptum juſtitiæ duas vel plures partes inter ſe ſeparabiles contineat, tunc ſi ſubreptio, ſive per expreſsionem falſitatis, ſive per ſuppreſsionem veritatis, ſit cauſa totius reſcripti, ſive contingat in cauſa finali utriuſque partis, totum reſcriptum, quoad utramque ſui partem, eſt irritum, ſive ſcienter & per dolum, ſive per ignorantiam obreptio acciderit, quia deeſt voluntas ſeu intentio concedentis: ſumitur ex cit.c.ſuper litteris.h.t. Sanchez cit.diſp.21.n.56. Quòd ſi ſubreptio contingat circa unam tantùm reſcripti partem, diſtinguendum eſt, an fuerit per dolum ſeu malitiam, ac ſcienter commiſſa: an verò per ſimplicitatem vel ignorantiam, quamvìs craſſam. Priore caſu, vitiatur totum reſcriptum, licèt dolus non fuerit cauſa totius reſcripti, ita ut ſaltem per ſententiam judicis reſcindi poſsit totum reſcriptum, & declarari irritum, in pœnam doloſi: poſteriore verò caſu, non vitiatur totum reſcriptum, ſed ea tantùm pars, cuius ſubreptio non doloſa cauſa fuit, non item altera, cuius cauſa non fuit, dummodò una pars non ſit cohærens, ſed penitus ſeparata ab altera parte, Abb.in cit.c.ſuper litteris. n.2. & 5.Felin.ibid.n.2. & uterque in c. ſedes, 15. n. 4. & n.2.h.t.Gail.lib.1.obſer.14.n.5.

Nam utile per inutile non debet vitiari, quando ſunt ab invicem ſeparabilia, iuxta reg. jur. 37. in 6. juncta gl.ibid. Exemplum ſuprà allatum eſt, ſi ſubreptio non doloſa cauſet ſolam formam procedendi ſummariè falsò expreſſam in reſcripto, illam tantùm vitiabit, non autem totam ſubſtantiam reſcripti, & quoad modum procedendi in forma communi; nam viâ ordinariâ, & ſervato juris ordine, Judex delegatus, vi talis reſcripti, nihilominus procedere poterit, ut patet ex ſuprà dictis n.98.

CVIII. Aſſertio 2. Similiter reſcriptum quoque gratiæ ſive beneficiale, quod quoad unam partem obreptitium, & irritum eſt, ſecundùm alteram partem, ſi ea non ſit connexa, ſed ſeparabilis, valida eſſe poteſt & conſiſtere, gl. communiter recepta in c. ſi eo tempore 9.in fine notand.h.t. in 6.Felin.in c.ſedes. 15. n. 2. extra eod. quia utile per inutile vitiari non debet, reg.jur.37. in 6. v.g. Si quis impetravit reſcriptum ſive mandatum de providendo ipſi beneficium, cum cura, vel ſinè cura animarum, qui tempore datæ litterarum ſive impetrationis, ætatẽ ſufficientem habuit ad beneficium non curatum ſive ſimplex, non autem ad curatum: is poteſt vi talis reſcripti conſequi beneficium ſinè cura, cùm ad id ſufficientem tunc ætatem haberet: non autem beneficium cùm cura, cùm tempore datæ litterarum adhuc non eſſet idoneus, cit. c. ſi eo tempore h. t. in 6. Quare tale reſcriptum validum eſt, &

ſubſiſtit quoad unam partem, videlicet in ordine de beneficium non curatum; irritum verò eſt & obreptitium, in ordine ad beneficium curatum obtinendum.

Hinc patet, quòd ad cognoſcendum, an reſcriptum beneficiale ſit obreptitium, néc ne, tempus datæ ſive impetrationis litterarum attendi debet, quoad habilitatem impetrantis; ita ut non ſufficiat, eum tempore executionis ſive collationis eſſe habilem ad beneficium, ſed etiam requiritur, ut ſit habilis tempore impetrationis, ſeu datæ litterarum: Abb. in c. dilectus 27. n. 8. de præbend. Felin. in c. cum te, 7. h. t. quia reſcriptum gratiæ ſive beneficiale, quod tempore impetrationis fuit ſubreptitium & irritum, propter inhabilitatem impetrantis, non poteſt poſtea tractu temporis convaleſcere, etiamſi impetrans fiat habilis, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non ſubſiſtit, reg. 18. in 6. Aliud eſt, ſi quis impetret à Papa reſcriptum, in quo mandatur ſimpliciter, ut beneficium proximè vacaturum ei conferatur: accidat autem, ut vacet præbenda ſacerdotalis, tunc enim non poteſt ei, vi hujus reſcripti, conferri talis præbenda, ſi tempore vacationis nondum fuit in ætate requiſita ad ſacerdotium; poteſt autem, ſi ætatem illam jam attigit, quia tunc non tempus datæ ſeu impetrationis litterarum, ſed tempus vacationis beneficij, ſive executionis reſcripti beneficialis inſpici debet, ut conſtat ex c. ei cui 29. de præbend. in 6. & ibi gl. v. nondum. Ratio diverſitatis inter utrumque caſum eſt, quia in priore commiſſa fuit obreptio, dum impetrans beneficium curatum, vel non curatum, non fecit mentionem de defectu ætatis requiſitæ ad beneficium curatum, & quia reſcriptum quoad beneficium curatum ab initio fuit propter obreptionem irritum, non potuit poſtea tractu temporis convaleſcere; beneficia enim curata, ad quæ obtinenda major idoneitas ſeu habilitas requiritur, ſpeciali indigent expreſſione. At verò in poſteriore caſu, nulla intervenit obreptio, quia ſupplicans impetravit mandatum de conferendo ſibi beneficio in genere, nullâ in ſpecie factâ mentione de præbenda ſacerdotali, vel diaconali, ideóque ætatis defectum exprimere non debuit: quare licèt impetrans, tempore datæ litterarum, ſeu impetrationis, non habuerit ætatem requiſitam ad obtinendam præbendam ſacerdotalem, ſi tamen eam habuit tempore, quo vacavit aliqua præbenda ſacerdotalis, ea ipſi conferri debet, quia ceſſante ſubreptione, ſi agatur de gratia, cujus effectus nondum eſt executioni mandatus, ſed adhuc pendet, non tempus conceſſionis ſive impetrationis, ſed executionis ſpectari debet, Abb. in cit. c. dilectus n. 8. de præbend. Barb. in cit. c. ei cui, eod. in 6. n. 6.

Ex quo ulteriùs infertur, quòd, ſi Papa alicui, motu proprio, mandet provideri de beneficio curato, vel ſine cura, proximè vacaturo, etſi non habeat ætatem legitimam ad beneficium curatum, tempore impetrationis, ſi tamen habeat eo tempore, quo vacat curatum, debet illi conferri curatum, quia motus proprius tollit obreptionem, c. ſi motu 23. de præbend. in 6. Abb. c. l. n. 9. Franc. in cit. c. ſi eo tempore n. 5. h. t. in 6.

Nec obſtat, quòd, etſi motus proprius tollat obreptionem, non tamen tollit incapacitatem ſeu inhabilitatem perſonæ recipientis gratiam aut beneficium, niſi aliquid addatur, ex quo appareat ſive colligi poſſit, Papam diſpenſare ſeu impedimentum tollere voluiſſe, prout infrà dicetur, ergo non obſtante clauſulâ motûs proprij, qui non habet ætatem requiſitam ad beneficium curatum, eſt incapax ad illud recipiendum. Nam reſpondetur, quòd hic nulla ſubeſt incapacitas, ex parte recipientis gratiam vel beneficium, quia etſi requiratur ætas 24. annorum completorum, ad hoc, ut alicui actu conferri poſſit beneficium curatum: non tamen ſecundùm Jus requiritur talis ætas ad obtinendam gratiam expectativam ad beneficium curatum proximè vacaturum, ſed ſatis eſt, ut eam ætatem habeat Clericus eo tempore, quo ei tale beneficium actu confertur, Laym. in cit. c. ſi eo tempore 9. num. 1. in fine h. t. in 6.

CIX. Aſſertio 3. ſed etſi ſubreptio, non per ſimplicitatem vel ignorantiam, ſed per dolum ſeu malitiam contingat circa unam tantùm partem reſcripti, probabile eſt, illam tantùm partem vitiari, non alteram, ſi partes reſcripti ſint omnino ſeparatæ, videlicet ſuper diverſis negotijs, aut cauſis, & per accidens ſolùm, ſine ulla connexione vel ſubordinatione, in eodem reſcripto ponantur, Sanch. cit. diſp. 21. n. 71. Ut ſi quis v. g. in eodem reſcripto diſpenſationem impetravit in voto caſtitatis, & peregrinationis ad limina Apoſtolorum, allegatâ cauſâ falsâ, etſi ſcienter & per fraudem, circa unum votum; verâ autem circa alterum; non eſt irrita diſpenſatio, quoad votum utrumque, ſed ſolùm quoad illud, in quo contigit ſubreptio per expreſſionem falſi, idem c. l. n. 72. Ratio eſt, tum quia quando diverſæ gratiæ, nullam inter ſe connexionem habentes, in eodem reſcripto conceduntur, ſunt virtualiter duo reſcripta, & merè per accidens, ac veluti materialiter unum: Tum quia cùm hæc irritatio totius reſcripti ſit jure ſtatuta in pœnam doli & malitiæ, cit. c. ſuper litteris h. t. non debet extendi ad ſubreptionem non doloſam, adeóque cùm in jure ſolùm ea irritatio habeatur expreſſa, quoad partes connexas ejuſdem reſcripti, quæ ad eundem finem tendunt, non debet extendi ad non connexas & omnino diſparatas, Sanch. c. l. n. 71. qui textum in c. ſi eo tempore 9. h. t. in 6. abſolutè intelligit de quacunque ſubreptione etiam doloſâ, quia ibi agitur de gratijs omnino ſeparatis & ad diverſos effectus tendentibus, videlicet, unâ ad beneficium curatum obtinendum, alterâ ad ſimplex, ideóque ſubreptio, etſi fraudulenta circa unam, non vitiat alteram; conſentit Decius in cit. c. ſuper litteris n. 1.

Aliud eſt, ſi una pars reſcripti ſit cohærens ſeu connexa cum altera parte, eò quòd ad eundem effectum ſeu finem tendant; ut ſi quis ſimul impetravit in eodem reſcripto diſpenſationem in voto caſtitatis, ut ducere poſſit conſanguineam ſuam, allegans veram cauſam, videlicet periculum incontinentiæ, quod verè ſubeſt, & ſimul falſam cauſam, quòd ipſa alium maritum paris conditionis habere non poſſit: in hoc caſu, diſpenſatio in voto erit valida, ſed diſpenſatio in matrimonio contrahendo erit ipſo jure irrita, niſi cauſa falſa circa impedimentum conſanguinitatis per dolum ſeu malitiam ſit expreſſa, tunc enim totum reſcriptum, etiam quoad diſpenſatio-

nem

Digitized by Google

nem in voto, cujus cauſa vera eſt, ſaltem per ſententiam declaratoriam Judicis reſcindi poterit, in pœnam doli commiſſi, cùm utrumque membrum diſpenſationis ad eundem finem matrimonij contrahendi tendat, Sanch. c. l. n. 71. & 78.

CX. Aſſertio 4. ſi reſcriptum ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, aut beneficiale, propter ſubreptionem etiam non doloſam, ſecundùm partem ejus principalem, irritum ſit, etiam pars acceſſoria irrita cenſeri debet, Abb. in c. ſedes 15. n. 4. b. t. Felin. ibidem n. 2. limit. 1. Sanch. cit. diſp. 21. n. 63. Ut ſi quis v. g. impetravit reſcriptum à Papa, in quo mandavit, ut in aliqua Eccleſia (in qua ſtatutum exſtat de certo numero Canonicorum non excedendo) in Canonicum recipiatur, eique præbenda tunc vacans, vel proximè vacatura conferatur: hoc caſu, ſi principalis pars reſcripti de receptione ſupplicantis in Canonicum, ſit obreptitia, & irrita, propter taciturnitatem ſtatuti de certo numero Canonicorum, etiam pars acceſſoria ejus de præbenda ei conferenda irrita erit, quia eſt annexa Canonicatui, ſive juri Canoniæ, c. conſtitutus 19. ibi: *Quidquid factum eſt occaſione litterarum irritum, decernatis*, h. t. Nam ſi Papæ expoſitum fuiſſet, certum numerum Canonicorum in Eccleſia definitum eſſe, veriſimiliter non mandâſſet ſupplicantem in Canonicum recipi, ultra illum numerum, ideóque gratia principali vitiatâ quoad Canonicatum, vitiatur etiam gratia acceſſoria quoad præbendam, ſeu reditus eidem aſſignandos, quippe cùm præbenda non debeatur, niſi propter Canonicatum, c. relatum 9. & c. dilectus 19. de præbendis.

§. VI.

An motus proprius tollat vitium ſubreptionis in Reſcriptis?

CXI. Aſſertio 1. ſi gratia, motu proprio, non ſolùm Papæ ſeu Principis, ſed etiam alterius Superioris ordinarij, v. g. Epiſcopi conceſſa ſit, non poteſt contra eam opponi ſubreptionis vitium, ob taciturnitatem veritatis neceſſariò exprimendæ, adeóque tale reſcriptum valet, non obſtante obreptione, c. ſi motu 23. ibi: *non ob hoc gratiam hujuſmodi, quæ de noſtra mera liberalitate proceſſit, invalidam volumus reputari*, de præbend. in 6. Clem. ſi Romanus 4. eod. Franc. in cit. c. ſi motu. n. 1. Sanch. cit. diſp. 21. n. 47. & 48. Quamvis autem per clauſulam, *motu proprio*, tollatur ſubreptio orta ex eo, quòd tacita ſit veritas, non tamen per eandem clauſulam tollitur obreptio, quæ provenit ex eo, quòd falſitas ſit expreſſa: ut, ſi v. g. in litteris beneficium vocetur ſimplex, cùm ſit curatum, vel ſi falſus valor exprimatur, Felin. in c. ad aures 8. n. 9. b. t. Menoch. de arbitrar. Jud. caſu 201. n. 38. Ratio diverſitatis eſt, quia quando tacetur veritas, non movetur ab illa Papa ad conceſſionem; neque ſciri poteſt, an bene informatus de rei veritate, denegaret gratiam, ideóque non poteſt dici eſſe conceſſa contra ejus mentem, ſeu intentioné; quin imò cùm ea gratia ex mera Principis liberalitate procedat, potiùs præſumi poteſt, Principem, etiam veritate cognitâ, æquè conceſſurum fuiſſe: at verò cùm falſa cauſa exprimitur, ſi ob illam gratia concedatur, ſatis apparet, contra intentionem & voluntatem Papæ vel Principis, gratiam fuiſſe conceſſam, ſive ob falſam narrationem motum fuiſſe ad concedendum, cùm ex errore fuerit conceſſa, errantis autem nullus eſt conſenſus l. non idcirco 9. C. de juris & facti ignorantia; neque clauſula motûs proprij operatur, aut firmat gratiam conceſſam contra voluntatem ſeu intentionem concedentis, Sanch. l. c. num. 52.

Cenſetur autem Papa ſeu Princeps tunc ſolùm gratiam concedere, motu proprio, quando id in litteris exprimit, cit. c. ſi motu in fine, & ibi Acharan. not. 5. nam motu proprio gratiam concedi nil aliud eſt, quàm Principem nullius precibus, ſed ſponte & proprij animi motu inductum eſſe ad concedendum. Aliud eſt, ſi Papa beneficium vel gratiam concedat, ad inſtantiam ſeu petitionem alterius, & taceatur veritas, vel circumſtantia, quæ neceſſariò exprimenda eſt; tale enim reſcriptum gratiæ eſt ſubreptitium, & irritum ipſo jure, ſive pro ſe, ſive pro alio beneficium, vel alia gratia fuerit impetrata, cit. c. ſi motu, & ibi Francus num. 3.

Veruntamen ſi Papa in litteris aſſerat, ſe motu proprio concedere beneficium, vel gratiam, cenſeri debet, illum motu proprio conceſſiſſe, etſi conſtet, hujuſmodi beneficium vel gratiam ab impetrante priùs petitam fuiſſe; nam hæc petitio non repugnat proprio motui, quò minùs Papa ad gratiam concedendam moveatur, non ob præviam illam petitionem, ſed ex mera liberalitate ac benevolentia ſua, adeóque motu proprio, gloſſ. fin. in cit. c. ſi motu, Menoch. c. l. num. 8. Sanch. l. 8. de matrimon. diſp. 1. num. 6.

CXII. Aſſertio 2. ſed neque motus proprius tollit inhabilitatem perſonæ impetrantis, ſeu recipientis gratiam, neque inducit diſpenſationem ſuper ætate, defectu natalium, irregularitate, beneficiorum incompatibilitate, nec ſupplet aut tollit alia vitia gratiæ, quæ licèt non poſſint opponi per viam ſubreptionis contra illum, cui gratia conceſſa eſt, cùm ſubreptio tollatur per clauſulam proprij motûs: poſſunt tamen opponi per viam juris communis, in quo, vi talis clauſulæ, Papa non intendit diſpenſare: niſi quid addatur, ex quo poſſit colligi, eum diſpenſare, ſeu impedimentum tollere velle, gl. in cit. c. ſi motu. v. ob hoc in addit. ubi id colligit ex textu, nam ibi cautè dicitur, *non ob hoc*, ſcilicet, quòd mentio non fuit habita de priore beneficio, quaſi dicat, ex alia cauſa gratiam poſſe eſſe invalidam, ex gl. in cit. Clem. ſi Romanus v. validam de præbend. Felin. in cit. c. ad aures n. 7. Sanch. c. l. n. 49. Ratio eſt, quia motus proprius non ampliat ſeu extendit conceſſionem gratiæ, ſeu non firmat gratiam contra intentionem concedentis, gloſſ. in Clement. 2. v. directas de præbend. Menoch. cit. caſu 201. num. 81.

At verò in dubio intentio concedentis gratiam, aut diſponentis cenſetur eſſe conformis juri communi, niſi in reſcripto, lege vel ſtatuto aliud ſignificetur. Hinc neque per clauſulam motûs proprij tollitur ſubreptio, ſi taceatur qualitas reſpiciens jus tertij, ut quòd beneficium ſit juris Patronatûs, vel quòd ſit unitum ab Ordinatio alteri beneficio, vel quòd ſtatutum particulare loci repugnet, quia motus pro-

prius jus alteri quæſitum non aufert, Abb. in cit. c. ad aures n. 5. Felin. ibid. n. 8. Sanch. c. l. n. 50. non enim cenſetur velle tollere alicui jus legitimè quæſitum per quamcunque conceſſionem vel reſcriptum, niſi id exprimat, l. 2. §. ſi quis à Principe ff. ne quid in loco publico. l. nec avus 4. C. de emancip. liber. c. quamvis. 8. & c. ſi propter. 10. h. t.

Porrò ſi taceatur qualitas intrinſeca ſive inhærens ipſi beneficio, v. g. quòd ſit curatum, invalida eſt conceſſio, non ob vitium ſubreptionis, ſed ob defectum voluntatis in concedente, de qua non apparet, & cuius defectum Clauſula motûs proprij ſupplere non poteſt, Abb. cit. loc. Menoch. c. l. Sanch. c. l. num. 51.

§. VII.

An & quomodo propter errorem qualitatis adiecta vitientur, & obreptitia fiant Reſcripta?

CXIII. Aſſertio 1. Reſcripta, ſicut & aliæ diſpoſitiones, propter errorem qualitatis adiectæ per modum demonſtrationis non vitiantur, dummodò de corpore ſeu ſubſtantia rei conſtet, atque etiam ſinè tali errore conceſſio vel diſpoſitio eodem modo facta fuiſſet, Abb. in c. ſuper litteris. 20. n. 6. & in c. ſignificante. 34. n. 4. h. t. Felin. in cit. c. ſuper litteris. n. 2. Covarr. l. 1. reſolut. c. 20. n. 6. Sanch. cit. diſp. 21. n. 33. Ratio eſt, quia quando qualitas adjicitur tantùm demonſtrationis causâ, tunc non reſtringitur gratia conceſſa, ac proinde etiamſi deſit qualitas illa, ſeu falſa qualitas ſit demonſtrata, nihilominus Princeps habet revera voluntatem concedendi gratiam ſecundùm ſe, Sanch. c. l. Quemadmodum idem obtinet in Legatis, quæ propter adiectam falſam demonſtrationem non vitiantur, ſi de perſona, cui legatur, vel de re legata conſtet. Ut ſi legetur alicui fundus Sempronianus, qui per errorem vocatur Cornelianus, l. ſi quis 4. ff. de legatis 1. Vel Stichus ſervus, qui eſt ſutor, cùm non ſit ſutor, ſed ſartor, vel nec ſutor, nec ſartor, modò de perſona conſtet, valet Legatum, l. demonſtratio 17. §. 1. l. falſa 33. ff. de conditionib. & demonſtrationib. Ratio eſt, quia nomina perſonarum aut rerum ſignificandarum causâ reperta ſunt, quare etſi in nomine, vel aliis ſignis aut qualitatibus rei demonſtrandæ causâ adiectis erretur, id nihil obeſt cōceſſioni, vel diſpoſitioni, ſi de reipſa quolibet aliò modo conſtet, §. ſiquidem, & §. huic proxima, Inſtitut. de legat.

Simili modo in reſcriptis gratiæ, vel ad beneficia, error in nomine proprio, vel in patria eius, pro quo ſcribitur, non vitiat reſcriptum, ſi de perſona conſtet, Sanch. c. l. n. 37. Ut ſi v. g. is, pro quò petitum & impetratum eſt reſcriptum, per errorem vocetur Georgius Molitor, cùm ipſe nominetur Georgius Faber, vel pro Georgio Fabro natione Gallo, cùm ipſe ſit Germanus, validum eſt reſcriptum, modò de perſona conſtet. Excipi debet, niſi error in nomine vel alia qualitate adiecta causâ demonſtrationis, redundet in perſonam. Ut ſi petitum ſit beneficium pro Jacobo Sanchez, qui in reſcripto per errorem vocatur Jacobus Perez, nam poſito quòd ſit aliquis, qui ſic vocetur, iſque notus ſit ſummo Pontifici, irritum eſt reſcriptum impetratum pro Jacobo Sanchez: nam certū eſt apud omnes, errorem circa perſonam, ſi ſit ſubſtantialis, vitiare reſcriptum. At in hoc reſcripto erratum fuit circa perſonam, & quidem non accidentaliter, ſeu quoad nomen tantùm, quia Jacobus Sanchez per errorem appellatus eſt Jacobus Perez, ſed ſubſtantialiter, ſive per ſe, & quoad intentionem Papæ concedentis, qui putavit pro hoc homine petitum eſſe beneficium, videlicet pro Jacobo Perez, & ideò pro eo reſcripſit, eique concedere beneficium intendit, non alteri eiuſdem nominis, pro quo petitió eſt facta, de quo Papa non cogitavit, quamvis aliàs, ſi error nominis redundans in perſonam non interveniſſet, etiam alteri illi æquè conceſſiſſet, Laym. in cit. c. ſignificante. h. t.

Neque enim hîc locum habere poteſt benigna interpretatio, quòd mens Papæ ſit beneficium illi conferre, pro quo petitur, ſi dignus ſit, quia errore ſublàto, id ei eodem modo contuliſſet, ut vult Sanch. c. l. n. 38. nam cùm reſcripta beneficialia ſint ſtrictæ interpretationis, non poſſunt à caſu vel perſona expreſſa, ad caſum vel perſonam ſpecificè non expreſſam extendi. c. ſedes. 15. h. t. Innocent. in cit. c. ſignificante. v. conveniri.

CXIV. Porrò quod dictum eſt, falſam demonſtrationem non vitiare reſcriptum, id limitandum eſt, niſi ſit illa cauſa finalis ac principalis conceſſionis reſcripti, quia ſcilicet, ſi error abfuiſſet, cōceſſio vel omninò non, vel non tali modò facta fuiſſet, tunc enim non valet reſcriptum, vel diſpoſitio, etſi conſtet de corpore, non ob adiectam falſam demonſtrationem præciſè, ſed ob defectum voluntatis in concedente, Felin. In c. ſignificante. 34. n. 3. h. t. Exemplum habetur in eod. c. ſignificante: nam quidam nomine Raphaël impetravit litteras Apoſtolicas ad Judices quoſdam contra Vitum ſuper controverſia de pannis & aliis quibuſdam ſimilibus: ſed in litteris ſcriptum erat; conqueritur Raphaël de Vito Rhemenſis Diœceſis. Vitus citatus à Judicibus excipiendo propoſuit, ſe vigore illarum litterarum, conveniri non poſſe, eò quòd non ſit Diœceſis Rhemenſis, ſed Leodienſis, de qua litteræ illæ nullam facerent mentionem. Sed quia Judices hanc exceptionem admittere nolentes, nihilominus in cauſa proceſſerunt, ab ijs Vitus appellavit ad Sedem Apoſtolicam. Quare Gregorius IX. mandavit Decano & Canonico Eccleſiæ Leodienſis, ut, ſi rem ita ſe habere cognoverint, in irritum revocent, quidquid à prioribus Judicibus poſt appellationem fuit attentatum.

Jam ergo hîc quæritur, cur, ſi in reſcripto impetrato in cauſa aliqua ad Judices delegatos, in quo reus convent⁹ dicitur eſſe eiuſdem Diæceſis, v. g. Rhemenſis, cùm tamen ex alia ſit Diœceſi, v. g. Leodienſi, contra tale reſcriptum tanquam obreptitium, ratione falsò nominatæ Diœceſis excipi poſsit: cùm tamen perſona, contra quam impetratum fuit reſcriptum, nota ſit, & error ſolùm conſiſtat in qualitate accidentariæ demonſtrationis, videlicet circa Diœceſin falsò nominatam, cuiuſmodi falſa demonſtratio, iuxta dicta, non vitiat reſcriptum, ſi de corpore ſeu perſona conſtet. Ad quod dicendum eſt, tale reſcriptum eſſe irritum, vel tanquam obreptitium irri-

tari

tari poſſe, quia etſi de perſona ejus, contra quem reſcriptum illud emanavit, conſtet: tamen error ille, ſive falſa nominatio Diœceſis, eſt error intrinſecè afficiens reſcriptum directum ad Judices Diœceſis Rhemenſis, & cauſa principalis, ac finalis illius, adeóque delegatio jurisdictionis Rhemenſibus facta fuit involuntaria, & conſequenter irrita: nam ſi Papa ſciviſſet, eum, contra quem reſcriptum impetratum eſt, eſſe è Diœceſi Leodienſi, non Rhemenſibus, ſed potiùs Leodienſibus cauſæ cognitionem delegâſſet, vel ſaltem non tali modo ac formâ, ſed cum clauſula derogatoria dietarum &c. Rhemenſibus commiſiſſet, quia æquum eſt & conveniens, ut reus ſinè cauſâ & neceſſitate ad judices alterius Diœceſis non trahatur; nam ubi quis ſortitur forum judicis Ordinarij, ſortitur etiam regulariter forum delegati, & ordinariè litteræ, quæ cauſarum delegationes continent, impetrari debent ad judices delegatos, vel in Diœceſi rei, vel in proxima intra duas, aut jure novo, intra unam dietam, ut infrà dicetur, gl. in cit. c. v. non de Rhemenſi, Sanch. cit. diſp. 21. n. 39. & Laym. ibid. in fine.

Simile eſt, ſi quis in ſupplicatione falsò narret, ſe dediſſe mutuam pecuniam Titio exiſtenti in Civitate Peruſina, cùm tamen ille eius jurisdictioni non ſit ſubiectus, & impetret reſcriptum juſtitiæ adversùs eundem directum ad judicem Peruſinum; contra tale reſcriptum tanquam ſubreptitium excipi poterit, quia error ille fuit cauſa finalis huius reſcripti, ſi enim Princeps ſciviſſet, reum conventum non eſſe de jurisdictione Civitatis Peruſinæ, cauſam non commiſiſſet tali judici, ut ex Baldo tradit Sanch. cit. loc. num. 39.

CXV. Aſſertio 2. Si error contingat circa qualitatem adiectam per modum taxationis ſeu reſtrictionis, ac determinationis, vitiatur reſcriptum vel diſpoſitio, tametſi error non ſit eius cauſa, quia etiam, ſublato tali errore, reſcriptum vel diſpoſitio eodem modo emanâſſet: præterquam ſi apertè conſtet, aliam fuiſſe intentionem reſcribentis vel diſponentis, Abb. in cit. c. ſuper litteris. n. 6. & in cit. c. ſignificante. n. 6. Sanch. cit. diſp. 21. n. 35. Ratio eſt, quia, ſi ſit error circa ſubſtantiam rei, quæ conceditur, vel perſonam, cui conceditur, ſive circa ſubſtantiale obiectum eius, tunc per illum vitiatur reſcriptũ, vel quælibet alia diſpoſitio. At verò error qualitatis adiectæ per modum reſtrictionis ſeu determinationis, redundat in perſonam, aut ſubſtantiam rei, quæ per qualitatem illam determinatur, & reſtringitur, adeóque eſt error ſubſtantialis, & vitiat reſcriptum, aliámve diſpoſitionem, Laym. in cit. c. ſignificante. n. 7. Exemplum in reſcripto juſtitiæ ſuprà allatum eſt, ſi quis impetravit reſcriptum contra debitorem ſuum, allegando per errorem ſeu ignorantiam cauſam ſeu titulum mutui, cùm tamen ipſe ſit debitor ex cauſa venditionis & emptionis, irritum eſt reſcriptum, vel irritari poteſt propter errorem circa ſubſtantiale obiectum illius, cùm quoad ſubſtantiam ſit alia ac diverſa cauſa mutui, quæ falsò eſt expreſſa in reſcripto, à cauſa ſeu titulo venditionis: idque procedit, etiamſi Princeps, remoto errore, nihilominus reſcriptum illud eodem modo ac formâ conceſſiſſet; Abb. in c. ſuper litteris. n. 3. in fine.

CXVI. Aliud exemplum huius doctrinæ in reſcriptis ad beneficia habetur in c. ſuſceptum. 6. h. t. in 6. Videlicet ſi Papa mandet Epiſcopo, ut beneficium Titij ab eo reſignatum conferat Caio, Titius verò ante reſignationem moriatur, tunc enim Epiſcopus illud Caio conferre non poteſt, cùm non per reſignationem, ſed per mortem vacaverit, ut etiam dictum ſuprà n. 28. cuius ratio eſt, quia tunc beneficium, quod duobus modis vacare poteſt, videlicet per renuntiationem, & per mortem, quæ ſunt omnino diſtinctæ veluti ſpecies ſeu modi vacationum, in reſcripto Pontificio determinatur & reſtringitur ad certum modum vacationis per renuntiationem, adeóque qualitas illa ſive modus vacandi eſt adiectus taxationis ſive limitationis causâ, cuius error vitiat reſcriptum, ſive cõceſſionem gratiæ, ſi nimirum qualitas illa deſit in beneficio, ſive in ea erratum ſit, ob defectum voluntatis in concedente, Abb. in cit. c. ſignificante, n. ult. Barb. in cit. c. ſuſceptum. num. 6.

Aliud eſt, ſi de ſubiecto, ſive ipſo beneficio, quod v. g. per renunciationem Titij vacat, conſtet: falſa autem demonſtratio adjiciatur, ut quòd ſit juris Patronatûs, cùm tamen ſit liberæ collationis: nam per talem errorem, quia eſt in qualitate demonſtrationis tantùm, non redditur irritum reſcriptum, ſi etiã, eo errore non exiſtente, eodem modo conceſſum fuiſſet, neque iuxta ſtylum Curiæ expreſſio talis qualitatis requiratur, Laym. c. l.

CXVII. Ex dictis infertur 1. Si in reſcripto Papali mandetur alicui conferri præbenda non ſacerdotalis ſeu diaconalis, vel integra, vel certi valoris, non poteſt illi etiam volenti & conſentienti conferri, vi illius mandati, præbenda ſacerdotalis, vel dimidia, vel minoris valoris; non enim huiuſmodi mandata (quorum fines diligenter ſervari oportet) debent ad caſus alios, quàm expreſſos extendi, c. cui 27. de præbend. in 6. Idque confirmatur ex doctrina ſuprà tradita, quia ea qualitas cenſetur adiecta taxationis ſeu reſtrictionis causâ, per quam beneficium vel præbenda, quod eſt ſubiectum ſecundùm ſe indeterminatum, & ad diverſas veluti ſpecies indifferens, determinatur ad certam ſpeciem beneficij, ſeu præbendæ: quare ſi beneficium eâ qualitate careat, corruit eius conceſſio ob defectum voluntatis concedentis ſeu mandantis, neque poteſt extendi ad beneficium eâ qualitate determinante non affectum, adeóque ſub illa minimè comprehenſum, licèt aliàs id à Papa faciliùs conceſſum eſſet, Sanch. cit. diſp. 21. num. 36.

CXVIII. Quod autem dictum eſt, ſolùm procedit, ſi in aliqua Eccleſia ſint præbendæ integræ & dimidiæ, maioris & minoris valoris, ut colligitur ex cit. c. cui, ibi: *ſimiliter ſi in Eccleſia, in qua integræ & dimidiæ præbendæ habentur*, de præbend. in 6. nam ſi omnes præbendæ in illa Eccleſia ſint dimidiæ, vel minoris valoris, & Papa alicui reſcriptum det, in quo mandat ei conferri præbendam vacantem, vel proximè vacaturam in illa Eccleſia, quæ integra & majoris valoris ſit: hoc caſu, impetranti conferri debebit præbenda dimidia, vel minoris valoris; quia qualitas, in qua erratum fuit, demonſtrationis tantùm causâ, non taxationis, adjecta fuit, Laym. in cit. c. ſignificante n. 2. in fine. alioqui enim reſcriptum inutile foret, & fruſtra impetratum, cùm nulla integra vel majoris valoris ſit, ut ſupponitur,

tus, in tali Eccleſia, adeóque nulla etiam conferri poſſit.

CXIX. Infertur 2. ſi Papa mandet alicui conferri beneficium Sacriſtiæ, quod per errorem in reſcripto dignitatem appellat, cùm ſit ſimplex officium, validum eſt reſcriptum, ſi de corpore beneficij in ſpecie, (ut Juriſtæ loquuntur) vel in individuo conſtet, quia qualitas illa dignitatis tantùm demonſtrationis causâ eſt adjecta, non reſtrictionis, ſeu determinationis, & error in illa non fuit cauſa conceſſionis, quia etſi Papa ſciviſſet, non eſſe dignitatem, ſed tantùm officium, nihilominus conceſſiſſet; nam cùm ſupplicantem judicaverit dignum majore beneficio, multò magìs cenſeri debet, ei hujuſmodi beneficium conferre voluiſſe, ut decîdit Rota Romana deciſ. 4. aliàs 582. in antiquis h. t. Abb. in cit. c. ſuper litteris num. 6. & in c. ſignificante n. 6. Felin. ibid. n. ult.

Aliud verò dicendum foret, ſi Papa mandet alicui conferri dignitatem in Eccleſia aliqua, ita ut ea qualitas ſit determinans beneficij conferendi, ſive taxationis & limitationis causâ adjecta, reſtringens gratiam conceſſam ad certam ſpeciem beneficij, tunc enim corruit reſcriptum, ob defectum intentionis reſcribentis, etiamſi de beneficio conferendo conſtet. Idémque eſt, ſi Papa mandet alicui conferri beneficium curatum, ita ut qualitas curæ determinet, & reſtringat beneficium ad ſpeciem expreſſam, tum enim non poteſt, vi talis reſcripti, conferri officium vel beneficium ſimplex, Laym. in cit. c. ſignificante n. 5. & lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 22. n. 26. & ex ſuprà dictis conſtat.

§. VIII.

De aliis modis ſive cauſis, ob quas Reſcripta redduntur invalida, vel ſuſpecta de falſitate.

CXX. Aſſertio 1. Reſcriptum à Sede Apoſtolica impetratū, quod manifeſtum in conſtructione peccatum ſeu errorem continet, fidem non meretur, adeóque invalidum eſt, prout conſtat ex c. ad audientiam 11. h. t. nam quidam, qui ab Epiſcopo ſeu Ordinario ſuo excommunicatus fuerat, eidem præſentavit litteras tanquam à Sede Apoſtolica miſſas, in quibus continebatur, ut ab excommunicatione abſolveretur; ſed quia in illis Epiſcopus deprehendit errorem contra Latinitatem, idem illas velut ſuſpectas remiſit ad Lucium III. qui reſpondit, non eſſe eis fidem habendam, cùm dictæ litteræ manifeſtum in conſtructione peccatum, ſive errorem contineant. Ratio deciſionis eſt, quia cùm reſcripta Sedis Apoſtolicæ, magnâ cùm maturitate conſilij decoquantur ſive concipiantur, c. Apoſtolicæ 4. cauſ. 35. q. 9. & ibi gl. v. decoquantur, & per multorum Officialium, qui in Cancellaria ſunt, manus tranſeant, legantur, emendentur, & relegantur, non eſt veriſimile, illos errorem manifeſtum incorrectum reliquiſſe, gl. in cit. c. ad audientiam v. manifeſtum. Aliud eſt in teſtamentis & inſtrumentis contractuum, quæ cùm uni Tabellioni ordinariè ſcribenda committantur, facilè error aliquis contra Grammaticam in ijs incorrectus relinquitur, ideóque is non vitiat teſtamenta vel inſtrumenta, modò de voluntate diſponentis conſtet, l. errore 7. C. de teſtam. l. qui habebat 54. ff. de manumiſſ. teſtam. l. Imperator 8. ff. de ſtatu hominum.

CXXI. Extenditur autem prædicta Conſtitutio 1. quòd ob falſam Latinitatem vitiantur omnia reſcripta Apoſtolica, tam gratiæ, quàm juſtitiæ, quia in utriſque locum habet eadem ratio: Felin. in cit. c. ad audientiam n. 5. in fine. licèt aliàs falſitas faciliùs præſumatur in privilegijs ſeu litteris gratiæ, quàm juſtitiæ, quæ jus non tribuunt.

Extenditur 2. communiter hæc conſtitutio Juris Canonici etiam ad reſcripta Imperatorum, Regum, & Principum ſecularium, quia & eorum litteræ per manus Notariorum, Doctorum, & expertorum, qui in eorum Cancellaria ſunt, tranſeunt, ideóque & ipſæ propter errorem in conſtructione vitiantur, cùm eadem in illis ſit ratio, Abb. in cit. c. in fine. Quamquam de reſcriptis Cæſareis nihil jure civili ſit expreſſum; ſicuti de reſcriptis Pontificijs Jure Canonico, Azor. p. 1. Inſtit. l. 5. c. 24. q. 5. in fine.

Extenditur 3. quòd vitiantur hujuſmodi litteræ Apoſtolicæ, non ſolùm quoad illam partem, vel articulum, in quo error conſtructionis continetur, ſed in totum, ſive etiam quoad alia, quæ ſinè vitio Latinitatis in ijſdem litteris continentur, quia Jure Canonico ſimpliciter & abſolutè ſtatutum eſt, hujuſmodi reſcriptis erroneis fidem habendam non eſſe, Felin. in cit. c. ad audientiam n. 2. Idque intelligendum eſt, non tantùm de partibus ejuſdem reſcripti connexis ſeu cohærentibus, ſed etiam omnino ſeparatis, quòd & illæ vitientur propter errorem conſtructionis, quia tota auctoritas ac fides deficit, cùm fides ejuſdem reſcripti ſit indiviſibilis. Aliud eſt de obreptione, quæ ſi contingat tantùm in una parte ſeu articulo omnino ſeparato, non vitiat totum reſcriptum, quia non impedit, quin conſtet de voluntate Principis, quoad articulum ſeparatum, cujus non eſt cauſa principalis obreptio, ut ſuprà dictum. At verò falſa Latinitas id operatur, ut totum reſcriptum videatur emanâſſe, contra vel præter voluntatem Principis, cui non poteſt ex parte fides haberi, & ex parte non, cùm totum reſcriptum nitatur eâdem auctoritate Principis, & ſignum ſit, totum reſcriptum, ſinè accurato examine, emanâſſe, Felin. c. l. Barb. ibid. n. 4. Fagn. n. 4. & ſeqq.

CXXII. Limitatur autem tradita doctrina, quòd reſcripta Apoſtolica ſolùm tanquam de falſitate ſuſpecta reijci debeant, ſi in conſtructione verborum manifeſtus error ſeu ſolœciſmus contineatur; ſecus eſt, ſi de vitio dubium ſit, vel illud figurâ locutionis, aut aliâ ratione excuſari poſſit; tum enim reſcriptum non corruit, cit. c. ad audientiam, ibi. *manifeſtum.* h. t. Abb. ibid. n. 2. & Felin. n. 3. limitat. 1. etiamſi in elegantia ſermonis defectus fuerit, ſed tunc potiùs locum habet illud dictum: *Indignum eſt, ut verba cæleſtis oraculi reſtringantur ſub regulis Donati*, c. indignum 13. diſt. 38. Sed neque vitiantur reſcripta ob errorem orthographicum in ijs contentum, neque ob defectum unius litteræ vel ſyllabæ: Abb. c. l. Felin. c. l. n. 5. limitat. 2. n. 4. & n. 5. limitat. 5. & n. 6. limitat. 7. ſicuti nec teſtamen-

mentum ideo vitiatur, l. errore 7. C. de teſtament. niſi ſit defectus, qui ſenſum ſubſtantialem reſcripti omnino mutet, c. inter dilectos 6. de fide inſtrument Felin. c. l. limitat. 2. Excipiuntur etiam reſcripta Corpori Juris inſerta, quæ non vitiantur ob falſam Latinitatem, cùm de illis conſtet, quòd emanârint per manus peritorum, ideòque in illis ceſſat præſumptio falſitatis, Felin. c. l. limitat. 8.

Illud hìc notandum, quòd priuſquam reſcriptum propter vitioſam Latinitatem reijciatur, conferenda ſunt verba cum ſtylo Curiæ aut Cameræ Apoſtolicæ, ac videndum, nom modus loquendi ab eo omnino diſcrepet: an verò aliquo modo illi conformis ſit, & ad illum accedat, quia non tam propter vitioſam Latinitatem, quàm propter ſuſpicionem falſitatis & præſumptionem fraudis inde ortam, tale reſcriptum reijciendum eſt: præſumptio autem cedere debet veritati, quando de voluntate Principis valde probabiliter conſtat; Gregor. Tholoſ. in cit. c. ad audientiam. n.4. Eſt autem hæc præſumptio ſive ſuſpicio de falſitate, quæ oritur ex reſcripto Principis, in quo manifeſtus error contra Latinitatem continetur, præſumptio juris & de jure, ita ut non admittatur probatio in contrarium, niſi de hoc liquidè conſtet, Laym. ibidem in fine, & Fagnan. num. 3.

CXXIII. Aſſertio 2. Reſcriptum quoque, quod à Sede Apoſtolica emanavit contra jus commune, de quo mentionem non facit, aut contra communem ſtylum ſeu praxin Curiæ Romanæ, falſum præſumitur, ſeu de falſitate ſuſpectum eſſe, ac reijci debet, c. reſcripta 15. cauſ. 25. q. 2. l. reſcripta 7. C. de precib. Imperat. offerend. l. ult. C. ſi contra Jus &c. Ratio eſt, quia tale reſcriptum cenſetur prodiiſſe præter intentionem Principis ob varias occupationes tunc juris non recordantis, c. ex parte 3. de Capell. Monach. nec enim veriſimile eſt, Principem, cujus eſt jura tueri, voluiſſe jura tot vigilijs excogitata & inventa uno verbo vel reſcripto evertere, c. Eccleſia 57. de electio. Tale reſcriptum contrarium juri communi ac ſtylo Curiæ eſt, ut Judex delegatus ſinè cauſæ cognitione procedat; c. 2. h. t. ideòque ſecundùm formam illius Commiſſarius procedere non debet, nec illud exequi, ſed expectare, donec Princeps certior factus & bene informatus aliud reſcribat, vel reſpondeat, l. ult. C. de precib. Impet. offerend. authent. Ut nulli Judicum 5. & hoc verò jubemus; collat. 9. Quin imò is, qui hujuſmodi reſcriptum alienum à ratione & communi ſtylo Curiæ impetravit & attulit, tanquam ſuſpectus de falſitate & fraude, unà cum illo reſcripto, ad Curiam Romanam remitti debet, Abb. in cit. c. 2. n. 4. h.t. & Imola ibid. n. 3. & conſtat ex c. ſi quando 5. h.t. Idque procedit, non tantùm in reſcriptis juſtitiæ, ſed etiam gratiæ vel privilegij; nam ſi deviet privilegium à communi ſtylo, aut à ratione naturali, non debet Commiſſarius illud exequi, ſed expectare ſecundam juſſionem, ſive mandatum Principis, Abbas. cit. rat. loc.

CXXIV. Aſſertio 3. ſunt & aliæ cauſæ, ob quas reſcriptum non executioni mandari, ſed tanquam ſuſpectum de falſitate reijci debet, de quibus in c. ad hæc 10. h. t. nam ſignificatum fuit Papæ Lucio III. quòd quidam ex Curia Romana litteras afferrent, per quas omnia eorum negotia (ſcilicet præſentia & futura, quæ ideo ob nimiam generalitatem reprobantur, gl. hîc V. omnia negotia & Hoſtieus. V. eodem) unius judicia, vel plurium arbitrio committuntur. Unde fieri ſolet, ut ſi aliquos convenire voluerint, non requiſito examine Judicis Ordinarij, ad unum vel plures Judices delegatos ſibi propitios, adverſariæ autem parti ſuſpectos, pro cauſa examinanda & definienda recurrant. Quare Papa volens huic malo occurrere, mandat Diœceſano, ſive Ordinario loci, ut, ſi hujuſmodi litteras in ſua Provincia reperierit, eas viribus carere, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, decernat.

Hinc colligitur, duas, inter alias, cauſas eſſe (juxta communiorem hujus c. intellectum) ob quas reſcriptum meritò ſuſpectum de falſitate cenſeri debet. Prima eſt, ſi omnia negotia, tam præſentia, quàm futura committantur uni, quantumvis certo judici, tale enim reſcriptum eſt contra communem ſtylum & conſuetudinem Curiæ, cùm per illud nimiùm derogetur Judicis Ordinarij poteſtati, gl. in cit. c. Ad hæc v. omnia negotia, & v. elegerint, & Abb. n. 3. & 4. h. t. quamvis omnia negotia præſentia bene poſſint committi uni Judici delegato, Abb. c. l. n. 6. Hoc autem ſolùm procedit in reſcriptis juſtitiæ, nam per reſcriptum gratiæ poſſunt dari judices delegati, qui habeant poteſtatem ſuper omnibus negotijs præſentibus & futuris: & dicuntur Conſervatores, quales dari ſolent Ordinibus Regularium, ut eos defendant ab omnibus injurijs, & impugnationibus manifeſtis adverſariorum, præſentibus & futuris, c. 1. & ult. de offic. Jud. delegat. in 6. Abb. c. l. n. 5. & 6.

Altera cauſa eſt, ob quam reſcriptum juſtitiæ redditur ſuſpectum de falſitate, ſi non certus, ſed incertus Judex delegetur, unus vel plures, quos ſcilicet impetrans pro arbitrio ſuo elegerit, fieri enim facilè poteſt, ut is unum vel plures Judices delegatos eligat pro cauſis definiendis, qui ſibi ſunt propitij & faventes, parti verò adverſariæ ſuſpecti, quòd cùm ſit iniquum & irrationabile, ideo tale reſcriptum non ſubſiſtit, cit. c. Ad hæc. Veruntamen poteſt Papa per reſcriptum, ex certa ſcientia, dare alicui poteſtatem eligendi judicem delegatum quemcunque voluerit, ſalvo tamen jure eum recuſandi; quia clauſula, *Ex certa Scientia*, æquivalet hîc potentiæ abſolutæ, ſeu plenitudini poteſtatis: poteſt autem Princeps, ex plenitudine poteſtatis, agere etiam contra jus commune poſitivum, aut communem ſtylum ſeu conſuetudinem Curiæ, modò nihil agat contra naturalem rationem & æquitatem: Ut ſi v.g. alicui auferret jus naturale defenſionis, vel ſinè juſta & neceſſaria cauſa, alteram partem gravaret, gloſſ. in cit. c. Ad hæc; v. elegerint in fine. & Abb. ibidem num. 7.

Ex quo infertur, quòd non poſſit Papa, etiam de plenitudine poteſtatis, in reſcripto juſtitiæ delegare judicem incertum, ſeu quem impetrans ſibi elegerit ad cauſam ſeu litem decidendam, denegando parti adverſæ poteſtatem recuſandi talem judicem, quia hujuſmodi reſcriptum irrationabile foret, & nimis oneroſum alteri parti, Abb. c. l. num. 8.

CXXV. Ex

CXXV. Ex dictis colligitur generalis doctrina, quòd is, ad quem dirigitur reſcriptum Papæ ſeu Principis, debeat ei parêre, illúdque exequi, niſi rationabilem cauſam allegare poſſit, quare illud implere ſeu exequi non poſſit; nam ſi Princeps aliquid inſolitum, & moribus populi non conveniens, vel à recta ratione alienum, vel contra publicam utilitatem, aut cum ſcandalo coniunctum committat, vel mandet, non decet id executioni mandari, ſed declaratio petenda, & ſecunda juſſio ſive alterum mandatum Principis eſt expectandum, prout ſumitur ex c. ſi quando. 5. h. t. & ibi tradunt DD. ubi Papa Alexan„ der III. Archiepiſcopo Ravennatenſi reſcribit, „ ſi quando litteræ Papales ad aliquem dirigantur, in „ quibus contineatur quippiam, quod ab æquitatis „ ratione alienum videatur, vel nimis durum aut a„ ſperum (ut ex integra lectione huius c. patet) non „ ideo is turbari debet, ſed negotij, pro quo ſcribi„ tur, qualitatem diligenter conſiderans, aut manda„ tum Papale impleat, aut, quare implere non poſſit, „ cauſam rationabilem per litteras proponat: quia „ Pontifex non ægtè fert, ſed patienter ſuſtinet, ſi „ non impleatur, quod pravâ inſinuatione ei fuit „ ſuggeſtum, ſive per obreptionem ex Curia Romana emanavit. Idem ſumitur etiam ex Auth. Ut nulli Judicum §. Et hoc verò jubemus collat. 9. & ex c. cùm teneamur 6. de præbend. ubi dicitur, non eſſe exequendum mandatum, ſi id ſinè ſcandalo fieri non poſſit. Ratio eſt, quia frequenter accidit, ut Princeps propter falſas informationes non ſtatuenda decernat, vel propter importunitatem petentium non cõcedenda concedat: vel ob multitudinem negotiorũ, non ſatìs cognita reſcribat, & mandet. l. 1. C. de petit. bonor. ſublat. l. 10. & c. ex parte 3. de capell. Monach. ideòque æquo animo ferre debet, ſi huiuſmodi obreptitia reſcripta, ſeu mandata ex Curia eius emanantia non ſtatim executioni mandentur, cit. c. ſi quando; in fine, ubi Papa ait: *patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod pravà nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum*: quia tunc non de Principis poteſtate (de qua diſputare inſtar ſacrilegij eſſe cenſetur, l. diſputare 3. C. de criminib. ſacrilegij) ſed de eius ſcientia & voluntate dubitatur, & præſumitur, illum non voluiſſe, nec ſciviſſe, quod legitimè velle aut facere non potuit, Gail. l. 2. obſ. 58. n. 7. & ſeqq.

Atque idem non in reſcriptis tantùm, ſed etiam in Legibus publicis & univerſalibus, etiam Pontificiis, quandoque locum habere poteſt, ut eorum obſervatio & executio, propter ſpeciales cauſas & difficultates occurrentes in aliquo regno aut provincia, differatur, donec à Principe meliùs informato reſponſum veniat, Suar. l. 4. de legib. c. 16. n. 7.

CXXVI. Hinc ulteriùs infertur, quid dicendum ad illam quæſtionem, ſi Papa reſcribat & mandet, ut Clerico alicui certum beneficium conferatur, qui tamen notoriè indignus eſt, utrùm mandatarius, ſeũ commiſſarius teneatur parêre? Diſtinguendum eſt, vel enim indubitatè conſtat de intentione ac mẽte Papæ abſolutè volentis, ut huic indigno beneficium conferatur, vel non conſtat. Si prius, parendum eſt mandato, ſi in impedimento illo ſeu inhabilitate, ob quam indignus eſt beneficio, Papa diſpenſare poſſit; tunc enim hoc ipſo cenſetur cum illo diſpenſare velle. Si verò Papa nõ poſſit diſpenſare, ſive quia impedimentũ illud eſt juris naturæ, ideóq; abſolutè indiſpenſabile. v. g. ut furioſo vel amenti beneficiũ conferatur: ſive quia inde grave ſcandalum & perturbatio certò oritetur, tunc non eſt ei mandato parendum, quia licitè impleri, & ſinè peccato executioni mandari non poteſt. Si verò de voluntate Papæ certò non conſtet, differri debet mandati executio, donec Papa conſultus iterum reſcribat, ſeu reſpondeat, Abb. in cit. c. ſi quando n. 3. h. t. Joan. Andr. in c. ſignificavit 6. n. 4. de offic. Jud. ordinar.

Similiter quamvìs Papa ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, quidpiam fieri præceperit: ſi tamen rationabiliter exiſtimetur, ſinè populi turbatione ac ſcandalo, vel Eccleſiæ detrimento, obediri uon poſſe, differri poterit executio ſive publicatio excommunicationis & Pontifici ſupplicare, vel ad eundem refetre oportet, & alteram juſſionem expectare, arg. cit. c. ſi quando, & notat Abb. ibid. n. 2. Imola ibid. in fine.

CXXVII. Præterea redditur reſcriptum falſum & ſuſpectum de falſitate, ſi in illo aliquis ex Patriarchis, Archiepiſcopis, vel Epiſcopis, quos Papa *Venerabiles fratres* vocare ſolet, appelletur filius, vel ſi aliquis ex Regibus, aut Principibus, quos filios nominat, frater vocetur, c. quàm gravi 6. de crimine falſi. Item præſumitur reſcriptum falſum, quod eſt raſum vel vitiatum in loco ſuſpecto, c. inter dilectos. 6. de fide inſtrument. quod eſt contra utilitatem publicam, v. g. ut ædificetur in via publica, in præiudicium tranſeuntium, l. ult. C. ſi contra jus &c. vel damnoſum fiſco, l. nec damnoſa 3. C. de precib. Imperat. offerend. vel in præiudicium tertij impetratum, l. 2. C. eod. vel contra privilegia aliorum, niſi de illis nominatim fiat mentio, eiſq; ſpecialiter derogetur, c. cùm ordinem. 6. h. t. vel quod eſt impetratum cõtra tranſactionem, l. cauſas. 16. C. de tranſact. vel lite adhuc pendente, niſi in caſib⁹ jure expreſſis, l. 1. & 2. C. ut lite pendente &c. vel contra ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, & à qua non fuit appellatum, l. ult. C. ſentent. reſcindi non poſſe, l. 3. C. de errore advocat. vel carear debitâ ſolennitate, arg. l. ſi jubemus. 29. C. de teſtam. vel contra prohibita impetratum, &c. l. ſicut. 3. C. de paganis. Plura de his Greg. Tholoſ. l. 1. de reſcript. c. 48. & 51.

SECTIO V.

DE USU ET EXECUTIONE reſcriptorum, eorúmque abuſu.

§. I.

Quibuſnam perſonis committi poſſit, ac debeat executio Reſcriptorum Apoſtolicorum, & ubi eorum executio fieri debeat?

CXXVIII. Aſſertio 1. Executio Reſcriptorum, quæ emanant à Sede Apoſtolica, vel Legatis eius, aut delegatis ab eis, non niſi perſonis Eccleſiaſticam dignitatem aut perſonatum obtinentibus, vel Cathedralium Eccleſiarum Canonicis committi poteſt ac debet, prout conſtat ex c. ſtatutum. 11. in princip.

» cip. h. t. in 6 ubi Bonifacius VIII. ait: ſancimus, » ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum » obtinentibus, vel Eccleſiarum Cathedralium Ca- » nonicis, cauſæ auctoritate litterarum Sedis Apo- » ſtolicæ, vel Legatorum eiuſdem (ſive Legati ſint de » latere, ſive Miſsi, ſive Nati, vel etiam ab eis delega- » ti, cùm cauſas committunt, vigore delegationis, gl. » ibid. v. legatorum) de cætero committantur. Ubi per dignitatem intelligitur Eccleſiaſtica præeminentia, juncta cum juriſdictione fori externi: per perſonatum verò Eccleſiaſtica præeminentia, ſinè juriſdictione, Barboſ. in cit. c. ſtatutum n.21. Idque ſtatutum fuit, tum ob honorem Sedis Apoſtolicæ, ne eius auctoritas in miniſtro inferiore vilipendatur: tum ob utilitatem impetrantium, ut peritos & dignos habeant executores, Greg. Tholoſ. l.1. de reſcript. c.53. Ex quo apertè colligitur, quòd Prælati, & ij, qui dignitates Eccleſiaſticas obtinent, & Canonici Eccleſiarum Cathedralium deberent eſſe periti Juris Canonici, cùm aliàs ipſis ſecurè non poſſit committi cognitio & executio cauſarum Eccleſiaſticarum, ad quam vel maximè neceſſaria eſt ſcientia Juris Canonici.

Extenditur autem hæc Conſtitutio, ut habeat locum, non tantùm in executionibus datis ad cauſas juſtitiæ, ſeu ad lites decidendas; ſed etiam in ijs executoribus, qui deputari ſolent ſuper gratiis Sedis Apoſtolicæ expediendis: modò illi non ſint meri executores, quibus nulla juriſdictio eſt commiſſa, ſed nudum miniſterium, ita ut executionem tantùm mandati facere debeant; v.g. conferre beneficium, vel proviſum mittere in poſſeſſionem, quando nemo ſe opponit: vel quibus articulus aliquis non juriſdictionalis committitur, ut eſt, v.g. teſtium receptio, & ſimilia, quæ ſinè ulla cauſæ cognitione fieri poſſunt: hi enim poſſunt reſcripta exequi, etiamſi ſuprà dictas qualitates non habeant, Navarr. in c. cùm contingat 24. h. t. in ſecunda cauſa nullitatis. n.8.

Aliud eſt de executoribus mixtis, qui ex vi cõmiſſionis ſuæ annexam juriſdictionem habent, & partes judicis aſſumere debent, gl. in Clement. un. v. executores. de offic. delegat. ubi ait: *quòd executores ad providendum delegatum juriſdictionem habent*: hi enim in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti eſſe debent, vel ſaltem obtinere Canoniam Eccleſiæ Cathedralis, quia ſunt veri Judices, ut fusè probat Navarr. c. l. n.1. & ſeqq. quod etiam ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ requiritur, idem cit. loc. n.5. Non tamen neceſſe eſt, ut commiſſio ſive delegatio illis fiat per verba, quæ proceſſum juriſdictionis ſignificant, ſeu cauſæ cognitionem, videlicet ut procedant, *vocatis vocandis*, vel *contradictores compeſcendo*, &c. quia tales clauſulæ tacitè ſubintelliguntur in negotiis, quæ cauſæ cognitionem requirunt, etſi non exprimantur, Navarr. ibid. n.6, & 14. Idémque dicendum de ſubexecutoribus ſive ſubdelegatis gratiarum, qui eaſdem qualitates habere debent, cùm & ipſi habeant poteſtatem cognoſcendi & aſſumendi judicis officium, Rota Romana deciſ. 1. aliàs 99. de offic. delegat. In antiquis. Navarr. c. l. n.5.

CXXIX. Porrò quod dictum eſt, executionem reſcriptorum Apoſtolicorum non debere committi Clericis, qui dignitatem non obtinent, nec Canonicatum Cathedralem, id tantùm procedit in cauſis Eccleſiaſticis, quæ coram Judice Eccleſiaſtico tractari debent; non item in cauſis temporalibus Eccleſiæ, quæ etiam coram Judice ſeculari, ſecundùm Canones, tractari poſſunt. Sic poteſt Papa delegare cauſam criminalem vel civilem contra laicum ſibi ſubditum, vel per viam appellationis contra alium, judicibus etiam laicis, qui cognoſcere poſſunt de cauſis Eccleſiæ temporalibus, & non ſpiritualibus, adeóq; poterit etiam talis cauſa committi Clerico non habenti dignitatem vel Canonicatum, dummodo non ſit cauſa ſanguinis, Joan. Andr. in c. Sua. 65. n. 3. & 4. de appellationib. Franc. in cit. c. Statutum in princip. n. 12. h. t. in 6.

Præterea prædicta Conſtitutio non habet locum, ſi Papa ex certa ſcientia committeret cauſam ſimplici, vel etiam curato Clerico, ſed qui non eſt in dignitate conſtitutus, nec Canonicus Cathedralis, valeret enim commiſſio, quia cùm Papa ſit ſuprà jus poſitivum, cenſetur tunc huic Conſtitutioni derogare, gl. in cit. c. Statutum. v. litterarum. h. t. in 6.

Dicitur autem Papa vel Princeps reſcribere, aut committere ex certa ſcientia, cùm ex tenore reſcripti ſeu mandati apparet, eum habuiſſe notitiam facti & impedimenti, gl. margin. ibid. & Franc. n.13. Sed neque hæc Conſtitutio aſtringit Epiſcopos ſeu Ordinarios, qui reſcripta ſua dirigere poſſunt ad quemvis Clericum, & ei executionem committere, etſi dignitatem non habeat, nec Canonicatum Cathedralem, modò aliàs ſit idoneus, quia nihil ſpecialiter de Epiſcopis jure eſt expreſſum, ideóque diſpoſitio Juris communis manet in ſuo vigore: cuius ratio eſt, quia cùm Ordinarij meliorem notitiam habeant Cleri ſuę Diœceſis, quàm Papa Clericorum totius mundi, cenſentur in particulari nôſſe, quinã in ſua Diœceſi ſint apti ad cauſas cognoſcendas, neque opus eſt ut eorũ delegati ſint perſonæ ita graves, cùm non gerere debeant vices Papæ, gl. in cit. c. v. Sedis Apoſtolicæ.

CXXX. Illud hîc notandum, ſi quis tempore commiſſionis factæ habuit dignitatem, quam poſtea, antequam litteræ Papales ipſi præſentarentur, reſignavit, tum, ſi Commiſsio ei facta ſit ratione officij aut dignitatis ſuæ, non poteſt ipſe eam exequi, ſed ſucceſſor in officio & dignitate negotium expedire debet; ſi verò facta ſit commiſsio perſonæ, ſive ſub nomine proprio, eam exequi poteſt, & debet, ut colligitur ex c. Quoniam. 14. de offic. Jud. deleg. & ibi DD. niſi propter crimen depoſitus ſit, & remotus ab officio ſeu dignitate, ita ut infamiã contraxerit, arg. l. 2. ff. de ſenatorib. Aliud eſt in Canonico Eccleſiæ Cathedralis, is enim propriè ſucceſſorem non habet, gl. communiter recepta in c. Quod ſicut. 28. v. conſentire, in fine, de electiõn. adeóque ſemper cenſetur commiſsio facta perſonæ, etiam nomine eius proprio non expreſſo, & ita in cauſa procedere poterit, eámque expedire, etiamſi Canonicatum reſignaverit, gl. in cit. c. Statutum. v. Canonicis. in fine. Franc. ibid. n.9.

CXXXI. Aſſertio 2. Non ſolùm autem ijs, qui in dignitate Eccleſiaſtica perpetua ſunt conſtituti, ſed etiam illis, qui dignitatem ſive præeminentiam cum Eccleſiaſtica juriſdictione habent, etſi ad nutum Superioris revocabilem, poteſt committi executio Reſcriptorum Papalium, cum cauſæ cognitione: Sic enim Officialis principalis ſive Vicarius »

„ Generalis Epiſcopi, cui ſcillcet juriſdictio Epiſco- „ palis generatim, tam quoad cauſas, quàm quoad lo- „ ca Diœceſis commiſſa eſt, à Sede Apoſtolica, vel Le- „ gato eiuſdem (vel etiam delegato) poteſt dari dele- „ gatus, quamvìs ad nutum Epiſcopi revocari poſſit, „ prout habetur in Clement. Etſi 2. h. t. & ibi gl. v. Officialis & v. Legato, quia, quàm diu in officio eſt, præeminentiam ac dignitatem gerit, & juriſdictionem Epiſcopalem in eius Tribunali exercet, cui nomine & vice Epiſcopi præeſt.

CXXXII. Idque procedit 1. etiamſi ſit Vicarius Epiſcopi electi & confirmati, non tamen conſecrati, quia quoad officium ſive exercitium juriſdictionis, conſecratio nihil addit poteſtati Epiſcopi, gl. in cit. Clement. 2. V. Epiſcopi, in fine, & Abb. ibid. n. 4. Officialis verò ſeu Vicarius Archidiaconi vel alterius Prælati Epiſcopo inferioris, non poteſt conſtitui delegatus Papæ, gl. & Abb. locis citt.

2. Si in Diœceſi aliqua ſint plures Officiales æquè principales, ſive duo Vicarij Generales concurrentes in ordinaria juriſdictione Epiſcopali ſibi commiſſa, utrique litteræ Sedis Apoſtolicæ committi ſeu delegari poſſunt, ut tradit gl. marg. in cit. Clem. 2. v. „ Principalis. Si verò plures Officiales ſive Vicarij „ Epiſcopi exiſtant, ita ut unus quidem ſit generatim „ conſtitutus ad omnes cauſas & loca Diœceſis: alter „ verò ſolùm quoad certas cauſas, v. g. matrimonia- „ les, vel decimales, vel in certa parte Diœceſis, qualis „ eſt & dicitur Officialis foraneus, vel Vicarius ſeu „ Decanus ruralis; tum is delegatus ſeu Commiſſa- „ rius Papæ eſſe non poteſt, ſive ad nutum Epiſcopi „ ſit revocabilis, ſive non, cit. Clement. 2. & ibi gl. v. foraneo, quia licèt juriſdictionem exerceat limitatam ad certas cauſas, vel certam partem Diœceſis, non tamen Eccleſiaſticam dignitatem ſive præeminentiam obtinet. Idémque dicendum eſt, ſi duo ſint Officiales ſive Vicarij Epiſcopi, unus in ſpiritualibus, alter in temporalibus, nam hic neque juriſdictionem, nec dignitatem Eccleſiaſticam obtinet, adeóque delegatus Sedis Apoſtolicæ eſſe non poteſt, Laym. in cit. c. 11. n. 3. h. t. in 6.

Quamvìs autem aliqui DD. exiſtiment, Vicarium generalem in ſpiritualibus non poſſe eſſe delegatum Sedis Apoſtolicæ, niſi ſimul etiam ſit Officialis ſive Vicarius in temporalibus, prout videre eſt apud Sbroz. l. 1. de Vicario Epiſcopi, c. 49. n. 1. & 2. Garc. p. 5. de benef. c. 8. n. 120. & 121. id tamē verum non eſt, ut docent ijdem, Sbroz. c. l. n. 3. Garc. c. l. n. 122. & 123. & Eccleſiarum praxi repugnat.

3. Vicarius Capituli conſtitutus, Sede Epiſcopali vacante, poteſt eſſe delegatus ſive Commiſſarius Papæ, eſt enim Officialis ſeu Vicarius juriſdictionis Epiſcopalis, ideóque in dicta Conſtitutione ſub nomine Officialis ſeu Vicarij comprehenditur, gl. in cit. Clement. 2. V. Epiſcopi, & Abb. ibid. n. 4.

„ CXXXIII. Aſſertio 3. Sed & Prior Conven- „ tualis, qui toti Conventui ſeu Congregationi Re- „ gularium, cum juriſdictione, præeſt, licèt non per „ electionem ſit conſtitutus, ſed per proviſionem ſeu „ nominationem ſuperioris Conventûs ſeu Mona- „ ſterij, v. g. Abbatis vel alterius Prælati, à quo etiam „ pro arbitrio eius amoveri poteſt, delegatus ſeu „ Commiſſarius Papæ vel Legati ejus eſſe, & litteras „ Sedis Apoſtolicæ exequi poteſt, quia dignitatem Eccleſiaſticam ſive præeminentiam junctam cum juriſdictione ſuper certa Congregatione ſeu Conventu Regularium obtinet, cit. Clement. 2. h. t. & ibi gl. V. per electionem, ubi ait: Etſi tales Priores non ſint perpetui, ſatìs tamen eſt, quòd poſſunt eſſe perpetui, id eſt, quàm diu vivent. Aliud verò eſt di- » cendum de Priore clauſtrali, qui in eadem Con- » gregatione ſeu Conventu Regularium Abbati eſt » ſubjectus, ad quem immediatè pertinet poteſtas » adminiſtrationis & juriſdictionis ſuper totum Mo- » naſterium, nam talis Prior, nec juriſdictionem, » nec dignitatem habet, ſed ſimplex officium ſeu cu- » ram ac ſolicitudinem, ideóque delegatus Papalis » eſſe nequit, cit. Clem. 2. & ibi gl. V. clauſtrali, & Abb. num. 6. Niſi tamen Papa ex certa ſcientia talem Priorem clauſtralem deputaret delegatum Sedis Apoſtolicæ, gl. fin. in cit. Clem. & Abb. n. 11. & 12. Multò minùs verò ſimplex Religioſus poteſt conſtitui delegatus ad litteras Papæ, vel ejus Legati exequendas, ut colligitur ex cit. c. Statutum in princip. niſi ex certa ſcientia Papæ, ad id ſit deputatus, Abb. c. l. & patet ex dictis. An autem profeſſo Eccleſiæ Cathedralis regularis, vel Canonico Eccleſiæ Cathedralis ſecularis, ſi religionem ſit ingreſſus, poſſit committi executio litterarum Papalium, infrà dicetur titul. 29. de offic. jud. deleg.

Illud hic addendum, quòd in Concilio Trident. Seſſ. 25. c. 10. de reform. decretum ſit, ut præter Ordinarios locorum, in ſingulis Conſilijs provincialibus aut Diœceſanis, aliquot perſonæ qualificatæ, juxta Conſtitutionem Bonifacij VIII. in cit. c. Statutum h. t. in 6. deſignentur, quibus, vel eorum ſubſtitutis (quorum quatuor ſaltem unaquæque Diœceſis habeat) cauſæ Eccleſiaſticæ ac ſpirituales ſeu ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, à Sede Apoſtolica vel ejus Legato aut Nuntio committi poſſint.

CXXXIV. Aſſertio 4. Quod denique attinet ad alteram quæſtionem propoſitam, ubi executio cauſarum delegatarum in reſcriptis Papalibus fieri debeat, ſtatutum eſt, ut cauſæ delegatæ, authoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejuſdem, non alibi cognoſcantur, ſeu tractentur, nec » audiantur, quàm in civitatibus, vel locis inſigni- » bus, ubi copia peritorum (Juris ſcilicet) commodè » haberi poſſit, ita habetur in cit. c. Statutum in fine » princip. ubi per peritos intelliguntur ij, qui Advocati & Aſſeſſores ſeu Conſiliarij eſſe poſſint, gl. ibid. V. copia & v. peritorum.

§ II.

In quo loco Reus per Reſcriptum impetratum contra illum conveniri debeat?

CXXXV. Aſſertio 1. Spectato Jure an- » tiquo, non poteſt quis per litteras Apoſtolicas tra- » hi vel citari ad judicium ultra duas dietas, id eſt, i- » ter duorum dierum, extra Diœceſin ſuam, niſi ta- » les litteræ cum conſenſu utriuſque partis fuerint » impetratæ, vel niſi in illis expreſſa mentio de hac » Conſtitutione facta fuerit, illique expreſsè dero- » getur, prout ſtatutum habetur in c. Nonnulli 28. in princip.

princip. h. t. quod eſt deſumptum ex generali Concil. Lateranenſ. ſub Innoc. III. habito. Ratio eſt, quia non debet per judicium injurijs aditus patere. cit. c. Nonnulli, nec injuriæ inde naſci, unde jura oriuntur, c. Qualiter 17. de accuſat. Ideóque non » eſt æquum, ut reus ad judicium è loco valdè remo» to, cum magnis ſumptibus & laboribus, citetur, » vel liti cedere, vel actoris vexationem redimere co» gatur cit. c. Nonnulli in princip. Id autem poſtea Jure novo mutatū & magis reſtrictum fuit ad unam Dietam extra Diœceſin, c. Statutum 11. §. cùm verò » h. t. in 6. ubi dicitur, nullus tamen eorum, ultra » unam dietam, à fine ſuæ Diœceſis valeat conveniri: » niſi litteræ Papales fuerint, cum expreſſo conſenſu utriuſque partis, impetratæ, ita, ut non ſufficiat ad id. conſenſus tacitus, ſive præſumptus; vel niſi expreſſè fuerit Conſtitutioni derogatum, Molin. tr. 5. de Juſtit. diſp. 25. n. 7.

Debent autem dietæ illæ computari ſive numerari, non à loco, ubi reus domicilium habet, ſed à finibus ſuæ Diœceſis, cit. §. cùm verò ibi: *à fine Diœceſis*: quia nullum ordinariè gravamen cenſetur inferri parti litiganti, ſi intra Diœceſin impetretur Judex delegatus, cùm per totam Diœceſin, ſive in qualiber ejus parte, trahi & cogi poſſit ad litigandum coram Ordinario, arg. c. Si Epiſcopus 7. de offic. ordin. in 6. Abb. in cit. c. Nonnulli n. 2. Deinde per dietas ſive duas, ſive unam, hîc intelligi debent non legales, quarum una continet XX. milliaria Italica, id eſt, 20. millia paſſuum, paſſus autem 5. pedes continet, l. 3. junctâ gl. v. millia. & v. paſſus. ff. de verb. ſignif. ſed dietæ vulgares, id eſt, quales ſecundùm communem cujuſque loci ſeu provinciæ conſuetudinem, pro dietis computantur, ſiquidem nomina ex communi uſu intelligenda ſunt. c. Ex litteris 7. de ſponſal. Abb. cit. loc. n. 6. & alij DD. communiter. Quòd ſi in loco aliquo non conſtet, quænam ſit dieta vulgaris, ad legales recurrendum erit, quia ad arbitrium judicis non eſt recurrendum, niſi in ijs, quæ non ſunt à lege definita ſeu determinata, l. 1. ff. de jure delibet. c. De cauſis 4. de offic. deleg. Abb. cit. loc.

Verùm ubi ſermo eſt de dietis, & non exprimitur, quòd legales ſeu per legem definitæ intelligantur, frequenter id judicis arbitrio relinquendum eſt, qui conſideratis circumſtantijs diei longi, vel brevis, viarum ac perſonarum, determinabit, quantum viæ ſpatium unam dietam conſtituat, Menoch. de arbitrar. Judic. caſu. 206. num. 3. & ſeqq. & alij apud ipſum citati.

Quòd autem dictum eſt de dietis à fine Diœceſis, in qua reus habet domicilium, computandis, id plures DD. limitant, ut ſolùm procedat, ſi agatur actione merè perſonali, quæ ſcilicet non eſt in rem ſcripta, nec datur ad certam rem: ſecus eſt, ſi agatur actione perſonali in rem ſcripta, vel actione merè reali, id eſt, quæ inſtituitur, ratione rei ſitæ in Diœceſi, tunc enim duæ, vel jure novo una dieta computanda eſt, non à Diœceſi domicilij ſeu habitationis, ſed à Diœceſi, in qua res ſita eſt, Innocent. in c. Dilectus 29. n. 1. h. t. & alij arg. illius textus, ubi tamen nihil de hac re definitur, ſed ſpecies facti ſimpliciter narratur, Barboſ. ibid. n. 2. Contrarium tamen verius eſt, quòd etiam in actione reali computatio dietæ fieri debeat à fine Diœceſis, in qua reus habitat, licèt res alibi exiſtat, gl. in cit. c. Statutum 11. §. cùm verò. v. unam dietam. Imol. in cit. c. Dilectus n. 12. & Felin. ibid. n. 13. h. t.

CXXXVI. Ubi tamen tres regulæ ſeu concluſiones ſunt ponendæ, quas affert Abb. in cit. c. Dilectus n. 4. & ſeqq. Prima eſt, intra Diœceſin, in qua ſita eſt res, de qua litigatur, ſicut poteſt reus conveniri coram Judice Ordinario, c. ult. De foro compet. ita etiam coram delegato Papæ, etiamſi trahatur ultra duas, vel unam dietam, extra Diœceſin domicilij ſeu habitationis, cùm Papa ſit etiam Ordinarius Judex, & in juriſdictione concurrat cum omnibus locorum Ordinarijs, adeóque nullum gravamen reo inferrur, quòd extra domicilium ad judicium vocetur. Secunda, ſi quis per reſcriptum Papale citetur ad Judicium extra Diœceſin, in qua res ſita eſt, (vel ubi contraxit, aut deliquit) dietæ duæ vel una computari debent à loco domicilij, ubi Clericus beneficium poſtulans reſidentiam obtinet, & non à loco, ubi res, de qua litigatur, ſita eſt. Nam Jure Canonico ſtatutum eſt, quòd reus per reſcriptum Papæ non poſſit trahi ad judicium ultra duas, vel jure novo ultra unam dietam extra Diœceſin: Atqui ratione rei ſitæ in certo territorio, non acquirit aliquis Diœceſin ſive domicilium, cùm ibi, ut ſupponimus, ordinariè non habitet, adeò que non fiat, abſolutè loquendo, ſubditus illius loci, licèt ibi ſortiatur forum & conveniri poſſit, ratione rei poſſeſſæ, & conſequenter etiam non poteſt dici trahi extra Diœceſin, in qua res ſita eſt, cùm illa non ſit Diœceſis ſive domicilium ipſius: ſicut etiam in loco, ubi quis contradixit, vel deliquit, non acquirit forum domicilij, quamvis ratione contractûs, vel delicti, ibi conveniri poſſit. Quare hoc caſu, ſi quis habeat domicilium in uno loco, ubi ordinariè habitat, & res, de qua litigatur, ſita in alio loco, conveniri quidem poteſt intra fines Diœceſis rei ſitæ, non tamen extra illam, actione reali, quamvis actione perſonali, poſſit conveniri, ubicunque habet domicilium, gl. in cit. c. Dilectus v. domicilium in fine, & Abb. ibidem num. 4. & 5. Tertia, ſi quis in duabus Diœceſibus domicilium habeat, in una principale, in altera minùs principale, in qua ſubinde habitat, ac reſidet, & res, de qua litigatur, ſita eſt, tunc ſi reus conventus per reſcriptum Apoſtolicum, extra illam, ad judicium trahatur, dietæ computari debent à finibus Diœceſis, in qua res litigioſa ſita eſt, & ſimul domicilium minùs principale habet reus conventus, quia duo vincula fortiùs ligant, quàm unum, Abb. cit. loc. n. 6. & ſumitur ex c. Ex parte 15. in fine de foro compet. & docet ibid. Abb. n. 9.

Quare in caſu cit. c. Dilectus, Reus, contra quem à Papa reſcriptum impetratum eſt ad judices delegatos, rectè excepit, quòd ultra dietas duas ad judicium traheretur extra Diœceſin, in qua Eccleſia, de qua lis eſt, ſita fuit, & juſtè etiam ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Neque rectè cenſuerunt judices delegati dietas à finibus Diœceſis, in qua etiam Reus conventus beneficium habebat, non tamen ibi reſidebat, computari poſſe. Errârunt etiam dicti Judices delegati in eo, quòd cùm ab ipſis ad Papam appellatum eſſet, & ipſe alijs Judicibus cauſam delegâſſet, iſtis inhibuerint, ne in cauſa appella-

tionis procederent, cùm tamen non ad judicem, à quo fuit appellatum, ſed ad Judicem appellationis, vel ab eo delegatum pertineat cognoſcere, an ſit legitimè appellatum, néc ne, & ſi recipienda ſit appellatio, inhibere judici, à quo appellatum, ne in cauſa ulteriùs procedat, c. Romana 3. §. Quòd ſi objiciatur. & c. Non ſolùm 7. de appellat. in 6. Laym. in cit. c. Dilectus n. 3. h. t.

CXXXVII. Porrò circa hanc Conſtitutionem de non trahendo Reo ad litigandum ultra duas dietas, vel unam à fine Diœceſis, quædam adhuc notanda ſunt. 1. Quòd ea ſolùm locum habeat in delegatis à Papa vel Legatis ejus quibuſcunque, non autem in delegatis ab Ordinarijs inferioribus, quia Epiſcopus Diœceſanus nec intra unam dietam, extra fines ſuæ Diœceſis, poteſt cauſas delegare, cùm generaliter SS. Canonibus interdictum ſit, ne quis Epiſcopus jurisdictionem (contentioſam) in aliena Diœceſi exerceat, c. placuit 21. c. Epiſcopum 25. & 2. ſeqq. c. 7. q. 1. Clement. unic. de foro compet. gl. in Clement. 1. V. Legatorum h. t. junctâ gl. marg. & ibid. Abb. n. 3. poteſt tamen Epiſcopus Diœceſanus quemcunque ſubditum à quocunque loco citare ad judicium intra Diœceſin ſuam, etiam ultra unam vel duas dietas, quia in quocunque loco Diœceſis ſuæ non exempto poteſt cauſas ad Eccleſiaſticum forum pertinentes, per ſeipſum, vel per alios delegatos audire & cognoſcere, c. cùm Epiſcopus 7. de offic. judic. ordin. in 6. Similiter Archiepiſcopus ſeu Metropolitanus non poteſt cognoſcere cauſas vel delegare, niſi in ſua Diœceſi, vel in Diœceſi Judicis, à quo fuit appellatum, juxta c. ut litigantes 5. de offic. Ordin. in 6. Abb. in cit. c. Nonnulli n. 4. h. t. Fagn. ibid. n. 5. Sed neque Legatus Papæ poteſt trahere Reum ultra duas vel unam dietam, cùm nequeat diſpenſare in decreto Concilij Generalis, Abb. cit. l. n. 3. Fagn. n. 2.

Notandum 2. Solus Reus prohibetur trahi extra ſuam Diœceſin, ultra duas dietas vel unam, quia hæc Conſtitutio edita eſt in favorem Rei, & lata eſt in odium impetrantium reſcriptum ad lites: actor verò debet ſequi forum Rei, ac proinde etſi in progreſſu litis fiat Reus, quia v. g. reconvenitur à Reo, vel ſi Reus appellet, bene poteſt trahi ultra unam, vel duas dietas à finibus ſuæ Diœceſis, dummodò non trahatur ultra unam vel duas dietas à finibus Diœceſis Rei, quamvìs actor propriè non trahatur, ſed trahit ad judicium, Innocent. in cit. c. Nonnulli in princip. & num. 1. h. t. Hoſtiens. ibidem V. ut Reus.

Notandum 3. Duo ſunt caſus excepti, in quibus reus trahi poteſt ultra duas dietas vel unam, extra Diœceſin, à delegato Papæ. 1. Si partes impetrantes reſcriptum ad lites expreſsè conſentiant in Judices remotos. 2. Si Papa ex certa ſcientia reſcribat contra jus, expreſsè mentionem faciendo in litteris de hac Conſtitutione, eique derogando, ut patet ex cit. cap. Nonnulli. Fagnan. ibidem numer. 12. & 13.

CXXXVIII. Notandum 4. Si lex, ſive Canonica, ſive civilis, clauſulam derogatoriam habeat ſubſequentium diſpoſitionum vel conceſſionum, reſcriptum ei contrarium vel derogatorium non valet, niſi in eo de tali lege expreſſa & ſpecifica mentio fiat, vel ſaltem per verba æquipollentia, v. g. *non obſtante conſtitutione de duabus dietis*, Felin. in cit. c. Nonnulli n. 2, h. t. Quin imò etſi in lege Concilij Generalis clauſula derogatoria non ſit appoſita ſive expreſſa, tamen ſi reſcriptum juſtitiæ ei contrarium & derogatorium à Papa emanavit, in quo de tali Conſtitutione nulla ſit mentio ſpecificè, vel per verba æquipollentia, & vi illius reſcripti, Reus trahatur ad judicium, ultra duas dietas, vel novo jure ultra unam, illud ſubreptitium & invalidum cenſeri debet, Felin. c. l. n. 3. & Abb. ibid. n. 10. & alij apud Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 26. n. 7. Ratio eſt, tum quia Canon ſive Conſtitutio Concilij Generalis, cenſetur in ſe tacitè continere clauſulam derogatoriam ſubſequentium diſpoſitionum contrariarum, niſi in ijs illius mentio fiat. Tum quia reſcripta juſtitiæ, cùm præjudicent parti adverſæ, debent procedere ſecundùm jura, ne adverſarius nimis gravetur. Alia verò ratio eſt de reſcriptis gratiæ, videlicet privilegijs & diſpenſationibus, quæ nemini præjudicant, ideóque non eſt neceſſe, ut in ijs mentio fiat de lege, cui derogant, ut docet Joan. Andr. in c. unic. prope finem. de exceſſibus Prælat. in 6. niſi privilegium ſit contra jus, & graviter præjudicet, ſive deroget juri alteri acquiſito, cùm Princeps rationabiliter non poſſit uni concedere gratiam, cum gravi alterius detrimento, niſi ob juſtam & gravem cauſam, Abb. in cit. c. Nonnulli n. 10. Laym. ibid. n. 5.

Cæterùm in hac re attendendum etiam eſt ad Conſuetudinem Curiæ, ſi enim Papa ſoleat quandóque diſpenſare, vel gratias concedere, contra Generalis Concilij prohibitionem ſive Conſtitutionem, quandoquidem per illam Papa ligari non poſſit, quò minùs ob juſtam cauſam, ſpecialem gratiam aliquibus concedere poſſit, tum gratiæ huiuſmodi, præſertim ſi nemini præjudicent, aut ſi proprio motu, vel ex certa ſcientia conceſſæ ſint, ſubreptitiæ cenſeri non debent. Exemplum habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. c. 5. de reform. matr. ubi in fine ſtatuitur, ut in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam: & tamen, eo non obſtante, Pontifex interdum diſpenſat, etiam cum perſonis inferioris conditionis, ob urgentem cauſam, etſi non publicam, & etiam non adiectâ clauſulâ derogatoriâ Conſtitutionis Concilij Tridentini, Laym. cit. loc.

CXXXIX. Aſſertio 2. Si Actor & Reus eiuſdem civitatis ſive Diœceſis ſint (quia ibi habent domicilium, vel etiamſi alibi ſimul domicilium, adeóq; plura habeant) cauſæ inter illos à Sede Apoſtolica, vel Legatis eius committi non poſſunt, extra civitatem aut Diœceſin, in qua domicilium habent, neque extra illas conveniri aliquis eorum poteſt, ita habetur in cit. c. Statutũ. §. Cùm verò. h. t. in 6. & ibi gl. v. eiuſdem civitatis. Excipitur, niſi ab Epiſcopo contra aliquem de ſua Diœceſi, vel vice verſâ, ab aliquo contra Epiſcopum, vel eius Capitulum, (Cathedralis Eccleſię) vel contra univerſitatem civitatis, villæ, aut caſtri, actio ſit dirigenda; vel niſi actor eandem civitatem ſeu Diœceſin, in qua judicium agitandum eſt, ob adverſarij potentiam, vel aliud juſtum periculum, intrare non audeat, adeóque ipſum intra illam ſecurè conveni-

re nequeat: in bis enim omnibus caſibus, extra eam civitatem aut Diœceſin, poterit contra prædictos cauſa committi ſeu delegari, ita tamen ut nullus eorum poſſit, ultra unam dietam à fine Diœceſis ſuæ, extra illam, in judicium trahi ſeu conveniri, cit. §. cùm verò. Ratio eſt, quia id æquiſſimum eſt, ſi enim Epiſcopus, agens contra aliquem de ſua Diœceſi, in civitate vel Diœceſi ſua, aliquem ex ſuis ſubditis Judicem impetraret, is ut ſuſpectus recuſari poſſet à Reo, c. 2. §. Cùm igitur, ut lite non conteſtata &c. gl. in cit. §. Cùm verò. V. ab Epiſcopo. Et ſi ab aliquo contra Epiſcopum inſtituenda foret actio, vel contra ipſam civitatem, actor in Civitate Epiſcopi vix inveniret judicem, qui oon faveret Epiſcopo, vel ipſi civitati, arg. c. Accedens. 4. ibi: *& omnes ſub diſtrictu exiſtant &c.* Ut lite non conteſtata &c. gl. in cit. §. Cùm verò. v. ab aliquo contra eum. Sed & in caſu juſti timoris vel periculi (quãdo ſcilicet actor Reum in civitate ſecurè convenire non poteſt, quia civitatem intrare non audet, vel quia timet adverſarij ſui potentiam) debet is, qui litteras commiſſionis ad jodicem extra civitatem vel Diœceſin impetravit, in illis exprimere juſtum illum timorem, vel periculum, & de eo fidem facere Judici delegato, ſaltem per proprium juramentum (ſiquidem aliam fidem facere non poteſt, ad juramentum enim recurritur ſolùm in aliarum probationum defectũ) alioquin ſi actor eam fidem non faciat, judex delegatus in cauſa (principali) procedere non debet, ſed cauſam dimittere, condemnãdo actorem in legitimis expenſis à reo factis, cit. c. Cum verò. & ibi gl. v. ſaltem. & v. in cauſa.

Si verò Actor & Reus diverſarum civitatum aut Diœceſium exiſtant, & actor in Civitate vel Diœceſi eiuſdem Rei judicem babere recuſet, ſive ei cauſam delegari nolit, tum judicem, nõ quidem in ſua, ſed in alia civitate, aut Diœceſi liberè impetrare poteſt, Reúmque ad eandem trahere: dummodò locus, ad quem Reus trahendus eſt, ultra uoam dietam ab eiuſdem Rei Diœceſi non ſit remotus, cit. c. Statutum. §. Cùm autem. ubi gl. v. Remotus, addit, etſi locus ille modicum ultra unam dietam remotus eſſet, v. g. per unum milliare, non poterit ibi Reus conveniri.

CXL. Aſſertio 3. Præterea decretum eſt, ut ſi actor eiuſdem cum Reo Diœceſis ſive Civitatis ſit, ſed ſubditus alteri, in alia Civitate aut Diœceſi exiſtenti, cui etiam jus agendi competat, non poſſit in hoc caſu Reus per litteras Apoſtolicas ad judicium trahi, extra Civitatem aut Diœceſin ſuam, ſub prætextu, quaſi Actor & Reus eſſent diverſarum Civitatum aut Diœceſium, quia actor eſt ſubiectus ei, qui in alia Diœceſi exiſtit, ut conſtat ex Clement. 1. h. t. ubi ſtatuitur, quòd Abbates & alij Religioſi præſidentes alicui adminiſtrationi occaſione Prioratuũ vel aliorum locorum ſubditorum eiſdem, nullum auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ vel Legati eius (aut delegati) convenire poſſint: niſi ubi, & coram quibus Prioratuum aut locorum ipſorum Prioribus, aot aliis Gubernatoribus hoc liceret. Nec occaſione locorum ad menſas eorundem pertinentium, aliud ipſi ſuper hoc (ſcilicet conventione Reorum) liceat, quam ſi talia loca ſpeciales adminiſtratores haberent. Si quis autem contra diſpoſitionem hanc aliquem vexare præſumpſerit, in expenſis & intereſſe per Judicem, (coram quo facta fuerit huiuſmodi vexatio) ipſi Reo condemnetur, & omnis proceſſus contra præmiſſa inſtitutus ipſo jure ſit irritus, id eſt, ſinè ope exceptionis, gl. fin. ib. v. g. ſi Prior Conventualis ſit ſubiectus Abbati in alia Civitate aut Diœceſi exiſtenti, & aliquem degentem in Civitate aut Diœceſi, in qua Prioratus exiſtit, convenire velit, debet illum convenire in eadem Civitate aut Diœceſi, quia quando Actor & Reus ſunt eiuſdem Civitatis aut Diœceſis, Reus in illa conveniri debet: neque poteſt per reſcriptum à Papa impetratum, vel Legato eius, trahi ad judicium in Civitate aot Diœceſi Abbatis ſeu Prælati majoris, coi Prior ille vel alius Adminiſtrator eſt ſubiectus; etiãſi lis ſit ſuper fundo pertinente ad menſam Abbatis: adeóque Prælatus maior ſeu Abbas, qui ratione fundi ad menſam ſuam pertinentis, agere poteſt, non poteſt convenire reum, niſi ubi poterat immediatus Prior ſeu Adminiſtrator, nempe in Civitate ſeu Diœceſi, in qua ſitus eſt Prioratus, Clement. cit. Idque ſtatutum fuit ad tollendam fraudem, per quam freqoenter fiebat, ut qui erant Actor & Reus eiuſdem Civitatis aut Diœceſis, fierent Actor & Reus diverſarum Civitatum & Diœceſium, & ſic Reus excluderetur à ſua Diœceſi, ut extra illam conveniri poſſet, contra Conſtitutionem ſuprà allatam, cit. c. Statutum §. Cùm verò, gl. magna in cit. Clement. ubi etſi ſermo ſit de Abbatibus & Religioſis, tamen idem eſt de ſecularibus, qui ſimili modo præſunt, gl. ibid. v. præſidentes.

CXLI. Aſſertio 4. Judex à Sede Apoſtolica delegatus (ſive Actor & Reus ſint eiuſdem Civitatis, aut Diœceſis, & in eadem ſit judex impetratus, vel ex cauſa in alia: ſive ſint diverſarum Civitatum aut Diœceſium, & in civitate Rei impetratus ſit judex & delegatus, vel in tertia civitate) non poteſt partes citare, nec de cauſa ſibi commiſſa cognoſcere, extra Civitatem aot Diœceſin, ad quam eſt deputatus, niſi expreſſus partium conſenſus acceſſerit, prout habetur in cit. c. Statutum. §. In nullo quoque. h. t. in 6. nec ſufficit quòd interveniat conſenſus tacitus, quia non opponitur exceptio, gl. ibid. v. prædictorum, & v. expreſſus: alioquin citatio & proceſſus eſt ipſo jure irritus, gl. ibid. v. citet partes. Sed neque alteri cauſam ſubdelegare poteſt, niſi intra illam Civitatem aut Diœceſin, ad quam eſt deputatus, & non niſi perſonis idoneis, quæ ſcilicet habeant qualitates ſuprà requiſitas, ut poſſint eſſe delegati Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum eius, cit. §. In nullo quoque. Attamen unius articuli audientiam, aut meram rei ſeu cauſæ executionem etiam aliis perſonis idoneis committere poteſt, gl. ibid. v. vicès ſuas. Porrò ratio, cur, ſiquis delegatus ſit à Sede Apoſtolica, ut cauſam certo loco cognoſcat, non poſſit extra illum, ſive in alio loco eam cognoſcere, ſinè partium conſenſu, eſt, quia alioqoin excederet formam reſcripti ſeu mandati, quæ diligenter ſervanda eſt, gl. in c. Statuimus. 13. V. eod. de offic. deleg. in 6. At verò, cum expreſſo partium conſenſo, poteſt delegatus in alio loco, quàm deputato, procedere & cauſam cognoſcere, quia certus locus eſt deputatus in favorem ipſarum partium, ne ſi fortè longiùs diſtet à partibus, eę ob itineris longitudinem magnos ſum-

ptus facere debeant, cui partes velut favori pro ſe introducto renunciare poſſunt, Vivian. in ration. Jur. Pontif. in cit. §. In nullo.

§. III.

De executione Reſcriptorum Sedis Apoſtolicæ, vel Delegatorum, facienda ab Epiſcopo ſeu Ordinario loci, vel Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, ſede vacante.

CXLII. Quæritur 1. An & quomodo Ordinarius loci exequi debeat mandata contraria, quæ à diverſis delegatis Papæ accipit? Reſpondetur, ſi delegatus Papæ Ordinario loci aliquid mandet, quod ad executionem cauſæ ſibi commiſſæ pertinet, illud Ordinarius exequi debet, quia in ea cauſa delegatus repræſentat vices Papæ delegantis, ideóque maior eſt Ordinarijs, & ijs mandata dare poteſt, c. Sanè. 11. de offic. delegat. Abb. in c. Cùm contingat. 24. n. 1. h. t.
» Quòd ſi Titius v. g. impetret reſcriptum à Papa
» contra Cajum ad judicem delegatum, & poſtea Ca-
» jus impetret aliud reſcriptum ad alium delegatum
» ſuper eadem cauſa, & primus delegatus Caium v. g.
» excommunicet, mandétq; Epiſcopo loci, ut eun-
» dem excommunicatum publicè denuntiet: Poſteà
» verò ſecundus delegatus mandet eidem Epiſcopo
» contrarium, ut Cajum ab excommunicatione ab-
» ſolutum promulget. Hoc caſu Ordinarius, quan-
» do mandatum primi delegati recipit, vel ſcit, inter
» judices delegatos controverſiam eſſe de juriſdictio-
» ne, vel penitus neſcit. Si ſcit, non debet exequi
» mandatum, donec lis inter delegatos fuerit deci-
» ſa, juxta c. paſtoralis 14. h. t. ſi autem neſcit, pri-
» mum mandatum exequi tenetur. Quòd ſi poſtea
» ſecundus delegatus, poſt executionem primi man-
» dati, contrarium mandet, tum petat ſibi exhiberi
» utriuſque delegati litteras commiſſionis, vel ea-
» rum copiam, &, ſi reperiat, in poſterioribus expreſ-
» sè revocari priores, exequi debet Ordinarius ſe-
» cundum mandatum: Sin autem non revocentur,
» nullo modo exequi debet: quòd ſi dubitet de re-
» vocatione, non exequatur ſecundum mandatum,
» donec contentio inter delegatos de juriſdictione
» ſit definita. ita habetur ſtatutum in cit. c. cùm con-
» tingat. Ratio deciſionis eſt, quia cùm ſecundum reſcriptum contrarium priori non poſſit cum illo ſimul conſiſtere, neceſſe eſt juriſdictionem vel primi delegati, vel ſecundi contraria mandantis eſſe invalidam, & conſequenter unum ex his delegatis non eſſe judicem competentem, ideóque Ordinarius loci petere poteſt, ut ſibi litteræ utriuſque delegationis exhibeantur, eo ſolùm fine, ut cognoſcat, an per reſcriptum poſterioris delegationis revocatum ſit prius, nécne, & cujus judicis mandatis parêre tenea-
» tur? Abb. ibid. num. 3. Quòd ſi conſtet per ſe-
» cundas delegationis litteras eſſe revocatas primas,
» Ordinarius exequi debet reſcriptum ſecundum,
» non primum, quippe jam revocatum, adeóque in-
» validum. Id tamen cavere debet Ordinarius, ne
» declinandi mandati causâ dicat, ſe dubitare de ju-
riſdictione, ubi dubitandum non eſt, vel, ſe certum »
eſſe de valore aut revocatione reſcripti, ubi certus »
non eſt. Et licèt petere poſſit à Judicibus delega- »
tis litteras delegationis ſuæ, ut videat, cujus man- »
datum debeat exequi, vel non; non tamen ipſi eſt »
conceſſa ulla poteſtas de juriſdictione delegato- »
rum, aut jure partium judicandi, cit. c. Cùm contingat in fine: ac proinde judicis officium ſibi uſurpare non debet.

Hinc colligitur, quòd etſi delegatus Papæ poteſt Ordinarijs mandare in cauſa ſuæ commiſſionis, dummodo litteras delegationis ſuæ exhibeat, quæ fidem faciant de poteſtate accepta: tamen controverſijs ortis inter delegatos Judices de juriſdictione eorum, Ordinarius ſe immiſcere non debet, v. g. utriuſque partis litigantis probationes aut exceptiones admittendo, cùm juriſdictionem in delegatos non habeat, sed eo ſolùm fine poteſt petere exhiberi ſibi litteras Apoſtolicas, ut cognoſcat, an & cui ſu-dici delegato obedire debeat, ſiqua vi illarum, de quibus dubium ortum eſt inter delegatos, jubeatur exequi, Abb. hîc n. 3. not. ult.

Porrò prædicta Conſtitutio habet locum, non tantùm in reſcriptis juſtitiæ, ſed etiam in reſcriptis gratiæ, quæ dantur v. g. ad conferenda beneficia, circa quæ frequentiùs accidit, ut executores Ordinarijs locorum diverſa & contraria mandent; & tum eo modo procedere debent, ſicut de reſcriptis juſtitiæ jam dictum eſt, Joan. Andr. in jam cit. c. num. 3. & Abb. num. 7.

CXLIII. Quæritur 2. An vacante Sede Epiſcopali, poſſit Capitulum Cathedralis Eccleſiæ reſcripta ſeu mandata Sedis Apoſtolicæ exequi, tametſi eorum executio aliàs ad Epiſcopũ propriè ſpectet?

Reſpondetur 1. Si v. g. vacet beneficium aliquod, cujus libera collatio ad ſolum Epiſcopum, non etiam Capitulum, pertinet, non poteſt Capitulum illud conferre, Sede Epiſcopali vacante, c. unic. §. cùm verò ne Sede vacante, &c. in 6. & c. 1. de inſtitut. in 6. & Garcias p. 5. de beneficijs. c. 7. num. 51. Niſi tamen Papa mandet conferri illud certæ perſonæ, tum enim Capitulum poteſt, imò debet exequi mandatum, quia in neceſſarijs beneficiorum collationibus ſuccedit Capitulum, ut ſi ex fundatione certæ perſonæ, vel uni ex familia beneficium conferri debeat, nam ejuſmodi collatio non libera, ſed veluti neceſſaria eſt, ut colligitur ex cit. c. 1. Garc. c. l. num. 76.

CXLIV. Reſpondetur 2. Si vacante Sede Epiſcopali, mandatum à Sede Apoſtolica emanet ad Capitulum de conferendo alicui Canonicatu, vel alio beneficio pertinente ad collationem ſolius Epiſcopi, ſed tempore præſentationis illius mandati, novus Epiſcopus jam electus, & confirmatus, vel etiam conſecratus ſit, tum licèt, quamdiu Sedes vacat, Capitulum exequi hoc mandatum poſſit ac debeat, cùm ad illud ſpectet adminiſtratio, loco & vice Epiſcopi, dum Sedes vacat, c. His quæ 11. & c. cùm olim 14. de majorit. & obed. ſi tamen tempore præſentationis litterarum, novus Epiſcopus jam ſit electus & confirmatus, non poteſt Capitulum ampliùs exequi illud mandatum, ſed Epiſcopus illud executioni mandare debet. cùm Capitulum poſt confirmationem novi Epiſcopi, Epiſcopalia negotia exercere

non

Digitized by Google

non poſſit. Idque ſumitur ex c. Eam te 7. h. t. ſecundùm probabiliore n ejus explicationem, apud
» Abb. ibid. n. 14. nam vacante Sede Tornacenſi,
» Alexander III. ſcripſit ad Decanum & Capitulum
» ejuſdem Eccleſiæ, eiſque mandavit, ut Petrum, qui
» ex Judaiſmo ad fidem Catholicam converſus fue-
» rat, in Canonicum reciperent, & præbendam ei
» conferrent. Cùm verò Petrus litteras illas Deca-
» no & Capitulo præſentâſſet, ipſi reſponderunt,
» quòd jus conferendi beneficia, non ad Capitulum,
» ſed ad ſolum Epiſcopum in ea Eccleſia pertineat.
» Sed quia tum temporis Archidiaconus illius Eccle-
» ſiæ, & pariter Canonicus jam in Epiſcopum conſe-
» cratus erat, Petrus petijt ab ipſo, ut Canonicatum
» ſibi conferret, qui ſe excuſavit, quòd ipſe nullum
» à Papa mandatum accepiſſet. Re delatâ ad Pa-
» pam, ipſe reſcripſit eidem Epiſcopo Tornacenſi,
» excuſationem hanc inanem eſſe, cùm tempore,
» quo ex litteræ datæ erant, ipſe adhuc Canonicus eſ-
» ſet ejuſdem Eccleſiæ & de Capitulo, adeóque illæ
» emanârint tempore Sedis vacantis, & cùm nullus
» adhuc Epiſcopus eſſet. Quare litteræ illæ miſſæ
» fuerunt ad Capitulum, quippe penes quod interim
» omnis poteſtas adminiſtrandi erat, loco & vice E-
» piſcopi. Addit verò Papa, non ideò Petrum re-
» pellendum eſſe à Canonicatu, quòd ex Judaico ge-
» nere ortus ſit.

CXLV. Notandum hîc 1. Frivolam fuiſſe illam excuſationem Epiſcopi Tornacenſis, quòd nullum mandatum conferendi beneficium acceperit, quia cùm tunc, quando emanavit mandatum, ipſe unus è Capitulo fuerit, videlicet Canonicus, ſcire potuit ex data litterarum, quas Papa ad Capitulum dedit, eo tempore Sedem Epiſcopalem vacâſſe, adeóque adminiſtrationem & executionem mandati de conferendo Canonicatu Petro tum ad Capitulum pertinuiſſe: Sed quia in caſu hujus c. cùm litteræ præſentarentur, jam novus Epiſcopus electus, & confirmatus, quin imò & conſecratus fuit, ideò executio mandati, ſicut & omnis adminiſtratio, ad novum Epiſcopum tranſijt, nam quando ſcribitur Capitulo, vel alij vices Epiſcopi gerenti, eique præcipitur, ut beneficium ſeu præbendam alicui conferat, tum Epiſcopus tenetur mandatum illud exequi, ſi ad Epiſcopum aliàs collatio pertineat, quia in effectu reſpectu illius prodijt & factum eſt, & mandatum factum vice gerenti non poteſt ab ipſo adimpleri, ſuperveniente ipſo principali, Abb. in cit. c. Eam te. n. 14. h. t. & Barb. n. 3. Imola ibid. n. 3. Garc. de benef. p. 5. c. 2. n. 26. & 27.

Notandum 2. In reſcriptis Papæ, vel alterius Principis, ſi dubium ſit de eorum valore, vel ſintne obreptitia, nécne, tempus datæ, id eſt, impetrationis, vel conceſſionis inſpiciendum eſt, uti ſumitur ex cit. c. Eam te, & ibi Abb. n. 5. & habetur etiam in c. conſtitutus 19. junctâ gloſſ. V. impetrâſſet h. t. ſicut etiam, quando quæritur de capacitate judicis delegati, aut executoris, ad quem reſcriptum directum eſt, c. Statutum 11. in princ. junctâ gl. V. Canonicis h. t. Decius in cit. c. Eam te. n. 5.

Notandum 3. Quòd Epiſcopus, ante conſecrationem, non poſſit dici promotus ad Epiſcopatum, uti innui videtur in hoc c. ibi: *ante tuam promotionem*, juncto fine, ibi: *nec eſſes adhuc conſecratus*, Abb. hic n. 2. Verùm id intelligi debet, ſi agatur de materia, quæ pertinet ad Ordinem Epiſcopalem, non item de ea, quæ pertinet ad juriſdictionem & adminiſtrationem, quia tum nomine Epiſcopi intelligitur electus & confirmatus, etſi conſecratus non ſit, Felin. hîc n. 5. & ſic cùm dicitur hîc, *ante promotionem*, idem eſt, ac ſi diceretur, *ante electionem & confirmationem* in Epiſcopum, & verbum *conſecratus* poteſt accipi latè pro eo, qui deputatus eſt ad Eccleſiam, Decius hic n. 1. Barb. n. 5.

Notandum 4. Si ſtatutum eſſet in Eccleſia aliqua Epiſcopali, vel alia, ut nemo ex gente Judæorum oriundus recipiatur in Canonicum vel Beneficiarium; Papa autem per reſcriptum mandaret talem recipi, vi talis reſcripti, recipi non deberet, niſi inſerta eſſet clauſula derogatoria talis ſtatuti, vel de eo expreſſa mentio fieret, quia Princeps non cenſetur velle derogare particularibus ſtatutis, vel conſuetudinibus locorum, ſi rationabilia & licita ſint, niſi id exprimat, cùm cenſeatur ea ignorare, c. 1. De conſtitut. in 6. At verò ſtatutum, ut nemo ex genere Judæorum deſcendens recipiatur in Eccleſiam vel Monaſterium, eſt rationabile, ut oſtendit Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 10. a. 3. licèt ſpectato Jure communi Canonico, Judæi converſi non ſint inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, vel Ordinem religioſum, ut patet ex cit. c. Eam te, in fine: tale autem ſtatutum non exſtabat in Eccleſia Tornacenſi, alioquin allegatum fuiſſet, Laym. in cit. c. n. 4.

CXLVI. Cæterùm prædictis addendum, ſi »
Papa, Abbati alicui vel Prælato, cui jure ſpeciali, »
ſive conſuetudinis, ſive privilegij, poteſtas con- »
ferendi beneficia in ſuis Eccleſijs competit, man- »
det, ut Titio de aliquo beneficio provideat: Poſtea »
verò idem Papa aliud mandatum generale det Epi- »
ſcopo Diœceſano, ut in Diœceſi ſua, ſi pro alio re- »
ſcriptum non ſit, de beneficio provideat Sempro- »
nio; hoc caſu non poteſt Epiſcopus id mandatum »
exequi, & inſtituere Sempronium in Eccleſia per- »
tinente ad prædictum Abbatem, ſive in beneficio »
ſpectante ad collationem ejuſdem, quia ipſe jam »
antea ſpeciale mandatum accepit, ut provideret de »
beneficio Titio: non ſolet autem Pontifex pluri- »
bus hujuſmodi mandatis eundem collatorem gra- »
vare, ita habetur in c. Abbatem 40. h. t. Ratio eſt, quia per mandatum generale, præſertim ſi poſteriùs impetratum ſit, non derogatur mandato ſpeciali priùs impetrato: prout ſumitur ex eodem c. juncta gl. v. per litteras generales; & Papa magìs attendit ad collatorem, ne unus idémque pluribus talibus mandatis, ſeu gratijs expectativis gravetur, quàm ad Eccleſiam, ne uni plura mandata de providendo imponantur, Abb. ibid. n. 1. & conſentit. c. Præſenti 3. de offic. legati n. 6. Verùm, ut advertit Beroius in c. 1. h. t. n. 45. deciſio hujus c. non bene probatur ex eo, quòd prius reſcriptum erat ſpeciale, poſterius verò generale, per reſcriptum autem ſpeciale, etſi præcedat, derogatur reſcripto generali ſubſequenti, cit. c. 1. h. t. Nam etſi hoc verum ſit, tamen in caſu cit. c. Abbatem, utrumque reſcriptum erat ſpeciale, quia poſterius dicitur generale ſolùm, quia incertum erat & indeterminatum, non enim ad certum aliquod beneficium referebatur, quare ideo priori reſcripto non derogabatur per poſterius, quia huic ad-

jecta

jecta fuit clauſula, *dummodo pro alio priùs ſcriptum à nobis non fuerit*; per quam clanſulam ſalvum manſit jus prioris reſcripti, Beroius ç. I. Barb. iu cit. c. Abbatem n. 3.

§. IV.

De executione Reſcripti impetrati ad abſolvendum excommunicatum.

» CXLVII. De hoc agitur in c. Ab excom-
» municato 41. h. t. ubi cùm Prælatns quidam ſub-
» ditum ſuum excommunicâſſet, non ſervatâ formâ
» Concilij Genetalis Lateranenſis (nempe præmiſſâ
» monitione Canonicâ, & ob cauſam rationabilem
» ac manifeſtam, c. Sacro 48. de ſent. excom.) excom-
» municatus conqueſtus fuit apud Papam Honorium
» III. qui Excommunicatori mandavit, ut, ſi ita eſt,
» ipſum ſinè difficultate (id eſt, non exacto priùs ju-
» ramento, vel cautione præſtitâ de parendo manda-
» tis Eccleſiæ) abſolvat. Si verò Excommunicator
» huic Mandato parêre recuſet, deputentur alij judi-
» ces delegati, qui Papæ mandatum exequantur,
» & causâ cognitâ, excommunicatum abſolvant.
» Verùm quia ſuper clauſula adjecta in reſcripro
» Pontificis, *ſi ita eſt*, orta fuit quæſtio, num il-
» la referatur ad excommunicatorem, quòd ipſe
» cognoſcere debeat, an excommunicatio legitimè
» lata fuerit, nécne; an verò ad judices delegatos?
» Reſpondet Papa, non excommunicatori, qui de
» proprio facto ſuo certus eſt, ſed judicibus delegatis
» cognitionem hanc committendam eſſe.

Excipi debet, niſi periculum in mora ſit, cit. c. Sacro; vel ſi excommunicatio notoriè iniuſta ſit; tum enim ipſe ſuperior, v. g. Metropolitanus, ſtatim excommunicatum abſolvere, vel, ſi excommunicatio non tantùm injuſta, ſed etiam invalida fuit, declarare debet, illum eâ nunquam ligatum fuiſſe, c. Ad reprimendam. 8. de offic. judic. ordin. Ratio autem, cur excommunicatus ab Epiſcopo, vel alio Prælato ordinariè remittendus ſit pro abſolutione ad excommunicatorem, eſt, quia regulariter, cuius eſt ligare, eſt etiam ſolvere, Gregor. Tholoſan. in cit. c. Ab excommunicato. n. 2. Remittitur autem ad illum, non ut ipſe cognoſcat de juſtitia vel injuſtitia excommunicationis, quia cùm excommunicator de proprio facto certus ſit, fruſtra illi cognitio cauſæ committeretur. cit. c. Ab excommunicato in fine: ignorantia enim facti proprij ordinariè non præſumitur, ſed alieni, prout ſumitur ex cit. c. in fine, & ibi gl. v. de facto ſuo: ſed ea remiſſio ſolùm fit, ut abſolutionem impertiat, idque ad ſervandum honorem Excommunicatoris, cùm honeſtius ſit, ſi quis corrigat factum proprium, quàm ſi in eo ab alio corrigatur, Abb. in cit. c. n. 14. & ſumitur ex c. Venerabilibus 7. §. Sanè ibi; *quanquàm honeſtiùs & convenientiùs agat, ſi ei deferat in hoc caſu*, de ſentent. excommun. in 6. & innuitur etiam in cit. c. Ab excommunicato. v. deferatur.

Quòd ſi excommunicator nolit abſolvere excommunicatum, tum cognitio, an juſtè vel injuſtè fuerit excommunicatus, ad Judices delegatos pertinet, qui antequam cauſam cognoſcant, debet priùs excommunicatus abſolvi, nec audiri, niſi priùs abſolutionem petat, præſtito juramento, aut aliâ cautione de parendo mandatis Eccleſiæ, ſi conſtiterit, eum eſſe juſtè excommunicatum, iuxta c. Adhæc. 12. de ſentent. excommunicat. Deinde Judices delegati cognoſcent, an fuerit excommunicatus, iuxta formâ præſcriptam in Concilio Lateranenſi; & ſi conſtiterit, excommunicationem fuiſſe juſtam, remittent eum ad Excommunicatorem, ut eius mandato pareat in cauſa, ob quam fuit juſtè excommunicatus: ſi verò repererint, injuſtè fuiſſe excommunicatum, puniendus eſt excommunicator, cit. c. Sacro. & delegati cognoſceut de cauſa principali, ob quam fuit excommunicatus, ſaltem ſi ab excommunicatione fuit appellatum, gl. fin. in cit. c. Ab excommunicato, & Abb. ibid. n. 19.

CXLVIII. Hinc colligitur, ſi excommunicatus, v. g. ab Epiſcopo, non appellet à ſententia excõmunicationis, ſed per viam ſimplicis querelæ, adeat ſuperiorem excõmunicatoris, v. g. Archiepiſcopum, & apud eum conqueratur, ſe injuſtè excommunicatum fuiſſe, tum Superior debet eum remittere ad excommunicatorem, ut eundem abſolvat, ſi eum injuſtè excommunicavit, conſtituto Judice delegato, qui, causâ cognitâ, abſolutionem ei conferat, ſi ipſe Excommunicator nolit eum abſolvere: præterquam ſi ob periculum in mora, remitti non poſſit, vel excommunicatio ſit notoriè injuſta, tum enim ipſemet Superior ſtatim hominem abſolvere poteſt, vel declarare, nunquam cenſurâ excommunicationis irretitum fuiſſe, ſi ea non ſolùm iniuſta, ſed etiam invalida fuit, juxta c. Ad reprimendam. 7. de offic. jud. Ordin. Si verò appellatum fuerit à ſententia excommunicationis, tunc vel certum eſt, excommunicationem eſſe injuſtam; & non debet excommunicatus remitti ad excommunicatorem pro abſolutione: Vel certum eſt, illam eſſe juſtam, & debet fieri remiſſio, niſi periculum ſit in mora, vel excommunicator requiſitus malitioſè abſolutionem deneget. Vel denique dubitatur de juſtitia excommunicationis; & tunc in optione Superioris eſt, an velit excommunicatum remittere ad excommunicatorem, vel ipſemet illum abſolvere, quamvis honeſtius & convenientius ſit, ut remittat, prout habetur in c. Venerabilibus. 7. §. Sanè de ſentent. excommun. in 6. Abb. in cit. c. Ab excommunicato. n. 12. & 2. ſeqq. h. t. de quo plura alibi.

§. V.

De aliis quibuſdam obſervandis circa executionem Reſcriptorum.

CXLIX. Aſſertio 1. Judex delegatus ad »
lites à Sede Apoſtolica nullum munus à partibus »
litigantibus accipere poteſt, nec aliud quidpiam, »
quia cum omni puritate, judicium coram delega- »
to procedere debet: præter eſculenta & poculenta »
ex mera liberalitate oblata, ita ut nec directè, nec »
indirectè, ſive nec expreſsè, nec tacitè ſint petita, & »
intra paucos dies (juxta prudentis arbitrium, ſpe- »
ctatis circumſtantiis judicis recipientis, perſonæ »
dantis, rei, quæ offertur &c.) abſumi poſſint, ita ha- »
betur »

betur in c.Statutum. 11. §. Inſuper. in 6. & ibi gl. v. merâ liberalitate,& v. paucis. Deinde excipitur, niſi neceſſarium ſit, delegatũ, ob cauſam ſibi commiſſam, proficiſci extra domicilium ſuum; tum enim moderatas itineris expenſas æqualiter ab eiſdem partibus,ita ut ab una non plus accipiat,quàm ab altera,cùm earum commune negotium geratur, accipere non prohibetur: niſi tamen perſonæ litigantes fuerint notabiliter pauperes, tum enim nihil prorſus etiam pro expenſis ab eiſdem exigere poteſt,cit.§. Inſuper. Non debet autem delegatus occaſionem quærere proficiſcendi extra domiciliũ, ut eiuſmodi expenſas accipiat,ſi cauſę ſibi commiſſæ utilitas vel neceſsitas id non exigat, §.jam cit. Quòd ſi Judex delegatus,præter prædicta,aliud aliquid accipiat,eius dominium non acquirit, ſed reſtituere cogitur, non obſtante quavis remiſsione, cit.c.Statutum.§.Si quid autem. Et ſic eſt hic caſus, in quo dominus rem ſuam in alium transferre non poteſt,quæ eſt exceptio à regula illa; *nihil tam conveniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem domini rem ſuam in alium transferre volentis ratam haberi*, §. per traditionem Inſtit.de rerum diviſ. gl. in cit. c. Statutum.§.Si quid autem.v.remiſsione.

Hæc autem procedunt de Judice delegato à Papa: at verò ſi delegatus ſit ab inferiore Judice Ordinario, v.g. Epiſcopo, etiam ad particularem cauſam, probabilius eſt,quòd non poſsit à litigantibus accipere eſculenta & poculenta,vel expenſas itineris,ſed ab Ordinario delegante hæc præſtanda ſunt, quippe ad quem ratione ſui officij,pertinet, cauſas expedire, ideo enim reditus beneficij accipit, ut onus hoc ſubeat,& cætera ad munus ſuum pertinentia exequatur, gl.in c.Cùm ab omni. 10.v. præter expenſas, de vita & boneſtate Cleric.Molin.tr.2.de Juſtit.diſp.84.n.8. licèt contrarium teneat gl.in cit. §.Inſuper. v. moderatas.

Sed quid ſi Judex delegatus à Papa,munus acceptum à parte litigante,re ipsâ reſtituerit,ſed is, cui reſtitutio facta eſt,id reddat, ac de novo liberaliter donet judici reſtituenti,validáne erit donatio? Probabile eſt, eſſe validam, modò nulla fraus interveniat, ſed ſincerè id fiat,& is,cui donatur,tunc deſierit eſſe judex delegatus donantis,cui reſtituit munus acceptum; alioquin enim lege prohiberetur aliquid à litigante accipere, gl. cit. c. Statutum. v.remiſſione. Molin.cit.diſp.n. 15. Ratio eſt,quia aliud eſt remittere reſtitutionem muneris accepti, quod eſt prohibitum; & aliud rem aliquam, poſt reſtitutionem factam,de novo donare ei, qui reſtituit, cùm ergo hoc poſterius Jure Canonico non ſit prohibitum, ſed ſolùm prius,non debet in hac materia pœnali & odioſa, extenſio fieri de caſu ad caſum non expreſſum, Molin.c.l.

CL. Aſſertio 2. Judex delegatus à S. Pontifice non poteſt,ad deciſionem cauſæ ſibi commiſſæ, aſſumere Aſſeſſorem ſive Conſiliarium, qui ei aſſiſtat,niſi eo indigeat (quia fortè ipſe judex non eſt peritus;vel infirmitate corporis,aut variis negotiis impeditus) quod conſcientiæ illius relinquitur; alioquin ſi ſinè neceſſitate aſſumat Aſſeſſorem, eidem ex propriis providere tenetur judex. Quòd ſi Aſſeſſore indigeat, talem adjungere ſibi debet,qui neutri parti litiganti ſit ſuſpectus, eique ſalarium competens,prout ipſe delegatus moderabitur, (ſecundùm qualitatem cauſæ,& partium conditionẽ, Aſſeſſoris peritiam,&conſuetudinem loci) aſſignabit,à partibus litigantibus, quarum commune negotium geritur,ſolvendum, ita habetur in cit. cap. Statutum. §.Aſſeſſorem, & ibi gl. v. Indigeat; & v. moderando, quia ei incumbit ſumptus præſtare,cuius gratiâ actus exercetur, l.Sed etſi. 11. §. Quo autem locô.ff. ad exhibendum, & l. Quoniam. 11. C. de teſtibus.

Porrò Notarium vel Notarios in cauſa ſibi cõmiſſa à Judice delegato ad ſcribendum aſſumptos, cùm plerumque in exigendo ſalario metas rationis excedere ſoleant,prudenter refrenare debet Judex delegatus,ne cum ipſis,aut cum Aſſeſſore,ullo modo lucrum participet: cit.c.Statutum. §.Notarium verò. alioquin ad reſtitutionem tenebitur, neque quippiam ipſi proderit remiſſio ab ijs facta,quibus reſtitutio lucri accepti fieri debet, cit. c. Statutum. §. Si quid autem.& ibi gl.v.receperit.

Præterea Judex delegatus teſtes vocare non debet ad ferendum teſtimonium in cauſa ipſi commiſſa,niſi conditio & ſtatus cauſæ id requirat: tunc verò is, qui teſtes produxit, expenſas competentes,quas fecerint veniendo,commorando, ac recedendo,illis ſubminiſtrare cogitur, cit. c.Statutum. §. Proferendo. Quidquid autem contra prædictam Conſtitutionem actum fuerit,ipſo jure irritum eſt, & inane,c.jam cit. §.ult. Ubi gl. fin.notat,hoc eſſe novum jus ſeu ſtatutum,quia ſpectato jure antiquo, proceſſus erat validus, etiamſi non obſervarentur quædam, quæ hîc ſtatuuntur, niſi opponeretur contra illum exceptio.

CLI. Aſſertio 3. Quòd verò ad executionem reſcriptorum beneficialium attinet, ſciendum eſt,quòd olim conſuetum erat,ut quando S.Pontifex alicui gratiam ad beneficium vacans,vel jus expectativæ ad beneficium vacaturum dabat, triplices litteras concederet,Monitorias, Præceptorias, & Executorias, de quibus fit mentio in c. Conſtitutus. 19. c. Capitulum 30. c. Ex inſinuatione. 37. c.Litteris. 39. h.t. Monitoriæ erant, per quas velut primarias preces, Papa monebat & hortabatur Ordinarios Collatores,ut ijs,pro quibus ſcribebat, conferrent beneficia, ſiqua tunc vacarent, vel proximè vacatura eſſent, ad eorum collationem pertinentia. Præceptoriæ erant, quibus Papa præcipiebat id ipſum ijs Ordinariis, ad quos antea Monitorias direxerat. Denique Executoriæ erant, in quibus Papa, conſtitutis Executoribus, ijs mandabat, ut Ordinarios Collatores cogerent ad conferendum beneficium tunc vacans,vel primò vacaturum,ijs,quibus mandavit conferri, Azor p.2.l.6. c.32.q.2. Gregor. Tholoſ. l. 1. de reſcriptis.c.4.n.1.

CLII. Porrò conſuetudo olim erat, ut in his litteris dandis ordo ſervaretur; ut primùm quidem Monitoriæ, deinde Præceptoriæ, ac denique Executoriæ darentur; & tunc fieri debebat mentio de Monitoriis & Præceptoriis; quamvìs aliquando Papa det ſimul litteras Monitorias & Executorias, gl. magn.in c. Ex inſinuatione. 37. h.t. Valent autem litteræ executoriæ, tametſi monitoriæ priùs datę non ſint,præterquam ſi in executoriis mentio facta ſit de monitoriis, cùm tamen iſtæ non præceſſerint, tunc

enim executoriæ obreptitiæ erunt, cùm fuerint per falſi expreſsionem impetratæ: alioquin verò procedendum eſt, iuxta formam præſcriptam in litteris executoriis, cit. c. Ex inſinuatione, & ibi gl. v. de mo-
» nitoriis, & Abb. n. 1. ubi habetur, quòd quidam Cle-
» ricus impetravit litteras præceptorias, ut provide-
» retur ipſi de beneficio ad Epiſcopum Ambienen-
» ſem, & poſtea contra dictum Epiſcopum impetra-
» vit litteras executorias ad certos Judices, cùm ta-
» men Epiſcopus nullas monitorias priùs accepiſſet.
» Conſultus ſuper hoc Papa reſpondet, & mandat
» Judicibus illis, ut, ſi ſuper hoc nullæ monitoriæ lit-
» teræ præceſſerint, executoriis ſuperſedeant, ſive ſe-
» cundùm illas non procedant, (cùm præceptoriæ nō
» ſoleant dari, niſi monitoriæ præceſſerint) dummo-
» do eædem executoriæ de monitoriis fecerint men-
» tionem (tunc enim obreptitiæ illæ erunt, quippe
» per falſi expreſsionem impetratæ, gl. hîc v. de moni-
» toriis) alioquin iuxta formam in executoriis tra-
» ditam procedant. Ratio huius Conſtitutionis patet ex dictis.

» CLIII. Quòd ſi verò Titius Clericus à Papa
» litteras monitorias, & mox præceptorias de confe-
» rendo ſibi Canonicatu in certa Eccleſia Collegia-
» ta ad Capitulum ejuſdem Eccleſię impetravit; poſt-
» eà verò alius Clericus Caius ab eodem Papa litte-
» ras executorias impetret ad alios delegatos ſeu Exe-
» cutores de conferendo ſibi ſimili Canonicatu in
» eadem Eccleſia, nullâ factâ mentione priorum lit-
» terarum, & denique etiam Titius litteras executo-
» rias impetret ad alios delegatos, is, qui prius man-
» datum de proviſione facienda à Sede Apoſtolica
» impetravit, in Canonicum inſtitui debet, perpetuo
» ſilentio alteri impoſito; c. Quod ſi verò non
» obſtante eo, quòd Judices delegati in Capitulares,
» qui ab ipſis ad Sedem Apoſtolicam appellârunt,
» ſententiam ſuſpenſionis & excommunicationis
» protulerunt, à quibus ipſi abſolvi debent, prout
» habetur in c. Capitulum 30. h. t. qui eſt caſus illius.
c. Ratio eſt, quia, qui prius mandatum ſeu litteras ad beneficium impetrat, præferri debet poſterius impetranti, c. Tibi 12. eodem in 6. gl. in cit. c. Capitulum v. prius: & Papa non ſolet collatorem beneficiorum gravare pluribus mandatis de conferendo certis perſonis diverſa beneficia in eadem Eccleſia, ut ſumitur ex c. jam cit. & c. Mandatum 38. h. t. Quare ſi plures impetrent litteras à Papa de conferendo ſibi aliquo beneficio in certa Eccleſia, non autem ad idem corpus beneficij conferendum, tum etſi collator poſſet utrique impetranti conferre beneficium, non tamen tenetur, ſi in poſterioribus litteris non ſit appoſita clauſula, *non obſtante, quòd pro alio ſcripſimus*, ſed poteſt is, qui poſteriùs ſive ſecundas litteras impetravit, repelli per viam exceptionis, ſeu oppoſiti gravaminis, quia Papa non intendit gravare eundem collatorem de providendo duobus ſimul in eadem Eccleſia, niſi id exprimat, Abb. in cit. c. 30. numer. 4. h. t.

CLIV. Verùm hodie litteræ monitoriæ & præceptoriæ non ſunt ampliùs in uſu, ſed in deſuetudinem abierunt: niſi quando Papa reſcribit pro receptione alicujus Monialis in Monaſterium, Joan. Andr. in cit. c. Ex inſinuatione in fine h. t. & ibidem Abb. n. 1. ſed communiter ſolùm dantur litteræ Executoriæ, in quibus Papa mandat Ordinarijs Collatoribus, ut conferant benficium ei, qui litteras impetravit, quod vel jam vacat, vel proximè vacaturum eſt in aliqua Eccleſia, conſtitutis inſuper executoribus, cum poteſtate conferendi, ſi Ordinarij, poſt præſentationem mandati legitimè & ſuo tempore factam, recuſent, vel negligant illud conferre, Gregor. Tholoſan. cit. c. 4. n. 3. Et ex ſola impetratione talis reſcripti manet beneficium vacaturum ita affectum & reſervatum, ut alij, quàm impetranti conferri non poſſit cum effectu, c. Si Capitulo 5. de conceſſ. præbend. in 6. Quamquàm omnes gratiæ Exſpectativæ ſeu litteræ de beneficio proximè vacaturo per Concilium Tridentinum ſint ſublatæ, Seſſ. 24. c. 19. De reform. & multò minùs locum habere poſſint in Germania propter Concordata cum Papa Nicolao V. inita, in Conſtit. ad Sacram.

CLV. Cæterùm illud Jure novo ſpeciali- »
ter ſtatutum eſt, ut Auditor in Romana Curia, de- »
putatus à Papa ad cognoſcendum & pronuncian- »
dum in controverſia ſuper aliquo beneficio, cui- »
nam illud de jure ſit debitum, poſſit, abſque alia »
nova commiſſione, dictum beneficium ei confer- »
re, cui eſſe debitum, pronunciavit, & ſic poteſt »
ſuam ſententiam executioni mandare, Clement. »
Auditor. 3. h. t. Idque ſtatutum fuit, ut evitetur circuitus, qui neceſſariò fieret, ſi is, qui impetravit Auditorem, deberet ad Papam redire, pro nova commiſſione impetranda; vel ut Papa aut alius executor ſibi beneficium conferret, ideòque rectè ſtatutum eſt, ut poteſtas etiam conferendi beneficium Auditori concederetur, qui proinde in pronunciando ſeu ferendo ſententiam fungitur vice Judicis delegati, in conferendo verò, vice Executoris, gloſſ. ibid. v. circuitus.

Aliud eſt de Auditore deputato extra Curiam Romanam, is enim non habet poteſtatem conferendi beneficium, abſque nova commiſſione, cùm prædicta Conſtitutio de illo non loquatur, gl. ibidem v. in Romana Curia. Et ratio eſt, quia Auditores dati extra Curiam non ſolent cauſam ſibi commiſſam conferre cum alijs Auditoribus, ſicut fit in Curia Romana, & ideo conſultius eſt, ut nova commiſſio à Papa petatur; nam poſſet eorum factum revocari, & cauſa rurſus committi, ut pleniùs cognoſcatur: quod non fit, ſi res cognita ſit ab Auditore in Curia, cùm non ſit veriſimile, Papam revocaturum factum à Collegio Auditorum Palatij Apoſtolici, Vivian. in Rational. Juris Pontific. in cit. Clement. Sumitur autem hîc beneficium latè, prout etiam comprehendit dignitates Eccleſiaſticas, cùm in his eadem ſit ratio: imò & Epiſcopatum, qui in favorabilibus etiam venit nomine dignitatis, gl. in cit. Clement. v. beneficio, junctâ gl. margin.

Hinc colligitur etiam ex cit. Clement. 3. quòd differentia ſit inter hæc duo, beneficium eſſe ſuum, & beneficium eſſe ſibi debitum, ſicut inter jus in beneficio, & jus ad beneficium, quia poſt collationem beneficij v. g. Titio factam, & ab eo acceptatam, beneficium dicitur ſuum, & habet jus in re in illo: ante collationem verò, ſi competat ei jus aliquod ad beneficium, quia v. g. eſt præſentatus ad illud, habet ſolùm jus ad rem, ſive jus ad beneficium, quia eſt ipſi debitum, gloſſ. in cit. Clement. 3. V. debitum, ubi

alij,

ait, ſi Auditor in caſu illus c. pronunciâſſet, beneficium eſſe ſuum, ceſsâſſet proviſio ſive collatio, Abb. ibid. n. 4.

§. VI.

De variis abuſibus, qui fieri poſſunt in uſu & executione Reſcriptorum.

CLVI. Quæritur 1. Qualiter, ſive quibus modis fieri poſſint, aut ſoleant abuſus Reſcriptorum?

Reſpondetur, varijs modis contingere poteſt, ut aliqui reſcriptis Apoſtolicis, præſertim ad lites, abutantur. Veluti primò, ſi quis ſuo nomine litteras impetret, & poſtea alteri, qui ejuſdem nominis eſt, ad utendum tradat, & is, qui tali modo accepit, per eaſdem quoslibet alios indebitè fatiget, c. ult. h. t. In princip. h. t. Ratio eſt, quia reſcripta juſtitiæ ſunt jura perſonalia, quæ perſonas, quibus ſunt conceſſa, non excedunt; ideóque non poſſunt alteri cedi, etiamſi alia jura alicui ceſſa fuerint, arg. c. P. & G. 40. De offic. deleg. Abb. in cit. c. ult. n. 3. & ceſſiones talium reſcriptorum cenſentur odioſæ, cùm mutatio perſonarum ſæpe judicium durius & difficilius reddat, c. 2. De alienat. mutandi judicij causâ facta. Gregor. Tholoſan. in cit. c. ult. n. 3. Porrò is, qui litteras alteri, cui idem nomen eſt, utendas tradit, committit quoque crimen falſi, ideóque etiam criminaliter puniri poteſt, Joann. Andr. in cit. c. ult. num. 3. & Abb. ibid. n. 18. & colligitur ex l. falſi 13. & l. qui falſam 19. ff. ad l. Corneliam de falſis. Is verò, qui reſcriptum alienum ſcienter recepit, eóque uſus eſt, puniendus eſt, tanquam reus criminis Stellionatûs, ut colligitur ex l. 3. ff. de crimine Stellionatûs. Eſt autem crimen Stellionatûs delictum commiſſum per quamlibet impoſturam, ſeu callidam circumventionem, quæ proprio ſeu ſpecifico nomine caret, Abb. in cit. c. ult. n. 8.

Secundus modus abutendi reſcriptis eſt, ſi quis impetret litteras contra eas perſonas, quibuſcum nulla ipſi controverſia eſt, & ſic calumnioſè illos trahit ad judicium, contra quos nullam actionem habet, & qui eas tali modo recipiunt, cit. c. ult. h. t. nam hujuſmodi temerarij litigantes repelli, & in expenſis litis condemnari debent, l. Eum quem 70. ff. de judic. gloſſ. in cit. c. ult. v. Quæſtionis.

Tertius abuſus eſt, ſi quis litteras impetratas ad controverſiam decidendam trahat ad futuras controverſias ſive cauſas, quæ tempore impetrationis litterarum nondum ortæ fuerant, cit. c. ult. & patet ex dictis ſuprà n. 26.

CLVII. Quartus modus abutendi reſcriptis eſt, ſi quis plura reſcripta ad diverſos judices ſuper uno negotio impetret, vel etiam ſuper pluribus negotijs, ſeu perſonalibus actionibus, quæ commodiùs coram uno judice tractari poſſent, Reum ad diverſos judices delegatos trahat, ídque adverſarij laboribus ac ſumptibus fatigandi causâ, ut vel componere, vel ſuo jure cedere compellatur, cit. c. ult. h. t. & c. Diſpendia 3. eod. in 6. Ratio autem, cur nullus ſuper uno, eodémque negotio, ad diverſos judices trahendus ſit, eſt, tum quia continentia ſeu connexio cauſæ dividi non debet, l. Nulli 10. C. de judic. & in cauſis connexis plures, quamvis diverſi fori, apud eundem judicem litigare debent, l. 1. ff. De quibus rebus ad eundem judic. eatur. & ibi Bart. Tum ut tempori & ſumptibus parcatur, & litibus modus ſtatuatur, Gail. l. 1. obſervat. 32. n. 1.

Porrò ſicut non poteſt quis ſuper uno negotio, vel etiam ſuper pluribus actionibus perſonalibus, trahi ad diverſos judices delegatos; ita nec poteſt eodem tempore trahi ad diverſos Judices ordinarios ſuper pluribus actionibus perſonalibus, quæ commodiùs poſſunt expediri apud unum, cùm eadem ſit in Ordinarijs æquitatis ratio, quæ in delegatis in Canone eſt expreſſa, ne ſcilicet reus, abſque neceſſitate, ſumptibus & moleſtijs fatigetur, gl. in cit. c. ult. v. per varias litteras in fine. Abb. ibid. n. 13. Porrò tradita doctrina ampliatur in c. Diſpendia 3. h. t. in 6. nam ſi quis vi reſcripti impetrati perſonaliter conventus, coram Judice delegato in alia actione perſonali coram alio Judice delegato conveniatur, actor carere debet commodo litterarum, & proceſſus eſt ipſo jure irritus: & ſi reum per tales litteras citavit, vel fatigavit, in legitimis expenſis eſt condemnandus, gl. ibid. v. Ampliantes, & v. Proceſſus, tametſi ſecundùm jus antiquum, ſi contra reſcriptum ad diverſos judices impetratum ab adverſario non fuerit exceptum, proceſſus valeret, & vim haberet. Quamvis autem etiam in actionibus realibus non debeat quis trahi ad diverſos judices, ſive delegatos, ſive ordinarios, ſi commodè coram uno, eodémque Judice, conveniri poſſit: tamen pœna novo jure ſtatuta, ut proceſſus aliter inſtitutus ipſo jure ſit irritus, ad actiones reales inſtitutas coram diverſis judicibus delegatis extendi non poteſt, quoad judices ordinarios, Joan. Andr. in cit. c. Diſpendia n. 8. & Francus ibid. n. 4. quia pœnæ non ſunt extendendæ ultra caſus expreſſos, niſi neceſſitas cogat, quia aliàs legum contradictio, aut aliud abſurdum ſequeretur.

CLVIII. Quintus abuſus reſcriptorum eſt, ſi reus reconvenire volens actorem ſuum, litteras & ipſe adverſus actorem impetret ad diverſos judices, & vi illarum, actorem eodem tempore ad diverſa loca, vel indeterminatè, ad villam v. g. quæ idem commune nomen habet cum pluribus alijs villis citari procuret, ut ſi non comparuerit, quaſi contumax excommunicetur, & ita eum ab agendo repellat, cit. c. ult. h. t. Hoc enim fieri non debet, ſed ſi reus, eodem durante judicio, actorem in alia cauſa reconvenire, vel litteras ſeu reſcriptum à Sede Apoſtolica ad eum conveniendum impetrare velit, (quia fortè talis eſt cauſa, de qua non poteſt delegatus cognoſcere, ſinè ſpeciali mandato Papæ, alioqui enim fruſtra impetraret novum reſcriptum, cùm per reſcriptum actoris illum convenire poſſit) de jure ſuo apud eoſdem judices experiri, ſive contra eum agere debet, (quia in reconventione reus ſit actor) prætetquam, ſi eos ut ſuſpectos recuſare poſſit, alioquin ſi contra hoc fecerit, ſimili pœnâ puniendus erit, prout habetur in cit. c. Diſpendia. §. Reus quoque, eodem in 6. & ibi gl. v. Litteras, & v. Experiri. ab initio ſcilicet, antequam in eos conſenſit, vel ex nova ſuperveniente cauſa, gl. in cit. c. v. Recuſare. Ratio eſt, quia

quamvis aliàs reſcripta juſtitiæ ſive ad lites ſint ſtricti juris, neque extendi debeant ad caſum, vel perſonam non expreſſam; ſi tamen aliquis impetravit reſcriptum ad judicem delegatum, illúdque ei præſentavit, vi cujus adverſarius citatus fuit, poteſt reus conventus actorem reconvenire, ſive in eadem, ſive in alia diverſa cauſa, coram eodem judice delegato; etiamſi hic nullam aliàs juriſdictionem habeat in actorem; neque poteſt reo reconvenienti ab actore opponi exceptio de incompetentia Judicis, c. 1. De mutuis petit. l. Cùm Papinianus 14. junctâ authent. & conſequenter C. de ſentent. & interlocut. omn. judic. quia reſcriptum delegationis utrique parti litiganti veluti commune factum eſt, arg. c. 2. de mutuis petit. & l. Petendæ 6. C. de temporib. in integrum reſtitut. Neque ægrè ferre poteſt actor, ut judicem, quem impetravit, & ſponte elegit contra adverſarium, eundem etiam contra ſe ſuſtineat, cit. l. Cùm Papinianus. Quare non poteſt reus conventus, dum lis ab actore intentata coram judice delegato pendet, eundem coram alio judice viciſſim convenire, cit. authent. Et conſequenter, adeóque nequè lite durante, reſcriptum impetrare poteſt, etiam in diverſa cauſa ad alium judicem, cit. c. Diſpendia. §. Reus quoque, nam cùm lites ſint odioſæ, meritò moderamen aliquod eis adhiberi debet.

CLIX. Quæritur 2. Quæ pœnæ jure decretæ ſint in abutentes Reſcriptis Sedis Apoſtolicæ?

Reſpondetur, duæ pœnæ Jure Canonico ſtatutæ ſunt in eos, qui uno ex prædictis modis abutuntur
» Reſcriptis Apoſtolicis. Prima eſt, ut abutens o-
» mni commodo litterarum ſeu reſcripti impetrati careat, cit. c. ult. in fine h. t. & c. Diſpendia 3. eod. in 6. Privilegium enim meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate, c. Privilegium 63. cauſ. 11. q. 3. & puniendus eſt quis in eo, in quo deliquit, c. Poſtulâſti 7. de Cleric. excommunicat. c. Provida 44. in fine de elect. in 6. Quin imò proceſſus vi talium litterarum, inſtitutus, eſt ipſo jura invalidus, cit. c. Diſpendia.

» Altera pœna eſt, quòd abutens reſcripto, ſive
» Actor ſit, ſive Reus, adverſario, ſi per tale reſcriptū
» citatus fuit, ad legitimas expenſas, & damna con-
» demnari debeat, cit. c. ult. in fine. & cit. c. Diſpendia, junctâ gl. v. in expenſis. nam hoc generale eſt, ut qui adverſarium, indebitè fatigando, cauſam ei præbuit expenſarum, vel alterius damni, id ei compenſare cogendus ſit, c. Calumniam. 4. de pœnis. c. Cæterùm. 3. h. t. gl. in cit. c. Diſpendia. v. legitimis. Quod tamen tum demum procedit, ſi adverſarius à Judice petivit, ut partem ad expenſas condemnet, quia judex non tenetur officium ſuum impertiri, ſi pars non petat, & agatur, non de publica, ſed privatâ ſolùm utilitate. Excipiuntur etiam cauſæ, quæ ad perſonas miſerabiles, vel ad pietatem & miſericordiam ſpectant; in his enim judex officium ſuum, etiam non imploratum, interponere tenetur, Abb. in cit. c. ult. n. 15. h. t. Bartol. in l. dies. 4. §. Hoc autem. n. 1. ff. de damno infecto.

Sed quiſnam Judex actorem vel reum indebitè fatigantem adverſarium condemnare debet in expenſas ac damna? Reſpondetur, quòd non judex ordinarius, qui nullam in hoc juriſdictionem habet, ſed delegatus ſuper ea cauſa condemnare poſſit ac debeat: nam quamvis reſcriptum impetratum, & ad eum directum invalidum ſit, propter fraudem impetrantis, ne ex ſua malitia commodum referat, adeóque judex delegatus per tale reſcriptum non acquirat juriſdictionem ſuper cognitione cauſæ principalis; acquirit tamen eam ſuper articulis, ſeu quæſtionibus incidentibus, ita ut cognoſcere poſſit, an reſcriptum propter malitiam ſeu fraudem impetrantis ſit invalidum, & an impetrans condemnari debeat ad ſolvendas expenſas? ſicut ergò judex ordinarius, cujus juriſdictionem & forum reus declinat, cognoſcere poteſt, num ſua ſit juriſdictio, l. 2. ff. ſi quis in jus vocatus non ierit. l. ſi quis. 5. ff. de judic. & quamvis pronuntiet, ſe non habere juriſdictionem ſuper cauſa principali, actorem tamen condemnare poteſt in expenſas: ita & in propoſito, ſi judex delegatus pronuntiet, reſcriptum non valere, pronuntiat ſolùm, ſe non habere juriſdictionem ſuper cauſa principali, non autem in quæſtionibus incidentibus; ideóque poteſt nihilominus condemnare partem in expenſas, cùm iſtud ſit acceſſorium quæſtioni illi incidenti, ſuper qua cognoſcenda fundata eſt per reſcriptum juriſdictio delegati, gl. in cit. c. ult. v. expenſis. Abb. ibid. num. 14.

SECTIO VI.

DE DEROGATIONE, REVOCATIONE, & extinctione Reſcriptorum.

§. I.

An per reſcriptum ſpeciale derogetur reſcripto generali?

CLX. Aſſertio 1. Si reſcriptum generale nihil aliud concedat, quàm quòd Jure communi conceſſum eſt, tunc reſcriptum ſpeciale continens aliquid, contra vel præter Jus commune derogat reſcripto generali, tametſi de eo nulla mentio fiat; Innocent. in c. 1. n. 5. & 6. h. t. Abb. ibid. n. 7. Ut ſi v. g. »
Titio à Sede Apoſtolica generaliter conceſſa ſit li- »
bera facultas appellandi: poſteà verò Cajus impe- »
tret reſcriptum à Papa, in quo cauſa, quæ erat in- »
ter Titium & Cajum, committitur certis Judicibus »
delegatis, ſublato appellationis remedio, ſed Titius »
à ſententia horum Judicum appellet: hoc caſu, ap- »
pellatio ejus admitti non debet, quia ſpeciale man- »
datum de non admittenda appellatione in cauſa »
delegata, derogat generali mandato ſeu reſcripto »
appellandi à Judicibus: cit. c. 1. Qui eſt caſus illius »
c. Si quidem ponatur, Titio per generale reſcriptum, ſive indultum Apoſtolicum nihil conceſſum fuiſſe, niſi quod Jure communi competebat, videlicet libera facultas appellandi jure communi aliàs etiam competens, quæ per indultum illud, ſeu reſcriptum fuit roborata ac confirmata, gl. in cit. c. 1. v. ut liberè: Innoc. ibid. num. 4. quia ſpecialis cautio plus timetur, quàm generalis, c. Quanquam. 6. diſt. 23. ubi gl. v. plus ait: quòd aliquis jure communi tueri ſe poſſit & privilegio, arg. cit. c. 1. h. t. cúique per ſubſequens mandatum ſeu reſcriptū ſpeciale derogatum fuit, in quo cauſa

cauſa commiſſa fuit Judicibus cognoſcenda, remotâ appellatione, non adjectâ clauſulâ derogatoriâ Juris communis, cit. c. 1. Ratio eſt, quia Princeps poteſt per ſpeciale reſcriptum ſeu privilegium alicui conceſſum derogare juri communi, & aliquem ab eo eximere: & quando reſcriptum ſive privilegium concedit, vel potiùs confirmat illud, quod jure communi conceſſum eſt, tum ſicut non poteſt Princeps præſumi ignorare Jus commune; ita nec reſcriptum tale continens Jus commune: ac proinde ſicut de Jure cōmuni nulla mentio neceſſariò fieri debet; ita nec de tali reſcripto, ergo per poſterius reſcriptum ſpeciale priori generali reſcripto contrarium, huic derogatur, etiam nullâ eius factâ mentione, quia videtur conceſſum in præjudicium illius, ex certa ſcientia Principis, Innoc. in cit. c. 1. n. 4.

CLXI. Aſſertio 2. Sed etſi reſcriptum generale aliquid concedat, ultra Jus commune, adhuc illi derogatur per poſterius reſcriptum ſpeciale, quãvìs de illo priore nullam mentionem faciat. Sumitur ex cit. c. 1. h. t. ſecundùm aliam explicationem, quã tenet Hoſtienſ. in ſumm. eod. n. 13. Quia mandatum ſpeciale derogat generali, cit. c. 1. in fine. & generi per ſpeciem derogatur, reg. Jur. 34. in 6. & reg. 8. in ff. v. g. in exemplo ſuprà allato, etſi ponatur per indultum ſeu licentiam liberè appellandi Titio generaliter cōceſſum, eidem permiſſum eſſe etiam appellare in ijs caſibus, quibus alioquin, ſpectato Iure communi, appellare non licet; videlicet ut non tantùm bis in una cauſa, ſed etiam ſæpius, & non tantùm in ſcripto, ſed etiam abſque ſcriptura, à gravamine aut ſententia interlocutoria appellare poſſit; cùm quodlibet indultum ſive privilegium ita ſit intelligendum, ut aliquid ultra jus commune, ſive quod jure communi conceſſum non eſt, tribuat, c. Ex his. 30. & ibi gl. fin. de privileg. nihilominus tamen huic generali indulto ſeu privilegio derogatur per ſpeciale reſcriptum, in quo cauſa, quæ eſt inter Titium & Cajum, committitur Judicibus, appellatione remotâ, etiamſi in eo de generali illo indulto nulla mentio fiat, cit. c. 1. h. t. ob rationem jam allatam.

Idque confirmatur alio exemplo, ſi Papa v. g. alicui Epiſcopo generatim poteſtatem dederit, ſuo nomine, conferendi beneficia vacantia intra ſuam Diœceſin, quorum collatio ad Sedem Apoſtolicam devoluta eſt, poſtea verò per ſpeciale reſcriptum unum ex talibus beneficiis, antequam Epiſcopus conferat, ipſe Papa alicui conferat, vel conferri mandet, nullâ factâ mentione generalis facultatis priùs Epiſcopo conceſſæ; poſterius hoc ſpeciale reſcriptum executioni mandandum eſt, c. quamvìs. 38. de præbend. in 6. quia ſecundùm canonicas & legitimas ſanctiones, per ſpeciem generi derogatur, quanquàm de genere in derogante ſpecie nulla mentio fiat, cap. Dudum, 14. §. nos igitur eod. in 6.

CLXII. Non obſtat, quòd cùm Papa ſeu Princeps cenſeatur probabiliter ignorare ea, quæ facti ſunt, ſeu in facto conſiſtunt, c. 1. De conſtitut. in 6. adeóque etiam indulta ſeu privilegia, quæ in Corpore Juris non continentur, non videtur per poſterius reſcriptum ſpeciale contrarium velle derogare juri alteri acquiſito per prius privilegium ſeu reſcriptũ, etſi generale, niſi de eo mentionem faciat, ac proinde ſpeciale illud reſcriptum, quod eſt contrarium priori generali, videtur ex prioris ignorantia emanare. Nam reſpondetur inprimis, reſcriptum ſpeciale non eſſe omnino contrarium priori generali, ſiquidem eius effectum non penitus tollit, ſed ſolùm aliquantùm diminuit, ac limitat, cùm hoc vim & effectum adhuc habere poſſit, ſaltem in aliis caſibus occurrentibus, Laym. in cit. c. 1. h. t. n. 3.

Deinde Princeps, dum alicui generatim indultum ſeu privilegium concedit, ſemper cenſetur ſibi reſervare voluiſſe poteſtatem, occurrente caſu aliquo, & neceſſitate, vel utilitate ita poſtulante, generali illi conceſſioni per ſpeciale reſcriptum derogandi, ut expreſsè habetur in cit. c. Dudum, §. Nos igitur de præbend. in 6. Quare etiamſi ponatur Princeps ignorare privilegium priùs generatim conceſſum, vel illius recordari: non tamen ideo non habet voluntatem illi derogandi per poſterius ſpeciale reſcriptũ, quia ignorantia illa non eſt cauſa poſterioris reſcripti ſpecialis; nam etſi Princeps ſciviſſet, vel recordatus fuiſſet, generale privilegium primò datum fuiſſe, probabiliter adhuc illi derogâſſet, Abb. in cit. c. 1. n. 10. in fin. h. t.

CLXIII. Prædicta autem doctrina limitanda eſt, ut ſolùm procedat, ſi per reſcriptum ſeu privilegium generale, non ſit alicui acquiſitum jus in re, in ſpecie qualibet contenta ſub illo genere, ſed ſolùm jus ad rem. Ut ſi alicui generalis facultas conceſſa ſit conferendi beneficia in certo loco, judicandi in certo cauſarum genere, liberè appellandi, etiam ſinè Scriptura, vel alios actus publicos ac legitimos exercendi: in his enim præſumitur, Principem ſibi reſervâſſe liberam poteſtatem huiuſmodi actus exercendi, nec ſe illâ omnino abdicare voluiſſe, ideóque ſi in ſpecie contra generalem talem conceſſionem aliquid diſponat, talis ſpecialis diſpoſitio, ſeu mandatum derogat generali. Si verò per prius privilegium generale jus in re alteri acquiſitum ſit; ut ſi Papa alicui conceſſit jus percipiendi decimas alicuius Parochiæ, & poſtea alteri concedat decimas alicuius prædij intra eandem parochiam ſiti; tum præſumi non debet, Papam per poſteriorem conceſſionem, ſive reſcriptum ſpeciale, derogare voluiſſe juri in re alteri acquiſito per prius reſcriptum generale; ſed potiùs cenſendum eſt poſterius reſcriptum, ex prioris ignorantia proceſſiſſe; niſi de hoc expreſſa mentio facta ſit: Abb. in cit. c. 1. n. 10. in fine h. t. quia reſcriptum Principis non ita intelligi debet, ut alteri præjudicium in jure jam acquiſito inferatur, niſi id exprimatur, l. 2. §. Si quis à Principe. ff. ne quis in loco publico, & dictum ſuprà. n. 39. Et quamvìs aliàs in facto proprio non præſumatur ignorantia vel oblivio, niſi tempus diuturnum interceſſerit: poteſt tamen Papa ſeu Princeps, ob multitudinem & varietatem agendorum, oblivìſci reſcriptorum ſuorum, ita ut reſcriptum poſterius emanet, ſinè recordatione prioris, c. Ex parte 12. de officio & poteſt. Jud. delegat.

CLXIV. Deinde quod dictum eſt, reſcriptũ ſpeciale derogare generali, etiamſi de eo mentionem non faciat, id ſolùm procedit, ſi ſpeciale reſcriptum non ſit propriè ac directè contrarium generali, ſed cum eo conſiſtere poſſit. Secùs verò eſt, ſi poſterius ſpeciale priori generali directè repugnet, quia nimirum prius reſcriptum in effectu ſuo non eſt genera-

le,ſed potiùs ſpeciale,gl.in c.Ex parte 12. v.Non obſtantibus.de offic.deleg. tunc enim non habet locum illa regula,ſpecies derogat generi, ſed alia, videlicet, ſi diſpoſitio generalis in certa ſpecie verificari debet, tum diſpoſitin poſterior ſpecialis ei nō derogat, quia licèt prior diſpoſitin quoad verba ſit generalis,reveta tamen & quoad effectum ſeu eventum eſt ſpecialis, ita ut utraque non niſi in certa ſpecie verificari ſeu impleri poſſit, Abb.in cit.c.n.6. v. g. ſi Papa mandet conferri Titio beneficium primò vacaturum in tota Diœceſi, poſtea verò mandet Caio conferri beneficium primò vacaturum in certa Eccleſia Diœceſis,& primò vacet beneficium in certa illa Eccleſia; hoc caſu illud non Caio, ſed Titin primò impetranti debetur, niſi appareat, Papam voluiſſe derogare juri Titij,cit.c.Ex parte de offic.deleg. Ratio eſt, quia primum mandatum non fuit generale , ſed potiùs ſpeciale,licèt incertum, quia ſolùm verificari poterat in uno beneficio,ideóque ſecundum ſpeciale non derogat primo,Bartol. in l. Si domino. 99. n. 1. ff. de Leg.1.Abb. cit. loc. idque ſumitur ex cit.c.Ex parte: nam ibi Papa mandavit conferri Archidiaconatum primò vacaturum in Eccleſia Epiſcnpi Conventrenſis Nicolao, ſed poſtea per aliud reſcriptum mandavit,ut idem Archidiaconatus conferretur Rabano, ſi avunculus eius Melchior Archidiaconatum illum per liberam eius renunciationem dimitteret, nullâ factâ mentione priorum litterarum,adeóque poſterius mandatum directè repugnabat priori: quare Papa reſcripſit,quòd Nicolao priori impetranti Archidiaconatus vacans per renunciationem conferri debeat,quia ſi memor fuiſſet priorum litterarum, poſterius mandatum non dediſſet.

Ex quo patet,quòd ſi primum reſcriptum ſeu mandatum eſt ſpeciale,& ſecundum itidem ſpeciale, per hoc non derogatur primo,niſi de illn expreſſam mentionem faciat,gl.in cit. c. 1. v. Mandatum. h. t. Abb.in c.Paſtoralis.14.§.Quoniam.n.1. notand.3.h. t. quia Princeps non cenſetur velle concedere aliquid contra ea, quæ ignorat, vel non recordatur,ſe conceſſiſſe; cenſetur autem ignorare, quæ ſpecialia ſunt, & in facto conſiſtunt, vel eorum non recordari, c. 1. De conſtit. in 6. & cit.c. ex parte. de offic.deleg. Si verò in ſecundo mentio fiat de primo,valet ſecundum ſpeciale, & non primum, c. Cæterùm 3.h. t. gl. in cit. c. 1. v. Mandatum eodem.

CLXV. Aſſertio 3. Non tantùm reſcripto generali gratiæ, aut beneficiali, ſed etiam juſtitiæ,ſive ad lites derogat alterum reſcriptum ſpeciale. Quare ſi Judici delegario generaliter à Papa facta ſit,abſque perſonarum, aut cauſarum expreſſione,v. g. ut cognoſcat de injuria in decimis Titio illatâ, & quibuſdam alijs ipſi ab eodem proponendis: Hoc caſu Judex delegatus acquirit quidem juriſdictionem, ſive poteſtatem cognoſcendi velut in habitu, & in actu primo, ſuper articulis rerum vel perſonarum non expreſſis: non tamen in actu ſecundo hujuſmodi juriſdictinnē exercere poteſt, priuſquàm cauſæ, de quibus, & perſnnæ, contra quas agendum, fuerint expreſſæ, prout habetur ſtatutum in c. Paſtoralis 14. §. Quoniam. h. t. & ibi gl. v. juriſdictionem.

Ex quo colligitur, quòd reſcriptum poſſit eſſe generale & incertum, reſpectu perſonarum, quæ conveniendæ ſunt in judicio,non autem reſpectu Judicum, c. Adhæc 10. h. t. Ratio diverſitatis eſt,quia majus imminet præjudicium quoad Judices, quàm quoad perſonas conveniendas, Abb. in cit. §. Quoniam n. 1. notand.1. Quòd ſi in prædicto caſu poſtea aliud reſcriptum ab eadem Apoſtolica Sede ad alios Judices delegatos impetretur, in quo cauſa aliqua ſpecialis priùs non expreſſa, ſed ſub priori reſcripto generaliter comprehenſa,ijs committatur, ſpeciale hnc reſcriptum derogat generali quamvis de priore commiſſione nullam faciat mentinnem, cit. §. Quoniam, cùm generalis regula ſit, quòd ſpecies deroget generi. Excipi tamen debet, niſi in priori generali reſcripto poſterinribus reſcriptis forma præſcribatur, ut ei non derogetur, niſi de eo mentio facta, vel clauſula derogatoria appoſita fuerit, juxta c. Ordinem 6. h. t. Laym. in cit. §. Quoniam.

CLXVI. Aſſertio 4. Reſcriptum ſpeciale ſive privilegium,(latiùs ſumpto hoc vocabulo) non tantùm derogat reſcripto ſeu privilegio priori generali,ut hactenus oſtenſum: ſed multò magis etiam derogat poſteriori ſeu ſubſequenti, ita ut hoc non deroget reſcripto ſpeciali ſeu privilegio priùs conceſſo, ſed potiùs ab iſto reſcriptum ſeu privilegium generale ſubſequens limitetur ſeu derngetur,niſi de ſpeciali expreſſam mentionem faciat, ſumitur ex c. Abbatem 40. junctâ gl. v. Per litteras generales. h.t. Quia in toto Jnre generi per ſpeciem derogatur, reg. jur. 80. ff. ſive ſpecies præcedat, ſive ſequatur, Azor p.1. Inſtit. l. 5. c. 12. q. 12. v. g. Si alicui à Principe per ſpeciale reſcriptum ſeu privilegium conceſſa ſit immunitas à ſolvendis tributis, & pnſtea generale decretum fiat, in quo præcipitur, ut omnes tributa ſolvant, per hoc ſubſequens generale mandatum non derogabitur ſpeciali reſcripto, ſeu privilegio immunitatis à tributis priùs conceſſo, quia Princeps nnn cenſetur velle alicui auferre privilegium ſpeciale priùs conceſſum, niſi id exprimat, c. Veniens 19. de præſcript. Laym. in c. 1. n. 8. h. t.

CLXVII. Hinc ulteriùs infertur, ſi Papa alicui Epiſnpo ex ſpeciali gratia conceſſit, ut ad ſolutionem debitorum Eccleſiæ ſuæ, omnium beneficiorum vacantium in Diœceſi ſua,primns fructus ad quinquennium percipere pnſſit, non nbſtantibus quibuslibet conſuetudinibꝰ,privilegijs,vel ſtatutis, per quæ cnnceſſio iſtius gratiæ impediri poſſet; per hanc novam conceſſionem non derogatur, nec præjudicium affertur ſpecialibus applicationibus primorum fructuum priùs factis,quia nimirum aliquorum beneficiorum primi fructus, ſpeciali conſuetudine privilegio, vel ſtatuto, Eccleſiæ Cathedralis fabricæ, vel alteri uſui (v. g. menſæ Capituli) vel alicui perſonæ ſingulari debebantur; niſi hoc ipſum fuerit expreſſum. Ita ſtatutum habetur in c. Si propter 10. h. t. in 6. Ratio eſt,quia privilegium ſpeciale derogat privilegio generali, præſertim ſubſequenti, ut ſuprà dictum: & in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus, reg. jur. 81. in 6.

Porrò hanc decretalem Conſtitutionem Bonifacij VIII. aliqui DD. ita intelligunt, ut fructus primi anni ex vacantibus beneficijs debeantur Epiſco-

pe.

po, vi Papalis hujus conceſſionis: fructus autem ſecundi anni Eccleſiæ fabricæ, vel alteri uſui, aut perſonæ, juxta ſpecialem conſuetudinem, vel ſtatutum debeant dati, gl. fin. in cit. c. Si propter. Joan. Andr. ibid. n. 13. & alij plures. Alij verò dicunt, quòd fructus primi anni dari debeant Eccleſiæ fabricæ, vel illi perſonæ, cui ante hac debebantur: fructus verò ſecundi anni Epiſcopo ſint aſſignandi ex nova ſpeciali conceſſione Papæ, Joan. Monach. & Probus in c. Cùm aliquibus 4. h. t. in 6. & alij, quia clauſula, *non obſtantibus*, non tollit obſtacula temporalia (quod enim differtur, non aufertur) ſed quæ gratiam omnino extinguunt. Verùm cùm reſervationes primorum fructuum ſint ex parte odioſæ, quippe cedentes in præjudicium, ac damnum beneficiorum, ut patet ex Extravag. ſuſcepti unic. inter communes: Ne Sede vacante, &c. ideo non debent, ſaltem tam amplè extendi, ut in prædicta Conſtitutione ſub nomine primorum fructuum etiam fructus ſecundi anni comprehendantur, eſſet enim hæc nimis magna & exorbitans extenſio, Laym. in cit. c. Si propter.

Quare rectiùs dicitur, quòd Epiſcopus in hoc caſu, vi conceſſionis primorum fructuum ex beneficijs vacantibus ſibi generaliter factæ, non poſſit eorum beneficiorum primos fructus percipere; qui antea ſpeciali jure ſive privilegio, conſuetudine, aut ſtatuto fabricæ Eccleſiæ, vel alteri uſui, aut perſonæ ſingulari debebantur, quia Papa non cenſetur velle per gratiam generaliter alicui factam derogare ſpeciali juri alterius, niſi id exprimat. Proinde clauſula illa generalis, *non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, privilegijs*, &c. intelligi debet ſecundùm præcedentem conceſſionem, videlicet ut nulla conſuetudo, privilegium aut ſtatutum (v. g. ut omnes fructus, ſinè diminutione, ad ſucceſſorem in beneficio perveniant) impedire poſſit, quominùs Epiſcopus eorum beneficiorum vacantium primos fructus percipiat, quot ei Papa voluit obvenire. At verò S. Pontificis mens alia non fuit, nec rationabiliter eſſe potuit, quàm eorum tantùm beneficiorum fructus primos Epiſcopo ad quinquennium concedere, ad ſolvenda debita, quæ antea non erant ſimili onere gravata, ſive quæ alteri Eccleſiæ, vel uſui pio aut perſonæ non erant debita & applicata, ita ut nullum ex his beneficijs in Diœceſi vacantibꝰ, vigore contrarij ſtatuti, conſuetudinis, aut privilegij, à primorum fructuum ſubtractione eximi debeat, Petr. Ancharan. in cit. c. Si propter notand. 6. & 8. Franc. ibid. n. 12. Quos ſequitur Laym. ibid. n. 1. Quem intellectum ipſa rubrica cit. c. Si propter, indicat.

CLXVIII. Cæterùm ſi Papa Epiſcopo concedat primos fructus omnium beneficiorum in Diœceſi vacantium, ſub ea generali conceſſione, comprehenduntur etiam dignitates, v. g. Præpoſituræ, Decanatus, Joan. Monach. in cit. c. Si propter n. 1. h. t. in 6. Joan. Andr. ibid. n. 1. & habetur expreſsè in c. penult. De verb. ſignificat. quia hæc conceſſio annatarum, licèt odioſa ſit, quatenus derogat juri beneficiariorum, ad quos, juxta primævam inſtitutionem beneficiorum, integri fructus pervenire deberent, ſinè diminutione, ut patet ex Tit. Ut Eccleſiaſtica beneficia ſinè diminutione conferantur, eſt tamen potiùs favorabilis, quàm odioſa cenſenda, Franc. in cit. c. Si propter n. 6. quia eſt facta Epiſcopo, tanquam Patri, reſpectu aliorum beneficiariorum Diœceſis, qui velut filij tenentur ſubvenire Epiſcopo, ſi indigeat ad debita Eccleſiæ ſolvenda.

Ubi notanda eſt doctrina, quam tradunt communiter DD. quòd in diſpoſitionibus, quæ partim favorem, partim odium continent, ſpectanda ſit principalis intentio diſponentis: ſi enim principaliter diſpoſitio facta ſit in favorem alicujus, licèt per accidens etiam in odium & damnum alterius redundet, cenſeri debet eſſe favorabilis, ita ut extendenda ſit, dummodo odium à favore ſeparari non poſſit: ut in propoſito, Conſtitutio reſervans Epiſcopo fructus primi anni principaliter edita eſt in favorem Epiſcopi, ut debita perſolvat; quamvìs in eorum damnum, quibus proventus illi obvenire debebant, etiam cedat: nec poteſt favor iſte ſeparari ab onere ſeu derogatione juris beneficiariorum. At verò ſi favor ab odio ſeparari poſſit, tum diſpoſitio, quatenus favorabilis eſt, extendi, & latè explicari; quatenus verò odioſa eſt, reſtringi debet, & ſtrictè explicari, Covarr. l. 1. Reſol. c. 11. n. 5. Sanch. l. 1. De matrim. diſp. 1. n. 4. Accedit, quòd, cùm inferiores beneficiati hoc onus ferre debeant, multò magis etiam illud ſuſtinere debebunt Præpoſiti, Decani, & Canonici, quia cùm in ſuperiore gradu ſint conſtituti, majorem cum Epiſcopo conjunctionem habeant. Aliud verò dicendum eſt de Prælaturis, & beneficijs exemptis; hæc enim ſub generali appellatione beneficiorum in obligationibus & oneribus non comprehenduntur, adeòque neque ſub iſta generali conceſſione primorum fructuum Epiſcopo facta; Archidiac. in cit. c. Si propter, & Laym. ibid. n. 3. & 4. contra Joan. Andr. & Ancharan. tum quia hoc ipſo, quòd à juriſdictione & cura Epiſcopi ſint exempta, non habent communionem cum Epiſcopo, niſi in caſibus nominatim expreſſis; tum quia exemptio eſt veluti ſpeciale privilegium, cujus revocatio & derogatio non facilè eſt præſumenda, ideòque per generalem conceſſionem ſeu privilegium illi non derogatur, arg. cit. c. Si propter, & l. Decurionibus 3. & ibi gl. v. eodem, junctâ gl. marg. C. de ſilentiarijs l. 12. Et quamvìs beneficia exempta ſint in Diœceſi, non tamen cenſentur eſſe de Diœceſi, ſed potiùs veluti extra Diœceſin, cùm non ſubſint adminiſtrationi Epiſcopi.

§. II.

De pluribus Reſcriptis beneficialibus, ſimul vel ſucceſſivè impetratis, quodnam validum & præferendum ſit, ac deroget alteri?

CLXIX. Aſſertio 1. Si quis plura reſcripta ad idem beneficium ſimul ſive eodem tempore data impetret, nullâ factâ mentione de altero, tum ambo, vel omnia ſunt valida, modò inter ſe non pugnent, ſed conſentiant, Abb. in c. In noſtra 32. n. 5. h. t. Felin. ibid. n. 1. in fine, & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia quando plura reſcripta eandem formam & datam continent, non eſt, cur unum per alterum elidatur, cùm in effectu ſint, & reputentur unicum reſcriptum, & veluti plura ſolùm exemplaria ad majorem

jorem

jorem cautelam impetrata, ut ſi unum fortè amittatur, alterum adhuc ſuppetat, & uſui eſſe poſſit; ſicuti etiam unicum teſtamentum eſt, quod pluribus exemplaribus conſignatur, l. Unum 24. ff. qui teſtamenta facere poſſunt. Idémque eſt, ob paritatem rationis, ſi quis plura reſcripta ſuper eodem beneficio impetret ſucceſſivè, ſub eadem forma ac tenore, ad majorem ſecuritatem, gl. in c. Ex tenore 16. v. Negotio h. t. Abb. in cit. c. In noſtra n. 6. & Imola ibidem n. 6.

Quòd ſi quis plura reſcripta ſeu mandata à Papa impetret, vel eodem tempore, ſeu ſub eadem data, vel ſucceſſivè, vel ſub diverſis datis, ad diverſa beneficia obtinenda, ſiqua modò vacant, vel proximè vacatura fiunt in diverſis Eccleſijs, quamvis nonnulli putent, utrumque reſcriptum eſſe validum, ita ut in optione impetrantis ſit, quonam eorum uti velit, gl. in cit. c. In noſtra v. Mentionem, Greg. Tholoſ. ibid. n. 2. probabilius tamen eſt contrarium, videlicet poſterius reſcriptum eſſe irritum & ſubreptitium, niſi conſtet, vel probari poſſit, impetrantem priori reſcripto renuntiâſſe, Joan. Andr. in cit. c. In noſtra n. 7. & Abb. n. 7. Imola n. 11. Felin. n. 1. col. 2. in fine & alij communiter. Ratio eſt, quia licèt per tale reſcriptum ſive gratiam expectativam, propriè loquendo, non acquiratur impetranti jus ad beneficium, niſi remotum ac præparatorium, adeòque ex hoc capite non neceſſariò de eo fieri debeat mentio: quia tamen hoc pacto, ſi plura reſcripta beneficialia, ſimul vel ſucceſſivè, ad diverſa beneficia validè impetrari poſſent, non factâ mentione de reſcripto alio obtento, occaſio præberetur exercendis fraudibus, & via aperiretur contra SS. Canones plura quandoque beneficia in diverſis Eccleſijs obtinendi, ideo cenſeri debet, alterum vel poſterius reſcriptum eſſe irritum & ſubreptitium, ob taciturnitatem veritatis, per ſe & intrinſecè ad rem ſeu negotium pertinentis, quâ cognitâ, Papa alterum vel poſterius reſcriptum non dediſſet, vel ſaltem non eo modo, ſed cum conditione, ſive onere dediſſet. Accedit, quòd, cùm talia reſcripta beneficialia ſint ambitioſa & odioſa, ideo reſtringenda ſunt, c. Quamvis 4. de præbend. in 6. & cenſendum eſt, obreptitiè contra voluntatem Papæ eſſe obtenta, Imol. c. l.

CLXX. Aſſertio 2. Si Titius à Sede Apoſtolica impetravit reſcriptum, in quo mandatur ipſi provideri de Canonicatu, v. g. in aliqua Eccleſia, conſtituto certo executore, qui ipſum in Canonicum recipi faciat, & de præbenda, ſi qua tunc vacat, vel proximè vacatura eſt, provideat: poſtea verò Caius ſimile reſcriptum gratiæ expectativæ à Papa impetret, in eadem Eccleſia, iſque priùs litteras ſuas præſentet, & vi illarum in Canonicum ſit receptus, antequam Titius litteras ſuas præſentaret. Hoc caſu, Titius, qui priùs litteras beneficiales impetravit, in aſſecutione præbendæ temporaliſ præferendus eſt Caio, qui poſtea litteras impetravit, ſed priùs eas præſentavit: ſi quidem eo tempore, quo Titius prior impetrator litteras ſuas præſentavit, & in Canonicum receptus eſt, necdum præbenda Canonicalis Caio collata ſit, alioquin verò, ſi collatio præbendæ jam facta ſit, ea relinquenda eſt Caio priori litterarum præſentatori jam proviſo, ita habetur in c. Tibi. 12. h. t. in 6.

Excipi debet, niſi executor conſtitutus à Papa intimaverit collatori mandatum ſuum, ac poteſtatem ſibi factam de providendo ipſi Titio, ſeu vigore mandati ipſi interdixerit, ne conferret: præſertim ſi cum inhibitione collationis interpoſuerit decretum afficiens collationem, ita ut alteri facta irrita ſit; tunc enim collatio facta Caio poſteriùs impetranti litteras, ſed priùs præſentanti non valebit, cit. c. Tibi. §. Idem quoque. Idémque dicendum, ſi Papa in prioribus litteris à Titio impetratis decreverit, ut irritum & inane eſſet, ſi quid contra fuerit attentatum; tum enim non obſtat, quòd ante receptionem Titij, imò etiam ante præſentationem litterarum ab ipſo factam, Caio priori litterarum præſentatori præbenda jam tunc vacans collata fuerit, quò minus ei auferri, & Titio conferri debeat: tale enim decretum irritans afficit & obligat Collatores, etiam ignorantes, cit. c. Tibi. §. Quin imò, gl. ibid. v. Decretum. Præterquam ſi Titio, qui priùs impetravit litteras, dolus vel notabilis negligentia objici poſſit; tum enim ei in aſſecutione præbendæ præferendus eſt is, qui poſteriùs litteras impetravit, ſed priùs præſentavit, cit. c. Tibi. §. fin.

Negligentia autem notabilis tunc committi cenſetur, ſi prior impetrans præbendam vacantem poſteriori impetranti conferri ſciens, id fieri permittat, vel ſi intra terminum ſibi aſſignatum, præbendæ collationem non acceptet, gl. marg. ibid. & Franc. n. 8. Non obſtat huic deciſioni c. Eum cui 7. de præbend. in 6. quia illud loquitur de collatione Canoniæ à Papa duobus ſucceſſivè facta, tum enim præferendus eſt is, qui litteras collationis priùs expeditas accepit, ita ut collatio poſtea alteri facta non valeat, etiamſi is priùs litteras collationis ſuæ præſentaverit. At verò in cit. c. Tibi, ſermo eſt de gratia expectativa ſeu mandato providendi; longè autem diverſa ſunt conferre, & mandare conferri, ut ait gl. in cit. c. Eum cui. v. Collatus.

Hinc colligitur 1. Inter duos impetrantes gratiam exſpectativâ ad idem beneficium, v. g. Canonicatum in certa Eccleſia, is qui priùs impetravit litteras, ei qui poſteriùs impetravit, ſed priùs eas præſentavit, & priùs receptus eſt in Canonicum, præferri debet in aſſecutione præbendæ, quia prævensio & juris acquiſitio in una parte, ut in Canonicatu, non inducit juris acquiſitionem & præventionem in altera parte ipſi connexa, ut in præbenda, quia licèt Canonicatus ſive Canonia & præbenda ſint inter ſe connexa, ſunt tamen etiam inter ſe diſtincta & ſeparabilia, Franc. in cit. c. Tibi in princ. & n. 1.

Colligitur 2. Executor à Papa conſtitutus ad providendum alicui de beneficio, habet juriſdictionem delegatam, poteſt enim decretum interponere, inhibere collatori &c. ideóque etiam debet eſſe certus, ſicut Judex delegatus, gl. hic. V. certo, & Franc. num. 4.

CLXXI. Aſſertio 3. Si Titius impetret reſcriptum, in quo mandatur alicui Executori ad id deputato, ut ipſi Titio in certa Eccleſia, auctoritate Apoſtolicâ, provideatur de Canonicatu & Præbenda vacante, vel proximè vacaturâ, ſub hac conditione, ſi Epiſcopi & Capituli conſenſus accedetet. Poſtea verò Seius ſimilem gratiam impetret à Papa abſolutè ad eandem Eccleſiam, iſque ante imple-

impleram conditionem, ſive priuſquam Epiſcopi & Capituli conſenſus ad proviſionem Titio faciendam accederet, auctoritate Papæ, vel Executoris ad hoc deputati proviſione, Canonicatum in eadem Eccleſia obtinuerit, eóque facto, cùm deinde Epiſcopi & Capituli conſenſus accederet, etiam Titio priori mandati impetratori Canonicatus in illa Eccleſia conferatur. Hoc in caſu, ſi poſt utriuſque Titij & Seij receptiônem in Canonicum, præbenda vacet, in aſſecutione illius poſterior impetrans Seius præferri debet Titio priori impetranti, ſed poſteriùs recepto; ita babetur Statutum in c. Si pro te. 13. h. t. in 6. Ratio eſt, quia primo impetranti facta eſt gratia ſolùm conditionalis, per conditionem autem de futuro contingenti ſuſpenditur quælibet diſpoſitio, aut mandatum, cui apponitur, ita ut ante illius eventum non purificetur, neque effectum conſequatur: ac proinde primus non cenſetur gratiam impetrâſſe, priuſquam conditio evenerit: ſecundo verò impetranti facta eſt gratia abſolutè, ideòque ſi ei, vigore illius gratiæ, Canonicatus ſit collatus, ante impletam conditionem prioris impetrantis, huic in aſſecutione præbendæ præferri debet, utpote qui potius jus habet, gl. in cit. c. Si pro te, in caſu, & gl. fin. ibid. Similis caſus proponitur in l. Potior. 11. §. Si colonus. ff. qui potiores in pignore: ſi quis inſtrumenta, quæ in fundum illata fuerint, pignoris nomine obligârit: deinde verò, antequam illa intulit, alteri abſolutè eadem oppignoret, & tum demum ea in fundum inducat; hoc caſu bic poſterior potius jus in pignore habet, quia huius pignus, etſi poſterius, priùs effectum conſecutum fuit, quàm pignus prioris, cuius conditio poſtea primùm impleta fuit.

CLXXII. Aliud dicendum eſt, ſi priori impetranti gratia expectativa abſolutè facta eſſet, tum enim in aſſecutione præbendæ præferendus eſſet poſteriori impetranti, etiamſi is in Canonicum priùs receptus fuiſſet, iuxta cit. c. Tibi eodem. in 6. gl. in cit. c. Si pro te. v. faciendam: vel etiamſi priùs fuiſſet præſtitus conſenſus Epiſcopi & Capituli, quàm poſterior impetrans Canonicatum eſt conſecutus; nam etiam tunc prior impetrans præferendus eſſet, gl. in c. jam cit. v. accederet, ſumpto argumento à contrario ſenſu illius textûs. Idémque dicendum, ſi mandato de providendo adiecta ſit conditio, *ſi impetrans eſt idoneus, vel ſi conſenſerit ſeu acceptaverit beneficium ſeu gratiam*, nam talis conditio ipſo jure tacitè ineſt, nec ſuſpendit conceſſionem gratiæ, aut propriè conditionalem facit, Francus in cap. jam cit. num. 4.

Cæterùm, ſi in prædicto caſu Epiſcopus ſit mortuus vel impeditus, ita, ut conſenſum dare non poſſit in receptionem prioris impetrantis, non poteſt executor ei conferre Canonicatum, nec quidem cum conſenſu Capituli, quia ſub certa forma data eſt illi poteſtas, ſeu mandatum providendi, nempe ſub conditione conſenſûs Epiſcopalis, quæ cenſetur pertinere ad formam ſubſtantialem mandati, adeóque eâ non impletâ, deficit poteſtas Executoris ſeu mandatarij, & corruit mandatum, gl. in cit. c. Si pro te. v. Aſſenſus. & v. Accederet. h. t. in 6. arg. c. Cui de non. 27. de præbend. in 6. Nec obſtat. c. un. in princip. ne ſede vacante in 6. §. fin. quia loquitur de eo, ad quem ſpectat beneficiorum collatio cum conſilio Epiſcopi; hîc autem non pertinet proviſio ad Executorem, niſi poſt impletam conditionem.

Aliud dicendum foret, ſi in mandato expreſſum eſſet, ut executor provideat de Canonicatu, requiſito priùs conſilio Epiſcopi; tum enim eo mortuo vel impedito, poſſet mandatum exequi, gl. cit. loc. quia ſi alicui mandatum ſit, ut cùm alterius conſilio negotiū agat, exquirere illud & audire tenetur; non tamen, ordinariè loquendo, ſequi: adeóque, ſi non poſſit eum conſulere, vel conſultus tempore competente reſponſum dare nolit, abſque eo procedere poteſt, uti ſumitur ex c. Cùm veteri 52. junctâ gl. communiter receptâ. v. expectatum de electione; & c. Cùm olim. 7. de arbitr. Si verò non tantùm conſilium, ſed etiam conſenſus alterius ad actum expediendum requiratur, tum ordinariè loquendo, non valet, quod abſque eius conſenſu geſtum eſt, gl. in cit. c. Si pro te. v. Aſſenſus, Abb. in cit. c. Cùm veteri. n. 12. & 13.

CLXXIII. Aſſertio 4. Si duo (idem eſt, ſi tres vel plures) litteras unâ eâdémque die datas, à Sede Apoſtolica obtineant, certis Executoribus eis deputatis, de Canonicatu & præbenda ipſis in eadem Eccleſia conferenda, nec appareat, uter eorum litteras priùs impetrârit (nam alioquin is præferendus eſt alteri, qui gratiam priùs, ſaltem unâ horâ, impetravit, qui enim prior eſt tempore, potior eſt jure, reg. jur. 54. in 6.) tunc, ſi uni eorum Papa Canonicatum contulit, alteri autem non contulit, ſed mandavit ab ordinario collatore conferri, præferri debet is, cui Papa contulit, licèt alter ſuas litteras priùs præſentaverit Ordinario, & ab eo in Canonicum ſit receptus, quia is, cui collatio facta eſt ab ipſo Papa, potius jus habet, propter maiorem conferentis prærogativã, c. Si ſede. 31. de præbend. in 6. Si autem Papa utrique contulit Canonicatum, vel ſi utriq; ab Ordinario conferri mandavit; tum, cùm alioquin gratiæ ſint æquales, præferendus eſt is, qui litteras ſuas priùs præſentavit. Si denique ambo ſimul etiam in præſentando concurrant, id eſt, litteras ſimul præſentent, tum ij, ad quos ſpectat Canonicorum receptio, & præbendarum collatio, vel eorum maior pars unum ex duobus, quem voluerint, eligere debent, altero omnino excluſo, niſi ex litteris Papæ expreſsè appareat, quòd utriq; eorum voluerit provideri, ita habetur ſtatutum in c. duobus. 14. h. t. in 6. Ratio eſt, quia utrumque mandatum de providendo eſt validum; & licèt collatores non teneantur utrique impetranti providere, quia in dubio non præſumitur, quòd Papa ſimul unam eandémque Eccleſiam pluribus eiuſmodi mandatis gravare velit; debent tamen unum recipere, & alterum rejicere; eum ſcilicet, cuius gratia expectativa minùs firma eſt; ſin autem utraque ſit æqualis, tum demum gratificatio locum babet, ita ut unus ex illis arbitrio collatorum eligatur, cùm idem beneficium Eccleſiaſticum dividi non poſſit, ſive duobus ſimul conferri, gloſſ. ibid. v. teneantur, & Francus n. 2. & 5.

Aliud verò dicendum eſt, ſi duo uno, eodémque die, à Papa impetrent litteras, per quas ipſis conferatur, vel conferri mandatur idem beneficium: hoc enim caſu, cùm litteræ poſteriùs datæ ſint ſubreptitiæ & penitus irritæ, ita ut ex illis impetranti nullum

jus acquiri poſſit, neque is, qui ſuas litteras priùs pręſentavit, alteri præferendus eſt, cùm non conſtet, an ſint validæ, ſed ſi de prioritate collationis conſtare non poſſit, neutra gratia ſeu collatio Papæ executioni mandanda eſt, donec ipſe Papa conſultus ſuam mentem de prioritate declaret, & aliquid certi ſtatuat, Franc. cit. loc. n. 6. Ex quo colligitur, quòd in litteris beneficialibus de providendo attendi debeat, non tempus præſentationis, ſed tempus *datæ*, ita ut, qui priùs beneficium impetravit, præferendus ſit alteri; Si autem paritas ſit in data, præferendus eſt, qui alterum pręvenit in præſentando, gl. in cit. c. Duobus v. impetraverit, & Francus ibid. n. 4.

Quare ſi duo litteras beneficiales eodem die impetrârunt, is, qui dicit ſuas priùs expeditas eſſe, id probare debet, ſicut & is, qui ſuas priùs præſentatas eſſe, aſſerit, cùm hoc ſit cauſa ſeu fundamentum ſuæ intentionis, Imola in c. relatum. 9. n. 7. de præbend.

CLXXIV. Aſſertio 5. Si quis, v. g. Titius reſcriptum gratiæ à Papa impetravit, in quo mandatur, ut ipſi in certa Eccleſia provideatur de beneficio jam vacante, vel proximè vacaturo, ſed poſtea idem Pontifex vel eius ſucceſſor gratiam illam revocet; ac deinde ſimilem gratiam expectativam in eadem Eccleſia Caio Clerico conferat; poſt hoc verò dictus Titius à Sede Apoſtolica impetret, ut ad gratiam revocatam reſtituatur: hoc caſu, ſi in illa Eccleſia poſtea beneficium vacet, in aſſecutione illius beneficij, poſterior impetrans Caius præferendus eſt priori impetranti Titio (niſi Papa aliud expreſsè diſpoſuerit) quia talis reſtitutio, ſi aliud non exprimatur, cenſetur fieri, ſinè præjudicio juris alieni, ita habetur ſtatutum in c. Quamvis 8. h. t. in 6.

Ex quo deſumitur generalis doctrina, quòd nunquam cenſeri debeat, Principem alicui gratiam facere, cum præjudicio, ſive diminutione juris alteri quęſiti, niſi id exprimat, etiamſi ſolâ voluntate ſuâ, & pro arbitrio poſſit revocare gratiam à ſe vel anteceſſore ſuo conceſſam; ſicut in beneficialibus Papa poteſt, cùm in illis habeat plenitudinem poteſtatis, gl. ibid. in notand. & Franc. n. 3. Et quamvis aliàs in reſtitutionibus, quæ fiunt ex obligatione juſtitiæ, vel ex æquitate, propter læſionem vel vim, vel ex alia juſta cauſa, reſtitutio fieri ſoleat in integrum, ita ut privatus recuperet omnia, quæ tempore privationis habebat, perinde ac ſi privatus non fuiſſet, l. 1. ff. Ex quibus cauſis majores &c. l. 1. & l. ult. in fine. C. de ſententiam paſſis, Franc. c. l. n. 6. Si quis tamen à Principe ad gratiam revocatam, adeóque legitimè extinctam, reſtituatur, non fit reſtitutio ad illam, cùm præjudicio ſeu læſione juris alteri interea acquiſiti, quia talis reſtitutio juris legitimè amiſſi cenſetur nova gratia, ſive nova conceſſio: gl. in cit. c. Quamvis. v. Cùm talis. Franc. ibid. n. 2. & actio ſeu jus qualecunque ſemel extinctum, ſive legitimè amiſſum, nunquam reviviſcit, l. Qui res 98. §. Aream ibi: *in perpetuum ſublata obligatio reſtitui non poteſt*, ff. de ſolution.

CLXXV. Hinc deducunt DD. 1. Si Princeps vaſallum propter commiſſam feloniam privârit feudo, illúdque alteri donârit, vel alicujus Rei damnati ob crimen v. g. perduellionis, bona omnia confiſcârit, & aliqua eorum alijs applicârit, ſeu donârit; poſtea verò vaſallum vel damnatum, unâ cum bonis ſuis, in integrum reſtituat, vi hujus reſtitutionis, non recuperat Vaſallus feudum, vel reus bona, quæ medio tempore à Principe alienata, vel alijs donata ſunt, gl. in cit. c. Quamvis in notand. h. t. in 6. Franc. ibid. n. 7. & alij Canoniſtæ communiter: quia cùm jus ac dominium feudi, vel bonorum reus amiſerit, illud per reſtitutionem non recuperat, ſed per novam gratiam, conceſſionem, ſeu donationem Principis, quæ non cenſetur fieri, cum præjudicio aliorum, quibus jus quæſitum eſt; ac proinde neque reſtitutus ad bona recuperat fructus ex bonis illis intermedio tempore perceptos, ſi jus percipiendi eos alteri ſit relictum, auth. idem eſt de Neſtorianis. C. de hæret. Franc. in cit. c. in fine. Excipi tamen debet, niſi Princeps ei, in quem feudum, ſeu alia bona ſunt tranſlata, aliter compenſationem facere velit: vel niſi reſtitutio in pleniſſima forma facta eſſet, & ex gravi cauſa, ob bonum publicum pacis, expreſsè concederetur etiam quoad bona alijs donata, vel aliter alienata, Imola in c. Quia diligentia 5. n. 6. de elect. Felin. in c. Inter quatuor 8. n. 6. de majorit. & obed.

2. Colligitur, ſi Presbyter aliquis ob crimen canonicè depoſitus ſit à beneficio, iſque poſtea ab Ordinario reſtituatur, non poteſt id fieri, ſinè conſenſu patroni, vel eo invito, gl. communiter recepta in cit. c. Quamvis. v. Cùm talis. Ratio eſt, tum quia potiùs cenſeri debet hæc eſſe nova inſtitutio, ſeu nova beneficij conceſſio, quàm reſtitutio in jus priſtinum ob crimen amiſſum; tum quia, cùm per depoſitionem beneficium vacet, acquiſitum eſt Patrono jus alium præſentandi, quod ipſi invito auferri non poteſt, Laym. ibid. n. 3.

§. III.

Quomodo procedendum ſit, ſi ſuper eadem cauſa impetrentur plura diverſa reſcripta ad diverſos Judices, & dubitetur, quodnam ex iis alteri ſit præferendum?

CLXXVI. Aſſertio 1. Si duo reſcripta ſuper eadem cauſa ad diverſos Judices delegatos à Sede Apoſtolica emanârint, & dubitetur, utrùm Judices priores, an poſteriores cognoſcere debeant, & an prius reſcriptum ſit per poſterius revocatum, nécne? tum ſi una pars Judicum delegatorum velit alteri deferre, ut cognoſcat, ad quos juriſdictio pertineat; illi ſoli, quibus defertur cognitio, ſuper hoc dubio, decident, an prius reſcriptum per poſterius ſit revocatum, nécne, antequam de cauſa principali cognoſcatur. Quòd ſi neutra pars Judicum, nec delegati per prius reſcriptum, nec delegati per poſterius, alteri parti deferre velint, ſive concedere poteſtatem ſuper hac controverſia, tunc ſimul utrique, tam Judices delegati in primo reſcripto, quàm in poſteriore, inſpectis reſcriptis, eorúmque datis, definiant, utri parti delegatorum juriſdictio ſeu poteſtas cognoſcendi competat. Si

verò

verò inter ſe convenire, ſeu conſentire non poſſint, hoc caſu (quamvis plures ſint Judices delegati ex una parte, quàm ex altera) ab utraque parte litigante, communi conſenſu, arbitri eligi debent, qui controverſiam hanc definiant, utrùm nimirum ad priores, an verò ad poſteriores Judices delegatos juriſdictio ſeu cognitio ſpectet? ita habetur ſtatutum in c. Paſtoralis 14. in princ. h. t.

Sunt autem hi, & appellantur arbitri juris, quia ex legis præſcripto, ac neceſſitate, conſtitui debent, & juriſdictionem habent, non tantùm ad judicandum, ſed etiam ad ea, quæ ad proceſſum Judicij inſtituendum ſunt neceſſaria, expedienda; ut ad teſtes vocandos & cogendos, ut teſtimonium dicant, & alia ſimilia, Molin. tr. 5. De Juſtit. diſ. 31. n. 2. Porrò ſi plura diverſa & contraria reſcripta ad diverſos Judices delegatos data ſint, ſed per teſtes probari poſſit, vel aliâ ratione conſtet, unum ex illis unâ horâ diei priùs datum eſſe, illud præferri debet poſteriori, Joann. Andr. in cit. c. Paſtoralis. Felin. ibidem num. 5.

CLXXVII. Aſſertio 2. Si cauſa aliqua, communi conſenſu plurium Judicum delegatorum, qui in diverſis reſcriptis dati, ſeu deputati ſunt, decidenda ſit; tum non ſufficit, ſi major pars, abſolutè loquendo, omnium delegatorum conſentiat, ſed neceſſe eſt, ut major pars delegatorum in quolibet reſcripto conſentiat, gl. in cit. c. Paſtoralis v. Plures. h. t. Abb. n. 6. & ſumitur ex eod. c. v. g. ſi in duobus diverſis reſcriptis ſunt Judices delegati univerſim ſeptem, in primo tres, in ſecundo quatuor: tunc non ſtatur eorum ſententiâ ac definitione, niſi in primo ſaltem duo, in ſecundo tres conſentiant, quia tunc conſentit major pars cujuslibet reſcripti, & per conſequens interpretativè habetur conſenſus omnium, quod enim major pars alicujus Communitatis, ſeu Congregationis facit, omnes facere videntur, c. 1. De his, quæ fiunt à majore parte cap. l. Quod major 19. ff. ad municipal. & de incol. Quod ſi neque per arbitros quæſtio decidi poteſt, recurrendum erit tandem ad Papam, Abb. in cit. cap. Paſtoralis. num 4. h. t.

CLXXVIII. Illud præterea notandum, ſi occaſione duorum reſcriptorum, unius ſcilicet in cauſa principali, alterius in cauſa appellationis contenditur, non Judex ſuper cauſa principali, ſed Judex appellationis cognoſcere debet de validitate ejuſdem, ſive, an legitimè appellatum ſit, nécne, prout ſumitur ex c. Dilectus 29. h. t. Nam cùm inter duos Clericos Joannem & Jordanum controverſia orta eſſet de Eccleſia S. Nicolai, Jordanus litteras à Papa impetravit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, & alios quoſdam conjudices. Sed Joannes excipiendo propoſuit, quòd auctoritate illarum litterarum, non poſſit conveniri, eò quòd ultra duas dietas à Diœceſi, ubi prædicta Eccleſia erat, in judicium traheretur contra ſtatutum Concilij Lateranenſis (relatum in c. Nonnulli 28. in princip. h. t.) de quo in eiſdem litteris nulla mentio fiebat. Et quia Judices delegati hanc exceptionem admittere noluerunt, eò quòd dictus Joannes in duabus alijs Diœceſibus propinquioribus loco judicij beneficia obtineret, & eâ ratione ibi domicilium habere cenſeretur, ideo Joannes ab his ad Sedem Apoſtolicam appellavit, & appellationem proſecutus, litteras impetravit ad Archiepiſcopum Eboracenſem, & ejus Collegas. Verùm priores Judices delegati nihilominus in cauſa procedentes, poſterioribus Judicibus inhibuerunt, ne cauſam ſibi commiſſam cognoſcerent. Hoc intellecto, Papa Honorius III. mandavit primis Judicibus, ut ſi ita eſt, cauſæ cognitione ſuperſedeant, cùm non ipſi, ſed Judices appellationis cognoſcere debeant, ad quos juriſdictio pertineat.

CLXXIX. Hinc infertur 1. Quòd primi Judices delegati in caſu hujus c. errârunt in eo, quòd cùm ab ipſis ad Papam appellatum eſſet, & ipſe alijs Judicibus cauſam delegâſſet, iſtis inhibuerint, ne in cauſa appellationis eis commiſſâ procederent, cùm tamen non ad judicem, à quo appellatum (cujus interea ſuſpenſa eſt juriſdictio) ſed ad judicem appellationis, vel ab eo delegatum, pertineat cognoſcere, an ſit legitimè appellatum, nécne, & ſi recipienda ſit appellatio, inhibere Judici, à quo appellatum, ne in eadem cauſa ulteriùs procedat, c. Romana 3. §. Quòd ſi objiciatur, & c. Non ſolùm 7. de appellation: in 6. alioquin verò, ſi appareat legitimè appellatum non eſſe, Judex appellationis partes remittere debet ad priorem Judicem, à quo appellatum fuit, condemnando appellantem in expenſis, c. Ut debitus 59. & c. Cùm ſpeciali 61. de appellat. gl. in cit. c. Dilectus V. Inhibetis, & gl. fin. ibidem h. t. de quo alibi. Quæ autem de dietis in cit. c. Dilectus, habentur, de illis dictum eſt ſuprà n. 134. & 135.

CLXXX. Infertur 2. Quando duo reſcripta diverſa impetrata ſunt ad diverſos Judices à partibus, unum in cauſa principali, alterum diverſum in cauſa appellationis; tum non Judex, à quo appellatum, ſed Judex, ad quem appellatum, cognoſcere debet de validitate appellationis, juxta cit. c. Dilectus h. t. At verò ſi in cauſa appellationis duo ſeu plura reſcripta impetrata ſunt à partibus ad diverſos Judices, & dubitetur de eorum revocatione, ſive quodnam eorum alteri prævaleat; tum ſi ipſi Judices diverſi inter ſe convenire non poſſint, utri parti Judicum juriſdictio ſeu poteſtas cognoſcendi competat, per Arbitros à partibus electos controverſia illa decidenda erit, juxta c. Paſtoralis. 14. in princip. h. t. ubi non diſtinguitur inter cauſam principalem, & cauſam appellationis, ſed generaliter debet obſervari, quod ibi ſtatuitur, quandóque dubitatur de de revocatione diverſorum reſcriptorum, quæ in eadem inſtantia, ſive primâ, ſive etiam ſecundâ appellationis, à partibus impetrata ſunt ad diverſos Judices, Abb. in cit. c. Paſtoralis n. 4. Verſic. in 5. parte, Decius ibid. num. 9. & Barboſ. in Collectan. ibid. n. 5. & alij DD. communiter.

§. IV.

De revocatione Reſcriptorum:

CLXXXI. Quæritur 1. Quomodo revocentur Reſcripta? Reſpondetur, reſcripta revocantur expreſsè vel tacitè. De tacita revocatione jam ſuprà actum eſt. Expreſsè revocantur, quando ſpecialiter S. Pontifex conceſſas gratias vel mandata revocat, Greg. Tholoſ. l. 1. De reſcriptis. c. 55. n. 1. præſertim verò revocari

ſolent gratiæ ſeu indulgentiæ, diſpenſationes & privilegia, quæ propter ambitioſam petentium importunitatem conceſſa ſunt. Quomodo Papa Bonifacius VIII. revocavit omnes indulgentias, ſeu privilegia perpetua, quæ à ſe vel Anteceſſoribus ſuis conceſſa ſunt non Eccleſijs vel dignitatibus, ſed perſonis, ut, ſive in ſcholis eſſent ſeu ſtudijs, ſive in altera Eccleſiarum ſuarum (quas ex diſpenſatione obtinent, vel quæ ſimul de jure poſſunt obtineri) ſive in Curia Romana moram traherent, ſive dum in uno loco certo, vel alio quocunque verſarentur, beneficiorum ſuorum fructus, exceptis duntaxat diſtributionibus quotidianis, percipere poſſent: quia hujuſmodi gratiæ ſeu privilegia vagandi licentiam, & diſſolutionis materiam præbent, & in cultûs divini diminutionem cedunt, & ob ea officium divinum (propter quod tamen præſtandum Eccleſiaſticum beneficium datur) plerumque omittitur, prout habetur in c. ult. h. t. in 6. Addit verò S. Pontifex in cit. c. ult. in fine: *quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicamus*, prout etiam habetur in l. digna vox 4. C. de legib. quia nimirum patibus indicare licet voluntatem ſuam, non imperare; neque enim Papa vel alius Princeps ſucceſſoribus ſuis imperare, vel legem imponere poteſt, cùm par in parem non habeat imperium, c. Innotuit 20. de elect. gl. fin. in cit. c. ult. h. t. in 6.

Portò per prædictam Conſtitutionem tantùm indulgentiæ ſeu privilegia perpetua non reſidendi, ſive in abſentia fructus percipiendi ſunt revocata; hoc eſt, quæ ad vitam hominis conceſſa ſunt, niſi revocentur, ea enim in jure perpetua dicuntur, ut colligitur ex l. 1. ff. pro ſocio: non autem ſunt revocata privilegia temporalia, quæ ſive ad tempus certum, v. g. quinquennium vel ſeptennium, ſive etiam ad tempus incertum ac indefinitum, v. g. dum beneficiatus in ſtudiis, vel in Epiſcopi ſervitio verſatur, ſunt conceſſa: Joan. Monach. in cit. c. ult. Licèt gl. ibid. v. perpetuas, & Francus n. 6. côtrarium teneant. Quamvis etiam ea interdum in jure perpetua dicãtur, quorum terminus eſt incertus, ſive quæ certo tempore non ſunt definita, arg. l. Juriſperitos 30. in princip. ff. de Excuſat. Tutor. & l. ſufficit 56. ff. de condict. indebit. & ſuprà etiam diximus n. 3. ſed non ita uſitatè & frequenter. Nam cùm Conſtitutio hæc ſit correctoria ſeu revocatoria privilegiorum, non debet extendi ad illa, quæ expreſsè non ſunt revocata, & quæ certum quidem ac definitum tempus non habent, per ſe tamen perpetua non ſunt, licèt per accidens, & caſu fieri poſſit, ut totâ hominis vitâ durent, Laym. in cit. c. ult. n. 2.

Deinde illæ tantùm indulgentiæ, ſeu privilegia ſunt revocata, quæ perſonis conceſſa ſunt, non item, quæ Eccleſiis, aut dignitatibus, v. g. Præpoſituræ, ut ad illam reſidentia non requiratur, adeóque realia vel localia privilegia ſunt, hæc enim revocata non ſunt, quia ſunt magis ſtabilia & favorabilia, quàm privilegia perſonalia, ſive ſingulis perſonis conceſſa, cit. c. ult. & ibi gl. v. Eccleſiis. & v. vel dignitatibus, ubi gl. marg. ait, aliquid ſubinde concedi Eccleſiæ vel dignitati, quod perſonæ per ſe non conceditur, tamen quaſi per accidens redundat in utilitatem perſonæ.

CLXXXII. Quæritur 2. An reſcriptum impetratum à Procuratore revocato à domino valeat, nécne, adeóq; cenſeatur ſubreptitium? Reſpondetur, reſcriptum, quod Procurator revocatus à domino, cui tamen revocatio mandati procuratorij intimata eſt, extra judicium impetravit, non valet: ſi verò in judicio impetravit, valet reſcriptum, dummodo revocatio Procuratoris ad notitiam adverſarij, vel Judicis non pervenit, prout ſumitur ex c. Ex parte 33. & rubricâ eiuſdem h. t. ubi habetur, quòd Papa Decano & Capitulo Eccleſiæ Landunenſis conceſſit privilegium, ut poſſent excommunicare omnes ipſis iniurias inferentes, vel bona ſua detinentes; vi cuius privilegij virum quendam nobilem excommunicârunt, qui ab illa ſententia excõmunicationis ad Papam appellavit. Miſſis ab utraque parte litigante procuratoribus Romam, controverſia illa Judicibus delegatis commiſſa fuit, eo adiecto, ut in cauſa procedant, quamvis poſtea aliæ litteræ delegationis, ſed abſque utriuſque partis conſenſu, fuerint impetratæ. Ab his Judicibus citatus Nobilis oppoſuit, ſe non obligari ad litigandum coram ipſis, eò quòd Procuratorem ſuum, ante expeditionem litterarum delegationis, revocâ-rit, propter ſuſpicionem, quàm adverſùs eum conceperat, adeóque falſus extiterit Procurator, quia etſi fuerit, tamen revocatus fuit. Sed Capitulum contra hoc excepit, quòd ea revocatio mandati Procuratoris, nec ad ipſorum notitiam, nec etiam Judicis, nempe Papæ pervenerit. Quare Judices delegati per quandam interlocutoriam ſententiam pronuntiârunt, non obſtante eâ revocatione, ſe poſſe in cauſa ſibi commiſſa procedere, eámque cognoſcere. Interea Procurator Capituli Judicibus exhibuit privilegium Apoſtolicum, vi cuius ipſi competat poteſtas excommunicandi ſuos injuſtos impetitores: ex adverſo verò Procurator Nobilis exhibuit alias litteras Apoſtolicas poſteriùs impetratas ad eoſdem Judices delegatos, in quibus continebatur, ut ſi cauſam, ex utriuſque partis voluntate, definire non poſſent, illam, cum ſufficiente inſtructione ſeu informatione proceſsûs habiti, & cum privilegio Capituli, ad Sedem Apoſtolicam remittant. Sed Capitulares reſpondebant, has poſteriores litteras invalidas eſſe, quia à dicto Procuratore Nobilis, poſt revocationem mãdati, fuerant impetratæ. Quare ſuper hoc conſultus Papa Gregorius IX. reſpondit, ſi revocatio mandati Procuratori à domino fuit intimata, ſive ad eum pervenit, reſcriptum ſive litteræ ab eo poſteriùs impetratæ ſunt irritæ, ideóque Judices delegati cauſam decidere debent, ſecundùm priorum litterarum Apoſtolicarum conceſſionem, non obſtantibus litteris poſterioribus, cùm enim iuxta ſtatutum Concilij Lateranenſis (in c. Nonnulli. 28. §. Sunt & alij. h. t.) litteræ Apoſtolicæ ad lites, ſinè ſpeciali mandato domini, impetrari non poſſint, niſi impetrans nomine alieno ſit perſona conjuncta, multò minùs valere debent litteræ impetratæ à Procuratore, poſtquam revocatio mandati ad ipſius notitiam pervenit.

CLXXXIII. Ex quo patet, cur in propoſito caſu priores litteræ delegationis validæ fuerint, non obſtante revocatione Procuratoris à Nobili factâ, ſinè Capituli aut Papæ notitiâ, quia ea poſt litis conteſtationem, adeóque in judicio à Sede Apoſtolica,

cum

cùm utriuſque partis conſenſu, ſunt impetratæ, ac proinde neceſſe erat, ut revocatio Procuratoris perveniret ad notitiam partis adverſæ, videlicet Capituli litigantis, vel Judicis, ſive coram quo lis fuit inchoata: alioquin talis revocatio in eorum grave præjudicium cedere potuiſſet; intereſt enim Judicis & Adverſarij, ut revocatio mandati procuratorij non fiat, niſi ea etiam ipſis intimetur, ne alioquin fruſtra in judicio fatigentur, & quia in judicio quaſi contrahitur, l. 3. ff. de peculio. At verò poſteriores litteræ impetratæ fuerant à ſolo Procuratore, extra judicium, & in commodum ſolius impetrantis ſunt conceſſæ, ſinè partis adverſæ conſenſu, ideóque propter eandem Procuratoris revocationem, quæ ad ipſius notitiam, non item ad notitiam Capituli & Papæ pervenit, invalidæ fuerunt & infirmatæ, quia revocatio Procuratoris, in ordine ad hunc irritationis effectû, parti adverſæ non poterat obeſſe, ſed prodeſſe; gl. in cit. c. Ex parte in caſu, & Abb. ibid. n. 10. & Laym. n. 11. in fine. Nec obſtat, quòd poſteriores litteræ fuerint, lite pendente, impetratæ: nam multa fiunt extra judicium, lite pendente, Abb. c. l.

Notandum hîc præterea 1. Poteſt Judex delegatus per ſententiam interlocutoriam pronuntiare, ſe judicem eſſe, ut colligitur ex hoc c. ibi: *per quandam interlocutoriam protuliſtis*, quæ tamen habet vim ſententiæ definitivæ, ita ut ab ea appellari poſſit, etiam Jure civili, Abb. hîc n. 6. Gail. l. 1. obſ. 130. n. 9. de quo infrà Tit. 29.

Notandum 2. Pars litigans poteſt dictum adverſarij impugnare ſecundùm unum effectum, & admittere ſecundùm alium, imò & retorquere contra illum, uti ſumitur ex hoc c. nam Capitulum noluit recipere confeſſionem Nobilis ad hunc effectum, ut irritentur litteræ priores; poſtea tamen eandem confeſſionem revocationis admiſit, ad effectum irritationis poſteriorum litterarum, gl. hîc v. Non valere dicebant, & Abb. n. 5. Porrò quomodo tacitè revocentur reſcripta, patet ex ijs, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, & plura de eorum revocatione alibi dicentur: quæ verò præterea in hoc c. annotant Interpretes, ad alias materias pertinent, de quibus ſuis locis.

§. V.

An Reſcripta extinguantur, ſeu exſpirent per mortem concedentis?

CLXXXIV. Aſſertio 1. Reſcriptum gratiæ à Principe conceſſæ, adjectâ clauſulâ, *uſque ad beneplacitum ſuum*, hoc eſt, perſonæ concedentis; ſive per verba æquipollentia, *quàm diu voluerit*, *vel ſi ita placuerit*, per mortem concedentis, ſinè alia revocatione, exſpirat. » Ut ſi Papa alicui ad Epiſcopatum promoto gratiam faciat, ut beneficia, quæ tempore » promotionis ſuæ obtinebat, retinere poſſit, uſque » ad beneplacitum voluntatis ſuæ, id eſt, quàm diu » ipſi placuerit, ea, mortuo Papâ, omnino exſpirat, » quia per mortem extinguitur voluntas, ſeu bene» placitum: ita habetur in c. Si gratiosè 5. h. t. in 6. cùm enim ex verbis huiuſmodi clarè appareat, gratiam non abſolutè concedi, ſed cum ea reſtrictione, quàm diu perſeveraverit beneplacitum, ſive voluntas concedentis, hæc autem per mortem eiuſdem omnino extinguatur ac deſinat, ſequitur, etiam gratiâ ita conceſſam extingui; Molin. tr. 5. de juſt. diſp. 20. n. 6. Sanch. lib. 8. de matrim. diſ. 28. n. 49. Suar. l. 8. de legib. c. 33. n. 3. Aliud eſt, ſi Papa ſeu Princeps concedat gratiam aliquam, *donec revocaverit*, tum enim non extinguitur gratia per ſolam mortem concedẽtis, ſed requiritur actus poſitivus contrarius, quo revocetur gratia conceſſa, & ideo ſi in vita id non fiat, gratia permanet, cùm non revocetur per ſolam mortem concedentis, donec ab eius ſucceſſore, vel illius ſuperiore revocetur: Clauſula verò, *uſque ad beneplacitum meum*, ſolùm exigit perſeverantiam in priore voluntate, & non novum aliquem actum, ſive contrariam ordinationem illius, Sanch. c. l. n. 52. Suar. c. l. n. 5. & ſeqq.

Procedit autem tradita doctrina, non ſolùm in gratia ambitioſa ac odioſa, ut eſt gratia retinẽdi plura beneficia: ſed etiam in omni alia gratia, ſeu beneficio Principis, quantumvis favorabili, conceſsâ ad beneplacitum Papæ, vel alterius Principis, extinguitur enim morte illius; quia ratio ſuprà allata, quòd beneplacitum ſeu voluntas perſonæ concedentis extinguitur per obitum eius, locum habet in omnibus gratiis conceſſis ad beneplacitum perſonæ, etiam in Papalibus indulgentiis, adeóque etiam idem jus ac diſpoſitio in omnibus locum habere debet, Franc. in cit. c. Si gratiosè. n. 10. Sanch. n. 50. Suar. c. l. n. 3. Idque ſumitur ex l. Locatio. 4. ff. de locat. ubi dicitur: locatio, precariive rogatio ita facta, *quòd is, qui eam locâſſet, dediſſet ve*, vellet, morte eius, qui locavit, tollitur, quia nimirum morte voluntas finitur, ut ait ibid. Bartol. non obſtat, quòd precarium non finitur morte concedentis, c. ult. De precariis, l. Cùm precariò. 12. in fine, ff. eodem, quia id verum eſt, cùm ſimpliciter factum eſt precarium, non adjectâ aliquâ conditione ſeu limitatione, gl. in cir. c. Si gratiosè. v. Exſpirat. h. t. in 6.

CLXXXV. Porrò ſicut gratia conceſſa ad beneplacitum perſonæ concedentis exſpirat morte naturali ipſius: ita etiam morte civili eiuſdem, ut ſi deponatur ab officio, vel illud reſignet, Franc. in cit. c. Si gratiosè. n. 11. h. t. in 6. Sanch. cit. diſp. 28. n. 56. Ratio eſt, quia radix, ſeu facultas concedendi gratiam, aut perſeverandi in hac voluntate eſt officium, adeóque verba hæc, *ad beneplacitum*, ita intelligi debent, quàm diu concedens permanens in officio, voluerit; ergo finito officio, finitur etiam, & ceſſat voluntas concedendi gratiam, quæ non eſt conceſſa, niſi dependenter ab officio, & ex vi illius, & conſequenter etiam extinguitur ipſa gratia. Idem cit. loc. Veruntamen nõ exſpirat gratia conceſſa ab eo, qui poteſtatem ſive officium habet, ad eius beneplacitum ſeu voluntatem, ſi fuerit excommunicatus, vel ab officio ſuſpenſus; quia etſi tunc nequeat officio fungi, illúdque exercere, manet tamen in eo poteſtas ſeu officium radicaliter, ſive habitualiter, adeóque etiam prior voluntas concedendæ gratiæ in eo perſeverat, Franc. c. l. n. 12. Sanch. c. l. n. 57. Aliud item dicendum eſt de eo, qui poteſtate ſeu officio præditus cõceſſit gratiam ad beneplacitum ſuum, ſed poſtea in furorem ſeu amentiam diuturnam vel perpetuam incidit; tum enim non debet cenſeri, gratiam eſſe ex-

tinctam, dummodo poteſtatem ſeu officium retineat, illúdque per Vicarium ſeu officialem adminiſtret, quia habitualiter & interpretativè retinet priorem voluntatem, & in ea perſeverat, hoc ipſo, quòd eam mutare non poſſit, & per mortem ceſſat voluntas, non autem per furorem, Covarr. l. 3. var. reſol. c. 15. n. 4. verſ. 3. Sanch. c. l. n. 58. arg. c. Maiores. 3. §. Finali de baptiſm. ubi gl. v. Perdurare, ait, ſemper durare præſumitur voluntas, niſi probetur mutata, & in l. Si is qui. 57. ff. de acquir. poſſeſſ. dicitur, quòd furioſus non poteſt deſiſtere animo poſſidere.

CLXXXVI. Ex dictis infertur diſcrimen inter illam conceſſionem, quæ à Prælato v. g. ſubdito ſuo facta eſt abſolutè, ut ſi v. g. conceſſit Prioratum clauſtralem ad nutum revocabilem, vel adjectâ clauſulâ, *donec revocavero*: & inter illam, quæ facta eſt ad beneplacitum Prælati; nam prior conceſſio non cenſetur extincta per mortem Prælati, ſed opus eſt revocatione, quæ per ſolam mortem non inducitur, quia revocatio contrariam priori voluntatem exigit, præſumitur verò quis decedere in priori voluntate, ſi illam non revocet. Secus eſt, ſi conceſſio facta ſit ad beneplacitum Prælati, quia hoc exſpirat morte concedentis, ac proinde etiam ipſa conceſſio extinguitur, Abb. in c. fin. n. 6. de precariis. Sanch. l. 7. moral, c. 29. num. 113.

CLXXXVII. Aſſertio 2. Reſcriptum gratiæ à Papa conceſſæ, *uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, vel alterius, qui dignitatem, vel juriſdictionem obtinet, per mortem concedentis non exſpirat, ſed perpetuò durat, donec à ſucceſſore revocetur, quia ſedes ipſa, ſeu dignitas non moritur, ſed per mortem Papæ, vel alterius dignitatem obtinentis, vacat, & ad ſucceſſorem tranſit, ita habetur in cit. c. Si gratioſè h. t. in 6. ubi hæc ipſa ratio datur. Sicut enim gratia ſeu privilegium perſonale, quod conceditur perſonæ, cum eâdem extinguitur, reale verò, quod conceditur rei, v. g. Sedi aut dignitati Epiſcopali, mortuo Epiſcopo, non extinguitur, ſed ad ſucceſſorem tranſit: ita ſimiliter privilegium perſonale ex parte concedentis, quod à perſona ejus cenſetur provenire, cum eâdem extinguitur: reale verò ex parte concedentis, quod à dignitate vel officio ejus provenit, cum concedente non extinguitur, ſed cum dignitate permanet, donec poſitivè revocetur, gl. in cit. c. v. Perpetuò. Sed etſi gratia conceſſa ſit cum adjectione, non in abſtracto, *ad beneplacitum ſedis vel dignitatis*: ſed in concreto, *ad beneplacitum Romani Pontificis, vel Regis, vel Epiſcopi*: Probabilius eſt, gratiam ita conceſſam non extingui per mortem perſonæ, ſed eſſe perpetuam, cùm emanaverit ratione officij, aut dignitatis; niſi aliud ex verbis adjunctis, aliiſve circumſtantijs colligi poſſit: Sanch. cit. diſp. 28, n. 62. licèt contrarium teneat Covarr. cit. c. 15. n. 2. Molin. cit. diſp. 298. §. Mihi hac in re, in fine: Sicut etiam ſi cauſa alicui delegata ſit ſub nomine officij, aut dignitatis, v. g. Epiſcopo Auguſtano, non cenſetur ea delegatio in dubio facta perſonæ, ſed dignitati, ideóque per mortem illius non exſpirat mandatum, c. Quoniam 14. de offic. delegat.

CLXXXVIII. Hoc autem, quod dictum eſt, gratiam conceſſam ad beneplacitum dignitatis non exſpitare morte concedentis, id limitandum eſt, ut ſolùm procedat, quando dignitas eſt perpetua, & ſucceſſorem habet; nam ſi Legatus S. Pontificis, vel Vicarius Generalis Epiſcopi concedat gratiam, ad beneplacitum dignitatis vel officij ſui, tum ijs mortuis, vel finito eorum officio, etiam extinguitur conceſſio gratiæ, quia dignitas perit, adeóque in illis ceſſat ratio, propter quam Jure ſtatutum eſt, gratiam ad beneplacitum ſedis aut dignitatis conceſſam non exſpirare, Franc. in cit. c. Si gratioſè num. 13. Sanch. l. c. num. 59.

CLXXXIX. Sed quid ſi in reſcripto gratiæ utrumque ſit expreſſum, tam perſona, quàm dignitas perpetua, v. g. concedimus tibi hanc gratiam vel privilegium, *uſque ad beneplacitum noſtrum & Sedis Apoſtolicæ*, an per mortem concedentis gratia conceſſa extinguatur? Aliqui dicunt, inſpiciendum eſſe hoc caſu, an perſona præcedat, ſive priùs nominata ſit in reſcripto, quàm dignitas, tunc enim perſonæ major ratio habenda propter ordinem ſcripturæ, ut videre eſt apud Francum in cit. c. Si gratioſè n. 14. h. t. in 6. Sanch. cit. diſp. 28. n. 60. Sed probabilius eſt, ſi res dubia ſit, non exſpirare per mortem concedentis, quia aliàs verba illa, *& Apoſtolicæ Sedis*, fruſtra eſſent adjecta, niſi dicatur, quòd conceſſio gratiæ illius dependeat à beneplacito Sedis Apoſtolicæ, cui nunc præſidemus, Laym. in cit. c. q. 2. Accedit, quòd gratia ſeu privilegium, quod nemini præjudicat, amplè ac latè interpretari oporteat; c. Quamvis 4. de præbend. in 6. & per ſe ſit perpetuum, donec per actum contrarium revocetur, decet enim conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum, juxta reg. jur. 16. in 6.

CXC. Illud poſtremò hîc notandum, quòd gratia à Principe conceſſa alicui promoto ad Epiſcopatum ad retinenda beneficia priùs obtenta, tantùm intelligi debet de beneficijs canonicè acquiſitis, cùm enim talis conceſſio ſit ambitioſa, reſtringi debet ad licitè obtenta, neque præſumendum eſt, quòd Papa voluerit per talem conceſſionem gratiæ diſpenſare in beneficijs illegitimè acquiſitis, cit. c. Gratioſè in fine, & ibi gloſſ. fin. Cæterùm quibus modis reſcripta juſtitiæ, ſive mandata delegatoria juriſdictionis, & reſcripta gratiæ abſolutè conceſſæ extinguantur, infrà commodiùs dicetur in Titulo 29. de officio & poteſtate Judicis delegati.

TITULUS IV.

DE CONSUETUDINE.

HActenus actum fuit de Jure ſcripto, nimirum de Conſtitutionibus & Reſcriptis Principum: ſequitur, ut de Jure non ſcripto agatur, videlicet de Conſuetudine, eſt enim Jus aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum, §. Conſtat autem, Inſti-

tut,

tut. de jure natur. gent. & civili: Jus autem ſcriptum à non ſcripto non differre eſſentialiter per ſcripturam, ſuprà dictum eſt, tit. 2. in princip. cùm etiam Leges voce communitati promulgari, & vice verſâ, Conſuetudines populi in ſcriptum redigi poſſint, quomodo Conſuetudines Feudorum ſcriptæ extant in Corpore Juris. Differunt ergo lex & Conſuetudo, quia leges promulgatione vim ſuam accipiunt, quæ cùm plerumque in ſcripto fieri ſoleant, ideo ab hac origine ſuâ leges dicuntur jura ſcripta; Conſuetudines verò originem ſuam, & vim obligandi non à ſcriptura, ſed à moribus populi, ſive ab utentium ſeu agentium frequentibus actibus accipiunt, ideo Conſuetudo dicitur jus non ſcriptum, quod uſus approbavit, §. Sinè ſcripto Inſtitut. d. t. & ex dicendis patebit. Agitur de hac Rubrica etiam in Sexto, & Extragantibus communibus.

SECTIO I.

DE CONSUETUDINE, ET requiſitis ad eam inducendam.

§ I.

Quid, & quotuplex ſit Conſuetudo?

I. Quæritur 1. Quid ſit Conſuetudo, & quomodo à Traditione & ſtylo Curiæ, uſu ſive more differat? Reſpondetur 1. Conſuetudo duobus modis ſumi ſolet, ut notat Suar. l. 7. de legib. c. 1. num. 4. 1. Pro ipſo uſu diuturno, & moribus ſive actibus frequentatis à populo, vel majore ejus parte (nam de communi & publica, non de privata Conſuetudine hîc loquimur) quæ Conſuetudo facti vocatur, & deſcribitur ex S. Thom. à Suar. c. l. n. 5. *frequentia operandi liberè eodem modo*, ſive *frequentia actuum humanorum ſimilium tempore continuata*, de qua conſuetudine facti loquitur Iſidorus in c. Conſuetudo 5. in fine diſ. 1. *vocatur conſuetudo, quia in communi eſt uſu.* 2. Accipitur Conſuetudo pro ipſo jure, quod ex ejuſmodi diuturno uſu, & frequentibus moribus ſeu actibus naſcitur; & vocatur Conſuetudo juris, ad quam introducendam ſeu conſtituendam veluti via eſt ipſa conſuetudo facti, ex uſu enim frequenti oritur jus Conſuetudinis. Et hæc Conſuetudo juris definitur à JC.to in l. De quibus 32. §. 1. ff. De legib. *Jus moribus conſtitutum.* Dicitur 1. Jus, ubi nomen juris accipitur, non pro facultate morali, ſed pro lege, quatenus ea latè accipitur, & utramque juris ſcripti, & non ſcripti ſpeciem comprehendit, ac proinde loco generis ponitur Jus, quod latiùs patet, quàm Conſuetudo. Dicitur 2. *Moribus conſtitutum*, ut oſtendatur origo & cauſa introducendi juris, ſive legis non ſcriptæ, per quam particulam Conſuetudo diſtinguitur à lege ſcripta. Per mores autem intelliguntur mores populi publici, ſive actus liberi frequentati à populo, iique rationabiles & probati, ac Reipubl. utiles, fidei & Religioni congruentes; nam mores, ſive actus improbi & pravi, quantumvis longo uſu ſint continuati, jus ſeu legem conſuetudinis introducere non poſſunt, ſed potiùs corruptelæ nomine veniunt, & appellandi ſunt, c. fin. h. t. c. Mala conſuetudo 3. & ſeqq. diſ. 8. Additur majoris explicationis gratiâ, in definitione allata ab Iſidoro in cit. c. 5. diſt. 1. *quod pro lege ſuſcipitur, cùm lex deficit*, quia Conſuetudo non minorem, quàm lex ſcripta obligandi vim bahet, l. De quibus 32. ff. De legib. ubi dicitur: *Inveterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur, & hoc eſt jus, quod dicitur moribus conſtitutum*, & pauló pòſt, *quid enim intereſt, ſuffragijs* (id eſt, verbis, ſive voce aut ſcripto) *populus ſuam voluntatem declaret*; an rebus ipſis & factis, videlicet actibus à populo longo tempore frequentatis? Et l. ſeq. *diuturna Conſuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet.* Et l. 35. ff. eod. dicitur: *ſed & ea, quæ longâ Conſuetudine approbata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita civis conventio non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt jura, ſervantur.*

Solet autem Jus Conſuetudinis introduci in defectum legis, quia, quando jus ſcriptum, ſive lex præcedit, vel ſupponitur, tum non eſt neceſſaria Conſuetudo, quæ Jus introducat, cùm lex ſufficiat: adeóque ad Conſuetudinem requiritur, ut non fiat ex legis antecedentis obligatione, cùm potiùs tendat ad novi Juris introductionem. Nec refert, quòd interdum conſuetudo dicitur induci poſt legem, & conſequenter legem ſupponit: quia hoc verum eſt de Conſuetudine facti, quæ legem tantùm confirmat, non novum Jus inducit, de qua Conſuetudine Juris hîc eſt ſermo, per quam vel ſtatuuntur ea, quæ lege ſcriptâ definita non ſunt, vel quæ legem ſcriptam limitat, vel ambiguam aut obſcuram interpretatur & declarat, adeóque ut ſic novum aliquod jus ei ſuperaddit, de qua infrà plura, Suar. cit. l. 7. c. 2. num. 2. Conſuetudo verò abrogatoria legis antecedentis nō ſupponit legem ſcriptam ſtatuentem idem, quod Conſuetudine introducendum eſt, ſed tollendo ſeu revocando legem præexiſtentem, contrarium Jus inducit ei, quod lex ſcripta præcipiebat, vel prohibebat, ita ut vi Conſuetudinis legi contrariæ, modò licitum ſit, quod antea erat illicitum, vel è converſo, modò illicitum ſit, quod antea erat licitum, Suar. cit. c. 2. n. 5. & 6.

II. Cæterùm Conſuetudo differt à Traditione, quòd hæc originem ducat, non ex uſu ſeu frequentatione actuum ſimiliū, ſed ex inſtitutione alicujus juris hominibus dati ſeu promulgati, ſive verbo, ſive ſcripto, ut colligitur ex Apoſtolo 2. ad Theſſalonic. 2. *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*, id eſt, ſive verbo tantùm, ſive ſcripto. Numerantur tamen Traditiones ad

mores

mores pertinentes inter partes Juris non ſcripti, tum quia per uſum & Conſuetudinem facti conſervantur, etſi ex hac ortæ non ſint, ſed potiùs Conſuetudo interdum proficiſcitur ex traditione, ſicut ex lege ſcripta ea Conſuetudo, quæ ſecundùm jus eſt, promanat. Tum quia Traditiones, vel ſolâ voce ſeu ſermone latæ ſunt, vel etſi per epiſtolam primò latæ ſint, nulla tamen ſcriptura, per quam Jus hujuſmodi Traditionum promulgatum fuit, extat, licèt poſtea in ſcripturam denuo redactæ ſint, Suar. l. 7. de legib. c. 4. n. 10. Sunt autem Traditiones non ſcriptæ triplices, quædam Divinæ, quæ ex jure ſeu præcepto divino non ſcripto primò ortæ ſunt, & promanârunt, & quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ ſunt, ut loquitur Concil. Trident. Seſſ. 4. in decreto de Canonicis Scripturis, cujuſmodi ſunt, quæ ſpectant ad materiam & formam Sacramentorum: Aliæ ſunt Traditiones Apoſtolicæ, quæ ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, juxta Concil. Trident. c. l. ut eſt lex de jejunio quadrageſimali, quatuor temporum, de obſervatione diei Dominicæ, & ſimiles. Aliæ denique ſunt Traditiones Eccleſiaſticæ, quæ ſinè ullo præcepto expreſſo vel tacito, ſive ſcripto vel verbo lato, ſive divino aut Apoſtolico, ſed ex ſolo tacito Eccleſiæ Paſtorum ſeu Rectorum conſenſu introductæ & continuatæ fuerunt, ut veriſimile eſt de quibuſdam cæremonijs Sacramentalibus, in quibus ipſum initium Conſuetudinis ab Apoſtolis & primis Eccleſiæ Paſtoribus approbatum vim traditionis habuit, ut docet Suar. cit. c. 4. n. 11. *Quod enim univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur*, ut aſſerit S. Auguſt. l. 4. de baptiſm. parvul. c. 24.

III. Præterea Conſuetudini quoque affinis eſt ſtylus Curiæ, nam ſicut Conſuetudo dupliciter ſumitur, vel prout eſt uſus facti, vel prout eſt juris, ſive jus quoddam: ita proportione quadam ſtylus, prout ſpeciatim à JC.tis uſurpatur, ſumi poteſt, vel pro modo ſeu formula quaſi artificiali procedendi in cauſis vel negotijs, quæ ſervari ſolet in judicijs præcipuè, ſicque vocatur ſtylus facti, & nihil aliud eſt, quàm uſus ſive Conſuetudo, loquendi & procedendi potiſſimùm in judicio. Vel ſumitur pro jure quodam ſpeciali & non ſcripto, ex hujuſmodi formula ſeu procedendi modo nato, ſive pro obligatione ſervandi talem modum ſeu ordinem in procedendo, ut ex Bartolo docet Suar. cit. l. 7. c. 5. n. 4. & 5. Differt autem ſtylus à Conſuetudine, quòd ſtylus ſit jus quoddam non ſcriptum ortum ex modo & formulâ procedendi in actibus potiſſimùm judiciarijs, adeóque vim legis habet, ſive jus facit, præcipuè in his, quæ judicia concernunt, quia in judicijs certus modus loquendi ac ſcribendi accuratè obſervari debet ac ſolet, tanquam multùm conducens ad bonum commune, non ita in alijs materijs, ſermonibus vel ſcripturis: Conſuetudo verò certam materiam non reſpicit, Suar. cit. c. 5. n. 5. ubi tamen ſub judicijs omnes litteræ ſeu reſcripta comprehenduntur, in quibus ſtylus Curiæ attendi & obſervari debet, c. Quàm gravi. 6. de crim. falſ. Suar. c. l. n. 3. Deinde ſtylus Curiæ non ſolo uſu, factóque, ſive frequentatione actuum, ſicut Conſuetudo, ſed etiam juſſu & auctoritate alicujus legiſlatoris, velut lex ſcripta, ferri & introduci poteſt, Suar. c. l. n. 6.

IV. Denique mos & Conſuetudo idem ferè ſunt, quia utraque vox ſignificat actuum moralium ſive liberorum frequentiam, cùm propriè Conſuetudo non ſit in actibus neceſſarijs, ſed ſolùm in humanis & liberis, ut ex S. Thom. tradit Suar. cit. l. 7. c. 1. n. 4. Vel ergo mos ſumitur pro ipſis actibus, eorúmque frequentiâ & reiteratione; & ſic eſt idem, quod Conſuetudo facti; vel ſumitur mos pro ipſo jure, quod reſultat ex actuum frequentia; & tum idem eſt, quod Conſuetudo juris, & definitur in c. 4. diſ. 1. *mos eſt longa Conſuetudo de moribus tantummodò tracta*, ubi illa verba, *de moribus*, ipſam frequentiam actuum humanorum, ſive conſuetudinem facti ſignificant, atque ita idem non definitur per idem, ſive per ſeipſum, gl. ibid. v. de moribus.

V. Quæritur 1. Quotuplex ſit Conſuetudo? Reſpondetur 1. Dividitur Conſuetudo apud Hoſtienſ. in ſumma. h. t. n. 11. & Greg. Tholoſan. partit. Jur. Can. l. 1. tit. 2. c. 12. in 4. ſpecies, generaliſſimam, generalem, ſpecialem, & ſpecialiſſimam. Generaliſſima vocatur, quæ eſt veluti univerſi Orbis, vel quæ viget inter omnes Catholicos, ut Crucis ſignaculo ſe inſignire, c. Eccleſiaſticorum 5. diſ. 11. Generalis eſt, quæ non in una ſolùm civitate, ſed integra provincia ſeu regno ſervatur, ut in c. Ex tuarum 5. de auctorit. & uſu pall. c. Cùm Eccleſia. 31. de elect. Specialis ſeu localis eſt, quæ in aliquo pago vel civitate tantùm locum habet, ut in l. Venditor. 13. §. Si conſtat. ff. Communia prædior. c. Venientes. 19. de jurejur. Specialiſſima eſt, quæ eſt ſervata ab aliquo patrefam. ſive quæ eſt recepta ſolùm in uno collegio, familia, vel alia communitate imperfecta. Suar. verò cit. l. 7. c. 3. n. 7. Conſuetudinem dividit in communiſſimam ſeu univerſalem, quæ eſt ipſum Jus gentium, uſu & moribus, non unius, vel alterius gentis, ſed totius Orbis introductum: & in communem ſeu publicam, quæ eſt jus non ſcriptum in uno regno, provincia vel civitate, uſu vel moribus introductum, & in particularem ſeu privatam, quæ ab una tantùm perſona, vel communitate imperfecta, quæ poteſtatem ferendi leges non habet, inducta eſt.

Porrò ſola Conſuetudo communis ſeu publica, quæ eſt proprij juris humani, ſeu poſitivi inductiva, intelligitur hic ſub nomine Conſuetudinis: nam communiſſima ad Jus gentium ſpectat: privata verò perſonæ, vel familiæ aut domûs Conſuetudo non poteſt conſtituere vel inducere jus legale, quia talis poteſtas ſolùm competit communitati perfectæ, quæ poteſtatem ferendi legem habet, Suar. c. l. num. 8. 9. & 10.

VI. 2. Dividitur Conſuetudo in eam, quæ eſt ſecundùm legem ſive jus, & in eam, quæ eſt præter legem, ſeu præter jus, ac denique in eam, quæ eſt contra legem ſeu jus, ut tradit Abbas in c. fin. n. 20. h. t. & alij Canoniſtæ communiter. Conſuetudo ſecundùm legem non eſt Juris, ſed facti tantùm, per quam non introducitur novum jus non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium, ſed ſolùm eſt quædam obſervantia ſeu executio legis præexiſtentis, ut eſt v. g. Conſuetudo audiendi Miſſam diebus feſtis: ideóque etſi populus per mille annos legem hujuſmodi obſervet, non inducitur per talem obſervantiam Jus

Conſuetudinis, quia illa Conſuetudo facti ſeu frequentatio actuum legi conformium non eſt incepta, nec continuata animo introducendi novam legem ſeu jus, ſed ſolùm animo implendi & exequendi legem præexiſtentem, unde hæc Conſuetudo ſecundùm jus non eſt diſpoſitiva, ſed imitativa juris, vel potiùs executiva, ut cum Baldo in l. ult. C. quæ ſit longa Conſuetudo, docet Suar. c. l. 7. c. 4. n. 15.

Ex quo infert gl. in c. 1. de Conſtitut. in 6. v. facti, & Abb. in c. fin. h. t. n. 21. abrogatâ lege aliquâ per legem poſteriorem, abrogari etiam Conſuetudinem, quæ idem continet, quod lex, etiamſi illius mentio non fiat, quia illa per ſe nullum jus introduxit, nec novum vinculum obligationis addidit, ſed fundata eſt in ipſa lege, eique annexa, ideóque ſublato fundamento legis, nulla ex ea Conſuetudine manet obligatio, Suar. c. l. Etſi verò Conſuetudo ſecundùm legem novam Jus non inducat, habet tamen & illa circa legem præexiſtentem certos quoſdam effectus, de quibus infrà.

Conſuetudo præter legem eſt, per quam Jus novum introducitur, de qua ſermo eſt in ſuprà cit. c. 5. diſ. 1. ubi dicitur, quòd Conſuetudo pro lege ſuſcipitur, cùm lex deficit, id enim propriè tantùm convenit Conſuetudini, quæ eſt præter legem, talis enim Conſuetudo parem cum lege ſcripta vim obligandi habet, ideóque inſtar legis, ſeu non minùs, quàm lex ſcripta ſuſcipi & obſervari debet, l. De quibus 32. & l. ſeq. & l. Sed & ea. 35. ff. de legib.

Conſuetudo contra legem eſt, per quam lex ſeu Jus antecedens tollitur & abrogatur, de qua mentio fit in c. fin. h. t. quomodo autem hæ Conſuetudines inter ſe differant, ex infrà dicendis patebit.

VII. 3. Sicut lex ſcripta, ita & Conſuetudo, ratione materiæ, circa quam verſatur, dividitur in Canonicam & Civilem: illa eſt, quæ locum habet in materia ſpirituali ſeu Eccleſiaſtica, ut eſt Conſuetudo jejunandi, vel obſervandi aliquod feſtum; Civilis eſt, quæ verſatur circa materiam merè temporalem & propriam laicorum, Suar. cit. l. 7. c. 5. n. 1. Eſt autem hæc diviſio adæquata, neque enim datur Conſuetudo mixta ſive media, quæ ſit communis Clericis & laicis: nam vel illa verſatur circa materiam pertinentem ad temporale regimen, & politicum commune bonum civitatis; & talis Conſuetudo civilis ſervanda eſt, etiamſi comprehendat, & obliget Clericos, ut cives ſunt Reipubl. cùm illi etiam lege ſcriptâ civili obligari poſſint, ſaltem quoad vim directivam, ut ſuprà dictum tit. 2. n. 79. Vel eſt Conſuetudo, quæ pertinet ad Clericos, ut Clerici ſunt, vel tam ad Clericos, quàm laicos, ut Chriſtiani ſunt; & tunc eſt Conſuetudo Canonica, qualis eſt v. g. Conſuetudo ſervandi diem feſtum ſacrum utriſque communis. Quòd ſi in aliquo loco, tam laici, quàm Clerici judices ſervent aliquam Conſuetudinem in ſuis Tribunalibus & judiciis, tunc duplex erit Conſuetudo, una Canonica, quæ ſervatur in foro Eccleſiaſtico, & altera civilis, quæ ſervatur in foro ſeculari, Suar. c. l. n. 2.

§. II.

Penes quos ſit poteſtas introducendi Conſuetudinem?

Inter conditiones requiſitas ad inducendam Conſuetudinem una eſt, ut ſit legitima auctoritate ſeu poteſtate inducta, de qua hoc §. agemus.

VIII. Aſſertio 1. In genere loquendo, ſola communitas perfecta, quæ vel ipſa poteſtatem habeat leges condendi, vel ſaltem huius poteſtatis capax ſit, aut ſufficiens, ut vera lex illi imponi poſſit, poteſt inducere jus Conſuetudinis, quæ vim legis habeat, ſaltem accedente tacito conſenſu Principis, vel alterius Superioris, Suar. l. 7. de legib. c. 9. n. 6. Idque ſumitur ex l. de quibus. 32. ff. de legib. ubi cùm Juriſconſultus dixiſſet, inveteratam Conſuetudinem pro lege non immeritò cuſtodiri, rationem addit. *Nam cùm ipſæ leges nos teneant, quia judicio populi receptæ ſunt, etiam ea, quæ ſine ullo ſcripto populus probavit, omnes tenebunt.* Et in l. Sed & ea. 35. ff. eod. dicitur, Conſuetudinem introduci, tacitâ civium conventione, cives autem conſtituunt civitatem, quæ eſt perfecta communitas. Ratio eſt, quia non poteſt forma induci, niſi in ſubiectum capax, ſola autem communitas perfecta eſt capax juris legalis, qualis eſt integra provincia vel civitas: communitas verò imperfecta & particularis, ut privata familia vel domus, non eſt capax legis propriè dictæ, etſi ſit capax præcepti, Suar. c. l. n. 10.

IX. Aſſertio 2. In ſpecie verò communitas libera, ſive populus nullum Superiorem in rebus temporalibus recognoſcens, qui propriâ auctoritate, ac per ſe legem vel ſtatutum condere poteſt, etiam inducere poteſt legem non ſcriptam, ſive Conſuetudinem, Abb. in c. fin. n. 8. h. t. Sylveſt. in ſumma V. cõſuetudo. q. 3. Suar. c. l. n. 7. & alij apud ipſum. Sumitur ex dicta l. De quibus. ff. de legib. ubi dicitur, *quid enim intereſt, ſuffragiis populus ſuam legem declaret, an rebus ipſis, vel factis?* id eſt, ſi actus ſimiles à populo frequententur longo tempore, quaſi ex obligatione ſive animo introducendæ obligationis, tum perinde eſt, ac ſi populus ſimul ac ſemel conveniens decerneret, ſcriptóq; aut voce promulgaret, aliquid agendum eſſe: talis enim populus habet ſe inſtar ſupremi Principis, & Legiſlatoris in tali Republica, adeóque, ſicut habet abſolutam poteſtatem ferendi legem ſcriptam, ita & non ſcriptam, ſive Conſuetudinem.

X. Sed contra objici poteſt 1. Cum Abbate in Rubric. ad hunc tit. n. 1. Communitas Clericorum Papâ inferiorum poteſt inducere Conſuetudinem contra Canones, iuxta c. ult. h. t. & tamen non poteſt ferre legem vel ſtatutum contra Canones, c. Inſtitutionis. 7. c. 25. q. 2. & dictum ſuprà tit. 2. n. 96. ergo poteſt induci Conſuetudo ab eo, qui non habet poteſtatem condendi legem. Sed reſpondetur, inprimis ad inducendam Conſuetudinem non requiritur, ut actu habeatur poteſtas condendi legem, ſed ſufficit, ut adſit capacitas huius poteſtatis, ut ſuprà dictũ: Collegium autem Clericorum eſt capax, ut ei concedi poſſit, ſaltem ex privilegio ſpeciali, poteſtas condendi ſtatuta contra Canones, etſi de facto non ſit data. Deinde Collegium Clericorum de facto poteſt legem concedere, ſaltem quæ non repugnat Canonibus, adeóque adhuc verum manet, Conſuetudinem non induci, niſi ab eo, qui habet poteſtatem condendi legem, Suar. cit. c. 9. n. 9.

Objici poteſt 2. Communitas laicorum non poteſt legem Eccleſiaſticam condere, ut per ſe patet, & tamen poteſt Conſuetudinem inducere, etiam in materia ſpirituali, & ad divinum cultum ſpectante,

quæ vim legis habet, v.g. obligantem ad jeiunium vel feſtum obſervandum. Reſpondetur talis communitas populi laici eſt communitas perfecta, & ſaltem habet capacitatem paſſivam ad recipiendam legem, ſive ut poſſit illi imponi lex Eccleſiaſtica, & conſequenter etiam poteſt eam per Conſuetudinem inducere, mediante conſenſu expreſſo vel tacito Prælatorum Eccleſiaſticorum, Suar. cit. c. 9. n. 10.

XI. Aſſertio 3. Communitas non libera, ſive populus ſubditus, qui non habet legis condendæ poteſtatem, ſed eam in unum Principem, aut Optimates tranſtulit, neque in civilibus negotiis, jus Conſuetudinis per ſe inducere poteſt, abſque Principis ſeu Magiſtratûs conſenſu, Innocent. in c. Ex parte 10. n. 3. b. t. Abb. in c. ult. n. 8. eod. Sylveſt. c. l. Ratio eſt, quia, à quo removetur genus, nempe poteſtas côdendi legem, ab eodem removetur & ſpecies, videlicet poteſtas inducendi Conſuetudinem, quæ eſt ſpecies juris, ſeu legis latè acceptæ, prout commune genus eſt ad Jus ſcriptum, & non ſcriptum, §. Conſtat autem, Inſtit. de jur. natur. gent. &c. multò minùs in rebus Eccleſiaſticis, poteſt populus Chriſtianus Jus Conſuetudinis introducere, abſque conſenſu Prælatorum, quippe penes quos omnis poteſtas Jurium Eccleſiaſticorum, ex Chriſti inſtitutione, reſidet.

XII. Aſſertio 4. Ad introducendum Jus Conſuetudinis, neceſſarium eſt, ut illa vel à toto populo, vel ſaltem à majore ejus parte ſit frequentata & obſervata, ut tradit gl. in c. fin. v. legitimè præſcripta h. t. Abb. ibid. n. 18. Bart. in l. 2. C. quæ ſit longa Conſuet. n. 12. & ſeq. & eſt communis Juriſperitorum. Ratio eſt, quia ſicut minor pars populi non poteſt inducere legem; ita nec Conſuetudinem; nam actus publici, qui concernunt totam Communitatem, vel eius nomine fiunt, debent moraliter procedere à tota cômunitate, ſive ab omnibus, qui ſunt de populo; nam, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, juxta reg. 27. jur. in 6. Secundùm moralem autem æſtimationem, quod à majore parte communitatis efficitur, cenſetur ab omnibus effici, l. Quod major. 19. ff. ad municipalem; c. 1. & 2. De his quæ fiunt à major. part. Capit. adeòque conſenſus majoris partis populi ſufficit ad ferendam legem, tam ſcriptam, quàm non ſcriptam. Minor autem pars populi, ſicut non poteſt inducere legem, ita nec Conſuetudinem. Neque verò tacitus conſenſus Principis requiſitus ad inducendam Conſuetudinem à populo ſubjecto, rationabiliter præſumi poteſt, propter ſolum uſum ſeu conſuetudinem minoris partis etiam toleratam, quia Princeps non cenſetur tacitè conſentire in Conſuetudinem, niſi quia ipſe populus in eam conſentit, & tacitè poſtulat conſenſum Principis: populus autem non conſentit, ratione ſolius minoris partis, ergo neque Princeps, ut notat Suar. cit. c. 9. n. 12.

XIII. Quòd autem Abb. c. l. ex l. Nulli. 3. & l. Planè. 4. ff. quod cuiuſq; Univerſit. nom. addit, neceſſarium eſſe ad Conſuetudinem inducendam, ut duæ partes populi conſentiant, & conſuetudinem obſervent, vel ſaltem ſint ſcientes conſuetudinis, quæ introducitur, id gratis aſſeritur, & nullo jure probatur, nam in allegatis legibus ſolùm dicitur, neceſſariam eſſe præſentiam duarum partium cuiuſque communitatis, ut actor, qui illius nomine experiatur in judicio, conſtituatur; quamvis etiam tunc non ſit neceſſarium, ut duæ illæ partes præſentes conſentiant, ſed ſufficit conſenſus majoris partis præſentium, ut notat gl. in cit. l. Nulli. V. Duæ partes. Accedit, quòd, etſi dicatur neceſſaria præſentia duarum partium ad actum aliquem communitatis nomine gerendum, non poteſt ea deſiderari in Conſuetudine, cùm ferè totus populus ſit præſens in diuturna Conſuetudine; ſcientia verò non eſt neceſſaria, quia licèt multi ex populo ignorent Conſuetudinem, dummodo major pars populi ſciat, & publicè obſervet Conſuetudinem, ſufficit; nam cùm aliorum conſenſus non ſit neceſſarius, nec notitia eſt neceſſaria, Suar. c. l. n. 13. & 14.

XIV. Cæterùm major pars communitatis computanda eſt ex iis tantùm perſonis, quæ habiles ſunt ad conſenſum præſtandum, ſive quæ conſentire poſſunt ad legem vel Conſuetudinem induendam, ut docet Abb. in cit. c. fin. n. 18. h. t. Bartol. in cit. l. 2. C. quæ ſit longa Conſuet. n. 13. Unde infantes & amentes excluduntur ab hoc numero, quia qui ratione non utuntur, non poſſunt propriè efficere Conſuetudinem, quæ non niſi ex moribus vel actibus humanis, ſeu moralibus inducitur. Item minores 25. annis, quia in lege condenda non habent perfectum ſuffragium, arg. l. ad Rempublicam 8. ff. de munerib. & honor. & l. ſpuriis 6. §. 1. ff. de decurionib. Bartol. c. l. Imò & mulieres communiter arcentur à numero inducentium Conſuetudinem, quia neque ipſis competit poteſtas legem ſeu ſtatutum condendi, ut ex communi docet Bartol. in l. 1. n. 1. ff. de legib. per illum textum, ubi dicitur: *Lex eſt commune præceptum, virorum prudentium conſultum*, lex autem & Conſuetudo æquipollent, l. de quibus 32. ff. eod. Quod indubitatum eſt, ſi de Conſuetudine propriâ auctoritate, ac directâ poteſtate introducenda agatur. Verùm quia mulieres ſunt capaces legis ſaltem imponendæ, quibus ſcilicet à Principe vera lex imponi poteſt, ideo ſi longo tempore actum aliquem frequentaverint, v. g. ut in totum primogenitæ ſuccedant; ſaltem indirectè, & per viam præſcriptionis, Conſuetudinem inducere poſſunt, quæ vim obligandi accipiat, non tam ex conſenſu mulierum, quàm totius populi, vel majoris partis ejus, qui eam tolerando, videtur tacitè conſentire, accedente conſenſu ſaltem tacito Principis, ſi Populus Superiori fuerit ſubjectus, Bartol. in cit. l. 2. n. 13. Suar. cit. loc. n. 11.

§. III.

Qualis conſenſus, ſive populi, ſive Principis neceſſarius ſit ad inducendam Conſuetudinem?

XV. Notandum 1. Ad jus Conſuetudinis inducendum requiritur etiam conſenſus ejus, qui poteſt legem condere, ſicut conſtat ex l. Sed & ea 35. ff. de legib. Abb. in cit. c. ult. n. 13. Sylveſt. cit. loc. q. 3. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 24. n. 2. nam in eo differt lex ſive ſtatutum à Conſuetudine, quòd in illa interveniat expreſſus conſenſus legiſlatoris, in hac verò ſolùm tacitus, Abb. c. l. n. 17. Vel enim ipſe populus habet poteſtatem condendi legem, vel ſtatu-

ſtatutum; & tum ſufficit tacitus ipſius populi ſcientis & noo contradicentis (modò, ſi conſentire nolit, contradicere poſſit) conſenſus, cit. l. 32. Vel populus legem condere non poteſt: & tunc neque propriâ auctoritate Jus Conſuetudinis introducere poteſt, cùm hæc quoque ſit ſpecies Juris, nempe Jus non ſcriptum, ſed hoc caſu intervenire debet conſenſus ſive approbatio Principis, ſeu Superioris, cui populus eſt ſubjectus, Suarez. l. 7. de legib. cap. 13. num. 6.

Notandum 2. Duplex diſtingui ſolet conſenſus Principis ſeu Superioris, unus perſonalis, ſive particularis, quo Princeps vel expreſsè conſentit, idque vel antecedenter, dando licentiam ad inducendam Conſuetudinem, vel concomitanter, vel conſequenter eam approbando: vel ſaltem tacitè conſentit, dum ſciens populi morem, cùm poſſet prohibere, non impedit, ſed tolerat. Alius verò eſt conſenſus generalis, & legalis ſeu juridicus, qui non immediatè & perſonaliter à Principe, ſed per ipſum Jus ſcriptum à Principe conditum, datus intelligitur; nam hoc ipſo, quòd Jure communi, Civili, & Canonico ſtatutum eſt, ut Conſuetudo habens certas conditiones ſit valida, & vim legis habeat, cenſetur Princeps, Papa vel Imperator, conſentire in omnes particulares Conſuetudines legitimè introductas, vi Juris ſeu legis ſcriptæ, & tacitè eas approbare, Suar. l. 7. De legib. cap. 13. num. 6. Hujuſmodi autem conſenſus legalis, quo Conſuetudo certis conditionibus affecta approbatur, habetur tum in Jure Canonico, c. fin. h. t. tum in Jure civili, in l. De quibus 32. & ſeq. ff. De legib. & in l. ult. C. quæ ſit longa conſuet.

XVI. Aſſertio 1. Ad Conſuetudinem abrogatoriam legis Canonicæ, vel etiam civilis non requiritur conſenſus perſonalis, neque expreſſus, neque tacitus Principis, ſed ſufficit generalis, ſive legalis, ac proinde poteſt lex abrogari per legitimam Conſuetudinem, ignorante Principe ſeu Legislatore. Eſt communis ſententia Juriſperitorum apud Abbat. in cit. c. ult. n. 13. h. t. Suar. cit. c. 13. n. 7. Probatur de lege Canonica ex cit. c. ult. h. t. ubi duæ tantùm conditiones neceſſariæ ad Conſuetudinem abrogatoriam legis præſcribuntur, videlicet ut ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, ergo cùm ſpecialis ſcientia Principis, & per conſequens etiam perſonalis, ſeu particularis conſenſus, qui ſinè illa ſcientia eſſe non poteſt, de jure non requiratur ad Conſuetudinem; neque etiam ex natura rei, quia voluntas Principis per legem ſcriptam declarata non minùs eſt efficax, quàm ſi immediatè per ſe velit, vel cõſentiat, adeóque ſpectatâ rei naturâ, ſufficit conſenſus generalis, ſive legalis, per legem ſcriptam approbantem Conſuetudinem certis conditionibus affectam datus, fruſtra & ſinè ullo fundamento, imò contra Jus requiritur ad Conſuetudinem alia inſuper conditio, nempe ſcientia, aut perſonalis, & particularis conſenſus Principis. Confirmatur, quia alioquin, ſi neceſſaria foret ſpecialis ſcientia de Conſuetudine, quæ contra legem inducitur, nunquam, vel non niſi rariſſimè leges Canonicæ per contrariam conſuetudinem abrogari poſſent, cùm Pontifex fateatur, ſe ſpeciales locorum conſuetudines ignorare, c. 1. De conſtit. in 6. His adde, quòd univerſim in quocunque, in præſcriptione non requiritur ſcientia ejus, contra quem præſcribitur, ergo neque requiritur ſcientia, ſaltem particularis Principis, quando per conſuetudinem legitimè præſcriptam ejus lex abrogatur.

Idémque dicendum eſt de lege Civili, quòd ad illius etiam abrogationem ſufficiat Conſuetudo præſcripta, ſinè ſpeciali ſcientia, & conſenſu perſonali Principis; nam quamvis id hoc Jure non ita expreſsè ſit declaratum, ſicut Jure Canonico, tamen id ſatìs inde colligitur, quia ſuppoſito, quòd conſuetudo ſit rationabilis, nihil aliud exigitur jure civili ad illam, ut pro jure, ſeu lege habeatur, niſi ut ſit diuturna, longa, & per plurimos annos obſervata, l. Diuturna 33. & l. Sed & ea 35. ff. eod. & in l. Nam Imperator 38. eod. additur, Conſuetudinem perpetuam vim legis obtinere debere, Suarez. cit. c. 13. num. 10.

XVII. Aſſertio 2. Ad inducendam Conſuetudinem juris conſtitutivam, per quam novum jus non ſcriptum introducitur, omnino requiri videtur ſcientia & perſonalis conſenſus, ſaltem tacitus Principis ſeu Superioris, quia non tam facilè conceditur populo, non habenti poteſtatem legis ferendæ, poteſtas introducendi novam conſuetudinem, quæ vim legis habeat, quàm abrogandi legem antiquam per contrariam conſuetudinem, quia nova conſuetudo Juris conſtitutiva non poteſt introduci, ſinè uſurpatione poteſtatis ſeu juriſdictionis, quæ populo in cauſis, ſaltem Eccleſiaſticis, non competit, cùm ea ſolis Prælatis à Chriſto conceſſa ſit; nam in cauſis civilibus faciliùs conceditur populo novæ legis obligationem, per diuturnam conſuetudinem, etiam ignorante Principe, introducere, Abb. in cit. c. ult. n. 9. h. t. At verò quando abrogatur lex per contrariam Conſuetudinem, ſive potiùs deſuetudinem ſeu non obſervationem legis, tunc non exercetur ulla juriſdictio, quia non agitur de nova legis obligatione imponenda, ſed obligatio legis præexiſtentis diſſolvitur à populo; & quidem non directè & poteſtativè, ſive viâ juriſdictionis, tollendo obligationem legis, ſed indirectè ſive viâ præſcriptionis, eximendo ſe à legis obligatione, per poſſeſſionem immunitatis à lege, cùm bona fide, diuturno tempore continuatam, ut bene explicat Laym. in cit. c. ult. n. 4. h. t.

XVIII. Nihilominus tamen probabile eſt, etiam ad Conſuetudinem Juris conſtitutivam, per quam nova lex non ſcripta introducitur, ſi ea rationabilis ſit, & legitimè præſcripta, non eſſe neceſſariam ſcientiam, & particularem conſenſum Principis, ſed ſufficere generalem: nam quamvìs Jure Canonico in cit. c. ult. h. t. conſuetudini rationabili & legitimè præſcriptæ expreſsè ſolùm attribuatur poteſtas abrogandi legem, non autem introducendi novam, ſive conſtituendi legem non ſcriptam; quia tamen ejuſdem poteſtatis eſt ſolvere & ligare, ac proinde non minor poteſtas requiritur ad legem antiquam Principis abrogandam, quàm ad inducendam novam legem, rectè dicitur, Conſtitutionem illam Juris Canonici etiam Conſuetudinem conſtitutivam juris, per quam novum jus introducitur, comprehendere & ob paritatem rationis, ad illam extendendam eſſe: adeóque ſi ad abrogationem legis per con-

contrariam conſuetudinem, non requiritur ſpecialis ſcientia, & particularis conſenſus Principis, neque ad conſtitutionem novæ legis non contrariæ antiquæ per conſuetudinem requiretur. Imò cùm per abrogationem legis antiquæ magìs derogari videatur voluntati & anctoritati Principis, quàm per inductionem novæ legis ſive juris, magìs neceſſarius videri poteſt conſenſus Principis ad permiſſionem prioris, quàm poſterioris, Suar.cit. c. 13. n. 9. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 4. n. 11. & 14. Idque colligi etiam videtur ex cit. c. ult. h. t. ubi dicitur: *Licèt longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta*, ergo quælibet conſuetudo, ſi illas duas conditiones habeat, poteſt præjudicare juri poſitivo, neque alia requiritur.

Porrò ſicut, quando lex abrogatur à populo per contrariam conſuetudinem ſive deſuetudinem, indirectè ſolùm lex tollitur, per viam præſcriptionis: ita etiam quando per conſuetudinem legitimè præſcriptam nova lex non ſcripta inducitur, & conſtituitur, id non fit directâ poteſtate juriſdictionis, ſed indirectè per viam præſcriptionis, ex vi conſensûs ſaltem generalis Principis, ac proinde etiam quoad hoc paritas eſt inter conſuetudinem abrogatoriam legis, & conſtitutivam novi Juris, ſeu legis.

XIX. Aſſertio 3. Ad Conſuetudinem, ſive abrogatoriam legis, ſive conſtitutivam novi juris, ſinè præſcriptione, inducendam, requiritur ſpecialis ſcientia, & conſenſus particularis Principis ſeu Superioris potentis legem condere; iſque vel expreſſus, ſi res gravis ſit, aut ſi Jus ſpecialiter expreſſum conſenſum exigat; vel tacitus ſeu interpretativus, ſi res ſit levior, Suar. cit. c. 13. n. 11. & 12. Probatur, nam quando populus non eſt præditus poteſtate condendi legem, neceſſarius eſt conſenſus Principis ſive Superioris, per quem vim juris accipiat conſuetudo: at quando Conſuetudo non eſt legitimè præſcripta, tunc non datur conſenſus Principis, virtute alicujus legis; neque enim lex, ſive Civilis, ſive Canonica, approbat conſuetudinem, eique vim legis tribuit, niſi ſit præſcripta, vel diuturna ſive longæva, ut patet ex juribus ſuprà citatis: ergo tali caſu opus eſt conſenſu perſonali & particulari Principis, ſaltem tacito, qui explicatur per ſcientiam & patientiam Principis, non ſimpliciter permiſſivam, ſed approbativam, multa enim tolerantur, quæ non approbantur, c. Cùm jam dudum 18. de præbend. de qua ex uſu & circumſtantijs conſtare poterit, Suar, c. l.

§. IV.

Quot, & qualibus actibus introducatur Conſuetudo?

XX. Aſſertio 1. Ad Jus Conſuetudinis introducendum requiritur actuum frequentia, ita ut nonniſi pluribus actibus induci poſſit, ut patet tum ex l. 1. & 2. C. quæ ſit long. conſuet. tum ex definitione, quia conſuetudo eſt jus moribus, id eſt, uſibus ſive actibus frequentibus inſtitutum; tum ex ipſa etymologia nominis, quia conſuetudo vocatur, quòd in communi ſit uſu, c. 5. diſ. 1. uſus autem eſt actus repetitus; & ideo non ſufficit unus actus, licèt notus ſit toti populo; niſi ſit actus ſucceſſivus, & perpetuitatem ſive continuationem temporis habeat, intra quod introducitur conſuetudo, adeóque ratione cõtinuationis ſit virtualiter multiplex, & pluribus actibus æquivaleat, quia ſcilicet unus actus ita continuatur per longum tempus, ut perinde ſit, ac ſi multi actns toto eo tempore repeterentur. v. g. ſi beneficium ſeculare conferatur Clerico Regulari, vel beneficium regulare Clerico ſeculari, & ab eo annis 40. poſſideatur, conſuetudo inducitur, ut tale beneficiũ, qnod fuit ſeculare, ſemper conferri poſſit regulari; & vice verſâ, quod fuit regulare, conferri ſeculari, juxta c. Cùm de beneficio 5. de præbend in 6. Similiter ſi pons publicus ædificetur, vel molendinum, contra legem id vetantem, & longo tempore duret, inducitur Conſuetudo pontem vel molendinum etiam futûris temporibus ibi ædificandi, & abrogatur lex cõtraria, quia duratio illa perinde habetur, ac ſi mnlti actus, longo illo tempore, exerciti fuiſſent, Abb. in c. fin. n. 17. h. t.

Putat tamen Suar. l. 7. de legib. c. 10. n. 2. cum Bartol. in l. 2. n. 12. C. quæ ſit longa conſuet. hæc & ſimilia exempla habere locum in præſcriptione, ad quam per ſe non eſt neceſſarius proprius actus operationis humanę, ſed ſufficit continuata poſſeſſio rei, quæ præſcribitur, quia actus propriè non durat per longum tempus, ſed effectus, ſive terminus actûs, ut eſt poſſeſſio beneficij, vel pontis aut molendini, quãvìs etiam interveniat frequentia actuum utendi beneficio, vel ponte. At verò ad inducendam Conſuetudinem, quæ verſatur circa actus humanos & liberos, neceſſariò requiritur actuum multitudo & frequentia, quia iſti actus non durant per longum tempus; conſuetudo autem debet eſſe longæva ſeu diuturna, qualis eſſe non poteſt, niſi per actuum ſucceſſionem ſeu repetitionem. Sic v. g. ad indncendam Conſuetudinem ſervandi certo anni die feſtum aliquod, vel jeiunium, non ſufficit, ſi populus, vel major eius pars ſemel tantùm illud ſervaverit, ſed neceſſarium eſt, ut per tempus longum ſæpius ſimiles actus exercuerit, adeóque requiritur actuum frequentia. Itaque certum eſt, plures actus requiri ad Conſuetudinem inducendam, ſaltem ſi unicus actus non duret per longum tempus.

XXI. Quotnam autem actus ſint neceſſarij, & ſufficiant, non convenit inter DD. Quidam Veteres Juriſconſulti apud Suar. cit. c. 10. n. 3. aſſerunt, duos actus ſufficere, idque probant ex l. Nemo. 3. C. de Epiſcop. audient. & c. Ita nos. 25. c. 25. q. 2. ubi geminata cædes appellatur velut uſus, & conſuetudo. Verùm ibi ſermo eſt, non de Conſuetudine inducente vel abrogante legem, ſed de quadam aſſuefactione facti, non juris, quæ ſufficiat ad graviùs puniendũ, & ad veniam non facilè concedẽdam, non ad jus legale introducendum, Bart. in cit. l. 2. n. 12. C. quæ ſit long. conſuet. Suar. c. l. n. 3. Deinde ex uno vel duobus actibus tantùm non videtur populi aut Principis conſenſus, ſaltem ſemper & univerſim, præſumi poſſe, quia fortè per errorem, vel alterius mali vitandi causâ, unum aut alterum actum contra jus impunè permittit populus, vel Princeps, non eo animo, ut idem

Digitized by Google

dem jus in ſimilibus actibus ſervetur, ut notavit Azor p. 1. Inſtit.moral.l.5.c.17.q.9.

Quare cùm certus numerus actuum, qui ad inducendam Conſuetudinem neceſſarij ſunt, jure definitus non ſit, rectiſſimè dicitur, id relinquendum eſſe judicis arbitrio, ut is conſideratâ qualitate actuum & perſonarum, quæ illos actus faciunt, diſpiciat, an tot taléſque actus exerciti fuerint, ut ex ijs probabiliter præſumi poſſit communis conventio tacita populi, vel maioris illius partis, eóſque actus veniſſe in notitiam Principis, & conſequenter eius quoque tacitum conſenſum interveniſſe, ſicubi hic eſt neceſſarius; aliquando enim ex paucioribus, quandoque ex pluribus actibus ſufficienter declaratur voluntas & conſenſus tum populi, tum Principis, pro varia exigentia materiarum, vel occaſionum; aliquãdo etiam unus actus ſufficit ſingulis annis, ut obſervandi feſtum vel jeiunium certo die, Bart.c.l.& Suar.

XXII. Aſſertio 2. Actus, per quos inducitur Conſuetudo, debent eſſe publici & notorij ipſo facto, hoc eſt, non clàm & in occulto, ſed palàm & publicè fieri, ita ut in notitiam populi devenire poſſint, Suar.cit.c.10.n.5. Sylveſt. c.l.q.4. verſ. 3. requiritur, & alij communiter. Probatur, quia etſi ſint actus exerciti à privatis perſonis, niſi tamen ſint prædicto modo publici ac manifeſti, non ſunt apti ad publicam Conſuetudinem inducendam; nam aliàs non poteſt probabiliter præſumi, per illos actus inductam eſſe conſuetudinem ex communi conſenſu populi, ideóque publicè fieri debent, ut talis conſuetudo, quantum eſt ex ſe, poſſit eſſe nota, tum univerſo populo, vel maiori eius parti, tum Principi, cuiùs conſenſus etiam requiritur, ſi populus ei ſit ſubjectus.

XXIII. Veruntamen non eſt neceſſarium, ut actus ſint publici, notorietate juris, ſive ut ſint publicati in contradictorio judicio per ſententiam Judicis, quâ, parte contradicente, ſit judicatum, conſuetudinem inductam eſſe, quæ eſt communis Canoniſtarum & Legiſtarum ſententia, teſte Abbate in cit. c.ult.n.16.& fusè probat Suar.cit.l.7.c.11.n.2.& duobus ſeqq.contra gloſſ.in cit. c.ult. v. legitimè ſit præſcripta. Probatur, quia hęc juridica notitia de frequẽtia actuum, neque ex ratione naturali, neque ex jure poſitivo probari poteſt eſſe neceſſaria. Non ex ratione naturali, tum quia uſus ipſo facto notorius ſive publicus poteſt per ſe devenire in notitiam totius communitatis, & Principis, ita ut tam populus, vel major eius pars, quàm Princeps tacitè conſentire cenſeatur, adeóque tacitus conſenſus populi & Principis ſufficienter poteſt colligi & declarari, non minùs per actus extrajudiciales, quàm judiciales, ergo ex natura rei non requiritur, ut uſus ſeu conſuetudo fiat publica in contradictorio judicio per ſententiam judicis. Tum quia alioquin non poſſet unquam legitimè introduci Conſuetudo, quia ſi ante judicium conſuetudo non habuit vim, Judex non poteſt in judicio decernere ac declarare, vim habuiſſe, & valuiſſet quòd ſi ante judicium & ſententiam Judicis, conſuetudo jam habuit vim, adeóque fuit perfecta, non eſt neceſſaria ſententia judicis, quia ante illam jam eſt valida & perfecta. Non etiam ex Jure ſcripto & poſitivo hæc conditio requiritur, quia hoc ſolùm requirit, ut conſuetudo ſit præſcripta, inveterata, diuturna &c. ut patet ex c.ult.h.t.l.32.& ſeq.ff. de legib. cum ſimilibus. Confirmatur, quia, ſi nulla contradictio fieret in judicio, ſpatio longi temporis, ſequeretur Conſuetudinem, etſi rationabilem & legitimè pręſcriptam non valere, quod eſt contra aperta Jura.

Non obſtat cap. Abbate 25.de verb.ſignif. junctâ gl. v. contradicto judicio, ubi ait, ad hoc, ut valeat conſuetudo, id eſt, ſi ex adverſo negetur conſuetudo, oportet, ut obtẽta ſit contradictorio judicio, & judicatum ſit, quod erat Conſuetudo. Nam inprimis ibi non eſt ſermo de jure legali conſuetudinis, vel de præſcriptione contra legem, ſed de præſcriptione juris eligendi Abbatem: deinde non dicitur, neceſſariò eſſe contradictorium judicium ad conſuetudinem inducendam, ſed ſolùm, parte reclamante, extra judicium, vel quòd talis Conſuetudo non ſufficienter probetur ex his indiciis, quæ pars adverſa in illius probationem induxerat, ut notat Abb. in cit. c. Abbate.n.13.Suar.c.l.n.5. Neque etiam obſtat text. in l.Si de conſuetudine 34.ff.de legib. quia ibi non dicitur, explorandum eſſe, an conſuetudo in contradictorio judicio aliquando inducta ſit, ſed an firmata, quia ſcilicet actus judicialis multùm conducere poteſt ad probandam conſuetudinem, Suar.c.l.n.6.

XXIV. Aſſertio 3. Actus introducentes Cõſuetudinem debent eſſe voluntarij. Eſt communis & certa ſententia DD. apud Suar. cit.l.7.c.12.n.1. Ratio eſt, quia per actus non inducitur Conſuetudo, niſi quatenus per illos indicatur conſenſus, & tacita conventio populi volentis introducere jus conſuetudinis, ut patet ex cit.l. De quibus, & l.Sed & ea. 35.ff.de legib. ubi tota vis conſuetudinis conſtituitur in populi conſenſu, ſeu tacitâ conventione civium: & licèt etiam neceſſarius ſit conſenſus Principis, ſi populus Superiorem habeat, tamen ille ſupponit conſenſum populi, à quo incipit jus conſuetudinis, & cui Princeps quoad hoc morem gerit volenti jus nõ ſcriptum introducere, & tacitè petenti conſenſum à Principe, qui non vult conſuetudinem obligare, priuſquam populus velit illam induci, & per illam obligari. Atqui actus non poſſunt indicare conſenſum, niſi ſint voluntarij, cùm conſenſus ſit actus voluntatis liber, ac proinde ubi voluntarium ſeu liberum non eſt, neque conſenſus eſſe poteſt, ergo actus, quibus inducitur Conſuetudo, debent eſſe voluntarij.

XXV. Hinc ſequitur 1. Per actus factos ex errore vel ignorantia legis, non induci Conſuetudinem, gl.communiter recepta in cit.c.ult. V. legitimè ſit præſcripta.h.t.& in c.Fruſtra.7.v.conſuetudinem. diſ.8.Innocent.in rubrica.h.t.n.4.Abb.ibid. in c.ult. n.12. Ratio eſt, quia error tollit liberum conſenſum, ideóque per actus ex errore ſive ignorantia factos, quippe involuntarios, non poteſt induci conſuetudo, Suar.cit.c.12.n.2.

Idque ulteriùs probatur, & declaratur: nam vel eſt ſermo de Conſuetudine præter legem, ſive novi juris conſtitutivâ: & hæc, ſi ex errore ſive ignorantiâ circa legem, actus à populo ſint frequentati, quia per errorem, ſive falsò putat, ſe obligari, vi legis latæ, ad eos actus exercendos, vel ideo ab actu aliquo abſtinet, v.g. frumentum è provincia non evehit, quia per errorem putat, id eſſe lege prohibitum, tum nunquã per tales actus frequentatos induci poteſt novum jus

conſuetudinis, ob defectum voluntatis in populo novum jus ſeu obligationem introducendi, quæ ad conſuetudinem præter legem inducendam requiritur: ea autem voluntas tollitur per errorem circa cauſam finalem & principalem agendi, quo falsò putat populus, ſe obligari lege, quæ tamen lata non eſt, quia nõ conſentiunt, qui errant, l. Si per errorem. 15. ff. de juriſd. omn. judic. Exemplũ eſt in profeſſione religioſa, quam quis per errorem & falsò putat, eſſe validam, cùm tamen ſit invalida; ea enim per actus profeſſorum proprios etiam longo tempore exercitos non ratificatur, nec validatur, ad quos falsò quis putat, ſe eſſe obligatum: quia errantis non eſt voluntas, nec conſenſus, neque enim poteſt quis velle ratificare, ſive validum reddere, quod ignorat eſſe invalidũ. Vel ſermo eſt de Conſuetudine contra legem, ſive abrogatoriâ legis; & tùm, cùm non poſſit lex abrogari, niſi populus ſciat, legem eſſe latam, etiamſi longo tempore contra legem agat, quia putat, id eſſe cõforme legi, cùm nõ ſit, nunquã lex abrogabitur; cùm non habeat populus voluntatem agendi contra legem, quam per errorem, ſe ſervare, putat, errantis autem non eſt voluntas, nec conſenſus, Bart. in l. 2. C. quæ ſit longo conſuet. Laym. in cit. c. ult. h. t. num. 10. Non obſtat text, in l. 39. ff. de legib. ubi dicitur: *quod non ratione introductum, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet:* cujus ſenſus eſſe videtur, quòd conſuetudo per errorem inducta ſit valida in ſua materia, non tamen ſit extendenda ad caſus ſimiles, ut explicat Bartol. in l. Diuturna. 33. ff. de legib. & l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. n. 21. Verùm hæc explicatio non ſubſiſtit, nam cùm error tollat conſenſum neceſſarium ad inducẽdam conſuetudinem, non poteſt conſuetudo per errorem inducta eſſe valida. Itaque alius eſt ſenſus dictæ l. quem adfert Suar. cit. c. 12. n. 8. nempe quòd talis conſuetudo non obtinet in ſimilibus, id eſt, non duret, ex cognito errore non det jus ad exercendos actus ſimiles illis, qui antea per errorem quaſi ex cõſuetudine, quæ legitima putabatur, exercebantur, hic enim ſenſus nec abſurdum continet, nec vim verbis infert. Vel etiam ſic illa lex intelligi poteſt, quod errore (qui conſenſum tollit) primùm ſtatutum eſt, & poſtea per legitimam conſuetudinem obtentum, valet quidem, ratione conſuetudinis, ſed alia ſimilia per errorem conſtituta, quæ per conſuetudinem legitimam firmata non ſunt, nullo modo ſubſiſtunt; quæ explicatio congruere videtur ipſi litteræ legis, ſive textui.

Aliam explicationem huius legis adfert Laym. c. l. nempe, quòd ibi ſermo ſit de Conſuetudine abrogatoria legis, quæ bonâ fide contra legem, per decurſum longi temporis, præſcripta eſt, ea enim ad alios ſimiles caſus extendi non debet, juxta regulam generalem, quòd præſcriptio non extenditur à caſu ad caſum; nam cùm in omni præſcriptione, per quam jus acquiritur, error aliquis præcedere ſoleat, quo præſcribens putet, ſe jus habere hoc vel illud agendi, etſi non habeat, ideo ibi dicitur, quod non ratione, ſive non conſulto, ſed errore primùm inceptum eſt, id deinde longo uſu, ſeu conſuetudine obtentum eſt.

XXVI. Porrò duo hîc ſunt præterea notanda 1. Quod dictum eſt, per actus erroneos, vel ex ignorantia factos non induci Conſuetudinem, id intelligi debet, ſi error contingat circa illa, quæ ad ſubſtantiam conſuetudinis ſpectant, ſive in jure ipſius, ſive in facto, quod fundat jus; nam ſi error ſolùm ſit circa accidentalia, non obſtat, quia non tollit vel impedit liberum conſenſum, Suar. cit. c. 12. num. 9. 2. Notandum ex communi doctrina Juriſtarum apud Suar. cit. c. 12. n. 3. & 4. quam clariùs explicat Laym. c. l. ſi error ſit facti, & quaſi materialis, quia populus errat circa legem, putans eam eſſe latã, cùm non ſit, vel non eſſe latam, cùm ſit lata, non poſſe ex tali errore validam conſuetudinem introduci. Secus eſt, ſi error ſit juris, ſive circa obligationem, adeóque quaſi formalis, ut quia populus ſcit quidem, legem latam eſſe, aut non eſſe latam; errat tamen circa obligationem, quia per errorem putat ad actum, quem publicè exercet, ſe obligari, cùm tamen ab initio nulla obligatio ſubſit: vel quia populus agit contra legem obligantem, bonâ fide, exiſtimans, ſe ad illam non obligari.

XXVII. Sequitur 2. Neque Conſuetudinem induci per actus extortos per vim aut gravem metum injuſtè incuſſum, ut docet Bartol. in l. 2. n. 22. C. d. t. Suar. cit. c. 12. n. 10. & 11. Ratio eſt, quia vis ſeu coactio propriè dicta, & ab extrinſeco illata ſimpliciter tollit voluntarium, adeóque & liberum conſenſum neceſſarium ad inducendam conſuetudinem: metus autem gravis, etſi ſolùm cauſet involuntarium ſecundùm quid, abſolutè autem relinquat actum voluntarium, nihilominus tamen adhuc impedit introductionem conſuetudinis, quia ad hanc requiritur, ut actus fiant animo inducendi conſuetudinem, ut poſtea dicetur: actus autem facti ex ſolo timore, ità, ut eo abſente non fierent, non ſunt, nec moraliter præſumi poſſunt facti, animo inducendi conſuetudinem, ſed potiùs animo evadendi malum, quod operanti per metum intentatur, ac proinde tales actus non poſſunt eſſe ſufficiens indicium, ex quo colligi poſſit publicus conſenſus populi ad inducendam conſuetudinem; neque etiam conſenſus Principis, quippe qui non vult, ſubditos per injuſtum metum cogi ad ſimiles conſuetudines inducendas.

XXVIII. Aſſertiò 4. Actus, per quos inducitur Conſuetudo, debent etiam frequentari ſive exerceri à populo, quaſi ex obligatione, ſive animo ſaltem interpretativo introducendæ conſuetudinis & obligationis, videlicet faciendi novam legem, ſeu jus non ſcriptum, vel abrogandi legem ſcriptam antiquam, gl. in cit. c. ult. V. Legitimè ſit præſcripta, & ibid. Abb. n. 17. Suar. cit. l. 7. c. 14. n. 5. & 6. Ratio eſt, tum quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. Non omnis 19. ff. de reb. cred. c. fin. de præbend. ergo non inducunt conſuetudinem, niſi ex parte populi adſit intentio inducendi illam. Tum quia ſicut de ratione legis in communi eſt, ut feratur, cum intentione obligandi: Ita, ut conſuetudo vim legis habeat, debet induci animo obligandi & ferendi legem, quod enim eſt de ratione legis in communi, vel legis poſitivæ, etiam eſt de ratione legis non ſcriptæ ſive conſuetudinariæ, quia ratio ſuperior debet includi in inferiore, Suar. c. 1. n. 7. Quocirca conſuetudines, quæ ex devotione populi proficiſcuntur, non obligant, nec

vim

vim legis habent. Tales ſunt conſuetudines ſalutandi Deiparam, dato ſigno certis horis; audiendi Miſſam diebus non feſtivis, accipiendi initio Quadrageſimæ cinerem benedictum, & ramum in die Palmarum, aquam benedictam in ingreſſu Eccleſiæ, non ſumendi jentaculum diebus feſtis, ante Miſſam, & ſimiles uſus frequentati & continuati à majore parte populi Chriſtiani, ex libera devotione, quibus non inducitur conſuetudo legalis ſeu obligatoria, Suar. c. l. num. 6. Huc pertinet, ſi populus etiam longo tempore ex mera liberalitate vel urbanitate, alicui beneficium, vel obſequium exhibuiſſet, v. g. quot annis certam eleemoſynam alicui Collegio Religioſorum gratis & liberaliter erogâſſet, quia per actus, qui à mera facultate procedunt, nunquam inducitur conſuetudo, quæ vim legis obligantis habeat, Azor cit. l. 5. c. 18. q. 5. Porrò ſub actibus hoc loco comprehenduntur non ſolùm ipſi actus poſitivi, ſed etiam omiſſiones morales actuum, quæ etiam debent eſſe frequentatæ, ſicut ipſi actus, ut notat Suar. cit. l. 7. c. 10. n. 2.

§. V.

Quomodo debeat Conſuetudo eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta?

XXIX. In c. ult. h. t. Papa Gregorius IX. » ita reſcribit. Licèt longævæ Conſuetudinis non ſit » vilis auctoritas; non tamen eſt unquam adeò va- » litura, ut juri poſitivo præjudicium afferre poſſit, » niſi ſit rationabilis & legitimè præſcripta. Ex quo patet, quòd ad Conſuetudinem, quæ vim habet abrogandi legem, ſeu tollendi ejus obligationem, duæ conditiones requiruntur Prima eſt, ut ſit rationabilis, ſecunda, ut ſit legitimè præſcripta, de quibus hoc §. agemus, & ſeq.

Quæritur 1. Quæ ſit Conſuetudo rationabilis, quæ irrationabilis? Reſpondetur, generatim loquendo, Conſuetudo cenſetur eſſe rationabilis, quãdo eſt talis, ut juſta cenſeretur ac obligaret, ſi pro lege ſtatuta eſſet, Sylv. V. Conſuetudo, q. 1. ac proinde quæ eſt de re honeſta & utili Reipublicæ: nam cõſuetudo inſtar legis eſt, & tacita quædam lex. Sicut ergo lex ferri non poteſt, niſi ſit rationabilis, honeſta, & utilis Reipublicæ, c. Conſuetudo 5. §. Porrò diſ. 1. ita nec conſuetudo introduci poteſt, niſi quæ honeſtate & utilitate ſit nixa, ſive novi juris conſtitutiva ſit, ſive abrogatoria legis præexiſtentis, Sanch. l. 7. De matrim. diſ. 4. num. 15. In ſpecie verò illa conſuetudo rationabilis eſt, quæ non eſt contraria juri naturali, nec divino poſitivo, nec Religioni adverſatur, nec eſt contra Eccleſiæ libertatem, nec licentiam vel occaſionem peccandi præbet, nec bono communi & publico noxia eſt, nec aliam ſimilem conditionem involvit: quæ verò his oppoſitæ ſunt, irrationabiles conſuetudines cenſendæ ſunt, & corruptelæ potiùs, quàm legitimæ conſuetudines, Suar. l. 7. De legib. c. 6. n. 14.

XXX. Cæterùm gl. in c. 1. De conſtitut. in 6. V. Rationabilia, Hoſtiens. in ſumma h. t. n. 2. Abb. in c. ult. n. 5. h. t. & alij nonnulli ajunt, Judicis prudentis arbitrio relinquendum eſſe, utrùm Conſuetudo aliqua rationabilis ſit, nécne, cùm certa regula in particulari tradi non poſſit, qui id æſtimare poterit ex fine conſuetudinis bono vel malo, item an ſit contra, vel præter jus, an juſtâ ratione fuerit inducta, & utrùm jus approbet ſimilem conſuetudinem, vel reprobet &c. quæ doctrina ſic accipienda eſt, ut nimirum, ſi conſuetudo juri divino vel naturali directè non repugnet, quomodo repugnat juri naturali conſuetudo, v. g. ut parentes in neceſſitate conſtituti à filijs non adjuventur, vel ut parentes filijs neceſſaria alimenta denegent; nec lege poſitivâ, præſertim canonicâ, expreſsè tanquam irrationabilis ſit reprobata & damnata, qualis eſt conſuetudo contra Eccleſiaſticam diſciplinam aut libertatem, gl. in cit. c. ult. v. Rationabilis in fine, & Abb. n. 5. tunc ad Judicem ſive Ordinarium Prælatum Eccleſiæ pertineat examinare, utrùm talis conſuetudo aliquam honeſtatem vel utilitatem habeat, ratione cujus damnum, ſi quod fortè Eccleſiæ, vel bono publico ex ea, ſecundùm aliam conſiderationem, inferri poſſet, aliqualiter compenſetur; an verò omnibus ſpectatis, Eccleſiæ vel Reipublicæ notabiliter noxia & damnoſa ſit, quo caſu, tanquam irrationabilis tollenda eſt, quia, quòd conſuetudo vim habeat, ſive inducendi novum jus, ſive abrogandi legem antiquam, id provenit ex eo, quòd leges, ſive Civiles, ſive Canonicæ ei aſſiſtant, & talem vim tribuant; at verò leges non aſſiſtunt, nec approbant conſuetudines irrationabiles, quæ in grave damnum Eccleſiæ vel Reipublicæ cedunt, Laym. in cit. c. ult. n. 6. & 7. h. t.

Ex quo infert Laym. c. l. irrationabilem, & invalidam eſſe Conſuetudinem, per quam alicubi introductum eſt, ut univerſim, & quoad omnes, ſaltem laicos, ſufficiat, ter in hebdomade in Quadrageſima jejunare, quia per talem conſuetudinem antiquiſſima lex Eccleſiaſticæ, quæ ex Apoſtolica traditione omnibus ſeculis, & apud omnes populos Chriſtianos obſervata fuit, & Eccleſiæ maximè utilis eſt, tollitur, vel ſaltem quoad notabilem partem ei derogatur: unde nulla apparet ratio neceſſitatis vel utilitatis, quæ talem conſuetudinem poſſit cohoneſtare, & ob quam Prælati Eccleſiaſtici ei juſtè poſſint, & velint aſſiſtere, eámque approbare; quamvìs plerique in his frigidioribus partibus cauſam aliquo modo probabilem afferre poſſint, ob quam excuſantur, ne omnibus diebus jejunent, ſed non vi ſolius conſuetudinis, ut docet Laym. l. 4. Theol. moral. tract. 8. cap. 3. num. 7.

XXXI. Verùm difficultas hîc occurrit, quomodo Conſuetudo, quæ eſt contraria legi, etſi ſolùm poſitivæ, ſive humanæ, poſſit eſſe rationabilis, cùm omnis lex juſta ſit, & debeat eſſe rationabilis, c. 2. diſ. 4. & l. leges 9. C. de legib. & conſequenter conſuetudo ei directè contraria neceſſariò erit irrationabilis, quia ſi unum ex contrarijs eſt rationabile, neceſſe eſt, alterum eſſe irrationabile. Sed reſpondetur, utramque & legem, & conſuetudinem ei directè contrariam poſſe eſſe rationabilem, ſecundùm diverſas rationes, & in ordine ad diverſos fines ac reſpectus: nam quamvìs conſuetudo contra legem introducta, uno reſpectu ſive conſideratione, ob quam fortè lex civilis vel Canonica eſt condita, minùs ſit utilis & rationabilis; tamen alio reſpe-

reſpectu ſive conſideratione, poteſt etiam eſſe utilis & rationabilis, quia etſi conſuetudo contraria legi ſit contra rationem particularem talis legis, non eſt tamen contra omnem aliam rationem, ſicut duæ contrariæ opiniones poſſunt ſimul eſſe probabiles, ob diverſas rationes, Abb. in cit. c. ult. n. 6. h. t. Suar. cit. l. 7. c. 18. n. 25. & alij.

XXXII. Quæritur 2. Quo ſenſu intelligendum ſit, quòd in c. fin. h. t. dicitur, quòd Conſuetudo non debeat juri poſitivo præjudicium generare, niſi ſit non ſolùm rationabilis, ſed etiam legitimè præſcripta? Reſpondetur, id ita intelligendum eſt, neceſſe eſſe, ut tanto tempore, cum bona fide, adversùs legem duraverit, & continuata fuerit, quantum ad legitimam præſcriptionem ſecundùm jura requiritur: ac proinde conſuetudinem eſſe legitimè præſcriptam, non eſt aliud, quàm illam per curſum temporis ad præſcriptionem requiſiti eſſe obtentam, vel completam ſeu perfectam; quamquàm ipſa conſuetudo, propriè loquendo, non præſcribitur, ſed per illam, ſi omnia à jure requiſita habeat, adversùs legem præſcribitur, Abb. in cit. c. fin. n. 7. h. t. nomine autem conſuetudinis abſolutè prolatæ, in dubio intelligi debet conſuetudo legitimè præſcripta, ut docet Abb. in c. Cumana. 50. de elect. n. 4. quod tamen non eſſe ita univerſaliter verum, cenſet Suar. cit. l. 7. c. 8. n. 18. ſed tum ſolùm, ſi talis ſit materia, ut per ſolam præſcriptionem ſive conſuetudinem præſcriptam inducatur, hoc eſt, ut explicat Laym. in cit. c. Cumana. n. 4. ſi agatur de materia acquiſitæ facultatis ſeu juris, aut obligationis natæ; tum enim nomine conſuetudinis intelligenda eſt legitimè præſcripta, quia per eam ſolùm jus naſcitur, aut obligatio alteri imponitur, non item in aliis materiis. An autem omnis conſuetudo, ut vim juris ſeu legis habeat, vel legem tollat, debeat eſſe præſcripta, ſive per legitimam præſcriptionem introducta, infrà dicetur.

XXXIII. Porrò inter Conſuetudinem & præſcriptionem plures ſunt differentiæ, quas afferunt Abb. in cit. c. ult. n. 20. h. t. Sylveſt. V. conſuetudo. q. ult. Azor p. 1. l. 5. q. 16. Barboſ. in cit. c. ult. n. 21. Nam 1. per præſcriptionem acquiritur jus privatæ perſonæ, vel etiam uni alicui Collegio, quod tamen tenet vices unius, ut jus dominij vel alterius facultatis agendi, utendi &c. per conſuetudinem acquiritur jus non magìs uni, quàm alteri, nec alicui privato, ſed toti Reipublicæ & communitati, & quidem jus legale, ſive lex non ſcripta. 2. Præſcriptio dat jus uni cōtra jus alterius: conſuetudo verò dat jus contra legem, vel præter legem, vel etiam ſecundùm legem. 3. Præſcriptio habet locum in rebus mobilibus, tum corporalibus, tum incorporalibus: conſuetudo verò in incorporalibus tantùm, ut in juriſdictionibus, electionibus, ſervitutibus, & aliis ejuſmodi. 4. Ad præſcriptionem non eſt neceſſarius conſenſus illius, contra quem præſcribitur: ad conſuetudinem verò ſive novi juris conſtitutivam, ſive etiam abrogatoriam legis præexiſtentis, requiritur conſenſus Principis, ſive Legiſlatoris, vel perſonalis & expreſſus, vel generalis, & legalis, ſeu tacitus. 5. Ad præſcriptionē, præter bonam fidem, ſæpe requiritur titulus, ſaltem præſcriptus: non item ad conſuetudinem, etiam illam, quæ eſt contra jus & legis abrogatoria, quia hoc nullo jure cavetur, ſed pro titulo ſufficit tacitus populi, vel Principis conſenſus. 6. denique conſuetudo, ſive ſit præter legem, & juris conſtitutiva, ſive contra legem, ejúſque abrogatoria, per errórem ſeu ignorantiam legis introduci non poteſt, ut tradit gl. communiter recepta in cit. c. ult. v. legitimè præſcripta, & gl. in c. Fruſtra. 7. v. conſuetudinem diſ. 8. Suar. cit. l. 7. c. 12. n. 2. errantis enim nullus eſt conſenſus, l. Non idcirco. 9. C. de jur. & fact. ignor. Secus eſt in præſcriptione, quæ cum titulo putativo & probabili errore fieri poteſt, l. ult. ff. pro ſuo.

§. VI.

De conditionibus requiſitis ad legitimam præſcriptionem Conſuetudinis.

XXXIV. Quæritur 1. Quantum temporis requiratur, ut Conſuetudo introducatur præter legem, vel ut per illam præſcribatur contra legem? Reſpondetur 1. ad Conſuetudinem præter vel etiam contra legem, ſive civilem, ſive Canonicam, inducendam, viâ conniventiæ, hoc eſt, Principe ſeu Superiore ſciente ac tolerante, cùm facilè poteſt contradicere, & reſiſtere introductioni novæ conſuetudinis, vel ſubditos cogere ad obſervationem legis antiquæ, probabilius eſt, non requiri certum tempus à lege præſcriptum: ſed ſufficere, ut conſuetudo tanto tempore duret, & uſu continuata ſit, etiam minore, quàm decennij, quantum neceſſe eſt, ut Princeps cēſeatur eam permittere, & ſuo conſenſu particulari approbare; id quod prudenti arbitrio, ſpectatâ materiâ legis, & adjunctis circumſtantiis, determinandum eſt, cùm id jure definitum non ſit, nec potuerit definiri, quia id pendet ex variis conjecturis, & circumſtantiis, Suar. l. 7. de legib. c. 8. n. 16. & c. 15. n. 8. Leſſ. lib. de juſt. c. 6. n. 45. Salas diſ. 19. de legib. ſec. 4. §. 1. n. 32. Laym. in c. ult. n. 4. h. t. Ratio eſt, quia tunc non per præſcriptionem, ſed per tacitam approbationem vel revocationem Principis, novum jus conſuetudinis inducitur, vel antiqua lex abrogatur, de qua tacitâ voluntate, ſive conſenſu Principis, pro diverſitate circumſtantiarum, vel ex longiore, vel breviore tempore conſtare poteſt: ac proinde certi ac legitimi tēporis diuturnitas non requiritur, cùm ad inducendam novam legem, ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam, vel abrogandam antiquam ſufficiat voluntas & conſenſus perſonalis ac particularis Principis, ſive expreſſus, ſive tacitus, à quo conſuetudo populi habentis Superiorem potiſſimùm pendet, & vim accipit legem ſive jus conſtituendi, vel abrogandi. Quare talis inductio novæ conſuetudinis, vel abrogatio legis antiquæ non debet regulari ſecundùm leges præſcriptionis, ſed per tacitam approbationem vel revocationem legiſlatoris, qui hoc caſu conſentit, & cedit jure ſuo.

Sed dicet quiſpiam, ſcientia & tolerantia Principis non eſt ſufficiens ſignum conſenſûs ejuſdem: multa enim per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ, non debent tolerari, ut dicitur in c. Cùm jamdudum 18. de præbend. Verùm reſpondetur, etſi tolerantia per ſe ſola non ſufficiat, adjunctis tamen circumſtantiis, poteſt

eſſe

eſſe prudens & morale ſignum conſensûs Principis. Inſtabis, conſuetudo, ſi non ſit rationabilis, etiamſi interveniat ſcientia Principis, non ſufficit ad abrogandam legem, ergo neque ſufficiet, ſi abſit legitima præſcriptio, quæ eſt altera conditio æquè neceſſariò requiſita ad abrogationem legis per conſuetudinem. Reſpondetur negando conſequentiam, quia prior conditio ex natura rei, ideóque magis, & in omni caſu eſt neceſſaria; altera ſolùm ex lege poſitiva, ſeu humana, quam Princeps, ſi velit, abrogare poteſt, Suar.cit.l.7.c.18.n.20.

Porrò ſi populus liber ſit, & per ſe legem ferre poſſit, poteſt jus Conſuetudinis inducere etiam minore tempore, quàm decennio, ſi ſatìs appareat de voluntate populi operantis, ſeu frequentantis actus, cum voluntate obligationem inducendi, Laym.in c. fin.h.t.n.4.

XXXV. Reſpondetur 2. Ad Conſuetudinem præter, vel etiam contra legem civilem, Principe ignorante, & viâ præſcriptionis introducendam requiritur, & ſufficit decennium, quo elapſo, cenſetur legitimè præſcripta, ita, ut vim juris habeat, & poſſit legem tollere, Abb.in cit.c.fin.n.11. Suar.cit. c.15.n.2.Leſſ.l.c.n.46.Sylveſt. v. conſuetudo.q.4. Azor p.1. l.5.c.4.q.4.& alij DD. communiter. Probatur, quia, ut novum jus conſuetudinis per præſcriptionem inducatur, vel per conſuetudinem præſcribatur contra legem, jure civili requiritur longum tempus, ſive ut conſuetudo ſit longæva, inveterata, ac diuturna, l. De quibus. 32. & l. ſeq. ff. de legib. & toto tit. C. quæ ſit long. conſuet. longum autem tempus cenſetur eſſe decennium. §.1. Inſtitut. de uſucap. l. ult. & toto tit. C. de præſcript. long. temp. ac proinde ad longam ſive diuturnam conſuetudinem, præter vel contra legem civilem, neceſſaria eſt, & ſufficit præſcriptio 10. annorum, quibus ea à populo, vel majore eius parte ſit ſervata.

XXXVI. Imò etiam ad inducendam conſuetudinem præter jus, ſive præter legem Canonicam, viâ præſcriptionis, & S. Pontifice ignorante, neceſſarium eſt, & ſufficiens tempus decennij, ſaltem ſi per hanc introductionem non derogatur juri alterius Eccleſiæ, quia quando conſuetudo non eſt contra jus, ſed præter jus, Jure Canonico non requiritur majus tempus ad præſcriptionem, quàm Jure civili, cùm de legibus Canonicis in ijs, quæ non ſunt contra jus, nihil diverſum reperiatur eſſe ſtatutum, gl. in c. fin. h. t. in 6. v. conſuetudo. Covarr. var. reſol. l.1. c.17.n.8. §.4. præter DD. citt. Ratio autem, cur ad inducendam conſuetudinem, Principe ignorante, certum tempus præſcriptionis requiratur, eſt, quia, quando Princeps ignorat legem novam induci, vel antiquam non obſervari, non approbat actus contrarios in ſpecie, quod enim quis ignorat, non poteſt in particulari velle, vel approbare, ſed tantùm in genere, quatenus conſentit in legem, quâ conſuetudo legitimè præſcripta vim & auctoritatem legis conſequitur, ac poteſtatem abrogandi legem, adeóque certum tempus præſcriptionis requiritur.

XXXVII. Cæterùm, etſi ad præſcriptionem rerum immobilium, inter præſentes, ſufficiant 10. anni, inter abſentes tamẽ 20. requiruntur, §.1 Inſtitut. de uſucap. ea autem diſtinctio non habet locum in præſcriptione conſuetudinis adversùs legem, ad quam ſive inducendam, ſive abrogandam, Jure civili indiſtinctè ſolùm requiritur tempus longum, adeóque 10. annorum, quod minimum eſt intra latitudinem longi temporis, in obſcuris autem ſemper, quod minimum eſt, ſequimur, iuxta reg. jur. 9. in ff. nullâ habitâ ratione præſentiæ, vel abſentiæ, prout communiter tradunt DD. apud Suar. cit. l.7. c.15.n.5.& c.18.n.11. contra Hoſtienſ. & Sylveſt. Ratio eſt, quia ſi Princeps ſciat conſuetudinem, ſive præſens adſit, ſive abſit, non eſt neceſſaria præſcriptio, ut patet ex ſuprà dictis; ſi verò in particulari ignoret conſuetudinem, parùm refert, quòd præſens ſit corpore, cùm tamen animo ſit abſens, ideóque non longiore tempore præſcribitur contra abſentem, quàm contra ignorantem, cùm & hic moraliter ſit abſens, etſi phyſicè ſit præſens: ergo ſi decennium ſufficit ad præſcribendum contra legem Principis præſentis & ignorantis, ſufficiet etiam contra legem abſentis, quia & ignorans eſt inſtar abſentis.

Aliud eſt in præſcriptione rerum, in qua non ita ratio habetur ſcientiæ vel ignorantiæ; nam cæteris paribus, idem ſufficit tempus, ſive dominus rei, contra quem præſcribitur, ſciat, rem ſuam præſcribi, ſive ignoret. Deinde in præſcriptione conſuetudinis non ita cenſetur involuntarius Princeps, ſicut dominus rei, contra quem illa præſcribitur, cùm pręſcriptio conſuetudinis, etiam ignorante Principe, facta procedat ex jure ſive conſenſu Principis, ſaltem generali per ipſum jus dato, ac proinde nõ eſt eadem ratio de præſcriptione conſuetudinis; neque ex eo, quòd aliæ res inter abſentes pręſcribuntur 20. annis, licet inferre, etiam ad præſcribendum contra legem Principis abſentis requiri 20. annos, præſertim cùm jura non diſtinguant, ſed ſolùm requirant longam conſuetudinem, ut ſuprà dictum. Denique aliam rationem diverſitatis aſſignat Card. Lugo diſ.5. de juſtit. ſec. 6. n.95. nempe tunc requiri longius tempus propter abſentiam, quando abeſt is, de cuius utilitate & commodo tollendo agitur; at in præſcriptione contra legem non agitur de tollenda utilitate, vel intereſſe Principis, quia lex non requirit utilitatem legislatoris, ſed fertur in favorem & commodum ſubditorum, ergo non eſt neceſſe, ut duplo longius tempus ad præſcribendum contra legem jure exigatur propter abſentiam Principis, non enim contra Principem præſcribitur, ſed contra legem, quæ præſens eſt.

XXXVIII. Reſpondetur 3. Contra legem Canonicam, vel Eccleſiaſticam uſu receptam non niſi 40. annis præſcribi, & conſuetudinem contrariam, viâ præſcriptionis, & Principe ſeu Legislatore ignorante, introduci poſſe, communis tenet Theologorum & Canoniſtarum ſententia. Fundamentum eſt, quia lex Eccleſiaſtica eſt jus quoddam, ſive res immobilis Eccleſiæ, ac proinde ſub illa lege Canonica, quæ generatim ſtatuit, contra res immobiles, & jura Eccleſiæ non præſcribi, niſi 40. annis, c. de Quarta 4. c. Ad aures. 6. c. Auditis. 15. De pręſcript. comprehenduntur etiam leges Eccleſiaſticæ. Quòd ſi lex Canonica moribus utentium nondum recepta ſit, minore tempore, quàm annis 40. & ſaltem decennij ſpatio abrogari poteſt, ut ſuprà dictum tit. 2. n. 40.

XXXIX. Nihilominus tamen probabile eſt, ad pręſcribendum contra legem Eccleſiaſticam etiam accepta-

acceptatam, eámque abrogandam, Principe vel Legislatore ignorante, ſufficere tempus 10. annorum, ut docet Less.c.l.n.46.Lugo.c.l,n.94. Ratio eſt, quia illa Canonica præſcriptio 40.annorum de acquirendis bonis immobilibus & juribus Eccleſiæ, ſive in re, ſive ad rem, quæ ſunt inſtar bonorum immobilium; non item de jure legali conſuetudinis videtur eſſe propoſita: nam conſuetudo abrogans legem Eccleſiaſticam non eſt contra Eccleſiam, cùm procedat ex conſenſu ipſius Eccleſiæ, ſaltem generali per commune Jus Eccleſiaſticum dato, & ex Jure Canonico vim & efficicaciam legem abrogandi habeat, cit. c. fin. h. t. unde non eſt contra Jus, ſed potiùs Juri conformis. At verò præſcriptio tollit jus, quod Eccleſia habebat ad bona ſua, etiamſi hæc non conſentiat, & ideo Jus Canonicum in favorem Eccleſiæ, ne ob negligentiam Prælatorum, tam citò amittat dominium ſuorum bonorum, longiſſimum tempus 40. annorum ad præſcribendum contrà bona & jura Eccleſiaſtica requirere voluit: non item ad præſcribendum contra Leges Eccleſiaſticas: alioquin ſequeretur, SS. Canones à Romano Pontifice latos, per contrariam conſuetudinem non abrogari, niſi ſpatio 100. annorum, arg. c. Ad audientiam 13. c. Si diligenti 17. de præſcript. Quamquàm hîc dici poteſt, quòd præſcriptio contraria ſolùm requiratur, ſi conſuetudo præjudicet ipſi Eccleſiæ Romanæ, & juribus ad illam principaliter ac ſpecialiter pertinentibus: non autem ſi ſolùm legibus à Romano Pontifice latis, quæ inter jura propria, ac ſpecialia Eccleſiæ Romanæ non numerantur.

XL. Reſpondetur 4. Ad inducendam, viâ præſcriptionis, Conſuetudinem contrariam legi, cui Jus ſive ipſa lex reſiſtit, eam non quidem omnino reprobando tanquam irrationabilem aut corruptelam (nam talis conſuetudo nullo unquam tempore etiam immemoriali induci poteſt, ut infrà dicetur) attamen expreſsè eam prohibendo, non ſufficit tempus etiam longiſſimum 40. annorum ſinè titulo, ſed præterea opus eſt vel titulo ſaltem colorato & præſumpto, vel tempore, de cujus initio, memoria non extat, quod inſtar tituli eſt, ſi capacitas ſit in præſcribente, c. 1. De præſcript. in 6. Molin. tract. 2. De juſtit. diſ. 77. n. 4. Salas cit. diſ. 19. ſec. 4. n. 4. Laym. cit. c. 24. n. 7. Similiter contra ea, quæ ſunt reſervata ſupremo Principi, in ſignum ſpecialis privilegij, non niſi tempore immemoriali præſcribitur, & per præſcriptionem inducitur conſuetudo, arg. c. Super quibuſdam 26. De verb. ſignif. Abb. in cit. c. fin. num. 11. h. t.

XLI. Reſpondetur 5. Ad inducendam, viâ præſcriptionis, conſuetudinem, ſive præter, ſive contra legem, requiritur quoque, ut ſemel cœpta, & nondum completa legitimo tempore ſit continuata, & nullo actu contrario interrupta, Abb. in cit. c. fin. n. 19. h. t. Suar. l. 7. De legib. c. 8. n. 14. & 15. Laym. cit. c. 24. n. 15. Ex communi doctrina. Ratio eſt, quia univerſim ad præſcriptionem requiritur continuatio poſſeſſionis, tempore legibus definito. Unde ſi ante tempus legitimum completum, videlicet annos 10. vel 40. Legislator Civilis, aut Eccleſiaſticus vel transgreſſores legis puniat, vel pro lege contra conſuetudinem judicet: vel ſi à tota communitate, aut majore ejus parte contra conſuetudinem agatur, aut obſervetur lex, contra quam præſcribitur, etiamſi unico actu id fiat, cenſetur interrupta præſcriptio, & de novo inchoari debet, ut vim legis habere poſſit, vel legem præexiſtentem tollere. Nam ſi Princeps vel populus contra conſuetudinem operetur, apertè ſignificat, non habere ſe jam voluntatem introducendi cōſuetudinem inſtar legis, vel per eam abrogandi legem, quando hanc obſervat. Quòd ſi conſuetudo jam ſit completa & perfecta, non tollitur per unicum actum contrarium, ſed neceſſe eſt, ut tollatur eo tempore & modo, quibus fuit inducta, cùm jam ſit, & tolli debeat tanquam lex, Abb. c. l. adeòque vel per legem Principis abrogatoriam conſuetudinis, vel per novam conſuetudinem contrariam legitimo tempore præſcriptam, ut ex infrà dicendis patebit.

XLII. Ex dictis infertur, non omnem conſuetudinem eſſe neceſſariò præſcriptam, ſed poſſe dari conſuetudinem aliquam etiam legitimè non præſcriptam; nam quamvis ſaltem de Jure Canonico, ad omnem conſuetudinem, quæ eſt contra jus, ſive abrogatoria juris ſeu legis præexiſtentis, requiratur, ut ſit legitimè præſcripta, c. ult. h. t. poteſt tamen dari conſuetudo præter jus, ſive conſtitutiva novi juris ſeu legis, tametſi non ſit certo ac definito tempore præſcripta, prout à contrario ſenſu colligitur, & apertè ſupponitur in cit. c. ult. poſſe eſſe aliquam conſuetudinem non legitimè præſcriptam. Cujuſmodi eſt, conſuetudo illa, quæ introducitur, cùm ſcientia & patientia Principis, illa enim novum jus inducit, non per modum præſcriptionis, ſed ex vi perſonalis conſenſûs taciti ipſius Principis, qui ſufficienter indicatur, ſinè certi temporis determinatione, adeóque etiam ſinè ulla præſcriptione, Suar. cit. l. 7. c. 8. n. 16.

XLIII. Quæritur 2. An ad inducendam conſuetudinem, præter vel contra legem, neceſſaria ſit etiam bona fides? Negant, requiri bonam fidem, plures DD. Suar. l. 7. De legib. c. 1. n. 12. & c. 18. n. 25. Sanch. l. 7. De matrim. diſ. 4. n. 14. Salas cit. diſ. 19. ſec. 5. Lugo cit. diſ. 7. ſec. 6. n. 96. qui ajunt, conſuetudinem etiam ex actibus ab initio malis poſſe induci, & legem abrogari. Ratio eſt, tum quia etſi per actus malos, ſive prohibitos per legem, inducatur conſuetudo contraria legi, tamen illi non concurrunt ad inducendam talem conſuetudinem & abrogandam legem, ut cauſa, ſed ſolùm ut indicium taciti conſenſûs Principis vel juris; poſſunt autem etiam actus mali eſſe indicium talis conſenſûs: ac proinde completo tempore præſcriptionis, abrogatur lex ex vi juris, vel taciti conſenſûs Principis, quæ juſta eſt, licèt actus ſubditorum agentium contra leges mali fuerint, qui prohibiti per legem: tum quia id, quod reſultat ex tali conſuetudine, non eſt malum, nimirum ut ſimiles actus ſinè malitia fiant, abrogatâ lege, & conſentiente Principe; nam completâ conſuetudine, actus poſtea licitè fiunt, & malitia eorum actuum ſucceſſu temporis purificatur, partim per ſupervenientem ignorantiam probabilem ſuccedentium; partim per accedentem conſenſum tacitum Principis, qui ut auctor eſt legis, ita illam tollere poteſt, Suar. c. l. Accedit, quòd alioquin ratò, & vix unquam induceretur conſuetudo, ſaltem abrogatoria legis.

Præ-

Præterea cur in alijs præſcriptionibus requiratur bona fides, ea eſſe poteſt cauſa, quia, ſi in ijs conceſſum foret præſcribere, eum mala fide, id cederet in grave damnum eorum, contra quos præſcribitur, quia ijs ſæpe auferrentur res ſuæ, ut cum malà fide eæ præſcriberentur: unde æquum fuit, ut à Jure, tum Civili, tum Canonico concederetur jus præſcriptionis, ita tamen, ut per eam non gravirer, & injuſtè læderentur ij, contra quos præſcribitur. At verò lex fertur in bonum ſubditorum, ad quorum commune bonum expedit, ut, poſtquàm conſtat, legem aliquam longo tempore non eſſe obſervatam à ſubditis, licèt cum mala fide, Princeps ſeu Legislator conniveat, ne illorum conſcientiæ illaqueentur, & legis obligationem tollat, quia id cedit in majus bonum ſubditorum, Lugo c. l.

XLIV. Hæc ſententia probabilis eſt, imò abſolutè vera & certa, ſi Conſuetudo inducatur viâ conniventiæ, Principe ſciente, & tolerante; tum enim non requiritur bona fides, quia quando Princeps ſciens permittit à populo induci novum jus conſuetudinis, vel per contrariam conſuetudinem abrogari ſuam legem, cùm illam, ſi vellet, prohibere poſſet, tunc cenſetur tacitè illi conſentire, adeóque non per præſcriptionem, ſed per tacitam voluntatem Principis inducitur conſuetudo novi juris conſtitutoria, vel abrogatoria legis præexiſtentis, ideóque mirum non eſt, ſi bona fides non requiratur, Laym. l. 1. Theol. mor. c. 24. n. 8. & 11. Si verò conſuetudo inducatur præter vel contra legem, viâ præſcriptionis, & Principe ignorante, tunc bona fides, ſeu probabilis ignorantia præſcribentium neceſſariò requiritur, ſine qua nulla incipere vel currere poteſt præſcriptio, c. Poſſeſſor 2. de reg. jur. in 6. ac proinde neque conſuetudo præſcriptiva inchoari poteſt, aut procedere, quippe quæ juſta & rationabilis, ac legitimè ſive canonicè præſcripta eſſe debet, cit. c. ult. h. t. gl. in c. Non eſt 8. V. Canonicè h. t. In 6. Azor cit. l. 5. c. 17. q. 6. Laym. cit. loc. num. 11. Cæterùm licèt primi, qui contra legem uſu receptam faciunt, præſcriptionem ob malam fidem inchoare non potuerint; poſteri tamen, qui eorum exemplum ſecuti, bonâ fide, legem non obſervant, eò quòd exiſtimare, & in dubio præſumere poſſunt, anteceſſores habuiſſe juſtam cauſam non ſervandi legem, poſſunt præſcriptionem inchoare, vel quaſi bonâ fide ab Anteceſſoribus inchoatam, quia fortè ex rationabili cauſa eam non ſervârunt, continuare & perficere; Abb. in c. 1. n. 4. De treuga & pace. Felin. ibid. num. 1. Sylveſt. v. Conſuetudo. q. 7. Azor c. l. Laym. c. l.

Sed dicet aliquis, ſi requiritur, ut currente præſcriptione, ſubditi bonâ fide legem non ſervaverint, adeóque non ſervando non peccaverint, quomodo ergo poſſunt puniri, ſi legem violent, cùm pœna ſupponat culpam ſive peccatum? Reſpondetur eos puniri, tum quia præſumuntur peccâſſe, cùm ignorantia legum communium non præſumatur, niſi probetur: tum quia hac velut tacitâ conditione conceditur ſubditis jus præſcriptionis, ut ſi eâ currente, dum lex adhuc vim obligandi habet, ſaltem in actu primo, deprehenſi fuerint agere contra legem, poſſint puniri, & ad eam ſervandam per pœnam compelli, ut hac ratione lex habeat, quo ſe ab interitu tueri poſſit, neque tollatur, antequam omnino expirârit, & conſuetudo adverſùs illam ſit præſcripta, Leſſ. cit. c. 6. n. 46.

§. VII.

De interpretatione, & extenſione Conſuetudinis.

XLV. Conſuetudo, quæ eſt ſecundùm legem, duplicem vim ſeu effectum habet, ut notat Abb. in c. ult. h. t. n. 21. Azor p. 1. l. 5. c. 18. q. 1. nempe 1. legem ſcriptam interpretari, ſeu declarare, ſi intellectus ejus dubius ſit, aut obſcurus. Unde in l. Si de interpretatione 37. ff. De legib. & c. Cùm dilectus 8. h. t. conſuetudo dicitur eſſe *optima legum interpres*, quia ipſe uſus indicat, & oſtendit, quo ſenſu lex fuerit lata à Legislatore, & recepta à populo, ac quomodo ſervari debeat. 2. Conſuetudo etiam legem confirmat, ut patet ex c. In iſtis 3. §. Leges. diſ. 3. ubi dicitur: *Leges inſtituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Dicitur autem conſuetudo firmare legem, ſi certa ſit & indubitata, ſicut agnitio debiti confirmat priorem cautionem ſive obligationem, dum non patitur legem tolli præſcriptione, ſive contrariâ conſuetudine, ut notat Bart. in l. De quibus 32. ff. De legib. num. 4. & 5. adeóque non per ſe, ſed removendo prohibens, ſcilicet contrariam conſuetudinem & abrogationem legis, quo ſenſu etiam dicitur conſuetudo legem adjuvare, c. Sopitæ 14. De cenſib. quia faciliorem facit obſervantiam ejus, & ut lex non ita facilè immutari poſſit, ſed conſtanter perſeveret, Suar. cit. l. 7. c. 4. n. 16.

XLVI. Quæritur jam 1. Quomodo ſi lex ambiguum ſenſum habeat, ejus interpretatio fieri debeat ſecundùm conſuetudinem loci, etiamſi ea contraria ſit Juri communi? Reſpondetur de hoc agitur in c. Cùm dilectus 8. h. t. Nam vacante Monaſterio Andrenſi, electus fuit à Capitulo quidam Monachus ejuſdem Monaſterij, Guilielmus nomine in Abbatem, ſed Capitulum Monaſterij Karoſenſis ſe oppoſuit huic electioni, dicens, electionem Abbatis Andrenſis ex ſuo Monaſterio faciendam eſſe, ideóque hæc controverſia, tam ſuper jure eligendi Abbatem, quàm ſuper valore electionis factæ, delata fuit ad Papam Innocent. III. coram quo dictus Guilielmus propoſuit, ſe à Conventu Monaſterij Andrenſis concorditer electum fuiſſe, ideóque electionem ſui à Papa confirmari petijt, cùm ad dictum Conventum tantùm, tam de Jure communi, quàm ex Apoſtolicæ Sedis privilegio, libera eligendi ſibi Prælatum poteſtas pertineat. Ex adverſo verò Procurator Capituli Karoſenſis propoſuit, quòd juxta ſtatutum ab Epiſcopo ſive Ordinario loci, ad petitionem Patronorum Eccleſiæ, olim conditum, ſi numerus Regularium ibi ita augeretur, ut Prior vel Abbas conſtituendus eſſet, electio Prælati Monaſterij Andrenſis, tum penes Conventum ejuſdem loci, tum etiam penes Conventum ſeu Capitulum Karoſenſe eſſe deberet, ita ut vacante Monaſterio Andrenſi, utriuſque Conventûs Fratres in Capitulo Karoſenſi convenientes, è gremio ejuſdem Monaſterij

„ Karoſenſis aliquem in Abbatem eligerent, idque
„ vigore illius ſtatuti,ita longo tempore obſervatum
„ fuiſſe. Quare petijt dictus Procurator, ut electio
„ Guilielmi, quippe facta, tum contra antiqui ſtatu-
„ ti tenorem, tum etiam contra conſuetudinem ap-
„ probatam (quæ optima legum interpres eſt) tan-
„ quam minùs Canonica cenſeretur. Papa Inno-
„ centius inprimis electionem illam caſſavit (id eſt
„ caſſam & irritam eſſe declaravit, gl. ibid. v. Caſſa-
„ vimus)quia conſtitit, illam factam eſſe à ſuſpenſis,
„ & de ſuſpenſo (ſuſpenſus enim ab officio, nec eligi
„ poteſt in Prælatum, nec eligere, ut colligitur ex
„ hoc c. gl. ibid.v. à ſuſpenſis)Deinde quod ad ipſum
„ jus eligendi attinet, decrevit Pontifex, ut ſi ex par-
„ te Monaſterij Karoſenſis, ſuprà dicta conſuetudo
„ Juri communi contraria (videlicet ut ex gremio
„ ejuſdem Eccleſiæ Abbas pro Monaſterio Andren-
„ ſi eligendus ſit) fuerit probata, ea impoſterum
„ quoque obſervetur: alioquin verò,cùm ſtatutum
„ illud ita commodè intelligi poſſit, ut neque Juri
„ communi, neque privilegio à Sede Apoſtolica
„ Conventui Andrenſi conceſſo deroget, jus eligen-
„ di Abbatem Andrenſem eidemCapitulo adjudice-
„ tur, ita ut Monachi Andrenſes liberè Abbatem è
„ ſuo gremio, vel aliunde perſonam idoneam eligere
„ poſſint, cujus confirmatio, ſi canonica electio fue-
„ rit, ad Capitulum Karoſenſe ſpectet.

XLVII. Notandum hîc 1. Valida eſt Conſuetudo, & Jure Canonico approbata, per quam inductum fuit, ut una Eccleſia vel Monaſterium eligere teneatur Prælatum ex Collegio ſive gremio alterius Eccleſiæ vel Monaſterij, prout ſumitur ex cit. c. Cùm dilectus, & ibi Abbas in ſumma & alij DD. communiter.

Notandum 2. Quando dicitur,quòd Conſuetudo ſit optima legum interpres, id ita accipiendum eſt, ut, ſi ſenſus legis ſive ſtatuti, ſpectato verborum tenore,ſit dubius,tum recurrendum ſit ad conſuetudinem communiter receptam & obſervatam, & ita lex intelligenda ſit, ſicut conſuetudo hactenus obſervavit,l.Nam Imperator 38.ff.de legib.ubi dicitur: *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere*, Abb.hîc n.7. Idque ſumitur etiam ex cit.c.Cùm dilectus, ubi verbum *electionis* tripliciter accipi poteſt. 1. Pro electione activè, unde, qui habent jus eligendi, dicuntur habere electionem activam. 2. Pro electione paſſivè,qui enim eligi poſſunt,ex aliquo Collegio,dicuntur habere electionem paſſivam: & ita in propoſito conſuetudo interpretabatur ſtatutū Epiſcopi,ut videlicet electio relata ad Monachos Andrenſes importaret electionē activam;reſpectu verò Capituli Karoſenſis, electionem paſſivam, ex quo aliquis in Abbatem Andrenſem eligendus erat, cui conſuetudini etiam ſtandum fuiſſet,ſi probata fuiſſet;nam conſuetudo,cùm in facto conſiſtat,ab allegante probari debet, præſertim ſi ſit Juri communi contraria, & in alterius præjudiciū cedat, Maſcard.de probat.vol. 1. concluſ. 423. n.20. 3. Poteſt electio ſumi in ſignificatione propria quidem, ſed latiſſima pro confirmatione; & ita Papa ſtatuit in hoc c. interpretandum eſſe ſtatutum Epiſcopi,ſi conſuetudo non obſtet,ut nimirū electio ſtrictè ſumpta pro activa & paſſiva, pertineret ad Conventum Andrenſem: accepta verò latiſſimè pro confirmatione,ad Capitulum Karoſenſe, cùm confirmatio ſit pars & finis,ſive complementum electionis, Abb. in cit.c.Cùm dilectus.n.15. nam verba legis ſeu ſtatuti,vel alterius diſpoſitionis in dubio ita explicari debent,ut,quantùm fieri poteſt,ſalvâ eorum proprietate aut communi acceptione, à Jure communi non recedatur, quia leges legibus concordandæ ſunt, & correctio jurium vitanda eſt,gl. hîc communiter recepta. v. Jure communi.

XLVIII. Notandum 3. Quod dictum eſt, legem vel ſtatutum,cujus ſenſus dubius eſt, explicandum eſſe, ſecundùm conſuetudinem communiter obſervatam, id extendi debet, ut procedat, etiamſi ponatur,conſuetudinem aberrare à vero legis vel ſtatuti ſenſu,tamen ea obſervari debeat, juxta cit. l. Nam Imperator.ff.de legibus: & tradit Abb.in cit. c.Cùm dilectus. n.7. quamvìs hæc non ſit mera legis interpretatio, ſed potiùs mutatio, quia conſuetudo rationabilis & legitimè præſcripta, non tantùm vim habet legem interpretandi, & indicandi, quo ſenſu lex ab initio lata;& recepta ſit,ſed etiam mutandi antiquum jus, vel penitus abrogandi, & novum inducendi & conſtituendi,Suar.cit.l.7.c.4. n.16.

XLIX. Notandum 4. Tanta vis eſt Conſuetudinis ad interpretandam legem, ut, ſi ex verbis legis,aut ſtatuti non ſatis appareat,utrùm ſub peccato ſeu culpâ obliget in conſcientia,an ſolùm ſub pœna; item quàm graviter obliget, num ſub peccato gravi & mortali,an ſolùm ſub levi ſeu veniali, id ex recepta & approbata conſuetudine determinandum ſit,arg.Clement.1.§.Item ordo communiter ſenſit de verb.ſignific. & ibi gl. v.item ordo, ita ut taliter lex obliget, ſub quali obligatione illam conſuetudo recepit,& obſervavit,gravi vel levi,non enim lex aliter obligat, quàm communiter,diuturno uſu & obſervatione recepta eſt, quia legiſlator cenſetur uti verbis,juxta communem uſum,Suar.c.l.7. c. 17.num.5. Sanch.l.6.moral.c.4.n.27. Sic conſuetudo interpretata eſt, legem, ſive præceptum jejunij obligare ſub peccato mortali,Navarr.in manual. Præl.c.21. n.11. Suar.c.l. Ubi tamen conſiderandum eſt,an populus ſive communitas legem hactenus obſervâtit, tanquā ſub peccato mortali, & non tantùm ſub veniali obligantem, cum intentione introducendi ejuſmodī obligationem,etiamſi lex ex primæva ſua inſtitutione, tam gravem obligationem non habuerit: tum enim ex vi conſuetudinis legem interpretantis, obligabit talis lex ſub peccato gravi & mortali: ſecus eſt, ſi populus non intendat novam obligationem introducere, ſed ſolùm legem obſervet quaſi obligantem ſub gravi ſeu mortali peccato,quia exiſtimat illam ex ſua prima inſtitutione graviter obligare; tum enim per ſe ex vi conſuetudinis nō orietur tam gravis obligatio,quia actus liberorum agentium non operantur ultra intentionem eorum,& conſuetudo,quæ per errorem inducta eſt, non valet, ut ſuprà dictum; quamvìs per accidens ob conſcientiam erroneam, quæ peccatum eſſe putat, ubi non eſt, vel grave, ubi ſolùm eſt leve, & nihilominus contra legem agit, grave peccatum eſſe poſſit,ut notavit Laym. in cit. c. Cùm dilectus.n.4.h.t.

L. Notandum 5. Dupliciter conſuetudo legem interpretari poteſt, ut tradit Suar. cit. 17. n.2.

1. non

1. non authenticè, ſed ſolùm per modum ſigni aut doctrinæ, ſicut Doctores ſolent leges interpretari; & hæc interpretatio non inducit novum, ac diſtinctum jus, nec vim legis habet, ſed ſolùm inducit, & teſtatur, illam fuiſſe mentem legislatoris, & ita fuiſſe uſu receptam, quæ interpretatio tantùm eſt probabilis cõjectura, nec poteſt certam & infallibilem interpretationem legis reddere. 2. Authenticè, ita, ut ipſa interpretatio vim etiam legis habeat, juxta l. nam Imperator. 38. ff. de legib. quia cùm conſuetudo habeat vim & efficaciam ad introducendam legem, conſequenter etiam ad interpretandam legem efficaciter & per modum legis; & ad hunc modum interpretationis requiritur eadem poteſtas, & eædem conditiones, quæ neceſſariæ ſunt, ut ipſa conſuetudo vim habeat inducendi, vel abrogandi legem, Suar. l. c. n. 3. Denique conſuetudo non ſolùm humanã, ſed etiam divinam & naturalem legem interpretari poteſt, cum hoc tamen diſcrimine, quòd humanam legem poteſt interpretari, etiam detrahendo legi, eique ex parte derogando, vel augendo, ſeu addendo illi: divinam verò ſolùm interpretari poteſt declarando mentem legislatoris, quæ interpretatio ut certa ſit, neceſſe eſt, ut conſuetudo ſit ex univerſalis Eccleſiæ traditione introducta, vel ut ſit per SS. Pontifices approbata, Suar. c. l. n. 6.

LI. Quæritur 2. An conſuetudo extendatur ab uno caſu ad alium, vel ab uno loco ad alium locum, vel etiam à perſonis ad perſonas? Reſpondetur, conſuetudo, quæ eſt præter vel contra jus, eique repognat, ordinariè & regulariter non extenditur, quia conſuetudo, uti & præſcriptio, eſt ſtricti juris, & tantum habet de potentia, quantum de uſu & actu, adeòque ultra id, quod actum eſt, non extenditur, ut docet Bartol. in Auth. qui rem. n. 8. C. de SS. Eccleſ. & ex Baldo, Menoch. de retinend. poſſeſſ. remed. 5. n. 62. Præſertim verò conſuetudo abrogatoria legis, ſive quæ per temporis diuturnitatem bonâ fide contra legem eſt præſcripta, non eſt extendenda ad alios ſimiles caſus; cùm hæc ſit generalis regula, quòd præſcriptio non extenditur à caſu ad caſum, Laym. cit. l. 5. c. 19. n. 28. & in c. ult. n. 10. h. t.

LII. Interdum tamen, cùm eadem ratio ſubeſt & æquitas, fit extenſio Conſuetudinis ab uno caſu ad alium, vel etiam ab uno loco ad alium, quia ſimilis æquitatis ratio ſimilia jura ſuadere videtur, l. fin. C. ad leg. ſalcid. Sic conſuetudo præſcripta, etiam contra jus, debet extendi de uno caſo ad alium ſimilem, & omnimode ſecundùm jura æquiparatum, qui quodammodo propter paritatem ſeu identitatem videtur includi ſub priore, & veluti pars in toto contineri, Abb. in c. dilecti. 4. n. 5. de arbitris & ibid. Laym. n. 1. Suar. l. 7. c. 16. n. 14. Sic etiam conſuetudo, quæ viget in civitate, plerumque extenditur ad caſtra, & alia loca vicina, quæ in eodem territorio ſive juriſdictione ſita ſunt, in iiſque etiam obſervatur, quia ſunt loca acceſſoria, ſive adhærentia civitati, & ad eiuſdem juriſdictionem pertinent, Maſcard. de probat. vol. 1. concl. 423. n. 12. & duobus ſeqq.

LIII. Similiter ſi in Eccleſia aliqua nova dignitas vel officium inſtituatur, de qua Jure communi Canonico nihil diſpoſitum eſt, imitanda & obſervanda eſt conſuetudo vicinarum Eccleſiarum, in quibus eadem dignitas vel officium exiſtit, prout ſumitur ex c. Cùm olim. 6. & ibi tradit ſumma illius c. h. t. nam cùm Epiſcopus Londonenſis in Eccleſia ſua erigere, ſeu conſtituere vellet novam dignitatem, ſeu perſonatum Præcentoris ſeu Cantoris (qui non quidem juriſdictionem propriè, ſed præeminentiã in choro, proceſſionibus & aliis conventibus Canonicorum habet, ut tradit Azor p. 2. l. 3. c. 22.) petitâ licentiâ à Papa Innocentio III. eam obtinuit hac conditione, ut in aſſignandis ei reditibus nullum præjudicium reditibos aliorum Canonicorum inſeratur, & ut Præcentor in ſeſſionibus, proceſſionibus, & alijs ſimilibus, eum obtineat honorem ac dignitatem, quam in alijs Eccleſijs Anglicanis (ſive vicinis) Præcentores obtinent. Quòd ſi verò in eis diverſæ aut contrariæ conſuetudines obſerventur, talis Præcentori illi dignitas ſeu præeminentia conſtitui debet, ut alijs perſonis nullum præjudicium inferatur, ſed rationabiles in eadem Eccleſia hactenos obſervatæ & approbatæ conſuetudines ſalvæ & illæſæ permaneant.

LIV. Notandum hîc 1. Si dignitas vel officium, de quo Jure communi reperitur diſpoſitum ſeu ſtatutum de novo inſtituenda ſit in Eccleſia aliqua, v. g. Archidiaconatus vel Archipresbyteratus, ſed in vicinis Eccleſijs diverſa ſpecialis conſuetudo obſervetur & vigeat, tum potiùs ſequendum eſt Jus commune, quia conſuetudo ſpecialis contraria Juri communi, ei non derogat univerſaliter, ſed tantùm ſpecialiter, ſive limitatè in ordine ad locum vel Eccleſiam, in qua obſervatur & viget, non reſpectu aliarum Eccleſiarum etiam vicinarum, Abb. in cit. c. Cùm olim n. 7. nam conſuetudo introducta contra Jus commune, cùm ſit ſtricti juris, regulariter non extenditur de uno loco ad alium, ut ſuprà dictum.

Notandum 2. Quamvìs Epiſcopus, cum conſenſu Capituli, inſtituere poſſit novam dignitatem vel beneficium, ſicut & extinguere, ut patet ex c. Cùm acceſſiſſent 8. de conſtitut. modò talis conſtitutio ſive erectio non fiat, cum notabili diminutione redituum, aut juris aliorum Beneficiariorum, juxta cit. c. Cùm olim, niſi neceſſitas vel magna utilitas Eccleſiæ id poſtulet, Abb. ibidem num. 3. & 6. tamen in caſu dicti c. licentia novam dignitatem ſeu perſonatum Præcentoriæ in Eccleſia inſtituendi petita fuit à S. Pontifice, vel ob majorem ſecuritatem & firmitatem, vel quia fortè Capitulum quoad hoc contradicebat Epiſcopo, Abb. in cit. c. num. 2.

LV. Ex dictis colligit Abb. in cit. c. Cùm olim n. 8. ſi Univerſitas ſtudiorum in aliquo loco de novo erigeretur, eo pacto, ut fruatur privilegijs conceſſis in Auth. habita C. ne filius pro patre, tum Studioſi in cauſis criminalibus debent habere proprium Judicem Academicum, etiamſi ponatur, quòd Studioſi in alijs Univerſitatibus tacitè renunciârunt illi Authenticæ per non uſum ſeu contrariam conſuetudinem, quia non habuerunt in his cauſis proprium Judicem; ratio eſt, quia talis conſuetudo ſolùm nocet in illis locis, in quibus viguit, ſive introducta eſt. Nec obſtat cit. c. Cùm olim, ubi non recurritur ad Jus commune, ſed ad conſuetudinem vicinarum Eccleſiarum; nam id procedit, quando Jure communi nihil eſt diſpoſitum de dignitate aliqua, ut de Præcentoria: ſi verò diſpoſitum ſit, ut de Archidiaco-

diaconatu vel Presbyteratu; tunc etſi in diverſis Eccleſijs vicinarum civitatum ſint diverſæ conſuetudines, quoad honores eis deferendos, jus commune ſervandum erit, ut ex ſuprà dictis patet.

LVI. Colligitur 2. Quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, an conſuetudo laicorum extendatur etiam ad Clericos, eóſque obliget? Equidem certum eſt, conſuetudinem, quæ à ſolis laicis obſervata eſt, non obligare Clericos, quia ſunt veluti diſtincti populi & peculiares communitates, & ideo habere poſſunt diverſas conſuetudines, & Clerici ſunt omnino exempti à poteſtate laicorum. Quòd ſi conſuetudo verſetur circa materiam civilem & politicam, & vim obligandi habeat ex auctoritate & conſenſu Principis ſecularis, per ſe non obligat Clericos, quia conſuetudo talis eſt civilis, & jus civile eam introducit: ſicut ergo Princeps ſecularis non poteſt Clericos directè obligare per expreſſam voluntatem ſeu legem ſcriptam, ita nec per tacitam, ſive legem non ſcriptam; nec etiam Clerici conſentire poſſunt in ea, quæ præjudicant ſuæ immunitati, neque Prælatus Eccleſiaſticus conſentire cenſetur. Excipi debet, niſi ſit talis conſuetudo, quæ non adverſetur libertati Eccleſiaſticæ, nec per ſe, & ex objecto ſuo tantùm ſit oneroſa, ſed pertineat ad communem civium convictum, ut cives ſunt; tum enim ſaltem indirectè obligabit etiam Clericos, ut de legibus laicorum ſuprà dictum eſt, tit. 2. ſec. 1. §. 10.

Si verò materia, circa quam verſatur Conſuetudo, ſit mixta, ſive communis utriſque, tam laicis, quàm Clericis, quæ ab utriſque etiam obſervetur; tunc erunt veluti duæ conſuetudines, & duo jura non ſcripta, unum civile habens vim obligandi à conſenſu Principis ſecularis: & alterum Eccleſiaſticum habens vim à conſenſu & auctoritate Prælati Eccleſiaſtici; & unaquæque conſuetudo obligabit ſuos ſubditos, unáque poterit revocari & tolli, ſinè altera. Denique ſi conſuetudo verſetur circa materiam ſpiritualem, quæ ad bonum animæ tendit, v. g. ſervandi jejunium; tum obligabit Clericos & laicos; & quidem ex conſenſu ac poteſtate Prælati Eccleſiaſtici tantùm, cui ſubjecti ſunt etiam laici, quatenus Chriſtiani ſunt, Suar. cit. c. 16. n. 9. & 11. ubi n. 13. addit, quòd poſſit conſuetudo introducta uſu & obſervatione laicorum tantùm, extendi etiam ad Clericos, eóſque obligare, ſi expreſſa vel tacita voluntas Epiſcopi ſit introducere jus conſuetudinis, pro ſua tota Diœceſi, modò materia ſit ex ſe omnibus, tam laicis, quàm Clericis communis, & æquè utilis, ac facilis.

§. VIII.

De abrogatione legis per contrariam Conſuetudinem.

LVII. Quæritur 1. An Conſuetudo poſſit abrogare legem naturalem, vel divinam, vel juris gentium? Reſpondetur per nullam conſuetudinem, quantumvis diuturnam, aboleri poteſt Jus naturale, nec illi aliquatenus derogari: Abb. in cit. c. ult. n. 22. ubi exemplum dat, ſi conſuetudo vigeret alicubi, ut filij non educentur à parentibus, nam de jure naturali ſunt eis debita alimenta, & eſt communis omnium Juris utriuſque Interpretum & Theologorum ſententia apud Azor p. 1. l. 5. c. 17. q. 3. & conſtat, ex c. ult. in princip. h. t. ubi Papa Gregor. IX. ait, quòd Juri naturali, quippe cujus transgreſ- » ſio periculum ſalutis inducit, adeóque peccatum » continet, quacunque conſuetudine, quæ corru- » ptela potiùs dicenda eſt, aliquatenus derogari non » poteſt: imò tantò graviora ſunt peccata, quantò » diutiùs infelicem animam detinent alligatam. Ratio eſt, quia Jus naturæ eſt immutabile, §. Sed naturalia. Inſtit. de jur. nat. gent. &c. gl. in cit. c. ult. V. Naturali juri, & quod lex naturæ præcipit vel prohibet, eſt per ſe & intrinſecè bonum, vel malum, ideóque hominum uſu vel conſuetudine contrariâ tolli & abrogari non poteſt. Et hinc etiam in Jure civili conſuetudo, quæ repugnat juri naturæ, vocatur conſuetudo cõtra bonos mores, ſeu abuſus. Sed neque contra Jus divinum poſitivum prævalere poteſt conſuetudo, vel illud abrogare, ut eſt communis quoque ſententia DD. apud Azor. c. l. q. 2. Ratio eſt, quia jus divinum eſt à Deo conſtitutum, quod ipſe præcipit, ut ſervetur, ergo, ſicut non poteſt per humanam legem tolli vel mutari, cùm poteſtas humana, quippe inferior, non poſſit tollere legem ſuperioris Dei; ita nec per illam conſuetudinem, quæ ex moribus utentium vim obtinet, tolli debet.

Imò etiam Jus gentium, quo omnes ferè gentes utuntur, præcipiens vel vetans aliquid, v. g. fœdera, inducias, & pacem cum hoſtibus initam ſervandam eſſe, Legatorum immunitatem violandam non eſſe, & his ſimilia, per contrariam conſuetudinem tolli non poteſt, ut docet Bartol. in l. Omnes populi 9. n. 21. ff. de juſtit. & jur. Azor cit. c. 17. q. 4. Laym. in cit. c. ult. n. 5. h. t. quia ipſa ratio naturalis dictat, ea eſſe humanæ ſocietati utilia & neceſſaria, iiſque oppoſita perniciosa, quæ pleræque gentes populo præcipienda, vel prohibenda cenſuerunt.

LVIII. Quæritur 2. An per contrariam Conſuetudinem poſſit aboleri, & tolli omnis lex humana? Reſpondetur, ſi conſuetudo ſit rationabilis & legitimè præſcripta, abrogare poteſt omnem legem poſitivam humanam, ſive Civilem, ſive Canonicam, ita quidem, ut ſi conſuetudo generalis ſit, generaliter & ubique legem tollat: ſi verò ſpecialis, abroget ſpecialiter ac limitatè, in illo ſcilicet loco tantùm, in quo introducta eſt, & viget. Eſt communis Theologorum & Canoniſtarum ſententia apud Suar. cit. l. 7. c. 18. n. 2. & c 19. n. 27. & habetur expreſſum utroque Jure, nam & in cit. c. ult. h. t. dicitur univerſim & Indiſtinctè, nullam legem excipiendo, quòd ſi conſuetudo ſit rationabilis & legitimè præſcripta, præjudicium generare ſive derogare poſſit juri ſeu legi poſitivæ: & in l. De quibus 32. ff. De legib. dicitur, *rectiſſimè receptum eſt, ut leges non ſolo ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Ratio eſt, nam quando Communitas ſive populus non recognoſcit Superiorem, cui ſit ſubjectus, tunc voluntas populi, ipſo uſu ſeu facto manifeſtata ſufficit ad abrogandam legem; nam *quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis*, cit. l. De quibus: quando verò populus eſt ſubjectus Principi, tunc abrogatur lex, & vi voluntatis & conſensûs Principis,

qui

qui ſcillcet vel ipſo jure datus eſt, ſi præſcribendo lex abrogetur: vel de novo & particulari, ſaltem tacitè, exhibetur, ſi Principe ſciente & connivente, lex abrogetur: Principis autem conſenſus, ſicut ad leges condendas, ita & ad abrogandas ſufficit.

LIX. Hinc colligitur, cùr, licèt laici Romano Imperio ſubditi, & Clerici inferiores Papæ, jure ordinario, & ſecluſâ ſpeciali conceſſione, non poſſint ſtatuta facere, contra Jus commune Cæſareum vel Pontificium: poſſint tamen illud per contrariam conſuetudinem abrogare; cùm tamen ſtatutum & conſuetudo non videantur differre, niſi ſicut tacitum & expreſſum, quia in conſuetudine intervenit tacitus conſenſus populi, vel Principis; in ſtatuto verò expreſſus: taciti autem & expreſſi eadem eſt virtus ac poteſtas. Nam diſparitas eſt, quia ſtatutum & conſuetudo, non tantùm differunt, quoad conſenſum tacitum & expreſſum, ſed quia ſtatutum vim habet ex auctoritate & conſenſu ſtatuentium: conſuetudo verò, non ex conſenſu & auctoritate præcisè inducentium conſuetudinem ſeu aſſueſcentium, ſed Principis, cui populus eſt ſubjectus, qui vel vim præſcribendi contra legem tribuit conſuetudini, vel eam ſciens & tolerans tacitè approbat, & conſequenter etiam vim abrogandi legem ei tribuit, unde licèt nec laici, nec Clerici poſſint ſtatuta facere contra leges ſuorum Principum, jure ordinario, poſſunt tamen eas per conſuetudinem abrogare, Salas cit. diſ. 19. ſec. 3. n. 24.

LX. Sed contra ſuprà dicta obſtare videtur 1. Quòd in l. 2. C. quæ ſit longa conſuet. dicitur: *Conſuetudinis, uſûſque longævi non vilis auctoritas eſt, verùm non uſque adeò ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem:* quod repetitur in c. fin. h. t. *licèt longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare.* Similiter in c. Ad noſtram 3. & c. Cùm venerabilis 7. h. t. & c. 1. eod. in 6. reprobatur, & nullius momenti eſſe dicitur conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis, ſeu SS. Canonibus eſt inimica. Et in c. Cùm cauſa 8. de ſent. & re jud. dicitur, quòd conſuetudo nunquam veritati aut legi præjudicet, ergo non valet conſuetudo, quæ eſt contra legem poſitivam præſertim Canonicam. Sed reſpondetur, hos textus intelligendos eſſe de conſuetudine, quæ non eſt rationabilis, nec legitimè præſcripta, talis enim conſuetudo legi poſitivæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive civili prævalere ſeu præjudicare non poteſt, gl. fin. in cit. c. Cùm cauſa: vel poſito, quòd loquantur de conſuetudine rationabili, & legitimè præſcriptâ, explicari ſic debent, quòd conſuetudo non vincat legem, quam bonum & rationabile omnino eſſet retineri & obſervari, vincat autem illam, quam ratio poſtulat vel permittit abrogari. Vel denique ſolùm volunt, conſuetudinem non habere, ex præciſa ratione conſuetudinis, quòd vincat legem, vel ei præjudicet, prout veriſſimum eſt, ſed ex eo, quòd ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, vel tacito conſenſu Principis approbata, Salas cit. diſ. 19. ſec. 4. §. 3.

Ex quo patet, quòd, quotieſcunque conſuetudo non poteſt tollere ſeu abrogare legem poſitivam ſeu humanam, id ideo non poſſe, vel quia irrationabilis eſt, adeóque corruptela, ſeu abuſus; vel quia non eſt legitimè præſcripta, nec ſufficiens ad inducendam tacitam voluntatem ſive conceſſionem Principis, à qua ſicut aliæ præſcriptiones, ita & præſcriptio conſuetudinis populi ſeu ſubditorum contra legem vim accipit, Suar. cit. l. 7. c. 19. n. 24.

LXI. Obſtare videtur 2. Quòd conſuetudo contra legem inducatur per actus communitatis ſeu populi, ſaltem ab initio malos & peccaminoſos, quippe contra legem factos ſive prohibitos per legem; vel non factos, quos lex præcepit fieri; nam ſi ex probabili ignorantia, gravi metu vel aliâ causâ excuſante fierent, tunc tales omiſſiones vel actus contrarij non fierent animo abrogandi legem, & contrariam conſuetudinem inſtituendi, ideóque neque legem abrogarent, juxta ſuprà dicta n. 25. & 26. & notat Suar. cit. c. 18. n. 8. atqui actus pravi non debent peccantibus prodeſſe, neque hi ideo, quòd legem non ſervent, debent ab ejuſdem obligatione liberari. Sed reſpondetur inprimis, juxta ſententiam multorum, etiam per actus pravos induci conſuetudo abrogans legem poteſt, ut ſuprà dictum n. 43. neque ideo favor aliquis conceditur directè actibus pravis quà talibus, ſive transgredientibus legem, ſed ſubditi agentes contra legem, completâ præſcriptione, ab ejus obligatione ſolvuntur, quia ita expedit ad utilitatem publicam, & majorem conjunctionem populi cum Principe, ut is permittat, ex vi juris, vel taciti ſui conſenſûs, ſubditis præſcribere contra ſuam legem, eámque abrogare, ut ſuprà etiam dictum.

Verùm juxta ſententiam requirentem bonam fidem ad præſcribendum contra legem (quam ſuprà velut probabiliorem ſecuti ſumus) aliud dicendum eſt, nempe præſcriptionis tempus non poſſe computari à primis, qui contra legem conſuetudinem inducere incipiunt, quia illi primi contra legem facientes peccant, & ſic bonâ fide carent: ſed tempus hoc incipit numerari ab ijs, qui primis ſuccedunt, & eorum exemplum ſecuti, bonâ fide ac ſinè peccato, incipiunt facere contra legem, vel etiam tempus præſcriptionis jam cœptum à poſterioribus ſive ſucceſſoribus continuari poteſt, ac perfici; neque enim debent exiſtimare, anteceſſores ſuos peccâſſe, niſi evidenter conſtiterit, eos legi non obtemperando deliquiſſe, aliàs præſumere poſſunt ex rationabili cauſa, ab illis legem non fuiſſe ſervatam, Sylv. V. Conſuetudo q. 7. Azor cit. c. 17. q. 6.

LXII. Ex dictis infertur 1. Etiam leges pœnales per conſuetudinem abrogari poſſe, vel ſimpliciter, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam: vel ſecundùm quid abrogatâ lege, quatenus pœnalis eſt, manente obligatione ad culpam; ſive pœna ſit latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto ac jure incurrenda; ſive ſententiæ ferendæ, hoc eſt, imponenda per ſententiam Judicis, ut docet Abb. in c. 1. de treuga & pace n. 4. Suar. cit. l. 5. c. 19. n. 3. Azor. p. 1. l. 5. c. 18. q. 10. idque probatur ex c. Cùm multæ. 3. c. 15. q. 8. ubi Concilium Toletanum 9. filijs Clericorum pœnam ſervitutis jure perpetuo imponit, ut naſcantur ſervi ejus Eccleſiæ, de cujus Sacerdoris vel Miniſtri ignominiâ nati ſunt; quæ tamen pœna per contrariam conſuetudinem abrogata eſt, manente eâdem culpâ, ut notat gl. ibid. V. Connubio: favet gl. in c. Denique 6. diſ. 4. V. Conſuetudine, ubi

ait,

ait, conſuetudinem aliquandò excuſare à pœna temporali, ſed non à gehennali. Item in Extravag. unic. de reb. Eccleſ. non alien. inter communes, variæ imponnntur pœnæ ipſo facto incurrendæ, quæ tamen non ſunt in uſu, vel per non uſum ceſsârunt, etſi ipſa lex In multis locis adhuc obliger ad culpam, & quoad nullitatem alienationis, Navarr. in Manual. Prælat. c. 27. n. 150. Ratio eſt, quia poteſt derogari legi, etſi non abrogetur; *derogatur enim legi, cum pars detrahitur, abrogatur vero, cum prorſus tollitur*, l. Derogatur 101. ff. de verb. ſignif. ergo poteſt per conſuetudinem legi derogari, quoad pœnam; etſi non abrogetur, quoad obligationem ad culpam: nam ſicut ab inirio potuit lex imponi, cùm ſola obligatione ad culpam, ſinè impoſitione pœnæ; & recipi non receptâ pœnâ, ita etiam poteſt per poſteriorem legem ſcriptam vel conſuetudinem tolli pœna, manente obligatione ad culpam; quia culpa & pœna non ſunt per ſe ac neceſſariò connexæ, ſed ſicut expreſsâ voluntate Principis, vel populi legem condere potenris, ſeparari poſſunt, & tolli pœna legis, manente obligatioue ad culpam: ita etiam per voluntatem tacitam, ſeu vi conſuetudinis, per quam cùm poſſit lex abrogari in totum, poterit etiam ei derogari, quoad quamcunque partem ſeparabilem ab alia, relictâ aliâ parte in ſuo vigore, adeóque etiam quoad pœnam, manente obligatione ad culpam. Neque quoad boc diverſa eſt ratio de pœna lata, & ferenda; nam conſuetudo non minùs tollere poteſt obligationem, quam habet delinqnens ad ſuſtinendam pœnam legis, vel gerendum ſe ut excommunicatum, quàm obligationem Judicis ad inferendam pœnam delinquenti, ut bene Salas cit. diſ. 19. ſec. 6.

Non obſtat, quòd, ſi pœna ipſo facto ſit lata, nunquam fiat actus contra legem, quin pœna incurratur, ergo nunquam lex abrogabitur per talem actum, quoad pœnam, niſi ſimul abrogetur, quoad culpam. Sed reſpondetur neg. conſeq. quia etſi, quàm diu conſuetudo non eſt præſcripta, & completè inducta contra pœnam latæ ſententiæ, ipſa per quamlibet inculpabilem transgreſſionem legis incurratur; fieri tamen poteſt ac ſolet, ut pœna illa vel ab initio non acceptetur, vel quæ antea executioni mandabatur, poſtea non ſervetur, vel non executioni mandetur, atque ita paulatim vim ſuam amittat, ac tandem, elapſo tempoce ad præſcribendum neceſſario, omnino tollatur, vel Principe connivente ac tolerante, tacitè revocetur, Suar. cit. cap. 19. num. 4.

Non etiam obſtat, quòd talis conſuetudo abrogans pœnam legis, manente obligatione quoad culpam, eſſet irrationabilis, quia daret anſam peccata impunè committendi. Nam reſpondetur cum Suar. c. l. quòd per talem conſuetudinem ſolùm fiat, ut pœna legis non ſtatim incurratur ipſo facto, non verò quòd per Superiorem omnino puniri non poſſit, & debeat delictum, ideóque non ſequitur, talem conſuetudinem eſſe irrationabilem: ſicut etiam quando pœna non ipſo facto incurritur, ſed per Judicem imponenda eſt, quamvìs per poſteriorem legem ſcriptam, vel conſuetudinem contrariam ei derogetur, ut Judex non teneatur delinquenti infligere pœnam lege præſcriptam; nihilominus tamen poteſt Judex eum aliter punire, ſi lex adhuc obliget ad culpam, alioquin talis conſuetudo eſſet irrationabilis.

Similiter è contrario poteſt etiam per conſuetudinem abrogari legis obligatio, quoad culpam, manente obligatione ad pœnam, ita ut ex lege mixta fiat purè pœnalis, ut docet Suar. c. l. n. 11. Salas c. l. Ratio eſt, quia ſi lex ab initio potuit ferri ſub ſolo onere pœnali, ſinè obligatione ad culpam, ergo etiam per conſuetudinem poteſt reduci ad talem ſtatum, ut obliget ad ſolam pœnam, ſublatâ obligatione ad culpam: nam impoſitio pœnæ ſive obligatio ad pœnam eſt ſeparabilis ab obligatione ad culpam, cùm dentur leges purè pœnales, adeóque conſuetudo ſicut poteſt abrogare legem in totum, tam quoad obligationem ad culpam, quàm quoad pœnam; ita etiam poteſt legi ex parte derogare, tollendo obligationem quoad culpam, & manente ſolâ obligatione quoad pœnam, cùm à ſe invicem hæ duæ obligationes ſeparari poſſint, ut jam dictum.

Nec refert, quòd pœna neceſſariò ſupponat culpam, alioquin injuſta erit, adeóque ſeparari non poſſunt. Nam etſi pœna ſtricto modo ſumpta pro malo, quod habet rationem vindictæ, ſupponat culpam propriè dictam; tamen pœna latè accepta, pro malo, onere, damno, ſeu incommodo aliquo, ſatìs eſt quod habeat cauſam dignam, aut quaſi culpam civilem, hoc eſt, quemvis defectum moris politicè & coram hominibus culpabilem; etſi fortè Theologicè & coram Deo culpabilis non ſit, ideóque nec peccatum propriè dictum. Et ſic fortaſsè, ait Suar. cit. loc. n. 12. multæ leges civiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna cædere in ſaltibus, vel merces exportare ex regno vel provinciâ, licèt in principio directivæ ſuerint, & obligantes ad culpam & ſub peccato, potuerunt uſu fieri merè pœnales, & quaſi naturam mutare, quia non aliter ſunt obſervatæ, & illo tantùm modo contra illas præſcriptum eſt, ut non obligarent ampliùs ad culpam, manente tamen obligatione ad ſubeundam pœnam aliquam ab ijs, qui contra talem legem agere deprehenſi fuerint.

Excipiendæ verò ſunt pœnæ illæ, quæ propriam culpam intrinſecè & ſuâpte naturâ ſupponunt, cujuſmodi ſunt Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ non niſi propter inobedientiam & contumaciam infligi poſſunt, ideóque leges prohibentes aliquid ſub cenſura ipſo facto incurrenda, non poſſunt vi conſuetudinis abrogari quoad obligationem ad culpam, quin etiam abrogentur cenſuræ eis annexæ, Suar. c. l.

LXIII. Infertur 2. Quòd etiam leges irritantes actus & contractus, per quas forma ſeu ſolemnitas ſubſtantialis ſive eſſentialis actibus præſcribitur, vel certæ perſonæ ad contrahendum vel agendum, v. g. ad eligendum, matrimonium contrahendum &c. inhabiles redduntur, per conſuetudinem abrogari poſſunt, ut tradit gl. in c. Fruſtra 7. V. Conſuetudinem diſ. 8. ubi ait, quòd perſona, quæ aliàs eſt ineligibilis, ratione conſuetudinis ſit eligibilis, Innocent. in c. 1. in fine de cognat. ſpirit. ubi in ſpecie loquitur de Canonicis impedimentis dirimentibus matrimonij per conſtitutionem Eccleſiæ inductis, ea per contrariam conſuetudinem tolli poſſe, Suar. cit. c. 19. n. 14. Salas cit. diſ. 19. ſec. 10.

Idque

Idque conſtat ex regula illa generali traditâ in c. fin. h. t. quòd adversùs omnem legem poſitivam & humanam, ſi rationabilis ſit, & legitimè præſcripta, prævalere poſſit conſuetudo, ſub qua comprehenditur etiam lex irritans, quippe quæ poſitiva & humana quoque lex eſt. Confirmatur, quia conſuetudo tantum poteſt, quantum lex ſcripta, cùm habeat vim legis: atqui lex irritans etiam Canonica poteſt abrogari per aliam legem ſcriptam contrariam, ut patet in lege antiqua irritante matrimonia uſque ad ſeptimum gradum conſanguinitatis, quæ nunc ſublata eſt per Concil. Trident. ergo etiam poteſt abrogari per conſuetudinem habentem conditiones requiſitas in cit. c. ult. h. t. Et ſi lex ſcripta abrogans legem irritantem, poteſt eſſe rationabilis & juſta, cur non etiam conſuetudo eandem abrogans poterit eſſe rationabilis, & conſequenter poterit etiam eſſe præſcripta, ſi longo tempore duret, vel indicare conſenſum Principis, ſi eam ſciat, Suar. cit. loc. Cæterùm quamvìs perſona, quæ per legem inhabilis eſt, & incapax ad actum aliquem, non poſſit fieri habilis, & capax privato ſuo uſu, præſcribendo contra legem inhabilitantem, quia incapax ad poſſidendum eſt etiam incapax ad præſcribendum: nihil tamen obſtat, quò minùs per communem & publicam conſuetudinem, modò ea rationabilis ſit, abrogari poſſit lex reddens inhabiles certas perſonas ad actum aliquem, ut notat Suar. c. l. n. 16.

An verò per Conſuetudinem poſſint tolli antiqua, vel induci nova impedimenta irritantia matrimonium (quod aliqui ideo ſolùm negant, quia putant, talem conſuetudinem eſſe irrationabilem, vel lege reprobatam, non quòd univerſim lex irritans per conſuetudinem abrogari, vel induci non poſſit.) id infrà ſuo loco examinabitur.

LXIV. Infertur 3. Quòd etiam leges verſantes circa Sacramentalia, & alia ad Sacramentorum ſubſtantiam non pertinentia, per conſuetudinem abrogari poſſunt, ſi ea in SS. Canonibus reprobata non repetiatur, v. g. ut ſecundæ nuptiæ benedicantur, ut docet Navarr. in Man. c. 22. num. 83. in fine. Suar. cit. c. 19. n. 26. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 82. n. 10. Salas cit. diſ. 19. ſec. 5. n. 58. Laym. cit. c. 24. n. 12. Idque colligitur ex c. De trina 80. diſ. 4. de conſecrat. ubi habetur, Baptiſmum unâ vel trinâ merſione conferri poſſe, pro cujuſque Eccleſiæ conſuetudine, quia in una fide nihil officit S. Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Item ex c. 2. de tempor. ordin. ubi dicitur, quòd, licèt conſuetudo illa conferendi ſacros Ordines, extra quatuor jejuniorum tempora, ſit improbanda, adeóque, ſi fieri poſſit, tollenda; dum tamen ejuſmodi conſuetudo antiqua per ſe Eccleſiæ non damnoſa toleratur, ſeu non damnatur, à culpa & pœna excuſari illos, qui ſe illi conformant: Neque obſtat Clement. ult. de ætat. & qualit. & ord. præfic. ubi confirmatur generalis conſuetudo circa ætatem Ordinandorum contra antiquos Canones inducta, non quòd antea vim non haberet, ſeu invalida foret, ſed quia, cùm poſſet eam Pontifex abrogare, voluit non abrogare, ſed potiùs expreſsè eam approbare, Suar. c. l. n. 26.

LXV. Quæritur 3. An conſuetudo, ſaltem immemorialis, abrogare poſſit legem, quæ inſertam habet clauſulam generalem derogatoriam, *non obſtante qualibet conſuetudine contrariâ*? Pro reſponſione notandum ex Suar. cit. l. 7. c. 7. n. 2. hæc tria diſtinguenda eſſe, legem humanam abrogare, ſive revocare conſuetudinem, vel prohibere, vel reprobare; ſunt enim diverſa; nàm per legem abrogatur, ſeu revocatur conſuetudo præexiſtens, ſicut enim lex ſcripta non abrogat, nec revocat legem contrariam, niſi præexiſtentem, alioqui enim, ſi nulla lex præexiſteret, non eſſet neceſſaria, imò vana foret revocatio vel abrogatio illius; ita etiam lex abrogans ſive revocans conſuetudinem non niſi præexiſtentem revocare poteſt. 2. Lex probibens conſuetudinem ſibi contrariam, non tantùm præteritam, ſive jam exiſtentem conſuetudinem, ſed etiam futuram tollit, ſive potiùs impedit, ne introducatur, quia prohibitio reſpicit futura, præterita enim prohiberi non poſſunt, imò nec præſentia, ut jam facta ſunt, ſed prout in futurum durare poſſunt, quia ut ſic ſolùm ſunt libera, ut prohiberi poſſint, Suar. c. l. n. 5. 3. Denique conſuetudo reprobatur per legem, quando non ſolùm abrogatur, ſive revocatur, vel prohibetur, ſed etiam expreſsè declaratur conſuetudo irrationabilis, ita, ut poſſit vocari corruptela & abuſus, quia nimirum vel inducit ad malum, vel officit bono communi, Suar. c. l. n. 7.

Jam ergo hoc ſuppoſito, reſpondetur 1. Lex derogatoria, ſive revocatoria conſuetudinis per generalem clauſulam, *non obſtante quacunque conſuetudine contrariâ*, nihilominus poteſt abrogari per conſuetudinem ſubſequentem, vel per modum revocationis, interveniente ſcientiâ & patientiâ, adeóque tacito conſenſu legislatoris: vel per modum legitimæ præſcriptionis, quæ etiam, ignorante Principe, adversùs legem fieri poteſt, juxta ſuprà dicta, Covarr. lib. 3. var. reſol. c. 13. n. 4. Suar. cit. l. 7. c. 19. num. 18. Laym. l. 1. tract. 4. c. 24. n. 7. Exemplum habetur in Clement. Statutum 7. de elect. ubi id notavit gl. v. Conſuetudine. Ratio eſt, quia talis lex, vi illius clauſulæ, ſolùm derogat conſuetudini præexiſtenti, vel præſenti, non autem futuræ & nondum exiſtenti, niſi aliud exprimatur, ergo non obſtante illâ clauſulâ, poteſt conſuetudo poſtea ſubſequens adversùs talem legem prævalere, eámque abrogare.

LXVI. Reſpondetur 2. Si lex per generalem clauſulam, non ſolùm abroget & revocet conſuetudinem præexiſtentem, ſed etiam ſimpliciter prohibeat conſuetudinem futuram, vel præſentem in futurum, ſive expreſsè dicat, ſubditos in perpetuum lege obligari, *non obſtante quacunque contrariâ conſuetudine in futurum*, non cenſetur tali prohibitione comprehenſa conſuetudo immemorialis. Imò probabile eſt contra talem legem, quæ non abſolutè reprobat, & damnat conſuetudinem futuram tanquam irrationabilem, ſed ſimpliciter prohibet, poſſe ordinario tempore præſcribi, & contrariam conſuetudinem introduci, etiã Principe neſciente. Priorem partem tradit Abb. in c. ult. n. 35. de præſcript. Covarr. c. l. n. 5. Maſcard. de probat. concl. 1371. n. 45. Laym. c. l. & alij plerique; idque probatur arg. c. 1. de præſcriptionib. in 6. & l. hoc jure 3. §. aquæ ductus ff. de aqua quotid. & æſtiv. ubi habetur, quòd ductus aquæ, ſive jus ducendi aquam præſcribatur tempore, cujus origo memoriam hominum excedit, licèt aliàs ſervitutes non habentes cauſam

ſam continuam, vel quaſi, non præſcribantur, l. Servitutes 14. ff. de ſervitutib. Ratio eſt, quia conſuetudo immemorialis majoris eſt potentiæ, quàm ſint aliæ conſuetudines, ideóque ad eam impediendam neceſſaria eſt ſpecialis & expreſſa illius per legem derogatio, nec ſufficit generalis per quamcunque clauſulam generalem. Poſteriorem partem tenet Navarr. in Commentar. de ſpolijs Cleric. §. 14. n. 8. Azor. cit. c. 17. q. 10. in fine. Suar. cit. c. 19. n. 21. Salas cit. diſ. 19. ſec. 7. neque contrarius eſt Covarr. c. l. Quamvis Laym. diſſentiat. Probatur, tum quia non obſtante prohibitione, poteſt fieri, ut expediat, conſuetudinem legi contrariam induci, & Legiſlatorem mutare voluntatem, qui per hanc prohibitionem non abſtulit vim derogatoriam conſuetudini rationabili, & legitimè præſcriptæ, quæ illi competit, non ex ſolo conſenſu præſumpto legiſlatoris, ſed ex vi præſcriptionis. Et hoc caſu etiam Laym. c. l. concedit, legem ſimpliciter prohibentem omnem contrariam conſuetudinem, nihilominus per illam tolli poſſe, ob rerum mutationem, ſive ſupervenientem novam cauſam à Legiſlatore non prævіſam, arg. l. Si hominem 30. ff. mandati. Tum quia ſola prohibitio conſuetudinis futuræ non eſt ſufficiens ſignum, quòd conſuetudo illa ſit irrationabilis, ſed fieri ſolet ad majorem cautelam, ne Judices patiantur, contrariam conſuetudinem introduci. Tum quia clauſula illa prohibitoria conſuetudinis futuræ non habet majorem vim, quàm ipſa lex ſive jus ſcriptum; nam eo ipſo, quòd feratur lex de re aliqua, prohibetur conſuetudo ei directè contraria, etiamſi clauſula derogatoria non ſit appoſita: atqui contra legem non habentem clauſulam derogatoriam poteſt prævalere contraria conſuetudo poſterior, ergo etiamſi talem clauſulam derogatoriam conſuetudinis futuræ inſertam habeat, poterit abrogari ipſa lex per poſteriorem contrariam conſuetudinem. Tum denique, quia in c. 2. De pœnit. & remiſſ. in 6. ſtatuitur, nullâ conſuetudine introduci poſſe, quòd aliquis, præter ſui Superioris licentiam, Confeſſarium ſibi eligere valeat; & tamen conſuetudine introductum fuit, ut Sacerdotes ſeculares ſibi Confeſſarium eligerent.

LXVII. Non obſtat 1. Quòd aliàs nullum effectum haberet talis clauſula derogatoria legi appoſita. Nam reſpondetur, haberet adhuc eam vim & effectum, ut impediat, ne conſuetudo, viâ convenientiæ, tam facilè contra legem prævaleat; ſed ferè non niſi poſt longum tempus, & legitimam præſcriptionem completam, eò quòd antea vix poſſit præſumi voluntas & conſenſus Principis in talem conſuetudinem, etiamſi illam ſciat, propter ſpecialem prohibitionem illius, & contrariam voluntatem expreſsè declaratam. Deinde in dubio talis conſuetudo in lege expreſsè prohibita ſemper præſumitur irrationabilis, niſi de oppoſito conſtiterit. Denique Judices & Miniſtri magis tenentur non permittere, ut iterum introducatur conſuetudo ſpecialiter prohibita, Suar. c. l. n. 22.

Non obſtat 2. Quòd, ubi lex prohibet præſcriptionem rei, non poſſit illa unquam præſcribi, l. ubi lex 24. ff. de uſucapion. ergo etiam, ubi lex prohibet contrariam conſuetudinem, nunquam poterit illa per præſcriptionem induci. Reſpondetur neg. conſeq. quia in præſcriptione privata & propria rei non extat jus aliquod, vi cujus talis præſcriptio à lege prohibita poſſit valere, neque unquam in illa præſumitur mutata voluntas Principis: at verò conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta poteſt abrogare omnem legem poſitivam ex vi juris, ſive legis ſpecialis dantis illi hanc vim, quam Princeps ſolâ prohibitione conſuetudinis non abſtulit, adeóque poteſt præſumi, eum mutâſſe priorem voluntatem, Suar. c. l. n. 23.

LXVIII. Reſpondetur 3. Conſuetudo, quantumvis temporis immemorialis, non ſolùm prohibita per generalem clauſulam derogatoriam, ſed etiam reprobata, & damnata per legem, tanquam iniqua & irrationabilis, nunquam poteſt prævalere contra legem, eámque abrogare, niſi, variatis circumſtantiis, tanta ſit in objecto, ſeu in ipſis rebus facta mutatio, ut ipſa conſuetudo fiat rationabilis & juſta, & deſinat eſſe reprobata, Abb. in c. fin. n. 15. h. t. Covarr. c. l. n. 4. Azor c. l. Suar. c. l. n. 24. & alij communiter. 1. Pars per ſe patet, quia talis conſuetudo eſt irrationabilis, & ideo non eſt legitima conſuetudo, quippe carens conditionibus jure requiſitis, nec ſufficiens ſignum taciti conſenſus Principis, nam præſcriptio conſuetudinis adversùs legem vim nullam habet, niſi jus ſive lex ei aſſiſtat, cùm ipſa præſcriptio ſit inducta à lege, princip. Inſtit. de uſucap. Unde ſi lex conſuetudini alicui poſitivè reſiſtat, illámque reprobet tanquam irrationabilem, corruptelam vel abuſum, illa nunquam adversùs legem prævalere poteſt, idque locum habere etiam in conſuetudine immemoriali patet ex c. 1. h. t. in 6. 2. Pars probatur & declaratur, quia lex non ſemper reprobat conſuetudinem contrariam, propter intrinſecam ejus malitiam, ſive repugnantiam cum lege divina vel naturali, ſed quia tunc cenſetur ita expedire Eccleſiæ vel Reipublicæ, ob gravia incommoda vitanda, ergo fieri poteſt, ut conſuetudo, quæ uno tempore erat irrationabilis, ideóque reprobata fuit à lege, poſtea mutatis circumſtantiis, fiat rationabilis, & deſinat eſſe irrationabilis: quo caſu, ceſſante causâ, propter quam reprobata fuit talis conſuetudo à lege, deinceps vim habebit contra legem, eámque, ſi diuturno tempore continuata fuerit, per præſcriptionem abrogare poterit.

LXIX. Cæterùm Conſuetudo, quæ legibus ſimpliciter reprobata & damnata eſt, tanquam irrationabilis, & bonis moribus repugnans, vel Reipublicæ noxia, non poteſt ullo tempore, etiam immemoriali, tribuere juſtum titulum ad præſcribendum adversùs talem legem, juxta cit. c. 1. h. t. in 6. & ex eo probatur, quia, quando leges aliquam conſuetudinē tanquam ſimpliciter & abſolutè irrationabilem damnant, hoc ipſo reddunt illam inefficacem ad inducendam præſcriptionem contra legem, ſive (quod in idem recidit) leges ſive jura reddunt inhabiles ad præſcribendum contra legem eos, qui frequentant, & inducunt talem conſuetudinem damnatam: quando autem eſt incapacitas ad præſcribendum in exercente ſeu inducente conſuetudinem, ipſa conſuetudo, etſi immemorialis, non habet vim juſti tituli, quē tribuere non poteſt, niſi ſit capacitas in exercente, ut docet Abb. in c. Quanto. 4. n. 2. h. t. & conſequenter datâ incapacitate in præſcribente, non poteſt procedere

dere præſcriptio, neque ſolus curſus temporis, etſi immemorialis, reddere poteſt capacem eum, qui per ſe eſt incapax, ut tradit Maſcard. de probat. concluſ. 1371. n. 32. & alij DD. communiter.

Et hinc etſi communiter privilegium Principis, & conſuetudo inducta per præſcriptionem temporis immemorialis, in jure æquiparari ſoleant, c. Conqueſtus 8. & ibi gl. v. conſuetudo. cauſ. 9. q. 3. ubi ait, conſuetudo dat privilegium, juncta gl. marg. quæ ait: conſuetudo parificatur privilegio, Innocent. in c. Novit. 13. n. 5. de judiciis: In duobus tamen caſibus plus poteſt privilegium, quàm Conſuetudo immemorialis, ut notat Azor. p. 2. Inſtit. lib. 10. c. 7. q. 2. & gl. ac DD. communiter in c. Cauſam 7. de præſcript. 1. Si quis incapax ſit poſſeſſionis alicuius juris vel poteſtatis, abſque titulo privilegij, tunc enim eſt incapax præſcriptionis etiam Immemorialis, tametſi per privilegium Principis poſſit fieri capax. Sic laici, v. g. jus percipiendi decimas Clericales, nullo unquam tempore præſcribere poſſunt, c. Cauſam. 7. de præſcript. quia incapax poſſidendi, eſt etiam incapax præſcribendi, etſi eius capaces fieri poſſint per privilegiũ Sedis Apoſtolicæ, de quo ſuo loco. 2. Si Conſuetudo jure reprobata ſit tanquam irrationabilis, ſive ſi lex expreſsè ei reſiſtat, talis enim conſuetudo nullo unquam tempore poteſt convaleſcere, cit. c. 1. h. t. in 6. Felin. in c. Accedentes. 11. n. 6. fallent. 3. de præſcript.

Quare regula illa Legiſtarum, *quidquid acquiri poteſt per privilegium Principis, idem quoque poteſt per præſcriptionem ſaltem immemorialem*, limitanda eſt, modò ſit capacitas in præſcribente, abſque privilegij titulo, & conſuetudo ſit legitima, & non reprobata per legem, Felin. c. l. & ibid. Abb. n. 3. tunc enim conſuetudo immemorialis habet præſumptionem tituli, ſeu potiùs eſt inſtar tituli, quia jura tali conſuetudini aſſiſtunt, propter antiquitatem & diuturnitatem temporis, c. Super quibuſdam. 26. de verb. ſignif. l. 1. §. ult. ibid. *vetuſtatem pro lege tenere:* & l. ult. ibi: *auctoritatem vetuſtas daret, licèt jus non probaretur*, ff. de aqua, & aquæ pluv. arcend.

LXX. Ubi tamen notandum 1. Si conſuetudo immemorialis, etſi ei lex reſiſtat, eámque reprobet, præſumpto aliquo titulo nitatur, v. g. diſpenſationis factæ, vel privilegij Apoſtolici conceſſi, per quod perſona capax facta ſit, cuius ſemper aliqua traditio, conſtans fama ſeu perſuaſio fuerit, licèt ob temporis diuturnitatem, privilegium exhiberi non poſſit, ea ſuſtinebitur, beneficio præſumpti tituli ſeu privilegij, & temporis immemorialis, Felin. in cit. c. Cauſam. n. 3. & c. Accedentes. 11. n. 6. de præſcript. Maſcard. cit. concl. n. 32. Laym. cit. c. 24. n. 9. Quamvis autem, ſi cùm curſu ſive uſu immemorialis temporis, bonâque fide, concurrat fama conceſſi privilegij, vel diſpenſationis factæ, illa præbeat titulum coloratum, & inducat præſumptionem tituli, ut dictũ; ita ut poſſeſſor non debeat privari ſuâ poſſeſſione & exercitio; id tamen non procedit, ſi fama falſa ſit, ſive ei nullum privilegium revera ſit cõceſſum, vel nulla diſpenſatio facta; nam tum, ſi de veritate conſtet, ceſſat præſumptio, & conſequenter præſcriptio perfici non poteſt, ſed invalida eſt, cùm perſona verè ſit incapax, Laym. in c. Quanto. 4. n. 3. h. t.

Notandum 2. Si talis Conſuetudo, à lege reprobata, ſit inducta & obſervata, ſciente & tolerante Principe, qui privilegium concedere poteſt, & ſolet, cùm impedire & prohibere poſſet, cenſetur is tacitè conſentire, adeóque conſuetudo valet, quia vim privilegij habet, ſive eſt veluti privilegium tacitè conceſſum, Felin. in cit. c. Accedentes. n. 6. & ibid. Abb. n. 3. Laym. cit. c. 24. n. 9.

Ex quo jam apparet, cur aliquando poſſit aliquid acquiri vel obtineri per privilegium, vel diſpenſationem Papæ, v. g. quod non poteſt acquiri per conſuetudinem etiam immemorialem: nam quia talis conſuetudo, etſi jure poſitivo reprobata, non ita intrinſecè mala eſt, aut juri naturali vel divino repugnat, quò minùs ob peculiares circumſtantias cohoneſtari poſſit, & utilis eſſe, ideo per privilegium vel diſpenſationem S. Pontificis, pro una vel altera vice, ex juſta cauſa, poteſt quidem permitti, etſi jus conſuetudinis induci, vel etiam per legem ſtatui non poſſit, ut tale aliquid ordinariè fiat, aut fieri poſſit, quia id Reipublicæ noxium, aut bonis moribus contrarium foret, ideóque meritò damnatur ac reprobatur. Simile eſt in homicidio v. g. nam non poteſt per ſtatutum decerni, vel per conſuetudinem induci, ut injuſti homicidij, vel latrocinij pœna ordinaria ſit mulcta pecuniaria, quâ ſolutâ, reus ſit liber, quia eſſet Reipubl. noxium, & anſam delinquendi, & injurias inferendi præberet: & tamen poteſt Princeps vel Magiſtratus in certo caſu vitam reo condonare, vel pœnam mortis in aliam mitiorem, v. g. pecuniariam commutare, ut ex Rocho notat Laym. in c. 1. n. 4. h. t. in 6.

LXXI. Poſtremò quædam ſuperſunt hìc addenda & notanda. 1. Quomodo differat conſuetudo legi contraria, deſuetudo, & non uſus. Nam uſus merè negativus eſt, quando non accidit caſus legis, ſeu nulla occaſio eſt legis ſervandæ; deſuetudo eſt, quando accidit quidem caſus legis, ſed omittitur ex ſola negligentia: conſuetudo contraria legi eſt, quãdo occurente caſu legis, ſive occaſione illius ſervandæ, ſit contra legem. Porrò ad legem abrogandam non ſufficit non uſus merè negativus, nam per illum lex nunquam abrogatur, etiamſi per centum vel plures annos non ſervetur, quia nunquam accidit caſus ſive occaſio legis ſervandæ. v. g. ſi per 100. annos nullus natus eſt hermaphroditus, non abrogatur lex decernens, hermaphroditum magis eius ſexûs æſtimandum eſſe, qui in eo prævalet, ut habetur in l. quæritur 10. ff. de ſtatu hom. quia nullus uſus extitit eius legis, Abb. in c. Joannes 7. n. 9. de Cleric. coniug. Sylv. v. conſuetudo. q. 8. Azor p. 1. l. 5. c. 4. n. 2. Itaque ad abrogandam legem requiritur, ut occurrente aliquoties caſu, ſive occaſione legis obſervandæ, contra legem publicè factitatum fuerit, vel poſitivè exercendo aliquem actum à lege prohibitum, vel omittendo actum à lege præceptum; idque non ex ſola negligentia, ſed animo ſaltem interpretativo inducendi contrarium legis, qui dicitur non uſus legis contrarius vel privativus, Salas cit. diſ. 19. ſec. 20.

LXXII. Addendum 2. Sicut lex per contrariam conſuetudinem, ita & hæc per poſteriorem legem continentem clauſulam derogatoriam conſuetudinis præexiſtentis, vel, ſi hanc non habeat, di-

rectè contrariam & repugnantem conſuetudini abrogatur, modò Princeps legem condens ſit conſcius talis conſuetudinis, qui quidem præſumitur ſcire conſuetudines univerſales Eccleſiæ vel Reipubl. non item particularium locorum, arg. c. 1. De conſtitut. in 6. Suar. cit. l. 7. c. 20. n. 3. 5. & 6.

Unde per legem univerſalem Principis non revocantur ſpeciales conſuetudines locorum, niſi in lege earum fiat expreſſa mentio, vel in illa addita ſit clauſula generalis revocatoria conſuetudinis, cum particula diſtributiva, *non obſtante quacunque conſuetudine contrariâ*, Abb. in cit. c. fin. n. 24. h. t. Suar. cit. c. 20. n. 9. Excipi debet conſuetudo immemorialis, quæ non revocatur per legem contrariam continentem ſolùm clauſulâ generalem, etiam additâ particulâ diſtributivâ, *nõ obſtante quacunq; conſuetudine contrariâ*, ſed neceſſe eſt, ut ipſi expreſsè derogetur, Suar. cit. l. n. 18. At verò per ſtatutum civitatis editum contra ſuam propriam conſuetudinem hæc tollitur, quamvis in ſtatuto nulla eius mentio fiat, quia cives ſcire præſumũtur ſuas proprias conſuetudines, Abb. c. l. n. 25. Prædictis non obſtat, quod in l. unic. de feud. cognit. in Libris feudorum dicitur, *legum Romanarum non vilis eſt auctoritas, ſed non adeò vim ſuam extendunt, ut uſum vincant, aut mores*, ergo per leges etiam generales non abrogantur conſuetudines univerſales. Nam ſenſus eſt huius legis: cauſas feudales, non ſecundùm leges ſcriptas Romanorum, vel Longobardorum, ſed ſecundùm Jura conſuetudinis decidendas eſſe, adeóque in materia feudorum ſervandas eſſe proprias conſuetudines, non obſtantibus legibus generalibus aliter diſponentibus, ut ex Baldo notat Suarez. c. l. num. 4.

Denique poteſt etiam conſuetudo antiqua per aliam novam conſuetudinem ipſi contrariam abrogari, generalis per generalem, vel etiam ſpecialem, pro illo loco tantùm, in quo viget. conſuetudo verò ſpecialis tollitur per aliam poſteriorem ſpecialem in eo loco, in quo nova conſuetudo contraria inducitur, nam in diverſis locis non ſunt contrariæ, ſed quælibet in ſuo loco vim legis obtinet; imò etiam ſpeciali conſuetudini derogatur per generalem, ſi hæc extendatur etiam ad illum locum, in quo antea vigebat conſuetudo ſpecialis, quia cùm in conſuetudinibus non habeat locum verbalis clauſula derogatoria, non poteſt conſuetudo generalis derogare ſpeciali, niſi ad illum locum, in quo hæc antea erat, ipſo facto extendatur, Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 10. Suar. cit. c. 20. n. 19.

SECTIO II.

DE NONNULLIS CONSUEtudinibus in ſpecie.

§. I.

De quibuſdam Conſuetudinibus validis, & in ſpecie à Jure Canonico approbatis.

LXXIII. Aſſertio 1. Poteſt in primis conſuetudine introduci, ut non tantùm rei dominium, ſed etiam ejus poſſeſſio, ſinè reali & corporali rei apprehenſione, in alium transferatur, eique acquiratur; prout ſumitur ex c. ex litteris 2. h. t. & ibi Abb. in princ. & Interpretes communiter. Nam alicubi conſuetudo diuturno tempore obſervata fuerat, ut, ſi quis poſſeſſiones aliquas, ſeu bona, v. g. prædium Eccleſiæ, Monaſterio vel alteri loco pio ſeu religioſo, ſive in ſanitate (hoc eſt, inter vivos) ſive per ultimam voluntatem donare vellet, pro remedio ſuorum peccatorum, glebam ſeu pugillum terræ manu acciperet, vel ſuper extremitate pallij, quod manu Prælati, ſeu Rectoris Eccleſiæ ſuſtinebatur, aut ſuper ipſo Altari poneſet, coram pluribus teſtibus videntibus, aut audientibus. Hujuſmodi donationes quidam tanquam invalidas oppugnabant, quia ſolemnitates teſtamenti in ijs non obſervabantur; (ut conſtat ex integra lectione hujus c. apud gl. hic v. Et infra) Conſultus de hac re Papa Innocent. III. reſpondit, ejuſmodi donationes, vigore prædictæ conſuetudinis, factas Eccleſijs, Monaſterijs, vel alijs locis religioſis, ſeu pijs, validas eſſe, & irrevocabiliter obſervandas, cùm hujuſmodi ſignum, quòd vulgò *Scotatio* dicitur (quaſi ſtabilis collatio ſeu firma donatio, Hoſtienſ. hic V. Scotatio) non tantùm factæ donationis, ſivè translationis dominij, ſed etiam traditæ poſſeſſionis ſit evidens argumentum. Ratio eſt, quia quamvis de jure communi ordinariè non poſſit poſſeſſio rei de novo acquiri ſolo animo, ſicut poteſt retineri ſolo animo, ſed requiratur, ut interveniat vera, & corporalis ejus apprehenſio, l. 3. §. 1. ff. de acquirend. poſſeſſ. & l. licèt 4. C. eodem. attamen Jure etiam civili ſtatutum eſt, ut in quibuſdam caſibus poſſeſſiu acquiſita cenſeatur per ſolum actum apprehenſionis fictæ, qui ex juris diſpoſitione ſit ſignum realis traditionis, ſive corporalis apprehenſionis rei, cujuſmodi ſignum eſt, v. g. traditio clavium ad ædes in præſentia earum, l. Clavibus 74. ff. de contrahend. empt. vel traditio inſtrumenti, l. 1. C. de donat. vel annuli, aut gladij, in inveſtitura feudi, præſenti facta à Principe, dummodo alius non ſit in poſſeſſione; Matth. de Afflictis in deciſionib. Neapolitan. deciſ. 299. n. 25. & 29. Cùm ergo per leges tum civiles, tum etiam Canonicas conſtitui potuerit, ut ſinè apprehenſione vera & corporali, per fictam ſolùm apprehenſionem transferatur, & acquiratur poſſeſſio rei; idem ſimili ratione per diuturnam conſuetudinem introduci poterit, juxta cit. c. 2. h. t. quippè quæ vim legis ſcriptæ habet, eique æquiparatur, l. De quibus 32. ff. de legib. maximè verò in rebus Eccleſiaſticis, quando agitur de acquirenda poſſeſſione Eccleſijs & locis pijs, Imola in cit. cap. 2. num. 6.

Porrò per hujuſmodi apprehenſionem fictam, non acquiritur vera & propriè dicta poſſeſſio, ſed ſolùm ficta & abuſiva, Matth. De Afflictis cit. loc. n. 29. quia propriè dicta poſſeſſio in facto conſiſtit, ſive factum requirit, l. 1. in princip. ff. de acquirend. poſſeſſ. quod per jus ſeu legem, ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam, vel per decretum Principis suppleri non poteſt, ita ut verè ſit, quod non eſt, fictio enim etiam legis ſive juris non poteſt tollere naturalem veritatem. Acquiruntur tamen per illam apprehenſionem fictam effectus, & commoda vera & rea-

lis

lis poſſeſſionis, ita ut ficto poſſeſſori competat interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis, cui non poteſt opponi exceptio dominij, non autem ei competit interdictum recuperandæ, cùm poſſeſſionem verè nunquam habuerit, adeóque non poſſit dici eâ ſpoliatus, Marth. de Afflictis cit. loc. n. 29. & 30. Gail. l. 2. obſ. 152. n. 16. & 17.

LXXIV. Notandum 2. Quamvis Eccleſia (vel alius locus pius) habeat hoc privilegium jure communi conceſſum, ut per verbalem ſolùm venditionem, vel donationem acceptatam acquiratur ei dominium rei donatæ, etiam ſinè reali traditione rei, l. fin. C. de SS. Eccleſ. quod tamen privatis non acquiritur, ſinè tradirione poſſeſſionis, l. traditionibus 20. C. de pactis. attamen etiam Eccleſiæ non acquitirur poſſeſſio rei, ſinè traditione & apprehenſione reali, vel ſaltem ficta, per actum aliquem corporalem, qui ſignum ſit traditionis & apprehenſionis rei; idque ex diſpoſitione juris, ſive ſcripti, ſive non ſcripti, & temporis diuturnitate firmati, adeóque etiam Eccleſiæ non acquiritur poſſeſſio rei ei donatæ, per traditionem ſolùm fictam, niſi vi diuturnæ conſuetudinis, ſuper qua text in cit. c. 2. h. t. ſe fundat; nam jure communi ſcripto ſolùm dominium rei, ſinè reali traditione, acquiritur Eccleſiæ, non autem poſſeſſio, Abb. in cit. c. 2. n. 6.

Notandum 3. Si teſtes deponant de objecto ſive actu perceptibili, utroque ſenſu, v. g. viſûs & auditûs, tum neceſſe eſt, ut teſtentur, ſe vidiſſe illud, & audiviſſe, ut colligitur ex cit. c. 2. h. t. ibi; *Sub teſtimonio videntium & audientium ſub dicta forma*, quia nimirum in caſu hujus c. teſtes deponere debent, ſe vidiſſe pugillum terræ impoſitum fuiſſe Altari, recipiente Parocho, & audiviſſe pronunciari conſuetam verborum formulam: v. g. *Trado Eccleſiæ poſſeſſionem prædij, cum juribus ſuis*: Teſtis enim debet deponere de eo, quod ſenſu, ſive viſûs, ſive auditûs, ſive alio percepit, unde & cæcus, quòd loquentem audiverit, & ſurdus, quòd aliquid facientem viderit, teſtari poteſt; & ſpeciale eſt, quòd teſtis teſtamentarius debeat videre teſtatorem, alioquin non valet teſtamentum, l. Si non 9. C. de teſtam. id enim ad majorem ſecuritatem ſtatutum eſt, Abb. in cit. c. 2. n. 4. & 5. h. t.

LXXV. Aſſertio 2. Præterea non eſt reprobanda, ſed valida conſuetudo, ſi alicubi canonicè præſcripta ſit, quòd Epiſcopus in inquirendis, puniendis & corrigendis ſubditorum exceſſibus ſeu criminibus, Capituli ſui conſilium requirere non teneatur, prout habetur in c. Non eſt 3. h. t. in 6. cùm tamen aliàs, ſpectato Jure communi, conſilium Capituli Cathedralis adhibere teneatur, c. Novit 4. & c. Quanto 5. de his quæ fiunt à Prælat. ſinè conſen. Capit. & c. 1. de exceſſib. Prælat. dummodo tamen Epiſcopus talem conſuetudinem, quam allegat, etiam probet, gl. hìc. V. allegat. Deinde requiritur, ut talis conſuetudo ſit canonicè, ſive legitimè præſcripta, videlicet tempore 40. annorum, cum bona fide & titulo colorato ſeu præſumpto, vel ſinè titulo tempore immemoriali, gl. in cit. c. Non eſt. V. Canonicè. & Joan. Andr. n. 4. nam cùm hoc caſu Jus commune Canonicum reſiſtat Epiſcopo, aſſiſtat verò Capitulo, quippe quod præcipit, ut Epiſcopus negotia Eccleſiæ ſuæ, cum Capituli Cathedralis conſilio, tractet & expediat, ideo præter bonam fidem, 40. anni cum titulo, ad præſcribendum requiruntur, vel tempus immemoriale ſinè titulo, utpote quod inſtar tituli eſt, ſi adſit capacitas in præſcribente, juxta c. 1. de præſcript. in 6. & ibi gl. V. Epiſcopum.

LXXVI. Non ſolùm autem in caſu prædicto, ſed etiam in alijs negotijs, quæ, ſpectato Jure communi, non niſi cum conſilio, vel etiam conſenſu Capituli, expediri poſſunt, ac debent, poteſt Epiſcopus, vel alius Prælatus, vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ, obtinere, ut ſolus illa expedire poſſit, c. Ea noſcitur 6. de his quæ fiunt à Prælat. &c. etiamſi ea negotia ardua ſint, ſeu gravis momenti, cujuſmodi eſt v. g. depoſitio Abbatis & Præpoſiti Epiſcopo ſubjecti, Joan. Andr. in cit. c. Non eſt. n. 3. & Probus ibid. v. non procedit, contra Joan. Monachum. nam lex ſive civilis, ſive Canonica generaliter lata, generaliter intelligi debet, nec ſinè neceſſitate eſt reſtringenda, l. De pretio 8. ff. de Publiciana, & c. Solitæ 6. de majorit. & obed. nulla verò in propoſito eſt neceſſitas alicujus reſtrictionis, cùm pro locorum aut perſonarum circumſtantijs, æquè vel etiam magis expedire interdum poſſit, ut cauſæ etiã arduæ, non cum Capitularium, ſed cum aliorum prudentûm conſilio, ab Epiſcopo tractentur & definiantur, ergo conſtitutio hæc Canonica generaliter & ſinè diſtinctione approbans conſuetudinem, vi cujus Epiſcopus negotia ſolus, ſinè conſilio vel conſenſu Capituli, expedire poteſt, non debet limitari & reſtringi ad negotia non gravia, ſeu levia, Layman. in cit. c. Non eſt. n. 1.

Sed dicet quiſpiam, cùm lex hæc Canonica de expediendis negotijs ab Epiſcopo, cum conſilio Capituli, ſit rationabilis & Eccleſiæ utilis, ſequitur, conſuetudinem ei directè oppoſitam nec rationabilem eſſe, nec Eccleſiæ utilem, ac proinde non poſſe tollere legem Canonicam, ad quod requiritur, ut conſuetudo ſit rationabilis, c. ult. h. t. Ad hoc reſpondetur, quaſdam leges, ſive civiles, ſive Canonicas eſſe rationabiles, & ob bonas rationes conſtitutas, non tamen ita, quin etiam oppoſitum earum poſſit eſſe rationabile, & utile, ob alias rationes ſive conſiderationes, imò etiam utilius, ob mutatas circumſtantias, & qualitates perſonarum & locorum, ut ſuprà etiam dictum num. 30. Et tales leges per contrariam diuturnam conſuetudinem abrogari poſſunt, ut patet ex cit. c. Non eſt, & cit. c. ult. h. t. Non item eæ leges, præſertim Canonicæ, quæ ita manifeſtè rationabiles ſunt & utiles Eccleſiæ vel Reipublicæ, ut earum abrogatio, & contraria obſervatio, ſive conſuetudo, abſolutè loquendo, cederet in grave damnum Reipublicæ, adeóque irrationabilis foret. Ex priorum autem legum numero cenſeri debet ea, quæ eſt de requirendo Capituli conſilio: ſiquidem fieri poteſt, ut in aliqua Diœceſi utilius ſit ad negotia tractanda non adhiberi conſilium Capitularium, ſed ut cum aliorum conſilio faciliùs expediri poſſint, Laym. in cit. c. Non eſt, num. 1.

Porrò ex dictis patet, quòd per conſuetudinem rationabilem & legitimam tolli & abrogari poſſit ſolennitas ſive conditio, etiamſi ex juris poſitivi diſpoſitione ad valorem alicuius actûs neceſſariò re-

quiratur,ut in propoſito,conſiliũ Capituli in tractãdis negotiis ab Epiſcopo,quia ea, ſecundùm ſe & ex natura rei,non pertinet ad intrinſecam ſubſtantiam ſive eſſentiam actûs,ſed ſpectato Jure naturali, ſolus Epiſcopus auctoritatem habet & poteſtatem expediendi omnia negotia, prout ſumitur ex cit. c. Non eſt,& indicat gl.fin.ibid. Excipi tamen debet, quòd non valeat conſuetudo,ut bona Eccleſiaſtica liberè, & ſinè conſenſu Capituli,alienari poſſint ab Epiſcopo,vel alio Prælato, etiam in caſu alioquin licito, quia talis conſuetudo noxia eſt, & non poteſt non cedere in grave detrimentum Eccleſiæ,nec apparet, quomodo cohoneſtari poſſit,& damnum hoc, quod inde Eccleſiæ provenire poteſt, reſarciri, gl. in Clement. 2. communiter recepta v.conſentiente in fine de rebus Eccleſ.alien.& alij ibid.Franc. in cit. c.Non eſt.n.2.h.t.in 6.

LXXVII. Aſſertio 3. Valet quoque conſuetudo in aliqua Eccleſia introducta, qua antiquiores Canonici meliores præbendas in Eccleſia ſua vacantes ſibi optare, ſive eligere poſſint, non obſtante mandato Papæ alicui conceſſo, ut de præbenda proximè ibi vacaturâ ipſi provideatur, prout habetur ſtatutum in c.ult. h.t. in 6. Nam Pontifex mandavit Titio v. g. provideri de præbenda proximè vacaturâ in Eccleſia Bononienſi, conſtituto Executore Caio; vacante poſtea præbendâ,cùm executor procedere vellet ad conferendum, obiecerunt Canonici,in Eccleſia illa hanc eſſe conſuetudinem,ut antiquiores Canonici (non ætate,ſed tempore,quo in Canonicos ſunt recepti, gl. hic. v.antiquiores, ubi addit,idẽ fore,ſi conſuetudo eſſet,ut antiquiores ætate, vel maiores Ordine optare poſſent) vacantes præbendas optare ſeu eligere, & ſuâ relictâ, acceptare poſſint,per ſe vel per alios (iuxta reg.jur. 68.in 6.) & quidem gradatim, id eſt, ſi primus ex antiquiorib⁹ optare ſeu mutare,vel pro optata ſuam relinquere nollet, tum jus optandi ad ſecundum pertineret, & hoc nolente optare, ad tertium, & ſic deinceps, gl.ibid. v.gradatim. Ad hoc reſpondit Bonifacius VIII. Canonicos antiquiores, iuxta eandem conſuetudinem,poſſe optare meliores præbendas,cùm vacant (quamvis etiam optare poſſent non vacantes, ſi talis conſuetudo alicubi vigeret, ſecundùm gl.ibid.v.cùm vacant) non obſtante mãdato Apoſtolico de providendo beneficio vacaturo. Quare Titio, pro quo ſcriptum fuit,eam præbendam conferendam eſſe,quæ optata non fuerit, ſive quæ poſt Canonicorum optiones remanſerit, modò alteri (qui fortè priùs tempore eam impetravit, gl.ibid. v. nulli) debita non ſit. Ratio huius deciſionis eſt,quia Papa per mandatum de providendo non cenſetur velle derogare laudabili conſuetudini alicuius Eccleſiæ,vel alterius loci, niſi id exprimat; ut ſi adjiciat clauſulam derogatoriam, v.g. conferatur Titio beneficium vacans, vel quod proximè vacaturum eſt,non obſtantibus conſuetudinibus, eâ præſertim, quod nullus poſſit habere præbendam maiorem,niſi priùs habuerit minorem; quia hoc caſu derogatur conſuetudini optandi, cùm expreſsè mandetur provideri de maiore præbenda, & quia aliàs gratia eſſet nulla,cùm aliam,quàm maiorem habere non poſſit,vi illius mandati,iuxta c.Cui de non. 27.de præbend.in 6.Franc. in cit.c.ult.n.4.h.t. Nititur autem prædicta conſuetudo naturali æquitate, ideóque tanquam rationabilis à Papa fuit approbata, æquum enim eſt, ut,qui diutius Eccleſiæ ſervierunt,maiore honore afficiantur,gl.in cit. c.ult. v.antiquiores,arg.c.Statuimus.8.diſ.61.ubi gl.v.novi,ait, Seniores in Eccleſia ſemper præponendi ſunt junioribus, in electione, in reſponſione, in ſubſcriptione.

Non obſtat, quòd beneficium Eccleſiaſticum non poſſit licitè, ſinè canonica inſtitutione, obtineri,reg.jur.1.in 6.neque à ſeipſo poſſit quis præbẽdam accipere,nemine ei conferente. c. ult. de inſtitution. Nam quando fit optio ab jis,qui in eodem Collegio ſunt, non cenſetur fieri nova collatio aut inſtitutio, quia non mutatur jus ſpiritualis tituli ſive Canonia, ſed optans,vigore tituli Canonicalis, & conſuetudinis optandi receptæ, ſinè nova collatione vel titulo, dimittit antiquam præbendam,& recipit novam,quę conſiſtit in rebus merè temporalibus, videlicet aliis agris,vineis,domo &c. Joan.Andr.in cit.c.ult. n.2.& Franc.n.6.

LXXVIII. Porrò hæc conſuetudo optandi non habet locum in ijs beneficiis,quæ apud Sedem Apoſtolicam vacant,ſi de ipſis per Romanum Pontificem Ordinatio,ſive proviſio fiat,prout habetur, in cit.c.ult.§.In præbendis verò h. t. habet tamen locum optatio, ſi Papa intra tempus definitum,videlicet menſem,omittat conferre beneficia in Curia vacantia,ideóque eorum collatio deferatur ad inferiorem Ordinarium Collatorem, iuxta c.Statutum. 3.de præbend. in 6.gl.in cit.c.ult.v.ordinatur.Franc. ibid. §.In præbendis. n. 5. ſicut & locum habet in beneficiis, quæ devolvuntur ad Papam, ob negligentiam inferiorum intra 6.menſes non conferentium, quia devolutio eorum fit, retentâ eorundem naturâ & qualitate, & talia beneficia confert Papa jure ordinario, non ex plenitudine poteſtatis, Joan. Andr. in cit.c.ult.n.3.& ibid.Franc.§.In præbendis,in fine,ubi tamen addit ex Dominico, id intelligendum eſſe, quando habens facultatem optandi ignoravit vacationem,alioquin enim,ſi notitiam habuit vacationis beneficij, poſt 20. dies optare non poſſet, iuxta ea, quæ mox dicentur.

LXXIX. Denique ne prætextu eiuſdem conſuetudinis, proviſiones auctoritate Apoſtolicâ faciendæ nimis diu differantur, ideo optare volentes meliorem præbendam intra 20. dies id facere debent, quibus elapſis, executor à Papa deputatus ad exequendum mandatum Apoſtolicum procedere debet, non obſtante prædictâ conſuetudine, prout habetur in cit.c.ult. §. fin.h.t. in 6. Etſi verò hoc tempus 20. dierum ab initio ſit utile, Ita,ut non currat,niſi à tempore ſcientiæ,ut tradit gl.ibid.v.20. dies; in progreſſu tamen eſt continuum, & computatur de momento ad momentum,Franc.ibid. §. Ne autem. Intelligitur verò dilatio dierum data, non diſtributivè ſingulis, ſed collectivè omnibus, ita ut omnes Canonici, ſi velint, intra 20. dies optare debeant,alioquin ſequeretur,quòd ſi eſſent 20. Canonici, & ſinguli haberent 20.dies ad optandum, per integrum annum, vel ultra expectandum foret,quod eſt contra mentem litteræ illius c. ubi in plurali dicitur, *optare volentes per 20. dies duntaxat exſpectentur,* gl.ibid.v.duntaxat & Franc.

LXXX. No-

LXXX. Notandum hîc præterea 1. etiam per ſtatutum decerni poteſt, ut Canonici vacantes præbendas optare poſſint, ut tradit gl. in cit. c. ult. h. t. in 6. V. conſuetudo in fine. Ratio eſt, quia optare vacantes præbendas meliores non eſt contra Jus commune Canonicum, ſed ſolùm præter illud, cùm de poteſtate hac nihil in eo ſtatutum reperiatur, poteſt autem Epiſcopus, cum Capitulo, ſtatuere ea, quæ non adverſantur SS. Canonibus, & utilia ac honeſta ſunt.

LXXXI. Notandum 2. Ad inducendam talem conſuetudinem optandi præbendas vacantes ſufficit tempus longum, ſcilicet 10. annorum, ſecundùm gl. in cit. c. ult. v. conſuetudo, dummodo optatio intra id tempus repetatur, & ſæpius fiat, ita, ut mos ſeu conſuetudo Capituli cenſeri poſſit; nam per talem conſuetudinem non derogatur Eccleſiæ, cùm non ſit contra Jus, ſed ſecundùm Jus, alioquin requirerentur ad eam inducendam & præſcribendam 40. anni, gl. c. l. v. conſuetudo.

LXXXII. Notandum 3. Hæc conſuetudo non habet quoque locum in beneficiis reſervatis Papæ, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, motu proprio, quia inferiores ſicuti per legem, ita & per conſuetudinem introductam juri ſuperioris, videlicet Papæ præjudicare non poſſunt, arg. c. inferior 4. diſ. 21. & c. Innotuit. 20. de elect. & per reſervationem tollitur omnis poteſtas conferendi, & conſequenter etiam optandi, quæ continetur ſub generali nomine proviſionis, Franc. in cit. c. ult. n. 6. Azor p. 2. l. 6. c. 26. q. ult. Garc. p. 5. de benefic. c. 1. n. 450. Barboſ. in collect. in cit. c. ult. n. 16. Neque etiam locum habet in beneficiis patronatis, Barb. c. l. n. 19.

His adde, quòd neque in beneficiis vacantibus ex cauſa permutationis locum habeat optatio, ut eſt communis opinio DD. teſte gl. magna in cit. c. ult. arg. Clement. unic. de rer. permut. ubi dicitur, quòd beneficia ex cauſa permutationis reſignata aliis conferri non poſſint, quàm permutantibus, alioquin collatio aliis facta ſit irrita. Verùm contrarium tenet Joan. Andr. in cit. c. ult. n. 2. quia in dicta Clement. irritatur quidem collatio in beneficiis permutatis, non autem optatio, quæ novâ collatione indigere non cenſetur, ſed antiquior Canonicus præbendam ſibi eligit, quam ſibi conferre non poſſet, c. fin. de inſtitut.

Sed rectiùs diſtinguit Laym. ibid. n. 4. vel enim permutantur ipſa beneficia, ſive Canonicatus inter ſe, ſive, quod in idem recidit, ipſæ præbendæ, quatenus annexæ ſunt certis Canonicatibus, vel beneficiis, & tunc optio nec per ſtatutum, nec per conſuetudinem introduci poteſt, niſi per tempus immemoriale, vel 40. annis cum titulo, quia Jus Canonicum reſiſtit. Vel permutantur tantùm præbendæ temporales inter ſe, & tunc per ſtatutum vel conſuetudinem introduci poteſt, ut antiquior Canonicus, quaſi jure quodam retractûs, præbendam permutatam optare poſſit, ne alioquin accidat, ut junior meliorem præbendam habeat, quàm ſenior: quamvis antiquior etiam minorem ſeu minùs pinguem præbendam forte ob cauſam aliquam ſibi magis gratam, optare poſſit, gl. in cit. c. ult. v. meliores.

LXXXIII. Notandum 4. Hæc conſuetudo optandi non poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, ut docet Rota Romana in deciſ. ult. h. t. in 6. in novis, nam in ijs, in quibus non eſt certus numerus Canonicatuum, nec diſtinctio aliqua præbendarum, vel certus quidem numerus Canonicatuum, ſed non præbendarum diſtinctio, non poteſt eſſe locus optioni, (niſi interdum quoad domum Canonicalem defuncti) quia in talibus Eccleſiis nullæ ſunt præbendæ vacantes; præbenda autem non vacans optari non poteſt, cit. c. ult. ibi: *cùm vacant:* juncta gl. v. eodem h. t. in 6. In quibuſdam verò Eccleſiis & Canonicatuum certus eſt numerus, & præbendarum actualis diſtinctio: idque dupliciter fieri poteſt, 1. ut ſingulæ præbendæ non ſint annexæ certis Canonicatibus; & hoc caſu per ſtatutum vel conſuetudinem per decennium obſervatam optio introduci poteſt, quia in his Eccleſiis Canonicus optans novam præbendam non mutat titulum beneficialem, ſed ſolùm præbendam temporalem, quæ in agris, vineis &c. conſiſtit, quod non eſt contrarium Juri Canonico; & de hac conſuetudine optandi agitur in cit. c. ult. prout ibid. obſervat gl. v. conſuetudo. 2. Ut præbendæ certis Canonicatibus ſint annexæ, iiſque correſpondeant; tum verò optio fieri non poteſt ſine mutatione tituli beneficialis, ideóque non niſi per præſcriptionem 40. annorum cum titulo, vel ſine eo, tempore immemoriali, talis conſuetudo optandi introduci poteſt, quia Jus Canonicum eiuſmodi optioni reſiſtit, gl. c. l. Rota c. l. & Laym. in cit. c. ult. n. 2. & 3.

LXXXIV. Notandum 5. Etiamſi Canonici longo tempore, videlicet per 10. vel etiam 40. annos, nullam optionem faciant, non ideo amiſſa eſt conſuetudo optandi, ſi nulla occaſio ſe obtulit, quia nulla præbenda vacavit, Joan. Andr. in cit. c. ult. n. 1. & ibid. Laym. n. 4. Imò licèt Canonici longo tempore non optent, etiam oblatâ occaſione optandi, per ſe conſuetudinem optandi per non uſum non amittunt, niſi apertè conſtet, ideo oblatâ occaſione, habentes facultatem eâ non uti, quia juri ſuo renunciare, ſive à conſuetudine vel privilegio recedere velint. Secus eſt, ſi jus agendi alteri oneroſum, vel cum eius præjudicio conjunctum ſit, tunc enim per non uſum ſaltem 30. annorum tale jus extinguitur, ſicut omnes aliæ actiones, Felin. in c. Cùm acceſſiſſent 8. n. 26. & 27. de conſtitut. Joan. Andr. in cit. c. ult. in princip. & ibid. Laym. n. 5.

§. II.

De pluribus Conſuetudinibus invalidis, & à Jure Canonico ſpecialiter prohibitis, ac reprobatis.

LXXXV. Aſſertio 1. Illæ inprimis conſuetudines, quæ per ſe, ac directè magnum gravamen inferunt Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis, irritæ ſunt & declarari debent; ſumitur ex c. 1. h. t. & ibi gl. v. conſuetudines, Abb. in princip. & alij Canoniſtæ pleríque. Vel Judicis Eccleſiaſtici officio tollendæ ſunt, ſi ab initio conſuetudines huiuſmodi non fuerunt multùm oneroſæ Eccleſiis, ſed ex poſtfacto non modicum gravamen intulerunt. Ut ſi v. g. ruſtici recuſent ſolvere decimas Eccleſiæ, niſi priùs parochus

Digitized by Google

chus ipſis aliquod munus dederit, Abb. in cit. c. 1. n. 1. & 2. Azor p. 1. Inſtit. lib. 5. c. 19. §. Conſuetudo, quæ Eccleſijs. Ratio eſt, quia ſicut leges & ſtatuta, quibus Eccleſijs aut perſonis Eccleſiaſticis per ſe ac directè non modicum gravamen imponitur, irritæ ſunt, c. Quæ in Eccleſiarum 7. & c. Eccleſia 10. de conſtitut. ita & conſuetudines, quæ per ſe ac directè in notabile gravamen Eccleſiarum aut ſtatûs Eccleſiaſtici ſunt introductæ; quia conſuetudo etiam eſt lex, ſive jus moribus conſtitutum, & pro jure ac lege obſervari ſolet, l. De quibus 32. & l. ſeq. ff. de legib. ideóque non minùs juſta & rationabilis eſſe debet, nec contra utilitatem Eccleſiæ, quàm lex. Secus eſt, ſi conſuetudo aliqua ex juſta cauſa, per ſe directè & principaliter inducatur, ob bonum commune & publicum, quamvìs ſecundariò, indirectè & in conſequentiam etiam aliquod gravamen inferat Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis, ea tollenda non eſt, quia de hujuſmodi conſuetudine hîc non eſt ſermo, Barboſ. in cit. c. 1. n. 4. in fine.

» Sed neque S. Pontifex, aliíque Prælati Eccle-
» ſiaſtici debent Eccleſias, aut Clericos ſibi ſubjectos
» indebitè gravare, ſinè neceſſitate, petendo, aut ac-
» cipiendo, ab ijs ſubſidium, ſed decet eos conſue-
» tudines, quæ gravamen illis imponunt, remitte-
» re, cit. cap. 1. Secundùm alium ejus intellectum, ex S. Gregor. deſumptum apud Laym. hîc n. 1.

Cæterùm edita eſt ab Urbano VIII. die 5. Junij 1641. nova Conſtitutio, quæ incipit, Romanus Pontifex, in qua reprobantur & irritæ decernuntur, non ſolùm Conſuetudines Eccleſijs, ſed etiam perſonis Eccleſiaſticis, earúmque juribus, bonis, & fructibus præjudiciales, cujus compendium ſeu ſummam refert Fagnan. in c. 1. n. 60. & ſeqq. h. t. ubi in §. nec non reliqua, improbantur & annullantur hujuſmodi præjudiciales conſuetudines & præſcriptiones, etiamſi ſint temporis immemorialis, & cum prætenſa fama privilegij Apoſtolici; ídque ob eam rationem, quia, cùm privilegia hujuſmodi conſueverint in ſcriptis expediri, eò ipſo probatur, non eſſe conceſſa, ſi de earum approbatione & confirmatione Apoſtolica non conſtet ex Regiſtris Apoſtolicis, aut ex Originalibus, vel tranſumptis exhibitis, Fagn. c. l. num. 57.

LXXXVI. Aſſertio 2. Conſuetudo, etiam temporis immemorialis, ſecundùm quam Principes & Magiſtratus ſeculares, propriâ auctoritate, Eccleſijs vel perſonis Eccleſiaſticis tributa & collectas imponunt, aut vectigalia ab eis exigunt, non valet, ſed eſt damnata & reprobata à Jure Canonico, c. ult. h. t. & ibi Abb. n. 5. ubi ait, quòd conſuetudo contra libertatem Eccleſiæ non teneat, c. Quamquàm 4. de cenſib. in 6. & patet etiam ex ſupra cit. Conſtitut. Urbani VIII. Quin imò neque per conſuetudinem introduci poteſt, ut Clerici ſolvant collectas ex bonis ſuis, etiam patrimonialibus, quia hoc quoque eſt contra Eccleſiaſticam libertatem, c. Non minùs 4. & c. Adverſus 7. de immunit. Eccleſ. Abb. in c. Maſſana 56. n. 6. de elect. Idque probatur 1. à priori, quia imponere collectas & tributa, vel exigere vectigalia eſt indubitatè act⁹ juriſdictionis, qui non niſi in ſubditos exerceri poteſt, & competit ſolis ſummis Principibus & Rebuspublicis, quæ Superiorem non agnoſcunt, nam exactio vectigalium & impoſitio collectarum inter Regalia numerantur, ut patet ex tit. 56. quæ ſunt Regalia, l. 2. Feudor. quæ non niſi ſupremo Principi ſunt reſervata, alijs verò inferioribus Principibus non niſi ex privilegio, & conceſſione Imperatoris, vel alteriusPrincipis ſupremi competunt, ut ex communi DD. ſententia docet Molina, tract. 5. de juſtit. diſ. 6. n. 1.

Et quòd talia tributa exigantur & imponantur vi ſolius juriſdictionis, vel ex eo etiam clarè patet, quia non imponuntur vi dominij proprietatis, cùm hoc dominium non ſit penes Principem, ſed ad ſubditos ſpectet, loquimur enim hîc non de bonis feudalibus & emphyteuticis, ſed de allodialibus, ſive proprijs, quæ pleno jure dominij proprietatis & uſusfructûs ad ſubditos pertinent, & de quibus liberè diſponere poſſunt, eáque alienare, etiam ſinè conſenſu Principis, cujus juriſdictioni territoriali ipſi ſubditi, eorúmque bona ſubjiciuntur; & ideo ſunt collectis & tributis obnoxij ipſi, & bona eorum, quæ ſunt acceſſoria perſonis. At verò Principes & Magiſtratus ſeculares (ſecluſo ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ) ſunt omnino incapaces omnis juriſdictionis exercendæ in Clericos, cùm juriſdictio Eccleſiaſtica, ſive exercenda in Clericos, eorúmque bona, ſit intrinſecè, & ex objecto ſuo ſpiritualis; laici autem ſunt incapaces juris ſpiritualis, c. 2. de judicijs, ac proinde per ſolam conſuetudinem, etiam immemorialis temporis, nullam juriſdictionem in Clericos, vel eorum bona acquirere poſſunt, quia incapax poſſidendi, eſt etiam incapax præſcribendi, c. Cauſam 7. & ibi gl. V. Detinere de præſcript. ubi habetur, quòd laici nullâ ratione poſſunt præſcribere decimas, quia non poſſunt eas detinere, ſeu poſſidere: ſinè poſſeſſione autem nulla procedit præſcriptio, l. Sinè 25. ff. de uſurpat. & uſucap. & per conſequens etiam ſinè poſſeſſione nulla poteſt conſuetudo introduci, quæ legitimè præſcripta eſſe debet, c. ult. h. t.

Probatur 2. à poſteriori, nam Inprimis contra Jus divinum nulla poteſt dari præſcriptio, nec quidem temporis immemorialis; at verò *Eccleſiæ Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm Jure humano, quin & divino à ſecularium perſonarum actionibus ſunt immunes*, c. Quamquàm 4. de cenſib. in 6. Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 20. de reform. ubi ait, *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus eſſe conſtitutam.* Deinde etiam contra Jus poſitivum, ſive humanum, per nullam conſuetudinem etiam immemorialem præſcribi poteſt, præſertim contra Jus Canonicum, quando Jus poſitivè reſiſtit tali conſuetudini, eámque damnat & reprobat tanquam irrationabilem, vel adverſantem Religioni, aut libertati ſeu immunitati Eccleſiaſticæ, quia talis conſuetudo valere non poteſt, Abb. in c. ult. n. 5. h. t. Quemadmodum utroque Jure Civili & Canonico damnantur conſuetudines, quæ ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, & in ſpecie conſuetudo, per quam hujuſmodi exactiones ab Eccleſijs & Eccleſiaſticis perſonis fiunt, *corruptela potiùs dicenda eſt*, Authent. Caſſa. C. de SS. Eccleſijs. cit. c. Quamquàm. quin imò etiam in SS. Canonibus vocatur, *deteſtabilis malignorum audacia, & inſolentium nefaria temeritas*, c. 1. de immunit. Eccleſ. in 6. Cùm ergo omnes collectæ & exactiones,

quas

quas ſeculares Domini & Magiſtratus Clericis, & eorum bonis propriâ auctoritate imponunt, à Generalibus & Oecumenicis Concilijs, & SS. Pontificibus, imò etiam ab Imperatoribus in Jure Cæſareo ſint prohibitæ, damnatæ ac reprobatæ, in c. Non minus 4. & c. Adverſus 7. de immunitat. Eccleſ. & cit. c. 1. eodem in 6. Auth. item nulla C. de Epiſcopis & Clericis, ſequitur, quòd per nullam conſuetudinem contrariam; quantumvis temporis immemorialis, poſſint cohoneſtari, aut licitæ, vel validæ fieri.

LXXXVII. Aſſertio 3. Non poteſt conſuetudine introduci, ut, ſi cauſæ etiam Eccleſiaſticæ decidendæ ſint, auditis utriuſque partis allegationibus & querelis, à quibuſcunque præſentibus, litteratis & illiteratis, ſapientibus & inſipientibus, ſive minùs ſapientibus, quid juris ſit, quæratur, & quod illi reſponderint, vel aliquis eorum, pro ſententia habeatur, eique ſtetur: talis enim conſuetudo non valet, quia rationabilis non eſt, & Canonicis adverſatur inſtitutis, cùm ſententia à non ſuo Judice lata, ſive ab eo, qui juriſdictionem non habet, nullam obtineat firmitatem. Quare eâ conſuetudine non obſtante, Epiſcopus loci in cauſis Eccleſiaſticis ſubditorum ſuorum ſententiam ferre, & ſecundùm merita earum, & ſicut ratio poſtulaverit, eas definire poteſt, ac debet, prout Innocent. III. reſpondit Epiſcopo Pictavienſi in c. Ad noſtram 3. h. t. ubi idem Papa facultatem conceſſit Epiſcopo ſententiam proferendi, non obſtante conſuetudine, id eſt, jure conceſſam declaravit, Joan. Andr. ibid. num. 6. Porrò non prohibetur hîc, quin à pluribus requiratur ſententia, quia faciliùs invenitur, quod à pluribus ſenioribus, id eſt, ſapientibus quæritur, c. De quibus 3. & ibi gl. V. Seniores diſ. 20. Imò & illiterati quandoq; habent cauſarum peritiam per uſum quotidianum, l. Certi juris 17. C. de judic. ſed hoc ſolùm hîc reprobatur, quòd eorum reſponſum pro ſententia teneatur, cùm tamen ſententia à non ſuo judice lata ſit nulla, c. Etſi Clerici 4. de judic. l. 1. C. ſi à non competente Judice, &c. gl. in cit. c. Ad noſtram V. Quæritur h. t.

LXXXVIII. Similiter neque conſuetudo valet, ut cauſæ civiles decîdi debeant, ſecundùm conſilium aut ſententiam populi, Innocent. in cit. c. Ad noſtram in fine, & Joan. Andr. n. 5. nam quamvìs populus poſſit diuturno tempore præſcribere immunitatem à ſubjectione, contra Superiorem ſeu Magiſtratum, ita, ut deſinat ei eſſe ſubjectus: non tamen poteſt, dum ſe ſubjectum profitetur, per conſuetudinem ſeu præſcriptionem tollere ea, quæ ad juriſdictionem ſeu poteſtatem gubernativam Superioris ſeu Magiſtratûs intrinſecè & neceſſariò requiruntur; v. g. ut legibus & præceptis non teneatur, ut à Superiore nunquam judicetur, vel puniatur, &c. & colligitur ex c. Cùm non liceat 12. de præſcript. & ibi Abb. n. 13. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 1. c. 8. n. 6. Si autem in Diœceſi vel Provincia Epiſcopus vel Princeps debeat judicare, ſecundùm ſententiam Cleri vel populi ſibi ſubjecti, tunc tollitur poteſtas gubernativa Epiſcopi vel Principis, ergo id conſuetudine introduci non poteſt, talis enim conſuetudo bono communi incommodat, & periculum injuſtitiæ continet, atque aliena eſt à SS. Canonibus, quibus Epiſcopo velut Judici ordinario juriſdictio in cauſis Eccleſiaſticis conceſſa eſt, ſicut Magiſtratui ſeculari in cauſis civilibus.

LXXXIX. Aſſertio 4. Nulla conſuetudine, quamvìs immemoriali, inferiores Clerici, etiam Presbyteri, non Epiſcopi, acquirere vel præſcribere poſſunt, ut præſtent vel exerceant ea, quæ ſunt propria Ordinis Epiſcopalis, ſed talis conſuetudo eſt ipſo jure invalida, & nullius momenti; ſumitur ex c. Quantò 4. h. t. & ibi Abb. in ſumma, & alij Canoniſtæ communiter, Azor p. 1. l. 5. c. 29. §. Conſuetudo, quâ Presbyteri. Quare ſi in quibuſdam locis ſimplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis, (quod ab Apoſtolorum tempore ſolis Epiſcopis eſt reſervatum) fidelibus miniſtrare præſumant, ſolam conſuetudinem in ijs locis vigentem prætendentes & allegantes, per hoc factum eorum non excuſatur, ſed Presbyteris hujuſmodi ſeverè prohiberi debet, ne in poſterum id ſimili temeritate facere audeant: nam quamvìs ſacramenta à fidelibus non ſint contemnenda; tutius tamen eſt (ſi Epiſcopus haberi non poteſt) ea ſacramenta ſinè periculo ex neceſſitate (quæ legem non habet, ſive legi non eſt ſubjecta) omnino omittere; quàm ab ijs, quibus ea conferre non licet, cum temeritate (quæ lege damnata eſt) inaniter ea conferri, & recipi: cùm per talem collationem ſeu adminiſtrationem umbra tantùm ſacramenti oſtendatur, veritas autem non ſubſit in effectu; ſive omni effectu careat, ita expreſsè habetur in cit. c. Quantò, qui eſt caſus illius c. Ratio deciſionis eſt, quia, qui non eſt capax actuum, per quos præſcribere debet, nunquam poteſt præſcribere, ſive uſucapere, incapax enim poſſeſſionis, eſt etiam incapax præſcriptionis, cùm ſinè poſſeſſione non procedat præſcriptio, c. Cauſam 7. de præſcript. & reg. 3. in 6. ſed omnes Clerici inferiores, etiam Presbyteri, non Epiſcopi, ex divina lege, ſeu inſtitutione non ſunt capaces conferendi Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis, cùm miniſter ordinarius conferendi Sacramentum Confirmationis & Ordinis ſit ſolus Epiſcopus, Concil. Trid. Seſſ. 7. can. 3. & Seſſ. 23. can. 7. & conſtat ex uſu & traditione Eccleſiæ; inferiores verò id poſſint ſolùm ex conceſſione ſpeciali ſive delegatione Juris, vel S. Pontificis, juxta communem ſententiam DD. quam praxis Eccleſiæ confirmat: Ergo, etiamſi per longiſſimum & immemoriale tempus Clerici inferiores, non Epiſcopi, hos actus exerceant, nunquam eas poteſtates poſſunt acquirere, ſive præſcribere, quia ſola conſuetudo non facit aliquem capacem, qui ſecundùm ſe eſt incapax, Abb. in cit. c. Quantò. num. 2. quamvìs poſſint ab inferioribus Clericis per diuturnam conſuetudinem, acquiri & præſcribi, quæ ſunt dignitatis, ſive juriſdictionis Epiſcopalis propria, quia horum ſunt capaces, c. Auditis 15. & c. Cùm olim 18. de præſcript. Abb. & Azor locis citt.

XC. Porrò non ſolùm ea, quæ ex divina lege ſeu inſtitutione ſunt propria Ordinis Epiſcopalis, eique reſervata, per conſuetudinem etiam immemorialem acquiri ſive præſcribi non poſſunt ab inferioribus Clericis (quia ſicut conſuetudo non poteſt abrogare legem divinam, ut v. g. ſimplex Presbyter, ex vi & poteſtate Ordinationis ſuæ, poſſit Sacramen-

cramentum Confirmationis, vel Ordinis conferre; ita neque ſola conſuetudo poreſt eum reddere capacem, Suar. l. 7. de legib. c. 19. n. 17.) ſed etiam idem dicendum eſt, ſi inhabilitas illa proveniat ex lege poſitiva, ſive ex Eccleſiæ inſtitutione; nam quamvìs, abſolutè loquendo, poſſit lex Eccleſiaſtica, ſive humana abrogari, & tolli per contrariam conſuetudinem, non tamen ſtante eâ lege, per quam perſonæ aliquæ redditæ ſunt incapaces ad actum aliquem validè exercendum, fieri poteſt, ut per conſuetudinem quantumvis diuturnam, etiam immemorialem, capaces reddantur, & conſequenter nec fieri poteſt, ut quàm diu illa lex in vigore ſuo manet, & non legitimè abrogata eſt, tales perſonæ, vi ſolius conſuetudinis, poſſint validè exercere talem actum, ad quem inhabiles ſunt redditæ, quia incapax poſſidendi eſt incapax præſcribendi, Suar. cit. l. Laym. in cit. c. Quantò n. 2. Sic laici, quia incapaces ſunt juriſdictionis ſpiritualis exercendæ in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, & aliorum jurium ſpiritualium, ut decimarum, eligendi ad Prælaturas, vel conferendi beneficia Eccleſiaſtica, ideo per nullam conſuetudinem etiam immemorialem hujuſmodi jus præſcribere, vel acquirere poſſunt, etiam accedente bonâ fide, Abb. in c. Clerici 8. n. 5. & 6. de Judicijs, & in cit. c. Quantò n. 2. Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 9. c. ult. n. 1. & alij DD. communiter.

Similiter cùm ex antiqua lege Canonica, ſive Eccleſiaſtica poteſtas conſecrandi Eccleſias, & vaſa ſacra ſolis Epiſcopis, ex vi Ordinationis ſuæ, competat, non item Presbyteris, ideo nullus Prælatus non Epiſcopus, ſive ſecularis, ſive regularis, vel alius Sacerdos per conſuetudinem etiam immemorialem, talem poteſtatem præſcribere, vel acquirere poteſt, quia, cùm actus, ſive exercitium talis poteſtatis, ob incapacitatem perſonæ, ſit irritum & nullum, non poteſt per illud aliquod jus acquiri, quod enim nullum eſt, nullum producit effectum, juxta dictum vulgatum, Sylveſt. V. Benedictio n. 3. Laym. in cit. c. Quantò n. 2.

Ex quo infertur, quòd non, quidquid poteſt per privilegium acquiri, poteſt etiam per conſuetudinem, quamvìs immemorialem, ſed potentius eſt privilegium, quia per privilegium vel diſpenſationem Papæ poteſt laico concedi poteſtas, ut beneficia conferat, Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis collectas & tributa imponat, decimas exigat, ac percipiat; item ut ſimplex Sacerdos baptizatos confirmet, vel Ordines ſaltem minores conferat, &c. quæ jura vel poteſtates per conſuetudinem, quantumvis diuturnam & immemorialem, acquiri non poſſunt, propter ſubjecti, ſive perſonæ incapacitatem, quam auferre poteſt privilegium, non autem conſuetudo, Suar. l. 8. de legib. c. 7. n. 11. idque colligitur ex cit. c. Quantò ibi: *Solam conſuetudinem prætendentes*, ubi innuitur, quaſi licitè & validè etiam ſimplices Sacerdotes non ſolâ conſuetudine nixi, propter neceſſitatem, ſeu penuriam Epiſcoporum, fideles confirmare potuiſſent, ſcilicet ex privilegio, diſpenſatione, vel delegatione Papæ.

XCI. Aſſertio 5. Conſuetudo, per quam Eccleſiaſtica diſciplina ſolvitur, irrita eſt, & invalida, quia eſt irrationabilis & Eccleſiæ pernicioſa, cùm diſciplina ſit velut nervus Eccleſiæ, prout ſumitur ex c. Cùm inter. 5. h. t. & ibi gl. v. de conſuetudine in fine, & Canoniſtæ communiter. Quare ſi Epiſcopus » vel Capitulum, ſede vacante, generale interdictum » loci in civitate aliqua poſuit, & promulgavit, & » Clerici alicuius Eccleſiæ, quæ à prima ſua funda- » tione libera & exempta fuit, illud obſervare recu- » ſent, eò quòd ex antiqua conſuetudine, in generali » etiam interdicto, in ea Eccleſia licitum erat, pulſa- » tis campanis, januis apertis, & altâ voce divina of- » ficia celebrare, excluſis tamen excommunicatis, & » interdictis perſonaliter, talis conſuetudo, cùm per » illam, ſiqua eſſet, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ » diſrumperetur, irritanda eſt, ſive irrita declaranda: » ut habetur ſtatutum in cit. c. Cùm inter, éſtque caſus illius c. ac proinde Canonici ſive Clerici ad ſervandum interdictum generale in Eccleſia ſua, perinde, ut in aliis Eccleſiis civitatis obſervatur, compellendi ſunt, non obſtante contrariâ conſuetudine: nam cenſura Eccleſiaſtica eſt veluti nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cùm fideles per cenſuras in officio contineantur, earúmque metu à delictis revocentur, ſicuti nervis membra corporis continentur, ut officia ſua rite præſtare poſſint, Suar. l. 7. c. 6. n. 8. de legib. adeóque per violationem cenſuræ agitur contra diſciplinam Eccleſiaſticam, Abb. in cit. c. n. 1. not. 2.

Porrò etſi Epiſcopus loci non poſſit directè & nominatim interdicto ſubjicere Eccleſiam exemptam à ſua juriſdictione, ferendo tamen Interdictum generale in tota Civitate, tenentur indirectè, & in conſequentiam etiam Clerici exempti in ſuis Eccleſiis illud obſervare, quia alioquin interdictum illud ferme inane foret & inefficax, ſiquidem populus in Eccleſiis exemptorum divina audire poſſet, Abb. ibid. n. 3. Unde Religioſi etiam exempti, ſi generale interdictum loci poſitum per Papam vel Ordinarium loci non obſervent, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt, non obſtantibus privilegiis, conſuetudinibus & ſtatutis, ut patet ex Clem. 1. de ſent. excommun. idémque mandavit Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de Regularib.

Illud hîc addendum, quamvìs per privilegium à Papa conceſſum omnes effectus Eccleſiaſtici interdicti in totum, vel ad tempus ſuſpendi poſſint, quia ex Jure humano proveniunt; non tamen per conſuetudinem id induci poteſt, quia talis conſuetudo eſt irrationabilis, quippe per quam diſſolvitur Eccleſiaſtica diſciplina, Suar. lib. 7. de legib. c. 6. n. 8. Barb. in cit. c. Cùm inter. n. 3. Ideóque ea irritanda eſt, id eſt, irrita declaranda, c. Cùm dilectus. 8. juncta gl. v. caſſavimus. h. t. & tenent hîc communiter Interpretes.

XCII. Aſſertio 6. Non valet conſuetudo, ut » Prælatus immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ di- » mittere Eccleſiam ſuam, eíque renuntiare, & ad a- » liam tranſire poſſit, abſque licentia à S. Pontifice, » vel eius vices in provincia tenentibus, ſive legatio- » nis officio fungentibus petitâ & obtentâ: nam talis » conſuetudo SS. Canonibus eſt adverſa, & non tam » conſuetudo, quàm corruptela meritò eſt cenſenda, » ideóque ſervari non debet, ita habetur in c. Cùm » venerabilis. 7. h. t. Nam ſicut Abbas ſubiectus E- » piſcopo non debet, nec poteſt renuntiare, aut dimittere Eccleſiam ſuam, vel Monaſterium, ſinè licentia Epiſcopi, c. Abbas 8. cauſa 18. q. 2. nec alij Clerici, c.

Adino-

Digitized by Google

Admonet.4.de renuntiat.ſic & Abbas ſubjectus tantùm Papæ renuntiare non poteſt, ſinè licentia ejuſdem, quamvls inſufficiens ſit, gl.in cit.c.Cùm venerabilis.v.migrâſſe. Ratio eſt,quia per talem conſuetudinem deſtruitur bonus ordo & diſciplina Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ideóque irrationabilis eſt, ut patet ex cit.c.in fine.

» Similiter non valet conſuetudo, ut Prælatus e- » lectus non teneatur confirmationem petere à Papa vel alio Superiore,c.jam cit.arg. c.Qualiter.17.de elect. quia bonum regimen Eccleſiæ poſtulat, ut inferiores Prælati ac Miniſtri Eccleſiæ à Superioribus dependeant, & ab ijs jus & auctoritatem in ſua inſtitutione accipiant, ideóque cùm hujuſmodi conſuetudo etiam tollat bonum ordinem & gubernationem Eccleſiæ,non eſt juſta & rationabilis, ſed corruptela potiùs, quàm conſuetudo dicenda eſt, c. eodem.

Idque extendi debet, ut non valeat hujuſmodi conſuetudo, ſive dimittendi Eccleſiam ſuam,ſinè licentia Superioris; ſive non petendi à Superiore confirmationem Prælati electi, etiamſi tanti temporis ſit, cuius initij memoria non extet; nam quando lex non ſolùm tollit,& abrogat,vel prohibet, ſed etiam damnat ac reprobat conſuetudinem tanquam pravam, injuſtam & irrationabilem, vel corruptelam & abuſum, tunc cenſetur revocata & reprobata conſuetudo,etiam immemorialis,Covarr.l.3.var.reſol.c.13.n.5.

Ratio eſt, quia quamvls curſus temporis immemorialis regulariter habeat vim tituli ſeu privilegij, l. Hoc jure 3. §. Ductus aquæ.ff.de aqua quotid. & æſtiva: hoc tamen non procedit, ſi conſuetudo à Jure ſit reprobata & damnata tanquam prava & irrationabilis, Franc.in c.1.n.2. h.t. in 6.Felin.in cap. Cùm ex officij 16.n.13.de præſcript.Nam cùm conſuetudo ſit inſtar juris ſeu legis, & pro jure ſeu lege habeatur, c. Cùm conſuetudo. 5. diſt.1. & l.De quibus.32.& l.ſeq.ff.de legib. neceſſariò debet eſſe juſta & rationabilis,alioquin nec Jus,nec Princeps auctoritate ſuâ illi aſſiſteret, ut ex ſuprà dictis patet.

Non obſtat, quod conſuetudo immemorialis æquiparatur privilegio,adeòque quidquid poteſt acquiri per privilegium,idem quoque poteſt introduci per conſuetudinem immemorialem, ſi ſit capacitas in præſcribente,c.Conqueſtus.8. & ibi gl.v. conſuetudo cauſ.9.q.3.ubi ait,conſuetudo dat privilegium, junctâ gl. marg. quæ ait, conſuetudo parificatur privilegio,Innocent.in c. Novit. 13.n. 5.de Judiciis. at per privilegium poteſt concedi,ut Prælatus canonicè electus plenam juriſdictionem, abſque alia confirmatione ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, conſequatur: Quemadmodum tale privilegium pluribus Religionibus à Papa eſt conceſſum, ut earum Abbates vel Præpoſiti Generales,ſinè Confirmatione Papali,plenam adminiſtrationem habeant, ut videre eſt apud Emman. Rodriquez to.2.qq. regul.q.53.art.3. Ergo idem per conſuetudinem ſaltem immemorialem introduci poteſt. Verùm æquiparatio iſta inter privilegium & conſuetudinem immemorialem non habet locum, quando conſuetudo eſt à Jure reprobata & damnata,tanquam iniqua & irrationabilis,qualis eſt conſuetudo,ut Prælatus electus non teneatur petere confirmationem à Superiore, gl. in cit. c. Cùm venerabilis.7. v. conſuetudinem.Innoc. ibid. v. eod. Abb.n.6. Fagnan. ibid. n. 10. nam talis conſuetudo generalis eſt noxia Eccleſiæ, per quam omitteretur inquiſitio in perſonam electi, quæ ante confirmationem fieri debet,c.Cùm nobis.19. §. His igitur de elect. At verò per privilegium à Papa conceſſum obtineri poteſt, ut Prælatus legitimè electus plenè adminiſtrare poſſit, ſinè confirmatione, aut præcedente inquiſitione,Abb.cit.loc.n.6.Azor. p.1. l. 5.c. 19.§. Conſuetudo, quâ poteſt. Sicut enim tutor teſtamento datus filio à patre non tenetur ſatisdare, & ſinè inquiſitione à Prætore confirmatur, quia fides eius ab ipſo teſtatore approbata eſt, §.Sed hoc Inſtit. de ſatisdat. tutor. Ita Papa tantam fiduciam habere poteſt de canonica electione Prælatorum quorundam præſertim Regularium, ut ex ſpeciali privilegio indulgeat,quòd eorum electiones, etiam ſinè inquiſitione & confirmatione Prælatorum electorum, fieri poſſint, & electi plenam adminiſtrationem, & juriſdictionem conſequantur. Joan.Andr. in cit. c. Cùm venerabilis.n.8.

Deinde Prælati & Miniſtri Eccleſiæ capaces fieri poſſunt obtinendæ & exercendæ juriſdictionis Eccleſiaſticæ per conceſſionem ſive privilegium Papæ, cuius non ſunt capaces,niſi dependentet à ſuperioribus Prælatis, præſertim verò à Romano Pontifice, à quo tanquam Chriſti Vicario & univerſalis Eccleſiæ Paſtore & Capite omnis Eccleſiaſtica juriſdictio ſeu poteſtas in inferiores Miniſtros, quoad ordinem inſtitutionis, deſcendit & dependet: Laym. in c. jam cit.n.3.& lib.1.Theolog.mor.tract.4.c.7.§.2.n. 3. non autem fieri poſſunt capaces per ſolam conſuetudinem etiam immemorialem, ut patet etiam ex ſuprà dictis.

XCIII. Hinc colligitur, quamvìs conſuetudo generalis alicuius loci,ſi irrationabilis ſit,ſed publicè tolerata,non valeat,nec legem abrogare poſſit: prodeſt tamen ad hoc,ut excuſet contra legem agentes, quoad pœnam temporalem imponendam, & ut faciliùs diſpenſetur, arg.c. 2. de temporib. ordinat. gl.in cit.c.Cùm venerabilis. v. migrâſſe, juncta gl. in c. Denique. 6. v. conſuetudine diſ. 4. ubi ait, quòd conſuetudo excuſat à pœna temporali, Abb. in cit.c. Cùm venerabilis,n.5.Imol. n. 6. Navarr. l. 5. conſil. ult.n.ult. de accuſat. ídque colligitur ex eodem c. in quo non exprimitur,an Abbas ille in pœnam, quòd à ſuo Monaſterio ad Abbatiam alterius Monaſterij propriâ auctoritate tranſierit, licẽtiâ non petitâ, nec obtentâ, utrâque Prælaturâ ſit privatus, prout poterat,iuxta c.Quanto.3.de translat.Epiſc.ideóque probabile eſt, quòd in altera,ſcilicet ad quam tranſiit, fuerit propter illam conſuetudinem toleratus & cõfirmatus,ut notat gl.ibid.v.migrâſſe. Rationem reddit Suar.l.7.de legib. c.19.n.8. 1. ex parte ſingulorum delinquentium, quia ſi publica aliqua conſuetudo prava ſive contra legem frequentetur, & multò magìs,ſi toleretur à populo,plerumque oritur in ſingulis delinquentibus aliqua ignorantia, vel ſaltem minor advertentia ad eius deformitatem,ratione cujus delictum minuitur,& conſequenter etiam reatus pœnæ: præterquam quòd exemplum multorum delinquentium ſit vehemens quædam tentatio, per qua cæteri impelluntur ad imitandum, ob quam etiam delictum minuitur,& excuſationem aliquam,ſeu ve-

niam meretur. 2. Ex parte Reipublicæ, quia non poteſt facilè multitudo peccantium, ſinè ſcandalo vel magnâ perturbatione, aut maiore detrimento Reipublicæ puniri, arg. cit. c. 2. de tempor. ordin. quamquàm aliàs negari non poteſt, quin ſpectatâ conſuetudine ſingulorum agentium contra legem, ſive eam violantium, non minuatur peccatum, ſed potiùs aggravetur, ut conſtat ex c. ult. in princ. h. t. & Auth. Ut nulli Judic. coll. 9. §. 1. verſ. neque verò angariæ, ubi dicitur, *mala inventa, malæque conſuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa conſuetudine confirmantur*; ideóque etiam delicta in foro externo graviùs puniuntur, ut conſtat ex l. Nemo 3. & ibi gl. fin. C. de Epiſc. audient. quia iteratio delicti per ſe illud auget, & virtualem contemptum in ſe continere videtur.

„ XCIV. Aſſertio 7. Prohibitum quoque eſt Jure Canonico, ne Capitulum ſive Collegium Canonicorum, abſque conſenſu Epiſcopi, antiquas Eccleſiæ conſtitutiones, vel conſuetudines approbatas immutet, vel tollat, neque novas etiam introducat, alioquin illæ irritæ ſunt decernendæ, ſive declarandæ, c. Cùm conſuetudinis. 9. h. t. ubi etiam ratio additur, quia conſuetudinis uſúſve longævi non eſt levis auctoritas, c. jam cit. in princ. & l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo, & novitates plerumque diſcordiam pariunt, & querelas, ideóque facilè inducendæ non ſunt, cit. c. Cùm conſuetudinis, & ibi gl. v. vel novas. *Et in rebus novis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt*, prout dicitur in l. 2. ff. de Conſtit. Princip. Excipi tamen debet, ſi conſtet, mutationem fuiſſe factã circa primam inſtitutionem, regulam aut legem Canonicorum, ſive ſecularium, ſive regularium, Monachorum item, vel aliorum Religioſorum, & ab illa receſſum fuiſſe ad laxiorem vivendi morem, per diuturnam & longo tempore continuatam conſuetudinem, tunc enim reformatio, ſive reductio ad primævam inſtitutionem, legem, aut regulam, & obſervationem, laudabiliter fieri poteſt à Collegio ſeu Capitulo vel Monaſterio; Laym. in cit. c. Cùm conſuetudinis. n. 3. origo enim cuiuſque rei ſpectanda eſt, l. Qui id quod. 33. in princ. ff. de donat. & res facilè redit ad primordialem ſuam naturam, l. Si unus 27. §. Pactus in fine, & ibi gl. marg. ff. de pact. Et hinc valet etiam conſuetudo, ut Epiſcopus conſtituat Prælatum ſive Rectorem in omnibus Eccleſiis ſuæ Diœceſis etiam Collegiatis, licèt in aliis quibuſdam habeat ſolam confirmationem, quia per talem conſuetudinem res revertitur ad primævam ſuam naturam, & ad Jus commune, Felin. in c. Cùm acceſſiſſent. 8. n. 5. & 6. de conſtit. ſecundùm quod ad Epiſcopum pertinet inſtitutio omnium Sacerdotum & Beneficiariorum, c. Cùm ex injuncto 12. in fine de Hæreticis.

XCV. Aſſertio 8. Non valet conſuetudo, per quam homines inducuntur ad peccandum, vel bona ſua diſſipandum; ita habetur in ſumma Rubricæ c. ex parte 10. h. t. quia talis conſuetudo abuſiva, ſive abuſus dicitur, c. jam cit. & quemadmodum non valet lex, quæ delinquendi occaſionem præbet; ita nec conſuetudo, etiamſi ſit immemorialis, Barb. in cit. c. Ex parte n. 2. & 3. ſed eſt per ſe, ſive ipſo jure irrita, quia non minùs ad conſuetudinis, quàm ad legis ſubſtantiam requiritur, ut ſit rationabilis & juſta, Abb. in c. ult. n. 2. h. t. „ Hujuſmodi conſuetudines irrationabiles ſunt, ut ſi v. g. quiſpiam ſeu indigena, ſeu extraneus, ſive alienigena, ex prodigalitate bona ſua diſſipâſſet, aut negligentiâ ſuâ, vel quocunque caſu amiſiſſet, bona uxoris ſuæ tam mobilia, quàm immobilia pro libitu, ſive liberè alienare poſſit. Item ſi uxor alicujus, fide conjugij violatâ adulterium committat, ut nihilominus medietatem omnium bonorum, quæ vir fuerit adeptus, exigere & apprehendere poſſit, quæ potiùs privanda eſſet omnibus viri bonis. Has conſuetudines SS. Canones reprobant, eáſque non eſſe obſervandas declarant, adeóque irrationabiles eſſe & iniquas, prout habetur in cit. c. Ex parte. „ nam Papa hîc non revocavit, nec reprobavit has conſuetudines de novo, ſed declaravit, non eſſe obſervandas, qui autem declarat, nihil novi agit, Abb. in cit. c. n. 2. & 4. Suar. lib. 7. de legib. c. 7. n. 7. Ratio eſt, quia per primam conſuetudinem viri inducebantur ad diſſipandum bona ſua; per alteram mulieres magìs incitabantur ad committendum adulterium, gl. fin. in cit. c. Ex parte. Porrò cum utroque Jure ſtatutum ſit, ut mulier propter adulterium commiſſum dotem amittat, l. Conſenſu 8. C. de repudijs, l. Si dotem 24. C. ad legem Jul. de adult. c. Plerumque 4. de donat. inter vir. & uxor. non eſt æquum, ut lucrum, ac veluti præmium conſequatur ex bonis mariti, occaſione commiſſi adulterij, ex quo pœnam meretur, prout ſumitur ex cit. c. Ex parte. Unde nec valet conſuetudo, per quam præmium conſequitur delinquens, Imol. ibid. in notand.

XCVI. Non tantùm autem Magiſtratus civilis, ſed etiam Eccleſiaſticus tollere poteſt conſuetudines, quæ occaſiones peccandi præbent; cujuſmodi eſt, ut maritus diſſipans bona ſua, poſſit, etiam non conſentiente uxore, dotem ejus alienare, ut colligitur ex cit. c. Ex parte h. t. & Abb. ibid. n. 5. & alij Canoniſtæ, nam in rebus ad ſalutem æternam pertinentibus omnes fideles ſubditi ſunt Prælatis Eccleſiaſticis, ideóque ad illorum officium pertinet, tollere conſuetudines noxias & peccata, quæ directè abducunt à ſalute & vita æterna, arg. c. Novit, 13. de judicijs, & c. Conſuetudo 5. diſt. 1. Sicut autem conſuetudines, ita etiam ſtatuta non valent, quæ occaſionem peccandi præbent, arg. cit. c. Ex parte.

Unde colligunt DD. quòd à conſuetudine ad ſtatutum valeat argumentatio, ſed negativè, non autem ſemper affirmativè: veluti, quod conſuetudine introduci non poteſt, nec ſtatuto poteſt: non autem vice verſâ, quod conſuetudine poteſt introduci, poteſt etiam ſtatuto. Sic Communitas aliqua, quæ nullam juriſdictionem habet, v. g. plebs alicujus pagi, non poteſt inſtituere novum feſtum per ſtatutum, poteſt tamen per conſuetudinem diuturnam, ſi longo tempore feſtum aliquod quaſi ex obligatione legis, ſciente, & non contradicente Prælato Eccleſiaſtico, à plebe obſervatum fuerit, Laym. in cit. c. n. 2. Similiter non valet ſtatutum, vi cujus pecunia vel aliud quidpiam temporale exigitur à recipiendo vel recepto in Canonicum, ut applicetur fabricæ Eccleſiæ, vel ad alios ejus uſus: & tamen valet conſuetudo diuturna, vi cujus, cum bona fide, id introduci poterit, Abb. in c. Cùm Martinus 9. de conſtit. n. 25. Ratio diſparitatis eſt, quia ſtatutum non habet prin-

principium voluntarium, ſed neceſſitativum, ſive coactivum; cùm ergo Communitas pagi careat juriſdictione non babet etiam poteſtatem coactivam ad obſervandum feſtum, adeóque nec per ſtatutum id præcipere poteſt. Sicut etiam Epiſcopus vel Capitulum non poteſt cogere, ut inſtituendus in beneficio pecunias ſolvat, quia videretur collatio aut inſtitutio fieri pro pretio ſeu pecunia, quod ſimoniacum eſt, arg. c. Ex multis 9. cauſ. 1. q. 3. At verò conſuetudo potuit originem ducere ex principio voluntario; nam ab initio potuit ſponte, & ex mera liberalitate ac pietate aliquid dari à Canonicis noviter receptis pro fabrica Eccleſiæ, ex quibus actibus ab initio voluntarijs & liberis, potuit ſucceſſivè introduci obligatio dandi, & conſuetudo juris, ut colligitur ex c. Ad Apoſtolicam 42. de Simonia. Abb. cit. loc. de quo alibi.

XCVII. Aſſertio 9. Conſuetudo, quantumvis immemorialis, ut Canonicus in eadem Eccleſia ſimul duos perſonatus, aut duas dignitates vel Præpoſituras, aut duo officia ſive adminiſtrationes, vel dignitatem & perſonatum, vel dignitatem ſeu perſonatum, & officium, unâ cum Canonicatu ſeu præbenda Canonicali, abſque Sedis Apnſtolicæ diſpenſatione, obtineat, tanquam corruptela reprobata eſt, cùm ſit inimica SS. Canonibus, & de radice ambitionis procedat. Quare etiamſi juramento confirmata fuerit, non eſt obſervanda, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis: ideóque etiam ſtatutum eſt, ut nulli liceat impoſterum, niſi unicam dignitatem, perſonatum, ſeu Præpoſituram, aut adminiſtrationem, vel officium perpetuum (cùm quis vix unum dignè adimplere poſſit) quocunque nomine cenſeatur, unâ cum præbenda, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, in eadem Eccleſia obtinere, vel jam obtenta retinere. Quòd ſi ſecus factum fuerit, omnino irritum ſit. Ita habetur expreſſum in c. 1. h. t. in 6. Ratio eſt, quia talis conſuetudo, ut quis in eadem Eccleſia, unâ cum præbenda Canonicali, duas dignitates, perſonatus, aut officia obtineat, eſt Eccleſijs noxia & morum corruptela, fovet enim ambitionem & cupiditatem, & occaſionem præbet, ut res Eccleſiaſticæ negligenter adminiſtrentur, & cultus divinus minuatur: ideóque, etiamſi jurata ſit bujuſmodi conſuetudo, valida fieri non poteſt, quia juramentum non poteſt id, quod irrationabile eſt, & Eccleſiæ damnoſum, confirmare, c. Quanto 18. de jurejurand. Idque procedit, ſive juramentum fuerit ſpeciale, ſive generale; nam ſi ſpecialiter juratum ſit expreſsè ſervare talem conſuetudinem, juramentum fuit temerarium, adeóque non ſervandum, arg. c. Sicut 13. de jurejur. ſi verò generaliter ſit juratum de ſervandis conſuetudinibus certæ Eccleſiæ, id non extenditur ad illicita vel damnoſa Eccleſijs, c. 1. eodem in 6. gl. in cit. c. 1. v. Juramento b. t. in 6.

Cæterùm quamvìs per conſuetudinem introdnci non poſſit, univerſim ac generaliter, ut unus in eadem Eccleſia ordinariè duas dignitates vel perſonatus, vel duo officia obtineat, quia id irrationabile eſt, & Eccleſiæ noxium, & SS. Canonibus adverſum: tamen per diſpenſationem Papæ id fieri poteſt, pro una vel altera vice, quia in particularibus caſibus poſſunt ex circumſtantiæ occurrere, ut res hæc honeſtati, & Eccleſiæ non damnoſa, ſed utilis futura rationabiliter cenſeri poſſit, Laym. in cit. c. 1. n. 4. Valet tamen conſuetudo, ut unus in eadem Eccleſia ſimul dignitatem, perſonatum, vel officium obtineat, unâ cum Canonicatu. v. g. ut idem ſimul ſit Decanus, vel Cuſtos, & Canonicus, gl. in cit. c. 1. v. Niſi unicum, Philipp. Franc. ibid. n. 7. & ſumitur ex c. Eam te 7. de reſcriptis. & ex cit. c. 1. Per ſenſum contrarium. Verùm de pluralitate Beneficiorum ex inſtituto agetur infrà l. 3. tit. 5.

XCVIII. Aſſertio 10. Non eſt conſuetudo rationi conſona, quantocunque tempore (etiam immemoriali) de facto obſervata fuerit, ut ab Officiali Epiſcopi (generali ſcilicet) ad eundem Epiſcopum valeat appellari; cùm enim idem ſit utriuſque Auditorium, ſive Tribunal, ab eodem ad eundem (videlicet ab Epiſcopo, cujus perſonam repræſentat Officialis, ſive Vicarius, ad Epiſcopum) appellatio interpoſita videretur; ita habetur in c. 2. h. t. in 6. & ibi gl. v. Quantocunque tempore & v. Officiali.

Ex quo patet, quòd non valeat conſuetudo, ſed de jure impoſſibilis, & irrationabilis cenſeri debeat, quæ eſt contra ſubſtansiam actûs ſive rei, Franc. ibid. n. 7. atqui ad ſubſtantiam appellationis pertinet, quòd ſit ab inferinre Judice ad alium ſuperiorem provocatio, l. 1. §. Si quis ff. de appellat. c. Placuit 35. cauſ. 2. q. 6. Epiſcopus verò ejúſque Officialis principalis ſive Vicarius Generalis unum idémque Conſiſtorium habent, adeóque repugnat, ut ab ipſo ad Epiſcopum appelletur, cit. cap. 2. Valet tamen conſuetudo, quæ non eſt contra ſubſtantiam, ſed ſolùm contra accidentalia actûs, Franc. cit. loc. Sic per conſuetudinem introduci poteſt, ut teſtamentum validè fieri poſſit, adhibitis paucioribus teſtibus, quàm ſeptem, quia iſte numerus teſtium non requiritur ad ſubſtantiam teſtamenti ſecundùm ſe, ſive ex ipſa rei natura, c. Cùm eſſes 10. de teſtament. ſed ſolùm Jure poſitivo Civili eſt decretus, & requiſitus ad ſolemnitatem actûs, ita, ut ſinè illa non valeat, ideóque per contrariã conſuetudinem legitimè præſcriptam tolli poteſt, Laym. in cit. c. 2. n. 2. quia conſuetudo poteſt abrogare Jus merè poſitivum ſive humanum, c. ult. h. t. Sed & hæc res, de appellatione à Vicario ad Epiſcopum aliò pertinet, ideóque hîc non immoramur.

XCIX. Aſſertio 11. Denique conſuetudo impediens, ne Legati Sedis Apoſtolicæ recipiantur, non valet, quia eſt irrationabilis, & animarum ſaluti contraria, ac detrahens Apoſtolicæ Poteſtati, ideóque talis conſuetudo reprobatur, & illâ non obſtante, prædicti Legati ab omnibus cujuſcunque præeminentiæ, conditionis & ſtatûs fuerint, debent admitti, nèc à quoquam impediendi ſunt, quò minùs Regna, & Terras quaſvis, ad quas ipſos deſtinari contigerit, liberè ingrediantur, & Legationis officium in eiſdem exerceant, ita habetur in Extravag. un. quæ incipit ſuper gentes h. t. inter communes. Qui verò eoſdem Legatos, vel etiam Nuntios præſumpſerint impedire, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt, & Regna, Terræ, & loca quælibet eiſdem ſubjecta Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, quàm diu in hujuſmodi pertinacia perſtiterint, non obſtantibus quibuſ-

» cunque privilegijs quibuſvis Principibus à Sede » Apoſtolica, quocunque modo, formâ ac tenore, » conceſſis, cit. Extravag. in fine. Hæc autem excommunicatio non eſt reſervata S. Pontifici de Jure communi, eſt tamen, quatenus includitur in Bulla Cœnæ Domini, Navarr. in Manuali cap. 27. num. 149. Barb. in cit. Extravag. un. n. 2. Porrò plurimæ aliæ ſunt conſuetudines prohibitæ aut reprobatæ Jure Canonico, ſed de quibus in proprijs locis ſeu Titulis agitur.

TITVLVS V.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

POſt præmiſſa veluti Prolegomena, nempe quæ de Jure in communi, eóque tam ſcripto, quàm non ſcripto, dicenda fuerunt, procedit nunc S. Pontifex Gregorius IX. in ſpecie ad partes Juris Canonici tractandas. Quia verò *omne ius, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res*, earum, *vel ad actiones*, l. 1. ff. De ſtatu homin. quò etiam judicia pertinent, cùm actiones in judicio proponi ſoleant; & cùm hominum causâ omne jus conſtitutum ſit, l. 2. ff. eodem. ideo primo loco de ſtatu perſonarum Eccleſiaſticarum, ſive de Officio, & poteſtate Miniſtrorum Eccleſiæ agitur. Inter perſonas verò Eccleſiaſticas primum ac præcipuum locum obtinent Prælati; penes quos veluti capita eſt juriſdictio, & adminiſtratio Eccleſiarum, ſive ſecularium, ſive regularium: hi verò tribus modis ad Prælaturam aſſumuntur, poſtulatione, electione, & translatione, idcirco in hoc Titulo & 2. ſeqq. de his tractatur, & quia poſtulatio innititur gratiæ, præmittitur hic Titulus de illa, licèt aliàs, ſpectatò Ordine doctrinæ, priùs de Electione, quàm Poſtulatione, quæ in illius ſubſidium inducta eſt, agendum fuiſſet. Extat ſimilis Titulus in Sexto, & Extravagantibus communibus.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Poſtulatio, & quomodo ab Electione differat?

I. Aſſertio 1. Poſtulatio, non latè, prout cum electione interdum confunditur, & promiſcuè pro ijſdem ſumuntur, ſed propriè ac ſtrictè accepta, prout ab electione diſtinguitur, eſt petitio Capituli, ſeu Collegij à Superiore facta, ut is, qui propter defectum vel impedimentum Canonicum, jure communi ad Prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam eligi non poteſt, ad eandem per diſpenſationem admittatur. Abbas ad Rubricam h.t. n. 1. & ibi DD. communiter. Quare poſtulatio in ſubſidium Electionis eſt introducta, ut, ſi quis per Canones eligi prohibeatur, non propter delictum, ſed propter aliam inhabilitatem, (quæ tamen poſtulatum non omnino inhabilem reddat, ſed in qua Superior diſpenſare poſſit, ac ſoleat, ut infrà dicetur) ſaltem adminiculo poſtulationis, ex gratia, & diſpenſativè admittatur, Hoſtienſ. in ſumma n. 1. h.t. Sylveſt. in ſumma. V. Poſtulatio n. 1.

II. Aſſertio 2. Etſi poſtulatio, & electio Prælati, in eo conveniant, quòd utraque ad eundem finem tendat, videlicet, ut electus, vel poſtulatus ad Prælaturam à Superiore admittatur, vel in ea inſtituatur, aut confirmetur: differunt tamen præcipuè in eo, quòd poſtulatio innititur gratiæ, electio verò innititur juri, gl. in c. unic. v. eligo. h.t. in 6. quia ſcilicet illa nullum jus tribuit poſtulato, ante admiſſionem Superioris, ſed is ex gratia, & diſpenſativè admittitur, cùm ſummo jure rejici poſſit; quare nec petitio, ſive actio ei competit, cùm actio ſit jus petendi id, quod ex juſtitia alicui debetur, princ. Inſtitut. de action. Sed poſtulatus rogare tantùm ſeu implorare officium Judicis poteſt, ut ex gratia, & ſecundùm æquitatem Canonicam, ad Prælaturam admittatur, ſi ab omnibus Capitularibus, vel ſaltem duabus eorum partibus, fuerit poſtulatus, c. Scriptum 40. de elect. At verò per electionem, ſi canonicè celebrata, & ab electo acceptata ſit, jus ipſi confertur ad Prælaturam, ſaltem ut eam inſtitutâ actione petere poſſit, ita, ut ſinè injuria rejici nequeat, ſi alioquin dignus ſeu idoneus ſit. Deinde poſtulatio eſt perſonæ, quæ jure impedita eſt, & inhabilis ad Prælaturam ſeu dignitatem, ideóque ſinè diſpenſatione admitti non poteſt: electio verò eſt perſonæ, quæ jure impedita non eſt, ſed habilis. Item electio dicitur confirmari, poſtulatio autem admitti à Superiore, cit. c. Scriptū. 40. de elect. Denique electus in electionem abſolutè poteſt conſentire: poſtulatus non niſi ſub conditione diſpenſationis obtinendæ à Superiore, cùm ſit ſecundùm jura inhabilis; ſic qui impedimentum habent

bent contrahendi matrimonium, v. g. conſanguinei vel affines in tertio gradu, abſolutè prohibetur ſponſalia contrahere; at verò ſub conditione Papalis diſpenſationis, conſentire, & ſponſalia inire poſſunt, Laym. in qq. Canonic. de Prælator. Eccleſ. elect. q. 1.

III. Aſſertio 3. Duplex eſt Poſtulatio, ſolemnis, & non ſolemnis, ut docet Abb. in c. 1. n. 34. h.t. Sylveſt. c.l.q.2. Solemnis eſt, quando poſtulatur quis ab eo Superiore, qui poteſt ſuper omni impedimento poſtulati diſpenſare, cuiuſmodi eſt illa, quam ſuperiùs deſcripſimus. Non ſolemnis, ſive ſimplex poſtulatio dicitur, quando quis poſtulatur ab eo, qui non poteſt diſpenſare ſuper impedimento; requiritur tamen eius conſenſus ad promotionem ſic poſtulati, propter peculiare intereſſe, vel jus, quod in illo habet: ac proinde per hanc poſtulationem nulla diſpenſationis gratia à Superiore petitur, cùm contra Canones non fiat, ſed ſola licentia ab eo, cui electus, ſive ſimpliciter poſtulatus proximè ſubjectus eſt. Aliud autem eſt, diſpenſare, aliud, licentiã dare, quia, quando datur licentia, non ſolvitur, ſive relaxatur ipſa lex, ſicuti fit, cùm diſpenſatur, ſed conditio ponitur à lege requiſita, quâ poſitâ, legis obligatio aut prohibitio per ſe ceſſat. v. g. ſi lex ſit, vel ſtatutum alicubi, ut nullus, ſinè licentia Magiſtratûs, frumentum ex civitate, aut provincia evehat, ſi Magiſtratus det licentiam, non diſpenſatur in lege, nec relaxatur eius obligatio, quia, cùm is caſus expreſsè per legem ſit exceptus, lex nunquam ad eum caſum ſe extēdebat. Quare poſtulatio ſimplex ſpecies quędam electionis eſt, ad id inſtituta, non ut ſuperior electi electionem ipſius diſpenſativè admittat (nam cùm contra Canones nō fiat, nulla opus eſt diſpenſatione) ſed ut ſuo in electum jure cedat, & licentiam dando permittat, ut electus in ſui quoque electionē conſentire poſſit. Exempli causâ, ſi Religioſus in Epiſcopum eligatur, requiritur Abbatis ſive Prælati regularis conſenſus ſive licentia, ſinè qua non poteſt Religioſus eligendus in ſui electionem conſentire, c. Si religioſus 27. c. Si Abbatem 36. de election. in 6. Ubi nulla intervenit diſpenſatio, quia nulla lex Canonica prohibet, Religioſum aſſumi ad Epiſcopatum quaſi inhabilem, qui proinde diſpenſatione indigeat; ſed ſolùm prohibet, ne aſſumatur, ſinè Superioris ſeu Prælati ſui licentia, cum qua ſi eligatur, non relaxatur ipſa lex prohibens, quippe cùm is caſus ſub legis prohibitionem non cadat, ſed per ipſam legem expreſsè ſit exceptus.

Poteſt autem utraque poſtulatio, ſolemnis & ſimplex, interdum ſimul convenire in unam eandémque perſonam; ut ſi v. g. filiusfamilias laicus aſſumendus ſit ad Epiſcopatum, is poſtulari debet ſolemniter, quia, cùm ſit laicus, eſt inhabilis, ut eligatur, ideóque diſpenſatione opus eſt: & poſtulari etiam debet non ſolemniter, quia, cùm ſit filiusfamilias, non poteſt, ſinè licentia patris, ad Prælaturam promoveri, & in ſui electionem conſentire, ne jus patriæ poteſtatis lædatur, Abb. c.l.

§. II.

De his, qui poſtulari poſſunt, vel non poſſunt.

IV. Quæritur 1. Quinam poſtulari poſſunt, vel non poſſunt? Reſpondetur 1. generatim loquēdo, illi tantùm ſolemniter poſtulari poſſunt, qui ob impedimentum Canonicum eligi non poſſunt, quia poſtulatio in ſubſidium electionis introducta eſt, & fruſtra peteretur, ut ex gratia, & per diſpenſationem admittatur ad Prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam is, qui ſinè illa ad eandem promoveri poteſt, ideóque eligendus non debet poſtulari, nec poſtulandus eligi, gl. in c. unic. v. eligo poſtulando h. t. in 6.

V. Reſpondetur 2. Non tamen omnis ineligibilis ſive inhabilis ad Prælaturam poteſt poſtulari, ſed neceſſe eſt, ut ſit ineligibilis & inhabilis propter defectum diſpenſabilem, in quo ſcilicet ſuperior poſſit ac ſoleat diſpenſare, alioquin inutilis & illicita erit poſtulatio, ſi poſtuletur is, qui non poteſt honeſtè ac utiliter exercere officium, ad quod promovetur, Abb. in c. ult. n. 8. in fine h.t. & colligitur ex c. 1. §. Nos igitur, & ibi gl. v. perſonam h. t. Talis inhabilitas diſpenſabilis eſt defectus natalium, ſi quis illegitimè natus ſit, c. Innotuit. 20. de elect. ætatis legitimæ, c. Cùm nobis 19. eod. item defectus ſacri Ordinis, c. Dudum 22. & ibi gl. v. in ordinibus, de elect. Ut ſi laicus, vel in minoribus Ordinibus conſtitutus in Epiſcopum aſſumendus ſit: vinculum etiam alterius Epiſcopatûs, c. ult. h.t. de quo infrà, & plures alij ſunt defectus diſpenſabiles, qui non impediunt, quò minùs poſtulatus, cùm utilitate, honeſtate & ædificatione præfici, & Prælati munus obire poſſit, quos enumerat Joan. Andr. in cit. c. ult. n. 4. & ſeqq. h.t. Debent autem hujuſmodi defectus ſeu inhabilitates, etſi diſpenſabiles, Superiori manifeſtari, alioquin poſtulatio eſt irrita, ut colligitur ex cit. c. Innotuit, & tradit Abb. in c. ult. n. 9. h.t.

Quòd ſi defectus ſeu inhabilitas ſit talis, in qua diſpenſari non poteſt, aut non debet ad Prælaturam obtinendam, qualis eſt morum infamia & ruditas, ſi quis omninò illiteratus ſit, vel ſi crimine aliquo notatus ſit, in eóque perſeveret; tum is, qui talem defectum patitur, ſicut eligi non poteſt, ita nec poſtulari, Hoſtienſ. hic in ſumma n. 2. Idémque dicendum eſt, ſi defectus ſeu inhabilitas ſit talis, in qua diſpenſari non ſolet; ut ſi quis ſit bigamus, vel ſpurius, ſive ex damnato coitu natus, ut colligitur ex c. Niſi cùm pridem 10. §. Perſonæ verò de re renunciat. Laym. in princ. h.t. Corollar. 2.

VI. Huc pertinet, quòd etiam is, qui interdictum loci ſcienter ac temere violavit, eligi aut poſtulari non poteſt, ut conſtat ex c. 1. h. t. Nam vacante Metropolitanâ Eccleſiâ Senonenſi, Canonici, licèt ab initio diſcordes eſſent ſuper electione » novi Archiepiſcopi, & ideo aliqui eorum ad Papam appellaſſent, poſtea tamen inter ſe convenientes, Epiſcopum Altiſſiodorenſem in Archiepiſcopum poſtularunt, & per M. R. Præcentorem, & Abbatem S. Petri petierunt à Papa Innocentio III. ut poſtulationem ſuam admitteret, & faciendæ tranſ-

„ translationi pium præberet aſſenſum, ſive licen-
„ tiam tranſeundi ad Eccleſiam Seunonenſem daret.
„ Sed Papa jam antè certò cognoverat, quòd dictus
„ Epiſcopus Altiſſiodorenſis interdictum à Sede A-
„ poſtolica in regnum Galliæ promulgatum non ob-
„ ſervâtit; ídque alter Procuratorum, nempe Præ-
„ centot, coram Papa non negavit, ſed in ipſius Epi-
„ ſcopi excuſationem allegavit, quòd ſententiam in-
„ terdicti ſervare non tenebatur; quippe quæ nec
„ per litteras Papæ, nec per Cardinalem Apoſtolicæ
„ Sedis Legatum, qui interdictum promulgavit, nec
„ per deputati ab eo executoris litteras aut manda-
„ tum, ipſi Epiſcopo intimata fuiſſet: quæ tamen ex-
„ cuſatio à Papa reiecta fuit, tanquam non ſufficieos,
„ nec proficiens, eò quòd Legatus Sedis Apoſtolicæ
„ à latere, multis præſentibus, ſententiam interdicti
„ ſolemniter ac publicè promulgaverit, eaque in Re-
„ gno Francorum jam à multis publicè cœperit ob-
„ ſervari: neque neceſſarium ſit, conſtitutionem ſo-
„ lemniter ac publicè promulgatam, ſingulorum e-
„ tiam auribus per ſpeciale mandatum vel litteras
„ inculcari, ſed, cùm primùm quis cognoverit, cōſti-
„ tutionem vel ſententiam ſolemniter editam, ſeu
„ publicè promulgatam eſſe, id ſufficit, ut ad eius
„ obſervationem teneatur, prout etiam cooſtat ex
„ Concilio Sardicenſi, quod refertur c.ult.diſ.16.
„ Neqne etiam valet ad excuſandum Epiſcopum,
„ quòd Rex in Altiſſiodorenſi Diœceſi propriam ter-
„ ram non habere dicatur: cùm Papa mandaverit to-
„ tam terram Regis Franciæ ſubjici interdicto; idque
„ mandatum interpretatus Legatus, in omnem ter-
„ ram, quæ eo tempore Regi adhærebat, interdictum
„ promulgârit. Sed & inde liquidè conſtat, dictum
„ Epiſcopum excuſari non poſſe, quia cùm ipſe vide-
„ ret, Eccleſiam Metropolitanam ſententiam inter-
„ dicti generalis recepiſſe & ſervare, etiam ipſe in ſua
„ Eccleſia eam ſervare debebat. Quare Innocent. Pa-
„ pa prædictam poſtulationem Epiſcopi reiecit, tan-
„ quam indignam, non propter poſtulantem Eccle-
„ ſiam, ſed propter perſonam poſtulatam. Quamvis
„ autem Canonici, eò quòd iodignum poſtulârunt,
„ quippe qui interdictum Eccleſiaſticum obſervare
„ contempſit, conceſsâ ſibi poteſtate abuſi fuerint, i-
„ deóque eâdem non immeritò privari potuerint;
„ tamen ex ſolita beniguitate Papa ipſis concedit, ut
„ per Canonicam electionem, aut poſtulatiooem Ec-
„ cleſiæ ſuæ perſonam idoneam provideant. Ratio
autem, cur is, qui ſcienter interdictum violavit, ad Prælaturam eligi, vel poſtulari non poſſit, eſt, quia talis eſt ſuſpenſus ab officio & beneficio, & omni juriſdictione; imò & irregularis, ut notat gl. hîc. v. perſonam, & in c. poſtulâſtis 7. v. celebrare de Cleric. excom. minis. & ſumitur ex c. ult. de exceſſib. Prælator.

VII. Ubi notandum 1. In caſu huius cap. Cardioalis Legatus à latere mandatum Papæ, quo juſſit terram Regis Galliæ interdicto Eccleſiaſtico ſubjici, ita interpretatus eſt, ut ſententia interdicti etiam extenderetur ad Diœceſin Altiſſiodorenſem, in qua tamen Rex propriam terram non habuit, ut ſignificatur in textu, adeóque videtur non potuiſſe eò extendi. Ad quod reſpondet gl. hîc. v. terram propriam, & Innocent. n. 7. Abb. n. 27. 1. Quòd hæc extenſio interdicti à Legato facta ſit ad terras, quæ ipſi Regi adhærebant, præſtando ei conſilium, vel auxilium. Verùm hæc interpretatio non eſt juri conformis, ut ex communi tradit Suar. diſ. 32. de cenſur. ſec. 2. o. 29. ubi ait, quando interdicuntur terræ ob alicujus committentis delictum, nequaquã comprehendi eo ioterdicto terras illorum, qui cum illo in delicto communicârunt, quia nec pœna, nec mandatum de inferenda pœna extendi poteſt ultra terminos ſuos, niſi talis extenſio in jure expreſſa ſit: ergo neque ſeoteotia ioterdicti localis lata in terras delinquentis, extendi debet ad cooperatores delicti, & terras eorum, niſi id in ipſa ſenteotia fuerit expreſſum.

Itaque melior eſt altera interpretatio, ſeu reſponſio gloſſæ c. l. & Abbat. c. l. n. 30. quòd interdictum latum in terras Regis Galliæ, ex interpretatione Legati Apoſtolici, fuerit extenſum ad terram Diœceſis Altiſſiodorenſis, eò quòd, etſi illa non pertinebat, quoad dominium proprietatis, ad Regem Galliæ; pertinebat tamen ad illum, quoad altum dominium juriſdictionis ſupremæ, ideóque meritò comprehendi debebat ſub generali interdicto Regni Galliæ, arg. c. Sanè 11. in fine de officio delegat. ubi habetur, quòd propter delictum Epiſcopi, terra eius juriſdictioni ſpirituali ſubiecta interdici poſſit: ergo ſimili ratione terra ſubiecta temporali juriſdictioni alicuius domini delinquentis, ſi in delicto contumaciter perſeveret, interdicto Eccleſiaſtico ſubjici poteſt.

Notandum 2. Quòd hîc dicitur, Canonicos, qui violatorem interdicti, adeóque indignum ad Prælaturam poſtulârunt, meritò poteſtate poſtulandi privati potuiſſe, id ita intelligendum eſt, quòd, eos eſſe ipſo jure privatos, declarari potuerit; nam poſtulantes ſcienter indignum ipſo jure pro ea vice eſſe privatos poteſtate poſtulandi, patet ex c. 2. h. t. & c. ſcriptum 40. in fine de elect. gl. hîc V. Poſſumus. & ibid. Joan. Andr. & Abb. n. 31. jura autem ita interpretari decet, ut cum alijs juribus conſentiant, c. Cùm expediat 29. de elect. in 6. idque confirmatur ex eo, quia aliàs Papa in cit. c. h. t. non conceſſiſſet poſtulandi vel eligendi poteſtatem Canonicis, niſi illam amiſiſſent.

VIII. Præterea poſtulari prohibentur illi, „
qui XXVII. ætatis annum non attigerunt, ad Ec- „
cleſias Cathedrales, nec non religioſi profeſſi cu- „
juſvis mendicantium Ordinis ad inferiores Cathe- „
dralibus Eccleſias, & ad Monaſteria extra ſuos Or- „
dioes, ita, ut poſtulatio aliter facta vel attentata ſit „
irrita: & qui ſcienter ita poſtulârunt, pro ea vice, „
poteſtate eligendi ac poſtulandi ſunt privati, & per „
trienoium ſuſpenſi ab omnibus beoeficijs, quæ ob- „
tinent in illa Eccleſia, ad quam hujuſmodi poſtula- „
tionem fecerunt. Poſtulati verò, qui in Romana „
Curia poſtulationem ſuam per ſe, vel per alium „
ſunt proſecuti, ſi ſeculares ſint, uſque ad XXXV. „
annum: Cæteri verò Seculares & Religioſi, extra „
ſuorum Ordinum adminiſtrationes, io perpetuum „
ineligibiles & impoſtulabiles ſunt, & ad omoes di- „
gnitates Eccleſiaſticas, ac beneficia quælibet obti- „
nenda prorſus inhabiles, ita habetur in Extravag. unic. h. t. inter communes.

IX. Quæritur 2. An Epiſcopus ad alium Epiſcopatum poſſit eligi, vel an poſtulari debeat? Reſpondetur, Epiſcopum (idémque eſt de Archiepi-
ſcopo,

ſcopo, aliiſque Prælatis Epiſcopo ſuperioribus) non eſſe eligendum, ſed poſtulandum ad alium Epiſcopatum, vel Archiepiſcopatum, ita, ut, ſi de facto eligatur, irtita ſit electio, nec confirmari per Superiorem » debeat, prout conſtat ex c. ult. h. t. nam cùm Cano- » nici Calaritani in Archiepiſcopum Eccleſiæ ſuæ E- » piſcopum Sutrienſem unanimiter elegiſſent, eam » electionem tanquam contra Canones illicitè at- » tentatam, Pàpa Honorius III. cum conſilio Car- » dinalium, irritavit, ſeu potiùs irritam eſſe, decla- » ravit, cùm eligi nullo jure potuerit, ſed poſtulari debuerit, quia cùm Eccleſiæ ſuæ ſit alligatus, non potuit, ſinè permiſſione ſeu licentia Papæ, ad alium Epiſcopatum tranſire. Ratio igitur, cur Epiſcopus ad alium Epiſcopatum, non quidem eligi, ſed poſtulari poteſt, eſt, quia veluti ſpirituali matrimonio copulatus eſt Eccleſiæ, ad quam primò eſt aſſumptus, c. Sicut vir 11. & c. Sicut alterius 39. cauſ. 7. q. 1. c. 2. & c. ult. de translat. Epiſc. in cujus ſignum annulum gerit, qui matrimonij vinculum ſignificare ſolet, ut colligitur ex c. pen. junctâ gl. V. Annulos de vita & honeſt. Cleric. quare ſicuti matrimonio carnali copulatus non poteſt alteri mulieri ſpondere: ita nec Epiſcopus, quippe jam habens conjugem, priorem ſcilicet Eccleſiam, poteſt deſponſari alteri Eccleſiæ, vel in aliam conſentire, niſi per legitimam auctoritatem S. Pontificis prioris Eccleſiæ vinculo ſit liberatus, alioquin ſpirituale adulterium committeret, cit. c. Sicut vir. At verò poſtulari poteſt Epiſcopns ad aliam Eccleſiam, quia nec poſtulantes in poſtulatum, tanquam in ſponſum conſentiunt, ſicut conſentiunt eligentes, nec poſtulatus in Eccleſiam poſteriorem, tanquam in ſponſam priùs conſentit, eique deſponſatur, quàm à prioris Eccleſiæ vinculo ſit liberatus, quod ut fiat, per poſtulationem à Superiore petitur, qni à Deo poteſtatem hujuſmodi ſpirituale conjugium diſſolvendi accepit, Abbas in cit. c. ult. num. 5. h. t.

X. Ubi notandum 1. Hoc intelligendum eſſe de Epiſcopo confirmato, etſi nondum conſecratus ſit, nam Epiſcopus electus tantùm, etiam poſt acceptatam electionem, adeóque tametſi jam veluti inchoatum ſit ſpirituale conjugium inter ipſum & Eccleſiam, juxta c. Cùm inter 21. de elect. & tradit gl. in c. unic. V. Vera electio h. t. in 6. nihilominus, ante confirmationem Papæ factam, renunciare poteſt electioni, c. Si electio 26. de elect. in 6. ac proinde non poſtulari debet, ſed eligi poteſt ad aliam Eccleſiam, cùm matrimonium cum Eccleſia nondum ſit perfectè contractum ante confirmationem, Abb. in cit. c. ult. num. 7. h. t. Sed & is, qui renunciavit Epiſcopatui, poteſt denuo eligi in Epiſcopum alterius Eccleſiæ, ſi nihil aliud obſtet; quia vinculum prioris Eccleſiæ per renunciationem ſolutum eſt, Abb. c. l. & DD. communiter in c. Poſt translationem 11. de renunc. At verò Epiſcopus confirmatus, etſi nondum conſecratus, eligi non poteſt, ſed poſtulari debet, quia per confirmationem matrimonium ſpirituale cnm Eccleſia eſt contractum, ita, ut ſinè licentia Papæ ei renunciare, vel eam deſerere non poſſit, quamvis per conſecrationem nondum ſit conſummatum, c. 2. de translat. Epiſc. Abb. c. l.

Notandum 2. Poſtulandus non poteſt eligi, etſi unanimiter vota omnia Capituli concurrerint, ſive nemine diſcrepante, ut patet ex cit. c. ult. h. t. nam iſti Canonici Calaritani proceſſerunt per viam electionis, nemine diſcrepante, cùm procedere debuiſſent per viam poſtulationis; & tamen Papa irritavit electionem, quia unanimis concordia non habet vim tollendi defectum poſtulandi, ut faciat eligibilem eum, qui poſtulari debet, Abb. hîc. num. 2. not. 2.

Notandum 3. Electio ejus, qui ſecundùm Canones poſtulandus eſt, non valet, ſed ipſo jure irrita eſt, nam quamvìs Papa in cit. c. ult. h. t. dicat, *duximus irritandam*, tamen tum ex verbis præcedentibus, ibi, *tanquam contra Canones minùs licitè attentatam*, tum ex verbis ſequentibus, ibi; *cùm eligi nullo jure potuerit*, apertè colligitur, hujuſmodi electionem eſſe ipſo jure irritam, ac proinde, cùm dicitur irritandam eſſe, idem eſt, ac, irritam eſſe declarandam, ſeu denunciandam, ut ex Butrio notat Fagnan. in cit. c. ult. num. 5.

Notandum 4. Quando poſtulatur Epiſcopus ad alium Epiſcopatum, interdum hodie ſimul impetrari ſolet à Sede Apoſtolica alia diſpenſatio, ut priorem etiam Epiſcopatum retinere liceat, & in digniore, ſeu ampliore reſidere, ut notat Laym. in cit. c. ult. n. 1. in fine.

Notandum 5. Epiſcopus conſecratus, ſi poſtulatus ſit ad aliam Eccleſiam Cathedralem, ita exigente neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ, poteſt etiam invitus auctoritate Pontificiâ compelli ad acceptandam aliam Eccleſiam, c. Scias 35. cauſ. 7. q. 1. quia Eccleſia univerſalis eſt unum Corpus myſticum, unde is, qui ſemel Epiſcopalem dignitatem in hac Eccleſia univerſali ſuſcepit, non poteſt reſiſtere Papæ, ſi ob bonum publicum velit illum transferre ad aliam Eccleſiam particularem, quia ſolùm tunc mutatur locus, non autem dignitas reſpectu Eccleſiæ univerſalis, cit. c. Scias; & in hoc comparatur Epiſcopus Monacho, qui non habet poteſtatem contradicendi ſuo Superiori, c. Non dicatis 11. c. 12. q. 1. Abb. in cit. c. ult. num. 11. & 13. Quòd ſi Epiſcopus poſtulatus conſecratus non ſit, non poteſt cogi ad ſuſcipiendum alium Epiſcopatum, quia invitus conſecrari non poteſt; debet tamen cedere dignitati, ſi nolit conſecrari, quamvìs nec cedere poſſit, ſinè licentia Papæ, c. 2. de transl. Epiſc. Abb. c. l. num. 11. Similiter neque is, qui nunquam fuit promotus ad Epiſcopatum, poteſt præcisè compelli ad eum acceptandum, niſi ob bonum publicum, quando non reperitur alius æquè idoneus, tunc enim peccaret electus vel poſtulatus, ſi non acceptaret dignitatem, Abb. c. l. n. 13.

XI. Quæritur 3. Utrùm Cardinalis Eccleſiæ Romanæ ad Epiſcopatum eligi poſſit, an verò poſtulari debeat? Reſpondetur, ſi ſit Cardinalis non Epiſcopus, ſed Presbyter vel Diaconus, eligi poteſt in Epiſcopum, non verò poſtulari debet ſolemniter, quamvìs poſtulandus ſit non ſolemniter, adeóque ejus electio ſit quodammodo poſtulatio, ſive poſtulatio ſimplex, ut docet Abb. in c. Eccleſia 57. n. 15. de elect. contra Hoſtienſ. & Sylveſt. Idque probatur ex doctrina Innocentij in c. 1. n. 3. h. t. nam quoties aſſumendus in Epiſcopum non poteſt, abſque diſpenſatione Superioris, acceptare Epiſcopatum, tum neceſſaria eſt poſtulatio, videlicet ſolemnis: ſin au-

tem acceptare poſſit ſinè diſpenſatione, tum electio locum habere poteſt, etſi requiratur licentia Prælati, cui eſt ſubjectus. v. g. ſi Monachus promovendus ſit in Epiſcopum, is poſtulari quidem debet, non tamen poſtulatione ſolemni, ſed ad id ſolùm inſtitutâ, ut electus in ſui electionem conſentire poſſit, & tranſeundi ad Prælaturam licentiam impetret, ut ſuprà dictum n. 3. Similiter ſe res habet in Cardinale non Epiſcopo, nullibi enim Jus Canonicum prohibet, ne Cardinalis ad Epiſcopatum aſſumatur, ſed ſolùm prohibetur, ut Cardinalis Epiſcopatum non acceptet, neque Eccleſiam Romanam, cui eſt obſtrictus, deſerat, ſinè imperrato conſenſu & licentiâ S. Pontificis, ſiquidem Cardinalis præſentia in Urbe plerumque utilior eſt, non ſolùm Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ Univerſali, quàm ſi in Eccleſia particulari reſideat, ut dicitur in c. Bonæ 3. h. t.

Non obſtat 1. Quòd in cit. c. Bonæ, Cardinalis dicitur poſtulatus in Archiepiſcopum; nam in cit. c. Eccleſia de elect. expreſsè Cardinalis dicitur electus, ergo, cùm correctio Jurium vitanda, & jura juribus concordanda ſint, prior textus intelligendus eſt de poſtulatione ſimplici, ſive non ſolemni, quæ revera eſt electio, & quodammodo ſeu impropriè tantùm poſtulatio, Abb. in cit. c. 3. n. 5. h. t.

Non obſtat 2. Quòd Cardinales etiam non Epiſcopi, ſed Presbyteri vel Diaconi ſint majores Epiſcopis, & ſaltem in Eccleſijs ſui Tituli quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant, ut ſuprà dictum tit. 2. n. 4. atqui Epiſcopi non poſſunt eligi ad alium Epiſcopatum, ergo nec Cardinales, ſed ſicut illi, ita & iſti poſtulari debent; præſertim quia indecens eſt, ut quis per electionem à majore dignitate ad minorem deſcendat, arg. c. 1. de translat. Epiſc. & c. Legimus 24. in fine. diſ. 93. neque conveniens eſt, ut quis à Cardinalatu deſcendat ad Epiſcopatum, qui dignitate inferior eſt. Sed reſpondetur cum Abbate in cit. c. Eccleſia n. 15. & 16. etſi Cardinales ſint majores Epiſcopis, ratione officij, nam conſtituunt unum Corpus cum Papa, & Coadjutores ejus in executione ſacerdotalis officij exiſtunt, c. Per venerabilem 13. §. Rationibus. Qui filij ſint legitim. Epiſcopi tamen ſunt majores Cardinalibus non Epiſcopis, ratione Ordinis Epiſcopalis, cùm non detur Ordo major Epiſcopatu, & ideo ipſe Papa, cùm ſe ab Ordine denominat, appellat ſe Epiſcopum, ut notatur in Procœmio Sexti. Deinde etiam dato, quòd Cardinalis eſſet ſimpliciter major Epiſcopo; nihilominus tamen Cardinalis Presbyter, vel Diaconus eligi poſſet in Epiſcopum, quia cauſa vera, cur Epiſcopus ad alium Epiſcopatum eligi non poſſit, non eſt illa, quòd eligendus debeat neceſſariò promoveri ad majorem dignitatem, etſi conveniens ſit, ut ita fiat, ſi commodè poſſit: ſed quia, cùm ſit ſpiritualis matrimonij vinculo alligatus ſuæ Eccleſiæ, non poſſunt Electores Canonici in ipſum conſentire, tanquam in ſponſum, niſi priùs ſolvatur à priore vinculo ſpiritualis conjugij, ut ſuprà dictum n. 9. quæ ratio ceſſat in Cardinale non Epiſcopo, in quem Electores Canonici conſentire poſſunt, quia cùm Epiſcopatum non habeat, non eſt ſpiritualis matrimonij vinculo copulatus ſuæ Eccleſiæ Titulari, tanquam ſponſus propriè ac ſtrictè dictus, adeòque non habet impedimentum Canonicum, quò minùs, citra diſpenſationem Superioris, ad Eccleſiam Cathedralem eligi poſſit. Nec refert, quòd Cardinalis ſit aſtrictus Eccleſiæ Romanæ; quia ex eo ſolùm ſequitur, quod ſinè licentia S. Pontificis (quam is denegare poteſt, ſi ita expedire videatur, ut factum eſt in caſu cit. c. Bonæ 3. h. t.) non poſſit eam deſerere, & in Epiſcopum Eccleſiæ particularis eligi: ſicut etiam Abbati non licet tranſire ad Epiſcopatum, Monaſterio ſuo deſerto, abſque Superioris licentia, & tamen in Epiſcopum eligi poteſt, c. Si Abbatem 36. de elect. in 6. ut poſtea dicetur.

XII. Ex dictis colligitur 1. Spectato antiquo Jure communi Canonico, Epiſcopatum & Cardinalatum eſſe incompatibiles in eadem perſona, niſi ex juſta cauſa S. Pontifex diſpenſet, ut tradit Abb. in c. Bonæ 3. n. 6. h. t. & Cajetan. 2. 2. q. 185. a. 5. Id- » que ſumitur ex cit. c. Bonæ 3. h. t. nam mortuo Ar- » chiepiſcopo Ravennenſi, Canonici quidam S. Pra- » xedis Presbyterum Cardinalem: alij verò Imolen- » ſem Epiſcopum poſtulârunt. Papa igitur Innocent. » III. auditis, quæ pro utraque parte poſtulatorum, » de facto & jure fuerant allegata, plura inſuper al- » legari curavit (quia Judex ſupplere poteſt ex offi- » cio, quæ partes, eorúmque advocati pro cauſæ ſuæ defenſione proponere omittunt, gl. hìc v. curavimus allegari) conſiderans autem Papa, quòd dicti Car- » dinalis præſentia utilior eſſet, non ſolùm Roma- » næ, ſed etiam univerſali Eccleſiæ, & conſequenter » etiam ipſi Eccleſiæ Ravennenſi, utilitatem com- » munem particulari, & maiorem minori præferen- » dam ratus, poſtulationi Cardinalis aſſenſum præ- » bere recuſavit. Idq; propter incõpoſſibilitatem reſi- » dendi in utraq; Eccleſia, Romanâ ſcilicet & Ravennenſi: nam Cardinalis debet aſſiſtere Romano Pontifici, eúmq; conſiliis adjuvare; & ſic præſentia illius in Urbe plerumque utilior eſt Univerſali Eccleſiæ: ſin autem Cardinalis reſideat Romæ, & abſit à ſua Eccleſia Cathedrali, non poteſt ei rectè præeſſe, ejúſque curam debitam gerere, ideòque Papa præferens utilitatem Eccleſiæ univerſalis, voluit, ut Cardinalis eſſet præſens in Curia Romana, & poſtulationem ipſi ad Archiepiſcopatum Ravennenſem non admiſit. Idque confirmatur tum ex Concil. Trident. Seſs. 23. c. 1. de reform. ubi in decreto de perſonali reſidentia Epiſcopi in Diœceſi, S. Synodus declarat, etiam comprehendi S. R. E. Cardinales: tum ex uſu & ſtylo Romanæ Curiæ, nam Cardinali, qui in Urbe reſidere debet, Papa non conſuevit Epiſcopatum conferre in titulum, ſed in commendam, ut ex illius fructibus decenter ſuſtentari valeat, teſte Fagnan. in cit. c. 3. n. 23 h. t. Excipitur, niſi Cardinalis obtineat Epiſcopatum ex illis ſex Urbi vicinis, quos facilè Cardinales Romæ reſidentes adminiſtrare poſſunt, ut notavit Azor p. 2. Inſtit. l. 7. c. 4. q. 6. & Fagn. c. l. n. 38.

Colligitur 2. Etſi cùm Cardinalis aſſumitur ad Epiſcopatum, ipſo facto vacare deberet, & amitti Cardinalatus, ſicut & alia beneficia incompatibilia, juxta c. De multa 28. de præbend. nihilominus tamẽ uſu & in praxi contrarium obſervari ſolet, nempe ut Cardinalis factus Epiſcopus Cardinalatum retineat, niſi Papa aliter diſponat, quia non decet, aliquem per electionem à maiore dignitate ad minorem devol-

vi,

vi, arg.c.1. de transl. Epiſc. Cardinalatus autem major reputatur dignitas, quàm Epiſcopatus vel Archi-epiſcopatus, Abb.c.l.& Laym. in qq. Canon. de Prælat.elect.q.11.

XIII. Quæritur 4. An alij Prælati Epiſcopo inferiores eligi poſſint, an verò poſtulari debeant? Reſpondetur, Prælati Epiſcopo inferiores, etiam Regulares, ad alterius Eccleſiæ ſimilem dignitatem, vel etiam ad Superiorem, ſeu Eccleſiam Cathedralem, ſive ea regularis ſit, ſive ſecularis, non debent poſtulari ſolemniter, ſed eligi poſſunt, dummodo conſenſus aut licentia Superioris accedat, c.Si Abbatem 36. de elect.in 6.& Clement.1. eodem. Ratio eſt, quia SS. Canones permittunt, ut alij Prælati Epiſcopo inferiores, etiam Regulares, ad Eccleſiam Cathedralem, cum licentia ſuorum Superiorum, aſſumi poſſint, Jo.Monach.in cit. c. Si Abbatem.n.1. ergo cùm nullum Canonicum impedimentum habeant, quò minùs eligi poſſint, nullóque jure eligi prohibeantur, nullâ hìc poſtulatione eſt opus, quippe quæ in defectum electionis eſt introducta, & in poſtulato impedimentum canonicum ſupponit ad dignitatem obtinendam, in quo neceſſarium eſt diſpenſare, ut patet ex ſuprà dictis n. 3.

§. III.

De Superiore, à quo fieri debet poſtulatio.

XIV. Quæritur 1. Cuius ſit Poſtulationem admittere, ſive à quo Superiore poſtulatio fieri debeat? Reſpondetur, poſtulatio fieri debet, & admitti poteſt ab eo Superiore, ad quem aliàs ſpectat Prælati confirmatio, dummodo ſuper impedimento, & defectu electionis diſpenſandi poteſtatem habeat: nam admiſſio poſtulationis vim confirmationis habet, ut ex communi tradit Abb.in c.fin. num. 10. h.t. Quare Epiſcopus ad alium Epiſcopatum à ſolo Papa poſtulandus eſt, quia ceſſio aut translatio Epiſcoporum numeratur inter cauſas maiores ſeu graviores, quæ ſoli Papæ reſervantur, c.Quòd translationem 4. de offic.leg.c.Maiores 3.de baptiſm.c.Ut debitus 59. in fine de appellat. Ad alias verò Eccleſias aut dignitates Epiſcopatu inferiores, etiam ab Epiſcopis, & ſimilibus perſonis Eccleſiaſticis poſtulatio fieri, & admitti poteſt, quibus poteſtas confirmandi competit, & quæ diſpenſare poſſunt in defectu, ob quem fit poſtulatio, nam qui diſpenſare non poteſt, nec poteſt poſtulationem admittere, cùm in illa requiratur diſpenſatio, Sylv.v.poſtulatio.q.5. Exempli causâ, ſi minor xx. annis, vel iuxta Concilium Tridentinum, minor xxii. annis ad dignitatem, cui cura animarum non eſt annexa, v.g. Præpoſituram ſecularem, fuerit poſtulatus, non poteſt Epiſcopus eam poſtulationem admittere, quia is non poteſt diſpenſare in defectu ætatis, Jure communi Canonico, requiſitæ ad Ordines, vel beneficia, ut colligitur ex c. unic. de ætat.& qualit.ord.præfic.in 6. & Concil. Trident. Seſſ.24.c.12.de reform.

XV. Quæritur 2. An Superior poſſit poſtulationem ſibi præſentatam rejicere, ſive non admittere? Reſpondetur, Superior non tenetur ex obligatione juſtitiæ ſtrictè ſumptæ, admittere poſtulationem, etiamſi idoneus quiſpiam, & unanimiter, vel à duabus partibus Capitularium ad Prælaturam poſtulatus ſit, ſed poteſt poſtulationem, abſque cuiuſquàm injuria, rejicere, cùm per illam nullum jus poſtulantibus, vel poſtulato ſit acquiſitum, aut actio propriè dicta, etiamſi unanimiter facta ſit, gl.in c.Bonæ.3.v.gratia.h.t. Hoſtienſ. in ſumma eod. num. 12. Greg.Tholoſan.tract. de elect. c.2. n. 11. contra Abbat.in c.5. h.t. n. 2. & Jo. Andr. in c. Cùm Monaſterium.13.n.7.de elect. Idque ſumitur ex c. Poſtulationem. 5. h. t. Nam cùm Capitulum Strigonienſe Archiepiſcopum Colocenſem unanimiter poſtulâſſet, ſed aliqui ſe opponerent, allegantes, ſe eſſe contemptos, ſeu non vocatos, ut apparet ex præced. Cap.in princip. Re delatâ ad Papam Innocentium III. is reſcripſit: licèt per huiuſmodi poſtulationem nullum jus ſit alicui acquiſitum, ideóque eam ſinè alicuius præjudicio rejicere poſſet: tamen ex ſpeciali gratia ita ſe voluiſſe providere, ut utraque pars Capitularium diſcordantium per idoneos Procuratores ad omnia ſufficienter inſtructos coram Papa ſe præſentet, & utrâque præſente, quod juſtum fuerit, decernatur.

Ex quo patet, quòd poſtulatio etiam concorditer facta, vel ſaltem à duabus partibus Capituli, à Superiore, abſque cuiuſquam præjudicio ſeu injuriâ repelli, ſive non admitti poſſit, cùm per eam nullum jus ſit alicui acquiſitum, ut expreſsè in textu dicitur: nam alioquin, ſi talis poſtulatio, etſi unanimiter facta, ſinè injuria, rejici non poſſet, prout vult Abb.hîc. n.2. tum Capitulares Strigonienſes juſtè à Papa exigere potuiſſent, ut præmiſsâ cauſæ cognitione, hanc ſuam poſtulationem, quippe unanimiter & legitimè factam admitteret, nam illi, qui jus electionis ſibi competere, aſſerebant, & ſe poſtulationi opponebant, eò quòd non eſſent vocati, nō erant è Capitulo Strigonienſi, ideóq; hoc negavit eorum prætenſionem, ut rectè notavit Laym. hîc. ubi etiam addit, quòd Pontifex ob duas cauſas poſtulationem hanc juſtè rejicere potuiſſet, 1. Quia, cùm aliqui ſe illi opponerent, allegantes, ſe eſſe contemptos, priùs de hac re cognoſci debuit, ſi illi contradicere poſtulationi pergerent, & interea differri proviſio novi Archiepiſcopi. 2. Quia cùm magìs decens ſit & conveniens, ut Epiſcopus vel Archiepiſcopus tranſeat ad maiorem dignitatem, quàm ad æqualem, ideo Papa non facilè admittit talem poſtulationem, ut Archiepiſcopus à ſua Eccleſia tranſeat ad aliam Eccleſiam Metropolitanam, quare & ait hîc Papa, quòd licèt eam poſtulationem, ſinè ullius præjudicio, rejicere poſſet, tamen ex ſpeciali gratia Capitularibus conſulendum duxerit, ut utrâque parte præſente, quod juſtum fuerit, decernat.

XVI. Porrò ratio, cur Superior non tenetur, ex obligatione juſtitiæ propriè dictæ, admittere poſtulationem etiam concorditer factam, eſt, quia tota admiſſio poſtulationis nititur gratiâ Superioris, ut patet tùm ex c.Bonæ 3.ibi. *non tam ex juſtitia, quàm ex gratia*, & cit.c.pen.h.t. tum ex eo, quia gratiam diſpenſationis continet, cùm in poſtulato ſemper ſit impedimentum, ſeu inhabilitas ad Prælaturam obtinendam, in qua Superior diſpenſare debet: omnis autem diſpenſatio Superioris in impedimento, vel defectu, non ex juſtitiæ debito propriè, ſed ex gratia pro-

procedit, cùm jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam, tanquam ſibi debitam: ergò per poſtulationem nullum acquiritur jus poſtulantibus, vel poſtulato, & conſequenter nulla etiam illis irrogatur injuria propriè dicta, etiamſi rejiciatur quævis poſtulatio à Superiore, ac proinde hic non tenetur ex debito juſtitiæ illam admittere. Veruntamen ex debito officij Prælatus tenetur admittere poſtulationem factam ob neceſſitatem vel utilitatem Eccleſiæ, concorditer à Capitulo, vel duabus partibus Capituli, quia ex officio obligatur publicum Eccleſiæ bonum promovere, & non impedire: ſicuti etiam Prælatus, ratione officij, tenetur diſpenſare in votis, irregularitatibus &c. ſi urgens cauſa, præſertim publicæ neceſſitatis vel utilitatis ſubſit, Laym. in qq. Canon. de Prælat. elect. q. 8. Quare ſi Prælatus inferior, habens poteſtatem diſpenſandi in defectu, poſtulationem legitimam, quæ ſcilicet concors eſt, & juſtâ cauſâ ſubnixa, rejiciat & admittere nolit, poſſunt poſtulantes ſuperioris Prælati officium implorare, ut recuſantem compellat admittere, gl. in cit. c. Bonæ 3. V. Gratia, arg. c. Nullus 17. de jure patronat. Abb. ibid. n. 15. quod remedium implorandi officij Judicis ordinariè datur, quando actio propriè dicta deficit, juxta c. 1. de offic. judic. & gl. cit. Aliter verò hoc Cap. intelligit & explicat Abb. hîc n. 2. & Imol. n. 1. nempe quòd iſte textus procedit, quando poſtulatio nõ eſt facta in concordia, vel ſaltem à duabus partibus Collegij, tunc enim à Superiore rejici poteſt, ſinè alicuius præjudicio, &, ſi admittatur, ob utilitatem vel neceſſitatem Eccleſiæ, cenſenda eſt gratia ſpecialis. Secus verò dicendũ eſt, ſi poſtulatio concors ſit, vel ſaltem à duabus partibus Capituli facta; tunc enim talis poſtulatio, ſinè injuria poſtulantium & Eccleſiæ, in qua fit poſtulatio, rejici non poteſt: quamvìs nihilominus admiſſio talis poſtulationis cenſeatur gratia generalis, id eſt, talis, qualem Superior communiter, ratione officij ſui, facere ſolet. Verùm hæc expoſitio non congruit litteræ textûs; nam in hoc c. ſermo eſt de poſtulatione facta à Capitulo Strigonienſi, quod Archiepiſcopum Colocenſem unanimiter poſtulavit in Archiepiſcopum ſuæ Eccleſiæ Metropolitanæ, ut patet ex c. præcedente, & ex ſuprà dictis; & tamen Papa ait, quòd potuiſſet eam, ſinè præjudicio alicujus, repellere, ergo etiam poſtulatio concorditer facta, ſinè injuria cujuſquam, à Superiore rejici poteſt.

§. IV.

De iis, qui habent ius, ſive poteſtatem poſtulandi.

XVII. Quæritur 1. Quinam poſtulare poſſunt? Reſpondetur, omnes, qui eligere, ijdem etiam poſtulare poſſunt, prout ſumitur ex c. Bonæ 4. §. Cæterum h. t. nempe Canonici Capitulares, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quibus jus eligendi Prælatum de jure vel conſuetudine competit, Hoſtienſ. in ſumma n. 9. h. t. Sylveſt. v. Poſtulatio q. 4. Ratio eſt, quia poſtulatio eſt acceſſoria ad electionem, & neceſſariò ei connexa, cùm ad eundem finem tendat, & in ſupplementum electionis inventa ſit, ut ſi quiſpiam eligi non poſſit, ob impedimentum canonicum, & tamen alioquin idoneus eſſet ad Prælaturam, ſaltem poſſit poſtulari & diſpenſativè admitti. Quare jus poſtulandi regulariter non acquiritur, ſinè jure eligendi, & ijſdem modis, quibus hoc obtinetur, acquiritur etiam jus poſtulandi, quippe acceſſorium: ac proinde acquiſito jure eligendi, vi præſcriptionis ſeu diuturnæ conſuetudinis, cenſetur etiam acquiſitum jus poſtulandi, ut docet Abbas in cit. c. Bonæ 4. num. 4. Et hinc, ſi extraneus, qui non eſt è Corpore Eccleſiæ, ſeu Capitulo, admittatur, unâ cum Capitularibus, ad electionem Prælati, non velut ex mera gratia, ſed tanquam jus ipſi competat, v. g. ratione dignitatis ſuæ, poterit is tempore longiſſimo (nimirum 40. annis, cum titulo colorato, vel tempore immemoriali ſinè titulo, juxta c. 1. de præſcript. in 6. quia tali caſu Jus commune reſiſtit, ſeu præſumptio eſt contra poſſidentem extraneum, qui non eſt de Capitulo, adeóque requiritur titulus, ſive ſcientia & patientia Capitularium, ſinè qua non acquiritur hujus juris poſſeſſio, Abb. in cit. c. Bonæ n. 20. & quæ eſt loco tituli) cum bona fide, id eſt, credens, ſibi jus competere, non tantùm jus eligendi, ſed etiam poſtulandi acquirere, in cujus quaſi poſſeſſione fuit, non quidem directè, & ſecundùm ſe, cùm occaſio non occurrerit poſtulandi, ſed ex conſequenti, & ratione alterius, videlicet juris eligendi, cui jus poſtulandi acceſſorium eſt, & ordinariè connexum, Abb. c. l. arg. c. Cùm in tua 40. de decimis, ubi dicitur, quòd præſcribenti jus decimandi in certa terra, debeantur omnes fructus, qui percipi poſſunt ex illa terra, licèt currente tempore præſcriptionis, ſolùm decimas acceperit ex certis fructibus, quia alij fructus non fuerunt inde collecti. Imò etiam breviori tempore, quàm 40. annis acquiri poteſt jus eligendi, & per conſequens etiam poſtulandi, interveniente tacito conſenſu Capitularium ſponte admittentium extraneum, ſinè ulla proteſtatione, nam *qui tacet, conſentire videtur*, reg. 43. in 6. ſi, cùm poſſet, ac deberet, non contradicat, arg. c. 2. de confeſſ. in 6. Laym. in cit. c. Bonæ 4. n. 2. & in qq. Canon. de elect. q. 5. Neque obſtat, quòd præſcriptio, cùm ſit ſtricti juris, ab uno caſu ad alium non ſit extendenda, non enim plus aliquis præſcribit, quàm poſſeſſione acquiſivit; Nam illa regula non habet locum in ijs, quæ neceſſariò connexa ſunt, tanquam ordinata ad eundem finem, uti ſunt electio & poſtulatio, jus enim eligendi ordinariè ſecum trahit jus poſtulandi, adeò, ut, cuicunque jus eligendi competit, eidem etiam poſtulatio conceſſa ſit, Abb. in c. Cùm olim 18. n. ult. de præſcript.

Aliud verò eſt, ſi extraneus, qui non eſt de Capitulo, ad electionem Prælati admiſſus fuiſſet; non autem ad poſtulationem, ſed ab illa, ſi quando ſe obtulit occaſio, excluſus fuiſſet: tunc enim is, poſt curſum temporis legitimi, jus eligendi tantùm, non item poſtulandi præſcripſiſſet, ſicut in exemplo ſuprà allato, ſi ex terra decimis obnoxia alij fructus percepti fuiſſent, ex quibus non fuiſſent decimæ ſolutæ præſcribenti, tum is, quoad illos fructus, jus decimandi non præſcripſiſſet, Abbas in cit. c. Bonæ 4. num. 4. h. t.

XVIII. Quæritur 2. Quot ſuffragia poſtulantium requirantur, ut à Superiore poſtulatio ſit admit-

Digitized by Google

admittenda? Reſpondetur, ſi poſtulatio non concurrat cum electione alterius in diſcordia, ſed ſola fiat, quia quidam Capitulares unum, alij alium poſtulant; tum ſufficit, quòd facta ſit à majore parte Capituli, ut admitti poſſit à Superiore ex gratia ſpeciali, etiam invitâ parte minore; ut conſtat ex cit. c. Poſtulationem h. t. & docet Abb. in c. Bonæ 3. n. 12. h. t. Ratio eſt, quia ordinariè ad geſta Capituli ſufficit, ut major pars conſentiat, c. 1. De his, quæ fiunt à major. part. Capit. & quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint, l. Quod major 19. ff. ad municip. Si verò poſtulatio concurrat cum electione alterius in diſcordia, ita ut unus ab una parte Capituli poſtuletur, alius ab aliâ parte eligatur; tunc ut poſtulatio præferatur, & prævaleat electioni, requiritur, ut numerus poſtulantium ſit duplò major numero eligentium, adeóque ut duæ partes Capituli in poſtulationem perſonæ idoneæ conſenſerint, c. Scriptum 40. de elect. & ibi Abbas n. 13. & 14. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 13. Sylv. V. Poſtulatio q. 7. Ratio eſt, quia poſtulatio eſt via providendi extraordinaria, & nititur gratiâ, nec ullum jus tribuit poſtulato, qui defectu aliquo canonico laborat: electio verò eſt via providendi ordinaria, & jure nititur: ideo plura plerumque requiruntur ad poſtulationem, quàm electionem: niſi poſtulatio facta ſit à duabus partibus Capituli, tunc enim præfertur electioni factæ à tertia parte, quia duæ partes Capituli totum Capitulum repræſentant, & quod duæ partes faciunt, id totum facere videtur, cùm potentia Capituli ſeu Univerſitatis, velut tota in duabus partibus reſideat, l. Nulli 7. & l. ſeq. ff. quod cujuſque univerſ. nom. & c. Cùm nobis 19. ſecundùm integram ejus lectionem de elect.

Quòd ſi denique duæ partes Capituli in poſtulationem alicujus non conſenſerunt, ſed major tantùm pars poſtulârit, minor alium elegerit, tum ſi utraque & poſtulatio, & electio Superiori præſentetur, is poteſt pro arbitrio, conſideratis circumſtantijs & qualitatibus perſonarum, vel poſtulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò, ut ne electo quidem hoc caſu jus aliquod acquiratur, ante conſenſum à confirmatore præſtitum: nam licèt aliàs regulariter potentia Capitularis non poſſit reſidere in minore parte Capituli præſentis; ſi tamen poſtulantes, qui duas partes Capituli non faciunt, unâ cum electione facta à minore parte aliorum Capitularium, poſtulationem ſuam Superiori præſentent, eo ipſo tacitè cenſentur conſentire, ut vel poſtulatio ipſorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur, quandoquidem ſciunt, quòd poſtulatio, quæ concorditer ab omnibus, vel ſaltem à duabus partibus Capituli facta non eſt, non admittatur, niſi ex gratia ſpeciali, juxta c. pen. h. t. Laym. in cit. c. Bonæ 3. num. 5. & in qq. de Prælat. elect. quæſt. 7. Debet autem electio, ut præferatur poſtulationi factæ à minore parte Capitularium, quàm à duabus partibus, eſſe facta à majore parte, quàm ſit tertia, juxta c. Scriptum 40. de elect.

XIX. Similiter Poſtulatio, quæ fit à minore, quàm tertia parte Capituli, non eſt à Superiore admittenda, prout habetur in c. Bonæ 3. §. Atten-
» dentes h. t. ubi Papa Innoc. III. conſiderans, quòd
Epiſcopus Imolenſis à minore, quàm tertia parte »
Canonicorum poſtulatus fuerit, poſtulationem e- »
jus rejecit, cùm Apoſtolica Sedes hujuſmodi po- »
ſtulationes in tam magna diſſenſione & contradi- »
ctione recipere non ſoleat. Quin imò, etſi aliquis »
unanimi conſenſu poſtuletur, poſtulatio tamen, »
non tam ex juſtitia, quàm ex gratia admittitur. »
Quare mandat idem Pontifex, ut ij, quibus jus ſuf- »
fragij competit (rejectâ tum Cardinalis, tum Epi- »
ſcopi Imolenſis poſtulatione) denuo ad canonicam »
electionem, poſtulationem, vel nominationem »
faciendam conveniant. »

Ubi notandum 1. Quòd poſtulatio facta à majore parte Capituli, ſi non concurrat electio, valeat, & admitti poſſit à Superiore, ut ſuprà dictum, quia hîc ſolùm dicitur, quòd non conſueverit admitti à Sede Apoſtolica poſtulatio facta à minore, quàm tertia parte, ergo à contrario ſenſu facta à majore parte Capituli admitti poteſt & ſolet, Abb. in cit. c. Bonæ 3. n. 12. h. t.

Notandum 2. Tres in fine hujus c. aſſignantur modi providendi Eccleſiæ vacanti, videlicet per electionem, poſtulationem, vel nominationem; ubi Fagnan. à n. 57. uſque ad finem plures aſſignat differentias nominationis ab electione, & poſtulatione, quarum præcipua eſt, quòd electio, vel poſtulatio fit de uno tantùm; nominatio verò fit de pluribus, quando ſcilicet duo vel tres excellentiores, qui ſunt in aliqua Eccleſia vel Collegio, nominantur Papæ, eique ſupplicatur, ut uni ex illis dignetur providere de Prælatura vacante, Hoſtienſ. hîc in fine, & Abb. n. 8. & n. ult. Fagnan. ibid. num. 68. & 79. Atque hæc dicitur nominatio ſolemnis; nam alia eſt non ſolemnis, quæ fit ante ſcrutinium, quando ſcilicet unus vel plures nominantur & proponuntur tanquã præ cæteris eligibiles, & poſtea fit ſcrutinium de illis, & qui majorem partem ſuffragiorum habet, eſt electus, Abb. c. l. & Fagn. c. l. Verùm de nominatione plura infrà tit. ſeq.

XX. Quæritur 3. An poſtulantes variare poſſint, ſeu recedere à poſtulatione? Reſpondetur, poſtquam poſtulatio ſubſcriptionibus poſtulantium roborata, & Superiori præſentata eſt, non poſſunt poſtulantes variare, ſive ab illa recedere, ſed illius judicium expectare debent. At verò ſi poſtulatio nondum ſit præſentata Superiori, quamvìs ſcrutinium apertum ſit, vel etiam nuncius ad Superiorem deſtinatus, poſſunt poſtulantes variare, ſeu reſilire à poſtulatione, Abb. in cit. c. Bonæ 3. n. 8. & in c. Bonæ 4. n. 10. & 11. h. t. ubi generalem regulam tradit, quòd variare, ſive conſilium mutare licet, ſi jus alteri nondum acquiſitum eſt; poſteaquàm verò acquiſitum, variare non licet, juxta reg. 33. In 6. *mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum.* Joan. Andr. ibid. n. 8. Hoſtienſ. in ſumma n. 12. eod. tit. contra gl. in c. pen. V. Nullum, & c. ult. V. Permiſſione h. t. Utraque pars ſumitur ex cit. c. Bonæ 4. h. t. nam mortuo Archiepiſcopo Strigonienſi, Ca- »
nonici illius Eccleſiæ unanimiter poſtulârunt Ar- »
chiepiſcopum Colocenſem. Sed Epiſcopi ſuffra- »
ganei huic poſtulationi ſe oppoſuerunt, eò quòd »
ipſis contemptis, qui jus eligendi, unâ cum Capitu- »
laribus, habebant, poſtulatio eſſet attentata. At »
verò nuncij à Capitulo ad Papam Innocent. III. »

» miſſi propoſuerunt, quòd ex gratia ſolùm ab illis
» Epiſcopis aſſenſus ſuper præficiendo novo Paſtore
» ſæpe fuerit requiſitus, ſed nullum ab eiſdem con-
» ſilium, vel reſponſum ſit datum. Cùm igitur hæc
» nûncij proponerent, & adverſarij quædam a-
» lia contra poſtulationem objicerent, quia de his
» non conſtirit Papæ, is reſpondit, ut ſi Capitulnm
» poſtulationem proſeqni velit, & ſuffraganei in
» contradictione perſiſtant, procuratores idoneos ad
» Sedem Apoſtolicam mittat: ſin autem illi à con-
» tradictione ceſſent, & Canonici velint in ſuo pro-
» poſitn permanere, hi perſonas idoneas nibilomi-
» nus mittant, à quibus Papa poſſit informari (de
» modo poſtulandi, & perſonâ poſtulatâ, an ſit ido-
» nea, gl. bîc. V. Certiores) ſi verò ſuffraganeis in
» contradictione perſiſtentibus, Canonici diffidant
» de jure ſuo, tunc aliam perſonam idoneam ſibi ca-
» nonicè provideant in paſtorem: Et hoc fuit pri-
» mum mandatum. Poſtea verò aliqui Canonici à
» poſtulatione, quam Pontifici præſentârunt, temerè
» recedentes, alijs in eadem perſiſtentibus, Epiſco-
» pum Quinqneecclesienſem in Arcbiepiſcopum
» poſtulârunt. Sed Papa poſtulationem banc non
» admiſit, quippe in diſcordia, non ſolùm Suffraga-
» neorum, ſed etiam Canonicorum factam, & con-
» tra formam mandati ſui: ideóque denuo mandat
» Capitulo Strigonienſi, ut ad providendum ſibi
» Paſtorem idoneum, per electionem canonicam
» vel poſtnlationem concordem (requiſiro Suffra-
» ganeorum aſſenſu, ſi ex antiqua & approbara con-
» ſuetndine eſſet requirendus) procedant; alioquin
» ipſum Papam Eccleſiæ illi viduatæ eſſe proviſurum
» Paſtorem (ſi ſcilicet ipſi non providerent intra
» terminum præfixum:) Verùm Canonici, ante-
» quam boc ſecûdum mandarum accepiſſent, adhæ-
» rentes priori mandaro, cum Suffraganeis Epi-
» ſcopis in concordiam venerunt, excepto Epiſcopo
» Quinqneeccleſienſi. Cùm autem ſecundum man-
» datum Papæ adveniſſet, magìs diſcordes facti ſunt,
» nam, qui primò Archiepiſcopnm Colocenſem po-
» ſtulârunt, adjunctis ſibi quibnſdam aliis Canoni-
» cis, eandem poſtulationem renovârunt: alij verò,
» qui Quinqueeccleſienſem Epiſcopum poſtulârunt,
» convenientes in unnm, cæteros Canonicos ad Ca-
» pitulum convocârunt, nt iuxta mandarum Apoſto-
» licum, ad poſtulationem concordem, vel electionẽ
» canonicam procederent. Sed illis nolentibus ve-
» nire, ipſi, qni vocârnnt, exiſtimantes poteſtatem e-
» ligendi, eò qnòd alij jus ſuum proſequi neglige-
» rent, penes ſe tantùm remanere, prædictum Quin-
» queeccleſienſem Epiſcopum denuò poſtulârunt.
» Ad id reſcribir Innocent. Papa, eorum diſcordiam,
» qui alium poſtulârunt, nibil nocere, quia ipſi priùs
» Archiepiſcopum Colocenſem cnm aliis poſtulâ-
» runt, eámqne poſtulationem propriis ſubſcriptio-
» nibus Canonicorum poſtulantium roboratam ad
» Papam tranſmiſerunt ab eo confirmandam, quam
» etiam Papa admiſit, unde non potuerunt poſtea ab
» illa recedere, vel conſenſum ſuum mutare: ſi enim
» poſteaquam poſtulatio ſubſcriptione poſtulantiũ
» munita, & Papæ oblata eſt, ab ea recedere illi poſ-
» ſent, poſtulantes frequenter Pontifici illnderent,
» ipſiúsque judicium ex eorum arbitrio pendêret;
» conſideravit quidem Pontifex, quòd non ſolùm
poſtulationem Epiſcopi Quinqueeccleſienſis, ſed »
etiam alteram poſtularionem Archiepiſcopi Co- »
locenſis rejicere, & ipſemet Eccleſiæ Strigonienſi »
paſtorem providere poſſet, vi poſterioris mandati »
Pontificij, quo præcipiebatur Capitulo Strigoni- »
enſi, ut ad novam canonicam electionem, vel con- »
cordem poſtulationem procederent: illi verò, eo »
mandato accepto, nec canonicè elegerunt, nec con- »
corditer poſtulârunt, ſed in poſtulâdo magìs, quàm »
priùs, diſcordes fuerunt: quia tamen plenum de »
perſonis in regno Ungariæ Papa notitiam non ha- »
bebat, neque etiam expedire putabat, alienigenam »
ſive extraneum ipſis in paſtorem præficere, ideo »
poſtulationem ipſorum admittendam eſſe, judica- »
vit. »

Quamvìs verò ex una parte honeſtius eſſet, ſi ſuf- »
fraganeus Epiſcopus ad Metropolim ſuam pro- »
moveretur, quàm ut Archiepiſcopus ad alium Ar- »
chipiſcopatum transſerretnr (quia potiùs à mino- »
re ad majorem dignitatem aliquis eſt promovendus, quàm à pari ad parem transferendus, c. Legimus 24. in fine diſ. 93. l. Ut gradatim. 11. ff. de munerib. gl. hîc. v. honeſtius) ex altera ramen parte conſultius vi- »
debatur, partem potiorem poſtulantium ſequi, a- »
deòque Archiepiſcopum Colocenſem (qnippe in »
qnem omnes, quorum ſuffragia in electione vel po-
ſtulatione paſtoris requirebantnr, licèt diverſis tem-
poribus, conſenſerunt) ab Eccleſia ſua liberatum, »
ad Metropolim Strigonienſem transferre, & ei »
licentiam tranſeundi dare, quod vigore barum lit- »
terarum Papa fecit, & promiſit Archiepiſcopale »
pallinm ſe poſtea pro uſu eiuſdem Eccleſiæ ei »
tranſmiſſurum. »

XXI. Hinc infertur 1. Quòd poſtnlantes non poſſint à poſtnlatione recedere, poſtquam ea Superiori præſentata fuit, ut expreſsè habetur in cit. c. §. Nec obſtabat, ubi etiam ratio redditur, *quia, ſi poſſunt recedere poſtulantes, nobis frequenter illuderent, & judicium noſtrum ab eorum pendère arbitrio videretur*, quod eſſe non debet, gl. hîc V. illuderent.

XXII. Infertur 2. Si poſtulatio nondum ſit præſentata ſuperiori, etiam poſt ſcrutinium publicatum, à poſtulatione reſilire conceſſum eſt, vel nuncium ad Papam miſſum revocare, nt colligitur ex cit. c. Bonæ. §. Nec obſtabat, argumento à contrario ſenſu ducto, ſi enim poſt præſentationem poſtulationis factam Snperiori, poſtulantes ab ea recedere non poſſunt, ergo ante illam poſſunt recedere, quia tunc ceſſat ratio, ob quam poſt præſentationem recedere, ſive variare non poſſunt. Ratio autem eſt, quia poſtulatio nullum jus tribuit poſtulato, cùm inhabilis ſit, ideòqne ſinè injuria illius revocari poteſt, ſicut etiam ſinè injuria Snperioris, ſi ei nnndnm facta ſit illius præſentatio.

Aliud eſt de electione, per quam acquiritur jus electo, & cùm actus electionis procedat ſecundùm Jus commune, ex debito officij præſtatur à Capitularibus, ideóque, ſi is ſemel legitimè ſit præſtitus, non licet deinde reſilire, aut eum revocare, c. Publicato 58. de elect. de quo infrà. At verò actus poſtulandi tendit ad gratiam diſpenſationis obtinendam, quam nemo petere cogitur, & plerumque permiſſum eſt redire ad Jus commune, quippe quod favorabile eſt, Abb. in cit. c. Bonæ. 4. n. 11. & ibid. Laym. n. 7. Porrò

ſi

ſi Superior & poſtulantes inter ſe conveniant, ut poſtulatio revocetur, etiam poſtquam ea præſentata eſt, ab ea recedere licet, ut colligitur ex cit.c.Bonæ, ubi poſtulatio erat præſentata Papæ, & tamen is dedit poteſtatem ab ea recedendi, ſub certa conditione, ſi diffiderent de jure ſuo, nec habet poſtulatus, quòd conqueratur, cùm nullum jus ſit ipſi acquiſitum. Abb.hîc.n.12.

XXIII. Infertur 3. Sicut electio, quæ peracta eſt, aliquo ex ijs, quibus jus eligendi competit, contempto, ſive non vocato, irritanda eſt, c.Bonæ.36. de elect. ut infrà dicetur: ita etiam poſtulatio, quæ facta eſt, non vocato eo, qui exiſtit in poſſeſſione juris eligendi vel poſtulandi, ad petitionem eius reſcindi debet, uti ſumitur ex cit.c. Bonæ 4. juncta gl. v. eis contemptis h. t. Abb.ibid.n.5. ſive is, qui fuit contemptus, debuerit intereſſe & vocari de jure communi, ſive ex jure ſpeciali, v.g. conſuetudinis, Abb. ibid.n.6. Ratio eſt, quia electio & poſtulatio in jure æquiparantur, quoad jus ſuffragij, ideóque quod de uno ſtatutum eſt, cenſetur etiam ſtatutum de altero. Neque obſtat, quòd valet poſtulatio facta à duabus partibus Collegij, nam etſi valeat, poteſt tamen, ſi vel unus ex ijs, quibus jus poſtulandi competit, ad petitionem illius, reſcindi, ſi eo abſente & non vocato facta ſit, Abb.c.l.n.25. & 26.

XXIV. Infertur IV. Qui exercet aliquod jus ex gratia, non acquirit poſſeſſionem illius juris, ideóque, ſi poſtea non admittatur ad exercitium illius juris, non poteſt dicere, ſe eſſe ſpoliatum, nec reſtituendus eſt, cùm non poſſederit, & qui gratiam conceſſit, poteſt, quandocunque vult, illam revocare; ut in propoſito caſu cit. c.Bonæ.4. h t.ſi conſtaret, vel probari potuiſſet, quòd Epiſcopi ſuffraganei ex gratia ſolùm vocari ſint, vel admiſſi ad electionem vel poſtulationem Archiepiſcopi, nec jus eligendi vel poſtulandi, nec poſſeſſio, vel aliud aliquod commodum ex eo ipſis acquiſitum fuiſſet, gl. hîc V. de gratia & Abb. n. 6. not. 6.

XXV. Infertur 5. Non poſſunt, ſalvâ conſcientiâ, promoveri ad Prælaturam illi, de quibus promoventes plenam notitiam non habent, quòd ſint idonei, uti ſumitur ex hoc c. ibi: *Quia verò non plenam de perſonis illius regni notitiam habebamus*, nam alioquin grave detrimentum Eccleſiæ inferri poſſet, Abb. hîc n. 15.

Infertur 6. Etſi decens ſit, & conveniens, ut ad Prælaturam aſſumatur, non extraneus, ſed aliquis ex ejuſdem Eccleſiæ corpore, ſi idoneus adſit, ut colligitur ex cit. c. Bonæ, ibi: *Nec vellemus præficere alienum*, & ibi gl. V. Alienum, & c. Nullus 13. diſ. 61. poteſt tamen etiam ex alia Eccleſia perſona idonea eligi vel poſtulari, ſi ita Eccleſiæ utile eſſe videatur, quia, cùm id principaliter in favorem Capitularium cedat, huic ſuo juri ac favori renunciare poſſunt, Laym. in cit. c. 4. n. 9. de quo plura infrà.

XXVI. Infertur 7. Etſi honeſtius erat, ut in caſu cit. c. 4. h. t. Epiſcopus Suffraganeus Quinqueeccleſienſis promoveretur ad ſuam Eccleſiam Metropolitanam, adeóque à minore ad majorem, quàm ut Archiepiſcopus Colocenſis transferretur ad aliam Eccleſiam Metropolitanam, ſive à pari ad parem: quia tamen ipſe ab omnibus, qui jus poſtulandi habebant, poſtulatus fuit, licèt diverſis temporibus conſenſiſſent, ideò potiùs ille ad Metropolim transferendus fuit, Abb. hîc n.17.

§. V.

De pœna Poſtulantium indignum.

XXVII. Aſſertio 1. Qui ſcienter ad Prælaturam poſtulant indignum, propter vitium ſeu defectum indiſpenſabilem, pro ea vice, ipſo jure ſeu facto privati ſunt poteſtate poſtulandi & eligendi, ita docet gl. in c. 1. V. Privare h. t. & ibid. Joan. Andr. & Abb. n. 31. & alij communiter. idque colligitur ex cit. c. 1. & expreſſiùs habetur etiam in c. 2. h. t. & in c. Scriptum 40. in fine de elect. & dictum ſuprà n. 7. h. t. Ratio eſt, quia ita ſtatutum eſt de eligentibus ſcienter indignum in c. Cùm in cunctis 7. §. fin. de elect. quæ conſtitutio Concilij Lateranenſis, ſub Alexandro III. etſi pœnalis, ab Innocentio III. in c. 1. in fine h. t. extenditur ad ſcienter poſtulantes indignum, nempe eos ipſo jure, pro ea vice, privatos eſſe poteſtate poſtulandi vel eligendi, ſicut ſcienter eligentes indignum: ubi non tam jus novum condidit, quàm vetus interpretatus eſt. Nam quamvis aliàs regulariter pœnæ, tanquam odioſæ, non ſint extendendæ, ſed potiùs reſtringendæ, juxta reg. juris 15. & 49. in 6. quia tamen electio & poſtulatio in jure æquiparantur, quippe quæ tendunt ad eundem finem providendi Eccleſiæ vacanti, ideo in materia etiam pœnali, diſpoſitum de uno cenſeri debet etiam diſpoſitum, ſive ſtatutum eſſe de altero in eo, in quo ſunt æquiparata, ſecundùm doctrinam gloſſæ communiter receptam in c. Si poſtquam 33. V. Proviſione de elect. in 6. & docet etiam Navarr. in c. Pœnæ 18. n. 12. & 14. diſ. 1. de pœnitent. Laym. in cit. c. 1. n. 5. h. t. Porrò etſi per ſponſalia perveniatur ad matrimonium, & utraque ad eundem finem tendant, ideóque, ſi prohibitum vel irritum ſit matrimonium inter certas perſonas, hoc ipſo etiam cenſentur prohibita vel irrita ſponſalia, l. Oratio 16. ff. de ſponſalib. non tamen propterea pœna decreta contrahentibus matrimonium prohibitum extenditur etiam ad contrahentes ſponſalia prohibita, ut fatetur etiam Abb. c. l. n. 32. quia electio & poſtulatio in jure æquiparantur etiam quoad pœnas, idque jure expreſſum eſt, non item matrimonium & ſponſalia.

XXVIII. Aſſertio 2. Sed & ij, qui poſtulationem perſonæ indignæ temerè factam, & à Superiore ob vitium perſonæ caſſatam, ſeu reprobatam renovant, aut repetunt, ſunt ipſo jure, pro ea vice, eligendi & poſtulandi facultate ſibi conceſſâ privati, ut conſtat ex c. Gratum 2. h. t. nam poſtquam Papa
Innocent. III. poſtulationem Epiſcopi Altiſſio- »
dorenſis à Senonenſibus Canonicis factam rejeciſ- »
ſet, prout habetur in c. 1. h. t. iique Apoſtolicas »
litteras caſſationis fraudulenter ſuppreſſiſſent, Le- »
gatus Sedis Apoſtolicæ Cardinalis mandavit, ut ad »
canonicam electionem iterum convenirent, & pro- »
cederent. Sed plures Canonici poſtulationem à »
Papa caſſatam, ſeu rejectam innovare nitentes, »
eundē Epiſcopum Altiſſiodorenſem denuo poſtulâ- »
runt: alij verò numero pauciores Epiſcopum Ca- »
meracenſem in Archiepiſcopum Senonenſem po- »
ſtulâ-

Digitized by Google

» ſtulârunt. Legatus verò cùm intellexiſſet, Canonicos, » qui poſtulationem à Papa reprobatam re- » novare præſumebant, eligendi & poſtulandi pri- » vilegium amiſiſſe, quia ex Apoſtolicæ Sedis beni- » gnitate, conceſsâ ſibi poteſtate temere ſunt abuſi, i- » deóque ad alios ſanioris conſilij, licèt numero » pauciores, eligendi & poſtulandi facultatem eſſe » devolutam, dictum Epiſcopum Cametacenſem, » ad eorum poſtulationem, in paſtorem illius Ec- » cleſiæ Apoſtolicâ auctoritate fretus ordinavit (ex » ſpeciali mandato Papæ, aliàs non poſſet illum » transferre ad aliam Eccleſiam, c. Niſi ſpecialis 3. » & c. ſeq. de officio Leg. gloſſ. hìc V. Providiſti.) » Quare Pontifex illum à vinculo & ſolicitudine Ca- » metacenſis Eccleſiæ abſolvit, & quòd à Legato ex » mandato ſuo factum eſt, auctoritate Apoſtolicâ » confirmavit.

Ratio deciſionis eſt, quia, qui permiſsâ ſibi poteſtate, ſive privilegio ſibi conceſſo abutitur, meretur illud amittere, illóque privati, vel omnino, vel ſaltem ex parte, c. ubi 7. diſ. 74. c. Cùm illorum 32. in fin. de ſentent. excommun. ergo ij, quibus ſpeciali favore, ſeu privilegio conceſſum eſt, ut non obſtante vitioſâ poſtulatione vel electione (nam utriuſque quoad hoc eſt eadem ratio, ut conſtat ex c. 1. h. t.) ab ipſis factâ, poſſint ad aliam electionem vel poſtulationem procedere, ſi indignum denuo poſtulent, ſive, quod idem eſt, priorem indigni poſtulationem renovent, meritò eâdem facultate denuo privati exiſtunt: quia ſicut ij, quibus jure communi competit facultas eligendi vel poſtulandi, ſi ſcienter indignum poſtulent, tali facultate privati ſunt, c. Cùm in cunctis 7. §. fin. & c. Scriptum 40. de elect. ita etiam ij, qui per privilegium acquirunt vel recuperant talem facultatem eligendi vel poſtulandi jure communi conceſſam, propter iteratum abuſum, eâdem facultate privati erunt, ſaltem pro illa vice, juxta ſuprà dicta, cùm privilegium, per quod reſtituitur, vel recuperatur jus commune amiſſum, non plus tribuat, quàm amiſſum ſit, quia reſtitutio eſt juris amiſſi recuperatio, Abbas in cit. c. 2. n. 3. h. t. & ibid. Laym. n. 1.

Porrò, quamvìs aliàs regulariter, qui privilegio ſibi conceſſo abutitur, non ipſo facto eodem privatus exiſtat, ſed per ſententiam Judicis eo privari poſſit, ac debeat, ut colligitur ex cit. c. ubi diſ. cit. nam ibi ſolùm dicitur, quòd talis privilegium meretur amittere, quæ verba non important amiſſionem ipſo facto, ſeu ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, ut ex communi docet Suar. l. 8. de legib. c. 36. n. 8. nihilominus tamen hoc ſpeciale eſt in privilegio, per quod aliquis facultatem acquirit, vel amiſſam recuperat jure communi conceſſam, quòd illi, propter abuſum, ex jure communi & ipſo facto privatio annexa eſt, ut bene notat Laym. c. l. ſicut ergo ij, quibus ex Jure communi competit facultas eligendi, vel poſtulandi, ſi ſcienter eligant, vel poſtulent indignum, ipſo jure, ſeu facto eâ poteſtate privati ſunt; ita etiam ij, quibus talis poteſtas ex privilegio conceditur, vel amiſſa reſtituitur, ipſo jure ſeu facto ſunt eâ privati, ſi ſcienter eligant, vel poſtulent indignum.

» XXIX. Illud hìc notandum, ſi aliqui è Ca- » pitulo, ſcienter poſtulando vel eligendo indignum, vel poſtulationem rejectam renovando, privati » ſint poteſtate eligendi & poſtulandi, ea poteſtas ad » alios, qui in poſtulationem indigni, aut ob per- » ſonæ vitium reprobatæ poſtulationis renovatio- » nem non conſenſerunt, ſed expreſsè contradixe- » runt, licèt numero pauciores, devolvitur, prout » habetur in cit. c. 2. h. t. Ratio eſt, quia in delictis, quod à majore parte fit, non cenſetur factum ab omnibus, ut notat Abb. in cit. c. 2. n. 6. ſed excluſis delinquentibus, poteſtas tota reſidet in alijs, qui non peccaverunt, prout habetur etiam in c. Bonæ 23. & c. Cùm Vintonienſis 25. de elect. & ibi gl. in notatis. Imò etſi unus tantùm è Capitularibus innocens ſuperſit, alijs omnibus mortuis vel privatis, ille ſolus Prælatum eligere vel poſtulare poterit, ut tradit gl. communiter recepta in cit. c. 2. V. Pauciores h. t. & ſumitur ex l. Sicut 7. §. In decurionibus ff. quod cujuſque Univerſ. nom. ubi habetur, quòd jus & nomen Univerſitatis ſtet & conſervetur etiam in uno, gl. ibid. V. Nomen Univerſitatis. Nam quamvìs unus non faciat Collegium, ſeu Capitulum, ſed ad hoc conſtituendum neceſſe eſt plures convenire; jura tamen Collegij, ſeu Univerſitatis etiam in uno ſolo, alijs omnibus mortuis vel privatis, reſidere & remanere poſſunt, gl. in c. 1. V. Duo. de elect. Abb. in cit. c. 2. n. 9. h. t. & alij DD. communiter, & ſic Collegium non quidem actu & propriè, ſed quodammodo habitu, ſeu virtute manet in uno, ideóque unus ſolus poteſt exercere actus Collegio, ſeu Capitulo competentes, ut eſt eligere, vel poſtulare Prælatum: non tamen ſeipſum ille ſolus poteſt eligere, vel poſtulare, quia ambitionis vitio notaretur, & eo ipſo indignus cenſeretur, arg. c. Per noſtras 26. de jure patronar. c. In ſcripturis 9. cauſ. 8. q. 1. Abb. c. l. & quia inter eligentem & electum debet eſſe diſtinctio, ſicut inter dantem & accipientem, c. ult. de inſtitut. Nec obſtat, quòd grex deſinit eſſe, ſi unum tantùm animal remanſit ex grege, l. Si grege 22. ff. de legat. 1. nam hoc procedit in univerſitate pecorum irrationabilium, quæ nulla jura ac bona habet, nec ibi eſt ſubjectum rationale, ſive homo, in quo conſervetur illud jus univerſitatis; at univerſitas perſonarum habet jura & bona, ideóque jus Collegij remanet in uno ſolo, Abb. in cit. c. 2. n. 9. quamvìs etiam ipſum Collegium, ſeu Corpus Collegij, actu, & ſecundùm proprietatem in uno ſolo non maneat, ſed ſolùm habitu, ſeu virtute, ut jam dictum, de quo plura tit. ſeq.

XXX. Sed dubium hìc occurrit, cur, ſi major pars Capituli indignum poſtulando delinquat, ſoli nocentes puniantur, & poteſtate eligendi vel poſtulandi priventur, non item alij innocentes, cùm tamẽ ob delictũ majoris partis alicuius communitatis, tota communitas, adeóque etiam alij è communitate, qui innocentes ſunt, puniri poſſint, ac ſoleant, ut docet gl. in cit. l. Sicut v. Non debetur ff. Quod cuiuſq; univerſ. nom. & Bartol. in l. Aut facta. 16. §. ult. n. 9. ff. de pœn. Sed reſpondetur cum Bartolo c. l. n. 7. & Abbat. in cit. c. 2. n. 7. ſi crimen grave commiſſum ſit à Capitulo ſeu Collegio collegialiter conveniente ad deliberandum, & decernendum de crimine committendo, ita ut omnes præſentes totam communitatem repræſentent, & pœna crimini à lege vel ab homine ſtatuta talis ſit, ut nonniſi in totam communitatem,

non

nôn autem in ſingulos è communitate cadere poſſit, ut eſt v.g. civitatis everſio, vel privilegiorum amiſſio, vel religioſi Ordinis extinctio; tunc ob crimen atrox à majore parte collegialiter commiſſum, puniri poteſt tota communitas, tametſi per accidens etiam innocentes talem pœnam, vel potiùs damnum incurrant. Si verò pœna talis ſit, quæ etiam in ſingulos cadere poteſt, ut eſt impoſitio tributi, ſpoliatio bonorum; tunc vel communitas eſt magna, quæ deliquit, ita, ut ægrè diſcerni poſſint innocentes à nocentibus; & hoc caſu omnes, & ſinguli puniri poſſunt, quia innocentes ſunt veluti portio ſive pars nocentium ſeu delinquentium, & qnidem moraliter inſeparabilis ab aliis. Vel communitas eſt parva, & non adeò magna; & tunc æquum eſt, ut nonniſi ij, qui nocentes ſunt, & deliquerunt, tali pœnâ afficiantur, non item innocentes, arg. l. 1. in princip. ff. de Magiſtratib. conveniend. ut in propoſito caſu cit. c. 2. h. t. ubi Collegium, ſeu Capitulum, quod indignum poſtulando deliquit, non erat valde magnum, & pœna privationis non tantùm in totum Capitulum, ſed etiam in ſingulos è Capitulo cadere poterat, ergo pœnâ illâ ſoli nocentes, nnn autem alij, qui innocẽtes, ſeu non conſentientes fuerunt, afficiendi erant, ſed ad hos jus eligendi, vel poſtulandi meritò devolvebatur.

Porrò ut minor pars Capituli hoc caſu non puniatur ob delictum commiſſum à majore parte eiuſdem, non ſufficit, ut taceat, ſed requiritur, ut aliis cõſentientibus in reprobatam poſtulationem expreſsè contradicat, alioquin ſi non contradicat, cùm hîc & nunc poſſet, ac deberet, habebitur tacendo pro conſentiente in ſuum præiudicium, Abb. in cit. c. 2. n. 6. h. t.

§. VI.

De forma Poſtulationis, eiuſque effectu.

XXXI. Quæritur 1. An forma eligendi per ſcrutinium præſcripta in c. Quia propter. 42. de elect. neceſſariò etiam obſervanda ſit in poſtulatione ſolemni? Affirmat Innocent. in c. In cauſis. 30. n. 1. de elect. Abb. in c. Quia propter. 42. n. 9. q. 2. eod. Greg. Tholoſan. tract. de elect. c. 2. n. 11. Laym. in qq. de Prælat. elect. q. 80. Ratio eſt, quia electio, & poſtulatio in jure æquiparantur, quod attinet ad requiſitas juris ſolemnitates, & admiſſio poſtulationis pari modo ſe habet, quo confirmatio electionis, eiúſque vim obtinet. Et quamvis S. Pontifex poſtulatum admittere & confirmare, non ſervatâ formâ ſeu ſolemnitate ſcrutinij, ex plenitudine poteſtatis poſſit, id tamen ordinariè facere non ſolet. Addit Laym. c. l. contra Abbatem, etiam in poſtulatione non ſolemni, ſi v. g. Abbas vel alius Religioſus ad Epiſcopatum vel Prælaturam alterius Monaſterij poſtuletur, & aſſumatur, neceſſariò requiri formam ſcrutinij, quia eſt vera electio, quamvis tacitam conditionem, quæ de jure ineſt, annexam habeat, ſi Superior licentiam dederit acceptandi, & tranſeundi. Nec obſtat, quòd in prædicto c. Quia propter, ſolins electionis fiat mentio, non poſtulationis, quia jura antiqua promiſcuè his vocabulis interdum utebantur, ut patet ex c. Litteras 14. diſ. 63.

Contrarium tenent Hoſtienſ. hîc in ſumma n. 10. Sylv. V. poſtulatio q. 2. Franc. in c. unic. n. 3. h. t. in 6. nempe quòd ad poſtulationem ſolemnem non neceſſariò requiratur forma ſcrutinij, & aliæ ſolemnitates requiſitæ ad electionem canonicam, ſed ſufficiat, ſi poſtulatio fiat in concordia, conſentientibus duabus partibus poſtulantium, vel etiam ſolùm à maiore parte eorum, ſi electio cum illa concurrat, iuxta ſuprà dicta n. 18. & ut poſtulatio publicetur, ſaltem coram populo, quam ſententiam, priore mutatâ, etiam probabiliorem cenſet Laym. in c. unic. n. 5. h. t. in 6.

Itaque dicendum eſt, licèt tutius ſit, ut forma ſcrutinij, & aliæ ſolemnitates ad electionem jure requiſitæ etiam in poſtulatione ſolemni obſerventur, propter probabilitatem prioris ſententiæ: non tamẽ id eſt abſolutè neceſſarium, idque probat Sylveſt. c. l. hoc argumento, quia, ſi neceſſe eſſet in poſtulatione, ſicut in electione, formare decretum, & alia agere, quæ requiruntur ad Canonicam electionem, tum poſtulantes non poſſent recedere à poſtulatione, antequam ea Superiori eſt præſentata, ſicut eligentes non poſſunt reſilire ab electione, quod tamen falſum eſſe, ſuprà dictum eſt n. 20. Ad rationem pro oppoſita ſententia allatam reſpondetur, quòd electio & poſtulatio in jure non æquiparantur in ijs, in quibus eſſentialiter differunt, vel quæ ex eſſentiali earum differentia conſequuntur; cuiuſmodi eſt, quòd per electionem legitimè factam, & ab electo acceptatam, jus ei acquiratur, ita ut Superior electionem ipſius confirmare teneatur: non autem per poſtulationem acquiritur jus poſtulato, ut ſuprà dictum n. 15. ac proinde cùm per electionem maius & potentius jus acquiratur electo, ita ut legitimè facta rejici non poſſit, ſed confirmari debeat, quàm ad poſtulationem, quæ rejici poteſt; nihil mirum eſt, quòd ad illam major etiam forma ſolemnitatis requiratur, quàm ad iſtam: ſicut ad Teſtamentum, quia perfectior actus eſt, plures ſolemnitates à jure requiruntur, quàm ad Codicillum, vel aliam ultimam voluntatem, Laym. in cit. c. unic. in fine h. t. in 6. Illud tamen omnino neceſſarium eſt, ut fiat poſtulatio collegialiter ſeu Capitulariter, à duabus partibus, vel majore parte, aliàs enim à minore parte facta, per ſubſequentem conſenſum ſingulorum, non convaleſcet, Fagnan. in c. Bonæ. 3. n. 46. h. t.

XXXII. Quæritur 2. quænam formæ poſtulandi Jure Canonico ſpecialiter ſint prohibitæ & reprobatæ? Reſpondetur, Papa Bonifacius VIII. in c. unic. h. t. in 6. prohibet, ne ſub talibus verborum formis, »
quas perniciosa curioſitas adinvenit, deinceps ele- »
ctio vel poſtulatio fiat, videlicet: Eligo poſtulan- »
do, vel poſtulo eligendo: Item eligo poſtulandum, »
vel poſtulo eligendum, cùm nec vera electio, nec »
vera poſtulatio ijs verbis ſignificetur, quin potiùs »
ſibi invicem adverſentur. Sed & hanc verborum »
formam rejicit: Eligo in poſtulandum, vel poſtu- »
lo in eligendum, cùm rem imperfectam ſignificent: »
quòd ſi ſub aliqua ex prædictis formis electio vel »
poſtulatio facta fuerit, ipſo jure irrita erit. Simi- »
liter probibetur, ne quiſquam eligat, vel poſtulet »
hac formâ: Eligo, & poſtulo, prout meliùs de ju- »
re valere poteſt, cùm incertitudinem contineat, & »

» ſic facta electio, vel poſtulatio nullius quoque ro-
» boris eſt, & invalida.
» Excipitur, niſi probabiliter dubitetur, utrùm
» quis ſit eligendus, an verò poſtulandus, tunc enim
» directâ formâ fieri quidem poteſt electio, vel po-
» ſtulatio, ita tamen, ut, qui ſic electus vel poſtulatus
» fuit, tempore conſenſûs (quem intra menſem, poſt
præſentationem ſibi factam, præbere debet, c. Quam
ſit 6. de elect. in 6. gl. hîc V. Conſenſûs tempore, ne
Eccleſia propter diuturnam vacationem Prælaturæ
» patiatur detrimentum) viam electionis vel poſtu-
» lationis (ne in incerto vagetur) determinatè elige-
» re neceſſariò teneatur, unâque electâ, ad alteram
» viam proſequendam tranſire ipſi penitus ſit inter-
» dictum.

XXXIII. Pro explicatione huius cap. notandum 1. Quamvìs electio, & poſtulatio tendant ad eundem finem providendi Eccleſiæ carenti Paſtore, & ſic in effectu non ſint contrariæ; tamen quoad originem ſuam, & in ſe ſpectatæ ſibi invicem adverſantur, & quodammodo ſunt contrariæ, ita, ut ſimul concurrere, ſive conjungi non poſſint, nec eligendus poſſit poſtulari, nec poſtulandus eligi, c. ult. juncta gl. fin. h. t. Ancharanus in c. unic. in princip. eod. in 6. Ratio eſt, quia, qui eligunt, tacitè, ſeu ipſo facto dicunt, & profitentur, eum, quem eligunt, nullum habere defectum, ideóque poſſe illi jus tribui ad Prælaturam, ſi conſenſus eius accedat: qui verò poſtulant, fatentur, poſtulatum habere defectum, ob quem inhabilis ſit ad Prælaturam, niſi cum eo diſpenſetur, ideóq; ſe non poſſe ei jam abſolutè conſenſum præbere in Prælaturam, ad quam poſtulatur, ſed ſolùm ſub conditione, ſi Superior diſpenſaverit, c. Innotuit 20. de elect. Abb. in cit. c. ult. n. 11. h. t. Franc. in cit. c. unic. n. 3. Cùm ergo electio, & poſtulatio ſint diſtinctæ veluti ſpecies, & incompatibiles modi acquirendi Prælaturam, ideo diverſis etiam verborum formis ſignificari debent, & poſtulatio per verbum *poſtulo*, non per verbum *eligo* fieri oportet: in huiuſmodi enim confuſa verborum forma, quâ dicitur, *eligo poſtulandum*, vel *poſtulo eligendum*, involvitur contrarietas, & nec vera electio, nec vera poſtulatio ſignificatur, ideóque meritò reprobata eſt.

XXXIV. Notandum 2. Sicuti, ſi poſtulandus eligatur, electio nulla eſt, ut dictum ſuprà n. 10. not. 3. ita etiam, ſi eligendus poſtuletur ſolemniter, poſtulatio ipſo jure irrita eſt, ut docet Innocent. in c. 1. n. 2. h. t. gl. in cit. c. unic. v. Eligo poſtulando eod. in 6. Ratio eſt, tum quia in cit. c. unic. declaratur irrita forma, quâ poſtulatur eligendus, quia fruſtra poſtulatur, qui eligi poteſt, & electores debent Eccleſiæ providere meliore modo, quo poſſunt, & conſequenter poſtulatio ejus, qui eligi debuiſſet, eſt nulla & irrita: tum quia poſtulantes non conſentiunt in eum, qui aliàs eligendus foret, tanquam in ſponſum Eccleſiæ, quod tamen, ſuppoſitâ ejus electione, facere deberent, ideóque ſibi imputare debent, ſi non admittatur, videntúrque hoc ipſum ſtudioſè, ſeu datâ operâ feciſſe. Tum denique licèt, qui capax eſt electionis, non laboret defectu aliquo, propter quem inhabilis ſit ad Prælaturam, ideóque poſtulatio eligendi non ſit irrita, ob defectum ſeu impedimentum perſonæ, ſicut electio poſtulandi nulla eſt, ob impedimentum ſeu inhabilitatem perſonæ: eſt tamen nulla & irrita ob vitium, ſeu invaliditatem ipſius poſtulationis, quæ cùm in ſubſidium & ſupplementum electionis inducta ſit, eo ipſo quòd poſtuletur, qui poſtulatione non indiget, nec poſtulari debet, deſtituitur fine ſuo intrinſeco talis poſtulatio, ob quem inſtituta eſt, ideóque eſt nulla & irrita. Aliud eſt, ſi eligendus poſtuletur ſimpliciter, ſive non ſolemniter, veluti ſi petatur ab Epiſcopo, ut ad Prælaturam permittat aſſumi Clericum ſibi ſubditum, valida & licita eſt poſtulatio, etſi neceſſe ſit, ut poſtea interveniat ſolemnis electio, Innoc. c. 1. & gl. in cit. c. unic. V. Eligo poſtulando.

XXXV. Notandum 3. Licèt electio poſtulandi, vel poſtulatio eligendi ſit vitioſa & irrita: non tamen eſt vitioſa, ſed valida electio præſentandi, ut ſi patronus dicat, *eligo Titium Clericum in præſentandum*, modò conſtet de voluntate patroni, quòd per talem verborum formam præſentare velit; tum quia talis eſt potiùs quædam præelectio, quàm propriè dicta electio, Franc. in cit. c. unic. n. 1. tum quia præſentatio eſt modus perveniendi ad Prælaturam vel dignitatem Eccleſiaſticam omnino diverſus ab electione & poſtulatione, ideóque, quæ Jure Canonico ſtatuta ſunt de electione & poſtulatione, non poſſunt extendi, vel transferri ad præſentationem, arg. c. ult. junctâ gloſſ. V. Ex vi juris patronatûs de jure patronat. quia à diſparatis, ſeu diverſis non fit bona illatio.

XXXVI. Notandum 4. Quamvìs in alijs cauſis vel actibus ea, quæ inter ſe oppoſitionem, ſeu contrarietatem aliquam habent, cumulari poſſint, adjectâ clauſulâ, ut actus valeat omni meliore modo, quo de jure valere poteſt: ſic enim in ultimis voluntatibus apponi poteſt hæc clauſula, ut ſi diſpoſitio non valet jure Teſtamenti, valeat jure Codicilli, l. fin. C. de Codicill. & in eodem libello alternativè peti poteſt, ut vel contractus irritus declaretur, vel læſus in integrum reſtituatur, c. Conſtitutus 8. de in integr. reſtitut. Item in judicio appellationis cumulari poteſt nullitas, vel injuſtitia ſententiæ, & peti, ut ea declaretur nulla, vel ſaltem injuſta, ut colligitur ex l. Si expreſſim 19. ff. de appellat. attamen contrarium deciditur in cit. c. unic. In caſu electionis & poſtulationis, ubi declaratur eſſe irrita illa forma, quâ ſimul fit electio & poſtulatio, adjectâ clauſulâ, ut valeat, prout meliùs de jure valere poteſt. Cujus rei ratio alia dari non poteſt, niſi, quòd ubi de præjudicio Eccleſiæ agitur, non liceat in incerto vagari, ut indicatur in textu, & notat Ancharan. ibid. vel ut reſpondet Laym. in cit. c. un. n. 2. cùm poteſtas eligendi, & poſtulandi ſint jura quædam, ſeu facultates provenientes ab Eccleſia, ideóque diſpoſitioni S. Pontificis plenè ſint ſubjectæ, poteſt is liberè præſcribere talem formam, ſeu modum eligendi vel poſtulandi, ut eâ formâ non obſervatâ, actus ſit irritus, etiamſi de mente eligentium vel poſtulantium conſtet.

XXXVII. Notandum 5. Ante hanc novam conſtitutionem editam, tales modi, ſeu formæ, *eligo poſtulandum*, vel *poſtulo eligendum*, vel *in eligendum* cenſebantur eſſe legitimæ, quia ex rei naturâ non ſunt irritæ, neque etiam per legem aliquam Eccleſiaſticam clarè erant reprobatæ, ſed communi opinione, ac praxi pro validis habebantur, ut colli-

girur

gitur ex c. Poſt tcanſlationem 11. in princip. ibi: *poſtulandum elegit* de renunciat. gl. in cit. c. unic. V. De cætero h. t. in 6. Verùm Bonifacius VIII. ad tollendas ambiguitates, tales eligendi & poſtulandi formas de cætero irritas fore ſtatuit, adeòque noluit actus præteritos jam factos irritare, propter probabilem ignorantiam, ſed ſolùm futuros, neque enim lex irritans actum aliquem ad præterita extenditur, ſi irritatio per legem de novo introducatur, ut conſtat ex c. ult. de conſtitut. Suar. l. 3. de legib. cap. 14. num. 5. & 11.

Notandum 6. Si probabilitec dubitetur, num aliqnis ſit eligendus, an verò poſtulandus, poteſt electio & poſtulatio fieri eâ formâ, prout meliùs de jure valere poteſt, ratione probabilis dubij, cit. c. un. idque procedit, ſive ſit dubium facti, ut vult gl. in cit. c. unic. V. probabiliter, quia v. g. neſcitur, an aſſumendus ad Epiſcopatum XXX. ætatis annum compleverit, vel ad beneficium curatum XXV. annum attigerit: ſive etiam ſit dubium juris, quia textus indiſtinctè dicit, *niſi quando probabiliter dubitetur*, ideòque uon debet reſtringi, abſque neceſſitate, ad dubium facti, nam etiam probabile dubium ſuper juris intellectu excuſat, quando exiſtunt diverſæ contrariæ opiniones virorum Doctorum, Franc. in cit. c. unic. num. 6. arg. c. Ut debiius 59. & quæ ibi notantur, de appellat. Debet tamen ſic electus & poſtulatus neceſſariò ſe determinare, num viam electiouis, an verò poſtulationis proſequi velit, & optione factâ, ad alteram tedire non pnteſt, cit. c. unic. quia per electionem unius alteti tenunciare cenſetur, ut variare, ſeu mutare conſilium non poſſit, gloſſ. fin. in cit. c. unic. & Franc. num. 3. Ratio eſt, quia expedit, ut conſenſus, ſeu acceptatio non in rem incertam, aut dubiam, ſed in certam feratur: & quamvis actus in origine, ſeu à principio inſtitui poſſit cum incertitudine, debet tamen in executione, ſive proſecutione, antequam perficiatur, certificari, Franc. c. l. num. 2. Quòd autem dictum eſt, eum, qui ex duobus incompoſſibilibus, ut in propoſito, in caſu electionis & poſtulationis ſimul factæ, unum elegit, deinde variare non poſſit, id confirmatur ex reg. 21. juris in 6. *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*: quæ tamen regula ſolùm procedit, ſi mutatio fieri non poſſit, ſinè alterius præjudicio, ut in propoſito, factâ determinatione ad viam electionis vel poſtulationis, non admittitur variatio, ne quis in incerto vagetuc, cum ipſius Eccleſiæ, vel etiam adverſarij, ſi quem habet, incommodo. Sic etiam, qui in judicio promiſit, ſe litigaturum cum adverſario ſuo, non poteſt poſtea recedere, c. 1. de judic. quia adverſario jus acquiſitum cenſetur. Item hæres, qui declaravit, ſe aditurum hæreditatem, vel eam repudiavit, non poteſt poſteà mutare, quia id cederet in præjudicium aliorum, l. Sicut major 4. C. de repud. hæred. tum enim locum habet reg. juris 76. ff. nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam. Si verò mutatio fieri poſſit, ſinè alterius præjudicio, tum ea licitè fit: ſic electus, qui conſenſit in ſui electionem, eámque acceptavit, poteſt ante confirmationem reſilire & pœnitere, ut colligitur ex c. 2. in fin. junct. gl. V. Perdurante de tranſlat. Epiſ. quia per conſenſum nulli alteci jus eſt acquiſitum, neque ipſi etiam Eccleſiæ, ideòque diſſenſus, ſeu mutatio in Eccleſiæ vel alterius damnum non cedit, gloſſ. in cit. reg. 21. in 6. Aliud exemplum habetur in l. Eum qui 138. §. Cùm purè ff. de verb. obligat. nam ſi quis v. g. equum alicui, vendidit, datâ ei optione ex tribus, quem elegerit, etſi unum elegit, poteſt tamen adhuc alium eligere, ante traditionem factam, ſi nullum aliud damnum venditori inde accidat.

XXXVIII. Quæritur 3. Quis ſit effectus poſtulationis? Reſpondetur, effectus præcipuus poſtulationis ſolemnis eſt, quòd, poſtquam ea admiſſa eſt à Superiore, vim habeat electionis confirmatæ, ita, ut poſtulatus ſemel admiſſus omne jus conſequatur, perinde, ac ſi fuiſſet electus & confirmatus, nec aliâ confirmatione indigeat, vel electione, Abb. in c. 1. n. 34. h. t. Ante admiſſionem verò poſtulatio nullum jus tribuit poſtulato, quia à gratia Superioris dependet, ut ſuprà dictum. Quare neque conſentire poteſt in ſui poſtulationem, quia cùm nullum jus per illam ei acquiratur, notaretur ambitione, ſed Epiſcopus poſtulatus dicere debet, neque conſentio, neque diſſentio, ſed diſpoſitioni S. Pontificis me committo, c. Cupientes 16. §. Denique, junctâ gl. V. Conſenſum de elect. in 6. Abb. in c. ult. n. 11. h. t. Neque etiam ante admiſſam poſtulationem ſuſcipere poteſt adminiſtrationem Eccleſiæ, ad quam eſt poſtulatus, alioquin privatur omni commodo poſtulationis, & poſtulantes, qui illum admiſerunt ad adminiſtrationem, privantur jure ſuo pro illa vice, illúdque ad S. Pontificem devolvitur, Cardin. Tuſcus, lit. P. concluſ. 459. de quo infrà tit. ſeq.

XXXIX. Effectus verò poſtulationis ſimplicis, ſive non ſolemnis eſt, ut factâ admiſſione, ſive obtentâ licentiâ Superioris, ita poſtulatus poſſit eligi, ſi, antequam eligeretur, poſtulatus fuerit, vel electus confirmari, ſi poſt electionem poſtulatio facta, ſive licentia à Superiore petita ſit, Sylveſt. V. Poſtulatio q. 6. Nam poteſt hæc poſtulatio fieri, vel poſt electionem canonicè celebratam, ſub conditione, quæ de jure ineſt, ſi Superioc licentiam acceptandi dederit, quâ datâ, purificatur electio, ut electus ſtatim electionem acceptare, & jus ſibi acquirere poſſit, Sylveſt. c. l. q. 3. dicto 4. Laym. in qq. Canon. de elect. Prælat. q. 80. Vel etiam ante ipſam electionem, ſi petatur à Superiore conſenſus, ut ſubditum ſuum eligi patiatur, neque enim per hoc præjudicatur liberæ electioni, cùm hujuſmodi poſtulatio nullum jus conferat poſtulato, ſed tantùm faciat, ut electus conſentire & acceptare poſſit electionem, ſi electus fuerit, ut ex hactenus dictis conſtat.

Denique finis poſtulationis eſt idem, qui electionis, nimirum proviſio Eccleſiæ viduatæ. Cauſa motiva eſt neceſſitas & utilitas: Neceſſitas quidem, ut, ſi nullus idnneus ad Prælaturam è Corpore Eccleſiæ reperiatur, aliunde poſtuletur. Utilitas autem, ut, ſi quis ob morum, vitæque integritatem, magnum rerum agendarum uſum, ſeu experientiam, & inſignem doctrinam, præ cæteris Eccleſiæ profuturus judicetur, ad Prælaturam aſſumatur, etſi aliàs in eadem Eccleſia idnneus reperiretuc, Daniel Venator in Analyſi Juris Pontif. l. 1. h. t.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

POſtquam dictum eſt de Prælatorum poſtulatione, per quam providetur Eccleſiæ modo extraordinario, & aſſumitur quis ad dignitatem Eccleſiaſticam per viam gratiæ, agitur hoc tit. de Electione, qui eſt alter, iſque Ordinarius modus promovendi aliquem ad Prælaturam Eccleſiaſticam per viam juris; nam poſtulatio gratiæ, electio juri innititur; ſimúlque ſubjicitur de electi poteſtate, cùm de eadem commodiore loco tractari non poſſe,videatur. Cæterùm etſi in alijs pleriſque Regnis, & Provincijs exiguus ſit uſus electionis,in quibus Principes, ex indulto S. Pontificis, tum ad Epiſcopatus, tum ad omnes primas dignitates Eccleſiaſticas nominant perſonas ſibi probatas,eáſque S. Pontifici præſentant confirmandas, vel inſtituendas: in Germania tamen noſtra frequens etiamnum eſt uſus electionis, in Eccleſiis non ſolùm regularibus, ſed etiam ſecularibus. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

SECTIO I.

DE ELECTIONE IN GENERE, & Electoribus.

§. I.

Quid ſit Electio, & quomodo ab aliis modis providendi Eccleſia differat?

I. Quæritur 1. Quot modis accipiatur Electio, & qnid ſit? Reſpondetur Electio, prout ſignificat delectum perſonarum ad beneficia, dignitates vel functiones Eccleſiaſticas,tripliciter accipitur. 1. Latiſſimè pro quacunque vocatione, approbatione, vel inſtitutione perſonæ ad beneficium per ſedulam inquiſitionē factâ:& ſub hac generali acceptione cōprehenditur, non ſolùm electio ſpecificè & propriè dicta,ſed etiam poſtulatio, nominatio, præſentatio, collatio, quia in his omnibus deligenda eſt perſona ad beneficium idonea,Gregor. Tholoſan. partit. Jur. Canon.l.1.tit.29. c.1.n.2. Sic creatio Canonici,ſeu collatio Canonicatûs vocatur electio in c. Cùm Eccleſia 31. h.t. & electio accipitur pro præſentatione in c.Querelam 24.eod.ubi populus, qui jus præſentandi habebat, dicitur elegiſſe. 2. Accipitur electio latè pro vocatione alicuius perſonæ ad beneficium Eccleſiaſticum factâ canonicè per ſuffragia, & alterius confirmationem, iuxta c. Dudum 22. h.t. & ibi Joan.Andr.n.35.Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 1. & hoc modo ſumpta comprehendit etiam electiones ad dignitates, v.g.ad Decanatum,vel Præpoſituram, quæ in quibuſdam Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis uſitatæ ſunt, & quarum confirmatio ad Epiſcopum pertinet. 3. Accipitur Electio ſtrictè ac propriè,pro vocatione ad Prælaturam vacantem, per ſuffragia canonicè factâ, & legitimâ confirmatione Superioris approbandâ, cui quis præficitur,ut ſit Caput ac veluti ſponſus Eccleſiæ ſecularis,vel regularis. Et in hac tertia acceptione definitur Electio: *perſonæ idoneæ ad Eccleſiæ vacantis Paſtoralem dignitatem ſeu Prælaturam, per eos, quibus jus eligendi competit, Canonica vocatio*: quæ definitio deſumitur ex c. Cùm in cunctis.7.& c.Quia propter 42. h. t. gl. in c.unic. V. vera poſtulatio de poſtular.Prælat.in 6.Hoſtienſ. c.l.

Dicitur 1. ad Eccleſiæ vacantis paſtoralem dignitatem &c. quia electio propriè ac ſtrictè dicta ſolùm fit ad Eccleſias, ſive ſeculares, ſive regulares vacātes, ſeu viduatas paſtore ſuo,qui ſcilicet ſit caput, ac veluti ſponſus Eccleſiæ, eique per modum Capitis ſeu Prælati, cum juriſdictione ordinaria ac generali, Epiſcopali nimirum, vel quaſi Epiſcopali,præſit, cuique omnes, qni in eadem Eccleſia ſunt, ſubiecti ſint, quocunque dein is, ſive Epiſcopi,ſive Præpoſiti, Abbatis,ant Prioris appelletur nomine, ut colligitur ex cit. c. Quia propter,ibi: *Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore* h.t.& ibi gl.v. Eccleſiis viduatis, Azor p.2. Inſtit.Moral.l.6.c.14.q.2.& 5. Gregor.Tholoſan. de elect. c.4. n.2. nam licèt Epiſcopi magìs propriè ſint ſponſi & Paſtores, ac proinde magìs propriè etiam dicatur Eccleſia viduata per eorum mortem,idipſum tamen etiam Prælatis & Eccleſiis Regularibus, & quibuſdam Collegiatis ſecularibus tribuitur, ac ſuo modo convenit,Sylveſt. V.electio 2.q.1.num.2.& 3. Cæteræ verò inferiores dignitates,perſonatus & beneficia,per quorum vacationem Eccleſia non redditur viduata Paſtore, qui ſit Caput,ac veluti ſponſus ipſius Eccleſiæ, generali juriſdictione prædirus, ſtrictè loquendo, non cenſentur electiva, etſi per communia ſuffragia Capitularium conferri ſoleant,quia Eccleſiis talium dignitatum præeſt Epiſcopus,qui ſolus,

ius eſt illius Eccleſiæ Caput, ac ſponſus, gl. in cit. c. Quia propter. V. Eccleſiis viduatis. & in c. Sicut. 21. V. formam h. t. in 6. Azor c. l.

Dicitur 2. Electio Canonica, id eſt, ſolemnis vocatio, in qua ſcilicet ſervatur forma eligendi à SS. Canonibus præſcripta, de qua infrà.

Dicitur 3. Vocatio potiùs, quàm Inſtitutio, ut diſtinguatur ab aliis modis, quibus tum inferiora beneficia, tum dignitates etiam ac Prælaturæ acquiruntur. Nam beneficia acquiri poſſunt, vel per liberam collationem, ſeu proviſionem, abſque præſentatione, quæ inſtitutionem Superioris præcedat; & beneficia ſic obtenta dicuntur libera ſeu collativa: vel per collationem non liberam, ſive inſtitutionem Superioris, præcedente nominatione, vel præſentatione alterius: & hæc dicuntur beneficia patronata: vel per Superioris confirmationem, vel admiſſionem, præcedente electione, vel poſtulatione, quæ dicuntur beneficia electiva, ut ex dicendis patebit. Addunt nonnulli in definitione Electionis hæc verba: *per eos, quibus jus eligendi competit*, ut exprimant quoque cauſam efficientem electionis, quæ ſunt Electores.

II. Quæritur 2. Quomodo in ſpecie Electio differat à libera collatione, præſentatione, & nominatione? Reſpondetur, inprimis diſtinguitur à libera collatione, ſeu proviſione, quia per hanc jus reale, & quaſi dominium acquiritur in beneficio, dignitate vel Prælatura; v. g. Epiſcopatu, ſi à Papa alicui liberè collatus ſit, vel quia ipſi reſervatus fuit, iuxta Extravag. ad regimen 13. de præbend. inter communes, vel quia ad illum jus conferendi devolutum fuit, c. Quamquàm. 18. h. t. in 6. per electionem verò acceptatam, non jus in re, ſed tantùm ad rem acquiritur, ideóque vocatio tantùm ad beneficium, non inſtitutio dicitur, ut ex communi notat Ant. de Butrio apud Laym, in princip. h. t. n. 4.

Ex quo ſequitur 1. quòd electo ante confirmationem mortuo, beneficium vel Prælatura, non per mortem de novo electi, ſed per prioris Prælati mortem vacare cenſeatur. 2. Beneficia electi non vacant ante confirmationem. 3. Electus ante confirmationem liberè renunciare poteſt beneficio ſeu Prælaturæ, etiam ſinè conſenſu Superioris, arg. c. Ad audientiam 31. de reſcript. gl. communiter recepta in c. Si electio 26. V. renunciat h. t. in 6. 4. Electus ante confirmationem acceptam non poteſt, nec debet beneficium vel Prælaturam adminiſtrare, c. Qualiter. 17. h. t. c. Avaritiæ. 5. eod. in 6. de quo infrà.

III. Deinde diſtinguitur etiam Electio à præſentatione, quia per illam plus juris confertur, quàm per iſtam, Decius in rubric. h. t. Card. Tuſcus lit. E. concl. 59. per electionem enim publicatam, ſaltem remotè, & imperfectum jus confertur electo, ut eius conſenſus exigi debeat: non autem per præſentationem acquiritur jus præſentato; nam etiam, poſt præſentationem collatori ordinario factam, licitum eſt adhuc reſilire, & alium præſentare, ſi patronus ſit laicus, ita, ut in arbitrio collatoris ſit, quem ex illis velit inſtituere, c. Cùm autem. 24. de jure patronat. vel ſaltem licitum eſt conſenſum in præſentationem alicuius etiam capitulariter datum revocare, ſi præſentatio re ipsâ nondum facta ſit Superiori, & alium præſentare in patronatu Eccleſiaſtico; alioquin verò collator priùs præſentatum inſtituere debet, ſi idoneus ſit, cit. c. Cùm autem. At verò publicato in Capitulo ſcrutinio electionis, hæc revocari non poteſt, c. Publicato 58. h. t. de quo infrà. 2. Jus eligendi non conceditur laicis, cùm tamen eiſdem concedatur jus patronatûs, ſeu præſentandi, gl. in c. Piæ mentis 26. v. eod. c. 16. q. 7. 3. Ab electo requirendus eſt conſenſus, ideóque electio ipſi intimari debet, antequam denuncietur Superiori, c. Quam ſit 6. h. t. in 6. Præſentari verò Superiori aliquis poteſt, etiam non prærequiſito eius conſenſu, quia nullum jus ipſi acquiritur per præſentationem, cùm illa directè ad Superiorem dirigatur. 4. Electio requirit ſubſequentem confirmationem, nam cùm per electionem acceptatam jus ſaltem ad rem ſit acquiſitum electo, non eſt neceſſe, ut Superior conferat vel inſtituat, ſed ut tantùm confirmet electionem jam factam: præſentatio verò requirit ſubſequentem inſtitutionem, per quam acquiritur jus præſentato, cùm patronus nullum jus ſpirituale in ipſum tranſtulerit: Abb. in c. Auctoritate. 4. n. 6. & 7. de inſtitut.

IV. Denique Electio diſtinguitur etiam à nominatione, tum illâ, quæ interdum præmittitur electioni, dum unus vel plures, tanquam idonei ad Prælaturam, proponuntur in Capitulo, quamvìs Capitulares non debeant unum ex nominatis eligere, ſed alium poſſint, ut colligitur ex c. Sicut 28. in princ. h. t. tum etiam ab illa nominatione, quæ eſt ſimilis præſentationi, & per quam proponuntur duo vel tres alicui Superiori, ut ipſe unum ex ijs eligat: nam per neutram confertur jus aliquod nominato, ſicut per electionem acceptatam electo, c. Cùm inter. 21. h. t. Porrò illa nominatio, quâ unus nominat certam perſonam ad vacantem Eccleſiam, vel beneficium; alius verò eandem præſentat, ita ut alium, quàm nominatum à priore præſentare non poſſit, prout in pluribus locis Germaniæ conſuetum eſt, re ipsâ, & in effectu à præſentatione differre non videtur, cùm talis præſentatio nihil aliud ſit, quàm executio nominationis priùs factæ, quæ eſt remota ſive mediata præſentatio, poſterior verò proxima ſeu immediata.

§. II.

De iis, qui eligendi poteſtatem habent.

V. Præmittendum eſt 1. Ad varios antiquos Canones, qui diſſidere videntur, intelligendos & conciliandos, quo pacto olim, & à quibus electi fuerint Epiſcopi, de quo agit Azor p. 2. Inſtit. moral. l. 3. c. 28. q. 3. & l. 6. c. 14. q. 1. Tholoſan. in tract. de elect. c. 5. Aug. Barboſa de Offic. & poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 1. c. 3. Nam 1. Apoſtoli auctoritate à Chriſto acceptâ, in ſui locum Epiſcopos elegerunt, & creaverunt, ſinguli enim eorum idoneos Eccleſiarum prætulerunt Paſtores, qui in c. ult. diſ. 68. dicuntur Apoſtolorum locum tenere. Deinde verò primis illis Epiſcopis, quos Apoſtoli creârunt, mortuis, totum jus eligendi & conſtituendi Epiſcopos ad Romanum Pontificem pertinuit, tanquam ad ſucceſſorem Petri, cui ſumma à Chriſto poteſtas in totam Eccleſiam data eſt, prout dicitur in c. Omnes. 1. diſ. 22. Nam licet Epiſcopalis dignitas lege divinâ fuerit inſtituta, diſtincta à Presbyteris inferioribus, ut definivit Concil. Trident.

ſeſs.23.c.4. & can. 6. & 7. diviſio tamen plebium & diœceſium, & diſtinctio beneficiorum ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, adeóque ab Eccleſia & Jure Eccleſiaſtico facta eſt, iuxta cit.c.Omnes, & c.1.& 2.diſ.80.Barboſ.cit.c.3.n.2. Poſtea verò ſuccedentibus temporibus, SS. Pontifices, ſecundùm varias temporum occurrentium circumſtantias, diverſis perſonis jus eligendi Epiſcopos expreſsè vel tacitè conceſſerunt, aut permiſerunt: nam aliquando Epiſcoporum electiones ſeu nominationes pariter totius Cleri & populi auctoritate fiebant, ita ut tam hi, quàm illi Epiſcopum nominarent & eligerent, ut conſtat ex c.Epiſcopos 13. ibi: *poſt electionem Cleri & populi*, c. Lectis 18. ibi: *Clerum & plebem eiuſdem Eccleſiæ elegiſſe*, c.Sacrorum 34. ibi: *ſecundum electionem Cleri & populi*.diſ.63. c. ult. ibi: *ſed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegit*,diſ.51.c.Factus,5.ibi: *de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio*,cauſ.7.q.1. quod tamen non ita accipiendū eſt, quaſi populus ſuffragia daret in electione Epiſcopi, ſed quòd vel populus aliquem nominaret, vel poſtularet, quem poſtea Clerus, ſecundùm populi deſiderium, eligeret, etſi non neceſſariò, c.1.diſ.62. ubi Leo Papa ſcribit, *nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti*. Vel quòd populus poſtea conſentiret in electum per Clerum, iuxta c.Nôſſe 12. diſ. 63. ubi dicitur, *Sacerdotum quippe eſt electio*, ſcilicet Epiſcopi, *& fidelis populi conſenſus adhibendus eſt*, idem habetur in c.Cleri 26.diſ.cit. Requirebatur autem populi conſenſus ad electionem Epiſcoporum, tum ne paſtor invitis ovibus præficeretur, tum ut ab ovibus magis amaretur & coleretur: tum denique ut inter paſtorem, qui eſt veluti ſponſus Eccleſiæ, & ipſam Eccleſiam, conjugium ſpirituale, mutuo amborum conſenſu, contraheretur, ut notat Azor cit. c. 14. q.1. Quandoque verò ſolum populi teſtimonium ad electionem Epiſcopi exigebatur, c.Vota 27.diſ.63. quia teſtimonium populi de probitate electi exquirendum fuit, iuxta monitum Apoſtoli 1.ad Timoth.c.3. v.7. *oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt*.

Sed & Principes ſeculares aliquando ex ſpeciali privilegio, & conceſſione Sedis Apoſtolicæ, eligebant & nominabant Epiſcopos, ipſumque etiam Romanum Pontificem, ut refertur in c.Hadrianus 22.& c. ſeq. diſ. 63. quamquàm, Azor cit.l.3.c.18. q.1.& Layman in qq.Canon.de Prælat.elect.q.20. ex variis auctoribus notat, Gratianum ex Sigeberto & Luitprando hæc fabuloſa commenta incautè deſcripſiſſe; quòd nimirum Adrianus Papa omnium Eccleſiarum inveſtituras Carolo Magno, & poſtea Leo VIII. Othoni I. conceſſerit. Aliquando etiam Principibus conceſſum fuit, ut electio Epiſcopi à Clericis fieri non poſſet, niſi Principis accederet conſenſus, c.Quia igitur 9. ibi: *Sereniſſimi Principis voluntate*, c. Nobis 17. & ſeq. diſ. 63. c. Quod ſicut 28. h.t. ubi dicitur: *Solemnis electio debet Principi præſentari, ut poſtulationi præſtet aſſenſum*.

VI. Verùm poſterioribus temporibus, ea poteſtas eligendi, vel poſtulandi Epiſcopos Laicis conceſſa, vel permiſſa, tum quoad populos, tum quoad Principes ſeculares revocata, eiſque ablata eſt, ut quoad populum conſtat ex c. Non eſt permittendum 6. quod eſt deſumptum ex Concilio Laodicenſi diſ. 63. & ex decreto Concilij Sardicenſis c. 1. & 2. quod refertur in c. Oſius 2. h. t. nam poſtquam Concilium Sardicenſe ſeverè prohibuit, ne Epiſcopus quiſpiam, propriâ temeritate, à ſuo ad alium Epiſcopatum ſe transferre audeat, proponente Oſio Epiſcopo Cordubenſi, idem Concilium decrevit, ut, etſi talis Epiſcopus excuſationem afferat, quòd à populo in Epiſcopum electus, vel poſtulatus fuerit, ejúſque rei teſtes litteras exhibeat, non tamen audiendus ſit, quia fieri poteſt, ut plures ex populo, non ſincerâ fide & affectu, ſed pecuniâ aut præmio corrupti, clamore in Eccleſia excitato, Epiſcopum poſtulent. Quare talis Epiſcopus, qui ad populi clamorem eum in Epiſcopum poſtulantis, ſe ad alium Epiſcopatum tranſtulit, in pœnam etiam laicâ Communione in fine vitæ privandus eſt, niſi de eo pœnituerit: quam ſententiam Synodus approbavit.

Hinc patet, quòd ad clamorem populi, ſive ejus poſtulationem, nullus ſit in Epiſcopum aſſumendus, vel ad alium Epiſcopatum transferendus, quia ſpe præmij aut pretij inde recipiendi id faciunt, gl. hîc v. populi, nam judicium vulgi inconſtans eſt & varium, & vanæ voces populi non ſunt audiendæ, l. Decurionum 10. C. de pœn. & l. Ad beſtias 31. ff. eodem. & docendus eſt populus, non ſequendus, c. 2. diſ. 62. Accedit, quòd electio vel poſtulatio Epiſcopi in caſu cit. c. 2. h.t. etiam ex eo non valebat, quia per laicos facta eſt, cujus ipſe electus confirmationem à Superiore petebat, Innoc. hîc & Abb. n.4. Per communionem laicam autem, quâ electus vel poſtulatus in Epiſcopum, ad clamorem populi, hîc privatur, intelligitur, non ea, quæ olim extra cancellos Altaris laicis data fuit: ſed illa, quâ ex decreto Concilij Niceni I. can. 15. & 16. Presbyteri, Diaconi, alíique Clerici de una Eccleſia, vel parochia ad aliam ſe transferentes, ſi non redierint ad priorem Eccleſiam, in fine vitæ privantur, dum ſacrum Viaticum ijs negatur, ut notat Laym. hîc n.1. & 2. Similiter etiam revocatum eſt privilegium Principibus ſecularibus conceſſum eligendi Epiſcopos, vel ut non valeat electio, ſinè illorum conſenſu, celebrata; vel quia Principes ſponte ſuâ ei renunciârunt, cujus exemplum habetur in Valentiniano Imperatore, c. Valentinianus 3. diſ. 63. Vel quia conceſsâ ſibi poteſtate abutentes, pro arbitrij temeritate indignos promovere, dignos vexare, & ejicere cœperunt, ideóque privilegium amittere meruerunt, c. Privilegium 13. c. 11. q. 3. c. Ex tuarum 11. de privileg. Adde, quòd electio, interveniente principali poteſtate, celebrata per metum facta, & parùm libera cenſeatur, unde oriri poteſt inordinata confuſio, vel contentio, ideóque meritò prohibitum eſt, ne laici Principes ſe Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum electioni immiſceant, c. 1. & 2. c. Omnes 7. diſ. 63. Tholoſan. cit. c. 5. n. 16.

Porrò, poſt ablatam Laicis prædictam poteſtatem eligendi Epiſcopos, alióſque Prælatos Eccleſiaſticos, ea poteſtas penes omnes Clericos, & Religioſos Diœceſis remanſit, ita, ut ſaltem, ſinè conſilio eorum requiſito, electio fieri non poſſet, c. Obeuntibus 35. diſ. 63. Poſtea verò Clerici à Religioſis ſeparati ſunt, & ſtatutum eſt, ut Religioſi ſuos Abba-

tes vel Præpoſitos, ſeu Priores; Canonici verò, & alij Clerici ſeculares ſuos Epiſcopos,& Prælatos eligerent, ut patet ex c. 1. & c. Cùm terra 14. aliiſque h. t. Tholoſan. tract. de elect. c. 6. n. 1. & 2. Tandem hæc poteſtas eligendi Epiſcopos ad ſolùm Capitulum in Eccleſijs Cathedralibus redacta, & devoluta fuit, ita; ut ſoli Canonici, excluſis non ſolùm laicis, ſed etiam cæteris Eccleſiæ Clericis, quamvis Beneficiarijs, Epiſcopum eligant, ut conſtat ex varijs Canonibus h. t. & eod. in 6. de quo poſtea plura. Et hæc quidem lex, aut conſuetudo diu in Eccleſia duravit, & etiamnum durat in Germania noſtra, in cujus Eccleſijs pleriſque Collegium Canonicorum Cathedralium Epiſcopos, vel Archiepiſcopos nominat, deſignat, & eligit, electi verò à Romano Pontifice confirmantur. In alijs verò Regnis, ut Hiſpaniâ, Galliâ, Poloniâ, Luſitaniâ, ipſi Reges ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopos nominant, deſignant, & præſentant ab ipſo Papa inſtituendos, ut ſuprà etiam dictum, aut ipſe Papa eos nominat, creat, & inſtituit, uti fit in multis locis Italiæ, Azor cit. l. 3. c. 28. q. 3. & l. 6. c. 14. q. 1. Nam S. Pontifex ad tollendas graves diſcordias, quæ quotidie oriebantur in electionibus à Capitulo factis; reſervavit ſibi proviſiones omnium Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium in Extravag. Ad regimen de præbend. & generaliter in Regula 2. Cancellariæ Apoſtolicæ, exceptis Regnis ſuprà nominatis, & Germaniâ, propter Concordata cum Sede Apoſtolica inita, Barboſ. in cit. c. 3. n. 27. de quo alibi plura.

VII. Præmittendum 2. Falſum eſſe, jus eligendi Epiſcopos ad populum Jure divino pertinere, ut comminiſcuntur hæretici hujus temporis, neq; enim ea de re ullum præceptum Chriſti extat in SS. litteris, ſed ex lege divina, & Chriſti inſtitutione, proviſio omnium Eccleſiarum ad Eccleſiam Romanam, ejúſque Caput S. Pontificem pertinet, ut conſtat ex c. 1. diſ. 22. ejúſque arbitrio & poteſtati relicta eſt, ut ipſe, quod magìs expedire judicaret, hac in parte decerneret. Nec refert, quòd olim Apoſtoli, non ſoli, ſed cum tota Eccleſia, ſeu Congregatione fidelium, electionem fecerint, ut patet ex Actor. c. 1. 6. & 13. nam id non ex neceſſitate aut obligatione legis divinæ ſactum eſt, ſed ex conceſſione Apoſtolorum; nec enim, quidquid Chriſtus vel Apoſtoli fecerunt, id fieri etiam debere ab alijs præceperunt, alioquin enim etiam Miniſtri Evangelici per ſortem eligi deberent, quia Mathias ſorte electus eſt in Apoſtolum. Quòd autem dicit S. Cyprianus Epiſt. 68. traditione divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione ſervandum eſſe, ut Epiſcopus deligatur, plebe præſente; nomine traditionis non intelligit jus aut præceptum divinum, ſed uſum & morem, ſive exemplum & factum, quod tam in Lege Veteri, quàm Nova, initio naſcentis Eccleſiæ, obſervatum fuit; non ex obligatione legis divinæ, ſed ex libera conceſſione Apoſtolorum, aut SS. Pontificum, Azor cit. c. 28. q. 4. Barboſ. cit. c. 3. n. 35. & ſeqq.

VIII. His præmiſſis, quæritur 1. Quibus jus ſeu poteſtas eligendi Epiſcopos, vel alios hujuſmodi Prælatos Eccleſiaſticos, jure communi & ordinario, competat? Reſpondetur, Jure communi electio Prælati ſpectat ad Congregationem ſeu Collegium Eccleſiaſticum, ſive Canonicorum ſecularium, ſive Conventualium Regularium, prout conſtat ex c. ult. cauſ. 16. q. 7. c. Abbatem 3. & c. ſeq. cauſ. 18. q. 2. ubi ſermo eſt de electione Abbatum, ſive Prælatorum regularium. Idem ſtatuit generaliter Lu- » tius Papa in c. 1. h. t. ut nullus in Eccleſia, ſeu Con- » gregatione Eccleſiaſtica, in qua duo vel tres fue- » rint congregati, niſi per eorum (ſcilicet Congre- » gatorum, ſive Capitularium) electionem Canoni- » cam Presbyter (id eſt, Prælatus. Innocent. hic V. » eodem) eligatur, ſive præficiatur: ſi verò aliter » (quàm per electionem Canonicam) quis Eccleſiam » conſecutus fuerit, eò quòd per cupiditatem (præ- » ſumptam, eo ipſo, quòd non fuit canonicè electus, » Hoſtienſ. hîc. V. per cupiditatem) ſive ambitionem » illam acquiſierit, & contra canonicæ regulæ diſci- » plinam ingreſſus ſit, expellatur, ſive removeatur. » Ratio eſt, quia illi, qui ſunt de Corpore Eccleſiæ, ſive membra ejuſdem, cujus Prælatus eſt Caput, meliùs cenſentur informati eſſe de neceſſitatibus & commodis Eccleſiæ, quàm alij extranei, & eorum conſilio debent geri negotia Eccleſiæ, c. novit 4. de his quæ fiunt à Præl. ſinè conſ. Capit. ideò, quando agitur de proviſione Capitis, per quod præcipuè gubernari debet Eccleſia, ad ipſa membra Eccleſiæ potiùs decet ſpectare electionem, quàm ad alios non ita informatos, Vivian. in Ration. Jur. Pontif. in cit. c. 1. Quòd ſi quis aliter, quàm per Canonicam electionem, ad Prælaturam aſſumatur, nempe ab ijs, qui jus eligendi non habent, nulla & invalida eſt promotio, imò talis cenſetur intruſus, quia non per legitimam viam in Eccleſiam eſt ingreſſus, ſive Prælaturam conſecutus eſt: neque ij, quibus eligendi jus competit, poſſunt ejuſmodi electionem vitioſam poſtea ratificare, ſive per tranſactionem, ſive per alium ſimilem modum, quia, quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, juxta reg. jur. 29. ff. gl. in c. Dudum 22. V. Electionis tempore h. t.

Sed quomodo Collegium Canonicorum dare poteſt Prælaturam Epiſcopalem eligendo, cùm illam non habeat, nemo autem dare poteſt, quod non habet, c. Quod autem 5. de jure patron. Reſpondent nonnulli, quòd Collegium Canonicorum non habet jus Prælaturæ formaliter, habet tamen virtualiter, ſicut Dominus fundi non habet ſervitutem propriam, cùm res ſua nemini ſerviat, poteſt tamen in fundo ſuo alteri conſtituere jus ſervitutis, l. Per fundum 11. ff. de ſervit. ruſt. præd. Sed contra eſt, quia non poteſt dici, quòd Collegium Canonicorum virtualiter habeat jus, ſive poteſtatem Principalem, cùm hæc à ſolo Papa immediatè procedat, c. 1. & 2. diſ. 22. Igitur meliùs reſpondetur cum Abbate cit. c. 1. n. 9. h. t. quòd Collegium eligendo det Epiſcopale jus ſeu Prælaturam, non auctoritate propriâ, ſed ex poteſtate officij ſibi conceſſi à Jure communi Canonico, vel vi illius à Papa.

IX. Quæritur 2. Quid hîc intelligatur nomine Collegij Eccleſiaſtici? Reſpondetur, intelligitur non quævis collectio aut Communitas Clericorum, etiamſi uni Eccleſiæ ſint aſtricti, vel parochiæ ſubjecti: nam ſi plures Clerici ſint in Eccleſia aliqua ad divina officia & miniſteria deputati, qui miniſtrant Eccleſiæ ſolùm ut perſonæ ſingulares, ij non

con-

conſtituunt Collegium, quia nec unum corpus faciunt, nec communi ſigillo utuntur, c. Dilecta 14. junctâ gl. V. nec ſint unum corpus, de exceſſib. Prælat. neque unum communem procuratorem vel Syndicum conſtituere poſſunt, l. 1. §. 1. ff. Quod cujuſque Univerſitat. nom. Soli ergo illi Clerici cenſentur conſtituere Collegium, qui ut fratres ſeu membra faciunt unum Corpus Eccleſiaſticum, ſeu Congregationem, cujus caput ſit Prælatus à Congregatione, ſeu Collegio eligendus, vocantúrque Canonici ſeu Capitulares. Quare cæteri Clerici, Capellani, vel perpetui Beneficiarij, qui de Capitulo non ſunt, nec vocem, ſeu ſuffragium in illo habent, ideóque etiam propriè Canonici non dicuntur, ad Collegium Eccleſiaſticum non pertinent, & conſequenter neque Jure communi, ad eos electio Prælati pertinet, gloſſ. communiter recepta in c. pen. V. Aſſiſios de Cleric. non reſident. Abb. in cap. 1. num. 2. & 11. h. t. Barboſ. de offic. Epiſc. p. 1. tit. 1. c. 3. n. 16.

X. Quotnam autem perſonæ ad conſtituendum Collegium requirantur, & ſufficiant, controverſum eſt inter DD. Nonnulli putant, differentiam eſſe faciendam inter Congregationem & Collegium, ita, ut duo quidem ſufficiant ad faciendam Congregationem, tres verò requirantur ad conſtituendum Collegium, ita gl. in c. 1. V. Duo. h. t. Sylveſt. V. Collegium n. 1. Sed hæc diſtinctio nullum fundamentum habet in jure, vel ratione, & ſaltem in materia electionis locum non habet; nam ſi Congregatio plurium Collegium non faceret, neque ſufficeret ad electionem faciendam, ut colligitur ex c. Dilecta 14. de exceſſib. Prælat. Abbas in cit. c. 1. n. 5. h. t. Alij, quorum opinio eſt magis communis, teſte Abbate in cit. c. 1. n. 6. putant, ſecundùm Jus Canonicum, duos Clericos ſufficere ad Collegium Eccleſiaſticum, ſive Eccleſiam Collegiatam inſtituendam, licèt de Jure civili tres perſonæ requirantur, juxta l. Neratius 85. ff. verb. ſignif. Sed contra eſt, quòd à Jure civili non ſit recedendum, niſi à Canonico repetiatur mutatum: cùm ergo, ſecundùm Jus Civile, ad Collegium conſtituendum tres minimùm perſonæ requirantur, totidem requirentur ſecundùm Jus Canonicum, cùm in eo diverſum ſtatutum non repetiatur. Neque verò mutatio vel correctio aliqua colligi poteſt ex eo, quòd in c. 1. h. t. Pontifex alludens ad verba Chriſti apud S. Matth. c. 18. V. 20. dicat, nullus in Eccleſia, ubi duo vel tres fuerint in Congregatione, niſi eorum electione canonicâ Presbyter eligatur. nam Pontifex non intendit ibi definire, quot perſonæ ad Congregationem, ſeu Collegium faciendum de jure requirantur, neque etiam illud, quiſnam Prælatum eligere debeat, ſi unus tantùm è Collegio ſuperſit: ſed ſolùm voluit oſtẽdere, jus eligendi Prælatum ad Collegium ſeu Capitulum pertinere, licèt duo tantùm ſuperſint è Collegio, poſt mortem Prælati. Abbas verò in cit. c. 1. n. 6. docet, quòd quidem ab initio non poſſit conſtitui Collegium ex duobus, quorum unus ſit Prælatus, & alter Clericus, quia Prælatus non eſt propriè de Collegio, nec venit appellatione Collegij, cùm ſit caput Collegij, juxta gl. in Clement. 2. V. in eiſdem in fine, de ætate, qualit. Ord. præfic. ergo præter Prælatum, ſaltem duo requiruntur ad conſtituendum Collegium, cùm hoc non poſſit ab uno ſolo incipere, ſive ab initio conſtitui in uno: poteſt tamen ab initio conſtitui Collegium ex duobus Clericis, qui collegialiter inter ſe conveniant, cùm ad rationem Collegij non requiratur, ut habeat Prælatum, ſeu Rectorem, ut notat Innocent. in c. Cùm ignores 15. n. 1. de præbend. & tunc hi duo poſſunt ſibi eligere Prælatum etiam ex ſeipſis, cùm habeant jura Collegij, unóque ex ſe electo, jus Collegij remanebit in altero, quia Prælatus non poteſt eſſe Caput Collegij, & ſimul ipſum Corpus Collegij, Abb. c. l.

XI. Verùm hac in re dicendum eſt 1. Ad Congregationem, ſeu Collegium conſtituendum, tres ut minimùm perſonas requiri, ut habetur in l. Neratius 85. ff. de verb. ſignif. & ibid. gl. idémque traditur in l. Deteſtatio 40. in fine ff. eod. de familia domûs, quòd duo familiam non faciunt, ſed ſaltem tres requiruntur, gl. fin. ibid. Ratio eſt, quia ad ſtatum familiæ requiritur paterfamilias, qui ſit veluti caput familiæ, quòd ſi duo tantùm ſint, præter Caput, non niſi unicum membrum erit, quomodo autem unus familiam conſtituet, quæ pluralitatem perſonarum requirit. Ita pari modo, licèt ad conſtitutionem Collegij ſaltem politici, ſeu civilis, non requiratur neceſſariò, ut actu habeat caput, ſeu Rectorem; requiritur tamen, ut habeat potentiâ, ſive ut Collegæ poſſint unum etiam ex ſeipſis conſtituere, ſi idoneus adſit, qui ſit Caput, ſeu Rector Collegij; nam quodlibet Collegium licitum jus habere debet ſibi Rectorem creandi ex ſuo corpore, ut docet Bartol. in l. Sodales 4. n. 12. ff. de Colleg. illicit. & Innocent. in c. Dilecta 14. n. 1. de exceſſib. Prælat. ſi autem ex duobus unus Caput, ſeu Rector conſtituatur, unicum tantùm membrum erit, præter caput, adeóque corpus non erit, quod plura membra requirit. Quin imò ad Congregationem, ſeu Collegium ſacrum, ſeu Eccleſiaſticum conſtituendum, v. g. Eccleſiam Collegiatam, vel Monaſterium, neceſſariò requiritur, ut actu unum Caput, ſeu Prælatum habeat, prout ſumitur ex c. 1. h. t. ubi per Eccleſiam, in qua ſunt duo vel tres congregati, intelligitur Eccleſia Collegiata; per Presbyterum verò eligendum, Prælatus, ut explicat Innocent. ibid. & alij communiter; cùm igitur mens Papæ ibi ſit decernere, per quos Prælatus ſit præficiendus Eccleſijs Collegiatis, conſequenter ſupponit, ibi debere eſſe Prælatum. ſeu Caput Collegij, Laym. in cit. c. 1. num. 6. Præter Prælatum verò, ſive Caput, debet in Congregatione, ſeu Collegio Eccleſiaſtico, cui jus eligendi Prælatum competit, etiam eſſe Capitulum, ut conſtat ex tit. Libri III. Decretalium, De his, quæ fiunt à Prælatis, ſinè conſenſu Capituli, ex quo patet, quòd Prælatus à Capitulo ſit diſtinctus, nec ſub appellatione Capituli comprehendatur, juxta gl. in cit. Clement. 2. de ætat. & qualitat. adeóque non poteſt eſſe Capitulum, ſive Conventus Capitularis, niſi præter Prælatum, ſive Caput, ut minimùm ſint duæ perſonæ Capitulares, cùm Capitulum ex vi nominis collectionem, ſeu pluralitatem ſignificet, unúſque ſolus non poſſit conſtituere Capitulum, Laym. c. l. num. 1.

Deinde loquendo etiam de Congregationibus ſeu Collegiis politicis ſive civilibus, quæ non neceſ-

ſariò

ſariò actu habere debent unum Caput, ſeu Rectorē, nihilominus tamen ad conſtituendum tale collegiū duæ perſonæ non ſufficiunt, quia in omni Collegio, etiam quod Rectorem non habet, neceſſaria eſt poteſtas aliqua coërcitiva ſeu punitiva, ſaltem modica, arg. l. ult. C. de juriſdict. omn. judic. qualis inter duos æquales eſſe non poteſt, cùm neuter alterum, ſi delinquat, punire poſſit, nec unus ab altero ſe puniri facilè patietur, quia puniens poteſtate vel viribus ſuperare debet eum, qui puniri debet. Itaque ad conſtitutionem cuiuſcunque Collegij requiruntur ut minimùm tres perſonæ, Laym. in cit. c. 1. n. 1.

XII. Dicendum 2. Etſi Collegium, ſive Eccleſiaſticum, ſive Civile, ab initio conſtitui non poſſit, neque jura Collegij, ſeu Univerſitatis conferri poſſint, niſi ſaltem tres ſint, qui congregentur; Collegium tamen ſemel conſtitutum, eiúſque jura conſervari poſſunt in duobus, imò etiam in uno, gl. in cit. c. 1. V. duo h. t. Abb. in c. 2. n. 9. de poſtul. Prælat. iuxta l. Sicut. 7. in fin. ff. quòd cuiuſque univerſit. nom. Ratio eſt, quia plus plerumque requiritur ad generationem, ſeu primam conſtitutionem alicuius rei, quàm ad eiuſdem conſervationem. Quòd ſi Collegium ex tribus minimùm perſonis ab initio coaluit, & unus moriatur, vel Congregationem deſerat, manet Collegium, ſed velut imperfectum; & tunc unus alterum eligere poterit in Prælatum, ſi electus in ſui electionem conſentiat, ut docet Joan. Andr. in reg. In toto 80. de reg. jur. in 6. Si verò unus ſolus remaneat, alijs duobus mortuis, vel à ſocietate recedentibus, non erit Collegium actu, cùm hoc collectionem plurium perſonarum, ex vi ſignificationis ſuæ, importet; jura tamen Collegij in illo unò remanebunt, & ſic Collegium quodammodo habitu, ſeu virtute in uno manebit, iſque ſolus & unus poterit exercere actus Collegio, ſeu Capitulo competentes, ut eſt, eligere & poſtulare, ut docet gl. in cit. l. Neratius, & in cit. l. Deteſtatio. V. unicus ſervus ff. de verb. ſignif. & quamvìs ſeipſe eligere non poſſit, ut etiam dictum tit. præced. n. 29. poteſt tamen aliam idoneam perſonam in Prælatum eligere, vel potiùs nominare, niſi malit in alios compromittere, vel etiam in unū, v. g. in Epiſcopum, cui Collegium eſt ſubjectum, iuxta c. Cauſam. 8. h. t. quod conſultius foret, Laym. in cit. c. 1. n. 3. h. t.

Porrò ſicut ad Collegij tres perſonæ, ita ad populi vel plebis conſtitutionem, minimùm decem requiruntur, arg. c. Unio. 3. cauſ. 10. q. 3. juncta gl. V. mancipia, & l. Prætor 4. ff. vi bonor. rapt. Abb. in cit. c. 1. n. 7. h. t. Quòd ſi aliqui ex his moriantur, ut pauciores, quàm decem ſint, propriè ac perfectè non erit populus actu; jura tamen populi, ſeu univerſitatis etiam in paucis, imò unico conſervabuntur, iuxta cit. l. ſicut, in fine.

Denique ſi omnes è Collegio vel Univerſitate mortui ſint, aut aliò migrârint; tum vel jus eligendi, & ſimilia jura ac privilegia per ſe ac directè ſunt conceſſa Congregationi, vel Collegio certarum perſonarum, ita, ut corporalia ſeu collegialia, vel perſonalia cenſenda ſint; tum omnibus illis perſonis mortuis, aut aliò diſcedentibus, etiam ipſa jura ac privilegia eiuſmodi extinguuntur. Vel jura ac privilegia ſunt localia, ſeu realia, quæ per ſe ac directè, non perſonis vel certo perſonarum generi, ſed rei, ſeu loco ſunt conceſſa, v. g. Eccleſiæ, Monaſterio, Academiæ vel Civitati, quatenus hæ voces pro materiali ædificio accipiuntur, tunc mortuis, vel diſcedentibus omnibus membris talis Collegij, ſeu Univerſitatis, huiuſmodi jura ac privilegia non extinguuntur, ſed in parietibus, vel ædificio diruto, etiam in ſolo ſeu fundo conſervantur, eique inſeparabiliter cohærent. l. Ædes 73. ff. de contrah. empt. c. Et hoc 9. junctâ gl. V. deſtructa. cauſ. 16. q. 7. Abb. in c. 2. n. 12. de poſtul. Prælat. Laym. in cit. c. 1. n. 5. h. t.

XIII. Quæritur 3. An omnes, qui ſunt è Collegio Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, jus eligendi Epiſcopum, vel Prælatum habeant? Reſpondetur, non omnes, ſed ij ſolùm, qui in ſacris, id eſt, ſaltem in Subdiaconatûs Ordine ſunt conſtituti, votem in Capitulo habent, & conſequenter eligere poſſunt, ut conſtat ex Clement. Utij 2. de ætate & qualitate &c. Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 4. de reform. Sufficit autem, ut Canonicus ſit in ſacris tempore electionis, ad hoc, ut eligere poſſit, etſi tempore, quo vacat Eccleſia, nondum Subdiaconus ſit, quia quod dicitur, in electionibus ſpectari initium, de initio electionis, non vacationis accipiendum eſt, gl. in cit. Clement. 2. V. conſtitutus. Neque verò Canonicus in ſacris non conſtitutus ab aliis exſpectandus eſt, licèt ordinari velit infra terminum à jure præfixum ad eligendum: ſicut nec alij Capitulares exſpectare debent impuberem, cuius pubertas citò finiretur, nec abſentem, qui alioquin vocatus venire non poteſt, aut non vult; nec excommunicatum paratum brevi abſolutionem petere, neque alij profeſſi novitium brevi profeſſionem emiſſurum, gl. in cit. Clem. 2. V. conſtitutus, Azor. cit. l. 6. c. 14. q. 6. in fine. Nam cæteri Canonici jure ſuo eligendi uti poſſunt, quando ipſis opportunum videtur, idque ſinè injuria eius, qui ſacris necdum initiatus eſt, adeóque nullum jus eligendi habet, etſi habiturus ſit, quique ſibi imputare debet, quòd Ordinem ſacrum citiùs non ſuſceperit. Quòd ſi electioni interſit Canonicus nondum in ſacris conſtitutus, non ideo irrita eſt electio, licèt ſuffragium illius non numerandum ſit cum aliis, Azor p. 2. lib. 3. c. 11. q. 20. Si verò initio vacationis Eccleſiæ, nullus è Canonicis ſit in ſacris, tum jus eligendi ad Superiorem devolvitur, qui expectare debet uſque ad terminum temporis electioni præſtituti, antequam utatur jure devoluto: intra quod tempus ſi aliqui è Canonicis ſacrum Ordinem ſuſcipiant, ad ipſos pertinebit jus eligendi, neque locus erit devolutioni, gl. cit. loc. arg. c. Commiſſa 35. h. t. in 6. ubi deciditur, promotum ad parochialem Eccleſiam, ſi per negligentiam diſtulit ſacerdotium accipere, ut appareat, intra eum annum promotum non iri, non priùs incurrere pœnam privationis, quàm annus integer elapſus fuerit, de quo infrà: ergo neque in hoc caſu pœnæ devolutionis eſt locus, ante lapſum temporis à jure præfixi ad eligendum, quia pœna à lege ſtatuta, niſi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur, priuſquam tempus illud integrè elapſum ſit, Laym. l. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 16. n. 10.

* * *

§. III.

An poteſtas eligendi aliis quoque Clericis, qui è Collegio non ſunt, vel etiam laicis competere poßit, vel iis, qui ſolùm ſunt in poſſeßione iuris eligendi?

XIV. Quæritur 1. An jus eligendi Prælatum, vi privilegij, conſuetudinis, vel pacti, etiam aliis extraneis, qui è Collegio ſeu Capitulo non ſunt, competere poſſit? Reſpondetur, quamvìs Jure communi electio Epiſcopi, aut Prælati, ad Collegium Eccleſiaſticum pertineat, ut hactenus dictum: ex privilegio tamen S. Pontificis, etiam aliis Clericis, qui è Capitulo aut Corpore Eccleſiæ non ſunt, concedi poteſt, prout ſumitur ex c. Cùm dilectus 8. ſuprà de cõſuetud. & docet Abb. in c. Cumana 50. n. 2. h. t. ubi ait, quòd Abbates poſſunt ex ſpeciali jure, ſive privilegio acquirere jus eligendi Epiſcopum loci, unà cum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, Azor cit. c. 14. q. 6. & alij communiter. Præterea etiam per conſuetudinẽ legitimè præſcriptam acquiri poteſt jus eligendi ab extraneis Clericis, ut conſtat ex cit. c. Cùm dilectus, c. Bonæ. 4. de poſtul. Prælat. & ibi Hoſtienſ. V. contemptis, cit. c. Cumana, & ibi gl. V. conſuetudine h. t. Præſcribitur autem jus eligendi ab eo, cui de jure cõmuni non competit, ſpatio 40. annorum, quo generaliter præſcribi ſolent jura ſpiritualia ſeu Eccleſiaſtica, c. De quarta. 4. de præſcript. neceſſe tamen eſt, ut aliqua electio intra prædictum tempus facta, Superioris auctoritate, fuerit confirmata, ut ex Innocentio docet Azor c. l. nam electiones, quæ rejectæ ſunt, nihil juris conferre poſſunt. Denique etiam pacto, ſeu voluntate eorum, ad quos aliàs jus eligendi pertinet, poteſt extraneis Clericis facultas eligendi communicari, Azor cit. c. 14. q. 6. & ſumitur ex c. Scriptum. 40. h. t. ubi habetur, quòd Canonici mutuo conſenſu convenerint, ut ad electionem Patriarchæ Conſtantinopolitani 7. Præpoſiti admitterentur, ſive per ſeipſos, ſive per alios. Ex quo patet, quòd Electores etiam quosvis extraneos ſecum ad electionem peragendam admittere non prohibentur, ſaltem pro ea vice, ſicut etiam poſſunt jus ſuum eligendi, pro una vice, in alium. v. g. Epiſcopum ſuum conferre, ut ipſe Eccleſiæ Prælatum eligat, ſeu conſtituat, c. Cauſam. 8. h. t. Laym. in qq. Canonic. de Prælat. elect. q. 19.

Ubi tamen ulteriùs diſtinguendum eſt, nam vel jus eligendi conceditur perpetuò ipſi dignitati perſonæ extraneæ, & tum non poteſt concedi, niſi cum conſenſu Superioris, & aliis ſolemnitatibus requiſitis ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum, cùm ſit ſpecies quædam alienationis. Vel conceditur perſonæ; & tum iterum ſubdiſtinguendum eſt: vel enim conceditur, Prælaturâ vacante, pro una vice, ſive pro unâ electione futura; & valet conceſſio, cit. c. Scriptũ: vel Prælaturâ non vacante, & non valet conceſſio, quia ſpeciem habet tractatûs de futura ſucceſſione, cuiuſmodi tractatus, ſede vacante, eſt prohibitus, arg. c. Bonæ. 36. h. t. & c. Conſtitutus. 11. de conceſſ. præb. Vel denique conceditur perſonæ, non tantùm pro una vice, ſed in perpetuum, ſeu ad vitam eius; & ſubſiſtere poteſt conceſſio, accedente conſenſu Superioris, aliiſque ſolemnitatibus, dummodo fiat modò poſſibili ſeu licito, & non reprobato per Canones, qualis conceſſio prohibita eſt, ſi jus ſuffragij conceditur Monacho, vel Abbati alterius Monaſterij, ut ſimul etiam ſit Monachus, & participet jura Monaſterij concedentis, c. Conſtitutis. 47. h. t. & ibid. Imola n. 2. & Abb. n. 3. quia id SS. Canonibus repugnat, ut aliquis in diverſis Monaſteriis ſimul locum Monachi habeat, ſeu Capitularis exiſtat, c. ult. in fine de relig. domib. gl. in cit. c. Conſtitutis, V. vocem. Præterea poteſt ab initio, in fundatione Eccleſiæ Collegiatæ, pacto conſtitui, ut electio vel nominatio Prælati pertineat ad alterius Eccleſiæ Prælatum, aut Capitulum, aut patronum Eccleſiaſticum, gl. in c. Nobis. 25. V. niſi aliter de jure patron. arg. c. Cùm dilectus. 8. de conſuet. quod Canones concedunt, ut eò magìs excitentur fideles ad Eccleſias fundandas, aut dotandas, præſertim cùm eiuſmodi pacta nec bonis moribus, nec Eccleſiaſticæ immunitati repugnent, Laym. cit. q. 19. Si verò à prima fundatione jus eligendi conformiter Juri communi, ad Collegium Eccleſiæ pertineat, non poſſunt Capitulares abſolutè & in perpetuum, illud à ſe abdicare, quia talis renuntiatio & Eccleſiæ perniciosa eſt, & SS. Canonibus contraria, iuxta quos electio Prælati ad Capitulum pertinet, Laym. c. l.

XV. Quæritur 2. An jus eligendi Epiſcopos vel Prælatos etiam laicis competere poſſit? Reſpondetur 1. non poteſt laicis per pactum, fundationem, vel quamcunque donationem concedi, ſive communicari poteſtas, ſeu jus eligendi Prælatos Eccleſiaſticos, ut conſtat ex c. Sacroſancta. 51. h. t. nam Abbas Cluniacenſis, accedente conſenſu Capituli ſui, cum » Comite de Varenna, qui erat patronus Monaſterij » S. Pancratij pertinentis ad Eccleſiam Cluniacẽſem, » compoſitionem iniit juri contrariam, & ipſi Eccleſiæ damnoſam, videlicet, ut vacante Prioratu S. Pancratij, Abbas Cluniacenſis nominare debeat duos » ex Ordine Cluniacenſi, quos aptiſſimos judicaret » (excepto tantùm Priore Cluniacenſi, & Priore de » Charitate) ex quibus duobus optio ſeu electio cõperat ipſi Comiti, ut unũ ad dicti Monaſterij Prioratum aſſumat: quam compoſitionem ſucceſſor » prioris Abbatis Cluniacenſis Eccleſiæ ſuæ damnoſam eſſe videns, cauſam hanc Papæ Gregorio IX. » propoſuit, qui conſiderans, quòd jus eligendi in » Collegiata Eccleſia non cadat in laicum, & dictam » compoſitionem exemplo pernicioſam eſſe, & Eccleſiaſticæ libertati repugnare, pronunciavit, » quòd Abbas Cluniacenſis, non obſtante eâ compoſitione, dictum Prioratum S. Pancratij, ſicut » alios ſibi ſubjectos Prioratus, liberè ordinare, ſive » Priorem in eo inſtituere poſſit; patrono verò ordinationem factam denunciet, ut ſi velit, honeſtum » impertiatur aſſenſum. Ratio huius deciſionis eſt, » tum quia jus eligendi Prælatos ſpirituale eſt, laici verò ſpiritualia negotia tractare non debent, c. 2. de judiciis: tum quia id cederet in damnum Eccleſiæ, eiúſque libertati repugnaret, ſi poteſtas eligendi vel inſtituendi Prælatos Eccleſiaſticos laicis concederetur, gl. hìc V. juri contrarium. Quare Prælati inferio-

Digitized by Google

feriores Papâ non poſſunt tale jus concedere laicis, gl. in c. Nobis 25. V. Aliter de jure patron. quia ipſi non poſſunt derogare SS. Canonibus, & libertati Eccleſiaſticæ.

Sed obſtare videtur text. in cit. c. Nobis, ubi dicitur, quòd in Conventuali Eccleſia, non electioni Prælati faciendæ, ſed jam factæ honeſtiùs patroni poſtulatur aſſenſus, niſi aliter de ſua juriſdictione obtineat, ut partes ſuas interponere debeat. Verùm vel ibi ſermo eſt de patrono Eccleſiaſtico, ut explicat, gl. ibid. V. Niſi aliter, & in cit. c. Sacroſancta V. In laicum. Vel dicendum eſt, quòd, licèt per pactum conſtitui non poſſit, ut laicus jus eligendi, vel conſtituendi Prælatum habeat, poteſt tamen per pactum iniri, ut ante electionem conſilium patroni laici requirendum ſit, vel ut laicus intereſſe debeat, unâ cum Clericis, tractatui de electione rite faciendâ, ſaltem defenſionis causâ, ſalvâ tamen manente liberâ facultate eligendi ipſis Clericis jure conceſsâ, Innocent. in c. Quòd ſicut 28. n. 1. h. t. Jo. Andr. in cit. c. Nobis n. 12. & colligitur ex c. Igitur 9. & ſeqq. diſ. 63 de quo plura alibi.

XVI. Hinc colligitur 1. Quòd laicus, etſi patronus ſit Eccleſiæ, non habet jus eligendi Prælatum in Eccleſia Collegiata, nec quidem vi compoſitionis cum Prælato initæ, etiam cum conſenſu Capituli, imò nec interveniente auctoritate Epiſcopi, quia nullus Prælatus Papâ inferior poteſt laicum habilem facere ad jus ſpirituale obtinendum, Abb. hîc n. 2. Et quamvìs hîc ſolùm ſermo ſit de Eccleſia Collegiata, idem tamen dicendum de quavis alia Eccleſia, quòd laicus, etſi patronus, habere nõ poſſit jus eligendi, quippe quod merè ſpirituale eſt, Hoſtienſ. hîc. V. In Collegiata, Abb. n. 3. in fine. Sed neque in ipſa prima fundatione Eccleſiæ, auctoritate Epiſcopi, poteſt laico etiam patrono concedi jus eligendi Prælatum, ob rationem jam dictam, Abb. hîc. num. 9.

Colligitur 2. Si Monaſterium habeat ſibi ſubjectum, ſeu ſubordinatum aliud Monaſterium, ſive Prioratum conventualem, tum, ſi Prælatus Superioris Monaſterij poſſit pro arbitrio Monachos ex uno Monaſterio transferre ad alterum, inſtitutio Prælati, ſive Prioris in Monaſterio ſubjecto pertinet ad Prælatum Monaſterij Superioris, ut tradit gl. in c. 1. In caſu h. t. in 6. Si verò Monaſterium ſubjectum habeat Conventum proprium & ſeparatum, tum de jure communi ad illud pertinet electio Prælati inferioris, ſive Prioris, juxta c. 1. h. t. confirmatio verò illius ad Prælatum Superiorem, cui Prioratus eſt ſubjectus, arg. c. Dilectus 8. de conſuetud. At verò ex jure ſpeciali, videlicet privilegio, vel conſuetudine, etiam electio, ſive inſtitutio Prioris Conventualis ad Prælatum Superiorem pertinere poteſt, ut in caſu hujus c. Abb. hîc n. 9. & Laym. n. 3.

Colligitur 3. Quando in fine hujus c. dicitur, patrono denunciandam eſſe inſtitutionem Prioris ab Abbate factam, ut, ſi velit, honeſtum impertiatur aſſenſum, id ita intelligendum eſt, quòd ſinè aliquo gravamine, vel extorſione rei temporalis conſentire debet: quòd ſi ſinè cauſa conſentire renuat, ordinatio, ſive inſtitutio Prioris, nihilominus firma erit, Hoſtienſ. hîc in fine, & Abbas.

XVII. Reſpondetur 2. Neque per ullam conſuetudinem, etiam temporis immemorialis, acquirere poſſunt laici, ſive ſeculares jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum, quamvìs ſint patroni Eccleſiæ, & ſive ſoli, ſive unâ cum Canonicis, eligere præſumant, prout conſtat ex c. Maſſana, aliàs Meſſana 56. h. t. ubi Gregorius IX. edicto perpetuo prohibet, ne laici, unâ cum Canonicis (multò minùs ſinè Canonicis eligere debent laici, ſed ſoli Canonici, ſinè laicis, Hoſtienſ. hîc. V. cum Canonicis) Epiſcopum eligere præſumant, quòd ſi fortè præſumpſerint, electionem nullam eſſe, decernit, non obſtante contrariâ conſuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela. Ratio eſt, tum quia jus eligendi, cùm ſpirituale ſit, in laicum cadere non poteſt; ergo cùm laicus, ſive ſecularis non poſſit poſſidere jus ſpirituale eligendi, abſque privilegij titulo, nullo etiam tempore illud præſcribere poteſt, arg. c. Cauſam 7. de præſcript. Tum quia cùm talis conſuetudo ſit contra Eccleſiaſticam libertatem, eique repugnet, & à Jure Canonico tanquam corruptela & abuſus reprobetur, nullâ temporis longinquitate defendi, & prævalere poteſt, c. 1. & ult. de conſuetud. gl. fin. hîc. Excipitur, niſi jus eligendi laicis conceſſum ſit ex ſpeciali privilegio S. Pontificis, per quod etiam laicus capax fieri poteſt juris ſpiritualis acquirendi, tunc enim non agit, v. g. non eligit, auctoritate propriâ ac ſeculari, ſed potiùs Eccleſiaſticâ & Apoſtolicâ, ex commiſſione ſcilicet Papæ, Laym. in qq. de elect. Prælat. q. 20.

XVIII. Notandum hîc præterea 1. Non valet electio facta à Clericis, unâ cum laicis, ut habetur in cit. c. Maſſana: ubi tamen diſtinguendum eſt: nam ſi Clerici ſcienter, & voluntariè admittant laicos ad coëligendum ſecum, tum electio ex ipſa rei natura eſt irrita, quia ſi Clerici conſentiant expreſsè vel tacitè, ut electio fiat, unâ cum laicis, non volunt actum electionis peragere, niſi cum laicis, qui tamen inhabiles ſunt ad eligendum, adeóque tota electio eſt irrita, ut in ſimili tradit Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 4. n. ult. Ratio eſt, quia actus electionis eſt individuus, decretum enim electionis fit nomine omnium eligentium, ſive à pluribus tanquam ab uno corpore, ſeu Collegio; ſi ergo aliqui ſint habiles ad eligendum, unus verò vel plures inhabiles, ut laici, totum decretum eſt irritum, quia in individuis & inſeparabilibus utile vitiatur per admixtionem inutilis, ut tradit gl. communiter recepta in reg. jur. 27. in 6. V. utile, ergo etiam electio facta à Clericis vitiatur, propter concurſum laicorum inhabilium ad eligendum, quos ſcienter, & voluntariè ad eligendum admiſerunt, gl. hîc. V. Per laicos, Fagn. ibid. n. 27. & 28.

Si verò electio fiat à Clericis, & ſimul à laicis, ita tamen, ut illi non conſentiant in horum ſuffragia, ſed eos admittant, vel per ignorantiam, vel quia eos prohibere non poſſunt, vel quia per gravem metum coacti ſunt illos admittere, tũ probabile eſt, electionem valere ex ſolis ſuffragijs Clericorum, rejectis ſuffragijs laicorum tanquam incapacium, quia jus univerſitatis reſidet penes ſolos habiles; maximè ſi contra illorum ſuffragia fuerint proteſtati, juxta cit. reg. juris. utile per inutile non debet vitiari, quando ab invi-

invicem ſeparari poſſunt, arg. c. nlt. de procurat. & quia electio facta ſimul à Clericis & Laicis in hoc c. irritatur in pœnam & odium Clericorum laicos admittentium, quod ceſſat, ſi ponatur, Clericos admittere laicos ad electionem ignoranter, vel ſaltem ſinè culpa, Abb. in cit. c. Maſſana n. 5.

Contrarium tamen tenet Laym. ibid. quòd etiam hoc caſu invalida ſit electio facta à Clericis, concurrentibus laicis; tum quia hæc pœnalis conſtitutio principaliter edita eſt in odium laicorũ præſumentium ſe electioni immiſcere, ut colligitur ex illis verbis textûs, *ne per laicos, cum Canonicis, Pontificis electio præſumatur*: tum quia cùm Canon iſte indiſtinctè decernat, quòd electio præſumpta per laicos nullam habeat firmitatem, non debet reſtringi, ut ſolùm irrita ſit electio, ſi Clerici ſcienter vel culpabiliter admiſerint laicos, præſertim cùm hæc conſtitutio verſetur circa materiam favorabilem, quippe quæ pertinet ad conſervandam immunitatem Eccleſiaſticam illæſam.

Verùm valde probabile eſt, quòd hæc conſtitutio, non ſit edita principaliter in odium laicorum tantùm, ſed ſimul etiam æquè in odium Clericorum, eos ſcienter & culpabiliter admittentium, ideóque non habere locum, ſi laici, per ignorantiam, vel ſinè culpa Clericorum, ſint admiſſi, Fagnanus hîc. num. 31.

Notandum 2. Quamvis in cit. c. Maſſana, ſolùm mentio fiat de electione Epiſcopi, tamen etiam electio alterius Prælati Eccleſiaſtici irrita eſt, ſi laici, unâ cum Clericis, concurrant ad eligendum, non obſtante contrariâ conſuetudine, ut in ſumma tradit Imola hîc; idque propter identitatem rationis, quia jus eligendi non cadit in laicum, & quia reſponſum Principis in certa cauſa datum, ob identitatem rationis, ad ſimilia trahi debet, l. Non poſſunt 12. & ſeq. ff. de legib.

Notandum 3. Per laicos hîc non intelliguntur laici religioſi, ſive FF. Converſi profeſſi, qui ſaltem per conſuetudinem temporis immemorialis acquirere poſſunt facultatem eligendi Prælarum, de quo infrà, ſed intelligi debent ſeculares, ut apertè colligitur ex c. Quiſquis 43. b. t. Fagn. hîc. n. 18.

Notandum 4. Electio Prælati facta, admiſſis ad eam ſecularibus, eſt irrita, ſi admittantur ad coëligendum; ſecus, ſi admittantur, ut interſint electioni, propter aliquam utilitatem Eccleſiæ, v. g. ut defendant electores Clericos contra eos, qui injuſtè impedire, vel turbare volunt electores: vel Tabellio ad ſcribendum electionis proceſſum, Abb. hîc n. 3. Unde nihil vetat, conſuetudine induci, ut laicus etiam Princeps, vel patronus ad electionem Prælati vocari debeat, non ut ſuffragium ferat, ſed ut electionem, ſuâ auctoritate & præſentiâ, à tumultu & violentia laicorum defendat, Hoſtienſ. in ſumma h. t. num. 5.

XIX. Cæterùm cur jus præſentandi ad beneficia Eccleſiaſtica patronis laicis ab Eccleſia concedi poſſit, ac ſoleat, non item jus eligendi, ratio diverſitatis eſt, quia per præſentationem non initiatur, ſeu inchoatur ſpirituale aliquod matrimonium inter præſentatum & Eccleſiam, ad quam præſentatur, ſicuti per electionem, c. Cùm inter 21. h. t. ſed præſentatus omne jus ſpirituale ad beneficium per inſtitutionem Superioris acquirit, ad quem proximè dirigitur præſentatio; cùm electio proximè dirigatur ad electum, cui per illam jus ſpirituale acquiritur: ideóque cùm jus eligendi ſit magis ſpirituale, & potentius, quàm jus præſentandi, non conceditur laicis, licèt alterum concedatur, Vivian. in ration. Jur. Pontif. in c. Sacroſancta 51. h. t. non tamen ad Prælaturas laicis jure ordinario conceditur jus præſentandi, vel nominandi, quia non decet, ut Magiſtratus Eccleſiaſticus à laicis conſtituatur, quippe qui in foro externo juriſdictionem exercet, etiam in ipſos Clericos, Laym. de elect. Prælat. q. 21.

XX. Quæritur 3. An poteſtas eligendi competat, non ſolùm ei, qui habet jus ſeu proprietatem, ac quaſi dominium beneficij, v. g. Canonicatûs, ſed etiam ei, qui ſolùm eſt in poſſeſſione juris eligendi, & cuiuſnam in concurſu electio præferenda ſit? Reſpondetur 1. electio facta ab eo, de quo conſtat, quòd ſit in quaſi poſſeſſione juris eligendi, cum bona fide, (quæ præſumitur in poſſeſſore, donec contrarium probetur) eſt valida, ſive ſuffragium eius valet, & computari debet, modò ante electionem factá, nondum lis fuerit conteſtata ſuper jure eligendi, etiamſi is ſuccumbat in cauſa ſibi mota ſuper Canonicatu, vel jure eligendi, adeóque revera jus eligendi quoad proprietatem illi non competat, ſed poſtea conſtet, hoc ad alterum pertinere, prout patet ex c. Cùm olim 7. juncta gl. in notat. & V. duobus. de cauſa poſſeſſ. & propriet. ubi ait, quòd is, qui eſt in quieta poſſeſſione eligendi, poteſt eligere, & electus conſequitur jus ex tali electione, eáque confirmari debet: idque etiam ſumitur ex c. Querelam. 24. junctâ gl. v. ſuper jure h. t. ubi dicitur, ſi electus impugnetur, quòd ſit electus à non domino, ſufficit ei probare, quòd eligens erat in quaſi poſſeſſione eligendi, licèt alter obtineat poſtmodum in petitorio. Ratio eſt, quia bonæ fidei poſſeſſor poteſt percipere fructus, ante litem conteſtatam, ſive donec ei lis mota fuerit ſuper proprietate, l. Bonæ fidei. 48. ff. de acquirend. rer. dom. atqui electio eſt quaſi fructus quidam juris beneficialis, ſicuti præſentatio eſt veluti fructus juris patronatûs, ergo debet pertinere ad bonæ fidei poſſeſſorem, & non ad dominum ſive proprietarium beneficij: idque ex benigna juris diſpoſitione proviſum eſt, in favorem poſſeſſoris bonæ fidei, & in commodum Eccleſiæ, ne incerta ſit Miniſtrorum inſtitutio, aut diu differatur, Laym. de elect. Prælat. q. 27. Aliud eſt de eo, qui malâ fide poſſidet jus eligendi, quia v. g. clàm, vel per vim ad eligendum cum aliis ſe intruſit; nam electio ab illo facta invalida eſt, ſive ſuffragium eius non valet, nec computari debet in numero ad electionem perficiendam, Innocent. in c. Cumana. 50. n. 4. h. t. & ibid. Abb. n. 12. Ratio eſt, quia malæ fidei poſſeſſor nullum ex poſſeſſione ſua commodum, ſeu fructum percipere debet, l. Malâ fide 3. C. de condict. ex lege: licèt propriâ, & privatâ auctoritate ex ſua quaſi poſſeſſione expelli non debeat, c. In litteris 5. de reſtit. ſpoliat.

XXI. Reſpondetur 2. Si duo ſimul concurrant ad ſuffragium in electione ferendum, quorum unus affirmat, ſe eſſe in poſſeſſione Canonicatûs & præbendæ, & per conſequens ſe debere intereſſe electioni, & ſuffragium ferre: alter verò contendat, ad ſe de jure pertinere Canonicatum, & conſequenter

jus

jus eligendi; hoc caſu vel conſtat, illum eſſe in poſſeſſione, cum bona fide; & is ad electionem, & alios actus Capitulares admittendus eſt, excluſo altero, quia poteſtas eligendi, ſive jus ſuffragij ſequitur poſſeſſionem bonæ fidei, & non proprietatem juris, cit c. Cùm olim, & arg. c. Conſultationib⁹ 19. de jur. patron. & ſi admitteretur proprietarius, ac præferretur poſſeſſori, hic poſſeſſione ſuâ dejiceretur, ſinè auctoritate Judicis, contra prohibitionem juris in cit. c. In litteris de reſtit. ſpoliat. Vel non conſtat, ſed dubium eſt, utrùm ille ſit in poſſeſſione, tunc uterque tam allegans poſſeſſionem juris eligendi, quàm allegans proprietatem ejuſdem, admitti poteſt, factâ proteſtatione, ut illius ſuffragium valeat, qui intereſſe debet, Innoc. in cit. c. Cumana n. 4. & Abb. ibid. n. 11.

Ubi tamen notandum, ſi Capitulares Clericum, qui non eſt membrum Collegij, ſeu Capituli, quem tamen conſtat eſſe in quaſi poſſeſſione juris eligendi, quive ideo excludi non debet, admittant ad electionem cum proteſtatione, ut non valeat ejus ſuffragium, ſi proprietatem beneficij, & conſequenter jus eligendi non habeat, inutilis erit talis proteſtatio, nihilque poſſeſſori obeſſe poteſt, niſi hic expreſsè eam acceptet, ſeu in eam conſentiat, volens non aliter ſuum ſuffragium valere, quàm ſi ipſi jus ſeu proprietas beneficij, & jus eligendi ei annexum in veritate competat, quia Capitulares bonæ fidei poſſeſſorem ad electionem admittere obligati ſunt, gl. in cit. c. Cumana. V. proteſtatione. h. t.

Neque verò poſſeſſor tacendo cenſetur conſentire in proteſtationem, quia taciturnitas pro conſenſu habetur, ſi de commodo ejus, qui tacet, agatur; ſecus, ſi de ejus incommodo ſeu præjudicio, gl. & DD. communiter in reg. jur. 43. in 6. Sin autem Canonici Capitulares aliquem, qui non eſt in poſſeſſione juris eligendi, ſponte admittant ad electionem cum tali proteſtatione, ea utilis erit, ſi admiſſus non contradicat illi proteſtationi, etſi expreſsè non conſentiat, quia tunc Canonici non tenebantur illum admittere ad electionem, ſed poterant, abſq; ulla proteſtatione, repellere volentem ſe immiſcere electioni, cùm tamen non ſit membrum Collegij, ſeu Capituli, nec etiam in poſſeſſione juris eligendi, Abb. in cit. c. Cumana. n. 5. & Laym. n. 7. Quòd ſi admiſſus cum proteſtatione, ut ejus ſuffragium non valeat, niſi quatenus de jure vel conſuetudine præſcripta valere debet, malâ fide ſit in poſſeſſione juris eligendi, quia v. g. clanculum ſe ingeſſit, vel per vim ad eligendum cum aliis ſe intruſit, tunc, etſi propriâ auctoritate eum expellere non poſſint, juxta c. In litteris. 5. de reſtit. ſpoliat. tamen utilis erit dicta proteſtatio, quãvis poſſeſſor expreſsè contradicat, Innocent. in cit. c. Cumana. n. 4. V. Proteſtatione, & Laym. ibid. n. 8. Si denique dubium ſit, an Clericus extraneus cum aliis eligere volens ſit in poſſeſſione bonæ fidei, tum utiliter fiet proteſtatio à Capitularibus, ut ejus ſuffragium non valeat, niſi quatenus de jure valere debet: quo caſu, ſi poſtea à Superiore, ad quem confirmatio ſpectat, repertum fuerit, ipſum in poſſeſſione juris eligendi fuiſſe, cum bona fide, ſuffragium ejus validum erit, alioquin verò, ſi in poſſeſſione, bonâ fide, non fuit, invalidum, Innocent. c. l. neque verò hoc caſu is, contra quem fit proteſtatio, poteſt contradicere, quia per hoc nullum fit præjudicium juri ipſius vel poſſeſſioni, ſi eam habeat, ſed ſolùm fit proteſtatio ad conſervandum jus proteſtantium, Laym. in cit. c. Cumana. n. 9. h. t.

XXII. Cæterùm quod dictum eſt de electione, etiam locum habet in præſentatione, quæ ſi facta ſit ab eo, qui bonâ fide eſt in poſſeſſione juris præſentandi, valida eſt, etiamſi poſtea appareat, jus præſentandi, non ad ipſum, qui præſentavit, ſed ad alium pertinere, dummodo lis, ante factam præſentationẽ, non fuerit conteſtata, c. Conſultationibus 19. de jure patron. junctâ gl. in c. Ex litteris. 7. V. vel antiquam eod. gl. in c. Querelam. 24. ſuper jure h. t. & ibid. Abb. n. 5. Ratio eſt, quia electio & præſentatio in jure in pleriſque æquiparantur, ac proinde ſtatutum de uno, cenſetur etiam ſtatutum de altero: ſicut ergo eligere eſt quaſi fructus juris eligendi, ita præſentare eſt quaſi fructus juris patronatûs ſive præſentandi, fructus autem pertinent ad bonæ fidei poſſeſſorem, l. Bonæ fidei. 48. ff. de acquir. rer. dom. ante motam ipſi litem ſuper proprietate, ut ex ſuprà dictis patet. Idem dicendum de collatione facta ab eo, qui eſt in poſſeſſione juris conferendi, Abb. cit. l. n. 5. Idque etiam colligitur ex cit. c. Querelam. h. t. ubi habetur, quòd Cardinalis Presbyter S. Vitalis per Oeconomum Eccleſiæ S. Agathæ, quæ ipſi in commẽdam conceſſa fuit, petiit Presbyterum Eccleſiæ Salvatoris amoveri, eò quòd ſinè conſenſu dicti Cardinalis, qui in commendam, ſeu gubernationem, adminiſtrationémque eam acceperat, & cum præjudicio etiam Eccleſiæ S. Agathæ, cui pleno jure erat unita & ſubjecta, illam occupâſſet: & inſuper petiit penſionem 16. denariorum Papienſium, quę ab Eccleſia S. Salvatoris annuatim ſolvi debeat Eccleſiæ S. Agathæ, modò autem ſit negata & ſubtracta. Ad hæc reſpondit Presbyter Eccleſiæ Salvatoris, ſe nec Cardinali injuriam intuliſſe, nec in Eccleſię S. Agathæ præjudicium illam recepiſſe, quippe ad quam nullo jure pertinet, ſed electum ſeu præſentatum fuiſſe à populo, ad quem ex antiqua conſuetudine pertinebat electio ſive præſentatio, (nam nomine electionis latè ſumpto ſignificatur hîc præſentatio, dum populus aliquem delegit, eúmque electum præſentat Epiſcopo, vel alteri Superiori, Abb. hîc n. 6.) inſtitutum autem Canonicè fuiſſe à Cardinale S. Suſannæ, cui dicta Eccleſia Salvatoris tanquam Capella ſuo titulo in ſpiritualibus ſubjecta erat. His utrinque auditis, Papa Innocentius III. ſucceſſor Cæleſtini III. coram quo cauſa hæc incepta, ſed non finita fuerat, Presbyterum ab impetitione Oeconomi abſolvit, cùm cõſtiterit, quòd populus in quaſi poſſeſſione juris præſentandi Clericum tunc exiſtebat, quando ipſum Presbyterum elegit, ſeu præſentavit, & quòd Eccleſia Salvatoris pleno jure in ſpiritualibus ad titulum S. Suſannæ pertineret, ſalvâ interim quæſtione ſuper jure patronatûs, num ad populum Eccleſiæ Salvatoris; an verò ad Eccleſiam S. Agathæ illud ſpectet. Verùm ad penſionem denariorum ſolvendam Eccleſiæ S. Agathæ condemnat Papa Presbyterum Eccleſiæ Salvatoris, quia liquidè probatum fuit, quòd ea per multos annos perſoluta fuerit dictæ Eccleſiæ S. Agathæ, ſed de novo ſubtracta, & denegata, ſalvâ tamen quæſtione proprietatis inter utramque Eccleſiam.

Hinc colligitur 1. quòd laicus jus præſentandi poſſidere, & conſequenter per legitimi temporis decurſum, etiam præſcribere poſſit, & quidem ſinè vero titulo aut conceſſione facta ab Eccleſia; nam Papa hîc dicit, conſtitiſſe ſibi, quòd populus in quaſi poſſeſſione præſentandi Clericum exiſtebat, cùm tamen non conſtaret, an jus patronatûs, ſeu jus præſentandi ad populum pertineret, Joan. Andr. hic, & Laym. n 4. & noviſſimè Fagnan. hîc. n.7. ubi ait, id efficaciter probari ex cit. c. Querelam, nam ſi præſentatus à populo jus præſentandi poſſidente debet admitti, multò magis admitti debet præſentatus à populo jus patronatûs præſcribente, abſurdum enim eſſet minus dare præſcribenti, quàm poſſidenti. Contrarium tamen tenet Abb. hîc. n.9. quòd, quamvìs, ſi laicus diuturno tempore præſentavit Clericos ad beneficium, inde oriatur præſumptio jus præſentandi ad illum ſpectare, adeòque quòd præſentaverit, ratione juris patronatûs, ut in caſu huius c. Quia populus fuit in poſſeſſione præſentandi, præſumitur, quòd præſentaverit, eò quod jus patronatûs ei competebat, cùm alius patronus non appareret: non autem potuit populus præſcribere jus præſentādi, quia cùm hoc ſit jus ſpirituale, vel ſpirituali annexum, de connexis autem eſt idem judicium, non poſſunt laici illud poſſidere, niſi ex Eccleſiæ conceſſione, quæ tamen hoc jus non concedit, niſi illis laicis, qui fundant, conſtituunt, vel dotant Eccleſias & beneficia, non aliis, adeóque hi ſunt incapaces poſſidendi hoc jus, & conſequenter etiam præſcribendi. Verùm de hoc ſuo loco.

Colligitur 2. Si penſionarius penſionem antea ſolutam tanquam debitam, poſtea recuſet ſolvere, quaſi ea debita non ſit, cenſetur ſpoliare dominum poſſeſſione juris percipiendi penſionem, in qua hactenus fuit, ideóque priuſquam de jure proprietatis agatur, dominus penſionis reſtituendus eſt in poſſeſſionem, & debet penſionarius ei ſolvere penſionem denegatam, iuxta c. ult. de Ord. cognit. & c. Cùm olim. 7, de cauſ. poſſeſſ. & propriet. & ſumitur ex hoc c. & ibi gl. V. Statum, & Innocent. n.4.

§. IV.

An, ſicut electio Epiſcopi, ita etiam electio, ſive inſtitutio Canonicorum in Eccleſiis Cathedralibus pertineat ad Capitulum?

XXIII. Aſſertio 1. Spectato Jure communi, electio, vel potiùs creatio Canonicorum, ſive collatio Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus pertinet, vel ad Epiſcopum ſimul & Capitulum, ut tradit gl. in c. Cùm Eccleſia 31. V. Poſtulavit, h.t. & alij apud Fagnan. ibid. n.11. vel ad ſolum Epiſcopum, ſicut & aliorum beneficiorum collatio ſeu inſtitutio, iuxta c. Cùm ex injuncto 12. in fine de hæretic. & c. 1. de Capell. Monach. quia Epiſcopo cura Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum beneficiorum demandata eſt, c.2. de præbend. in 6. c. Regenda 4. cauſ. 10. q. 1. c. Omnes. 10. & c. ſeq. cauſ. 16. q. 7. ita tamen, ut ſimul etiam requiratur conſilium Capituli, arg. c. Novit. 4. & c. ſeq. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. imò etiam cōſenſus ſaltem maioris partis Capituli, quia ipſius etiam Capituli intereſt, quales aſſumantur Canonici & Fratres, ut docent plures apud Fagnan. in cit. c. Cùm Eccleſia. n.9. Aliud verò eſt, conferre beneficium, aliud conſentire in eius collationem, c. unic. §. Cùm verò, ne ſede vacante in 6. Sicut aliud eſt vendere, aliud venditioni conſentire, l. aliud 160. ff. de R. I. Fagnan. c. l. n.5. Excipi tamen debet, niſi præbendæ Canonicales ſint erectæ ſive inſtitutæ ex communibus bonis Eccleſiæ, tum enim æquum eſt, ut electio, ſive creatio Canonicorum, ſeu collatio Canonicatuum ſpectet ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum, Imola in cit. c. Cùm Eccleſia n.4. & Abb. ibid. n.8. idque, ſi præbendæ non ſint patronatæ, in dubio præſumitur, quòd ex bonis communibus Eccleſiæ ſint inſtitutæ, Abb. cit. loc. Si verò præbendæ habeant patronum, tum præſentatio ad patronum, inſtitutio ad Epiſcopum ſpectat, Abb. cit. loc. de quo alibi plura.

XXIV. Aſſertio 2. Ex recepta conſuetudine electio, ſive creatio Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis ad ſolum etiam Capitulum pertinere poteſt, prout conſtat ex cit. c. Cùm Eccleſia 31. h. t. nam cùm Eccleſia Vulterana, imminuto Canonicorum numero, debito obſequio, ſeu ſervitio longo tempore deſtituta eſſet, Epiſcopus novos Canonicos quoſdam in eadem elegit & inſtituit, quos Canonici, ſcilicet antiqui, recipere noluerunt, aſſerentes, quòd talis electio, ſive creatio, & proviſio in eorum præjudicium fuerit attentata. Quare Epiſcopus rem hanc detulit ad Papam Innocent. III. qui Epiſcopo Florentino cauſam hanc cognoſcendam commiſit: coram quo petebat idem Epiſcopus Vulteranus 1. ut ab injuria à Canonicis ſibi ſuper electione Canonicorum illatâ, eos prohiberet. 2. ut Canonici ipſum Epiſcopum jure eligendi de cætero liberè uti permitterent. De his articulis Papa conſultus reſpondit, & mandavit Epiſcopo Florentino, ut quoad primum articulum, Canonicos ab impetitione Epiſcopi abſolveret, quia non videtur injuriam facere, qui jure ſuo utitur: at Canonici per teſtes longè meliùs, ſeu pleniùs probârunt, quòd ipſi hoc jure uſi fuerint, antequam dictus Epiſcopus Vulteranus eodem uteretur: circa alterum quoque articulum, quo idem Epiſcopus petebat liberum jus electionis ſibi adjudicari, etiam Canonicos ab ejuſdem petitione abſolvat: maximè ſi notorium ſit (id eſt, manifeſtum rei evidentiâ, vel alijs modis, gloſſ. fin. hîc.) quòd in Tuſcia generalis conſuetudo ſit, ut in Cathedralibus Eccleſijs jus eligendi, ſive inſtituendi Canonicos ad ſolum Capitulum, irrequiſito Epiſcopo, ſpectet.

XXV. Notandum hîc 1. Quamvìs in Eccleſia non numerata, ſive in qua non ſunt diſtinctæ præbendæ, nec certus & determinatus eſt numerus Canonicorum, ſeu Conventualium, propter negligentiam eorum non providentium intra ſex menſes, poteſtas providendi non devolvatur ipſo jure ad Superiorem, quia hujuſmodi præbendæ non cenſentur vacare, c. Ex parte 10. de conceſſ. præbend. neque hic ſupplere poteſt negligentiam Canonicorum, gl.

hic

hîc V. longo: poteſt tamen Superior, v. g. Epiſcopus certum tempus aſſignare Canonicis, intra quod Eccleſiæ de neceſſariis miniſtris provideant, alioquin eo elapſo, poterit ipſemet providere, arg. c. Irrefragibili 13. §. Exceſſus de offic. ordin. Hoſtienſ. hîc V. Longo & Abb. n. 7.

Notandum 2. Sicut electio, ſive creatio Canonicorum, vi conſuetudinis, poteſt pertinere ad ſolum Capitulum; ita etiam vi ejuſdem poteſt pertinere ad ſolum Epiſcopum, ut colligitur ex hoc c. quia in proviſione beneficiorum conſuetudo præfertur Juri communi, Abb. hîc num. 2. & num. 10. Sicut etiam ex ſpeciali privilegio jus conferendi Canonicatus pertinere poteſt, vel ad ſolum Epiſcopum, vel ad ſolum Capitulum, Fagnan. hîc num. 29. & alij apud ipſum.

Notandum 3. In primo articulo hujus cap. Epiſcopus egit judicio poſſeſſorio, ſcilicet retinendæ poſſeſſionis, ne turbaretur in poſſeſſione juris eligendi, ſive creandi Canonicos, quos ab ipſo inſtitutos antiqui Canonici nolebant admittere, cùm enim electio, vel collatio beneficij ſit veluti fructus poteſtatis, ſive officij eligendi, vel conferendi, qui in ejus uſu, ſeu exercitio impeditur, dicitur turbari quaſi poſſeſſione ſuâ, modò is bonæ fidei poſſeſſor ſit. In ſecundo verò articulo idem Epiſcopus egit judicio petitorio, nempe actione confeſſoriâ, quia dicebat, jus eligendi, ſive creandi Canonicos ſibi competere, ideóque petijt illud ſibi adjudicari, ſed ex defectu probationis, & quia Capitulum meliùs & pleniùs per teſtes probavit jus ſuum, ideò ſuccubuit Epiſcopus in utroque articulo, gl. hîc V. articulo & Abb. num. ult.

Notandum 4. In interdicto, utì poſſideris, ſive in judicio retinendæ poſſeſſionis, is obtinere debet, qui antiquiorem poſſeſſionem probavit, Abb. hîc n. 5. & in c. licèt 9. n. 36. de probation. & ſumitur ex hoc c. Ratio eſt, quia tunc poſſeſſio nova, cujus titulus juſtificari non poteſt, præſumitur vitioſa, juxta l. ult. C. de acquir. poſſ. & l. Sinè 16. C. de probationib. de quo plura ſuo loco.

Notandum 5. Quamvìs generalis provinciæ conſuetudo, quæ eſt inducta, ſeu præſcripta contra Jus commune, non debeat extendi ad loca particularia, in quibus ea non viget, quia cùm deroget Juri communi, adeóque odioſa ſit, ea reſtringi, non extendi debet, præſertim ſi ſit multùm oneroſa, & alijs præjudicet: ſi tamen jus ſpeciale aliquibus competens probari poſſit per teſtes, & alias legitimas probationes, poteſt illud ex generali provinciæ conſuetudine confirmationem & majorem præſumptionem accipere, prout ſumitur ex hoc c. in fine, nam Capitulum allegans, ſibi competere jus eligendi, ſive creandi novos Canonicos, irrequiſito Epiſcopo, non fundabat ſe ſolùm ſuper generali hac conſuetudine provinciæ, ſed alias probationes attulit, quibus oſtendit, jus hoc ſibi competere, & ſolùm pro majore confirmatione additum fuit, quòd eadem generalis conſuetudo ſervetur etiam in alijs Eccleſijs illius provinciæ, ut colligitur ex illis verbis; *maximè ſi ſit notorium, &c.* Unde conſuetudo generalis provinciæ per ſe ſola non ſufficeret, niſi per alias probationes Capitulares Canonici docuiſſent de hoc jure ſuo, & quòd eo jam ante Epiſcopum uſi fuerint, adeóque quòd talis conſuetudo ſpecialis in eo loco extiterit, Abb. hîc n. 6. Aliud verò dicendum eſt, ſi conſuetudo aliqua non ſit contra Jus commune, nec aliàs oneroſa, tunc enim ſi dubium ſit in particularibus locis, recurrendum eſt ad generalem conſuetudinem provinciæ, vel quæ obſervari ſolet in vicinis provincijs, juxta c. ſuper eo 22. de cenſib. Abb. c. l.

§. V.

De iis, qui prohibentur eligere Epiſcopos, alióſque Prælatos Eccleſiaſticos.

Generatim loquendo, eligere aliqui prohibentur, naturâ, quidam lege, vel moribus, ut notat Greg. Tholoſan. tr. de elect. c. 7. n. 1.

XXVI. Quæritur 1. Quinam naturâ prohibeantur eligere? Reſpondetur ob impedimentum naturale, ſive ob prohibitionem legis naturalis, eligere non poſſunt pupilli, ſeu impuberes, hoc eſt, minores XIV. annis; ſi ſint maſculi, vel XII. annis, ſi ſint feminæ, prout habetur in c. Ex eo 32. in princ. h. t. in 6. ubi, cùm quidam Eccleſiæ Cathedralis Canonicus in pupillari ætate conſtitutus, ad electionem Epiſcopi, unâ cum alijs Canonicis, vocatus non fuiſſet; conſultus ſuper hoc Pontifex Bonifacius VIII. reſpondit, eum non poſſe de contemptu conqueri, aut eandem electionem, ipſo abſente, factam idcirco impugnare, quia nec Jus, nec ratio naturalis permittit, ut illi, qui plenam rationis diſcretionem nondum habent, ad præſtandum in electione ſuffragium admittantur. Neque hîc attenditur, an malitia ſuppleat ætatem, ſicut neque in finienda tutela, Inſtitut. quibus mod. tute. fin. in princ. l. Indecorum 3. C. quando tutor vel curator &c. Licèt ſecus ſit in matrimonio carnali, in quo pubertas non ex annis, ſed ex doli capacitate, & habitu corporis deſumitur, c. Puberes 3. & c. ult. de deſponſat. impub. gl. in cit. c. Ex eo V. In pupillari, Franc. ibid. n. 3.

Porrò etſi jure antiquo pupillus, modò infantiam exceſſerit, beneficium Eccleſiaſticum, imò & Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis conſequi poterat, ut colligitur ex cit. c. Ex eo, ad Capitulum tamen talis pupillus, etſi major ſeptennio, non admittebatur, nec vocem in eo habebat, ut tradit gl. in c. Si eo tempore 9. V. Ætatem de reſcript. in 6. Franc. in cit. c. Ex eo n. 2. poſtea verò Innocentius VIII. in Regula XVII. Cancellariæ ſtatuit, ut ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis non admittantur, niſi qui XIV. ætatis annum compleverint, neque ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, qui minores fuerint 10. annis, ſive annum decimum non exegerint. Denique in Concilio Tridentino Seſſ. 23. c. 6. de reform. ſtatutum fuit, ut nullus, quamvìs in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante XIV. annum beneficium poſſit obtinere, quod juxta declarationem Cardinalium ibid. intelligendum eſt de anno decimo quarto inchoato. Verùm cùm jure novo nullus Canonicus vocem in Capitulo habeat, & conſequenter eligere poſſit, niſi ſaltem Subdiaconus fuerit, Clement. 2. de ætate & qualitate &c. Subdiaconatum verò ex decreto Con-

cilij

cilij Tridentini, cit. Seſſ. c. 12. de reform. nullus ſuſcipere poſſit ante vigeſimum ſecundum annum, conſequens eſt, quòd ante hunc annum cœptum, nullus Canonicus hodierno jure eligere poſſit, Azor p. 2. l. 6. c. 14. q. 8. Ob eandem rationem naturâ prohibentur eligere furioſi, & mente capti, gl. in cit. c. Ex eo V. diſcretione, ſaltem quàm diu ſunt in amentia, & niſi dilucida intervalla habeant, Tholoſ. de elect. c. 8. n. 2.

XXVII. Quæritur 2. Quinam prohibeantur eligere lege Eccleſiaſticâ, ſive Jure Canonico? Reſpondetur, inprimis excommunicati, ſive ligati excommunicatione majore eligere prohibentur, ut conſtat ex c. Conſtitutis 23. junctâ gl. V. Excommunicationis de appellat. & ex c. unic. & ibi gl. V. Majoris, Ne ſede vacante &c. in 6. Ratio eſt, quia excommunicato prohibitum eſt omne exercitium juriſdictionis, & officij, adeóque etiam officium, ſeu actus eligendi, arg. c. Decernimus 8. de ſentent. excommun. in 6. Ex quo ſequitur, quòd electio facta ab irretitis majore excommunicatione ipſo jure irrita ſit, arg. c. Cùm inter 16. junctâ gl. V. Caſſata h. t. nam excommunicatus eſt ſuſpenſus ab omni officio & beneficio, ideóque nihil eorum agere poteſt, quæ ratione officij, vel beneficij ipſi competunt, quorum unum eſt electio, quæ etiam inter actus juriſdictionis computatur, quatenus eſt actus cujuſdam publicæ poteſtatis, & ad commune bonum & regimen Eccleſiæ aliquo modo ordinatur, adeóque ſicut alij actus juriſdictionis, ita etiam electio ab excommunicatis facta eſt irrita, Suar. diſ. 14. de cenſur. ſec. 2. n. 6. Id autem intelligendum eſt de notoriè excommunicatis, & nominatim denunciatis, ac vitandis, quamvis etiam excommunicati tolerati, & non vitandi per exceptionem repelli poſſint ab eligendo, Laym. de elect. Prælat. q. 26.

XXVIII. Aliud verò dicendum eſt de ligatis excommunicatione minore, nam hi, etſi repellantur ab electione paſſiva, ut eligi non poſſint, ſicut infrà dicetur, non tamen repelluntur ab electione activâ, quin eligere poſſint, uti ſumitur ex c. Illa 39. h. t. ubi Papa Innocentius III. confirmat quandam electionem tanquam Canonicam, etſi quidam Electores in ſimplicem, ſeu minorem excommunicationem incidering, ob ſolam participationem, ſeu communicationem cum excommunicato. Ratio eſt, quia minor excommunicatio non à communione fidelium excludit, ſed tantùm participatione, ſive perceptione Sacramentorum privat, c. ult. de Clerico excommun. miniſtr. gl. hic in notatis. Addit verò Pontifex in cit. c. illa, quòd ſi fortè in ea electione defectus aliquis interveniſſet, ſe eum ex plenitudine poteſtatis ſupplere; quamvis hæc ſuppletio facta ſit, non ex neceſſitate, ſed ex abundanti, & ad cautelam, ut notat gl. ibid. V. ſupplentes, & Abb. n. 6. poteſt autem Princeps, qualis in Spiritualibus eſt Romanus Pontifex, in electione, aliiſque actibus, ſive contractibus ex plenitudine poteſtatis, ſupplere defectus ſolemnitatis requiſitæ jure poſitivo, eóſque ex invalidis facere validos, perinde ac ſi ab initio ritè & legitimè facti eſſent, Abb. hic n. 3. non autem per hanc clauſulam, *ex plenitudine poteſtatis*, ſupplentur, & tolluntur defectus inhabilitatis perſonæ; ut ſi quis fortè eſſet excommunicatus excommunicatione majore, vel illegitimus, niſi id exprimatur; neque defectus requiſiti ex lege naturali, Imola hic num. 1. & gloſſator Abbat. lit. b. In dubio autem Princeps non eſt cenſendus uti velle tali poteſtate, cum præjudicio tertij, ut dictum ſuprà titul. 2. num. 20.

XXIX. Porrò electio facta à Capitularibus, qui excommunicatum excommunicatione maiore, & denunciatum ac vitandum, ſcienter & voluntariè, abſque proteſtatione, ad electionem admiſerunt, cùm abſque gravi incommodo repellere poſſent, invalida eſt, ut docent Innocent. in cit. c. Illa. n. 3. Abb. Ibid. n. 7. & alij Canoniſtæ communiter apud Suar. cit. c. 14. n. 13. arg. c. ult. de Procuratorib. idque etiam probabiliter colligitur ex cit. c. Illa. h. t. nam cùm Pontifex ibi in dubium revocet, an non electio facta ab electoribus, quorum aliqui minorem excommunicationem incurrerunt, ob hunc defectum irrita fuerit, ideóq; illum ſaltem ad cautelam ſupplere voluerit, & tollere; pro certo ſupponere videtur idem Papa, eandem electionem, ſi facta fuiſſet à quibuſdam electoribus in maiore excommunicatione exiſtentibus, futuram fuiſſe irritam. Vel ſaltem eiuſmodi electio facta ab electoribus, quorum quidam maiore excommunicatione ligati erant, in pœnam à Superiore irritari poterit, cùm nullo jure expreſſum reperiatur, eſſe ipſo facto irritam, Laym. in cit. c. n. 3. & cit. q. 26. Alioquin verò regulariter, excluſis excommunicatis, alij non excommunicati eligere poſſunt, ut colligitur ex c. unic. Ne ſede vacante in 6.

XXX. Reſpondetur 2. Suſpenſi ab Officio, & beneficio ſimul, vel etiam ab officio tantùm, eligere non poſſunt, c. Cùm inter 16. §. fin. h. t. c. Cùm dilectus 8. de conſuetud. imò etiam ſuſpenſi ſimpliciter, arg. c. pen. de ſentent. excommun. ut ex probabiliore docet Tholoſan. cit. c. 7. n. 7. niſi aliunde conſtet, ſuſpenſionem ſimpliciter latam tantùm ad beneficium tendere. Eſt autem electio ab huiuſmodi ſuſpenſis facta irrita, nam per ſuſpenſionem eis interdicitur exercitium officij, cit. c. Cùm inter h. t. ubi præcipitur, ut, ſi conſtiterit, quòd electio fuerit facta à ſuſpenſis, eâ omnino caſſatâ (id eſt caſſâ denunciatâ, ſeu declaratâ, ut explicat gl. ibid. v. caſſata) ipſi monaſterio de perſona idonea provideatur, quia ſuſpenſus eligere non poteſt; gl. in cit. c. Cùm dilectus. v. à ſuſpenſis. Nec refert, ſive ſint ſuſpenſi à jure ſeu canone inferente pœnam ſuſpenſionis, c. 1. de ſent. & re judic. in 6. c. 1. de ſentent. excommunic. in 6. ſive ab homine, ſeu per ſententiam Judicis, c. Cùm bonæ. 8. de ætate & qualit. &c. c. Quia diverſitatem. 5. de conceſſ. præbend. dummodo ſint nominatim denunciati, ſeu non tolerati, nam electio à ſuſpenſis toleratis facta eſt valida, iuxta Extravag. Ad evitanda Concil. Conſtant. niſi per exceptionem repellantur. At verò ſuſpenſi à beneficio tantùm, non privantur eligendi poteſtate, ſed omnia negotia tam ſpiritualia, quàm temporalia poſſunt exercere, ut tradit gl. in c. Cùm Vintonienſis. 25. v. admiſerant, & Abb. ibid. n. 10. contra Navarrum & alios. Ratio eſt, quia eligere (ſicut etiam conferre beneficia vel inſtituere) propriè loquẽdo, potiùs eſt actus officij, aut juriſdictionis, quàm fructus beneficiorum, ergo cùm ſuſpenſus à beneficiis intelligatur ſolùm ſuſpenſus à perceptione fructuum, non debet fieri extenſio in mate-

ria

tia pœnali ad jos eligendi, quod propriè inter fructus beneficiorum non numeratur, Laym. in cit. c. Cùm dilectus. n. 7. & de elect. Prælat. q. 25.

Cæterùm ſi omnes Capitulares ſint ſuſpeoſi ab officio, ideóque eligere non poſſint, tum poteſtas eligendi pro ea vice ad Superiorem devolvitur, c. Quamquàm. 18. h. t. io 6. ſaltem ſi abſolutio à ſuſpenſione, intra tempus debitum, petita non fuerit: ſin autem non omoes, ſed aliqui tantùm è Capitulo ſuſpenſi fuerint, tum ijs excluſis ſeu privatis (ſive ipſo jore, ſi denooçiati ſint, vel per exceptionem) reliqui non ſuſpenſi eligere poterunt, quia ad eos jus eligeodi pro ea vice devolvitur, iuxta c. 2. de poſtulat. Prælat. Laym. in cit. c. Cùm inter 16. in fine h. t. & cit. q. 25. de quo plura infrà.

XXXI. Reſpondetur 3. Illi quoque, qui in perſonali ſunt interdicto, eligere prohibentur, cit. c. Cùm inter. io fine h. t. Sicut & ij, qui in irregularitate ſunt cooſtituti, non tantùm paſſivæ, ſed etiam activæ electionis jure privantor, c. Is qui. 18. §. Is verò de ſent. excommun. in 6. dummodo huiuſmodi ſive perſonaliter interdicti, ſive irregulares, ſint denunciati, vel per exceptionem repellantur, alioquin eligere poterunt, iuxta dictam Extravag. Ad evitanda, Laym. cit. q. 25. Similiter hæretici eligere non poſſunt, & electio ab ipſis facta eſt irrita, c. ult. cauſ. 9. q. 1. quia & ipſi ſunt excommunicati, c. excommunicavimus. 13. de hæretic.

Addendum hîc 1. Quòd nullus Epiſcopus, vel alios Prælatns poteſt vivens eligere vel conſtituere ſibi ſucceſſorem in Prælaturâ, cap. Epiſcopo. 3. & ſeqq. cauſ. 8. quæſt. 1. quia Prælaturæ & alia beneficia Eccleſiaſtica non debent concedi jure ſoccesſionis hæreditariæ, non enim ſanguinis ratio habenda eſt, ubi habilitas & merita Præpoſiti perpendi debent, Tholoſ. tract. de elect. c. 7. Poteſt tamen Prælatus adhuc in vivis licitè tractare de ſucceſſione, cum Collegio Electorum, c. Apoſtolica, 7. §. His omnibus cit. cauſ. & q. Etſi verò Jure Canonico prohibitum ſit, ut Epiſcopus eligat ſibi ſucceſſorem in officio, nihil tamen bac de re Jure divino legitur conſtitutum, ut docet Azor p. 2. l. 3. c. 28. q. 5. Quio imò Petrum Principem Apoſtolorum ſibi in ſede Apoſtolicâ ſucceſſorem delegiſſe Clementem legitur in c. 1. cit. cauſ. & q. quod non feciſſet, ſi jure divino id prohibitum fuiſſet. Unde ſequitur, ſaltem Papam poſſe alicui Prælato dare poteſtatem eligendi ſibi ſucceſſorem in officio; tum enim non propriâ, ſed auctoritate Pontificiâ fit electio; Abb. in c. Licèt. 6. n. 2. h. t. idque conceſſit Zacharias Papa Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, ut conſtat ex c. Petiiſti. 17. cauſ. 7. q. 1.

Addendum 2. Nemo ſeipſum eligere poteſt, ſicut nec ſeipſum inſtituere, vel ſibi beneficium conferre, cùm inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis, c. ult. de inſtitut. nemo enim plurium perſonarum vices ſimul & ſemel ſubire poteſt, c. Presbyteros. 38. cauſ. 16. q. 1. l. fio. C. de aſſeſſorib. gl. in cit. c. olt. v. dantem & accipieotem.

XXXII. Quæritur 3. An per conſuetodinem poſſint aliqui excludi à jure eligeodi, eóque privari? Reſpondetur affirmativè, ſicut enim aliqui, vi conſuetudiois legitimè præſcriptæ, admitti debeot ad electionem, quibus aliàs jus eligendi non competit, ut ſuprà dictum n. 14. ita etiam per conſuetudinem aliqui excludi poſſunt, & privati jure eligendi, quibus antea illud competebat, niſi tamen jus ſcriprum repugnet, & conſuetudinem reprobet, ut in c. Maſſana 56. h. t. Tholoſan. partit. Jur. Can. l. 1. tit. 29. c. 4.

§. VI.

De pœnis illegitimè, & contra Iuris prohibitionem eligentium.

XXXIII. Quæritur 1. quæ ſint pœnæ Clericotum admittentium ſecolares ad electiooem? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Quiſquis. 43. h. t. nam Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi c. 25. ſtatuit, ut, ſi quis per abuſum ſecularis poteſtatis contra Eccleſiaſticam libertatem electus conſentire præſumpſerit, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, ita ut abſque diſpenſatiooe ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam eligi non poſſit. Qui verò talem electiooem, quæ ipſo jure irrita eſt, celebrare præſumſerint, ab officiis & beneficiis penitus ſuſpendantur per triennium, eligendi tunc poteſtate privati.

XXXIV. Circa priorem partem huius c. Notandum 1. electio Epiſcopi vel alterius Prælati tunc cenſetur fieri per abuſum ſecularis poteſtatis, ſi laici unus, vel plures ſe immiſceaot electioni, quomodocunque impediendo libertatem Clericorum in eligendo, ad quos propriè electio ſpectat, iuxta c. Cùm terra. 14. c. Sacroſancta. 51. c. Maſſana. 56. h. t. Idque procedit, ſive Princeps, ſive alij ſeculares etiam privati admittantur ad electionem, eique prædicto modo ſe immiſceant; Abb. hîc n. 4. In ſpecie verò electio celebrata cenſeoor per ſecularis poteſtatis abuſum 1. ſi Electores ante electionem requirant conſenſum Principis laici ſuper electione facienda, hoc enim eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, c. Cùm terra. 14. h. t. Inooc. hîc & Hoſtienſ. in fine, quamvis poſt electionem jam factam Principis conſenſus requiri poſſit, cit. c. Cùm terra In fine. 2. Quando Princeps, vel alius in publica poteſtate conſtitutus, intereſt ſimul cum Canonicis ad coëligendum, vel aliàs juriſdictionem exercet, impediendo libertatem electionis, c. Quia ſancta. 28. §. Verùm diſ. 63. & conſtat ex cit. c. Quiſquis: nam ſi electio dicitur per abuſum fieri, quando unus vel plures laici ſimul eligunt cum Clericis, c. Maſſana. 56. h. t. multò magis idem diceodum, ſi id faciat laicus in publica poteſtate conſtitutus, cùm hoc caſu magis impediatur libertas electiooıs; Fagnan. in cit. c. Quiſquis. n. 28. h. t. 3. Addit Fagnan. hîc. n. 30. & ſeqq. quòd etiam tum ceoſeatur fieri electio per abuſum ſecularis poteſtatis, ſi Princeps, vel alia poteſtas ſecularis interſit ipſi actui electionis in Eccleſia vel Capitulo, etiamſi non coëligat, nec ullam interponat auctoritatem, vel juriſdictionem exerceat; pro qua ſententia citat gl. & alios auctores, qoia per eiuſmodi aſſiſtentiam etiam ſimplicem tollitur libertas eligentium, cùm talis præſentia ſit formidabilis, & ſub protectionis prætextu facilè Principes vendicarent ſibi jus, ut ipſi, vel vice eorum, Officiales ipſorum intereſſe poſſint electionibus Prælatorum: neque ad protegeodum Electores

ctores requiritur corporalis præſentia Principis in ipſo actu, & loco electionis, ſed ſufficit, ſi extra locum electionis violentias propulſet, & eligentium libertatem tueatur: & ita declarâſſe Congregationem Cardinalium habitam die 5. Aprilis 1646. electionem à Capitulo quodam factam, cui interfuit Regius miniſter, fuiſſe nullam ob laicæ poteſtatis abuſum.

XXXV. Notandum 2. Electus voluntariè ac ſponte conſentiens electioni de ſe factæ, per abuſum ſecularis poteſtatis, fit ineligibilis, ita, ut, etiamſi nova electio inſtituatur, ſinè admiſſione laicorum, ipſe eligi non poſſit, abſque diſpenſatione, nec ad eandem, ſi quam acceptavit, nec ad aliam quamcunque dignitatem Eccleſiaſticam; non tamen eſt inhabilis, quò minùs eligi poſſit ad beneficia curata, v. g. ad Eccleſiam parochialem, vel ad alia beneficia, etiam Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, cùm nec Canonicatus, nec beneficium ſimpliciter curatum, v.g. parochia, ſit propriè dignitas, non enim habet juriſdictionem fori contentioſi, ſive externi: lex autem pœnalis non debet extendi ultra verba in ea expreſſa, & propriam eorum acceptionem, adeóque, cùm hîc dicitur, quòd ſic electus non poſſit eligi ad dignitatem Eccleſiaſticam, de propriè dicta id intelligendum eſt, Abb. hîc n. 3. Et quamvìs beneficium curatũ æquiparetur dignitati, vel perſonatui, quo ad hoc, quòd non poſſit quis ſimul habere plura beneficia curata, ſicut nec plures dignitates, vel perſonatus, c. Dudum. 54. h. t. & c. De multa. 28. de præbend. non tamen in aliis.

XXXVI. Notandum 3. Conſentiens in electionem ſui per abuſum ſecularis poteſtatis factam incurrit pœnam inhabilitatis ad quamcunque dignitatem Eccleſiaſticam ipſo jure ſeu facto, etiam ante ſententiam Judicis, ut tradit gl. communiter recepta hîc v. fiat, & Abb. n. 6. nam licèt aliàs plerumque, quando lex, vel Canon imponit pœnam per verbum futuri temporis, cuiuſmodi eſt hîc verbum *ineligibilis fiat*, nempe in futurum, cenſeatur infligi pœna, non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, adeóque non ipſo facto, ſed per ſententiam Judicis; id tamen non procedit, ſi ex verbis præcedentibus, vel ſequentibus cõtrarium colligi poſſit, utì in propoſito ex eo, quòd immediatè ſequitur, *nec abſque diſpenſatione eligi poſſit*, quæ verba ſignificant, quòd conſentiens in ſui electionem per abuſum ſecularis poteſtatis factam ipſo facto fiat ineligibilis, ut notat gl. cit. Poteſt tamen, non tantùm Papa, ſed etiam Epiſcopus, vel qui quaſi Epiſcopalem poteſtatem obtinet, diſpenſare in hac inhabilitate, ut docet gl. hîc v. fiat, Imola ibid. n. 4. & Abb. n. 8. nam quamvìs aliàs Epiſcopus non poſſit diſpenſare in Conſtitutione Concilij Generalis, niſi id ei à Papa fuerit conceſſum; tamen quando conditor Canonis ſibi ſpecialiter non reſervavit poteſtatem diſpenſandi, cenſetur Epiſcopis eam conceſſiſſe, arg. c. Nuper 29. de ſent. excommunic. & docet gl. fin. in c. In quibuſdam. 12. de pœnis, alioquin fruſtra permitteretur in Canone diſpenſatio, cùm per ſe cõſtet, Papam diſpenſare poſſe, &, ſi Pontifex voluiſſet ſibi reſervare in hoc caſu diſpenſationem, tum addidiſſet, nec *abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ*, ad aliquam dignitatem eligi poſſit.

XXXVII. Notandum 4. Hanc pœnam inhabilitatis incurrit, non ſolùm is, qui per abuſum ſecularis poteſtatis à Clericis eſt electus, de quo expreſsè ſolùm eſt ſermo in cit. c. Quiſquis: ſed etiam is, cui Eccleſiaſtica dignitas à perſona laica collata eſt, ſive qui de manu laici illam accepit, nam etiam iſte in pœnam criminis, tum eius dignitatis, quam accepit, tum etiam cujuſvis alterius fit incapax, niſi cum eo diſpenſetur, ut colligitur ex c. Si quis deinceps 12. & ibi tradit gl. V. Interdicimus, & ex c. Si quis Clericus 14. & c. Si quis Epiſcopus 16. cauſ. 16. q. 7. Abbas in cit. c. Quiſquis n. 2. h. t. Azor p. 2. l. 3. c. 50. q. 5. ubi ait, quòd talis beneficij capax non ſit, arg. cit. c. Quiſquis, ubi id ſtatutum habetur de eo, qui acceptat electionem factam à Clericis per abuſum ſecularis poteſtatis, ergo multò magìs hæc pœna inhabilitatis locum habet in eo, qui dignitatem Eccleſiaſticam immediatè accepit ex collatione laici, nam ille major eſt abuſus: Licèt contrarium teneat Suar. diſ. 31. de cenſur, ſec. 3. n. 14. eò quòd Conſtitutio pœnalis non debeat extendi ad alios caſus non expreſſos, etiamſi delictum gravius ſit, ideóque ſimilem, ſive eandem, vel etiam majorem pœnam mereatur. Verùm etiam in materia pœnali extenſio fieri poteſt, ac debet, ob identitatem, vel majoritatem rationis, ſi alioquin abſurdum ſequeretur, vel ſi duo in jure æquipatentur, quia ad eundem finem, vel effectum tendunt, vel quia inter ſe ſunt ſubordinata, tanquam perfectum & imperfectum, ita ut ſpectatâ mente legiſlatoris, ſecundùm neceſſariam, vel probabilem præſumptionem, non tam extenſio, quàm comprehenſio ſub lege cenſeri debeat, ut docet Laym. in cit. c. Quiſquis, num. 8. h. t. & l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 18. n. 10. & dictum ſuprà tit. 2. n. 105. Accedit, quòd hæc pœna inhabilitatis ad dignitates Eccleſiaſticas etiam locum habeat in recipiente talem dignitatem de manu poteſtatis laicæ, jam antè ſtatutum fuit, & in praxi receptum, ut colligitur ex alijs etiam Canonibus ſuprà allatis, Laym. hìc n. 8.

Porrò ſi talis, qui electionem ſui per abuſum poteſtatis ſecularis factam acceptavit, à Superiore confirmationem accipiat, priuſquam cum eo fuerit diſpenſatum, nullum titulum, ſive jus acquirit in dignitate per talem confirmationem, quia electio, quæ ipſo jure irrita eſt, confirmari non poteſt, Felin. in c. Poſtulâſti 27. n. 15. de reſcript. etſi poſtea dignitatem, ad quam ſic eſt electus, per novam collationem Eccleſiaſtici Superioris obtineat, debet inhabilitatem à ſe contractam exprimere, & vitium intruſionis etiam, ſi ſe adminiſtrationi ingeſſit; niſi Papa ſcienter talem promoveret ad dignitatem, tunc enim cenſetur cum ipſo tacitè, ſive ipſo facto velle diſpenſare, Abb. in cit. c. Quiſquis n. 2. Felin. c. l.

XXXVIII. Præterea circa poſteriorem partem prædicti c. Quiſquis, notandum 1. Electio facta à Clericis ad Prælaturam, ſeu dignitatem Eccleſiaſticam per abuſum ſecularis poteſtatis, eſt ipſo jure irrita, cit. c. Quiſquis, ibi: *Quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus*: idque ſtatutum eſt, tum quia talis electio Eccleſiaſticæ libertati repugnat, cit. c. Quiſquis, ibi: *Contra Canonicam libertatem*, & ibi gl.

V. Li-

V. Libertatem; tum etiam in pœnam Clericorum temere admittentium laicos: nam alioquin, tejectis ſuffragijs laicorum tanquam incapacium, vim haberent ſuffragia Clericorum, quia utile pet inutile non debet vitiari, teg. jur. 37. in 6. Laym. de elect. Prælat. q. 23. Sed neque vi conſuetudinis immemorialis, valida fieri poteſt électio pet abuſum ſecularis poteſtatis facta, quia vi ſolius conſuetudinis quantumvis diuturnæ (ſecluſo privilegio Sedis Apoſtolicæ) non poſſunt laici habilitari ad ſpiritualia, cujuſmodi eſt jus eligendi, Abb. in cit. c. Quiſquis n. 4. & ſumitur ex c. Maſſana 56. h. t. ut dictum ſuprà n. 16. Quòd ſi tamen conſuetudo immemorialis adjunctam haberet famam obtenti privilegij Apoſtolici, licèt illud ob temporis diuturnitatem exhiberi non poſſit, non videtur pro irrita habenda talis electio, cui cum auctoritate ſe immiſcuerunt laici, quia etſi conſuetudo, etiam immemorialis, non poſſit dare cauſam præſcribendi jus ſpirituale eligendi laico, cujus eſt incapax, poteſt tamen tribuere bonam fidem, ita, ut electiones à Clericis celebratæ, cum admiſſione laicorum pet tempus immemoriale, ex titulo colorato, ſive famâ accepti privilegij Apoſtolici, & cum bona fide, abuſus, ſive corruptelæ cenſeri vel dici non poſſint, Laym. in cit. c. Quiſquis n. 3. h. t.

XXXIX. Notandum 2. Duplex pœna impoſita eſt à Concilio Lateranenſi in cit. c. Quiſquis, Capitularibus, qui electionem, cum abuſu ſecularis poteſtatis, celebrare præſumunt: una eſt, quòd privati ſint poteſtate eligendi pro ea vice, & quidem ipſo jure, Hoſtienſ. hìc in fine V. Privati, & Suar. cit. diſ. 31. ſec. 3. n. 13. quos ſequitur Laym. hìc. n. 12. contra gl. hìc & Abbat. in fine, nam & ijſdem verbis in c. Cùm in cunctis 7. §. Clerici h. t. de eligentibus ſcienter indignum dicitur, *eos eſſe eligendi tunc*, id eſt, pro ea vice, *poteſtate privatos*, ſcilicet ipſo jure, gl. communiter recepta ibid V. Tunc & V. Privatos; de quo infrà, ergo etiam pœna, quæ hìc imponitur, ut, qui electioni, cum abuſu ſecularis poteſtatis, factæ temere conſentiunt, eligendi poteſtate privati ſint eâ vicè, eodem modo explicanda eſt, quòd privati ſint ipſo jure: alioquin ſi, ut vult gloſſ. hìc V. tunc, Electores, qui conſenſerunt in electionem per abuſum laicorum factam, ſunt privati pro toto triennij tempore, ſequeretur, quòd, priuſquam per ſententiam Judicis privati eſſent, ipſi ad aliam canonicam electionem procedere poſſent, quod tamen inconveniens eſt, ſed potiùs æquum eſt, ut, quia eligendo peccaverunt, etiam eligendi facultate pro ea vice priventur. Idque confirmatur ex ratione, quæ in cit. c. Quiſquis, redditur, cur Electores pro ea vice aliam electionem inſtituere non poſſint, nempe quia prior electio ipſo jure eſt irrita, adeóque etiam ipſi electores eligendi poteſtate privati ſunt ipſo jure. Altera pœna hìc impoſita eſt hujuſmodi electoribus, ut etiam poſtea ab officijs, & beneficijs pet triennium ſuſpendantur, ſcilicet pet ſententiam Judicis, ut etiam notat gl. ibid. V. Suſpendantur. Nec obſtat, quòd eligentes ſcienter indignum etiam ipſo jure ab Eccleſiaſticis beneficijs ſint ſuſpenſi, cit. c. Cùm in cunctis §. fin. nam hìc privantur Officijs & beneficijs, ibi beneficijs tantùm, quia plus peccant, qui contra Eccleſiaſticam libertatem eligunt, quàm qui eligunt perſonam indignam, & ideo graviùs illi puniuntur, quàm iſti: deinde caſus utriuſque c. ſunt diverſi, & ideo non mirum, quòd diverſæ pœnæ imponuntur, vel eadem diverſo modo, gl. hìc V. Suſpendantur, Suar. c. l. n. 13.

XL. Notandum 3. Si Capitulares non ſponte ac voluntariè, ſed per vim vel metum gravem coacti conſentiant, ut electio fiat per abuſum ſecularis poteſtatis, & laici auctoritatem ſibi uſurpent in actu electionis, tum pœnæ hujus Canonis non incurruntur, ut patet ex cit. c. Quiſquis, ibi: *Qui verò electionem hujuſmodi præſumpſerint celebrare*, verbum autem *præſumptionis*, temeritatem ſignificat, à qua juſtus & probabilis metus excuſat, & importat modum operandi ex plenè voluntaria libertate, quæ item non ſtat cum gravi metu, gl. hìc V. abuſum, Suar. cit. ſec. 3. num. 15.

Idémque dicendum eſt, ſi Electores admittant laicos ad electionem, quia probabili ratione ducti exiſtimant, jus eligendi ipſis per privilegium competere, quamvìs revera non competat, Laym. in cit. c. Quiſquis n. 10. Quare ſi Clerici prohibere non poſſint laicos per vim ſe ingerentes electioni, valida eſt electio ex ſuffragijs Clericorum, quia tunc locum habet prædicta regula juris, *utile per inutile non debet vitiari*, Abb. in c. Maſſana 56. n. 5. h. t. ubi addit, quòd hoc caſu utiliter fiet proteſtatio Clericorum excipientium contra laicos, quòd eorum ſuffragia non ſint valitura; quia alioquin omiſsâ proteſtatione, ſi poſtea judicetur, non tam gravem vim, ſeu impreſſionem laicorum fuiſſe, quæ virum conſtantem meritò percelleret, cenſerentur Electores voluntariè, & nullo gravi metu coacti, laicos admiſiſſe, Innocent. in c. Cumana 50. in princip. h. t. Poſſet tamen etiam ejuſmodi electio per abuſum ſecularis poteſtatis celebrata, Electoribus etſi invitis & non conſentientibus, caſſari in odium ſecularis poteſtatis, ſeu præſumptionis laicorum, arg. c. Cùm Vintonienſis 25. h. t. ſecundùm integram ejus lectioctionem, Laym. de Præl. elect. q. 23. Quin imò idem Laym. in cit. c. Quiſquis n. 11. h. t. affirmat, quòd electio per abuſum ſecularis poteſtatis facta ab Electoribus, etiam ex gravi metu, ipſo jure irrita ſit, tum quia in cit. c. generaliter & indiſtinctè prohibetur, ne quis conſentiat in electionem per abuſum ſecularis poteſtatis de ſe factam, niſi puniri velit, alioquin enim, ſi talis electio valida foret, poſſet electus, antequam ea caſſaretur, illam acceptare: tum quia hujuſmodi electio potiùs in odium laicorum ſe immiſcentium eſt irritata, quàm Electorum conſentientium. Verùm de hoc dictum eſt ſuprà num. 18.

XLI. Quæritur 2. Quæ ſint pœnæ eligentium contra formam JureCanonico præſcriptam, vel perſonam indignam? Reſpondetur 1. Illi, qui non canonicè elegerunt Epiſcopum, vel alium Prælatum ſimili juriſdictione præditum, quia formam eligendi à SS. Canonibus præſcriptam non obſervârunt, pro ea vice privantur poteſtate eligendi, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam à Superiore privandi ſunt, prout habetur in c. Quia propter 42. §. Qui verò h. t. ubi dicitur: Qui verò, contra prædictas formas, eligere attentaverint, eligendi, eâ vice, poteſtate priventur: nempe per ſententiam,

non ipſo jure, juxta gl. ibid. communiter receptam V. priventur, ex quo verbo, quippe futuri temporis, colligitur, non eſſe ipſo facto privatos, ſed per ſententiam privandos, Abb. ibid. Verſ. niſi n. 3. Idem habetur in c. Cumana 50. in fine h. t. ubi eligentes contra formam Concilij Generalis in c. Quia propter 42. h. t. præſcriptam, eâ vice eligendi poteſtate privantur, ſcilicet per ſententiam, gl. ibid. V. Privantes. Conſentit c. Quamquàm 18. eodem in 6. ubi expreſsè dicitur, ut Electores per ſententiam, cùm formam traditam in Generali Concilio Lateranenſi non obſervant, eligendi poteſtate priventur. Ratio eſt, quia conveniens eſt, & æquum, ut quis puniatur in eo, in quo deliquit, c. Inter 11. de exceſſib. Prælat. Sed quia Electores hoc caſu non ſunt privati poteſtate eligendi ipſo facto, ſi interim eligerent, antequam per ſententiam privarentur, eorum votum validum foret, & electio ſubſiſteret, Abb. in c. Ne pro defectu 41. n. 3. h. t.

» XLII. Reſpondetur 2. Si Clerici, ſive Ca-
» nonici contra prohibitionem in c. Cùm in cunctis
» 7. in princ. h. t. (videlicet minorem ætate, ille-
» gitimum, malæ vitæ hominem, vel illiteratum, a-
» deóque indignum) in Epiſcopum elegerint, tunc
(id eſt, pro ea vice tantùm, gloſſ. in cit. c. §. fin. V.
Tunc) eligendi poteſtate ſunt privati (ipſo jure, &
» ſic eſt canon latæ ſententiæ, gl. V. privatos & Ho-
» ſtienſ.) & inſuper ſuſpenſi ſunt ab Eccleſiaſticis be-
» neficijs (non item officijs, gl. V. Beneficijs & Ho-
» ſtienſ.) per triennium, dignum eſt enim, ut, quos
» Dei timor à malo non revocat, ſaltem ſeveritas
» Eccleſiaſticæ diſciplinæ coërceat. Epiſcopi au-
» tem, ſi contra hæc fecerint (id eſt, indignum ad of-
» cia, vel beneficia Eccleſiaſtica, quorum collatio
» ad eos ſpectat, promoverint) vel promoveri con-
» ſenſerint (ſcilicet confirmando vel inſtituendo, ſi
collatio aut nominatio ad alios ſpectet, gl. V. Con-
ferendis & Hoſtienſ. V. Conſenſerit) poteſtatem ea-
» dem officia, ac beneficia conferendi amittant:
» (pro ea vice) & per Capitulum, vel ſi hoc concor-
» dare nequeat, per Metropolitanum ordinentur, ſi-
» ve conferantur ea beneficia, ita habetur in c. Cùm
» in cunctis 7. §. Clerici ſanè h. t.

XLIII. Ubi circa priorem partem hujus §. Notandum 1. Capitulares, ob electionem indigni privantur jure eligendi, ſi ſcienter id fecerint, ut conſtat ex c. Cùm Vintonienſis 25. & ibi gl. V. Scienter h. t. & ex c. Perpetuò 7. eod. in 6. Abb. in cit. §. Clerici n. 2. Secus ſi ignoranter, niſi fuerit ignorantia directè voluntaria, ſive craſſa & affectata, ſi nimirum de induſtria intermittatur inquiſitio, ne defectus appareat, hæc enim æquiparatur ſcientiæ, ut colligitur ex c. ult. §. Si quis verò, ibi: *Cùm taliter contrahendo, non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur*, de clandeſt. deſponſat. gl. in c. Innotuit 20. V. Ignorantiam h. t. Porrò tales privati ſunt poteſtate eligendi primâ vice tantùm, ſive pro proxima electione facienda, cit. c. Cùm Vintonienſis, ideóque illam recuperant in ſecunda electione, Abb. hìc n. 1. Sunt autem ipſo jure privati eâ poteſtate, prout ſumitur ex c. Innotuit 20. junctâ gloſſ. V. Nullam eſſe h. t. & expreſsè habetur in c. Quamquàm 18. h. t. in 6. Similiter & pœna ſuſpenſionis à beneficijs per triennium incurritur ipſo jure, c. Si compromiſſarius 37. §. Porrò h. t. in 6.

Notandum 2. Prædictas pœnas tum privationis, tum ſuſpenſionis à beneficijs, non tantùm incurrunt, qui ſcienter elegerunt Epiſcopum indignum, ob defectum ætatis, ſcientiæ vel morum, ſed etiam ob alium defectum, quia v.g. ſacrum Ordinem non ſuſcepit, juxta c. Dudum 22. junctâ gl. V. In ordinibus h. t. gl. in c. Bonæ 23. V. Licentiam, eodem, & ſumitur etiam quoad pœnam ſuſpenſionis ex cit. c. Si compromiſſarius 37. ubi illa indiſtinctè imponitur eligentibus indignum, Laym. in cit. §. Clerici ſanè q. 1. & de elect. Prælat. q. 62. Et habet utraque hæc pœna etiam locum in poſtulantibus ſcienter indignum, c. 1. & 2. de poſtul. Prælat. c. Scriptum 40. h. t. Nec obſtat, quòd hæc Conſtitutio Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. ſit pœnalis, ideóque non debeat extendi ultra caſus in eodem Concilio expreſſos, quia odia ſunt reſtringenda, reg. 15. in 6. ut objicit Joan. Andr. in c. Bonæ 23. num. 11. h. t. Nam etſi aliàs in materia pœnali, etiam ob identitatem rationis, ad caſus, vel perſonas in lege non expreſſas, non debeat fieri extenſio: ſi tamen ex alijs juribus, vel Principis interpretatione appareat, diſpoſitionem generaliter, & in ſimilibus etiam, vel quæ in jure æquiparantur, intelligendam eſſe; ſpeciales autem caſus vel perſonas, exempli tantùm gratiâ, in lege expreſſas eſſe, tum in materia etiam pœnali facienda eſt extenſio, ut colligitur ex c. Si poſtquam 33. junctâ gloſſ. V. Proviſione h. t. in 6. quamvìs hæc non ſit extenſio propriè dicta, ſed potiùs comprehenſio, ut patet ex ſuprà dictis.

Notandum 3. Eadem pœna privationis, pro una vice, etiam incurritur ab eligentibus indignum ad inferiorem dignitatem aut Prælaturam, quia licèt in Concilio Lateranenſi cit. c. 7. §. fin. h. t. ſolùm mentio fiat de eligentibus indignum ad dignitatem Epiſcopalem, tamen ex aliis poſterioribus juribus ſatìs colligitur, pœnam privationis pro una vice latam, contra eligẽtem indignum Epiſcopum, etiam locum habere in inferioribus Prælaturis ac dignitatibus, c. Dudum. 22. h. t. & ibi gl. v. in ordinibus h. t. ubi electio in Præpoſitum, quæ à minore & ſaniore parte Capituli facta eſt, dicitur confirmanda, quæ tamen non confirmaretur, niſi alij privati eſſent, & ex c. Perpetuò. 7. & c. Quamquàm. 18. junctâ gl. v. ſecus eod. in 6. & docet Abb. in cit. c. Dudum. n. 11. Ratio eſt, quia par eſt omnium eligentium indignum conditio, eáque pœna privationis eſt illis, ſpectatâ rei naturâ, veluti debita; tum ut in eo puniantur, in quo deliquerunt: tum quia ſaltem pro illa vice, propter præſentem malignam affectionem non videntur ſatìs diſpoſiti ad bene, & cum utilitate Eccleſiæ eligendum. Quare dato, quòd etiam pœna privationis Jure communi non ſit lata contra eligẽtes indignum ad inferiores Prælaturas: ſi tamen in Eccleſia Collegiata inferiore Epiſcopali, ſive ſeculari, ſive regulari, à Capitulo eligatur indignus Prælatus, Superior v. g. Epiſcopus poterit privare Electores, pro illa vice, jure eligendi, & ipſemet jure devolutionis, Eccleſiæ illi de Prælato providere, ut conſtat ex cit. c. Dudum propè finem, & c. Quamquàm 18. in fine, & ibi gloſſ. fin. h. t. in 6. Laym.

6. Laym. in cit. c. 7. §. Clerici. o. 4. & de elect. Præl. quæſt. 63.

Aliud verò dicendum eſt de pœna ſuſpeoſionis à beneficiis per ttiennium, quam ſolùm incurrunt ij, qui ſcienter indignum elegerunt in Epiſcopum vel Prælatum Epiſcopis ſuperiorem, prout expreſsè habetur in c. Si compromiſſatius 37. §. Huiuſmodi b.t. in 6. Sicuti etiam eadem pœna ſuſpenſionis tantùm incurritur ab Electoribus, quoad beneficia Eccleſiaſtica, quæ obtinent in illa Eccleſia, in qua facta eſt electio, quam eligendo ſpecialiter offenderunr; non autem extenditur ad alia beneficia, quæ in aliis Eccleſiis obtinent, cit. c. Si compromiſſarius. §. Reſtringitur h.t. in 6. Abb. in cit. c. 7. §. fin. n. 1. h.t.

Notandum 4. Hæc pœna privationis ipſo jure ſeu facto incurritur, non ſolùm ab illis, qui perſonam indignam ſcienter eligunt ad dignitatem, vel Prælaturam, ſed etiam, qui eandem indigno conferunt, vel in ea inſtituunt, vel confirmant, arg. c. Nihil 44. junct. gl. v. Canonicam. h.t. gl. in cit. §. Clerici. v. Conferendis, Innocent. ibid. n. 8. Abb. in c. Dudum. 22. n. 11. h.t. Azor p. 2. l. 6. c. 26. q. 13. Ratio eſt, quia collatio vim habet electionis, & magis delinquit, qui ſcienter indigno confert Prælaturam, vel confirmationem dat, quàm qui ſimpliciter eligit, ideóque meritò, pro una vice, ipſo facto talis privatur poteſtate conferendi vel confirmandi.

XLIV. Notandum 5. Circa alteram partem cit. §. Clerici in fine, ſi Epiſcopus ſcienter conferat indigno Eccleſiaſticam dignitatem, vel beneficium curatum, pro ea vice, privatus eſt jure conferendi, ídque ad Capitulum devolvitur, quod ſtatotum eſt propter magnam communionem, quæ eſt inter Epiſcopum & Capitulum, tanquam inter caput & membra corporis: ſi verò Capitulum negligat conferre, vel Capitulares non poſſint concordare io conferendo; tum jus conferendi devolvitur ad Metropolitanum, prout habetur in cit. §. Clerici verſ. Epiſcopus autem, & in c. a. de conceſſ. præbend. Idque procedit, ſi poteſtas conferendi vel confirmandi pertineat ad Epiſcopum, jure Ordinatio & proprio: ſecus, ſi jure ſolùm devolutionis, quia poteſtas conferendi vel confirmandi ad ipſum pertinet, propter negligentiã vel delictum Prælati inferioris; tuoc eoim, ſi etiam Epiſcopus negligat conferre beneficium, vel inſtituere, vel confirmare, vel ſi conferat indigno, collatio, confirmatio, vel inſtitutio devolvitur, oõ ad Capitulum, ſed ad proximum Superiorem Epiſcopi, videlicet ad Archiepiſcopum, Innocent. in cit. §. Clerici. n. 7. b.t. Abb. ibid. n. 5. Imol. n. a. Ratio diverſitatis eſt, quia in beneficiis devolutis non eſt tanta communio inter Epiſcopum & Capitulum, quanta in beneficiis, quorum proviſio jure proprio, quateous eius Eccleſiæ ordinarius paſtor eſt, ad Epiſcopum pertioet: priora enim beneficia confert ſolùm, vel confirmat, qoatenus ſuperior eſt collatoris ordinarij, à quo facta eſt devolutio, ideóque in illis non habet Capitulum communionem cum Epiſcopo, ac proinde nec collatio aut confirmatio ad illud, ſed ad alium Superiorem pertinet.

Porrò hanc pœnam privationis, pro una vice, quæ hîc decreta eſt Epiſcopo, etiam incurrunt alij Prælati aut Clerici oon Epiſcopi, ſi ex jure ſpeciali ſibi competente ſcienter conferant dignitatem vel beneficium curatum indigno, vel inſtituant, vel confirment, quia ad eos etiam ſpectat collatio talium beneficiorum jure ordinario, etſi non communi, ſed ſpeciali, ut indicat gl. hîc v. fecerit, Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 3. n. 10. non autem videntur hanc pœnam privationis incurrere, qui ſcienter conferunt indigno beneficium ſimplex, quia in Jure Canonico ſignificatur ea pœna lata tantùm in conferentes indignis Prælaturas, dignitates & beneficia curata, quod cùm ſit gravius delictum, ideo non poteſt illius pœna extendi ad conferentes iodignis beneficia minora ſeu ſimplicia, Laym. in cit. §. Clerici in fine h.t. Sed de hac re alibi plura.

XLV. Cæterùm præter prædictas pœnas privationis, & ſuſpenſioois à beneficiis per triennium, ſcienter eligens ad Prælaturam indignum, v.g. Simoniacum, aliam adhuc pœnam incurrit, videlicet ut noo poſſit, durante ſuſpenſione, ad dignitatem Eccleſiaſticam eligi, ſeu promoveri, pront conſtat ex c. Per inquiſitionem 26. h.t, nam cùm relatum fuiſſet Papæ Innocentio III. quòd Robertus, præcedente illicito & ſimoniaco pacto cum Canonicis, in Epiſcopum Tholoſanum electus fuerit, idem Papa mandavit quibuſdam, ut de Epiſcopo, & ſtatu Epiſcopatûs inquiſitionem inſtituerent. In qua inquiſitione Maſcaron Cancellarius, qui fuit unus ex Electoribus, juratus aſſeruit, quòd dictus R. & amici ipſius quoſdam Canonicos precibus ſolicitaverint, ut ipſum in Epiſcopum eligerent: & quòd vidit, & audivit, ipſum Epiſcopum cooſeſſum eſſe, ſe illis Canooicis, qui primæ illius electiooi ſe oppoſuerant, juramentum prǽſtitiſſe, certò credens, juramentum illud illicitum fuiſſe, & præſtitum, ut ex pacto eligeretur in Epiſcopum. Prǽterea confeſſus fuit idem Cancellarius, quòd poſt caſſatam dicti Epiſcopi electionem, ipſe detinuerit domum Epiſcopalem, & Epiſcopales reditus eius nomine receperit, atque cum ipſius cooſenſu, in uſus eiuſdem expenderit. Cùm igitur dictus Maſcaron indignum ad Epiſcopatum ſciẽter eligendo, ad Eccleſiaſtica beneficia ſe reddiderit inhabilem & indignum (quia per triennium à beneficiis Eccleſiaſticis eſt ſuſpenſus, iuxta cit. c. Cùm in eunctis. §. fin. h.t.) ideo ad dignitatem Præpoſituræ Eccleſiæ Tholoſanæ eligi ſeu promoveri non potuit. Quocirca mandat Papa ſuis delegatis, ut ipſum ab illa Præpoſitura omnino amoveant, & virum idoneum ad officium illud aſſumant.

XLVI. Notandum hîc 1. Qui aliquem ad Prælaturam, in qua obtinenda ſimooiam commiſit, ſcienter eligit, eſt ipſo jure ſuſpenſus per triennium à beneficiis, quæ in ea Eccleſia obtinet, quia indignã perſonam elegit, iuxta c. 7. §. fin. h.t. & c. Si compromiſſarius. 37. §. Porrò eod. in 6. & conſequenter etiã, durante illo triennio ſuſpenſionis, noo poteſt eligi vel promoveri ad dignitatem, vel beneficium Eccleſiaſticum, quia ſuſpenſus eligi non poteſt ad beneficia, à quibus eſt ſuſpenſus, gl. hîc in fine. Verùm ſicut talis ſolùm ſuſpenſus eſt à beneficiis, quæ in illa Eccleſia obtinet; ita etiam ſolùm eſt inhabilis ad obtinendam dignitatem, vel beneficium, durante triennio ſuſpenſionis, in illa Eccleſia, ad quam ſcieoter ſimoniacum, vel alium indignum elegit: non autem eſt inhabilis ad obtinendam dignitatem, vel benefi-

cium in alia Eccleſia: quia iſta inhabilitas ad beneficia obtinenda acceſſoriè ſequitur ipſam ſuſpenſionem à beneficiis ohtentis, ideóque ſecundùm illam reſtringi, & regulari debet, Abb. hîc u. 8. Idque confirmatur ex cit. c. Per inqniſitionem h. t. ubi is, qui ſcienter elegit ſimoniacum ad Eccleſiam Epiſcopalem Tholoſanam, declaratur inhabilis ad obtinendam Præpoſituram in eadem Eccleſia, non in alia.

Notandum 2. In cit. c. Per inquiſitiouem videntur duæ electiones eſſe celebratæ, ut colligitur ex illis verbis, *qui adverſati fuerant ſuæ primæ electioni*, quæ quidem caſſata fuit, non ob vitium perſonæ, ſed quia in diſcordia facta fuit, ut notat Abb. hîc iu caſu: altera verò fuit caſſata, quia ſimoniaca fuit electio: ipſe verò Cancellarius non fuit punitus, tanquam ſimoniacus, quia non fuit mediator ſimoniæ, ſed ſolùm fuit conſcius, quòd iſte, quem elegit, fuerit ſimoniacus, Abb. hîc. n. 9. & ideo fuit punitus pœna ſcienter eligentium indignum.

Notandum 3. Quamvis aliàs res inter alios, vel in alio judicio acta, alij non præjudicet, c. Inter dilectos 6. de fide inſtrum. & c. pen. de ſent. & re judic. tamen in caſu huius c. confeſſio Cancellarij ipſi præjudicavit, tanquam facta in propria cauſa, quia non præciſè, nt teſtis in cauſa Epiſcopi electi examinatus fuit, ſed ut pars confeſſionem fecit, quia inquiſitio generalis fuit inſtituta iu omnia membra illius Eccleſiæ, gl. hîc v. ſe indignum, & Imol. ibid. n 6. Deinde licèt quis propter teſtimonia, vel inſtrumenta producta in uno judicio, non poſſit ob crimen puniri in alio jndicio: tamen confeſſio facta ab aliquo in uno judicio, poteſt adduci contra illum in alio judicio, ut per illam probetur crimen contra illum, quia contra propriam confeſſionem uon admittitur aliqua excuſatio, arg. c. Per tuas 10. de probat. Innocent. hîc n. 2. & Abb. n. 12.

§. VII.

Ad quos pertineat poteſtas eligendi, quando Capitulares elegerunt indignum?

XLVII. Quæritur 1. Penes quos ſit jus eligendi, quando aliqui tantùm Capitulares, vel etiam quando omnes ſcienter elegerunt indignum? Reſpondetur 1. Si aliqui ex Capitularibus ſcienter elegerunt indignum, ideóque pro ea vice privati ſunt poteſtate eligendi; tum electione perperam factâ reſciſsâ, quippe quæ invalida fuit, poteſtas eligendi penes alios Capitulares, qui in electionem indigni non conſenſerunt, licèt numero pauciores ſint, reſidet, quia iſti conſtituunt totum Capitulum, adeóque tota etiam vis Capitularis in illis non privatis remanet, Abb. in c. Cùm Vintonienſis 25. n. 2. h. t. imò etſi omnes ſcienter elegiſſent indignum, excepto unico, tunc in illo remaneret jus Collegij, & ipſe ſolus poſſet eligere, gl. in c. Perpetuò. 7. h. t. in 6. in notatis. Quare ſi v. g. quatuordecim ſint Capitulares, & octo eorum ſcienter elegerunt indignum, tum reliqui ſex, penes quos ſolos tunc vis Capitularis reſidet, poſſunt vel ſtatim, eodémque contextu, decretum electionis ſuæ, ſi in ea conſentiant, promulgare, vel novum ſcrutinium incboare, excluſis illis octo delinquentibus, Abb. c. l. u. 12. Laym. de Elect. Prælat. q. 64.

XLVIII. Reſpondetur 2. Si omnes Capitulares deliquerunt, ſcienter eligendo indignum, ideòque privati ſint, poteſtas eligendi ad Superiorem, pro ea vice, devolvitur, quia tunc Capitulùm perdit poteſtatem eligendi, Abb. c. l. n. 2. & in Cathedralibus quidem & Metropolitanis Eccleſiis immediatè ad Papam devolvitur, in aliis verò inferioribus, non ad Papam, ſed ad proximum Superiorem, ad quem ſpectat electum confirmare, prout habetur in c. Quamquàm. 18. h. t. in 6. ubi Bonifac. VIII. ita reſcribit: quamquàm in caſu negligentiæ à jure (ſcilicet in generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 23. quod refertur in c. Ne pro defectu. 41. h. t.) ſit ſtatutum, ut Eccleſiâ Cathedrali vacante (idem eſt quoad hoc in Eccleſiis regularibus, & omnibus aliis inferioribus) ſi per eos, ad quos ſpectat (quocunque modo, ſive de Jure communi, ſive ex privilegio, vel præſcriptâ conſuetudine, gl. hîc v. ſpectat) non fuerit electio Prælati infra tempus debitum (trium menſium, cit. c. Ne pro defectu h. t. de quo infrà) celebrata, eligendi poteſtas ad proximum ſuperiorem devolvatur: hoc tamen non eſt ad caſum alium (ſcilicet à caſu negligentiæ, quia aliud eſt committere negligentiam, aliud dolum, gl. hîc v. alium) extendendum. Igitur, ſi Electores in huiuſmodi Eccleſia, vel ipſo jure, cùm eligunt ſcienter indignum (ſecus ſi ignoranter, ut infià dicetur) vel per ſententiam (cùm formam traditam in Generali Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. c. 24. quod refertur in c. Quia propter. 42. h. t. non obſervant) eligendi poteſtate priventur, non ad dictũ Superiorem (ſcilicet proximum) ſed ad Romanum Pontificem eadem poteſtas (nempe eligendi vel providendi in Eccleſijs Cathedralibus) devolvatur. Secus autem in inferioribus Eccleſijs (quibuſcunque infra Cathedrales Eccleſias, etiam in Regularibus) eſt cenſendum: in hìs enim in utroque prædicto caſu poteſtas eligendi devolvitur ad proximum Superiorem, videlicet Epiſcopum, ſi Eccleſia non ſit exempta, gl. fin. hîc. Ratio bujus deciſionis eſt, quia Canon correctorius juris antiqui non debet extendi ad alios caſus non expreſſos, l. Præcipimus 32. in fine C. de appellat. ergo etiam Conſtitutio Concilij Lateranenſis in c. Ne pro defectu 41. h. t. ubi decernitur, ut, ſi in Eccleſijs etiam Cathedralibus, ob negligentiam Capitularium, non fiat electio Epiſcopi intra tres menſes, poteſtas providendi ad immediatum Superiorem, videlicet ad Metropolitanum devolvatur, cùm Jure antiquo ad Papam pertineret, non debet extendi ad alios caſus privationis ob electionem indigni, vel contra formam Jure Canonico præſcriptam. Quòd autem ſecundùm Jus antiquum poteſtas conſtituendi Epiſcopum, propter negligentiam Capitularium non eligentium intra tempus debitum, non ad Metropolitanum, ſed ad Papam devoluta ſit, patet ex c. Cùm dilectus 12. de conceſſ. præbend. nam ſecundùm antiquiſſimum Eccleſiæ morem, inſtitutio Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ſpectat ad S. Pontificem, ut colligitur ex c. 1. diſ. 22. c. Porrò 4. c. Salonitanæ 24. diſ. 63. c. Paſtoralis 42. cauſ. 7. q. 1. inſtitu-

tio

tio verò inferiorum Prælatorum, ſeu Rectorum ad Epiſcopos; quare cùm res facilè revertatur ad primævam ſuam naturam, ſequitur, quòd, ſi Eccleſiæ Cathedralis Canonici, ob quamcunque cauſam, eligendi jure privati ſint (extra caſum negligentiæ jure novo exceptum) poteſtas inſtituendi Prælatum devolvatnr ad S. Pontificem; ſi verò Capitulares inferioris Eccleſiæ non exemptæ priventur, devolvatur ad Epiſcopum, gloſſ. magn. in cit. c. Quamquàm in notatis.

XLIX. Reſpondetur 3. Si non omnes Capitulares in prima electione deliquernnt, attamen reliqui innocentes, ad quos devolutiò poteſtatis eligendi facta eſt, poſtea in altera electione delinquant, ſcienter indignnm eligendo; tum jus eligendi, non ad priores delinquentes, ſed ad Superiorem, cujus eſt electum confirmare, pro ea vice, devolvitur, perinde ac ſi omnes ab initio deliquiſſent, c. Bonæ 23. in fine, junctâ gl. V. Ad nos h. t. ubi ait, quòd ſive ſimul, ſive ſeparatim deliquerunt omnes Capitulares, transfertur poteſtas eligendi ad Superiorem, & illud Adverbium *pariter* non denotat identitatem temporis ad peccandum, quod exigatur, ut ſimul delinquant, ſed ſimilitudinem vitij, ita, ut, cùm utraque pars peccat, eligendo indignum, in electione Epiſcoporum, iiſque Superiorum, ſive eodem tempore, ſive diverſo peccent, ſemper eligendi poteſtas transferatur ad Papam: Ratio eſt, quia poſtquam etiam reliqui Capitulares non privati elegerunt indignum ſcienter, totum Capitulum privatum cenſetur, quippe cùm penes illos, quamvis paucos, tota vis Capitularis fuerit, Abb. in cit. c. Cùm Vintonienſis num. 13. h. t. Layman. cit. quæſt. 64. niſi aliqui ex ſecundò eligentibus non deliquiſſent, tunc enim ad illos fieret devolutio, ut ex dictis patet.

L. Porrò hæc pœna privationis non incurritur ab eligentibus ſcienter indignum, niſi ex votis malè eligentium ſubſecuta ſit communis electio, quamvis ſcrutinium ſit publicatum, alioquin ab illis ad aliam electionem procedi poteſt, ac debet, ut conſtat ex c. Perpetuò 7. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in Con- » cilio Lugdunenſi c. 6. declarat, quòd ſcienter in e- » lectionibus nominantes indignum, propter ſuffra- » gium in ſcrutinio præſtitum (cùm v.g. Capitularis » dicit, *Ego talis talem eligo, ſeu nomino in Prælatum*, » gl. hîc V. Suffragium) nequaquam eligendi pote- » ſtate priventur, niſi in eo perſtiterint, ita, ut ex » votis eorum communis electio ſubſequatur) idém- » que ſecundùm gloſſ. hîc V. priventur, dicendum de » pœna ſuſpenſionis à beneficijs, cùm eâ non pu- » niantur nominantes, ſed eligentes indignum, c. » Cùm in cunctis 7. §. fin. h. t.) quamvis tales ſcien- » ter nominando indignum, contra conſcientias ſuas » agant, & graviter peccent, ideóque divinam vin- » dictam meritò timere, & à Sede Apoſtolica etiam » puniri poſſint. Ratio eſt, quia pœna debet intelligi cum effectu, c. Relatum 4. de Cleric. non reſident. At verò, antequam electio facta ſit communiter, nomine totius Capituli, adeóque formatum ſit publicum & capitulare decretum electionis, non cenſetur facta electio, etſi conſenſus ſingulorum ſit præſtitus, ſeu ſuffragia à ſingulis data ſint, vel etiam ſcrutinium jam promulgatum ſit, quia non per conſenſum ſingulorum, neque per publicationem ſcrutinij, ſed per decretum electionis ſolemnis & publicæ, ſeu communiter nomine omnium factæ, perficitur electio, cit. c. Perpetnò, & c. In Geneſi 55. h. t. Joan. Andr. in c. Congregato 53. n. 4. & ibi Imola n. 7. & ſeqq. Abb. num. 5. & 6. h. t. ac proinde antequam hæc facta, & perfecta ſit, non eſt locus pœnæ privationis ob ſuffragia ab Electoribus data indigno. Quare ſi poſt publicatum ſcrutinium, appareat, quòd major pars Capitularium ſcienter indignum elegerit, alij numero pauciores bene ſibi, jurſque ſuo conſulent, ſi permittant illos ad publicæ electionis decretum procedere, tunc enim ijs privatis & excluſis, ipſi ſoli eligere poterunt, cùm jus eligendi ad ipſos ſit devolutum, Layman. de election. Prælat. quæſt. 64. & in c. Cùm Vintonienſis 25. num. 4. h. t.

Quod autem hîc dictum eſt de eligentibus ſcienter indignum, id multò magis etiam locum habet in eligentibus contra formam Jure Canonico præſcriptam; nam nec iſti per ſententiam privandi ſunt poteſtate eligendi pro ea vice, priuſquam communis electionis decretum ſit promulgatum, quia hi minùs delinquunt, quàm ſcienter eligentes indignum, gl. in cit. c. Perpetuò V. perſtiterint. Illud hîc addendum, quod notavit Laym. in cit. c. Perpetuò, ſi in aliqua Eccleſia, ſive per privilegium obtentum, ſive per conſuetudinem inductum ſit, ut electio facta à majore parte Capituli præſentis, ex votis à ſingulis præſtitis & publicatis in Capitulo cenſeatur eſſe perfecta, tum Electores, ſi tali modo indignum ſcienter elegerint, incurrunt pœnas, c. Cùm in cunctis 7. §. fin. h. t. etiamſi communis electio non ſit ſubſecuta, quia illa Conſtitutio ab Alexandro III. generatim edita eſt contra eligentes indignum, priuſquam forma electionis ab Innocentio III. in c. Quia propter h. t. eſt ſtatuta.

LI. Quæritur 2. An Capitulares, ad quos propter delictum aliorum eligentium indignum, tota eligendi poteſtas pro ea vice devoluta eſt, poſſint, ſi velint, privatos admittere ad novam Prælati electionem? Reſpondetur affirmativè, gl. in c. Cùm Vintonienſis 25. V. Admiſerant h. t. & ibi Innocent. n. 4. Abb. n. 3. & 8. & alij communiter. Ratio eſt, quia eligentes indignum non ſunt ſuſpenſi ab officio, ſed tantùm ab una proxima electione excluduntur: ergo cùm poſſint Capitulares extraneos Clericos ſecum admittere ad elecctionem, c. Bonæ 4. de poſtul. Præl. c. Scriptum 40. h. t. c. Cùm Eccleſia 3. junctâ gl. V. Vocémque, de cauſ. poſſeſſ. & propriet. poterunt etiam alios Capitulares privatos admittere, maximè quia privatio iſta cedit in favorem non delinquentium, ideóque ab eis remitti poteſt.

Idque colligitur ex cit. c. Cùm Vintonienſis, » nam vacante Eccleſiâ Vintonienſi, Canonici inter » ſe diſcordabant circa electionem Epiſcopi, & Ar- » chidiaconus quidem, cùm alijs quibuſdam, elegit » Decanum Salubrienſem, Prior verò & complices » ejus elegerunt Præcentorem Linconienſem. Et » prima quidem electio Decani fuit facta de illegiti- » mè nato, altera verò Præcentoris per impreſſionem » ſeu violentiam laicorum; ideóque ntraque à Papâ » fuit caſſata. Poſtea verò Canonici denno conve- » nientes ad electionem Epiſcopi faciendam tùm de »

per-

Digitized by Google

» perſona eligenda conſentire non poſſent, miſeruot
» Romam procuratores quoſdam, per quos coram
» Papa controverſia ditimeretur, & electio perage-
» retur. Et illi quidem, qui Præcentotem in Epi-
» ſcopum elegerunt, objecerunt illis, qui Decanum
» elegerant, quòd illegitimè natum ſcienter eligere
» præſumpſerint, ideóque ſecundùm Concilium La-
» teranenſe, pro eâ vice, poteſtatem eligendi amiſe-
» rint, & per triennium ab Eccleſiaſticis beneficijs
» ſuſpenſi eſſe debeant. Ad hoc verò ipſi responde-
» bant, quòd, licèt is, quem elegerant, illegitimè na-
» tus eſſet, tamen per gratiam Sedis Apoſtolicæ legi-
» timatus fuerit, idque ſe legitimè probaturos, aſſe-
» rebant (Et hæc allegatio bona fuiſſet, ſi probari
» potuiſſet, gl. hîc V. Promeruit.) Verùm Papa In-
» nocent. III. conſiderans, quòd Canonici, qui Præ-
» centorem elegerunt, Archidiaconum, & ſocios, qui
» Decanum non legitimè natum elegerunt, ſponte
» ad ſecundam electionem faciendam admiſerint;
(ut patet ex integra lectione hujus c. apud gl. hîc in
» caſu) & quòd ex decreto Concilij Lateranenſis
» præſumentes eligere indignum, unâ vice tantùm,
» eligendi poteſtate ſint privati, & idcirco, cùm ele-
» ctio, quæ per Procuratores coram Papa peragenda
» erat, non jam ſecunda ſit, ſeu proxima poſt eam,
» in qua indignus electus fuerat, ſed tertia, cenſuit
» idem Papa, Archidiaconum, & ſocios ejus ad eli-
» gendum eſſe admittendos.

LII. Notandum hîc 1. Poſtquam Capitulares privati jure eligendi propter delictum ſuum, quia elegerunt ſcienter indignum, à Capitularibus non delinquentibus admiſſi ſunt ad electionem faciendam, vel ſemel ab electione excluſi fuerunt, ſtatim ceſſat privatio eorum, & recuperant jus eligendi, ita, ut ad tertiam electionem vocari poſſint, ac debeant, etiamſi electio, ad quam admiſſi fuerant, vel à qua excluſi, effectum conſecuta non ſit, vel quia electus non acceptavit Prælaturam, aut ei renunciavit, aut mortuus eſt: vel quia electio propter occultum defectum electi; aut quia ſe ante confirmationem administrationi ingeſſit, aut ob ſimilem cauſam, à Superiore caſſata fuit: vel quia propter diſcordiam, aliámve cauſam impedita fuit, aut ab ea receſſum, gl. communiter recepta in cit. c. Cùm Vintonienſis. V. Admiſerant; & V. Tertia, & ibid. Abb. n. 9. & gl. in c. Si electio 26. V. Integrum eod. in 6. Ratio eſt, quia eligentes ſcienter indignum ſunt privati poteſtate eligendi, quantùm ad alios, qui non deliquerunt, ſed quantùm ad ſe, non eſt poteſtas eligendi ligata, quò minùs poſſint eligere, ſi ab alijs Capitularibus admittantur, à quibus ſi ſemel admiſſi ſint, non poſſunt illi à remiſſione ſemel factâ recedere, juxta reg. 33. in 6. *mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum.* Et quamvis ſint ſuſpenſi à beneficijs, non tamen ab officio, ideóque quantum eſt ex parte illorum, eligere non prohibentur, imò & officia divina, tempore talis ſuſpenſionis, celebrare debent, ideóque etiam modicam ſuſtentationem ex beneficio percipere poſſunt, ne omnino egeant; niſi tales ſuſpenſi à beneficio proprium patrimonium haberent, vel aliunde vivere poſſent, gl. hîc V. Admiſerant. Similiter cùm hujuſmodi Capitulares à proxima tantùm electione, poſt illam, in qua deliquerunt eligendo indignum, excludantur; Ideo ſemel privati & puniti recuperant jus eligendi, ita ut ad ſequentem, quæ hîc tertia vocatur à Papa, procedere non prohibeantur, gl. hîc V. tertia.

LIII. Notandum 2. ut Capitulares extraneum vel privatum ſecum admittere poſſint ad electionem, non ſufficit conſenſus majoris partis Capituli præſentis, & legitimè congregati, ſed requiritur, ut omnes & ſinguli Capitulares conſentiant, ita, ut unus ſolus ſe reliquis omnibus opponere poſſit, & impedire, quò minùs extraneus, vel privatus ad electionem admittatur, Abb. in cit. c. Cùm Vintonienſis o. 3. & in c. Scriptum 40. o. 3. & in c. Cauſis 30. n. 3. h. t. nam per talem admiſſionem alienorum derogatur juri ſingulorum eligentium, cùm pluribus admiſſis, plerumque minùs efficax ſit votum, ſeu ſuffragium cujuslibet: & ideo in ſtatuendis à Capitulo, ſinè neceſſitate vel utilitate publica, per quæ præjudicatur juri ſingulorum Capitularium, omnium conſenſus, nullo excepto, neceſſarius eſt, locumque habet illa Regula juris 29. in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari:* & *In re communi melior eſt conditio prohibentis*, reg. 56. eodem, & l. Sabinus 28. ff. communi dividundo: licèt aliàs in ijs, quæ ob neceſſitatem, vel utilitatem publicam Eccleſiæ vel communitatis, ſtatuenda ſunt, ſufficiat conſenſus majoris partis Capituli vel Collegij, juxta c. 1. de his quæ fiunt à majore parte &c. l. Quod major 19. ff. ad municipal. Sicuti etiam tunc, quando extranei vocantur, & admittuntur, non ad eligendum, ſed ſolùm ad conſulendum, ob utilitatem Eccleſiæ, ſufficit, ſi conſentiat major pars Capituli, etiam invitâ minore, quia per hoc non minuitur jus ſingulorum eligentium, c. Obeuntibus 35. diſ. 63. Abb. c. l. n. 4.

LIV. Notandum 3. Si Capitulares ob delictum privati velint ſe intrudere electioni, poſſunt à non privatis per vim expelli, ſi notorium ſit, eos pro illa vice privatos eſſe jure eligendi, & moniti ab electione diſcedere nolint, quia vim vi repellere licet, c. Significâſti. 18. de homicid. c. Si verò 3. de ſentent. excommunic. privati autem veluti vim inferunt, turbando Capitulares non privatos in quaſi poſſeſſione ſua, & ſe ingerendo electioni, quæ ad eos ſolos ſpectat: ergo, ſi moniti non deſiſtant, per vim expelli poſſunt, per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, & aliis extrinſecis incommodis. Secus eſt, ſi notoriè non conſtet de pœna privationis ab illis contractâ, tunc enim non poſſunt non privati per vim expellere privatos, quia in cauſa non manifeſta nemo poteſt ſibi ipſi jus dicere; ſive exequi jus ſuum contra adverſarium: ſed hoc caſu aliter ſibi conſulere debent Capitulares innocentes, qui non deliquerunt, in eligendo videlicet, vel proteſtando, ſi electio ſtatim celebranda ſit, quòd privatorum ſuffragia pro eâ vice valere non debeant, c. Cumana 50. h. t. Innocent. in cit. c. Cùm Vintonienſis n. 6. Vel petendo à Superiore, ut declaret per ſententiam, cum cauſæ cognitione latam, eos, qui in eligendo deliquerunt, jure eligendi pro hac vice eſſe privatos, c. Scriptum 40. in fine h. t. arg. c. Cùm ſecundùm 19. §. Confiſcationis, de hæretic. in 6. ubi habetur, quòd, etſi aliqui ſint ipſo facto privati bonis ſuis, v. g. ob hæreſin, vel crimen læſæ Majeſtatis, non tamen debent eorum bona occupari, antequam præcedat ſententia declaratoria,

quòd

qnòd inciderint In pœnam juris, Abb.in cit. c. Cùm Vintonienſis n. 14.

LV. Quæritur 3. An, quando aliqui Capitularium dignum, alij indignum elegerunt, & inter hos quidam ſcienter, quidam ignoranter, electio digni, etſi facta à minore parte ſuffraganrium, valeat, & promulgari poſſit? Reſpondetur, vel ij, qui dignum elegerunt, numero ſuperant eos, qui ignoranter indignum elegerunt, vel non ſuperant numero: ſi ſuperant, electio dignI valida eſt, & promulgari poteſt: ſi non ſuperant numero, non tantùm electio indigni, ſed etiam electio digni non valet, nec promulgari poteſt, quia non eſt facta à maiore parte Capitularium præſentium non privatorum, cùm ignoranter eligentes indignum pœnam privationis pro ea vice non Incurrerint, idque ſumitur ex c. Scriptum 40. h.t. & tradit Joan. Andr. in c. Congregato 53. in fine h.t. Quare hoc caſu debent, qui elegerunt dignũ, cum ijs, qui ignoranter elegerunt indignum, qnippe qui non ſunt privati jure eligendi, novum ſcrutiniũ inchoare, & eligere dignum. Exempli causâ, ſi XXIV. ſint Canonici Capitulares, & octo eorum eligant Titium dignum, ſedecim autem eligant Caium indignum, partim ſcienter, partim ignoranter; tum ſi decem ex his ſedecim ignoranter elegerunt indignum, electio Titij dignI non erit valida, nec promulgari poterit, quia non poteſt dici facta à maiore parte Capitularium non privatorum, cùm pręter octo eligentes dignum, adſint decem non privati, ipsisque non conſentientes, adeóque numerus Ignoranter eligentium Indignum ſuperat numerum eligentium dignũ duobns ſuffragiis. Sin autem novem, decem, aut plures ſcienter, adeóque ſeptem, ſex, vel pauciores ignoranter elegerunt Caium indignum, tum privatis ſcienter eligentibus, electio Titij digni ab octo peracta cenſeri debet maioris & ſanioris partis Capituli, & conſequenter validè promulgabitur.

LVI. Quæritur 4. An quando una pars Capituli ſcienter eligit indignnm, electio digni facta ab altera parte, quamvIs numero minore, valeat, & promulgari poſſit? Reſpondetur affirmativè, prout habetur in c. Congregato 53. h.t. nam cùm vacante Ec- » cleſiâ Nivernenſi, Capitulum congregatum eſſet ad electionem novi Epiſcopi; facto & publicato ſcruti- » nio, apparuit, tredecim in Decanum, & octodecim » (computato procuratore unius Canonici abſentis) » in Cantorem eiuſdem Eccleſiæ conſenſiſſe, qui pro- » inde, cùm viderent, ſe numero plures eſſe, & conſti- » tuere maiorem partem Capituli, electionem eius » promulgârunt. Sed alij, qui Decanum elegerunt, » videntes, quòd Electores Cantoris graviter deli- » querint, eligendo eum, qui ſufficientem ſcientiam » non habebat, ideóque iuxta ſtatutum Concilij La- » teranenſis in c. Cùm In cunctis 7. §. fin. h.t. pro hac » vice eligendi poteſtate ipſo jure privatos, eámque » ad ipſos devolutam eſſe, Decanum ipſum, cui priùs » ſuffragia ſua dederant, in Epiſcopum elegerunt, & » contra priorem electionem Cantoris ad Sedem A- » poſtolicam appellârunt. Sed alij Canonici è diver- » ſo petiverunt à Papa Gregorio IX. ut electionem » Decani irritam declararet, quippe à paucioribus » factam, & quidem antequam prior Cantoris ele- » ctio caſſata fuiſſet, & ut hanc veluti à pluribus ca- » nonicè celebratam de perſona idonea confirmaret, Ad hæc reſpondet Pontifex, & mandat cuidam E- » piſcopo, ut, ſi dictus Cantor defectum in litteratu- » ra ſeu ſcientia non patiatur, & aliàs idoneus ſit ad » paſtorale regimen, ipſius electionem auctoritate » Apoſtolicâ (priore electione tanquam ipſo jure ir- » ritâ declaratâ) confirmet: alioquin verò, ſi Cantor » in ſcientia defectum patiatur, eius electione irritâ » declaratâ, Decanum, ſi nullum Canonicum ei ob- » ſtet impedimentum, dictæ Eccleſiæ Nivernenſi, eâ- » dem Apoſtolicâ auctoritate, præficiat. Ex quo pa- » tet, quòd electio indigni facta à maiore parte Capituli non valet, electio verò digni facta à minore parte valet, & promulgari poteſt, quia, cùm alij delinquentes ipſo jure privati ſint poteſtate eligendi, pro ea vice, eáqne in alios, qui non deliquerunt, tranſlata ſit, quique totum Capitulum repræſentant, ideo decretum electionis formare poſſunt, ex ſuffragiis, quæ digno dederunt in privato ſcrntinio, nti ſumitur ex hoc c. gl. fin. ibid. Unde abſolutè loquendo, non poteſt dici, quòd electio hîc fuerit facta à minore parte Capituli, ſed potiùs à toto Capitulo; nam cùm maior pars fnerit privata, quia ſcienter elegit indignum, tota poteſtas eligendi remanſit penes alios, quamvIs numero pauciores, qui fictione juris repræſentant totum Capitulum, Abb. hîc n. 4.

LVII. Ubi notandum præterea 1. Etſi in textu huius c. non exprimatur, quòd eligentes Cantorem ſciverint illum defectu ſcientiæ laborare, tamen Id regulariter præſumitur, ut colligitur ex hoc cap. Quia regula illa juris 47. in 6. *præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur*, vera eſt in his, quæ quis ſcire, & indagare non tenetur: in his autem, quæ quis ſcire & indagare tenetur, non habet locum, ſicut in eligendo Prælato, iuxta c. 2. diſ. 61. & ideo ibi præſumitur ſcientia, niſi probetur ignorantia, ut tradit gl. in cit. reg. v. præſumitur ignorantia. Accedit, quòd defectus ſcientiæ facilè patere poteſt, & ideo præſumitur eius ſcientia, Abb. hîc n. 5.

Notandum 2. Electores in privato ſcrutinio, in quo ſingulariter date ſolent ſua vota ſeu ſuffragia, propriè loquendo, non eligunt, ſed potiùs nominant eligendum, vel in eum conſentiunt, ut colligitur ex h.c. ibi: *ſua deſideria*: & ibi: *ſua vota*, Abb. hîc n. 1. electio autem propriè dicta eſt illa, quæ poſt peractũ & pnblicatum ſcrutinium, fit communiter, nomine omnium eligentium, iuxta c. Perpetuæ 7. h. t. & dictum ſuprà.

Notandum 3. Si in caſu huius c. pars maior Capituli elegiſſet indignum ignoranter; pars verò minor dignum, utraque retractari, ſeu irrita declarari debuiſſet; prima quidem, quia facta de indigno; poſterior verò, quia facta à minore parte Capituli, eligentes enim ignoranter indignum non privantur eligendi poteſtate, c. Innotuit. 20. h.t. adeóque hæc non fuiſſet translata in partem minorem, Abb. hîc n. 5. & patet ex ſuprà dictis.

Notandum 4. Poſt promulgatum decretum electionis factæ à maiore parte Capitularium eligentium indignum, poteſt ac debet pars minor, quæ ſuffragia ſua dedit digno, vel ſtatim & incontinenti, antequam ad alium actum divertat, ac veluti eodem electionis contextu, ſinè novo ſcrutinio, electionis ſuę decretum formare, & promulgare, quia proceſſus electionis ſinè interruptione peragi debet, ut tradit

gl. hîc v. poſtmodum, ſatis enim eſt, quod ex eodem ſcrutinio ſequatur unica valida electio: Vel ſi hoc nolit, poteſt ex intervallo novum ſcrutinium inchoare ſeu inſtituere, excluſis aliis Capitularibus privatis, vel etiam voluntariè ſecum admiſſis, iuxta ſuprà dicta, & capitulare electionis decretum promulgare, Innoc. hîc in princ. & Abb. n. 6.

Notandum 5. Ut valida ſit electio minoris partis Capituli, oportet, ut communis electio præceſſerit à maiore parte de iodigno ſcienter facta; nam ſi pars minor decretum electionis perſonæ dignæ priùs promulgaret, irrita eſſet electio; cùm enim pars maior Capituli, ante formatam communem electionem, non incurrerit privationem, nondum tota poteſtas eligendi ad partem minorem eſt devoluta; & conſequẽter communis electio partis minoris priùs facta, quippe quæ fuit irrita ipſo jure, non poteſt per ſubſequeotem electionem communem factam ab altera parte maiore de indigno confirmari, vel valorem accipere, quia, quod ab initio oullum fuit, oon poteſt ex poſtfacto convaleſcere, utì ſumitur ex c. Auditis. 29. h. t. Imola hîc num. 4. Abb. num. 5. & alij.

§. VIII.

De Electione à Capitulo in diſcordia, concurrente poſtulatione, factâ, partim de perſona digna, partim de indigna.

» LVIII. De hoc agitur io c. Scriptum 40. h. t. nam vacante Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, cùm Electores diſcordareot, pars una poſtulavit Archiepiſcopum Eradieoſem: altera verò pars elegit Plehanum S. Pauli de Venetiis, ideóque utraque pars tam poſtulantium, quàm eligentium, miſſis ad Sedem Apoſtolicam procuratoribus, cauſam ſuam Papæ propoſuerunt. Verùm quia Papa Innocentius III. ex tranſmiſſis & relatis coram ſe non potuit aſſeqni plenam controverſiæ cognitionem, quamvìs ſuper numero poſtulantium, per quoddam publicum inſtrumentum, & per confeſſionem Procuratoris adverſæ partis in judicio factam, ſed revocatam, (ſtatim poſt, ac ſinè iotervallo, gl. hîc V. revocatam) pars altera (ſcilicet poſtulantium Archiepiſcopum) aſſereret, ſuam intentionem eſſe fundatam: ideo Papa cauſam hanc Notario ſuo commiſit examinandam, mandans ei, ut diligentiſſimè inquirat de meritis quidem ſeu moribus electi & poſtulati, Venetiis, ubi nati fuerunt, & diutius verſati: de ſtudiis verò eligentium, & poſtulantium, déque cæteris rebus, quæ ad cauſæ inſtructionem pertinere poterant, Cooſtantinopoli, ubi hujuſmodi poſtulatio, & electio factæ fuerunt. Tum verò, ſi partes in eum conſenſerint (ſcilicet ut dictus Notarius cauſam cognoſcat, & definiat, imò etiam conſenſus electi & poſtulati neceſſarius eſt, aliàs oon poſſunt partes à jure recedere, gl. hîc V. conſenſerint) & ſi conſtiterit, quòd Canonici mutuo conſenſu convenerint; ut ſeptem Præpoſiti per ſe, vel per alios admitterentur ad electionem Patriarchæ: duo item Procuratores pro cæteris Prælatis Eccleſiarum Conventualium; tunc ſi tot eo tempore Prælati fuerunt Conventualium Eccleſiarum, ut eorum voces, unâ cum ſuffragiis ſeptem Præpoſitorum, & novem Canonicorũ, (quos conſtat in poſtulatione Archiepiſcopi conſenſiſſe) duplò maiorem numerum facerent, quàm erat numerus eligeotium Plehanum, videlicet ſedecim, dictam poſtulationem, auctoritate Apoſtolicâ, admittat, niſi probatum fuerit, poſtulato canooicum impedimentom obſtare: & Plebani electione caſſatâ, ipſum Archiepiſcopum abſolvat à vinculo, quo Eradienſi Eccleſiæ eſt obſtrictus, & licentiam tranſeundi ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam concedat. Quòd ſi verò vtra prædictorum ſimul juncta ad faciendum duplo majorem numerum non ſufficiant; tum ſive dignus, ſive iodignus fuerit poſtulatus, rejectâ poſtulatione, electionem Plebani confirmet, modò indignus non ſit. Si verò numerus poſtulantium duplo major repertus fuerit, ſed qui poſtulatus eſt, indignus ſit; tum utramque poſtulationem, & electiooem reprobet: niſi omnes vel major pars poſtulantium ſcienter poſtulaverint indignum, ut pro hac vice meritò debeant eligendi ſeu poſtulandi poteſtate privari, id eſt, privati declarari, hoc enim caſu electionem confirmet, ſi electus idoneus eſt, cùm illis privatis, poteſtas eligendi ad alios non privatos ſit devoluta. »

LIX. Pro explicatione huius difficilis c. Notandum 1. Capitulares poſſunt communicare jus eligendi extraneis, eóſque admittere ad coëligeodum ſecum, modò omnes conſentiant; cùm enim poſſint totam poteſtatem eligendi in alios compromiſſarios transferre, ut infrà dicetur, multò magìs poſſunt admittere alios, ut unâ cum ipſis Capitularibus, eligant, Abb. hîc n. 3. ubi addit, quòd in Coocilio Generali Prælati habentes votum, ſeu ſuffragium deciſivum, poſſunt admittere alios ſimplices Clericos, qui aliàs vocem, ſeu ſuffragium non habent.

Notandum 2. Præpoſiti, de quibus fit mentio in hoc c. non habebaot ſub ſe Collegium, alioquin non ponerentur, ut diverſi à Prælatis Eccleſiarum Cathedralium, qualis in quibuſdam Eccleſijs Cathedralibus, ut in Germania ſunt Præpoſiti Eccleſiarum Cathedralium, qui ſimplicem dignitatem, ſeu perſonatum habent ſinè juriſdictione, nec vocem in Capitulo habent, ſi non ſint Canonici, niſi alia ſit conſuetudo, Abb. hîc n. 3. & 4.

LX. Notandum 3. Electores poſſunt ad eligendum Prælatom cooſtituere, non tantùm unum, ſed etiam plures procuratores loco ſui, ità, ut unus vel plures à pluribus conſtituti tot ſuffragia habeant, quot ſunt Electores conſtituentes, gl. hîc V. Duo, & Abb. n. 5. & colligitur ex hoc c. ubi dicitur, quòd duo procuratores tot habuerint ſuffragia, quot eo tempore erant Prælati Eccleſiarum Conventualium, quorum nomine ac loco ſuffragia habebant, de quo infrà. Ideo autem in cit. c. dicitur, quòd pro numero Prælatorum Conventualium tunc viventium, computanda ſint vota procuratorum ab eis conſtitutorum, quia vacante Eccleſiâ, ad Capitulum, ſeu Conventum non devolvitur jus eligendi, quod Prælatis Eccleſiarum Conventualium ſolùm jure ſpeciali conſuetudinis vel privilegij, ratione dignitatis eorum, competebat, ut notat gloſſ. hîc V. Temporis; nam

Digitized by Google

nam Capitulum, Sede vacante, non ſuccedit ln ijs, quæ Prælato jure ſpeciali competunt ratione dignitatis, ut docet Abb. in c. Verùm 7. n. 10. & alij DD. ibid. de foro compet.

LXI. Notandum 4. *Si poſtulatio & electio concurrant in diſcordia, tum ſuppoſito, quòd poſtulatus ſit dignus, ut admitti poſſit poſtulatio, rejectâ electione, requiritur, ut, duæ partes Capitulariũ poſtulantium conſentiant in poſtulandum*, prout habetur in hoc c. Et dictum etiam tit. Super. n. 18. Ut ſi v. g. 30. ſint Canonici Capitulares, & 20. poſtulent unum, 10. eligant alium, præferenda eſt poſtulatio, quippe facta à duplo majore parte Capituli, quàm electio facta à minore, ſeu tertia parte, Abb. hîc n. 7. Ratio eſt, quia, quamvis poſtulatio ſit via providendi extraordinaria, & innitatur gratiæ, & electio ſit via ordinaria, & nitatur juſtitiâ, attamen quia tota vis, ſeu poteſtas capitularis, ſeu Univerſitatis conſiſtit in duabus partibus Capituli, ſeu Univerſitatis, ita, ut, quod duæ partes faciunt, totum Capitulum facere videatur, l. Nulli 3. & l. ſeq. ff. quod cujuſque Univerſ. nom. ideo præfertur poſtulatio, gl. hîc V. Majorem & Abb. n. 14. Ut in propoſito in Eccleſia Conſtantinopolitana tunc vacante erant 25. Canonici Capitulares, qui tractantes de ſubſtitutione novi Patriarchæ, mutuo conſenſu convenerunt, ut ad electionem faciendam admitterentur 7. Præpoſiti per ſe, vel per eorum Procuratores: item duo Procuratores pro ſingulis Prælatis Eccleſiarum Conventualium, ita, ut quilibet Prælatus haberet ſuffragium in electione, quorum tunc temporis erant 16. & ſic vota, ſeu ſuffragia omnium, tum poſtulantium, tum eligentium erant 48. ex quibus ſedecim elegerunt Plebanum S. Pauli de Venetijs: ſeptem verò Præpoſiti, & novem Canonici, & ſexdecim Prælati Eccleſiarum Conventualium, & ſic numero 32. poſtulârunt Archiepiſcopum Eradienſem in Patriarcham, ac proinde duplo major erat numerus poſtulantium, quàm eligentium, idcóque poſtulatio præferenda fuit electioni: quòd ſi tantum 15. Prælati fuiſſent, adeóque univerſim ſolùm triginta & unum vota fuiſſent poſtulantium Archiepiſcopum; tum electio Plebani præferenda fuiſſet poſtulationi Archiepiſcopi, quia facta fuiſſet à plus, quàm tertiâ parte ſuffragantium, quo in caſu plerumque electio confirmatur, ut patet ex ſuprà dictis.

LXII. Notandum 5. *Si plures Univerſitates, ſeu Collegia conveniant ad expediendum actum aliquem, v. g. ad eligendum Prælatum, non ut diverſa corpora, ſeu univerſitates, ſed ut omnes & ſinguli, in ordine ad præſentem actum, conſtituant unum corpus, aut collegium, tum computanda ſunt ſuffragia ſingulorum, non ſecundùm corpora, ſed ſecundùm capita, ſive perſonarum numerum.* Ut in propoſito tria diſtincta corpora, ſeu Univerſitates conveniebant ad eligendum Patriarcham, Capitulum ſive Corpus Canonicorum, & 7. Præpoſiti, & Univerſitas, ſive Corpus Prælatorum Eccleſiarum Conventualium, qui habebant jus ſuffragij, quatenus erant perſonæ ſingulares, ita, ut non omnes unum tantum, ſed ſinguli Prælati unum votum haberent in electione, ut notat gl. hîc V. Duo in addit. ideo ſuffragia computanda fuerunt, non ſecundùm majorem partem corporum, ſed ſecundùm numerum capitum, ſeu perſonarum omnium jus ſuffragij habentium, quia convenerunt ad eligendum, non ut diverſa corpora, ſed prout conſtituunt unum corpus, in ordine ad hunc actum electionis. Aliud verò dicendum eſt, ſi plura Corpora, ſeu Congregationes conveniant ad aliquem actum expediendum, tanquam diverſa corpora, non autem ut faciant unum corpus: nam hoc caſu ad valorem actûs non ſufficit major numerus capitum, ſeu ſingularum perſonarum, ſed neceſſe eſt, ut conſentiat major pars ipſorum corporum, ita, ut, ſi ſint tria corpora, conſentiat ſaltem major pars duorum corporum. v. g. Si electio Prælati ſpectet ad Capitulum Canonicorum, & ad Prælatum aliquem, & ad Clerum civitatis, ita tamen, ut non conſtituant unum corpus, ſed diverſa, adeóque ut Capitulum ſolùm habeat unam vocem, & Prælatus unam, & totus Clerus unam; tum requiritur ad valorem electionis, ut præter Prælatum, etiam vel major pars Capituli, vel major pars Cleri in unum conſentiant: ac proinde non ſufficit, quòd quis ſit electus à toto Clero, & à minore parte Capituli, Prælato alium eligente, etſi Clerici multò plures ſint, quàm Capitulares: Item ſi Prælatus, vel major pars Capituli eligant unum, Clerus autem, cum parte minore Capituli, eligat alium, valebit electio facta à Prælato, & majore parte Capituli, licèt multò pauciores ſint numero, quàm alij, quia hoc caſu non attenditur ad numerum capitum, ſeu perſonarum, Abb. hîc n. 6.

LXIII. Notandum 6. *Si quis poſtulatus ſit à duabus partibus Capituli, quem tamen poſtulantes ignorârunt eſſe indignum; alius verò dignus electus ſit à tertia vel minore parte Capituli; tunc & poſtulatio reprobatur, quia facta de indigno, & electio, quia cùm duæ partes ignoranter poſtulantes indignum, non ſint privatæ poteſtate eligendi, ea non eſt devoluta ad minorem partem eligentium dignum, adeóque in ijs non remanſit poteſtas capitularis*, Abb. hîc n. 14. in caſu 3. Quòd ſi verò in diſcordia omnes poſtulantes, vel major eorum pars ſcienter poſtulârunt indignum; pars verò minor, ſive tertia elegit dignum, valet electio, & confirmari debet, poſito, quòd tam multi poſtulaverint indignum, ut ijs privatis, eligentes dignum efficiant majorem partem Capituli, ſive illorum, qui habebant jus eligendi, prout ſumitur ex hoc c. in fine, Abb. ibid. n. 14. in caſu 4.

Illud hîc dubitari poteſt, quare Papa mandet, ut inquiratur de moribus Archiepiſcopi, qui poſtulatus fuit ad Patriarchatum, ſi enim fuit dignus & idoneus repertus ad Archiepiſcopatum, non poterit eſſe indignus Patriarchatu. Sed reſpondetur inprimis, quòd major habilitas requiratur ad dignitatem altiorem, quàm ad inferiorem, ideóque ſi quis promovendus ſit ad majorem dignitatem, ut in caſu hujus c. ad Patriarchatum, opus eſt novâ inquiſitione, gl. hîc V. Præſumptione. Deinde fieri poteſt, ut promotus ad aliquam dignitatem impedimentum, vel indignitatem poſtea contraxerit, ergo, ſi eligatur, vel poſtuletur ad aliam dignitatem etiam non majorem, iterum de moribus illius inquiri poteſt, ac debet, Abb. hîc num. 15. & 16.

§. IX.

Ad quos pertineat poteſtas eligendi, ſi Capitulares inhabilem, ſive poſtulandum, ſinè licentia, ac diſpenſatione Superioris, ad adminiſtrationem recipiant?

LXIV. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, quòd Capitulares recipientes poſtulatum ad adminiſtrationem in ſpiritualibus, vel temporalibus, ante poſtulationem à Superiore admiſſam, vel ſinè ejus licentia, jure eligendi & poſtulandi eâ vice privati cenſeantur, & tota poteſtas ad alios non conſentientes, ſive non delinquentes, quamvis numero pauciores, devolvatur: ſi verò omnes deliquerint, devolutio fit ad Superiorem, ſive eum, ad quem pertinet electi, vel poſtulati confirmatio, ut colligitur ex c. Bonæ 23. h. t. & tradit ibid. gl. & Abb. in ſumma, aliique Canoniſtæ communiter. Nam defuncto
» Archiepiſcopo Moguntino, cùm Præpoſitus S. Pe-
» tri, & alij pauci Canonici abſentes, quia Mogun-
» tiam intrare non poterant, propter potentiam Phi-
» lippi Suevorum Ducis, tunc ibi commorantis, ti-
» mentes, ne ab ipſo compellerentur eligere in Ar-
» chiepiſcopum, quem ipſe vellet; inhibuerunt re-
» liquis Canonicis, ne ſinè ipſis ad electionem novi
» Archiepiſcopi procederent, alioquin ad Sedem A-
» poſtolicam appellantes. Sed Canonici, qui Mo-
» guntiæ remanſerant, non obſtante eâ appellatione,
» poſtulârunt in Archiepiſcopum VVormatienſem
» Epiſcopum, & appellârunt contra alios Canoni-
» cos, ne quid in præjudicium hujus poſtulationis
» attentarent: imò etiam dictum Epiſcopum ad ſpi-
» ritualia & temporalia adminiſtranda in Eccleſia
» Moguntina admiſerunt, ante poſtulationem à Pa-
» pa admiſſam: quo facto, alij Canonici, etſi pau-
» ciores numero, & abſentes, convenerunt, & elege-
» runt dictum Præpoſitum S. Petri in Archiepiſco-
» pum; & poſtea cauſam totam ad Innocentium III.
» Pontificem detulerunt: qui ipſam cognoſcendam
» delegavit Epiſcopo Præneſtino Sedis Apoſtolicæ
» Legato, eique mandavit, ut, ſi conſtaret, Epiſcopum
» VVormatienſem, relictâ Eccleſiâ ſuâ, tranſiiſſe ad
» Metropolitanam Eccleſiam Moguntinam, ejúſque
» adminiſtrationem in temporalibus vel ſpirituali-
» bus recepiſſe; ejus poſtulationem irritam declara-
» ret; interim ex ſpeciali gratiâ eidem concedens,
» ut Epiſcopatum VVormatienſem retinere poſſit,
» cùm de Jure communi utroque Epiſcopatu privan-
» dus eſſet, quia propriâ auctoritate à ſua Eccleſia ad
» aliam ſe tranſtulit, c. Quantò 3. de translat. Epiſc.
» quòd ſi parêre contemneret, ipſum auctoritate A-
» poſtolicâ utrâque Eccleſiâ privatum pronunciaret,
» prout habetur in integrâ lectione hujus c. Dein-
» de mandat Papa, ut Legatus inquirat de electione
» Præpoſiti in Archiepiſcopum, &, ſi conſtiterit,
» quòd dictus Præpoſitus, & alij Canonici ejus ſocij,
» propter metum inferendæ ſibi in electione violen-
» tiæ, alijs Capitularibus, interpoſitâ appellatione,
» inhibuerint, ne in electione ſinè ipſis procederent;
dicti Præpoſiti electionem confirmet, non obſtan- »
te, quòd poſt appellationem Capituli ad Sedem A- »
poſtolicam interpoſitam; electio ſit facta; nam »
cùm Canonici Moguntiæ commorantes priùs non »
detulerint appellationi factæ ab alijs Canonicis ab- »
ſentibus & paucioribus, ſed nihilominus penden- »
te appellatione, ſinè ipſis poſtulârint novum Ar- »
chiepiſcopum; ideò non poſſunt contra alios Ca- »
nonicos excipere, quòd poſt interpoſitam ab ipſis »
appellationem, elegerint Præpoſitum S. Petri, cùm »
ipſi priùs in eo genere deliquerint: fruſtra autem »
legis auxilium invocat, qui comittit contra legem. »
Sed neque ab eiſdem objici poteſt, quòd dictus »
Præpoſitus à paucioribus Capitularibus eſſet ele- »
ctus in Archiepiſcopum, quia ipſi appellationem »
ad Papam legitimè interpoſitam contemnentes, & »
abſque licentia ejuſdem, Epiſcopum VVormatien- »
ſem ad adminiſtrationem Archiepiſcopatûs reci- »
pientes reddiderunt ſe indignos ad eligendum, a- »
deóque poteſtate eligendi ipſo jure eâ vice ſunt pri-
vati; eáque ad alios, quamvis pauciores, eſt devolu-
ta, gl. hîc V. Licentiam, & habetur in integra lectio-
ne hujus c. Porrò quamvis notoria eſſent, quæ con- »
tra VVormatienſem Epiſcopum, & ejus fautores »
Canonicos objecta fuerant; tamen Legatus ad »
majorem cautelam multos teſtes ex parte Præ- »
poſiti in Archiepiſcopum electi productos rece- »
pit, & causâ cognitâ, juxta Apoſtolici manda- »
ti tenorem procedens, poſtulationem dicti Epi- »
ſcopi VVormatienſis caſſavit (id eſt, irritam de- »
claravit, gl. hîc V. caſſavit) electionem verò Præpo- »
ſiti in Archiepiſcopum, quamvis à pauciſſimis fa- »
ctam; auctoritate Apoſtolicâ, confirmavit, eundém- »
que priùs in Presbyterum à ſe ordinatum, poſtea »
in Archiepiſcopum conſecravit. Etſi verò contra »
Legati proceſſum objiciebatur; quòd Epiſcopo »
VVormatienſi, & eius fautoribus non citatis, pro- »
ceſſiſſet: ad hoc tamen reſpondet Innocentius Pa- »
pa, quòd exceſſus Rei notorius examinatione non »
indiget, c. Manifeſta 17. cauſ. 2. q. 1. c. Evidētia 9. de »
accuſat.) adeóque nec citatione; atque pro judice »
præſumendum eſt, quòd omnia ab eo rite acta fue- »
rint: præterquam, quòd hoc ipſum, videlicet Epi- »
ſcopum & ſocios eius, citatos non eſſe, facilè pro- »
bari non poſſit, quia negantis factum, ſecundùm »
rerum naturam, nulla eſt directa probatio; ſive »
propoſitio negativa directè probari naturaliter »
non poteſt: & quamvis quilibet de ſe aſſereret, »
quòd non ſit citatus, ſinguli tamen eſſent in ſuis te- »
ſtimoniis ſingulares, adeóque non conteſtes ſive »
conteſtantes idem factum. Accedit, quòd Epiſco- »
pus VVormatienſis, eiúſque fautores huius rei non »
fuerint ignari, cùm enim ipſi ad Legatum nuncium »
miſerint, potuiſſent etiam idoneum procuratorem »
ſecurè ad eum mittere, ſi voluiſſent. Quamobrem »
etſi Papa propter judiciariam auctoritatem præſu- »
mere poſſet pro geſtis à Legato, ut jam dictum: ma- »
gis tamen inniti voluit ſuprà dictis tribus cauſis »
(ſcilicet quia non detulerunt appellationi, & quia
inhabilem ſive poſtulatum, ſinè licentia Papæ, rece-
perunt, & quia citati non venerunt: quibus addi po-
teſt, quia idem Epiſcopus, ſinè licentia Papæ, à ſua
Eccleſia ad aliam tranſivit, gl. hîc V. cauſis) ex qui- »
bus ſe adeò reddiderunt indignos, ut contra electū »

Archi-

» Archiepiſcopum nō debeant auditi, nec, quod fa-
» ctum, pet eos poſſit impediri. Quin imò etſi pona-
» tur, paucos eos Canonicos, qui Præpoſitum elege-
» runt, pariter deliquiſſe, eò quòd, poſt interpoſitam
» ab adverſa parte appellationē, ad electionem pro-
» ceſſetint: tamen pioptet omnium Capitularium
» delictum, ordinatiò ſive ptoviſio Eccleſiæ Mogun-
» tinæ hac vice ad Romanum Pontificem devolutà
» fuiſſet, qui proinde dictum Præpoſitum, ſinè ul-
» lius injuria, eidem Eccleſiæ in paſtotem præficerè
» potuiſſet. Ob has igitur cauſas Papa Innoccntius
» III. caſſationem poſtulationis à Legato factam;
» quoad Epiſcopum VVormatienſem ratam habet:
» electionem verò dicti Præpoſitl in Atchiepiſco-
» pum confirmat.

LXV. Notandum hîc 1. Si Capitulates aliqui ab Eccleſia abſint, & ob juſtum timorem, ſeu probabile peticulum infetendæ viòlentiæ in actu electionis, ad illam accedere nequeant, nec Ptocuratorem mittete poſſint, quamvìs poſtca nulla re ipsâ violentia eſſet illata, tum poſſunt àliis Capirularibus præſentibus prohibete, ne ſinè illis ad electionem ptocedant, ſi periculum non ſit in morà, prout ſumitur ex cit. c. Bonæ. h.t. & ibi gl. V. metuebant; & ex c. Quanto. 10. diſ. 63. quia Capitulates extra Eccleſiam exiſtentes, ſinè ſua culpa, retinent jus eligendi, & poſtulandi, adeóque Capitulares ptæſentes non poſſunr eligete, ſinè abſentibus, ſi hi nec pet ſe, nec per Procuratores inteteſſe electioni liberè celebrandæ poſſint, & tum appellate poſſunt, ſi præſentes abſque illis ad electionem procedant, Abb. hîc. n. 1. & 2. de quo plura infrà ſuo loco.

Norandum 2. Pœnæ Concilij Latetanenſis ſtatutæ in c. Cùm in cunctis 7. §. Clerici. b.t. incurruntur, non ſolùm in caſibus ibi exptcſſis, ſed etiam in aliis ſimilibus, ut colligitut ex hoc c. Ubi habetur, quòd poſtulatio ipſò jure ſit irrita, & poſtulantes ſint privati eâ vice poreſtate eligendi & poſtulandi; eáque ad alios non delinqnentes devolvitut, quando poſtulantes poſtulatum permiſerunt adininiſttarè in ſpiritualibus vel tempotalibus, Abb. hîc num. 2. Quamvìs vetò, ſi Capitulares poſtulatum recipiant ad adminiſttationem, ſinè Superiotis conſenſu, aut licentiâ, poſtulatio ſit ipſo jute irrita, & poſtulantes ipſo facto ſint ptivati poteſtate eligendi & poſtulandi, nt dictum: aliud tamen eſt de electione: nam licèt, ſi eligentes à ſe electum tecipianr ad adminiſtrationem Prælatutæ, antè obtentam confirmationem, electus ſe illegitimè ingetens in adminiſtrationem, ipſo facto jus ex electione acquiſitum petdat, c. Avaritiæ. 5. b.t. in 6. non tamen eligenres eum tecipientes idcitco ipſo jure ſunt ptivati poteſtate eligendi & poſtulandi; ideóque niſi per ſententiam fuerint ptivati, ad aliam electionem ptocedere poſſunt. Ratiò diverſitatis eſt, quia hæc pœna ptivationis in hoc caſu de eligentibus in jure non eſt expreſſa, ſicut de poſtulantibus, ideóque ab his ad illos, etiam ob patitatem rationis, extendi non debet, quia graviùs delinquunt Capitulares, ſi poſtulatum ſive inhabilem, ante admiſſionem poſtulationis à Superiore factam, recipiant ad adminiſtrationem Prælaturæ, quippe cui nullum adhuc jus ad illam eſt acquiſitum, quàm ſi eligentes recipiant legitimè electum ad adminiſtrandum, ante confirmationem obtentam, qnia huic jus eſt acquiſitum ex electione, quávìs noudum eius exertcitium, Innocent. bîc n. 4. & Abb. n. 2. & n. 9.

Notandum 3. Si unus alteti pactum offerat, alter vetò illud non acceptet, vel ſi acceptavit, illud poſtea violet, non poteſt hic juſtè conqueri de primo, quòd pactum violârit. v.g. ſi duo pacem, ſeu fœdus intet ſe fecerunt, de non offendendò ſe invicem, unus vetò pacem violet; tum is non poteſt conqneri de alteto, ſi & ipſe poſtea pacem ſeu fœdus non ſervat, quia, cùm ipſe ptiùs pacem, ſeu fœdus violârit, nec ah altero illud obſervandum fuit, Abb. hîc n. 3. idque colligitur ex hoc c. ubi inhibitio, ſeu conſtitutum, ac veluti pactum factum fuit intet Canonicos, tum Interpoſitâ appellatione; ut una pars ſinè altera ad eligendum Ptælatum non procederet: ſed pars Canonicorum præſentium in civitate Moguntina inhibitionem illam; ſeu conſtitutum, vel ab initio non acceptavit, vel, ſi acceptavit, poſtea violavit, dum ſinè altera parte Canonicorum, qui extra civitatem eránr, ad poſtulationem Ptælati proceſſit, quare non poſſunt ptiores Canonici de aliis Capitularibus juſtè conqueri, quòd contta inhibitionem, vel conſtitutum, ſinè illis ad eligendum Prælatum proceſſerint, quippe quod jam priùs ab illis violatum fuit. Ratiò eſt, quia fruſtra legis (aut cuiúſque conſtituti vel conventionis) auxilium invocat; qui in legem committit, ſive delinquit, ut hic dicitut, & in. c. Quia ftuſtra. 14. de uſuris, & in l. Auxilium. 37. in fine. ff. de minotib. & in l. fin. §. Si verò poſtquam C. de jure deliberandi. Accedit; quòd in ptopoſito caſu tanta mutatio factà ſit ex una pàtte Canonicotum, ut ſe indignos reddiderint eligendi poteſtate, eâque privari meruerint; ideóque alteta pats ſinè illis jure ad eligendum procedete potuit, Laym. hîc. n. 6.

Porrò plura alia; quæ in boc c. annotantur ab Interpretibus, ad alias materias pertinent, de quibus in propriis locis agemus.

SECTIO II.

DE ELECTIS, VEL ELIGENDIS AD Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas.

§. I.

De qualitatibus requiſitis in eo; qui eligendus eſt in Epiſcopum.

LXVI. Quætitur 1. Quænam qualitates requitantut in eo; qni eligitur in Epiſcopum? Reſpondetnt, in ptomovendis ad ſacros Ordines, & miniſteria ſeu officia Eccleſiáſtica, ptæſertim in Epiſcopis, ttes qualitates tequiruntur, & inquiti debent, ætatis maturitas; morum boneſtas ſeu probitas; & littetarum ſcientia: quibus addi poteſt quarta, ut ſit ex legitimo mattimónio natus, prout habetut in c. Cùm in cunctis 7. in princ. h.t. ubi dicitur: Cùm in cun- »
ctis ſacris Ordinibus, & Eccléſiáſticis Miniſteriis »
(id eſt in promovendis ad Eccleſiaſticos Ordines »
& dignitates, & officia Eccleſiaſtica) ætatis matu- »
ritas, morum grávitas, ſeu probitas, & litterárum »

» ſcientia ſint inquirenda: multò magìs in Epiſcopo » hæc tria inquiri oportet, quippe qui ad aliorum » curam poſitus, in ſeipſo oſtendere debet, qualiter » alij in domo Dei converſari debeant. Quare, ne, » quod ob temporum neceſſitatem ſecus quandoque » factum eſt, in exemplum à poſteris trahatur, Ale- » xander III. in Concilio Lateranenſi c. 3. ſtatuit, » ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui xxx. æta- » tis annum exegerit, & de legitimo matrimonio na- » tus ſit, & qui etiam vitâ & ſcientiâ commendabilis » demonſtretur.

LXVII. Notandum hîc 1. Appellatione ſacrorum Ordinum regulariter non veniunt Ordines minores, ut colligitur ex hoc c. ubi dicitur, quòd in cunctis SS. Ordinibus requiritur ætatis maturitas, quæ tamen non requiritur in Ordinibus Minoribus, quippe qui conferri poſſunt ijs, qui exceſſerunt annos infantiæ, ſive poſt ſeptimum ætatis annum expletum, c. De ijs, 5. & ibi gl. V. infantiæ diſ. 77. c. In ſingulis. 2. diſ. 77. Item hîc dicitur in ſacris Ordinibus requiri litteratum ſcientiam, quæ tamen non exigitur in ſuſcipientibus minores Ordines, cùm ſatìs ſit, ut linguam Latinam intelligant, iuxta Concil. Trident. Seſs. 29. c. 11. Quamvìs in lata acceptione etiam Ordines minores ſacri appellentur, ut notat gl. in c. 1. V. Clericorum de tempore Ordinat. in 6.

Notandum 2. Qualitates, quæ requiruntur in inferioribus Ordinibus, & Miniſteriis Eccleſiaſticis, exiguntur in promovendo ad Epiſcopatum in eminentiore ac perfectiore gradu; quia, cùm poſiti ſint, ut aliorũ curã gerant, exemplo ſuo, & in ſeipſis opere Epiſcopi oſtendere debẽt, quales exigunt eſſe alios in morũ honeſtate, & ſcientia, viliſſimus enim computandus eſt, qui alios præcellit dignitate, ſi non præcellat etiam ſanctitate, & ſcientiâ, ut dicitur in c. 45. cauſ. 1. q. 1 gl. hîc, V. multò fortiùs.

Notandum 3. Si propter temporum neceſſitatem, interdum à Papa diſpenſatum ſit in qualitatibus hîc requiſitis ad obtinendum Epiſcopatum, v.g. ut juvenis, vel adoleſcens in Epiſcopum aſſumatur, id in exemplum trahi non debet, ita, ut etiamſi nulla, vel non gravis neceſſitas ſubſit, id fieri permittatur, quia, quando legitima cauſa non ſubeſt, non eſt propriè diſpenſatio, ſed potiùs diſſipatio, ex qua maxima damna Eccleſiis inferri ſolent, Abb. hîc num. 1. not. 4.

LXVIII. Quæritur 2. In ſpecie, quæ ætas requiratur in eligendo, ad Epiſcopatum? Reſpondetur, nullus in Epiſcopum eligendus eſt, niſi, qui jam xxx. ætatis annum exegerit, prout habetur in cit. c. Cùm in cunctis, in princ. h. t. quia hæc eſt perfecta hominis ætas. Idque ſpeciale eſt in Epiſcopo, quòd exigatur, xxx. annum eſſe completum, cùm in aliis dignitatibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus ſufficiat, annum à lege, vel canone præfixum eſſe inchoatum, ſecundùm gl. hîc V. exegerit, Innocent. & Hoſtienſ. V. eodem.

LXIX. Quæritur 3. Qualis ſcientia requiratur in eligendo ad Epiſcopatum? Reſpondetur, in promovendo ad Epiſcopatum exigitur ſcientia conveniens, ſeu ſufficiens, c. Qualiter 17. ibi: *præcipuè, quia nec donum ſcientiæ Pontifici conveniens fuerat aſſecutus*, h. t. quamvìs non requiratur ſcientia eminens, c. Nobis 19. eod. quia licèt eminens ſcientia in Prælato deſideranda ſit; competens tamen toleratur; nàm ſecundùm Apoſtolum ſcientia inflat, charitas autem ædificat, & ideo imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis, c. Niſi 10. §. Pro defectu de renunciat. quin aliquando magìs idoneus eſt ad Prælaturam, qui ſcientiam non eminentem, ſed ſufficientem habet, cum prudentia & charitate junctam, gl. in cit. c. Qualiter. V. conveniens, & c. Nobis. V. litteraturæ. h. t. Porrò qualitatem ſcientiæ requiſitam in eo, qui ad Cathedralem Eccleſiam eſt aſſumendus, exprimit Concilium Trident. Seſs. 22. c. 2. de reform. quòd eiuſmodi ſcientiâ pollere debeat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideóque ut vel Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Idque decretum eſt, quia Epiſcopus ſanctum Evangelium, & omnem Scripturam ſacram, atque SS. Canones ſcire debet, ut populum univerſum curæ ſuæ commiſſum edocere queat, & in cauſis rectè judicare poſſit, c. 2. §. Ecce. diſ. 36. c. 1. c. Nulli. 4. c. Omnes. 6. diſ. 38. Priùs autem diſcere oportet, quàm docere quis alios poſſit; c. Vive. 26. cauſ. 16. q. 1. ideóque Epiſcopus peritus eſſe debet tum Theologiæ, tum Juris Canonici.

LXX. Atque hinc oritur quæſtio, an in promotione ad Epiſcopatum vel eius adminiſtrationem, Theologus præferri debeat Canoniſtæ, vel hic illi, ſi cætera ſint paria? Reſpondetur, etſi ei, qui eſt purè Canoniſta, & vix aliquid ſcit in ijs, quæ ad doctrinam fidei, & Sacramentorum adminiſtrationem, ac forum conſcientiæ pertinent, præferendus ſit peritus Theologiæ, quia doctrina fidei magìs eſt neceſſaria, cùm ſit fundamentum, cui innititur Eccleſiaſtica gubernatio & diſciplina: abſolutè tamen loquendo, nullus eſt idoneus ad Epiſcopatum, vel ejus adminiſtrationem, niſi præter Theologiam, etiam Juris Canonici ſit peritus, quia tum ad cauſas pertinentes ad forum Eccleſiaſticum externum definiendas, & legitimam adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum; tum etiam ad multas graves quæſtiones ad forum conſcientiæ ſpectantes, quæ juris poſitivi ſunt, expediendas, omnino neceſſaria eſt peritia Juris Canonici, Emmanuel Rodriquez in qq. regular. tom. 1. q. 11. a. 4. Laym. in cit. c. Cùm in cunctis in princip. num 5. & 6. h. t. & ipſa praxis demonſtrat.

LXXI. Quæritur 4. An illegitimè natus ad Epiſcopatum poſſit eligi, vel ſaltem poſtulari? Reſpondetur, non poteſt eligi, etſi poſſit poſtulari, ſi morum probitas & litterarum ſcientia maculam natalium eluerit, & muneri ſit idoneus, prout conſtat ex c. Innotuit 20. h. t. nam vacante Eccleſiâ Vi- » gorienſi, Prior, & Conventus ejuſdem (erat enim Eccleſia Cathedralis regularis, ita, ut Conventus, ſeu Capitulum Canonicorum Regularium jus haberet, vacante Eccleſiâ, eligendi Epiſcopum etiam ſecularem, uti ſumitur ex h. c. Joan. Andr. hîc & Emman. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 1. a. 3.) in Epiſcopum » elegerunt Archidiaconum Eboracenſem, cujus » confirmationem Archiepiſcopus Cantuarienſis, » quia abſens & inſcius electus fuerat, in adventum » ipſius diſtulit: Poſtea verò adveniens Archidiaco- » nus ſponte & ſecretè confeſſus eſt Archiepiſcopo »

(tan-

» (tanquam Judici, non tanquam ſacerdoti, Ho-
» ſtienſ. hîc V. Secretâ) ſe ex legitimo matrimonio
» non eſſe natum: Capitulum verò, præſentato Pa-
» pæ electionis decreto ſubſcriptionibus eligentium
» roborato, illam confirmari petijt: quidam autem
» ex Suffraganeis, ſive Coëpiſcopis ſignificârunt Pa-
» pæ, eum fuiſſe filium cujuſdam militis ex qua-
» dam ingenuâ, ſeu liberâ, ſed non conjugatâ ſuſce-
» ptum, quod ipſe Archidiaconus etiam confeſſus
» eſt. Hac re cognitâ, Innocentius III. Papa re-
» ſpondit: quamvis in Concilio Lateranenſi ſub A-
» lexandro III. relato in c. Cùm in cunctis 7. h. t.
» decretum fuerit, electionem eorum, qui ex legi-
» timo matrimonio geniti non ſunt, nullam eſſe;
» tamen per hanc prohibitionem ſucceſſoribus Pon-
» tificibus non eſt adempta diſpenſandi facultas, cùm
» par in parem imperium non habeat, nec ſucceſſo-
» ribus ſuis pari, vel eâdem poteſtate præditis præ-
» judicium generare poſſit. Equidem multa in hoc
» caſu diſpenſationem faciendam eſſe, ſuadebant, vi-
» delicet litterarum ſcientia, morum honeſtas, virtus
» & bona fama perſonæ electæ à multis approbata:
» accedebant & alia, ut concors Capituli electio,
» Principis aſſenſus, Archiepiſcopi & Suffraganeo-
» rum ejus ſuffragia, & humilis confeſſio electi, qui
» ſponte confeſſus eſt reatum ſuum, id eſt, defectum
» ſive impedimentum. Verùm poſt diligentem rei
» diſcuſſionem, Papa electionem hanc, auctoritate
» prædicti Canonis, caſſatam, irritam & inanem eſ-
» ſe, declaravit, quia Capitulum dictum Archidiaco-
» num, non humiliter poſtulavit, ſed improvidè e-
» legit: ex gratia tamen Capitularibus pœnam de-
» cretam in ſuprà dicto Canone, remiſit, nec etiam
» ad probandam ignorantiam, quam allegabant, co-
» ëgit. Etſi verò Pontifici, poſt electionis caſſatio-
» nem, humiliter fuit ſupplicatum, ut cum Archi-
» diacono illo diſpenſare dignetur, quia tamen ſup-
» plicatio ea nomine Capituli non eſt facta, ſed Ca-
» pitulares, non ad petendam diſpenſationem, ſed
» confirmationem nuncios ad Sedem Apoſtolicam
» miſerunt, ideo ſupplicationem tunc admittendam
» non eſſe duxit, decernens, omnia eſſe irrita, quæ
» Canonici, ante receptionem litterarum Papalium,
» ſuper ordinatione Epiſcopatûs attentârunt. Quòd
» ſi tamen Capitulum Vigorienſe eundem Archidia-
» conum, ob merita illius, exiſtimet eſſe poſtulan-
» dum, poſtulationem eam apud Sedem Apoſtolicam
» præſentare poterit.

LXXII. Notandum hîc 1. Abſens poteſt eligi in Epiſcopum, etſi neſciat, ſe electum, non tamen debet confirmari, niſi priùs conſentiat, prout colligitur ex hoc c. & c. Inter 21. h. t. & quia priùs debet examinari, gloſſ. hîc V. Diſtuliſti, Abb. num. 2.

Notandum 2. Archidiaconus, vel alius Prælatus Epiſcopo inferior, ſive ſecularis, ſive regularis, non prohibetur eligi in Epiſcopum, ratione Prælaturæ ſuæ, nec poſtulari debet, ut colligitur ex hoc c. Abb. hîc n. 3.

Notandum 3. Si cum illegitimè nato diſpenſatum ſit ad dignitatem, vel beneficium etiam curatum, ut in caſu hujus c. cum Archidiacono, qualem diſpenſationem concedere poteſt ſolus Papa, juxta c. 1. de filijs Presbyt. in 6. non tamen ideo cenſetur eſſe etiam cum illo diſpenſatum ad dignitatem majorem, v. g. Epiſcopalem, prout ſumitur ex hoc c. & c. Cùm Vintonienſis 25. h. t. Abb. hîc n. 4. atq. l. relegatorum 7. §. fin. ff. de interdict. & relegat. ubi dicitur, quòd is, qui minoribus honoribus prohibitus eſt, non poſſit aſpirare ad majorem; majoribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur.

Notandum 4. Si Capitulares illegitimè natum, vel aliàs indignum aut inhabilem eligant, electio eſt ipſo jure irrita, ut conſtat ex hoc c. ibi: electionem *denunciamus irritam & inanem*, per quod declaratur c. Cùm in cunctis 7. h. t. ubi etſi id expreſſum non habeatur, tamen colligitur ex §. fin. ibid. ubi, dum dicitur, quòd eligentes indignum pro ea vice ſint privati eligendi poteſtate, conſequenter etiam electio eſt irrita, ideóque ad alios devolvitur.

LXXIII. Notandum 5. Papa vel alius Princeps Supremus non poteſt, ferendo leges, vel ſtatuta obligare ſucceſſorem ſuum, quò minùs illa omnino tollere & revocare, vel in ijs ex juſta cauſa diſpenſare poſſit, ut habetur in h. c. & ſumitur etiam ex c. Significâſti 4. §. aiunt in Concilijs eod. & ex c. ult. de reſcript. in 6. & in l. Ille à quo 13. §. Tempeſtivum ff. ad S.C. Trebellian. dicitur, Prætorem in Prætorem, vel Conſulem in Conſulem nullum imperium habere, ubi gl. V. imperium notat, par in parem imperiũ non habet, nec in majorem. Ex quo infert Abb. hîc n. 5. quòd ſi duo fratres Germani pro indiviſo Domini ſint alicujus civitatis, & caſtri, neutrum in alterum juriſdictionem exercere poſſe. Rationem hujus rei ex Philoſophia reddendam eſſe ait Laym. hîc n. 4. quia ſimile non agit in ſimile, nec debilius ſeu remiſſius in id, quod fortius eſt, vel magìs intenſum. Et hinc, ſi actor & reus pares probationes afferant, neutra habet vim plenæ probationis, ſed tunc locum habet regula, quòd actore non probante, reus abſolvitur. Item ſi duæ contrariæ ſententiæ parem firmitatem habeant, una alteri non præjudicat, ut ex Zaſio notat Laym. c. l.

Notandum 6. Merita perſonæ multùm juvant ad diſpenſationem obtinendam, prout colligitur ex h. c. ita, ut meritorum prærogativa ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſationem obtinendam in impedimento canonico, etiam non concurrente Eccleſiæ neceſſitate, vel evidente utilitate: ſicut etiam concors electio, petitio populi, aſſenſus Principis, & aliorum vota multùm proſunt ad obtinendam proviſionem, vel confirmationem Prælaturæ, Abb. hîc num. 5. & num. 8.

LXXIV. Notandum 7. Si Capitulares illegitimè natum, vel aliàs indignum, ſeu ob alium defectum inhabilem eligant, præſumitur, quòd ſcienter id fecerint, niſi contrarium ab ipſis probetur, prout ſumitur ex hoc c. junctâ gl. V. Ignorantiam: nam licèt regulariter alieni facti ignorantia præſumatur, niſi ſcientia probetur, reg. jur. 47. in 6. hoc tamen non procedit, quando quis ex officio tenetur inquirere de facto alieno, tunc enim præſumitur illius ſcientia, & allegandi ignorantiam incumbit onus probandi: Sic Prælatus ignorans peccata ſubditorum non excuſatur, quia ex officio tenetur inquirere de vita & moribus ſubditorum, c. Quamvis 10. infrà de reg. jur. ubi dicitur, *non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit*, l. Regula

9. §. Sed

9. §. Sed facti ff. de jur. & facti ignor. gl. hîc V. Ignorantiam, & Abb. n. 9. & n. 21. Idémque dicendum de eo, qui indignum, ſeu inhabilem confirmat, inſtituit, vel ei dignitatem aut beneficium confert, præſumitur enim ſcire ejus inhabilitatem, niſi probet ignorantiam, quia tenebatur priùs inquirere de vita & moribus illius, c. Poſtquam 3. c. Nihil 44. h. t. Abb. c. l.

Notandum 8. Si quis illegitimè natus, vel alio defectu laborans, in quo tamen diſpenſari poteſt, eligatur ad Prælaturam, cùm poſtulari deberet, invalida eſt electio, prout ſumitur ex hoc c. ubi declaratur irrita electio illegitimè nati, quia poſtulari debuiſſet, & ideo Papa noluit diſpenſare cum Archidiacono in defectu natalium; eúmque confirmare, quia nulla Canonica electio præceſſit, nec poſtulatio, nam Capitulares illi, quod facere non potuerunt, nec debuerunt, nempe eligere, voluerunt, & re ipsâ attentârunt, ſed illicitè, & ſinè effectu; quod autem facere potuerunt, & debuerunt, nempe poſtulare, noluerunt, Hoſtienſ. hîc V. Poſtulâſſe & V. Elegiſſe t & licèt alij apud Papam ſupplicârint, ut electionem Archidiaconi confirmaret, non tamen id nomine vel mandato Capituli petierunt, ut habetur in textu. Ex quo infert Abb. hîc n. 10. quòd non poſſit quis impetrare diſpenſationem pro alio, ſinè ſpeciali mandato ipſius, etſi poſſit beneficium. Sed hoc falſum eſt, cùm generalis doctrina ſit, omnia beneficia & gratias, adeóque etiam diſpenſationes pro alio habili, etiam abſente & ignorante, abſque ullo ejus mandato, impetrari poſſe à Papa, ut docet gl. in c. Nonnulli 28. §. Sunt & alij V. Sinè ſpeciali mandato, Felin. ibid. n. 45. de reſcript. & dictum ſupra eod. tit. n. 14. Idque colligitur etiam ex dicto c. Innotuit h. 1. quia ſi Capitulum diſpenſationem in natalium defectu à Papa poſtulâſſet, etiam ignorante Archidiacono, vel ſaltem ſinè mandato ipſius, eam miſericorditer conceſſiſſet, ut innuitur in textu, nam ideo Pontifex denegavit diſpenſationem, quia non petita fuit à Capitulo, Barb. hîc n. 16.

LXXV. Notandum 9. Si electio, vel proviſio, ob impedimentum, ſeu defectum canonicum, ſit nulla, tum ſi per diſpenſationem factam ab eo, qui diſpenſandi poteſtatem habet, defectus ſit ſublatus, electio vel collatio convaleſcit, etiam ſinè novo conſenſu eorum, qui elegerunt vel contulerunt, ut tradit Innocent. hîc n. 2. & Abb. n. 11. Rationem dat Laym. ibid. num. 9. quia quando electio, vel collatio eſt nulla, ob impedimentum jure poſitivo introductum, in quo tamen diſpenſari poteſt; tum talis electio, vel collatio aliquo modo ſubſiſtit, nempe fundamentaliter, & ſpectato jure naturali, & ideo ſublato per diſpenſationem tali defectu juris poſitivi, etiam civiliter, ſeu quoad forum externum ſubſiſtit, & convaleſcere poteſt.

Quod tamen limitandum eſt, dummodo talis diſpenſatio & invalidatio actûs non cedat in præjudicium alterius, Abb. c. l. nam ſi v. g. Capitulares indignum vel inhabilem, ob canonicum defectum, ignoranter elegiſſent, tum non poſſet à Superiore ſeu Ordinario defectus ille per diſpenſationem tolli, & & jus electi ſtabiliri, ſinè conſenſu Capitularium, quia id cederet in præjudicium eorum, cùm penes ipſos remanſerit jus aliam electionem faciendi, quo jure non ſunt privati: aliud eſt, ſi ſcienter elegiſſent indignum, tum enim contradicere non poſſent, quia propriũ delictum allegarent, ut colligitur ex c. Nulli 8. h. t. in 6. & c. Diverſis 5. de Cleric. conjug.

LXXVI. Notandum 10. Si electus ob crimen à S. Pontifice depoſitus ſit, & Capitulares ad aliam electionem procedant, aliúmque eligant, ſed Papa diſpenſando priùs electum reſtituat; hoc caſu, diſtinguendum eſt: nam vel Papa primum reſtituit, adjectâ clauſulâ decreti irritantis, *quiquid in contrarium factum fuerit*, tum reſtitutus recuperat Prælaturam, non obſtante alterâ electione interim factâ, quia illa, ob decretum irritans, invalida eſt reddita. Si verò hujuſmodi clauſula irritans non ſit adjecta; tum vel Capitulares elegerunt alium Epiſcopum, antequam primus reſtitueretur à Papa; & valida eſt eorum electio, quia facta eſt, Eccleſiâ vacante, nec poterant ſcire, quòd Papa vellet eum ex plenitudine poteſtatis reſtituere; & reſtitutio in dubio cenſetur fieri ſinè præjudicio juris tertij, c. Quamvìs 8. & ibi gl. V. Cùm talis de reſcript. in 6. Vel Papa priùs reſtituit primum electum, & poſtea Capitulares alium elegerunt, & tunc invalida eſt electio, etſi facta ſit à Capitularibus id ignorantibus, quia facta eſt, Eccleſiâ non vacante, Innocent. in cit. c. Innotuit n. 5. h. t. Joan. Andr. ibid. n. 27. Abb. n. 22. & 23. Imola n. 5. Barb. n. 27.

Notandum 11. Cur in cit. c. Innotuit, Papa Innocent. III. diſpenſare noluerit, cum Archidiacono illegitimè nato, ut ad Epiſcopatum promoveri poſſet, licèt merita perſonæ, & plura alia in textu expreſſa diſpenſationem concedendam eſſe, ſuaderent; cauſa eſt, ne factum Capitularium, qui Archidiaconum illegitimè natum, prætermiſsâ poſtulatione, eligere attentârunt, approbare videretur, ut notat Laym. hîc in fine. Porrò qualis Ordo requiratur in eligendo, vel promovendo ad Epiſcopatum, dicetur infrà tit. 14.

Denique qualis vitæ morúmque honeſtas ac probitas requiratur in eo, qui eligendus eſt Epiſcopus, deſcribit S. Paulus 1. ad Timoth. c. 3. & ad Titum cap. 1.

§. II.

De qualitatibus requiſitis in promovendis ad dignitates Epiſcopatu inferiores, & ad beneficia curata.

LXXVII. Quæritur 1. Quæ ætas requiratur in promovendis ad huiuſmodi dignitates, & beneficia curata, & an in ſacris Ordinibus conſtituti eſſe debeant? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora h. t. ubi ſic ſtatuitur. Inferiora etiam miniſteria (hoc eſt, dignitates & officia infra Epiſcopalem dignitatem, Hoſtienſ. hîc V. inferiora) videlicet Decanatum, Archidiaconatum, & alia beneficia, quæ curam animarum annexam habent, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parochialis Eccleſiæ regimen, niſi xxv. ætatis annum attigerit, & ſcientiâ ac moribus commendatus exiſtat. Debet autem aſſumendus in Archidiaconum, vel »

Deca-

Decanum, & alij, intra tempus à Canonibus definitum, Ordinem ſacrum requiſitum ſuſcipere, (nempe Archidiaconus Diaconatum, Decanus vel alij Presbyteratum) alioquin ſi admoniti Ordinem jute requiſitum non ſuſceperint, removeantur ab officio (ſeu beneficio, Abb. hîc in ſumma, nam beneficium, latè ſumpto boc nnmine, poteſt appellari officium, ut ex Butrio notat Fagnan. in cit. §. Inferiora n. 13.) non obſtante appellatione, & officia aliis conſerantur, qui ea & velint, & poſſint convenienter implere (ſola enim voluntas non ſufficit, ubi opus eſt facto, c. 1. De eo qui mittit. in poſſeſſ. gl. hîc V. velint & poſſint) Idque obſervandum, non tantùm de promovendis, ſed etiam de jam ptomotis, (id eſt, de electis & confirmatis vel inſtitutis, ſed nondum ordinatis, & ſic Conſtitutio hæc extenditur etiam ad præterita, gl. hîe V. promovendis, & V. promoti & Hoſtienſ.) dummodo Canones non obſiſtant eorum ordinationi. Velut ſi promotus ſactus ſit irreguiaris ſinè culpa ſua, ut Ordinem requiſitum non poſſit recipere, tuni enim non debet removeri ab officio & beneficio, etſi Ordinem non poſſit recipere; ſecus ſi ſuâ culpâ ſactus ſit irregularis, gl. hic V. ſi Canones non obſiſtant, & Hoſtienſ.

LXXVIII. Notandum 1. Ad omne beneficium euratum, inſra Epiſcopatum, requiritur ætas xxv. annorum inchoatotum, ut conſtat ex cit. §. Inferiora, ſive ſit beneficium parocbiale, cui annexa eſt cura animarum, ſeu juriſdictio in ſoro iuterno ſeu pœnitentiali, ſive ſit dignitas hàbens curam animarum annexam, ratione juriſdictionis ſpiritualis in foro externn ſeu contentioſo, ideóque etiam beneficium curatum dicitur, ut Decanatus, Archidiaconatus, nt conſtat ex c. Dudnm. 54. §. Tandem Arcbidiaconus, ibi: *evidenter apparet, quòd curam habeat animarum annexam* h.t. nam beneficium curatum, latiùs ſumpto nomine curæ, comprehendit ſub ſe, non tantùm Eccleſias parochiales, ſed etiam dignitates & alia beneficia, quibus cura animarum incumbic propter juriſdictionem ſori contentioſi, qnæ exercetur excommunicando, inrerdicendo, abſolvendo &c. Abb. in cit. c. Dudum. n. 7. & 8.

Notandum 2. Ad dignitatem vel beneficium, cui ſacer Ordo eſt annexus, non eſt neceſſe, ut promovendus Ordinem requiſitum habeat actu, tempore promotionis, ſed ſatis eſt, ſi illum ſuſcipiat inſra tempus à jure præfixum, nt babetur in cit. §. Inferiota, Abb. ibid. not. 4. Quod tamen procedit, ſi Ordo ſacer ſit annexus beneficio ſecundùm aptitudinem, pront regulariter annexio ordinis, beneficio ſacta cenſetur: ſecus eſt, ſi annexus ſit otdo beneficio quoad actum, vi ſtatuti, vel fundationis, tunc enim requiritur, ur promovendus tempore proviſionis actu habeat illum Ordinem, Abb. cit. l. n. 10. In quibus autem caſibus aunexio Ordinis cenſeatur ſacta beneficio ſolùm quoad aptitudinem, vel etiam quoad actum, infrà dicetur tit. 14. ubi ex inſtituto de hoc agendum erit.

Notandum 3. Etſi ad beneficinm ſacerdotale non requiratur ordo in ipſo actu collationis, ut jam dictum, requiritur tamen ætas ad illum Ordinem requiſita rempore collationis, aliàs collatio eſt ipſo jute nulla, nt colligitut ex cit. §. Infetiora, ibi: *niſi qui jam 25. annum ætatis attigerit*, Abb. ibid. n. 1. & conſtat ex c. Si eo tempore 9. de reſctipt. in 6. quod tamen limitandum eſt, ut ſolùm procedat in dignitaribus, & beneficiis curatis, in quibus Jute Canonico per ſe ac directè requiritur ætas xxv. annorum cœptorum, ur in cit. §. Inferiora: at verò in aliis beneficiis etiam ſacerdoralibus, quibus ſacer ordo annexus eſt tantùm ſecundùm aptitndinem, non eſt neceſſe, ut quis tempore promotionis habeat ętatem ad ſacerdotium vel alium Ordinem annexum requiſitum, ſed ſatis eſt, ſi ſir in tali ætate conſtitutus, ut infra annum ad ſacerdotium ptomoveri poſſit, & ſic annum xxiv. inchoârit, iuxta Clement. 2. de ætate & qualit. & ibi gl. V. annexi, & ex infrà dicendis magìs patebit.

Notandum 4. Si obtinens dignitatem, vel alind beneficium cutatum, aut Eccleſiam parochialem, intra tempus à jure ptæfixum, ceſſante legitimo impedimento, non ſuſcepit Ordinem, quem beneficium requirit, non eſt ipſo jure ptivatus beneficio, ſed privari poteſt, ac debet per ſententiam, monitione præmiſſâ, & conſtat ex cit. §. Inſeriora. Innocent. ibid. n. 6. Hoſtienſ. V. admoniti. Joan. Andr. n. 25. Abb. n. 2. Decius n. 4. ubi rationem dat, quia in ſacto negativo, de quó hîe agitur, ad hoc, ut pœna per negligentiam incurratur, neceſſaria eſt monitio. Verùm hoc quoad parocbiales Eccleſias per poſteriores Canones & jura correctnm eſt, ut mox dicetur.

LXXIX. Quæritur 2. Quænam qualitates ſeu conditiones requirantur, ut quis promoveri poſſit ad Eccleſiam parochialem? Reſpondetur, requiritur, ut ſit idonens moribus, ſcientiâ & ætate, & ut, ſi Sacerdos non ſit, ſacerdotium ſuſcipiat intra annum à die promotionis ſuæ numerandum, ut conſtat ex c. Licèt Canon. 14. h. t. in 6. nam quamvìs in Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro III. c. 13. (quod reſertur in c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiota h. t.) inter cætera, ſtatutum ſit, ut nullus regimen Eccleſię parochialis ſuſcipiat, niſi xxv. ætatis annum attigerit, & ſcientiâ, ac moribus commendatus ſit, & quòd, ſi talis intra tempus à Canonibus ptæfixum in Presbyterum ordinatus non ſuerit, ab officio ſive regimine Patochiæ removendus ſit, ídqne alij conferendum. Sed quia bæc Cnnſtitutio à multis negligentiùs fuit obſervata, ideò Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi ſtatuit 1. ur nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus, ſcientiâ & ætate, ita quidem, ut collationes parocbialium Eccleſiarum, ſi quæ deinceps ſactæ fuerinr ijs, qui xxv. annum non attigerint, omnino ſint invalidæ (ipſo jure, gl. hîc V. carere.) 2. Ut in Eccleſia Parocbiali, cuius quis Rector eſt conſtitutus, perſonaliter reſidere teneatur, quò gregis ſibi commiſſi curam diligentiùs gerere poſſir (adeóque non per Vicarium, gl. hîc V. perſonaliter.) 3. Ut intra annum à die ſuæ promotionis numerandum, Sacerdos fieri debeat, (legitimo impedimento ceſſante, gl. hîc V. annum) alioquin ſi intra prædictũ tempus ſacerdotium non ſuſceperit, Eccleſiâ ſibi commiſſâ, nullâ etiam præmiſſâ monitione, auctoritate præſentis conſtitutionis, ſit privatus, ſcilicet ipſo jure, ſeu facto, etſi olim non niſi per ſententiam, gl. hic V. privatus. Supet reſidentia tamen facienda, poterir Ordinarius (nempe Epiſcopus,

» pus, vel alius ſuperior ipſius ſimili juriſdictione » præditus, gl. hîc V. ordinarius) ad tempus diſpen- » ſare, prout cauſa rationabilis id poſtulaverit. Con- » ſentire. Extirpandæ 30. §. Qui verò de præbend. & » Concil. Trid. Seſs. 24. c. 12. de reform.

LXXX. Notandum 1. Si quis Parochialem Eccleſiam ſit aſſecutus, ante cœptum annum XXV. ætatis, irrita eſt collatio, utì habetur in hoc c. nam ad curam animarum requiritur ætas matura, cùm ſit ars artium, c. Cùm ſit 14. de ætate & qualitate &c. neque in hoc diſpenſare poteſt Epiſcopus, eùm ex Generalis Concilij Lateranenſis Conſtitutione, talis ætas exigatur, ſed ſolus Papa, gl. communiter recepta in cit. c. Licèt. V. carere, & in c. unic. V. permittimus, de ætate & qualit. in 6. Quòd ſi tamen alicui dignitati, quæ per ſe curata non eſt, v.g. Præpoſituræ vel Canonicatui perpetuò unita ſit, ſeu incorporata Eccleſia aliqua Parochialis ſeu Curata, non æquè principaliter, ſed acceſſoriè ſolùm; tunc ſufficit, quòd proviſus ſit in ætare requiſita ad dignitatem, vel Canonicatum, cui Eccleſia parochialis eſt annexa, v. g. ſi Prępoſituræ ſit annexa, conferri poteſt ei, qui XXII. annos complevit, quia tum beneficium parochiale velut acceſſorium aſſumit naturam & qualitates ſeu conditiones beneficij principalis, cui adjungitur, iuxta declarationem S. Congregat. Concilij apud Piaſetium in praxi Epiſcopali p. 2. c. 5. a. 3. n. 17. modò principalis Rector per ſeipſum actu non exerceat curam animarum Dignitati vel Canonicatui eius annexam, ſed per Vicarium ſufficientis ætatis, Barboſ. de officio Epiſc. p. 2. alleg. 60. n. 71. Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 2. c. 9. n. 2. coroll. 2.

Notandum 2. In Parochis requiritur etiam competens ſcientia eorum, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & populum docendum ſunt neceſſaria, & alia rite obeunda, quæ ad officium ipſorum ſpectant, Piaſec. c. l. n. 11. & Concil. Trident. ſeſſ. 5. c. 2. de reform. præcipit, ut Parochi doceant, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem.

Notandum 3. Promotus ad Eccleſiam parochíalem, ſi legitimo impedimento ceſſante, intra annum Sacerdos factus nõ fuerit, ipſo jure, nullâ etiam præmiſsâ monitione, privatus eſt, cit. c. Licèt: quam pœnam juris etiam incurrit, qui per fraudem, inhabilem ſe facit ad Ordines intra annum ſuſcipiendos, eùm fraus ſua nemini patrocinari debeat. Quin & is, qui ſcienter, & per culpam latam ſeu craſſam retinuit impedimentum ſuſcipiendi intra annum Ordinem requiſitum ad beneficium curatum, in pœnam privari poterit, dummodo tanta ſit culpa commiſſa, ut ob illam meritò pœna privationis infligi poſſit, Laym. in c. Præterea. 5. de ætat. & qualit. &c.

Notandum 4. Tempus, in quo Epiſcopus diſpenſare poteſt ſuper reſidentia cum eo, qui aſſecutus eſt parochiam, cùm jure communi non ſit definitum, arbitrio boni viri ſeu judicis relinquendum eſt, ut ipſe determinet tempus longius vel brevius, prout neceſſitas, vel cauſa rationabilis exigit, Laym. hîc n. 2. quamvìs novo jure Concilij Tridentini ſeſſ. 7. c. 12. de reform. tempus hoc ſit definitum, ut ſit annus, præterquam in caſibus jure expreſſis, in quibus longius conceditur, ut in c. Cùm ex eo 34. h. t. in 6. gl. margin. in cit. c. 12.

LXXXI. Notandum 5. Quod in cit. c. Licèt dicitur, promotum ad Parochiam, ſi intra annum, poſt obtentam pacificam illiùs poſſeſſionem, ſacerdotium non ſuſcepit, juſto impedimento ceſſante, ipſo facto illâ privatum eſſe, id limitari debet, ut non procedat in Eccleſia Parochiali, quæ actu Parochianos non habet, ſed ſolùm habitu & poteſtate, eò quòd omnes ob peſtem vel bellum aliò migrârunt, vel etiam mortui ſunt; nam cùm talis non habeat actu gregem ſive populum, quem paſcat, ceſſat ratio, ob quam ſtatutum eſt, ut Parochus intra annum Sacerdos fiat: niſi poſtea populus redierit; tunc enim intra annum ab eo tempore computandum, quo Eccleſia cœpit Parochianos iterum habere, ſacerdotiũ ſuſcipere debet is, qui ei præeſt, ſicut ſi de novo erigeretur aliqua Eccleſia parochialis, locum haberet hæc Conſtitutio, gl. in cit. c. Licet. V. parochialis Eccleſia in fine, & ibid. Joan. Monach. n. 2. & 3. Azor p. 2. l. 6. c. 8. q. 9.

LXXXII. Deinde limitatur, ut non habeat locum in ea parochiali Eccleſia, quæ ſimul eſt Collegiata, ita, ut unus idémque ſit ſimul Præpoſitus illius Collegiatæ Eccleſiæ, & Parochus, ſeu Rector plebis, ut conſtat ex c. Statutum. 22. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. Conſtitutionem Lugdunenſis Concilij in cit. » c. Licèt, vi cuius promotus ad Eccleſiam parochia- » lem, ſi intra annum, poſt obtentam poſſeſſionem » illius, Sacerdos nõ fuerit ordinatus, quamvìs nul- » lâ præcedente monitione, & abſque alia ſententia, » ipſo facto ſit privatus jure, quod ad illã Eccleſiam » habebat, reſtringit, & declarat, dictam Conſtitu- » tionem ad Eccleſias Collegiatas (ſeculares; nam ſe- » cus eſt hodie in regularibus, gl. hîc v. Eccleſias, ut » poſtea dicetur) etiamſi aliàs Parochiales non fue- » rint, & aſſumptos ad earum regimen non extendi, » ſed antiqua jura in eiſdem ſervari debere, videlicet » ut præmiſsâ monitione de ſacerdotio ſuſcipiendo intra annum, ſi anno elapſo promotus non pareat, poſſit Superior eum privare Eccleſiâ, iuxta c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora h. t. gl. hîc in caſu, & gl. fin. Ratio aſſignatur in textu, quia ſtatutum pœnale potiùs reſtringi debet, quàm laxari, ac proinde nomine Eccleſiæ parochialis, in illa pœnali Conſtitutione, non cenſetur comprehenſa ea parochialis, quæ ſimul eſt Collegiata, propter ſpecialem ejus qualitatem, per quam tranſit ad aliam ſpeciem, & mixtum non continetur appellatione ſimplicis, ſaltem in materia pœnali & odioſa, Rebuff. in praxi benefic. tit. de non promotis intra annum num. 27. Barb. de officio Parochi c. 5. n. 25. & ſeqq.

Non obſtat, quòd ſi alicujus Eccleſiæ Præpoſitus ſit etiam ibi Canonicus vel Capellanus, ſtatuta pœnalia & oneroſa, quæ de Canonicis & Capellanis lata ſunt, etiam Præpoſitum comprehendant, cùm & ipſe Canonicus vel Capellanus ſit: ſicut etiam, ſi alicui Rectori Eccleſiæ Collegiatæ, cum Papæ diſpenſatione, Parochia conferatur, debet is intra annum ſuſcipere Sacerdotium, ergo etiam, ſi quis ſimul ſit Rector Eccleſiæ Collegiatæ, & Rector parochialis. Sed reſpondetur, diſparitatem eſſe, quia Præpoſitura & Canonicatus, ſeu Capellania tunc diverſa beneficia cenſentur, ſicut etiam Eccleſia Collegiata & Parochialis de novo & ſeorſim alicui collata. Secus

verò

verò eſt, quando quis hoc ipſo, quòd ſit Rector Eccleſiæ Collegiatæ, ſimul etiam eſt parochus ejuſdem, quia nimirum Parochialis Eccleſia eſt elevata ad Collegiatam, ita, ut, quæ priùs regebatur ab uno Parocho habente Cooperatores, jam regatur ab uno Rectore, ſeu Præpoſito, qui ſub ſe habet Collegium Canonicorum: vel quia Eccleſia Parochialis alteri Collegiatæ Eccleſiæ perpetuò & acceſſoriè unita, ſeu incorporata eſt: tunc enim attẽdendum eſt ad naturam Eccleſiæ Collegiatæ veluti majoris & principalioris, & ſecundùm illam regulari debet Parochialis, quæ velut acceſſoria ſequitur naturam, & conditiones Eccleſiæ Principalis, Laym. in cit. c. Statutum h. t. in 6. Cùm ergo ob non ſuſceptum Sacerdotium, intra annum à Rectore Eccleſiæ Collegiatæ, non incurratur privatio ipſo jure, quia Conſtitutio illa pœnalis non loquitur de Eccleſijs Collegiatis, ſed ſolùm de merè Parochialibus, quæ reguntur à proprio Rectore, ſeu Paſtore, neque ratione Eccleſiæ parochialis alteri Eccleſiæ Collegiatæ acceſſoriè ſunt annexæ, ea pœna privationis incurretur, quippe quæ per talem elevationem, vel unionem veluti amittit naturam propriam, & quodammmodo extinguitur, Barboſ. in cit. c. Statutum n. 4. Ex quo ulteriùs ſequitur, quòd ſi Eccleſia Collegiata acceſſoriè uniretur Eccleſiæ Parochiali, vel duæ Eccleſiæ, una Collegiata, altera parochialis, unirentur æquè principaliter, tum in priore caſu haberet locum pœna privationis ſtatuta in Concilio Lugdunenſi, & in poſteriore etiam quoad Eccleſiam parochialem, ut notat Franc. in cit. c. Statutum n. 2.

Porrò illud ſpecialiter ſtatutum eſt in Clement. 1. §. Cæterùm de ſtatu Monach. quòd Conventualis ſeu Regularis Eccleſiæ Rector, v. g. Prior Conventualis ipſo jure Prioratu ſit privatus, niſi intra annum à die promotionis, ac poſſeſſionis acceptæ, ceſſante rationabili causâ, ſeu impedimento, Sacerdos fiat.

LXXXIII. Cæterùm prædicta Conſtitutio Concilij Lugdunenſis in cit. c. Licèt, magìs declaratur in c. Commiſſa 35. h. t. in 6. ubi Papa Bonifac. » VIII. ſic reſcribit; ſi alicui collata ſit Eccleſia Pa- » rochialis (non Collegiata, gl. ibid. V. Parochialis, » de quo infrà) quamvìs tantum de anno tranſive- » rit, ut proviſus nequeat ampliùs, juxta ſtatutum » generalis Concilij Lugdunenſis, promoveri ad Sa- » cerdotium, non debet cenſeri vacare, niſi poſtquã » totus annus elapſus fuerit, non poteſt antea alteri, » nolente proviſo, conferri. Annus autem talis, » qui non incipit computari, niſi à tempore illo, » quo alicui Eccleſia parochialis collata fuit, & paci- » ficam ejus poſſeſſionem obtinuit, vel per eum ſte- » tit, quò minùs eandem conſequeretur, non currit, » nec numeratur, ſi proviſus, ob juſtum impedi- » mentum, intra illum annum, Sacerdotium ſuſci- » pere non potuit. Quòd ſi verò, ceſſante rationa- » bili causâ, intra annum, Sacerdotio non eſt ini- » tiatus, tunc, cùm dictæ Conſtitutionis auctoritate, » Eccleſiâ ipsâ jam ſit privatus, non poterit eâ vice (id » eſt, in illa vacatione, gl. hîc V. Eâ vice) iterum ipſi » conferri; ídque ne ſtatutum fiat ludibrio, debitó- » que fruſtretur effectu, & non rebus, ſed verbis lex » impoſita videatur (nam ſicut, primo anno finito, » poſſet iterum conferri; item eâdem ratione, finito ſecundo & tertio, & ſic de reliquis, gl. hîc V. Iterato.) Cæterùm ſi quis parochiam recepit, ſinè in- » tentione Sacerdotium intra annum ſuſcipiendi, ſed » animo fructus interea ex ea percipiendi, eandem » poſtea dimiſſurus, is, niſi, voluntate mutatâ, pro- » motus fuerit ad Sacerdotium intra annum, tenebi- » tur ad reſtitutionem fructuum perceptorum, cùm » eos fraudulenter perceperit, cit. c. Comiſſa, §. Cæ- » terùm. Denique ille, qui Eccleſiam parochialem » alicui contulit, quem non credebat Sacerdotium » intra annum ſuſcepturum, præter divinam offen- » ſam, quam incurrit, etiam obligatur erga Ec- » cleſiam, ut eam ſervet indemnem, ſi nimirum re » ipſâ ad Sacerdotium promotus intra annum non » fuit, cit. c. Commiſſa. §. fin. & ibi gloſſ. V. Promovendum.

LXXXIV. Pro explicatione hujus c. Notandum 1. Etſi quis ad Parochiam promotus per negligentiam diſtulit Sacerdotium ſuſcipere, ut appareat, intra illum annum non iri promotum ad Sacerdotium, non tamen priùs privatus eſt, quàm annus integer elapſus fuerit, cit. c. Commiſſa, in princ. quia quando pœna per legem imponitur, niſi intra certum tempus aliquid factum fuerit, ea non incurritur, antequam tempus illud integrè elapſum ſit, gl. hîc V. Elapſus, junctâ gl. marg. ſicut etiam, etſi certum ſit, conditionem extituram, expectari debet, donec exiſtat; l. Hujuſmodi legatum 13. ff. quando dies legat. ced. Rationem dat gl. ibid. in addition. quia ordinandus poſſet ultima die anni obtinere diſpenſationem Papæ: nec poteſt, ante annum totum elapſum, parochia conferri alteri, ſinè conſenſu proviſi, quia non conferuntur beneficia, antequam vacant, cap. 1. & 2. de conceſſ. præbend. gloſſ. hîc V. Te nolente.

Notandum 2. Hoc tempus anni non currit ei, qui legitimè impeditus eſt, intra illum, Sacerdotium conſequi, ut quia toto illo anno ægrotavit, vel Epiſcopum habere non potuit, qui illum ordinare vellet, vel litteras dimiſſorias concederet, cit. c. Commiſſa. §. Annus, & ibi gl. V. Juſto impedimento. Ratio eſt, quia tempus jure præfixum non currit legitimè impedito, ſi agatur de pœna, vel quaſi pœnâ incurrendâ, c. Quia diverſitatem 5. de conceſſ. præb. c. quàm ſit 6. in fine h. t. in 6. Et hinc, licèt, elapſo anno, ſtatim poſſit parochia alteri conferri, conſultum tamen eſt, ut is, qui ultra annum diſtulit Sacerdotium ſuſcipere, priùs vocetur, & audiatur, alioquin enim, ſi juſtum impedimentum probare poſſit, collatio parochiæ alteri facta ab ipſo reſcindi poterit, gloſſ. hîc V. Juſtum impedimentum. Sed neque hic annus currit illi, qui necdum pacificam poſſeſſionem parochiæ obtinuit, cit. §. Annus; imò nec illi, cui ſtatim, poſt adeptam poſſeſſionem, lis movetur; ſecus, ſi, poſtquam aliquamdiu, videlicet uno vel altero menſe, parochiam pacificè poſſedit ſinè litigio, gl. hîc V. Pacificam, junctâ gl. marg. ſufficit autem habere pacificam poſſeſſionem beneficij, ſeu tituli, & liberum Parochialis Eccleſiæ exercitium, ad hoc, ut proviſus intra annum ſuſcipere teneatur Sacerdotium, & currat tempus, etiamſi ex parochia modicos, aut nullos fructus percipiat; ídque ne animæ neceſſariâ curâ careant, nam cura eſt pars principalior & dignior, & ſibi imputare debet

proviſus, quòd tale beneficium acceperit, gloſſ. hîc V. Pacificam, & gloſſ. fin. in c. Si filia 26. junctâ gloſſ. marg. de præbend. in 6. Franc. ibidem num. 5.

LXXXV. Notandum 3. Si quis parochiam accepit, animo non ſuſcipiendi Sacerdotium, intra annum à jure præſcriptum, ſed fructus interea percipiendi, eandem poſtea dimittere volens, is ad reſtituendos fructus perceptos obligatur, niſi fraudulentam voluntatem mutâtit, & intra annum Sacerdos factus fuerit, cit. c. Commiſſa. §. Cæterùm. Ratio eſt, quia Eccleſiæ mos non eſt, conferre beneficium curatum, niſi ei, qui habet, vel intra breve tempus à jure deſignatum habiturus eſt qualitates requiſitas, ut in beneficio deſervire poſſit, idcóque ſub eo onere & pacto tacitè annexo illud confert, ut ſe intra illud tempus habilem reddat, alioquin fructus interea perceptos reſtituere debeat. Quòd ſi recipiens Parochiam ab initio non intendebat ſuſcipere Sacerdotium, ſed poſtea, mutatâ voluntate, intra annum ſuſcepit, vel diſpenſationem impetravit, is retinere poteſt omnes fructus, non tantùm poſt mutatam voluntatem, ſed etiam ante illam perceptos, gloſſ. hîc V. Mutata, ubi ait, quòd exitus ſpectatur, cùm vitium conſiſtit in animo, aliàs ſpectatur initium. Leſſ. lib. 2. de juſtit. cap. 34. num. 133. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 45. n. 7. Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 2. c. 14. n. 10. Ratio eſt, partim quia collatio beneficij ab initio fuit valida, quamvìs ſub modo & obligatione facta ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum, ergo ſi modus, ſeu conditio illa poſtea fuit impleta, collatio manet valida, neque reſcinditur: partim quia fraus illa, ob propoſitum non ſuſcipiendi Sacerdotium, non eſt ſortita effectum, nec damnum Eccleſiæ eſt illatum, ſi poſtea, mutato propoſito, Sacerdotium intra annum ſuſcepit, adeóque tunc purgata eſt fraus, & conſequenter etiam ceſſat diſpoſitio pœnalis obligans ad reſtituendos fructus perceptos, quæ fundatur in illa fraude, ut colligitur ex cit. c. Commiſſa, ibi: *Cum eos receperis fraudulenter.*

Sed & is, qui ab initio Parochiam accepit, cum debita intentione ſuſcipiendi Sacerdotium, intra annum, & poſtea, mutatâ voluntate, non ſuſcepit, non tenetur ad reſtitutionem fructuum perceptorum, ante voluntatem mutatam, gl. in cit. c. V. Non intendens, ubi gl. marg. ex Ancharano addit, quòd præſumitur talem mentem habuiſſe à principio: imò etiam, neque poſt voluntatem mutatam, tenetur ad reſtitutionem, dummodo per idoneum Vicarium muneri ſuo ſatisfecerit, Leſſ. c. l. num. 134. & ſeq. Sanch. c. l. n. 11. Laym. c. l. §. Alterum. Ratio eſt, quia iſte accepit Parochiam, cum debita intentione, ergo Conſtitutio, ſive lex obligans ad reſtitutionem fructuum, quippe odioſa, & pœnalis, ad caſum diverſum & non expreſſum extendi non debet; præſertim cùm non ſit eadem ratio in utroque caſu; nam qui Parochiam accepit ab initio, ſinè intentione ſuſcipiendi Sacerdotium, ille fraudulenter accepit, adeóque magìs deliquit, quàm qui bonâ intentione accepit Parochiam, ſed poſtea eam mutavit. Quare talis non tenetur ad fructus ullos reſtituendos, neque jure poſitivo, cùm iſte caſus in eo non ſit expreſſus; neque jure naturæ, cùm muneri ſuo per Vicarium ſatisfecerit. Veruntamen, ſi finito anno Sacerdotium non ſuſcepit, ſtatim ipſo jure amitit Parochiam, & deinceps fructus ſuos non facit, Leſſ. c. l. n. 135. Aliud verò dicendum de eo, qui Parochiam animo dubio accipit, num intra annum Sacerdotium ſuſcipere velit, nécne, & poſtea non ſuſcipit, is enim tenetur fructus reſtituere, quia talis non habet conditionem requiſitam à Canone, nempe ut proviſus habeat intentionem ſuſcipiendi intra annum Sacerdotium, Sanch. c. l. n. 10. Laym. c. l. §. Quæres contra Garciam: qui enim dubius eſt, non habet veram intentionem ſuſcipiendi Sacerdotium, ac proinde, niſi hunc animum mutet, tenetur poſtea fructus perceptos reſtituere, deductis tamen ijs, qui Vicario adminiſtranti Parochiam ſunt dati. Secus eſt de eo, qui ab initio habuit intentionem ſuſcipiendi Sacerdotium, ſed conditiunatam, niſi poſtea cauſa juſta mutandi voluntatẽ ſuperveniat, quia Eccleſia talem voluntatem renunciandi beneficio & ſtatui Clericali non damnat, neque talis animo doloſo beneficium recipit, ut tradunt DD. citt.

Porrò qui Parochiam alicui confert ſciens, quòd non habeat intentionem Sacerdotium intra annum ſuſcipiendi, is non tantùm peccat, ſed etiam obligatur ad ſervandam Eccleſiam indemnem, cit. c. Commiſſa §. ult. Id autem intelligi debet in defectum Parochi fraudulenti, ut, ſi is non reſtituat fructus, in quantum Eccleſia læſa eſt, promovens ad id teneatur, cùm particeps ſit commiſſæ fraudis, gloſſ. fin. ibidem.

LXXXVI. Quæritur 3. Quis, & ob quam cauſam diſpenſare poſſit cum habentibus Eccleſias Parochiales, ut etiam poſt annum elapſum, non teneantur ſuſcipere Sacerdotium? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Cùm ex eo. 34. h. t. in 6. ubi refertur, quòd Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi (prout »
habetur in c. Licet Canon. 14. h. t. in 6.) ſtatuit, ut »
ad regimen Eccleſiarum Parochialium aſſumpti, »
intra annum à tempore ſibi commiſſi regiminis (id »
eſt, à die adeptę poſſeſſionis, vel, ſi per eos ſtetit, quò »
minùs poſſeſſionem obtinerent, gl. hîc v. tempore) »
numerandum, ſacerdotium ſuſcipere, & perſonali- »
ter in eis reſidere teneantur, alioquin, ſi intra id »
tempus ordinati non fuerint (juſto impedimen- »
to ceſſante) huiuſmodi Eccleſiis, abſque alia moni- »
tione, ſint privati. Verùm, quia ob hanc Conſti- »
tutionem nonnulli Parochiales Eccleſias accepta- »
re recuſârunt (quia nolebant ſtatim Sacerdotes fie- »
ri) & cùm multi Clerici eſſent, qui nec patrimoniũ »
habebant, nec alia beneficia obtinere poterant ad »
ſtudendum, & docendum in ſcholis, quod in ma- »
gnum Univerſalis Eccleſiæ damnum cedere videba- »
tur, quippe quæ ad inſtructionem & regimen fide- »
lium, viris litteratis maximè indiget: idcirco Bo- »
nifac. VIII. volens juvare eos, qui in ſcientiis profi- »
cere cupiunt, præſenti Conſtitutione conceſſit, ut »
Epiſcopi, iiſque Superiores, cum his, qui Eccleſias »
Parochiales obtinent, liberè diſpenſare poſſint, ut »
ad ſeptennium, causâ ſtudij litterarum, ſacerdotiũ »
ſuſcipere non teneantur. Debent tamen, intra an- »
num à tempore obtentæ Parochiæ numerandum, »
Ordinem Subdiaconatûs ſuſcipere, ne à ſtatu Cle- »
ricali recedere poſſint, alioquin ipſo jure privati »
ſiot, ſi culpâ ſuâ id neglexerint. Porrò durante »
prædicto ſeptennio, ijdem Epiſcopi & Superiores »
pro-

» providere debent, ut per bonos, & ad hoc munus » ſufficientes Vicarios ab eis in huiuſmodi Eccleſiis » deputandos, animarum cura exerceatur, & in divi- » nis deſerviatur, aſſignatâ ipſis ex Eccleſiarum pro- » ventibus neceſſariâ & congruâ ſuſtentatione. De- » nique poſt elapſum ſeptennium, debent Parochi, » quibuſcum diſpenſatum fuit ſuper ſacris Ordini- » bus non ſuſcipiendis, excepto Subdiaconatu, ad » Diaconatûs & Presbyteratûs Ordines intra annum » ſequentem promoveri, alioquin ex tunc (id eſt e- » lapſo anno à fine ſeptennij, gl. hîc V. ex tunc) pœ- » nam privationis ipſo jure incurrent, niſi ex juſta » cauſa id omiſerint.

LXXXVII. Notandum 1. Hæc poteſtas di- ſpenſandi competit Epiſcopis, non autem Prælatis inferioribus, & quidem etiam ſinè Capitulo, de quo hic nulla fit mentio, ſaltem ex conſuetudine præſcri- pta, gl. hîc V. Epiſcopi. Debet autem Epiſcopus, cui Eccleſia Parochialis eſt ſubiecta, diſpenſare. Quare ſi Clericus Auguſtanus habeat Parochiam Conſtan- tiæ, Epiſcopus Conſtantienſis diſpenſare debet, gl. hîc V. ſubjectus.

Notandum 2. Tempus ſeptennij ita præfixum eſt, ut non poſſit ultra prorogari, non autem, quòd per Epiſcopos non poſſit brevius aſſignari, ſi ita eis viſum fuerit expedire, gl. hîc V. ſeptennium & ibid. Joan. Monach. n. t. Neque tamen poteſt Epiſcopus, qui diſpenſavit ad ſeptennium, ante illud tempus fi- nitum, diſpenſationem revocare, niſi ex evidente cauſa, gl. cit. ut ſi ceſſaret cauſa, ob quam diſpenſa- tum fuit, alioquin nec ſucceſſor Epiſcopi revocare poteſt, Joan. Andr. hîc & Franc. n. 4. Poteſt autem diſpenſari cum huiuſmodi Parochis ad ſeptennium, ob cauſam ſtudij litterarum, in quavis facultate, ſive in Theologia; ſive in Jure Canonico, ſive etiam in Grammatica, quia Canon generaliter & indiſtinctè loquitur, modò Epiſcopi caveant, ne diſpenſent cum illis, qui dociles ſive ad ſtudia idonei non ſunt, cùm in illis ceſſet cauſa huius Conſtitutionis, gl. hîc V. litterarum & Joan. Monach. ibid. Porrò hodie, poſt Concilium Trident. ex declaratione Cardinalium Concilij apud Barboſ. de offic. Parochi c. 4. n. 22. ta- les licentiæ non ſuſcipiendi ſacerdotium ad ſeptEn- nium, ſtudiorum causâ, Parochis concedi non ſo- lent.

§. III.

Quænam qualitates ſive conditiones requirantur, ut alicui commen- dari poſſit Eccleſia Paro- chialis?

LXXXVIII. De hoc agitur in c. Nemo 15. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in Concilio generali Lugdu- » nenſi Can. 14. ſtatuit, ut nemo deinceps Parochia- » lem Eccleſiam alicui non conſtituto in legitima » ætate (videlicet qui non attigerit ſeu ingreſſus ſit » annum XXV. iuxta c. Licèt 14. h. t. in 6. gl. hîc V. æ- » tate) & Sacerdotio, commendare præſumat: nec ta- » li (ſcilicet conſtituto in legitima ætate & ſacerdo- » tio) niſi unam, idque, ſi evidens neceſſitas vel uti- litas Eccleſiæ exigat. Huiuſmodi autem Commen- » da rite facta, non ultra ſemeſtris temporis ſpa- » tium durare debet. Addit denique idem Pontifex, » quidquid ſecus actum fuerit in Commendis Ec- » cleſiarum Parochialium, ipſo jure irritum eſſe. »

LXXXIX. Pro intellectu huius c. Notandum 1. Beneficium commendatum dicitur, quod alicui, non in titulum, ut tanquam ſuum illud obtineat, ac poſſideat, ſed in commendam datur, hoc eſt, in cuſto- diam, & adminiſtrationem, commendare enim nihil aliud eſt, quàm deponere, l. 186. ff. de V. S. Eſt autem duplex commenda, una perpetua, altera temporalis. Perpetua eſt, cùm Eccleſia vel beneficium alicui cō- mittitur in perpetuum, ut illud regat, & adminiſtret, dum vivit, eaque conſtituitur in utilitatem perſonæ, cuius curæ, & adminiſtrationi beneficium committi- tur, ideóque æquiparatur beneficio, cùm habeat vim & effectum tituli, Garc. p. 4. de benefic. c. 4. n. 43. Et hæc commenda perpetua, præter Canones, uſu & conſuetudine eſt in Eccleſiam inducta, nam Jure cō- muni Canonico eſt incognita, Azor p. 2. Inſtit. l. 6. e. 31. q. 2. Commenda verò temporalis eſt, cùm alicui beneficium committitur ad certum tempus, ut inter- rim à Commendatario adminiſtretur, donec perſona idonea inſtituatur, eáque regulariter fit in utilitatem Eccleſiæ, Azor c. l. q. 1. Barb. l. 3. Juris Eccleſiaſt. c. 9. n. 1. & 2.

Notandum 2. Commendatarius perpetuus in Eccleſia ſuæ curæ commiſſa cenſetur titularis, ideó- que idem jus habet in Eccleſia vel beneficio, quod ipſe Rector, aut Beneficiarius: quare, ſicut hic facit fructus ſuos, & de illis liberè poteſt diſponere; ſic & Commendatarius perpetuus facit fructus ſuos, & li- beram habet poteſtatem adminiſtrandi in ſpirituali- bus & temporalibus, Azor p. 2. l. 6. c. 10. q. 11. 5. Exi- ſtimo itaque, Garcias cit. c. 4. n. 20. & 48. Barboſ. cit. c. 9. n. 22. Et hinc Commendatarius perpetuus poteſt eligere, conferre, vel inſtituere, aut præſentare, ſi tale jus ipſi Beneficiario ſeu Rectori Eccleſiæ vel benefi- cij competat; item commutare cum beneficio alio in titulum dato, reſignare in favorem alterius coram Papa, quia huiuſmodi jura in fructibus beneficij cō- putantur. Sed & locare poteſt poſſeſſiones, ſeu bona & fructus beneficij, eóſque etiam vendere, quia libe- ram habet adminiſtrationem, Rebuff. in praxi bene- fic. tit. de commenda. n. 60. & ſeqq. Azor cit. c. 31. q. 8. & 9. Barb. c. l. n. 40. & ſeqq.

Notandum 3. Licèt gl. hîc V. commendare, & & ibi Francus n. 5. & alij apud illos teneant, quòd Commendatarius temporalis nō faciat fructus ſuos, quia ſolùm cuſtos eſt, & procurator, nec habet jus in Eccleſia aut beneficio, cùm nō ſit Prælatꝰ aut Rector, ſed tantùm Adminiſtrator, neq; jus habet percipiendi fructus, ſed duntaxat jus eos colligendi, & providen- di ſibi & miniſtris de neceſſariis alimentis; quod au- tem ſupereſt, in utilitatem Eccleſiæ convertendum eſt: de facto tamen id non ſervari, ſed contrarium teſtatur eadem gloſſa; quamvis enim is, cui Eccleſia vel beneficium ad tempus commendatum eſt, titu- lum beneficij non habeat, plus tamen juris obtinet, quàm merus adminiſtrator, aut cuſtos; nam ſaltem ſpectatâ conſuetudine, poteſt Comendatarius, etiam temporalis, interim fructus beneficij percipere, & juribus beneficio annexis uti, cùm & labores Paro-

chiales ſuſtinere debeat, ſi parochiæ cura ei commẽdata ſit, Joan. Monach. hîc n. 3. & Laym. ibid. n. 1.

Notandum 4. Sicut Parochialis Eccleſia non poteſt alicui dari in titulum, niſi xxv. ætatis annum attigerit, c. Licèt. 14. h. t. in 6. ita neque commenda etiam tempotalis, ut conſtat ex boc c. At verò etſi poſſit Eccleſia Parochialis dari in titulum etiam non Sacerdoti, cit. c. Licèt: non tamen poreſt commendari ſive dari in commendam temporalem, niſi ei, qui actu eſt Sacerdos, ut poſſit interim, dum idoneus Rector inſtituatur, in Sacerdotali Ordine & officio Eccleſiæ deſervire, gl. hîc V. Sacerdotio, ubi ait, id eſſe de novo hîc ſtatutum.

X C. Notandum 5. Sicut probibitum eſt, duo beneficia curata, aut parocbias ſimul habere in titulum, abſque diſpenſatione Papæ: ita nec duas in cõmendam perpetuam: imò nec duo beneficia curata, unum in titulum, alterum in commendam perpetuã, ſimul obtinete quis poteſt, ſinè diſpenſatione S. Pontificis, alioquin in fraudem legis id fieret, cùm perpetua commenda titulo beneficij æquivaleat, Laym. in c. Avaritiæ. 5. n. 1. h. t. in 6. nibil tamen obſtat, quò minùs allquis unam Eccleſiam curatam in titulum, alteram in commendam temporalem ſimul obtinere poſſit, luxta c. Dudum. 54. ibi: *vel unam intitulatam, & alteram commendatam haberet* b. t. cui antiquo juri ſtandum eſt, cùm non ſit revocatum, ut notat gl. hîc V. unam. requiritur tamen neceſſitas vel utilitas evidens Eccleſiæ, quia, cùm quælibet Eccleſia debeat habere proprium Prælatum, aut Rectorem, c. Cùm non ignores. 15. de præbend. ideo non conceditur alicui altera etiam in commendam temporalem, niſi per diſpenſationem & relaxationem Juris communis, quæ fieri non poteſt, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis ipſius Eccleſiæ, quatum uttaque vel alterutra ſemper attendenda eſt in diſpenſatione rerum Eccleſiaſticarum, arg. c. Sinè 52. cauſ. 12. q. 2. c. Expoſuiſti. 33. juncta gl. V. neceſſitas vel utilitas de præbend. gl. hîc V. de neceſſitate in addit. & V. utilitate.

Notandum 6. Nullus Ordinarius inferior Papâ poteſt commendare in perpetuum, ſive ad vitam Commendatarij, & in utilitatem eiuſdem, beneficia curata, aut Parochias, ſed ſolus Papa, Azot cit. c. 31. q. 15. Garc. cit. c. 4. n. 13. & 20. Barb. de offic. Epiſc. allegat. 59. n. 6. & alij communiter. Poteſt tamen Epiſcopus alicui dare in commendam Eccleſiam Parochialem, ad certum tempus, ſed otdinariè non ultra ſex menſes, prout habetut in boc c. Et quamvìs Epiſcopus ordinariè non poſſit hoc tempus ſemeſtre prorogare, Eccleſiam parochialem, poſt ſex menſes elapſos, iterum commendando ad alios ſex menſes, ſive eidem, ſive alteri; nam boc fieret in fraudem legis, & contra mentem huius Conſtitutionis, ſic enim poſſet perpetuò commendari, ſive ad vitam alicuius, gl. bîc V. durare: poſſet tamen boc tempus prorogari, ſi neceſſitas Eccleſiæ id poſtulet, ut quia intra ſex menſes idoneus Paſtor ſeu Rector baberi non poteſt, aut quia Paſtor ordinarius longiore tempore abeſſe debet; tunc enim Epiſcopus poteſtatem habet commendandi Eccleſiam, etiam finito ſemeſtri, quàm diu durat Rectoris abſentia vel infirmitas, Azor, cit. c. 31. q. 3. Ptæterea Capitulum Cathedrale, ſede vacante, poteſt Eccleſiam Parochialem in Commendam dare, etiam poſt ſex menſes elapſos, ſi accidat, ſedem Epiſcopalem ultra ſex menſes vacare, nondum electo vel creato novo Epiſcopo, Azor. c. l. Denique poteſt Epiſcopus hoc tempus ſemeſtre minuere, ſive ad brevius tempus parochiam alicui in commendam dare, vel etiam ante ſex menſes revocare, ſaltem ex juſta cauſa, Azor. c. l. q. 6. §. Queris, Garc. cit. c. 4. n. 54. nam cùm commenda temporalis, non in utilitatem perſonæ, ſed in ſolius Eccleſiæ utilitatem fiat, ideo hæc ſolùm attendi debet, ita tamen ut Commendatarius illæſus ſervetur, val ſi damnum patiatur, id ipſi aliter compenſetur, Laym. in cit. c. Nemo. n. 3. h. t. in 6. Quòd ſi commenda eſt facta ſimpliciter, & non ad certum tempus, eam poſſe revocari ad libitum, etiam ſinè cauſa, tradit Francus hîc n. 7. & Garc. c. l. n. 55. nam hoc ſpeciale eſt in beneficiis, quæ dantur in vetum titulum, ut non poſſint revocari, quia ſunt perpetua, aliud ergo eſt in iſtis commendis temporalibus.

Notandum 7. Ordinarij collatores Epiſcopo inferiores, qui poteſtatem conferendi beneficia habent, non Jure communi, ſed ſolùm jure ſpeciali, ſcilicet ex privilegio vel conſuetudine legitimè præſcriptâ non poſſunt beneficia in commendam dare, ne quidem ad tempus, ſicut Epiſcopi vel quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes, quia vi privilegij vel conſuetudinis tantùm habent poreſtatem conferendi, non commendandi, quæ eſt poteſtas divèrſa ab illa, Franc. bîc n. 8. Azor. cit. c. 31. q. 11. Garc. c. l. num. 8.

XCI. Ex dictis colligitur 1. Quod in impetratione Eccleſiæ vel beneficij commendati, etiam ad tempus tantùm, debeat fieri mentio commendationis factæ, alioquin impetratio eſt ſubreptitia, adeóque & irrita; tum quia Eccleſia commendata non omnino dicitur vacare, cùm ejus quaſi poſſeſſionem & adminiſtrationem habeat commendatarius: tum qnia Papa non cenſetur alterius juri detogare velle, niſi id exprimat, gl. hîc V. Commendare, Verſ. Sed nunquid, Franc. ibid. n. 7. Azor cit. c. 31. q. 6. Barb. cit. alleg. 59. n. 20.

Colligitur 2. Probabilius eſt, qnòd Eccleſia vel beneficium commendatum, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, non vacat per obitum Commendatarij, ſed vacat ſemper, ut priùs, ita, ut non debeat attendi menſis & locus, in quo obijt Commendatarius, ſed prior vacatio, quæ erat ante commendationem, & per illam ſuſpenſa fuit, Garc. c. l. n. 64. Barboſ. c. l. n. 21. Ex quo infert gl. bîc in notatis, ſi poſt mortem Commendatarij impettaretur Eccleſia commendata, tanquam vacans per mortem ipſius, impetratio eſſet ſubreptitia, ob expreſſum falſum modum vacationis, niſi eſſet in reſcripro impetrationis adjecta clauſula, *quocunque modo vacet.* Sed neque commenda exſpirat pet mortem commendantis, gl. fin. hîc & ibid. Franc. n. 9.

Colligitur 3. Eccleſia vel beneficia commendata à Papa, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, ſunt affecta & reſervata ipſius diſpoſitioni, ita, ut nec poſt tempus ſemeſtre elapſum, nec poſt mortem Commendatarij perpetui, ab Epiſcopo vel alio, quàm à Papa confetri poſſint, Azor c. l. q. 7. & licèt commenda perpetua utilitatem & effectum tituli tribuat commendatario, non tamen cenſetur re ipsâ collata in verum titulum, Laym. in c. Querelâ 24. n. 1. h. t.

XCII. Ce-

XCII. Cæterùm hactenus dicta procedunt, ſpectato Jure communi Canonico, ſecundùm quod Epiſcopus alia beneficia ſimplicia & non curata commendare poteſt, etiam ultra ſex menſes, imò ad vitam, ut colligitur ex c. Si plures 3. cauſ. 21. q. 1. & c. Dudum 54. h. t. ubi habetur, quòd quis plures Eccleſias retinere poſſit, unam quidem intitulatam, alteram commendatam, nec requiritur in Commendatario Ordo Sacerdotalis, quia conſtitutio cit. c. Nemo, ſolùm loquitur de Eccleſijs & beneficijs parochialibus, gl. ibid. V. Parochialem & Franc. num. 3. Garc. c. l. num. 16. adeóque in alijs nihil eſt immutatum, ſed remanet Jus antiquum. Neque etiam hæc Conſtitutio habet locum in Eccleſijs parochialibus Collegiatis, in quibus non arctatur Rector ad ſuſcipiendum Sacerdotium, Franc. hîc n. 3.

Verùm Jure nuvo Concilij Tridentini, Eccleſiæ, & beneficia parochialia in commendam dari etiam ad tempus ſemeſtre non poſſunt, ſed, ſi contingat, ut Paſtor Eccleſiæ Parochialis ſit abſens, vel ut, Parochiâ vacante, iduneus Rector ſtatim inſtitui non poſſit, interim idoneus Vicarius, congruâ ei aſſignatâ redditnum portione, conſtitui debet, qui onera Eccleſiæ ſuſtineat, prout habetur Seſſ. 24. c. 18. de reform. Idque in noſtris partibus in pleriſque Eccleſijs ſervatur. Et habetur etiam apud Jo: Gallemart in prætermiſſis declarationibus Concilij Trident. Seſſ. 6. de confirmatione c. 3. V. Commendæ perpetuæ, folio 683. ubi dicitur, commendæ, quæ ad ſex menſes in Eccleſijs curatis fieri poterant ab Ordinarijs, juxta c. Nemo de elect. in 6. ampliùs poſt Concilium locum non babent, cùm debeant in eis deputari Vicarij, ad formam cap. 18. ſeſſ. 24. Alia verò beneficia ſimplicia in commendam ampliùs dati non ſolent, teſte Azor. c. l. q. 15.

§. IV.

De iis, qui eligi prohibentur ad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas.

XCIII. Generatim loquendo, eligi prohibentur ad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas quidam ob impedimentum naturæ, alij ob crimen, ſeu defectum morum, aliqui ob aliud impedimentum Canonicum, Gregor. Tholoſan. tract. de elect. c. 9. & ſeqq. Naturâ ineligibiles ſunt furioſi vel fatui, arg. c. Venerabilem 34. ibi: *vel fatuum* h. t. vel qui vitio corporis laborant, ob quod ſuo munere honeſtè, & decenter fungi non poſſunt, & irregulares fiunt, c. 1. diſ. 49. & toto tit. inf. de corp. vitiat. Tholoſan. de elect. c. 11. nam univerſim, qui à ſuſcipiendis Ordinibus, vel beneficijs repelluntur, multò magìs à Prælaturis Eccleſiaſticis arcentur, arg. c. Cùm in cunctis 7. h. t. Item ob impedimentum naturæ eligi probibentur illegitimè nati, vel qui requiſitam ætatem nondum ſunt aſſecuti, indecorum enim eſt, imò valde periculuſum, præponere regimini aliorum, qui non noverunt gubernare ſeipſos, c. Indecorum 3. de ætat. & qualit.

XCIV. Quæritur nunc 1. Quinam ob crimen, ſeu defectum morum eligi prohibentur? Reſpondetur ob crimen, univerſim loquendo, non poſſunt eligi ad Prælaturas omnes criminoſi, aut infames, ſicut nec ad alias dignitates, vel beneficia promoveri poſſunt, quia perſonis vilibus & indignis portæ dignitatum patere non debent, c. Inter dilectos 11. de exceſſib. Prælat. & l. unic. C. de infamibus lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. lib. 12. Idque procedit, ſive ſint infames infamiâ juris, id eſt, per legem, vel Judicis ſententiam irrogatâ; ſive ſint notati infamiâ facti, ſeu populari, ob publicam notitiam, aut opinionem commiſſi criminis, per quam hominis exiſtimatio, ſpectatâ qualitate & ſtatu perſonæ, apud viros prudentes graviter læditur, Tholoſan. de elect. c. 9. n. 13. Laym. in qq. de Prælat. elect. q. 53. & lib. 1. Theol. mor. tract. 5. c. 4. n. 5. Et quidem infames infamiâ juris, non ſolùm rejiciuntur à dignitatibus acquirendis, ſed etiam privantur ac dejiciuntur acquiſitis, cit. l. un. C. de infamib. nec ea infamia, niſi per Principis diſpenſationem & in integrum reſtitutionem, tollitur: at verò notati infamiâ facti ſolùm repelluntur à Prælaturis ac dignitatibus, uſque ad publicam & conſtantem vitæ emendationem, per quam ipſa infamia, quantumvis ex enormi crimine, quod depoſitionem meretur, orta ſit, penitus tollitur, arg. c. Teſtimonium 54. & ibi gl. V. Emendatus de teſtib. nam ceſſante causâ, ceſſat effectus, c. Cùm ceſſante 60. de appellat. & per quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, c. 1. inf. de reg. jur. niſi commiſſum crimen pœnam ſuſpenſionis, vel depoſitionis ipſo jure annexam habeat, quale eſt v. g. crimen ſodomiæ frequentatum, tum enim neceſſaria eſt abſolutio, aut diſpenſatio, Laym. cit. q. 53.

XCV. In ſpecie verò ob crimen eligi prohibentur ambitioſi. Unde ſi electus abſolutè conſentiat in electionem ſui ipſius, non ut faciendam, ſed ut jam factam, ante Capitulare decretum electionis formatum ac publicatum, irrita cenſetur electio propter ambitionem, c. Cùm poſt petitam 46. h. t. & ibi gl. V. Requiſitum, ubi ait, ſi quis conſentiat, priuſquàm electus fuerit, etſi requiſitus, caſſatur electio propter ambitionem. Præterea probibentur eligi ſacrilegi, arg. cit. c. Venerabilem, ibi, *ſacrilegum* h. t. quia & ab alijs legitimis actibus repelluntur, c. Nulli 11. cauſ. 3. q. 4. item falſarij litterarum Apoſtolicarum, c. Ad falſariorum 7. de crim. falſi: uſurarij manifeſti & notorij, cùm nec ordinandi ſint, c. de Petro 4. diſ. 47. & cit. c. Inter dilectos de exceſſ. Præl. perjuri, quia non merentur Eccleſias regere, c. Querelam 10. de jurejur. publici aleatores, cit. c. Inter dilectos, & Simoniaci, ut jam dicetur.

XCVI. Quæritur 2. An electio Simoniaci non ſolùm ſit prohibita, ſed etiam ipſo jure irrita? Reſpondetur, non ſolùm prohibentur eligi ad Prælaturas, & alia beneficia Eccleſiaſtica Simoniaci, qui illicitas pactiones ineunt cum eligentibus vel alijs, c. Cavendum 3. cauſ. 1. q. 7. c. Super eo 12. & c. pen. h. t. c. Matthæus 23. de Simon. ſed etiam electio ſimoniacè facta eſt ipſo jure irrita, Extravag. 2. §. Per electiones de Simon. inter communes, dummodo Simonia opere, ſive dando & recipiendo pretium ſit completa; alioquin irritari quidem poterit à Superiore electio, non tamen ipſo facto irrita erit, cit. Extravag. 2. §. Statuentes, Laym. de elect. Præl. q. 57.

Eſt

Eſt autem electio Simoniaca irrita, etſi electus inculpatè ignoret, Simoniam interveniſſe, neque id ratum habeat, c. pen. h. t. & expreſſiùs habetur in c. Nobis 27. de Simon. quia, quamvis electus tunc non peccaverit, electio tamen eſt vitioſa propter eligentes, qui indebito & illicito modo elegerunt, ut tradit gl. in cit. c. Nobis, V. Reprobanda. Niſi tamen ſimoniacè electus expreſsè contradixerit, &, quatenus potuit, inhibuerit, ne ſimonia, ab altero committeretur, v. g. pecunia daretur electori, quia longè diverſum eſt, non præbere conſenſum, & expreſsè aliquid prohibere, & ideo hoc caſu nihil omnino peccatum alienum ipſi electo obeſſe debet, c. Sicut tuis 33. de Simon. Vel niſi quis in fraudem eligendi, ipſo ignorante, pecuniam promiſerit, ac dederit, ut poſtea electio Simoniaca denuntiaretur, ac declararetur, & ille inhabilis ad beneficium redderetur, cit. c. Nobis, quia malitijs hominum non eſt indulgendum, c. Sedes 15. de reſcript. nec debet quis alterius odio prægravari, l. Si quis in ſuo 33. C. de in offic. teſtam. gl. in cit. c. Nobis V. malitioſè. Sed de hoc plura ſuo loco.

XCVII. Ubi tamen notandum præterea 1. Simoniacè electus redditur ineligibilis, ita, ut eandem Prælaturam, vel idem beneficium, etiamſi de novo eligatur, conſequi non poſſit, ut colligitur ex cit. c. pen. h. t. niſi vitium purgetur per intermediam perſonam, ſi videlicet, reprobatâ electione Simoniacâ, alius eligatur, iſque reſignet, vel moriatur; tunc enim ille, qui propter Simoniam, ſinè culpa ſua, rejectus fuit, denuo eligi ad priorem Prælaturam, vel prius beneficium poterit, quippe in cujus perſona defectus non fuit, ut colligitur ex cit. c. pen. ibi: *illâ vice*, & notat gl. ibid. Deinde nihil obſtat, quò minùs talis ad aliam Eccleſiam vel dignitatem eligatur, c. 1. cauſ. 1. q. 5. c. Poſt translationem 11. §. Rurſus de renunciat. Veruntamen ſi ipſemet electus Simoniam commiſit, neceſſe eſt, ut, priuſquam ad aliam Prælaturam, vel beneficium promoveatur, pœnitentiam agat de crimine, & abſolutionem impetret ab excommunicatione, quam incurrit, cit. Extravag. 2. §. Statuentes de Simon.

XCVIII. Notandum 2. Simoniacè electus fit ita inhabilis ad eandem Prælaturam, vel aliud beneficium duplex, ſeu majus conſequendum, ut Epiſcopus cum eo diſpenſare non poſſit pro illa vice, tametſi ignarus ſic electus ſit: cum electo autem ſimoniacè ad beneficium ſimplex, eo ignorante, ſi liberè reſignavit, poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, prout habetur in c. Si alicuius 59. h. t. ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Si alicuius electionem propter Simo» niam, eo ignorante, ac ratam non habente (aliàs enim, ſi poſtea conſentiret, idem eſſet, ac ſi ab initio procurâſſet, c. Sicut 33. de Simon. cùm ratihabitio in delictis retrotrahatur, & mandato comparetur, l. 1. §. Sed & ſi ff. de vi & vi armat. c. Cùm ad Sedem » 15. de reſtitut. ſpoliat. gl. hîc V. ratum) commiſſam, » contigerit reprobari, cum eo ſuper Prælatura, ad » quam taliter, id eſt, ſimoniacè fuerat electus, » id eſt, in illa vacatione, Epiſcopus non poteſt di» ſpenſare, ut ad illam promoveatur: quamvis cum » eo, qui ignoranter recepit ſimplex beneficium per » Simoniacam pravitatem, poſt liberam reſignatio» nem, Epiſcopus diſpenſare non prohibeatur. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia in deteſtationem ſimoniacæ pravitatis ſtatutum eſt, ut electus ſimoniacè, etſi ipſo ignorante, non poſſit, eâ vice, obtinere illam Prælaturam, etiamſi de novo legitimè ad illam eligatur, ita, ut nec Epiſcopus cum eo diſpenſare poſſit, quia turpe eſt alicui aditum patere ad Prælaturam, vel aliud beneficium curatum per Simoniam, niſi fuerit priùs per intermediam perſonam, cui legitimè collata ſit Prælatura, vitium Simoniæ purgatum, gl. hîc V. Illâ vice. & Abb. n. 3. & dictum ſuprà.

Et licèt aliàs, ob aliorum delectum, innocens, qui inculpabiliter illud ignoravit, puniri non debeat, c. 2. de Conſtitut. tamen ſi cauſa ſubſit, poteſt puniri, reg. juris 13. in 6. non quidem propriè, ſive ita, ut ei jus jam acquiſitum adimatur, ſed impediri poteſt à jure acquirendo, ſive inhabilis ad illud reddi, non in odium perſonæ, ſed in odium rei, ut in propoſito, in odium ſimoniacæ pactionis decretum eſt, ut etiã ſinè culpa ſua, per Simoniam electus incapax ſit pro ea vice ad eandem Prælaturam obtinendã, ad quam ipſum Simoniaci promovere volebant, ita, ut nec ab Epiſcopo cum ipſo diſpenſari poſſit, gl. hîc V. Illâ vice. At verò cùm ſimoniacè electo vel aſſumpto ad beneficium ſimplex, ipſo ignorante, Epiſcopus diſpenſare poteſt, quia minora faciliùs conceduntur, & circa majora cautiùs eſt agendum, gl. hic V. Eodem: dummodo liberè illud priùs reſignâtit, non coactus per ſententiam Judicis, quia mitiùs & benigniùs agitur cum illo, qui ſponte renunciat beneficio, quod deſerere debet, quàm cum illo, qui expectat, donec per ſententiam amoveatur, cit. c. in fine, & tradit gl. in notat. Deinde poteſt Epiſcopus diſpenſare, modò non ſit Simonia commiſſa cum ipſo in beneficio, ut colligitur ex c. ult. cauſ. 1. q. 5. & ibi gl. V. Cuidam.

XCIX. Hinc ſequitur 1. Epiſcopum diſpenſare non poſſe cum eo, qui beneficium qualecunque non ſimplex, per ſimoniam, etſi ipſo ignorante commiſſam, aſſecutus eſt, ut colligitur ex hoc c. argumento à contrario ſenſu ducto, ubi ſolùm conceditur Epiſcopo diſpenſandi facultas cum ſimoniacè, ſed ipſo ignorante, promoto ad beneficium ſimplex. ergo à contrario ſenſu, cum promoto tali pacto ad beneficium non ſimplex diſpenſare non poteſt, quia diſpenſatio eſt ſtricti juris, adeóque non debet extendi ad caſum non expreſſum, & nunquam Epiſcopus diſpenſare poteſt, niſi in caſibus jure expreſſis, Abb. hîc n. 5. Nec obſtat, quòd in priore parte huius c. mentio tantùm fiat de Prælatura, ergo cùm ſic promotis ad alia beneficia curata ſeu duplicia, poterit Epiſcopus diſpenſare; nam ibi de Prælatura ſolùm fit mentio exempli causâ, ut ex ſubjunctis colligitur, quia fortè de eo caſu tum dubitatum fuerat, ut notat Laym. hîc n. 4.

Excipiunt Hoſtienſ. hîc V. diſpenſare & Imola, aliíque plures, quòd Epiſcopus ob evidentem Eccleſiæ neceſſitatem, quia v. g. alius ita idoneus reperiri non poteſt, vel utilitatem, diſpenſare poſſit cum ſimoniacè promoto, ipſo ignorante, etiam ad eandem Prælaturam, vel dignitatem aut beneficium curatum, durante eâdem vacatione, conſequendum; quia talis caſus per epiikiam exceptus cenſeri debet: idque ſaltem propter Doctorum auctoritatem probabile eſt.

Sed

Sed conttarium probabilius tenet Abb.hîc n.4. quia indiſtinctè hîc adimitur Epiſcopo facultas diſpenſandi, cùm ergo generalis regula Canonica ſit, in c. Nobis. 27.de ſimon.tradita, quòd ſimoniacè electus, vel proviſus, etſi eo ignorante, inhabilis ſit ad idem beneficium obtinendum,ita, nt Epiſcopus cum ipſo diſpenſare non poſſit,ſequitur, qnòd exceptio in hoc c. propoſita dictam regulam in aliis omnibus caſibus ſub exceptione non comprehenſis confirmet, ut tradit etiam Laym. hîc in fine.

Sed obſtare videtur cap. præſentium 3. cauſ. 1.q. 5. ubi dicitur, quòd, ſi quis ſimoniacè ad ordines eſt promotus, poſſit Epiſcopus, ſi Eccleſiæ utilitas exigat, poſt eius renunciationem, illum ad curam regiminis, ſeu Prælaturæ aſſumere. Reſpondetur cum gloſſa hîc V. illâ vice in 3.ſolut.quam ſequitur Abb. ibid.n.4. quòd in c. præſentinm ſermo ſit de eo, qui invitus Ordinem ſuſcepit per ſimoniam ab alio cõmiſſam, ipſo ignorante, cum quo poteſt Epiſcopus diſpenſare,ut eligatur ad curam regiminis,ſeuPrælaturæ,ad quam non fuerat electus,adeóque nec ſimoniacè, ſed ſolùm ad Ordinem. At verò in hoc c. agitur de eo, qni electus eſt ad Prælaturam ſeu dignitatem per ſimoniam, eo ignorante, commiſſam, cuius electio per ſententiam fuit reprobata, unde Epiſcopus non poteſt ſtatim, & eâ vice cum illo diſpenſare ad eandem dignitatem obtinendam, & ſic ſunt diverſi caſus utriuſque c.non contrarij.

C. Sequitur 2. Si quis etiam ſimplex beneficium per ſimoniam ſcienter ſit conſecutus, vel ſimoniacam proviſionem poſtea ratam habeat, cnm eo Epiſcopus diſpenſare nõ poteſt, ad idem beneficium obtinendum, illâ vice, ut colligitur per ſenſum contrarium ex hoc c.ibi: *eo ignorante, ac ratam non habente*, ergo ſecus,ſi ſciat,vel ratam habeat,idque ſumitur etiam ex cit.c.Nobis, de ſimon.

Sequitur 3. Si quis per ſimoniam, etſi eam ignorârit, ad beneficium etiam ſimplex ſit aſſumptus, ſed non liberè illud,poſtquam ſcit, ſe ſimoniacè obtinuiſſe, reſignet, non poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut illud retinere poſſit, ut colligitur ex hoc c. ibi: *poſt liberam reſignationem*, nam ratio, ob quam Epiſcopis in illo caſu conceditur facultas diſpenſandi,eſt,quia, qui ſponte cedit beneficio, eſt ab omni prava ſnſpicione alienus, ideóque magis gratiam diſpenſationis meretur, quàm qui invitus vel coactus beneficium derelinquit, ut ſuprà etiam dictum.

Itaque tria requiruntur, ut cum ſimoniacè electo diſpenſati poſſit ab Epiſcopo, 1. quòd ſimonia commiſſa fuerit,ignorante electo,nec ratum habente. 2. quòd beneficinm ſit ſimplex. 3. quòd præceſſerit libera reſignatio beneficij ſimoniacè obtenti,nt colligitur ex hoc cap.& notavit Abb.ibid.n.5.

C I. Quæritur 3. An etiam electio criminoſi, aut infamis ſit ipſo jure irrita? Reſpondetur 1. Electio eins, qui incurrit infamiam juris, id eſt, quæ per legem vel ſententiam Judicis eſt inflicta, ipſo jure eſt nulla,quia, cùm laborantes hac infamiâ ipſo jnre privati exiſtant dignitatibus acquiſitis, l. unic. C.de infamib.lib.10. multò magis repelli debent ab acquirendis,Laym.lib.1.Theol.moral.tract.5. c.4.n. 6.& in c.cùm in cunctis 7.n.12.h.t. Reſpondetur 2. electio criminoſi ſeu laborantis infamiâ facti,ſpectato foro externo, irrita quoque cenſeuda eſt, quia Judex electionẽ talem caſſare, ſeu reſcindere debet, perinde,ac ſi ab initio irrita fuiſſet;nam portę dignitatum perſonis vilibus & indignis, ſive famoſis & notatis, & quos ſcelus & vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum hominum cœtu ſegregat,patere non debent, nt habetur in c. Inter dilectos. 11. de exceſſib. Præl. & l.unic. C. de infamib. lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. l.12. At verò in foro interno conſcientiæ,is,qui notatus eſt infamiâ facti, ſeu notorij criminis, poteſtPrælaturam, vel dignitatem,ad quam eſt electus,recipere, & retinere, ſi nemo ipſi defectum infamiæ objiciat, & ſperet, ſe intra breve tempus, per pnblicam vitæ emendationem notam infamiæ abolere poſſe, tunc enim revalidatione tituli, vel diſpenſatione non eſt opus, Laym. c. l.n.14. Et hinc Innocent.in c. Quòd ſicut 28. n.8.h. t.& Abb. in c.1. in fine de in integr. reſtitnt. dicunt, quòd electus ſit tutus in foro animæ, ſi electio ſoa tenuit, jure naturali, ſeu gentium, quamvis non ſit valida jnre poſitivo, ob defectum ſolemnitatis, vel conditionis eo jure requiſitæ ad ſubſtantiam actûs; quia in foro conſcientiæ æquitas natnralis præfertur rigori jnris poſitivi. Eadémque doctrina locnm habet etiam in aliis actibus, ut in collatione beneficij, alienatione rei Eccleſiaſticæ, & ſimilibus, in quibus ſi adſint omnia, quæ ſpectato jure naturali, neceſſaria ſunt ad ſubſtantiam actûs, etiamſi deſit aliqua ſolemnitas, vel conditio jure poſitivo requiſita ad valorem actûs, poteſt tamen poſſeſſor beneficium, vel rem Eccleſiaſticam ſibi venditam, tutâ conſcientiâ, interim retinere, donec collatio, alienatio & ſimilis actus per ſententiam Judicis reſcindatnr, & declaretur,beneficium, vel rem retineri non poſſe,ut in ſpecie de electione docet Navarr.tract.de alienat. rer.Eccleſiaſt. n.17. & de alienatione rei Eccleſiaſticæ Sylveſt. V. alienatio. q.12. & de electione ibid. q.13. Idque colligitur ex c Cùm dilectus. c. 8. de conſuet.c.1.de poſtul. Præl. c. Scriptum.40. h.t. junctâ gl. V. privari, ubi ſignificatur, electionem, quæ ipſo jnre invalida eſt, irritandam eſſe à Judice, ſeu reſcindendam, adeóque ſententia Judicis ſaltem declaratoria requiritur. Excipi tamen debet, niſi lex aliud exprimat,qnià nimirum lex ſive Canonica,ſive Civilis, vel Magiſtratus Eccleſiaſticus aut ſecularis, ob publicam utilitatem, contractum vel actum aliquem, qui alioquin, ſecundùm jus naturale præcisè ſpectatum, validus foret, ita irritavit & annullavit, ut nullum omnino effectum habere poſſit, nec obligationem inducere, tum enim nec in foro conſcientiæ retineri poterit, quod vi talis actûs acceptum eſt, niſi poſſeſſor tituli revalidationem vel diſpenſationem impetraverit, Laym. l.1. Theol. mor. tract.4. c. 16.n.6.& 9. & in cit. c. Cùm in cunctis n. 16. & 17. h. t. cuinſmodi eſt electio ſimoniaca,ut ſuprà dictũ; ex qua nullum jus acquiritur electo, ac proinde in conſcientia is tenetur beneficium reſtituere, ante omnem Judicis ſententiam. Plura exempla huiuſmodi electionum infrà afferentur.

C II. Portò quamvìs ordinariè loquendo, qui propter Canonicum impedimentum, ſeu defectum eſt inhabilis ad Prælaturam, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, non poſſit illud petere vel acceptare,niſi impetratâ priùs diſpenſatione ſuper de-

ſectu, ſi in eo diſpenſari poſſit, ut colligitur ex c. Innotuir. 20. in princ. h. t. c. Niſi. 10. §. Perſonæ de renunciat. tamen propter gravem metum, vel aliam neceſſitatem, ſiquis non facilè recuſare poſſit Prælaturam, vel beneficium delatum, nec ſinè ſui infamatione occultum defectum, aut inhabilitatem manifeſtare, licitè poteſt illud ſtatim acceptare, & poſtea occaſione oblatâ, diſpenſationem impetrare, quia lex Eccleſiaſtica prohibens, vel etiam infirmans talem electionem, aut proviſionem, in ordine ad forum externum, non cenſetur obligare cum tanto rigore, & in caſu neceſſitatis, ut docet Suar. diſ. 40. de cenſur. ſec. 2. n. 31. præſertim cùm talis electio, vel proviſio beneficij facta perſonæ inhabili propter impedimẽtum Jure Canonico introductum, quaſi fundamentaliter, & de jure naturali valida ſit, & ſolùm jure Eccleſiaſtico ſit prohibita, ut ſuprà dictum, Laym. de Elect. Prælat. q. 60. & in cit. c. Cùm. in cunctis. n. 18. & 19. h. t.

§. V.

De iis, qui eligi prohibentur ob contractas cenſuras, vel irregularitates, vel ob alias cauſas, & impedimenta.

CIII. Quæritur 1. An irretiti cenſurâ aliquâ Eccleſiaſticâ, vel, qui irregulares facti ſunt, poſſint eligi ad Prælaturam Eccleſiaſticam? Reſpondetur 1. Excommunicati excommunicatione majore ad Prælaturam, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, eligi non poſſunt, eorúmque electio eſt ipſo jure irrita, c. Poſtulâſtis. 7. in princ. de Cleric. excommunic. Ratio eſt, quia excommunicatus incapax eſt omnis beneficij, & juris Eccleſiaſtici obtinendi, adeóque etiam inhabilis eſt, ut eligatur ad Prælaturam: ídque procedit, etiamſi nominatim denunciatus, aut vitandus non ſit, nam per Extravag. Conſtantienſem *Ad evitanda* nullus ipſis excommunicatis directè favor factus fuit, Suar. diſ. 13. de cenſur. ſect. 1. n. 26. Imò etiam electio eius, qui minore excõmunicatione ligatus eſt, ipſo jure irrita eſt, vel ſaltem irritanda, ſi talis ſcienter, id eſt, ſciens, ſe eſſe excommunicatum, & inhabilem, electus ſit, quia, cùm ſit privatus Sacramentis, ſive eorum perceptione, ad ea miniſtranda eligi non poteſt, c. ult. & ibi gl. V. ſcienter, & V. privatus de Cleric. excom. & Joan. Andr. ibid. n. 5. ideóq; nec ad dignitatẽ, nec ad aliud beneficium etiã ſimplex eligi poterit, gl. marg. ibid. Quod ſi ignoranter electus ſit, abſolvendus eſt ab excommunicatione, nec irritari poterit electio, ut colligitur ex cit. c. ult. ex verbo *ſcienter*, ergo ſecus, ſi ignoranter ſit electus, cum probabili ignorantia, tunc enim valet electio, nec irritari poterit, Sylv. V. excommunicatio. 4. n. 4. de quo plura ſuo loco. Qui verò minore excommunicatione ligatum ſcienter eligunt, privati ſunt jure eligendi pro ea vice, cùm indignum, & inhabilem elegerint, arg. cit c. Cùm in cunctis. §. fin. & c. Scriptum. 40. in fine h. t. gl. in cit. c. ult. V. ſcienter. Porrò electio ligati majore excommunicatione ipſo jure irrita eſt, ſive à jure, ſive ab homine fuerit excommunicatus: niſi à ſententia excommunicationis appellaverit, & poſt interpoſitam legitimam appellationem, fuerit electus, c. Licèt. 14. de ſent. excommun. in 6. c. Præterea. 40. de appellat. quia excommunicatio interea ſuſpenſa cenſetur: vel, niſi poſt electionem, aut appellationem legitimè factam, fuerit excommunicatus, c. 2. de ſent. excommun. in 6. vel denique, niſi poſt excommunicationem, & ante electionem, fuerit abſolutus, c. Propoſuit. 8. de Cleric. excommun. Gregor. Tholoſan. de Elect. c. 9. num. 18.

CIV. Reſpondetur 2. Suſpenſi quoque ſunt ineligibiles, c. Cùm dilectus. 8. de conſuet. c. Cùm bonæ. 8. de ætat. & qualit. ſive ſuſpenſi ſint à jure ſeu Canone, ſive ab homine, gl. in cit. c. Cùm dilectus. V. ſuſpenſis. Et quidem ſuſpenſus ab officio non poteſt eligi in Prælatum, neque ad aliud beneficium Eccleſiaſticum aſſumi; non enim poteſt quis promoveri ad ſuſcipiendum illud officium, cuius exercitium illi eſt interdictum, c. ult. de Clerico excommun. Neque etiam ob eandem rationem, qui à beneficio ſuſpenſus eſt, eligi poteſt vel promoveri ad novum beneficium, c. Cùm bonæ. 8. junctâ gl. V. ſuſpenſus de ætat. & qualit. & gl. in c. Cupientes. 16. §. Cæterùm. V. beneficiis h. t. in 6. quia qui per ſuſpenſionem privatus eſt perceptione fructuum beneficij, quod jam poſſidet, non poteſt, durante ſuſpenſione, eligi aut promoveri ad novum beneficium, per quod denuo jus acquirat percipiendi fructus & reditus Eccleſiaſticos, ne, quod unâ viâ quis perdit, per aliam acquirat, cit. c. ult. de Cleric. excom. & ibi gl. V. privatus. Quòd ſi quis abſolutè ſuſpenſus ſit à beneficiis, ad nullum omnino beneficium novum eligi, aut promoveri poteſt; ſi verò ſolùm limitatè, ſive cum reſtrictione ad certam Eccleſiam, ſuſpenſus ſit à beneficiis, non poteſt promoveri ad beneficium in eadem Eccleſia, bene autem in alia, gl. in cit. c. Cupientes. §. Cæterùm. V. in ipſa Eccleſia. h. t. in 6. Quod autem dictum eſt, locum habet, tametſi is, qui ſuſpenſionem à lege vel homine illatam incurrit, tum nullum beneficium habeat; nam nihilominus per cenſuram ſit inhabilis ad novum beneficium, durante ſuſpenſione, obtinendum, ſicut ſuſpenſus ab Ordinibus, etſi aliquos Ordines non acceperit, fit tamen incapax ad eos accipiendos, quia nemo aſſumi debet ad tale officium, cujus exercitium ipſi eſt interdictum, cit. c. ult. de Clerici excom. Laym. de elect. Prælat. q. 52. & in cit. c. Dilectus num. 5. de conſuetud.

CV. Reſpondetur 3. Sed neque interdicti perſonaliter eligi poſſunt ad Prælaturam, vel promoveri ad aliud beneficium Eccleſiaſticum, arg. cit. c. Cùm dilectus, de conſuetud. & c. ult. de Cleric. excom. & ex communi docet Sylveſt. V. Electio 1. q. 14. Sicuti etiam violatores interdicti, ſive localis, ſive perſonalis, jure electionis tam activæ, quàm paſſivæ privati ſunt, c. 1. de poſtul. Prælat. c. Is qui 18. §. Is verò de ſent. excom. in 6. Sylveſt. l. c. Hoſtienſ. In ſumma h. t. n. 9. Idémque dicendum eſt de ſuſpenſis, & interdictis non denuntiatis, nec vitandis, juxta cit. Extravag. Ad evitanda.

CVI. Reſpondetur 4. Univerſim omnes irregulares, ſive ex delicto, ſive ex alio quocunque defectu, eligi non poſſunt ad Prælaturam, vel aliud bene-

beneficium Eccleſiaſticum, c. Is qui 18. §. Is verò ibi: *adeò efficitur ineligibilis*, de ſentent. excom. in 6. & electio eſt ipſo jure irrita, ut colligitur ex c. Niſi 10. de renunc. & ex communi tradit Navarr. in Man. c. 27. num. 249. dicto 6. ubi id docet de collatione beneficij; nam beneficium datur propter officium, c. ult. de reſcript. in 6. irregularis autem eſt inhabilis ad officium, & conſequenter etiam ad beneficium, cit. c. ult. de Cleric. excom.

CVII. Quæritur 2. An Schiſmatici eligi poſſint in Epiſcopum? Reſpondetur, Schiſmatici etiam non poſſunt eligi, aut promoveri ad dignitatem, præſertim Epiſcopalem, tametſi ex Schiſmate ad unitatem Eccleſiæ reverſi ſint, niſi Papa cum ijſdem diſpenſet, prout habetur in c. Quia diligentia 5. h. t.
» Nam cum quidam, abjurato Schiſmate (quod con-
» tra Papam Alexandrum III. ab Octaviano excita-
» tum erat, gl. hîc. V. Schiſmate) ad Eccleſiæ unita-
» tem rediret, poſtea electus fuit in Epiſcopum Suf-
» fraganeum Eccleſiæ Aquileienſis. Quare Cardi-
» nalis Legatus à latare quæſivit, an electionem iſtam
» confirmare deberet? Reſpondet Papa, ſe diſpenſa-
» tivè id permittere, dummodo electus ille nullum
» Ordinem à Schiſmatico Epiſcopo ſuſceperit, & ejus
» electio ſecundùm formam Canonum celebrata
» fuerit, & aliàs nihil ſit, quod impediat. Quocir-
» ca mandat Legato Cardinali, ut eum ab Epiſcopis
» Suffraganeis Metropolitanæ Eccleſiæ Aquileienſis
» in Epiſcopum ordinari, ſeu conſecrari curet: ſal-
» vo interim jure ejuſdem Eccleſiæ, ſi relicto Schiſ-
» mate ad Catholicam unitatem redierit.

Ubi notandum 1. Qui in Schiſma ſemel incidit, etſi poſtea illud abjecerit, non poteſt ampliùs de jure eligi vel promoveri in Epiſcopum, niſi ex diſpenſatione Papæ, prout etiam habetur in c. Nos conſuetudinem 8. diſ. 12. Solet autem Papa cum Schiſmaticis interdum diſpenſare ſolùm quoad Ordines minores ſuſcipiendos, aliquando etiam quoad Sacerdotium, aliquando etiam quoad Epiſcopatum, vel pleniſſimè quoad omnes Ordines & dignitates, gl. in cit. c. Nos. V. Prohibemus. Quare in caſu hujus c. Schiſmaticus ille non fuit, propriè loquendo, electus, ſed potiùs poſtulatus in Epiſcopum, nam cùm fuerit inhabilis, non potuit eligi, ſinè diſpenſatione Papæ: & dicitur electio hæc confirmari, ſive potiùs admitti poſtulatio illius in Epiſcopum, Hoſtienſ. hîc V. Electio & V. Confirmari: quamvìs interdum in jure promiſcuè uſurpentur hæc nomina, electio & poſtulatio, pro Synonimis, ut ſuprà etiam dictum.

Notandum 2. Sed neque eligi poſſunt in Epiſcopum, qui ab Epiſcopo Schiſmatico denuntiato & vitando, juxta Extravag. ad evitanda, Ordines ſuſceperunt, cùm tales ſuſpenſi ſint, vel potiùs irregulares, c. 1. & 2. de Schiſmat. & patet etiam ex hoc c. & ibi gl. V. Suſceperit; quamvìs etiam Papa cum his diſpenſare poſſit, & interdum ſoleat, cit. c. 2. & ibi gl. V. Poteſtatem de Schiſmat.

Notandum 3. Si Archiepiſcopus incidit in Schiſma, vel hæreſin, tum perdit jus conſecrandi Epiſcopos Provinciæ, illúdque devolvitur ad alios Coëpiſcopos, ſeu Suffraganeos Epiſcopos, qui tum ſupplent defectum Metropolitani, ut patet ex hoc c. & notat. Abb. ibid. n. 5. non tamen, ſi Epiſcopus, unà cum Capitulo, lapſus ſit in Schiſma, Eccleſia amittit jura ſua, ne puniatur propter delictum perſonarum, quamvìs illa actu exerceri non poſſint, donec Epiſcopus, relicto Schiſmate, redierit ad unitatem Eccleſiæ, tum enim illa plenè recuperat jura ſua, etiam quoad exercitium, ut patet ex fine hujus c. Abb. ibidem num. 6.

CVIII. Quæritur 3. An, qui ſemel ob defectum repulſus eſt à Prælatura, denuo eligi poſſit ad eandem, vel aliam Prælaturam? Reſpondetur, qui ſemel electus eſt ad Prælaturam, & ob vitium perſonæ repulſus, non poteſt iterum eligi, nec ad eandem, nec ad aliam Prælaturam; ſecus eſt, ſi electio irrita, vel caſſata fuit, non ob vitium perſonæ, ſed ob aliam quamcunque cauſam, tum enim iterum eligi poteſt, etiam ad eandem Prælaturam, niſi Simonia intervenerit, prout habetur in c. Super eo 12. h. t. Nam
» cùm aliquis electus fuiſſet ad Prælaturam, & ejus
» electio caſſata fuiſſet, idem poſtea ad alterius Ec-
» cleſiæ regimen electus fuit, unde quæſitum fuit ex
» Papa Clemente III. an is confirmari debeat? Re-
» ſpondet Papa, ſi prior electio, non vitio perſonæ,
» ſed ob modum, ſeu formam electionis non ſerva-
» tam, caſſata fuit, nihil impedire, quò minùs ad a-
» liam, imò etiam ad eandem Eccleſiam promovea-
» tur, præterquam, ſi conſtet aliquid Simoniacæ pra-
vitatis interveniſſe.

CIX. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel electio caſſata fuit, & irritata, ob vitium animi, ſeu crimen ipſius perſonæ electæ, vel ob vitium corporis. In priore caſu, repulſus ob crimen, iterum ad eandem, vel etiam aliam Prælaturam eligi, vel promoveri non poteſt, quia licèt nullo claro Juris textu expreſſum reperiatur, quòd is, cujus electio reprobata eſt, ob crimen ab ipſo commiſſum, prohibeatur denuo eligi vel promoveri ad aliam, vel etiam eandem Eccleſiam, aut Prælaturam, poſito, quòd crimen plenè emendatum ſit & ſublatum: quia tamen communiter DD hoc c. ita intelligunt, qui per ſenſum contrarium id colligunt ex illis verbis, *non vitio perſonæ*, gl. hîc V. eod. Abb. n. 21. & alij, ideò abſolutè dicendum eſt, quòd electus ob crimen ſemel repulſus iterũ ad Prælaturam eandem, vel etiam aliam eligi, ſeu aſſumi non debeat, ſaltem ſinè diſpenſatione Superioris, & præmiſſâ cognitione, an perſona nunc & in præſenti ſit habilis ad Prælaturam, Laym. hîc n. 2. Ratio eſt, quia quando electus repulſus eſt ob crimen concernens ipſam perſonam, graviter læſa eſt bona exiſtimatio ipſius perſonæ, ideóque ad Prælaturam iterum aſſumi facilè non debet, ſemel enim malus ſemper præſumitur eſſe malus, reg. jur. 8. in 6. ſive ſuſpectus eſt in eodem genere mali, l. Si cui 7. §. Ijſdem ff. de accuſat. Abb. hîc n. 2. Tholoſ. cit. c. 9. n. 23. Unde neque is, qui ob crimen renunciavit, aut coactus eſt renunciare Prælaturæ, iterum eligi poteſt, c. Poſt tranſlationem 11. de renunc. Similiter, ſi crimen commiſſum ſit circa ipſam electionem, vel effectum illius, aliquis redditur ineligibilis, donec cum eo diſpenſetur: ſic enim qui per abuſum ſecularis poteſtatis ſe eligi permiſit, fit ineligibilis, c. Quiſquis 43. h. t. Item ſi electio alicujus ſit irritata, quia ante confirmationem factam, ſe adminiſtrationi Prælaturæ immiſcuit, c. Qualiter 17. h. t. eligi denuo non poteſt ad eandem vel aliam Eccleſiam, ſed repelli debet, quia electio fuit caſſata

vitio perſonæ, gl. in c. Nôſti 9. V. Concedendi b. t. Abb. in cit. c. Qualiter n. ult. ubi addit, quòd in petitione confirmationis, vel promotionis ad aliam Eccleſiam fieri debeat mentio hujus intruſionis in adminiſtrationem, alioquin impetratio eſt ſubreptitia.

In poſteriore verò caſu, ſi electus repulſam tulit, & electio irrita, vel caſſata fuit, propter vitium corporis, v.g. morbum, vel defectum ætatis, aut natalium, vel ob alium defectum non culpabilem perſonæ electæ, tum vitio illo perfectè emendato, vel defectu ſublato, iterum eligi poteſt ad eandem, vel aliam Prælaturam aut dignitatem, quia ceſſante cauſâ, ſeu impedimento, ceſſare debet effectus, c. Cum ceſſante 60. de appellat. idque colligitur ex c. Cùm inter 21. h.t. ubi, cùm objectum fuiſſet electo, ipſum etiam antehac ob morbum epilepticum repulſum fuiſſe, Papa non mandavit inquiri de hac repulſa, ſed ſolùm, ut inquiratur, an tempore, quo promovendus erat, tali morbo laborârit, Innocent. ibid. n. 1. & Abb. n. 7. Verùm ſi conſtet aliquem habuiſſe morbum epilepticū, vel ſimilem diuturnum, & non facilè curabilem, non poteſt eligi, priuſquam plenè ſibi reſtitutū, & conſtanter curatum eſſe, probetur, v.g. per teſtimonia Medicorum, quia præſumptio ſtat contra illum: aliud eſt, ſi quis repulſus ſit ob morbum ſuâpte naturâ non perpetuum, ſeu durabilem, aut diuturnum; tum enim ut poſſit repelli, debet ab objiciente morbum, non ſolùm probari, quòd laboraverit tali morbo, ſed etiam, quòd adhuc in præſenti eo laboret, Innocent. in cit. c. Cùm inter n. 1. & Hoſtienſ. apud Abb. ibid. n. 7.

Porrò excipi debet crimen Simoniæ, nam, ſi in electione, vel promotione ad Prælaturam, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum Simonia intervenerit, etiam ignorante electo, vel proviſo, adeóque ſinè culpa ipſius, ſit is tamen omnino ineligibilis, ſive incapax beneficij acquirendi, niſi cum illo diſpenſetur, c. 1. cauſ. 1. q. 5. cap. Nobis 27. de Simon. & c. pen. h. t. & patet ex hoc c. in fine: idque decretum eſt in deteſtationem pravitatis Simoniacæ.

CX. Quæritur 4. An, & quâ ratione, propter plura beneficia ſimul retenta, efficiatur quis ineligibilis ad Prælaturam? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Dudum 54. b. t. Nam vacante Eccleſiâ Rhotomagenſi, Canonici convenientes ad eligendum, Decanum ſuum in Archiepiſcopum elegerunt: ſed Archidiaconus, & alij quidam ejuſdem Eccleſiæ Canonici ſe electioni oppoſuerunt, & ad Sedem Apoſtolicam acceſſerunt: altera verò pars procuratorem miſit, qui cauſam eligentium defenderet. Inter alia autem Archidiaconus objecit electo, quòd is ante Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. plures Eccleſias parochiales obtinuerit, & ſimul retinere præſumpſerit, ſed poſt idem Concilium, Archidiaconatum Ambianenſem adeptus, eodem dimiſſo, Eccleſias illas Parochiales adhuc retineret: cùm tamen in eodem Concilio ſtatutum ſit, ut, qui beneficium curam animarum annexam habens accepit, ſi priùs tale beneficium obtinebat, eo ſit ipſo jure privatus, adeóque dimittere illud debeat, alioquin, ſi retinuerit, etiam altero de novo acquiſito privetur. In quo facto idem electus & tranſgreſſus eſt ſtatutum Generalis Concilij, & cupiditatis vitium ex beneficiorum pluralitate contraxit, quod tamen in alijs reprehendere debuerat: & retinendo beneficia, quæ ad ipſum non ſpectabant, cùm poſt adeptionem alterius curati, ipſo jure vacaverint, quaſi furtum & rapinam commiſit: denique retinendo parochiales illas Eccleſias, animas, quarum curam gerere præſumpſit, decepit, quippe cum illâ jam ipſo jure privatus eſſet, & ad eum non ampliùs ea pertineret. Verùm Procurator eorum, qui elegerant dictum Decanum, etſi hujuſmodi pluralitatem beneficiorum in judicio confiteretur, conatus tamen eſt eam excuſare, exhibendo litteras, per quas ab Archiepiſcopo Rhotomagenſi talis conceſſio plurium Eccleſiarum Parochialium ipſi facta ſit (ſed ante Concilium generale, tum enim poterant Epiſcopi in pluralitate beneficiorum curatorum diſpenſare, c. Sanctorum 2. diſ. 70. non autem poſtea, & ideo Decano non profuit talis conceſſio poſt illud Concilium facta, gl. hîc V. Per conceſſionem) ſed Papa Gregorius IX. prædictam excuſationem tanquam frivolam (ob rationem jam allatam) non admiſit, ideóque mandavit quibuſdam à ſe delegatis, ut, ſi conſtaret, prædictum Decanum, poſt receptum Archidiaconatum curam animarum habentem, Parochiales Eccleſias, tempore electionis ſuæ, retinuiſſe, nec oſtendere poſſet, ſecum à Sede Apoſtolica ſuper ea re diſpenſatum eſſe, electionem illius, auctoritate Apoſtolicâ, caſſarent. Partes igitur coram dictis Judicibus delegatis comparentes, præſtito juramento de veritate dicenda, poſitiones & reſponſiones hinc inde fecerunt, ſed idem Decanus (ſcilicet electus in Archiepiſcopum) prætextu quorundam gravaminum, ad Papam appellavit, quo non obſtante, Judices ejus electionem irritârunt, & Epiſcopum Cenomanenſem Eccleſiæ Rhotomagenſi præfecerunt. Sed Papa proceſſum horum Judicum irritum eſſe, pronunciavit, quia licèt coram ipſis, poſitiones & reſponſiones ſuper pluribus articulis factæ ſint, nulla tamen litis conteſtatio eſt facta, cùm hæc fiat, non per poſitiones & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem factam. Quare litis conteſtatione coram Papa legitimè factâ, & præſtito a partibus juramento de veritate dicenda, idem Decanus confeſſus fuit, ſe poſt obtentum Archidiaconatum, Eccleſias Parochiales, tempore electionis ſuæ retinuiſſe, ſed excuſare factum nitebatur, quòd non putaret, dictum Archidiaconatum curam animarum habere. Sed quia idem Decanus in Judicio confeſſus fuit, quòd Archidiaconus Ambianenſis ex conſuetudine (imò etiam de jure communi, gl. hîc V. ſuſpendit) ſuſpendere, excommunicare, & abſolvere, & Eccleſias interdicere, item viſitare & inquirere, ác ratione viſitationis, procurationes recipere ſoleret, evidenter apparet, quòd curam animarum habeat. Sed etſi Archidiaconatus ille curam animarum annexam non haberet, tamen negari non poteſt, eſſe perſonatum, de quo ſimiliter ſtatutum eſt, ſicut de beneficijs curam animarum habentibus, ut per adeptionem alterius ejuſmodi beneficij ipſo jure prius vacet. Neque etiam juvat eundem Decanum, quòd aſſerit, ſe à Sede Apoſtolica indulgentiam ſeu gratiam diſpenſationis, aut privilegium obtinuiſſe, quia in ejus im-

petra-

» petratione falſitatem ſuggeſſit , & veritatem ſup-
» preſſit, quam veritatem ſi non tacuiſſet, & falſita-
» tem non expreſſiſſet, gratiam illam non obtinuiſ-
» ſet : ſuggeſſit enim, quòd Parochiales illas Eccle-
» ſias , antequam fuiſſet in Archidiaconum aſſum-
» ptus, canonicè ſit aſſecutus, quod falſum erat, cùm
» nemo poſſit duas Eccleſias Parochiales ſimul obti-
» nere, niſi una pendeat ab altera, ſive unita ſit alteri,
» vel unam habeat in titulum, alteram comendatam;
» cùm tamen ipſe utramque intitulatam habuerit, i-
» deóq; non potuit eas canonicè obtinuiſſe: præterea
» dixit, quòd reditus, quos ex perſonatu (hoc eſt
ex Decanatu, ſuper quo impetravit diſpenſationem,
ut illum retineret, cum Parochialibus Eccleſiis : vel
ex Archidiaconatu, ut illas cum eodem retineret, gl.
» hîc v. Perſonatus) percipiebat , ſint tenues & exi-
» gui : tacuit tamen , quòd alios reditus ex pluribus
» Eccleſiis obtineret ; ſicut etiam tacuit , quòd præ-
» ter illas parochiales Eccleſias, plura alia beneficia
» Eccleſiaſtica in diverſis Eccleſiis poſſideret : non
» fuit autem intentio Papæ cum illo in tot benefi-
» ciis, præſertim curam animarum habentibus, di-
» ſpenſare, neque etiam voluit aliquid de novo con-
» cedere Decano, ſed tantùm , ut habita eo tempore
» licitè poſſet retinere. Tandem, cùm jam nihil aliud
» ſupereſſet , quàm ut ſententia ferretur , idem De-
» canus tam juri ; ſi quod ei competeret , quàm liti
» ſponte ceſſit, quam ceſſionem Papa admittendam
» eſſe, duxit.

CXI. Pro explicatione huius c. Notandum 1. contra electionem factam à maiore parte Capituli poteſt etiam pars minor ſe opponere , allegando vitium electi, vel defectum circa formam electionis, ut patet ex hoc c. ibi : *Archidiaconus , & quidam alij, &c.* Abb. ibid. n. 1. de quo infrà.

Notandum 2. Eligentes poſſunt petere confirmationem ſuæ electionis , dummodo conſenſus electi accedat, aliàs non, arg. c. Innotuit 20. in princ. h. t. gl. hic v. Illorum. Ex quo ſequitur, quòd Electores per ſolum actum electionis non ſint functi ſuo officio, quin adhuc poſſint proſequi electionem à ſe factam coram Confirmatore, eámque defendere, Abb. hîc n. 5.

Notandum 3. Quamvìs aliàs in cauſa populari, id eſt, quæ principaliter ſpectat bonum publicum, per procuratorem agere non liceat, ſed tantùm excipere ac defendere, l. Licèt. 42. in princip. ff. de procuratorib. tamen in cauſa, quæ movetur contra electũ, vel electionis formam , poteſt conſtitui procurator , & per eum impugnari electio de aliquo non canonicè facta, ut patet ex hoc c. quia, quamvìs ſit actio quaſi popularis, cùm tueatur jus publicum Eccleſiæ ; tamen etiam in actione populari licet agere per Procuratorē, ſi alicuius propriè intereſt, ante alios, cit. l. licèt junctâ gl. V. multò magìs, & l. 3. ff. de ſepulch. viol. ſicut intereſt Capitularium , ut electio canonicè fiat, Innoc. hîc. n. 1. & Abb. n. 3. & 4.

CXII. Notandum 4. Is, qui plura beneficia curata, vel plures perſonatus ſeu dignitates, tempore electionis, abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, ſimul retinet , ad Prælaturam vel aliam dignitatem eligi non poteſt , eiuſque electio ipſo jure eſt irrita, tanquam indigni, & vitâ ac moribus improbi , cùm in gravi crimine verſetur , retinendo plura beneficia non canonicè obtenta , ut conſtat ex hoc c. §. Nos igitur , quæ eſt præcipua huius c. deciſio : Notat autem gl. ibid. V. electionis tempore, quòd, ſi is, qui ita deliquit, retinendo plura beneficia curata, aut plures perſonatus ſeu dignitates , eo tempore , quo electus fuit, beneficia illa incompatibilia dimiſerat, electionem illius caſſandam non eſſe, quia crimen per pœnitentiam purgavit , arg. c. Nunquam. 4. diſ. 56. ubi dicitur , *ad meliora converſum nequaquam prior vita commaculavit.* Verùm Jure novo talis, non ſolùm utroque beneficio prius obtento ipſo jure privatus eſt , ſed etiam ad quodcunque aliud beneficium Eccleſiaſticum obtinendum inhabilis exiſtit, juxta Extravag. Execrabilis. §. Porrò de præbend. Joan. XXII.

CXIII. Notandum 5. Qui beneficium Eccleſiaſticum , vel aliam rem immobilem ad ſe non pertinentem injuſtè poſſidet, quaſi furtum aut rapinam committit , ut habetur in hoc c. quia non multùm intereſt, injuſtè detinere, ac invadere, vel auferre alienum, quæ jura pro eodem reputant, c. Sæpe 18. & ibi gl. V. injuſte detinere, de reſtit. ſpoliat. qui verò malâ fide fructus rei injuſtè poſſeſſæ percipit, is verè ac propriè furtum committit , ex doctrina Bart. in l. Sequitur. 4. §. Fructus. num. 1. ff. de uſucap. Abb. hîc num. 19.

Notandum 6. Quando in hoc cap. dicitur, quòd animæ fuerint deceptæ ab illo Curato, qui plures Eccleſias parochiales ſimul retinebat , quorum curâ ipſo jure fuerat privatus, id intelligendum eſt, quantum erat ex parte ipſius Curati , ut notat Abb. hîc. n. 20. & quoad potentiam, quia, ſi defectus poteſtatis, quâ privatus fuit ipſo jure, publicè fuiſſet notus , animæ parochianorum re verâ deceptæ fuiſſent, quia re ipſâ non habuit poteſtatem ſolvendi, & ligandi : quamvìs abſolutiones à peccatis eorum, qui bonâ fide ipſi ſunt confeſſi, fuerint validæ , quia geſta à Parocho , qui non eſt intruſus, ſed legitimi ſuperioris auctoritate eſt inſtitutus , quamvìs ob occultum & communiter ſeu publicè ignoratum defectum , inſtitutio non fuerit valida, vel poſtea jure & poteſtate parochiali fuerit privatus , quàm diu ab Eccleſiâ toleratur, valent, & ſuſtinentur, etiam in foro conſciētiæ, quia Jus ſupplet defectum veræ juriſdictionis & poteſtatis, arg. l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor. Innocent. hic n. 3. Hoſtienſ. V. damnabiliter. Abb. n. 20. Barboſ. n. 3.

Notandum 7. Si Papa alicui concedat , ut plura beneficia ſimul retinere poſſit, quorum unum, vel aliqua dimittere debebat , vel propter adeptionem alterius incompatibilis, vel quia abundantes reditus ex uno percipiebat , talis conceſſio intelligenda eſt tantùm de ijs beneficiis, quæ canonicè ſunt obtenta, ut patet ex hoc c. ibi : *nec intentionis noſtræ fuit , aliquid ei de novo concedere , ſed, ut per indulgentiam poſſet habita licitè retinere* , Innoc. hic n. 17. & 18. ubi rationem dat , quia diſpenſationes huiuſmodi , ut quis poſſit , præter obtenta , aliud beneficium curam habens liberè recipere , ac licitè retinere , non debent extendi , ut poſſit etiam retinere malè obtenta , in quibus non fuit diſpenſatum.

Notandum 8. Pars litigans ſemper poteſt cedere liti, ante ſententiam latam, ut colligitur ex fine huius c. cedens autem liti cenſetur etiam juri ſuo renuntiare velle, ſiquod habeat, niſi aliud clarè ex-

primat, Abb. hîc. n. 17. Verùm de his & aliis, quæ in hoc c. afferuntur, & non ad electionem, ſed ad alias materias pertinent, agemus propriis locis; & hæc ſolùm, quatenus pro explicatione huius cap. neceſſarium fuit, allata ſunt.

§. VI.

An in Epiſcopum vel Prælatum eligi poſsit extraneus, qui non eſt è corpore, ſeu Collegio Eccleſiæ?

CXIV. Ad hanc quæſtionem reſpondetur, etſi conveniens ſit, ut unus è gremio ſive Corpore Eccleſiæ eligatur ad Epiſcopatum, aliámve Prælaturam, ſecularem vel regularem, adeóque ſi idoneus adſit, alius extraneus non poſſit obtrudi invitis Capitularib', ut colligitur ex c. Bonæ. 4. de poſtul. Præl. c. Nullus. 13. diſ. 61. ob neceſſitatem tamen, ſi nullus è Collegio idoneus reperiatur, vel ob utilitatem Eccleſiæ, ſiquis, ob ſingulares virtutes & qualitates, præ cæteris Eccleſiæ profuturus exiſtimetur, poteſt alius ex aliena Eccleſia ad Prælaturam aſſumi. Imò etſi in propria Eccleſia æquè dignus haberi poſſit, valida tamen eſt electio extranei à toto vel majore & ſaniore Capituli parte facta, dummodo aliud Canonicum impedimentum non obſiſtat, quia Capitulares huic juri & favori ſuo principaliter pro ipſo Collegio introducto renuntiare poſſunt, & nuſquam reperitur, quòd propter hoc caſſetur electio, gl. in c. Ne pro defectu. 41. V. Ipſius, & in c. Cùm inter. 21. V. Aliam h. t. & ibid. Abb. n. 9. Idque conſtat ex cap. Cùm nobis. 19. h. t. prout habetur in integra lectio-
» ne huius c. ubi dicitur, licèt cautum ſit in SS. Ca-
» nonibus, ut tunc quis ex aliena Eccleſia eligatur, ſi
» nullus in propria repertus fuerit idoneus, id tamẽ
» præcipuè in favorem Capitularium ſtatutum eſt,
» cui ipſimet renunciare poſſunt, quamvìs ipſis in-
» vitis extraneus obtrudi non poſſit. Præterea cùm
» Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum caput exi-
» ſtat, ſi ex illa quis aſſumatur in alicuius Eccleſiæ
» Prælatum, non poteſt ei objici, quòd ex aliena Ec-
» cleſia ſit aſſumptus, cùm à Capite ſuo non debe-
» ant membra aliena reputari.

CXV. Idem quoque ſumitur ex c. Cùm in-
» ter. 21. h. t. Nam vacante Eccleſiâ Saonenſi, orta eſt
» controverſia ſuper electione Epiſcopi, eáque ad Se-
» dem Apoſtolicam eſt delata: ubi Procurator Capi-
» tuli propoſuit, quòd ſinguli Capitulares communi
» conſenſu, excepto Stephano Subdiacono, Haſtenſis
» Eccleſiæ Præpoſitum in Epiſcopum elegerunt, &
» electio in publicum ſcriptum redacta ſit. Ex adver-
» ſo dictus Stephanus propoſuit, cùm ſeptem Cano-
» nici Saonenſes in Capitulo conveniſſent de ele-
» ctione Epiſcopi tractaturi, & Haſtenſis Præpoſitus
» nominatus eſſet, ipſe contradixerit appellando,
» quia idem Præpoſitus morbo epileptico laboraret,
» id eóque jam aliàs antehac tanquam inhabilis fue-
» rit rejectus, nec ex alia Eccleſia debeat quiſpiam e-
» ligi, ſi idoneus in propria Eccleſia reperiatur. Poſt-
ea Archipresbyter Saonenſis, & dictus Stephanus »
in Archiepiſcopum Mediolanenſem compromiſe- »
runt, qui G. Modicenſem Canonicum in Epiſcopũ »
eis dedit, & etiam confirmavit. His ita propoſitis, »
Innocent. III. Epiſcopis à ſe delegatis mandavit, »
ut, cùm conſtet, electionem Præpoſiti Haſtenſis à »
majore & ſaniore Capituli parte factam, imò etiam »
publicatam, & ſubſcriptam fuiſſe, ſi idem Præpoſi- »
tus electioni ſuæ etiam conſenſerit, adeóque per »
mutuum conſenſum eligentium & electi, quaſi »
ſpirituale conjugium contractum ſit, eam auctori- »
tate Apoſtolicâ confirment: niſi ſufficienter oſten- »
ſum fuerit, eundem morbo epileptico laborare, »
cuius causâ contra ipſum appellatum fuit: non ob- »
ſtante appellatione, ſiquæ ex aliis ſuprà allatis cau- »
ſis (videlicet, quòd ex alia Eccleſia ſit electus, cùm »
in propria idonei eſſent, gl. hîc V. ex aliis cauſis) in- »
terpoſita fuerat, quippe cùm eas frivolas Papa judi- »
cet. Non obſtante etiam confirmatione ab Archi- »
epiſcopo factâ Modicenſi Canonico, etſi electores »
in eundem Archiepiſcopum, poſt priorem electio- »
nem, compromiſerunt, cùm ab illa reſilire non po- »
tuerint. Quòd ſi verò Electores non compromiſe- »
runt in Archiepiſcopum, tum delegati nihilominus »
electionem dicti Præpoſiti confirment, etiamſi ele- »
ctioni ſui necdum conſenſerit, dummodo adhuc »
conſentire velit, & à morbo ipſi objecto ſit immu-
nis.

CXVI. Ex deciſione huius c. colligitur 1. Quòd Prælatus inferior Epiſcopo, non debet poſtulari, ſed eligi poteſt in Epiſcopum, ut hîc Præpoſitus, quia non eſt matrimonio ſpirituali copulatus ſuæ Eccleſiæ, ſicut Epiſcopus, Abb. hîc n. 1.

Colligitur 2. Contra nominatum vel electum in Epiſcopum poteſt quilibet de Capitulo ſe opponere, ne eligatur, & ex juſta cauſa appellare ad Superiorem, ſicut hîc unus ex Capitularibus contra Præpoſitum oppoſuit, & appellavit, ne eligeretur, eò quòd morbo comitiali laboraret, ob quem ſit aliàs repulſus, Abb. hîc n. 1. & 2. quamquàm, quia ea repulſa ob morbum tantùm allegata fuit, non etiam probata, ideò Papa ſimpliciter reſpondit, Subdiacono opponenti illud impedimentum morbi eiuſdem probationem incumbere, Hoſtienſ. hîc V. oſtenſum, ſcilicet ex parte Subdiaconi.

Colligitur 3. Si Canonici Eccleſiæ Cathedralis compromittant in Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, qui ex Papæ privilegio poteſtatem habet confirmandi Suffraganeos ſuos, tum priùs debet eligere ſeu nominare Epiſcopum, ſecundùm formam compromiſſi, & poſtea eum confirmare, gl. hîc V. Confirmare, & Abb. n. 9. quia quando duæ diverſæ poteſtates in eadem perſona concurrunt, ut eſt in propoſito, eligere, ut arbiter, & confirmare, ut Archiepiſcopus, non poſſunt ſimul eodem actu expediri: ſecus, ſiquis habeat jus eligendi, & confirmandi eodem jure, tum enim unus actus ſufficit, & eligendo cenſetur ſimul confirmare. Ut ſi ad Papam, propter negligentiam, crimen, vel depoſitionem, devolvatur poteſtas providendi Eccleſiæ Epiſcopum, talis proviſio tum electionis, tum confirmationis vim habet, unóque actu expediri poteſt, quia utraque ex eodem jure & plenitudine poteſtatis Pontificiæ procedit.

Colligitur 4. Quamvìs aliqui dicant apud gl. hîc V. Aliam, ut quis eligi poſſit ex aliena Eccleſia, neceſſarium eſſe, ut duæ partes Capituli conſentiant, quia duæ partes vicem totius Capituli obtinent: tamen ſufficere, ut electio extranei ſit valida, ſi à majore parte Capituli facta ſit, ſatìs colligitur ex hoc c. ubi Papa omnes oppoſitiones factas contra electum Præpoſitum (inter quas illa quoque fuit, quòd non debeat fieri tranſitus ad aliam Eccleſiam, donec reperiretur idoneus in propria, adeóque quòd non poſſit extraneus eligi, quando reperitur idoneus ex Capitularibus propriæ Eccleſiæ) tanquam frivolas reiecit, præterquam, ſi electus laboret morbo epileptico ſeu caduco, gl. hîc V. aliam & Hoſtienſ. V. ex aliis cauſis, & Abb. n. 8. & 9. idque ſumitur etiam ex c. Nobis. 19. h. t. Nec obſtat, quòd Capitularis vis ſeu poteſtas dicitur reſidere in duabus partibus Capituli, l. Nulli. 3. & l. ſeq. ff. quod cuiuſque univerſ. nom. quia id verum eſt, quando ab initio congregatur Collegium, tum enim debent eſſe præſentes duæ partes Capitularium eorum, qui poſſunt, & volunt intereſſe: ſed poſtquam Collegium eſt congregatum, tum quando eſt diſcordia ſeu diſſenſio inter Capitulares, totum Collegium cenſetur conſiſtere penes majorem partem Capituli, Abb. hîc. n. 6. de quo infrà plura.

Colligitur 5. Quamvìs ex verbis ultimis hujus c. videatur colligi, quòd Electoribus liceat, non ſolùm poſt publicationem votorum, ſed etiam poſt ſolemnem & communem electionem omnium Capitularium nomine factam, ſi electus necdum conſenſum dedit, recedere ab electione, & alium eligere, vel compromittere, in præjudicium priùs electi, quia ante conſenſum electi videtur res adhuc integra, & nondum jus ei acquiſitum; tamen id poſtea correctū eſt, ut conſtat ex c. Publicato. 58. h. t. Innocent. hîc in fine. Sicut autem Electores, poſt publicatum ſcrutinium, non poſſunt directè recedere ab electione, quia functi ſunt ſuo officio, ita nec indirectè, compromittendo in præjudicium electi, Abb. hîc n. 11.

Aliud verò eſt in poſtulatione, per quam nullum jus acquiritur poſtulato, ideo poſtulantes poſſunt ab illa recedere, etiamſi poſtulatus conſenſum dederit, vel velit conſentire, c. Bonæ. 4. de poſtul. Prælat. Innoc. hîc in fine. & Abb. n. 11.

SECTIO III.

DE PRÆPARATORIIS AD Electionem, ſive de ijs, quæ ad illam præcedere debent.

§. I.

Quænam ante Electionem præmittenda, & obſervanda ſunt?

CXVII. Aſſertio 1. Antequam ad electionem deveniatur, requiritur inprimis, ut Eccleſia, de cujus Paſtore eligendo agitur, vacet, ac verè viduata ſit Paſtore, c. Quia propter 42. ibi, *Eccleſijs viduatis* h. t. Gregor. Tholoſan. tract. de elect. c. 13. n. 1. & 2. ſive per mortem naturalem ejuſdem, ſive civilem, ſeu juridicam, videlicet per depoſitionem factam propter crimen aliquod, v. g. Simoniam, c. Inſinuatum 13. de Simon. crimen falſi, c. Ad falſariorum 7. de crim. falſi, vel læſæ Majeſtatis, c. fin. de pœnis in 6. vel per renunciationē Paſtoris, c. Poſt translationem 11. c. fin. de renunc. vel per translationem ejuſdem ad aliam Eccleſiam, c. Mutationes 34. c. Epiſcopus 37. cauſ. 7. q. 1. vel per tranſitum ejuſdem ad religionem, cum licentia S. Pontificis, c. Temporis 44. §. Item cùm aliquis, cit. cauſ. & q. ſive alijs modis, quibus vacatio inducitur, Eccleſia viduata ſit ſuo Paſtore. Quòd ſi Eccleſia non de jure, ſed de facto tantùm vacatet, vero Paſtore vi dejecto, alius ſubrogari non poſſet, Tholoſan. c. l. num. 1. Prohibetur autem fieri Electio, Sede, aut Eccleſiâ non vacante, ne detur occaſio deſiderandi mortem ejus, in cujus locum ſe quis novit ſucceſſurum, c. 2. & 3. de conceſſ. Præbend. c. 2. eodem in 6. Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 19. de reform. quam ob cauſam etiam pactum de futura ſucceſſione reprobatur, l. fin. C. de pactis.

CXVIII. Aſſertio 2. Vivente Prælato, etiamſi de vita ejus jam conclamatum ſit, Capitulares non poſſunt collegialiter tractare de electione ſucceſſoris, citando ſcilicet, ſeu vocando Electores abſentes: vel ſtatuendo aliquid circa perſonam eligendam, vel circa tempus, aut locum, in quo Electores ad proximam electionem convenire debeant &c. talia enim decerni non poſſunt, ante mortem Prælati, ante quam nec Eccleſia, ſeu Sedes vacat, neque Canonicis jus, ſeu poteſtas eligendi, vel ſtatuendi aliquid ad electionem pertinens competit: ac proinde non ſolùm tractatus de electione Succeſſoris, vivente Prælato, eſt illicitus, & invalidus, tanquam factus à non habentibus poteſtatem, ſed etiam electio, poſt mortem Prælati, ex tali tractatu ſubſequens, non quidem ipſo jure nulla eſt, cùm hoc jure cautum non reperiatur, ſed annullari & caſſari debet, quia contrà juris diſpoſitionem facta eſt, Innocent. in c. Bonæ 36. n. 2. & 3. h. t. & ibid. Abb. num. 2. & 12. & alij communiter. Idque ſumitur ex eodem c. Nam cùm „
Epiſcopus Cremonenſis in extremis conſtitutus, & „
jam deſperatum de ipſius ſalute eſſet, Capitulum „
Cathedrale H. Canonicum ſuum eo tempore Re- „
gij ſtudijs operam dantem citavit ad novi Epiſcopi „
electionem, aſſignato certo termino, Vigiliæ Pen- „
tecoſtes. Verùm Epiſcopo Feriâ II. Pentecoſtes „
mortuo, antequam corpus ejus ſepulturæ traditum „
eſſet, abſente dicto Canonico, poteſtatem eligendi „
Epiſcopum compromittendo contulerunt in qua- „
tuor ex Capitulo, & tres ex Clero Civitatis, ita ta- „
men, ut minor pars eligentium majori parti acce- „
deret. Habito deinde, poſt mortem, ſed ante ſe- „
pulturam Epiſcopi, tractatu de electione futuri E- „
piſcopi, cùm ab initio vota diſcordarent, tandem „
ſepulto Epiſcopo, concorditer Archipresbyterum „
ejus Eccleſiæ elegerunt, prout habetur in integra „
lectione hujus c. at verò poſtea adveniens dictus „
Canonicus, exiſtimavit, electionem illam non va- „
lere, eò quòd ad illam non vocatus fuerit, ſed con- „
temptus, ideóque Archidiaconum elegit, quippe „
cùm ad ſe ſolum facultas eligendi fuerit devoluta. „
Re delatâ ad Papam Innocent. III. is inprimis e- „
lectionem Archidiaconi, licèt viri alioquin littera- „

ti

» ti & boneſtæ vitæ, à Canonico illo temere præſum-
» ptam, cenſuit irritandam, eò quòd facta ſit, ante-
» quam prior electio Sedis Apoſtolicæ auctoritate eſ-
» ſet caſſata, & in pœnam (quia ſibi ipſi jus dixit, &
» ſimul actor, & judex eſſe voluit quoad priorem ele-
» ctionem, gl. hîc V. Expectare junctâ gl. margin.)
» ei interdixit, ut, ſi Capitulum in primo conſenſu
» permaneat, (id eſt, priorem electionem Archipres-
» byteri denuo renovet, Hoſtienſ. hîc V. eodem)
» contradicere non poſſit. Sed & electionem prio-
» rem Archipresbyteri, etſi digni & idonei, juſtitiâ
» exigente, Papa caſſavit, partim quia corpore Epi-
» ſcopi defuncti nondum ſepulturæ mandato, inſti-
» tuerunt tractatum de electione contra Canonicas
» ſanctiones: partim quia Canonicus H. contem-
» ptus fuit, licèt unus ſolus fuerit, dum non vocatus
» fuit, quia in hujuſmodi caſu plus unius contem-
» ptus obeſſe ſolet, quàm multorum contradictio.
» Neque verò factum excuſat, quòd dictus Canoni-
» cus citatus fuerit, quia cùm ea citatio fuerit facta,
» ante mortem Epiſcopi, non fuit legitima, ſed te-
» meraria, ideóque non potuit arctare, ſeu obliga-
» re citatum.

CXIX. Notandum 1. Citatio Canonici abſentis facta à Capitularibus in caſu hujus c. ipſo jure irrita fuit, quia emanavit ante mortem Epiſcopi, adeóque facta eſt à non habentibus poteſtatem citandi, cùm Sede nondum vacante, non ſolùm eligere non poſſint: ſed etiam nihil ſtatuere, vel tractare poſſint collegialiter ad electionem pertinens, ac proinde talis tractatus, ante mortem Epiſcopi eſt invalidus, ob defectum poteſtatis, uti ſumitur ex hoc c. in princ. & ibid. Abb. n. 2. Quare regula illa Canonica deſumpta ex c. Uxore 7. de ſepultur. quòd diſpoſitio facta, tempore inhabili, ſubſiſtere poſſit, ſi conferatur in tempus habile, non habet locum, ſi alicui tempore inhabili ablata ſit, vel non conceſſa facultas diſponendi: ut in propoſito Capitulares non poſſunt, vivente adhuc Epiſcopo, citare Canonicum abſentem ad faciendam electionem, poſt mortem ipſius, quia ante mortem Prælati Sedes non vacat, adeóque nec jus eligendi vel ſtatuendi aliquid ad electionem pertinens illis competit: quia in talibus initium ſpectandum eſt, an tunc poteſtas adſit citandi, vel aliud agendi: non eventus, quod enim initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, reg. 29. in ff. Præterquam quòd in caſu hujus c. citatio fuit emiſſa ad tempus etiam inhabile, quia Canonicus abſens fuit citatus, ut comparetet ad tractandum de electione in Vigilia Pentecoſtes, in qua adhuc vivebat Epiſcopus, Abb. hîc n. 7. Similiter citatio invalida eſt facta ab eo, qui nondum Judex eſt conſtitutus, ad diem, in quo juriſdictionem habiturus eſt, quia facta à non habente poteſtatem. Sic etiam conjux, durante matrimonio, non poteſt paciſci de novo matrimonio ineundo, poſt mortem conjugis, quia tale pactum præbere ſolet occaſionem mortis machinandæ, ideóque tanquam bonis moribus adverſum non obligat, arg. c. ult. de eo, qui duxit in uxorem &c. & ibi Abb. num. 2. & l. ult. C. de pact. ubi reprobatur pactum de hæreditate viventis.

CXX. Notandum 2. Non tamen prohibetur ipſe Prælatus, dum adhuc vivit, cum ſuis Capitularibus, decernere tale aliquid pertinens ad tempus, locum, vel formam electionis, quia ipſe habet poteſtatem ſtatuendi: imò etiam ante mortem ſuam Electores convocare poterit, eóſque monere, ut concordes ſint, & propoſitâ eis certâ perſonâ idoneâ, de eadem eligenda cum eis conſultare, ut tradit Innocent. in cit. c. Bonæ n. 3. V. Tractatum & Abb. ibid. n. 12. & colligitur ex c. ult. diſ. 79. junctâ gl. V. Non poſſit. quamvis talis conſultatio non liget Electores, quin ab illa recedere, & alium, quàm ipſis propoſitus fuerat, eligere poſſint, cùm ejuſmodi deliberatio non habeat vim electionis, quæ fieri non poteſt, priuſquam Eccleſia vacet; neque Epiſcopo liceat ſibi Succeſſorem conſtituere, tametſi ad exitum vitæ pervenerit, c. Epiſcopo 3. & c. ſeq. cauſ. 8. q. 1. Similiter extra Capitulum, vel etiam in Capitulo incidenter, & veluti per accidens de Succeſſore, poſt mortem Prælati ſenis, vel infirmi, mentionem facere licitum eſt; quia talis mentio non fit per modum tractatûs Capitularis, cùm non fiat definitivè, ſeu decretoriè, decernendo, ut certa perſona eligatur: modò non interveniat mutua conventio vel promiſſio, aut non apponatur pœna de certa perſona eligenda, quia ejuſmodi pacta à jure ſunt prohibita, & electio ex tali illicito pacto poſtea ſecuta irritari poterit, Innocent. in cit. c. Bonæ n. 4. & num. 5. Joan. Andr. ibid. n. 17. & Abb. n. 12.

CXXI. Notandum 3. Etſi decens ſit, ut de electione Succeſſoris non tractetur à Capitularibus collegialiter, ante ſepulturam Prælati defuncti, cit. c. Bonæ 36. h. t. vel etiam ante tertium diem depoſitionis ejus, c. Nullus 7. diſ. 79. abſolutè tamen id non eſt neceſſarium, ac proinde valida eſt Electio, licèt ſtatim poſt mortem Prælati, ante corporis ejus depoſitionem fiat; quia ſtatim poſt obitum Prælati Eccleſia vacat, & Clericis Capitularibus poteſtas eligendi competit, c. Epiſcopo 3. cauſ. 8. q. 1. ubi dicitur, quòd poſt obitum quieſcentis, Clerici habent poteſtatem eligendi: imò etiam licita eſt, ſi neceſſitas urgeat, ut electio acceleretur, gl. hîc V. Tractatum, Innocent. n. 4. Imol. n. 2. & Abb. n. 11. Nam ſicuti mortuo marito, ſtatim uxor ſoluta eſt lege viri, & alteri nubere poteſt, c. pen. & ult. de ſecund. nupt. ita mortuo Prælato, ſtatim vacat Eccleſia, & ejus lege ſoluta eſt, ut alteri ſponſo poſſit copulari. Et, ſi electio fieri non poſſet, ante ſepulturam Prælati, tempus trium, aut ſex menſium à Jure præfixum ad novum Prælatum eligendum, non curreret, nec numerari deberet à die mortis Prælati, vel etiam ab hora mortis, gloſſ. in c. Poſtquam 11. V. Tres menſes, diſ. 50. ſed potiùs à die ſepulturæ, quia non valenti agere non currit præſcriptio, l. 1. §. fin. C. de annali except. & abſurdum eſt, tempus illis currere, qui eligere non poſſunt, c. Quia diverſitatem 5. de conceſſ. præb. Joan. Andr. & Abb. hîc num. 11.

Non obſtat, quòd in cit. c. Bonæ, inter cauſas caſſatæ electionis ea ponitur, quia ante Epiſcopi ſepulturam habitus fuit tractatus de electione. Nam inprimis tractatus, de quo ibi fit mentio, non tantùm ante ſepulturam, ſed etiam ante mortem Prælati fuit habitus, ut patet ex initio hujus c. & notat Innoc. hîc n. 3. Deinde ea non fuit cauſa ſufficiens, adæquata, & principalis caſſandi illam electionem,

ſed

ſed impulſiva tantùm, & inadæquata; principaliter verò ea electio caſſata fuit, quia unus ex Electoribus contemptus fuit, & non legitimè vocatus ad electionem, ſecl. communiter recepta hic V. Tractatum, Abb. ibid. n. 11.

CXXII. Notandum 4. Electio facta à Capitulo, vel uno ex iis, qui poſſent, ac deberent vocari, contempto, ſeu non legitimè vocato, non eſt ipſo jure nulla; debet tamen ad petitionem contempti, à Superiore irritari, prout habetur in hoc. c. ubi etiam dicitur, quòd contemptus unius abſentis plus obeſſe poſſit, quàm multorum præſentium contradictio, quia ſcilicet, ſi major, & ſanior pars in unum idoneū conſentiat, alij contradicendo nihil efficiunt: & tamen unus ſolus, propter contemptum agere poteſt ad reſcindendam electionem, Abb. hic n. 4. & 6. de de quo plura infrà.

Notandum 5. Si uno, vel pluribus contemptis, electio peracta ſit, non ideo privantur Electores pro ea vice eligendi poteſtate, neque ea ad alios non delinquentes, ſeu contemptos devolvitur, quia hæc pœna privationis, ſive devolutionis in jure non reperitur expreſſa: quòd ſi caſſata ſit electio propter contemptum unius, poſſunt Capitulares, unà cum contempto, ad aliam electionem procedere, &, ſi velint, etiam priùs electum iterum eligere, quia cùm prior electio non ſit caſſata propter delictum electi, poteſt is iterum eligi, ut colligitur ex hoc c. & ibi tradit gl. V. Expectare. & Jo. Andr. n. 15. Abbas n. 5. & 9. quamvis Papa poſſit pro ea vice Electores in pœnam delicti, ſeu contemptûs privare facultate eligendi, gl. hic V. eod.

CXXIII. Aſſertio 3. Mortuo, ac ſepulto Prælato, ſi non urgeat neceſſitas eligendi, Electores ſeu Capitulares, qui præſentes ſunt, vel non longè diſtantes, convenire debent in Capitulo, & diem Electioni celebrandæ capitulariter conſtituere, eúmque Electoribus abſentibus, per litteras, vel per nuncium ſpecialiter ad hoc deputatum, intimare, ut colligitur ex c. Cùm inter 18. h.t. & ibid. Laym. n. 1. Gregor. Tholoſan. tract. de Elect. c. 14. n. 1. niſi alicubi conſuetudo ſit, ut Decanus, aut Senior Capituli terminum vel diem, intra quem, vel in quo Prælati electio inſtituenda ſit, deſignet, & decernat, Laym. cit. l. & de Elect. Præl. q. 35. Mandato autem, quo citantur Capitulares abſentes, ut conſtituto die, & horâ, locóque conveniant, unà cum præſentibus, de electione futuri Prælati tractaturi, adjicitur clauſula: ſi non adfuerint in termino conſtituto, præſentes nihilominus proceſſuros ad ipſius Electionis negotiū, non obſtante ipſorum abſentiâ, & ipſis ulteriùs non vocatis, etiamſi ad alium terminum electio fuerit protogata, Tholoſan. cit. loc.

§. II.

De vocandis Capitularibus ad Electionem.

CXXIV. Quæritur 1. An omnes Capitulares vocari debeant ad Electionem Epiſcopi, vel Prælati? Reſpondetur, cùm electio fuerit celebranda, omnes Capitulares abſentes ad illam vocandi ſunt, ut compareant, & ſint præſentes, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè ei intereſſe; ita ſtatuit Concilium Lateranenſe ſub Innocent. III. in c. Quia propter 42. in princ. h.t. Ratio eſt, quia nemo uſu ſive exercitio juris ſui ſinè cauſa privari debet: tum quia quando pluribus jus communiter competit ad aliquid agendum, id communibus ſuffragiis omniū fieri debet, & non niſi præſentibus omnibus, quorum intereſt, de unoquoque negotio tractandum eſt, l. De unoquoque. 47. ff. de re judic. Tholoſ. tract. de Elect. c. 14. n. 4.

CXXV. Quare inprimis vocandi ſunt, qui Electioni intereſſe debent, ij ſcilicet, qui jus eligendi habent, ſive ex jure communi, ſive ex conſuetudine, ſive ex ſpeciali privilegio, aut alio titulo, gl. in cit. c. Quia propter. V. qui debent, & Hoſtienſ. V. eod. Abb. n. 3. quique notoriè impediti, vel prohibiti non ſunt ab eligendo: fruſtra enim vocarentur illi, quos notoriè conſtat ab eligendo excludi. Et hinc vocandi non ſunt, qui ob defectum Ordinis, vel ætatis eligere non poſſunt, quamvis adſint, ſive in loco electionis exiſtant, c. Ex eo 32. in princip. h.t. in 6. ſive enim admiſſi ſint, ſive non, votum illorum non computatur, cùm ſint inhabiles ad eligendum. Neque etiam vocandi ſunt, qui ob delictum privati ſunt jure eligendi, ſaltem pro ea vice; vel qui notoriè excommunicatione majore ſunt ligati, vel ſuſpenſi, vel interdicti, vel irregulares, & ſimiles perſonæ, ad eligendum inhabiles, Abb. c. l. n. 3. quin, etſi præſentes ſint, non ſunt cum aliis ad electionem admittendi. Quòd ſi ab illa excludi non poſſint, ob periculum ſcandali, vel metum potentiæ illorum, aut violentiæ inferendæ, non niſi cum proteſtatione admitti debent, quòd eorum ſuffragia valere non debeant, Tholoſan. cit. c. 14. n. 10. Illi tamen vocandi ſunt, qui in quieta poſſeſſione Canonicatûs exiſtunt, licèt illis poſtea de proprietate, ſive jure beneficij Canonicalis quæſtio moveatur, c. in Geneſi 55. ubi dicitur, quòd unus ex Canonicis non poterat excludi, cùm exiſteret in Canonicatûs poſſeſſione, vel quaſi: non enim ſpoliandi ſunt poſſeſſione ſuâ, auctoritate ſolùm privatâ, Abb. Ibid. n. 5. ſicuti etiam Canonici Capitulares, ſtudiorum cauſâ, abſentes, vocandi ſunt ad Electionem, ſi ſint in loco, unde congruè vocari poſſint, Abb. in c. Bonæ. 36. n. 3. h.t. Nam inter fructus Canoniæ jus eligendi numeratur, Tholoſ. c. l. n. 3.

CXXVI. Secundò, ij vocandi ſunt ad electionem, qui intereſſe volunt; nam, ſi aliqui Capitulares vocati venire aut intereſſe nolint, non poſſunt compelli, ut compareant, niſi ſpecialiter Eccleſiæ interſit, ut omnes, qui adeſſe poſſunt, adſint, Abb. in cit. c. Quia propter. n. 4. Sylveſt. V. Electio 1. q. 5. dicto 3. quia quiſque juri ſuo renunciare poteſt, niſi id fortè in præjudicium tertij, vel communitatis, aut Eccleſiæ vergat. Poteſt tamen per conſuetudinem, vel etiam per ſtatutum à Capitulo decerni, ut omnes Capitulares vocati ad electionem venire teneantur, niſi juſto impedimento excuſentur: nam Capitularibus incumbit officium eligendi, ratione cuius obligantur ad electionem, & alios actus Capitulares, Capitulum autem habet poteſtatem faciendi ſtatuta quædam, etiam ſede non vacante, de rebus, quæ propriè ad ipſum ſpectant, nimirum de ratione ac modo congregandi Capitulum, diſtribuendi reditus &c. ut colli-

colligitur ex c.Cùm omnes 6. de conſtit. Innoc. in c. Cùm conſuetudinis 9.& ibid. Abb. n. 4. de conſuet. ac proinde nihil impedit, quò minùs eiuſmodi ſtatutum pœnale à Capitulo fieri poſſit in abſentes, ſinè juſta cauſa; præſertim cùm huiuſmodi ſtatutum ſit ſecundùm Jus commune, eíque conforme: & poterit à Capitulo vel Decano, iuxta cuiuſque Eccleſiæ morem, talis pœna inferri tranſgreſſoribus, ſi modica ſit, Laym. de Elect. Præl. q.45. Quòd ſi Capitulares aliqui vocati ad electionem venire recuſent, neque Procuratorem ſuo loco conſtituant, alij præſentes, quamvls numero pauciores, procedere poſſunt ad electionem, poſtquam conſtiterit, abſentes venire nolle, vel, ſi terminus electionis celebrandæ proximè inſtet, gl. in cit. c. Cùm nobis. 19. n.6. & Abb. ibid. n. 10. h.t. quia ij, qui jus eligendi habent, ſed electioni, etſi poſſent, intereſſe nolunt, non cenſentur in numero Electorum, totáque poteſtas Capitularis eligẽdi in aliis præſentibus reſidet, prout ſumitur ex c. Sicut. 28. h.t. ubi dicitur, quòd, qui ad electionem vocari, ſive nequiverint, ſive noluerint ad illam accedere, ipſorum abſentia non poſſit electionem impedire, quia, ſi noluerint, alienos ſe feciſſe cenſentur, gl. ibid. v. noluerint, ídque etiam ſumitur ex c. Cùm nobis. 19. junctâ gl. v. Alienos h.t. ubi ait, ex quo nolunt venire vocati, poteſt procedi ſinè illis. Idémque dicendum, etſi unicus tantùm ex Capitularibus adſit, qui eligere poſſit, ac velit; quia tunc jus omnium, ſive totius Collegij, ſeu univerſitatis in unum recidit, l. Sicut 7. in fine ff. quod cuiuſque univerſ. nom. Innocent. in cit. c. Cùm nobis. n.6. Et quamvls talis ſeipſum eligere non poſſit, ob notam ambitionis, quam incurreret, poteſt tamen alium habilem, ac dignum nominare, & Superiori confirmandum præſentare: vel jus eligendi cedere alteri, ſive alij Clerico, uni vel pluribus; & tunc etiam ipſe ad Prælaturam eligi poterit, Laym. de elect. Præl. q.36. & dictum etiam ſuprà n. 12. h.t.

CXXVII. Tertio vocandi ſunt & ij Capitulares ad Electionem, qui commodè ei intereſſe poſſunt; non autem illi, qui commodè & ſinè periculo vocari non poſſunt, cit. c. Quia propter, & ibi gl. v. Commodè. Quare, ſi ſinè periculo non poſſint vocari abſentes, vel juſtè impediti, aut ſpeciale periculum ſit in mora, non ſunt vocandi, aut expectandi, ſed alij ad electionem procedere debent ſinè eis, c. Sicut 28. ibi: *ſi tamen ſinè periculo potuerunt convocari*, h.t. & ibi gl. v. Sinè periculo. Ut ſi v.g. interim, dum expectarentur abſentes, factiones quædam facilè pullulare poſſent, vel eſſet periculum ſchiſmatis, aut intruſionis laicæ poteſtatis; nam commune bonum Eccleſiæ prævalere debet particulari privatorum.

CXXVIII. Similiter ſi Canonici aliqui à loco, ubi electio eſt inſtituenda, valde remoti ſeu diſtantes ſint, ita, ut intra tempus à jure ad eligendum præfixum commodè accedere nequeant; ijs etiam non vocatis, electio ab aliis, quamvìs numero paucioribus, peragi poteſt: quia mora longior eſt in electionibus valde ſuſpecta, imò ſæpe damnoſa, tum ipſi Eccleſiæ vacanti, tum Electoribus, qui termino electionis faciendæ elapſo, facultate eligendi privari poſſunt, prout conſtat ex c. Cùm inter. 18. h.t. nam cùm Archiepiſcopus Capuanus Panormi mortuus eſſet, De- » canus, & alij quidam Canonici Eccleſiæ Capuanæ,
qui morti Archiepiſcopi præſentes erant, litteris »
datis ad Capitulum Capuanum, ei inhibuerunt, »
ne ad nominationem, ſeu electionem novi Archi- »
epiſcopi, ante adventum ipſorum, procederent. Eo »
intellecto, Capitulum, miſſo ad illos aliquo ex Ca- »
pitularibus cum litteris, terminum XII. dierum »
eis aſſignavit, inter quos, poſt litterarum receptio- »
nem, iter inſtituere deberent ad redeundum. Re »
hac delatâ ad Papam Innocent. III. is reſcripſit ad »
Capuanum Capitulum, quòd Conſuetudo Eccle- »
ſiarum non exigat, ut Canonici abſentes ex loco »
tam remoto ad electionem Paſtoris vocentur, præ- »
ſertim cùm Decanus, & alij Canonici, qui tunc Pa- »
normi erant, mortem Metropolitani, cui præſentes »
erant, non ignorârint, quorum aliqui poſt eius de- »
ceſſum, ad Eccleſiam Capuanam ſunt reverſi (& ſic »
etiam ipſi redire poterant, gl. hìc v. Reverſi.) Quare »
cùm mora longior in Prælatorum electionibus ſu- »
ſpecta ſit, imò ſæpe damnoſa Eccleſiæ, mandat Pa- »
pa eidem Capitulo, ut invocatâ S. Spiritus gratiâ, »
perſonam idoneam per Canonicam electionem »
concorditer aſſumant; poſtea verò nuncios idone- »
os ad Sedem Apoſtolicam tranſmittant, per quos »
vice Regiâ aſſenſum à Papa, & Apoſtolicæ confir- »
mationis gratiam poſtulant.

CXXIX. Notandum 1. Quanta loci diſtantia eſſe debeat, intra quam abſentes neceſſariò ad electionem vocandi ſunt, nihil in ſpecie jure expreſſum eſt. Aliqui putant, vocandos eſſe abſentes, ſi ſciatur, ubi ſint, dummodo non ſint in loco remotiore, ultra duas dietas, Innoc. in c. Quia propter. 42. n. 10. h.t. arg. c. Nonnulli. 28. de reſcript. Secundùm alios verò omnes vocandi ſunt, qui in provincia ſunt, non autem ij, qui extra provinciam, prout videtur ſtatutum in c. Coram 35. ibi: *omnibus, qui fuerunt in provincia, convocatis* h. t. quia in Provincia exiſtentes quodammodo pro præſentibus habentur, qui autem extra Provinciam ſunt, abſentes cenſentur eſſe, l. ult. C. de præſcript. long. temp. Verùm probabiliùs dicitur, in vocandis abſentibus Electoribus, cuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem ſervandam eſſe, gl. in cit. c. Cùm inter v. Remoti h.t. Abb. ibid. n.4. & colligitur ex eodem c. ubi innuitur, attendendum eſſe, quid conſuetudo Eccleſiarum exigat, quia ſicut per conſuetudinem poteſt acquiri jus eligendi, c. Cùm Eccleſia 3. de cauſ. poſſeſſ. & propr. ita etiam poteſt reſtringi, vel omnino amitti, quoad vocationem abſentium faciendam, Abb. in cit. c. Coram. n. 5. Cuiuſmodi conſuetudo in quibuſdam locis eſt, ut omnes, qui in Provincia, aut regno ſunt, vocentur. c. in Geneſi 55. in fine h. t. ubi dicitur, quòd de toto regno Franciæ vocentur abſentes, de conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ, gl. ibid. v. de conſuetudine, dummodo commodè, & ſinè periculo per nuntium, aut litteras vocari poſſint, quia, ſi eſſet provincia valde longa & lata, adeóque periculum eſſet in mora, non deberent vocari abſentes ex tota provincia, ſecundùm gl. in cit. c. Coram. v. In provincia. Quòd ſi conſuetudo loci ſit, ut abſentes Electores nullo modo vocentur, ea quoque valebit, & ſervanda erit, arg. c. Cùm in Eccleſiis 33. de præbend. in 6. ubi dicitur, quòd ad collationem præbendarum, & beneficiorum faciendam in Eccleſiis Canonicorum, omnes Canonici ſunt vocandi, ſi commodè fieri valeat, niſi conſuetudo ha-

beat

beat, eos ad talia nnn vocari.ergo idem dicendum, ſi ex conſuetudine nnn vocentur Canonici ad electionem Prælati,ad quam de jure communi etiam vocari debent, Abb. in cit. c. Coram n. 5. Præterea valet conſuetudo, ut abſentes Capitulares vocentur etiam ex remotioribus locis, dummodn commodè venire poſſint intra tempus à jure præſcriptum ad eligendum; tum enim non erit Eccleſiæ damnoſa talis conſuetudo, aliàs ſecus, Abb. in cit. c. Cùm inter,num. 4. h. t. Denique valet etiam conſuetudo, ut ad alios etiam tractatus Capitulares, v. g. ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum debeanr vocari abſentes Canonici, licèt aliàs de jure cnmmuni nnn ſint vocandi, Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccleſ. & c.2. §.Hnc jus,cauſ. 10. q. 2. Abb.in cit. c. Coram n. 5. in fine h. t.

CXXX. Notandum 2. Spectato Jure cnmmuni, & ſeclusâ ſpeciali Eccleſiatum conſuetudine, omnes abſentes Capitulares ad electinnem Prælati vocandi ſunt, non habitâ ratione, utrùm ſint in Provincia, vel extra Prnvinciam, ſed eo ſolùm conſiderato, an ob locorum diſtantiam, & alias circumſtantias, v. g. pericula imminentia, vel diſcrimina viarum,juxta boni viri arbitrium (ejus ſcilicet,ad quem ſpectat Electionem confirmare) commndè vncari poſſint, ita, ut non ſit ſpeciale periculum in mora, & intra tempus à SS. Canonibus conſtitutum advenite poſſint, cit. c. Inter 18. h. t. c. Quòd ſicut 28. & c. Bonæ 36. eod. ubi fuit ad electionem vocatus, qui erat extra Provinciam, Regium enim, & Cremona ſunt in diverſis Provincijs, ſive Archiepiſcnpatibus, gl. in cit. c. Coram V. In Provincia, Abb. ibid. n. 3. Quod tamen intelligendum eſt de vocatinne ſpeciali per nuncium, vel litteras,modò ſciatur,ubi abſentes verſentur, nam vocatinne, ſen citatione generali, ſcilicet per Edictum pnblicum, affixum ad valvas Eccleſiæ, omnes abſentes vocandi ſunt, ubicunque locorum fuerint, Thnloſan. tract. de Elect. cap. 14. num, 13.

CXXXI. Sed prædictis obſtare videtur cit. » c. Coram 35. h. t. Nam cùm in quadam Eccleſia » duæ electinnes in diſcordia celebratæ eſſent, Papa » Innocent. III. mandavit Cardinali tituln S. Pu- » dentianæ, nt de valnre earum cognoſceret, &,ſi ju- » dicaverit, utramq; electionem caſſandam eſſe,con- » vocatis omnibusCannnicis, qui in Provincia ſunt, » mandat eis, ut ad aliam electinnem denno proce- » danr, eámque, ſi à majnre & ſaninre parte eorum » fuerit celebrata, per cenſuram Eccleſiaſticam fir- » miter faciat nbſervari. Ubi clarè eſt expreſſnm, quòd omnes illi, & ſoli, qui ſunt in Provincia (ſive Archiepiſcnpatu) vocandi ſunt ad electionemPrælati. Sed reſpondetur cum gl. ibid. V. In Prnvincia, & Abb. n. 3. hoc c. continere ſpecialem reſpnnſionem à Papa datam, nimitum, vel quia particularis ejus Eccleſiæ conſuetudo fuit, ut omnes, qui in Provincia ſunt, vncarentur, quæ tamen intelligi debet, dummodn Provincia non ſit valde longa & lata, ut ſinè gravi Eccleſiæ damnn, abſentes vocari poſſint, alinquin tanquam conſuetudo Eccleſiæ damnnſa aboleri debet. Vel quia ob particulares circumſtantias,videbantur omnes, qui in ea Provincia ſunt, commodè vocari poſſe, ideóque ea deciſio ad quaslibet alias Eccleſias extendi non debet, cùm Provinciæ aliæ alijs poſſint eſſe latiores, ſeu longiores, & brevinres. Neque etiam id, quod in præſcriptinne rerum immnbilium ſpecialiter conſtitutum eſt in l. ult. C. de præſcript. lnng. temp. nt qui in eadem provincia domicilium habent,pro præſentibus habeantur, ad propoſitum caſum extendi poteſt.

CXXXII. Notandum 3. Si terminus temporis à jure præfixi ad eligendum appropinquet, neceſſe non eſt, abſentes vocari, ſeclusâ ſpeciali conſuetudine, quia dies ſtatuta interpellat pro homine, l. Magnam 12. C. de contrah. empt. & eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet, reg. jur. 31. in 6. quò caſu,ſi abſentes Canonici ſciverunt, vacare Eccleſiam, & quamvìs non vocati, venire negligant, etiam minor pars Capitularium, imò & unicus ad electionem procedere poteſt, Innocent. in c. Cùm nobis 19. n. 6. h. t. Abb. ibid. num. 9. & dictum ſuprà num. 128.

CXXXIII. Nntandum 4. Etſi poſſint Capitulares præſentes abſentibus præfigere certum diem, in quo adveniant ad electionem peragendam, etiam abbreviando terminum à jure præſcriptum,ut enlligitur ex hoc c. & tradit ibid. Abb. n. 3. tamen ad id neceſſarium eſt, ut duæ partes Collegij, ſen Capituli conveniant,& ut ex juſta cauſa reſtringant terminnm juris, quia, quando Collegium eſt in congregando, vis ſeu pntentia Capitnlaris cnnſiſtit in duabus partibus, l. Nulli 3. & l. ſeq. ff. quod cujuſque Univerſ. nom. quamvìs poſtquam congregatum eſt,ſufficiat, ſi conſentiat majnr pars Collegij,& poſſunt hæ duæ partes abbreviare tempus à jure definitum ad eligendum, quod eſt præfixum favnre Collegij, cui illud renunciare poteſt ex cauſa,qualis etiam ſufficit, quòd velit providere Eccleſiæ de Paſtore, etiam ante tempus jure definitum, Abb. in c. Cùm nobis 19. n. 9. h. t. niſi tamen convocatin Capitularium abſentium ad electionem ex conſuetudine ſpectet ad Decanum, vel Seniorem Capituli, tum enim ille ſnlus pnteſt diem præſtituere abſentibus, ut adveniant, nnn tamen poterit, ſinè conſenſu Capituli, abbreviare terminum à jure definitum, quippe qui in favorem Collegij eſt præfixus, cujus juri ipſe renunciare non poteſt, nec cnnſuetudn dans illi poteſtatem convocandi, ſeu cnngregandi Collegium ad electionem, debet extendi ad caſum diverſum, nempe ad poteſtatem reſtringendi, ſeu abbreviandi terminum juris, Abb. c. l. n. 9. contra Innocent. ibid. Veruntamen ſi aliqui ex Capitularibus, ob juſtum impedimentum, v. g. nb violentiæ periculum, vel quia ob Eccleſiæ utilitatem longiùs abſunt, ad electionem venire, intra tempus à jure definitum, nequeant,poterit interdum electio ultra terminū prorngari, dnnec periculum ceſſet, vel legitimè abſentes etiam advenire poſſint, arg. c. Ne pro defectu 41. ibi: *juſto impedimento ceſſante* h. t. Laym. de Elect. Prælat. quæſt. 36. & in cit. c. Cùm inter 18. num. 2. not. 3. h. t.

Notandum 5. In caſu cit. c. Cùm inter 18. h. t. S. Pontifex duplicem cnnſenſum dare debuit in electionem Archiepiſcopi Capuani, unum loco ac vice Regis, quia terram Capnanam, totúmque Regnum Siciliæ, qund tanqnam feudum ad Romanam Eccleſiam pertinet, tunc tempnris, nullo Rege adhuc in eo jure vaſalli inveſtito, ipſe Papa adminiſtra-

ſtrabat; deinde etiam debuit auctoritate Apoſtolicâ eandem electionem confirmare, cùm poteſtas confirmandi Epiſcopos ad Papam pertineat, gl. fin. hîc, & Abb. num. 7.

CXXXIV. Quæritur 2. An, ſi Capitulares præſentes vocent abſentes ad electionem ex remotiore loco, præfigendo eis terminum, intra quem advenire, vel adeſſe debeant, cùm tamen eos ob diſtantiam vocare non tenerentur, poſſint poſtea nihilominus, ante elapſum terminum ipſis præfixum, abſque illis, ad electionem procedere? Reſpondetur, teneri Capitulares expectare abſentes, quos vocârunt, uſque ad terminum ipſis præfixum, dummodo ex tali mora, ſeu expectatione nullum Eccleſiæ præjudicium, vel damnum eveniat, vel periculum immineat, & abſentes, ante tempus à jure ad eligendum conſtitutum, advenire poſſint; quia hoc caſu juri ſuo, quòd non teneantur vocare valde remotos ac diſtantes, ſponte renunciârunt, idque ſinè præjudicio Eccleſiæ, & gratia ſemel conceſſa intempeſtivè revocari non debet, nec beneficijs oportet nos decipi, ſed adjuvari, c. unic. de commod. l. incommodata 17. §. Sicut ff. eod. alioquin verò, ſi ex mora periculum immineret, non obſtante illâ vocatione, ſinè abſentibus, & ijs non expectatis, eligere poſſent, gl. cit. quam ſequitur Laym. in cit. c. Cùm inter h. t. contra Innocent. & Abb. ibid. n. 11. & 12.

Nec obſtat, quòd Capitulares in caſu hujus c. ad electionem proceſſerunt, abſentibus, quos vocârunt, non expectatis, quia id ex mandato Papæ fecerunt, & quia periculum timebatur, vel imminebat ex mora, ut innuitur in textu.

CXXXV. Quæritur 3. An, ſi ex Capitulo ad tractandum de Electione Epiſcopi, ſeu Prælati congregato aliqui Capitulares egrediantur, & diſcedant, & revocati nolint redire, alij poſſint electionem proſequi, & perficere? De hoc ex parte, & magis principaliter agitur in c. Cùm nobis 19. h. t. ubi habetur, quòd Canonici Eccleſiæ Capuanæ, accepto mandato Sedis Apoſtolicæ (de quo fit mentio in cit. c. Cùm inter 18. h. t.) convenerunt ad eligendum Archiepiſcopum, cúmque ea de re tractarent, Archidiaconus, cum alijs quibuſdam, appellavit, ne fieret Electio, niſi Canonica, & ſtatim è Capitulo eſt egreſſus, cum ſocijs ipſi adhærentibus: quos alij Canonici, qui remanſerunt in Capitulo, revocârunt, ut ſecundùm formam mandati Apoſtolici ad electionem procederent; ſed cùm ipſi redire nollent, cæteri exiſtimantes, poteſtatem eligendi ad ſe devolutam eſſe, ſibique, etiam ſinè illis, competere, quendam Subdiaconum Eccleſiæ Romanæ in Archiepiſcopum elegerunt. Re hac ad Papam Innocent. III. delatâ, is Capitulo Capuano reſcripſit: tametſi videri poterat, hanc electionem cenſendam eſſe irritam, vel irritandam, cùm poſt appellationem legitimè interpoſitam fuerit attentata, quâ pendente, nihil innovari debuiſſet: tamen ob eam rationem irritari non poteſt, ſiquidem appellatum fuit, non ut nulla electio fieret (talis enim appellatio non valet, ne id fiat, quod fieri jure præcipitur, publicæ enim utilitatis intereſt, ut fiat electio, gl. hîc V. Nulla electio) ſed ut Canonica fieret, ſi itaque canonica electio poſtea facta ſit, nihil contra appellationem factum eſt, ſed potiùs ſecundùm eam proceſſum eſt. Sed neque propter abſentiam Archidiaconi, & ſociorum, caſſari poteſt electio; nam cùm ſolicitè revocati ad faciendam electionem redire noluerint, alienos ſe ab electione feciſſe videntur, ideóq; nihil contra illam concorditer, ſecundùm formam mandati Apoſtolici, celebratam opponere poſſe, cenſeri debent. His igitur aliiſque allegatis, licèt contra perſonam electam nihil propoſitum, aut objectum fuerit: tamen juxta præceptum Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *manus citò nemini impoſueris*, Papa ex officio inquirere jubet, num eligendus habeat qualitates requiſitas, nempe legitimam ætatem, morum honeſtatem, & ſcientiam ſufficientem. Et verò de morum honeſtate electo, tanquam ſibi noto, ipſemet Pontifex teſtimonium perhibet, ut habetur in lectione integra hujus c. quoad ſcientiam verò, eam, etſi eminens non ſit, convenientem tamen eſſe, ex alijs ſe intellexiſſe, ait Papa: quoad ætatem autem, poſt indagationem factam, à nemine audivit, quòd annum XXX. attigiſſet. Quare idem Papa tam Eccleſiæ, quàm perſonæ providere, ſimúlque Canones obſervare volens (ſecundùm quos requiritur ut conſtet de ætate XXX. annorum eligendi in Epiſcopum, c. In cunctis 7. in princ. h. t. gloſſ. hîc V. Canones) dictum Subdiaconum, propter urgentem neceſſitatem, & evidentem utilitatem Eccleſiæ Capuanæ, procuratorem conſtituit, liberam adminiſtrationem ei, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus committens.

CXXXVI. Pro explicatione hujus c. & reſolutione quæſtionis ſuprà propoſitæ notandum 1. Si contra electionem Prælati appelletur, ne fiat non canonicè, poſtea autem canonicè, ſeu legitimè ea peragatur, nihil agitur contra appellationem, ut conſtat ex c. hoc. in princ. Ratio eſt, quia per appellationem extra judicialem non ſuſpenditur jus parti competens, à qua appellatur, ſed tantùm eò tendit talis appellatio, ut gravamen non inferatur appellanti, aut ab eo ceſſetur: at, quando aliquid fit poſt appellationem extrajudicialem, ſed non contra illam, appellans non gravatur in jure ſuo, ſed potiùs pars, à qua appellatur, gravaretur, ſi in ijs, quæ non ſunt contra appellationem, ipſa jure ſuo uti non poſſet, Abb. hic n. 7. Quare, ſi appelletur ab ijs, quibus jus eligendi competit, ne eligant non canonicè, ipſi non prohibentur procedere ad Canonicam electionem, quæ non eſt contra appellationem, ſed ei conformis, ac proinde, ſi Superior poſtea judicaverit, electionem ab ipſis factam Canonicam eſſe, ea ſubſiſtet, tametſi poſt appellationem facta ſit, ut colligitur ex cit. c. Cùm nobis: Ideóque etiamſi appellans extrajudicialiter ſe offerat ad probandum incontinenti defectum electionis, v. g. eam canonicè non fieri, nihilominus Electores procedere poſſunt ad illam, donec Superior contra appellatos decreverit, arg. c. 1. junctâ gl. V. Oſtenſum, de his, quæ fiunt à major. part. Cap. cùm enim Capitulum utatur jure ſuo, non tenetur recipere probationes ſuper exceptionibus oblatas, cùm non ſit Judex, ſed pars, Innoc. in c. Cùm inter 21. n. 4. h. t. & ibid. Abb. n. 11. Aliud eſt in appellatione judiciali, quæ fit, non à parte, ſed à Judice, vel à Prælato, per quam ſuſpenditur poteſtas ejus, à quo appellatur quoad illam

cauſam,

cauſam, ideóque procedere ulteriùs non poteſt, ſed omnia attentata, poſt appellationem interpoſitam, niſi ea manifeſtè frivola ſit, irritanda ſunt, c. Super eo 10. junctâ gl. V. Appellationem fieri de Appellat. Abb. in cit. c. Cùm nobis. num. 7. h. t. de quo ſuo loco.

Nec obſtat, quòd in c. Conſideravimus 10. h. t. reprobata fuit electio Prælati facta, poſt interpoſitam appellationem extrajudicialem, eò quòd Canonica non ſit. Nam ibi ea electio caſſata fuit, non præcisè, quia poſt appellationem, ſed quia, eâ non obſtante, contra formam privilegiorum illius Eccleſiæ à Canonicis in electione proceſſum fuit, Laym. ibid. nor. 2. de quo infrà.

CXXXVII. Notandum 2. *Si cœpto electionis tractatu, aliqui Capitulares, quibus jus eligendi competit, è Capitulo exeant, & redire nolint*; tum diſtinguendum eſt, nam vel duæ partes Capitularium, comparatione eorum, qui egreſſi ſunt, vel ſaltem major pars omnium Capitularium ad electionem faciendam legitimè congregatorum remanet, aliis abſque neceſſitate recedentibus; & hoc caſu poſſunt reliqui remanentes, ſinè aliis, ad electionem procedere, vel cœptam proſequi, quia, ut docet gl. in c. Cùm inter. 21. v. Capituli h. t. ſi diſſenſio ſit inter Canonicos, ibi cenſetur eſſe Capitulum, ubi eſt major pars Capitularium legitimè congregatorum: poſteaquã autem Collegium ſeu Capitulum, ſemel legitimè cõgregatum fuit, ſtari debet judicio majoris, ac ſanioris partis, c. 1. de his quæ fiunt à major. part. Capit. Abbas in cit. c. Nobis. n. 10. h. t. Quare non eſt neceſſe, ut exeuntes hoc caſu revocentur, vel moneantur, ut redeant ad Capitulum: quia paris contumaciæ eſt, legitimè vocatum non venire, & poſt adventum diſcedere, ſinè neceſſitate ſcilicet, c. Certum. 43. cauſ. 11. q. 3. & c. 1. de judiciis. Nec refert, quòd in caſu cit. c. Cùm nobis, qui ſponte receſſerunt, revocati fuerint, vel etiam, quòd duæ partes Capitularium, aliis exeuntibus, in Conventu remanſerint: nam id factum eſt ſolùm majoris certitudinis, ſeu ſecuritatis cauſâ, & ſpecies facti ibi tantùm narratur, non autem, quòd id abſolutè neceſſarium fuerit, ita ut electio aliter facta ſubſiſtere non potuiſſet: ſufficit enim, quòd ſemel vocati ſunt ab initio ad electionem peragendam, & exeuntes hoc caſu non numerantur inter Capitulares. Vel (quod eſt alterum membrum diſtinctionis) major pars Capitularium legitimè congregatorum egreſſa eſt ex Conventu; & hoc caſu reliqui pauciores, qui in Capitulo manent, ad electionem procedere non poſſunt, quia illi cenſentur velle diſſolvere Conventum, quibus alij pauciores numero morem gerere debent, ibi enim eſt Capitulum, ubi eſt major pars, gl. cit. & Abb. c. l. & Laym. ibid. n. 5. Excipi tamen debet 1. niſi appropinquet terminus à jure præfixus ad electionem faciendam. 2. Niſi ſpeciale periculum ſit in mora. 3. Niſi, vi conſuetudinis vel ſtatuti, unus aliquis ex Capitularibus, v. g. Decanus, aut Senior poteſtatem habeat definiendi certum diem electionis, alióſque vocandi. In his enim caſibus, ſi qui Electores venire non poſſint, vel nolint, vel ſi, poſtquam venerunt, temere & ſinè juſta cauſa recedant, alij Capitulares, qui remanent, etſi numero pauciores eligere non prohibentur, imò & unicus tantùm, Innoc. in cit. c. Cùm nobis n. 6. Ex quo jam patet reſponſio ad quæſtionem ſuprà propoſitam.

Notandum 3. Solet interdum Pontifex, vacante Eccleſiâ Cathedrali, ob eius neceſſitatem, vel utilitatem, Procuratorem ſeu Adminiſtratorem conſtituere, qui habeat liberam, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus facultatem adminiſtrandi, ut patet ex fin. cit. c. Cùm nobis, per hoc tamen non datur ei poteſtas malè adminiſtrandi, gl. fin. ibid. de quo infrà.

§. III.

De Electoribus contemptis, ſeu non vocatis ad Electionem.

CXXXVIII. Quæritur 1. *An, ſi unus vel plures ex Electoribus vocandis contempti fuerint, electio valeat, vel ſaltem reſcindi poſſit?* Reſpondetur 1. Si unus, vel plures ex Electoribus contempti fuerint (id eſt, non vocati, cùm vocari potuerint, ac debuerint, vel non ita tempeſtivè vocati, ut commodè ad electionem venire poſſent) tum, ſi quidem pauciores, quàm duæ Capitularium partes, ſive duæ tertiæ ex ijs, qui debent, volunt, & commodè intereſſe poſſunt, ad Electionem faciendam conveniant, electio ab ipſis peracta eſt ipſo jure irrita: non præcisè ob contemptum aliorum vocandorum, ſed ob defectum poteſtatis eligendi, quia vis ſeu potentia Capitularis ad eligendum, aut decernendum aliquid deeſt, quæ in duabus partibus Capituli reſidet, eorum ſcilicet Capitularium, qui debent, volunt, & commodè poſſunt intereſſe, Innoc. in c. Cùm nobis. 19. n. 6. h. t. Abb. in c. In cauſis. 30. n. 9. & in c. Quia propter. 42. n. 12. h. t. & alij Canoniſtæ communiter: nam qui legitimè vocati ad electionem congruo tempore inſtitutam, nolunt, aut non poſſunt ei intereſſe, non debent computari in numero duarum partium, ſinè quibus electio ipſo jure eſt irrita, ſed tota poteſtas eligendi penes alios Capitulares, qui volunt, & poſſunt intereſſe, remanet, Abb. in cit. c. Quia propter. n. 5. Neque enim propter paucorum Capitularium abſentiam, ſive neceſſariam, ſive voluntariam, impediri debent actus, ſeu negotia totius Collegij, ſeu Univerſitatis, l. Nominationum. 45. C. de Decurionib. lib. 10. Abb. in cit. c. In cauſis. n. 9. Sin verò ſaltem duæ partes Capitularium ad eligendum convenerint, eorum videlicet, qui volunt, & poſſunt commodè intereſſe, & à majore ac ſaniore parte præſentium perſona idonea electa fuerit, licèt unus vel plures ex Electoribus vocandis fuerint contempti, valida nihilominus erit electio. Abb. in c. Cùm inter. 21. n. 6. & in cit. c. In cauſis. n. 9. h. t. Ratio eſt, quia duæ partes Ordinis totius Curiæ vel Collegij ſeu Univerſitatis vicem exhibent, gl. in l. Nulli. 3. v. Duæ partes. ff. Quòd cuius. univerſ. nom. & cit. l. Nominationum C. De decurion. & habetur in c. Cùm nobis. 19. h. t. ſecundùm integram eius lectionem, quamvìs non ſit neceſſe, ut omnes præſentes conſentiant, ſed ſufficit, ſi major pars, quod enim major pars Capituli præſentis, & legitimè congregati decrevit, perinde habetur, ac ſi omnes decrevetint, l. Quòd major. 19. ff. Ad municip. gl. in cit. l. Nulli. v. Duæ partes: adeóque duæ

partes Capitularium convenire debent ad conſtituẽdum legitimum Conventum Capituli, ſeu Collegij, licèt in definiendo valeat, quidquid decernit major pars illarum duarum partium, Abb. in c. Bonæ. 36. n. 4. h.t. Neque verò Electio, ob contemptum aliquorum vocandorum, eſt ipſo jure irrita, Abb. cit. l. alioquin contempti non poſſent eam per ſubſequentem conſenſum confirmare, c. Auditis. 29. h.t. quod enim ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, reg. juris 29. ff. Quare ſi Capitulares contempti taceant, & nullus eorum ſe opponat, electio verè ſubſiſtit, & effectum conſequi poteſt.

CXXXIX. Reſpondetur 2. Poſſunt tamen Capitulares contempti, unus vel plures, proſequi contemptum, ac petere, ut Electio ipſis non vocatis, peracta, Superioris auctoritate reſcindatur, quia illis injuria facta eſt, dum ſinè cauſa legitima, non ſunt vocati, ſed excluſi ab Electione, ad quam jus habebant, ideóque datur illis facultas reſcindendi electionem, ſi velint, gl. in c. Quòd ſicut. 28. v. Conſentire h.t. Innoc. ibid. n. 4. Abb. in cit. c. Bonæ. n. 4. & 8. eodem. Idque expreſſum habetur in cit. c. Quòd ſi-
» cut. §. Si autem. h.t. Nam vacante Eccleſiâ Arma-
» chanâ, quidem Abbas electus fuit in Archiepiſco-
» pum illius Eccleſiæ, & poſtea confirmatus & con-
» ſecratus, cui priùs coram Legato Sedis Apoſtolicæ,
» & poſtea apud Papam Innocentium III. plura ob-
» jecta fuerunt, tam contra electionem, quàm con-
» tra perſonam illius. Et contra Electionem quidem
» propoſita fuerunt tria; nempe 1. quòd ea facta eſ-
» ſet, poſt nominationem aliarum trium perſonarũ,
» quæ in litteris datis ad Papam aliquoties vocatur
» electio, adeóque antequam ea caſſaretur, non de-
» buit attentari alia electio. 2. Appellationem à
» Rege eſſe interpoſitam, quæ, ſi legitima fuit, ſequẽ-
» tem electionem omnino impedivit. 3. Quia facta
» fuit non præſentibus Epiſcopo Miridenſi, & Abba-
» te Mellifontis, quibus etiam jus ſuffragij compete-
» bat, prout habetur in integra lectione hujus c. Ad
» hæc objecta reſpondit Pontifex ad 1. quòd illa fu-
» erit potiùs nominatio, quàm vera electio, per quam
» propoſiti fuerunt tres, qui digni videbantur ele-
» ctione, ſed nullum ipſis nominatis jus fuit acquiſi-
» tum, ideóque eâ non obſtante, ad canonicam ele-
» ctionem Archiepiſcopi procedi potuit. Quòd au-
» tem ea nominatio non fuerit propriè dicta electio,
» ex eo etiam colligitur, quia non eſt facta in Eccle-
» ſia Cathedrali, in qua tamen, ſecundùm canonicas
» Conſtitutiones (c. 1. diſ. 23. c. Quâ fronte. 25. de ap-
» pell. gl. hîc v. Conſtitutiones) ſi fieri poteſt, electio
» celebranda eſt. Ad 2. appellatio à rege interpoſi-
» ta non potuit illam electionem impedire, cùm ele-
» ctio in eius præjudicium non ſit facta, quia non
» ſimplex nominatio, ſed ſolemnis electio præſenta-
» ri debet Principi, ut aſſenſum præbeat, etſi ſecus in-
» terdum per uſurpationem, ſeu abuſum à quibuſ-
» dam fiat. Ad 3. Si Epiſcopus ille, & Abbas, qui e-
» lectioni intereſſe debuerant, non contempti, ſed
» vocati fuerunt ad electionem, dummodo ſinè peri-
» culo vocari potuerint, ipſorum abſentia, ſive, quia
» venire non potuerunt, ſive quia noluerunt, ele- »
» ctionem impedire non debuit. Quòd ſi verò con-
» ſtiterit, eos vocatos non fuiſſe, ſed contemptos, ele-
» ctio ſinè ipſis celebrata infirmanda erit (adeóque
non eſt ipſo jure irrita, Hoſtienſ. hîc v. Eod.) niſi »
ipſi poſtea, propter bonum pacis conſentire velint. »
Porrò ad alia tria objecta contra perſonam electi »
reſpondet Papa in eod. c. §. Super eo, de quo, quia »
aliam materiam continet, dicetur infrà. »

CXL. Notandum 1. Nominatio in lata ſignificatione poteſt appellari electio, nam, qui nominat aliquem eligendum, priùs illum quaſi mente ex aliis deligit, propriè tamen dicta electio non eſt, quia per illam jus nominato non acquiritur. ideóque non impedit, quò minùs canonica electio alterius fieri poſſit, ut habetur in hoc c. Abb. ibid. n. 1. ubi triplicem diſtinguit nominationem, una eſt ſimplex, quæ fit de aliquo eligendo, ut cùm proponuntur in Capitulo aliqui tanquam idonei, de quibus fiat ſcrutinium; & de hac loquitur hic textus, quòd per illam jus non acquiratur nominatis. Altera eſt, quæ fit in ipſo ſcrutinio electionis, per quam etiam non acquiritur jus nominato, quamvìs is, qui nominavit, non poſſit ampliùs variare, ſi dignum nominavit, ſaltem poſt publicatum ſcrutinium, de quo infrà. Tertia eſt ſolemnis nominatio, per quam duo vel plures nominantur Superiori, & petitur, ut ex illis eligat unum, & ex hac etiam non acquiritur jus nominatis, quamvìs nominantes non poſſint variare, poſtquam illam nominationem præſentârunt Superiori, ſicut ſuprà de poſtulatione dictum. Quòd ſi talis nominatio Prælati Eccleſiaſtici fiat Principi aut poteſtati laicæ, dum illi aliqui proponuntur, ſeu nominantur, ut ex illis eligat, ſeu admittat, quem voluerit, ea abuſus & prava uſurpatio Eccleſiaſticæ poteſtatis cenſenda eſt, uti ſumitur ex hoc c. & ex c. Cùm terra. 14. eod. de quo infrà.

Notandum 2. Sicut illi, quibus jure communi competit jus eligendi, ſi abſentes ſint, & commodè venire ad electionem non poſſint, vel non velint, vocandi non ſunt, ut habetur in hoc c. ita nec illi vocari debent, quibus jus eligendi competit ex jure ſolùm ſpeciali, ſi venire commodè non poſſint, vel non velint. Abb. hic n. 2. not. 5.

Notandum 3. Vocatio abſentium Capitularium, etiam eorum, qui vocari debent, non pertinet ad formam ſubſtantialem electionis, quia aliquibus etiam non vocatis, ſubſiſtit electio, quamvìs ea reſcindi debeat, ſi contempti proſequantur contemptum, ut patet ex hoc c. Abb. ibid. n. 2. not. 6. Idque procedit etiam in aliis actibus Capituli, ſeu Collegij, qui, ſi collegialiter peracti ſint, aliquo contempto, ſeu non vocato, cùm vocari debuiſſet, ad petitionem illius reſcindendi ſunt, tanquam non legitimè facti, arg. c. Bonæ. 36. h.t. & ibi Abb. n. 9. in fine.

CXLI. Notandum 4. Contemptus poteſt petere caſſationem electionis, etiam poſtquam ea confirmata eſt, imò etiam poſt conſecrationem electi, ut colligitur ex hoc c. ubi electus in Archiepiſcopum jam erat confirmatus, & conſecratus, & tamen decernitur, caſſandam eſſe electionem, ob contemptum aliquorum Electorum, Innoc. hîc n. 4. Joan. Andr. n. 17. & Abb. n. 3. Ratio eſt, quia infirmatâ electione, ob contemptum Electorum, vel alium defectum, conſequenter etiam irritatur confirmatio, quæ illam ſubſequitur, illique innititur, tanquam quæ canonicè & legitimè facta fuerit, arg. c. Qualiter. 17. in fine h.t. Verumtamen ſi ij, qui contempti fuerant,

ſeu

ſeu non vocati, poſtquam ante confirmationem electionis publico edicto moniti ſunt, iuxra c. ult. h. t. in 6. non oppugnent electionem, cenſentur tacitè illi conſentire, jurique ſuo renunciare, ac proinde, ſi ſe poſtea opponere velint, repellontur, Abb. hîc num. 3. Quòd ſi confirmatio nondum ſit facta, debent non vocati proſequi contemptum, intra tempus ipſis datum ad eligendum, Abb. c. l. ubi ait, idem dicendum, ſi quis contemptus ſit in collatione beneficij, quòd poſſit proſequi contemptum intra 6. menſes, qui dantur ad conferendum, atg. c. 2. de conceſſ. præb.

Notandum 5. Poſſunt contempti renunciare contemptui, cùm quilibet renunciare poſſit juri ſuo, l. Si quis. 29. C. de pact. & ob bonum pacis poſtea conſentire electioni, eámque ratam habere, cit. c. Quòd ſicut §. Si autem, in fine: modò ab initio fuerit valida electio, ut quia facta eſt præſentibus duabus partibus Capituli, & à majore parte illius, ſecus eſt, ſi electio fuerit ab initio irrita; quia facta à minore parte Capituli, tum enim per ſupervenientes particulares conſenſus aliquorum contemptorum, non poteſt convalidari, ſeu ratificari, c. Auditis 29. h. t. Abb. hîc n. 9. Si tamen contemptus putet electionem, ad quam non fuit vocatus, Eccleſiæ profuturam non eſſe, ut quia electus non videtur idoneus, non debet conſentire in electionem, quam reſcindere poteſt, quia talis conſenſus cederet in publicum damnum Eccleſiæ, Sylveſt. V. Electio 1. q. 5. dicto 5. Porrò quòd electione caſſatâ, ob contemptum unius vel plurium Capitularium, non ideo cæteri priventur jure eligendi pro ea vice, dictum eſt ſuprà n. 122.

CXLII. Reſpondetur 3. Non ſolùm ipſe contemptus, ſed etiam, eo mortuo, ſucceſſor in beneficio agere poteſt de contemptu, & petère, ut reſcindatur electio, ſi jus eligendi alicui competat ratione dignitatis, v. g. Prælaturæ: ſecus, ſi competat ratione Canonicatûs, vel præbendæ Capitularis; tum enim ſucceſſor in beneficio non poterit proſequi contemptum anteceſſoris, ut tradit gl. recepta in cit. c. Quòd ſicut V. Conſentire, in fine, & ibid. Innoc. n. 5. Abb. n. 10. & 11. Ratio primæ partis eſt, quia injuria contemptûs cenſetur illata Prælaturæ, quæ cùm Prælato non extinguitur, c. Si gratioſè 5. de reſcript. in 6. ſed ad ſucceſſorem tranſit, & conſequenter etiam omnia jura ipſi dignitati annexa ad ſucceſſorem tranſeunt. Ratio ſecundæ partis eſt, quia jura Canonici, ſeu Capitularis, eo mortuo, vel reſignante, ad Capitulum tranſeunt, c. Relatum 12. de teſtament. ac proinde Capitulum quidem, ſive ipſi Capitulares poſſent contemptum proſequi, niſi ipſimet elegiſſent, ideóque ſi de contemptu agerent ad reſcindendam electionem, proprium factum condemnarent, quod jura non permittunt. Ex quo infert Abb. c. l. quòd, ſi Canonicus fuit contemptus, ſeu non vocatus ad Electionem alterius Eccleſiæ, cui jure ſingulari, ſeu ſpeciali debebat intereſſe, ratione Canoniæ, eo mortuo, poſſit Capitulum agere de contemptu, ſicut Prælatus agere poteſt ob contemptum anteceſſoris, quia tunc ceſſat ratio ſuprà allata.

CXLIII. Reſpondetur 4. Si contemptus, ſeu non vocatus jus ſuum proſequendi contemptum, ſive oppugnandi Electionem ob ſui contemptum, expreſsè, vel tacitè remiſit, non poteſt Judex ſeu Superior, ad quem confirmatio ſpectat, ex officio, vel ad petitionem adverſarij, electionem reſcindere, Abb. in c. In Geneſi 55. n. 10. h. t. contra gl. ibid. V. nec præmiſſi duo. Ratio eſt, quia, quando non de publico, ſed privato favore agitur, Judex non poteſt ſupplere ex officio, ſive impertiri officium, ſi is, cujus intereſt, remittat, ſive non proſequatur jus ſuum, l. Dies 4. §. Hoc autem ff. de damn. infect. At in propoſito non agitur de jure publico, ſed privato, nam contemptus poteſt huic juri, & favori pro ſe introducto proſequendi contemptum renunciare, & electionem, ipſo non vocato factam ratificare, cit. c. Quòd ſicut, cùm tamen juri in favorem publicum inducto renunciare non liceat, c. Si diligenti 12. de foro compet. Excipi debet, niſi contemptus ex fraude vel factus fuiſſet, vel remiſſus, tum enim poteſt Judex ex officio reſcindere electionē, quia fraus ſua nemini patrocinari debet, eámque remittere non poteſt contemptus, quo ſenſu intelligenda, eſt gl. in cit. c. in Geneſi V. Nec præmiſſi duo.

CXLIV. Quæritur 2. An, ſi Capitularis, cui competit jus eligendi, ab Eccleſia abſens vocatus ſit, ſeu citatus ad tractandum de die electionis instituendæ, ſed tractatui intereſſe nolit, poſtea iterum debeat citari, ſeu vocari ad diem, quo peragetur Electio? Reſpondetur cum diſtinctione, nam ſi talis vocatus ad tractandum duntaxat de præfigendo termino, ſeu deſignando electionis die abſolutè reſpondit, ſe nolle, vel non poſſe intereſſe electioni, tum non debet iterum citari ad ipſum actum electionis celebrandæ, quia, qui ſemel citatus dixit, ſe non venturum ad actum aliquem, iterum citari non debet, nam dicendo, ſe nolle, vel non poſſe intereſſe actui, cenſetur voluiſſe, ne ulteriùs ad illum citaretur, gl. in c. Eccleſia 57. V. Vocato h. t. Et tunc talis non poteſt dicere, ſe eſſe contemptum, ſed potiùs Capitulum fuit contemptum ab ipſo non accedente ad electionem, ut allegabatur ab altera parte in cit. c. Eccleſia. Idémque dicendum, ſi fuit citatus ad ſtatuendum certum diem electionis, & venire noluit, attamen præfixum terminum, ſeu diem definitum ad electionem inſtituendam non ignoravit, tum enim iterum citari non debet, juxta reg. jur. 31. in 6. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet*, Innocent. in cit. c. Eccleſia n. 1. Abb. ibid. n. 9. Si verò Canonicus citatus quidem ſit ad tractandum de præfigendo certo die electionis, & noluerit ei intereſſe, ſed ignoret terminum, ſive diem ad electionem præfixum, tum iterum ad illum citari debet, alioquin de contemptu agere poterit ad reſcindendam electionem; quia per hoc, quòd noluerit intereſſe tractatui de præfigendo termino ad eligendū, non cenſetur juri eligendi renunciare velle, cùm ſint actus diverſi: niſi tamen in fraudem ideo intereſſe noluiſſet tractatui, ut non perveniret dies electionis ad ejus notitiam, tum enim debet haberi pro citato, nec ampliùs vocari, gl. recepta c. l. V. Vocato, Innoc. & Abb. locis cit. Excipi debet, niſi Canonicus abſens ſemel citatus ſit, non tantùm ad tractatum de die electionis inſtituendæ, ſed ad totum negotium electionis peragendum; tum enim ſufficit ea citatio, nec aliâ eſt opus, juxta doctrinam gl. communiter receptam in c. 2. V. Non teneris, de dolo & contum.

in 6. quòd citatus ad unum actum judicij, etſi contumax ſit, iterum citari debet ad alium actum, v. g. ad ſenrenriam definitivam audiendam, arg. c. Cùm olim 34. in fine de teſtib. quia ex contumacia in uno actu, v. g. ad ſtatuendum terminum, non infertur conrumacia in alio actu, v.g. ad faciendam electionem, ideóque ad illam iterum cirari debet. Aliud eſt, ſi ad rotam cauſam citatus ſit, ut noratur in addit. gl. ibid. ex Jo. Andr. Imola in cit. c. Eccleſia n. 7. h. t.

Cæterùm probabilius eſt, tamerſi Capitularis abſens nunquam fuerit ciratus, nec ad tractandum de dìe electionis inſtiruendæ, nec ad ipſam electionem faciendam, ſi tamen aliunde ſciat terminum, ſive diem electioni faciendæ præfixum, non poſſe agere de contemptu ad reſcindendam electionem, ut docet Abb. in cit. c. Eccleſia n. 9. h. t. & Laym. ibid. n. 3. contra Imol. ibid. n. 8. Ratio eſt, quia ex doctrina Bartoli in l. Empror 8. C. de evictionib. quando denunciatio alicui facienda eſt præcisè, ut ei notificetur res aliqua, tum nõ debet neceſſariò fieri ſcienti, juxta cit. reg. jur. 31. in 6. atqui in propoſito ideo ſolùm facienda eſt denunciatio electionis faciendæ Capitularibus, iique vocari debent, ut omnes, qui debent, volunt, & cōmodè intereſſe poſſunt, eidem interſint, uti ſumitur ex c. Quia propter 42. h. t. ac proinde non videtur neceſſariò ea denunciatio, vel vocatio facienda eſſe illis, quibus jam innotuit aliàs terminus ad electionem præfixus. Aliud verò eſt, quando denunciatio alicui fieri debet, non nudè ad notificandum ei aliquid, ſed ad faciendum aliquid ab ipſo, tum enim fieri debet etiam ſcienti; ſic enim emptor denunciare debet venditori, ſibi motam eſſe litem ſuper re vendita, etiamſi id ſciat venditor, quia id denunciatur ipſi, ut videat, an, & quâ ratione cauſam defendere, & liti aſſiſtere velit, l. 1. C de peric. & comm. rei vend. Bart. c. l.

§. IV.

An Elector abſens poßit procuratorem conſtituere, qui ſuo nomine, & loco eligat, vel per litteras ſuum votum, ſeu ſuffragium dare?

CXLV. Aſſertio 1. Elector non poteſt ordinariè, & regulariter Procuratorem conſtituere, qui ſuo nomine, & loco eligat, niſi tria concurrant. 1. Ut, qui Procuratorem dat, ſit abſens à loco, ubi debet fieri electio, & ſit in loco, ex quo poſſit, ac debeat vocari ad eligendum. 2. Ut juſto impedimento detineatur, ob quod ad electionem venire non poſſit. 3. Ut uni de Collegio eligentium, non extraneo vices ſuas cōmittat. Ita habetur ſtatutum in c. Quia propter. 42.
» §. Illud autem h. t. his verbis: Illud autem penitus
» interdicimus, ne quis in electionis negotio Procu-
» ratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de
» quo debeat advocari (quia aliunde non eſt neceſſariò vocandus, Hoſtienſ. hîc V. in eo loco) juſtóque
» impedimento detentus venire non poſſit: ſuper
» quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento (ſi nimirum exigatur, Hoſtienſ. hîc v. Juramento) & tunc, ſi »
voluerit (quia ad id non cogitur) uni committat de »
ipſo Collegio vicem ſuam. »

CXLVI. Notandum 1. Licèt in aliis negotiis poſſit quis ordinariè ſuo loco Procuratorem conſtituere, etiamſi non ſit impeditus, quò minùs ipſe per ſe agat, vel interſit, l. 1. §. pen. ff. de procurat. in electionis tamen negotio illud ſpeciale eſt, ut præſentes non dent Procuratorem, ut hîc habetur, quia videtur electa induſtria perſonæ ipſius eligentis: niſi fortè cum conſenſu Capituli, ſeu eorum, qui jus in electione habent, quia hi Conſtitutioni in favorem ſuum factæ renunciare poſſunt, Abb. in cit. c. Quia propter. §. Illud autem n. 1. Sicut etiam extraneos Electores admittere poſſunt, c. Scriptum. 40. h. t. &, niſi obſtet proprium Eccleſiæ ſtatutum juramento Capitularium confirmatum, quo decernatur, ut nullus præſens aut non impeditus Procuratorem dare poſſit ad eligendum, Laym. de Elect. Prælat. q. 43. Deinde excipi debet, niſi quis ex Electoribus in loco aut civitate, ubi electio peragitur, infirmitate detineatur, ut ipſemet intereſſe nequeat, tunc enim Procuratorem conſtituere poteſt ad eligendum ſuo loco, Laym. c. l. quamvìs, ſi ipſemet per ſe ſuffragium dare malit, ſcrutatores ad ipſum accedere teneantur, & inquirere votum eius, Innocent. in cit. c. Quia propter. n. 2. Sylveſt. v. Electio. 1. q. 5. dicto 1. quia debent inquirere vota præſentium, præſens autem cenſetur, qui propè in hortis eſt, vel in civitate, vel in continētibus ædificiis, id eſt, ſuburbiis adjacentibus, l. Præſens 5., cum l. ſeq. ff. de procurat. Porrò, ſi quis Electorum, tempore vocationis ad electionem, verſetur intra terminum loci, ex quo vocandi ſunt abſentes, quem poſtea tempore electionis egreſſus ſit, poteſt excludi Procurator ab eo conſtitutus, quia Principalis Procuratorem conſtituens debet detineri impedimento, in eo loco, à quo debet avocari, & vocandus fuiſſet, quo tempore Procurator ipſius nomine agit, gl. in c. pen. V. detentus h. t. Innocent. in cit. c. Cùm propter, n. 10. Gregor. Tholoſan. de Elect. c. 6. num. 7.

CXLVII. Notandum 2. Cauſæ juſti impedimenti, propter quod dans Procuratorem venire nequit, prudentis viri arbitrio determinandæ ſunt: cujuſmodi ſunt gravis v. g. infirmitas, vel metus, ſiquis ob capitales inimicitias venire timeat, ſiquis ad majoris tribunal vocetur &c. gl. in cit. §. Illud autem V. venire. Ad hoc autem, ut juſtum ſit impedimentum, requiritur; ut eo tempore, quo de facto quis dicitur impeditus venire, habeat jus eligendi, ita, ut, ſi præſens eſſet, poſſet eligere; ſi in tali ſtatu eſſet, ut, quamvìs adeſſet, non poſſet eligere, quia v. g. excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus; tum, ſicut non per ſe, ita nec per Procuratorem eligere poſſet; abſurdum enim eſt, illos admitti, quorum repellerentur auctores, c. Licèt. 47. de teſtib. Greg. Tholoſ. de Elect. c. 6. num. 8. Deinde debet hoc impedimentum perſeverare tempore electionis faciendæ: nam, ſi hoc tempore ipſe Principalis adeſſe poſſit, adeóque impedimentum ſublatum ſit, rejici poterit Procurator datus. Unde & fides de impedimento facienda eſt, ſi de illo Capitulo non conſtet, per juramentum præſtitum, vel à Principali, vel ab eius Procuratore, in animam Principalis ſeu committentis, quòd is impedi-

peditus venire non poſſit, expreſſâ causâ impedimẽti, cit. §. Illud, & ibi Innocent. n. 11. ideóque opus eſt, ut Principalis der ſpeciale mandatum Procnratori jurandi in animam ſuam, alioquin ſi Capitulum exigeret jnramentum, Procurator jurare non poſſet, & t..nquam non ſufficienter inſtructus repelleretur, gl. in c. pen. V. Detentus. h. t. in 6. Hoſtienſ. in ſumma n. 8. eod. Innocent. c. l. Quamvis antem Electores præſentes poſſint hoc jnramentum Procurarori remittere, ſi velint, cùm in ſavorem eorum introdnctum ſit; & cùm poſſint Electores totum jus eligendi in extraneum transferre, c. Cauſam 9. h. t. multò magis poterunt unum ſuffragium, loco unius eligentium, extraneo concedere, Gregor. Tholoſ. cit. c. 6. n. 8. requiritur tamen, ut omnes Capitulares præſentes, nnanimi conſenſu, & nemine contradicente, Procuratori juramentum aut probationem impedimenti remittant, Ahb. in cit. §. Illud. n. 4. Nam cùm iſte actus recipiendi Procuratorem non impediti ſit merè volũtarius, non ſufficit, quòd major pars Capituli admittat, ſed unus ſolus poteſt reſiſtere omnibus, arg. c. Cùm omnes. 6. de Conſtit. Abb. c. l. quemadmodum enim neque omnes de Collegio conferre poſſunt jns unius ſuffragij extraneo, ſi vel unus contradicat, arg. c. Scriptum. 40. h. t. ita nno contradicẽte non poſſunt reliqui admittere Procurarorem non impediti, quia is pro extraneo habetur, quippe datus ab eo, qui, cùm non fuerit impeditus venire ad electionem, Procuratorem date nou potuit, Tholoſan. c. l. Quòd ſi major pars Capitularium, neglectâ minore parte contradicente, ſen prohante, impedimentum probationi inſertum verum, vel ſufficiens non eſſe, Procuratorem non impediti admittat, poteſt minor pars, etſi nnicus fuerit, provocare, &, ſi tempus eligendi inſtet, nec differri poſſit, poterit provocans, ſi ille Procurator admiſſus ſit, eligere, præmiſsâ tamen proteſtatione; nec tenetur minor pars contradicens, admiſſo illo Procuratore, cum majore parte eligere, niſi ipſa proteſtationi conſentiat, quia aliàs pars minor ſibi præjudicaret, Abb. in cit. §. Illud. *in fine*, Tholoſan. c. l.

CXLVIII. Notandum 3. Etſi Procurator ab Electore ahſente, & legitimè impedito conſtitutus debeat eſſe de Collegio eorum, qni eligere debent, ut habetur in cit. c. Quia propter. §. Illud autem. h. t. poſſunt tamen Capitulares, ſi velint, etiam extraneum Procurarorem admittere, modò aliàs idoneus ſit, arg. cit. c. Scriptum. h. t. Abb. in cit. §. Illud. n. 2. jure enim in ſavorem ſuum conceſſo uti poſſunt, vel eidem renunciate. Non tantùm autem in Electionibus, ſed etiam in aliis actihus gerendis per Univerſitatem, ſeu Colleginm, non tenetur Collegium admittere Procurarorem extraneum, nt docet Joan. Andr. in c. Quod alicui. 67. n. 17. de R. J. in 6. quia non poteſt compelli ſecrera ſua extraneo pandere, l. mercatores 4. C. de commerc. & mercator. Quòd ſi nemo ex Collegio, pro abſente, & accedere impedito, Procuratoris partes ſuſcipere velit, nec tunc Capitulum tenetur ex neceſſitate extraneũ admittere, ſed ſolùm ex honeſtate, aut æquitate; ſi tamen non admittat, ſibi impntare debet ahſens Elector, quòd nullum è Collegio invenire poſſit, qui velit eſſe eius Procurator, ut tradit gl. in cit. §. Illud. V. venire, quia invitus nemo Procuratoris munus ſuſcipere cogitur, l. Invitus. 17. C. de Procurator.

CXLIX. Aſſertio 2. Capitularis, qui ob juſtum impedimentum, electioni commodè intereſſe nequit, non tantùm unum (prout hahetur in Concil. Gener. Lateranenſi ſub Innocent. III. relaro in c. Quia propter. 42. §. Illnd. h. t.) ſed etiam duos, vel plures ſuo loco Procuratores conſtituere poteſt; ita tamen, ut ſingnlis in ſolidum committat poteſtatem eligendi, videlicet ut unus ſinè altero eligere poſſit, & uno impedito aut recuſante, alter vices ſuppleat, atque inter hos melior eſt cõditio occupantis, ſive datur locus præventioni, ita ut ille admittendus ſit, qni alios prævenit. Quòd ſi duo vel plures concurrant, & poſtulent ſimul admitti ad electionem (ita, ut non appareat, quis primò pervenerit) audiri non debent, quia poſſent diverſis perſonis ſuum ſuffragium dare, & ita electio non ſortiretnr legitimum exitum, & quod ab eis hoc caſu fieret, non valeret, ſed unus duntaxat admittendns eſt, ille ſcilicet, quem Capitulum, vel maior eius pars elegerit, ſeu deſignârit. Sin autem Capitulum, vel ſaltem major eius pars non conſentiat, tum is, qui priùs in literis, ſen inſtrumento procuratorio nominatus fuit, alteri præferendus eſt: cuius ratio eſt, quia in tali duhio attenditur ordo ſcripturæ, ita, ut is, qui in inſtrumento priùs nominatur, cenſeatur potior, & prior conſtitutus ab eo, qui inſtrumentum, vel etiam diſpoſitionẽ fecit. Si verò nullus illorum Procuratorum in ſolidum fuerit conſtitutus, nullus eorum admittendus eſt, ob rationem prædictam (quia poſſent vota ſua dare diverſis) & Elector abſens ſibi imputare debet, quòd ſic indiſcretè, & non canonicè, ſive legitimè Procuratores conſtituerit. Ita habetur in c. Si quis. 46. in princ. h. t. in 6. & ibi gl. V. nominatus & Franc. num. 2. arg. c. Mandato. 10. de præbend. In 6.

CL. Aſſertio 3. Si nnns tantùm Procurator, & quidem è Capitulo, ſeu gremio Electornm (uti regulariter fieri debet) ad eligendnm ſimpliciter ſit conſtitutus (cum mandato ſcilicet generali) is duo quidem ſuffragia dare poteſt, nõ tamen alium ſuo nomine, & alium nomine domini ſui abſentis ſeu committentis, in ſcrutinio nominare, ſive eligere poteſt: niſi Procurator conſtitntus ſpeciale mandatum habeat à domino de certa perſona eligenda; tum enim illam, de qua expreſſum mandatum accepit, eligere debet nomine procuratorio, ſive tanquam Procurator ipſius: ſuo autem nomine (quia & ipſe eſt Capitularis jus ſuffragij habens) alium eligere licitè poterit, prout habetur in cit. c. Si quis. §. Porrò. h. t. in 6. Ratio prioris partis eſt, quia, ſicuti Capitularis tenetur in conſcientia meliorem ac digniorem ſuo proprio nomine eligere: Ita etiam tanquam Procurator ab alio, cum generali mandato, conſtitutus, nomine domini, ſive mandantis, ad idem tenetur, adeóque duo ſuffragia dando, unum eundémque eligere dehet, alioquin neutrum ſuffragium valet, gl. ibid. V. Nihil agit. Ratio poſterioris partis eſt, qnia quando Procurator ſpeciale mandatum habet ad eligendum, tum potiùs ipſe Principalis liberè eligere cenſetur, qui mandavit,

vir, quàm mandatarius ſeu procurator, qui videtur ſolùm conſtitutus ad præſentandam ſcriptam electionem alterius, & non ad liberum ſuffragium ferendum, Tholoſan. cit. c. 6. n. 11. ac proinde eligendo nomine mandantis aliam perſonam, quàm expreſſam in mandato, excederet fines, ſeu formam mandati, gl. hîc V. Illam.

Cæterùm ſunt & aliæ differentiæ inter Procuratorem datum ad eligendum, cum mandato generali, & inter datum cum ſpeciali, ut tradit Tholoſan. cit. c. 6. n. 12. nam Procurator, cum generali mandato, cui certa perſona nominata non fuit, quæ eligi debeat, non poteſt ſubdelegando ſibi ſubſtituere aliam perſonam, quia cenſetur electa induſtria, ſeu diſcretio perſonæ: procurator verò cum ſpeciali mandato, de certa perſona eligenda, habet poteſtatem ſubdelegandi, quia ſubſtituendo ſibi alium, nec mandanti, nec alijs Electoribus præjudicat, cùm fines mandati nec à ſe, nec à ſubſtituto excedi poſſint, debet enim eligi præſcriptus à mandante, gl. in cit. c. Si quis pen. V. de certa, junctâ gl. margin. h. t. Quòd ſi in mandato procuratorio nominetur perſona non idonea, non debet procurator mandatum recipere, Hoſtienſ. in ſumma n. 8. in fine h. t. Deinde procurator, cum generali mandato, poteſt compromittere, & ſub alijs formis, quàm ſcrutinii, conſentire, quia, cùm ſimpliciter, & indefinitè conſtitutus ſit procurator ad eligendum, totum jus mandantis in eum translatum videtur, arg. c. Venerabili 37. in fine de offic. jud. deleg. adeóque poteſt ea omnia, quæ mandans, ſi præſens foret, poſſet, videlicet poſtulare, compromittere, vel per aliam juris formam procedere: procurator verò, cùm mandato ſpeciali, non poteſt ſub alia forma, quàm ſcrutinij, conſentire in electionem, quia ea ſola intelligitur demandata, gl. in cit. c. pen. V. de certa.

Porrò utriuſque Procuratoris poteſtas exſpirat morte mandantis, vel naturali, vel civili, quâ jure eligendi privatur, tempore electionis faciendæ Clement. fin. de procurat. quam ita extendit Rota Romana deciſ. 28. aliàs 376. de procurat. in novis. Tholoſan. c. l. n. 13.

» CLI. Aſſertio 4. Si nemo è Capitulo velit
» ſuſcipere mandatum procuratorium eligendi, pro
» abſente & impedito accedere ad electionem, ne-
» que etiam Capitulum conſentire velit, ut conſti-
» tuatur procurator extraneus, hoc caſu, Elector ab-
» ſens, & accedere impeditus, non poteſt per litteras
» ſuum ſuffragium dare, ſeu mittere, quia ſecundùm
» formam eligendi præſcriptam in Concilio Latera-
» nenſi, in cit. c. Quia propter h. t. non ante ſcruti-
» nium, ſed in ipſo ſcrutinio ſuffragia ſecretè, & ſi-
» gillatim exprimenda, ſeu danda ſunt, prout habe-
tur in cit. c. Si quis, pen. §. ult. h. t. in 6. qui autem per litteras dat ſuffragium ſuum, dat illud ante ſcrutinium, nam ſi ipſum antè mori contingat, evidenter apparet, eum ſuffragium non dare, ſed dediſſe.

Excipitur, ut procedat ſolùm in ijs Electionibus, in quibus forma ſcrutinij præſcripta in cit. c. Quia propter h. t. accurratè ſervanda eſt; nam in alijs Electionibus, v. g. Regularium, quæ fiunt per ſchedulas obſignatas in urnam conjectas, poteſt abſens, vel infirmitate detentus ſuffragiũ ſuum ita ſcriptum ad Capitulum mittere, Laym. in cit. c. pen. n. 3. h. t. in 6. Excipitur 2. Si per fraudem, vel conjurationem, nemo è Collegio velit, loco abſentis, & eligere impediti, partes procuratoris ad eligendum ſuſcipere; tunc enim abſens conqueri poterit de injuria & contemptu, & petere, ut reſcindatur Electio, Tholoſ. cit. c. 6. n. 9. cùm omnis fraus ab electione longè abeſſe debeat, c. Cùm dilectus 32. h. t. & nemini fraus ac dolus patrocinari debeat, l. 1. in princ. & l. Ne ex dolo 12. ff. de dolo malo. Quòd ſi procurator conſtitutus caſu aliquo improviſo impediatur comparere ad diem electioni præfixum, non ideo terminus prorogandus eſt, cùm ſufficiat, abſentes ſemel legitimè vocatos eſſe, licèt non velint, vel non poſſint venire, Tholoſan. cit. loc.

§. V.

De expenſis faciendis pro funere Prælati defuncti, & Electione Succeſſoris.

CLII. Quæritur 1. Quis debeat ſuppeditare ſumptus pro funere Epiſcopi, ſeu Prælati defuncti? Reſpondetur, ordinarij, & moderati ſumptus pro Exequijs, & funere Epiſcopi, vel ſimilis Prælati defuncti, debent præſtari ex reditibus Eccleſiæ vacantis, ſive ex reditibus ſpectantibus ad menſam Epiſcopi, aut Prælati, etiamſi is habuerit proprium patrimonium, &, ſi ij non ſufficiant, etiam Capitulum ſubſidium aliquod afferre debet ex reditibus menſæ ſuæ, Abb. in c. Ut præteritæ 45. n. 6. h. t. & ibidem Laym. n. 7. ubi rationem dat, quia ad honorem Eccleſiæ ſpectat, ut Prælatus ejus honeſtè ſepeliatur, arg. l. Quod ſi nulla 28. ff. de relig. & ſumpt. fun. ſicut etiam Capituli intereſſe cenſetur, ut ejus Prælatus decenter ſepulturæ mandetur, honor enim Capitis redundat quoque in ipſum Corpus, ſeu membra. Huc etiam pertinent ſumptus facti in veſtes famulorũ, & Officialium, quos Prælatus convenienter ſuo ſtatui aſſumpſit, & aluit. At verò ſumptus extraordinarij funeris, v. g. qui fiunt in veſtes conſanguineorum, vel amicorum Prælati defuncti, non debent præſtari ex reditibus Eccleſiæ, ſive Prælaturæ vacantis, quia tales expenſæ cenſentur fieri principaliter in honorem familiæ defuncti, vel ob ſpecialem cum eo amicitiam, Abb. c. l. & Laym.

Porrò quamvis Epiſcopus, vel ſimilis Prælatus non poſſit magnum, & immoderatum legatum relinquere ex proventibus Prælaturæ pro ſepultura ſua, poteſt tamen, dum vivit, centeſimam partem censûs, pro conſtruenda ſua ſepultura, Eccleſiæ alicui donare, c. pen. de donat. Joan. Andr. ibid. n. 2.

CLIII. Quæritur 2. Quis expenſas in electionem Prælati factas ſolvere debeat? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Ut præteritæ 45. h. t. ubi Pa- »
pa Honorius III. ſtatuit, ut expenſæ, quas Capitu- »
lum Conſtantinopolitanum, vel ejus Nuncij, Sede »
vacante, pro electionis negotio fecerunt, ex bo- »
nis Patriarchatûs totaliter, ſeu integrè fiant, vel »
reddantur: dummodo ipſi Capitulares bona »
Patriarchæ, qui deceſſit, non occupent, vel u- »
ſurpent.

CLIV. Notan-

CLIV. Nctandum 1. Expenſæ neceſſariæ (cujuſmodi ſunt, ſinè quibus negotium expediri non poteſt, vel ſinè quibus res deterior fieret, gl. hîc V. Expenſæ neceſſariæ, & Hoſtienſ. V. eod.) quæ Sede vacante, pro novi Epiſcopi, aut alterins Prælati electione fiunt, v. g. in Nuntijs mittendis ad convocandos Capitulares abſentes, Notario, Juriſperitis adhibendis, confirmatione petendâ &c. ex reditibus Prælaturæ vacantis accipiendæ ſunt; vel ſi à Capitulo ſuppeditatæ ſint, reddendæ, prout conſtat ex h. c. & c. Cupientes 16. §. Ad hæc eod. in 6. Ratio eſt, quia regulariter is ad expenſas tenetur, cujus negotinm principaliter geritur, juxta l. ult. C. de ſtatuis, & imaginib. atqui in Electione principaliter geritur negotium Prælaturæ vacantis, eaque in ejus bonum principaliter tendit, ergo ex ejus proventibus accipi debent expenſæ neceſſariæ, & moderatæ; imò & utiles, ſinè quibus negotium quidem expediri poterat, ſed non ita bene ac commodè: non item expenſæ non neceſſariæ, aut ſuperfluæ, nec utiles Eccleſiæ, quas Capitulares præſtare debent, qui eas fecerunt. Nec eas repetere poſſunt ab Eccleſia, cujus negotium utiliter non geſſerunt. Hoſtienſ. in ſumma n. 31. §. Quid juris h. t. Quare ſi Canonicus v. g. abſens ſit à loco Eccleſiæ, in quo facienda eſt Electio, non propter Eccleſiæ utilitatem, ſed ob proprium commodum, ſumptus itineris ipſemet præſtare cogitur, quia ex gratia ipſi conceſſum eſt, quòd abeſſe poſſet: ſecus eſt, ſi Eccleſiæ causâ abſit, tunc enim officium ei ſuum non debet eſſe damnoſum, Laym. de Elect. Prælat. quæſt. 46. & hîc n. 2. Neque refert, quòd Canonici, ſeu Capitulares teneantur ex officio eligere Prælatum, Sede vacante: nam non ideo ſuis expenſis debent eligere, ſed ejus, in cujus gratiam illum actum exercent: quemadmodum etiam, licèt Epiſcopo ex officio incumbat dedicare, & viſitare Eccleſias, conſecrare Altaria, &c. non tamen ſumptus profectionis ipſemet facere cogitur, Jo. And. in hoc c. in fine, & ibid. Abb. n. 4.

Notandum 2. Capitulum poteſt, Sede vacante, vel tantum accipere ex reditibus Prælaturæ, quanti ſumptus neceſſarij ſunt ad Electionem faciendam, vel, ſi ex proprijs reditibus expenſas ſuppeditavit, poteſt poſtea eas repetere, ex bonis Prælaturæ, vel à Prælato ſucceſſore, ut innuitur in hoc c. V. Reddantur, Abb. hîc n. 1. Etſi verò regulariter expenſæ Electionis accipi debeant ex reditibus Prælaturæ, ſi tamē illæ valde graves, & magnæ eſſent, poſſet etiam ab alijs ſubjectis Eccleſijs Diœceſis ſubſidium charitativum exigi; in qua re tamen ſervanda eſt conſuetudo loci, Hoſtienſ. hîc V. Patriarchatus, ubi ait, id innui Verbo *totaliter*, id eſt communiter, licèt contrarium teneat Abb. hîc n. 5.

Notandum 3. Quamvìs in hoc c. ſolùm ſermo fit de electione Patriarchæ, tamen eadem Conſtitutio locum habet etiam in electione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, cùm omnium quoad hoc eadem ſit ratio, ut docet gl. communiter recepta hîc V. Expenſæ, & Abb. num. 5. & conſentit cit. c. Cupientes. §. Adhæc h. t. in 6.

Notandum 4. Quòd hîc dicitur, expenſas neceſſarias pro electione Prælati à Capitulo ſactas ſolvendas eſſe ex bonis Prælaturæ, dummodo Capitulares non occupent, vel uſurpent bona decedentis Prælati, prout in fine additur, id variè explicant Interpretes, prout videre eſt in gloſſ. fin. hîc & apud Hoſtienſ. ibid. V. Dummodo, Abb. n. 7. & Imol. in fine. Nam vel ita intelligi poteſt, ſi Capitulares bona, *videlicet mobilia*, quæ Prælatus defunctus reliquit, occupent, vel ſibi uſurpent, incurrant pœnas ſtatutas in c. Quia ſæpe 40. h. t. in 6. de quibus infrà. Vel quòd, ſi Capitulares bona Eccleſiæ vacantis occupent, vel injuſtè uſurpent, teneantur ad reſtitutionem acceptorum, adeóque non poſſint repetere expenſas etiam neceſſarias in electionem ſactas, niſi quatenus hæ excedunt quantitatem acceptorum, vel conſumptorum, ut tradit Jo. Andr. hic. Vel denique, ſi Prælato novo electo, Capitulares, eo invito, occupent vel uſurpent quædam aliàs pertinentia ad Prælatum, in compenſationem expenſarum in electionem ab ipſis ſactarum, cadant jure ſuo, quia creditor, qui propriá auctoritate occupat rem debitoris, & ſibi ipſi jus dicit, amittit jus ſuum, quod habebat, l. Extat 13. ff. Quòd metus cauſa &c. l. Creditores 7. ff. ad leg. Jul. de vi privat. gloſſ. fin. hîc & Abb. n. 7.

CLV. Quæritur 3. A quo expenſæ ſolvi debeant ſactæ in proſecutione, vel oppugnatione Electionis? Reſpondetur, diſtinguendum eſſe, vel Capitulum proſequitur cauſam electionis, idque facit in concordia, ſaltem ita, ut major pars Capitularium conſentiat, & velit proſequi electionem, alij verò ſe non opponant, nec appellent; & tunc expenſas accipit ex bonis pertinentibus ad Prælaturam, etſi cauſam non obtineat, dummodo bonâ fide, & ſinè dolo electionem proſequatur, arg. l. Prætor 9. §. Quod ait Prætor ff. de bonis auctorit. judic. poſſid. & l. Sed an ultro 11. §. Is autem ff. de negot. geſt. Vel Capitulum id facit in diſcordia; & tunc, ſi major pars Capituli proſequatur negotium electionis, repetet expenſas, etſi causâ cadat, quia habet præſumptionem pro ſe, quòd bonâ fide, & utiliter negotium Eccleſiæ geſſerit, arg. cit. §. Is autem: Minor verò pars expenſas non repetit, niſi cauſam obtineat, quia non præſumitur utiliter rem Eccleſiæ geſſiſſe, cùm meliùs & conſultius videri debuiſſet conſentire cum parte majore. Vel aliquis in particulari proſequitur cauſam electionis, aut eam oppugnat: & tunc iterum diſtinguendum eſt, vel enim propriam cauſam agit, v. g. dicens, ſe eſſe contemptum; & hoc caſu ipſemet expenſas præſtare debet, licèt cauſam obtineat, & electio, ipſo petente, reſcindatur, magis enim profuiſſet Eccleſiæ: ſi electionem perſonæ dignæ non oppugnâſſet, ſed ratam habuiſſet. Vel agit principaliter cauſam Eccleſiæ, dicendo, perſonam indignā eſſe electam, vel formam eligendi non obſervatam; & tunc, ſi cauſam obtinet, expenſas repetere poteſt ab Eccleſia, cujus negotium utiliter geſſiſſe cenſetur: alioquin verò, ſi ſuccumbit in cauſa, nihil repetet, quia inutiliter excepiſſe, ſeu oppugnâſſe electionem præſumitur. Vel denique ipſemet Electus electionis ſuæ cauſam proſequitur; & is ſimiliter expenſas accipiet, vel repetet ex reditibus Prælaturæ ſuæ, ſi cauſam obtineat; ſi verò in ea ſuccumbat, non repetit, quia ſuum potiùs, quàm Eccleſiæ negotium egiſſe cenſetur, l. 1. ff. de negot. geſt. Ita tradit gl. fin. in c. Cupientes 16. h. t. in 6. Innocent. in cit. c. Ut prætetitæ n. 1. h. t. & ibid. Abb. n. 7. Tuſchus in Concluſ. pract. V. Expenſæ, concluſ. 644. Hæc autem

rem locum habent inter ſeculares, qui proprium habent, quia ſi Regularis cauſam aliquam proſequatur,& jus agendi habeat, Monaſterium expenſas præſtare debet, tametſi cauſam non obtineat, c. Ex parte 11. & c. pen. de accuſat. alioquin cùm is proprium non habeat, interdum periret jus Eccleſiæ, gl. in cit. c. Cupientes V. Judicabit in fine h. t. in 6.

§. VI.

De Adminiſtratore conſtituto, Sede vacante, eiúſque poteſtate, & ad quem ſpectent fructus, ſeu reditus Prælaturæ vacantis?

CLVI. Quæritur 1. An, & à quo, vacante Eccleſiâ, uſque ad futuram electionem novi Prælati, conſtitui poſſit Adminiſtrator, & qualem is poteſtatem habeat? Reſpondetur, quamvìs Jure communi,& ordinario, vacante Eccleſiâ Cathedrali, vel ſimili, Adminiſtratio ad Capitulum ſpectet, c. His quæ 11. & c. Cùm olim 14. de majorit. & obed. interdum tamen Adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus à Capitulo conſtitui ſolet, gloſſ. in c. unic. V. ad quem de majorit. & obed. in 6. qui tamen tam liberam, & plenam adminiſtrationem non habet, qualem habet Adminiſtrator datus à Papa, quia non poteſt conferre beneficia ſpectantia ad collationem ſolius Epiſcopi, nam talem Adminiſtratorem dare ſoli Papæ eſt reſervatum c. Is cui. 42. & ibid. Joan. Andr. & Franc. n. 2. in
» gl. V. ſoli. h. t. in 6. Is verò, cui procuratio, ſeu ad-
» miniſtratio Cathedralis Eccleſiæ plena & libera in
» ſpiritualibus & temporalibus à Sede Apoſtolicâ
» (cui ſoli hoc competit) eſt commiſſa, poteſt omnia,
» quæ juriſdictionis Epiſcopalis exiſtunt, & quæ e-
» lectus,& confirmatus Epiſcopus exequi valet, li-
» berè exercere, alienatione bonorum immobilium
» duntaxat exceptâ. Illa verò, quæ Ordinis Epiſco-
» palis propria ſunt, per alium conſecratum Epiſco-
» pum expedire debet, niſi ipſe ſit Epiſcopus: ita ha-
» betur in cit. c. Is cui. 42. h. t. in 6.

Ubi notandum 1. Etſi talis Adminiſtrator datus à Papa, cum plena & libera poteſtate, bona immobilia Eccleſiæ alienare non poteſt, etiam adhibitâ debitâ ſolemnitate, Vivian. in ration. hìc, eſt tamen ei conceſſum ex juſta cauſa alienare res mobiles, etiam pretioſas; ſecundùm gl. hîc V. immobilium, quod tamen ipſemet Epiſcopus non poteſt, niſi interveniente tractatu cum Capitulo, & eiuſdem conſenſu, c. Nulli, 5. de reb. Eccleſ. non alien. Ratio eſt, quia Papa ſolùm excepit & prohibuit alienare bona immobilia, ergò mobilia etiam pretioſa poteſt alienare, quia de ijs, quæ ſervando ſervari non poſſunt, non erat dubium, quippe quæ etiam tutor alienare poteſt, l. Lex quæ 22. C. de adminiſt. tut. talis autem Adminiſtrator à Papa datus majorem Poteſtatem, quàm tutor habet, quippe plenam & liberam. gl. hîc V. immobilium. Verùm in fructibus percipiendis non tantam poteſtatem habet Adminiſtrator, etiam cum liberâ, datus, quantam Epiſcopus ſeu Prælatus, quia illos ſucceſſori Epiſcopo reſervare, & de ijs rationem reddere debet, c. Hæc huius, 38. cauſ. 12. q. 2. Joan. Andr. hîc n. 2. non enim eſt ſponſus, ſeu Prælatus Eccleſiæ, quamvis neceſſaria alimenta,& quotidianas expenſas ex bonis Eccleſiæ accipere poſſit, Pet. Ancharan. hîc in fine & Franc. n. 2.

Notandum 2. Officium talis adminiſtratoris à Papa dati, hoc mortuo, non exſpirat, ordinariam enim poteſtatem habet, gl. hîc V. confirmatus, ubi addit, quòd tali caſu Capitulum non debeat procedere ad eligendum novum Epiſcopum, quia Papa dando Adminiſtratorem Eccleſiæ Cathedrali ad ſe proviſionem illius revocâſſe, ſibique reſervâſſe cenſetur. Porrò non facilè S. Pontifex ſolet dare Eccleſiæ Cathedrali vacanti Adminiſtratorem, cum generali & liberâ poteſtate, niſi Capitulum, ad quòd aliàs adminiſtratio ſpectaret, ipſi ſit ſuſpectum, ut notat Laym. hîc in fine.

CLVII. Quæritur 2. An Capitulum, vel Capitulares, ad quos jure ordinario, ſede vacante, ſpectat adminiſtratio, poſſint ſibi aliquid ex bonis vel reditibus Eccleſiæ ſeu Prælaturæ vacantis applicare? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Quia ſæpe 40. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita ſtatuit: quia ſæpe »
contingit, ut Cathedralibus, & Regularibus, ac »
Collegiatis Eccleſiis vacantibus (nam in non Col- »
legiatis non habet hæc Conſtitutio locum, ſed illa, »
quæ extat in c. ult. de Offic. Ordin. in 6. gl. hîc V. col- »
legiatis) Capitula, Convẽtus, Collegia, & ſingula- »
res eorundem perſonæ (ac proinde ad extraneos, »
qui non ſunt de Collegio, non extenditur hæc Cõ- »
ſtitutio, gl. hîc V. eorundem) bona à Prælatis de- »
functis relicta, vel ſede vacante obvenientia, quæ »
in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel »
futuris ſucceſſoribus fideliter reſervari deberent, »
occupent, inter ſe dividant, ſurripiant, dilapident, »
vel abſumant, in earum grave diſpendium & dam- »
num. Quare idem Papa volens hos auſus repri- »
mere, & Eccleſias indemnes ſervare, decrevit, ut »
hi, qui prædicta de cætero præſumpſerint, eò ipſo »
ſint,& tam diu maneant ſuſpenſi ab officio, & qui- »
buſcunque beneficiis, donec plenè reſtituerint, »
quidquid ex bonis ſuprà dictis acceperunt: non »
obſtantibus quibuslibet privilegiis, aut contrariis »
conſuetudinibus, vel ſtatutis, etiam juramento, »
confirmatione Sedis Apoſtolicæ, vel aliâ quacun- »
que ratione firmatis (v. g. oppoſitione pœnæ, gl. hîc »
V. firmitate) quæ omnia, quoad hoc, auctoritate »
Apoſtolicâ caſſantur, & irritantur. Ratio huius »
conſtitutionis affertur in princ. cap. quia bona à Prælato anteceſſore acquiſita, vel ſede vacante obvenientia, ad Prælaturam pertinent, quæ vel in eiuſdem Eccleſiæ utilitatem converti, vel futuro ſucceſſori per Oeconomum, vel alium Adminiſtratorem deputatum reſervari debent. Nomine autem bonorum hîc intelliguntur generaliter omnia bona, tum mobilia, tum immobilia, quæ Prælatus defunctus poſſidebat, vel quæ, Eccleſiâ vacante, ex bonis eiuſdem proveniunt, ut ſunt fructus,& reliqua emolumenta, Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 3. n. 3. Porrò pœna ſuſpenſionis hîc decreta, non eſt tantùm à beneficiis illius Eccleſiæ; ſed etiam ab omnibus aliis beneficiis, quæ quis obtinet, etiam extra illam Eccleſiam, quia talis eſt ſuſpenſus etiam ab officio, gl. hîc V. benefi-

ciis

ciis quibuſcunque, quæ tamen pœna ſuſpenſionis ceſſat ipſo jure, ſeu facto, quamprimum quis plenè reſtituit, quæ accepit, ſinè alia ſententia, vel relaxatione, gl. hîc v. donec.

CLVIII. Prædicta autem Conſtitutio, ut non occupentur bona à Prælato relicta, vel obvenientia, ſede vacante, à Capitulis, Conventibus, & Collegiis, eorúmque ſingularibus perſonis; ſed ſucceſſori reſerventur, extenditur in Clement. ſtatutum 7. h. t. quòd habeat locum in omni emolumento, quod provenit ex juriſdictione (ratione cuius ſolvuntur officio judicis pœnæ pecuniariæ, gl. hîc V. ex juriſdictione) & ex ſigillo Curiæ Eccleſiaſticæ, vel ſecularis (quia ſcilicet Prælatus temporalem juriſdictionem habebat in loco, gl. hîc V. vel ſecularis) & in aliis, quæ ad Prçlatos, Eccleſiis non vacantibꝰ, quovis titulo pertinerent; non obſtante quacunque contrariâ conſuetudine, ita tamen, ut rationabiles deducantur expenſæ. Rationem dat gl. hîc V. declaramus, quia ſi Canonici perciperent fructus juriſdictionis, vel ſigilli, ſede vacante, anſam ſumerent tantò diutius differẽdi electionem. Excipitur tamen, niſi quædam ſingulares perſonæ ſint, quibus ratione dignitatis ſuæ (quia v. g. ſunt Præpoſiti, vel Decani Eccleſiæ, ſive in ipſa Eccleſia vacante, ſive in alia, gl. hîc V. dignitatem) juriſdictio, ſede vacante, ex conſuetudine, privilegio, vel alio jure ſpeciali (nempe ſtatuto facto in fundatione dignitatis vel Eccleſię, gl. hîc V. ſpeciali) ita competit, ut interim etiam fructus ſeu emolumenta ex eadem juriſdictione provenientia ipſimet percipiant, talis enim conſuetudo non eſt reprobata, prout habetur in cit. Clement. in fine. Ubi tamen, ut notat Suar. cit. l. ſermo eſt, non de privilegiis perſonarum ſecundùm ſe, ſed ratione dignitatum, quas obtinent, meritò enim voluit Papa Clemens V. non privati juriſdictione dignitatem, quæ ad illam, tempore vacantis ſedis, juſto titulo pertinet; ac proinde ſi is, qui talem dignitatem habet, juſtè exerceat juriſdictionem, ſede vacante, meritò etiam frui debet eius emolumento, cùm illud detur ratione muneris ſive exercitij juriſdictionis.

Sed contra obſtare videtur, quia, ut opponit gl. magna hîc, Capitulum, ſede vacante, exercet juriſdictionem Epiſcopalem, quæ ad illud devolvitur, ergò proventus, qui ratione juriſdictionis proveniunt, ad Capitulum etiam pertinere debent, iuxta reg. juris 55. in 6. qui ſentit onus, ſentire debet cōmodum, & contrà; & quia fructus ſunt acceſſorij ad juriſdictionem, ex qua proveniunt, adeòque illi etiam debentur, qui exercet juriſdictionem? Sed reſpondetur ad 1. cùm Laym. in cit. c. Quia ſæpè n. 2. h. t. in 6. regulam illam non habere locum, ſi onus ex natura rei ſive primâ inſtitutione ſit annexum alicui officio, ſinè commodo; quomodo tutores, præſertim legitimi ſive proximi agnati, gratìs & ſinè proprio emolumẽto, adminiſtrare debent bona pupilli; & mandatum etiam debet eſſe gratuitum l. 1. ff. mandati; quamvis expenſæ factæ repeti poſſint, ne talia officia ſint damnoſa eis, qui illa obeunt. Similiter in propoſito, Capitulum, ſede vacante, adminiſtrare debet bona Eccleſiæ, eáque cuſtodire, & conſervare, nullo inde percepto emolumento, ob conjunctionem, quam habet cum Eccleſia, eiúſque Capite.

Ad ſecundum dicitur, ſi quis adminiſtret, vel juriſdictionem exerceat, proprio ſuo nomine, poteſt fructus, & emolumenta inde provenientia percipere: ſecus, ſi nomine alterius; tum enim ea cuſtodire, & ipſi reſervare debet: Capitulum autem, ſede vacante, adminiſtrat; & juriſdictionem exercet non ſuo, ſed alieno nomine, nempe Eccleſiæ, cuius velut tutor eſt, & Occonomus, ergò non debet eius bona, & fructus ex ijs provenientes ſibi uſurpare, vel abſumere, ſed cuſtodire, & reſervare ſucceſſori, gl. in cit. Clement. V. declaramus.

CLIX. Quæritur 3. An laici, tanquam patroni, vel advocati, ſeu defenſores Eccleſiæ, poſſint, vacante Prælaturâ bona eius adminiſtrare, & proventus ſibi applicare? Reſpondetur, de hoc agitur in cap. generali 13. h. t. in 6. Nam in Concilio Generali Lugdunenſi ſub Gregor. X. c. 12. ſancitum fuit, univerſos & ſingulos, qui Regalia (id eſt, collectas ſeu tributa, quæ debentur Regi vel Imperatori, gl. hîc V. eodem) vel cuſtodiam, ſive guardiam (quo nomine vel jus patronatûs intelligitur, ſecundùm gl. hîc V. cuſtodiam, vel jus ad cuſtodiẽdam Eccleſiam, & bona eius conſervanda, præſertim ſede vacante) jus advocationis ſeu defenſionis (quod ſæpe connexum eſt cum jure cuſtodiæ, ſive guardiæ) in Eccleſiis, Monaſteriis, aut quibuslibet aliis piis locis, ut hoſpitalibus, vel aliis ſimilibus, uſurpare de novo (ſcilicet ante 40. annos completos, gl. hîc V. eod.) conantes, bona eorundem vacantium occupare præſumunt, in quacunque dignitate ſint conſtituti, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Sed & Clerici, Monachi, & cæteræ perſonæ locorum Religioſorum, ſi id fieri procurent, (ope, conſilio, vel ipſo facto ſeu operatione, gl. hîc V. procurant) excommunicantur. Illi verò Clerici, qui ſe, quatenus poſſunt, ac debent, talia audentibus non opponunt; ex proventibus earum Eccleſiarum, aut locorum, ab eo tempore, quidquam percipere prohibentur. At verò ij domini, qui à fundatione Eccleſiarum, aliorumve locorum, vel ex antiqua conſuetudine (legitimè præſcriptâ, gl. hîc V. Antiqua) huiuſmodi jura ſibi vendicant, poteſtate ſuâ non abutantur, & Miniſtris ſuis præcipiant, ut ab ijs, quæ ad fructus ſeu reditus tempore vacationis provenientes non pertinent, abſtineant: nec alia bona, quorum ſe cuſtodiam habere aſſerunt, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

CLX. Notandum 1. Duo requiruntur ad incurrendam hanc excommunicationẽ, ita, ut unum ſinè altero non ſufficiat; 1. ut quis Regalia, jus cuſtodiæ, vel advocationis de novo ſibi vendicet. 2. ut ob eundem titulum uſurpare præſumat bona vacantis Eccleſiæ, Monaſterij, vel alterius loci Eccleſiaſtici, ut docet Navarr. in Manual. Prælat. c. 27. n. 125. Suar. diſ. 23. de cenſuris ſec. 4. n. 6. Quare ij, qui bona vacantis Eccleſiæ, ſub titulo quidem Regaliorum, cuſtodiæ, vel advocatiæ, ſed ex fundatione, vel antiqua & præſcripta conſuetudine ſibi competentis, adminiſtrant, & fructus tempore vacationis provenientes percipiunt, hanc excommunicationem non incurrunt, Navarr. & Suar. cit. locis. Similiter ij, qui de novo occupârunt, vel uſurpârunt, ſub prædicto titulo, bona Eccleſiarum, vel aliorum locorum Eccleſia-

ſticorum non vacantium, non incurrunt pœnam huius Conſtitutionis, quippe quæ loquitur ſolùm de bonis Eccleſiarum vacantium, ſed tunc habent locum antiqua jura, de quibus in c. Cùm ſit 8. & c. Conqueſtus 16. de foro compet. Joan. Andr. hic & Franc.n.2.

Notandum 2. Quamvis laici, titulo fundationis, vel antiquæ conſuetudinis, ſaltem immemorialis, unà cum jure patronatûs, vel cuſtodiæ, vel advocatiæ, acquirere poſſint adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum, vacante Prælaturâ, cùm talis adminiſtratio in rebus temporalibus in laicum cadere poſſit, ut colligitur ex cit.c.Generali, ubi eiuſmodi conſuetudines ſaltem tolerantur, & permittuntur; imò etiam ut fructus modicos ex bonis Eccleſiæ vacantis ſub tali titulo percipere poſſint, juxta c.Præterea 24. de jur. patron. non tamen ullâ conſuetudine etiam immemoriali, introduci poteſt, ut laici ſub hujuſmodi titulo juris patronatûs, cuſtodiæ vel advocatiæ, fructus copioſos percipiant, vel adminiſtrent, vacante ſede, cum gravi damno Eccleſiæ; talis enim conſuetudo, quippe Eccleſiis damnoſa nullo tempore prævalere poteſt, c.1.de conſuet.in 6.Joan. Monach.in cit.c.Generali n.9.h.t.in 6. Laym.ibid.n. 3.& de Elect. Prælat.q.51. Deinde laici, qui adminiſtrationem, in rebus temporalibus Eccleſiarum vacantium, ſibi vendicant, titulo patroni, cuſtodis vel advocati, cavere debent, ne fructus nondum maturi percipiantur, antequam ſcilicet tempus eos percipiendi advenit, ut habetur in hoc c. Cujuſmodi ſunt ſilvæ cæduæ, quæ tempore vacationis non ſunt in eo ſtatu, ut cædi debeant, gl. hic V. reditus, vel ſtagna, aut vivaria, quæ non ſunt in eo ſtatu, ut tunc piſcari debeant, gl. marg. ibid. Denique hujuſmodi Adminiſtratores curare debent; ut bona Eccleſiæ vacantis non alienentur, vel dilapidentur, ſed conſerventur, ut habetur in fine hujus c. & ut fructus, ac reditus, qui tempore vacationis proveniunt, ſucceſſori in Prælatura reſerventur. Verùm de hoc plura infrà l. 3. tit. 38. de jure patron. ubi ex inſtituto de hac materia agitur.

Notandum 3. Clerici, & Religioſi, qui ſecularibus Dominis jura Eccleſiarum uſurpantibus, vel bona earum occupantibus aſſiſtunt, vel favent, conſilio, vel quavis ope, cenſuram quoque excommunicationis incurrunt, juxta cit. c. generali, modò tamen poſitivè, & in effectu ijs cooperentur: nam ſi ſolùm ex negligentia culpabili eos non impedirent, non incurrerent hanc cenſuram, quia hoc non eſt procurare; aliter tamen puniendi forent, nempe ut non poſſint ab eo tempore ex proventibus talium Eccleſiarum aliquid percipere, ut habetur in cit. c. Generali 5. Illos verò, quamvis talem pœnam non teneantur Clerici in ſeipſos exequi, Suar. cit. ſec.4. num. 7.

SECTIO IV.
DE FORMA ELECTIONIS, ſive varijs modis eligendi.

CLXI. Extat Conſtitutio Generalis Concilij Lateranenſis ſub Papâ Innocentio III. celebrati, quod infertur in c. Quia propter 42. h. t. his verbis: „ Quia propter diverſas Electionum formas, quas „ quidam invenire conantur, unde multa impedi- „ menta proveniunt, & magna pericula imminent „ Eccleſijs viduatis (ſuo Paſtore, ſeu Prælato) idcir- „ cò ſtatuit Concilium, ut cùm Electio fuerit cele- „ branda, præſentibus omnibus, qui debent, & vo- „ lunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur „ tres è Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim „ vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis „ redacta mox publicent in communi, nullo prorſus „ appellationis obſtaculo interjecto, ut is collatio- „ ne habitâ eligatur, in quem omnis, vel major, & ſa- „ nior pars Capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi „ poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui „ vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Pa- „ ſtore: aliter Electio facta non valeat: niſi fortè „ communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpiratio- „ nem (S. Spiritus, gl. marg. hîc) abſque vitio ce- „ lebrata. Qui verò contra prædictas formas elige- „ re attentaverint, eligendi, eâ vice, poteſtate pri- „ ventur.

Ubi notandum, quòd ſolemnitates quædam ſunt accidentales tantùm, & præparatoriæ ad electionem, quæ ante illam præmitti ſolent, & tametſi eæ obſervandæ ſint, ubi per conſuetudinem receptæ ſunt, ſi tamen omittantur, non ideò irrita eſt Electio. Cujuſmodi ſunt 1. In die Electionis celebratur Miſſa de Spiritu S. & Electores S. Synaxin ſumunt. 2. Ante horam Electionis celebrandæ, pulſatur campana ad Capitulum congregandum, c.In cauſis 30. h. t. 3. Ante tractatum Electionis, invocatur gratia S. Spiritûs, recitato Hymno, Veni S. Spiritus. 4. Fit proteſtatio ab aliquo, nomine totius Capituli, nolle ſe quempiam admittere ad electionem, vel ejus ſuffragium valere, cui de jure eligendi poteſtas non competit. 5. Abſolvuntur omnes Electores ab excommunicatione, aliiſque cenſuris, in ordine ad effectum electionis canonicæ tantùm, ſi quiſpiam adſit habens talem poteſtatem. 6. Præmitti ſolet interdum, etſi non neceſſariò debeat, tractatus, in quo plures nominantur, ac proponuntur in Capitulo, qui digni videntur ad Prælaturam, juxta c. Quòd ſicut 28. h. t. Layman. de Elect. Prælat. quæſt. 71. Aliæ verò ſunt ſolemnitates ſubſtantiales, quæ per ſe, & neceſſariò requiruntur ad Electionem Prælati Eccleſiæ viduatæ, potiſſimùm ad eam, quæ fit per ſcrotinium, de quibus, ſicut & de alijs formis eligendi in §§. ſeqq. agemus.

§. I.
De Scrutatoribus conſtituendis in Electione, quæ fit per formam ſcrutinii, & modo, quo ſcrutinium fieri debet.

Forma ſcrutinij hos velut partiales actus continet. 1. Ipſum ſcrutinium, ſeu ſecretam ſuffragiorum collectionem per ſcrutatores à Capitulo electos factam. 2. Scrutinij publicationem. 3. Suffragiorum collationem, ac denique 4. Decretum Capitularis, ſeu communis Electionis, ejúſque promulgationem, de quibus omnibus ordine agemus.

CLXII. Quæ-

CLXII. Quæritur 1. Qninam, & quot Scrutatores conſtituendi ſint? Reſpondetur 1. Electoribus omnibus, qui debent, volunt & poſſunt commodè intereſſe, collegialiter convenientibus, ſeu legitimè congregatis, (ſicut & ad omnem alium tractatum collegialem, ſive Capitularem requiritur) tres è Collegio, ſeu Capitulo fide digni Scrutatores ab ijſdem eligendi, ſeu aſſumendi ſunt, cit. c. Quia propter ibi: *aſſumantur tres de Collegio*: vel per apertum ſcrutinium, dum ſingulorum Capitulatium vota publicè, ſeu patenter inquiruntur, quos veliot Scrutatores conſtitui: vel etiam per compromiſſum in unum, aut plures factum, ut ipſi nomine omniũ Scrutatores eligant, vel aſſumant. Quanquam probabile videtur, nõ pertinere ad ſubſtantiam electionis, ut tres tantùm aſſumantur Scrutatores, non plures, nec pauciores, adeóque ooo fore irritandam electiooem, etſi plures aſſumerentur, vel pauciores, dummodo rot ſint, ut fraus fieri ooo poſſit, gloſſ. in cit. c. Quia propter V. Sanior: maximè, ſi Collegium non ſit ita numeroſum, ut tres aſſumantur Scrutatores: veluti ſi totumCollegium in tribus tantùm, vel duobus conſiſtat: tum eoim ſufficient duo, vel unus Scrutator, vel etiam oullis Scrutatoribus adhibitis, electio fieri poterit, Inooceot. in cit. c. Quia propter n. 4. & 5. Verùm communis ſententia eſt, quòd plures Scrutatores nunquam aſſumi poſſint, quàm tres, prout eſt expreſſum in c. cit. nec etiam pauciores, niſi propter Electorum paucitatem tot haberi oon poſſint, Abb. in cit. c. n. 13. Imol. ibidem nom. 8. Sylveſt. V. Electio 2. quæſt. 10. num. 12. Fagnan. in cit. c. n. 43. & 44. ubi ait, ab hac communi opioione io judicando & conſulendo non eſſe recedendum.

CLXIII. Similiter quamvis gloſſ. in cit. c. Quia propter V. Sanior, & V. viris, probabiliter dicat, quòd etiam extranei, qui ooo ſunt de Capitulo, dummodò noo ſint laici, aſſumi poſſint ad ſcrutiniũ faciendum, idque uſu receptum eſt etiam in pluribus Eccleſijs Germaniæ; nam ſi Electores communi conſenſu ad electionem admittere poſſunt extraneos, licèt jure communi poteſtas eligendi ſolùm ſpectet ad eos, qui ſunt de Collegio: cur noo etiam poteront adhibere ad ſcrutinium faciendum extraneos, etſi Jure communi ſtatutum ſit, ut Scrutatores ſint de Collegio: nihilominus tamen cùm contrarium expreſſum ſit in Concilio Lateranenſi relato in cit. c. Quia propter, ideo tutius eſt, ut aſſumantur ad ſcrutandum ij taotùm, qui ſunt de Collegio, álioquio Electio irritari poterit, Abb. in cit. c. n. 13. & Imola n. 8. & alij. Ratio eſt, quia illi, qui ſunt è corpore Collegij, præſumuotur, quòd meliùs, ac fideliùs procuraturi ſint utilitatem Eccleſiæ, quàm extranei. Etſi verò aliqui propriè de Collegio, ſeu Capitulo Eccleſiæ vacantis non ſint, quia non ſunt Canonici: ſi tamen jus ſcrutandi, vel eligendi illis competat ex conſuetudioe, privilegio, vel etiam voluntate, ſeu conceſſione Capitularium, ij non ſunt cenſendi, ſaltem quoad actum ſcrutinij, vel electionis faciendæ, omnino extranei, ſed potiùs eſſe de Collegio eligentium, quibus ſcilicet jus eligendi actu competit, Imol. in cit. c. Quia propter, oum. 4. & 8.

Illud quoque probabile eſt, ſi tres è Capitularibus, vel alijs, quibus jus eligendi competit, ſcrutinium facere aggrediantur, alijs præſentibus, & non contradicentibus, valebit ſcrutinium ab ipſis factũ, tametſi ád id expreſſo conſenſu conſtituti, vel electi non fueriot; tum enim reliqui Capitulares, vel Electores tacitè conſentire, & ad illud munus eligere eos cenſentur: præſertim cùm ex officio contradicere deberent, modò, ſi vellent, facilè poſſent: nam in re appetibili, ſeu favorabili (qualis eſt, ut per Electionem Canonicam provideatur Eccleſiæ viduatæ) taciturnitas conſenſui, & mandato æquiparatur, licèt in re oneroſa, ſeu odioſa expreſſus conſenſus requiratur, gl. In c. Sicut 21. V. Per unum h. t. in 6. ubi id docet, ſi communis Electio fiat per unum è Capitulo, vice & nomine omnium, alijs Capitularibus præſentibus, & permittentibus, Abb. in cit. c. Quia propter, num. 13.

CLXIV. Reſpondetur 2. Scrutatores debent eſſe viri fide digni, cit. c. Quia propter, ibi, *fide digni*, qui ſcilicet ſingulorum ſuffragia fideliter, & abſque fraude, exqnirant, & ſecretnm ſervent. Neque debent tales Scrutatores eſſe inhumani, & vultu terribiles, per quos Capitulares à libera electione impediri poſſent, alioquin ab illis, adjectâ causâ, appellari poſſet, ſi unus, vel plnres ex illis, invitis Electoribus, aliquem promovere velleot ad Prælaturam, gl. margin. in cit. c. V. de Collegio, & Abb. ibid. o. 14. quamvis hoc oon ad ſubſtantialem formam electionis, ſed potiùs ad ejus juſtitiam pertineat, & in dubio præſumitur, quòd ſiot idonei, Innocent. in cit. c. n. 2. & Abb. ibidem o. 16. Quarè & illud conſultum eſt, & in multis Eccleſijs uſu receptum, ut Scrutatores, ante omnia, in manibus ejus, qui Capitulo præeſt, vel ad id ab eodem mandatum habet, juramentum edant, quòd fideliter agere, &, quæ ſecreta eſſe oportet, non revelare velint, Emman. Rodriq. qq. regul. q. 52. n. 3.

CLXV. Reſpondetur 3. Scrutatores à Capitulo conſtituti poſſunt ex cauſa ab eodem revocari, etiam re noo ampliùs integrâ: oeque enim prætendere poſſuot aliquod jus, vel propriũ intereſſe, &, ſi cootra voluntatem Capituli officium proſeqni vellent, ſuſpectos de fide non ſervata ſe redderent, Abb. in cit. c. Quia propter. §. Vel ſaltem, num. 1. Quo caſu, ſicut etiam ſi Scrutatores ſcrutinium deſerant, vel infirmi fiant, poteſt Capitulum alios ſubſtituere, qui cœptum opus perficiant, Innocent. ibidem num. 5.

CLXVI. Quæritur 2. Quo modo, & ordine ſcrutinium fieri debeat? Reſpondetur 1. Modus ſcrutandi eſt, ut fiat ſecretè, & ſigillatim, diligenter, & ordinatè, cit. c. Quia propter. Et in primis ſcrutinium fieri debet ſecretè, quod dnobus modis fieri poteſt, ut notat Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 5. n. 9. 1. Ut ſinguli Electores, vivâ voce, coram Scrutatoribus proferant, quem eliguot, & aliquis Scrutatorum ſcribat nomen Electi: qui ſenſus colligi videtur ex verbo *exquirant*, id eſt, quærant, ſeu interrogent, ideòque additur, & *ſigillatim*, ita, ut votum, ſeu ſuffragium cujuſque ſeorſim ab alijs, qui de Collegio ſuot, exquiratur. Id autem ſtatutum eſt, ut liberiùs quiſque dicere poſſit votum ſuum, quia libe-

libera debet eſſe electio, non minùs, quàm matrimonium carnale, cui comparatur ſpirituale, quod inter Prælatum electum, & Eccleſiam contrahitur, quemadmodum & teſtis, ut liberiùs teſtificetur, ſecretè & ſolus examinari debet, alioqnin ejus depoſitio non valet, c. Venerabili 53. de teſtib. & l. Nullum 14. C. eodem. Poſſunt tamen, dum ſit votorum exquiſitio à Scrutatoribus, adhiberi teſtes, & Tabellio, ad tollendam omnem ſuſpicionem fraudis; & quia jubetur ſolùm fieri ſecretò, & ſeorſim ab alijs, qui de Collegio ſunt, non autem ſeorſim ab alijs perſonis extraneis, quæ neceſſariò, vel utiliter intereſſe poſſunt, Abb. c. l. n. 13. quamvìs nec tabellio, neqne teſtes adhiberi neceſſariò debeant, ſed ſinè illis à Scrutatoribus vota exquiri poſſint, Greg. Tholoſan. de Elect. c. 16 n. 3. Alter modus ſcrutandi eſt, ut unuſquiſque eligentium in ſchedula votum ſuum ſcribat ſecretè, vel ſcriptum deferat, & tradat clauſum Scrutatoribus, ita, ut neque ipſis notum fiat: qui modus videtut magìs conformis Concilio Trident. quod præcipit electionem fieri per vota ſecreta, ita, ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, Seſſ. 25. c. 6. de Regularib. per quem tamen modum prior non tollitur; nam etſi ſuffragia dentur, vivâ voce ab eligentibus coram Scrutatoribus, nihilominus cenſentur dari ſecretè, etiamſi à tribus, vel pluribus ſciantur, dummodo ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentut, ſed ſub ſecreto ſerventur, ſub quo recepta ſunt, ut conſtat ex gemina declaratione Congregat. Card. ejuſdem Concilij apud Suar. c. l. n. 10.

Porrò vota à ſingulis Electoribus exqnirenda, vel accipienda ſunt, alioquin ſi vel unus ex præſentibus Electoribus præteriretur, electio non valeret, ut patet ex cit. c. Quia propter, ibi: *vota cunctorum*, Abb. ibid. n. 16.

CLXVII. Reſpondetur 2. Votorum exquiſitio à ſcrutatoribus debet etiam fieri diligenter, cit. c. Quia propter, ibi: *diligenter*, examinatis videlicet omnibus Electoribus, ac interrogatis, ob quæ merita, quóve zelo hunc præ alio nominent, quæque ſint qualitates nominati, Abb. ibid. n. 11. non enim ſufficit in huiuſmodi negotio bona & pura conſcientia Electoris, ſed oportet, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis: ut dicitur in c. Non ſolùm 2. de Regularib. in 6. Tholoſan. cit. c. 16. n. 5. Singuli etiam Electorum priùs juramento, vel ſaltem ſecundùm conſcientiam eorum aſtringendi ſunt, perſonam ut magìs idoneam eligant, & quam Eccleſiæ vacanti utiliorem judicaverint; quamvìs eiuſmodi adjuratio non pertineat ad formam ſubſtantialem ſcrutinij, ideóque eâ omiſsâ, nō vitietur electio; nam in forma præſcripta in Concilio Lateranenſi nulla eius ſit mentio; & in quibuſdam locis moris eſt, ut Electores ante cœptum ſcrutinium, de electione ſinè fraude celebranda juramento ſe adſtringant, Abb. c. l. n. 11. Tholoſan. c. l. n. 4.

Requiritur etiam, ſi ſecundùm priorem modum ſcrutandi fiat electio, ut ipſi ſcrutatores, vel unus ex ipſis deputatus, vel Tabellio, unâ cum ijs, adhibitus, vel loco eius duo teſtes jurati, ut fit in judiciis, c. Quoniam 11. de probat. vota ſeu ſuffragia ſingulorum Electorum in ſctiptum redigant, cit. c. Quia propter, ibi: *& in ſcriptis redacta*, gl. ibid. & Abb. n. 9. in fine, ubi n. 10. ait, quòd Notarius adhibitus non neceſſariò debeat eſſe Clericus, ſed poſſit etiam eſſe làicus, quia ſcribendo nullam poteſtatem exercet, ſed nudum miniſterium temporale. Debent autem ſuffragia Electorum in ſcriptum redigi, tum ad faciliorem geſtorum probationem; tum ad perpetuam rei memoriam, &, ne variationi locus ſit, Tholoſan. cit. c. 16. n. 8. Porrò hoc ſpeciale eſt in negotio electionis, quòd debeat in ſcripturam redigi, cùm aliàs regulariter in actibus exercendis per univerſitatem, ſeu Collegium non requiratur ad ſubſtantiam ſcriptura, ſive ut vota ſingulorum redigantur in ſcriptum, Abb. in cit. c. n. 7. ſicut & illud ſpeciale eſt in electione, quòd debent vota ſingulorum ſeorſim & ſecretò exquiri, cùm in aliis actibus exercendis per Univerſitatem ſeu Collegium id non ſit neceſſarium ad ſubſtantiam actûs, ſed is teneat, etiamſi quilibet ex ijs, qui jus ſuffragij habent, aliis audientibus, in communi conſenſu ſententiam ſuam dixerit, Abb. c. l. n. 5. not. 3.

CLXVIII. Reſpondetur 3. Scrutinium, ſeu votorum exquiſitio debet etiam fieri ordinatè. Ordo autem ſcrutandi hic eſt, ut ſcrutatores incipiant ſcrutinium, ſeu primum votum exquirant ab eo, qui Collegio præeſt; deinde à ſeipſis mutuò ſuffragia exquirant (ſi quidem ſcrutatores ſint de Collegio, vel aliunde jus ſuffragij, ſeu eligendi habeant; ſecus, ſi non habeant) poſtea ordine ab aliis, Laym. de elect. Præl. q. 73. Vel ſcrutatores incipere debent ſcrutinium, & ſuffragia exquirere primùm à ſe mutuò: deinde ab eo, qui præſidet Capitulo, ſeu primum votum in eo habet; poſtea ab aliis Capitularibus, ſecundùm prærogativam, ac dignitatis gradum, quem ſinguli obtinent: &, ſi plures in pari dignitate ſint, ſecundùm Ordinem antiquitatis, aut inſtitutionis, niſi alia fuerit conſuetudo, quæ in qualibet Eccleſia obſervanda eſt, Tholoſ. cit. c. 16. n. 6. Incipiendum autem eſt ſcrutinium ab ipſis ſcrutatoribus, aut ſaltem ab his, ante alios Capitulares, votorum exquiſitio fieri debet, quia, ſi ſcrutatores, poſt cognita aliorum ſuffragia, votum ſuum darent, poſſent ex illis ſua ſuffragia inſtruere, & interdum pro ſuo arbitrio, alicuius electionem ratam validámque reddere, vel caſſare, aut impedire, Abb. in cit. c. num. 9. q. 3. Tholoſ. c. l. Debent autem ex tribus ſcrutatoribus, inprimis duo ſuffragia à tertio exquirere; deinde ſuffragio eius exquiſito, is, qui votum dedit, cum alio, ſecundi ſuffragium exquiret: & poſtea duo exquiſiti ultimi ſuffragium exquirent; quòd ſi duo tantùm ſint, unus viciſſim alterius votum ſcrutabitur, Abb. cit. loc. Tholoſ. cit. c. 6. n. 6. ubi notant, nihil obſtare, quò minùs à Capitulo alij conſtitui poſſint, qui ſcrutatorum ſuffragia exquirant, etſi hoc non ita commodè fieret. Porrò poſtquam inquiſita ſunt vota omnium præſentium in Capitulo, ſeu loco electionis, ſi qui ex Electoribus exiſtant in eadem civitate, vel clauſtro, ſed infirmi, ita, ut non poſſint ad Capitulum ſeu locum electionis venire, debent ſcrutatores ad eos accedere, & ſuffragio eorum exquiſito, ſtatim ad locum electionis redire; niſi ij malint Procuratorem loco ſui conſtituere, tum enim ad domum illorum ſcrutatores ſe conferre non debent, Innocent. in cit. c. Quia propter. n. 2. Tholoſ. c. l. n. 7. poſt ſuffragium autem exquiſitum ab infirmis, ij ad votorum collationem, com-

communem electiouem, alióſque actus ſequentes non ſunt neceſſariò requirendi, Innocent. c.l.

Illud hîc addendum, licèt conſultum ſit, ut nullâ interpoſitâ morâ, vel actu extraneo, ſcrutinium fiat & abſolvarur; ſi ramen ob multitudinem Electorum, non poſſint omoium vota uno die colligi, poterunt ſequenti die reliquorum ſuffragia exquiri, & nihilominus unum cenſebitur ſcrutinium ratione moralis continuationis, arg. c. Litteras 13. de tempor. Ord. Tholoſ. c. l. n. 9. ubi addit, ſi ſcrutatores aliqui ante abſolutum ſcrutinium motiátur, vel diſcedant, poſſe alios ſubrogari, qui illud perficiant.

CLXIX. Quæritur 3. Qualia debent eſſe ſuffragia, quæ danrur in ſcrutiniis, vel electionibus? Reſpondetur, ſuffragia Electorum debent eſſe pura, ſeu abſoluta, & certa, ideóque conditionata, altetnativa, & incerta, ſunt ipſo jure irrita, & pro non datis habentur, prout ſtatuit Innocent. IV. in Concilio Generali Lugdunenſi, quod refertur in c. 2. h. t. in 6. » ubi in electionibus, & poſtulationibus, ac ſcrutini- » is (in quibus fit inquiſirio votorum, gl. hîc V. Scru- » tiniis) ex quibus jus oritut eligendi (vel poſtulan- » di, ſcilicet ex ſctutiniis publicatis, c. Publicato 58. » h. r. gl. hîc V. Ex quibus) vota condirionalia, alter- » nativa, vel incerta penitus reprobantur, & ſtatui- » tur, ut huiuſmodi votis pro non adiectis habitis, ex » puris conſenſibus (ſive ſuffragiis aliorum dunta- » xat, quæ purè ac legitimè data ſunt) celebretur E- » lectio (vel poſtulatio) voce illorum, qui non purè » couſenſerior, eâ vice, in alios recidente: quia nimi- » rum tota poteſtas eligendi tunc penes alios, qui pu- » ra, & legitima ſuffragia dederunt, reſidet, ac ad eos » devolvitur. Ratio eſt, quia electio, poſtulatio, & quælibet alia proviſio beneficiotum, numerantur inter eos actus legitimos, qui conditionem non recipiunt, neque diem, c. Actus legitimi 50. de reg. jur. in 6. & l. Actus legitimi 77. ff. eod. ſed abſolutè, & ſimpliciter fieri debenr, quia hi actus ex officio præſtari debent ab ijs, quibus incumbunt, aut competunr, ita, ut Eccleſiis, aut beneficiis vacantibus certò, & ſinè mora ſit proviſum, ob quam cauſam etiam datio tutoris nec conditionem, nec diem recipit, cit. l. actus legitimi. Quare non ſolùm electiones Eccleſiaſticæ, quæ fiunt per formam ſcrutinij, ſed etiam quæ alio quocunque modo petaguntur, irritæ ſunt, ſi per vota conditionata, vel incerta fiant, ob eandem rationem.

CLXX. Notandum prætetea 1. Suffragium condirionarum eſt v. g. Eligo Tirium, vel in eum conſenrio, ſi & Decanus Capituli, aut Senior in eum conſentiat, gl. in cit. c. 2. V. Conditiooalia. Suffragium alternativum eſt: Eligo Titium vel Caium: Suffragium incertum eſt, Eligo, vel conſentio in eum, in quem Archidiaconus conſentiet; nam quia talia vota certum conſeoſum non exprimunt, ideo meritò reprobantur, gl. hîc V. Alternativa, & V. Incerta. Sed neque tale ſuffragium valet, ſeu vim haber: *Eligo Titium, ſi conſenſerit:* nam talis electio eſt ſuſpenſa uſque ad conſenſum Electi, is autem non poteſt, nec debet conſentire electioni ſui, priuſquam facta ſit; hæc verò in propoſito noo eſt facta, ante conſenſum Titij electi, ergo cùm electus oon poſſit conſenrire huic electioni, quippe nondum de ſe factæ, non poteſt poni, aut impleri conditio, ſub quâ facta eſt, & conſequenter neque unquam effectum habere poteſt talis electio, ſeu ſuffragium, nec quidem Electio communis, ſeu Capitularis inde ſubſequens; cùm hæc debeat eſſe conformis ſuffragiis, ſive votis priùs datis, Joan. Andr. in cit. c. 2. n. 6. & ibid. Joan. Monach. n. 7.

Notandum 2. Sed neque ſuffragium ſub conditione de præſenti, aut præterito, datum vim habet, v. g. *Eligo, vel conſentio in Titium, ſi eſt idoneus, vel, ſi legitimè natus eſt, vel, ſi morbo iſto liberatus eſt*, poſito, quòd id Electoribus ſit incognirum: nam quamvis conditio de præſenti vel præterito non ſuſpendat actum, aliquando ramen conriner incertitudioem, ita, ut certa electio ſubſequi non poſſit, ante veritatis ignotæ indagationem; ſuffragium aurem debet eſſe certum, Joan. Andr. in cit. c. 2. n. 6. & Joan. Monach. n. 5. Franc. ibid. n. 5. Excipi debet, niſi adijciatur conditio de præſenti, quæ tacitè ſuâpte naturâ ineſt: v. g. *confero tibi beneficium, ſi vacat, vel ſi eius capax es*, quia talis conditionis appoſitio non facit actum conditionalem, neque eum ſuſpendit, ſed exprimit, quod in actu per ſe continetur, gl. communiter recepta in cit. c. 2. V. Incerta, Franc. ibid. n. 4. Porrò etiam Electus debet purè, & ſimpliciter, ſinè conditione adjecta, in electionem ſui conſentire, aliàs poſt tempus à jure definitum elapſum, poterunt Electores alium eligere, ut, ſi Electus dicat, conſentio, ſi tali placuerit, Franc. c. l. n. 6.

CLXXI. Notandum 3. Qui in ſcrutinio ſuffragia conditionata, alternativa, vel incerta dederunt, non privantur poteſtate eligendi pro ea vice, niſi poſtquam ſuffragia ſunt publicata, ex quibus oritur jus electionem Capitularem celebrandi, ideóque ante publicationem ſcrutinij, poſſunt, qui ſuffragia illegitima dederunt, ea corrigere, & alium purè eligere, ſive nominare, arg. c. Publicato 58. h. t. in 6. Franc. in cit. c. 2. n. 7. h. t. io 6. Ar poſtquam vota in ſcrutinio data, ſunt publicata, ſi appateat, quædam conditionalia, altetnativa, vel incerta ſuffragia eſſe data, ea pro non datis habeti debent, & tunc, ſi quidem major pars Capitularium pura & legitima ſuffragia in ſcrutinio dedit, ſtatim ſecundùm illa, ſinè novo inchoato ſcrutinio, Electio communis ſeu Capitularis celebrari, & promulgari poteſt, ac debet, ut colligitur ex cit. c. 2. in fine h. t. in 6. ubi dicitur, quòd ex puris conſenſibus ſive votis celebrari debeat electio, voce eorum, qui non purè conſenſerint, eâ vice, in alios, ſcilicet purè conſentientes, recidente, adeóque ex ſolis votis puris, ſeu abſolutis promulganda eſt Electio. v. g. ſi ex XII. Canonicis 4. dent ſuffragia non pura vel incerta, poſt publicationem ſcrutinij, poteſtas eligendi remanet penes teliquos 8. qui pura & certa ſuffragia dederunt, ac ſi illi 4. de Capitulo non eſſent, & Electio communis ſeu Capitularis ſubſequens ab illis 8. vel majore eorum parte facta valebit, etiam ſinè novo ſcrutinio, gl. in cit. c. 2. v. Reſidente, & ibid. Franc. in fine, ubi ait, ſi purè conſentiẽtes nou ſtatim procederent ad Electionem communem, ſed ad novum ſcrutinium faciendum, tunc non purè conſentientes poſſent iterum eligere, quia propter vota non pura, ſolùm in priore ſcrutinio data, fuerunt voce, ſeu voto privati, poſt eiuſdem publicationem, pro ea vice.

Illud hîc addendum, prædictam formam ſcrutandi, quâ Electores voce exprimunt ſuum ſuffragiũ coram ſcrutatoribus, non eſſe ubique uſu receptam, ſed in multis Eccleſiis, non ſolùm Regularibus, ſed etiam Secularibus, conſueverunt Electores ſinguli, nomen eius, quem eligi volunt, in charta ſcribere, eàmque clauſam, & obſignatam in urnam ſcrutatorum conjicere, ut teſtatur Emman. Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 52. a. 8.

§. II.

De publicatione Scrutinij.

CLXXII. Aſſertio 1. Peracto ſcrutinio, poſtquam omnium ſuffragia collecta, & in ſcriptum redacta fuerunt, mox, id eſt, in continenti, unóq; contextu, ſeu nullo alio actu extraneo interpoſito, facienda eſt eorundem publicatio, coram omnibus, à ſcrutatoribus, vel uno ex ipſis, reliquorum nomine, vel, ſi hi impediti ſint, ab illis, quos Capitulum ſubſtituit, ut appareat, quiſnam, vel quinam electi fuerint; alioquin eâ publicatione omiſsâ, corruit electio, ad cuius formam ſubſtantialem pertinet, cit. c. Quia propter 42. in princ. ibi, *mox publicent in communi*, & ibi gl. V. Mox Innocent. num. 6. Verb. eod. & Abb. num. ult.

„ CLXXIII. Effectus autem huius publicatio„nis eſt, ut eâ factâ, ſive poſt publicatum ſcrutiniũ, „ Electores variare nequeant, id eſt, ſuffragium da„tum revocare, & alteri dare non poſſint, ſed colla„tionem votorum facere, & electionem celebrare „ debeant, ad quod faciendum, per Superiorem, ſi „ opus ſit, compellendi ſunt, prout habetur in c. Publicato 58. h. t. Rationes varias hujus rei aſſignat gl. ibid. V. Variare. 1. Quòd ideo Electores, poſt publicatum ſcrutinium, variare non poſſunt, ſeu ſuffragium mutare, quia res non eſt ampliùs integra, cùm jam proceſſum fuerit ad tractatum electionis. Sed hæc ratio non eſt ſufficiens, quia aliàs etiam, ante publicationem ſcrutinij, Electores non poſſent variare, quia poſtquam ſuffragia ſunt redacta in ſcriptis, deſijt res eſſe integra, & tamen ad hoc, ut variare non poſſint, requiritur hîc publicatio ſcrutinij. 2. Nemo poteſt mutare conſilium in alterius præjudicium, reg. mutare 33. in 6. Sed hæc ratio haberet etiam locum, ante publicationem ſcrutinij, & cùm nominato in ſcrutinio nullum ſit jus quæſitum, non agitur de ejus præjudicio. 3. Quia talis mutatio poſſet eſſe Eccleſiæ damnoſa, nam per eam retardaretur progreſſus in negotio electionis, ideóque poſt ſcrutinium completum per publicationem, mox procedi debet ad collationem, & electionem faciendam, ut indicatur in textu. Sed inprimis hoc etiam dici poſſet de variatione Electorum factâ, ante publicationem ſcrutinij: deinde hæc ratio ſolùm probat, non poſſe fieri variationem, poſt ſuffragiorum publicationem, in electionibus, quæ fiunt per formam ſcrutinij, non autem in alijs, in quibus forma ſcrutinij non obſervatur. 4. Per Publicationem ſcrutinij quodam̃odo initiatur, ſeu inchoatur ſpiritnale conjugium, & ideo Electores variare non poſſunt. Sed contra eſt, quia per electionem communem, & Capitularem ſubſequentem primùm inchoatur hoc ſpirituale matrimonium, c. ult. de tranſlat. Epiſc. Abb. in cit. c. Publicato num. 2.

Itaque vera & præcipua ratio eſt, quia poſtquam ſinguli eligentes ſua ſuffragia dederunt, eaque in Capitulo publicata ſunt, per quam publicationem prior illa inchoata electio, vel potiùs ſuffragiorum datio, cenſetur effectum ſuum, & complementum accipere, ideo eâ factâ, cenſentur Electores functi officio ipſis à jure conceſſo, ac proinde recedere, ſeu ſententiam mutare non poſſunt, tametſi communis, capitularis, & ſolemnis Electio non ſit peracta, neque ullum adhuc jus acquiſitum ſit electo, Abb. in cit. c. Publicato n. 3. Secus verò eſt in ijs electionibus, quæ ab illis fiunt, qui non ex officio ſibi à jure, vel ſuperiore poteſtate ſpecialiter commiſſo, ſed jure proprio, ac libero eligendi poteſtatem habent, ut ſi Princeps, vel Magiſtratus civicus, vel Communitas eligat Præfectos, vel Officiales ſuos; tum enim licitum eſt reſilire ab electione, eàmque revocare, & mutare, & alium eligere, etiam poſt publicata ſuffragia, donec talis electio fuerit electo intimata, & ab eo acceptata, quia in hoc caſu ceſſat prædicta ratio, Abb. c. l. n. 3.

CLXXIV. Aſſertio 2. Quamvis Electores, poſt publicatum ſcrutinium, teneantur ſtatim procedere ad collationem, & electionem faciendam: ita, ut, ſi poſt intervallum communis electio fiat, ea irrita ſit, ut conſtat ex cit. c. Quia propter, & c. Cùm poſt 46. h. t. de quo infrà: ne tamen de induſtria, & in fraudem Canonis, bujuſmodi moram trahant, & electionem differant, eo fine, ut poſt intervallum facta irrita declaretur, ideo ſtatutum quoque eſt, in cit. c. Publicato, ut per Superiorem ad electionem, etiam poſt moram, & intervallum, perficiendam compelli poſſint, ac debeant, eáque valida ſit, etſi non in continenti, ſed ex intervallo ſit peracta, quia fraus & dolus Electorum non debet obeſſe electo, ſeu nominato in ſcrutinio: unde ipſe, vel quivis alius è Capitulo implorare poteſt Superioris officium, & petere, ut, ſi Scrutatores, vel Electores differant ſcrutinij publicationem, vel eo publicato, non ſtatim procedant ad collationem, & electionem celebrandam, ad id eos compellat, ex quo enim per conſenſum ſingulorum præſtitum in ſcrutinio, & multò magìs poſt publicationem ejuſdem, cœptum eſt negotium electionis, neceſſe eſt illud perficere, gl. in cit. c. Publicato V. Compellantur, h. t.

Porrò poteſtas compellendi Electores hoc caſu competit ei ſuperiori, ad quem ſpectat confirmatio, etſi aliàs non ſit ordinarius eligentium, quia cui conceditur confirmatio, videntur etiam conceſſa omnia, per quæ pervenitur ad illam, arg. c. Præterea 5. de offic. deleg. Joan. Andr. in cit. c. Publicato n. 27. & alij apud Fagnan. ibidem n. 3. licèt Abb. n. 9. de hoc dubitet. Non tamen Electores ſimpliciter ſunt compellendi ad collationem, & electionem faciendam, ſed, ſi opus fuerit, ut habetur in cit. c. ac proinde priùs moneri debent, &, ſi recuſâtint, tunc demum per cenſuram Eccleſiaſticam ſunt cogendi, ad inſtar teſtis, c. 1. de teſtib. cogend. Fagnan. c. l. Neque verò propter hujuſmodi coactionem vitiatur ſubſequens electio communis, quæ libera eſſe debet; nam ſatis eſt, quòd principium fuerit voluntarium, & li-

bera

her conſenſus ab initio ſit præſtitus ab eligentibus in ſcrutinio: ſicur etiam poſt ſponſalia libero conſenſu inita, poreſt quis cogi ad contrahendum matrimonium, c. Ex litteris 10. & c. Requiſivir 17. de ſponſal. idem ergo erit in hoc matrimonio ſpirituali, Abb. in cit. c. Publicato n. 1. not. 3.

CLXXV. Cæterùm quod dictum eſt, publicato ſcrutinio, non poſſe Electores variare, id extenditur 1. Ut nec ſinguli ſeorſim, nec etiam omnes collegialiret congregati in Capirulo recedere poſſint à nominatione in ſcrutinio factâ, Innoc. hîc in princ. & Hoſtienſ. V. Nequeunt. 2. Neque Ij, qui poſt publicarum ſcrutinium, in locum electorum obeuntium, vel diſcedentium ſunt ſubſtiruti, poſſunt variare, ſed tenentur nominatum eligere, cui ex voris publicatis jus eſt quæſitnm, ut alius eligi non poſſit, ante requiſitum conſenſum ipſius, Jo. Andr. hîc q. 14. & alij apud Fagnan. hîc n. 12. 3. Etiam Metropolitanus, vel alius Superior, ad quem ob negligentiam, vel conrumaciam Capitularium, poſt publicatum ſcrutinium, intra tempus præfixum, non eligentium, devoluta eſt poteſtas eligendi, tenetur eligere, ſive præficere nominatum in ſcrutinio, quia aliàs variario, quæ unâ viâ prohibita eſt electoribus, ſcilicet poſt publicationem ſcrutinij, aliâ viâ permitteretur, nempe ſinendo labi rempus ad eligendum præfixum, Jo. Andr. hîc n. 29. & alij apud Fagnan. hic num. 3. quamvìs Abb. in fine hic dubitet, an hoc ſit verum. 4. Si Electores, poſt publicatum ſcrutinium legitimè factum, advertant, defectum eſſe commiſſum in forma, quia v. g. omiſſa eſt collatio, ideóque electionem formari non poſſe, rum, etſi poſſinc, ac debeant novum ſcrurinium inchoare, nequeunt tamen variare, alium eligendo, quia electo jus eſt acquiſirum ex votis publicatis, ſaltem ſpectato jure naturali, ſecundùm Innocent. hîc n. 2. Verſic. Sed quid ſi publicato. Verùm alij plures tenent, nullum jus acquiri ex electione celebratâ contra formam juris, quamvìs defectus nullitatis ſupervenerit poſt publicationem ſcrutinij legitimè facti, adeóque Electores non reneri iterum eligere eum, qui in ſcturinio nominatus fuit, quia nullibi reperitur Jure cautum, nt caſſatâ electione, propter defectum formæ, obligeutur eligentes ad eundem eligendum, ſed potiùs reperitur ſtatutum, tales pro ea vice poteſtare eligendi privandos eſſe, c. Quia propter 42. §. Qui verò h. t. Nec obſtat iſte textus, quia loquirur, quando nondum deventum eſt ad electionem capitularem, ſeu communem; ſecns, ſi ſit ad illam devenrum, & electio ſit caſſata, ob vitium formæ, Imola hîc n. 5. Verſic. Item adde ſecundò, Abb. hîc n. 7. & alij apud Fagnan. n. 28. & 2. ſeqq. 5. Si poſt publicatum ſcrutinium, appateat, aliquem contemprum eſſe, ſeu non vocarum, qui vocari debuiſſet, rum Electores nequeunt novum ſcrutinium inchoace, ſed procedere debent ad collationem, & electionem nominati, & ad id compelli poſſunr, cùm prior electio, ſive ſuffragatio fuerit valida, & electio caſſari non debeat ad petitionem eligentium, ſed electoris contempti: ignotetur autem, an is jus ſuum proſequi, an verò electionem raram habere velit, uti poreſt: vel urrùm Superior velit eam infirmare, an verò in ea diſpenſare? Verùm, ſi contemptus petar ſcrutinium irritari, tum novum ſcrutinium fieri debet, ſi nondum ſit ad electionem communem proreſſum, c. Eccleſia 57. h. t. Innocent. hic n. 1. Hoſtienſ. V. Nequeant, Abb. n. 8. & alij apud Fagnan. hîc num. 18.

CLXXVI. Limitatur autem tradita doctrina, quòd electores, publicaro ſcrutinio variare non poſſunt, 1. Si publicato ſcrutinio, & factâ collatione, vel etiam ſinè collatione, antequam communis electio omnium nomine facta, & promulgara eſt, appareat, quòd plures ex nominatis in ſcrutinio æqualia, aut nullus eorum majora ſuffragia habuetit, ſive à majore parte Capiruli electus fuerit; tum enim vel redeundum erit ad novum ſcrutinium, vel communi conſenſu comptomittendum eſt in aliquos, vel poterunt alij Capitulares, ſeu Electores, muratâ ſententiâ, accedere ad numerum ejus, qui plura ſuffragia, etſi non ſufficientia habuir, eúmque eligibilem facere, ſive ſuffragia illius uſque ad ſufficientem numerum augere; nam niſi Electores, mutatâ ſententiâ ſuâ, unius electionem corroborent, ita, ut major pats Capituli in nnum conſentiat, non poteſt ex tali ſcrutinio publicato ſolemnis electio ſequi, gl. In c. Cùm in jure 33. V. Conſentiat h. t. Abb. in cit. c. Publicato n. 7. eod. Tholoſan. de Elect. c. 16. n. 15. Ratio autem, cur hoc caſu variationi locus ſit, eſt, quia hæc prohibita eſt Electoribus, eò quòd cederet in præjudicium nominati, nominato autem à paucioribus nullum fit præjudicium, cùm jus nullum ei ſit acquiſitum, Fagnan. hîc n. 36. & 37. Sed & tunc variare Electores, & ad novum ſcrutinium procedere poſſunt, ac debent, ſi conſiet, nominatum à pluribus eſſe Ineligibilem, vel electionem ex alia cauſa fore nullam, Abb. c. I. n. 8.

Limitatur 2. Poſt publicatum ſcrutinium, ante communem electionem factam & promulgaram, ſi appareat, indignum eſſe electum, ſive laborantem defectu Canonico, ob quem eligi non poteſt, tum etiam Illi, qui ſcienter in indignum conſenſerunt, poſſunt variate, & vel unâ cum alijs non delinquentibus, novum ſcrutinium inchoare, vel alijs, qui dignum elegêre, ſeu in eum conſenſerunt, votis ſuis, accedere, quia, cùm electio nondum ſit perfecta, ſeu completa, pœna privationis lata in ſcienrec eligentes indignum necdum ab eis eſt contracta, c. Perpetuò 7. h. r. in 6. Fagnan. hîc n. 41. Laym. de Elect. Prælat. q. 77.

Limitatur 3. Si nominatus in ſcrurinio certior factus de ſua nominatione, juri ſuo expreſsè, vel tacitè renunciet, tum Capitulares poſſunt, non ſolùm ante, ſed etiam poſt publicationem ſcrutinij, alium eligere, quia tunc nullum fit nominaro præjudicium, præſertim, quia etiam poſt electionem ipſi præſentatam, diſſentire, & Capitulum alium eligere poſſet, Fagnan. hîc n. 39.

Denique variatio locum habet, etiam poſt publicatum ſcrutinium, in compromiſſatijs procedentibus ad electionem per viam ſcrutinij; In patronis Eccleſiarum, ut dicetur ſuo loco: item in poſtulatione, ut dictum tit. præced. n. 20.

CLXXVII. Aſſertio 3. Ante ſcrutinij publicationem, poſſunt variare Electores, ut colligitur ex cit. c. Publicato per contrarium ſenſum, & docet Innocent. ibid. n. 2. & Hoſtienſ. in princ. & alij communiter. Ratio eſt, quia ante publicatum ſcrutinium

Illud hîc addendum, prædictam formam ſcrutandi, quâ Electores voce exprimunt ſuum ſuffragiũ coram ſcrutatoribus, non eſſe ubique uſu receptam, ſed in multis Eccleſiis, non ſolùm Regularibus, ſed etiam Secularibus, conſueverunt Electores ſinguli, nomen eius, quem eligi volunt, in charta ſcribere, eámque clauſam, & obſignatam in urnam ſcrutatorum conjicere, ut teſtatur Emman. Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 52. a. 8.

§. II.

De publicatione Scrutinij.

CLXXII. Aſſertio 1. Peracto ſcrutinio, poſtquam omnium ſuffragia collecta, & in ſcriptum redacta fuerunt, mox, id eſt, in continenti, unóq; contextu, ſeu nullo alio actu extraneo interpoſito, facienda eſt eorundem publicatio, coram omnibus, à ſcrutatoribus, vel uno ex ipſis, reliquorum nomine, vel, ſi hi impediti ſint, ab illis, quos Capitulum ſubſtituit, ut appareat, quiſnam, vel quinam electi fuerint; alioquin eâ publicatione omiſsâ, corruit electio, ad cuius formam ſubſtantialem pertinet, cit. c. Quia propter 42. in princ. ibi, *mox publicent in communi*, & ibi gl. V. Mox Innocent. num. 6. Verb. eod. & Abb. num. ult.

» CLXXIII. Effectus autem huius publicatio» nis eſt, ut eâ factâ, ſive poſt publicatum ſcrutiniũ, » Electores variare nequeant, id eſt, ſuffragium da» tum revocare, & alteri dare non poſſint, ſed colla» tionem votorum facere, & electionem celebrare » debeant, ad quod faciendum, per Superiorem, ſi » opus ſit, compellendi ſunt, prout habetur in c. Publicato 58. h. t. Rationes varias hujus rei aſſignat gl. ibid. V. Variare. 1. Quòd ideo Electores, poſt publicatum ſcrutinium, variare non poſſunt, ſeu ſuffragium mutare, quia res non eſt ampliùs integra, cùm jam proceſſum fuerit ad tractatum electionis. Sed hæc ratio non eſt ſufficiens, quia aliàs etiam, ante publicationem ſcrutinij, Electores non poſſent variare, quia poſtquam ſuffragia ſunt redacta in ſcriptis, deſijt res eſſe integra, & tamen ad hoc, ut variare non poſſint, requiritur hîc publicatio ſcrutinij. 2. Nemo poteſt mutare conſilium in alterius præjudicium, reg. mutare 33. in 6. Sed hæc ratio haberet etiam locum, ante publicationem ſcrutinij, & cùm nominato in ſcrutinio nullum ſit jus quæſitum, non agitur de ejus præjudicio. 3. Quia talis mutatio poſſet eſſe Eccleſiæ damnoſa, nam per eam retardaretur progreſſus in negotio electionis, ideóque poſt ſcrutinium completum per publicationem, mox procedi debet ad collationem, & electionem faciendam, ut indicatur in textu. Sed inprimis hoc etiam dici poſſet de variatione Electorum factâ, ante publicationem ſcrutinij: deinde hæc ratio ſolùm probat, non poſſe fieri variationem, poſt ſuffragiorum publicationem, in electionibus, quæ fiunt per formam ſcrutinij, non autem in alijs, in quibus forma ſcrutinij non obſervatur. 4. Per Publicationem ſcrutinij quodammodo initiatur, ſeu inchoatur ſpirituale conjugium, & ideo Electores variare non poſſunt. Sed contra eſt, quia per electionem communem, & Capitularem ſubſequentem primùm inchoatur hoc ſpirituale matrimonium, c. ult. de tranſlat. Epiſc. Abb. in cit. c. Publicato num. 2.

Itaque vera & præcipua ratio eſt, quia poſtquam ſinguli eligentes ſua ſuffragia dederunt, eaque in Capitulo publicata ſunt, per quam publicationem prior illa inchoata electio, vel potiùs ſuffragiorum datio, cenſetur effectum ſuum, & complementum accipere, ideo eâ factâ, cenſentur Electores functi officio ipſis à jure conceſſo, ac proinde recedere, ſeu ſententiam mutare non poſſunt, tametſi communis, capitularis, & ſolemnis Electio non ſit peracta, neque ullum adhuc jus acquiſitum ſit electo, Abb. in cit. c. Publicato n. 3. Secus verò eſt in ijs electionibus, quæ ab illis fiunt, qui non ex officio ſibi à jure, vel ſuperiore poteſtate ſpecialiter commiſſo, ſed jure proprio, ac libero eligendi poteſtatem habent, ut ſi Princeps, vel Magiſtratus civicus, vel Communitas eligat Præfectos, vel Officiales ſuos; tum enim licitum eſt reſilire ab electione, eámque revocare, & mutare, & alium eligere, etiam poſt publicata ſuffragia, donec talis electio fuerit electo intimata, & ab eo acceptata, quia in hoc caſu ceſſat prædicta ratio, Abb. c. l. n. 3.

CLXXIV. Aſſertio 2. Quamvis Electores, poſt publicatum ſcrutinium, teneantur ſtatim procedere ad collationem, & electionem faciendam: ita, ut, ſi poſt intervallum communis electio fiat, ea irrita ſit, ut conſtat ex cit. c. Quia propter, & c. Cùm poſt 46. h. t. de quo infrà: ne tamen de induſtria, & in fraudem Canonis, hujuſmodi moram trahant, & electionem differant, eo fine, ut poſt intervallum facta irrita declaretur, ideo ſtatutum quoque eſt, in cit. c. Publicato, ut per Superiorem ad electionem, etiam poſt moram, & intervallum, perficiendam compelli poſſint, ac debeant, eáque valida ſit, etſi non in continenti, ſed ex intervallo ſit peracta, quia fraus & dolus Electorum non debet obeſſe electo, ſeu nominato in ſcrutinio: unde ipſe, vel quivis alius è Capitulo implorare poteſt Superioris officium, & petere, ut, ſi Scrutatores, vel Electores differant ſcrutinij publicationem, vel eo publicato, non ſtatim procedant ad collationem, & electionem celebrandam, ad id eos compellat, ex quo enim per conſenſum ſingulorum præſtitum in ſcrutinio, & multò magis poſt publicationem ejuſdem, cœptum eſt negotium electionis, neceſſe eſt illud perficere, gl. in cit. c. Publicato V. Compellantur, h. t.

Porrò poteſtas compellendi Electores hoc caſu competit ei ſuperiori, ad quem ſpectat confirmatio, etſi aliàs non ſit ordinarius eligentium, quia cui conceditur confirmatio, videntur etiam conceſſa omnia, per quæ pervenitur ad illam, arg. c. Præterea 5. de offic. deleg. Joan. Andr. in cit. c. Publicato n. 27. & alij apud Fagnan. ibidem n. 3. licèt Abb. n. 9. de hoc dubitet. Non tamen Electores ſimpliciter ſunt compellendi ad collationem, & electionem faciendam, ſed, ſi opus fuerit, ut habetur in cit. c. ac proinde priùs moneri debent, &, ſi recuſârint, tunc demum per cenſuram Eccleſiaſticam ſunt cogendi, ad inſtar teſtis, c. 1. de teſtib. cogend. Fagnan. c. l. Neque verò propter hujuſmodi coactionem vitiatur ſubſequens electio communis, quæ libera eſſe debet; nam ſatis eſt, quòd principium fuerit voluntarium, & libe-

ber conſenſus ab initio ſit præſtitus ab eligentibus in ſcrutinio: ſicut etiam poſt ſponſalia libero conſenſu inita, poteſt quis cogi ad contrahendum matrimonium, c. Ex litteris 10. & c. Requiſivit 17. de ſponſal. idem ergo erit in hoc matrimonio ſpirituali, Abb. in cit. c. Publicato n. 1. not. 3.

CLXXV. Cæterùm quod dictum eſt, publicato ſcrutinio, non poſſe Electores variare, id extenditur 1. Ut nec ſinguli ſeorſim, nec etiam omnes collegialiter congregati in Capitulo recedere poſſint à nominatione in ſcrutinio factâ, Innoc. hîc in princ. & Hoſtienſ. V. Nequeunt. 2. Neque ij, qui poſt publicatum ſcrutinium, in locum electorum obeuntium, vel diſcedentium ſunt ſubſtituti, poſſunt variare, ſed tenentur nominatum eligere, cui ex votis publicatis jus eſt quæſitum, ut alius eligi non poſſit, ante requiſitum conſenſum ipſius, Jo. Andr. hîc q. 14. & alij apud Fagnan. hîc n. 12. 3. Etiam Metropolitanus, vel alius Superior, ad quem ob negligentiam, vel contumaciam Capitularium, poſt publicatum ſcrutinium, intra tempus præfixum, non eligentium, devoluta eſt poteſtas eligendi, tenetur eligere, ſive præficere nominatum in ſcrutinio, quia aliàs variatio, quæ unâ viâ prohibita eſt electoribus, ſcilicet poſt publicationem ſcrutinij, aliâ viâ permitteretur, nempe ſinendo labi tempus ad eligendum præfixum, Jo. Andr. hîc n. 29. & alij apud Fagnan. hîc num. 5. quamvìs Abb. in fine hîc dubitet, an hoc ſit verum. 4. Si Electores, poſt publicatum ſcrutinium legitimè factum, advertant, defectum eſſe commiſſum in forma, quia v. g. omiſſa eſt collatio, ideóque electionem formari non poſſe, tum, etſi poſſint, ac debeant novum ſcrutinium inchoare, nequeunt tamen variare, alium eligendo, quia electo jus eſt acquiſitum ex votis publicatis, ſaltem ſpectato jure naturali, ſecundùm Innocent. hîc n. 2. Verſic. Sed quid ſi publicato. Verùm alij plures tenent, nullum jus acquiri ex electione celebratâ contra formam juris, quamvìs defectus nullitatis ſupervenerit poſt publicationem ſcrutinij legitimè facti, adeóque Electores non teneri iterum eligere eum, qui in ſcrutinio nominatus fuit, quia nullibi reperitur Jure cautum, ut caſſatâ electione, propter defectum formæ, obligentur eligentes ad eundem eligendum, ſed potiùs reperitur ſtatutum, tales pro ea vice poteſtate eligendi privandos eſſe, c. Quia propter 42. §. Qui verò h. t. Nec obſtat iſte textus, quia loquitur, quando nondum deventum eſt ad electionem capitularem, ſeu communem; ſecus, ſi ſit ad illam deventum, & electio ſit caſſata, ob vitium formæ, Imola hîc n. 5. Verſic. Item adde ſecundò, Abb. hîc n. 7. & alij apud Fagnan. n. 28. & 2. ſeqq. 5. Si poſt publicatum ſcrutinium, appareat, aliquem contemptum eſſe, ſeu non vocatum, qui vocari debuiſſet, tum Electores nequeunt novum ſcrutinium inchoare, ſed procedere debent ad collationem, & electionem nominati, & ad id compelli poſſunt, cùm prior electio, ſive ſuffragatio fuerit valida, & electio caſſari non debeat ad petitionem eligentium, ſed electoris contempti: ignoretur autem, an is jus ſuum proſequi, an verò electionem ratam habere velit, uti poteſt: vel utrùm Superior velit eam infirmare, an verò in ea diſpenſare? Verùm, ſi contemptus petat ſcrutinium irritari, tum novum ſcrutinium fieri debet, ſi nondum ſit ad electionem communem proceſſum, c. Eccleſia 57. h. t. Innocent. hîc n. 1. Hoſtienſ. V. Nequeant, Abb. n. 8. & alij apud Fagnan. hîc num. 18.

CLXXVI. Limitatur autem tradita doctrina, quòd electores, publicato ſcrutinio variare non poſſunt, 1. Si publicato ſcrutinio, & factâ collatione, vel etiam ſinè collatione, antequam communis electio omnium nomine facta, & promulgata eſt, appareat, quòd plures ex nominatis in ſcrutinio æqualia, aut nullus eorum majora ſuffragia habuerit, ſive à majore parte Capituli electus fuerit; tum enim vel redeundum erit ad novum ſcrutinium, vel communi conſenſu compromittendum eſt in aliquos, vel poterunt alij Capitulares, ſeu Electores, mutatâ ſententiâ, accedere ad numerum ejus, qui plura ſuffragia, etſi non ſufficientia habuit, eúmque eligibilem facere, ſive ſuffragia illius uſque ad ſufficientem numerum augere; nam niſi Electores, mutatâ ſententiâ ſuâ, unius electionem corroborent, ita, ut major pars Capituli in unum conſentiat, non poteſt ex tali ſcrutinio publicato ſolemnis electio ſequi, gl. in c. Cùm in jure 33. V. Conſentiat h. t. Abb. in cit. c. Publicato n. 7. eod. Tholoſan. de Elect. c. 16. n. 15. Ratio autem, cur hoc caſu variationi locus ſit, eſt, quia hæc prohibita eſt Electoribus, eò quòd cederet in præjudicium nominati, nominato autem à paucioribus nullum fit præjudicium, cùm jus nullum ei ſit acquiſitum, Fagnan. hîc n. 36. & 37. Sed & tunc variare Electores, & ad novum ſcrutinium procedere poſſunt, ac debent, ſi conſtet, nominatum à pluribus eſſe ineligibilem, vel electionem ex alia cauſa fore nullam, Abb. c. l. n. 8.

Limitatur 2. Poſt publicatum ſcrutinium, ante communem electionem factam & promulgatam, ſi appareat, indignum eſſe electum, ſive laborantem defectu Canonico, ob quem eligi non poteſt, tum etiam illi, qui ſcienter in indignum conſenſerunt, poſſunt variare, & vel unâ cum alijs non delinquentibus, novum ſcrutinium inchoare, vel alijs, qui dignum elegêre, ſeu in eum conſenſerunt, votis ſuis, accedere, quia, cùm electio nondum ſit perfecta, ſeu completa, pœna privationis lata in ſcienter eligentes indignum necdum ab eis eſt contracta, c. Perpetuò 7. h. t. in 6. Fagnan. hîc n. 41. Laym. de Elect. Prælat. q. 77.

Limitatur 3. Si nominatus in ſcrutinio certior factus de ſua nominatione, juri ſuo expreſsè, vel tacitè renunciet, tum Capitulares poſſunt, non ſolùm ante, ſed etiam poſt publicationem ſcrutinij, alium eligere, quia tunc nullum fit nominato præjudicium, præſertim, quia etiam poſt electionem ipſi præſentatam, diſſentire, & Capitulum alium eligere poſſet, Fagnan. hîc n. 39.

Denique variatio locum habet, etiam poſt publicatum ſcrutinium, in compromiſſarijs procedentibus ad electionem per viam ſcrutinij; in patronis Eccleſiarum, ut dicetur ſuo loco: item in poſtulatione, ut dictum tit. præced. n. 20.

CLXXVII. Aſſertio 3. Ante ſcrutinij publicationem, poſſunt variare Electores, ut colligitur ex cit. c. Publicato per contrarium ſenſum, & docet Innocent. ibid. n. 2. & Hoſtienſ. in princ. & alij communiter. Ratio eſt, quia ante publicatum ſcrutinium

nium, non cenſetur ſingulorum electio, ſeu nominatio, aut ſuffragatio completa, cùm non coram toto Capitulo, ſed tantùm coram Scrutatoribus, ideóque non propriè collegialiter facta ſit, Laym. de Elect. Prælat. q. 75. neque etiam fama electi læditur, ſi is ante publicationem ſcrutinij, dum vota nondum ſunt propalata; ſicut ſi poſt illam, variatione ſuffragiorum factâ, repellatur, tum enim putari poſſet, quòd propter defectum nominati facta ſit variatio. Imola hîc num. 1. Abb. ibidem num. 2. §. Præterea.

Limitant nonnulli, ut procedat, antequam ſcrutatores recedant à loco, ubi votorum exquiſitio eſt facta; nam, ſi inde jam diſceſſerint, nõ poſſunt variare, etiam ante publicationem ſcrutinij, quia ab officio ſuo jam deſtiterunt, & res non eſt ampliùs integra, Innocent. hîc n. 2. & Joan. Andr. n. 25. Sed contrarium eſt probabilius, quòd indiſtinctè, ante publicatum ſcrutinium, poſſit Capitulum, vel major ejus pars prius ſcrutinium caſſare, & ad novum procedere, quia in cit. c. publicato ſimpliciter interdicitur variatio poſt publicationem ſcrutinij, ergo per contrarium ſenſum, ante publicationem id liberè, & abſolutè permittitur, Imol. hîc not. ult. Fagnan. ibid. num. 55.

Prædictis addendum, etſi ſuffragia eligentium publicanda ſint, poſt peractum ſcrutinium, nomina tamen eorum evulgari non debent, ſed ſupprimi, Laym. de Elect. Præl. q. 74.

§. III.

De Collatione ſuffragiorum,

CLXXVIII. Aſſertio 1. Poſt publicatum ſcrutinium, ſtatim debet fieri ſuffragiorum collatio, cit. c. Quia propter, ibi: *collatione habitâ* h. t. vel ab ipſis ſcrutatoribus (qui tamen opus habent novo mandato, vel ſaltem tacito conſenſu Capitularium præſentium, & non contradicentium, ad collationem faciendam, cùm aliàs poſt ſcrutinium publicatum officio ſuo functi cenſeantur) vel ab aliis, qui à Capitulo deputati fuerint, Laym. de Elect. Prælat. q. 76. Requiritur autem ea collatio, ut appareat, quis fuerit à majore, & ſaniore parte Capitularium electus, quæ ſi omittatur, electio irritanda eſt, ut conſtat ex c. Cumana 50. h. t. ubi Papa Gregorius IX. duas electiones irritas declaravit, partim quia non ſunt factæ à majore parte totius Capituli præſentis & congregati: partim quia collatio in communi, quæ poſt publicationem ſcrutinij, fieri debuiſſet, omiſſa fuerat. Nam vacante Eccleſia Cumanâ, & congregatis, qui tum præſentes erant, Canonicis, & tribus Abbatibus, quibus vocem, ſeu ſuffragium in electione cõpetere liquidè conſtabat (Canonicis quidem de jure communi, Abbatibus verò ex ſpeciali privilegio vel conſuetudine, gl. hîc V. Abbatibus & Hoſtienſ. V. Noſcuntur) die ad celebrandam electionem ſtatutâ, cùm etiam Capellani, & Clerici civitatis electioni ſe debere intereſſe, dicerent, ſub hac proteſtatione admiſſi fuerunt, ut ſuffragia illorum, qui de jure, vel de conſuetudine intereſſe non deberent, non valerent: facto deinde, juxta formam Concilij Generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 24. (relato in c. Quia propter. 42. h. t.) Scrutinio, VII. Canonici, unus ex Abbatibus, XI. Capellani & IX. Clerici civitatis in Archipresbyterum ejuſdem Eccleſiæ conſenſerunt: novem autem Canonici, unus Abbas & XI. Clerici Archidiacono ejus Eccleſiæ ſuffragia ſua dederunt. Hoc intellecto proceſſu, Papa Gregorius IX. reſpondit, neutram electionem ad majorem partem Capituli perveniſſe: nam univerſim eorum, qui prætendebant jus ſuffragij in electione, erant LV. nempe Canonici XVIII. Capellani XIV. Clerici XX. & Abbates tres: ex quibus Electores, quibus jus ſuffragij competere conſtabat, fuerunt univerſim XX. & unus, ſcilicet XVIII. Canonici, & tres Abbates, quorum octo in Archipresbyterum, decem in Archidiaconum, tres reliqui in alium, vel alios ſua vota direxerunt, & ſic in neutrum major pars Capitularium, quibus jus ſuffragij competebat, conſenſit; nam requirebatur, ut ſaltem XI. ſuffragia in unum dirigerentur, ad hoc, ut diceretur electus à majore parte omnium Capitularium jus eligendi habentium. Verùm de Capellanis, & Clericis civitatis probatum non fuerat, quòd ad electionem admitti deberent, vel quòd antehac, ſive de jure, ſive de conſuetudine admiſſi eſſent: nam etſi Capellani duabus præcedentibus electionibus Epiſcoporum interfuerint, & cum aliis ſcrutatores elegerint, non tamen probatum fuit, eorum vota exquiſita fuiſſe, vel illos cum aliis elegiſſe. Sed etſi ponatur, vota eorum fuiſſe requiſita, aut ipſos cum aliis elegiſſe, non tamen inde conſtitit, id eis de jure (ſcilicet ſpeciali, ſive ex privilegio à Papa conceſſo, gl. hîc V. De jure) competere, vel ex conſuetudine præſcripta. Deinde ſuprà dictæ Electiones factæ ſunt etiam contra formam dicti Concilij Generalis, quia collatio in cõmuni, quæ, poſt publicationem ſcrutinij, fieri debuiſſet, fuit omiſſa. Quare Papa utramque illam electionem, ex Fratrum ſuorum, ſive Cardinalium conſilio, per ſententiam irritandam eſſe, cenſuit, privans Electores pro ea vice eligendi poteſtate.

CLXXIX. Notandum 1. Capitulares non tenentur expectare uſque ad ultimum diem termini à jure præfixi ad eligendum, ſed poſſunt, cum communi conſenſu ſaltem majoris partis Capituli, ſtatuere certum diem electioni celebrandæ, etiam ante termini adventum, uti ſumitur ex hoc c. Abb. hîc not. 1. de quo ſuprà n. 123.

Notandum 2. Capellani Eccleſiæ Cathedralis non habent ſuffragium in electione Epiſcopi, quia non ſunt Canonici, nec per ſe faciunt Collegium, ſed tantùm miniſtrant Eccleſiæ, ut perſonæ ſingulares, idcóque nec ad alios tractatus Capitulares vocandi ſunt. Idem eſt de aliis Clericis beneficiariis, uti ſumitur ex hoc cap. Abb. hîc n. 2. not. 5. & dictum ſuprà n. 9.

Notandum 3. Si inſtet tempus electionis celebrandæ, & aliqui Clerici prætendant, jus eligendi ſibi competere, cujus probationes tunc commodè recipi non poſſunt, admitti poterunt ad electionem, cum proteſtatione, ut eorum ſuffragia non valeant, niſi poſtea conſtiterit, jus eligendi eis de jure, vel de conſuetudine competere, prout ſumitur ex hoc cap. Abb. ibid. n. 2. not. 6.

Notandum 4. Ad probandam quaſi poſſeſſionem juris eligendi, non ſufficit probare, quòd Clerici, qui de Capitulo non ſunt, interfuerint antehac pluribus electionibus, vel etiam, quòd unà cum Canonicis, ſcrutatores elegerint, ſed probare etiam debent, quòd ſuffragia dederint in electione Prælati: nam poteſt quis intereſſe electioni, & tamen ſuffragium non dare, & aliud eſt eligere ſcrutatores, aliud eligere Prælatum, quæ cùm ſint jura diverſa, & ſeparabilia, ex probatione unius non rectè infertur probatio alterius, Abb. hîc n. 3. not. 7. & 8. præſertim cùm jus eligendi iis, qui non ſunt de Capitulo, jure communi non competat, ideóque hi non præſumuntur tale jus habere, niſi id certò probent, Laym. hîc num. 5.

Notandum 5. Quamvis ij, qui non ſunt de Capitulo, probent, ſe aliquoties, unà cum Capitularibus, elegiſſe Prælatum, adeóque eſſe in poſſeſſione juris eligendi, non tamen ideo probaſſe cenſendi ſunt, ſibi jus eligendi ex ſpeciali jure vel conſuetudine præſcripta competere, ut habetur in hoc c. juncta gl. V. Jam præſcripta, ubi ait: Sic patet, quòd ſola poſſeſſio non dat, nec creat jus, niſi ſit præſcripta, quia præter poſſeſſionem, requiritur etiam, ut ea bonâ fide & legitimi temporis decurſu ſit continuata, adeóque ut legitima præſcriptio acceſſerit, ad hoc, ut jus tribuat.

CLXXX. Ex quo colligitur 1. Quòd ſuffragia Capellanorum, & Clericorum in caſu hujus cap. ideo non debuerint computari in numero ad electionem perficiendam, quia non fuit probatum, illos in præcedentibus electionibus Epiſcopum elegiſſe, adeóque in poſſeſſione juris eligendi fuiſſe, alioquin ſi probatum fuiſſet, ipſos bonâ fide (quæ in dubio præſumitur) poſſediſſe jus eligendi, proteſtatio illa Capituli, ut ſuffragia eorum valeant, niſi de jure vel conſuetudine præſcripta valere debeant, inutilis fuiſſet, nec Clericis illis obfuiſſet, quia ſuffragium ejus, qui jus eligendi bonâ fide poſſidet, admitti debet, & de jure validum eſt, ut dictum ſuprà n. 21. ubi etiam explicatum, quando talis proteſtatio utilis ſit, vel non. Sed neque in caſu hujus c. Clerici illi extranei per ſuffragia data in ultima electione poſſeſſionem juris eligendi ſibi acquiſiverunt, quia non niſi cum proteſtatione ſunt admiſſi, ut non valeant eorum ſuffragia, niſi de jure, vel conſuetudine præſcripta valere debeant, ut patet ex textu.

Colligitur 2. Poſito etiam (quod tamen in caſu hujus cap. probatum non fuit) extraneos illos Clericos ſuffragia ad eligendum dediſſe in præcedentibus electionibus, non tamen ideo eorum vota in ultima electione tanquam valida admitti debuerunt, quia fieri potuit, ut admiſſi fuerint ſolùm ex gratia & precariò, non ex debito, vel cùm prædicta proteſtatione, adeóque per talem actum nullum jus, vel poſſeſſionem juris eligendi ſibi acquirere potuerunt, Laym. hîc n. 11.

CLXXXI. Notandum 6. Conſenſus ſeu votum electi non poteſt computari in numero eligentium, ſive augere numerum illorum, ut apertè colligitur ex hoc cap. nam in Archidiaconũ conſenſerunt 22. Canonici, & unus Abbas, ſi ergo computaretur etiam votum ipſius conſentientis in ſui electionem, tum pro ſe haberet vota 21. computato etiam voto ipſi, quæ eſt major pars ſuffragiorum totius Capituli, & tamen caſſata fuit hæc electio, quod fieri non potuiſſet, ſi electi votum augeret numerum ſuffragiorum, gl. hîc V. Ad majorem partem. Quare Abbas hîc n. 10. & alij apud Barboſ. in Collectan. hîc n. 2. aiunt, diſpoſitionem hujus cap. procedere, quando fit electio per ſcrutinium privatum ſeu ſecretum, tunc enim non poteſt quis in ſeipſum conſentire, quia cùm ignoret, an alij in eum conſenſerint, repelleretur tanquam ambitioſus, ſi ſeipſum eligeret: ſecus eſt, quando ſcrutinium fit palàm, & electio non ab uno, nomine omnium, ſed à ſingulis ſuffragium palàm dantibus in Capitulo, adeóque quando non ſervatur forma Concilij Lateranenſis, tunc enim, qui videt, ſe eligi à pluribus aliis, poteſt conſentire etiam in electionem ſui, & accedendo aliorum votis, augere numerum eorum, abſque nota ambitionis. Sed de hoc infrà plura.

Notandum 7. Si poſt publicatum ſcrutinium, non ſit facta collatio ſuffragiorum, electio communis inde ſubſequens eſt irritanda, id eſt, irrita declaranda, tanquam facta contra formam Generalis Concilij Lateranenſis, & Electores pro ea vice privandi ſunt poteſtate eligendi, prout habetur hîc in fine, & in cit. c. Quia propter. §. Aliter, & §. Qui verò, de quo §. ſeq.

CLXXXII. Aſſertio 2. In ſpecie collatio facienda eſt, tum numeri ad numerum, tum zeli ad zelum, tum etiam meriti ad meritum, ut conſtat ex c. in Geneſi 55. h. t. ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: » Cùm in Concilio (Lateranenſi c. 24. relato in cit. c. » Quia propter.) caveatur, ut is, collatione habitâ, e- » ligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars » Capituli conſentit. At verò in electione G. in E- » piſcopum major pars totius Capituli non conſen- » ſit, ſed tantùm major pars, comparatione partium » minorum: nec poſt publicatum ſcrutinium, colla- » tio plenè facta eſt numeri ad numerum, quia diſ- » cuſſum non fuit, an duo Canonici, Guilielmus, & » Henricus votum in electione habuerint; quorum » primus excludi non poterat, quia fuit in poſſeſſio- » ne vel quaſi Canonicatûs, habens ſtallum in cho- » ro, & locum in Capitulo, & ad tractatus & electio- » nes dignitatum & perſonatuum tanquam Canoni- » cus eſt vocatus, quamvis hac vice nõ niſi cum pro- » teſtatione fuerit admiſſus; alter verò abſens fuit, & » in tali loco, è quo ad electionem vocari debebat, » cùm ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum Gal- » liearum, abſentes è toto regno vocari ſoleant. Sed » neque collatio zeli ad zelum, nec meriti ad meri- » tum facta fuit. Denique non fuit etiam Electio » communiter celebrata, quia licèt in dictum G. ſin- » guli eligentes conſenſerint: non tamen ut debuiſ- » ſet, poſt publicatum ſcrutinium, ſecuta fuit com- » munis electio. Ex quo alterutrum abſurdorum ſe- » quitur, ut quia in ſcrutinio quilibet eorum, qui io » G. conſenſerant ſingulariter, ſi poſtea eo publica- » to, iterum quilibet per ſe ſeparatim eligeret, idem » repeti videretur, gl. hîc V. repeti: vel ut tot eſſent » electiones, ſcilicet ſingulares, quot eligentes: ſicuti » autem ex pluribus ſingularibus propoſitionibus » non fit una univerſalis, niſi per ſignum univerſale » conjungantur: ita ex pluribus ſingularibus con- » ſenſibus non fit una communis ſeu univerſalis e- » lectio,

„ lectio, niſi ſcilicet conjungantur in unam commu„ nem. Quare Papa, cum conſilio Cardinalium, præ„ dictam electionem, quippe contra formam Concilij attentatam, irritam & inanem eſſe decernit.

CLXXXIII. Notandum 1. Collatio ſuffragiorum inprimis facienda eſt numeri ad numerum, ut appareat, quis à majore parte Capituli electus fuerit, major enim pars conſiſtit in numero, Abb. hîc not:1. Non autem hoc loco dicitur pars major Capituli, vel eligentium, quæ eſt major comparatione aliarum partium minorum, quæ diverſas perſonas eligunt, gl. in c. Si cui 23. V. Minorum h. t. in 6. ſed major pars totius Capituli præſentis, ut conſtat ex hoc c. ubi reprobata fuit electio Epiſcopi, in quem major pars totius Capituli non conſenſit, quamvis majorem partem habuerit, comparatione partium minorum, de quo infrà plura.

Notandum 2. Prætereà etiam fieri debet collatio zeli ad zelum, id eſt, ipſorum eligentium intentiones, ac motiva, quæ expoſuerunt, expendenda ſunt, cit. cap. in Geneſi nam ad validitatem electionis requiritur, ut & major, & ſanior pars Capituli præſentis & legitimè congregati in eundem conſenſerit, cit. c. Quia propter, & ibid. Abb. n. 7. c. Dudum 22. & c. Eccleſia 57. h. t. zelus autem deſumitur, tum ex animo, ſive ſincero affectu, & intentione eligentium, ſinè carnali amore conſanguinitatis vel amicitiæ, & ſinè ſollicitatione precum, ſed ſolùm ſecundùm merita perſonæ eligendæ, ita, ut illa pars dicatur ſanior, & majore zelo prædita, quæ ſinceriore affectu, ſive intentione movetur ad eligendum, gl. in cit. c. Eccleſia V. Non conſenſerit, & ibid. Abb. n. 11. tum etiam deſumitur, & æſtimatur zelus ex auctoritate eligentium, ita, ut, qui à prudentioribus, dignioribus, & antiquioribus Capitularibus electus eſt, majore zelo, & à ſaniore quoque parte electus dicatur, cit. c. Dudum 22. & ibi Abb. n. 2. & cit. c. Eccleſia 57. h. t. Tholoſ. de Elect. c. 16. n. 14. Denique etiam meriti ad meritum collatio facienda eſt, quæ ipſum electum reſpicit, ut appareat, an idoneus ſit, vel uter ex duobus electus magis idoneus, ac dignus ſit, & melior, ac utilior Eccleſiæ futurus, cit. c. Eccleſia 57. Tholoſan. c. l. n. 15.

CLXXXIV. Notandum 3. Si duæ partes Electorum in unum conſentiant, non eſt opus prædictâ collatione zeli, & meriti, ut colligitur ex c. Si quando 9. h. t. in 6. Si verò unus ſolus fuit electus, non tamen à duabus partibus, tum collatio fieri debet, non quidem numeri ad numerum (cùm alius prætereà electus non fuerit) ſed de numero eligentium, an ſaltem duæ partes Capituli, eorum ſcilicet, qui vocari debuerunt, & adeſſe voluerunt, ac potuerunt, præſentes fuerint; & an omnes præſentes habuerint vocem, ſeu ſuffragium in Capitulo: rurſum de zelo debet fieri collatio, an Electores bono animo, an verò per illicitas preces, aut pactiones in unum conſenſerint: & de merito Electi, an is idoneus ſit, nullóque impedimento Canonico laboret, quò minùs eligi poſſit, Abb. in cit. c. Quia propter, n. 10. h. t. Cæterùm in quibuſdam Eccleſijs, præſertim Ordinum Regularium, non alia collatio, quàm numeri ad numerum fieri ſolet, quia ob probitatem eligentium palàm notam, & juramentum eorum, nullum dubium eſſe poteſt, quin is, qui à majore parte Capituli eſt electus, verè idoneus ſit: & in talibus eligendi formis, plerumque ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, non obſervantur omnes conditiones requiſitæ ad formam eligendi per ſcrutinium, juxta Clement. 1. §. Denum de V. S. Laym. de Elect. Prælat. q. 76. & in cit. c. Quia propter, n. 8.

CLXXXV. Notandum 4. Si poſt publicatum ſcrutinium, nullum dubium oriatur, ſeu quæſtio moveatur, ſufficit, ut fiat collatio generalis, ex qua appareat, majorē, & ſaniorem partem in eligendum conſenſiſſe: videlicet Cajus habet tot ſuffragia, Sempronius verò tot: eligentes Cajum habuerunt bonum zelum, & auctoritatem, quia ſunt Canonici digniores, antiquiores, prudentes: item Cajus eſt idoneus, & utilis futurus Eccleſiæ, ob ſcientiam, quâ pollet, & rerum agendarum peritiam, Innocent. in cit. c. In Geneſi n. 3. Abb. ibid. n. 1. not. 3. Quare in hoc caſu, ſi ponatur XXIV. fuiſſe Electores, & Cajus habuerit XIII. ſuffragia, Sempronius verò XII. promulganda erit Electio Caij. Si verò quæſtio, ſeu dubium moveatur, poſt publicatum ſcrutinium, tunc plenior, ſeu exactior collatio, ac diſcuſſio facienda eſt. v. g. Si electo objiciatur crimen, defectus ſcientiæ, vel natalium, vel Ordinis: vel ſi dicatur ſubjacere excommunicationi, ſuſpenſioni, vel interdicto: ſi dubitetur, utrùm alicujus Electoris ſuffragium de jure ſit invalidum, ob prædictam cenſuram aliquam ab eo contractam: vel utrùm omnes vocandi ſint præſentes, ne uno contempto, impugnari poſtea poſſit Electio. Nam in his & ſimilibus caſibus, antequam communis Electio ſequatur, exacta diſcuſſio haberi debet ſuper dubio moto, non per modum judicij, nec in ordine ad ſententiam ferendam, ſed ſolùm ad inquirendam veritatem, ut ſequi poſſit communis Electio, quia univerſim ſi controverſia inter Capitulares in Capitulo oriatur, eam Capitulum definire non poteſt, etiamſi alioquin ex conſuetudine præſcripta haberet juriſdictionem in ſingulos, niſi in cauſa manifeſtè notoria, non enim poteſt quis eſſe Judex in cauſa propria, l. unic. C. Ne quis in ſua cauſa judicet, Innocent. in cit. c. In Geneſi n. 2. & Abb. n. 2.

§. IV.

De Electione communi, ſeu Capitulari, & ſolemni.

CLXXXVI. Aſſertio 1. Collatione factâ, ſi appareat, majorem & ſaniorem Capituli partem in unum, eúmque dignum, ac habilem conſenſiſſe, decretum Electionis formari; atque omnium nomine ab uno, ſive eo, qui præeſt Capitulo, aut primam in eo vocem habet, ſive ab alio ad id à Capitulo deputato, publicè promulgari debet, ut conſtat ex cit. c. Quia propter, ibi: *Is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major pars Capituli conſentit.* Idque etiam habetur in eodem c. §. finali, ubi Electiones clandeſtinæ reprobantur, & ſtatuitur, ut quamprimum electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur: quanquam, ut notat gl. fin. ibid. clandeſtina electio dicitur, non tantùm illa, quæ nondum eſt publicata in Capitulo, &, niſi mox publicetur, non valet: ſed etiam illa, quæ fit clanculum, ſive in locis, & conven-

venticulis occultis, nam electio debet publicari populo; idque ſaltem tutius eſt, non tamen, ſi omittatur, vitiatur electio, ut docet Innocent. in cit. c. Quia propter, in fine, dummodo Canonici non inter ſe conveniant, & decernant, ut ſecreta teneatur, & non evulgetur, tum enim clandeſtina foret, & vitiaretur, Imola in cit. c. in fine, & Abb. ibidem in fine. Quare ad electionem canonicam Epiſcopi, ſeu Prælati non ſufficiunt ſingulares conſenſus à ſingulis Capitularibus præſtiti, ſed ſubſequi debet una communis electio, modo collectivo, & nomine omnium Capitularium promulgata, ut patet ex c. in Geneſi h. t. ubi præter alios canonicos defectus, quædam electio etiam ideo reprobata fuit, quia non communiter facta eſt, nomine omnium Capitularium, ut ſuprà dictum. Ratio eſt, quia, ſicuti electio & quodvis decretum communitatis non valet, niſi ſit collegialiter, ſeu in Conventu factum, & promulgatum, juxta gl. in l. Sicut 7. V. Non debetur ff. Quod cujuſque univerſ. nom. ita ad majorem ſolemnitatem Electionis Canonicæ neceſſarium eſt, ut ea, non per ſingulares conſenſus, ſeu ſuffragia, ſed per unum commune decretum, totius Collegij nomine, peragatur, & per verba ſingularis numeri promulgetur, c. Sicut 2 r. junctâ gl. V. Per unum h. t. in 6. gl. marg. in cit. c. In Geneſi V. Nec ex ſingularibus. Hoc autem decretum communis, ſeu Capitularis electionis ſolùm requiritur in Electionibus Prælatorum Eccleſiaſticorum, in quibus neceſſariò obſervari debet forma eligendi præſcripta in cit. c. Quia propter h. t. non autem in alijs Capitularibus electionibus ad alias inferiores dignitates, & beneficia; nam in illis ſufficit, ſi ſinguli Capitulares conſenſum præſtent, ut docet gl. recepta in cit. c. Sicut V. formam, neque enim ſpectatâ naturâ electionis, ſecundùm ſe, plus requiritur.

Porrò modus formandi, & promulgandi hujuſmodi decretum communis electionis, eſt, ut is, cui id ex officio incumbit, vel commiſſum eſt, quærat, an placeat electum publicari, &, ſi reſponderint Capitulares, *placet*; eundem palam eligat, & electum pronunciabit ejuſmodi formâ: *Ego N. nomine meo, & omnium eligentium, mihíque conſentientium, invocatâ gratiâ S. Spiritûs, in Epiſcopum, vel in Abbatem hujus Eccleſiæ N. eligo, & electum pronuncio, & coram vobis publico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Amen.* Greg. Tholoſ. cit. c. 16. n. 17.

CLXXXVII. Aſſertio 2. Hoc decretum communis, & Capitularis Electionis ſtatim, ſive in continenti, eodémque contextu, formari & publicari debet, alioquin electio eſt caſſanda, ſeu irrita declaranda, prout ſumitur ex c. Cùm poſt petitam 46. h. t. » Nam poſtquam Archiepiſcopus Lugdunenſis ceſſionem diu inſtanter à Papa petitam tandem obtinuit, Canonici concorditer Præpoſitum ejuſdem Eccleſiæ elegerunt. Cùm verò Honorio III. Pontifici electio præſentata fuiſſet, examinato proceſſu, is reperit, quòd poſt publicationem conſenſuum, ſeu ſuffragiorum, & collationis tractatum, electio aliquamdiu (ultrà, quàm debuiſſet, Hoſtienſ. hîc V. eodem) protracta, & aſſenſus Electi priùs petitꝰ fuerit, quàm electio formata fuiſſet: quare dictus Papa illam electionem, ſolùm propter inordinatum proceſſum, ſive ordinem, & formam in eo non ſervatam, juſtitiâ exigente, caſſavit. Ratio deciſionis eſt, quia non debet in poteſtate Electorum eſſe, qui jam functi ſunt officio ſuo, differendo publicationem electionis, præjudicare legitime electo, ejúſque cauſam deteriorem facere, Tholoſ. cit. c. 16. n. 17.

CLXXXVIII. Notandum 1. Ad formam velut ſubſtantialem proceſsûs electionis ſpectat, ut poſt publicationem ſcrutinij, & collationem ſuffragiorum factam, ſtatim, unóque contextu, id eſt, ut nullus alienus actus interponatur, ſive, antequam ad alios actus Electores divertant, electionis decretum fiat, & publicetur, gl. hîc V. protractam, quemadmodum etiam de teſtamenti factione jure civili ſtatutum eſt, ut eodem contextu peragatur, l. Hæredes 21. ff. qui teſtam. fac. poſſ. & l. Cùm antiquitas 28. C. de teſtam. niſi tamen neceſſitas naturalis, ob ſuffragantium multitudinem, poſtulet alios actus interponere, ut eſt v. g. cibum, potúmve ſumere, ſomnum capere &c. arg. cit. l. cùm antiquitas, vel modica ſolùm dilatio fiat, tunc non vitiatur electio, Abb. hîc n. 2. Similiter, ſi aliquid ad negotium electionis pertinens interveniat, electio non caſſabitur, etiamſi differatur ejus publicatio, ut, ſi poſt publicatum ſcrutinium, & collationem factam, Electores ante Electionem communem factam, & publicatam, requirant ab eligendo, vel poſtulando (etiam per nuncium ad abſentem miſſum, ſi non longè diſtet) utrùm conſenſurus ſit, nécne, electioni de ſe faciendæ: id enim interdum expedire videtur, ne, ſi Electus, poſt publicatam electionem, conſentire nolit, vilipendatur dignitas, & ab alio difficiliùs acceptetur, & ita proviſio Eccleſiæ vacantis differatur, ſeu protrahatur, Abb. hîc n. 5.

Notandum 2. Ob duas cauſas in caſu hujus c. caſſata fuit Electio, ut notat gl. hîc V. Requiſitum. 1. Quia electio, poſt publicatum ſcrutinium, & collationem factam, fuit dilata, ſeu protracta, vel etiam omnino interrupta, Electoribus conventum diſſolventibus, & ad alia divertentibus, ut notat Jo. Andr. hîc. Etſi verò in c. Quia propter, expreſsè ſolùm requiri videatur, ut publicatio votorum mox fiat, poſtquam illa fuerunt in ſcriptis redacta, non autem, ut poſt tractatum collationis, mox fiat electio: Veruntamen id requiri, ſatìs exprimitur in hoc c. ubi ait Pontifex, quòd repererit electionem, poſt publicationem conſenſuum, & collationis tractatum, aliquamdiu fuiſſe protractam, ideóque etiam illam caſſavit. quare in cit. c. Quia propter, particula *mox* etiã referri debet ad electionem, quod etiam illa mox poſt collationem ſequi debeat, tum quia ipſa publicatio, & collatio votorum mox fieri debet propter finem electionis celebrandæ, ad quem ordinatur, ut patet ex illis verbis, *collatione habitâ eligatur*: tum quia ordinariè nulla adeſt legitima cauſa electionis differendæ, ſicut ſubinde ob multitudinem ſcrutatorum poteſt ſubeſſe cauſa differendi publicationem ſcrutinij, Hoſtienſ. hîc V. Protractam, & Abbas num. 2.

Secunda cauſa caſſationis fuit, quia conſenſus Præpoſiti fuit abſolutè requiſitus, & præſtitus, antequam electio communis in Capitulo publicata eſſet, ac ſi jam peracta fuiſſet ab eligentibus illa electio, adeóque peccatum fuit in ordine proceſsûs, ſeu for-

mam

mæ electionis, cùm priùs decretum electionis formari & publicari debeat, quàm requiratur, ut electus electioni tanquam de ſe factæ conſentiat, Innocent. hîc in fine. Quamvis ipſe electus non poſſit notari de vitio ambitionis, cùm non conſenſerit, antequam Electores in ipſum conſentirent in ſcrutinio ſua vota ei dando, ideóque ſolùm fuit peccatum in forma, quia conſenſus ipſius fuit requiſitus, antequam eſſet communiter electus, ſive priuſquam ſequeretur communis electio ex ſingularibus conſenſibus, ſeu votis præſtitis in ſcrutinio, Abb. hîc n. 3. Quòd ſi Electores requiſiviſſent, etiam ante publicatam electionem communem, ut conſentiret in ſui electionem, non ut jam factam, ſed ut faciendam, ſive, ut ſe declararet, an, ſi communiter, & canonicè eligeretur, repugnare non vellet; tum nihil contra proceſſum, ſeu formam electionis peccatum fuiſſet, quia non fuiſſet requiſitus abſolutè conſenſus tanquam in electionem jam factam, aut antequam ſequeretur communis electio, Innoc. c. l. & patebit ex infrà dicendis.

Notandum 3. Electio attentata contra formam ſubſtantialem eſt ipſo jure irrita, cùm actus ſinè forma non ſubſiſtat, quare, cùm hîc dicitur, eandem electionem caſſavimus, idem eſt, acſi diceretur, caſſam & irritam declaravimus, Abb. hîc n. 1. & alij communiter contra Hoſtienſ. neque verò ad valorem electionis ſufficit, ut omnes actus præſcripti in cit. c. Quia propter, fiant, ſed etiam requiritur, ut debito ordine fiant, non præpoſterè, nec ſimultaneè, ſed ſucceſſivè unus poſt alium; adeóque ut poſt ſcrutinium fiat eiuſdem publicatio, deinde ſuffragiorum collatio, & poſt hanc mox ſequatur communis electio, Abb. hîc num. 1. not. 3. & in cit. c. Quia propter. num. 16.

CLXXXIX. Cæterùm quædam hîc addenda ſunt 1. Quando in cit. c. Quia propter. §. Aliter; dicitur, quòd electio aliter facta, quàm ſecundùm formam ibi præſcriptam, non valeat, id ita intelligendum eſt, non quòd ipſo jure ſit irrita, ita, ut nullo modo ſubſiſtat, neque naturalis obligationis effectus inde ſequatur (quomodo nulla eſt electio facta à minore parte Capituli præſentis, quippe deſtituta causâ efficiente, ut infrà dicetur) ſed eo ſenſu dicitur irrita, ut, licèt, ſpectato jure naturali, ſubſiſtat, quia ſcilicet adeſt conſenſus majoris partis eligentium, qui ad ſubſtantiam electionis, ſecundùm jus naturale, ſolùm requiritur; nam aliæ ſolemnitates, ſeu conditiones jure poſitivo duntaxat exiguntur ad ſormam electionis, ut docet Abb. in cit. c. Cùm poſt peritam n. 3. h.t. & alij communiter. Attamen electio facta ſinè hac forma in foro externo non ſubſiſtit, ſed per oppoſitam exceptionem, ac Judicis ſententiam declaratoriam, perinde annullari, ac reſcindi poteſt, ac ſi ab Initio omnino irrita fuiſſet: alioqui verò ſi non reſcindatur, & à nemine oppugnetur, ea ſubſiſtit, ob naturalem obligationem ortam ex conſenſu eligentium, & electus, ſi confirmetur, eſt verus Prælatus, nec tenetur in foro conſcientiæ reſignare, ante Judicis ſententiam, Innocent. in c. Quòd ſicut 28. n. 8. h.t. Sylveſt. V. Electio 1. q. 10. Laym. de Elect. Præl. q. 81. h.t. & in cit. c. Quia propter. n. 13. ubi addit, quòd Electus defendere ſe poſſit regulâ de triennali poſſeſſore, quæ eſt reg. 33. Cancellariæ, ita ut poſt triennium, à die poſſeſſionis acquiſitæ numerandum, moleſtari ampliùs non debeat.

At verò altera pœna in cit. c. Quia propter; §. Qui verò; Electoribus decreta, propter formam ſcrutinij non ſervatam, ut eligendi eâ vice poteſtate priventur, non incurritur ipſo Jure, ſed per ſententiam ferendam à judice, gl. ibid. V. Priventur, & Abb. §. Niſi. n. 3. & dictum ſuprà num. 40. Quare ſi electus nolit v.g. acceptare Prælaturam, vel, ſi decretum electionis nondum ſit inſinuatum electo, poſſunt Capitulares aliam electionem inchoare, cùm prior ipſo jure nulla fuerit, ſaltem jure poſitivo, quippe facta contra formam ſcrutinij: etiamſi alij non delinquẽtes, quia fortè abſentes erant, ſe opponant, & contra electionem appellent: nam Capitulares, qui deliquerunt, non ſervando formam debitam eligendi per ſententiam latam, nondum ſunt privari poteſtate eligendi, adeóque adhuc eâ uti poſſunt, & aliam electionem facere, dummodo fiat ſinè fraude, Innoc. in cit. c. Quia propter; n. 8. & 9. Abb. ibid. §. Niſi. num. 5. Aliud eſt, ſi Capitulares ſcienter indignum elegerunt: tum enim ipſo jure privantur eligendi poteſtate, & hæc ad alios non delinquentes devolvitur, cap. Cùm in cunctis; 7. §. fin. juncta gl. V. Privatos h. t. ideóque delinquentes non poſſunt cum innocentibus procedere ad aliam electionem, niſi hi pœnam hanc privationis ſponte illis remittant, ut patet ex ſuprà dictis n. 51.

Addendum 2. Si publicato ſcrutinio, appareat, unum vel alterum Electorum contemptum, ſeu non vocatum fuiſſe, nihilominus ad electionis communis, & Capitularis promulgationem procedi poteſt, quia electio futura non ideo erit ipſo jure irrita: & quamvis irritari poſſit, tamen fortè non vocati contemptum remittent, & electionem ratam habebunt, Abb. in c. Publicato 58. n. 8. h.t. requiritur tamen, ut duæ partes Capitularium eorum, qui adeſſe volebant, & poterant, præſentes electioni fuerint, cùm in ijs vis Capitularis ad tractatum electio-ctionis inſtituendum conſiſtat, Laym. in cit. c. Quia propter. n. 13. Quòd ſi unus aliquis ex contemptis petat, ea, quæ geſta ſunt, irritari, tum, ſi communis electio nomine omnium nondum promulgata ſit, ea reſcindenda ſunt, & de novo inchoari debet ſcrutinium: ſi verò jam promulgata ſit electio, adeóque ea omnino perfecta, & abſoluta ſit, ſententia Superioris (quem contemptus adire debet, ſi contemptum remittere nolit) expectanda eſt, Mandagatus de Elect. c. 33.

Addendum 3. Si illi, in quem maior & ſanior pars Capitularium conſenſit, vel Electoribus objiciatur ab aliquo defectus, ſeu impedimentum aliquod, v.g. excommunicationis, & appelletur ad Superiorem, ne ulteriùs ad electionem procedatur, etiamſi res non liquida, ſed dubia ſit, nihilominus ad communis electionis promulgationem procedi poteſt, quia ipſi Electores, ſeu Capitulares de illa cauſa judicialiter cognoſcere non poſſunt, ob defectum juriſdictionis, vel quia de propria cauſa agitur, Tholoſan. cit. c. 16. n. 15. & conſtat ex ſuprà dictis n. 185. Si tamen poſtea judicetur, juſta de cauſa appellatum fuiſſe, reſcindi debet electio poſt appellationem facta, perinde, ac ſi ab initio irrita fuiſſet, ut ex infrà dicendis patebit.

§. V. De

§. V.

De Electione facienda à maiore, & ſaniore parte Capituli.

Inter alias ſolemnitates, ſeu conditiones requiſitas ad formam eligendi per ſcrutinium, etiam ea eſt, ut Electio fiat à maiore, & ſaniore parte Capituli, cit. c. Quia propter, ibi: *is, collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli conſentit.* h. t.

CXC. Unde quæritur 1. An electio à minore parte Capituli facta, ideóque irrita, poſſit per ſubſequentem conſenſum, ſeu vota aliorum Capitularium accedentium ad ſuffragia partis minoris, confirmari, & convaleſcere? Reſpondetur negativè, ſi ea acceſſio votorum facta ſit, poſt decretum communis, & ſolemnis electionis promulgatũ, prout ſumitur ex c. Anditis. 29. h. t. Nam vacante Eccleſia Baiocenſi, Canonici in Capitulo convenientes, ſed inter ſe diſcordes, duas electiones fecerunt: una pars, nempe Decanus, cum paucioribus Capitularibus, nominavit R. Subdiaconum, ſive in eum conſenſit: Cantor autem, cum pluribus, nominavit Guilielmum Archidiaconum, quamvìs poſtea ſolus Cantor à priore nominatione recedens, alium nominâtit, videlicet Magiſtrum R. de Algediis, ſimul appellans, ne Decanus, qui primam in electione vocem habebat, ſinè conſenſu totius Capituli, vel majoris, & ſanioris partis ipſius, ad actum electionis procederet. Verùm Decanus, quamvìs majoris partis Capituli conſenſum non haberet, ſed longè minoris, cum paucioribus, ſubitò in electionem prorupit, (eligendo G. Archidiaconum, & recedendo à nominatione R. Subdiaconi, gl. hîc V. prorupit) appellans, ne quis contra illam electionem quidquam attentaret: quamvìs in huius electionis defenſionem aſſereret, quòd plures alij Canonici poſtea in eandem electionem à ſe factam conſenſerint, ſive conſenſum ſuum adjecerint. Verùm Papa Innocentius III. hanc allegationem Decani reiecit, cùm enim illa electio ab initio ipſo jure irrita fuerit, non potuit ex pòſt facto per ſubſequentem aliorum Capitularium conſenſum, cõvaleſcere, ſeu ratificari, maximè appellatione adhuc pendente. Porrò cùm Decanus & ſocij eius è Capitulo abſceſſiſſent, Cantor, & reliqui Canonici, ibi remanentes, poſt priorem illam à Decano cum ſociis factam electionem nondum caſſatam (de facto ſcilicet, cùm enim ipſo jure irrita fuerit, non potuit caſſari, ſeu irritari, ſed irrita declarari debuit, gl. hîc V. caſſatam) & poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, à nominatione dicti Archidiaconi receſſerunt, & R. Subdiaconum de novo eligere præſumpſerunt. Quare his auditis & intellectis, idem Pontifex utramque electionem irritandam eſſe, decernit.

CXCI. Notandum 1. Capitulares nominantes aliquem in tractatu electionis, ex pluribus, qui tanquam idonei ad regimen Eccleſiæ vacantis ſunt propoſiti, ut de ijs fiat ſcrutinium, poſſunt à tali ſimplici nominatione recedere, & alium eligere, cùm per illam nullum jus ſit acquiſitum nominato, quomodo in caſu huius cap. primò nominati ſunt Archidiaconus ab una, & Subdiaconus ab altera parte Capitularium, ideóque licuit illis ab eorum nominatione recedere, Abb. hîc n. 3. not. 2.

Notandum 2. Electio facta à minore parte Capituli eſt omni jure, non ſolùm poſitivo, ſed etiam naturali, ac gentium irrita, ſecundùm quod etiam requiritur conſenſus majoris partis eligẽtium; nam vis, ſeu poteſtas Capitularis eligendi, vel alios actus Capitulares exercendi, non conſiſtit penes minorem partem Capituli, imò nec mediam, ſed penes majorem, adeóque electio facta à minore parte Capituli omni jure invalida eſt, ob defectum legitimæ poteſtatis, Abb. hîc n. 7. & conſequenter poſtquam ea completa, & perfecta eſt, per formatum & promulgatum Capitulare decretum, non poteſt per accedentem poſtea plurium aliorum Canonicorum conſenſum convaleſcere, aut confirmari, quod enim ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, reg. jur. 29. ff. Et hæc eſt cauſa, cur in caſu huius cap. prior electio Archidiaconi facta à Diacono, & ſociis eius, nõ fuerit confirmata, nec convalidata per ſubſequentem acceſſum plurium Electorum, licèt tum adfuerit conſenſus majoris partis Capituli in eandem perſonam, quia ea acceſſio facta fuit poſt formatum, & promulgatum electionis decretum, quæ cùm fuerit facta à minore parte Capituli, adeóque ipſo jure etiam naturali, & gentium irrita fuerit, non potuit ex pòſt facto convaleſcere, ut dicitur in textu, Laym. hîc n. 2. Aliud eſt, ſi poſt publicatum ſcrutinium, ſed ante formatum, & promulgatum communis electionis decretum, plures ex Canonicis, mutatâ ſententiâ, accedant ſuis ſuffragiis, & conſentiant in eum, qui à minore parte Capituli eſt electus, ſeu nominatus, quia ex publicatione ſcrutinij nullum jus cuiquam eſt acquiſitum, & ex tali acceſſione ſuffragiorum poſtea ſubſequi, & fieri poteſt communis electio, ſecundùm majorem Capituli partem, Sylveſt. V. Electio. 2. quæſt. 7. & dictum ſuprà num. 176.

Notandum 3. Electio facta à minore parte Capituli in caſu huius c. non potuit per acceſſum aliorum Capitularium poſtea convaleſcere, quia etiam appellatione pendente eſt facta, quamvìs, etiamſi appellatio non eſſet interpoſita, adhuc irrita fuiſſet, nec ex pòſt facto convaleſcere potuiſſet, ut patet ex illis verbis, *maximè appellatione pendente*, gl. hîc V. Maximè, & Abb. n. 8. nam hæc vocula *maximè*, ſi propriè accipiatur, non reſtringit dictum antecedens, ſed illud confirmat, gl. in c. ult. §. Porrò, Verſ. ſi verò aliter V. Maximè ut lite non conteſtata &c. adeóque hîc non ſignificat idem, quod *tantùm*, ſive *dummodo*, ſed idem, quod *præſertim*: ut ſenſus ſit, electio à minore Capituli parte facta invalida eſt, nec confirmari poteſt, maximè poſt appellationem interpoſitam, id eſt, etiamſi ea interpoſita non eſſet, invalida foret, Laym. hîc n. 3.

Notandum 4. Etiam poſterior electio facta in caſu huius c. à Cantore, & eius ſociis ipſo jure fuit irrita, idque ob duas cauſas 1. quia etiam illa celebrata fuit à minore parte Capituli, nam, poſtquam Decanus, & fautores ipſius, unà cum ijs, qui ad vota ipſorum poſtea acceſſerunt, è Capitulo egreſſi ad domos ſuas redierunt, Cantor & ſocij non conſtitue-

bant majorem partem Capituli, vel ſaltem non faciebant duas partes Capituli, ideóque non potuerunt, ſinè aliis Capitularibus abſentibus, & oon vocatis, ad novam electionem procedere; præſertim pendente appellatione, & antequam prior electio fuit caſſara, ſive irrita declarata, Abb. hìc n. 8. oeque verò dici poreſt, quòd priores eligentes, Decanus, & ſocij eius privati fuerint, pro ea vice, poteſtate eligendi, quia non canooicè elegerunt, ac proinde tota poreſtas eligendi ad alios Capitulares præſentes, quamvìs numero pauciores, devoluta ſit. Nam priores illi non elegerunt perſonam indignam, ideóque non fuerunt privati ipſo jure, quamvìs per ſententiam privari potuerint, quia contra formam canonicam præſcriptam in c. Quia propter. 42. h. t. elegerunt, gl. ibid. V. privcotur, & conſtat etiam ex c. Quamvìs 18. h. t. in 6. 2. Irrita fuit poſterior electio, quia Cantor, & ſocij eius eligere præſumpſerunr Subdiaconũ, quem potiùs poſtulare debuerant; nam tempore, quo edira eſt Cooſtitutio ab Innoceorio III. nempe anno Pontificatûs eius octavo, oondum licitum erat eligere Subdiaconum in Epiſcopum, ſed ſolùm Presbyterum: poſtea verò anno decimo Pontificatûs ejuſdem Papæ conceſſum fuit, ut etiam Subdiaconus eligi poſſet io Epiſcopum, juxta c. à multis 9. de ætat. & qualit. Hoſtienſ. hìc V. de novo Magiſtrum. & Joan. Aodr. n. 32. Abb. n. 8. Quare cùm in fine hujus c. dicitur, utramque electionem eſſe irritandam, id ita intelligi debet, eſſe irritam, ſeu nullam declarandam, ut colligitur etiam ex c. Bonæ 36. & 2. ſeqq. h. t. gloſſ. in c. Cùm inter 16. V. Caſſata, id eſt, caſſa denunciata, h. t.

CXCII. Quæritur 2. Quæ cenſenda ſit pars major Capituli in electionibus? Reſpondetur, ea, in quam conſenſit pars major, abſolutè loquendo, totius Capituli præſentis, & non tantùm pars major reſpectu aliarum partium minorum, ut conſtat ex c.
» Eccleſia 48. h. t. nam vacante Eccleſiâ Rhotoma-
» genſi, Canooici ad electiouem convenientes, præ-
» miſſo ſcrutinio, in diverſa ſuffragia ſunt diviſi, ſive
» diverſis perſonis ea dederunt; nam quidam eorum
» in Thomam, alij quidam in Cancellarium conſen-
» ſerunt, cæteri ſinguli in alias ſingulares perſonas
» ejuſdem Eccleſiæ vota ſua direxerunt. Verùm
» controverſiâ hac, ſeu diſcordiâ ad Papam Hono-
» rium III. delatâ, multiſque hinc inde coram eo
» propoſitis, repertum eſt inprimis, quòd illi, qui in
» Thomam ſua vota direxerunt, licèt majorem par-
» tem facereot, comparatione partium minorum, ſi-
» ve aliorum, qui in alios conſenſerunt, non tamen
» ad majorem partem Capitoli (totius, Hoſtienſ. hìc
» V. eod. ſive omoium Capitulatium præſentiom)
» pervenerunt. Deinde etiam compertum eſt, quòd
» poſt publicationem conſenſuum, ſeu ſuffragiorum,
» & tractatuum collationis, ad Electionem (ſcilicet
» communem, ac ſolemnem, Hoſtienſ. hìc V. eod.)
» oon fuerit proceſſum, quamvìs ſolemoitas depor-
» tationis (nempe deportatio ad Sedem Epiſcopalem,
» ſive ſolemois introoizatio, ſeu inſtallario) & qui-
» dem poſt interpoſitam legitimam appellationem,
» ſubſecuta fuerit, quæ tamen pro Electione haberi
» non debet. Quare Papa id, quod circa prædictum
» Thomam factum eſt, caſſavit (id eſt, caſſum & ir-
» ritum declaravit, gloſſ. hìc V. Caſſavimus) ſed ne-
» que petitio eorum, qui in Cancellarium conſen-
» ſerunt, à Papa eſt admiſſa, quia oon fuir commu-
» niter, & capitulariter electus, & minor pars Capi-
» tularium in eum conſenſit, quàm in Thomam, gl. fin. hìc.

CXCIII. Notandum 1. Ad validitatem electionis non ſufficit, qoòd quis plura vota, ſeu ſuffragia habeat, quàm alij, qui coëliguntur, ſed requiritur, ut in unam eandémque perſooam conſenſerit major pars Capitulariom, abſolutè loquendo, qui præſenres ſunt in Capitulo, quia hoc conſtituitur ex omnibus præſeotibus, adeóque ut quis dicatur eſſe electus à majore parte Capituli, deber plus quàm dimidia pars Electorum præſeotium io eum conſentire, & vota ſua dirigere; dummodo etiam ſint præſentes duæ partes Capitularium, eorum ſcilicet, qui volunt, ac poſſunr intereſſe, alioquin vis Capitularis ad eligendum ceſſat, ut cooſtat ex l. Nulli 3. ff. quod cujuſq. Univerſ. nom. & tradit gl. in l. Major 19. ff. ad municip. V. g. ponamus, quòd in caſu hujus c. fueriot XII. Capirulares, ſive Electores præſentes, quorum V. conſenſerunt in Thomam, IV. in Cancellarium: alij tres ſinguli in alias perſonas diverſas, vel etiam in eandem: hoc caſu, etſi Thomas habeat majorem partem ſuffragiorum, reſpectu aliorum, qui pauciora habent: non tamen valere poteſt ejus electio, quia non habet majorem partem ſuffragiorum totius Capituli, ſive omnium Capitularium præſentium: ut igitur ejus electio valere poſſit, neceſſe eſt ut ſalrem VII. in ipſum conſentiant, quæ eſt major pars omnium Capitularium præſentium, gl. margin. hìc. Idque locum haber, non ſolùm in electionibus, ſed etiam in omnibus alijs actibus Capitularibus, ſeu Collegialibus, qui ad plures, tanquam ad unum corpus, ſeu Collegium pertinent: hi enim ut valeaot, neceſſe eſt, majorem, adeóque plùs, quàm dimidiam partem præſentium in Capitulo, ſeu Collegio legitimè, aut ſaltem validè congregato conſentire, arg. c. 1. de his, quæ fiunt à major. part. Capit. & l. Quòd major 19. ff. ad municip. junctâ gl. V. Curiæ. Secus eſt, ſi actus v. g. præſentatio pertineat ad plures, nõ ut ad Collegium, ſed ut ad ſingulos, ſive tanquam ad perſonas ſingulares, tunc enim ſufficit, ſi pars major reſpectu aliarum partium minorum cooſentiat, c. Quoniam 3. de jure patron. ut docet Bartol. in l. Si uni 36. aliàs incipit Pomponius num. 6. quæſt. 3. ff. de re judic. de quo ſuo loco.

Porrò non ſufficit, etiam aliquem eſſe electum à ſaniore parte, niſi illa etiam ſit pars major numero totius Capiruli præſentis, ut colligitur ex hoc c. ubi Papa caſſavit Electiooem Thomæ, eò quòd in eum non conſenſit major pars totius Capituli, non examinando, an ſuffragia in eum collata fuerint à parte ſaniore, ſive ab ijs, qui ætate, ſcieotiâ, & zelo reliquos ſuperarent, Abb. hìc n. 2.

CXCIV. Notandum 2. In ijs electionibus, quæ per formam ſcrutinij fieri debent, non ſufficit, ſi communis conſeoſus Capituli eligentis facto aliquo tacitè importante electionem declaretur, v. g. deportando eligendum ad Sedem Epiſcopi, vel collocando eum ſuper Altari; ſed requiritur, ut ſolemnis, ſeu communis electio verbaliter fiat, ſive per verba promulgetur, ut conſtat ex hoc c. ubi electio Thomæ, &

Can-

Cancellarij non ideo ſolùm eſt reprobata, quia neutra ſacta ſuir à majore parte totiusCapituli,ſed etiam qnia communis,&ſolemuis electio non ſuit pet verba concepta, & promulgata, etſi ſolemnitas deportationis ſit ſecuta, quæ ramen pro electione reputari non debet. Ratio eſt,quia, quando verba requiruntur ad ſubſtantiam alicujus actûs, tum factum non æquivalet verbis, ut in baptiſmo c. 1. de baptiſ. Sed verba plus operantur, qnàm ſactum,etſi aliàs regularirer ſufficiat,voluntatem apparere,ſive declarari per verba, vel ſacta, Imola hîc n. 3. & Abb. n. 3. Unde in alijs electionibus, in quibus non debet obſervari forma præſcriptain c. Quia propter 42. h. t. non ſuut neceſſaria verba, dummodo conſenſus eligentium ſigno,vel ſacto aliquo ſufficienter ſuerit declaratus; ſicut in matrimonio carnali, quia plus jure naturali non exigitur, Abb. c. l. & Laym. ibid.ubi addit, quòd ſtatuto decerni, vel conſuetudine induci poſſit, nt etiam aliæ electiones per verba fieri debeant.

Notandum 3. Electio Thomæ in caſu bujus c. etiam ex eo capite reprobata fuit, quia ad actum deportationis,&intronizationis proceſſum fuit,poſt interpoſitam legitimam appellationem, ne ſcilicet fieret electio,niſi de eo, in quem conſentit major, & ſanior pars Capituli, quæ ſuit legitima appellatio: ſecus, ſi appellatum fuiſſet, ne procederetur ad electionem, illa enim non valuiſſet, poſt publicatum ſcrutinium, gl. hîc V. Appellationem, & Hoſtienſ. V. Legitimam, Imola hîc in fine.

CXCV. Quæritur 3. An ad validam Electionem copulativè requiratur, ut ſit facta à majore, & ſauiore parte Capituli? Reſpondetur affirmativè,
» prout habetur in c. Eccleſia 57. b. t. nam vacante
» Eccleſia Carbalanenſi, convenerunt Canonici, &
» diem ad electionem ſaciendam ſtatuerunt, abſen-
» te Canonico G. qui ei conventui intereſſe noluit
» (quamvìs per hoc non renunciârit, quò minùs in-
» tereſſe vellet electioni, gl. hic V. Intereſſe in fine.)
» Adveniente verò termino, ſive die ad eligendum
» præfixo, & dicto G.adhuc abſente non vocato(qui
» tamen vocari debuiſſet, ſi quidem ignoravit diem
» electioni aſſignatum,alioquin agere poteſt de con-
» temptu, gl. hic V. Vocato in 2.reſponſ. Hoſtienſ.
» ibid. V.Noluit, & dictum ſuprà n. 144.) præmiſſo,
» & publicato ſcrutinio, juxta formam Concilij Ge-
» neralis Lateranenſis ſub Innocentio III. c.24. re-
» pertum ſuit, quòd XIV. M. G.Presbyterum Car-
» dinalem,& ſimulCanonicum illiusEccleſiæ,XVII.
» verò R. Canonicum Rhemenſem elegerunt, eujus
» electioni poſtea adveniens dictus G. (qui non vo-
» catus fuerat) ſuum conſenſum præbuit,& addidit.
» Itaque in hac diſcordia Procuratores utriuſq; par-
» tis miſſi ſunt ad Sedem Apoſtolicam. Ubi pro E-
» lectione R. allegatum ſuit, quòd 4. ſuffragijs ex-
» cederet alteram electionem (computato etiam ſuf-
» ſragio dicti G.)adeóque majorem Capituli partem
» haberet, quæ proinde etiam pars ſanior reputari
» deberet,cùm, ubi majnr numerus eſt, major etiam
» zelus præſumatur. Ex parte verò adverſa, ſcili-
» cet eligentium Cardinalem, oppugnabatur electio
» dicti R. quòd is in ætate defectum pateretur, nec
» ſcientiam ſufficientem haberet ad regendam Ec-
» cleſiam Carhalanenſem; contrà verò prædictus
Cardinalis maturæ ætatis,& eminentis ſcientiæ ſit, »
& Electores ipſius alios meritis,& auctoritate ſu- »
perarent, & meliorem eos zelum habuiſſe,conſtet, »
præſertim habito reſpectu ad perſonam electam. »
Præterea dicebatnr ex parte Electorum Cardina- »
lis, quòd conſenſus dicti G. (qnem pars adhærens »
ipſi R. contemptum ſuiſſe, aſſerebat, quamvìs pars »
altera diceret, Capitulum potiùs ab ipſo contem- »
ptum ſuiſſe, dum non advenit) cùm non ſuerit in »
ſcrutinio præſtitus, ſed poſt electionem acceſſerit, »
nihil adjicere, ſive numerum ſuffragiorum augere »
non potuit. Denique ex parte ſavente electioni »
Canonici Rhemenſis allegatum fuit, quòd ſtatu- »
tum Generalis Concilij (in cit. c. Quia propter) »
quod decernit, electionem eſſe invalidam, cùm »
contra formam eligendi in eo præſcriptam pecca- »
tur, non debet ad contemptum, & alia, quæ ad »
formam non ſpectant, referri. Unde quod ibidem »
dicitur, quòd electio aliter celebrata non valeat, »
ea tantùm reſpicit, quæ contra ſormam Concilij »
attentantur, non autem alia, quæ ibid. ponuntur, »
quale eſt illud,ut præſentibus omnib⁹,qui debent, »
volunt, & poſſunt commodè intereſſe,proceſſus e- »
lectionis inſtituatur, ne alioquin nimis jura anti- »
qua immutentur, cùm non ſit credendum, Roma- »
num Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs mul- »
tis vigilijs excogitatum, & inventum fuit, quaſi u- »
no verbo evertere voluiſſe. Itaque his, quæ hinc »
inde propoſita ſunt, pleniùs intellectis, qnia juxta »
Concilium Lateranenſe (in c. 1. de his, quæ fiunt à »
majore part.cap)ad ea,quæ ſtatuuntur ab Eccleſijs, »
major & ſanior pars Capituli exigitur, & Conci- »
lium etiam Lateranenſe (in cit. c. Quia propter) »
ſtatuit,ut is eligatur, in quem major, & ſanior pars »
conſenſit: idcirco Pontiſex Gregorius IX. e- »
lectionem dicti R. non ob perſonæ, ſed potiùs ele- »
ctionis virium, cùm major, & ſanior pars in eun- »
dem non conſenſerint, ex Fratrum ſuorum, ſeu »
Cardinalium conſilio, per ſententiam irritandam »
eſſe, cenſuit. »

CXCVI. Notandum 1. Ad Electionem validam copulativè requiritur, ut non ſolùm major, ſed etiam ſanior pars Capituli in eundem conſenſerit, ut expreſsè habetur in hoc c. & in c. Quia propter 42. & c. In Geneſi 55. eod. quæ autem pars dicatur ſanior, dictum eſt ſuprà n. 183. & 193. ſiu. Verùm in dubio major pars numero, præſumitur etiam eſſe ſanior,ita tamen ut contra hanc præſumptionem admittatur probatio in contrarium, nt patet ex hoc c. ubi probatio majoris zeli eligentium, & meriti electi admiſſa fuit contra electionem R. Canonici Rhemenſis, quæ ſuit major numero, Abb. hîc n. 4. not. 3. quæ præſumptio etiam ceſſat, ſi ex collatione ſuffragiorum clarè appareat, ex una eligentium parte auctoritatem,& zelum eligentium,ac merita electi alteram partem notabiliter ſuperare, Laym. hîc n. 4. de quo inſtà,

CXCVII. Notandum 2. Electio facta à ſaniore parte Capituli non valet, niſi ſimul etiam ea ſit pars major numero, quia cùm hæc duo copulativè requirantur,alterutrum tantùm non ſufficit; nam propoſitio copulativa tota redditur ſalſa ex ſalſitate unius ſolius partis, Hoſtienſ. hîc V.Major & ſanior: idque ſumitur ex hoc c. ubi nullâ factâ mentione de electio-

electione Cardinalis, à Papa ſolùm expreſsè irritata fuit electio Canonici Rhemenſis, quippe quæ ſacta fuit à majore quidem parte Capituli, ſed non à ſaniore, cùm pars eligentium Cardinalem in collatione zeli,& meriti exceſſerit alteram partem eligentiũ, nihilominus tamen altera electio Cardinalis à Papa non fuit confirmata, quippe quæ facta fuit à ſaniore parte Capituli, ſed non majore, per quod ſatìs indicavit Pontifex, poſt caſſatam electionem R. Canonici Rhemenſis, de quo defectus ætatis,& ſufficientis ſcientiæ non fuit probatus, alioquin irrita fuiſſet ejus electio,tanquam facta de perſona indigna, gl. hîc V. In ætate, & V. Sufficientis; ſed vitio electionis, quia ſanior pars Capituli in eum non conſenſit, prout requiritur ſecundùm formam electionis præſcriptam in Concilio Lateranenſi: poſtquam,inquam,Papa electionem Canonici Rhemenſis caſſavit, eo ipſo tacitè indicavit, quamvìs id non expreſſerit, etiam alteram electionem Cardinalis non valere, ſed ad novum ſcrutinium,& electionem procedendum eſſe, cùm neque electio Cardinalis confirmari potuerit, quippe facta quidem à ſaniore parte,non item majore, ſed minore Capituli,utrumque autem ad validam electionem requiritur, Hoſtienſ. c. l. & Abb. ibid. n. 13.

Porrò non ſolùm in electionibus, ſed etiam aliis diſpoſitionibus, ſeu decretis, quæ fiunt ab Univerſitate,ſeu Collegio aliquo,attenditur,utrùm non tantùm pars major numero,ſed etiam auctoritate,& dignitate, adeóque etiam pars ſanior conſenſit, gl. recepta in l. Pomponius 36. V. Diſſentiret. ff. De re judic. Abb. in cit. c.Eccleſia 57. n.7.h. t. ubi monet, conſultum non eſſe, ut ſuffragia dentur per lupinos ſeu ſabas,quia tunc apparere non poteſt,quæ ſit pars ſanior eligentium.

CXCVIII. Notandum 3. Si Capitularis abſens,qui vocatus non fuit ad electionem, cùm tamen debuiſſet, poſt publicatum ſcrutinium adveniat,non poteſt ſuum ſuffragium adjiciendo, augere ſeu complere numerum eligentium,ita,ut decretum communis electionis formari poſſit, prout ſumitur ex hoc.c.& tradit ibid. gl.V. Adjicere, Innocent.n.3. Joan. Andr. ibid. & Abb.n.10. Ut in caſu hujus cap. Poſito, quòd univerſim Electores fuerint XXXIV. præter G. abſentem, & non vocatum, & poſt ſcrutinium apertum appareat,XVII. conſenſiſſe in R. Canonicum Rhemenſem, non potuit prædictus G. adjicere ſuum ſuffragium,ad augendum numerum ſuffragiorum 18. qui requiritur, ut ſit major, quàm dimidia pars ſuffragiorum, reſpectu Electorum 34. Ratio eſt,quia juxta formam c. Quia propter,electio communis fieri debet ex conſenſibus,ſive ſuffragiis in privato ſcrutinio priùs datis, in quem ſcilicet vel omnes, vel major,& ſanior pars eligentium conſenſit,ergo non poteſt, poſt publicatum ſcrutinium, adjecto novo ſuffragio, augeri numerus votorum, alioqui enim in arbitrio unius, vel alterius Capitularis eſſet, electionem alicuius vel firmare,vel infirmare. Hoc tamen operatur conſenſus Capitularis contempti; qui de jure vocandus fuiſſet, etſi poſt apertum ſcrutinium,imò & poſt electionem communem, fuerit præſtitus,quòd non poſſit ampliùs proſequi contemptum ſuum, nec petere reſciſſionem electionis, poſtquam conſenſit in eam,& juri ſuo renunciavit, ut tradunt DD. citt.

Deinde Capitularis abſens, & non vocatus, ſi poſt publicationem ſcrutinij, ſed ante promulgatum electionis decretum, adveniat, poteſt petere, ut novum ſcrutinium incboetur,& audiri debet, dummodo ſit unus ex ijs,qui volunt & poſſunt commodè intereſſe electioni,quia alioquin non ſervaretur, quod requiritur in cit.c.Quia propter,nempe,ut electio celebretur,præſentibus omnibus,qui debent,& volunt, & poſſunt commodè intereſſe,Innoc.c.l. Aliud eſt, ſi non ſit unus ex ijs,qui volunt,& poſſunt commodè intereſſe,ſive quia dixit, ſe intereſſe nolle, adeóq; juri ſuo pro ea vice renunciavit: ſive quia tam procul abſens erat,ut vocari non debuerit: tum enim, ſi poſt publicatum ſcrutinium adveniat, & petat, ut aliud ſcrutinium fiat, audiri non debet, quia res non eſt ampliùs integra, adeóque ſtatim ad electionem communem procedendum eſt,ex votis ſeu conſenſibus in priore ſcrutinio à majore parte Capituli præſentis præſtitis. Si verò ante publicatum ſcrutinium adveniret, admittendus,& audiendus eſſet, quia res adhuc foret integra, arg. l.Quòd ſi minor 24.§.Scævola, & ibi gloſſ. margin. ff. de minorib. Laym. hîc num. 6.

Notandum 4. Clauſula in fine diſpoſitionis poſita non refertur ad omnia antecedentia, ſi ex eo ſequeretur aliquod abſurdum,vel aliud inconveniens,v.g. jurium correctio, adeóque ſi ratio diverſitatis adſit,cur ad aliqua ex antecedentibus referri debeat, ad alia verò non debeat, ut ex Bart. docet hîc Abb.num.5.

Exemplum habetur in hoc c. ubi dicitur,quòd clauſula illa poſita in fine c. Quia propter, ut *electio aliter* (quàm ibi præſcriptum eſt) *facta non valeat*, tantùm referri debeat ad ea, quæ ad ſubſtantialem formam electionis ſpectant, ſinè qua res non ſubſiſtit; non autem eſt referenda ad ea,quæ ad juſtitiam electionis pertinent, cujuſmodi eſt illud, ut electio fiat,præſentibus omnibus,qui debent,volunt,&poſſunt commodè intereſſe, adeóque ut,ſi abſentes ſint, vocentur,Abb.hîc n.4.not.6.

CXCIX. Quæritur 4. Si duæ electiones in diſcordia ſint celebratæ, ita,ut una eligentium pars ſit major numero,altera verò dicatur eſſe ſanior,ſive ut pro ea ſtet major numerus eligentium; pro altera verò dicatur eſſe major auctoritas eligentium, & majus meritum electi; utra electio alteri præferenda ſit? Reſpondetur, de hoc agitur in c. Si quando 9.h.t.in 6. ubi Gregorius X.in Concilio Lugdunenſi c. 8.Statuit. Si quando contigerit, duas Electiones in diſcordia celebrari,tum, ſi pars altera eligentiũ numero duplo major ſit,contra Electores,qui partem alteram ſic excedunt, ſcilicet in duplo majore numero, reliqui, qui pauciores ſunt, ſive quorum ſuffragia in duplo minore numero ſunt, vel electus ab eis,nihil opponere poteſt, quod ad extenuationem zeli, aut meriti, vel auctoritatis ipſorum ſpectet (dicendo videlicet,eſſe Electores minoris auctoritatis, aut electum minùs dignum) ſi quid verò objicere voluerint eligentibus in duplo majore numero, quod votum,ſeu ſuffragium illorum ipſo jure nullum reddat (v. g. fuiſſe excommu-

municatos, aut ſuſpenſos) id eis non eſt inter- »
dictum.

CC. Ubi notandum, ſi accidat electionem prædicto modo in diſcordia celebrari, tum diſtinguendum eſt; nam vel numerus unius partis eligentium multùm excedit numerum alterius partis; & hoc caſu electio illius partis, pro qua ſtat notabiliter major numerus eligentium, præferri debet electioni partis illins, pro qua ſtat major auctoritas eligentium, & majus meritum electi, dummodo electus à majore parte ſit abſolutè idonens, Joan. Andr. in c. Eccleſia 57. n. 38. & ibid. Abb. n. 13. h. t. Ratio eſt, quia electio partis minoris numero, quæ tertiam partem Capituli non excedit, vel vix excedit, non poteſt admitti, ergo cùm alterutra harum electionum admitti debeat, illa admittenda eſt, quæ numero valde ſuperat alteram, Laym. hîc n. 1. Præſertim quia pars valde major numero ex præſumptione juris (quæ pro veritate habetur, donec contrarium oſtendatur) eo ipſo etiam cenſetùr eſſe pars ſanior, gl. hîc v. Interdicimus. Vel numerus unius partis non multùm excedit numerum alterius: tum iterum diſtinguendum eſt, nam vel auctoritas eligentium, & meritum electi, quæ ſtant pro parte numero minore, non multùm excedunt; & præferenda eſt electio facta à majore parte Capituli, quia de illo modico exceſſu auctoritatis, & meriti non eſt curandum, neque propter illum recedendum à regula illa Juris Canonici, quòd geſta à majore parte Capituli rata eſſe debeant, c. 1. de his, quæ fiunt à major. part. Capit. in his enim quę à morali judicio, & æſtimatione pendent, exceſſus modicus, & vix notabilis in conſiderationem non venit, ſed pro nihilo reputatur. Vel ex una parte eſt major numerus eligentium, quamvis non notabiliter excedens, altera verò pars multùm ſuperat auctoritate eligentium, & meritis electi: & eo caſu neutra electio admittẽda, vel confirmanda, ſed nova electio inchoanda eſt, quia ad canonicam electionem copulativè utrumque requiritur, ut & major, & ſanior pars Capituli in unum conſenſerit; prior autem pars eligentium non eſt ſanior: poſterior non eſt major, Joan. Andr. & Abb. citt. locis. etſi quoad hæc diſſentiat gl. in cit. c. Eccleſia V. Non conſenſerit, quæ putat, præferendam eſſe electionem, quæ facta eſt à parte ſaniore, eò quòd hæc etiam cenſeatur major. Neque verò tali caſu dici poteſt jus eligendi ad Superiorem devolvi, quia huic devolutioni non eſt locus, niſi in forma eligendi peccatum fuerit, vel perſona indigna electa ſit, vel tempus à jure præfixum ad eligendum elapſum ſit, quorum nihil in propoſito caſu accidit, ut ſupponimus, Abb. c. 1. & Layman. hic num. 2.

CCI. Cæterùm quod dictum eſt, electionem factam in diſcordia à notabiliter majore parte Capituli præferendam eſſe electioni factæ à minore parte Capitularium, etſi hæc dicatur ſanior, & facta ab eligentibus majoris auctoritatis, id limitandum eſt, niſi contra electum à multò majore parte Capituli, objectus & probatus fuerit defectus, ob quem Inhabilis eſt ad Prælaturam, vel dignitatem: tum enim electio digni, & habilis facta à minore numero parte Capitularium, cenſeri debet valida, adeóque & præ-
» ferenda eſt, prout habetur in c. Dudum 22. h. t. Nam
» vacante Præpoſitura Cathedralis Eccleſiæ Colo-
cenſis (vel potiùs Colonienſis, ut habetur in omni- »
bus manuſcriptis, & quibuſdam impreſſis, teſte gl. »
marg. hîc) Canonici quidam Præpoſitum S. Geor- »
gij, alij autem Præpoſitum SS. Apoſtolorum Petri »
& Pauli elegerunt. Hanc cauſam Papa Innocen- »
tius III. quibuſdam Judicibus cognoſcendam cõ- »
miſit, ita, ut, ſi partes conſentirent, ad definitivam »
ſentẽtiam procederent, alioquin verò cauſam ſuf- »
ficienter inſtructam ad Sedem Apoſtolicam remit- »
terent. Judices delegati, citatis ad ſe partibus, te- »
ſtes receperunt, eligentium conſcientias examinâ- »
runt, & allegationes utriuſque partis audierunt. »
Sed quia Præpoſitus S. Gregorij dixit, ſe nolle ſtare »
ſententiâ horum Judicum, ipſi cauſam ad Sedem »
Apoſtolicam deſtinârunt, pręfixo partibus litigan- »
tibus termino, intra quem per ſe, vel per Procura- »
torem idoneum, coram Papa comparere deberent. »
Et ſi verò Præpoſitus SS. Apoſtolorum nuncios »
Romam miſerit tempore conſtituto, alter verò nec »
per ſe venit, nec alium ſuo loco miſit. Verùm Papa, »
inſpectis actis Judicum, reperit, quòd pro Præpo- »
ſito SS. Apoſtolorum ſtaret major auctoritas eligẽ- »
tium, pro Præpoſito verò S. Georgij major nume- »
rus Electorum, cùm prior à XIV. Canonicis, qui a- »
lios dignitate, ætate, & tempore (quia antè ordina- »
ti vel inſtituti fuerunt in Eccleſiâ, gl. hîc V. Tem- »
pore) antecedebant; poſterior verò à XXIV. electus »
fuiſſet. Quamvìs autem contra Præpoſitum S. Ge- »
orgij objectum fuerit, quòd nec ſcientiam, nec æ- »
tatem requiſitam haberet, neque ſacro Ordine ini- »
tiatus eſſet: quia tamen ex actis tranſmiſſis Ponti- »
fex non poterat cognoſcere, quid dictus Præpoſi- »
tus contra allegârit, vel ad objecta reſponderit, »
cùm cauſa non ſufficienter inſtructa tranſmiſſa fu- »
erit, ideo noluit ad definitivam ſententiam proce- »
dere, ſed cauſam Judicibus commiſit ſub hac for- »
ma, ut, ſi notorium eſſet (per rei evidentiam) vel »
probatum fuerit, quòd Præpoſitus S. Georgij, tem- »
pore electionis, defectum in ſcientia, ætate, vel ſa- »
cro Ordine habuerit, ob quem ſecundùm Cano- »
nicas ſanctiones ad Præpoſituram eligi prohibere- »
tur, ei, non obſtante illius abſentia, ſilentium im- »
ponant, & Præpoſito SS. Apoſtolorum dictam Prę- »
poſituram adjudicent: alioquin ſi prædicta impe- »
dimenta (ſcilicet in ætate, ſcientia & Ordine) ipſi »
objecta probata non fuerint, tum electionem Præ- »
poſiti S. Georgij (alterius Præpoſiti electione caſſa- »
tâ) confirment, quãdoquidem non tantùm plures, »
ſive pars major, ſed ferè duæ partes Electorum in »
eum conſenſerint (non enim deerant ad duas par- »
tes, niſi 4. ſuffragia) & ita appareat, quòd ceſ- »
ſantibus impedimentis, etiam bono zelo electus »
fuerit.

CCII. Hinc colligitur 1. Si Judex delegatus remittat cauſam ad delegantem, eò quòd ipſe illam definire non poteſt, juxta formam commiſſionis, tum poteſt partibus litigantibus præfigere terminũ, intra quem comparere debent, coram ipſo delegante, etiamſi id in litteris delegationis non ſit ſpecialiter conceſſum, quia hæc poteſtas acceſſoriè conſequitur ad ipſam delegationem ſibi factam, Abb. hîc num. 1.

Colligitur 2. Suffragia æſtimantur tum ex numero, tum ex auctoritate eligentium: & quidem nu-

Gg 3 merus

merus quò major fuerit, ſive magìs exceſſerit medietatem eligentium præſentium, eò magis etiam præſumitur, quòd ea ſit pars ſanior, niſi contrarium probetur, ut conſtat ex hoc c. ubi deciditur, ut ceſſantibus impedimentis electi, confirmetur electio eius, In quem ferè duæ partes conſenſerunt, quia ea cenſetur etiam pars ſanior, ſive bono zelo permota ad eligendum. Auctoritas verò conſiſtit in tribus: 1. In dignitate perſonæ, quæ deſumitur tum ex beneficij aut officij prærogativa, ut ſi præbendæ canonicali ſit annexa dignitas Præpoſituræ, vel Decanatûs: tum ex generis nobilitate, nam nobiles præferuntur ignobilibus: tum ex litterarum ſcientia. 2. In ætate, quia Seniorum voces ſunt præferendæ. 3. In tempore receptionis, ſi ſit Canonicus antiquior, ſive priùs in Eccleſia inſtitutus, Abb. hîc n. 2.

Colligitur 3. Electus debet eſſe idoneus ætate, ſcientiâ, & habere Ordinem requiſitum, tempore electionis, ad dignitatem, aliàs electio eſt nulla, nec ſufficit, ſi illæ qualitates poſt electionem ſuperveniant, quia non firmatur tracto temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit, reg. jur. 18. in 6. Abb. hîc n. 8. ubi in fine notat, quòd in caſu huius c. Præpoſito S. Georgij objiciebatur defectus Ordinis, eò quòd non eſſet in tali ætate, in qua potuiſſet promoveri ad ſacerdotium, quod requirebat iſta dignitas, iuxta c. 1. De ætate, & qualitate &c. de quo ſuo loco.

Colligitur 4. Si fiant duæ electiones in diſcordia, & pars major Capitularium eligat perſonam indignam, ſeu inhabilem; pars verò minor numero dignam, & idoneam, tum præferenda eſt electio facta à minore parte, eáque eſt valida, ut conſtat ex hoc c. dummodo major pars ſcienter eligat indignũ; quod in dubio præſumitur, cùm teneantur inquirere de qualitatibus eligendi, niſi probent ignorantiam, gl. hîc V. In ordinibus. Ratio eſt, quia, quando major pars Capitularium ſcienter elegit indignum, tum pro ea vice privantur ipſo jure facultate eligendi, & conſequenter tota ea poteſtas mox devolvitur ad alios Capitulares, etſi numero pauciores, ut ij vel ſimul, & eodem tempore, vel poſt electionem factam ab alijs Capitularibus, poſſint proprio jure eligere, cùm penes illos tum reſideat tota vis Capitularis: ſecus eſt, ſi minor pars eligeret, etſi dignum, antequam major pars elegit indignum; tum enim electio invalida foret, cùm nondum ad minorem partem fuerit devoluta tota poteſtas eligendi, & alij Capitulares numero plures necdum fuerint privati jure eligendi, propter electionem indigni, Abbas hîc num. 12. Idque procedit non tantùm in electionibus ad Epiſcopatus, & alias dignitates majores, ſed etiam ad alias dignitates inferiores Epiſcopali, ut clarè patet ex hoc c. & tradit Innocent. num. 3. & Abb. num. 11.

Colligitur 5. Si cauſa à delegato cum ſufficiente inſtructione non ſit miſſa ad Judicem delegantem, non poteſt is procedere ad ſententiam definitivam, etiam contra contumacem, ut ſumitur ex hoc c. §. cùm allegationes, quia non eſt ferenda ſententia, niſi liqueat de meritis cauſæ: idque procedit, ſi culpâ Judicis delegati cauſæ inſtructio non fuerit miſſa; ſecus, ſi ex culpa partis contumacis, vel ſi delegans ex actis, ſeu allegatis pro parte præſente, & non contumace ſufficienter inſtrui poſſit, Innocent. hîc num. 4. & Abbas num. 4. Sed hæc aliò pertinent.

CCIII. Quæritur 5. An prædicta forma ſcrutinij in omnibus electionibus Capitularibus obſervari debeat? Reſpondetur, forma ſcrutinij hactenus tradita neceſſariò obſervari debet tantùm in electionibus eorum Prælatorum, qui generalem & ordinariam ſpiritualem juriſdictionem exercent in ſuis Eccleſijs, ut docet gl. in c. Quia propter 42. V. Eccleſijs viduatis, & ibid. Abb. n. 7. q. 1. b. 1. nam forma hæc eligendi per ſcrutinium præſcripta eſt à Concilio Lateranenſi Eccleſijs viduatis, ad tollenda impedimenta, & magna pericula, quæ propter alias diverſas formas electionum, illis imminent, cit. c. Quia propter, in princ. Eccleſiæ autem viduatæ ſunt, quæ per mortem naturalem, vel civilem, ſive juridicam, v. g. depoſitionem, Paſtorem veluti ſponſum ſuum amiſerunt, adeóque in electionibus tantùm Prælatorum, quorum morte Eccleſiæ dicuntur viduatæ paſtore velut ſponſo ſuo, locum habet forma ſcrutinij: cujuſmodi ſunt non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Prælati Regulares, & ij ſeculares Præpoſiti Eccleſiarum Collegiatarum, qui à juriſdictione Ordinarij ſunt exempti, & ex ſpeciali aliquo jure juriſdictionem generalem in Clericos exercent, gl. c. l. nam quamvis propriè, ac ſtrictè ſoli Epiſcopi ſint ſponſi Eccleſiæ ſuæ, eíque matrimonio ſpirituali copulati. c. Sicut 39. cauſ. 7. q. 1. c. 2. de transl. Epiſc. latiùs tamen loquendo, etiam alij Prælati, Regulares & ſeculares, generali & ordinariâ juriſdictione præditi, quodammodo, ac veluti ſponſi, & per conſequens etiam Eccleſiæ eorum morte viduatæ dici poſſunt: neque enim, cùm forma illa ſcrutinij Eccleſijs viduatis præſcripta ſit in favorem illarum, nimis ſtrictè hoc nomen accipi debet, Abb. c. l. n. 9. favores enim ſunt ampliandi, c. Odia 15. de reg. jur. in 6. facit huc, quòd Electiones Abbatum in multis æquiparentur electionibus Epiſcoporum, ut patet ex c. Cupientes 16. poſt princ. h. t. in 6. & in c. Ne pro defectu 41. æquiparantur Eccleſiæ Cathedrales & Regulares, & illarum Prælati appellantur paſtores, & per illorum mortem dicitur, Eccleſias eſſe viduatas, Abb. c. l. n. 8. & 9.

Verùm in alijs electionibus ad dignitates, & beneficia, quæ propriè, ac ſtrictè Prælaturæ non ſunt, quales ſuprà deſcriptæ ſunt, non debet obſervari forma ſcrutinij, ſed ſufficit, ſi ſinguli Capitulares, communiter, ſeu collegialiter congregati, quomodocunque conſenſum ſuum præſtent, modò major & ſanior pars Capituli præſentis in unum, eúmque dignum & habilem conſentiat, gl. recepta in c. Sicut 21. V. Formam h. t. in 6. Abb. c. l. n. 9. Sylveſt. V. Electio 2. q. 1.

Porrò quamvis in omnibus dictorum Prælatorum electionibus regulariter forma ſcrutinij obſervari debeat: excipi tamen debet 1. niſi alia eligendi formula, per conſuetudinem à tempore immemoriali obſervatam, alicubi ſit introducta, & recepta. 2. niſi alia forma eligendi per ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica fuerit obtenta, vel ut una, aut plures ex conditionibus ſcrutinij omitti poſſint. 3. Si Electores ſint valde pauci, v. g. unus, duo, tres vel quatuor tantùm, poterunt quidem, ſi velint, ac tutius eſſe putent, uti formâ ſcrutinij, adhibitis etiam alijs

viris

viris idoneis, quia aliter non poſſunt, quorum operâ fiat ſcrutinium, ſive ſuffragiorum inquiſitio, collatio, & promulgatio, non tamen tenentur eam formam ſervare, ſed alio modo commodo electionem facere, ſive ſuffragia dare poſſunt, Layman. de Elect. Prælat. q. 79. & in c. Quia propter n. 12. q. 2. ubi in fine addit, ſi unus tantùm ſit jus ſuffragij habens, poteſt is eoram teſtibus illud exprimere, niſi malit in alium, vel alios jus electionis transferre.

§. VI.

De forma Electionis per Compromiſſum.

CCIV. Altera ſpecies Electionis, ſive forma eligendi eſt per compromiſſum, quod tunc fieri dicitur, quando ij, quibus jus eligendi competit, communi conſenſu, facultatem eligendi Prælatum alijs viris idoneis, qui Compromiſſarij dicuntur, committunt, ſive in alios transferunt poteſtatem, qui nomine, & vice omnium, Eccleſiæ vacanti, & viduatæ provideant de Paſtore, prout habetur in c. Quia propter 42. §. Vel ſaltem h. t. Conſentit l. Item eorum 6. §. Si Decuriones ff. Quod cujuſq. Univerſ. nom. ubi Paulus Juriſconſultus ait; parvi refert, an ipſe Ordo (Decurionum) elegerit, an is, cui ordo negotium dedit.

Quæritur nunc 1. An ad compromiſſum neceſſariò requiratur, ut communi conſenſu fiat? Reſpondetur, ad compromiſſi valorem neceſſe eſt, ut conſentientibus omnibus, & ſingulis jus ſuffragij habentibus in Capitulo, nemine diſcrepante, vel ſe opponente, fiat: nam ſi vel unus eorum diſſentiat, nolens compromittere, compromiſſum non valet, gl. in cit. c. Quia propter V. Vice omnium, Abb. in c. In cauſis 30. n. 3. h. t. & colligitur ex eodem c. ibi: *à ſingulis de Capitulo ſtatutum eſt, &c.* Ratio eſt, quia, cùm ſit actus merè voluntarius, ab omnibus recipi debet, juxta reg. Juris 29. in 6. *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & in re communi potior eſt conditio prohibentis,* reg. 56. eodem, & l. Sabinus 28. ff. communi dividundo, ideo quilibet poteſt contradicere, ne fiat electio per compromiſſum: & cùm quilibet Capitularium vocem in Capitulo habeat, non eſt privandus hoc jure ſuo, neque cogi debet, ut illud alteri cedat, vel illi renunciet, arg. c. 2. & c. ad audientiam 4. de his, quæ vi met. cauſ. & l. Invitum 1 t. C. de contrah. empt. Et hinc neque valet compromiſſum factum ab uno Capitularium, nomine omnium, alijs præſentibus, & non contradicentibus, ſed debent omnes expreſsè conſentire, quia in re gravi, & oneroſa, taciturnitas non habetur pro conſenſu, ad hoc, ut actus Univerſitatis nomine celebratus valeat, ſed expreſſus conſenſus omnium requiritur; licèt, ſi Capitularis taceat, & non expreſsè contradicat, cùm ad id teneatur, ut, ſi iniquum ſtatutum fiat à Capitulo, habeatur pro conſentiente, & cum reliquis expreſsè conſentientibus peccato, & pœnæ fiat obnoxius, Abb. in cit. c. In cauſis n. 3. Sylveſt. V. Electio 2. q. 12. Quamvis Laym. in cit. c. In cauſis n. 3. contrarium cenſeat probabile, nempe quod, ſi pars major, & ſanior Capituli utile fore, judicet, ut electio fiat per compromiſſum, tametſi unus, vel pauci expreſsè non conſentiant, modò etiam non expreſsè contradicant, cùm poſſent contradicere, valiturum compromiſſum, quia non eſt res magni præjudicij, ideóque taciturnitas pro conſenſu reputabitur.

Porrò in electione per compromiſſum forma ſcrutinij non eſt neceſſariò obſervanda; ſaltem ſi compromiſſum abſolutè, & ſine reſtrictione fiat, ut patet ex cit. c. Quia propter §. Vel ſaltem, ubi tanquam diverſa, & diſtincta forma eligendi à forma ſcrutinij proponitur, neque ei ſequentia verba, *ut aſſumantur tres de Collegio, qui vota cunctorum exquirant,* ſatis accommodati poſſunt.

CCV. Quæritur 2. Quales compromiſſarij eſſe debeant, & quot numero? Reſpondetur 1. compromiſſarij, quibus Electio committitur, debent eſſe viri idonei, & quidem Clerici, non laici, ut ex communi docet Abb. in c. Cauſam 8. n. 5. h. t. quia laici negotia Eccleſiaſtica tractare non debent, c. 2. de judic. & jura hujuſmodi ſpiritualia non cadunt in laicos, c. Sacroſancta 51. h. t. niſi ex ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ; neque in electione Prælati exercetur nudum miniſterium, ſed arbitrium, an quis ad Prælaturam ſit idonens. Neque verò oportet, compromiſſarios neceſſariò eſſe de Capitulo, ſeu Collegio, ſed poſſunt etiam eſſe alij viri idonei, de quibus præſumptio, ac ſpes ſit, quod Eccleſiæ de idoneo paſtore proviſuri ſint, cit. c. Cauſam, junctâ gl. V. Contulerint, gl. in cit. c. Quia propter V. viris, nam etiam extraneis poteſtas eligendi, ſaltem pro una vice, communicari poteſt, c. Scriptum 40. & patet ex ſuprà dictis n. 56.

CCVI. Reſpondetur 2. Licèt ordinariè, & commodiùs compromiſſum fiat in perſonas numero impares, ut colligitur ex eit. c. In cauſis, c. Cùm dilectus 32. & c. ſeq. h. t. quia ſi v. g. tres ſint, & unus diſcordet, duo illorum electionem faciunt, cùm ſint pars major; poteſt tamen etiam compromitti in pares numero, ut colligitur ex c. Cùm in veteri 52. h. t. ubi Capitulares in ſex Canonicos compromiſerunt. Et non tantùm in plures, ſed etiam in unum, præſertim Superiorem, compromiſſum fieri poteſt, ut conſtat ex c. Cauſam 8. h. t. nam mortuâ » Abbatiſsâ Monaſterij S. Margaretæ, Moniales po- » teſtatem eligendi Abbatiſſam per compromiſſum » contulerunt in Epiſcopum Bononienſem, promit- » tentes, eam ſe velle recipere in Abbatiſſam, quam » eis provideret. Epiſcopus eis nominavit N. pro- » feſſam ejuſdem Monaſterij, ſed Moniales poſtea » eam recipere noluerunt. Quâ re intellectâ, Papa » Alexander III. mandavit Ravennatenſi Archiepi- » ſcopo, ut Moniales compellat ad eam, quam ipſis » providit, dummodo idonea ſit, in Abbatiſſam recipiendam.

CCVII. Notandum 1. Ii, quibus jus eligendi competit, poſſunt compromittere, etiam in unum tantùm, ut ipſe eis Prælatum nominet, ſive eligat: &, ſi Moniales ſint, etiam in unicum virum, nec tenentur in alias Moniales compromittere, ut ſumitur ex hoc c. & ibi docet Abb. n. 3. gl. in cit. c. Quia propter V. Viris; ubi ait, licèt in eod. c. dicatur, ut eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur; tamen poſſe illam etiam uni tantùm committi, juxta c. Cauſam

ſam 8. h.t. quia meliùs expeditur electio per unum tantùm, quàm per plures, ut vitetur diſcordia, cùm homines naturâ ſuâ ſint proni ad diſſeoriendum, Hoſtienſ. in cit. c. Quia propter V. Aliquibus viris.

Notandum 2. Poteſt Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, ſive ſecularis, ſive regularis, ex communi conſenſu compromittendo, jus eligendi committere Epiſcopo, cui eſt ſubjectum, & ad quem jure communi ſpectat Prælati confirmatio, ut colligitur etiam ex hoc cap. nam veriſimile eſt, quòd Monaſterium hoc ſubjectum fuerit Epiſcopo, in quem Moniales jus eligendi Abbatiſſam cōtulerunt, Abb. hìc n. 3. Quamvìs compromiſſum etiam poſſit fieri in quemvis aliū idoneum, iuxta gl. in cit. c. Quia propter. V. Viris, ubi cit. c. Cauſam, georaliter intelligit, quòd poteſtas eligendi uni ſoli committi poſſit, ſive Superiori (de quo ſolùm loquitur cit. c. Cauſam) ſive cuivis alij idoneo. Et ſive ille ſit de Capitulo, ſeu Collegio, ſive extraneus; nam Epiſcopus, in quem Moniales compromiſerunt in cit. c. Cauſam, non etat de Collegio Monialium, licèt eſſet ipſarum Superior, ſeu Otdinarius, Abb. hìc n. a. & n. 7. ubi ait, quòd Epiſcopus non dicitur eſſe de Collegio Eccleſiæ inferioris ſibi ſubjectæ, licèt ſit Caput Collegij, ſed mediatum, non immediatè.

Notandum 3. Si poteſtas eligendì committatur Superiori, cui Capitulum Eccleſiæ regularis, vel ſecularis eſt ſubjectum, & qui etiam poteſtatem confirmandi electionem habet; tum non poterit Superior, eodem actu, ſimul eligere, & confirmare, ita, ut electio vim confirmationis habeat, ſed neceſſe eſt, ut diverſis actibus, priùs eligat, & electum Capitulo proponat, ac poſtea, ſi nullum impedimenrum ipſi objicitur, eundem confirmet, gl. in c. Cùm inter 21. V. Confitmavit, iuncta gl. marg. h.t. Abb. in cit. cap. Cauſam. num. 6. & in c. Ne pro defectu 41. n. 4. h.t, Ratio eſt, quia noo eodem, ſed diverſo jure, illi competit poteſtas eligendi, & confirmandi: eligit enim tanquam arbiter, ſive compromiſſarius, & ſic non ex proprio officio, ſive non ordinatiâ ac propriâ, ſed alienâ, ſibique commiſsâ poteſtate electionem facit, quæ priùs à cōpromittentibus approbanda eſt, quàm confirmatio electi ſequatur: confirmat verò ex officio proprio, ſive poteſtate ordinariâ, tanquam Epiſcopus, adeóqne electio, & confirmatio ad diverſas poreſtates pertinent, atque diverſis etiam actibus expediri debent. Secus eſt, ſi utraque procedat ab eadem poteſtate; tunc enim eodem actu peragi poterit electio & confirmatio, & eo ipſo, quòd elegit Superior, confitmâſſe etiam cenſetur: ut, ſi propter negligentiam inferiorum Electorum poteſtas eligendi devoluta ſit ad Superiorem, eius proviſio, ſeu collatio ſimnl habebit vim electionis, & coofirmationis, quia utraque ex officio proprio ipſi competit, & ad eandem poteſtatem ordinariam, ac propriam Superioris pertinet, Abb. in cit. c. Cauſam. n. 6.

Notandum 4. Qui compromiſerunt in alios, teoentur recipere ab ipſis electum, utì ſumitur etiam ex hoc cap. & tradit ibi gl. & Abb. in ſumma, & alij Interpretes communiter. Ratio eſt, quia electus à comptomiſſariis cenſetut electus ab ipſis compromittentibus, quorum nomine ipſi eligunt, ſicuri ergo ipſi principales, poſt electionem factam, noo poſſunt reſilire, vel repellere electum, qnia functi ſunt officio ſuo, & electo jus eſt acquiſitum: ita nec poſſunt recedete ab electione facta à compromiſſatiis eorum, gl. fin. hìc, & Vivian. in Rational. Jur. Pontif. quod limitandum eſt, dummodo idoneus electus fuerit à compromiſſariis, alioquin, ſi indignus, non tenentur eum recipere, quia dantes alicui poteſtatem eligendi Prælarum, vel alium Officialem conſtituendi, cenſentur id intellexiſſe de perſona idonea; nam generaliter mandans aliquid fieri, cenſetur velle, ut id legitimè & utiliter fiat, gl. communiter recepta hìc V. ſi tamen exiſtat idonea, & Abb. n. 4. arg. l. ſi Procurator. 6. ff. De condict. indeb. & c. Si compromiſſarius 37. h.t. in 6.

CCVIII. Quæritur 3. Quot, & quibus modis fieri poſſit electio per compromiſſum? Reſp. Præcipuè duobus modis, abſolutè & limitatè, ut docet Sylveſt. V. Electio 2. q. 14. & alij Canoniſtæ communiter. Abſolutè fit compromiſſum, quaodo poteſtas eligendi compromiſſartis abſolutè, & illimitatè committitur; & tum cenſerur omnis poteſtas eligendi à Capitularibus translata eſſe in compromiſſarios, ita, ut quemcunque idoneum, etſi is non ſit de gremio Eccleſiæ, ſeu Capituli, ídque in commiſſione electionis expreſſum non ſit, pro arbitrio eligere poſſint, gl. in c. Cùm dilectus 32. V. De gremio h.t. dummodo ſit capax, & idoneus, c. In cauſis 30. ibi: *ſi perſona eſſet idonea* eod. Nam poteſtas data Compromiſſatiis ſemper intelligenda eſt de idoneo eligendo, etſi id non exprimatur, gl. in cit. c. In cauſis V. Idonea, & gl. margin. in c. Cauſam 8. V. Idonea h.t. Limitatè autem fit compromiſſum, ſi detur poteſtas eligendi compromiſſariis, cum reſtrictione, v. g. ut unus è gremio Eccleſiæ, ſive Capitularibus eligatur: vel qui non ſit ex compromiſſariis; vel ut adhibito certorum conſilio fiat, c. Cùm olim 7. de arbitris: vel ut ſecretò, & ſigillatim, exquiſitis voluntatibus ſingulorum Capitularium, is eligatur, in quem major & ſanior eorum pars conſenſerit, prout habetur in c. Cùm dilectus 32. h.t. Nam vacante Eccleſia Morinenſi, Canonici, unanimi conſenſu, poteſtatem eligendi Epiſcopum in tres Canonicos eiuſdem Eccleſię contulerunt, ita, ut aliquem ex gremio Eccleſiæ ſuæ eligerent, qui exquiſitis voluntatibus ſingulorum Capitularium (qood ſecundùm allegationem Canonicorum debebant facere, iuxta formam ipſis præſcriptam, non autem ſecundùm allegationem Electi, Hoſtienſ. hìc V. examinatis) Archidiaconm eiuſdem Eccleſiæ elegerunt: quam electionem Metropolitanus, inquirens tam de forma electionis, quàm de perſona electi, & ſpecialiter, an ſufficientem ætatem haberet (de quo dubitatum fuerat) ſolemniter confirmavit, pronunciando, electum defectu ætatis non laborare. Verùm B. Canonicus ſe ex adverſo oppoſuit dicens, quòd Compromiſſarij formam compromiſſi non ſervârint, quippe cùm illis poteſtas eligendi conceſſa fuerit, eâ conditione, ut Capitulum eum recipere teneretur, quem illi tres Compromiſſarij ab omnibus, vel majore & ſaniore parte ex gremio Capituli nominatum elegiſſent: at verò ipſos prædictum Archidiaconum eligere præſumpſiſſe, quem pauci tantùm ex Capitulo nominârunt. Unde Canonici Morinenſes poſtea mirabantur, quomodo dictus

Archi-

Archidiaconus fuerit electus, cùm plures eſſent in eadem Eccleſia digniores,& ſe hac in parte à Compromiſſariis eſſe deluſos, arbitrabantur. Re delatâ ad Papam Innocentium III. quia res pernicioſa eſſet exemplo, ſi per doloſam ſubreptionem quis promoveretur ad dignitatem Epiſcopalem,is mandavit Judicibus delegatis, ut exacto à contradictoribus juramento, quod vocari ſolet de malitia,id eſt, quòd malitioſè litem non moveant: Electoribus verò compromiſſariis impoſito juramento de veritate dicenda, quotnam ex Canonicis dictum Archidiaconum ab ipſis electum in ſecreto ſcrutinio nominârint: ſi omnes tres, vel ſaltem duo ex ipſis jurati dixerint, majorem Canonicorum partem in Archidiaconum conſenſiſſe, contradictoribus illis ſilentinm imponant; eò quòd eorum teſtimonia,cùm ſint ſingularia,ad probationem non ſufficiant. Si verò ex eorundem compromiſſariorum depoſitionibus conſtiterit, Archidiaconum à paucioribus nominatum fuiſſe: tunc,ſi à Canonicis ſufficienter oſtenſum fuerit,quòd Compromiſſarij ſecundùm formam ipſis traditam eligere debebant eum,in quem major,& ſanior pars Capituli convenerit, electionem ipſius Archidiaconi omnino caſſent (id eſt, nullam pronuncient, gl. hîc V. caſſatis) alioquin verò, ſi id oſtenſum non fuerit, dictam electionem ratam habeant, & contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam ab impetitione electi compeſcant: Canonicum verò B. præbendâ Eccleſiæ Morinenſis priven, cùm ad hanc pœnam, ſi in probatione deficeret, ſe obligârit. Nihil autem obſtare debet, quòd contra Archidiaconum de ætatis defectu objectum fuit: cùm idem B. objectioni huic non multùm inſtiterit, & ſuper hoc à Metropolitano judicatum fuerit,cuius ſententia in rem judicatam tranſiit,cùm infra decennium ab ea non fuerit legitimè appellatum.

CCIX. Notandnm 1. Quando per compromiſſum poteſtas eligendi in tres vel plures transfertur, non eſt neceſſarium,ut omnes conſentiant in unum, ſed electio facta à majore parte compromiſſariorum valet, niſi aliud in compromiſſo ſit expreſſum,quia quando plures ſimpliciter,& abſolutè eliguntur ad aliquod officium exercendum, tenet,quod à majore parte factum eſt; etſi minore parte præſente,& contradicente, ſicut in Judicibus & arbitris, Abb. hîc num.2.

Notandum 2. Poteſtas eligendi poteſt committi per compromiſſum aliis cum reſtrictione,ut illum eligere teneantur,in quem vel omnes Capitulares, vel major eorum pars conſenſerit,ut patet ex hoc cap. nam quamvìs ipſis Electoribus, quibus poteſtas eligendi jure proprio, & principaliter competit, ea non poſſit ita reſtringi,ut teneâtur eligere,quem alij voluerint,vel nominârint,quia id repugnat libertati eligendi,iuxta c.Cùm terta.14. h.t.de quo infrà. Poteſt tamen ita reſtringi poteſtas eligendi conceſſa compromiſſariis, ut ea pendeat à voluntate,& determinatione Capitularium, quorum ſunt velut miniſtri, ſeu commiſſarij, Abb.hîc n.3.

Notandum 3. Interdum teſtes, qui alliàs tanquam minùs idonei, vel ſuſpecti repellendi eſſent, admittuntur,ob neceſſitatem,& defectum probationis,quia alij teſtes haberi non poſſunt,arg.l.Conſenſu.8.C.De repudiis.gl. hîc V. Et ſi tres. ut in caſu huius c.Compromiſſarij, contra quos oppoſitum fuit, quòd non elegerint, ſecundùm formam ipſis præſcriptam à Capitularibus, admiſſi ſunt ad juratum teſtimonium ferendum, quaſi in cauſa propria,quinam,& quot ex Capitularibus Archidiaconum nominârint, ad exquiſitionem eorum, à quo pendebat, an electio eorum approbanda ſit, vel reprobanda: quia,cùm iſta nominatio facta fuerit in ſecreto ſcrutinio,alij haberi non poterant,qui de hac re teſtimonium perhiberent, Abb.hîc n.12.

Notandum 4. Quamvìs ad pœnam legalem ſive juris evitandam non requiratur plena, ſeu perfecta probatio,ſed ſufficiat imperfecta, ſeu ſemiplena per unum teſtem, vel per probabiles conjecturas, iuxta c.1.§.ult.h.t.in 6. tamen ut actor,ſeu accuſator excuſetur à pœna conventionali,ſeu ſpeciali, ad quã ſe obligavit, niſi probaverit, requiritur ſufficiens probatio,nec ſufficit imperfecta,vel quælibet coniectura,qualis fuit, quam attulit Canonicus B. per teſtes ſingulares, ut colligitur ex hoc c. circa finem, & notat Abb.ibid.n.8.

Notandum 5. Etiam ſententia lata in cauſa beneficiali,à qua intra decem dies non eſt appellatũ, tranſit in rem judicatam,reſpectu contradictoris, ut ſi poſtea ſe opponere velit, audiri non debeat, c. quod ad conſultationem 15. de ſent.& re jud.& colligitur ex hoc c.in fine,non tamen tranſit in rem judicatam in favorem Beneficiati, quò minùs intruſus denuntiari poſſit Judici ad impediendum peccatum, & Eccleſiæ damnum, vel Judex ex officio contra illum procedere poſſit,& inquirere de legitimo titulo, c.Conſtitutus.45.& ſeq. de appellat. Abb.hic n.5.de quo plura ſuo loco.

CCX. Porrò forma Electionis tradita in cit. c.Cùm dilectus,nempe quòd Capitulares compromittere poſſint in aliquos, ita,ut inquiſitis ſecretò ſingulorum Canonicorum ſuffragiis, illum eligere debeant, in quem maior,& ſanior pars totius Capituli conſenſerit, hæc, inquam, forma compromiſſi non eſt abrogata per ſubſequens Generale Capitulum (Lateranenſe ſub Innocent. III. c.24. quod refertur in c.Quia propter.42.h.t.) ſed poteſt in electionibus per eandem formam licitè procedi, ut priùs, ſcilicet ante Concilium, poterat, cùm magìs expediat, jura juribus concordare,& eorum correctiones, ſi ſuſtineri valeant,evitari,prout declaravit Bonifacius VIII. in c. Cùm expediat 29. h.t.in 6. Ratio dubitandi erat, quia in cit. c. Quia propter; tres tantùm formæ Electionis approbantur, videlicet per ſcrutinium, per compromiſſum, & per inſpirationem; dicta autem forma eligendi ad nullam illarùm Electionum ſpectare videbatur. Verùm forma eligendi tradita in cit. c. Cùm dilectus, continetur, partim ſub forma ſcrutinij,partim ſub forma compromiſſi, neque enim ibi dicitur, quòd compromiſſum debeat eſſe ſimplex, ſive abſolutum,& non determinatum,ſeu reſtrictum. Eſt igitur illa forma veluti mixta ex ſcrutinio,& compromiſſo, ſeu ex utraque forma participans, licèt potiùs ac magìs principaliter ſit forma compromiſſi,ſed determinati, ſeu cum certa conditione, ſive reſtrictione facti,quæ obſervari debeat,gl. magn.hîc,& V.Inquiſitus, & Joan. Monach. n. 9.

Eſt autem eadem forma mixta uſitatior hodie & expeditior, quàm forma compromiſſi abſoluti, vel ſcrutinij, quia in compromiſſo abſoluto nimis ampla eligendi facultas datur, ac proinde Canonici Capitulares ſæpe nolunt ita liberè, & illimitatè transferre jus ſuum in alios, quod non fit in compromiſſo mixto, in quo magis reſtricta facultas eligendi datur compromiſſarijs; formam autem ſcrutinij exactè obſervare ita difficile eſt, ut etiam Jurisperitos in ejus praxi interdum errare contingat, gl. hîc V. Inquiſitis.

„ CCXI. Ex dictis colligitur 1. Non valere
„ illam formam compromiſſi, ſi uni (vel pluribus.)
„ data ſit poteſtas eligendi ſub hac forma, ut ſecretò,
„ & ſigillatim, exquiſitis votis ſingulorum Capitu-
„ larium, atque in ſcriptum redactis, is eligatur, in
„ quem plures de Capitulo, comparatione partium
„ minorum, conſenſerint, licèt conſentientes ma-
„ jorem partem Capituli non attingant, talis enim
„ electio non valet, quia facta eſt præter, ſive con-
„ tra formam Concilij Generalis Lateranenſis in cit.
„ c. Quia propter, in quo requiritur, ut pars major
„ totius Capituli in eundem conſenſerit, prout declaravit Bonifacius VIII. in c. Si cui 23. h. t. in 6. gl. ibid. V. Non valere. V. g. Si quinque ex duodecim Capitularibus conſentiant in Titium, quatuor in Sempronium, tres reliqui in Cajum, & Sejus compromiſſarius, exceptis his ſuffragijs, & in ſcriptum redactis, eligat Titium tanquam plura ſuffragia habentem, reſpectu reliquorum Electorum, irrita eſt electio. Sed contrà objici poteſt, Capitulares unanimi conſenſu poſſunt compromittere in unum, ut is eis nominet Prælatum idoneum, quem recipere ipſi teneantur, juxta c. Cauſam 8. h. t. ergo poterunt etiam compromittere, communi conſenſu, ut is à Compromiſſarijs eligatur in Prælatum, in quem major pars Capitularium, comparatione aliarum partium, conſenſerit. Sed neganda eſt conſequentia: quia priore caſu Capitulares abdicant ſe poteſtate eligendi pro ea vice, eámque in unum ſolum transferunt, idque ex juris conceſſione, ſaltem tunc, ſi talis poteſtas transferatur in Superiorem, qui poteſtatem etiam confirmandi habet; neque enim plus ex cit. c. Cauſam probari poteſt; quamvìs gl. in cit. c. Quia propter, & communiter DD. id extendant etiam ad alios, ut ſuprà dictum. At verò in caſu hujus c. Capitulares non abdicant à ſe abſolutè poteſtatem eligendi, ſed transferunt illam in unum, vel plures Compromiſſarios limitatè, & cum ea reſtrictione, ut ſecundùm formam c. Quia propter, ſuffragia omnium Capitularium excipiant, & in ſcriptum redigant, ac poſtea eligant; ac proinde tunc ſervanda eſt forma ibi præſcripta, nempe ut eligatur is, in quem major, imò & ſanior pars totius Capituli conſenſerit, Joan. Monach. hîc num. 2. & Layman. Addit Joan. Andr. in cit. c. Cùm expediat n. 2. quòd etiam tunc publicatio, & aliqua collatio ſuffragiorum fieri debeat.

Porrò quamvìs gl. in cit. c. Si cui V. Concilium & ibid. Petr. Ancharan. & Francus num. 2. teneant, quòd Conſtitutio hujus c. ſolùm procedat in ijs Electionibus, in quibus neceſſariò ſervanda eſt forma eligendi præſcripta à Concilio Lateranenſi in c. Quia propter, in qua illa ſe fundat, non autem in alijs electionibus, quæ fiunt ad dignitates, quæ per mortem Prælati non cenſentur viduatæ paſtore, ut, ſi quis v. g. eligendus ſit in Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ, cui non competit ordinaria, & generalis juriſdictio; tum enim ſubſiſtet ejus electio, ſi in illum major pars Capitularium, comparatione aliarum partium minorum, etſi non comparatione totius Capituli, conſenſerit. Oppoſitum tamen probabiliùs tenet Laym. in cit. c. Si cui, quia univerſim, ſecundùm Canones, nulla electio Capitularis, etiamſi ſecundùm formam ſcrutinij non fiat, nec fieri debeat, imò nullum decretum, quod à Collegio, ſeu Capitulo emanat, valet, niſi pars major totius Capituli, ſeu Corporis congregati conſenſerit.

CCXII. Colligitur 2. Quòd neque valeat Electio, ſi compromiſſum fiat ſub hac forma, ut is eligatur, in quem major pars compromiſſariorum, comparatione aliarum partium, conſenſerit, arg. cit. c. Si cui h. t. in 6. v. g. ſi novem ſint Compromiſſarij, & tres conſentiant in Titium, duo in Sempronium, & alij quatuor in Cajum, non erit valida electio Caij, niſi unus ex prioribus mutet ſententiam, & ad quatuor poſteriores accedat. Ratio eſt, quia Electio per Compromiſſum eſt etiam Capitularis, cùm fiat nomine Capituli, ſeu vice omnium Capitularium concedentium eligendi poteſtatem Compromiſſarijs, cit. c. Quia propter §. Vel ſaltem: ergo in illa quoque conſentire debet pars major, non reſpectu aliarum partium, ſed abſolutè reſpectu omnium Compromiſſariorum, qui cùm ſubſtituantur in locum Capitularium, à quibus poteſtas eligendi in Compromiſſarios transfertur, ſicut electio Capitularium non valet, niſi facta ſit à majore parte omnium, ſeu totius Capituli; ita neque electio Compromiſſariorum, quæ fit nomine Capituli, ſeu vice omnium Capitularium, valere poteſt, niſi ſit facta à majore parte omnium Compromiſſariorum; nam ſubrogatum imitatur naturam ejus, cui ſubrogatur, & cùm ipſi Capitulares non poſſint per ſeipſos eligere, niſi hoc modo, nec in alios poſſunt illam poteſtatem transferre, ut aliter eligant; nemo enim poteſt plus juris in alium transferre, quàm ipſi competere noſcatur, reg. juris 79. in 6. gloſſ. in cit. c. Si cui, in Notatis.

CCXIII. Colligitur 3. Sicut, cùm per „
formam ſcrutinij ad electionem proceditur, neceſ- „
ſarium eſt, ut per unum promulgetur, & fiat com- „
munis electio, ſecundùm Canonicas Conſtitutio- „
nes (in c. Quia propter, & c. In Geneſi 55. h. t.) ſic „
& per unum debet fieri, & pronunciari communis „
electio, ſi per formam compromiſſi ad electionem „
procedatur (ita ut electio ab uno communiter, ſeu „
collectivè promulgetur, per verba ſingularis nu-
meri: *Ego nomine meo, & aliorum mihi conſentientium, eligo Titium:*) alioquin electio à pluribus Compro- „
miſſarijs ſimul facta, irrita eſt: non obſtante, quòd „
lege Civili aliud ſtatutum ſit in arbitris Compro- „
miſſarijs, nempe ut ab eis omnibus pronunciatio „
fiat. ita habetur in c. Sicut 21. h. t. in 6. Ratio hujus conſtitutionis eſt, quia cauſa unica, ob quam Canones ſtatuunt electionem ſcrutinij ab uno collectivè nomine omnium fieri, & promulgari, ea eſt, quia electio eſt actus communis totius Capituli, ideóque decens eſt, ut ab uno fiat, vice Capituli, ſive qui re-

præ-

præſentet totumCapitulum: hæc autem ratio etiam locum habet io electiooe per compromiſſum, quia Capitularis poreſtas eligendi in compromiſſarios ita transfertur, ut & ipſi nomine, ac vice totius Capituli aliquem eligere debeant, cit. c. Quia propter §. Vel ſaltem. Aliud eſt de arbitris Compromiſſarijs, aut Judicibus delegatis, quibus cauſa committitur, non ut Collegio, ſed ut ſingulis, arg. l. Duo ex tribus 39. ibi: *omnes judicare juſſi ſunt.* ff. de re judic. ideóque nunquam unus ex pluribos arbitris, vel delegatis, ſed vel omnes, vel nullus ſeotentiam, aut arbirriom dicere, ſeu proounciare debet, vel ſaltem unus nomine omnium, ſed per verba pluralis numeri: *Nos ita cenſemus*, c. Cùm ab uno 4. de ſentenr. & re judic. in 6. l. Item ſi unus 17. §. Item ſi plures ff. de recept. qui arbitrium. cit. c. Sicut, junctâ gl. V. Lex humana h. t. in 6. Electio verò fieri debet à Capiruln, ſeu Collegio, ideóque ſtatutum eſt Jure Canooico, ut id ipſum per verba ſingularis oumeri exprimeretur, quò appareat, unam communem, ſeu Capitularem electionem eſſe, gloſſ. in cit. c. Sicut. V. Compromiſſi, & Laym. ibid.

CCXIV. Quæritur 4. Ad qnid teoeantur Compromiſſarij, qoibus data eſt eligendi poteſtas, cum ea limitatione, ut adhibeant conſilium certarum perſonarum? Reſpoodetur, tenentur in tractatu electioois requirere conſilinm illarum perſonarum, & congruo tempore exſpectare reſponſum, alioquin electio non valet, prout ſumitur ex c. Cùm
» veteri 52. h. t. Nam vacante Eccleſiâ Biſuntinâ,
» Papa Gregorius IX. mandavit Capitulo, ut intra
» 40. dies, poſt litterarum ſuarum receptionem, ido-
» neum Paſtorem eligerent, cum conſilio Abbatis S.
» Benigni, & Abbatis S. Moriſmundi, & Guilielmi
» ex Ordine Prædicatorum: alioquin hi tres Conſi-
» liarij Archiepiſcopum Eccleſiæ Biſuotinæ conſti-
» tuereot. Caoonici, die ad eligendum præfixâ, per
» compromiſſum in ſex Canonicos ejuſdem Eccleſiæ
» poteſtatem eligendi contuleruot, quæ durare de-
» beat uſque dum candela ipſis accenſa abſumatur.
» Cùm autem Compromiſſarij cooveniſſent, inito
» tractatu de electione Archiepiſcopi, in Abbatem S.
» Benigni conſenſerunt, & ſuper hoc conſilium ſo-
» ciorum ejus (ſcilicet duorum, & oon tertij, qui e-
» lectus fuit) requiſiveruot, qoorum unus ex illis
» dixit, poſtquam inter ſe deliberârunt, ipſos reſpon-
» ſuros. Quia verò Cooſiliarij reſpooſum dare diffe-
» rebant, ſex illi compromiſſarij, cùm candela defi-
» ceret, noo exſpectato eorum reſponſo, dictum
» Abbatem io Archiepiſcopum Biſuntinum elege-
» runt. Relato ergo ad Sedem Apoſtolicam hoc oe-
» gotio, Papa Archiepiſcopo Vieonenſi, & Abbati
» de Trinitate illud delegavit, maodans ei, ut, ſi fa-
» ctâ inqoiſitione, conſtaret, Electores Compromiſ-
» ſarios, habito de electiooe tractatu, in eo prædi-
» ctorum virorum conſiliom requiſiviſſe, electio-
» oem Abbatis S. Benigni in Archiepiſcopum, ſi per-
» ſona idooea eſſet, cooſirmarent. Si verò in tra-
» ctatu electionis cooſilium eoruodem requiſitum
» non fuiſſet, etſi fortè poſtea fuerit requiſitum, vel
» ſi reſponſum illorum exſpectatum noo fuiſſet, vel
» ſi idem Abbas perſona idooea ooo eſſet, electio-
» oem ejus irritam prononciareot. Poſtea verò miſ-
» ſo à delegatis inquiſitionis ſuæ tenore ad Papam,
is reſpoodit: Cùm repertum fuerit, Compromiſſa- »
rios conſilium prædictorum virorum, noo com- »
perente tempore (ſcilicet io tractatu electionis, ſed
poſtea, & ideo perinde eſt, ac ſi oon fuiſſet requiſitum, ſicut ille, qui noo appellat coogruo tempore, habetur pro non appellante, Hoſtienſ. hîc V. Comperente tempore)
requiſiviſſe, circa perſonam Ab- »
batis S. Benigni eligendam; & poſtquam requiſi- »
tum fuit eorundem reſponſum, oon niſi modi- »
co tempore exſpectâſſe, ideo idem Papa electio- »
oem ipſius Abbaris, non ob vitium perſonæ, ſed e- »
lectionis, irritandam duxit (id eſt, irritam pro- »
ounciavit, Hoſtienſ. hîc V. eod.) cùm alijs (ſcilicet »
Conſiliarijs) imputari, aut obeſſe oon debeat, quòd »
Electores ad tam modicum tempus ardeotis can- »
delæ ſe aſtrioxerint: nam uoius oegiigentia alteri obeſſe ooo debet, & ooo debet aliquis alrerius odio prægravati, reg. jur. 22. in 6. & l. Si quis 33. C. de inoffic. teſtam. gl. hîc V. Alijs lmpotari.

CCXV. Notandum 1. Si alicui mandatur, ut negotium aliquod expediat, cum conſilio aliquorum, per hoc non cenſetur illi ſublata poteſtas illam cauſam, vel oegotium alteri committendi, ſive delegandi, ita tamen, ut commiſſarius, ſive delegatus teneatur requirere conſilium earundem perſonarum, ſicut primus mandatarius, Abb. hîc n. 3. nam is, qui in jus ſuccedit alrerius, eo jure, quo ille, uti debebit, reg. jur. 46. in 6. ergo & is, qui alteri io poteſtate ſuccedir, eodem, quo ille, jure, aut obligatiooe tenetur.

Notandum 2. Compromitteotes, communi omnium cooſeoſu, poſſunt terminum breviorem, quàm ſit tempus jure ſtatutum ad eligendum, imò etiam tempus breviſſimum conſtituere, intra quod eligere debeant, alioquio poteſtas eorum exſpirat, uti ſumitur ex hoc c. & ootat ibid. Innoc. n. 4. Imol. n. 2. & Abb. n. 4.

Notandum 3. Si alicui, vel pluribus mandatum ſit, ut io electione, vel alio negotio expediendo conſilium alicujus exquirant, debent illud petere, & audire; non autem ſequi, prout ſumitur ex hoc c. junctâ gl. communiter receptâ V. Exſpectatum & c. Cùm olim 7. de arbitr. quia ſi conſilium non petant, formam ſeu limites mandati traosgrediuotur, & ſic redditur electio, vel alius actus oullus; ſequi autem cooſilium poſſunt, vel oon ſequi; oam univerſim conſilium non obligat, juxta regulam juris 62. in 6. ſed potiùs liberum eſſe debet ei, qui conſilium petit, ut poſſit examinare, an expediat illud, nécne, gl. ibid. V. Nullus. Excipi tamen debet, niſi conſilium accipiatur pro conſenſu, ita, ut non præcisè conſilium, ſed conſenſus alterius requiri cenſeatur, tunc enim adeſt obligatio, non tantùm requirendi, ſed etiam ſequendi. Veluti ſi præceptum impooatur petendi conſilium pupillo v. g. qui plenam ratioois diſcretionem non habet, l. Impuberibus 7. ff. de ſuſpect. tutorib. Vel etiam alicui, qui perfectum judicium habet, ſed officij, ſeu adminiſtratioois eſt particeps, ut ſi Prælatus jubeatur rem tractare, cum conſiliu ſui Coadjutoris, per cooſilium iotelligitur conſenſus, c. Veoerabili 37. junctâ gl. V. Conſilio de offic. deleg. & l. Titium 47. ff. de auctorit. & peric. tutor. & ex Bartolo docet Abb. hîc num. 12. Vel denique ſi ejus, cujus conſilium re-

quirendum eſt, aliâ ratioue interſit, v. g. Capituli vel Patroni, tum enim conſenſus etiam requiri videtur, Laym. in cit. c. Cùm in veteri n. 9.

Notandum 4. Si conſilium aliquorum petendum ſit, debet id requiri, dum res adhuc eſt integra, & ut babeant rempus ſufficiens ad deliberatè reſpōdendum; alioquin unus ſolus impedire poteſt, ne reſponſum detur, ante tempus ad deliberandum ſufficiens, ut colligitur ex cit. c. Cùm in veteri, & ibi gl. V. Requiſitum, quia rempore opus eſt, ut aliquid maturiùs agatur, nec præcipitare conſilia oportet, c. Ponderat. 14. diſ. 50. & ideo non ſolùm requirendum, ſed etiam competente tempore expectandum eſt reſponſum Conſiliariorum, cit. c. Cùm in veteri, juncta gl. V. Expectatum: nec excuſatur is, qui debet exigere conſilium, ſi àlleget brevitatem temporis exercendi actum, quia culpæ eius imputabitur, quòd tam breve rempus ad agendum recepit, vel ſi nimium diſtulit conſilium petere, Imola hîc n. 5.

Notandum 5. Poſtquam conſilium fuit expectatum, ſi Conſiliarij nolint, vel differant competente tempore reſpondere: vel etiam, ſi juſſi aliorum cōſilium requirere, conſulere illos non poſſint, etiam abſque eo procedi poteſt, ſi negotium moram ſeu dilationem non patiatur, & mandans abſens ſit, Abb. in cit. c. Cùm in veteri n. 13. Aliud eſt, ſi non conſilium, ſed etiam conſenſus aliorum requirendus ſit ad actum expediendum: tunc enim ordinariè procedi non poteſt ſinè eo, ſed irritum eſt, quod abſque conſenſu requiſito actum fuerit: etſi, qui debet conſentire, & non vult, compelli poſſit per Superiorem ad conſentiendum, niſi habeat rationabilem cauſam denegandi conſenſum, Abb. c. l. Aliquando tamen etiam conſenſu non expectato, ſi is injuſtè negetur ab altero, procedere licet, ut, ſi negatio conſenſûs cederet in præjudicium Eccleſiæ, Layman. hîc num. 8.

Notandum 6. Si ad actum aliquem expediendum requiratur in lege, commiſſione, vel quavis diſpoſitione, conſilium aliquorum, poteſt is actus erga illum ipſum exerceri, cuius alioquin conſilium requirendum eſſet. Ut in caſu huius c. ubi Papa mandavit, ut electio Archiepiſcopi fieret, cum conſilio Abbatis S. Benigni, & duorum aliorum; poſtea verò, cùm Compromiſſarij Abbatem illum eligere vellent, eius conſilium, qui electus poſtmodum fuit, non exquiſiverunt, nec requirere debuerunt, ſed tantùm aliorum duorum, ut notat gl. ibid. V. Sociorum, & V. Ipſorum. Ratio eſt, tum quia talis conſentiendo poſtea electioni, ſatìs videtur conſilium dare; tum quia, ſi ante electionem conſilium dando conſentiret, deberet electio caſſari propter vitium ambitionis.

Contrarium tamen tenet Joan. Andr. hîc n. 17. & Abb. n. 21. qui ait, tutius eſſe, ut etiam tertij, ſive eligendi conſilium requiratur, quia mandatum fuit, ut trium conſilium exigatur, ideóque etiam eius, quem Compromiſſarij eligere volunt, conſilium ſaltem in genere peti debet, cùm forma mandati exactè ſervanda ſit. Verùm ad boc reſpondet Laym. bîc n. 4. quòd in mandato magìs attendendum ſit ad mentem, quàm ad verba mandantis, & in mandato, ſeu commiſſione excipi debet caſus ſpecialis, quem ipſemet mandans rationabiliter in eo non comprehendi voluit, qualis eſt, ut petatur conſilium eius, quem Electores, aut Compromiſſarij eligere volunt, præſertim, ſi jam conſilium aliorum ſociorum ſupra hoc petitum, & auditum ſit.

§ VII.

An Compromiſſarij poßint eligere aliquem ex ſeipſis, vel, an unus ex ipſis poßit, ſaltem acceſſoriè, eligere ſeipſum?

CCXVI. Aſſertio 1. Quando plures ſunt Compromiſſarij, poſſunt illi aliquem ex ſeipſis eligere, tametſi id in compromiſſo non ſit expreſſum, modò non ſit expreſsè prohibitum, Innocent. in c. Cùm in jure 33. in princip. b. t. Abb. ibid. n. 4. & alij plures, contra gl. ibid. V. Ex ſc. & Sylveſt. V. Electio. 2. q. 17. n. 10. Ratio eſt, quia ex eo, quòd Compromiſſarij conſentiunt in compromiſſum, illúdque acceptant, non debent eſſe deterioris conditionis, cùm nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum, quod accideret, ſi propter compromiſſum acceptatum eligi non poſſent Compromiſſarij; imò etiam id ſæpe noxium foret Eccleſiæ, ſi inter Compromiſſarios eſſet perſona valde idonea, quæ jure electionis paſſivæ per compromiſſum privaretur. Deinde in compromiſſo abſolutè facto, ſi certa forma non ſit præſcripta, cenſetur abſolutè totum jus eligendi rranslatum in Compromiſſarios, ergo cùm Capitulares, vel unū ex Capitulo, vel quemlibet alium idoneum eligere poſſint, eadem quoqne facultas eligendi unum ex ſeipſis cenſeri debet compromiſſariis eſſe collata, niſi ſit expreſsè eis reſtricta: nec ideo Compromiſſarius à ſe cenſetur electus, ut gl. opponit, ſed à ſocio, vel ſociis eligitur, licèt ipſe conſentiat, ut ex infrà dicendis patebit.

Et binc infertur, ſi duo executores in teſtamento conſtituti ſint ad diſtribuendam pecuniam alicui pauperi, poſſe unum dare illam alteri, ſi is verè pauper ſit, ut docet Abb. c. l. n. 4. Quia tali caſu executor pecuniam accipiens non cenſetur in cauſa propria auctoritatem præſtare, ſed alteri ſibi præſtanti conſentire: quomodo etiam, ſi plures tutores ſint, uno auctore, pupillus alteri obligari poteſt, etſi pupillus non poſſit obligari rutori, eodem auctoritatem præſtanre, l. Pupillus 4. ff. De auctorit. tutor. Similiter ergo etiam porerunt Compromiſſarij conſtituti ad eligendum unum eligere ex ſeipſis.

CCXVII. Aſſertio 2. Si priùs aliqui Compromiſſariorum unum ex ſeipſis elegerunr, poteſt Compromiſſarius electus, ſi & ipſe jus eligendi habeat, conſentire in ſeipſum, & aliis accedendo, numerum augere, & electionem de ſe factam complere, & ſtabilire, modò ſuffragio ſuo accedente ſuffragiis aliorum, qui eum antè elegerunt, conſtituat, non tantùm parem, ſed majorem numerum eligentium, ut docet Joan. Andr, in c. Cùm in jure 33. b. t. n. 8. Abb. n. 5. & Imol. ibid. n. 5. Idque ſumitur ex cit. " c. Cùm in jure, nam defuncto Decano cuiuſdam " Eccleſiæ, Capitulum compromiſit in ſeptem ex ſuis " Canonicis ſub hac forma, ut illum, quem ex ſeipſis, "

vel

» vel alium ex gremlo eiuſdem Eccleſiæ, omnes vel » major pars Compromiſſariorum in Decanum ele- » gerint, Capirulum recipere teneatur. Cùm ergo » tres Compromiſſarij nominarenr Titium, qui & » ipſe ex ſeptem unns erat: alij verò tres nominarent » alium Canonicum, quí non erat ex numero Com- » promiſſariorum, quæſitum fuit, uter eorum aſſumi » debeat in Decanum. Reſpondet Papa Innocentius » III. quòd is, qui de numero ſeptem Compromiſſa- » riorum erat, & à tribus eorum nominatus eſt, aſſu- » mendus ſit in Decanum, ſi electioni de ſe factæ cō- » ſentiat, & canonicum impedimentum ei non ob- ſtet. Conſentit l. Planè 4. & ibi gl. V. Poteſt, ff. Quod cujuſque univerſ. nom. Ratio eſt, quia hoc caſu electus primò & immediatè, ac principaliter non ſe eligit, cùm electio ab ipſomet ortum non habeat, ſed ab aliis, qui ante ipſum elegerunt, adeóque ſolùm acceſſoriè ſe coëligit, & electioni de ſe factæ conſentit, eámque complet, ac veluti perficit, quod citra notam ambitionis fieri poteſt.

CCXVIII. Notandum 1. Duo requìruntur, ut Compromiſſarius poſſit ſibi ipſi votum dare, 1. Ut priùs aliqui Compromiſſariorum unum ex ſeipſis elegerint; nam ſi unus ex Compromiſſariis, ante publicata, & audita aliorum ſuffragia, ſibi ipſi votum daret, ambitioſus judicaretur, quia ſeipſum principaliter eligeret, ideóq; tanquā indignus repelli deberet, Laym. hìc n. 1. Requiritur 2. Ut ſuffragio ſuo accedente, conſtituat majorē numerum eligentium, alioquin notā ambitionis non effugeret, ſi acceſſu ſuo faceret ſolùm partem minorē, vel æqualem. Quare ſi v. g. ſeptē ſint electores Compromiſſarij, & tres eligant Titium unum ex electoribus, alij tres alium, tum Titius conſentire poterit electioni de ſe factæ, eámque ſtabilire ſuo ſuffragio, ut major eligentium numerus pro ipſo ſit. Idem eſt, ſi tres tantùm ſint electores, & unus eligat Titium electorem, tertius verò elector Caium, qui non eſt elector: tum enim Titius, conſentiendo ſuæ electioni præferetur Caio. Aliud eſt, ſi v. g. ſex ſint Electores, & duo eligant Titium unum ex electoribus; tres alij alium: tum enim Titius non poterit conſentire in ſeipſum, quia accedente ſuo ſuffragio, par ſolùm numerus eligentium, non major pro ipſo ſtaret. Abb. c. l. n. 5. Quòd ſi verò Titius elector priùs in privato ſcrutinio alium elegerat, in quem minor pars conſenſit, & ipſe poſtea, publicatis ſuffragiis, deprehendat, ſe electum ab æquali parte ſive medietate Capitularium, poterit revocare ſuffragium priùs datum, & electionem de ſe factam per conſenſum ſtabilire, quia cùm in electione, quæ fit per compromiſſum, non neceſſariò ſervanda ſit forma ſcrutinij præſcripta in Concilio Lateranenſi, poteſt per acceſſum augeri numerus ſuffragiorum: ſecus eſt, ſi Titius ſuo ſuffragio priùs dato Caio, v. g. cum aliis feciſſet majorem partem Capituli præſentis; tum enim non poſſet in ſe poſtea conſentire, nec mutare conſilium ſeu ſuffragium in alterius præjudicium, gl. hìc V. Conſentiat, & Abb. num. 5.

Notandum 2. Nnn tantùm in electione, quæ fit per compromiſſum, ſed etiam in aliis electionibus, in quibus non obſervatur forma ſolemnis ſcrutinij, poteſt electus à medietate Capitularium, vel ſtatim ab initio, ſi ſuffragia eligentium, palàm & omnibus audientibus, data ſint; vel ſi privatum ſcrutinium præceſſit, poſt eius publicationem, mutato ſuffragio alteri priùs dato, illud ſibi ipſi poſtea dare, & electionem ſuam aliis conſentiendo complere, & corroborare: quod fieri non poteſt in electione, quæ fit per formam ſcrutinij præſcriptam à Concilio Lateranenſi, quia in hac forma ſuffragia ſecretò dari, & nomina ſuffragantium nunquam publicari debent; adeóque non poteſt quis ab initio in ſeipſum conſentire, cùm ignoret, an ab aliis ſit electus, vel nominatus, alioquin arguereτur ambitionis, ideóque indignus judicaretur, quia directè, ac principaliter ſeipſum eligeret, non tantùm acceſſoriè, & completivè: neque etiam poſt publicationem ſcrutinij, licet ſaltem uni ſoli, aliis non conſentientibus, ad aliorum ſuffragia accedere, gl. in c. Cumana 50. V. Ad majorem partem h. t. Abb. in cit. c. Cùm in jure. n. 5. Imol. ibid. n. 5. & 6. Sylveſt. V. Electio 2. q. 18. In qua re tamen ſpectanda eſt cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo: nam ſi in aliqua Eccleſia conſuetum ſit, ut, ſi poſt publicatum ſcrutinium appareat, neminem pro ſe habere majorem ſuffragiorum partem, liceat aliquibus palàm accedere ad complendum numerum majoris partis, tum etiam electus à media parte Capitularium poterit variare ſuffragium antea alteri datum, & ad ſuffragia aliorum de ſe edita & publicata accedere. Si verò conſuetudo ſit alicubi, ut tali caſu ſcrutinium de novo inchoari ſoleat; tum non poteſt quis ſuffragium ſibi ipſi dando, complere numerum requiſitum ad majorem partem ſuffragiorum, quia antè publicationem omnium ſuffragiorum, neſcit, an in poſteriore ſcrutinio ab aliis ſit electus, Laym. de Elect. Prælat. q. 88.

CCXIX. Aſſertio 3. Si Compromiſſum in unum tantùm ſit factum, quamvìs abſolutè, & illimitatè, ut quemcunque idoneum eligat, non poteſt is ſeipſum eligere, quia hoc caſu electio ab ipſomet ortum haberet, & inchoaret, ideóque tanquam ambitioſus repellendus foret, ſi ſeipſum directè eligeret, c. In ſcripturis 9. cauſ. 8. q. 1. Quare potiùs ipſe Compromiſſarius exceptus cenſeri debet, gl. in cit. c. Cùm in jure. V. Ex ſe, Sylveſt. c. l. q. 16. Sed neque qui ſeipſum coëligendo, aliorum ſuffragiis ad ſui electionem complendam accedit, dicere debet: Eligo vel coëligo meipſum, ſed conſentio electioni de me factæ; quæ licèt nondum ſit completè facta à majore parte eligentium, eſt tamen in fieri, quia conſentiendo illico augetur, & completur numerus requiſitus ad majorem partem, Abb. c. l. n. 6.

§. VIII.

An, & qualiter compromiſſum revocari poßit, vel aliter exſpiret?

CCXX. Aſſertio 1. Si res non ſit integra, compromiſſum ordinariè revocari non poteſt, ſecus, ſi res adhuc ſit integra; tum enim revocari poteſt, ita ſumitur ex c. In cauſis 30. h. t. Nam vacante Ec- » cleſiâ Tholoſanâ, Capitulares ad tractandum dè » Electione Epiſcopi convenerunt, & duos ex ipſis » elegerunt, qui eligerent, ſive compromitterent in » quinque ex eodem Capitulo Canonicos, per quos »

poſt præſtitum juramentum (ſecundùm formam præſcriptam in Auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis. §. Jubemus igitur Abbatem coll. 9.) Epiſcopus eligeretur; ita, ut is, quem concorditer vel omnes quinque, vel tres ex illis eligerent, dummodo perſona eſſet idonea (quæ clauſula ſemper ſubintelligitur, etſi non apponatur, c. Cauſam 8. ſupr. eod. c. Cùm adeo 17. de reſcript. gl. hîc V. Idonea) abſq; ulla contradictione, pro Epiſcopo reciperetur. Cùm autem à prædictis duobus Canonicis quinque Electores compromiſſarij electi fuiſſent, iique à reliquis Capitularibus ad tractandum de electione feceſſiſſent in locum proprium, & non poſſent omnes concordare, ſive conſentire in unam perſonam; tres eorum in Epiſcopum Convennarum conſenſerunt, & electionem, quam de poſtulando Epiſcopo fecerant, Capitulo publicârunt (hoc eſt, ſuam poſtulationem Capitulo propoſuerunt, nam electio hîc accipitur pro poſtulatione, gloſſ. hîc V. electionem, junctâ gl. margin.) Sed alij duo Compromiſſarij, tertiâ poſt die, cum paucis quibuſdam Capitularibus, reliquis abſentibus, Archidiaconum Agennenſem elegerunt. Controverſiâ hac ad Innocentium III. delatâ, & coram illo propoſitis ijs, quæ allegabat pars poſtulantium Epiſcopum Convennarum, ex altera parte Nuncij (id eſt, procuratores Hoſtienſ. hîc V. eodem) miſſi ab ijs, qui Archidiaconum elegerunt, reſponderunt, quòd cùm prædicti quinque compromiſſarij inter ſe diſſiderent, & contentioſè clamarent, adeóque Capitulo ſuſpecti eſſent, per duos Canonicos ad eos miſſos, Capitulum eiſdem inhibuit, auctoritate Apoſtolicâ, ne in facto electionis ulteriùs procederent, & ita poteſtatem eligendi ipſis commiſſam revocavit, ſimul mandans, ut ad Capitulum redirent, & cum alijs Fratribus, ſeu Capitularibus, electionem peragerent. Huic revocationi duo ex Compromiſſarijs parentes, ad Capitulum reverſi ſunt; alijs tribus non contradicentibus, qui licèt & ipſi ad fores Capituli pervenerint, poſtea tamen receſſerunt. Cùm autem Capitulares congregati in Capitulo toto illo die adventum dictorum trium compromiſſariorum exſpectâſſent, ſequente die, campanam, ſicut moris eſt, ad Capitulum congregandum pulſari curârunt: tribus verò illis, cum paucis complicibus ſe contumaciter abſentantibus, Prior, cum majore & ſaniore parte Capituli, ſuprà dictum Archidiaconum in Epiſcopum elegerunt. His utrinque auditis, Papa ita pronunciavit: quia poſtulatio Epiſcopi Convennarum, quæ præceſſit, per eos facta eſt, in quos totum Capitulum eligendi poteſtatem tranſtulerat, ideóq; unanimi conſenſu totius Capituli facta eſſe intelligitur, hinc non potuit Capitulum, cùm res non eſſet ampliùs integra, ſi quidem in tractatu jam proceſſum fuit ab electoribus compromiſſarijs, compromiſſum revocare. Quare ſubſecutam electionem Archidiaconi jubet Papa irritari, ſimúlque mandat quibuſdam Abbatibus, ut, ſi dictum Epiſcopum Convennarum utilem, & neceſſarium ad Regimen Eccleſiæ Tholoſanæ repererint, & tam litterarum ſcientiâ, quàm exemplo bonæ converſationis inſtructum, idoneúmque ad hæreſes, quæ in prædicta Eccleſia per antecedentium Prælatorum negligentiam, miſerabiliter & damnabiliter pullulârunt, extirpandas, ad eandem Eccleſiam Tholoſanam, propter urgentem neceſſitatem, & evidentem utilitatem, tranſeundi licentiam ei tribuant.

CCXXI. Notandum 1. Poſſunt Capitulares compromittere, ſive poteſtatem eligendi committere, non tantùm perſonis certis, ſed etiam incertis, deligendo unum, vel plures, per quos compromiſſarij nominari, & conſtitui debeant, electuri poſtea vice omnium, & nomine totius Capituli Epiſcopum, ſeu Prælatum, prout ſumitur ex hoc c. in princ. arg. c. Innotuit 12. de arbitris, ubi tradunt DD. quòd partes litigantes poſſint, vel per ſeipſos arbitrum, vel arbitros conſtituere, vel uni, aut pluribus alijs poteſtatem dare, ut ſibi ipſis unum, vel plures arbitros eligant, Abb. hîc n. 2.

Notandum 2. Etſi latiùs loquendo, concorditer fieri dicitur, quod fit à majore parte Capituli, ſeu Collegij, niſi pars minor juſtam cauſam contradicendi habeat, ut conſtat ex c. 1. & ibi gl. in notatis, de his, quæ fiunt à major. par. Capit. gl. in c. Ubi periculum 3. V. Singulis h. t. in 6. propriè tamen, & strictè loquendo, concorditer fieri dicitur, quod fit omnibus Capitularibus conſentientibus, nullo diſcrepante, ut patet ex hoc c. in princ. ibi: *concorditer, vel tres ex illis*, ubi ponuntur hæc ut diverſa, & conſtat ex ſignificatione ipſius vocis, gl. in c. Cupientes ibid. V. Concordem h. t. quamvis prior acceptio magìs uſitata ſit, niſi in ordinatione aliqua requiratur, ut plenâ concordiâ fiat, gl. margin. in cit. c. Ubi periculum V. Singulis.

CCXXII. Notandum 3. Compromiſſarij, quibus eligendi poteſtas commiſſa eſt, poſſunt non ſolùm eligere, ſed etiam poſtulare, ut colligitur ex hoc c. Ubi major pars eligentium, in quos compromiſſum eſt, Epiſcopum poſtulavit, & ea poſtulatio approbata fuit à Papa, quia datâ abſolutè poteſtate eligendi, cenſetur etiam data poteſtas poſtulandi, gl. communiter recepta hîc V. Poſtulatio, & habetur etiam in c. Poſt translationem 11. junctâ gl. V. Liberam de renunciat. nam electio, & poſtulatio in jure æquiparantur, quippe quæ tendunt ad eundem finem & effectum providendi Eccleſiæ viduatæ paſtore. Non tamen poſſunt Compromiſſarij in alios compromittere, ſive vices ſuas alijs delegare, ſi ex commiſſione tantùm, adeóque jure alieno, non proprio, poteſtatem eligendi habeant, quia tunc videtur eſſe electa induſtria perſonæ, arg. c. fin. de offic. deleg. & c. Is cui 12. eod. in 6. Abb. in c. Cùm in jure 33. n. 2. h. t. niſi expreſsè id ipſis in compromiſſo conceſſum fuiſſet, cujus limites excedere nequeunt, arg. l. Diligenter 5. ff. mandati.

CCXXIII. Notandum 4. Compromiſſum ſemel factum ordinariè revocari non poteſt, ſi res nō ſit ampliùs integra, ſicut reſpondit Papa in hoc c. tunc autem dicitur res non integra, quando in negotio compromiſſi ad ſubſtantialia, ſive ad ea, quæ ad illud per ſe pertinent, eſt proceſſum; v.g. Si Compromiſſarij cœperint tractare de electione, deſignando, ſeu nominando aliquem tanquam idoneum ad Prælaturam: ſin autem ſolùm ſolemnitas aliqua præparatoria præceſſiſſet, v.g. Miſſa de Spiritu S. cantata fuiſſet, vel ſi Compromiſſarij intrâſſent Capitulum,

lum, ſed nondum de electione aliquid tractantes, res adhuc cenſeretur integra, Innocent. hic n. 6. & Imol. ibid. n. 6. nam compromiſſum æquiparatur mandato procuratorio, quod ante litis conteſtationem revocare licet, etiamſi citationes, & exceptiones fori declinatoriæ præceſſerint: non item poſt litem conteſtatam, niſi causâ cognitâ. l. Ante litem 16. & ſeq. ff. de procurat.

Notandum 5. Si res adhuc ſit integra, nihilque ad ſubſtantiam electionis pertinens actum ſit, tum compromiſſum revocari poteſt à Compromittentibus, ut colligitur ex hoc c. per ſenſum contrarium, ad inſtar mandati, quod re integrâ revocari poteſt, §. Rectè Inſtit. de mandato, cùm nihil mandatarij interſit, gl. hic V. Cùm res non eſſet integra. Ratio eſt, quia antequam Compromiſſarij incipiant uti poteſtate ſibi commiſſâ, ac veluti delegatâ, non cenſetur ea in ipſis eſſe radicata, adeóque non efficaciter in illos tranſijſſe, arg. c. Quamvis 6. de offic. deleg. ubi habetur, quòd ab eo, cui poteſtas judicandi in totum ſubdelegata eſt, revocari poſſit juriſdictio, antequam eâ uſus fuerit.

Verùm hîc diſtinguendum eſt; nam vel compromiſſum factum eſt in gratiam ipſorum Compromiſſariorum, in quos Capitulum poteſtatem eligendi pro ea vice tranſtulerat, ut in caſu c. Cùm dilectus 32. h. t. & non poteſt revocari compromiſſum, etiamſi res adhuc ſit integra, quia eſt inſtar alicujus liberalis donationis, quæ ſemel acceptata non poteſt ampliùs revocari, l. Sive 17. C. de donat. Vel factum eſt compromiſſum, ob Eccleſiæ utilitatem, ita, ut æquivaleat mandato, ſeu commiſſioni, vi cujus compromiſſarij, auctoritate, & nomine totius Capituli eligant; & tunc revocari poteſt, ſi res ſit integra, quia mandatum, re integrâ, revocari poteſt, non autem, ſi res non ſit integra, juxta deciſionem hujus c. gloſſ. hic V. Cùm res non eſſet integra, Innoc. ibid. n. 4. Joan. Andr. n. 37. Abb. ibid. n. 11. In dubio autem præſumitur compromiſſum potiùs factum, ob Eccleſiæ utilitatem, ut ei faciliùs ſic provideatur, quàm in favorem, ſeu commodum compromiſſariorum, adeóque ſi res integra ſit, revocabile eſt, quia in dubio non præſumitur donatio, Joann. Andr. hîc num. 38. & Abbas num. 11. & 12.

CCXXIV. Notandum 6. Si Electio à Compromiſſarijs facta effectum non habuit, quia electus noluit acceptare: vel ſi compromiſſarij ab ejus poſtulatione, de cujus electione tractare cœperant, in totum receſſerunt, re infectâ: tunc etiam revocari poteſt compromiſſum, ſiquidem his caſibus nova electio, aut poſtulatio iterum inchoanda eſt, adeóque etiam res adhuc eſt integra, Innoc. hîc n. 6. in fine. Accedit, quòd Compromiſſarij, poſtquam electionem, vel poſtulationem promulgârunt, functi ſunt officio ſuo, ideo ſinè nova commiſſione, ad aliam electionem procedere non poſſunt: aliud eſt, de Electoribus Ordinarijs, qui non alieno, ut Compromiſſarij, ſed proprio jure eligunt; hi enim, etſi electionem fecerint irritam, vel quæ effectum non habuit, modò non incurrerint privationem juris eligendi, ad aliam electionem procedere poſſunt, ac debent, ut conſtat ex c. officij 38. h. t. Laym. hîc n. 7. in fine.

CCXXV. Notandum 7. Licèt compromiſſum ab initio conſtitui, & decerni non poſſit, niſi omnibus Capitularibus conſentientibus, ita, ut vel uno contradicente, impediri poſſit, ut ſuprà dictum n. 204. tamen, poſtquam conſtitutum eſt, ac decretum, non poteſt ab uno ſolo, aut paucis Capitularibus mutari, & revocari, etſi res integra ſit, ſed non niſi à majore parte Capituli, Abb. hîc n. 16. contra Innocent. ibid. n. 5. & Jo. Andr. n. 37. quod enim ſingulis ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt, reg. jur. 25. in 6. neque mutare conſilium quis poteſt in alterius detrimentum, reg. jur. 33. eodem. cederet autem in detrimentum Capituli, ſi, poſtquam aliquid, communi conſenſu omnium, conſtitutum fuit, id aliquis, vel pauciores, alijs pluribus invitis, & contradicentibus, reſcindere, & retractare vellent, niſi oſtendat pars minor, compromiſſum ob publicam utilitatem revocandum eſſe, eò quòd Eccleſiæ damnoſum ſit: alioquin verò etiam bonum publicum exigit, ut, quod à majore parte Capituli ſtatutum fuit, firmum maneat, c. 1. de his, quæ à majore parte Capit. &c.

Porrò, ſi unus Capitularium in compromiſſo conſtituendo contemptus fuit, ſive non vocatus, cùm vocari debuiſſet, eo petente, compromiſſum revocandum eſt; ſicuti ſcrutinium factum, superveniente contempto, retractari debet, ſi id petat, cùm ſinè illo nec ſcrutinium, nec compromiſſum fieri debuiſſet, c. Quòd ſicut 28. in princ. c. Bonæ 36. h. t. & patet ex ſuprà dictis.

CCXXVI. Aſſertio 2. Si poteſtas eligendi compromiſſarijs commiſſa ſit limitatè ad certum tempus, intra quod electio ab ipſis fieri debeat, vel aliâ conditione adjectâ, eâ deficiente, vel tempore illo elapſo, ſi electio facta non ſit, compromiſſum per ſe exſpirat, c. Cùm in veteri 52. & ibi Innoc. num. 4. Laym. de Elect. Prælat. q. 90. nam forma, ſeu conditio præſcripta mandatario, ſeu Commiſſario, cenſetur pertinere ab ſubſtantiam actûs, ita, ut eâ non ſervatâ, actus non ſubſiſtat, quia Commiſſarius transgreditur fines mandati, ſeu poteſtatis, gl. in Clement. 1. V. Inhibentes de jure patron. Navarr. in Man. Præl. c. 27. n. 37.

CCXXVII. Aſſertio 3. Similiter finitur compromiſſum, ſi electio, vel poſtulatio à Compromiſſarijs facta, ſive ob electionem perſonæ indignæ, ſive ex quacunque alia cauſa ſit irrita, vel effectum non conſecuta: tum enim non poſſunt ij ad aliam electionem, ſinè nova commiſſione, expreſſa, vel tacita, procedere, quia cùm electio ipſis commiſſa ſit pro una vice tantùm, poſtquam officio ſuo functi ſunt, ſive bene, ſive malè, ceſſat eorum poteſtas, ut parebit ex dicendis §. ſeq.

§. IX. De

§. IX.

De devolutione poteſtatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum Compromiſſariorum, & de Electione per quaſi inſpirationem.

CCXXVIII. Quæritur 1. Ad quem devolvatur poteſtas eligendi, ſi compromiſſarij negligant eligete, intra tempus à jure præfixum, vel ſi indignum eligant? Reſpondetur, de boc agitur in c. Si Compromiſſarius 37. h. t. in 6. ubi Bonifac. VIII. ita reſcribit: ſi Compromiſſarins, nnus vel plures, (cùm in unum,& plures compromitti poſſit, gloſſ. hîc V. Compromiſſarius) in quos, defuncto Epiſcopo, eligendi poteſtas eſt translata, intra tempus à jnre ſtatutum (ſcilicet tres menſes à die vacarionis numerandos) eligere per culpabilem negligentiam intermittant,poteſtas providendi ad proximum Superiorem devolvitur: ſibique impntare debent compromittentes, quòd eligendi poteſtatem in talem,vel tales perſonas tranſtulerint. Si verò Compromiſſarius,vel Compromiſſarij eligant (intra debitum temqus) ſed indignnm, ſive ſcienter id fecerint (cùm dolus ipſius,vel ipſorum eis,qui non ſunt in culpa,non debeat imputari) ſive etiam ignoranter, eligendi poteſtas ad compromittentes revertitur (cùmCompromiſſarij ſuo ſint functi officio) niſi & ipſi compromittentes ſcienter talem electionem ratam habuerint. Idémque dicendum (ſcilicet quòd poteſtas eligendi ad eoſdem compromittentes liberè revertitur) cùm Compromiſſarius, vel Compromiſſarij eligunt idoneum, ſed electns rennit conſentire ſive acceptare.

CCXXIX. Ratio,cur priore caſu poteſtas eligendi devolvatur ad proximnm Superiorem, & non compromittẽtes,eſt; tum quia, ſi quis, quod ipſe facere tenetur,alteri committat faciendum, & hic negligat, eius negligentia, ſeuomiſſio nõ excuſat mandantem, l. Procurarorem 8. §. Si tutores.ff.Mandati, ubi habetur,quòd negligentia mandatarij non excuſet tutorem mandantem, ergo neque negligentia Compromiſſariorum in eligendo excuſabit committentes,ſeu compromittentes: tum quia bi ſibi imputare debent, quòd tam negligenti Compromiſſario vel Compromiſſariis eligendi poteſtatem commiſerint, ut habetur in rextu: tum quia ſi ipſi Capitulares intra tempus à jure præfixum per negligentiam non eligerent,poteſtas providendi non ad illos rediret,ſed ad proximnm Superiorem devolveretnr, c. 2. De conceſ.præbend. c.Quamquam. 18. in princ. h.t. in 6.ergo idem dicendum, ſi ipſi Compromiſſarij intra illud tempus per negligentiam non eligant,quippe qni funguntur viceCapitnlarium compromittenrium,ſubrogatum autem ſapit naturam ſubrogantis, Vivian.in ration. Jur.Pontif.in cit. c. Si compromiſſarius. Alia verò eſt ratio de Compromiſſariis ſcienter eligentibus indignum, quia delictum,ſive dolus mandatarij, cùm in committendo conſiſtat,non debet nocere domino, ſeu principali, ſi is extra culpam ſit; nam Procnrator obeſt domino in omittendo,non autem in committendo, l. fin. C. De acquirend. poſſeſſ.Joan.Andr. hîc n.1. & Petr. Ancbaran. §.Quæro. Quare cùm,ſi Compromiſſarij ſcienter eligant indignnm, compromittentes non ſint in culpa,non enim dederunt eis facultatem eligendi indignnm, non debet eorundem dolus ipſis imputari, cùm peccata ſuos debeant tenere Auctores, gl.hic V. Imputari: ac proinde ne ſinè culpa ſua priventur compromittentes, illâ vice, poteſtate eligendi, jure ſtatutum fuit, ut ea poteſtas tali caſu revertatur ad eoſdem.

Qnòd ſi verò Compromiſſarij ignoranter elegerunt indignum, tum eligendi poteſtas etiam redit ad compromittentes,quia,cùm ipſis electio tantùm, pro unâ vice, ſit commiſſa, poſtquam ſemel elegerunt,ſive bene,ſive malè, jam fnncti ſunt ſno officio, ideóque non poſſunt iterum, ſinè nova commiſſione eligere,ut habetur in cit.c.ſi Compromiſſarius,& dictum ſuprà; ſicut idem eſt in Judice delegato, poſtquam ſemel,ſive bene,ſive malè judicavit,eius poteſtas exſpirat, c.In litteris 9.&c. Venerabili 37. de offic.deleg.l.Judex 55. ff.De re judic.gl.hîc V. Fructus. Excipi debet,niſi Compromittẽtes electionem indigni à Compromiſſariis factam ſcienter ratam habuerint; tnm enim poteſtas providendi non ad illos revertitur, prout habetur in cit. c. Si compromiſſarius,qnia ratihabitio retro trabitnr,&mandato comparatur,reg.jur.10.de R.I. in 6.& ratam habere poſſunt electionem compromittentes,cùm eorum nomine Compromiſſarij elegerint,arg.c.Ratum 9. eod. in 6. gl. bic V. Ratam: quare hoc caſu proviſio ad Papam devolvitur,iuxta c. Quamquam 18.h.t. in 6. gl. bîc V. Habuerint. Similiter poteſtas eligendi redit ad compromittentes, qnando compromiſſarij elegerunt idoneum,ſed electus non conſenſit, vel etiam poſt conſenſum renunciavit, vel mortuus eſt, ut addit gl. hîc V. Rennit, qnia ut ex dictis patet, compromiſſarij bis caſibus ſemel eligendo functi ſunt officio ſuo, ideóque non poſſunt rurſus eligere, niſi in mandato expreſſum fuiſſet, qnòd poſſint ſemel,vel ſæpius eligere, gl.hîc V. Conſentire. Quare ea poteſtas redit ad Capitulares compromittentes, qui non debent,ſinè culpa ſua,privari jure ſuo,præſertim cùm prior electio non fuerit vitioſa, quippe facta de perſona idonea, iiſqne competat novum tempus trimeſtre ad eligendum, ac ſi eſſet nova vacatio, gl.hîc V. Liberè.

CCXXX. Præterea cùm à Compromiſſario, uno, vel pluribus, indignns ſcienter eligitur, ipſe vel ipſi (iuxta Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. quod refertur in c.Cùm in cunctis 7.§.fin. h.t.) à beneficiis Eccleſiaſticis per triennium ipſo jnre ſunt ſuſpenſi: at verò banc pœnam ſuſpenſionis non incurrunt compromittentes,cùm haud cõveniens ſit, ut innoxij alterius odio prægraventur, ſive ob alienam culpam puniantur,ſed pœna ſuum tenere debeat auctorem. Ita habetur in cit.cap.Si Compromiſſarius. §. Porrò. h.t. in 6. ubi in §§. ſeqq. adduntur aliquot exceptiones, in quibus prædicta pœna ſuſpenſionis locum non habet.

Nam 1. Si compromiſſum ſit in Epiſcopum, & is ſcienter elegit indignum, non incurrit pœnam ſuſpenſionis per triennium à beneficiis, cùm jure ſtatu-

ſtatutum ſit, (in c. Quia periculoſum 3. de ſent. excommunic. in 6.) ut Epiſcopi nullam interdicti, vel ſuſpenſionis cenſuram incurrant, niſi de ipſis expreſſa mentio fiat, cit. c. §. Huiuſmodi.

2. Pœnam hanc ſuſpenſionis ſolùm incurrunt ij, qui indignum Epiſcopum, vel Prælatum eo Superiorem ſcienter eligunt; non autem ij, qui alios Prælatos inferiores, vel Beneficiatos ſic eligunt, cit. §. Huiuſmodi Verſic. Nec aliorum. Ratio eſt, quia, cùm pœna hæc ſuſpenſionis in cit. c. Cùm in cunctis. §. fin. tantùm imponatur ijs, qui indignũ Epiſcopum ſcienter eligunt, non debet ea pœnalis conſtitutio extendi ad eligentes alios Prælatos inferiores, vel beneficiatos, gl. in c. Quamquam. 18. V. Secus. h. t. in 6. & alij DD. communiter.

3. Reſtringitur eadem pœna ſuſpenſionis à beneficiis per triennium ſolùm ad ea beneficia, quæ Elector obtinet in ea Eccleſia, quam ſcienter eligendo indignum, ſpecialiter offendit, cit. c. Si compromiſſarius, in fine: cenſetur autem Eccleſia offenſa per electionem indigni, licèt ea effectum non habuerit, quia, quantum in ipſo eligente fuit, malè eligendo offendit, gl. ibid. V. Offendiſſe. Ac denique quòd is, qui alicuius electionem, poſtulationem, vel proviſionem impugnans, ſi in probatione eius, quod contra perſonam ipſius objicit, deficiat, à beneficiis Eccleſiaſticis per triennium ſit ſuſpenſus, id ſimiliter intelligi debet de ijs beneficiis, quæ in eadem Eccleſia obtinet, ut habetur in fine dicti c. Addit gl. ibid. V. In illius beneficiis, quòd, ſi in his caſibus eligens, vel opponens non habeat beneficium in illa Eccleſia, pœnâ extraordinariâ puniri poſſit.

Porrò de hac pœna ſuſpenſionis etiam aliquid dictum eſt ſuprà n. 43. quia hoc cap. eſt declaratio quędam illius c. Cùm in cunctis 7. §. fin. h. t.

CCXXXI. Quæritur 2. Si compromiſſum ſit in plures, & major pars eorum eligat indignum, minor verò pars dignum, ad quem devolvatur poteſtas eligendi, aut providendi? Reſp. Si ex pluribus v. g. tribus compromiſſariis, duo eligant indignum, ideóque jure eligendi pro ea vice, ſive ſcienter, ſive ex ignorantia etiam invincibili id fecerint, ſint privati, ut ad aliam electionem procedere non poſſint, cit. c. Si compromiſſarius: tertius verò eligat idoneũ, & dignum; tum probabilius eſt, poteſtatem eligendi, non ad illum unicum, qui dignum elegit, vel ad pauciores, qui indignum non elegerunt, ſed ad Capitulum redire, & devolvi, perinde, ac ſi omnes Compromiſſarij indignum elegiſſent, Sylveſt. V. Electio. 2. q. 19. quem ſequitur Laym. de Elect. Prælat. q. 92. & in c. Quia propter. 42. n. 17. h. t. contra Abbatem in c. Cùm in jure. 33. in fine h. t. Ratio eſt, quia mens compromittentium vel expreſſa, vel ſaltem tacita fuit, eum ſe velle recipere in Prælatum, in quem omnes, vel major pars Compromiſſariorum conſenſerit, dummodo idoneus ſit, non autem, in quem unus tantùm, vel minor pars conſenſerit: poteſtas autem compromiſſi non ſe extendit ultra mentem, & intentionem compromittentium. Quare nulla tali caſu fit injuria parti minori Compromiſſariorum, qui dignum elegerunt, quia non competit ei poteſtas eligendi, niſi quatenus intendunt compromittentes, qui nolunt electionem fieri ab uno tantùm, vel paucioribus Compromiſſariis ab ipſis conſtitutis, ſed ſolùm ex conſenſu plurium, ſive majoris partis eorum, ac proinde electio etiam digni facta ab uno, vel minore parte Compromiſſariorum non eſt valida, ob defectum poteſtatis, Sylveſt. c. l.

CCXXXII. Quæritur 3. Quæ ſit forma eligendi quaſi per inſpirationem? Reſp. Electio quaſi per inſpirationem fieri dicitur, quando Electores omnes, nullo præcedente tractatu de certa perſona eligenda, quaſi S. Spiritùs impulſu, unanimiter, ac veluti uno corde, & ore, abſque fraude, vitio ſimoniæ, vel alio, in eundem conſentiunt, de qua fit mentio in cit. c. Quia propter. ibi: *niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem*, (electio) *abſque vitio celebrata*. Neque ad illam alia forma, vel ſolemnitas requiritur, niſi ut omnium conſenſus interveniat, alioquin vel uno contradicente, non valeret, quia non cenſeretur facta à Deo inſpirante, Sylv. c. l. q. 20. Quòd ſi de divina inſpiratione conſtaret, non eſſet neceſſaria confirmatio, quia ea, quæ ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege: ſed quia de hoc conſtare nobis non poteſt, ideo debet confirmari, & examinari talis electio, an à Spiritu Dei ſit profecta. Durand. in ſpec. l. 4. partic. 1. tit. de elect. §. De via inſpirationis n. 1. & 2.

§. X.

An, & quomodo electio Prælati debeat fieri liberè?

Ad formam ſubſtantialem Electionis etiam pertinet, ut ſit in libertate eligentium, ſive, ut liberè ab ipſis fiat, de quo hoc §. agemus.

CCXXXIII. Quæritur 1. An poſſit ſaltem per conſuetudinem introduci, ut Electio Prælati fiat dependenter ab arbitrio, ſeu voluntate alicuius tertij, ſive laicus ille ſit, ſive Eccleſiaſticus, quem ipſe eligere voluerit? Reſp. negativè, ut conſtat ex c. Cùm terra 14. h. t. Nam relatum fuit Papæ Cæleſtinó III. quòd in terra Hieroſolymitana prava conſuetudo irrepſerit, ut, cùm electio Prælati celebranda eſſet, Conventus, ad quem electio pertinet, duas perſonas nominet, & latenter inſinuet auribus Patriarchæ, vel Principis, ex quibus idem Patriarcha, vel Princeps unam perſonam deligendi, vel ſi malit, etiam utramque repellendi, & totam electionem reijciendi plenam habeat facultatem. Verùm cùm hæc conſuetudo in gravamen & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis redundet, eam penitus abolendam eſſe, Pontifex decrevit, ſimúlque ſtatuit, ut in omnibus Conventualibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis forma Canonica electionis obſervetur: videlicet, ut, cùm debet Eccleſiæ Paſtoris regimine deſtitutæ provideri, Electores in unum locum, in quo Electio Prælati celebranda eſt, conveniant, & invocatâ Spiritûs ſancti gratiâ, perſonam nominent: Quòd ſi in perſona (eligenda) vel in modo electionis peccatum ſit, tamdiu curam inquiſitionis adhibeant, donec vacanti Eccleſiæ de idonea perſona provideant. Quo facto, non eſt prohibitum, Regis aut Patriarchæ aſſenſum ſuper electione requirere, dummodo eam non impediant, nempe ſi canonicè facta ſit.

CCXXXIV. Notandum 1. Licèt vulgò Congregatio Religioſorum appelletur Conventus, ſecularium verò Canonicorum Capitulum;tamen quælibet Eccleſia Collegiata,licèt nou ſitRegularis,ſed Secularis,poteſt dici Conventualis,& habere Conventum, ſeuCapitulum,cùm hæc ſint ſynonima, & idem importent,ut colligirur ex hoc cap.& notat Abb.hîc not.1.

Notandum 2. Conſuetudo, quæ eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, non valet, utì ſumitur ex hoc cap. Ubi damnatur, non ſolùm conſuetudo,quæ repugnat libertati in electione Prælati, ſed etiam omuis alia,ut patet ex adjuncta ratione generali; nam hic generaliter damnatur omnis conſuetudo, quæ tendit in gravamen,& perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, Abb. hîc not. 2. Imò hojuſmodi conſuetudo, etiamſi per tempus immemoriale ſit obſervata, eſt nulla,cùm hîc non ſimpliciter ei derogetur, ſed penitus reprobetur, tanquam prava,& corruptela, Fagnan. hîc n.7.

Notandum 3. Non valet conſuetudo,per quam tolluntur ea, quæ ad ſubſtantiam actûs pertinent, ipſo actu remanente, arg. c. 2. De conſuet. in 6. ubi habetur,quòd non valeat couſuetudo, ut appelletur à Vicario Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum, quia eſt à minore ad majorem Judicem provocatio, Epiſcopi autem, & Vicarij eadem eſt juriſdictio,idémque Tribunal;quomodò etiam non valet pactum,vel modus appoſitus contra ſubſtantiam actûs,veluti ſi conventum ſit,ut liceat rem alienam precatiò datam, invito domino,poſſidere,c.fin.De precario,& l.Cùm precariò.10.ff.eod. ergo oeque per cnoſuetudinem, etiam cum bona fide,præſcriptam, introduci poteſt, ut remanente jure eligendi penes Conventum,ſeu Capitulum aliquod, electio Prælati ita pendeat ab arbitrio alterius, ut in boc c. ab arbitrio Principis, vel etiam Patriarchæ, ut in eorom poteſtate ſit, electum à Conventu vel admittere, vel rejicere,vel ex duobus à Capitulo electis, & propoſitis utrumque rejicere; id enim eſt contra ſubſtantiam electionis,nam eligere eſt ex duobus, vel pluribus propoſitis unum præoptare,ut ex Alberto M. tradit Tholoſan.tract. de elect.c.1.n.1. Ergo non poteſt conſuetudine induci, ut ſit electio, & oon ſit in libertate eligentium, aliquem ex pluribus eligere,quia ſic eſſet electio ſinè ipſius ſubſtantia,quod repugoat: Abb.hîc n.1.not.3. Ut in caſu buius c. etſi Princeps, & Patriarcha faterentur,Capitulo vel Conventui jus eligendi competere, tamen re ipſâ ipſi potiùs eligebant, quàm Conventos, quia jus eligendi ipſo facto ſibi arrogabant, ergo contra naturam,& ſubſtantiam liberæ electionis eſt,ut ea dicto modo ab arbitrio alterius,vel aliorum pendeat,quia repugnat,ut penes Capitulum aliquod maneat jus eligendi,& ſimul ei adimatur libertas eligendi, ita, ut obſtringatur eligere Prælatum ad voluntatem,ſeu arbitrium alterius,ſive tertij, adeóque vi illius conſuetudinis etiam immemorialis,talis electio valere non poteſt, Joan. Andr. hîc n.4. & Abb. not.3. Deinde talis conſuetudo, ut electio Prælatorum Eccleſiaſticorum pendeat ex arbitrio,& conſenſu Regis, vel Principis ſecularis, etiam ex eo capite eſt invalida,quia jus eligendi,cùm ſit ſpirituale,non cadit io laicum,c.Sacroſancta 51. & ibi gl.V. Io laicum,& c.Maſſana 56.h.t. ubi contraria conſuetudo damnatur,& corruptela dicitur: quamvis id per privilegium Sedis Apoſtolicæ laicis concedi poſſit,ut conſtat ex cap. Quòd ſicut.28. h.t.& dictum ſuprà n. 17. h.t.

CCXXXV. Notaodum 4. Poteſt tameo per conſuetudinem bonâ fide præſcriptam jus eligendi alicuiCollegio,ſeuConventui competens penitus ab eo auferri, & ad aliud CollegiumEccleſiaſticum, vel dignitatem,aut perſonam Eccleſiaſticam, v.g. Epiſcopum transferri, ut colligitur ex c. 2. De in integr. reſtit.ubiEpiſcopus prætendebat,jus eligendi Prælatos etiam Regulares in Diœceſi ſua, ſibi competere, ratione diuturnæ conſuetudinis, quia tunc tota poteſtas, & libertas eligendi aufertur ab uno Collegio, & acquiritur per conſuetudinem alij Collegio, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, Abb.hîc n.2. in fine.

Item poteſt per conſuetudinem jus eligendi limitari, ſeu reſtringi, ita, ut ex alterius Eccleſiæ gremio, ſeu Corpore Prælatus eligi debeat, ut cooſtat ex c.Cùm dilectus 8.de conſuetod.& c.Abbate 25.de verb.ſignif. vel etiam, ut Collegium, ſeu Capitulum teneatur admittere extraneos Clericos ad coëligendum ſecum, c.Scriptum 40.h.t.& c. Cùm Eccleſia 3. de cauſa poſſeſs.& propr. Abb.hîc n.2. Prætetea poteſt etiam jus eligendi ita reſtringi, ut Capitulum ex certo perſonarum genere, v.g.ex certa familia unam eligere debeat, etſi tantùm duæ ſint, dummodo idonea reperiatur, quia ſubſtantia electionis adhuc cõſiſtit, cùm ex duobus unus liberè eligi poſſit, arg. l. Servi.5.ff.De legat.1. Covarr. in 4. Decret. p.2.c.3.§. 5.n.8. Laym. hic o.2. Imò etiam valet conſuetudo, ut Collegium,ſeu Capitulum teneatur eligere Prælatum ex certo loco,ſeu oppido;quamvìs,ſi ibi repetiatur unus tantùm idoneus, ille eligi debeat, & ſic videatur tolli libertas eligendi,remanente electiooe: quia id eſt per accidens, ſicut, ſiEccleſia aliqua privilegium haberet, ut non oiſi ex gremio, ſeu Corpore eiuſdem electio fieri debeat,& tantùm onus idoneus ibi eſſet, ille eligi deberet, non enim æſtimantur tales caſus fortuiti, & rarò contingentes, Joao. Aodr. hîc n.4.Fagnan.n.14.& 15.

Denique poteſt etiam per conſuetudinem legitimè præſcriptam introduci,ut Conventus ſeu Capitulum duos eligere debeat, quorum unus à Patriarcha, vel Epiſcopo approbetur, quia per hoc non tollitur libertas electionis; nam ab initio voluntaria,& libera fuit electio,ſed reſtringitur tantùm, Covarr.c. l.n.9. Vel ſi dicatur,quòd hæc non ſit propriè dicta electio, ſed potiùs præſentatio,ſeu nominatio duorũ, etiam id per conſuetudinem indoci poteſt, vi cuius Conventui,ſeu Capitulo auferatur poteſtas propriè dictæ electionis, ita, ut teneatur aliquos præſentare ſuperiori Eccleſiaſtico,ex quibus ille unum inſtituere debeat; quamvìs tale jus per conſuetudinem oon poſſit obtineri à laico, v.g. Rege,vel Principe ſeculari,cùm ſit jus ſpirituale,& Eccleſiaſticum,ſed tantùm per privilegium S.Pontificis,ut ſuprà dictum, Laym. hîc n.3.

Notandum 5. Si prima electio ſit ootoriè nulla, & Electores non ſunt privati poteſtate eligendi, quia ignoranter elegerunt indignum; tum poſſunt propriâ auctoritate ad ſecundam electionem procedere, etiam antequam prior electio caſſetur à Superiore: ſecus eſt,ſi prior electio non ſit notoriè nulla,

ſed

ſed injuſta, vel ſalrem appatenter valida, vel ſi Electores ſint privati poteſtate eligendi; tum enim ad aliam electionem tranſire non poſſunt, c. Cùm ln cunctis 7. §. fin. c. Conſideravimus 10. & c. Innotuit. 20. h. t. Abb. hìc n. 5. in fine.

CCXXXVI. Notandum 6. Valet conſuetudo, ut electio Prælati à Clericis peracta intimati debeat Principi, vel Patrono Eccleſiæ etiam laico, eiúſque conſenſus requiri, prout habetur in cit. c. Cùm terra in fine, & in c. Cùm inter. 18. in fine, c. Quòd ſicut. 28. c. Sacroſancta. 51. in fine h. t. idque etiam cõſultum eſt, ne Princeps, vel Patronus poſſit in futurum aliquid opponete contra electum, vel electionem, quaſi ea facta ſit contra formam canooicam, vel perſona indigna ſit electa, Abb. hîc n. 2. qoem conſenſum negare non poteſt Princeps, vel Patronus, niſi oſtendat, canonicum impedimentum ſubeſſe, Hoſtienſ. in ſumma n. 5. h. t. Laym. de Elect. Prælat. q. 22. neque verò per hoc præjudicatur electioni liberæ Clericorum, cùm conſenſus Principis, vel Patroni ita petatur, ut, eo etiam non obtento, electio rite perfecta nihilominus effectum ſortiatur, nec impediri poſſit, cit. c. Cùm terra, in fine h. t. Tholoſan. tract. de Elect. c. 19. n. 15.

Quin imò poteſt etiam conſuetudine introduci, vel in fundatione conſtitui, ut obitus Prælati denunciati debeat Principi, vel Patrono laico, & eius conſeoſus requiri, vel potiùs patrocinium, aut defenſio petenda ſit ad novam electionem faciendam, alioquin caſſari poſſit Electio facta contra coosuetudinem, Innocent. ln c. Quòd ſicut 28. o. 1. h. t. Laym. hic n. 7. & cit. q. 22.

CCXXXVII. Quæritur 2. An Electio Prælati metu gravi extorta ſit valida, an verò ipſo jure irrita? Reſp. Si Electores per metum injuſtum, & cadentem in virum conſtantem cogantur, non ad eligendum certam perſonam, ſed aliquem ex pluribus determinatis perſonis, vel ex certo perſonarum genere; tum ipſa quidem electio mero jure eſt valida, quia ſubſtantia electionis, abſolutè loquendo, conſiſtit, nec Capitularibus adempta eſt omnis libertas eligendi, cùm liberè eligere poſſint unum ex pluribus; licèt ſit reſtricta ad certas perſonas; nec talis electio reperitur Jure Canonico annullata, ſeu caſſata, conſequenter valida cenſeri debet: poterit tamen, & plerumque etiam debebit talis electio per ſententiam Superioris reſcindi, & caſſari, in odium, & deteſtationem injuſti metûs incuſſi, & quia non ſecundùm Caoones, videlicet cum plena libertate eſt facta, Abb. in cit. c. Cùm terra. n. 3. h. t. & ibid. Laym. n. 3. Saoch. l. 4. de matrim. diſ. 12. n. 20. Aliud verò dicendum eſt de matrimonio, vel etiam profeſſione religioſa, quæ ipſo jure ſunt irrita, ſi quis per talem metum gravem, & injuſtum adigatur ad ducendam aliquam ex pluribus determinatis perſonis, v. g. ex certa familia, vel ad profitendum indeterminatè in aliqua quacunque Religione, quia in his plenior libertas requiritur, de quo ſuo loco.

§. XI.

De pœna gravantis eos, qui recuſant eligere certam perſonam, ad petitionem illius.

CCXXXVIII. De hoc agitur in c. Sciant cuncti 12. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in Concilio »
Lugduõenſi cap. 11. ſtatuit, ut quicunque (etiam »
Epiſcopi, quia text. in c. Quia. 3. de ſent. excommun.
in 6. non de ſententia excommuoicationis, ſed ſuſpenſionis, & interdicti loquitur, gl. hîc V. Cuncti,)
Clericos, vel quaslibet alias perſonas Eccleſiaſti- »
cas (licèt Clerici non ſint, ot Moniales, Religioſi »
cooverſi, Religioſi militares, vel Hoſpitalarij, gl. hîc »
V. Eccleſiaſticas) ad quas in Eccleſiis, Monaſteriis, »
aut aliis piis locis electio ſpectat, vel earundem »
conſanguineos, aut ipſas Eccleſias, Monaſteria, vel »
cætera loca, beneficiis, ſive aliis booís ſuis ſpolian- »
do, aut aliter injuſtè proſequeodo, gravare præ- »
ſumpſerint, propterea quòd rogati, vel moniti, vel »
aliàs provocati (per promiſſiones, vel alio modo) »
ut certam perſonam eligant, petitioni ſatisfacere »
noluerint, ipſo facto ſententiam excommunicatio- »
nis incurrunt. »

CCXXXIX. Notandum 1. Ad hanc excommunicatonem latæ ſententiæ incurrendam, requiritur 1. ut injuſtum gravamen ſit illatum. Quare ſi qois auferat alicui rem, ad quam ipſe jus habet, quàvis id faciat ideo, quia non eſt electus is, pro quo ipſe rogavit, alioquin non facturus, non contrahit excõmunicationem, quia injuſtam vim non intolit, Suar. diſ. 23. de cenſut. ſec. 4. n. 3. Item ſi quis Monaſterio eleemoſynam, quam ante dare ſolitus erat, deneget, propterea, quia illud noluit eligere, vel inſtituere eum, pro quo ipſe rogavit, non incurrit cenſuram, cùm non ſit injoſta rei alienæ acceptio, vel injuſtum gravamen, Navarr. in Man. Prælat. c. 27. n. 122. Suar. c. l. Deinde requiritur, ut injuſtum gravamen ſit illatum, quia perſona illa non fuit electa, pro qua eſt rogatum, ut pater ex illis verbis c. *pro eo, quòd rogati &c.* unde, ſi quis inferat injuriam Electori ex alia cauſâ, quàm quia non elegit perſonam, pro qua rogatum, ſed aliam, non incurret dictam cenſuram, Suar. c. l.

Notandum 2. Nomine ſpoliationis hîc intelligitur quæcunque injuſta, aut fraudulenta acceptio quorumlibet bonorum mobilium, vel immobilium, occulta, vel violenta, Francus hîc n. 2. not. ult. Navar. c. l. ſicut etiam hæc pœna ſtatuta eſt, non tantùm in faciẽtes, ſen ſpoliantes, ſed etiam in mandantes ſpoliari, quia etiam in maleficiis tenetur mandator, ac ſi per ſe faceret, gl. hîc V. Alios. Quio imò probabilius eſt, etiam mandatarium, ſeu executorem hanc cenſuram incurrere; quia verè, & realiter vexat, & perſequitur, quamvis juſſu, ſeu ex mandato alterius, arg. c. Univerſitatis 24. de ſentent. excommun: ubi habetur, quòd, ſi quis verberet Clericum ex mandato alterius, tam ipſe, quàm mandans excommunicationem Canonis incurrat, gl. cit. V. alios contra Joan. Monach. hic n. 3. quod tamen Pet. Ancharan. hic §. Quæro, & Franc. n. 5. limitant, ut tum demum man-

datarius,ſeu executor hanc cenſuram contrahat,ſi & nota ſit qualitas facti,quia ſciebat cauſam, ob quam mandans hoc fieri juſſit: ſecus,ſi ignorabat, quia ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut quis ſciat,talem pœnam ſtatutam eſſe tali delicto, & contemnat. Deinde limitat Joan. Andr. hîc n.2. niſi ſit talis perſona, quæ ex neceſſitate quadam paret mandanti, ut filius patri, ſervus domino, tunc enim probabiliter hanc cenſuram effugiet: quod tamen non admittit Ancharanus c. l. quia nunquam parêre quis tenetur etiã domino injuſta præcipienti. Quòd etſi verum ſit,tamen textus hic punire vult eos, qui gravare præſumpſerint, quòd propriè non cadit in eos,qui non ſponte, ſed quaſi neceſſitate, ſeu imperio coacti aliquid faciunt.

CCXL. Notandum 3. Conſtitutio hæc pœnalis locum habet,non tantùm in electione, de quâ ſola expreſsè loquitur, ſed etiam in præſentatione, poſtulatione, confirmatione, & inſtitutione, propter omnimodam identitatem rationis, ita,ut, ſiquis Clericum, vel etiam perſonam Eccleſiaſticam injuſtè vexet, & perſequatur, ideo, quia noluit poſtulare, confirmare, inſtituere, vel præſentare eum, pro quo ipſe rogavit, excommunicationem incurrat, quia hæc conſtitutio non eſt ſimpliciter odioſa, ſed potiùs, & magìs principaliter favorabilis, cùm lata ſit in defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis: at conſtitutio etiam pœnalis, ſi principaliter contineat favorem Eccleſiarum,vel Eccleſiaſticarum perſonarum, vel fidei, aut ſalutis animarum, vel alterius cauſæ piæ, non eſt reſtringenda, ſed potiùs extendenda ad caſum non expreſſum, ob identitatem rationis, ac proinde,quod hîc dicitur de electione,tantùm exempli causâ dictum videtur,& ſpecies uſurpata eſt pro genere; ita, ut nomen electionis latè ſit acceptum,prout continet etiam alias ſpecies proviſionis,ut tradit gl. fin. hîc Joan.Monach.n. 4.Franc.n.6.Navarr.c.l.Suar.cit.ſect.4.num.4. & alij DD.communiter. Non tamen habet hæc pœna excommunicationis locum, ſi præſentatio ſpectet ad patronum laicum, quia hæc conſtitutio loquitur ſolùm,quando Electores ſunt Clerici, vel perſonæ Eccleſiaſticæ; unde etiam electiones à laicis factæ non hîc comprehenduntur: at verò ſi præſentatio ſpectet ad perſonam Eccleſiaſticam, titulo Eccleſiaſtico, incurritur hæc pœna,gl.fin. hîc Navarr.c.l. & Suar.

Notandum 4. Hæc conſtitutio extenditur etiam ad conſanguineos perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi injuſtè ſpolientur,vel vexentur, quia Clericus, cuius ſunt conſanguinei, non eligit perſonam, pro qua rogatum fuit: quod intelligi debet de conſanguineis uſque ad quartum gradum incluſivè; non autem de affinibus,qui nomine conſanguineorum in jure non comprehenduntur; nec de aliis perſonis familiariter conjunctis perſonæ Eccleſiaſticæ, Suar. c.l.n 5. ubi tamen addit, quòd ex vi illius clauſulæ generalis, *ſeu aliàs injuſtè perſequendo*, fieri poſſet, ut injuria vel ſpoliatio aliis etiam perſonis conjunctis illata cedat in injuriam perſonæ Eccleſiaſticæ, & propter illam intendatur, eò quòd eligere noluit perſonam, pro qua rogatum fuit; & conſequenter etiam cenſura excommunicationis incurratur; id quod ex circumſtantiis, & arbitrio prudentis determinandum erit. Eſt autem hîc caſus ſpecialis, in quo etiam laicos offendens excommunicatus eſt ipſo jure, gl. hîc V. Conſanguineos. Porrò ab hac ſententia excommunicationis poteſt abſolvere etiam Epiſcopus diœceſanus, cùm conditor huius Canonis eius abſolutionem ſibi non reſervârit, arg. c.Nuper 29. de ſent.excommun. gl.hîc V. Sententia.

SECTIO V.

DE CIRCUMSTANTIIS, ET accidentibus comitantibus, vel conſequentibus Electionem.

§ I.

De loco, & tempore Electionis, & pœna non eligentium, intra tempus Jure ſtatutum.

CCXLI. Quæritur 1. Quo in loco inſtituenda ſit Electio Prælati? Reſp. 1. Electio fieri debet à Congregatione,ſeu Capitulo,ſive ab Electoribus in uno loco ſimul congregatis, ut conſtat ex c. Cùm terra.14. h.t. ubi decernit Pontifex, ut Electores in unum locum, in quo fuerit electio celebranda,conveniant. Ratio deſumitur ex generali illa regula tradita in c. Auditis. 29. & ibi Abb. n.8. h.t. l.2. C.De decurionibus.lib.10.gl.in l.Sicut 7.V.Non debetur. ff. Quod cuiuſque univerſ. nom. quòd actus Univerſitatis,qui gerendus eſt ab aliquibus, non ut ſingulares perſonæ ſunt, ſed ut communitatem, ſeu Collegium conſtituunt, non poſſit expediri ab ijs ſingulariter, ſive ſeorſim conſenſum præſtantibus, ſed neceſſarium ſit, ut collegialiter congregati conſentiant,alioquin actus invalidus erit; Tholoſ. tract. de Elect.c.15.n.1.

CCXLII. Reſp.2. Electio Epiſcopi,iuxta Conſtitutiones Canonicas, ſi fieri poteſt,in Eccleſia Cathedrali,ſive intra ambitum illius peragi debet, c. Quod ſicut 28. c.Quâ fronte 25.de appellat.c.1. diſ.23. vel in choro Eccleſiæ, c. Cùm nobis 19. h.t. vel in Capitulo, c. Cùm inter 21. eod. vel in alio loco, ſeu conclavi honeſto, ſecundùm conſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ,Tholoſan. c.l.n.2. vel etiam extra ambitum Eccleſiæ Cathedralis,vel alterius,de cuius Prælati electione agitur,in alio loco tuto electio fieri poterit, ſi Capitulares in loco Eccleſiæ ſuæ convenire nequeant, v.g. ob peſtem, vel probabilem metum violentiæ inferendæ, ut ſumitur ex c. Bonæ 23.& ibi gl.V. metuebant h.t. alioquin ſi Electio Prælati, abſque juſta cauſa, extra fines propriæ Eccleſiæ fiat, non quidem ipſo jure irrita eſt,ut ſentit gl. in cit. c. 1. V. Fieri in urbe. diſ.23. cùm hæc nullitas in jure nullibi expreſſa reperiatur, ſed per ſententiam irritari poterit, quippe facta contra præſcriptum SS.Canonum, arg.c. Quamquam 18. ibi *vel per ſententiam* h. t. in 6. Laym.in cit. c.Cùm inter 21.n.1.h.t.

Porrò ſi urgens neceſſitas exigat,ut electio fiat in loco alieno,extrà propriam Eccleſiam, tum ſufficit, quòd major pars Capitularium conveniat, & conſtituat locum, in quo Electio peragenda ſit, ad quem

quem alij accedere debent, alioquin ſinè illis ad electionem procedi poterit. Imò etiam ſufficit, ut minor pars Capitularium conveniat in loco ab ipſis deſignato, ſi periculum ſit in mora, & alij vocati venire nolint, vel non poſſint, gl. in cit. c. Bonæ. V. Metuebant h. t. Si verò major ſolùm commoditas ſuadeat fieri electionem in loco, extra propriam Eccleſiam; tunc duæ partes Capitularium convenire debent, ad hoc ſtatuendum; & quem locum major pars Capituli præſentis ad eligendum deſignaverit, ad eundem alij ſe conferre tenentur; niſi unus vel plures contempti fuerint, ſeu non vocati, qui contemptum ſuum proſequendo, acta reſcindi petant, Abb. in cit. c. Bonæ n. 10. h. t. Laym. de Elect. Prælat. q. 33.

CCXLIII. Quæritur 2. Quando, ſive intra quod tempus electio novi Prælati fieri debeat? Reſp. 1. in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 23. quod refertur in c. Ne pro defectu 41. h. t. ſtatutum eſt, ne ob defectum Paſtorum, Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus grave damnum patiantur, ut non ultra tres menſes Eccleſiæ Cathedrales, & Regulares (etiam non Cathedrales) vacent, ſeu Paſtore careant. In aliis verò Prælaturis, dignitatibus, & beneficiis electio, vel collatio ultra ſex menſes differri non debet, c. 2. de conceſſ. præbend. Ratio diſcriminis eſt, quia in diuturna vacatione Eccleſiarum Cathedralium, & Regularium, major eſt neceſſitas Paſtoris, quàm in aliis Eccleſiis, dignitatibus, vel beneficiis vacantibus: nam alij Beneficiati, etiam Eccleſiarum Collegiatarum Prælati, Jure communi, & Ordinario, & ſecluſis ſpecialibus privilegiis, non habent juriſdictionem in Clericos, ſed ea ad Epiſcopum ſpectat. At verò Regulares Prælati, etiam non exempti à juriſdictione Ordinarij, habent juriſdictionem ordinariam, ac generalem Eccleſiaſticam, etiam fori externi, in ſuos Religioſos, ſaltem in ijs, quæ ad vota Religioſa, regularem diſciplinam, & ſtatuta Ordinis pertinent, ut ipſis ratione præſtiti voti obedientiæ, præcipere, eóſque etiam punire poſſint, ut conſtat ex c. Ad aures 5. de temporib. Ordinat. Multò verò majorem poteſtatem juriſdictionis habent Epiſcopi in ſuos Clericos, alióſque fideles. Quare plus ſubeſt periculi, ſi Eccleſiæ Cathedrales, & Regulares diu viduatæ, ſeu deſtitutæ ſint Paſtore, quàm ſi aliæ Eccleſiæ, vel beneficia vacent; ideóque tempus ſemeſtre, intra quod electio fieri debet, in Prælaturis inferioribus Epiſcopatu, & ſecularibus, contractum, & reſtrictum eſt ad tempus trimeſtre in Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus, prout etiam jam antè in antiquis Canonibus idem ſtatutum fuerat, ut conſtat ex c. Obeuntibus 35. diſ. 63. Abb. in cit. c. Ne pro defectu n. 2. & 4. h. t. Tholoſan. tract. de Elect. c. 13. n. 6. & 7.

CCXLIV. Porrò, quamvis in Conſtitutione Concilij Lateranenſis in cit. c. Ne pro defectu ſolùm mentio fiat de Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus, tamen valde probabile eſt, ob adæquatam rationis identitatem, in illa comprehendi etiam illos ſecularium Eccleſiarum Collegiatarum Prælatos, qui & ipſi generalem, ac ordinariam juriſdictionem in Clericos ſuæ Eccleſiæ ex jure ſpeciali ipſis competentem exercent, cùm & ipſi ſint principales Rectores, & veluti ſponſi & Capita ſuarum Eccleſiarum, c. Sicut 4. cauſ. 21. q. 2. ac proinde etiam illorum electio, vel creatio ultra tres menſes non eſt differenda, præſertim ſi etiam exempti ſint ab Epiſcopo, ſeu Ordinario, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem exerceant, ne ob diuturnam Paſtoris, à quo regantur, carentiam, Eccleſiæ illæ grave detrimentum incurrant, ſive ſpiritualis ſalutis animarum, ſive in temporalibus facultatibus: cùm ergo ratio principalis hujus Conſtitutionis etiam in hujuſmodi Prælatis locum habeat, conſequenter ejuſdem quoque diſpoſitio locum habere debet, gl. in c. Quia propter 42. V. Eccleſiis viduatis h. t. Abb. in cit. c. Ne pro defectu num. 5. Imola ibid. n. 3. & Laym. n. 2. Nec obſtat, quòd, cùm allegata Conſtitutio ſit correctoria anteriorum Canonum, ſecundùm quos proviſio Eccleſiarum non Cathedralium intra ſex menſes fieri debet, cit. cap. 2. De conceſs. præb. & ſit odioſa, ac pœnalis, quippe reſtringens proviſionem Eccleſiarum ad tres menſes, etiam propter identitatem rationis, ultra caſus, aut perſonas expreſſas non debet extendi, niſi neceſſitas cogat. Nam hæc conſtitutio potiùs favorabilis cenſeri debet, cùm principalis illius intentio ſit, occurrere periculis animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus providere, ut habetur in textu, ideóque nihil obſtat, quò minùs ultra verborum tenorem, ſpectatâ mente, ſeu intentione legiſlatoris, extendi poſſit, præſertim cùm ſit conformis antiquioribus Canonibus.

CCXLV. Reſp. 2. Tempus hoc trium menſium à jure ad eligendum Prælatos, ſive ſeculares Eccleſiarum Cathedralium, ſive Regulares, conceſſum incipit currere, ſeu computari debet à die vacationis Prælaturæ cognitæ, ſive à die habitæ notitiæ de vacatione; non autem currit antè, dum ea ignoratur: nam tempus à lege ſtatutum ad puniendam culpabilem moram, ſeu negligentiam, non currit juſtè impedito, c. Quia diverſitatem 5. de conceſs. præb. & c. Licèt 3. de ſupplend. neglig. Præl. non enim dici poteſt eſſe in mora, vel negligens, qui ignorat, Prælaturam vacare, ideóque neceſſario impedimento detentus eſt, quò minùs ad electionem procedat; nam qui neſcit, agendi poteſtatem non habet, l. Annus 6. ff. De Calumniator. l. Cùm ſex menſes 55. ff. De ædilit. edict. Quare tempus ad electionem celebrandam deputatum, non continuum, ſed utile eſt, quia non currit juſto impedimento detento, neque ignorantibus, ſecundùm gl. margin. in c. Bene novit. 18. diſ. 61. & gl. in cit. cap. Quia diverſitatem. V. ſuſpenſionis, ubi ait, quòd tempus, in quo quis eligere non poteſt, non currit.

Imò etiamſi Capitulares ob propriam culpam, in impedimentum, v. g. cenſuram ſuſpenſionis inciderint, ideóque eligere non potuerint, non debet illis hoc tempus, quo durat impedimentum, numerari, cit. c. Quia diverſitatem: dummodo non fuerint in mora, ſeu negligentes in petendo abſolutionem; alioquin tempus illud curreret, & computaretur ipſis à tempore moræ, ſeu negligentiæ commiſſæ in tollendo impedimento, quod ſuâ culpâ contraxerunt, gl. in cit. c. Quia diverſitatem, V. Suſpenſionis.

CCXLVI. Porrò ſi electio effectum non eſt ſortita, quia Electus conſentire noluit, vel poſtquam conſenſit, renunciavit juri ſuo (antè obtentam confirmationem) vel mortuus eſt, vel fortè propter occultum ejus vitium (quod poſtea mani-

» feſtatum eſt, v. g. quòd ſit illegitimus) irrita eſt e-
» lectio: his caſibus, Electoribus (qui jam fecerunt,
» quod ad illos ſpectabat, infra juris terminum eli-
» gendo) datur tempus integrum (ſcilicet trium mẽ-
» ſium in Eccleſiis Cathedralibus,& Regularibus,
» ſex menſium verò in aliis inferioribus Eccleſiis
» Collegiatis) ad aliam novam electionem celebrãn-
» dam, perinde, ac ſi Eccleſia de novo vacaret; quod
» tempus computatur ab Electi diſſenſu, renuncia-
» tione (ſcilicet poſt conſenſum) morte, vel electio-
» nis irritatione facta: dummodo nihil in fraudem
» factum ſit à Capitularibus, ita habetur in c. Si electio 26. h. t. in 6. ubi gl. V. fraudulenter exemplum huius fraudis adfert: veluti ſi Electores paulò, antequam elapſum ſit tempus trimeſtre, vel ſemeſtre ad eligendum præfixum, de induſtria aliquem eligant, quem ſciunt, non accepturum eſſe Prælaturam, eo fine, ut vacatio Eccleſiæ diutius per aliud tempus trimeſtre, vel ſemeſtre prorogetur: quo caſu, privabuntur jure eligendi, vel conferendi, poſt elapſum tempus jure definitum à die vacationis cognitæ, cõputandum, & illud ad Superiorem devolvetur, quia fraus propria non debet alicui patrocinari, c. Ex tenore 16. de reſcript. Sed hic quædam addenda ſunt: 1. Quòd in prædictis caſibus tempus integrum ad eligendum lege definitum iterum concedatur ijs, ad quos poteſtas eligendi jure proprio pertinet; ſecus, ſi ſolùm jure devolutionis. Unde ſi Superior, ad quem poteſtas eligendi propter negligentiã Capitularium devolvitur, eligat, ſed electus diſſentiat, vel renunciet, vel moriatur, jus eligendi ad Canonicos, ſeu Capitulares redibit, ut notat gl. in cit. c. Si electio V. Integrum. Ratio eſt, nam cùm illi, qui ob delictum privati ſunt jure eligendi, quia ſcienter indignum elegerunt, poſtquam à proxima electione ſemel ſunt excluſi, ſtatim ad alteram ſubſequentem admitti debeant, etiamſi illa, à qua ſunt excluſi, effectum non ſit conſecuta, ut dictum ſuprà n. 41. h. t. Multò magis ij, qui per negligentiam intra tempus legitimum non elegerunt, ideòque jus eligendi ad Archiepiſcopum eſt devolutum, poſtquam is aliam Electionem fecit, quæ tamen effectum non eſt conſecuta, admittendi ſunt iterum ad aliam electionem ſequentem, quia pro una vice tantùm ſunt privati; alioquin magis punietur culpa, quàm dolus, cùm tamen illa minus puniri debeat. 2. Non ſolùm ſi poſt primam electionem à Capitularibus, intra tempus lege definitum, factam, electus diſſentiat, vel renunciet, vel moriatur, vel ob illius vitium occultum, electio caſſetur, ipſis conceditur aliud integrum tempus trimeſtre ad aliam electionem faciendam, ſed etiam idem ijs conceditur, ſi id contingat in tertia, quarta, vel ulterioribus electionibus, quia omnium eſt par ratio, modò nulla fraus eligentium interveniat, gl. in cit. c. Electio, V. Aliam.

CCXLVII. Reſp. 3. In caſu neceſſitatis, ſi acceleranda ſit electio Prælati, propter periculum moræ, poteſt Superior, v. g. Legatus Sedis Apoſtolicæ in Eccleſiis Cathedralibus, vel Epiſcopus in Eccleſiis inferioribus vacantibus ipſi ſubjectis, reſtringere tempus à jure præfinitum ad eligendum, & Electores cogere, ut ante tres, vel ſex menſes Prælatum eligant, quia hic terminus temporis non eſt à jure definitus, ut illum prævenire non liceat, & ante eundem elapſũ eligere, ſed ut electio non ultra illum, ceſſante juſto impedimento, differatur, Laym. de Elect. Prælat. q. 32. & 96. Extra caſum neceſſitatis verò, & ordinariè loquendo, ſolus Papa ex plenitudine poteſtatis, & nullus alius, ne quidem Legatus à latere, poteſt contrahere tempus à Jure communi ad eligendum definitum, Abb. in c. Cùm veteri 52. n. t. h. t. Laym. c. l. quia inferior non poteſt tollere privilegium à Superiore conceſſum, ſecundùm doctrinam gl. communiter receptam in c. Pro illorum 22. V. auctoritate proprium de præbend. & indultum jure privilegium non eſt alicui auferendum, reg. jur. 17. in 6. Quomodo autem dies menſium, qui ad eligendum à jure præfiniti ſunt, computandi ſint, controverſum eſt apud DD. aliqui enim pro menſe quatuor hebdomadas, alij verò xxx. dies numerandos eſſe volunt, ut notat gl. in c. Quàm ſit 6. junctâ gl. margin. h. t. in 6. Alij à die præcedentis menſis uſque ad eundem diem menſis ſequentis, v. g. à die decimo Martij uſque ad diem decimum Aprilis, menſem computandum eſſe exiſtimant: ideòque ad vitandas controverſias, tutius eſt, ſi ante finem temporis à jure ſtatuti, electio celebretur, Tholoſan. cit. c. 13. n. 11.

CCXLVIII. Quæritur 3. Quæ ſit pœna Capitularium per negligentiam, ſeu moram culpabilem non eligentium Prælatum, intra tempus jure ſtatutum, & ad quem poteſtas eligendi tunc devolvatur? Reſp. Si electio Prælati, intra trimeſtre temporis ſpatium, in Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus (juſto impedimento ceſſante) celebrata non fuerit, tum ij, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate, eâ vice, ſunt privati, eáque poteſtas ad proximum Superiorem devolvitur. Is verò, ad quem fuerit dicta poteſtas devoluta, debet, Deum præ oculis habens, intra alios tres menſes (à die devolutionis numerandos) cum conſilio Capituli ſui, & aliorum virorum prudentium, Eccleſiæ viduatæ, de perſona idonea canonicè providere, & quidem ex eadem Eccleſia (ſcilicet vacante) vel ex alia, ſi digna perſona in illa non reperiatur, alioquin ultionem pœnæ canonicæ non evadet, ita habetur in cit. c. Ne pro defectu 41. h. t.

CCXLIX. Notandum 1. Capitulares negligentes eligere Prælatum, intra tempus trimeſtre, in Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus, ſunt ipſo jure ſeu facto privati poteſtate eligendi, eâ vice, id eſt, in prima electione, nec requiritur alia ſententia, gl. hîc V. Eâ vice, & Abb. n. 3. ex quo infert, quòd ſi, poſt elapſum trimeſtre, Capitulares eligant, & Superior, ad quem devoluta eſt poteſtas eligendi, non caſſatâ priore electione, alium eligat, non valet electio facta per Capitulum, ob defectum poteſtatis ad Superiorem ipſo jure translatæ; quamvis valida foret, ſi non eſſent Capitulares privati ipſo jure, ſeu facto, ſed privandi per ſententiam Judicis, ſeu Superioris, ante latam ſententiam privationis.

Notandum 2. Licet olim ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. devolutio poteſtatis eligendi, propter negligentiam Capitularium non eligentium intra tempus jure definitum, in Eccleſiis Cathedralibus, fieret immediatè ad Papam, ut conſtat ex c. Cùm dilectus 12. de conceſs. præbend. id tamen in poſteriore Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. eſt correctum, videlicet ut hoc caſu poteſtas eli-

gendi,

gendi, etiam in Eccleſijs Cathedralibus, pro ea vice, immediatè devolvatur ad proximum Superiorem, juxta cit. c. Ne pro defectu, & ibi gl. V. Devolvatur, & notat etiam gl. in cit. c. Dilectus V. extendi, adeóque ſi Eccleſia Cathedralis non ſit exempta, ad Archiepiſcopum; quamvìs in altero caſu, nempe ſi Canonici, ſeu Capitulares Eccleſiæ Cathedralis ſcienter indignum eligant, jus eligendi immediatè, antiquo, & novo jure, devolvatur ad Papam, juxta c. Quamquam 18. & ibi gl. V. Devolvetur h.t. in 6. & dictum ſuprà n. 48. h.t. In Eccleſijs verò inferioribus, etiam regularibus, ob negligentiam Capituli non eligentis Prælatum infra tempus jure præſcriptum, ſemper devolutio fit gradatim ad proximum Superiorem, videlicet ad Epiſcopum, ſi Eccleſia non ſit exempta, qui ſi providere etiam negligat, ad Archiepiſcopum, ac denique, ſi etiam ipſe negligat, ad Papam, juxta cit. c. Quamquam, & ibi gl. fin. & Clement. unic. de ſuppl. neglig. Prælat. Quòd ſi Capitulum inferioris Eccleſiæ exemptæ negligentiam committat, ideóque privetur jure eligendi, hoc immediatè devolvitur ad Papam, ut colligitur ex c. Cùm ſingula 32. §. Probibemus de præhend. in 6. Laym. l. 4. Theol. mor. tr. 2. c. 11. n. 5.

CCL. Notandum 3. Quod dictum eſt, devolutionem poteſtatis eligendi, propter negligentiam Capitularium Eccleſiæ Cathedralis, fieri ad Archiepiſcopum, aliúmve Superiorem proximum, juxta cit. c. Ne pro defectu, id ſolùm procedit, ſi Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus, vel alius Superior habeat poteſtatem confirmandi electum, ut tradit gl. communiter recepta in Clement. unic. V. Diſpoſitionem, juncti gl. margin. de ſupplend. neglig. Prælat. Abb. in c. 1. n. 10. h. t. ubi ait, quòd propter negligentiam Collegij, vel mortem omnium de Collegio, jus providendi devolvitur ad eum, qui habet poteſtatem confirmandi electum, ſive is ſit Epiſcopus, ſive alius Prælatus. conſentit Rebuff. in Praxi benefic. tit. de devolut. n. 18. Et quidem Jure communi antiquo, poteſtas confirmandi Epiſcopos non exemptos pertinebat frequenter ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, ut colligitur ex c. 2. diſ. 23. c. Cùm dilectus 32. h. t. c. Si Archiepiſcopus 6. de tempor. ordin. c. un. de ſcrutin. in ord. faciend. & tradit Abb. in c. Nihil 44. h. t. n. 3, ideóque eo tempore, ob negligentiam Capitularium non eligentium Epiſcopum, intra tempus debitum, etiam poteſtas eligendi, ſeu providendi ad eundem devolvebatur. Verùm, quia poſterioribus temporibus, Capitulis Cathedralibus jus eligendi in pleriſque Regnis ablatum eſt, reſervante ſibi S. Pontifice poteſtatem ordinandi, ſeu inſtituendi Epiſcopos, ut conſtat ex Extravag. Ad Regimen 13. de præbend. inter communes: ſpecialiter verò in Germania noſtra jus confirmandi Epiſcopos electos à Canonicis Cathedralibus, ſibi reſervavit Papa Nicolaus V. in Concordatis Germaniæ, ideo hodierno jure prædicta devolutio, ob negligentiam eligendi Epiſcopum, non fit ad Metropolitanum, ſed ad Papam, ut notavit etiam Laym. in cit. c. Ne pro defectu n. 6. ubi tamen addit, quòd in quibuſdam Epiſcopatibus Germaniæ, qui Archiepiſcopo Salisburgenſi, tanquam Metropolitano immediatè ſunt ſubjecti, à quo etiam confirmationem accipere debent, adhuc devolutio poteſtatis eligendi, in caſu negligentiæ Canonicorum Cathedralium in eligendo, immediatè fiat ad Metropolitanum, non ad Papam, juxta cit. c. Ne pro defectu h. t.

Notandum 4. Etſi in cit. c. Ne pro defectu, dicatur, ut Superior v. g. Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, ad quem devoluta eſt poteſtas providendi, ob negligentiam inferiorum eligentium, de perſona idonea Eccleſiæ vacanti, id faciat cum conſilio Capituli ſui; non tamen ex neceſſitate ad id tenetur, ſed ſolùm ex honeſtate, ſeu æquitate. ut docet gl. hîc V. Conſilio in fine, & Abb. ibidem n. 6. quia in his, quæ ſpectant ad Prælatum, jure, ſive poteſtate ad ſe devolutâ, is non ita pendet à Capitulo, ſicut in ijs, quæ ipſi competunt jure, ſeu poteſtate propriâ, æquum tamen eſt, ut Epiſcopus in his expediendis adhibeat conſilium virorum prudentûm, adeóque præ alijs Capitularium ſuorum, ſi tales in Capitulo reperiantur, quod ordinariè præſumitur.

Ex quo jam patet, cur, quando poteſtas eligendi, vel providendi, propter negligentiam Capitularium inferiorum, devoluta eſt ad Superiorem, v. g. Epiſcopum, & ipſe quoque negligat eligere, vel providere, jus illud devolvatur, non ad Capitulum, ſed ad alium proximum Superiorem, v. g. Metropolitanum: ratio enim eſt, quia in ejuſmodi juribus devolutis Capitulum non habet tantam communionem cum Epiſcopo, quantam in juribus proprijs, in quibus ab Epiſcopo ad Capitulum fit devolutio, & vice verſâ, c. 2. de conceſſ. præbend. nam in ijs, quæ ad Epiſcopum ſpectant jure devolutionis, utitur is eâ poteſtate, tanquam Superior illius, à quo facta eſt devolutio, ideóque Capitulum in ijs non habet communionem cum Epiſcopo; in illis verò, quæ jure proprio, quatenus Epiſcopus eſt, ad illum ſpectant, eo negligentiam committente, fit devolutio ad Capitulum, quia in his Epiſcopus, & Capitulum communionem habent, cùm efficiant veluti unum corpus, Abb. c. l. num. 6. & in c. Cùm in cunctis 7. §. Clerici num. 5. h. t. Azor p. 2. l. 6. c. 27. q. 2.

CCLI. Notandum 5. Superior, ad quem poteſtas eligendi Prælatum Eccleſiæ inferioris, ſecularis, vel Regularis, ob negligentiam Capituli, devolvitur, debet aliquem eligere ex gremio, ſive corpore ejuſdem Eccleſiæ, ſi idoneus adſit, alioquin ex alia Eccleſia idoneum aſſumere non prohibetur: & quidem intra tempus, quantum ordinarijs Electoribus præfinitum eſt, Superior providere tenetur, (videlicet trimeſtre in Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus; ſemeſtre autem in alijs Eccleſijs) ut conſtat ex cit. c. Ne pro defectu in fine.

Nam licèt ipſi Capitulares, ſive Electores ordinarij ex aliena Eccleſia, ſi velint, Prælatum eligere poſſint, c. Cùm inter 21. h. t. quia ipſi juri, & favori ſuo renunciare poſſunt: attamen ipſis invitis non poteſt aliquis alterius Eccleſiæ obtrudi, ſi idoneus adſit in propria, c. Nullus 13. diſ. 61. Itaque etiam Superior, ad quem aliàs eodem jure, ac poteſtate fit devolutio, quam habuerunt ij, à quibus ea fit, poteſt ex alia Eccleſia idoneum eligere, vel inſtituere, ſi ipſi Ordinarij Electores ſponte conſentiant; alioquin verò aliquem ex gremio eorum aſſumere debet, neque enim jus illud, quo Capitulares renunciare poſſunt, ſi velint, favori pro ſe introducto,

nem-

nempe ut aliquis ex gremio Eccleſiæ eligi debeat, tranſit ad Superiorem, cùm ſit jus perſonale competens ſolis Capitularibus, ideóque Superior huic favori, & juri illorum renunciare non poteſt; ſed, ſi ex alia Eccleſia aliquem eligat, vel inſtituat, canonicè puniendus erit, etiam pœnâ arbitrariâ, quia injuria ſit Ordinarijs Electoribus, ſi inter eos reperiatur dignus Prælaturâ, & alius præficiatur; nec tenentur Canonici electum ex aliena Eccleſia in Prælatum recipere, Abb. in cit. c. Ne pro defectu n. 7. Sed contra obſtare videtur, quia Capitulares deliquerunt, non eligendo Prælatum, ſinè juſto impedimento, intra tempus jure ſtatutum, ergo non poteſt à Superiore, ſeu Metropolitano aliquis ex illis eligi in Prælatum ejuſdem Eccleſiæ. Reſpondet Hoſtienſ. in cit. c. Ne pro defectu V. non reperiatur, propriè eos non deliquiſſe, etſi ſinè cauſa ceſsârint eligere, ſed tantùm negligentes, & ſui juris contemptores fuiſſe, adeóque adhuc ſunt eligibiles. Deinde etſi aliquatenus deliquerint, non eligendo; tamen non propterea perdiderunt jus electionis paſſivæ, ut eligi non poſſint, ſed ſolùm jus eligendi activè, ut pro ea vice eligere non poſſint, gl. fin. in cit. c. & Abb. ibid. in fine.

CCLII. Quæritur 4. An Electoribus impeditis, quò minùs eligant, currat tempus jure ſtatutum ad eligendum, ſi ipſi impedimentum tollere poſſint? Reſpondetur, affirmativè, prout ſumitur ex c. ult. h. t. ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit:
„ His, quibus interdictum eſt, ut abſque Superioris
„ licentia, eligere non præſumant, tempus ſtatutum
„ à Canone (ſcilicet in Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus trium menſium, c. Ne pro defectu 41. h. t. in minoribus dignitatibus, aut beneficijs ſex menſium, c. Nulla 2. de conceſſ. præbend. gl. hîc V.
„ Statutum à Canone) currit, ſi illi in mora fuerint
„ licentiam hujuſmodi petendi.

Notandum 1. Si Eccleſiâ vacante, Superior, v. g. S. Pontifex, vel ejus Legatus, aut Epiſcopus prohibuerit Canonicis, vel Conventualibus, ne ſinè ſuâ licentia ad electionem Prælati procedant, & ipſi interea eligere intermittant, nec ſuâ culpâ licentiam petant, eis currit tempus à jure definitum ad eligendum, ut habetur in hoc c. Ratio eſt, quia, quamvis tempus à jure præfixum non currat legitimè impedito, c. Quia diverſitatem 5. junctâ gl. V. Suſpenſionis de conceſſ. præb. l. 1. §. ult. C. de annali except. l. in rebus 30. C. de jure dotium. tamen in propoſito Capitulares non erant ſimpliciter impediti ab eligendo; neque enim Papa ijs inhibuit, ne eligerent Prælatum, ſed ſolùm, ne eligerent, ſinè conſenſu, aut licentia Superioris ſui, cujus impedimenti remotio pendebat à libera poteſtate eorum; poterant enim licentiam petendo, impetrare facultatem eligendi, ut ſupponimus, adeóque non cenſeri debuerunt impediti, cùm impedimentum tollere poſſent: ſed locum hîc habet regula illa juris 134. aliàs 174. ff. Qui poteſt facere, ut poſſit conditioni parêre, jam poſſe videtur. Abb. hîc num. 2. Ex quo per ſenſum contrarium infertur, ſi Capitulares licentiam à Superiore petere, vel petitam impetrare non poſſint, tempus legitimum interea eis non currere, ſiquidem expreſsè eis prohibitum ſit, ne ad electionem procedant, abſque licentia à Superiore obtenta, Abb. hîc num. 1.

Notandum 2. Impedimenta quædam ſunt ordinaria, quæ prævideri poſſunt ab eo, qui certum tempus præfigit, v. g. quòd Capitulares debeant ad electionem vocare abſentes, & interea eligere non poſſint; & hoc tempus ipſis currit, nam idcirco longius tempus ad eligendum ſtatuitur, quia plerumque talis mora interponi debet: quædam verò ſunt impedimenta extraordinaria, quæ per accidens occurrunt, & non ſunt præcognita; & hæc ſola impediunt curſum temporis, ut ex Anton. Butrio notat Laym. hîc in fine.

CCLIII. Quæritur 5. An electio Prælati neceſſariò fieri debeat de die? Reſpondetur, non ſolùm conveniens eſt, ſed etiam omnino neceſſarium, ut electio Prælati, non de nocte, ſed de die inſtituatur, ſaltem ubi ſervanda eſt ſolemnis forma ſcrutinij, ut ex communi docet gl. in c. unic. V. Occulta. Ut Eccleſ. benefic. ſinè dimin. &c. & ibid. Abb. n. 8. Navarr. l. 1. conſil. 8. n. 2. h. t. non tamen electio nocte celebrata ideo irrita foret, ut putat gl. in cit. c. cùm id nullo jure ſit expreſſum, quamvis reſcindi per ſententiam judicis, & irritari poſſit, tanquam non canonicè facta, Laym. in c. In cauſis 30. n. 6. h. t. Ratio eſt, quia actus publici, qui de nocte fiunt, ſuſpecti ſunt, cùm multis fraudibus ſint obnoxij. Excipi tamen debet, niſi ob urgentem neceſſitatem, electionem de nocte inſtitui oporteret, nam neceſſitas legem non habet, c. 2. de obſervat. jejun. quo tamen caſu evidentis neceſſitatis, luminaria adhibenda erunt ad tollendam omnem ſuſpicionem fraudis, & ne electio clam facta dici poſſit, Rodriq. tom. 2. q. q. Regul. q. 52. a. 15. Porrò ſi Electio de die inchoata, ante noctem abſolvi non poſſit, poterit perfici die proximè ſequente, ut colligitur ex cit. c. In cauſis, ubi, cùm Capitulares aliorum abſentium adventum toto die exſpectâſſent, electionem in diem ſequentem diſtulerunt, dummodo non ſit grave periculum in mora, tum enim de nocte celebrari, vel abſolvi poſſet, Joan. Andr. in c. Quòd ſicut 28. num. 6. h. t.

§ II.

De Electione intimanda Electo, eiúſque conſenſu requirendo, & exhibendo.

CCLIV. De hac re ita ſtatutum habetur in Concilio Generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. cap. 5. quod refertur in c. Quàm ſit 6. h. t. in 6. Quia „
diuturna vacatio Prælaturæ Eccleſijs perननicioſa eſt, „
ideo ſtatuit Concilium, ut, ſi electio celebrata fuerit in aliqua Eccleſia, Electores quamprimum commodè poterunt (juxta arbitrium boni viri, cùm certum tempus lege, vel Canone non ſit determinatum, gl. hîc V. Quàm citiùs) Electo ipſam electionem præſentent, ejúſque conſenſum petant: Electus verò, infra menſem computandum à tempore præſentationis, conſenſum præſtare, poſito, quòd conſentire velit, teneatur: quòd, ſi ultrà diſtu-

» diſtulerit (pet negligentiam ſcilicet, nam ſi ob ju-
» ſtam cauſam conſenſum non expreſſit, non currit
» ei hoc tempus menſtruum, quia impeditus non
» differt, gl. hîc V. Diſtuletit) jure, ſi quod ex ele-
» ctione acquiſiverat, ex tunc, id eſt, à fine menſis,
» ipſo facto ſit privatus (ſinè alia privarionis ſenten-
» tia, licèt, ſi de eo dubium eſſer, poſſet per ſenten-
» tiam declarari, illum eſſe privatnm, gl. hîc V. Eo i-
» pſo (niſi talis perſona electa ſit, ut electioni de ſe
» factæ, abſque Superioris ſui licentia, conſentire
» non poſſit, quo caſu Electus, vel Electores, qua
» fieri poteſt celeritate, licentiam à Superiore ejus
» petere, & obtinere debent; alioquin, ſi intra tem-
» pus, qnod conſideratis præſentiâ, vel abſentiâ Su-
» perioris, aliiſque circumſtantijs, ſufficiens videbi-
» tur ad impetrandam Superioris licentiam, ea non
» obtineatur (quia Superior non vult illam dare) E-
» lectores ad aliam electionem procedendi liberam
» habeant facultatem.

CCLV. Porrò prædicta Conſtitutio confir-
matur, & declaratur magìs in c.Cupientes 16.§.Cæ-
» terum, eodem in 6. ubi Nicolaus III. ſtatuit, ſi E-
» lectores electionem concorditer, vel in diſcotdia
» celebratam, ultra octo dies ex eo tempore nume-
» randos, quo commodè potuerunt, Electo intimare
» culpabiliter diſtulerint, à proſecutione electionis,
» quoad ſuas perſonas penitus ipſo jure ſint excluſi
» (ita nt nec electionem alterius partis poſſint impu-
» gnare, gl.ibid.V.Totaliter) & ab omnibus benefi-
» ciis ſuis, quæ in illa Eccleſia, de cuius electione a-
» gitur, obtinent (non autem ab officiis, & ſic inre-
rim officia divina celebrare poſſunt, & ſi eâ ſuſpen-
ſione durante, vacaret Eccleſia, eligere poſſent, ſed
non eligi, ſaltem in illa Eccleſia, in qua ſunt ſuſpen-
» ſi, gl: ibid. V. beneficiis) per triennium continuũ,
» ex tunc, id eſt, poſt prædictos octo dies, numeran-
» dum, eo ipſo ſint ſuſpenſi (eſt ergo Canon latæ
» ſententiæ, gl. ibid. V. Suſpenſos) quòd ſi in illa be-
» neficia, intra illud tempus, ſe propriâ temeritate,
» vel alio quæſito colore, ingeſſerint, eiſdem ipſo ju-
» re in perpetuum ſint privati : ita tamen, ut per eam
» negligentiam Electorum in præſentanda electio-
» ne ipſi Electo, in ſui juris proſecutione, nullum
» præjudicium generetur, prout paulò infrà in eo-
dem c. Verſic. nihilominus tamen, additur, & ibi gl.
V. Præmiſſis.

CCLVI. Notandum 1. Electus intra men-
ſem à die electionis præſentatæ, vel quo ea aliter in
eius notitiam pervenit, numerandum (prout adjecit
Nicolaus III.in cit. c. Cupientes, in princ. ibi : *infra
unum menſem, poſt conſenſum*, ſcilicet quando debito
tempore fuit præſentata electio, gl. ibid. V. eod. *vel
poſt obtentam de ipſorum electione notitiam*) electionem
acceptare, eique conſentire, vel repudiare debet; a-
lioquin, ſi juſto impedimento ceſſante, ultra diſtule-
rit, jure, ſiquod ex electione acquiſivit, hoc ipſo pri-
vatus exiſtit, ut habetur in cit.c.Quàm ſit. Quare ne-
mo ordinariè cogi poteſt, nt conſentiat electioni ad
Prælaturam, vel aliam dignitatem, aut quodvis aliud
beneficiũ, ſed poteſt electus illam recuſare, vel, poſt-
quàm acceptavit, ei renunciare, ante confirmatio-
nem factam, etiam ſinè Superioris licentia, arg. cit.c.
Quàm ſit, & c. Si electio 26. h.t.in 6.quia invito be-
neficium non datur, l.Invito 69.ff. de reg.Jur. & non
poteſt liberalitas, ſeu donatio nolenti acquiri, l. Hoc
jure 19.§.Non poteſt.ff.De donation.excepto tamen
caſu ſpeciali urgentis neceſſiratis, vel magnæ utilira-
tis Eccleſiæ, ob quam poreſt Superior cogere electũ,
vel proviſum ad acceptandam Prælaturam, ut colli-
gitur ex c. Sicut 3.cauſ. 1. q. 6. c. Ante omnia 7. diſ.
40.& docet S. Thom. 2.2, q. 185. a. 2. dummodo is,
qui ab initio invitus eſt, poſtea liberè conſentiat in
ſui electionem, cùm liber conſenſus requiratur, ad
electionem, vel proviſionem perficiendam, Laym. in
cit. c. Quàm ſit h.t. in 6.n.1. ubi n. 2. addit, melius
eſſe, ſi electus electioni canonicæ ad Prælaturam cõ-
ſentiat, non ex ambirione, ut præſit, ſed ex motivo
charitatis, ut multis pruſit ad gloriam Dei, & ſalutem
animarum, quàm nt illam recuſet; niſi tamen adeſſet
aliquis magìs idoneus, qui eligeretur, ſi ipſe repu-
diaret. Nec refert, quòd alius æquè idoneus adſit,
nam, cùm iſte vocatus ſit per electionem, meritò al-
teri præferri debet. Imò etſi adſit alius magìs ido-
neus, adhuc licitè Electus conſentiet in ſui electio-
nem, modò ipſe ſit idoneus, quamvìs meliùs fecerit,
ſi Prælaturam alteri magìs idoneo cedere conatus
fuerit. Quòd ſi verò manifeſtum ſit, electum præ a-
liis omnibus magìs idoneum eſſe ad Prælaturam, ex
lege naturali charitatis obligatus eſt ad illam acce-
ptandam.

CCLVII. Notandum 2. Si talis perſona fuerit
electa, quæ abſque Superioris ſui licentia, electioni
conſentire non poteſt, eo caſu, Electus, vel potiùs E-
lectores, ut nota ambitionis evitetur, quâ fieri poreſt
celeritate, licentiam à Superiore procurate debent:
alioquin, ſi intra tempus, quod ſpectatis circumſtan-
tiis, & boni viri arbitrio, ſufficit ad petendam, & im-
petrandam licentiam, electus (v.g. Religioſus, qui ad
Prælaturam extra ſuum Monaſterium ſeu Religio-
nem, ſinè Superioris ſui licentia, eligi non poteſt, c.Si
Religioſus 27. h. t. in 6.) eam per ſe, vel per alium
non impetret, neque Electores pro ipſo impetrent,
ad aliam electionem procedete liberè poſſunt, cit. c.
Quàm ſit, h.t.in 6. cùm Electio prior non habuerit
effectum, neque fuerit per electi conſenſum com-
pleta: & niſi intra tres menſes ad novam electionem
procedant, eâ vice, jure eligendi ſunt privati, juxta
c.Ne pro defectu 41. h. t. & ſuprà dictum. Ele- »
ctus verò jure, ſiquod ei ex huiuſmodi electione »
competebat, eo ipſo privatus exiſtit, ut majoris »
declarationis causâ adjecit & ſtatuit Benedictus »
XI. in Extravag. ſi Religioſus 2. h. t. inter com- »
munes; nam cùm Concilium Lugdunenſe ſub »
Gregorio X. in cit. c. quàm ſit, caſu, quo licentia ».
Superioris intra tempus debitum non ſit obtenta, »
det Electoribus liberam poteſtatem aliam electio- »
nem faciendi, conſequenter eo ipſo jus adimebat »
Electo, ſi quod ei ex electione competebat, ut no- »
tat gl.in cit.Extravag. Religioſus V. Privatum.

CCLVIII. Notandum 3. Poſtquam electus
licentiam conſentiendi à Superiore ſuo impetravit,
tum habet adhuc integrum menſem, ſeu xxx. dies à
die obtentæ licentiæ numerandos, ad deliberandum,
an electionem ſibi delatam acceptare velit, cit. cap.
Quàm ſit, junctâ gl.V.Conditio, & gl. V. menſem in
addit.junctâ gl.marg. Joan. Monach. ibid. n. 8. quia
ante impetratam licentiam, non potuit electus con-
ſentire, ideóque juſtè impeditus erat: tempus verò

jure ſtarutum ad incurrendam pœnam, propter negligentiam, ſeu moram culpabilem, non debet currere juſtè impedito, c. Quia diverſitatem 5. de conceſs. præbend. Joan. Monach. in cit. cap. Quàm ſit. num. 8.

CCLIX. Poſtremò ad ſolemnitates accidentales Electionem ſubſequentes etiam pertinet, quòd poſt electionem publicatam, & ab electo acceptatam, ſequitur ſolemnis gratiarum actio; deinde ſi Electus præſens ſit, cùm primùm electioni conſenſit, intronizatur, vel in Altari collocatur, cui omnes, genuflexo, reverentiam exhibent: quæ tamen mera ſolemnitas eſt, per quam ſignificatur, jus ipſi ad Epiſcopatum inchoativè acquiſitum eſſe, Laym. de Elect. Præl. q. 14. ſolemnis verò inſtallatio, per quam plenum jus in re, & actualis poſſeſſio acquiritur, primùm fit poſt confirmationem electi, de qua infrà. Denique decretum electionis ſubſcriptum ab Electoribus, & obſignatum ſigillo Capituli, in quo authenticè continetur totus Electionis proceſſus, datur electo, ut is illud offerat Superiori, à quo petenda eſt confirmatio, qui hac ratione inſtruendus eſt de perſona electi, forma eligendi, & ſuffragiis eligentium, Tholoſan. tract. de Elect. c. 18. n. 6.

SECTIO VI.

DE APPELLATIONE, ET OPpoſitione contra Electionem.

§. I.

An, & à quibus contra Electionem appellari, ſive ea impugnari poſſit, vel non poſſit, & an electio facta poſt appellationem ſit valida?

CCLX. Aſſertio 1. Quivis, cuius intereſt, vel proprio nomine, vel alieno (veluti Procuratoris, aut negotiorũ geſtoris, accedente ratihabitione domini) electioni factæ, aut faciendæ ſe ex juſta cauſa opponere, & contra illam ad Superiorem appellare poteſt, l. 1. ff. de appellat. ac proinde, non ſolùm quilibet Capitularis, ſed etiam alius Clericus, qui eſt membrum Eccleſiæ, poteſt ſe opponere, & appellare nomine Eccleſiæ, ne v. g. indignus Prælatus eligatur, prout ſumitur ex c. Cùm inter 21. in princ. h. t. quamvis alteri, cuius nihil intereſt, appellare contra electionem non liceat, c. Cùm inter. 16. h. t. ubi dicitur, *eùm, niſi quorum intereſt, audiri non ſoleant appellantes*, Laym. de Elect. Prælat. q. 95.

CCLXI. Aſſertio 2. Ipſi tamen Electores, qui ſuffragium Electo dederunt, poſtquam electio promulgata eſt, non ſunt admittendi, ſeu audiendi, ſi eam oppugnare velint, objiciendo ipſi à ſe electo aliquod crimen, vel defectum, vel contra formam electionis, quaſi non ſit canonicè facta, ut conſtat ex c, Nulli 8. h. t. in 6. quod eſt deſumptum ex Concilio
» Lugdunenſi c. 7. ubi Gregorius X. decernit: nulli
» licere, poſtquam in ſcrutinio nominavit aliquem,
& electio fuit ſubſecuta (vel ſcrutinium publica- »
tum, quia tunc non eſt ampliùs locus variationi, c. »
Publicato 58. h. t. gl. hîc V. Subſecuta) vel poſtquam »
præſtitit electioni alicuius ab aliis Capitularibus »
in eius abſentia celebratæ conſenſum, eam impu- »
gnare: niſi ex cauſis de novo poſtea emergentibus, »
vel niſi improbitas morum, ſeu aliquod vitium la- »
tens (v. g. adulterij, vel aliud ſimile) vel defectus »
(ſcilicet ſcientiæ, ætatis, Ordinum, vel alicuius ir- »
regularitatis) qui veriſimiliter ignorari potuerit »
(quia circa ea, quæ publicè facta ſunt, vel omnes »
ſciunt, non datur probabilis ignorantia, gl. hîc V. »
veriſimiliter) poſtea manifeſtetur: quo tamen ca- »
ſu, ut poſſit quis electionem à ſe factam impugna- »
re, neceſſe eſt, ut ignorantiam ſuam proprio jura- »
mento probet. »

Ratio autem, cur Electores non poſſint oppugnare electionem à ſe factam, eſt, quia non poteſt quis impugnare proprium factum, & reprobare poſtea, quod ſemel approbavit, gl. hîc V. Impugnare, iuxta reg. juris 21. in 6. quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt, & ibi Dynus n. 11. niſi cauſa impugnationis de novo poſtea emergat, ſeu superveniat, quia v. g. Electus ſe adminiſtrationi ſtatim immiſcuit, de futuris enim, quæ prævideri non poſſunt, non videtur veriſimiliter cogitatum, Franc. hîc n. 2. Vel niſi cauſa impugnandi priùs aderat, ſed probabiliter ignorata, v. g. defectus aliquis occultus: tum enim, qui in electionem priùs conſenſerant, eandem poſtea, ſi defectus manifeſtetur, impugnare poſſunt, quia paria cenſentur, non eſſe, & non apparere, ut tradunt DD. l. In leg. ſundi 77. ff. De contrah. empt. dummodo Electores, ſe tempore electionis ignorâſſe defectum, juramento confirment, quia ignorantia eius, quod pendet à propria conſcientia per juramẽtum proprium probatur, gl. hîc in notatis. Sed neque poteſt aliquis impugnare electionem, ipſo abſente, factam, ſi illam poſtea ratam habuit, ut habetur in cit. c. Nulli, quia paria ſunt, eligere, & eligentibus, ſeu electioni factæ conſentire, gl. ibid. V. Celebratæ: nimirum quod attinet ad voluntatis approbationem: non autem in ordine ad alios effect⁹, quia eligens auget numerum ſuffragiorum, non item, qui electioni factæ conſenſit, gl. margin. in cit. c. Nulli, & ibid. Jo. Andr. n. 2. & Jo. Monach. n. 1. ſicuti etiam aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire, reg. juris 160. in ff. & notat additio in gl. V. Celebrata hîc. Porrò, quamvis Electores non poſſint impugnare electionem in concordia factam: attamen Superior ex officio ſuo, ſi velit, poteſt inquirere de defectibus electi, & eum, ſi ſit indignus, repellere, ut notavit gl. magn. hîc.

CCLXII. Aſſertio 3. Is, qui renunciavit electioni de ſe factæ, non poteſt appellare ad impediendam novam electionem alterius Prælati, prout
ſumitur ex c. Cùm inter 16. h. t. nam vacante Mo- »
naſterio Schafhuſiano Romanus ſenior fuit ele- »
ctus in Abbatem, cui electioni Romanus junior, »
& quidam alij ex Monachis ſe oppoſuerunt: quæ »
controverſia tandem delata fuit ad Sedem Apoſto- »
licam. Ubi cùm Romanus ſenior inſtanter pete- »
ret, ut ſententia ferretur, Papa Cæleſtinus III. eum »
invitum coëgit ad componendum cum parte altera »
(quia fortè jus ejuſdem magìs dubium erat, quàm

alterius

Digitized by Google

alterins partis, nec poterat ſinè magnis ſumptihus lis decîdi, gl. hîc V. Goëgit) & ſic Abbatiæ renun-
» cians, de mann Papæ Prioratum, & Cuſtodiam, Id
» eſt, Cuſtodis officium recepit, ita, nt utrumque,
» dum viveret, poſſidere poſſet. Cui ntdinatinni
» idem Rnmanus conſenſit, etſi invitus (adeóque
» volens, quia coacta volnntas eſt vnluntas, gl. hîc
» V. Invitus) ſed cùm dnmum reverſus fuiſſet, ab
» Adverſarijs ſnis Monachls compoſitionem obſer-
» vare nolentibus non potuit Prinratum, & Cuſto-
» diam obtinere, quin etiam manus vinlentas in
» eum injecerunt; qunrum manus cùm evaſiſſet,
» appellavit ad Sedem Apoſtolicam, prout habetur
» in integra lectione hujns c. voluítque impedire, ne
» Adverſarij ad novam electinnem Abbatis procede-
» re poſſent. Verùm Legatus à latere, qui tum erat
» in ijs Germaniæ partibus, Monachos, ob hunc, &
» alins exceſſus, ſuſpendit, & Mnnaſterinm interdi-
» cto ſubjecit: Sed illi, contemptâ ſententiâ Cardi-
» nalis, celebrârunt divina, & poſt appellationem ad
» Papam interpnſitam, & durante ſuſpenſione ſuâ,
» Romannm juniorem in Abbatem elegerunt, quem
» poſtea Cnnſtantienſis Epiſcopus benedixit, & in
» Eccleſiam ſuam intrnduxit. Cùm autem prædi-
» cta relata eſſent Papæ Innocentin III. is inptimis
» reſpondit: Quòd electin Rnmani juninris non
» poſſit ex eo capite reſcindi, quia pnſt appellatio-
» nem à Romano ſeniore interpoſitam, ne ad electio-
» nem procederent, inſtituta eſt; nam cùm appel-
» lans Abbatiæ, ad qnam electus fuit, coram Papa re-
» nunciârit, & ſic jus ſuum amiſerit, & vacârit Ab-
» batia, non poterat per appellationem impedire e-
» lectionem nnvi Prælati, quia propriè nihil ipſius
» interfuit, adeóque appellatio illa non fuit legiti-
» ma. De altero verò, an poſterior electin à ſuſpen-
» ſis celebrata fuerit, non poterat Pontifici ſatis con-
» ſtare: nam licèt id cnlligeretur ex litteris Præpo-
» ſiti, & Cathedralis Capituli Conſtantienſis, in qui-
» bus mentio facta fuit de interdictn Legati à latere;
» tamen huic relatinni repugnabat factum Epiſcnpi
» Conſtantienſis lnci Diœceſani, qui Rnmano ju-
» ninri in Abbatem electo benedictionem imperti-
» vit: cùm igitur objectum qnidem fuerit, ſed non
» probatum, electionem illam à ſuſpenſis, & interdi-
» ctis ſactam eſſe, nnn potuit Papa eam irritare. Qua-
» re idem Papa cauſam hanc dunbus Abbatibus in ijs
» partibus commiſit cognnſcendam, hac formâ, ut,
» ſi eis conſtiterit, quòd ea electin facta fuerit à ſu-
» ſpenſis, eâ nmninn caſſatâ (id eſt, caſsâ, ſeu irritâ
» declaratâ, quia ſuſpenſi eligere nnn poſſunt, gl. hîc
» V. Caſſata) pnſt præſtitam ſatisfactinnem cnndi-
» gnam, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam re-
» laxent, & de idonea perſnna Mnnaſterio provide-
» ri curent.

CCLXIII. Notandum 1. Papa poteſt in cauſis, præſertim beneficialibns, in quibus pleniſſimam poteſtatem diſponendi babet, c. 2. de præb. in 6. propter bnnum pacis, & concntdiæ, partes litigantes cogere ad compnſitionem faciendam, ut cnlligitur ex hoc c. Abb. hîc num. 1. & glnſſ. marg. lit. d. Quamvis aliàs Judex inferinr id ntdinariè nnn poſſit.

Notandum 2. Pnteſt S. Pontifex ex certa ſcientia alicui Religioſo conferre in perpetuum Prioratum, vel aliud officium, aut beneficinm regulare, & clauſtrale, ita, ut ab inferinribus Prælatis ei auferri non poſſit, dum vivit, ut cnlligitur etiam ex hoc c. Quamvìs aliàs bujuſmodi nfficia, & beneficia manualia ſnlùm ſint, & ad nutum Prælati revncabilia, c. Cùm ad Monaſterium 6. §. Tales anrem de ſtatu Mnnach. Innoc. hîc in princ. & Abb. n. 2. & 10. idque fecit hîc Papa causâ pacis ſtatuendæ, & diſcordiæ ac ſcandali tollendi.

CCLXIV. Notandùm 3. Nnn valet appellatio facta ab aliquo, ſi ejns nihil interſit appellare, ut dicitur in hoc c. Verſic. Nos attendentes, & in c. Quòd ſicut 28. h. t. & in l. 1. ff. de appellat. Abb. hîc n. 3. poteſt tamen Clericus in cauſa Eccleſiæ ſuæ, & Monachus in cauſa ſui Mnnaſterij, appellare, & ſe opponere contra gravamen Eccleſiæ, vel Mnnaſterio illatum, vel ne inſeratur, quia, cùm ſit membrum illius, qnodammodn etiam ipſius intereſt. Et hinc in iſto c. R. Senior non fuit repulſus, quatenus oppoſuit ſe, & appellavit contra electionem R. junioris, eò quòd à ſuſpenſis facta ſit, & interdictis, nam cùm ipſe membrum fuerit illius Monaſterij, cui Prioratus à Papa ipſi collatus ſubjectus fuit, adeóque ageretnr de eligendo ſun qunque Abbate, etiam ipſius interfuit illa electin, ac proinde contra illam appellare potuit, ſi non canonicè, ſeu legitimè facta ſit. At verò idem R. Senior non fuit admiſſus ad appellandum; quatenus ſe oppoſuit contra electinnem, prætendens proprium ſuum intereſſe, ne alius Abbas eligeretur, cùm enim juri ſuo, ſive electioni ſuæ jam renunciaverit, ejus propriè nihil interfuit novam electionem inſtitui, ut notavit Innoc. hîc n. 2. Abb. n. 14. Sed contra obſtare videtur, quia R. Senior potuit appellare, ratione proprij intereſſe, ut non inſtitueretur nova electio, quia ipſe renunciavit electioni de ſe factæ, ita tamen, ut vi cnmpoſitinnis inter partes litigantes factæ, ipſe reciperet, & poſſideret Prioratum, & Cuſtodiam ejus Mnnaſterij, ergn cùm adverſarij noluerint nbſervare compoſitionem initam, poterat is ab ea reſilire, & redire ad jus ſuum priſtinum, nempe ad Abbatiam, cui renunciaverat; nam ſi una pars tranſactionem ſervare nolit, tum altera pars, quæ ex parte ſua eam implevit, pnteſt ab ea reſilire, & reſcindere tranſactinnem, niſi malit alteram partem cnmpellere ad implendum, l. Si diverſa 14. C. de tranſact. prout idem fit in contractibus innnminatis, quia qui ex parte ſua implevit contractum, dedit ob cauſam, unde causâ nnn ſecutâ, poteſt repetere, qund dedit, l. 1. §. fin. ff. de rer. permut. l. Cum precibus 4. C. eodem. Verùm reſpondetur, quòd in caſu hujus c. compoſitio inita coram Papa ex utraque parte impleta, & perfecta fuit, nam R. ſenior ſuæ electioni ſimpliciter, & purè renunciavit: & viciſſim à Pontifice collatio Prioratûs, & Cuſtodię, conſentiente parte adverſâ, eidem facta eſt. Quare etſi poſtea Monachi, mutatâ vnluntate, eum recipere noluerint, non tamen poterat dicere, compoſitionem non eſſe impletam ex altera parte, cùm collatin Prinratûs, & Cuſtodiæ ei facta fuerit, ideóque nec poterat renunciationem ſuam revocare, ſed ſnlùm poterat, ac debebat jus ſibi in Prioratu, & Cuſtodia per collationem Papæ acquiſitum proſequi coram Sede Apoſtolica, vel ejns Legato, ad poſſeſſio-

nem illius acquirendam, vel, ſi eam jam obtinuit, retinendam, Abb. hîc n. 13. in 3. ſolut.

CCLXV. Notandum 4. Quando concurrunt duæ præſumptiones contrariæ, quarum una non prævalet alteri, tum ſe invicem perimunt, ita, ut Judex neutri ſtare debeat, ſed ulteriùs inquirere veritatem, prout ſumitur ex hoc c. ibi: *unde, vel ſcriptura facto, vel factum ſcripturæ præjudicant*; ſecus ſi altera præſumptio ſit vehementior, ſeu potentior, Abb. hîc num. 5. Imol. num. 9. quia, ut ait gloſſ. in c. Tranſmiſſæ 3. V. & teſtibus in fine, qui filij ſint legitimi, ſemper ſtatur fortiore præſumptione.

Notandum 5. Quando cauſa aliqua in Curia Romana, ob defectum probationum, quæ ibi haberi non poſſunt, ſufficienter cognoſci, & definiri non poteſt, tum ſolet ea remitti, & delegari in loco, ubi teſtes haberi, & examinari poſſunt, uti factum eſt in caſu hujus c. Articulum autem appellationis decîdit hîc Papa, quia de illa ſibi conſtabat, ſinè aliqua probatione, Abb. hîc n. 14.

Notandum 6. Etſi in caſu hujus c. Electio R. junioris à Capitularibus, ſeu Conventualibus ſuſpenſis, vel perſonaliter interdictis celebrata ipſo jure irrita fuerit, ut habetur hîc in fine, junctâ gl. V. Caſſata, quia ſuſpenſi eligere non poſſunt; tamen poſtquam à ſententijs ſuſpenſionis, & interdicti abſoluti fuerunt, potuerunt eligere novum Prælatum, ut colligitur ex fine hujus c. nam cùm Papa mandet, ut de perſona idonea Monaſterio cõſulatur, ſeu provideatur, & non exprimat, per quos, ſatìs ſignificare videtur, ut electio à Capitularibus fiat, poſtquam à cenſura abſoluti fuerint, alioquin mandâſſet, ut per alios proviſio fiat, ut notat gl. fin. hîc, quia ſuſpenſi eligendo non ſunt privati poteſtate eligendi, cùm id expreſſum non ſit in Jure Canonico, licèt electio ſit nulla, Abb. hîc in fine. Excipi debet, niſi Capitulares R. juniorem ſuſpenſum, vel perſonaliter interdictum ſcienter elegiſſent; tum enim, ijs pro ea vice privatis, jus eligendi ad proximum Superiorem devolutum fuiſſet, juxta c. Quamquam 18. h. t. in 6. Vel niſi, poſtquam ſuſpenſi, & denunciati irritè elegerunt, ultra tres menſes abſolutionem petere, & denuo eligere culpabiliter intermittant; tum enim jus eligendi pro ea vice ad Superiorem devolveretur, cit. c. Quamquam, & c. unic. §. Cùm verò ne ſede vacante &c. Quòd ſi non omnes Capitulares ſint ſuſpenſi, tum ijs privatis, jus eligendi ad alios non ſuſpenſos devolvitur, ut ſumitur ex c. 2. de poſtul. Prælar. Laym. hîc in fine, & patet ex ſuprà dictis.

CCLXVI. Aſſertio 4. Quamvìs, ſi appellatum ſit contra electionem ſimpliciter inhibendo, ne electio fiat, vel ne in ea procedatur, non debeat ad eam, vel ulteriùs in ea procedi, ſed Superioris de appellatione cognoſcentis judicium exſpectandum ſit, niſi appellatio manifeſtè ſit inanis, & frivola: electio tamen, non obſtante appellatione, facta valida eſt, donec Superior, ſi appellationem legitimam fuiſſe cognoſcat, contra electionem pronunciet, eámque, & omnia acta, ſeu attentata poſt appellationem reſcindat, prout ſumitur ex c. Conſideravi-
» mus 10. h. t. Nam vacante quadam Eccleſiâ, cùm
» Canonici verſarentur in electione Prælati, quidam
» alij ex Canonicis ſe oppoſuerunt, & appellârunt
» ad Sedem Apoſtolicam, eò quòd electio, ſinè illis,
& contra privilegia illius Eccleſiæ inſtitueretur. »
Verùm Canonici illi, non obſtante eâ appellatio- »
ne, nihilominus proceſſerunt, & Joannem Fron- »
tinum elegerunt, appellantes, ne alij contra ele- »
ctionem hanc aliquid attentarent. Iſti verò viden- »
tes, quòd dicti Capitulares non detulerint ſuæ ap- »
pellationi, nondum caſſatâ priore illa electione, a- »
lium nomine B. elegerunt. Delatâ hac cauſâ ad »
Papam Alexandrum III. is judicavit, neutram il- »
larum electionum debere firmam conſiſtere: non »
priorem, quia poſt appellationem interpoſitam, & »
contra tenorem privilegiorum Eccleſiæ illius fuit »
celebrata: non poſteriorem, quia & primâ ele- »
ctione nondum caſſatâ, & poſt appellationem in- »
terpoſitam, per quam ad priſtinum ſtatum omnia »
reduci debent, facta fuit. Quare Pontifex utram- »
que electionem caſſavit, & Canonicis liberam fa- »
cultatem tribuit iterum conveniendi, & idoneam »
perſonam eligendi, ita, ut utriuſque priùs electi »
fama integra, & illæſa permaneat, &, ut in alijs Ec- »
cleſijs poſſint promoveri: imò ut de novo etiam in »
eadem Eccleſia, in alia vacatione, unus eorum eli- »
gi poſſit, ſecundùm aliam tamen formam, & jux- »
ta privilegia illius Eccleſiæ.

CCLXVII. Notandum 1. Electio facta, poſt interpoſitam appellationem extrajudicialem, v. g. ne procedatur in electione Prælati, eò quòd non ſit canonicè, ſeu legitimè inſtituta; non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda à Superiore, ſi appellatio fuit legitima, quia talis appellatio ſuſpenſionem non inducit, prout ſumitur ex hoc c. junctâ gl. V. Appellationem, & Abb. hîc n. 1. nam univerſim loquendo, geſta poſt appellationem extrajudicialem non ſunt ipſo jure nulla, ſed annullanda, ſi appellatio fuit legitima. Idque procedit, ſi appellatio facta ſit à parte, ut in caſu hujus c. ſecus ſi à Judice, quamvìs extra judicium; tunc enim geſta contra appellationem ſunt nulla, quia talis appellatio parit effectum ſuſpenſivũ, ut patet ex c. Dilectus 55. de appellat. ubi excommunicatio lata, poſt appellationem extrajudicialem, irrita declaratur, Abb. c. l. videri poſſunt, quæ hac de re dicta ſunt ſuprà n. 136. h. t.

Notandum 2. Si duæ electiones factæ ſint in diſcordia, quarum prior ipſo jure valida fuit, licèt ob defectum aliquem, vel omiſſam ſolemnitatem, irritari poſſit, ac debeat, quia v. g. contra tenorem, ſeu formam obtenti privilegij facta eſt; tum poſterior electio, quæ ante priorem electionem caſſatam peracta fuit, ipſo jure eſt invalida, gl. hîc v. Appellationem. Ut in propoſito, prior electio Florentini fuit ipſo jure valida, ſicut ex eo patet, quia poſterior electio B. fuit caſſata, eò quòd ante caſſationem tenuit, alioquin ſi fuiſſet nulla, caſſari non potuiſſet: poſterior verò electio fuit nulla, quia non poſſunt in una vacatione duo validè eligi ad eandem Eccleſiam, Abb. hîc n. 2. not. 4.

Notandum 3. Etſi electio ob aliquod vitium, vel defectum in ea commiſſum, ſit irrita ipſo jure, vel irritata à Superiore, non tamen ideo Electores ſemper pro ea vice ſunt privati jure eligendi, quò minùs nihilominus ad aliam electionem procedere poſſint, ſed in ijs tantùm caſibus, in quibus talis pœna privationis à jure eſt impoſita, de quibus ſuprà: idque cõſtat ex c. Si electio 26. h. t. in 6. & ex hoc c. in fine, ubi

etſi

etſi à Papa caſſatæ fuerint duæ electiones, tamen adhuc permittitur Capitularibus novam electionem facere, ſecundùm aliam formam. Aliud eſt, in Electoribus compromiſſariis, qui, poſtquam ſemel elegerunt, ſive bene, ſive malè, non admittuntur ad aliam electionem faciendam, quia nomine, & jure proprio non eligunt, ſed nomine compromittentium, & poteſtate ſibi ab ijs conceſſa, gl. in c. Cauſam 8. V. Recipi, h. t. & ibid. Abb. n. 10.

Notandum 4. Si electio alicuius caſſetur, vel irrita declaretur, non ob vitium perſonæ electæ, ſed ob non ſervatam debitam formam, vel ob aliam cauſam, id non obeſt electo, quò minùs iterum eligi poſſit, non tantùm in alia, ſed etiam eâdam Eccleſiâ, ut conſtat ex c. Super eo 12. h. t. Verumtamen Papa in hoc c. ad tollendum ſcandalum, & diſcordiæ cauſam, noluit permittere, ut in illa vacatione, ſive pro ea vice, unus ex duobus in diſcordia electis iterum eligeretur ad eandem Eccleſiam, ut patet ex illis verbis: *præter iſtam Eccleſiæ ordinationem*, & notavit gl. fin. hîc: niſi tamen omnes Capitulares unanimi conſenſu concurrerent in unam perſonam; tum enim valeret electio, quia ceſſaret cauſa prohibitionis, Abb. hîc n. 3. ubi n. 5. in fine addit, quòd ex juſta cauſa, v. g. ob vitandum publicum ſcandalum, poſſit prohiberi à Superiore, ne certa perſona in aliqua Eccleſia eligatur, etſi aliàs abſolutè loquendo, ſit digna & idonea, quia multa etiam licita omittenda ſunt, ob cavendum ſcandalum, ſi ſinè peccato poſſit omitti.

§ II.

Quænam requirantur, ut in Electionibus Epiſcoporum, iiſque Superiorum, appellari poſſit ad Sedem Apoſtolicam?

» CCLXVIII. De hoc agitur in c. Quamvis 10.
» h. t. in 6. nam quamvis Papa Alexander IV. conſti-
» tutionem ediderit (quæ tamen hodie non extat) in
» qua decrevit, ut in cauſis electionum Epiſcoporum
» (& Superiorum, ut Archiepiſcoporum, Patriar-
» charum, Primatum) ſive ſuper electionibus eorum
» exortis, ad Sedis Apoſtolicæ examen, ſeu cognitio-
» nem, quælibet appellationes (etiam fruſtratoriæ, &
» frivolæ, gl. hîc V. Quaslibet) devolvantur, ſeu defe-
» rantur, eò quòd eiuſmodi cauſæ, ſeu controverſiæ,
» meritò inter majores numerentur (quarum cogni-
» tio Sedi Apoſtolicæ eſt reſervata, c. Majores 3. de
» baptiſ. c. Ut debitus 59. de appellat.) Verùm Gre-
» gorius X. in Concilio Lugdunenſi c. 9. ad reſrenan-
» dam temerariam appellantium audaciam, & appel-
» lationum frequentiam, ſtatuit, ut, ſi extra judicium
» (vel etiam in judicio, ut mox ſequitur) in electio-
» nibus Epiſcopalibus, vel etiam in electionibus ad
» dignitates Epiſcopatu majores, appellatum fuerit,
» nullâ causâ expreſsâ, vel manifeſtè frivolâ, per ta-
» lem appellationem cauſa nequaquam ad Sedem A-
» poſtolicam deferatur, ſed appellatio rejiciatur. Sed
» neque, cùm in judicio, vel extra judicium, in cauſis
» earundem electionum appellatur, appellatio ad-
» mittatur, aut negotium hujuſmodi ad prædictam
ſedem devolvatur, niſi appellatio facta fuerit in »
ſcriptis, adjectâ causâ probabili, quæ ſi probata ſit, »
legitima cenſeri debet. Cæterùm, etſi appellatum »
fuerit (ſcilicet in ſcriptis, & expreſsâ causâ rationa- »
bili, in judicio, vel extra judicium) nihilominus li- »
ceat partibus ab hujuſmodi appellatione, modò »
nulla pravitas (ſive pactio ſimoniaca, vel illicita »
datio aut promiſſio, gl. hîc V. Pravitate) interveniat, »
recedere, antequam ea Sedi Apoſtolicæ fuerit præ- »
ſentata. Inferiores verò Judices, ad quos cauſarum »
cognitio pertinuiſſet, ſi appellatio interpoſita non »
fuiſſet, diligenter inquirant, an in renunciatione »
appellationis ſimoniaca pravitas intervenerit, & ſi »
interveniſſe repererint, nequaquam ſe ipſi cauſæ »
intromittant, ſed eam ad Sedem Apoſtolicam abie- »
gent, ipſiſque partibus competentem temporis »
terminum peremptorium præfigant, intra quem, »
cum omnibus actis, & munimentis, ſeu monumen- »
tis, id eſt, inſtrumentis, ſive documentis, Apoſtoli- »
co conſpectui ſe ſiſtant. Porrò hæc conſtitutio e- »
dita eſt eo tempore, quo Epiſcopi canonicè electi à
Metropolitano confirmationem accipere ſolebant.

CCLXIX. Notandum 1. Cùm appellatur in cauſis electionum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & aliorum Superiorum, ſive in judicio, ſive extra judicium, debet appellari in ſcriptis, & cauſa rationabilis inſeri in ipſa appellatione, idque ne malitiosè, & ſinè cauſa lites protrahantur, cum damno Eccleſiarum, dum Prælati tardiùs providentur, gl. hîc in notatis.

Notandum 2. Appellans in cauſa electionis renunciare poteſt appellationi, & ab ea recedere, priuſquam ea Superiori eſt præſentata: non item poſtea, quia res non eſt ampliùs integra, ut per ſenſum contrarium colligitur ex hoc cap. & notat gl. hîc V. Præſentata, ſaltem in hujuſmodi majoribus cauſis, quæ ad Eccleſiæ bonum pertinent, ut docet Jo. Monach. hîc n. 7. & 10. Franc. ibid. n. 8. Quòd ſi appellatio parti adverſæ ſit intimata, non poteſt appellans ei renunciare, aut ab ea recedere, ſinè eius conſenſu: niſi expenſas ſolvere, vel, ſi ex alia cauſa appellati interſit, id compenſare paratus ſit, c. Interpoſita 70. §. Ille de appellat. Jo. Monach. hîc n. 6. Laym. de Elect. Prælat. q. 120.

Notandum 3. Si Judex Inferior aſſignat terminum competentem partibus ad comparendum coram Superiore, ut in caſu huius c. coram Papa, non cenſetur ſe ideo cauſæ intromittere, ſed potiùs mandatum Superioris exequi, neque mandat, ut compareant coram ſe, ſed coram Superiore, Franc. hîc n. 4. Quòd ſi partes non comparuerint in termino præfixo, procedetur ad confirmandam electionem, ac ſi appellatum non eſſet, quia paria ſunt non appellare, & appellationem non proſequi, vel illi renunciare, gl. fin. hîc juncta gl. margin.

CCLXX. Cæterùm contra Judices Ordinarios, qui non obſervant prædictam Conſtitutionem, quæ extat in cit. c. Quamvis 10. h. t. in 6. decreta eſt certa pœna in c. Provida 44. eodem in 6. ubi habetur, quòd Gregorius X. in Generali Concilio Lug- »
dunenſi ſtatuit, ut, ſi in cauſis ſpectantibus ad ele- »
ctionem Epiſcoporum, vel ijs Superiorum, ut Ar- »
chiepiſcoporum, Patriarcharum, aut Primatum, ap- »
pellatum fuerit ad Sedem Apoſtolicam in judicio, »

» vel extra judicium, ſed partes ab appellatione ſe-
» cedant, priuſquam ea Papæ præſentata fuit, quòd
» debeat tum Judex inferior (v. g. Metropolitanus,
» qui inferior eſt comparatione S. Pontificis, Supe-
» rior verò reſpectu Epiſcoporum) à quo appellatum
» fuit, diligenter inquirere, num aliqua prava, ſeu ſi-
» moniaca pactio intervenerit in receſſu ab appella-
» tione; &, ſi interveniſſe cognoverit, cauſæ cogni-
» tioni non ſe immiſceat, ſed eam ad Sedem Apoſto-
» licam tranſmittat, præfixo termino peremptorio
» partibus ad compatendum in Curia Romana, ſi-
» cut conſtat ex cit. c. Quamvìs. Verùm, quia non-
» nulli Ordinatij, (ſcilicet Metropolitani, vel ijs Su-
» periores) omiſsâ prædictâ inquiſitione, in cauſis e-
» lectionum Epiſcopalium ſe intromiſerunt ad con-
» firmandos Epiſcopos electos, eóſque conſecrandos
» temerè procedendo: Idcirco Papa Bonifacius VIII.
» decernit, hujuſmodi confirmationes, & conſecra-
» tiones, quæ prædictâ inquiſitione omiſsâ, fuerint
» uſitatæ, alióſque ſimiles proceſſus, nullius penitus
» firmitatis eſſe debese, & confirmantes, ac conſe-
» crantes Epiſcopos (à quorum electione eſt appel-
» latum, & ab appellatione receſſum, omiſsâ prædi-
» ctâ inquiſitione) ab Epiſcoporum confirmatione,
» & conſecratione per annum continuum (à die con-
» firmationis, vel conſecrationis numerandum, gl.
» hîc V. Annum continoum, imò etiam ab hosa, gl.
» ibid. in addit. nam in pœnalibus fit computatio de
» momento ad momentum, Franc. hîc in fine) ipſo
» jure eſſe ſuſpenſos, ut in eo ipſo, in quo peccave-
rint, puniantur.

CCLXXI. Circa hanc Conſtitutionem notandum 1. Quamvis confirmatio Epiſcopi ſic electi ſit irrita, non tamen ideo etiam vitiatur electio, ſed de novo petenda eſt confirmatio à Papa, non ab illo, v. g. Metropolitano, qui priùs confirmaverat, quia ipſe per annum continuum ſuſpenſus eſt à confirmationibus Epiſcoporum; ſed, ſi electio fuerit canonica, de novo confirmabitur, cùm prior confirmatio fuerit nulla, gl. hîc V. Firmitatis, de quo infrà.

Notandum 2. Quando in cit. c. Provida, dicitur, conſecrationem Epiſcopi factam à Metropolitano, non præmiſsâ inqoiſitione, an ab appellatione receſſum ſit, interveniente ſimoniacâ pactione, nullius eſſe firmitatis, id non ita intelligendum eſt, quòd conſecratio, ſeo ordinatio irrita ſit in ſe, ſive quoad poteſtatem Ordinis, quaſi illa non ſit collata, aut recepta, cùm charactes fuerit animæ impreſſus, & Epiſcopalis Ordo validè ſit collatus, ſicut cùm Epiſcopus ordinat non ſubditum, quem osdinare non poterat: ſed tantùm eſt irrita conſecratio quoad executionem, qoia Epiſcopus ita conſecratus, non poteſt licitè exercere actus Ordinis, à quorum exercitio eſt ſuſpenſos, gl. hîc V. Firmitatis, & Franc. n. 2.

Notandum 3. Hæc ſoſpenſio non incurritur ob violationem dictæ Conſtitutionis Concilij Lugdunenſis, in c. Quamvis 10. h. t. in 6. donec ad confirmationem talis electionis, & conſecrationem ſic electi actu procedatur. Quare etſi Jodex Ordinarius, v. g. Metropolitanus, à quo appellatum eſt in cauſa electionis ad Papam, cauſam cognoſcat, non obſervatâ formâ præſcriptâ, in cit. c. Quamvis, quia non factâ inquiſitione, an in receſſu ab appellatione ſimoniaca pravitas intervenerit, de ea cognoſcit, ideóque proceſſus ſit irritus, ioxta cit. c. Provida, quia cùm alicui committitur poteſtas judicandi ſub certa forma, eâ non ſervatâ, proceſſos eſt nullus, ſecundùm gl. in Clem. 1. V. inhibentes de jure patronat. Non tamen Metropolitanus incurret ſuſpenſionem per annum continuum, niſi confirmet talem electionem, & conſecret ſic electum, quia in cit. c. Provida, ſolùm ſuſpenduntur confirmantes, & conſecrantes eoſdem, non ergo cognoſcentes de cauſa, ſi prædictos actus confirmationis, & conſecrationis non exerceant, Suar. diſ. 35. de cenſuris ſec. 5. n. 8.

Notandum 4. Quamvis in cit c. Providà, videatur conjunctim requiri uterque actus, tam confirmationis, quàm conſecrationis ad incorrendam pœnam ſuſpenſionis per annum integrum; nam ibi dicitur, *& confirmantes, & conſecrantes eoſdem fore ſuſpenſos*; tamen probabilius eſt, quòd quilibet ex illis actibus ſeorſim ſufficiat ad incurrendam pœnam ſuſpenſionis ab uſu, ſeu exercitio actûs illicitè facti; ita tamen, ut, ſi ſolùm confirmavit, à confirmatione tantùm ſit ſuſpenſus, ut in eo puniatur, in quo deliquit: ſi verò non tantùm confirmavit, ſed etiam conſecravit, ab utraque ſit ſuſpenſus: ſi denique neutrum fecit, licèt in cauſa cognoſcenda proceſſerit, à neutro actu ſit ſuſpenſus, gl. in cit. c. Provida. V, In quo. Suar. c. l. Porrò hanc pœnam ſuſpenſionis non incurrunt Epiſcopi aſſiſtentes Archiepiſcopo conſecranti, quia is ſolus principaliter conſecsat, & pœna hæc afficit Ordinarium, qui debet inquirete, an in receſſu ab appellatione intervenerit pravitas ſimoniæ. Quòd ſi Archiepiſcopus committat conſecrationem alteri, ipſe ſuſpenſus eſt, & non Conſecrans, ut poſt Joan. Andr. docet Ancharan. hîc, & Franc. n. 1.

Notandum 5. Prædicta pœna ſuſpenſionis non habet locum in electionibus ad Eccleſias Regulares, quia licèt in c. Si poſtquam 33. h. t. in 6. Regulares Eccleſiæ æquiparentor Cathedralibus, quoad devolutionem poteſtatis eligendi: nihil tamen dicitur de inquiſitione facienda poſt receſſum ab appellaſione, Franc. hîc in princ.

§ III.

Quænam Jure Canonico ſtatuta ſunt ad moderandas oppoſitiones, & appellationes, in cauſis electionis, & proviſionis beneficiorum?

CCLXXII. De his agitur in pluribus capitulis h. t. in 6. quæ explicabimus tum hoc §. Tum 2. ſeqq. Et inprimis in c. 1. eodem, ſtatuit Papa Inno- »
centius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi; ut, »
ſi quis electionem, poſtulationem, aut psoviſionem »
alicujus factam ad Prælaturam, dignitatem, ſeu »
perſonatum, aot Canonicatum impognet, objiciens »
contra formá, vel perſoná electi, & ob hanc cauſam »
ad Sedem Apoſtolicam appellet; tam is, qui oppu- »
gnat, quàm is, qui defendit, (ſcilicet electus, po- »
ſtulatus, vel aliter proviſus) & generaliter omnes, »
quorum intereſt, vel quos cauſa contingit (oti adhæ- »
rentes)

Digitized by Google

» rentes) per ſe, vel per Procuratores ad cauſas in-
» ſtructos, ad Sedem Apoſtolicam iter arripiant, in-
» tra menſem à die objectionis, ſive appellationis
» cognitæ Adverſario, vel ejus procuratori, gl. hîc
» V. infra menſem) numerandum. Quòd ſi unâ
» parte præſente, altera (opponens, vel defendens)
» non advenerit, per X X. dies, poſt adventum alte-
» rius partis, expectanda eſt: poſtmodum verò in
» cauſa electionis (poſtulationis, vel proviſionis op-
» pugnatæ) non obſtante eujuſquam abſentiâ, pro-
» cedatur, ſicut de jure procedendum eſt.

CCLXXIII. Notandum 1. Hæc Conſtitutio non habet locum in omni electione, ſeu promotione ad quodcunque beneficium, ſed ſolùm in electione ad dignitates, perſonatus, & Canonicatus, ut patet ex hoc c. §. Hæc autem. ubi tamen nomine dignitatis etiam Prælatura continetur. Et habet hæc Decretalis locum duntaxat in appellationibus interpoſitis ad Papam; cùm enim à Jure communi exorbitet, non debet trahi ad conſequentiam, & ad alios caſus non expreſſos, reg. jur. 28. in 6. gl. hîc V. Ad nos.

Notandum 2. Quamvìs contra perſonam electi objiciantur defectus, & crimina, tamen poteſt is cauſam appellationis, vel oppugnatæ electionis, poſtulationis, ant proviſionis proſequi per procuratorem, modò hic ſpeciale ad hoc mandatum habeat, juxta Clement. 2. de procurator. & ſufficienter ad totam cauſam inſtructus ſit, Franc. hîc n. 3.

Notandum 3. In cauſa electionis, vel proviſionis beneficiorum poteſt procedi ad teſtium receptionem, &, ſi de cauſa liqueat, etiam ad ſententiam definitivam, ante litis conteſtationem, ſi pars adverſa contumaciter ſe abſentet, uti ſumitur ex hoc c. & c. ult. §. Porrò, ut lite non conteſtatâ &c. ubi ratio redditur, ne propter longam moram in ſpiritualibus, & temporalibus, Eccleſia patiatur læſionem; nam beneficia Eccleſiaſtica, ſinè diſpendio diu vacare non poſſunt, ideóque finis, cùm de ijs litigatur, citò imponi debet, c. finem 5. de dolo, & contumac. gl. hîc in notatis. Quòd ſi terminus à jure, vel etiam à Judice præfixus ſit, intra quem pars litigans comparere debeat, cùm is vim habeat peremptoriæ citationis, alia citatio non requiritur ad abſentem in contumacia conſtituendum, gloſſa. hîc V. Abſentia.

» CCLXXIV. Præterea in eodem c. §. Adji-
» cientes, ſtatuitur, ut, ſi appellans ad Sedem Apoſto-
» licam contra electionem, poſtulationem, aut pro-
» viſionem alicujus, id quod contra formam, ſeu
» proceſſum electionis, vel alterius proviſionis op-
» ponit, plenè non probaverit, in expenſas, quas pars
» altera, ſeu adverſa ſe feciſſe docuerit, condemne-
» tur. Qui verò in probatione ejus, quod contra perſo-
» nam electi, vel proviſi objecit, defecerit, à beneficijs
» Eccleſiaſticis (quæ in illa Eccleſia obtinet, juxta c. Si
» compromiſſarius 37. in fine h.t. in 6. gl. hîc V. Be-
» neficijs) per triennium ſit ſuſpenſus. Quòd ſi in-
» fra illud tempus (trium annorum) propriâ teme-
» ritate, ſeu auctoritate, ſe in ea ingeſſerit, ipſo jure
» in perpetuum, ſinè ſpe gratiæ, aut diſpenſationis, eis
» ſit privatus: niſi manifeſtis documentis oſtende-
» rit, quod à vitio calumniæ, cauſa probabilis, & ſuf-
» ficiens ipſum excusârit.

CCLXXV. Notandum 1. Quando agitur de jure alterius tollendo, vel minuendo, non ſufficit ſemiplena probatio, ſed plena requiritur, ut ſumitur ex hoc c. junctâ gl. V. plenè, ubi habetur, quòd opponens contra formam electionis, condemnetur in expenſas, niſi plenè probaverit, quod objecit. Et quamvìs in eo, qui contra perſonam electi aliquid objecit, ad evitandam pœnam ſuſpenſionis à beneficijs, videatur ſufficere, ſi ſemiplenè id probaverit, ut ex Hoſtienſ. tradit hîc gl. V. qui verò in probatione, quia poſtea non additur, *niſi plenè probaverit*, ſicut priùs: tamen etiam in iſto requiri, ut plenè probaverit, quod objecit, conſtat ex c. Ut circa 4. h.t. in 6. de quo infrà.

Notandum 2. Quia opponi poteſt, vel contra formam, ſeu proceſſum electionis, vel contra perſonam electi, hæc pœna ſuſpenſionis à beneficijs non eſt impoſita ei, qui formam electionis oppugnans deficit in probatione; is enim ſolùm in expenſas condemnatur, ſed impoſita eſt ei, qui objicit aliquid contra perſonam electi, ſinè ſufficiente probatione; & ſic poſterior graviùs punitur, quàm prior, idque meritò, quia ille graviùs deliquit, propter periculum infamationis perſonæ electæ, & majorem calumniæ ſuſpicionem, Franc. hîc n. 3. Suar. diſp. 31. de cenſur. ſec. 3. n. 12. Veruntamen ſi is, qui contra perſonam electi defectum, vel crimen objecit, quod poſtea probare non poteſt, manifeſtè oſtenderit, ſe ex probabili ignorantia, ſeu errore id objeciſſe, cum probabili ſpe illud probandi, non incurrit pœnam ſuſpenſionis hîc decretam, quia ob oſtenſum probabilem errorem, ſeu ignorantiam, liberatur à ſuſpicione calumniæ, l. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpilian. ubi dicitur, calumniari eſt falſa crimina intendere, ſcilicet ſcienter, ſeu malo animo, gloſſ. ibid. V. Intendere; idque patet etiam ex verbis ſubjunctis in fine hujus c. *Niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quòd ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis, & ſufficiens excuſaret:* quæ exceptio, ſive clauſula in fine poſita ad omnia antecedentia commodè referri poteſt; imò etiã debet, quia hæc eſt pœna à jure decreta, adeóque requirit culpam, à qua excuſat probabilis error, ſeu ignorantia; conſequenter cùm in eo, qui probabili errore ductus bonâ intentione objecit crimen contra perſonam electi, quod poſtea probare non poteſt, ceſſet culpa, etiam pœna ceſſare debet, gl. in cit. c. 1. V. defecerit in fine, ubi fraudem requirit ad hanc pœnam ſuſpenſionis incurrendam: Franc. ibid. in §. Adjicientes n. 2. ubi generaliter ait, quòd probabilis cauſa litigandi excuſat ſuccumbentem in probatione, non ſolùm ab expenſis, ſed etiam à pœna juris; & alij DD. communiter apud Laym. in cit. c. 1. §. Adjicientes n. 5. h. t. in 6. nec re ipsâ diſſentit Suar. cit. loc. licèt dicat, ſuſpenſionem in caſu oſtenſæ probabilis ignorantiæ incurri ipſo facto, ita tamẽ, ut diſpenſari cum eo poſſit, vel tempus ſuſpenſionis coarctari, idque colligi ex ſubjuncta exceptione. Addit verò gl. in cit. §. Adjicientes V. defecerit, quòd, ſi quis plura crimina, vel defectus contra perſonam electi objecerit, & unum ſolùm eorum plenè probaverit, evitet pœnam ſuſpenſionis, ſaltem ſi illud ad caſſandam, ſeu reſcindendam electionem per ſe ſolùm ſufficiat, quia non fuit in fraude, arg. c. Inter cæteras 4. de reſcript.

Barb.

Barb. hîc in §. Adjicientes n. ult. Porrò in tali caſu, quo ob prohahilem ignorantiam objiciens aliqnid contra perſonam electi, qnod probare non poteſt, excuſatur à pœna ſuſpenſionis, neqne in expenſas condemnari debet, ſecundùm gl. receptam in c. finem 5. V. Expenſas de dolo & contumac. ubi id generaliter docet de eo, qui probabilem cauſam litigandi habet.

Notandum 3. Etſi in §. Adjicientes h. t. in 6. ſolùm ſit ſermo de electione, tamen idem etiam dicendnm de poſtulatione, vel alia quacunque proviſione alicujus beneficij, nempe, quòd, ſiquis electo, vel poſtulato, vel præſentato ad dignitatem, vel perſonatum, vel Canonicatnm, aut aliter proviſo aliquid contra perſonam ipſius opponat, in cujus probarione deficiat, is dictam ſuſpenſionem incurrat, Suar. cit. ſec. 3. n. 12. ubi addit, quòd etiam in electis ad Epiſcopatum ea pœna locnm habeat, ut colligitur ex c. Si Compromiſſarius 37. in fine h. t. in 6. quia magìs punienda eſt calumnia, quæ fit electo in Epiſcopum, quàm ad inferiorem dignitatem.

CCLXXVI. Cæterùm quomodo per appellationem cauſa electionis, aliæque heneficiales devolvantur ad Curiam Romanam, & qualiter intimatio appellarionis fieri debeat, declaratur in Clement. » canſam 3. h. t. ubi ſtatuit Clemens V. in Concilio » Viennenſi, ut cauſa electionis (etiam ad Epiſcopa- » lem, ſeu Cathedralem Eccleſiam, gl. ihid. V. eo- » dem) poſtulationis, aut proviſionis, per appella- » tionem ab ea vel occaſione illius, ad Sedem Apo- » ſtolicam interpoſita (in alijs enim non haber lo- » cum Conſtitutio c. 1. h.t. in 6. cujus hæc eſt decla- » ratoria) tum demum ad eandem Sedem devoluta » cenſeatur, cùm in appellati, ſeu ejus, contra quem » appellatur, vel procuratoris ejuſdem ad hanc cau- » ſam ſpecialiter conſtituti præſentia fuerit interpo- » ſita: aut cùm fuerit intimata eorum alteri (ſcili- » cet appellato, vel ſpeciali procuratori ipſins) infra » menſem ab interpoſitione ipſius appellationis nu- » merandum: vel ſaltem cùm fuerit legitimè inti- » mata, poſt elapſum menſem, quamprimum com- » modè fieri poterit (arbitrio boni viri, gl. ibid. V. » Commodè) porrecto videlicet libello ſub ſcriptura » authentica (expenſis intimantis, gloſſ. hîc V. Por- » recto) vel perlecto illius tenore coram appellato, » & copiâ appellationis conſimili modo (ſcilicet ſub » ſcriptura authentica) ei tradita, ſi fuerit petita. » Quòd ſi forſan appellatus abſit extra provinciam, » nec ejus procurator ſpecialis inveniri poſſit, tum » appellatio hujuſmodi pnhlicari debet in domo, id » eſt, ante domum, in qua ipſe appellatus commu- » niter conſuevit habitare (longiore tempore, quàm » alihi, etſi ihi infra dimidium annum hahitet, gloſſ. » hîc V. communiter, & quamvìs ſit ſolùm inquili- » nus in illa domo, gl. V. habitare) vel ſi eadem do- » mus in remotis partihus ſira eſt, publicario appel- » lationis fieri debet in Eccleſia Cathedrali, in cujus » civitate, vel Diœceſi dignitas, vel heneficinm, ad » quod appellatus fuit electus, vel promotus, exiſtit: » & nihilominus in utroqne caſn (ſcilicet cùm pu- » blicatio fit ad domum appellati, vel in Eccleſia Ca- » thedrali, aut loco, in qno eſt beneficium) de factâ » pnblicatione copia, ſi petita fuerit, modo ſuprà di- » cto fieri debet appellato.

Verùm, ſi propter metum (juſtum) illius, con » tra quem appellatur, vel potentiam ipſius, vel ſuo- » rum, intimatio appellationis modo prædicto fieri » nequeat; tum illa dehet in loco aliquo puhlico ſic » ſolemniter publicari (v. g. ſub Miſſa puhlica, vel » in nundinis, vel in alio loco frequentato à popu- » lo) ut illa ad appellati, vel procuratoris ejus ſpe- » cialis, notiriam veriſimiliter poſſit pervenire. In- » timatio verò aliter facta omni careat effectu: nec » cauſa cenſeatur devoluta ad Sedem Apoſtolicam » per eandem appellationem, niſi certa, & plena noti- » tia ejuſdem appellationis (& omnium objectorum » contra formam electionis, vel perſonam electam, » gloſſ. hîc V. Plena) aliter perveniſſet ad appella- » tum, infra tempns prædictum, ſcilicet menſem, » vel poſt illum quamprimùm commodè fieri poſſet. » Idem quoque in alijs caſibus obſervandum eſt, in » quibus requiritur, ut intimario fiat, ita habe- » tur ſtatutum in cit. Clement. canſam §. Verùm h. t.

CCLXXVII. Porrò licèt aliàs de Jure communi ad appellationem legitimam, ut ea devolvatur ad Jndicem ſnperiorem, ad quem eſt appellatum, ſolùm requiratur, ut ſit interpoſita, ex cauſa rationabili, & in ſcriptis, ſinè tali ſolemni intimatione factâ appellato, vel puhlicatione, ut conſtat ex c. Ut debitus 59. de appellat. & c. Quamvìs 10. h. t. in 6. tamen ſolemnitates præſcriptæ in hac Clementina ſolùm requiruntur, quando cauſa beneficialis per appellationem devolvitur ad Sedem Apoſtolicam, ut tractetur in Curia, & non extra illam committatur; nam majores ſolemnitates in jure ſtatutæ ſunt in cauſis beneficialibus tractandis in Curia, quia propter multitudinem cauſarum, quæ ex toto orbe ad Curiam Romanam deferuntur, majus eſſet periculum, ne ab una parte alteri parti frans fieret circa dignitatem, vel beneficium obtinendum, niſi cautiùs provideretur, Vivian. in ration. Jur. Pontif. in cit. Clement. cauſam h. t.

§. IV.

De examinatione defectuum, qui objiciuntur electo, vel promovendo ad Eccleſiaſticam dignitatem.

CCLXXVIII. De hoc agitnr in primis in c. Si » fortè 11. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in eodem » Concilio Lugdunenſi c. 10. ita ſtatuit: ſi fortè ele- » cto, poſtulato, vel aliter promovendo ad aliquam » dignitatem, inter alia (v. g. qnòd ſit homicida, per- » jurus, vel excommunicatus, vel his ſimilia, qnæ ita » facilè cognoſci, vel prohari non poſſunt, gl. hîc V. » cætera) objiciat evidentem defectum ſcientiæ, vel » manifeſtum perſonæ (ſcilicet corporis, qui facilè » cognoſci poſſit per oculorum inſpectionem, vel » per examinationem probari, gl. hîc V. Inter cætera) » Jndex ante omnia (id eſt, antequam examiner alia » non evidentia, quæ ſunt oppoſita, gl. hîc V. Ante o- » mnia) examini ſuhjiciat promovendum, utrùm ta- » lis defectus in eo deprehendatur, néc ne: cuius in- »

qui

» quiſirionis factæ eventus initium dabit examinan- » dis aliis defectibus objectis, aut negabit: nam ſi fa- » ctâ inquiſirione, conſtiterit, adverſarium electo, vel » proviſo falsò objeciſſe defectum, à proſecutione » cauſæ omnino repellendus erit, neque in aliis ob- » jectis audiendus, ſed perinde puniri debet, ac ſi in » probatione omnium, quæ objecerat, defeciſſet. Rario hujus Conſtitutionis eſt, quia vel Judex inquiſitione factâ, deprehendit electo, vel promoto, verum defectum objectum fuiſſe; & tunc is, ut indignus repellendus eſt, ſi ſit defectus talis, ob quem fiat inhabilis ad dignitatem; & ad aliam canonicam electionem, vel proviſionem procedendum eſt. Vel deprehendit, falſum defectum ipſi objectum fuiſſe; & tunc opponens repelli debet, ac puniri, perinde ac ſi in omnium objectorum probatione defeciſſet: nam cùm repertus ſit calumniari in defectu manifeſto, qui facilè cognoſci, & inquiri potuit, præſumptio eſt, quòd etiam in omnibus aliis defectibus objectis, qui difficiliùs inquiri, & cognoſci poſſunt, fraudem & calumniam commiſerit: niſi opponens, ob probabilem ignorantiam, excuſaretur à vitio calumniæ, c. 1. in fine, h. t. in 6. gl. hic V. Evidentem. Vivian. in ration. Jur. Pontif. Addit gl. cit. quòd hæc pœna non habeat locum, ſi quis opponat defectum non evidentem, ſeu non manifeſtum: ſicut etiam non habet locum in electione, vel promotione ad ſimplicia beneficia, cùm Canon loquatur de electo, aut promoto ad dignitatem, ergò cùm ſit conſtitutio pœnalis, non eſt extendenda ad alia non expreſſa, gl. hic V. Dignitatem, & Anchar. Idque ſtatutum eſt, ut electiones, ſeu promotiones ad dignitates Eccleſiaſticas tantò celeriùs expediantur, neque illæ diu vacent.

Porrò, quando in hoc c. dicitur, quòd exitus factæ inquiſitionis de defectu manifeſto initium dabit examinandis aliis defectibus objectis, vel negabit, id ita intelligendum eſt, quòd, ſi defectus objectus electo, vel proviſo reperiatur verus, ſed non ſufficiens ad repellendum electum; tùm ad alios defectus objectos examinandos procedetur, gl. hic V. Initium. Sed etſi defectus ſit ſufficiens ad caſſandam electionem, vel proviſionem, plerumque tamen expedit, ut plures cauſæ electionis reſcindendæ cognoſcantur, ad tollendam omnem dubitationem cauſæ. Si verò poſt factam inquiſitionem, defectus perſonæ electi objectus deprehendatur eſſe falsò objectus; tum adverſarius opponens repelli debet, ita, ut nec ad alios defectus objectos probandos admitti poſſit, niſi manifeſtè appareat, ipſum ex probabili ignorantia defectum falsò objeciſſe electo, ſeu proviſo, ut paulò ante dictum: quamvìs etiam tali caſu, quo manifeſtè apparet, falſum defectum objectum eſſe, Judex poſſit ex officio, ob alia indicia, vel ad novam accuſationem alterius procedere ad alia objecta electo, vel proviſo examinanda, Laym. hic in fine.

Quod autem dictum eſt, eum, qui oppugnat electionem, vel proviſionem, & in uno defectu probando deficit, repelli etiam ab aliis objectis probandis, caſus eſt ſpecialis, cùm aliàs regulariter, qui deficit in probatione unius defectûs, admitti debeat ad probationem aliorum, quos objecit, ut colligitur ex c. 1. §. Adjicientes, h. t. in 6. Laym. in cit. c. Si fortè, & dictum §. præcedente.

CCLXXIX. Præterea in c. Ab eo 31. h. t. in 6. ſtatuit Papa Bonifacius VIII. quòd is, qui contra » electum, vel poſtulatum, vel aliter promovendum » ad aliquam dignitatem, inter cætera, evidentem, » notorium, ſeu manifeſtum ſcientiæ, vel alium » perſonæ defectum, (v. g. morum, vel natalium) ob- » jecit, poſtea defectum objectum, vel eius qualita- » tem (v. g. quòd defectus objectus ſit manifeſtus) » revocare nequeat, vel ab eo recedere. Ratio eſt, » quia cùm opponens, ſi in probatione defectûs manifeſti deficiat, à proſecutione cauſæ omnino excludi debeat, quippe qui veritate deſtitui videtur, & puniendus ſit, perinde ac ſi in probatione omnium objectorum defeciſſet (iuxta cit. c. Si fortè, h. t. in 6.) juſtum eſt, ut, poſtquam ad eandem oppoſitionem proceſſit, nequeat in præjudicium electi, vel proviſi, contra quem oppoſuit, ulteriùs pœnitere. Confirmatur, quia iuxta reg. jur. 33. in 6. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum: & quod ſemel placuit, non poteſt ampliùs diſplicere, reg. juris 21. eod. in 6. ubi ſcilicet verſatur alterius intereſſe, niſi in caſibus, in quibus jura pœnitentiam, & variationem admittunt, gl. hic V. Pœnitere. Ex quo infertur, quòd non poteſt quis factum proprium revocare, quando ex eo adverſario eſt jus quæſitum, ut notavit Ancharan. hic. not. 4.

Extenditur autem deciſio huius Conſtitutionis, quòd, etiamſi electus, poſtulatus, vel promovendus huic ſuo juri, & commodo renunciet, & conſentiat, ut actor ad defectum manifeſtum, quem objecerat, probandum non teneatur, adhuc Conſtitutioni huic locus ſit, & opponens defectum objectum, vel eius qualitatem revocare non poſſit, nec Judex neceſſariò debeat talem revocationem admittere, gl. hic V. Pœnitere in fine. Ratio eſt, quia publicè Eccleſiæ intereſt, ut controverſiæ ortæ circa electiones, & proviſiones celeriter expediantur, & Eccleſiis vacantibus, citò idoneus Prælatus, vel Rector provideatur: modus autem citò expediendi has cauſas eſt, ut Judex, ante omnia, examinet, ſeu inquirat, utrùm defectus manifeſtus, qui electo, vel proviſo objectus fuit, in eo reperiatur, nécne, ut ex ſuprà dictis patet. Quare cùm hic non agatur tantùm de jure, ſeu favore privato electi, vel promovendi, ſed de jure publico, ſeu utilitate Eccleſiæ, conſequenter non poteſt privato pacto ei renunciari: ac proinde ratio in textu allata, quia talis revocatio defectûs objecti, vel qualitatis eius cederet in præjudicium electi, vel promovendi, non eſt adæquata ratio huius conſtitutionis, quia eâ etiam ceſſante, adhuc locum haberet eius diſpoſitio, Laym. in cit. c. Ab eo, in fine.

§. V.

De forma, & modo interponendi appellationem in cauſis electionum, & aliis beneficialibus.

CCLXXX. De hoc agitur in c. Ut circa 4. h. » t. in 6. ubi Gregorius X. in eodem Generali Con- » cilio Lugdunenſi c. 3. edicto perpetuo ſtatuit, ne » Eccleſiæ diutius vacare, id eſt, Prælatis, & Miniſtris »

carere,

» carere, cum Eccleſiæ detrimento, contingat, vel di-
» gnitatum, perſonatuum, & aliorum Eccleſiaſtico-
» rum beneficiorum proviſio differatur, ut, ſi quando
» aliqui (quorum intereſt, ut Canonici, Parochiani,
» vel Patroni, gl. hîc V. Aliqui) electionibus, poſtu-
» lationibus, vel aliis proviſionibus ſe opponunt fa-
» ctis, vel faciendis, objiciendo aliqua contra formá
» electionis (ut, quia v. g. non fuit ſervata forma, c.
» Quia propter. 42. h. t.) vel poſtulationis (quia ea
» non fuit concors, vel ſaltem à duabus partibus Ca-
» pitularium celebrata) vel proviſionis (quia v. g.
» per litteras ſubreptitias facta fuit, gl. hîc V. For-
» mam) vel contra perſonas eligentium, aut provi-
» dentium (quòd ſint irretiti majore excommunica-
» tione, vel ſuſpenſi ab homine, vel privati à Cano-
» ne, quia ſcienter elegerunt indignum) vel contra
» perſonam electi, aut proviſi, v. g. defectum ætatis,
» ſcientiæ, aut natalium: & idcirco ad Superiorem
» appellent, teneantur appellantes in publico inſtru-
» mento (facto per manum Tabellionis ſeu Notarij)
» vel litteris (teſtimonialibus nempe ſigillo authen-
» tico obſignatis, gl. hîc V. Litteris) ſuper appellatio-
» ne confectis, omnia & ſingula, quæ objicere vo-
» lunt, contra formam, vel perſonas, exprimere: &
» inſuper coram perſonis, aut perſonâ authenticâ,
» ſeu publicâ (Magiſtratu ſcilicet vel Tabellione)
» corporale juramentum (manu tactis Evangeliis)
» præſtare de veritate dicenda, id eſt, quòd credant,
» vera eſſe, quæ ſic exprimunt, & ſe poſſe ea probare:
» quod teſtimonium juramenti præſtiti Magiſtratus,
» vel Tabellio litteris datis, aut inſtrumento inſerat.
» Alioquin, ſi opponere, ſeu appellare volentes quæ-
» dam in inſtrumento, vel litteris non expreſſerint,
» non poterint deinde ipſi, vel eis, tempore appella-
» tionis interpoſitæ, vel poſtea adhærentes, ea obji-
» cere electo, vel proviſo: niſi aliquid opponendum
» poſtea de novo emerſerit (ut ſi electus de novo ho-
» micidium, vel aliud grave delictum commiſiſſet)
» vel nova ſuper antiquis (tunc notis, ſed non oppo-
» ſitis, ob defectum probationis) probandi facultas
» ſupervenerit, ſeu oblata fuerit: vel denique, niſi a-
» liquid opponendum, poſtea de novo in notitiam
» appellantium pervenerit, quæ ipſi tempore appel-
» lationis emiſſæ, veriſimiliter ignorare potuerint,
» & etiam ignorârint: ita tamen, ut proprio corpo-
» rali juramento præſtito, fidem faciant, quòd ea an-
» tè ignorârint, vel quòd facultas probandi poſtea
» ſupervenerit, nunc autem ea cognoverint, & quòd
» ſufficienter ea probare ſe poſſe, credant. (In primo
verò caſu, quando aliquid de novo emerſit, appellantes non jurant, niſi de calumnia vitanda, gl. hîc V. Su-
» perveniente. Denique in fine additur, quòd illa,
» quæ Innocentius Papa IV. (in c. 1. h. t. in 6.) contra
» eos, qui non plenè probant ea, quæ contra formam
» electionis, vel perſonam electi objecerant, in ſuo
» robore debeant permanere.

CCLXXXI. Notandum 1. Etſi aliqui exiſtiment, quòd Conſtitutio hæc ſolùm locum habeat, quando appellatur ad Papam, ut tenet Lapus hîc n. 1. & alij apud eundem, quia per appellationes interpoſitas ad Papam magis protrahuntur negotia, & proviſiones Eccleſiarum, & ita plures ſolemnitates ad illas requiruntur, ut magis arctentur, & conſtringantur, adeóque hæc conſtitutio videtur ſupplere illam, quæ habetur in c. 1. h. t. in 6. quæ expreſsè loquitur de appellatione interpoſita ad Papam: tamen ſecundùm gl. hîc V. appellari, & Joan. Monach. hîc hæc Decretalis habet etiam locum in appellationibus interpoſitis ad alios Judices Papâ inferiores, quia, cùm generaliter loquatur, generaliter etiam intelligenda videtur. Deinde Cóſtitutio in c. 1. h. t. in 6. habet locum, ſive in judicio, ſive extra judicium appelletur: hæc verò in appellationibus tantùm, quæ fiunt extra judicium, c. Conſtitutio 41. h. t. in 6. de quo infra: nam in hoc c. agitur de appellationibus, quę fiunt contra electiones, poſtulationes, vel proviſiones Eccleſiarum, quæ non ſunt appellationes judiciales, ſed extra judiciales, quia Canonici, à quorum facto appellatur, non ut Judices eligunt, & contra id, quod faciunt, non tanquam à Judicibus, appellatur, Anchar. hîc not. 2. Denique in c. 1. h. t. in 6. imponitur pœna opponenti, ſeu appellanti, qui defecit in probatione eius, quod objecit: hîc verò imponitur pœna ei, qui non obſervat formam in hoc c. præſcriptam in appellando, gl. fin. hîc. nempe, ut ſic appellans non audiatur ſuper expreſſis, nec ſuper exprimendis, ut conſtat ex hoc c. Verſ. Alioquin.

Notandum 2. Adhærentes opponenti, ſeu appellanti, ſi hic repellatur, ob formam non ſervatam, etiam ipſi non audientur, quia jus adhærentium regulatur ſecundùm jus principalis opponentis, ideóque nituntur proceſſu ipſius principalis, licèt propter ſuum intereſſe, Ancharan. hîc in notatis: Non tamen tenentur adhærentes appellationi jurare, nec ſpecificè exprimere defectus objectos, quàm diu principalis appellans proſequitur cauſam, cùm de illis quoad hoc nulla fiat in hac Conſtitutione mentio, gl. hîc V. Adhærentes.

Notandum 3. Appellantes allegantes ignorantiam eorum, quæ poſtea opponere volunt, & probare, debent illam probare per proprium juramentum, quia ab initio tenebantur inquirere, & cognoſcere ea, quæ objicere velint, an probare poſſint, alioquin præſumuntur malitiosè opponere; cùm enim ignorantia in animo lateat, & occulta eſſe ſoleat, non aliter, quàm per juramentum probari poteſt, c. Nulli 8. h. t. in 6. gloſſ. hîc V. Per proprium. Quòd ſi Capitulum Eccleſiæ alicujus proviſionem v. g. ab Epiſcopo factam oppugnare velit, & ad Superiorem appellare, debet, ac poteſt juramentum corporale præſtare per procuratorem ad hoc ſpecialiter deputatum, quia Capitulum eſt perſona ficta, ideóque comprehenditur etiam in hac Conſtitutione ſub Verbo *aliqui*, vel *quicunque*, Joan. Monach. hîc n. 8. juramentum autem proprium dicitur, quod præſtatur per ſeipſum, vel per procuratorem habentem ad hoc ſpeciale mandatum, gl. margin. hîc in fine, de quo infrà.

CCLXXXII. Cæterùm prædicta Conſtitutio Concilij Lugdunenſis in cit. c. Ut circa h. t. in 6. in qua inter alia ſtatutum fuit, ut appellans contra electionem, poſtulationem, vel proviſionem teneatur jurare, quòd omnia à ſe objecta credat eſſe vera, & ſe ea probare poſſe, magis declaratur 1. in c. Is cui 19. h. t. in 6. quòd non ſufficiat, ſi is, qui »
contra formam electionis, vel contra perſonam »
electi aliqua objiciens, ad Sedem Apoſtolicam ap- »
pellavit, juramento corporali præſtito, juravit dis- »

jun-

» unctivè, ſe credere, omnia in appellationis inſtru- » mento expreſſa, & objecta vera eſſe, & à ſe proba- » ri poſſe, vel ſaltem ea, quæ ſufficiunt ad repellen- » dum electum, poſtulatum, vel proviſum, nam ſic » appellans, non tantùm ſuper non expreſſis, ſed e- » tiam ſuper expreſſis, vel objectis non eſt audien- » dus, cùm non ſimpliciter (ſicut tenebatne juxta » Conſtitutionem Gregorij X. editam in Concilio » Generali Lugdunenſi, in c. Ut circa 4. h. t. in 6.) ju- » raverit, quòd credat, vera eſſe omnia, quæ objecit, » & ſe probare poſſe, ſed ſolùm indeterminatè, ſeu » disjunctivè juravit, ſe credere aliqua ex objectis, » ſeu expreſſis in appellatione, vera eſſe, & à ſe pro- » bari poſſe, ideóque actor omnino repellendus eſt, » niſi juxta formam in cit. c. Ut circa, præſcriptam ju- » raverit. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia quam- vis aliàs ex duobus propoſitis ſufficiat unum proba- re, c. licèt 9. de probat. c. Inter cæteras 4. de reſcript. tamen Concilium Lugdunenſe hîc intendit non providere probationibus, ſed objectionibus, ſive op- poſitionibus contra electiones, & alias proviſiones, ne aliquid per calumniam electis, vel proviſis obji- ceretur, ideóque voluit, ut ſimpliciter ſuper omni- bus objectis actor, ſeu opponens juraret, ſe crede- re, ea vera eſſe, & à ſe probari poſſe, alioquin ſi actor juraret, ſe credere, vera eſſe, & à ſe probari poſſe, quæ ſufficiunt ad cauſæ ſuæ victoriam, ſive ad electionem infirmandam; tum ſi ex decem objectis unicum tan- tùm verum eſſet, reliqua omnia falſa, ſatisfactum eſſet juramento: meritò igitur in pœnam calu- mniæ, quæ vel uno objecto falſo committitur, to- ta appellatio, vel oppoſitio rejicitur, gl. hîc V. illa vel ea.

Hinc colligitur 1. Quæ ſit pœna non ſervantia formam jurandi præſcriptam in cit. c. Ut circa, nem- pe ut appellatio non valeat, & jurans non ſolùm ſu- per non expreſſis, ſed etiam ſuper expreſſis objectis non audiatur, ſed repellatur, niſi in tribus caſibus exceptis in cit. cap. Ut circa, gloſſa. hic V. Au- diendus.

Colligitur 2. A verbis legis, vel alterius diſpo- ſitionis non eſſe recedendum, niſi conſtet, aliam fuiſ- ſe mentem legiſlatoris, vel diſponentis, c. Ad au- dientiam 12. de decimis. l. Non aliter 69. ff. de legat. 3. l. 1. §. Licèt autem. ff. de exercitor. act. ubi dicitur, in re dubia melius eſt, verbis edicti ſervire, gloſſ. hîc V. Simpliciter.

Porrò etſi aliqui ex hoc c. probabiliter infe- rant, quòd Decretalis Conſtitutio in cit. c. Ut circa non habeat locum, niſi in appellationibus interpo- ſitis ad Papam, quia in hoc c. quod eſt declaratorium illius Conſtitutionis, expreſsè ſit ſermo de appella- tione ad Sedem Apoſtolicam; Verùm non diſpoſi- tivè, ſed narrativè ſolùm id dictum eſſe, intelligen- dum eſt, quia Conſtitutio, Ut circa, indiſtinctè loquitur, gloſſ. hîc V. Ad Sedem Apoſtolicam, & Francus num. 2.

CCLXXXIII. Declaratur 1. Prædicta Con- ſtitutio c. Ut circa, in qua decretum fuit, ut, ſi quis appellet contra formam electionis, vel perſonam e- lecti, poſtulati, vel proviſi, debeat omnia objecta in ſcripto exprimere, & jurare, ſe credere, ea vera eſ- ſe, & probare poſſe, quòd ea locum habeat, etiamſi electio, vel poſtulatio non ſit facta, ſed facienda, mo- dò contra perſonam certam, & non contra incertam appelletur, ſicut conſtat ex c. Qui contra 20. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit; Qui con- » tra certam, & nominatam perſonam (ſive proprio » nomine, v. g. ne Titius, ſive nomine appellativo, » ne filius Titij eligatur, vel Archidiaconus, gl. hîc » V. Nominatam) ad Sedem Apoſtolicam, antequam » fiat electio, appellat, ne eligatur (vel poſtuletur, de » proviſione enim jam ſuprà dictum eſt in c. Ut cir- » ca, quòd ab illa, ſive facta, ſive facienda appellari » poſſit, gl. hîc V. Eligatur) debet per omnia in ap- » pellando ſervare formam Conſtitutionis Gregorij » X. in c. Ut circa h. t. in 6. ac ſi electione jam factâ » appellaret: alioquin, ſi non obſervet, pœnæ ejuſ- » dem Conſtitutionis ſubjacebit, nempe ut non va- » leat appellatio, nec audiatur etiam ſuper expreſſis, » juxta cit. c. Is qui h. t. in 6. gl. fin. hîc. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia cùm electio, poſtulatio, & proviſio in jure, quoad appellationem moderandam, æquiparentur, ut patet ex c. 1. & cit. c. Ut circa h. t. in 6. ſtatutum de uno cenſeri debet etiam ſtatutum eſſe de altero: atqui non ſolùm in proviſione factâ, ſed etiam faciendâ ſervanda eſt forma in appellando præſcripta in c. Ut circa h. t. ut ibi habetur expreſ- ſum, ergo etiam ſimiliter ſervanda eſt in electione, ac poſtulatione facienda, ut notat gl. hîc in notatis V. Fiat electio, & in cit. c. Ut circa V. Facienda, præ- ſertim cùm eadem ratio conſtitutionis locum habe- at, ſive electio, aut poſtulatio ſit facta, ſive facienda, nempe ne is, contra quem appellatur, per calumniã oppugnetur, ſi objecta in ſcripto non exprimantur, nec juretur de veritate dicenda. Ratio autem, cur, ſi contra incertam perſonam appelletur, v. g. ne eli- gatur aliquis excommunicatus, homicida, vel aliàs inhabilis, non ſit ſervanda hæc conſtitutio, eſt, quia, cùm nondum ſciatur, quænam perſona eligenda ſit, nihil contra illam objici poteſt, gl. hîc V. Certam. Porrò ex hoc c. V. facta colligitur, quòd Conſtitutio concepta per verba præteriti temporis comprehen- dat etiam, vel trahatur ad tempus futurum, quando eadem eſt utrobique ratio, ut in propoſito, conſtitu- tio, Ut circa, loquitur de eo, qui objicit contra ele- ctionem factam, & tamen habet etiam locum in eo, qui objicit contra electionem faciendam, gloſſ. hic V. Facta, Anchatan. not. 1. Franc. in fine.

CCLXXXIV. Declaratur 2. Eadem Conſtitutio c. Ut circa, quòd ſicut appellans ab electione debet ſpecificè exprimere omnes defectus, quos intendit opponere contra formam electionis, vel perſonam electi; ita & procurator ab eo ad appellandum con- tra electionem conſtitutus, ſicut habetur in c. Procu- rator 38. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita » reſcribit; Procurator ad appellandum (extra judi- » cium, gl. hîc V. eod. de quo infrà) contra electio- » nem alicujus (factam, vel faciendam, ſi contra » certam perſonam appelletur, c. Qui contra 20. h. » t. in 6. gl. hîc V. Proviſionem) non aliter idoneus » deinceps reputetur, quàm ſi omnia, quæ ſive con- » tra formam electionis, ſive contra perſonas (ele- » ctum, vel eligentes, cit. c. Ut circa, ibi: *perſonas e- » ligentium, vel electi*, gl. hîc V. Perſonas) intendit » objicere, clarè, & ſingulariter, ſeu ſpecificè in ejus » procuratorio inſtrumento ſint expreſſa: & habeat » inſu-

» inſuper ſpeciale mandatum de præſtando corporâ-
» li juramento in animas eorum, quorum ipſe pro-
» curator eſt, quòd ipſi credant ea, quæ expreſſa
» ſunt, vera eſſe, & ſe poſſe ea probare. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia Procurator poſſet credere, ea eſſe vera, quæ non credit dominus eſſe vera, & ſic oon poſſet verè jurare de credulitate domini, & dominus poſſet ſe malitiosè excuſare, dicendo, ſe non ita intellexiſſe, ideo ad obviandum malitijs, quæ in hujuſmodi appellationibus fieri poſſent, procurator quoque ad appellandum contra electionem conſtitutus, debet omnia, quæ opponere vult, ſpecificè exprimere, & jurare, non in propriam, ſed in animam domioi, ipſum credere, omnia expreſſa eſſe vera, & à ſe probari poſſe, gloſſ. hîc V. Eorum animas, junctâ gl. margin.

Illud hîc notandum, licèt aliàs, ſi procurator datus ſit ad agendum, & defeodendum, non requiratur, ut in mandato procuratorio, ſpecificè, & ſigillatim exprimaotur crimina, & defectus: in procuratore tamen dato ad appellandum ab alicujus electione, poſtulatione, vel proviſione requiritur ſpecifica expreſſio criminum, ſeu defectuum objectorum, ut cooſtat ex h. c. & Clement. 2. de procurat. quia intereſt adverſarij, ſic fieri, gl. hîc V. Mandatum, junctâ gl. margin. &, cùm hîc agatur de favore adverſarij, requiritur, ut io mandato procuratorio ſpecialiter, & in individuo omnes circumſtantiæ crimioum, ſeu defectuum, loci, temporis, & aliæ exprimantur, Franc. hîc n. 1. & Barb. io Collectan. hîc n. 3. Si tamen ipſe dominus appellâſſet, ſervatâ formâ cit. c. Ut circa h. t. io 6. licèt ipſe poſtea procuratorem conſtitueret, is admitteretur, etiamſi iu illius procuratorio mandato non eſſet facta expreſſio crimioum, ſeu defectuum objectorum, quia ad appellationem jam factam proſequendam id non requiritur, Franc. hîc oum. 1.

CCLXXXV. Declaratur 3. Quòd ea, quæ præſcripta ſunt circa appellationes in cit. c. Ut circa, tantùm locum habeant, & ſervanda ſint in appellationibus extrajudicialibus, ut cooſtat ex c. Conſtitu-
» tio 41. h. t. in 6. ubi dicitur, quòd Conſtiturio Gre-
» gorij X. edita in Coocilio Lugdunenſi, & præſcri-
» bens formam, ſecuodùm quam ab ijs, qui contra
» electiones, poſtulationes, aut proviſiones ſe op-
» poount, appellari debeat, locnm tantùm habeat,
» quando contra illas extra judicium appellatur: ſi
» verò in judicio appelletur in hnjuſmodi cauſis, ju-
» ra antiqua obſervari debent, cùm per illam Coo-
» ſtitutionem, Ut circa, non fuerint correcta. Ratio diverſitatis inter appellationes judiciales, & extrajudiciales eſt, quia Conſtitutio Concilij Lugdunenſis, quæ habetur in c. Ut circa, edita eſt ad obviandum malitijs, quæ committebantur circa appellationem ab electionibus, poſtulationibus, & proviſionibus, ut patet ex cit. c. Ut circa in prioc. quibus ooo erat per jura proviſum: ſed quoad appellatiooem judicialem jam erat per diverſa jura bene proſpectum, ut in c. Ut debitus 59. de appellat. & c. 1. eod. in 6. & quia habétur magìs parara remedia in judicio, quàm extra judicium; ideo magìs opus erat adhibere cautelam ad appellationem extrajudicialem, quàm ad judicialem, gl. hîc V. Conſtitutio.

Non obſtat, qnòd, ubi eſt eadem ratio diſpoſitionis, ibi etiam idem jus eſt ſtatuendum; ſed ratio, ob quam in cit. c. Ut circa, nova forma præſcripta eſt appellationibus ab electionibus, nempe ut via malitijs hominum præcludatur, & ne diutius periculosè Eccleſiæ vacent, & proviſio beneficiorum differatur, æquè locũ habet in appellatione, quæ fit in judicio, quàm quæ fit extra judiciũ, ergo idem de utraq; appellatiooe diſpoſitum eſſe, dicendum eſt. Nam reſpondetur, quòd lex exorbitaos à jure comuni, ſicuti & pœnalis, vel alia, quę ſtrictę interpretationis eſt, nõ debet, etiã propter ſimilitudinem rationis in lege expreſſæ, extendi ad incluſa ſub illa ratione, vel ſimilia; niſi ob urgentem aliquam neceſſitatem; ſed ſolùm locum habet talis lex in comprehenſis ſub verbis in propria ſignificatione acceptis, gl. margin. hîc; idque, quia correctio jurium, quatenus fieri poteſt, vitanda eſt, c. Cùm non expediat. 29. h. t. in 6. l. Præcipimus 32. in fine, C. de appellat. gloſſ. fin. hîc. præterquam, quòd non ſit par ratio in utraque appellatione, ut ex jam dictis patet.

CCLXXXVI. Denique prædicta Conſtitutio magìs declaratur, & in multis limitatur in Clement. cooſtitutionem 4. h. t. ubi decernitur, quòd Conſtitutio edita io Concilio Lugduoenſi, quæ ex- »
tat in c. Ut circa. 4. h. t. in 6. non habeat locum, quá- »
do, quæ opponuntur ab appellante, directè reſpici- »
unt jus Eccleſiæ (ut, ſi Eccleſia vel Prælatus, ipſius »
nomine ſe opponat, dicendo, hoc eſſe de jure Eccleſiæ illius, ut habeat ſuffragium in electione, vel quòd ex ipſius gremio aliquis eligi debeat; vel quòd electio, poſtulatio, aut proviſio facta ſit contra privilegia illius Eccleſiæ, gl. magna hîc, & V. Eccleſię) vel perſo- »
oæ ipſius opponeotis (ut, quia is dicit, dignitatem, vel beneficium, ad quod ſit electio, vel proviſio, ad ſe pertinere, & ſibi eſſe debitum, vel ad ipſnm pertinere collationem illius, v. g. jure devoluto, vel quod ipſe fuerit cootemptus, vel canonicè electus) in his e- »
nim, & ſimilibus caſibus, non eſt neceſſe ſervare »
Conſtitutionem cit. c. Ut circa, ſed tantùm, cùm per »
competitorem (eiuſdem dignitatis, vel beneficij »
cuiuſcunque) vel oppoſitorem quemlibet appel- »
lantem (ſive ad Papam, ſive ad alios etiam inferio- »
res Papâ, iuxta opinionem gl. hîc V. Appellantem, & extra judicium tantùm, iuxta c. Conſtitutio 41. h. t. de quo ſuprà) contra formam, aut perſonas (eligentium vel electi, poſtulantium, vel poſtulati; pro- »
videntium, aut proviſi) defectus, vel crimina oppo- »
nuntur. Et hoc caſu, ſi appellans omittat circum- »
ſtantias criminum, vel defectuum ſpecificè expri- »
mere, oon eſt poſtea ſuper ijs ampliùs audiendus, »
etiamſi per juramentum aſſerat, ſe huinſmodi cir- »
cumſtantias, vel earum probationes de novo per- »
cepiſſe, ſive cognoviſſe, cit. Clement. §. Cæterùm. »
Ratio eſt, quia, cùm appellans à priocipio debeat exprimere omnia, quæ opponit, & jurare, ſe credere, ea eſſe vera, & ſe poſſe ea probare, cit. c. Ut circa, cum hoc juramento non poſſet ſimul conſiſtere illud juramentum, quo diceret, ſe tales circumſtantias, vel earum probationes de novo percepiſſe, cùm cognoſcere de novo arguat, prius juramentum falſum fuiſſe, quo dixit, ſe illas ſcire, & credere, eſſe veras, & ſe poſſe eas probare, gl. hîc V. de novo. Nec obſtat, qnòd in cit. c. ut circa, dicitur, quòd appellans ſuper non oppo-

oppoſitis, ſeu expteſſis auditur, ſi juret, quòd illa de novo pervenerint ad ipſius notitiam, ergo idem videtur dicendum de circumſtantiis, ſi ex non ſufficienter fuerint expreſſæ. Nam reſpondetur cum gl. loc.cit. ſi quis non opponat, quod ignorat: vel quod ſcit, ſed non credit, ſe probare poſſe, in eo nullum vitium committit, ideo juſtum eſt, ut poſtea cum juramento admittatur, ut in cit.c. Ut circa. Sed, ſi quis opponat, & circumſtantias non exprimat, malè agit, quia non debitè opponit, ut in dicta Clement. ideo in priore caſu admittitur appellans cum juramento ad probandum ea, quæ nullo modo expreſſit: non autem admittitur in poſteriore caſu, in quo circumſtantias non ſufficienter expreſſit: quare interdum magis expedit veritatem omnino tacere, quàm non perfectè exprimere.

Præterea in eadem Clement. §. Sanè decernitur, ſi quis, cujus intereſt, ab electione, poſtulatione, vel proviſione (factâ vel faciendâ) appellat, opponendo crimina, vel defectus, omiſsâ (in quibuſdam) formâ prædictæ ſpecificationis, & eodem appellante (vel ei adhærente) poſtea appellationem hujuſmodi proſequente (quoad illa, in quibus Conſtitutionem ſervavit, vel in quibus ea ipſum non obligabat: nam ſi appellans aliqua ſufficienter expreſſit, aliqua non, quoad expreſſa tenet appellatio, dummodo in aliis Conſtitutionem ſervaverit, gl. hîc V. Proſequente) alius ſuperveniat non appellans, contra appellatum in eadem cauſâ principaliter admitti non debet, ſi proſequatur eoſdem articulos (ſcilicet non ſpecificè expreſſos) ob commune intereſſe Eccleſiæ, vel commune ſui, & appellantis; ut, cùm opponitur, quòd ſit criminoſus, qui eſt electus, vel proviſus, vel quòd ſit ſubreptitiè facta proviſio &c. gl. hîc V. Communi) licet appellanti poſſit aſſiſtere, ne ipſe colludat (id eſt, ne fraudem cōmittat cum illo, contra quem appellavit, ſcilicet ſuper expreſſis, in quibus fuit forma ſervata, gloſſ. hîc V. Ne colludat) ſi tamen aliquis proprium intereſſe prætendat contra appellatum, poteſt illud proſequi. Ratio eſt, quia, ſi appellans poſſet ſubſtituere alium ſibi aſſiſtentem in eadem cauſa, qui clarè & ſpecificè exprimeret, quæ ipſe non ſufficienter expreſſit, inutilis foret, & deciſoria conſtitutio, c. Ut circa, quia ſic poſſet ille conſequi per ſibi aſſiſtentem, id, quod non poteſt per ſe conſequi, gl. hîc V. Articulos.

Inſuper ſi appellans (vel adhærens, quia de utroque loquitur c. Ut circa Verſ. Alioquin. gl. hîc V. Appellans) ab electione, poſtulatione, vel proviſione, per viam ſimplicis querelæ cauſam agat, vel appellato agente, eam defendat, repellitur ab objectionibus in ſua appellatione expreſſis, & ab aliis (non expreſſis) etiamſi appellationem ſuam non proſequatur, ſed ei renunciet, vel nolit illam exhibere, ſeu oſtendere, ſed aſſerat, ſe illâ uti nolle: dum tamen de ipſa appellatione (in qua non fuit forma ſervata, vel objectorum expreſſio facta) plena fides fiat ab appellante, coram Judice (ſimplicis querelæ, gl. hîc V. Fides) quia per ipſam jus repellendi eundem adverſario eſt quæſitum, ita habetur in cit. Clement. §. Inſuper.

Ubi tamen excipiuntur tres caſus in cit. Conſtitutione, ut circa, etiā excepti, quia ſicut appellans, qui formam non ſervavit in exprimendo objecta, auditur in iis, quæ de novo emergunt, vel ad notitiam ejus perveniunt, vel in quibus facultas probandi ſupervenit; ita etiam in his caſibus appellans debet audiri, & admitti per viam ſimplicis querelæ, in qua eſt eadem ratio, gl. hîc V. Præterquam. Ratio autem, cur appellans, qui non ſervavit formam appellandi præſcriptam in cit.c. Ut circa, per viam querelæ non poſſit proſequi objecta, nec etiam alia non objecta, etiamſi appellationi renunciet, eſt, quia alias talis per viam querelæ conſequeretur, quod per viam appellationis conſequi non poteſt, cōtra reg. juris 84. in 6. cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti, gl. hîc V. Querelæ, & Vivian. in ration. Jur. Pontiſ. Poſtremò in fine hujus Clement. additur, quòd omiſſio formæ appellādi præſcriptæ in c. Ut circa, licèt appellantem contra formam electionis, vel contra perſonas eligentium, vel electi, repellat ab objectis propoſitis, vel proponendis, eorúmque probatione facienda: non tamen infirmet probationem jam factam per confeſſionem adverſarij, vel alio legitimo modo.

SECTIO VII.

DE POTESTATE, CONFIRmatione, & Conſecratione Electi.

§. I.

An, & quando poteſtas Iuriſdictionis, ſeu adminiſtrationis Epiſcopo electo competat?

CCLXXXVII. Aſſertio 1. Epiſcopus vel Prælatus electus, ante impetratam confirmationem, non habet poteſtatem juriſdictionis, vel adminiſtrationis, nec in rebus, aut juribus ſpiritualibus, neque in temporalibus, prout conſtat ex c. Nôſti. 9. h.t. ubi reſcribit Papa Alexander III. quòd electus in Epiſcopum Linconienſem, ante confirmationem acceptam, conferendi beneficia, & honores Eccleſiaſticos, vel aliàs de rebus Eccleſiæ diſponendi, aut eas adminiſtrandi, non habeat facultatem: ideóque mandat Epiſcopo alicui à ſe delegato, ut eidem (auctoritate Apoſtolicâ) præcipiat, ſi quam hujuſmodi conceſſionem, vel collationem fecit, eam revocare ſtudeat. Ratio autem, cur Epiſcopus electus res, & jura Eccleſiæ adminiſtrare non debeat, priuſquam ſit confirmatus, eſt, quia confirmatio vix aliquid operaretur, ſi ante illam electo poteſtas adminiſtrationis competeret, neque is multùm ſollicitus foret de obtinenda confirmatione, ne ſe periculo caſſationis exponeret; &, ſi quando electionem ex cauſa caſſari contingeret, non ita facilè electus à Prælatura, quam jam adminiſtrare cœpit, removeri poſſet, Hoſtienſ. in c. Qualiter. 17. poſt princ. h.t. gl. in c. Avaritiæ. 5. V. Confirmetur, eod. in 6.

CCLXXXVIII. Notandum 1. Epiſcopus electus, & nondum confirmatus habet Epiſcopalem juriſdictionem, ſeu poteſtatem adminiſtrandi ſolùm in habitu, ſive quoad actum primum: non item quoad actum ſecundum, ſive exercitium, ut docet gl. in c.

Quanto. 10. V. Relatio. Verſic. Si quæras. diſ. 63. Abb. in cit. c. Nôſti. n. 2. Verùm probabilius eſt, quòd per electionem ab Epiſcopo, ſeu Prælato acceptatam ipſi (ſeclusâ ſpeciali conceſſione, aut privilegio Sedis Apoſtolicæ) oon acquiratur juriſdictio Prælaturæ, nec in actu primo quidem, ſed tantùm jus petendi jurisdictiooem Prælaturæ à Superiore coufereodam, ſiquidem dicatur, quòd juriſdictio ſpiritualis & Eccleſiaſtica non immediatè à Deo, ſed per auctoritatem, & conceſſionem S. Pontificis in Epiſcopos deſcendat, ídque ut debitus ordo Eccleſiaſticæ hierarchiæ à Chriſto inſtitutæ obſervetur, ut colligitur ex c. Qualiter 17. h. t. & tradit Layman. in cit. c. Nôſti, q 1.

Notaodum 2. Quando in fine cit. c. Nôſti h. t. dicitur, ut Epiſcopus electus, & necdum confirmatus, conceſſiooes, ſeu collationes beneficiorum à ſe factas revocare ſtudeat, id ita intelligendum eſt, quòd de facto ſolùm illas revocare debeat, non de jure, cùm ipſo jure fuerint invalidæ; nam cùm Epiſcopus, ſeu Prælatus electus, ante confirmationem acceptam, oon habeat poteſtatem conferendi beneficia, ob defectum juriſdictionis, neque poteſtatem habet ea auferendi, gl. fin. hîc. Addit Laym. hîc q. 4. quòd Papa nihil aliud voluerit, quàm ut ſignificeret Epiſcopo electo, ipſi curandum eſſe, ut collationes à ſe invalidè factæ revocentur, non quidem ſuâ auctoritate eas reſcindendo, ſed ut intimetur proviſis, collationes ipſis factas eſſe ipſo jure manifeſtè irritas. Quòd ſi beneficia collata deſerere nollent, tum cogeodi forent, non quidem ab Epiſcopo electo, ſed à Capitulo, penes quod, ante confirmatioem Epiſcopi, juriſdictio Epiſcopalis interim reſidet.

Porrò in caſu hujus c. Epiſcopus electus, propter uſurpatam juriſdictionem, ante obtentam confirmationem, jure eligendi privari potuiſſet, ut infrà dicetur, ſed ex gratia pœna hæc illi condonata fuit, gl. hîc V. Facultatem, & V. Prædictis.

CCLXXXIX. Aſſertio 2. Si Epiſcopus, vel Prælatus electus, ante obtentam confirmationem, adminiſtrationi rerum Eccleſiæ ſe ultro immiſceat, ejus electio in pœnam caſſari debet, prout conſtat ex c. Qualiter 17. h. t. Nam vacante Eccleſiâ Pennenſi, Canonici Primicerium illius Eccleſiæ in Epiſcopum elegerunt, qui ante confirmationem à Papa acceptam, adminiſtrationi Epiſcopatûs ſe immiſcuit, recipiendo tum à Clericis, tum à laicis juramenta, cùm tamen ſcire debuerint, quòd ſecundùm Apoſtolum (ad Hebr. c. 5.) *nemo ſibi debet honorem ſumere, ſed qui à Deo vocatur.* Quare Papa Innocentius III. tum ob hanc cauſam, tum etiam, quia idem electus, examinatione præmiſsâ, Epiſcopali muneri ſcientiam conveoientem non habuit, ipſius electionem irritandam judicavit, &, quidquid vi illius factum eſt, irritum eſſe, proounciavit.

CCXC. Notandum 1. Jure antiquo Decretalium, qui ſe immiſcuit adminiſtrationi Prælaturæ, ante obtentam confirmationem, non eſt ipſo jure privatus jure ſibi acquiſito ex electione, ſed privandus per ſententiam Judicis; quamvìs aliud ſit Jure novo, de quo infrà. Non tamen hanc pœnam incurrit Electus, ſi ante confirmationem permittat ſe inſtallari, id eſt, in ſtallo, ſeu Sede pooi, ſive in poſſeſſionem immitti, tum quia per hoc noo immiſcet ſe adminiſtrationi Prælaturæ: tum quia generalis conſuetudo eum excuſat, de qua teſtatur hîc Innoc. V. Immiſcuit, Hoſtienſ. Verſic. Quid ſi permiſerit, Abbas num. 1. not. 3. non tamen valet conſuetudo, ut electus poſſit adminiſtrare bona, & jura Eccleſiæ, ante confirmationem, juxta c. Cùm venerabilis 7. ſupr. de conſuetud. Abb. hîc n. 2.

Notandum 2. Si Prælatus adminiſtrationi ſe ingerens, ante acceptam confirmationem, privatus ſit, vel repulſus à Prælatura, non poteſt denuo eligi ad eandem, vel aliam Prælaturam, quia prior electio caſſata fuit ob vitium perſonæ, arg. c. Super eo 12. h. t. Sed neque ſi Papa talem electum promoveat ad Prælaturam, ignorans vitium intruſionis, valida eſt promotio, quia ea eſt ſubreptitia, niſi promotus vitium intruſioois ſuæ expreſſiſſet, Abb. in cit. c. Qualiter n. ult.

Notandum 3. Caſſatâ electione Prælati, quia ſe Prælaturæ intruſit, ejúſque adminiſtrationi ſe immiſcuit, ante confirmationem, omnia, quæ ratione officij, vel juriſdictionis uſurpatæ, & non competentis, geſta ſunt, revocanda, & reſcindenda ſunt, ut conſtat ex h. c. in fine. Quare ſi v. g. Epiſcopus electus, ante confirmationem, beneficia contulit, collatiooes tanquam irritæ, ob defectum poteſtatis, revocari debent. Aliud verò dicendum eſt, ſi Epiſcopus, vel alius Prælatus legitimâ Superioris auctoritate inſtitutus, vel confirmatus ſit, licèt invalidè propter occultum vitium; tunc enim omnia ab eo ratione officij geſta valida cenſeri debent, arg. l. Barbarius 3. ff. de officio Prætor. quia cum errore communi, ſeu defectu publicè ignorato adminiſtravit, Abb. in cit. c. Qualiter n. 7.

CCXCI. Aſſertio 3. Sed neque Epiſcopus, vel alius Prælatus electus, ante obtentam confirmationem, adminiſtrare debet ſub alio quocuoque colore, ſeu titulo, v. g. Oeconomi, vel procuratoris, prout conſtat ex c. Avaritiæ 5. h. t. in 6. Nam nonoulli ad regimen Eccleſiarum electi, quia non licet eis, Jure Canonico prohibente (io cit. c. Nôſti, & c. Qualiter h. t.) ante coofirmationem electioois ſuæ, adminiſtrationi Eccleſiarum, ad quas ſunt vocati, ſe ingerere, ideo cupiditate avaritiæ, & ambitionis eos impellente, ipſam adminiſtrationem ſibi tanquam procuratoribus, vel Oeconomis committi procurârunt, donec confirmationem acciperent. Quare cùm malitijs hominum non ſit indulgendum, Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi c. 4. Statuit, ne quiſquam de cætero, adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam electio de ipſo facta confirmetur, ſub nomine, ſeu titulo Oeconomi, vel procuratoris, alióve quæſito colore (v. g. vicariæ, aut commendæ, vel, ut Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, gl. hîc V. Colore) in ſpiritualibus (ut eſt excommunicare, ſuſpendere, interdicere, pœnitentias injungere, & ſimilia) vel temporalibus (ut eſt recipere cenſus, & debita, habere curam colligendi, & conſervandi fructus, & ſimilia, gl. hîc V. In ſpiritualibus, & V. In temporalibus) per ſe, vel per alium, in totum, vel in parte, gerere (ſivè in judicio, ſive extra illud, gl. hîc V. gerere) vel recipere, vel illi ſe immiſcere præſumat: qui ſecus fecerint, jure, ſi quod

ipſis

ipſis per electionem quæſitum fuerat, eo ipſo ſint privari.

CCXCII. Notandum 1. Licèt Capitulum, Sede vacante, habeat adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus, & eam poſſit alij committere; non tamen poteſt eam committere ipſi electo, ut tanquam Oeconomus, vel procurator adminiſtret, quia alioquin fieret fraus ipſi legi prohibenti, ne electus adminiſtret, gl. magn. hìc in notatis: nam qui ſcienter exercet actum ſibi à jure prohibitum, ſub colore, ſeu prætextu fraudulento, ita, ut re ipsâ, & in effectu conſequatur id, quod lex vetat, ille temerariè, & in fraudem legis agere cenſetur, gl. marg. hìc. & conſtat ex l. Qui contra 29. ff. de legib. & c. ult. de reg. jur. in 6. ubi dicitur, certum eſt, *quòd is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem:* ſicut in propoſito electus diceret, ſe adminiſtrare, non tanquam electum, ſed ſub alio colorato, ſeu ficto titulo, ſeu nomine Oeconomi, vel procuratoris, & ſic contraveniret menti legis, quæ intendit, illum nullo modo poſſe adminiſtrare, ante confirmationem, & re ipsâ, ac in effectu conſequeretur id, quod Canon prohibet, licèt ſub alio prætextu, ſeu fraudulento titulo. Veruntamen auctoritate S. Pontificis, poteſt electus, qui v. g. legitimam ætatem nondum habet, donec habilis fiat ad Prælaturam, procurator, ſeu adminiſtrator Eccleſiæ illius conſtitui, ut conſtat ex c. Cùm nobis 19. junctâ gl. V. Procuratorem concedimus h. t.

Notandum 2. Si electus ad Prælaturam, vel dignitatem, ante confirmationem, per ſe, vel per alium, in totum, vel in parte (idem enim juris eſt de toto, quod de parte, l. Quæ de tota 76. ff. de rei vindic.) in ſpiritualibus, vel temporalibus adminiſtret, eo ipſo privatus eſt jure per electionem quæſito. Id quod dupliciter intelligi poteſt, ut notat gloſſ. hìc V. Privatos. 1. Qnòd electus adminiſtrans, ante confirmationem, jure ſibi acquiſito ex electione ſit privatus ipſo jure, etiamſi tanquam electus adminiſtret, nullo colore quæſito; licèt olim ſpectato jure antiquo, fuerit privandus per ſententiam, juxta c. Qualiter 17. h. t. adeóque quod per hoc c. corrigatur jus antiqnum, in cit. c. Qualiter, & ita tenet ibidem Abb. n. 4. idque verius cenſet etiam gl. hìc V. privatos, eſtque hęc communior. DD. interpretatio. Altera expoſitio eſt, quòd in hoc c. contineatur caſus diverſus à caſu cit. c. Qualiter, in quo electus, qui abſolutè ante confirmationem adminiſtrare præſumpſit, privandus eſt jure per electionem acquiſito per ſententiam: adminiſtrans verò quæſito colore, ſeu titulo Oeconomi, vel procuratoris, aut alio ſimili, ipſo jure, ſeu facto ſit privatus jure electionis, ſi quod habeat, quia cùm in fraudem Canonis id egerit, graviùs puniendus eſt; & jus antiqnum, abſque neceſſitate, corrigi non debet, ac proinde etiam hodierno jure electus adminiſtrans, nullo colore quæſito, non ipſo facto eſt privatus, ſed per ſententiam privandus jure electionis, gl. hìc V. Privatos in addit. Jo. Andr. V. Privatos, & Jo. Monach. Et hæc ſententia videtur probabilior.

Porrò Laym. hìc arbitratur, probabiliùs dici, quòd etiam juxta c. Qualiter, electus ingerens ſe adminiſtrationi ipſo facto incurrat privationem, quamvìs ad id opus ſit ſententiâ declaratoriâ, & executione Judicis, adeóque cùm ibi dicitur, electionem irritandam eſſe, id ita accipiendum eſſe, quòd ſit irrita declaranda, partim quia electus in eo caſu indignus erat, ob defectum ſufficientis ſcientiæ: partim quia ante obtentam confirmationem, adminiſtrare cœpit. At verò in cit. c. Avaritiæ h. t. in 6. ſaltem interpretativè extenditur ea pœna privationis, latæ ſententiæ, ita, ut locum etiam habeat in eo caſu, quo electus ſe immiſcuit adminiſtrationi dignitatis, prætextu Oeconomiæ, vel alio ſimili quæſito, ſeu colorato titulo. Quæ interpretatio etſi nova ſit, non tamen eſt improbabilis, quia colligi videtur ex illis verbis in cit. c. *Nos latius providere volentes, hac generali Conſtitutione ſancimus &c.*

Notandnm 3. Etſi aliàs in materia ambitioſa, ſeu odioſa, & pœnali, nomine dignitatis non veniat Epiſcopatus, ſecundùm gl. communiter receptam in c. 2. V. Dignitatum de præbend. in 6. tamen hìc ſub eo nomine etiam comprehenditur, quia hæc conſtitutio confirmat, & extendit jus antiquum, in c. Nôſti, & c. Qnaliter h. t. quod etiam electos in Epiſcopos continet: conſtitutio autem pœnalis emanans ad ſtabiliendum jus antiqnum, etiam latè interpretanda eſt ad omnia in jure antiquo contenta, gl. hìc V. Eccleſiarum, & Francus n. 2. ubi addit, quòd hæc conſtitutio, ejúſque pœna habeat locum etiam in poſtulato adminiſtrante, ante admiſſionem Superioris, & in præſentato à patrono adminiſtrante, ante inſtitutionem, ſaltem ſi præſentatus ſit ad dignitatem; imò etiam ad alia beneficia, quia generaliter in hoc c. fit mentio de Electo ad regimen cujuſvis Eccleſiæ, & cùm emanârit ad confirmandum jus antiquum, lata interpretatio ejus fieri debet.

Notandum 4. Si electus à Capitulo obtinuit, ut Oeconomus, vel procurator Eccleſiæ vacantis conſtitueretur, ante confirmationem acceptam, ſed re ipsâ adminiſtrationi ſe non immiſcuit, non incurrit hanc pœnam privationis juris per electionem acquiſiti, ut docet gl. cōmuniter recepta hìc V. eo ipſo, quia verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu, c. Relatum 4. de Cleric. non reſident. & conſtitutio puniens facientem non cenſetur lata in eum, qui ſe parat ad faciendum, juxta gl. margin. hìc V. Privatos, & Franc. n. 8.

Notandum 5. Hæc conſtitutio pœnalis non habet locum, etiamſi alicui ex privilegio, vel conſuetudine competeret adminiſtratio Epiſcopatûs, vel Prælaturæ vacantis, talis enim, ſi eligatur, ante confirmationem, poteſt adminiſtrare, Franc. hìc n. 1. in fine. Quòd ſi verò electus etiam confirmatus, à cujus tamen confirmatione appellatum eſt, adminiſtraret, appellatione pendente, incurreret hanc pœnam privationis, niſi appellatio non teneret, ſed apertè frivola, ſeu fruſtratoria eſſet, gloſſ. hìc V. Confirmetur.

CCXCIII. Cæterùm jure noviſſimo ſub gràvibus pœnis ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcopus, aut Superior Prælatus, neque Abbas, aut cujuſvis Ordinis Præpoſitus, qui apud Sedem Apoſtolicam promovendus, vel confirmandus, vel conſecrandus, aut benedicendus eſt, adminiſtrationem ſuſcipere, aut tanquam Eccleſiæ Prælatus recipi poſſit, niſi litteras Apoſtolicas promotionem ejus, vel confirmationem, &c.

nem &c. continentes obtinuerit, eáſque Capitulo, ſeu Conventui oſtenderit, & præſentaverit, ut conſtat ex Extravag. Injunctæ 1. h. t. inter communes, ubi §. præſenti Bonifacius VIII. ſtatuit, ut Epiſcopi, & alij Prælati ſuperiores, nec non Abbates, Priores, & cæteri Monaſteriorum regimina exercentes, quocunque nomine cenſeantur, qui apud Sedem Apoſtolicam promoventur, aut confirmationem, conſecrationem (ut electi in Epiſcopos, aut ſuperiores Prælatos) vel benedictionem (ut Abbates, Priores, vel Præpoſiti Monaſteriorum) recipiunt, ad commiſſas eis Eccleſias, aut Monaſteria, abſque dictæ ſedis litteris hujuſmodi eorum promotionem, cõfirmationem, conſecrationem, vel benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non pręſumant: nullique eos, abſque dictarum litterarum oſtenſione, recipiant, aut eis pareant. Si quid verò interim ſecus factum fuerit, id irritum cenſeri debet: nec quidquam ijdem Epiſcopi, Prælati, Abbates, vel Priores interim ex Eccleſiarum, vel Monaſteriorum proventibus percipere poſſint, cit. Extravag. 1. §. Quòd ſi forſitan. Capitula verò (ſcilicet Eccleſiarum Cathedralium, vel aliarum ſeculariũ) & Conventus (Eccleſiarum Regularium) & alij, quicunque ipſos, abſque hujuſmodi litteris dictæ ſedis, recipiunt, vel eis obediunt, tamdiu ſint à beneficiorum ſuorum perceptione ſuſpenſi, donec à Sede Apoſtolica gratiam relaxationis obtinuerint, cit. Extravag. §. Capitula verò. Eaſdem pœnas incurrunt Epiſcopi, aliique Prælati, qui recipiunt adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum, non præſtito ſolito fidelitatis, & obedientiæ juramento, ibid. §. Similiter. Denique ij Pontifices, qui apud Sedem Apoſtolicam pallium accipere debent, & ab illa diſcedunt, non obtentis litteris traditionis pallij, vel non præſtito ſolito juramento, in eaſdem pœnas incidunt, nempe ut proventus interim non percipiant, &, quidquid ab eis actum fuerit, non ſubſiſtet, cit. Extravag. §. fin. Ratio huius deciſionis eſt, quia licèt, ſi Papa ſolo verbo aliquem pronunciet Epiſcopum, ſeu Prælatum, vel electionem eius, aut aliam proviſionem approbet, etiam litteris non formatis, vel nondum expeditis, verus ſit Epiſcopus, ſeu Prælatus, adeóque litteræ non requirantur ad eſſentiam gratiæ, aut proviſionis, ut colligitur ex c. Inſtitutionis. 7. juncta gl. V. præſentia cauſ. 25. q. 2. requiruntur tamen neceſſariò ad probationem, cùm ſinè illis gratia non probetur, nec quidem per teſtes, Abb. in cit. c. Nóſti. num. 4. & cit. c. Qualiter. not. 1. Tamburin. tom. 1. de Jure Abbat. diſ. 16. q. 2. n. 2. & 3. & alij communiter. Quare etſi declaratus per Papam Epiſcopus in Conſiſtorio, ut moris eſt, certiſſimum nuncium habeat de ſua promotione, non tamen poteſt adminiſtrare, ante acceptas, & exhibitas litteras Apoſtolicas ſuæ promotionis, Abb. in cit. c. Qualiter. n. 1. idque fortè ſecundùm Imolam ibid. ſtatutum fuit, ut promoti citiùs procurarent obtinere litteras Papales ex Curia, de quibus aliàs non curâſſent.

CCXCIV. Limitat deciſionem huius Conſtitutionis gl. hic V. non præſumant, ut ea non habeat locum, ſi Epiſcopus promotus, vel confirmatus, aut conſecratus in Curia Romana litteras Papales ſuæ promotionis obtinere non potuit, v. g. propter eius obitum; tum enim non tenebitur longo tempore in Curia remanere, ſed poterit inde diſcedere, & interim res, & jura Eccleſiæ ſuæ adminiſtrare, etiam litteris nondum expeditis, quia Papa hîc damnat temerariam præſumptionem recedentium à Curia, & adminiſtrantium, abſque litteris Apoſtolicis acceptis, ideóque hîc puniuntur Epiſcopus, & eundem recipientes: quare temeraria præſumptio, quæ hîc damnatur, & punitur, non debet extendi ad caſum neceſſitatis, quæ in qualibet diſpoſitione intelligitur excepta, c. Licèt. 6. de pœnit. & remiſs. & neceſſitas facit licitum, quod aliàs eſt illicitum, c. Quoniam. 13. cauſ. 1. q. 7. c. 1. De feriis, c. Conſuluiſti. 3. De celebr. Miſſ. nec pœna debet infligi, ubi non eſt culpa, reg. jur. 23. in 6. ſicut ergo propter diſtantiam loci, & neceſſitatem Eccleſiæ, electo licet adminiſtrare res Eccleſiæ, ante confirmationem; ut infrà dicetur; ita etiam ob eandem neceſſitatem, id licet proviſo, ante receptas Bullas, ſeu Litteras Apoſtolicas, neque enim talis verè dici poteſt præſumere, & conſequenter pœnas huius conſtitutionis non incurret, nec eum recipientes, Navar. in c. Accepta, de reſtitut. ſpoliat. oppoſit. 8. n. 35. verſ. 10. Accedit, quòd Epiſcopus per Papã pronunciatus in Conſiſtorio, etiam ante expeditas Bullas, ſit verus Prælatus, & plenum jus habeat, cùm talis conſiſtorialis proviſio habeat vim electionis, & confirmationis, ſecundùm gl. receptam in c. 1. V. Proviſionem h. t. in 6. ideo urgente Eccleſiarum neceſſitate, non debet rigidè exigi, ut proviſio, ſeu promotio Epiſcopi in Curia probetur per literas, ſicut propter neceſſitatem, tenor gratiæ Apoſtolicæ poteſt probari per teſtes, ſi litteræ ſint perditæ, Felin. in rubric. de Conſtit. n. 6. Verſ. Tertius caſus. Atque hæc limitatio gloſſæ æquitati eſt conformis, & rigorem juris temperat, prout refert Fagnan. in c. Nihil. 34. h. t. n. 21. & ſeqq. quamvìs ipſe à n. 31. & ſeqq. contrarium teneat.

Præterea pœnæ huius Extravagantis non incurruntur, in foro conſcientiæ, ab eo, qui collatione ſibi factâ, ante receptas litteras, bonâ fide adminiſtravit quædam negotia Eccleſiæ, Navarr. c. l. num. 35. Verſ. 11.

Denique non habet etiam locum diſpoſitio huius Extravag. in Cardinalibus, quia eâ non obſtante, poſſunt juriſdictionem exercere, & adminiſtrare, ante expeditionem, & oſtenſionem litterarum Apoſtolicarum, Barb. in Collectan. in cit. Extravag. 1. n. 5.

§ II.

Quinam Epiſcopi, ſeu Prælati adminiſtrare poſſint Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem?

CCXCV. De his agitur in c. Nihil. 44. §. Cæterùm h. t. quod eſt deſumptum ex Generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 26. ubi decretum eſt, ut Prælati, qui Romano Pontifici immediatè ſunt ſubjecti, ad accipiendam confirmationem, perſonaliter eius conſpectui (ſi commodè fieri poſſit) ſe præſentent, aut perſonas idoneas mittant, per

» per quas Papa de electione,& perſonis electis dili-
» genter informetur,ut ſic demum plenitudinem of-
» ficij ſui aſſequantur, ſeu confirmentur, ſi nullum
» eis obſtiterit canonicum impedimentum. Verum-
» tamen ſi hujuſmodi Prælati ab Urbe valde remoti
» ſint, videlicet ultra Italiam conſtituti,& in concor-
» dia electi ſint, diſpenſativè propter neceſſitates, &
» utilitates Eccleſiarum (ne iſtæ interim, dum Con-
» firmatio à Sede Apoſtolica advenerit, damnum pa-
» tiantur) adminiſtrationem in ſpiritualibus,& tem-
» poralibus capere non prohibentur, ita tamen, ut de
» rebus Eccleſiaſticis nihil penitus alienent: Munus
» verò benedictionis, ſeu conſecrationis recipiant,
» ſicut antea conſueverunt.

CCXCVI. Circa hanc Conſtitutionem notandum 1. Per Prælatos immediatè ſubjectos Romano Pontifici hîc intelliguntur omnes ij, qui ratione Eccleſiæ immediatè pertinent ad Romanum Pontificem, & ab eo confirmationem petere & accipere ſolent, ſive ſint Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, ſive Abbates, aut Præpoſiti, gl. hîc V. Ad Romanum. Excipi debet, niſi Legatus à latere ſit in provincia, qui Prælatos etiam exemptos,& immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjectos confirmare poteſt, iuxta c. Si Abbatem. 36. §. Hujuſmodi. h.t. in 6. Abb. hîc n. 3. de quo infrà.

Notandum 2. Valde remoti hoc loco ab Urbe eſſe cenſendi ſunt, qui exiſtunt & degunt extra Italiam, ut habetur in hoc c. ex quo infert Hoſtienſis hîc V. ultra Italiam, quòd ſi Papa, ſeu eius Curia reſideret in finibus Italiæ, v.g. Taurini, electi in vicinis Eccleſiis extra Italiam gauderent hoc privilegio adminiſtrandi, quia textus loquitur de Prælatis exiſtentibus ultra Italiam. Verùm probabilius eſt, quòd deciſio huius c. locum habeat in omnibus Eccleſiis, ubicunque eæ ſint, quæ tam longè diſtant à Curia Pontificis, quantùm Urbs Romana diſtat à finibus Italiæ, ita, ut eæ cenſeri debeant valde remotæ à Curia, & earum Prælatis, etiam ante confirmationem, poteſtas adminiſtrandi competat, quia verba legis, ſeu diſpoſitionis debent adaptari menti, ſeu intentioni legislatoris, ſive diſponentis, quæ colligitur ex ratione, ſeu causâ finali legis, præſertim ſi illa in ipſa lege expreſſa ſit; principalis autem intentio Pontificis, & ratio principaliter motiva huius conſtitutionis fuit, ne Eccleſiæ valde remotæ à Curia Pontificis, dum diu expectatur electionis confirmatio, interim detrimentum in ſpiritualibus,& temporalibus patiantur, ut patet ex illis verbis: *diſpenſativè propter neceſſitates, & utilitates &c.* verba autem legis, ſeu diſpoſitionis intelligenda ſunt, ſecundùm rationem expreſſam in ipſa lege, ſeu diſpoſitione; quare verba illa, *videlicet ultra Italiam conſtituti*, potiùs exēpli causâ adjecta fuiſſe, cenſendum eſt, quia cùm de facto Curia Papæ Romæ exiſtat, omnes Ultramontani, ſive qui ultra Italiam degunt, valde remoti eſſe à Curia cenſentur: exempla autem non reſtringunt regulam, ſeu legem, nec eius rationem univerſalem, quò minùs ad ſimilia, in quibus illa locum habet, extendi poſſit, gl. in c. 1. v. Pauca, Ne Clerici, vel Monachi, &c. & ibi DD. Et hinc ſi Curia Pontificis ultra montes transferretur, v.g. in Galliam, vel Germaniam, etiam ij, qui Romæ degunt, vel in alio loco Italiæ, valde remoti à Curia Papæ cenſeri deberent, & conſequenter non ſolùm privilegio adminiſtrationis, ſed etiam aliis privilegiis, quæ ob valde remotam diſtantiam à Curia Pontificis conceſſa ſunt, gaudere deberent, cùm in ijs etiam eadem ratio conceſſionis, ſeu diſpoſitionis locum haberet, & conſequenter etiam idem jus, Abb. hîc n. 7. & 8.

Nec obſtat, quòd, cùm iſte textus ſit correctorius juris antiqui, non debet extendi ultra verborum ſignificationem. Nam inprimis etiam lex, ſive jus correctivum juris antiqui debet extendi, ob rationem univerſalem expreſſam in lege, quia ratio eſt anima legis, & verba deſerviunt intentioni legislatoris, non contrà hæc verbis: quin imò quando locum habet eadem omnino ratio, tum non ſit propriè extenſio, ſed ex mente ipſius legis, ſeu intentione legislatoris comprehenditur ſub ea omnis caſus, in quo locum habet illa ratio: cùm ergo in propoſito hæc conſtitutio emanârit, propter longam diſtantiam à Curia Romana, unde petenda eſt confirmatio, ne ob illam Eccleſiæ patiantur detrimentum in ſpiritualibus, & temporalibus, ideo etiam locum habet in omnibus Eccleſiis, quæ longè diſtant, ſeu valde remotæ ſunt à Curia Pontificis, ſive illæ ſint intra, ſive extra Italiam, non autem in illis, quæ ſunt propinquæ Curiæ Pontificis, etiamſi eſſent extra Italiam, quia in his ceſſat ratio legis, ſeu Conſtitutionis. Deinde, cùm hoc jus ſit favorabile Eccleſiis, non debet reſtringi, licèt correctorium ſit, vel pœnale, ſed potiùs extendi favore Eccleſiarum, Abb. hîc n. 9. ubi addit, etiamſi Eccleſia, ad quam quis eſt electus, non multùm diſtaret à Curia Romana, ſi tamen propter viarum diſcrimina, v.g. belli tempore, intra breve tempus non pateret aditus ad Curiam, nec per ſe, nec per alium ab ipſo miſſum ad confirmationem obtinendã, tum haberet locum hæc conſtitutio concedens poteſtatem interim adminiſtrandi, quia licet tali caſu verba deficiant, non tamen deficit mens legislatoris & ratio legis.

CCXCVII. Notandum 3. Quamvis propriè, ac ſtrictè loquendo, ea electio facta eſſe dicatur in concordia, quæ ſit, nemine diſcrepante, ſive in qua omnes Electores conſentiunt, adeóque etiam hoc loco ea tantùm electio concors cenſenda eſſe videatur, quantum ad hoc ut electus adminiſtrare poſſit, ante confirmationem, quæ ab omnibus, quaſi per inſpirationem unanimiter celebrata eſt, nemine prorſus diſſentiente, ut tradit Abb. hîc n. 4. quem ſequitur Fagn. hîc n. 12. Verius tamen eſt, eam electionem hoc loco in concordia factam eſſe, cenſeri, ac dici debere, quæ facta eſt, vel ex omnium Electorum, vel ſaltem ex majoris, ac ſanioris partis Capituli conſenſu, ita, ut pars minor, ſive pauciores, ſi nullam juſtam cauſam reliquis contradicendi habeant, conſentire, & approbare debeant: Idque, tum quia talis electio, ſecundùm latiorem quidem, ſed frequenter uſitatam acceptionem, concors dici ſolet, ut conſtat ex c. 1. junct. gl. in notandis de his, quæ fiunt à major. part. Capit. & monet gl. in c. ubi periculum 3. V. Singulis. h.t. in 6. & dictum ſuprà n. 221. quæ acceptio, præſertim in hac materia Eccleſiis favorabili, præferenda eſt: tum quia, cùm rariſſimè fieri ſoleat electio alicuius, in quem omnium Electorum ſuffragia, nemine diſcrepante concordent, ſeu conſentiant, hoc pacto non ſatisfieret intentioni Concilij Lateranenſis, quod poteſtatem adminiſtrandi Prælatis Ec-

cleſiarum, quæ longè diſtant à Curia Romana, concedere voluit, ante confirmationem, ne, ſi longo tempore ea differretur, illæ detrimentum in ſpiritualib⁹, & temporalibus paterentur, ut bene notavit Laym. in cit. c. Nihil. n. 6. h. t.

CCXCVIII. Notandum 4. Poteſtas adminiſtrandi in ſpiritualibus, & temporalibus, ante confirmationem, Prælatis immediatè ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, qui longè diſtantes ſunt à Cnria Romana, in hoc c. conceſſa eis competit, non ſolùm in caſu neceſſitatis, ſive ſi periculum ſit, ne Eccleſiæ damnum inferatur, ſed etiam extra caſum neceſſitatis, & ceſſante periculo, quia ſufficit, quòd ratio expreſſa in lege communiter, & in pleriſque caſibus locnm habeat, etiamſi in uno, vel altero caſu particulari ceſſet, non enim ideo ceſſat diſpoſitio legis, ut tradunt communiter DD. Quare tales Prælati, ante confirmationem, etiam ea agere & exercere poterunt, quæ dilationem patiuntur, v. g. obedientiam à ſubditis vel fidelitatem à vaſallis recipere, ut contra Imolam hîc n. 6. docet gl. V. adminiſtrent, & Innoc. hîc n. 2. V. eodem, ubi ait, quòd ſic adminiſtrare poſſunt, ac ſi eſſent Prælati confirmati, & probabilius cenſet Laym. hîc n. 7. idque probatur, tum ex hoc cap. in quo hujuſmodi Prælatis poteſtas adminiſtrandi iu ſpiritualibus, & temporalibns, ſinè ulla limitatione, conceditur, exceptâ facultate alienandi, qoæ exceptio confirmat prædictam poteſtatem conceſſam in omnibus aliis caſibus non exceptis. Tum ex c. Indemnitatibus 43. §. Si verò. h. t. in 6. ubi ſimiliter Abbatiſſæ electæ à majore parte Capituli, ante obtentam confirmationem, libera adminiſtratio in ſpiritualibus, & temporalibus conceditur, præterquam, ut nihil penitus alienet, de quo infrà.

CCXCIX. Notandnm 5. Probabile eſt, quòd conſtitutio hujus c. non ſolùm in Prælatis exemptis, qui Papæ immediatè ſubſunt, ſed etiam in in iis Prælatis electis locum habeat, qui immediatè Epiſcopo, vel Archiepiſcopo ſunt ſubjecti, ita, ut & ipſi, ante obtentam confirmationem, in ſpiritualib⁹, & temporalibus, liberè adminiſtrare poſſint, ſi propter longam itineris diſtantiam, vel aliud impedimẽtum, intra breve tempus, confirmationem obtinere non poſſint, ut contra gloſſ. hîc V. Adminiſtrent, docet Abb. hîc n. 10. & ſequitur Laym. hîc n. 9. quia ratio, ob quam Concilium Lateranenſe conceſſit Prælatis immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjectis liberam adminiſtrationem, ante obtentam confirmationem, etiam locum habet in Eccleſiis Epiſcopo, aut Archiepiſcopo ſubjectis, ne ſcilicet grave detrimentum inferatnr Eccleſiis, ſi longo tempore Prælati electi adminiſtrare non poſſint.

Quòd verò in hoc c. tantùm expreſſa mentio fiat de Prælatis, qui immediatè Pontifici ſunt ſubjecti, non autem de aliis Prælatis ſnbjectis Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, cauſa hujus rei eſt, quia frequentiùs contingit, ut Prælati exempti longiùs diſtent à Curia Pontificali, quàm Prælati non exempti. Nec obſtat, quòd hæc Conſtitutio ſit exorbitans à Jure communi, quo prohibentur Prælati electi adminiſtrare ante acceptam confirmationem, & diſpenſatio quædam ſit, ideóque ſtricti juris, & non extendenda: nam, quamvìs hac ratione ſit odioſa, & ſtrictæ interpretationis; tamen alio reſpectu, & ratione magis principali, quatenus continet favorem, & utilitatem Eccleſiarum, & privilegium inſertum Corpori Juris communis, potiùs favorabilis cenſeri debet, ideóque propter identitatem rationis, præſertim quæ in ipſa Conſtitutione eſt expreſſa, extendi debet, ut tradit gl. in c. Sciant cuncti 12. V. Alios. h. t. in 6. & patet ex ſuprà dictis not. 2.

CCC. Notandum 6. Si Prælatus electus in caſu hujus cap. ante obtentam confirmationem adminiſtrârit, ſed poſtea ob defectum repertum electio reſcindatur, tum omnia ab ipſo acta valida cenſeri debent, ſiqnidem ipſa electio non ipſo jure fuerit irrita, ſed per ſententiam irritari poſſit, quia v. g. ob contemptum alicuius, eo petente, electio reſciſſa fuit, dummodo defectus fuerit occultus, & publicè ignotus; alioquin verò, ſi fuit manifeſtus, ſeo pnblicè notus, acta electi non valent, ut poſt gl. hîc V. Adminiſtrent, Innocent. n. 3. & ſeqq. Abbat. n. 11. & ſeqq. docet Laym. hîc n. 10. Ratio eſt, quia tali caſn electus adminiſtravit auctoritate Superioris, & huius Canonis, ac proinde ob concurrentem publicam, eámque probabilem ignorantiam defectûs occulti, qui ex jure poſitivo pendet, & ab eo ſuppleri poteſt, omnia eius acta valent, arg. l. Barbarius 3. de offic. Prætorum. Sed etſi tali caſu electns fuerit confirmatus, ſi poſtea accidat, ut confirmatio, ob deprehenſum defectum, ſeu errorem occultum, reſcindatur, omnia priùs geſta à Confirmato, propter intervenientem pubblicam ignorantiam defectûs, valida cenſenda ſunt, ut ex Anton. de Buttio tradit Laym. l. c.

Nec obſtat, quòd non debeat quis adminiſtrare, ante adeptam poſſeſſionem Prælaturæ, nt tradit Abb. hîc n. 11. Poſſeſsio autem in beneficialibus ſupponit titulum, cùm beneficium ſinè canonica inſtitutione, ſeu titulo obtineri non poſsit, juxta c. 1. de reg. jur. in 6. qui titulus, ſive quaſi domininm beneficij, non per electionem, ſed per ſequentem confirmationem Superioris acquiritur, ac proinde non videtur electus poſſe adminiſtrare, ante acceptam confirmationem. Nam reſpondetur cum gl. hîc V. adminiſtrent, quòd Prælatus electus ſit in quieta adminiſtratione, & quaſi poſſeſsione Prælaturæ de licentia Papæ, quâ quaſi ſuam, ſen quaſi jus in ea habens obtinet; idqne tum propter canonicam electionem, per quam electo actio acquiritur ad petendam confirmationem. qui antem actionem habet, qnaſi rem ipſam habere videtnr, reg. jur. 15. ff. junctâ gl. V. Qui actionem: tum quia anctoritate huius Canonis tribuitnr electo plena poteſtas adminiſtrandi, perinde, ac ſi confirmatus Prælatns eſſet, exceptâ alienandi facnltate: quamvìs iſta quaſi poſſeſsio electi ab eo poſtea tollatur, ſi fortè electio per ſententiam Judicis fnerit caſſata, Laym. hîc n. 11.

CCCI. Notandnm 7. Quando in fine cit. c. Nihil dicitur, Prælatum electum nihil penitus de rebns Eccleſiaſticis alienare poſſe, id ita intelligendnm eſt, quòd nihil poſsit dare, vel expendere, per qnod bona Prælatnræ diminuantur, adeóque nihil donare, niſi ob nrgentem neceſsitatem, vel aliam cauſam juſtam, qnia generatim liberam habens adminiſtrationem merè liberaliter donare non poteſt, ut docet gl. communiter recepta in c. 2. V. liberam de ſupple. neglig. Prælat. in 6. Quare gl. hîc V. adminiſtrent, ait, quòd geſta Prælati electi, & nondum con-

firma-

firmati, valent circa ſpiritualia, imò etiam eirca temporalia, adminiſtraudo, emendo, recipiendo ad utilitatem Eccleſiæ, non autem dando, ſeu donando.

CCCII. Notandum 8. Prælati poſtulati, tametſi Ultramontani ſint, ſive valde temoti à Curia Romana, & immediatè Papæ ſubjecti, imò & in concordia poſtulati, in quos ſcilicet vel omnes Capitulares, vel ſaltem duæ partes eorum conſenſerunt, juxta c. Scriptum. 40. h. t. non tamen poſſunt uti tali poteſtate adminiſtrandi conceſsâ Prælatis electis ultra Italiam, ante poſtulationem à Papa admiſſam, ut docer Innoc. hîc poſt princ. V. Qui, & Abb. n. 7. quia per poſtulationem, quamvìs concordem, nullum jus acquiritur poſtulato, antequam Superior eam admittat, ut patet ex dictis tit. præcedent. n. 2. Et quamvìs electio, & poſtulatio, in quibuſdam de jure æquiparentur, in pluribus tamen aliis ſunt diverſa & quodammodo contraria, ut habetur in c. unic. de poſtul. Prælat. in 6. à diverſis autem, vel repugnantibus non fit bona illatio, ut per ſe notum eſt.

CCCIII. Notandum 9. Quamvìs Abbas hîc n. 4. putet, privilegium adminiſtrandi ante confirmationem conceſſum in hoc c. hodie non habere ampliùs locum, poſtquam Papa ſibi reſervavit poteſtatem providendi, ſeu conſerendi Epiſcopatus, & primas dignitates, & conſequenter Capitulis Eccleſiarum Cathedralium abſtulerit jus eligendi; tamen hoc jus reſervatum eſt Capitulis in Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus Germaniæ in Concordatis, inter Papam Nicolaum V. & Imperat. Fridericum III. initis, quibus Concordatis non obſtant reſervationes non contentæ in Corpore Juris, & ita in praxi ſervatur, ut refert Fagn. in c. cit. Nihil. num. 18. & 19.

Quare etiam Archiepiſcopi, & Epiſcopi Germaniæ poſſunt de facto uti facultate adminiſtrandi in hoc c. conceſsâ, nempe, ut, ſi in concordia, vel ab omnibus Capitularibus, vel ſaltem à majore eorum parte canonicè electi fuerint, interim, donec à Sede Apoſtolica confirmationem accipiant, in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrent, auctoritate hujus Canonis, & propter neceſſitates, & utilitates Eccleſiarum, ne eæ detrimentum, ob longam diſtantiam à Romana Curia, patiantur, ut tradit Layman hîc n. 12. ubi addit, id præſertim procedere, ſi alicubi appareat, vel experientiâ conſtet, vacante Prælaturâ, rem à Capitularibus per vices alternatim adminiſtrationem gerentibus malè adminiſtrari, non ſinè prodigalitate & dilapidatione bonorum Eccleſiæ.

§. III.

De Confirmatione Epiſcopi, ſeu Prælati electi.

CCCIV. Quæritur 1. An Epiſcopi, aliíve Prælati neceſſariò confirmandi ſint? Reſp. omnes ij, qui ad Prælaturam Eccleſiæ viduatæ, ſeu vacantis canonicè electi ſunt, à Superiore confirmari debent, prout conſtat ex cap. Poſtquam. 3. h. t. quod eſt deſumptum ex lib. 8. Regiſtri Gregorij I. epiſt. 8. quamvìs vulgò tribuatur Gregorio III: ubi dicitur, „Confirmationem (ſcilicet electi) petentium deſideria, „ſi nihil eſt, quod electum (vel eligentes, vel electionem, quia poteſt eſſe impedimentum, ex parte quoque eligentium, vel ex parte formæ eligendi, Hoſtienſ. hic V. Electum) impediat, impleantur. Ratio „eſt, quia per electionem canonicam non tribuitur electo plenum jus, ſed tantùm jus inchoatum ad Prælaturam, ſeu dignitatem, ſive jus ad rem: per confirmationem verò Superioris illud perficitur, ac tribuitur jus in re, ſeu quaſi dominium. Unde electio, quæ canonicè celebrate eſt, à Superiore admitti, & electus, ſi idoneus ſit, confirmari debet; quia electio ab initio, ſcilicet ante publicatum ſcrutinium, eſt liberæ voluntatis, ſed confirmatio eſt neceſſitatis, Joan. Andr. hîc n. 2. id eſt, eligentes, quem voluerint, eligere idoneum poſſunt, ſed electum Superior ex officio confirmare tenetur; alioquin injuriam faciet tam eligentibus, quàm electo, poſteaquam electionẽ acceptavit, ita, ut is electionem ſuam proſequi, & confirmationem tanquam ex juſtitia ſibi debitam petere poſsit; quod etiam Electores facere poſſunt, cùm ipſorum quoque, & Eccleſiæ ſuæ interſit, ut legitimè electus confirmetur, Abb. hîc n. 1. & 2. Et hinc poteſtas confirmandi, vel inſtituendi pertinens ad Epiſcopum tranſit ad Capitulum, ſede vacante, c. Cùm olim. 14. de majorit. & obed. c. 2. de inſtitut. non item poteſtas conferendi, vel eligendi, quia confirmatio, & inſtitutio ex neceſſitate, ſeu obligatione officij exercetur; collatio verò, vel electio fit liberè, cùm non debeat eligi certus, Abb. hîc n. 1. Idémque dicendum eſt de electione facta per Collegium ſeculare, debet enim à Superiore confirmari, ut tradit gl. in l. 3. V. Privatorum, Verſ. Sed obſtat C. de juriſd. omn. judic. Abb. hîc n. 2.

Excipi tamen debet, quòd Princeps, ſeu Papa, ex plenitudine poteſtatis, rejicere poſsit legitimè electum, denegatâ ipſi confirmatione, ſi id gravis cauſa, ſeu publica utilitas exigat, ut perſona multò dignior, ſeu magìs idonea promoveatur, ut patet ex Concordatis Germaniæ, §. Item placet, ubi Papa Nicolaus V. ait: *electiones, ſi canonicæ fuerint, confirmabimus, niſi ex rationabili, & evidenti cauſa de digniore & utiliore perſona duxerimus providendum.* Præterea per conſuetudinem induci poteſt, ut electi ad dignitates inferiores, v. g. ad Decanatum, ſinè Superioris confirmatione, ſtatim poſt conſenſum electioni præſtitum, jus omne, ſeu plenum acquirant, dummodo electio concorditer facta fuerit, & talis conſuetudo non cedat in damnum Eccleſiæ, ita, ut indigni promoveantur ad Prælaturas, & dignitates; alioquin verò hujuſmodi conſuetudo in Eccleſiaſticis electionibus improbanda foret, cùm conſuetudo Eccleſiis damnoſa valere non poſsit, Abb. hîc n. 3. & Laym. ibid. n. 1.

CCCV. Quæritur 2. Ad quem pertineat confirmatio Epiſcopi, vel Prælati electi? Reſp. Electus ordinariè confirmandus eſt à proximo, ſeu immediato Superiore, cui Eccleſia, aut dignitas electiva eſt ſubjecta. Itaque Prælati Epiſcopo inferiores, non exempti, ab Epiſcopo diœceſano ſunt confirmandi: Epiſcopi ab Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano, ut quibuſdam temporibus conſuetum erat, prout colligitur ex c. Qui Epiſcopus, 2. diſ. 23. c. fin. diſ. 64. cap. Cùm dilectus 32. h. t. Archiepiſcopi à ſuo Patriarcha, vel Primate: Patriarchæ denique à Papa confirmari debent, Hoſtienſ. in ſumma, §. A quo confirmãda ſit n. 27. h. t. Azor p. 2. Inſtit. mor. lib. 3. c. 29. q. 1.

Hodie verò Epiſcoporum confirmatio,ubi ad huc viget mos eligendi, ſicut in Germania, etiamſi ſint immediatè ſubjecti Metropolitano, ad S. Pontificem ſpectat,juxta Bullam Nicolai V. Ad ſacram,in Concordatis Germaniæ, ſicuti & olim ſpectabat, circa tempora Nicolai I. ot colligitur ex c. 1. diſ. 22. & Gregotij 1. c. Quanto, 10. diſ. 63.

» CCCVI. Præterea Legatus de latere, ſive
» Cardiualis, qui majus omnibus, poſt Romanum
» Pontificem io Provincia, ad quam eſt miſſus, Im-
» perium cenſetut habere, Archiepiſcoporum, Epi-
» ſcoporum, & aliorum Prælatorum exemptornm
» electiones ex officio (ſcilicet legationis, non enim
» requiritur ad hoc ſpeciale mandatum, gl. hîc V. ex
» officio) coofirmare poteſt: Alij verò Legati, ſeu
» Nuncij (qui non ſunt de Latere) hoc facete ne-
» queunt (nempe confirmare Archiepiſcopos, Epi-
» ſcopos, & alios Prælatos exemptos) niſi id eis à
» Sede Apoſtolica ſpecialiter ſir commiſſum, prout
» habetut in cap. Si Abbatem 36. §. Hujuſmodi,
h. t. in 6.

Porrò, quod ſuprà dictum eſt, Prælatum electum à proximo Superiote confirmaodum eſſe, id ordinariè loquendo, verum eſt, & ſpectato Jute communi, præſertim antiquo: oam ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcriptâ, confirmatio electionis aliquando etiam ad alios, quàm Superiores proximos, vel mediatos pertinere poteſt, Tholoſ. tract. de Elect. c. 19. n. 14.

CCCVII. Quæritut 3. Quando, ſive intra
» quod tempus petenda ſit confirmario electionis?
» Reſpondetur, quivis electus, poſtquam electio-
» nem acceptavit, Intra tres menſes à die conſensûs
» præſtiti numerandos, confirmationem electionis
» petere debet: alioquin ſi juſto impedimento (v.
» g. ob infirmitatem, viarum diſcrimina, Superiotis
» diſſenſum, vel alio ſimili) ceſſante, eam intra di-
» ctum tempus petere omiſerit, electio eo ipſo viri-
» bus evacnatur, ſive ipſo jure, ſeu facto eſt irrita,
» prout habetur in c. Quàm ſit 6. §. Cæterùm, io fine
» h. t. in 6. Idémque ob paritatem rationis, in poſtulatione locum habet, nt tradit gl. hîc V. Vacuetur, non item in proviſiooe, ſeu collatione, nam illius non petitur confirmatio, gloſſ. margin. hîc, & Franc. n. 4.

CCCVIII. Ubi præterea notandum 1. Non eſt neceſſe, ut electus intra tempus trimeſtre confirmationem obtineat, modò per eum oon ſtet, quò minùs coofirmetur, ſed ſufficit ad pœnam hanc evitandam, ſi petat, gl. hîc V. Petat. poteſt autem petere, vel per ſe, vel per procuratotem, c. Cùm dilecta 22. de reſcript. Imò etiam Electores petere poſſunt, ut electio confirmetur, etſi electus non petat, c. Cùm Eccleſia 3. de cauſ. poſſ. & propt. gl. hîc V. Petere. Sed etſi amicus, ejus nomine, coofirmationem petat, ſinè mandato ipſius, id ſufficit, dummodo Electus id ratū habeat, qnia & in judicijs, l. Licèt 56. ff. de jndicijs: & in cōtractibus, & quaſi contractib' l. Pompooius 9. ff. de negot. geſt. gl. marg. hîc, & in diſtractibus, l. Vero 12. in fine ff. de ſolution. & io maleficijs l. 1. §. Sed etſi ff. de vi & vi arm. c. Cùm qois 23. de ſent. excom. in 6. & in ultimis voluntatibus, l. Donationes 25. C. de donat. ioter vit. & uxor. ratihabitio rettotrahitur, & mandato comparatur, reg. juris 10. in 6. ita tamen, ut electus petitionem coofirmationis ab alio factam ratam habeat, ante elapſum tempus trimeſtre, aliàs ratihabitio poſtea facta oon prodeſſet, l. pen. ff. Rem ratam haberi, gl. hîc V. Petere, quia in omni caſu ratihabitio debet fieri intra illud tempus, intra quod actus poſſit geri, Franc. hîc n. 3. not. 2. Quòd ſi electus poſt finitum tempus trium menſium, confirmationem petat, & impetret, ea nihilominus irrita eſt, quia, quod ab initio fuit nullum, oon poteſt tractu temporis convaleſcere, gl. hîc V. vacuetur in fine, ubi tameo id limitat, niſi confirmatio ſcienter fuiſſet facta ab eo, qui aliàs ſuo jure Prælatutam conferre potuiſſet.

Notandum 2. Dictio *eo ipſo*, etſi apponatur verbo fututi temporis, importat Canonem latæ ſententiæ, non ferendæ, ut patet ex hoc c. gl. hîc V. Vacuetur, & Franc. n. 4. & hoc caſu poteſtas eligendi revertitur ad Electores, ita, ut ſinè alia declaratione, ſuper privatione juris electo quæſiti, poſſint ad aliam electionem procedere, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *Electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem*, & conſtat ex c. Si electio 26. h. t. in 6. eſt enim ipſo facto irrita electio, non ob negligentiam eligeotium, ut in caſu c. Ne pro defectu 41. h. t. ſed electi, Ancharan. hîc §. Item nota quòd in iſto §. Cæterùm. Idque procedit ſecundùm jus novum; nam olim, ſi poſt præſtitum conſenſum, electus non petivit confirmationem, nunquam propterea privabatur jure per electionem ſibi quæſito, ſed per Superiorem cogebatur ad confirmationem peteodam, gloſſ. hîc V. Vacuetur.

CCCIX. Notandum 3. Quamvis confirmatio intra certum tempus petenda ſit, non eſt tamen certum tempus à jure definitum, intra qnod Superior, cui jus confirmandi competit, electum confirmare teneatur, Rebuff. in ptaxi benefic. tit. de devolur. n. 6. nam cùm tam electus, quam electores agere poſſint, ut confirmatio fiat, ſatis ijs proſpectum eſſe videtur. Verùm quia Eccleſiæ intereſt, ut, quampsimnm poteſt, fiat, cùm interea electos adminiſtrare nequeat, & non deceat, Eccleſias, & beneficia diu vacare, ideo, ſi confirmatio diu differatur, poteſt à Superiore confirmatoris peti, ut is termioū conſtituat, iotra quem confirmatio fieri debeat, alioquin ipſemet coofirmatiooem præſtabit, arg. c. Irrefragabili 13. §. Exceſſus de offic. Jud. Ordin. Laym. de Elect. Prælat. q. 109.

CCCX. Cæterùm prædictum trimeſtre tempus petendæ confirmationis, quod attioet ad Eccleſias Cathedrales, & Regulares, quæ Sedi Apoſtolicæ Immediatè ſunt ſubjectæ, immutatum eſt à Papa Nicolao III. in c. Cupientes 16. h. t. in 6. ubi inprimis
ſtatuitur, ut omnes electi ad Eccleſias Cathedrales, »
vel Regulares (ſcilicet vitotum, nam in electio- »
nibus Monialium non per omnia locum habet hæc »
Conſtitutio, ut patet ex c. Indemnitatibus 43. §. Sed »
cùm eas h. t. in 6. gl. hîc V. Regularium, de quo in- »
ſrà) quorum coofirmationes peti debent à Sede A- »
poſtolica, ratione immediatæ ſubjectionis, vel ap- »
pellationis ad eam Sedem interpoſitæ, infra unum »
menſem, poſt conſenſum in electionem debito »
tempore præſentatum, præſtitum, vel poſt habi- »
tam notitiam electionis, ſi illius præſentatio debi- »

te

» bito tempore facta non ſit, iter arripiant ad dictam
» Sedem pro confirmatione petenda, & cauſâ ele-
» ctionis proſequendâ, cum omnibus actis & mo-
» numentis cauſæ. Finito autem eo menſe (qui da-
» tur ad parandum ſe ad iter) conſiderandum erit
» tempus, infra quod electi, ſpectatâ locorum di-
» ſtantiâ, commodè Romam venire poſſint; cùm a-
» liquorum locorum vicinitas minus, aliorum di-
» ſtantia prolixius tempus exigat: atque inſuper
» præter tempus iſtud boni viri arbitrio æſtimandū,
» exſpectandum eſt per XX. dies, intra quos ſi electi
» perſonaliter advenerint, vel ſi juſtè impediti ſint,
» vel procuratorem ſufficienter inſtructum non mi-
» ſerint, vel ſi procurator miſſus infra XV. dies poſt
» dictos 20. numerandos, plenam fidem de impedi-
» mento non fecerit; tum electi omni jure, ſi quod
» per electionem eis quæſitum ſit, privati exiſtunt:
» niſi talia impedimenta propoſita fuerint, quæ ad e-
» vitandam hanc pœnam Judici ſufficientia videan-
» tur, & propter quæ videatur illis, ad perſonaliter
» comparendum, longius tempus concedendum. ita
habetur in cit. c. Cupientes §. Quòd ſi per 20. dies.
» Probare autem debent electi impedimentum, ob
» quod perſonaliter intra idem tempus non advene-
» rint, & eo ceſſante, nihilominus comparere, alio-
» quin perdunt jus, ſi quod per hujuſmodi electio-
» nem ipſis quæſitum ſit, cit. c. §. Inſuper. Si verò
» electi perſonaliter comparuerint, vel procurato-
» rem miſerint, ſed ſinè actis, juribus, & monu-
» mentis ſuis, eam pœnam incurrunt, ut ad ipſa pro-
» ducenda extra Curiam nulla alia dilatio eis detur,
» niſi ex juſta cauſa, ut quia inſtrumenta ſecum de-
» lata amiſerunt, vel aliqua de novo eis opponun-
» tur, cit. c. §. Electos verò, & ibi gloſſ. V. Ex juſta
» cauſa.

» Præterea in eodem c. §. Ad hæc, de Electori-
» bus ſtatuitur, ut ij, ſi una tantùm electio in con-
» cordia fuerit facta, duas perſonas ex Capitulari-
» bus ſufficienter inſtructas infra idem tempus, (in-
» tra quod electus debet perſonaliter comparere) ad
» Sedem Apoſtolicam mittant, qui ſciant Papam
» inſtruere de tota cauſa electionis: & quidem ex-
» penſis Prælaturæ mitti debent, ſi bona eius à bonis
» Capituli ſint diviſa: ſi verò communia, ex eiſdem,
» vel aliunde à Capitulo proviſis, ſi ex diviſis, & com-
» munibus haberi non poſſint. Si verò in diſcordia,
» una, vel plores electiones fuerint celebratæ, tum
» duo Capitulares ex utraque parte mittendi ſunt, &
» electus, vel electi expenſas præſtare debent, alio-
» quin jure ex tali electione ipſis quæſito privandi
» ſunt per ſententiam, niſi ob inopiam excuſentur,
» tum enim Electores expenſas ſuſtinere debent, gl.
» ibid. Verſ. Impotentia. Quando verò unicus eſt
» electus, cui aliquis, vel aliqui ſe opponunt, hoc ca-
» ſu opponentes expenſis ipſorum propriis, ſi duo
» tantùm, vel ſi plures, ſaltem duo ex ipſis opponen-
» tibus, expenſis ipſorum opponentium propriis,
» cum actis, & monumentis inſtructi compareant, ut
» per illos poſſit Sedes Apoſtolica plenè informari.

Item in §. Cæterum, ſtatuitur, qualiter punian-
tur eligentes, ſi electionem debito tempore non præ-
ſentent, vel ſi perſonas non mittant inſtructas, de
quo actum ſuprà, n. 255.

Denique in §. finali cit. c. Cupientes decernitur,
quòd idem obſervandum ſit in poſtulatis, & po- »
ſtulantibus concorditer, vel diſcorditer, quod in »
electis, & eligentibus hîc ſtatutum fuit, ſi ideo po- »
ſtulati ſunt, quia in Ordinibus, vel ætate, vel ſimi- »
libus defectum patiuntur: niſi poſtulentur, qui a- »
liis Eccleſiis antea alligati ſunt; tùm enim antiqua »
jura ſervanda ſunt (c. 1. h. t. in 6.) neque etiam po- »
ſtulati hujuſmodi conſentire debent poſtulationi »
ſuæ, neque ipſi tenentur expenſas præſtare, ſed po- »
ſtulantes, ſivè poſtulatio in concordia, ſive diſcor- »
dia facta ſit: nihilominus tamen poſtulationes »
pendent à gratia, ſicut olim. In omnibus autem »
ſuprà dictis caſibus, quoad recuperandas, vel red- »
dendas expenſas eligentium, vel electorum, poſtu- »
lantium, vel poſtulati, ſervandum eſt, quod juſtum »
fuerit, ſeu æquitas Canonum judicabit, de quo in »
c. Ut præteritæ 45. h. t. & dictum ſuprà n. 152. & 2.
ſeqq. & videri poteſt gl. fin. hîc.

Porrò hæc Decretalis adhuc hodie locum ha-
bet in Electionibus, quæ fiunt à Capitulis Eccleſia-
rum Cathedralium, etſi immediatè non ſint ſubjectæ
Sedi Apoſtolicæ; nam cùm eæ ad dictam ſedem de-
ferendæ ſint, expectatur in Curia uſque ad tempus
hîc conſtitutum, prout habetur in Concordatis Ger-
maniæ. §. Item placet.

CCCXI. Prædictis pro declaratione cit. c.
Cupientes addendum 1. perſonæ illæ Eccleſiaſticæ, »
quæ iuxta c. Cupientes 16. §. Adhæc, h. t. in 6. ad »
Sedem Apoſtolicam accedere debent, ad informan- »
dum Pontificem ſuper negotio electionis, interim »
dum propter utilitatem Eccleſiæ ſuæ abeſſe cogun- »
tur, adeóque pro reſidentibus reputandi ſunt, fru- »
ctus beneficiorum ſuorum, quæ obtinent in illa »
Eccleſia, cuius negotia proſequuntur, & etiam a- »
liorum, quos reciperent, vel poſſent recipere, ſi in »
illis Eccleſiis reſiderent, integros recipere debent »
(exceptis duntaxat quotidianis diſtributionibus) »
dum Romam accedunt, & ibi ob eam cauſam mo- »
rantur, & ad ſuas Eccleſias redeunt, ac ſi perſonali- »
ter in eiſdem Eccleſiis reſiderent; idque ideo, quia »
non decet alicui ſuum officium (ſive publicum, ſi- »
ve privatū) eſſe damnoſum. Non obſtantibus qui- »
buslibet conſuetudinibus, vel ſtatutis ipſarum Ec- »
cleſiarum contrariis, ſeu privilegiis quibuſcunque, »
per quæ prædictorum effectus quomodolibet im- »
pediri poſſet. Ita ſtatuit Bonifacius VIII. in c. Cùm »
non deceat 36. h. t. in 6. »

CCCXII. Notandum 1. Hæc Conſtitutio
non habet locum in electione ad Eccleſiam, quæ non
eſt Cathedralis, nec Regularis, & aliis caſibus, in qui-
bus non habet locum Decretalis Cupientes, & con-
ſequenter neque privilegium conceſſum in hac De-
cretali, quæ eſt declaratio illius Decretalis, eámque
ſupponit, ut notat gl. hîc V. juxta. Habet tamen lo-
cum, non ſolùm in duobus Electoribus, qui Romam
mittendi ſunt ad informandum S. Pontificem ſuper
negotio electionis, iuxta cit. c. Cupientes. §. Ad hæc,
ſed etiam in electo, etſi de ipſo in hoc c. nulla ſit fa-
cta mentio: nam & is, ſi ob eandem cauſam electio-
nis ſuæ proſequendæ, & confirmationis petendæ, ad
Pontificem, vel alium Confirmatorem ſe conferre
debeat, reditus beneficiorum, (exceptis diſtributio-

nibus quotidianîs, quæ præſentibus tantùm, qui officiis divinis interſunt, dari ſolent) recipere poterit, quia & in cauſa Eccleſiæ abeſſe cenſetur, ideóque ad eum quoque hæc Conſtitutio, & privilegium in ea contentum extendi debet, Jo. Andr. hîc & Laym. num. 2.

Notandum 2. Electores, qui Romam mittendi ſunt in negotio electionis, vel etiam Electus, dum abſunt à ſuis Eccleſiis, ob utilitatem earum, percipere interim poſſunt, non tantùm fructus beneficiorum, quæ obtinent in illa Eccleſia, cuius cauſam proſequuntur, ſed etiam aliorum beneficiorum, quæ in aliis Eccleſiis obtinent, ut ſi v. g. Eccleſia Cathedralis Auguſtana haberet privilegium, ut Canonici illius reſidentes in eadem percipere poſſint fructua beneficiorum, quæ in aliis Eccleſiis obtinent, vel ſi is, qui Romam venit pro informando Pontifice, in negotio electionis, hujuſmodi perſonale privilegium habeat, iuxta c. ult. de reſcript. in 6. gl. hîc V. Reſidendo, & Franc. n. 1. in fine.

Notandum 3. Privilegium conceſſum abſentibus Eccleſiæ, vel Reipublicæ causâ, cenſetur conceſſum pro tempore itineris, quo ad locum deſtinatum accedunt, & quàm diu ibi morantur, & pro tempore reditûs, Anchatan. hîc not. 4. & Francus n. 1. not. 2. Quare ſi in caſu huius c. miſſi Romam in negotio electionis, eo finito, ulteriùs ibi maneant, ſive liberâ voluntate, ſive ad expedienda alia ſua negotia, privilegium hoc ceſſabit, neque pro rata illius moræ ſeu temporis, fructus ſuorum beneficiorum percipient, gl. hîc V. hac de cauſa; quia non verè Reipublicæ causâ dicitur abeſſe is, qui ſui privati negotij causâ in legatione eſt, l. Non verè 42. ff. Ex quibus cauſ. major.

Notandum 4. Conſuetudo, ſtatutum, vel privilegium, ut ex quacunque cauſa Clericus, ſeu beneficiatus ab Eccleſia ſua abſit, etiam propter utilitatem Eccleſiæ, interim fructus beneficiorum ſuorum percipere non poſſit, invalidum eſt, & irrationabile, quia cederet in damnum Eccleſiæ, non enim Clerici facilè induci poſſent, ut iter ſuſciperent ad gerenda negotia Eccleſiæ, ſi tempore abſentiæ fructus beneficiorum percipere non poſſent, ideóque talis conſuetudo, vel ſtatutum, aut privilegium, quippe Eccleſiæ damnoſum, valere non poteſt, gl. hîc V. Effectus, & Laym. in fine.

CCCXIII. Addendum ſupradictis 2. Si ab electione in Eccleſia Cathedrali, vel Regulari celebratâ, cujus confirmatio ad Ordinarium, videlicet Archiepiſcopum, vel Epiſcopum pertinet, ex cauſa probabili, quæ ſi probetur, legitima, ſeu juſta reputari debet, ad Sedem Apoſtolicam in ſcriptis fuerit appellatum, & Ordinarius nihilominus electionem confirmet, talis confirmatio irrita eſt, cùm ſit ab eo, qui non potuit, de facto præſumpta, niſi appellans priùs ab ipſa appellatione canonicè (id eſt, ſinè pravitate) receſſerit, prout habetur ſtatutum in c. Si poſtquam 33. h. t. in 6. Ratio eſt, quia per appellationem ab electione ad Sedem Apoſtolicam, etſi extrajudicialem, ſuſpenſa fuit juriſdictio inferioris Judicis Ordinarij, ideo non potuit hic talem electionem, pendente appellatione, confirmare, niſi appellans renunciârit ſuæ appellationi, quia per receſſum ab illa recuperat Ordinarius juriſdictionem, ſeu poteſtatem confirmandi, gl. hîc in caſu. Eſt autem hoc ſpecialiter ſtatutum in caſu, quo ab electione ad Cathedralem, vel Regularem Eccleſiam ad Sedem Apoſtolicam (ſecus, ſi ad inferiorem Judicem) extra, vel intra Judicium appellatur: nam alioquin regulariter, non obſtante appellatione factâ, ante ſententiam definitivam, poteſt Judex inferior, ſeu Ordinarius, à quo appellatum eſt, in cauſa procedere, donec appareat, an Superior, ad quem appellatum eſt, cognitâ veritate, acta reſcindere velit, ut conſtat ex c. Non ſolùm 7. §. Illa verò de appellat. in 6. gl. hîc V. ad Sedem Apoſtolicam, ubi ait, id ſtatutum eſſe ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, & quia cauſæ majores faciliùs devolvuntur ad Papam, c. Ut Debitus 59. in fine de appellat.

CCCXIV. Præterea ſi electus ad Eccleſiam Cathedralem, vel Regularem, qui juxta Conſtitutionem Papæ Nicolai III. in cit. c. Cupientes h. t. in 6. quia immediatè ſubjectus eſt Sedi Apoſtolicæ, vel propter appellationem ad eandem, perſonaliter intra menſem Romam venire debet, eò quidem veniat, ad electionis ſuæ negotium proſequendum, attamen à Curia Romana, antequam hujuſmodi negotium electionis finitum ſit, ſinè licentia recedat, is jure electionis, auctoritate dictæ Conſtitutionis, eo ipſo omnino privatus exiſtit: nam, quamvìs in illa, ſpectatis præcisè verbis, tantùm puniatur, & privetur jure per electionem quæſito is, qui non venit ad Curiam; tamen, ſi attendatur mens legislatoris, quæ ex ratione, ac fine legis cognoſci debet, apparet, quòd in illa Conſtitutione etiam exigatur, ut electus ad Curiam veniens uſque ad finem negotium electionis proſequatur; ita habetur in cit. c. Si poſtquam §. Si verò electus h. t. in 6. Ratio eſt, quia paria cenſentur, non venire, & venire quidem, ſed ſinè licentia recedere, ſive non exſpectare cauſæ ſuæ finem, c. Certum 43. cauſ. 11. q. 3. gl. hîc V. Mente. Nam univerſim loquendo, in omni lege, etiam pœnali, potiùs attendi debet, quæ ſit mens legislatoris, quàm præcisè ad verba legis, quia intentio præfertur verbis, & verba rebus, non res verbis ſubjecta ſunt, c. Intelligentia 6. de V. S. Et fraudem committit in legem, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, l. Non dubium 5. C. de legib. Et hinc Conſtitutio etiam pœnalis extenditur ad caſum, verbis quidem non expreſſum, ſed ſub mente legis, vel ſtatuti comprehenſum, nec dicitur tunc propriè extendi, gl. hîc V. Mente, & Franc. n. 3. Addit gl. hîc V. Mente, quòd electus veniens ad Curiam Romanam non incurrat pœnam ſtatutam in hoc c. ſi eo tempore, quo non impeditur proceſſus cauſæ, peregrinationis, vel recreationis causâ, vel ex alia ſimili, ad pauca milliaria exeat extra Curiam, non enim videtur receſſiſſe, qui brevi eſt reverſurus, l. Divortium 3. in fine ff. de divortijs. Porrò, quod hîc de pœna electi venientis, & recedentis, ſinè licentia, dictum eſt, eâdem ratione intelligi debet repetitum eſſe quoad pœnam opponentium, & perſonarum, quæ inſtructæ venire debent ad Curiam, ut tradit gl. hîc V. Omnino.

CCCXV. Denique in §. fin. cit. c. Si poſtquam, additur, quòd, ſi etiam ab electionis confirmatione, vel à proviſione facta ab eo, ad quem propter inferiorum negligentiam poteſtas eligendi

» di devoluta eſt, (juxta c. Ne pro defectu 41. h. t. » & c. Quamquam 18. eodem in 6.) ad Sedem Apo- » ſtolicam appelletur, obſervanda ſint ea, quæ in di- » cta Conſtitutione Cupientes de veniendo, & mit- » tendo ad Curiam dicta ſunt, ita, ut etiam electus, & » eligentes, & appellantes, teneantur venire, aut per- » ſonas inſtructas mittere ad Apoſtolicâ Sedem, juxta » diſtinctionem illius c. licèt in eo ſolùm mentio fa- » cta ſit electionis, non confirmationis. Ratio eſt, quia etiam in hoc caſu agitur de meritis electionis, & eſt neceſſaria inſtructio perſonarum, ideo cùm ſit eadem ratio, quæ eſt in electione, ut ſcilicet Superior informetur in cauſa, etiam eſſe debet idem jus, ut nimirum in caſu appellationis ad Sedem Apoſtolicam à confirmatione per ſuperiorem Ordinarium facta, ipſi Principales etiam veniant ad Curiam, aut mittant perſonas inſtructas, & ante finitum negotium non recedant &c. gl. fin. hîc V. Confirmatione, & Vivian. in Ration. Juris Pontif. Nam etiam lex pœnalis, ob identitatem rationis, extenditur, ſi appareat, quòd caſus aliquis in ſpecie expreſſus fuerit ſolùm veluti exempli loco, diſpoſitio autem eiuſque ratio etiam in aliis ſimilibus caſibus locum habeat, ut ſuprà, & ſæpe aliàs jam dictum. Idémque dicendum, ſi appelletur à proviſione, quia electio, poſtulatio, & proviſio à jure æquiparantur in his caſibus; in hujuſmodi autem æquiparatis, quod jure ſtatutum eſt de uno, cenſeri debet quoque ſtatutum eſſe de altero, etiam in materia pœnali, ſi in utriſque ſit eadem ratio, gloſſ. hîc V. proviſione, & Franc. num. 3. in gl. pen.

§ IV.

De iis, quæ præcedere debent confirmationem, & de aliis quibuſdam ad eandem pertinentibus.

CCCXVI. An, & qualis inquiſitio inſtitui debeat ante confirmationem Prælati electi? Reſp. confirmatio impendi non debet, niſi priùs inſtitutâ inquiſitione de forma & proceſſu electionis, & de meritis, ac conditione electi, prout habetur in c. Ni- » hil, 44. in princ. h. t. nam cùm nihil ſit, quòd Eccle- » ſiæ Dei magìs officiat, quàm ſi indigni Prælati aſ- » ſumantur ad regimen animarum, ideo in Concilio » Lateranenſi ſub Papa Innocentio III. c. 26. decre- » tum fuit, ut, ſi quis ad regimen animarum fuerit e- » lectus, is, ad quem ſpectat confirmatio, diligenter » examinet, & electionis proceſſum, & perſonam e- » lectam, ut ſi electio fuerit canonica, & perſona i- » donea, confirmationem ei impendat.

CCCXVII. Notandum 1. Superior confirmans imprimis inquirere debet de forma electionis, ut conſtet, an legitimè facta, & nihil ad ſubſtantiam pertinens prætermiſſum ſit, de quo conſtare poterit ex decreto electionis continente totam ſeriem, ſeu proceſſum electionis authenticè deſcriptum, gl. in c. Innotuit. 20. V. Decreto, h. t. & ibid. Innocent. n. 3. V. Eodem, quod decretum electionis facit plenam fidem, ſi per publicam perſonam, ſeu Tabellionem ſit confectum, atteſtante, omnia fuiſſe geſta in præſentia ipſius, & teſtium, Abb. in cit. c. Innotuit, n. 14. & Sylveſt. V. Electio 1. q. 18. Deinde Superior, priuſquam electum confirmet, ex officio inquirere debet de eius perſona, an ſit idonea, & num requiſitas qualitates habeat, præſertim legitimam ætatem, morum honeſtatem, & ſcientiam ſufficientem, etiamſi contra perſonam illius nihil fuerit propoſitum, vel objectum, c. Cùm nobis, 19. §. His igitur, & ibi gl. V. Ex officio h. t. ubi Papa Innocent. III. ait; quamquàm » contra perſonam illius, quem elegiſtis, nihil di- » ctum fuerit vel objectum; quia tamen iuxta ver- » bum Apoſtoli dicentis 1. ad Timoth. c. 5. *nemini* » *citò manum imponas*, debemus attendere diligenter » ad ea, quæ circa perſonam inquirenda fuerant, du- » ximus ex officio noſtro, ſicut decuit, proceden- » dum: & in cit. c. Nihil. in princ. & ibi gl. V. Examinet, & c. Qui Epiſcopus, 2. diſ. 23.

CCCXVIII. Notandum 2. Qualitates perſonæ, de quibus inquiſitio, ſeu examen inſtitui debet, quædam ſunt intrinſecæ, ac veluti homini innatæ, ut, quòd ſit verax, caſtus, pacificus, ſobrius &c. & has qualitates præſumitur quis habere, niſi contrarium probetur, arg. c. unic. de ſcrutin. in Ord. faciend. quia quilibet præſumitur bonus & idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur, c. ult. de præſumpt. Aliæ verò ſunt qualitates extrinſecæ, ſeu adventitiæ, ut eſt legitima ætas, ſcientia, Ordo; & tales qualitates non præſumuntur ineſſe homini, niſi probentur, ideóque ſuper his potiſſimùm examen, & inquiſitio inſtituenda eſt, gl. in c. Si fortè 11. V. Scientiæ h. t. in 6. Dixi potiſſimùm, quia, ut confirmetur Prælatus electus, etiam de prioribus qualitatibus intrinſecis examen & inquiſitio fieri debet; nam quamquàm aliàs, ſi nihil agendum habeamus cum aliquo, non debeamus in eius vitam moréſque inquirere, ſed potiùs præſumere, eum eſſe virum bonum, vitæque integræ, dum de oppoſito nihil conſtat: ſi tamen filia illi in matrimonium tradenda ſit, quo modo Eccleſia deſponſanda eſt Prælato electo, & hic veluti ſponſus illi dandus eſt per confirmationem; rectè priùs in eius vitam, moréſque inquiri poteſt, ac debet, ſaltem quoad exteriùs apparentia, de quibus Eccleſiæ teſtimonium dari poteſt, gl. loc. cit. Laym. de Elect. Prælat. q. 110. & in c. Poſtquam. 3. n. 5. h. t.

Ex quo infertur, quòd teſtes examinati de virtutibus, ſeu qualitatibus etiam intrinſecis Prælati electi, v. g. An ſit humilis, caſtus, ſobrius, miſericors &c. non poſſint teſtimonium dare de probitate illius, & habilitate ex ea ſolùm communi præſumptione, quòd oppoſitum non viderint, vel ab aliis audiverint: ſed neceſſe eſt, ut habeant poſitiva, & ſenſibilia indicia, ſeu conjecturas, ex quibus præſumere poſſint, vel probabiliter judicare, tales virtutes ſeu bonas qualitates homini ineſſe, quia, licèt in judiciis privatis, quando non apparent manifeſta indicia de malo alicuius, debeamus eum bonum habere, & in meliorem partem interpretari, quod dubium eſt, ut docet S. Thom. 22. q. 60. a. 4. in corp. id tamen non procedit in publicis judiciis, aut teſtimoniis dandis, ut in propoſito, in examine inſtituendo ſuper promovendis ad Prælaturam, in quo requiruntur teſtimonia de virtutibus, ſeu qualitatibus neceſſariis ad Prælaturam: in his enim, ſtante dubio in utramque partem, ſi non adſint indicia maiora pro homi-

nis

nis probitate, ſeu bona qualitate, quàm in oppoſitū, teſtimonium legitimum dari non poteſt pro illius probitate, aut habilitate, nam tale teſtimonium, ſeu judicium eſt periculo errandi, & falsò judicandi expoſitū, & Eccleſiæ noxium, quia facilè indigni Prælaturis præfici poſſent, ut ex S. Thom. & Caietan. cit. a. 4. docet Laym. in cit. c. Poſtquam, n. 5. q. 1. Nec obſtat, quòd in c. unic. de ſcrutin. in ord. faciend. dicitur, quòd quiseum, quem indignum eſſe non novit, dignum debeat æſtimare. Nam reſpondetur, quòd ibi ordinandus tanquam idoneus per litteras præſentatus, & commendatus fuit, adeóque adfuit probabile indicium, ſeu conjectura de probitate, & idoneitate illius; idque ſufficit, cùm plerumque major certitudo haberi non poſſit, ſicut ibid. indicatur in illis verbis: *quantum humana fragilitas nôſſe finit, & ſcit, & teſtificatur, illum ad huiuſmodi onus officij eſſe dignum*, gl. ibid. V. Et ſcit, & ex Ant. de Butrio tradit Laym. in cit. c. Poſtquam n. 5. in fine.

CCCXIX. Notandum 3. In ſpecie autem modus examinandi Epiſcopum electum eſt præſcriptus à Papa Gregorio XIV. in Bulla, quæ incipit: Onus Apoſtolicæ edita anno 1590. 1. Maij, & habetur apud Quarantam in ſumma Bullarij V. Electio fol. 309. Secundum quem modum in Germania ita procedi ſolet, ut Electus in Epiſcopum examinandum ſe offerat viciniori alicui Epiſcopo ſuper certis Articulis, qui per teſtes idoneos & juratos probari debent. Veluti 1. An promovendus in Epiſcopum natus ſit ex legitimo matrimonio, iuxta c. Cùm in cunctis 7. h. t. & à Catholicis parentibus, c. 2. §. Hæretici de hæretic. in 6. 2. An xxx. ætatis annum compleverit, cit. c. Cùm in cunctis, niſi fuerit poſtulatus, tunc enim ſufficiunt anni xxvII. inchoati, Extravag. unic. de Poſtul. Prælat. inter communes. 3. An ſaltem 6. menſibus in ſacro Ordine fuerit conſtitutus, iuxta Concil. Trident. Seſs. 22. c. 2. de reform. 4. An in Theologia, vel Jure Canonico Doctor, aut Licentiatus ſit promotus, vel ſaltem publico alicuius Academiæ, vel aliorum probatorum, & expertorum teſtimonio ad alios docendos idoneus judicatus ſit, iuxta Trident. cit. c. 2. 5. An bonæ famæ ſit, vitæque integræ, c. 2. diſ. 23. c. ult. diſ. 51. & num in Eccleſiaſticis functionibus verſatus, & prudentiâ, uſúque rerum ſit præditus, ut habetur in cit. Bulla. Examine autem peracto, eius proceſſus Romam mitti debet ad confirmationem impetrandam electo.

Porrò ſi Epiſcopus vel Prælatus ſemel examinatus ad aliam Prælaturam, ſeu dignitatem, præſertim majorem eligatur, rurſus examinandus erit, arg. c. Scriptum 40. in fine, & ibi gl. V. Præſumptione, h. t. quia interea novum impedimentum electus contrahere potuit.

CCCXX. Notandum 4. Examen, ſive inquiſitio de vita, & moribus electi debet fieri in loco, ubi ille eſt converſatus, prout conſtat ex c. Poſtquam, 3. h. t. ubi ſtatuitur, ut electi vita, vel actus inquirantur, ubi eſt converſatus, quia meliùs ibi poſſunt cognoſci, nam univerſim Inquiſitio de fama alicuius fieri debet in loco, ubi diutius morabatur, quia ibi eſt notus, gl. in cit. c. Poſtquam, V. Converſatus, & Abb. n. 6. Poteſt autem fieri, ut electus ita notoriè ſit idoneus ad Prælaturam, vel dignitatem, ut nulla alia facienda ſit inquiſitio in vitam, & mores ipſius, prout colligitur ex c. Conſtitutis, 46. de appellat. & ex c. Nullus, 2. diſ. 24. ubi gl. ait, quòd noti non ſunt examinandi, ſed tantùm ignoti, Abb. in cit. c. Poſtquam, num. 5.

CCCXXI. Quæritur 2. Quinam vocandi ſint, antequam Superior ad confirmationem electi procedat? Reſp. 1. Si Electus coëlectum, vel alium ſuæ electionis adverſarium habeat, unum, vel plures, ij ante confirmationem nominatim vocandi ſunt ad cauſam ſuam agendam. Si verò concors fuerit electio, quia unicus fuit electus, aut nullus nominatim ſe opponat electioni, tum generale Edictum ad Eccleſiæ, in qua celebrata eſt electio, valvas affigendum eſt, quo contradictores, ſi qui ſint, peremptoriè vocentur, ut ſtato die, ac loco confirmationis faciendæ veniant, cauſas impugnandæ electionis, & impediendæ confirmationis dicturi, alioqui prætermiſsâ hac obſervatione, confirmatio non valebit, prout habetur in c. ult. h. t. in 6. Nam quia interdum accidit, ut, ſi electio non ſit in concordia celebrata, quia vel duæ electiones ſunt factæ, vel uni electioni aliqui ſe oppoſuerunt, ne confirmaretur, Superior, vel is, ad quem confirmatio pertinet (ſive Jure communi ad Epiſcopum Diœceſanum, ſive jure ſpeciali, ſcilicet ex privilegio, vel conſuetudine præſcripta, ſive jure delegationis, gl. hîc V. Pertinet) ad confirmationem impertiendam feſtinaret, competitore, cùm ſimul alius eſt electus, vel ijs, qui volebant ſe opponere, quando unicus eſt electus, non vocatis, neque negotio diſcuſſo. Idcirco ſtatuit Bonifacius VIII. ut, ſi coëlectus aliquis adſit, vel oppoſitor, is nominatim, ſeu ſpecialiter vocetur: ſin autem nullus talis appareat, generaliter (per edictum publicum, quia non eſt facienda vocatio privatim ſolùm, coram certis amicis, gl. hîc V. Generaliter) in Eccleſia, in qua electio facta eſt, citentur, ut, ſiqui ſint, qui velint ſe opponere (ne electus confirmetur) compareant, aſſignato ijs competente termino peremptorio; alioquin his omiſſis, confirmatio irrita erit. Eadémque, ſi electio in concordia (id eſt, unica ſinè ullo competitore, vel contradictore) celebrata fuerit, obſervanda ſunt. Ratio hujus conſtitutionis eſt, quia, quando vocandi ſunt ij, quorum intereſt, tum nominatim, ſeu ſpecialiter vocandi ſunt, ſi perſonæ ſint certæ, vel noſcantur: ſin verò ſint incertæ, vel non noſcantur, per generale edictum ſunt citandi, Abb. in c. Exhibita 15. n. 6. de judic. Franc. in cit. c. ult. n. 2. h. t. in 6.

CCCXXII. Notandum 1. SI quis poſt generale Edictum propoſitum, & ſecutam confirmationem impugnare velit electionem, ejúſque confirmationem, ordinariè non admittitur, niſi abſens fuerit, vel, etſi præſens fuit, aut non longè diſtans, probabilem tamen edicti ignorantiam per veriſimiles conjecturas allegare poſſit, eámque juramento confirmet, arg. c. ult. Qui matrim. accuſ. poſſ. Laym. in hoc c. n. 2. Verùm ſi quis non per viam exceptionis, cùm electus per confirmationem ſit conſecutus plenum jus, ſed per viam denunciationis canonicæ, opponat quidpiam contra electum, ne indignus, aut inhabilis Eccleſiæ præficiatur, regulariter admittendus eſt, etiam poſt confirmationem, imò, & conſecrationem, Abb. in cit. c. Nihil n. 6. h. t.

Notan-

Notandum 2. Si confirmatio ſit facta, vocatis vocandis, ſed non intervenit canſæ cognitio, ſive negotij diſcuſſio, ea ipſo jure nulla eſt, quia in hoc c. hæc duo copulativè requiruntur, ideóque altero deficiente, ſcilicet cauſæ cognitione, confirmatio eſt irrita: idqne procedit, etiamſi nullus ſit contradictor, ne electus confirmetur, quia nihilominus Superior ex officio debet inquirere, & causâ cognitâ, procedere, ut cenſet Franc. in hoc c. n. 1. Quamvis Joan. Andr. & Lapus hîc n. 5. putent, quòd confirmatio non contentioſa, quando nullus adeſt contradictor, factâ citatione, teneat, ſinè alia cauſæ cognitione.

Notandum 3. Quod hîc conſtitutum eſt de confirmatione electionis, etiam habet locum, & obſervari debet in admiſſione poſtulationis, & in inſtitutione facienda poſt præſentationem, ut docet gl. hîc V. electione, cùm ſit eadem ratio, ne ſcilicet ſupplantentur, ſeu fraude circumveniantur illi, qui volunt ſe opponere, vel objicere aliquid contra poſtulatum, vel præſeutatnm, propter proprium ſuum intereſſe. Unde Garc. de benef. p. 9. c. 4. n. 1. ait, quòd inſtitutio facta, non propoſito edicto vocationis, juxta c. fin. b. t. in 6. ſit nulla. Verùm in liberis collationibus beneficiorum non eſt neceſſariò obſervanda talis vocatio, ut notat gl. fin. hîc, quia hujuſmodi collatio habet vim electionis, & confirmationis, & per eam ſimul confertnr jus ad rem, & in re proviſo, cùm per electionem, ante confirmationem, & poſtulationem, ante ejus admiſſionem, & præſentationem, ante inſtitutionem, non conferatur jus in re electo, poſtulato, vel proviſo. Accedit, quòd in collatione non poſſet bene fieri citatio, nam, vel fieret ante illam, & ſic ante omne jus acquiſitum proviſo; vel poſt illam, quando jam plenum jus eſt ci dem acqniſitum, & ſic videretnr facta indiſcretè, ut ex Geminiano notat Vivian. in ration. Juris Pontif. in cit. c. ult. h. t. in 6. Sed neque hæc Conſtitutio ſervanda eſt in proviſionibus, quæ fiunt in Curia Romana, quando à S. Pontifice petenda eſt confirmatio, vel à Legato ejus, Barboſ. in Collectan. in hoc c. n. 4. & 5.

§. V.

Proponuntur alia nonnulla quæſtiones, quæ ad confirmationem electionis pertinent.

CCCXXIII. Quæritur 1. An is, qui electus eſt ad eandem Eccleſiam, vel Prælaturam, duabus diverſis electionibus, utramque proſeqnendo, confirmationem petere poſſit? Reſpondetur negativè, » prout conſtat ex c. Ut quis 25. h. t. in 6. ubi ſtatui- » tur: non eſt rationi conſonum, ut; qui per duas ele- » ctiones ad eandem Eccleſiam eſt electus, ſimul (vel » etiam diviſim, gl. hîc V. inſimul) utramqne pro- » ſequatur, & confirmationem ex eis petat, cùm » non niſi ex una illarum valeat jus obtinere. Idque » procedit, etiamſi ab initio proteſtetur, ſe velle » contentum eſſe alterâ, ſive, quòd non intendat ef- » fectum confirmationis conſequi, niſi ex illa, quæ » valida fuerit, ſive ex qua jus ſibi competere, conſtiterit. Quare ſic electus, ne cum ipſius Eccleſiæ, » ad quam eſt electus, vel ſui adverſarij, ſi quem ha- » bet, diſcrimine, in incerto vagetur, eligere debet, » quam, ex illis duabus, electionem proſequi velit, » ejuſdémque tantùm confirmationem petere; ita, » ut ad alteram poſtea electionem regreſſum habere » non poſſit, cui alteram præferendo, renunciâſſe » cenſetur, profitendo, ſibi jus ex illa non compete- » re. Ratio deciſionis eſt, quia confirmatio ſupponit electionem, tanquam objectum ſuum, eámque unicam, & certam; nam electus non poteſt, niſi ex una electione jus habere, ſi enim prima valuit, ſecunda non valuit, & vice verſâ, ſi ſecunda tenuit, tum prima non tenuit, gl. hîc V. ex una, ſicut enim ex duplici cauſa non poteſt acquiri dominium; ita nec titulus, ſeu jus in Prælatura, vel beneficio, Anchar. hîc not. 1. Non poteſt etiam confirmatio vagari in incerto, cùm ſe habeat per modum decreti, quod debet fieri ſuper re, vel jure certo, incertum enim non confirmatur, gl. marg. hîc tit. 6. quare electus determinare debet, quam electionem, ex duabus, Superiori offerre velit confirmandam, ſive petere, ut confirmetur. Neque juvat electum quidquam proteſtatio, quòd alterutrâ ex duabus electionibus velit eſſe contentus; nam per hujuſmodi proteſtationem non exprimit, quanam determinatè ex duabus electionibus velit eſſe contentus; quòd ſi diceret, proteſtor me conſentire duabus iſtis electionibus, vel alteri earum, quæ magìs valet, vel ex qua mihi jus competit; conſenſus in electionem non eſſet certus, & ſic peteretur confirmatio ſuper incerta electione, quod non licet: ideóque talis proteſtatio tanquam contraria rei, ſuper qua ſit, nihil operatur, gl. hîc V. Proteſtetur.

CCCXXIV. Alia verò ratio eſt, ſi non agatur de jure beneficij acquirendo, v.g. per electionem, & confirmationem, ſed de defendendo jure jam acquiſito, ut, ſi cui collatnm ſit beneficium, & is dubitet de validitate collationis, ſeu tituli, poteſt petere, & impetrare aliam novam collationem etiam à diverſis, quia per hoc non cenſetur renunciare primæ, cùm non ſint contraria, ſed poterit uti utrâque ad ſe defendendum, vel ſi ex prima collatione non poſſit ſe defendere, ex ſecunda ſe defendet; nam nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur, juxta reg. juris 20. in 6. ſive jus jam acquiſitum pluribus medijs non contrarijs defendere, Abb. in c. Poſt electionem 7. n. 4. de conceſſ. præb. arg. illius c. ubi Archidiaconus ſe defendendo innitebatnr duplici collationi, Franc. in cit. c. Ut quis n. 3. in fine de elect. in 6. Ratio diverſitatis eſt, quia ad jus jam acquiſitum per collationem, vel inſtitutionem in beneficio retinendum non reqniritur confirmatio, ſed ad jus acquirendum per electionem requiritur decretum confirmationis, quod non poteſt fundari ſuper duobus titulis incertis, quia fieri debet ſuper certo, ut ſuprà dictum, Vivian. in Ration. hîc ex Geminiano. Atque hinc etiam electus ad eandem Eccleſiam binis electionibus, ſi uni conſenſerit, ad aliam redire non poteſt, petendo confirmationem illius, quia ſunt ſibi contrariæ, gl. fin. hîc & Franc. in cit. c. Ut quis num. 2.

Porrò modi, quibus fieri poteſt, ut idem per duas electiones ad eandem Eccleſiam, vel Prælatu-

Digitized by Google

ram aſſumatur, ſunt, velnti ſi putetur, in priote electione errorem, ſeu defectum commiſſum fuiſſe, ideóque poſt elapſum tempus trimeſtre, vel ſemeſtre, Superior quaſi jure eligendi ad ipſum devoluto, eundem priùs electum in Eccleſia, vel Prælatura inſtitnat. Vel ſi ipſi Capitulares, poſt primam electionem, nondum privati jure eligendi, ad aliam novam electionem procedant, eundem eligendo. Vel ſi fortè aliqui Capitulares in prima electione ſint contempti, & non vocati, & ideo cum illis proceדarur ad ſecundam: Vel denique, ſi alia ſolemnitas ſit omiſſa in prima electione, cujus defectus ſuppleatur in ſecunda, gl. hîc V. Duas.

CCCXXV. Quæritur 2. Quæ ſit pœna in-
» dignum confirmantis? Reſpondetur, non ſolùm
» indignè promotus dejiciendus eſt, ſed etiam Su-
» perior, qui indignum ad Prælaturam electum con-
» firmavit, eſt pnniendus, ita quidem, ut, ſi per ne-
» gligentiam id fecit, modò de illa conſtiterit, maxi-
» mè ſi talem, qui inſufficientis ſcientiæ, vel inho-
» neſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ fuerit, approba-
» verit, poteſtate ptoximè ſequentem, ſen primum
» illius ſucceſſorem confirmandi careat, ſeu priva-
» rus ſit, ipſo jure; & inſuper à proprij beneficij per-
» ceptione ſuſpendendus eſt, quàm diu Superiori (qui
» ſnſpenſionem intnlit) viſum fuerit. Si verò per
» malitiam, ſeu dolum convictus fuerit indignum
» confirmâſſe, graviùs puniendus eſt (nempe pro
» arbitrio Judicis, cùm pœna à Jure determinata
» non ſit) ita habetur in c. Nihil 44. in princ. h. t.
» ubi etiam additur: Epiſcopi quoque tales ad ſa-
» cros Ordines, & Eccleſiaſticas dignitares perſonas
» promovere procurent, quæ commiſſum ſibi offi-
» cium dignè valeant adimplere, ne & ipſi canonicæ
» nltioni ſubjiciantur.

CCCXXVI. Notandum 1. Indignè promotus ad Prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam, etiam poſt confirmationem cum cauſæ cognitione factam, poteſt dejici, ſeu deponi, ſi poſtea conſtiterit, eum eſſe indignum, Abb. hîc n. 2. not. 4.

Notandum 2. Cæteris paribus, graviùs punitur dolus, quàm negligentia, ur colligitur ex hoc c. debet autem dolus, cùm non præſumatur, probari, ut patet ex eod. c. ibi: *Si verò convictus fuerit &c.* & ex l. Quoties 18. §. 1. ff. de probation. ubi dicitur, qui dolo dicit, factum aliquid, docere dolum admiſſum debet.

Notandum 3. Si Superior, ad qnem pertinet confirmatio, non per ſe ipſum, ſed per alinm curet examinari, & confirmari electum, cui poteſtatem examinandi, & confirmandi commiſit, hic verò ex malitia, ſeu dolo, vel ex ignorantia, ſeu negligentia confirmet indignum, ipſe Superior committens puniendus erit, quia obligatur ex culpa, aut dolo Commiſſarij ſui, tenetur enim dnminus ex facto illorum, quorum operis ntitur, l. 1. ff. de Publican. niſi tamen Superior ex juſta, & probabili canſa alteri hanc poteſtatem delegârit, tunc enim non tenetur ex dolo, ſeu malitia, val etiam ex negligentia Commiſſarij, Abb. in cit. c. Nihil n. 5.

CCCXXVII. Quæritur 3. Ubi fieri poſſit, vel debeat confirmatio Prælati? Reſpondetur, ea fieri poteſt in Eccleſia, vel in Palatio, aut Cameræ Superioris Eccleſiaſtici confirmantis, non autem in Camera, aut Palatio Principis ſecularis, prout conſtat ex c. Quâ fronte 25. in princ. de appellat. ubi Alexander III. reprehendit Archiepiſcopum Cantuarienſem, quòd Juris ordinem pervertens, non in Eccleſia, ſicut honeſtum, & canonicum eſt, nec in Palatio, aut Camerâ ſuâ, ſed in Regis Camera, contra juris præſcriptum, & officij Pontificalis dignitatem, Epiſcoporum electiones confirmet. Ratio eſt, qnia confirmatio cauſæ cognitionem requirit, & ut procedat citatio eorum, quorum intereſt, ſecundùm formam traditam in c. ult. h. t. in 6. & ideo de plano expediri non poteſt, ſed pro Tribunali, gl. in cit. c. Quâ fronte, V. Contra debitum juris, & ibi gl. margin. hujnſmodi autem ſpiritualia in Eccleſia, vel aliis locis ad hoc depntatis fieri debent, gl. ibid. V. Canonicum. Rectè tamen monet ibid. Innocent. n. 5. V. Debitum, quòd electio, vel confirmatio Prælati facta contra juris ordinem in domo Principis ſecularis, ex hoc ſolùm capite non ſit irrita, cùm id jure expreſſum non ſit, quamvìs irritari poſſit tanquam facta contra Canones, ut ſuprà de electione dictum n. 242. arg. cap. Quamquàm, 18. h. t. in 6.

Porrò, qnamvìs confirmatio Prælati in Eccleſia rectè fiat, ſi tamen adſit contradictor, ita, ut judicio contendendum ſit, magis decet, ut in palatio, aut Conſiſtorio Confirmatoris hujuſmndi lis judiciaria agatur, non in Eccleſia, quæ eſt domus orationis, non litium, ut notavit Alexander de Nevo in cit. c. Qua fronte, n. 4. Nec obſtat textus in c. ult. cauſ. 2. q. 2. ubi gl. V. Teſtes, nomine Eccleſiæ intelligit locum ſacrum: nam ex ſequentibus verbis, *Ubi teſtes eſſent ſingulorum*, ſatìs colligitur, ſermonem eſſe de congregatione fidelium. Verumtamen hoc intereſt inter proceſſum judicii ſecularis, & proceſſum cauſæ Eccleſiaſticæ, quòd ille in Eccleſia inſtitutus ſit irritus, non autem iſte poſterior, iuxta c. 2. §. Ordinarij, juncta gl. V. proceſſus de imminut. Eccleſ. in 6.

Ex dictis infertur, quòd confirmatio Prælati electi non poſſit fieri per ſuperiorem exiſtentem extra ſuum territorium, quia ad illam requiritur citatio, & cauſæ cognitio, arg. c. 2. in fine de conſtit. in 6. & Clement. 1. de foro compet. ubi habetur, quòd juriſdictio in alieno territorio exerceri non poſſit, Franc. in cit. c. ult. n. 9. h. t. in 6.

CCCXXVIII. Quæritur 4. An caſſatâ confirmatione, caſſetur etiam electio? Reſp. negativè, ut conſtat ex c. Si confirmationem, 39. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: ſi accidat, confirma- »
tionem electionis caſſari, ſeu caſſam, & irritam de- »
clarari, ſive propter debitam juris ſolemnitatem in »
ipſa confirmatione omiſſam (ut ſi confirmatio fiat »
electionis, à qua appellatum fuit, non obſervatis iis, quæ præſcribuntur in c. Quamvìs 10. & in c. Provida 44. h. t. in 6. vel ſi confirmatio fiat, omiſsâ formâ traditâ in c. ult. h. t. in 6. de quibus ſuprà:) Vel ob eam »
cauſam, quia is, qui confirmavit, non habuit pote- »
ſtatem confirmandi (videlicet, vel quia non erat ju- »
dex competens, vel quia legitimè ab ipſo fuit appellatum, vel quia erat publicè excommunicatus, vel quia Papa ante confirmationem reſervavit ſibi Epiſcopatum, vel dignitatem, ad quam electio facta fuit, vel ob aliam ſimilem cauſam, ideóque ipſo jure non valuit confirmatio, gl. hîc V. Poteſtatem) non idcirco etiam præcedens electio, ſi aliàs ſit canonicè, ſeu »
legi-

» legitimè celebrata, infirmari debet, vel pro irrita haberi. Ratio eſt, quia utile per inutile non vitiatur, ſi unum ab altero ſeparari poſſit, reg. jur. 37. in 6. & ibi gl. & DD. uti quidem poteſt electio à confirmatione; quippe cùm ſint actus diverſi, qui non eodem contextu, & tempore fiunt, ſed diverſis temporibus, nec unus ab altero neceſſariam dependentiam habet, Anchar. in hoc c. not. 2. & Franc. n. 1. Neque etiam deſtructo acceſſorio, ideo etiam corruit fundamentum, ſeu principale: confirmatio autem eſt acceſſoria ad electionem, tanquam fundamentum, eique ſupervenit, ergo ſi confirmatio ſit inutilis, ſive vitioſa, non ideo etiam vitiatur, & corruit electio, Gregor. Tholoſan. de Elect. c. 19. n. 23. At verò vice verſâ, ſi electio eſt inutilis, ſeu irrita, ob vitium formæ, vel perſonæ electæ, etiam confirmatio, ſi ſubſecuta ſit, eſt irrita, quia ipsâ electione reſciſsâ, etiam confirmatio illi acceſſoria corruat, neceſſe eſt, iuxta reg. juris 42. in 6. gl. in cit. c. Si poſt confirmationem V. infirmari.

Porrò, ſi electio ſit legitimè facta, ſed ſubſequens confirmatio irritetur, tum alia confirmatio eiuſdem electionis coram debito, ſeu competente Judice peti debet, niſi non tantùm confirmatio, ſed etiam electio ſit caſſata, gl. fin. in cit. c. Et quod hîc ſtatutum eſt de confirmatione electionis, habet etiam locum in aliis confirmationibus, gl. margin. hîc, videlicet in confirmatione ſententiæ; nam ſi ea caſſetur ob defectum in illa commiſſum, acta tamen firma manent: idémque dicendum de confirmatione privilegij, vel ſtatuti, vel alicuius contractûs, cùm eadem ſit ratio in iſtis, Joan. Andr. & Franc. hîc n. 1.

CCCXXIX. Præterea huc quoque pertinet, quòd in ſimili ſtatutum habetur in c. Si eo tempore » 45. h. t. in 6. nam ſi Papa proviſionem (quo nomi- » ne comprehenditur electio, & confirmatio, Franc. » hîc n. 1.) alicuius Eccleſiæ Cathedralis ex quavis » cauſa (etiam ſolâ liberâ voluntate, gl. hîc V. eodem) » diſpoſitioni, ſeu ordinationi Sedis Apoſtolicæ re- » ſervavit, inhibens, ne ad electionem, vel proviſio- » nem faciendam (nempe ex jure devoluto, gl. hîc V. » Proviſionem) in ea quovis modo procedatur, & de- » cernens irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hoc à quo- » piam ſcienter, vel ignoranter fuerit attentatum: » tum, ſi ad electionem in tali Eccleſia forſitan jam » (ſcilicet ante tempus, quo facta eſt reſervatio) ſit » proceſſum, licèt reſervatio, inhibitio, & decretum » irritans non afficiant talem electionem, vel alia, » quæ præcedunt; afficiunt tamen ea, quæ poſtea ſe- » quuntur (ſcilicet poſt reſervationem, inhibitioné, » & decretum) ut effectu careant. V. g. (qui eſt caſus huius c.) mortuo Epiſcopo alicuius Eccleſiæ, Papa ſibi reſervavit proviſionem illius, miſſis litteris, in quibus prohibet, ne Canonici ad electionem procedant, alioquin irritum fore, quod ſive ſcienter, ſive ignoranter attentaverint. Verùm, cùm hæ litteræ datæ eſſent; Canonici jam Epiſcopum elegerunt, iſque ab Ordinario, & immediato Superiore poſtea confirmatus fuit: hoc caſu, electio quidem, & alia, quæ facta ſunt ante reſervationem, & decretum irritans, valida ſunt: ſed ea, quæ poſtea ſunt ſubſecuta, v. g. confirmatio, aut alia irrita ſunt, & nullum effectum habent, etiamſi ab ignorantibus ſint facta. Unde electus debet adire Sedem Apoſtolicam ad obtinendam aliam legitimam confirmationem, gl. hîc in caſu. Ratio prioris partis huius conſtitutionis eſt, quia Papa non cenſetur, ſinè gravi cauſa, alicui velle auferre jus quæſitum, adeóque nec velle revocare electionem, vel proviſionem, quæ canonicè, & legitimè peracta eſt, ut notat Innocent. in c. Innotuit 20. n. 6. h. t. nam res, quæ culpa caret, damnum inferre non debet, c. 2. de conſtit. At Canonici, qui elegerunt Epiſcopum, ante reſervationem, & inhibitionem factam à Papa, non erant in culpa, quia eligendo uſi ſunt jure ſuo, & poteſtate ſibi conceſsâ, ergo electio per eos facta, qui tunc non erant prohibiti, tenet, ſi aliàs ſit Canonica, ut ex Geminiano tradit Vivian. in Ration. in hoc c. Ratio poſterioris partis, cur, ſi Epiſcopus, ante reſervationem, & inhibitionem Papæ ſit electus, ſed poſt illam confirmatus, non valeat confirmatio, etiamſi ab ignorante ſit facta, vel impetrata, eſt, quia S. Pontifex in electione, & confirmatione, & quibusvis aliis proviſionibus beneficiorum habet concurrentem juriſdictionem, ſeu poteſtatem cum aliis Ordinariis collatoribus, niſi adſint ſpecialia concordata: ergo, ſi Papa electionem, aut proviſionem ad ſe avocavit, ſibique reſervavit, irrita eſt confirmatio, poſt decretum reſervationis, ſeu inhibitionis, quamvìs ab ignorantibus facta: ſicut etiam irrita eſt electio, vel collatio, poſt talem reſervationem, vel inhibitionem, facta, quamvìs ignoranter, per quam ablata eſt omnis poteſtas confirmandi, eligendi, & conferendi inferioribus Ordinariis Electoribus, Confirmatoribus, vel Collatoribus, ut apertè colligitur ex c. Si beneficia 20. de præbend. in 6. gl. in cit. c. Si eo tempore V. effectu careant. h. t. in 6. & Joan. Monach. ibid. Quare ſi non ſolùm electio Epiſcopi, ſed etiam confirmatio, & conſecratio præceſſerunt decretum reſervationis, & inhibitionis, perfectum eſt totum negotium electionis, & omnia valent. Si verò ſola electio præceſſit decretum, ipſa tenet, ſed confirmatio, & conſecratio pertinebit ad Papam; ſin autem præceſſit electio, & confirmatio, tunc ſola conſecratio ad ipſum pertinebit, cùm enim ante conſecrationem non ſit plenè proviſum Eccleſiæ, c. 2. de translat. Epiſc. Papa reſervando ſibi proviſionem, videtur etiam reſervâſſe conſecrationem, gl. in cit. c. Si eo tempore, V. vel alia, & in addit. ibid.

CCCXXX. Porrò, prædicta Conſtitutio limitatur 1. Ut ſolùm locum habeat in Eccleſiis Cathedralibus, de quibus duntaxat loquitur, in his enim confirmatio, & conſecratio Epiſcopi facta, poſt reſervationem, & inhibitionem Papæ, irrita eſt; idque ſpecialiter ſtatutum eſt circa Epiſcopatus, quia eorum cauſæ numerantur inter cauſas majores, cap. Quamvìs 10. in princ. h. t. in 6. ideóque quæ conſequuntur reſervationem, ut confirmatio, & conſecratio, reſervantur Papæ. At verò in Prælaturis non Epiſcopalibus, & dignitatibus, aut beneficiis inferioribus, ſi præceſſit electio, ſeu proviſio reſervationem Papæ, poterit, quidquid poſtea faciendum reſtat, expediri per Ordinarium, nec opus erit pro confirmatione, v. g. adire Papam, quia id nimis grave foret. Idémque dicendum de Eccleſiis Regularibus, quæ in hoc Cathedralibus non æquiparantur gl. hîc V. Cathedralis, & Franc. n. 2.

Limitatur 2. Si Papa alicuius beneficij, vel Prælaturæ, aut dignitatis Epiſcopatu inferioris collationem, ſeu proviſionem ſibi reſervavit, neque expreſſit, ut, quæcunque, poſt reſervationem, etiam ignoranter ab Ordinario facta ſunt, irrita cenſenda ſint, non debet præſumi, quòd velit ad ſe avocare, ſibique reſervare electionem, vel proviſionem, ante litteras reſervationis receptas, & priuſquam illa ſit Ordinarijs proviſoribus cognita, quia alioquin ſequeretur magna confuſio, ac perturbario, ſi fortè interim aliquis, poſt reſervationem, bonâ fide in beneficio inſtitutus, ejúſque poſſeſſionem adeptus fuiſſet, Laym. in cit. c. Si eo tempore n. 2. h. t. in 6.

CCCXXXI. Cæterùm duæ extant Conſtitutiones Extravagantes in hoc tit. in quibus electio Prælati, vel proviſio beneficiorũ reſervatur diſpoſitioni Papæ: nam 1. in Extravag. Sancta 3. b. t. inter communes, ſtatuit Papa Benedictus XI. ut vacantibus quatuor Patriarchalibus Eccleſijs, ſcilicet Conſtantinopolitanâ, Alexandrinâ, Antiochenâ, & Jeroſolymitanâ, Canonici nullo modo procedere poſſint ad electionem novi Patrictchæ, inconſulto Romano Pontifice, quàm diu Civitates ipſæ Schiſmaticorum, aut infidelium ſubſunt, aut ſuberunt ditioni, aut per eos detinebuntur, alioquin electio ſcienter, vel ignoranter attentata ſit irrita, non obſtantihus quibuſcunque conſuetudinibus, ſtatutis, privilegijs.

CCCXXXII. Præterea in Extravag. ex debito 4. b. t. inter communes, Joan. XXII. declaravit, ut Epiſcopales, & ijs Superiores Sedes, Monaſteria, & Regulares Eccleſiæ, Prioratus, officia, adminiſtrationes, dignitates, perſonatus, præbendæ, aliáque Eccleſiaſtica beneficia, cum curâ, vel ſinè cura, apud Sedem Apoſtolicam vacantia reſervata eſſe S. Pontificis depoſitioni intelligantur, ſive per mortem, ſive per diſpoſitionem, ſive per electionum caſſationem, poſtulationum repulſionem, renunciationem, tranſlationem, ſive quocunque alio modo vacaverint. Epiſcopales inſuper, & aliæ Eccleſiæ, Monaſteria, & beneficia Cardinalium, etiamſi alibi moriantur, apud Curiam vacare intelliguntur. Idem etiam procedit in dignitatibus, & beneficijs Officialium Papæ, videlicet Vicecancellarij, Camerarij, Notariorum, Capellanorum commenſalium, &c. ſi decedant extra Curiam in aliqua legatione, vel negotio Sedis Apoſtolicæ. Non comprehenduntur autem nomine beneficiorum penſiones annuæ, illæ enim liberè reverti debent ad eos, ad quos earum diſpoſitio antea pertinebat, niſi eis Canonicum impedimentum obſtiterit, vel Papa de eis aliter diſpoſuerit. Porrò hæc Extravagans Conſtitutio fuit temporalis, & cum Conditore ſuo exſpiravit, ut patet ex princip. ibi: *Donec Chriſti dignatio nos dignabitur univerſalis Eccleſiæ, ſponſæ ſuæ, regimini præſidere*, & ibi: *Proviſioni noſtræ reſervamus*, Garc. de benef. p. ſ. c. 1. n. 8ſ.

§ VI.

De poteſtate Archiepiſcopi, vel Epiſcopi electi, & confirmati, ſed nondum conſecrati.

CCCXXXIII. Quæritur 1. An Archiepiſcopus, poſtquam electus, & confirmatus eſt, poſſit exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis? Reſpondetur 1. Actus juriſdictionis majoris, qui ſunt proprij dignitatis Epiſcopalis, non poteſt exercere, niſi poſt conſecrationem, Pallium à Sede Apoſtolica acceperit, prout conſtat ex c. Quod ſicut 28. §. Præterea b. t. ubi dicitur, quòd non liceat Archiepiſcopo, ſinè pallio, convocare Concilium Provinciale, conferre chriſma, dedicare Baſilicas, ordinare Clericos, & Epiſcopos conſecrare, cùm id non tanquam ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archiepiſcopus facere videatur. Ratio eſt, quia per pallium confertur Archiepiſcopo plenitudo Pontificalis Officij, & ideo antequam pallium impetret, non poteſt hujuſmodi actus Archiepiſcopales exercere, ſicut nec provinciam viſitare, gl. hîc V. Sinè Pallio, de quo plura infrà tit. 8.

CCCXXXIV. Reſpondetur 2. Alios verò actus juriſdictionis, qnales ſunt v. g. cauſas audire, & cognoſcere, delegare, judices conſtituere, imò etiam committere poteſtatem ordinandi, vel conſecrandi Epiſcopis Suffraganeis, Archiepiſcopus, ſive Metropolitanus, poſtquam confirmatus eſt, exercere non prohibetur, licèt nondum conſecratus ſit, nec pallium acceperit, prout ſumitur ex c. Suffraganeis 11. h. t. Ubi dicitur: Suffraganeis Epiſcopis alicujus Metropolitani, ad mandatum ipſius, poſt confirmationem electionis ſuæ, etiamſi Pallium à Sede Apoſtolica nondum acceperit, licitum eſt Coëpiſcopum electum, qui ad juriſdictionem ipſius Metropolitani pertinet, conſecrare, imò etiam debent illum conſecrare, ſi Metropolitanus mandet, quia tenentur illi obedire, quippe ipſi ſubjecti, Abb. hîc not. 1. Ratio eſt, quia, quamvìs ipſemet Archiepiſcopus, ſi conſecratus non ſit, Epiſcopos conſecrare, alióſve Sacros Ordines conferre non poſſit; non prohibetur tamen alijs Epiſcopis talem poteſtatem committere, ſeu delegare, ut ordinent, ſeu conſecrent Epiſcopum ſibi ſubjectum, modò confirmatus ſit: quemadmodum etiam Epiſcopus confirmatus, ſi ſacerdos non ſit, non poteſt à peccatis abſolvere, & tamen abſolvendi poteſtatem alteri delegare poteſt, quia talis delegatio, non Ordinis, ſed ſolius juriſdictionis actus eſt, gl. in cit. c. Quòd ſicut §. Præterea V. Sinè pallio h. t. & gl. in c. 1. V. Confirmâſſe de tranſlat. Epiſc. ſicut etiam Capitulum Cathedrale, vacante Sede Epiſcopali, poteſt, ſpectato jure antiquo, committere facultatem ordinandi Clericos Diœceſis vacantis, c. Cùm nullus 3. de tempor. Ordin. in 6. cùm tamen per ſe ordinare eos non poſſit, Abb. in cit. c. Suffraganeis n. 1. Azor p. 2. lib. 3. c. 29. q. 7.

Sed obſtare videtur regula illa Juris: qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſeipſum, reg. 72. in 6, ex qua oppoſita regula infertur apud Joan. Andr. in cit. c. Suffraganeis n. 11. Quòd quis per ſe

fac-

facere non poteſt, neque per alium poteſt: ſive, quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit, reg. juris 67. eod. in 6. at Archiepiſcopus, vel Epiſcopus nondum conſecratus non poteſt per ſe, ſeu ſuo nomine conſecrare Epiſcopos, vel ordinare Clericos, ergo nec per alium, ſive alieno nomine id poteſt.

Verùm reſpondetur, prædictas regulas tantùm habere locum in ijs, quæ Commiſſarius, vel Mandatarius facit alieno nomine, ſive auctoritate committentis, vel mandantis, talia enim committi, vel demandari non poſſunt, niſi committens, vel mandans jus habeat per ſe illa faciendo, quia nemo poteſt plus juris in alium transferre, quàm ſibi competat, reg. 79. in 6. At verò ſacros Ordines, ipſumque Epiſcopatum Epiſcopi Suffraganei conferunt, non poteſtate Ordinis acceptâ ab Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, qui conſecratus non eſt, ſed conferunt ex vi Ordinis, & Conſecrationis ſuæ: ac proinde Archiepiſcopus non dat Epiſcopis Suffraganeis poteſtatem ordinandi, & conſecrandi, quàm per ſe habent, ante mandatum, aut delegationem, hoc ipſo, quòd Epiſcopi conſecrati ſunt: ſed ſolùm dat illis, ſeu committit juriſdictionem in non ſubditos, quæ neceſſaria eſt ad legitimum exercitium ordinationis, ita, ut ſinè illa validè quidem, ſed non licitè ordinare poſſint ſubditos alienos: hæc autem juriſdictio, per quam tollitur impedimentum exercendi poteſtatem Ordinis, quam habent Suffraganei, ab Epiſcopo confirmato conferri poteſt, etſi is nondum conſecratus ſit, nec Pallium à Sede Apoſtolica acceperit, Abb. in cit. c. Suffraganeis, & Azor c. l. Neque etiam obſtat, conſecrationem Suffraganeorum impediri, vel differri in Provincia, ſi Metropolitanus Pallium à Sede Apoſtolica non accipiat, c. 2. diſt. 100. Nam reſpondetur, licèt Metropolitani, ante acceptum pallium, poſſint demandare Suffraganeis poteſtatem conſecrandi Epiſcopum, ut patet ex cit. c. Suffraganeis: interdum tamen nolunt per ſe conſecrare, & ita differunt conſecrationem, donec pallium acceperint, & ipſimet eam peragere poſſint, ſed ne nimis diu differant, cautum fuit in cit. c. 1. de quo infrà §. ſeq. Abb. in cit. c. Suffraganeis n. 1. qui duas alias reſponſiones adfert.

CCCXXXV. Ex dictis colligitur, quòd Archiepiſcopus etiam conſecratus eos actus Ordinis, qui non niſi inter Miſſarum ſolemnia, vel ſaltem cum Epiſcopalibus Inſignibus, & Ornamentis peragi ſolent, non debet exercere, ante acceptum Pallium, cujuſmodi ſunt conficere chriſma, dedicare Baſilicas, Clericos ordinare, Epiſcopos conſecrare, &c. ut patet ex cit. c. Quòd ſicut §. Præterea, quò etiam pertinet, Sacramentū Confirmationis conferre, Abbates, & Virgines conſecrare, quia hujuſmodi actus inter majora, & graviora officia Archiepiſcopalis dignitatis, & juriſdictionis numerantur, qui proinde, ante plenam poteſtatem juriſdictionis per pallium acceptam, exerceri non debent: non tamen committere, ſeu delegare Suffraganeis facultatem conſecrandi Epiſcopos, vel ordinandi Clericos, vel alios ſimiles ſuprà dictos actus exercendi numerantur inter ea, quæ majora, & graviora reputantur, & ideo committi poſſunt ab Archiepiſcopo, ante acceptum pallium, Abb. in cit. c. Suffraganeis n. 1. in fine, & patet ex ſuprà dictis. At verò eos actus Ordinis, quos Archiepiſcopus Stolâ tantùm inductus exequi, & facere ſolet, ut eſt, ſacra vaſa conſecrare, Corporalia, vel Cœmeteria benedicere, etiam ante acceptum Pallium, exercere poteſt, Hoſtienſ. in ſumma de auctoritate, & uſu Pall. n. 1. Azor. cit. l. 3. c. 34. q. 5. Porrò, ſi Archiepiſcopus conſecratus, ante acceptum pallium, exerceat ea, quæ ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis ſpectant, validè quidem ea peragit, ſed non licitè, quia peccat contra Canones, & jura, poteſtq; per ſententiam ab officio amoveri, vel aliâ mitiore pœnâ plecti, Azor. c. l. q. 6.

CCCXXXVI. Cæterùm illud hìc addendum, quòd electo in Archiepiſcopum à Sede Apoſtolica non traditur Pallium, niſi priùs ei præſtet juramentum fidelitatis, & obedientiæ, prout conſtat ex c. Significâſti 4. b. t. Nam cùm Papa Paſchalis „ Archiepiſcopo Panormitano per Apocriſiarios (id „ eſt, nuncios, ſeu referentes ſuos, vel quaſi Secre- „ tarios, gl. hîc V. eod.) Pallium miſiſſet tali condi- „ tione, ut ſecundùm formam verborum præſcri- „ ptam, Sedi Apoſtolicæ juramentum præſtaret, id „ mirati ſunt Reges, & Proceres regni, & fieri non „ debere, cenſuerunt. 1. Quia cùm Pallium Archie- „ piſcopale tradatur in ſignum poteſtatis ſpiritualis, „ c. Ad honorem 4. de auctor. & uſu pall. non ſub „ conditione, ſed purè tradi debet, nullo onere im- „ poſito. Sed reſpondet Papa, quòd etiam Chri- „ ſtus Petro, ſub ea conditione, ac promiſſione oviū „ ſuarum curam commiſit, ſi eum diligeret, Joan. 21. „ cur non ergo etiam Papa poſſit conditionem, ac „ promiſſionem fidelitatis exigere ab ijs, quos in par- „ tem Paſtoralis officij aſſumit. 2. Quia Chriſtus „ hujuſmodi juramentum ab Apoſtolis non exegit, „ quin potiùs omne juramentum prohibuit, Matt. 5. „ Verùm Chriſtus non omnino prohibuit jurare, ſed „ ait ibidem, *quod amplius eſt*, (ſcilicet juramentum) „ *à malo eſt*, quia à peccato originem trahir, nem- „ pe à malitia, & perfidia hominum, qui ſi fidem, & „ obedientiam ſervarent, non foret neceſſarium ul- „ lum juramentum ab ipſis exigere. Sed quia etiam „ Epiſcopi interdum ab Eccleſiæ unitate, & Sedis A- „ poſtolicæ obedientia defecerunt, & quidem etiam, „ poſt præſtitum juramentum, ideo compellitur Pon- „ tifex ab eis juramentum exigere pro fide retinenda, „ unitate ſervandâ, & obedientiâ exhibendâ (quæ „ neceſſitas tempore Apoſtolorum nondum fuit). 3. „ Aiunt, in Concilijs non reperitur ſtatutum, tale „ juramentum præſtandum eſſe. Sed hoc non ob- „ ſtat, quia Concilia Eccleſiæ Romanæ nullam legem „ præſcribere poſſunt, cùm omnia ejuſdem auctori- „ tate ſint celebrata, & robur acceperint, & in eo- „ rum ſtatutis ſemper intelligitur excepta Romani „ Pontificis auctoritas. Cùm igitur Archiepiſcopi „ inſignia dignitatis ſuæ (ſcilicet Pallium Archiepi- „ pale) quæ à B. Petri corpore deſumuntur, exigant, „ & accipiant: ideo juſtum eſt, ut ipſi quoque ſigna „ debitæ ſubjectionis (præſtito juramento fidelitatis, „ & obedientiæ) eidem exhibeant, per quæ declare- „ tur, quòd ſint membra in Corpore B. Petri, Id eſt, „ Eccleſiæ Catholicæ, cujus Caput eſt Chriſtus, ejuſ- „ que in terris Vicarius Petrus, & hujus Succeſſor Romanus Pontifex, & cum eo unitatem conſervent, prout explicat Hoſtienſ. hìc in fine.

CCCXXXVII. Hinc colligitur 1. Quòd conditiones, qoæ alicui diſpoſitiooi tacitè inſuot, ſi exprimantut, prout inſunt, non faciant eam conditionalem, ſed ea abſoluta manet, uti ſumitur ex hoc c. juncta gl. communiter recepta V. conditione, & habetur etiam in l. Conditiooes 99. ff. De condit. & demooſtr. V. g. ſi Epiſcopus alicui cooferat beneficium curatum, eâ conditione, ut parochiam, quam priùs habebat, reſigoet, licita eſt cooditio, & ſervari debet, quia illa, antequam exprimeretut, jam ioerat ex juris diſpoſitione, ſeu obligatione, c. De multa 28. de præbend. Sic jota antiqua jam olim ſtatuerunt, ut pallium oon tradatur, oiſi præſtito jurameoto, & ita Papa expreſſit conditiooem, quæ jam inerat ex juris diſpoſitione, Abb. hìc n. 6. & 7.

Colligitur 2. S. Poutifex eſt ſupra Concilium, etiam Generale, cùm ſit Caput totius Eccleſiæ, ac proiode poteſt decreta, ſeu ſtatuta motum, ſive quæ juris poſitivi ſunt, condita à Conciliis Generalibus, ex juſta cauſa, mutate, vel in ijs diſpenſare, imò etiam omnino tollere, quia omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritarem facta ſunt, & robur acceperunt, ut, dicitur in hoc c. & ootat Abb. ibid. n. 3. ideóque à Papa coofirmari debent, alioquin nullam vim habent, nec obligant, quod eſt manifeſtum ſignum ſuperioritatis, cùm confirmatio ad Superiorem ſpectet. Unde etiam Concil. Trident. Seſs. 25. c. 21. de reform. declaravit, omnia & ſiogula, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina in eo ſtatuta ſunt, ita decreta fuiſſe, ut in bis ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ ſit, & eſſe intelligatur. Aliud eſt in decretis fidei, nam ea, quæ in Conciliis Generalibus ſunt propoſita, & definita, tanquam fide divinâ credenda, cùm ſiot juris divini, & infallibilia, nullâ humanâ poteſtare mutari, vel tolli poſſunt, Abb. c. l. Quæ verò circa mores à Conciliis Generalibus ſtatuta ſunt, etiamſi à Papa confirmara ſint, revocari poſſunt, vel ab ipſo, vel à ſucceſſore eius, quia par in parem imperium oon habet, c. Innotuit, 20. h. t. Laym. in cit. c. 4. n. 2. h. t. Videri poteſt Fagnan. ibid. ubi fuſiſſimè probat, Papam eſſe ſupra Concilium Univerſale. Porrò de aliis, quæ in boc c. contioentur, dicetur infrà tit. 8.

CCCXXXVIII. Quæritur 2. Quæ ſit poteſtas Epiſcopi electi, & confirmati, ante conſecrationem? Reſp. Epiſcopus electus, aut poſtulatus, poſt confirmatiooem per litteras Authenticas acceptam, licèt conſecratus non ſit, imò nec Sacerdos, poteſt ea omnia exercere, quæ ſolius juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, videlicet judicare, punire, excommunicare, & alias cenſuras infligere, & ab eiſdem abſolvere, juramenta à vaſallis recipere, beneficia Eccleſiaſtica cōferre, inveſtire, præſentatos inſtituere, electos confirmare, gratias, & privilegia concedere, joriſdictiooem in externo foro delegare, & his conſimilia: oon autem poteſt exercere ea, quæ ſive divino, ſive Eccleſiaſtico Jure, Ordiois Epiſcopalis, vel Sacerdotalis conſecrationem requirunt, videlicet Clericos ordinare, ſacrum Chriſma conficere, baptizatis Sacramentum Confirmationis impertire, deponere, ſeu degradare Clericos, benedicere Virgines, ſacra Vaſa, Altaria, & Templa conſecrare, & ſimilia, prout ſumitur ex c. Transmiſſam, 15. h. t. & ibi gl. in ſumma, & V. De talibus. Nam cùm Clerici alicuius Diœceſis, propter exceſſus, ſive delicta ſua, ab Epiſcopo electo excommunicarentur, ſuſpenderentur, vel interdicerentur, ipſi ſententiam eius contemnentes dimiſerunt Eccleſias ſuas, & abjecto habitu Clericali, ſicut laici mercatores, negotiationibos operam dederunt, & correctionem Eccleſiaſticam eludentes per contemptum dixerunt, Epiſcopum, cùm nondum ſit conſecratus, eos corrigendi per cenſuras poteſtatem non habere, niſi ſpecialiter à Sede Apoſtolica id illi ſit conceſſum. Conſultus ſuper hac re Papa Cæleſtinus III. reſpondit, Epiſcopo, cùm ipſe electionis ſuæ confirmationem acceperit, de talibus, quę propoſita fuerunt, & ſimilibus (ſcilicet ad juriſdictionem ſpectantibus, Hoſtienſ. hìc V. eodem) quod juſtum eſt, & Eccleſiaſticæ utilitati congruit, liberam habeat facultatem ſtatuẽdi, præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium conſecrationis deſiderant. Ratio huius Conſtitutionis eſt, quia per confirmationem canonicam electus acquirit jus in re, ac perfectum quaſi dominium in Prælatora, & ſpirituale coojugium inter ipſum, & Eccleſiam eſt contractum, & fit ratum, quod per electionem tantùm initiatom erat, & per conſecratiooem intelligitur, velut conſummatum, c. 2. & c. ult. De translat. Epiſc. ideóqoe electo confirmato datur plena adminiſtratio, & poteſtas exercendi omnia, quæ juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, & non requirunt Ordinem Epiſcopalem, qui per conſecratiooem confertur, gl. in c. Noſti 9. V. Confirmata, h. t. & in cit. c. Tranſmiſſam, V. De talibus, & Abb. n. 3.

CCCXXXIX. Notandum 1. Excommunicare, vel alias cenſuras infligere, eſt actus joriſdictionis, non autem Ordinis Epiſcopalis; nam etiam Prælati non Epiſcopi, qoi juriſdictionem Eccleſiaſticam habent, imò etiam, qui Sacerdotes noo ſunt, poſſunt excommunicare ſuos ſubditos, ut Archidiaconus, cùm Sacerdotium non requiratur ad exercitium juriſdictionis, & conſequenter etiam Epiſcopus electus, & confirmatus, etſi non conſecratus, vel alius Prælatus, juriſdictione Eccleſiaſticâ prædirus, & non Sacerdos, poteſt ab excommunicatione abſolvere in foro externo; non tamen in foro interno pœnitentiæ, qoia eadem eſt ratio in abſolvendo, quæ in ligando, & otrumque eiuſdem eſt poteſtatis, Abb. hìc num. 2.

Notandum 2. Quamvìs aliqui apud Abbat. in c. 1. n. 9. De translat. Epiſc. & Joan. Andr. n. 11. hìc dicant, quòd Epiſcopus confirmatus, ſed non conſecratus, non poſſit judicare, & cognoſcere per ſe, & principaliter cauſas criminales Clericorum, niſi ſolùm incidenter proponantur in judicio, ídque colligi videatur ex hoc c. ubi dicitur, quòd Epiſcopus coofirmatus poſſit omnia ad juriſdictionem pertinentia exercere, præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt; cuiuſmodi ſunt cauſæ criminales, quæ inter arduas numerantur. Oppoſitum tamen eſt verius, nempe Epiſcopum confirmatum, etiam ante conſecrationẽ, poſſe directè, & per ſe cognoſcere cauſas criminales, ut docet Innoc. hìc n. 2. V. Inquiſitionis, & ſequitur Laym. ibid. n. 2. idque probatur, tum quia Epiſcopus confirmatus tantùm, poteſt alicui ſimplici Sacerdoti, qui ordinem Epiſcopalem non habet, delegare poteſtatem cognoſcendi

causas

Digitized by Google

cauſas criminales, ergò talis cognitio non requitit Ordinem Epiſcopalem, qui per conſecrationem confertur. Tum quia quilibet Jndex Ordinarius, qui habet merum imperium, poteſt cognoſcere cauſas criminales: atqui Epiſcopo per confirmationem cõfertur merum Imperium, quia poteſt excommunicare &c. qui eſt actus meri imperij, ergo etiam Epiſcopus confirmatus poteſt cauſas criminales cognoſcere. Quare Papa in cit. c. Tranſmiſſam, tantùm voluit excipere eas inquiſitiones majoris diſcuſſionis, quæ ad realem, ſeu actualem, & ſolemnem degradationem Clericorum ſpectant, hæc enim fieri non poteſt, ſine miniſterio Epiſcopalis conſecrationis, ut patet ex c. 2. de pœnit. in 6. quamquàm Abb. in hoc c. in fine notet, quòd ſecundùm antiquos Canones, ad actualem degradationem procedere non poterat Epiſcopus, niſi ad examinandam cauſam convocaret alios Coëpiſcopos, c. Si autem, 5. & c. ult. cauſ. 15. q. 7. qui omnes debebant eſſe conſecrati, quia Epiſcopus electus, & confirmatus, ante conſecrationem, non appellatur abſolutè Epiſcopus, ſed cum addito *electus*. Verùm hæc per deſuetudinem jam ſunt abolita: fatetur tamen ipſe Abb. hîc in fine, quòd Epiſcopus confirmatus, etſi nòn conſecratus, poſſit de aliis criminibus, quæ non tendunt ad actualem degradationem, ſed ad aliam pœnam, cògnoſcere.

CCCXL. Quæritur 3. An Epiſcopus, vel Prælatus confirmatus poſſit actus juriſdictionis exercere, etiam ante inductionem in poſſeſſionem? Reſp. Spectato Jure communi, & ordinario, Epiſcopus, ſeu Prælatus electus, & confirmatus, vel inſtitutus, ſeu proviſus à Superiore, ſtatim poteſt poſſeſſionem capere, & adminiſtrare jura, & bona Eccleſiæ, in ſpiritualibus, & temporalibus, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictiònis, ante ſolemnem inſtallationem, ſeu corporalem introductionem in poſſeſſionem, ut docet Innocent. in cit. c. Tranſmiſſam, n. 1. h. t. Joan. Andr. ibid. n. 6. Abb. n. 3. Garc. tract. de benefic. p. 5. c. 4. n. 244. & 250. ubi ait, hanc eſſe ſententiam communiter receptam, attento Jure communi. Idquè colligitùr ex cit. c. Tranſmiſſam, & c. Nôſti, 9. juncta gloſſ. V. Confirmata, & c. Qualiter 17. & c. Nihil 44. §. Cæterùm, h. t. quæ jura ſolùm videntur requirere confirmationem ad poteſtatem adminiſtrandi. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd quis à Superiore, per legitimam confirmationem, collationem, aut verbalem inſtitutionem titulùm Prælaturæ, vel beneficij accepit, cenſetur acquiſiviſſe facultatem accipiendi poſſeſſionem, & adminiſtrandi, ſeu exercendi jura competentia Prælaturæ, vel alij beneficio: & aliòquin parùm, vel nihil operaretur confirmatio, vel inſtitutio, ſi neceſſariò inſuper requireretur inveſtitura, ſeu ſolemnis inſtallatio ad poteſtatem adminiſtrandi, Abb. in cit. c. Tranſmiſſam, n. 3. Ex quo infert Garc. c. l. n. 245. vacationem Eccleſiæ ſolùm durare, uſque ad confirmationem, ſeu proviſionem à Superiore factam; ac proinde poſt confirmationem, vel proviſionem factam, & expeditis litteris, etiam ante occupatam poſſeſſionem à Prælato confirmato, vel à proviſo, non poſſe Capitulum juriſdictionem exercere, cùm Sedes non ampliùs vacet, & ita reſolviſſe Rotam Rom.

CCCXLI. Limitandum verò id eſt 1. dummodo poſſeſſio Prælaturæ, vel alterius beneficij fuerit vacans, neque ab alio occupata: nam, ſi alius eſſet in poſſeſſione Prælaturæ, vel beneficij, etiam injuſtè, & malâ fide, non poſſet confirmatus, vel verbaliter inſtitutus, propriâ auctoritate, actu poſſeſsionem apprehendere, & adminiſtrationem capere: alioquin enim cenſeretur vitioſè poſsidere, & propriâ auctoritate ſpoliare priſtinum, ſeu priorem poſſeſſorem, quamvìs is malæ fidei fuerit, arg. l. Si ex ſtipulatione 5. de acquir. poſſeſs. & c. Gravis 11. de reſtitut. ſpoliat. Abb. in cit. c. Tranſmiſſam, n. 5. h. t. & in c. Cùm ſuper 4. num. 15. de cauſa poſſeſs. & propriet. Quòd ſi talis per vim propriè dictam illatam occuparet poſſeſsionem Prælaturæ, vel beneficij non vacantis, ipſo jure privatus foret titulo, ſeu jure, quod in beneficio illo habet, c. Eum qui 18. de præbend. in 6. Abb. c. l. & Rebuff. in praxi benefic. tit. de miſſione in poſſeſs. n. 3.

Limitandum 2. Niſi alia ſit ſpecialis Eccleſiæ conſuetudò, vel ſtatutum, ut videlicet Prælatus etiã poſt confirmationem, vel alius Beneficiarus poſt verbalem inſtitutionem, tituliquè traditionem, non adminiſtret, neque ipſemet per ſe poſſeſsionem apprehendere poſsit, priuſquam ſolemniter inſtalletur, ſive corporaliter in poſſeſsionem introducatur, alioquin nec poſſeſsio ei àcquiſita cenſeatur: quia tunc non poterit anteà adminiſtrare, ſed ſervanda eſt conſuetùdo, vel ſtatutum, Abb. in cit. c. Tranſmiſſam, n. 3. & in cit. c. Cùm ſuper, n. 17.

Porrò Jure novo præterea requiritur, ut, ſi Epiſcòpus, vel alius Prælatus in Curia promotus, vel confirmatus, velit adminiſtrare, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis, poſt confirmationem ſuam obtineat litteras Apoſtolicas confirmationem continèntes, eàſque Capitulo exhibeat, alioquin poſſeſsionem, vel adminiſtrationem Eccleſiæ ſibi collatę conſequi non poteſt, juxta Extravag. 1. h. t. inter communes, de quo ſuprà n. 293.

§. VII.

De Conſecratione Epiſcopi electi, & confirmati.

Confirmatiònem Epiſcopi electi ſequitur conſecratio, ut colligitur ex c. Cùm olim 7. de dolo & contum. & c. Provida 44. h. t. in 6. ubi gl. V. Conſecrationes ait; conſecrationem præcedere debet confirmatio, aliàs non valet conſecratio, quia ſcilicet ordò collatus exerceri nòn poteſt, de qua hoc §. agemus.

CCCXLII. Quæritur 1. Intra quod tempus Epiſcòpus confirmatus conſecrationem accipere teneatur? Reſp. Epiſcopi confirmati conſecratiò, ultra tres menſes à die confirmationis acceptæ, ceſſante legitimo impedimento, numerandos, differri nòn debet, gl. in c. Cùm in cunctis 7. §. Cùm verò V. tempore h. t. alioquin qui ſtatuto tempore conſecrationem non ſuſceperit, Eccleſiaſticæ condemnationi ſubjaceat, reditus verò integri reſerventur apud Oecònomum eiuſdem Eccleſiæ, niſi ob urgentem, & inevitabilem neceſsitàtem, terminus conſecrationis ulteriùs fuerit prorogatus, ita habetur ſtatutum in Concilio Chalcedonenſi c. 25. Quod refertur in c. 2. diſ. 75. & inſuper communione privandus

dus eſt, quouſque aut loco cedat, aut ſe conſecrandum offerre non differat: quòd ſi ultra 5. menſes per ſuam negligentiam viduata manſerit Eccleſia, neque ibi, neque alibi conſecrationem recipiat, imò Metropolitani ſui judicio eâ cedat, prout habetur in c.1. §. Si verò diſ. 100. Jure novo autem Concilij Trident. Seſs. 23. c. 2. de reform. ſtatuitur, ut Eccleſiis Cathedralibus, vel Superioribus quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiamſi S. Eccleſiæ Romanæ Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: & ſi, intra alios totidem menſes, poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati.

CCCXLIII. Quæritur 2. A quonam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus conſecrari debeat? Reſp. 1. Epiſcopus olim, juſſu Metropolitani, requiſito priùs conſenſu aliorum Comprovincialium Epiſcoporum, conſecrari debebat, ita, ut, ſi omnes, vel major pars Comprovincialium conſentiret in unum, tum vel ipſemet Metropolitanus, cum duobus aliis Comprovincialibus Epiſcopis, eum conſecrare, vel tres ad conſecrandum deputare deberet, c. 1. & 2. diſ. 64. c. 2. diſ. 66. c. Si Archiepiſcopus 6. §. Reliqui verò, & c. ſeq. De tempor. Ordin. de quo plura infrà tit. 11.

Et hæc quidem procedebant, ſecundùm ea tempora, quibus confirmatio Epiſcoporum ad Metropolitanum ſpectabat. Hodie verò, quia Papa ſibi reſervavit jus confirmandi Epiſcopos in Germania, juxta Concordata Germaniæ cum Nicolao V, inita: ideo is etiam, poſt confirmationem collatam, eoſdem per ſpeciale mandatum, ſeu delegationem certis Epiſcopis factam, conſecrari jubet, Honorius Axel in ſum. Jur. Canon. h. t. n. 35. Sed & univerſim poteſtas conſecrandi illos Epiſcopos, quorum inſtitutio, ſeu proviſio eſt facta, & electio confirmata à Sede Apoſtolica, eſt reſervata Papæ, ita, ut hi, ſinè mandato ejuſdem, per inferiores Epiſcopos conſecrari non poſſint, ut tradit gl. fin. in c. Si eo tempore 45. h. t. in 6. niſi aliud conſuetudine receptum ſit, ut addit gl. ibid.

CCCXLIV. Reſp. 2. Quamvis Epiſcopus, Jure communi, à tribus Epiſcopis conſecrandus ſit, c. ult. §. Sed nec ille diſ. 51. c. Comprovinciales 4. diſ. 64. c. Porrò, 2. diſ. 66. c. Si Archiepiſcopus 6. & c. ſeq. De tempor. Ordin. Probabilius tamen eſt ex diſpenſatione S. Pontificis, etiam unicum Epiſcopum, aſſiſtentibus duobus Abbatibus, vel aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis Presbyteris, loco duorum Epiſcoporum, ubi eorum copia haberi non poteſt, conſecrationem Epiſcopalem peragere poſſe: neque enim ad ſubſtantiam conſecrationis requiritur, ut à tribus, non paucioribus Epiſcopis fiat conſecratio Epiſcopi: & licèt Apoſtoli id conſtituerint, prout habetur in cit. c. Porrò, diſ. 66. tamen, cùm Apoſtolorum decreta juris divini non ſint, poteſt Eccleſia ex juſta, & gravi cauſa ea mutare, Azor p. 2. l. 3. c. 30. q. 3. §. Sed quidquid. Idque Pium V. conceſsiſſe teſtatur Barboſ. in declarat. prætermiſsis ſuper Trident. ſeſs. 23. c. 2. de reform.

CCCXLV. Reſp. 3. Archiepiſcopus quoque ab omnibus Suffraganeis, ſeu Comprovincialibus Epiſcopis in Eccleſia Metropolitana convenientibus, & aſsiſtentibus, conſecrari debet, c. 1. diſ. 66. c. ult. §. Sed nec, diſ. 51. cit. c. Si Archiepiſcopus in princ. de tempor. Ordin. Verùm hoc non obſervatur in his provinciis, in quibus Epiſcopi ſuffraganei plerumque longè diſtant ab Eccleſia Metropolitana, Laym. de Elect. Præl. q. 152. Sed & hodie Papa reſervavit ſibi jus conſecrandi omnes Archiepiſcopos, ut notat Greg. Tholoſan. Syntagm. Jur. univ. lib. 17. c. 14. n. 8.

CCCXLVI. Quæritur 3. Quâ formâ, ſive modo, quo in loco, & quo tempore Epiſcopus conſecrari debeat? Reſp. Conſecratio Epiſcopi fit per manuum impoſitionem ex Apoſtolo 1. ad Timoth. c. 4. v. 14. & 2. ad eundem c. 1. v. 6. Debent autem duo Epiſcopi ſuper caput ejus, qui conſecratur, Evangelij Codicem tenere, & unus ſuper eodem munus benedictionis infundit, cæteri verò Epiſcopi, qui adſunt, caput ejus ſuis manibus tangunt, c. Epiſcopus 7. diſ. 23. c. 1. diſ. 75. & illud, unâ cum manibus, ſacro Chriſmate inungunt, c. un. de ſacr. unct. Ex quibus actibus ad ſubſtantiam conſecrationis pertinet ſola manuum impoſitio, non item, ut Codex Evangelij teneatur ſuper caput, ut ex communi docet gl. in cit. c. Epiſcopus V. Codicem, Azor cit. c. 30. q. 3. Forma autem eſt, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* Verius autem eſt, non omnes tres Epiſcopos conſecrare, ſed unum tantùm totam conſecrationem efficere, alios verò adjutores eſſe, Azor c. l.

Quod verò attinet ad locum Conſecrationis, etſi decens ſit, ut conſecratio Epiſcopi fiat in Eccleſia Cathedrali, ad quam promotus eſt, ſi extra Romanam Curiam fiat; non eſt tamen id neceſſarium, ſi commodè fieri non poſſit, ſed in alia etiam Eccleſia peragi poteſt, præſertim, ſi intra provinciam, aut Diœceſin ſita ſit, ut colligitur ex c. ult. diſ. 51. & Concil. Trid. cit. ſeſſ. 23. c. 2. de reform.

Denique Epiſcopi, & Archiepiſcopi, ex antiquiſſima traditione Apoſtolica, die Dominica conſecrari debent, & quidem horâ tertiâ, c. 1. c. Quod die 5. diſ. 75. ex diſpenſatione tamen S. Pontificis, etiam alio die eorum conſecratio fieri poteſt, quia ad ſubſtantiam non pertinet, Azor cit. c. 30. q. 3. §. Poſtremò quæres.

CCCXLVII. Porrò Conſecratio Epiſcopi debet fieri tempore Miſſæ inter Epiſtolam, & Evangelium; non tamen debet Epiſcopus, dum celebratur Miſſa, ſub qua conſecratur, Ordines conferre, prout
habetur in c. Quod ſicut 28. §. Super eo. h. t. ubi Pa- »
pa Innocent. III. reſcribit, puniendum eſſe Archi- »
epiſcopum Armachanum, quòd in ipſo conſecra- »
tionis ſuæ die, antequam Miſſarum ſolemnia fini- »
rentur, Acolytum ordinârit, quia ſolus Roma- »
nus Pontifex (utpote, qui ante Hymnum Angeli- »
cum conſecratur, & conſecratus ipſemet deinde »
Miſſarum ſolemnia perficit) in die Conſecrationis »
ſuæ Ordines conferre poteſt: alij verò, qui inter »
Epiſtolam, & Evangelium conſecrantur (ſcilicet E- »
piſcopi, vel ijs Superiores) quia Miſſarum ſolemnia »
non celebrant, ſed celebranti principaliter (nempe »
Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, qui eos conſecrat) »
concelebrant, ſive ſimul cum eo celebrant, non de- »
bent, nec poſſunt tunc Ordines conferre, ne My- »
ſterium unitatis dividatur.

Ubi notandum 1. Quamvìs gl. hîc V. Dividatur, in fine exiſtimet, quòd Epiſcopus, finitâ Miſsâ, in

qua

qua eſt conſecratus, ſi aliam Miſſam poſtea celebret, bene poſſit Ordines conferre, ſi neceſſitas poſtulet, ideóque hîc dicitur, *tunc*, id eſt, durante Miſsâ, nam finitâ illâ Miſsâ, poſſet, quæ tamen divideretur, ſi durante illâ Miſsâ conſecratus in alio Altari celebraret. Verumtamen Hoſtienſ. hîc V. tunc, probabilius tenet oppoſitum, quia Epiſcopus in die Dominico conſecrari debet, in quo alij ſacri Ordines conferri non poſſunt, & nulla occurrere poteſt neceſſitas, cùm alij Epiſcopi, qui id munus obire poſſint, tunc non deſint: adeóque vocula *tunc* ſic exponi debet, id eſt, eodem die conſecrationis ſuæ Ordines conferre non poteſt: niſi fortè Ordines minores, qui quolibet die Dominico, vel Feſto, etiam extra 4. tempora conferri poſſunt, c. 3. de tempor. Ordinat. prout limitat Abb. in cit. c. §. Super eo. n. 13. Quare in cit. §. Ille Archiepiſcopus, qui ordinavit Acolytum, adeóque unum ex minoribus Ordinibus ſolùm contulit, ideo arguitur à Papa, quia id fecit in die conſecrationis ſuæ, antequam Miſſarum ſolemnia finirentur; ſecus ergo, ſi finitâ Miſsâ, Ordines minores contuliſſet, ut colligitur ex ſubjunċta ratione, ne *Myſterium unitatis dividatur*; quæ ratio ceſſat, ſi conſecratus, poſt finitam conſecrationem, & Miſſæ celebrationem, minores Ordines ſolùm conferret: quamvis videatur minùs decens eſſe, ut conſecratus mox eodem die Pontificalia exerceat, cùm tunc alij Epiſcopi ſint præſentes, qui id facere poſſint, gl. marg. hîc.

Notandum 2. Epiſcopi, & Sacerdotes in Miſſa, in qua conſecrantur, non celebrant, ſed Epiſcopo ordinanti, & principaliter celebranti concelebrant, ut dicitur in cit. §. Super eo: ſi enim novus Sacerdos, vel Epiſcopus aſsiſtens Epiſcopo ſacrificanti celebraret, ſive Hoſtiam, & Calicem conſecraret, quia abſolutam intẽtionem habet conſecrandi, tum ſi verba conſecrationis finiret, ante principalem celebrantem, hic non celebraret, nec conſecraret, & ſic Myſterij unitas divideretur. Quare conſultum eſt, ut Sacerdotes aſſiſtentes Epiſcopo ordinanti, & celebranti, vel conditionatam ſolùm intentionem habeant conſecrandi, ſi ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis abſolvant: non autem, ſi præveniant, vel, ut materialiter ſolùm, & recitativè, non formaliter, & cum intentione conſecrandi, verba conſecrationis proferant, Laym. l. 5. Theol. moral. tract. 2. c. 7. n. 5. & 6.

CCCXLVIII. Notandum 3. Quòd in cit. c. Quòd ſicut. h. t. objectum fuit Archiepiſcopo electo, nempe, quòd tabulam argenteam, abſque cauſa neceſſaria, & cum Eccleſiæ detrimento, vendiderit, reſpondet Papa in §. fin. ibid. id diſſimulari poſſe, cùm alienatio illa facta ſit, accedente populi, & Cleri conſenſu, dummodo Archiepiſcopus damnum Eccleſiæ illatum reſarciat, quia nimirum pœna à SS. Canonibus decreta Prælatis alienantibus res Eccleſiæ, immobiles, vel mobiles pretioſas, ſinè cauſa neceſſitatis, aut utilitatis, facilius ex gratia remittitur, ſi adhibitus ſit Capituli conſenſus, dummodo etiam Eccleſia ſervetur indemnis, Imol. hîc n. 7. Verùm hic §. Ad hunc Titulum non pertinet.

CCCXLIX. Quæritur 4. Quis ſit effectus Conſecrationis Epiſcopalis? Reſp. 1. Epiſcopus per Conſecrationem conſequitur plenitudinem officij Epiſcopalis, ita, ut non ſolùm ea, quæ juriſdictionis ſunt, ſed etiam functiones Ordinis Epiſcopalis exercere poſſit, c. Tranſmiſſam 15. h. t. & ibi gl. V. de talibus, quæ plenitudo poteſtatis Epiſcopalis his velut gradibus acquiritur. Nam 1. fit electio canonica, per quam acquiritur jus petendi Epiſcopatum, cui æquiparatur poſtulatio. 2. Huic ſuccedit confirmatio, per quam datur jus adminiſtrandi, & poſſeſſionem capiendi. 3. Acquiritur poſſeſſio pacifica, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ſaltem quoad majorem partem bonorum, arg. c. 1. §. Illum autem, de teſtit. ſpol. in 6. gl. in c. Commiſſa, 35. V. pacificam, h. t. in 6. Abb. in c. 7. §. Cùm verò, n. 4. h. t. 4. Fit conſecratio, per quam acquiritur exercitium etiam Ordinis Epiſcopalis, adeóque plenum jus, & poteſtas Epiſcopalis: nam per conſecrationem matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam fit conſummatum, ſeu perfectum, Hoſtienſ. in ſumma de tranſl. Epiſc. n. 4.

2. Epiſcopus conſecratus abſolutè vocatur Epiſcopus, cùm ante conſecrationem, etſi confirmatus ſit, non abſolutè, ſed cum addito, Epiſcopus electus, vel confirmatus appellari debeat, ut colligitur ex c. Tua 8. ibi *vel electo*, de his, quæ fiunt à Præl. &c. Abb. in c. Cùm in cunctis 7. §. Cùm verò, n. 6. & gloſſat. Abb. ibid. V. electus.

CCCL. 3. Denique poſtquam in Epiſcopum electus, non ſolùm confirmationem, & bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, ſed etiam conſecrationem accepit, vel cùm tempus à SS. Canonibus definitum ad conſecrationem accipiendam, poſt obtentam confirmationem, elapſum eſt, tum demum pro jure, abſque alia ſententia, vacant omnia eius beneficia, quæ habebat, ità, ut liberè ab eo conferri poſſint, qui de ijs diſponendi facultatem habet, ita habetur in c. Cùm in cunctis 7. §. Cùm verò h. t. & ibi Abb. n. 3. Ratio eſt, quia beneficia non vacant, niſi poſt plenam Epiſcopatûs conſecutionem; non enim debet quis perdere primum beneficium, niſi ſecundum plenè ſit conſecutus, c. Licèt 28. de præbend. in 6. ante conſecrationem verò non dicitur quis pleno jure poſſidere Epiſcopatum, cùm nondum ſit conſecutus poteſtatem Ordinis, & ex cauſa poſsit Superior rejicere petentem conſecrationem, & adhuc contra ipſum excipi queat ad repellendum ipſum ab Epiſcopatu, c. Super his 16. de accuſat. gl. in cit. §. Cùm verò V. ad quem ſpectent.

CCCLI. Notandum hîc 1. Epiſcopo confirmato ad petendam conſecrationem dantur tres menſes, qui à tempore obtentæ confirmationis, ceſſante legitimo impedimento, currunt, ut ſuprà dictũ n. 243. quòd ſi confirmatus per negligentiam ſuam intra illud tempus non conſecretur, ſtatim vacant beneficia ipſius; non tamen debet incontinenti privari Epiſcopatu, ſed exſpectari debet per alios duos, vel tres menſes, intra quos, ſi conſecrationem non accipiat, tùm demùm removendus eſt ab Epiſcopatu, & ſic intelligi debent Canones, qui de 5. ut in c. 1. diſ. 100. vel de 6. menſibus mentionem faciunt, ut in c. 2. §. Sed neque de tranſl. Epiſc. Abb. in cit. §. Cùm verò n. 5.

Notandum 2. Etſi Hoſtienſ. in cit. §. Cùm verò Verſ. ſed poteſt dici, aſſerat, ſi Epiſcopus, ante elapſum tempus trimeſtre, poſt obtentam confirmationem,

tionem, conſecrationem accipiat, non ſtarim vacare eius beneficia, ſed tum primùm, poſtqnam tempus de conſecrandis Epiſcopls à Canonibus definitum decurſum eſt, prout in cit. §. cùm verò, tequitirur ad hoc, ut vacent beneficia Epiſcopi: nam, cùm electus multas expenſas facete ſoleat, æqnum eſt, ut non priùs perdat priota ſua beneficia, quàm tempus trimeſtre, intra qnod conſecrari debet, ſit elapſum, qnamvìs citiùs fuerit conſecratus. Verumtamen contrarium eſt probabilius, ut docet gl. in cit. §. Cùm verò. V. Ad quem ſpectant, Innocent. ibid. n. 4. dummodo ante elapſum tempus trimeſtre, Epiſcopus jam conſecratus adeptus ſit pacificam poſſeſſionem Epiſcopatùs, nt limitant Joan. Andr. & Abb, ibid. n. 6. tum enim beneficia eius vacant, nt poſſint ab Ordinatio ſtarim conferri, ante tres menſes exactos: quia tunc plenè eſt conſecutus Epiſcopatum, ut colligitur ex cit. c. Super his, de accuſat. adeóque adeſt fundamentum, & ratio, ob quam alia eius priora beneficia vacare debeant, eáque liberè alteri conferri poſſint. Aliud eſt, ſi, etſi cõſecratus ſit ante trimeſtre, ſed poſſeſsionem nondum ſit adeptus, tum enim beneficia eius non vacant, ſed exſpectare cogitur Ordinatius, antequam conferat illa beneficia, donec vel tempus triũ menſium ſit elapſum, vel ſaltem donec conſecratus Epiſcopus poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ conſequatur. Ad argumentum verò allatum ex cit. §. cùm verò, reſpondetur cum Laym. ibid. n. 4. q. 1. ſolùm ibi ſignificari, quòd non tantùm, poſt obtentam pacificam poſſeſsionem Epiſcopatûs, propter conſecrationem vacent priora eius beneficia, ſed etiam, ſi promotus, ob culpabilem moram, conſecrationem non accipiat intra tempus præſcriptum, non enim decet, eum ex negligentia, & culpa ſua commodum referre.

CCCLII. Notandum 3. Si Papa cum Epiſcopo confirmato diſpenſet, ut etiam poſt elapſos tres menſes non teneatur conſecrationem accipere, ſed nonniſi poſt unum annum, vel longius tempua; hoc caſu, non conveniunt DD. an interea beneficia eius vacant, nécne? Joan. Andr. hîc putat diſtinguendum eſſe, an talis diſpenſatio facta ſit motu proprio Papę: & tunc non vacabunt ſtatim priora beneficia Epiſcopi, ſed primùm poſt elapſum annum, vel longius tempus, ad quòd diſpenſatum fuit, quia ob motum proprium Principis facienda eſt larga interpretatio, arg. c. Si motu 23. de præbend. in 6. ſecus, ſi ad inſtantiam, ſeu petitionem Epiſcopi facta ſit diſpenſatio, quia tunc cenſetur odioſa, & ſtrictæ interpretationis, cit. c. Si motu, adeóque non debet ex eo, quòd diſpenſatio facta ſit in obligatione accipiendæ conſecrationis intra tres menſes, ea etiam extendi ad vacationem beneficiorum, quòd primùm poſt annum, vel longius tempus ea vacent.

Verùm Abb. in cit. §. Cùm verò, n. 8. & 9. contrarium tenet, non vacare hoc caſu beneficia Epiſcopi, ante elapſum annum, vel aliud tempus, ad quod diſpenſatum fuit, etiamſi ad inſtantiam promori diſpenſatio facta ſit, quia licèt hæc alioquin ſit ſtricti juris, neque extendenda; tamen comprehendit etiam acceſſoria, ſeu quæ neceſſariò conſequuntur, ſecundùm doctrinam gl. communiter receptam in c. Quia in tantùm 5. V. plures de præbend. & ſumitur ex c. Accepimus 13. de ætate, & qualit. ſuppoſito igitur, quòd Papa diſpenſaverit cum Epiſcopo confirmato in obligatione accipiendæ conſecrationis intra trimeſtre, conſequenter etiam cenſeri debet diſpensâſſe in vacatione beneficiorum, quæ conſecrationem acceſſoriè ſequitur; ac proinde ſublatâ obligatione conſecrationis, etiam vacatio beneficiorum ei annexa ſublata erit.

Porrò Laym. in cit. §. Cùm verò n. 5. q. 2. putat, in caſu diſpenſationis factæ à Papa, quò minùs Epiſcopus, poſt elapſos tres menſes, conſecrationem accipere tenearur, indiſtinctè ſtatim poſt trimeſtre vacare omnia illius beneficia; quia à ſacris Canonibus duo ſunt ſtatuta; unum per ſe, ac principaliter, ut promoti ad Epiſcopatum beneficia vacent, eò quòd non deceat, ut conſtitui in altiore dignitate in inferioribus officiis, aut miniſteriis deſerviant, arg. c. Ad aures 8. de reſcripi. Alterum verò ſolùm accidentaliter, ſeu acceſſoriè, ut incipiant vacare à tempore conſecrationis acceptæ, vel elapſo tempore, quod ad accipiendam conſecrationem eſt præſcriptum; nam in cit. §. Cùm verò ſecundùm communem illius intellectum, beneficia dicuntur vacare in duobus caſibus, nempe, ſi conſecratio ſit accepta, vel ſi tempus trium menſium, ob negligentiam promoti, ſit elapſum: quamvìs igitur hoc accidentale, ſeu acceſſorium per diſpenſationem ſit ſublatum, non tamen ideo ſublatum cenſeri debet, quod eſt per ſe, ac principale, nempe ipſa vacatio beneficiorum, cùm ſublato acceſſorio, non ideo tollatur principale, quippe quod ab acceſſorio non pendet. Quare regula tradita ab Abbate, etſi in ſe ſit vera, tamen hîc locum non habet, quia vacatio beneficiorum promoti ad Epiſcopatum à SS. Canonibus eſt decreta, non propter ſolam conſecrationem, vel ob negligentiam eam accipiendi, quaſi ex illa acceſſoriè conſequatur talis vacatio; ſed etiam, quia electus, & confirmatus eſt promotus ad altiorem dignitatem, eiúſque pacificam poſſeſsionem eſt conſecutus, ideo etiam vacant omnia beneficia promoti, ſi ponatur, quòd conſecratio non ſit ſubſecutura. Idque confirmatur, quia alioquin Epiſcopi, qui ſe conformant decretis SS. Canonum, & conſecrationem intra tempus præſcriptum accipiunt, eſſent deterioris conditionis, quàm ij, qui ſub quocunque prætextu diſpenſationem petunt in conſecratione, quia illorum beneficia ſtatim vacarent, non autem iſtorum, qui adhuc diutiùs illa retinerent, quod ſanè haud conveniens eſt. Atque hæc ſententia videtur omnino probabilior, quam etiam tenet Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 1. n. 24. & Barb. in Collect. in c. 7. §. Cùm verò, n. 28. h. t. quòd diſpenſatio conceſſa Epiſcopis, ut ultra prædictos tres menſes conſecratio differatur, non extenditur ad retentionem beneficiorum, & collatio eorum ad S. Pontificem devolvatur.

Illud hîc addendum, in Curia Romana uſu eſſe receptum, ut omnia beneficia Epiſcopi auctoritate Papæ promoti, vel electi, poſt confirmationem, ſtatim vacent, etiam non exſpectatâ conſecratione, & ante adeptam Eccleſiæ poſſeſsionem, ut teſtatur Abb. in cit. §. Cùm verò, n. 3. per quam conſuetudinem Juri communi derogatur, neque poteſt reprehendi, dummodo promotus ſecutus ſit de conſequẽda poſſeſsione Epiſcopatûs collati. Verùm illorum Epiſcoporum, qui Titulares, ſeu Suffraganei vulgò vocantur, etiamſi conſecrati ſint, beneficia nõ vacant, quia poſ-

Digitized by Google

poſſeſſionem Eccleſiarum, ad quas promoventur, non conſequuntur, cùm eæ ſint in terris infidelium, nec ullos ex ijs fructus percipiunt, ut notavit Aaor p.2.lib.7.c.16.q.12.§. Ex dictis colligitur.

Addit tamen Barb. c.l. n. 29. Rotam declarâſſe 25. Maij 1620. quòd vacatio beneficiorum, ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, fiat per ſolam promotionem Papæ ad Epiſcopatum, ante poſſeſſionis apprehenſionem, id procedere, quando Papa in actu promotionis conſiſtorialiter decernit vacare beneficia, aliàs cùm non intervenit decretum vacationis, ſtandum eſſe diſpoſitioni Juris communis, & ideo ad inducendam vacationem requiri adeptionem poſſeſſionis, ut reſolvunt DD. citati apud eundem.

SECTIO VIII.

DE ABBATUM, SEU PRÆlatorum Regularium electione, confirmatione, & benedictione.

Hactenus actum eſt de electione Prælatorum Eccleſiarum ſecularium, ſive Cathedralium, ſive etiam Collegiatarum, ſed quia electio Prælatorum Regularium aliqua peculiaria habet, ideo de illa ſeorſim agendum.

§. I.

De ijs, quibus competit Jus eligendi Prælatos Regulares.

CCCLIII. Quæritur 1. Ad quos pertineat jus eligendi Abbatem, ſeu Præpoſitum Regularem? Reſp. Jure communi, & Ordinario, pertinet ad Conventum, ſeu Collegium Religioſorum, c. 1. h. t. & habetur expreſſiùs in c. Cùm dilectus 8. de conſuet. & in c.2.3.4.cauſ.18.q.2. & in can. quàm ſit 5. §. Defuncto ead. cauſ. & q. ubi ait Gregorius Papa: defuncto verò Abbate cuiuſcunque Congregationis, non extraneus eligatur, niſi de eadem Congregatione, quem ſibi, propriâ voluntate concors Fratrum ſocietas elegerit. Nec obſtat, quod in c. 1. ibid. Concilium Toletanum IV. decrevit, quòd Sacerdotes, id eſt, Epiſcopi, Abbates, aliáque officia in Monaſteriis inſtituere debeant: nam, ut notat gloſſ. ibid. V. inſtituere, illud accipitur pro *confirmare*, vel ſi propriè ibi ſumatur verbum *inſtituere*, id intelligendum eſt, cùm Monachi ſunt negligentes in eligendo, vel ſi indignum eligant.

Porrò etſi Jure communi, Abbatum, ſeu Præpoſitorum Regularium, tam Generalium, quàm Localium, electio ad Religioſorum Conventum ſpectet, de cuius Prælati electione agitur: in quibuſdam tamen Ordinibus, in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus Prælati eliguntur, ſeu creantur, ut de Ordine Minorum teſtatur Emman. Rodriq. tom. 2. Regul. qq. q. 53. a. 6. & habetur in Clement. 1. §. Demùm circa finem, de verb. ſignif. ubi ſtatuitur, ut electio Miniſtri Provincialis ſit penes Capitulum Provinciale. In Societate Jeſu verò Præpoſiti Provinciales, & Locales Domorum, & Rectores Collegiorum à Præpoſito Generali conſtituuntur, ut conſtat ex par.9. Conſtitut. c.3. §. 14. In aliis verò pleriſque Religionibus Monachorum, & Canonicorum, etiam Regularium, hodie Abbates, ſeu Prælati locales eliguntur per ſuffragia Generalium, vel Provincialium, & ſuorum Definitorum, exceptâ Germaniâ, & Galliâ, ubi etiamnum Prælati locales eliguntur à Religioſis ſui Conventûs, ut refert Tamburin. de Jure Abbatum tom. 1. diſ. 5. q. 1. n. 3. & 2. ſeqq. Quare hac in re Conſtitutiones ſpeciales cuiuſvis Ordinis attendendæ ſunt, modò, ſi Juri communi ſint contrariæ, à Sede Apoſtolica ſint approbatæ.

CCCLIV. Quæritur 2. An omnes, qui ad religioſum Conventum, ſeu Congregationem pertinent, habeant jus eligendi Prælatum? Reſp. 1. In electionibus Prælatorum Regularium jus eligendi competit ijs tantùm, qui ſunt, vel tacitè, ſuſcipiendo habitum profeſſorum, vel exercendo alios actus proprios Profeſſorum, vel expreſsè Religionem profeſſi, de cuius Prælato eligendo agitur, prout ſtatutum eſt in c. Ex eo 32. §. In Eccleſiis h. t. in 6. ubi dicitur: in » Eccleſiis quoque Regularibus, vel Monaſteriis, hi, » qui non ſunt tacitè, vel expreſsè profeſsi, non de- » bent, cum Profeſsis, vel Converſi laici cum Cleri- » cis, electionibus intereſſe. Quare non profeſsi, aut » Novitij eligere non poſſunt. Ratio eſt, quia Novitij non ſunt adhuc vera membra illius corporis, ſeu Religionis, nec ſatis eam experti, neque etiam poſſunt habere ſufficientem notitiam perſonarum eligendarum, Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. c. 4. n. 2. Ratio autem, cur eligendus in Prælatum Regularem debeat eſſe expreſsè profeſſus, ut infrà dicetur, in eligẽte verò ſufficiat tacita profeſsio, eſt, tũ quia plus eſt, eligi in Prælatum, quàm eligere, ideóque plures conditiones in eligendo requiruntur, quam in electore. Tum quia, ut quis habeat jus eligendi, ſatis eſt, quòd ſit verè, & ſubſtantialiter membrum Religionis, ita, ut perpetuò ſubjectus eſſe debeat Prælato, ſicut reliqui, quòd non minùs verè, & propriè ſit per profeſsionem tacitam, quàm per expreſſam, Suar. c. l. Porrò non requiritur, ut quis ſit profeſſus, tempore vacationis Eccleſiæ, ſed ſatis eſt, ſi ſit profeſſus tempore electionis, ad hoc, ut ad electionem poſsit, & debeat admitti, etiamſi tempore vacationis profeſsionem necdum emiſerit; quia nullo jure ſtatutum eſt, ut Elector jam profeſſus ſit ante vacationem, imò neque, ut profeſsionem certo aliquo tempore emiſerit, ante electionem, v. g. per unum, vel alterũ menſem priùs, ſed ſolùm, quòd ſit facta profeſsio, ante inchoatam electionem, Suar. cit. c. 4. n. 7. Sicut ſuprà num. 13. dictum de eo, qui eſt in Sacris conſtitutus tempore electionis, etſi tempore vacationis non fuerit.

CCCLV. Reſp. 2. Sed neque laici converſi, unâ cum Religioſis Clericis, intereſſe debent electionibus (ſcilicet Prælatorum Regularium) ut habetur in cit. §. In Eccleſiis. Ubi per converſos, ut notat gl. ibid. V. converſi laici, non intelliguntur Monachi profeſsi, qui, etſi nondum ſint Clerici ordinati, ſed laici; tamen ad Ordines aliquando ſuſcipiendos tendunt, & deputantur, hi enim, quantum eſt ex vi huius textûs, non excluduntur ab electione Prælati, ſed converſi hîc vocantur illi fratres laici, qui nec ſunt ordinati, nec ad ſuſcipiendos Ordines deſtinati, licèt verè ſint Religioſi profeſsi. Nec refert,

quòd in cit. §. in Eccleſijs dicitur, converſos laicos non eſſe admittendos ad electionem ſimul cum Clericis, unde ſupponi ibi videtur, illam faciendam eſſe à Clericis. Verùm non ſupponitur, à ſolis Clericis faciendam eſſe electionem, quia Papa volens excludere eos, qui non ſunt cum Clericis admittendi ad electionem, ſolùm excludit converſos laicos, ergo implicitè admittit omnes alios profeſſos, qui ſunt Monachi, & non tantùm converſi, quia iſti, etſi non ſint ordinati, poſſunt tamen eſſe litterati, & majorem notitiam rerum habere, quàm laici converſi, ideóque magis idonei eſſe ad eligendum, Suar. cit. c. 4. n. 5.

Excipi tamen debet, niſi à talibus Converſis laicis, in aliquo Monaſterio, vel Religione, Jus Capitulare, per diuturnam conſuetudinem, legitimè præſcriptum ſit; tum enim unà cum Clericis ad electionē, & ad alios actus capitulares ſunt admittendi, ſi quidem veri Religioſi ſint, & tria ſubſtantialia vota, ſecundùm Ordinis Regulam, ediderint, gl. in cit. §. in Eccleſijs V. Electionibus h. t. in 6. Innoc. in c. 2. de inſtitut. n. 2. nam, etſi conſuetudo admittens laicos cum Clericis ad electionem Prælati, Jure Canonico ſit reprobata, & corruptela vocetur, c. Maſſana 56. h. t. cùm jus eligendi in Eccleſia Collegiata non cadat in laicum, c. Sacroſancta 51. eodem: id tamen ſolùm intelligendum eſt de laicis ſecularibus, non item de laicis religioſis, qui capaces ſunt ſpiritualis juris eligendi, cùm ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & divino ſervitio mancipatæ, gl. loc. cit. Laym. in cit. §. In Eccleſijs. Idem eſt, ſi tales converſi laici, ex ſpeciali privilegio, vel ſtatuto, vel ex prima fundatione, vocem in Capitulo haberent, Barboſ. in Collectan. in cit. §. In Eccleſijs n. 8.

Similiter in ijs Religionibus, quæ non ad miniſteria ſpiritualia, ſed ad opera temporalia in bonum Eccleſiæ præſtanda inſtitutæ ſunt, uti ſunt Ordines Militares, & Hoſpitales, eligere poſſunt omnes profeſſi ſibi Superiorem, etſi Clerici non ſint, gl. in cit. §. In Eccleſijs V. Hi qui, Suar. cit. c. 4. n. 4. alij autem non profeſſi repelli debent, juxta cit. c. In Eccleſijs. Quamvìs Suar. cit. l. putet in cit. §. In Eccleſijs, in omnibus Religionibus etiam Monachorum, in quibus eligitur proprius Prælatus, qui ſpiritualem juriſdictionem habet, ab electione excludi omnes Monachos profeſſos, qui Clerici non ſunt, tametſi converſi non ſint, quia jus eligendi ad tales Prælaturas non cadit in laicum, cùm talis electio ſit munus quoddam ſpirituale, & aliquo modo actus juriſdictionis, vel ſaltem adminiſtrationis ſpiritualis. Sed alij DD. communiter contrarium tenent.

CCCLVI. Reſpondetur 3. Canonici non ſolùm ſeculares, ſed etiam Regulares vocem in Capitulo habere, & conſequenter eligere non poſſunt, niſi ſaltem in Subdiaconatûs Ordine ſint conſtituti, juxta Clement. 2. de ætat. & qualit. & Concil. Trident. Seſſ. 22. cap. 4. de reform. Alij tamen Religioſi, & Monachi, ob defectum Ordinis Sacri, ſi profeſſi fuerint, ab actibus Capitularibus, & conſequenter ab electione Prælati, modò non ſint laici Converſi, non excluduntur; quia Clementina illa conſtitutio ſolùm eſt facta de ijs, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſijs, ſecularibus, vel Regularibus, divinis officijs ſunt mancipati, ac proinde cùm ſit correctoria Juris communis, & odioſa, ad alios Religioſos, vel Monaſteria Monachorum (qui ex proprio inſtituto, ſaltem ſi prima eorum origo, & profeſſio ſpectetur, ad divina officia non ſunt deſtinati, ſive ut ſint Clerici, c. 1. & ſeqq. cauſ. 16. q. 1. & docet S. Thom. 22. q. ult. art. 8. in reſp. ad 2.) non eſt extendenda, Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 52. a. 5. Barb. in declarat. Cardin. prætermiſſis ſuper cit. ſeſſ. 22. c. 4. Etſi verò Abb. in cit. Clem. 2. n. 2. dicat, vi illius non excludi à Capitularibus actibus Converſos, quia illi non ſunt divinis officijs deſtinati: id tamen huc non pertinet, quia hic non agitur de privatione vocis, quoad omnes actus Capitulares, ſed ſolùm quoad electionem Prælati, à qua jam ex alio capite ſunt excluſi Converſi, juxta cit. c. 32. §. in Eccleſijs h. t. in 6. Verùm hac in re cujuſque Ordinis propriæ Conſtitutiones, aut conſuetudines ſunt obſervandæ, Laym. de Elect. Præl. q. 181.

Denique Religioſi Mendicantes, qui ad non Mendicantium Ordines, etiam auctoritate Apoſtolicâ, tranſeunt, vocem, aut locum in Capitulo non habent, juxta Clement. 1. de Regular. & conſequenter talibus etiam jus eligendi Prælatum non competit. Cæterùm ob quas cauſas, ſeu impedimenta Capitulares Eccleſiarum ſecularium prohibentur eligere Prælatum, de quibus ſuprà, ob eaſdem etiam prohibentur Conventuales Regulares.

§. II.

De iis, qui eligi poſſunt ad Prælaturas Regulares.

CCCLVII. Quæritur 1. An, qui in Prælatum Regularem eligitur, neceſſariò debeat eſſe Ordinem Profeſſus? Reſpondetur: Nullus ad Abbatias, Præpoſituras, ſeu Prioratus, aliáque beneficia regularia adminiſtrationem habentia eligi poteſt, niſi ſit Ordinem Regularem profeſſus, prout ſtatuitur in c. Cùm in Magiſtrum 49. h. t. Nam cùm Papa Gregorius IX. intellexiſſet, quòd in quibuſdam Regularibus Eccleſijs, ſeu Monaſterijs, Diœceſano jure, Epiſcopo ſubjectis, in Abbates aſſumerentur, qui non erant Ordinem Regularem profeſſi, ideo mandat, ut amoveantur à Prælatura, qui per profeſſionem Monachi, vel Regulares Canonici non fuerint facti, appellatione ſublatâ: ubi etiam ratio redditur, quia in Magiſtrum aſſumi non debet, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec præficiendus eſt, qui ſubeſſe non novit; & miſerum eſt, eum Magiſtrum fieri, qui nunquam diſcipulus fuit, ut dicitur in c. 4. diſ. 61.

CCCLVIII. Extenditur autem 1. Quòd non profeſſus non poſſit eligi in Prælatum regularem, non obſtante contrariâ conſuetudine, quantumvis longævâ, & diuturnâ, prout conſtat ex c. Cùm cauſam 27. h. t. Nam vacante Prioratu Eccleſiæ S. Petri Lucanenſis, à majore parte Canonicorum Regularium ejuſdem Eccleſiæ in Priorem electus eſt Bonus Presbyter, cui electioni alij quidam Canonici ſe oppoſuerunt, dicentes, quòd dict⁹ Presbyter non eſſet Ordinem Regularem profeſſus, ideóque eligi non potuerit: ſed reliqui electionem ſuam defendebant, allegantes conſuetudinem, quòd multi Priores continuè, unus poſt alium, per multa, & longa tempora in Eccleſia illa fuerint, qui nō

erant

» erant profeſſi. Conſultus ſuper hac controverſia » Papa Innocentius III. reſpondit, cùm non ſit at- » tendendū, quid factum ſit, ſed potiùs, quid facien- » dum, & cùm ſcriptum ſit, Deuteron. c. 22. V. 10. *Non arabis in bove ſimul, & aſino* (id eſt, homines di- verſæ profeſſionis in uno officio non ſociabis, ut ex- plicatur in Concilio Hiſpalenſi relato in c. Nona 22. cauſ. 16. q. 7.) *neque debeas quiſquam veſtem induere ex lana, linóque contextam*, cit. c. 22. V. 11. (id eſt, homines diverſi habitûs non debent ſociari) ideo man- » dat electionem Presbyteri Boni irritari, & inſuper » compelli ipſum, alióſque Clericos, qui in Eccleſia » illa, ſeu Monaſterio profeſſionem non ediderunt, » ut vel S. Auguſtini Regulam profiteantur, & ſer- » vent, vel eandem Eccleſiam omnino dimittant.

CCCLIX. Hinc colligitur 1. Non valere conſuetudinem, ut non profeſſus eligatur in Prælatum Regularem, ideóque talis electio eſt ipſo jure irrita, non ſolùm jure novo, c. Nullus 28. h. t. in 6. ſed etiam ſecundùm Jus commune antiquum, adeóque cùm hîc præcipitur, talem electionem eſſe irritandā, id exponi debet, eſſe irritam declarandam, ut docet Hoſtienſ. hîc V. Irritaris, Suar. cit. c. 4. n. 9. contra Abbat. hîc n. 6. Nam Abbas, ſeu Regularis Prælatus eligi debet ex ſua, ſive eadem Congregatione: novitius autem, vel non profeſſus propriè non eſt de eadem Congregatione, ſed ſoli profeſſi. Sicut ergo profeſſio tanquam neceſſaria conditio requiritur ex parte eligentium; ita etiam ex parte eligendi, ſinè qua perſona eſt inhabilis, ut eligatur, ac proinde tam electio activa, quàm paſſiva ipſo jure eſt irrita, ſi fiat à non profeſſis, vel de non profeſſo, etiam ſpectato Jure antiquo. Quare conſuetudo contraria non valet, tum quia non poteſt habilem reddere perſonam prorſus inhabilem, præſertim contra rationem naturalem, ut fatetur ipſe Abb. in cit. c. Cùm cauſam n. 6. tum quia talis conſuetudo cenſetur Eccleſijs damnoſa. nam cohærere, & conjungi non poſſunt, quibus ſtudia, & vota diverſa ſunt, ut dicitur in cit. c. Nona.

Colligitur 2. Quamvìs ad beneficia regularia, quæ adminiſtrationem annexá habent, ut Abbatiæ, & Prioratus, non poſſint aſſumi, niſi religioſi actu profeſſi ejuſdem Ordinis: tamen ad obtinenda beneficia ſimplicia, cujuſmodi ſunt præbendæ, & portiones Monachales, non requiritur actualis profeſſio; imò nec habitus regularis, ſed poſſunt hujuſmodi beneficia conferri etiam Clericis ſecularibus, qui habitum illius Ordinis ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, prout ſumitur ex cit. c. Cùm cauſam: nam in priore parte agitur de electione Presbyteri ſecularis in Priorem Monaſterij, & dicitur, electionem debere irritari, id eſt, irritam declarari, ut ſuprà dictum: in poſteriore verò parte agitur de alijs Clericis, & dicitur, ut Regulam S. Auguſtini profiteantur, & ſervent, vel ipſam Eccleſiam, ſeu Monaſterium omnino dimittant. Et quamvìs ibi uno contextu idem dicatur de Presbytero, qui fuerat electus in Priorem, & de alijs Clericis, tamen non eſt ſermo ibi de Presbytero tanquam Priore, quippe cujus electio jam erat caſſata, ſed de Presbytero, tanquam Clerico; ita, ut ſenſus ſit, ſi prædictus Presbyter, unà cùm alijs Clericis regularibus, velit remanere in Monaſterio, non tanquam Prior, ſed tanquam Canonicus Regularis, ſeu præbendatus, tunc tam ipſe, quàm alij Canonici compellantur, aut profeſſionem emittere, aut Eccleſiam, ſeu Monaſterium dimittere; & ſic ſatìs eſt, ut poſtea profeſſionem emittant, ſive expreſſam, ſive tacitam, quia quoad inferiora beneficia jus antiquum non reperitur immutatum, Fagnan. in cit. c. Cùm cauſam n. 34. & 35. ubi n. 36. ait, id approbatum eſſe à Concilio Trident. Seſſ. 24. c. 10. de reform. Nec obſtat Clement. unica de ſuppl. neglig. Præl. in qua cautum eſt, ut Prioratus, Eccleſiæ, adminiſtrationes, & alia beneficia, quæ Religioſis duntaxat committi ſunt ſolita, vel conferri, Religioſis ejuſdem Ordinis conferantur; nam vel dictio, *alia*, referri debet ad conſimilia beneficia, adeóque ad Abbatias, adminiſtrationes, & officia, de quibus in c. Cùm ſingula 32. §. Prohibemus de præbend. in 6. ut ſic Clem. illa exponatur, ſecundùm cit. c. Cùm cauſam, cùm jura juribus concordanda ſint. Vel, ſi referenda ſit etiam ad beneficia ſimplicia, ſtandum erit decreto Concilij Trident. tanquam poſteriori, juxta quod non requiritur in hujuſmodi beneficijs, ut præcedat actualis profeſſio, ſed ſufficit aptitudo ad illam, Fagnan. c. l. n. 37.

CCCLX. Extenditur præterea 2. Quòd non profeſſus ad regimen Eccleſiæ regularis aſſumi non poſſit, nec per viam electionis, ut de Abbate habetur in c. Cùm in Magiſtrum 49. h. t. & de Priore in cit. c. Cùm cauſam; eodem: neque per viam cujuſvis alterius proviſionis, arg. c. Cùm de beneficio 5. de præbend. in 6. ubi cavetur, quòd, ſi mandetur provideri Clerico ſeculari de aliquo Prioratu, provideri non poteſt de Prioratu, qui per Religioſos eſt ſolitus gubernari, quia nimirum ad illum non poteſt aſſumi, niſi Religioſus, & actu profeſſus, Abb. in cit. c. Cùm in Magiſtrum not. 2. ubi addit, ſi Conventus negligat eligere Prælatum, ideóque poteſtas providendi devolvatur ad Superiorem immediatum, juxta c. Ne pro defectu 41. h. t. non poterit iſte Superior, exceptâ Auctoritate S. Pontificis, præficere non profeſſum.

CCCLXI. Extenditur 3. Quòd neque Religioſus, qui tacitè ſolùm, ſeu ipſo facto, v. g. geſtando habitum regularem per annum, vel ſe immiſcendo actibus Profeſſorū, in Abbatem, ſeu Prælatum ſui Ordinis eligi poſſit, ſed requiritur, ut expreſſam profeſſionem antè ediderit, alioquìn electio ipſo jure irrita eſt, prout jure novo ſtatutum eſt in c. Nullus 28. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Nul- » lus Religioſus (cujuſcunque Ordinis) ad Abba- » tiam, ſeu Prælaturam ſuæ, vel alterius Religionis » de cætero eligatur, niſi antè fuerit Ordinem Re- » gularem expreſsè profeſſus: quòd ſi ſecus actum » fuerit, eo ipſo irritum habeatur. Idémque » hodie ſtatutum eſt etiam quoad Prioratus, & alias adminiſtrationes in Clement. 1. §. Sanè Prioratus de ſtatu Monach. vel Canon. Reg. ubi habetur, quòd Prioratus aliquis, ſive adminiſtratio committi alicui, vel conferri non poſſit, niſi expreſsè profeſſus fuerit Ordinem Monachalem, ſeu Regularem. Ex quo inferunt DD. ut tradit gl. magn. in cit. c. Nullus, quòd Monachus, ſive Religioſus, qui fecit tacitam profeſſionem, petere poſſit à Prælato ſuo, ut admittatur ad expreſſam profeſſionem, quia id ipſius in-

reteſt,ut aſſumi poſsit ad Prioratus, & alias adminiſtrationes: quamvìs etiam S. Pontifex in talibus decretis diſpenſare poſsit, Laym.de Elect. Præl. q.183. Similiter & in Abbatiſſam eligi non poteſt, niſi quæ expreſsè profeſſa fuit Ordinem Regularem, c. Indemnitatibus 43.in princ.h.t. in 6.de quo infrà. Cur autem expreſſa profeſsio requiratur in eligendo ad Prælaturam Regularem, licèt aliàs per tacitam profeſsionem non minùs Monachus, ſeu Religioſus conſtituatur,quàm per expreſſam,ut notat gl. hic V. expreſsè, rationem dat Suar. tom.4. de relig.l.2.c.3. n.13.quia profeſsio tacita expoſita eſt dubiis,& litibus,ideo in Prælato eligendo requiſita fuit expreſſa profeſsio, ut de ipſius profeſsione maxima certitudo,quoad fieri poteſt,habeatur.

CCCLXII. Cæterùm, ad dignitatem Epiſcopalem,ſive in Eccleſia ſeculari, ſive Regulari, etiam tacitè profeſſus, imò & Ordinis Novitius, vel Clericus ſecularis rectè eligitur, modò ſit idoneus ad Eccleſiam regendam,prout additur in cit. c. Nul» lus in fine, ubi ait Pontif. ad dignitatem verò Epi» ſcopalem,ad quam Novitij (adeòque multò magìs » tacitè profeſsi,gl.hic V. Novitij) interdum eligun» tur,talem (ſcilicet non expreſsè profeſſum) in Se» cularibus, vel Regularibus Eccleſiis admitti,mini» mè prohibemus. Ratio eſt,quia tanta eſt excellentia dignitatis Epiſcopalis,ut ſuppleat defectum Profeſsionis Regularis,ideòque etiam non expreſsè,ſed tacitè ſolùm profeſſus in Epiſcopum,ſive Secularem, ſive Regularem eligi poteſt; nam & Epiſcopus ſecularis immediatè præeſt etiam Regularibus (non exemptis) & cenſetur perfectè Religioſus,imò religioſior Abbate, ſeu Prælato Regulari,ſaltem quoad ſtatum,gl.fin. in cit. c. Nullus.

CCCLXIII. Præterea,quamvìs Jure communi ad Prælaturas, Prioratus,& Adminiſtrationes regulares non debeant aſſumi, niſi expreſsè profeſsi, ut jam dictum, poteſt tamen S.Pontifex,ex plenitudine poteſtatis,& ſolet, hujuſmodi Prælaturas,& alia beneficia Regularia Clericis ſecularibus concedere in Commendam,etiam perpetuam;& tales Abbates, ſeu Prælati Commendatarij poſſunt omnia exercere, & adminiſtrare,ſicut alij intitulati Prælati,cùm quaſi titulum, & jus Prælaturæ habeant, Rebuff.in praxi benefic.tit. de reprobata benef.vivent.impetratione, Rodriq. tom.2. qq. regul.q.53. a. 8. Laym. de Elect. Præl.q.183. Poſſunt autem Prælaturæ, & alia beneficia Regularia commendari Clericis ſecularibus, etiamſi Conventus habeant, & in eis vigeat regularis obſervantia, ut pluribus exemplis oſtendit Fagnan.in c.Cùm ad noſtram 37.h.t.n.4. Neque verò id repugnat SS.Canonibus,qui prohibent ſolùm,ne beneficia Regularia conferantur ſecularibus,& vice verſâ,in titulum,per viam electionis,vel collationis, vel alterius proviſionis ordinariæ: commendæ verò perpetuæ, quæ fiunt principaliter, non in favorem Eccleſiæ,ſed perſonæ, ut ex fructibus beneficij commodiùs ſuſtentari valeat, pertinent ad viam providendi extraordinariam, & ſunt collatio diſpenſatoria Papæ,etſi hujuſmodi commendæ de antiquo jure Canonico erant incognitæ,neque tamen Concilium Tridentinum illas reprobavit, quin potiùs admiſit, ut patet ex locis citatis à Fagnano in cit. c. Cùm ad noſtram,n.8.& ſeqq.

CCCLXIV. Quæritur 2. An quis ſimul poſsit fieri profeſſus, & in Prælatum Regularem eligi? Reſp. Non poteſt aliquis profeſsionem facere in Ordine religioſo,& ſimul in Abbatem,ſeu Præpoſitum Regularem eligi, ſeu aſſumi, ſed ante electionem,jam profeſſum eſſe oportet eum,qui eligitur, alioquin enim præſumitur minùs rectâ & ſincerâ intentione Profeſsionem emittere, prout ſumitur ex cit. c. Cùm ad noſtram 37. h. t. Nam quidam pro Abbate ſe gerebat,cùm antè Monachus non fuiſ» ſet, quàm electus (adeòque ſimul factus fuit Mo» nachus per profeſsionem, & Abbas per electionem, cùm priùs debuiſſet eſſe Monachus, ſive profeſſus, quàm Abbas,ut ponit gl.hic in caſu. Hoc intelle» cto,Innocentius III. conſiderans,quod id traditio» ni Eccleſiaſticę repugnet,cùm nullus habens ſpem, » vel promiſsionem Abbatiæ,vel alterius Prælaturæ;» debeat fieri Monachus, ideo electionem ipſius mā» davit irritari,id eſt,irritam declarari,gl.fin.hic.Ra» tio eſt,quia non debet in Magiſtrum aſſumi,qui non priùs fuit diſcipulus, nec præfici aliis, qui non didicit ſubeſſe,c.Cùm in Magiſtrum 49. h.t. & nemo debet ſpe Prælaturæ, vel dignitatis obtinendæ profeſſionem facere in Religione, ſed præcisè ad honorem Dei,& ob eius obſequium. Quòd ſi præceſsit pactū, v.g. nolo profeſsionem emittere, niſi eo pacto, ut in Abbatem, vel Priorem eligar, talis electio,& collatio,quippe ſimoniacè facta,irrita eſt, c.ult.de pactis, Abb.in cit.c.Cùm ad noſtram,n.3.h.t.

Hinc colligitur 1. Quòd Clericus ſecularis non poteſt eligi in Abbatem, vel Præpoſitum Regularem, cùm debeat eſſe Monachus, ſeu Profeſſus tempore electionis, gl.hic V.Monachus, & Abb.n.2.

2. Ob nullam ſpem,nec principaliter,nec ſecundariò, obtinendæ Prælaturæ, vel dignitatis, debet quis amplecti ſtatum religioſum, Abb.hic n.5. in fine,quamvìs gl.hic V. nullam ſpem,dicat, licitum eſſe, non quidem principalitèr,ſed ſecundariò ſperare honores Eccleſiaſticos, idque ſaltem gravis culpa non foret.

CCCLXV. Quæritur 3. An poſsit in Prælatum Regularem eligi, qui paulò antè profeſsionem edidit? Reſp. Quamvìs is, qui poſt finitum probationis annum, profeſsionem in Religione emiſit, per ſe loquendo, ſtatim eligi poſsit in Abbatem, ſeu Prælatum, ſi neceſsitas,vel utilitas Eccleſiæ id poſtulet, ut docet Innocent. in c.Officij,38.in fine h. t. ordinariè tamen id fieri non debet,nec expedit, ideòque interdum talis electio à Superiore caſſari poteſt,ac debet,prout ſumitur ex cit. c.Officij,nam » cùm vacante quodam Monaſterio, Conventuales » perſonam idoneam, pro loci illius, & temporum » conditione,ex ſuo Ordine reperire non poſſent, il» li virum quendam nobilem rogârunt, ut filium » ſuum prudentem, & diſcretum induceret ad habi» tum religioſum ſuſcipiendum, nullâ patri factâ » ſpe de promovendo filio ipſius ad Prælaturam. Pa» ter filio id perſuaſit, qui à Monachis ſtatim, (ſicut » habetur in quibuſdam vulgaribus Codicibus,quamvìs in emendatioribus deſit, gl.marg. hic; vel ſaltem paulò pòſt,ut colligitur ex ſequentibus) in Abba» tem electus fuit,eiùſque electio per Legatum Sedis » Apoſtolicæ confirmata. Sed poſtea alius Legatus » Papæ,qui priori in officio ſucceſſit,quæſivit à Papa » Inno-

» Innocentio III. utrùm dictus Legatus electionem
» hanc confirmare potuerit, vel in ea diſpenſare: an
» verò caſſari debuerit electio, quamvis electus para-
» tus eſſet per canonicum juramentum ſe purgare,
» quòd nullâ ambitione inductus fuerit ad profeſ-
» ſionem faciendam, & utrùm, ſi electio caſſanda ſit,
» is denno eligi poſſit in Abbatem? Reſpondet Pa-
» pa, quod ex ijs, quæ incontinenti ſunt acta, oſten-
» ditur, talèm non potuiſſe ſic eligi in Abbatē (nem-
» pe, quia paulò ante electionem habitum religio-
» ſum aſſumpſit) cùm nō deceat aliquem Magiſtrum
» fieri, antequam diſcipulus eſſet, ideóq; electiunem
» illam irritam eſſe, decrevit. Verùm, poſtquam is in
» Regula Ordinis ſufficienter inſtructus fuerit, tum,
» ſi urgens neceſſitas, vel evidens utilitas ipſius Mo-
» naſterij id poſtulaverit, purgatione Canonicâ ab
ipſo receptâ, poterit in Abbatem aſſumi.

CCCLXVI. Notandum 1. Etſi primò Abbas, ſeu Præpoſitus regularis ex eadem Congregatione, ſeu Monaſterio ſit eligendus: in defectum tamen, ſi idoneus non adſit, poteſt etiam ex alieno Monaſterio eligi, c. Quàm ſit 5. §. Defuncto cauſ. 18. q. 2. & colligitur ex hoc c. ibi: *cum non poſſent ſui Ordinis idoneam invenire perſonam*: quamvis etiam Monachi, ſeu Religioſi poſſint huic ſuo favori renunciare, & ex alieno Monaſterio ſaltem eiuſdem Ordinis, ſibi eligere Abbatem, ſeu Prælatum, ſicut poſſunt Clerici ſeculares, c. Cùm inter 21. h. t. & dictum ſuprà n. 114. & 115. Abb. hîc n. 1.

Notandum 2. Is, qui ſpe, ſeu cupiditate aſſequendæ Prælaturæ motus profeſſionem edit, non debet ad illam eligi, quia ob ambitionem indignum ſe oſtendit, & electio eius caſſari debet, prout ſumitur ex hoc c. ubi Papa non permiſit, aliquem electū iterum aſſumi ad Prælaturam, niſi priùs ſe purgaverit, quòd nullâ ambitione inductus fuerit ad faciendam profeſſionem, Abb. hîc n. 2. nam, ut dicitur in c. In ſcripturis 9. cauſ. 8. q. 1. in ſumma: *locus regiminis, ſicut deſiderantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus.*

Notandum 3. Non debet aliquis in Prælatum regularem eligi, niſi priùs in Regula, & diſciplina Ordinis ſit inſtructus, non enim decet, aliquem Magiſtrum fieri, qui vix diſcipulus eſſe cœpit, ut habetur in hoc c. & ibi gl. in notat.. Unde in c. Sic vive 26. cauſ. 16. q. 1. dicitur: multo tempore diſce, quæ poſtmodum doceas, & c. ſeq. ne miles, antequam tyro, ne priùs Magiſter ſis, quàm diſcipulus, qui ſunt deſumpti ex Epiſt. 4. S. Hieronymi ad Ruſticum.

CCCLXVII. Notandum 4. Spectato Jure Canonico, per ſe loquendo, nullum certum tempus determinatum eſt, quod poſt editam profeſſionem intercedere debeat, ut aliquis poſſit eligi in Abbatem, vel Prælatum Regularem: ſed ſtatim per ipſam profeſſionem redditur quis ad Prælaturam capax, ut eàdem die, qua factus eſt profeſſus, poſſit eligi in Abbatem, niſi aliud obſtet, ut docet Innocent. hic in fine, & Suar. cit. l. 3. c. 3. n. 16. Verùm, quia neceſſaria notitia, & experientia rerum, quæ ad Regulam Ordinis ſpectant, & in Prælato requiritur, intra breve tempus facilè obtineri non poteſt: ideo electio eius, qui paulò antè profeſſionem edidit, caſſari poteſt, ob præſumptionem, quòd propter imperitiam, & defectum neceſſariæ notitiæ rerum, idoneus non ſit ad Prælaturam. Quantum verò tempus requiratur ad hujuſmodi ſufficientem inſtructionem obtinendam, quæ requiritur ad Prælaturam, id prudentis arbitrio relinquitur determinandum, cùm alius alio citiùs inſtruatur, ut tradit gl. fin. hîc in addit. & Abb. n. 5. Et quidem, quia Jure antiquo, profeſſio etiam ante integrum annum probationis exactum, ſaltem valida fuit, ſi quis parvo tempore v. g. per unum, vel alterum menſem, in probatione verſatus, profeſſionem edidiſſet, & poſtea ſtatim in Prælatum electus fuiſſet, caſſari debuiſſet eius electio. At verò jure novo, cùm ad profeſſionem faciendam exigatur, ut præcedat integer annus probationis, ſi quis poſt illum finitum, intra tres menſes vacationis, electus fuerit, electio eius non eſt caſſanda, quia intra annum ſufficienter inſtrui potuit in Regula Ordinis, niſi electus aliunde ſit indignus, vel ambitio Prælaturæ, vel vehemens eius præſumptio intervenerit, Suar. cit. c. 3. n. 19. Superior tamen, antequam electū confirmet, ſi examinatione factâ, deprehendat, electum non eſſe ſufficienter inſtructum in Regulis, & ſtatutis Ordinis, electionem eius caſſabit, Laym. hic n. 4. Porrò in cit. c. officij verba illa, *irritam eſſe decrevimus*, non ſignificant, electionem illam fuiſſe declaratam irritam, ſed per ſententiam fuiſſe caſſatam, ſeu irritatam, quamvis ipſo jure, ſeu facto non fuerit irrita, Suar. cit. l. n. 17.

CCCLXVIII. Notandum 5. Quamvis jure antiquo, Legatus Sedis Apoſtolicæ potuerit diſpenſare, aut permittere, ut Religionem ingreſſus, ante finitum annum probationis, profeſſionem ederet, c. Ad Apoſtolicam 16. de Regular. ibi: *non paſſim*, & ibi: *quoslibet indiſcretè*, vel etiam, ut in Abbatem eligeretur, modò in Regula Ordinis ſufficienter inſtructus videretur, uti ſumitur ex hoc c. non tamen potuit diſpenſare, aut permittere Legatus, ut Religionem ingreſſus, ante editam Profeſſionem, in Abbatem eligeretur, vel, ut poſt ingreſſum Religionis, ſtatim, vel poſt tempus breve, antequam competenter in Regula Ordinis inſtrui poterat, etiam poſt editam Profeſſionem, eligeretur in Abbatem, ſiquidem nec ipſe Papa in caſu huius c. etiam ob urgentem neceſſitatem, id concedere voluit, gl. hîc V. Incontinenti; Abb. n. 4. & Imol. n. 2. At verò Jure novo Legatus, etiam de Latere, non poteſt diſpenſare, ut, qui poſt annum probationis continuum, non eſt expreſsè Religionem profeſſus, in Abbatem eligatur, iuxta Concil. Trident. Seſs. 25. c. 21. de Regular. quia inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, niſi id expreſsè ſit ei conceſſum; quod in hoc caſu non reperitur conceſſum Legato, vel alteri, & in univerſalibus Eccleſiæ Canonibus diſpenſare proprium eſt S. Pontificis. Poſt editam verò profeſſionem expreſſam, non eſt opus diſpenſatione, ut eligatur talis ad Prælaturam, quamvis interdum cauſæ cognitio requiratur, ne fortè electus ſit minùs idoneus, aut non ſufficienter inſtructus, ſive expertus, Laym. hîc in fine.

Notandum 6. Si alicuius electio caſſata ſit, ob temporale impedimentum, ſeu defectum ipſius, poteſt eo ceſſante, iterum eligi ad eandem Prælaturam, ut colligitur ex hoc. c. ubi ob præſumptionem defectûs competentis notitiæ in Regulis Ordinis, caſſata fuit electio, & tamen denuò eligi poteſt in Prælatum,

latum, defectu eo ſublato, poſtquam ſufficienter fuerit inſtructus. Aliud eſt, ſi ob crimen perſonæ caſſata ſit electio, Abbas hîc num. 3. de quo ſuprà.

CCCLXIX. Quæritur 4. An non Profeſſus poſſit ſaltem poſtulari in Abbatem, ſeu Prælatum Regularem? Reſpondetur: Poſſe, ex juſta, & rationabili cauſa, poſtulari, prout ſumitur ex c. Cùm Monaſterium 13. h. t. ſecundùm unum illius intellectum, apud Abbatem hîc, & alios Interpretes: Nam
„ cùm Monaſterium de Pelicia ad eam diſſolutionem
„ deveniſſet, ut Fratres illius domûs Religionis ob-
„ ſervantiam, & Ordinem abjecerint: in quendam,
„ qui cum fratribus ſuis in eremo laudabiliter con-
„ verſatus fuerat, boni teſtimonij virum, unanimi-
„ ter conſenſerunt, eum in Abbatem poſtulantes ab
„ Epiſcopo ſuo, qui eorū poſtulationi aſſenſum præ-
„ buit, & petijt ordinationem illam à Sede Apoſto-
„ lica confirmari, quam Papa Cæleſtinus III. ſicut
„ canonicè facta eſt, confirmavit.

CCCLXX. Notandum 1. Dupliciter hoc c. intelligitur, & explicatur ab Interpretibus, quia non conſtat, quiſnam fuerit ille, qui ex eremo fuit poſtulatus in Abbatem Monaſterij, 1. enim Innocent. hîc & Abb. putant, non fuiſſe Religioſum, ſeu Profeſſum, ſed Eremitam, qui ſolemnibus Religionis votis non erat aſtrictus, & ideo non potuerat eligi, ſed debuit poſtulari in Abbatem; & quidem à Rom. Pontifice, ad quem ſpectat admiſſio talis poſtulationis, quia, cùm ſit contra Jus commune, ut non profeſſus aſſumatur in Abbatem, ſeu Prælatum Regularem, non poterat iſta poſtulatio admitti ab Epiſcopo, cùm non reperiatur in jure talis diſpenſatio Epiſcopis conceſſa. Unde in textu bujus c. non dicitur ſimpliciter, quòd Papa confirmaverit hanc poſtulationem, ſed ordinationem factam ab Epiſcopo, dum admiſit poſtulationem, adeóque factum ipſius confirmavit, Abb. hîc n. 2. & 3. ubi ait, placere ſibi hunc intellectum, ſeu expoſitionem, quia aliàs iſta Decretalis nihil novi afferret, vel diſponeret.

Alter intellectus, ſeu expoſitio bujus c. eſt, quòd iſte Eremita fuerit verè Monachus, ſeu Religionem profeſſus, ut colligitur ex illis verbis: *Cum fratribus ſuis in eremo eſt laudabiliter converſatus*, adeóque vivebat in eremo communiter cum alijs Monachis: ſed, quia fuit alterius Ordinis profeſſus, ideo poſtulatus fuit, non quidem ſolemniter, ſed ſimpliciter, Superioris ſui accedente conſenſu, cujuſmodi poſtulatio eſt vera electio, adeóque poſtulatio hîc accipitur pro electione, quia jura antiqua ſæpe promiſcuè utuntur his vocibus; & hinc Papa dicitur hîc confirmâſſe hanc poſtulationem, cùm tamen vera, & strictè dicta poſtulatio non confirmetur, ſed admittatur, Abb. hîc n. 3. ubi hunc ſecundum intellectum etiam approbat, ſicut alij plerique Interpretes. Porrò Jure antiquo poterat etiam Epiſcopus proprius loci, in quo ſitum erat Monaſterium, conſenſum dare, ut Religioſus in Abbatem, vel Prælatum alterius Ordinis poſtularetur, ſeu eligeretur, & ideo Papa in hoc c. admiſſionem, vel inſtitutionem Abbatis ab Epiſcopo factam confirmavit, ſive approbavit, cùm canonicè facta fuerit. Verùm Jure novo nullus Religioſus poteſt poſtulari, ſeu eligi in Abbatem alterius Religionis, ſinè licentia S. Pontificis, juxta Clement. 1. h. t. de quo §. ſeq.

Notandum 2. Ad Epiſcopum ſpectat, Jure communi Canonico, poteſtas confirmandi Abbates, & Prælatos Regulares, vel poſtulatos admittendi, quatenus id Canones permittunt, c. 1. junctâ gloſſ. V. Inſtituere cauſ. 18. q. 2. & colligitur ex hoc c. Cæterùm an eligendus in Abbatem, vel Prælatum Regularem debeat eſſe in ſacro Ordine conſtitutus, & in qua ætate, infrà ſuo loco dicetur tit. 14.

§. III.

De electione Prælatorum Regularium, extra ſuum Monaſterium, vel Ordinem.

CCCLXXI. Quæritur 1. An Religioſus, vel etiam Abbas, ſeu Prælatus Regularis poſſit eligi ad Abbatiam, vel Prælaturam alterius Monaſterij, vel Domûs religioſæ? Reſpondetur: Eligi poteſt, ſi Monaſterium ſit ejuſdem Ordinis, non autem, ſi ſit diverſi, prout ſtatutum habetur in Clement. 1. h. t. Ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi prohibet, „
ne Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum „
alterius Religionis (ſeu Profeſſionis) vel habitûs „
de cætero eligatur: quòd ſi ſecus actum fuerit, ſit „
eo ipſo irritum, & inane, adeóque talis electio eſt „
ipſo jure irrita, imò & confirmatio inde ſecuta, „
gl. hîc V. Inane. Ratio redditur in ipſo textu in „
princ. quia rationi non congruit, ut homines di- „
ſparis Profeſſionis, vel habitûs ſimul in eodem Mo- „
naſterio ſocientur. „

Additur in fine cit. Clement. quòd per hoc „
non prohibeatur, quin Religioſus (etiam novitius, „
c. Nullus 28. h. t. in 6. gl. hîc V. Religioſus) in E- „
piſcopum ſecularis, vel cujuslibet Regularis Ec- „
cleſiæ (etiamſi eâ ſit alterius Religionis, vel habi- „
tûs, gl. fin. hîc) licitè eligi poſſit. Ratio autem, „
cur Canones permittunt, ut Religioſus aſſumatur ad Epiſcopatum Eccleſiæ etiam ſecularis, eſt, quia id bonum publicum Eccleſiæ exigit, ſi ille ad regendum præ alijs ſit idoneus, ſicut etiam vice versâ, Clericus ſecularis, & novitius Religionis ad Epiſcopatum Eccleſiæ Regularis aſſumi poteſt, cit. c. Nullus. Idque propter excellentiam Epiſcopalis dignitatis, quæ ſupplere cenſetur regularem profeſſionem, gl. in c. Quod Dei 5. V. Regimen de ſtatu Monach. Laym. de Elect. Præl. q. 190.

CCCLXXII. Notandum 1. Hæc Conſtitutio loquens de Religioſis in genere, etiam habet locum in fœminis ſacris, ſive Monialibus, quòd nec illæ in Abbatiſſas, vel Præpoſitas alterius Ordinis eligi poſſint, quia genus fœmininum comprehenditur ſub maſculino, gl. hîc V. Homines: non autem vice versâ ſub fœminino comprehenditur maſculinū, gl. in Clement. 2. V. Cecidiſſe de ſtatu Monach. unde diſpoſitio loquens de Abbatiſſis, vel Monialibus non extenditur ad Abbates, vel Monachos, Abb. hîc n. 1. & 2. nomine autem Prælati comprehenditur Præpoſitus, Magiſter, vel Miniſter Ordinis, Prior, Guardianus, vel quivis alius officium habens, etſi ab

eo ad nutum removeri poſſit, gl. hîc V. Prælatum, & Abb. n. 3.

Notandum 2. In hac Conſtitutione nõ requiritur, ut Prælatus eligẽdus ſit ex eadem Provincia, vel Domo, ſeu Conventu, de cujus Prælato eligendo agitur, ſed ſolùm, ut ſit ejuſdem Religionis, ſeu Profeſſionis, etiamſi ſit alterius, ſeu diverſæ provinciæ, aut Monaſterij, vel Domûs, niſi aliud ex ſpeciali Regula, ſive ſtatuto Ordinis requiratur, Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 6. n. 3.

Quando autem hîc dicitur, quòd eligendus debeat eſſe ejuſdem Religionis, aut Profeſſionis, hæc verba pro ſynonymis, ſeu æquipollentibus accipienda ſunt, cùm nunquam ſit religio diverſa, quin etiam profeſſio ſit aliquo modo diverſa, ſaltem quoad votum obedientiæ, quod ſit Prælatis diverſis, & non ſubordinatis, & ſit ſecundùm Regulam, quam diverſæ Religiones, ſaltem aliquo modo diverſam, habere debent, ut notat Suar. c. l. n. 4. Inſuper verò requiritur, ut ſit ejuſdem habitûs: & quidem, ſi diverſitas in habitu ſit quaſi ſubſtantialis, quia nimirum eſt contra diſpoſitionem Regulæ, ut tradit Abb. hîc n. 5. tunc ſupponit diverſitatem Regulæ, & conſequenter etiam Religionis, ac proinde impedit etiam, quò minùs talis eligi poſſit in Prælatum. Secus eſt, ſi diverſitas in habitu ſit ſolùm accidentalis, ſive in colore, ſive in figura, quod tunc ſit, ſi illa diverſitas non ſit contra Regulam, ſed permittatur à Regula, tunc enim non impedit, quò minùs etiam, qui ſic accidentaliter diverſum habitum geſtant, eligi poſſint in Prælatum ejuſdem Religionis. Exemplum habetur in Clement. 1. §. 1. de ſtatu Monach. ubi in Ordine S. Benedicti tres colores in habitu ſunt permiſſi, niger, brunus, & albus, neque tamen hæc diverſitas habitûs, quippe accidentaria, obſtat, quò minùs geſtans habitum diverſi coloris in Prælatum eligi poſſit, gl. ibid. V. Nigri. Similiter in Religione S. Franciſci, & Carmelitarum, & alijs quibuſdam, magna eſt varietas habitûs, ſive in colore, ſive in figura, non tamen ideo, ſi aliquis ex eadem Religione, ſed ex ijs, qui geſtant diverſum habitum, eligeretur in Prælatum Monaſterij, in quo diverſum habitum geſtant, invalida foret electio, Suar. c. l. num. 5. & 6.

CCCLXXIII. Notandum 3. An, ſicut Religioſus eligi poteſt ad Eccleſiam Cathedralem, ſeu Epiſcopalem, ſecularem, vel Regularem, juxta cit. Clement. 1. & c. Si Abbatem 36. h. t. in 6. ita etiam eligi poſſit ad Prælaturam Eccleſiæ Collegiatæ ſecularis, non Epiſcopalis? non conveniunt DD. Affirmat gl. in cit. Clem. 1. V. ſecularis, ubi tamen addit, egere hoc declaratione Pontificiâ, Abb. in c. Quòd Dei 5. de ſtatu Monach. n. 5. Sylveſt. V. Religio 7. q. 4. & 6. Sanch. l. 7. moral. c. 29. n. 73. & alij, quia eadem videtur eſſe ratio de tali Præpoſito, quæ de Epiſcopo, cùm eligatur ad curam eorum, qui ad Collegium pertinent, & ſicut Epiſcopus conſtituit unum corpus cum ſuo Capitulo, ita & iſte cum ſuo.

Negativam tamen ſententiam tenent Hoſtienſ. in ſumma tit. de ſtatu Monach. n. 6. Joan. Andr. in cit. c. Quòd Dei eodem n. 16. & ibid. Jo. Monach. n. 5. Laym. in c. Si Religioſus 27. n. 3. h. t. in 6. idque colligitur per argumentum à contrario ſenſu ductum ex cit. Clem. 1. ubi ſolùm conceditur, ut Religioſus eligi poſſit in Epiſcopum, ſive ſecularis, ſive Regularis Eccleſiæ, ergo non ad alias Eccleſias inferiores. Cùm ergo regulariter beneficia ſecularia ſint conferenda ſecularibus, & regularia regularibus c. Cùm de beneficio 5. de præb. in 6. & Religioſi non ſint aſſumendi ad Eccleſias ſeculares, c. Super eo 9. de Regular. non debet ab hac Regula recedi, niſi in jure expreſſa exceptio reperiatur, quia exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis: atqui Canones, præter Eccleſias Cathedrales, ſolùm permittunt, ut favore curæ animarum, & propter officium prædicationis exercendum erga plebem, Regulares aſſumi poſſint ad Eccleſias Parochiales, ergo non ad alias. Verùm hodie omnes Regulares etiam Canonici, & non Mendicantes, non poſſunt promoveri ad quævis beneficia curata, præter Epiſcopatum, ſinè diſpenſatione S. Pontificis, adeóque neque ad Parochias, neque ad Præpoſituras Eccleſiarum Collegiatarum, juxta declarationem S. Congregationis Concilij Tridentin. apud Sanch. c. l. num. 71.

CCCLXXIV. Notandum 4. Nullâ etiam conſuetudine introduci poteſt, ut Religioſus eligatur in Prælatum Regularem alterius Ordinis, ſed talis electio eſt ipſo jure irrita, arg. c. Cùm cauſam 27. h. t. niſi S. Pontifex diſpensârit: nam talis conſuetudo cenſetur noxia Eccleſijs, quia non poſſunt cohærere, & bene conjungi, quibus ſtudia, & vota diverſa ſunt, c. Nona 22. cauſ. 16. q. 7. & patet ex ſuprà dictis n. 358. Quare nec per conſuetudinem introduci poteſt, ut profeſſi diverſæ Religionis, vel Religioſi, cum Clericis ſecularibus collegialiter ſimul vivant, quia id rationi etiam non ſatis congruit, ut dicitur in Clement. 1. in princ. h. t. Nihil tamen obſtat, quò minùs duplex Collegium, ſive diverſi Conventus ſimul in eadem Domo, ſeu Monaſterio, & ſub eodem tecto habitent, unus Monachorum, alter Canonicorum Regularium, ita tamen, ut ſub diverſis Prælatis ſint conſtituti, & unus per Abbatem, alter per Præpoſitum Regularem gubernetur: idémque eſt, ſi unum Collegium ſit Canonicorum Regularium, aliud Canonicorum ſecularium; & tum non poterit aliquis ex uno Conventu, vel Collegio aſſumi in Prælatum alterius, gloſſ. in cit. Clement. 1. V. Monaſterijs. Layman. de Elect. Prælat. quæſt. 189.

CCCLXXV. Notandum 5. Etſi Religioſus non poſſit eligi in Prælatum alterius Religionis, poteſt tamen ex juſta cauſa poſtulari non ſolemniter, quia talis non prohibetur eligi propter crimen, ſed propter diverſitatem Religionis, vel habitûs: ſed non niſi à Papa poſtulari poteſt, quia nullus inferior Papâ poteſt diſpenſare in Conſtitutione Concilij generalis, qualis eſt Clementina 1. h. t. gl. hîc V. Eligatur, & Abb. n. 6. & 7. Sed neque Religioſus poteſt eligi, vel transferri ad aliud Monaſterium ejuſdem Ordinis, ſinè licentia ſui Superioris, ut mox dicetur.

Porrò Religioſus ſicut non poteſt, per viam electionis, aſſumi in Prælatum Regularem alterius Ordinis, ita nec per viam cujuſvis alterius proviſionis, ſinè diſpenſatione Papæ, quia licèt in Clement. 1. h. t. ſolùm mentio fiat de electione, eáque prohi-

beatur, & Conſtitutio ſit correctoria Juris antiqui; tamen ratio in illa expreſſa convenit, & reperitur in quovis alio modo, quo Eccleſijs providetur, ideóque etiam in illis eadem diſpoſitio locum habet, gl. hîc V. Eligatur, junctâ gl. margin.

CCCLXXVI. Quæritur 2. An, ut Religioſus eligi poſſit in Abbatem, ſeu Prælatum alterius Monaſterij, vel Conventûs, etſi ejuſdem Ordinis, neceſſariò requiratur conſenſus, ac licentia Superioris, & quiſnam Prælatus talem licentiam dare poſſit. Reſpondetur 1. Religioſus non poteſt, ſinè licentia ſui Superioris, conſentire in electionem de ſe factam, extra ſuum Monaſteriũ, etiam ejuſdem Ordinis, alioquin conſenſus non valet, & electio ipſo facto eſt irrita, prout ſtatuitur in c. Si Religioſus 27. h.t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si Religioſus (cuius arbitrium non ex ſua, cùm velle, vel nolle non habeat, ſed ex illius, cuius imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet) electioni de ſe factæ extra ſuum Monaſterium, vel Eccleſiam, non petitâ, & obtentâ (debito modo, & non per extorſionem, gl. hîc V. obtenta) licentiâ ſui Superioris, qui eam dare poteſt, conſentire præſumpſerit, conſenſus ſic præſtitus non teneat, & electio in pœnam præſumptionis eius, eo ipſo nullius ſit roboris, & omnino invalida.

Porrò, ſi Religioſus, defuncto Abbate, electus fuerit à cæteris Conventualibus in Abbatem Monaſterij, poteſt in ſui electionem conſentire, ſinè alicuius licentia, jure eam facultatem ipſi dante, propter neceſſariam gubernationem, & quidem Monaſterij, c. Quàm ſit 5. cauſ. 18. q. 2. gl. hîc V. ſuam, & Franc. n. 1. not. 4. Neque tunc poteſt ita de ambitione notari, nec datur vagandi occaſio, ſicut in electione, extra Monaſterium. Verumtamen extra Monaſterium, nullam Prælaturam acceptare poteſt, nec Epiſcopatum, imò nec Papatum, ſinè licentiâ ſui Abbatis, ſeu Prælati, ut docet gl. in cit. c. Quàm ſit, V. ad ordinandum. Franc. hîc not. 1. & plures alij. Sed oppoſitum, quoad Papatum, verius eſt, quòd Religioſus poſſit conſentire, ſi eligatur in Papam, abſque licentia ſui Prælati Regularis, ut docet Sanch. cit. c. 29. n. 58. & alij apud ipſum citati. Ratio eſt, quia nulla exceptio, præter hæreſin, opponi poteſt contra Papam à duabus partibus Cardinalium electum, c. Liceat 6. h. t. ergo nec defectus licentiæ Superiorum: & cùm electio Pontificis vim habeat confirmationis, ideo electus per illam liberatur à jugo religioſæ Profeſſionis. Et quamvis Religioſus juris fictione cenſeatur, non habere liberum conſenſum, re ipsâ tamen, & ſpectato jure naturali, habet liberum conſenſum, qui ad hoc ſufficiens eſt, nam impedimenta juris poſitivi ſunt ſublata.

CCCLXXVII. Reſp. 2. Licentiam acceptandi Prælaturam, extra Monaſterium, ſeu Conventum proprium, Religioſo dare poteſt Prælatus immediatus, videlicet Abbas, Præpoſitus, aut Prior, quia is eſt verus Superior; cuius imperio ſe Religioſus ille ſubjecit, adeóque non eſt, cur illi ea poteſtas denegetur, niſi aliud ſpecialiter in aliqua Religione ſit ſtatutum, Joan. Andr. in cit. c. Si Religioſus num. 2. Franc. ibid. in princ. Sanch. cit. c. 29. n. 65. Quare in hac re ſpectandæ ſunt Conſtitutiones, & privilegia Ordinibus Mendicantibus conceſſa, vi quorum plerumque ſolus Generalis, aut Provincialis Ordinis talem licentiam dare poteſt, prout videre eſt apud Rodriq. qq. Regul. tom. 2. q. 56. a. 2.

CCCLXXVIII. Reſp. 3. Si Monaſterium, ex quo Religioſus aſſumitur ad aliud Monaſterium, Epiſcopo ſubjectum ſit, tum ipſius etiam auctoritas & conſenſus requiritur, præſertim ſi Monaſterium, ad quod transfertur, in alia diœceſi ſitum ſit, ut colligitur ex c. Qui verè 12. cauſ. 16. q. 1. Innocent. in c. Poſt translationem 11. n. 3. de renunciat. Sanch. cit. c. 29. n. 66. Rationem dat Laym. in cit. c. Si Religioſus n. 4. q. 2. h. t. in 6. quia ad curam Epiſcopi ſpectat providere, ne Religioſi idonei à Monaſteriis ſibi ſubjectis ad alias Diœceſes extrahantur, ſed in iiſdem maneant, per quos adminiſtrationes, & officia Regularia exerceantur: ideóque conſenſum etiam Epiſcopi requirendum eſſe, ubi id conſuetudine receptum eſt, ſicut in his Provinciis.

CCCLXXIX. Notandum hîc præterea 1. ordinariè & per ſe loquendo, non poteſt Prælatus compelli ad dandam licentiam Religioſo acceptandi Prælaturam, extra ſuum Monaſterium, vel Conventum, arg. c. Ad aures 5. de temporib. Ordin. Joan. Monach. in c. Quàm ſit 6. n. 12. quia hæc eſt quædam gratia, ſeu remiſsio obligationis, ad faciendam verò gratiam nemo cogi poteſt, c. Precariæ 4. cauſ. 10. q. 2. præterquam ſi neceſsitas poſtulet, vel magna utilitas ſuadeat, ut alicui Monaſterio, vel Eccleſiæ ſubveniatur, & Prælatus Ordinis cauſam rationabilem negandi licentiam non habeat; tum enim à Superiore ſuo cogendus eſt ad dandam licentiam, arg. c. Nullus 17. de jure patronat. ubi deciditur, Epiſcopo ſinè juſta cauſâ nolenti conſentire, ut offerantur decimæ, S. Pontifici, id nunciandum eſſe, ut ipſum cogat, & tradit gloſſ. communiter recepta in c. Quàm ſit 5. V. ad ordinandum cauſ. 18. q. 2. Sanch. l. c. n. 68.

Notandum 2. Si Prælatus, ſinè juſta cauſa, nolit dare licentiam Religioſo conſentiendi in ſui electionem ad aliud Monaſterium, tum cogi poteſt à proximo Superiore ſuo, nimirum Abbas, vel Præpoſitus ab Epiſcopo, cui eſt ſubjectus, &, ſi hic nolit licentiam dare, ab Archiepiſcopo, adeóque ſi Abbas juſſus ab Epiſcopo, vel Epiſcopus ab Archiepiſcopo dare licentiam, id recuſet, poteſt Superior eius, eo invito, illam dare, quia ordinariè, propter negligentiam Prælati inferioris, eius poteſtas devolvitur ad proximum Superiorem, ut colligitur ex c. Quamquàm 18. h. t. in 6. & c. 1. De ſupplend. neglig. Præl. Sanch. cit. c. 29. n. 69. licèt gl. in cit. c. Si Religioſus. V. Obtenta, h. t. in 6. & alij ibid. citati putent, tali caſu ſolum Papam poſſe dare hanc licentiam, arg. cit. c. Nullus, de jure patron. Sed ibi in ſpeciali caſu deciditur, requirendam eſſe licentiam à S. Pontifice, quod non debet trahi ad alios caſus, ut notat Sanch. c. l.

Notandum 3. Religioſus à Prælato ſuo non poteſt cogi ad ſuſcipiendum Epiſcopatum, vel aliam Prælaturam, extra ſuum Ordinem, quia Prælatus Ordinis ſolùm poteſt præcipere ſubditis Regularibus, quæ pertinent ad Regulam, vel Inſtitutum Ordinis, Epiſcopatus autem potiùs eximit ſubditum à regulari obſervantia, Sanch. l. 4. moral. c. 8. n. 38.

Notandum 4. Religioſi Societatis Jeſu ad nullam Prælaturam, vel dignitatem, extra Societatem, eligi, vel poſtulari poſſunt, nec Præpoſitus Generalis,

poteſt

poteſt alicui facultatem dare acceptandi ullam hujuſmodi dignitatem, niſi Sedis Apoſtolicæ præceptũ compelleretur, ut habetur p.9. Conſtit. c.3. §. 13. quod tamen Sanch. cit. lib.7. c.29. n.61. tantùm intelligendum eſſe, ait, de Epiſcopatibus, & dignitatibus, quibus honor, & opes annexæ ſunt, non de Patriarchatibus, & Epiſcopatibus Æthiopiæ, & ſimilibus, qui merè oneroſi ſunt, & quibus paupertas adjuncta eſt, tum enim Generalem Præpoſitum licentiam dare poſſe.

CCCLXXX. Quæritur 3. An, ut Religioſus eligi poſsit ad Prælaturam, extra ſuum Monaſterium, præter licentiam datam à Prælato Ordinis, requiratur etiam conſenſus Capituli? Reſp. negativè, prout deciditur in cit. c. Si Religioſus. §. Quia verò, h.t. in 6. nam olim dubitatum fuit, utrùm Religioſis licentia conſentiendi electionibus de ſe factis, & tranſeundi ad Prælaturas, ad quas electi fuerint, à ſuis Superioribus dari poſſit, abſque conſilio Fratrum, ſeu Conventûs ſui, cùm jura ſuper hoc valde varient: nam quòd ſolus Prælatus illam dare poſſit, videtur colligi ex pluribus juribus, in quibus de Capitulo nulla fit mentio. uti in c.1. ibi, *Abbas loci*, diſ. 58. ex c. Pro utilitate 34. ibi: *cum Abbatis voluntate* cauſ. 16. q.1. & ex c. Poſt translationem 11. ibi: *Priore ſuper hoc requiſito, & obtento conſenſu*, de renunciat. c. Quàm ſit 6. ibi: *abſque Superioris ſui licentia* h.t. in 6. ubi etiam de Capitulo nihil dicitur. Contrarium tamen, quòd requiratur etiam conſenſus Capituli, videtur colligi ex c. Abbate 25. ibi: *Abbati & Conventui placuit*, de Verb. ſignif. & habetur expreſſum in c.2. in fine, ibi: *ſi de conſilio Fratrum fuerint transferendi*, de ſtatu Monach. & ex c. Statuimus 3. ibi: *ſinè Patris, & totius Congregationis permiſſione recedere*, cauſ. 19. q.3. & ratio eſt, quia talis tranſitus perſonæ ad aliud Monaſterium eſt quædam ſpecies alienationis, quæ à Prælato, ſinè conſenſu Capituli, fieri non poteſt, c. Sinè exceptione 52. cauſ. 12. q.2. & c.1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. imò major eſt alienatio perſonarum, quàm rerum, arg. c. Præcipimus 24. cit. » cauſ. q.1. Nihilominus tamen Bonifacius VIII. ad » hujuſmodi dubitationem tollendam decrevit, & » declaravit, eoſdem Superiores, non requiſitis ſuis » Conventibus, Religioſis ad Prælaturas extra ſuum » Monaſterium electis (non eligendis, gl. fin. hîc de » quo infrà) conſentiẽdi, & tranſeundi liberam poſ» ſe facultatem dare: idque ut Ordinationes Eccle» ſiarum, & Monaſteriorum, ad quæ Religioſi electi » fuerint, eò celeriùs, & faciliùs expediri queant. Itaque Canones antiqui contrarij jure novo ſunt correcti, ob utilitatem Eccleſiarum, quæ non tam diu vacant, ſi ſolius Prælati licentia ad conſentiendum electioni præbendum ſufficiat, gl. hîc V. ſiut varia, in fine.

CCCLXXXI. Cæterùm, ſi Religioſo à Superiore ſuo Generalis licentia conceſſa ſit, ut conſentire poſſit electioni ſui, quandocunque electus fuerit, ea non ſufficit, nec valet, prout habetur in Clement. » ult. h.t. ubi dicitur: cùm conceſſa Religioſo à ſuo » Superiore licentia, ut electioni, vel proviſioni (quo » nomine latè accepto comprehenditur etiam nomi» natio, poſtulatio, præſentatio, & collatio; gl. hîc V. » Proviſioni) ſi quam de ipſo fieri contigerit, ſuum » dare poſsit aſſenſum, vitio ambitionis viam paret, ideo decernitur, eam nullius eſſe firmitatis, aut valoris. Porrò quamvis in dicta Clementina ſolùm videatur reprobari licentia generatim alicui data, ut poſsit conſentire electioni de ſe fortè faciendæ, quia poſſet evenire, ut eligeretur ad Prælaturam, cui non expediret illum præfici, &, ſi ſpecialis ad certum locum licentia petita fuiſſet, ea fortè denegata eſſet: Idem tamen dicendum eſt de licentia ſpecialiter, & particulariter alicui data, ut poſsit conſentire, ſi eligatur ad talem Eccleſiam fortè vacantem, vel proximè vacaturam, quia ſubeſt eadem ambitionis ratio; quare neceſſe eſt, ut licentia data ſit, poſt factam electionem, gl. hîc V. Siquam. & ibid. Abb. n.4. Sanch. cit. c.29. n.60. Sed etſi priùs jam facta ſit electio alicuius Religioſi, ſi tamen Superior ignoret, eam eſſe factam, non valet licentia data, quia rei, quæ non eſt, vel eſſe neſcitur, privilegium non conceditur, c. pen. de Eccleſ. ædific. c. pen. de deſpon. impub. gl. marg. hîc lit. e. ſed debet dari licentia Religioſo conſentiendi electioni, quæ de ipſo facta eſt in tali Eccleſia, gl. hîc V. nullius, & ibid. Abb. n.5. Sanch. c.l. n.61. ubi tamen addit, ſufficere, & valere licentiam datam ad certam Prælaturam ſub conditione, ſi jam Religioſus ad illam electus ſit, vel eſſet. Quòd ſi Religioſus conſentiat in ſui electionem, vel proviſionem, virtute licentiæ invalidè datæ, ut in caſibus jam allatis; tum conſenſus non valebit, quia, cùm ea licentia ſit irrita, perinde eſt, ac ſi ſinè ulla licentia conſentiret, adeóque privatus erit omni jure ſibi ex electione quæſito, juxta cit c. Si Religioſus, in princ. h.t. in 6. gl. hîc V. Firmitatis. Nec electio, in quam Religioſus, ſinè legitima licentia, conſenſit, reconvaleſcet, etiamſi is poſtea legitimam licentiam obtineat, quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit, reg. 18. in 6. Sanch. c.l. n.63.

CCCLXXXII. Quæritur 4. An, ſicut ad hoc, ut Religioſus eligi poſſit ad Prælaturam alterius Monaſterij, requiritur licentia ſui Superioris: ita etiam, ut renunciare poſsit Prælaturæ jam legitimè acceptatæ, requiratur ejuſdem Superioris conſenſus? Affirmat Ancharanus in cit. cap. Si Religioſus q.3. & Franc. n.3. quia Religioſus proprium velle, & nolle non habet. Sed probabilius eſt, poſſe renunciare, ſinè conſenſu Prælati Ordinis, ut docet Sanch. cit. c. 29. n.70. & ſequitur Laym. in cit. c. Si Religioſus n.6. quia, ſicut Prælatus Ordinis non poteſt compellere Religioſum ad acceptandum Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, extra ſuum Ordinem, quem profeſſus eſt; ita neque poteſt eum compellere ad retinendum, adeóque, ſinè ipſius licentia, ei renunciare poteſt. Ratio eſt, quia Religioſus, etſi non habeat velle, & nolle in ijs, in quibus tenetur obedire Prælato, cujuſmodi ſunt ea, quæ ad Regulam, & Inſtitutum Ordinis pertinent: in aliis verò, in quibus Prælatus non poteſt ei præcipere, vel eum cogere, habet velle, & nolle; qualis eſt Prælatura extra Ordinem, per quam Religioſus magìs liberatur ab obedientia regulari, quàm ei ſubjiciatur.

Ex quo infertur, quòd Prælatus Ordinis ſolus non poſsit acceptare Prælaturam, extra Ordinem, vel Monaſterium, ad quam eligitur Religioſus ſinè ipſius conſenſu, quia non poteſt Superior exercere actum pendentem à perſonali, & libera voluntate ſubditi, ſeu Regularis Profeſsi, abſque illius conſen-

ſu, & in quo non poteſt illum cogere: & vice verſâ, neque Abbas poteſt renunciare Prælaturæ, ad quam Religioſus eſt electus, ſinè ipſius conſenſu, poſtquam illam legitimè acceptavit, licèt confirmatio nondum ſecuta ſit, Sanch. c.l.n.70. Ratio eſt, quia per eam acceptationem Religioſo jus eſt acquiſitum: jura autem beneficialia, & Eccleſiaſtica Religioſo à SS. Canonibus conceſſa Prælatus auferre non poteſt, quia non ſunt pecuniaria, neque ad ſtatum regularem pertinentia, Navarr. in Comment. 2. de regular. n. 2. dicto 4. Laym. de Elect. Præl. n. 201.

CCCLXXXIII. Quæritur 5. An, ſi Abbas alicnius Monaſterij eligatur in Epiſcopum, vel Abbatem alterius Monaſterij, etiam requiratur conſenſus, ſeu licentia Superioris? Reſpondetur affirmativè, ita quidem, ut electus licentiam petere debeat à proximo ſuo Superiore, videlicet ab Epiſcopo, ſi non ſit exemptus; ſi verò exemptus ſit, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectus, à Papa, vel Legato ejus à latere, ut conſtat ex c. Si Abbatem 36. in princ. & ibi Jo. Monach. n. 1. h. t. in 6. Ubi ſtatui- » tur, ſi Abbas Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubje- » ctur in Epiſcopum eligatur, id reprehendi non po- » teſt (ex eo, qnia electus, & non poſtulatus fuit, gl. » ibid. V. exinde, idémqne eſt, ſi in Abbatem alterius » Monaſterij) ei tamen ab alio, quàm à Papa, vel Le- » gato ejus à latere, ſi ſit in provincia (nam ſi Legatus eſſet Sedis Apoſtolicæ, ſed non in illa Provincia, vel ſi ex illa egreſſus eſſet, finitâ legatione, licentiam dare non poſſet, gloſſ. hîc V. In Provincia) » licentia Monaſterium ſuum deſerendi, & ad Ec- » cleſiam, ad quam electus eſt, tranſeundi dari non » poteſt.

CCCLXXXIV. Notandum hîc 1. Diſcrimen eſt inter Epiſcopos, & alios Prælatos non Epiſcopos, quòd Epiſcopus debet poſtulari ad alium Epiſcopatum, &, ſi eligatur, electio non valet; ſed Abbas, vel alius Prælatus Epiſcopo inferior, etiam exemptus, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectus, non poſtulatur, ſed eligitur, quia nimirum Epiſcopus à ſua Sede ad alium Epiſcopatum transferri non poteſt, niſi S. Pontifex diſpenſet, à quo talis translatio peti debet, c. 2. & ult. de translat. Epiſc. At verò alij Prælati Epiſcopo inferiores, etiam Regulares, transferri ad aliam Eccleſiam ſimilem, vel Superiorem, ſeu Cathedralem poſſunt, ut conſtat ex c. Niſi 10. propè finem de renunc. dummodo Superior, cui ſunt ſubjecti, licentiam det, gloſſ. hîc V. Elegiſtis, & gloſſ. fin. Aliud autem eſt, licentiam dare, aliud diſpenſare, quia per diſpenſationem relaxatur, ſive tollitur obligatio legis in certo caſu: per dationem licentiæ fit, ut lex ab initio non obliget, licèt, eâ non datâ, obligatet, Layman. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 22. num. 1. & alij DD. communiter.

Notandum 2. Quando ad actum aliquem requiritur licentia alicujus, non ſufficit tacitus ejus conſenſus, ſed debet eſſe expreſſus, ſiquidem licentia debet eſſe expreſsè obtenta, & non tantùm petita, c. Quàm ſit 6. h. t. gl. in c. Si Religioſus 27. V. Obtenta eod. in 6. Franc. hîc n. 1.

Notandum 3. Licentiam tranſeundi ad Epiſcopatum, vel Prælaturam alterius Monaſterij Prælato non exempto poteſt dare etiam Capitulum, Sede Epiſcopali vacante, arg. c. Cùm olim 14. de major. & obed. quia ſuccedit in poteſtate Ordinaria Epiſcopi, Franc. hîc n. 2. in gl. 3. Quòd ſi Abbas non exemptus eligatur in Epiſcopum propriæ Diœceſis, tum nullius Superioris licentia requiritur, quia non transfertur extra Diœceſin ſuam, ſed fit ex filio pater. Secus eſt, ſi eſſet Prælatus exemptus, tum enim eximeretur ab immediata ſubjectione Sedis Apoſtolicæ, & ideo requiritur licentia Papæ, vel Legati à Latere, Franc. l. c.

CCCLXXXV. Præterea hîc addendum, qnòd ſtatutum habetur in Clement. in pleriſque 5. h. t. videlicet, ut nullus in quacunque dignitate conſtitu- » tus deinceps Eccleſiæ Cathedrali ſibi quomodo- » cunque ſubjectæ, quæ Clero caret, & populo Chri- » ſtiano, præficiat Paſtorem, præſertim Religioſum, » ſinè ſpeciali licentiâ Sedis Apoſtolicæ; & talis Re- » ligioſus non petat licentiam à ſuo Superiore, ut » poſſit proviſioni de ſe factæ conſentire. Quòd ſi » conſenſerit, etiam cum licentia Prælati, & permi- » ſerit ſe conſecrari, Epiſcopali honore, & dignitate » privatur (quia non admittitur ad executionem » Pontificalis Officij, gl. hîc V. honore) & Prælato » Ordinis ſubjectus erit, ſicut priùs, nec ad aliquem » honorem, vel adminiſtrationem, intra, vel extra » Religionem, promoveri poterit, ídque in pœnam » ambitionis: &, ſi quid contra hanc Conſtitutio- » nem factum fuerit, irritum erit, quacunque con- » trariâ conſuetudine non obſtante. Hæc antem » non ſunt intelligenda de proviſione aliarum Ec- » cleſiarum non Cathedralium, vel etiam Cathedra- » lium habentium Clerum, & ſubditos Chriſtianos, » ad quas etiamnum Religioſi, etiam Mendicantes, » promoveri poſſunt.

§ IV.

An Religioſus Profeſſus unius Monaſterii, ſi transferatur ad aliud Monſterium, vel aſſumatur in Abbatem alterius Monaſterii, retineat ius eligendi Abbatem prioris Monaſterii?

CCCLXXXVI. De hoc agitur in c. Conſtitutis 47. h. t. Nam vacante Monaſterio Fiſcanenſi, electus fuit quidam in Abbatem, cui electioni ſe » opponebant duorum Monaſteriorum Abbates, qui » miſſis Procuratoribus ad Sedem Apoſtolicam, pe- » tiverunt reſcindi illam electionem, eò quòd, cùm » illi intereſſe deberent, fuerint contempti, ſeu non » vocati. Cùm autem Procuratores juſſi eſſent ex- » primere, qno jure ipſi electioni Abbatis dicti Mo- » naſterij intereſſe deberent, ſive, ob quam cauſam » ipſis jus ſuffragij in eo competeret, reſponderunt, » quòd cùm olim ex eo Monaſterio (in quo erant » Monachi, ſeu Profeſſi) aſſumpti eſſent ad Abba- » tias Monaſteriorum ſuorum (in quibus nunc ſunt » Abbates) ſpecialiter ipſis ab Abbate, & Conventu » Monaſterij Fiſcanenſis conceſſum fuerit, ut in Ca- » pitulo ejuſdem Monaſterij vocem, ſeu jus ſuffragij » haberent. Hanc rationem Papa Honorius III. »

fri-

„ frivolam reputans duobus illis Abbatibus perpe- „ tuum ſuper hoc ſilentium impoſuit.

CCCLXXXVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Quando petitio actoris eſt contra diſpoſitionem Juris communis, tum is debet exprimere legitimam cauſam petendi, alioquin ejus petitio, ſive libellus rejicietur, Abb. hîc n. 2. & colligitur ex hoc c. nam cùm ſpectato Jure communi, jus eligendi Prælatum ſpectet ad Collegium, ſeu Capitulum, c. 1. h. t. ideo, ſi quis non ſit è Collegio, ſeu Capitulo, & tamen alleget, ſe jus eligendi habere, debet exprimere cauſam, ſeu titulum ſpecialem, ob quem tale jus ipſi competat, gl. hîc in notatis.

Notandum 2. Monachus, ſeu Profeſſus unius Monaſterij, ſi in Abbatem alterius Monaſterij eligatur, vel ad aliud Monaſterium transferatur, ipſo facto amittit vocem, ſive jus ſuffragij in Capitulo prioris Monaſterij, & conſequenter etiam jus eligendi Prælatum in illo Monaſterio, ut docet gl. in notatis, & V. Quo jure, Abb. n. 3. & alij Canoniſtæ communiter, & notat gl. margin. hîc lit. d. ex Joan. Andrea, quòd teſte experientiâ, ſæpiſſime Monachi vocati ad alia Monaſteria ſoleant hac de re cõſulere peritos juris. Idque probatur, quia per talem tranſlationem fit, ut tranſlatus nullam habeat communionem cum priore Monaſterio, cùm non ſit ampliùs ex corpore, ſeu Collegio illius, vel membrum ejuſdem, nam Jure Canonico prohibitum eſt in c. ult. in fine de religioſ. domib. ne quis in diverſis Monaſterijs locum Monachi habere præſumat, ſicut nec unus Abbas pluribus Monaſterijs præſidere poteſt, ut ibid. additur, adeòque nec in duobus locis vocem habere poteſt in Capitulo: quod intelligendum eſt, ſi Monaſteria penitus ſeparata ſint ab invicem, nec unum ab altero dependeat, eique ſubjectum ſit, Abb. in cit. c. ult. num. 5.

Ubi tamen cum gl. in c. 1. V. Dependere, junctâ additione de privileg. in 6. Jo. Monacho, & Jo. Andrea in cit. c. ult. de religioſ. domib. ulteriùs diſtinguendum eſt; nam vel unum Monaſterium eſt inferius, v. g. Prioratus aliquis regularis, &, ita alteri Superiori, ſeu principali Monaſterio ſubordinatum, & ſubjectum, ut Abbas Superioris Monaſterij, ſeu principalis poſſit Monachos, ſeu Regulares in Monaſterio inferiore, ſeu Prioratu, pro arbitrio ſuo collocare, & iterum ex eo revocare; & tum Prior ille Conventualis, aliique Monachi Conventûs inferioris, non tantùm in ſuo Capitulo, ſed etiam in Capitulo Monaſterij principalis habent vocem, ſeu jus ſuffragij, etiam quoad electionem Abbatis Superioris Monaſterij, niſi alia ſit conſuetudo, quæ in hac re ſervanda eſt. Ratio eſt, quia tunc ſignum eſt, quòd inferius Monaſterium pleno jure unitum, ſeu incorporatum ſit Monaſterio Superiori, præſertim, ſi bona ſeparata non habeat, vel ſaltem illa non adminiſtret, niſi dependenter à Monaſterio Superiore, ſeu majore. Vel Monaſterium inferius, ſive Prioratus habet ſeparatum, & proprium, ac ſtabilem Conventum, à quo Prior, ſeu Prælatus eligitur, & bona omnino diviſa, ac ſeparata à bonis Superioris Monaſterij: & tunc Monachi inferioris Monaſterij non habent jus ſuffragij ad eligendum Prælatum Superioris Monaſterij, ſicut nec ad alios actus Capitulares Monaſterij principalis, quamvis fortè Prior, ſeu Prælatus illorum confirmari debeat ab Abbate, ſeu Prælato Superiore, juxta c. Cùm dilectus 8. de conſuetud. Laym. in cit. c. Conſtitutis n. 4. h. t. ubi addit, fieri poſſe, ut Monaſterium ſuperius ex prima inſtitutione, ſeu fundatione habeat jus conſtituendi Prælatum in inferiore Monaſterio, juxta cit. c. Cùm dilectus; & tamen Monachi illius nullum jus ſuffragij habeant in electione Abbatis Superioris, quia nimirum diſtinctum nihilominus corpus, ſeu Conventum faciunt.

CCCLXXXVIII. Notandum 3. Monachus, ſeu Profeſſus Regularis electus in Prælatum alterius Monaſterij, vel ad illud tranſlatus, non poteſt habere vocem, ſeu jus ſuffragii in Capitulo prioris Monaſterli, nec in electione Prælati, nec in aliis actibus Capitularibus, etiamſi hoc illi gratuitò à Prælato, & Conventu prioris Monaſterij fuerit conceſſum, & reſervatum, prout apertè deciſum habetur in hoc c. Nam SS. Canonibus, & Eccleſiaſticæ traditioni repugnat, ut Monachus, ſeu Profeſſus Regularis ſimul in duobus Monaſteriis ſit inſtallatus, ſeu Capitularis exiſtat, adeòque talis conceſſio illicita eſt, & invalida, cùm pactis privatorum juri publico, & communi, præſertim in favorem Eccleſiæ principaliter introducto, derogari non poſſit, Abb. hîc n. 3. ubi etiam ait, ſi Monachus, ſeu Profeſſus Regularis promoveretur ad Eccleſiam Parochialem, ut illam non tanquam clauſtralis adminiſtraret, ſed ut tanquam Clericus, ſeu Rector ſecularis præeſſet, is non haberet ampliùs ullam communionem cum priore Monaſterio, & perderet omne jus Capitulare in illo, quàm diu ibi maneret.

Neque verò obſtat, quòd jus eligendi Prælatum etiam cuivis extraneæ perſonæ liberaliter concedi poſſit, ut conſtat ex c. Scriptum 40. & aliis juribus ſuprà allatis, ergo etiam poterit concedi ei, qui antè erat profeſſus illius Monaſterii: Nam reſpondetur diſtinguendo: vel enim jus eligendi conceditur extraneis, ratione dignitatis, vel ratione perſonæ, ut docet hîc Abb. n. 3. & Imola n. 2. in gl. fin. Primo caſu, ſi jus eligẽdi concedatur, ut perpetuò competat alicui dignitati, tum valet conceſſio, dummodo tamen fiat, cum conſenſu Superioris, & aliis ſolemnitatibus requiſitis ad alienationem rerum, & jurium Eccleſiaſticorum, cùm per talem conceſſionem quodammodo alienetur jus quoddam Monaſterii, adeòque ſit ſpecies quædam alienationis. Poſteriore verò caſu, ſi jus eligendi concedatur perſonæ extraneæ, tum vel conceditur, vacante Eccleſiâ, pro ea vice, ſive pro electione proximè futura; & valida eſt conceſſio, juxta cit. c. Scriptum, quia nulla fit alienatio juris eligendi, nec aperitur via ad ullum vacaturum beneficium, nec datur jus Monachale eligenti, ſed tantùm admittitur extraneus ad eligendum, in utilitatem Eccleſiæ, ut ex plurium judicio fiat electio Prælati. Vel conceditur, Eccleſiâ non vacante; & non valet conceſſio, quia prohibitum eſt tractare de futura electione, ante mortem Prælati, & antequam Prælatura, vel beneficium vacet, c. Conſtitutus 1 1. de conceſſ. præb. Vel denique conceditur jus eligendi perſonæ, non pro una vice tantùm, ſed abſolutè, & in perpetuum, ſive ad vitam ejus; & tunc probabile eſt, conceſſionem eſſe validam, ſi fiat, accedente conſenſu Superioris, & aliis

ſolemnitatibus, dummodo etiam fiat perſonę capaci, non incapaci, ut laico, & modo poſſibili, ac legitimo, non illegitimo, & à SS. Canonibus prohibito, qualis eſt, ſi concedatur jus eligendi Monacho tranſlato ad aliud Monaſterium, ut eligat, tanquam adhuc Capitularis prioris Monaſterij, in quo novus Prælatus eligitur, ut ex dictis patet.

Porrò deciſioni huius c. magls obſtare videtur, quòd, quamvis per conceſsionem prioris Monaſterij non potuerit Monachis tranſlatis ad Abbatiã alterius Monaſterij acquiri jus eligẽdi, quoad proprietatem: tamen poſſeſſio in eos tranſlata eſt, dum poſt conceſsionem illam admiſsi ſunt ad actus Capitulares, ergo ratione poſſeſsionis, in qua erant, debuerunt vocari ad electionem Prælati prioris Monaſterij, adeòque, ſi contempti ſint, potuerunt agere ad reſcindendam electionem, arg. c. Cùm Eccleſia 3. de cauſ. poſſ. & proprier. ubi alicuius electio reſciſſa fuit, & externi Clerici in poſſeſsionem reſtituti ſunt, quia probârunt, ſe tribus Epiſcopalibus electionibus prȩcedentibus interfuiſſe, & ſuffragium dediſſe, nunc verò contemptos, ſeu non vocatos fuiſſe. Ad hoc reſponderi poteſt cum gl. hîc V. quo jure & Abbate circa finem, tripliciter. 1. Quòd in caſu huius c. Abbates illi non agebant judicio poſſeſſorio, quia probabile eſt, quòd hæc fuerit prima electio, poſt illorum tranſitum ad aliud Monaſteriũ, ſed actione confeſſoria petebant declarari, ipſis competere jus ſuffragij, & quia contempti ſunt, reſcindendam eſſe electionẽ; ſed quia cauſam ineptam proponebant, ideo quoad cauſam proprietatis ſuccubuerunt: In caſu verò cit. c. 3. inſtituta fuit actio petitoria, & ſimul interdictum poſſeſſorium. 2. Poſito etiam, quòd Abbates illi in quaſi poſſeſſione actus eligendi fuerint, & de facto cum aliis Monachis elegerint, tanqnam jus habentes; & tum vocatos non eſſe, nihilominus tamen non debuerunt reſtitui, quia, quando jus commune reſiſtit poſſeſſori; tum non debet is reſtitui, niſi habeat titulum coloratum, ſeu probabilem præſumptionem pro ſe: hîc autem ipſum jus commune repugnabat poſſeſſioni, cùm de jure communi jus eligendi ſpectet ad Capitulum, & cauſa ab actoribus expreſſa erat etiam contra jus, ideóque nullum coloratum titulum habuerunt ſuæ poſſeſſionis, neque hæc illis prodeſſe potuit; & cùm notorius fuerit defectus proprietatis, quem ipſi confeſſi ſunt, per eum elidebatur poſſeſſio. At verò in caſu cit. c. 3. adfuit ex parte actorum titulus coloratus, & ſtabat præſumptio juris pro illis, ob diuturnitatem temporis, nam longo tempore erant in poſſeſſione juris eligendi. 3. Abbates illi, ſiquidem in poſſeſsione electionis fuerunt, malâ fide illud poſſederunt, nempe contra Statuta SS. Canonum, ideóque electio ob id, quòd vocati non fuerint, reſcindi non debuit: in caſu verò cit. c. Cùm Eccleſia, Clerici illi bonæ fidei poſſeſſores fuerunt, ut patet ex ipſo textu, & docet ibid. Abb. n. 53. & alij DD. communiter.

§. V.

De electione Religioſorum Mendicantium ad Prælaturas, extra Ordinem ſuum, in diſcordia facta, & de electione aliorum Religioſorum non mendicantium à minore parte eligentium facta.

CCCLXXXIX. De utraque hac electione, ſeu proviſione agitur in c. Quorundam 24. h. t. in 6.
» ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ut nulli Religioſo
Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſti- »
ni, aut quorumlibet Ordinum Mendicantium, ex »
electione, poſtulatione, vel alia proviſione, ad ali- »
quam Prælaturam, extra ſuum Ordinem, in diſcor- »
dia facta, deinceps jus acquiratur: ſed nec tali ele- »
ctioni, vel proviſioni promotus conſentire poſsit, »
tametſi Regularis Prælati ſui licentia, vel conſen- »
ſus acceſſerit. »

Præterea in eodem c. §. Circa, decernitur, ut »
alij quoque Religioſi, qui Mendicantes non ſunt, »
ex electionibus, poſtulationibus, aut proviſioni- »
bus, ad quaſcunque Prælaturas, ſi à minore parte »
Capituli proceſſerint, nullum jus acquirant, ne- »
que in eas conſentire poſsint, etiamſi conſenſus, »
vel licentia ſuorum Prælatorum intervenerit; a- »
lioquin quidquid contra præmiſſa, vel aliquod eo- »
rum, fuerit attentatum, irritum ſit, & inane. »

CCCXC. Circa hanc Conſtitutionem, quoad utramque partem, notandum 1. Ratio, cur ſpecialiter ſtatutum ſit, ut Religioſi mendicantes, etiam obtentâ licentiâ ſuorum Superiorum, non poſsint conſentire in ſui electionem, poſtulationem, vel proviſionem ad Prælaturam, vel adminiſtrationem extra Ordinem, ſi in diſcordia facta ſit, & tametſi conſenſerint, nnllum jus eis ex illa acquiratur, ratio, inquam, eſt, quia, cùm ipſi arctiorem paupertatem, ac Regulam, & mundi contemptum profiteantur, quàm alij Religioſi, multò magls abſtinere debent à litibus, ut Deo, ac miniſteriis proximorum liberiùs vacent, & ne alioquin temporalibus honoribus, & proventibus inhiare videantur, cujuſmodi lites ſuboriri poſſunt ex electionibus in diſcordia factis, Sanch. l. 7. mor. c. 29. n. 44.

Notandum 2. Electio hoc loco in diſcordia facta dicitur, ſi, vel duæ, aut plures electiones ſint celebratæ, & publicatæ, vel una tantùm, cui, antequam ea publicata ſit, aliqui ex electoribus ſe opponant, vel etiam, ſi unus ſolùm ei contradicat, gl. hîc V. in diſcordia. At verò ad valorem electionis Religioſi non mendicantis ſufficit, ſi major pars eligentium conſentiat, etſi pars minor contradicat, Sanch. c. l.

Notandum 3. Si electio Religioſi mendicantis ad Prælaturam ab initio in concordia ſit celebrata, etiamſi poſtea ſuperveniat diſcordia, & unus, vel plures ſe illi opponant, non vitiatur electio ſemel validè facta, quia initium ſpectandum eſt, Joan. Monach. hîc, & Ancharan. Franc. n. 4. & res perfecta non vitiatur, etſi veniat ad caſum, in quo incipere non potuiſſet, ut tradunt DD. in l. ult. c. de nupt. Et vice

versâ

verſâ, ſi electio priùs facta ſit in diſcordia, etiamſi poſtea omnes electores, etiam ij, qui ſe priùs oppoſuerunt, conſentiant, non poteſt electio ſemel irrita, poſtea reddi valida, Joan. Andr. hîc n. 1. & Franc. n. 4. Sanch. cit. c. 29. n. 52. nam ſpeciale eſt in electione S. Pontificis, quòd convaleſcat per ſupervenientem concordiam, c. Licet 6. h. t. de quo infrà.

CCCXCI. Notandum 4. Religioſi Mendicantes poſſunt eligi, & poſtulari ad Prælaturas, etiam extra ſuum Ordinem, ſi electio, vel poſtulatio in concordia facta fuerit, ut colligitur per ſenſum contrarium ex hoc c. hodie verò ad nullam dignitatem Epiſcopatu inferiorem, extra ſuum Ordinem, abſque licentia Papæ aſſumi poſſunt, ut conſtat ex Extravag. diſpendiis unic. de poſtul. Præl. & dictum tit. præced. n. 8. Franc. hîc n. 2.

Notandum 5. Si Religioſus Ordinis Mendicantium factus ſit Epiſcopus, vel Cardinalis, & poſtea in diſcordia ad alium Epiſcopatum, vel Archiepiſcopatum eligatur, vel poſtuletur, adhuc habet locum hæc Conſtitutio, adeóque eius electio, vel poſtulatio erit irrita, qnia licèt ſit Epiſcopus, nihilominus tamen eſt Religioſus ex Ordine Mendicantium, ut tradit gl. hîc V. Mendicantium, Rodriq. qq. Regul. tom. 2. q. 56. a. 2. Sanch. cit. c. 29. n. 48. & alij communiter. De qua tamen doctrina meritò dubitari poſſe, ait Laym. hîc q. 3. quia cùm talis translatus ex Monaſterio ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, & altiorem ſtatum, & principaliorem qualitatem ſit conſecutus, ſecundùm eam judicari debet, arg. c. Statutum 22. h. t. in 6. ac proinde probabiliter dici poteſt, talem electionem eſſe validam, non quidem quatenus facta eſt de Monacho, ſed de Epiſcopo, vel Cardinale: quamquàm in arbitrio S. Pontificis erit, ſinè cuius conſenſu, talis Epiſcopus, vel Cardinalis tranſire non poteſt, an eius electionem, vel poſtulationem in diſcordia factam confirmare, vel admittere velit, datâ ei tranſenndi licentiâ, an non?

Notandum 6. Si Religioſus non mendicans eligatur ad Prælaturas intra ſuum Ordinem, non requiritur ad valorem electionis, ut ea facta ſit in concordia, omnibus electoribus concordantibus, ſeu nemine ſe opponente, ſed ſtatur juribus antiquis, quia hæc Conſtitutio ſolùm loquitur de electione ad Prælaturas, extra Ordinem proprium, ut conſtat ex illis verbis, *ad aliquam extra adminiſtrationem ſui Ordinis*, gl. ibid. V. Ordinis, & V. alios, Sanch. cit. c. 29. n. 49.

Notandum 7. Si Religioſus ex Ordine Mendicantium legitimè tranſeat ad Ordinem non Mendicantium, & ibi per diſpenſationem legitimam eligatur ad Prælaturam extra Ordinem, non requiritur, ut in concordia omnium electorum ſit electus, ſed ſatis eſt, ſi à maiore parte Capituli, quia tunc ille verè eſt Religioſus Ordinis non Mendicantis, & ut talis eligitur, Franc. hîc n. 4. Sanch. c. l. n. 53.

» CCCXCII. Notandum 8. Id, quod in hac Con-
» ſtitutione circa electiones Religioſorum factas in
» diſcordia (quoad Religioſos Mendicantes) & cum
» minoritate numeri (quoad Religioſos non Men-
» dicantes) decernitur, debet intelligi de diſcordia,
» & minoritate numeri, quæ in facto, non in fictio-
» ne, vel juris effectu conſiſtunt, prout declaratur in
Clem. quòd circa 6. h. t. Senſus eſt, quòd in electione Religioſi ad Prælaturam, extra ſuum Ordinem, ſive eligatur aliquis ex Ordine Mendicantium, poſito, quòd unus, vel plures ſe opponant; ſive ex Ordine non Mendicantium, omnes Capitulares, ſeu Electores, qui de facto ſunt præſentes, computandi ſunt in numero eligentium, ut appareat, utrùm Religioſus ex Mendicantibus in diſcordia, vel ex non Mendicantibus à minore parte Capituli electus fuerit; etſi aliàs ex diſpoſitione juris aliqui privati ſint ſuffragio & jure eligendi, adeóq; in numero electorum computari non deberent, prout in exemplis jam magìs declarabitur.

Veluti 1. ſi ex 12. Capitularibus octo elegerunt ad Eccleſiam Cathedralem indignum, reliqui verò 4. dignum, ſed Religioſum Mendicantem, electio eius eſt irrita, qnia facta in diſcordia, licèt aliàs ſpectato Jure communi, ſex illi privati eâ vice eſſent jure eligendi, & hoc devolveretur ad pauciores numero, qui elegerunt perſonam dignam, iuxta ſuprà dicta. Similiter, ſi ex 12. Capitularibus 4. elegerunt Religioſum non mendicantem, & ſex alium indignum, electio facta de non Mendicante eſt irrita, quia facta à minore parte Capitularium; nam hìc non attenditur, quotnam ex præſentibus Capitularibus valida ſuffragia dederint, ſed quinam de facto dederint, ſive fuerint præſentes ad eligendum, etſi eorum ſuffragia careant juris effectu.

Idémque dicendum, ſi ex decem Capitularibus 4. elegerunt Religioſum Mendicantem, vel etiam non Mendicantem, reliqui ſex alium elegerunt, ſed poſtea reperiantur excommunicati, ſuſpenſi, vel irregulares, nihilominus irrita eſt electio facta à quatuor, qnia de Religioſo mendicante facta eſt in diſcordia; de non mendicante à parte minore Capituli, gl. in cit. Clement. quòd circa V. quæ in facto. Excipi debet, ſi Capitulares contra electores ſuſpenſos, vel excommunicatos, cùm repelli facilè non poſſint, nominatim, & expreſsè proteſtentur, quòd illorum ſuffragium in electione valere non debeat; tum enim valebit proteſtatio, ita, ut in numero eligentium, in ordine ad conſtituendam diſcordiam, vel numeri minoritatem, eorum ſuffragia computari non debeant. Aliud eſt, ſi proteſtatio contra ſuſpenſos, vel excommunicatos ſolùm in genere, & indeterminatè facta ſit, tunc enim valebunt ſuffragia eorum, quantum ad hoc, ut impediant, quò minùs altera electio facta de Religioſo ſit valida; quamvìs etiam electio ab ipſis excommunicatis, & ſuſpenſis facta ſit invalida, Laym. in cit. c. Quorundam. q. 4. Sed neque ſuffragia eorum, qui albas, ſeu vacuas ſchedulas coniecerunt in urnam, computanda ſunt in numero eligentium, quia cenſendi ſunt renunciâſſe juri electionis, Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 13. Laym. de Elect. Prælat. q. 195.

2. Si aliqui ex Capitularibus in electione dederunt vota incerta, alternativa, vel conditionata, quávìs aliàs pro non datis haberi debeant, c. 2. h. t. in 6. tamen in ordine ad hoc, ut appareat, an Religioſus mendicans in diſcordia, vel non mendicans à minore parte Capitularium electus fuerit, talia ſuffragia computari debent in numero eligentium, ut colligitur ex cit. Clement. quòd circa, Laym. hîc. q. 1. in tertio caſu.

3. Si aliqui ex Capitularibus ſint contempti,

ſeu

ſen non vocati ad electionem,cùm tamen vocari debuiſſent, probabile eſt, quòd etiam illi computandi ſint in numero eligentium,ut conſtet, an electio Religioſi Mendicantis in diſcordia,vel non Mendicantis à minore parte Capituli facta fuerit, Laym. hic q. 1. in 4. caſu. Aliud verò dicendum eſt de Capitularibus abſentibus,qui non contempti fuerunt,quia vocari non potuerunt, vel non debuerunt, vel vocati venire noluerunt,nam horum ſuffragia computanda ſunt in numero eligentium,gl.in cit.Clement. quod circa V.Quæ in facto,propè finem.Sanch. cit.c. 29.n.46.

Porrò Ij Regulares,qui vocem, ſeu jus ſuffragij in electione non habent,ob defectum requiſitæ ætatis.vel Ordinis, vel Profeſſionis, ut novitij, non debent computari in numero eligentium, cùm nec de jure,nec de facto unquam jus ſuffragij habuerint, & ſic non poſſunt dici privati juris fictione, ſeu diſpoſitione, cùm nunquam vocem habuerint, de quibus ſolùm ſermo eſt in cit.Clement.quòd circa, gl. ibid. V. Quæ facto, & Sanch.c.l.n.46.

4. Si pars major Capitularium,quæ tamen duas partes Capituli non conſtituit, aliquem poſtulârit,& Religioſus non mendicans ab altera parte Capituli ſit electus, ipſo jure irrita eſt electio, neç confirmari debet,quæ à minore numero parte Capituli eſt facta,Laym.hîc n.2. in 1.caſu.

Ex dictis infertur, ſi xxiv. ſint Capitulares, quorum xiv. eligant Religioſum Mendicantem, vel xi. Religioſum non Mendicantem;reliqui verò,vel x. vel xiii. eligant alium Canonicum ſuæ Eccleſiæ, ex quibus tamen unus,vel plures ſunt excommunicati,vel ſuſpenſi, vel dederunt ſuffragia alternativa, vel conditionata, hoc caſu neutra electio valet: non prima, quia etſi à pluribus, tamen in diſcordia facta eſt de Mendicante, vel ſaltem à minore parte Capituli de nō mendicante.Non ſecunda,quia licèt ſuffragia etiam eorum,qui ſunt excommunicati, vel ſuſpenſi, computanda ſint, in ordine ad impediendam electionem factam de Religioſo Mendicante, vel non Mendicante; non tamen proſunt ſuæ electioni factæ de Canonico,qnia non habent juris effectum,nec juvant coëlectum,ita, ut eius electio confirmari poſſit, gl. in cit. Clem. quòd circa V. quæ in facto. Verſ. Sed quæro.

CCCXCIII. Notandum 9. Conſtitutio ſuprà dicta in c. quorundam, in utroque caſu loquitur ſolùm de electione paſſiva, per quam ipſi Religioſi, ſive Mendicantes, ſive non Mendicantes ad Prælaturam eliguntur,nō de activa, quâ ipſi eligunt. Quare ſi Religioſo Ordinis Mendicantis competeret jus eligendi non Mendicantem, non deberet neceſſariò ea electio fieri in concordia omnium eligentium,quia non eligeretur Religioſus Mendicans. Vel ſi Religioſi quicunque eligerent Clericum ſecularem ad Prælaturam, plus ad talem electionem non exigeretur, quàm aliàs Jure communi ad electionem requiritur, quia nihil novi ſtatutum eſt de electione activa,Sanch.cit.c.29.n.47.Nec obſtat,quòd cit.Clemēt.Quòd circa, indiſtinctè loquatur de electionibus Religioſorum; nam cùm ea Conſtitutio emanârit ad declarandam Conſtitutionem,quæ continetur in cit. c.Quorundam, ea verò expreſsè loquatur ſolùm de electionibus paſſivis, per quas Religioſi Mendicantes eliguntur in diſcordia, vel non Mendicantes à minore numero parte Capitularium,ut patet ex illis verbis *electione de ſe facta*, & paulò inferiùs, *electionibus de ſe factis*, conſequenter etiam Conſtitutio declarans intelligi debet ſecundùm Conſtitutionem declaratam, gl. ibid. V. electiones. ſcilicet paſſivas, Sanch.c.l.

CCCXCIV. Nutandum 10. Electio Religioſi non Mendicantis facta à minore numero parte Capituli ipſo jure irrita eſt, non ſolùm ſi eligatur ad Prælaturam, extra ſuum Ordinem, ſed etiam, ſi ad Prælaturam ſui proprij Ordinis,ut colligitur ex illis verbis cit.c. Quorundam, *ad Prælationes quaslibet*, & ita docet gl. ibid. V. Quaslibet. Joan. Andr. Ancharan.& Franc. n.4. Rodriq. cit.q.56. a.2. Sanch.cit.c. 29. & ſequitur Laym. hic n. 2. nam,ſi Papa voluiſſet ſolùm irritare electiones ad Prælaturas, extra proprium Ordinem,id expreſſiſſet, ſicut expreſſit in priore parte ejuſdem c. de Religioſis Mendicantibus; idémque de Munialibus ſtatutum eſt in c.Indemnitatibus 43.§. Si qua h.t. in 6.contra Jo.Monach.hîc.

Porrò argumenta contrariæ ſententiæ ſunt iſta. 1. Principium huius Conſtitutionis loquitur de electionibus ad Prælaturas,extra propriū Ordinem,ergo etiam tota Conſtitutio de talibus debet intelligi, & colligitur ex dictione *quoque*,ibi: *circa Religioſos quoque alios*, quæ continuat ſubſequentia cum præcedentibus. 2. Loquitur de ijs electionibus, in quibus intervenit licentia ſuorum Prælatorum:at quando Religioſus eligitur ad Prælaturam ſui Ordinis, non requiritur licentia Superioris Regularis, cùm tunc nullus ſit, ergo de talibus non loquitur hæc Conſtitutio. 3. Quia in procemio huius Conſtitutionis expreſsè ait Papa,ſe velle providere contra eos Religioſos, qui extra adminiſtrationes proprij Ordinis ad Prælaturas accedere moliuntur, ergo de his ſolis intelligenda eſt hæc Conſtitutio, & verba poſteriora limitanda ſunt, iuxta prooemium textûs, ut intelligantur de Prælationibus quibuslibet,extra propriumOrdinem,præſertim cùm faciliùs quis promoveatur, ad Prælaturam proprij Monaſterij, quàm alieni.

Sed reſpondetur ad 1. Satis eſt, quòd in tota Conſtitutione agatur de Religioſis, ſed in priore de Mendicantibus, in poſteriore de non Mendicantibus. Ad 2. dicitur, loquitur Conſtitutio non de illis Prælaturis tantùm, ad quas neceſſaria eſt licentia proprij Prælati, ſed etiam de aliis,præſertim quia etiam interdum ad acceptandam Prælaturam, intra proprium Ordinem, requiritur licentia Superioris mediati. Ad 3. dicitur, id verum eſſe, niſi ex ipſa Conſtitutione appareat,legislatorem aliud in poſteriore parte voluiſſe ſtatuere, quàm in priore, ut hîc de Religioſis non Mendicantibus,Sanch.c.l.n.49. in fine. Nihilominus tamen ſententia contraria etiam probabilis eſt, ob allatas rationes.

CCCXCV. Notandum 11. Si Religioſus Ordinis non Mendicantis electus ſit ad Prælaturam à dimidia parte Capitularium, quia quidam ex altera parte ſunt privati jure eligendi, vel excommunicati,vel ſuſpenſi, vel ob data vota conditionata, aut incerta, tum valere electionem tanquam à majore parte Capitularium non privatorum factam,cenſent Joan.Andr. hîç n.2. & ibid. Franc. n.2.not.5. Sanch. cit.

cit. c. 29. num. 54. Ratio eſt, quia, cùm Conſtitutio iſta ſit exorbitans à Jure communi, non debet extendi ad caſum non expreſſum: atqui hæc Conſtitutio ſolùm decernit electionem Religioſi non Mendicantis factam à minore parte Capituli eſſe irritam, ergo, ſi electio facta ſit, non à minore, ſed ab æquali, & dimidia parte, ea valida erit. Nec obſtat, quòd etiam jure communi non valeat electio facta à dimidia parte Capituli: nam hoc verum eſt, ſi alius ſit electus ab altera parte dimidia, ex quibus nullus eſt privatus jure eligendi; nam tunc eſſent ex utraque parte ſuffragia æqualia: at, ſi nullus alius habeat totidem ſuffragia, tum electio, etſi à dimidia parte facta, eſt valida, quippe facta à majore parte totius Capituli non privati: neque tunc erit locus litibus, cùm vota utrinque ſint paria. Non tamen ſufficeret, electionem eſſe factam à parte minore, etſi saniore: nam hæc Conſtitutio exigit, ut electio non ſit facta à parte numero minore, gl. hîc V. numero.

Verùm oppoſita ſententia videtur probabilior, quam poſt Sanch. c. l. tenet Laym. de elect. Prælator. quæſt. 196. & in cit. cap. quorundam. §. Sed contraria ſententia, quia numerus Capitularium in Conſtitutione cit. cap. Quorundam, & Clement. Quòd circa, dicitur minor, eo ipſo, quòd non ſit major, adeóque non ſufficiens ad faciendam electionem communem, ſeu Capitularem. Neque verò dici poteſt, numerum medietatis augeri, & fieri majorem partem Capituli ex eo, quòd aliquorum eligentium alterius partis ſuffragia de jure non valeant, adeóque non poſſint computari in numero eligentium. Nam in cit. Clementina expreſsè declaratur, quòd in dicta Conſtitutione Bonifacij non ſit habenda ratio numeri, qui eſt ſecundùm juris diſpoſitionem, & effectum, ſed ſolùm, qui eſt de facto, alioquin enim, ſi quando duæ electiones æqualibus ſuffragiis ſunt factæ, & una pars alteri objicere poſſit juris defectum, v.g. quòd ſuffragia ſint data à ſuſpenſis, vel excommunicatis &c. non ceſſabit occaſio diſcordiarum, quas tamen Pontifex per hanc Conſtitutionem omnino tollere intendit.

Quare ſi v.g. ex duobus Canonicis Capitularibus Eccleſiæ Cathedralis, ſex eorum eligant in Epiſcopum Religioſum Ordinis Mendicantis, alij verò ſex alium Ordinis non Mendicantis, ſed indignum; tum vel talis electio cenſetur facta à majore parte Capituli, adeóque eſſe valida, vel non. Non primum, quia electio facta de Religioſo Mendicante in diſcordia non valet, cit. c. Quorundam: atqui illa electio, vel maximè facta eſt in diſcordia, quando duæ fiunt electiones, in quibus utraque pars eligentium æqualia habet ſuffragia, uti contingit in hoc caſu: ergo talis electio facta de tali Religioſo eſt invalida, etiamſi à dimidia parte eligentium ſit facta. Si autem ſecundum dicatur, quòd talis electio ſit irrita, etſi à dimidia parte Capitularium ſit facta, falſum eſt, quòd ad valorem huiuſmodi electionum ſufficiat dimidia pars eligentium, quod aſſerit contraria ſententia.

Neque obſtat argumentum in contrarium allatum, quòd talis Conſtitutio exorbitans à Jure communi non debeat extendi ad caſum non expreſſum in illa. Nam cùm per partem minorem, hîc intelligatur omnis ea, quæ non eſt major, nulla hîc ſit extenſio ad caſum non expreſſum, Laym. in hoc cap. propè finem. Idque confirmatur ex c. Indemnitatibus 43. §. Sanè h. t. in 6. ubi idem de electionibus Monialium ab eodem Bonifacio VIII. ſtatutum eſt, de quo infrà.

CCCXCVI. Notandum 12. Hæc Conſtitutio in utroque caſu habet locum etiam in præſentatione Regularium ad Prælaturas, quæ, ut valeat, debet eſſe facta in concordia omnium patronorum, ſi præſentetur Religioſus Ordinis Mendicantis: vel non à minore parte, ſed majore patronorum, ſi Religioſus non Mendicans præſentetur, quia etſi in cit. Conſtitutione quorundam non fiat mentio de præſentatione, fit tamen de proviſione, quod eſt nomen generale, ſub quo comprehenditur etiam præſentatio, ut docet gloſſ. communiter recepta in Clement. ult. V. Proviſioni h. t. Sed & ratio in illa Conſtitutione expreſſa etiam locum habet in præſentatione, nempe ne lites oriantur, & alia graviora incommoda, ac diſpendia animarum, & Eccleſiarum, quæ provenire poſſunt ex præſentatione, ſi in diſcordia facta ſit, vel à minore parte Capituli, imò magis, cùm præſentatio frequentiùs fiat, quàm electio, Franc. in cit. cap. Quorundam. num. 4. Sanch. cit. c. 29. num. 51. Porrò ſi facta ſit præſentatio Religioſi Mendicantis, debent omnes patroni conſentire, ut ſit valida, quia, ſi vel unus ſolus diſcrepet, vlitibus oſtium, ac via aperitur, adeóque non eſt facta in concordia. Si verò fiat præſentatio Regularis non Mendicantis; tum, ſi Patroni præſentent, aut Collegium, requiritur, ut præſentatio fiat, non à minore, ſed majore parte totius Collegij, ſive reſpectu omnium præſentantium, nec ſufficit, eſſe majorem reſpectu minorum partium, talis enim præſentatio eſt inſtar electionis, quæ fieri debet à majore parte Collegij. Si verò præſentant, ut ſinguli, ſufficit, ſi præſentatio fiat à majore parte, comparatione aliarum partium minorum, de quo alibi plura.

§. VI.

De forma Electionis Prælatorum Regularium, eorúmque Confirmatione, & Benedictione.

CCCXCVII. Quæritur 1. Quæ ſit forma eligendi Abbates, & Prælatos Regulares? Reſp. Eſt eadem, quæ præſcripta eſt in Concilio Lateranenſi, cap. Quia propter 42. h. t. eáque triplex, nempe per modum ſcrutinij, compromiſſi, & communis inſpirationis, de quibus ſuprà fusè actû. Communiter tamen omnibus ferè Religionibus Canonicæ electiones Prælatorum fieri ſolent per modum ſcrutinij, ut refert Tamburin. tom. 1. de Jure Abbatum diſ. 5. q. 5. num. 9. ita tamen, ut à ſingulis eligentibus ſuffragia non vivâ voce dentur coram ſcrutatoribus, ſed ſcripta in ſchedulis ſecretis tradantur, ut eſt communis conſuetudo in electionibus Regularium Prælatorum, teſte Mirandâ in man. Prælat. tom. 2. q. 23. art. 16. in fine, & Tamburin. cit. diſ. 5. q. 6. num. 10. Porrò Concilium Tri-

dentinum ſeſſ. 25. cap. 6. de Regularibus præcepit, in electione Superiorum quotumcunque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, & aliarum Præpoſitarum, omnes ſuptadictos eligi debere per vota ſecreta, ita, nt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, alioquin electio irrita ſit.

Circa quam Conſtitutionem notandum 1. Quòd ea tantùm locum habeat in electione per ſcrutinium, non autem in ea, quæ fit per compromiſſum, in qua ſuffragia palàm dari poſſunt, Rodriq. tom. 2. qq. Regul. quæſt. 92. art. 9. in fine, & multò minùs in ea, quæ fit per impulſum S. Spiritûs, dum nnanimi conſenſn in eundem omnes Electores conſentiunt, & palàm nominant. Neque enim hæ duæ formæ eligendi per decretum Concil. Trident. ſunt ſublatæ, Tambur. c. l. Nihilominus tamen poteſt Conventualis abſens, hoc decreto non obſtante, etiam cùm electio fit per formam ſcrutinij, ſuum ſuffragium in ſcripto mittere, vel conſtiuere Procnratorem, ſi Religionis conſuetudo, vel ſtatutum id permittat, nt ex declaratione Cardinal. teſtatur Azor p. 1. lib. 13. c. 10. q. 2.

Notandum 2. Si unus ex Electoribus ſuffragium ſuum in charta ſcriptum alteri ſinè fraude oſtendat, non ideo irrita cenſeri debet electio, dummodo inſcio, vel conſentiente Capitulo id factum ſit. Ratio eſt, tum quia occultus defectus unius è Capitulo non debet nocere Capitulo ignoranti, neque actui aliàs ab eo legitimè facto: tum qnia alioquin in poteſtate cuiuſque electoris eſſet irritam reddere electionem, dicendo poſtea, ſe manifeſtâſſe ſuum ſuffragium alteri, vel ratificare, illnd tacendo. Tum denique, quia Concilij intentio fuit prohibere, ne Capitulum permittat aliquid fieri, ex quo nomina eligentium publicari contingat, alioqnin irritam fore electionem: & ſi talis manifeſtatio eſſet, vel præſumeretur fuiſſe cauſa ſecretæ electionis, ea reſcinderetur, ergo cùm hæc lex ſit irritans, & à jure communi, ac Ordinario exorbitans, nō debet ad eum caſum extendi, quo vel caſu, vel culpâ ſive electoris, ſive ſcrutatoris, ſuffragium alicuius publicatum fuit, ſi hoc nihil profuit ei, vel alteri, neque cauſa fuit electionis, Navarr. lib. 1. conſ. 9. h. t. Rodriq. cit. q. 52. a. 9. Porrò juxta declarationem Cardinalium Concilij apud Joan. Gallemart n. 2. electio eſſet nulla etiam tunc, ſi poſt electionem factam, in Bullis confirmationis, ſeu Patentibus, exprimerentur nomina eligentium, quia adhuc videtur electio non eſſe plenè conſummata, ſeu perfecta.

Notandum 3. Cùm poſt Concilium Trident. c. l. electiones Regularium per vota ſecreta fieri debeant, ita, ut nomina ſingulorum eligentium nunquam publicentur, jam collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum eligentium, ampliùs fieri non poteſt; ſed tantùm collatio numeri ad numerum, quis ſit major ex una parte eligentium, quis minor ex altera, dummodo aliàs ipſa ſuffragia ſint legitima, Mirand. in man. Prælat. cit. q. 23. a. 27. in fine princ. Tamburin. cit. q. 6. n. 18.

CCCXCVIII. Quæritur 2. à quibus Prælatorum Regularium electiones confirmandæ ſint? Reſp. Abbates, & Præpoſiti Regulares, qui exempti ſunt, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, à S. Pontifice, vel Legato eius de Latere, ſi in Provincia ſit, confirmari debent, c. Si Abbatem 36. h. t. in 6. Non exempti verò ab Epiſcopis, quibus proximè ipſi, eorúmq; Monaſteria ſunt ſubjecta. Item Prælati Generales Ordinis exempti, à S. Pontifice, qui eſt eorum immediatus Superior, ſunt confirmandi; Abbates verò, ſeu Prælati inferiores locales, & Priores; Guardiani Ordinis exempti habentis Generalem, Præpoſitum, aut Miniſtrum, ab eodem Generali, vel Provinciali confirmationē accipiunt, Provinciales verò à Generali, Azor p. 1. lib. 12. c. 20. q. 6. Rodriq. tom. 2. q. 53. art. 3. Tambur. cit. lib. 5. diſ. 6. q. 2. num. 2. & 3. Præterea illi Prælati, ſeu Superiores locales, qui non à Capitulo, ſeu Conventu eliguntur, ſed à Generali Ordinis conſtituuntur, nt in ſocietate noſtra, non indigent aliâ confirmatione, quia, quando ad eligentem ſpectat electio, & confirmatio, eodem jure, ut ſi alicui conceſſa ſit poteſtas eligendi, & confirmandi, ſicut in propoſito caſu contingit, tunc eo ipſo, quòd eligit, vel inſtituit Prælatum, confirmare quoque cenſetur, gl. in c. 1. V. proviſionem, & c. Ut circa. 4. V. electiones. h. t. in 6. Idque procedit, etiamſi jure devoluto electio ad Superiorem pertineret, talis enim proviſio ſimul haberet vim electionis, & confirmationis, Abb. in c. Dilectus 12. num. 3. de conceſſ. præbend. & alij apud Tamburin. c. l. n. 4. & 5. Denique in pluribus Religionibus Generales, Magiſtri, Miniſtri, ſeu Præpoſiti, ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ, poſtquam ſunt canonicè electi, intelliguntur etiam per S. Pontificem confirmati, & ſtatim plenam juriſdictionem acquirunt, ſinè alia confirmatione, ut videre eſt apud Rodriq. c. l. Tamburin. c. l. n. 3. quale privilegium etiam habet Societas Jeſu, nt habetur in compendio Privileg. Societ. V. Generalis. §. 1.

CCCXCIX. Quæritur 3. An Abbates Regulares, vel etiam Seculares conſecrentur, an verò benedicantur, & quare hæc benedictio ſit introducta? Reſp. Abbates propriè loquendo, non conſecrantur, ſed benedicuntur, quia conſecratio propriè dicta fit per ſacri Chriſmatis unctionem, c. 1. de ſacr. unct. ſed benedictio Abbatis eſt ſimplex, & deprecatoria manuū impoſitio ab Eccleſia inſtituta, c. 1. §. Lectoris, junctâ gl. V. impoſitio diſ. 69. c. Manus 74. cauſ. 1. q. 1. latè tamen, & impropriè interdum benedictio Abbatis etiā conſecratio appellatur, c. Alienationes 37. cauſ. 12. q. 2. nhi dicitur, *Abbas, qui ſecundùm Eccleſiæ uſum conſecrandus eſt*, hoc eſt, ut ait gl. ibid. bendicendus, Azor p. 2. lib. 12. c. 20. q. 2. Unde per benedictionem Abbatis non confertur Ordo, nec character imprimitur, ſicut per conſecrationem Epiſcopi, quia non eſt Sacramentum, ſed ſolùm ſacramentale quoddam, & ſolemnis oratio, ſeu deprecatio, Navarr. l. 1. conſil. 2. n. 1. de Sacrament. non iterand. Tamburin. tom. 1. de Jure Abbat. diſ. 11. q. 4.

Eſt autem hæc benedictio à SS. Canonibus inſtituta, ad ſimilitudinem, & proportionem conſecrationis Epiſcopalis, ut quia Abbates huiuſmodi dignitate ſunt proximi Epiſcopis; ita etiam benedictionem aliquam ſimilem conſecrationi Epiſcopali participent, Laym. in c. Cùm inter 16. n. 4. h. t.

CCCC. Quæritur 4. à quib⁹ Abbates benedici debeant? ℞. Abbatū benedictio jure cōmuni ad Epiſcopū

ſpectat

ſpectat, ut conſtat ex c. 1. diſ. 69. c. 1. de ſuppleod. neglig. Prælat. c. Cùm contingat 11. de ætat. & qualit. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 27. num. 51. Tambor. cit. diſp. 11. q. 9. Et quidem ea ab Epiſcopo, aſſiſteotibus duobus Abbatibus, communiter fieri ſolet, ut ſimilitudinem aliquam Epiſcopalis conſecrationis habeat, Laym. in cit. c. cùm inter q. 1. quamvis etiam à non Epiſcopis, videlicet Abbatibus, benedictio hæc aliis Abbatibus conferri poſſit, dummodo Sacerdotes ſiot, cùm non ſit Sacramentalis ordo characterē imprimens, Laym. in c. 1. de ſuppl. oeglig. Prælat. n. 3. Et tale privilegiū Abbati Monaſterij Ciſtercij Geoerali totius Ordinis à Sede Apoſtolica conceſſum eſſe, ut poſſit Abbates, & Abbatiſſas ſui Ordinis beoedicere per ſe, vel per Vicarios ab eodem deputatos, refert Tambur. cit. diſ. 11. q. 11.

CCCCI. Quæritur 5. quo die benedictio Abbatis fieri debeat? Reſp. quāvis Abb. in c. Cùm ſit 5. in fine de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. & alij quidā Canoniſtę arbitrentur, turius eſſe, ut Abbas die Dominico benedicatur, ſicut & Epiſcopus eo die cooſecrari debet, c. Quod die 5. diſ. 75. id tamen non eſt oeceſſarium, ſed poteſt oon ſolùm die Domioico, ſed quolibet die feſto conſecratio Abbatis peragi, ſicut & Ordines minores quibuslibet diebus feſtis cōferre licet, c. Ex eo 3. de temp. Ordin. cùm hac de re nihil in jure expreſſum reperiatur, gl. io Clement. 2. V. Benedici de ſtatu Monach. Tuſchus V. Abbas cooel. 8. n. 9. & 10. Sylveſt. V. Abbas n. 4. Barboſ. cit. alleg. 27. n. 53. & alij communiter. Quin imò probabile eſt, culpam gravem nō fore, etſi die non feſto Abbas benedicatur, cùm nullum certum tempus jure ſit præfixum, Laym. in c. 1. n. 4. q. 4. de ſuppl. neglig. Prælat,

CCCCII. Quæritur 6. Utrùm Abbas jus adminiſtrandæ, & exercendæ juriſdictioois conſequatur per confirmatiooē, an verò per benedictionem, etiam per hanc ſaltem poteſtatem exercendi actus Ordiois? ℞. ſicut Epiſcopus, poſt confirmationem electionis ſuæ, poteſt exercere ea, quæ ad juriſdictionem pertinent, ooo autem ea, quæ ad Ordinis Epiſcopalis poteſtatem, c. Tranſmiſſam 15. h. t. ita etiam Abbas per confirmationem accipit quidem poteſtatem juriſdictionis; per benedictionem verò ab Epiſcopo collatam, accipit poteſtatem Ordiois, ſaltem ordinariè, & ubi viget cooſuetudo, ut Abbates, vel Præpoſiti, poſt confirmationem acceptam, benedicantur, juxta c. Cùm contingat 11. de ætat. & qualit. Abb. in c. Quanto 7. n. 4. de offic. Ordin. Sylveſt. V. Abbas o. 4. cujuſmodi actus Ordinis dignitati Abbatum conceſſi ſunt, Ordines minores conferre, ſolemniter populo benedicere, item ſacra vaſa, & veſtes benedicere, & alia Pontificalia exercere, de quibus ſuo loeo.

Verumtameo io illis Provinciis, in quibus Abbates, ex recepta conſnetudine, benedici oō ſolent, poſſoot nihilominus, perinde, ac ſi benedicti eſſent, ſtatim poſt confirmatiooem acceptam, omnia officia Abbatum propria exercere, etiam ea, quæ ſunt Ordinis, modò ſint Sacerdotes conſecrati, Cardin. Tuſcbus V. Abbas eoncluſ. 8. num. 3. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 38. art. 2. & colligitur ex c. Alieoationes, ibi, *ſecundum Eccleſiæ ſuæ uſum conſecrandus eſt*, ſive beoedicendus, cauſ. 12. quæſt. 2. ergo ubi Eccleſiæ uſus, ſeu conſuetudo oon eſt, non debet Abbas neceſſariò benedici, ſed ſine benedictione poteſt Monachos ſuos benedicere, gl. ibid. V. conſecrandus in fine. Idemque apertè colligitur ex c. 1. de ſuppl. negl. Præl. ubi deciditur, quòd, ſi Diœceſanus requiſitus Abbatem benedicere nolit, ipſe Monachos ſuos benedicere poſſit, & alia, quæ ad hoc officium pertineot, exercere: ergo ad acquirendam poteſtatem Ordiois noo eſt ſimpliciter neceſſaria hæc benedictio, alioquin S. Pontifex, ob negligeotiam, vel contumaciam Epiſcopi Diœceſani, non dediſſet Abbatibus facultatem, etiamſi benedicti non ſint, exercendi omnia, quæ ad eorum officium pertinent, ſed potiùs dediſſet eis facultatem eligendi alium Epiſcopum, qui ipſis hoc benedictionis munus impertiret, ut notavit Tamburin. cit. diſ. 11. q. 3. o. 3. & 4. Et hioc etiam Abbates, Priores, & Præpoſiti Regulares ooo perpetui, qui benedici noo ſolent, eò quòd beoedictio ſit etiam quaſi perpetua, & iodelebilis, nec repeti poſſit, ut mox dicetur, adeóq; noo impenditur propter officium temporale; nihilomious tameo gaudent omnibus prærogativis, & juribus conceſſis Abbatibus, qui ſuot benedicti, ita, ut omoia, quæ illi, in ſpiritualibus, & temporalibus, liberè, & licitè exercere poſſint, ex conceſſione Eugenij IV. Congregationi S. Juſtioæ de Padua, & aliorum SS. Pootificum, Abbatibus aliarum Congregationum, vel Ordinum factā, ut refert Tamburin. cit. diſ. 11. q. 13. Ratio eſt, quia benedictio Abbatis, reſpectu exercitij Ordinis, non eſt requiſita ad ſubſtaotiam, ſeu eſſentiam poteſtatis Ordinis Abbatibus conceſſæ, ſed eſt ſolùm ſolemnitas quædam accidentalis, ideóque non ſpecialiter neceſſaria ad illam. Nam Abbates poteſtatem exerceodi actus Ordinis non conſequuntur per benedictionem, ſed potiùs per privilegium Abbatibus beoedictis conceſſum in c. 1. diſ. 69. & cit. c. Cùm contingat de tempor. Ordinat. quod poſtea ad alios Abbates etiam ooo benedictos per SS. Pontifices eſt extenſum, Tamburin. eit. q. 3. o. 7. & 8. Porrò Abbates, qui benedici ſolent, intra annum à ſua cooſirmatione computandum, benedictionem ſuſcipere debent, prout ſumitur ex Clement. 2. §. Statuimus de ſtatu Mooach. obi id de Abbatiſſis ſolitis benedici eſt ſtatutum. At verò Abbates Regulares, quibus ex privilegio Pontificio conceſſum eſt, ut poſt electionem aut cooſirmatiooem ſuam, ſtatim omnia jura, & prærogativas obtineant, ac ſi eſſeot benedicti, nullum certum tempus benedictionis jure præfixum habent, imò illis benedictio non eſt neceſſaria, Tambur. cit. diſ. 11. q. 8.

Illud hîc præterea notandum, benedictionem aliquando habere vim confirmationis, quando ſcilicet nulla alia cnnfirmatio præceſſit, neq; Epiſcopi aliter Abbates, & Præpoſitos confirmant, quàm ſolemnem benedictionē ipſis impertieodo: & per hanc benedictionem, quæ eſt loco confirmationis, confertur etiā poteſtas juriſdictionis, ita, ot ante illā, Abbas adminiſtrare non debeat Sylveſt. c. l. n. 4. de qua loqui videtur Innoc. in cit. c. 1. de ſupplend. negl. Prælat. n. 1.

CCCCIII. Quæritur 7. Ao benedictio Abbatum reiterari, ſive repeti poſſit? Reſp. Abbas, poſtquam ſemel benedictus eſt, ſi ad aliam eiuſdem Ordinis Prælaturam eligatur, vel transferatur, noo debet iterum benedici, ut ex communi DD. ſententia tradit Azor eit. c. 20. q. 4. Barb. cit. alleg. 27. n. 51. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 12. a. 3. Ratio eſt, quia quamvis hæc benedictio characterem Ordinis non imprimat,

non tamen ideo reiterari poterit; nam multa Sacramentalia, quę non imprimunt characterem, repeti nõ poſſunt, ut benedictio nuptialis; nam conjuges, ſi in prioribus nuptiis benedictionem acceperunt, nõ ſolent in ſecundis denuo benedici, c. 1. & 3. de ſecund. nupt. item ſolemnis pœnitentia reiterari non ſolet, c. Quamvls 62. diſ. 58. Deinde ſicut Epiſcopalis conſecratio iterari non poteſt; ita nec benedictio Abbatis, quippe quæ ad ſimilitudinẽ illi⁹ fit, & introducta eſt.

CCCCIV. Ex dictis ſequitur 1. Quòd Abbas cõfirmatus, tametſi benedictus non ſit, abſolutè Abbas appellari ſolet, Abb. in cit. c. Quantò n. 5. de offic. Ordin. Tuſchus c. l. n. 1. & 3. Ratio eſt, quia Abbates, poſt confirmationem, abſolutè ſunt Abbates, & omnem poteſtatem accipiunt, non per benedictionẽ, ſed per confirmationem, ut jam dictum, Tambur. cit. diſ. 11. q. 5. n. 1.

Sequitur 2. Quòd Abbatum beneficia, ſiqua habuerunt, ſtatim poſt confirmationem, & obtentam pacificam poſſeſſionem, ſeu adminiſtrationem Pręlaturæ, vel ſi per eos ſtetit, quò minùs eam obtinerent, etiamſi nondum benedicti ſunt, ipſo jure vacant, Pariſius l. 3. de reſignat. benef. q. 1. n. 96. Garcias p. 11. de benefic. c. 7. n. 1. ubi n. 3. & 4. ait, id procedere, tam in Abbatiis Regularibus, quàm Secularibus, quæ generalem, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent. Ratio patet ex dictis, quia benedictio non pertinet, ſicut conſecratio Epiſcopalis, ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam dignitatis Abbatialis, vel poteſtatis illius, ſed eſt ſolùm accidentalis quædam ſolemnitas, Tambur. cit. q. 5. n. 2.

§. VII.

De Abbatiſſarum, ſeu Præpoſitarum Regularium electione, confirmatione, & benedictione.

CCCCV. Quæritur 1. An, & quæ Moniales habeant jus eligendi Abbatiſſam? Reſp. ad electionem Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ Regularis, admitti non poſſunt Moniales, niſi quæ XII. ætatis annum compleverunt, & profeſſionem tacitè, vel expreſsè ediderunt, prout habetur in c. Indemnitatibus 43. in » princ. h. t. in 6. ubi ſtatuitur, ut, cùm in Monaſte» riis Monialium electio eſt facienda, nulla Monia» lis, niſi XII. annum peregerit (quia mulieres eo » tempore cenſentur fieri pubetes, gl. hîc V. duodeci» mum) & profeſſa fuerit, tacitè vel expreſsè, ad eli» gendum cum aliis (ſcilicet Profeſſis) admittatur. Verùm, quia jure novo Concilij Tridentini ſeſſ. 25. c. 15. de Regularib. ad profeſſionem emittẽdam requiruntur anni ætatis XVI. expleti, ideo ante illam ætatem, Moniales ad electionem Abbatiſſæ hodie admitti non poſſunt, Laym. hîc n. 2. Sufficit tamen etiã poſt Tridentinum, ſi tacitè profeſſæ ſint, modò per annum continuum, poſt ſuſceptum habitum, in probatione ſteterint, cit. c. 15. neque enim tacita Profeſſio per Concilium eſt ſublata, cùm nihil de illa ſtatuerit, Rodriq. tom. 3. qq. Reg. q. 17. art. 1. Sanch. l. 5. Moral. c. 3. n. 36. Sed neque ante annum ætatis XII. expletum, puellæ habitum Regularem in Monaſterio ſuſcipere poſſunt, ſed antequam ad Profeſſionem admittantur, examinari debent ab Epiſcopo, vel eius Vicario de propoſito liberè profitendi, prout ſtatuit idem Concilium cit. ſeſſ. 25. c. 17. de Regul. Porrò licèt in quibuſdam Religionibus, nominatim in Ordine S. Franciſci, Guardiani, & Priores, non à Conventibus, ſed in Capitulis Generalibus, aut Provincialibus eligantur, ut tradit Rodriq. tom. 2. reg. qq. q. 54. a. 1. electio tamen Abbatiſſarum, & Prioriſſarum Cõventui permittitur, idque, ne, ſi Monialibus præficerentur eæ, quæ non à proprio Conventu, ſed in Capitulis generalibus, vel Provincialibus ſunt electæ, minùs acceptæ illis eſſent, Rodriq. tom. 2. q. 55. a. 1.

CCCCVI. Quæritur 2. Quæ ætas, & aliæ qualitates requirantur, ut aliqua in Abbatiſſam, vel Præpoſitam eligi poſſit? Reſp. 1. requiritur inprimis, ut annum XXX. exegerit, & expreſsè profeſſa fuerit, prout habetur in cit. c. Indemnitatibus in princ. ubi dicitur: nec in Abbatiſſam, aut Prioriſſam (ſive quo» cunq; alio nomine vocetur) ſi per Prioriſſam Mona» ſterium gubernetur, de cætero aliqua eligatur, ni» ſi XXX. annũ compleverit, & expreſsè profeſſa fue» rit Ordinem Regularem. » Eſt autem decreta major ætas in Abbatiſſis, quàm in Abbatibus, ob fragilitatẽ ſexûs, & quia eſt minoris judicii, gl. hîc V. triceſimum in addit. etſi olim Abbatiſſa ſexagenaria eſſe debebat, c. Juvenculas 12. cauſ. 20. q. 1. quod tamen nunquam pro jure receptum eſt, ut notat Suar. tom. 4. de relig. lib. 4. c. 6. n. 8. Requiritur autem, Jure communi, ætas XXX. annorum in Prioriſſa, quæ gubernat Monaſterium, ut hîc dicitur; nam in Prioriſſam Clauſtralem eligi, vel aſſumi poteſt aliqua, etſi ſit minor XXX. annis, quæ non primum, ſed ſecundum locum obtinet poſt Abbatiſſam, cui eſt ſubjecta, ut tradit gl. hîc V. gubernatur, idque etiam in praxi ſervari poſſe putat Miranda tract. de Monialib. q. 7. a. 2. concl. 2.

Verùm novo Jure Concilij Trident. ſeſſ. 25. c. 7. de Regular. Abbatiſſa, &c, quocunq; alio nomine appelletur, quæ Monaſterio præfecta eſt, eligi non poteſt, niſi annos ætatis XL. compleverit, & annis octo, poſt expreſſam Profeſſionem, laudabiliter in Monaſterio vixerit. Quòd ſi in eodem Monaſterio his qualitatibus prædita non reperiatur, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poterit. Si verò hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, tum una, quæ in eodem Monaſterio annum XXX. exceſſerit, & quinque ſaltem annis in Religione poſt Profeſſionem rectè vixerit, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente eligatur: dummodo alioqui etiam ad gubernandum apta ſit, & ſufficiens, nam hoc ex natura rei eſt neceſſarium, Suar. c. l.

Porrò prædictæ duæ conditiones, nempe ætas 40. annorum, & Profeſſio octo annorũ non requiruntur à Concilio tanquam ſubſtantiales, ita, ut electio ſinè illis facta ſit irrita ipſo jure, ſed ſimpliciter prohibetur eligi alia, adeóque ut ſummum irritari poterit talis electio, neque etiam præſcribuntur illæ duæ conditiones, ut ſimpliciter neceſſariæ, ſed ſolùm, ſi commodè ſervari poſſint, alioquin conceditur, ut ea, quæ exceſſit 30. annos, & ab annis octo profeſſa eſt, eligi poſſit, Suar. cit. c. 6. n. 8. Additur limitatio huius decreti ex declaratione Cardinalium, quæ legi poteſt apud Joan. Galgem. ibid. num. 1. de qua etiam videri poteſt Suar. c. l. n. 9.

CCCCVII. Reſp. 2. Quæ in Abbatiſſam, vel Prioriſſam

tiſſam eligitur, virgo eſſe debet, neque poteſt corrupta eligi, vel vidua, abſque diſpenſatione, prout ſumitur ex c. Si quis 2. §. Novimus. cauſ. 1. q.7. ubi dicitur: Mariam Magdalenam poſt converſionem, quamvìs ſancta, & caſta eſſet, inter Diaconiſſas non eſſe computatam, id eſt, Abbatiſſas, ut explicat gl. in c. Diaconiſſam 23. cauſ. 27. q. 1. & expreſsè habetur in c. Juvenculas 12. ibi; *ſexagenariam virginem* cauſ. 20. q. 1. ubi gl. V. eodem, rationem reddit, quia, quæ non eſt virgo, non poteſt alias ad virginitatem hortari, gl. in Clem. 2. V. rationabilis de ſtatu Monach. Tuſch. V. Abbatiſſa concl. 26. Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 64. a. 4. Mitand. cit. q. 7. a. 6. Veruntamen, ſi occulta eſſet corruptio, poſſet ad vitandam infamiam, talis electio permitti, Layman. de elect. Præl. q. 229. Res. 3. & probabile eſt, diſpenſare poſſe eum corrupta, vel vidua, Prælatum, qui præſidet electioni, v. g. Epiſcopum, vel Epiſcopalem jurisdictionem habentem, Suar. cit. c. 6. num. 16. ubi addit, hac in re potiſſimùm eſſe ſtandum conſuetudini.

CCCCVIII. Reſpondetur 3. Probabilius eſt, Monialem illegitimè naıam non poſſe eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam, ut docet gloſſ. in cit. c. Cùm indemnitatibus V. Canonica h. t. in 6. Navarr. in Comment. 2. de Regul. num. 60. ubi ait, quòd Profeſſio religioſa non tollit irregularitatem provenientem ex defectu natalium, ut poſſit fieri Prælatus, vel Prælata, Suar. cit. c. 6. n. 14. quia munus Abbatiſſæ computatur inter Eccleſiaſticas dignitates, eáque quandam quaſi Prælationem inter Moniales obtinet, quam natalium defectus obſcurat; in quo tamen diſpenſare poſſunt Prælati, ſeu Superiores Ordinis exempti, ut Generales, & Provinciales Ordinis Mendicantium, Rodriq. tom. 1. qq. reg. q. 13. a. 22. quin & Epiſcopum, ſi Monaſterium ei ſit ſubjectum, in tali caſu diſpenſare poſſe, ſeu licentiam dare, probabile eſt, præſertim ſi aliæ dotes inſignes defectum illum cohoneſtent, Laym. cit. q. 229. quia nullus Canon reperitur, qui expreſsè prohibeat Monialem illegitimè natam aſſumi in Abbatiſſam; comprehenditur tamē etiam fœmina ſub generali prohibitione in c. 1. de filijs Presbyt. quia lex illa eſt favorabilis Religioſis, etiamſi ſit oneroſa privatæ perſonæ, gl. in Clem. 1. V. Homines h. t. & gl. in c. Generali 13. V. Univerſos h. t. in 6. idque ob ſimilitudinem rationis, quia munus Abbatiſſæ etiam inter Prælationes numeratur, Suar. c. l. plures tamen DD. apud Rodriq. cit. q. 13. a. 21. aiunt, nullâ hìc opus eſſe diſpenſatione, ſive Abbatiſſæ benedictæ, & perpetuæ ſint illegitimæ, ſive temporales.

CCCCIX. Quæritur 3. Quæ forma ſit obſervanda in electione Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ Regularis? Reſpondetur, omnes electiones Monialium debent eſſe canonicæ, & factæ juxta formam traditam in c. Quia propter 42. h. t. & c. Indemnitatibus 43. h. t. in 6. quòd ſi electio fiat per ſerutinium, vota ſecreta dari debent, Ita, ut eligentium nomina nunquam pnblicentnr, prout univerſim de omnibus Regularium electionibus ſtatuit Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 6. de Regular. & dictum ſuprà.

Verùm idem Concilium cit. Seſſ. c. 7. illud in electione Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ ſpecialiter ſtatuit, ut Epiſcopus, vel alius Superior, cui Monaſterium eſt ſubjectum, clauſtra Monaſterij non ingrediatur, ſed ante Cancellorum feneſtram, vota, ſeu ſuffragia ſingularum Monialinm audiat, ſeu excipiat: in reliquis verò ſerventur ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones. Poteſt tamen Superior hunc actum excipiendi vota in electione Abbatiſſæ alteri delegare, juxta declarationem Cardinalium Concilij apud Jo. Gallemart. ibid. n. 4. Deinde qnamvìs ordinariè Superior, qui electioni præeſt, ſuffragia ſingularum Monialium oretenns expreſſa audire, & excipere debeat, unâ cum Vicario, vel Secretario, vel alio ab Epiſcopo aſſumpro, ut declaravit quoque Congregaıio Cardinalium ibid. n. 6. id tamen limirandum eſt, niſi Prælati prudenter judicent, non poſſe fieri canonicam, & concordem electionem, ob inquietudinem Monialium, & ſuſpicionem ſubornationis votorum inter ipſas ſubortæ, aut ob alias juſtas cauſas, ſi non ipſi Prælati ingrediantur clauſtrum, tum enim ingredi, & ibi ſuffragia recipere poſſunt, ut tradit Jo. Gallemart. in remiſſionibus ad cit. c. 7. in fine. Extat etiam Bulla Gregorij XV. quę incipit, Inſcrutabili, in qua permittitur, quòd Epiſcopus, vel delegatus ejus electioni etiam exemptarū Monialium, unà cum Prælato Regulari, intereſſe poſſit, cujus meminit Barb. in hoc c. §. Sanè n. 9. Cæterùm quamvìs Zerola in praxi Epiſcopi V. Abbariſſa ad dub. 6. putet, per dictam Conſtitutionem Coneilij ablatam eſſe Monialibus poteſtatem eligendi per compromiſſum, vel inſpirationem, contrarium tamen eſt dicendum; nam cùm Jure antiquo Moniales potuerint eligere per compromiſſum, c. cauſam 8. h. t. & c. indemnitatibus 43. eod. in 6. vel per inſpirationē, c. Quia propter 42. h. t. & jure novo id non ſit revocatum, cùm Concilium tantùm loquatur de forma eligendi per ſcrutinium, nullâ factâ mentione de alijs modis eligendi, ideo ſinè expreſſo textu juris, non debet cenſeri, eam poteſtatem illis eſſe ademptam. Quare adhuc hodie poſſunt Moniales, nnanimi conſenſu, compromittere in Epiſcopum, vel alium Clericum, qui notitiam perſonarum habet, ut idoneam Abbatiſſam Ipſis nominet, & conſtituat. Vel etiam poſſunt, præſente Epiſcopo, vel ejus delegato, nnanimi conſenſu, ac voce, abſque omni vitio, aliquam in Abbatiſſam tanquam maximè idoneam eligere, Laym. de Elect. Prælat. q. 231.

CCCCX. Quæritur 4. Quid agendum ſit, ſi electio Abbatiſſæ per ſcrutinium in diſcordia fiat? Reſpondetur, de hoc agitur in cit. c. Indemnitatibus §. Sanè h. t. in 6. Ubi ſtatuitur 1. ſi ad Abbatiſſæ electionem per formam ſcrutinij procedatur, & votis in diverſa diviſis, electiones in diſcordia celebrari contingat, tum ea, quæ à duabus partibus numero electa eſt, non obſtante quacunque exceptione, contradictione, vel appellatione partis alterius, ſi aliàs electio canonica fuerit (nempe ſervatâ formâ debitâ, & de perſona idonea celebrata, gl. hìc V. canonica) à Superiore confirmari debet, atq; confirmatæ benedictio impendi, ſi Abbatiſſa ſit, præmiſsâ tamen, prout ex officio tenetur, diligenti examinatione. V. g. cùm eſſent 18. Moniales Profeſſæ, 12. elegerunt Catharinam, aliæ 6. Barbaram, Catharinæ electio confirmari debet, non obſtante oppoſitione, vel appellatione iſtarum ſex, quòd non ſit idonea: quamvis Superior confirmans

ex officio ſuo tenetor inqoirete circa defectus electionis, vel perſonæ electæ, &c, ſi repererit electam, etſi à duabus partibos, eſſe indignam, non debet confirmate electionem, quippe quæ ipſo jure irrita fuit. Ratio autem, cur contra electam à duabus partibus Capituli nihil opponi poſſit, eſt, quia pars duplo major præſumitur etiam pars ſanior, quàm pars minor, ſeu tertia, c. Si qnando 9. h.t. in 6. Limitat tamen gl. hîc V. non obſtante, id eſſe intelligendum, niſi fortè objiciatur id, per quod unum, vel plura ſuffragia eligentium redduntur nulla, ita, ut non remaneant duæ partes eligentium, v. g. ſi opponatur, quòd aliquæ ex eligentibus non fuerint tacitè, vel expreſsè profeſſæ, vel non puberes, vel aliquid ſimile, tales enim exceptiones ſunt admittendæ, arg. c. Ex parte 13. de offic. deleg. alioquin verò, ſi conſtet, duas partes conſenſiſſe, nec opponatur aliqoid, per quod minuatur earum numerus, nulla exceptio obſtabit, quò minùs electa confirmetur.

CCCCXI. Secundò. Si verò neutra earundem electionum (ad quas proceſſum fuit per formam ſcrutinij) à duabus partibus fuerit facta, ſive duæ partes Monialium in unam non conſenſerint; tum poſſunt Moniales, quæ in aliam, vel alias vota ſua direxerant, etiam poſt pnblicatum ſcrutinium, & factam electionem, mutatâ ſententiâ, illi per ſuffragia ſua accedere, quæ à majore parte totius Capituli electa eſt, dummodo id fiat incontinenti, anteqoam ad actus extraneos divertant, & omni pravitate ceſſante (ſcilicet ſimoniacâ datione, vel pactione illicitâ, extorſione, vel coactione, gl. hîc V. omni pravitate:) Quòd ſi per hujuſmodi acceſſum perveniatur ad duas partes, computatis illis, quæ antea jam in eam conſenſerant (illæ enim revocare conſenſum ampliùs non poſſunt, cùm de illis id cautum non ſit, gl. hîc V. computatis) illa confirmari, ac benedici debet, perinde, ac ſi ab initio duas partes habuiſſet, & non obſtante contradictione, exceptione, vel appellatione partis alterius, præmiſsâ tamen diligenti inquiſitione ex officio, nt ſuprà dictum, gl. hîc V. præmiſſam, proot habetur in cit. §. Sanè Verſic. ſi autem. v. g. ſi ex 18. Monialibus decem elegerunt Titiam, aliæ octo Cajam, ſed poſtea publicato ſcrutinio, duæ, mutatâ ſententiâ, ſuffragia ſua dent Titiæ, electio illius eſt confirmanda, ac ſi ab initio 12. ſuffragia habuiſſet, adeóque doæ partes Capituli in eam conſenſiſſeut. Idque ſpeciale eſt in electione Abbatiſſæ factâ in diſcordia, cùm aliàs jure communi, poſt publicatum ſcrutinium, nequeant Electores variare, c. Publicato 58. h. t. cujus ratio eſſe poteſt, quia major conſtantia requiritur in viro, quàm in muliere, gl. hîc V. divertant. Idémque ſtatutum eſt in electione S. Pontificis, c. Licèt 6. h. t. de qua infrà.

Veruntamen ſi in prædictis caſibus, contra Abbatiſſam, etiam poſt confirmationem, & benedictionem illius, imò & poſtquam poſſeſſionem ſuæ adminiſtrationis eſt conſecuta, Moniales quædam velint aliquid opponere, per modum accnſationis, vel denunciationis, ut à dignitate obtenta removeatur, ea facultas illis non eſt ſublata, prout habetur in cit. c. §. Verùm. Idque etiam ſpeciale eſt, cùm aliàs regulariter non audiatur excipiens poſt confirmatioucm, cuntra petentem poſſeſſionem, qui tamen poſtea auditor agens, gl. hîc V. facultas, & in addit. Solùm autem contra Abbatiſſam electam, & cunfirmatam, accuſando, vel denunciando, proponi poſſunt illa, quæ reſpiciunt ejus perſonam, non illa, quæ reſpiciunt defectum formæ, hic enim purgatus eſt per Confirmationem factam à Judice, ſeu Superiore, ut poſt Innocent. in c. Quòd ſicut 28. n. 9. h. t. tradit Franc. hîc §. Verùm, num. 2. in fine; qnia vitium formæ eligendi non nocet Eccleſiæ, ſicut vitium perſonæ, ſi indigna ſit electa, Geminiao. apud Vivian. in Ration. hîc §. verùm.

CCCCXII. Tertiò. Si ad illam, quæ à majore parte electa fuit, aliæ Moniales accedere nolint, vel, ſi acceſſerint, ſed non tot, ut faciant, cum alijs priùs in eam conſentientibus, duas partes totius Capituli, (v. g. ex 18. Monialibus 10. elegerunt onam in Abbatiſſam, cui electioni aliæ 8. vel aliquæ illarum ſe oppoſuerunt, vel appellâruot) hoc caſu ſuper objectis, quæ oppoſuerit pars altera, ſcilicet minor, & ſuper alijs, quæ in tali negotio ex officio ſunt inquirenda (ſcilicet de forma electionis, & perſona electa) Superior, antequam electionem confirmet, vel electionem reprobet, debet plenè inquirere, ſed ſinè ſtrepitu, & figurâ judicij: interim verò (hac cauſa pendente) electa, auctoritate hujus Conſtiturionis, in ſpiritualibus, & temporalbus liberè adminiſtrare poterit, ita tamen, ut de reb⁹ Monaſterij nihil omnino alienet (etiam adhibitis debitis ſolemnitatibus) nec aliquam in Monialem quoquo modo recipiat, ita habetur in cit. c. Indemnitatibus, §. Si verò. Eſtq; iſte etiam caſus ſpecialis, in quo electa ante confirmationem adminiſtrare poteſt, ut notat gl. hîc V. auctoritate. Permittitur autem Abbatiſſæ electæ interim libera adminiſtratio, ne Eccleſia, vel Monaſterinm damnum patiatur; alienatio verò bonorum, & receptio Monialium ei eſt probibita, quia in illis non eſt periculum in mora, ſicut in adminiſtratione Eccleſiæ, & bonorum ejus, Archidiaconus apud Vivian. in Ration. hîc.

Hinc colligitur, quòd Abbatiſſæ, aliæque Præpoſitæ, vel Prioriſſæ Monialium, ſaltem indirectè participent quandam ſpiritualem juriſdictionem ex commiſſione ipſis factâ à Prælatis Eccleſiæ, ſiquidem illis in hoc c. conceditur libera adminiſtratio in ſpiritualibus, & temporalibus, ac proinde etiam præcipere poſſunt ſuis Monialibus, quæ Regulæ ſunt conformia, etiam in virtute S. Obedientiæ, ratione voti facti, ut tradit Azor p. 1. lib. 13. c. 10. q. 7. de quo plura ſuo loco.

CCCCXIII. Quartò. Si aliqua à minore numero parte Conventûs in Abbatiſſam nominata, vel electa fuit, ex hujuſmodi nominatione, vel electione nullum omnino jus ipſi acquiritur, hoc ipſo enim, quòd à minore parte facta eſt, nullas vires habet, ita ut nec aliæ Moniales per conſenſum poſtea poſſint accedere, ut habetur in eod. c. §. Si qua verò. Ratio eſt, quia cùm talis electio ab initio fuerit nulla, nam vis, ſeu poteſtas Capitularis non reſidet in minore, ſed majore parte, ideo poſtea per aliarum Monialium acceſſum non poteſt convaleſcere, quod enim ab initio eſt nullum, tractu temporis non convaleſcit, reg. 18. in 6. gl. hîc V. à minore parte, ubi rectè addit, idem dicendum eſſe, ſi electio à media parte

Mo-

Monialium facta eſſet, adhuc enim foret nulla, adeóque neque per acceſſum aliarum ratificari poſſet, quia juriſdictio, ſeu poteſtas Capitularis conſiſtit in majore parte Capituli, ad quam ſolùm jure licitum eſt parti minori accedere, pars autem media non eſt, nec poteſt dici pars minor, ſed ſolùm æqualis.

Hinc colligitur, quòd pars minor Capituli cenſenda ſit omnis ea, quæ non eſt major; nam in hoc c. tria membra Pontifex diſtinxit, nempe quid faciendum ſit, ſi in diſcordia electio fiat à duabus partibus Capituli in eandem perſonam conſentientibus: & quid, ſi ſaltem à majore parte Conventûs; vel denique quid, ſi à minore parte Conventûs? quæ diviſio non eſt ſufficiens, & perfecta, quia adhuc dari poteſt quartum membrum, nempe ſi electio facta ſit à media parte Conventûs, de qua tamen nihil proviſum eſt per hanc Conſtitutionem: niſi dicatur, illam comprehendi ſub parte minore, adeóque omnem illam cenſeri minorem, quæ non eſt major, qualis eſt pars media, ſive æqualis, hæc enim nñ eſt major alterâ parte, ut notavit Laym. de Elect. Præl. q. 233. & in c. Quorundam 24. q. 2. h. t. in 6. de quo etiam dictum ſuprà n. 395. Porrò, ſi in aliqua Religione conſuetudo ſit, ut electa à dimidia parte Conventûs confirmetur, ea ſervari poteſt, juxta Trident. Seſſ. 25. c. 7. de Regul. dummodo non in diſcordia duæ perſonæ electæ ſint, paribus, ſive æqualibus ſuffragijs, quælibet ſcilicet à medietate Conventûs, Laym. cit. q. 233. ubi addit, ſi conſuetudine permittente, liceat ante decretum electionis variare, & palàm accedere illi perſonæ, in quam plures conſenſerunt, tum Monialis quoque videns, ſe electam à dimidia parte Conventûs, in electionem ſuam conſentire, & veluti ſeipſam coëligere poterit, ſi jus ſuffragij in electione habeat.

» Denique in eodem c. §. Ut autem, decernitur, ut
» in electionibus Monialium, non fiat zeli ad ze-
» lum, nec meriti ad meritum, ſed ſolùm numeri ad
» numerum collatio, idque, ut eò faciliùs ad concor-
» diam electionis perveniatur.

CCCCXIV. Quæritur 5. Quid agendum ſit, ſi Abbatiſſa per compromiſſum electa ſit, & Moniales aliquæ ſe electioni ejus opponant? Reſpondetur, diſtinguendum eſſe, vel enim pars minor Conventûs
» ſe opponit: tum electa à Superiore confirmari, &
» benedici debet, (ſi Abbatiſſa fuerit) non obſtante
» quavis contradictione, exceptione, aut appella-
» tione partis ejuſdem (ſcilicet minoris numero)
» ſalvâ facultate poſtea denunciandi, vel accuſandi,
» juxta cit. §. Verùm. Vel pars major ſe opponit;
» & tum confirmatio electionis, vel reprobatio illius
» interim differenda eſt, donec de objectis, & alijs
» fuerit inquiſitum, ſicut in forma ſcrutinij dictum
» (nempe ſinè ſtrepitu, & figurâ judicij, juxta cit. c.
Si verò) ſed electa interim liberè adminiſtrabit, (Ita
» ut bona non alienet, nec aliquam in Monialem re-
» cipiat, cit. §. Si verò) niſi pars opponentium duplò
» major exiſtat, tunc enim adminiſtrare non debet
» electa, ſed litis eventum exſpectare, ita habetur in
eodem c. §. Cæterùm.

CCCCXV. Ubi notandum, etſi minor pars Conventûs non poteſt impedire confirmationem, & benedictionem electæ per ſcrutinium à majore parte, ſi illa pars non ſit duplò major, ut ſuprà dictum non tamen poteſt impedire confirmationem, & benedictionem electæ à majore parte per viam compromiſſi, quamvis illa pars non ſit duplò major, cit. §. Cæterùm. Ratio diverſitatis, cur in hoc caſu magìs favorabilis ſit electa per compromiſſum, quàm per ſcrutinium, eſt, quia compromittentes cenſentur omnes à principio conſenſiſſe in illam, quæ à compromiſſatio eligeretur, c. In cauſis 30. h. t. quod non eſt in forma ſcrutinij, gl. hîc V. expectare. Quòd ſi pars major ſe opponat electioni, non poteſt quidem in damnum Eccleſiæ ea impedire adminiſtrationem ejus, quæ legitimè cenſetur electa, quia ipſa pars major commiſit, & tranſtulit vices ſuas in compromiſſarium; non tamen debet confirmari electa, ne fortè confirmetur, quæ poſtea ob vitium perſonæ removenda eſſet. Si verò ſe opponat electioni pars Conventûs duplò major, non debet electa adminiſtrare, nec confirmari, quia illa pars eſt majoris auctoritatis, & fidei, quàm pars major ſimpliciter, vel pars minor, ideo impedire poteſt adminiſtrationem, & confirmationem electæ, cùm pro parte duplò majore ſtet præſumptio, quòd juſtè opponat, ſed exſpectari debet litis eventus, quia cùm is ſoleat eſſe dubius, & incertus, l. quòd debetur 51. ff. de pecul. ideo Judicis ſententia eſt exſpectanda, quæ jus facit inter partes, c. Cùm inter 13. de ſentent. & re judic. Vivian. in Ration. in hoc c. §. Cæterùm.

CCCCXVI. Præterea in eodem c. §. Porrò, »
decernitur, ut ſi in electionibus Monialium ad Se- »
dem Apoſtolicam appellari contingat, appellantes »
ſervent formam præſcriptam in Conſtitutione Pa- »
pæ Gregorij X. in Concilio Lugdunenſi editâ, quæ »
habetur in c. Ut circa 4. h. t. in 6. Sed cùm eas »
propter ſexûs verecundiam, & ſtatum (ſcilicet Re- »
gularem) non deceat, nec expediat in publico com- »
parere, aut extra ſua Monaſteria vagari, non de- »
bent electæ, vel etiam eligentes, aut appellantes, »
vel eæ, contra quas appellatum fuit, ad eandem Se- »
dem perſonaliter venire: ſed procuratores ſuffi- »
cienter inſtructos eò mittant, ad proſequenda ne- »
gotia electionum ſuarum, vel poſtulationum, vel »
appellationum, juxta Conſtitutionem Nicolai III. »
in c. Cupientes 16. h. t. in 6. alioquin etiam i- »
pſæ pœnas in ea contentas ipſo jure incurrent. »

Idem in eodem c. §. Poſtremò, ſtatuitur, ut qui »
ad dirigendas electiones Monialium evocantur, vel »
deſtinantur, ſi diſcordiam inter illas excitent, vel »
exortam nutriant, ipſo jure excommunicatio- »
nem incurrant. Cæterùm quæ in hac Conſtitutione decreta ſunt de electionibus Monialium viventium in Monaſterijs ſub aliqua ex Religionibus approbatis, ſimilites ſervari debent etiam in alijs Conventi-
bus Mulierum, quæ juxta conſuetudinem qua- »
rundam Provinciarum (præſertim in Germania) »
proprijs bonis non renuntiant, nec profeſſionem »
Regularem emittunt, ſed vivunt, ſicut Canonici »
Eccleſiarum ſecularium, eo duntaxat excepto, quòd »
eligantur, & eligant, etſi profeſſæ non ſint. Per »
hoc tamen non intendit Papa earum ſtatum, Re- »
gulam, vel Ordinem approbare, Ita habetur in hoc »
c. §. ſuprà dicta.

Denique in §. fin. hujus c. additur, quòd ea, »
quæ hîc ſpecialiter de electionibus Mulierum ſta- »
tuta ſunt, & in multis à Jure communi diſcrepant, »

non

» non ſunt extendenda ad electiones in Monaſterijs virorum, vel quibuſvis alijs Eccleſijs celebrandas, ſed jura circa illas edita immutata, & firma » maneant. Notat autem gloſſ. hîc V. in multis in addit. decem ſpecialia, quæ in hac Conſtitutione ſunt decreta.

CCCCXVII. Quæritur 6. An, & à quo Abbatiſſa poſt electionem confirmari debeat? Reſpondetur, ſi Monaſterium ſit exemptum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum, Abbatiſſa, vel Prioriſſa à Papa, vel ab alio ejus auctoritate confirmanda eſt, & à Papa per Procuratotem confirmationem petere debet. Si verò Monaſterium ſit ſubjectum religioſo Ordini virorum, tum ad Prælatum ejuſdem Ordinis confirmatio ſpectat: ſi denique Epiſcopo ſit ſubjectum ab eodem confirmari debet, Azor p. 1. lib. 13. c. 10. q. 3. Abbatiſſam autem confirmandam eſſe, conſtat ex cit. c. Indemnitatibus h. t. in 6.

CCCCXVIII. Quæritur 7. An Abbatiſſa neceſſariò benedici debeat, & à quo? Reſpondetur 1. Abbatiſſa, quæ ex vi conſuetudinis ſui Monaſterij ſpatio 40. annorum introductæ, benedici conſuevit, debet intra annum à die ſuæ confirmationis numerandnm, munus benedictionis ſuſcipere, alioquin jure ſuo privatur, niſi rationabilis cauſa excuſet, v. g. ob infirmitatem, vel quia Diœceſanus ſæpius requiſitus renuit eam benedicere, vel Sedes Epiſcopalis vacat, vel poſſeſſionem non habuit, vel aliàs per eam non ſtetit, quò minùs benediceretur, ita habetur in Clement. 2. §. Statuimus, de ſtatu Monach. & ibi gl. V. Rationabilis. Secus eſt, ſi alicubi conſnetudo id non requirat; tum enim non eſt benedicenda, Azor cit. c. 10. q. 4. ſicut etiam Abbatiſſæ temporales, vel triennales de jure non ſunt benedicendæ ex Conſtitutione Gtegorij XIII. anno 1583. Calend. Januar. editâ, niſi Sedes Apoſtolica aliud expreſsè decernat, vel Curia obſervet contrarinm, ut refert Barboſ. de offic. Epiſc. p. 2. alleg. 27. n. 60. Tamburin. tom. 1. de jure Abbat. diſ. 22. q. 8. num. 3. Poteſt autem electa, & confirmata Abbatiſſa, etiam ante benedictionem abſolutè Abbatiſſa appellari, Tamburin. c. l. n. 7.

Reſpondetut 2. Abbatiſſæ non exemptæ, ſed ſnb Epiſcopi juriſdictione conſtitutæ, ſicut ab eo confirmari, ita ab eodem benedici debent, quæ benedici ſolent, Barb. cit. alleg. 27. n. 51. & alii apud ipſnm. At verò, ſi ſint exemptæ à juriſdictione Epiſcopi, ſed Abbati, ſeu Prælato ſui Otdinis ſubjectæ, ſicut ab illo confirmandæ, ita etiam benedicendæ ſunt ex privilegio Innocentii VIII. & Clementis VIII. ut refert Tambur. cit. q. 8. n. 2. Porrò Abbatiſſa quolibet die, etiam non feſto, benedici poteſt, idque certius eſt, quàm de Abbatis benedictione, de qua dubitatnr, an quolibet die fieri poſſit, etiam non feſto, quia longè minor benedictio eſt Abbatiſſæ, quàm Abbatis; nam Abbas benedictus Moniales benedicere, & minores Otdines conferre poteſt, gl. in cit. Clement. 2. V. ſolitæ benedici, Tambnr. cit. loc. n. 8. Au autem Abbatiſſæ perpetuæ benedictio iterari poſſit, aut debeat, quando transfertur ad Abbatiam alterius Monaſterii, aliqui DD. aſſerunt, alii verò probabiliùs negant, cùm non appateat ratio cur ſit repetenda, Navarr. lib. 3. conſil. 2. n. 4. de ſtatu Monach. Azor. c. l. Mitand. tract. de Monial. q. 7. a. 7. & alii.

SECTIO IX.

DE ELECTIONE SUMMI Pontificis.

§. I.

De iis, quibus competit poteſtas eligendi Romanum Pontificem.

CCCCXIX. Quæritur 1. Ad quos pertineat jus eligendi ſupremum Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem? Reſpondetur illnd ſpectare ad Romanæ Eccleſiæ Catdinales, ut conſtat ex c. Licèt 6. h. t. & c. Ubi 3. eod. in 6. Nam cùm electio Prælati ex prima Eccleſiarum inſtitutione ad Clerum, ſive Collegium Clericotum ſpectet, c. 1. h. t. Cardinales autem ſint præcipua pars Cleri Romani, qui veluti Capitulum Eccleſiæ Romanæ repræſentant, ideò meritò ad ipſos Romani Pontificis, qui & ipſe S. Petri Principis Apoſtolorum Succeſſor eſt, electio ſpectat, ut notat Laym. in c. Licèt 6. n. 1. h. t. Etſi verò olim Romanus Pontifex eligebatur à Clero, populo nominante, & poſtulante, quem vellet Pontificem, qui poſtea ab Imperatore approbabatur, & confitmabatur, ut colligitur ex decreto Nicolai II. in Concilio Carthaginenſi, quod refertur in c. 1. diſ. 23. quod jus contra Canones, & illegitimè ſibi uſurpârunt aliquot Impetatores, nt refert Azor p. 2. lib. 4. c. 2. q. 2. Poſtea tamen hic abuſus ab aliis Pontificibns, etiam conſentientibus Imperatoribus, eſt abrogatus, & libera electio S. Pontificis Clero relicta, & reſtituta, ut videre eſt in c. Cùm Hadrianus 29. & c. Ego Ludovicus 30. & aliis ſeqq. diſ. 63.

CCCCXX. Cæterùm Catdinalis à Papa creatus, etſi nondum adeptus ſit pileum, & alia inſignia Cardinalitia, quæ juxta Romanæ Cnriæ motem, Cardinalibus dari ſolent, jus ſuffragii in electione Pontificis habet, quia ſimul, ac à Papa nominatus, & creatus eſt, omnem poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiam obtinet, etſi poſſeſſionem nondum nactus ſit: ſicut Abbas, etſi non benedictus, omnem juriſdictionem babet, & Pontificalibus Inſignibus uti poteſt, Azor cit. c. 2. q. 7.

Deinde quamvìs in aliis electionibus, Canonicus, v. g. juſtè impeditus ſuffragium ſuum poſſit alteri committere, c. Si quis 46. h. t. in 6. non tamen in electione Pontificis, Cardinalis, ex juſta cauſa, abſens, vel recedens, poteſt alteri Cardinali demandare ſuffragium ſuum, quia id Cardinalibus jure non eſt conceſſum, Franc. in c. Ubi periculum 3. §. Sanè, num. 2. h. t. in 6. Azor cit. c. 2. quæſt. 9.

Illud quoque hîc notandum, Cardinales eligentes Papam non dant illi poteſtatem, & juriſdictionem Pontificiam, quam ipſi non habent, adeóque nec alteri dare poſſunt: ſed nominant tantùm,

deſi-

deſignant, & eligunt Papam: cui ab ipſis nominato, & electo Chriſtus immediatè confert poteſtatem Pontificiam, quàm ſe daturum, promiſit, eo ipſo, quo Petrum Vicarium ſuum in terra conſtituit, omnéſque ejus legitimos Succeſſores, & idcirco ei, quem Cardinales in Pontificem elegerunt, poteſtatem à Chriſto acceptam auferre nequeunt, Azor cit. loc. q. 14.

CCCCXXI. Quæritur 2. Si congregato Concilio Generali, in eo declaretur, Papam à Cardinalibus illegitimè electum eſſe, ideóque à gradu Pontificatûs amoveatur, an tum electio alterius Pontificis ſpectet ad Concilium Generale? Reſpondetur probabilius eſt, etiam in hoc caſu, poteſtatem eligendi ad ſolos Cardinales pertinere, ut docét Azor cit. c. 2. q. 13. quia ea poteſtas eligendi eſt Cardinalibus conceſſa in c. Licet 6. h. t. auctoritate Romani Pontificis, cum approbatione Generalis Concilij Lateranenſis, ergo non poteſt illis jure auferri, ſolâ auctoritate Concilij, niſi Romani quoque Pontificis conſenſus acceſſerit. Excipi tamen debet, niſi gravis neceſſitas ſubſit adimendi Cardinalibus poteſtatem eligendi Papam, v. g. ad ſchiſma tollendum, cui pleri que Cardinales faverent, vel ex alia gravi cauſa ſuſpecti forent, tum enim ob commune Eccleſiæ bonum, electio Pontificis, pro ea vice, à Concilio Generali facienda eſſet. Neque verò poteſtas eligendi Cardinalibus eſt conceſſa limitatè ad ſolum caſum mortis, vel renuntiationis ipſius Papæ, ut ſupponit contraria ſententia, ſed abſolutè, & ſinè reſtrictione, etiamſi ex alia cauſa Pontificia Sedes vacet, præterquam ſi urgens neceſſitas aliud exigat, vel juſta cauſa.

CCCCXXII. Quæritur 3. Ad quos ſpectaret electio Papæ, ſi fortè omnes Cardinales eſſent mortui, v. g. peſte ſublati? Reſpondetur, ea pertineret, vel ad Clerum Romanum, ut cenſent Hoſtienſ. in c. Licèt 6. V. inter Cardinales h. t. & Abb. ibidem n. ult. tum quia difficile eſſet totius Chriſtiani Orbis Epiſcopos, vel Generale Concilium convocare, tum quia ad Clerum pertinet ſuum Epiſcopum eligere; Papa autem eſt Epiſcopus Urbis Romanæ: & quidem ejus electio hoc caſu pertineret ad Clerum Romanum, ſive Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis, quia in hac Eccleſia Pontifex olim Cathedram, & Sedem habuit, & in ea hodie etiam Pontificatûs ſui poſſeſſionem accipit, & adipiſcitur. Vel potiùs hoc caſu jus eligendi Papam devolveretur ad Generale Concilium, ut putat Decius in cit. c. Licèt num. ult. quia ſummus Pontifex, non tantùm Romanæ Urbis Epiſcopus eſt, ſed præterea etiam paſtor, & Caput totius Eccleſiæ, ac proinde ad totam Eccleſiam ejus electio pertineret, præſertim cùm ſchiſmata orirentur, ſi ſolus Clerus Romanus Pontificem eligeret. niſi tamen difficile foret Generale Concilium congregare, & periculum in mora eſſet; tum enim ad Clerum Romanum, ſive Capitulum Lateranenſe pertineret, Azor cit. c. 2. q. 11. Quòd ſi duo tantùm ex Cardinalibus eſſent ſuperſtites, reliquis omnibus mortuis, tum unus poterit alterum eligere in Papam, dummodo electus ſit idoneus, & in ſui electionem conſentiret. Si verò unus tantùm foret ſuperſtes, tum is ſolus haberet poteſtatem eligendi, non tamen poſſet eligere ſeipſum, quamvìs poſſet non ſuo proprio, ſed nomine totius Collegij, cujus jura in uno ſolo remanere poſſunt, juxta ſuprà dicta, committere poteſtatem eligendi alteri; & tum is tanquam compromiſſarius poſſet etiam iſtum eligere in Papam, modò omnis fraus, & ambitio abſit, Abbas in cit. c. Licèt, in fine, Decius ibidem in fine. Verùm de hoc meritò dubitari poteſt, quia in nimis grave præjudicium totius Eccleſiæ cedere poſſet electionem ſupremi ejus paſtoris uni ſoli committere.

CCCCXXIII. Quæritur 4. Quid juris, & poteſtatis habeat Collegium Cardinalium, Sede Apoſtolicâ vacante? Reſpondetur non fungitur Papæ juriſdictione, nec in ejuſdem exercitio ſuccedit, ut habetur in Clement. Ne Romani 2. in princ. h. t. & docet gl. communiter recepta in c. 1. V. Sede vacante de Schiſmatic. in 6. niſi quantum illi Jure Canonico conceſſum eſt, in c. Ubi periculum 3. §. Iidem quoque h. t. in 6. ubi decernitur, ut Cardinales ac» celerandæ proviſioni, ſeu electioni vacent, & ſe» nequaquam alteri negotio immiſceant, niſi forſan» neceſſitas adeò urgens incideret, ut oporteret eos» de terra ipſius Eccleſiæ, vel parte ejus defenden» da providere: vel ſi aliquod tam grande, & evidens» periculum immineret, ut omnibus, & ſingulis Car» dinalibus præſentibus, concorditer (id eſt, unani» ter, & nemine diſcrepante) videretur illi celeriter» (ſuſpenſo interim electionis negotio) eſſe occur» rendum. Veluti ſi quis pecuniâ, vel alio illicito modo, ſinè canonica electione, ſe intruderet in Sedem Apoſtolicam, poſſet à Cardinalibus, & Epiſcopis, aliiſque Clericis repelli, c. Si quis 9. diſ. 79. Sic etiam poſſunt Cardinales, cauſâ tollendi, vel ſedandi ſchiſmatis, Concilium Generale convocare: item ſi quis à duabus partibus Cardinalium electus eſſet, & ab Urbe longè diſtaret, poſſent Cardinales nonnulla negotia expedire, donec novus Papa electionem ratam haberet, ne Eccleſia damnum pateretur, Azor p. 2. lib. 4. c. 3. q. 1.

CCCCXXIV. Hinc infertur, quòd Collegium Cardinalium, Sede vacante, non poteſt Cardinales creare, nec creatis à Papa defuncto pileum dare, vel alia inſignia Cardinalitia, nec Legatos extra Curiam mittere, vel Miſſos revocare, niſi urgeat neceſſitas, hæc enim, & alia Pontifici ſunt reſervata, Azor c. l. Multò minùs poteſt idem Collegium Conſtitutiones, & leges ferre, aut latas à SS. Pontificibus corrigere, ſeu mutare, vel abrogare, vel eis aliquid addere, aut demere, præſertim in illis, quæ de electione futuri Pontificis diſponunt, prout ſtatutum habetur in Clement. Ne Romani 2. in princ. h. t. ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi opinionem, quæ aſſerit, quòd Conſtitutio Papæ Gregorij» X. circa electionem Romani Pontificis edita in Con» cilio Lugdunenſi (quæ refertur in c. Ubi pericu» lum 3. h. t. in 6.) per Collegium Cardinalium Ro» manæ Eccleſiæ, ipsâ vacante, modificari, corrigi,» vel immutari, aut quidpiam ei detrahi, vel addi,» vel in illa, aut aliqua ejus parte diſpenſari poſſit,» aut eidem per Collegium Cardinalium renunciari» tanquam veritati non conſonum, damnat, & re» probat, cum conſilio Fratrum ſuorum Cardina» lium, quia lex Superioris per inferiorem tolli non» poteſt: quales ſunt Cardinales comparatione S.»

» Pontificis. Inſuper irritum, ac inane decernit, » quicquid poteſtatis, aut juriſdictionis ad Roma» num Pontificem, dum vivit, pertinentis Cardina» les, eâdem Eccleſiâ vacante, exercuerint, niſi qua» tenus in prædicta Conſtitutione eis permittitur.

Ratio autem, cur Collegio Cardinalium denegetur exercitium juriſdictionis ad Papam pertinentis, Sede vacante, cùm tamen Collegium Canonicorum, Sede Epiſcopali vacante, poſſit exercere ea, quæ juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, eſt, ut Cardinales tantò celeriùs eligant Romanum Pontificem; nam alia plura, & maxima damna, ac mala ex tardatione & diuturnâ dilatione hujus electionis inferri poſſent Eccleſiæ, gloſſ. in cit. c. 1. V. Sede vacante in fine de Schiſmat. in 6. Azor cit. c. 3. q. 1.

Confirmatur, quia Vicariatus Eccleſiæ univerſalis à Chriſto ſoli Petro, ejúſque Succeſſoribus datus fuit, nec tranſit in alium, Sede Pontificiâ vacante, nec propterea, Papâ mortuo, vel cedente, grex fidelium eſt ſinè Paſtore, vel Eccleſia ſinè Sponſo, quia Sponſus, Rector, & Paſtor eſt Chriſtus, & Caput Eccleſiæ, quæ eſt ejus Corpus, gl. in cit. Clement. 2. V. non conſonam, Abb. ibid. n. 7. ubi n. 8. addit, quòd nec Vicaria, Sede Apoſtolicâ vacante, tranſeat ad Generale Concilium, ac proinde non poterit illud exercere poteſtatem ſpectantem ad Papam. Neque etiam obſtat, ſi quis dicat, Cardinales poſſunt, quod eſt majus, nempe Pontificem creare, ergo etiam poſſunt, quod minus eſt, ſcilicet Cardinalem creare. Nam negatur conſequentia, quia & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis creat Epiſcopum; non tamen poteſt conferre beneficia, Sede vacante, quæ ad collationem ſolius Epiſcopi ſpectant, c. unic. §: Cùm verò. Ne Sede vacante &c. in 6. gl. in cit. Clement. 2. h. t. V. Poteſtatis. Neque enim hoc verum eſt, quando id, quod majus, & quod minus eſt, ſunt diverſæ naturæ, & rationis, nec unum ſubordinatum alteri, Azor c. l.

» CCCCXXV. Porrò in cit. Clement. 2. §. » Et tamen proviſo h. t. permittitur Cardinalibus, » quòd ſi vacante Sede, Eccleſiæ Romanæ Camera» rium (ad quem ſpectat temporalia pauperibus ero» gare, & qui juriſdictionem exercet, circa omnes » Cameræ Apoſtolicæ debitores, gl. hîc V. Camerarium) vel Pœnitentiarium majorem (qui ſolet eſſe Cardinalis, & tempore incluſionis in Conclavi, non poteſt per ſe exercere officium ſuum, quamvìs poſſit perſonaliter, ſi eſſet extra clauſuram, gl. hîc V. ma» jorem) vel alium ex minoribus Pœnitentiarijs » (quorum officium per mortem Pontificis non ex» ſpirat) mori contingat, vel ſi quovis alio modo » deficiat (ut ſi incideret in infirmitatem, quæ impe» dit executionem officij, vel diſcederet, aut nollet » officium exercere, gl. hîc V. quovis modo) poſſit » idem Collegium, quouſque durat vacatio Sedis, » pro numero decedentium, vel aliàs deficientium, » quin & alios numero auctiore (quantum ad Pœ» nitentiarios, ſecus quoad Camerarium) ſubroga» te, ſi id eidem Cardinalium cœtui concorditer ex» pedire viſum fuerit. Idque ſtatutum eſt, ut officium Pœnitentiariorum, Sede vacante, exerceri poſſit, quoad forum conſcientiæ, ad vitandum periculum animarum, ſed quoad forum externum, veluti in diſpenſationibus matrimonialibus, & alijs expeditionibus forum externum, ſive mixtim, ſive ſeparatim concernentibus, etiam eorum officium conquieſcit: ſicut & omnia alia officia in Urbe Romana præter hîc excepta, ſuſpenduntur, uſque ad electionem novi Pontificis, Barb. in Collectan. in cit. Clem. 2. num. 12. & 13, His adde, quòd prædicta Conſtitutio Clement. 2. ſolùm prohibet Cardinalibus exercitium juriſdictionis, Sede vacante, in ijs, quæ ad ſolius Papæ juriſdictionem ſpectant, non autem in ijs, quæ ad Collegium Cardinalium ſpectant ſinè Papa, hæc enim, etiam vacante Sede, ab ijs exerceri poſſunt, gloſſ. hîc V. pertinentis, & Abb. num. 10.

CCCCXXVI. Quæritur 5. An Cardinales debeant in Romanum Pontificem eligere aliquem ex ſuo corpore, ſeu Collegio? Reſpondetur affirmativè, ſi idoneus adſit, ut conſtat ex c. 1. diſ. 23. ubi dicitur: eligatur autem de ipſius Eccleſiæ (Romanæ) gremio, ſi reperitur idoneus, vel, ſi de ipſa non reperitur, ex alia aſſumatur. Idem expreſſiùs habetur in c. Oportebat 3. & c. ſeq. diſ. 79. ſi tamen de facto alius non Cardinalis, ſive Clericus, ſive Laicus, eligeretur in Papam à duabus partibus Cardinalium, etiamſi idoneus ex gremio adeſſet, valida foret electio, non quòd eligi non deberet Cardinalis, ſed quia contra perſonam electi à duabus partibus Cardinalium nulla inhabilitas objici poteſt ex jure poſitivo proveniens, per quam irritetur ipſa electio, niſi talis irritatio in Jure Canonico ſit expreſſa, ut conſtat ex c. Licèt 6. h. t. Azor p. 2. l. 4. c. 5. quæſt. 6. Non valeret tamen pactum initum inter Cardinales, ut non eligatur aliquis extra Collegium Cardinalium, etiamſi idoneus ex illis non reperiatur, Franc. in c. 3. §. Præterea n. 5. h. t. poſt Joan. Andr. ibid.

§. II.

De poteſtate, quam habet Papa ſtatuendi circa faciendam electionem futuri Pontificis, vel ſubſtituendi ſibi Succeſſorem, & de forma huius electionis.

CCCCXXVII. Quæritur 1. An Papa poſſit Conſtitutionem condere de forma, & modo eligendi futurum Romanum Pontificem? Reſpondetur affirmativè, ut cõſtat ex c. Si quis Papa 2. diſ. 79. & c. 1. diſ. 23. & c. Licèt 6. h. t. in princ. ubi Papa Alexãder III. » ait, quòd plura ſtatuta à Prædeceſſoribus ſuis e» manârint de vitanda diſcordia in electione Romani » Pontificis, & ipſe novam Conſtitutionẽ edidit circa » illam electionem, cum approbatione Concilij La» teranenſis, ad evitandum malum ſciſſuræ, ſeu di» viſionis, quam per improbam ambitionem ſæpe » paſſa eſt Eccleſia. Ratio eſt, quia Petro, ejúſque » Succeſſoribus tradita eſt à Chriſto poteſtas quodcunque ligandi ſuper terram, Matth. 16. ſcilicet per ſtatuta, & præcepta, præter alia, ergo etiam poterit Conſtitutionem facere ſuper electione ſui Succeſſoris ad cavenda futura ſcandala, Abb. in cit. c. Licèt num. 2.

Non

Non obſtat 1. quòd Papa non poteſt ſibi Succeſſorem nominare, vel eligere, ut tradit gl. in c. Apoſtolica 7. §. His omnibus V. Beatus, cauſ. 8. q. 1. & alij DD. communiter, ergo neque Conſtitutionem facere poteſt de forma, & ratione in eligendo Romano Pontifice ſervanda, poſt mortem ſuam. Verùm diſpar eſt ratio, quia quando eligitur Succeſſor, effectus talis electionis refertur ad tempus, quo non ampliùs erit Papa, & conſequenter invalida eſt talis electio, ob defectum poteſtatis, arg. l. Eum qui 53. ff. de juriſd. de quo poſtea: ſed Conſtitutio, quam facit Papa, dum adhuc vivit, ſuper electione Succeſſoris, admittitur, quia per illam providetur futuris ſcandalis, & in caſu, quo alius, præter ipſum, providere non poteſt, licitum autem eſt legem ferre ad vitanda futura mala, Abb. c. l.

Non obſtat 2. Quòd tractus futuri temporis non ſpectat ad judicem, l. 1. §. Nec tamen ff. de uſuris, ergo nec Papa poteſt facere ſtatutum ſuper cauſa futura. Verùm aliud eſt quoad hoc, in ſententia Judicis, & aliud in ſtatuto: nam Judex non poteſt ferre ſententiam ſuper cauſis futuris, ſi obligatio non ſit orta de præſenti; v. g. non poteſt Judex Eccleſiaſticus ſententiam excommunicationis actu ferre in aliquem propter delictum futurum: At verò bene poteſt Judex, vel Magiſtratus facere ſtatutum ad præcavenda futura mala, v. g. ſtatuimus, ut nullus hoc faciat, & qui fecerit, ipſo facto ſit excommunicatus, quia ſententia de præſenti vindicat, & ligat eum, in quem fertur; non autem ſtatutum, ſeu Conſtitutio gl. in c. Romana 5. V. futuris in fine de ſentent. excommun. in 6. Abb. in cit. c. Licet n. 9.

CCCCXXVIII. Quæritur 2. An Romanus Pontifex poſſit ſibi ſubſtituere, vel eligere Succeſſorem in Papatu? Reſpondetur non ſolùm Jure Canonico, ſed etiam Jure naturali videtur eſſe prohibitũ, Papam, propriâ auctoritate, eligere, vel nominare ſibi Succeſſorem, ut docet Azor p. 2. lib. 4. c. 5. q. 3. & alij DD. communiter apud Fagnan. in c. Accepimus 5. de pactis n. 29. & ſeqq. Idque Jure Canonico eſſe prohibitum, colligitur ex c. Apoſtolica 7. §. His omnibus, junctâ gl. V. Beatus cauſ. 8. q. 1. ubi rationem reddit, quia hoc eſſet mutare ſtatum Eccleſiæ, quod Papa facere non poteſt, c. Quæ ad perpetuam 3. cauſ. 25. q. 1. Quòd autem etiam juri naturali id adverſetur, probatur ex eo, quia talis electio Succeſſoris à Papa facta cederet in grave damnũ Eccleſiæ, ſi enim electio futuri Pontificis eſſet in libero arbitrio Papæ viventis, fieri poſſet, ut ſæpe, non ob probitatem vitæ, ac morum, ſed ex inordinato affectu erga nepotes, & conſanguineos eligerentur Succeſſores in Papatu, etiamſi idonei, ac digni non eſſent; ex quo multa, & gravia incommoda, & mala toti Eccleſiæ Dei ſequerentur, Azor c. l.

Non obſtat 1. text. in c. Si tranſitus 10. diſ. 79. ubi dicitur, quòd Papa poſſit, ante tranſitum ſuum, de ſucceſſore decernere. Nam ut reſpondet gl. ibid. V. non poſſit, aliud eſt de ſui ſucceſſoris electione cum Cardinalibus deliberare, quod ibi permittitur, & poteſt fieri: & aliud, ex fundamento quaſi dignitatis ſuæ hæredem inſtituere, quod penitus prohibetur, c. Epiſcopo 3. & c. ſeq. cauſ. 8. q. 1. & nec Papæ licet. Neque etiam obſtat factum Petri eligentis ſibi ſucceſſorem S. Clementem, ut habetur in c. 1. cauſ. 8. q. 1. nam id non eſt trahendum in conſequentiam, ad cujus umbram curabantur infirmi, & ad id motus fuit inſpiratione divinâ, gl. in cit. c. Si tranſitus V. non poſſit, & Turrecrem. ibid. n. 1. Accedit, quòd ſubſtitutio illa effectum non habuit, neque enim Clemens immediatè ſucceſſit Petro in Pontificatu, ſed Linus, & huic Cletus, & Cleto Clemens, ut conſtat ex Martyrologio Romano, & Breviario, licèt non deſint, qui contrarium ſentiant. Nec etiam obſtat, quòd Papa poteſt dare poteſtatem alicui Epiſcopo, vel alij Prælato eligendi, ſeu nominandi ſibi Succeſſorem, ut conſtat ex c. Petiiſti 12. cauſ. 7. q. 1. ergo etiam ſibi ipſi. Negatur enim conſeq. quia tunc fit electio, auctoritate Papæ, non propriâ, Abb. c. l. n. 2. & Epiſcopus poteſt cum aliis diſpenſare, vel alij privilegium concedere, vel dignitatem conferre, quæ ſibi ipſi præſtare non poteſt, Turrecrem. c. l. Alij denique Canones, qui in contrarium allegantur, ita intelligendi ſunt, non quòd veræ ſubſtitutiones fuerint factæ in Sede Apoſtolica, ſed potiùs deſignationes, quia ſummi Pontifices à Cardinalibus rogati, indicârunt, quem dignum judicarent Cathedrâ Petri, ſalvâ tamen manente liberâ electione Cardinalium, Fagn. c. l. n. 61. qui fuſiùs hanc quæſtionem proſequitur.

CCCCXXIX. Quæritur 3. Quæ forma obſervanda ſit in electione Summi Pontificis? Reſp. Ea, quæ habetur in Concilio Lateranenſi can. 1. & refertur in c. Licèt 6. h. t. ubi Alexander III. ſtatuit, ut, ſi fortè Cardinales de ſubſtituendo Summo Pontifice, plenè inter ſe concordare non poſſint, & duabus partibus conſentientibus, pars tertia conſentire noluerit, vel alium nominârit, ſuffragia ſua alteri dando, ille, abſque ulla exceptione, ab Univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium conſentientibus electus fuerit, & receptus. Si quis verò à tertia, ſeu reliqua parte electus, ſive nominatus, nomen Romani Pontificis uſurpaverit, tam ipſe, quàm omnes ij, qui eum receperint, excommunicationem, & privationem, ſeu depoſitionem ab Ordine incurrant, quin & ſacra Euchariſtia eis denegetur, præterquam ſi in extremis conſtituti ſint (& pœnituerint, ut ſequitur.) Præterea ſi à paucioribus, quàm duabus Cardinalium partibus aliquis electus fuerit ad Pontificatum, nequaquam aſſumatur, &, ſi non reſipuerit, eiſdem pœnis ſubjectus erit, niſi aliorum etiam ſuffragia acceſſerint, ita, ut numerus duarum partium compleatur. Hoc tamen ſolùm locum habet in Romani Pontificis electione, nec per hoc aliis Canonicis electionibus in aliis Eccleſiis præjudicium generatur, in quibus ſufficit, ſi pars major, & ſanior eligentium conſentiat: nam ſi in his aliquod dubium poſtea ortum fuerit, Superioris judicio definiri poterit, quod non ita fieri poteſt in electione Romani Pontificis, quia non poterit ad Superiorem recurſus haberi, cùm nullum in terris Superiorem habeat.

CCCCXXX. Notandum 1. Electio S. Pontificis multa habet, & diverſa ſpecialia ab aliis electionibus Prælatorum Papâ inferiorum. Veluti 1. quòd in illa non ſufficiat conſenſus majoris partis, ſed requiratur, ut duæ partes, ex tribus, Cardinalium in Conclavi præſentium, in unum conſentiant, cùm in aliis electionibus ſufficiat, ſi pars major, & ſanior eligen-

ligeotium conſentiat, cit. c.Licèt, ubi ratio redditur in fine.

2. Speciale eſt in electione Papæ, qoòd Cardinales abſentes vocaodi noo ſunt, ſed exſpectatis decem diebus, poſt moriem Pontificis, qui præſeotes tunc ſunt, poteſtatem eligendi habeant, c. Ubi periculum 3. §. Hoc ſacro, & ibi gl. V. decem. h.t.in 6:

3. Quòd in illa oon fiat collatio zeli ad zelum, aut meriti ad meritum, ſed tantùm oumeri ad oumerum, ut colligitur ex cit.c.Licèt, ibi: *nullâ exceptione*. & ibid. Abb.n.8.§.Sextum ſpeciale.

4. Quòd ſi electio Papæ ab initio invalida eſt, propter defectum ſufficientis numeri eligentium, conſentientium, quantumvis publicatum ſit ſcrutinium, poſſunt Cardinales alij reſilire ab electione, quam fecerant, & ſuffragiis ſuis accedere ad alios, ad complendum numetum duarum partium, & ſic convaleſcet electio priùs invalida: ſecus eſt in aliis electionibus aliorum Prælatorum, in quibus, poſtquam commuoi oomine ſactæ, & promulgatæ ſunt, neceſſe eſt novam electionem inchoari ab omnibus Capitularibus præſentibus, ut colligitur ex c. Auditis 29. h. t.. Abb. hîc n.8.§. Quartum ſpeciale eſt.

CCCCXXXI. 5. Speciale eſt in electione S. Pontificis, quòd non poſſit oppugnari per objectionem excommunicationis, vel alterius cenſuræ cujuſcunque ab Electoribus cootractæ, quòd Electores ſint excommunicati, vel quovis modo ſuſpenſi, aut „ interdicti, ut babetur in Clement. 2. §. Cęterùm h.t. „ ubi decernitur, ut nullus Cardinalium cuiuslibet „ (ſive juris, ſive hominis, gl. ibid. V. eodem) excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti prætextu, „ ab electiooe Pontificis valeat repelli, juribus aliis „ circa eandem electionem io ſuo robore permanentibus, & tota diſ. 79. idque ſtatutum eſt, ne ob diſſenſiones, aut ſchiſmata impediatur, aut differatur electio, ſi daretur locus exceptionibus, poſt electionem ſemel factam, ideóque meritò proviſum eſt, ut nulla poſſit obſtare eligentium cenſura, quò minùs valida ſit electio Papæ. Idque non ſolùm verum eſt, ſi aliqui Cardinales, ſed etiam, ſi omnes ſiot excommunicati, quia ibi generaliter dicitur, nullum Cardinalium, prætextu alicuius cenſuræ, poſſe ab electione illa repelli, ergo quivis illorum eſt habilis ad validè eligendum, non obſtante cenſurâ, quâ eſt ligatus; ergo etſi omnes ſint ligati, omnes ſunt habiles, quia propterea, quòd plures alij Cardinales ſint cenſurâ ligati, nullus ſit inhabilis, Suar. diſ. 14. de cenſur. ſec. 2. n. 19. Sed oeque excommunicatio, vel alia cenſura ex parte electi obſtat, quò minùs validè eligi poſſit, tum quia in cit. Clement. dicitur, quod nullus à dicta electione valeat repelli, quæ verba, cùm ſint generalia, generaliter intelligenda ſunt, quòd nullus excludi debeat, non tantùm ab electiooe activa, ſed neque à paſſiva; tum quia eligentes aliàs inhabiles, redduotur habiles ad eligendum propter electum, & valorem electioois, oe detur occaſio ſchiſmatis, & dilatioois, ergo, ſi propter hanc cauſam, impedimentum cuiuſcunque cenſuræ ſublatum eſt ex parte eligentium, ut eâ non obſtante, valida ſit electio Papæ, multò magis ex parte electi, ut bene notavit Suar. c.l. n. 20.

6. Speciale eſt, quòd electioni Papæ oulla certa forma præſcripta ſit à Jure communi, ſed ea relicta eſt arbitrio Cardinalium, ut eligant, prout volunt, per ſcrutinium publicum, aut ſecretum, vel per compromiſſum, modò duæ partes præſentium Electorum conſentiant, Abb. in cit.c.Licèt. n. 8. §. Nonum ſpeciale, ſed boc jure novo mutatum eſt, de quo infrà.

CCCCXXXII. Notandum 2. Suffragium electi non debet computari in numeto duarum partium eligentium, ut tradit gl. in cit. c. Licèt. V. à duabus partibus: ubi tamen diſtinguendum eſt; oam vel electio ſit per ſcrutinium privatum, ſeu ſecretum, & oon debet ſuffragium Electi computari in numero eligentium, quia cùm ipſe ignoret, an ab aliis fuerit electus, ooo potuit in ſecreto ſcrutinio ſibi ipſi ſuffragium dare, & nominare, ſive eligere ſeipſum, quia, tunc ob ambitiooem repelleodus eſſet. Vel electio ſit per publicum ſcrutinium, ita, ut ſuffragia palàm exprimantur, aliis audientibus, & tuoc ſuffragium electi debet computari in oumero eligentium, ſi priùs ipſe ab aliis ſit electus, & conſentiat electioni de ſe factæ; neque enim tunc notari poteſt de ambitione, cùm electio noo oriatur à ſe, ſed ſit priùs vocatus à ſuis Collegis, quorum ſuffragiis ipſe poſtea acceſſit, Abb. cit. c. Licèt. n. 13. quod etiam fieri poteſt in aliis electionibus, ut dictum ſuprà.

Illud tamen ſpeciale eſt in electione Papę, quòd, ſi aliquis, ſive in publico, ſive ſecreto ſcrutinio, cooſenſit in alium, & poſtea videat, ſe à majore parte Cardinalium electum, poſſit recedere ab electione, ſeu nominatiooe, quam fecit (quia in bac electione poſſunt etiam poſt publicatum ſcrutinium, Electores variare) &, ſi unum adhuc votum ad duas partes deſit, poteſt per acceſſum conſentiendo in electionem de ſe ſactam, illum oumerum complere, quod in electionibus aliorum Prælatorum fieri oon poteſt, Abb. in cit. c. Licèt. n. 8. & 13. Verùm cùm hodie poſt Conſtitutionem Gregorij XV. electio Papæ, quæ fit per ſcrutinium, debeat fieri per ſecreta ſchedularum ſuffragia, noo poteſt computari ſuffragium electi, ut habetur in cit. Conſtitutiooe, de quo infrà.

Notandum 3. Si electus in Papam à minore, vel ooo ſufficiente numero Cardinalium, id eſt, à pauciotibus, quàm duabus partibus, ſe gerat, ut Papam, tam ipſe, quàm, qui eum receperiot, excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri Ordinis privatione mulctentur, cit. c. Licèt. Et prior quidem pœna excomunicationis ipſo jure, ſeu facto iocurritur, Abb. ibid. o. 7. etſi oon ſit reſervata Papæ in illo c. ſed per Bullam Cœnæ, ut notat Suar. diſ. 23. de cenſur. ſec. 3. n. 2. Poſterior verò pœna privationis, ſeu depoſitionis ab Ordine per Judicis ſententiam inferenda eſt, ut paret ex verbo, *mulctentur*, quod eſt futuri temporis, Abb. c. l. & Suar. diſp. 42. de cenſur. ſec. 5. num. 10.

CCCCXXXIII. Quæritur 4. In quibus caſibus electio Romani Pontificis tanquam ipſo jure irrita oppugnari poteſt, etiamſi à duabus partibus Cardinalium facta ſit? Reſp. Si electus in Papam jure Divino, vel naturali ſit inhabilis ad Papatum, tum poteſt contra illum excipi, & peti, ut eius electio declaretur irrita, veluti ſi ſit manifeſtus hæreticus, quia hæreticus jure divino non eſt Eccleſiæ membrū, cùm ſit extra Eccleſiam, quæ eſt Congregatio fidelium, inter quos numerari non poteſt, qui veram fidem Chriſti abjecit, & conſequenter hæreticus mul-

ti

dominùs poteſt eſſe verum Capur Eccleſiæ. Et ſi Papa poteſt accuſari de hæreſi manifeſta, & nototia, ut colligitur ex c. Si Papa 6. diſ. 40. dicitur, quòd Papa à nemioe eſt judicaodus, niſi à fide ſit devjus, multò magìs, ſi eligatur nototius hæreticus io Papam, poteſt ei objici crimen hæreſis, ut deponatur, gl. io cit. c. Licèt. V. exceptiooe, & ibid. Abb. n. 11. h. t. Azor cit. c. 5. q. 7. Idem diceodum eſt, ſi mulier, arg. c. Nova 10. de pœoit. & remiſs. infaos, vel amens, qui liberum cooſenſum oon habet, eligeretur in Papam: oam interorio Alexandri III. io Coocilio Lateraoenſi telato in eit. c. Licèt, ſolùm fuit tollere omoia impedimenta juris poſitivi, ita, ut noo poſſit electo in Pontificem opponi ulla exceptio reddens inhabilem jure poſitivo, v. g. Electum eſſe laicum, vel non eſſe ſacris Ordinibus initiatum, vel excommunicatum &c, noo autem, ut noo poſſit opponi exceptio reddens inhabilem jure divino, & oaturali, quia talia Impedimenta Jus Canonicum tollere, vel ſupplete non poteſt, Abb. c. l. n. 11. Azor cit. q. 7. §. Quæres inſuper. Addit verò Abb. c. l. quòd contta electum Papam exceptio reddens eum iuhabilem ad Papatum jure divino, vel naturali, debeat oppoui, antequam adeptus eſt poſſeſſionem, ſeu adminiſtratiooem Papatûs, cùm talis exceptio excludat ioteotionem Electi, noo actionem, quia nulla actio ipſi competit tali caſu. poſtea verò noo poſſet contra illum excipi, ſed deberet accuſari, poſtquam adminiſtratiooem, & poſſeſſionem eſt adeptus, ſed exceptio reddens electum inhabilem jure poſitivo, oon debet admitti, & de hoc ſolùm loquitur cit. c. Licèt.'

CCCCXXXIV. Secundus caſus, in quo electio S. Pontificis tanquam ipſo jure irtita oppugoari poteſt, eſt, ſi ſimoniacè datâ, vel acceptâ, aut promiſsâ pecuniâ, vel ſimili pretio electus ſit, ut cooſtat ex Conſtitutiooe Julij II. Auno 1505. editâ, quæ incipit; Cùm tam divioa, & extat apud Azot cit. c. 5. q. 7. §. Deinde quæres, & colligitur ex e. Si quis pecuuia 9. diſ. 79. ubi dicitur, quòd ſimoniacè electus io Papam, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeodus ſit, nam crimen ſimoniæ à SS. Canonibus æquiparatur hæreſi, c. Eos qui 21. cauſ. 1. q. 1. & c. ult. ead. cauſ. quæſt. 7. Dicitur autem in cit. Conſtitutiooe, etiamſi duarum partinm ſuffragiis, vel unanimi Cardioalium concordiâ, nemine diſcrepante, facta ſit electio per ſimoniã, ea nulla exiſtat, & nihil juris electus in ſpiritualibus, vel temporalibus acquirat. Quòd autem huiuſmodi Conſtitutio à Papa condi potuerit, patet, quia, licèt, poſtquam Romanus Pontifex legitimè eſt electus, & creatus, oullis legibus Eccleſiaſticis, ſive irritantibns, ſive pœnalibus, obligetur: oon eoim poteſt Papa ſuis Succeſſoribus leges imponere, ſi verè, & legitimè ſior electi, cùm par in patem imperium ooo habeat, c. 20. h. t. poſſunt tamen à Papa, vel Concilio Generali tales leges ferri, quibus certa electiooìs forma præſcribatur, ita, ut aliter facta oon valeat, oe per fraudes, vel alios modos illicitos Papa eligatur, Azor. c. l. §. Et certè.

CCCCXXXV. Tertius caſus, electio Romani Pontificis facta per metum gravem, & injuſtum, jure novo, irrita quoque eſt, modò probetur, talem metnm interveoiſſe, ut ducet Azor cit. lib. 4. c. 2. q. 6. ubi id ootat ex Baldo, & conſtat ex Concilio Conſtantienſi Seſſ. 39. quam refert Azor cit. lib. 4. c. 5. q. 7. §. ſi demnm, ubi etiam additur, quòd non licet Cardinalibus ad aliam electiooem procedere, niſi priùs per Concilium Generale de nullitate electioois cognoſcatur, præterquam ſi ſic electus ipſemet ei reouociet: alioqui enim niſi ipſo jure irrita eſſet talis electio, ab Eccleſia, vel Concilio Geoerali nunquam reſcindi poſſet. Aliæ verò electiones Prælatorum, quamvìs per metum gravem, & injuſtum extortæ, noo ſunt ipſo jure, ſeu facto quoad ſubſtantiam irritæ, cùm metus voluntarium abſolutè, & ſimpliciter non tollat, neque de eo ullus Canon irritans extet, ſicut de electiooe Sum. Pontificis, quamvìs Superioris auctoritate reſcindendæ ſint, Laym. de Elect. Præl. q. 123.

Porrò ſi electio S. Pontificis facta ſit, per gravem metum injuſtè incuſſum, expreſsè, & nominatim ad hanc certam perſonam eligeodam, & ooo aliam, talis electio irrita eſt ipſo jure, adeòque oon poteſt per Cardinales poſtea ratificari, quia quando eligentes coguntur determioatè ad unum certum eligendum, adimitur libertas eligeudi conſiſtens in eo, ut electio fiat ex pluribus arbitrio eligeotium, ut habetur in c. 3. §. Cæterùm io princ. & ibi: *liberis mentibus*. h. t. in 6. & dictum ſuprà 237. Aliud eſt, ſi Electores Cardinales injuſtè cogantur indeterminatè ad eligendum unum ex pluribus determinatis perſonis, aut certo perſooarum genere; talis enim electio, abſolutè loquendo, valida foret, quia non adimitur omniuo libertas eligendi, ſed tantùm reſtringitur ad certum oumerum, vel genus perſouarum, ex quibus liberè eligere poſſuot, quem voluerint, adeóque hujuſmodi electio Papæ quoad ſubſtantiam ſubſiſtit, nec Jure Caoouico irritata reperitur, neque ab Eccleſia unquam irritari poſſet, ſicut aliæ electiones, ob ſimilem metum, poſſent. Abb. in cit. c. Licèt num. 12. h. t. Azor cit. c. 5. q. 7. §. Si demum. Alia eſt ratio de matrimooio, & Profeſſiooe religiosâ, quæ ſimili gravi, & injuſto metu extortæ, ipſo facto irritæ ſunt, quia pleoâ libertate cootrahi debent, Laym. de Elect. Præl. q. 124.

CCCCXXXVI. Quartus caſus: opponi etiam poteſt exceptio contra electionem Papæ, quòd eligeotes ooo habueriot jus eligendi, eò quòd non ſiot Eccleſiæ Romanæ Cardinales, per quam exceptionem evertitur fundamentum legitimæ electionis, ſi oſteodatur, eam ooo eſſe factam à duabus partibus Cardinalium, quæ ad Papæ electiooem ſecundùm Caoones requiruntur, dummodo defectus, qui objicitur, noo fuerit occoltus, quia de occultis non judicat Eccleſia: ſicut, ſi ſtatutum aliquod excluderet omnem exceptionem cootra ſeotentiam, oihilominus poſſet opponi, ſeutentiam latam fuiſſe ab eo, qui Judex non erat, quia ſtatutum prohibens exceptiooem cootra ſeoteotiam, ſupponit, eam eſſe ſententiam; ea verò, quæ lata eſt ab eo, qoi juriſdictionem oon habet, ooo eſt ſententia: ita in propoſito, ſecundùm SS. Canooes, requiritur ad formam ſubſtaotialem electioois S. Pontificis, ut à duabus partibus Cardinalium ſit facta, ſi ergo à minore oumero ſit facta, locum habet exceptio, per quam evertitur tota ſubſtantia, & fuodamentum hujus electionis, Abb. in cit. e. Licèt n. 10. & 11. Azor cit. q. 7. §. Quæres ioſuper.

CCCCXXXVII. Objici hîc poteſt, ſi electio S. Pon-

Pontificis poteſt eſſe irrita, ob defectum aliquem, ſive ex parte eligentium, ſive ex parte electi, ſequitur, non eſſe certum, an Eccleſia verum Pontificem, ac Paſtorem babeat? Reſpondet Laym. in cit. c. Licèt n. 4. h. t. vel defectus bujuſmodi coram Eccleſia eſt manifeſtus, vel nnn manifeſtus, ſed occnltus: priore caſu Eccleſia non recipiet talem Pontificem, ſed ejus electioni palàm reclamabit, & ſe opponet. Poſterlore caſu, ſi ponatur, v. g. occulrum hæreticum ad ſummum Pontificatum eligi, is quidem verè Caput Eccleſiæ non erit, tamen prnpter publicum errorem, ſeu ignorantiam, Deo defectum ſupplente, omnia ab eo geſta valida erunt, & obligabunt, perinde, ae ſi verus Papa eſſet, arg. l. Barbarius 3. & quæ ibi tradunt DD. ff. de offic. prætor. nec permirtet Deus, ut errorem, vel hæreſin Eccleſiæ publicè ex Cathedra proponat: quin probabile eſt, divinam Providentiam impediturum, ne unquam bærericus, vel qui ſimilem ſubſtanrialem defectum occultum habet, in Papam eligatnr.

CCCCXXXVIII. Quæritur 5. Quæ ſit novo jute forma eligendi Romanum Pontificem? Reſpondetur, Gregorius XV. novam Cnnſtiturionem edidit XVII. Calendas Decembris Anno 1621. quæ incipit, Æterni Patris, in cujus obſervationem XL. Cardinales jutârunt, in qua ſtatuit, quòd, ſi electin hujuſmodi alibi celebrata fuerit, qnàm in Conclavi clauſo, vel aliter, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium præſenrium, in ſcrutinin, & acceſſu, electi ſuffragio non computato; vel per viam compromiſſi ab omnibus Cardinaiibus ſimiliter in conclavi præſentibns, nemiue diſſentiente, initi, & ita, ut nemo ſeipſum elegerit: vel quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de ſpeciali perſona tractatu, omnium pariter Cardinalium præſentium in Conclavi, communiter, nemine itidem diſſentiente, per verbum, *eligo*, intelligibili voce prolatum; aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & invalida eo ipſo, abſque ulla declaratione, & ita electo nullum jns tribuat; quin imò is, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur &c. Et in fine derogatur expreſſè, & ſpeciaiiter, pro ea vice duntaxat, Conſtitutioni Alexandri III. in Concilin Lateranenſi editæ, quæ incipit, Licèt de vitanda, quatenus nullam ceram formam præſcribit in electione Romani Pontificis. Quam Conſtitutionem Gregorij confirmavit Urbanus VIII. in Conſtitutione, quæ incipit. Ad Romani edita v. Calend. Februarij Anno 1625. & perpetuò in omnibus futuris Romannrum Pontificum electionibus obſervari præcepit: & in fine dictæ Decretalis Concilij Lateranenſis ea in parte, quæ adverſatur buic Gregorianæ Conſtitutinni, non tantùm pro ea vice, ſed perpetuò derngavlt, ut refert Fagn. in cit. c. Licèt n. 25. h. t. Veruntamen non tantùm Jure Canonico antiquo, ſed etiam poſt novam Conſtitntionem Gregorij XV. poſſunt Cardinales in Cnnclavi præſentes compromittendo convenire, nt valeat electin Romani Pontificis à majore eorum parte facta, modò nmnes Cardinales præſentes, nemine diſſentiente, in boc compromiſſum conſenriant, quia tunc electio cenſetur facta, communi omnium Cardinalium compromittenrium conſenſu. Et quidem, talem electionem Papæ valere, Jure communi Canonico conſtat, quia in cit. c. Licet ſolùm requiritur, ut electio Papæ fiat à duabus partibus Cardinalium præſentium: at verò, qui ſic electus eſt, non tantùm à majore parte, ſed etiam à duabus partibus ex tribus, imò à toto Collegio Cardinalium præſentium cenſetur eſſe electus, ſiquidem omnes ab initio conſenſerunt, ut is eligeretur in Papam, quem major pars compromiſſariorum elegerit: compromiſſum autem ſub tali forma factum valere conſtat ex c. Cùm dilectus 32. h. t. cui nihil derogatum eſt hac in parte per Conſtitutionem Concilij Lateranenſis in cit. c. Licèt b. t. Azor cit. lib. 4. cap. 2. quæſt. 10. Sed neque poſt novam Conſtitutionem Gregorij XV. prohibita eſt, vel invalida talis electio Papæ, ſi Cardinales unanimiter, & ſimpliciter, & immediatè compromittant in majorem partem Collegij, nullâ aliâ formâ præſcriptâ, ut is ſit, & babeatur Pontifex, qui à majnre eorum parte fuerit electus; nam nova illa Conſtitutio plus non requirit ad electionem Papæ, qnæ fit per viam compromiſſi, quàm ut fiat ab omnibus Cardinalibus, nemine diſſentiente, quòd fit in hac forma compromiſſi, ut ſnppnuitur, Fagn. in cit. c. Licèt n. 29. & ſeqq. & n. 60. & ſeqq. Aliud verò eſt, ſi formæ compromiſſi miſceatur forma ſcrutinij, ut compromiſſarij votis ſingulorum per ſecretum ſcrutinium exquiſitis, eum eligant in Papam, in quem major pars Collegij Cardinalium conſenſerit; tum enim irrita eſt talis electio, quippe facta contra formam Conſtitutinnis Gregorij XV. cùm in ea non concurrant ſecreta ſuffragia duarum partium, ut requiritur in illa Conſtitutione, ſed tantùm majnris partis Collegij, cui Conſtitutioni, etiam unanimi conſenſu, non poſſunt renunciare Cardinales; tum quia boc jus publicum in favorem univerſalis Eccleſiæ introductum eſt, cui pacto privatorum renunciari non poteſt: tum quia Cardinalium Colleginm Conſtiturinnem Papæ ſuper electione Romani Pontificis immutare non poteſt, Clement. 2. in princ. b. t. & in dicta Conſtitutione opponitur decretnm irritans, qund inducit formam, ſinè qua actus non valet, nec ei renunciari poteſt, & in fine probibetur Cardinalibus, ne contra contenta in illa aliquid facere præſumant, Fagn. in cit. c. Licèt, n. 53. & n. 56. & 60. apud quem plura de bujuſmodi formis eligendi per compromiſſum videri poſſunt.

CCCCXXXIX. Prædictis addendum, quòd factâ canonicâ electione, ſecundùm formam præſcriptam, Romani, & Univerſalis Epiſcopi, ea non indigeat aliâ confirmatione, qnia Papa ſupremam poteſtatem, & juriſdictonem in rotam Eccleſiam non accipit ab Electoribus Cardinalibus, neqne ab alio Superiore, à quo per confirmationem illam accipiat, ſicut cæteri Epiſcopi, cùm Papa Superiorem in terris non habeat; ſed ea confertur Papæ immediatè à Chriſto, ex vi promiſſionis, atqne inſtitntionis B. Petro, ejúſque Succeſſoribus factæ, c. 1. diſ. 23. & c. Novit 13. de Judicijs: ubi Papa Innocentius III. ait: *Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo*. Abb. in cit. c. Licèt n. 5.

Ex conſuetudine tamen poſt electionem, (ſi Papa electus non fuit Epiſcopus) conſecrari, vel jam conſecratus coronari ſolet, quod antequam fiat, in Bullis non ſe abſolutè nominat Epiſcopum, ſed electum Epiſcopum; ſicut ner Imperator appellatur, niſi coronâ ſuſceptâ: neque etiam ante coronationem electus in Papam ſcribit in litteris, Data Pontificatûs noſtri, ſed Data ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs officij, ut notat gl. in reg. Juris, ſuper Data V. Pontificatûs.

§ III.

De tempore, loco, & aliis obſervandis in Electione Romani Pontificis.

CCCCXL. De his agitur in c. Ubi periculum ſ. h. t. in 6. quod eſt deſumptum ex Generali Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. c. 2. nam quia, ubi majus periculum imminet, ibi diligentiùs eſt proſpiciendum: conſtat, ex diuturna vacatione Romanæ Eccleſiæ gravia pericula provenire poſſe: idcirco dictus Pontifex inprimis confirmat ea, quæ ab Anteceſſoribus ſuis (in c. 1. diſt. 23. & tota diſ. 79. & præcipuè ſub Alexandro III. in c. Licèt 6. h. t.) de electione Romani Pontificis ſunt ſtatuta, quibus quædam addenda eſſe, neceſſarium judicavit.

CCCCXLI. Velnti 1. Si Pontifex in civitate, in qua cum ſua Curia reſidebat, moriatur, Cardinales, qui in ea Civitate tunc fuerint præſentes, debent abſentes expectare tantùm decem diebus, quibus elapſis, ſive abſentes venerint, ſive non, omnes convenire debent, in palatio, in quo Pontifex habitaverat: & ſingulis permittitur unus, qui eis inſerviat, ſive Clericus, ſive laicus, vel ad ſummum duo alicui inſervientes permittuntur, ob manifeſtam neceſſitatem, ſi unus non ſuffiriat, ita habetur in cit. c. 3. §. Hoc ſacro.

Hinc colligitur, quòd Cardinales abſentes non ſunt vocandi, ſeu citandi ad electionem Pontificis, ſed tantùm exſpectandi per decem dies, qui computantur à tempore mortis Papæ, quia illa non præſumitur poſſe occultari, gl. hîc V. decem diebus, Joan. Andr. & Franc. hîc n. 14. Sed etſi per 10. dies non ſit expectatum, Cardinales abſentes non poſſunt agere de rontemptu: ſed nihilominus electio valet, dummodo facta ſit à duabus partibus Cardinalium præſentium in loco, ubi debet fieri electio, gl. hîc V. 10. diebus in fine, Franc. n. 16. & 17. quibus etiam ſubſcribit Azor cit. l. 4. c. 2. q. 5. §. Sed dubiæ quæſtionis eſt, quia tempus, & locus non ad ſubſtantiam electionis ſpectant, ſed inter accidentia nitmerantur, contra quam nulla exceptio poſitivi juris opponi poteſt.

CCCCXLII. Secundò, in uno conclavi, nullo intermedio pariete, vel alio velamine, omnes ſimul habitent in communi, illúdve undique clauſum ſit, præter liberum aditum ad ſecretã Cameram, cit. c. 3. §. In eodem. idque ſtatutum eſt, ne fraus committatur, Franc. hîc n. 8. Nulli etiam ad eoſdem Cardinales pateat aditus, vel facultas detur ſecretè cum eis loquendi, ner ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium præſentium, vocarentur ad tractandum cum eis, quæ ad electionis inſtantis negotium pertinent, (nempe advocati, vel tabelliones, vel Religioſi viri, gl. hîc V. vocarentur) eod. c. §. Nulli ad eoſdem. Prohibetur etiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ne quis Cardinalibus, vel uni eorum nuncium, vel ſcripturam mittat, ibid. §. Nulli etiam fas ſit. Cùm autem Papa non reſervaverit ſibi abſolutionem huius excommunicationis latæ ſententiæ, Ordinarius abſolvere poterit, gl. hîc V. Incurrat. In prædicto tamen Conclavi aliqua feneſtra aperta relinquatur, per quam ad victum neceſſaria commodè miniſtrentur, tam arcta tamen, ut nullus per eam intrare poſſit, vel exire, ibid. §. in conclavi.

CCCCXLIII. Tertiò, ſi Cardinales, intra tres dies, poſteaquam conclave ingreſſi ſunt, Eccleſiæ de Paſtore non providerunt, quinque ſequentibus diebus, unum tantùm ferculum, tam in prandio, quàm in cœna eis præbeatur: ſin autem neque per hos quinq; dies Pontificem elegerint, deinceps nihil ipſis præbeatur, præter panem, vinum, & aquam, donec proviſio, ſeu electio Papæ ſubſecuta ſit, eod. c. §. Verùm.

Quartò ſtatuitur, ut Cardinales, nihil omnino ex Camera Pontificis, vel ex aliis obventionibus, ſeu reditibus undecunque provenientibus Sedis vacantis recipiant, vel ſibi uſurpent, ſed ea omnia diſpoſitioni futuri Pontificis reſerventur, alioquin, qui aliquid receperint, ſuſpenſi ſunt à perceptione omnium redituum ad eos ſpectãtium, donec, quod acceperint, plenè reſtituant, & ſatisfaciant, ibid. §. proviſionis.

CCCCXLIV. Quintò, ſi aliquis ex Cardinalibus conclave non intraverit, vel ingreſſus, ſinè manifeſta cauſa infirmitatis (alia ergo neceſſitas non excuſat, gl. hîc V. infirmitatis) exiverit, ipſo non requiſito, neque etiam ampliùs admiſſo, in negotio ejuſdem electionis per alios procedatur. Si verò ob infirmitatem ſupervenientem, aliquis ex Cardinalibus è conclavi exiverit, poterit, eius ſuffragio non requiſito, ad electionem procedi, ſed, ſi ſanitate recuperatâ, vel antè, ad alios redire voluerit: vel etiam ſi aliquis ex abſentibus Cardinalibus poſt decem dies ſupervenerit, re adhuc integrâ, ſi nimirum necdum Eccleſiæ de Paſtore ſit proviſum, ad electionis negotium in eo ſtatu, in quo ipſum repererint, proſequendum admitti debent: ita tamen, ut quæ de clauſura, de ſervientibus, cibo ac potu, & reliquis ſtatuta ſunt, ipſi quoque, ſicut alij Cardinales ſervent, cit. c. 3. §. Sanè ſi aliquis. Ex quo gl. ibid. V. potu infert, ſi Cardinalis abſens veniat poſt diem octavum ab ingreſſu Conclavis, ipſe quoque, præter panem, vinum, & aquam, ad victum nihil habebit, ſicut alij, quia ſæpe ſinè culpa punitur quis ex cauſa.

Hinc etiam colligitur, quòd, licèt in aliis electionibus Prælatorum Capitularis juſtè impeditus, quò minùs intereſſe poſſit electioni, alteri committere vicem, & ſuffragium ſuum poſſit, c. pen. h. t. in 6. & dictum ſuprà: tamen in electione Papæ, Cardinalis abſens ex juſta cauſa, vel recedens, non poteſt ſuam vocem, ſeu ſuffragium alteri Cardinali committere, nec Procuratorem loco ſui conſtituere, quia id Cardinalibus jure non eſt conceſsũ. Anchar. hîc & Franc. §. Sanè. n. 2. Azor cit. l. 4. c. 2. q. 9.

CCCCXLV.

CCCCXLV. Sextò, ſi Romanus Pontifex, extra civitatem,in qua cum Curia ſua reſidebat, ex hac vita fortè migraverit, tenentur Cardinales in ea civitate, in cuius territorio, ſeu diſtrictu (id eſt Diœceſi, gl. hic V. territorio, & ex infrà dicendis patebit) Pontifex obiit, convenire, ad electionem faciendam, niſi ea fuerit interdicta, vel Romanæ Eccleſiæ apertè rebellis exiſtat,tunc enim (vel ſi ob aliam cauſam idibi fieri non poſſit) in alia vicina civitate conveniant, ſimiliter non interdicta, nec apertè rebelli ad electionem peragendam, in qua omnia ſupradicta obſervanda erunt,cit.c.3. §.Porrò ſi quando. Hinc colligitur 1. Quòd electin Papæ debeat fieri in civitate, non in caſtro, vel villa, vel alio loco, niſi ille locus foret inſignis,ita,ut civitati æquipararetur, Anchar. hîc §.Porrò,&Franc.n.3. arg.c.Statutum.11.§.Nec audiantur de reſcript.in 6. 2. In loco interdicto non debet celebrari electio Papæ; tametſi verò in tali loco perageretur, nihilominus valeret electio, quia nulla contra illam huiuſmodi exceptio admittitur,gl.hîc V.interdicta. 3. Si actus aliquis non poſſit fieri in locu ſtatuto,tunc debet fieri in loco magìs propinquo,ita tamen,ut locus ſubrogatus eaſdem qualitates habeat, & iiſdem ſtatutis reguletur, quibus prior locus, cui ſubrogatur, quia ſubrogata aſſumunt naturam eius, in cuius locum ſubrogantur, Franc.hîc n.5.

CCCCXLVI. Septimò. Domini, Rectores, & Officiales eius civitatis, in qua Romani Pontificis electio celebranda eſt, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & Concilij Lateranenſis approbatione, omnia,quæ prædicta ſunt,obſervari faciant, nec tamen ampliùs aliquid contra Cardinales præſumant: præſtito ſuper his obſervandis corporali juramento,coram Clero, & populo univerſo civitatis ad hoc ſpecialiter convocandis. Quòd ſi prædicta non obſervaverint,eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, & perpetuò ſint infames, nec unquam eis portæ dignitatum pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Inſuper bonis, quæ à Romana Eccleſia, vel aliis Eccleſiis obtinent, ipſo facto ſint privati. Civitas verò prædicta (in qua ſecundùm diſtinctionem ſuperiùs datam,electio facienda erat) interdicto ſupponatur, & Epiſcopali dignitate privetur. Cardinales autem liberè ad Eccleſias ſuas, & rerum adminiſtrationem revertantur,ita habetur in cit.c. 3. §. Præterea.

Eſt autem hic caſus ſpecialis, in quo laici Officiales juriſdictionem habent in Clericos, etiam Cardinales, poteſtate hac à Papa eis traditâ, ídque ob bonum publicum, & Superioris defectum, ac moræ periculum,ob quod multa aliàs prohibita ſunt conceſſa,gl.hîc V.præſumant in addit.Anchar.& Franc.n.1. Hinc etiam patet,quòd Eccleſia poteſt laicos privare officiis, ac bonis obtentis ab Eccleſia, & perpetuam infamiam irrogare, Franc.hîc n.3. Item civitas propter delictum adminiſtratorum poteſt privari dignitate Epiſcopali, Anchar. hîc, &Franc.n.4.

CCCCXLVII. Octavò, hortatur Pontifex in cit.c.3. §.Cæterùm,ut ſepoſito omni privato, & inordinato affectu, liberè, & celeriter Eccleſiæ Univerſali de idoneo Paſtore,Rectore, ac Sponſo provideant: & omnia pacta,conventiones, obligationes,& juramenta,ſi qua inter Cardinales fiant, (videlicet de certa perſona, aut ex certa aliqua natione,vel civitate in Pontificem eligenda) penitus irrita eſſe declarat,& decernit. Hinc patet, quòd Papa poteſt tollere, & caſſare illicitas promiſſiones juratas factas inter ſubditos, quia Deo magìs acceptæ ſunt tranſgreſſiones huiuſmodi promiſſionũ, quàm obſervationes, ut hîc dicitur in fine, §. Cæterum, Franc. hîc n. 7.

Nonò. Denique in §. Quia verò cit.c.3. præcipit Pontifex, ut auditâ morte Romani Pontificis, in civitatibus, & aliis locis inſignibus ſolemnes Exequiæ pro eo celebrentur: & preces quotidie ad Deum à fidelibus pro concordi,& Eccleſiæ utili novi Pontificis electione fundantur, donec certus de eadem rumor, ſeu nuncius fuerit allatus. Prælati verò Eccleſiarum,& Prædicatores Verbi Dei, Clerum, & populum, ad huiuſmodi orationum frequentiam,& jeiuniorum obſervantiam, prout circumſtantiæ ſuaſerint, hortentur.

CCCCXLVIII. Cæterùm prædicta Conſtitutio Concilij Lugdunenſis in cit. c.3. h.t. in 6. quoad plura magìs declaratur in Clement. 2. h.t. Nam 1. quod dictum eſt in cit. c. 3. §.Porrò, ſi Papa extra civitatem, in qua cum ſua Curia erat, moriatur, electionem ſucceſſoris regulariter celebrandam eſſe in ea civitate,in cuius diſtrictu, ſeu territorio mortuus eſt Papa Anteceſſor,ibi nomine diſtrictûs, ſeu territorij Diœceſis intelligenda eſt: præterquam ſi in certo loco cauſarum, & litterarum Apoſtolicarum Audientiâ remanente, Papam alibi (id eſt, in loco alterius Diœceſis) mori contingat: tum enim non ibi, (id eſt,in loco, ubi mortuus eſt Papa,) ſed ubi prædicta Audientia fuit, electio novi Papæ fieri debet,quamvìs eadem audientia propter obitum Pontificis, tunc vacet: niſi forſan idem Papa, ante mortem ſuam, ordinâſſet, Curiam transferendam eſſe (ad aliam Diœceſin) quo caſu ſervanda eſt proviſio prædictæ Conſtitutionis (nempe, ut fiat electio in loco,ubi Papa moritur,juxta cit.§.Porrò,ita habetur in cit. Clem. 2. §. Sanè.h.t. Ratio prioris partis eſt, quia fines territoriorum temporalium ſæpe per mutationes Dominorum temporalium variantur: Diœceſes autem magìs ſtabiles manent, gloſſ. hîc V. Diœceſin. V.g. ſi Papa moriatur in loco aliquo pertinente ad territorium, & juriſdictionem temporalem civitatis Bononienſis,ſed qui eſt ſitus in Diœceſi Mutinenſi, electio novi Papæ fieri debet in civitate Mutinenſi,non Bononienſi. Idémque dicendum eſt, ſi Papa extra Civitatem Romanam, in qua erat Curia, non quidem moriatur, ſed cedat, ſive renunciet dignitati Papali; nam etiã hoc caſu in civitate,in cuius diœceſi ceſſit, ſeu renunciavit, electio novi Papæ peragenda eſt,quia tunc quoad Sedem cenſetur mortuus, cùm hîc eadem ſit ratio, & favor proviſionis Eccleſiæ,& ceſſet ambitio,ideo etiam eadem diſpoſitio juris locum habet: præſertim cùm etiam mors civilis æquiparetur naturali; quando utraque operatur eundem effectum,gl.in cit.Clem.2.§.Sanè V.moriente, juncta gl.marg.

Ratio autem,cur moriente, vel cedente Papâ, extra Curiam Romanam, electio Succeſſoris fieri debeat in loco, ubi erat cauſarum, & litterarum Apoſtolicarum audientia, dari poteſt, quia ubi eſt cauſa-

rum

Digitized by Google

tum aodientia, ibi cenſetur eſſe Cutia Papæ, etſi ibi oon ſit Papa, adeóque fingitur etiam ibi eſſe mortuus, etſi ibi non ſit, Vivian. in Ration. in cit. Clement. 2. Barb. in collectan. ibid. §. Sanè n. 17. Quòd ſi priùs ſtatuit Papa transferre Curiam, non cenſetur Papa mortuus in loco Curiæ, quam aliò transferre voluit, ſed conſideratur locus, in quo re ipsâ mortuus eſt, Vivian. e. l.

CCCCXLIX. Prætetea prædicta Conſtitutiò c. 3. h. t. in 6. extenditur in cit. Clement. 2. §. Porrò eodem, ad alium caſum non determinatum in illo c. nempe, ut, ſi omnes Cardinales, ſimul, vel ſucceſſivè, oon electo Romano Pontifice, exiverint è Conclavi, hi, ad quos pertinet executio dictæ Conſtitutionis Gregorij X. (de quibus io §. Præterea cit. c. 3.) quamprimum poterunt, compellant ad iterum iotrandum Conclave illos, qoos infirmitas corporis, vel nota debilitas non excuſat, alioquin, ſi id non fecerint, pœnas in dicta Conſtitutione §. Prætetca, contentas incurrant. Cardinales autem Conclave reintrantes ad electionem Papæ procedant, & Conſtitotionem prædictam obſervent, ſecundùm ſtatum, in quo erant, in eodem Conclavi, quando ex illo exiverunt. Porrò ſi non omnes, ſed ſolùm aliqui, unus, vel plures egreſſi ſint Conclave, penes alios remanet jus eligendi Papam, ut colligitur ex cit. c. 3. §. Sanè, quia Capitulo, ſeu Collegio jam congregato ex duabus partibus, illud non diſſolvitur per receſſum etiam majoris partis, ſed penes partem etiam minorem remanet jus Collegij, gl. in cit. Clem. 2. §. Porrò V. omnes, & ibi gl. margin. de quo etiam dictum ſuprà.

CCCCL. Denique in eadem Clement. 2. §. Verùm ſtatuitur, ut electi (ſcilicet Eccleſiarum Cathedralium, vel Regularium, quos arctat, ſeu obligat Conſtitutio c. Cupientes 16. h. t. io 6. niſi ſint juſtè impediti, gl. hîc V. mittere) & alij, qui ex quacunqoe cauſa ad Sedem Apoſtolicam venire, vel mittere teoentur, (ot perſonæ inſtructæ, opponentes, vel appellantes, juxta cit. c. Cupientes, gl. hîc V. alij, & V. quacunque causâ) ad ipſam tempore, quo vacat, venire, vel mittere teneantur perinde, ac ſi non vacaret. Ratio eſt, quia præſumendum eſt probabiliter, & ſperandum, quòd electio Papæ brevì futura ſit, ut habetur in textu, & ideo propter celerem expeditionem negotiorum ad Eccleſias pertinentium, melius eſt priùs accedere, ante electionem Papæ, quàm differre poſt illam, Anchar. apod Vivian. in Ration. hîc §. Verùm. Neque obſtat, qoòd citatus ad Curiam, mortuo Papâ, non tenetur venire, & Sede vacante, nihil eſt innovandum, c. 1. Ne Sede vacante &c. quia iſti noo veniunt ad Sedem Apoſtolicam, ut aliquid innovent, eâ vacante; vel, ut citati ſe ſiſtant Papæ defuncto, ſed ut ſint parati ad proſequeodam cauſam ſuam, quamprimum novus Papa electus fuerit, qui cùm quovis die eligi poſſit, ſemper debent eſſe parati, gl. hîc V. Verùm in fine.

CCCCLI. Porrò ne electi, qui pro ſuarum electionum negotio ad Curiam veoire perſonaliter; vel procuratores ſufficienter inſtructos mittere tenentur, etiam Sede vacante, interim ibi diſpendia patiantur, ideo ſtatutum eſt in Extravag. 1. Joan. XXII. h. t. quòd, ſi perſonaliter ſe præſentârunt, & fecerunt, quod de jure debebant, ſive Sede non vacante, ſive etiam eâ vacaote, non tenentur in ipſa Curia permanere, aut moram trahere, &, licèt alibi interim moreotur (ſive io loco propinquo; ſive remoto à Curia Papæ, gl. hîc V. ubilibet) nullum eis, vel juri eorum (per electionem quæſito) præjudicium generetur.

CCCCLII. Additur hîc alia Conſtitotio, quæ extat in Extravag. ſuſcepti 2. Joan. XXII. h. t. ubi ſtatuitur, ut, ſi io aliqua Eccleſia longo tempore obſervatum fuerit, ut fructus primi, vel ſecuodi, vel alterius anni ſequentis, beneficiorum vacantium in eiſdem defuncti (pro anima ipſius, vel hæredibus ejuſdem (vel fabricæ) Eccleſiæ, aut alterius pij loci) vel ipſis Eccleſijs, vel alijs perſonis, ex conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto habentibus annalia, ſive annualia, in totum applicentur, nihil exinde ultra ſumam, pro qua unumquodque beneficiorum ipſorum in ſolutione decimæ taxati conſueverunt, percipiant, & reſiduum obtinentibus beneficia remaneat, ita tamen, ut in optiooe eorum, quibus annalia debentur, vel collectorum eorundem ſit, vel taxatiooem decimæ, vel reſiduum fructuum percipere. Quæ optio, ſi iofra 10. dies, poſtquam ſciverint, beneficia vacare, facta non ſit, ad eum, cujus eſt beneficium, ipſo jure tranſeat ea optio, ſeu electio. In illis verò Eccleſijs, vel locis, io quibus taxatio decimarum fieri non conſuevit, fructus beneficij vacantis, ex quibus decima ſolvi conſuevit, ſecundùm dimidiam partem dividendi ſunt inter percipientes annualia, & beneficiatum pro ſuſtentatione ſua, & alijs Eccleſiæ ooeribus ſupportandis. Quòd ſi alterutra pars hac diviſione nolit eſſe contenta, tum ea, quæ acquieſcit, omoes fructus beneficij percipiet, ita tamen, ut eidem beneficio coogruè faciat deſerviri, & onera ei annexa ferat. Si quis verò prædictorum (ſcilicet qui habet jus percipiendi anoalia, vel beneficiatus) ultra præmiſſa (id eſt, ultra taxationem decimæ, vel reſiduum in beoeficijs pro decima taxatis) aliquid perceperit, ſi infra menſem actu non reſtitoerit, ſi Epiſcopus ſit, vel Prælatus eo Superior, ipſo facto à Pontificialibus, & ingreſſu Eccleſiæ ſit ſuſpenſus: ſi verò ſit Capitulum, ooiverſitas, vel Collegium, eo ipſo interdicto Eccleſiaſtico ſubjaceat, dooec integrè reſtituerit. Si verò ſit particularis perſona, Eccleſiaſtica, vel ſecolaris, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat, à qua non præmiſſâ reſtitutioue, præterquam in mortis articulo, ooo abſolvatur: non obſtantibus quibuscunque privilegiis, conſuetudinibus, vel ſtatutis, juramento, confirmatione Sedis Apoſtolicæ, vel aliâ ratione firmatis. Putat tamen gl. hîc V. minimè abſolvatur, quòd ab hac excommunicatione Ordinarius abſolvere poſſit facientem reſtitutionem, cùm eam Papa ſibi non reſervaverit.

Verùm hæc Conſtitutio ad huoc Titulum propriè oon pertinet, ideóque diutius io illa non eſt immorandum, eáque repetitur infrà in Extrav. unic. Ne Sede vacaote inter communes.

§. IV.

De Electione Senatorum, & Rectorum, & ſimilium Officialium Vrbis Romæ.

CCCCLIII. De hac agitur in c. fundamenta 17. h. t. in 6. ubi Papa Nicolaus III. inprimis præfatur, quòd Chriſtus Dominus in militante Eccleſia B. Petrum Apoſtolum ſummum Paſtorem, & Caput reliquorum Apoſtolorum, & omnium fidelium conſtituerit, ita, ut dona ſua ab ipſo, quaſi Capite, velut in corpus omne diffunderet, & quidem firmiter, ac perpetuò, ut talis ſumma poteſtas in Succeſſoribus Petri ſemper duret. Sed & idem Servator S. Petro B. Paulum tanquam ſocium in Apoſtolatu Gentium adjunxit. Et per utriuſque doctrinam, ac prædicationem Romæ Evangelium reſplenduit, atque per eorum glorioſum Martyrium, & mortem Urbs Roma Chriſto eſt conſecrata. Deinde idem Nicolaus III. §. ne autem, ſubjungit, divinâ providentiâ factum fuiſſe, ut Conſtantinus Imperator, poſt Chriſti fidem, & baptiſma ſuſceptum, unâ cum Satrapis, & Optimaribus, univerſo Senatu, & populo, Urbem Romam Sylveſtro I. Romanæ Urbis Epiſcopo, ejúſque Succeſſoribus donârit, idque, ne Eccleſia temporalibus careret auxilijs, & Sedes Petri in Urbe Roma collocata plenâ libertate poriretur: His præmiſſis, quia omnino decet, ut ipſe Pontifex, & Cardinales ſecurè convenire, ſive ad eligendum Papam, ſive ad promovendos, & creandos novos Cardinales, & alia, quæ pro tempore imminent, ſeu occurrunt, liberè, & ſine cujuſque impedimento, decernere, & peragere poſſint: ideo ſtatuit idem Pontifex, ut in poſterum nullus Imperator, Rex, Princeps, Marchio, Comes, aut Baro, vel quicunque alterius perſonæ notabilis præeminentiæ, potentiæ, vel dignitatis, frater, filius, vel nepos in Senatorem, Capitaneum, aut Patritium, vel Rectorem, ſeu quovis alio nomine vocentur, ad regimen Urbis nominetur, eligatur, ſive aliàs etiam aſſumatur, nec per ſe, nec per alium, ad breve tempus, vel in perpetuum (id eſt, donec vixerit, vel ut ad hæredes officium tranſeat, gl. hîc V. perpetuum) alij verò non ultra annum eligantur, vel aſſumantur, abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ in litteris ejuſdem expreſſa. Alioquin non ſolùm nominatio, ſeu electio, ſed etiam omnia acta ab ejuſmodi promotis ipſo jure ſint irrita: ipſique tam nominatores, ſeu electores, aut promotores, quàm auxiliatores, & fautores eorum, excommunicationem ipſo facto incurrant, à qua abſolvi non poterunt (præterquam in mortis articulo) niſi à ſolo Papa, vel ab alio, obtentâ ſpeciali ejus licentiâ. Sed & nominati, electi, ſeu promoti eandem excommunicationem contrahant; & inſuper tum ipſi, tum eorum poſteri, ſi nominationi hujuſmodi conſenſerint, omnibus feudis, privilegijs, ac quibuſvis gratijs, quas à Romana, vel alijs Eccleſijs ſunt conſecuti, in perpetuum ipſo facto privari exiſtant. Judices verò (vel etiam Advocati gloſſ. hîc V. Judices) & Tabelliones, qui contra Conſtitutionis hujus edictum patrocinari, vel inſtrumenta conficere præſumpſerint, hujuſmodi officijs ſint privari: non obſtantibus quibuſvis privilegijs, Conſtitutionibus, & conſuetudinibus, quacunque auctoritate firmatis.

Excipiuntur tamen in §. fin. ejuſdem c. illi, qui ex Urbe Romana originem trahunt, vel qui in ipſa, vel ejúſve territorio, non advenæ ſunt, ſed perpetuam habitationem, ſeu domicilium habent: ij enim ad unum tantùm annum, vel brevius tempus, ad ipſius Urbis Romanæ regimen, & officium eligi, vel aſſumi poſſunt, tametſi dictorum Principum, vel aliarum perſonarum potentium fratres, filij, vel nepotes exiſtant. Imò etiamſi ipſi, extra Urbem, & territorium ejuſdem, Comitatum, Baroniam, aut ſimilem juriſdictionem temporalem, vel perpetuam obtineant: dummodo tantæ potentiæ non ſint, ut ſpectato fine hujus Conſtitutionis, ſub ea meritò comprehendi debere cenſendi ſint.

CCCCLIV. Pro explicatione huius Cap. notandum 1. Tria colliguntur ex hoc, in princ. 1. Quòd ex Chriſti voluntate, & inſtitutione, Petrus ſit conſtitutus ſupremus Paſtor, & Caput omnium fidelium, etiam Apoſtolorum, ut patet ex illis verbis: *Dominus voluit ad omnium Apoſtolorum officium pertinere, ita tamen, ut in B. Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret.* ubi gl. V. ſummo ait: inter Apoſtolos non fuit par inſtitutio, ſed unus præfuit omnibus; quæ ſuprema poteſtas à Chriſto Petro fuit promiſſa, Math. 16. Tu es Petrus &c. & te ipsâ ei collata Joan. 21. *Paſce oves meas*, ubi verbum *paſcere* poteſtatem regendi, & imperandi ſignificat, ut patet ex 2. Reg. 5. *Tu paſces populum meum Iſraël*, & alibi, ut omnia Concilia, & PP. profitentur, de qua plura tradit Azor p. 2. l. 4. c. 9. q. 1. & alij paſſim.

2. Colligitur, quod juriſdictio, ſeu poteſtas Eccleſiaſtica à Petro, eiúſque ſucceſſore Pontifice Romano in reliquos Epiſcopos, & Eccleſiæ Paſtores deſcendat, ac derivetur, ut inſinuatur in illis verbis ſequentibus: *ut ab ipſo* (ſcilicet Petro: *quaſi quodam Capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*. Et quamvis reliqui etiam Apoſtoli omnes, & ſinguli non à Petro, ſed immediatè à Chriſto Apoſtolatum, & juriſdictionem in omnes Eccleſias, ſeu fideles acceperint, ut conſtat ex Math. 18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlis*, & Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes*; tamen eam poteſtatem acceperunt cum ſubjectione ad Petrum; nam, ut tolleretur occaſio ſchiſmatis, & unitas Eccleſiæ ſub uno Capite, & Paſtore conſervaretur, unum etiam reliquis Apoſtolis Chriſtus præpoſuit, nempe Petrum, ut ex S. Hieronymo, Gregorio, Leone I. & aliis PP. refert Laym. l. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 6. §. 1. n. 4.

3. Colligitur, quòd poteſtas data à Chriſto Petro, ſuper omnem Eccleſiâ, & populum Chriſtianum, etiam ſit ordinaria, & perpetuò in ſucceſſoribus eius duratura, uſque ad finem mundi, juxta illud Math. 16. *Ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi &c.* & indicatur hîc in illis verbis, ut Eccleſia, *Deo ædificante, conſtructa, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri conſiſteret firmitate*; quod cùm in perſona Petri impleri non poſſit, in eius ſucceſſoribus fieri debet, Azor cit. l. 4. c. 11. §. Supereſt, & Laym. c. l. n. 5. Alij verò Apoſto-

ſtoli, etſi ipſi quoque fuerint legati cum poteſtate miſſi à Chriſto in univerſum mundum, ea tamen eorum poteſtas juriſdictinnis nō fuit nrdinaria, & perpetua, ſicut Petri, ſed delegata, ſeu commiſſa, ideńque cum ijs foit extincta, & finita, nec habuerunt ſucceſſores in munére Apoſtolatûs, ſed ſolùm in Epiſcopatu, & Sacerdotio, Azot cit. lib. 4. c. 10. in 2. argum. hæreticor.

Nntaodum 2. Imperatorem Conſtantinum Urbem Romanam, eiúſque dominia, ac juta Papæ Sylveſtro, eiúſque Succeſſnribns donâſſe, & quidem conſentientibus Satrapis, & Optimatibus, Seuatu, ac populn, refertur in c. Conſtaotinus 14. diſ. 96. & io c. Fuudamenta 17. h. t. Et quidem Conſtantinus non tam dnnavir Eccleſiæ Romanæ, quæ illi dedit, quàm reddidit, quia Terræ, quas donavit, præcedentium Principum tyrannide fuerunt occupatæ, ut teſtantur plures apud Barboſ. de Offic. Epiſc. p. 1. tit. 3. c. 2. n. 78. & ſeqq.

Notandum 3. Licèt aliàs nepos dicâtur, qui deſcendit ex filio, vel filia, l. 1. §. 2. & l. 3. in fine ff. de gradib. præſertim in materia odioſa, & pœnali; attamen in hoc cap. appellatione nepotis venit etiam filius fratris, ſecundùm communem uſum loqoendi, qui ſequendus eſt, ut norat gloſſ. margio. hîc & Franc. num. 6.

SECTIO X.

DE ROMANI IMPERATORIS electione, confirmatione, conſecratione, & coronatione.

§. I.

De Electione Imperatoris Romani.

CCCCLV. De bac agitur in c. Venerabilem 34. h. t. Nam cùm in Germania electio Imperatoris in diſcordia facta eſſet, quia alij Ottonem Ducem Saxoniæ, alij Philippum Ducem Sueviæ elegerunt, Innocentius III. Papa miſir Legatum Epiſcopum Prænestinum in Germaniam, ur alterutram electionem, ſive Ottoois, ſive Philippi, quam canonicam, ſeo legitimam reperiret, coofirmaret. Legatus præmiſsâ diligente examinatione, electionem Ottnnis confirmavir, alterius electione reprobatâ. Tunc Principes, qui Philippum elegerunt, miſſis nunciis, cum littetis, ad Papam, conquesti ſunt de facto Legati in honc modum. Vel Legatos Sedis Apoſtolicæ geſſit perſnnam electoris, vel cognitotis, ſeu judicis: ſi electnris; tunc falcem miſit in alienam meſſem, electioni ſe ingerendo, adeóque derogavit Juti electioois, quod Imperij Principibus competit, illúdque ſibi uſutpavit. Si cngnitnris, ſeu Judicis, tum non rectè proceſſit, ſententiam ferendn, alrerâ parte abſente, & noo citatâ, ideóqoe non debuit contomax reputari. Ad hæc reſpondet Innocentius, ſe fateri, & agnoſcere jus eligendi Regem Romanotum in Imperarorem poſtea promovendum, ad Principes Germaniæ de jure & antiqua conſuetudine pertinere, ad quos hoc jus, ſeu poteſtas ab Apoſtolica Sede pervenir, quæ Romanum Imperium in perſnna Carnli Magni à Græcis traoſtulir in Germanos. Sed & Principes Germaniæ viciſſim agnoſcunt, quòd jus, & auctnritas examinandi perſonam electam in Regem, & ad Imperatorem promovendam, ad Romanum Pnntificem ſpectet, qui etiam eum inungſt, conſecrat, & cnrooat: eſt autem regulariter, & generaliter obſervatum, ot ad eum examinatio perſnnæ pertineat, ad quem manûs impoſitin ſpectat. Quid enim? ſi Priocipes ſive in diſcordia, ſive etiam in concordia, ſacrilegum aliquem, vel excommunicatum, vel fatuom, vel hæteticum, aut paganum in Regem eligerent, num Pontifex eum inungere, ſeu cnnſecrare, vel coronare deberet? Quare ad objectionem à Principibus propoſitam reſpondet idem Papa, quòd Legatus approbando Ottnnem, & reptobando Philippnm Ducem, nec electoris, nec cngnitoris, ſeu judicis perſnnam geſſerit; non electoris, quia nnn fecit aliquem eligi, nec elégit: non cognitoris, cùm neutrius electionem, qunad factum eligentium, confirmârit, aot infirmârit: (quia non de ſtudiis, ſeo meritis eligeotium, ſed de qualitate electorum pronunciavit, gl. hîc V. eligentium) ſed denonciatoris officium geſſit, quia Philippum Sueviæ Docem denunciavit, & declaravir indignum, Ottonem verò Regem idnneum ad Imperium nbtinendum. Quamvis præter hanc indignitatis cauſam, non deſint etiam aliæ rationes, cur à Legato contra Philippum pro Ottone ſit pronuociatum, ſeu declaratum, ſiquidem plures ex ijs, qui jns, ſeu poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem promovendum, de jure & cnnſuetndine obtinent, in Ottonem cnnſenſerunt. At verò fautores Ducis Philippi, aliis abſentibos, & contemptis, eum eligere præſumpſerunt: electinni autem, vel unius contemptos plùs obſtat, qoàm contradictio multorum: & ideo Pontifex, juſtitiâ exigente, nnn Philippom Ducem, ſed Ottonem reputat, & nominat Romanotum Regem. Præterea ſi Electores in eligendo diſcordent, Romanus Pontifex, ſi poſt admnnitionem, competente tempore, expectaverit, alteri parti favere poteſt, eiúſque electionem approbare: præſertim cùm etiam unctio, conſecratin, & cnronatio Regis in Imperarorem promovendi à Romaon Pootifice peti ſoleant, ut tum jure patet, tum exempln. Si enim Principes admoniti, & expectati, vel nnlint, vel non poſſint inter ſe conſentire, Sedes Apoſtolica Advocato, & Defenſore carebit. Nntum eſt etiam, cùm Lotharius, & Cooradus in diſcordia electi fuiſſent, Lotharium à Romano Pontifice fuiſſe coronatum, & Imperium obtinuiſſe. Quare idem Innncentius monet Principes Imperij, ut à Philippo reptobato tecedant, & Ottnni adhæreant, niſi cnntra perſonam, vel factum ipſius aliqoid objectum fuerit, vel probatum. Porro impedimenta, ob quæ Philippus Imperio indignus declaratus fuit, ſunt plora, & notoria. Veluti 1. quòd excnmmooicatione irretitus ſit electus, quam Cæleſtinus III. propter invaſionem, & devaſtationem Patrimonij S. Petri, ipſi inflixlt, eámque ceoſuram ipſemet poſtea agnovit, dum per nuncium miſſum eius abſolutionem petiit. 2. Qnia perjurii crimen commiſit, jura-

» juravit enim Henrico fratri, ſe eius filium Ftideri-
» cum ad Imperium promoturum, ſed eo non ob-
» ſtante, per ambitionem, Imperium ipſemet ſibi u-
» ſurpare præſumpſit. Nec valet excuſatio, qnam
» fortè prætendit, juramenrum illnd de eligendo Fri-
» derico illicitum fuiſſe, ideóque non obſervandum:
» nam de hac ipſa qnæſtione priùs Sedem Apoſtoli-
» cam conſulere debuiſſet, quàm propriâ temeritate,
» contra juramenrum ageret. Idque probatur exem-
» plo Iſraëlitarum, qni Gabaonitis juramentum præ-
» ſtituin, quamvìs non ſinè dolo eorum extortnm, ob
» divini numinis reverentiam ſervârunt, Joſue c. 9.
» 3. Quia Philippus, eiúſqne majores, & agnati, Ec-
» cleſiam Romanam perſecuti ſunt, ſicut & alias Ec-
» cleſias. Denique ſi Philippus Imperium obtineret,
» videtur lædi, aut minni libertas Principnm in eli-
» gendo; aliiſque ſublata ſpes, & fiducia impoſterum
» Imperium conſequendi; ſi enim Philippus in Im-
» perio ſuccederet Henrico fratri ſuo, ſicut Henricus
» ſucceſſit Friderico Patri ſno, videretur Imperium,
» non per liberam electionem, ſed jure ſucceſſionis
» obtinniſſe, idque cederet in præjudicinm Princi-
» pum, ſi non, niſi de domo Ducum Sueviæ, quaſi ne-
» ceſſariò, aliquis ad Imperium foret aſſumendus.
» Quare mandat Innocentins Duci Carinthiæ, vel ut
» alij legunt, Thuringiæ, (ad quem hæ litteræ ſcriptæ
» ſunt) ut à Philippo Sueviæ Duce recedat, non ob-
» ſtante juramenro fidelitatis, ſi quod illi præſtitit, &
» Ottoni adhæreat, qnia cùm Dux Philippus ab Im-
» perio obtinendo rejectus ſit, conſequenter etiam
» non debet obſervari juramentum, quod ei ut futu-
»ro Imperatori præſtitum fuit.

CCCCLVI. Pro explicatione huius cap. notandum 1. Romanum Imperinm, anctoritate Sedis Apoſtolicæ, à Græcis ad Germanos translatum eſt in perſona Caroli Magni, qui à Leone III. Pontifice Romæ Imperator coronatns eſt, anno Chriſti DCCXCI. juxta gloſſ. hic V. transtulit, vel veriùs ſecundùm alios Hiſtoricos, anno Chriſti DCCC. exeunte, nam quia Græci Imperatores Eccleſiam Romanam in Occidente à Longobardis, aliiſque hoſtibus partim non potuerunt, partim nolnerunt defendere, cùm eſſent hæretici Iconomachi, ideo auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Imperatoria dignitas in Carolum Magnum translata eſt, qui Germanus fuit, non ſolùm patriâ, quippe natus in Germania propè Moguntiam, ſed etiam patre Pipino genitus, origine, & ſanguine Francus Orientalis, adeóque Germanus fuit, ut docent Sigebertus, Garzias, & alij apud Laym. hîc n. 1. & conſtat expreſsè ex hoc cap. ubi dicitur, Imperium Romanum à Græcis ad Germanos translatum eſſe in perſona Caroli Magni, qnod dici non poſſet, niſi Carolus Germanus fuiſſet. Porrò hæc translatio facta eſt, ut Eccleſia in Occidente idoneum Patronum, ac defenſorem haberet, ut patet ex hoc cap. & propter præclara Caroli Magni in Eccleſiam Romanam merita, ut teſtantur Garzias, & Bellarm. apud Laym. ibid. n. 1. in fine.

CCCCLVII. Notandum 2. Ad Romanum Pontificem pertinet inquirere de qualitatibus Imperatoris electi, &, ſi idoneus, ac dignus reperiatur ad Imperium Romanum, eundem confirmare, ſive approbare, pront conſtat ex hoc c. §. Sed & Principes, & ex Clem. Romani unic. §. Nos eod. de jurejurand. ubi

dicitur: examinata perſona ipſins Henrici, prout »
abſentia patiebatur eiuſdem, & de ipſius fide, pro- »
bitate, & aliis, quæ in perſona Imperatoris ſunt me- »
ritò requirenda, cum pluribus Prælatis, & aliis ma- »
gnæ auctoritatis viris, qui eiuſdem Henrici mores, »
conditionem, & ſtatum pleniùs noverant, inquiſi- »
to, eiúſque perſona &c. idonea judicata, ipſum no- »
minavimus, denunciavimus, & declaravimus Re- »
gem Romanorum, ipſius approbantes perſonam, »
eúmqne ſufficientem, & habilem declarantes, ad »
ſuſcipiendam Imperialis Celſitudinis dignitatem. »

Notandum 3. Ad electionem Imperatoris requiritur, nt Electores in unam perſonam conſentiant, ſeu concordent, iuxta cit. Clement. unic. §. Nos eoſdem, ibi: *facta nobis de electione huiuſmodi concordi, & legitimâ plenâ fide.* Verùm non requiritur concordia propriè, & ſecundùm juris fictionem, qualis etiam ad quodvis aliud decretum, ſive actum Collegij, ſeu Univerſitatis, ſpectato Jure communi, ſufficit, Abb. hîc n. 8. & Azor p. 2. Inſtit. lib. 10. c. 4. q. 2. & colligitur ex hoc c. §. Objectioni Verſic. quamvis plures ex illis. Quare ſufficit etiam in electione Imperatoris, ſi major pars Electorum, videlicet quatuor ex ſeptem, per ſe, vel per Legatos ſnos, in eandem perſonam idoneam conſentiant, qnia, quod major pars Collegij decernit, id veluti à toto Collegio decratum videtur, l. Quod major 19. ff. ad Municip. Quòd ſi verò Electores Imperij diſſentiant, vel major pars eorum in eandem perſonam non conſentiant, nec alij ſuffragijs ſuis ad alios accedant, tum, poſteaquam admoniti fuerint, & competente tempore expectati, ſi non conveniant, ſed in diſcordia perſeverent, Romanus Pontifex, ne Eccleſia, cùm ſuo damno, advocato, & defenſore dintins careat, controverſiam dirimere, & alteri electo favere, eúmque Imperatorem declarare poteſt, prout expreſsè habetur in hoc c. §. Quod autem, Abb. ibid. num. 8. Azor cit. c. 4. q. 4. & Laym. hîc n. 13.

Notandum 4. Ad officium Imperatoris præcipuè pertinet, ut Eccleſiæ Chriſti, & Sedis Apoſtolicæ Romanæ Advocatus, ſeu Patronus, & Protector exiſtat, eam armis, & potentiâ ſuâ, quatenus poteſt, adverſùs hæreticos, & alios hoſtes fidei Catholicæ defendendo, & in alijs juſtum patrocinium præſtando, pront colligitur ex hoc c. ideóque etiam Gregorius VII. in c. in die 15. diſ. 5. de conſecrat. ait, quòd Teutonicis conceſſum ſit regnum, ſive regimen Romanæ Eccleſiæ, nempe quoad jus ſupremæ advocatiæ.

CCCCLVIII. Notandnm 5. Excommunicatio major inhabilem facit, quò minùs eâ ligatus eligi poſſit in Imperatorem, vel promoveri ad aliam dignitatē ſecularem, prout ſumitur ex hoc c. Ubi inter impedimenta promovendi in Imperatorem numeratur excommnnicatio pnblica, ac proinde electio publicè excommunicati eſt ipſo jure irrita, juxta gl. communiter receptam hîc V. electus, & Abb. n. 11. quia nemo aſſumi poteſt ad officium, à cujus exercitio ipſo jure eſt prohibitus, c. ult. de Clerico excommunic. Miniſt. excommnnicato autem prohibitum eſt omne exercitium juriſdictionis, etiam in externo foro ſeculari, ut tradunt communiter DD. Verùm contrarinm tenet Suar. diſ. 16. de cenſur. ſec. 2. num. 3. & ſeqq. nempe electionem excommuni-

cati

cati in Imperatorem, vel in Judicem ſecularem non eſſe ipſo jure, ſeu facto irritam, ſed à Superiore, ut in hoc caſu à S. Pontifice eſſe irritandam. Ratio eſt, quia, quamvìs ſecundùm Jura Canonica, electio excommunicati ad dignitatem, officium, & beneficium Eccleſiaſticum ipſo jure ſit, & decernatur irrita, c. Poſtulâſtis 7. de Cleric. excommun. min. non tamen id extendi debet ad dignitates, & officia ſecularia; tum quia major ratio eſt prohibendi, & excludendi excommunicatum à ſpiritualibus officijs, & functionibus, quàm à temporalibus, ſeu ſecularibus: tum quia S. Pontifex, & Prælati Eccleſiaſtici majorem poteſtatem habent ſtatuendi circà dignitates, & officia Eccleſiaſtica, ut ab ijs arceantur excommunicati, quàm circa ſecularia. Tum denique quia Jura Canonica ſolùm directè diſponunt, ut nulli excommunicato conferantur ſpiritualia officia, vel beneficia; de officijs verò temporalibus, quæ juriſdictionem ſecularem annexam habent, id ſolùm indirectè intelligitur, & illativè, collationem excommunicato factam eſſe irritandam, non verò ipſo jure eſſe irritam, Suar. l. c. num. 5. Quare dicendum eſt, quòd electio excommunicati ad dignitatem, vel officium ſeculare, cui juriſdictio fori externi annexa eſt, irrita ſit in Ordine ad forum externum, ita, ut per ſententiam irritari, & reſcindi poſſit, perinde, ac ſi ab initio penitus irrita fuiſſet, arg. hujus c. Laym. hîc n. 12.

Porrò is, qui petit abſolutionem ab excommunicatione, vel aliâ cenſurâ, tacitè, ſeu ipſo factò fatetur, ſe eâ ligatum fuiſſe, ut colligitur ex hoc c. §. Sunt enim ibi: *Quòd poſtmodum recognovit, dum per nuncium ſuum abſolutionis beneficium poſtulavit.* & ibi gl. V. poſtulavit, niſi quis expreſſerit, ſe abſolutionem ſolùm ad eautelam, vel majoris ſecuritatis cauſâ petijſſe, vel ex conjecturis id colligi poſſit, additio gl. hic V. poſtulavit, Abb. num. 22. quia, ut dici ſolet, abundans cautela non nocet, l. Teſtamentum 17. & ibi gl. V. cautela C. de teſtam.

CCCCLIX. Notandum 6. Si quæſtio incidat de juramenti valore, & obligatione, ejus examinatio, & deciſio ſpectat ad Prælatos Eccleſiaſticos, & præcipuè ad S. Pontificem, ut colligitur ex hoc c. nam in caſu illius poterat ſaltem dubium eſſe de obligatione juramenti, quo obligabat ſe Philippus ad promovendum Fridericum filium Henrici in Imperatorem, cùm tamen id non pendêret ab ipſius arbitrio, ſed ex Principum libera voluntate, & videbatur eſſe illicitum, ex parte Henrici, tale juramentum exigentis, cùm non per ſucceſſionem, ſed electionem filius ejus ad Imperium pervenire potuerit, quamvìs etiam Philippus, vi hujus juramenti, obligari potuerit, non quidem ex juſtitia, ſeu vi pacti, quippe quod ambitioſum fuit, ſed ex virtute Religionis, poſito, quòd Fridericus idoneus eſſet ad Imperium Romanum, ejúſque electio eidem utilis, ac proinde priùs Sedes Apoſtolica conſulenda fuit, quàm ut Philippus, propriâ auctoritate, contra juramentum ſuum veniret, uſurpando ſibi per ambitionem Imperium Romanum, Abb. hîc n. 24. & Laym. n. 18.

Notandum 7. Etſi communiter non expediat, ut, quando libera eſt electio Regis, vel Imperatoris, ex eadem familia, ſeu domo, longiſſimo tempore aliquis eligatur, ne videlicet libertas eligentium minuatur, & videatur regnum, vel Imperium non ex electione, ſed ſucceſſione pendêre, ut dicitur in hoc c. §. Inſuper: ob cauſam tamen juſtam, vel Reipubl. utilitatem, poteſt perpetuari ejuſmodi electio, ſive propter magna in Rempubl. merita alicujus familiæ: ſive quia alij non reperiuntur tam potentes, ut Imperium, ſive regnum defendere poſſint: modò hoc caſu proteſtatio fiat ab Electo, ex hujuſmodi continuata electione nullum unquam jus ſibi, vel filijs, aut agnatis ſuis acquirendum eſſe ad exigendum jure ſucceſſionis Imperium, vel Regnum, ut notat Laym. in hoc c. n. 19.

Notandum 8. Juramentum fidelitatis præſtitum Imperatori, vel Regi electò intelligi debet, quàm diu is manet Imperator, vel Rex; unde, ſi electio ejus auctoritate Superioris fuerit reprobata, ſeu caſſata, etiam juramenti obligatio tollitur, tanquam ſublato fundamento, cui innititur obligatio juramenti, prout ſumitur ex b. c. in fine, & ibi gl. V. obſervati, & Abb. n. 2. 17. & 25. quia in juramento ſubintelligitur ea conditio, ſi res in eodem ſtatu permaneat, prout ſuo loco docetur.

§. II.

Aliæ quæſtiones de Electione Imperatoris proponuntur, & reſolvuntur.

CCCCLX. Quæritur 1. Quibuſnam jus eligendi Imperatorem competat? Reſp. hoc jus à Sede Apoſtolica conceſſum fuit Principibus Germaniæ, ita quidem, ut ab initio omnes Principes Imperij, qui vellent, ac poſſent, Regem Romanorum eligerent, ut conſtat ex cit. c. Venerabilem 34. b. t. poſterioribus verò temporibus, ſeptem Electores, tres Eccleſiaſtici, & quatuor ſeculares ab eadem Sede Apoſtolica inſtituti ſunt, juxta Clement. Romani unic. de jurejur. ubi poſt princip. dicitur, quòd Eccleſia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes jus, & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum pervenit: Idque factum eſt, vel à Gregorio V. Pontifice, ut putat Azor cit. l. 10. cap. 5. quæſt. 6. & plures Hiſtorici apud ipſum; vel poſterioribus temporibus, ab Innocentio IV. poſt Concilium Lugdunenſe, quod ab eodem indictum fuit Anno Chriſti MCCXLV. Vel ab ejus Succeſſore Alexandro IV. cujus annus ſecundus incidit in annum Chriſti MCCLVI. ut ſentit Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, anno Domini DCCCCXCVI. num. 54. & ſeqq. quæ ſententia magis conformis eſt cit. c. Venerabilem, ubi Innocent. III. ſatis indicat, quòd electio Imperatoris tum temporis penes Principes Imperij univerſim, adeóque etiam penes Philippum Sueviæ Ducem fuerit, ut notat Layman. cit. c. Venerabilem num. 3. in fine. Porrò quamvìs Jure Canonicò non reperiatur expreſſum, quinam, & quot Principes Germaniæ ſint Electores Imperij, exprimuntur tamen, & enumerantur illi à gloſſ. in c. Ad Apoſtolicæ 2. V. Illi autem de ſentent. & re judic. in 6. hoc ordine: Archiepiſcopus Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis, qui ſunt tres Eccleſiaſtici; & quatuor

laici, ſcilicet Palatinus Comes Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, & Rex Bohemiæ, olim Dux. Archiepiſcopus Moguntinus eſt S. Romani Imperij Archicancellarius per Germaniam, Colonienſis per Italiam, Trevirenſis per Galliam, Palatinus eſt S.Rom.Imperij Archidapifer: Dux Saxoniæ Archimariſchallus, Marchio Brandenburgenſis Archicamerarius, Rex Bohemiæ Archipincerna.

CCCCLXI. Quæritur 2. Quo ordine Principes Electores ſuffragia ſua dare debent? Reſp. In Aurea Bulla Caroli IV. tit. 7. de hoc ita ſtatutum eſt:
» Omnibus, qui potuerint, & voluerint intereſſe,
» congregatis, Archiepiſcopus Moguntinus, & non
» alius, Electornm vota ſingulariter habet inquirere.
» 1. Quidem interrogabit à Trevirenſi Archiepi-
» ſcopo, cui primam vocem competere declaramus,
» ſicuti invenimus hactenus competiiſſe. Secundò,
» à Colonienſi Archiepiſcopo, cui competit dignitas,
» nec non officium Romanorum Regi primum dia-
» dema Regium imponendi. Tertiò, à Rege Bohe-
» miæ, qui inter Electores laicos ex Regiæ dignita-
» tis faſtigio, jure, & meritò obtinet primariam.
» Quartò, à Comite Palatino Rheni. Quintò, à Du-
» ce Saxoniæ. Sextò, à Marchione Brandeburgenſi.
» Et paulò pòſt: quo facto dicti Principes conſortes
» ipſum (Moguntinum Archiepiſcopum) vice verſa
» requirent, ut & ipſe intentionem ſuam exprimat,
» & ipſis apetiat vorum ſuum.

Cæterùm, licèt olim ſeu ab Initio inſtitutum fuerit, ut Rex Bohemiæ non eligeret, ſed ſolùm in diſcordia, ſi alij ſex Electores, paribus ſuffragiis diſſentirent, ſive tres pro una parte ſtarent, tres pro altera, ipſe vocaretur, & tanquam arbiter, ſeu diremptor controverſiam dirimeret, gl. in cit. c. 2. V. illi autem de ſent. & re judic. in 6. Hoſtienſ. in cit. c. Venerabilem V. Illis h.t. poſtea tamen introductum fuit, ut æquè, ac cæteri Electores, jus eligendi haberet, & quidem ante alios Electores ſeculares, ut conſtat ex cit. Bulla aurea, & notat Azor cit. c. 3. q. 4. in fine ex Joan. Capiſtrano. Nihilominus tamen fieri potuit, iuxta Conſtitutionem Bullæ Aureæ, ut in diſcordia, ſi quãdo utrinque paribus ſuffragiis Rex Bohemiæ electus fuit, ſive tria vota pro ſe haberet, ipſe ſuum ſuffragium ſibi ipſi daret, & electionem de ſe factam confirmaret, arg. c. Cùm in jure, 33. h.t. Laym. in cit. c. Venerabilem. n. 4. in fine.

CCCCLXII. Quæritur 3. An Electores jus habeant ſolùm eligendi Regem Romanorum, an verò etiam Imperatorem? Reſp. Eos poſſe, & de facto eligere, tum Regem Romanorum, tum Imperatorem, prout ſumitur ex c. 2. §. Illi autem, de ſent. & re judic. in 6. ubi expreſsè dicitur: *illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligunt liberè ſucceſſorem*; licèt, contrarium teneat Azor cit. lib. 10. c. 4. q. 1. Nec refert, quòd in cit. c. Venerabilem. & cit. Clement. unic. de jureiur. dicitur, quòd Principibus Germaniæ competat jus, ac poteſtas eligendi Regem, promovendum poſtea in Imperatorem: idémque habetur in c. 1. §. eligatur diſt. 23. nam à Septemviris electus, ita poſtea per unctionem, ſeu conſecrationem, & coronationem à S. Pontifice factam promovetur, ut ex eo tempore abſolutè Imperator appellari poſſit, cùm ante coronationem, poſt legitimam electionem, abſolutè quidem Rex Romanorum, non item Imperator, niſi cum addito *electus* vocari poſſit, Abbas in cit. c. Venerabilem, num. 6. ubi etiam addit, quòd eligatur, non in Regem Germaniæ, ſed Romanorum, ut conſtat ex cit. Clem. un. de jureiur. §. Dudum, ibi: *Henricum Imperatorem, tunc Regem Romanorum*, quia ſcilicet nondum coronatus erat, gl. ibid. V. Regem, & §. Nos eodem ibi: *ipſum nominavimus, denunciavimus, & declaravimus in Regem Romanorum in Imperatorem poſtea promovendum*. Dicitur autem Imperium, quod nunc obtinent Germani, Regnum, ſeu Imperium Romanum, quia per ſucceſſionem à Julio Cæſare, Auguſto, & aliis Romanorum Imperatoribus acceptum eſt: tum quia Imperator Romanus, potiſſimùm à tempore Caroli Magni ſpeciali obligatione, & juramento Eccleſię Romanę Advocatus, & Patronus exiſtit, cit. c. Venerabilem, & cit. Clem. Romani, & cit. c. In die, diſt. 5. de conſecrat. Laym. de Elect. Præl. q. 131.

CCCCLXIII. Quæritur 4. Intra quod temporis ſpatium, Electores debeant eligere Imperatorem? Reſp. Etſi Jure communi nullum certum tempus ſit præfixum ad eligendum Imperatorem: in Bulla tamen Aurea ſic ſtatutum legitur tit. 1. §. 18. Præterea »
ſtatuimus, & ordinamus, ut Archiepiſcopus Mo- »
guntinenſis, qui fuerit pro tempore, ſingulis Prin- »
cipibus coelectoribus ſuis, Eccleſiaſticis, & ſecula- »
ribus, electionem per ſuos Nuncios patentibus de- »
beat litteris intimare. In quibus litteris talis dies »
& terminus exprimatur, infra quem eædem litteræ »
ad ſingulos eoſdem Principes veriſimiliter poſſint »
pervenire. Huiuſmodi autem litteræ continebunt, »
ut à die in litteris ipſis expreſſa, intra tres menſes »
continuos, omnes, & ſinguli Principes Electores »
Francofurtum ad Mœnum ſe conferant, vel ſuos »
Legatos, ad eundem terminum, atque locum, Nun- »
cios mittant, cum plena, & omnimoda poteſtate »
&c. »

CCCCLXIV. Quæritur 5. Qualis in Regem Romanorum, atque Imperatorem eligi debeat? Reſp. 1. Neceſſe eſt, ut ſit ex gente, & natione Germanorum, ut docet Abb. in cit. c. Venerabilem n. 17. & Azor cit. l. 10. c. 3. q. 3. idque ſumitur ex cit. c. Venerabilem, & cit. Clem. Romani, ubi dicitur, *quòd Apoſtolica Sedes Romanum Imperium à Græcis tranſtulit in perſonam Caroli Magni ad Germanos*, utique paſſivè, & non activè, quia ipſe Carolus fuit promotus in Imperatorem, non autem ipſi data eſt poteſtas eligendi, adeóque paſſivè etiam tranſlatum eſt Imperium in Germanos, ut eligendi in Imperatores debeant eſſe nationis Germanicæ. Unde etiam in c. In die, 15. diſt. 5. de conſecrat. dicitur, quòd Teutonicis conceſſum ſit Regimen, ſive Regnum Eccleſiæ Romanæ, & gl. in cit. c. Venerabilem, V. Germanos ait, quòd Regnum mundi tranſlatum eſt ad Teutonicos, nam ipſi habent Regnum Romanæ Eccleſiæ. Quòd ſi nullus ex Germanis idoneus eſſet ad Impetium, poſſent Electores ex alia natione eligere, arg. c. Ne pro defectu 41. in fine h.t. Azor cit. l. In qua re tamen non tam ſpectatur, an is, qui eligitur, ſit natus in Germania, ſed potiùs, an ſit oriundus ex familia, & gente Germanorum. Imò nonnulli putant ſufficere, ſi quis maternum genus à Germanis trahat, Azor cit. c. 3. q. 3. & alij, quod tamen dubio non caret, Laym. in cit. c. Venerabilem, n. 7.

Reſp.

Reſp. 2. Eligendus in Regem Romanum, vel Imperatorem non debet neceſſariò in certo gradu dignitatis eſſe conſtitutus, cùm de hac re nihil ſit in jure expreſſum, neque etiam in Aurea Bulla, ſed quilibet eligi poteſt, ſive Dux ſit, ſive Marchio, ſive Comes, vel etiam in inferiore gradu conſtitutus: modò tam potens ſit, ut poſſit Eccleſiam Catholicam ab hoſtibus defendere, & abſolutè idoneus ſit ad Imperium adminiſtrandum, Azor cit. l. 10. c. 4. q. 7.

CCCCLXV. Quæritur 6. An Imperator quamprimum, atque electus eſt à majore parte, res, & jura Imperij adminiſtrare poſſit, quamvis nondum ſit confirmatus, vel coronatus à Romano Pontifice? Reſp. Imperator jus, ſeu poteſtatem adminiſtrandi Imperium conſequitur per ſolam electionem, ut teſtatur Imola in cit. c. Venerabilem, n. 6. & Abb. ibid. n. 26. gl. in cit. Clement. Romani V. reges ex communi ſententia Canoniſtarum, quam conſuetudo, & Au- » rea Bulla confirmat, in qua tit. 2. §. Et quia, ſic decer- » nitur: quia de antiqua, approbata, & laudabili con- » ſuetudine ſemper obſervatum extitit, ideóque & » nos conſtituimus, ut, qui in Regem Romanorum » electus eſt, peractâ ſtatim electione, priuſquam in » cauſis aliis, ſive negotiis virtute ſacri Imperij admi- » niſtret, univerſis, & ſingulis Principibus, Electori- » bus, Eccleſiaſticis, & Secularibus, qui propinquio- » ra S. Imperij membra eſſe noſcuntur, omnia ipſo- » rum privilegia, jura, libertates, conceſſiones &c. » abſque dilatione, confirmare, & approbare debeat, » eaque innovare, poſtquam Imperialibus fuerit In- » ſulis coronatus. Interim S. Pontifex ex juſta cauſa, ut, ſi electus indignus ſit, non prohibetur ſe opponere electioni, eámque reſcindere, aut irritam declarare, cùm ad ipſum pertineat Imperatorem electum confirmare, ſeu approbare, adeóque etiam examinare, & inquirere, an perſona idonea ſit electa, ut habetur in cit. c. Venerabilem, §. Sed & Principes, & cit. Clement. Romani in princ. ibi: à *quo* (Rom. Pontifice) *approbationem perſonæ ad Imperialis Celſitudinis apicem aſſumendæ &c.* de jure iur.

Cæterùm, ſi duo in diſcordia, paribus votis, electi ſint Imperatores à ſex Electoribus, quia ſcilicet unus eorum, nec per ſe, nec per Nuncios à ſe miſſos acceſſit, vel iterum receſſit, etſi de facto aliquando uterque, interim, dum lis eſſet compoſita, adminiſtravit Imperium, etiam tolerante ſummo Pontifice, cùm ſtatim impedire non poſſet, teſte gl. in cit. Clement. Romani §. Porrò. V. Reges in fine, quæ eſt communiter recepta, ut ait Azor cit. l. 10. c. 6. q. 2. §. Inſuper quæri ſolet. Nihilominus tamen, ſpectato Jure communi, & ſecundùm Bullam Auream, ſic in diſcòrdia electis nullum jus adminiſtrandi competit, quia in cit. Bulla c. 2. §. Præſtito, præcipitur, ut poſt præſtitum » juramentum (de eligenda perſona idonea, abſque » illicito pacto interveniente) ab Electoribus, aut » Nunciis, ad electionem procedant: nec ex tunc de » civitate Francofurtenſi exeant, niſi priùs major » pars ipſorum temporale Caput mundo elegerit, » ſeu populo Chriſtiano Regem, videlicet Romano- » rum, in Cæſarem promovendum. Quòd ſi facere » diſtulerint intra xxx. dies à die præſtiti juramenti » numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem 30. diebus, » panem manducent, & aquam bibant, uſquedum » Rector, ſeu temporale Caput fidelium per ipſos, vel majorem partem ipſorum electum fuerit, Laym. in » cit. c. Venerabilem, n. 14. »

CCCCLXVI. Quæritur 7. Ad quem, vacante Imperio Romano, jus, ſeu poteſtas adminiſtrandi pertineat? Reſp. De hoc ita in Aurea Bulla c. 5. » decretum eſt, ut tum Proviſor, ſeu Adminiſtrator » Imperij in partibus Rheni, & Sueviæ, & in Jure » Franconico eſſe debeat Comes Palatinus Rheni: in » iis verò locis, ubi Saxonica Jura ſervantur, Dux Sa- » xoniæ, & uterque quidem cum poteſtate judicia » exercendi, ad Eccleſiaſtica beneficia præſentãdi &c. » recolligendi reditus, inveſtiendi in feudis, jura fi- » delitatis nomine ſacri Imperij recipiendi, quæ ta- » men per Regem Romanorum poſtea electum, ſuo » tempore omnia innovari, & de novo juramẽta præ- » ſtari debebunt: feudis Principum duntaxat exce- » ptis, & illis, quorum inveſtitura, & collatio ſoli Im- » peratori, vel Regi Romanorum ſpecialiter eſt re- » ſervata. Eſt tamen Proviſori, ſeu Adminiſtratori » vacantis Imperij expreſsè interdictum omne genus » alienationis, ſeu obligationis rerum Imperialium. »

CCCCLXVII. Quæritur 8. Ad quem devolvatur poteſtas eligendi, ſi Electores Imperij ſcienter indignum in Imperatorem eligant? Reſp. Si Principes Electores ſcienter, unanimi conſenſu, ſeu concordiâ, indignum, ſeu incapacem eligant in Imperatorem, v. g. publicè excommunicatum, paganum, hæreticum, vel ſchiſmaticum, ſacrilegum, fatuum, Tyrannum, manifeſtum perjurum, ambitioſum, vel infamem (juxta cit. c. Venerabilem h. t.) tum, etſi nonnulli putent, Electores eâ vice privatos eſſe poteſtate eligendi, & hanc propter abuſum eiuſdem, ad ſummum Pontificem devolvi, à quo ea proceſſit, & conceſſa eſt Principibus, ut docent Abb. in cit. c. Venerabilem. n. 20. h. t. Azor. cit. lib. 10. c. 4. q. 5. Contrarium tamen eſt probabilius, ut tradit Laym. in cit. c. n. 10. quia, cùm hæc pœna privationis, & devolutionis, Jure Canonico in c. Cùm in cunctis, 7. §. fin. h. t. ſolùm decreta ſit in Clericos eligentes indignum ad dignitates Eccleſiaſticas, non debet ea pœna ad alios caſus, vel perſonas jure non expreſſas extendi, adeóq; neque ad electionem Imperatoriam, vel Electores Imperij, de quibus nihil in hoc caſu jure expreſſum reperitur. Itaque ſi omnes Electores indignum in Imperatorem eligant, monendi ſunt, ut alium eligant, quòd ſi nolint, vel per negligentiam diu differant, tum demum ſummus Pontifex Imperio, & Eccleſiæ providebit ſupremum Principem temporalem, argum. cit. cap. Venerabilem, §. Nunquid enim. Si verò non omnes, ſed aliqui ſolùm ex Electoribus indignum eligant in Imperatorem, tum poteſtas eligendi penes alios, quamvis numero pauciores, remanebit, adeóque horum electio valida erit, Azor cit. loc. §. Si quæres, idque colligitur etiam ex cit. c. Venerabilem. §. Objectioni, ubi inter plures cauſas, cur Ottonis electio approbanda, Philippi verò ſit reprobanda, affert Pontifex *merita electorum*, quia Ottonis perſona erat idonea, Philippi verò indigna. Ratio eſt, quia, quando aliqui ſcienter, & ſponte eligunt indignum, perinde eſt, ac ſi nolint eligere, quia paria cenſentur non exercere actũ, &, exercere illegitimum, ſeu invalidum. conſtat autem ex ſuprà dictis, quòd, ſi unus, vel plures, quibus jus eligendi competit, eligere nolint, omnis poteſtas eligendi

gendi

gendi, pro ea vice, apud alios, etſi numero pauciores, permaneat, ita, ut electio, tametſi à minore parte facta, hoc caſu valeat, & effectum habeat, Azor c. l.

§. III.

De Confirmatione, Vnctione, Conſecratione, & Coronatione Romani Imperatoris.

CCCCLXVIII. Quæritur 1. An Electus in Imperatorem debeat confirmari? Reſpondetur, electus in Regem Romanorum, vel Imperatorem à Summo Pontifice approbari, ſeu confirmari debet, præſtito priùs juramento fidelitatis Sedi Apoſtolicæ, quod habetur in cit. Clement. Romani poſt princ. de jurejur. ubi dicitur, electum in Regem Romanorum examinari, & approbari à Summo Pontifice. Idem colligitur ex cit. c. Venerabilem h. t. & gl. in c. Legimus 24. V. Imperatorem, apertè dicit, electum Imperatorem confirmari à S. Pontifice. Et quamvis aliàs confirmatio, & approbatio in jure differant, ita, ut illa fiat auctoritate Superiorum, hæc à privatis etiam, ſeu inferioribus; in præſenti tamen promiſcuè accipiuntur pro iiſdem, ut patet ex cit. c. Venerabilem §. objectioni, ubi primùm legitur, *approbando Regem*, poſtea *confirmando*, Azor cit. l. 10. cap. 5. q. 1. ubi etiam ait, quòd Romanus Pontifex electum in Regem Romanorum confirmare poteſt per Legatum, vel Nuncium ſpecialiter ad id deſtinatum.

CCCCLXIX. Quæritur 2. An electus in Regem Romanorum debeat inungi, & conſecrari? Reſpondetur 1. Imperator ex antiquo more à Summo Pontifice inungitur, cit. c. Venerabilem, & Clement. Romani in princ. ibi: *Per noſtras ſibi manus impendi unctionem, & conſecrationem &c.* Inungitur autem, non chriſmate, ſed ſimplici oleo ſacro: non in capite, ut Epiſcopi, ſed in brachio, vel humero, c. unic. §. unde de Sacr. Unction. & quidem dextro, Azor cit. c. 5. q. 2. poteſt tamen electus Imperator ex privilegio, vel mandato S. Pontificis, etiam ab alio, quàm à Papa, præſertim abſente, inungi, ſicut ex antiqua conſuetudine per Cardinalem Oſtienſem, in abſentia Papæ, inungi ſolet, Abb. in cit. c. Venerabilem n. 6. in fine. Et hinc Imperator Sacratiſſimus dicitur, quia ſacro oleo eſt inunctus; Azor c. l. q. 2. in fine.

Reſpondetur 2. Imperator electus etiam à S. Pontifice conſecratur, per manûs impoſitionem, adhibitis certis precibus, ſine oleo ſacro, in quo conſecratio iſta diſtinguitur ab unctione, ut ſumitur ex Canonibus cit. & habetur in Pontificali Romano, Azor cit. cap. 5. quæſt. 3. quæ tamen eſt conſecratio impropriè dicta, Abb. in cit. c. Venerabilem n. 6.

CCCCLXX. Quæritur 3. An electus Imperator etiam coronari debeat? Reſpondetur Jure communi, poſtquam eſt inunctus, & conſecratus, etiam coronandus eſt, ut patet ex cit. c. Venerabilem, & cit. Clem. unic. ibi: *Decernentes unctionem, conſecrationem, Imperiique Romani Coronam ſibi per manus noſtras debere concedi.* Et quidem ab antiquo electus in Imperatorem triplici coronâ redimitur, ut notat gl. in cit. Clement. Romani V. veſtigiis, & habetur in Pontificali Rom. tit. de triplici Imperatoris Corona. Prima eſt ferrea, quam accipit ab Archiepiſcopo Colonienſi Aquiſgrani: ſecunda eſt argentea, quam ingreſſus Italiam recipit à Mediolanenſi Archiepiſcopo, in villa Modiçenſi ejuſdem Diœceſis, vel Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii: tertia eſt Corona aurea, quam Imperator conſecratus accipit à Papa Romæ in Eccleſia S. Petri ad Altare S. Mauritii.

Cæterùm ex commiſſione, ac mandato Summi Pontificis, præſertim ſi is Româ abſit, poteſt electus in Regem Romanorum, vel Imperatorem etiam ab alio Cardinale Epiſcopo, non ſolùm Romæ inungi, & conſecrari, ſed etiam coronari, vel ab ipſomet Pontifice, extra Urbem: quomodo Carolus V. Imperator à Papa Clemente VII. Bononiæ coronatus eſt, Anno Chriſti MDXXX. die XXIV. Februarii, poſt quem Imperatorem nullus alius eſt inunctus, conſecratus, & coronatus.

Poteſt autem Imperator coronari quovis die, quo viſum Pontifici fuerit, cùm nullus certus dies jure ſit conſtitutus, Azor cit. c. 5. q. 6. apud quem plura de hac re videri poſſunt.

TITVLVS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

TErtius modus perveniendi ad Prælaturam Eccleſiaſticam eſt translatio eorum, qui antè fuerunt, ſive per poſtulationem, ſive per electionem, ad aliquam Eccleſiam promoti, à qua deinde ad aliam Eccleſiam transferuntur: ideóque poſtquam de Poſtulatione, & Electione præcedentibus Titulis actum eſt: nunc ordo poſtulat, ut de tertio modo providendi Eccleſiis per translationem prioribus connexo agatur. Inſcribitur hîc Titulus in quibuſdam antiquis Codicibus ita: *De Translatione Epiſcopi, vel Electi,* quia Epiſcopus, ante conſecrationem, non appellatur ſimpliciter Epiſcopus, ſed cum addito *electus*, ut notat Abb. in Rubrica h. t.

§. I. A

§. I.

A quo, & cujus auctoritate tranſlatio Epiſcopi, vel alterius Prælati inferioris fieri poſſit?

I. Præmittendum, tranſlatio, generatim loquendo, eſt alicujus perſonæ ab una Eccleſia ad aliam, ſecularem, vel Regularem, Superioris auctoritate, ob cauſam neceſſitatis, vel utilitatis, facta mutatio, ſeu diſpoſitio. Ita ferè Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 1. & Dan. Venator in Analyſi Juris Pontificij h. t. Accipitur autem tranſlatio dupliciter, genericè, & ſpecificè: ſpecificè quidem, pro tranſlatione ſolius Epiſcopi, de qua duntaxat in hoc tit. potiſſimùm agitur: genericè autem pro tranſlatione aliarum quoque perſonarum Eccleſiaſticarum, Dan. Venat. cit. loc. Quare non ſolùm Epiſcopi, iiſque Superiores, ut Cardinales, & Archiepiſcopi, c. Bonæ 4. de poſtul. Prælat. ſed etiam alij Prælati inferiores, ut Abbates, & Præpoſiti, imò quicunque Beneficiati ab una Eccleſia ad aliam transferri poſſunt, c. Admonet 4. de renunciat. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 2.

II. Quæritur 1. A quo, ſive cujus auctoritate fieri poſſit tranſlatio Epiſcopi? Reſpondetur 1. Epiſcopus non poteſt, relictâ ſuâ civitate, ſeu Diœceſi, propriâ auctoritate, tranſire ad aliam civitatem, vel Diœceſim, prout habetur in c. 1. de Cleric. non reſident: ubi ratio redditur, quia talis tranſitus non niſi ex arrogantia, ſeu ambitione majoris dignitatis procedere, ac fieri præſumitur, quandoquidem nullus inventus eſt, qui à civitate majore ad minorem tranſire vellet, gloſſ. ibid. V. manifeſta.

III. Reſpondetur 2. Epiſcopi, aliique Prælati ijs Superiores à ſolo S. Pontifice, ex plenitudine poteſtatis ſuæ, transferri poſſunt à ſua Eccleſia ad aliam; ut conſtat inprimis ex c. 1. h. t. ubi Innocentius III. Antiocheno Patriarchæ reſcribit; cùm ex » illo privilegio (generali, quod Chriſtus B. Petro » Apoſtolo, & in ipſo Succeſſoribus ejus in Eccleſia » Romana conceſſit, Matth. 16. & Joan. 21.) cano- » nica inſtituta poſtea promanârint, ut cauſæ majo- » res, ſeu graviores ad Sedem Apoſtolicam ſint per- » ferendæ: adeóque etiam tranſlationes Epiſcopo- » rum, & Sedium Epiſcopalium mutationes ad Sum- » mum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de jure (& de » conſuetudine, c. Quanto 3. h. t. Hoſtienſ. hîc V. » de jure) pertineant: nec ſinè ejuſdem conſenſu » quidquam in his debeat immutari: Idcirco mira- » tur Papa, quòd Patriarcha Antiochenus Lucium » Apamenſem electum Archiepiſcopum, ad Tripoli- » tanam Eccleſiam (Epiſcopalem, ac minorem) tran- » ſtulerit, atque ex Archiepiſcopo Epiſcopum con- » ſtituere præſumpſerit. Quamvìs verò dictus Lu- » cius in Archiepiſcopum nondum conſecratus fue- » rit, tamen poſtquam electus confirmatus etiam » fuit, ideóque Archiepiſcopalia, quatenus ei licuit, » adminiſtrârat, quia inter alia Epiſcopum Valiem- » ſem confirmavit. Quare ne alijs quoque talia per- » petrandi, audacia præbeatur, idem Innocentius » ab Epiſcoporum confirmatione dictum Patriar- » cham ſuſpendit.

IV. Notandum 1. Quia Chriſtus Petro, & Succeſſoribus ejus Summis Pontificibus ſupremam, & univerſalem poteſtatem gubernandi totam Eccleſiam conceſſit, conſequenter etiàm illi poſſunt alijs inferioribus, & ſibi ſubordinatis Epiſcopis, ac Prælatis cóncedere limitatam poteſtatem, ità, ut cauſas majores, & arduas ſuo tantùm examini, & deciſioni reſervent, prout ſumitur ex hoc c. Hujuſmodi autem cauſæ graviores ſpecialiter reſervatæ S. Pontifici ſunt, definire authenticè controverſias fidei, c. Quoties 12. cauſ. 24. q. 1. c. Majores 3. in princ. de baptiſ. Epiſcopos transferre, c. Mutationes 34. cauſ. 7. q. 1. c. 1. & 2. h. t. eoſdem deponere, c. Quamvìs 7. cauſ. 3. q. 6. renunciationes eorum admittere, c. Niſi 10. de renunc. Concilium Generale congregare, c. 1. & 2. diſ. 17. abſolvere à caſibus reſervatis, & in ijs diſpenſare, & aliæ plures, de quibus videri poteſt gl. in c. Quod tranſlationem 4. V. reſervata de offic. Legat. & in hoc c. 1. V. pertineat, & in c. Sicut 8. V. pertinere de exceſſib. Prælat.

Notandum 2. Qui eſt in Epiſcopum, vel Archiepiſcupum electus, tametſi confirmatus ſit, ante conſecrationem, non debet abſolutè appellari Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, ſed cum addito, *electus*, vel *confirmatus*, Abb. hîc num. 1. & dictum etiam ſuprà.

Notandum 3. Electus in Archiepiſcopum, poſt confirmationem acceptam, poteſt confirmare Suffraganeos ſuos, etiam antequam conſecratus ſit, & poteſt mandare Suffraganeis ſuis, ut electum conſecrent, licèt ipſe hoc per ſe facere non poſſit, quia Epiſcopus confirmatus, etiam ante conſecrationem poteſt exercere omnia ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem ea, quæ ſunt Ordinis, gl. hic V. confirmâſſe, & dictum tit. præced. n. 338.

Notandum 4. Pœna Patriarchæ, vel Epiſcopi illegitimè transferentis, & confirmantis electum Archiepiſcopum, vel Epiſcopum ad aliam Eccleſiam, eſt, ut ſuſpendatur à poteſtate confirmandi electos Suffraganeos ſuos, ut habetur in fine hujus c. & notat Abb. hic n. 5. Porrò durante ſuſpenſione Patriarchæ, ad quem de Jure antiquo ſpectat confirmare electos in Archiepiſcopos, Papa eoſdem confirmabit, Abb. hîc n. 12.

V. Reſpondetur 3. Non ſolùm Epiſcopi conſecrati, ſed etiam electi, & confirmati, licèt nondum conſecrati, ſinè Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ad aliam Eccleſiam transferri non poſſunt, prout decernitur in c. Inter corporalia 2. h. t. ubi in primis Papa Innocentius III. ait, diſcrimen eſſe inter res corpo- » rales, & ſpirituales, quòd illæ faciliùs deſtruantur, » quàm conſtruuntur, ſeu generantur: ſpirituales » verò faciliùs conſtruuntur, ſeu generantur, quàm » deſtruantur; nam Epiſcopus ſolus honorem (ſa- » cerdotalem, ſeu Ordinem, c. ult. cauſ. 15. q. 7.) » alicui dare, ſeu conferre poteſt, ſed ſolus auferre, » ſeu degradare non poteſt, c. 2. de pœnis in 6. Epi- » ſcopi quoque à ſuis Metropolitanis conſecrantur, » qui tamen non poſſunt, niſi per Romanum Pon- » tificem condemnari, aut deponi. Quia ergo ſpi- » rituale vinculum fortius, ſeu difficiliùs ſolubile eſt, » quàm carnale: carnale autem matrimonium, quod » eſt inter virum, & uxorem, Deus ſuo tantùm judi- » cio reſervavit diſſolvendum, adeóque ſolùm divi- »

nâ; noo humanâ poteſtate diſſolvi poteſt, juxta illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; multò magis conjugium ſpirituale, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, non humanâ, ſed potiùs divinâ poteſtate diſſolvitur, cùm per translatiooem, depoſitionem, aut ceſſionem, auctoritate Romani Pontificis (quem cooſtat eſſe Vicarium JESU Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia removetur: & ideo tria hæc, non tam cooſtitutione Canonicâ, quàm Inſtitutione divinâ, ſoli Rom. Pootifici ſuot reſervata: Præterea ſicut Epiſcopus conſecratus, ſinè licentia Papæ, non poteſt deſerere Eccleſiam ſuam, qnia ſpirituale mattimooiom inter ipſum, & Eccleſiam eſt contractum; ſic & Epiſcopus electus, & confirmatus tantùm non debet relinquere Eccleſiam ſoam, ſinè licenria Papæ, ob eandem rationem, quia cum electo etiam ſpirituale coojugium eſt initum, poſt coofitmationem canonicam: nam ordo, ſeu conſecratio Epiſcopalis nihil addit ad ſubſtantiam vinculi ſpiritualis ergà Eccleſiam cootracti, quippe cùm fieri poſſit, ac ſoleat, ut aliquis omnino liberatus ab Eccloſia ſuâ, nulliique alteri Eccleſiæ alligatus, adeóque nullius ampliùs Eccleſiæ ſit Epiſcopus, chatacterem tamen, & Ordinem, ac dignitatem Epiſcopalem retineat; nt in eo patet, qoi loco tantùm, ſeu oneri Epiſcopali renunciavit, oon item booori, ſeu dignitati, c. 1. de ordin. ab Epiſc. qui renunc. &c. ſicut ergo translatio, depoſitio, & ceſſio Epiſcopi conſecrati; ſic & electio poſt confirmationem, ratione ſpiritualis conjugij, ſoli Romano Pontifici eſt reſervata; & licèt in Jure expreſſum non reperiatur de Epiſcopo confirmato, ſed non conſecrato, quòd abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Epiſcopatum deſerere non poſſit; idem tamen propter expreſſam rationis ſimilitudinem, ſeu identitatem, de Epiſcopo noo conſecrato, quod de conſecrato dicendum eſt, cùm de ſimilibus idem judiciom ſit babeodum, ita babetur in cit. c. 2. §. Sicut enim h. t.

Sed neqoe obſtat, quòd io Canooe (qoooiam 1. diſ. ſ. 100.) legitur de Epiſcopo electo, & confirmato, ſed nondum conſecraro, ut ſi ultra ſex menſes (vel ultra quinque, ut dicitor, ibid. gl. hîc V. ſex menſes: vel ultra ſex menſes cœptos, ſed noodom cópletos, Hoſtienſ. hîc V. eod.) per ſuam negligentiam retinuerit Eccleſiam viduatá, oec ibi, nec alibi conſectationem accipiat, imò judicio ſui Metropolitaoi cedat. Nam Eccleſia, ante conſecratiooem Epiſcopi electi, & coofirmati, vidoata dicitur, non abſolutè, & ſimpliciter, quaſi nullum omnino tunc ſponſum habeat: ſed dicitur quaſi viduata ſecundùm quid, ſive quoad qoædam, qoia Epiſcopus nondum conſecratus non poteſt exercere ea, quæ ad Ordinis poteſtatem ſpectant: quâ ratione etiam Eccleſia vidoata communiter dici ſolet, quæ Epiſcopom quidem habet, ſed inutilem ad obeunda Epiſcopalia munia (paria enim cenſentur, aliqnid noo eſſe, vel eſſe, ſed inutiliter, Abb. hîc n. 16.) ita habetur in cit. c. 2. §. Sed neque illod b. t.

Similiter non obſtat, quòd in eodem c. Quoniam diſ. 100. habetur, ut ſi Epiſcopus electus, ultra ſex menſes, conſecrationem per negligentiam petere differat, ſecuodùm judicium Metropolitani, compelli poſſit, ot Epiſcopatu cedat. Nam ex eo, quòd ſtatutum fuit in pœnam negligeotiæ, ut Metropolitanus poſſit Epiſcopum ab Eccleſia ſua amovere, compellendo illum ad renuociandum Epiſcopatui, non ſequitur, quòd etiam illum poſſit ad aliam Eccleſiam transferre, quia translatio ad gratiam ſpectat; præſertim cùm nec illa ceſſio, aut diſpoſitio fiat, ſinè Romani Pontificis auctoritate, (ſaltem generali) qoippe qui vi illius Canonis, talem poteſtatē Metropolitanis conceſſit. Quòd ſi circa translationem Epiſcopi, idem Metropolitano Rom. Pontifex concedere voluiſſet, quòd de ceſſione permiſit, id utiq; expreſſiſſet, quia in hujuſmodi reb⁹ prohibitum cenſetur, quod conceſſum non reperitur, ita habetur in cit. c. 2. §. Nec qnod de ceſſione.

Poſt hæc Innocentius III. in eod. c. 2. §. Sanè qnoniam h. t. proponit hanc ſpeciem facti. Archiepiſcopus Rothomagenſis Epiſcopum Eboracenſem ſibi ſubjectum, qui electus, & confirmatus ad Eccleſiam Andegavenſem poſtulatus fuit, abſque Romaoi Pontificis auctoritate, ab Eccleſia ſua liberavit, & ad Andegavenſem Eccleſiam tranſeundi liceotiam dedit: Illum verò Archiepiſcopus Turonenſis, cui ſubjecta erat Eccleſia Andegavenſis, ad eandem Eccleſiam, ſinè licentia qnoque Papæ, transferre præſumpſit, & ipſum in Epiſcopnm conſecravit. Quare Papa mandavit Archiepiſcopo Bituricenſi, nt, ſi res ita ſe haberet, Archiepiſcopos illos à confirmatione & cooſecratione Epiſcoporum: Epiſcopum verò Eboracenſem ad Eccleſiam Andegavenſem translatū ab executiooe Epiſcopalis officij ſuſpenderet. Et quamvìs ijdem Archiepiſcopi plus peccârint, Epiſcopus verò minùs, quippe illorū, tanquam majorū, errorem ſecutus, tamen minùs puniti fueront, quàm Epiſcopos, quia propter ſpontaneam confeſſionem, & humilem ſupplicationem, veoiam merebantur, cùm oon ex notitia, ſed potiùs ſimplicitate deliquerint. Sed quia etiam Epiſcopos, qui mioùs deliquerat, ſed ſeveriùs punitus fuerat, reatum ſoum agooſcens, miſericordiam humiliter petijt: quamvìs nec prioris, nec ſecuodæ Eccleſiæ Epiſcopus fuerit conſecratns cùm ad primam non fuerit conſecrarus: ad ſecundam verò non potuerit canonicè conſecrari, quippe vinculo conjugij ſpiritualis priori Eccleſiæ adhuc alligatus: veruntamen Innocentius III. eundem Epiſcopum à priore ſua Eccleſia liberavit, & à pœna ſoſpenſionis abſolvit, & ſi quidem Capitulum Eccleſiæ Aodegavenſis io priore ſuo conſenſo, & poſtulatiooe perſiſtat, etiam poteſtatem eandem Eccleſiam gubernandi, ex benignitate Apoſtolica ei conceſſit.

VI. Pro explicatione huius c. notandum 1. Contra id, quod hic dicitur, res corporales faciliùs conſtrui, ſeu conſtitui, quàm deſtrui, ſeo diſſolvi, ſpirituales verò faciliùs diſſolvi, quàm conſtrui, obſtare videtur, quod etiam carnale matrimonium faciliùs contrahatur, quàm diſſolvatur, nam mutuo conſenſu poteſt contrahi, & tamen non poteſt eodem cooſenſu diſſolvi. Verùm quòd carnale matrimooium non poſſit mutuo conſeoſu diſſolvi, ſicut poteſt contrahi, adeóqoe, quòd difficiliùs diſſolvatur, quàm contrahatur, id provenit, non ex ratione contractûs, ſed ratione Sacramenti, ſive ſacri Myſterij, adeóque quateous ſpirituale qniddam eſt. Quare Inoocentius III.

hic

hic ita argumentatur: ſi matrimonium corporale, ſeu carnale diſſolvi non poteſt, ob Chriſti prohibitionem; multò magis credendum eſt, Chriſtum prohibere, diſſolvi matrimonium ſpiritnale inter Epiſcopum & Eccleſiam; quia ſpiritualia, ſuâpte naturâ, difficiliùs deſtruuntur, quàm carnalia, ſeu corporalia, Laym. in c.2.n.2.h.t. in fine, & in c.3.

VII. Notandum 2. Sicut matrimonium carnale inſolubile eſt humanâ poteſtate, quia ex Dei inſtitutione inſolubilē Chriſti cum Eccleſia eius ſponſa conjunctionem per Incarnationis Myſterium repræſentat, c. Debitum 5. de bigamis: ita etiam ſpirituale matrimonium inter Epiſcopum, & Eccleſiam inſolubile eſſe oportebat, quia & Epiſcopus cum Eccleſia ſua copulatus ſignificat Chriſtum à Deo Patre Eccleſiæ ſuæ in æternum præpoſitum Pontificem, ac Sacerdotem, ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Pſal. 109. ideóque etiam ſpirituale matrimonium inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuam, merâ poteſtate humanâ ſolvi non poteſt, quamvìs poſſit ſolvi, auctoritate Vicarij Chriſti à Deo accepta, cit. c. 2. & c.ult. h.t. cùm quandoque ad bonum Univerſalis Eccleſiæ neceſſarium ſit, tales ſedium mutationes fieri, c. Mutationes 34. & c. Scias 35. cauſ. 7. q. 1. Quare cùm dicitur ab Innocentio III. in cit. c. 2. h.t. conjugium hoc ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam, non humanâ, ſed potiùs divinâ poteſtate diſſolvi, id non ita intelligendum eſt, quòd immediatè ex divina inſtitutione ſit inſolubile, alioquin nec S. Pontifex in eo diſpenſare poſſet, vel illud ſolvere, cùm non poſſit diſpenſare in lege divina directè; nam Chriſtus nihil determinatè præcepit, aut tradidit de officio Epiſcoporum perpetuo, & inſolubili, ſed id Eccleſiæ diſponendum reliquit: Verùm eo ſenſu dicitur divinâ poteſtate diſſolvi conjugium hoc ſpirituale, quia ſolâ ſupremâ poteſtate Pontificiâ, non ab hominibus, ſed à Chriſto immediatè acceptâ, Matth. 16. & Joan. c.ult. diſſolvi poteſt, cit. c.2. & c.3. h. t. Sic etiam auctoritate divinâ ſolutio huius vinculi eſt reſervata S. Pontifici, id eſt, auctoritate divinitus datâ Vicario ſuo, & non tam conſtitutione canonicâ, quàm auctoritate divinâ, quia ipſa conſtitutio canonica in auctoritate divina fundata eſt, Suar. tom. 3. de Relig. lib. 1. c. 16. n. 20. Quemadmodum etiam Apoſtolicæ Traditiones, v.g. de jeiunio Quadrageſimali, interdum divinâ auctoritate latæ, ſeu divina præcepta dicuntur; quia etiam Apoſtoli, tanquam Rectores Eccleſiarum, immediatè à Chriſto acceperunt poteſtatem decernendi ea, quæ Eccleſiis neceſſaria viderentur, Laym. in cit. c. 2. n. 9. Itaque Translatio Epiſcoporum, ſicut & depoſitio, propriè ac ſtrictè loquendo, non divinâ, ſed Eccleſiaſticâ ſolùm lege, ſeu traditione eſt prohibita, ſinè licentia Sedis Apoſtolicæ, quæ cùm ſit antiquiſſima, cuius initium ignoratur, Apoſtolica Traditio cenſenda eſt. Quamvìs etiam dici poſſet, quòd Translatio Epiſcoporum, vel depoſitio lege, ſeu traditione divinâ ſit prohibita non abſolutè, ſed ſolùm, ne fiat, niſi cum licentia S. Pontificis, ob bonum Eccleſiæ, vel ob juſtam publicæ neceſſitatis cauſam: Et tali caſu per tranſlationem, vel depoſitionem Epiſcopi nihil fit contra legem, ſeu traditionem divinam, ſed apponitur conditio, quâ poſitâ, lex illa per ſe obligare deſinit. Simile eſt in matrimonio rato, quod non eſt ex lege divina abſolutè indiſſolubile, ſicut matrimonium conſummatum inter fideles, ſed ſolùm, ut non poſſit diſſolvi, niſi S. Pontifex judicârit illud eſſe diſſolvendum ex gravi, & publica cauſa, Laym. c.l. ſed prior reſponſio videtur melior, & planior.

Notandum 3. In cit. c. 2. §. Sicut enim, dicitur, etiam, quòd poſt confirmationem canonicam, inter perſonas eligentium, & electi, conjugium ſpirituale ſit contractum, quia nimirum, mediantibus ipſis eligentibus, qui quaſi Eccleſiam repræſentant, inter ipſum electum, & Eccleſiam contrahitur, Abb. in cit. c.2.n.9. & c.ult. n.3.h.t.

VIII. Notandum 4. Non ſolùm ſimilitudo inter carnale, & ſpirituale matrimonium eſt in eo, quòd, ſicut matrimonium, quod eſt inter virum, & uxorem, humanâ poteſtate diſſolvi non poteſt, juxta illud Chriſti Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet:* ita, & ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſolvi non poteſt, niſi à Vicario Chriſti, qui eſt Succeſſor Petri: Verùm etiam ſunt adhuc aliæ ſimilitudines inter utrumque: nam ſicut matrimonium carnale, aliud eſt inchoatum, videlicet ſponſalia de futuro: aliud ratum, nempe ſpōſalia de præſenti: aliud conſummatum, videlicet per copulam carnalem. Ita etiam matrimonium ſpirituale, aliud cenſeri poteſt initiatum, videlicet per electionem, (ab electo acceptatam, juxta c. Cùm inter 21. de elect.) aliud verò ratum per confirmationem: aliud denique conſummatum, ſeu perfectum per conſecrationem, prout habetur in c. Licèt 4. in princ. h. t. Nam quamvìs conſecratio nihil operetur, nec addat, quoad ſubſtantiam conjugii ſpiritualis inter Epiſcopum, & Eccleſiam, c.2.h.t. accidentaliter tamen illud perficit, videlicet quoad illa, quæ miniſterium conſecrationis requirunt, ſive ad exercitium Ordinis Epiſcopalis pertinent, c. Tranſmiſſam 15. de Elect. gl. in cit. c. Licèt. V. eod. h.t.

IX. Notandum 5. Epiſcopus electus, ante confirmationem acceptam, poteſt in manibus eligentium renunciare, & cedere juri ſuo, ſinè Superioris licentia. c.2. junctâ gl. V. renunciavit, de in integr. reſtit. & ibid. Abb. n. 11. & colligitur ex cit. c.2. h.t. ibi: *ſic & electus, & confirmatus*, à contrario ſenſu, & ibi gl. V. confirmatus, & Abb. n. 33. quia per electionem tantùm initiatum, ſeu inchoatum matrimonium, & quaſi conjugale vinculum ſpiritualiter eſt contractū, c. Cùm inter 21. de elect. & c. ult. h.t. ideóque facilè etiam, abſque Superioris auctoritate, diſſolvitur. Quòd ſi poſt conſenſum ab electo datum, petita ſit confirmatio à Superiore, non poteſt electus renunciare electioni, ſinè auctoritate Superioris, quia negotium jam ad Superiorem delatum eſt, ideóque res jam affecta eſt, nec ampliùs integra, juxta gl. in c. Si electiò 26. V. renunciat. de elect. in 6. Quamvìs etiam valde probabile ſit, electum, poſt acceptationem, ante obtentam confirmationem, poſſe Epiſcopatui, ſeu Prælaturæ renunciare, ſinè licentia Superioris, quia per petitionem confirmationis præciſè, antequam ea obtineatur, electus nihil juris perdit, neque etiam plus juris acquirit, Pariſius l. 7. de reſignat. benef. quæſt. 1. num. 78. & ſeqq. de quo infrà.

Notandum 6. Duæ ſunt regulæ, quæ hic tradi ſolent. Prima eſt: in materia communiter prohi-

bita, quod non reperitur conceſſum, eo ipſo prohibitum cenſeri debet. Unde privilegium ſingulariter alicui conceſſum, ante prohibitionem Juris communis, ad alia etiam ſimilia extendi non debet, c Sanè 9. de privileg. l. Jus ſingulare 16. junctâ gl. ff. de legib. Altera regula eſt: In materia communiter non prohibita, ſed permiſſa, quod non reperitur prohibitum, intelligitur eſſe conceſſum, gl. in cit. c. 2. V. non invenitur h.t. de quo plura ibid. Abb. n. 37. & 38.

X. Quæritur 2. Cujus auctoritate, ſive à quo transferri poſſint alij Prælati non Epiſcopi? Reſp. Prælati Epiſcopis inferiores, & alij Beneficiati, auctoritate ſui proximi Superioris, ſeu proprij Epiſcopi, ad alias Eccleſias transferri poſſunt, c. Abbas 8. cauſ. 18. q. 2. c. Si quis 3. & c. ſeq. diſ. 71. Niſi fuerint Prælati exempti, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, tunc enim, ſinè ſpeciali licentia Papæ, transferri non poſſunt, Hoſtienſ. in ſumma h.t. n. 4. Abb. in c. ult. n. 5. eod. Quòd ſi Eccleſia, à qua aliquis transfertur, non ſit ſubjecta jurisdictioni ejuſdem Superioris, cui ſubjecta eſt Eccleſia, ad quam transfertur, requiritur conſenſus Superioris, vel Epiſcopi utriuſq; Eccleſiæ, c. Admonet 4. de renunciat. c. fin. de Cleric. peregr. Hoſtienſ. hîc.

Porrò inter Prælatos Epiſcopo inferiores, & Eccleſias ſuas non cenſetur contrahi matrimonium ſpirituale, ſicut inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuam, quia SS. Canones non prohibent illos transferri ab Eccleſiis ſuis, accedente tamen proximi Superioris licentiâ, ideòque nec annulum deferre debent, ſpectato Jure communi, & ſecluſâ ſpeciali conſuetudine, aut privilegio, Abb. in cit. c. ult. n. 5. h.t. At Epiſcopus à ſua Eccleſia liberari, & ad aliam transferri non poteſt, niſi ex plenitudine poteſtatis Papalis. Non tamen negari poteſt, quin etiam alij Prælati inferiores, qui Collegium, ſeu Conventum habent, cui præſunt, præſertim ſi generalem, & Ordinariam jurisdictionem in ſubditos ſuos exerceant, in latiore acceptione, ſponſi ſuarum Eccleſiarum appellari poſſint, & quaſi matrimonium cum ſuis Eccleſiis ineant, cùm per eorum mortem Eccleſiæ dicantur viduatæ in c. Ne pro defectu, 41. & in c. Quia propter, 42. & ibi id docet gl. V. Eccleſiis viduatis.

§ II.

De pœna Epiſcopi propriâ auctoritate tranſeuntis ad aliam Eccleſiam, & an is cogi poßit ad tranſeundum?

XI. Quæritur 1. Quæ ſit pœna Epiſcopi, qui propriâ auctoritate ab una Eccleſia ad aliam tranſit? Reſp. Epiſcopus conſecratus, vel etiam ſolùm confirmatus, qui propriâ auctoritate, ab una Eccleſia ad aliam, præſertim majorem, aut ditiorem tranſit, utrâque carere debet, prout ſtatuitur in c. Quantò, 3. h.t. ubi Papa Innocent. III. in primis ait, quòd poteſtatem transferendi Epiſcopos ita ſibi Chriſtus Dominus reſervavit, ut ſoli ſuo Vicario B. Petro, & per ipſum Succeſſoribus ejus, illam ex ſpeciali privilegio conceſſerit: cui omnis antiquitas, & decreta SS. Patrum, & SS. Canonum ſanctiones teſtantur, ſingularem reverentiam exhibendam eſſe. Ex quo ſequitur, quòd non homo, ſed Deus potiùs ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei, ſcilicet Chriſti vicem gerit in terris) ob Eccleſiarum neceſſitatem, vel utilitatem, non humanâ, ſed divinâ potiùs auctoritate ſeparat. Quamobrem cùm Epiſcopus Hildesheimenſis, relictâ ſuâ Eccleſiâ, ad Herbipolenſem, propriâ auctoritate, ſe tranſtulerit, præcipit ei Papa, ut adminiſtrationem Eccleſiæ Herbipolenſis penitus derelinquat: Canonici verò Eccleſiæ Herbipolenſis, qui vota, ſeu ſuffragia ſua in dictum Epiſcopum illicitè (ipſum non poſtulando, ſed eligendo, & recipiendo, ſinè licentia Papæ, gl. hîc V. illicitè) contulerunt, à poteſtate eligendi, pro ea vice ſuſpenduntur (vel ipſo jure, ita, ut verbum *ſuſpendimus* idem ſignificet, quod ſuſpenſos declaramus, vel ſaltem per ſententiam Judicis, gl. hîc V. ſuſpendimus) ut in eo ipſo puniantur, in quo peccaverunt. Et quia idem Epiſcopus Eccleſiam Hildesheimenſem, cui alligatus fuerat, improbè dereliquit, ad eàdem redire prohibetur, quia ſecundùm SS. Canones, qui ad Eccleſiam, præſertim majorem (idem eſt, ſi ad parem, vel minorem, gl. fin. hîc) aut ditiorem ſe tranſtulit, ab utraque, tam aliena, quàm propria repelli debet, ut nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit: nec illis, quos per avaritiam concupivit.

XII. Notandum 1. Epiſcopus propriâ auctoritate tranſiens ab uno Epiſcopatu ad alterum, non tantùm poſteriorem obtinere non poteſt, ſed etiam priore privatur, non quidem ipſo jure, ſed poſt ſententiam condemnatoriam Judicis, ut colligitur ex c. Si quis Epiſcopus 31. ibi: *carebit & propria*, cauſ. 7. q. 1. adeòque remanet Epiſcopus prioris Eccleſiæ, & Clerici ejuſdem ipſi obedire tenentur, donec per ſententiam illâ privetur, Abb. in cit. c. Quanto. n. 13. Idque procedit, quando & primam Eccleſiam, ſinè licentia, dereliquit, & ad aliam ſimiliter ſinè licentia tranſivit: nam aliàs privandus eſſet ſolùm illâ Eccleſiâ, quam ſinè licentia, vel deſeruit, vel de novo occupavit, ne pœna ultra delictum excedatur, Abb. in cit. c. n. 12. poſt Joan. Andr. & Innocent. ibid. Hæc autem pœna privationis maximè, ac præcipuè locum habet, ſi quis propriâ auctoritate migret ad Eccleſiam majorem, aut ditiorem, quia talis, cupiditate honoris, vel divitiarum, ſe tranſtuliſſe præſumitur: quamvis idem ſit, ſi ad parem, vel minorem Eccleſiam, ſinè licentia, tranſeat, quia faciliùs diſpenſatur in majore, quàm in pari, c. fin. h.t. licèt ad minorem difficiliùs, quàm ad parem, c. 1. h.t. gl. in cit. c. Si quis Epiſcopus, V. majorem cauſ. 7. q. 1. & in cit. c. Quanto, V. eodem.

Notandum 2. Si Presbyteri, aliique Clerici Epiſcopis inferiores, propriâ auctoritate, ad aliam Eccleſiam migrent, communione privantur, donec ad priorem redeant; & ſi interim in eorum locum, alij ſubſtituti ſint, tamdiu vacare debent ab officio, vel beneficio, quod in priore Eccleſia habebant, quàmdiu ſubſtituti vivent, prout habetur in c. Eos Sacerdotes 43. & cap. Si quis Presbyter 24. cit. cap. 7. quæſt. 1.

XIII. Quæritur 2. An Summus Pontifex poſſit Epiſcopum invitum ab una Eccleſia ad aliam tráſferre:

ferre? Reſp. Poteſt Papa, ob cauſam communis neceſſitatis, vel utilitatis, transferre Epiſcopum invitum ab una Eccleſia ad aliam, ita, ut per tranſlationem abſolvatur etiam invitus à vinculo prioris Eccleſiæ, & ſtatim ſolvatur ſpiritnale conjugium inter ipſum, & Eccleſiam primam, eáque vacet à tempore tranſlationis, etiam ante acceptationem Eccleſiæ ſecundæ factam ab Epiſcopo tranſlato, nec is ad illam redire poſſit, ut ex ſententia communiter recepta docet Fagnan. in c. Quanto, 3. n. 101. h. t. Probatur, quia ſicut S. Pontifex poteſt diſſolvere matrimonium ratum, non conſummatum, invito altero conjuge, ita etiam poterit ſolvere matrimonium ſpiritnale, transferendo Epiſcopum, etſi invitum ad aliam Eccleſiam, cùm arctius ſit vinculum matrimonij carnalis, quàm ſpiritualis, ſecundùm gl. in c. 2. V. fortius, h. t. Etſi poteſt Papa in nna Eccleſia duos Epiſcopos conſtituere, c. Non autem, 12. cauſ. 7. q. 1. & duos Epiſcopatus concedere uni Epiſcopo, ita, ut ſit Epiſcopus utriuſque, c. Relatio, 5. cauſ. 21. q. 1. Item unire duos Epiſcopatus, & unum in plures dividere, c. Ex temporis, 48. cauſ. 16. q. 1. c. Sicut, 8. de exceſſib. Prælat. cur non etiam poterit Epiſcopum invitum ab uno Epiſcopatu transferre ad alium. Requiritur tamen cauſa gravis, & publica, quia Canones loquentes de tranſlatione Epiſcoporum ſemper ponderant cauſam juſtã neceſſitatis, vel utilitatis, c. Mutationes 34. cauſ. 7. q. 1. c. Quantò, 3. ibi, *Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſatâ*, h. t. Fagnan. in cit. c. n. 51. & ſeqq. & num. 72. Neque enim S. Pontifex eſt conſtitutus à Deo abſolutus dominus, ſed diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. & ſpirituale conjugium, quod inter Epiſcopum, & eius Eccleſiam contrahitur, nollâ humanâ poteſtate, invito Epiſcopo, diſſolvi poteſt, ne quidem à Papa, ſine juſta cauſa, Fagnan. c. l. n. 87.

Porrò quamvis Papa ex juſta cauſa poſſit Epiſcopum etiam invitum transferre, ſeu ſeparare à ſua Eccleſia, ut illâ carère debeat, non tamen poteſt is alligari alteri Eccleſiæ, eíque copulari conjugio ſpirituali, niſi conſentiat, quia ad valorem tam ſpiritualis, quàm carnalis matrimonij, requiritur conſenſus electi, vel tranſlati, c. Cùm inter 2. ibi: *ut per mutuum conſenſum eligentium, & electi quaſi conjugale vinculum ſpiritualiter ſit contractum*, ſupr. de elect. quia tamen tranſlatus tenetur conſentire, ſi publicum bonum Eccleſiæ talem tranſlationem exigat, poteſt à Papa per pœnas cogi, ut conſentiat, & ex nolente fiat volens, prout ſumitur ex c. Scias 35. cauſ. 7. quæſt. 1. Abb. in c. fin. §. 13. de poſtul. Prælat. Fagnan. hîc num. 117. & 2. ſeqq. de quo plura apud eundem videri poſſunt. Similiter Epiſcopi ſuos ſubditos, ſeu Clericos ab una ad aliam Eccleſiam transferre poſſunt, ſi juſta, & rationabilis cauſa ſubſit.

§. III.

De modo, quo facienda eſt translatio Epiſcopi, & de cauſis, & effectibus eiuſdem.

XIV. Quæritur 1. Quomodo fieri poſſit, vel debeat tranſlatio Epiſcopi? Reſp. Tranſlatio regulariter ſit à minore ad majorem dignitatem, quia qui promovetur, gradatim promovendus eſt à minore ad majus, cap. Legimus 24. in fine. diſt. 93. ſive à minoribus honoribus ad majores, l. Ut gradatim 11. ff. de munerib. & honor. neque facilè permittendum eſt, ut à majore dignitate, v. g. Archiepiſcopali, aliquis transferatur ad minorem, puta Epiſcopalem, cùm id decens non ſit, ideóque in tali tranſlatione difficiliùs diſpenſatur, c. 1. h. t. Quòd ſi Pontifex alicui conceſſit poteſtatem tranſeundi ad majorem dignitatem, nõ poterit, vi illius conceſſionis, tranſire ad parem, v. g. ab uno Epiſcopatu ad alium, vel ad minorem dignitatẽ. prout deciſum eſt in c. Licèt 4. & ult. §.
Hoc autem h. t. ubi cùm Epiſcopus Hildesheimen- »
ſis, propriâ auctoritate, ad Herbipolenſem Eccleſiã »
tranſiviſſet, in excuſationem attulit, quòd ab Ante- »
ceſſore Papæ Innocentij gratiã acceperit, ut, ſi fortè »
ad majorem dignitatem vocaretur, illam aſſumere »
liceret, dum̃odo nihil obſtaret, quòd Canonicis in- »
ſtitutis repugnaret. Hanc excuſationẽ reiecit Innoc. »
III. 1. Quia etſi alicui cõceſſa fuerit facultas trans- »
eundi ad majorem dignitatem, non tamen, vi illius »
gratię, ſeu diſpenſationis, poterit tranſire ad parem, »
videlicet ad ſimilem dignitatem Epiſcopalem, quia »
in majore dignitate propter majorem utilitatem, »
faciliùs ſolet diſpenſari. Deinde quamvis ponatur, »
facultatem illam ſe extendiſſe etiam ad aliã digni- »
tatem parem, ſeu Epiſcopalem, quia tamẽ priùs exa- »
minari debet poſtulatio, ſicut & electio; & in con- »
ceſſione illius facultatis, non tantùm ipſius poſtu- »
lationis, ſed etiam perſonæ poſtulatæ inquiſitio, & »
examinatio Sedi Apoſtolicæ reſervata eſſe videtur, »
ut colligitur ex ſubjunctis illis verbis: *dummodo ni-* »
hil ei de Canonicis obſtet inſtitutis; ideo dictus Epiſco- »
pus, antequam poſtulatio ipſius per eum, ad quem »
id pertinebat, examinata fuerat, ad Eccleſiam Her- »
bipolenſem tranſire haud potuit. »

XV. Notandum 1. Cui conceſſum eſt privilegiũ, ſeu facultas tranſeundi ad majorem dignitatem, non poteſt, vi illiꝰ, tranſire ad parem, ſeu minorem dignitatem; tum quia indultum, ſeu privilegium conceſſũ contra jus com̃une ſtrictè interpretari oportet, quia hoc eſt valde favorabile, cui per privilegium derogatur. Tum quia cauſa conceſſionis fundatur in majore utilitate, quæ reperitur in tranſlatione ad majorem dignitatem, ideóq; in illa faciliùs diſpenſatur, quàm in tranſlatione ad parem, vel minorem dignitatem, in qua cùm reperiatur minor utilitas, difficiliùs in illa diſpenſatur, c. 1. h. t. gl. in cit. c. ult. V. ad parem, & Abb. n. 8. Tum quia impetratio diſpenſationis, ut tranſire liceat ad majorem, vel parem, ſed ditiorem Prælaturam, ambitionem continere videtur, ideóque etiam reſtringenda eſt, Innocent. in cit. c. ult. num. 4. Porrò tametſi unus Epiſcopatus ſit ditior altero, ſive majores reditus habeat, non idcirco cenſeri debet dignitatis majoris, ſed paris, cit. c. Legimus, §. Ubicunque diſt. 93. Abb. c. l. n. 16.

Notandum 2. Quando cauſa conceſſionis, ſeu diſpenſationis fundatur ſuper habilitate perſonę, tunc, qui per diſpenſationem habilitatur ad majorem dignitatem, v. g. Archiepiſcopalem, cenſetur etiam habilitatus ad minorem, v. g. Epiſcopalem, quia faciliùs diſpenſatur, ob vitium, ſeu defectum perſonæ, ad inferiorem, quàm ſuperiorem dignitatem, & ad

Ordines minores, quàm majores. Aliud eſt, ſi diſpenſetur cum aliquo, propter impedimentum vinculi conjugalis, ſeu matrimonij ſpiritualis, quia alligatus eſt alteri Eccleſiæ: tum enim, ſuppoſitâ habilitate perſonæ ad utramq; dignitatem, majorem, & minorem, faciliùs diſpenſatur ad majorem, quàm ad minorem; tum quia in priore major cenſetur eſſe utilitas: tum quia juri conſentaneum eſt, ut gradatim fiat promotio, ita, ut aſcendatur à minore ad majorem dignitatem, non autem deſcendatur à majore ad minorem, vel transfeatur ad parem, Abb. in cit. c. ult. n. 8. & 14.

Notandum 3. Si cum aliquo, v. g. Epiſcopo, fuerit diſpenſatum, ſeu facultas ei conceſſa, ut ad alterum Epiſcopatum tranſire poſſit, vel alium acquirere, priore retento, tum hæc gratia diſpenſationis, ſeu privilegium hoc operatur, ut talis, perinde, ac ſi electus fuiſſet, in poſtulationem de ſe factam conſentire poſſit, dummodo major pars Capitularium in eum conſenſerit, ſive ſuffragia ſua ei dederit. Nam, quamvìs electus poſſit conſentire in electionem de ſe factam, etiam ante examinationem electionis: non tamen poſtulatus in ſui poſtulationem, ante examinationem, & admiſſionem poſtulationis, niſi privilegium habeat, ſeu facultatem tranſeundi ad alium Epiſcopatum, vel acquirendi ſecundum, retento primo, tunc enim, vi hujus privilegij, ſeu diſpenſationis, poteſt à Superiore (qui nunc plerumque eſt Papa) vel etiam alio immediato Superiore, v. g. Archiepiſcopo petere, ut poſtulationem de ſe factam approbet, ſeu confirmet, ad quod is tenetur, ſi poſt examinationem poſtulationis factam, aliud canonicum impedimentum non obſiſtat: & poſtulatione approbatâ, ſeu confirmatâ, poterit poſtulatus, ſinè alia licentia Papæ, vel alterius, tranſire ad Eccleſiam, ad quam fuit poſtulatus, Innocent. in cit. c. ult. n. 2. h. t. Abb. ibid. n. 15. Et quamvìs hujuſmodi vocatio facta, ſecundùm ſuffragia minoris partis Capituli, habeat vim electionis, & in effectu ſit electio: tutius tamen eſt, ut Capitulares utantur nomine poſtulationis, quia ſpectatâ ſaltem origine, talis non eligendus, ſed poſtulandus eſt, ut colligitur ex cit. c. ult. h. t. & notat Innoc. ibid. n. 3. rationem dat Abb. ibid. num. 18. quia etſi alicui detur licentia tranſeundi ad alium Epiſcopatum; non tamen per talem diſpenſationem, ſeu indultum is habilitatur, quoad modum providendi, quia per hoc non ſtatim tollitur vinculum ſpiritualis matrimonij, à quo provenit impedimentum, ut eligi non poſſit, ſed poſtulari debeat.

Cæterùm translatio fit, vel interveniente poſtulatione, ſi quis transferatur ad Prælaturam, vel dignitatem electivam, vel interveniente collatione liberâ, aut non liberâ, factâ ſcilicet ad nominationem, vel præſentationem alterius, ſi quis transferatur ad dignitatem collativam. In qua etiam intervenire debet abſolutio, per quam transferendus liberetur à vinculo prioris Eccleſiæ, & deinde facultas ei conceditur tranſeundi ad aliam Eccleſiam, actúque transfertur, Hoſtienſ. hìc in ſumma n. 3.

XVI. Quæritur 2. Ob quas cauſas fieri poſſit translatio Epiſcopi? Reſpondetur, cauſæ transferendi Epiſcopos, generatim loquendo, ſunt duæ, neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ, c. Mutationes 34. & c. ſeq. cauſ. 7. q. 1. Hoſtienſ. hìc in ſumma n. 6. Utilitatis causâ fit translatio, ut quia aliquis in alia Eccleſia plus prodeſſe poſſe, veriſimiliter exiſtimatur, vel quia id ſuadet bonum pacis, & concordiæ, cit. c. Mutationes: ubi etiam dicitur, quòd S. Petrus Princeps Apoſtolorum ex Eccleſia Antiochena Romam translatus eſt, utilitatis causâ, ut ibi copioſiùs proficere poſſet. Neceſſitate quoque gravi, v. g. metu hoſtium urgente, fieri ſolent Sedium Epiſcopalium mutationes, ſeu translationes, c. Temporis 44. cit. cauſ. & q. Sed hoc caſu, etſi Epiſcopus, qui ob hoſtilem neceſſitatem, à ſua Eccleſia eſt depulſus, aliam, quæ Paſtore caret, Eccleſiam gubernare poſſit: ad propriam tamen Eccleſiam, ceſſante periculo hoſtilitatis, reverti tenetur, niſi ab illa legitimè dimiſſus fuerit. Si verò Eccleſia propria continuâ premeretur calamitate captivitatis, perpetuò in altera permanere debet, c. Paſtoralis 42. eadem cauſ. & quæſt.

XVII. Quæritur 3. Qui ſint effectus translationis? Reſpondetur, primus effectus eſt, quòd per illam ſpirituale matrimonium inter Epiſcopum transferendum, & priorem Eccleſiam contractum diſſolvitur, íſque ab ea omnino liberatur, ita, ut nihil juris in priore Eccleſia retineat, c. 2. h. t. & c. Bonæ 4. §. fin. de poſtul. Prælat. 2. Quòd translatus alteri Eccleſiæ jungitur, eandémque poteſtatem conſequitur, perinde, ac ſi per electionem, vel alium legitimũ proviſionis modum eam obtinuiſſet, cit. c. 2. 3. Quòd ſi Epiſcopus ab una Eccleſia translatus ſit ad aliam, à cujus vinculo jam eſt abſolutus, prior Eccleſia vacat ipſo jure, quamprimum translatus conſenſit in translationem, eámque acceptavit, etiam ante acquiſitam poſſeſſionem poſterioris Eccleſiæ, ad quam eſt translatus, alioquin enim Epiſcopus translatus ſimul foret ſponſus duarum Eccleſiarum, & ſpirituale adulterium committeret. Idem eſt, ſi in translationem non conſentiat, eo ſcilicet caſu, quo ex juſta, & gravi cauſa, invitus transferri poteſt. Aliud eſt in inferioribus dignitatibus, & beneficijs, à quibus ſi quis transferatur, vel potiùs promoveatur ad Epiſcopatum, priora beneficia ordinariè non vacant, ante obtentam poſſeſſionem, & plenum jus Epiſcopalis dignitatis: quia in his ceſſat prædicta ratio, cùm in illis non contrahatur matrimonium ſpirituale, à quo priùs abſolvi quis debeat: ideóque poſſidens inferiora beneficia, eorum titulo retento, poteſt promoveri ad Epiſcopatum, cùm etiam poſt Epiſcopatum obtentum, inferiora beneficia, ex cauſa poſſit de novo acquirere, Abb. conſil. p. 2. conſil. 101. n. 3. & 4. Tuſchus V. Translatio Epiſcoporum concl. 364.

TITV-

TITULUS VIII.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII.

QUia inter eos, qui poſtulantur, eliguntur, vel transferuntur ad Prælaturas Eccleſiaſticas, quibuſdam jus Pallij competit, ratione dignitatis, ad quam aſſumuntur, ideo præcedentibus Titulis iſte ſubjungitur de auctoritate, & uſu Pallij. Extat idem Titulus etiam in Extravagantibus communibus.

§. I.

Quid ſit Pallium, à quo, quibus, quando, & quomodo petatur, & tradatur?

I. Quæritur 1. Quid ſit Pallium? Reſpondetur, per Pallium, ſeu Palleum hoc loco intelligitur præcipuum Archiepiſcoporum inſigne, ſeu ornamentum, de corpore S. Petri ſumptum, in quo Pontificialis officij plenitudo, cum Archiepiſcopalis nominis appellatione, confertur. Quæ deſcriptio deſumpta eſt ex c. Significâſti 4. ibi: *Cum igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à B. Petri tantùm corpore aſſumuntur &c.* ſupr. de Elect. & c. Niſi ſpecialis 3. h. t. & habetur apud Hoſtienſ. in ſumma n. 1. eod. Dicitur autem Pallium de Corpore B. Petri acceptum, vel quia benedicitur, & conſecratur à Papa ſuper Altari S. Petri, & ille, cui competit jus Pallij, recipit illud de Altari, ſi eſt præſens, vel alius loco ipſius, ſi eſt abſens, & ſic aſſumitur de corpore B. Petri, ut tradit gl. in cit. c. Significâſti V. Corpore aſſumuntur: quamvis id non ſit neceſſarium, ſed etiam ex alio loco, v.g. ex Altari Capellæ Pontificiæ, Pallium recipi poſſit, ut notavit Hoſtienſ. c. l. n. 3. Vel potiùs dicitur aſſumptum ex corpore S. Petri, quia à ſolo Romano Pontifice Pallium confertur; ab alijs verò, non niſi ex privilegio ejuſdem, ut notat Abb. in cit. c. Significâſti n. 9. Vel denique quia Pallium ſignificat veluti particulam poteſtatis Eccleſiaſticæ derivatam ex plenitudine poteſtatis Pontificiæ, quæ in B. Petro, ejúſque Succeſſoribus reſidet, ut colligitur ex cit. c. Significâſti: nam alij Prælati inferiores Papâ, non in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſollicitudinis paſtoralis ſunt vocati, c. Qui ſe 12. cauſ. 2. quæſt. 6. c. Ad honorem 4. in fine h. t. quæ denotatur per pallium ex ovium lanis confectum, Layman. in cit. c. 4. n. 2.

Deinde dicitur etiam Pallium Pontificialis officij plenitudinem conferre, quia, ſicut Epiſcopus non habet plenum jus in ſuo Epiſcopatu, antequam conſecratus ſit: ita neque Archiepiſcopus plenum jus habet in ſua Provincia, priuſquam Pallium acceperit, adeò, ut ante illud acceptum, non poſſit ſe appellare Archiepiſcopum, c. Niſi 3. h. t. de quo infrà, licèt electus in Archiepiſcopum poſt confirmationem ſuam, & conſecrationem, poſſit appellari Metropolitanus, etiamſi Pallium non receperit, ut colligitur ex c. Suffraganeis 11. & ibidem Abb. n. 1. nor. 3. de elect. Eſt autem Pallij uſus antiquiſſimus, & originem habet ab ipſis S. Petri diſcipulis, teſte Azor p. 2. Inſtit. mor. l. 3. c. 34. q. 1.

Porrò figuram Pallij deſcribit Abbas ad Rubric. h. t. Sylveſt. in ſumma V. Pallium, Azor c. l. quòd ſit veſtis candida, ex lana alba contexta, in coronæ, ſeu circuli modum, pectus, & humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus diſtincta, anteriore parte non nihil dependens. De myſtica verò ejus ſignificatione videri poteſt, Abb. in Rubric. h. t.

II. Quæritur 2. A quo conferri poſſit, ac peti debeat Pallium Archiepiſcopale? Reſpondetur, Pallium petitur, & confertur, propriâ auctoritate, à S. Pontifice tantùm, cit. c. Significâſti in fine, & ibidem Abb. num. 9. tametſi quatuor Patriarchæ Principales, Conſtantinopolitanus; Antiochenus, Alexandrinus, Jeroſolymitanus, poſtquam à Romano Pontifice receperunt Pallium, præſtito eidem fidelitatis, & obedientiæ juramento, licitè, & ipſi ſuis Suffraganeis Pallium largiuntur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam (ſive obedientiam, & reverentiam) & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ, c. Antiqua 23. & ibi gl. V. profeſſionem de privileg. illud tamen conferunt, non niſi auctoritate Papæ, ſive ex ejus conceſſione, aut privilegio ipſis à Romana Sede conceſſo, Abb. c. l. Et hæc quidem antiquo jure obtinebant, nunc verò ſolus Romanus Pontifex confert Pallium Archiepiſcopis, Azor cit. c. 34. q. 4.

III. Quæritur 3. Quibus concedatur, ſive conferatur Pallium? Reſpondetur, hoc jus Pallij Archiepiſcopalis competit inprimis S. Pontifici, veluti Archiepiſcopo Romano, ut conſtat ex c. Ad honorem 4. in princ. h. t. Deinde competit etiam Archiepiſcopis omnibus, iiſque Superioribus, Patriarchis, & Primatibus, Hoſtienſ. in ſumma h. t. num. 3. quibus Papa pallium mittit, ſi inſtanter petiverint, c. 1. & 2. diſ. 100. præmiſsâ priùs fidei Catholicæ profeſſione, & præſtito juramento fidelitatis, & obedientiæ Sedi Apoſtolicæ, c. Optatum 4. cit. diſ. & cit. c. Significâſti de elect. Denique etiam Epiſcopis quibuſdam ex ſpeciali privilegio, vel longâ conſuetudine Pallium à Sede Apoſtolica mittitur, & traditur. Veluti Quinqueeccleſienſi in Ungaria, ut patet ex c. Cùm in juventute 15. in princ. de præſumpt. Oſtienſi in Oſtijs Tiberinis, Decano Collegij Cardinalium, qui Papam conſecrat, Papienſi in Longobar-

Digitized by Google

bardia, Lucenſi in Tuſcia, Bambergenſi in Germania, Hoſtienſ. c. l. n. 3. Azor c. l. q. 3.

IV. Quæritur 4. Intra quod tempus petendum ſit Pallium, & quâ formâ tradendum? Reſp. Is, cui Pallij jus competit, debet intra tres menſes, à die conſecrationis, ſi antè non fuit conſecratus, vel à die confirmationis, ſi jam antè fuit conſecratus, ceſſante juſto impedimento, per ſe, vel per alium ad hoc ſpeciale mandatum habentem, petere pallium, aliàs commiſsâ ſibi careat poteſtate, c. Quoniam, 1. juncta gl. V. Conſecrationis, c. Optatum, 4. in fine, diſ. 100. Abb. in c. Ad honorem, 4. n. 8. h. t. & datur Metropolitanis aliis licentia, poſt ſecundam, & tertiam commonitionem, viduatis Eccleſiis, cum Conſilio Romani Pontificis, ordinando, & conſecrando Epiſcopos, ſubvenire, cit. c. Quoniam.

V. Reſp. 2. Forma autem verborum, quâ Pallij traditio fieri ſolet, eſt talis, ut refert gl. in c. Ad honorem 4. V. eod. h. t. Ad honorem Dei Omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, & Domini Papæ N. & Eccleſiæ Romanæ, & Eccleſiæ talis tibi commiſſæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri ſumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utatis eo intra Eccleſiam tuam, certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis Eccleſiæ tuæ conceſſis à Romana Eccleſia. Eſt autem moris, ut unâ cum Pallio tranſmiſſo, nova quædam privilegia dentur, vel ſaltem antiqua confirmentur, cap. Rationis, 9. & 2. ſeqq. cit. diſ. 100.

VI. Cæterùm illud hic addendum, quod noviſſimè conſtitutum eſt in Extravag. Joan. XXII. unic. inter communes h. t. videlicet, ut deinceps traditio Pallij facienda illis, qui ad Regimen Metropolitanarum, vel aliarum Eccleſiarum aſſumuntur, per objectionem cuiusvis criminis, aut defectûs, non impediatur, aut retardetur (ne ſcilicet per falſas objectiones diutius vacent Eccleſiæ, &, ut malitiis hominum obvietur, ut habetur ibid. in princ.) niſi objiciens, præſtito corporali juramento, ſe malitiosè id non agere, ſed objecta vera eſſe credere, promptam de objectis fidem faciat, id eſt, intra bimeſtre temporis ſpatium à die collationis numerandum, objecta legitimè probet, & nihilominus ſe ad pœnam talionis, ſeu extraordinariam, arbitrio præſidentis, obliget. Per huiuſmodi tamen traditionem Pallij, non obſtantibus objectionibus factam, nullum præjudicium viæ accuſationis, denunciationis, vel inquiſitionis generatur, ut additur ibid. in fine. idque ne Pallium detur, niſi bene meritis, & dignis, c. Priſca 2. cit. diſ. 100.

§. II.

De uſu Pallij.

VII. Quæritur 1. In quo loco, & quando licitum ſit uti Pallio? Reſp. 1. Solus Romanus Pontifex in omnibus Miſſarum ſolemniis, ſemper, & ubique locorum Pallio utitur, quia aſſumptus eſt ad plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur (& quam gerit in totam Eccleſiam Chriſtianam, c. Cuncta 17. & c. Per principalem 21. cauſ. 9. q. 3. Alij autem, quibus Pallium conceſſum eſt, eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſia tantùm ſua, in qua juriſdictionem eccleſiaſticam obtinent, & certis diebus uti debent, quoniam in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis ſunt vocati. Ita habetur in c. Ad honorem 4. h. t.

VIII. Reſp. 2. Non tantùm in Eccleſiis Cathedralibus, ſed etiam in omnibus aliis Provinciæ ſuæ Eccleſiis, Archiepiſcopus inter Miſſarum ſolemnia, permiſſis diebus, Pallio uti poteſt, ut conſtat ex c. 1. h. t. nam cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Clemente III. quomodo intelligendum ſit, quod in forma traditionis Pallij habetur, videlicet, *tradimus tibi Pallium, ut eo intra Eccleſiam tuam utaris*. Reſpondet Papa, ita intelligi debere, ut liceat Archiepiſcopo, intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ ſibi commiſſæ, Pallio uti. Si verò extra Eccleſiam ſit, quamvìs aliis ſacris veſtibus indutus, v. g. in ſolemni proceſſione, Pallio uti nullo modo debet. Ratio eſt, quia quamvìs aliàs nomen Eccleſiæ Epiſcopalis plerumque ſtrictè accipiatur pro Cathedrali tantùm: tamen in materia hac favorabili, & quæ nemini præjudicat, videlicet in privilegio conceſſo Archiepiſcopo, ut utatur pallio in ſua Eccleſia, nomen Eccleſiæ latè accipitur, ita, ut comprehendat quamlibet Eccleſiam, intra totam eius, non ſolùm diœceſin, ſed etiam Provinciam, gl. in cit. c. 1. V. Quamlibet, & in cit. c. Ad honorem, 4. V. in Eccleſia ſua, imò etiam Eccleſias exemptas, Abb. in cit. c. 1. n. 7. & colligitur ex Clem. 2. de privileg.

IX. Hinc colligitur 1. Quòd Archiepiſcopus non poteſt uti Pallio in Eccleſiis alienæ provinciæ, nam in cit. c. 1. non niſi limitatè conceditur uſus Pallij, cum reſtrictione, ſcilicet ad provinciã, non autem extra provinciam, ut ſumitur etiam ex c. Ex tuarum 5. h. t. Quare cùm in c. Cùm ſis 6. h. t. dicitur, quòd Archiepiſcopus, ubicunque fuerit in Miſſarum celebrationibus conſtitutus, uſum Pallij (per quod plenitudo Pontificalis officij deſignatur) diebus ſolemnibus liberè poterit exercere: illud verbum, *ubicunque*, reſtringendum quoque eſt ad Eccleſias intra provinciam, ita, ut ſenſus ſit, ubicunque, id eſt, in quacunque tuæ provinciæ Eccleſia celebraveris, Pallio uti poteris, gl. ibid. V. ubicunque, quia jura juribus concordanda ſunt, c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. in cit. autem c. 1. h. t. uſus Pallij reſtringitur ad Eccleſias, intra Provinciam, ergo alterum quoque cap. non generaliter, ſed reſtrictè de quacunque Eccleſia, ſed intra provinciam, explicari debet. Ratio eſt, quia inſignia, quibus denotatur juriſdictio, vel præeminentia (cujuſmodi eſt etiam Pallium Archiepiſcopale) non poſſunt portari extra limites juriſdictionis, etiam voluntariæ, ne alterius juriſdictionem ſibi uſurpare aliquis videatur, Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t.

Neque obſtat, quòd Proconſul miſſus in Provinciam ſuis utitur inſigniis, etiam extra Provinciam ſibi commiſſam, l. 1. ff. de offic. Proconſul. Similiter & Legatus S. Pontificis à Latere inſigniis Legationis utitur, etiam extra provinciam ſibi decretam, ut infrà ſuo loco dicetur: cur non ergo etiam Archiepiſcopus uti poterit Pallio, extra ſuam Provinciam? Nam diſparitas eſt quoad hoc, inter Proconſulem, aut Legatum, & inter Archiepiſcopum: quia illis permittitur uſus inſignium, extra Provinciam, ratione mitten-

tentis, id eſt, Principis, vel Papæ, quorum vices gerunt: Archiepiſcopus verò non mittitur à Papa, ut ejus nomine juriſdictionem exerceat, ſed tantùm confirmatur per Papam, ut exerceat in Provincia juriſdictionem ordinariam, ideòque ſuis inſignijs non niſi intra Provinciam uti poteſt: præterquam, quòd Archiepiſcopus, geſtando pallium extra provinciam excederet limites conceſſionis ſibi limitatè factæ ad provinciam, qualis limitata conceſſio inſignium non eſt facta Proconſuli, vel Legato, Imola in c. Ex tuarum 5. n. 4. h. t.

X. Colligitur 2. Quòd Archiepiſcopus non poteſt uti Pallio, etiam in ſua provincia, extra Eccleſiam, cit. c. 1. in fine h. t. Quare ſi ſub papilione, ſeu tentorio in caſtris, aut in domo privata, extra Eccleſiam, propter neceſſitatem, Archiepiſcopus celebret, Pallium geſtare non poteſt, gl. margin. in cit. c. Cùm ſit h. t. & ibid. Jo. Andr. num. 3. Probabile tamen eſt, ſi Altare portatile, ob hominum multitudinem, quam Eccleſia capere non poteſt, præ foribus ejus extruatur; Archiepiſcopum in eo ſolemniter cum Pallio celebrare poſſe, quia non ſolet haberi ratio ejus, quòd per accidens in aliquo caſu contingit, & cùm talis celebratio veluti ſubſtituatur in locum ejus, quæ in templo fieri deberet, conſequenter iiſdem privilegijs gaudere debet. In qua tamen re ſpectandum eſt, quæ ſit cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, Laym. in cit. c. Cùm ſit. n. 2. h. t.

XI. Colligitur 3. Quòd Epiſcopus non poteſt uti Pallio, extra Miſſarum ſolemnia, c. Ad honorem 4. ibi: *In Miſſarum ſolemnijs* h. t. c. Pallium 6. ubi dicitur, tranſmitti Archiepiſcopo Pallium, ut intra Eccleſiam, ad ſola Miſſarum ſolemnia eo utatur, diſ. 100. & c. Contra 8. ead. diſ. ubi dicitur, quòd pene de nullo Metropolitano ſit auditum, extra Miſſarum tempus, uſum ſibi Pallij vindicâſſe, notat tamen gloſſ. in cit. c. Pallium, quòd in Synodo etiam Archiepiſcopus uti poteſt Pallio.

XII. Colligitur 4. Quòd Archiepiſcopo Pallio uti licitum ſit ſolùm certis diebus; cit. c. Ad honorem ibi: *Certis debeat uti diebus*, videlicet ſolemnibus, cit. c. Cùm ſit ibi: *Diebus ſolemnibus* h. t. ſecundùm receptam cujuſque Metropolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem, Laym. in cit. c. Ad honorem n. 5.

Porrò dies certi, ac ſolemnes, quibus Archiepiſcopo permiſſum eſt uti pallio in Eccleſijs ſibi ſubjectis, enumerantur à gloſſ. in cit. c. Ad honorem V: eodem, & Hoſtienſ. in ſumma n. 5. eod. tit. Videlicet in Nativitate Domini, feſtis S. Joannis, & S. Stephani, in Circumciſione Domini, in Epiphania; in Ramis Palmarum, in Cœna Domini, in Sabbatho Sancto, tribus diebus Reſurrectionis, in feſto Aſcenſionis, & Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorum: tribus, vel, ut ponit Hoſtienſ. quatuor feſtivitatibus B. Mariæ: S. Michaëlis, omnium Sanctorum: in Dedicatione Eccleſiarum: in feſtivitatibus principalibus Eccleſiæ Archiepiſcopalis: in ordinationibus Clericorum, & conſecrationibus Epiſcoporum, & in die Anniverſario conſecrationis Archiepiſcopi.

Ex dictis infertur, ſi Archiepiſcopus in diebus ſolemnibus privatim ſolùm celebret, & non ſolemniter, ſive in Pontificalibus, tum non debet neceſſariò uti Pallio, ut colligitur ex cit. c. Ad honorem & cit. c. Pallium, ubi fit mentio de Miſſarum ſolemnijs: & ex dicendis etiam patebit.

XIII. Quæritur 2. An, & quando Archiepiſcopus poſſit, vel etiam debeat celebrare, ſinè Pallio? Reſpondetur, Poteſt Archiepiſcopus (idem eſt de Epiſcopo, cui jus pallij competit) tam in ſua, quàm in aliena Diœceſi celebrare; abſque Pallio; prout ſumitur ex c. Quia nos ult. h. t. ubi Papa Honorius III. reſpondet cuidam Archiepiſcopo, quòd tam in ſua, quàm in aliena Diœceſi, poteſt ſinè Pallio, & ſandalijs (ſive calceamẽtis Epiſcopalib⁹) cùm in ſua Diœceſi nõ debeat ſemper celebrare cum Pallio, ſed illis duntaxat diebus (videlicet ſolemnibus) qui in Eccleſiæ ſuæ privilegijs ſunt expreſſi. Porrò in aliena Diœceſi ipſi non ſubjecta, etſi celebrare Miſſam poſſit, non tamen Pallio uti poteſt, cùm non poſſit eo uti, extra Provinciam; ut patet ex ſuprà dictis, niſi ſpeciale privilegium habeat; de quo poſtea.

Præterea Archiepiſcopus debet etiam celebrare, ſinè Pallio, in Miſſis defunctorum, in quibus eo uti non poteſt, niſi in privilegijs Eccleſiæ conceſſis expreſſum ſit, ut in illis Pallio uti liceat; prout colligitur ex cit. c. ult. h. t. ubi in fine dicitur: *Sicque ſoluta eſt quæſtio, an ſit licitum pro defunctis cum Pallio celebrare*, gl. fin. ibid. Innocent. & Abb. n. 3. & 6. quia ordinariè, & jure communi, non licet Archiepiſcopo Pallio uti, niſi in diebus ſolemnibus, in quibus pro defunctis celebrari non ſolet.

XIV. Quæritur 3. An per conſuetudinem obtineri poſſit, ut liceat uti Pallio in aliena Provincia? Reſpondetur, per nullam conſuetudinem, quantumvis immemorialem, induci poteſt, abſque privilegio, ſeu famâ accepti privilegij Apoſtolici, ut Archiepiſcopus, extra ſuam Provinciam, Pallium geſtet, prout ſumitur ex c. Ex tuarum 5. h. t. Ubi habetur, quòd Archiepiſcopo Compoſtellano in conceſſione Pallij dictum fuit, ut eo intra Eccleſiam ſuam, id eſt, intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ ſuæ, juxta c. 1. h. t. gl. ibid. V: infra Eccleſiam) utatur. Sed quia dictus Archiepiſcopus, ob negotia Eccleſiæ ſuæ, extra Provinciam frequenter commorari debebat, & in Hiſpania generalis conſuetudo extitit, ut Archiepiſcopi; etiam extra ſuas Provincias, pallio indifferenter uterentur: idcirco idem Archiepiſcopus ſupplicavit Innocentio III. ut ipſi à Sede Apoſtolica licentia utendi Pallio, extra ſuam Provinciam, concederetur. Cui reſpondit Pontifex, licèt talis conſuetudo corruptela potiùs ſit dicenda: ex ſpeciali tamen gratia; ſe ipſi concedere, ut, ſi ob neceſſarium impedimentum, ad Eccleſiam ſibi ſubjectam accedere nequeat, ad conſecrandos Epiſcopos Suffraganeos, vel ordinandos Clericos, ſed idcirco ad alienam Eccleſiam ſe conferre cogatur, extra Eccleſiam ſuam, ipſi Pallio uti liceat, in prædictis duobus caſibus (non alijs; quod enim in quibuſdam permittitur, in alijs prohibetur, gl. fin. hìc) dummodo is, ad quem Eccleſia pertinet, id permittat.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia conſuetudo, quæ eſt contra ſubſtantiam, ſeu formam ſubſtantialem rei, non valet, arg. c. 2. de conſuetud. in 6. junctâ gl. margin. ibid. ubi dicitur, non valere conſuetudinem, quantocunque tempore ſervatam, quòd ab Officiali ad eundem Epiſcopum appelletur; quia illa con-

conſuetudo eſſet contra ſubſtantiam appellationis, quæ eſſentialiter eſt provocatio ab inferiore ad Superiorem. Atqui Pallij conceſſio, in ipſa forma traditionis, expreſsè limitatur ad Eccleſias Provinciæ, in qua dicitur: *Tradimus tibi Pallium, ut eo intra Eccleſiam tuam, ſive Eccleſias Provinciæ tuæ utaris*, cit. c. 1. & c. 5. h. t. ergo contra primam inſtitutionem, & ſubſtantialem formam traditi Pallij eſt, ſi ejus uſus extra Eccleſiam, vel ad Eccleſias alienæ Provinciæ extendatur, Laym. in cit. c. 5. n. 1. h. t.

XV. Verùm ex ſpeciali gratia, ſive per privilegium Apoſtolicum poteſt Archiepiſcopo concedi, ut etiam extra Provinciam ſuam Pallio uti queat, in conſecratione v. g. Suffraganeorum, vel Ordinatione Clericorum, dummodo & Ordinarius, ad quem Eccleſia pertinet, & Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus illius Provinciæ conſenſum, ac licentiam præbeant, uti ſumitur ex cit. c. Ex tuarum h. t. & ibid. Abb. n. 4. & 5. Requiritur autem conſenſua tam Ordinarij loci, quàm Metropolitani, quia privilegium alicui conceſſum ita explicari debet, ut non cedat in præjudicium aliorum, ut tradit gl. communiter recepta in cit. c. V. Permittat: cederet autem tum in præjudicium Epiſcopi Diœceſani, ſi alienus Epiſcopus in ejuſdem Diœceſi ordinare Clericos vellet, non impetrato priùs ejus conſenſu, quia ejus juriſdictionem invadere, ſeu violare videretur: tum etiam in præjudicium Metropolitani, ſi alius Archiepiſcopus in ſua Provincia, ſinè ejus licentia, Pallio uteretur, cùm jus utendi Pallio, tanquam privilegium perſonale, ipſi conceſſum ſit pro Eccleſijs propriæ Provinciæ, Abb. in cit. c. 5. n. 10. & 12. & c. 6. n. 3. & c. ult. n. 4. h. t. Quare tria requiruntur, ut Archiepiſcopus poſſit uti Pallio in aliena Diœceſi, ut colligitur ex cit. c. Ex tuarum, & notat ibid. Hoſtienſ. in fine, & Abb. n. 11. nempe privilegium Papæ, permiſſio ejus, ad quem ſpectat Eccleſia, & ut una ex cauſis in textu expreſſis interveniat, ita, ut uno horum deficiente, non poſſit uti Pallio.

Porrò ſicut per privilegium Papæ concedi poteſt Archiepiſcopo, ut utatur Pallio, extra Provinciam ſuam, ita etiam poteſt eidem concedi, ut extra Eccleſiam, & Miſſarum tempus, Pallium gerat, ut conſtat ex c. Cootra morem 8. diſ. 100.

§. III.

De Auctoritate Pallii, ſive quæ poteſtas per illud conferatur, & an ad alios transferri poſſit?

XVI. Quæritur 1. Quid juris, aut poteſtatis per Pallij traditionem conſequatur Archiepiſcopus? Reſpondetur 1. Confertur illi plenitudo Pontificalis, ſeu Archiepiſcopalis Officij, unà cum nomine Archiepiſcopali, ita, ut ſe Archiepiſcopum appellare poſſit, ut conſtat ex c. Niſi ſpecialis 3. h. t. Nam » cùm Trojanus Epiſcopus ad Panormitanam Eccle- » ſiam poſtulatus fuiſſet, Legatus à Latere, ſeu Car- » dinalis dedit ei facultatem tranſeundi, ſinè aucto- » ritate, & conſenſu Papæ, & tranſlatus, ac receptus » ſtatim ſe appellavit Archiepiſcopum: hoc intellecto, Innocentius III. ſcripſit ad Legatum, quamvis » poſtulatio Trojani Epiſcopi ab ipſo Papa approbata » fuiſſet, non tamen debuiſſet ſe Archiepiſcopum » nominare, priuſquam Pallium à Sede Apoſtolica » accepiſſet, in quo Pontificalis officij plenitudo, cùm » Archiepiſcopalis nominis appellatione, confertur. » Monet autem Pontifex Legatum, ut, quod factum » fuit, ita ſtudeat palliare, ſeu tegere, ut id in con- » fuſionem ſuam, & Sedis Apoſtolicæ opprobrium » non redundet. Quòd ſi verò neceſſariò debeat, » vel Legatus confundi, vel dignitas Sedis Apoſto- » licæ lædi, tum potiùs permittendum erit, ut Lega- » tus confundatur, quàm ut Pontificia dignitas de- » trimentum patiatur: nempe dicendo, Legatum ma- » lè egiſſe, quòd Epiſcopum ad aliam Eccleſiam Archiepiſcopalem, ſinè licentia S. Pontificis, tranſtulerit (cùm Legatus etiam à Latere talem facultatem dare non poſſit, c. Niſi 3. de offic. Legati) & Archiepiſcopum nominari permiſerit, antequam Pallium à Sede Apoſtolica accepiſſet.

XVII. Notandum 1. Plenitudo Archiepiſcopalis officij in eo conſiſtit, quòd Archiepiſcopus, poſt acceptum Pallium, omnes actus, qui ſunt proprij Archiepiſcopalis dignitatis, tam Ordinis, quàm juriſdictionis, exercere poſſit, cùm ante Pallij receptionem, etiamſi confirmatus, imò & conſecratus ſit, non poſſit exercere eos actus Ordinis, qui ab Archiepiſcopo, non niſi inter Miſſarum ſolemnia, vel ſaltem cum Epiſcopalibus Inſignibus, & ornamentis, peragi ſolent: neq; actus juriſdictionis majoris, quos non ut ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archiepiſcopus facere videtur, cujuſmodi eſt convocare Concilium provinciale, viſitare Provinciam &c. ut habetur in c. Quod ſicut 28. §. Præterea de elect. & ibi gl. V. ſine pallio, & dictum ſupra eod. tit. n. 335. & 2. ſeqq. Sed & nomen Archiepiſcopale confertur per traditionem Pallij, ut patet ex cit. c. Niſi 3. h. t. quia nomen ſequitur plenum officium, ſive poſt complementum plenariæ poteſtatis, Abb. in cit. c. Niſi 3. n. 1. h. t. Porrò ſi Archiepiſcopus conſecratus, ante acceptum Pallium, exerceat ea, quæ ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis ſpectant, v. g. Clericos conſecret, baptizatos confirmet: validè quidem ea peragit, ſed non licitè, quia peccat contra Canones, & jura, ideóque poteſt per ſententiam ab officio removeri, vel alia mitiore pœnâ puniri, Azor cit. l. 3. c. 34. q. 6.

XVIII. Notandum 2. Si Archiepiſcopus confirmatus, & conſecratus, & qui jam Pallium accepit, ab alio Archiepiſcopo, vel Epiſcopo rogetur, ut extra Provinciam ſuam Ordines conferat, vel Eccleſiam conſecret, poteſt id facere, ſandalijs, & alijs Pontificialibus inſignibus indutus, ita tamen, ut Pallium non geſtet, quia eo in aliena Provincia, ſinè privilegio, ſeu ſpeciali conceſſione Papæ, uti non poteſt, ne quidem cum licentia Archiepiſcopi illius Provinciæ, cùm enim hic Pallium dare non poſſit, neque uſum illius concedere poteſt alteri in ſua Provincia. Et Pallium non requiritur per ſe ad ſubſtantiam collationis Ordinum, vel conſecrationis Eccleſiæ, aut Epiſcoporum: nam agit talia Archiepiſcopus, extra ſuam Provinciam, non tanquam Archiepiſcopus, ſed ut ſimplex Epiſcopus, Hoſtienſ. in ſumma num. 6. in fine h. t. contra Abbatem in c. Ex tuarum 5. num. 10. eodem.

Neg

Digitized by Google

Nec obſtat cit.c. Quòd ſicut §. Præterea de elect. quia in illo non dicitur, quòd Archiepiſcopus non poſſit actus ibi enumeratos exercere, ſinè Pallio (alioquin neque Concilium cogere poſſet, niſi indutus Pallio,quod evidenter falſum eſt) ſed quòd non poſſit eos exercere,antequam impetret Pallium, Laym: in c. t.n.3.h.t. Quin imò probabile eſt,quòd Archiepiſcopus confirmatus, & conſecratus, etiam antequam Pallium accepit,poſſit ex commiſſione alterius Archiepiſcopi , vel Epiſcopi, in eius Diœceſi , extra Provinciam ſuam, omnia Pontificalia exercere, quia ſatis apparet, quòd tales actus non exerceat, ut Archiepiſcopus, ſed ut ſimplex Epiſcopus invitatus ad id ab alio Ordinario,Hoſtienſ.c.l.

XIX. Quæritur 2. An Pallium ad alios transferri poſſit? Reſp. Archiepiſcopus non poteſt ſuum Pallium alteri Archiepiſcopo commodare, quia Pallium eſt veluti privilegium perſonale, quod perſonæ conceditur,cum reſtrictione ad locum, ſive in ordine ad Eccleſias propriæ Provinciæ,ideóque cum perſona extinguitur,ut conſtat ex c. Ad hoc,2. h. t. nam „cùm quæſitum fuiſſet à Papa Cæleſtino III. An Ar- „chiepiſcopus poſſit pallium ſuum alij Archiepiſco- „po comodare? Reſpondet Papa,quòd non videtur „eſſe conveniens, ut quis Pallium ſuum alteri com- „modet, cùm Pallium perſonam non egrediatur,ſed „cum ea ſepeliri debeat.

XX. Notandum 1. Quamvis jus Pallij petendi à Sede Apoſtolica cenſeri deheat privilegium reale, quia debetur dignitati Archiepiſcopali, eique adhæret, ideóque etiam ad quemlibet ſucceſſorem tranſit: ipſa tamē conceſſio Pallij ſit perſonæ, ita,ut hæc uſum eius alteri concedere nequeat, ſed illud perſonam inſeparabiliter ſequatur,& cū illa extinguatur, Laym. in cit.c.2.n.2. h. t. ubi addit, quòd perſona, cui Pallium ratione dignitatis ſuæ conceditur, attendere debeat ad privilegia ſuæ Eccleſiæ,ut pallio utatur, ſicut alij Anteceſſores ſui: ut ſi v.g. in Eccleſia aliqua mos ſit, ut aliquoties, v.g. quater in anno , licitum ſit Archiepiſcopo Pallium geſtare in Proceſſionibus publicis, tali privilegio uti poterunt etiam ſucceſſores Archiepiſcopi, quamvis aliàs ſecundùm Canones non ſit permiſſum, uti pallio extra Eccleſiam. Neque refert, quòd Archiepiſcopus poſſit alium Archiepiſcopum invitare ad celebrandum in propria Diœceſi, c.Epiſcopi 38. cauſ.7. q. 1. ergo per quandam conſequentiam videtur ei etiam poſſe pallium commodare. Sed negatur,id ſequi,quia invitatus poteſt,etiam ſinè pallio,celebrare,c.fin.h.t.& Archiepiſcopo prohibitus eſt uſus pallij, extra Eccleſias ſuæ Provinciæ, Abb.in cit.c.2.n.3.h.t. Prohibitum eſt autem commodare alteri pallium, ut eo utatur, non autem, ut videatur, v.g. ſartori,ut aliud faciat, Abb.in cit. c.ult. num.6.

Notandum 2. Si Archiepiſcopus, auctoritate Pontificiâ,ad alium Archiepiſcopatum transferatur, non poteſt uti eodem pallio, quo in priore Eccleſia uſus eſt,ſed aliud petere,& expectare debet, c.Bonæ, 4. in fine de poſtul.Prælat. Ratio eſt,quia prius Pallium datum eſt perſonæ, cum reſtrictione ad certum locum,ſive in ordine ad Eccleſias certæ Provinciæ,ut patet in Archiepiſcopo, qui renunciat loco, ſeu Eccleſiæ Archiepiſcopali,is enim perdit uſum pallij, c. Ad ſupplicationem 9. de renunciat.gl.in cit. c.Bonæ, V. Pallium.ergo etiam Archiepiſcopus tranſlatus ad aliam Eccleſiam Metropolitanam non poteſt priore Pallio uti, extra illam provinciam. Sed neque ſucceſſor tranſlati Archiepiſcopi uti poteſt priore Pallio,quia hoc non tranſit ad ſucceſſorem, cùm perſonæ conceſſum ſit,& illam non egrediatur,cit.c.2.h.t. gl.in cit. c. Bonæ. V. Pallium, ideóque novum etiam pallium ſucceſſor petere debet. Quare prius pallium non remanet in Eccleſia, ad quam Archiepiſcopus primò eſt promotus,ſed tranſlatus debet illud ſecum ferre, licèt illo non debeat ampliùs uti, ſed novo conceſſo ſibi pro alia Eccleſia,ad quam eſt tranſlatus. Atque talis Archiepiſcopus, cum utroque Pallio, ſepeliri deber, ita,ut poſteriùs acceptum priori ſuperponatur, vel quod magis congruum videtur, mortuus Archiepiſcopus Pallio poſteriùs accepto induatur,alterum verò corpori, & capiti eius ſubjiciatur, Innocent.in cit.c.2.& Abb.ibid. n.7.

TITULUS IX.

DE RENUNCIATIONE.

Hactenus actum eſt de tribus modis acquirendi Prælaturas Eccleſiaſticas,poſtulatione,electione,tranſlatione. Nunc ſequitur de Renunciatione, qui eſt præcipuus modus,per quem tam ab ijs, quibus jus Pallij competit,quàm ab aliis Prælaturæ,aliaque beneficia Eccleſiaſtica amittuntur. Inſcribitur hic Titulus de Renunciatione, videlicet Beneficiorum Eccleſiaſticorum,& ſic latiùs patet rubrum nigro, id eſt, Rubrica, ſeu inſcriptio Tituli contentis in illo, cùm hîc agatur ſolùm de Renunciatione Beneficiorum , & quidem potiſſimùm Prælaturarum Eccleſiaſticarum. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE RENUNCIATIONE IN genere, eiúſque diviſione.

I. Renunciatio interdum accipitur latè pro ſpontanea, ſeu libera cuiuſque juris proprij remiſſione; nam res variæ ſunt, quibus renunciari poteſt, ut privilegia, actiones, lites, jura alia, & his ſimilia, Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 1. Gregor. Tholoſan. ſyntagmatum Juris univerſi p. 2. lib. 17. c. 17. n. 13. & 14. Et hoc ſenſu dicitur, quòd liberum ſit cuique, juri ſuo renunciare, dummodo id fiat ſinè præjudicio alterius, ſive hominis privati, ſive etiam Eccleſiæ, aut communitatis. Dicitur autem juris proprij, quia juri alieno, quod habet tertius, renunciare quis non poteſt, cùm res inter alios acta regulariter aliis non obſiſtat, c. Dilecto 25. in fine de præbend. Debet etiam Renunciatio eſſe libera, quia coacta non obeſt repetere volenti jus, cui renunciavit, c. 1. c. Ad audientiam 4. de his quę vi, metúsve cauſ. fiunt, Hoſtienſ. cit. loc. Interdum verò accipitur renunciatio ſtrictè pro remiſſione juris, quod quis habet in beneficio Eccleſiaſtico; & de hac ſolùm hoc loco agimus, eáque pluribus vocibus ſynonymis, idémque ſignificantibus in Jure appellari ſolet: nam renunciatio beneficij aliàs etiam reſignatio, c. Suſceptum 6. de reſcript. in 6. c. 1. h. t. in 6. vel ceſſio, cit. c. Suſceptum, & c. Ex litteris 10. de exceſſib. Prælat. vel etiam ejuratio vocari ſolet, quando ſcilicet quis, juramento interpoſito, beneficio ſe abdicat. c. Super hoc 5. h. t. Azor p. 2. Inſtit. moral. lib. 7. c. 19. in princip. Flaminius Pariſius de reſignat. benefic. lib. 1. q. 1. num. 71. & ſeqq.

Unde nos quoque prioribus tribus nominibus, renunciationis, reſignationis, & ceſſionis promiſcuè, & indifferenter pro iiſdem utemur. Quia verò duplex eſt renunciatio beneficiorum, una expreſſa, altera tacita, de hac, quippe rariore, nec ita propriè dicta, priùs agemus.

§. I.

De tacita Renunciatione Beneficiorum.

II. Aſſertio 1. Renunciatio tacita eſt, quæ ipſo jure fieri cenſetur, abſque ullis verbis expreſſis, eò quòd ex ipſius juris interpretatione, & ex actu directè contrario retentioni beneficij per conſequētiam colligitur: nam qui id facit, quo poſito, ex ipſius Juris conſtitutione amittitur beneficium, ſeu retineri nequit, eidem tacitè, ſive ipſo facto renunciare cenſetur, Rebuff. in praxi benefic. tit. de tacita renunciatione, Azor cit. c. 19. q. 2. Tholoſan. in Inſtit. rei benefic. c. 28. n. 4. Pariſ. cit. q. 1. n. 9. & ſeqq. Veluti 1. Si Beneficiarius, etiam minoribus tantùm Ordinibus initiatus matrimonium contrahat, c. 1. & c. Quod à te 3. de Cleric. conjug. 2. Si ſolemniter profeſſus ſit Religionem. c. Beneficium 4. de Regularib. in 6. 3. Si conſequatur pacificam poſſeſſionem alterius beneficij incompatibilis cum priore, eo ipſo cenſetur tacitè renunciare primo, c. de multa 28. de præbend. 4. Si poſt obtentum beneficium curatum, intra annum, ad Sacerdotium non promoveatur, c. Licèt 14. de elect. in 6. 5. Si lite ſuper beneficio motâ, accepit ſecundum, quod cum primo retinere non poterat, cenſetur renunciare liti, & conſequenter Beneficio, gl. in Clement. gratiæ 4. de reſcript. V. Renunciare. 6. Si patiatur, ab alio beneficium poſſideri per triennium, nam videtur illud habere pro derelicto, juxta regulam Cancellariæ de triennali poſſeſſore, Rebuff. cit. loc. 7. Si Beneficiarius militiæ ſeculari nomen dedit, gl. in cit. c. ult. V. redierint de Cleric. non reſidentib. Quanquam pleraque exempla allata, ex parte Beneficiarij, non tam arguant tacitam voluntatem renunciandi beneficio obtento, ſed potiùs, quòd à lege, ſeu Canone ipſo jure, ſeu facto beneficio privetur, quæ tamen privatio à lege inducta, quoad effectum, vim renunciationis habet, Barboſ. lib. 3. Juris Eccleſiaſt. c. 14. n. 38. & 39. Videtur autem tacita renūciatio à privatione ipſo jure factâ in eo differre, quòd, ſi Beneficiarius proteſtetur, ſe per talem actum non velle, nec intendere dimittere beneficium ſuum, huiuſmodi proteſtatio hoc operatur, ut talis actus vim tacitæ renunciationis non habeat: ſecus eſt, ſi quis à lege ipſo facto privetur beneficio, tunc enim proteſtatio nihil prodeſt, ſed eâ non obſtante, beneficium, quo quis privatus eſt, ex juris diſpoſitione, alteri conferri poterit, cùm nemo proteſtando efficere poſſit, ut leges privationem inducentes in ſua diſpoſitione locum non habeant, Barboſ. cit. loc. n. 21.

III. Itaque tacita, ſeu præſumpta Renunciatio eſt, quæ non ex verbis, ſed ex actu apto, ſive ex facto ordinato ad renunciandum à Jure inducitur, Barboſ. cit. loc. n. 40. & in Collectan. in rubric. n. 9. h. t. Exemplum tacitæ renunciationis beneficij, præter allata, eſt, ſi Clericus bona, quæ Eccleſiæ ſeculari, in qua beneficium obtinet, donavit, iterum repetat, ex tali enim repetitione colligitur, ipſum voluiſſe tacitè, ſive ipſo facto renunciare beneficio, quod habet in tali Eccleſia, cui bona ſua donavit, ut conſtat ex c. Tranſmiſſa 3. h. t. in quo talis caſus proponitur: Rubeus Canonicus Eccleſiæ ſecularis S. Nicolai infirmitate preſſus, petiit in Monaſterio Salvatoris habitum Monaſticum (probationis ſcilicet) ſuſcipere, eúmque cùm induiſſet, ex morbo convaluit, ideóque rogavit, ut ex Eccleſia S. Nicolai ea ſibi reſtituantur, quæ obtulerat, iiſque obtentis, reverſus eſt ad Monaſterium, animo votum, id eſt, propoſitum, ac deſiderium ſuum implendi: ſed mox, mutatâ voluntate, antequam profeſſionem ederet, petiit reſtitui in Eccleſiam, cuius Canonicus fuerat. Ad hoc reſpondet Alexander III. quoniam Eccleſia S. Nicolai à Rubeo ſoluta eſt, quia petendo, & recipiendo ea, quæ Eccleſiæ donaverat, cenſetur tacitè renunciâſſe Canonicatui, ideo Prælatus S. Nicolai, & ſocij eius inviti compelli non poſſunt ad recipiendum Rubeum: quamvis prædictus Prælatus, & Capitulum rogari poſſint, ut eum non tanquam unum ex Eccleſia, ſed quaſi de novo in fratrem, ſeu Canonicum recipiant. Ratio eſt, quia, qui renunciat Beneficio, expreſsè, vel tacitè, facto aliquo renunciationem ſignificante, omne jus in beneficio amittit, ita, ut illud alteri conferri poſſit, &, ſi de novo in eo inſtituatur, non recuperat priſtina jura, ſed ultimum locum inter Canonicos, vel beneficiatos

tenere

tenere debet, Abb. in c. jam cit. n. 5. & Laym. ibid. n. r. quia à privatione ad habitum nnn datur regreſſus, ſi habitus omnino ſit extinctus, utì ſumitur ex l. Hnmo liber 21. ff. de ſtatu. hom. & jus renunciatione ſopitum non reviviſcit, ut ex Baldo notat Fagnan. in cit. c. 3. h. t. n. 11. & 12.

Sed quomodo in hoc caſu potuerunt à Clerico illo repeti, eique reſtitui boua donata Eccleſiæ? Reſp. reſtituta fuiſſe, non de jure, ſed de facto, aut ex æquitate: vel qoia fuerunt donata ſolùm mortis cauſâ, vel ſub conditione, ſi perpetuò in Eccleſia maneret, ſive acceſſoriè ad perſonam, ita, ut poſſiur repeti, recedeure perſonâ, gl. fin. in cit. c. Ex transmiſſa, & ibid. Abb. n. 5. & in c. Quod à te 3. de Cleric. conjugat. in fine.

IV. Neque verò deciſioni dicti c. 3. obſtat tex. in cap. Beneficium 4. de Regularib. in 6. ubi dicitur, beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſſe intra annum probarionis alicui conferendum, niſi ad id ipſius accedat aſſenſus, vel niſi profeſſionem expreſſam fecerit, vel tacitam, ſcienter recipiendo habitum Profeſſorum. Atqui Canonicus Rubeus in caſu dicti cap. 3. non conſenſit renunciationi beneficij ſui, nec ullam profeſſionem fecit. Sed reſpondetur, quamvis non expreſsè conſenſerit, quia expreſsè illi non renunciavit, conſenſit tamen tacitè, faciendo actum contrarium, repetendo ſcilicet bona, quæ contulerat Eccleſiæ, ex quo conſurgit voluntas tacitè renunciandi, ita, ut beneficium poſſit alteri conferri, licèt profeſſio non ſit ſecura: & ita cit. cap. 4. de Regol. concordat cum cap. 3. h. t. quia caſus huius cap. continetur in primo caſu excepto in illo c. ut notat gl. ibid. V. aſſenſus, Abb. in cit. c. 3. n. 8. h. t. Verùm hodie poſt Concilium Trident. Seſſ. 25. de Regularib. c. 16. renunciatio beneficij, ſive expreſſa, ſive tacita, facta poſt ingreſſum Religionis, durante tempore probationis, ante duos menſes profeſſioni proximos, irrita eſt, ut infrà dicetur. Porrò aliud exemplum tacitæ renunciationis eſt, quòd litigans ſuper aliqua Præpoſitura, v. g. ex eo, quòd ſecum litiganti exhibuit reverentiam, juri ſuo renunciâſſe cenſetur, cap. Ex ore 3. de his quæ fiunt à majore parte Capit. Barb. cit. c. 25. num. 40.

V. Aſſertio 2. Quando Jura, vel Canones non inducuut amiſſiouem, vel renunciationem beneficij ex actu aliquo, non eſt facilè ex eo præſumeudum, aliquem ſuo beneficio renunciâſſe, ſed diligenter inquirenda eſt voluntas eius præſumpta, Tholoſan. cit. c. 28. n. 4. quandoquidem nemo facilè juribus, & commodis ſuis renunciare cenſetur, c. Quia veriſimile 10. & ibi gl. V. conceſſerit de præſumpt. præſertim beneficio multis fortè expenſis, & laboribus acquiſito, c. Super eo 5. h. t. ideóque renunciatio facilè non præſumitur, eſt enim remiſſio juris, adeóque ſpecies quædam donationis: nemo autem facili de cauſa donare, ſeu propria jactare præſumitur, l. Cùm de indebito 25. ff. de probationib. Quamobrem licèt aliàs ex litterarum, ſeu inſtrumentorum traditione præſumatur quis juri ſuo renunciare, quod ſibi ex illis competebat, gl. in c. Sanè 7. in notaris h. t. Sic enim Clericus tradendo authentica inſtrumenta renunciat liti beneficiali, c. Cùm pridem 4. de pactis. & traditis inſtrumentis, quibus emptio mancipiorum continetur, intelliguntur, ipſa mancipia donata, & tradita, l. 1. C. de donationib. & qui legavit alicui chirographum, ſeu inſtrumentum, quo actiones debitorum continentur, non meras tabulas, ſeu membranas, ſed ipſas actiones, ſeu debita legâſſe cenſetur, l. Qui chirographum 59. ff. de legat. 3. & oppignorans alicui inſtrumenta, quibus emptiones agrorum ſuorum continentur, ipſos agros obligare cenſetur, l. 2. C. Quæ res pignori oblig. poſſ. & qui reſtituit cautionem pignoris, jus pignnris remiſiſſe videtur, l. Creditricem 7. C. de remiſſ. pignor. etſi reddens pignus non ideo debitum condonate præſumitur, quin adhuc illud petere poſſit, l. Poſtquam pignus 3. ff. de pactis, quia reddita cautio nnn aliam affert utilitatem debitori, quàm ut liberetur, pignoris autem redditio afferre poteſt aliam, nempe, ut eo debitor uti poſſit, ſalvâ obligatione debiti, ut conſtat ex l. Certè 6. §. Quæſitum. ff. de precario, gl. in cit. l. Poſtquam. Denique reddens debitori cautionem, ſeu inſtrumentum, in quo cavetur de reddendo debito, ipſum debitum remittere cenſetur, l. 2. ff. de pactis. Nihilominus tamen, ſi ex ipſo facto conſtet, aliquem litteras proviſionis beneficij tradidiſſe, non animo renunciandi omoino juri ſuo, quod iu beneficio habet, ſed, ut ad redimendam vexationem, jus jam quæſitum, etiam ab ijs, quibus litteras tradidit, accepiſſe videretur, ex tali traditione litterarum non debet præſumi facta renunciatio beneficij, uti ſumitur ex c. Sane 7. h. t. ſecundùm unum eius intellectum: niſi expreſsè inſtrumenta collationis beneficij eâ intentione tradidiſſet Superiori, ut juri ſuo, vel beneficio renunciaret, Tholoſan. cit. loc.

Hinc ſi Papa alicui mandet, ut Clericum quendam, v. g. Subdiaconum in certa Eccleſia Canonicum inſtitui curet, ſed Canonici obſiſtant, eúmque recipere recuſent, Clericus autem ille conſilio quorundam ex Canonicis inductus, litteras proviſionis ſuæ Capitulo reddens, miſericordiæ, ſeu gratiæ eius ſe ſubjiciat. Hoc caſu, quia prædictus Clericus ab ijs, à quibus miſericordiam imperrare debuerat, diſpendium paſſus eſt, (quia fortè Canonici allegârunt, ipſum racitè renunciâſſe juri ſuo, ideóque non admittendum eſſe ad Canonicatum) ad mandatum Papæ, Capitulum debet ipſum in fratrem, & Canonicum admittere.

VI. Exemplum eius, quod jam dictum eſt, habetur in c. Sanè 7. h. t. nam cùm quidam Cardinalis Legatus Sedis Apoſtolicæ, ex mandato Papæ Cæleſtini III. Henricum Subdiaconum in Eccleſia Pictavienſi Canonicum inſtituiſſet; Canonici obſtiterunt, eundem recipere recuſantes, ut habetur in integra lectione huius c. Poſtea verò cùm ſuper beneficio ipſum moleſtareut, conſilio quorúdam ex Canonicis inductus, litteras proviſionis ſuæ Capitulo reddens, miſericordiæ, ſeu gratiæ illius ſe ſubjecit. Quia verò prædictus Canonicus ab ijs, à quibus miſericordiam impetrare debuerat, diſpendium paſſus eſt (quia fortè Canonici allegârunt, ipſum tradendo litteras proviſionis ſuæ, tacitè renunciâſſe juri ſuo, gl. hic V. reddens, ideóque nnn admittendum eſſe ad Cannnicatum) mandat Papa Capitulo, ut eo non obſtante, ſcilicet, quòd litteras ſuas eis reddidit, ipſum in fratrem, & Canonicum admittant.

VII. Sed huic deciſioni obſtare videtur, quia Clericus ille renunciavit, ſaltem tacitè, juri ſuo, ſive Canonicatui, quem habebat in illa Eccleſia: nam ſubjiciendo ſe miſericordiæ Capituli, & petendo gratiam illius, ſatìs ſignificavit, ſe voluiſſe renunciare juri ſuo, quia ubi aliquid ex juſtitia debitum eſt, non poteſt habere locum gratia, ſeu miſericordia, & redditio litterarum non potuit habere aliam utilitatem, aut finem, niſi renunciationis, ergo non debuit à Canonicis admitti in Canonicum, ſed excludi potuit, cùm juri ſuo renunciârit: Veruntamen renunciatio illa non fuit omnino valida, quia facta erat tantùm coram Capitulo, non coram Superiore, ſive Epiſcopo, ad quam pertinet reſignationes recipere, c. Admonet 4. h. t. ideóque à Pontifice tanquam non canonicè facta admiſſa non fuit: idque etiam propterea, quia ſic neceſſarium fuit ad defendendam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ut proviſio ejus mandato incboata plenè executioni traderetur, & perficeretur per Canonicos, Clericum illum recipiendo in ſuum Collegium, & quietam poſſeſſionem ei tradendo, Laym. in cit. c. Sanè in reſponſ. 4. Vel etſi detur, quòd renunciatio illa Canonicatûs per traditionem litterarum facta Capitulo valida fuerit; quia fortè Capitulum ex ſpeciali jure, aut privilegio reſignationes Canonicatuum potuit recipere: attamen æquum fuit, ut per officium Judicis renunciatio illa reſcinderetur, quia facta fuit non omnino ſponte, & liberè, ſed ad redimendam vexationem Canonicorum: nam cùm prædictus Clericus videret, ſe ab illis non impetraturum, ut ipſum ad Canonicatum, in quo, mandato Papæ, à Legato ejus inſtituendus erat, admitterent; ſperavit, ſe admiſſum iri per gratiam ipſorum, ſi juri ſuo coram Canonicis renunciaret, adeóque renunciatio illa, non tam animo renunciandi juri ſuo, quàm redimendæ vexationis causâ, &c, ſic non omnino libera, ſed coactè facta fuit, ideóque per officium Judicis reſciſſa; nam cùm renunciatio ſit ſpecies quædam donationis, ſeu remiſſionis, omnino ſponte, ac liberaliter, non coactè fieri debet, ut infrà dicetur, Abb. in cit. c. Sanè n. 4. & ibid. Laym. in reſponſ. 3. Accedit, quòd Clericus ille, fraudulento conſilio aliquorum Capitularium, inductus fuerit ad reddendas litteras ſuæ proviſionis, & ſubjiciendum ſe miſericordiæ illorũ, ex fraudulento autem conſilio oritur obligatio, l. Quòd ſi 8. ff. de dolo, & regul. 62. in 6. *nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non ſit, obligatur.* Unde licèt Clericus ille non potuerit actionem de dolo inſtituere contra totum Capitulum, ad reſcindendam renunciationem ipſi factam, quia non totum Capitulum, conſilio ſuo, induxit illum ad renunciandum, ſed aliqui tantùm ex Capitularibus; æquum tamen fuit, ut decepto ſubveniretur per officium Judicis, gl. in cit. c. Sanè V. ſuſtinere, & Abb. n. 4. præſertim quia etiam totum Capitulum in culpa fuit, quòd juxta mandatum Apoſtolicum, Clericum illum non receperit in Canonicum, ſed ejus renunciationem non plenè liberam acceptaverit, ideóque meritò, non obſtante illâ renunciatione, dictus Clericus juſſu Papæ in Canonicum recipi debuit à Capitulo, Laym. cit. loc.

VIII. Cæterùm aliud exemplum non veræ, ſed apparentis tacitæ renunciationis habetur expreſſum Jure Canonico in c. Veniens 13. h. t. Ubi talis caſus proponitur: Joannes Diaconus litteras Apoſtolicas impetravit ad certos Judices delegatos, ſeu Executores, quibus eiſdem mandatur, ut ipſi Joanni, ſi nullum canonicum impedimentum obſtet, præbendam in Eccleſia S. Florini, quam ejuſdem Eccleſiæ Decanus reſignaverat, conferri curent: ſed quidam ejus Eccleſiæ Canonici ſe oppoſuerunt, dicentes, quòd dictus Joannes juri ſuo, quod ex litteris Papalibus ipſi competebat, renunciavit, atque ad hoc probandum teſtes aliquos produxerunt, qui tamen hoc ſolùm deponebant, ipſum Joannem ſe gratiæ Capituli commiſiſſe. Sed Judices delegati per ſententiam definitivam poſtea pronunciârunt, dictum Joannem litteris Papalibus renunciâſſe, eò quòd gratiæ Capituli ei ſe opponentis ſe commiſerit, ideóque vigore illarum litterarum, non poſſe ampliùs petere præbendam illam ſibi conferri: à qua ſententia Joannes appellavit ad Sedem Apoſtolicam, ubi conſtituto à Papa Auditore, qui cauſam cognoſceret, ac definiret, cum is ſententiam dictorum Judicum caſsâſſet, juſtitiâ ita exigente, Papa id ratum, ac firmum habuit, præfigens terminum appellationis Vigiliam Epiphaniæ (ad quam in Curia Romana utrique parti per ſe, vel per Procuratorem ſufficienter inſtructum comparendum ſit, ſi appellatio approbata fuit ab Adverſario, quod facere potuit, gl. hìc V. Præfixit, & V. minùs ſufficiens in fine.) Cùm autem appellans Romam veniſſet, Papa Honorius III. Capellanum ſuum conſtituit Auditorem, qui cauſam cognoſceret, ac definiret. Sed quia Adverſarius ejus non comparuit, nec ejus loco procurator, qui ſufficiens mandatum haberet ad cauſam proſequendam, licèt tandem adveniret aliquis cum litteris, ſed ſolùm ad impetrandum, & contradicendum, ideo Auditor ſententiam dictorum Judicum (nam executores deputati à Sede Apoſtolica ad beneficia cenſentur habere juriſdictionem delegatam in ea cauſa, ut colligitur ex c. Tibi 12. de reſcript. in 6. & tradit gl. in Clement. unic. V. Executores de offic. deleg.) caſſavit, quod Papa ratum, ac firmum habuit, quippe juſtitiâ exigente factum.

Ex quo apparet, quòd, ſi quis ſe committat gratiæ, aut miſericordiæ alterius, non ideo cenſeri debeat tacitè renunciare juri ſuo, ut in propoſito juri ſibi competenti ad beneficium, ex litteris à Papa impetratis, niſi inſuper litteras proviſionis ſuæ tradidiſſet, animo renunciandi juri in eis contento, juxta c. Sanè 7. h. t. gloſſ. in cit. c. Veniens V. Commiſiſſe. Ratio eſt, quia aliud eſt, renunciare litteris, vel juri ſuo, aliud eſt ſe ſubmittere gratiæ alterius, neque iſta ſunt æquipollentia: nam ſubmittendo ſe ſolùm profitetur, quòd exſpectet, & ſperet, ſe per gratiam, & liberalitatem illius conſecuturum, quod optat, ac deſiderat; quod ſi non fiat, ſpéque ſuâ fruſtretur, poterit ex juſtitia exigere, quod priùs per gratiam obtinere quærebat, & jus ſuum in judicio proſequi, Innocent. ibid. V. caſſavit, & Joan. Andr. num. 9. & 16. Idémque eſt, ſi quis voluntati, aut arbitrio alterius ſe ſubmiſit, quia id ita intelligendum eſt, modò is juſtè, & , ut vir bonus fuerit arbitratus, Innocent. & Abb. citt. locc. Idque, vel inde confirmatur,

tur, quia renunciatio ſtrictæ interpretationis eſt, nec extendi, aut facilè præſumi debet, ut patet ex dictis ſuprà n. 5.

IX. Præterea exemplum aliud tacitæ, ſeu præſumptæ renunciationis habetur in c. Lectæ 14. h. t. » Nam cùm Abbas S. Petri Eccleſiæ Tullenſis gravi » infirmitate laboraret, ita, ut de vita deſperaret, » Monachos ſuos, aliquo id fraudulenter ipſi ſua» dente, ab obedientia, quâ erant ipſi obſtricti, ab» ſolvit, & mox Epiſcopum Diœceſanum vocavit, ut » Abbatiam in ejus manibus reſignaret: poſtea ta» men, meliore conſilio capto, renunciationem in» termiſit, & poſtquam ſanitati reſtitutus eſt, o» mnes, & ſinguli Monachi requiſiti ab eo, & capi» tulariter congregati, reverentiam, & obedientiam » eidem Abbati de novo promiſerunt. Super hac » quæſtione conſultus Papa Honorius III. reſpon» dit, ex eo, quòd dictus Abbas ſubditos ſuos ab o» bedientia ſua abſolvit, non eſt cenſendus, tali » facto regimini ſuo, ſive Abbatiæ renunciaſſe. Ratio eſt, quia voluntas non ſufficit, ubi factum requiritur, arg. c. 1. de eo, qui mittitur in poſſ. junctâ gl. V. Voluntatem. gl. in cit. c. Lectæ V. Non fecit. Abbas autem iſte voluit quidem renunciare, non tamen actu renunciavit, quia ſcivit, ſe non poſſe, niſi in manibus ſui Superioris, videlicet Epiſcopi, renunciare: & quamvis eum vocaverit animo renunciandi, tamen, ſive Epiſcopus advenerit, ſive non, renunciatio non eſt facta. Nec refert, quòd Abbas iſte Monachos ab obedientia abſolverit, adeóque tali facto tacitè renunciaſſe Abbatiæ videatur. Nam Prælatus non poteſt ſubditos profeſſos ab obedientia abſolvere, quàm diu Prælaturam retinet, cùm Prælatura, & ſubjectio, ſeu debita obedientia ſint correlativa, quorum unum ſinè altero conſiſtere non poteſt; ac proinde abſolutio Monachorum ab obedientia fuit nulla, ipſique abſoluti ſunt, non de jure, ſed de facto ſolùm, quia abſolutio ſubditorum ab obedientia non poteſt præcedere renunciationem Prælati, ſive expreſſam, ſive tacitam, ſed illam ſequi debet.

Quare neque neceſſaria fuit nova promiſſio obedientiæ, à qua nunquam Monachi illi erant liberati, cùm abſolutio ab illa non valuerit, ſed fortè de novo illam promiſerunt Abbati ſolùm ad cautelam, Abb. in cit. c. Lectæ n. 5. & 6. & 16. Vivian. in Rationali Jur. Pontif. in cit. c. Lectæ. Atque hæc de Renunciatione tacita, ſeu præſumpta.

§. II.

De expreſſa Renunciatione Beneficiorum.

X. Aſſertio 1. Expreſſa Renunciatio, de qua ſola deinceps potiſſimùm agemus, eſt, quæ fit verbis ad hoc accomodatis, & voluntatem renunciandi apertè declarantibus, vel etiam ſcripto, juxta formam à jure præſcriptam. Ea communiter ſic deſcribitur: *Dimiſſio ſpontanea, & libera Beneficij obtenti facta, cum cauſa, coram legitimo Superiore eam acceptante*, Azor p. 2. lib. 7. c. 19. q. 1. Pariſius lib. 1. de reſignat. benef. q. 1. n. 34. & ſeqq. & alij DD. communiter. Dicitur 1. Dimiſſio, quod verbum ponitur loco generis, & complectitur omnem actum, per quem à ſe quis abdicat jus proprium. Dicitur 2. ſpontanea, ut excludatur renunciatio coacta, quæ per vim, metum, vel dolum extorta eſt, c. Super hoc 5. h. t. Nam etſi renunciatio, quæ fit per vim, ſeu metum gravem injuſtè incuſſum, ſecundùm valdè probabilem ſententiam, mero jure ſit valida, de quo infrà tit. 40. hoc libro, tamen poſtea, per officium, aut ſententiam Judicis reſcindi poteſt, perinde, ac ſi ab initio ipſo jure invalida fuiſſet, ac proinde non eſt renunciatio canonica hîc definita. 2. Per vocem *ſpontanea* excluditur dimiſſio beneficij, quæ fit per privationem, ſeu depoſitionem, nam illa non eſt ſpontanea, ut per ſe notum eſt. Dicitur 3. Renunciatio beneficij debet eſſe libera, non ſolùm à coactione, ſed etiam ab omni ſimoniaca, & illicita pactione, conditione, & modo, c. Cùm pridem 4. de pactis. & per hanc particulam excluduntur renunciationes ſimoniacæ, & confidentiales, & aliæ à jure reprobatæ, de quibus infrà. Dicitur 4. Beneficij obtenti, ſeu proprij, nam non poteſt quis reſignare beneficium nondum ſibi collatum, quod nondum habet, vel, ſi habuit, jam amiſit; neque etiam poteſt quis reſignare beneficium alteri collatum, quia juri alieno renunciari non poteſt. Sumitur autem hìc nomen Beneficij genericè, & latè, prout comprehendit Cardinalatum, Epiſcopatum, Abbatiam, ſeu Prælaturam, & quodcunque aliud beneficium. Dicitur 5. Facta cum cauſa, quia renunciatio cauſam requirit, cit. c. ſuper hoc. Dicitur 6. Coram legitimo Superiore eam acceptante, quia ad renunciationem conſenſus Superioris requiritur, c. Admonet 4. h. t. per quod excluditur etiam renunciatio tacita, quæ auctoritatem Superioris ſaltem univerſim non requirit, Pariſ. cit. loc. n. 59. quæ omnia ex infrà dicendis magìs eluceſcent.

XI. Aſſertio 2. Renunciatio expreſſa duplex eſt, una pura, ſeu ſimplex, & abſoluta, altera conditionalis, Rebuff. in praxi benef. tit. de reſignationib. & alij DD. communiter. Pura eſt, quæ fit ſinè ulla conditione, modo, aut pacto, quando ſcilicet quis beneficium in manibus Superioris, purè, & ſimpliciter dimittit; ita, ut is illud tanquam vacans poſſit conferre, cui voluerit, c. Ex tranſmiſſa 3. h. t. c. Sollicitè 2. & c. ſeq. de reſtit. ſpoliat. Et hæc propriè dicta renunciatio eſt. Conditionalis renunciatio eſt, quæ fit ſub certa conditione, pacto, aut modo. Et hæc rurſum 4. modis fieri ſolet. 1. in favorem certæ perſonæ, & non aliàs, nec alio modo, ut cùm quis beneficio ſe abdicat, hac clauſulâ, ſeu conditione appoſitâ, ut beneficium v. g. Titio conſanguineo ſuo conferatur. 2. cùm dimittitur beneficium, ita, ut is, qui reſignat, ad alterum quidem jus, & beneficium transferat, tamen ſibi reſervet fructus ex toto, vel ex parte, vel certam penſionem annuam conſtitutam in beneficio aſſignato, vel in perſona, cui fit reſignatio, c. Niſi eſſent 21. de præbend. 3. Beneficium dimittitur cum regreſſu ad illud, hoc eſt, reſervato ſibi jure, ut reſignans poſſit ad beneficium redire, ſi is, cui confertur, præmoriatur. Vel cum ingreſſu, ut, ſi quis collatum ſibi beneficium, antequam ejus poſſeſſionem accipiat, alteri reſignet, eâ conditione, ut mortuo reſignatario, propriâ auctoritate, poſſit ingredi, ſive accipere poſſeſ-

ſionem

Digitized by Google

ſionem beneficij, quod antea reſignavit. Vel cum acceſſu, ut ſi Prælatura, vel aliud ſimile beneficium deſtinatum puero, ob ætatem eius adhuc incapaci, interea conferatur alteri, eâ tamen conditione, ut poſt legitimam ætatem pueri, ipſe propriâ auctoritate poſſit accedere, & occupare tale beneficium, Rebuff. in praxi tit. de regreſſib. 4. Denique fit conditionalis renunciatio ex cauſa permutationis, c. penult. de rer. permutat. nempe cùm quis beneficium dimittit eâ conditione, ut alterius beneficium ſimile, vel diſſimile ſibi conferatur, tunc enim unus beneficium ſuum cum alterius beneficio commutat, & uterque ſuo ſe abdicat, ut alterius beneficium acquirat, Azor cit. c. 19. q. 3. An autem omnes hi modi renunciationis conditionalis ſint liciti, & jure approbati, infrà dicetur.

SECTIO II.

DE BENEFICIIS, QUÆ REſignari poſſunt, vel non poſſunt.

§ I.

Quæ beneficia reſignari poſſint?

XII. Aſſertio 1. Omnia beneficia Eccleſiaſtica, ſive ſint curata, ſive ſimplicia, ſive ſint beneficia majora, & dignitates, ſeu minora; &, ſive requirant reſidentiam, ſive non requirant, adeóque cuiuſcunque generis, & qualitatis ſint, poſſunt reſignari, niſi ſpecialiter jure aliquo ſcripto id prohibeatur, Azor p. 2. lib. 7. c. 25. q. 1. Pariſ. lib. 2. de reſignar. benefic. q. 1. & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia unuſquiſque poteſt renunciare juri ſibi competenti, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, Clericus autem in beneficio ſuo jus habet, ergo illi ſponte cedere poteſt, niſi lege prohibeatur.

XIII. Aſſertio 2. In ſpecie quidem inprimis reſignari poſſunt beneficia manualia, ſive à Superiore revocabilia, etiam in favorem alterius, quia & permutari poſſunt, & ſicuti vacant per obitum Beneficiati, & per revocationem Superioris, gl. in Clement. unic. V. revocari de ſuppl. eod. neglig. Prælat. ita etiam poſſunt vacare per reſignationem, præſertim cùm dicta beneficia poſſint eſſe perpetua, quia Prælatus forſan ea non revocabit, Pariſ. cit. l. 2. q. 11. n. 2. & alij communiter. 2. Etiam beneficia patrimonialia, quæ fundata ſunt à parentibus, vel majoribus, ut conferantur filiis, vel conſanguineis, vel popularibus, reſignari poſſunt, modò reſignatio fiat illis, quibus ſunt conferenda, Pariſ. q. 12. n. 2. 3. Etiam illa beneficia, quæ optari poſſunt, quia in aliqua Eccleſia viget conſuetudo, ut antiquiores Canonici beneficia vacantia optent, juxta c. ult. de conſuetud. in 6. poſſunt enim reſignari, etiam in favorem alterius in manibus Summi Pontificis, ità tamen, ut admiſsâ reſignatione, ceſſet conſuetudo optandi, ſicut & permutari poſſunt, Pariſ. cit. l. 2. q. 20. n. 1. & 2. 4. Beneficia affecta jure patronatus poſſunt reſignari, etiam in favorem alterius, non tamen ſinè conſenſu Patroni, ſive is Clericus ſit, ſive laicus, quia patroni intereſt, ne eo ipſo neglecto, aliquis inſtituatur in beneficio, fortè ipſi infenſus, aut inimicus, Azor cit. l. 7. c. 25. q. 4. Pariſ. cit. l. 2. q. 1. n. 1. & 4. & eſt communis ſententia. Unde nec permutari poſſunt beneficia juris patronatûs, ſinè conſenſu patronorum, Pariſ. c. l. n. 10. Veruntamen renunciatio beneficij, inſcio, & inconſulto patrono, facta, non eſt ipſo jure irrita, quia videtur facta, & recepta ſub conditione, ſi patronus conſenſerit, ſed ſolùm eſt reſcindenda, ſi patronus poſtea contradixerit: modò tamen is reclamet reſignationi, aut collationi factæ, ante tempus jure conceſſum ad præſentandum, alioquin cenſetur tacitè reſignationem, aut collationem factam ratam habere, ſi intra illud tempus ſciens, & tacens non contradixerit. Quòd ſi reſignatio ab initio ſinè conſenſu patroni facta ſit, ſed poſtea ſuperveniat ipſius cõſenſus expreſſus, vel tacitus, illa firma eſt, & efficax, ita, ut reſcindi ampliùs non poſſit, DD. citati, & alij communiter. Excipi debet, niſi S. Pontifex admittat reſignationem beneficij patronati, & illud conferat alteri, cum derogatione juris patronatûs; tum enim non requiritur conſenſus patroni, quia poteſt Papa ex plenitudine poteſtatis, non ſolùm juri patronatûs Eccleſiaſticorum, ſed etiam laicorum, ex gravi cauſa, derogare, cùm jus patronatûs illis ſit cõceſſum ex mera gratia Eccleſiæ, c. 1. de jure patronat. quamvis nunquam cenſeatur velle illi derogare Papa, niſi id exprimat, gl. communiter recepta in Clement. 2. V. Apoſtolicis de præbend.

Porrò ex dictis infertur, ſi beneficium juris patronatûs reſignatum ſit, ſinè conſenſu patroni, & reſignatio admiſſa ſit, ſive per S. Pontificem, ſive per Epiſcopum, alterique collatum, & reſignans moriatur, beneficium vacare per obitum reſignantis, quia, cùm reſignatio fuerit nulla, vel ſaltem annullanda, reſignatario jus irrevocabile acquiri non potuit, Azor cit. l. Pariſ. c. l. n. 14. & 15.

5. Beneficia electiva etiam reſignari poſſunt, quia non differunt ab aliis beneficiis, niſi quòd per electionem Capitularium, accedente poſtea confirmatione Superioris, conferantur. Requiritur tamen in hac reſignatione, ut adſit conſenſus eligentium, ſinè quo, ſaltem ſubſequente, reſignari non poſſunt in alterius gratiam, alioquin reſignatio reſcindi poteſt, ſi electores contradicant. Et quidem, ſi renunciatio fiat in utilitatem alterius, requiritur omnium eligentium conſenſus: ſi verò fiat in utilitatem alicuius Eccleſię, ſufficit conſenſus majoris partis, Azor cit. cap. 25. q. 4. Pariſ. cit. l. 2. quæſt. 5. & alij communiter.

6. Etiam beneficia exempta poſſunt reſignari, dummodo reſignatio fiat coram S. Pontifice, ſi ſoli Papæ ſint ſubjecta: vel coram proprio Prælato habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſi beneficium proximè ipſi ſit ſubjectum, & exemptum à juriſdictione Ordinarij: vel coram Epiſcopo ordinario, ſi Eccleſia, in qua eſt beneficium, ſit exempta à juriſdictione Epiſcopi, non item populus, Azor cit. loc. q. 7. Pariſ. q. 7.

7. Beneficia reſervata Sedi Apoſtolicæ poſſunt reſignari, non ſolùm coram S. Pontifice, ſed etiam coram Ordinariis, ſi reſignatio fiat purè, & ſimpliciter, & non in favorem alterius, quia licèt reſervatio afficiat beneficium, quoad poteſtatem conferendi,

non

non tamen quoad poteſtatem renunciandi; unde Ordinarij non poſſunt conferre beneficia reſervata Papæ, quæ coram ipſis ſunt reſignata, quia ideo dicuntur reſervata, quòd ad Romanum Pontificem pertineat illorum collatio, Azor c. l. quæſt. 9. Pariſ. quæſt. 16. Porrò Innocentius VIII. in Conſtituc. ſicut bonus paſtor, allegata apud Azor cit. loc. revocavit omnes facultates reſignandi beneficia reſervata.

§. II.

Quæ beneficia reſignari non poſſunt?

XIV. Aſſertio 1. Non poteſt inprimis reſignari beneficium litigioſum, lite pendente, alioquin reſignatio eſt irrita; ſicut alienatio rei litigioſæ, dum lis pendet, fieri non poteſt; & facta non tenet; ut conſtat ex toto tit. ff. & C. de litigioſis. Ratio eſt, quia talis reſignatio videtur fieri in fraudem, Azor cit. cap. 25. quæſt. 3. Pariſ. cit. l. 2. quæſt. 3. num. 1. & 2. & alij communiter. Præterquam quòd nondum conſtet, cuius ſit beneficium, de quo adhuc litigatur. At ſi alter litigantium beneficio cedat; gratiâ; & favore collitigantis, valida eſt ceſſio, quia per eam lis extinguitur; ſicut etiam, ſi ſimpliciter renunciatum ſit liti, quia tunc purgatur vitium litigioſi, Azor cit. loc. Pariſ. cit. loc. num. 12. & 13. Hinc fit, ut Ordinarius, coram quo facta eſt renunciatio beneficij litigioſi, non poſſit illud conferre, niſi lite finitâ, & extinctâ; vel niſi longo tempore ſit neglecta, ſive à lite ceſſatum, ita, ut finita cenſeatur tanquam derelicta. Quòd ſi in renunciatione beneficij facta ſit mentio litis, reſignatio valida eſt; quæ nulla eſt, ſi nulla de lite fiat mentio, Azor c. l. Pariſ. cit. loc. num. 19. & 20. His adde, quòd Clericus criminoſus accuſatus de crimine, pendente accuſatione, poteſt reſignare beneficium; quia lis non pendet ſuper beneficio, adeóque illud non eſt litigioſum, ſed ſuper crimine, & ſi accuſatus, lite pendente, decedat, lis finita cenſetur, quia crimina morte extinguuntur, Garc. tract. de benefic. p. 11. c. 3. n. 63.

XV. Aſſertio 2. Præterea beneficia unita non poſſunt reſignari, etiam antequam unio ſortiatur effectum. V. g. Si beneficium Titij ſit unitum Collegio Clericorum, vel Monaſterio Religioſorum, vel alicui Seminario Studioſorum, ut poſt illius mortem effectum ſortiatur, non poteſt Titius illud beneficium reſignare in alicuius favorem; Eſt communis ſententia apud Pariſ. l. 2. q. 8. num. 1. idque conſtat ex Concil. Trident. Seſſ. 21. cap. 5. de reformat. ubi in fine dicitur: *Quæ uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi, ſed ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.* & Seſſ. 23. cap. 18. de reformat. ubi dicitur, *nec per reſignationem ipſorum beneficiorum uniones, & applicationes ſuſpendi, vel ullo modo impediri poſſint:* Quia per unionem Collegio, vel Monaſterio eſt jus acquiſitum ad beneficium Titij; ſaltem jus ad rem, quod per reſignationem eidem auferri non poteſt, cum præjudicio illius; & alioquin ſi valida eſſet reſignatio, omnino tolleretur unio, unus namque reſignare poſſet beneficium alteri, & ille rurſum aliis, ita, ut nunquam eſſet locus unioni: ſicut ergo res ſubjecta reſtitutioni alienari non poteſt, l. ult. §. Sed quia C. communia de legatis; ita nec beneficium unitum transferri in alium poteſt per renunciationem; Pariſ. cit. loc. num. 5. & 6. Quamvis autem unio beneficij viventis fiat, abſque præjudicio obtinentis; ita, ut Beneficiarius illud retineat, quàm diu vivit, vel ab eo ob delictum non deponitur; id ſolùm procedit in eo, qui in præſenti beneficium obtinet, tempore factæ unionis; arg. l. Boves 89. §. 1. ff. de verb. ſignific. Pariſ. cit. loc. num. 7. Quare etſi fiat reſignatio in favorem alicuius, coràm Romano Pontifice, neceſſariò fieri debet mentio unionis; alioquin invalida eſt renunciatio; tum quia gratia eſt ſubreptitiè impetrata, ob tacitam veritatem, quæ exprimi debuiſſet, nempe beneficium unitum eſſe alteri beneficio, vel Eccleſiæ: tum quia non eſt veriſimile, quòd Papa voluerit tollere, & impedire effectum unionis, cùm S. Pontifex non ſoleat dare litteras beneficiales præjudiciales alteri, niſi id ſpecialiter exprimat; præſertim cùm unio beneficiorum non fiat, nec concedatur, niſi ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiarum, Pariſ. cit. loc. ex Rota Rom. deciſ. 3. de rer. permut. in antiquis, & eſt communis opinio. Quòd ſi reſignatio beneficij uniti facta ſit in Curia Romana, in favorem alicuius, cum expreſſâ mentione unionis, hoc caſu, Papa admittendo reſignationem, & conferendo beneficium reſignatum ei, in cuius favorem facta fuit ceſſio, cum clauſula, *& non aliàs, nec alio modo*, videtur ſuſpendere pro illa vice, & prorogare, ſive differre unionem; uti poteſt, neque enim per talem prorogationem notabile præjudicium infertur alteri perſonæ, vel Eccleſiæ, cui beneficium eſt unitum, cùm accidere poſſit, ut Reſignatarius priùs moriatur, quàm reſignans; ita, ut unio citiùs effectum ſortiatur, prout fuit reſolutum in Rota Roman. 28. Octobr. Anno 1542. teſte Pariſio cit. loc. num. 8. præſertim cùm Papa pleniſſimam poteſtatem habeat diſponendi de omnibus beneficiis; cap. 2. de præbend. in 6. Si verò renunciatio beneficij uniti facta ſit coram S. Pontifice, ſive ſimpliciter, ſive etiam in favorem, non factâ mentione unionis, poteſt renuntians redire ad ſuum beneficium, quia cùm renunciatio non fuerit valida, jus in beneficio non amiſit, ſed adhuc retinet, nec cenſetur renunciatio factâ, niſi ſub tacita conditione, ſi illa valeret, juxta deciſionem S. Congregat. Concil. teſte Pariſio cit. loc. num. 20. Azor cit. c. 25. quæſt. 8. Veruntamen ſi renuncians coram Papa, ſciens beneficium, de unione mentionem non fecit, tunc, quia ſcienter invalidè reſignavit, per conſequens amittit jus in beneficio, ut decidit Rota anno 1567. apud Pariſ. cit. loc. n. 21. Si verò beneficium unitum reſignet quis, coram Ordinario loci, reſignans beneficium amittit, ac proinde Ordinarius non poteſt illud conferre alteri, quia unio ſuum effectum ſortitur, vacante beneficio unito, per ceſſum, vel deceſſum, id eſt, per ſimplicem renunciationē, vel mortem naturalem Beneficiati, Pariſ. c. l. n. 22. & 23. Azor c. l.

XVI. Aſſertio 3. Sed neque beneficia in commendam temporalem data, ob utilitatem Eccleſiæ, donec ei proviſum fuerit de Rectore, ut in caſu cap. Nemo. 15. de elect. in 6. reſignari poſſunt in gratiam, & favorem alterius, quia is, cui ad tempus commendatur, jus, & titulum non habet in beneficio, ſed ſolam adminiſtrationem, ita tamen, ut ſaltem ſpectatâ conſuetudine, fructus interim percipere poſſit, ideóque pro libitu revocari poteſt, quamvìs huiuſmodi beneficia reſignari ſimpliciter poſſint in manibus Ordinarij: etſi enim reſignans nullo jure, & titulo ſe abdicet, cùm nullum habeat in beneficio: deponit tamen adminiſtrationem, quam habet, Pariſ. cit. l. 2. quæſt. 17. num. 1. & ſeqq. Azor cit. cap. 25. quæſt. 10. Si verò detur alicui beneficium in commendam perpetuam, hoc eſt, ad vitam eius, illud reſignari poteſt, non ſolùm ſimpliciter, & abſolutè coram Ordinario loci, ſed etiam coram S. Pontifice, in gratiam, & favorem alterius, quia is, cui committitur beneficium in perpetuum, conſequitur jus, ac titulum in illo, ac ſi ei eſſet ſimpliciter collatum, Pariſ. cit. loc. num. 8. & ſeqq. Azor cit. loc.

XVII. Aſſertio 4. Denique penſiones, quæ jure ac titulo beneficii Eccleſiaſtici ſunt conſtitutæ, quamvìs ſuccedant loco beneficij, non tamen poſſunt reſignari in favorem alterius, quia penſio non eſt propriè dictum beneficium Eccleſiaſticum, ſed onus temporale, ideóque etiam laico aſſignari poteſt, Pariſ. cit. l. 2. quæſt. 15. num. 7. & 10. & alij communiter. Poſſunt tamen penſiones, de licentia Superioris, in alios transferri, imò habens penſionem Eccleſiaſticam, poteſt illam non exigere, & ſic tacitè renunciare in favorem illius, à quo ſolvenda eſt, vel etiam illam expreſſè repudiare, Pariſ. cit. l. num. ult. & quamvìs in Jure Canonico quandoque penſio etiam veniat nomine beneficij, cap. Ad audientiam 31. ibi: *recipientes ab eis annuas penſiones, ſeu beneficia*, de reſcriptis. Dictio autem *alia* eſt implicativa ſimilium, ſed quandoque eſt repetitiva diſſimilium, ut patet ex Lucæ cap. 19. ibi: *Crucifixerunt eum, & alios duos latrones cum eo.* Non tamen continetur ſub nomine beneficij propriè dicti. Nec refert, quòd penſio ſuccedat in locum beneficij, ſubrogatum autem ſapit naturam eius, cui ſubrogatur: nam hoc vulgare pronunciatum non procedit, quando non ſunt eædem qualitates, & conditiones in ſubrogato, quæ in principali, cui ſubrogatur: at penſio habet diverſas qualitates à beneficio, quia Beneficiarius eſt intitulatus; non verò Penſionarius in beneficio, ex quo penſionem percipit, adeóque appellatione Beneficiarij non venit Penſionarius, Pariſ. cit. loc. num. 22. & 23. & 4. Et hinc etiam, ſi mandatur alicui provideri de beneficio, non poteſt, vigore talis mandati, illi provideri de penſione, niſi de hac in litteris expreſſa fiat mentio, cap. Quamvìs 4. de præbend. in 6. Nec penſio eſt incompatibilis cum alio beneficio curato, vel requirente perſonalem reſidentiam, Pariſ. cit. loc. num. 17. Nec etiam obſtat, quòd in impetratione beneficij, mentio quoque facienda ſit penſionis, quam quis habet, non minùs, ac de alio beneficio, ſi quod habet, aliàs ſubreptitia eſt impetratio: nam de multis aliis fieri debet mentio, quæ tamen beneficia non ſunt, Menoch. de arbitr. Jud. caſu 201. num. 51. Pariſ. c. l. num. 24.

SECTIO III.

DE IIS, QUI POSSUNT RENUNCIARE beneficiis, & ijs, quibus poſſunt illa reſignari.

§. I.

Qui poſſint beneficia reſignare?

XVIII. Aſſertio 1. Ordinariè omnes beneficiati reſignare poſſunt ſua beneficia ex juſta cauſa, dummodo jus quæſitum in ijs habeant, nam proprio tantùm juri, non verò juri alieno, neque ei, quod quis nondum habet, vel non ampliùs habet, renunciari poteſt, quod enim quis non habet, non poteſt dimittere, cùm privatio ſupponat habitum, ideóque reſignatio beneficij nondum collati eſt nulla, ſive reſignatum ſit ſimpliciter, ſive in favorem alterius, quia ante collationem quis nullum jus habet in beneficio, & per conſequens non poteſt transferre in alium id, quod non habet, Pariſ. l. 2. de reſignat. benefic. quæſt. 22. num. 1. & ſeqq. & l. 3. quæſt. 1. num. 1. & 20. & eſt communis opinio. Idque procedit, etiamſi reſignetur certum beneficium proximè conferendum; nam cùm in eo nondum jus habeat, etiamſi habiturus ſit, non poteſt illud reſignare, antequam actu collatum ſit: neque enim hic valet illa regula, quòd proximè cingendus habetur pro cincto, Pariſ. cit. quæſt. 22. num. 10. Imò etſi alicui abſenti collatum ſit beneficium, non poteſt illud reſignare ante acceptationem, quia nondum in eo jus habet, cap. Si tibi 17. de præbend. in 6. Pariſ. cit. loc. num. 12. & alij communiter. Ratio autem huius generalis facultatis reſignandi beneficia actu obtenta, deſumitur ex duplici capite, nempe tum ex commodo Eccleſiæ, nam ſi quis beneficio, ut par eſt, præeſſe non poſſit, utile eſt Eccleſiæ, imò & neceſſarium, ut illud alteri, qui utilior Eccleſiæ futurus exiſtimatur, cedere, & reſignare poſſit; tum ex ſalute propria renunciantis, ut, quia beneficiatus Religionem ingredi vult, vel in loco beneficij periculum animæ, vel corporis incurrit &c. tunc enim juſtum, & æquum eſt, ut liceat ipſi beneficium reſignare, & in ſuum locum alium ſubſtituere, Laym. in c. Quidam 12. n. 1. h. t.

XIX. Atque regula hæc generalis tradita ampliatur procedere, non tantùm in Beneficiatis, privatis, & Clericis inferioribus, quòd ipſi poſſint reſignare ſua beneficia, ſed etiã in illis, qui in Eccleſiaſtica dignitate, quantumvis maxima, conſtituti ſunt, Joan. Andr. in rubric. h. t. n. 4. & alij DD. communiter. nam etiam Epiſcopus Cardinalis, imò & S. Pontifex

libere

liberè reſignare poteſt: cùm enim quæſitum eſſet, » an Romanus Pontifex (maximè cùm ſe inſufficientem agnoſcit ad regendam univerſalem Eccleſiã, » & ſummi Pontificatûs onera ſupportanda) renunciare Papatui poſſit, eiúſque oneri, & honori, Cæleſtinus Papa V. deliberatione habitâ cum ſuis fratribus Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, & ex ipſorum conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolicâ, ſtatuit, & decrevit, Romanum Pontificem poſſe liberè reſignare, prout refertur in c. 1. h. t. in 6. Ne autem » ſtatutum huiuſmodi, temporis curſu, oblivioni traderetur, vel id iterum in dubium aliquando revocaretur, mandavit Papa Bonifacius VIII. Succeſſor » Cæleſtini, cum conſilio Cardinalium, ut prædictũ » ſtatutum, inter alias Conſtitutiones, ad perpetuam » rei memoriam, redigatur, in cit. c. 1. Quod autem Cæleſtinus ſtatuit, poſtea ipſo facto, & exemplo ſuo comprobavit renunciando Papatui. Ratio eſt, quia cùm aliis Epiſcopis, & Prælatis Eccleſiaſticis, propter ſalutem animæ ſuæ, vel utilitatem ſuarum Eccleſiarum, & ſubditorum, permiſſum ſit in quibuſdam caſibus renunciare, multò magis id permiſſum eſſe debet Romano Pontifici, propter utilitatem totius Eccleſiæ, Joan. Andr. in cit. cap. 1. num. 2. Azor p. 2. Inſtit. moral. l. 4. cap. 6. quæſt. 3. Requiritur tamen, ut licitè fiat reſignatio Papatûs, juſta aliqua cauſa, ut ſi ſe inhabilem, & impotentem, ac inſufficientem videat ad tam grave munus obeundum, vel quia ſenio confectus, viribúſque deſtitutus eſt, vel infirmitate gravatus; vel aliâ ratione impeditus eſt; quamvìs, etſi ſufficiens ſit ad regendam Eccleſiam, ex alia juſta cauſa, reſignare poſſit, gloſſ. in cit. cap. 1. V. Maximè, Azor c. l. Pariſ. l. 5. quæſt. 1. num. 15. Quod ſi Papa, abſque juſta, & gravi cauſa, Pontificatum dimitteret, peccaret quidem graviter, quia arctiſſimo vinculo ab ipſo Deo impoſito obligatus eſt Eccleſiæ univerſali, ſed nihilominus renunciatio valida foret, & in dubio præſumitur, quòd ex cauſa juſta facta ſit, Pariſ. l. 7. quæſt. 5. num. 4. & colligitur ex cit. cap. 1. ubi dicitur, Romanum Pontificem liberè poſſe reſignare, adeóque ſinè conſenſu cuiuſque alterius, Barboſ. ibid. num. 3. & l. 1. Juris. Eccleſ. cap. 2. num. 213. Neque etiam neceſſariò requiritur, ut Papa renunciet Pontificatui, coram Cardinalibus eam acceptantibus, vel cum conſenſu illorum, ſed ſufficit ſimplex declaratio voluntatis, quâ exprimat, ſe velle Pontificatui cedere, nam cæteræ ſolemnitates in reſignationibus beneficiorum requiſitæ Juris humani ſunt, quo Papa non aſtringitur.

XX. Non obſtat, quòd Renunciatio debeat fieri in manibus Superioris: ſed Papa non habet Superiorem in terris, ergo non poteſt renunciare Papatui: Nam hæc regula ſolùm habet locum in ijs, qui Superiorem habent, non in Principe ſupremo, qui Superiorem nullum recognoſcit, ac proinde ſatis eſt, ſi Papa liberè ſe abdicet Pontificiâ dignitate, gl. in c. 1. h. t. in 6. V. videbantur. Joan. Monach. ibid. num. 2. Azor cit. c. 6. q. 2. ſic nullus in propria cauſa poteſt eſſe Judex, l. Qui juriſdictioni 10. ff. de juriſdict. omn. judic. & tamen Princeps, qui Superiorem non habet, in propria cauſa judicare poteſt, Joan. Monach. c. l. num. 3. Sicut ergo Papa, ſinè Superiore homine, inſtituitur, & confirmatur, ita etiam ſinè Superiore renunciat Papatui, gloſſ. in cit. cap. V. eodem.

Renunciat autem Papa, & matrimonium inter ſe, & Eccleſiam univerſalem contractum diſſolvit, non poteſtate humanâ, quia nullus jure poteſt poteſtatem adimere, niſi is, qui eam confert, nec inferior poteſt auferre, quæ à Deo ſunt collata; ſed poteſtatem Pontificiam ſolus Deus confert, ergo nullâ poteſtate humanâ auferri poteſt. Verùm renunciat Papa poteſtate divinâ, ſive à Deo acceptâ, quatenus eſt Vicarius Chriſti, cui à Deo conceſſa eſt poteſtas omnia faciendi, quæ pertinent ad rectam gubernationem Eccleſiæ, quâ renunciatione factâ, ipſe Deus illam acceptat, & ab ipſo Papa poteſtatem Pontificiam tollit, quia alioquin Eccleſiæ proviſum non eſſet, niſi eâ ſe abdicante, alius in locum eius, cum ſimili univerſali poteſtate, poſſet ſubſtitui, & Eccleſia longo tempore carête cogeretur viſibili Paſtore, à quo gubernaretur, Laym. ibid. n. 2. Quòd ſi Papa renunciet Papatui, ſolam poteſtatem ſupremæ juriſdictionis in Eccleſiam amittit, non autem poteſtatem Ordinis, quia character eſt indelebilis, adeóque ſi Sacerdos, vel Epiſcopus erat, ea, quæ ad Ordinis poteſtatem ſpectant, adhuc conferre poteſt, Joan. Andr. in cit. c. 1. n. 3. Azor cit. loc. in fine.

XXI. Cæterùm, quod dictum eſt, regulariter cuique liberum eſſe renunciare proprio beneficio, id potiſſimùm procedit in renunciatione Canonicatuum, & ſimilium ſimplicium beneficiorum, quæ facilè admitti debent ab Ordinariis, aliiſque jus recipiendi reſignationes habentibus, ordinariè loquẽdo, dummodo Beneficiato reſignanti aliunde proviſum ſit de honeſta ſuſtentatione neceſſaria, ſi in Clericali ſtatu manere velit, Laym. in c. Admonet 4. num. 2. h. t. At verò reſignationes Eccleſiarum parochialium, ſecundùm ſtylum, & conſuetudinem Curiæ Romanæ, ordinariè non recipiuntur, niſi Parochus per aliquot, nempe 5. vel ſaltem 4. aut 3. annos parochiam poſſederit, ideóque reſignare volens exprimere debet, per quantum tempus Parochiam poſſederit, ſive à quo tempore illam obtinuerit, &, ſi tempus eſt breve, reſignatio rejicitur, Pariſ. l. 3. de reſignat. benefic. quæſt. 2. num. 21. Garc. tract. de benefic. p. 11. cap. 3. num. 45. & 47. quam conſuetudinem alij Ordinarij imitari deberent, ita tamen, ut etiam habeatur ratio plebis, quid ei utile ſit, Laym. c. l. num. 3. Renunciationes verò Prælatorum, qui ordinariam, & generalem juriſdictionem obtinent, utì ſunt Abbates, & Prælati Regulares, adhuc difficiliùs admitti ſolent, quamvis ſi tales licentiam reſignandi ex juſta cauſa petant, ea ipſis neganda non eſt, neque inviti in Prælatura retineri debent, cap. ult. cauſ. 16. q. 7. & ibi gl. V. Retinere. Interdum tamen Prælatus Regularis à Superiore, v. g. Epiſcopo, ſi non ſit exemptus, cogi poteſt ſub conditione, ut, vel Prælaturam reſignet, vel coram Judice compareat ad audiendam cauſam depoſitionis, quæ cognoſcatur, etiam abſque ſtrepitu judiciali, Laym. de Elect. Prælat. quæſt. 228. Poſtquam autem Prælatus Regularis Prælaturæ renunciavit, manet Profeſſus eiuſdem Monaſterij, Pariſ. l. 1. de reſignat. quæſt. 17. num. 54. & obtinet

tinet primum locum, poſt Abbatem, in Choro & Conventu: ſecus eſt, ſi ob culpam deponatur, tunc enim in ordinem redigi debet, vel etiam pœnæ loco, in ultimo loco poni, arg. c. Cùm ad Monaſterium 7. de ſtatu Monach. Laym. c. l. Denique multò adhuc difficiliùs admittuntur reſignationes Epiſcoporum, qui arctiſſimo, & indiſſolubili conjugii ſpiritualis vinculo ſuis Eccleſiis ſunt aſtricti, adeóque non recipiuntur, niſi ex gravibus cauſis, c. Niſi cùm pridem 10. h.t. de quibus infrà.

XXII. Aſſertio 2. Sed & Clerici minores XXV. annis, majores verò annis XIV. qui ſcilicet annos pubertatis exceſſerunt, etiam ſinè Curatoris conſenſu, reſignare poſſunt beneficia, quæ obtinent, gloſſ. in cap. Ex parte 14. V. Quamvìs minot. de reſtit. ſpoliat. & ibi Canoniſtæ communiter. Ratio eſt, quia Clericus minor XXV. annis, major tamen annis XIV. in beneficialibus, & aliis cauſis ſpiritualibus, nec non ab eiſdem dependentibus habetur pro majore XXV. annis, ita, ut poſſit, tam in judicio ſtare, & agere, & conſtituere Procuratorem, quàm etiam extra judicium, exercere omnes actus ſinè Curatore, ſicut major XXV. annis, c. ult. de judiciis in 6. Ergo etiam renunciare poteſt beneficio, tam per ſe, quàm per Procuratorem, ſinè Curatoris conſenſu, & auctoritate; ſicut etiam poteſt ſinè illo acceptare beneficium, Pariſ. l.3. de reſignat. benefic. quæſt. 7. num. 2. & ſeqq. Et hinc etiam poteſt conſtituere Procuratorem ad reſignandum beneficium, ſinè cauſæ cognitione, & decreto Judicis, cùm in ſpiritualibus minor æquiparetur majori XXV. annis, Pariſ. c. l. num. 9. & 10. Ob quam cauſam etiam Clericus minor XXV. annis, quia major cenſetur, non reſtituitur in integrum, prætextu ſolius ætatis minoris, adversùs renunciationem beneficij, niſi in ea circumventus, vel deceptus, ſeu dolo adverſarij graviter læſus fuerit; nam cenſetur major quoad hoc, ut agere poſſit in judicio, per ſe, vel per Procuratorem, non autem quoad hoc, ut non poſſit, cùm eſt graviter læſus, reſtitui in integrum, alioquin, quod in favorem Clericorum natu minorum inductum eſt, verteretur in eorundem odium, & detrimentum; ſi non poſſent petere reſtitutionem in integrum, ob læſionem gravem in renunciatione ab ipſis factâ, gl. in cit. cap. Ex parte V. Quamvìs minor & ibid. Abb. num. 17. Gregor. Tholoſan. in Inſtitut. rei benefic. cap. 31. num. 7. Pariſ. cit. loc. num. 22. & 23. contra Juris Regulam communiter receptam, quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum, regul. jur. 61. in 6.

XXIII. Ubi tamen ulteriùs diſtinguendum eſt, nam vel Clericus minor, ſed pubes, reſignans beneficium non eſt læſus, ut ſi reſignavit beneficium, quia duo habebat, quorum alterum erat ſufficiens ad neceſſariam ſuſtentationem, vel quia reſignavit in favorem alicuius conſanguinei, vel amici, vel cùm vellet matrimonium contrahere, vel Religionem ingredi, vel ex alia ſimili cauſa; & tum non eſt reſtituendus in integrum, Azor p. 2. lib. 7. cap. 20. quæſt. ult. Pariſ. cit. quæſt. 7. num. 11. & 12. & alij communiter, quia minoribus xxv. annis Jure communi non conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, niſi læſi fuerint, l. Non omnia 44. ff. de minorib. l. Minoribus 5. C. de in integrum reſtit. min. Vel minor xxv. annis in reſignatione beneficij eſt graviter læſus facto alterius; vel quia dimiſit beneficium, ex quo vivebat, tum ſi beneficium reſignatum nondum ſit collatum alteri, reſtituendus eſt in integrum, ut jam ſuprà dictum. Si verò beneficium, admiſſâ reſignatione à Superiore, jam ſit collatum alteri, tunc ſecundùm multorum opinionem, jure reſtitui non debet, quia res non eſt ampliùs integra, cùm alteri in beneficio reſignato jam ſit jus quæſitum per collationem, gloſſ. in cit. cap. Ex parte V. Quamvìs minor de reſtitut. ſpoliat. & Abb. ibid. num. 14. & plures alij apud Pariſium c.l. num. 38. & ſeqq. Secundùm aliorum verò opinionem, reſtituendus eſt minor graviter læſus in renunciatione, ex regula generali, minores graviter læſos reſtituendos eſſe, niſi contrarium jure reperiatur expreſſum, Covar. l. 1. variar. reſolut. cap. 5. num. 3. Pariſ. c. l. num. 45. & ſeqq. & quidem etiam in cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis ſubveniendum eſt graviter læſis, aut deceptis, Azor c.l. in fine.

Porrò non ſolùm minor xxv. annis, ſed pubes, verùm etiam minor xiv. annis, ſeu impubes, ſi ſecundùm Jus novum Concilij Tridentini, cap. 6. Seſſ. 23. de reformat. ex diſpenſatione beneficium Eccleſiaſticum obtineat, illud reſignare poteſt, accedente tamen auctoritate tutoris, & cum cauſæ cognitione, ac decreto Superioris, alioquin renunciatio non valet, quia pupillus ſinè tutore non poteſt quidquam agere, ex recepta ſententia ab omnibus apud Pariſ. cit. quæſt. 7. num. 58. & ſeqq.

XXIV. Aſſertio 3. Præterea Parochus, qui intra annum poſt obtentam parochiam, promoveri debet ad Ordinem Sacerdotij, ſub pœnâ privationis beneficij ipſo jure, ſeu facto incurrendæ, juxta cap. Licèt 14. de elect. in 6. Etſi in fine anni nondum Sacerdos factus ſit, poteſt tamen, ante elapſum annum, etiam ultimo die, vel eo tempore, quo jam non ampliùs intra annum ordinari Sacerdos poteſt, reſignare parochiam, Azor cit. cap. 20. quæſt. 4. Pariſ. cit. l. 3. quæſt. 2. num. 8. & ſeqq. & alij apud ipſos. nam Eccleſia parochialis non vacat, nec priùs poteſt alteri conferri, niſi ex toto fuerit elapſus annus ad Ordines ſuſcipiendos à jure conceſſus, neque enim priùs promotus ad parochiam eâ eſt privatus, cap. commiſſa 35. in princ. de elect. in 6. cùm ergo ante totum annum elapſum, talis parochus obtineat adhuc jus parochiale, poterit illud eo adhuc tempore reſignare, ſive transferre in alium, præſertim cùm ultimâ die poſſet adhuc obtinere diſpenſationem Papalem, & prorogationem temporis, gloſſ. in cit. cap. Commiſſa, V. elapſus in additione. Idque inde confirmatur, quia generatim loquendo, pœna à lege ſtatuta, niſi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur, antequam tempus illud integrè ſit elapſum, gloſſ. margin. communiter recepta in cit. capit. Commiſſa.

miſſa. Neque verò hoc caſu talis Parochus cenſendus eſt in fraudem legis reſignare, quia, quod fit jure permittente, non cenſendum eſt, fieri in fraudem, l. Grachus 4. C. Ad leg. Jul. de adulter. l. Nemo damnum 15. ff. de regul. jur. & poteſt ſinè fraude velle reſignare, propter redituum tenuitatem, vel aëris intemperiem, vel ſimilem cauſam: niſi tamen evidenter de fraude conſtaret, tunc enim non admitteretur renunciatio, Pariſ. c. l. n. 20. Et hinc non ſequitur, quòd ſic poſſet Eccleſia parochialis perpetuò obtineri, tametſi nullus ad illam promotus intra annum ſacerdos fieret, quia, ſicut in fine anni primus poteſt reſignare parochiam alteri non ſacerdoti, ita & hic poſtea poſſet reſignare alteri, cùm æquale jus habeat, & hic denuò alteri, & ſic deinceps, quod eſſet contra mentem legis, & in fraudem illius. Nam ſi Superior judicet, id fore damnoſum Eccleſiæ, poteſt reſignationem non admittere, Pariſ. c. l. num. 15. Hodie verò hujuſmodi renunciatio parochiæ intra annum non admitteretur, quia requiritur, ut per plures annos poſſederit, juxta ſuprà dicta num. 21. Elapſo verò anno, talis parochus, qui ſacerdos intra annum, legitimo impedimento ceſſante, non eſt factus, nequaquam reſignare poteſt, cùm omne jus amiſerit in parochia, Pariſ. c. l. num. 21. & 22.

XXV. Aſſertio 4. Clerici beneficiati, qui Religionem ingredi volunt, ſpectato Jure communi antiquo, reſignare poſſunt ſua beneficia, etiam in favorem alterius, durante anno probationis, Azor cit. c. 20. q. 6. Pariſ. cit. l. 3. q. 13. n. 1. & eſt communis opinio. Idque ex eo probatur, quia beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum, niſi ad id ipſius accedat aſſenſus: c. Beneficium 4. & ibi gl. V. Aſſenſus de Regularib. in 6. ergo Novitius poteſt conſentire, ut beneficium ſuum alteri conferatur, & per conſequens etiam renuntiare, quia Novitius adhuc habet proprium velle, & nolle, & voluntas ejus nondum eſt plenè ſubjecta Prælato, ac proinde poteſt, ſinè illius conſenſu beneficium dimittere, & reſignare. Debet autem, durante probatione, eidem beneficio per alium deſerviri, ſi opus ſit, aſſignatâ illi congruâ de ipſius proventibus portione, cit. c. Beneficium.

Verùm Jure novo Concilij Trident. aliud ſtatutum eſt, nempe, ut nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarij, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur, effectum ſortiri, niſi ſecutâ profeſſione: aliter verò facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam juratâ, ſit irrita, & nullius effectûs, Seſſ. 25. de Regularib. c. 16. Quòd decretum habet locum, non ſolùm in renunciatione bonorum, ſed etiam Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quia Concilium generatim ait: Quòd nulla renunciatio ingreſſi Religionem valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarij, ante duos menſes proximos præcedentes profeſſionem fiat, prout declaravit ſæpiùs S. Congregatio Concilij teſte Pariſ. c. l. n. 5. quamvis conſenſus Superioris Religionis tum non requiratur ad renunciandum, Azor c. l. Idque ideo ſtatutum eſt, ne temerè quis renunciet, dum in probatione verſatur, & poſtea, ſi fortè non admittatur ad profeſſionem, vel illam ipſe emittere nolit, & beneficio, & Religionis ſtatu privatus exiſtat; vel ne ob renunciationem beneficij factam, jam minùs liberè à religione diſcedere queat, Pariſ. c. l. Unde neque Epiſcopus poteſt conferre beneficia reſignata à Novitijs, niſi poſt emiſſam profeſſionem, ut declaravit S. Congregatio Concilij. Imò prædictum decretum Concilij habet etiam locum tum, quando quis renunciat beneficio, ante ingreſſum, intuitu tamen ingreſsûs in Religionem, ſi aliunde non habeat, ex quo commodè ſe ſuſtentare valeat, vel ſi ad titulum illius beneficij ordinatus ſit; tum enim renunciatio videtur in fraudem Decreti eſſe facta, ex ejuſdem Congregationis declaratione. Emiſsâ verò profeſſione, etiam à Curatis, ſinè ſpeciali licentia Papæ, ipſo facto inducitur tacita renunciatio, & vacatio beneficiorum, quæ obtinuit is, qui profeſſionem emiſit, Sylveſt. V. Religio 2. quæſt. 8. Pariſ. c. l. num. 13.

Contrarium tamen, nempe quòd prædictum decretum Concilij non habeat locum in renunciatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, tenent Garcias p. 11. de benefic. c. 9. num. 52. & ſeqq. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 99. n. 19. Caſtro Palao par. 2. tract. 13. de benefic. diſ. 6. pun. 2. §. 3. num. 15. Ratio eſt, quia à jure antiquo non eſt recedendum, niſi aliud jure novo ſit expreſſum, ſed jure antiquo permiſſum erat Novitio reſignare beneficia intra annum probationis, c. Beneficium 4. de Regularib. in 6. ergo, cùm jure novo Concilij Tridentini contrarium non ſit expreſſum, quippe quod loquitur de ſola renunciatione bonorum temporalium, non habet locum ejus decretum in renunciatione beneficiorum Eccleſiaſticorum. Quæ ſententia etſi probabilis ſit, præcipuè, ſi renuncians aliunde habeat, unde vivere poſſit: nihilominus tamen Concilium loquitur generaliter, ſinè ulla reſtrictione ad bona temporalia, ut nulla renunciatio, aut obligatio antea facta valeat, & ratio principalis diſpoſitionis Concilij habet etiam locum in renunciatione beneficiorum, adeóque etiam idem jus.

XXVI. Aſſertio 5. Clerici crimminoſi, qui non ſunt ob crimen privati ſuis beneficijs ipſo jure, ſeu facto, ſed ſolùm privandi per ſententiam condemnatoriam Judicis, poſſunt reſignare ſua beneficia, etiam in favorem alterius, quia cùm nondum ſint privati, jus adhuc in beneficijs habent, licèt ea renunciatio poſtea per Judicis ſententiam reſcindi poſſit, Rebuff. in praxi benefic. tit. de modis amittendi beneficia num. 51. Azor cit. c. 20. q. 8. Garc. p. 11. de benefic. c. 3. n. 64. & eſt ſententia communior, & in praxi recepta, teſte Pariſio l. 3. q. 16. n. 1. Quin imò, etſi lata ſit ſententia contra Clericum criminoſum, à qua tamen is appellavit, poteſt, non obſtante tali ſententiâ, renunciare beneficio; quia appellatio ſuſpendit juriſdictionem, & ſententiam Judicis, à quo fuit provocatum, & ideo appellatione pendente, nihil eſt innovandum, Rebuff. c. l. n. 52. Pariſ. c. l. n. 17. & duobus ſeqq.

XXVII. Porrò poſſunt Clerici criminoſi, antequam per ſententiam privati ſunt beneficijs, ea reſignare, non purè tantùm, ſeu ſimpliciter, ſed etiam

in favorem alterius, ot docent Auctores ſuprà citt. Ratio eſt, quia regulariter cuilibet conceſſum eſt proprium beneficium reſignare, etiam in favorem alterius, quâ poteſtate non eſt quis privatus, ob commiſſum delictum, ante ſententiam, cùm non ſit beneficio privatus ipſo jure, ut ſupponimus. Non obſtat, quod per talem reſigoationem fiat præjudicium Ordinario, qui non poterit illud liberè conferre; Nam hoc per accidens eſt, oeque curandum, cùm reſiguans ntatur jure ſuo, Caſtro Palao cit. diſ. 6. §. 2. n. 9. Requiritur tamen, ut fiat mentio criminis, & accuſationis, vel inquiſitionis contra criminoſum inſtitutæ, aliàs renuociatio eſſet nulla, Rebuff. c. l. o. 52. io fine, Pariſ. c. l. n. 24. ſicut ſi inquiſitus de crimine impertare velit beneficium, debet facere mentionem de ioquiſitione, aliàs impetratio eſt nulla, quia ob taciturnitatem qualitatis ignotatæ eſt ſubreptitia, Pariſ. c. l. n. 25. etſi contrarium ceneat Garc. cit. c. 3. num. 120. & 121. Palao c. l. quia jure noo eſt expreſſum, de his mentionem fieri debere, vel qnòd ijs expreſſis, Papa gratiam nullo modo coonceſſiſſet, & non ob omnia tacita, quæ ſi expreſſa fuiſſent, Papam movere potuiſſent ad denegandam gratiam, vitiatur coonceſſio gratiæ, ſed ob ea ſolùm, quæ de jure, vel ſtylo Curiæ ſunt exprimenda. Idque certum eſt, ſi crimen non reddat renunciantem indignum beneficio; tum enim non requiritur, ut fiat mentio crimininis, vel accuſatioois, aut inquiſitionis, ſicut etiam in impetratione tali caſu noo debet fieri menrio, Pariſ. cit. quæſt. 16. num. 27. 2. Criminoſus, antequam per ſententiam eſt privatus beneficio, peodente accuſatione, poteſt illud reſignare, etiam ex cauſa permutationis, Pariſ. cit. q. 16. n. 10. & ſeqq. Garc. c. l. o. 67. Palao c. l. o. 12. limitat rameo Garc. l. c. o. 69. & 70. niſi fortè obſtet infamia orta ex accuſatione apud bonos, & graves viros, ne poſſit ad aliud beneficiũ promoveri, & ſic permutare, vel niſi ob delictum commiſſum jure eſſet inhabilis ad beneficia obtineoda. 3. Crimjooſi poſſunt, antequam per ſententiam ſunt privati beneficijs, ea reſignare, non ſolùm per ſe, ſed etiam per procuratores, quos conſtituero poſſunt ad reſignandum beneficia: & oon tantùm coram Papâ, ſed etiam coram Ordinario, Pariſ. cit. q. 13. n. 43. & 44. quod tamen noo procedit io renunciatione facta à criminoſo in favorem alterius, poſtquam judicium ioceptum eſt, & teſtes recepti, ac concluſum in cauſa, ita, ut nihil reſtet, niſi ut ſententia feratur, quia talis renunciatio cenſetur eſſe doloſa: ſicut etiam oon poteſt criminoſus renunciare beneficio io favorem alicujus, poſtquam ſcivit, illud eſſe impetratum à tertio, cui jus ſaltem ad rem eſt quæſitum ad tale beneficium, vel qui impetravit à Sede Apoſtolica litteras ad beneficium proximè vacatorum, Pariſ. c. l. o. 46. 47. & 48. Quaranta io ſumma Bullarij V. Beneficiorum reſignatiooes. §. Quæſtio tamen eſt. 4. Poteſt criminoſus reſignare beneficium, etiam in favorem alicujus, quamvis alius illnd impetraverit in eventum privationis, & licèt renuncians ſciverit, illud eſſe impetratum à tertio, nec potuerit poſt renunciatiooem procedi ad privationem, quia renuncians jure ſuo utitur, ideóque oullam fraudem ceoſetur committere, neque impetrans habet jus jam quæſitum ad beneficium abſolutè, ſed ſolùm ſub conditiooe, poſito, quòd beoeficio privabitur, niſi ex alijs conjecturis fraus appareret, ut in c. 2. h. t. in 6. Garc. cit. c. 3. oum. 72. & n. 84. Palao c. l. n. 10. & 11. & alij apud ipſos contra Pariſ. cit. q. 16. n. 48. & Quaraotam in ſumma Bullarij V. Beneficiorum reſignationes §. Quæſtio tameo eſt: ubi ait: Si alius quiſpiam à Sede Apoſtolica impetravit beneficium, de cujus vacatione ſperatur, renunciatio irrita, aut ſubreptitia cenſenda erit. 5. Criminoſus poteſt renunciare beneficio, etiam in favorem alterius, poſtquam judicium eſt inceptum, & teſtes recepti, imò etiam io cauſa concluſum eſt, ita, ut nihil reſtet, niſi, ut ſeoteotia feratur, ut tenet Garc. cit. c. 3. o. 89. & 90. & alij apud ipſum. Sed contrarium eſt verius, quia talis renunciatio cenſetur eſſe doloſa, & malitioſa, per quod judicium eludi poſſet, Pariſ. cit. q. 16. num. 46. & 47. dicens, eam eſſe communem opinionem. Quaranta c. l.

XXVIII. Aſſertio 6. Clerici, qoi habeot jus ad rem duntaxat ad beneficium, poſſunt quidem illud reſignare ſimpliciter, & abſolutè, non autem in favorem alterius; Eſt communis ſententia DD. apud Pariſ. l. 2. q. 23. o. 2. & 3. Ratio eſt, qui cuique regulariter conceſſum eſt cedere jure ſuo, ſive renunciare juri ſibi competenri: non aurem poteſt qois reounciare beneficio, ut detur alteri, ſive cedere illud alteri, ac transferre in alium, in quo nondum jus in re, ſive canonicum titulum obtinuit. Et binc electi, præſeotati, aut nominati ad aliquod beoeficium, vel qui habent gratiam exſpectativam impetratam à Papa ad beneficium proximè vacaturum in aliqua Eccleſia, aliive, qui jus tantùm ad rem habent ad beneficia, faciliùs poſſunt, etiam poſt acceptationem, renunciate electioni de ſe factæ, vel præſentationi, in manibus eligentium, vel patrooi, c. Præſentia 6. h. t. Pariſ. c. l. n. 7. & n. 10. neque neceſſe eſt, ut renunciatio fiat in manibus Superioris, quia ſolùm dimittunt beneficium confereodum, ſive obtluendum, non collatum, ſeu obtentum, gl. in c. Si electio 26. V. renunciat. de elect. in 6. Patiſ. c. l. n. 17. quod propriè loqueodo, ſolùm reſiguari poteſt, ut cooſtat ex ſuprà dictis n. 10. Poteſt tamen quis reſignare beneficium ſibi collatum, etiam in favorem alterius, anre obtentam ejus poſſeſſionem, & antequam Bullæ, ſeu Litteræ ſuæ proviſionis fuerunt expeditæ, dummodo collatio ei facta ſit, quia per illam collationem jus in re illi competit, Gregor. Tholoſan. ſyotagm. juris univ. l. 17. c. 17. o. 16. Porrò ij, qui beneficia poſſident, tantummodo in commendam temporalem, vel tanquam Vicarij temporales, & ad outum Superioris amovibiles, poſſunt quidem cedere poſſeſſione, vel qualiquali jure ſuo, quod habeot in hujuſmodi beneficijs; ea tamen ceſſio non eſt renunciatio propriè dicta, quia cùm tales noo habeant plenum jus io beneficijs, quæ poſſident, ijſdem cedere, ſive illa in alium transferre noo poſſunt, ut patet ex n. 16.

XXIX. Hioc ſequitur, quòd etiam reſignatarins, ſive is, cui reſignatuio eſt beneficium, poteſt illud reſignare alteri, quia per reſignationem conſequitur plenum jus in beneficio, ideóque illud cedere poteſt alteri; eſt communis ſententia DD. apud Pariſ. l. 3. q. 9. n. 1. & 2. Idque procedit 1. etiamſi

litte-

litteræ nondum confectæ, ſeu expeditæ ſint, quia poſt ſignatam ſupplicationem, reſignatio eſt perfecta Pariſ. c. l. n. 4. 2. Procedit non ſolùm in primo reſignatario, ſed etiam in ſecundo, tertio, quarto, & cæteris: nam omnes poſſunt ſucceſſivè reſignare, quia omnes conſequuntur perfectum jus in beneficio, adeóque idem etiam jus reſignandi, Pariſ. c. l. n. 12. Hoc autem limitandum eſt 1. quòd reſignatio beneficij facta à reſignatario alteri non valeat, ſi nullum jus fuit translatum in illum à reſignante, quia ceſſionarius non poteſt transferre in alium jus, ſi à cedente nullum accepit, nemo enim date poteſt, quod non habet. V. g. ſi Clericus reſignet ſuum beneficium in favorem alicujus laici, & hic illud iterum in favorem alterius Clerici, iſte Clericus nullum jus conſequitur in beneficio ſibi reſignato à laico, qui nullum in eo habuit, nec habere potuit. Item ſi Vicarius Epiſcopi admiſit renunciationem beneficij à Titio Clerico factam; cùm nullum ad id mandatum haberet, & contulit Cajo, qui illud reſignavit coram Papa, in favorem Semptonij, iſte nullum jus in beneficio illo per talem reſignationem conſequitur, cùm reſignans Cajus nullum habuerit, quippe cùm renunciatio facta à Titio nulla fuerit, ob defectum poteſtatis illam admittentis, Pariſ. cit. loc. num. 13. & 14. 2. Limitatur, ſi beneficium alicui reſignatum ſit ſub conditione, & reſignatarius, non adimpletâ conditione, illud reſignet alteri, reſignatio poſterior eſt nulla, quia cùm prius reſignatarius conditionem non adimpleverit; non eſt ullum jus in eum translatum à primo reſignante, adeóque nec in alterum reſignando aliquod jus transferre potuit.

§. II.

An, & quomodo Clerici infirmi poßint beneficia reſignare?

XXX. Aſſertio 1. Clerici etiam in gravi infirmitate conſtituti Jure communi poſſunt reſignare beneficia, quæ obtinent, etiam in favorem alterius, Abb. in c. Lectæ 14. n. 2. h. t. Azor cit. c. 20. q. 5. & alij DD. communiter, quia ægris corpore, etſi morti vicinis, permittunt jura alios actus legitimos exercere, ut eſt, transigere, l. Sanum 27. C. de tranſact. condere teſtamentum, l. Senium 3. C. qui teſtam. facere poſſ. contrahere matrimonium, etiam in mortis articulo, Jo. Andr. in reg. Sinè culpa 23. in 6. & alij communiter. & his ſimilia, ergo etiam permiſſum eſt illis renunciare beneficijs ſuis. Idémque de ſenibus, qui & ipſi reſignare poſſunt, quia infirmis accenſentur, Pariſ. cit. l. 3. q. 17. n. 1. & alij cōmuniter. Verùm ſecundùm Regulam XVIII. Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ eſt Innocentij VIII. & deſumpta ex c. 2. h. t. in 6. vel potiùs ex c. Plerique 5. cauſ. 8. q. 1. ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit aliquod beneficium, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis (vel aliàs dimiſerit, aut illius commendæ ceſſerit, ſeu ipſius beneficij unionis diſſolutioni conſenſerit, etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignatæ, quod eſt additum à poſterioribus Pontificibus, à quibus hæc regula aucta eſt) & poſtea infra 20. dies (à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſûs computandos) de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium (quavis auctoritate) conferatur, per reſignationem ſic factam, collatio hujuſmodi nulla ſit, ipſúmque beneficium per obitum vacare cenſeatur. Idque ſtatutum eſt, tum ad vitandas fraudes, ne ſcilicet propter has procuratas renunciationes, Ordinarij à collatione, & exſpectantes, vel nominati à ſuis juribus excludantur: tum ne de beneficijs diſponatur per viam ſucceſſionis, ſeu per modum ultimæ voluntatis, ſicut de hæreditate, ſeu bonis patrimonialibus, & profanis, ſub velamine, & prætextu renunciationis, Rebuff. in praxi, in regula de infirmis beneficia reſignantibus in gl. 1. n. 2. Pariſ. l. 12. de reſign. benefic. q. 1. n. 2. & 17. & ſeqq. cùm hujuſmodi ſucceſſio in Eccleſia Dei ſit odioſa, & damnata, c. 1. de præbend. c. Ad extirpandas 11. c. Cùm decorem 15. & c. ſeq. de filijs Presbyt.

XXXI. Aſſertio 2. Prædicta regula habet locum, 1. In omnibus beneficijs Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, ſimplicibus, vel curatis, etiam dignitatibus, quia nomine beneficij generaliter, & indiſtinctè accepti omnia beneficia comprehenduntur, Rebuff. in praxi in gl. 5. hujus regulæ, gl. in reg. 1. jur. in 6. Pariſ. l. 12. q. 3. n. 1. & ſeqq. & alij communiter. Et hinc etiam habet locum in beneficijs juris patronatûs, quia collatio accipitur hìc generaliter, non tantùm pro libera collatione, ſed etiam pro inſtitutione, prævià præſentatione, factâ, & quavis alia proviſione, prout reſolutum fuit in Rota, teſte Pariſ. c. l. n. 22. Azor p. 2. l. 7. c. 28. q. 6. Quare ſi fiat renunciatio beneficij patronati, coram Ordinario, vel Papa, & reſignans moriatur infra 20. dies, beneficium vacat, non per reſignationem, ſed per obitum; & patronus poteſt iterum præſentare, non obſtante renunciatione; quippe quæ invalida fuit, ideóque nullum præſtat impedimentum, Pariſ. c. l. n. 22. & ſeqq. & Azor c. l. Similiter ſub hac regula comprehenduntur omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, & alij Prælati, & Abbates, imò & Cardinales reſignantes ſuas dignitates, vel beneficia; quia cùm hæc diſpoſitio generaliter loquatur, & animæ ſalutem, ac bonum publicum concernat, & emanâtit ad obviandum fraudibus, ideo omnes comprehendit, Rebuff. in gl. 1. n. 4. & 5. Pariſ. cit. l. 12. q. 4. num. 1. & ſeqq. etiam fœminas, ut Abbatiſſas reſignantes; quia eadem quoad hoc eſt ratio in fœminis, quæ in viris, Rebuff. c. l. n. 1. Pariſ. cit. q. 4. n. 24. & ſeqq. & alij DD. communiter.

XXXII. Secundò. Hæc regula locum habet etiam in renunciationibus, quæ fiunt extra Curiam Romanam, coram Ordinarijs, vel Legatis Sedis Apoſtolicæ, quia omnis renunciatio, tempore infirmitatis facta, præſumitur fraudulenta, & habet ſpeciem ſucceſſionis in beneficijs, ideóque etiam in iſtis renunciationibus eadem ratio militat; Pariſ. cit. l. 12. q. 5. n. 8. & ſeqq. & alij DD. communiter. Quare ſi Canonicus infirmus reſignet Canonicatum in menſe Capitulari, & poſtea intra 20. dies in menſe Papali, ſive Papæ reſervato decedat, illud beneficium cenſebitur vacare, non per reſignationem, ſed per obitum reſignantis, adeóque collatio ad S. Pontificem pertinebit. Item ſub hac regula comprehenduntur etiam renunciationes, quæ fiunt cum reſervatio-

vatione omnium fructuum, vel eorum parte, aut ex cauſa permutationis, ita, ut, ſi reſignans, permutando beneficium cum alio, ante dies 20. moriatur, beneficium vacet per obitum permutantis, ut conſtat ex verbis regulæ, ibi: *ſive ſimpliciter, ſive ex causâ permutationis, vel aliàs dimiſerit*. Rebuff. ibid. in gl. 4. n. 1. Pariſ. c. l. n. 15. & alij omnes. Idque procedit, ſive permutentur beneficia æqualia, ſive inæqualia, ut, ſi infirmus permutet beneficium pingue cum conſanguineo ſuo, ſeu amico ei dante tenue; nam regula indiſtinctè, & indefinitè loquitur de reſignatione factâ ex cauſa permutationis, & ratio eadem in utriſque militat, ne beneficia ſint quaſi hæreditaria: & licèt, quando beneficia ſunt æqualia, ceſſet præſumptio fraudis, altera tamen ratio, nempe ſucceſſio in beneficijs non ceſſat: at, quando plures ſunt rationes æquè principales, unâ ceſſante, non ceſſat diſpoſitio, Rebuff. c. l. n. 5. & 6. Pariſ. n. 20. & ſeqq. Neque verò diſpoſitio prædictæ Regulæ Cancellariæ cenſeri debet eſſe odioſa, ideòque non extendi: nam potiùs favorabilis eſt, quia juri conformis eſt, & introducta ad fraudes evitandas, & ob bonum publicum, Rebuff. c. l. n. 9. arg. §. Affinitatis Inſtitut. de nupt. Similiter renunciatio beneficij conceſſi in commendam continetur ſub hac regula: ſive fuerit commenda perpetua, ſive temporalis, & ſive dicatur hæc eſſe reſignatio vera, ſive ſolùm dimiſſio, beneficium, poſt mortem infra 20. dies, vacabit per mortem, non per ceſſionem commendæ, quia etiam hic viget eadem ratio, cùm habentes Commendas diſponant de fructibus beneficij, ut conſtat ex verbis regulæ, ibi: *aut illius commendæ ceſſerit*, Rebuff. ibid. in gl. 7. Pariſ. c. l. n. 31. Denique hæc regula includit etiam beneficia unita, ſive unum beneficium alteri uniatur, ad vitam alicujus, ut habere plura beneficia poſſit, quæ aliàs habere non poſſet: ſive quis beneficium dimittat, ut alicui loco pio annectatur, ſi enim poſtea intra 20. dies deceſſerit, beneficium per obitum vacat, ut patet ex verbis regulæ ibi: *ſeu ipſius beneficij unionis diſſolutioni conſenſerit*, Rebuff. in gl. 8. Pariſ. cit. q. 3. num. 48. & ſeqq. Azor cit. c. 28. quæſt. 6.

XXXIII. Tertiò. Ut locum habeat hæc regula, requiritur, ut quis reſignaverit beneficium, nam ſi reſignare tantùm promiſerit, vel ad reſignandum procuratorem conſtituerit, id haud ſufficit, ſed neceſſe eſt, quòd conſenſus ipſius reſignantis, vel ſui procuratoris, in loco, ubi fit reſignatio, interveniat, & quòd ejuſmodi reſignatio à Superiore, coram quo fit, ſit admiſſa, Rebuff. ſuper hac regula in gl. 3. & 11. Chokier in Comment. in reg. Cancellariæ in reg. 18. n. 14. Deinde olim requirebatur, ut reſignans eſſet infirmus; nam, ſi eſſet ſanus, tempore reſignationis, etiamſi poſtea facto quodam, vel caſu inopinato moreretur intra 20. dies, beneficium non per obitum, ſed per reſignationem vacavit, quia reſignans non erat in infirmitate conſtitutus; nam qualitas requiſita omni tempore debet concurrere in principio, & fine, Rebuff. c. l. in gl. 2. n. 2. Pariſ. cit. l. 12. q. 6. n. 1. & 2. arg. c. de his 4. de ſepult. Verùm per poſteriores Pontifices additum eſt, ut quomodocunque, ſive graviter, ſive leviter, & quandocunque quis ſit infirmus, imò etiamſi non ſit infirmus, attamen ſi poſt conſenſum in reſignationem per ſe, vel per procuratorem præſtitum, & poſt reſignationem admiſſam, moriatur infra 20. dies, locus ſit huic regulæ, ita, ut beneficium vacet, non per reſignationem, ſed per obitum, quamvìs ab initio eſſet ſanus, ut patet ex verbis regulæ ibi: *etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignatæ*, Pariſ. c. l. n. 5. Azor cit. c. 28. q. 3. Chokier c. l. n. 15. Eſt autem additio hæc, & extenſio facta, quia ita neceſſarium fuit, ob fraudes, quæ aliàs fieri poſſent, ut huic regulæ nunquam eſſet locus: nam beneficiarij procurarent, ut ſignarentur ſupplicationes reſignationis, quas penes ſe tenerent, & poſtea conſtituti in infirmitate præſtarent conſenſum, & ſic eluderetur regula, quia dicerent, ſe adhuc ſanos reſignâſſe, Pariſ. c. l. Non autem habet locum hæc regula in morte civili, ut, ſi quis reſignavit, & intra 20. dies à conſenſu præſtito, uxorem ducat, tum non vacabit beneficium, ob contractum matrimonium, ſed per reſignationem, quia diſpoſitio loquens de morte, intelligi debet de naturali, nec extendi ad civilem, Rebuff. c. l. in gl. 11. & 12. num. 17. & 18. Chokier c. l. n. 16. Sic quoque, ſi quis non renunciavit beneficio, ſed eſt eo privatus per ſententiam Judicis, & beneficium eſt in alterum collatum, & poſtea moriatur intra 20. dies, non habet locum regula, neque vacat beneficium per obitum ipſius, neque per reſignationem, quia vacatio per reſignationem differt ab ea, quæ fit per privationem, c. Suſceptum 6. de reſcript. in 6. Si tamen is, qui conjectus eſt in carcerem privandus, ob crimen, beneficio, ei renunciet, & poſtea moriatur intra 20. dies, tum vacabit, non per renunciationem beneficij, ſed per obitum, & locum habebit regula, Rebuff. c. l. n. 20. Pariſ. cit. q. 6. n. 29. & 30. Azor c. l. q. 3.

XXXIV. Quartò. Ut regula hæc locum habeat, requiritur, ut reſignans moriatur intra 20. dies, ſi enim poſtea v. g. 21. die decedat, valebit reſignatio, nec cenſebitur vacare beneficium per mortem illius reſignantis, Rebuff. in reg. in gl. 9. Accipitur autem hic dies pro die naturali 24. horarum, Rebuff. c. l. & ipſi dies 20. incipiunt currere, & computari à die præſtiti conſensûs à reſignante, prout habetur in ipſa regula, Rebuff. ibid. in gl. 10. n. 1. quia tunc perficitur reſignatio, antea enim poteſt reſignans pœnitere: nam in reſignatione, quæ fit coram S. Pontifice, non ſufficit, quòd ſupplicatio fuerit Papæ præſentata, & per eum admiſſa, ſive ſignata, ſed requiritur etiam, ut conſenſus per principalem reſignantem, ſi præſens ſit, vel per procuratorem ſuum ad hoc ſpecialiter conſtitutum, ſit expreſsè præſtitus in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica, ante quem conſenſum reſignatio non eſt omnino perfecta, ideòque cùm res ſit adhuc integra, reſignans poteſt pœnitere, quamvìs aliud ſit in renunciatione, quæ fit coram Ordinarijs, Pariſ. cit. lib. 12. quæſt. 8. num. 4. & lib. 1. quæſt. 12. num. 1. & ſeqq. de quo infrà.

Porrò dies præſtiti conſensûs computatur in termino 20. dierum, quia currit de momento ad momentum, & dies termini computatur in termino, quando ejus intereſt, cui ſtatuitur terminus, ſicuti in propoſito terminus 20. dierum præfixus eſt reſignanti, cujus intereſt, ut dies præſtiti conſensûs computetur in termino, quia eò citiùs exſpirabit termi-

Digitized by Google

terminus 20. dierum, quo elapſo, valida eſt reſignatio. Rota Rom. apud Pariſ. cit. quæſt. 8. num. 25. & ſeqq. Quamvis contrarium etiam valdè probabile ſit, quòd illa dies, quâ præſtatur conſenſus, non ſit computandus in numero 20. dierum, quia regulariter terminus temporis non computatur in tempore. l. Eum, qui 41. §. Planè. ff. de verb. oblig. præſertim in odioſis, & pœnalibus; regula autem hæc inducta eſt ad vitandas fraudes reſignantium, ne beneficia fiant quaſi hereditaria, & terminus iſte præfigitur per præpoſitionem A. quæ ſuâpte naturâ excludit terminum à quo. Rebuff. cit. loc. in gloſſ. 10. num. 9. Chokier cit. loc. num. 39. & alij. Illud magis certum eſt, quòd dies, quo reſignans moritur; inchoatus non ſit habendus pro completo, quia licèt aliàs in favorabilibus dies cœpta habeatur pro completa; id tamen ſolùm procedit; quando tempus eſt deſignatum per annos; tunc enim ultima dies ultimi anni, ſtatim ac cœpta eſt, habetur pro completa: at in caſu præſenti; cùm tempus deſignetur; non per annos, ſed per dies, ultima dies cœpta haberi non debet pro completa, quia ſicut in termino plurium annorum, ultimus annus inceptus non habetur pro completo. l. Non putabam. 45. ff. De condit. & demonſtrat. ita etiam in termino plurium dierum ultima dies cœpta non debet haberi pro completa: ac proinde ſi reſignans moriatur die vigeſimo nondum completo poſt reſignationem; locum habet regula, & beneficium vacat, non per reſignationem, ſed per obitum. Pariſ. cit. quæſt. 8. num. 23. & ſeqq. & eſt communis opinio.

XXXV. 5. Regula hæc locum habet, ſive beneficium reſignatum per Papam; ſive per Legatum Papæ, aut Cardinalem, ſive per Ordinarium, ut Epiſcopum, vel etiam Capitulum; vel quâcunque aliâ auctoritate ſit collatum alteri per reſignationem: nam ſi poſteà reſignans ante 20. dies moriatur, collatio eſt nulla; & poterit Ordinarius collator illud beneficium alteri conferre; quia de novo vacat per obitum reſignantis, vi huius regulæ: quotieſcunque autem vacat beneficium, Ordinarius poteſt illud conferre; ſive vacet per reſignationem; ſive per obitum; ſive alio modo; ut conſtat ex cit. reg. ibi; *quavis auctoritate &c.* Rebuff. in gloſſ. 2. num. 3. & ſeqq. & in gloſſ. 13. & 14. num. 1. Pariſ. cit. loc. quæſt. 13. num. 1. Neque prima collatio poteſt impedire ſecundam; cùm prima; poſt ſecutam mortem reſignantis infra 20. dies; fuerit nulla: quod autem nullum eſt, nullum producit effectum; juxta regulam juris 52. in 6. Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. Atque hæc procedunt; ſi beneficia reſignata ſint extra Curiam; coram locorum Ordinariis ſimpliciter, vel etiam coram Legato Papæ: tunc enim ſuperveniente morte intra dies 20. Ordinarij locorum poſſunt illa licitè denuò conferre; quia licèt hæc regula reſignationem irritam reddat, non tamen adimit jus, & poteſtatem Ordinariis ea ſimpliciter conferendi. At verò, ſi quis reſignet beneficium in favorem alterius in Curia, coram Papâ, & poſtea moriatur intra 20. dies, beneficium eſt ipſi Papæ reſervatum, ita, ut Ordinarius non poſſit de eo providere. Rebuff. in gloſſ. 14. n. 5. Pariſ. cit. loc. quæſt. 10. num. 4. & ſeqq. & num. 12. & ſeqq. Azor cit. cap. 28. quæſt. 9. Quia per reſignationem factam in Curia Romana; beneficium ibi vacat; beneficia verò in Curia vacantia ſunt Romano Pontifici reſervata. cap. 2. de præbend. in 6.

§. III.

Qui reſignare beneficia non poſſunt, & quibus poſſint reſignari?

XXXVI. Aſſertio 1. Inprimis illi Clerici, qui ob crimen ipſo jure privati ſunt beneficiis ſuis; non poſſunt illa reſignare, etiamſi non præceſſerit ſententia judicialis declaratoria criminis; quia etſi beneficia retinere, ac poſſidere interim poſſint; donec per ſententiam judicis eorum crimina declarentur, jus tamen, ac titulum beneficij; quamprimùm crimen commiſerunt, ipſo facto perdiderunt; adeóque cùm nullum jus ampliùs habeant in beneficio; ſed nudam poſſeſſionem; non poſſunt illud reſignare, aut transferre in alium. Azor p. 2. l. 7. cap. 20. quæſt. 8. Pariſ. l. 3. de reſignat. benefic. quæſt. 1. num. 1. & 10. Idem dicendum eſt de privato beneficiis per ſententiam Judicis; quæ tranſiit in rem judicatam; per quam beneficium vacat; & privatus jus, ac titulum beneficij perdit; adeóque reſignare illud ampliùs non poteſt: quamvis ante executionem ſententiæ non amittat poſſeſſionem beneficij. Garc. p. 11. c. 3. n. 125. & 2. ſeqq.

2. Intruſi, & alij ſimiles non habentes canonicum titulum; non poſſunt reſignare beneficia, quæ detinent; cùm nullum jus ad illa habeant; etiamſi diu pacificè illa poſſederint: longa enim detentio beneficij non juſtificat titulum aliàs invalidum. cap. Dilecto 25. de præbend. & reg. jur. 3. in 6.

3. Neque ij, qui ad ſecundum beneficium cum priore incompatibile promoti ſunt; prius reſignare poſſunt; quia per adeptionem ſecundi beneficij, ipſo jure vacat primum. c. De multa 28. de præbend. Concil. Trident. Seſſ. 7. cap. 4. de reform. Hinc v. g. promotus ad dignitatem Cardinalatûs; poſt poſſeſſionis adeptionem; non poteſt reſignare dignitates, & beneficia curata; quæ priùs obtinebat, quia vacant ipſo jure, neque promotus ad Epiſcopatum poteſt reſignare quodcunque beneficium, quod obtinebat ante promotionem, quia vacat ipſo jure. c. Cùm in cunctis 7. §. Cùm verò de elect. Neque habens perſonatum, aut dignitatem Eccleſiaſticam, v. g. Præpoſituram, vel Decanatum, ſi obtineat pacificam poſſeſſionem alterius, poteſt reſignare priorem; neque habens beneficium curatum; ut parochiam, poteſt reſignare primum, neque obtinens Canonicatum; vel aliud beneficium etiam ſimplex in aliqua Eccleſia, ſi alium Canonicatum, vel beneficium ſimplex obtineat in eadem Eccleſia, poteſt reſignare primum, quia vacat ipſo jure per adeptionem ſecundi, priore retento, cùm duo beneficia, etiam ſimplicia uniformia; ſint inter ſe incompatibilia in

eâdem Eccleſiâ. Pariſ. cit. l.num.65.& multis ſeqq.

XXXVII. Aſſertio 2. Præterea Clerici meote capti, & furioſi non poſſunt reſignare beneficia, quæobtinent, ſicut nec permutare. Eſt communis ſententia DD. apud Pariſ. l. 3. de reſignat. benefic. quæſt. 8. num. 1. & ſeqq. Ratio eſt, quia cùm careant judicio rationis, ſicut non poſſunt alienare, vendere, donare, & alios actus legitimos exercere; ita neque renunciare, ideóque reſignatio per tales facta eſt nulla: & ſi redierint ad ſanitatem, poterunt repetere beneficia reſignata in futore, vel amentia. Pariſ. cit. loc. num. 7. & 8. Si tamen lucida intervalla habeant, renunclatio beneficij facta eo tempore reoet, quia ceſſat impedimeotum furoris, vel ameotiæ. Pariſ. cit. loc. num. 9. arg. c.Cùm ceſſante 60. de appellat. Quòd ſi Epiſcopus, vel Rector Eccleſiæ ameus, vel furioſus ad ſanam mentem nunquam redierit, alins eligendus, vel conſtituendus eſt, cui cura Eccleſiæ committatur, ne ex vacatione Eccleſia detrimentum patiatur. cap.Quamvìs triſte 14. cauſ. 7.q. 1.Pariſ.c.l.n.8.

XXXVIII. Aſſertio 3. Beneficia Eccleſiaſtica reſignari poſſunt omnibus Clericis, modò ſint idonei, ex communi ſententia apud Pariſ. l. 4. quæſt. 1. num. 1. & ſeqq. id eſt, præditi maturitate ætatis, morum gravitate, & litterarum ſcientiâ, c. Cùm in cunctis 7. in princip. de elect. & alias qualitates habeant, quas beneficium ipſum requirit ſecundùm Canones; alioquin verò renunciatio beoeficij facta non idoneo oulla eſt, adeò quidem, ut etſi reſigoatarius poſtea idoneus efficiatur, renuuciatio ab ioitio invalida per ſupervenientem habilitatem non convalidetur; ac proinde reſignatarius, poſtquam habilis factus eſt, non poteſt beneficium reſignatum conſequi, ſed novo conſeoſu, & proviſione opus eſt. Pariſ. cit.loc. n. 5. & ſeqq. Unde etiam reſignatio beneficij, facta in favorem laici nulla eſt; quia laicus incapax eſt rerum ſpiritualium. Pariſ. cit. l. 4. quæſt. 2. n. 1. arg. cap. 2. de inſtitut. Poſſunt tamen reſignari beneficia ſenibus, & infirmis; niſi infirmitas ſit longo tempore duratura, & beneficium requirat eam curam, ut infirmus non poſſit ei ſatisfacere, Pariſ. cit. l.4.quæſt.8. num.1. & 2. Et univerſim loquendo, regulariter quibus beneficia conferri poſſunt, iiſdem etiam reſignari poſſunt, & vice verſa, quibus non poſſunt conferri, nec reſignari poſſunt.

SECTIO IV.

DE CAUSIS, OB QUAS RENUNCIATIONES beneficiorum validè & licitè fieri poſſunt.

XXXIX. Præmittendum inprimis, ad renunciatiooem beneficij requiri juſtam, & legitimam cauſam: nam, cùm ob utilitatem permiſſum ſit renuociare beneficiis, ideo non eſt licitum, ut quiſque pro ſuo arbitratu poſſit relinquere, ſeu dimittere beneficium, quia talis libertas in maximum detrimentum Eccleſiæ cederet, ſed oon niſi ex juſtis cauſis poſſunt ac debent reſignari beneficia. Deinde cùm beneficia Clericis ſemel in titulum collata, ſinè juſta & gravi cauſa auferri ipſis non poſſint, æquum eſt, ut neque ipſi eadem beneficia, ſioe juſta cauſa, dimittere valeant. Qualis autem cauſa ſit juſta, & ſufficiens ad renunciationem concedendam, in genere defioiri non poteſt, cùm difficiliùs admittenda ſit renuociatio Epiſcoporum, ob ſpirituale matrimonium, quod cum Eccleſia ſua contraxerunt, ideóque gravior etiam cauſa requiratur ad permittendam renuuciationem illorum, quàm ioferiorum Clericorum, reſtat igitur; nt de his nonnihil in ſpecie dicamus.

§ I.

Ex quibus cauſis Epiſcopus poſſit, aut debeat Epiſcopatui renuntiare.

XL. Sex cauſæ Jure Canonico ſunt expreſſæ, ob quas Epiſcopus, poſtquam confirmatus eſt, cedendi licentiam poteſt poſtulare, vel etiam debet: videlicet conſcieotia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grave ſcandalum populi, & irregularitas perſonæ. ſed in his omnibus adhibenda eſt cautela, prout habetur in cap.Niſi cùm pridem. 10. §. Intueri h. t. & rum demum una ex his cauſis ſufficiens cenſenda eſt ad concedendam renunciationem, ſi omnibus ſpectatis, utilitas Eccleſiæ ſuadeat ceſſiooem, ſive reſignationem, eâque utilius remedium Eccleſiæ adhiberi non poſſit. Laym. in qq. Canonicis de Prælat. Eccleſiaſt. elect. quæſt. 120. quæ tamen omnes geoeratim ad duas præcipuas revocari poſſunt, videlicet ad utilitatem Eccleſiarum, quibus præſunt, & ſalutem propriam, c.Quidam, 12.h.t. Barboſ.l.3.Juris Eccleſ.c.15.n.89.

XLI. Aſſertio 1. Prima cauſa, ob quam Epiſcopus, non tantùm volens liberè, ac licitè poteſt, ſed etiam invitus cogi poteſt ad reouunciandum, eſt cooſcientia criminis, non cuiuſcunque (ſed talis duntaxat, propter quod executio officij, etiam poſt peractam pœnitentiam, impeditur) quia ſi omnes, quos arguit conſcientia cuiuslibet culpæ, cedereot, pauci, vel nulli in illo miniſterio remanereut, cit. cap. Niſi cùm pridem. §. Propter conſcientiam, ubi in textu dicitur *forſitan* non cuiuslibet, & dictio *forſitan* non ponitur dubitativè, ſed affirmativè, ut verba ſequentia innuunt, gl. ibid. V. forſitan: res enim penè contra naturam eſt, ut aliquis ſit ſine peccato, & nemo ſioe crimine vivit. Gloſſ. in cit. cap. V. Pauci. & Abb. ibid. num. 3.

XLII. Porrò talia crimina, quæ executionem officij, etiam poſt peractam pœnitentiam, impediunt, inprimis ſunt ea, propter quæ titulus Epiſcopatûs redditus eſt irritus, nt ſi quis per ſimoniacam electiooem, vel inſtitutionem promotus ſit ad Epiſcopatum, vel cum impedimeoto excommunicatioois, ſuſpenſionis, vel irregularitatis. Et tunc quidem, ſi eiuſmodi crimen, vel defectus tituli notorius ſit, poteſt cedere Epiſcopatu, etiam abſque licentia Papæ, quia cùm titulum non habeat,

non

non eſt neceſſaria licentia Papæ ad diſſolvendum vinculum, gloſſ. in cit. cap. Niſi cùm pridem, V. Sed duntaxat; & Abb. ibid. num. 5. Laym. in qq. Canonic. de Prælat. Eccleſ. elect. quæſt. 174. Si verò crimen, ſive defectus tituli occultus manſit, tunc reſignare debet in manibus Papæ, ad vitandum ſcandalum, quia quoad communem opinionem habuit titulum, vel ab eodem petere, ut titulus revalidetur, per novam ſcilicet legitimam inſtitutionem, gloſſ. in cit. cap. Niſi. V. eod. Laym. cit. loc.

Non eſt autem improbabile, quòd ſi is, qui occultè fuit excommunicatus, ſuſpenſus aut irregularis, electus ſit, vel inſtitutus, ſublato poſtea impedimento, per eum, qui poteſtatem abſolvendi, vel diſpenſandi habet, eo ipſo titulus reconvaleſcat, ita, ut abſque nova electione, vel inſtitutione, licitè poſſit retinere beneficium. Sanch. l. 8. de matrimon. diſp. 7. n. 12. Laym. cit. l. Quamvis quando ob crimen titulus invalidus fuit, non ſit propriè dicta renunciatio, ut patet ex ſupradictis, num. 36.

2. Talia ſunt crimina, propter quæ Epiſcopus canonicè inſtitutus incurrit pœnam depoſitionis, vel ſuſpenſionis in perpetuum, ſine ulla ſpe reſtitutionis: cujuſmodi eſt crimen Sodomiæ, juxta Conſtitutionem Pjj V. quæ incipit. Cùm primùm Apoſtolatus; Laym. c. l. Si tamen eiuſmodi crimina occulta ſint, ideóque infamiam annexam non habeant, poterit Epiſcopus abſolvi à proprio ſuo Confeſſario, juxta Concilium Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. junctâ declaratione Cardinalium Concilij ibid.]

3. Talia quoque ſunt illa crimina, quibus ipſo jure infamia annexa eſt, ſive inflicta ab ipſa lege, ſeu Canone; quale crimen eſt, ſi quis Eccleſiæ Romanæ Cardinalem hoſtiliter perſequatur, cap. ult. de pœnis in 6. Aliud eſt, ſi Epiſcopus incurrat crimen, cui ſolùm annexa eſt infamia facti, per quam læditur graviter exiſtimatio hominis apud viros prudentes, quale v. g. eſt crimen inceſtûs, adulterij &c. Nam hæc infamia per pœnitentiam, & publicam vitæ emendationem aboleri poteſt, ideóque per illam non privatur quis dignitate acquiſita, ante depoſitionem, & ſententiam condemnatoriam Judicis, ac proinde neque reſignare cogitur, gloſſ. in cit. cap. Niſi V. Duntaxat; in fine. Laym. cit. q. 174. & l. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 5.

XLIII. Aſſertio 2. Secunda cauſa legitima, ob quam Epiſcopo licentia cedendi Epiſcopatu concedi poteſt, eſt debilitas corporis, ſive ea ex in- » firmitate, ſive ex ſenectute procedat, non ta- » men omnis, ſed illa ſolùm, per quam impotens » redditur ad exequendum officium paſtorale. Ita » habetur in cit. cap. Niſi cùm pridem. §. Alia ve- » rò; h. t. Talis enim morbus dicitur Sonticus, qui cuique rei agendæ impedimento eſt, l. Morbus 113. ff. de V. S. gloſſ. in cit. §. V. Impotens. Non » autem quilibet morbus ſufficiens cauſa eſt reſi- » gnandi, nam ſi pro qualibet corporali debilita- » te ſuſceptæ ſervitutis officium poſſet deſeri, fru- » ſtrà ſe fateretur Apoſtolus in ſuis infirmitati- » bus gloriari, 2. Corinth. 12. Cùm interdum non plus hortetur ſenilis debilitas aliquem cedere, » quàm moralis maturitas, quæ in ſenibus eſſe ſolet, » ipſum in ſuo ſuadet officio permanere; & quia » nonnunquam infirmitas corporis fortitudinem » cordis, ſeu animi auget, juxta illud Apoſtoli 2. » Corinth. 12. *Cùm infirmor, tunc fortior ſum*, cit. §. A- » lia verò. »

XLIV. Et hinc etſi Epiſcopus petat à Sede Apoſtolica licentiam renunciandi Epiſcopatui, prætendens ſenectutem; ſi tamen adhuc neceſſarius, vel utilis Eccleſiæ exiſtat, renunciatio illius non eſt admittenda, ut conſtat ex cap. 1. b. t. Nam » cùm Archiepiſcopus Londonenſis ſæpe licentiam » renunciandi Archiepiſcopatui à Sede Apoſtolica » petiiſſet, prætendens ſenectutem, & debilitatem » corporis, ob quam ad onera Eccleſiæ ferenda » inſufficiens eſſet, ad id Papa Alexander III. re- » ſpondit, exiſtimare ſe conſultius eſſe, ut eo tem- » pore, Eccleſia ipſi commiſſa, ſub umbra ſui no- » minis, eiuſdémque auctoritate, gubernetur, quàm, » ut alij novo & incognito Paſtori gubernanda in » tanto diſcrimine committatur: maximè, quia » quandoque corporis viribus deficientibus, vigor » fidei, & devotionis non deficit, ſed fervor ſpiri- » tûs tantò magis augetur, & in ſublimiora conſcen- » dit. Quare monet Archiepiſcopum, ne liberatio- » nem petendo, Sedi Apoſtolicæ moleſtus ſit, quia » non decet in ipſis periculis belli cingulum mili- » tiæ deponere, ante obtentam victoriam ab hoſti- » bus, & pacem reſtitutam. »

Ex quo colligitur, quòd non qualibet ſenectus, vel corporis debilitas ſit ſufficiens, & legitima cauſa petendi licentiam cedendi, ſeu renunciandi Epiſcopatui: ſed ea ſolùm, per quam Epiſcopus redditur omnino inhabilis, & impotens ad executionem, & adminiſtrationem officij paſtoralis, gl. in cit. cap. 1. V. ſenectutem, & ibid. Abb. not. 6. h. t. Quòd ſi verò tanta ſit corporis debilitas, ſive ex ſenectute, ſive ex morbo proveniat, ut inhabilem faciat ad regimen Epiſcopale, tum ſufficiens eſt cauſa ad petendam renunciationem, etiamſi ex propria culpa Epiſcopi proveniſſet, dummodo illum pœniteat, Hoſtienſ. in cit. c. Niſi cùm pridem. §. Alia verò. V. Infirmitas b. t.

XLV. Cæterùm, quæ ſit infirmitas, quæve ſenectus juſtam cauſam præbens renunciandi, & quæ inhabilem reddat ad regimen Epiſcopatûs, id relinquendum eſt Judicis, ſive Superioris arbitrio determinandum, Pariſ. l. 5. quæſt. 3. & n. 32. & 46. quia in tanta ſenectutis, & morborum varietate, in genere nihil certi ſtatui poteſt. Ob podagram verò ſæpiùs denegatam eſſe Epiſcopis licentiam cedendi à S. Cõgregatione rerum Conſiſtorialium, teſtatur Fagnan. in cit. c. Niſi cùm pridem, n. 51. b. t. Itaque ſi infirmi, vel ſenes Epiſcopi, ob morbum, vel ſenectutem parùm utiles ſint Eccleſiæ, ideóque ſua ſponte veline renunciare, admitti poteſt eorum renunciatio, & quandoque propter Eccleſiæ utilitatem admitti debet, ita, ut congrua portio ad vitam ſuſtentandam ex reditibus eiuſdem Eccleſiæ illis aſſignetur, cap. Quamvis 14. cauſ. 7. quæſt. 1. Non tamen cogendi ſunt ad reſignandum Epiſcopatum, tametſi morbus gravis ſit, & incurabilis, vel ætas decrepita; & ſive infirmitas, vel ſenectus eos reddat inhabiles ad

ad adminiſtrandum temporalia, ſive ſpiritualia, ſed tum Vicarius, ſeu Coadjutor illis adjongendus eſt, qui ex reditibus Epiſcopalibos certâ portiooe detractà, alatur, c. Ex parte 5. de Cleric. ægrot. & ſumitur ex can. 1. 2. 3. 4. 13. & 14. cit. cauſ. 7. q. 1. Quia infirmus, vel ſenex non eſt impotens ad adminiſtrationem ex ſua culpa, ſed ex curſu naturæ, ideóqne invitus cogi non debet cedere, nec afflicto afflictio eſt addenda, cit. c. Ex parte; & inhumanum videtur, ut is, qui vitam viréſque ſuas curis, ac laboribus Eccleſiæ impendit, ab eadem in infirmitate, vel ſenectote repellatur; & omnino injuſtum eſt, ut ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo privetur ægrotus, c. 1. cit. cauſ. & q. Innocent. in cit. c. Niſi, n. 4. & Abb. ibid. n. 9. Papa tamen, ſi ita commodum Eccleſiæ exigeret, poſſet Epiſcopos infirmos, & ſeoes cogere ad renunciandum, quia in beneficialibus liberam habet, & abſolutam poteſtatem diſponendi ex cauſa gravi, Pariſ. c. l. n. 45. & 66. & alij DD. communiter. Atque hæc, quæ jam dicta ſunt, ferè etiam locum habent in aliis Eccleſiarum Prælatis, Laym. de elect. Prælat. q. 173.

XLVI. Aſſertio 3. Tertia cauſa cedendi Epiſcopatu eſt defectus ſcientiæ, ea enim tum ad ſpiritualium adminiſtrationem potiſſimùm neceſſaria eſt, tum ad curam temporalium opportuna, ac proinde Præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere in utriſqoe, rectè ei reounciat, ſi ſcientiam, quâ ipſam regat, ignoret. Ita habetur in cit. c. Niſi. §. Pro defectu h. t. ubi additur ex c. 4. Oſee. Tu enim, inquit Domious, ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris: nam cùm Epiſcopus in his alios docere debeat, ideo aliorum doctrinâ indigere non debet, ſed ſcientia rerum ſpiritualium, & temporalium ei oeceſſaria eſt, c. Coovenientibus 4. cauſ. 1. quæſt. 7. gl. io cit. §. V. Temporalium. Additur in cit. c. Niſi; §. Pro defectu, tametſi ſcientia eminens in Paſtore deſideranda ſit: ſufficit tamen, & in eo toleranda eſt ſcientia competens, ſive mediocris; quia, ut ait Apoſtolus, 1. Cor. 7. *Scientia inflat, charitas autem ædificat*; ideóque imperfectum ſcientiæ ſupplere poteſt perfectio charitatis.

Porrò ſi propter defectum ſcientiæ Epiſcopus oeſciat admioiſtrare temporalia, & ſpiritualia, adeóque ille defectus tantus ſit, ut impediat executionem paſtoralis officij, non ſolùm concedenda eſt licentia Epiſcopo peteoti, & volenti renunciare, ſed etiam invitus poteſt, ac debet compelli ad renunciandum, vel deponi. c. ult. de tempor. ordin. Pariſ. cit. q. 3. n. 83. & n. 98. & 101. ubi teſtatur ita deciſum fuiſſe in Rota. Quòd ſi tamen Epiſcopus ſufficieoter doctus non ſit ad adminiſtrandum ſpiritualia, & temporalia, non obligatur ad reſignaodum, ſi ſpes ſit, quòd noo longo tempore ſufficientem ſcieotiam comparare queat, ad quam comparandam omnino teoetur, ſi renunciare nolit, ut colligitur ex c. Cùm nobis 19. §. Illius quoque; de elect. & cit. c. Niſi, §. Pro defectu, & ibi gl. V. Plerumque. Pariſ. c. l. n. 105. Qoin etiam ille Epiſcopus toleraodus eſt, neque compellendus ad reſignandum, qui etſi ſufficientem ſcieotiam non habeat, longo tamen uſu, & rerum experientiâ didicit ea facere, quæ ad Officium Epiſcopale ſpectant. Pariſ. c. l. n. 109. & alij apud ipſum.

XLVII. Aſſertio 4. Quarta cauſa renunciandi Epiſcopatui eſt malitia plebis, quę denegat debitam obedientiam Epiſcopo, vel inſidias ei parat: non tamen quælibet culpa, vel inobedientia plebis ſufficit, ut eam paſtor deſerere poſſit, ſed ea ſolùm, quâ plebs ſubdita adeò duræ cervicis exiſtit, ut Epiſcopus nequeat quidquam proficere apud ipſam, ſed propter eius duritiem, quò magis ipſe paſtor ſatagit, ſive conatur, ad frugem eos reducere, eò magis plebs, juſto Dei judicio, deficere permittatur, ſive deterior fiat: tali enim caſu plebi quandoque ad tempus cedendum eſt, eiúſque pertinacia toleranda (quia ſanguinem elicit, qui nimis emungit) & cum Superioris licentia paſtor abſcedere poteſt, ad vitandum majus ſcandalum, ne fortè oves in lupos convertantur, id eſt, à vera Religione, vel Eccleſiæ unitate omnino deficiant. Ita habetur in cit. c. Niſi §. Propter malitiam, h. t. Ratio eſt, quia cùm principaliter Epiſcopus conſtituatur, ut gregem ſibi ſubjectum paſcat, & regat, ſi ergo munus ſuum paſtorale, propter ſubditorum pervicaciam, exercere non poſſit, ceſſat obligatio officij ſui, ſeu curæ paſtoralis, ideóq; deſerere gregem poteſt. S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 4. in corp. Id verò procedit, ſi totus populus ſit ita pertinax, & incorrigibilis, ut nulla ſpes ſit emendationis; oam ſi boni ſint permixti malis, non ſunt deſerendi boni propter malos, ac proinde Epiſcopus tum non poteſt deſerere Epiſcopatum, nec ei renunciare, niſi alius magìs proficere poſſet apud talem populum; tunc enim Superior eum transferre poſſet. Sed etſi totus populus pertinaciter ſe paſtori opponat, eúmque abhorreat; ſi tamen ſpes ſit correctionis, & reconciliationis, exſpectari debet, aliáque media adhibenda ſunt, quibus plebs ad obedientiam debitam Epiſcopo reducatur, priuſquàm Epiſcopatui renuncietur, quia commune bonum, quippe majus præfereodum eſt. c. Adverſitas; 48. cauſ. 1. q. 7. Hoſtieoſ. in cit. §. Propter malitiam; V. deſerere. Abb. ibid. n. 11. Pariſ. cit. q. 3. n. 122. & 127. & ſeqq.

XLVIII. Aſſertio 5. Quinta cauſa cedendi Epiſcopatu eſt grave ſcandalum populi, quod is ex præſentia Epiſcopi patitur, ad quod vitandum Epiſcopus, non ſolùm licitè poteſt, ſed etiam tenetur, & cogi poteſt renunciare Epiſcopatui, ſi ſcandalum aliter vitari, vel ſedari nequeat; ne plus temporalem honorem proprium, quàm æteroam ſalutem ſubditorum affectare videatur. Ita habetur in cit. c. Niſi. §. Pro gravi quoque; h. t. idque procedit, etiamſi ipſe non ſit in culpa illius ſcandali. Barboſ. ibid. in Collectan. n. 14. Unde cùm dicitur, quòd oullus compellitur renunciare beneficio, id iotelligendum eſt ſine cauſa, nam ex juſta cauſa cogi poteſt. Pariſ. cit. l. 5. q. 3. o. 164.

Ubi tamen diſtinguendum eſt inter ſcandalum Phariſaicum, ſeu ex malitia ortum, & ſcandalum puſillorum, ſeu ex ignorantia, aut infirmitate profectum, ut indicatur in cit. §. Pro gravi, & ibi gl. V. diſtinguendum: nam ob poſterius ſcaodalum vitandum, vel tollēdum, ſæpius cedere oportet jure, quod alicui competit, quia ſcandalum, ſi poſſit vitari ſine peccato, & periculo ſalutis æternæ, vitandum eſt, adeóque etiam ob illud renunciandum Epiſcopatui, de quo ſcandalo loquitur Chriſtus Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur &c.* ſed phariſaicum ſcandalum plerumque non eſt curandum, quia frequenter poteſt

poteſt permitti ſine peccato, & tunc vitari non debet; de quo loquitur Chriſtus Matth. 15. *Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces eorum*, quaſi dicat, non eſt curandum de ſcandalo illorum, gl. in cit. §. V: Sinite. S. Thom. 2.2.q.43.art.7. & 8. niſi cum ijs, qui pertinaciter mali ſunt, ſimul etiam in ruinam, ſive peccatum pertrahantur ſimplices, aut innocentes. Laym. de elect. Præl. q. 174. quomodo S. Gregorius Nazianzenus ſponte ceſſit Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ad tollendum ſcandalum, & ſedandam ſeditionem, quæ excitata fuerat ob eius bene & rectè facta, ut habetur die 9. Maij in Breviario.

XLIX. Aſſertio 6. Sexta cauſa, ob quam Epiſcopus non ſolùm petere poteſt ceſſionē, ſed etiam cogi poteſt renunciare Epiſcopatui, eſt irregularitas perſonæ, cit. c. Niſi, §. Perſonæ verò h.t. Quia Epiſcopus irregularis non poteſt exercere actus Ordinis Epiſcopalis. Ubi diſtinguendum eſt, an ſit irregularitas indiſpenſabilis, ſeu in qua Papa ordinariè diſpenſare non ſolet, an verò diſpenſabilis; ſi ſit indiſpenſabilis, v.g. ſi bigamus, ſive qui duas uxores habuit, vel unam, ſed viduam, Epiſcopus factus ſit, tum ſufficiens cauſa adeſt petendi licentiam renunciandi, imò ad id cogi poteſt, quia oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. 1. ad Timoth. 3. Si verò ſit irregularitas diſpenſabilis, quia v.g. Epiſcopus ex legitimo matrimonio non eſt natus; tunc licèt non potuerit, id eſt, non debuerit defectum illum natalium ſubticere, ſi tamen & culpa latet (quia non manifeſtavit impedimentum tempore ſuæ promotionis) & cauſa, id eſt, ipſa irregularitas, adeóque defectus natalium ſit occultus; tum non debet ei licentia renunciandi concedi, ſed poteſt cum eo, qui laudabiliter ſuum implevit officium (injunctâ ipſi competente pœnitentiâ) diſpēſari propter utilitatem Eccleſiæ: ita tamen, ut cum nothis, ſeu ſpuriis, qui ex adulterio, vel alio damnato coitu nati ſunt, vel cum manzeribus, id eſt, qui ex ſcorto nati ſunt, & vulgò quæſiti appellantur, quorum pater ignoratur, difficiliùs diſpenſetur in hac irregularitate, & faciliùs cum naturalibus, qui ex concubina, ſeu ex ſimplici fornicatione nati ſunt. cit. §. Perſonæ verò, & ibi gl. V. & cauſa, & V. Manzeres, & Abb. n. 20. Similiter Papa diſpenſare ſolet cum eo, qui ex delicto, v.g. homicidio occulto irregularitatem contraxit, & Epiſcopus factus eſt, non item ſi delictum publicum, ſeu notorium ſit; juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. Laym. de elect. Prælat. q. 176. & l. 4. Theolog. moral. tract. 5. p. 5. c. ult. n. 2.

§. II.

An ex aliis cauſis, præter ſex allatas, Epiſcopus renunciare poſſit Epiſcopatui?

L. Aſſertio 1. Probabile eſt ex aliis etiam cauſis, præter prædictas 6. allatas, poſſe Epiſcopum renunciare Epiſcopatui, dummodo cauſa ſit utilis, & honeſta: nam quamvis ſi propter alias cauſas Epiſcopus ceſſionem affectet, non ſit in hoc ipſi poſtulanti favendum, cùm huiuſmodi poſtulatio videatur non eſſe diſcreta, prout habetur, in cit. c. Niſi cùm pridem, §. Verùm. h.t. id tamen intelligendum videtur ſolùm de cauſis non juſtis, nec honeſtis, ſed indiſcretis, & illegitimis, neque ex eo quòd Jure Canonico ſolùm ſex cauſæ renunciandi Epiſcopatui ſint expreſſæ, videntur excludi aliæ omnes honeſtæ, & utiles; nam aliqui caſus videntur referri ſolùm, quia frequentiùs occurrunt, ideóque alij non excluduntur. Pariſ. cit. l. 5. q. 3. n. 203. & 2. ſeqq. & colligitur ex cit. c. Niſi, §. fin. ibi: Si propter aliquam cauſam utilem, & honeſtam in hujuſmodi propoſito perſeveres, de licentia noſtra cedas &c. Talis cauſa eſt, ſi Epiſcopus velit reſignare propter intemperiem aëris, & cæli locique gravitatem, ideóque de vita periclitetur. Item, quia non poteſt in diœceſi morari ob capitales inimicitias, quas ibi habet: ídque ſumitur ex c. Ad ſupplicationem; 9. h.t. ubi Archiepiſcopus Raguſienſis impetravit à Papa ceſſionem, ac liberationem ab Eccleſia ſua, eò quod, ſinè mortis periculo, non poterat eò accedere, aut ibi commorari, fortè propter aëris intemperiem, vel hoſtium inſidias. gl. ibid. V. Commorari. Pariſ. c. l. n. 244. & 253. Verùm communior ſententia Doctorum tenet, præter ſex allatas, non eſſe alias cauſas renunciationis faciendæ aſſignandas, vel concedendas Epiſcopis; nam, ſi quæ aliæ cauſæ occurrant, videntur ad illas ſex jure expreſſas commodè revocari poſſe. Hoſtienſ. in cit. §. Verùm. V. alias cauſas, & alij communiter.

LI. Aſſertio 2. Si Epiſcopus nullam ex dictis, vel quæ ad illas revocari poſſunt, renunciandi cauſam allegare valeat, non poteſt petere licentiam cedendi, ſed Epiſcopale officium retinere debet, cùm Eccleſiæ ſuæ perpetuo matrimonij vinculo ſit obligatus. c. 2. de tranſlat. Epiſc. Quare inprimis non eſt ſufficiens cauſa renunciandi Epiſcopatui, ob frugem melioris vitæ, aut humilitatis causâ, velle Epiſcopatum deſerere, non enim debet quis æſtimare ſe ſanctiorem Jeremiâ, qui licèt ob humilitatem refugerit prædicationis officium, tamen Deo volente, ac jubente, ſuſcepit: & videtur talis ſub prætextu humilitatis, verticem malè erigere, dum in reſignandi propoſito ſe pertinacem oſtendit: vera enim humilitas locum ſublimem fugit, & per obedientiam non dimittit. cit. c. Niſi in princ. quia humilitas, quæ contra obedientiam erigitur, ſuperbia eſt. Ant. Burrio apud Fagnan. in cit. c. Niſi, n. 12.

2. Non eſt ſufficiens cauſa reſignationis, ſi Epiſcopus velit renunciare Epiſcopatui, quia quærit otium, & quietem, & refugit labores, & curas, aut perſecutiones: nam non ideo debet deſerere ſponſam ſuam, ſcilicet Eccleſiam, cui ſe datâ fide copulavit, & obligavit: præſertim cùm otium, & voluptas ſint arma hoſtis antiqui ad captivandas miſeras animas, & beati ſunt, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. cit. c. Niſi, §. Verùm. Qui verò dicit, quòd Spiritu Dei agitur ad relinquendam Eccleſiam, errat, quia agit contra veritatem, adeóque contra Spiritum Dei, qui eſt Spiritus veritatis, cit. c. Niſi. §. Sed dices.

Unde neque prætextu inſpirationis cœleſtis Epiſcopatum poteſt aliquis deſerere; nam quomodo ſcit, quòd talis inſpiratio ſit cœleſtis, quæ à charitate, & procuranda ſalute proximi, ad quam Epiſco-

„ pus eſt obligatus, avertit: quantumcunque autem
„ quis virtutibus fulgeat, ſi charitatem non habeat,
„ nihil habere cenſetur: neque etiam debet Epiſco-
„ pus deſerere Eccleſiam, eò quòd non omnes profi-
„ ciant, ſed pauci tantùm, quia licèt non ſemper ſe-
„ quatur laborem effectus, ſeu fructus, nihilominus
„ ipſe labor eſt meritorius apud Deum, cit. c. Niſi, §.
„ Porrò.

3. Neque ob vitam contemplativam, ad quam
Epiſcopus tanquam meliorem, magíſque optatam
„ aſpirat, cedere poteſt Epiſcopatu: nam licèt vita
„ contemplativa ſit magìs ſecura, & ſuavis; activa ta-
„ men magìs frugifera, & utilis eſt: quòd ſi vita con-
„ templativa cum activa conjungatur, uti fit in ſtatu
„ Epiſcopali, præſtantior eſt, & perfectior: exemplo
„ Moyſis, qui modò in montem aſcendens, gloriam
„ Domini ſpeculatus eſt: modò verò deſcendens in
„ caſtra, neceſſitatibus populi providit. Ideóque fa-
„ ciliùs conceditur, ut Monachus, ſeu contemplati-
„ vus ad Præſulatum videlicet Epiſcopatum aſcen-
„ dat, quàm, ut Præſul, ſeu Epiſcopus ad Monacha-
„ tum deſcendat, cit. c. Niſi. §. Nec putes.
„ Quare Papa Innocent. III. in fine cit. c. Niſi, mo-
„ net Epiſcopum Calaritanum, ad quem ſcripſit, ut
„ laborem paſtoralis regiminis non recuſet; ſi tamen
„ propter aliquam cauſam utilem, & honeſtam, in
„ huiuſmodi propoſito perſeveret, dat illi licentiam
„ cedendi, alioquin verò eam ipſi auctoritate Apo-
„ ſtolicâ eſſe penitus interdictam, cùm non habeat
„ liberum, abſque permiſſione Papæ, volatum.

LII. Aſſertio 3. Præterea non eſt juſta cauſa reſignandi Epiſcopatum, ſi Epiſcopus velit Religionem approbatam ingredi, ut in ea ſecuriùs propriæ ſaluti vacare poſſit, cit. c. Niſi cùm pridem. §. Nec putes, ubi dicitur: *faciliùs indulgetur, ut Monachus aſcendat ad Præſulatum, quàm Præſul ad Monachatum deſcendat*, h. t. c. Suggeſtum 46. cauſ. 7. q. 1. S. Thom. a. 2. q. 185. a. 4. Abb. in cit. c. Niſi. n. 21. h. t. & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia melius eſt, ut Epiſcopus, poſtquam ſtatum Epiſcopalem ſuſcepit, ſéque obligavit ad ſuam, & ſubditorum ſalutem procurandam, in eo ſtatu perſeveret, quàm diu muneri Epiſcopali ſatisfacere, & Eccleſiæ utiliter ſervire poteſt, S. Thom. cit. a. 4. ad 1. Accedit, quòd nulli liceat de ſtatu perfectiore ad minùs perfectum ſtatum tranſire, quàm diu poteſt ea, quæ ſunt perfectioris ſtatûs, exequi, hoc enim eſſet retroſpicere: ſtatus autem Epiſcopalis eſt perfectior, quàm ſtatus Religionis. S. Thom. cit. q. a. 1. ad 2. Sicut ergo non licet de ſtatu Religionis redire ad ſeculum, aut à ſtrictiore ad laxiorem religionem tranſire, ita nec licet à ſtatu Epiſcopali tranſire ad ſtatum Religionis, niſi alia legitima cauſa ſubſit. Si verò Epiſcopus non ampliùs utiliter præeſſe poſſit gregi ſuo, tum melius erit, ſi licentiâ reſignandi petitâ, Epiſcopatum deſerat, & propriæ ſaluti ſolùm vacet, uti ſumitur ex cit. c. Niſi, §. Quippe. ibi: *dummodo proficere illis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis*. S. Thom. cit. a. 4. ad 1. in fine, ubi ait: ſed ſi ſalutem aliorum procurare non poſſit, conveniens eſt, ut ſuæ ſaluti intendat. Excipi debet, niſi Epiſcopus tranſeat ad ſtatum Monachalem propter delictum, ob quod ab Epiſcopatu depoſitus fuit, & detruſus in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, tunc enim iterum ad Epiſcopatum reverti non poteſt, c. Hoc nequaquam. 45. cauſ. 7. q. 1. & ibi gl. V. ulterius.

LIII. Hinc infertur 1. Si Epiſcopus de facto, relicto Epiſcopatu, ſinè licentia Papæ, Religionem profiteatur, irritam eſſe profeſſionem, quia Deus non acceptat profeſſionem, quæ fit contra prohibitionem Eccleſiæ, hæc autem prohibet, ne Epiſcopus Eccleſiam, cui eſt obligatus, deſerat, ſinè licentia obtenta à S. Pontifice. Si verò Epiſcopus Religionem profeſſus ſit, non ob aliam cauſam, niſi, ut ſibi vacet in Religione, cum licentia tamen Papæ, profeſſio eſt valida, licèt Pontifex malè agat, ob privatum ſolùm commodum Epiſcopi, ei licentiam reſignandi dando, Laym. in cit. c. Niſi 10. in princ. n. 2. & 3. h. t.

Infertur 2. Votum ingrediendi, vel profitendi Religionem editum ab Epiſcopo, ut propriæ ſaluti meliùs vacare poſſit, qui Eccleſiæ ſuæ adhuc utiliter præeſſe poteſt, non valere: quia votum debet eſſe de meliore bono, ſive de eo, quod Deo gratius eſt: at ingredi, vel profiteri Religionem eſt opus minùs bonum in eo, qui ſuſcepto Epiſcopatu, ſe Eccleſiæ obligavit, & eidem utiliter præeſſe poteſt: ergo tale votum obligare non poteſt. S. Thom. cit. a. 4. ubi ad 1. ait: quòd quàm diu Epiſcopus poteſt eſſe utilis ſaluti proximorum, retrocederet, ſeu deſcenderet à perfectione, ſi ad ſtatum Religionis tranſire vellet. Neque dicas, quòd tale votum non ſit omnino irritū, quia ſaltem obligat Epiſcopum ad petendam licentiam à S. Pontifice, quâ denegata, erit liber à voto, Sylveſt. V. votum 3. q. 1. Azor p. 1. lib. 11. c. 16. q. 2. Sanch. l. 4. moral. c. 25. n. 36. Suar. tom. 1. de relig. l. 3. de voto c. 4. n. 8. Nam fruſtrà talis Epiſcopus peteret licentiam cedendi Epiſcopatu, ut ingredi poſſet Religionem, quam Pontifex non concederet, neque ſecundùm Canones concedere poſſet: niſi alia legitima cauſa adſit, ob quam conſultum ſit, ut Epiſcopatum deſerat. Laym. cit. l. n. 4. Aliud eſt, ſi quis, ante ſuſceptum Epiſcopatum, Religionem ingredi vovit, & poſtea nō impleto voto, Epiſcopus factus eſt, tunc enim debet reſignare Epiſcopatum, votúmque implere, juxta c. Per tuas 10. de voto. Idque non idcirco, quòd ſtatus Religionis perfectior ſit, quàm Epiſcopalis; ſed quia votum priùs Deo factum, cùm poſſet, & ei, qui illud ediderat, expediret, implendum fuit, quo impleto, per emiſſam profeſſionem, nihilominus poſtea talis in Epiſcopum eligi potuit, cit. c. Per tuas. Etſi verò ſtatus Epiſcopalis perfectior ſit ſtatu Religioſo: id tamen ex eo eſt, quòd perfectionem ſupponat, & requirat in eo, qui illum ſuſcipit ac retinet, ut indicat Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 1. de reform. nō autem quod ad perfectionis conſecutionem multùm conferat, ſicut ſtatus religioſus, in quo per media à Religione præſcripta ad perfectionem tenditur. S. Thom. a. 2. q. 186. a. 1. ad 3. & a. 2. ad 1. ideóque melius eſt Deóque gratius, ut quis, ante ſuſceptum Epiſcopatum, Religionem ingrediatur, in qua ſe perficere poteſt, quàm ut Epiſcopatum ſuſcipiat, ſecluſa neceſſitate Eccleſiæ; & per conſequens votum priùs editum valet, neque commutari poteſt in ſuſceptionem Epiſcopatûs: poſt ſuſceptum verò Epiſcopatum non valet, quia vovens, propter impedimentum ſatisfaciendi Officio Epiſcopali, inhabilis factus eſt ad ingrediendam Religionem, niſi per diſpenſationem S. Pontificis priùs à vinculo, quo obſtrictus eſt ſuæ

Ec-

Eccleſiæ, liberetur, Laym. de elect. Prælat. quæſt. 172.

§. III.

Ex quibus cauſis fieri poſſit renunciatio aliarum dignitatum Eccleſiaſticarum, & beneficiorum curatorum, vel etiam ſimplicium?

LIV. Aſſertio 1. Ob quas cauſas renunciari poteſt, vel debet Epiſcopatui, ob eaſdem etiam reſignari poſſunt, vel debent inferiores dignitates Eccleſiaſticæ, & beneficia curata. Rebuff. in praxi benefic. tit. de reſign. expreſſa n. 2. Pariſ. l. 5. de reſign. q. 4. n. 1. Ratio eſt, quia difficiliùs conceditur ceſſio, ſeu renunciatio Epiſcopis, quàm alijs Clericis in inferiore dignitate conſtitutis, vel Parochis, aut Curatis Beneficiatis, quia arctiore vinculo ſpirituali Epiſcopi ſuis Eccleſijs alligari ſunt, quàm alij Prælati, vel Beneficiati, ergo ex quibus cauſis renunciatio permiſſa eſt Epiſcopis, ex iiſdem etiam cenſebitur permiſſa alijs inferioribus Clericis: & ex quibus cauſis coguntur Epiſcopi reſignare, ex iiſdem multò magis ad reſignandum poterunt compelli inferiores Prælati & Paſtores animarum, aſſignatâ ipſis penſione, vel alio beneficio, ex quo ſe honeſtè alere poſſint. Et licèt ex cauſæ renunciandi non ſint in Jure communi expreſſæ quoad Clericos inferiores, ſicut de Epiſcopis; tamen ob identitatem rationis, etiam in illis locum habent, quia quoties in caſibus lege non expreſſis ſubeſt eadem ratio, cenſetur potiùs eſſe legis comprehenſio, ſive immediata diſpoſitio, quàm extenſio. Pariſ. l. c. n. 8. & 2. ſeqq. Et hinc ob eandem cauſam, hodie in Curia Romana renunciationes beneficiorum inferiorum, maximè ſimplicium, etiam ex levioribus cauſis admitti ſolent: veluti cùm quis multo tempore in Eccleſia ſervivit, vel ut beneficium dimiſſum, alteri conferatur, in cujus gratiam Clericus beneficium dimittit. Azor p. 2. l. 7. c. 19. q. 4. Pariſ. cit. l. 5. q. 5. n. 3. & 4. dummodo Beneficiato, ſi in Eccleſiaſtico ſtatu manere velit, proviſum ſit, ut honeſtè ſe alere poſſit, Pariſ. c. l. n. 5.

LV. Aſſertio 2. Cauſæ, ob quas reſignationes beneficiorum, extra Curiam Romanam, purè & ſimpliciter factas Ordinarij locorum admittere poſſunt, ſunt plures, quæ enumerantur in Conſtit. Pij V. editâ anno 1568. Calend. Aprilis, & incipit: Quanta Eccleſiæ, & extat apud Quarantam in ſumma Bullarij V. Beneficiorum reſignationes. Azor. cit. c. 19. q. 5. Pariſ. cit. l. 5. q. 6. num. 2. Prima cauſa eſt, ſi Beneficiarius ſenio ſit confectus, quod arbitrio Judicis relinquitur. Secunda, ſi ſit infirmus, ſeu valetudinarius, quod etiam Judicis arbitrio diſcernendum relinquitur. Tertia, ſi ſit corpore impeditus, ita, ut non poſſit præſtare id, ad quod tenetur, ut ſi leprâ, paralyſi, morbo gallico, vel comitiali, aut aliquo alio morbo contagioſo, aut periculoſo laboret. Quarta cauſa eſt, ſi ſit corpore vitiatus, v. g. cœcus, claudus, mutus, vel ſurdus, vel habeat aliquod aliud corporis membrum abſciſſum, contractum, vel deformatum. Quinta eſt, ſi Beneficiatus ſit alicui crimini obnoxius, ob quod privandus eſſet, videlicet homicidij, ſimoniæ, adulterij, concubinatûs, ſodomiæ, perjurij, blaſphemiæ, &c. Sexta eſt, ſi cenſuris Eccleſiaſticis ſit irretitus. Septima, ſi nequeat, vel non debeat Eccleſiæ, aut Beneficio inſervire, ut ſi ſit publicè relegatus, vel arreptitius, ſeu dæmoniacus, vel aliàs irregularis, vel ſi turpiter, aut cum aliorum ſcandalo, ſeu offenſione vivat. Octava, ſi Clericus duo, vel plura beneficia etiam ſimplicia, quorum unum ad ſuſtentationem eſt ſufficiens, obtineat, cùm regulariter uno debeat eſſe contentus beneficio, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 16. de reform. Nona, ſi Beneficiatus ad aliud beneficium fuerit promotus, & ſic non propriâ voluntate, ſed ex neceſſitate fiat renunciatio, cùm per aſſecutionem ſecundi beneficij incompatibilis vacet primum. c. De multa 28. de præbend. & ibi communiter DD. Decima, ſi ſit Religionem ingreſſurus, vel matrimonium contracturus, modò ſtatim id re ipſa exequatur. Undecima, ſi aliqua adſit cauſa ex ijs, ob quas Epiſcopus dimittere poteſt Eccleſiam ſuam, quæ habentur in c. Niſi cùm pridem 10. h. t. de quibus ſuprà. Duodecima, ſi Beneficiatus ob capitales inimicitias nequeat, vel non audeat in loco beneficij reſidere.

LVI. Aſſertio 3. Ex prædictis cauſis poſſunt Ordinarij admittere reſignationes beneficiorum; duabus tamen conditionibus obſervatis, ut habetur in cit. Conſtitut. Pij V. Prima eſt, ut ſi Clericus reſignans in ſacris Ordinibus ſit conſtitutus, aliunde habeat, unde vitam commodè ſuſtentare poſſit, alioquin non poteſt reſignare beneficium, niſi Religionem ſit ingreſſurus. Ratio eſt, ne Clerici in opprobrium Clericalis Ordinis mendicent, aut ſordidum aliquem quæſtum exerceant. Concil. Trident. Seſſ. 21. c. 2. de reform. quare in renunciationibus, juxta ſtylum Curiæ, apponi ſolet talis clauſula: *quia habet aliundè, unde vivere queat.* Quòd ſi Clericus ſecularis ſacris Ordinibus initiatus ordinatus ſit ad titulum alicujus beneficij, non poteſt illud reſignare, niſi factâ mentione, quòd ad illius beneficij titulum ſit promotus ad Ordines, alioquin reſignatio eſt nulla, juxta declarationem S. Congregationis Concilij, & deciſionem Rotæ apud Pariſ. cit. q. 6. num. 175. Clerici verò, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, poſſunt reſignare beneficium, quod obtinent, etiamſi non habeant, unde commodè vivere valeant, ſive reſignatio fiat coram Ordinario, ſive coram Papâ; cùm hi poſſint etiam tacitè renunciare, contrahendo matrimonium. Pariſ. lib. 5. quæſt. 14. num. 1. & 2.

Altera conditio eſt, ne Epiſcopi, aut alij Collatores admittentes ex prædictis cauſis reſignationes beneficiorum, ea beneficia reſignata conferant ſuis, aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum: & contravenientes, ſive conferentes beneficia reſignata ſuis, vel reſignantium conſanguineis, aut familiaribus ſunt ſuſpenſi à collatione, electione, confirmatione, & inſtitutione beneficiorum, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt, donec à S. Pontifice abſolutionem obtinue-

„ pus eſt obligatus, avertit: quantumcuoque autem
„ quis virtutibus fulgeat, ſi charitatem noo habeat,
„ nihil habere cenſetur: neque etiam debet Epiſco-
„ pus deſerere Eccleſiam, eò quòd noo omoes profi-
„ ciant, ſed pauci tantùm, quia licèt non ſemper ſe-
„ quatur laborem effectus, ſeu fructus, nihilominus
„ Ipſe labor eſt meritorius apud Deum, cit. c. Niſi, §.
„ Porrò.

3. Neque ob vitam contemplativam, ad quam
Epiſcopus tanquam meliorem, magiſque optatam
„ aſpirat, cedere poteſt Epiſcopatu: nam licèt vita
„ contemplativa ſit magìs ſecura, & ſuavis; activa ta-
„ men magìs frugifera, & utilis eſt: quòd ſi vita con-
„ templativa cum activa conjungatur, uti fit in ſtatu
„ Epiſcopali, præſtantior eſt, & perfectior: exemplo
„ Moyſis, qui modò in montem aſcendens, gloriam
„ Domioi ſpeculatus eſt: modò verò deſcendens in
„ caſtra, neceſſitatibus populi providit. Ideóque fa-
„ ciliùs conceditur, ut Monachus, ſeu contemplati-
„ vus ad Præſulatum videlicet Epiſcopatum aſceo-
„ dat, quàm, ut Præſul, ſeu Epiſcopus ad Mooacha-
„ tum deſcendat, cit. c. Niſi. §. Nec putes.
„ Quare Papa Innocent. III. io fine cit. c. Niſi, mo-
„ net Epiſcopum Calaritanum, ad quem ſcripſit, ut
„ laborem paſtoralis regiminis non recuſet; ſi tamen
„ propter aliquam cauſam utilem, & honeſtam, io
„ huiuſmodi propoſito perſeveret, dat illi licentiam
„ cedendi, alioquin verò eam ipſi auctoritate Apo-
„ ſtolicâ eſſe penitus interdictam, cùm non habeat
„ liberum, abſque permiſſione Papæ, volatum.

LII. Aſſertio 3. Præterea non eſt juſta cauſa reſignandi Epiſcopatum, ſi Epiſcopus velit Religionem approbatam ingredi, ut in ea ſecuriùs propriæ ſaluti vacare poſſit, cit. c. Niſi cùm pridem. §. Nec putes, ubi dicitur: *faciliùs indulgetur, ut Monachus aſcendat ad Præſulatum, quàm Præſul ad Monachatum deſcendat*, h. t. c. Suggeſtum 46. cauſ. 7. q. 1. S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 4. Abb. in cit. c. Niſi. n. 21. h. t. & alij DD. communiter. Ratio eſt, quia melius eſt, ut Epiſcopus, poſt quam ſtatum Epiſcopalem ſuſcepit, ſéque obligavit ad ſuam, & ſubditorum ſalutem procurandam, in eo ſtatu perſeveret, quàm diu muneri Epiſcopali ſatisfacere, & Eccleſiæ utiliter ſervire poteſt, S. Thom. cit. a. 4. ad 1. Accedit, quòd nulli liceat de ſtatu perfectiore ad minùs perfectum ſtatum tranſire, quàm diu poteſt ea, quæ ſunt perfectioris ſtatûs, exequi, hoc enim eſſet retroſpicere: ſtatus autem Epiſcopalis eſt perfectior, quàm ſtatus Religionis, S. Thom. cit. q. a. 1. ad 2. Sicut ergo non licet de ſtatu Religionis redire ad ſeculum, aut à ſtrictiore ad laxiorem religionem tranſire, ita nec licet à ſtatu Epiſcopali tranſire ad ſtatum Religionis, niſi alia legitima cauſa ſubſit. Si verò Epiſcopus noo ampliùs utiliter præeſſe poſſit gregi ſuo, tum melius erit, ſi licentiâ reſignandi petitâ, Epiſcopatum deſerat, & propriæ ſaluti ſolùm vacet, uti ſumitur ex cit. c. Niſi, §. Quippe. ibi: *dummodo proficere illis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis*. S. Thom. cit. a. 4. ad 1. in fine, ubi ait: ſed ſi ſalutem aliorum procurare non poſſit, conveniens eſt, ut ſuæ ſaluti intendat. Excipi debet, niſi Epiſcopus tranſeat ad ſtatum Monachalem propter delictum, ob quod ab Epiſcopatu depoſitus fuit, & detruſus in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, tunc enim iterum ad Epiſcopatum reverti noo poteſt; c. Hoc nequaquam. 45. cauſ. 7. q. 1. & ibi gl. V. ulteriùs.

LIII. Hinc infertur 1. Si Epiſcopus de facto, relicto Epiſcopatu, ſinè licentia Papæ, Religionem profiteatur, irritam eſſe profeſſionem, quia Deus non acceptat profeſſionem, quæ fit contra prohibitionem Eccleſiæ, hæc autem prohibet, ne Epiſcopus Eccleſiam, cui eſt obligatus, deſerat, ſinè licentia obtenta à S. Pontifice. Si verò Epiſcopus Religionem profeſſus ſit, non ob aliam cauſam, niſi, ut ſibi vacet in Religione, cum licentia tamen Papæ, profeſſio eſt valida, licèt Pontifex malè agat, ob privatum ſolùm commodum Epiſcopi, ei licentiam reſignandi dando, Laym. in cit. c. Niſi 10. in princ. n. a. & 3. h. t.

Infertur 2. Votum ingrediendi, vel profitendi Religionem editum ab Epiſcopo, ut propriæ ſaluti meliùs vacare poſſit, qui Eccleſiæ ſuæ adhuc utiliter præeſſe poteſt, non valere: quia votum debet eſſe de meliore bono, ſive de eo, quod Deo gratius eſt: at ingredi, vel profiteri Religionem eſt opus minùs bonum in eo, qui ſuſcepto Epiſcopatu, ſe Eccleſiæ obligavit, & eidem utiliter præeſſe poteſt: ergo tale votum obligare non poteſt. S. Thom. cit. a. 4. ubi ad 1. ait: quòd quàm diu Epiſcopus poteſt eſſe utilis ſaluti proximorum, retrocederet, ſeu deſcenderet à perfectione, ſi ad ſtatum Religionis tranſire vellet. Neque dicas, quòd tale votum non ſit omnino irritũ, quia ſaltem obligat Epiſcopum ad petendam licentiam à S. Pontifice, quâ denegata, erit liber à voto, Sylveſt. V. votum 3. q. 1. Azor p. 1. lib. 11. c. 16. q. 2. Sanch. l. 4. moral. c. 25. n. 36. Suar. tom. 1. de relig. l. 5. de voto c. 4. n. 8. Nam fruſtrà talis Epiſcopus peteret licentiam cedendi Epiſcopatu, ut ingredi poſſet Religionem, quam Pontifex non concederet, neque ſecundùm Canones concedere poſſet: niſi alia legitima cauſa adſit, ob quam conſultum ſit, ut Epiſcopatum deſerat. Laym. cit. l. n. 4. Aliud eſt, ſi quis, ante ſuſceptum Epiſcopatum, Religionem ingredi vovit, & poſtea nõ impleto voto, Epiſcopus factus eſt, tunc enim debet reſignare Epiſcopatum, votúmque implere, juxta c. Per tuas 10. de voto. Idque non idcirco, quòd ſtatus Religionis perfectior ſit, quàm Epiſcopalis; ſed quia votum priùs Deo factum, cùm poſſet, & ei, qui illud ediderat, expediret, implendum fuit, quo impleto, per emiſſam profeſſionem, nihilominus poſtea talis in Epiſcopum eligi potuit, cit. c. Per tuas. Etſi verò ſtatus Epiſcopalis perfectior ſit ſtatu Religioſo: id tamen ex eo eſt, quòd perfectionem ſupponat, & requirat in eo, qui illum ſuſcipit ac retinet, ut indicat Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 1. de reform. nõ autem quod ad perfectionis conſecutionem multùm conferat, ſicut ſtatus religioſus, in quo per media à Religione præſcripta ad perfectionem tenditur. S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. ad 3. & a. 2. ad 1. ideóque melius eſt Deóque gratius, ut quis, ante ſuſceptum Epiſcopatum, Religionem ingrediatur, in qua ſe perficere poteſt, quàm ut Epiſcopatum ſuſcipiat, ſecluſâ neceſſitate Eccleſiæ; & per conſequens votum priùs editum valet, neque commutari poteſt in ſuſceptionem Epiſcopatûs: poſt ſuſceptum verò Epiſcopatum non valet, quia vovens, propter impedimentum ſatisfaciendi Officio Epiſcopali, inhabilis factus eſt ad ingrediendam Religionem, niſi per diſpenſationem S. Pontificis priùs à vinculo, quo obſtrictus eſt ſuæ

Ec-

Eccleſiæ, liberetur, Laym. de elect. Prælat. quæſt. 172.

§. III.

Ex quibus cauſis fieri poßit renunciatio aliarum dignitatum Eccleſiaſticarum, & beneficiorum curatorum, vel etiam ſimplicium?

LIV. Aſſertio 1. Ob quas cauſas renunciari poteſt, vel debet Epiſcopatui, ob eaſdem etiam reſignari poſſunt, vel debent inferiores dignitates Eccleſiaſticæ, & beoeficia curata. Rebuff. in praxi benefic. tit. de reſign. expreſſa n. 2. Pariſ. l. 5. de reſign. q. 4. n. 1. Ratio eſt, quia difficiliùs conceditur ceſſio, ſeu renunciatio Epiſcopis, quàm alijs Clericis in inferiore dignitate conſtitutis, vel Parochis, aut Curatis Beoeficiatis, quia arctiore vinculo ſpirituali Epiſcopi ſuis Eccleſijs alligati ſunt, quàm alij Prælati, vel Beneficiati, ergo ex quibus cauſis renunciatio permiſſa eſt Epiſcopis, ex ijſdem etiam cenſebitur permiſſa alijs inferioribus Clericis: & ex quibus cauſis coguntur Epiſcopi reſignare, ex ijſdem multò magìs ad reſignandum poterunt compelli inferiores Prælati & Paſtores animarum, aſſignatâ ipſis penſione, vel alio beneficio, ex quo ſe hoeſtè alere poſſint. Et licèt ex cauſæ renunciandi oon ſint in Jure communi expreſſæ quoad Clericos inferiores, ſicut de Epiſcopis; tamen ob identitatem rationis, etiam in illis locum habent, quia quoties in caſibus lege non expreſſis ſubeſt eadem ratio, cenſetur potiùs eſſe legis comprehenſio, ſive immediata diſpoſitio, quàm extenſio. Pariſ. l. c. n. 8. & 2. ſeqq. Et hinc ob eandem cauſam, hodie in Curia Romana renunciationes beneficiorum inferiorum, maximè ſimplicium, etiam ex levioribus cauſis admitti ſolent: veluti cùm quis multo tempore in Eccleſia ſervivit, vel ut beoeficium dimiſſum, alteri conferatur, in cujus gratiam Clericus beneficium dimittit. Azor p. 2. l. 7. c. 19. q. 4. Pariſ. cit. l. 5. q. 5. n. 3. & 4. dummodo Beneficiato, ſi in Eccleſiaſtico ſtatu manere velit, proviſum ſit, ut honeſtè ſe alere poſſit, Pariſ. c. l. n. 5.

LV. Aſſertio 2. Cauſæ, ob quas reſignationes beneficiorum, extra Curiam Romanam, purè & ſimpliciter factas Ordioarij locorum admittere poſſunt, ſunt plures, quæ enumerantur in Conſtit. Pij V. editâ anno 1568. Calend. Aprilis, & incipit: Quanta Eccleſiæ, & extat apud Quarantam in ſumma Bullarij V. Beneficiorum reſignationes. Azor. cit. c. 19. q. 5. Pariſ. cit. l. 5. q. 6. num. 2. Prima cauſa eſt, ſi Beneficiarius ſenio ſit confectus, quod arbitrio Judicis relinquitur. Secunda, ſi ſit infirmus, ſeu valetudinarius, quod etiam Judicis arbitrio diſcernendum relinquitur. Tertia, ſi ſit corpore impeditus, ita, ut non poſſit præſtare id, ad quod tenetur, ut ſi leprâ, paralyſi, morbo gallico, vel comitiali, aut aliquo alio morbo contagioſo, aut periculoſo laboret. Quarta cauſa eſt, ſi ſit corpore vitiatus, v. g. cœcus, claudus, mutus, vel ſurdus, vel habeat aliquod aliud corporis membrum abſciſſum, contractum, vel defotmatum. Quinta eſt, ſi Beneficiatus ſit alicui crimini obnoxius, ob quod privandus eſſet, videlicet homicidij, ſimoniæ, adulterij, coocubinarûs, ſodomiæ, perjurij, blaſphemiæ, &c. Sexta eſt, ſi cenſuris Eccleſiaſticis ſit irretitus. Septima, ſi nequeat, vel non debeat Eccleſiæ, aut Beneficio inſervire, ut ſi ſit publicè relegatus, vel arreptitius, ſeu dæmoniacus, vel aliâs irregularis, vel ſi turpiter, aut cum aliorum ſcandalo, ſeu offenſione vivat. Octava, ſi Clericus duo, vel plura beneficia etiam ſimplicia, quorum unum ad ſuſtentationem eſt ſufficiens, obtineat, cùm regulariter uno debeat eſſe contentus beneficio, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 16. de reform. Nona, ſi Beneficiatus ad aliud beneficium fuerit promotus, & ſic noo propriâ voluntate, ſed ex neceſſitate fiat renunciatio, cùm per aſſecutionem ſecundi beneficij imcompatibilis vacet primum. c. De multa 28. de præbend. & ibi communiter DD. Decima, ſi ſit Religionem iogreſſurus, vel matrimonium contracturus, modò ſtatim id re ipſa exequatur. Undecima, ſi aliqua adſit cauſa ex ijs, ob quas Epiſcopus dimittere poteſt Eccleſiam ſuam, quæ habentur in c. Niſi cùm pridem 10. b. t. de quibus ſuprà. Duodecima, ſi Beneficiatus ob capitales inimicitias nequeat, vel non audeat in loco beneficij reſidere.

LVI. Aſſertio 3. Ex prædictis cauſis poſſunt Ordinarij admittere reſignationes beneficiorum; duabus tamen conditionibus obſervatis, ut habetur in cit. Conſtitut. Pij V. Prima eſt, ut ſi Clericus reſignans in ſacris Ordinibus ſit conſtitutus, aliunde habeat, unde vitam commodè ſuſtentare poſſit, alioquin non poteſt reſignare beneficium, niſi Religionem ſit ingreſſurus. Ratio eſt, ne Clerici in opprobrium Clericalis Ordinis mendicent, aut ſordidum aliquem quæſtum exerceant. Concil. Trident. Seſſ. 21. c. 2. de reform. quare in renunciationibus, juxta ſtylum Curiæ, apponi ſolet talis clauſula: *quia habet aliundè, unde vivere queat.* Quòd ſi Clericus ſecularis ſacris Ordioibus initiatus ordinatus ſit ad titulum alicujus beneficij, non poteſt illud reſignare, niſi factâ mentione, quòd ad illius beneficij titulum ſit promotus ad Ordines, alioquin reſignatio eſt nulla, juxta declarationem S. Congregationis Concilij, & deciſionem Rotæ apud Pariſ. cit. q. 6. num. 175. Clerici verò, qui io minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, poſſunt reſignare beneficium, quod obtinent, etiamſi non habeant, unde commodè vivere valeant, ſive reſignatio fiat coram Ordinario, ſive coram Papâ; cùm hi poſſint etiam tacitè renunciare, contrahendo matrimonium. Pariſ. lib. 3. quæſt. 14. num. 1. & 2.

Altera conditio eſt, ne Epiſcopi, aut alij Collatores admittentes ex prædictis cauſis reſignationes beneficiorum, ea beneficia reſignata conferant ſuis, aut dimittentium coosangnineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum io extraneos collationum: & contravenientes, ſive conferentes beneficia reſignata ſuis, vel reſignantium conſanguineis, aut familiaribus ſunt ſuſpenſi à collatione, electione, confirmatione, & inſtitutione beneficiorum, ut io eo puniantur, in quo deliquerunt, donec à S. Pontifice abſolutionem ob-

tinue-

tinnerint, uti & recipientes talia beneficia, cit. Cnnſtit. Pij V. Non tamen eam pœnam ſuſpenſinnis incurrunt ij, qui admittunt reſignatinnes beneficiorum, ſine cauſis in ſuprà dicta Conſtitutinne cnntentis; ſed ſolùm reſignationes factæ, abſque prædictis canſis, ſunt nullæ, & irritæ. Azor cit. c. 19. q. 5. Pariſ. cit. l. 5. q. 6. n. 223. & ſeqq.

SECTIO V.

CORAM QUO SVPERIORE, & cujus auctoritate renunciatio beneficiorum facienda eſt, & admittenda?

§. I.

An Clericus beneficiatus poßit, propriâ auctoritate, ſine conſenſu Superioris, beneficium reſignare?

LVII. Aſſertio 1. Clerici beneficiati nnn pnſſunt ſuo arbitratu beneficia, quæ cannnicè cnnſecuti ſunt, ſine Epiſcopi conſenſu, dimittere, ſed illa in manibus Ordinarij, hoc eſt, ipſius auctoritate interveniente, reſignare debent. c. Non oportet; 19. c. Si qui verò 23. c. Si quis; 24. cauſ. 7. q. 1. & c. Ad» monet; 4. h. t. Ubi Papa Alexander III. ad Epiſco» pum Tornacenſem ſcribit, ut omnibus Clericis » fui Epiſcopatûs ſeverè prohibeat, ne Eccleſias ſuæ » Diœceſis ad ſuam Ordinatinnem, ſeu prnviſionem » pertinentes, abſque ſnn aſſenſu, recipere, vel de» tinere audeant, aut dimittere, ipſn inconſulto. » Quòd ſi quis contra hanc probibitionem facere » præſumpſerit, in enm cannnicam exerceat ultionem, id eſt, excommunicationis cenſuram ferat, quæ eſt canonica ultio. gl. hîc V. inconſulto, vel aliam pœnam arbitrariam infligat, cùm hîc certa non exprimatur, nt cenſet Abb. hîc nnt. 3. ubi etiam ait, quòd cùm hîc dicitur, *inconſulto Epiſcopo, ſeu Prælato*, conſilium accipi debet pro conſenſu. Idémque eſt in Clericis ſnbjectis Prælatis, Epiſcnpis inferioribus, ſine quorum conſenſu, Eccleſias, & beneficia dimittere non debent. gl. in cit. c. Admonet; V. Inconſulto. Ratio eſt, quia poſtquam Clericus beneficium in titulum accepit, adenque illud ipſi in perpetuum collatnm fuit, non poteſt, ſine juſta & gravi canſa, eo privari, ergo etiam par eſt & æquum, nt ipſe Beneficiatus viciſſim non poſſit Eccleſiam, vel beneficium dimittere, ſive reſignare, niſi Prælatus Eccleſiæ reſignationem acceptet. Deinde ſicut nemo poteſt beneficium Eccleſiaſticum, ſine Superioris auctoritate, obtinere, ita neque dimittere; nam cnntrarinrum eadem eſt diſciplina, & per qnaſcunqne cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Pariſ. l. 7. de reſign. benef. n. 3. & ſeq.

Excipi tamen debet, quod electi, poſtulati, vel præſentati ad beneficinm, vel qui impetrârunt literas Papales de prnmovendo, prnpriâ auctnritate el renunciare poſſunt ante confirmationem, collationem, vel inſtitutionem à Superinre factam, uti ſumitur ex c. Ad audientiam; 31. de reſcript. & c. Si electio; 26. de elect. in 6. & patet ex dictis ſupra n. 29. & ratio eſt, quia auctoritas Superinris requiritur propter intereſſe Superioris, quod non adeſt, niſi poſtquam Beneficiatus plenum jus acquiſivit in beneficin per cnnfirmationem aliámve inſtitutionem, ante quam neque tam arcto vinculo obſtringitur Eccleſiæ electus, vel poſtulatus, ſicut confirmatns, vel inſtitutus, Pariſ. cit. q. 1. num. 76. & ſeqq. Quod tamen ita intelligendum eſt, ut teneat renunciatio facta ante confirmationem, qunad ipſum electum, non autem in præjudicium Superinris, quò minùs is, non obſtante renunciatione electi, poſt conſenſum ipſius, factâ, tunc prnvidere; &, ſi Electores in forma eligendi peccârunt, cauſâ cngnitâ, eos privare, vel privatns declarare poſſit; quia electio quo ad ipſos, poſt prnmulgatnm decretum electionis, effectnm habuiſſe cenſetur, cùm officio ſno ſint functi. Gloſſ. cnmmuniter recepta in cit. c. Si electio; V. renunciat. & ſumitur ex c. Si perpetuò 7. de elect. in 6. Laymann. in cit. c. Admonet nnm. 2. h. t.

Cæterùm quod dictum eſt, Clericos non poſſe dimittere ſua beneficia, iiſque renunciare, ſine cnnſenſu Epiſcopi, id extenditur 1. Ut prncedat non ſolùm in ijs Clericis, qui beneficium Eccleſiaſticum obtinent, ſed etiam in ijs, qni tantùm ſervitio alicnjus Eccleſiæ, aut pij loci in Ordinatione, pro illins neceſſitate, vel utilitate, ſnnt aſcripti, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 16. de refnrm. Nam nec tales locum illum deſerere debent, ſine conſenſu Epiſcopi; alioquin eis ſacrorum exercitium eſt interdicendnm, ut habetur in Trident. c. l. Fagnan. in cit. c. Admonet 4. n. 15. h. t. 2. Nnn ſnlùm Clerici, ſed etiam Laici, qui Hnſpitalium adminiſtrationem babent, non poſſunt eam ſuſcipere, nec deſerere, ſine licentia Diœceſani, cùm & illa ſint ſub cura, & diſpnſitione Epiſcnpi. c. De Xenodochijs 3. de religioſ. dom. etiamſi per laicns adminiſtrentur, Clement. 2. eod. Hnſtienſ. in cit. c. Admonet; V. Clericis, & Joann. Andr. ibidem, num. 3. Fagnan. n. 16.

LVIII. Aſſertio 2. Sed & beneficinm litigioſum poſſe reſignari, ſine auctoritate Superioris, etiam poſt collationem, aut inſtitutionem, ſi quis jus in beneficin verè, ac prnbabiliter dubium habeat, affirmant communiter DD. qnia tunc ceſſat præjudicium Superioris, cùm non conſtet poſſidentem habere jus in re, & dubius ſit litis eventus, ideóque cùm talis renunciatio ſit favorabilis, per quam in cauſa dubia receditur à lite, faciliùs admittenda eſt. Abb. in c. Qnnd in dubijs; 8. num. 4. h. t. Pariſ. c. l. n. 104. Garcias p. 11. de benefic. c. 3. num. 209. & alij. Sed contrarium quoque probabile eſt, tum quia generalis regula eſt, quòd reſignatio beneficij acquiſiti, ſine Superioris auctoritate, fieri non debeat, à qua nulln jure reperitur exceptum heneficiũ litigioſum. Tum quia cùm Eccleſiarum interſit, ut Epiſcopus, ſeu Ordinarins cngnoſcat cauſam reſignationis, præſertim ſi beneficia ſint curata, utrùm nimirum expediat Eccleſiæ, nécne: & num facta ſit ſponte, ac liberè, ſine metu, aut coactione, vel pacto ſimoniaco; ideo melius eſt, ut reſignatio beneficij

Digitized by Google

ficij non ſit firma, nec effectum ſortiatur, niſi priùs ab Ordinario fuerit approbata, aut ratificata: quamvìs faciliùs admittendæ ſint reſignationes beneficiorum, ſi cauſa ſit dubia, ſeu litigioſa, ut lis componatur, & concordia ſervetur. Laym. in cit. c. Admonet num. 2.

LIX. Aſſertio 3. De Clerico criminoſo quoque dubitatur, an renunciare poſſit beneficio, abſque Superioris auctoritate? In qua re certum eſt, Epiſcopum propter nullum crimen, quantumvis grave, renunciare poſſe, abſque auctoritate Papæ, adeóque etiam hoc caſu licentia requiritur. c. Niſi 10. h. t. ubi dicitur, quòd propter conſcientiam criminis cedendi licentia poteſt, ſeu debet poſtulari, & c. Poſt translationem; 11. §. Rurſus; & §. Quanquam; verſ. unde quidam; eodem, & ibi notat gl. V. non valebat, & clariùs habetur in cap. Denique Suffredus; c. 6. q. 3. Quoad alios verò criminoſos non Epiſcopos, diſtinguendum eſt. Vel enim crimen eſt tale, propter quod reus non ipſo jure, ſeu facto, beneficio privatus exiſtit, ſed privandus eſt per ſententiam Judicis; & tum ſinè auctoritate Superioris renunciare non poteſt. Vel crimen eſt tale, propter quod reus privationem beneficij ipſo jure, ſeu facto incurrit: & tunc, vel reus caret titulo beneficij, tam vero, quàm putativo, ſeu colorato, ut quia jam per ſententiam Judicis declaratum eſt ipſum crimen incurriſſe: & hoc caſu poteſt criminoſus renunciare, ſine auctoritate Superioris, quia non renunciat titulo beneficij, quem non habet, ſed tantùm injuſtæ poſſeſſioni: Vel reus caret quidem titulo vero, non autem putativo beneficij, quia ſcilicet, ob crimen commiſſum, reverâ jus, ac titulum beneficij amiſit: poſſeſſionem tamen retinet, donec ſententia declaratoria criminis lata ſit, & ſic titulum ſaltem putativum, ſeu communiter exiſtimatum habet, cùm regulariter nullum crimen ipſo jure, ſeu facto privationem inducat, ipſaque poſſeſſione privet, ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis: & hoc caſu requiritur auctoritas Superioris ad renunciandum, non quidem ad hoc, ut reſignetur jus, ac verus titulus beneficij, qui non ampliùs adeſt, ſed propter titulum putativum, ſeu coloratum, qui adhuc ſuppetit. Abb. in cit. c. Niſi; n. 5. Pariſ. cit. l. 7. q. 2. n. 8. & ſeqq. & alij.

Requiritur tamen, ut qui titulum putativum habet in beneficio, illum legitimâ Superioris auctoritate acceperit, etſi non verum, ob delictum, ſeu defectum occultum: nam ſi intruſus ſit, & propriâ auctoritate beneficium occupârit, poteſt, ac debet beneficium dimittere, abſque alia licentia Superioris, quia titulus putativus, ſive qui communiter verus reputatur, niſi proveniat à legitimo Superiore, nihil prodeſt, nec geſta cum tali titulo valent, aut ſuſtinentur, ob errorem, ſeu opinionem communem, Fagnan. in cit. c. Niſi cùm pridem n. 32. & ſeqq. h. t. & alij apud ipſum. Talis intruſus Papa eſt, qui in ſchiſmate electus eſt. c. 1. de Schiſmatic. & Epiſcopus, qui Epiſcopatum accepit per regiam ordinationem. c. Si per ordinationem; 5. diſt. 63. c. Si quis 12. cauſ. 16. q. 7.

LX. Aſſertio 4. Si Beneficiatus Religionem ingredi velit, ſufficit licentiam petere ab Epiſcopo, ſeu Ordinario, & licèt eam non obtineat, tranſire poteſt ad Religionem, quia jus ipſum Pontificium tranſeundi poteſtatem facit, ſi Epiſcopus eam neget, arg. c. Licèt 18. de Regularib. gl. fin. in cit. c. Admonet; h. t. & Jo. Andr. ibidem n. 8. & Abb. circa finem. Sicut enim poteſt quis à laxiore religione tranſire ad ſtrictiorem, licentiâ à Superiore petitâ, etſi non obtentâ, cit. c. Licèt; ita etiam poteſt quis ab Eccleſia ſeculari tranſire ad religionem, ſolâ licentiâ petitâ, quamvis illam non obtinuerit. Nec obſtat, quòd potiùs deberet quis poſſe tranſire ad dignitatem Eccleſiaſticam, etiam ſinè licentia Superioris, ob publicam utilitatem, quàm ad religionem, in qua vertitur ſolùm privata utilitas. Verùm in priore tranſitu præſumitur intervenire ambitio; quæ præſumptio ceſſat in poſteriore. Abb. c. 1. Per ipſam autem profeſſionem tacitè facta renunciatio beneficij, etiam ſine auctoritate Superioris, valida eſt, licèt tutius, & convenientius ſit, ut expreſsè fiat coram Superiore, quàm tacitè per profeſſionem, Pariſ. l. 7. q. 4. Porrò renunciatio beneficij facta ante profeſſionem, abſque licentia Epiſcopi, vel Vicarij ejus, invalida eſt de jure novo Concilij Tridentini Seſſ. 25. de Regularibus c. 16. & conſtat ex ſuprà dictis.

LXI. Aſſertio 5. Præterea etſi per adeptionem ſecundi beneficij incompatibilis, ipſo jure vacet primum, c. De multa 28. de præbend. debet tamen illud dimitti coram Superiore, ſive in manibus illius, adeóque etiam in hac tacitâ renunciatione auctoritas Superioris requiritur, alioquin poterit Superior primi beneficij acceptantem ſecundum, ſine conſenſu ipſius, revocare ad primum beneficium, quod abſque ejus auctoritate dimittere non potuit, juxta Extravag. Execrabilis; Joan. XXII. §. Qui verò; de præbend. ubi ſic ſtatutum eſt: Qui verò deinceps » receperint dignitatem, vel perſonatum, ſeu offi- » cium, aut aliud beneficium animarum curam ha- » bens annexum, ſi anteà ſimile beneficium obtine- » bant, illud (quo ipſo jure poſtquam ſecundi poſ- » ſeſſionem habuerint, vel per eos, omni dolo, & » fraude ceſſantibus, quò minùs habeant ſteterit, » privati noſcuntur) abſque moræ diſpendio, in Or- » dinariorum manibus dimittere debeant, parimo- » do, &c. Abb. in c. Ex ore; num. 10. de his, quæ fiunt à majore parte Capit. & in c. Quod in Dubijs; n. 9. h. t. Pariſ. cit. l. 7. q. 3. Ratio eſt, quia expreſſi, & taciti eadem eſt virtus. l. Cùm quid; 3. & ibi Gothofr. lit. C. ff. de rebus creditis. Nec obſtat textus in cit. c. Ex ore; ibi: *Juri ſuo renunciâſſe videtur:* Nam vel ibi intervenit tacitus conſenſus Superioris, ut ait Abb. ibid. vel licèt ibi non fiat mentio de Superiore, non tamen etiam negatur interveniſſe auctoritatem Superioris, ſed potiùs id ſupponitur, quia actus in dubio cenſetur factus ſecundùm generalem diſpoſitionem juris, Pariſ. c. l. num. 4. & 5.

Idémque dicendum de electo ad aliam Eccleſiam: nam etſi talis poſſit eligi, & electioni de ſe factæ conſentire, etiamſi electus ſit ad Eccleſiam alterius Diœceſis: non tamen poteſt actu tranſire ad aliam Eccleſiam, ſine licentia ſui Superioris, alioquin revocari poteſt, & ſi admonitus non redierit, excommunicandus eſt. c. Si qui verò; 23. & ſeq. cauſ. 7. q. 1. cit. c. Admonet; & hæc eſt canonica ultio, de qua

ibi fit mentio. Hoſtienſ. ibid. §. Verùm. & Jo. Andr. n. 23. Liberum autem erit Epiſcopo, ſeu Prælato, ad quem pertinet prima Eccleſia, eum, qui tranſivit, revocare ad primam Eccleſiam, vel denegatâ ei licentiâ tranſeundi ad ſecundam Eccleſiam, eum retinere in prima, quippe cui non præjudicat ipſius tranſitus. Innocent. in cit. c. Admonet; n. 1. h. t.

Non obſtat c. De multa; 28. de præbend. ubi habetur, quòd per tranſitum ad ſecundam Eccleſiam prima vacat ipſo jure: nam id intelligendū eſt, quando quis tranſit, cùm licentia ſui Prælati, alioquin non vacat prima, licèt eâ privari poſſit, c. pen. & ult. de Cleric. non reſident. Quòd ſi Clericus beneficiatus tranſeat ad aliam Eccleſiam ejuſdem Diœceſis, ſufficit tacitus conſenſus ſui Superioris, ſeu Prælati: ſi verò ad Eccleſiam alterius Diœceſis, requiritur expreſſus. Hoſtienſ. in cit. c. Admonet; V. detinere; §. Sed ſi in eodem; Jo. Andr. n. 5. Fagn. ibid. n. 13. Porrò ſi beneficiatus ad majus beneficium eligatur, aut promoveatur, videlicet ad dignitatem, vel Prælaturam, vel beneficium curatum, non poteſt Epiſcopus eum impedire, ſi nullum ei obſtet canonicum impedimentum: quòd ſi petitam licentiam Epiſcopus deneget malitioſè, & ſine juſta cauſa, compellendus eſt per Superiorem ejus ad eam concedendam. gl. fin. in cit. c. Admonet; arg c. Nullus; 17. de jure patronat.

LXII. Sed alia hîc quæſtio occurrit, quam proponit Fagn. in cit. c. Admonet; n. 23. & ſeqq. h. t. An obtinens beneficium poſſit illud dimittere, acceptando aliud beneficium compatibile, invito Superiore primi beneficij, & ſic tacitè illud reſignare. Et reſpondet diſtinguendo: vel beneficium, quod quis vult reſignare, eſt curatum, vel ſaltem requirit perſonalem reſidentiam, ſive annexam habet certum perſonale ſervitium: & non poteſt, invito Superiore, illud dimittere aut reſignare, nec ſimpliciter, & expreſsè, nec tacitè, acceptando aliud beneficium priori incompatibile: quia quamvis dubium ſit, an per adeptionem hujuſmodi ſecundi beneficij vacet primum, quoad ipſum renunciantem; non tamen vacat, reſpectu Superioris, & in præjudicium ejuſdem. Vel eſt beneficiū omnino ſimplex, non requirens reſidentiam, vel ſervitium perſonale; & poteſt illud reſignare ſimpliciter, quia horum beneficiorum collatio fit principaliter ad utilitatem eorum, quibus conferuntur, adeóq; videntur, etiam invito Superiore, illa poſſe reſignari, quia quiſque poteſt liberè renunciare ei, quod pro ſe principaliter eſt introductum. c. Ad Apoſtolicam; 16. de Regul. l. Si quis; 29. C. de pact. ergo multò magìs poterit illud reſignare, acceptando aliud beneficium.

Nec obſtat Concil. Trident. Seſſ. 24. de reform. c. 17. ubi prohibetur, ne habenti unum beneficium ſufficiens ad ſuſtentationem aliud conferatur. Nam hoc intelligi debet de eo, qui utrumque vult retinere, non de illo, qui primum reſignat, vel vult reſignare. Idque confirmatur, quia in hujuſmodi beneficijs ceſſat ratio, ob quam Clerici non poſſunt reſignare ſua beneficia, invito Superiore, quia id cederet in præjudicium Superioris; & cùm talia beneficia non requirant perſonalem reſidentiam, aut certum ſervitiū, non poteſt Superior prætendere ullum intereſſe, vel præjudiciū ex eorū reſignatione ei obveniens, ideóq; neque ea obtinentes cogere poteſt, ut reſideant in Epiſcopatu, ut cenſuit S. Congregatio præpoſita negotijs Epiſcoporum, & Regularium apud Fagn. cit. loc. n. 34. adeóq; ceſſante ratione in his beneficijs, ceſſare etiam debet juris diſpoſitio. Quare prædicta Conſtitutio in cit. c. Admonet h. t. prohibens, ne Clerici, ſine conſenſu Epiſcopi, dimittant beneficia ad ejus collationem pertinentia, intelligi debet loqui de perſonatibus, ut explicat Innoc. ibid. in princ. & alijs beneficijs incompatibilibus, non autem de beneficijs ſimplicibus, & compatibilibus, nec perſonalem reſidentiam, vel ſervitium requirentibus. Fagn. c. l. n. 36.

§. II.

An renunciatio beneficii facta, ſine Superioris auctoritate, ſit valida?

LXIII. Aſſertio 1. Renunciatio beneficij facta coram laico, adeóque non coram legitimo Superiore, irrita eſt, etiamſi renuncians illud à laico iterum receperit, prout ſtatutum habetur in c. Quòd in dubijs 8. h. t. ubi Innocentius III. Ita reſcribit: Hi qui beneficium Eccleſiaſticum ſibi collatum ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuo à laico receperunt, eodem beneficio ſunt ſpoliandi, licèt reſignatio facta nullam obtineat firmitatem. Requiritur autem, ut renunciatio ſponte, & non coactè facta fuerit, ut colligitur ex cit. c. ibi: *ſponte*, & c. Super eos. eod. quia ſi quis ex gravi metu reſignavit beneficium in manus laici, illud retinere poteſt, juxta c. Ad audientiam; 4. de his, quæ vi metúſve cauſ. &c. Hoſt. hic V. ſponte, aliquin verò ſi ſponte, ac liberè, eò privandus eſt per Judicis ſententiam, Hoſtienſ. hic V. ſpoliandi, adeóque non eſt privatus ipſo jure.

LXIV. Aſſertio 2. Si reſignatio cujuſcunque beneficij fiat, abſque legitimi Superioris auctoritate in manibus, non ſolùm laici, ſed etiam Clerici, cui tamen admittendi reſignationem poteſtas non competit, ea quidem aliquo modo valida eſt, ſcilicet in præjudicium, ſeu detrimentum renunciantis, quia ipſe non poteſt beneficium reſignatum repetere, ſed eo privari poteſt: invalida tamen, & nulla eſt, quoad Eccleſiam, ſeu Superiorem, coram quo reſignari debuiſſet, quia in arbitrio Eccleſiæ, ſeu Superioris eſt, utrùm renunciantem cogere velit ad retinendum beneficium reſignatum, non obſtante ejus renunciatione: an verò illam admittere, & ratam habere velit, & renunciantem compellere, ut beneficium dimittat, gl. in c. Quòd in dubijs; 8. V. in manum laicam h. t. & ibid. Innocent. n. 1. & Abb. n. 3. Pariſ. l. 7. de reſign. benef. q. 1. n. 12. & 33. & alij plerique, contra Hoſtienſ. ibid. Garciam p. 11. de benefic. c. 3. num. 223. & alios apud ipſum, qui dicunt renunciationem talem eſſe invalidam, etiam quoad ipſum renunciantem: dummodo renunciatio ſponte, & non coactè facta fuerit, ut colligitur ex cit. c. Super eo; 5. & cit. c. Quod in dubijs h. t. & Hoſtienſ. V. ſponte. Ratio eſt, quia actus illegitimè, ſive contra legem factus, ſicut non debet prodeſſe agenti, ne is ex ſuo facto illicito comodum ſentiat: ita neq; debet præjudicare, juri Superioris: ergo renunciatio beneficij contra Canones facta valere quidem poterit, in præjudicium renunciantis, quia is vide-

videtur feciſſe tacitum pactum de non repetendo beneficio, ſicut acceptilatio inutilis, etſi non teneat, habet tamen vim taciti pacti, ne petatur, l. Si unus 27. §. pen. ff. de pactis. Pariſ. cit. q. 1. n. 21. & meretur, ut beneficium, quod illegitimo modo deſeruit, repetere non poſſit, & damnum, quod ſuâ culpâ ſenſit, ſibi imputare debet: non autem erit valida in præjudicium Superioris, quia alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri, l. Non debet 74. ff. de R. I. Unde cùm dicitur reſignationem factam coram laico nullam obtinere firmitatem in cit. c. Quòd in dubijs; id intelligendum eſt reſpectu Superioris. Pariſ. c. l. n. 22. & 32. contra Abbatem, qui c. l. n. 8. ait, renunciationem factam in manibus Clerici non Superioris eſſe ſolùm nullam, quoad Superiorem; factam verò in manibus laici eſſe nullam ipſo jure, juxta cit. c. Quòd in dubijs. Idque confirmatur ex eo, quia ſponte reſignantes in manum laicam ſpoliandi ſunt beneficio. c. jam cit. ubi dicitur: *beneficio ſpoliandi ſunt*; ſcilicet per ſententiam Judicis, ſaltem declaratoriam, ac proinde ejuſmodi renunciatio non eſt omnino irrita ipſo jure, neque ſic reſignantes ſunt privari beneficio ipſo jure; alioquì renunciatio beneficij facta in manibus laici, videretur aliquem effectũ eſſe ſortita, quod inconveniens foret. Pariſ. c. l. n. 36. Laym. in cit. c. Quòd in dubijs; n. 1. Porrò renunciatio facta in manibus alterius, quàm legitimi Superioris, ſive Clerici, ſive etiam laici, præjudicat renuncianti quoad poſſeſſionem, quia illam amittit, non item quoad proprietatem, ſeu jus beneficij, quia hoc non amittit, priuſquam Superior renunciationem ratam habeat, & renunciantem privatum declaret, ob delictum commiſſum in renunciando, ſine conſenſu legitimi Superioris; ideóque beneficium, ante hanc ſententiam declaratoriam privationis, nondum vacare cenſetur, & conſequenter nec conferri poteſt, nõ exſpectatâ licentiâ Superioris, nec ab alio ut vacans impetrari, ſed interim eſt quaſi in pendenti, & ſuſpenſa, ſive vacatio pendet à judicio, & voluntate Superioris. Abb. in cit. c. n. 8. Pariſ. c. l. n. 28. & 38. & 39. Ratio eſt, quia poſſeſſio nihil habet ſpiritualitatis, vel vinculi indiſſolubilis, ideóq; renuncians poteſt illã perdere, ſine Superioris licentia, cui per hoc nihil præjudicatur: ſecus eſt in proprietate, ratione cujus Clerici titulum perpetuũ acceperunt in beneficio, & regulare eſt, ut in beneficijs attendatur titulus, & non poſſeſſio, quæ etiam faciliùs perditur, quàm proprietas. l. *Si* quis vi; 17. §. Differentia ff. de acquirend. poſſeſſ. Abb. c. l. Pariſ. c. l. num. 39. 45. & 46.

LXV. Quod autem dictum eſt, renunciationem beneficij, abſque legitima Superioris auctoritate, fieri non debere, neque factam valere, reſpectu Eccleſiæ, ſeu Superioris, id limitandum eſt, niſi talem renunciationem Superior poſtea approbet, & ratam habeat, tunc enim ſubſiſtit. Pariſ. cit. q. 1. n. 48. ex cõmuni & ab omnibus recepta ſententia. Ratio eſt, quia renunciatio facta coram non Superiore annullatur, ob præjudicium & injuriam, quæ fit ipſi Superiori, quam is remittere poteſt. l. pen. C. de pact. adeóq; ratam habere ceſſionem, ſi velit, quamvis ad id non teneatur, ut colligitur ex c. ult. h. t. neq; poteſt renuncians coram non Superiore, redire ad beneficium ſic reſignatum, niſi Superior conſentiat. Pariſ. c. l. n. 51. Solet tamen faciliùs admitti, & ratificari renunciatio beneficij facta coram Clerico, quàm corã laico, quia in illo minùs ſpernitur auctoritas Superioris Eccleſiaſtici, quàm in hoc, qui juriſdictionis Eccleſiaſticæ eſt incapax. Pariſ. c. l. n. 52. Nec obſtat, quòd id, quod ipſo jure nullum eſt, ratum haberi non poſſit. Nam inprimis renunciatio talis non eſt ipſo jure nulla: deinde non eſt abſolutè, & omnino nulla, ſed ſolùm reſpectu Superioris, ut ſuprà dictum.

Porrò, ſi Superior ſciens Prælatum, vel alium Beneficiatum reſignâſſe, & propriâ auctoritate diſceſſiſſe, non contradicat, neque illum intra ſex menſes revocet, cenſetur ejus renunciationem approbare & ratam habere, ideóque electores, vel collatores beneficium reſignatum alteri conferre, vel alium eligere poſſunt, vel ob negligentiam iſtorum, ipſe Superior ad novam proviſionem procedere poteſt: quamvis conſultius ſit, ut priùs admoneatur Ordinarius, quàm tale quidpiam inferiores collatores, vel electores attentent. Innocent. in c. Admonet 4. n. 2. h. t. Jo. Andr. ibid. n. 13.

LXVI. Aſſertio 3. Renuncians beneficio, in manibus Clerici non habentis poteſtatem admittendi renunciationem, dum res integra eſt, id eſt, ante admiſſionem, ſive antequam legitimus Superior ſuam auctoritatem interpoſuit, poteſt pœnitere, & renunciationem revocare; quia non eſt effectum omnino ſecuta. arg. l. Is qui 3. & l. Quem pœnitet; 3. ff. de ceſſion. bon. Tholoſan. in Inſtitut. rei benef. c. 31. n. 11. Verùm ſi renunciatio facta ſit coram laico, poteſt renuncians à Superiore privari beneficio, licèt pœnitentiâ ductus renunciationem revocaverit, in pœnã delicti, quòd ſine conſenſu Superioris reſignare voluerit, ut colligitur ex cit. c. Quòd in dubijs; Laym. de elect. Prælat. q. 228. & in cit. c. Quòd in dubijs n. 2. Quamvìs probabiliter etiam dicatur, renunciantem beneficio in manu laici poſſe revocare renunciationem, antequam ea admiſſa eſt à legitimo Superiore, niſi renuncians ab eodem laico beneficium, cui renunciavit, denuo ſuſceperit; cùm Jure Canonico aliud non ſit expreſſum, quàm quòd hi, qui beneficiũ Eccleſiaſticum ſibi collatum ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuò à laico ſuſceperunt, eodem beneficio ſint privandi, prout habetur in cit. c. Quòd in dubijs. Nam cùm hoc majus delictum ſit, ideo in pœnam hujus temeritatis, beneficio à laico denuò recepto privandi ſunt. Unde cùm pœnæ non ſint extendendæ, renuncians ſolùm in manibus non Superioris, etiam laici, non videtur ob hoc privandus eſſe beneficio ratione delicti: quamvìs renunciatione per Superiorem legitimum admiſsâ, & ratificatâ, ſaltem antequam renunciationem illam revocaverit, poſſit renuncians ab illo amoveri tanquam vacante per renunciationem. Garc. cit. c. 3. n. 231.

LXVII. Prædictis addendum, quòd antequam Ordinarius poſſit conferre alteri beneficium, coram alio, quàm legitimo Superiore reſignatum, debet renunciantem citare, & per ſententiam privare beneficio, ut colligitur ex cit. c. Quòd in dubijs; h. t. & ibid. Innocent. n. 1. Gregor. Tholoſan. cit. c. 31. n. 11. Idque ſaltem fieri debet, ſi Beneficiatus renunciavit in manu laici, juxta cit. c. Quòd in dubijs: Si verò in manu Clerici, & renunciationem non revocavit, poteſt Superior Beneficium alteri conferre, etiam non vocato reſignante, quia quantum eſt ex par-

parte illius, reſignatio eſt valida, ac proinde ad plenum effectum ejuſdem ſolùm requiritur, ut Superior verbis, vel ipſo facto declaret; ſe velle renunciationem admittere, ſeu ratam habere: quamvis conſultum ſit, ut renuncians citetur; quò appareat, utrum ſponte & nullo metu cogente, & liberè, nullo interveniente ſimoniaco pacto, reſignaverit, nécne: nam hoc caſu renunciatio etiam omnino irrita eſt, & renuncians per ſententiam Judicis beneficio privari poteſt. Laym. in cit. c. Quòd in dubijs n. 3. Procedunt autem hactenus dicta ſolùm in beneficijs jam acquiſitis, non autem in acquirendis, in quorum renunciatione non requiritur auctoritas Superioris, ſed ſubſiſtit etiam ſine illa; quià in beneficijs acquirendis non adeſt tam arctum vinculum, & obligatio beneficiati cum Eccleſia, vel beneficio, ſicut in beneficijs jam acquiſitis; & faciliùs tollitur jus quærendum, quàm quæſitum. Innocent. in cit. c. Quòd in dubijs n. 1. & Abb. n. 4. Pariſ. cit. q. 1. n. 74. & 75. & patet ex ſuprà dictis n. 56.

§. III.

Quinam habeant poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum, vel non?

LXVIII. Aſſertio 1. Renunciatio beneficij non poteſt fieri coram laico, qui illam admittere non poteſt, ſed facienda eſt, in manibus Superioris Eccleſiaſtici, qui illam recipere poteſt, ut ſumitur ex cit. c. Quòd in dubijs; ubi dicitur, quòd reſignatio facta laico nullam obtineat firmitatem. Ratio eſt, quia laicus non poteſt eſſe, aut dici Superior, reſpectu Clericorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, cùm ei nulla juriſdictio, aut poteſtas competat in Clericos, eorúmque res, & jura; quippe quæ ex objecto ſuo eſt poteſtas ſpiritualis: renunciatio autem beneficij fieri debet in manus Superioris, & ab eo admitti. Pariſ. lib. 7. quæſt. 8. num. 1. & ſeqq. Quare neque Clericus in manibus laici beneficium reſignare poteſt, etiamſi is ſit Notarius Cameræ, vel Cancellariæ Apoſtolicæ, vel Patronus, cui ratione juris patronatûs, poteſtas admittendi renunciationes non competit; vel in dignitate quamvis Regiâ, vel Imperatoriâ ſit conſtitutus, niſi ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ in fundatione, ſeu dotatione Eccleſiæ, conceſſo jus recipiendi reſignationes Regibus, vel Imperatoribus competat. Pariſ. c. l. num. 10. & ſeqq. Eſt autem renunciatio beneficij facienda in manibus illius Superioris Eccleſiaſtici, & ab illo admittenda, ad quem pertinet non tantùm jus, ſive poteſtas conferendi beneficia, vel inſtituendi Beneficiatos, ſed etiam eoſdem deſtituendi, ſeu deponendi, adeóque qui juriſdictionem habet in renunciantem. gl. in Clement. unic. V. manibus; h. t. Innocent. in cit. c. Quòd in dubijs; num. 3. Abb. ibidem. n. 6. Azor cit. c. 19. quæſt. 7. Tholoſan. cit. c. 31. n. 11. Ratio eſt, tum quia renunciatio habet vim deſtitutionis, cùm per eam renuncians deſinat eſſe intitulatus, ſive titulum beneficij amittat, ideóque non poteſt fieri, niſi coram eo, nec admitti, niſi ab illo, qui habet poteſtatem deſtituendi, ſive privandi renunciantes: tum quia is, cui competit poteſtas admittendi reſignationes, debet cognoſcere de cauſis renunciationis, quæ cognitio ad eum tantùm pertinet, qui obtinet juriſdictionem in renunciantes, ita, ut eos etiam invitos deſtituere, ſeu privare poſſit: cujuſmodi poteſtatem quaſi Epiſcopalem habent quidam Prælati exempti. Pariſ. cit. l. 7. q. 10. num. 6. & 7.

LXIX. Hinc infertur, ei, cui ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine præſcriptâ competit jus & poteſtas conferendi beneficia, non ideo etiam competere poteſtatem recipiendi reſignationes, niſi ſimul etiam obtinuerit per privilegium, vel legitimam præſcriptionem poteſtatem deſtituendi, ſive amovendi Beneficiatos. Joan. Andr. in c. Cùm ex injuncto, 12. n. ult. de hæretic. Abb. ibid. n. ult. Pariſ. cit. l. 7. q. 10. n. 9. & 21. Sicut Electores imperij non poſſunt recipere renunciationem Imperatoris, quia illum deſtituere, ſive deponere non poſſunt. Pariſ. c. l. n. 25. ex Baldo. Ratio eſt, quia beneficia conferre, aut Beneficiatos inſtituere, & eoſdem deſtituere, ſive deponere, adeóque Beneficiatorum reſignationes recipere, ſunt diverſa jura, & poteſtates, quæ frequenter, non ad eundem, ſed ad diverſos ſpectant: ergo ex eo quòd alicui ex ſpeciali privilegio, vel legitimâ præſcriptione competit poteſtas conferendi beneficia, non ſequitur etiam ad eundem pertinere jus deſtituendi, ſeu deponendi, & reſignationes recipiendi, quod majus eſt: nam privilegia, & jura per præſcriptionem acquiſita, præſertim ſi ſint contra facultates Epiſcopis Jure communi conceſſas, adeóque Juri communi adverſæ, ſtrictæ interpretationis ſunt, ita, ut non debeant extendi ad caſum, ſeu actum diverſum. Pariſ. c. l. Solet tamen non infrequenter etiam accidere, ut hæ duæ poteſtates in collatoribus Epiſcopo inferioribus ſint conjunctæ, ita, ut ſicuti beneficia conferre, ita etiam illorum reſignationes, maximè ſi ſimplicia ſint, recipere poſſint. Layman. in c. Admonet; 4. num. 7. h. t. Quare quando DD. quidam generatim aiunt, quòd reſignationes beneficiorum fieri debeant in manibus ejus, ad quem pertinet collatio, vel inſtitutio: gl. in Clement. unic. V. manibus h. t. Sylveſt. V. renunciatio q. 3. & alij: id non ita intelligendum eſt, quaſi ſecundùm Canones ad eos ſemper pertineat acceptare reſignationes, ad quos jure ordinario pertinet beneficia conferre, aut beneficiatos inſtituere: ſed quia ita fieri plerumque ex recepta conſuetudine ſolet, ſaltem loquendo de beneficijs ſimplicibus, v. g. Canonicatibus, quos ſi Capitulum, v. g. independenter ab Epiſcopo conferat, eorundem etiam reſignationes recipere ſolet, ut praxis teſtatur. At verò quod ad beneficia curata attinet, quorum inſtitutio, & depoſitio fieri non debet, ſine conſenſu Epiſcopi, in Eccleſijs ſuæ juriſdictioni, & curæ ſubjectis, neque eorum reſignatio, ſine conſenſu ejuſdem, admitti debet, ut colligitur ex cit. c. Admonet; & cap. 1. de Capell. Monach. & c. unic. eodem in 6. Layman. cit. loc.

LXX. Aſſertio 2. In ſpecie autem poteſtas inſtituendi, ac deſtituendi, ſeu deponendi, & per conſequens

quens etiam admittendi renunciationes quorumcunque beneficiorum, in tota Eccleſia, & quocunque tempore, etiam in menſibus locorum Ordinariis conceſſis, competit inprimis S. Pontifici, quia ipſe in beneficialibus plenam poteſtatem babet diſponendi, & eſt ſupra jus; & facultas ab ipſo Ordinariis conceſſa, non privativè, ſed cumulativè data videtur. Eſt communis ſententia apud Pariſ. cit. l. 7. q. 11. n. 1. & ſeqq. Porrò quædam ſunt beneficia, quæ coram ſolo Papa reſignari poſſunt; veluti Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus: quia & ſolus S. Pontifex Epiſcopos, iiſque Superiores privare, ac deponere poteſt, & vinculum conjugii ſpiritualis inter Epiſcopum, & Eccleſiam contractum diſſolvere, ut colligitur ex c. 1. & 2. de tranſlat. Epiſc. & c. Niſi cùm pridem; 10. h. t. Pariſ. c. l. n. 12. & ſeqq. quamvis olim ſicuti licebat Epiſcopos in Concilio Provinciali deponere, c. 2. cauſ. 21. q. 5. c. Si Epiſcopum; 3. cauſ. 16. q. 6. cauſ. 1. & 2. cauſ. 6. q. 4. c. Si quis Epiſcopus; 6. cauſ. 11. q. 3. ita etiam poterat Primas, vel Archiepiſcopus, cum Concilio Provinciali, reſignationes Epiſcoporum admittere, & licentiam cedendi eis dare, ut conſtat ex c. Denique; 3. cauſ. 6. q. 3. hodie tamen ſicut depoſitiò, ita & admiſſio ceſſionum ſpectat ad S. Pontificem. Pariſ. c. l. n. 23. & ſeqq. Item beneficia majora, poſt Pontificales, in Cathedralibus, & Metropolitanis, & Patriarchalibus; nec non Principales in Collegiatis Eccleſiis, nonniſi coram S. Pontifice reſignari poſſunt, quia hujuſmodi dignitates ſunt reſervatæ Papæ, ſecundùm Regulam 3. Cancellariæ Apoſtolicæ: niſi conſuetudo, vel privilegium aliud in hac re obtineat. Alia autem beneficia S. Pontifici reſervata per reſervationes generales incluſas in Corpore Juris, vel per particulares, poſſunt reſignari coram locorum Ordinariis, etſi hi illa conferre nequeant, ſed collatio eorum ad ſolum Papam ſpectet, juxta deciſionem 30. Rotæ Rom. de præbend. in antiquis. Ratio eſt, quia per reſervationem aufertur tantùm Epiſcopis poteſtas conferendi beneficia illa, non autem admittendi renunciationes beneficiorum reſervatorum, cùm reſervationes ſint odioſæ, ideóque reſtringendæ. Pariſ. c. l. n. 32. & 33.

Denique beneficia exempta, ſeu Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, etiam coram ſolo S. Pontifice reſignanda ſunt. gl. in c. Si Abbatem; 36. V. deſerendi de elect. in 6. Quia Superior exemptorum ſolus eſt Papa. c. Auctoritate; 4. junctâ gl. V. Sedis Apoſtolicæ, & gl. marg. de privileg. in 6. ad quem ſpectat eorundem inſtitutio, & deſtitutio, & per conſequens etiam admiſſio renunciationum, quia Ordinarij non poſſunt ſe in his beneficiis ingerere. Pariſ. c. l. num. 35. & 36.

LXXI. Et hinc ſi Abbas Monaſterij exempti, ſive immediatè ad Romanam Eccleſiam pertinentis, eíque ſubjecti, quia v. g. inſufficientem ſe cernit oneri regiminis Abbatiæ ferendo, ei cedat, & renunciet in manibus Conventualium ſuorum, ideóque ipſi alium in Abbatem eligant, non ſolùm ceſſio eſt irrita, cùm Abbas talis, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, cedere non potuerit, ſed etiam electio novi Prælati à Conventu facta invalida eſt, & inanis, ideóque Abbas cedens in locum ſuum reſtitui debet: quo integrè reſtituto, ex permiſſione Papæ, poterit à delegatis ipſius, vice & auctoritate Papæ, ceſſio eiuſdem Abbatis recipi. Ita habetur in c. ult. h. t. Hinc patet, quòd ſi non valuit renunciatio Prælati, quia facta eſt in manibus Conventualium, ſine conſenſu legitimi, & immediati Superioris; coram quo fieri debuiſſet, (qualis in propoſito caſu fuit Papa,) tum conſequenter neque electio novi Prælati à Conventu facta valere poteſt, quia univerſim loquendo, ſi aliquis non eſt legitimè deſtitutus, ſive amotus, non poteſt alius in locum illius legitimè inſtitui: & cùm principale non ſubſiſtit, nec acceſſorium, ſive id, quod ex eo ſecutum eſt, ſubſiſtere poteſt. gl. fin. in cit. c. Quamvis autem in allato caſu Papa ceſſionem Abbatis in manibus Conventualium factam approbare, & ratam habere potuiſſet, non tamen illam approbavit; ſed juſſit eum in locum ſuum reſtitui, & poſtea iterum renunciare in manibus Epiſcoporum à ſe delegatorum, tum propter inſufficientiam illius ad regendum. gl. ibid. V. in manibus. arg. c. Hæc quippe; 16. cauſ. 3. q. 6. tum etiam ad refellendum errorem Conventualium, qui ceſſionem illam ratam, & firmam eſſe exiſtimârunt: ideóque quaſi Abbatia vacaret, ad novam electionem proceſſerunt. Laym. in tit c. ult. n. 1. Quòd ſi hoc caſu Papa priorem renunciationem in manibus Conventûs factam, ſine ſuo conſenſu, approbâſſet, nec mandâſſet iterum renunciare, tum potuiſſet Abbas petere à Monachis, ut obedientiam de novo ſibi promittant ad poſſeſſionem recuperandam Abbatiæ, quam per ceſſionem illam perdidiſſe videbatur. Abb. ibid. num. 4. arg. c. pen. h. t. Porrò alij Prælati, ut Priores, Quardiani, Rectores, non exempti, ſive immediatè ſubjecti Papæ, reſignare debent in manibus ſui Superioris regularis, v. g. Provincialis, vel Generalis. Barboſ. in Collect. c. ult. h. t. n. 2. & alij apud ipſum.

LXXII. Aſſertio 3. Præter Papam, Legati de Latere, quales ſunt Cardinales conſtituti Legati à S. Pontifice, ſicut conferre poſſunt beneficia, ita etiam eorundem renunciationes admittere, ut ſumitur ex c. Si Abbatem; 36. de elect. in 6. & c. 1. de officio Legati in 6. quia ſicut honoris prærogativâ lætantur, ſic eos auctoritate decet fungi ampliore. cit. c. 1. Etſi verò poſſint recipere reſignationes beneficiorum purè, & ſimpliciter factas, non tamen in favorem alterius, vel ſub conditione, niſi expreſſam à Papa habuerint facultatem. Rebuff. in praxi benefic. tit. de reſignat. conditionali n. 2. Et licèt nonnemo putet apud Rebuff. c. l. n. 5. quòd, ſi renunciatio beneficij fiat coram Legato à Latere, in favorem, poſſit is, rejectâ conditione, eam ſimpliciter admittere; contrarium tamen videtur verius, ut cenſet Rebuff. c. l. n. 7. Quia quando actus aliquis fit, adjectâ qualitate, vel conditione aliquâ, non poteſt pars illius actûs recipi, & pars eiuſdem reijci, ut docent Bartol. Jaſon & alij apud Rebuff. c. l. n. 7. Neque verum eſt, quòd illa clauſula: *in favorem talis*, debeat haberi pro non adjectâ, quia nulla clauſula, nec quidem unum verbum in diſpoſitione poſitum eſt, niſi aliquid operetur. Rebuff. c. l. n. 8. Alij verò Legati, ſive Miſſi à Sede Apoſtolica, qui Nuncij Apoſtolici vocantur, ſive Legati nati, quorum dignitati perpetuus honor legationis eſt annexus, non habent poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum, niſi ſpecialiter ea fuerit illis à S. Pontifice conceſſa, uti fieri ſolet, quoad certa bene-

ficia,teſte Pariſio l.7.q.13.n.9.10. & 11. quia hi Legati non habent poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi Beneficiatos. cit.c.1. de Legat.in 6. adeóque neque facultatem recipiendi renunciationes eorum,ex vi legationis ſuæ.

LXXIII. Aſſertio 4. Præterea Jure communi, & ordinario,ad Epiſcopum,ſive Ordinarium loci ſpectat jus,ſeu poteſtas inſtituendi,ac deſtituendi,ſive amovendi Beneficiatos,in Eccleſiis ſibi ſubjectis, & conſequenter etiam admittendi renunciationes omnium beneficiorum ſuæ Diœceſis, in his enim de Jure communi fundatam habet intentionem,ut colligitur ex c.2.&ſeqq.cauſ.10.q.1.c.Ex frequentibus; 3.de inſtitut.c.1.deCapell.Monach.c.Cùm ex injuncto;12.in fine,de hæreſie. & patet etiam ex c.Admonet 4. h.t. ſive ſint beneficia Juris patronatûs,ſive electiva, ſive merè collativa. Pariſ. cit.l.7.q.14.n.8.& ſeqq. Excipi debet, niſi vel beneficia ſint exempta à juriſdictione Epiſcopi, vel niſi non ſolùm quoad collationem,ſed etiam renunciationem ſint reſervata S.Pontifici : vel denique niſi ex conſuetudine, vel privilegio ad aliquem Epiſcopo inferiorem, præter poteſtatem inſtituendi, pertineat etiam poteſtas deſtituendi, ſeu deponendi beneficiatos, vel ſaltem admittendi renunciationes eorum : alioquin verò, extra hos caſus, ſemper ad Ordinarium loci pertinet recipere reſignationes beneficiorum, & horum renunciatio coram Epiſcopo facienda eſt, etiamſi eorundem collatio pertineat ad inferiorem Epiſcopo, videlicet ad Præpoſitum,velCapitulum Eccleſiæ Cathedralis, cùm poteſtas conferendi ex ſe non ſit neceſſariò connexa cum poteſtate deſtituendi, vel renunciationes admittendi : ſunt enim poteſtates diverſæ. Abb.in c.Quòd in dubiis 4. n.6. h.t. Ordinariorum autem nomine hîc comprehenduntur etiam illi, qui in Eccleſia, vel territorio aliquo juriſdictionem,ſeu poteſtatem quaſi Epiſcopalem obtinent, ad quos proinde etiam pertinet poteſtas inſtituendi, ac deſtituendi, ſeu deponendi, & conſequenter etiam renunciationes admittendi. Abb. cit. l. Pariſ. c. l. num.19.

Porrò Archiepiſcopus, ſive Metropolitanus non poteſt recipere renũciationes beneficiorum in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, niſi ratione appellationis, cùm ordinariè juriſdictionem in illis non habeat. c. Paſtoralis;11. in princ.de offic.Jud.Ordin. Sed neque Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt reſignationes admittere,niſi ſpeciale mandatum habeat. Pariſ.cit.l.7.q.24. n.1. & ſeqq. Coadjutor verò Epiſcopo datus ad ſpiritualia adminiſtranda, v. g. Epiſcopo ſeni, vel infirmo, ſicut poteſt conferre beneficia, cùm conſenſu Epiſcopi, ita & reſignationes recipere, cum conſenſu ejuſdem : ſi verò datus ſit Epiſcopo amenti, poteſt conferre omnia beneficia in Diœceſi illa vacantia, & deſtituere, & conſequenter etiam reſignationes beneficiorum recipere,quia tum generalem,& liberam poteſtatem adminiſtrandi habet. Pariſ. cit. l. 7. q.19.n.23. & ſeqq.

LXXIV. Aſſertio 5. Denique Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ Inſignis, etſi, Sede non vacante, non poſſit recipere renunciationes beneficiorum,etiam Canonicorum,cùm collatio & deſtitutio, adeóque etiam receptio renunciationum regulariter adPrælatum ſpectet. Abb.in c.Quòd in dubiis;8.n.6.h.t. & alij communiter.niſi ex privilegio, vel conſuetudine Capitulum haberet facultatem inſtituendi, & deſtituendi, ſeu deponendi in quibuſdam beneficiis: tum enim poſſet recipere reſignationes illorum beneficiorum. Abb.cit.l.Pariſ.cit. l.7.q.23.n.5. Veruntamen,Sede vacante,habet quoque facultatem admittendi renunciationes beneficiorum,quia poteſt invitum deſtituere, privando aliquem beneficio propter crimen,cùm in juriſdictione ſuccedat. c.Cùm olim;14.de majorit.& obedient. & ibid.Abb.n.2.Azor p.2.lib.7. c.19. q.7. & fuit deciſum à majore parte Auditorum Rotæ, ut habetur in deciſione 6. de rerum permut.in novis. Quod tamen limitatur procedere in ijs beneficiis, quorum collatio ſimul pertinet ad Epiſcopum,&Capitulum, ut declarat Rota l. c. Pariſ. c. l. n. 37. Præterquam ſi Capitulum, Sede vacante, eſſet in poſſeſſione conferendi, & recipiendi reſignationes omnium beneficiorum,etiam ſpectantium ad collationem ſolius Epiſcopi : tum enim poſſet conferre, & recipere reſignationes omnium beneficiorum. Pariſ.c.l.n.40.

LXXV. Ceterùm, quia Epiſcopi, vel etiam Archiepiſcopi Eccleſias ſuas Cathedrales, vel Metropolitanas reſignare debent in manibus ſolius Papæ, ad quem pertinet Epiſcoporum confirmatio, & deſtitutio, ſive privatio, & conſequenter etiam renunciationum ab illis factarum admiſſio,juxta ſupra dicta n. 68. Hinc oritur iſta quæſtio non ita pridem multùm agitata : An ſi Epiſcopus Germaniæ reſignet Epiſcopatum in manus Papæ, & reſignatio ab eo ſit acceptata, electio novi Epiſcopi ſpectet ad Capitulum Cathedrale ? an verò hoc caſu ad Papam pertineat proviſio,ſeu Epiſcopi inſtitutio, & conſtitutio? Quod poſterius expreſſum habetur in Concordatis Germaniæ inter Nicolaum V. S. Pontificem, & Imperatorem Fridericum III. & Principes Germaniæ initis,quæConſtitutio incipit: Ad Sacram;edita anno 1447.14.Calend.Aprilis.quibus inſerta fuit Conſtitutio Extravagans : Ad Regimen; cum certis modificationibus,tanquam pars illorum, quæ eſt Benedicti XI. & extat inter Extravag. communes de præbend. in qua inter alios plures caſus, qui liberæ diſpoſitioni,ac proviſioni Papæ, Auctoritate Apoſtolicâ,reſervantur, expreſsè etiam ponitur caſus renunciationis, ſi nimirum per Epiſcopos facta renunciatio, & admiſſa auctoritate Papæ extiterit,ibi: *Vel per eos facta renunciatio, & admiſſa auctoritate noſtrâ extiterit :* & pauló pòſt: *vel quorum electorum, vel poſtulatorum renunciationem admitti per nos, aut auctoritate noſtrâ continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque.* Ubi ſubintelligi debet, *nobis reſervamus*, prout in fine ponitur. Nam vel in illa Conſtitutione omnes caſus ibi expreſſi,& enumerati reſervantur liberæ diſpoſitioni,ac proviſioni Papæ,vel aliqui tantùm, vel nulli : Si primum, ergo etiam caſus renunciationis ibi reſervatur, & habetur intentum. Non ſecundum, quia cùm omnes caſus ibi expreſſi, & reſervati ponantur eodem verborum contextu & ordine,& pari modo dicantur reſervati, non poteſt ulla ratio excogitari, vel fingi,cur iſte potiùs caſus, v. g. reſignationis Epiſcopatûs à Papa admiſſæ, dicatur ibi non reſervatus,quàm alij, cùm tamen omnes alij immediatè præcedentes, & ſequentes expreſsè ſint, & dicantur reſervati. Neque etiam tertium dici poteſt, videlicet

delicet nullum ex caſibus ibi poſitis & enumeratis eſſe reſervatum liberæ diſpoſitioni Papæ, quia inprimis expreſsè repugnat ipſi litteræ & textui; & ſi nulla omnino eſſet reſervatio facta à Papa in Concordatis, fruſtrà & nugatotiè illis inſerta fuiſſet illa Conſtitutio ad Regimen, quippe quæ nullo omnino caſu effectum haberet, cùm tamen idem Papa Nicolaus V. expreſsè ibi præmittat: *Placet nobis ſuper Eccleſiarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum proviſionibus uti Iuris ſcripti reſervationibus, & Conſtitutionibus: Execrabilis; & : Ad Regimen modificatis, ut ſequitur:* quibus verbis apertè declaravit Pontifex, ſe reſervare ſuæ diſpoſitioni omnes caſus ibi expreſſos & poſitos. Quare cùm poſtea in iiſdem Concordatis §. Item placet nobis, conceditur, ut in Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis etiam immediatè non ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, fiant Electiones canonicè, quæ ad dictam Sedem deſerantur, id neceſſariò ita intelligendum eſt, quòd concedantur electiones, præter caſus in Extravag. Ad Regimen immediatè præcedente, & Concordatis inſerta exceptos, & expreſsè ibi Papæ reſervatos, cum quibuſdam modificationibus illius Extravagantis, prout continetur in Corpore Juris. Nam cùm ibidem nulla contineatur clauſula, nec ſpecialis, nec generalis derogatoria, vel revocatoria præcedentium, gratis, & ſine omni fundamento aſſereretur, ibi modificari, ſeu à reſervatione excipi unum, vel plures caſus reſervatos in Extravag. Ad Regimen immediatè præcedente: præterquam quòd planè abſurdum eſſet dicere, quòd Papa, quæ immediatè antè ſibi ſuæque diſpoſitioni reſervavit, poſtea ſtatim in eadem Conſtitutione iterum revocârit.

§. IV.

Quinam habeant poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum puras, ſeu ſimplices, aut conditionales?

LXXVI. Aſſertio 1. Renunciatio beneficij pura, ſeu ſimplex, non ſolùm coram Papa, ſed etiam coram Epiſcopis, aliiſque Ordinariis, aut ijs, quibus jus, ſeu poteſtas admittendi ex privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta competit, fieri poteſt: niſi qualitas beneficij reſignandi prohibeat reſignationem fieri coram alio, quàm S. Pontifice; nam tunc nec pura, ſeu ſimplex renunciatio coram Ordinario fieri poteſt, nec ab illo admitti, ut ſi reſignentur Epiſcopatus, à quibus diſcedere non licet Epiſcopis, ſine auctoritate & licentiâ S. Pontificis. c. pen. & ult. de transl. Epiſc. c. 1. & c. Niſi cùm pridem; 10. in fine h. t. Gregor. Tholoſan. in Inſtitut. rei benefic. c. 28. n. 6. Non eſt tamen, per ſe loquendo, illicitum, ſi reſignationi ſimpliciter, & ſine ullâ pactione, conditione, aut modo obligatorio factæ addatur deprecatio, ut beneficium reſignatum certæ perſonæ conferatur; neque ſimoniaca erit collatio tali perſonæ facta ad preces renunciantis, quia nihilominus liberum eſt collatori, conferre beneficium, cui voluerit. Tholoſan. c. l. n. 7. Navarr. in manuali c. 23. num. 107. verſ. 2. Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 2. c. 17. n. 6. Dixi per ſe loquendo; quia Pius V. nova Conſtitutione editâ prohibuit, ut ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno, futuri in beneficiis, & officiis hujuſmodi ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis, eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcunque intercedat, quæ incipit: Quanta Eccleſiæ Dei; edita anno 1568. Calend. Aprilis, & habetur apud Pariſ. l. 5. q. 6. n. 2. quamvis ſecluſâ hac Conſtitutione, & ubi ea non eſt recepta, id non ſit per ſe illicitum. Laym. cit. loc.

LXXVII. Aſſertio 2. Renunciatio beneficij in favorem certæ perſonæ, ſive ſub ea conditione facta, ut perſonæ à reſignante nominatæ cõferatur, v. g. Titio, ita, ut non habeat effectum, niſi ea conditio impleatur, non poteſt fieri, niſi in manibus Papæ, nec admitti ab inferioribus Prælatis Ordinariis. Rebuff. in praxi benefic. tit. de reſignat. condition. n. 1. & 14. Azor p. 2. Inſtit. l. 7. c. 21. q. 2. Tholoſ. cit. c. 28. num. 8. Suar. de ſimon. l. 4. c. 35. n. 6. Leſſ. l. 2. c. 35. n. 87. Garc. p. 11. de benef. c. 3. n. 154. & alij DD. communiter. Idque probatur ex ſtylo & uſu Curiæ Romanæ, ſeu communi conſuetudine, juxta quam hujuſmodi renunciationes ſunt reſervatæ Papæ, propter earum periculum, ne reſignationes, & collationes beneficiorum acquirant ſpeciem quandam ſucceſſionis hereditariæ, cùm affectus carnis vehementer impellere ſoleat ad reſignandum amicis, & conſanguineis: unde qui ſuum beneficium reſignat, eâ conditione, ut certæ perſonæ ſit conferendum, videtur ſibi ſucceſſorem in beneficio conſtituere, & nominare, quod SS. Canones maximè horrent, & improbant, ne Eccleſiaſtica beneficia quaſi teſtamento relinqui, aut hereditariæ ſucceſſiones in eis locum habere videantur, ut conſtat ex c. 1. de præbend. Deinde ſecundùm Jus commune, non poteſt beneficium aliquod de novo conferri, niſi priùs vacet, juxta c. unic. de rer. permut. in 6. & Clement. unic. eodem. Non poteſt autem vacare beneficium in favorem tertij reſignatum, donec perſonæ deſignatæ conferatur, quia non prius impletur conditio, unde etiam reſignans in favorem alterius non prius jus, ac titulum beneficij amittit, quàm reſignatio fuerit admiſſa à Papa, & beneficium ei, in cuius favorem reſignatio facta fuit, collatum, & ab eodem acceptatum fuerit, quia diſpoſitio conditionalis non habet effectum, niſi poſtquam conditio impleta eſt, reſignatio autem in favorem alterius eſt conditionalis. Rebuff. c. l. n. 15. & ſeqq. Azor c. l. q. 4. Tholoſ. c. l. n. 9. Ex quo ſequitur, quòd Epiſcopus, vel alius Ordinarius Prælatus Papâ inferior non poſſit admittere talem renunciationem, quia Ordinarius Collator non poteſt conferre, niſi beneficia vacantia, ſed debeat admitti auctoritate ſolius Papæ, qui poteſt etiam beneficium non vacans alteri conferre, DD. citt.

LXXVIII. Aſſertio 3. Sed neque poteſt Epiſcopus, vel alius Prælatus Papâ inferior renunciationem factam ſub ea conditione, ut beneficium conferatur certæ perſonæ, abſolutè, & ſimpliciter admittere, rejectâ illâ conditione, adeóque nec licitè, nec validè poteſt beneficium ſic reſignatum conferre alteri. Rebuff. c. l. n. 7. & ſeqq. Suar. cit. c. 35. n. 12. Leſs. cit. c. 35. n. 86. Garc. c. l. n. 155. Idque probatur, tum quia actus factus, cum aliqua qualitate & adiectione, non

poteſt

poteſt acceptari, quoad unam partem,& rejici quoad alteram,ſed debet totus admitti, & impleri in forma ſpecifica, vel totus rejici, quia ſi dividatur, omnino mutatur,uti ſumitur ex l. Aurelius; 28. §. Idem quæſiit,& ibi Bart.ff.de liberat. legata; in præſenti autem fit renunciatio, non ſimpliciter, ſed cum adjectione conditionis,per modum unius individui actûs. Tum quia illud beneficium per talem renũciationem non vacat, ante impletam conditionem,quia renuncians non vult reſignare ſimpliciter, ſed non niſi dependenter ab illa conditione, ideóque ante illius eventum,non poteſt renunciatio habere effectum: & illa conditio non poteſt haberi pro non adjecta, quia id nullo jure probatur; imò quia eſt adjecta,non poteſt admitti à Prælato Papâ inferiore: nec enim poteſt Epiſcopus privare renunciantem beneficio ſuo, eo invito, nec quidem in pœnam renunciationis temerè,& illicitè factæ, quia nullo jure cavetur, ut ſic renuncians privetur beneficio,præſertim ipſo facto,& ſine prævia cauſæ cognitione, & ſententiâ contra eum latâ. Suar. cit. c. 35. n. 14. Tum denique quia permutatio non valet,niſi beneficium conferatur alteri permutanti,quia non aliter reſignatum eſt, ergo nec alia renunciatio, quæ non eſt facta ex cauſa permutationis,valet,niſi conferatur ei,in cuius favorem reſignatum eſt. Quin imò neque ipſe S. Pontifex poteſt beneficium ſic reſignatũ alteri conferre, quàm perſonæ deſignatæ, quia licèt poſſit talem renunciationem rejicere,& non admittere; tamen ſi illam acceptet,non poteſt,ſaltem licitè,illud alteri conferre, quia non poteſt renuncianti invito, & innocenti auferre jus ſuum, & illud alteri dare, ſine juſta cauſa, cùm ſic renuncians in manibus Papæ nihil peccet, quia Pontifex poteſt, & ſolet talem renunciationem admittere, & ipſe debet diſponere de beneficiis, ut fidelis diſpenſator,& non abſolutus dominus. Rebuff. c.l.n.16.Suar.c.l.n.13.

LXXIX. Aliud eſt,ſi renunciatio beneficij facta ſit coram Epiſcopo ſimpliciter & abſolutè, licèt appoſitus ſit modus ſervandus in collatione beneficij,nimirum, ut detur certæ perſonæ, illaque ab Epiſcopo admiſſa fuerit; tum enim ſtatim valida eſt, & effectum habet renunciatio, quia modus actum eiúſque effectum non ſuſpendit: & poteſt Epiſcopus beneficium dare illi, cui, ut daretur renuncians petiit, modò idonea perſona ſit: non tamen ad id tenetur, ſed poteſt conferre alteri,cui voluerit, quia renuncians abſolutè renunciavit, nec potuit obligare Epiſcopum, ut daret perſonæ à ſe nominatæ, adeóque poſtquam acceptata eſt renunciatio,jam vacat beneficium, ut conferri poſſit. Suar. l. 4. de ſimon.c.35.n. 15.& 17. Sicut autem, qui beneficium reſignat coram Ordinario purè & abſolutè,licitè poteſt eum rogare,ut certæ perſonæ illud conferat, ut ſuprà dictũ n.76. ita etiã ſine culpa poteſt reſignare beneficium, adjecto modo,ut illud detur certæ perſonæ, dummodò renuncians non habeat intentionem omnino ad hoc obligandi Ordinarium, ſed ſolùm intendat inducere illum,ſeu ei perſuadere, ut tali perſonæ beneficium conferat. Suar.c.l.n.15.& 16.

LXXX. Aſſertio 4. Renunciatio beneficij conditionalis,quę fit cum reſervatione certæ penſionis in pecunia,vel parte fructuum,v.g. tertiâ, vel dimidiâ, vel etiam reſervatis omnibus fructibus, non poteſt fieri coram Epiſcopis, aliiſque Prælatis Ordinariis Papâ inferioribus, ſed coram ſolo S.Pontifice. Azor p.2.l.7.c.20.quæſt.1.& c.21. quæſt.7. Pariſ.l.6. de reſignat.benefic.quæſt.1.n.3.& quæſt.2.num.1. & 2. & alij communiter, cùm huiuſmodi renunciatio Jure communi Canonico ſit prohibita; tum quia beneficium regulariter dividi nequit. cap. Majoribus; 8. de præbend. tum quia beneficia ſine diminutione conferenda ſunt. cap. unic. ut Eccleſiaſt.benef.ſine diminut.confer. Dividitur autem beneficium, vel ſaltem cum diminutione confertur, cùm uni penſio, vel fructus ex beneficio dantur, vel reſervantur; alteri verò jus & titulus beneficij confertur. Auctoritate tamen S. Pontificis hujuſmodi renunciatio, cum reſervatione penſionis, vel loco illius partis fructuum, ex licita & juſta cauſa, fieri poteſt, uti ſumitur ex cap. Ad Audientiam; 31. de reſcript. c.Niſi eſſent; 21. de præbend. cap.Quamvis; 4. eod. in 6. & quoad omnes fructus omnium beneficiorum vacantium conſtat ex cap. Si tibi; 26.eod. in 6. Ne reſignans nimium diſpendium ex ipſa reſignatione patiatur, ſed habeat, unde commodè ſuſtentetur, vel contracta debita ſolvat. Azor cit.c.20.quæſt.1.Pariſ.cit.q.1.num.5.& quæſt.2.num.12.Quamvis in hujuſmodi reſervatione fructuum & penſionis requiratur etiam conſenſus reſignatarij, cùm regulariter habens titulum, onus ſine fructu, & commodo ſubire non cogatur, qui enim Altari ſervit de Altari vivere debet, 1. Corinth. 9. & ideo, eo invito, & non conſentiente, reſervatio fructuum, vel penſionis fieri non debet: ſi autem gratis ſervire velit, & propriis ſtipendiis, ſeu expenſis militare, volenti non fit injuria: maximè, quia reſervationes omnium fructuum non conceduntur, niſi is, cui datur beneficium, aliunde habeat,unde commodè vivere poſſit. Pariſ.cit. quæſt.1.num.22.& 2.ſeqq. & cit. quæſt.2. ubi addit, quòd Papa ſine conſenſu reſignatarij, poſſit imponere penſiones. Aliis verò Prælatis,præter S.Pontificem, permittitur ſolùm definitè, ac limitatè, non in perpetuum,ſed ad tempus v.g. ad vitam penſionarij,& ex gravi cauſa, veluti ob neceſſitatem, vel magnam utilitatem Eccleſiæ, & regulariter nonniſi cum approbatione S. Pontificis, penſiones reſervare in beneficiis. Tholoſan. in Inſtitut. rei benefic.c.29. n.3. de quo alibi.

LXXXI. Aſſertio 5. Renunciatio beneficij,cum reſervatione regreſsûs, ingreſsûs, vel acceſsûs ad illud, ſolius quoque Romani Pontificis auctoritate,& conſenſu fieri poteſt, quia ex pleniſſima eius poteſtate, quam in beneficiis habet, regreſſus introducti ſunt. Rebuff. in praxi benefic. tit. de regreſſibus, & alii communiter: quos tamen Concilium Tridentinum Seſſ.25.cap.7. de reform. abrogavit, ſtatuens, ut nemini impoſterum acceſſus, ac receſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium Eccleſiaſticum, cuiuſcunque qualitatis, concedatur: (ſalvâ tamen plenitudine poteſtatis Pontificiæ.) Idque tum quia hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, & ſpeciem habent SS. Canonibus valdè exoſam: tum ut omnis occaſio captandæ,vel optandæ mortis alterius,& ambitioſa cupiditas in beneficiis obtinendis tolleretur. Azor cit.l.7.c.21.q.2.3.& 4.Pariſ.l.6.q.5.num.96.& ſeqq.Item Pius V.in Conſtit. quæ incipit: Rom.Pontificis

ſificis providentia,& extat apud Pariſ.cit. loc. n.96. revocavit omnes regreſſus, acceſſus, & ingreſſus,ſub quibuſcunque formis, & quibuſcunque perſonis,& quomodocunque conceſſis. Non tamen ſunt ſublati ij regreſſus,acceſſus, & ingreſſus, qui conceduntur penſionario, ob penſionem debitam tempore conſtituto non ſolutam,neque hi,qui Jure communi ſunt inventi,& conceſſi, illi enim adhuc ſubſiſtunt. Azor cit,loc.q.5.Pariſ.cit.loc.n.110.

Porrò regreſſus in eo differt ab ingreſſu,& acceſſu, quòd in regreſſu reſignetur beneficium jam poſſeſſum,uſque ad mortem reſignatarij: in ingreſſu verò, & acceſſu nondum poſſeſſum alteri relinquatur: in ingreſſu quidem uſque ad mortem reſignatarij; in acceſſu,uſque dum is,cui reſervatus eſt acceſſus, efficiatur habilis ad beneficium, perveniendo ad legitimam ætatem, vel donec aliud impedimentum fuerit ſublatum.Azor.cit.c.21.q.2.Pariſ.cit.quæſt.5.n.113. & 114.

LXXXII. Aſſertio 6. Denique, etſi renunciatio beneficij, quæ fit ex cauſa permutationis, & conditionalis eſt (quia includit hanc conditionem, *ſi permutatio ſortiatur effectum*, quâ deficiente, etiam permutatio ſubſiſtit: Tholoſan. in Inſtit. rei benefic. c. 30.n.3.) non ſolùm coram Papa, ſed etiam coram Ordinario inſtitui poſſit. Azor cit.l.7. c.29. quæſt.4. & alij communiter. Attamen renunciationes beneficiorum reciprocæ,coram Ordinariis, aliiſve Prælatis Papâ inferioribus, ſub titulo, & colore permutationis, fieri non poſſunt. V. g. Reſigno meum beneficium in favorem tui conſanguinei,ut tu reſignes tuum in favorem mei conſanguinei: nam quamvìs hujuſmodi reſignationes videantur fieri per modum cujuſpiam permutationis,non eſt tamen pura, & abſoluta permutatio,ſed mixta, cum renunciatione in favorem tertij: Ordinarij autem non habent poteſtatem admittendi permutationes, niſi puras, & abſolutas, hîc autem intervenit duplex renunciatio,in favorem tertij,nec poſſunt Ordinarij approbare permutationes, niſi puras, & ſimplices, & in ordine ad ipſos permutantes, non autem in ordine ad tertium. Suar.cit.c.35.n.19.Leſſ.cit.c.35.n.87.

LXXXIII. Hinc infertur,quòd Renunciatio triangularis, ut vocant, hoc eſt, renunciationes beneficiorum, quæ inter tres fieri ſolent, non poſſunt admitti ab Ordinariis Papâ inferioribus, v.g. Petrus reſignat beneficium ſuum in favorem Pauli, hic autem ſuum in favorem Joannis, & iſte ſuum in gratiam ipſius Petri, quia fieri poteſt, ut beneficium Petri ſit commodius Paulo, & hujus commodius Joanni,& iſtius commodius Petro. Idémque eſt de renunciatione quadrangulari. Et hæ tres renunciationes, quoad effectum, reducuntur ad duas permutationes, nam idem eſſet, ſi Petrus priùs cum Paulo, & poſtea cùm Joanne beneficia permutâſſent, ſed quia plura pacta, & conventiones continent, & quidem in gratiam,& favorem alterius, ideo tanquam ſimoniacæ prohibitæ ſunt Jure Canonico: quamvìs coram Papa fieri poſſint,quia non continent, niſi ſimoniam juris humani, quam Papa auctoritate ſuâ purgare, & tollere poteſt. Azor p. 3. l. 12.cap. 12. q. 6. Suar. cit.cap.35.num.19.Leſſ. c.l.num.88. Poteſt tamen duplex hujuſmodi permutatio fieri etiam coram Ordinario, ſed ſeorſim, ac ſeparatim, & ſucceſſivè, ſi nimirum Petrus permutet ſuum beneficium cum Paulo, & obtento beneficio Pauli, permutet illud cum beneficio Joannis, quia tunc nullum intercedit pactum in favorem tertij, ſed ſolùm inter duos permutantes, & ideo tales renunciationes coram Ordinario fieri poſſunt. Leſſ. c.l.n.88.

SECTIO VI.

DE MODO, QUO FIERI debet, vel poteſt renunciatio beneficiorum.

§ I.

Quæ requirantur ad legitimam renunciationem beneficij faciendam.

LXXXIV. Aſſertio 1. Ad formam,ſeu modum renunciationis legitimæ requiritur 1. Ut ſit ſpontanea,& libera,non vi, aut gravi metu extorta, alioqui enim, vel ipſo jure nulla eſt,& invalida, vel ſaltem per Judicis officium,aut per edictum,*quod metûs cauſâ* reſcindenda eſt. c. 2. c. Ad aures; 3. c. Ad audientiam;4. de his,quæ vi, metúſve cauſa fiunt.Pariſ.l.13. q.1. & 2. Azor p.2.l.7.c.26. q.1. & 2. Garc. p. 11. de benef. c. 3. n.143.& alij. Renunciatio enim à Superiore admittenda, ſeu rata habenda eſt, ſi oſtenſum fuerit, non vi, non metu, nec oppreſſione peractam fuiſſe, prout dicitur in c. Super hoc;5.h.t. ergo à ſenſu contrario, ſi oſtenſum fuerit,per vim, ſeu violentiam, aut metum injuſtum,renunciationem factam eſſe,irrita erit, vel ſaltem irritanda. Idque procedit, etiamſi renunciatio vi, vel metu extorta juramento firmata ſit. c.Accepta; 3.de reſtitut. ſpol. argumento à contrario ſenſu ducto: nam nihilominus jure reprobatur, & irritari poteſt talis renunciatio, quamvìs,ante obtentam relaxationem juramenti, renuncians nõ poſſit agere, nec petere reſciſſionem renunciationis vi, vel metu factæ,nec redire ad beneficium ſic dimiſſum,quia juramentum ſervandum eſt,ſi ſinè diſpendio ſalutis æternæ ſervari poſſit. c.Si verò;8.de jurejur.Pariſ.cit. q.1. n.28. & ſeqq.Azor c. l. q.1. Idémq; eſt, ſi per dolum, vel fraudem facta ſit renunciatio beneficij, quia dolus,& metus ſunt paria,& ſicut contractus infringi poteſt, & reſcindi debet ob metum,ita etiam ob dolum, ſeu fraudem, cùm dolus æquè impediat liberum conſenſum. Pariſ. cit.l.13.q. 3.Azor cit.c.26.q.3.

LXXXV. Aſſertio 2. Renunciatio beneficij debet etiam fieri purè,& liberè, hoc eſt, nullâ interveniente pecuniâ, ſeu pretio, conditione,modo, vel pactione ſimoniacâ,vel quæ ſimonię ſpeciem habeat, ideóque prohibita ſit. c.Cùm pridem; 4. cap.ult. de pactis. c.Ex parte;12.junctâ gloſſ. V. Omnino, id eſt, ſinè aliqua pactione, conditione, vel modo, de offic. Judic. deleg. c.Tua nos;34.de ſimonia: alioquin irrita eſt ipſo jure renunciatio, ut conſtat ex Extravag. 2. §. Per electiones de ſimon.inter comunes. Rebuff. in praxi tit.de ſimonia in reſignatione n. 7.& ſeqq. Redoanus tract. de ſimon. c. 10. n. 1. & ſeqq. Garc. cit.§.1.n.14. quin imò etiam collatio inde ſecuta eſt

nulla, etiamſi ipſa collatio, abſque ſimonia, ſed ſola reſignatio ſimoniacè facta ſit, Redoan. c. l. num. 21. & 22. Pariſ. l. 14. quæſt. 1. num. 2. Quod tamen procedit, ſi beneficium collatum ſit ei, in cuius favorem renunciatio ſimoniaca facta eſt, nam tunc etiam collatio non valet, quippe quæ infecta eſt vitio ſimoniæ in cauſa, ſeu radice ſua. Aliud eſt, ſi beneficium per ſimoniam collatum ſit alteri, ſive alicui tertio, & non illi, propter quem renunciatio ſimoniaca facta fuit, tunc enim valet collatio, modò collator non fuerit particeps ſimoniæ commiſſæ in renunciatione, Pariſ. cit. q. 1. n. 3. & 4.

Porrò renunciatio beneficij ſimoniaca non valet, etiamſi juramento firmata fuerit, quia juramentum ſequitur naturam actûs, cui apponitur, & ſecundùm illum regulatur, & habet tacitam conditionem, ſi actus valet: neque ſervari debet, ſi vergat in animæ detrimentum, neque eſſe poteſt vinculum iniquitatis. c. Quamvis; 2. de pactis in 6. c. Quanto; 18. de jurejurando. Pariſ. c. l. n. 5. & ſeqq.

LXXXVI. Aſſertio 3. Ad renunciationem beneficij præterea requiritur conſenſus Patroni, ſi reſignetur beneficium patronatum, ut ſuprà dictum n. 23. quamvis in renunciatione ſimplici, & abſoluta non videatur requiri neceſſariò conſenſus patroni, cùm in hac nullum verſetur præjudicium patroni, cui ſalvum manet jus alium præſentandi in locum renunciantis. Azor p. 3. l. 7. cap. 25. quæſt. 4. Garcias p. 11. de benefic. c. 3. num. 12. & ſeqq. Sed & Epiſcopus, ſive Ordinarius jus admittendi ceſſionem beneficiati habens, requirere tenetur conſenſum Capituli, ſi ad ipſum pertineat electio, vel eius, ad quem pertinet collatio beneficij, v. g. Præpoſitum, vel Abbatem, gl. in c. unic. V. collationem de rerum permut. in 6. Joan. Andr. in c. ult. n. 8. h. t. c. Ad hæc; 7. de offic. Archidiac. quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. reg. jur. 29. in 6. Non tamen poſſunt, ſive Patronus, ſive Capitulum habens jus eligendi, vel collator beneficij, contradicere, ſi Epiſcopus, ob juſtam cauſam neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, reſignationem beneficiati, ſive abſolutam, ſive ex cauſa permutationis admittere velit, quia hoc ad officium ipſius pertinet. Quare cauſa præcipua, ob quam renunciatio beneficiari admittenda, vel jam admiſſa ſignificari debet præſentantibus, eligentibus, vel conferentibus, eſt, ut ipſi cognitâ beneficij vacatione, de novo ad illud alium præſentare, vel eligere, vel alteri conferre poſſint. Laym. in c. ult. num. 5. h. t. Addit Abb. in c. Quòd in dubiis; 8. num. 5. h. t. requiri etiam conſenſum Capituli Cathedralis, ſi reſignetur magna dignitas in Eccleſia, vel renuncians ſit talis perſona, ex cuius ceſſione magnus honor decedat Eccleſiæ, vel grave periculum eidem immineat, agitur enim tunc de gravi negotio.

LXXXVII. Aſſertio 4. Renunciatio beneficij fieri quoque debet ſpecificè, ſive expreſſis verbis, neque enim in dubio quis præſumitur renunciare beneficio ſuo, ex quo ſuſtentari debet, & quod multis fortè expenſis, ac laboribus acquiſivit. c. Super eo; 5. h. t. Pariſ. l. 8. quæſt. 1. num. 1. & ſeqq. & cùm renunciatio ſtricti juris, ſeu interpretationis ſit, adeóque non extendenda ultra caſum expreſſum, hinc fit, quòd non credatur facta, niſi probetur, nec cenſeatur renunciatum, niſi quatenus expreſſum eſt: præterquam ſi ex certis ſignis, & conjecturis cõtraria mens reſignantis colligatur. Maſcard. de probat. concluſ. 1263. num. 1. & ſeqq. & num. 18. Pariſ. c. l. n. 9. 19. & 20. Quamvis autem, per ſe loquendo, & de Jure communi, ad renunciationem beneficij non neceſſariò requiratur Scriptura, tamen hodie ex communi ſtylo, tam in Curia Roman. quàm extra illam, fieri ſolet, & debet in ſcriptis. Pariſ. l. 8. quæſt. 2. num. 1. & 2. Et inſtitui ſolet, tum per ſupplicationem oblatam à renunciante Superiori, qui illam admittere poteſt, in qua petitur, ut eandem Superior admittat, ob cauſas in illa expreſſas; tum per admiſſionem reſignationis factam à Superiore, de quo videri poteſt Pariſ. cit. l. 8. quæſt. 7. & 9. Denique requiritur, ut præſtetur conſenſus, vel perſonaliter per ipſos reſignantes, vel per Procuratores eorum in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica, ſi fiat renunciatio coram Papa, ante quem præſtitum, non expediuntur litteræ, nec prodeſt reſignatio, juxta regulam Cancellariæ, quæ extat apud Pariſ. cit. l. 8. quæſt. 8.

§. II.

De renunciationibus quibuſdam beneficiorum in ſpecie, an ſint ſimoniacæ, nec ne?

LXXXVIII. Certum eſt inprimis, ſimoniam eſſe contra jus naturale, & divinum, ſi quis beneficium ſuum reſignet, ſive dimittat pro pecunia, vel alia re temporali viciſſim recepta, ut ſumitur ex cap. Cùm pridem; 4. de pactis, quod ita ſummatur, non valet pactum, per quod beneficium Eccleſiaſticum debet pecuniâ reſignari, & docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 5. & alij communiter. Nam licèt, qui reſignat, non det beneficium alteri, quod à Superiore, cuius conſenſu ſit reſignatio, vel alio jus conferendi habeote, ipſi conferendum eſt, & à quo illud accipit; is tamen, cui ſit reſignatio, pecuniam dando reſignanti, parat ſibi viam ad obtinendum beneficium, ac proinde reſignans pro pecunia vendit ipſi viam, & aditum ad beneficium, & conſequenter ipſum etiam beneficium, & ſpirituale dat pro pretio temporali, quæ eſt aperta ſimonia. Azor p. 3. l. 12. cap. 8. quæſt. 1. Quin imò etſi reſignatio beneficij fiat cum pacto, ut viciſſim aliquid ſpirituale detur reſignanti, ſimoniaca, & illicita eſt renunciatio prohibita Jure poſitivo, ſeu Canonico, ex communi ſententia DD. apud Pariſ. l. 12. de reſignat. benef. quæſt. 4. V. g. Si quis reſignet beneficium in favorem alicuius, ut ille, vel alius reſignet idem, vel aliud beneficium, in favorem ſui conſanguinei: vel ut reſignatarius in electione aut præſentatione ad aliud beneficium, reſignanti, vel alteri ſuffragetur, quia hujuſmodi pactiones tanquam ſimoniacæ, & illicitæ Jure Canonico ſunt prohibitæ. c. ult. de pactis, & aliis locis. Sed reſtant quæſtiones aliquæ hic decidendæ.

LXXXIX. Quæritur 1. An Renunciatio beneficij facta in favorem alterius ſit ſimoniaca? Reſp. ſi quis renunciavit beneficio in gratiam alterius, cùm clauſula, *non aliter, nec alias*, id eſt, ſub ea conditione, ut beneficium reſignatum conferatur certæ per-

perſonæ, v.g. Titio, ita ut non aliter, nec alio modo cenſeatur eſſe facta reſignatio, talis renunciatio non continet ſimoniam contra jus divinum, & naturale. Covarr. l. 1. var. reſolut. c. 5. n. 5. Azor p. 3. l. 12. c. 8. quæſt. 4. Suar. l. 4. de ſimon. cap. 35. n. 2. Leſſ. l. 2. c. 35. num. 86. & alij communiter. Idque vel ex eo patet, quia, ſi talis renunciatio eſſet probibita jure divino, neque à Papa admitti poſſet. Ratio eſt, quia, qui ita renunciat, non dat ſpiritnale pro aliquo temporali, imò pro nulla re dat, ſed gratis reſignat, non tamen cuilibet, ſed tantùm certæ perſonæ, & ſolùm indicat, & declarat, ſe reſignare, ſi Collator velit conferre beneficium illi perſonæ à ſe deſignatæ: non reſignare, ſi nolit: quod non impedit, quò minùs gratuita ſit reſignatio. Imò nec per ſe mala eſt talis renunciatio, ſi fiat in favorem dignæ perſonæ, & ob bonum finem, ſinè Eccleſiæ læſione, vel proximorum offenſione. Suar. c. l. Putant tamen communiter DD. in hujuſmodi renunciatione in favorem tertij committi ſimoniam prohibitã Jurè Eccleſiaſtico, ſi fiat coram Ordinario Papâ inferiore, ſecundùm quod renunciationes purè, & ſimpliciter, ſeu abſolutè fieri debent, ſinè omni pactione, vel conditione adjecta, cuiuſmodi intervenit in tali renunciatione, quippe quæ ſub ea conditione fit, ut beneficium huic detur, & non alteri, & conſequenter intervenit pactum, *facio, ut facias*; ſcilicet, reſigno in manus tuas hoc beneficium, ut illud fratri meo conferas. gl. in c. Ex parte; 12. V. dimittere de offic. Jud. deleg. & alij Canoniſtæ communiter.

Verùm non poteſt ex SS. Canonibus convinci, renunciationem in alterius favorem factam continere ſimoniam prohibitam Jure communi poſitivo, quia nulla hîc propriè intervenit pactio, quæ ad omnem ſimoniam, etiam quæ eſt contra Jus poſitivum, requiritur; non enim pactio eſt inita cum eo, in cuius gratiam fit reſignatio, ut ſupponimus: nec cum Epiſcopo, vel alio Superiore admittente reſignationem, quia renuncians ſolùm petit ab illo, ut ſuam renunciationem admittat: ideóque generalis prohibitio pactionum in beneficialibus non debet extendi ad talem renunciationem, quia in illa, per ſe loquendo, non ſolet intervenire pactum, ſed renuncians tantùm declarat ſuam voluntatem reſignandi; & quidem limitatè ad certam perſonam, cui vult conferri beneficium reſignatum; quæ voluntas reſignantis, cùm ſit libera, poteſt limitato modo velle reſignare, idque facit gratis, & ſinè ullo pacto. Leſſ. cit. cap. 35. num. 86. Suar. cit. cap. 35. n. 4. Barboſ. l. 3. Juris Eccleſ. cap. 15. num. 54. Quòd ſi præcedat pactum cum Epiſcopo, ita, ut ipſe promittat, ſe acceptaturum renunciationem, & collaturum beneficium perſonæ deſignatæ, ſimoniaca erit renunciatio, & prohibita ſaltem Jure Eccleſiaſtico, quo prohibentur huiuſmodi pacta illicita circa beneficia. Si verò pactum nullum præcedat, non videtur ſic renuncians propriè ſimoniacus, quia nulla intervenit commutatio unius pro alio, nec expreſſa, nec tacita, nec contractus oneroſus reciprocus, ſed tantùm voluntas donandi limitata ad certam perſonam, nec Epiſcopo imponitur onus, vel ulla obligatio, cùm poſſit illam renunciationem non acceptare, ſi velit, adeóque non eſt vera ſimonia, Suar. cit. loc. num. 7. Neque verò omnis prohibitio Juris Canonici conſtituit actum ſimoniacum contra Jus poſitivum, ſed ille tantùm, qui habet ſpeciem, & ſimilitudinem pretij, & contractûs non gratuiti, adeóque ſimoniæ. Barboſ. cit. loc. num. 56. Quare nec Prælatus acceptans renunciationem ſimoniacus erit, etſi conferat beneficium perſonæ deſignatæ à renunciante, dummodo id non ex obligatione, aut pacto faciat, ſed ex mera, & libera voluntate, non enim ſpirituale aliquid confert pro temporali, nec ex contractu oneroſo, & cùm renuncians non ſit ſimoniacus, nec Prælatus erit illi conſentiens, quamvis illicitè agat, cùm non habeat poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum, in favorem alterius, Suar. cit. loc. num. 9. & patet ex ſuprà dictis num. 77. Multò minùs autem ſimoniacæ ſunt renunciationes beneficiorum, in favorem alterius factæ, coram Papa, ut quotidiana praxis teſtatur, quia Papa poteſt huiuſmodi renunciationes admittere, etiam factas, adiectâ conditione, & pacto, quia poteſt in omni ſimonia contra Jus Eccleſiaſticum diſpenſare. Azor p. 2. l. 7. cap. 27. quæſt. 4. Pariſ. l. 14. quæſt. 3. num. 17. & alij communiter.

X C. Quæritur 2. An renunciatio beneficij facta, cum reſervatione annuæ penſionis, ſit ſimoniaca? Reſp. Licitè, & abſque vitio ſimoniæ, poteſt quis reſignare beneficium, cum onere, ſive reſervatione certæ penſionis annuæ, ſive in fructibus, ſive in pecunia ſibi ſolvendæ, dummodo penſio ſit moderata, & legitimâ auctoritate conſtituatur, idque praxis, ſeu uſus quotidianus confirmat, eſt communis ſententia DD. apud Leſſ. cit. cap. 35. num. 89. Pariſ. cit. l. 14. quæſt. 5. num. 1. & 2. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel reſervatio penſionis fit in renunciatione in favorem tertij, vel ſimpliciter, & abſolutè facta: & neutro caſu poteſt talis renunciatio admitti ab Epiſcopo, ſeu Ordinario. Non priore, quia is non poteſt acceptare renunciationem in favorem alterius. Non poſteriore, quia licèt Epiſcopus poſſit admittere, & approbare renunciationem purè, & abſolutè factam, non tamen poteſt beneficio imponere penſionem, adeóque nec admittere renunciationem cum reſervatione penſionis: nam cùm eiuſmodi renunciatio contineat expreſſam commutationem rei ſpiritualis pro temporali, ſcilicet penſione, quæ eſt onus quoddam pecuniarium, ac temporale, ſinè titulo ſpirituali: & quidem non jure, ſed de facto ſolùm illicitè impoſitum, ideo talis impoſitio, & reſervatio penſionis eſt contra jus, non ſolùm humanum, ſed etiam divinum, & naturale: nam ſicut, ſi numeretur, ſeu ſolvatur pecunia pro beneficio Eccleſiaſtico, committitur ſimonia contra jus divinum, & naturale: ita etiam, ſi reſervetur penſio, quia talis reſervatio æquivalet numerationi pretij, cùm utraque contineat commodum merè temporale; penſio enim eſt pecunia ex obligatione numeranda, ſeu ſolvenda, vel aliud quidpiam temporale pecuniæ æquivalens, ut ſunt fructus temporales. Suar. cit. c. 36. n. 21. & 22.

Verùm huiuſmodi renunciatio beneficij, cùm reſervatione penſionis, licitè, & abſque labe ſimoniæ fieri poteſt, ſi eam S. Pontifex approbet &c.

admittat, quia is poteſt vitium talis ſimoniæ purgare, ac tollere, partem fructuum à ſpirituali titulo beneficij ſeparando, ut ita temporales fructus commutentur cum re merè temporali: vel etiam poteſt penſionem imponere ipſi beneficio, ſub ſpirituali titulo, ut ita tota commutatio fiat inter ſpiritualia, tale onus imponendo beneficio, priuſquam illud conferat, & ſic oneratum dare illud perſonæ, in cujus favorem facta eſt renunciatio, vel ſi illa ſimpliciter, & abſolutè facta eſt, cui voluerit. Suar. c. l. n. 23. Leſſ. cit. loc. num. 89. Pariſ. cit. quæſt. 5. num. 4. Requiritur autem ad vitandam ſimoniam, ut, qui reſignat beneficium, cum reſervatione penſionis, in favorem tertij, non paciſcatur cum illo abſolutè, ſed ſolùm ſub conſenſu, ſeu ratihabitione Papæ, quia penſio non poteſt ſolâ auctoritate partium imponi, vel reſervari, à quarum voluntate non pendet. c. Niſi eſſent 21. de præbend. Suar. cit. l. num. 23. Leſſ. c. l. num. 92. Pariſ. c. l. num. 6.

XCII. Quæritur 3. An Renunciatio beneficij, cum pacto ſolvendi expenſas, ſit ſimoniaca? Reſp. Etſi videatur id licitè, & abſque ſimonia fieri poſſe, quia ſic reſignans non petit aliquod lucrum pro ipſo beneficio, quod gratis cedit alteri, ſed tantùm petit expenſas ſibi ſolvi, ut ſe indemnem ſervet. Verùm contrarium omnino verum eſt, ac tenendum, gloſſ. in cap. Super hoc 5. V. pecuniæ; h. t. Azor l. 7. c. 27. q. 8. Pariſ. cit. l. 14. quæſt. 7. num. 1. Leſſ. cit. cap. 35. num. 94. Suar. cit. c. 35. num. 24. & 25. & alij DD. communiter: nempe quòd, ſi quis reſignet beneficium in favorem alterius, cum eo pacto, ut is ſolvat expenſas, quas reſignans fecit ſive litigando, ſive ob alias cauſas in eo beneficio conſequendo, ſimoniam committat, & graviter peccet. Sic enim etiam illicita, & ſimoniaca cenſetur illa tranſactio, ſive pactio, ſi propriâ auctoritate fiat, ut una pars lite; & jure beneficiario cedat; altera verò temporale quidpiam det, v. g. expenſas factas reſtituat. cap. Cùm pridem 4. de pactis. Ratio eſt, quia omne pactum in ſpiritualibus de onere temporali à Jure Canonico reprobatur, ſi ſinè auctoritate legitimi Superioris fiat. c. ult. eod. Quin imò exigere, & ſolvere ex pacto reſignanti Canonicatum, vel aliud beneficium expenſas ab ipſo factas in conſecutione beneficij, non ſolùm eſt contra Jus Eccleſiaſticum, ſed etiam videtur eſſe contra Jus divinum, & naturale: tum quia illud onus ſolvendi tales expenſas non eſt per ſe annexum ipſi beneficio, ſed extrinſecum, & omnino ab eo ſeparatum; nec imponitur alteri, niſi quia beneficium ei reſignatur, adeóque proprio beneficio, quod eſt ſimoniacum contra Jus naturale, & divinum. Tum quia illæ expenſæ non fiunt in renunciando, vel conferendo beneficio ei, cui datur, vel ceditur, nec fiunt ſimul in utilitatem eius, cui fit reſignatio, ſed ſunt priùs factæ, in utilitatem, & commodum ſolùm eius, qui reſignat, & fortè per plures annos beneficium poſſedit, & fructus ex eo percepit, adeóque expenſæ illæ, nec per ſe, nec per accidens conjunguntur ſpirituali beneficio, vel collationi eius, quæ nunc fit illi, cui reſignatur, ac proinde nullo jure, aut titulo juſto poſſunt repeti ab illo, cui fit reſignatio, ſed, ſi petantur, pro ipſo beneficio reſignato petuntur, quod itidem apertè ſimoniacum eſt: ſicuti ſi multæ expenſæ factæ ſint in domum litis causâ, ea non poteſt vendi ultra juſtum pretium, ſeu valorem domûs, etiamſi expenſæ eum excedant. Quare nec ſummi Pontificis auctoritate, talis repetitio expenſarum licitè fieri poteſt, niſi is ex cauſa ſeparet fructus à beneficio. Suar. cit. loc. Secus eſt, ſi reſignans expenſas feciſſet, in bonum ipſius beneficij, ſeu Eccleſiæ, quia v. g. beneficium, vel Eccleſiam ſuis ſumptibus, nomine Eccleſiæ, recuperavit ab hæreticis, vel pretio redemit, tunc enim ſine ſimonia, & juſtè poſſet expenſas illas repetere. Azor cit. loc.

§. III.

An, & quo pacto contra repetentem beneficium, ſpontaneæ renunciationis exceptio opponi poſſit?

XCII. De hac quæſtione agitur in c. Super hoc 5. h. t. ubi talis caſus proponitur. Quidam Clericus repetebat beneficium ſuum, in quo canonicè inſtitutus fuerat, ab alio Clerico, qui id poſſederat, ſed is contra actorem excepit, quòd non poſſit repetere beneficium, eò quòd ſponte illud abjuraverit, ſeu renunciârit beneficio, ita tamen, ut excipiens nullam exprimeret cauſam factæ renunciationis. Sed actor negavit, ſe ſponte renunciâſſe, quin potiùs dicebat, ſe vi, & metu coactum fuiſſe ad renunciandum. Unde quæſitum fuit 1. An exceptio ſpontaneæ abjurationis, ſeu renunciationis à reo convento objecta, nullâ causâ reſignationis expreſsâ, ſit admittenda? 2. An actor admittendus ſit ad probandum, quòd ſponte non renunciârit; an verò reus, ad probandum, quòd actor ſponte renunciaverit beneficio? Reſpondet Papa Clemens III. cùm non ſit veriſimile, quòd aliquis ſponte, & facilè, ac ſinè magna cauſa renunciârit beneficio ſuo, ex quo ſuſtentari debet, & quod multis fortè expenſis, ac laboribus acquiſivit: ideo conſultum fore, ſi Judex, coram quo controverſia agitur, cauſam reſignationis diligenter inquirat, & cognoſcat. Quòd ſi allatâ causâ reſignationis, eam probabilem eſſe, inveniat, adeóq; non vi, nec metu, nec oppreſſione, nec interventu pecuniæ, aut promiſſionis extortam, aut factam fuiſſe (maximè, ſi juramentum non intervenerit, quandoquidem juramentum plerumq; non fit ſpontaneâ voluntate, ſed cogente neceſſitate, ideóq; à malo eſſe dicitur) illam admittat: niſi actor canonicè replicet, & probare velit, ſe non ſponte renunciâſſe beneficio; tunc enim ad probationẽ admitti debet, quia litis factũ negativum ſecundùm ſe præcisè ſpectatũ, directè probari nõ poſſit, poteſt tamen indirectè probari, ſi virtualiter, & explicitè contineat factum affirmativum, ut in propoſito caſu, ſi actor dicat, ſe nõ ſponte renunciâſſe, implicitè affirmat, ſe coactè, ſive per vim ſibi illatá renunciâſſe, ideóq; ſi ſpectatâ conditione dignitatis, & opinionis ſuæ ac teſtium, major præſumptio ſit pro replicatione actoris, quàm pro exceptione rei,

» ne rei, tum actor præ reo ad probationem admit-
» tendus erit; alioquin reus excipiens.

XCIII. Ex quo infertur 1. Quòd repetenti beneficium obſtet exceptio ſpontaneæ renunciationis, & admitti debeat, etiamſi nulla cauſa factæ renunciationis ſit expreſſa, modò probari poſſit à reo exceptio, Abb. ibid. not. 1. Aliud eſt, ſi Beneficiatus actor non inſtituat judicium petitorium, ad repetendum jus proprietatis in beneficio, ſed agat interdicto poſſeſſionis recuperandæ; & probare velit, ſe per violentiam ſpoliatum eſſe beneficio; tum enim ei non poteſt objici exceptio factæ renunciationis, ſi ante jam ſpoliatus ſit beneficio, ſed ſpoliatus priùs reſtituendus eſt, quàm agatur de jure proprietatis, quia non eſt veriſimile, eum ſponte renunciâſſe beneficio, qui renunciat ſpoliatus, juxta cap. 2. de reſtitut. ſpoliat. & ibi gloſſ. V. eum ſpoliatum.

Infertur 2. Etſi actor ſuæ petitionis cauſam collegare, & proponere debeat in judicio, l. 1. ff. de edendo c. 2. de libelli oblat. non tamen reus cauſam ſuæ exceptionis exprimere tenetur, ordinariè loquendo, & ſic, licèt actio non admittatur ſinè cauſæ expreſſione, quia illa tendit ad obligandum reum, admittitur tamen exceptio, etiam nullâ causâ expreſsâ, Abb. in cit. c. Super hoc, not. 2. quia hæc tendit ad liberandum reum, liberatio autem favorabilior eſt, qoàm obligatio; nam per confeſſionem ſolutionis, vel remiſſionis factæ, etiam causâ non expreſsâ, liberatur debitor, l. Tale 40. ff. de pact. l. Cùm de indebito. 25. in fine ff. de probat. c. Si cautio 14. de fide inſtrum. Qnòd ſi tamen præſnmptio ſit contra reum excipientem, is ex officio Judicis cogi poteſt ad exprimendam cauſam, ut in caſu propoſito, ſi reus conventus contra actorem excipiat, qnòd actor ſponte renunciârit beneficio, Judex poteſt illum ex officin cogere ad exprimendam cauſam renunciationis factæ, quia id ſcire conducit ad cauſæ expeditionem; nnn tamen id facere tenetur Judex, quia ſatis eſt, ſi reus per teſtes probet, renunciationem eſſe factam, & qnidem non coactè, ſive per vim illatam, aut metum, ſed ſpontaneâ, & liberâ voluntate, quantùm ex circnmſtantijs conjicere licuit, Imola in cit. c. Super hoc num. 19. Laym. ibidem num. 2.

Infertur 3. Si major ſit præſnmptio pro actore replicante, quàm pro reo excipiente, tum, pro reo, actor admitti debet ad probandam replicam; nt in caſo propoſito, ſi actor ſit vir integræ fidei, & vitæ, & probare velit, ſe non ſponte renunciâſſe, ſed ad id coactum fuiſſe, admitti debet ad id probandum actor potiùs, quàm reus, tum quia nemo facilè cenſetur rennnciare ſuis juribus, & commodis: tum quia actor probare intendit, violentiam ſibi illatam eſſe in renonciatione, qnæ cùm ſub ſenſum externum cadat, faciliùs probari poteſt per teſtes, qnàm qnòd renunciatio ſponte facta ſit; nam cùm interna intentio, & voluntas occnlta ſit, & in animo lateat, vix probari poteſt, niſi indirectè, & per negationem, nempe quòd nulla vinlentia adhibita fuerit, Hoſtienſ. in cit. c. Soper hoc; §. Et eſt ratio, Innocent. ibidem nnm 8. & Layman. num. 3.

§. IV.

De renunciatione beneficiorum, quæ fit per Procuratorem.

XCIV. Quæritur 1. An, & quomodo Renunciatio beneficij fieri poſſit, ac debeat per Procuratorem: Reſpondetur 1. Renunciare quis poteſt beneficio ſuo, non tantùm per ſe ipſum, ſed etiam per Procuratorem à ſe legitimè conſtitutum, Rebuff. in praxi benefic. p. 2. tit. de Procurat. ad reſignand. conſtit. n. 1. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 7. & alij DD. communiter. Nam, quod quis per ſe poteſt, idipſum etiam poteſt per alium, niſi lege prohibeatur, juxta l. Labeo 8. ff. de uſucapionib. Azor p. 2. l. 7. c. 22. q. 1. Illi verò, qui per ſe non poſſunt reſignare ſua beneficia, nec per Procuratorem poſſunt, ut furioſi, & amentes. Pariſ. l. 9. de reſign. benef. q. 1. num. 13. Poſſnnt etiam reſignari per Procuratores omnia beneficia non ſolùm ſimplicia, ſed etiam curata, & dignitates Eccleſiaſticæ, etiam maximæ, ut Cardinalatus, imò & S. Pontificatus. Pariſ. cit. l. 9. q. 2. Præterea Procuratores ad reſignandum conſtitui poſſunt, non tantùm Clerici, ſed etiam Laici aliunde non prohibiti. Glnſſ. communiter recepta in Clement. nnic. V. Procuratorem h. t. Rebuff. c. l. num. 17. Azor cit. c. 22. q. 2. quia non ſuo, ſed alterius nomine, Procuratnr agit, & poteſt etiam Laicus tractare res ſpirituales, ſeu cauſas Eccleſiaſticas, quando nudum miniſterium, ſive mera executio ei demandatur. Pariſ. c. l. q. 3. n. 14. quamvìs tutius, & congruentius videatur, conſtituere Clericum ad renunciandum. Gloſſ. in cit. Clement. V. Procuratorem. Imò etiam Religioſi Procuratores ad reſignandum conſtitui poſſunt, accedente tamen Superioris Regularis conſenſu, cùm tale negotium ſinè ſtrepitu fnrenſi peragi poſſit. Rebuff. cit. l. Azor c. l. q. 3. contra Pariſ. c. l. q. 4. non tamen Superior Regularis conſentire debet, niſi in utilitatem Conventûs cedat reſignatio, quia Monachi forenſia negotia tractare non poſſunt, niſi Mnnaſterij expoſcat utilitas, & Abbas præcipiat, c. Monachi 35. cauſ. 16. q. 1. Palao cit. diſ. 6. p. 2. §. 4. n. 2.

XCV. Reſpondetur 2. Non tantùm unus, ſed etiam duo, vel tres, aut plures Procuratores, ad reſignandum unum beneficium conſtitui poſſunt; atque, vel in ſolidum ſinguli, ita, ut quiſque eorum, nomine ſni principalis, poſſit renunciare beneficio; ut ſi mandato procuratorio addatur clauſula: *promitto, me ratum habiturum, quicquid ab eis, vel altero eorum factum fuerit:* Vel *omnes ſimul, & non in ſolidum*, ita, ut unus ſinè alio cedere beneficio non poſſit, ſed conſenſus omnium requiratur. Quo tamen caſu, non eſt neceſſarium, ot omnes Procuratores eodem tempore conſentiant, ſed ſatis eſt, ſi unus poſt alium conſenſum præbeat, quia illa clauſula: *ſimul, & non in ſolidum*, in mandato expreſſa reſpicit conſtitutionem Procuratoris, non præſtationem conſensûs, Pariſ. cit. l. 7. q. 3. n. 21. 22. 23. 27. & 28. Azor c. l. q. 4. Imò ſi unus ex duobus Procuratoribos, & non in ſolidum conſtitutis, conſentiat reſignationi, vivente adhuc reſignante, poteſt alter conſentire, etiam poſt mortem principalis

reſignantis, quia non requiritur, ut eodem tempore conſentiant, prout reſolutum fuit in Rota Rom. teſte Pariſ. c. l. num. 29. Azor c. l. Procuratores autem plures conſtituti ad reſignandum, cum libera poteſtate, non cenſentur conſtituti in ſolidum, ideóque reſignatio facta, cum unius tantùm conſenſu, eſt invalida, cùm requiratur conſenſus omnium. Pariſ. cit. loc. n. 25. Præterea poteſt etiam unus, idémque conſtitui Procurator, & reſignantis, qui ejus nomine beneficium reſignet, & reſignatarij, qui hujus nomine beneficium acceptet, & conſenſum præſtet in reſervatione penſionis, vel fructuum factâ in favorem Titij reſignantis, quia unus, & idem poteſt eſſe Procurator duorum, inter quos nulla lis vertitur, cùm jure contrarium non ſit ſtatutum: quemadmodum etiam in permutatione duorum beneficiorum, poteſt quis duorum vices agere, tanquam Procurator utriuſque. Pariſ. c. l. n. 30. & 31. Azor c. l. q. 5. quamvis conſultius ſit, ut duo Procuratores conſtituantur, unus à reſignante, alter à reſignatario. Pariſ. c. l. n. 31. Non tamen poteſt aliquis conſtitui Procurator ſimul ad acceptandum beneficium, & reſignandum, ita, ut vi illius mandati, poſſit beneficium acceptare, nomine mandantis, & iterum reſignare, quia ipſe mandans non poteſt, ante adeptionem beneficij, illud dimittere, ſeu reſignare, ergo non poteſt poteſtatem concedere alteri illud ſuo nomine reſignandi, cùm eo tempore illud nondum obtinuerit. Rebuff. c. l. num. 16. & 17. Azor cit. c. 22. quæſt. 7.

XCVI. Quæritur 2. Quæ requirantur ad legitimam conſtitutionem Procuratoris ad reſignandum beneficium deputati? Reſpondetur: Requiritur inprimis ſpeciale mandatum ad renunciandum, in quo nimirum exprimatur nomen beneficij, & locus, ubi ſitum eſt, & nomen proprium, & cognomen Procuratoris, eíque expreſsè facultas detur reſignandi beneficium nominatum, loco & vice principalis, ſeu conſtituentis. Et hinc generale mandatum, etiam cum libera, & ampliſſima poteſtate datum non ſufficit ad legitimam conſtitutionem Procuratoris dati ad renunciandum, neque valet tale mandatum procuratorium, idque ad falſitatem vitandam. Rebuff. c. l. n. 7. 10. 11. & 22. Pariſ. c. l. q. 7. n. 9. & 27. & ſeqq. & n. 39. Nam generatim loquendo, ſi conſtituatur Procurator generaliter ad omnia, etiamſi ſpeciale mandatum exigant, ex vi hujuſmodi generalitatis, in his, quæ ſpeciale mandatum exigunt, non debet admitti, c. Qui ad agendum 4. de procurat. in 6. Ratio eſt, quia renunciatio eſt quædam donatio, ſed qui habet etiam liberam, & ampliſſimam poteſtatem adminiſtrandi, non poteſt donare, l. Contra juris 28. §. Si filius. ff. de pactis. l. Filiusfam. 7. in princ. ff. de donat. poteſtas enim donandi non cenſetur data, etiam quando conceditur totalis, ſeu plena poteſtas, quia ubi requiritur expreſſio ſpecialis, non ſufficit generalis per quæcunque verba conceſſa, DD. communiter apud Pariſ. c. l. n. 29. & ſeqq. 2. Requiritur, ut mandatum procuratorium ſit in ſcripturam, ſive inſtrumentum publicum redactum, & obſignatum ſigno, ſive ſigillo publico Judicis Ordinarij, vel Communitatis, & poſtea recognitum; & ab ipſo Tabellione ſubſcriptum ad tollendam fraudem. Rebuff. c. l. n. 6. Pariſ. cit. q. 7. n. 2. & ſeqq. Azor c. l. q. 6. 3. Requiritur, ut Procurator ad renunciandum ſit ſponte, ac liberè conſtitutus, Clement. unic. h. t. ibi: *Procuratorem ſponte, ac liberè conſtituerit:* nam conſtitutio Procuratoris coactè, vel per metum facta eſt nulla, & omnia inde ſecuta anullantur, c. Accedens 10. de Procuratorib. Pariſ. c. l. n. 41. 4. Ut inſtrumentum procuratorium non ſit cancellatum, ſeu raſum, & deletum, ſaltem in loco principali, alioquin erit vitioſum, nullamque fidem faciet: & reſignatio facta, vigore talis inſtrumenti, erit nulla, niſi poſt renunciationem admiſſam, reperiretur inſtrumentum cancellatum, ſeu raſum. Rebuff. c. l. n. 33. & ſeqq. Pariſ. c. l. n. 44. & ſeqq.

Porrò etſi aliàs Procurator conſtitui poſſit per inſtrumentum publicum, vel per litteras etiam privatas. Clement. 1. de Procuratorib. l. 1. & l. Si Procuratorem; 65. ff. eodem. quia Epiſtola ſufficienter probat intentionem ſcribentis, l. Publica 26. §. ult. ff. depoſiti, & Procurator datur ad declarandum voluntatem conſtituentis: juxta ſtylum tamen Curiæ Romanæ, Procurator non admittitur ad præſtandum conſenſum in reſignationibus, niſi conſtet de mandato per publicum inſtrumentum, quamvis porrectio ſupplicationum reſignationis fieri poſſit per litteras miſſivas, ſeu privatas. Rebuff. c. l. n. 5. & 6. Pariſ. cit. lib. 9. q. 6. Unde extra Curiam ipſa etiam renunciatio fieri poteſt, per mandatum in litteris privatis datum.

XCVII. Quæritur 3. An beneficium reſignari poſſit per Procuratorem, coram quolibet Superiore poteſtatem habente admittendi renunciationem? Reſpondetur: Ad reſignandum beneficium ſimpliciter & abſolutè, poteſt conſtitui Procurator coram Papa, vel Ordinario: ad reſignandum verò certo modo, & conditione ſervandâ in renunciatione, conſtitui poteſt coram ſolo S. Pontifice. Pariſ. cit. l. 9. q. 17. n. 1. & ſeqq. Azor cit. c. 22. q. 12. Ratio eſt, quia ſicut quis per ſeipſum non poteſt reſignare beneficium coram locorum Ordinarijs, niſi purè, & ſimpliciter: ita nec per Procuratorem à ſe conſtitutum: coram Papa verò, quia per ſe poteſt quis certo modo, ſeu conditione, aut cum reſervatione reſignare, ideo etiam per Procuratorem id poteſt, & tunc fines mandati diligenter ſunt cuſtodiendi, alioquin ſi Procurator illos excedat, irrita eſt reſignatio, ob defectum conſenſûs principalis conſtituentis, l. Si diligenter 5. ff. mandati, c. Cùm dilecta 22. de reſcript. Azor c. l. Pariſ. c. l. n. 3. & 4.

XCVIII. Hinc infertur 1. Si Procurator conſtitutus ad reſignandum in favorem Titij, vel cum reſervatione certæ penſionis, aut omnium fructuum, reſignet in favorem alterius, v. g. Sempronij, vel ſinè penſione, vel nullis fructibus reſervatis; reſignatio eſt nulla, quia eſt contra formam mandati, Pariſ. cit. l. 9. q. 17. num. 16. & ſeqq. Azor cit. c. 22. q. 12. in fine. Valida tamen eſt reſignatio, ſi Procurator habens mandatum renunciandi, reſervatis omnibus fructibus, renunciet, reſervatâ dimidiâ parte fructuum, modò Procurator diligentiam adhibuerit, ut fructus Domino reſerventur, juxta formam mandati, quia tunc utiliter rem Domini ſui geſſiſſe videtur, reſervando partem fructuum, cùm omnes non poſſet, quia Papa non ſolet regulariter

riter concedere reſervationem omnium fructuum: ſecus eſt, ſi nullam diligentiam adhibuiſſet, tunc enim rennnciatio foret irrita, ob defectum poteſtatis Procuratoris, qui fines mandati transgreſſus eſt, Pariſ. c. l. n. 20. & 21.

Infertur 2. Si Procurator, mandato ei dato ad renunciandum, cum reſervatione penſionis pecuniariæ, renunciet, reſervatis fructibus, vel vice verſâ, non valet renunciatio, quia mandati executio ceſſat, cùm non refertur ad relata, ſive non fiunt imperata, Pariſ. cit. loc. n. 59. & 60. & num. 139. Item, ſi fuit Procurator datus ad renunciandum coram Papa, & renunciet coram Ordinario, vel alio, non valet renunciatio. Rebuff. c. l. n. 21. Azor c. l. Et è converſo, ſi mandatum fuit datum ad reſignandum coram Ordinario, & reſignatio fiat coram Papa, irrita eſt. Pariſ. c. l. n. 137. Azor c. l.

Infertur 3. Si mandatum fuit datum ad reſignandum purè, ac liberè, & Procurator reſignet, reſervatâ Domino penſione, vel parte fructuum, vel regreſſu, valet reſignatio, quia Domini conditionem meliorem fecit, & utilitas potiùs mandati, quàm forma eſt attendenda. Pariſ. cit. q. 17. n. 142. & ſeq. quamvìs Palao cit. diſ. 6. p. 2. §. 4. n. 8. diſſentiat, & putet, reſignationem non valere, quia reſignans non dedit mandatum ad reſignationem conditionalem, adeóque hæc ex voluntate mandantis non procedit. Sed reſponderi poteſt, etſi non procedat, ex voluntate illius expreſſa, procedere tamen ex tacita, ſeu præſumpta. Item Procurator conſtitutus ad reſignandum beneficium, in favorem v. g. Titij, modo, & conditione, quæ Procuratori videbitur, poteſt reſignare, cum reſervatione penſionis, in favorem principalis conſtituentis, quia poteſt meliorem facere conditionem Domini: non tamen poterit reſignare, reſervatâ penſione tertio, qui non eſt nominatus in mandato, quia mandatum non trahitur de una perſona ad aliam. Pariſ. c. l. n. 78. & 82. & ſeqq. juxta deciſionem Rotæ.

Infertur 4. Si mandatum datum ſit ad reſignandum beneficium, in favorem perſonæ nominandæ per ipſum Procuratorem, poterit is nominare, quem voluerit, non tamen ſe ipſum: ſicut neque cui data eſt facultas eligendi, poteſt eligere ſe ipſum, quia debet eſſe diſtinctio perſonarum inter nominantem, & nominatum, eligentem, & electum &c. quamvìs executor nominatus ad diſtribuendum aliqua inter pauperes, poterit etiam ſibi ipſi dare, ſi pauper ſit, quia tunc ceſſat vitium ambitionis, & ita quoque à Rota reſolutum fuit, teſte Pariſ. cit. loc. n. 103. & ſeqq. Azor cit. q. 12.

Infertur 5. Si Procurator conſtitutus ſit ad reſignandum beneficium apud Papam, vel Ordinarium loci, in favorem Titij, & ille reſignet coram Ordinario abſolutè, & ſimpliciter, non in gratiam alterius, valida eſt reſignatio, quia cùm apud ipſum Ordinarium loci non poſſit fieri in ſavorem alterius, potiùs habenda eſt ratio ejus, quod Procurator benè geſſit, quàm ejus, quod principalis non rectè mandavit: & ideo forma mandati non eſt ſervanda in his, quæ jure permiſſa non ſunt, ſed potiùs ea reputantur impoſſibilia, & pro non adjectis in mandato. Pariſ. cit. q. 17. n. 142. & ſeq. Azor c. l. q. 6. 5. Sed quid dicendum.

XCIX. Quæritur 4. An, & qua ratione Procurator ad renunciandum datus revocari queat? Reſpondetur: Procurator ad reſignandum beneficium datus, à principali, qui ipſum conſtituit, revocari poteſt, ante factam reſignationem, prout habetur in Clement. unic. h. t. Ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut, ſi quis (cùm illuſio, & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maximè ſint vitandæ) ad cedendum Pontificali, aut alij cuilibet dignitati, vel beneficio, Procuratorem ſponte, ac liberè conſtituerit, & ipſum ignorantem poſtea quomodolibet (expreſsè, vel tacitè, conſtituendo alium Procuratorem ad renunciandum. Gl. ibid. V. quomodolibet, & conſtat ex c. pen. de Procurator.) revocaverit, teneat ceſſio facta per eum, antequam ad ipſius (Procuratoris ſcilicet) vel illius, in cujus manibus ceſſio fuerat facienda, notitiam revocatio hujuſmodi ſit deducta. Niſi fortè per ipſos (videlicet Superiorem, vel Procuratorem) aut alios, vel alium, malitiosè factum fuerit, quò minùs ad eos, vel eorum alterum, ante ceſſionem, revocatio potuerit pervenire.

Porrò ratio, cur Procurator revocari poteſt, ante factam reſignationem, eſt, quia mandatum revocari poteſt, ſi res adhuc ſit integra, §. Rectè Inſtitut. de mandato: & ſicut poteſt quis pœnitere, & revocare renunciationem beneficij, quam per ſe fecit, antequam ea admiſſa eſt à Superiore: ita multò magìs poteſt revocare illam, quæ fit per Procuratorem, Pariſ. l. 9. q. 25. n. 1. & 2. Cur autem revocatio Procuratoris, expreſſa, vel tacita, intimanda eſt, alioquin renunciatio per eundem facta invalida eſt, etſi revocatus ſit, ante factam ab ipſo reſignationem, ratio, inquam, hujus eſt, *quia illuſio, ſive deceptio, & variatio, maximè in perſonis Eccleſiaſticis, ſunt vitandæ*, ut dicitur in cit. Clement. unic. in princ. h. t. illudere verò, ſeu decipere, vel ſaltem variabilis, & inconſtans eſſe cenſetur principalis reſignans, ſi ignorantem Procuratorem, vel ſinè prævia intimatione revocet.

C. Ubi notandum 1. Non ſufficere, quòd Procurator ſciverit revocationem, ſed requiritur, ut illa ſit denunciata, ſeu intimata ipſi Procuratori, vel, ut revocatio venerit ad notitiam Superioris admittentis renunciationem, gl. in cit. Clement. V. teneat. alioquin poterit Procurator, non obſtante ſui revocatione, conſentire reſignationi, & hæc valida erit; etſi conſenſus fuerit præſtitus, poſt mortem conſtituentis, quia ignorantia revocationis præſumitur, ideóque aſſerens, revocationem factam, eam probare debet. Pariſ. c. l. n. 29. & ſeqq. ubi ait, ita deciſum etiam eſſe à Rota.

Excipi debet, niſi per malitiam Procuratoris, vel Superioris, in cujus manibus renunciatio erat facienda, vel alterius tertij factum fuerit, quò minùs poſſet fieri denunciatio, ſeu intimatio revocationis procuratorij mandati, ante ceſſionem; tum enim renunciatio facta per Procuratorem revocatum non valet, etſi revocatio nec ipſi Procuratori, nec Superiori intimata fuerit, quia dolus, ſeu fraus nemini prodeſſe debet, cit. Clement. unic. in fine. Quare ſi renuncians principalis non fuit impeditus per malitiam alterius, quò minùs Procuratori, vel Superiori revocationem denunciare potuiſſet, renunciatio

Digitized by Google

tio facta tenebit, & revocatio non habebit effectum, ut à ſenſu contrario colligitur ex cit. Clem. in fine.

CI. Notandum 2. Si in Curia Romana apud Papam per Procuratorem fiat renunciatio beneficij, is revocari non poteſt, poſtquam Procurator conſenſum expreſſum præſtitit in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica, quia per illum conſenſum omnino abſolvitur, ac perficitur reſignatio: ante hunc verò conſenſum præſtitum, poteſt Procurator revocari, etiam poſt ſupplicationem peractam, & ſignatam, quia per hanc nondum eſt omnino perfecta reſignatio. Pariſ. cit. l. 9. q. 25. n. 4. & ſeqq. Azor cit. c. 22. q. 14. Sufficit autem, ſi revocatio Procuratoris denuncietur in Camera, vel Cancellaria Apoſtolica, nec opus eſt tum, ut ipſi Procuratori intimatio revocationis fiat, quia ſatis eſt, ſi revocatio veniat ad notitiam Superioris, cit. Clement. unic. ibi: *ad ipſius, vel illius notitiam*: quæ autem fiunt in Cancellaria, vel Camera, cenſentur fieri apud ipſum Papam. Pariſ. c. l. q. 26. n. 1. & ſeqq. Azor c. l. Præterea uſu receptum eſt, ut, ſi Beneficiarius abſens ſit à Curia Romana, & Procuratorem revocare velit, alium Procuratorem in Curia commorantem conſtituat, cui mandet, ut revocet mandatum priùs alteri datum ad reſignandum, eámque revocationem in Camera, vel Cancellaria denunciet. Pariſ. c. l. num. 11. Azor c. l.

Porrò ſi Procurator habens mandatum ad reſignandum beneficium, accipiat litteras miſſivas, ſeu privatas à Beneficiario, ſive mandante, ne ulteriùs in negorio reſignationis procedat, niſi denuo moneatur; tametſi per hujuſmodi litteras non ſit revocatus, eſt tamen ejus officium interim ſuſpenſum, ut nihil agere poſſit, quia ageret contra voluntatem Domini. Idque procedit, etiamſi illæ litteræ ad manus Procuratoris pervenerint, poſtquam ſupplicatio ſignata, & à Datario recognita fuit, ita, ut nihil ampliùs deſideraretur, niſi conſenſus in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica; nam poſt receptionem talium litterarum, non poteſt ulteriùs procedere, ſive præſtare formalem, & expreſſum conſenſum. Pariſ. cit. l. 9. q. 28. n. 1. & 2. Azor cit. c. 12. quæſt. 14. in fine.

CII. Quæritur 5. An mandatum Procuratori datum ad reſignandum beneficium, morte mandantis, extinguatur? Reſpondetur: Exſpirare morte mandantis, ſi is, antequam Procurator renunciat, obierit, ut patet ex Clement. ult. de Procurat. Gloſſ. communiter recepta in Clement. unic. V. Quomodolibet. h. t. Idque procedit, etſi Procurator ignoret mortem mandantis, quia omnes obligationes, & vincula morte ſolvuntur: probari tamen debet mors mandantis, cùm non præſumatur. Pariſ. cit. l. 9. q. 24. n. 3. & 4. Azor cit. c. 22. q. 13. Unde mortuo reſignante, non poteſt Procurator offerre ſupplicationem, & poſtea præſtare conſenſum, in favorem reſignatarij, cùm mandatum per mortem mandantis exſpiraverit, & beneficium per obitum reſignantis vacaverit, ideóque non potuerit vacare per renunciationem Procuratoris; arg. c. Suſceptum 6. de reſcript. in 6. Quòd ſi tamen Procurator conſtitutus ad reſignandum beneficium coram Papa, obtulit ſupplicationem, eáque non fuit ſignata à Papa, & recognita à Datario, vivente adhuc reſignante, poteſt Procurator expreſſum conſenſum præſtare, etiam poſt mortem conſtituentis, ſeu mandantis, ut colligitur ex Conſtitutionibus Alexandri VI. & Leonis IX. quæ habentur apud Pariſ. cit. q. 24. quia Procurator poſt mortem Domini, poteſt incepta perficere, non autem nova inchoare, l. Nam, & Servius 21. §. Si vivo Titio; ff. de negot. geſt. Idque ex probabiliore ſententia procedit, non ſolùm, ſi Procurator conſtitutus ſit ad ſimpliciter reſignandum beneficium; ſed etiam, ſi datus ſit ad reſignandum, ſub conditione, nimirum cum reſervatione fructuum, vel penſionis, vel regreſsûs; nam & tunc poteſt Procurator, poſt mortem reſignantis, præſtare conſenſum, modò ſupplicatio oblata à Procuratore, & ſignata, & recognita à Datario fuerit, ante mortem reſignantis. Pariſ. cit. q. 24. n. 41. & 42. Azor cit. q. 13. §. Quæres. Quòd ſi verò principalis reſignans ipſe obtulit reſignationem, & poſtea Procuratorem conſtituit ad conſentiendum reſignationi, non poteſt Procurator, poſt mortem principalis, præſtare conſenſum, quia quod ad ipſum Procuratorem ſpectat, res etiamnum eſt integra, cùm nihil agere cœperit, adeóque mandatum morte mandantis exſpirat. Pariſ. c. l. n. 28. Azor c. l.

§. V.

De publicandis Reſignationibus Beneficiorum.

CIII. Quæritur 1. Ob quam cauſam reſignationes beneficiorum ſint publicandæ? Reſpondetur: Renunciationes beneficiorum modo ſuprà dicto perfectæ, intra certum tempus, à Reſignatario publicari, ſeu promulgari debent, ad vitandas fraudes, & multa alia incommoda, ut ſcilicet caveantur occultæ, & ſimulatæ reſignationes; & ne reſignantes, poſt admiſſam reſignationem, in beneficia reſignata denuo ſe intrudant, fructus percipiendo, & adminiſtratione, ſeu officio fungendo; tum ne parochiani, ijs, qui jam reſignârunt occultè, ſed adhuc ſunt in poſſeſſione parochiarum reſignatarum, perſolvant decimas, & ab eis tanquam veris Prælatis, & Paſtoribus Sacramenta petant, & accipiant: tum denique, ne etiam Ordinarij, locorum deludantur, exiſtimantes beneficia eorum, qui, poſt occultam reſignationem, deceſſerunt in poſſeſſione eorum, vacare per mortem, & ſic ea alijs invalidè conferant. Pariſ. l. 11. q. 1. Azor cit. l. 7. c. 24. q. 2. tum denique ne reſignans velit in vita frui beneficio, & per reſignationem ſibi de Succeſſore providere, quod in jure prohibitum eſt. Pariſ. l. c. Azor c. l.

CIV. Quæritur 2. Quænam Reſignationes beneficiorum ſint publicandæ? Reſpondetur: Regula generalis eſt, reſignationes omnium beneficiorum eſſe publicandas, ut conſtat ex Regula Cancellariæ, quæ habetur apud Rebuff. in praxi benefic. tit. Regula de public. reſignat. Bulla Pij V. quæ incipit Sanctiſſimus, & extat apud Pariſ. cit. l. 11. in Præfat. & ex Conſtitut. Gregorij XIII. quæ incipit. Humano vix judicio, & extat apud Pariſ. cit. loc. per quam non ſolùm Regulis Cancellariæ, ſed etiam Conſtitutioni Pij V. eſt derogatum, & reſolvit Rota

Romana apud Pariſium c. l. num. 6. Itaque reſignationes omnium beneficiorum ſunt publicandæ, ſive ſint ſimplicia, ſive curata, etiam juris patronatûs, & electiva, ſecularia, & regularia, perpetua, & temporalia, ſeu manualia, etiam reſervata, Pariſ. c. l. q. 5. Azor cit. c. 24. q. 5.

Excipiuntur beneficia Conſiſtorialia, ſive quæ in Conſiſtorio conferuntur, qualia ſunt Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, in quibus ceſſat ratio fraudis, cùm in præſentia Papæ conferantur: alia verò minora beneficia conſiſtorialia, quæ extra Conſiſtorium providentur, qualia ſunt Abbatiæ, & Prioratus, publicari debent. Pariſ. cit. quæſt. 3. num. 25. Azor c. l.

CV. Quæritur 3. Quinam beneficia reſignata publicare debeant? Reſpondetur: Omnes reſignatarij, etiam exempti; item Officiales Curiæ Romanæ, imò & Cardinales reſignationes in eorum favorem factas promulgare debent, ut patet ex cit. Conſtitutione Gregorij XIII. & ſtylus, ac praxis habet. Pariſ. cit. lib. 11. quæſt. 4. num. 1. & ſeqq. Azor c. l. quæſt. 6. Item ſecundus reſignatarius, ſive primus publicaverit, ſive non, ut ſi quis reſignavit beneficium in favorem Titij, & hic in favorem Caij, debet Cajus publicare reſignationem, ſi Titius in ipſius gratiam beneficium dimiſit, intra tempus promulgationi præfixum, etiamſi Titius illam promulgârit. Pariſ. cit. quæſt. 4. num. 19. & ſeqq. Azor cit. loc. Sed & minores 25. annis tenentur publicare beneficia eis reſignata, currítque illis etiam ignorantibus tempus ad publicandum præfixum. Pariſ. cit. quæſt. 4. num. 33. & ſeqq. & num. 43. & ſeqq. ex deciſione Rotæ. Azor cit. quæſt. 6. in fine.

CVI. Quæritur 4. An publicanda ſit reſignatio beneficiorum, quomodocunque facta fuerit? Reſpondetur affirmativè, ſive facta ſit, extra Curiam, coram Ordinarijs locorum: ſive ex cauſa permutationis: ſive reſervatis omnibus, & ſingulis fructibus, aut cum reſervatione penſionis, regreſsûs, vel acceſsûs; ſive beneficium reſignatum conceſſum ſit in Commendam, quia Conſtitutio Gregoriana generaliter loquitur de omnibus reſignationibus, & eadem ratio fraudis in omnibus hîc locum habet. Pariſ. cit. l. 11. quæſt. 5. num. 1. & ſeqq. Azor cit. c. 24. quæſt. 7. Garc. de benefic. p. 11. c. 3. num. 273. & plurib. ſeqq. ubi num. 776. ait, dictam Conſtitutionem habere locum etiam, in reſignationibus nullis, ſeu invalidis, ut in ipſa dicitur. Plura videri poſſunt apud citt. qui fusè hæc perſequuntur.

CVII. Quæritur 5. Intra quod tempus fieri debeat publicatio reſignationum? Reſpondetur: Reſignationes omnium beneficiorum, etiam ex cauſa permutationis factæ, hodie ex Conſtitutione Gregorij XIII. in Curia Romana debent publicari, intra ſex menſes, ſi beneficium reſignatum exiſtat citra montes: ſi verò ultra montes, intra novem menſes, à die ſupplicationis datæ, & reſignatæ, non autem à die præſtiti conſensûs numerandos. Renunciationes verò factæ extra Curiam, coram Ordinarijs, debent ab his admitti, vel rejici infra unum menſem; à proviſis verò publicari infra tres menſes, & intra eoſdem capere poſſeſſionem beneficiorum, qui cùrunt, non à die reſignationis admiſſæ, ſed à die, quo collatum eſt beneficium. Et comprehenduntur in hoc decreto, non ſolùm Epiſcopi, & alij inferiores collatores, ſed etiam Archiepiſcopi, Patriarchæ, Legati Sedis Apoſtolicæ, etiam de latere, & delegati Cardinales. Et ſi prædicti non admiſerint, vel rejecerint reſignationem, vel ſi admiſerint, non contulerint beneficia reſignata intra menſem, ſunt privati eâ vice facultate diſponendi de dictis beneficijs, & eorum diſpoſitio ad Sedem Apoſtolicam devolvitur: quòd ſi proviſus reſignationem non publicaverit, intra dictos tres menſes, collatio ipſi facta eſt nulla, & beneficium eo ipſo vacare cenſetur, ita, ut à quolibet impetrari poſſit. Pariſ. cit. l. 11. q. 2. n. 3. & ſeqq. Azor cit. c. 24. q. 3.

CVIII. Quæritur 6. Ubinam, & quomodo publicationes beneficiorum reſignatorum fieri debeant? Reſpondetur: Beneficium reſignatum, ſi curatum, ſeu parochiale ſit, publicandum eſt in Eccleſia beneficij reſignati, in qua ſitum eſt, & in Cathedrali. Si verò ſit beneficium, quod populo caret, tunc promulgari debet ejus reſignatio in Eccleſia parochiali, intra cujus limites beneficium exiſtit, & in Cathedrali, juxta cit. Conſtitutionem Gregorij XIII. Pariſ. cit. l. 11. quæſt. 6. n. 5. & ſeqq. Azor c. l. q. 8. Et quidem promulgatio ea fieri debet diebus feſtis, cùm frequens populus ad Miſſarum ſolemnia convenit, vel ad divina officia: & publicè exhibendæ ſunt litteræ Pontificiæ, in quibus ipſa reſignatio tenetur, vel earum Tranſumptum Authenticum. Pariſ. c. l. num. 25. & ſeqq. Azor c. l. quæſt. 8. in fine. non tamen eſt opus ipſas litteras legere, vel earum datum, ſed ſatis eſt, ſi à Notario narretur facta reſignatio. Pariſ. c. l. num. 41. Garc. cit. c. 3. num. 291.

CIX. Quæritur 7. Quæ ſit pœna non factæ publicationis? Reſpondetur: Reſignatio beneficij facta ſinè publicatione, nec ſecundùm formam præſcriptam in Conſtitutionibus Pontificijs, ſive in Curia Romana, ſive extra illam, irrita eſt, ita, ut reſignatario nullum jus acquiratur, prout habetur in cit. Conſtitut. Gregoriana apud Pariſium c. l. q. 7. neque triennalis poſſeſſio beneficij ſuffragetur non publicantibus, juxta cit. Conſtitut. Pariſ. c. l. num. 19. Azor c. l.

Cæterùm prædicta Conſtitutio Gregoriana, quoad reſignationes, & permutationes beneficiorum coram Ordinario factas, non videtur eſſe uſu recepta in pluribus locis, in quibus nunquam fit publicatio earum, prout refert Garc. c. l. n. 289. non eſſe receptam in illis partibus, neque in noſtris.

SECTIO VII.

DE EFFECTIBUS Renunciationis.

§ I.

Qui ſint effectus Renunciationis puræ, ac ſimplicis?

CX. Aſſertio 1. Primus, ac principalis renunciationis puræ, ac ſimplicis effectus eſt, quòd beneficium legitimè reſignatum vacet, ita, ut is qui purè, &

& abſolutè beneficio renunciavit, amittat omne jus in beneficio, poſteaquam renunciatio à Superiore admiſſa eſt, nec poſſit deinceps beneficium dimiſſum, vi prioris tituli, repetere, c. Quàm periculoſum; 8. cauſ. 7. quæſt. 1. c. Ex tranſmiſſa 5. c. Super hoc 5. h. t. c. 2. eod. in 6. Ratio eſt, tum quia renunciando abdicavit à ſe omne jus, quod in beneficio habebat, & videtur habere illud pro derelicto: tum ne illudatur Superiori, qui renunciationem admiſit. Pariſ. l. 1. de reſignat. benef. q. 13. n. 2. & ſeqq. & alij DD. communiter. Tum etiam quia illuſio, & variatio maximè perſonis Eccleſiaſticis ſunt vitandæ. Clement. unic. in princ. h. t. Idque procedit, non ſolùm in renunciatione expreſſa, ſed etiam in tacita, ita, ut tacitè renuncians non poſſit pœnitere, nec redire ad beneficium tacitè reſignatum, quia tacita renunciatio, in præjudicium renunciantis, idem operatur, quod expreſſa, uti ſumitur ex c. Si quis 24. cauſ. 7. q. 1. Pariſ. c. l. n. 10. & 11.

Idémque dicendum de eo, qui renunciavit per Procuratorem habentem ad hoc ſpeciale mandatum, quia renunciatio facta per Procuratorem videtur per ſe ipſum facta, ac proinde neque talis poteſt repetere beneficium per Procuratorem reſignatum. Pariſ. c. l. n. 24. & 25. Quin imò per puram, & ſimplicem, ac ſpontaneam renunciationem beneficij à legitimo Superiore acceptatam, non ſolùm proprietas, ſed etiam poſſeſſio amittitur: ita, ut ad nudam detentionem, quam fortè retinet, non ſit reſtituendus, ſi ab ea dejiciatur. Gregor. Tholoſan. in Inſtit. rei beneficiar. c. 31. n. 1. Pariſ. cit. lib. 1. quæſt. 16. num. 3. & alij DD. communiter. Nam exceptio ſpontaneæ renunciationis impedit reſtitutionem beneficij, quia fruſtra traderetur ei poſſeſſio beneficij, ad quod conſtat, eum jus nullum habere, adeòque petenti reſtitutionem obſtat notorius defectus proprietatis, ut ſumitur ex c. Accepta 5. de reſtitut. ſpoliat. & ibi Abb. num. 4. quamvis contrarium teneat Barboſ. l. 3. jur. Eccleſ. c. 15. num. 68. & num. 149. de quo alibi agitur. Ex quo ulteriùs ſequitur, reſignantem purè, ac ſimpliciter, poſt admiſſam renunciationem beneficij per Papam, vel per Ordinarium, non poſſe ampliùs fructus juſtè percipere, cùm per illam canonicus titulus ſit extinctus, ſinè quo beneficium juſtè poſſideri non poteſt, ſed illi ſpectabunt ad Succeſſorem in beneficio, cui ſi à reſignante, poſt renunciationem admiſſam, percepti ſint, reſtituendi ſunt, cùm non fecerit illos ſuos, ex communi DD. ſententia apud Pariſ. lib. 1. quæſt. 6. num. 1. & ſeqq.

CXI. Aſſertio 2. Non ſolùm autem is, qui habet jus in re, quia inſtitutus eſt in beneficio, ſed etiam qui habet jus tantùm ad rem, ut electus ad Prælaturam, vel aliud beneficium, ſi renunciet electioni de ſe factæ, amittit jus, quod habuit ad illud, ita, ut non poſſit illud repetere, prout ſumitur ex c. In præſentia 6. h. t. Nam cùm duo electi eſſent ad Abbatiam aliquam, Titius, & Cajus, Titius intentavit litem Cajo poſſeſſori Abbatiæ, dicens, eam ad ſe pertinere: eáque cauſa commiſſa fuit Epiſcopo Dulmenſi, & alijs quibuſdam, qui latâ ſententiâ pro poſſeſſore Cajo contra Titium, ei Abbatiam adjudicârunt: à qua Titius actor appellans, dicebat, ſententiam contra ipſum latam non valere, quia lata ſit contra liquidam probationem juris ſibi competentis, cùm tamen poſſeſſor parùm, aut nihil probaverit. Cauſâ hac delatâ ad Papam Clementem III. is reſpondit, quòd Judex non ſemper attendat ad unam, vel alteram probationis ſpeciem, ſed ex confeſſionibus partium, depoſitionibus teſtium, aliiſque publicis allegationibus formet animi ſui judicium, atq; ita ſententiam ferat: judicialis autem ſententiæ tanta eſt auctoritas, ut ſemper pro ejus juſtitia præſumi debeat, donec contrarium legitimè probatum fuerit. Quare tametſi Cajus poſſeſſor, coram Judicibus delegatis, nihil penitus probâſſet; tamen ſtandum eſſet ſententiâ Judicum, niſi adverſarius oſtenderet, illam irritandam eſſe. Cujus ratio eſt, *quia res judicata pro veritate accipitur*, reg. jur. 207. in ff. & præſumptio eſt pro Judicis ſententia, eam juſtam eſſe, & legitimè latam, niſi contrarium oſtendatur, prout etiam habetur in c. Bonæ 23. de elect. & c. Sicut 16. in fine de ſent. & re judic. Idque tum propter auctoritatem Judicis, qui publicum officium gerit, ut colligitur ex cit. c. Sicut: Abb. in cit. c. In præſentia num. 4. h. t. Tum ex partium conſenſu, quæ litem conteſtando, ſententiæ Judicis ſe ſubmittere cenſentur, de quo ſuo loco.

Additur verò in fine cit. c. In præſentia h. t. Veruntamen, quia etiam conſtabat ex quibuſdam litteris Epiſcoporum, & propria confeſſione Titij actoris, quòd juri, ſi quod habuit in Abbatiam, ſponte renunciârit, ideo, ſi poſtea in judicio illam petat, audiri non debet, ſed ſilentium illi indici. Ratio eſt, quia, ſi poteſt renunciari juri in re, multò faciliùs juri ad rem, quod non ita plenum, ac perfectum eſt, ſicut jus in re. Pariſ. cit. quæſt. 13. num. 17. & ſeqq. & electus ad beneficium poteſt ſimpliciter renunciare electioni, etiam propriâ auctoritate, ut patet ex ſuprà dictis.

CXII. Aſſertio 3. Non tantùm ij, qui actu renunciârunt, ſed etiam illi, qui ſolùm licentiam cedendi beneficio inſtanter à Superiore petierunt, poſtquam eam obtinuerunt, cedere coguntur: quia cùm in hujuſmodi poſtulatione cauſam cedendi habuerint, aut etiam propoſuerint, videlicet Eccleſiarum, quibus præſunt, commodum; aut propriam ſuam ſalutem, etiamſi poſtea, vel ſuaſionibus aliorum, quæ ſua ſunt, quærentium, vel propriâ levitate, revocare velint, non ſunt audiendi, ſed ad cedendum compellendi, prout habetur ſtatutum in c. Quidam 12. h. t. Quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 28. Ratio eſt, tum quia, licèt aliàs pœnitentia in pluribus caſibus ſit licita, tamen in ijs, quæ Superioris conſenſum exigunt, non admittitur pœnitentia, ne ei illudatur. Gloſſ. ibid. V. Compellendos: tum quia admodum grave eſt, fidem fallere, maximè perſonis Eccleſiaſticis, quibus etiam illuſio, & variatio eſt cavenda, Clem. unic. in princ. h. t. Pariſ. lib. 3. q. 18. n. 52. & duobus ſeqq. Atque hoc procedit, non ſolùm in ſimplici beneficiato, de quo expreſsè ſermo eſt in cit. c. Quidam; ſed etiam in obtinente dignitatem Epiſcopalem, quia in eo militant eædem rationes. Innoc. ibid. in princ. Pariſ. cit. loc. n. 59. & 60. & ſive fuerit petita, & obtenta licentia cedendi

à Papa

à Papa, ſive etiam ab alijs inferioribus Ordinarijs, tùm in his etiam ſubſit eadem ratio illuſionis, & variationis, Pariſ. c. l. n. 62. quia textus in cit. c. loquitur generaliter; &, ſive fuerit licentia petita, & obtenta per ſe, ſive per alios, ex mandato tamen, ſive ad inſtantiam ipſorum beneficiatorum; nam quod ab alio fit ex mandato meo, per me factum videtur, Pariſ. c. l. n. 63. & ſive denique, poſt obtentam licentiam cedendi, jus ſit quæſitum in beneficio alicui tertio, cui illud eſt aſſignatum, ſive etiam non quæſitum. Pariſ. c. l. n. 64.

Non obſtat 1. Quòd, ſi quem pœnitet bonis ceſſiſſe, poteſt defendendo ſe conſequi, ne bona ejus veneant, l. Quem pœnitet; 5. ff. de ceſſione bonorum. ergo ſimiliter pœnitere etiam poterit renuncians, qui licentiam cedendi obtinuit. Sed disparitas eſt, tum quia Superiori, coram quo renunciatio beneficij neceſſariò eſt facienda, illudi videretur, ſi, poſtquam is eam admiſit, reſilire liceret. Gloſſ. fin. in cit. c. Quidam; ceſſio autem bonorum, cùm fieri poſſit etiam extra judicium, l. ult. ff. eodem. non neceſſariò fit coram Superiore. Tum quia renunciatio liberè fieri ſolet, & ſinè coactione alicujus, ſed ceſſio bonorum plerumque fit, neceſſitate cogente, ideóq; in illa non licet pœnitere, ſicut in iſta. Tum denique quia, qui bonis cedit, eſt eorum Dominus, non item beneficiatus eſt abſolutè Dominus beneficij, ſed Procurator potiùs, quod ad Eccleſiam ſpectat, c. 2. de donationib. ideóque cedenti bonis conceditur reſilire per pœnitentiam, cùm de majore ejus præjudicio agatur, Abb. in cit. c. Quidam n. 1.

Non obſtat 2. Quòd poſtulantes aliquem ad Prælaturam non poſſunt recedere à poſtulatione, poſtquam ea præſentata eſt Superiori, c. Bonæ 4. de poſtul. Prælat. ergò nec reſignaturus beneficium poteſt pœnitere, poſtquam à Superiore petivit licentiam cedendi, quamvis illam nondum obtinuerit. Nam disparitas eſt, quia poſtulantes, poſt præſentationem poſtulationis Superiori factam, cenſentur functi officio ſuo, quòd ipſis à jure conceſſum eſt, ideóque non poſſunt per pœnitentiam reſilire, quæ ratio non procedit in renunciatione. Laym. in cit. c. Quidam; in fine h. t.

CXIII. Porrò antequam Superior licentiam cedendi beneficio conceſſit, poteſt is, qui illam petijt, revocare renunciationem; uti colligitur ex cit. c. Quidam; per ſenſum contrarium ibi: *eâ obtentâ*, h. t. Ubi tamen diſtinguendum eſt; vel enim aliquis actu renunciat beneficio per ſe, vel per alium, in manu Superioris, petendo, ut hanc ceſſionem admittere velit: & hoc caſu, ſi is, qui reſignavit, renunciationem poſtea revocet, non tenetur Superior revocationem illam admittere, ne ipſi illudatur, ſi fortè jam alteri idoneo beneficium reſignatum contulit. Vel ipſo facto non renunciat beneficio, ſed ſolùm petit licentiam renunciandi, ut in caſu cit. c. Quidam; tunc poteſt renunciatio revocari, ante licentiam à Superiore conceſſam, ſeu obtentam, ut colligitur ex c. jam cit. Sin autem Superior jam conceſſit licentiam renunciandi, tunc rurſum diſtingui debet; vel enim Superior abſolutè conceſſit licentiam cedendi, & tunc renuncians non poteſt pœnitere, ſed cogitur renunciare. Vel Superior non conceſſit abſolutè licentiam cedendi, ſed alicui commiſit poteſtatem admittendi ceſſionem: & hoc caſu, conſiderari debent, tum verba commiſſionis, tum qualitas conditionis, quæ interdum apponi ſolet; v. g. do tibi facultatem admittendi renunciationem beneficij, ita tamen ut oneres conſcientiam renunciantis, quòd juſtam cauſam cedendi habere ſe, putet; & tum renuncians adhuc pœnitere poteſt, & recedere, nec cogi poteſt ad cedendum. Vel poteſtas admittendi ceſſionem eſt conceſſa hoc modo: Do tibi facultatem admittendi renunciationem, ſi omnibus conſideratis, ita expedire tibi viſum fuerit: & tunc judicio prudentis Commiſſarij relictum eſt, ut arbitretur, an, ſi renuncians revocare velit renunciationem, ſive ab illa reſilire, & recedere, id ei concedendum ſit; an verò cogendus ſit ad cedendum. Innocent. in cit. c. Quidam V. Compellendos, & Abb. ibidem num. 2. & Laym. n. 3. & 4.

Illud tamen hîc addendum eſt, quòd ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, ante expreſſum conſenſum renunciandi in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica præſtitum ab ipſomet renunciante, ſi ipſe abſens ſit, ſemper licet pœnitere, & recedere à renunciatione, etiam poſt petitam, & obtentam licentiam renunciandi à Superiore: quod tamen ſolùm habet locum in renunciatione beneficiorum inferiorum coram Papa factâ; non autem Epiſcopatuum, & aliorum Beneficiorum Conſiſtorialium: nam ſi Epiſcopi petierint, & obtinuerint à Papa licentiam cedendi, poſſunt etiam hodie cogi ad reſignandum, conformiter diſpoſitioni Juris communis, in cit. c. Quidam; Pariſ. lib. 3. quæſt. 18. num. 67. & num. 70. ubi num. 75. ait: Quòd hic ſtylus, ſecundùm quem reſignans poteſt pœnitere, ante conſenſum præſtitum in Cancellaria, vel Camera, non reperitur eſſe obſervatus in renunciatione Epiſcopatuum, idque, ne ipſi S. Pontifici illuderetur.

§. II.

An renuncians redire poſſit ad beneficium reſignatum, & an deſcendere à digniore beneficio ad minùs dignum?

CXIV. Quæritur 1. An renuncians poſſit beneficium reſignatum denuo conſequi? Reſpondetur: Poteſt is, qui beneficium reſignavit, non obſtante renunciatione ſuâ, redire ad idem beneficium, ex novo titulo poſtea superveniente, ut, ſi ad illud iterum eligatur, vel præſentetur, vel denuo ei conferatur, prout ſumitur ex c. Cùm inter. 2. h. t. » Nam Petrus Canonicus litigans ſuper beneficio Eccleſiaſtico, & juribus ad id pertinentibus, videlicet ſtallo in Choro, & loco in Capitulo, ceſſit juri ſibi fortè competenti in beneficio, addito juramento, quòd beneficium hoc nunquam ampliùs petere vellet. Sed poſtea Pontifex idem beneficium mandavit conferri Petro, ſi major pars Capituli conſenſerit. Unde quæ-

ſtio orta fuit, an, non obſtante juramento, Petrus beneficium conſequi poſſit? Reſpondet Alexander III. quòd Petrus, non obſtante abjuratione, ſeu renunciatione ſuâ juratâ, in pacifica poſſeſſione beneficij, in quo auctoritate Pontificia inveſtitus eſt, defendi debeat, ſi major, & ſanior pars Capituli conſenſerit. Ratio eſt, quia renunciatio, ipſúmque juramentum renunciandi ſtrictæ interpretationis eſt, cùm ſit juris ſui refutatio, ſeu remiſſio, quæ non facilè præſumitur; ideóque non debet extendi ad renunciationem juris, quod fortè poſtea ex nova cauſa ſuperveniente oritur, Maſcard. de probat. concluſ. 126. n. 13. ſed interpretari illud oportet, ſecundùm ſtatum rei præſentem, & cauſam tunc ſubſiſtentem, futura enim, quæ plerumque ſunt incognita, non cenſentur comprehenſa ſub jurantis intentione, ac proinde juramentum regulariter ad ea, quæ de novo ſuperveniunt, non eſt extendendum; quia intelligitur ineſſe hæc clauſula: *rebus ſic ſtantibus*, c. Quemadmodum 25. de jurejur. Abb. in cit. c. 2. num. 1. Sic qui juratus remiſit injuriam inimico, non tenetur juramento, ſi nova injuria illi poſtea ab eodem illata ſit, Abb. c. 1. num. 10. Accedit, quòd renuncians juravit quidem, ſe deinceps non petiturum beneficium reſignatum, non autem juravit, ſe non recepturum, ſi iterum eligeretur, vel in eo inſtitueretur, & ſic nihil agit contra juramentum, recipiendo illud poſtea de novo ipſi à Papa collatum. Gloſſ. in cit. a. 2. V. Juramentum.

Porrò, ſi jurans animum habuit per juramentum renunciandi, non ſolùm juri quæſito, ſed etiam acquirendo ex nova cauſa ſuperveniente, etiamſi de novo eligeretur, vel inſtitueretur in beneficio, tunc nihilominus renuncians acceptare poteſt idem beneficium reſignatum, ſi, vel à Superiore, ob juſtam cauſam reſpicientem bonum Eccleſiæ, id ei impeteretur, quia in omni juramento ſubintelligitur hæc conditio, *ſalvo jure Superioris*, c. Venientes 19. de jurejur. Vel etiam, ſi juramentum præcipuè, ac principaliter in favorem eorum, quibus jus eligendi competit, factum ſit à renunciante, & is de novo ab ijſdem eligatur, Maſcard. in cit. loc. quia juramentum in alicujus favorem, & utilitatem editum, intelligendum eſt, niſi ille expreſsè, vel tacitè obligationem remiſerit. Secus eſt, ſi renunciatio beneficij jurata facta ſit principaliter in honorem Dei, v. g. animo poſtea ingrediendi Religionem; tunc enim juramentum ſervandum eſt, ob perfectiorem ſtatum vitæ religioſæ, Laym. ibid. n. 2. & 3.

CXV. Cæterùm quod dictum eſt, eum, qui renunciavit, ad Prælaturam, vel beneficium reſignatum redire poſſe, ſi ad illud iterum eligatur, vel aſſumatur, id limitandum eſt in eo, qui propter crimen renunciavit Epiſcopatui, & Religioſus factus eſt; nam hic ad Epiſcopatum redire, ſive ad illum iterum eligi non poteſt: ſecus, ſi ob aliam cauſam, cum legitima Superioris, videlicet S. Pontificis auctoritate, ad Religionem tranſijt, prout ſumitur ex c. Poſt translationem 11. h. t. Ubi talis caſus proponitur: Poſtquam Epiſcopus Faventinus ad Archiepiſcopalem Eccleſiam Ravennatenſem, eſt translatus, Præpoſitus, & Canonici Eccleſiæ Faventinæ liberam poteſtatem eligendi Epiſcopum uni ex Canonicis unanimiter commiſerunt, qui Joannem olim Epiſcopum Sardanenſem, tunc verò Regularem Profeſſum Eccleſiæ S. Fridiani poſtulavit, petitâ etiam, & obtentâ licentiâ à Priore illius Conventûs, cúmque poſtulationem Præpoſitus, & alij Canonici ab Innocentio III. approbari petierunt. Sed obſtare videbatur Canon Concilij Conſtantinopolitani, (quod refertur in c. Hoc nequaquam 45. cauſ. 7. quæſt. 1.) in quo cautum reperitur, ut qui à Pontificali dignitate ad Monachalem vitam, & pœnitentiæ locum deſcendiſſet, iterum ad Epiſcopalem dignitatem non aſſurgat. Quare contra dictum Concilium (quod unum eſt ex quatuor principalibus, quæ ſunt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, quæque ſicut quatuor Evangelia Eccleſia Catholica veneratur) non videbatur eorum poſtulatio admittenda. Veruntamen ſunt plures caſus ſpeciales, in quibus Epiſcopus Monachus factus, à ſtatu Monachali rurſum licitè ad Epiſcopatum aſſumi poteſt: videlicet, ſi Epiſcopus, ſive propter ſævientem perſecutionem, ſive ob infirmitatem corporis, reſignato Epiſcopatu, cum Superioris licentia, vitam Monaſticam ſuſcepiſſet, tali impedimento ceſſante, ad Epiſcopalem dignitatem reaſſumi poſſet. Item, ſi quis propter ſciantiæ defectum, Epiſcopatui renunciâſſet, & ad Monaſterium ſe contuliſſet, ibique poſtea ſcientiam requiſitam conſecutus eſſet, poſſet canonicè electus iterum ad Epiſcopalem Cathedram aſcendere, quia ceſſante cauſâ, ceſſat effectus. Præterea, ſi quis per cupiditatem parentum (datâ, vel promiſſâ pecuniâ, adeòque ſimoniacâ interveniente pravitate) eo tamen penitus ignorante, Epiſcopatum adeptus fuerit, & re poſtea cognitâ, dignitatem Epiſcopalem dimittens, cum licentia Superioris, profeſſionem in Religione emiſerit, licèt ad eundem Epiſcopatum redire, ſeu eligi, juxta Canonicas ſanctiones, non poſſit (ſaltem pro illa vice, niſi cum illo diſpenſetur, juxta c. pen. de elect.) ad alium tamen licitè reaſſumi poterit. Ex quo apparet, prohibitionem Concilij Conſtantinopolitani, in quo cautum reperitur, ut, qui à Pontificali dignitate ad Monachalem, & pœnitentiæ locum deſcendiſſet, iterum ad Epiſcopalem dignitatem non aſſurgat, quod refertur in cit. c. Hoc nequaquam 45. cauſ. 7. quæſt. 1.) non eſſe univerſaliter intelligendam, ſed vel eo ſolùm caſu, ſi quis propter aliquod crimen commiſſum, Epiſcopatum deſerens, pœnitentiæ agendæ cauſâ, ad vitam Monaſticam deſcendit, quòd iterum ad illum non ſit aſſumendus. Vel prohibitio illius Canonis (prout alij intellexerunt) intelligi debet de omnibus illis, qui ab Epiſcopatu ad religioſam vitam deſcendunt, quòd ad dignitatem Epiſcopalem, quam deſeruerunt, per ſe, & propriâ auctoritate ſe recipere, vel eam quaſi debitam repetere nequeant, quamquàm iterum eligi poſſint: præſertim ſi loco tantùm (id

eſt,

eſt, regimini, ſive adminiſtrationi) & non Ordini (id eſt, executioni Ordinis) renunciârunt. Sed prior intellectus præferendus eſt. Quare, ſi conſtiterit; quòd Epiſcopus aliquis propter aliquam, ex præmiſſis cauſis, vel alijs ſimilibus Epiſcopatu ceſſerit; & vitam regularem ſuſceperit, tum, ſi neceſſitas, vel utilitas id poſtulare videatur, auctoritate Apoſtolicâ ei licentia danda eſt iterum aſcendendi ad regimen Eccleſiæ Epiſcopalis, ad quam electus, vel poſtulatus fuerit: præſertim ſi loco tantùm, ac regimini Epiſcopatûs ceſſerit, & non Ordini, ac dignitati Epiſcopali; quia hoc caſu vehementiſſima præſumptio eſt, quòd non propter crimen aliquod ab ipſo commiſſum, ad vitam regularem tranſierit, cùm Sedes Apoſtolica ipſi nequaquam permiſiſſet, poſt ceſſionem ſuam, in Pontificali Ordine miniſtrare. Sin autem conſtiterit, quòd talis Epiſcopus, propter commiſſum crimen, Religionem ſuſceperit, tum is ad Epiſcopatum denuò eligi, & poſtulari non poterit, contra Concilium Conſtantinopolitanum tam celebre. Quare idem Papa Innocentius III. prædictis Præpoſito, & Canonicis injunxit, ut aliam perſonam idoneam ſibi eligant in Paſtorem, ita habetur in cit. cap. Poſt translationem.

CXVI. Notandum 1. Si Epiſcopus Religionem ingrediatur, præſumendum eſt, quòd non tantùm loco, & regimini, ſed etiam Ordini, & dignitati Epiſcopali renunciare velit, niſi ſpecialiter impetret à Papa, ut ipſi Pontificalia exercere liceat. Si verò Epiſcopus renunciet Epiſcopatui, ſed Religionem non ingrediatur, tum plerumque ex permiſſione Sedis Apoſtolicæ retinet dignitatem, & exercitium Ordinis Epiſcopalis, ne alioquin ob crimen depoſitus videatur, ut colligitur ex c. Ad ſupplicationem; 9. h. t. Layman. in cit. c. Poſt translationem; num. 1.

Notandum 2. Quamvis talis Canon Concilij Conſtantinopolitani in illo Concilio non reperiatur, ut notavit Soar. apud Laym. in cit. c. Poſt translationem; n. 2. Tamen Gratianus in cit. c. Hoc nequaquam ait, illum deſumptum eſſe ex Synodo V. Conſtantinopolitana ſub Joanne VIII. ſed ſecundùm poſteriorem intellectum, quem Innocentius III. in cit. c. Poſt translationem adduxit, nempe ſi Epiſcopi Religionem profeſſi, propriâ auctoritate, ad Epiſcopatum reverti velint, id non eſſe illis permittendum.

CXVII. Quæritur 2. An renuncians dignitati, ſeu beneficio majori, deſcendere poſſit, & obtinere beneficium minus, ſeu inferius? Reſp. Qui Archiepiſcopatui, Epiſcopatui, vel alteri dignitati Eccleſiaſticæ renunciavit, poteſt deinde aliud minùs dignum, & inferius beneficium, v. g. Canonicatum, vel Parochiam conſequi, prout ſumitur ex c. Ad ſupplicationem; 9. h. t. & ibi DD. communiter. Nam cùm Archiepiſcopus Raguſienſis ab Innocent. III. ceſſionem, ac liberationem ab Eccleſia ſua impetrâſſet, eò quòd ſecurè, & ſinè mortis periculo ad illam accedere non poſſet, nec ibi commorari: & Archiepiſcopus Eboracenſis in Epiſcopatu quodam ſuæ provinciæ, dicto Raguſienſi, beneficium contuliſſet, cum conſenſu Regis Angliæ, (ad quem fortè ex privilegio Sedis Apoſtolicæ collatio ſpectabat, vel ſaltem hoc jus, ut conferri non poſſet beneficium, ipſo irrequiſito, Abb. in cit. c. n. 4.) Papa id approbavit, & confirmavit, ne ſcilicet idem Archiepiſcopus, cum opprobrio miniſterij, & dignitatis Archiepiſcopalis, defectum in rebus neceſſariis ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, pateretur. Conceſſit tamen Papa renunccianti Archiepiſcopo Raguſienſi, ut in eodem Epiſcopatu, officium Epiſcopale exercere poſſit, excepto Pallij uſu, ita tamen, ut Archiepiſcopo Eboracenſi, tanquam Metropolitano ſuo, reverentiam, & obedientiam exhibeat, eique ſit ſubjectus; ita habetur in cit. c. Ad ſupplicationẽ. Nam cùm renuncians Archiepiſcopatui non renunciaverit Ordini, & dignitati Epiſcopali, poteſt Pontificalia adhuc exercere in alterius Diœceſi, cum eius licentia: non tamen uti Pallio, etiam cum licentia illius, quia dimittendo ſuam Eccleſiam Metropolitanam, deſiit eſſe Archiepiſcopus, Hoſtienſ. in cit. c. V. abſque uſu pallij, & V. officium Epiſcopale, & ibid. Joan. Andr. n. 4. His adde, quòd ſi Epiſcopus Religionem ingrediatur, multò magis in Abbatem eligi poſſit, gl. in c. Hoc nequaquam; 45. in fine cauſ. 7. quæſt. 1.

CXVIII. Sed prædictis obſtare videtur, quòd ſecundùm jura, ijs, qui majoribus honoribus, ſeu dignitatibus functi ſunt, non liceat deſcendere ad minores, l. 2. C. Quemadmodum civilia munera indicuntur, lib. 10. Verùm excipi debet, niſi adſit neceſſitas, quia alij idonei non reperiuntur, Gl. ibid. in fine. Deinde quamvis non ſit decens, nec facilè permitti debeat, ut quis à majore dignitate transferatur ad minorem, v. g. ab Archiepiſcopali Eccleſia ad Epiſcopalem, c. 1. de translat. Epiſcop. tamen poſtquã aliquis renunciavit Archiepiſcopatui, poteſt eligi in Epiſcopum alterius Eccleſiæ, neque enim tum per electionem deſcendit, cùm jam antea per renunciationem deſierit eſſe Archiepiſcopus, Hoſtienſ. in cit. c. Ad ſupplicationem, & Abb. ibid. n. 9. Similiter Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, ſive renunciet Epiſcopatui, & conſequatur minus beneficium, v. g. Canonicatum, vel Parochiam: ſive non renunciet, ſed ex diſpenſatione Papæ, talia beneficia inferiora retineat, vel de novo accipiat, non cenſetur deſcendere de ſua dignitate, quia idem homo, diverſo reſpectu, diverſis juribus cenſeri poteſt, ita, ut, qui in una Eccleſia eſt Epiſcopus, in alia ſit Præpoſitus, vel Canonicus, vel Parochus, & diverſo reſpectu ſubjectus ſit alteri Epiſcopo, in cuius Diœceſi beneficium obtinet, ut colligitur ex c. Poſtulâſti; 15. de conceſſ. præbend. & c. Cùm capella; 16. de privileg. Abb. cit. loc. num. 7. Ratio eſt, quia per acceſſum minoris dignitatis, vel beneficij non deſtruitur, nec minuitur major dignitas, cùm, etſi diverſa jura, non tamen ſint repugnantia. Quemadmodum etiam Rex aliquis poteſt eſſe vaſallus alterius Regis, vel etiam Domini inferioris, & ſic illi ſubiectus eſſe, ratione feudi, Laym. in cit. c. Ad ſupplicationem; n. 3.

CXIX. Porrò gl. V. morari in cit. c. Ad ſupplicationem allegat duas cauſas, ob quas Epiſcopus nequit in Eccleſia ſua ſecurè morari, ideóque poteſt cedendi licentiam petere. Prima eſt, aëris intemperies, per quam intelligitur aëris corruptio, vel malignitas talis, ut non generaliter omnibus incolis, ſicut fit tempore peſtis (tum enim Paſtor gregem ſuum de-

ſcerere non debet) periculum vitæ immineat, ſed quæ ſpecialiter Epiſcopi naturæ, & complexioni eſt contraria, adeò, ut non poſſit ibi degere, ſinè periculo mortis, & quidem in perpetuum, aut per longum tempus; tum enim ea eſt juſta cauſa petendi, & admittendi renunciationem Epiſcopi; dummodo ea intemperies, ſeu malignitas aëris adverſa Epiſcopo vigeat, non tantùm in civitate Epiſcopali, ſed etiam in Diœceſi, aliàs enim, ſi repeteretur locus aliquis in Diœceſi, in quo Epiſcopus poſſet ſecurè morari, ceſſio non eſſet admittenda, Pariſ. l. 5. de reſign. benefic. q. 3. n. 244. & ſeqq. & Fagnan. in cit. c. Ad ſupplicationem; n. 19. & ſeqq.

Altera cauſa cedendi Epiſcopatu capitales ſunt inimicitiæ, ob quas Epiſcopo periculum vitæ imminet, dummodo eæ veriſimiliter ſint duraturæ, nam ſi ad breve tempus tantùm duratent tales inimicitiæ, non eſſet admittenda renunciatio, ſed Epiſcopus interim morari poſſet, extra Diœceſin, in loco aliquo propinquo, ac tutiore: & dummodo ſaluti ſubditorum per alium poſſet provideri, Pariſ. c. l. n. 253. & ſeqq. Hoſtienſ. in cit. c. Ad ſupplicationem; in princ. & Fagnan. ibid. n. 6. & ſeqq. Verùm plura de hoc ſuprà dicta ſunt.

§. III.

De effectu renunciationis conditionalis, & reſignatione beneficij in fraudem alterius facta.

CXX. Quæritur 1. Quem effectum, & quando conſequatur renunciatio beneficij conditionalis? Reſp. Ea regulariter effectum non conſequitur, adeóque per illam titulus, aut poſſeſſio beneficij non amittitur, niſi purificatæ, ſeu adimpletæ fuerint conditiones, ſub quibus facta eſt; eſt communis ſententia apud Pariſ. l. 1. q. 3. n. 7. & 8. ubi ait, ita ſæpius in Rota reſolutum fuiſſe. Idque commune eſt omnibus actibus conditionatis, in quibus neceſſariò conditio adjecta ſervanda eſt, & ſpecificè implenda, l. Qui hæreditate; 44. l. Mævius; 55. ff. de condition. & demonſtr. Quia conditio eſt eius qualitatis, ut ſuſpendat actum conditionalem, in eventum, vel defectum conditionis, ita, ut eâ eveniente, ſive impletâ, actus valeat, & effectum habeat: eâ deficiente, actus quoque invalidus ſit, nec ullum effectum habeat, l. cedere diem; 213. ff. de V. S. l. Sub conditione; 16. ff. de condict. indebit. Hinc per renunciationem factam, ex cauſa permutationis, jus beneficij non amittitur, ſed manet penès renunciantem, ſi non ſequatur permutatio, & fiat utrinque collatio. c. Cùm univerſorum; 8. de rer. permut. neque per renunciationem factam in favorem alterius amittitur jus, aut poſſeſſio beneficij, ſi hoc alteri, quàm reſignatario conferatur. Pariſ. cit. q. 3. n. 47. & alij communiter. Idémque eſt de aliis renunciationibus conditionatis, quæ fiunt cum reſervatione fructuum, vel penſionis; vel regreſsûs, nam, ſi nõ fuerit reſervatio adimpleta, ſeu facta, reſignatio eſt nulla, cùm non ſit ſervata conditio: ideóque his caſibus reſignans ſuum retinet beneficium, Pariſ. cit. q. 3. n. 66. & ſeqq. n. 73. & ſeqq. n. 78. & ſeqq. Quin & ad illud propriâ auctoritate redire poteſt, abſque nova collatione, cùm beneficium per renunciationem, ante impletam conditionem, non vacaverit, adeóque nec alteri conferri potuerit: & renunciatio, ſicut & quilibet alius actus conditionalis, ſi conditio impleta non fuit, perinde habetur, ac ſi factus non eſſet. Pariſ. l. 1. q. 14. n. 6. & ſeqq. Requiritur tamen declaratio Superioris, qua pronunciet, renunciantem poſſe ad beneficium redire, quod deſeruit; quia non poteſt propriâ auctoritate poſſeſſionem capere, ſi alius jam eam occupavit, Pariſ. c. l. n. 15. & 16.

CXXI. Quæritur 2. An renunciatio beneficij in fraudem alterius facta effectum habeat? Reſp. Si quis à Papa gratiam expectativam, ſive mandatũ de providendo impetravit, ut ipſi in Eccleſia aliqua, v. g. Auguſtanâ, dignitas, vel præbenda, ſi qua tunc vacet, vel proximè vacatura conferatur, & Cajus v. g. qui tenue beneficium in illa Eccleſia obtinebat, illud reſignet in fraudem Titij, ut ſcilicet is à pinguiore præbenda, vel dignitate, quæ proximè vacatura credebatur, per mortem alicuius (quia is valde ſenex eſt, vel graviter infirmus) vel alio modo (quia v. g. cùm non ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus, tractat de matrimonio contrahendo, vel Religionem vult profiteri) excluderetur: hoc caſu, talis tenuis beneficij reſignatio effectum non habet, ſed perinde eſt, ac ſi facta non eſſet, ideóque eâ non obſtante, poteſt diutius expectare, donec pinguius illud beneficium vacet, dummodo per probabiles, & ſufficientes conjecturas probari poſſit, reſignationem illam in fraudem, ſeu odium Titij factam eſſe: & poſtea, ſi pinguior illa præbenda vacet, vel alia, poteſt Titius illam veluti ſibi debitam petere, & obtinere, ita habetur in c. Si te; 2. h. t. in 6. Ratio eſt, quia, licèt iſta non ſit primò vacans (quæ in reſcripto, ſeu mandato Apoſtolico jubebatur conferri) ſed ſecundò vacans, tamen ratione fraudis, primò vacare juris fictione cenſetur, Gl. ibid. v. debitam, & primò vacans debuiſſet impetranti conferri, ſi non per fraudem alterius primò vacâſſet, Joan. Monach. in cit. c. 2. num. 2. non enim debet quis alterius odio prægravari. reg. jur. 20. in 6. neque fraudatori malitia ſua debet eſſe luctoſa. l. 1. ff. de dulo.

Cæterùm, ſi prædicto modo renuncians beneficio tenuiori alterum pinguius poſtea vacans conſecutus fuerit, eíque illud collatum ſit, eo ipſo eſt præſumptio, reſignationem in fraudem eſſe factam, ita, ut aliâ probatione non ſit opus, & reſignans in pœnam utroque beneficio privari debet. cit. c. 2. §. Cæterùm. Primo quidem, quia illud reſignavit: poſteriore verò, quia alteri eſt debitum, neque renuncians ex fraude, & malitiâ ſuâ commodum reportare debet, Joan. Monach. in cit. c. 2. n. 3.

CXXII. Porrò prædicta Conſtitutio Decretalis Papæ Bonifacij VIII. differt à Regula Cancellariæ Apoſtolicæ, de qua ſuprà dictum n. 30. & ſeqq. Quia hæc Conſtitutio diſponit, quòd renunciatio beneficij fraudulenta non noceat expectativam gratiam ad beneficium vacans, vel proximè vacaturum habenti: & dicitur renunciatio fraudulenta, quando tempore renunciationis, is qui habebat præbendam, vel dignitatem pinguiorem, infirmitate gravi detinebatur:

tur:

tus: ſic tria hîc conſiderantur, tempus renunciationis, beneficium pingue, & gravis infirmitas, ſed non annullatur reſignatio. cit. c. 2. h.t. in 6. At verò in Regula Cancellariæ nomine beneficij venit omne beneficium, & attenditur tempus ſignatæ ſupplicationis, etiam dum quis adhuc erat ſanus, & non requiritur gravis infirmitas, & reſignatio, ſi mors reſignantis infra 20, dies ſequatur, annullatur, ut patet ex cit. Reg. 18. Cancellariæ. Similitudo autem hujus Conſtitutionis, & dictæ Regulæ in eo conſiſtit, quòd utrobique conſideratur fraus. Pariſ. lib. 12. de reſignat. beneficij. q. 1. n. 4. & 5. Nec obſtat, quòd non debeat præſumi fraus in infirmo proximè morituro, cùm tunc non præſumatur eſſe immemor ſuæ æternæ ſalutis, ut colligitur ex l. ult. C. ad Leg. Juliam repetundarũ. Maſcard. de probationib. Concluſ. 1078. n. 1. nam etiamſi aliquis ſit in extremis, non tamen præſumitur in factis ſuis errare non poſſe, ideóque actus factus per infirmum in articulo mortis, in damnum tertij, illi non præjudicat. Maſcard. cit. loc. n. 5. Pariſ. c. l. n. 6. & ſeqq.

TITVLVS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Poſtquam de acquirenda, & amittenda poteſtate Prælatorum Eccleſiaſticorum actum eſt, hoc Titulo tractatur, quomodo, & à quibus, ſi Prælati in officio ſuo fortè negligentes fuerint, eorum defectus, ſeu negligentia ſuppleri debeat, ne Eccleſiæ damnum patiantur. Eſt autem in propoſito, negligentia nihil aliud, quàm omiſſio eius, quod quis facere poteſt, & debet, ſecundùm Hoſtienſem in ſumma h. t. n. 1. Et quamvìs Rubrica, ſeu inſcriptio huius Tituli generalis ſit de ſupplenda negligentia Prælatorum; potiſsimùm tamen hîc agitur de ſupplenda ea negligentia, quæ committitur in omittenda collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, atque ſimul velut incidenter de aliis quibuſdam negligentiis ſupplendis. Ea verò, quæ à Prælatis per negligentiam omiſſa ſunt, ordinariè per Superiores ſupplenda ſunt, aliquando verò etiam per inferiores, ut notat Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 4. & ex dicendis patebit. Reperitur hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I.

Quomodo defectus, ſeu negligentia Prælatorum inferiorum commiſſa in conferendis beneficiis, per devolutionem poteſtatis eorum ad Superiores ſuppleatur.

1. Aſſertio 1. Si Ordinarius Collator, ad quem ſpectat beneficiorum proviſio, intra tempus à Jure præfinitum (trimeſtre ſcilicet, ſi Epiſcopatus vacaverit, vel Prælatura Regularis. juxta c. Ne pro defectu; 41. de Elect. vel ſemeſtre in dignitatibus, & beneficiis inferioribus. c. 2. de conceſs. præbend.) beneficium vacans non contulerit, is jure conferendi, pro ea vice, privatur, & illud regulariter ad immediatum Superiorem devolvitur. cit. c. 2. de conceſſ. præbend. Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolutionib. n. 7. Idque » conſtat etiam ex c. Licèt; 3. h. t. Nam cùm M. Ho» norius per ſe ipſum, & Remigius per Procurato» rem ſuum, diu apud Sedem Apoſtolicam ſuper Ar» chidiaconatu Richemundiæ litigâſſent: mandavit Papa Innocentius III. quibuſdam, ut, ſi conſtiterit, » quòd Archidiaconatus ille per integrum annum » vacaverit, ſemeſtri quidem, quo ad Capitulum do» natio, ſeu collatio pertinebat, altero verò ſemeſtri, » quo collatio (jure devolutionis ob negligentiam » Capituli) ad Archiepiſcopum Eboracenſem ſpecta» bat, (tempore illo, non à die vacationis beneficij, » ſed habitæ notitiæ vacationis computando) utri» que parti litigantium ſilentium imponant: nam » cùm dictus Archiepiſcopus non habeat alium Su» periorem, præter S. Pontificem, ad eum donatio, ſeu » collatio illius Archidiaconatûs, ſecundùm Cano» nes, eſt devoluta. Idque ſtatutum fuit, tum ne Ec» cleſiæ, & beneficia diu vacarent, cùm diuturna eorum vacatio ſit damnoſa Eccleſiis. c. Quàm ſit; 6. de Elect. in 6. Et ne Eccleſiæ, earúmque jura in incerto ſint; tum etiam in pœnam negligentium non conferentium beneficia, intra tempus jure ſtatutum. Rebuff. c. l. n. 8. Azor p. 2. l. 6. c. 27. q. 1.

Hinc colligitur 1. Si Capitulum, ad quod collatio dignitatis, vel beneficij pertinet, intra tempus ſemeſtre, quod currit à tempore ſcientiæ vacationis beneficij, vel quo ſcire potuit, ut tradit gl. hîc V. à notitia, conferre negligat, jus conferendi, pro ea vice, devol-

devolvitur ad Archiepiſcopum, ſi ei Capitulum immediatè ſubjectum ſit. Quòd ſi & ipſe per alterum ſemeſtre conferre negligat, devolutio fit ad Papam, ut conſtat ex cit. c. Licèt; h.t.

Colligitur 2. In electionibus, & collationibus beneficiorum, poſt elapſum tempus jure præfixum ad eligendum, vel conferendum, non conceditur licentia purgandi moram, licèt aliàs regulariter mora purgari poſſit, ut tradit gl. fin. in cit. c. Licèt, & ibid. Abb. n. 5. Rebuff. c. l. n. 27. quia ipſo jure devolutio facta eſt, ſive pœna privationis ob negligentiam decreta, eſt ſententiæ ipſo jure latæ, quilibet autem Canon, qui eſt latæ ſententiæ, habet in ſe executionem, ſecundùm gl. in c. Licèt Canon, 15. V. executione de elect. in 6. Saltem ita, ut Judex per ſententiam declarare poſſit, omnia ipſo jure irrita eſſe, quæ contra Canonem latæ ſententiæ facta ſunt. Laym. de Elect. Prælat. q. 99. quomodo in cit. c. Licèt; Papa declaravit irritam collationem Archidiaconatûs, ſi conſtiterit illam poſt tempus ſemeſtre factam eſſe.

II. Aſſertio 2. Si Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Canonicatus, aliáque beneficia ad ſuam collationem ſpectantia, intra tempus jure definitum conferre negligat, jus ea conferendi ad Epiſcopum devolvitur: & vice verſâ, ſi Epiſcopus negligat conferre beneficia, quæ ad ſuam tantùm proviſionem (jure proprio, & non devoluto) ſpectant, devolutio immediatè fit ad Capitulum. c. 2. de conceſs. præbend. & ſic ſupplet Capitulum, quamvìs inferius, negligentiam Superioris, videlicet Epiſcopi: idque jure ita diſponente, propter communionem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Capitulum, tanquam Caput, & membra ejuſdem corporis, ut meritò unius defectus, ſeu negligentia per alterum ſuppleatur. Abb. in cit. c. 2. n. 6. & 8. Quòd ſi Epiſcopo negligente conferre beneficia, jure proprio, ad eius collationem ſpectantia, etiam Capitulum negligat conferre jure devolutionis; tum jus conferendi ad Metropolitanum devolvitur, cui ſubjectus eſt Epiſcopus, & Metropolitano non conferente, ad Patriarcham, cui ille ſubeſt, & tandem ad Papam. Abb. c. l. n. 3. Si verò Epiſcopus ſit exemptus, poteſtas conferendi immediatè devolvitur ad Papam, cùm alium Superiorem non habeat, qui poſſit ſupplere negligentiam ipſius. cit. c. Licèt; 3. h. t. Abb. in cit. c. 2. n. 7. & 8. de conceſſ. præbend.

Denique ſi collatio beneficiorum conjunctim, ſeu communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum pertineat, & intra ſemeſtre tempus jure præſcriptum, tam Epiſcopus, quàm Capitulum conferre neglexerit, tunc devolvitur jus conferendi, non ab Epiſcopo ad Capitulum, vel vice verſâ, ſed immediatè ad proximum ſuperiorem, videlicet ad Archiepiſcopum, ut conſtat ex c. pen. de conceſſ. præb. & habetur etiam ſtatutum in c. Dilecto; ult. h. t. Nam cùm in Eccleſia Salamantina electio Cantoris, quæ ad eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, & Capitulum communiter, ac ſimul ſpectabat, intra ſemeſtre tempus facta non fuiſſet, poſtea Decanus, & alij quidam Canonici Petrum elegerunt, appellantes ad Sedem Apoſtolicam, ne contra hanc ſuam electionem aliquid attentaretur. Sed Archiepiſcopus Compoſtellanus, quia intellexit, ob negligentiam Decani, & aliorum Capitularium, jus eligendi ad ſe tanquam proximum eorum Superiorem devolutum eſſe, non obſtante illâ appellatione, Gregorium in Cantorem elegit. Quare uterque electus, Petrus, & Gregorius Procuratores ad Sedem Apoſtolicam miſerunt. Causâ cognitâ, Papa Innocent. III. electionem Petri in Cantorem à Decano, & ſociis non canonicè factam irritam declaravit, quia conſtitit, eam poſt elapſum tempus ſemeſtre celebratam fuiſſe, infra quod Epiſcopus, & Capitulum, ad quos communiter ſpectabat electio, ad eam procedere neglexerunt, ideóque etiam appellationem à Decano, & eius fautoribus interpoſitam, non potuiſſe electionem ab Archiepiſcopo factam (ad quem jam erat eligendi poteſtas devoluta) impedire; & mandavit inſuper, ut electio Gregorij, remotâ appellatione, confirmetur, dummodo canonicum impedimentum ipſi non obſtet.

III. Notandum 1. Si electio, vel collatio beneficij communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum ſpectet, ut in caſu cit. c. ult. tum ſi Capitulum eligere, vel conferre velit, inſtante termino temporis ſemeſtris, monere debet Epiſcopum, ut ſimul cum Capitulo eligat, vel conferat: quod ſi is negligat, vel moram trahat, ſolum Capitulum, ſine Epiſcopo, poterit providere: & viciſſim Epiſcopus abſque Capitulo, ſi illud admonitum conferre negligat, vel cunctetur. Laym. de Elect. Præl. q. 98. & in cit. c. ult. n. 2. h. t.

Notandum 2. Appellatio extrajudicialis interpoſita ad defendendam electionem, vel collationem nullam, invalida eſt, neque impedit, quò minùs actus poſt appellationem factus ſit validus, ut patet ex cit. c. ult. & ibid. Abb. not. 4.

IV. Aſſertio 3. Si privati jure eligendi, vel conferendi beneficia, propter negligentiam in conferendo commiſſam, poſt elapſum tempus ad eligendum, vel conferendum jure præfixum, nihilominus eligant, vel conferant beneficia, electio, vel collatio eſt nulla, & invalida, niſi per patientiam, vel ex miſericordia toleretur, prout ſumitur ex c. Litteras; 4. h. t. ubi habetur, quòd cùm in quibuſdam Eccleſiis quædam dignitates, & beneficia tanto tempore vacâſſent, ut ſecundùm Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. tam Prælati, quàm Capitula eſſent jure inſtituendi, ſive conferendi privati, illi tamen, poſtquam intellexerunt adventum Legati Apoſtolici, in beneficiis illis, ac dignitatibus perſonas minùs idoneas inſtituere, vel illis conferre præſumpſerunt. Quare Papa Innocentius III. mandat Legatis ſuis, ut, ſi dignitates, vel beneficia perſonis idoneis ſint collata, eas ex miſericordia, & benignitate permittant illa pacificè poſſidere; alioquin verò, ſi idonei non fuerint, ijs remotis, alias perſonas idoneas, auctoritate Apoſtolicâ, inſtituant.

V. Notandum 1. Inſtitutio, ſive collatio beneficij (nam inſtituere hîc ſumitur pro conferre, ut notat Abb. hîc n. 2.) facta poſt tempus jure præſcriptum ad conferendum, eſt ipſo jure invalida, quia collatores, ſi negligant conferre beneficia intra tempus debitum, ipſo jure pro ea vice ſunt privati poteſtate conferendi, eáque ad Superiorem devolvitur. c. 2. de conceſſ. præbend. adeòque collatio ab ipſis poſtea facta eſt irrita, ob defectum poteſtatis, niſi per patientiam toleretur, *quia multa per patientiam tolerantur, quæ, ſi deducta fuiſſent in judicium, exigente juſtitiâ, non*

debe-

deberent tolerari. c. Dudum; 18. in fine de præbend. tunc enim ipſa collatio denuo convaleſcit, quia expreſſa toletantia approbationis jus dat in beneficio, præſertim ſi à Papa fiat, ut in caſu huius c. Gloſſ. hic V. Patientiam; ubi ait, quòd inſtituti à Collatoribus, poſtquam jure conferendi ob negligentiam ſunt privati, habeant jus in beneficiis, non *ex tunc*, id eſt, non ex priore collatione, quæ invalida fuit, ideóque ex poſtfacto ratificati non potuit: ſed *ex nunc*, id eſt, ob tolerantiam Papæ, quæ vim novæ collationis habet. Nam in cit. c. Legati Pontificis, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ad quam propter negligentiam inferiorum Collatorum devolutio facta eſt, adeóque ex ſpeciali commiſſione Papæ tolerabant malè inſtitutos in beneficiis, vel alios idoneos, ijs remotis, inſtituere poterant, quia, cùm non eſſent Legati de latere, non habebant jure proprio, & ordinario poteſtatem conferendi beneficia. c. 1. de offic. Legat. in 6. Abb. hîc num. 4.

Notandum 2. Si privati jure eligendi, vel conferendi, nihilominus eligant, vel beneficia conferant, licèt electio, vel collatio ſit irrita, vel ſaltem per ſententiam Judicis irrita declarari poſſit: probabile tamen eſt, quòd interim, dum nemo ſe opponit, electus, vel inſtitutus, tutâ conſcientiâ, retinere poſſit beneficium ſibi poſt tempus legitimum collatum, quia talis electio, vel collatio, ſpectato jure naturali, eſt valida, ante ſententiam declaratoriam Judicis, ut docet Laym. cit. q. 99. & in cit. c. Litteras; not. 1. ex quo id colligitur, nam ibi dicitur, poſſe per patientiam permitti, ut inſtituti ab ijs, qui privati ſunt jure conferendi ob negligentiam, beneficia pacificè poſſideant, quæ retinere non potuiſſent, abſque nova tituli revalidatione, niſi collatio beneficiorum, poſt incurſam privationem, facta aliquo modo valida fuiſſet.

Notandum 3. Si privati propter negligentiam eligendi, vel conferendi, poſt elapſum tempus jure definitum, nemine ſe opponente, nihilominus eligant, vel beneficia conferant, poteſt id à Judice tolerari, dummodo electus, aut inſtitutus idoneus ſit, & proviſio facta, abſque Eccleſiæ, ſeu boni publici detrimento, tolerari poſſit, ut colligitur ex cit. c. Litteras. Si verò electus, vel inſtitutus idoneus non ſit, vel proviſio, ſinè periculo detrimenti Eccleſiæ inferendi, tolerari non poſſit, tum Superior ex officio, etiam nemine petente, electionem, vel collationem factam, poſt incurſam ab electoribus, vel collatoribus privationem, reſcindere debebit, vel potiùs irritam declarare, & electum, vel inſtitutum à beneficio removere, ut patet ex cit. c. Litteras h. t. Laym. ibid. not. 2.

Cæterùm quod dictum eſt, collationem beneficij ab inferiore factam eſſe irritam, vel ſaltem reſcindi poſſe, & irritam declarari, id limitandum eſt, niſi Superior, v. g. Archiepiſcopus, ad quem ab Epiſcopo poteſtas conferendi devoluta eſt, ipſi aliquot menſes concedat ad conſerendum v. g. poſt ſex menſes, adhuc duos, tunc enim Epiſcopus, etiam poſt tempus ſemeſtre à Concilio Lateranenſi præfixum, poterit conferre beneficia, non quidem jure ſuo, ac proprio, cùm jam ſit eo privatus, ſed jure devoluto ad Archiepiſcopum, & ex illius auctoritate, ſeu commiſſione. Rebuff. in praxi tit. de devolut. num. 30. Verùm plura de devolutione poteſtatis conferendi beneficia, ob negligentiam Collatorum, dicentur infrà lib. 3. tit. 8. ubi ex inſtituto de hoc agitur.

§. II.

Per quem, & quomodo Prælatorum Regularium negligentia in conferendis beneficiis, vel præſentando ad illa ſuppleatur?

VI. Aſſertio 1. Si Prælati Regulares, ad quos beneficiorum collatio ſpectat; beneficia ſecularia, aut regularia, intra ſemeſtre ſpatium, non conferant; tum, ſi quidem Epiſcopo ſunt ſubiecti, jus illa conferendi, ob negligentiam Collatorum, ad Epiſcopum devolvitur. Si verò ſint exempti, tunc, vel beneficia etiam ſunt exempta, & collatio ſtatim, & immediatè devolvitur ad Papam: vel non ſunt exempta ipſa beneficia, & hoc caſu, Epiſcopus ille, in cuius diœceſi, v. g. Parochia ſita eſt, Apoſtolicâ auctoritate providebit, & negligentiam ſupplebit, prout ſtatutum eſt in Clem. unic. h. t. Nam quia regulares Prælati » Eccleſias, Prioratus, adminiſtrationes, aut quævis » alia beneficia Eccleſiaſtica ad eorum diſpoſitionem » ſpectantia, cùm vacant, interdum committere ne- » gligunt, vel conferre, infra tempus in Concilio La- » teranenſi ſub Alexandro III. conſtitutum (ſeme- » ſtre ſcilicet, c. 2. de conceſſ. præb.) ideo decernit » Concilium Viennenſe, ut Diœceſani locorum in » non exemptis ſuâ, in exemptis verò Apoſtolicâ au- » ctoritate, negligentiam eorundem in hoc ſupple- » ant. Præterea ſtatuitur in dicta Clement. §. Prio- » ratus, ut Eccleſiæ, Prioratus, adminiſtrationes, & » alia beneficia, quæ per ſeculares Clericos guber- » nari conſueverunt, Clericis ſecularibus: quæ verò » Religioſis duntaxat ſolebant committi, vel con- » ferri, Religioſis Monaſteriorum, quorum Prælati » negligentes fuerunt, conferantur. Item Diœceſa- » ni eâdem auctoritate Apoſtolicâ ſubnixi nullo » modo permittere debent, ut Prælati Regulares » (etſi exempti) Eccleſias, Prioratus, Adminiſtra- » tiones, aut beneficia (etiam exempta) ſuis menſis » applicent, vel penſiones novas eis imponant, aut » veteres augeant, vel ut, quæ de novo eis ſunt im- » poſitæ, vel auctæ, ſolvantur. Quæ verò dicta ſunt, » intelligenda ſunt de ijs Eccleſiis, Prioratibus, Ad- » miniſtrationibus, & beneficiis, quæ non ſpectant » ad menſam ipſorum Prælatorum (poſt unionem) » ſed ſpeciales habere ſolent Priores, Adminiſtrato- » res, vel Rectores, etſi tales liberè ad Monaſterium » (ſi ita faciendum videbitur) à Prælatis revocari poſ- » ſint, prout habetur in cit. Clement. unic. §. Eadem » quoque, & §. Præmiſſa verò. »

Denique in fine additur, quòd in huiuſmodi Ec- » cleſiis, Prioratibus, Adminiſtrationibus, & benefi- » ciis manualibus, quæ ad menſam Prælati non perti- » nent, etiam locum habeat Conſtitutio Bonifacij » VIII. (in c. ult. de offic. Ord. in 6.) prohibens bona » beneficiorum vacantium à Prælatis, vel aliis occu- » pari:

„ pati: & nihilominus ſtatutum eiuſdem Bonifacij „ (in c.Cùm ſingula; 32. in princ. de præbend. in 6.) „ prohibens Religioſum quemcunque pluribûs prę-„ eſſe Prioratibus,aut Eccleſiis curam animarum ha-„ bentibus,etiamſi illa cura non per ipſos Regulares, „ ſed per alium (ſcilicet Presbyterum ſecularem) ſo-„ lita ſit exerceri,etiam locum babeat in huiuſmodi „ Prioratibus,& Eccleſiis, licèt eiſdem cura non ſit „ annexa.

VII. Pro explicatione huius Clement. notandũ 1. Epiſcopus diœceſanus poteſt ſupplere negligentiã Prælatorum Regularium non conferentium, intra tempus ſemeſtre, beneficia ad ſuam diſpoſitionem ſpectãtia,conferendo beneficia etiã regularia,quamvis tales Prælati ſint exempti à juriſdictione Epiſcopi; quia tunc ea confert auctoritate Apoſtolicâ delegatâ,vl huius Canonis, Gl.hîc in notat. Id autem intelligendum eſt de ijs beneficiis,quæ ad diſpoſitionẽ, id eſt, collationem Prælatorum Regularium pertinent: nam ſi ad electionem, vel præſentationem eorum ſpectarent,tunc ad confirmantem,vel inſtituentem poteſtas providendi devolveretur,ſive is ſit diœceſanus,ſive alius inferior Epiſcopo, Gl.hîc V.diſpoſitionem,& Abb.n.3.Rebuff.cit.tit. de devolut.n.26. Barb.in Collect.hic n.11.

Notandum 2. Hæc conſtitutio non habet locum in Clericis ſecularibus, in quantum inducit jus novum,& derogat privilegio exemptionis,adeóque reſtringi debet, & non extendi, præſertim,quia contra Regulares hoc eſt ſpecialiter ſtatutum, eò quòd ipſi frequenter in eo excederent, Gl. hîc V.regulares, & Abb. n.1.

Notandum 3. Si certa beneficia, ſecundùm loci conſuetudinem, non conferantur, ſed committantur; tum,ſi talis commiſſio non fiat, intra tempus Concilij Lateranenſis, poteſtas devolvitur ad Superiorem,ſicut in collatione,modò vi talis commiſſionis,in beneficio conſtituatur ſpecialis adminiſtrator, cit.Clement.unic.§.Pręmiſſa.Gl.ibid.V.committere, & Abb.n.4.ubi tamen addit, quòd hoc loco, ſecundùm quoſdam,idem ſit,committere,& conferre.

Notandum 4. Si Prioratus Regularis ſit principalis Prælatura in Eccleſia Regulari Collegiata, ſeu Conventuali, cui per viam electionis providetur de Rectore,ſeu Priore;tum, ſi intra tempus trimeſtre non fiat proviſio, ſive electio, devolutio fit ad Superiorem,juxta c.Ne pro defectu;41.de Elect.Gl.hîc V. Lateranenſi, Abb.n.5.

Notandum 5. Si Prælatus Regularis alicuius diœceſis habeat Prioratum ſitum in alia diœceſi, quem vacantem intra tempus ſemeſtre conferre negligit;tum poteſtas conferendi devolvitur ad Epiſcopum loci,in quo Prioratus eſt ſitus,quia in collationibus attenditur locus, ubi ſitum eſt beneficium, & non locus,ubi eſt perſona, ad quam ſpectat collatio. Gl. hîc V. Locorum, Garc. p.5. de benefic. c. 3. n.28. Barb.hîc in Collect.n.12.

Notandum 6. Quando non ſolùm Prælati Regulares,ſed etiam ipſi Prioratus, Adminiſtrationes, vel alia beneficia, quorum proviſio ad eoſdem ſpectat, ſunt exempta à juriſdictione Epiſcopi,tum collatio devolvitur immediatè ad Papam. c.Cùm ſingula;32. §. Prohibemus de præbend. in 6. Si verò beneficia non ſint exempta, etſi Prælati ſint exempti,tum collatio devolvitur ad Epiſcopum, ut is auctoritate Papæ provideat. Laym.de Elect.Prælat. q.98. quamvìs Gl.hîc V.Sua;& V. In exceptis,dicat,quòd Epiſcopus in Eccleſiis, Prioratibus, & Adminiſtrationibus non exemptis, ob negligentiam conferentium, provideat ſuâ auctoritate, etiamſi Prælati ſint exempti: Apoſtolicâ verò auctoritate, ſi huiuſmodi Eccleſiæ, aut Prioratus ſint exempti, adeóque quòd novum jus per hanc Clement.inducatur,cùm olim fuerit ſecus, cit.c.Cùm ſingula. §.Prohibemus.

VIII. Notandum 7. Sicut Prælati Regulares nequeunt ad beneficia conſueta regi per Clericos ſeculares, præſentare Regulares, vel ea illis conferre; vel contrà ad beneficia conſueta regi per Regulares, præſentare ſeculares,aut illis conferre: ita neq; Epiſcopus, ad quem devolvitur poteſtas inſtituendi, vel conferendi, ob negligentiam inferiorum, id poteſt, Gloſſ.hîc V.Religioſis, & V. Monaſteriorum. Ubi Gl.marg. rationem reddit, quia poteſtas Superioris in conferendis beneficiis devolutis, modificatur, & regulatur, ſecundùm poteſtatem ipſius inferioris, ut,quibus ipſe conferre non potuiſſet, nec poſſit Superior, translationes enim de perſona in perſonam fiunt cum ſua cauſa, & ſuis qualitatibus, modis, & conditionibus. Nam, cùm Superior jure devolutionis ſuccedat in poteſtate conferendi beneficia Ordinario Collatori, non poteſt liberè conferre, quibus vult, ſed debet uti eodem jure, quo ille, in cuius jus ſuccedit, adeóque conferre beneficia talibus perſonis, quibus ipſe conferre tenebatur, Abb.hîc n.12.

Notandum 8. Prælati Regulares, etiam exempti à juriſdictione Epiſcopi, non poſſunt beneficia ad ſuam collationem ſpectantia unire propriæ ſuæ menſæ, quia nemo debet in proprio facto, ſeu cauſa auctoritatem præſtare, c. fin. de inſtitut. & nullus Prælatus Epiſcopo inferior, etſi exemptus, poteſt Eccleſias, vel beneficia unire. c.Sicut; 8. de exceſſib. Prælat. Gloſſ. magna hîc in notatis. Neque etiam Prælatus habens poteſtatem conferendi Eccleſias, vel beneficia, etſi exemptus, poteſt propriâ auctoritate ijs novas penſiones imponere, vel veteres augere, quamvìs ex juſta cauſa per Epiſcopum poſſint imponi,vel augeri. Gl. hîc V. imponant. & Abb.n.13.

Notandum 9. Epiſcopi Diœceſani non habent poteſtatem conferendi Eccleſias, Prioratus, & beneficia, quæ legitimâ auctoritate unita ſunt, ſeu incorporata menſæ Prælatorum, ſive exemptorum, ſive non, quia illa non cenſentur vacare, ideóque non habet in illis locum devolutio ad Epiſcopum, propter negligentiam Prælatorum in conferendis Eccleſiis,vel beneficiis vacantibus. Gloſſ.hîc V. De menſa.

Notandum 10. Si Prælatus Regularis non conferat intra tempus ſemeſtre, Prioratus, vel beneficia manualia vacantia, quorum Priores, ſeu Adminiſtratores ad nutum Prælati ſunt revocabiles, & amovibiles; tum poteſtas conferendi devolvitur etiam ad Epiſcopum, ut habetur in cit. Clement. §. Præmiſſa, & tradit Gl. ibid. V.Revocari, & Abb. num. 16. Quare talis Prior, ſeu Adminiſtrator temporalis, cui Epiſcopus, ob negligentiam Prælati,contulit huiuſmodi Prioratum, nihilominus revo-

cari poteſt ad clauſtrum, ſicut potuiſſet, ſi Abbas ipſe illum ei contuliſſet, quia Epiſcopus, vel etiam Papa, conferendo jure devolutionis, ob negligentiam Ordinarij Collatoris, beneficium regulare manuale, ſeu ad nutum revocabile, non cenſetur mutare naturam illius, quò minùs adhuc Adminiſtrator illius liberè revocari poſſit à Prælato, ac ſi ipſemet contuliſſet. Barboſ. hîc in fine, & alij ab ipſo citt. Ex quo colligitur, quòd beneficia manualia, quæ ad menſam Prælati non pertinent, & temporales Prioratus vacant per mortem, vel per revocationem, ſeu amotionem eorum, qui illis præſident. Gl. hîc V. revocari, & Abb. in fine.

IX. Aſſertio 2. Si Prælatus Regularis, vel Monaſterium, ad quod ſpectat jus patronatûs in aliqua Eccleſia, vel beneficio, illâ, vel eo vacante, intra tempus legitimum, idoneam perſonam præſentare neglexerit; tum pro ea vice jus præſentandi amittit, & jus providendi ad Superiorem, videlicet Epiſcopum devolvitur, ita, ut ipſe jure devoluto Rectorem in illa Eccleſia, vel beneficio vacante inſtituere poſſit, ſed pro ea vice tantùm, prout ſtatutum eſt in cap. Sicut; 2. h. t. ubi habetur, quòd quidam Monachi, & Canonici Regulares alicuius Diœceſis, qui Eccleſias habent, ad eorum præſentationem pertinentes, reditus earum ad proprios uſus Monaſteriorum ſuorum applicarent: neque velint ad eas, ſi illas vacare contingat, præſentare perſonas Epiſcopo ab eodem inſtituendas, ſed illi, occaſione conceſſionis ab anteceſſoribus Epiſcopis ipſis factæ, Vicarios in eis pro ſuo arbitrio inſtituunt, & deſtituunt (quod Epiſcopi ſinè conſenſu Capituli concedere non poterant. Gl. hîc v. conceſſionis & Hoſtienſ. V. eodem, vel, niſi Eccleſiæ illæ pleno jure, id eſt, quoad temporalia, & ſpiritualia, ad Monachos illos, vel Canonicos Regulares pertinerent, tunc enim poſſent eos inſtituere, & deſtituere. Gl. hîc v. deſtituunt, & Hoſtienſ. V. eod.) eóſq; penſionibus (novis ſcilicet) ita gravant, ut nec Eccleſiis poſſint ob paupertatem, quâ premuntur, decenter deſervire: nec Epiſcopalia jura ſolvere, neque erga peregrinos debitam hoſpitalitatẽ exercere. Quare, ne antiquus, & debitus Eccleſiarum ſtatus per aliquorum inſolentiam ſubvertatur, mandat Papa Clemens III. Epiſcopo Diœceſano, ut tales exceſſus (ſi dictæ Eccleſiæ ab eius juriſdictione non ſint exemptæ) emẽdare ſtudeat. Et niſi Monachi illi, & Canonici Regulares, intra tempus à Concilio Lateranẽſi ſub Alexandro III. ſtatutũ (videlicet intra ſex menſes à tẽpore vacationis cognitæ numerandos. c. 2. de conceſſ. præb.) perſonas idoneas ad vacantes Eccleſias præſentaverint) ex tunc liceat Epiſcopo in eiſdem Eccleſiis Rectores ordinare, ſeu inſtituere, qui eis præeſſe, & prodeſſe poſſint, appellatione remotâ (quia à correctione non appellatur. Hoſtienſ. hîc V. eod. ita tamen, ut per hoc nullum præjudicium inpoſterum ipſis Patronis generetur: quia nimirum pro ea vice tantùm privantur jure præſentandi, quod deinceps ipſis ſalvum manet, neque opus eſt admonitione Patronorum ad præſentandum, quia ipſum tempus eos admonet. Gl. fin. hîc.

X. Notandum 1. Licèt Monaſteria ſint exempta à lege diœceſana, non tamen Capellæ eorum, ſeu Parochiæ, in quibus jus præſentandi habent, ſed illæ ſuſtinere debent onera, & ſolvere jura Epiſcopalia. Hoſtienſ. hîc V. in Epiſcopalibus, de quo alibi.

Notandum 2. Epiſcopus diœceſanus non habet juriſdictionem in Eccleſiis exemptis, nec poteſt punire exemptos, propter exceſſus ſuos, ut conſtat ex hoc cap. Hodie tamen Diœceſani negligentiam ſupplere poſſunt in Eccleſiis exemptis, Auctoritate Papæ, juxta Clement. unic. h. t. Abb. hîc n. 2. & 3. ubi ait, in hoc correctam eſſe hodiè hanc Decretalem, de quo ſuprà.

Notandum 3. Propter negligentiam Patroni Eccleſiaſtici in præſentando, devolvitur poteſtas providendi ad Superiorem, ſi intra ſex menſes non præſentet, intra quos præſentare debet, alioquin privatur jure præſentandi: patronus verò laicus, ſi intra quatuor menſes non præſentet. c. 1. §. Verùm de jure patron. in 6. Abb. hîc num. 2. de quo ſuo loco.

Notandum 4. Elapſo termino ad præſentandum præſcripto, poteſt Superior, ad quem devolvitur poteſtas conferendi, gratiam facere patrono, eúmque ad iterum præſentandum admittere, ut colligitur ex hoc cap. Verbo liceat: adeóque voluntati Epiſcopi relinquitur, an hoc caſu velit Rectorem inſtituere, vel admittere denuò præſentandum à patrono. Barboſ. in Collectan. hîc n. 5.

§. III.

Quomodo, & per quos in aliis, præter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus Prælatorum ſuppleatur, etiam Eccleſiâ vacante?

XI. Aſſertio 1. Probabilius eſt, quòd poteſtas, & juriſdictio Epiſcopi, propter eius negligentiam, non devolvatur ad Archiepiſcopum, præterquam in caſibus jure expreſſis, ut docet Abb. in c. Paſtoralis; 11. n. 10. de offic. Ordin. Piaſecius in praxi Epiſcop. p. 2. c. 5. art. 2. n. 32. Laym. in c. 1. n. 2. h. t. in 6. Barboſ. in Collectan. ibid. n. 9. & alij apud ipſum. Quamvìs multi DD. apud Quarantam in ſumma Bullarij V. Archiepiſcopi auctoritas; n. 21. contrarium teneant, nempe quòd, ſi Epiſcopus ſit negligens in officio ſuo, & admonitus non ſe emendet; Archiepiſcopus, eo invito, poſſit ſupplere defectum, & negligentiam illius, & exercere juriſdictionem in diœceſi ipſius, v. g. excommunicando, abſolvendo, ordinando, cauſas cognoſcendo, & condemnãdo &c. Sed probatur noſtra aſſertio, quia in materia prohibitoria, quod non eſt permiſſum, ſeu conceſſum, cenſetur eſſe prohibitum, c. Inter; 2. de translat. Epiſcop. ſed Jure Canonico Archiepiſcopo prohibitum eſt exercere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum. c. Nullus; 7. & c. ſeq. cauſ. 9. q. 3. c. Paſtoralis; 11. de offic. Ordin. præterquam in caſibus jure expreſſis: nullibi autem reperitur expreſſum, quòd Archiepiſcopus, ſi Suffraganeus ipſius ſit negligens in ſuo officio, poſſit ſupplere ipſius vices, & exercere juriſdictionem in ſubditos eiuſdem, ergo id nullo modo eſt aſſerendum. Nec

obſtat, quòd in c. Cùm ſimus; 3. cauſ. 9. q. 3. ſtatuitur, ut Metropolitani, ſi Epiſcopi, qui ſub eis ſunt, non conſtituerint Oeconomos, quibus res Eccleſiarum gubernandæ committuntur, ipſi eos conſtituant, quó textu plurimùm nituntur contrariæ ſententiæ Auctores; quia ille eſt unus ex ſpecialibus caſibus in jure expreſſis, ut juriſdictio Epiſcopi, ob eius negligentiam, devolvatur ad Archiepiſcopum. Barboſ. in c. 1. h. t. in 6. n. 10.

XII. Sed neque poteſtas juriſdictionis, propter culpam, aut negligentiam Epiſcopi in ſuo officio, ad Capitulum Cathedrale devolvitur, exceptis caſibus jure expreſſis, circa collationes beneficiorum, de quibus ſuprà: quia nullibi talis poteſtas Capitulo conceſſa in jure reperitur, ſed, ſi Epiſcopus in officio ſuo culpabilis ſit, aut negligens, Capitulum recurrere debet ad Superiorem Epiſcopi, videlicet ad Metropolitanum, vel Papam, eiúſque juriſdictionem implorare, per quam Epiſcopus ad officium præſtandum compellatur. Laym. de Elect. Prælat. q. 104.

XIII. Aſſertio 2. Si Epiſcopus, licèt ob culpam ſuam, ab Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano ſuo fuerit excommunicatus, ita, ut officium ſuum paſtorale exercere non poſſit, non tamen ideo juriſdictio in ſubditos illius Diœceſanos devolvitur ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam; quamvis aliam pœnam Archiepiſcopus infligere poterit ſuo Suffraganeo, ſi culpa ipſius mereatur, prout conſtat ex cap. 1. h. t. in 6. Nam cùm Archiepiſcopus Rhemenſis provinciam ſuam viſitaret, Suffraganeos quoſdam Epiſcopos ob culpas ſuas excommunicavit. Et quia excommunicati non poterant juriſdictionem exercere, Edictum per Provinciam publicari curavit, ut, dum Epiſcopi in excommunicatione eſſent poſiti, ſubditi eorum pro cauſis (ſubditorum ſcilicet, quas inter ſe habent, nam quoad cauſas, quas ſubditi haberent contra ipſos Suffraganeos, licitum fuiſſet edictum. Gloſſ. hîc V. cauſis) audiendis, & terminandis ad Curiam Rhemenſem accederent: de quo Suffraganei conqueſti ſunt Romano Pontifici Innocentio IV. qui Edictum illud revocavit; quia tametſi iidem Epiſcopi, ob ſuas culpas, vinculo excommunicationis obſtricti eſſent, non tamen juriſdictio in ſubditos eorum ad Archiepiſcopum Rhemenſem devolveretur, cùm id non reperiatur à Jure (Canonico) conceſſum; quamvis alia fortè (quæ particula hîc non dubitativè, ſed aſſertivè ponitur. Barb. in Collect. hîc n. 1.) pœna Canonica ipſis Epiſcopis ab Archiepiſcopo poſſet infligi.

XIV. Ratio patet ex textu, quia ſecundùm Canones, Archiepiſcopus non poteſt exercere juriſdictionem in ſubditos Coëpiſcoporum Provincialium, niſi id ſpecialiter à jure reperiatur ipſi eſſe conceſſum: at nuſpiam reperitur jure expreſſum, vel conceſſum, quòd Epiſcopo excommunicato ob culpam ſuam juriſdictio in illius ſubditos, ſeu poteſtas audiendi, & definiendi omnes eorum cauſas, in prima inſtantia, devolvatur ad Archiepiſcopum, ac proinde hoc ipſo debet cenſeri, id eſſe prohibitum: meritò autem non conceditur tali caſu Archiepiſcopo juriſdictio, ſeu poteſtas cognoſcendi cauſas ſubditorum, ne detur ipſi occaſio excommunicandi Coëpiſcopos Suffraganeos, & ſic arrogandi ſibi juriſdictionem in ſubditos illorum, cum magno ſæpe incommodo ſubditorum, & injuria ipſorum Suffraganeorum, ut ex Geminian. notat Vivian. in ration. Jur. Pontif. In c. 1. h. t. in 6. Quare hoc caſu, ſi Epiſcopus excommunicatus, & vitandus non poſſit juriſdictionem exercere in ſubditos ſuos, ad Papam recurrendum erit, velut ad omnium Ordinarium, & qui omnibus præeſt. cap. Cuncta; 17. & c. ſeq. & c. ult. cit. c. 9. quæſt. 3. à quo petendum erit, ut vel Epiſcopum ab excommunicatione abſolvat, vel alia ratione Eccleſiæ provideat, Joan. Monach. in cit. c. 1. n. 11. Anchar. ibid. not. 2.

Porrò pœna, quæ ab Archiepiſcopo infligi poteſt Suffraganeis, ob culpas eorum, ut dicitur in fine huius cap. 1. eſt arbitraria, ſecundùm qualitatem delicti. Gloſſ. fin. hîc & Franc. num. 4. quæ Canonica dicitur, non quòd in Canone aliquo ſit expreſſa, ſed quia à Judice infligitur, ſecundùm mentem, & interpretationem Canonum, Anchatan. in cit. cap. 1. h. t. in 6. & ibid. Barboſ. num. 6.

XV. Aſſertio 3. Si Epiſcopus omnino, & abſolutè impeditus, aut inutilis ſit ad adminiſtrationem, ſive ob captivitatem ab hoſtibus fidei, ſive ob amentiam, ſive ob aliud impedimentum perpetuum, aut diu durabile, non ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, cùm hoc non reperiatur in jure expreſſum, ſed ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis interim devolvitur, & pertinet jus adminiſtrationis, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, prout habetur in c. Si Epiſcopus; 3. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si Epiſcopus à paganis (vel hæreticis. Gl. hîc V. à paganis) aut ſchiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrare debebit, perindè, ac ſi Sedes Epiſcopalis per illius mortem (renunciationem, translationem, depoſitionem, vel alio modò. Gl. hîc V. mortem) vacaret, donec, vel Epiſcopus libertati reſtitutus fuerit: vel à Sede Apoſtolica (cuius intereſt neceſſitatibus Eccleſiarum providere) quæ in tali caſu à Capitulo, quamprimum commodè fieri poteſt, conſuli debet, aliud fuerit ordinatum. Rationem huius deciſionis dat gl. hîc V. libertati, Joan. Monach. & Ancharan. not. 2. & alij communiter, quòd Epiſcopus per captivitatem ſervus factus ſit, & pro civiliter mortuo habeatur, adeóque jura Epiſcopalia amiſit, quamvis illa, ſi liberatus fuerit ab hoſtibus, jure poſtliminij recuperet. arg. l. Poſtliminij; 5. ff. de captiv. Verùm Chriſtiani, & multò magis Epiſcopi capti ab infidelibus, vel hæreticis in odium fidei Catholicæ, eorum ſervi non efficiuntur, & conſequenter nec jura civilia, aut Eccleſiaſtica amittunt, ut colligitur ex l. pen. §. de his ita C. de Epiſc. & Cleric. & tradit etiam Franc. in cit. c. 3. n. 1. h. t. in 6. Quin imò, ut tradit Laym. in cit. c. 3. h. t. in 6. Epiſcopus captus ab infidelibus, vel hæreticis poteſt ex captivitate per litteras præcipere ſuis ſubditis, & Eccleſiam ſuam, quatenus poteſt, adminiſtrare.

Itaque

Itaque vera ratio eſt, quia quamvis Archiepiſcopus exercere poſſit juriſdictionem in Epiſcopum Suffraganeum ſuum, & ſibi ſubjectum: non tamen in Eccleſiam, vel Diœceſin ejus, niſi in caſibus ei ſpecialiter conceſſis, ut ſuprà dictum. At verò Capitulum, in defectum Epiſcopi, ab hoſtibus capti; vel diuturno morbo, aut alio ſimili impedimento detenti, juriſdictionem exercet in ejus Eccleſiam, & Diœceſin, quia tunc perinde cenſeri debet, ac ſi Sedes vacaret, ergo ſicut vacante Sede Epiſcopali, Capitulum adminiſtrare poteſt, donec novus Epiſcopus conſtituatur, c. His quæ 11. & c. Cùm olim 14. de majorit. & obed. ita etiam, ſi Epiſcopus nullus adſit, vel ſit omnino, & abſolutè impeditus, aut inhabilis ad adminiſtrationem, Capitulum adminiſtrare debet, donec S. Pontifex, aliter provideat, cit. c. Si Epiſcopus; quia tunc Eccleſia quaſi vacat, & naturæ conſentaneum eſt, ut defectum Capitis reliquum corpus ſuppleat, donec majore remedio provideatur. Layman. in cit. cap. 3. & in c. 1. eodem in fine.

XVI. Cæterùm quod dictum eſt, Epiſcopo capto ab hoſtibus fidei, ſuccedere in adminiſtratione non Archiepiſcopum, ſed Capitulum: idem quoque dicendum eſt, ſi Epiſcopus in remota loca diſceſſit, diu abſfuturus, & nullum Vicarium, ſeu Adminiſtratorem conſtituit: tunc enim Capitulum quoque interim adminiſtrabit, & exequetur, ſaltem ea, quæ neceſſaria ſunt, & dilationem non patiuntur, donec Papa conſultus reſpondeat, & provideat, juxta cit. c. 3. h. t. in 6. Quarant. c. l. num. 22. Piaſec. cit. c. 5. art. 2. n. 31. Denique generaliter loquendo, in omni caſu, quo Epiſcopus ſuum officium exercere non poteſt, nec alteri committere, ut, ſi fiat mutus, vel furioſus, Capitulum ſupplet vices illius in adminiſtratione, donec aliud à Papa ordinatum fuerit. Sylveſt. In ſumm. V. Archiepiſcopus. n. 3.

XVII. Aſſertio 4. Interdum negligentia, vel defectus Prælati ſuppletur per dationem Curatoris, ſeu Coadjutoris. Veluti inprimis, ſi Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus non omnino impeditus ſit, vel inhabilis ad adminiſtrationem, ſed ſolùm ex parte, v. g. ob ſenium, vel infirmitatem, minùs idoneus ſit ad officium ſuum præſtandum, tum datur ei à Superiore Coadjutor, ſeu Curator, c. pen. & ult. de Cleric. ægrot. & c. unic. eodem in 6. cujus tamen officium exſpirat, mortuo Epiſcopo. Gloſſ. in c. 2. in not. h. t. in 6. Niſi ex ſpeciali gratia alicui detur à Papa Coadjutor, cum ſuccedendi facultate; quam interdum dare ſolet, de quo infrà ſuo loco tit. 6. Lib. 3.

XVIII. Præterea, ſi Epiſcopus negligens, & remiſſus ſit in adminiſtratione Epiſcopatûs, poteſt ei Papa dare Coadjutorem, ſeu Curatorem, cum plena, & libera poteſtate adminiſtrandi, prout colligitur ex c. Grandi 2. h. t. in 6. Nam & generalis doctrina eſt tradita à Gloſſ. magn. not. 1. ibidem, quòd ſi ille, qui præeſt alicui communitati, in officio ſuo negligens ſit, & remiſſus, debet Superior illi dare idoneum Coadjutorem, ſeu Curatorem, quæ eſt deſumpta ex cit. c. 2. h. t. in 6. Nam cùm Rex Portugalliæ negligens eſſet in adminiſtratione Regni, & jura, ac bona ejus diſſiparet, ac perderet, imò & Eccleſias, Monaſteria, atque Eccleſiaſticas perſonas, pauperes quoque, viduas, & orphanos gravari ſineret: Papa Innocentius IV. neceſſitatibus iſtis ſuccurrere volens, Coadjutorem Regi dedit, & deſignavit Comitem Bolonienſem fratrem ipſius Regis; cum cura, & adminiſtratione generali, & liberâ Regni ejuſdem, ideóque ſcribens ad Comites, & Barones Regni Portugalliæ, eiſdem mandat, ut non obſtantibus juramento fidelitatis, ſeu homagio, aut pacto, quo ipſi Regi, vel alteri perſonæ ſunt obſtricti, vel prohibitione ejuſdem Regis, dictum Comitem recipiant, & ejus mandatis obediant, ipſíque contra quoslibet repugnantes conſilium, & auxilium impendant. Alioquin ſi Comites, & Barones Regni Apoſtolico Mandato non paruerint, mandat Archiepiſcopo Bracarenſi, & Epiſcopo Colimbrienſi, ut illos, monitione præmiſsâ, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, compellant. Per hoc tamen non intendit Papa Regi, vel ipſius legitimo filio (ſi quem habuerit) Regnum adimere, ſed potiùs ipſi, ac regno ejus deſtructioni expoſito, per ſollicitudinem, & curam dicti Comitis, ad vitam Regis, conſulere, ut ab interitu defendatur, & conſervetur.

XIX. Hinc colligitur 1. Si Rex, vel alius Princeps Chriſtianus negligens, & remiſſus ſit in Adminiſtratione Regni, vel Provinciæ, illúdque malè regat, diſſipando bona, & jura ejuſdem, aut gravando ſubditos, præſertim pauperes, & Eccleſias, ac Clericos, tum debet ei à Superiore ſuo, ſi quem habet, aſſignari Coadjutor, ſeu Curator; vel hoc deficiente, aut negligente, à Papa, ad quem ſpectat ſpecialem curam gerere Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, item pauperum, pupillorum, & viduarum, aliarúmque miſerabilium perſonarum, ut eas defendat ab injuriis, & oppreſſionibus, c. 1. & 2. diſ. 87. & c. Ex parte; 15. de foro competent. & notat hîc Jo. Monach. num. 5. & Laym. n. 1. & alij Canoniſtæ communiter, quia poteſtas ſecularis eſt ſubjecta, & ſubordinata ſpirituali, ſive Eccleſiaſticæ, ut ab ea judicari poſſit, etiam in temporalibus, in ordine ad finem æternæ beatitudinis, quatenus ad eum obtinendum ſerviunt, vel ab eo abducunt; juxta Extravag. Unam ſanctam; 1. inter communes de majorit. & obed.

Colligitur 2. Coadjutor, ſeu Curator datus Regi, vel alij Principi, vel etiam Epiſcopo, habet plenam, & liberam adminiſtrationem, c. Ex parte; 5. de Cleric. ægrot. non tamen poteſt facere donationes merè liberales, niſi modicas, vel ob juſtam cauſam, v. g. remunerationis, vel pietatis. Gloſſ. hîc V. liberam, quamvis Coadjutor Regni etiam merè liberaliter, & gratuitò donare poſſit, quia Regibus proprium eſt donare, ſecundùm Gloſſ. V. liberam in addit.

Colligitur 3. Quòd officium, & poteſtas Coadjutoris, ſive Regi, ſive Epiſcopo datus ſit, exſpiret morte ejus, cui datus eſt, prout ſumitur ex hoc c. & tradit ibid. Gloſſ. fin.

XX. Aſſertio 5. Eccleſiæ Cathedrali vacanti ab alio, quàm à Romano Pontifice, Viſitator, ſeu Adminiſtrator deputari non poteſt: niſi Capitulum in ſpiritualibus, & temporalibus, negligenter, aut perperam, ſeu per malitiam adminiſtret: tunc enim Archiepiſcopus, ob negligentiam, aut mali-

» tiam Capituli, Adminiſtratorem quidem Eccleſiæ
» conſtituere poterit, ſed non niſi Capitulo priùs vo-
» cato, & præmiſsâ cauſæ cognitione: ita habetur
in c. Eccleſiæ ult. h. t. in 6. in princ. Idémque eſt dicendum, ſi Eccleſia Cathedralis quaſi vacet, ob captivitatem Epiſcopi, vel aliud diuturnum, aut perpetuum ejus impedimentum. Gloſſ. hîc V. Vacanti, & patet ex cit. c. 3. eodem in 6. Ratio eſt, quia ad Capitulum Cathedrale, Sede vacante, pertinet jus adminiſtrationis in ſpiritualibus, & temporalibus, & ipſum poteſt Adminiſtratorem circa ſpiritualia, & temporalia conſtituere. Gloſſ. in c. unic. V. Ad quem; & V. juriſdictio de majorit. & obed. in 6. quod jus non poteſt Archiepiſcopus illi, ſinè cauſa neceſſaria auferre. At verò S. Pontifex, ex plenitudine ſuæ poteſtatis, liberè poteſt Adminiſtratorem conſtituere. Gloſſ. in cit. c. ult. V. non poteſt: etſi non ſoleat dare, niſi Capitulum deliquerit. Quòd ſi neceſſitas exigat, quia Capitulum eſt negligens in adminiſtrando, vel malitiosè adminiſtrat; Canones etiam Archiepiſcopo dant hanc poteſtatem deputandi Adminiſtratorem Eccleſiæ vacanti, ſed non niſi vocatis priùs Capitularibus, quippe quorum intereſt, præviâ judiciali cognitione, ita, ut ſi ea non fiat, Adminiſtratoris datio non valeat. Gloſſ. hîc V. Vocato; & V. cognitione præmiſsâ, quia, ut ait Gloſſ. ibidem, ſufficit, legislatorem aliquid prohibuiſſe, etſi non addat, non valere, quod contra prohibitionem factum fuerit, l. Non dubium 5. C. de legib.

XXI. Ubi tamen præterea notandum, ad hoc, ut Archiepiſcopus poſſit dare Adminiſtratorem Eccleſiæ Epiſcopali vacanti, copulativè requiri, ut Capitulum non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus negligenter, vel malè adminiſtret, nec ſufficit alterum tantùm, ut poſt Jo. Andr. docet hîc Ancharan. not. 3. & Francus num. 2. not. 1. Quia Archiepiſcopus non poteſt ſe ingerere tractandis cauſis ad Eccleſiam Epiſcopalem vacantem pertinentibus, niſi in caſibus jure expreſſis, jus autem ſolùm concedit Archiepiſcopo facultatem dandi Adminiſtratorem, ſi Capitulum negligenter, vel malitiosè adminiſtret in ſpiritualibus, & temporalibus: quamvìs ex æquitate ſufficiat alterutrum, nempe ut in ſpiritualibus tantùm, vel in temporalibus tantùm malè adminiſtret. Franc. c. l.

Deinde notandum, quòd Eccleſijs inferioribus, ſive non Epiſcopalibus poteſt dari Adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus, etiam ab alio, quàm à Papa, ut colligitur ex cit. c. ult. à ſenſu contrario. Franc. ibid. not. 2. Quòd ſi Eccleſia fuerit Collegiata, & eâ vacante, adminiſtratio in ſpiritualibus, & temporalibus, fortè ex privilegio, aut conſuetudine, competat Capitulo, tum Epiſcopus, ſi Capitulum malè adminiſtret, eo vocato, & præviâ cognitione, Adminiſtratorem dare poterit. Lapus in cit. c. ult.

» XXII. Portò licèt Adminiſtrator ab alio,
» quàm à Papa (nimirum ab Archiepiſcopo, vel Ca-
» pitulo committente ei vices ſuas) Sede vacante,
» conſtitutus legitimam alioquin, tam in ſpiritali-
» bus, quàm in temporalibus, adminiſtrationem ha-
» beat; non tamen poteſt ea beneficia conferre, quæ
» ad liberam Epiſcopi (ſolius) collationem perti-
» nent, prout habetur in cit. c. ult. §. Hujuſmodi h.
t. in 6. Ratio eſt, tum quia collatio beneficij eſt quædam donatio, c. Licèt; 3. h. t. Adminiſtrator autem, etiam cum libera poteſtate, conſtitutus, abſolutè, & merè liberaliter donare non poteſt, l. Filiusfam. 7. in princ. ff. de donat. Tum quia collatio beneficiorum computatur veluti inter fructus Epiſcopatûs, fructus autem, & reditus Epiſcopales Adminiſtrator ſucceſſori reſervare debet, c. ult. diſ. 61. Quòd ſi verò collatio beneficiorum non ſolùm ad Epiſcopum, ſed communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum pertineat, tum vacante Sede, Adminiſtrator etiam ab alio, quàm à Papa deputatus, unâ cum Capitulo, ea beneficia conferre poteſt, quia in illis gerit vicem Epiſcopi. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Epiſcopi; Franc. ibid. not. ult. Adminiſtrator autem à Papa datus beneficia etiam ad collationem Epiſcopi tantùm ſpectantia conferre poteſt, quia poteſt omnia, quæ Epiſcopus electus, & confirmatus. Gloſſ. fin. in cit. c. ult. Debet enim propter ampliorem dantis prærogativam, ampliore fungi poteſtate, quàm Adminiſtrator ab alio inferiore deputatus. Gloſſ. ibid. V. non poteſt in fine, & Franc. not. ult.

XXIII. Sed, & Legatus à latere Adminiſtratorem dare poteſt vacanti Eccleſiæ Cathedrali, ſicut Archiepiſcopus, quia poteſt in ſua Provincia, quod Archiepiſcopus, imò majus in ea Imperium habet. Gloſſ. in cit. c. ult. V. ab alio in addit. Franc. ibid. n. 3. non tamen per dationem talis Adminiſtratoris tollitur vacatio Eccleſiæ, nec impeditur electio, quò minùs ad eam procedi poſſit, quia non conceditur Adminiſtratori titulus in Eccleſia, cui datur, alioquin Legatus de latere talem Adminiſtratorem dare non poſſet. Lapus in c. 2. n. 4. h. t. in 6. Franc. in cit. c. ult. n. 3. eod.

XXIV. Sed hinc jam oritur quæſtio, an etiam Capitulum Cathedrale, Epiſcopali Sede vacante, poſſit conſtituere Adminiſtratorem, ſeu Vicarium Generalem Epiſcopatûs in ſpiritualibus, & temporalibus. Negant plures apud Barboſ. in Collect. in cit. c. ult. h. t. in 6. n. 2. idque colligi videtur ex eodem c. ubi dicitur: Eccleſiæ Cathedrali vacanti Viſita- »
tor, id eſt, Adminiſtrator. Gloſſ. ibid. V. Viſitator; »
ab alio, quàm à Romano Pontifice, deputari non »
poteſt. Verùm contrarium tenet Gloſſ. ibid. V. Ab alio; Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. n. 62. & alij apud Barb. c. l. n. 4. quos ipſe etiam ſequitur. Nam cùm Capitulum, vacante Sede, ſuccedat in ordinariam juriſdictionem Epiſcopi, eandem etiam alteri delegare, ſeu committere poterit, niſi expreſsè reperiatur jure prohibitum; quamvìs talis Adminiſtrator non poſſit conferre beneficia ſpectantia ad ſolam collationem Epiſcopi. Gloſſ. ibidem. V. ſolius, & Joan. Monach. & Franc. n. 2. in Gloſſ. V. ſolius. nam ſive Adminiſtrator generalis deputetur à Capitulo, ſive ab Archiepiſcopo jure devoluto, propter negligentiam, vel malitiam ejuſdem Capituli, non poteſt habere majorem poteſtatem, quàm is, à quo deputatus eſt, l. Nemo 54. ff. de R. I. Sed neque ipſum Capitulum, neque Archiepiſcopus utens ſolâ poteſtate devolutionis, poteſt, Sede vacante, conferre hujuſmodi beneficia, ergo nec Adminiſtrator ab ijs conſtitutus. Barboſ. in cit. c. ult. num. 7. Neque obſtat idem c. quia non negat Capitulo facul-

tatem

Digitized by Google

tatem conſtituendi Adminiſtratorem Generalem, Sede vacante, antequam is à S. Pontifice conſtituatur, ſed ſolùm decernit, ne Archiepiſcopus, vel alius Superior, excepto Rom. Pontifice, ſinè cauſæ cognitione, ſcilicet negligentis, vel malitioſæ adminiſtrationis, Adminiſtratorem conſtituat, niſi Papa ex plenitudine poteſtatis, ratione curæ omnium Eccleſiarum ſibi competentis, aliud diſponat. Barboſ. c. l. num. 4. In c. Verò is cui 42. de elect. in 6. non negatur Capitulum, Sede vacante, poſſe Adminiſtratorem generalem deputare, ſed ſolùm ibi dicitur, non poſſe ab alio Superiore, quàm à Papa deputari Adminiſtratorem Eccleſiæ Cathedralis, adeóque id ſoli Papæ competere, excepto tamen caſu expreſſo in c. ult. h. t. in 6. in quo etiam Archiepiſcopus id poteſt, ut notat Gloſſ. ibidem. V. Soli. Vel etiam dici poteſt, quòd à Capitulo non poſſit dari Adminiſtrator, cùm tam plena, & libera poteſtate, ſicut à Papa, ut dictum ſuprà tit. 6. n. 156.

XXV. Aſſertio 6. Tametſi ordinariè & regulariter Superiores ſuppleant negligentiam, & defectum inferiorum, ut ex dictis patet: aliquando tamen propter negligentiam, vel contumaciam Prælati Superioris, devolvitur ejus poteſtas ad Prælatum » inferiorem, ut conſtat ex c. 1. h. t. Ubi Alexan» der III. ſcribens ad Ordinem Ciſtercienſium, sta» tuit: ut, ſi Epiſcopus Diœceſanus tertiò, cum hu» militate, ac devotione, ſicut convenit, requiſi» tus, ipſorum Abbates benedicere recuſet, nihilo» minus & Monachos ſuos benedicere, & alia, quæ » ad officium ſuum ſpectant, exercere poſſint, in» terim, donec Epiſcopus, depoſitâ duritiâ ſuâ, be» nedictionem petitam Abbatibus conferre non » recuſet.

XXVI. Notandum 1. Etſi hæc reſponſio Papæ Alexandri III. data ſit Ordini Ciſtercienſium, cùm nondum tunc temporis Abbates ipſorum, & Monaſteria eſſent exempta ab Epiſcopis: nihilominus tamen generale eſt reſcriptum, & generale jus continet, ſeu privilegium conceſſum omnibus Abbatibus, qui ab Epiſcopis benedici ſolent, quia Pontifex in hoc c. non ſignificat, ſe ſpeciale privilegium Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis dare, ſed generaliter ſtatuit, quid ab omnibus Abbatibus fieri poſſit, ac debeat, ſecundùm rei æquitatem, & neceſſitatem, ne ſcilicet Abbates officium ſuum diu exercere intermittant, & Monaſteria, propter negligentiam Epiſcoporum, detrimentum in ſpiritualibus, & alijs patiantur. Gloſſ. in c. Cùm contingat 11. V. Abbati de ætat. & qualit. &c. Azor p. 1. Inſtitut. l. 12. c. 20. q. 6. Laym. in c. 1. q. 1. h. t.

Notandum 2. Ut Abbates poſſint, ante acceptam benedictionem, Monachos ſuos benedicere, & alia exercere, quæ ad officium ſuum pertinent, requiritur, ut Epiſcopus ex duritia, ſeu contumacia quadam, benedictionem illis deneget, adeóque ut ter rogatus, nullâ allegatâ cauſâ rationabili, illam deneget; nam, ut quis cenſeatur contumax, ſeu obſtinatus, ordinariè præcedere debet trina monitio, ſeu petitio, vel una peremptoria pro tribus, l. Contumacia 53. ff. de re judic. ceſſante autem contumaciâ, ceſſat quoque diſpoſitum propter contumaciam, quæ ceſſat, ſi Epiſcopus cauſam rationabilem prætendat denegatæ benedictionis. Innocent. hîc n. 1. & Abb. n. 2. Si verò Epiſcopus, nullâ probabili ratione allatâ, ſtatim expreſsè denegat benedictionem ſemel petitam, non erit opus tunc illam iterum petere, ſed ſufficit unica petitio, ad hoc, ut Abbas officium ſuum nihilominus exercere poſſit. Abb. c. l.

Notandum 3. Denegatâ contumaciter benedictione ab Epiſcopo, Abbates poſſunt, non ſolùm benedicere ſuos Monachos, ſed etiam exequi, ea quæ ſunt Ordinis, ſive conferre Ordines minores, & alios actus Pontificales exercere, qui ad officium Abbatis ſpectant, & Abbatibus competunt, ſive jure communi, ſive ex privilegio Apoſtolico, aut conſuetudine legitimè præſcripta, ut infrà dicetur. Gloſſ. fin. hic & Abb. poſt oppoſit. 3. Nec obſtat, quòd, qui benedictionem non habet, eam dare alijs non poſſit: nam licèt Abbates non benedicti non habeant benedictionem Abbatialem, habent tamen ſimplicem Monachalem. Vel potiùs dicendum eſt, quòd hanc poteſtatem benedicendi alios, perinde, ac ſi eſſent benedicti, accipiunt à Jure Canonico illam dante in hoc c. in odium Epiſcopi ſinè cauſa denegantis benedictionem, quam ex officio dare deberet; ſed ſimul etiam in favorem Religioſorum, & ſic hoc privilegium eſt partim odioſum, partim favorabile, &, ut ſic extendendum: ſicut etiam non baptizatus ob neceſſitatem poteſt baptizare. Gloſſ. hic V. Benedicere, & V. Alia, Hoſtienſ. in fine. & Abb. oppoſit. 2. & poſt oppoſit. 3.

Notandum 4. Abbates, quibus ab Epiſcopo denegata eſt benedictio, ſinè cauſa, poſſunt nihilominus benedicere alios, & alia ad officium ſuum pertinentia exercere, dummodo ſint confirmati, quia ante confirmationem nihil facere, ſeu diſponere poſſunt, & poteſtatem adminiſtrandi non habent; c. Transmiſſam 15. de elect. Gloſſ. hic V. Subſtitutos: niſi tamen, ſecundùm conſuetudinem loci, benedictio vim confirmationis haberet, & vicem illius obtineret, tunc enim, quia Abbates hujuſmodi ex conceſſione Juris omnia exercere poſſunt, quæ ad officium eorum pertinent, perinde, ac ſi eſſent benedicti, & à jure habentur pro benedictis, conſequenter etiam ea exercere poterunt, etſi non ſint confirmati, Hoſtienſ. hic V. benedicere. Abb. ibidem. §. Quæro an alium. Azor cit. cap. 20. quæſt. 6. §. Quæres.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

Quia ad Prælatorum, maximè Epiſcoporum, poteſtatem pertinet, Ordines conferre, ideo de his iſto, & pluribus ſeqq. Titulis agitur, qui extat etiam in

Digitized by Google

devolvitur ad Archiepiſcopum, ſi ei Capitulum immediatè ſubjectum ſit. Quòd ſi & ipſe per alterum ſemeſtre conferre negligat, devolutio fit ad Papam, ut conſtat ex cit. c. Licèt; h.t.

Colligitur 2. In electionibus, & collationibus beneficiorum, poſt elapſum tempus jure præfixum ad eligendum, vel conferendum, non conceditur licentia purgandi moram, licèt aliàs regulariter mora purgari poſſit, ut tradit gl. fin. in cit. c. Licèt, & ibid. Abb. n. 5. Rebuff. c. l. n. 27. quia ipſo jure devolutio facta eſt, ſive pœna privationis ob negligentiam decreta, eſt ſententiæ ipſo jure latæ, quilibet autem Canon, qui eſt latæ ſententiæ, habet in ſe executionem, ſecundùm gl. in c. Licèt Canon, 15. V. executione de elect. in 6. Saltem ita, ut Judex per ſententiam declarare poſſit, omnia ipſo jure irrita eſſe, quæ contra Canonem latæ ſententiæ facta ſunt. Laym. de Elect. Prælat. q. 99. quomodo in cit. c. Licèt; Papa declaravit irritam collationem Archidiaconatûs, ſi conſtiterit illam poſt tempus ſemeſtre factam eſſe.

II. Aſſertio 2. Si Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Canonicatus, aliáque beneficia ad ſuam collationem ſpectantia, intra tempus jure definitum conferre negligat, jus ea conferendi ad Epiſcopum devolvitur: & vice verſâ, ſi Epiſcopus negligat conferre beneficia, quæ ad ſuam tantùm proviſionem (jure proprio, & non devoluto) ſpectant, devolutio immediatè fit ad Capitulum. c. 2. de conceſs. præbend. & ſic ſupplet Capitulum, quamvìs inferius, negligentiam Superioris, videlicet Epiſcopi: idque jure ita diſponente, propter communionem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Capitulum, tanquam Caput, & membra ejuſdem corporis, ut meritò unius defectus, ſeu negligentia per alterum ſuppleatur. Abb. in cit. c. 2. n. 6. & 8. Quòd ſi Epiſcopo negligente conferre beneficia, jure proprio, ad ejus collationem ſpectantia, etiam Capitulum negligat conferre jure devolutionis; tum jus conferendi ad Metropolitanum devolvitur, cui ſubjectus eſt Epiſcopus, & Metropolitano non conferente, ad Patriarcham, cui ille ſubeſt, & tandem ad Papam. Abb. c. l. n. 3. Si verò Epiſcopus ſit exemptus, poteſtas conferendi immediatè devolvitur ad Papam, cùm alium Superiorem non habeat, qui poſſit ſupplere negligentiam ipſius. cit. c. Licèt; 3. h. t. Abb. in cit. c. 2. n. 7. & 8. de conceſſ. præbend.

Denique ſi collatio beneficiorum conjunctim, ſeu communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum pertineat, & intra ſemeſtre tempus jure præſcriptum, tam Epiſcopus, quàm Capitulum conferre neglexerit, tunc devolvitur jus conferendi, non ab Epiſcopo ad Capitulum, vel vice verſâ, ſed immediatè ad proximum ſuperiorem, videlicet ad Archiepiſcopum, ut conſtat ex c. pen. de conceſſ. præb. & habetur etiam » ſtatutum in c. Dilecto; ult. h. t. Nam cùm in Eccle- » ſia Salamantina electio Cantoris, quæ ad ejuſdem » Eccleſiæ Epiſcopum, & Capitulum communiter, » ac ſimul ſpectabat, intra ſemeſtre tempus facta non » fuiſſet, poſtea Decanus, & alij quidam Canonici » Petrum elegerunt, appellantes ad Sedem Apoſtoli- » cam, ne contra hanc ſuam electionem aliquid at- » tentaretur. Sed Archiepiſcopus Compoſtellanus, » quia intellexit, ob negligentiam Decani, & alio- » rum Capitularium, jus eligendi ad ſe tanquam pro- » ximum eorum Superiorem devolutum eſſe, non obſtante illâ appellatione, Gregorium in Cantorem elegit. Quare uterque electus, Petrus, & Gregorius Procuratores ad Sedem Apoſtolicam miſerunt. Causâ cognitâ, Papa Innocent. III. electionem Petri in Cantorem à Decano, & ſociis non canonicè factam irritam declaravit, quia conſtitit, eam poſt elapſum tempus ſemeſtre celebratam fuiſſe, infra quod Epiſcopus, & Capitulum, ad quos communiter ſpectabat electio, ad eam procedere neglexerunt, ideóque etiam appellationem à Decano, & ejus fautoribus interpoſitam, non potuiſſe electionem ab Archiepiſcopo factam (ad quem jam erat eligendi poteſtas devoluta) impedire; & mandavit inſuper, ut electio Gregorij, remotâ appellatione, confirmetur, dummodo canonicum impedimentum ipſi non obſtet.

III. Notandum 1. Si electio, vel collatio beneficij communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum ſpectet, ut in caſu cit. c. ult. tum ſi Capitulum eligere, vel conferre velit, inſtante termino temporis ſemeſtris, monere debet Epiſcopum, ut ſimul cum Capitulo eligat, vel conferat: quod ſi is negligat, vel moram trahat, ſolum Capitulum, ſine Epiſcopo, poterit providere: & viciſſim Epiſcopus abſque Capitulo, ſi iſtud admonitum conferre negligat, vel cunctetur. Laym. de Elect. Præl. q. 98. & in cit. c. ult. n. 2. h. t.

Notandum 2. Appellatio extrajudicialis interpoſita ad defendendam electionem, vel collationem nullam, invalida eſt, neque impedit, quò minùs actus poſt appellationem factus ſit validus, ut patet ex cit. c. ult. & ibid. Abb. not. 4.

IV. Aſſertio 3. Si privati jure eligendi, vel conferendi beneficia, propter negligentiam in conferendo commiſſam, poſt elapſum tempus ad eligendum, vel conferendum jure præfixum, nihilominus eligant, vel conferant beneficia, electio, vel collatio eſt nulla, & invalida, niſi per patientiam, vel ex miſericordia toleretur, prout ſumitur ex c. Litteras; 4. h. t. ubi habetur, quòd cùm in quibuſdam Eccleſiis » quædam dignitates, & beneficia tanto tempore va- » câſſent, ut ſecundùm Lateranenſe Concilium ſub » Alexandro III. tam Prælati, quàm Capitula eſſent » jure inſtituendi, ſive conferendi privati, illi tamen, » poſtquam intellexerunt adventum Legati Apoſto- » lici, in beneficiis illis, ac dignitatibus perſonas mi- » nùs idoneas inſtituere, vel illis conferre præſum- » pſerunt. Quare Papa Innocentius III. mandat Le- » gatis ſuis, ut, ſi dignitates, vel beneficia perſonis i- » doneis ſint collata, eas ex miſericordia, & benigni- » tate permittant illa pacificè poſſidere; alinquin ve- » rò, ſi idonei non fuerint, ijs remotis, alias perſonas » idoneas, auctoritate Apoſtolicâ, inſtituant.

V. Notandum 1. Inſtitutio, ſive collatio beneficij (nam inſtituere hîc ſumitur pro conferre, ut notat Abb. hîc n. 2.) facta poſt tempus jure præſcriptum ad conferendum, eſt ipſo jure invalida, quia collatores, ſi negligant conferre beneficia intra tempus debitum, ipſo jure pro ea vice ſunt privati poteſtate conferendi, eáque ad Superiorem devolvitur. c. 2. de conceſſ. præbend. adeóque collatio ab ipſis poſtea facta eſt irrita, ob defectum poteſtatis, niſi per patientiam toleretur, *quia multa per patientiam tolerantur, quæ, ſi deducta fuiſſent in judicium, exigente juſtitiâ, non debe-*

deberent tolerari. c. Dudum; 18. in fine de præbend. tunc enim ipſa collatio denuo convaleſcit, quia expreſſa tolerantia approbationis jus dat in beneficio, præſertim ſi à Papa fiat, nt in caſu huius c. Gloſſ. hîc V. Patientiam; nbi ait, quòd inſtituti à Collatoribns, poſtquam jure conferendi ob negligentiam ſuut privati, habeant jus in beneficiis, non *ex tunc*, id eſt, non ex priore collatione, quæ invalida ſuit, ideóque ex poſtfacto ratificari non potuit: ſed *ex nunc*, id eſt, ob tolerantiam Papæ, quæ vim novæ collationis habet. Nam in cit. c. Legati Pontificis, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ad quam propter negligentiam inferiorum Collatorum devolutio facta eſt, adeóque ex ſpeciali commiſſione Papæ tolerabant malè inſtitutos in beneficiis, vel alios idoneos, ijs remotis, inſtituere poterant, quia, cùm non eſſent Legati de latere, non habebant jure proprio, & ordinario poteſtatem conferendi beneficia. c. 1. de offic. Legat. in 6. Abb. hîc num. 4.

Notandum 2. Si privati jure eligendi, vel conferendi, nihilominus eligant, vel beneficia conferant, licèt electio, vel collatio ſit irrita, vel ſaltem per ſententiam Judicis irrita declarari poſſit: probabile tamen eſt, quòd interim, dum nemo ſe opponit, electus, vel inſtitutus, tutâ conſcientiâ, retinere poſſit beneficium ſibi poſt tempus legitimum collatum, quia talis electio, vel collatio, ſpectato jure naturali, eſt valida, ante ſententiam declaratoriam Judicis, ut docet Laym. cit. q. 99. & in cit. c. Litteras; not. 1. ex quo id colligitur, nam ibi dicitur, poſſe per patientiam permitti, nt inſtituti ab ijs, qui privati ſunt jure conferendi ob negligentiam, beneficia pacificè poſſideant, quæ retinere non potuiſſent, abſque nova tituli revalidatione, niſi collatio beneficiorum, poſt incurſam privationem, facta aliquo modo valida fuiſſet.

Notandum 3. Si privati propter negligentiam eligendi, vel conferendi, poſt elapſum tempus jure definitum, nemine ſe opponente, nihilominus eligant, vel beneficia conferant, poteſt id à Judice tolerari, dummodo electus, aut inſtitutus idoneus ſit, & proviſio facta, abſque Eccleſiæ, ſeu boni publici detrimento, tolerari poſſit, ut colligitur ex cit. c. Litteras. Si verò electus, vel inſtitutus idoneus non ſit, vel proviſio, ſinè periculo detrimenti Eccleſiæ inferendi, tolerari non poſſit; tum Superior ex officio, etiam nemine petente, electionem, vel collationem factam, poſt incurſam ab electoribus, vel collatoribus privationem, reſcindere debebit, vel potiùs irritam declarare, & electum, vel inſtitutum à beneficio removere, ut patet ex cit. c. Litteras h. t. Laym. ibid. not. 2.

Cæterùm quod dictum eſt, collationem beneficij ab inferiore factam eſſe irritam, vel ſaltem reſcindi poſſe, & irritam declarari, id limitandum eſt, niſi Superior, v. g. Archiepiſcopus, ad quem ab Epiſcopo poteſtas conferendi devoluta eſt, ipſi aliquot menſes concedat ad conferendum v. g. poſt ſex menſes, adhuc duos, tunc enim Epiſcopus, etiam poſt tempus ſemeſtre à Concilio Lateranenſi præfixum, poterit conferre beneficia, non quidem jure ſuo, ac proprio, cùm jam ſit eo privatus, ſed jure devoluto ad Archiepiſcopum, & ex illius auctoritate, ſeu commiſſione. Rebuff. in praxi tit. de devolut. num. 30. Verùm plura de devolutione poteſtatis conferendi beneficia, ob negligentiam Collatorum, dicentur infrà lib. 3. tit. 8. nbi ex inſtituto de hoc agitur.

§. II.

Per quem, & quomodo Prælatorum Regularium negligentia in conferendis beneficiis, vel præſentando ad illa ſuppleatur?

VI. Aſſertio 1. Si Prælati Regulares, ad quos beneficiorum collatio ſpectat; beneficia ſecularia, aut regularia, intra ſemeſtre ſpatium, non conferant; tum, ſi quidem Epiſcopo ſunt ſubiecti, jus illa conferendi, ob negligentiam Collatorum, ad Epiſcopum devolvitur. Si verò ſint exempti, tunc, vel beneficia etiam ſunt exempta, & collatio ſtatim, & immediatè devolvitur ad Papam: vel non ſunt exempta ipſa beneficia, & hoc caſu, Epiſcopus ille, in cuius diœceſi, v. g. Parochia ſita eſt, Apoſtolicâ auctoritate providebit, & negligentiam ſupplebit, prout ſtatutum eſt in Clem. unic. h. t. Nam quia regulares Prælati Eccleſias, Prioratus, adminiſtrationes, aut quævis alia beneficia Eccleſiaſtica ad eorum diſpoſitionem ſpectantia, cùm vacant, interdum committere negligunt, vel conferre, infra tempus in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. conſtitutum (ſemeſtre ſcilicet, c. 2. de conceſſ. præb.) ideo decernit Concilium Viennenſe, ut Diœceſani locorum in non exemptis ſuâ, in exemptis verò Apoſtolicâ auctoritate, negligentiam eorundem in hoc suppleant. Præterea ſtatuitur in dicta Clement. §. Prioratus, ut Eccleſiæ, Prioratus, adminiſtrationes, & alia beneficia, quæ per ſeculares Clericos gubernari conſueverunt, Clericis ſecularibus: quæ verò Religioſis duntaxat ſolebant committi, vel conferri, Religioſis Monaſteriorum, quorum Prælati negligentes fuerunt, conferantur. Item Diœceſani eâdem auctoritate Apoſtolicâ ſubnixi nullo modo permittere debent, ut Prælati Regulares (etſi exempti) Eccleſias, Prioratus, Adminiſtrationes, aut beneficia (etiam exempta) ſuis menſis applicent, vel penſiones novas eis imponant, aut veteres augeant, vel ut, quæ de novo eis ſunt impoſitæ, vel auctæ, ſolvantur. Quæ verò dicta ſunt, intelligenda ſunt de ijs Eccleſiis, Prioratibus, Adminiſtrationibus, & beneficiis, quæ non ſpectant ad menſam ipſorum Prælatorum (poſt unionem) ſed ſpeciales habere ſolent Priores, Adminiſtratores, vel Rectores, etſi tales liberè ad Monaſterium (ſi ita faciendum videbitur) à Prælatis revocari poſſint, prout habetur in cit. Clement. unic. §. Eadem quoque, & §. Præmiſſa verò.

Denique in fine additur, quòd in huiuſmodi Eccleſiis, Prioratibus, Adminiſtrationibns, & beneficiis manualibus, quę ad menſam Prælati non pertinent, etiam locum habeat Conſtitutio Bonifacij VIII. (in c. ult. de offic. Ord. in 6.) prohibens bona beneficiorum vacantium à Prælatis, vel aliis occupari:

„ pari: & nihilominus ſtatutum eiuſdem Bonifacij „ (in c.Cùm ſingula; 32. in princ. de præbend. in 6.) „ prohibens Religioſum quemcunque pluribus preeſſe Prioratibus, aut Eccleſiis curam animarum habentibus, etiamſi illa cura non per ipſos Regulares, „ ſed per alium (ſcilicet Presbyterum ſecularem) ſolita ſit exerceri, etiam locum habeat in huiuſmodi „ Prioratibus, & Eccleſiis, licèt eiſdem cura non ſit „ annexa.

VII. Pro explicatione huius Clement. notandũ 1. Epiſcopus diœceſanos poteſt ſupplere negligentiã Prælatorum Regularium non conferentium, intra tempus ſemeſtre, beneficia ad ſuam diſpoſitionem ſpectãtia, conferendo beneficia etiã regularia, quamvis tales Prælati ſint exempti à juriſdictione Epiſcopi; quia tunc ea confert auctoritate Apoſtolicâ delegatâ, vi huius Canonis, Gl. hîc in notat. Id autem intelligendum eſt de ijs beneficiis, quæ ad diſpoſitionẽ, id eſt, collationem Prælatorum Regularium pertinent: nam ſi ad electionem, vel præſentationem eorum ſpectarent, tunc ad confirmantem, vel inſtituentem poteſtas providendi devolveretur, ſive is ſit diœceſanus, ſive alius inferior Epiſcopo, Gl. hîc V. diſpoſitionem, & Abb. n. 3. Rebuff. cit. tit. de devolut. n. 26. Barb. in Collect. hîc n. 11.

Notandum 2. Hæc conſtitutio non habet locum in Clericis ſecularibus, in quantum inducit jus novum, & derogat privilegio exemptionis, adeóque reſtringi debet, & non extendi, præſertim, quia contra Regulares hoc eſt ſpecialiter ſtatutum, eò quòd ipſi frequenter in eo excederent, Gl. hîc V. regulares, & Abb. n. 1.

Notandum 3. Si certa beneficia, ſecundùm loci conſuetudinem, non conferantur, ſed committantur; tum, ſi talis commiſſio non fiat, intra tempus Concilij Lateranenſis, poteſtas devolvitur ad Superiorem, ſicut in collatione, modò vi talis commiſſionis, in beneficio conſtituatur ſpecialis adminiſtrator, cit. Clement. unic. §. Præmiſſa. Gl. ibid. V. committere, & Abb. n. 4. ubi tamen addit, quòd hoc loco, ſecundùm quoſdam, idem ſit, committere, & conferre.

Notandum 4. Si Prioratus Regularis ſit principalis Prælatura in Eccleſia Regulari Collegiata, ſeu Conventuali, cui per viam electionis providetur de Rectore, ſeu Priore; tum, ſi intra tempus trimeſtre non fiat proviſio, ſive electio, devolutio fit ad Superiorem, juxta c. Ne pro defectu; 41. de Elect. Gl. hîc V. Lateranenſi, Abb. n. 5.

Notandum 5. Si Prælatus Regularis alicuius diœceſis habeat Prioratum ſitum in alia diœceſi, quem vacantem intra tempus ſemeſtre conferre negligit; tum poteſtas conferendi devolvitur ad Epiſcopum loci, in quo Prioratus eſt ſitus, quia in collationibus attenditur locus, ubi ſitum eſt beneficium, & non locus, ubi eſt perſona, ad quam ſpectat collatio. Gl. hîc V. Locorum, Garc. p. 5. de benefic. c. 3. n. 28. Barb. hîc in Collect. n. 12.

Notandum 6. Quando non ſolùm Prælati Regulares, ſed etiam ipſi Prioratus, Adminiſtrationes, vel alia beneficia, quorum proviſio ad eoſdem ſpectat, ſunt exempta à juriſdictione Epiſcopi, tum collatio devolvitur immediatè ad Papam. c. Cùm ſingula; 32. §. Prohibemus de præbend. in 6. Si verò beneficia non ſint exempta, etſi Prælati ſint exempti, tum collatio devolvitur ad Epiſcopum, ut is auctoritate Papæ provideat. Laym. de Elect. Prælat. q. 98. quamvis Gl. hîc V. Sua; & V. In exceptis, dicat, quòd Epiſcopus in Eccleſiis, Prioratibus, & Adminiſtrationibus non exemptis, ob negligentiam conferentium, provideat ſuâ auctoritate, etiamſi Prælati ſint exempti: Apoſtolicâ verò auctoritate, ſi huiuſmodi Eccleſiæ, aut Prioratus ſint exempti, adeóque quòd novum jus per hanc Clement. inducatur, cùm olim fuerit ſecus, cit. c. Cùm ſingula. §. Prohibemus.

VIII. Notandum 7. Sicut Prælati Regulares nequeunt ad beneficia conſueta regi per Clericos ſeculares, præſentare Regulares, vel ea illis conferre; vel contrà ad beneficia conſueta regi per Regulares, præſentare ſeculares, aut illis conferre: ita neq; Epiſcopus, ad quem devolvitur poteſtas inſtituendi, vel conferendi, ob negligentiam inferiorum, id poteſt, Gloſſ. hîc V. Religioſis, & V. Monaſteriorum. Ubi Gl. marg. rationem reddit, quia poteſtas Superioris in conferendis beneficijs devolutis, modificatur, & regulatur, ſecundùm poteſtatem ipſius inferioris, ut, quibus ipſe conferre non potuiſſet, nec poſſit Superior, translationes enim de perſona in perſonam fiunt cum ſua cauſa, & ſuis qualitatibus, modis, & conditionibus. Nam, cùm Superior jure devolutionis ſuccedat in poteſtate conferendi beneficia Ordinario Collatori, non poteſt liberè conferre, quibus vult, ſed debet uti eodem jure, quo ille, in cuius jus ſuccedit, adeóque conferre beneficia talibus perſonis, quibus ipſe conferre tenebatur, Abb. hîc n. 12.

Notandum 8. Prælati Regulares, etiam exempti à juriſdictione Epiſcopi, non poſſunt beneficia ad ſuam collationem ſpectantia unire propriæ ſuæ menſæ, quia nemo debet in proprio facto, ſeu cauſa auctoritatem præſtare, c. fin. de inſtitut. & nullus Prælatus Epiſcopo inferior, etſi exemptus, poteſt Eccleſias, vel beneficia unire. c. Sicut; 8. de exceſſib. Prælat. Gloſſ. magna hîc in notatis. Neque etiam Prælatus habens poteſtatem conferendi Eccleſias, vel beneficia, etſi exemptus, poteſt propriâ auctoritate ijs novas penſiones imponere, vel veteres augere, quamvis ex juſta cauſa per Epiſcopum poſſint imponi, vel augeri. Gl. hîc V. imponant. & Abb. n. 13.

Notandum 9. Epiſcopi Diœceſani non habent poteſtatem conferendi Eccleſias, Prioratus, & beneficia, quæ legitimâ auctoritate unita ſunt, ſeu incorporata menſæ Prælatorum, ſive exemptorum, ſive non, quia illa non cenſentur vacare, ideóque non habet in illis locum devolutio ad Epiſcopum, propter negligentiam Prælatorum in conferendis Eccleſiis, vel beneficiis vacantibus. Gloſſ. hîc V. De menſa.

Notandum 10. Si Prælatus Regularis non conferat intra tempus ſemeſtre, Prioratus, vel beneficia manualia vacantia, quorum Priores, ſeu Adminiſtratores ad nutum Prælati ſunt revocabiles, & amovibiles; tum poteſtas conferendi devolvitur etiam ad Epiſcopum, ut habetur in cit. Clement. §. Præmiſſa, & tradit Gl. ibid. V. Revocari, & Abb. num. 16. Quare talis Prior, ſeu Adminiſtrator temporalis, cui Epiſcopus, ob negligentiam Prælati, contulit huiuſmodi Prioratum, nihilominus revocari

cari poteſt ad clauſtrum, ſicut potuiſſet, ſi Abbas ipſe illum ei contuliſſet, quia Epiſcopus, vel etiam Papa, cooferendo jure devolutionis, ob negligentiam Ordinarij Collatoris, beneficium regulare manuale, ſeu ad nutum revocabile, non cenſetur mutare naturam illius, quò minùs adhuc Adminiſtrator illius liberè revocari poſſit à Prælato, ac ſi ipſemet contuliſſet. Barboſ. hîc in fine, & alij ab ipſo citt. Ex quo colligitur, quòd beneficia manualia, quæ ad menſam Prælati non pertinent, & temporales Prioratus vacant per mortem, vel per revocationem, ſeu amotionem eorum, qui illis præſident. Gl. hîc V. revocari, & Abb. in fine.

IX. Aſſertio 2. Si Prælatus Regularis, vel Monaſterium, ad quod ſpectat jus patronatûs in aliqua Eccleſia, vel beneficio, illâ, vel eo vacante, intra tempus legitimum, idoneam perſonam præſentare neglexerit; tum pro ea vice jus præſentandi amittit, & jus providendi ad Superiorem, videlicet Epiſcopum devolvitur, ita, ut ipſe jure devoluto Rectorem in illa Eccleſia, vel beneficio vacante inſtituere poſſit, ſed pro ea vice tantùm, prout ſtatutum eſt in cap. Sicut; 2. h. t. ubi habetur, quòd quidam Monachi, & Canonici Regulares alicuius Diœceſis, qui Eccleſias habent, ad eorum præſentationem pertinentes, reditus earum ad proprios uſus Monaſteriorum ſuorum applicarent: neque vellent ad eas, ſi illas vacare contingat, præſentare perſonas Epiſcopo ab eodem inſtituendas, ſed illi, occaſione conceſſionis ab anteceſſoribus Epiſcopis ipſis factæ, Vicarios in eis pro ſuo arbitrio inſtituunt, & deſtituunt (quod Epiſcopi ſinè conſenſu Capituli concedere non poterant. Gl. hîc v. conceſſionis & Hoſtienſ. V. eodem, vel, niſi Eccleſiæ illæ pleno jure, id eſt, quoad temporalia, & ſpiritualia, ad Monachos illos, vel Canonicos Regulares pertinerent, tunc enim poſſent eos inſtituere, & deſtituere. Gl. hîc v. deſtituunt, & Hoſtienſ. V. eod.) eóſq; penſionibus (novis ſcilicet) ita gravant, ut nec Eccleſiis poſſint ob paupertatem, quâ premuntur, decenter deſervire: nec Epiſcopalia jura ſolvere, neque erga peregrinos debitam hoſpitalitatē exercere. Quare, ne antiquus, & debitus Eccleſiarum ſtatus per aliquorum inſolentiam ſubvertatur, mandat Papa Clemens III. Epiſcopo Diœceſano, ut tales exceſſus (ſi dictæ Eccleſiæ ab eius juriſdictione non ſint exemptæ) emēdare ſtudeat. Et niſi Monachi illi, & Canonici Regulares, intra tempus à Concilio Lateranēſi ſub Alexandro III. ſtatutū (videlicet intra ſex menſes à tēpore vacationis cognitæ numerandos. c. 2. de conceſſ. præb.) perſonas idoneas ad vacantes Eccleſias præſentaverint) ex tunc liceat Epiſcopo in eiſdem Eccleſiis Rectores ordinare, ſeu inſtituere, qui eis præeſſe, & prodeſſe poſſint, appellatione remotâ (quia à correctione non appellatur. Hoſtienſ. hîc V. eod. ita tamen, ut per hoc nullum præjudicium inpoſterum ipſis Patronis generetur: quia nimirum pro ea vice tantùm privantur jure præſentandi, quod deinceps ipſis ſalvum manet, neque opus eſt admonitione Patronorum ad præſentandum, quia ipſum tempus eos admonet. Gl. fin. hîc.

X. Notandum 1. Licèt Monaſteria ſint exempta à lege diœceſana, non tamen Capellæ eorum, ſeu Parochiæ, in quibus jus præſentandi habent, ſed illæ ſuſtinere debent onera, & ſolvere jura Epiſcopalia. Hoſtienſ. hîc V. in Epiſcopalibus, de quo alibi.

Notandum 2. Epiſcopus diœceſanus non habet juriſdictionem in Eccleſiis exemptis, nec poteſt punire exemptos, propter exceſſus ſuos, ut conſtat ex hoc cap. Hodie tamen Diœceſani negligentiam ſupplere poſſunt in Eccleſiis exemptis, Auctoritate Papæ, juxta Clement. unic. h. t. Abb. hîc n. 2. & 3. ubi ait, in hoc correctam eſſe hodiè hanc Decretalem, de quo ſuprà.

Notandum 3. Propter negligentiam Patroni Eccleſiaſtici in præſentando, devolvitur poteſtas providendi ad Superiorem, ſi intra ſex menſes non præſentet, intra quos præſentare debet, alioquin privatur jure præſentandi: patronus verò laicus, ſi intra quatuor menſes non præſentet. c. 1. §. Verùm de jure patron. in 6. Abb. hîc num. 2. de quo ſuo loco.

Notandum 4. Elapſo termino ad præſentandum præſcripto, poteſt Superior, ad quem devolvitur poteſtas conferendi, gratiam facere patrono, eúmque ad iterum præſentandum admittere, ut colligitur ex hoc cap. Verbo liceat: adeóque voluntati Epiſcopi relinquitur, an hoc caſu velit Rectorem inſtituere, vel admittere denuò præſentandum à patrono. Barboſ. in Collectan. hîc n. 3.

§. III.

Quomodo, & per quos in aliis, præter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus Prælatorum ſuppleatur, etiam Eccleſiâ vacante?

XI. Aſſertio 1. Probabilius eſt, quòd poteſtas, & juriſdictio Epiſcopi, propter eius negligentiam, non devolvatur ad Archiepiſcopum, præterquam in caſibus jure expreſſis, ut docet Abb. in c. Paſtoralis; 11. n. 10. de offic. Ordin. Piaſecius in praxi Epiſcop. p. 2. c. 5. art. 2. n. 32. Laym. in c. 1. n. 2. h. t. in 6. Barboſ. in Collectan. ibid. n. 9. & alij apud ipſum. Quamvis multi DD. apud Quarantam in ſumma Bullarij V. Archiepiſcopi auctoritas; n. 21. contrarium teneant, nempe quòd, ſi Epiſcopus ſit negligens in officio ſuo, & admonitus non ſe emendet; Archiepiſcopus, eo invito, poſſit ſupplere defectum, & negligentiam illius, & exercere juriſdictionem in diœceſi ipſius, v. g. excommunicando, abſolvendo, ordinando, cauſas cognoſcendo, & condemnādo &c. Sed probatur noſtra aſſertio, quia in materia prohibitoria, quod non eſt permiſſum, ſeu conceſſum, cenſetur eſſe prohibitum, c. Inter; 2. de translat. Epiſcop. ſed Jure Canonico Archiepiſcopo prohibitum eſt exercere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum. c. Nullus; 7. & c. ſeq. cauſ. 9. q. 3. c. *Paſtoralis*; 11. de offic. Ordin. præterquam in caſibus jure expreſſis: nullibi autem reperitur expreſſum, quòd Archiepiſcopus, ſi Suffraganeus ipſius ſit negligens in ſuo officio, poſſit ſupplere ipſius vices, & exercere juriſdictionem in ſubditos eiuſdem, ergo id nullo modo eſt aſſerendum. Nec

obſtat, quòd in c. Cùm ſimus; 3. cauſ. 9. q. 3. ſtatuitur, ut Metropolitani, ſi Epiſcopi, qui ſub eis ſunt, non conſtituerint Oeconomos, quibus res Eccleſiarum gubernandæ committuntur, ipſi eos conſtituant, quo textu plurimùm nituntur contrariæ ſententiæ Auctores; quia ille eſt unus ex ſpecialibus caſibus in jure expreſſis, ut juriſdictio Epiſcopi, ob eius negligentiam, devolvatur ad Archiepiſcopum. Barboſ. in c. 1. h. t. in 6. n. 10.

XII. Sed neque poteſtas juriſdictionis, propter culpam, aut negligentiam Epiſcopi in ſuo officio, ad Capitulum Cathedrale devolvitur, exceptis caſibus jure expreſſis, circa collationes beneficiorum, de quibus ſuprà: quia nullibi talis poteſtas Capitulo conceſſa in jure reperitur, ſed, ſi Epiſcopus in officio ſuo culpabilis ſit, aut negligens, Capitulum recurrere debet ad Superiorem Epiſcopi, videlicet ad Metropolitanum, vel Papam, eiúſque juriſdictionem implorare, per quam Epiſcopus ad officium præſtandum compellatur. Laym. de Elect. Prælat. q. 104.

XIII. Aſſertio 2. Si Epiſcopus, licèt ob culpam ſuam, ab Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano ſuo fuerit excommunicatus, ita, ut officium ſuum paſtorale exercere non poſſit, non tamen ideo juriſdictio in ſubditos illius Diœceſanos devolvitur ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam; quamvis aliam pœnam Archiepiſcopus infligere poterit ſuo Suffraganeo, ſi culpa ipſius mereatur, prout conſtat ex cap. 1. h. t. in 6. Nam cùm Archiepiſcopus Rhemenſis provinciam ſuam viſitaret, Suffraganeos quoſdam Epiſcopos ob culpas ſuas excommunicavit. Et quia excommunicati non poterant juriſdictionem exercere, Edictum per Provinciam publicari curavit, ut, dum Epiſcopi in excommunicatione eſſent poſiti, ſubditi eorum pro cauſis (ſubditorum ſcilicet, quas inter ſe habent, nam quoad cauſas, quas ſubditi haberent contra ipſos Suffraganeos, licitum fuiſſet edictum. Gloſſ. hîc V. cauſis) audiendis, & terminandis ad Curiam Rhemenſem accederent: de quo Suffraganei conqueſti ſunt Romano Pontifici Innocentio IV. qui Edictum illud revocavit; quia tametſi iidem Epiſcopi, ob ſuas culpas, vinculo excommunicationis obſtricti eſſent, non tamen juriſdictio in ſubditos eorum ad Archiepiſcopum Rhemenſem devolveretur, cùm id non reperiatur à Jure (Canonico) conceſſum; quamvìs alia fortè (quæ particula hîc non dubitativè, ſed aſſertivè ponitur: Barb. in Collect. hîc n. 1.) pœna Canonica ipſis Epiſcopis ab Archiepiſcopo poſſet infligi.

XIV. Ratio patet ex textu, quia ſecundùm Canones, Archiepiſcopus non poteſt exercere juriſdictionem in ſubditos Coëpiſcoporum Provincialium, niſi id ſpecialiter à jure reperiatur ipſi eſſe conceſſum: at nuſpiam reperitur jure expreſſum, vel conceſſum, quòd Epiſcopo excommunicato ob culpam ſuam juriſdictio in illius ſubditos, ſeu poteſtas audiendi, & definiendi omnes eorum cauſas, in prima inſtantia, devolvatur ad Archiepiſcopum, ac proinde hoc ipſo debet cenſeri, id eſſe prohibitum: meritò autem non conceditur tali caſu Archiepiſcopo juriſdictio, ſeu poteſtas cognoſcendi cauſas ſubditorum, ne detur ipſi occaſio excommunicandi Coëpiſcopos Suffraganeos, & ſic arrogandi ſibi juriſdictionem in ſubditos illorum, cum magno ſæpe incommodo ſubditorum, & injuria ipſorum Suffraganeorum, ut ex Geminian. notat Vivian. in ration. Jur. Pontif. in c. 1. h. t. in 6. Quare hoc caſu, ſi Epiſcopus excommunicatus, & vitandus non poſſit juriſdictionem exercere in ſubditos ſuos, ad Papam recurrendum erit, velut ad omnium Ordinarium, & qui omnibus præeſt. cap. Cuncta; 17. & 1. ſeq. & c. ult. cit. c. 9. quæſt. 3. à quo petendum erit, ut vel Epiſcopum ab excommunicatione abſolvat, vel alia ratione Eccleſiæ provideat, Joan. Monach. in cit. c. 1. n. 11. Anchar. ibid. not. 2.

Porrò pœna, quæ ab Archiepiſcopo infligi poteſt Suffraganeis, ob culpas eorum, ut dicitur in fine huius cap. 1. eſt arbitraria, ſecundùm qualitatem delicti. Gloſſ. fin. hîc & Franc. num. 4. quæ Canonica dicitur, non quòd in Canone aliquo ſit expreſſa, ſed quia à Judice infligitur, ſecundùm mentem, & interpretationem Canonum, Ancharan. in cit. cap. 1. h. t. in 6. & ibid. Barboſ. num. 6.

XV. Aſſertio 3. Si Epiſcopus omnino, & abſolutè impeditus, aut inutilis ſit ad adminiſtrationem, ſive ob captivitatem ab hoſtibus fidei, ſive ob amentiam, ſive ob aliud impedimentum perpetuum, aut diu durabile, non ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, cùm hoc non reperiatur in jure expreſſum, ſed ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis interim devolvitur, & pertinet jus adminiſtrationis, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, prout habetur in c. Si Epiſcopus; 3. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Si Epiſcopus à paganis (vel hæreticis. Gl. hîc V. à paganis) aut ſchiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrare debebit, perindè, ac ſi Sedes Epiſcopalis per illius mortem (renunciationem, translationem, depoſitionem, vel alio modò. Gl. hîc V. mortem) vacaret, donec, vel Epiſcopus libertati reſtitutus fuerit: vel à Sede Apoſtolica (cuius intereſt neceſſitatibus Eccleſiarum providere) quæ in tali caſu à Capitulo, quamprimum commodè fieri poteſt, conſuli debet, aliud fuerit ordinatum. Rationem huius deciſionis dat gl. hîc V. libertati, Joan. Monach. & Ancharan. not. 2. & alij communiter, quòd Epiſcopus per captivitatem ſervus factus ſit, & pro civiliter mortuo habeatur, adeóque jura Epiſcopalia amiſit, quamvìs illa, ſi liberatus fuerit ab hoſtibus, jure poſtliminij recuperet. arg. l. Poſtliminij; 5. ff. de captiv. Verùm Chriſtiani, & multò magis Epiſcopi capti ab infidelibus, vel hæreticis in odium fidei Catholicæ, totum ſervi non efficiuntur, & conſequenter nec jura civilia, aut Eccleſiaſtica amittunt, ut colligitur ex l. pen. §. de his ita C. de Epiſc. & Cleric. & tradit etiam Franc. in cit. c. 3. n. 1. h. t. in 6. Quin imò, ut tradit Laym. in tit. c. 3. h. t. in 6. Epiſcopus captus ab infidelibus, vel hæreticis poteſt ex captivitate per literas præcipere ſuis ſubditis, & Eccleſiam ſuam, quatenus poteſt, adminiſtrare.

Itaque

Itaque vera ratio eſt, quia quamvis Archiepiſcopus exercere poſſit juriſdictionem in Epiſcopum Suffraganeum ſuum, & ſibi ſubjectum: non tamen in Eccleſiam, vel Diœceſin ejus, niſi in caſibus ei ſpecialiter conceſſis, ut ſuprà dictum. At verò Capitulum, in defectum Epiſcopi, ab hoſtibus capti; vel diuturno morbo, aut alio ſimili impedimento detenti, juriſdictionem exercet in ejus Eccleſiam, & Diœceſin, quia tunc perinde cenſeri debet, ac ſi Sedes vacaret, ergo ſicut vacante Sede Epiſcopali, Capitulum adminiſtrare poteſt, donec novus Epiſcopus conſtituatur, c. His quæ 11. & c. Cùm olim 14. de majorit. & obed. ita etiam, ſi Epiſcopus nullus adſit, vel ſit omnino, & abſolutè impeditus, aut inhabilis ad adminiſtrationem, Capitulum adminiſtrare debet, donec S. Pontifex, aliter provideat, cit. c. Si Epiſcopus; quia tunc Eccleſia quaſi vacat, & naturæ conſentaneum eſt, ut defectum Capitis reliquum corpus ſuppleat, donec majore remedio provideatur. Layman. in cit. cap. 3. & in c. 1. eodem in fine.

XVI. Cæterùm quod dictum eſt, Epiſcopo capto ab hoſtibus fidei, ſuccedere in adminiſtratione non Archiepiſcopum, ſed Capitulum: idem quoque dicendum eſt, ſi Epiſcopus in remota loca diſceſſit, diu abfuturus, & nullum Vicarium, ſeu Adminiſtratorem conſtituit: tunc enim Capitulum quoque interim adminiſtrabit, & exequetur, ſaltem ea, quæ neceſſaria ſunt, & dilationem non patiuntur, donec Papa conſultus reſpondeat, & provideat, juxta cit. c. 3. h. t. in 6. Quarant. c. l. num. 22. Piaſec. cit. c. 5. art. 2. n. 31. Denique generaliter loquendo, in omni caſu, quo Epiſcopus ſuum officium exercere non poteſt, nec alteri committere, ut, ſi fiat mutus, vel furioſus, Capitulum ſupplet vices illius in adminiſtratione, donec aliud à Papa ordinatum fuerit. Sylveſt. in ſumm. V. Archiepiſcopus. n. 3.

XVII. Aſſertio 4. Interdum negligentia, vel defectus Prælati ſuppletur per dationem Curatoris, ſeu Coadjutoris. Veluti inprimis, ſi Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus non omnino impeditus ſit, vel inhabilis ad adminiſtrationem, ſed ſolùm ex parte, v. g. ob ſenium, vel infirmitatem, minùs idoneus ſit ad officium ſuum præſtandum, tum datur ei à Superiore Coadjutor, ſeu Curator, c. pen. & ult. de Cleric. ægrot. & c. unic. eodem in 6. cujus tamen officium exſpirat, mortuo Epiſcopo. Gloſſ. in c. 2. in not. h. t. in 6. Niſi ex ſpeciali gratia alicui detur à Papa Coadjutor, cum ſuccedendi facultate; quam interdum dare ſolet, de quo infrà ſuo loco tit. 6. Lib. 3.

XVIII. Præterea, ſi Epiſcopus negligens, & remiſſus ſit in adminiſtratione Epiſcopatûs, poteſt ei Papa dare Coadjutorem, ſeu Curatorem, cum plena, & libera poteſtate adminiſtrandi, prout colligitur ex c. Grandi 2. h. t. in 6. Nam & generalis doctrina eſt tradita à Gloſſ. magn. not. 1. ibidem, quòd ſi ille, qui præeſt alicui communitati, in officio ſuo negligens ſit, & remiſſus, debet Superior illi dare idoneum Coadjutorem, ſeu Curatorem, quæ eſt deſumpta ex cit. c. 2. h. t. in 6. Nam cùm Rex Portugalliæ negligens eſſet in adminiſtratione Regni, & jura, ac bona ejus diſſiparet, ac perderet, imò & Eccleſias, Monaſteria, atque Eccleſiaſticas perſonas, pauperes quoque, viduas, & orphanos gravari ſineret: Papa Innocentius IV. neceſſitatibus iſtis ſuccurrere volens, Coadjutorem Regi dedit, & deſignavit Comitem Bononienſem fratrem ipſius Regis; cum cura, & adminiſtratione generali, & liberâ Regni ejuſdem; ideòque ſcribens ad Comites, & Barones Regni Portugalliæ, eiſdem mandat, ut non obſtantibus juramento fidelitatis, ſeu homagio, aut pacto, quo ipſi Regi, vel alteri perſonæ ſunt obſtricti, vel prohibitione ejuſdem Regis, dictum Comitem recipiant, & ejus mandatis obediant, ipſique contra quoslibet repugnantes conſilium, & auxilium impendant. Alioquin ſi Comites, & Barones Regni Apoſtolico Mandato non paruerint, mandat Archiepiſcopo Bracarenſi, & Epiſcopo Colimbrienſi, ut illos, monitione præmiſsâ, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, compellant. Per hoc tamen non intendit Papa Regi, vel ipſius legitimo filio (ſi quem habuerit) Regnum adimere, ſed potiùs ipſi, ac regno ejus deſtructioni expoſito, per ſollicitudinem, & curam dicti Comitis, ad vitam Regis, conſulere, ut ab interitu defendatur, & conſervetur.

XIX. Hinc colligitur 1. Si Rex, vel alius Princeps Chriſtianus negligens, & remiſſus ſit in Adminiſtratione Regni, vel Provinciæ, illúdque malè regat, diſſipando bona, & jura ejuſdem, aut gravando ſubditos, præſertim pauperes, & Eccleſias, ac Clericos, tum debet ei à Superiore ſuo, ſi quem habet, aſſignari Coadjutor, ſeu Curator; vel hoc deficiente, aut negligente, à Papa, ad quem ſpectat ſpecialem curam gerere Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, item pauperum, pupillorum, & viduarum, aliarúmque miſerabilium perſonarum, ut eas defendat ab injuriis, & oppreſſionibus, c. 1. & 2. diſ. 87. & c. Ex parte; 15. de foro competent. & notat hîc Jo. Monach. num. 5. & Laym. n. 1. & alij Canoniſtæ communiter, quia poteſtas ſecularis eſt ſubjecta, & ſubordinata ſpirituali, ſive Eccleſiaſticæ, ut ab ea judicari poſſit, etiam in temporalibus, in ordine ad finem æternæ beatitudinis, quatenus ad eum obtinendum ſerviunt, vel ab eo abducunt; juxta Extravag. Unam ſanctam; 1. inter communes de majorit. & obed.

Colligitur 2. Coadjutor, ſeu Curator datus Regi; vel alij Principi, vel etiam Epiſcopo, habet plenam, & liberam adminiſtrationem, c. Ex parte; 5. de Cleric. ægrot. non tamen poteſt facere donationes merè liberales, niſi modicas, vel ob juſtam cauſam, v. g. remunerationis, vel pietatis. Gloſſ. hîc V. liberam, quamvis Coadjutor Regni etiam merè liberaliter, & gratuitò donare poſſit, quia Regibus proprium eſt donare, ſecundum Gloſſ. V. liberam in addit.

Colligitur 3. Quòd officium, & poteſtas Coadjutoris, ſive Regi, ſive Epiſcopo datus ſit, exſpiret morte ejus, cui datus eſt, prout ſumitur ex hoc c. & tradit ibid. Gloſſ. fin.

XX. Aſſertio 5. Eccleſiæ Cathedrali vacanti à b alio, quàm à Romano Pontifice, Viſitator, ſeu Adminiſtrator deputari non poteſt: niſi Capitulum in ſpiritualibus, & temporalibus, negligenter, aut perperam, ſeu per malitiam adminiſtret: tunc enim Archiepiſcopus, ob negligentiam, aut mali-

tiam Capituli, Adminiſtratorem quidem Eccleſiæ conſtituere poterit, ſed non niſi Capitulo priùs vocato, & præmiſsâ cauſæ cognitione: ita habetur in c. Eccleſiæ ult. h. t. in 6. in princ. Idémque eſt dicendum, ſi Eccleſia Cathedralis quaſi vacet, ob captivitatem Epiſcopi, vel aliud diuturnum, aut perpetuum ejus impedimentum. Gloſſ. hîc V. Vacanti, & patet ex cit. c. 3. eodem in 6. Ratio eſt, quia ad Capitulum Cathedrale, Sede vacante, pertinet jus adminiſtrationis in ſpiritualibus, & temporalibus, & ipſum poteſt Adminiſtratorem circa ſpiritualia, & temporalia conſtituere. Gloſſ. in c. unic. V. Ad quem; & V. juriſdictio de majorit. & obed. in 6. quod jus non poteſt Archiepiſcopus illi, ſinè cauſa neceſſaria auferre. At verò S. Pontifex, ex plenitudine ſuæ poteſtatis, liberè poteſt Adminiſtratorem conſtituere. Gloſſ. in cit. c. ult. V. non poteſt: etſi non ſoleat dare, niſi Capitulum deliquerit. Quòd ſi neceſſitas exigat, quia Capitulum eſt negligens in adminiſtrando, vel malitiosè adminiſtrat; Canones etiam Archiepiſcopo dant hanc poteſtatem deputandi Adminiſtratorem Eccleſiæ vacanti, ſed non niſi vocatis priùs Capitularibus, quippe quorum intereſt, præviâ judiciali cognitione, ita, ut ſi ea non fiat, Adminiſtratoris datio non valeat. Gloſſ. hîc V. Vocato; & V. cognitione præmiſsâ, quia, ut ait Gloſſ. ibidem, ſufficit, legislatorem aliquid prohibuiſſe, etſi non addat, non valere, quod contra prohibitionem factum fuerit, l. Non dubium 5. C. de legib.

XXI. Ubi tamen præterea notandum, ad hoc, ut Archiepiſcopus poſſit dare Adminiſtratorem Eccleſiæ Epiſcopali vacanti, copulativè requiri, ut Capitulum non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus negligenter, vel malè adminiſtret, nec ſufficit alterum tantùm, ut poſt Jo. Andr. docet hîc Ancharan. not. 3. & Francus num. 2. not. 1. Quia Archiepiſcopus non poteſt ſe ingerere tractandis cauſis ad Eccleſiam Epiſcopalem vacantem pertinentibus, niſi in caſibus jure expreſſis, jus autem ſolùm concedit Archiepiſcopo facultatem dandi Adminiſtratorem, ſi Capitulum negligenter, vel malitiosè adminiſtret in ſpiritualibus, & temporalibus: quamvìs ex æquitate ſufficiat alterutrum, nempe ut in ſpiritualibus tantùm, vel in temporalibus tantùm malè adminiſtret. Franc. c. l.

Deinde notandum, quòd Eccleſijs inferioribus, ſive non Epiſcopalibus poteſt dari Adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus, etiam ab alio, quàm à Papa, ut colligitur ex cit. c. ult. à ſenſu contrario. Franc. ibid. not. 2. Quòd ſi Eccleſia fuerit Collegiata, & eâ vacante, adminiſtratio in ſpiritualibus, & temporalibus, fortè ex privilegio, aut conſuetudine, competat Capitulo, tum Epiſcopus, ſi Capitulum malè adminiſtret, eo vocato, & præviâ cognitione, Adminiſtratorem dare poterit. Lapus in cit. c. ult.

XXII. Portò licèt Adminiſtrator ab alio, quàm à Papa (nimirum ab Archiepiſcopo, vel Capitulo committente ei vices ſuas) Seda vacante, conſtitutus legitimam alioquin, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, adminiſtrationem habeat; non tamen poteſt ea beneficia conferre, quæ ad liberam Epiſcopi (ſolius) collationem pertinent, prout habetur in cit. c. ult. §. Hujuſmodi h. t. in 6. Ratio eſt, tum quia collatio beneficij eſt quædam donatio, c. Licèt; 3. h. t. Adminiſtrator autem, etiam cum libera poteſtate, conſtitutus, abſolutè, & merè liberaliter donare non poteſt, l. Filiusfam. 7. in princ. ff. de donat. Tum quia collatio beneficiorum computatur veluti inter fructus Epiſcopatûs, fructus autem, & reditus Epiſcopales Adminiſtrator ſucceſſori reſervare debet, c. ult. diſ. 61. Quòd ſi verò collatio beneficiorum non ſolùm ad Epiſcopum, ſed communiter, ac ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum pertineat, tum vacante Sede, Adminiſtrator etiam ab alio, quàm à Papa deputatus, unâ cum Capitulo, ea beneficia conferre poteſt, quia in illis gerit vicem Epiſcopi. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Epiſcopi; Franc. ibid. not. ult. Adminiſtrator autem à Papa datus beneficia etiam ad collationem Epiſcopi tantùm ſpectantia conferre poteſt, quia poteſt omnia, quæ Epiſcopus electus, & confirmatus. Gloſſ. fin. in cit. c. ult. Debet enim propter ampliorem dantis prærogativam, ampliore fungi poteſtate, quàm Adminiſtrator ab alio inferiore deputatus. Gloſſ. ibid. V. non poteſt in fine, & Franc. not. ult.

XXIII. Sed, & Legatus à latere Adminiſtratorem dare poteſt vacanti Eccleſiæ Cathedrali, ſicut Archiepiſcopus, quia poteſt in ſua Provincia, quod Archiepiſcopus, imò majus in ea Imperium habet. Gloſſ. in cit. c. ult. V. ab alio in addit. Franc. ibid. n. 3. non tamen per dationem talis Adminiſtratoris tollitur vacatio Eccleſiæ, nec impeditur electio, quò minùs ad eam procedi poſſit, quia non conceditur Adminiſtratori titulus in Eccleſia, cui datur, alioquin Legatus de latere talem Adminiſtratorem dare non poſſet. Lapus in c. 2. n. 4. h. t. in 6. Franc. in cit. c. ult. n. 3. eod.

XXIV. Sed hinc jam oritur quæſtio, an etiam Capitulum Cathedrale, Epiſcopali Sede vacante, poſſit conſtituere Adminiſtratorem, ſeu Vicarium Generalem Epiſcopatûs in ſpiritualibus, & temporalibus. Negant plures apud Barboſ. in Collect. in cit. c. ult. h. t. in 6. n. 2. idque colligi videtur ex eodem c. ubi dicitur: Eccleſiæ Cathedrali vacanti Viſitator, id eſt, Adminiſtrator. Gloſſ. ibid. V. Viſitator; ab alio, quàm à Romano Pontifice, deputari non poteſt. Verùm contrarium tenet Gloſſ. ibid. V. Ab alio; Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. n. 62. & alij apud Barb. c. l. n. 4. quos ipſe etiam ſequitur. Nam cùm Capitulum, vacante Sede, ſuccedat in ordinariam juriſdictionem Epiſcopi, eandem etiam alteri delegare, ſeu committere poterit, niſi expreſsè reperiatur jure prohibitum; quamvìs talis Adminiſtrator non poſſit conferre beneficia ſpectantia ad ſolam collationem Epiſcopi. Gloſſ. ibidem. V. ſolius, & Joan. Monach. & Franc. n. 2. in Gloſſ. V. ſolius. nam ſive Adminiſtrator generalis deputetur à Capitulo, ſive ab Archiepiſcopo jure devoluto, propter negligentiam, vel malitiam ejuſdem Capituli, non poteſt habere majorem poteſtatem, quàm is, à quo deputatus eſt, l. Nemo 54. ff. de R. I. Sed neque ipſum Capitulum, neque Archiepiſcopus utens ſolâ poteſtate devolutionis, poteſt, Sede vacante, conferre hujuſmodi beneficia, ergo nec Adminiſtrator ab ijs conſtitutus. Barboſ. in cit. c. ult. num. 7. Neque obſtat idem c. quia non negat Capitulo facul-

tatem conſtituendi Adminiſtratorem Generalem, Sede vacante, antequam is à S. Pontifice conſtituatur, ſed ſolùm decernit, ne Archiepiſcopus, vel alius Supetior, excepto Rom. Pontifice, ſinè cauſæ cognitione, ſcilicet negligentis, vel malitioſæ adminiſtrationis, Adminiſtratorem conſtituat, niſi Papa ex plènitudine poteſtatis, ratione curæ omnium Eccleſiarum ſibi competentis, aliud diſponat. Barboſ. c. l. num. 4. In c. Verò is cui 42. de elect. in 6. non negatur Capitulum, Sede vacante, poſſe Adminiſtratorem generalem deputare, ſed ſolùm ibi dicitur, non poſſe ab alio Superiore, quàm à Papa deputari Adminiſtratorem Eccleſiæ Cathedralis, adeóque id ſoli Papæ competere, excepto tamen caſu expreſſo in c. ult. h. t. in 6. in quo etiam Archiepiſcopus id poteſt, ut notat Gloſſ. ibidem. V. Soli. Vel etiam dici poteſt, quòd à Capitulo non poſſit dari Adminiſtrator, cùm tam plena, & libera poteſtate, ſicut à Papa, ut dictum ſuprà tit. 6. n. 156.

XXV. Aſſertio 6. Tametſi ordinariè & regulariter Superiores ſuppleant negligentiam, & defectum inferiorum, ut ex dictis paret: aliquando tamen propter negligentiam, vel contumaciam Prælati Superioris, devolvitur ejus poteſtas ad Prælatum » inferiorem, ut conſtat ex c. 1. h. t. Ubi Alexan- » der III. ſcribens ad Ordinem Ciſtercienſium, ſta- » tuit: ut, ſi Epiſcopus Diœceſanus tertiò, cum hu- » militate, ac devotione, ſicut convenit, requiſi- » tus, ipſorum Abbates benedicere recuſet, nihilo- » minus & Monachos ſuos benedicere, & alia, quæ » ad officium ſuum ſpectant, exercere poſſint, in- » terim, donec Epiſcopus, depoſitâ duritiâ ſuâ, be- » nedictionem petitam Abbatibus conferre non » recuſet.

XXVI. Notandum 1. Etſi hæc reſponſio Papæ Alexandri III. data ſit Ordini Ciſtercienſium, cùm nondum tunc temporis Abbates ipſorum, & Monaſteria eſſent exempta ab Epiſcopis: nihilominus tamen generale eſt reſcriptum, & generale jus continet, ſeu privilegium conceſſum omnibus Abbatibus, qui ab Epiſcopis benedici ſolent, quia Pontifex in hoc c. non ſignificat, ſe ſpeciale privilegium Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis date, ſed generaliter ſtatuit, quid ab omnibus Abbatibus fieri poſſit, ac debeat, ſecundùm rei æquitatem, & neceſſitatem, ne ſcilicet Abbates officium ſuum diu exercere intermittant, & Monaſteria, propter negligentiam Epiſcoporum, detrimentum in ſpiritualibus, & alijs patiantur. Gloſſ. in c. Cùm contingat 11. V. Abbati de ætat. & qualit. &c. Azor p. 1. Inſtitut. l. 12. c. 20. q. 6. Laym. in c. 1. q. 1. h. t.

Notandum 2. Ut Abbates poſſint, ante acceptam benedictionem, Monachos ſuos benedicere, & alia exercere, quæ ad officium ſuum pertinent, requiritur, ut Epiſcopus ex duritia, ſeu contumacia quadam, benedictionem illis deneget, adeóque ut ter rogatus, nullâ allegatâ causâ rationabili, illam deneget; nam, ut quis cenſeatur contumax, ſeu obſtinatus, ordinariè præcedere debet trina monitio, ſeu petitio, vel una peremptoria pro tribus, l. Contumacia 53. ff. de re judic. ceſſante autem contumaciâ, ceſſat quoque diſpoſitum propter contumaciam, quæ ceſſat, ſi Epiſcopus cauſam rationabilem prætendat denegatæ benedictionis. Innocent. hîc n. 1. & Abb. n. 2. Si verò Epiſcopus, nullâ probabili ratione allatâ, ſtatim expreſsè denegat benedictionem ſemel petitam, non erit opus tunc illam iterum petere, ſed ſufficit unica petitio, ad hoc, ut Abbas officium ſuum nihilominus exercere poſſit. Abb. c. l.

Notandum 3. Denegatâ contumaciter benedictione ab Epiſcopo, Abbates poſſunt, non ſolùm benedicere ſuos Monachos, ſed etiam exequi, ea quæ ſunt Ordinis, ſive conferre Ordines minores, & alios actus Pontificales exercere, qui ad officium Abbatis ſpectant, & Abbatibus competunt, ſive jure communi, ſive ex privilegio Apoſtolico, aut conſuetudine legitimè præſcripta, ut infrà dicetur. Gloſſ. fin. hîc & Abb. poſt opposit. 3. Nec obſtat, quòd, qui benedictionem non habet, eam dare alijs non poſſit: nam licèt Abbates non benedicti non habeant benedictionem Abbatialem, habent tamen ſimplicem Monachalem. Vel potiùs dicendum eſt, quòd hanc poteſtatem benedicendi alios, perinde, ac ſi eſſent benedicti, accipiunt à Jure Canonico illam dante in hoc c. in odium Epiſcopi ſinè cauſa denegantis benedictionem, quam ex officio dare deberet; ſed ſimul etiam in favorem Religioſorum, & ſic hoc privilegium eſt partim odioſum, partim favorabile, &, ut ſic extendendum: ſicut etiam non baptizatus ob neceſſitatem poteſt baptizare. Gloſſ. hîc V. Benedicere, & V. Alia, Hoſtienſ. in fine. & Abb. opposit. 2. & poſt opposit. 3.

Notandum 4. Abbates, quibus ab Epiſcopo denegata eſt benedictio, ſinè cauſa, poſſunt nihilominus benedicere alios, & alia ad officium ſuum pertinentia exercere, dummodo ſint confirmati, quia ante confirmationem nihil facere, ſeu diſponere poſſunt, & poteſtatem adminiſtrandi non habent; c. Tranſmiſſam 15. de elect. Gloſſ. hîc V. Subſtitutos: niſi tamen, ſecundùm conſuetudinem loci, benedictio vim confirmationis haberet, & vicem illius obtineret, tunc enim, quia Abbates hujuſmodi ex conceſſione Juris omnia exercere poſſunt, quæ ad officium eorum pertinent, perinde, ac ſi eſſent benedicti, & à jure habentur pro benedictis, conſequenter etiam ea exercere poterunt, etſi non ſint confirmati, Hoſtienſ. hîc V. benedicere. Abb. ibidem. §. Quarto an alium. Azor cit. cap. 20. quæſt. 6. §. Quæres.

TITULUS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

Quia ad Prælatorum, maximè Epiſcoporum, poteſtatem pertinet, Ordines conferre, ideo de his iſto, & pluribus ſeqq. Titulis agitur, qui extat etiam

in

in Sexto. Sumitur autem Ordo dupliciciter. Primò pro quodam gradu, ſeu poteſtate ſpirituali conficiendi Evchariſtiæ Sacramentum, vel miniſtrandi in ordine ad illud, ut docet Navarr. in Manuali Prælat. c. 22. n. 17. ſive pro poteſtate ſpirituali certum miniſterium Eccleſiaſticum, in ordine ad Corpus Chriſti verum, aut myſticum (quod eſt Eccleſia) peragendi: Secundò accipitur pro ipſa Ordinatione, ſive ſacro, ac ſolemni ritu externo, quo hujuſmodi gradus, ſeu poteſtas ſpiritualis alicui confertur, quæ poſterior acceptio magìs propria eſt hujus loci. Porrò nos, omiſſis ijs, quæ ad inſtitutionem, materiam, & formam ſingulorum Ordinum pertinent, ea ſolùm, quæ inſtituti, ſeu fori Canonici magìs propria ſunt, trademus.

SECTIO I.

DE ORDINATIONIBUS, ET qualitate Ordinandorum, poteſtate Ordinandi, & accidentibus Ordinationum.

§. I.

An prima Tonſura, & Epiſcopatus ſint Ordines, & quidem diſtincti à cateris Ordinibus?

I. Quæritur 1. An prima Tonſura Clericalis ſit Ordo? Affirmant communiter Canoniſtæ, prout videre eſt apud Fagnan. in c. Cùm contingat 11. de ætat. & qualitat. à n. 20. & ſeqq. ubi allatis pluribus Canonibus, & rationibus id fuſiſſimè probare intendit. Potiſſimum fundamentum eſt, quia in cit. c. Cùm contingat; dicitur, *quod per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ, datam, Clericalis Ordo confertur:* non poteſt autem, ſinè corruptione litteræ, exponi, quòd quis per tonſuram, per quam confertur Clericalis Ordo, ſolùm præparetur, & diſponatur ad Ordinem.

Verùm oppoſita ſententia, quæ eſt communis Theologorũ, probabilior eſt, nempe quòd prima tonſura non ſit Ordo Eccleſiaſticus propriè dictus, ſed ſolùm diſpoſitio quædã ad Ordines, ſicut Novitiatus ad profeſſionem, per quam aliquis fit capax Ordinũ, juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & privilegiorum, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum, ut docet S. Thom. 3. p. in Supplem. q. 4. a. 2. Idq; clarè probatur ex Conc. Trid. quod nuſquam primam Tonſuram vocat Ordinem, ſed potiùs diſtinguit, & ſejungit ab Ordinibus; nam Seſſ. 23. c. 2. ubi ex inſtituto Ordines Eccleſiaſtici recenſentur, ait, quòd diverſi Miniſtrorum Ordines ita diſtributi ſint, ut, qui jam Clericali Tonſurâ inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent: c. 6. ead. Seſſ. de reform. primam Tonſuram expreſſè ſejungit à minoribus Ordinibus, ut patet ex his verbis: *Nullus primâ Tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, &c.* Ratio eſt, quia per omnem Eccleſiaſticum Ordinem propriè dictum confertur poteſtas aliqua ad peculiarem actionem ſacram, & Eccleſiaſticam, adeóque Miniſtrorum Eccleſiæ propriam obeundam, ut colligitur ex Concil. Trident. cit. Seſſ. 23. c. 17. de reform. ubi præcipitur, ut SS. Ordinum functiones à Diaconatu ad Oſtiariatum ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermiſſæ, in uſum revocentur: At verò per primam Tonſuram nulla confertur poteſtas ad ſpecialem hujuſmodi functionem ſacram, ſed ſolùm per illam adoptatur aliquis, ſeu aſſumitur ad ſtatum Clericalem, & deputatur ad functionem communem omnibus, præſertim Clericis, ſcilicet ad laudes Deo canendas, ſive celebrandas, ut ex S. Thoma tradit Tanner. tom. 4. diſ. 7. q. 2. dub. 2. n. 21. & 22. Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 9. c. 7. n. 3. idque inſinuat Trident. cit. c. 17. ubi præcipit reſtitui functiones Ordinum à Diaconatu, ad Oſtiariatum; ex quo colligitur, Clericos primæ Tonſuræ nullum habere in Eccleſia certum, & peculiare miniſterium ſacrum eis proprium, alioquin illius quoque functiones reſtitui juſſiſſet.

Quare cùm in cit. c. Cùm contingat; prima Tonſura Clericalis Ordo vocatur, nomen Ordinis, non propriè, ſed latè accipitur pro diſpoſitione, ſeu deputatione ad Ordines ſuſcipiendos, & quia per illam Clericus ordinatur, ſeu conſtituitur, neque abſurdum eſt, ut quis per Ordinem Clericalem latè, & impropriè ſumptum diſponatur, ſeu deputetur ad Ordinem propriè, ac ſtrictè acceptum, ſicuti putat Fagnan. c. l. n. 57. quia non eadem, ſed alia, eſt diſpoſitio, & alia forma, ad quam diſponit prima tonſura, quæ non eſt Ordo, propriè, & ſtrictè loquendo. Sed neque ex antiquis Canonibus; quos pro oppoſita ſententia adfert Fagnan. aliquid certi probari poteſt: tum quia in c. 1. diſ. 77. & c. Seriatim 14. diſ. 32. c. à Subdiacono 5. diſ. 93. in quibus diſtinctè enumerantur ſinguli Ordines, & gradus Eccleſiæ, nulla fit mentio primæ tonſuræ, quod non poſſet fieri, ſi eſſet Ordo propriè dictus, ut notat Sylveſt. in ſumma V. Ordo; 1. n. 1. Neque etiam prima Tonſura eſt idem cum Pſalmiſtatu, etſi illam confundant Canoniſtæ cum officio Pſalmiſtæ, quia hoc ſecundùm S. Thom. in 4. diſ. 24. q. 2. a. 1. vel eſt officium annexum Ordini Lectoratûs, & ſequitur primam tonſuram, quæ omnes Ordines præcedit, tanquam diſpoſitio. Sylveſt. c. l. vel eſt idem cum officio Cantoris, c. Pſalmiſta 20. diſ. 23. & non eſt ordo propriè dictus, quia cantare laudes Dei eſt officium commune toti Corpori Eccleſiæ, & non Officium miniſtrorum Eccleſiæ, ut Miniſtri ſunt, Turrecremata in cit. c. Pſalmiſta n. 1. Quamvìs Officium

Pſal-

Pſalmiſtæ quandoque inter Ordines largò modo acceptos computetur; propriè tamen loquendo, non eſt Ordo, ſed officium, prout vocatur in c. 1. §. Ad Pſalmiſtam diſ. 25. & cit. c. Pſalmiſta, diſ. 23. Sixtus V. verò in motu proprio contra malè promotos ad Ordines, primam Tonſuram appellat characterem, id eſt, notam Clericalem; Tann. cit. loc. num. 20. Præterea in Pontificali Romano, ubi diſtinctè agitur de Ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ, prima Tonſura, ejuſque collatio non vocatur Ordo, ſeu Ordinatio, ſicut collatio aliorum Ordinum: nec collationi Tonſuræ præfigitur titulus *de Clerico* ordinando, *ſed faciendo*, ut notavit Tanner. c. l. n. 21.

II. Quæritur 2. An Epiſcopatus ſit Ordo, & quidem diſtinctus à Presbyteratu? Reſp. In hoc quoque diſſenſio eſt, inter Theologos, & Canoniſtas: nam Theologi communiter, conſiderando Ordines, eorúmq; diſtinctionem præcisè deſumendo ex habitudine ad Sacrificium Miſſæ, ſeu in Ordine ad conſecrationem Euchariſtiæ, Epiſcopatum non faciunt Ordinem diſtinctum à Sacerdotio, quia ſimplex Sacerdos, quoad conſecrationem Euchariſtiæ, parem omnino cum Epiſcopo poteſtatem habet, ideòque ſeptem tantùm Ordines numerant, quatuor Minores, videlicet Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, Acolythatum; & tres Majores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, ſeu Sacerdotium, conformiter Concilio Tridentino Seſſ. 23. cap. 2. Canoniſtæ verò, & non pauci, qui eos ſequuntur, Theologi, conſiderando Ordinem, prout per eum confertur, non ſolùm poteſtas ordinata ad Sacrificium Miſſæ, ſed etiam conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & alias quaſdam functiones exercendi, qualem poteſtatem ſimplex Sacerdos in ſua Ordinatione non accipit, Epiſcopatum tanquam diverſum à Sacerdotio, adeòque octavum Ordinem conſtituunt, licèt Presbyteratum neceſſariò ſupponat, & eſſentialiter includat, prout videre eſt apud Fagnan. in cap. 1. de Ordinat. ab eo qui renunciavit Epiſc. n. 33. & ſeqq.

Porrò utrique DD. conciliari poſſe videntur, ſi dicatur, Priores ſolùm velle, Epiſcopatum non eſſe Ordinem completè, ſeu adæquatè diſtinctum ab Ordine Presbyteratûs, quem in ſe intrinſecè, & eſſentialiter includit, ita, ut ſinè illo, nec licitè, nec validè conferri poſſit, neque novum characterem conferat, ſed in Ordinatione Presbyteratûs acceptum augeat, ac perficiat, & cum eodem unum faciat perfectum Sacerdotium, ideòque ſecundùm communem loquendi conſuetudinem, Epiſcopatum non augere numerum Ordinum, ſed ſub Sacerdotio comprehendi; Poſteriores verò Epiſcopatum conſtituere diſtinctum Ordinem à Presbyteratu, quia ſaltem incompletè, & inadæquatè, ſecundùm poteſtatem ordinandi, & confirmandi, quam Ordini Sacerdotij ſuperaddit, ab eodem diſtinguitur: & ſic negari non poteſt, quin ſint diverſi Ordines, Epiſcopatus, & Sacerdotium, quia diverſos continent gradus poteſtatis, à quorum uno ad alterum aſcenditur. Laym. cit. c. 3. n. 6.

III. Verùm ſententia Canoniſtarum, quæ dicit, Epiſcopatum eſſe Ordinem omnino, & adæquatè diſtinctum à ſimplici Sacerdotio, adeòque etiam proprium, & diſtinctum characterem imprimere, SS. Canonibus conformior eſt, & probabilior, quam tenent Navarr. in Man. Prælat. cap. 22. num. 18. Tanner. cit. diſp. 7. quæſt. 2. dub. 2. num. 32. & alij. Sed noviſſimè fusè probat Fagnanus in cap. 1. de Ordin. ab Epiſc. num. 33. & ſeqq. Idque probatur tum ex can. 1. diſ. 21. ubi Epiſcopatus tanquam diſtinctus Ordo à Sacerdotio numeratur, & ex alijs canonibus allatis à Fagnan. cit. loc. Tum ex Concilio Tridentino Seſſ. 23. Can. 7. ubi definitur, Epiſcopos Presbyteris, ſeu Sacerdotibus eſſe Superiores; & quidem, vel maximè quoad poteſtatem Ordinis, de qua ibi agitur: nam quia Epiſcopatus continet poteſtatem conficiendi Sacramenta, quæ à ſimplici Sacerdote confici non poſſunt, neceſſariò, quoad poteſtatem Ordinis, eſt Superior ſimplici Sacerdotio, ac proinde etiam eſt ordo ab eodem diſtinctus.

Deinde probatur etiam ratione, quia Epiſcopatus habet propriam, ac diſtinctam materiam, & formam à ſimplici Sacerdotio, ergo eſt adæquatè diſtinctum Sacramentum: conſeq. per ſe patet. Antecedens probatur, quia materia Epiſcopalis Ordinis conſiſtit in impoſitione Libri Evangeliorum ſuper cervicem, & ſcapulas Epiſcopi conſecrandi, & in manuum impoſitione ſuper caput ejuſdem factâ ab Epiſcopo Conſecratore, & Epiſcopis aſſiſtentibus, prout præſcribitur in Concilio Carthaginenſi 4. can. 2. & refertur in can. Epiſcopus; 7. diſ. 23. forma verò in prolatione horum verborum; *accipe Spiritum Sanctum* (nempe cum quadam plenitudine gratiæ ad omnes Epiſcopales functiones) ut patet ex Pontificali Romano, & eſt communis ſententia DD. teſte Tannero cit. loc. dub. 4. num. 84. qui tamen addit num. 80. Probabile eſſe, etiam alium, aut alios ritus ad eſſentiam Ordinis Epiſcopalis ſpectare: neque verò initio Eccleſiæ defuit Scriptura, quæ brevem Evangelij ſummam complecteretur, Tanner. cit. loc. num. 87. Quamvis etiam probabile ſit, quòd impoſitio Libri Evangeliorum non requiratur ad ſubſtantiam Ordinis Epiſcopalis, ut tradit Gloſſ. in cit. cap. Epiſcopus. V. Codicem. ſed ſola manuum impoſitio, cum adjuncta forma, requiratur, ut docent Bellarmin. Vaſqu. & alij apud Tanner. cit. loc. & colligitur ex ſacra Scriptura 1. Timoth. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij*, id eſt, Presbyterorum, ſeu Epiſcoporum.

Quòd autem Ordo Epiſcopalis etiam proprium, & diſtinctum characterem imprimat, colligitur ex c. 1. de Ordinat. ab Epiſc. qui renunc. &c. ubi habetur, quòd, qui ſcienter ab Epiſcopo, qui renunciavit loco, & dignitati, ſacros Ordines accipiunt, Ordinis executionem non habent, licèt ordinatio ſit valida, quia renunciatio poteſtatem ordinandi nō abſtulit, ut notat Gl. ibid. V. executionem; idque ratione indelebilis Characteris, quem imprimit conſecratio, ſive Ordo Epiſcopalis. Secus eſt, ſi Abbas aliquis, cui non ex vi Ordinationis ſuæ, ſed ſolùm ex conceſſione, aut privilegio Sedis Apoſtolicæ, competit poteſtas conferendi Ordines minores, contra prohibitionem Eccleſiæ illos alicui conferat, invalida enim eſt collatio, quia ea poteſtas per Eccleſiam iterum auferri poteſt, quæ illam tribuit, neque per illam ullus cha-

racter eſt impreſſus, ſicut in ordinatione Epiſcopi, Fagnan. in cit. c. 2. n. 34. & ſeqq.

IV. Objicitur 1. Contra poſteriorem ſententiam Canoniſtarum, quòd Concilium Florentinum Seſſ. 25. in decreto Eugenij IV. §. Sextum Sacramentum, tradat; quæ ſit materia Presbyteratûs; & aliorum Sacramentorum, nullâ factâ mentione Epiſcopatûs: ſicut etiam in Concilio Trident. cit. Seſs. 23. cap. 2. ubi enumerat omnes Ordines majores, & minores, Epiſcopatûs non meminit. Nam inprimis Concilij Florentini intentio principalis fuit tantùm tradere materiam; & formam Sacramenti Ordinis in genere, non autem definire, quot ſint Ordines, & per modum exempli materiam aliquorum Ordinum expreſſit; quamvìs etiam Epiſcopatus ſub generalibus verbis ibi ſubjunctis comprehendi poſſit. Concilium verò Tridentin. etſi non ibi, alibi tamen apertè declaravit, Epiſcopatum eſſe Ordinem, ut ex ſuprà dictis patet, Fagnan. num. 78. Deinde etiam dici poteſt, quòd cùm Concilium recenſet Ordines, ſub Sacerdotio comprehenditur etiam Epiſcopatus, ita, ut Sacerdotium ponatur, tanquam aliquid commune utrique Ordini, & ſubdividendum ſit in Sacerdotium ſimplex, & Epiſcopatum, Tann. cit. dub. 2. n. 35. & 36.

Objicitur 2. Epiſcopatus intrinſecè; & eſſentialiter includit Ordinem Presbyteratûs, Ita; ut collatus non Sacerdoti irrita ſit conſecratio, nec Ordo Epiſcopalis recipiatur, ergo ſaltem non diſtinguitur adæquatè à Sacerdotio: conſeq. probatur, quia nullus Ordo ex neceſſitate Sacramenti præreqnirit alium, ſed eo omiſſo ſaltem validè confertur, v. g. ſi quis ordinatus ſit in Presbyterum; omiſſo Diaconatû, vel Subdiaconatu. Reſp. Inprimis aliqui negant antecedens, quia dicunt, quòd collatio Epiſcopatûs valida ſit, etiamſi ordinatus non ſit Sacerdos, uti docet Gloſſ. in cap. Solicitudo; unic. V. Subdiaconatus, diſt. 52. Abb. in cap. unic. num. 5. de Cleric. per ſalt. prom. quia ſunt diſtinctæ poteſtates: quamvìs Ordinis executionem non habeat; neqne plus evincitur ex cap. Ex litteris; 10. de exceſſib. Prælat. ubi dicitur, quòd Pontificale officium, ſinè Altaris miniſterio, non valeat adimpleri: nempe, quia non Sacerdos exercere non poteſt Epiſcopalem Ordinem, quamvìs character ſit impreſſus ex collatione Ordinis Epiſcopalis, etiam ſinè Sacerdotio, ut explicat Abb. ibid. num. 5. Sed quia oppoſitum verius eſt, ideo meliùs negatur conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia in collatione aliorum Ordinum recipit ordinatus poteſtatem exercendi actum principalem Ordini collato annexum, independenter ab omni Ordine inferiore. V. g. Sacerdos poteſtatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Chriſti, ad quem non neceſſariò prærequiritur Ordo inferior, quia à nullo eorum hic actus dependet quoad valorem ſuum. At verò ad valorem Epiſcopalis Ordinis prærequiritur ſacerdotium, quia ab illo dependet actus principalis Epiſcopalis Ordinis, qui eſt, ordinare Sacerdotes. Impoſſibile autem eſt, ut quis alteri conferat Ordinem Sacerdotalem, quem ipſe non habet, ideo prærequiritur in eo Ordo Sacerdotalis, tanquam fundamentum ſuæ Principalis poteſtatis; unde tamen non rectè infertur, quòd Epiſcopatus non ſit Ordo diſtinctus à Sacerdotio, ita Fagnan. in cit. cap. 1. num. 81. & ſeqq.

Quare ex inſtitutione Chriſti Ordo Presbyteratus eſt annexus Epiſcopali Ordini, ut colligitur ex Epiſt. 3. Anacleti Papæ cap. 1. ubi ait: *Ordinem Sacerdotum, prout Dominus eum inſtituit, bipartitum eſſe, & non amplius, quàm duos Ordines Sacerdotum nobis à Domino, & Apoſtolis traditos:* nempe Epiſcoporum, & ſimplicium Sacerdorum, ac proinde Epiſcopus eſt quoque Sacerdos, licèt Superior, ideóque & Summus Sacerdos appellatur, cap. unic. §. Per frontis de S. Unct. Sacerdos autem nec eſſe, nec dici poſſet, ſi Ordinem Sacerdotij non haberet, cui ſuperaddit novam, ac diverſam poteſtatem ordinandi Sacerdotes, & alia faciendi, quæ ſimplex Sacerdos facere non poteſt. ergo Sacerdotium neceſſariò, & eſſentialiter prærequiritur ad Epiſcopalem Ordinem, juxta communem hodie ſententiam.

Objicitur 3. Si Epiſcopatus, & Presbyteratus ſunt diſtincti Ordines, ſequitur, quòd Ordo Epiſcopalis ſit inferior Sacerdotali, quod eſt contra Concilium Tridentin. ſequela probatur, quia omnes Ordines referuntur, & ordinantur ad Sacramentum Euchariſtiæ, & quò magìs propinquè quiſque Ordo, eiúſque actus principalis ordinatur ad hoc Sacramentum, quo nihil maius, & dignius dari poteſt, eò præſtantior eſt Ordo, ut docet S. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 2. num. 4. Sed reſpondetur, ſatìs propinquè referri Epiſcopalem Ordinem ad Sacramentum Euchariſtiæ, quia Sacerdotes, à quibus hoc Sacramentum conficitur, à ſolo Epiſcopo ordinantur, à quo poteſtatem illud conficiendi accipiunt, Fagnan. cit. loc. num. 88. & 89. major autem poteſtas cenſenda eſt, non ſolùm per ſe poſſe conficere Sacramentum Euchariſtiæ, ſed etiam poſſe aliis dare poteſtatem conficiendi hoc Summum Sacramentum; ergo etiam quoad poteſtatem Ordinis, Epiſcopatus non eſt inferior ſimplici Sacerdotio, quia poteſtas tantò altior eſt, quantò ad plurá ſe extendit, ut docet etiam S. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 3. a. 2. Præterquam, quod ſinè ſufficienti fundamento dicitur, unumquemque Ordinem debere conſtitui tantùm per relationem ad Sacramentum Euchariſtiæ, Fagnan. c. l. n. 90.

V. Illud hìc addendum, quòd rectè notavit Fagnan. cit. loc. num. 93. & 94. nempe, quando comparatur poteſtas Epiſcopalis cum Sacerdotali, non debet conſiderari, præſcindendo ab Ordine Sacerdotali; quem intrinſecè, & ex neceſſitate Sacramenti includit, cùm non poſſit eſſe Epiſcopus, quin etiam ſit Sacerdos, ut ſuprà dictũ, ſed comparatio debet fieri, ita, ut ex una parte conſtituatur ſimplex Sacerdos; ex altera Sacerdos Epiſcopus; & ſic certum eſt, quòd Epiſcopus ſit major; quia præter communem cum aliis inferioribus Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, habet etiã poteſtatem conſecrandi Miniſtros huius Sacramenti; & plura alia faciẽdi, quæ inferiorib⁹ Sacerdotibus non

com-

competunt. Quare Epiſcopus ſimpliciter, & abſolutè cenſetur in eminentiore ſtatu eſſe conſtitutus, quàm ſimplex Sacerdos, quia in eo concurrunt duæ diſtinctæ poreſtates, ſed ab invicem inſeparabiles, & neceſſariò connexæ in eodem ſubiecto, ſcilicet Epiſcopo. Neque tamen hinc ſequitur, qnòd Ordo Epiſcopalis non ſit diſtinctus à Sacerdotali, ſed ſolùm quòd ille hunc neceſſariò includat: ſicut character Ordinis ex neceſſitate Sacramenti includit characterem baptiſmi, ita, ut ſinè illo collatio Ordinis ſit invalida. c. fin. de Presbyt. non baptiz. & tamen non ſequitur, quòd character baptiſmi, & character Ordinis non ſint diſtincti.

§. II.

De Ordinandis, & quinam Iure divino inhabiles ſint ad Ordines ſuſcipiendos?

VI. Generatim loqnendo, omnes ordinari poſſunt, qui jure divino, vel humano, ſeu Eccleſiaſtico non ſunt prohibiti à ſuſceptione Ordinum Eccleſiaſticorum, de prioribus hoc §. De poſterioribus ſeq. agemus.

Aſſertio 1. Jure divino inprimis incapax eſt Ordinis ſuſcipiendi fœmina, ratione ſexûs. Hoſtienſ. in ſumma h. t. §. Sed & præter, & eſt communis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia. Idque patet, tum ex perpetua praxi, & traditione Eccleſiæ, quâ fœminæ ad Ordines non admittuntur; rum quia Ordo importat eminentiam poteſtatis, dignitatis, & officij in Eccleſia, præ aliis fidelibus: mulier autem in Eccleſia non docere, & præeſſe, ſed ſubeſſe debet. 1. Corinth. 14. v. 34. Sed neque primâ Tonſurâ fœmina, etiam per diſpenſationem S. Pontificis, validè initiari poteſt, ut cum Vaſqu. docet Laym. l. 5. Theol. moral. tract. 9. c. 6. n. 2. Nam cùm mulier ex divina inſtitutione ſit incapax, nt promoveatur ad Eccleſiaſticos Ordines, & gradus, conſequenter, etiam eſt incapax primæ Tonſuræ, per quam ſit deputatio ad huiuſmodi gradns, & Ordines: ſicuti perſonæ illæ, quæ inhabiles ſunt ad Ordinem aliquem regularem ſuſcipiendum, eriam ad novitiatum recipi non poſſunt, quia Novitiatus eſt diſpoſitio ad Ordinem Religionis. Neque refert, quòd nullus reperiatur textus Juris Canonici apertè declarans, fœminas eſſe omnino incapaces Ordinis, ergo S. Ponriſex, ſaltem ex plenitudine poteſtatis, poterit illas admittere. Nam non ideo aliquid fieri poteſt, quia contrarium eius nnn eſt expreſſum in Canonibus: ſiquidem non omnia ſunt ſcriptis expreſſa, ſed multa per traditionem tranſmiſſa, Zœſius in Comment. Jur. Can. h. t. num. 21. Porrò per Presbyteras, & Diaconiſſas, de quibus ſit mentio in c. pen. & ult. diſ. 32. & in c. Diaconiſſam; 23. cauſ. 27. quæſt. 1. (quamvìs Gloſſ. ibid. per Diaconiſſam intelligat Abbatiſſam) intelligi debent, vel uxores eorum, qni Diaconi, vel Presbyteri, vel etiam Epiſcopi facti ſunt, quas tamen, poſt Ordinem ſuſceptum, pro ſororibus babebant, ſeparatam ab ijs vitam agentes. cit. c. pen. diſ. 32. Vel intelligendæ ſunt viduæ ſeniores habentes curam rerum Eccleſiæ: aut quæ ad legendum Evangelium, & Homilias in Choro benedictione aliquâ deputatæ erant. Sanch. in opuſc. moral. lib. 7. c. 1. dub. 30. Et hinc ulteriùs infertur, quòd Hermaphroditi, qui æquè, vel magis accedunt ad ſexum fœmineum, Ordinis qnoque omnino incapaces ſunt, quia tales non ſunt abſolutè, & ſimpliciter viri, adeóque neque ſubiectum capax Ordinum: quòd ſi in ijs præpolleat ſexus virilis, etſi capaces ſint Ordinis, quippe qui ſimpliciter viri cenſentur, juxta l. Quæritur; 10. ff. de ſtatu homin. non tamen ſunt ad Ordines admittendi, quia monſtroſi ſunt. Sylveſt. in ſumma V. Hermaphroditus.

VII. Aſſertio 2. Non baptizatus Jure divino etiam incapax eſt Ordinis ſuſcipiendi. c. 1. & 2. de Presbyt. nou baptiz. quia baptiſmus eſt janua, & fundamentum omnium aliorum Sacramentorum, cap. 2. de cognat. legal. in 6. Porò baptiſmus flaminis ſufficit quidem ad recipiendam grariam, ſed non ad Sacramenta; quia hæc ſunt ſigna viſibilia, & externa, quæ prærequitunt ſignum viſibile, adeóque baptiſmum fluminis, ſive aquæ.

VIII. Aſſertio 3. Prohibetur etiam Jure divino naturali, ne quis per vim coactus ordinerur. cap. 1. ubi Ordinans invitum per annum ab officio ſuo ſuſpenditur, & c. 2. diſ. 74. Ubi tamen diſtingnendum eſt; nam vel ordinatus per vim, ſeu violenriam ei illatam cogitur ad ſuſcipiendum Ordinem, ita, ut abſolutè reclamet, nec ullo modo conſentiat; & tunc ordo nec licitè conferri poteſt, nec collatus valet, & Ordinatus characterem non recipit, nt conſtat ex cap. Majores; 3. §. Item quæritur de baptiſm. nbi id de baptiſmo deciditur. Nec obſtat, quòd etiam infans, & amens ordinati recipiunt characterem Ordinis, ſinè ullo ſuo conſenſu: quia aliud eſt non conſentire, aliud poſitivè diſſentire, ſicut aliud eſt non velle, aliud poſitivè nolle. Navarr. in cit. Conſil. 1. de ijs quæ vi &c. num. 2. Vel Ordo confertur per metnm gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem, & injuſtum: & rum Ordo quidem collatns valet, & character imprimitur, uti ſumitur ex cit. cap. §. Item quæritur; quia metum paſſus ſimpliciter conſentit, cùm coacta voluntas ſit voluntas. c. 1. juncta Gloſſ. V. Vult cauſ. 15. quæſt. 1. non tamen ſic ordinatus per gravem metum injuſtè incuſſum, voto continentiæ ex Eccleſiæ conſtitutione ipſi Ordini ſacro annexo. c. unic. de voto in 6. & Canonici officij onere obligatur. arg. cap. 1. De his, quæ vi met. cauſ. Navar. in man. Prælat. c. 22. n. 51. & lib. 1. de his quæ vi &c. Conſil. 1. Sylveſt. V. Ordo 4. quæſt. 1. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 29. num. 5. & plures alij. Ratio eſt, quia initiatus ſacro Ordine non tenetur ad continentiam, vi Ordinis per ſe ſpectati, neque enim continentia eſt de ſubſtantia, & eſſentia Ordinis ſacri, ut patet ex Miniſtris, & Sacerdotibus Eccleſiæ Orientalis, & olim etiam in Eccleſia Latina Subdiacono licebat contrahere matrimonium. c. Placuit; 13. diſ. 32. & c. 1. diſ. 31. Sed ſolùm accidentaliter ex Conſtitutione Eccleſiæ eſt Ordini ſacro adjuncta, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 11. in corp. Atqui votum expreſ-

expreſſum, ſive explicitum gravi, & injuſto metu emiſſum eſt irritum ipſo jure, ut colligitur ex cit.c.1. De his quæ vi &c. & tradunt communiter DD. ergo etiam votum tacitum ſimili metu extortum irritum eſt. Confirmatur, quia continentia eſt conſilij, non præcepti, nam ſuaderi poteſt, non imperari nolenti, c.Integritas; 13. cauſ. 32. q.1. adeóque ad illam non ſufficit quælibet ſimplex voluntas, ſed requirit voluntatem ſpontaneam, ac liberam à coactione, adeóque plenam libertatem, quâ deficiente, deficit ſubſtantia actûs. c. Notificâſti; 2. junctâ Gl. communiter receptâ. V.Licentiam. cauſ. 33.q. 5. & ita reſolvit Rota Rom. deciſ. 561. in fine in noviſſimis.

Dices 1. De connexis idem eſt judicandum. c.3. de Conſtit. ergo ſi metus etſi gravis, & injuſtus, non impedit, quo minùs Ordo validè recipiatur, & characterem imprimat, non impediet etiam obligationem ad continentiam ei acceſſoriam, & annexam, acceſſorium enim ſequitur principale ſuum. reg. juris; 42. in 6. Reſp. Cum Rota c. l. idem judicandum eſt de connexis, quando eſſentialiter, & inſeparabiliter, ſeu per ſequelam neceſſariam ſunt connexa, ac proinde ſuâpte naturâ individua: atqui Ordo ſacer, & obligatio continentiæ non ſunt eſſentialiter, ſive ſuâpte naturâ connexa; nam hæc neque ex jure naturæ, neque divino eſt annexa Ordini, ſed jure tantùm humano: unde licèt metus non poſſit impedire in ſuſcipiente eſſentiam ſacri Ordinis, quæ ex divina inſtitutione ortum, ac vim ſuam habet: poteſt tamen impedire obligationem continentiæ, quæ ex humana ſolùm conſtitutione Ordini eſt conjuncta. Deinde regula illa juris habet locum, quando in principali, & acceſſorio reperitur eadem ratio: in propoſito autem eſt diverſa ratio: nam ad ſuſceptionem Ordinis ſufficit quælibet voluntas in adulto: imò & ſola voluntas Eccleſiæ in infante: votum autem continentiæ voluntatem plenè liberam à coactione, & metu requirit, ut ex dictis patet.

Dices 2. Baptizatus, incuſſo metu gravi, tenetur vivere, ut baptizatus, & fidem Catholicam profiteri. c.De Judæis; 5. & ibi Gl. V. Coacti, diſ.45. & cit. c. Majores. §.Item quæritur; ergo etiam coactè ordinatus tenetur vivere, ut Ordinatus, & per conſequens ſervare continentiam, ſi ſit initiatus Ordine ſacro. Reſp. neg. conſeq. quia obligatio profitendi fidem, ſeu Religionem Chriſtianam eſſentialiter, & ſuâpte naturâ, adeóque jure naturæ, ac divino eſt annexa characteri baptiſmi, qui non tam votum, quàm profeſſio quædam Religionis eſt, quam Eccleſia irritare non poteſt: obligatio verò ſervandi continentiam ſolùm ex voto implicito ſtatuto Eccleſiæ inducto, adeóque ex ſolo jure humano, & accidentaliter annexa eſt Ordini. Itaque per metum gravem Ordine ſacro initiatus tenetur quidem ſervare ea, quæ eſſentialiter, & neceſſariò conjuncta ſunt Ordini: non tamen ea, quæ accidentaliter ſolùm, quia metus, etſi non poſſit annullare ſubſtantiam, ſeu eſſentiam Ordinis divino jure inſtitutam; poteſt tamen irritare obligationem continentiæ jure humano ſolùm inductam, eique accidentaliter annexam. Rota c.l. num.13.

IX. Cæterùm, ſi Ordinatus, per metum gravem injuſtum, ſciat, votum continentiæ Ordini annexum eſſe irritum, propter vim, ſeu coactionem ſibi illatam; ac poſtea ſponte ſuâ, & non coactus, expreſsè, vel tacitè, verbo, vel facto, votum ſuum ratificet, v.g. miniſtrando in Ordine ſuſcepto, ex illo tempore ad continentiam, & alia onera Ordini ſacro annexa obligabitur, ſicut ex communi docet Sanch. cit. diſ. 29. n.9. Secus eſt, ſi per errorem, ſeu ignorantiam putet, ſe teneri ad continentiam ſervandam; tunc enim per exercitium Ordinis ſuſcepti non cenſetur ratam habere priorem ordinationem: nam ad ratificationem actûs invalidi requiritur, ut is, qui ratum habet, cognoſcat, actum eſſe nullum, & ſe ex eo non obligari; alioquin ſi erret, vel ignoret actûs validitatem, vel obligationem, non conſentit, errantis enim nullus eſt conſenſus, Ugolinus de offic. Epiſc. c. 26. §. 5. num.2.

Prædicta autem intelligenda ſunt de metu gravi, & injuſto; nam ſi Superior aliquem, ob cauſam neceſſitatis, juſto præcepto, cogat ad Ordines ſuſcipiendos, ſic coactus obligatur ad votum continentiæ, & alia onera Ordini annexa, quia nullam vim injuſtam, ſeu injuriam eſt paſſus, ideóque jura ei non ſuccurrunt, annullando votum metu juſto emiſſum Sanch. cit.loc. n. 10. Sic etiam, ſi quis poſſideat beneficium requirens certum aliquem Ordinem, talis cogi poteſt, ſaltem ſubtractione fructuum, privatione beneficij, vel ſimilibus pœnis, ad ſuſcipiendum Ordinem, c. Licèt; 14. de Elect. in 6. Clement. 2. de ijs qui ætat. qualit, &c. Piaſec. in praxi Epiſcop. p.1. c.1.a.6. n.7. in fine.

X. Ex dictis colligitur, quòd in adultis ad valorem Ordinis ſuſcepti requiritur voluntas, ſeu intentio, ſaltem habitualis, quâ quis aliquando petierit, vel actu voluerit Ordinem ſuſcipere, eámque voluntatem poſtea nunquam retractârit, prout colligitur ex cit. c. Majores; §. Item quæritur, & eſt communis DD. ſententia. Requiri autem præcedentem actualem voluntatem aliquam, patet tum ex eo, quia Sacramentum Ordinis non eſt ſingulis neceſſarium, ideóque nemo ad illud recipiendum cogi poteſt, niſi neceſſitas Eccleſiæ id poſtulet: tum quia ſacer Ordo habet annexum votum continentiæ, quod voluntarium, ac liberum eſſe debet, juxta illud Apoſtoli, 1. Corinth.7. *de virginibus præceptum domini non habeo*, Ugol. c.l.§.5.n.1. In infantibus verò, & perpetuò amentibus huiuſmodi intentio nō requiritur, ac proinde etiam infans, ante uſum rationis, validè ordinaretur, & characterem reciperet, licèt Ordinis executionem non habeat, ante annos diſcretionis, prout ſumitur ex c. unic. de Clerico per ſaltum promoto &c. & ibi Gl. V. Diſcretionis: ſed adultus factus reclamare poteſt, niſi poſtquam ad ætatem legitimam pervenit, ratam habuerit Ordinationem in infantiæ factam. Hoſtienſ. in ſumma num. 31. §. Sed & præter h. t.

§. III.

Quinam Iure humano, ſeu Eccleſiaſtico prohibiti ſunt Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipere?

XI. Aſſertio 1. Præter prædicta tria impedimenta juris divini, quæ non ſolùm illicitam, ſed etiā inva-

invalidam reddunt ſuſceptionem Ordinum, ſunt pluta aliæ impedimenta juris poſitivi, hnmani, & Eccleſiaſtici, per quæ impeditur tantùm, & illicita ſit ordinatio, non autem irrita. Nam boc jure inprimis ordinari prohibentur, qui legitimam ætatem ad ſingulos Ordines requiſitam nondum impleverunt. Et prima quidem Tonſura non poteſt conferri infanti, » c.fin.h.t.in 6. nbi prohibetnr, ut nullus Epiſcopus, » vel qnivis alius (nempe Abbas habens poteſtatem » conferendi minores Ordines) infanti (id eſt, qui » VII. ætaris annum nondum implevit. l. Si infanti; » 18.C.de jure deliber.Gl.hîc.V.Infanti) Clericalem » Tonſuram conferre præſumat; niſi fortè minor 7. » annis Religionem intraret; videlicet à parentibus, vel tutoribns oblatns, prout olim moris erat.Gl. ibid.V.Intrater. Ad tres priores Ordines minores, ſecundùm antiquos Canones, nemo ante XII. neque ad Acolytatum ante XIV. annum completnm promoveri poterat, prout ſumitur ex c. In ſingulis; 2. & ibi Gl.V.Quinquennio, ſcilicet poſt ſeptennium, diſ. 77. Gutietez lib.1.Canonic. qq.c.26.n.1. Ad ſubdiaconatum verò nullus, ante annum XX. ætatis. c. Quicunqne, 3. & c.ſeq.cit.diſ. (ſive 14. annos, computatis annis à tempore ſeptennij. Gl.in cit. c. In ſingulis. V. 14. annis) Ad Diaconatum, ante annum XXV. & ad Preshyterarum, ante annum XXX. completum promoveri poterat. c.Placnit; 5. & c.Epiſcopus; 6. ead. diſ. Gl.in Clem. ult. V. Generalem de ætat.& qualit. Poſtea verò ſtatutum fuit, nt poſſit quis (alio impedimento Canonico non obſtante) liberè in 18. anno (inchoato) ad Subdiaconatnm: in XX. ad Diaconatum; & in XXV. ætatis ſuæ anno ad Presbyteratum promoveri, prout habetur in cit. Clem. ult. Deniqne ex decreto Concilij Tridentini Seſſ. 23. c. 12. De reform. nullus in poſterum ad Subdiaconatum, ante XXII. ad Diaconatum, ante XXIII. ad Presbyteratum, ante XXV. ætatis ſuæ annum promoveri debet: idque extenditur etiam ad Regulares, quorum privilegiis bae in parte derogatur. Sufficit autem, hos annos eſſe inceptos, conformiter juri antiquo, quo annus inchoatus tantùm requirebatur, in cit. Clem.ult.de ætat.& qualit.junctâ Gl.V.in decimo octavo: jus enim novum, quantum fieri poteſt, conciliandum eſt cnm antiquo, nec ab eo recedendnm eſt ſinè textu expreſſo: ergo cùm Tridentinum Concilium non declaret requiri annos completos, ſufficient incepti, ſicut jure antiquo ſolùm requirebantur: nam qui exceſſit v.g. 17. annum, & inchoavit 18. eſt in anno 18. Cùm autem jure requiritur, ut quis ſit annorum 18. anni debent eſſe completi: Gl. cit. loc. Accedit, quòd eadem ætas requiritur ad beneficinm curatum, & ad Sacerdotinm, ut omnes fatentur: ſed ad curatum ſufficit attigiſſe 25. annum, adeóque annus ineboatus, juxta Concil. Trident. Seſſ.24.c.12. de reform. ergo etiam ad Sacerdotium. Sanch. l. 7. conſil. c. 1. dub. 33. Ad Epiſcoparum verò requiritur annus XXX. completus. c.Cùm in cunctis; 7. juncta Gl.V.exegerit, de Elect.

Quod verò ad Minores Ordines attinet, pro ijs nulla certa ætas à Concilio Tridentino eſt præſcripta, nihilque quoad illos eſt innovatum: ac proinde requiritur in ijs ætas, quam Jus commune Canonicum præſcripſit, juxta declarationem S.Congregationis Concil. apud Piaſec. in praxi Epiſc. p.1.c.1.a.4.n.1. quæ eſt ætas maior infantiâ, id eſt, ſeptennium completum. Gl.fin.in cit. Clem.ult. Vel dici poteſt, arbitrio Epiſcopi relictum videri, quâ ætate Ordines minores ſuſcipi poſſint, cùm Concil. Trident. nihil de illa meminerit. Laym.l.5.tract. 9.c.7. n. 1. Quamvis ante infantiæ annos expletos, ſeu uſum rationis, non liceat hos Ordines ulli conferre, cùm Concilium pro ijs certam ſcientiam requirat. cit. Seſſ. 23. cap. 4. & 11.

XII. Prædictis addendum 1. Ubi requiritur annus completus, probabiliter ſufficit, ultimum diem ætatis eſſe inceptum, ita, ut poſſit quis ordinari, etiamſi aliquot horæ ad complementum ætatis deſint, qnia in favorabilibus dies cœptus habetur pro completo. arg. l. A qua; 5. ff. Qui teſtam. facere poſſ. Sanch. cit. c. 1. dub. 33. n. 6. Diana p. 2. tr. 16. reſol. 27. & p. 5. tr. 5. reſol. 17. 2. In dubio, an quis impleverit ætatem, non poteſt ordinari, quia præceptum de non ordinando, ante ætatem requiſitum, eſt in poſſeſſione, ac certum, adeóque vincit jus dubium, Diana p. 4. tr. 3. reſol. 21. ex Joan. Sanchez in ſelectis. 3. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ætate, ſecundùm univerſalis Eccleſiæ Canones, requiſita ad Ordines, ideóque ſummus Pontifex adeundus eſt. Gl. in cit. Clement. ult. V. Anno, quia Epiſcopus uon poteſt ordinariè relaxare Jus commune Canonicum, vel Concilij Univerſalis.

XIII. Aſſertio 2. Ordinari etiam prohibentur illiterati, qui nimirum, vel litterarum omnino ignari ſunt, vel non eam ſcientiam habent, quæ ad cuiusque Ordinis ſuſceptionem, & executionem requiritur: nam *litteris carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis*, c. 1. diſ. 36. Et hinc illiterato ne quidem prima Tonſura conferri poteſt. cit. c. nlt. h. t. in 6. quod tamen intelligendum eſt de prorſus illiterato. c. Præcipimus; 10. & ibi Gl. V. Ignorantem litteras. diſ. 34. cit. c. 1. & ibi Gl. V. Illiteratos. diſ. 36. Anchar. in cit. c. ult. not. 2. & Franc. n. 2. Quæ autem, & quanta in ſingulis Ordinibus litterarum ſcientia requiratur, declarat Concilium Tridentinum. Et ad primam quidem Tonſuram ſufficit, ſi quis ſciat fidei rudimenta, legere, & ſcribere, nt Seſſ. 23. c. 4. de reform. ſaltem in lingua nativa, & patria, cùm enim Concilium non exprimat, in qua lingua, videtur intellexiſſe vernaculam, ſeu vulgarem. Azor p. 2. Inſtit. mor. l. 6. c. 6. q. 2. Barbos. de offic. Epiſt. alleg. 11. n. 5.

Ad minores Ordines promovendi ſaltem linguam Latinam intelligere debent. cit. Seſſ. c. 11. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum aſſumendi litteris, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi ſint, oportet. ibid. c. 13. Denique ad Presbyteratûs Ordinem aſſumendi debent eſſe inſtructi eâ ſcientiâ, ut ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramẽta ſint idonei, ead. Seſſ. c. 14. In dubio autem, an Ordinandus habeat ſufficientem ſcientiam, Epiſcopi arbitrio determinandum relinquitur, juxta declarat. Cardinal. Concil. apud Joan. Gallemart. cit. cap. 14. num. 2.

XIV. Cæterùm, ſi prorſus illiteratus, vel neceſſariam ſcientiam non habens ordinetur, ſuſpendendus eſt ab Ordinis executione, donec ſcientiam ſufficientem ad Ordinem acquiſierit; quâ obtentâ, per ſe tollitur hoc impedimentum, etiam ſinè alia diſpen-

ſpenſatinne, quia ceſſante cauſâ, ceſſat effectus, Snar. diſ. 51. de cenſur. ſect. 1. n. 10. Quamvìs aliàs Epiſcopus nou poſſit diſpenſare in ſcientia requiſita ad Ordines etiam minores, durante ipsâ ignorantiâ, cùm in Jure non reperiatur illi conceſſa talis poteſtas. Imò nec S. Pontifex diſpenſare poteſt in hac irregularitate, ut quis Ordinem ſuſcipiat, ſinè ſcientia neceſſaria ad illum, eóque ſtatim utatur, ante ſcientiam acquiſitam, quia hoc eſt intrinſecè malum; quamvìs poſſit facultatem ei dare, nt Ordinem recipiat, ita tamen, ut eo non utatur, donec ſufficientem ſcientiam addidicerit, quia hoc non eſt contra Jus divinum. Nam tametſi aliàs jnre naturæ tenetur quis non ſuſcipere miniſterium, vel officium, qnod debitè præſtare neſcit: nō tenetur tamen is, qui ordinatur, ſtatim exercere Ordinem ſuſceptum; & poteſt habere animum comparandi ſcientiam neceſſariam ad exercitinm illius, & antea non miniſtrare, adeóque ex natura rei non obligatur ad habendam ſtatim ſcientiam neceſſariam. Suar. c. l. n. 11.

XV. Aſſertio 3. Ordinati quoque prohibentur, aut ordinati ab executione Ordinis ſuſcepti, & ſuſceptione altioris prohibendi ſunt, qui adulterij, perjurii, falſi teſtimonij, aut alio gravi crimine ſunt irretiti, modò eiuſmodi enorme crimen, vel per evidentiam facti, quæ tergiverſatione aliquâ elidi non poſſit; vel per ſententiam Judicis; vel per propriam Rei confeſſionem in judicio factam, notorium, aut publicum ſit, ut colligitur ex c. fin. h. t. per ſenſum contrarium, & tradit Gl. ibid. V. Notoria, & V. Homicidij. Hoſtienſ. V. Notoria, & Abb. n. 2. Secus eſt, ſi eiuſmodi crimina ſint occnlta, ſive in judicio legitimè probata, vel aliàs notoria non ſint, tum enim qui ijs irretiti ſunt, prohiberi non debent, quò minùs poſt actam pœnitentiam, ſi velint, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrent, & ad ſuperiores Ordines aſcendant; quamvìs tales criminoſi monendi ſint, ne in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, multò minùs ad ſuperiorem Ordinem aſpirare audeant, prout in primis habetur in c. Ex tenore; 4. h. t.
» Nam cùm quidam Cle-
» ricus promoveri vellet ad majores Ordines, qui ta-
» men tam graviter deliqnerat, ut, ſi peccatum eius
» eſſet publicum, degradaretnr ab Ordine, quem ſu-
» cepit, nec poſſet ad ſnperiores Ordines promoveri:
» Papa Alexander III. de hoc conſultus, mandat E-
» piſcopo, ut ei condignam pœnitentiam imponat, &
» ſuadeat, nt parte pœnitentiæ peracta, Ordine ſu-
» ſcepto utatur, eóque contentus ad Snperiores non
» aſcendat: Verumtamen, qnia peccatum occnltum
» eſt, ſi promoveri velit, eum prohibere non debet.

Ratio eſt, quia latentia crimina publicè vindicanda non ſunt, c. ult. cauſ. 32. q. 5. & ſecretorum Deus Judex eſt, & Cognitor, c. Erubeſcant; 11. diſ. 32. c. Conſuluiſti; 20. cauſ. 2. q. 5. Gl. hîc. V. Occultum.

» XVI. Similiter in cit. c. ult. h. t. Cùm quæſitum
» fuiſſet ex Papa Gregorio IX. quid agendum eſſet
» cum Sacerdotibus, & aliis Clericis, qni adulterium,
» perjurinm, homicidinm, vel falſum teſtimonium
» commiſerunt; Reſpondet Pontifex: ſi talia cri-
» mina per ordinarium proceſſum judiciarium (vi-
» delicet per teſtes, ant propriam Rei confeſſionem
» in judicio factam) comprobata, vel aliàs notoria
» (per rei evidentiam, ant populariter) non fuerint:
» non debent hoc caſu Clerici criminoſi, poſt actam
pœnitentiam, impediri, quò minùs in jam ſuſceptis »
Ordinibus miniſtrare, & ad ſuperiores Ordines »
promoveri poſſint, præterquam in crimine homi- »
cidij. Si verò nondum de crimine pœnitentiam e- »
gerint, monēdi ſunt, ne cum periculo æternæ da- »
mnationis ſuæ, in ſnſceptis Ordinibus miniſtrare, »
multò minùs ad Superiores aſcendere præſumant. »

XVII. Pro explicatione utriuſque c. notandum 1. Si Clericus committat crimen adulterij, inceſtûs, perjurii, falſi teſtimonij, vel ſimile, quod ipſo jure non impedit Ordinis executionem, ſive ſuſpenſionem ab Ordine, aut irregularitatem per ſe, ſeu ipſo jure non infert, etſi per Judicis ſententiam talis criminoſus degradari, ſeu verbaliter ab Ordine deponi mereretnr, ſi crimen populariter notorium, ant judicialiter cognitum eſſet: hoc caſu, Epiſcopus tali criminoſo occulto condignam pœnitentiam in foro conſcientiæ peragendam imponere debet, eique ſuadere, nt ab Ordinis ſuſcepti uſu, ſeu exercitio aliquamdiu abſtineat, & ad ſuperiores Ordines non aſcendat, donec ſaltem parte pœnitentiæ peractâ, Deo pro peccatis ſatisfecerit: ſi tamen in Ordine ſuſcepto miniſtrare, & ad ſuperiores Ordines promoveri velit, prohiberi, aut repelli non poteſt, cùm jure non ſit prohibitus, aut impeditus, prout ſumitnr ex utroque c. cit. & docet Abb. in cit. c. Ex tenore n. 1. & alij. Nonnulli tamen DD. cenſent, quòd, etiamſi crimen impediat executionem Ordinis, etiam poſt pœnitentiam peractam, ſive ſuſpenſionem ab Ordine, ſeu irregularitatem ipſo jure inducat, ante ſententiam Judicis, in eáque ſolus Pontifex diſpenſare poſſit: nihilominus etiam hoc caſu ab Epiſcopo talis criminoſus prohiberi non poſſit, quò minùs, ſi velit, in Ordine ſuſcepto miniſtrare, & ad Superiores aſcendere poſſit, cùm peccatum eius ſit occultum, quamvìs peccet miniſtrando in ſuſcepto Ordine, vel aſcendendo ad Superiores, cùm indignus ſit, Gl. in cit. c. Ex tenore. V. Utatur, & Innocent. ibid. n. 1. & Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. Sylv. V. Ordo; 3. q. 9. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 15. n. 8. Fagnan. in cit. c. Ex tenore, num. 1. & ſeqq. Ratio eſt, quia occulta delicta publicè vindicanda non ſunt, ideóque, etſi qnis occultè indignus ſit, ſi velit miniſtrare in Ordine ſuſcepto, ant publicè petat ordinari, vel promoveri ad ſuperiores Ordines, prohiberi, aut repelli non poteſt, qnia actus publicæ poteſtatis, vel adminiſtrationis, non ſecundùm privatam ſcientiam Adminiſtrantis, vel Judicis, ſed ſecundùm publicam notitiam, & opinionem exerceri debent, atque hæc qnoqne ſententia probabilis eſt.

Nec obſtat c. Ad aures; 5. h. t. ubi dicitur, criminoſum occultum prohiberi poſſe, ne promoveatur ad Ordines. Nam omiſſis aliis reſponſionibus, quas affert Gl. fin. in cit. c. Ex tenore, h. t. Hoſtienſ. ibid. propè finem, ibi agitnr de Regulari, qui propriam voluntatem non habet: hîc de ſeculari Clerico, qui non eſt ita aſtrictus obedientiæ, quæ ſolutio eſt conformis litteræ utriuſque cit. c. & communiter tenetur à Doctoribus.

XVIII. Notandum 2. Ab eo, quod dictum eſt, criminoſum occultum non poſſe impediri ab exercitio Ordinis ſuſcepti, nec prohiberi, quò minùs aſcendere poſſit ad ſuperiores Ordines, excipiendum eſt crimen homicidij, quod etiamſi occultum maneat,

neat, irregularitatem inducit, in qua ſolus S.Pontifex diſpenſare poteſt, ut patet ex Concil.Trident.ſeſſ.24. c.6. de reform. adeò, ut homicida, quantumvis occultus, etiam poſt peractam pœnitentiam de tali crimine, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare non poſſit; multò minùs ad nondum ſuſceptos promoveri, ut habetur in cit.c.ult.& ibi Gl. V. Homicidij h.t. Cùm faciliùs impediatur promovendus, quàm dejiciatur jam promotus, Gl.in cit. c. Ex tenore, V. Utatur. & Innoc.ibid.n.1. Excipitur etiam crimen Sodomiæ, ſi quis per illud ad Ordinem promotus ſit, quod etiã poſt peractam pœnitentiam, & quantumvis occultum ſit, Ordinis ſuſcepti executionem impedit. c.Inquiſitionis; 21.junctâ Gl.V. Si homicidium de accuſat. Hoſtienſ. in Summa h. t. §. Et cui in prima regula.

Porrò delictum occultum hoc loco dicitur, quod non eſt populariter notorium, neque judicialiter; quamvis à tribus, aut quatuor occultè ſciatur, ita ut ſufficienter in judicio probari poſſet, Avila tract. de cenſur. p.2. diſ. 10.dub.6. Laym.l.1.tr.5.p.5.c.9. num.4.

Atque hæc quidem procedunt, ſpectato Jure antiquo Canonico, ſed jure noviſſimo Concilij Tridentini ſeſſ.14.c.1. de reform. ſtatuitur, ut ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato, ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur; per quod decretum Concilij, juxta declarationem S. Congregationis Concilij.ibid. n.1. correcta eſt Conſtitutio cit. c.Ex tenore, h. t. quatenus ibi decernitur, criminoſum occultum eſſe tantùm commonendum, ſed non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines. Fagnan.in cit.c.n.12.ubi n.13. addit, prædictum decretum Concilij etiam habere locum in jam promoto ad Ordinem Subdiaconatûs, ita, ut aſcenſus ad alios Ordines poſſit illi ab Epiſcopo extrajudicialiter interdici.

XIX. Aſſertio 4. Sed & omnes infames ab Ordinum ſuſceptione arcentur. c. Infames; 17. cauſ. 6.q.1. ſive ſint infames infamiâ juris ortâ ex delicto, cui ex juris conſtitutione infamia annexa eſt; ſive infamiâ facti, quæ provenit, vel ex publica evidentia criminis, vel ex communiter vulgata opinione de commiſſo crimine, per quod fama, & exiſtimatio hominis, ſpectatâ perſonæ qualitate, & ſtatu, apud viros graves, ac prudentes graviter læditur. Laym. l. 1. Theol.moral. tr.5.p.5. c.4. n.4. Imò ſecundùm Jus Canonicum, talis infamia facti, ſeu popularis, propter quodvis peccatum mortale publicè perpetratum, in quo aliquis notoriè perſeverat, incurritur. c. Illi qui; 5.c.Infames; 17.cit.cauſ.6.q.1. c.Alienis 23. cauſ.2. q.7.

Verùm id hodie, temperato antiquo Canonum rigore, non ita ſtrictè obſervatur; quamvis obſervari deberet, ut, qui notoriè peccavit mortaliter, ante peractam pœnitentiam, ad Ordines non admitteretur. Laym.cit.loc.n.4.in fine. Tollitur autem hæc infamia facti per publicam, & conſtantem vitæ emendationem. c.Si duo; 4. cauſ. 35. q.8. c.Teſtimonium; 54.de teſtib.ideòque irregularitatem propriè, ac ſimpliciter dictam non inducit, quia hæc eſt perpetuum impedimentum, ſive inhabilitas ſuſcipiendi Ordines, vel ſuſceptos exercendi. Laym. cit.loc.n.10. Quare ſi Sacerdos v. g. adulterium, vel fornicationem commiſit notorium, ſed ab Ordinario exercitium Ordinis ei non ſit interdictum, poterit poſt actam pœnitentiam publicè notam, per quam infamia popularis per crimen contracta tollitur, & aboletur, ex intervallo aliquo temporis, iterum celebrare, cùm non ſit ſuſpenſus, nec irregularis. Laym. in cap.ult.n.3. h. t.

Ex dictis infertur, quòd ob infamiam juris ordinari non poſſunt hæretici, & Apoſtatæ à fide, etiam poſtquam Eccleſiæ reconciliati fuerunt, ſine diſpenſatione, c.1.& c.Salubertimum; 21.cauſ.1.q.7.c.2. §. Hæretici de hæreticis in 6. ſaltem ſi publici, & notorij ſint: nam hæretici occulti, poſt pœnitentiam, & abſolutionem ab excommunicatione, probabiliter ordinari poſſunt, quia non propter hæreſin, vel apoſtaſiam, ſed propter infamiam juris annexam, irregularitas ſtatuta eſt, Avila de cenſur. p. 7. diſ.4. dub. 2. concl.3. Laym.cit. c.4.n.12. Quare probabile etiam eſt, quòd, cùm in Imperio Romano hæretici nõn ſint infames, ſiquidem à dignitatibus, & publicis officiis non repelluntur; eos converſos Ordines ſuſcipere poſſe. Laym.cit. c.4. in fine. Alioquin verò neque hæreticorum fautores, receptatores, ac defenſores: neque filij eorum; qui in hæreſi mortui ſunt, uſque ad ſecundum gradum, ſeu generationem per lineam paternam, vel primum per maternam, ad ullum beneficium Eccleſiaſticum, vel publicum officium, & per conſequens neque ad Ordines admittendi ſunt; cit.c.2.§.Hæretici, & c.Statutum; 15. de hæretic. in 6. quod tamen non pauci intelligunt ſolùm de liberis, qui nati ſunt poſt lapſum parentis in hæreſin, non de antea natis, Laym. c.l. Sed neque Apoſtatæ à Profeſſione Religioſa, vel Clericali habitu ordinandi ſunt, c.ult.diſ.50. Ob infamiam verò facti, ſcurræ, mimi, ſcenici, ludicri, ſeditioſi, adulatores, aleæ, & ebrietati deditl, & his ſimiles ordinari prohibentur, c. 1. diſ.35.c.3.& ſeqq.diſ.46. cit.c. Infames; cauſ. 6. q.1. dummodo hi omnes ſint notorij.

XX. Cæterùm alij præterea ſunt, qui ab Ordinibus arcentur. Veluti 1. Uxoratus, cui ne prima quidem tonſura conferri poteſt, niſi Religionem intrare, vel ad ſacros Ordines (cùm conſenſu ſcilicet uxoris) promoveri velit. c. fin. h. t. in 6. Ita tamen, ut uxor eius etiam Religionem ingrediatur, vel in ſeculò manens votum continentiæ edat; modò hoc caſu talis ſit ætatis; ut extra periculum incontinentiæ eſſe videatur. c.Cùm ſis; 4. c. Conjugatus; 5. c. Uxoratus; 8. de converſ. conjug. 2. Qui poſt baptiſmum ſemel ſuſceptum, ſe abſolutè rebaptizari permittunt, ordinari non poſſunt, ſaltem ſi ſcienter, & voluntariè id faciant. c. Confirmandum; 65. juncta Gl.V. Rebaptizati, diſ.50. Can. Eos 118. & c. Qui bis; 117.diſ.4. de conſecr. ubi tamen habetur, quod etiam ignoranter bis baptizati ordinari non poſſunt; quod intelligendum, juxta Gl.ibid.V.Ordinarij de ignorantia juris, & culpabili, nam rebaptizatus ex juſta, ſeu inculpabili ignorantia, probabiliter non eſt irregularis, Turrecrem. ibid. num. 7.

Quam-

quamvis alij putent, quòd etiamſi rebaptizati ſint ex ignorantia probabili, vel metu cadente in conſtantem virum, petenda ſit diſpenſatio ab Epiſcopo, ſaltem ad majorem cautelam, cùm in cit. cap. Qui bis; expreſsè dicatur, quòd bis baptizati, etiam ignoranter, ſecundùm Canones, ordinari non poſſunt, niſi magna neceſſitas cogat, Hoſtienſ. in ſumma infra tit. 16. §. olt. prope finem, Piaſec. in praxi Epiſc. p. 1. cap. 1. art. 3. num. 4. Imò etiam ſcienter, & abſolutè rebaptizans, & qui publicè rebaptizanti miniſtrant, ordinari non poſſunt, ſecùs, ſi occultè, cap. 2. & ibi Gloſſ. V. Acolythus de Apoſtat. Piaſec. cit. loc. Idque aliqui extendunt etiam ad iterantes alia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, videlicet confirmationem, & Ordinem, quòd ordinari, vel ſuperiorem Ordinem recipere non poſſint, arg. c. Dictum; 8. diſ. 5. de conſecr. quod agit de bis confirmatis, & c. 1. diſ. 68. quod agit de bis ordinatis. Hoſtienſ. in ſumm. inf. tit. 16. in fine. Navarr. in man. c. 27. num. 247.

3. Qui extra neceſſitatem, ab hæretico baptiſmum accipiunt, ordinari non poſſunt, c. Qui in qualibet; 10. cauſ. 1. q. 7. modò adulti fuerint, non infantes, quibus parentum error nihil officit, c. Placuit; 3. & ſeqq. cit. cauſ. 1. q. 4.

4. Adulti baptizati in ægritudine, ob mortis periculum, ordinari non debent, quia fides ſic baptizati præſumitur non voluntaria, ſed ex neceſſitate eſſe; niſi poſtea ſuam conſtantiam in fide probârint, vel hominum raritas exigat, ut ordinentur, prout habetur in can. Si quis unic. diſ. 57.

5. Prohibentur ordinari Neophyti, id eſt, illi, qui ex Judaiſmo, vel Paganiſmo recenter converſi ſunt ad fidem Chriſtianam, & baptizati, c. 1. diſ. 48. donec moribus, & diſciplinâ Chriſtianâ ſatìs inſtructi videantur, juxta prudens Epiſcopi arbitrium, Covarr. in Clement. ſi furioſus de homicid. p. 1. §. 2. num. 7.

6. Qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperunt, ordinandi non ſunt, nam etiam primâ Tonſurâ initiari prohibentur in Concilio Trident. Seſſ. 23. cap. 4. de reformat. quamvis Ordo non neceſſariò ſupponat characterem Confirmationis, ſicut baptiſmi, neceſſitate ſcilicet Sacramenti, ſed ſolùm præcepti, Navarr. in man. cap. 22. num. 9. ubi tamen addit, ſi ex negligentia, vel etiam ſcienter, abſque contempto, ſuſcipiatur, vel conferatur Ordo, ante confirmationem, id non eſſe culpam mortalem.

7. Prohibentur etiam ordinari ſolemniter, & publicè pœnitentes, can. Ex pœnitentibus; 55. can. Illud; 66. ubi ratio redditur, quia dudum fuerunt vaſa vitiorum. c. Placuit; 68. diſ. 50. cap. 1. De bigam. & ibi Gl. V. Pœnitentes; ubi tamen excipitur, niſi neceſſitas, aut uſus exegerit, tunc enim hujuſmodi pœnitentes laici inter Oſtiarios, vel Lectores aſſumi poſſunt.

Denique excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, & univerſim omnes irregulares, ſive ex delicto, ſive ex defectu corporis, vel animi, ordinari prohibentur, Sylveſt. V. Ordo; 4. num. 2. & alij communiter.

Adducunt nonnulli, etiam Novitios Religionum ad Ordines promoveri non poſſe, ne quidem ad primam Tonſuram, ſinè diſpenſatione Prælati Ordinis, Azor p. 1. Inſtit. l. 12. c. 2. q. 13. Sylveſt. V. Religio; 5. quæſt. 10. Sed contrarium eſt verius, niſi ſpeciale ſtatutum, vel conſuetudo Religionis obſiſtat, ut docet Sanch. l. 6. moral. cap. 10. n. 19. Emman. Rodriq. qq. Regul. tom. 1. quæſt. 13. a. 4. quia nullo jure, id eſt prohibitum, nam in c. In Monaſteriis; 6. cauſ. 19. quæſt. 3. eſt ſermo non de Tonſura Clericali, ſed Monachali, & habitu Profeſſorum, quem induere non poſſuntNovitij intra annum probationis, ut patet ex ratione, ibi ſubjunctâ, & notat ibid. Turrecrem. n. 1.

Plura adhuc alia ſunt Canonica impedimenta ſuſcipiendi Ordines Eccleſiaſticos, de quibus infrà in propriis Titulis ſeqq. agetur.

§. IV.

De his, qui ordinandi poteſtatem ordinariam habent.

XXI. Aſſertio 1. Poteſtas ordinaria conferendi Ordines Eccleſiaſticos, Jure communi Canonico, competit ſolis Epiſcopis conſecratis, tanquam ordinariis Miniſtris Sacramenti Ordinis, jure proprio, & ex vi ſui officij, ut conſtat ex c. 1. §. Ad Epiſcopum diſ. 25. c. Quamvìs 4. diſ. 68. c. Aqua; 9. junctâ Gloſſ. V. Juriſdictionis de Conſecrat. Eccleſ. & noviſſimè ex Concilio Trident. Seſſ. 23. c. 4. & 7. nomine autem Epiſcopi comprehenduntur etiam ijs Superiores, ut Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ.

XXII. Aſſertio 2. Sed & Epiſcopi hæretici, ſchiſmatici, vel aliàs excommunicati, interdicti, ab Ordine ſuſpenſi, ſimoniaci, imò etiam depoſiti, ſeu degradati validè Ordines conferunt, dummodo ab ijs ſervetur forma Eccleſiæ, quia indelebilem characterem, & poteſtatem conferendi Ordines retinent, Sanch. in opuſc. moral. l. 7. c. 1. dub. 18. num. 3. ac proinde ab ijs Ordinati characterem Ordinis recipiunt, ita, ut Ordine ſuſcepto validè uti poſſint; non tamen recipiunt legitimam executionem Ordinis, ſed ab uſu Ordinum in perpetuum ſunt ſuſpenſi, donec cùm illis fuerit diſpenſatum. cap. 1. junctâ Gloſſ. V. Irritas, & cap. 2. De Schiſmat. c. Statuimus; 107. & c. ſeq. cauſ. 1. quæſt. 1. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 10. num. 1. nam tales Epiſcopi non habent legitimam poteſtatem, ſeu executionem Ordinis conferendi, adeóque etiam legitimum exercitium eorundem Ordinum aliis conferre non poſſunt. arg. c. Quod autem; 5. de jure patron. ubi dicitur, pro non dato haberi, quod ab eo datur, qui de jure dare non poteſt. Hoc autem poſt Extravag. Concilij Conſtantienſis. Ad evitanda; intelligendum eſt de Epiſcopis, qui ob crimen, vel cenſuram nominatim denunciati ſunt, tanquam vitandi, vel notorij ſunt percuſſores Clerici: nam, ſi tolerati ſint, & non vitandi, conferunt legitimam Ordinis executionem ab ipſis Ordinatis, alioquin vitandi forent, quod eſt contra Decretum Martini V. in dicto Cōcilio. Sanch. l. 3. de matr. diſ. 22. n. 55. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 3. n. 3. & 17.

XXIII.

XXIII. Aſſertio 3. Nullus Epiſcopus ordinare debet, aut licitè poteſt, niſi ſubditos ſuos; alienos verò, ſive non ſubditos non poteſt, niſi cum proprij Prælati, vel ex ſpeciali juris licentiâ, c. 1. & ſeqq. cauſ. 9. q. 2. ubi irrita dicitur hujuſmodi ordinatio alienorum, non in ſe, ſed quoad executionem, nam ordinatus ab alieno Epiſcopo, ſinè licentia proprij, Ordines ſuſceptos licitè, ac legitimè exercere non poteſt, perinde, ac ſi irrita eſſet Ordinatio, cap. 2. h. t. in 6. Trident. Seſſ. 14. c. 2. & Seſſ. 23. c. 8. de reform.

XXIV. Idque extenditur 1. Ut nec quidem » primam Tonſuram Clericalem Epiſcopus homini » Diœceſis alienæ, ſive non ſuæ, abſque licentia Su- » perioris, ſive proprij Epiſcopi, conferre poſſit, prout habetur in c. ult. h. t. in 6. & c. Primatus 6. & ibi Gloſſ. V. Obtineat; diſ. 71. quia eadem ratio locum habet in prima Tonſura, quæ in Ordinibus minoribus, vel majoribus, cùm ipſa ſit fundamentum, ſinè quo Ordines conferri non poſſunt. Quare Tonſurâ initiatus ab alieno Epiſcopo, ſinè licentia proprij, non gaudet privilegio Clericali, nec ad ullum Ordinem ulteriorem promoveri poteſt, ſinè diſpenſatione proprij Epiſcopi, & inhabilis eſt ad beneficia Eccleſiaſtica, ac ſi tonſuratus non eſſet, quia inutilem habere tonſuram perinde eſt, ac nullam habere. Rebuff. in praxi benefic. tit. de litter. dimiſſ. num. 22. Sanch. cit. lib. 3. c. 1. dub. 20. num. 15. & 16.

XXV. 2. Extenditur, quòd non ſolùm Clerici ſeculares, ſed etiam Religioſi non exempti ordinari debent ab Epiſcopo proprio, ſive Ordinario loci, in quo ſitum eſt Monaſterium, licèt non ſint de ejus Diœceſi oriundi, prout habetur in c. Cùm nullus 3. §. Religioſi h. t. in 6. Ubi Bonifacius VIII, » ita reſcribit, Religioſi à ſuis Superioribus in non » exemptis Prioratibus deputati Priores, & eorum » ſocij, poſſunt à locorum Diœceſanis, quàm diu » morantur in illis Prioratibus, licitè ordinari, quam- » vis non ſint ex eorum Diœceſibus oriundi.

Ex quo patet, quod Priores etiam temporales, & ad nutum amovibiles, & eorum ſocij non exempti, dum morantur in illis Prioratibus, poſſunt, ac debent recipere Ordines ab Epiſcopo illius loci, in quo ſitus eſt Prioratus non exemptus, & licèt Prioratus ille ſubſit Monaſterio alterius Diœceſis, non tamen eximitur ab Ordinario loci, in quo ſitus eſt, adeòque etiam Regulares, dum ibi degunt, illi ſubjiciuntur quoad Ordines recipiendos, Ancharan. in cit. c. Cùm nullus 3. not. 4. Franc. ibid. num. 2.

Quin imò etiam Religioſi exempti ordinari debent ab Epiſcopo proprio, ſive Ordinario loci, in quo ſitum eſt Monaſterium, in quo degunt, vel ab alio, cum ejus conſenſu, accedente etiam licentiâ ſuorum Superiorum Regularium. Gloſſ. in cit. c. Cùm nullus; V. Religioſi; & ibidem. Ancharan. & Franc. n. 5. Barboſ. de offic. Epiſ. alleg. 4. num. 58. Præterquam ſi à Sede Apoſtolica privilegium habeant, ut à quocunque Epiſcopo Catholico, cùm Prælatorum ſuorum licentiâ, ordinari poſſint, quale habet Societas Jeſu in Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: Pium & utile.

Sed & Novitij Religionum, intra annum probationis, Ordines accipere poſſunt, ac debent ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſunt in probatione, Anchar. in cit. c. Cùm nullus; & Franc. in fine. Sanchez. lib. 4. moral. c. 39. num. 20. & l. 6. moral. c. 10. num. 21. Layman. l. 4. tr. 5. c. 4. num. 5. Quia per ingreſſum Monaſterij, & habitûs Regularis aſſumptionem cenſentur ibi domicilium acquiſiviſſe: ſunt enim ingreſſi cum propoſito perpetuò permanendi, quantum eſt ex parte ſua, & niſi mutatio aliqua eveniat, quia Ordo, ſeu Inſtitutum eis convenire non videtur: & ſufficit, quòd poſſint ibi perpetuò permanere, etiamſi actu non permaneant, ſicut etiam alij domicilium contrahunt, qui ad locum aliquem ſe conferunt, animo ibi perpetuò habitandi, niſi caſus incidat, qui mutare habitationem cogat, vel occaſio melior offeratur: quamvis Henriquez apud Sanch. c. l. putet, Novitios ordinandos eſſe ab eo Epiſcopo, à quo ordinandi eſſent, ſi laici fuiſſent, adeòque à proprio Epiſcopo loci, in quo domicilium habuit Novitius, ante ingreſſum Religionis, quod non videtur mutatum per Novitiatum, cùm nondum habeat animum perpetuò manendi in loco Religionis: ſed prius probabilius videtur.

XXVI. 3. Extenditur, quòd neque Archiepiſcopus ſubditum ſui Suffraganei, ſinè ſpeciali ipſius licentia, ordinare poteſt, quia non eſt de Diœceſi ipſius Metropolitani, ut requiritur in cit. c. Cùm nullus in princ. nec ipſius ſubditus, niſi in caſibus jure expreſſis. Piaſec. in praxi p. 1. cap. 1. art. 2. num. 6. Sanchez. in opuſcul. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 70.

XXVII. Denique 4. Non poteſt etiam Epiſcopus alienum ſubditum ordinare, ſub ſpe ratihabitionis de futuro proprij Epiſcopi; non enim poteſt Epiſcopus proprius ex poſt facto ratam habere ordinationem ſubditorum ab alieno Epiſcopo factam, ita, ut valeat, quoad legitimum uſum, & executionem Ordinis ſuſcepti, ſed requiritur conſenſus de præterito, vel de præſenti datus, & ſigno aliquo exteriore expreſſus: nam ratum quis habere non poteſt, quòd ſuo nomine geſtum non eſt, c. Ratum 9. de reg. jur. in 6. & alioquin daretur anſa Epiſcopis, ut hoc prætextu alienos ordinarent. Rebuff. in praxi tit. de form. litter. dimiſſ. n. 11. Salzedo in pract. canon. c. 26. lit. C. Sanch. c. l. n. 13. Avila de cenſur. p. 3. diſ. 5. dub. 7. §. Dico; 5. in 2. caſu. Non obſtat text. in c. fin. cauſ. 9. q. 2. quia inde non probatur, quòd per ratihabitionem Epiſcopi confirmetur ordinatio, ſed Epiſcopus relaxavit injuriam ſibi ab ordinato illatam: ibi: *Miſerationis intuitu in ſuo quemque honore recipias.* Rebuff. c. l. num. 14. & Salzedo.

XXVIII. Cæterùm quod dictum eſt, Epiſcopum non poſſe non ſubditos, ſinè licentiâ proprij Epiſcopi, ordinare, id limitatur 1. niſi Epiſcopi pro- » prij ſint publicè ſuſpenſi ab Ordinum collatione, » eò quòd ordinârint Clericos alienæ Diœceſis, ſinè » licentia proprij Epiſcopi, tunc enim Clerici eorum » ſubditi, etiam abſque eorundem licentia, interim » (durante ſcilicet ſuſpenſione) ab alijs vicinis Epi- » ſcopis Ordines recipiendi, canonicè tamen (ſcili- » cet præcedente debitâ examinatione, ac ſcrutinio, » & temporibus legitimis, ac modo debito) liberam » habent facultatem, modò manifeſta ſit eorum ſu- »

» ſpenſio, ſive per evidentiam facti, quia ſcilicet publicè ordinaverunt alienos ſubditos, ſive per notorietatem juris, quia Epiſcopi de hoc ſunt convicti, vel confeſſi in judicio, ita habetur in c. 2. §. Clericis quoque h. t. in 6. & ibi Gloſſ. V. Manifeſta; & Gloſſ. fin. Ratio eſt, quia æquum eſt, ut, ſicut tales Epiſcopi alienos ſubditos ordinârunt, ſinè licentia, ita etiam ſui ſubditi ordinentur, ſinè ipſorum licentia, ut in eo puniantur, in quo peccaverunt. Datur autem hoc caſu ſubditis facultas Ordines recipiendi à vicinis Epiſcopis in eorum Diœceſi, quia his meliùs perſpecti eſſe poſſunt mores, & vita Ordinandorum, quàm remotis. Gloſſ. hic V. Taliter.

Quòd ſi Epiſcopi ob aliam cauſam ſint ſuſpenſi, quàm, quia Clericos alienæ Diœceſis ordinârunt, non poſſunt ſubditi eorum ad vicinos Epiſcopos accedere pro Ordinibus recipiendis, quia in alijs caſibus id non eſt jure expreſſum. Gloſſ. hic V. Taliter. Quin imò etiam in eo caſu, quo Epiſcopus proprius ſuſpenſus eſt, propter alienæ Diœceſis Clericum ordinatum, non poſſunt ſubditi ejus Diœceſani accedere ad alium Epiſcopum, ad ſuſcipiendam Clericalem tonſuram, ut tradit Gloſſ. fin. in c. ult. h. t. in 6. quia in cit. c. 2. fit mentio de ſolia Clericis, & non ſubeſt tanta neceſſitas, ut laici ordinentur, quanta, ut Clerici aſcendant ad Ordines Superiores. Sanch. cit. dub. 20. n. 19. Niſi tamen Epiſcopus ſuſpenſus det licentiam ſubditis, ſeu litteras dimiſſorias ad recipiendam primam tonſuram ab alieno Epiſcopo, quas in hoc caſu dare poteſt, ad inſtar Epiſcopi confirmati, & nondum conſecrati, quia non eſt ſuſpenſus à juriſdictione, ſed ſolùm ab Ordinum collatione. Joann. Andr. in cit. c. ult. h. t. in 6. At verò Clerici hoc caſu non indigent licentiâ proprij Epiſcopi recipiendi Ordines à vicinis Epiſcopis, cùm ipſo jure id eis conceſſum ſit, ideóque neceſſe non eſt id ulteriùs à Superiore poſtulare. Gloſſ. hic V. Licentia.

XXIX. Limitatur 2. Epiſcopus familiarem ſuum, aliàs non ſubditum, ſinè licentia proprij ipſius Epiſcopi, ordinare poteſt, ſi per triennium ſecum fuerit moratus, & beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim cum Ordinibus re ipsâ illi conferat, non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, etiam immemoriali, ut decrevit Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 9. de reform. Dicitur autem familiaris Epiſcopi, in ordine ad præſentem effectum ordinationis, qui per triennium moraliter continuum, præſens Epiſcopo inſervivit, & in ejus obſequio, ſive intra, ſive extra domum, fuit verſatus, ejuſdémque expenſis ſuſtentatus; non autem is, qui abſens eſt, etiamſi alibi ſumptibus Epiſcopi vixerit, quia Epiſcopus tunc non poteſt illius mores ſatis cognoſcere, ob quem finem hoc triennium præfixum eſt. Sanch. c. l. num. 23. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 5. n. 6. & 7. ſufficit autem, quòd triennium inceperit, antequam factus eſt Epiſcopus. Barb. c. l. n. 8.

Debet tamen Epiſcopus ſtatim, id eſt, in continenti, & abſque intervallo, vel ſaltem, quàm primùm beneficium aliquod vacaverit, re ipsâ conferre beneficium ſuo familiari triennali, etiam cùm minores Ordines, vel primam tonſuram ſolùm ipſi vult conferre; non ut ratione illius ſubditus fiat, ſed ne mendicare cogatur, niſi fortè ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, ad titulum patrimonij, vel penſionis eum ordinaverit, & certæ, ac particulari Eccleſiæ aſcribatur, ubi ſuo munere fungi debet, juxta declarationem Cardinalium Concilij c. l. Barb. c. l. n. 11. & 12. non tamen poterit hujuſmodi Epiſcopus diſpenſare in interſtitijs temporum, ut illis non ſervatis, familiaris ſuus triennalis ordinetur, quia cùm facultas ordinandi aliàs non ſubditum ratione familiaritatis conceſſa à Concilio, ſit odioſa, & præjudicans Ordinario loci, ac omnino diverſa, à poteſtate diſpenſandi in interſtitijs, non debet ad illam extendi. Salzed. in pract. Canon. c. 26. lit. C. §. Tertius caſus; niſi poſtquam jam ordinato collatum eſt beneficium ab Epiſcopo, adeóq; jam ei ſubditus factus eſt, ut addunt aliqui apud Barb. c. l. n. 15. neque etiam diſpenſare poteſt cum illo Epiſcopus ſuper illegitimia natalibus, etiam ad minores Ordines. Barb. c. l. n. 14. Epiſcopi verò titulares, qui actu Eccleſiam, & Diœceſin non poſſident, non poſſunt ſuum familiarem non ſubditum, etiam poſt triennium, vel quocunque alio tempore, ordinare, prætextu continuæ familiaritatis, vel commenſalitatis ſuæ, etiamſi in loco nullius Diœceſis, vel exempto reſederint, & nec quidem ad minores Ordines, vel primam tonſuram promovere, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſorijs, ex decreto Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 2, de reform. quia propriam Diœceſin non habet talis Epiſcopus, in qua familiaris ejus domicilium acquirere poſſit, neque etiam habet beneficia, quæ conferre poſſit promovendo. Piaſec. in praxi p. 1. c. 1. art. 2. num. 15. Additur verò in cit. decreto Concilij, quòd Epiſcopus talis contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum; ab eo verò promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum ipſo jure ſint ſuſpenſi, donec ſuo Prælato viſum fuerit.

§. V.

Quinam Epiſcopi ſint proprii ad conferendos Ordines, & qui ob ſpecialem prohibitionem certos quoſdam ordinare non poſſunt?

XXX. Quæritur 1. An non unus tantùm, ſed plures ſint Epiſcopi proprij, quoad conferendos Ordines? Reſpondetur: Triplex eſt Epiſcopus proprius, à quo quis licitè ad Ordines, jure communi, & ordinario, promoveri poteſt, videlicet, Epiſcopus originis, domicilij, & beneficij, ut conſtat ex c. Cùm nullus; 3. in princ. h. t. in 6. Ubi Papa Bonifacius VIII. ait: Cùm nullus Epiſcopus Clericum » (vel etiam Laicum, c. ult. h. t. in 6.) Parochiæ, id » eſt, Diœceſis alienæ, abſque Superioris ipſius licen- » tia debeat ordinare; Superior in hoc caſu (ſcilicet » collationis Ordinum, vel dandi licentiam, ut ab alio » ordinetur) intelligitur Epiſcopus ejus Diœceſis, » ex qua is, qui ad Ordines (quoſcunque, minores, » vel ſacros, ſeu majores. Gl. hic V. Ordines) promo- » veri deſiderat, eſt oriundus, vel in cujus Diœce- » ſi beneficium Eccleſiaſticum obtinet; vel domi- »

ciliurą

„ cilium in eadem habet, licèt alibi natus fuerit. Quare, ſi quis in una Diœceſi natus ſit; in alia habitet, ſive domicilium habeat; in tertia beneficium Eccleſiaſticum obtineat: vel io pluribus Diœceſibus domicilia, vel beneficia obtioeat, ab unoquoque Antiſtitum illarum Diœceſium ordinari poterit. Garc. de benefic. p. 2. c. 4. oum. 2. Barboſ. de Offic. Epiſc. allogat. 4. num. 38. & 51. Quamvis per electiooem unius Epiſcopi præcludi ordinato aditum ad alios Epiſcopos, pro reliqois ordinibus ſuſcipieodis, putet Aloyſius Riccius in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ. 206. ſed ſinè fundamento, quia hoc ſolùm ſpeciale eſt in S. Pootifice, ut infrà dicetur.

XXXI. Pro declaratione hujus c. Notandum 1. Epiſcopus originis eſt ille, è cujus Diœceſi aliquis oriuodus eſt, id eſt, noo in qua fortuitò natus eſt, qoia parentes ſolùm per modum tranſitûs, vel negotiationis caoſâ, ibi morabantur, ſed in qua parentes ordiuandi domicilium habebant, tempore nativitatis illius; ibi enim juriſdictione cenſetur quis natus, etſi re verâ alibi natus ſit, Abb. in c. Rodulphus 35. oum. 9. de reſcript. Sanch. l. 3. de matrimon. diſ. 23. num. 3. Leſſ. lib. 3. de juſtit. cap. 34. uum. 92. & colligitut ex l. Filios 3. & ibi Bart. C. de municipali. & l. Cives 7. in fine C. de incolis lib. 10. Ratio eſt, qoia etſi cives ad tempus, negotiorum cauſâ, aliò proficiſcantut, ſemper tamen in loco domicilij manſiſſe cenſentur, arg. l. Actio 16. ff. de captiv. non enim ejus, quod per accideos eſt, vel fit, ſed qnod per ſe, ratio habetur. Ugolin. de poteſt Epiſ. c. 26. §. 1. num. 5. Inſpicitur etiam, quoad Ordines ſuſcipiendos, origo patris, ita, ut quis, ratione paternæ originis, Ordines ſuſcipere poſſit ab Epiſcopo loci, io quo pater ejus natus eſt, ſaltem ſi de filij origine conſtare non poſſit, per l. Aſſumptio 6. §. Filius ff. ad municip. Nou tamen ſufficit ad Ordines ſuſcipiendos origo Avi, & aliorum aſcendentium, quia daretur proceſſus in infinitum, & uſque ad Adam. Ugolio. c. l. n. 4. Barboſ. cit. alleg. 4. num. 13. oeqoe etiam poteſt quis Ordines ſuſcipere ab Epiſcopo otiginis matris, quia filius originem patris, & non matris ſequitur, etſi in loco, unde mater oriunda eſt, natus ſit, cit. l. 3. C. de municip. niſi deſit aut non conſtet de origine patris. Barboſ. c. l. n. 15. & 16. Vel niſi ſit filius naturalis, & illegitimus; tunc enim non patris, ſed matris origo inſpicitur, l. 1. in fine, l. Ejus 9. ff. ad municip. Barb. e. l. nom. 15. Legitimatus tsmen per Principem patris originem ſequitur, ſicut & filius adoptivus. Gloſſ. in cit. l. 1. V. Pareoribus.

His addendum 1. Expoſiti, quorum parentes ignorantur, noo ſolùm ordinari poſſunt ab Epiſcopo loci, in quo nati ſunt, ſed etiam ejus loci, in quo ſuot expoſiti, cùm utriuſqoe loci ſint cives, vel originarij. Barb. e. l. num. 17. & 57. 2. Illi, qui nullius Diœceſis ſunt, ab Epiſcopo viciniore, quem ſemel elegeront, vel de ejus licentia, ab alio Ordines ſuſcipere poſſunt, ſecundùm reſponſum S. Congr. Concil. Trident. apud Piaſec. in praxi p. 1. c. 1. art. 2. n. 5. 3. Vagi ordinandi ſoot ab Epiſcopo originis propriæ, vel paternæ, ſi etiam pater, tempore nativitatis ipſorum, vagabundus fuerat: quòd ſi neque de origine patris conſtare poſſet, quia etiam avus vagus fuit, cùm ipſi naſcerentur, ei Epiſcopo ſubjecti cenſendi ſunt, io cujus Diœceſi Ordines petunt: quia tales vagi carent certâ origioe, domicilio, & beneficio, ut ſuppooitur; ac proinde nou ſunt ſubjecti magis uni Epiſcopo, quàm alteri, ſed cui voluerint, poſſunt ſe ſubjicere, qooad Ordines ſuſcipiendos. Tiberios iu Inſtructione Ordinand. c. 7. q. 46. ſicut etiam Sacrameuta pœnitentiæ, & matrimonij à quocunque Parocho, ubi morantur, recipere poſſont, Saochez. lib. 3. de matrimon. diſ. 25. num. 5. & 11. Denique Liberti, ſive Libertini ordinari poſſunt, tum ab Epiſcopo ſuæ originis, tum etiam dominorum, ſive patronorum, quorum originem ſequuntur, & non patris, cit. l. Aſſomptio in fine cum l. ſeq. Ugolin. c. l. num. 4. Barboſ. oum. 18. & 36.

XXXII. Notandum 2. Epiſcopus domicilij eſt, io cujus Diœceſi aliquis domicilium, ſive Sedem fixit, animo perpetuò ibi manendi, niſi quid avocet, licèt alibi natus ſit, cit. l. Cives 7. C. de incolis, junctâ Gloſſ. magn. & V. Laicum; ſicut autem qui non longo tempore habitat in aliquo loco, ſi tsmen eò acceſſit, animo perpetuò ibi permanendi, ſtatim ibidem contrahit domicilium; ita, ut ab illius loci Epiſcopo, vel cum ejos conſenſu, ab alio ordinari poſſit, ut docet Navarr. l. 1. conſil. 2. in uovis h. t. Barb. cit. alleg. 4. n. 26. ſic & qui per loogum tempus, ſive per multos annos, in loco aliqoo habitat, ſed abſque animo ſtabiliter ibidem permaoendi, non cootrahit ibi domicilium. Barb. c. l. n. 25. quia domicilium animo, & facto cootrahitur, l. Domicilium 20. junct. Gloſſ. V. facto, ff. ad municip.

Quare Studioſi, qui in Univerſitatibus per plures annos manere ſtatuuot, animo tamen redeundi aliquando in patriam, non contrahunt ibi domicilium, nec ab Epiſcopo loci, ſive habitationis, quantumvis diuturnæ, ordinari poſſuot, ſed pro arbitrio ſuo, vel ab Epiſcopo originis, vel ab Epiſcopo domicilij paterni (ſi io una Diœceſi nati, poſtea, cum patre domicilium mutante, in aliam Diœceſin migrârint) Ordines, vel dimiſſorias petere debent, Abb. in c. fin. oum. 8. de Paroch. Laym. l. 5. tract. 9. c. 9. num. 10. & 11. nam filius manens cum patre, ſortitur domicilium patris, ſi alibi domicilium non figat, cùm etiam filiusfamilias domicilium ſibi conſtituere poſſit, ſi pubes ſit, l. Placet 3. & l. ſeq. ff. ad municip. nec filius, diſcedendo à patre, amittit domicilium patris, ſi animum ad eundem redeundi retineat. Navarr. l. 1. conſil. 3. h. t. Neque domicilio habitationis alicubi conſtituto, ideo amittitur domicilium originis, cùm hoc ſit immutabile, nec illi renonciari poſſit, cit. l. Aſſumptio in princ. ff. ad municip. & l. Origine 4. C. de municip. quia eſt naturale, naturalia autem ſunt immutabilia, §. Sed oaturalia, Inſtit. de jure nat. gent. &c. Porrò non requiritor licentia Epiſcopi in domicilio mutando, ut habetur in c. fin. de Paroch. & ibi Abb. n. 1. debet tamen is, qoi mutat domicilium, afferre teſtimooium veritatis circa natalia, mores, & ſufficientiam ipſius, ab Epiſcopo loci, onde digreſſus fuit: niſi à teneris annis domicilium ſit tranſlatum ad alium locum, & illic habitatio continuata ſit, uſque ad tempus ſuſceptionis Ordinum. Barb. cit. alleg. 4. n. 41.

XXXIII. Notandum 3. Epiſcopus beneficij eſt, in cujus Diœceſi aliquis beneficium Eccleſiaſticum obtinet; licèt alibi habitet, ſive reſideat, ita, ut ad hoc, ut quis, ratione beneficij, ordinari poſſit ab Epiſcopo, de cujus Diœceſi non eſt, vel ab alio de ejus licentia, non ſufficiat beneficium proximè conferendum, ſed requiratur actu collatum; nec etiã ſufficiat ſola collatio, ſive juſtus titulus, ſinè poſſeſſione. Sanch. in opuſc. mor. l. 7. c. 1. dub. 23. num. 15. Garc. de benefic. p. 2. c. 4. n. 16. Barb. cit. alleg. 4. num. 55. qui tamen addunt, videri ſufficere ſolam poſſeſſionem beneficij, ſinè juſto titulo, quia per eam videtur quis effici de foro illius Epiſcopi. Requiritur inſuper, ut beneficium, quod Ordinandus obtinet, veri beneficij Eccleſiaſtici rationem habeat. Unde non ſufficit, ut aliquis obtineat in alicujus Diœceſi præbendam temporalem, v. g. rationelecturæ, ſeu Profeſſuræ, nec Capellaniam non collativam, etiam perpetuam, nec penſionem Eccleſiaſticam, quia hæc non ſunt beneficia Eccleſiaſtica. Gloſſ. in c. 3. V. Eccleſiaſticum h. t. in 6. Garc. e. l. n. 4. & 7. Ugolin. cit. c. 26. §. 3. Barb. c. l. n. 56. Niſi tamen penſio Clericalis alicui in titulum beneficij, vel perpetuæ Vicariæ, aut Commendæ conſtituatur, tunc enim propriè dictum beneficium cenſetur. Laym. l. 4. tr. 2. c. 18. n. 1. neque etiam ſufficit obtinere beneficium in Commendam temporalem, quia hæc non eſt titulus Canonicus, nec habet vim tituli: ſecus, ſi detur in commendam perpetuam, & in utilitatem Commendatarij, quæ habet vim tituli. Garc. c. l. n. 10. & 11. Barb. n. 50. poteſt tamen Epiſcopus eum ordinare, cui præſtimonium, hoc eſt, portionem detractam ex reditibus Eccleſiaſticis conceſſit, abſolutè, & in perpetuum, ob ſpirituale aliquod officium ei annexum, tunc enim computatur inter beneficia Eccleſiaſtica. Barb. c. l. n. 48. & 49.

XXXIV. Cæterùm quòd dictum eſt, poſſe aliquem ordinari ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi beneficium poſſidet, id extenditur 1. Tametſi ſit beneficium manuale, ſeu ad nutum concedentis revocabile, quia eſt verum beneficium: & licèt non poſſit quis ordinari ad titulum talis beneficij; poteſt tamen, ratione illius, ad alium titulum ordinari ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi eſt ſitum. Rebuff. in praxi benefic. tit. de Cleric. & à quibus &c. n. 21. Garc. c. l. n. 3. 2. Extenditur, etiamſi ſit beneficium tenue, nec ſufficiens ad ſuſtentationem ordinandi, quia, licèt quis non poſſit ordinari ad titulum talis beneficij, poteſt tamen, ſi aliunde ſufficientem ſuſtentationem habeat, ad Ordines promoveri ab Epiſcopo loci illius beneficij; nam in jure nomine beneficij communiter etiam tenue comprehenditur, ita, ut habens beneficium etiam tenue, gaudeat privilegio fori Eccleſiaſtici, ſecundùm Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 6. de reform. & ratione beneficij quantumvis exigui, ſi non ſit exemptum, acquirit Epiſcopus juriſdictionem in Beneficiatum, & hic illi ſubjicitur. Garc. c. l. num. 8. Barboſ. c. l. num. 44. & ſeq. nbi id limitat in beneficio tenuiſſimo, v. g. 4. vel 7. Ducatorum; idque ratione præſumptæ fraudis. Contrarium tenet Ugolin. c. l. & Quaranta in ſumma Bullarij V. Ordo; §. circa ſecundum, ubi requirit, ut ſit beneficium ſufficiens ad victum. 3. Extenditur, quamvis beneficium illud nõ requirat reſidentiam, nec ordinandus reſideat in illo, aut in Diœceſi, in qua illud ſitum eſt, adeóque, non eximatur à juriſdictione prioris Epiſcopi; nam tametſi quis, ratione beneficij non requirentis reſidentiam, non acquirat domicilium in loco, ubi illud ſitum eſt, fit tamen ſubditus Epiſcopi illius loci, Joan. Andr. in cit. c. 3. num. 1. & ibidem. Franc. num. 3. h. t. in 6. Quarant. c. l. Garc. c. l. num. 9. Barboſ. c. l. num. 46. & 47. contra Leſſium, & alios nonnullos. Idque probatur, quia in cit. c. Cùm nullus 3. nomine beneficij, quippe generaliter, & abſolutè, ſinè ulla limitatione, poſito, non intelligitur tantùm beneficium requirens perſonalem reſidentiam, ſed etiam non requirens, alioqui enim non tam ratione beneficij, quàm ratione domicilij per beneficium requirens reſidentiam acquiſiti, ſubjiceretur quis tali Epiſcopo, adeóque duo tantùm modi eſſent, quibus quis ſubjicitur Epiſcopo, quoad Ordines ſuſcipiendos, videlicet originis, & domicilij, ſub quo comprehenditur etiam beneficium requirens reſidentiam, quia per hoc acquiritur domicilium: cùm tamen ibi modus, quo aliquis fit ſubditus, ratione beneficij Epiſcopo loci, ubi illud ſitum eſt, ponatur ut diverſus à modo, quo aliquis fit ſubditus, ratione domicilij, qui tamen diverſus non eſt, niſi quatenus includit beneficium non requirens reſidentiam. 4. Sed neque quoad Ordines ſuſcipiendos refert, etiamſi ſit beneficium, propter quod aliquis Ordinem recipit, quia text. in cit. c. 3. generaliter, & indiſtinctè loquitur. Gloſſ. ibidem V. Eccleſiaſticum. Ugolin. c. l. §. 3. Garc. n. 12. Barb. n. 50. quin imò etiamſi alicui eo fine ab Epiſcopo ſit collatum, ut ad ejus titulum ordinari poſſit; nam ſicut non cenſetur fraus, ſi quis domicilium novum contrahat, ut ab Epiſcopo ordinari poſſit: ita nec fraus cenſenda eſt, ſi in ordine ad eundem finem, novum beneficium obtineat. Campanil. in diverſorio Jur. Canon. rubr. 9. c. 8. n. 17. Tiberius in Inſtruct. Ordinand. c. 7. q. 45. modò beneficium non ſit fictè tantùm collatum. 5. Licèt beneficium illud annexum habeat certum Ordinem, v. g. Subdiaconatum, nam Epiſcopus loci, in quo ſitum eſt iſtud beneficium, non ſolùm Subdiaconatum, ſed etiam reliquos Ordines conferre poterit. Franc. in cit. c. 3. n. 3. Ugolin. c. l. §. 3. Garc. c. l. n. 13. 6. Deniq; Epiſcopus poteſt ordinare illum, qui in ejus Diœceſi beneficium habet, etiamſi illud, quoad præſentationem, vel etiam inſtitutionem, ſeu collationem ad Epiſcopum alterius Diœceſis ſpectet. Secus eſt, ſi etiam quoad jura Epiſcopalia, beneficiũ illud alteri Epiſcopo ſubjectum ſit, tunc enim cenſeretur eſſe de illius Diœceſi, adeóque ille ſolus ad Ordines, ratione talis beneficij, promovere poſſet. Franc. c. l. Garc. c. l. n. 15. Barb. n. 52.

XXXV. Quæritur 2. An, & quando ordinatus ab uno Epiſcopo non poſſit ab alio promoveri ad Superiorem Ordinem? Reſpondetur, quamvis regulariter ordinatus ab uno Epiſcopo, v. g. originis, poſſit promoveri ad gradum altioris Ordinis, vel ab alio Epiſcopo, qui habet aliàs poteſtatem ipſum ordinandi, v. g. ab Epiſcopo domicilij, vel beneficij, etiam ſinè conſenſu primi ordinantis, ut colligitur ex cit. c. Cùm nullus; h. t. in 6. quia concurrentem habent poteſtatem ordinandi: ſi

tamen

tamen Clericus in ſacris conſtitutus, videlicet Subdiaconatu, ordinatus ſit ad certæ Eccleſiæ ſervitium, ſeu beneficium reſidentiam poſtulans, is ab alio Epiſcopo ad ſuperiorem Ordinem promoveri non debet, ſinè conſenſu prioris ordinantis: quia talis, inconſulto priore Epiſcopo, an cauſa, ob quam ordinatus fuit, ceſsârit, locum ſuum deſerere non poteſt, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 16. de reform. Quarant. in ſumma Bullar. V. Ordo. §. Circa. 3. Piaſec. in praxi p. 1, c. 1. a. 2. n. 4.

XXXVI. Præterea ordinatus à Papa non poteſt, ſinè eius licentia, ad ſuperiores Ordines promoveri à quovis alio Epiſcopo, prout ſumitur ex c. Cùm in diſtribuendis; 12. h. t. Sic enim communiter Gl. & Canoniſtæ intelligunt hoc c. ubi Papa Innocent. III. ait, à ſe fuiſſe humiliter poſtulatum, & cleméter indultum, ut quia A. Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus erat (ſcilicet ordinatus ab ipſo Papa Gl. hîc in caſu) mandaret ipſum per Bononienſem Epiſcopum promoveri, nempe ad ſuperiores Ordines, quod ſinè mandato Papæ fieri non debet, Hoſtienſ. hîc V. Promoveri. Idque ſtatutum fuit propter reverentiam, & excellentiam poteſtatis Pontificiæ, ut, ubi Papa ſemel manus appoſuit, inferior cœptum perficere non præſumat, ſinè ſpeciali eius licentia, Gl. hîc V. Indultum, & in c. Per tuas; 7. V. Abſolvuntur de majorit. & obed. Hoſtienſ. hîc §. Sed quæ eſt ratio. Quomodo etiam propter reverentiam, in Altari, in quo Miſſam celebravit Epiſcopus, inferior Presbyter eodem die aliam celebrare non debet, ſinè illius licentia, vel niſi ob neceſſitatem urgentem. c. ult. & ibi Gl. V. Non præſumat; diſ. 2. de conſecr. non tamen ordinatus à Papa per hoc eximitur à juriſdictione Ordinarij, cit. c. Per tuas. Eſt autem hoc ſpeciale in S. Pontifice, & extendendum videtur ad omnes Ordines etiam Minores, & primam Tonſuram, ita, ut cui Papa illam contulit, ab alio Epiſcopo, ſinè licentia Pontificia, ordinari non poſſit, propter rationem ſuprà allatam. Laym. in cit. c. Cùm in diſtribuendis, h. t. & quia nomine Ordinis generaliter prolato, comprehenditur etiam prima Tonſura, ſecundùm communem uſum Canonum, ſeu modum loquendi, arg. c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualit. & notat Navarr. l. 1. conſil. 11. n. 1. & 3. h. t. licèt propriè non ſit Ordo.

XXXVII. Quæritur 3. An, & quâ ratione prohibitum ſit, Clericos Latinos ordinari ab Epiſcopis Græcis, & è converſo Græcos à Latinis? Reſp. 1. Latini à Græcis, ſecundùm proprium eorum ritum, & è converſo hi ab illis, non ſunt ordinandi, idque, ne rituum fiant commixtiones, ut habetur in c. Cùm ſecundùm; 9. h. t. nam quia in partibus Calabriæ Latini à Græcis, ſecundùm inſtitutionem, ſeu ritum Græcorum (ſcilicet extra 4. tempora, Gl. hîc in caſu) & Græci à Latinis, ſecundùm ſuam inſtitutionē, ſeu ritum ordinabantur: ideo Papa Cæleſtinus III. prohibet de cętero cōmixtiones, & conſuetudines rituum in Ordinibus obſervari, id eſt, ut Latini de cætero ritum Græcorum in Ordinibus conferendis non obſervent, extra 4. tempora conferendo Ordines, non obſtante conſuetudine ab antiquo tempore apud Græcos uſitatâ, & receptâ, cùm ſit contra inſtitutionem Latinæ Eccleſiæ. c. 2. h. t. Gloſſ. hîc in caſu.

Hinc colligitur 1. Quòd Latinus Epiſcopus non poteſt licentiam dare Clerico Latino ſibi ſubjecto, ut ordinetur à Græco Epiſcopo, niſi ritu Latino, & ſtatis ab Eccleſia Romana temporibus, quia ſecundùm antiquos Canones, ordinare debet, vel alteri Epiſcopo ordinandi licentiam dare ſuos ſubditos. Azor p. 2. Inſtit. l. 3. c. 48. q. 14.

Colligitur 2. Quòd non ſit prohibitum, Græcos ordinari ab Epiſcopis Latinis, vel vice verſâ, hos ab illis, modo id fiat, cum licentia ſuorùm Epiſcoporum, & Latini ordinentur ſecundùm ritum Latinorum; Græci, ſecundùm ritum Græcorum, neque enim hîc damnatur conſuetudo, ſeu ritus ordinandi Græcorum, ſed ſolùm, ne Latini â Græcis Epiſcopis, ſecundùm eorundem ritum, ordinentur, Abb. hîc num. 1. not. 2.

XXXVIII. Reſp. 2. Si Clericus Græcus Epiſcopo Latino ſubjectus, à Græco Antiſtite ordinetur (extra quatuor tempora, ſicut eſt in antiqua Compilatione) interdicenda eſt ei Ordinis ſic ſuſcepti executio, tanquam ab alieno Epiſcopo ordinato, niſi ex mandato, vel cum licentia ſui Epiſcopi, fuerit ordinatus. Si verò talis Clericus Græcus, ex mandato, vel cum licentia ſui Præſulis Latini, in cuius diœceſi exiſtit, à Græco Epiſcopo, ſecundùm morem, ſeu ritum Græcorum, fuerit ordinatus, licèt culpandus ſit Epiſcopus Latinus, quòd Clericos ſuos à Græco Epiſcopo permittat ordinari (& quidem ſecundùm ritum, ſeu morem Græcorum) non tamē ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum ordinatus impediri, vel ſuſpendi debet, quamdiu mos ſeu ritus Græcorum ab Eccleſia toleratur, prout ſtatuit Innocentius III. in c. Quod translationem; 11. h. t. Ratio patet ex cit. c. quia ſi ſic ordinati ab Epiſcopis Græcis incurrerent inhabilitatem ad exercitium Ordinis ſuſcepti, damnaretur mos, ſeu ritus ille Græcorum, quem tamen Eccleſia non vult damnare, ſed tolerare.

Porrò quando Epiſcopus Latinus in diœceſi ſua habet Latinos, & Græcos ſibi ſubjectos, ſuis moribus, ſeu ritibus utentes, debet, ſi poſſit, & neceſſe ſit, conſtituere Vicarium aliquem Epiſcopum Græcum, qui Græcis Clericis Ordines conferat, ut colligitur ex c. Quoniam; 14. de offic. Ordin. Azor cit. c. 48. q. 14. Vivian. in Ration. Jur. Pontif. in cit. c. Quòd translationem. h. t. & ibid. Barb. n. 2. Cavere tamen debet, ne permittat Clericos Latinos ordinari ab Epiſcopo Græco, ſecundùm ritum, & morem Græcorum, cap. Cùm ſecundùm 9. h. t. Vivian. c. l.

XXXIX. Quæritur 4. An, & qua ratione prohibitum ſit Epiſcopis Italiæ ordinare Ultramontanos? Reſp. Epiſcopi Italiæ non poſſunt ordinare Ultramontanos, ſinè licentia Papæ, vel litteris dimiſſoriis proprij Ordinarij, prout habetur in c. 1. h. t. in 6. Nam quia ſæpe contingit, ut nonnulli Clerici excommunicati, vel Apoſtatæ, vel irregulares (ſive ex delicto, ſive ex alio defectu, Gl. hîc. V. Eodem) vel aliàs indigni ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, ex ſua patria, in qua de his habetur notitia, fugientes, in remotis partibus ſe ad Ordines huiuſmodi promoveri faciant. Ideo Clemens IV. ad obviandum periculis animarum ipſorum ſtatuit, ut nullus Epiſcopus Italiæ de cætero Clericum Ultramontanum ordinare præſumat, niſi à S. Pontifice ſpecialem, ſeu expreſſam licentiam habeat, vel ab

 Epi-

„ Epiſcopo, è cuius diœceſi ordinandus eſt oriundus, vel in qua beneficiarius exiſtit (vel ubi habet domicilium, licèt alibi natus fuerit, Gl. hîc V. exiſtit) litteras patentes offerat, in quibus rationabilis cauſa contineatur, cur ipſum nolit, aut non poſſit ordinare. Quòd ſi ſecus factum fuerit, ordinati, ſinè ſpe obtinendæ diſpenſationis à Sede Apoſtolica, manebunt ſuſpenſi (ipſo jure) ita, ut à nemine, ne quidem à Pœnitentiariis Sedis Apoſtolicæ, cùm ſic ordinatis, ſinè ſpeciali licentia Pontificis, diſpenſari poſſit, nec per litteras ad alios datas, ut cum ipſis diſpenſetur (quia quod per ſe non poſſunt Pœnitentiarij, nec per alios poterunt, Gl. fin. hîc) ordinantes verò pœnâ condignâ puniantur. Hinc colligitur, quòd Pœnitentiarij Papæ non poſſunt abſolvere, vel diſpenſare in caſibus ipſi Papæ reſervatis, ſinè ſpeciali eius licentia, Franc. hîc n. 4.

XL. Notandum 1. Quamvìs in hac Conſtitutione non fiat mentio expreſſa de Epiſcopo domicilij, ſi tamen Ultramontanus ordinandus ab eo afferat litteras dimiſſorias, poterit ab Epiſcopo Italiæ ordinari, quia ille etiam tacitè hîc comprehendi cenſendus eſt, propter omnimodam ſimilitudinem rationis conformiter aliis juribus, ut apparet ex c. 3. h. t. in 6. & quia unum Jus per alterum ſupplendum eſt, arg. c. Cùm expediat; 29. de Elect. in 6. Joan. Andr. Joan. Monach. Ancharan. hîc not. 5. contra Gl. hîc V. exiſtit.

Notandum 2. Hæc Conſtitutio locum etiam habet, ſi Ultramontanus in Italia Ordines minores accipiat, ſinè licentia Papæ, vel ſui Ordinarij, quia quámvìs in principio loquatur de ſacris Ordinibus, tamen poſtea in contextu generaliter loquitur, ut nullus Epiſcopus Ultramontanum ordinare præſumat, nec inter Ordines diſtinguit, cùm ergo jus non diſtinguat, neque nos diſtinguere debemus. arg. l. de pretio. 8. ff. de Publiciana: & attendenda potiùs ſunt verba ipſius Conſtitutionis, quàm, quod in principio præmittitur; quamvìs etiam dici poſſit, quòd ibi ſacri Ordines latè vocentur, ut etiam minores comprehendantur, Gl. hîc V. Clericum. Joan. Monach. n. 3. & Franc. n. 10. & 11. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 19. qui tamen quoad primâ Tonſuram diſſentit, cum Navarro. l. 1. conſil. 31. h. t. quia ea non eſt Ordo, neque Clericis, ſed laicis confertur. Sed probabilius eſt, Ultramontanum ab Epiſcopo Italiæ nec primam tonſuram accipere poſſe, ſinè licentia Papæ. vel Ordinarij, ut docent ſuprà citt. & Laym. hîc; nam ſecundùm uſum SS. Canonum, prima tonſura Clericalis Ordo appellatur, & eius collatio Clerici ordinatio, ut conſtat ex c. ult. cauſ. 9. q. 2. & c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualit. quia per eam Clericus efficitur, ut etiam dictum ſuprà; adeóque etiam pœna huius c. locum habet in ijs, quibus prima tonſura eſt collata in Italia, ut ſuſpenſi ſint ipſo jure, quoad Ordinem ſuperiorem accipiendum, niſi Papa diſpenſet.

Notandum 3. Hæc Conſtitutio non habet locum, ſi vice verſâ, Epiſcopus Ultramontanus Italum ordinet, extra Italiam, quia lex pœnalis, aut à Jure antiquo devians, etiam propter ſimilitudinem rationis, ad caſum, vel perſonas non expreſſas extendi non debet, ſecundùm Gl. in reg. 49. in 6. V. In pœnis, Gl. hîc V. Italiæ, Joan. Monach. Anchar. not. 3. Franc. n. 4. Et quamvìs fortè ratio diverſitatis dari non poſſit, potuit tamen Legislator ad hoc ſtatuendum de Italis, & non de Ultramontanis, moveri, ob rationem nobis incognitam, non enim omnium, quæ à majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt, l. 20. ff. De legib. Quamquàm etiam diverſa ratio in hoc caſu habet locum, quia ideo fuit ſtatutum, ne Ultramontani ordinarentur ab Epiſcopis Italiæ, eò quòd hoc magìs ibi frequentabatur, ut colligitur ex principio hujus c. & notat Franc. hîc n. 4. Leges autem fiunt de ijs, quæ frequenter accidunt. Idémque multò magìs dicendum eſt de ijs, qui propriè non ſunt Ultra- aut Citramontani, ſed medij, quia non ultra, aut intra montes degunt, ſed in ſummitate montium quòd hæc Conſtitutio, quippe pœnalis, & localis, locum in illis ſibi non vendicet, Anchar. & Franc. hîc & Barb. n. 4.

Porrò noviſſimè Urbanus VIII. in Conſtitutione edita 11. Decemb. Anno 1624. quæ incipit: Secretis; & refertur apud Barboſ. in c. 1. n. 2. h. t. in 6. approbatis, & innovatis pœnis huius c. Motu proprio, & ex certa ſcientia, prohibuit omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus, ne quovis prætextu, & ex quacunque cauſa, quoſcunque Ultramontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non ſolùm ad ſacros, ſed nec etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem, ſive tonſuram promovere auderent, niſi dimiſſorias ſuorum Ordinariorum litteras à Nuncijs, ſeu Collatoribus Apoſtolicis in illis partibus commorantibus, recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorúmque ſubſcriptiones à Vicario in Urbe generali in ſpiritualibus fuerint examinatæ, recognitæ, & approbatæ, aliàs promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium: promoti verò perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica obtinendæ, eo ipſo incurrant.

§. VI.

Quinam habeant poteſtatem extraordinariam, aut delegatam conferendi Ordines?

Præter Epiſcopos, ex delegatione, ſeu conceſſione ipſius Juris communis, vel S. Pontificis ſpeciali privilegio, aut cōmiſſione, etiam aliis non Epiſcopis competere poteſt poteſtas conferendi Ordines, ſaltem minores: non item ex commiſſione alterius Epiſcopi inferioris, quia nullus Epiſcopus inferior Papâ, ea, quæ ſunt Ordinis, alteri committere, ſeu delegare poteſt, ſed tantùm ea, quæ juriſdictionis ſunt. c. pen. & ibi Gl. V. Juriſdictionis, de conſecrat. Eccleſ. & alij communiter.

XLI. Hoc poſito, quæritur 1. Quibus Abbatibus, ſeu Prælatis competat poteſtas conferendi Ordines, & quos, ac quibus perſonis? Reſp. Spectato Jure communi antiquo, omnes Abbates, ſeu Prælati Regulares, modò Presbyteri fuerint, & benedictionem ab Epiſcopo acceperint, (vel etiam non benedicti, ſi Epiſcopus ter requiſitus, noluit, aut diſtulit benedicere, juxta c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat.) primam Tonſuram, Oſtiariatum, ac Lectoratum conferre poſſunt ſuis ſubditis, non ſolùm Monachis, ſeu Regularibus,

ribus, ſed etiam ſecularibus, in quos ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, ut conſtat ex ean. 1. juncta Gloſſ. V. Lectoris. diſ. 69. ubi tamen poteſtas ordinandi reſtringitur ad ſolos ſubditos Regulares intra proprium Monaſterium, ut patet ex illis verbis *ſolummodo in proprio Monaſterio*, Suar. tom. 4. de Relig. l. 2. cap. 29. num. 5. & 6. Item ex c. Cùm contingat; 11. & ibi gl. V. Abbati de ætat. & qualit. ubi habetur, poſſe etiam hos Abbates dare primam tonſuram, quia, qui poteſt majus, poteſt etiam id, quod eſt minus, maximè, quando ſunt ſubordinata; ſicut Ordines, & prima tonſura. Denique in c. Abbates; 3. juncta Gl. V. tonſuram de privileg. in 6. additur, quòd non aliis, quàm Monaſteriorum ſuorum Converſis, ſive profeſſis, & qui ad illa convolaverint (ut fiant Monachi) & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam tonſuram conferre poſſint.

Porrò licet in prædictis caſibus ſolùm mentio fiat de prima Tonſura, & Lectoratu, tamen hîc Oſtiariatum præſupponit, ideóque etiam illum Abbatibus conferendi poteſtas facta cenſetur.

Quòd autem Abbates hujuſmodi, Jure communi Canonico, etiam Exorciſtas, & Acolythos ordinare poſſint, nullibi reperitur expreſſum: quamvis nonnulli velint etiam hos duos minores Ordines conferre poſſe, quia eadem eſt de uno Ordine minore, & de aliis ratio. Abb. in cit. c. Cùm contingat; num. 1. in fine. Sanch. in opuſc. moral. l. 3. c. 1. dub. 19. num. 12. At verò, quòd ſaltem ex diuturna conſuetudine, omnes Ordines minores etiam olim Abbates conferre potuerint, colligitur ex c. 1. & ibi Gl. V. à non Epiſcopis, de Ordinat. ab Epiſc. qui Epiſcop. renunc. Laym. in c. 1. n. 13. de ſuppl. neglig. Prælat.

XLII. Reſp. 2. Jure novo Concilij Tridentini, Abbates, ac Prælati Regulares, ſi Sacerdotes, & benedicti ſint, atque jus mitræ, & baculi, ſeu Pedi paſtoralis deferendi habeant; vel à Sede Apoſtolica privilegiati ſint, ut poſſint Pontificalia exercere, perinde, ac ſi benedicti eſſent, primam tonſuram, & quatuor Ordines minores Regularibus ſubditis ſuis conferre poſſunt, non item aliis, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 10. de reformat. juncta declaratione Cardinal. Concil. ibid. num. 1. argumento ſumpto à contrario ſenſu: ſi enim Ordines conferre non poſſunt cuiquam, qui regularis ſubditus ipſorum non ſit, ut ibi dicitur, ergo ſuis ſubditis conferre poterunt, quia unius incluſio, eſt alterius excluſio, Zerola in praxi Epiſc. V. Abbas. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 16. §. 19. num. 2. Miranda in Man. Prælat. Regul. tom. 1. quæſt. 38. art. 9. Sed neque, etſi exempti ſint ab Epiſcopo, poſſunt aliis, quàm Regularibus ſibi ſubditis, primam tonſuram, vel Ordines minores conferre, ſi tamen intra diœceſin eiuſdem exiſtant, ut habetur in Concil. Trident. c. l.

XLIII. Hinc infertur 1. Ad hoc, ut Abbates poſſint conferre primam Tonſuram, & Ordines minores etiam ſuis ſubditis Regularibus, requiri 1. ut ſint Abbates Regulares, & quidem veri, qui Abbatias obtinent in titulum, & non in commendam tantùm, quia hæc poteſtas ſolis Abbatibus benedictis, vel uſum Pontificalium habentibus eſt conceſſa; Commendatarij verò Abbates non benedicuntur, nec Pontificalia exercere poſſunt, ſicut etiam alia privilegia conceſſa Abbatibus Regularibus non extenduntur ad Commendatarios, Zerol. cit. loc. limit. 2. Tamburin. tom. 2. de Jure Abbat. diſ. 2. quæſt. 1. num. 5. 2. Ut ſint Sacerdotes, ut patet ex Canonibus ſuprà citt. Ugolin. cit. loc. num. 1. Quia poteſtas conferendi Ordines ſupponit poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum, adeóque Sacerdotium, ut colligitur ex c. Ex litteris; 10. de exceſſib. Prælat. ac proinde Abbas non Sacerdos nec validè conferre poteſt Ordines, Tamburin. cit. d. 2. quæſt. 3. num. 1. & ſeqq. 3. Ut ſint benedicti, juxta cit. c. 1. diſ. 69. & c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualit. ubi manuum impoſitio, id eſt, benedictio requiritur, ut Abbas Ordines conferre poſſit, niſi Epiſcopi tertiò requiſiti benedictionem iis impendere recuſent. c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. ſed hodie Abbates Regulares, etſi benedicti non ſint, modò ex privilegio Apoſtolico Pontificalia exercere poſſint, Ordines minores conferre poſſunt, ſaltem ſuis Regularibus ſubditis, Zerola V. Abbas limit. 4. Ugolin. cit. §. 19. num. 1. Mirand. cit. art. 9. conclu. 3. Et hinc etiam Abbates temporales, ſeu triennales, quibus non impenditur benedictio, eò quòd ea etiam ſit quaſi perpetua, & indelebilis, ordinare poſſunt, & alia exercere, quæ Abbates benedicti poſſunt ex privilegio Papæ Eugenij IV. conceſſo Ciſtercienſibus, ut refert Suar. cit. c. 29. num. 17. & Tamburin. cit. loc. quæſt. 3. n. 2. 3. & 4.

XLIV. Infertur 2. Probabile eſt, Abbates Regulares, habentes jus mitræ, & baculum deferendi, ſi Sacerdotes, & benedicti ſunt, etiam Regularibus, & Secularibus ſibi non ſubditis primam Tonſuram, & Ordines minores conferre poſſe, dummodo id fiat, cum ſpeciali conſenſu Epiſcopi loci, in quo ordinatio fiet, ita, ut non ſufficiat conſenſus, ſeu licentia generalis, ſed neceſſaria ſit licentia particularis pro ordinationibus ſingulorum, & inſuper accedat licentia Prælati Regularis, vel licentia alterius Epiſcopi, ſi ſubditus ſecularis alienæ diœceſis ab Abbate ordinandus ſit, prout declaravit Congreg. Cardinal. S. Concil. cit. ſeſſ. 23. cap. 10. de qua teſtatur Joan. Gallemart. ibid. Gloſſ. in cap. 1. diſ. 69. V. Monaſterio. Zerol. cit. loc. limit. 3. Ugol. cit. loc. Suar. cit. c. 29. num. 21. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 3. num. 13. ubi tamen de veritate huius deciſionis dubitat propter verba Concil. Trident. c. l.

XLV. Infertur 3. Prædictos Abbates ſolis profeſſis, non autem novitiis ſuis poſſe conferre Ordines poſt Concil. Trident. cit. loc. quia Novitij propriè non veniunt appellatione ſubditorum Regularium, cùm non ſint Religioſi, neque abſolutè ſubditi, ſed tantùm in Ordine ad experimentum, ſeu probationem, poſſunt enim ante profeſſionem liberè retrocedere, & ſe eximere à poteſtate Superiorum Ordinis: quamvis aliàs privilegiis quibuſdam Religionis gaudeant, Rodriqu. tom. 3. qq. regul. q. 23. a. 2. in fine, Ugolin. c. l. §. 19. n. 2. Barb. cit. alleg. 3. n. 8.

Verùm probabilius eſt, Abbates, qui Pontificalia Inſignia habent; & benedicti ſunt, poſſe etiam hodie, poſt Concil. Trident. conferre primam Ton-

Tonſuram, & Ordines minores Novitiis ſuis, quia Jure antiquo id poterant, ut colligitur ex c. Abbates; 3. de privileg. in 6. ubi per Converſos intelliguntur profeſſi, per illos verò qui ad illa convolaverint, Novitij, nempe ij, qui ad Monaſteria veniunt, & ibi convertuntur, & fiunt Monachi, ut exponit Gl. ibid. V. Convolaverint. Confirmatur, nam appellatione Regularium in materia favorabili, adeòque etiam in Concil. Trident. c. l. comprehenduntur quoque Novitij. c. Religioſo; 21. §. Quamvìs de ſent. excom. in 6. & beneficium Principis latè eſt explicandum, quantum verba patiuntur, & correctio jurium, quantum fieri poteſt, vitanda eſt, Sanch. cit. l. 7. c. 1. dub. 19. n. 15. Suar. cit. c. 29. n. 12. Laym. l. 5. Theol. moral. tr. 9. c. 9. n. 2.

XLVI. An autem poſt Concil. Trident. Abbates Regulares, vel etiam Seculares, qui nullius diœceſis ſunt, ſed pleniſſimè exempti, quia proprium territorium, ſeu diſtrictum habent, in quo Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem exerceant, etiam in populum, ſeu ſubditos ſeculares, iiſdem primam Tonſuram, ac Ordines minores conferre poſſint, dubitatur? Affirmat Sanch. in opuſc. mor. tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 19. num. 20. quia ea facultas non eſt ſublata per Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 10. Nam cùm ſit privilegium Abbatibus conceſſum in generali Concilio, nempe in VII. Synodo, c. 15. & inſertum Corpori Juris, non cenſetur ei derogatum per generalem privilegiorum revocationem à Concilio Trident. factam. Idem cenſet Layman. in c. 1. num. 15. de ſuppl. neglig. Prælat. & de Elect. Prælat. quæſt. 218. idque ob immemorialem conſuetudinem. Sed contrarium tenet Suar. cit. c. 29. num. 19. ubi ait, ita declaratum à Congreg. Cardin. & noviſſimè Fagnan. in c. Nonnulli; 28. n. 24. & ſeqq. de reſcript. & in c. Significaſti; 8. num. 24. de offic. Archid. nempe quòd nullus Prælatus Epiſcopo inferior, ſive Regularis, ſive Secularis, poſſit hodie conferre primam tonſuram, & minores Ordines perſonis ſecularibus: tametſi non ſolùm temporalem, ſed etiam ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant in Clerum, & populum, excluſis Epiſcopis, & ſive illorum territorium ſit intra, ſive extra fines diœceſis. Ratio eſt, quia Decretum VII. Synodûs generalis, quod refertur in c. 1. diſ. 69. concedit Abbatibus facultatem conferendi primam tonſuram, & minores Ordines ſolummodo in proprio Monaſterio, adeóque non, niſi ſuis ſubditis regularibus, conſequenter per Decretum Concilij Trident. non derogatur huic Decreto Concilij generalis, cùm non ſit ei contrarium: quamvìs etiam Decretis Conciliorum generalium derogetur per poſterius decretum Concilij generalis, etſi in eo nulla de prioribus fiat mentio, ut ex probabili ſententia dictum ſuprà tit. 2. num. 127. Conſtitutio verò Innocentij III. in c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualit. allegans Decretum VII. Synodi loquitur ſolùm de laicis, qui ad Monaſteria convolantes à ſuis Abbatibus tonſurantur, id eſt, ut explicat Gl. in cit. c. Abbates; V. convolaverint, de privil. in 6. qui tranſeunt ad Monaſteria, ut ibi convertantur, & Monachi fiant, adeóque de Novitiis ſolùm; quia Regularium appellatione veniunt etiam Novitij, ut ſuprà dictum. Denique Conſtitutio Alexandri IV. in cit. c. Abbates de privileg. in 6. ut non liceat Abbatibus primam tonſuram Clericalem conferre aliis, quàm Monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, niſi privilegium Apoſtolicum habeant, aliis etiam ſecularibus non ſubjectis Ordines conferendi, revocata eſt per Concilium Tridentin. c. l. quoad ſubditos, in quos quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent; nam etiam privilegium ſpeciale contentum in Corpore Juris, tollitur per generalem privilegiorum revocationem, etiamſi de eo non fiat mentio, ſicut ipſum jus commune tollitur per poſteriorem legem, nullâ de eo factâ mentione, cap. 1. de Conſtit. in 6. imò faciliùs cenſeri debet derogatum privilegiis inſertis Corpori Juris per contrariam Conſtitutionem, etiam nullâ factâ illius mentione, quàm privilegiis non inſertis Corpori juris, quia in his allegari poteſt defectus intentionis Papæ, propter illorum ignorantiam, vel oblivionem. c. Ex parte; 12. de offic. deleg. in privilegiis verò contentis in Corpore Juris præſumitur illorum ſcientia, ſicut & juris communis, ideóque non eſt neceſſarium, ut in revocatione talis privilegij fiat ſpecialis ejuſdem mentio, ſicut nec Juris communis, quamvìs aliàs privilegiis Canonum difficiliùs conſueverit derogari. Fagnan. c. l. n. 38. & ſeqq. de quo alibi.

Quare prædicta facultas conferendi primam Tonſuram, & minores Ordines ſecularibus, etiam ſubditis, per decretum Concilij Trident. c. l. eſt Abbatibus adempta, non obſtantibus quibusvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorialibus, ut ibidem additur, idque hodie ſervandum eſt, ſaltem ubi Concil. Trident. eſt receptum.

XLVII. Quæritur 2. An aliis quoque Sacerdotibus, aut Clericis delegari, ſeu committi poſſit poteſtas conferendi Ordines? Reſp. Præter prædictos Abbates, ſeu Prælatos, & Cardinales Presbyteros, quibus etiam poteſtas conferendi primam tonſuram, & Ordines minores ſuis ſubditis conceſſa eſt, ut docet Rodriquez tom. 3. qq. reg. quæſt. 23. art. 2. Laym. cit. cap. 9. num. 1. Barboſ. cit. alleg. 3. num. 15. & alij. nulli alij ſimplici Sacerdoti, ne quidem Parocho, talis poteſtas de facto competit, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ: quamvìs ex ſpeciali privilegio, vel delegatione S. Pontificis, cuivis Sacerdoti ſimplici ea poteſtas committi poſſit. Piaſecius in praxi Epiſcop. p. 1. cap. 1. art. 1. num. 8. Barboſ. cit. alleg. 3. num. 4. & 16. Imò etiam non Sacerdoti, ſuppoſitâ ſententiâ non improbabili, quòd Ordines minores non ſint vera Sacramenta, ſed Sacramentalia tantùm ab Eccleſia inſtituta, Coninck. tract. 2. de Sacram. cap. 9. d. 20. dub. 9. Tiber. cit. loc. cap. 6. quæſt. 36. Non autem per ſolam conſuetudinem, etſi immemorialem, ſi conſtante famâ, ſeu perſuaſione privilegij Apoſtolici non ſit ſubnixa, introduci poteſt, ut Sacerdotes non Epiſcopi Ordines, etiam minores tantùm, vel primam tonſuram conferant. Azor p. 1. l. 5. cap. 19. §. Conſuetudo, qua Presbyter, Laym. in cap. 1. num.

Digitized by Google

num. 7. de ſuppl. negl. Præl. idq; ſumitur ex c. Quanto; 4. de conſuet. & ibi Interpretes communiter. Ratio eſt, quia Sacerdos ſimplex, ſinè titulo privilegij præſumpto, ſeu colorato, propter famam accepti privilegij, eſt incapax poteſtatis ordinandi, cùm ſolus Epiſcopus ſit ordinarius Miniſter Ordinationis, ut ex traditione Eccleſiæ conſtat; & ex Trident. Concil. Seſſ. 23. can. 7. incapax autem poſſidendi, eſt etiam incapax præſcribendi; c. Cauſam; 7. de præſcript.

XLVIII. An autem ex vi delegationis à Sede Apoſtolica factæ; etiam à Sacerdotibus non Epiſcopis conferri poſſint Ordines majores, dubitatur? Communis ſententia Theologorum, & Canoniſtarum, cum S. Thoma 3. p. in ſupplem. a. 1. ad 3. contra Abbatem, negat, S. Pontificem committere poſſe Sacerdoti ſimplici poteſtatem conferendi Ordines majores, quia hi continent immediatam poteſtatem ſuper Corpus Chriſti verum; vel conſecrandi illud; vel materiam Sacerdoti miniſtrandi, adeóque proximè referuntur ad Corpus Chriſti. Idque de Presbyteratu indubitatum videtur, ut conſtat ex Chriſti inſtitutione; & communi praxi Eccleſiæ, neque oſtendi poteſt, à Sede Apoſtolica unquam Sacerdoti non Epiſcopo; vel Epiſcopo non Sacerdoti, poteſtatem conſecrandi Presbyteros delegatam fuiſſe, quod eſt ſignum à poſteriore; illam non eſſe delegabilem: Nam Chorepiſcopi illi; qui ex conſenſu Epiſcopi Diaconos, & Presbyteros ordinare potuerunt, ut conſtat ex variis antiquis Conciliis, non erant ſimplices Sacerdotes; ſed veri Epiſcopi, ſimiles illis, qui Titulares, & Epiſcoporum Suffraganei hodie appellantur, ut ex Damaſo Papa Ediſt. 5. oſtendit Laym. l. 5. tr. 9. n. 3.

Quod verò ad Subdiaconatum, imò & Diaconatum attinet, probabiliter aſſeritur, S. Pontificem ſimplici Sacerdoti committere poſſe poteſtatem ordinandi Subdiaconos, & Diaconos; ut docet Rodriqu. tom. 1. qq. quæſt. 18. art. 3. & probabile cenſet Tanner. tom. 4. diſ. 7. quæſt. 3. dub. 2. num. 29. & ſeqq. atque ſuſtineri poſſe in caſibus neceſſitatis, ut in Ultramarinis Regionibus, aſſerit Barboſ. cit. alleg. 3. num. 4. quia tale privilegium ordinandi Diaconos, & Subdiaconos ab Innocentio VIII. conceſſum fuiſſe Abbatibus Ciſtercienſibus, poſt Vaſq. teſtatur Rodriq. c. l. etſi de hoc privilegio, quoad Diaconos, dubitet Coninck. tr. 2. de Sacram. diſ. 29. dub. 9.

Quòd ſi S. Pontifex aliquando delegavit eam poteſtatem, ergo potuit delegari, alioqui graviſſimè erraſſet; quod dici non debet. Ratio eſſe poteſt, quia, cùm uterque hic Ordo ſit Sacerdotio inferior, & utriuſque functio per ſe talis non ſit, quin etiam ſimplex Sacerdos illam injungere poſſit; ſeclusâ juris poſitivi prohibitione; non apparet efficax ratio; cur ſaltem ex delegatione S. Pontificis, à ſimplici Sacerdote conferri non poſſit; Tanner. cit. loc. num. 31. Prædictum tamen privilegium ordinandi Diaconos, vel ſaltem Subdiaconos Ciſtercienſibus conceſſum hodie non eſſe in uſu; ſed revocatum eſſe per Concilium Trident. Seſſ. 23. c. 8. & c. 10. & 12. dum videtur ſolis Epiſcopis reſervare poteſtatem conferendi ſacros Ordines, docent Rodriq. cit. loc. art. 4. Navarr. l. 5. Conſil. 14. de privileg. Laym. cit. cap. 9. num. 4.

XLIX. Quæritur 3. An Ordinatio facta ab Abbate contra formam; ſeu tenorem facultatis ordinandi ſibi conceſſæ, eam excedendo, ſit non ſolùm illicita; ſed etiam invalida? Reſp. 1. Si Abbates; vel alij ſimiles; quibus poteſtas conferendi primam tonſuram, & Ordines minores, non præcisè ex vi conſecrationis ſuæ; ſeu Ordine Sacerdotali; ſed ex delegatione S. Pontificis, vel generalis Concilij jure communi factâ competit, limites poteſtatis ſibi, cum reſtrictione ad certas perſonas; vel etiam locum, conceſſæ, Ordinando excedant; probabilius eſt, Ordinationem; non ſolùm illicitam; ſed etiam invalidam eſſe, ita, ut ſic Ordinati denuo ordinari debeant; ob defectum poteſtatis in Ordinante. Ut ſi v. g. Abbas nondum benedictus; neque privilegium habens à Sede Apoſtolica exercendi Pontificalia ſinè benedictione; proprios Regulares; vel etiam Abbas benedictus alienos; ſeu ſibi non ſubditos; ſive Regulares, ſive Seculares; extra Monaſterium, ordinare præſumat, ordinatio non tenet, Suar. cit. c. 29. num. 8. & 9. Laym. cit. c. 9. num. 7. contra Gloſſ. in cit. c. Abbates. V. Tonſuram de privileg. in 6. ubi ait, Abbatem Ordinato imprimere characterem, quam etiam ſequitur Tamburin. cit. diſ. 2. quæſt. 8. Ratio eſt, quia poteſtas talis ad ordinandum conceſſa; naturâ ſuâ, revocabilis eſt à delegante, qui eam conceſſit; nec imprimit characterem indelebilem ei; cui illa eſt conceſſa, quia hic non per delegationem, ſeu commiſſionem; ſed per Ordinationem imprimitur, conſequenter pendet in fieri; & in conſervari à voluntate Papæ delegantis; à quo limitatè; & cum reſtrictione ad certas perſonas; tempus; vel locum ordinandi concedi poteſt, ac proinde; ſi limites præſcripti à Papa excedantur, nulla eſt poteſtas in tali Miniſtro ad ordinandum; nec licitè; nec validè; Suar. cit. loc. ubi tamen num. 11. excipit; ſi Abbas ordinaret ſubditos Regulares; extra ſuum Monaſterium, validam fore ordinationem; imò & licitam, ſi cum licentia Prælati proprij fiat; quia locus eſt circumſtantia nimis extrinſeca; nec neceſſaria ad ſubſtantiam, & valorem Ordinationis; ſed ſolùm; ut licitè fiat: niſi Papa expreſsè vellet poteſtatem ordinandi non aliter concedere; quàm cùm reſtrictione ad certum locum, ſicut, ſi concederet facultatem ordinandi ad certum tantùm tempus, tunc enim alibi; vel poſt tempus præfinitum facta invalida foret.

Deinde limitat Laym. cit. loc. ſi Abbas laico ſuæ juriſdictioni in temporalibus; & ſpiritualibus ſubjecto primam Tonſuram, vel minores Ordines conferat, tunc enim valida videtur eſſe Ordinatio; quia talis poteſtas ordinandi ipſo jure communi antiquo conceſſa erat in c. Abbates, 3. de privileg. in 6. quæ jure novo Concilij Tridentini non eſt reſtricta; ita, ut eius actus, ſeu executio ſit irritata, ſed ſolùm prohibita, & illicita reddita, ut patet ex cit. ſeſſ. 23. c. 10. ibi: *Abbatibus non liceat in poſterum &c.*

L. Cæterùm, quia circa hoc diverſæ, & in ſpeciem contratiæ extant declarationes à S.Congregat. Concilij factæ, in quatum una babetur, quòd ſi Abbas habens jnriſdictionem quaſi Epiſcopalem conſetat primam tonſutam, vel Ordines minores aliis, quàm ſubditis Regularibus, imprimat characterem: in aliis verò, quòd non imprimat, ideo Fagnan. iu c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. num. 22. & ſeqq. ad illas conciliandas ait, diſtinguendum eſſe: vel enim Abbas Regulatis eſt Presbyter ſolemniter benedictus, vel non: ptimo caſu, vel confert primam tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis Regulatibus; & non ſolùm imprimit characterem, ſed etiam confert Ordinis executionem, quia facultas, quam habet à jure communi in c. 1. diſ. 69. & c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualit. quoad hos, non eſt ſublata, ſed reſervatà à Concil. Trident. Vel illos confert Regularibus ſibi non ſubditis, vel Clericis ſecularibus; & tum imprimit quidem charactetem, ratione poteſtatis, quam accipit in impoſitione manuum, ſive benedictione, conſerendi Ordines, ſecundùm Gloſſ. in c. V. Tonſuram, de privileg. in 6. Sed executionem Ordinis non confert: cùm ei à Concilio juriſdictio, quoad non ſubditos Regulares, ſit adempta. Vel eſt Abbas Ptesbytet non ſolemniter benedictus, babens tamen privilegium ordinandi à Sede Apoſtolica acceptum, ante Concilium Trident. & tunc, ſi Ordines conferat ſubditis ſuis Regularibus, rata eſt ordinatio, etiam quoad executionem Ordinum, ut ex dictis patet: vel ordinat alios, quàm Regulares ſibi ſubditos: & tunc, ſi talis Abbas nullos omnino Regulates ſubditos habear, irrita eſt Ordinario, nec per eam character imprimitur, nam poteſtas ordinandi illi competit, non ratione Ordinis Epiſcopalis, vel manuum impoſitionis, ſeu benedictionis, ſed ſolòm ex commiſſione, ſen privilegio Apoſtolico, quod totaliter eſt ſublatum per prohibitionem Concilij Tridenr. quod ſolùm reſervavit poteſtatem ordinandi Prælatis infetioribus ptoprios ſubditos Regulares, quales talis Prælatus, nt ſupponitut, non habet. Vel habet aliquos ſubditos Regolares; & tunc, ſi ordinet alios etiam non ſubditos, ſive Regulares, ſive Seculates, characterem imprimit, cùm non careat prorſus poteſtate ordinandi, qnam retinet quoad ſubditos ſuos Regulares, & ſic ratione illius poteſtatis remanentis, Ordines validè conferuntur, etiam alienis ſubditis; ita tamen, ut ſic ordinati maneant ſuſpenſi ab executione Ordinum, qnia ordinati ſunt contra prohibitionem Concilij, cùm quoad non ſubditos à Concilio ablatum fuerit privilegium ordinandi. Quòd ſi verò privilegium conferendi Ordines ſit datum poſt Concilium Trident. tunc vel ordinat perſonas deſignatas in privilegio; & Ordinati ab ipſo recipinnt characterem, & Ordinis executionem, qnia Concil. Trident. non ſuſtulit privilegia in fututum danda, nec eſt opus, ut in litteris privilegij ſpecialiter fuerit derogatom Concilio Trident. ſed ſatìs eſt, ſi fuerit expreſsè conceſſum contrarium, &, quod Concilium ſtatuit, ut ſæpius cenſuit S. Congreg. Cardin. apud Fagnan. cit. loc. num. 54. in fine. Vel ordinat perſonas in privilegio non contentas, & valida eſt ordinario, quia poteſtatem ordinandi abſolutè habet, licèr non conferatur ſic Ordinatis executio Ordinis, ob defectom juriſdictionis quoad illos.

Denique, ſi Abbas Regulatis non ſit benedictus, nec privilegium ordinandi habeat; tunc, vel Epiſcopus fuit ter requiſitns, ut benedictiouem ei impertiret; & hoc caſu, ſi ordinet, character imprimitur, & confertur Ordinis executio, ſicut ſuprà dictum de Abbate ſolemniter benedicto: Vel Epiſcopus non fuit reqniſitus; & tum Abbas non benedictus, vel alius Prælarus Regolaris, qui privilegium non habet, invalidè ordinat, cùm carear ijs, quæ eſſentialiter ad Ordines conferendos requiruntur, in c. 1. diſ. 69. & c. 3. de privileg. in 6. non obſtante conſoetudine etiam immemoriali, ut cenſuit S. Congreg. Concil. apud Fagnan. cit. loc. num. 54.

Atque hæc quidem procedunt de Abbate Regulari: ſi verò inferior Prælatus ſecularis habeat privilegium conſerendi primam tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis ſeculatibus tantùm; tum ſimiliter diſtingnendum eſt, an illud habuerit ante, vel poſt Concilium. Priore caſu, ordinatio erit prorſus invalida, nec characterem imprimet, quia privilegiom fuit omnino ſublatum per Concilium Trident. adeóque ordinans non ſolùm caret juriſdictione, ſed etiam poreſtate ordinandi, juxta declarationem S.Congreg. Concilij; poſteriore caſu, ſi privilegium ſit acquiſitum primùm poſt Concilium, tum idem ſetvandom erit, quod de Prælatis Regularibus ſuprà dictum eſt, Fagnan. in cit. c. 1. n. 53. & 54. de ſuppl. neglig. Prælat.

LI. Quæritur 4. Quæ ſit pœna Abbatis ordinantis alios, quàm ſubditos Regulares? Reſp. Abbates conferentes tonſuram, vel Ordines minores aliis, quàm Religioſis ſnis, non incurrunt pœnam Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 10. in fine, quia ibi eſt ſermo tantùm de concedenribus dimiſſorias, contra formam decreti illius, ſed incurrunt pœnam. c. ult. Seſſ. 6. de reformat. nempe pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, non per annum duntaxat, ſed abſolutè, eò quòd ſinè licentia Ordinarij contulerunt Ordines alienis ſubditis, & licèt Decretum illius Cap. loquatur de Epiſcopo, tamen S. Congregatio Concil. apud Tamburin. cit. diſ. 2. quæſt. 9. cenſuit, multò magìs habere locum in Abbatibus; non autem ſunt ſuſpenſi à Divinis, quò minùs Miſſam celebrare poſſint: qui verò ſic ordinati ſunt, ab executione Ordinum ipſo jure ſunt ſuſpenſi, cit. c. ult. in fine.

§. VII.

De Litteris dimiſſoriis.

LII. Ex hactenus dictis patet, quòd Epiſcopus alienæ diœceſis ſubditos, abſque proprij Ordinarij eorum licentia, ordinare non poteſt, can. Epiſcopum; 7. cauſ. 9. quæſt. 2. c. Cùm nullus; 3. h. t. in 6. Hæc autem licentia in ſcriptis, ſeu per litteras ordinariè dari ſolet, quamvìs abſolutè non requiratur, ut in ſcriptis detur, ut patet ex Concil.

Tri-

Trident. Seſſ. 14. c. 2. de reform. ubi dicitur, non poſſe alienum ſubditum, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, ant litteris dimiſſoiiis ordinari, Sanch. in opuſc. moral. tom. 2. l. 7. cap. 1. dub. 20. num. 4. Excipitur caſus contentus in c. 1. in fine h. t. in 6. ubi habetur, quòd Pœnitentiarij Papæ per litteras diſpenſare debeant, poſt obtentam licentiam Papæ, ut Ultramontanus ordinari poſſit ab Epiſcopo Italiæ, ubi Gloſſ. V. Litteras notat; & hic eſt caſus, in quo Scriptura requiritur.

Porrò hæc licentia in ſcriptis data Litteræ dimiſſoriæ dicuntur, ut conſtat ex Concilio Trident. Seſſ. 14. cap. 2. & Seſſ. 23. c. 10. & alibi, quia per illas ſubditi ordinandi dimittuntur, id eſt, licentia eis datur, ut ab alio, quàm proprio Epiſcopo Ordines ſuſcipere poſſint, Ugolin. de offic. Epiſcop. cap. 26. §. 20. num. 10. quæ aliàs etiam Reverendæ, ut in Trident. Seſſ. 7. cap. 10. de reformat. vocantur, quippe quæ à Reverendiſſimo Antiſtite conceduntur, Ugolin. c. l. num. 11. aliquando verò commendatitiæ, aut teſtimoniales litteræ appellantur, ut in Tridenr. cit. ſeſſ. 14. c. 2. & c. 3. de reform. & expreſſius in c. 1. diſ. 73. quia per ipſos commendantur mores, probitas, & ſcientia ipſius Ordinandi, aut de bis, aliiſque, quæ ad Ordines ſuſcipiendos pertinent, teſtimonium datur, Ugoliu. c. l. num. 10.

LIII. Quæritur 1. Quinam dare poſſint litteras dimiſſorias, & quibus? Reſp. Inprimis eas dare poteſt S. Pontifex; & quidem omnibus Chriſtianis in toto Orbe exiſtentibus, ut colligitur ex c. 1. ibi: *niſi à nobis ſpecialem licentiam habeat*, h. t. in 6. Imò etiam privilegium dare poteſt, ut qnis ſinè litteris dimiſſoriis, à quocuuque Epiſcopo ordinari poſſit, nam Papa eſt Epiſcopus, ſeu Ordinarius omnium fidelium. c. Cuncta; 17. cauſ. 9. q. 3. Gl: in c. 3. V. in eadem h. t. in 6.

LIV. Secundò, eadem poteſtas dandi dimiſſorias etiam competit Legato Sedis Apoſtolicæ à Latere, ex indulto ipſi concedi ſolito. Garc. p. 5. de benefic. c. 7. num. ult. Tiberius in Inſtruct. Ordin. c. 7. quæſt. 51. non tamen poteſt eas dare intra anuum vacationis Sedis Epiſcopalis, niſi in caſibus exceptis à Tridentino, de quibus infrà, quia contra Univerſale Concilium agere non poteſt, Ugolin. cit. c. 26. num. 6. Navarr. l. 1. conſil. 27. h. t. num. 2. Archiepiſcopus verò ſubditis Suffraganeorum ſuorum litteras dimiſſorias dare non poteſt, quia nec Ordines eis conferre poteſt, ut ſuprà dictum n. 26. Ugolin. c. l.

LV. Tertiò, Epiſcopus proprius, ſive ſit originis, ſive domicilij, ſive beneficij, litteras dimiſſorias ſubditis ſuis dare poteſt. cit. c. Cùm nullus; 3. h. t. in 6. & Gloſſ. fin. ibid. nam qui ordinare, is etiam dimiſſorias dare poteſt; quod enim qnis per ſe facere, id eriam per alium facere, ſive alteri capaci committere poteſt, juxta reg. jur. 68. in 6. dummodo Epiſcopus non electus tantùm, ſed etiam confirmatus ſit, etſi nondum conſecratus, quia concedere licentiam, ſeu dimiſſorias eſt actus juriſdictionis, quam conſequitur Epiſcopus, quàm primùm confirmatus eſt, ſecundùm Gloſſ. communiter receptam in c. Tranſmiſſam; 15. V. De talibus de Elect. Quare, ſi Epiſcopus ex privilegio, vel conſuetudine, Ordines quibnſdam conferre poſſit, etiam dimiſſorias eiſdem dare poterit. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 7. num. 4. Excipe, niſi Epiſcopus proprius fuerit excommunicatus, aut ab officio ſuſpenſus, & nominatim denunciatus, tum enim, propter contractam cenſuram, nec Ordines conferre, nec dimiſſorias dare poteſt. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 1. c. 1. a. 2. n. 9. Barb. c. l. n. 5.

LVI. Quartò, Prælati inferiores Epiſcopo, ſive Regnlares, ſive Seculares, vel alij poſſunt litteras dimiſſorias dare, ſed nou ad alienum Epiſcopum, niſi id eis à Sede Apoſtolica ſpecialiter ſit indnltum, quòd Clericos, aut ſubdiros ſuos (laicos) ad, quem volnerint, Epiſcopnm (dum tamen Catholicus ſit) ordinandos mittere poſſint, c. Cùm nullus; 3. §. Inferiores, & ibi Gl. V. Prælari, & V. Epiſcopo h. t. in 6. Vel niſi ex conſuetudine legitimè præſcripta, aut alio peculiari aliquo jure, poteſtatem dimiſſorias dandi, etiam ad Epiſcopum alterius diœceſis acquiſiverint, Gloſſ. ibid. V. Indultum, Barboſ. cit. alleg. 7. num. 6. Idque jure novo Concilij Tridentini Seſſ. 23. c. 10. de reformat. extenditur ad Prælatos Seculares, vel Regulares, etiam exemptos, ita, ut neque his conceſſum ſit litteras dimiſſorias Clericis, aut ſubdiris ſuis Secularibus ad alterum Epiſcopum dare, ſed eorum Ordinatio ſpectare debet ad Epiſcopum Diœceſis, intra cuius fines Prælatus exemptus habitat, cui proinde ſeculares, quoad Ordines ſuſcipiendos, cenſeutur eſſe ſubjecti.

Quòd ſi tamen Prælatus exemptus, ſecularis, vel Regularis, ordinatiam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in loco aliquo obtineat, ita, ut populus etiam ſit exemptus, & Epiſcopus ordinarius, ſeu Diœceſanus in illo loco juriſdictionem non habeat, is litteras dimiſſotias ſubditis ſuis, etiam Secularibus, ad Epiſcopum alterius Diœceſis dare poterit, non obſtante Concilio Tridentino c. l. ut ex reſponſione Rotæ Rom. tradit Piaſecius cit. loc. art. 2. num. 12. Barboſ. cit. loc. num. 8. Tamburin. tom. 2. de Jure Abbat. diſ. 2. quæſt. 26. n. 2. Ratio eſt, quia talis Prælatus parem juriſdictionem habet in loco illo, quam Epiſcopus in ſua Diœceſi, ergo, ſicut Epiſcopus dare poteſt litteras dimiſſorias ſubditis ſuis Secularibus; ita & ipſe poteſt, cùm dimiſſorias dare non ſit actus Ordinis, ſed juriſdictionis Epiſcopalis. Idque clarè colligitur ex Concil. Trident. cit. loc. ex illis verbis: *ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant:* atqui Eccleſiæ, eorúmque Prælati, qui proprium, & diſtinctum territorium habent, in quo exercere poſſunt juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem in ſubditos Seculares, & Regulares, nec ſunt è Diœceſi, nec in diœceſi, ſive intra fines diœceſis Epiſcopi, adeóque omninò extra diœceſin, ergo de his Concilium Trident. non loquitur, & conſeqnenter poſſunt dare dimiſſorias ſubditis etiam Secularibus.

LVII. Quintò Officialis, ſen Vicarius generalis Epiſcopi licentiam ordinandi, ſen litteras dimiſſorias dare non poteſt, cùm ad hoc ſe ipſius officium

Officium non extendat. cit. c. Cùm nullus. §. Inferiores. Excipi debet 1. Niſi ab Epiſcopo ſpeciale mandatum, vel facultatem dandi dimiſſorias acceperit, Gloſſ. in cit. cap. 3. V. Non extendat. „ 2. Niſi Epiſcopus in remotis agat, tum enim „ ipſius Vicarius in ſpiritualibus generalis, vel „ Sede vacante, Capitulum, aut is, ad quem „ tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium per- „ tinet, dare poſſunt licentiam ordinandi, prout habetur in cit. c. Cùm nullus. §. Epiſcopo. h. t. in 6. quamvìs id novo jure quoad Capitulum, Sede vacante, correctum ſit, ut infrà dicetur. Dicitur autem Epiſcopus in remotis eſſe, ſi ſit extra Provinciam, ſeu Diœceſim, vel ultra duas dietas, vel etiam ultra unam, vel arbitrio prudentis Judicis id determinandum relinquitur, Gl. in cit. c. Cùm nullus V. Remotis. Monet tamen Sbroz. l. 2. de Vicar. Epiſcop. quæſt. 41. num. 12. Piaſec. cit. art. 2. num. 9. non eſſe ſatìs tutum, ut Vicarius, abſente Epiſcopo, ſinè mandato ſpeciali, dimiſſorias concedat, quia Archidiaconus, qui abſente Epiſcopo, eſt eius Vicarius ipſo jure, non poteſt huiuſmodi litteras concedere in abſentia Epiſcopi, niſi habeat ſpeciale mandatum, vel ex conſuetudine ea poteſtas ipſi competat, Gloſſ. in cap. Significâſti. 8. V. Litteras. in fine de offic. Archidiac. valet autem argumentum à poteſtate Archidiaconi ad Vicarium Epiſcopi, Sbroz. cit. loc. num. 13. & 14. In qua re tamen ſpectanda eſt conſuetudo Diœceſis, & quæ ſit voluntas Epiſcopi abſentis, ut notat Laym. in cit. c. Cùm nullus. num. 2. 3. Limitatur, niſi Vicarius Epiſcopi ſuccedat prioribus Vicariis dimiſſorias concedere ſolitis, ideóque bonâ fide putet, ſibi quoque talem poteſtatem competere, tunc enim etiam abſque ſpeciali mandato dimiſſorias dare poteſt, Sbroz. cit. loc. n. 15.

LVIII. *Sextò*, Capitulum Cathedrale, ſede Epiſcopali vacante, vel Vicarius à Capitulo deputatus, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium pertinet, ſpectato Jure antiquo, licentiam ordinandi, ſeu litteras dimiſſorias concedere poteſt, cit. c. Cùm nullus. §. Epiſcopo. Verùm hæc facultas noviſſimo Jure Concilij Tridentini ſeſſ. 7. c. 10. de reformat. eſt reſtricta, ubi ſtatuitur, quòd Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, non liceat intra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias, ſeu reverendas, ut aliqui vocant; tam ex Juris communis diſpoſitione, quàm ex cuiusvis privilegij, aut conſuetudinis vigore, alicui concedere, præterquam ei, qui beneficij Eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi occaſione arctatus fuerit ad Ordines ſuſcipiendos. Dicitur autem arctatus, ratione beneficij recepti, qui obtinet beneficium requirens Ordinem aliquem, v. g. Parochiam, Sacerdotium intra annum ſuſcipiendum. Ratione verò beneficij recipiendi, qui habet jus, ſeu vocatur per electionem, vel præſentationem ad beneficium aliquod vacans, certum Ordinem actu requirens; ſic enim arctatis Capitulum, etiam intra annum vacationis, dimiſſorias dare poteſt ad recipiendum Ordinem ad beneficium requiſitum, Garc. p. 5. de benefic. c. 7. num. 98. & 99. Ugolin. cit. c. 26. §. 20. num. 5. non autem dicitur arctatus, ratione beneficij recipiendi, is, cui aliquis vult reſignare beneficium actu requirens Ordinem, quo ille caret, quia hoc eſt merè voluntarium, Garc. c. l. n. 102.

Extenditur autem 1. Quòd Capitulum, vel eius Vicarius, ſede vacante, intra annum, non poſſit dare dimiſſorias, ne quidem ad primam tonſuram, quia prohibitio Concilij eſt generalis, & abſoluta de non dando dimiſſorias, intra annum vacationis, Garc. cit. loc. num. 95. quamvìs ſub illo Decreto Concilij non comprehendatur prima Tonſura, quoad incurrendas pœnas ibi ſtatutas in Ordinatos intra annum, quia illæ ibi ſolùm imponuntur contra Ordinatos in minoribus, & majoribus Ordinibus; appellatione autem Ordinum minorum, ſecundùm communem loquendi uſum, ſolùm intelliguntur quatuor minores, & non prima tonſura, Garc. cit. loc. num. 96. ubi ait, ſic intelligendam eſſe declarationem S. Congregat. Concil. quæ habet Decretum Concilij non comprehendere primam tonſuram, nempe quoad pœnas.

Extenditur 2. Quòd Capitulo Eccleſiæ Cathedralis non liceat infra annum dare dimiſſorias, etiamſi habeat territorium diſtinctum, & exemptum ob poſſeſſionem immemorialem, & juriſdictionem ordinariam, juxta declarationem S. Congreg. Concil. & tradit Quaranta V. Capit. Sede vacante. q. 10.

LIX. Cæterùm, poſt annum elapſum à die vacationis, Capitulum liberè etiam non arctatis dimiſſorias concedere poteſt, quia conceſſio dimiſſoriarum prohibetur à Concilio ſolùm intra annum, ergo poſt annum non eſt prohibita, prohibitum enim ad tempus, poſt illud fieri poteſt, argum. l. In tempus; 62. ff. de hæred. inſtit. Ugolin. cit. l. §. 20. num. 5.

Præterea etſi Capitulum, Sede vacante, non poſſit dare litteras dimiſſorias, niſi in caſibus prædictis, poteſt tamen dare litteras teſtimoniales de vita, & moribus ijs, qui à S. Pontifice habent privilegium, ſeu licentiam ſuſcipiendi Ordines à quovis Epiſcopo, cum atteſtatione Ordinarij de vita, & moribus; nam tales litteræ non ſunt dimiſſoriæ, cùm licentiam ordinandi, ſeu Ordines ſuſcipiendi non contineant, Navarr. l. 1. conſil. 27. n. 1. h. t. Quarant. c. l. q. 10. limit. 3. Ugolin. c. l. n. 5.

Poſtremò non prohibetur Capitulum, intra annum vacationis, licentiam dare alicui Epiſcopo extraneo Pontificalia exercendi, aut exteros ordinandi habentes dimiſſorias generales à proprio Epiſcopo, aut Prælato ſuo regulari, in diœceſi Eccleſiæ vacantis: non tamen ſubditos Sedis vacantis, Quaranta c. l. q. 11. Piaſec. cit. a. 2. n. 10. Barb. cit. alleg. 7. n. 17. Quin & Capitulum, Sede vacante, ante annum elapſum, licentiã dare poteſt alicui Epiſcopo in diœceſi vacante, conferendi Ordines, etiam ſubditis eiuſdem diœceſis habentibus litteras dimiſſorias ab Epiſcopo mortuo, vel à Papa, aut Nuntio Apoſtolico, ut à quocunque Epiſcopo ordinari poſſint: nam hoc non eſt prohibitum per Tridentinum loc. cit. quo ſolùm prohibetur Capitulum infra annum dare licentiam ordinandi, ſive litteras dimiſſorias, ut ordinentur ſubditi propriæ diœceſis vacantis:

nam

nam illud verbum *ordinandi licentiam*, accipitur paſſivè, id eſt, licentiam, ut ordinetur, ut patet ex ſubjuncto dativo, *alicui*, & additum eſt, *litteras dimiſſorias*, ad majorem claritatem: dare autem licèntiam alieno Epiſcopo ad Ordines conſerèndos in Diœceſi vacante, non eſt licentiam dare, nt aliquis ordinetur, ſed ſupponitur, quòd Ordinandus aliunde illam habere debeat. Sanch. in opuſç. moral. tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 26.

Non obſtat, quòd Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 5. de reform. ait: Nulli Epiſcopo liceat Pontificalia exercere in aliena Diœceſi, niſi de Ordinarij loci expreſsâ licentiâ, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm: per quæ verba non excluduntur Clerici aliarum Diœceſium (ſi à ſuis Ordinarijs generales dimiſſorias habeant) qnò minùs poſſint ab Epiſcopis extraneis in aliena Diœceſi de licentia Ordinarij loci, Pontificalia exercere, juxta declarat. Cardin. apud Joann. Gallemart. ibidem num. 3. ac proinde illa verba: *& in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm*, debent intelligi, virtute illius licentiæ datæ à Capitulo, Sede vacante, ad conſerendos Ordines extraneo Epiſcopo: ſecus ſi ordinandi à ſuo Ordinario licentiam habeant, ut ordinentur, Sanch. c. l.

LX. Porrò eadem omnia, Sede vacante, poteſt Vicarius Capituli, qni ejns nomine adminiſtrat, quia penes ipſum eſt omne exercitium poteſtatis, ſeu juriſdictionis, quam habet Capitulum, niſi hoc ſpecialiter aliquid ſibi reſervaverit. Quatant. c. l. q. 12. Piaſec. c. l. num. 11. Vicarius verò Papæ, aut Collegium Cat dinalium, vacante Sede Apoſtolicâ, non prohibetur etiam infra annum dimiſſorias dare, quia hujus Sedis vacantis juriſdictio non eſt reſtricta per Concil. Trident. Sanch. cit. l. 7. c. 1. dub. 50. n. 39. Barb. cit. alleg. 7. n. 13.

LXI. Quæritur 2. An, & quâ ratione, ac modo Prælati Regulares poſſint ſuis ſubditis religioſis dimiſſorias date, & an etiam Novitijs? Procedit autem hæc quæſtio ſolùm de ſubditis Regularibus, nam nec regulares, nec ſeculares Prælatos poſſe date dimiſſorias ſubditis ſuis ſecularibus, conſtat ex Concil. Tridentin. Seſſ. 13. cap. 10. de reform. hoc poſito.

Reſpondetur 1. Prælati Regulares poſſunt ſuis ſubditis Regularibus dimiſſorias concedere, ſive licentiam ad Ordines ſuſcipiendos, ſervatâ tamen formâ à Clemente VIII. præſcriptâ in Conſtitutione editâ 15. Martij anno 1596. quæ habetur apud Quatantam in ſumm. Bullar. V. Ordo propriè finem, Piaſec. in praxi p. 1. c. 1. a. 2. n. 11. & Barboſ. cit. alleg. 7. n. 18. videlicet quòd Regulares Prælati quicunque (ſive exempti ab Epiſcopo, ſive non exempti) litteras dimiſſorias ſubditis ſuis Regularibus (non autem ſecularibus, ſub pœna ſuſpenſionis per annum ab officio, & beneficio, cit. Seſſ. 23. c. 10.) date poſſunt, ſed ad Epiſcopum Diœceſanum, nempe ejus Diœceſis, in qua ſitum eſt Monaſterium, nbi à Superiore poſitus eſt Regularis ordinandus. Quòd ſi tamen Epiſcopus ille abſens ſit, vel Ordinationes non habitutus, tum Regularis ad quemcunque alium Epiſcopum mitti poterit, à quo examinandus erit quoad doctrinam, dummodo ne quid in fraudem fiat, ſeu non de induſtria differatur conceſſio dimiſſoriarum ad proprium Diœceſanum loci (v.g. donec Sedes vacet, & nulla ſit ibi ordinatio) ut ad aliennm Epiſcopum litteræ dimiſſoriæ dirigi poſſint. Sin autem ob cauſam abſentiæ, vel non habitæ ordinationis, dimiſſoriæ ad alium Epiſcopum dirigantur, ea in litteris exprimenda erit. Ratio autem, cur Prælati, ſeu Superiores Regularium dare poſſint dimiſſorias ſuis ſubditis regularibus, eſt, quia habent generalem, & ordinariam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in eos, adeóque ſunt eorum Ordinarij, c. Quanto 7. junctâ Gl. V. ſi Prælati de offic. Ordin. Piaſec. c. l. n. 11. Idque etiam confirmatur ex Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 10. argumento deducto à contràrio ſenſu, nbi Prælati, quamvìs exempti, prohibentur concedere dimiſſorias Clericis ſecularibus, ergo regularibus ſubditis ſuis non prohibentur, ſed eas dare poterunt: neque obſtat idem Concil. cit. Seſſ. c. 8. de reform. quia ibi nomine Ordinarij comprehenduntur etiam Prælati, ſeu Superiores Regularium, qui ſuorum ſubditorum probitatem, vitam & mores plenè cognoſcunt, & de illis atteſtari poſſunt, non autem Epiſcopi Diœceſani, qui proinde reſpectu Regularium Ordinarij dici non poſſunt, Barboſ. cit. alleg. 7. num. 31. Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 39. a. 3.

Porrò etſi Prælati Regulares, etiam exempti ab Epiſcopo, dimiſſorias ſubditis ſuis regularibus concedere poſſint, non niſi juxta formam traditam à Clemente VIII. ita, ut eos mittere debeant ordinandos ad Epiſcopum ejus Diœceſis, in qna Monaſterium eorum ſitum eſt, cùm in illa Conſtitutione nihil diſtinguatur inter exemptos, & non exemptos, ſed generatim ea loquitur de Prælatis Regularibus: ad hanc tamen formam concedendi dimiſſorias non aſtringnntur ij Ordines exempti, qui à Sede Apoſtolica privilegium acceperunt, quòd à quocunque Epiſcopo Catholico, cum Prælatorum ſuorum licentiâ, ſeu dimiſſorijs, ordinari poſſint: neque hoc privilegium revocatum eſt per Trident. cit. Seſſ. 23. c. 10. cùm tantùm probibeat Regularibus Prælatis, etiam exemptis, ne ſecularibus ſubditis ſuis dimiſſorias ad alios Epiſcopos concedant; neque etiam per decretum Clementis VIII. Piaſec. l. c. n. 5. Barb. alleg. 4. n. 60. Tiber. in Inſtruct. ordin. c. 7. q. 49.

Deinde excipiendi ſunt ij Prælati Regulares exempti, qui territorium diſtinctum exemptum habent, excluſo Epiſcopo, cùm enim tales poſſint dimiſſorias date ſubditis ſuis ſecularibus, ut dictum ſuprà num. 56. multò magìs dare poſſunt ſuis ſubditis Regularibus; nam hæc Conſtitutio Clementis VIII. eſt exorbitans à Jure communi, & reſtrictiva non ſolùm Juris communis, ſed etiam Concilij Tridentini, loc. ſupr. cit. vi cujus Prælati exempti ſolùm prohibentur ſubditis ſecularibus ad alienum Epiſcopum dimiſſorias dare, non autem Regularibus, quibus poſſunt dimiſſorias dare, nt à quocunque Epiſcopo ordinari poſſint, ut docet Tolet. in ſumm. l. 1. c. 49. n. 6. Idcirco prædicta Conſtitutio non poteſt, nec debet extendi ad caſum in ipſa ſpecificè non expreſſum, nempe ad Prælatos, qui proprium territorium habent, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in illo, eſt enim derogatoria juris antiqui, ideóque reſtringenda potiùs, quàm amplianda, ex doctrina

 com-

communitet tecepta. arg. teg. juris 15. in 6. Idque colligitur ex cit. Conſtitut. Clement. ex illis verbis: *ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterij*, in quo is Regularis poſitus fuerit; atqui Epiſcopus non eſt Diœceſanus talis Monaſterij, cùm ipſum non tantùm ratione perſonarum, ſed etiam loci, ſit omnino exemptum à juriſdictione Diœceſani, adeóque extra Diœceſin ipſius ſitum.

LXII. Reſpondetur 2. Prælati Regulares, ſpectato Jure communi, non poſſunt Novitijs dare litteras dimiſſorias ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, ut docet Sanch. l. 4. Moral. c. 39. n. 31. & l. 6. c. 10. n. 22. & alij communiter, quia Novitius non eſt, quoad omnia, ſive ſimpliciter ſubjectus Prælato, ſed tantùm quatenus neceſſarium eſt ad finem probationis, & quoad hanc tantùm exemptus eſt à juriſdictione Epiſcopi; non eſt autem neceſſarium ad finem probationis, ut Prælatus Regularis dare poſſit licentiam, ſeu dimiſſorias Novitio ad Ordines ſuſcipiendos à quocunque Epiſcopo: quare hæ petendæ ſunt ab Epiſcopo, à quo Novitij Ordines ſuſcipere poſſunt, qui eſt, vel proprius eorum, à quo ordinandi eſſent, ſi laici manſiſſent, nec Religionem ingreſſi fuiſſent, ut docet Suar. l. 6. De voto. te; 11. num. 9. vel potiùs Epiſcopus Diœceſis, in qua ſitum eſt Monaſterium, quod incolunt, tempore probationis, ut tradit Sanch. cit. c. 39. n. 20. quod probabilius videtur, & dictum ſuprà num. 25. h. t. Veruntamen ſi Religio aliqua habeat privilegium dandi dimiſſorias ad quemcunque Epiſcopum, probabile eſt, quòd Prælatus Regularis poſſit dare litteras dimiſſorias etiam Novitijs, non minùs, quàm ipſis Religioſis profeſſis, quia valde probabile eſt, Novitios gaudere privilegijs ſuæ Religionis. Sanch. cit. c. 10. n. 22. in fin. Tiber. cit. q. 49.

LXIII. Cæterùm prædictis hoc loco addendum, quòd Religioſi, non ſolùm ab Epiſcopo ordinandi non ſint, abſque licentia, aut litteris dimiſſorijs Prælatorum ſuorum Regularium: ſed etiam, quòd hi poſſint prohibere Religioſis ſuis, ne Ordines ſuſcipiant, vel ad Superiores Ordines aſcendant, etiam ob crimen, ſeu defectum occultum, prout ſu-
» mitur ex c. Ad aures; 5. h. t. Nam cùm quidam
» Religioſi conqueſti eſſent apud Archiepiſcopum Tu-
» ronenſem, quòd Prælati eorum (ſcilicet Abbates,
» Præpoſiti, Priores, Quardiani, & alij ſimiles. Gloſſ.
» hîc V. Prælati) nolint permittere, ut ad Superio-
» res Ordines promoveantur: (licèt digni eſſent, &
» nullus eis defectus objici poſſet:) Reſpondit Lu-
» cius III. honeſtius, ac tutius eſſe, ut Religioſi de-
» bitam obedientiam Præpoſitis impendendo, in in-
» feriore miniſterio deſerviant, quàm ut cum Præpo-
» ſitorum ſcandalo, gradum dignitatis ſuperiorem
» appetant, cùm non in ſublimitate graduum, ſed in
» amplitudine charitatis acquiratur Regnum Dei.
» Accedit, quòd fieri poſſit, ut Prælati ſecreta crimi-
» na, aut defectus ſubditorum noverint, ob quos
» ad altiores Ordines, ſalvâ conſcientiâ, promo-
» veri non poſſint.

LXIV. Ubi pro explicatione hujus c. Notandum 1. De jure communi differentia eſt inter Clericos ſeculares, & Regulares: nam ſi Clericus criminoſus occultus ad beneficium promovendus petat ad Ordines Superiores aſcendere, non poteſt ob crimen, ſeu defectum ipſius, illum Epiſcopus repellere, ut conſtat ex c. Ex tenore; 4. & c. ult. h. t. & dictum ſuprà num. 15. & 16. At verò Prælati Regulares interdicere poſſunt ſuis ſubditis Regularibus, ne ad Superiores Ordines aſcendant, etiam ob delictum occultum ſibi in ſecreto, extra confeſſionem tamen Sacramentalem, cognitum, cit. c. Ad aures h. t. Ratio diverſitatis eſt, quia Religioſi, ratione voti obedientiæ, magis ſunt ſubjecti ſuis Prælatis Regularibus, quàm Clerici ſeculares Epiſcopo, cùm illi ſint obedientiarij, nec proprium velle, aut nolle habeant, ſed toti ex Imperio, & poteſtate Abbatis pendeant, c. Non dicatis; 11. cauſ. 12. quæſt. 1. Innocent. in cit. c. Ad aures in princ. h. t. Verùm de Jure communi, nec Epiſcopi, nec Prælati Regulares poſſunt ſuſpendere criminoſos occultos, ne in ſuſceptis Ordinibus miniſtrent, ut patet ex cit. c. 4. & c. ult. h. t. neque id reperitur in Jure ijs conceſſum, ſicut in cit. c. 5. deciſum eſt, quòd poſſint Regulares prohiberi, ne aſcendat ad Superiores Ordines, ob occultum delictum. Fagnan. hîc n. 12.

Notandum 2. Jure verò novo Concilij Tridentini Seſſ. 14. c. 1. de reform. conceſſa eſt facultas Epiſcopis, ſeu Prælatis, ut poſſint aſcenſum ad ſacros Ordines, ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, & extrajudicialiter Clericis ſuis interdicere: & ut poſſint etiam eoſdem ab ordinibus jam ſuſceptis, & gradibus, ſeu dignitatibus Eccleſiaſticis ſuſpendere: nam quamvis verba illa: *ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen*, ſolùm ſint appoſita in priore parte cit. cap. 1. ubi agitur de interdictione ab ordinibus Superioribus ſuſcipiendis; tamen cenſeri debent repetita in poſteriore parte ejuſdem cap. ubi agitur de ſuſpenſione ab ordinibus ſuſceptis; tum quia Concilium ſub uno orationis contextu loquitur de utroque caſu; tum quia alioquin in poſteriore parte nulla Epiſcopis nova poteſtas conceſſa fuiſſet, cùm per ſe conſtet, Epiſcopos poſſe Clericos ſuos, ob delictum manifeſtum, & judicialiter ſuſpendere ab ordinibus ſuſceptis, ut notat Fagnan. in cit. c. Ad aures; num. 7. h. t. Et quamvis in priore parte ſolùm ſit ſermo de interdictione aſcensûs ad ſacros Ordines; tamen idem dicendum eſt de prohibitione promotionis ad gradus, & dignitates Eccleſiaſticas, partim quia, ſi Epiſcopi, vi hujus decreti, jam promotum ad hujuſmodi gradus & dignitates poſſunt deponere, multò magis poſſunt impedire promovendum: partim quia, cùm Epiſcopi poſſint ob occultum delictum prohibere aſcenſum ad ſacros Ordines, conſequenter etiam poſſunt prohibere promotionem ad dignitates, quæ ſacros Ordines habent annexos, nemo enim poteſt promoveri ad dignitatem, niſi eo Ordine ſacro, quem illa dignitas requirit, ſit initiatus, vel in ea ætate, ut infra tempus à Jure ſtatutum, initiari poſſit, ut colligitur ex decreto Concil. Trident. Seſſ. 22. c. 4. & Seſſ. 24. c. 12. Fagnan. hîc n. 9. & 10. Et hinc S. Congregatio Concil. apud Jo. Gallemart. in cit. c. 1. n. 1. declaravit, per illud decretum correctum eſſe c. Ex tenore; 4. h. t. in quo Epiſcopi prohibentur ſuos Clericos ſuſpendere, ob occultum delictum, & ampliatã eſſe diſpoſitionem cit. c. Ad aures; ita, ut comprehendat quoſcunque Clericos ſeculares, etiam dignitates, vel beneficia obtinentes, quibus annexus

eſt

eſt Ordo, tam quoad facultatem prohibendi aſceoſum ad Ordines, quàm etiam ſuſpendendi ab ordinibus ſuſceptis, & poteſtatem appellandi eis ademptam eſſe.

Notandum 3. Probabile eſt, facultatem coocesſam Epiſcopis, vi dicti decreti Concilij, quo poſſunt Clericos ob delictum occultum ſuſpendere ab ordinibus, & gradibus, ſeu dignitatibus jam ſuſceptis, etiam conceſſam eſſe à Concilio Prælatis regularibus, quoad eorum ſubditos regulares, quod aotea eis non licebat, quia Jure communi cautum non reperitur; ídque tum quia verba illius cap. 1. æquè, imò magìs conveniunt Prælatis Regularibus, quàm Epiſcopis, cùm Conciliom nunquam in hoc cap. utatur verbo *Epiſcopi*, ſed ſolùm *Prælati, aut Præpoſiti*, & principium ejuſdem cap. ad litteram deſumptum eſt ex c. Ad aures; 5. h. t. quod de Prælatis Regularibus tantùm loquitur. Nec refert, quòd in Procemio ejuſdem Seſſ. tantùm ſit ſermo de Epiſcopis, quia verba diſpoſitionis magìs attendenda ſunt, quàm præfationis. Tum quia ratio Concilij, quæ eſt deſumpta ex cit. c. Ad aures; magis convenit Regularibus, quàm ſecularibus Clericis, cùm illi propriam voluntatem oon habeant. Fagnan. hìc num. 13. & ſeqq.

Porrò ex eo, quòd Prælatus Regularis, ob occultum delictum, aut defectum, poteſt ſubdito Regulari prohibere aſcenſum ad ſacros Ordines, cit. c. Ad aures; ſequitur, quòd poteſt etiam prohibere aſcenſum, ſen promotionem ad dignitates Eccleſiaſticas, ut colligitur ex cit. c. Ad aures; ubi comprehenditur etiam probibitio aſcenſûs ad gradus, & dignitates, ob ſecreta delicta, ibi: *ex quibus conſtat, quòd ſalvâ conſcientiâ, nequeunt ſublimari, &c.* tum quia is, cui aſcenſus ad ſacros Ordines eſt interdictus, ad dignitates Eccleſiaſticas promoveri non poteſt, quippe quæ obtineri non poſſunt ab eo, qui ſacros Ordines ſuſcipere oon poteſt. Sylveſt. V. Electio 1. q. 14. Fagnan. c. l. n. 19. & 20.

LXV. Quæritur 3. Quomodo concedi ſoleant, ac debeant litteræ dimiſſoriæ? Reſpondetur 1. Eæ conceduntur, vel generaliter, nempe, ut quis ordinari poſſit à quolibet Epiſcopo gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente: vel ſpecialiter ad certum Epiſcopum. Rebuff. in praxi benefic. tit. de litter. dimiſſor. n. 3. & 4. Et hoc poſteriore caſu, non poteſt quis ab alio ordinari, quàm à nominato, quia unius expreſſio eſt alterius excluſio, arg. c. Nonnè 5. de præſumpt. & ideo ſi Epiſcopus in litteris dimiſſorijs nominatus, ob impedimentum Ordines conferre nequeat, curétque per alium Epiſcopum eos in ſua Diœceſi conferri; talis non poterit ordinare, niſi perſonas ſubjectas illi Epiſcopo, in cujus Diœceſi, & de cujus licentia fit ordinatio. Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. V. Dimiſſoriæ ad Ordines in reſponſ. ad 5. ubi ait, ita intelligendum eſſe cap. 5. Concil. Trident. Seſſ. 6. de reform. ubi dicitur, non poſſe Epiſcopum in aliena Diœceſi ordinare, niſi de Ordinarij loci expreſsâ licentiâ, & tunc ſolos ſubditos eidem Ordioario illius loci ſubjectos: quod intelligi debet juxta declarationem S. Congreg. Concil. apud Jo. Gallematt. ibidem num. 3. niſi alij non ſubditi habeant dimiſſorias generales à ſuis Ordinarijs, tunc enim poſſent ordinari, quia aliàs cit. cap. 5. contradiceret ei, quod ſtatuitur cap. 11. Seſſ. 7. de reform. ut infrà dicetur.

LXVI. Reſpondetur 2. In litteris dimiſſorijs exprimendom eſt 1. qui Ordines, vigore illarum, conferendi ſint, oam datâ facultate recipiendi ſolùm Ordines minores, vel Ordines abſolutè, majores Ordines non comprehenduntur, cùm facultas hæc ſtricti juris cenſeatur, arg. c. 1. h. t. Salzed. in pract. Canon. c. 26. lit. C. 2. Exprimenda eſt cauſa, ob quam Epiſcopus proprius vel nolit, vel non poſſit Ordines conferre, c. 1. ibi: *per ejus patentes litteras cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolit, aut nequeat ordinare*, & ibi Gl. V. Litteras; h. t. in 6. & in Concil. Trident. Seſſ. 7. c. 11. de reform. cujuſmodi cauſa eſt ægritudo, ut habetur Seſſ. 23. c. 3. de reform. quamvìs etiam quævis alia legitima cauſa, ſive juſtum impedimentum, quàm ægritudinis, ſufficiat ad dimiſſorias dandas, juxta declarat. Cardin. ibidem apud Jo. Gallemart. o. 1. Zerol. c. l. Ugolin. cit. c. 26. §. 20. n. 11. Barb. cit. alleg. 7. n. 21. Conſuetudine tamen in multis Provincijs receptum eſt, ut nulla cauſa exprimatur, quam approbat Rebuff. c. l. n. 28. neque neceſſe eſſe, cauſam exprimi, aſſerit Ugolin. c. l. o. 11. 3. Continere debent Dimiſſoriæ commendationem, ſeu teſtimonium de oatalibus, ætate, moribus, ac ſcientiâ ordinandi, juxta Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 8. de reform. Epiſcopi enim ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos, & examinatos ordinandos dimittere debent, ex decreto Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 3. juncto c. 3. Seſſ. 23. de reform. Poteſt tamen proprius Epiſcopus, ſi Diœceſani, qui litteras dimiſſorias petunt, abſentes ſint, ita, ut ſinè notabili incommodo ad ipſum accedere nequeant, ſinè prævio examine, illis dimiſſorias dare, & examen illorum Epiſcopo loci, in quo degunt, ſeu, qui ordinaturus eſt, demandare, juxta declarat. Cardin. in Trident. c. 11. Seſſ. 7. & c. 8. Seſſ. 23. de reform. apud Jo. Gallematt. num. 5. Barb. cit. alleg. 7. n. 29. Sed & is, qui, poſtquam ab Epiſcopo proprio examinatus, & approbatus eſt, litteras commendatitias adfert, poteſt ab Epiſcopo Ordines collaturo iterum examinari, ut conſtat ex Trid. cit. Seſſ. 7. c. 11. ubi habetur, ne ab extraneo quis ordinetur, niſi præcedente prævio examine, juncto c. 5. Seſſ. 23. de reform. ubi dicitur, nemini noo examinato concedendas eſſe dimiſſorias, adeóque ab utroque Epiſcopo ordinandus examinari debere videtur, ídque tutius eſſe ait Piaſec. cit. p. 1. c. 1. a. 2. n. 8. Barb. c. l. n. 22. quamvìs ſpectato Jure antiquo, ſufficiat, ſi ſit examinatus, & approbatus à proprio Epiſcopo, ut tradit Gloſſ. fin. in c. Epiſcopum 7. cauſ. 9. quæſt. 2.

Cæterùm ex decreto Concil. Trident. Seſſ. 21. c. 1. de reform. pro collatiooe Ordinom, pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, pro ſigillo, aliâve causâ nihil accipi debet ab Epiſcopo, ejuſque Miniſtris. Notarius verò, pro ſingulis dimiſſorijs, ſeu teſtimonialibus decimam partem onius aurei accipere tantùm poteſt, niſi ſalariom ſit ei conſtitutum, vel conſuetudo vigeat nihil accipiendi. Barb. cit. alleg. 7. n. 26. & 27.

LXVII. Quæritur 4. Quàm diu litteræ dimiſſoriæ durent, ſive quando expirent? Reſpondetur: Litteræ dimiſſoriæ ſemel legitimè ab Epiſco-

po,

po, vel alio poteſtatem habente conceſſæ, etiam, re adhuc integrâ, non exſpirant morte, vel alio modo finitâ poteſtate concedentis, niſi per Succeſſorem; antequam ſortitæ ſint effectum, ex juſta cauſa, revocentur. Piaſec. c. l. n. 13. Rebuff. c. l. n. 47. Barb. c. l. n. 23. & alij apud ipſum. Ratio eſt, quia gratia, quæ non ad beneplacitum, ſeu voluntatem concedentis (hæc enim poſt mortem non durat, c. Si gratiosè 5. de reſcript. in 6.) ſed abſolutè conceſſa eſt, non exſpirat per mortem concedentis, etiamſi res integra ſit, ſive ad ejus executionem non ſit proceſſum, c. Si ſuper 9. de offic. deleg. in 6. c. Si cui; 36. de præbend. in 6. Unde neque dimiſſoriæ conceſſæ à Capitulo, Sede vacante, in caſibus jure permiſſis, poſt electionem novi Epiſcopi, exſpirant; niſi ille eas revocaverit, geſta enim per Capitulum tenent, etiam finitâ Capituli poteſtate, c. His quæ; 11. de major. & obed. Lopez. in pract. Canon. c. 26. lit. C. §. Poſtquam verò, Piaſec. c. l. Barb. c. l. n. 24. requiritur tamen juſta cauſa, ſinè qua nec per concedentem, nec per Succeſſorem revocari poſſunt dimiſſoriæ ſemel conceſſæ. Campan. in diverſ. jur. Can. c. 8. num. 44.

Quòd autem dictum eſt, dimiſſorias non exſpirare morte concedentis, id intelligi debet de ipſa licentia, quæ conceditur ei, qui Ordines ſuſcepturus eſt: nam ea cùm ſit gratia quædam, & beneficium, debet eſſe perpetuum, ſive durare etiam poſt mortem concedentis: at verò, ſi Epiſcopus proprius poteſtatem conferendi Ordines ſuis ſubditis extraneo Epiſcopo committat, ſive deleget, ea delegatio exſpirat morte delegantis, ſi res adhuc integra ſit, quia mandatum morte mandantis extinguitur, re integrâ, l. Et quia 6. ff. de juriſd. omn. Jud. Ugolin. cit. c. 26. §. 21. num. 2.

§ VIII.

De Titulo, ad quem ordinandi ſunt Clerici.

LXVIII. Præmittendum 1. Nullus initiari debet Ordinibus ſacris, ſinè Titulo menſæ, ut vulgò vocari ſolet, per quem ordinando proviſum ſit de ſufficiente, eâque perpetuâ ſuſtentatione, ut jam olim ſtatutum fuit in Concilio Chalcedonenſi relato in c. 1. & 2. diſ. 70. & in c. 2. c. Epiſcopus 4. c. Cùm ſecundùm 16. c. Tuis; 23. de præbend. & c. Si Epiſcopus 37. eod. in 6. & noviſſimè in Concilio Trid. Seſſ. 21. c. 2. de reform. Ratio eſt, tum quia juſtum eſt, ut, qui obligantur ad ſerviendum Altari, ſeu Eccleſiæ, ex proventibus Eccleſiæ alantur, juxta Apoſt. 1. ad Corinth. 9. tum ne ij, qui divino miniſterio aſcripti ſunt, tum Ordinis dedecore, mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogantur, ut dicitur in Trident. c. l. Tum quia Clericus in ordinatione ſua recipit officium in Eccleſia: Ergo rationabile eſt, ut ei quoque aſſignetur beneficium in ea, nam hoc datur propter officium: tum denique id ideo ſtatutum eſt, ut Clericus obligetur ex titulo certo loco, ne diſcurrendo vagetur per mundum. Turrecrem. in cit. c. 1. diſ. 70. in reſponſ. ad 1.

Præmittendum 2. Pro prima Tonſura, vel minoribus ordinibus ſuſcipiendis Titulus non requiritur, ut poſt Hoſtienſ. in ſumma tit. de præbend. n. 6. §. Et qualiter; docet Pariſius l. 2. de reſign. benefic. q. 6. num. 4. ubi dicit, hoc communi praxi eſſe receptum, quia in minoribus conſtituti à Clericali ſtatu retrocedere poſſunt: & in cit. c. Epiſcopus, & c. Si Epiſcopus, & in Trident. c. l. de ſacris Ordinibus tantùm fit mentio: quamvis Jure antiquo, etiam ad primam tonſuram, & minores Ordines Titulus requirebatur, ut conſtat ex cit. c. 1. junctâ Gloſſ. V. Neminem; diſ. 70. & cit. c. 2. & ibi Gloſſ. V. Clericos de præbend.

Præmittendum 3. Duplex eſt Titulus, ſuper quo Clericus ſecularis in ſacris conſtitutus ordinari poteſt, ſcilicet Titulus beneficij Eccleſiaſtici, & Titulus patrimonij; quibus addi poteſt tertius Titulus ad paupertatem religioſam, ut ex dicendis patebit.

LXIX. Quæritur 1. Qualis ſit Titulus beneficij, & quæ ad illum requirantur? Reſpondetur: Ad Titulum beneficij Eccleſiaſtici, qui eſt propriè dictus Titulus ordinationis, requiritur 1. ut beneficium, ad quod aliquis ordinatur, ſit certum, ac perpetuum, ut colligitur ex cit. c. Epiſcopus ibi: *ſinè certo Titulo* de præbend. alioquin ſi non eſſet beneficium certum, ac perpetuum, & contingeret ordinatum amoveri à beneficio, non haberet, unde viveret, & ſic ſequerentur prædicta incommoda, ut ſcilicet cogeretur mendicare, vel ſordidum munus exercere, contra dignitatem Ordinis Clericalis. Et hinc non poteſt quis ordinari ad Commendam, vel Vicariam temporalem, quippe quæ non dantur in Titulum, ut ex communi docet Abb. in c. Conſtitutus 8. n. 5. de filijs Presbyt. neque ad Capellaniam non collativam, ſeu revocabilem, ob eandem rationem; neque ad beneficium manuale, quia beneficia manualia dantur quidem in Titulum, ſed ita, ut revocari poſſint, & qui illud obtinet pro arbitrio amoveri, prout ex communi docet Pariſ. c. l. n. 2. & 3. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 19. n. 25. Neque ad Titulum alicujus beneficij, vel ſtipendij ab Epiſcopo aſſignandi ſuper fructibus ſuæ menſæ Epiſcopalis, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Garciam p. 2. de benefic. c. 5. num. 93. & ratio eſt, quia morte conſtituentis extinguitur, cùm onus hujuſmodi non poſſit imponi in præjudicium Succeſſoris, niſi cum licentia S. Pontificis. Poteſt tamen Clericus ordinari ad Vicariam perpetuam, & ad Coadjutoriam; ſi ea ex Papæ conceſſione irrevocabilis ſit, ſeu cum ſuccedendi facultate conceſſa. Barb. c. l. n. 23. Garc. c. l. num. 132. ubi tamen id limitat, dummodo ratione illius habeat congruam ſuſtentationem, tum enim poſſet ordinari ad Titulum Coadjutoriæ, non tanquam ad Titulum beneficij, ſed illius juris percipiendi congruam portionem aſſignatam tanquam penſionem. Item quis ordinari poteſt ad penſionem Eccleſiaſticam, ſi ea perpetua; ac veluti titularis ſit. Navarr. de oratione cap. 20. num. 18. de quo Infrà: Non autem ſuper penſione, quam aliquis habet ſuper alterius beneficio; quia & ipſa morte penſionarij extinguitur, nec transferri poteſt in alium, ſinè licentia Papæ. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 26. §. 10. num. 4.

LXX. 2. Re-

LXX. 2. Requiritur ad titulum beneficij, ſuper quo Clericus otdinatur, ut beneficium unum, vel plura ſint Clerico ſufficientia ad honeſtam, & decentem ſuſtentationem, ut colligitur ex eir. c. Epiſcopus ibi: *de quo neceſſaria vitæ percipiat.* de præbend. & decetnit. Tridenr. c. l. Satis tamen eſt, ſi fructus beneficlj, unâ cum patrimonio eerto, ac ſtabili Clerici, ſufficlant ad alimoniam Clericl, etſi beneficium per ſe ſolum non ſit ſufficiens. Ugolin. cit. c. 26. §. 3. in fine, & §. 12. n. 2.

Quodnam aurem beneficium per ſe, vel unâ cum patrimonio, ſufficiens cenſeri debeat, Epiſcopi ordinantis judicio relinqui debet, ſpectatis circumſtantijs, quia determinatio eorum, quæ indeterminaè à jure ſtatuuntur, prudenti viro, nempe Judici relinquitur, arg. c. De cauſis 4. de offic. deleg. & l. 1. ff. de jure delibet. certa autem quantitas hic jure præſcripta non eſt, modò tamen beneficium tantum ſit, ut ſufficiat ad decentem, & honeſtam ſuſtentationem, pro ſtatu, & qualitare perſonæ ordinandæ in particnlari; nam beneficium ignobili ſufficiens, non erit ſufficiens nobili, vel egregiè litterato, ut cenſet Gloſſ. in cit. c. Epiſcopus; V. Neceſſaria; Sanchez. in opuſc. mor. tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 35. num. 7. & alij apud ipſum; vel ſaltem, ut ſit ſufficiens pro ſtatu cujuslibet Clerici in genere, ſine reſpectu Ordinis Clericalis ut ſic, non attentâ conditione perſonæ ordinandę in particulari, v.g. nobilitate, doctrinâ &c. quia Jus antiquum, & Tiident. ſolùm requirir beneficium, quod ſufficiar ad honeſtè vivendum. Garc. c. l. num. 114. Barboſ. cit. alleg. 19. num. 9. & 10. Imò Pariſius l. 5. c. 6. quæſt. 155. cum Navarro exiſtimat, ſatis eſſe, ſi beneficium habeat reditus neceſſarios ſimpliciter ad victum, & veſtitum, ita, ut Clericus tanquam egens mendicate non cogatur.

Verùm Concilium requirit titulum ſufficientem, non ſimpliciter pro victu, ſed ad honeſtè, ſive (quæ cenſentur Synonyma) commodè, ac decenter vivendum: nam alia eſt ſuſtentatio neceſſaria, quæ mendicitatem excludit; alia verò ſuſtentatio congrua, ſecundùm qualitatem ſtatûs ſui, ut notat Gloſſ. in c. unic. §. Sanè; V. abſque penuria de ſtatu regul. in 6. & ſic probabilius eſt, requiri beneficium ſufficiens ad honeſtam, ſeu convenlentem alimoniam Clerici, reſpectu Ordinis Clericalis, ut ſic, non verò qualitatis, ſeu conditionis in particulari. Barb. c. l. num. 9. & 10.

LXXI. 3. Requiritur, ut Clerico beneficium, ad cujus titulum ordinatur, actu collatum, imò & pacificè ab eodem poſſeſſum ſit, ut habetur in Concilio Tridentino c. l. adeòque ut beneficium non ſit litigioſum, ſed ſinè lite ab eo poſſeſſum. Barb. c. l. n. 15. & 16. quamvis jute antiquo ſuffecerit ſolus titulus per legitimam collationem acquiſitus, etiam ſinè poſſeſſione, quia per ſolam collationem jus in re acquiritur in beneficio. Sanch. cit. l. 7. c. 1. dub. 34. n. 5. Sed jure novo requiritur etiam poſſeſſio beneficij. Veruntamen hoc in praxi non ſervatur, licèt ſervari deberet, ſaltem ira, ut collaiio beneficij Clerico facta ſit, ſeu jus in re, & quidem ſine contradictione acquiſitum; tunc enim ordinari poteſt ad titulum ejus beneficij, cujus poſſeſſionem mox accepturus eſt, ut tradit Rodriquez. in ſumm. p. 2. c. 5. q. 10. Laym. in cit. c. Epiſcopus; de præbend. Atque hinc infertur, quòd non poteſt quis ordinari ad titulum beneficij de futuro obtinendi, ſive conferendi, cum certa ſpe, videlicet ad beneficium, ad quod aliquis eſt præſentatus, nominatus, vel poſtulatus, quia Concilium requirit titulum de præſenti habitum, & poſſeſſum. Garc. cit. c. 5. n. 130. Barb. c. l. num. 28. Poteſt tamen quis ordinati Subdiaconus, aut Diaconus ad titulum beneficij, etiamſi illius fructus non percipiat, niſi poſt ſuſceptum Ordinem Presbyterij, ut cenſuit S. Congreg. Concil. apud Garciam c. l. c. 110. Item poteſt quis ordinari ad ſervitium perpetuum alicujus Eccleſiæ, vel Altaris, ad quod cum conſenſu Epiſcopi, vel alterius Prælati, eſt deputatus, ita, ut inde ali debeat, donec aliam ſufficientem ſuſtentationem babeat, ut colligitur ex Tridentino Seſſ. 23. c. 16. de reform. Zerol. in praxi Epiſc. V. Dimiſſoriæ; in reſponſ. ad 5. §. Hîc eſt primum dubium. Vel etiam ſuper reditibus alicujus Seminarij ad ſerviendum in beneficio, quod Seminario unitum eſt, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Garc. c. l. n. 104.

LXXII. Quæritur 2. Qualis ſit Titulus patrimonij, & quæ ad illum requirantur? Reſpondetur 1. Alter Titulus, ſuper quo Clericus in ſacris ordinari poteſt, eſt patrimonij, qui non niſi impropriè, & per æquiparationem titulus dicitur, ut colligitur ex cit. c. Epiſcopus; de præbend. ubi ſtatuitur, quòd Clericus in ſacris ordinari non debet ſinè titulo, videlicet beneficij: poſtea verò ponitur exceptio, niſi bona patrimonialia babeat: itaque bona patrimonialia æquiparantur titulo in eum finem, ut Clericus in ſacris ordinari poſſit. Ad quem titulum ordinari non poſſunt, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos, pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiarum ſuarum, ex decreto Concil. Trident. cit. Seſſ. 21. c. 2. de reform. quæ tamen neceſſitas, vel ſaltem commoditas ordinariè adeſt, præſertim in viris doctis, & probatæ vitæ, & ideo poteſt quis regulariter hodie ordinari etiam ad titulum patrimonij. Garc. l. c. n. 74. & ſeq.

Nomine autem patrimonij hîc intelliguntur bona propria Clerici, ſive illa à patre profecta ſint, ſive ex propria induſtria, vel ex donatione alterius, vel ex alio quovis legitimo titulò ſint acquiſita, dummodo illa ſufficiant ad Clerici ordinandi honeſtam ſuſtentationem, juxta Epiſcopi ordinantis arbitrium, ad hoc enim ſolùm requiritur titulus, ut habeat ſuſtentationem honeſtam, undecunque illam habeat. Ugolin. cit. c. 26. n. 3. Barb. c. l. n. 52. Requiritur autem præterea, ut hæc bona patrimonialia, ad quæ Clericus ordinatur, ſint certa, quia, ſi incerta ſint, ſciri non poteſt, an ſint ſufficientia ad alimoniam Clerici: immobilia, quia res mobiles facilè extinguuntur, vel conſumũtur, uſu & lapſu temporis, ideòque, ſi mobilia ſint, in immobilia bona converti debent. Azor p. 2. l. 3. c. 4 q. 7. Barb. c. l. n. 55. Item libera, ſive alteri non obligata pro cenſu, ære alieno, vel dote &c. quia alioquin fieri poſſet, ut à creditoribus auferrentur. Ugolin. c. l. §. 11. n. 3. Garc. c. l. n. 105. Ac denique debent eſſe frugifera, ut annuum reditum Clerico ordinato adferant, quia idem eſt, rem non babere, & habere, ſed inutilem, l. Quoties; 6. ff. qui ſatisdare cog. niſi res

infrugifera alienari poſſet, & ex pretio frugiferum quid comparari. Ugolin. c. l. & §. 11. n. 2. Et hine non poreſt quis ordinari ad bona patrimonij, in quibus ſolùm habet dominium directum, & alter utile, quia cùm nullos fructus inde percipiat, nihilominus pauper erit. Ugolin. c. l. §. 9. n. 3.

Porrò, ſicnt ordinatus ad beneficinm non poteſt illud reſignare, niſi factâ mentione, quòd ad illius titulnm promotus ſit; & niſi conſtet, quòd aliunde commodè vivere poſſit: alioqui enim reſignatio erit nulla, juxta Trident. c. l. ita etiam bona patrimonij, ad quæ aliquis ordinatus eſt, vel penſio, deinceps ſinè licentia Epiſcopi, alienari, extingui, aut remitti nullatenus poſſunt, niſi priùs ipſi Clerico per beneficium Eccleſiaſticum, vel aliunde ſufficienter ſit proviſum, prout habetur in Trident. cit. Seſſ. 21. c. 2. in fine. & conſequenter ejuſmodi bona patrimonialia nec vendi, nec permutari, nec ſub hypotheca obligari poſſnnt, quia nomen alienationis generale eſt, & omnem alienationem quacunque ratione factam complectitur, c. Nulli; 5. de reb. Eccleſ. non alien. l. ult. C. de reb. alien. non alienand. Nec refert, quòd vendens patrimonium non cogatur mendicare, quia participat pretium, quod ſuccedit loco rei; nam facilè poſſet pretium conſumere, & ſic mendicare. Batb. c. l. n. 78. Quare alienatio patrimonij ſubſequens ordinationem petinde ipſo jure irrita eſt, ſicut renunciatio beneficij, ad quod aliquis ordinatus eſt; nam verbum, *nullatenus*, poſitum in cit. decreto Tridentini nullitatem inducit, ſecundùm Gloſſ. in Clement. unic. de ſeqneſtr. poſſeſſ. Barboſ. c. l. n. 77. & eadem militat ratio, quæ in beneficio, imò major, cùm faciliùs patrimonium alienetur, quàm beneficinm. Sanch. cit. loc. dub. 38. Addunt nonnulli, talia bona partimonij gaudere privilegijs, quæ jure conceduntur bonis Eccleſiaſticis. Barboſ. c. l. n. 91. & alij apud ipſum; quod tamen ſatis incertum, cùm nullo jure probetur; licèt Clericus in his bonis, ſicnt & in alijs, gaudeat immunitate Eccleſiaſticâ, nt ex ijs non teneatur ſolvere gabellas. Sanch. cit. loc. dub. 36.

LXXIII. Reſpondetur 2. Ad titulum patrimonij revocatur etiam titulus donationis, ſeu penſionis, à quocunque etiam laico aſſignatæ: ſi nimirum Clerico ordinando à quacunque perſona liberalis donatio, aut promiſſio fiat de penſione, aut ſuſtentatione annua ſufficiente præſtanda, donec ordinatus ſufficiens beneficium Eccleſiaſticum, vel aliam proviſionem conſequatur, prout ſumitur ex Concil. Trident. loc. cit. Garc. p. 2. de benefic. c. 5. num. 29. Barb. c. l. n. 73. Et quamvis hujnſmodi donatio, aut penſionis aſſignatio Clerico realiter tradi deberet, ut ſignificat Trident. cit. loc. ibi: *patrimonium, illud, vel penſionem verè ab eis obtineri*, id tamen in multis Eccleſijs non ſervatnr: veruntamen ſaltem cautio hypothecaria fieri deberet, aſſignatâ certâ re liberâ, & frugiferâ, unde annua penſio, vel ſuſtentatio ſufficiens accipi poſſit; tunc enim penſio illa impoſita ſuper certa re frugifera, ſive jus illam percipiendi eſt reale jus quoddam proprium ipſius Clerici, adeóque is ordinatur ad titulum proprij patrimonij. Garc. cit. loc. n. 94. ſicut etiam poreſt quis ordinari ad titulum censûs, quem ipſe ordinandus aliàs haberet, quia annui cenſus inter bona immobilia computantur. Clement. 1. §. Cùmque annui reditus de verb. ſignif. & non ſolùm ad cenſum perpetuum, ſed etiam vitalitium, ſive irredimibilem, ſive etiam redimibilem; quo tamen caſu, ſi cenſus redimeretur, pecunia, ex judicis decreto, apud certas perſonas deponi deberet, ut iterum ad cenſum collocetur. Garc. c. l. n. 95. & 96. & alij apud ipſum.

Porrò, licèt in privatis perſonis exigatur prædicta cautio realis, in Principibus tamen, Magnatibus, & Communitatibus ſufficit ſimplex cautio inſtrumentaria, quibus nunquam deeſſe poterit facultas ſuſtentandi Clericum, ideóque his fides haberi ſolet, ſi in inſtrumentis, ſeu litteris authenticis promiſſionem faciant ſufficientia alimenta præſtandi Clerico, imò ejuſmodi promiſſio in noſtris partibus plerumque ſub conditione tantùm concipitur, videlicet, ſi Clericum indigere contingat; nam, quamvìs Tridentinum plus exigat, neceſſitas tamen, quæ legem non habet, in his caſibus excuſat, ſi Sacerdotum ſit penuria, & abſoluta proviſio impetrari non poſſit.

LXXIV. Ex hactenus dictis infertur 1. Quòd quis non poſſit promoveri ad Ordines ſacros, ſinè beneficio, vel patrimonio, vel ſaltem penſione, etiamſi ex ijs, quæ propriâ induſtriâ, aut ex honeſto officio lucrari poteſt, v.g. quòd ſit Pictor, Muſicus, Magiſter Grammaticæ, aut aliam licitam profeſſionem exerceat, ſufficienter, & honeſtè ſe alere poſſit: Imò neque ad titulum litteraturæ, v. g. Doctoratûs, aut Licentiatûs in Theologia, vel Jure Canonico, ordinari quis poteſt, quamvìs ſit inſigniter doctus, ut cenſuit S. Congreg. Concil. apud Garc. c. l. n. 125. & duobus ſeqq. Barb. cit. alleg. 19. n. 172. & alij communiter, & colligitur ex Tridentino c. l. quod expreſsè diſponit, quòd nullus Clericus ſecularis, quamvìs aliàs idoneus ſit, moribus, ſcientiâ, & ætate, ordinari debeat ſinè titulo beneficij, vel patrimonij, ratio eſt, quia in viro etiam eruditiſſimo ſubeſſe poteſt periculum inopiæ, ob varios caſus, infirmitatis v. g. incidentis, ob quam inutilis fiat, & egeat.

Infertur 2. Quòd neque filius ordinati poreſt ad titulum hæreditatis, ſeu patrimonij patris viventis; nam, etiamſi aliàs pauper cenſendus non ſit, qui divitem patrem habet, cùm filius ſit neceſſarius hæres patris ſui, & ab ipſo, ſi egeat, ali debeat, ut tradit poſt alios Pariſius l. 2. de reſign. benef. q. 6. n. 24. Concilium tamen requirit, ut ordinandus, ſi beneficiarius, vel penſionarius non ſit, verè, & re ipsâ patrimonium habeat, & non in ſpe tantùm, ſive fictione juris. Pariſ. c. l. n. 29. Garc. n. 91. & 92. Quare tali caſu pater, ſicut alius extraneus, filio ordinando certam rem frugiferam deſignare, eámque, vel re ipsâ donare, aut tradere debet, quæ ſit ipſi inſtar patrimonij, vel ſaltem ſub ſpeciali hypothecâ realiter obligare, ut non poſſit alienari, niſi cum onere penſionis filio ordinato inde ſolvendæ, ut docet Molina tr. 2. de juſtit. diſ. 238. §. Omnino idem dicendum. Excipitur tamen, niſi pater ſit perſona illuſtris, aut unus ex Magnatibus, tum enim in ijs Diœceſibus, in quibus promiſſio talium perſonarum litteris authenticis expreſſa pro ſufficiente titulo menſæ reputatur, non ſolet exigi talis deſignatio bonorum, vel rei certæ Laym. l. c. nam ſi promiſſio extraneo

neo facta acceptatur loco patrimonij, vel penſionis, multò magis acceptari debet jus, & obligatio naturalis, quam habet pater ad alendum filium proprium; neque qui certus eſt, certiorari ulteriùs debet, juxta reg. jur. 31. in 6.

LXXV. Quæritur 3. Qualis ſit titulus, ad quem ordinandi ſunt Clerici Regulares? Reſpondetur: Prædictis duobus titulis beneficij, & patrimonij, vel penſionis, addendus eſt tertius religioſæ paupertatis, ſive Profeſſionis in Religione approbata: nam Religionem ſolemniter, ac validè profeſſi, ſinè alio titulo, etiam ad ſacros Ordines promoveri poſſunt, ut conſtat ex c. 1. diſ. 70. quia in illis profeſſio ſubit titulum beneficij, & Religio tenetur alere ſuum Religioſum. Zerola in praxi V. Dimiſſoriæ; in reſponſ. ad 5. Regulares verò, ſeu Religioſi non profeſſi, ſicut Clerici ſeculares, ſinè titulo, non ſunt promovendi ad ſacros Ordines, juxta Conſtit. Pij V. quæ incipit Rom. Pontifex, & habetur apud Quarant. in ſumm. Bullar. V. Ordo; fol. 488. in qua decretum Concil. Trid. Seſſ. 21. c. 2. extenditur ad Regulares non profeſſos. Idémque eſt de Religioſis invalidè profeſſis, ut ex Rota Rom. tradit Garc. cit. c. 5. n. 12. Excipiuntur Religioſi Societatis Jeſu, qui poſt biennium Noviciatûs, tria vota, etſi ſimplicia, emiſerunt, hi enim ante ſolemnem profeſſionem, etiam ſinè alio titulo, ad omnes ſacros Ordines, perinde, atque alienum Ordinum profeſſi, promoveri poſſunt, non obſtante Conſtitutione Pij V. ex conceſſione Gregorij XIII. facta ult. Februar. anno 1573. quam etiam confirmavit Gregorius XIV. in Conſtitut. edita 30. Aug. anno 1591. Similiter Alumni Pontificij, qui in Seminarijs Studiorum causâ aluntur, ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, abſq; alio titulo, ordinari poſſunt, juxta Bullam Greg. XIII. An. 1584. 15. Sept. datam.

§. IX.

De loco, & temporibus Ordinationum.

LXXVI. Quæritur 1. In quo loco Ordines conferendi ſint? Reſpondetur 1. Prima tonſura, & Ordines minores non neceſſariò in Eccleſia conferuntur, ſed poſſunt etiam in domo Epiſcopali, aut quovis alio loco honeſto conferri, ut colligitur ex c. Quando & ubi; 6. diſ. 75. Campanil. in diverſor. Jur. Canon. Rubr. 6. c. 2. n. 17. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 11. n. 20. Majores verò Ordines conferendi ſunt in Eccleſia Cathedrali, præſentibus Canonicis: aut, ſi in alio Diœceſis loco, ordinatio fiat, in Eccleſia ejus loci digniore, quantum fieri poterit, præſente Clero, juxta Trident. Seſſ. 23. c. 8. de reform. ex conſuetudine tamen poſſunt in qualibet alia Eccleſia intra Diœceſin ſita. Henriq. in ſumma l. 10. c. 11. n. 3.

LXXVII. Reſpondetur 2. Omnes Ordines majores, & minores conferendi ſunt in propria diœceſi Epiſcopi ordinantis: in aliena verò Diœceſi etiam proprijs ſubditis Ordines conferre non licet, ſinè expreſſa licentia Ordinarij loci, & non niſi perſonis eidem Ordinario ſubjectis, Trid. Seſſ. 6. c. 5. de reform. niſi alij non ſubditi generales dimiſſorias à ſuis proprijs Epiſcopis habeant, ut colligitur ex Tridentino Seſſ. 23. c. 11. de reform. ubi dicitur, habentem facultatem à proprio Epiſcopo, ut à quocunque Antiſtite ordinari poſſit (adeóque dimiſſurias generales) poſſe ordinari ab Epiſcopo alieno in ſua Diœceſi reſidente, vel alio pro eo ibi Pontificalia exercente. Sanch. in opuſcul. mor. tr. 2. c. 1. dub. 20. n. 35. Alioquin verò probabilius eſt, Epiſcopum in aliena Diœceſi ne quidem primam Tonſuram ſuis ſubditis, abſque licentia Ordinarij loci, conferre poſſe, ut docet Campanil. cit. Rubr. 6. c. 1. n. 2. Sanch. c. l. c. 1. dub. 50. Barb. alleg. 6. n. 15. Laym. in c. 2. n. 8. b. t. in 6. contra Rebuff. in praxi p. 2. tit. de Cleric. & à quibus creent. n. 11. & Azor p. 2. l. 3. c. 48. q. 5. quorum ſententia in Jure nullum habet fundamentum, & falſum eſt, primæ tonſuræ collationem non eſſe actum Pontificalem, cùm ſpectato Jure communi, & ex prima inſtitutione ſua, ſolis Epiſcopis competat: etſi aliquando fiat ſinè Inſignibus Pontificalibus, quæ licèt omittantur, non ideo actus aliquis deſinit eſſe Pontificalis, cùm hæc ſint accidentaria, ut patet in benedictione Corporalium. Navarr. l. 5. conſil. 12. de Cleric. excommun.

Sed neque in loco exempto intra Diœceſin ſito conceſſum eſt extraneo Epiſcopo Ordines conferre, aut alia Pontificalia exercere, ſinè conſenſu, tum Superioris, ſeu Prælati illius loci exempti, tum etiam Epiſcopi Ordinarij, intra cujus fines locus exemptus conſtitutus eſt: ſecus eſt, ſi locus exemptus ſit extra Diœceſin, ſeu nullius Diœceſis, tum enim ſufficit licentia, ſeu vocatio Prælati exempti, juxta declarat. Cardin. ſuper Trident. Seſſ. 6. c. 5. de reform. apud Jo. Gallemart. ibid. n. 3. Barb. cit. alleg. 6. n. 12. & 13. Prædicta autem etiam locum habent in Patriarcha, vel Archiepiſcopo. Ugolin. cit. c. 26. §. 24. n. 1. Deniq; neque in loco interdicto, ſive ſpecialiter, ſive ſolùm generaliter, Ordines tempore interdicti conferri poſſunt. Ugolin. c. l. n. 3. Barb. cit. alleg. 11. n. 21. quia interdictum prohibet omnium Sacramentorum uſum, ſeu exercitium, exceptis ſpecialiter in jure expreſſis: nullibi autem reperitur conceſſum, ut in loco interdicto Ordines conferantur, præſertim cùm hoc Sacramentum non ſit ex neceſſarijs ad ſalutem.

LXXVIII. Quæritur 2. Quibus temporibus Ordines conferendi ſint? Reſpondetur 1. Prima Tonſura quolibet die conferri poteſt; Nam pro ejus collatione certum tempus in Jure conſtitutum non eſt, ut patet ex Pontificali Rom. in Rubr. de Ordinib. conferend. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 11. n. 19. & alij DD. communiter, idque generali conſuetudine obſervari refert. Fagn. in c. 3. n. 4. h. t. Ordines verò minores non tantùm in Ordinationibus generalibus, ſed etiam quovis die Dominico, aut feſto, ſaltem uni, vel alteri conferri poſſunt, ut conſtat inprimis de die Dominica ex c. 1. b. t. Ubi conceditur licentia diebus Dominicis Virgines Deo dicatas conſecrandi, » & minores Ordines conferendi. Similiter in c. De » eo; 3. h. t. cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Alexan- » dro III. an liceat, extra jejunia quatuor temporum, » aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Aco- » lythos, aut etiam Subdiaconos promovere? is re- » ſpondit, quòd licitum eſt Epiſcopis unum, aut duos » ad minores Ordines promovere.

Notandum 1. Gloſſ. communiter recepta hic V. Aut duos; ait, quòd etiã pluribus, quàm duobus, Ordines minores poſſint dictis diebus conferri, dumodo non ſint tam multi, ut videatur eſſe ordinatio generalis.

raſis. Contrarium tamen tenetHoſtienſ.ibid.V.eod. quia quæſitum fuit de aliqnibus, & Papa reſpondit, unnm, aut duos, adeòque non plures, & in dubio tutius eſt, edicti verbis inhærere; & nulla neceſſitas eſt, id extendendi ad plures, cùm Dominici, & feſti dies ſæpius in anno recurrant. In qua re ſtandum eſt conſuetudini, quæ eſt optima legum interpres, quamvìs in rigore juris probabilior videatur opinio Hoſtienſ. adeòque in praxi tutius ſit illam ſervare, ſi conſuetudo eſſet. Fagnan. in cit. c. 3. n. 7.

Norandum 2. Etſi text. in cit. c. 3. loquatur de ſolis Epiſcopis, adeóque per ſenſum contrarium videatur, non licere Ordines minorea conferre Abbatibna inferioribus, niſi in temporibnsOrdinarijs jure ſtatutis, qnia ſi Papa voluiſſet hanc facultatem ijs concedere, utique expreſſiſſet: & cùm boc Epiſcopis ſpecialiter ſit conceſſum, de alija intelligitur negatum. Hoſtienſ. hîc in princ. V. Epiſcopis: nihilominus tamen idem Hoſtienſ. in c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qualitat. §. Sed quo tempore; putat, hoc etiam extendendum ad Abbates, quòd & ipſi poſſint minoresOrdinès ſuis Regularibns conferre in diebus Dominicis, & feſtis; tum quia, cùm Abbates conferāt Ordines minorea in ſuo tantùm Monaſterio, nulli infertur præjudicium: tum ne videantur Abbates generales ordinationes poſſe facere, ſicut Epiſcopi, quamvìs hæ rationes non ſint efficaces. Quare hac in re etiam videtur ſpectanda eſſe conſuetudo loci, cūm jure communi nihil ſit expreſſum quoad Abbates.

Notandum 3. Hæc facultas conferendi Ordines minores permiſſa eſt etiam Epiſcopis diebus Dominicis, & feſtis, non chori tantùm, ſed quæ in foro externo à populo quoque celebrantur, ſaltem in particulari Eccleſia, prout S. Congreg. Concilij declaravit apud Fagn. in cit. c. 3. h. t. n. 42.

Notandum 4. Ex conſuetudine in quibuſdam Eccleſijs receptâ, prima tonſura, & quatuor minores, tempore ordinationum generalium, non in ipſo Sabbato, ſed per anticipationem in veſpera feriæ VI. præcedentis, vel etiam in feria IV. quatuor temporum conferri ſolent, ac poſſunt, ſaltem ubi talis conſuetudo viget. Barb. cit. alleg. 11. n. 17. Ratio eſt, quia etſi nullo jure legatur permiſſum Epiſcopis conferre tali die minores Ordines, non tamen hoc eis expreſsè legitur prohibitum, nam in c. 1. & 3. h. t. ſolùm permittitur, ut poſſint conferri etiam Dominicis, & feſtivis diebus. nihil ergo obſtat, quin conſuetudo poſſit induci, ut etiam alijs, quàm in jure expreſſis diebus, conferantur, maximè, cùm hoc neque naturali, nec divino juri repugnet, conſuetudo verò contraria reprobatur ſolùm in ſacris Ordinibus, c. 2. h. t. Fagn. in c. 3. n. 35. & ſeqq. h. t.

Norandum 5. Non eſt neceſſarium, ut prima Tonſura, & Ordinea minorea conferantur ſub Sacrificio Miſſæ, neque, ut ordinans ſit jejunus. Barb. c. l. n. 10. juxta Pontificale Romanum tamen rit. de minorib. Ordin. conferri debent tempore matutino, niſi conſuetudine aliud ſit inductum.

Norandum 6. Virginum ſacratum conſecratio, non tantùm diebua Dominicis, cit. c. 1. h. t. ſed alijs quoque ſolemnioribus feſtis fieri poteſt, ut conſtat ex c. Devotis; 11. cauſ. 20. q. 1. ubi certi dies feſti præſcribuntur, videlicet Epiphania Domini, Dominica in Albis, & tota ſeptimana Paſchatis, ut addit Gloſſ. ibid. V. In Albis, & Natalitia Apoſtolorum; quamvìs etiam alija feſtis Virgines conſecrari poſſint, ut tradit Barb. de offic. Epiſc. alleg. 27. n. 54.

LXXIX. Reſpondetur 2. Ad Subdiaconatum (& alios Ordines ſacroa Superiores) nulli Epiſcopo, præterquam Romano Pontifici, licet aliquoa promovere, niſi in quatuor temporibus (ſcilicet in Sabbatis 4. temporum, c. Quòd à Patribus; 4. & c. ult. diſ. 75. Hoſtienſ. hîc V. eod.) Sabbato ſancto, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, prout habetur in cit. c. Ex eo; h. t. Similiter in cit. c. 1. in princ. eod. idem Alexander III. ſtatuit, ut nulli (ſcilicet Epiſcopo) liceat Subdiaconoa in diebua Dominicis ordinare, niſi Romano Pontifici. Subdiaconatus enim nunc numeratur inter ſacros Ordines, ſacros verò Ordines, ut Presbyteratum, & Diaconatum, tantùm in Sabbatis 4. temporum conferre licitum eſt, ut patet ex cit. c. Quod à Patribua, & ibi Gl. V. Sabbati; & c. ult. diſ. 75. Excipitur Rom. Pontifex, qui propter poteſtatis plenitudinem, quovis tempore, & ubique ſacros Ordines conferre poteſt, tempus enim non pertinet ad ſubſtantiam Ordinis. Hoſtienſ. in cit. c. Ex eo; V. Romano Pontifici h. t. Ratio autem congruentiæ, ob quam Eccleſia ſtatuit, Ordines ſacros conferendos eſſe potiùs diebus Sabbati, quàm alijs, eſt, quia Sabbatū ſignificat requiem, & qui ordinantur, tranſeunt ad requiem Clericalem, requieſcere enim debent, ſive ceſſare à laboribus, & negotijs ſecularibus. Gl. in c. Litteras 13. V. Pertinet, h. t. quæ ratio ceſſat in ijs, qui minoribua Ordinibus initiantur, hi enim poſſunt ad ſeculum, reverti, ideóque minores Ordines conferuntur etiam alijs diebus, quàm Sabbati, ut ſuprà dictum. Porrò Sabbato, ſeu Vigiliâ Pentecoſtes non licet alicui ſacros Ordines conferre, quia in ſequenti ſeptimana, receptâ S. Spiritus gratiâ, Ordines celebrantur, ſeu conferuntur, cit. c. 1. in fine h. t.

LXXX. Quod autem dictum eſt, ſacros Ordines non niſi ſtatutis Jure temporibus conferendos eſſe, id extenditur, quòd neque conſuetudine induci poſſit, ut ſacri Ordines, extra prædicta tempora conferantur, ut conſtat ex c. Sanè; 2. h. t. Nam conſuetudo erat in quibuſdā Eccleſijs Scotiæ, & Valliæ, ut in dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, ſacri Ordinea conferrentur, extra jejunia 4. temporum (& extra Sabbatum ſanctum Paſchæ, & Sabbatum ante Dominicam Paſſionis, ut hîc ſupplendum eſt, Gl. V. eod.) Eo intellecto, Papa Alexander III. reſcripſit, hanc conſuetudinem penitus eſſe improbandam, quippe quę inſtitutioni Eccleſiaſticæ repugnat: &, niſi multitudo ita ordinatorum, & antiqua conſuetudo illius terræ obſtaret, non deberent ſic ordinati in ſuſceptis Ordinibua permitti miniſtrare, & ordinantes privandi forent poteſtate ordinandi, prout ex infrà dicendis patebit. Hinc colligitur, quòd conſuetudo particularis introducta contra univerſalia Eccleſiæ Canones, & inſtitutionem, improbari debeat, &, ſi fieri poteſt, abrogari, quamvìs, dum toleratur, ſeu non damnatur, à culpa, & pœna excuſentur, qui illi ſe conformant, ut inſinuatur in cit. c. 2. cùm talis conſuetudo per ſe juri naturali non repugnet, neque Eccleſiæ damnoſa ſit, Laym. in cit. c. 2. n. 1. & 2.

Cæterùm, etſi per conſuetudinem hoc induci non poſſit, poteſt tamen Papa aliquibus privilegium, ſeu licen-

licentiam dare, ut extra tempora Jure Canonico ſtatuta, ab aliquo Antiſtite ad ſacros Ordines promoveri poſſint; nam cùm hæc prohibitio originem habeat à jure poſitivo, S. Pontificem, qui ſupra jus eſt, ligare non poteſt; quale privilegium habet Societas Jeſu conceſſum à Gregorio XIII. anno 1582. 22. Septembris in Bulla: Pium & utile: non tamen communicabile cum aliis Religioſis, qui aliàs privilegia cum eadem participant. Sed & virtute aliorum privilegiorum, quæ à SS. Pontificibus, ante Concilium Trident. conceſſa ſunt, non poſſe Regulares nunc ab Epiſcopis initiari ſacris Ordinibus, extra tempora jure ſtatuta; reſolvit Mirand. in Manuali Prælat. tom. 1. q. 38. a. 4. quia dictum Concilium Seſſ. 23. c. 8. de reform. jubet, ut Ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis à jure temporibus celebrentur, & poſtea Seſſ. 25. c. a. generaliter revocat omnia, & ſingula Regularium privilegia, ſub quibuſcunque verborum formulis concepta.

LXXXI. Illud hîc addendum, in privilegio à Sede Apoſtolica quibuſdam concedi ſolito, ut etiam extra tempora jure ſtatuta, tribúſque Dominicis, vel aliis Feſtis diebus, iiſque continuis, ad ſacros etiam Presbyteratûs Ordines promoveri poſſint, nonnulli DD. exiſtimant, vi talis privilegij; in quolibet feſto duplici, etſi in foro feſtum non ſit, Ordines etiam majores conferri poſſe, ut tenet Rodriqu. tom. 3. qq. Regul. q. 23. a. 5. in fine; Fagund. l. 1. de præcept. Eccleſ. c. 2. n. 12. & ſeq. qui ait; quòd ita in multis locis in praxi obſervari ſolet; fundamentum eorum eſt; quia in Jore dies feſti appellantur etiam dies illi, in quibus fit Officium Duplex, etſi à laboribus feriati non ſint, ut colligitur ex Clement. unic. de Reliquiis; & Vener. SS. eámque ſententiam in praxi eſſe tutam; ait Diana p. 5. tr. 13. reſol. 97. minores verò Ordines; vi talis privilegij, etiam diebus, ſive feſtis ſemiduplicibus conferri poſſe, ex declaratione Clementis VIII. apud Rodriq. c. l. Alij tamen DD. communiter tenent, per feſtum in hoc privilegio ſolùm intelligi feſtum de præcepto, ſaltem particularis Eccleſiæ, Azor p. 1. Inſt. l. 2. c. 27. q. ult. Barb. cit. alleg. 11. n. 18. & alij; eò quòd nomen feſti accipi debeat, ſecundùm vulgarem acceptionem, & communem loquendi modum, vulgò autem, & communiter feſtus dies ille dicitur, quem pro feriato Clerus & populus habet, ſive, in quo ex præcepto ceſſatur ab operibus ſervilibus, & contrariam ſententiam prohibitam eſſe in Decreto Urbani VIII. monet Cardin. Lugo l. 11. reſponſ. mor. dub. 43.

§. X.

De Gradatione, & Interſtitiis Ordinationum.

LXXXII. Quæritur 2. Quo ordine, & quo intervallo temporis Ordines conferendi ſint? Reſp. 1. Ordines gradatim conferri debent, incipiendo à prima tonſura, ac deinceps eo, quo ſe conſequuntur, modo, ac ordine, ita, ut nullus per ſaltum, prætermiſſo Ordine inferiore, ſuperiorem ſuſcipiat. c. Si officia; 2. diſ. 79. c. unic. de Cleric. per ſalt. prom. quamvis qui, omiſſo Ordine inferiore, uno, vel pluribus, Ordinem ſuperiorem ſuſcepit, v. g. omiſſis 4. Minoribus, Subdiaconatum, vel hoc omiſſo, Diaconatum; vel etiam Sacerdotium, prætermiſſo Diaconatu, aut aliis Ordinibus inferioribus, validè Ordinem ſuperiorem recipiat, ita, ut propter omiſſionem inferiorum, iterum ordinari non debeat, de quo plura ſuo loco. Similiter qui non ſuſcepto Subdiaconatu, vel Diaconatu, per ſaltum Sacerdos, & Epiſcopus ordinatus eſt, validè nihilominus etiam illos duos Ordines, quos non habet, aliis confert. Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 9. c. 9. n. 8. nam poteſtas ordinandi competit ratione characteris Epiſcopalis, qui eſſentialiter includit ſolum Sacerdotium, non autem Ordines inferiores.

LXXXIII. Reſp. 2. Sed & per temporum interſtitia, ſeu intervalla omnes Ordines, etiam minores conferendi ſunt, ut ſcilicet ordinandi accuratiùs edoceri poſſint, quantum ſit Ordinis, quem ſuſcipiunt, pondus, & dignitas, & priùs ſe in ſuſcepto Ordine exerceant, quàm ad alium aſcendant; & ita cum ætate, vitæ meritum, & doctrina major accreſcat, ita habetur in Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 11. de reform. Verùm in minoribus Ordinibus certa interſtitia non ſunt definita, ſed id totum abſolutè judicio Epiſcopi relinquitur, prout ei expedire magis videbitur. Trident. c. l. Et hodie quidem ex recepta paſſim Eccleſiarum conſuetudine, quatuor minores Ordines ſimul eodem die conferri eidem poſſunt, ſicut & olim, ac jure antiquo poterant; ut colligitur ex c. 2. junctâ Gl. V. minores de eo, qui furtivè Ordin. ſuſcept. & tradit Gl. in c. 3. V. Ad minores. h. t. idque approbavit S. Congreg. Concil. teſte Fagnan. in c. 3. n. 26. h. t. Imò etiam cum prima tonſura licitum eſt ſimul conferre Ordines minores eidem, ubi talis Eccleſiæ conſuetudo viget, ut in Germania. Sylveſt. in ſumm. V. Ordo; 2. q. 7. Subdiaconatus autem, unâ cum minoribus, eidem conferri non poteſt. cit. c. 2. de eo, qui furt. &c. & colligitur ex Trident. c. l. idque Eccleſiarum conſuetudo confirmat, quæ vim legis obtinet. Quòd ſi tamen alicubi particularis conſuetudo ſit, ut Subdiaconatus, eodem die, ſimul cum minoribus aliquibus conferatur, ea reprobanda non eſt, cùm ea neque per Concilium Trident. damnata, aut ſublata ſit, teſte Navarro in Man. Prælat. c. 25. n. 71. quod revocat ſolùm privilegia contraria, non autem derogat conſuetudinibus. cit. Seſſ. 23. c. 13. de reform.

Hinc infertur, quòd is, qui omnes minores Ordines ſuſcepit in die Veneris, poſſit die Sabbati quatuor temporum immediatè ſequente, abſque ullo interſtitio, ſuſcipere Subdiaconatum, nam cùm conſuetudine poſſit introduci, ut uno die eidem conferantur omnes 4. Minores, cum Subdiaconatu, ut ſuprà dictum; multò magis poterit induci, ut duobus diebus, aliàs tamen licitè, conferantur. Fagnan. in cit. c. 3. n. 41. h. t. ubi tamen addit, licere Epiſcopo ex reſponſo ſacræ Congreg. Concil. in die Veneris omnes minores Ordines conferre, & in Sabbato ſequente, in quo fit Ordinatio Generalis, Subdiaconatum; ſi dies Veneris ſit feſtus, & ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ id poſcat, juxta Decretum Concil. Trident. cit. c. 11. ſeſſ. 23. non tamen quoad minores Ordines, publicè, & in generali Ordinatione, ſed privatim, & aliquibus perſonis tantùm: quod intelligi debet; niſi conſuetudine aliud ſit inductum.

Google

LXXXIV. Reſp. 3. Ad duos Ordines ſacros non poteſt, nec debet quis unâ eadémque die admitti. c. Dilectus; 15. h.t. & nec Regularibus duo ſacri Ordines eodem die conferri poſſunt, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, ex Decreto Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 13. de reform. Quin imò neque licet, continuato jejunio duobus diebus, eidem duos Ordines ſacros conferre, prout ſumitur ex c. Litteras; 13. h.t. nam cùm Epiſcopus Bononienſis electum Epiſcopum Imolenſem in Sabbato quatuor temporum, Diaconum, & Dominicâ ſequente, continuato jejunio, Presbyterum ordinâſſet, re hac intellectâ, reſpondit Innocent. III. graviter utrumque, & ordinantem, & ordinatum in eo deliquiſſe: ſi enim non licuit Epiſcopo Bononienſi, eodem die, utrumque Ordinem ſacrum illi conferre, pari ratione non licuit unum Ordinem conferre uno die, & alterum eidem, continuato jejunio, conferre die immediatè ſequente; nam propter continuationem jejunii, canonicâ juris fictione, veſpera ad manè ſequentis diei, & manè ad veſperum diei præcedentis traheretur, & ſic veluti una dies, ſeu unius diei ordinatio cenſeretur, alioquin fruſtrà jejuniũ continuatum fuiſſet, cùm, etiamſi ordinans, vel ordinatus in Sabbato cœnam ſumpſiſſent, manè ſequentis Dominicæ jejuni adhuc fuiſſent, & ſic quantum ad hoc, ad Ordinis collationem, & receptionem procedere potuiſſent. Quare idem Papa Epiſcopum Bononienſem, ut in eo puniatur, in quo deliquit, à collatione Ordinum Diaconatûs, & Presbyterij, Imolenſem verò electum Epiſcopum ab executione Sacerdotij ſuſpendit, donec de illis aliter diſponat, ſive à cenſura ſuſpenſionis eos abſolvat.

LXXXV. Notandum 1. Permiſſum eſt, Ordines etiam ſacros conferre die Dominico, poſt Sabbatum Ordinationis, continuato jejunio, & ſic propter continuationem, ſeu conjunctionem, dies Dominica fictione juris cenſetur eadem dies cùm die Sabbati. Abb. in cit. c. Litteras. not. 2. Quare generalis ordinatio, ſive collatio Ordinum, etiam majorum, cœpta in Sabbato, propter multitudinem Ordinandorum, vel aliam rationabilem cauſam, differri poteſt uſque ad Dominicam, & in ea perfici, ſi jejunium naturale, & exactum, abſtinendo ab omni cibo, & potu, tam ab Ordinãte, quàm Ordinandis cõtinuetur, quia tunc fictione juris Sabbati, & Dominici matutini, veluti unus dies cõputatur. c. Quod à Patribus 4. diſ. 75. & Gloſſ. in cit. c. Litteras. V. Uno die, & V. Pertinere. Et ita illi, qui die Sabbati ordinati, ſeu ordine ſacro initiati non ſunt, continuato jejunio in Dominicam ſequentem, in illa ſacrum Ordinem ſuſcipere poſſunt: ſed ei, cui ſacer Ordo collatus eſt die Sabbati, non poteſt alius ſacer Ordo, etiam continuato jejunio, conferri die Dominica, quia cenſerentur illi collati duo ſacri Ordines, uno eodémque die: nam ſicut non eſt licitum alicui conferre duos ſacros Ordines in eadem die vera, & naturali, ita nec in eadem die ficta, ſive ex interpretatione juris eâdem. Abb. in cit. c. Litteras. n. 2. & in oppoſit. 1.

Notandum 2. Is, qui in Sabbato Presbyter ordinatus eſt, poteſt in ſequenti Dominica Epiſcopus ordinari, ſive continuato, ſive non continuato jejunio. Gl. in cit. c. Quod à Patribus. V. Sabbati, quia id nullibi prohibitum reperitur, & Epiſcopatus quolibet die Dominico conferri poteſt, adeóque etiam eo, qui Sabbatum quatuor temporum immediatè ſubſequitur: & per Canones requiruntur interſtitia temporum ſolùm ad conferendos eos Ordines ſacros, qui in Ordinariis, & generalibus Ordinationibus conferri ſolent. Laym. l. 5. tr. 9. c. 8. n. 6. Quemadmodum & is, qui ob juſtam cauſam in Dominica, continuato jejunio, Presbyter ordinatus fuit, poteſt eâdem die Epiſcopus quoque conſecrari, quia id quoque nullibi reperitur prohibitum. Gl. in cit. c. 4. V. Sabbati in fine, Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 1. num. 40. Laym. cit. loc.

LXXXVI. Porrò, quod dictum eſt, non poſſe alicui plures ſacros Ordines uno die conferri, id extenditur, quòd, etiamſi Epiſcopus ex mandato Metropolitani ſui, id faciat, non excuſetur à culpa, & pœna, prout habetur in c. Dilectus; 15. h.t. nam vacante Eccleſiâ Humilienſi, Canonici Guilielmum Canonicum in minoribus Ordinibus conſtitutum, unanimiter elegerunt (vel potiùs poſtulârunt, cùm ob defectum Ordinis ſacri, in Epiſcopum eligi non potuerit, Gl. hic V. Elegerunt) Quare Archiepiſcopus Caſſalenſis Metropolitanus eorundem mandavit Epiſcopo Trecenſi, ut ei uno, & eodem die omnes tres ſacros Ordines conferret, quod non auſu proprio, ſed ex Metropolitani mandato ſe feciſſe juramento affirmavit: re examinatâ, quia conſtitit dictum Epiſcopum Trecenſem in pluribus graviter deliquiſſe: tum quia ſinè mandato Archiepiſcopi, ad hanc inordinatam Ordinationem proceſſit, ut ipſe poſtea in judicio confeſſus fuit; tum quia, etſi Archiepiſcopus id ei mandâſſet, obedire illi tamen non debuiſſet, cùm facultas diſpenſandi in hac re ipſi à SS. Canonibus non ſit conceſſa: tum denique, quia perjurus fuit, & inconſtans, priùs jurando, quòd Archiepiſcopus id ipſi præceperat, & poſtea confitendo, quòd illud ei non mandaverat: ideo Honorius III. dictum Epiſcopum Trecenſem tamdiu ab Ordinandi poteſtate ſuſpendit, donec ipſi Papæ viſum fuerit eundem abſolvere.

LXXXVII. Hinc colligitur 1. Quòd Archiepiſcopi, & Epiſcopi non poſſint in univerſalibus Eccleſiæ Canonibus diſpenſare, niſi id ipſis expreſsè reperiatur conceſſum, prout ſumitur ex hoc c. ubi improbatur, quòd Epiſcopus plures Ordines ſacros eidem unâ die contulerit, etiamſi præceſſerit mandatum, ſeu diſpenſatio Archiepiſcopi, quia illi poteſtas diſpenſandi in hac re à SS. Canonibus non eſt permiſſa, adeòque eo ipſo cenſetur eſſe prohibita, alioquin ratio allata in textu non concluderet, nec eſſet adæquata, Innocent. hîc n. 2. V. Diſpenſatio, & n. 5. Hoſtienſ. ibid. V. hujuſmodi diſpenſatio, ubi ait, generalem regulam eſſe, quòd Epiſcopi, vel Archiepiſcopi circa Ordines, & Ordinatos diſpenſare non poſſint, niſi probent, hoc ſibi permiſſum, Joan. Andr. ibid. n. 7. Abb. n. 3. not. 5. de quo plura alibi.

Colligitur 2. Quòd ſubditus Superiori aliquid præcipienti contra jus, ſeu legem, in qua diſpenſare non poteſt, non debeat parêre, quia ille excedit limites ſuæ poteſtatis. Abb. hîc n. 3. not. 4. Si verò Superior aliquid præcipiat ſubdito contra legem, in qua diſpenſare poteſt, ei parendum eſt, quia cenſetur tacitè, ſeu ipſo facto diſpenſare, ut, ſi v.g. Epiſcopus, vel

alius

alius Prælatus habens poteſtatem diſpenſandi, ſubditum, quem ſcit irregularitatem contraxiſſe, ad Ordines mittat, Sylveſt. V. Diſpenſatio. n. 21. Suar. diſ. 41. de cenſur. ſect. 3. n. 5.

Colligitur 3. Quamvis in caſu huius c. Epiſcopus propter perjurium potuiſſet deponi, & ab Eccleſia omninò amoveri. c. Quetelam; 10. de jureiur. tamen mitiùs punitus fuit à Papa, quia vel confeſſus eſt delictum ſuum; vel quia non fuit contra ipſum actum in judicio, Gloſſ. hic V. Perjurii, & Abb. propè finem, in ſuſpenſione verò à poteſtate ordinandi ſolus Papa diſpenſare poteſt, Gloſſ. fin. hic.

LXXXVIII. Reſp. 4. Inter ſacrorum, ſeu majorum Ordinum ſuſceptionem, præterquam in Epiſcopatu, certum interſtitium, ſeu intervallum temporis à SS. Canonibus requiritur: nam Subdiaconatus non, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradûs minorum Ordinum, conferendus eſt, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud exposcat, ſicut habetur ſtatutum in Concilio Tridentino Seſſ. 23. c. 11. de reformat. Similiter promotus ad Subdiaconatum, ſi per annum ſaltem in eo verſatus non ſit, ad altiorem gradum aſcendere non eſt permittendus, niſi aliud Epiſcopo videatur, ead. ſeſſ. c. 13. Denique promotus ad Diaconatum, antequam ſaltem per annum integrum in eo miniſtraverit, ad Sacerdotium aſcendere prohibetur, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem, aliud Epiſcopo videatur. cit. ſeſſ. c. 14. Ubi tamen annus integer, qui intra unius, vel alterius Ordinis ſuſceptionem intercedit, non eſt mathematicè computandus, prout complectitur XII. menſes completos, ſed moraliter; adeóque non requiritur annus integer naturalis, ſed ſufficit Eccleſiaſticus, videlicet ab una quadrageſima ad aliam, à Pentecoſte ad Pentecoſten &c. Barboſ. de offic. Epiſc. allegat. 18. n. 2. & alij apud ipſum.

LXXXIX. Quæritur 2. Quis poſſit diſpenſare in interſtitiis Ordinum? Reſp. 1. Epiſcopus ſuper huiuſmodi interſtitiis temporum diſpenſare poteſt cum propriis ſubditis, ut patet ex Tridentino locis citt. non autem cum alienis, ſive alteri Epiſcopo ſubjectis diſpenſare poteſt Epiſcopus ordinans, niſi id illi ab Ordinario ordinandi in litteris dimiſſoriis expreſsè conceſſum ſit, ut colligitur ex Trident. ſeſſ. 23. c. 16. & c. 13. & c. 11. ex quibus locis ſatis clarè patet, quòd Concilium loquatur de Epiſcopo ordinandi, non verò Ordinante, quia nullus meliùs, & congruentiùs poteſt in huiuſmodi interſtitiis diſpenſare, aut ea de re judicare, quàm proprius Epiſcopus, qui ſcit, & cognoſcit utilitatem, & neceſſitatem Eccleſiæ; in qua talis Ordinandus reſidere debet, Mirand. in Man. Prælat. tom. 1. quæſt. 38. art. 7. concluſ. 2. Quare, qui dimiſſorias impetrant, curare debent, ut id ijs inſeratur, nempe Epiſcopum ordinandi diſpenſare in interſtitiis; vel facultatem diſpenſandi date Epiſcopo ordinaturo: alioquin in Eccleſiis, in quibus Concilium Tridentinum diligenter obſervari ſolet, ab Ordinibus repellentur, ſi ſtatuta interſtitiorum tempora nondum ſint tranſacta. Sed & Capitulum Cathedrale, ſede vacante, in interſtitiis diſpenſare poteſt, in ijs caſibus, quibus licentiam ordinandi, ſeu Ordines ſuſcipiendi date poteſt ſubditis Diœceſanis. Piaſec. in praxi Epiſcop. p. 1. c. 1. art. 8. num. 5. Quarant. V. Capit. ſed. vac. quæſt. 10. ex declarat. S. Congreg. Concil. quia ſuccedit in ijs, quæ ad juriſdictionem ordinariam Epiſcopi ſpectant.

XC. Reſp. 2. Poteſt etiam Epiſcopus, cum Religioſis, tametſi exempti ſint, diſpenſare in interſtitiis temporum, ita, ut hæc diſpenſandi facultas, non ad Superiores eorum Regulares, ſed ad Epiſcopum ordinantem pertinere videatur; nam Tridentinum locis citt. omnem diſpenſationem in interſtitiis reſervat Epiſcopo; qui tamen quoad cauſam diſpenſationis judicium formare debet ex atteſtatione ſuperiorum Regularium, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Quarant. cit. loc. & Piaſec. c. l. & ratio eſt, quia Religioſi exempti poſſunt ſe Epiſcopo, cum Prælatorum ſuorum licentia, ſubjicere, quoad gratias diſpenſationum, vel abſolutionum recipiendas. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 3. Quòd ſi Prælati Regulares teſtificentur, ſubeſſe cauſam diſpenſandi in interſtitiis, & diſpenſationem ab Epiſcopo petant, debet is, ſinè alia inquiſitione, illam concedere. Tiber. in Inſtruct. Ordin. c. 8. §. 8. Quæritur.

Verùm ij Prælati Regulares, qui ſubditis ſuis Ordines minores conferre poſſunt, ſi eoſdem ordinaverint, conſequenter poſſunt in interſtitiis cum iiſdem diſpenſare. Mirand. cit. a. 7. concluſ. 3. Imò etiam tunc, cùm eos ad alios pro talibus Ordinibus ſuſcipiendis dimittunt, cùm regulariter ad eum ſpectet diſpenſatio in interſtitiis, ad quem ſpectat Ordinatio, Tiber. cit. loc. Inſuper etiam valde probabile eſt, Prælatos Regulares exemptos, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent in ſuos ſubditos Regulares, non ſolùm in interſtitiis Ordinum minorum, ſed etiam majorum, diſpenſare cum illis poſſe, ad quos illis dimiſſorias dare poſſunt, de quo videri poteſt Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. c. 12. num. 21. & duobus ſeqq. Sanch. in opuſc. moral. l. 7. c. 1. dub. 54.

XCI. Quæritur 3. Quæ ſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in interſtitiis Ordinum? Reſp. Ad diſpenſandum in interſtitiis maior requiritur cauſa in promotione à minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, quàm in promotione à Subdiaconatu ad Diaconatum: nam in hac res tota abſolutè relinquitur judicio Epiſcopi, ita, ut diſpenſare poſſit ex quacunque cauſa; in priore verò requiritur neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ, judicio Epiſcopi determinanda, ut patet ex cit. ſeſſ. 23. c. 11. & 13. & ratio eſſe poteſt, quia in promotione à minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum mutatur Status; non item in aſcenſu à Subdiaconatu ad Diaconatum, cùm jam ſit mutatus, Mirand. cit. quæſt. 38. art. 8. concluſ. 3. Rurſum gravior, & major cauſa requiritur ad diſpenſandum in interſtitiis, in promotione à Diaconatu ad Sacerdotium, quàm in aſcenſu ad alios Ordines inferiores; nam ad diſpenſandum in interſtitiis inter Subdiaconatum, & Diaconatum, requiritur, & ſufficit ſolum arbitrium Epiſcopi, ſive quæcunque cauſa; inter Ordines minores verò, & Subdiaconatum requiritur neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ disjunctivè, ita, ut non ſufficiat ſola utilitas, ſed exigatur etiam neceſſi-

ceſſitas, ut patet ex cit. ſeſſ. 23. c. 14. In diſpenſatione verò interſtitiorum inter Diaconatum, & Sacerdotium, requiritur neceſſitas, & utilitas copulativè, ita, ut non ſufficiat ſola utilitas, ſed exigatur etiã neceſſitas; ut patet ex cit. Seſſ. 23. c. 14. idque, quia miniſteriũ Sacerdotij eſt omnibus reliquis majus, & ſublimius. Sanch. cit. l. 7. c. 1. dub. 55. & 56. Mirand. cit. num. 8. concluſ. 4. niſi quis dicere malit, particulam *ac* ſumendam eſſe disjunctivè in cit. c. 14. ita, ut ſufficiat ſola Eccleſiæ, vel etiam ipſius diſpenſati utilitas, quippe quæ in aliis diſpenſationibus majoris momenti ſæpe ſufficit, Tiber. cit. c. 8. quæſt. 58. §. 8. Requiritur. Verſ. Petes 3. Non enim requiritur cauſa neceſſitatis, vel utilitatis publica, & extraordinaria, ſed ſufficit talis, quæ prudenti judicio Epiſcopi, ſpectatis circumſtantiis loci, ac temporis, & conditione perſonæ, hic & nunc ſufficiens judicetur, Mirand. cit. art. 8. concluſ. 4. §. Sed dices, Barb. cit. alleg. 18. num. 5. cujuſmodi cauſa ſufficiens diſpenſandi in interſtitiis cenſeri quoque poteſt eminens doctrina, vel morum probitas, vel alia ordinandi merita, præſertim cùm Eccleſia etiam talibus miniſtris indigeat, Tiber. c. l.

Prædictis addendum 1. Si Epiſcopus Clericum, infra anni curriculum, ad Ordinem ſacrum promoveat, ſciens, illum nondum elapſum eſſe, hoc ipſo cenſetur tacitè cum illo diſpenſare ſuper interſtitiis temporum, Barb. cit. loc. num. 7. 2. Epiſcopus ordinans ſubditum, non obſervatis interſtitijs temporum, nullam pœnam incurrit, quia nulla eſt à Concilio expreſſa: neque ſic ordinatus, abſque expreſſa, aut tacita diſpenſatione Epiſcopi, aliquam cenſuram, vel irregularitatem contrahit, quamvis puniri poſſit pœnâ arbitrariâ à ſuo Ordinario, Navarr. l. 1. conſ. 4. h. t. Ugolin. cit. c. 26 §. 27. n. 7. Barboſ. c. l. n. 11. Et licèt Sixtus V. ſuſpenſionem decreverit, ea tamen per Gregor. XIV. poſtea ſublata eſt, & ad terminos juris communis reducta, ut refert Zerol. in praxi p. 2. V. Ordo. §. 8. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 1. n. 43.

§. XI.

De pœnis Iure Canonico ſtatutis in malè, ſeu illegitimè promoventes, ac promotos ad Ordines.

XCII. Quæritur 1. Quæ ſit pœna Ordinantis, vel Ordinati, ante legitimam ætatem? Reſp. Epiſcopus ordinans aliquem, ante legitimam ætatem, à collatione Ordinum ſuſpendendus eſt: ordinatus verò, ſive initiatus Ordinibus ſacris ab illorum executione ſuſpenſus eſt, donec ætatem debitam conſequatur, prout ſumitur ex c. Vel non eſt; 14. h. t. Nam » cùm Epiſcopus Conventrenſis puerum XIII. an» norum Diaconum ordinâſſet, in ludibrium Ordi» nis Clericalis, Honorius III. mandavit Epiſcopo, » & Archidiacono Legionenſi, ut, ſi rem ita eſſe re» perirent, prædictum Epiſcopum à collatione Or» dinũ: puerum verò ab executione Officij Diaconi, » uſq; dum ad legitimam ætatem pervenerit, in odiũ » Ordinantis ſuſpendant: & inſuper Epiſcopum per » cenſuram Eccleſiaſticam compellant, ut puero de competente beneficio Eccleſiaſtico provideat. »

XCIII. Notandum 1. Epiſcopus conferens alicui ſacros Ordines, ante legitimam ætatem, non quidem ipſo jure eſt ſuſpenſus, ſed ſuſpendi debet per ſententiam à collatione omnium Ordinum, ut in eo puniatur, in quo deliquit, Gl: hic V. Suſpendentes. Abb. n. 2. Sylv. v. Suſpenſio; n. 5. ubi ait, quòd ſuſpenſus ab Ordine ſimpliciter ſuſpenſus eſt à quolibet Ordine. Et quamvis in caſu huius c. Ordinans non peccaverit, niſi in collatione unius Ordinis, videlicet Diaconatûs, punitur tamen pœnâ ſuſpenſionis à collatione omnium Ordinum: quia textus generaliter, & indiſtinctè loquitur de ſuſpenſione à collatione Ordinum: idque tum propter exceſſûs gravitatem, nam ordinatus in Diaconum agens annum decimum tertium, longè adhuc aberat ab anno xxv., qui tunc temporis requirebatur ad Ordinem Diaconatûs, c. Placuit, 5. & c. ſeq. diſ. 27. tum etiam, ut cæteri, à ſimilibus deterreantur. Hoſtienſ. hîc. V. Suſpendentes. Fagnan. ibid. n. 6.

Porrò ſuſpenſus à collatione certi Ordinis, v. g. Diaconatu, non eſt ſuſpenſus à collatione Ordinis inferioris, nempe Subdiaconatu: Ordinem verò ſuperiorem, videlicet Presbyteratum conferre non poteſt, durante ſuſpenſione, quia cui, quod minus eſt, interdicitur, conſequenter etiam, quod majus eſt, interdictum cenſetur. arg. c. Quod ſicut; 28. §. Præterea de elect. & quamvis in majore non deliquerit, fecit tamen ſe indignum, delinquẽdo in minore. Hoſtienſ. hîc, §. Nunquid ergo; Abb. ibid. n. 5. Veruntamen, ſi talis Epiſcopus, durante ſuſpenſione, miniſtraret in Ordinibus, à quorum collatione eſt ſuſpenſus, non fieret irregularis, quia non eſt ſuſpenſus à miniſterio Ordinis ſuſcepti, Rebuff. in praxi benef. tit. de Cleric. ad ſacr. Ord. malè prom. Gloſſ. 2. num. 7. Ut ſi Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum Miſſam celebret. Rationem dat Fagnan. in cit. c. Vel non eſt. num. 45. quia ſuſpenſus ab actu certi Ordinis non eſt ſuſpenſus ab actu Ordinis inferioris, ut ſuprà dictum, ſed Ordo Epiſcopalis eſt major ordine Presbyterali, & Ordinum collatio, non ad Presbyteros inferiores, ſed ad ſummos duntaxat Sacerdotes, id eſt, Epiſcopos, per ſe, & jure ordinario ſpectat, ergo ſuſpenſus à collatione Ordinum, adeóque ab actu Ordinis ſuperioris, ſcilicet Epiſcopalis, non eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, qui eſt actus Ordinis inferioris, nempe Presbyteralis. Secus verò dicendum eſt, ſi Epiſcopus ſic ſuſpenſus alteri Ordines conferat, tunc enim fit irregularis. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 16. n. 8. & 9. quia exercet principalem actum Ordinis Epiſcopalis, qui eſt, conſecrare, ſeu ordinare Sacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ, à quo eſt ſuſpenſus; nam ex generali doctrina apud Sylveſt. V. Suſpenſio. n. 5. ſuſpenſus ab aliquo Ordine, ſi in illo miniſtret, fit irregularis. Idque extenditur non ſolùm, ſi Epiſcopus ſuſpenſus majores, ſed etiam, ſi minores Ordines conferat, eum fieri irregularem; nam, quamvìs probabile ſit, ſuſpenſum ab exercitio minorum Ordinum, non fieri irregularem, ſaltem ſi abſque ſolemnitate in illis miniſtret, quia Ordines hujuſmodi communiter exerceri ſolent à laicis: aliud tamen eſt in collatione minorum Ordinum, quia ea jure ordinario ad ſolum Epiſcopum, tanquam proprium miniſtrum pertinet, & Canones

loqnun-

Google

loquuntur indiſtinctè de Ordinibus. Fagnan. in cit. c. 14. h. t. n. 33. & 34. Quin imò probabile eſt, Epiſcopum ſuſpenſum à collatione Ordinum fieri irregularem, conferendo etiam primam tonſurám, quia etſi ea non ſit propriè ordo, eſt tamen diſpoſitio ad Ordines, & ſic includitur in ſuſpenſione à collatione Ordinum; quia aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud. arg. l. Oratio. 16. ff. de ſponſal. & collatio primæ tonſuræ eſt etiam actus Ordinis Epiſcopalis, & illius miniſter Ordinarius, & proprius eſt ſolus Epiſcopus. Fagnan. c. l. n. 35. & ſeqq. & alij apud ipſum.

» XCIV. Notandum 2. Is, qui infanti (vel etiam » homini illiterato, aut conjugato) primam tonſu» ram confert, per unum annum (integrum & con» tinuum) à collatione Clericalis tonſuræ duntaxat » (ipſo jure) eſt ſuſpenſus, ut in eo, in quo peccavit, » puniatur, prout ſtatutum eſt in c. ult. in fine h. t. in 6. & ibi Gloſſ. V. Annum, & V. Suſpenſum. Quæ tamen pœna ſuſpenſionis à collatione tonſuræ ipſo jure per annum à lege, ſeu Canone definita, etiam propter identitatem rationis, quippe lex pœnalis, non eſt extendenda ad eos, qui Ordines minores conferunt infanti, illiterato, vel conjugato, quia ſpecialiter prohibitum fuit, ne prima tonſura conferatur perſonis inhabilibus, cùm ea ſit velut janua ad ſtatum Clericalem, ad quem laici transferuntur, & ideo in hac aſſumptione laicorum ad Clericatum voluit Papa ſpecialiter cavere, ne inhabiles admitterentur; quæ ratio non habet locum in aliis Ordinationibus, per quas illi, qui jam Clerici facti ſunt, ad ſuperiorem Ordinem in illo ſtatu promoventur, ideóque nec licet pœnam illius legis ad alios Ordines extendere. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 5. n. 3.

XCV. Notandum 3. Ordinatus, ſive initiatus ſacris Ordinibus, ante legitimam ætatem, etſi characterem Ordinis recipiat, quia ætas non requiritur ad ſubſtantiam, ſeu valorem Ordinis. Gloſſ. in cit. c. Vel non eſt. V. Ætatem; h. t. ab illorum tamen executione eſt ſuſpenſus, donec ad ætatem legitimam pervenerit, c. jam cit. Imò Jure hodierno ſic ordinatus eſt ſuſpenſus ipſo jure: &, ſi ante legitimam ætatem, durante ſuſpenſione, antequam ab ea abſolutus ſit, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare præſumpſerit, eo ipſo irregularitatem incurrit, & ultra alias pœnas, beneficiis Eccleſiaſticis privari poteſt, juxta Conſtit. Pij II. quæ incipit; Cùm ex ſacrorum, & extat apud Quarant. in ſumm. Bullar. V. Ordo; in princ. Porrò, etſi hæc Conſtitutio tantùm de Clericis ſecularibus loqui videatur, eius tamen diſpoſitio etiam locum habet in Regularibus, ut probat Mirand. tom. 1. quæſt. 39. art. 6. ex Conſtitut. Sixti V. & quia in materia, quæ æqualiter reſpicit Clericos Seculares, & Regulares, qualis eſt materia circa Ordines recipiendos, nomine Clericorum comprehenduntur etiam Religioſi.

Extenditur autem pœna huius Conſtitut. Extravag. 1. ut ſic ordinatus, non tantùm ſit ſuſpenſus ab Ordinum ſuſceptorum executione, uſque ad legitimam ætatem, quâ adveniente, ceſſat impedimentum, juxta cit. c. Vel non eſt: ſed eſt ſuſpenſus perpetuò, donec abſolutionis beneficium conſequatur, Rebuff. in praxi benefic. c. l. in Gl. 4. num. 3. Quarant. c. l. ampliat. 1. quia, cùm ſuſpenſio hæc ſit ſimpliciter, & abſolutè lata in ea conſtitut. non debet, ſine textu juris, reſtringi ad certum tempus; & Canones, quando volunt ſuſpenſionem temporalem ſolùm infligere, id ſolent exprimere, ut in c. 2. h. t. in 6. ac proinde etiam Pius II. ſi voluiſſet, hanc ſuſpenſionem durare tantùm uſque ad ætatem legitimam, id expreſſiſſet, ſicut expreſſit Honorius III. in cit. c. Vel non eſt h. t. Accedit, quòd in aliis duobus caſibus expreſſis in cit. Conſtitut. de Ordinatis, extra legitima tempora, & ſinè litteris dimiſſoriis, ordinati ſunt ſuſpenſi, donec abſolutionem obtinuerint, ergo etiam in hoc caſu, ſi ante legitimam ætatem, cùm ſub eodem verborum contextu hæc ſuſpenſio de omnibus tribus ſit lata, nam determinatio, quæ plura reſpicit, debet illa æqualiter determinare. Fagnan. in cit. c. ult. Vel non eſt, n. 13. h. t.

Extendunt 2. Aliqui, quòd ordinatus Sacerdos, ante legitimam ætatem, ſi in ipſa Ordinatione cum Epiſcopo concelebrat, ut moris eſt, incurrat ſimul ſuſpenſionem, & irregularitatem, antequam ſolus celebret, ut cenſet Navarr. & Lopez in addit. ad Diaz in pract. can. c. 26. §. 5. Sed contrarium eſt probabilius, ut probat Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 1. num. 71. & ſeqq. Quarant. c. l. quia Canones, qui ferunt irregularitatem in Clericum miniſtrantem in Ordine, à quo eſt ſuſpenſus, loquuntur, & intelligi debent de ſuſpenſione priùs contracta, & de uſu Ordinum ſubſequente, ſi quis miniſtret in actu diſtincto ab Ordinatione ſua, & moraliter ſeparabili ab Ordinis ſuſceptione, & prorſus voluntariè aſſumptâ, poſt priorem Ordinationem: at verò illa ſimultanea celebratio, quæ ſit cum Epiſcopo, non eſt miniſterium, ſeu exercitium Ordinis novâ voluntate ſuſceptum, nec moraliter ſeparabile ab ipſa ordinatione, cùm juxta Eccleſiæ uſum illa ceremonia ſit inſeparabiliter conjuncta cum Ordinatione. Quare in hac materia pœnali, & odioſa benignior interpretatio fieri debet, maximè cùm ſecundùm praxin, & ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ, tales non reputentur irregulares. Idémque probabiliter dici poteſt de ordinato, ante legitimam ætatem, in Subdiaconum, vel Diaconum, ſi ſtatim Epiſcopo miniſtret ſolemniter, cantando Epiſtolam, vel Evangelium, Suar. c. l. n. 72.

XCVI. Notandum 4. Licèt cenſura ſuſpenſionis per abſolutionem ab Epiſcopo v.g. vel Confeſſario privilegiato datam. ablata ſit, debet nihilominus ordinatus, ante legitimam ætatem, abſtinere ab Ordinis executione, donec ætatem legitimam conſequatur, cùm ſolus Papa ſuper ætate ad Ordines requiſitâ diſpenſare poſſit: quamvìs, ſi abſolutus, ante requiſitam ætatem, in Ordine miniſtret, irregularis non fiat, & completâ ætate, mox ſinè alia diſpenſatione, in Ordine ſuſcepto miniſtrare poſſit. Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 9. c. 10. n. 3.

Notandum 5. Qui ad minores ſolùm Ordines, ante requiſitam ætatem, promotus eſt, vel etiam ad majores, ob ſimplicitatem, vel ignorantiam non craſſam, ſeu mortalem, non incurrit ſuſpenſionem propriè dictam, neque irregularitatem, ſi in Ordinibus miniſtret; etiam poſt Conſtit. Pij II. ut ſi quis te-

ſtimonio ſuorum parentum, bonâ fide, nondum habens legitimam ætatem ordinatus ſit, ac proinde poſt acquiſitam legitimam ætatem, exercere poteſt Ordines ſuſceptos, non petitâ diſpenſatione, vel abſolutione, Quarant. cit. loc. limit. 1. & 2. Barboſ. cit. alleg. 16. num. 17. & ſeqq. & in cit. c. Vel non eſt, num. 8. quia talis non fuit propriè ſuſpenſus, nam ſuſpenſio non incurritur, niſi ob culpam gravem; neque irregularis, nam in Conſtit. cit. Papa intendit punire temeritatem, & præſumptionem, quæ non poteſt conſiſtere cum ignorantia inculpabili, & bonâ fide, neque loquitur de minoribus, ſed ſolùm ſactis Ordinibus. Quare in cit. c. Vel non eſt, h. t. puer ille non incurrit propriè ſuſpenſionem; prohibitus tamen fuit ab exercitio Ordinis ſuſcepti, tum in odium, & pœnam malè ordinantis, tum etiam propter defectum ordinati, Gl. marg. hîc. V. Injuriam, & propter injuriam ipſi Sacramento Ordinis illatam, Laym. ibid. n. 2.

Notandum 6. Suſpenſus, ſive prohibitus ab Ordinis executione, non eſt inhabilis ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum, ut patet ex cit. c. 14. ubi Papa puero ſuſpenſo ab executione Diaconatûs præcipit de competente Eccleſiaſtico beneficio provideri, Abb. ibid. n. 4. not. 5.

XCVII. Quæritur 2. Quæ ſit pœna Ordinantis alienum ſubditum, & ſic ordinati? Reſp. 1. » ij, qui Clericos alienæ Parochiæ, id eſt, Diœceſis, » abſque Superioris Ordinandorum licentia, ſcienter, aut per ignorantiam affectatam, (quia ſcilicet » Ordinans ſcire potuit, eſſe alienum, ſed noluit, ac » diſſimulavit) vel per alium quemcunque quæſitum » prætextum, ordinare præſumpſerint, per annum » (continuum) à collatione Ordinum ſint ſuſpenſi. » Ea verò, quæ jura ſtatuunt circa ſic ordinatos, in ſuo » robore, ſeu firma permaneant; Ita habetur ſtatutum » in c. Eos qui; 2. in princ. h. t. in 6. & in Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 8. de reform. ubi etiam ordinans alienum, ſinè licentia proprij Epiſcopi, à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quàm diu proprio Ordinario expedire videbitur, decernitur eſſe ſuſpenſus. Ratio eſt, quia quilibet ordinandus eſt à proprio Prælato, vel ab alio de ejus licentia, c. Cùm nullus; 3. h. t. in 6. & nemo debet ponere falcem in meſſem alienam, nec alterius juriſdictionem ſibi uſurpare, & quem non poteſt quis judicare, non poteſt etiam ordinare, ut ex Archidiac. tradit Vivian. in rat. Jur. Pontif. in cit. c. 2. ideóque meritò punitur in eo, in quo deliquit.

XCVIII. Notandum 1. Loquitur textus hujus c. 2. ſolùm de collatione Ordinum, ut patet ex verbo *Clericos*, nam conferens primam tonſuram laico alieno, ſinè conſenſu ſui Epiſcopi, à collatione ſolius tonſuræ Clericalis per annum eſt ſuſpenſus, c. ult. h. t. in 6. & dictum ſuprà. Pœna verò ſuſpenſionis decreta in cit. c. 2. h. t. in 6. non eſt tantùm à collatione eorum Ordinum, qui malè, ſive ſinè conſenſu proprij Epiſcopi, ſunt collati, ut non improbabiliter putat Joan. Monach. ibid. quò ſcilicet pœna delicto reſpondeat; ſed eſt ſuſpenſio totalis à collatione omnium Ordinum, ut docet Gl. in cit. c. 2. V. Ordinum, Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 5. num. 4. in fine, & alij communiter, quia in textu cit. c. 2. abſolutè dicitur, ordinantem à collatione Ordinum eſſe ſuſpenſum; ubi autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, argum. l. De pretio; 8. ff. de publician. & ſi cenſura ſuſpenſionis manifeſta fuerit, ſubditi Epiſcoporum ſuſpenſorum, abſque illorum licentia, poſſunt interim à vicinis Epiſcopis Ordines recipere, ut ibid. habetur §. fin. quod clarum ſignum eſt, Epiſcopum eſſe ſuſpenſum per annum à collatione omnium Ordinum; & ſi Papa voluiſſet talem Epiſcopum, vel Prælatum, tantùm eſſe ſuſpenſum ab Ordine eo, quem alieno ſubdito contulit, id expreſſiſſet, prout expreſſit in c. Litteras; 13. & c. ult. h. t. concordat text. in c. Vel non eſt; 14. h. t. ubi puerum ordinans in Diaconum, non à collatione Diaconatûs tantùm, ſed abſolutè à collatione Ordinum ſuſpenditur, jura autem juribus concordanda ſunt, & unum per aliud explicandum.

XCIX. Notandum 2. Prædictam pœnam ſuſpenſionis non incurrit Epiſcopus, ſi ex probabili ignorantia ordinavit Clericum alienæ Diœceſis ſubditum, quem parentes v. g. dixerunt, eſſe de diœceſi ordinantis, vel qui communiter pro ſubdito ipſius habebatur; nam in cit. c. 2. requiritur præſumptio, ſive temeritas, quæ dolum, vel craſſam, & latam culpam requirit, quæ æquiparatur ſcientiæ, Gl. ibid. V. Affectata, Navarr. l. 1. conſil. 42. h. t. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 26. §. 22. num. 2. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 8. num. 3. Idémque dicendum eſt, ſi Epiſcopus, bonâ fide, ob cauſam, quæ ipſi rationabilis videbatur, extraneum Clericum ordinavit, exiſtimans videlicet, proprium Epiſcopum ratum id habiturum, ſeu contentum fore, tum enim non incurrit etiam prædictam pœnam ſuſpenſionis, quia non peccavit mortaliter, ut patet ex facto Epiphanij alienum ſubditum ordinantis, prout refertur in c. ult. cauſ. 9. quæſt. 2. & ibi Gloſſ. V. Quod ſanctus vir. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 1. num. 17. Azor p. 2. l. 3. c. 48. quæſt. 3. Barboſ. cit. alleg. 8. num. 4. Sin autem Epiſcopus temerè, & ſinè rationabili cauſa, alienum ſubditum ordinavit, incurrit cenſuram ſuſpenſionis, ſive poſtea Epiſcopus proprius ratum habeat factum, ſive non: quia per ſupervenientem ratihabitionem non tollitur illa temeritas, ob quam cenſura eſt inflicta. Imò etiamſi proprius Epiſcopus poſtea non habeat ratam ordinationem extranei Epiſcopi, non tamen hic contrahit cenſuram, ſi ſine temeritate ordinavit, quippe quæ requiritur in cit. c. 2. ad incurrendam pœnam ſuſpenſionis, Laym. ibid. num. 3. Nec obſtat, quòd non poteſt aliquis ratum habere, quod ſuo nomine geſtum non eſt, reg. jur. 9. in 6. nam ſenſus eſt, quòd quis actum, qui ſuo nomine non eſt geſtus, non poſſit ita ratum habere, ut ex eo obligatio ipſi acquiratur, quaſi juriſdictione principalis mandans cenſeretur talis actûs, juxta reg. jur. 10. eod. ratihabitionē retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari: non autem eſt ſenſus, quòd aliquis actum etiam non ſuo nomine geſtum non poſſit per ſupervenientem conſenſum quandoq; approbare, ſeu cōfirmare, Laym. c. l.

C. Notandum 3. Eandem pœnam ſuſpenſionis à collatione Ordinum per annum incurrit etiam alius

alius Prælatus, qui non eſt Epiſcopus, v. g. Abbas, qui Ordines minores conferre poteſt, ſi eoſdem conferat Diœceſano ſibi in ſpiritualibus non ſubjecto, abſque licentia Ordinarij, Gloſſ. in cit. c. a. V. Eos qui; h. t. in 6. quia Canon ille generaliter loquitur de ijs, qui ordinant Clericos alienæ Patochiæ, ſive ſuæ curæ non ſubjectos, ſinè licentia Ordinarij ipſorum. Idémque eſt, ſi Prælatus Regularis Ordines minores conferat Religioſo alterius Monaſterij, ſinè licentia, ſeu dimiſſoriis ſui Prælati Regularis, & ſpeciali conſenſu Epiſcopi loci, in quo ſitum eſt Monaſterium, utriuſque enim requiritur conſenſus ad Ordines conferendos tali Religioſo, juxta declarat. Congreg. Concil. Seſſ. 23. cap. 10. de reformat. apud Joan. Gallemart. ibid. quamvìs probabile ſit, alterius, ſive proprij Prælati, ſive Epiſcopi Diœceſani conſenſum ſufficere, ad evitandam pœnam ſuſpenſionis. Laym. cit. loc. n. 5.

Notandum 4. Si Capitulum Cathedrale, ſede Epiſcopali vacante, litteras dimiſſorias ad Ordines concedat ſubditis Diœceſis vacantis, in caſibus non permiſſis, interdicto Eccleſiaſtico ſubjicitur, juxta Decretum Concilij Trident. Seſſ. 7. c. 10. de reformat.

CI. Reſp. 2. Quòd verò ad Ordinatos ab alieno Epiſcopo, ſinè licentia proprij, attinet, eorum ordinario irrita cenſetur. c. 1. & c. Si quis; 3. diſ. 71. non, quòd characterem non accipiant, ſed quòd legitimam Ordinis executionem non habeant, niſi cum eis à proprio Epiſcopo diſpenſetur, Gloſſ. in cit. c. 2. V. Statuunt, junctâ Gloſſ. margin. h. t. in 6. Joan. Monach. ibid. num. 8. Franc. num. 5. Neque verò Concil. Trident. quoad pœnas, & inhabilitates quidpiam mutavit, ut patet ex c. 8. ſeſſ. 23. de reform. ubi habetur, quòd ordinatus ab alieno Epiſcopo, ſinè litteris dimiſſoriis, à ſuſceptorum Ordinum executione, quàm diu proprio Ordinario expedire videbitur, ſit ſuſpenſus, quæ verba conformiter juribus antiquis intelligenda ſunt.

CII. Notandum 1. Si quis tantùm Ordines minores accepit ab Epiſcopo alieno, ſinè licentia, & dimiſſoriis proprij Ordinarij, quamvìs ſcienter, & per dolum, is eſt quidem inhabilis ad Ordinum ſic ſuſceprorum exercitium, ita, ut ſinè proprij Ordinarij licentiâ, in ijs miniſtrare non debeat; propriè tamen non eſt ſuſpenſus, ideóque neque miniſtrando in hujuſmodi Ordinibus, irregularis fiet, quia Conſtitutio Pij II. infligens cenſuram ſuſpenſionis, & irregularitatem, loquitur ſolùm de Ordinibus ſacris, ideóque cùm pœnalis ſit, ultra proprios terminos non eſt extendenda; imò expreſſio unius eſt excluſio alterius: nihilominus tamen ob dolum, aut latam, ſeu gravem culpam, ad arbitrium ſui Ordinarij, puniri poteſt, quia id eſt contra SS. Canones, & debitam ſubordinationem, ac juriſdictionem proprij Epiſcopi, Rebuff. in praxi benefic. de Cleric. ad ſacr. Ord. malè prom. in Gloſſ. 3. num. 1. Navarr. l. 1. Conſil. 39. n. 3. h. t. Suar. cit. diſ. 31. de cenſur. ſec. 1. n. 18. Si verò quis ſacrum Ordinem ab alieno Epiſcopo, ſinè licentia, aut dimiſſoriis proprij Epiſcopi, per dolum, aut craſſam ignorantiam, adeóque per culpam latam, ſeu mortalem accepit, tum propriè dictam cenſuram ſuſpenſionis ipſo jure, ſeu facto, juxta novam Conſtitut. Pij II. incurrit ab executione Ordinis illegitimè ſuſcepti, non item ab aliorum Ordinum rite ſuſceptorum functionibus, nam in Ordine illegitimè ſuſcepto tantùm deliquit. Suar. cit. ſec. 1. num. 31. Nec refert, quòd in dicta Conſtitut. dicitur in plurali, *à ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint*, nam id intelligi debet accommodatè, ſcilicet, unuſquiſque ab eo Ordine, quem illegitimè ſuſcepit, ut magìs declaratur in poſterioribus verbis: *ſi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus* (ſcilicet malè ſuſceptis, à quibus ſunt ſuſpenſi) *miniſtraverint &c.* Quòd ſi verò ſic Ordinatus in Ordine illegitimè ſuſcepto ſcienter, vel cum craſſa, aut mortaliter culpabili ignorantia miniſtret, ante abſolutionem obtentam, irregularitatem contrahit, juxta cit. Cònſtit. Pij II. in qua tamen Epiſcopus diſpenſare poteſt, ſi delictum occultum, ſive publicè notum non ſit, ex generali conceſſione Concilij Trident. ſeſſ. 24. c. 6. de reformat. Epiſcopis facta, Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. V. Dimiſſoriæ; §. ad 3. Ugolin. cit. c. 26. §. 23. num. 2. Barboſ. cit. alleg. 8. num. 11. Secus eſt, ſi ſic ordinatus, bonâ fide, aut ſaltem ſinè culpa mortali, in Ordine etiam malè ſuſcepto miniſtret, ſicut enim talis ſuſcipiendo etiam Ordinem ſacrum ab alieno Epiſcopo, ſinè licentia proprij, non incurrit ſuſpenſionem propriè dictam. c. 2. h. t. in 6. ita nec irregularitatem, miniſtrando in Ordine ſuſcepto, quia hæc irregularitas quaſi pœna ob delictum incurritur, quæ cùm gravis pœna ſit, gravem culpam requirit, & patet ex cit. Conſtit. Pij II. quæ ad incurrendam hanc ſuſpenſionem temeritatem, & ad irregularitatem præſumptionem requirit.

Similiter collatio primæ tonſuræ ab alieno Epiſcopo laico facta, ſinè licentia proprij Epiſcopi, irrita cenſeri debet, ita, ut ſic tonſuratus, ſinè diſpenſatione Ordinarij, ad ulteriorem Ordinem promoveri non poſſit, & incapax ſit beneficij, ut dictum ſuprà n. 24. h. t. quamvìs etiam talis, qui primam tonſuram accepit ab alio Epiſcopo, ſinè licentia, aut litteris dimiſſoriis ſui Ordinarij, ad arbitrium eiuſdem, puniri poſſit, cùm alia pœna non ſit præſcripta in c. ult. h. t. in 6. Ugolin. in cit. §. 23. n. 1. Barboſ. cit. alleg. 8. n. 8.

CIII. Notandum 2. Qui Ordines ſacros, ſinè licentia Ordinarij, ſcienter, vel per craſſam, aut mortaliter culpabilem ignorantiam ſuſcipiunt, ipſo jure ſunt ſuſpenſi ab Ordinum ſic ſuſceptorum executione, etiamſi ſint perſonæ notæ, earúmque qualitates ſupponantur cognitæ, quia Conſtitutio Pij II. requirit litteras dimiſſorias pro forma, quæ ſemper, & omnino ſervanda eſt, Quarant. in ſumm. V. Ordo. §. Amplia hanc Extravag. Ugolin. cit. §. 24. num. 4.

CIV. Notandum 3. Qui à Capitulo Cathedrali, ſede vacante, litteras dimiſſorias impetrârunt, in caſibus non permiſſis, & earum virtute ordinati ſunt, ſi quidem in Ordinibus minoribus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali gaudent, præſertim in criminalibus; in majoribus verò conſtituti, ad beneplacitum futuri Prælati, ipſo jure ſunt ſuſpenſi, ex Decreto Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 10. de reformat.

format. Ugol. cit. §. 23. n. 5. quæ pœna extenditur etiam ad illos, qui litteras dimiſſorias, non à Capitulo, ſed ab aliis quibusvis in juriſdictinne Epiſcopi, loco Capituli, ſede vacante, ſuccedentibus obtinent, Seſſ. 23. c. 10. de reform. ubi additur, quòd concedentes dimiſſorias, contra formam Decreti cit. Seſſ. 7. c. 10. ab officio, & beneficio per annum ipſo jure ſunt ſuſpenſi.

Prӕterea qui ab Abbate, cuius ſubditus non eſt, quia Regularis non eſt, nec profeſſus, dimiſſorias obtinet, & vi illarum Ordines ſuſcipit, ſuſpendendus eſt ab Ordinis ſuſcepti exercitio, ad placitum ſui Ordinarij, ut colligitur ex cit. Seſſ. 23. c. 10. Ugolin. cit. §. 23. in fine.

Denique Ultramontani, qui Ordines ſacros, ſinè licentia Papæ, vel dimiſſoriis proprij Ordinarij, ſuſcipiunt ab Epiſcopo Italiæ, ipſo facto ſunt ſuſpenſi ab executione Ordinum, & abſolvi nequeunt, niſi à Papa, c. 1. h. t. in 6. Ugolin. c. l. num. 4. & dictum ſup. num. 39.

CV. Quæritur 3. Quæ ſit pœna Ordinanris, vel Ordinati in aliena Diœceſi, ſinè conſenſu Ordinarij loci? Reſp. Si Epiſcopus Clericis, etiam ſibi ſubditis, in aliena Diœceſi Ordines conferat, ſive majores, ſive minores, abſque expreſſa licentia Ordinarij loci, Ordinans ab exercitin Pontificalium, id eſt, omnium actuum, qui Epiſcopalis Ordinis proprij ſunt, & ſic Ordinati ab executione Ordinum ipſo jure ſunt ſuſpenſi, ut decrevit Concil. Trident. Seſſ. 6 c. 5. de reformat. ubi univerſim prohiberur exercitium Pontificalium in Diœceſi aliena, ſinè expreſſa licentia Ordinarij loci, adeò, ut Epiſcopus nec vaſa ſacra, aut calices, etiam pro uſu propriæ Eccleſiæ, neqoe ſubditis ſuis Sacramentum Confirmationis in aliena Diœceſi conferre poſſit, ſinè expreſſa licentia Epiſcopi proprij, Ugolin. cit. c. 26. §. 24. num. 1. Laym. in c. 2. num. 6. h. t. in 6. Neque verò ſufficit licentia racita, aut præſumpta Epiſcopi Ordinarij loci, ſub ſpe ratihabitionis illius, cùm Concilium requirat expreſſam: quamvis probabile ſit, hanc cenſuram ſuſpenſionis non incurrere Epiſcopum, ſi bona fide propriis ſubditis Ordines conferat, vel alium actum Epiſcopalis Ordinis exerceat in aliena Diœceſi, putans, Ordinarium loci contentum fore, quia cùm ſit gravis pœna, ea non incurritur, niſi ob culpam gravem. Laym. cit. loc. licèt Navarrus diſſentiat, & Zerol. in praxi Epiſc. p. 2. V. Epiſcopus. §. 2. Aliud verò eſt de Ordinatis, qui etſi bonâ fide à ſuo Epiſcopo, extra Diœceſin, Ordines acceperint, exiſtimantes, illum licentiam habere eos ordinandi ab Ordinario loci, quam tamen non habuit, Ordines ſuſceptos exercere non debent, ſine diſpenſatione Ordinarij loci, quia Ordinatio facta ab Epiſcopo alieno, vel proprio, extra diœceſin, ſinè licentia Epiſcopi Diœceſani, ſeu Ordinarij loci, irrita cenſetur quoad executionem. c. Epiſcopum; 7. cauſ. 9. quæſt. 2. Sicut ſententia à Judice non ſuo, vel à Judice ſuo, extra territorium, lata irrita eſt, Laym. c. l.

CVI. Quæritur 4. Quæ ſit pœna Ordinantis, vel Ordinati, extra tempora jure ſtatuta? Reſp. Spectato jure antiquo, Epiſcopus, qui Ordines contulit, extra legitima tempora, privandus eſt poteſtate ordinandi, ſeu conferendi Ordines, quos illicitè contulit; qui verò, extra tempora jure ſtatuta, Ordines acceperunt, à ſuſceptis Ordinibus non ſunt ſuſpenſi ipſo jure, ſed ſuſpendendi per ſententiam, donec abſolutionis gratiam à Papa conſequantur, ita habetur in primis in c. 2. h. t. in fine, ubi dicitur, quòd extra tempora debita Ordinati non debeant permitti in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſed deponi, id eſt, ſuſpendi ab executione Ordinum. Gl. fin. ibid. & Ordinantes privari auctoritate, ſeu poteſtate ordinandi.

Similiter in c. Cùm quidam; 8. h. t. Papa Urbanus III. ſtatuit, ut Epiſcopus, qui die, quo non debuit, Ordines contulit, canonicâ diſciplinâ corrigatur, ſeu puniatur (id eſt, privetur poteſtate cnnferendi Ordines, quos illicitè contulit, qui aliàs, ſi certa pœna ſtatuta non eſſet, pro arbitrio Superioris puniretur, Glnſſ. ibid. V. Canonica) & Ordinati à ſuſceptis Ordinibus tam diu ſuſpenſi maneant, donec apud Papam reſtitutionis, ſeu abſolutionis gratiam conſequantur. Et quidem ſic ordinatos eſſe ſuſpenſos ab executinne Ordinum ſuſceptorum ipſo jure, cenſet Sylveſt. V. Irregularitas. num. 12. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 17. num. 9. & alij quidam Canoniſtæ. Sed probabilius eſt, quòd ſunt ſuſpendendi per ſententiam, quia verba cit. c. 2. & c. Cùm quidam; 8. ſolùm indicant pœnam ſuſpenſionis imponendam, nnn verò ipſo jure latam. Hoſtienſ. ibid. V. Reddere, Innoc. in princ. Abb. n. 2. not. 2. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 1. n. 30.

Jure verò novo, qui aliquem ex ſacris Ordinibus, extra tempora à jure ſtatuta, recipere præſumpſerint, ipſo jure ab eius executione ſunt ſuſpenſi, &, ſi durante ſuſpenſione, in Ordine ſuſcepto miniſtrent, fiunt irregulares, & beneficiis Eccleſiaſticis privari poſſunt, juxta cit. Conſtit. Pij II. ubi idem ſtatuitur de Ordinatis, abſque litteris dimiſſoriis, vel ante legitimam ætatem, ut ſuprà dictum. Quod tamen ſimiliter intelligendum eſt de ijs, qui per dolum, vel culpam latam, ſive ignorantiam mortaliter culpabilem extra tempora legitima ſunt ordinati: nam ſi quis bonâ fide, extra tempora ordinetur, credens, vel ſe ſuſcipiendi Ordines, vel Epiſcopum habere legitimam facultatem nrdinandi extra tempora, tunc ſicut excuſatur à culpa, ita etiam à pœna ſuſpenſionis, & irregularitatis. Et ſuſpenſio iſta ſolùm eſt ab executione Ordinum illegitimè, ſeu extra tempora ſuſceptorum, quia in ijs tantùm deliquit. Suar. c. l. n. 31. & patet ex ſuprà dictis.

CVII. Porrò in hac ſuſpenſiooe, & irregularitate probabile eſt, proprium Epiſcopum poſſe diſpenſare, vel ab eadem abſolvere, ſpectato etiam jure antiquo, prout colligitur ex c. Conſultationi; 16. h. t. ubi Gregorius IX. conſultus ab Archiepiſcnpo Baranenſi de ijs, qui extra tempora ſtatuta, ſacros Ordines receperunt: reſpondet, non eſſe dubium, ſacrum characterem eos recepiſſe (quia tempus non eſt de ſubſtantia Ordinis, ſed eſt ſolùm extrinſeca ſolemnitas, ideóque quocunque tempore Ordines conferantur, character imprimitur. Gloſſ. ibid. V. characterem) Et quamvis ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum

by Google

» rum ſuſpendendi ſint, tamen Archiepiſcopum permittere poſſe, ut poſt pœnitentiam competentem » ipſis ob delictum hoc impoſitam, in ſuſceptis Or» dinibus miniſtrent. Ex quo colligitur, quòd Epiſcopi poſſint cum ſic ordinatis diſpenſare, ut indicatur illis verbis: *Poteris ſuſtinere.* Gloſſ. hîc V. Poteris; nam generatim loquendo, ſi in Canone feratur ſuſpenſio, vel alia cenſura indefinitè, propter delictum, vel præcipiatur ferri à Judice, nullo certo tempore definito, quo ſuſpenſio, vel cenſura durare debeat, neque ea Papæ reſervetur, cenſetur Epiſcopis, & alijs quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus poteſtas ſolvendi, ſeu relaxandi conceſſa, ſi reus, depoſitâ contumaciâ, Eccleſiæ mandatis parêre velit, ut colligitur etiam ex c. Ex litteris; 11. de Conſtitut. & c. Nuper; 25. de ſentent. excommun. & docet Suar. diſ. 29. de cenſur. ſec. 1. num. 18. & 19.

Nec obſtat, quòd in cit. c. Cùm quidam ſignificetur, diſpenſationem in hoc caſu ſoli Papæ eſſe reſervatam, illis verbis: *Ordinatos à ſuſceptis Ordinibus tam diu reddere debes expertes, donec apud nos reſtitutionis gratiam conſequantur.* Gloſſ. ibid. V. Apud nos; nam ibi Papa ſpecialiter, & ex certa ſcientia ſibi talem diſpenſationem, vel abſolutionem reſervavit, quia ipſe Epiſcopus ordinatus deliquerat, extra tempora ordinando: nec ipſe impoſuit pœnam, ſed Papa præcepit Metropolitano, ut illam imponeret, ideoque ſibi diſpenſationem reſervavit, ob culpam Epiſcopi, & Metropolitanus non erat Judex ordinarius, cùm ſubditi Suffraganei non ſint ſubjecti Archiepiſcopo, ſed à Papa delegatus, eique commiſſa fuit punitio ſic ordinatorum, non autem relaxatio ſuſpenſionis, ad delictum ſic ordinatorum magìs puniendum, & in pœnam etiam ordinantis. Abb. in cit. c. Cùm quidam; num. 5. Suar. cit. ſec. 1. num. 32. licèt aliàs ordinariè jure communi non ſit reſervata. Sed neque in cit. Conſtitut. Pij II. Papa ſibi reſervavit abſolutionem à dicta ſuſpenſione, & irregularitate.

Illud hîc addendum, quòd Conſtitutio Sixti V. edita Anno 1588. quæ incipit: Sanctum, & ſalutare, & extat apud Diaz. in pract. Canon. c. 25. in fine: in qua prædicta pœna ſuſpenſionis extenditur etiam ad Ordines ſacros conferentes, & ad ſuſcipientes Ordines minores, vel primam tonſuram, extra tempora, reſtricta eſt à Clemente VIII. & reducta ad terminos Juris communis, & Conſtitutionis Pij II. Barboſ. cit. alleg. 17. num. 9. & 18.

CVIII. Quæritur 5. Quæ ſit pœna Ordines conferentis, vel ordinati, non ſervatis interſtitijs temporum? Reſpondetur 1. Epiſcopus, qui eodem die, vel duobus, continuato jejunio, duos Ordines ſacros alicui confert, ſuſpenſus eſt, vel potiùs ſuſpendendus à collatione utriuſque: qui verò ſuſcipit, ab executione poſterioris ſolùm, qui illegitimè ſuſceptus fuerat, eſt ſuſpenſus, donec à Papa abſolutionem impetraverit, ut conſtat ex c. Litteras; 13. in fin. h. t. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 1. num. 40. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 14. num. 11. Laym. lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 10. Ratio autem, cur ſic ordinatus à poſteriore ſolùm Ordine ſit ſuſpenſus, eſt, quia illi fuerunt illegitimè ſuſcepti. Suar. c. l. Sed & ij, qui ſimul, cum quatuor minoribus, accipiunt Subdiaconatum, ſuſpenſionem incurrunt, ita, ut in minoribus tantùm Ordinibus miniſtrare permittantur, c. 2. De eo, qui furt. Ord. ſuſcept. niſi conſuetudo contraria alicujus Diœceſis id concedat, juxta declarat. Cardin. ſuper Trident. Seſſ. 23. c. 13. de reform. apud Jo. Gallemart. num. 4. ubi hoc reſponſum habetur: Qui ex conſuetudine alicujus Regionis, quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum eodem die ſuſceperunt, non ſunt ob hoc ſuſpenſi, ergo à contrario ſenſu, ubi talis conſuetudo non eſt, ſunt ſuſpenſi, & quidem ipſo jure, Navarr. in Man. c. 25. n. 71. Suar. c. l. n. 41. ubi, etſi priùs dicat, quòd ex cit. c. Litteras de ijs, qui eodem die duos ſacros Ordines ſuſceperunt, non ſatis colligatur, neque ex cit. c. 2. de eo, qui furtivè &c. ſuſpenſionem eos ipſo jure, ſeu facto incurrere, ſed tantùm per ſententiam eam ferendam eſſe; tamen in fine fatetur, quòd Canones illi videantur hanc ſuſpenſionem ipſo jure imponere, ut tradunt communiter DD. apud Laym. c. l. ſaltem ipſum illegitimè ordinatum ipſo jure ſuſpenſum cenſeri.

CIX. Reſpondetur 2. Epiſcopus, qui non quidem eodem die plures Ordines ſacros contulit, ordinavit tamen ſubditos, non obſervatis temporum interſtitijs jure præſcriptis, nullam pœnam incurrit; nec etiam ſic ordinati, abſque expreſſa, aut tacita diſpenſatione, aliquam cenſuram, aut irregularitatem contrahunt, quia nulla pœna, aut cenſura Jure communi, nec per Concil. Trident. eſt decreta, vel expreſſa: quamvis puniri poſſit ſic ordinatus aliâ pœnâ arbitrariâ à ſuo Ordinario tanquam transgreſſor Canonis. Navarr. l. 1. conſil. 4. h. t. Ugolin. cit. c. 26. §. 27. n. 7. Barb. alleg. 18. n. 11.

CX. Quæritur 6. Quæ ſit pœna Epiſcopi ordinantis aliquem ſinè titulo Menſæ, aut ſic ordinati? Reſpondetur 1. Etſi ordinatio facta, ſinè titulo ſuſtentationis, ſecundùm antiquos Canones, irrita eſt quoad executionem, ſive exercitium Ordinum, c. 1. & 2. diſ. 70. Jure tamen novo, ſublatâ eâ ſuſpenſione ab Ordine, ſtatutum eſt, ut, ſi Epiſcopus Clerico non habenti titulum beneficij, aut ſuſtentationis neceſſariæ, Ordinem ſacrum, ſive majorem conferat, ipſemet ei neceſſaria alimenta (conſideratis facultatibus Eccleſiæ, & dignitate Clerici) providere debeat, donec beneficium Eccleſiaſticum aſſequatur, c. Epiſcopus; 4. junct. Gl. V. Neceſſaria; c. Cùm ſecundùm; 16. de præbend. Ratio eſt, ne Clericus in ſacris, cum dedecore ſtatûs Clericalis, mendicare cogatur, id enim indecens eſſe ſignificatur in c. Diaconi; 27. §. Nunc autem; diſ. 93. Comprehenduntur autem ſub his alimentis cibaria, veſtes, habitatio, medicinæ. Abb. in cit. c. Cùm ſecundùm; num. 9.

Idque extenditur 1. Quòd hæc alendi obligatio tranſivit etiam ad Epiſcopum Succeſſorem Epiſcopi Ordinantis, cit. c. Cùm ſecundùm; quia eſt onus reale, quo gravatur ipſa menſa Epiſcopalis, ideòque ad Succeſſorem tranſit. Gloſſ. marg. ibid. V. Succeſſores. Imò etiam ad Capitulum, Sede vacante, vel ejus Vicarium, ſi litteras dimiſſorias concedat ad Ordines ſacros non habenti, unde vivat, quia non minùs culpabilis eſt, qui tali concedit litteras dimiſſorias, quàm, qui talem ordinat. Quarant. in ſumm. Bullar. V. Ordo; fol. 489. Ugolin. cit. c. 26.

§. 15. §. Hæc autem regula; Barboſ. alleg. 20. n. 21. 2. Tenetur etiam Epiſcopus ordinato habenti titulum, ſed non ſufficientem, ad ſupplendum, quod deeſt. Ugolin. c. l. Barb. c. l. n. 20. 3. Si ordinavit aliquem, qui priùs fuit in ſacris conſtitutus, & ſinè titulo ordinatus, tenetur illi providere de alimentis, cùm tali reliqui Ordines ſacri conſerendi non ſint, ſi non habeat, unde vivat; quare ſi uterque ordinans in culpa fuit, uterque ad alimenta præſtanda tenebitur. Quarant. c. l. Ugolin. c. l. Barb. c. l. num. 22. 4. Si Epiſcopus reſignationem beneficij admittat, ad cujus titulum aliquis ordinatus fuit, debet eum poſtea alere, ſi aliunde ſufficientem ſuſtentationem non habeat. Pariſius lib. 2. de reſign. benefic. quæſt. 6. num. 41. ubi monet, quòd reſignaturus beneficium exprimere debeat, ſe aliunde habere, unde vivat, nam alioquin non debet admitti reſignatio.

CXI. Cæterùm plures caſus ſunt, in quibus hæc obligatio alendi ceſſat. Veluti 1. Si Epiſcopus non fuit in culpa, ordinando ſinè titulo, quia Clericus per fraudem fingendo titulum, ordinationem impetravit, ſinè culpa Epiſcopi: tunc enim ordinans non tenetur ad alendum ordinatum, arg. c. Si Epiſcopus; 37. de præbend. in 6. Pariſ. cit. q. 6. num. 18. Ugolin. cit. §. 15. §. Tertiò non tenetur: nam res, quæ culpâ vacat, in damnum vocari non debet, c. 2. de conſtit.

Secundò, ſi quis Clericum præſentaverit Epiſcopo ordinandum, tum patronus, ſive is qui præſentavit, interim alere debet Clericum, ſi ex ſervitio, aut beneficio Eccleſiaſtico ſuſtentationem non habeat, ut colligitur ex c. Per tuas; 37. de ſimon. & cit. c. Cùm ſecundùm; de præbend. ſed in defectu ejus, ſi præſentator alere non poſſit, Epiſcopus ordinans providere tenebitur, modò in aliqua culpa fuerit. Innocent. in c. Accepimus; 13. V. Contra illos de ætat. & qualit. Laym. ibid. n. 4. ubi monet, cautos eſſe debere Epiſcopos, ut non quorumlibet præſentationes, & alendi obligationes admittant. Quòd ſi Epiſcopus proprius alteri Epiſcopo, v. g. Suffraganeo ſuo, ſive Vicario in Pontificalibus indeterminatè, & generatim commiſit licentiam ordinandi ſubditos ſuos, nullis expreſſis perſonis; tunc, ſi ille initiaverit aliquem Ordine ſacro, carentem titulo, ipſemet ordinans providere ei debet neceſſaria alimenta, quia in culpa fuit ordinando ſinè titulo, & ordinatio cenſetur illi commiſſa, prout Canones requirunt, ideóque ut ordinandi habeant titulum ſuſtentationis. Sin verò proprius Epiſcopus ſpecialiter certas perſonas alteri Epiſcopo ordinandas commiſit, providere eis debet, donec beneficium illis contulerit. Si denique Epiſcopus ſubdito ſuo ſuſtentationis titulum non habenti litteras dimiſſorias generales dedit, ut à quocunque voluerit Epiſcopo Ordines accipere poſſit, tum is, qui talem licentiam tribuit, alimenta neceſſaria providere debet, quia in culpa fuit, dando licentiam ijs, qui titulum ſuſtentationis non habebant, c. Si Epiſcopus; 37. de præbend. in 6.

Tertiò ſi Archidiaconus, vel apud nos Vicarius, qui ratione officij ſui ordinandos examinare, & admittere debet, per negligentiam, aliquem ſinè titulo admittat, & Epiſcopo præſentet; tunc obligatio alimenta præſtandi primo loco ipſi incumbit, & in defectum illius, tenetur etiam Epiſcopus, qui attendere debet ipſi Archidiacono, & curam gerere, ut non niſi habiles, & digni ad Ordines promoveantur. Gloſſ. in c. Ad hæc; 8. V. Examinentur de offic. Archidiac. & in cit. c. Cùm ſecundùm; V. Succeſſores. Hoſtienſ. in ſumma de ſcrut. in ord. ſac. num. 4. Quòd ſi quis non ex officio, ſed ſpeciali mandato Epiſcopi examinet, non tenetur providere examinator, ſed mandans. Innocent. in c. Cùm ſit; 14. num. 1. de ætat. & qualitat. quamvìs aliter ab Epiſcopo puniri poſſit.

Quartò, ſi ordinatus ſinè titulo aliunde de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ habere poſſit, tum etiam ad alimenta ei præſtanda Epiſcopus non tenebitur, c. Epiſcopus; 4. de præbend. Ugolin. cit. §. 15. in 4. except. Idémque probabiliter dicitur, ſi quis honeſtis laboribus victum ſibi comparare poſſit, v. g. docendo artes liberales, inſerviendo pro Capellano &c. vel quid aliud ſtatui non inconveniens exercendo, nam & pater ad præſtanda alimenta tenetur filio, & vice verſâ, niſi ſuis laboribus vivere poſſint. Ugolin. cit. §. 15. in fine. Et licèt Concil. Trident. hæc reſtrinxerit quoad titulum ordinationis, non tamen quoad obligationem impoſitam Ordinanti ſinè titulo.

CXII. Reſpondetur 2. Quòd verò ad ordinatum ſinè titulo attinet, ſi is in culpa non fuit, ſed nullum habens, vel non ſufficientem titulum, ſincerè veritatem expoſuit proprio Epiſcopo, & Epiſcopus ſciens, vel ſcire debens, abſolutè illum, ſinè titulo, ad ſacros Ordines promovit: tunc ordinatus non incurrit ſuſpenſionem, vel aliam pœnam, ſed ſolus Epiſcopus ordinans punitur, qui in culpa fuit, ut eum alere cogatur, vel ei providere de beneficio. Quarant. V. Ordo; §. Quia hæc conſtitutio; Suar. diſ. 31. de cenſur. ſec. 1. n. 33. nam etſi ſinè titulo ordinati Jure antiquo ſuſpenſi erant, c. 1. & 2. diſ. 70. hoc tamen per cit. c. Cùm ſecundùm; de præb. revocatum fuit, ſaltem quoad ordinatos bonâ fide, & ſinè dolo, ac culpa ipſorum: Concil. Trident. autem Seſſ. 21. c. 2. de reform. innovavit tantùm pœnas cit. c. Cùm ſecundùm; juxta declarat. Cardin. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. n. 10. non autem antiquorum Canonum, adeóque ordinatus, ſinè titulo, non eſt ſuſpenſus, nec aliquam aliam pœnam incurrit, ſi ipſe in culpa non fuit. Si verò ſolus ordinatus ſinè titulo in culpa fuit, & Epiſcopum decepit, fingendo titulum beneficij, vel patrimonij proprij, quod non habet, aut fingendo titulum menſæ, ſeu ſuſtentationis capiendæ à præſentatore, cùm nulla donatio præceſſerit; tunc probabilius eſt, ordinatum incurrere ſuſpenſionem ab executione Ordinis ipſo jure latam in cit. c. 1. & 2. &, ſi in Ordine ſuſcepto miniſtret, irregularitatem, nec ordinator tenetur eum alere. Navarr. l. 1. conſil. ult. h. t. Quarant. c. l. §. Tertius caſus eſt; Suar. c. l. n. 35. contra Navarr. Garc. Avil. Barboſ. Ratio eſt, quia etiam antiqui Canones (in quibus abſolutè ſtatuitur, quòd ordinatio ſinè titulo facta irrita ſit, quoad executionem Ordinis) revocati ſunt per cit. c. Cùm ſecundùm; quatenus vi illorum ordinatus ſinè titulo, etiam abſque ejuſdem culpa, in odium ita Ordinantis ſuſpenſus eſt; non tamen hi Canones ſunt revocati,

ſed

ſed in ſuo vigore manent, quatenus vi illorum, ſinè titulo malè ordinatus per propriam fraudem, ſuſpenſus eſt: nam ſi ordinatus ſinè titulo, quando nulla culpa in eo fuit, quia paruit Epiſcopo ordinare volenti, olim ſuſpenſionem incurrit, proprer odinm malè Ordinantis, ut dicitur in c. 1. diſ. 70. Multò magis cenſendus eſt ſuſpenſionem incurriſſe, ſi ita ordinatus in culpa fuit, per dolum decipiens Epiſcopum, ideóque ei dolns, & fraus ſua patrocinari nnn deber, c. Sedes; 15. de reſcript. & alioquin ordinans ſinè culpa puniretur, ordinatus verò cum culpâ eſſet à pœna imnunis, contra leg. Sancimus; 22. C. de pœnis. Accedit, quòd jurium correctio vitanda, nec ultra caſum expreſſum in cit. c. Cùm ſecundùm; extendenda ſit.

Denique ſi uterque, tam ordinans, quàm ordinatus in culpa fuit, ille obligationem alendi ordinatum, juxta cit. c. Cùm ſecnudùm; hic verò ſuſpenſionem incnrrit, juxta cit. c. 1. & 2. diſ. 70. Sanch. in opuſc. moral. lib. 7. dub. 35. n. 12.

CXIII. Extenditur autem tradita doctrina 1. Si Clericus ante ordinationem, cum Epiſcopo, vel Parocho, qui eum ad titulum ſui beneficij præſentavit, paciſcatur, quòd nihil ab illo accipere, aut petere velit, ordinatus incurrit ſuſpenſionem ab Ordine ſuſcepto; idque probari videtnr ex c. Per tuas 37. & c. pen. de ſimon. qnæ tamen jura non loqnuntur de quolibet præſentatore, ſed de præſentatore beneficiario, qui eum prædictâ illicitâ pactione, ſeu renunciatione, Epiſcopo ordinandum offert ad titulum ſui beneficij, ideóque, cùm contineant pœnam, ad alias promiſſiones patrimonij, cum pacto ſtatim remittendi, extendi non debent, nt notavit Laym. l. 5. tr. 9. c. 10. n. 7. Quare potiùs id probari debet ex cit. c. 1. & 2. diſ. 70. in quibus abſolutè decernitur, ordinationem factam ſinè titulo irritam eſſe, ſeu potiùs ſuſpenſam: quæ jura licèt revocata ſint per cit. c. 16. de præbend. in caſu, quo Epiſcopus ſciens aliquem rituln carentem ordinat, tunc enim non eſt irrita, quoad execntionem, ordinatio, quia tacitè illi proviſionem ex menſa ſua Epiſcopali ordinato promittere cenſetur, dnnec beneficium Eccleſiaſticum ei conferatur, ac proinde verus titulus non deeſt; attamen ſi Epiſcopus in culpa non ſit, ſed Clericus, fingendo titulum, quem non babet, enm decepit, tunc Epiſcopus ordinans eum alere non tenetnr, ideóque cùm tali caſu ordinatus omni titulo careat, idque propter culpam, & dolum ſuum, ſuſpenſionem incurret, juxta antiquos Canones, in quibus ordinatus ſinè titulo eſt ſnſpenſus ab Ordine, quorum correctio ultra caſum expreſſum in cit. c. 16. de præbend. extendi non debet, ut ſuprà dictum. Navarr. c. l. Suar. c. l. n. 35. & Laym.

Extenditur 2. Si quis ordinatus ſit ad fictum titulnm patrimonij, donationis, aut ſuſtentatinnis ſibi aſſignatæ, cum pacto ſcilicet ante ordinatinnem inito, quòd nihil dari debeat, probabiliter etiam incurrit ſnſpenſionem. Navarr. in Man. c. 27. num. 158. Suar. cit. ſec. 1. num. 34. Layman. c. l. nam qui cum titulo ficto, ſeu nullo, per fraudem Ordines ſuſcipit, ſuſpenſionem incurrit, juxta ſuprà dicta.

Extenditur 3. Qui poſt donationem, aut ſuſtentationis promiſſionem ad Ordines verè, & abſolutè ſibi factam, ante ordinationem, eandem remittir, nullum aliud beneficium, vel patrimonium habens, incurrit ſuſpenſionem: ſecus eſt, ſi remiſſio fiat poſt ordinationem, ſinè pacto de remittendo ante oidinationem facto. Navarr. cit. loc. Suar. c. l. n. 38. Ratio eſt, quia priore caſu remiſſio eſt valida, cùm Concil. Trident. cit. c. 2. non omnem alienationem, aut remiſſionem patrimonij, vel penſionis annullet, ſed eam tantùm, quæ fit poſt ordinationem, & ſic ordinatus in culpa fuit, decipiendo Epiſcopum, & ſuſcipiendo Ordines, ſinè vero titulo. Poſteriore verò caſu, cùm talis remiſſio, ſeu renunciatio ſit irrita, juxta Trident. c. l. & per conſequens nullum effectum parere poſſit, hinc fit, ur ordinatus habeat adhuc verum titulum, perinde, ac ſi renunciatio facta non eſſet. Navarr. l. 1. conſil. 17. h. t. Pariſ. cit. l. 2. q. 6. num. 17.

Cæterùm, ſi quis ordinetur ad titnlum beneficij jam collati, ſed necdum pacificè poſſeſſi, nec ordinans obligationem alendi, nec ordinatns ſuſpenſionem incurrit: nam licèt hodie jnxta Concil. Trid. præter collationem, requiratur etiam pacifica poſſeſſio beneficij; tamen Concilium non extendir, ſed innovat tantùm pœnas antiquo jure ſtatutas, ſecundùm quòd non requirebatur poſſeſſio beneficij, nec pœna imponebatur propter ordinationem factam ei, qui habebat beneficinm collatum, ſed nondum poſſeſſum. Sanch. cit. loc.

CXIV. Poſtremò illud hîc quæri adhuc poteſt, an Religioſus ab una ad aliam Religionem tranſiens, ſi in ea, ad qnam tranſijt, Ordines ſuſcipiat, ſuſpenſionem, ſeu irregularitatem aliquam contrahat? Reſpondetur: De hoc agitur in c. Ex parte; 10. h. t. Nam cùm quidam Monachus al- »
bi habitûs, ad Monachos nigros tranſijſſet, aſſum- »
pto eorum habitu, ibique ad Sacerdotij Ordinem »
promotus fuiſſet, quæſitum fuit ex Papa Innocen- »
tio III. utrùm in ſuſcepto Sacerdotij Ordine mi- »
niſtrare permitti debeat? Reſpondet Papa, & »
mandat Abbati, & Conventui illius lnci, ut Mo- »
nachum illum Officium Sacerdotis liberè exerce- »
re permittant, niſi aliud Cannnicum impedimen- »
tum obſtet. »

Porrò hoc dupliciter poteſt intelligi, ut nntant hîc communiter Canoniſtæ 1. Quòd hic Monachus tranſierit ad Ordinem ſtrictiorem, nempe à Religinne Monachnrum alborum ad Ordiuem nigrorum, qui eſt ſtrictior, licentiâ Prælati petitâ, etſi non obtentâ. Verùm hæc expoſitio communiter reprobatur, quia, cùm tranſitus ſit licitus, & jure permiſſus, c. Licèt; 18. de regular. nulla fuiſſet ratio dubitandi, cur ſic tranſiens ſuſpenſionem aliquam, vel irregularitatem contraxiſſet, ob quam in Sacerdotio ſuſcepto miniſtrare non potuiſſet.

Alter verò, & probabilior intellectus eſt, quòd in caſu hujus c. Monachus iſte tranſierit ad alium Ordinem laxiorem, abſque diſpenſatione S. Pontificis, vel ad non ſtrictiorem, ſeu parem, vel etiam ad ſtrictiorem de facto, non petitâ, nec obtentâ licentiâ ſui Superioris, ut innuitur in illis verbis: *ſe ad nigros Monachos transferens*, ideóque videbatur ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurriſſe, propter Ordinem in Apoſtaſia ſuſceptum, juxta c. ult. de Apoſtat. ubi ſtatuitur, quòd Monachus aliquem ſa-

crum

crum Ordinem in Apoſtaſia recipiens, abſque diſpenſatione Rom. Pontificis, miniſtrare non poſſit in Ordine ſic ſuſcepto. Verùm ad hoc reſpondet Papa, Monachum hunc non fuiſſe proptiè Apoſtatam, quia licèt tranſeundo, ſinè petita licentia, graviter peccârit, cùm prioti Ordini fuerit votis ôbſtrictus, cui ſe per ſolemnem profeſſionem tradidit; non tamen ex toto habitum religioſum dimiſit, ſive à Religione omnino receſſit, redeundo ad ſeculum, ſed ad aliam Religionem tranſiens habitum illius aſſumpſit, & ideo ſuſpenſionem ab exercitio Ordinis ſuſcepti in cit. c. ult. ſtatutam in ſuſcipientes ſacrum Ordinem in Apoſtaſia, non incurrit. Gloſſ. hîc V. Nigros; Hoſtienſ. ibid. V. eodem. Innocent. & Abb. num. 3.

His adde, quòd Monachus iſte redierit poſtea ad prius Monaſterium, ut patet ex ſumma hujus c. ex quo neceſſariò ſequitur, quòd vel Religio nigrorum, ad quam tranſivit, eſſet laxior, vel ſi ſtrictior, defacto tranſierit, non petitâ licentiâ, aliàs enim, ſi Religio fuiſſet ſtrictior, & canonicè translatus fuiſſet, non potuiſſet poſtea redire ad priorem Ordinem, abſque diſpenſatione Papæ, & ſic non potuiſſet in ſuſcepto Ordine miniſtrare, cujus tamen oppoſitum in hoc c. deciditur; Fagnan. in cit. c. ult. n. 9. & 10. de Apoſtat.

§. XII.

De Ordinatione, ſeu Conſecratione Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

CXV. De hac agitur in duobus Capitulis h. t. & inprimis quidem in c. Si Archiepiſcopus; 6. » Reſcribit Lucius III. ſi Archiepiſcopus obierit, & » alius ſit ordinandus, omnes Epiſcopi ejuſdem pro- » vinciæ ad Sedem Metropolitanam conveniant, ut » ab omnibus præſentibus, & aſſiſtentibus ordinetur, ſeu conſecretur, prout etiam habetur in c. 1. diſ. 66. ubi etiam ordinatio ſecus facta irrita eſſe dicitur, ſcilicet quoad officij executionem. Gloſſ. ibidem. V. » Irrita. Epiſcopi verò Comprovinciales à tribus » Epiſcopis, juſſu Archiepiſcopi, conſecrari pote- » runt, cæteris Epiſcopis Comprovincialibus priùs » conſentientibus: ſed melius eſt, ſi ipſe Metropo- » litanus, cum alijs Coëpiſcopis, Epiſcopum con- » ſecraverit, cit. c. 6. §. Reliqui verò h. t. & c. Porrò 2. cit. diſ. 66.

Notandum 1: Comprovinciales Epiſcopi tenentur omnes convenire, & accedere ad Metropolitanam Sedem ad conſecrandum Archiepiſcopum, uti etiam habetur in c. Metropolitano; 19. diſ. 63. exiſtimat tamen Laym. hîc n. 1. hanc obligationem ex voluntate S. Pontificis eſſe remiſſam in his provincijs, in quibus Epiſcopi plerumque plurium dierum itinere ab Eccleſia Metropolitana diſtant. Alioqui verò diſpoſitio hujus c. non eſt ſublata per Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 2. de reform. ubi decernitur, ut Epiſcopi Comprovinciales, prætextu cujuslibet conſuetudinis, ad Metropolitanam Eccleſiam inpoſterum accedere inviti non compellantur, quia illi non accedunt prætextu conſuetudinis, ſed vi Juris communis, ſecundùm quod, ſicut tenentur omnes convenire ad celebrandum Concilium Provinciale, ita etiam ad conſecrandum Metropolitanum, qui non niſi in Civitate Metropoli, Comprovincialibus ibi convenientibus, conſecrari poteſt, c. ult. diſ. 51. & à Concilio ibi ſolùm reprobantur conſuetudines hujuſmodi particulares, tanquam abuſus, & corruptelæ. Fagn. in cit. c. 6. n. 6. & ſeqq. h. t.

Notandum 2. Etſi ab omnibus Epiſcopis Suffraganeis ordinandus, ſeu conſecrandus ſit Metropolitanus, ideóque omnes vocandi ſint ad conſecrationem, c. Quia; 6. d. 64. ſufficit tamen, quòd major pars conſentiat, ſive dignum judicet, qui ordinetur, ſeu conſecretur in Archiepiſcopum, nam regula illa juris 29. in 6. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, locum habet in actibus, qui concernunt commodum privatum, ſive in ijs, quæ competunt pluribus, ut ſingulis, ut ſi concedatur hauſtus aquæ, debent omnes conſentire, ad quos jus aquam hauriendi ſpectat, l. In concedendo; 8. ff. de aqua & aqu. pluv. arc. Secus verò in his, quæ competunt pluribus, ut univerſis, ſeu ut Collegio, tum enim ſufficit major pars, l. Quod major; 19. C. ad municip. c. 1. de his, quæ fiunt à major part. cap. Gloſſ. hîc V. Ab omnibus; & Abb. n. 3. ad ipſam verò ſubſtantiam conſecrationis ſufficiunt tres Epiſcopi Suffraganei. Abb. c. l.

Notandum 3. In conſecratione Epiſcopi Suffraganei non eſt neceſſariũ, ut ipſe Archiepiſcopus per ſe eum conſecret, ſed ut ſaltem jubeat conſecrationem fieri, ut colligitur ex illis verbis, *juſſu Archiepiſcopi*, adeóq; ejus actus potiùs eſt actus juriſdictionis, quàm Ordinis: quamvìs melius ſit, ſi ipſe eum conſecraverit, ut habetur in textu, quia melius expeditur res per ſe, quàm per alium. Gloſſ. hîc V. Melius eſt. ſed Metropolitano vitâ functo, ipſi Suffraganei propriâ auctoritate Epiſcopum conſecrare poſſunt, cit. c. Quia; d. 64. Hoſtienſ. hîc V. Juſſu Archiepiſcopi. Innocent. ibid. & Jo. And. n. 3.

CXVI. Similiter in c. Ne Epiſcopi; 7. h. t. quòd eſt deſumptum ex Concilio Arelatenſi II. c. 5. decernitur, ne Epiſcopi ſinè permiſſu Metropolita- » ni: nec Metropolitanus, ſinè tribus (ipſo compu- » taro in numero trium) vel duobus Epiſcopis (aſſi- » ſtentibus ipſi Metropolitano. Hoſtienſ. hîc V. eod.) » Comprovincialibus, præſumat Epiſcopum ordina- » re, ſeu conſecrare, ita, ut alij Comprovinciales E- » piſcopi admoniti per ſuas litteras conſentiant. » Quòd ſi inter illos diſſenſio fuerit, Metropolitanus » majori numero, ſive parti Comprovincialium ſuo » conſenſu accedat. »

Ubi notandum 1. Epiſcopus Suffraganeus conſecrari non debet, abſque permiſſione, ſive juſſu Metropolitani, imò & ejus præſentiâ, c. 2. & 3. d. 65. ita tamen, ut vel ipſe, vel ſaltem alius loco ipſius ſit præſens, cui commiſerit vices ſuas, ſicut & judex poteſt ex juſta cauſa, ſi per ſe ipſum judicare non poſſit, alijs committere vices ſuas, c. Paſtoralis; 28. de offic. deleg. Gloſſ. hîc V. Permiſſa. Hoſtienſ. V. eod. & Abb. num. 1. Et conſecrari debet, non à paucioribus Epiſcopis, quàm tribus, ita, ut ipſemet Archiepiſcopus, cum duobus alijs Comprovincialibus Epiſcopis, conſecret, vel tres Epiſcopos ad conſecrandum novum Epiſopum deputet; nam cùm conſecratio

cratio Epiſcopi Suffraganei fieri poſſit à tribus Epiſcopis, juſſu Archiepiſcopi; cur non etiam ab Ipſo Archiepiſcopo, unà cum duobus Epiſcopis, cùm Archiepiſcopus non minorem auctoritatem, ſeu poteſtatem habeat, quàm Epiſcopus, & ideo additum eſt in textu, *vel duobus*, quod non erat in antiqua compilatione. Gloſſ. hîc V. Sinè tribus; Hoſtienſ. V. eod. & Jo. Andr. n. 3. Abb. n. 1. not. 2.

Notandum 2. Etſi ad ſubſtantiam conſecrationis Epiſcopi exigatur, ut ſaltem à tribus Epiſcopis conſecretur, tamen priùs requiri debet conſenſus omnium Epiſcoporum comprovincialium, qui ſaltem per litteras datus ſit, quòd dignum judicent eum, qui in Epiſcopum ordinandus eſt, c. 1. 2. & 4. diſ. 64. & in cit. c. Ne Epiſcopi; nam actus, qui ſolo conſenſu perficitur, per Epiſtolam peragi poteſt, Abb. hic not. 4. quamvis, ſufficere etiam, quòd Epiſcopi Comprovinciales non contradicant, tenet Gloſſ. in cit. c. 2. V. Aſcenſum; cit. diſ. Quòd ſi diſcrepent ſententiæ inter Epiſcopos Comprovinciales, Archiepiſcopus ſtare debet ſententiâ majoris partis, ut habetur in hoc c. in fine, & c. 1. 2. 3. & 4. cit. diſ. 65. Veruntamen ſi Archiepiſcopus ſequatur ſententiam non majoris, ſed minoris partis, tenebit nihilominus ipſius ſententia, quia in hoc negotio conſecrationis, non requiritur conſenſus Suffraganeorum, tanquam ipſi tribuant jus Epiſcopo conſecrando, ſed tanquam conſiliariorum. Innocent. hîc V. Numero; ſecus eſt in alijs actibus, ut in Concilio Provinciali, in quo prævalet ſententia majoris partis Suffraganeorum, ut declaravit Gregor. XIII. apud Fagnan. in cit. c. Ne Epiſcopi; n. 16. h. t.

Notandum 3. Si in Provincia unus tantùm ſit Epiſcopus, is convocare debebit Epiſcopos vicinæ Provinciæ, & cum illis conſecrare Epiſcopum Comprovincialem, quia hoc jus univerſitatis devolvitur ad unum, c. Si fortè; 9. diſ. 65. & ibid. Gloſſ. V. Superſtes; c. Pontifices; 4. cauſ. 7. q. 1.

Notandum 4. Etſi ſecundùm formam traditam ab Apoſtolis, Epiſcopus neceſſariò conſecrandus ſit à tribus Epiſcopis, c. Porrò; 2. diſ. 66. ubi dicitur, quòd S. Jacobus frater Domini primus Hieroſolymitarum Archiepiſcopus, à tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, & Joanne ſit ordinatus, ſeu conſecratus; non tamen hæc forma eſt juris divini, ideóque in illa Papa diſpenſare poteſt, ut loco duorum Epiſcoporum, qui aliàs conſecrationi Epiſcopi intereſſe deberent, duo alij Abbates, vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti ſubrogentur, & ita ſolet in Curia Romana diſpenſari, ut refert Fagnan. in cit. c. Ne Epiſcopi; n. 8. & duobus ſeqq. & dictum ſuprà tit. 6. num. 344.

Porrò prædictæ Conſtitutiones Decretales olim locum habebant, nempe illis temporibus, quibus confirmatio Epiſcoporum Suffraganeorum Metropolitano permittebatur, quod hodie immutatum eſt, ut dictum ſuprà c. l. num. 343. ubi etiam plura, quæ ad conſecrationem Epiſcopi pertinent, dicta ſunt.

* *
*

SECTIO II.

DE POTESTATE EXERCENDI alia Pontificalia, præter collationem Ordinum.

Ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis pertinet, non ſolùm conferre Ordines Eccleſiaſticos, de quibus hactenus actum, ſed etiam alios quoſdam actus Pontificales exercere, qui etſi non ſint de ſubſtantia Ordinis, aut officij Pontificalis, ſunt tamen actus proprij Ordinis Epiſcopalis, ita, ut ſpectato Jure communi, ſimplicibus Sacerdotibus non Epiſcopis non competant, niſi ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, de quibus hîc agemus.

§. I.

De Inſigniis Pontificalibus, & poteſtate exercendi actus Pontificales, quæ Epiſcopis competit.

CXVII. Quæritur 1. Quænam ſint Inſignia Pontificalia, & actus Pontificales proprij Epiſcoporum? Reſpondetur: Inſignia Pontificalia, ſeu Epiſcopalia, quibus ſoli Epiſcopi (ſeclusis privilegijs) aliíque Prælati ſuperiores de Jure communi uti poſſunt, ſunt Mitra, ſive Infula vulgò dicta, Pedum, ſeu Baculus paſtoralis, Anulus, Caligæ, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, & Crux pectoralis, de quibus videri poteſt Tambur. tom. 1. de Jure Abbat. diſ. 20. q. 1.

Reſpondetur 2. Actus Pontificales, ſeu proprij Ordinis Epiſcopalis, alij ſunt ſtrictè, & propriè dicti, qui alijs Sacerdotibus ſimplicibus, ſeu non Epiſcopis committi, vel non poſſunt, vel non ſolent, niſi ex gratia, & ſpeciali cauſa, videlicet Ordines ſacros conferre, & baptizatis Sacramentum Confirmationis miniſtrare. Alij verò ſunt actus Ordinis Epiſcopalis in latiore acceptione, quia à ſolo Papa, non autem ab inferioribus Epiſcopis committi ſolent, c. Aqua; 9. de conſecrat. Eccleſ. vel Alt. & quidem ſolis Sacerdotibus, non tamen communiter, nec omnibus, ſed ijs tantùm, qui in dignitate aliqua Eccleſiaſtica ſunt conſtituti, aut per modum privilegij ſpecialis: cujuſmodi ſunt, primam tonſuram, & Ordines minores conferre, populum ſolemniter benedicere, conſecrare Virgines, Eccleſias, Altaria, Calices, ſeu vaſa ſacra; Corporalia, & alia paramenta ſacra benedicere, &c. Laym. in c. 1. num. 6. de ſuppl. neglig. Prælat.

CXVIII. Quæritur 2. An, ſicut Epiſcopus non poteſt in aliena Diœceſi Ordines conferre, ſinè licentia Ordinarij loci, ut ſuprà dictum: ita neque alios actus Pontificales exercere, & uti Inſignijs Epiſcopalibus extra ſuam Diœceſin, ſinè licentia Ordinarij loci poſſit? Reſp. Non poteſt Epiſcopus in aliena Diœceſi exercere actus Pontificales, qui habent admixtam juriſdictionem, ut eſt, ordinare, degradare, exercere benedictiones, ſeu conſecrationes, quæ cum ſacrâ Chriſmatis unctione peraguntur: poteſt tamen in aliena

Diœceſi prædicare Verbum Dei, & celebrare Miſſam, utendo Inſignijs Pontificalibus, etiam abſque licentia Epiſcopi proprij loci, ut tradit Gloſſ. inClement. 2. V.Etiam celebrare de privileg. Hoſtienſ. in c. ult. V. Aliena de auctorit. & uſu Pall. Covarr. l. 3. var. reſol. c. 20. n. 9. contra Innocent. in cit. c. ult. & Abbat. ibid. num. 4. & ſic ſtrictior eſt uſus Pallij, quàm Pontificalium, ut ait Gloſſ. cit. quia Pallio non licet uti Archiepiſcopo extra Provinciam,etiam cum licentia Ordinarij loci. Pontificalibus verò Inſignijs uti licet Archiepiſcopo, vel Epiſcopo,quandoque extra Diœceſin, etiam ſinè licentia Ordinarij loci. Ratio eſt, quia celebrare Miſſam in Pontificalibus eſt proprius Epiſcopi ſacrificandi modus: ergo ſicut de jure communi Epiſcopus poteſt celebrare Miſſam in aliena Diœceſi, ita etiam Inſignijs Pontificalibus uti. Et hinc Epiſcopus celebrans in aliena Diœceſi poteſt etiam ſolemnem, ſive Epiſcopalem benedictionem dare populo, ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, eò quòd potiùs ſit actus Ordinis, aut dignitatis Epiſcopalis, quàm juriſdictionis, ut tradit Piaſec. in prax. Epiſc. p. 1. c. 2. n. 4. & eſt quid acceſſoriè conſequens ad celebrationem Epiſcopalem. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 27. n. 64.

Neque verò id revocatum eſt per Concil. Trident. Seſſ. 6. c. ult. de reform. ubi ſtatuit, ut nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegij prætextu, Pontificalia exercere in alterius Diœceſi, niſi de Ordinarij loci expreſſâ licentiâ: Quia Concilium rectè poteſt intelligi, quòd loquatur de exercitio illorum Pontificalium, quæ habent admixtam juriſdictionem, ut eſt ordinare, confirmare alienos ſubditos, degradare Clericos, vel ſimilia, de quibus ſuprà, ut innuunt illa verba: *In perſonas eidem Ordinario ſubjectas*: item *ſic ordinati ab executione Ordinum, &c.* cujuſmodi actus Pontificales in aliena Diœceſi exercere non poſſunt, ut notat Fagnan. in cit. c. ult. num. 9. de auctor. & uſu Pal. Ubi num. 11. & ſeqq. addit, quòd Epiſcopus loci poſſit in Eccleſijs Regularium exemptis celebrare in Pontificalibus, etiam ipſis invitis, quia talis celebratio reſpicit potiùs honorem, & præeminentiam, quàm juriſdictionem, ideòque propter præcedentis ſubjectionis, ante exemptionem, reliquias, permittitur Epiſcopo intra ſuam Diœceſin, etiam in locis exemptis, quæ etſi non ſint de Diœceſi, c. Cùm Epiſcopus; 7. ibi: *In quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto* de offic. Ordin. in 6. & cenſentur extranea, ſive extra Diœceſin, quoad juriſdictionem contentioſam, non tamen quoad ea, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, vel quoad inſignia honoris, utendo Pontificalibus Inſignijs in celebrando Miſſam, vel prædicando. Idque colligitur etiam ex Trident. c. l. quod prohibuit exercere Pontificalia *in alterius Diœceſi*, non autem dixit, extra Diœceſin; unde quamvis loca exempta dicerentur eſſe extra Diœceſin, non tamen dicuntur eſſe in aliena Diœceſi, adeòque Epiſcopus exercens Pontificalia in locis exemptis ſitis intra ſuam Diœceſin, non poteſt dici ea exercere in alterius Diœceſi, & ſic nihil ſit contra prohibitionem Concilij. Fagnan. c. l. num. 18. Porrò, ſi Regulares exempti indebitè reſiſtant Epiſcopo volenti Pontificalia exercere in eorum locis, non ab ipſo Epiſcopo poſſunt puniri, ſed is petere debet à Superioribus eorum Regularibus, ut illos compellant ad id permittendum. Barb. c. l. n. ult.

Excipi tamen debet, niſi alicubi contraria vigeat conſuetudo, qualis eſt in noſtra Germania: non enim ſolent Epiſcopi in aliena Diœceſi, neque alij Prælati in Eccleſijs ſibi non ſubjectis, in Pontificalibus celebrare, ſine conſenſu Epiſcopi ordinarij, vel alterius Prælati illius loci. Layman. in cit. c. ult. num. 2. de auctor. & uſu pal. ubi rationem dat, quia Inſignia Pontificalia non ſignificant tantùm Ordinem, & dignitatem Epiſcopalem, ſed etiam juriſdictionem aliquam importare videntur, adeòque competunt Epiſcopo, vel alteri ſimili Prælato, non ſimpliciter, ſed cum Ordine ad Eccleſiam, vel Diœceſin ſuam.

§. II.

De poteſtate exercendi Pontificalia, quæ competit Abbatibus, & alijs Prælatis inferioribus.

CXIX. Quæritur 1. Quibuſnam Prælatis, & quo jure competat jus utendi Inſignibus Pontificalibus, & exercendi actus Pontificales? Reſpondetur 1. Prælati Regulares Ordinum Mendicantium non geſtant Inſignia Pontificalia, ſed alij pletique Abbates, ſeu Præpoſiti, tum Monachorum, tum Canonicorum Regularium, illa gerunt, prout videre eſt apud Tamburin. de Jure Abbat. tom. 1. diſ. 20. q. 1. n. 2. nam quia Prælati iſti Regulares actus quoſdam Pontificales exercere ſolent, ideo, ut majore cum ſolemnitate, & decòre Ij peragerentur, conceſſa ſunt illis à Sede Apoſtolica Inſignia Pontificalia, id eſt, quæ ab origine ſua, ſeu prima inſtitutione Pontificum, ſeu Epiſcoporum ſunt propria. Laym. in c. 1. de ſuppl. negl. Præl. n. 11.

Reſpondetur 2. Hæc poteſtas utendi Inſignibus Pontificalibus, & exercendi actus Pontificales, Prælatis hujuſmodi non competit Jure communi, quia nullibi hoc eis conceſſum in jure reperitur: ſed ſolùm ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ, ut conſtat ex c. Ut Apoſtolicæ 6. in princ. de privileg. in 6. ubi dicitur, quòd non ratione propriæ dignitatis, ſed ex Indulgentia Sedis Apoſtolicæ, Abbates nonnulli, aliique Prælati Inſignijs Pontificalibus uti poſſint. Unde fit, ut non omnibus Abbatibus, ſeu Prælatis competat exercitium omnium Inſignium Pontificalium, ſed alij pluribus, alij paucioribus uti poſſint. Tamburin. cit. tom. 1. diſ. 21. q. 1. n. 3. & 4. nam aliqui Prælati mitrati non ſunt, baculum tamen, ſeu pedum paſtorale gerunt: alij contrà Mitram geſtant in capite, ſed non baculum, quia etſi in dignitate ſunt conſtituti, nullam tamen juriſdictionem exercent, ut quidam Præpoſiti Eccleſiarum Cathedralium. Et ex Prælatis etiam ſecularibus, quidam ſunt mittati, & gerunt alia Inſignia Pontificalia, quidam non. Tambur. cit. diſ. 20. q. 1. num. 25. ubi num. 26. addit, quòd Abbates Commendatarij non gerunt Inſignia Pontificalia, niſi ex ſpeciali privilegio Apoſtolico, id illis ſit conceſſum, quia non gaudent privilegijs Religionis, cùm Religioſi non ſint.

Porrò quibuſnam Inſignijs Pontificalibus uti, & quos actus Pontificales exercere poſſint Prælati, ſive Regulares, ſive ſeculares, id ex verbis, & tenore privilegiorum ſingulis datorum cognoſci debet. Layman. de Elect. Præl. q. 223.

CXX. Quæritur 2. An Prælatis non Epiſcopis, ſive ſecularibus, ſive Regularibus competat poteſtas ſolemniter benedicendi populum? Ubi notandum, quòd benedictio, quæ fit ſuper perſonas, alia ſit privata, quæ fieri poteſt ab omnibus Clericis, imò etiam à Laicis, & fœminis ſanctimonialibus. Alia verò eſt publica, quæ ſolis Sacerdotibus competit, neque etiam à Diaconis fieri poteſt, ut tradit Layman. lib. 5. Theol. mor. tr. 9. c. 13. num. 1. & 11. Publica verò benedictio populi rurſum alia eſt ſolemnis, quæ fieri ſolet in fine Miſſæ, & divinorum officiorum, præmiſſo Verſic. Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c. &, Sit nomen Domini benedictum: alia verò non ſolemnis, ſed ſimplex, quæ ab omnibus Sacerdotibus poſt Miſſam fieri ſolet; non tamen præſente Epiſcopo, impendi debet, niſi ipſe annuat, & facultatem det. Gloſſ. in c. Ecce; 6. V. Benedicere; diſ. 9.5. Sylveſt. in ſumm. V. Benedictio; n. 1.

Nunc ergo reſpondetur. Etſi ſolemnis populi benedictio, ſpectato Jure communi, Epiſcoporum ſit propria: ex ſpeciali tamen Sedis Apoſtolicæ privilegio, etiam alijs Prælatis inferioribus ea interdum concedi ſolet. Et quidem omnes Prælati Regulares, ſaltem qui benedici ſolent, aut qui Inſignia Pontificalia gerunt, Profeſſos, & Novitios ſuos, ſub finem ſolemnium Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum, ſolemniter benedicere licitè poſſunt. Laym. in cit. c. 1. n. 12. de ſuppl. negl. Prælat. Quin imò etiam illis conceſſum eſt toti populo in Eccleſijs ſibi pleno jure, id eſt, in ſpiritualibus, & temporalibus ſubjectis, ſolemnem benedictionem impertiri; non autem alibi publicè per vias, Civitates, Caſtella, aut Villas, c. Abbates 4. de privileg. in 6. & ibi Gloſſ. V. Pleno jure, niſi ex ſpeciali privilegio hanc poteſtatem eſſent conſecuti. Azor p. 1. Inſtitut. moral. lib. 12. cap. 20. quæſt. 7. Sylveſt. V. Abbas; quæſt. 2. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 27. n. ult. Vel niſi ſpeciale privilegium habeant ſolemniter benedicendi populum in Eccleſijs, quamvis ipſis pleno jure non ſubjectis. Tambur. cit. diſ. 21. quæſt. 8. num. 2. ubi num. 3. addit, quòd Abbas in Eccleſia aliena celebrans poteſt benedictione Pontificali uti, quia illa eſt potiùs actus Ordinis, quàm juriſdictionis, ſicut ſuprà de Epiſcopo celebrante in Eccleſia aliena dictum.

CXXI. Quæritur 3. An Abbates, & Prælati inferiores non Epiſcopi poſſint veſtes ſacras, aliáque paramenta Altaris, ſive propriarum, ſive alienarum Eccleſiarum, vel etiam Corporalia benedicere, ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine? Reſpondetur: Prælati omnes, qui Pontificalia exercent, poſſunt, non ſolùm ex privilegio quibuſdam conceſſo, ſed etiam, ſecluſo ſpeciali privilegio, ex conſuetudine diuturna cum bona fide præſcriptâ; ſaltem immemoriali, benedicere ſacra veſtimenta, & alia paramenta Altaris, non ſolùm ſuarum, ſed etiam alienarum Eccleſiarum; imò etiam Pallas, & Corporalia. Gloſſ. in cit. c. Abbates; V. Tonſuram in addit. de privileg. in 6. Sylveſt. V. Benedictio; num. 5. Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. c. 20. num. 2. Tambur. de Jure Abb. tom. 1. diſ. 22. quæſt. 1. 2. & 3. Ratio eſt, quia quamvis ea, quæ competunt Epiſcopis, ratione ſuæ Conſecrationis, ex jure divino, ut ſunt, Sacramentum Confirmationis dare, ordinare, & ſimilia, conſuetudine acquiri non poſſint, c. Quanto; 4. de conſuet. quia conſuetudo non poteſt tollere jus divinum, nec Conſecratio per conſuetudinem acquiri poteſt: alia verò, quæ Epiſcopis competunt, & reſervantur ex ſola inſtitutione Eccleſiæ, poſſunt per conſuetudinem acquiri, etiam à Sacerdotibus non Epiſcopis, nam ſicut juriſdictio dari poteſt per conſuetudinem, quia per extrinſecam conceſſionem conferri poteſt; ita etiam hæc poteſtas dari poteſt per conſuetudinem, quæ quoad hoc juriſdictioni æquiparatur. Suar. c. l. n. 4. Neque verò hujuſmodi benedictiones verbales ſolùm ita propriæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ſicut ex benedictiones, quæ cum Chriſmatis unctione fiunt, juxta declarat. Cardin. ſuper Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 10. num. 1. quæ ſic habet: Abbas, qui eſt benedictus, vel ex privilegio Sedis Apoſtolicæ Pontificalia exercere poteſt, ac ſi eſſet benedictus, poteſt omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus unctio requiritur. Nec obſtat, quòd in c. Conſulto; 46. diſ. 1. de conſecr. dicitur, Corporale ab Epiſcopo conſecrandum eſſe, quia id procedit de Jure communi; quamvis etiam hodie poteſtas benedicendi Corporalia non tam facilè concedi ſoleat Sacerdotibus non Epiſcopis, ſicut benedictiones aliorum paramentorum Eccleſiaſticorum, ut notavit Layman. in cit. cap. 1. num. 9. de ſuppl. neglig. Prælat. Porrò Prælati Ordinum Mendicantium, quamvis Inſignia Pontificalia non gerant, nec benedici ſoleant, tamen ex privilegijs ab Apoſtolica Sede conceſſis, Corporalia, & alia paramenta ad cultum divinum pertinentia, in quibus unctio Chriſmatis non intervenit, benedicere licitè poſſunt, non tantùm ſui Monaſterij, vel Eccleſiæ, ſed etiam aliarum Eccleſiarum, undecunque ſint, ut refert Emm. Rodriq. qq. Regul. tom. 1. q. 19. a. 2. Suar. cit. c. 20. n. 10.

CXXII. Quæritur 4. An Abbates, aliique Prælati Regulares poſſint conſecrare calices, patenas, pixides, & alia hujuſmodi vaſa ſacra, ad quæ unctio Chriſmatis requiritur, ſive vi privilegij, ſive etiam conſuetudinis? Reſpondetur; Abbates, aliique Prælati, qui jus exercendi Pontificalia habent, poſſunt ex ſpeciali privilegio Apoſtolico ipſis conceſſo conſecrare calices, & patenas, & alia, in quibus ſacra Chriſmatis unctio intervenire debet, qualia privilegia plura conceſſa ſunt Abbatibus, & alijs Prælatis Regularibus, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent in ſuos ſubditos, etſi benedicti non ſunt, refert Tambur. tom. 1. de Jure Abbat. diſ. 23. q. 1. & q. 2. Similiter etiam poſſunt hujuſmodi Abbates Campanas conſecrare, ex privilegio Urbani II. & Pauli III. quibuſdam Abbatibus conceſſo, ut refert Tambur. cit. diſ. q. 2. Non tamen poſſunt Abbates, aliique Sacerdotes non Epiſcopi per meram conſuetudinem etiam immemorialem acquirere poteſtatem conſecrandi calices, & alia

alia vaſa, ad quæ ſacra Chriſmátis unctio requiritur, quia tales conſecrationes ſunt actus Ordinis Epiſcnpalis ita ſtrictè proprij, ut alijs Sacerdotibus committi non poſſint, & cnmmuniter nnn ſoleant, ut ex praxi, & Eccleſiæ traditione conſtat: ac proinde non poſſunt, vi conſuetudinis, vel præſcripsionis, competere alijs Sacerdotibus non Epiſcopis; præterquam, ſi hujuſmodi conſecrationes exerceantur ex delegatione, ſeu commiſſione, aut privilegio Sedis Apoſtolicæ. Azor p. 1. l. 10. c. 28. quæſt. 2. Sylveſt. V. Benedictio; n. 5. & Canoniſtæ communiter. Limitat tamen id Azor p. 2. lib. 9. c. 7. quæſt. 2. niſi talis conſuetudo jure communi eſſet approbata, vel Romani Pontificis tacito conſenſu permiſſa.

Atque hinc etiam infertur, ſi Abbas aliquis prætendat, ſe habere poteſtatem conſectandi Calices, & alia, ad quæ ſacra Chriſmatis unctio requiritur, debet is non ſe fundare ſuper mera conſuetudine, ſed ſuper privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ſaltem conſtante ejus famâ, cùm fieri poſſit, ut privilegium olim conceſſum, poſtea amiſſum fuerit. Sed etſi ponatur, nunquam datum fuiſſe privilegium, ſi tamen per tempus immemoriale bonâ fide exiſtimabatur eſſe datum, per diuturnam conſuetudinem acquiri poterit à tali Abbate poteſtas hnjuſmodi res conſecrandi, ſi ſummus Pontifex non contradicat, quia is tales conſuetudines ratinnabili titulo nixas non reprobat, ſed potiùs apptobat in c. ult. de conſuetud. Laym. in cit. c. 1. n. 8. de ſuppl. negl. Præl.

CXXIII. Quæritur 5. An Abbates, aliíque Prælati jus Pontificalia exercendi habentes poſſint conſecrare Eccleſias, & Altaria, vel Eccleſias, aut cœmeteria violata recnnciliare? Reſpondetur 1. Jure communi non poſſe eos conſecrare Eccleſias, cùm ſolus Epiſcopus de jure id poſſit, c. Nemo; 9. diſ. 1. de conſecr. quamvìs ea poteſtas à S. Pnntifice, Abbatibus, & alijs ſimplicibus Sacerdotibus delegari, ſeu committi poſſit. Azor p. 1. Inſtit. mor. l. 10. c. 26. q. 10. Sylveſt. V. Conſecratio; 2. n. 2. Mirand. in Man. Præl. tom. 2. q. 39. a. 1. concl. 3. non tamen facilè ſnlet Sacerdotibus non Epiſcopis talis poteſtas committi, vel privileginm concedi Eccleſias conſecrandi. Tamburin. cit. diſ. 23. q. 7. n. 3. ubi ait, ſibi non conſtare, an tale privilegium ulli hactenus conceſſum fuerit?

CXXIV. Reſpondetur 2. Similiter ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poſſunt Abbates, aliíque Prælati Alraria cnnſecrare, & benedicere, quale conceſſum eſt Abbatibus Ordinis Ciſtercienſium ab Innocentio VIII. & ex privilegio Pij V. conceſſo Congregationi Caſſinenſi anno 1565. die 6. Junij. Rodriq. qq. Regnl. tom. 1. q. 28. art. 2. Tamburin. cit. diſ. 23. q. 4. nnm. 3. ubi ait, Abbates nnn ſolùm Altaria portarilia, ſed etiam fixa, & imobilia ex privilegin Apoſtolico conſecrare poſſe. Pnſſunt item Sacerdotes Ordinis Minorum, & Societatis Jeſu in partibus Indiarum, Calices, & Altaria, etiam pro nſu aliornm, conſecrare, ut Societati conceſſit Paulus III. anno 1549. 15. Calend. Nnvembr. Rodriqnez. c. l. Denique à Sixto V. Religioſis Ordinum Mendicantium conceſſum eſt, ut, ſi Epiſcopi Diœceſani ter rogati Altaria ſuorum Monaſteriorum conſectare nolint, poſſint advocare qunſcnnque Antiſtites Catholicos, qui pro illn Altaria conſecrent. Rodriq. cit. quæſt. 28. a. 1. Mirand. cit. q. 39. a. 1. cnncl. 3. Barb. de offic. Epiſcnp. alleg. 27. n. 11. ubi addunt, hujuſmodi privilegia non eſſe revocata per Concil. Tridentin. Seſſ. 6. c. ult. de reform. ubi ſtatuitur, quòd nullus Epiſcnpus in alterius Diœceſi, ſinè illius licentia, poſſit Pnntificalia exercere, eujuſvis privilegij prætextu &c. qnia quoad hnc, non cenſentur eſſe privilegia, ſed jus cnmmune continere, dummodo ſit petita licentia, ſive Epiſcopi Diœceſani bis, vel ter requiſiti, hujuſmodi conſecrationes facere noluerint, juxta c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. & c. Nihil; 44. §. nlt. de Elect.

Simile privilegium conceſſum eſt Societati Jeſu, quoad Eccleſias conſecrandas à Paulo III. anno 1549. nempe poteſtas benedicendi, aut conſecrandi Eccleſias cum Cœmetreijs, & primum lapidem ponendi per quoſcunque Epiſcopos, ſi Diœceſani ultra 4. menſes id facere diſtulerint, ut habetur in Compendio privileg. Snciet. V. Eccleſia; §. 1.

CXXV. Reſpondetur 3. Poſſunt Prælati Ordinum Mendicantium, & alij quidam Prælati Regulares, Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria ſua, ſanguinis, & ſeminis effuſione, vel aliàs qnomodolibet pollutas, ſeu polluta, aquâ per eos benedictâ, præſertim in locis remotis, ſi Epiſcopus ultra duas dietas, ſive duorum dierum iter diſtet, liberè, & licitè conciliare, ex cnnceſſione Leonis X. Minoribus factâ, & Julij II. Prælatis Ordinum Minorum. Rodriq. qq. reg. tnm. 1. q. 19. a. 6. Mirand. c. l. Tambur. cit. diſ. 23. q. 10. n. 3. & 4. & habetur etiam in Compend. Societ. Jeſu. V. Eccleſia; §. 2.

CXXVI. Quæritur 6. An Abbates, aliíqne Prælati Regulares poſſint ſaltem ſolemniter benedicere Eccleſias, & Cœmeteria ſua, item conſecrare, ſeu benedicere Virgines ſacras, aut Moniales? Reſpondetur 1. Prælati Ordinum Mendicantium poſſunt ex privilegin Leonis X. cnnceſſo Ordini Minorum, Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, pro ſuorum uſu tantùm, ſolemniter benedicere, abſque Chriſmatis unctione. Rodriq. cit. q. 19. a. 2. & habetur etiam in Compend. Societ. Jeſu. V. Benedicere; quâ tamen facultate uti non ſolent Prælati Regulares publicè, nec, niſi Ordinarij abſint, aut id gravatè facerent, ut additur ibidem Layman. de Elect. Præl. quæſt. 222.

CXXVII. Reſpondetur 2. Etſi conſecrare, ſeu benedicere Moniales de jure communi ad ſolos Epiſcopos ſpectet, c. 1. §. Ad Epiſcopum; diſ. 25. & c. Quamvìs; 4. diſ. 68. tamen ex commiſſinne, vel ſpeciali privilegio S. Pontificis, etiam Abbates benedicere poſſunt Mnniales, in quas quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent, ſicnt nonnullis Abbatibns tale privileginm datum eſt. Quare hæc poteſtas eis non competit ex vi juriſdictionis, cùm conſecratio ſit actus proprius Ordinis Epiſcopalis, & nnn tantùm juriſdictionis, quia conſiſtit in certa forma per Eccleſiam tradita, & in Pontificali Rnmann ſemper ſupponitur, Epiſcopum eſſe ordinarium Miniſtrum hujus conſecrationis: ſed ſolùm ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ; nam ab Epiſcopo non poteſt ea committi Sacerdoti non

Epi-

Epiſcopo, c. pen. de Conſecr. Eccleſ. Suat. tom. 4. de relig. tract. 9. l. 1. c. 11. n. 12. Neque etiam per meram conſuetudinem poteſt acquiri ab Abbatibus, ſeu Prælatis, quia ea non eſt cauſa huius poteſtatis, ſed ſignum conceſſionis à SS. Pontificibus factæ, Tamburin. tom. 1. de Jure Abb. diſ. 22. q. 6. n. 2.

CXXVIII. Quæritur 7. An Prælati Regulares, vel etiam Seculares poſſint Pontificalia exercere, & Inſignibus uti extra Eccleſias ſuas? Reſp. Abbatibus, & aliis Prælatis Epiſcopo inferioribus uſus, ſeu exercitium Pontificalium conceſſum eſt ad proprias Eccleſias, ideòque in aliena Diœceſi, aut Eccleſia actus Pontificales exercere non poſſunt, abſque licentia ſaltem rationabiliter præſumpta Epiſcopi Diœceſani, & Prælati eius loci, in quo actum Pontificalem exercere volunt; nam uſus, & exercitium Pontificalium Inſignium, & actuum reſtrictum eſt ad proprias Eccleſias in favorem Epiſcoporum, ad quos, ſpectato Jure communi, actus Pontificales tanquam eorum proprij pertinent, ac proinde eorum juri inferiores Prælati præjudicare non poſſunt, niſi à Sede Apoſtolica amplius ſpeciale privilegium eis fuerit conceſſum, Laym. de Elect. Prælat. q. 224. Tamburin. tom. 1. diſ. 21. q. 3. n. 6. Sed neque Abbas, ſeu Prælatus ſubjectus Epiſcopo poteſt, eodem præſente, deferre Inſignia Pontificalia, abſque eius conſenſu, Tambur. c. l. n. 2. Porrò hactenus dictis duo adhuc addenda ſunt.

CXXIX. Primum eſt, ſi Prælatus Regularis, vel Secularis jus habens utendi Inſignibus Pontificalibus, ſimul etiam habeat privilegium Vaſa ſacra conſecrandi, & campanas, adhibita ſacri Chriſmatis unctione, benedicendi, à Sede Apoſtolica pro ſua Eccleſia ſua tantùm ei conceſſum: tunc Epiſcopus diœceſanus non poteſt quidem ei generalem licentiam dare conſecrandi calices, & benedicendi campanas Eccleſiarum, quæ ipſi Epiſcopo ſunt ſubjectæ, quia, ſicut Epiſcopus non poteſt dare tale privilegium; ita neque ad tales actus Pontificales exercendos pro aliis Eccleſiis poteſt illud extendere: quamvis probabile ſit, Epiſcopum poſſe ejuſmodi licentiam dare pro aliquo caſu neceſſitatis occurrente, quia hoc non videtur adverſari voluntati Papæ, poſtquam talis Prælatus privilegium accepit, ſaltem pro ſua Eccleſia ſacra vaſa conſecrandi, & campanas benedicendi, ut arbitratur Laym. in cit. c. 1. n. 17. de ſuppl. neglig. Prælat.

Alterum eſt, ſi alicui Prælato Regulari, & eius ſucceſſoribus, ante annos centum, vel ampliùs à Sede Apoſtolica conceſſum ſit privilegium ſacra vaſa, v. g. cum Chriſmatis unctione, conſecrandi, quo tamen aliqui Prælati præcedentes per longum tempus uſi non fuerunt, hoc caſu, tale privilegium non debet cenſeri, per non uſum eſſe amiſſum: ſed Prælatus ſucceſſor poterit dictum privilegium, etſi diuturno tempore intermiſſum, de cuius tamen revocatione nihil unquam auditum fuit, iterum in uſum revocare, & exercere, quia Prælatus non poteſt privilegium Eccleſiæ conceſſum per non uſum illius, quantumvis longiſſimo tempore perdere, ut docet Rodriqu. qq. Regul. tom. 1. q. 18. a. 1. in fine. Ratio eſt, nam, vel privilegium tale eſſet amiſſum per præſcriptionem, vel per tacitam renunciationem. Non prius, nam in actibus merè voluntariis, & qui nemini ſunt oneroſi, non poteſt procedere præſcriptio, ut, ſi quis habeat privilegium legendi libros hæreticos, eóque nunquam utatur, non ideo illud amittit, cùm nemo cogatur privilegio, aut beneficio ſuo uti, quod liberum, & voluntarium uſum habet. Non poſterius etiam dici poteſt; nam vel nulla obtulit ſe occaſio, ſeu opportunitas utendi privilegio; & tum non poteſt cenſeri privilegiatus eo non utens voluiſſe eidem renunciare, cùm eo uti non potuerit, juxta reg juris 3. in 6. *eius eſt non nolle, qui poteſt velle*: vel occaſio utendi privilegio ſe obtulit, adeóque ſcienter, & voluntariè eo non eſt uſus: & neque tunc per tacitam renunciationem eſt amiſſum privilegium, quia Prælatus non poteſt renunciare juribus, ac privilegiis datis, & acquiſitis Eccleſiæ, ac dignitati ſuæ, juxta Gloſſ. receptam in c. ult. V. Pro qualitate cauſ. 16. q. 6. cùm enim talis renunciatio ſit quædam ſpecies alienationis, non poteſt fieri ſinè juſta cauſa, & conſenſu Capituli, c. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Quare, ſi Prælatus non poteſt perdere tale privilegium per renunciationem expreſſam, multò minùs poterit per tacitam, aut præſumptam. Laym. in cit. c. 1. n. 18. Tamburin. cit. diſ. 23. q. 14.

Addit tamen Laym. c. l. ex diuturno non uſu privilegij præſumi illud nunquam datum, vel revocatum fuiſſe, adeóque hoc caſu exigi poſſe, ut exhibeatur. Et hinc S. Pontifex ſolet ea ſolùm privilegia, v. g. Regularium confirmare, vel aliis per communicationem conferre, quæ in uſu ſunt.

TITULUS XII.
DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

Quia Ordines conferendi non ſunt, niſi præmiſſo Scrutinio, ideo hic Titulus ſubjungitur.

I. Quæritur 1. Quid, & quotuplex ſit Scrutinium? Reſp. Scrutinium hoc loco nihil aliud eſt, quàm inquiſitio, ſive examinatio Ordinandorum facta ab eo, ad quem ſpectat. Duplex eſt autem ſcrutinium, ſive examen, unum, quod ante Ordinationem inſtitui debet, num idonei ſint, qui ordinari petunt, c. 2. diſ. 24. & ad Epiſcopum ordinarium (vel ab ipſo deputatos) ſpectat, c. Nihil; 44. §. Epiſcopi de Elect. Alterum quod fit in ipſa ordinatione, Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. & 2. h. t.

II. Quæritur 2. Quomodo,& quando inſtituendum ſit primum ſcrutininm, ſeu examen Ordinandorum, ante ipſam Ordinationem? Reſp. De hoc ita ſtatutum legitur in Concil. Trident. Seſſ.23. c. 5. de reform. Ad minores Ordines promovendi, bonum à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ, in qua educantur,teſtimonium habeant. Hi verò,qui ad ſingulos majores erunt aſſumendi, per menſem, ante Ordinationem,Epiſcopum adeant, qui (ad detegenda,ſi quæ fortè ſubſint, impedimenta occulta,& incognita) Parocho,aut alteri, cui magìs expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum,qui volunt promoveri, publicè in Eccleſia propoſito, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittat. Quamvìs hæc diſpoſitio Concilij Trident. non ubique ſervetur, ut notat Campanil. in diverſor. Jur. Can.Rubric.3.n.3. Deinde Feria IV.ante ipſam Ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ordinandi ad civitatem vocari debent, ipſéque Epiſcopus, accitis ſibi Sacerdotibus, & aliis viris prudentibus, peritis divinæ legis, & in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtigare,& examinare debet, prout habetur in c.Quando; 5. diſ.24. & Concil.Trident.cit. Seſſ.23.c.7. de reform.

III. Notandum hìc 1. Epiſcopi, aut ab ipſis deputati viri periti, ac prudentes, inquirere debent Ordinandorum genus, an ex Catholicis parentibus, aut liberis nati ſint: natalitia, hoc eſt, an legitimi, vel illegitimi ſint: perſonam,an ſint corpore vitiati: inſtitutionem, an titulum habeant, cit. c. Quando, juncta Gl. V. Eodem: patriam (quod exigitur ſolùm in cit.c.Quando;) ut cognoſcatur, an Ordinandus Epiſcopo ſubjectus ſit: ætatem,an ſit ſufficiens: vitam moréſque, an ſint probi,ac integri: doctrinam, an ſit competens: fidem, an Catholicam firmiter teneant? cit. c. Quando. & Trident. cit. c. 5.& 7.Campanil.c.l.n.5.Barb.de offic.Epiſc.alleg.10.n.3.&ſeqq. Item intentio quoque ordinandi inquirenda eſt, an habeat intentionem aſcendendi ad altiores Ordines, ſi aptus fuerit, nec impeditus, alinquin enim ordinari non deberet, ut colligitur ex Trident.cit.Seſſ.c. 4.Campanil.c.l.Barb. c.l.n.19. an etiam Ordinandus Sacramentum Confirmationis ſuſceperit, idem c. l. ac denìque etiam alia ad Ordines requiſita indaganda ſunt,videlicet,an in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverit,& ſe exercuerit,an legitima interſtitia ſervaverit; nullâ cenſurâ ligatus ſit, nec aliud canonicum impedimentum ad Ordines ſuſcipiendos habeat, & cætera huiuſmodi, de quibus jam dictum eſt, & partim adhuc dicetur.

IV. Notandum 2. Natales, libertas, & ætas probari ſolent per publicum teſtimonium Magiſtratûs loci, unde Ordinandus eſt oriundus, ut ex communi praxi conſtat: vel etiam per teſtimonium Parochi, præviâ inquiſitione, datum, ut colligitur ex Trident.cit.Seſſ.c.5. Quamvìs in certis caſibus,ſi v.g. ad patriam ab hoſtibus occupatam aditus non pateret, probabiliter probatio per teſtes, ac famam admitti poſſet. Mores, & vitæ probitas probanda eſt per litteras teſtimoniales, vel Prælati, ſive Superioris, ſi ordinari ſint Religioſi: vel Decani, ſi in Eccleſia Cathedrali,vel Collegiata verſentur, qui Ordines petunt: vel Rectoris, Magiſtri, aut Præfecti Scholarum,ſi in Academia,vel Gymnaſio degant: vel denique Parochi, juxta Trident. c.l.Titulus menſæ probatur per inſtrumentum publicum, vel per facti notorietatem: doctrina, non per teſtes, & famam, ſed per actuale examen probari debet,quia,cùm ſit quid extrinſecè adventitium, & accidentale homini, non præſumitur alicui ineſſe. Barb.c.l.n.17.& 18.Immunitas à cenſuris, & irregularitatibus non aliter probatur, quàm per aſſertionem ordinandi, cùm nemo præſumatur deliquiſſe, niſi id oſtendatur. Denique de corporis qualitatibus per experimentum ſenſuum cognitio quærenda eſt.

V. Notandum 3. Regulares quoque ordinandi examinandi ſunt ab Epiſcopo; & quamvìs olim privilegia habuerint, per quæ exempti erant ab examine Epiſcoporum, & hoc ad Superiores Regularium ſpectabat: ea tamen revocata ſunt per Concil. Trid.Seſſ. 23.c.12. de reform. Mirand. in man. Prælat.tom.1.q.39.a.4. Religioſi autem Societatis Jeſu per ſpeciale privilegium cum aliis Ordinibus non communicabile,à Gregorio XIII. conceſſum in Bulla,quæ incipit: Pium, & utile;edita anno 1582.die 22.Septembr. ordinandi ſunt ab Epiſcopis, abſque inquiſitione, ſeu examine de idoneitate, & aliis requiſitis, prout habetur etiam in compendio privil. Societ. V. Ordines.§.3. Quod privilegium revocatum eſſe per Conſtitutionem Sixti V. quæ incipit, Sanctum,& ſalutare;editâ contra Clericos malè promotos anno 1588.nonis Jan.& extat apud Quarant. in ſumm.Bull. V. Ordo.fol.498.aſſerit Mirand.c.l.& Barb.de offic.Epiſc.alleg.7. in fine. Verùm, ut rectè notavit Tiber. in Inſtruct. Ordinand. quæſt. 58.§. 6. Requiritur, Verſic. Petes. 1. huiuſmodi revocatio ex verbis prædictæ Conſtitutionis colligi non poteſt: &, ſi vel maximè revocatum eſſet privilegium hoc exemptionis ab examine Epiſcoporum, fuiſſet tamen innovatum, ac de novo conceſſum à Paulo V. in Conſtitutione,quæ incipit: Quantum Religio Societatis;editâ anno 1606. pridie nonas Septemb. in qua omnia,& ſingula privilegia, facultates,exemptiones,gratiæ,& indulta à prædeceſſoribus Pontificibus Societati principaliter, vel per communicationem conceſſa,perpetuò confirmantur, & de novo conceduntur.

VI. Quæritur 3. Quomodo peragatur ſecundum ſcrutinium, ſive examen in ipſo Ordinationis die? Reſp. De hoc agitur in c.unic.h.t.ubi Papa Innocent. III. ita reſcribit: Cùm juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ,aliquis in Diaconum, vel Presbyterum promovendus eſt, Prior Diaconorum, ſive Archidiaconus, qui aſſiſtit Epiſcopo (& ad quem de Jure communi ſpectat examen, & præſentatio Ordinandorum,ſeu promovendorum ad ſacros Ordines,c.Ad hæc;7.& c. Ut noſtrum; 9. de offic. Archidiac.& clarâ voce monere,ut,ſi quis ex Aſſiſtentibus contra quempiam ex Ordinandis aliquid ſciat, quod Ordinum ſuſceptionem impediret, liberè proponat) Epiſcopo præſentat, nomine totius Eccleſiæ poſtulans, ut hunc, vel hos Subdiaconos ad Ordinem Diaconatûs, hunc, vel hos Diaconos ad Ordi-

» nem Presbyteratûs promovere velit. Tum Epiſcopus interrogat, utrùm eum, qui præſentatur, dignum eſſe cognoverit? Ad hoc reſpondet Archidiaconus, ſcire ſe, ac teſtificari, eum eſſe dignum, quantùm humana fragilitas nôſſe, ſeu ſcire ſinit. Quamvis autem Ordinandus revera ſit indignus, non peccat Archidiaconus, dummodo non ſciat, eſſe indignum, adeóque non loquatur contra ſuam conſcientiam, quia non ſimpliciter aſſerit, illum eſſe dignum, ſed in quantum humana fragilitas nôſſe ſinit, quandoquidem illum, quem indignum eſſe non novit, dignum æſtimare debet. Quare Epiſcopus tali teſtimonio ſecurè uti, & ad ordinandum procedere poteſt, niſi fortè de indignitate ordinandi ipſi conſtet: quo caſu ſi quis in Epiſcopum conſecrandus eſſet, Epiſcopus conſtitutus ad conſecrandum Metropolitanum ſecretò de indignitate conſecrandi admonere deberet, priusquam ad publicum ſcrutinium, ſive examen deveniretur: quod tamen in Eccleſia Romana, non ante Epiſcopi conſecrationem, ſed ante Diaconi, vel Presbyteri ordinationem præmitti conſuevit.

VII. Notandum hic 1. Antequam procedatur ad actum Ordinationis, debet præcedere quædam ſummaria, & extrajudicialis inquiſitio de qualitate ordinandi, cujus forma in eo conſiſtit, ut præſentans ordinandum interrogetur, an is ſit habilis, ſeu dignus, & ille reſpondeat, ſe credere, ipſum eſſe dignum, quia in his, in quibus non poteſt haberi certa, & determinata notitia, admittitur teſtimonium de credulitate. Abb. hîc not. 1. & 2. nam teſtes, qui deponunt de alicuius probitate, vel habilitate ad Ordines, officium, vel beneficium, non tam de veritate, quàm de ſua credulitate deponunt, nempe, ſe veriſimiliter credere, & exiſtimare, eſſe hominem probum, ac idoneum, quamvis abſolutè errare poſſint, ac decipi, ut in rebus humanis pronum eſt. Requiritur tamen, ut præcedant probabilia indicia, ob quæ prudenter exiſtimare, & præſumere poſſint, hominem, de quo teſtificantur, eſſe probum, ac idoneum, ut, quia videt, eum eſſe ad Ordines, vel beneficium præſentatum, vel commendatum à viris bonis, ac fide dignis: alioquin verò de perſona alicui ignota, eiúſque qualitate, nullis præcedentibus indiciis, nemo teſtimonium ferre poteſt, quòd ſit digna, vel idonea. Abb. hîc n. 6.

Notandum 2. Si Archidiaconus eum, quem præſentare debet Epiſcopo, ob occultum eius defectum, qui in præcedente examine, aut inquiſitione non eſt manifeſtatus, noverit indignum, & neque privatim monendo, neque deferendo ad Superiorem, v.g. Metropolitanum, quidpiam profecturum, ſe videat, eò quòd crimen probare nequeat, ideóq; fides ipſi non habebitur: tunc curare debet, ut ſe abſentet, & pro ea vice officium præſentandi alteri committat: quòd ſi non poſſit id declinare, ſine nota ſuſpicionis, vel infamatione ordinandi, tunc abſque mendacio poterit dicere verba illa præſcripta in Pontificali Romano, neque enim contra conſcientiam ſuam loquitur, quia illa dicit, ut perſona publica, ſive in perſona Eccleſiæ, quæ ignorat indignitatem ordinandi. Hoſtienſ. hîc. §. Sed quid ſi. Innocent. V. Nunciare, & Abb. in fine.

VIII. Quæritur 4. Quæ ſit pœna illorum, qui ſinè præmiſſo ſcrutinio, ſive examine, ſunt ordinati? Reſp. Si ignoti ſint, deponi debent, etſi aliàs digni ſint. c. ult. diſ. 24. vel ſi noti quidem ſint, ſed indigni. c. Si qui; 4. diſ. 8 1. & multò magìs deponendi ſunt, ſi ſint ignoti, & indigni. Quòd ſi verò noti ſint, & digni, non ſunt deponendi, etſi ſinè præcedente ſcrutinio, ſeu examine ordinati fuerint. c. Nullus; 2. & ibi Gl. V. Teſtimonio, cit. diſ. 24. Hoſtienſ. hîc in ſumm. n. 6. Sylv. V. Ordo; 2. n. 2. Ordinatus verò contra prohibitionem Epiſcopi ſub pœna excommunicationis factam, ne quis non approbatus, vel examinatus ad Ordinationem accedat, ſuſpenſionem incurrit à ſolo Papa relaxandam. c. 1. & 3. De eo qui furt. ord. &c. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 10. n. ult.

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNCIAVIT EPICOPATUI, VEL AB EXCOMMUNICATO.

DIctum eſt ſuprà tit. 11. quòd nemo ordinari poteſt, niſi à proprio Epiſcopo, vel ex eius mandato, ab alio, ſed quia is, qui renunciavit Epiſcopatui, deſiit eſſe proprius, & excommunicatus ſuſpenſus eſt ab Ordinis exercitio, durante excommunicatione, ideo de Ordinatis ab iiſdem hoc tit. agitur.

I. Præmittendum, quòd dupliciter poteſt fieri renunciatio Epiſcopatûs; vel renunciando loco tantùm, vel loco ſimul, & Ordini, id eſt, executioni Ordinis, ac dignitati Epiſcopali, uti ſumitur ex c. t. h. t. & tradunt ibi Canoniſtæ communiter. Renunciatio loci fit, quando renunciatur curæ, ſeu officio, & adminiſtrationi Epiſcopali. c. Ad ſupplicationem, 9. de renunciat: retentâ tamen dignitate Epiſcopali, quæ cohæret perſonæ, & habetur ex conſecratione: jus verò, ſeu poteſtas adminiſtrationis cohæret loco, cui quis præeſt, & habetur ex confirmatione. c. Poſt tranſmiſſam; 15. de Elect. Et hoc modo ordinariè ſolet fieri renunciatio Epiſcopatuum, & ſic renuncians poteſt, etiam poſt renunciationem, appellari adhuc Epiſcopus illius loci, cùm dignitatem, & ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, retineat, quo-

ad ha-

ad habitum, etſi non quoad exetcitinm, quia caret ſubditis, Hoſtienſ. in c. 1. V. De tarione. h. t. Abb. ibid. num. 2. Pariſ. l. 1. de reſign. benef. quæſt. 17. n. 5. 8. & 9.

Loci verò, & dignitatis ſimul fit renunciatio, quando renuncians, vi ipſius renunciationis, amittit dignitatem Epiſcopalem, & denominationem illius, quæ renunciatio regulariter fit ob crimen, Abb. cit loc. num. 8. Quare, qui sennnciavit loco tantùm, poteſt, Auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ad Eccleſiam eandem, vel aliam redire, per viam electionis, poſtulationis, vel collationis; non item, qui rennnciavit loco, & dignitati Epiſcopali, Pariſ. cit. quæſt. 17. num. 13. & 14. Nam cùm officium, ſeu adminiſtrario, & ipſa dignitas Epiſcopalis non ſint inſeparabiliter connexa, ſeu individua, ideo uni poteſt renunciari ſinè altero, ſi inchoetur à loco, Abb. cit. loc. num. 1. Quòd ſi quis ſimpliciter renunciavit Epiſcopatui, in dubio præſumitur, renunciâſſe loco tantùm, quia, qui renunciavit dignitati, præſumitur, ac videtur depoſitus propter crimen, ut colligitur ex c. Poſt translationem; 11. §. fin. De rennnciat. nemo autem in dubio debet præſumi criminoſus, c. unic. junct. Gloſſ. fin. ſuprà de ſcrutin. in ord. fac. Abb. cit. loc. num. 8. Excipi debet; niſi Epiſcopus Religionem ingrediatur, tunc enim præſumendum eſt, quòd utrique renunciare velit, loco, ſeu regimini, ac dignitati, niſi ſpecialiter à Papa obtineat facultatem exercendi Pontificalia. Laym. in cit. c. Poſt translationem. n. 1. de renunc.

II. Quæritur nunc 1. An Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, poſſit adhuc conſerre Ordines? Reſp. Epiſcopus, qui loco tantùm, ſeu officio, & adminiſtrationi Epiſcopali rennnciavit, poteſt validè, & licitè, cum licentia alterius Epiſcopi, Ordines tum minores, tum majores conferre: qui verò non tantùm loco, & regimini, ſed etiam Ordini, ſive executioni Ordinis, & dignitati Epiſcopali renunciavit, primam tonſuram, & Ordines minores conſerre poteſt, cum licentia Ordinarij, ſeu proprij Epiſcopi Ordinandorum: non item majores, adeò, ut, ſi quis à tali Epiſcopo Ordinem ſacrum ſuſcipiat, characterem quidem accipiat, non tamen Ordinis executionem, neque iu Ordine ſuſcepto miniſtrare poſſit, pront habetur in c. 1. h. t. Nam cùm Archi» epiſcopus Toletanus ex Alexandro III. quæſiviſſet, » utrùm Clerici, qui ab Antecessore ſuo, poſt» quam is Archiepiſcopatui renunciavit, ordinati » ſunt, poſſint iu ſuſceptis Ordinibns miniſtrare? » Reſpondet Papa, diſtinguendum eſſe, an renun» ciaverit loco tantùm, an verò loco, & dignitati? » Primo caſu, Ordines ſicut antea, conferre pote» rit, ſi ab aliquo Epiſcopo fuerit rogatus, ut ſubdi» tos ſuos ordinet. In ſecundo caſu, vel contulit ſa» cros Ordines, vel minores; ſi enim aliquis Ordines » tantùm minores, ſive uſq; ad Subdiaconatum (ex» cluſivè, Gl. hîc V. Uſque) à tali Epiſcopo acceperit, » & in illis deſervire poterit, & ad majores, ſi idoneus » fuerit, promoveri, quandoquidem ij Ordines à non » Epiſcopis (videlicet Abbatibus, Gl. hîc V. non Epi» ſcopis) conferuntur. Quòd ſi quis à tali Epiſcopo » ſacros Ordines, & quidem ſcienter acceperit, executione Ordinum privatus eſſe debet, quia indi» gnum ſe fecit.

III. Ratio prioris partis, cur Epiſcopus, qui renunciavit loco tantùm, minores, & majores Ordines conferre poſſit, ſicut antea, eſt, quia tunc retinet dignitatem, & ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ita, ut adhuc poſſit actus Pontificales exercere; requiritur tamen licentia alterius Epiſcopi Ordinarij, quia, cùm talis Epiſcopus, qui renunciavit loco tantùm, nullam diœceſin, nullóſque ſubditos proprios ampliùs habeat, non poteſt ordinare alienos, ne quidem in minoribus, ſinè conſenſu Epiſcopi illius, cuius ſunt ſubditi, Abb. in cit. c. Ad ſupplicationem. 9. n. 10. de rennnc. Piaſec. cit. q. 17. n. 15. & ſeqq. Et hinc ordinati ab Epiſcopo, qui regimini rantùm renunciavit, non dignitati, abſque Epiſcopi Ordinarij licentia, ſunt privati Ordinis ſuſcepti executione, non quia ordinati ſunt ab Epiſcopo, qui renunciavit, ſed quia ab alieno Ordines acceperunt, ſinè proprij Epiſcopi licentia. Suar. diſ. 31. de cenſur. ſect. 1. num. 3.

Ratio poſterioris partis, cur is, qui renunciavit etiam dignitati Epiſcopali, poſſit quidem conferre Ordines minores, ſed uou majores, eſt, quia Ordines minores etiam non Epiſcopi conferre poſſunt, veluti Abbates, ideóque talis Epiſcopus non cenſetur renunciâſſe ijs actibus Epiſcopalibus, qui etiam à non Epiſcopis exerceri ſolent, præſertim cùm renunciatio ſtrictæ interpretationis ſit, ideóque reſtringi debeat. At verò collatio Ordinum majorum eſt actus ita proprius Epiſcopalis dignitatis, ut ab inferioribus Sacerdotibus exerceri nou ſoleat, ideóq; neque poteſt ab illo Epiſcopo, qui Epiſcopali Ordini, ac dignitati renunciavit. Et hinc cùm nemo poſſit alicui dare, quod ipſe in potentia non habet: Epiſcopus autem talis poteſtatem Ordines legitimè conferendi non habeat, per conſequens etiam non poteſt ijs, quos ordinat, dare uſum, ſeu executionem Ordinum ſic ſuſceptorum, quamvìs ab eo ordinati characterem recipiant, quia potentia ordinandi, quæ ex conſecratione, & indelebili charactere Epiſcopali habetur, per renunciationem Epiſcopalis dignitatis non perditur. Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t.

IV. Quæritur 2. Quis diſpenſare poſſit cum Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui? Reſp. cum eo, qui ſcienter, vel per culpam mortalem Ordinem ſacrum accepit ab Epiſcopo, qui tam loco, quàm Epiſcopali dignitati renunciavit, diſpenſare poteſt ſolus S. Pontifex, ut colligitur ex cit. c. 1. h. t. modò tamen delictum ſit notorium, ſecundùm novū jus Concilij Trident. ſeſſ. 24. c. 6. de reform. Siu autem aliquis Ordines minores, etiā ſcienter, vel Ordinem aliquem ſacrum per ignorantiam probabilem, ſeu inculpatam, ſaltem non craſſam, ſeu mortalem, à tali Epiſcopo accepit, poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus, quoad uſum, & legitimam executionē Ordinis, ut conſtat ex cit. c. 1. in fine: ubi dicitur: Si quis ſa» cros Ordines à tali Epiſcopo ſcienter acceperit, exe» cutionem officij, ſive Ordinum non habebit: ſin au» tem non ſcienter, proprius Epiſcopus cum eo di» ſpenſare poterit, niſi craſſa, & ſupina negligētia fue» rit, Gl. ibid. V. ignorātia. Ex quo patet, hanc inhabilitatem, ad Ordinum ſic ſuſceptorum executionem, non eſſe propriè dictam cenſuram ſuſpenſionis, cùm incurri poſſit etiam ſinè culpa, & cùm ignorantia invinci-

Google

vincibili; ſed potiùs eſſe irregularitatem quandam, quæ proinde non per abſolutionem, ſed per diſpenſationem tolli debet. Laym. in cit. c. 1. n. 3. Quòd ſi quis ordinatus ſit etiam ad ſacros Ordines ab Epiſcopo, qui loco tantùm, & regimini renunciavit, abſque licentia Epiſcopi proprij, hoc caſu abſolutè diſpenſandi facultas Epiſcopo ordinario competit, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 8. in fine de reform. ſive ſcienter, ſive ignoranter ita ordinatus ſit.

V. Quæritur 3. Quis poſſit diſpenſare cum ordinatis ab Epiſcopo excommunicato? Reſp. Cum Clericis, qui ab excomunicato Epiſcopo ignoranter Ordines receperunt, proprij Epiſcopi diſpenſare poſſunt, prout habetur in c. 2. h. t. nempe ut in Ordinibus ſic ſuſceptis miniſtrare, vel ad altiores Ordines promoveri poſſint, modò probabilis eorum ſit ignorantia. Hoſtienſ. in cit. c. 2. in fine. Si verò quis ſcienter, vel per ignorantiam craſſam, ab Epiſcopo excommunicato Ordinem accepit, cum eo Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ſed ſolus Papa, ut per contrarium ſenſum colligitur ex cit. c. 2. h. t. & ex c. Ordinationes; 5. cauſ. 9. q. 1. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 48. n. 7. Ratio autem, cur ordinati ab Epiſcopo excommunicato diſpenſatione indigeant, eſt, quia, cùm talis Epiſcopus non habeat legitimam poteſtatem conferendi Ordines, non poteſt à ſe ordinatis legitimam executionem, ſive exercitium Ordinum ſic ſuſceptorum dare, quia, quod quis non habet, alteri dare non poteſt, & pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui de jure dare non poteſt. c. Quod autem; 5. de jure patron. Gl. in cit. c. 2. V. Excommunicato. Requiritur autem, ut Epiſcopus ordinans ſit denunciatus, ac nominatim excommunicatus poſt Extravag. Ad evitanda Concilij Conſtantienſis; aut notorius Clerici percuſſor, ut ordinatis ab ipſo legitimum exercitium Ordinum non conferatur. Quod autem dictum eſt de Epiſcopo excommunicato ordinante, idem locum habet in Epiſcopo nominatim ſuſpenſo, interdicto, hæretico, ſchiſmatico, depoſito ab Ordine, ob paritatem rationis. Suar. cit. d. 31. ſect. 1. n. 64. Barb. c. l. n. 9.

Porrò Epiſcopus excommunicatus non poteſt diſpenſare cum ijs, quibus in excommunicatione Ordines contulit, ut in ijs miniſtrent, ſaltem antequam abſolutus fuit, & pœnituit, etſi poſſit poſt abſolutionem, & actam pœnitentiam. Abb. in cit. c. 2. n. 4. quāvis contrarium, quòd etiam, poſtquam abſolutus fuit ab excommunicatione, non poſſit diſpenſare, teneat Honorius ab Axel in ſumm. n. 5. h. t, ne videatur diſpenſare ſuper proprio defectu: Succeſſor tamen ordinantis delinquentis diſpenſare poterit. Abb. c. l. Ordinatus verò, etſi ignoranter ab Epiſcopo excommunicato, poſtquam in notitiam venit Epiſcopi ordinantis, abſtinere debet ab uſu Ordinum, donec diſpenſationem obtineat. Barb. cit. l. n. 10.

VI. Cæterùm, etſi quis gravi, & injuſto metu coactus Ordines ſuſcepit ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopali dignitati, vel ab excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto, eôque denunciato, nihilominùs prædictam ſuſpenſionem, vel irregularitatem, ſeu inhabilitatem ad uſum, ſeu exercitium Ordinum ſuſceptorum incurrit, ut docet Suar. cit. loc. num. 63. Barb. c. l. n. 10. contra Navarr. in Man. c. 27. num. 241. Ratio eſt, quia hæc ſuſpenſio, vel potiùs inhabilitas ad exercitium Ordinis non contrahitur ob culpam Ordinati, à qua metus gravis interdum excuſat, ſi non ob Religionis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ contemptum incutiatur: nam Ordinatus illam incurrit etiam ignorans, & abſque culpa: ſed contrahitur in odium Ordinantis, & ob defectum poteſtatis in illo, cujus eò major culpa eſt, ſi ipſemet per vim injuſtam cogat aliquos ad Ordines ſuſcipiendos.

TITULUS XIV.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

QUia Clerici eo fine ordinantur, ut ad Prælaturas, aliáque beneficia, ac Miniſteria Eccleſiaſtica promoveantur, ideo hîc de eorum ætate, & aliis qualitatibus agitur. Senſus igitur Tituli eſt, quâ ætate, ſcientiâ, ac moribus, & quo Ordine Clerici prædiți eſſe debeant, qui Prælaturis, dignitatibus, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis præficiuntur. Habetur hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§ I.

De qualitatibus requiſitis in promovendis ad beneficia, præſertim curata, in genere.

I. Aſſertio 1. In genere loquendo, in omnibus promovendis ad beneficia Eccleſiaſtica requiruntur iſtæ qualitates, ſcientia conveniens officio, propter quod datur beneficium, morum honeſtas, & legitima ætas, potiſſimùm verò ad beneficia curata, prout conſtat ex c. Eam te; 4. h. t. ubi Papa Alexander III. prohibet, ne aliquis in Eccleſiis curam animarum habentibus, inſtituatur, etiamſi exhibeat litteras à Sede Apoſtolica impetratas (per tacitam veritatem neceſſariò exprimendam. Hoſtienſ. hîc. V. Litterarum) niſi ſcientiâ, bonis moribus, & ætate in Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. requiſitis (relato in c. Cùm in cunctis;

» cunctis; 7. de Elect.) ſit prædituſ. Præterea man-
» dat, ut, qui curam habent plurium Eccleſiarum,
» quarum una ex alia non pendet (v.g. duas paro-
» chias, quarum una non eſt unita, vel ſubjecta al-
» teri) ij, remotâ appellatione, cogantur ad unam
» earum, quam maluerint, dimittendam; niſi ita te-
» nues reditus habeant, ut proprios Sacerdotes con-
» venienter alere non poſſint.

Hinc colligitur 1. Epiſcopum, in nulla occaſione
debere præficere Eccleſiæ, cui cura animarum eſt an-
nexa, non idoneum, ſive non præditum litterarum
ſcientiâ, morum probitate, & legitimâ ætate, vel e-
tiam non habentem Ordinem requiſitum, ut hîc
ſupplendum eſſe, ait Hoſtienſ. V. Et ætate. Et requi-
runtur omnes hæ qualitates copulativè in præficien-
do beneficio curato. Fagnan. hîc n. 15.

Colligitur 2. Etſi perſona inhabilis litteras Apo-
ſtolicas afferat ad conferendum ei beneficium, inſti-
tui non debet, niſi Papa reſcribat pro inhabili ex cer-
ta ſcientia, tunc enim cenſetur tacitè in illa inhabili-
tate cum eo diſpenſare. Aliud eſt, ſi beneficium ſit
ſubreptitiè impetratum, tacitâ inhabilitate, ut in ca-
ſu huius c. Abb. hîc n. 7. quia, ſi Papa mandet alicui
conferri beneficium, ſemper tamen intelligitur ea
conditio, ſi idoneus ſit, etſi in litteris non exprima-
tur, juxta c. Cùm adeò; 17. de reſcript.

Colligitur 3. Qui habet duas Eccleſias, vel be-
neficia curata, debet unam ex illis dimittere, quam
voluerit, niſi reditus earum ſint tenues, vel una ex
altera pendeat, ut quia v. g. una alteri unita, vel ſub-
jecta eſt, ut conſtat ex h. c. quamvìs jure novo id
mutatum ſit, nam habens beneficium curatum, ſi
alterum obtineat ſimile, priùs habitum ipſo jure
vacat, & amittitur, juxta c. De multa; 28. de præb.
& Extravag. Execrabilis; Jo. 22. eod. de quo ſuo loco
infra l. 3. tit. 5.

II. Aſſertio 2. Qui dignus, ſeu idoneus cenſetur
ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, is dignus etiam, &
idoneus judicandus eſt ad beneficium Eccleſiaſti-
cum obtinendum, prout ſumitur ex c. Accepimus;
» 13. h. t. Nam cùm Epiſcopus Bracarenſis, eiúſque
» Anteceſſor quoſdam Clericos ad ſacros Ordines, ſi-
» nè certo titulo ſuſtentationis, promoviſſet; Clerici
» iſti contra dictum Epiſcopum impetrârunt à Papa
» litteras ad executores quoſdam, ut illis de beneficio
» provideretur: ſed Epiſcopus contra litteras, ſeu mã-
» data Apoſtolica excepit, quòd ad beneficia idonei
» non eſſent. Re intellectâ, reſpondit Innocent. III.
» Quamvis Epiſcopus talem exceptionem cõtra Or-
» dinatos à ſe opponere non poſſit, cùm ipſe, & ante-
» ceſſores eius Clericos ante ordinationẽ examinare
» debuerint, & cavere, ne indignos, aut minùs idone-
» os ordinarent: niſi fortè, poſt promotionem ad Or-
» dines, indigni fuerint redditi: nihilominus tamen
» Papa, cùm pro talib⁹ ſcribit, ut beneficia conſequã-
» tur, in litteris ſuis apponere ſolet hanc conditionẽ,
» ſi ordinatus, pro quo ſcribit, idoneus cenſeatur, nec
» indignus Eccleſiaſtico beneficio. Quare ſi ſtricto ju-
» re agendum foret, poſſet Papa ſine examinatione a-
» liqua, Epiſcopum cõpellere, ut eis de beneficio pro-
» videat, quos ipſe, vel Anteceſſores illius ad Ordines
» promoverunt, præſertim cùm illos ad beneficiũ ob-
» tinendũ idoneos reputare debeat, quos ad Ordines
recepit. Unde pro gratia habere debet, quòd à ſe, vel »
anteceſſore ſuo ſinè titulo ordinatos, Papa per alios »
ſuos delegatos, & executores examinari curet, pri- »
uſquam ad providendum illis de beneficio Epiſco- »
pum cõpellat. Mandat igitur Pontifex, ut, ſi Epiſco- »
pus mandata Apoſtolica in forma cõmuni de tali- »
bus accepit, ipſis de beneficiis in Cathedrali, vel alia »
Diœceſis Bracarenſis Eccleſia providere non cun- »
ctetur, ita tamen, ut, ſi exceptiones aliquas contra »
dictos Clericos opponere velit, eæ ſint audiendæ. »

III. Notandum 1. Epiſcopus, qui aliquem ordi-
navit, non poteſt poſtea ei irregularitatẽ, vel crimen,
aut alium defectum objicere, niſi poſt ordinationem
nova cauſa ſupervenerit, ob quam reddatur indign⁹,
ut patet ex hoc c. & tradit ibid. Gl. V. Exceptionem, &
Hoſtienſ. V. eod. Innoc. n. 1. Abb. n. 1. not. 3. Idque ex-
tenditur, etiamſi crimen, vel alia inhabilitas, primùm
poſt ordinationem, ad notitiam Ordinantis pervene-
rit, nihilominus non poterit de crimine, vel alio im-
pedimento contra Ordinatũ excipere, dummodo ta-
men etiam antea per diligentem examinationem id
ſciri potuerit, Innoc. hîc n. 1. & Hoſtienſ. V. Contra
illos. Id verò procedit ſolùm de rigore juris, ſive ſpe-
ctato mero jure: ſed ex æquitate exceptio criminis, ſi-
ve præcedentis, ſive conſequẽtis ordinationem, ſem-
per admittenda eſt, cùm beneficia indignis conferri
non debeant, c. Cùm adeò; 17. de reſcript. quamvis
Ordinator, ſi in culpa ſit, puniendus ſit, Innocent. hic
n. 1. & Hoſtienſ. Abb. n. 1. not. 3.

IV. Notandum 2. Si Clericus ſit admiſſus, & ido-
neus judicatus ad ſacros Ordines, cenſetur etiã ido-
neus ad beneficium Eccleſiaſticum, ac proinde nõ eſt
iterum pro beneficio obtinendo examinãdus, ut ha-
betur in hoc c. & notat ibid. Innoc. n. 1. & Hoſtienſ.
V. Contra illos, quia Ordo ſacer, & titulus beneficij
ſunt connexa, c. 1. diſ. 70. ita, ut, qui unũ dedit, etiam
alterum dare teneatur. c. Cùm ſecundùm; 16. de præb.

Id autem limitatur 1. Quòd promotus ad ſacros
Ordines non ſit denuo examinandus pro obtinendo
beneficio, niſi eius crimẽ, vel alius defectus, qui tem-
pore ordinationis occultus erat, poſtea manifeſtatus
fuerit, arg. c. Paſtoralis; 4. de except. Laym in h. c. n. 2.

2. Examinatus ad unum beneficium, ſive ſimplex,
ſive curatum, non ampliùs examinatur, ſi promovea-
tur ad ſimilem dignitatem, vel beneficiũ, niſi illud ſi-
mile beneficiũ ſit in Eccleſia, vel loco ampliore, nobi-
liore, & celebriore, quia pro qualitate loci major, vel
minor ſcientia eſt neceſſaria. Azor p. 2. l. 6. c. 6. q. 9.

3. Niſi qualitas beneficij conferendi majorem i-
doneitatem, ſive habilitatem, adeóque etiam novum
examen requirat, ut, ſi ſit beneficium curatum, vel
dignitas. arg. c. Scriptum; 40. de elect. c. Cùm ſecun-
dùm; 16. Verſ. Inde eſt de præb. Azor c. l.

4. Limitatur, ut ſolùm procedat in eodem exami-
nante, & approbante, is enim ſemel approbatum am-
pliùs examinare, & approbare non poteſt, niſi ex
nova ſuperveniente cauſa, vel, ſi Clericus ordinatus
poſtea reddatur indignus, ut ſuprà dictum. Se-
cus eſt, ſi Epiſcopus ordinans non per ſe examina-
vit, ſed per alium, v. g. Archidiaconum, ſinè Epi-
ſcopi mandato, Gl. hîc V. examinari. Item Succeſſor
Epiſcopi examinatum, & approbatum ab Anteceſ-
ſore ad Ordines, poteſt iterum examinare ad ob-
tinen-

tinendum beneficium; licèt non poſſit, prætextu inſufficientiæ, denegare alimenta promoto ad ſacros Ordines ab Anteceſſore, ſinè ſufficiente titulo, ut ex Felino, & Butrio docet Fagnan. hîc n. 16. & n. 14.

5. Limitatur, quòd multò magìs Superior Epiſcopi, videlicet Papa per ſe, vel per ſuos delegatos, iterum examinare poteſt Clericos, ſi mandet, qualecunque beneficium ipſis conferri, nt patet ex hoc c. Quin imò ipſemet etiam Epiſcopus, etſi ipſe, vel eius Anteceſſor in culpa fuerit, ordinando indignos, tamen ex officio, propter publicam utilitatem Eccleſiæ, tenetur, ſi ita neceſſarium eſſe videatur, promovendos ad beneficia iterum examini ſubjicere. Hoſtienſ. in ſumm. h. t. in princ.

Limitatur 6. Etſi is, qui ſacris Ordinibus eſt initiatus, non ſit iterum examinandus pro obtinendo beneficio, poteſt tamen de novo examinari is, qui jam beneficium obtinet, ſi velit ſuſcipere ſacros Ordines eidem beneficio annexos, ex declaratione S. Congreg. Concil. apud Fagnan. hîc n. 17.

Denique limitatur, qnòd is, qui fuit ordinatus, vel obtinuit beneficium in una Diœceſi, ſi poſtea conferatur ei beneficium in alia diœceſi, iterum examini ſubjici poteſt. Fagnan. c. l. ubi rationem dat, quia fortè in diœceſi, in qua confertur ei aliud beneficium, ſunt alij mores, quibus ſe promovendus conformare debet.

V. Notandum 3. Si Papa mandet alicui provideri de beneficio in forma communi, ſive per litteras juſtitiæ, nempe, quia ſcribit Epiſcopo, ut provideat alicui initiato ſacris Ordinibus, ſinè titulo, de competente beneficio: tunc provideri ei debet de beneficio in quacunque Eccleſia, tam Civitatis, etiam in Cathedrali, quàm Diœceſis, ut patet ex cit. c. Accepimus. & ibi Gl. V. in minori Eccleſia, & ex c. Cùm ſecundùm; 16. & c. Pro illorum; 22. de præbend. Si verò mandetur alicui provideri de beneficio per litteras gratiæ, ſive in forma gratioſa, in aliqua Eccleſia civitatis, non poteſt provideri de beneficio in Eccleſia diœceſis, nec vice verſâ, ſi mandetur, provideri in Eccleſia diœceſis, poteſt provideri in Eccleſia civitatis, quia nomine Eccleſiæ diœceſis non comprehenduntur Eccleſiæ civitatis, nec è contra, c. Rodulphus; 35. de reſcript. Et de hoc caſu loquitur, & intelligi debet Gl. in cit. c. Accepimus. V. In majori. Ratio diverſitatis eſt, quia reſcriptum datum in forma juſtitiæ tendit ad executionem obligationis ortæ ex ordinatione Epiſcopi, quæ principaliter reſpicit Eccleſiam Cathedralem, & incumbit Epiſcopo ordinanti, & ideo regulatur ſecundùm naturam præcedentis obligationis: quæ ratio ceſſat in litteris gratiæ datis ad obtinenda beneficia, quæ cùm ſint ambitioſæ, reſtringendæ ſunt. Neque etiam, vi talis reſcripti gratiæ, executor conferre poteſt impetranti Prælaturam, ad quam intentio maudantis non extenditur. c. ult. de præb. Gl. in cit. c. Accepimus. V. In majori. Fagn. ibid. n. 28. & 29.

VI. Cæterùm hoc loco addendum eſt, quod habetur in Clem. cùm Eccleſiæ 1. h. t. Nam quia Eccleſiæ, quibus præficiuntur perſonæ minùs idoneæ ſcientiâ, moribus, vel ætate, gravia nonnunquam patiuntur in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta: ideo Clemens V. in Concilio Viennenſi mandat Diœceſanis, quibus ratione officij hoc incumbit, ut ipſi ſtatuta Canonica, quæ ſuper perſonis præficiendis Eccleſiis emanârunt, & per ſe ipſos obſervent, & à ſuis ſubditis (ſcilicet Prælatis, qui jus conferendi beneficia habent, ut conferant ea non niſi perſonis idoneis) faciant inviolabiliter ea obſervari, aliquin divinam offenſam, & Sedis Apoſtolicæ ultionem incurrent. Notat autem Gl. hîc V. ratione officij, Papam in hac decretali Epiſcopos diœceſanos non conſtitnere Delegatos ſuos, ſed excitare ordinarium eorum officium, ut & ipſi non conferant beneficia, niſi perſonis idoneis, & patronos compellant, nt non niſi idoneos ad beneficia præſentent, Gl. hîc in notat.

§. II.

Quæ ætas requiratur in præficiendis, ſeu promovendis ad beneficia Eccleſiaſtica, & quis in illa diſpenſare poſſit?

VII. Præmittendum 1. Spectato Jnre naturali, ea ætas ad beneficium requiritur, quæ eſt neceſſaria ad exequendum officium, propter quod illud datur, nam recta ratio dictat, indecorum eſſe, ut hi debeant Eccleſias regere, qni non noverunt gubernare ſe ipſos: cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morũ fulgeant honeſtate, ut dicitur in c. 3. in princ. h. t. Jnre verò Eccleſiaſtico facta eſt eiuſdem ætatis determinatio in ſingulis beneficiis.

Præmittendum 2. Ad beneficia Jure Canonico interdum certa ætas requiritur per ſe, ac directè, v. g. ad beneficium curatum XXIV. anni completi, aliqnando ſolùm per accidens, & conſecutivè, v. g. ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis. Porrò, quæ ætas requiratur in promovendis ad Epiſcopatum, & Prælaturas eo inferiores: item ad Eccleſias Parochiales, & alia beneficia curata, dictum eſt ſuprà Tit. 6. n. 67. & n. 77. & 78. reſtat igitnr, ut de ætate requiſita ad Cardinalatum, dignitates non curatas, Canonicatus, & beneficia ſimplicia hoc loco agamus.

VIII. Aſſertio 1. Ad Cardinalatum requiritur eadem ætas, quæ in Epiſcopis, videlicet ætas XXX. annorum completorum, ut colligitur ex Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 1. de reform. ubi decernit, ea omnia, & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrinâ, & cæteris qualitatibus aliàs in eâdem Synodo conſtituta ſunt, etiam in creatione S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium, etiamſi Diaconi ſint, exigenda eſſe. Nonnulli tamen aſſerunt, in ſolo Cardinalatu Epiſcopali requiri ætatem XXX. annorum; ad Diaconalem verò hodie ex Conſtitutione Sixti V. XXIII. annum inceptum; ad Presbyteratum XXV. ſufficere, ut refert Azor p. 2. Inſtit. moral. lib. 6. c. 5. q. 14. Garc. p. 7. de benefic. c. 4. n. 79. Pro ſummo Pontificatu verò nulla certa ætas Jure ſcripto eſt præfixa: at Jus naturæ prohibet eligi in univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, qui ætate, & judicio maturo non ſit, Azor. c. l. q. 15.

IX. Aſſertio 2. Ad dignitates, & perſonatus, quibus nulla cura animarum ſubeſt, non ſatìs liqnet, quæ ætas requiratur Jnre communi Canonico: nam ſufficere ætatem XIV. annorum, videtur colligi ex c.

» Inde cor am. 3. h.t. ubi Papa Alexander III. mandat, ut nemini infra annum xrv. conſtituto dignitates, ſeu perſonatus cuiuslibet Eccleſiæ committantur: alioquin, quod ſecus factum fuerit, irritabitur (id eſt, irritum declarabitur. Hoſtienſ. hic V. Irritabimus. ex Joan. Andr. n. 5.) & Epiſcopus conferens (minori 14. annis) propter inobedientiam graviter puniatur. Ex quo inferri poſſe videtur, quòd poſt annum xrv. poſſint alicui committi dignitates, ſeu perſonatus non curati, de quibus in hoc c. potiſſimùm eſt ſermo, quia, quod de uno prohibetur, de alio conceditur, Gl. fin. hic. Verùm Hoſtienſ. hic, V. Annum 14. ait, ſubintelligi debere *maximè*, quòd præſertim minori 14. annis non poſſint committi dignitates, ſeu perſonatus Eccleſiarum, quia ſeipſum adhuc gubernare non novit. Quare Gl. fin. hic, & Abb. in c. Præterea; 5. num. 5. h.t. exiſtimant, requiri eandem ætatem, quæ in dignitatibus curatis, nimirum xxv. annorum inchoatorum: nam in c. unic. h. t. in 6. permittitur Epiſcopis facultas diſpenſandi cum promovendis ad dignitates non curatas anno xx. ergo Jure communi ad huiuſmodi dignitates, ſeu perſonatus requiſita fuit ſaltem ætas major xx. annis, alioquin nihil conceſſum fuiſſet Epiſcopis, & conſequenter eadem ætas, quæ in curatis, nempe 25. annorum, cùm de alia ætate majore 20. annis in Jure communi non fiat mentio. Idem colligitur ex c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. de elect. ubi verba illa: *quæ curam animarum habent annexam*, referenda ſunt ad verbum *alia* immediatè præcedens; non autem ad verbum *miniſteria*; ita, ut ſenſus ſit; inferiora miniſteria, ſeu dignitates, etiam non curatas, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, niſi 25. annum attigerit, ut plures tradunt apud Fagnan. in cit. c. Cùm in cunctis, in princ. num. 35. idem docet Hoſtienſ. ibid. V. Curam animarum, & Joan. Andr. n. 22. ubi ait, ſupplendum eſſe, *quandoque*, quaſi neceſſarium non ſit, ut habeant curam animarum annexam.

Sed quidquid ſit de Jure antiquo Decretalium, jure novo Concilij Trident. Seſſ. 24. c. 12. de reformat. ad dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, requiruntur, & ſufficiunt anni xxII. & quidem completi, juxta declarationem Cardinal. ibid. & docet Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 34. num. 108. ubi ait, id colligi ex illo modo loquendi Concilij: *ut non ſit minor 22. annis*: qui autem nondum complevit, eſt eis minor ætate, Garc. cit. c. 4. n. 64. quamvis Azor c. l. q. 3. in fine, Zerola in prax. p. 1. V. Beneficia. §. Ad dignitates; putent, ſufficere annum xxII. inchoatum, quorum opinio à Rota Rom. recepta eſt, teſte Barboſ. de offic. Epiſcop. alleg. 60. num. 66.

X. An autem prædicti xxII. anni, qui requiruntur ad dignitates Eccleſiarum Cathedralium, requirantur etiam ad dignitates, vel perſonatus in Eccleſiis Collegiatis, dubitatur? Affirmat Garc. c. l. n. 58. & ſeq. atque, ita cenſuiſſe S. Congreg. Cardinal. quia Concilium generaliter, & abſolutè loquitur de dignitatibus, & perſonatibus, ſecus, ac de Canonicatibus. Contrarium tamen, nempe; Collegiatas Eccleſias nō comprehendi ſub Decreto Concilij in cit. c. 12. cenſet Zerol. c. l. Rodriq. qq. Regul. tom. 1. quæſt. 11. art. 2. Barboſ. c. l. n. 67. ob aliam contrariam declarationem Cardinalium, quæ tamen ſolùm loquitur de Canonicatibus Eccleſiæ Collegiatæ, ut teſtatur Garc. c. l. n. 63. Alioquin dignitates Eccleſiæ Collegiatæ relinquendæ eſſent ſub diſpoſitione Juris communis, adeóque ad illas requireretur ætas 25. annorum, & conſequenter major ad dignitates non curatas Eccleſiæ Collegiatæ, quàm Eccleſiæ Cathedralis, quod eſt abſurdum. Excipi tamen debet dignitas principalis in Eccleſia Collegiata, ad quam requiritur ætas 25. annorum inceptorum, quia regulariter habet curam animarum in foro interno, vel externo, Garc. c. l. num. 65.

XI. Aſſertio 3. In Vicariis perpetuis Eccleſiarum Parochialium requiritur eadem ætas, quæ in Parochis, nempe xxv. anni inchoati, Clement. unic. de offic. Vicar. Præterea is, cui Parochialis Eccleſia in commendam datur, neceſſe eſt, ut 25. annum attigerit, c. Nemo; 15. de elect. in 6. Item totidem anni requiruntur in Adjutore, ſeu Adminiſtratore Eccleſiæ Parochialis, quia Parochi vices ſupplet, eiúſque officium exercet, ut patet ex citt. juribus. Azor cit. c. 5. quæſt. 4. §. Si quæres. Pœnitentiarius verò, qui in Eccleſiis Cathedralibus inſtituendus eſt, debet eſſe annorum 40. ſi quidem talis aliquis aptus reperiatur, ſaltem in Civitate, vel Diœceſi, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 8. de reform. & huiuſmodi 40. anni debent eſſe completi, ut reſolvit Garc. cit. c. 4. n. 35. quia in plurali dicitur 40. annorum, Gl. in Clem. ult. V. 18. h. t. quamvìs Azor c. l. q. 6. in fine dicat, requiri annum 40. inchoatum.

XII. Aſſertio 4. Olim controverſia fuit, circa ætatem jure communi requiſitam ad Canonicatum, præſertim Eccleſiæ Cathedralis, qui de Jure communi non habet annexum Ordinem ſacrum, ſed tantùm primam tonſuram, prout videre eſt apud Azor cit. c. 5. quæſt. 5. Garc. cit. c. 4. num. 15. & ſeqq. an ſufficeret ætas major infantiâ, ſive 7. annorum completorum, ſicut ad alia beneficia ſimplicia, prout vult Gl. in c. Ex eo; 32. V. In tua Eccleſia de elect. in 6. & c. Si eo; 9. V. Ætatem; de reſcript. in 6. per cit. c. Ex eo; ubi habetur, quendam in pupillari ætate, adeóque minorem 14. annis factum fuiſſe Canonicum. An verò requiratur ætas 14. annorum inchoatorum, ut docet Abb. in c. Super; 35. num. 4. de præbend. per illum textum, ubi dicitur, quòd pueri non ſunt idonei ad beneficia conſequenda: & quamvìs Gloſſ. ibid. V. Pueri; appellatione pueri putet intelligendos, qui 7. annos nondum impleverunt: verius tamen eſt, quod docet Abb. cit. loc. puerorum appellatione venire eos, qui poſt ſeptennium elapſum minores ſunt 14. annis, nam ante ſeptennium infantes vocantur, poſt ſeptennium verò exactum uſque ad 14. annum pueri propriè dicuntur, deinceps verò incipit adoleſcentia, ut tradit Gloſſ. in Procœmio Sexti. V. Perfectus, Azor cit. c. 5. q. 6.

Verùm, quidquid ſit de Jure communi antiquo, hodierno jure Concilij Tridentini Seſſ. 24. c. 12. de reformat. ad Canonicatus, & præbendas, vel portiones Eccleſiarum Cathedralium requiritur ætas, quam Canonicatus, ſeu præbenda, vel portio ipſa requirit, ratione Ordinis, quem annexum habet; vel ſaltem talis ætas, ut intra tempus à jure definitum, videlicet intra annum, ad Ordinem illum requiſitum

ad Ca-

ad Canonicatum, vel præbendam præficiendus promoveri poſſit. Quare ſi beneficium ſit Canonicatus, vel præbenda Sacerdoralis, quæ requirat Ordinem Sacerdotij, debet promovendus ſaltem inchoâſſe annum 24. quia debet eſſe habilis, ut intra annum fieri poſſit Sacerdos, Sacerdos autem fieri non poteſt ante annum 25. inchoatum. Quòd ſi ſit Canonicatus, vel præbenda Diaconalis, cui annexus eſt Diaconatus, requiritur ſaltem annus 22. inchoatus, ut in principio anni ſequentis poſſit fieri Diaconus. Si ſit Subdiaconalis, cui annexus eſt Subdiaconatus, requiritur ſaltem annus 21. inchoatus, ut colligitur ex cit. Seſſ. 24. c. 12. Leſſ. cit. c. 34. n. 110. Azor cit. c. 5. q. 5. Quòd ſi nulla Ordinum diſtributio, ſeu deſignatio per Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis facta ſit, ut ſcilicet Canonici alij ſint Presbyteri, alij Diaconi, alij Subdiaconi, tunc promovendus ad Canonicatum debet eſſe ſaltem in eâ ætate, ut poſſit intra annum fieri Subdiaconus, quia omnes Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium habent annexum Subdiaconatum ex decreto Concilij Trident. c. l. Leſſ. c. l. & Azor cit. q. 5. in fine. Ubi tamen attendendum eſt, an jus, ſive decretum illud novum de annexione Subdiaconatûs Canonicatui receptum ſit in Eccleſia aliqua, ſi enim non ſit, non obligabit, ut notat Leſſ. c. l. Certè in pleriſque Eccleſijs Cathedralibus Germaniæ non requiritur Subdiaconatus ad Canonicatum, ſed ſolùm, ſi Canonicus velit ingredi Capitulum, & in eo vocem activam habere.

Porrò ad Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, etiam Inſignium, requiritur, & ſufficit annus 14. inchoatus, ſicut ad alia beneficia, ut colligitur ex cit. c. Super inordinata de præbend. quia ſufficit prima tonſura, & circa ætatem promovendorum ad hos Canonicatus nihil innovavit, nec diſpoſuit in particulari Concil. Trident. juxta declarationem Cardinal. ſuper cit. c. 12. apud Garc. c. l. n. 37. & 38. Azor cit. loc. q. 6. Barb. cit. alleg. 60. n. 71. Idémque eſt in dimidijs portionibus Eccleſiæ Cathedralis. Garc. c. l. n. 40.

XIII. Aſſertio 5. Ad alia beneficia ſimplicia, & inferiora licèt jure antiquo ſuffecerit ætas 7. annorum completorum, juxta Gloſſ. in c. Si eo tempore; 9. V. Ætatem de reſcript. in 6. ita, ut major ſeptennio, & minor 14. annis jure communi poſſit obtinere beneficium ſimplex, ſaltem ſi beneficiarius non ſit rector illius beneficij, ut limitat Abb. in cit. c. Super; n. 12. quia ſeptenni poteſt conferri prima tonſura, c. ult. de tempor. Ordin. in 6. & ibi Gloſſ. V. Infanti; adeóque & beneficium, nemo enim olim Clericali Ordine initiabatur ſinè beneficio, c. 1. & 2. diſ. 70. hodie tamen nullus ante annum 14. beneficium poteſt obtinere ex decreto Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 6. de reform. quia ante illam ætatem non poteſt quis prudenter, & maturè ſeipſum regere, ſicut neque ante hanc ætatem teſtari quis poteſt, l. ult. C. de teſtam. milit. neque per ſe, vel per procuratorem agere, vel defendere cauſam ſpiritualem, c. ult. de judic. in 6. neque ad honores, & ad officia publica admitti, l. 2. §. Impuberes; ff. de jure immunit. Sufficit autem annus 14. inchoatus ad beneficium ſimplex obtinendum, juxta declarat. Cardin. apud Garc. c. l. num. 11. Leſſ. c. l. num. 109. Azor quæſt. 7. Barb. num. 76. licèt nonnulli; 14. annum completum requirant. Excipe, niſi in fundatione ſit ſtatutum, ut beneficium etiam minori 14. annis conferri poſſit; tum enim fundationi ſtandum eſt, cui Concilium non derogavit per dictum decretum, juxta declarat. S. Congregat. Cardin. ibidem apud Joan. Gallemart. num. 1. Garc. c. l. num. 9. & 10. Barboſ. num. 77.

XIV. Cæterùm, quod ſuprà dictum eſt, ad dignitates quaſcunque curatas xxv. annum, ſaltem inceptum requiri, id intelligendum eſt, ſi cura principaliter ſit annexa illi dignitati; nam ſi acceſſoriè ſolùm illi unita ſit, non requiretur xxv. annus, ſed ſufficiet xxii. completus, juxta declarat. Cardin. Barb. cit. alleg. 60. n. 75. Similiter ſi alicui Canonicatui, vel dignitati non curatæ perpetuò unita ſit Eccleſia aliqua parochialis, vel aliud beneficium curatum, non æquè principaliter, ſed acceſſoriè ſolùm; tunc ſufficit, quòd provisus ſit in ætate requiſita ad illam dignitatem, vel Canonicatum; quia tunc beneficium parochiale, ſeu curatum velut acceſſorium aſſumit naturam, & conditiones beneficij principalis, cui adjungitur, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 5. a. 3. n. 17. Barb. c. l. n. 71. Neque verò hoc caſu inſtituturus curam annexam Canonicatui, vel dignitati debet adminiſtrare per ſe ipſum, ſed per Vicarium ſufficientis ætatis. Laym. l. 4. Theol. mor. tr. 2. c. 9. n. 2. Si verò aliquis ex Canonicis actu exerceat curam animarum annexam ejus Canonicatui, debet eſſe in ætate xxv. annorum requiſita ad beneficium curatum, licèt cura habitu penes totum Collegium reſideat. Campan. cap. 6. num. 30. Barboſ. c. l. num. 71.

Præterea, quod ſuprà dictum eſt, ſufficere, ut promovendus ad beneficium, cui ſacer ordo annexus eſt, habeat ætatem, ut intra annum ſuſcipere poſſit Ordinem requiſitum, id procedit, quando ad beneficium aliquod certa ætas requiritur ſolùm per accidens, & conſecutivè, ratione Ordinis ſacri annexi, v. g. ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, ut docet Abb. in c. Dudum; 22. n. 12. de elect. Quòd ſi verò ad beneficiũ aliquod requiratur certa ætas per ſe, ac directè, v. g. ad beneficium curatum anni 25. inchoari, tunc non ſufficit, promovendum in ea ætate eſſe, ut intra annum poſſit fieri Sacerdos, vel ſuſcipere alium ſacrum Ordinem requiſitum, ſed debet actu habere ætatem requiſitam ad tale beneficium, quamvis non neceſſe ſit, ut illum Ordinem tunc actu habeat, modò intra annum illum ſuſcipiat. Laym. in c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora; num. 4. de elect.

XV. Aſſertio 6. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ætate, ſecundùm univerſalis Eccleſiæ Canones, requiſitâ in ordinandis, vel præficiendis beneficijs, ut colligitur ex c. Ex ratione; 2. h. t. Nam cùm Epiſcopus Conventrenſis pueris infra 10. annos ætatis conſtitutis in Archidiaconatu Ciſtrenſi plures Eccleſias conceſſiſſet, quæ non per Clericos, ſed per laicos adminiſtrabantur: Papa Alexander III. mandavit Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut prædictum Epiſcopum corripiat, & Eccleſiarum adminiſtrationem, atque cuſtodiam, amotis laicis, Clericis idoneis committat, donec pueri iſti ad le-

» gitimam ætatem perveniant. Inſuper prohibeat » Epiſcopo, ne de cætero Eccleſias, niſi perſonis ætatem, » & ſcientiam requiſitam habentibus regendas » committat: alioquin ipſi debitam pœnam infligat, » & conceſſiones, ſive inſtitutiones tales omnino » irritas pronunciet.

Notandum 1. Etſi aliqui ex hoc c. colligant, Epiſcopum poſſe cum pueris, qui decenem ætatem nondum ſunt conſecuti, diſpenſare, ut beneficium etiam curatum, aut dignitas illis conferatur; tamen contrarium potiùs inde colligitur, cùm S. Pontifex factum Epiſcopi conferentis Eccleſias pueris non approbet, ſed potiùs reprehendat, ut patet ex illis verbis: *Epiſcopum ſuper his corripias:* & ibi: *eidem Epiſcopo prohibeas; ne de cætero Eccleſias, niſi perſonis, quæ ætatem* (congruam) *& ſcientiam habeant, regendas concedat:* ergo Epiſcopus non poteſt cum hujuſmodi pueris ſuper ætate diſpenſare, ſed ſolus Papa, ut etiam docet Rebuff. in praxi benef. tit. de diſpenſat. ratione ætatis n. 2. Barb. in Collect. in eod. c. 2. n. 1. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt relaxare Jus commune Canonicum, niſi id ſpecialiter, & expreſsè ei fuerit conceſſum.

Notandum 2. In caſu hujus c. Papa diſpenſavit, ſaltem tacitè, vel potiùs diſpenſativè toleravit, ut pueri retinerent Eccleſias, ac dignitates, quas illegitimè jam poſſidebant, ſed non, ut adminiſtrarent eas per ſe, ſed ut per alios Vicarios temporales adminiſtrarentur, donec ipſi pervenirent ad requiſitam ætatem, & quidem per Clericos, non Laicos, quippe qui Eccleſiaſtica negotia tractare non debent, c. 2. de judic. Navarr. in c. Si quando de reſcript. except. 19. num. 2.

XVI. Aſſertio 7. Novo Jure Decretalium ex ſpeciali conceſſione Bonifacij VIII. in c. unic. h. t. » in 6. permiſſum fuit Epiſcopis, ut cum ijs, qui xx. » annum compleverunt, liberè diſpenſare poſſint ad » obtinendas dignitates, & perſonatus, quibus ani» marum cura (ſive juriſdictio in foro interno pœ» nitentiæ, aut externo, & contentioſo) non eſt an» nexa, ſi aliud Canonicum impedimentum (quia » non ſunt illegitimi, non corpore vitiati, nec bi» gami, nec criminoſi, vel aliàs inhabiles. Gloſſ. hîc » V. Canonicum;) non obſtet. Veruntamen hodie poſt Concil. Trident. non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut quis promoveatur ad hujuſmodi dignitates non curatas, etiam poſt 20. annum completum, quia Concilium Seſſ. 24. c. 12. de reform. induxit novum Jus, requirens ut minimum XXII. annos, eóſque completos, vel ſaltem inchoatum annum XXII. juxta quorundam ſententiam, ut ſuprà dictum. Sed neque, ſpectato Jure communi antiquo, Epiſcopo permiſſum erat conferre beneficium curatum agenti annum XIV. ut nonnulli putant per textum in c. Præterea; 5. h. t. nam in Concilio Lateran. relato in c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora de elect. requiruntur anni XXV. in cujus generalis Concilij lege non poteſt Epiſcopus diſpenſare: & licèt in cit. c. Præterea; dicatur, quòd Clerici in minoribus conſtituti, ex diſpenſatione Epiſcopi, poſſint ad parochialem Eccleſiam aſſumi; ſtatim tamen ſubjungitur, *dummodo tales ſint, ut intra breve tempus* (videlicet intra annum ab eo tempore, quo beneficij poſſeſſionem aliquis adeptus eſt, computandum, c. Licèt; 14. de elect. in 6.) *in Presbyteros poſſint ordinari.* Azor cit. c. 5. q. 9. §. Si quæras; Barb. in Collectan. in cit. c. Præterea; n. 2. Præterea non poteſt Epiſcopus in ætate diſpenſare ad dignitates curatas obtinendas, etiam ob cauſam rationabilem, vel utilitatem Eccleſiæ, ut patet Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. h. t. quia alioquin abſolutè concedendum foret, Epiſcopum contra Canones univerſales Eccleſiæ diſpenſare poſſe, quia ad omnem licitam, imò & validam diſpenſationem in Prælatis Papâ inferioribus requiritur neceſſitas, vel utilitas, juxta Gloſſ. communiter receptam in c. Requiſitis; V. Ut pleriſque; cauſ. 1. q. 7. Denique neque poteſt Epiſcopus, ſaltem poſt Concil. Trident. Decretum Seſſ. 23. c. 6. de reform. diſpenſare, ut aliquis beneficium ſimplex obtineat, ante annum XIV. ætatis inchoatum. Azor c. l. §. Si queras; Barb. cit. alleg. 60. n. 75.

Ex dictis patet, quòd ſuper ætate requiſita ad dignitates, & beneficia curata, etiam de Jure communi antiquo Canonico, ſolus Papa diſpenſare poteſt. Gloſſ. in cit. c. unic. V. Imminet; h. t. in 6. & ex ejuſdem diſpenſatione etiam infanti, id eſt, minori ſeptennio beneficium ſimplex conferri poſſit, quia in beneficijs pleniſſimam poteſtatem habet, c. Propoſuit; 4. de conceſſ. præbend. Azor cit. c. 5. q. 8. §. Sed quæret aliquis; ubi tamen monet, ſatius eſſe, infantibus dari portionem aliquam ex beneficijs, ob merita, v. g. parentum eorum erga Rempubl. Chriſtianam.

XVII. Cæterùm, quod dictum eſt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare in defectu ætatis requiſitæ ad obtinenda beneficia, id limitari debet, niſi certa ætas in promovendis requiratur ſolùm ex particulari ſtatuto alicujus Eccleſiæ Collegiatæ, v. g. ut intra annum ſacrum Ordinem ſuſcipere poſſint, tum enim Epiſcopus, cum conſenſu Capituli, diſpenſare poterit, quia talis diſpenſatio fit in proprio illorum jure, ſeu ſtatuto. Laym. in cit. c. 2. n. 2. h. t.

Denique Epiſcopus quoque probabiliter diſpénſare poteſt ex gravi, & neceſſaria cauſa, v. g. Studiorum proſequendorum causâ, in defectu ætatis promovendi, quando ea non per ſe, ac directè requiritur, ſed ſolùm per accidens, ratione annexi Ordinis, ut in Canonicis Cathedralis Eccleſiæ: cùm enim hoc caſu Epiſcopi diſpenſare poſſint in non ſuſcipiendis Ordinibus, ut infrà dicetur, conſequenter etiam in ætate, ſi ea ſolùm per accidens, ſive propter Ordinis ſacri ſuſceptionem requiratur, ut ex Ant. Butrio docet Laym. in c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora num. 8. de elect.

XVIII. Prædictis addendum 1. Quòd impetratio, & collatio, vel alia quæcunque proviſio beneficij facta alicui, ante ætatem à Canonibus requiſitam, abſque diſpenſatione, ſit ipſo jure nulla, ut conſtat ex c. Licèt; 14. ibi: *Viribus omnino carere* de elect. in 6. & docet Abb. in cit. c. 2. n. 4. h. t. Garc. cit. c. 4. num. 82. Barb. cit. alleg. 60. num. 78. & alij communiter. Idque procedit, etiamſi ad ætatem requiſitam modicum tempus deſit, v. g. una dies, vel hora tantùm; quia in his, quæ à jure determinata ſunt, arbitrari non licet. Garc. c. l. num. 84. Quin imò etſi per ignorantiam bonâ fide putans, ſe habere ætatem legitimam, beneficium accepit, nulla eſt nihilominus impetratio, & novâ collatione opus eſt,

cùm

cùm ad legitimam ætatem pervenerit, alioqnin beneficio abdicare ſe debet. Quòd verò ad ſructus ex beneficio perceptos attinet, ſi malâ fide percepti ſunt, reſtituendi ſunt, non item, qui bonâ fide, niſi quatenus inde ditior factus eſt; ſructus verò adhuc extantes, ſive bonâ, ſive malâ fide ſint percepti, reſtitui debent, ut ex communi ſententia docet Azor cit. cap. 5. quæſt. 12. Inſpiciendum autem eſt tempus datæ impetrationis, nam, ſi promovendus ad beneficium habilis non ſuerit tempore impetrationis, propter defectum ætatis, licèt ſit habilis tempore vacationis, aut promotionis, proviſio, ſeu collatio non valet, c. Si eo; 9. de reſcript. in 6. quia conceſſio, quæ ab initio irrita eſt, temporis ſucceſſu non convaleſcit, reg. jur. 18. in 6. Gregor. Tholoſan. cit. c. 37. num. 2. ætas autem computanda eſt, non à die nativitatis, ſed conceptionis. Garc. c. l. num. 89.

XIX. Addendum 2. Etſi, ante Concilium Tri» dentinnm, poterat quis (ſi aliud impedimentum » Canonicum ei non obſtaret) in anno ætatis ſuæ » XVIII. (inchoato) ad Subdiaconatûs: in XX. ad » Diaconatûs: in XXV. ad Presbyteratûs Ordines, li» berè (id eſt, ſinè diſpenſatione) promoveri, prout » decernitur in Clement. Generalem; 3. h. t. & dictum ſuprà Tit. 11. n. 11. ea tamen ætas non ſufficiebat etiam tunc ad beneficia curata. V. g. licèt is, qui incepit annum 20. poterat ordinari in Diaconum, non tamen poterat promoveri ad Archidiaconatum, ad quem juxta Concil. Lateran. in c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora de elect. requiritur ætas 25. annorum, circa quam per dictam Clementinam nihil fuit immutatum: aliàs ſequeretur, quòd cùm Subdiaconus poſſit in Epiſcopum eligi, c. A multis; 9. h. t. & major XVII. annis, juxta cit. Clement. poterat fieri Subdiaconus, conſequenter etiam potuiſſet eligi in Epiſcopnm, quod eſt falſum, ut notat Gl. in cit. Clement. V. Diaconatus.

§. III.

Quæ ſcientia in promovendis ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica ſit neceſſaria?

XX. Præmittendum ex Innocent. & Abb. in c. Cùm in cunctis; 7. in princ. num. 4. de Elect. triplicem poſſe diſtingui ſcientiam, eminentem, mediocrem, & ſufficientem. Scientia eminens eſt, quâ quis omnia etiam difficillima, & maximè dubia, quæ ad ſuum officium ſpectant, promptè explicare, & definire poteſt. Mediocris eſt, quâ quis quæſtiones, & difficultates paſſim, & frequenter in munere ſuo occurrentes explicare poteſt, quamvis non obſcuriſſima, & difficillima quæque. Competens verò, ſeu ſufficiens ſcientia dicitur, quâ quis novit ſuo officio ſungi, licèt alios interrogando in ijs, quæ dubia, & perplexa ſunt, doctos conſulendo, vel libros legendo.

XXI. Aſſertio 1. In genere loquendo, ea ſcientia ad unumquodque beneficium requiritur; quæ ad officium beneficio annexum ritè obeundum eſt neceſſaria, ut patet ex Concil. Lateran. in cit. c. Cùm in cunctis. Quæ major, vel minor ſcientia requiritur, pro qualitate, & conditione beneficij, & major quidem ad beneficium curatum, cùm ſit ars artium regimen animarum, ut dicitur in c. penult. h. t. quàm ad beneficium ſimplex; & ad Epiſcopatum, quàm ad Abbatiam, vel alia inferiora beneficia curata.

Porrò adeò eſt neceſſaria ſcientia ad dignitates, & alia beneficia obtinenda, præſertim ad Epiſcopatum, ut ob ejus defectum, non tantùm ab acquirendis dignitatibus, & beneficijs quis repellatur, ſed etiam interdum acquiſitis privari poſſit, ac debeat, ſi nimirum ſit penitus illitteratus, ita, ut prima Grammaticæ Rudimenta nunquam didicerit, prout de tali illitterato Epiſcopo ſtatutum habetur in c. ult. h. t. Nam cùm contra Epiſcopum Calinenſem mul» ta oppoſita fuiſſent coram Papâ Honorio III. in» ter alia ipſemet confeſſus eſt, ſe Grammaticam » nunquam didiciſſe, nec legiſſe Donatum: & adeò » per evidentiam facti notorium erat, eum prorſus » illiteratum eſſe, & inſufficientem, ut contra » Deum, & SS. Canones fieret, ſi in Epiſcopo tan» tus toleraretur defectus: & ideo Papa ipſum pe» nitus ab officij Pontificalis executione, & admi» niſtratione Eccleſiæ Calinenſis decrevit, eſſe amo» vendum.

XXII. Notandum 1. Si Epiſcopus, vel alius Prælatus, aut beneficium curatum habens omnino illiteratus ſit, ita, ut Grammaticam, & linguam Latinam ignoret, ejus promotio, aut proviſio eſt ipſo jure irrita, quia in cit. c. Cùm in cunctis; in princ. ad omnem dignitatem, quæ curam animarum annexam habet, requiritur ſcientia. Si verò non penitus illiteratus ſit, ſed non ſufficienter doctus, ſive competentem muneri ſuo ſcientiam non habeat, promotio, aut collatio non eſt quidem ipſo jure irrita, ſed à Superiore irritanda, tanquam contra SS. Canones facta, ut de Epiſcopo patet ex c. Qualiter; 17. de elect. ubi Papa irritandam eſſe duxit, electionem Epiſcopi, præcipuè, quia ſcientiam Pontifici convenientem non fuit aſſecutus. Et quamvis Abb. in cit. c. ult. num. 5. h. t. dicat, quòd, ſi Abbas electus, & inſtitutus ſit, qui Grammaticam, & linguam latinam neſcire deprehenditur, non ſit deponendus, ſi alioquin prudens ſit, & in Regula bene verſatus, quia in Abbate magìs prudentia requiritur, quàm doctrina, & Abbates Regulares olim Laici erant: tamen cùm hodie in magno honore ſint, & alijs Clericis ſecularibus præſerantur, ut notat Gl. in c. à Subdiacono; 5. V. Abbas; diſ. 93. ideo etiam ſcientiâ conſpicui eſſe debent. Laym. in cit. c. ult. n. 2. h. t.

Verumtamen Epiſcopus, vel alius Prælatus, qui ſufficientem ſcientiam non habet, non eſt in conſcientia obligatus ad reſignandam ſtatim Prælaturam, ſed, ſi exiſtimet, ſe ſcientiam ad munus ſuum neceſſariam, non longo poſt tempore, acquiſiturum, poteſt interim illam retinere, donec Superior promotionem ejus reſcindat. Laym. c. l. n. 1. & de elect. Præl. q. 55. Porrò etſi Epiſcopus, vel alius Prælatus Grammaticæ artem nunquam didicerit, ſi tamen uſu, & exercitio linguam Latinam addidicit, non eſt deponendus, ſed tolerari poteſt,

Abb.

Abb. in cit. c. ult. num. 4. Azot p. 2. lib. 6. q. 6. quæſt. 6.

Notandum 2. Etiam proviſio, ſeu collatio beneficij non curati, ſive ſimplicis facta omnino illitterato, ita, ut litteras Latinas ne legere quidem poſſit, eſt ipſo jure irrita, quia in c. 1. diſ. 36. univerſim dicitur, *litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officijs.* Bernard. Diaz. in pract. can. n. 4. & 5. & ibid. Lopez in addit. lit. h. Pariſ. l. 4. de reſign. benef. c. 4. n. 3. & alij DD. communiter, ex quibus aliqui dicunt, hunc defectum eſſe omnino indiſpenſabilem, etiam à Papa, cùm jure naturali, ac divino litteratura aliqua requiratur; etſi quoad hoc diſſentiat Azot cit. c. 6. quæſt. 4. quia Papa poteſt Beneficiarium à functione, & adminiſtratione beneficij liberare, aut Vicarij, ſeu Adminiſtratoris operâ, ac miniſterio eum ſublevare. Et ſic ſolet Papa ex cauſa gravi cum pueris illitteratis interdum diſpenſare, ut primam tonſuram accipiant, & beneficia Eccleſiaſtica conſequantur, teſte Laym. cit. q. 55. Quòd ſi quis non ſit penitus illitteratus, tamen ſcientiam competentem, & requiſitam ad beneficia non habeat, collatio quidem eſt illicita, ſed valida, & tenetur Beneficiatus addiſcere, quod neſcit, quamprimum commodè poteſt, aliàs debet beneficium dimittere, Garc. p. 7. de benef. c. 7. n. 14. 15. & 21.

Porrò, quamvìs is, qui ſcientiam ſufficientem non habet, non ſit promovendus ad beneficium, ſi tamen jam promotus ſit, qui parùm ſcit, non ideo eſt removendus à beneficio, ſed Vicarius, vel Adjutor ei dandus eſt. Azor cit. c. 6. q. 7. & tunc non tenebitur dimittere beneficium.

XXIII. Aſſertio 2. In ſpecie verò, qualem ſcientiam habere debeant Epiſcopi, dictum eſt ſuprà Tit. 6. n. 69. Alij verò Prælati Epiſcopo inferiores, ut Archidiaconi, Archipresbyteri, & ſimiles Præpoſiti, qui dignitatem, & curam animarum habent, debent ſcire jura, ſeu Canones, cùm ſecundùm illos judicare, & ſententiam ferre debeant. Quod tamen intelligendum eſt de illis Archidiaconis, ac Præpoſitis, qui juriſdictionem contentioſam in foro externo habent: ſecus eſt de illis, qui ex recepta conſuetudine curâ animarum, & juriſdictione carent; in his enim tanta ſcientia non requiritur, ſed ſufficit idonea, ſeu competens, pro conditione ſui officij, & dignitatis, Abb. in cit. c. Cùm in cunctis; in princ. n. 4. Azor cit. c. 6. q. 2. §. Archidiaconi. In promovendis ad beneficium curatum, quod non eſt dignitas, nec juriſdictionem contentioſam in foro externo habet, requiritur ſcientia Canonum Pœnitentialium, & ea, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem neceſſaria ſunt, c. Quæ ipſis; 5. diſ. 38. Piaſec. in prax. Epiſc. p. 2. c. 5. a. 3. n. 11.

Denique in promovendis ad beneficia inferiora, & ſimplicia, ſufficit, ut ſciant legere, conſtruere, & cantare, ſecundùm Gloſſ. in Clement. unic. V. Reputamus de conceſſ. præb. imò videtur ſufficere, ut legere, & conſtruere ſciant, ut in praxi receptum eſt, teſte Garc. cit. c. 7. n. 5. vel ſaltem ſcire debent Latinè legere, & intelligere, ut Horas Canonicas recitare poſſint. Azor c. l. q. 2. In beneficijs verò, quæ Ordinem annexum habent, neceſſaria eſt illa ſcientia, quæ ad Ordinem annexum requiritur. Azot c. l. & Garc. n. 11.

XXIV. Aſſertio 3. Spectato Jure communi antiquo, in nullo beneficio Eccleſiaſtico requiritur Gradus aliquis Doctoratûs, vel Licentiæ: ex Decretis tamen Concilij Trident. debet eſſe Doctor, vel Licentiatus S. Theologiæ, vel Juris Canonici, inprimis Epiſcopus, vel ſaltem ut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos ſit judicatus, Seſſ. 22. c. 2. de reform. de quo ſuprà Tit. 6. n. 69. 2. Archidiaconus, qui oculus dicitur Epiſcopi, in omnibus Eccleſijs, ubi fieri poterit, Magiſter in Theologia, ſeu Doctor, aut Licentiatus in Jure Canonico debet eſſe, Seſſ. 24. c. 12. §. Archidiaconi etiam: quod intelligi debet de Archidiacono principali Eccleſiæ Cathedralis, & qui curam animarum, & juriſdictionem contentioſam habet fori externi, juxta declarationem S. Congreg. Concil. apud Garc. cit. c. 7. n. 41. 3. Scholaſticus debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in S. Pagina, aut Jure Canonico, vel aliàs idoneus, qui per ſe ipſum munus id explere poſſit, Seſſ. 23. c. 18. §. De cætero. 4. Pœnitentiarius in Eccleſia Cathedrali debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in alterutra prædictarum facultatum, ſeu aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperitur, cit. Seſſ. 24. c. 8. 5. Vicarius, Sede vacante, eligendus, ſimiliter debet eſſe Doctor, aut Licentiatus, ſaltem in Jure Canonico, vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus, cit. Seſſ. 24. c. 16. Principalis tamen dignitas in Eccleſia Collegiata exempta, cui competit ordinaria juriſdictio, cum omnibus juribus quaſi Epiſcopalibus, non neceſſariò conferri debet perſonæ graduatæ, ſicuti neque Decanatus, quia id nullo decreto Concilij ſtatutum reperitur, ut reſpondit S. Congregat. Concil. apud Garc. c. l. num. 33. & 43. ideoque conſuetudo loci quoad hoc ſervanda eſt. Barboſ. cit. alleg. 60. num. 61.

Præterea S. Synodus Tridentina cit. Seſſ. 24. c. 12. hortatur, ut in Provincijs, ubi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatis inſignibus, conferantur tantùm Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico. Unde, cùm Concilium ſolùm hortetur, non autem præcipiat, id non eſt inducendum ex neceſſitate: neque per Synodum, ſeu Concilium Provinciale ſtatui poteſt, ut dignitates, & Canonicatus dentur tantùm Graduatis, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Garc. c. l. n. 45.

XXV. Sed quid, ſi aliquis indignè promotus ſit ad gradum Doctoratûs, vel Licentiæ, ſinè ſcientia competente, valebitne impetratio dignitatis, vel beneficij requirentis Gradum? Reſpondetur: In foro externo Eccleſiæ eam impetrationem eſſe validam, quia talis revera eſt graduatus, licèt indignè, ac illegitimè, & ſic gaudet privilegijs Graduatorum, ut docet Azor cit. c. 6. q. 1. Garc. cit. c. 7. n. 50. tenetur tamen jure naturali, ac divino impetrans ſcientiam neceſſariam ad officium ſuum rite obeundum ſibi comparare, vel ſaltem Vicarium, ſive Adjutorem ſibi aſſumere, cujus conſilio, & operâ utatur in officio adminiſtrando, cùm nullo jure cogatur dignitatem, vel beneficium dimittere, ut notat Azor c. l. Similiter valida eſt adeptio, & collatio Epiſcopalis dignitatis, vel alterius beneficij Gradum requirentis,

rentis, etſi quis ſufficienter alioquin doctus ad Gradum Academicum promotus ſit contra ſtatuta, & conſuetudines Academiæ, modò tamen ipſa promotio ad Gradum non fuerit ipſo jure irrita, licèt irritari potuerit per ſententiam Judicis, v.g. ſi quis per falſos teſtes probavit, curriculum ſtudiorum per leges Academiæ requiſitum ſe abſolviſſe. Secus eſt, ſi promotio fuerit ipſo jure irrita, etiam ante ullam ſententiam Judicis declaratoriam, quia v.g. fuit promotus ad Gradum, non ſervatâ formâ præſcriptâ in Examine, vel aliàs, tum enim collatio Epiſcopatûs, vel beneficij quoque irrita eſt. Azor c. l. Garc. c. l. num. 51. ubi rationem dat, quia jura requirentia gradum, intelligi debent de gradu valido, & paria ſunt, non habere gradum, vel illum habere, ſed nullum, & invalidum.

XXVI. Cæterùm, in quo potiſſimùm inſtruendi ſint promovendi ad regimen animarum, habetur in c. Cùm ſit; 14. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocent. III. c. 27. ubi præcipitur, ut cùm ars artium ſit regimen animarum, Epiſcopi promovendos ad Sacerdotium, per ſe ipſos, vel per alios idoneos viros diligenter inſtituant in divinorum officiorum celebratione, & Sacramentorũ Eccleſiaſticorum adminiſtratione, ita, ut, ſi de cætero rudes, & ignaros ordinare præſumpſerint, & Ordinatores, & Ordinati graviter puniendi ſint: ſatius enim eſt paucos habere bonos, & idoneos, quàm multos malos, aut imperitos miniſtros.

Eſt autem hîc ſermo de ijs in Sacerdotes ordinandis, qui aſſumendi ſunt ad curam, ac regimen animarum, ut patet ex princ. huius c. hi enim in celebrandis divinis officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis adminiſtrandis magìs exercitari, & verſari eſſe debent, juxta c. 1. & ſeqq. diſ. 38.

Hinc etiam colligitur, eo ipſo, quòd conſtet de inhabilitate promoti ad Ordines, vel beneficium, pariter etiam conſtare de delicto, vel culpa Ordinantis, ſeu promoventis, Gl. hîc V. deprehendi, quin, ut dicitur in c. Tantis; 3. in fine diſ. 81. qualis ipſe ſit, quiſquis tales ordinaverit, oſtendit: quod tamen intelligendum eſt, quando per ſeipſum promovendos examinavit: ſecus, ſi per alios, tunc enim ipſi tantùm punientur; niſi ipſe promovens inſufficientes, & negligentes ad officium examinandi deſtinaverit, tunc enim ex eorum delicto, & culpa obligabitur. Hoſtienſ. hic V. deprehendi, & Innoc. n. 2.

§. IV.

Quæ morum, vitæq; probitas requiratur in promovendis ad beneficia?

XXVII. Aſſertio 1. Præter litterarum ſcientiam, requiritur etiam in Beneficiatis gravitas, ſeu honeſtas morum, cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora de elect. c. Grave; 29. de præbend. c. Eam te; 4. h. t. Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform. adeóque, ut promovendus ad beneficia non ſit criminoſus, nec infamis. Nomine autem criminis hîc intelligitur tale delictum, quod depoſitione dignum eſt, vel infamiâ notatur, vel cenſuram, aut irregularitatem inducit, vel ad Judicem per accuſationem, denunciationem, vel inquiſitionem eſt delatum, vel quodlibet aliud peccatum grave publicum, ob quod delinquens in aliorum offenſionem incurrit, & necdum publicè emendatum ſit, c. Unum. 3. §. Unus autem, & ibi Gl. V. Unde diſ. 25. Navarr. in c. Si quando de reſcript. except. 17. num. 7. & 2. ſeqq. Azor p. 2. l. 6. c. 7. quæſt. 1. & 11. nam quamvìs quodvis peccatum grave occultum impediat etiam à promotione ad beneficia, cùm ſit indignus, quàm diu in eo perſiſtit, ipſa tamen promotio, ſeu collatio beneficij non eſt ipſo jure irrita, cùm per pœnitentiam tolli poſſit, & nullus Canon exiſtat irritans adeptionem beneficij ob peccatum occultum. Navarr. c. l. num. 4. & 5. Azor cit. q. 11. in fine.

XXVIII. Similiter omnis quoque infamis, ſive de jure, ſive de facto, eſt inhabilis ad beneficia: nam infamibus portæ dignitatum patere non debent, l. unic. C. de infamib. lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. l. 12. c. Inter dilectos; 11. de exceſſib. Prælat. dignitas autem in propoſito accipitur pro quolibet beneficio, ut tradit Garc. p. 7. de benefic. c. 8. num. 3. & alij apud ipſum. Et quamvìs infamia ſuperveniens non ſemper privet dignitate infamatum ipſo jure, ante ſententiam Judicis: ſemper tamen infamia impedit à dignitate, aut beneficio de novo obtinendo; ut notat Gregor. Tholoſ. tract. de benef. c. 37. num. 9. quia faciliùs quis repellitur à beneficio obtinendo, quàm dejiciatur, ſeu privetur obtento, c. Super his; 16. de accuſat. Qui autem jure ſint infames, habetur in l. 1. ff. de his, qui notant. Infam. & c. Infames; 17. cauſ. 6. quæſt. 1. Sed de hoc plura alibi.

Cæterùm, probabile eſt, quòd proviſio, ſeu collatio beneficij, ſaltem ſimplicis, ſeu non curati facta infami, aut criminoſo, non ſit ipſo jure irrita, niſi illud crimen annexam habeat cenſuram, vel irregularitatem, ſeu inhabilitatem aliquam ad beneficia; eſt tamen irritanda ab eo, qui poteſtatem habet, ut patet ex cit. c. Inter dilectos. de exceſſib. Prælat. Leſſ. l. 2. c. 34. num. 126. & alij apud Garc. cit. c. 8. num. 47. & 48. qui ait, eam eſſe ſententiam æquiorem, & benigniorem, quia nullus Canon exſtat, qui evincat, talem collationem, ſeu proviſionem eſſe ipſo jure irritam. Dixi ſuprà: collatio beneficij ſimplicis: nam ſi criminoſo, ſeu infami conferatur beneficium habens curam animarum, ipſo jure irritam eſſe collationem, colligitur ex cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora, ubi habetur, quòd eligens, ad tale beneficium, indignum, ſive moribus, ſive ſcientiâ non commendatum, pro ea vice eligendi poteſtate ſit privatus, conſequenter electio, ſeu collatio beneficij ad Superiorem devolvi debet, ideóque prior electio, ſeu collatio irrita eſt, Rodriqu. tom. 2. qq. regul. quæſt. 53. art. 6. Navarr. in cit. c. Si quando; except. 17. num. 10. ubi ait, quòd nullitas collationis ex indignitate eius, cui collatio facta eſt, pœna verò ex delicto collatoris oritur: quamquàm ita electus, aut proviſus; ſi defectum impro-

bitatis tollere poſſit, ac velit, ipſique lis nulla moveatur, in conſcientia tutus ſit, nec beneficium dimittere teneatur, ante Judicis ſententiam, vel declarationem. Laym. de elect. Præl. q. 59.

Porrò multùm refert in ordine ad forum externum, an proviſio, ſeu collatio facta criminoſo, vel infami, vel alij indigno, irrita ſit ipſo jure, ao verò irritanda? Nam priore caſu, cenſetur beoeficium vacare, ac proinde ab alio impetrari poteſt, & ſuperior contra iodignè promotom procedere poteſt, tanquam cootra eum, qui nunquam caoonicè fuit inſtitutus, ideóque, & fructus à tempore inſtitutionis perceptos ab eodem repetere.

XXIX. Aſſertio 2. Requiritur etiam in promovendo ad beneficia, ut oon ſit cenſurâ aliquâ ligatus, neque irregularis, ut ex communi ſenteotia docet Azor cit. c. 7. quæſt. 2. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 34. n. 116. Et inprimis, quòd excommunicatus iohabilis ſit ad heoeficium obtinendum habetur in c. Poſtulâſtis; 7. de Cleric. excommuo. ita, ut collatio facta excommunicato ſit ipſo jure nulla, quia excommuoicatus inhabilis eſt juris Eccleſiaſtici obtinendi, Garc. p. 7. de benefic. c. 13. n. 3. de quo plura l. 5. cit. tit. de Cleric. excommun. ubi ex inſtituto de hac quæſtione agitur.

Secundò, perſonaliter interdictus non poteſt promoveri ad beneficium Eccleſiaſticum. arg. c. Cùm dilectus; 8. de conſuet. & cit. c. ult. de Cleric. excommun. quia ooo poteſt officium præſtare publicè, ſicut in Eccleſia fieri ſolet, ideóque neque beneficium ei conferri debet, quod datur propter officium. Leſſ. cit. loc. num. 160. & alij DD. communiter.

Tertiò, ſuſpenſus ab officio, vel beneficio inhabilis quoque eſt ad beneficium obtinendum, nam ſicut ſuſpenſus ab Ordine non poteſt ſuſcipere novum Ordinem; ita nec ſuſpenſus ab officio, vel beneficio poteſt ad aliud officium, aut beneficium Eccleſiaſticum promoveri, c. Cùm dilectus; 8. de coosuet. Idque procedit, vel univerſim, ſi quis abſolutè ſuſpenſus ſit à beneficiis; vel limitatè, ſi quis in ordine ad certam Eccleſiam. Ratio eſt, quia nemo promoveri debet ad tale officium, aut poteſtatem, cuius exercitium ipſi eſt interdictum, cit. c. ult. de Cleric. excomm. ne quod unâ viâ quis amittit, per aliam conſequatur: ſuſpenſus autem ab officio, vel beneficio prohibetur exercere officium, vel percipere fructus beoeficij, à quo eſt ſuſpenſus, ergo etiam, durante ſuſpenſione, inhabilis eſt, ut novum officium, aut beneficium conſequatur. Laym. in cit. c. Cùm dilectus; n. 5. & de Elect. Prælat. q. 52.

XXX. Quin imò, ſi per ſuſpenſum ſtet, quò minùs à ſuſpenſione abſolvatur, ſive in contumacia diu perſeveret, non ſolùm beneficiis, durante ſuſpenſiooe, ſed etiam ante illam obtentis privandus eſt, prout habetur in c. Cùm bonæ; 8. h. » t. Nam cùm Papa Clemens III. Clericos quoſ» dam Eccleſiæ Baranenſis ad ſe citâſſet, ut ad ob» jecta Archidiacooi ſui, quem graviter læſerant, » reſponderent: illi verò venire cootemnereot, i» dem Papa ſuſpeoſionis ſententiam in eos pro» mulgari juſſit; in qua cenſura ipſi triennio permanſerunt, & quidam ex illis etiam interim a» liud beneficium Eccleſiaſticum ſunt conſecuti. » Unde dubitatum fuit, an beneficia ſic recepta poſ» ſint licitè retinere? Ad id reſpondet Cæleſtinus » III. Clementis Succeſſor, quòd non liceat illis » beneficia, quæ ante ſuſpenſiooem habuerunt, nec » quæ poſtea, eâdem durante, conſecuti ſunt, re» tinere. Quare mandat Archiepiſcopo Baranenſi, » ut eos, propter pertinaciam, & contemptum Sedis » Apoſtolicæ, omnibus beoeficiis, quæ habent, pri» vet. »

XXXI. Notandum 1. Tripliciter poteſt ſuſpenſio ab officio, vel beneficio ferri ob culpam, ut docet Innoc. hic n. 1. Nam 1. Poteſt ferri tanquam pura pœna in perpetuum, propter commiſſum crimeo, etiamſi ſuſpenſio ſimpliciter, & ſinè determinatione temporis lata ſit, noo addito, ut quis perpetuò ſit ſuſpeoſus; & ſic ſuſpenſus beoeficiis privari debet, eáque aliis cooferri poſſunt, quia talis ſuſpenſio ſimpliciter lata, abſque ulla determinatione temporis, ſive ſit ab officio, ſive à beneficio, ſemper durat, & privat hominem exercitio officij, vel fructibus beneficij, donec per Superiorem habeorem poteſtatem tollatur, ut docet Suarez diſ. 26. de cenſur. ſect. 1. num. 13. & diſ. 27. ſect. 1. num. 22. Quòd ſi expreſsè addatur in lege, vel ſenteotia; ut ſit perpetua, ſinè ſpe relaxationis, tunc potiùs cenſenda eſt depoſitio, quàm propriè dicta ſuſpenſio. Suar. diſ. 25. de cenſur. ſect. 2. num. 4.

2. Poteſt ferri ſuſpenſio ad certum, ac definitum tempus, v. g. ad triennium; & tunc tempore illo elapſo, per ſeipſam ceſſat, niſi priùs à Superiore eius relaxatio, ſeu diſpenſatio ſit impetrata, quia non eſt propriè dicta cenſura, ut per abſolutionem tolli debeat, ſed eſt pura pœna, Suar. cit. diſ. 26. ſect. 1. num. 14. Idémque eſt, ſi ſuſpenſio ſub cooditione lata ſit, ſive pendente ex voluntate ſuſpenſi, v. g. donec ſatisfecerit, vel reſtituerit; ſive ex voluntate ſuſpendentis, v. g. donec aliud diſpoſuero: & tunc ſuſpenſio durat, quàm diu non impletur conditio, eâ autem impletâ, ceſſat. Suar. cit. ſect. 1. num. 15. & 16. quamvìs in foro externo requiratur abſolutio, vel potiùs declaratio, conditionem impletam eſſe.

3. Poteſt ferri ſuſpenſio, tanquam propriè dicta cenſura, propter præſentem contumaciam Rei, qui non vult ſatisfacere, vel parêre mandatis Superioris; & tunc depoſitâ contumaciâ, ſive poſt ſatisfactionem, vel paritionem, abſolutio à ſuſpenſione Reo dari debet, quia eſt pœna medicinalis. Suar. diſ. 29. de cenſur. num. 14. Quòd ſi tamen Reus diu in contumaciâ perſiſtat, ſeu per eum ſtet, quò minùs à ſuſpenſione abſolvatur, non tantùm beneficiis, durante ſuſpenſione, acquiſitis, ſed etiam antea habitis eſt privandus, ut patet ex hoc c. Et quidem beneficia à ſuſpenſis acquiſita non poſſunt ab eis retineri, quia tempore, quo illa adepti ſuot, erant inhabiles, ideóque, etiamſi poſtea abſoluti ſint, non poſſunt ea retinere, quia in his ioitium conſiderandum eſt, Gl. hîc V. Poſtmodum: antè verò acquiſita etiam illis auferenda ſunt, propter contumaciam, quia per tres

annos

annos in ſuſpenſione permanſerunt, ideóque indigni ſunt, ut ab Eccleſia recipiantur, & à cenſura abſolvantur.

Idem tamen dicendum eſt, ſi per biennium, vel per annum tantùm in ſuſpenſione contumaciter permanſiſſent, quia hîc facti ſpecies tantùm refertur: nam ſi quis per annum perſiſtat in excommunicatione, & abſolutionem per contumaciam petere intermittat, intra quem cauſam peragere potuiſſet, poſtea audiendus non eſt, c. Rurſus; 36. & c. ſeq. cauſ. 11. quæſt. 3. ergo idem dicendum de ſuſpenſione, ut ſi quis per annum in ea per contumaciam perſiſtat, poſtea audiendus non ſit, adeóque privandus ſit beneficiis, ſeu deponendus, Gloſſ. fin. hic, & Innocent. num. 2. Hoſtienſ. V. Illa.

Verùm Laym. hîc num. 2. exiſtimat, nullum certum tempus definiri poſſe, ſed committendum eſſe Judicis, ſeu Superioris judicio, ut is diſpiciat, quanta, & quàm diuturna ſit contumacia eius, qui in excommunicatione, vel ſuſpenſione perſiſtit, ob quam, ſpectatâ qualitate facti, meritò beneficiis privari poſſit. Quòd verò in cit. c. Rurſus; & c. ſeq. requiritur, ut per annum quis perſtiterit in contumacia, id ſtatutum fuit ſecundùm temporum illorum, & criminum circumſtantias. Sed etſi detur, pœnam illam decretam in eos, qui per annum in excommunicatione perſiſtunt, adhuc locum habere, ea tamen ſine juris textu ad ſuſpenſionem extendi non poſſet, cùm pœnæ, etiam ob paritatem rationis, non ſint extendendæ.

XXXII. Notandum 2. Collatio beneficij facta ſuſpenſo ab officio, vel beneficio eſt ipſo jure irrita, cit. c. Cùm dilectus; de conſuet. & c. ult. de Cleric. excomm. ubi generaliter decernitur, eum, qui eſt privatus aliquo munere, vel actu, privatum etiam eſſe ſuſceptione eorum, quæ ad illum actum, vel munus ordinantur: beneficium autem Eccleſiaſticum ordinatur ad alicuius officij, vel muneris Eccleſiaſtici adminiſtrationem, ergo qui ab hac eſt ſuſpenſus, conſequenter etiam eſt interdictus à ſuſceptione novi beneficij. Idque etiam colligitur ex cit. c. Cùm bonæ; h. t. & ibi Gl. V. ſuſpenſi, & V. Poſtmodum; & Abb. num. 6. Garc. p. 7. de benefic. num. 1. & 3. ubi ait, ita reſolutum fuiſſe per Rotam Rom. quamquàm contrarium teneat Suar. cit. diſ. 27. ſect. 1. num. 26. ubi de ſuſpenſo à beneficio ſimpliciter tradit, collationem ei factam non eſſe ipſo jure irritam, quia ſuſpenſus non eſt ſimpliciter inhabilis, ſed tantùm prohibitus, adeóque ſolùm irritandam, neque enim plus colligitur ex cit. c. ult. de Cleric. excomm. & aliis Canonibus, quæ ſententia quoque probabilis eſt.

Porrò quæ hactenus dicta ſunt de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis, non poſſe eos promoveri ad beneficia, id procedit, etiamſi denunciati, vel vitandi non ſint, cùm ipſis per Extravag. Conſtantienſis Concilij nullus factus ſit favor. Suar. diſ. 13. de cenſur. ſect. 1. n. 26. Laym. in cit. c. Cùm dilectus n. 6.

XXXIII. Denique multò magis promovendus non eſt is, qui irregularitatem contraxit, ut ex communi docet Azor cit. c. 7. quæſt. 2. nam beneficium datur propter officium, c. ult. de reſcript. in 6. irregularis autem eſt inhabilis ad officium, & per conſequens etiam ad beneficium, cit. c. ult. de Cleric. excomm. Quare collatio beneficij etiam ſimplicis irregulari facta eſt ipſo jure, ſeu facto irrita, ut ex communiore ſententia docet Garc. p. 7. c. 11. n. 1. 4. & 5.

§. V.

De ordine requiſito in promovendis ad beneficia Eccleſiaſtica.

XXXIV. Notandum 1. Beneficia Eccleſiaſtica quædam ſunt libera à ſacro Ordine ſuſcipiendo, qualia ſunt Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, imò & Cathedralium, ſpectato Jure communi Canonico: quædam verò ex propria inſtitutione Ordinem ſacrum annexum habent, & horum alia ſunt Sacerdotalia, alia Diaconalia, alia Subdiaconalia. Garc. p. 7. de benef. c. 1. n. 40. & ex dicendis patebit.

XXXV. Notandum 2. Dupliciter poſſe Ordinem ſacrum eſſe annexum beneficio, ut notat Abb. in c. Cùm in cunctis; §. Inferiora. num. 10. de elect. 1. Secundùm aptitudinem, quia ſufficit, quòd ad illud promotus, tempore ſuæ promotionis, ſit habilis, & talis, ut intra annum poſſit ſacrum Ordinem, juſto impedimento ceſſante, ad beneficium requiſitum ſuſcipere: qualia ſunt omnia beneficia, quibus jure communi ſacer Ordo annexus eſt, ſeu potiùs obligatio ſuſcipiendi ſacrum Ordinem intra annum, ut patet ex cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora, & Clem. 2. h. t. 2. Poteſt Ordo ſacer eſſe annexus beneficio quoad actũ, & tunc neceſſariò requiritur, ut promovendus ad beneficium, tempore promotionis, ſeu collationis, illum Ordinem actu habeat; veluti ſi ſtatuto Diœceſano, conſuetudine, vel in fundatione requiratur, ut Capellania, v. g. vel Canonicatus non conferatur, niſi Sacerdoti, Diacono, vel Subdiacono, quia qualitas adjecta verbo debet adeſſe tempore per verbum ſignificato. arg. l. in delictis; 4. §. Si extraneus. ff. De noxal. action. Et hinc infert Gl. in c. Is cui; 29. V. Simpliciter de præb. in 6. & Abb. in cit. §. Inferiora. n. 11. Si Papa Titio mandet conferri beneficium in Eccleſia aliqua vacans, vel proximè vacaturum; vacet autem beneficium ſacerdotale, cui ſecundùm aptitudinem ſolùm annexum eſt Sacerdotium, illud conferendum eſt Titio, etſi Sacerdos non ſit, modò ætatem habeat, ut infrà annum Sacerdos fieri poſſit. Secus eſt, ſi vacet beneficium, cui Sacerdotium ſecundùm actum annexum eſt, hoc enim non poteſt conferri Titio non Sacerdoti, vi talis mandati, niſi addita ſit in litteris Apoſtolicis clauſula, *non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis &c.* per quam clauſulã cenſetur derogari ſtatuto particulari Diœceſano facto præter Jus commune, de non promovendo ad beneficium, niſi eo, qui actu Sacerdos ſit: non tamen per talem clauſulam generalem cenſetur derogari voluntati fundatoris, præſertim laici, ſi ex prima fundatione Sacerdotium actu annexum ſit beneficio, quia Papa non facilè ſolet mutare volun-

tares fundatorum, ne à piis fundationibus avocentur.

Hoc antem ſolùm procedit, ſi in ſtatuto particulari, vel fundatione exprimatur, ut beneficium non conferatur alij, quàm ei, qui Sacerdotium ſnſcepit, præſertim ſi conſuetudo Ecclesiæ ſtatutum, aut fundationem ita interpretetur: quòd ſi in ſtatuto, vel fundatione aliqua requiratur, ut Canonicatus, vel Capellania Sacerdoti conferatur, id in dubio ita interpretandum eſt, nt ſatìs ſit, promovendum ſic eſſe comparatum, nt intra annnm Sacerdotium ſit ſuſcepturus. Anchar. in c. Si pro Clericis; 8. de præbend. in 6. not. 2. & ita reſolvit Rota apud Garc. n. 79.& 2. ſeqq. quia decens eſt, ut in dubio verba ſtatuti intelligantur, ſecundùm Jus commune. c. Cùm dilectus; 8. juncta Gl. V. Juri communi de conſuet. & l.2. C. de noxal. act. de qno plura infrà.

Notandum 3. Ad quodvis beneficium acceptandum requiritnr, ut quis actu ſit Clericus, ſeu habeat ſaltem primam tonſuram, ſinè qua qnivis incapax eſt beneficiorum, ut colligitur ex c. Cùm adeò de reſcript. c. Ex litteris; 6. de tranſact. & ex communi docet Leſſ. l.2. de juſtit. c.34. n.92. Garc. cit. c.1. n.2. His præmiſſis.

XXXVI. Quæritur 1. Qualis Ordo requiratur in eligendo, ſeu promovendo ad Episcopatum? Reſp. In Epiſcopum eligendus, ut minimùm debet eſſe actu Subdiaconus, cùm eligitur, nt conſtat ex c. » A multis; 9. h.t. Nam dubitatum fuit, utrùm Sub» diaconus in Epiſcopum liberè eligi poſſit, an ve» rò poſtulari debeat? ſiquidem Urbanns I. decre» vit (c. ult. diſ. 60.) ut nullus in Epiſcopum, niſi » fuerit in ſacris Ordinibus conſtitutus, eligatur; » ſacros Ordines appellans Diaconatum, & Presby» teratum, qui ſoli in primitiva Eccleſia ſacri ha» bebantur, non autem Subdiaconatus, qui eo » tempore non erat Ordo ſacer, ſeu annexam non » habebat obligationem continentiæ, ideóque Sub» diaconus non poterat eligi in Epiſcopum, niſi ex » permiſſione Rom. Pontificis, vel Metropolitani. » Verùm cùm hodie Subdiaconatus inter ſacros Or» dines computetur, ex Decreto Urbani II. (in c. E» rubeſcant; 11. & c. Nemo; 12. diſ. 32. & ad ſimili» tudinem Diaconi, & Presbyteri, Subdiaconus de» beat continentiam obſervare, ſicut conſtitutum » eſt in ſexta Synodo (relata in c. Si quis; 7. cit. diſ. » 32.) Et Gregorius I. (relatus in c.1. diſ.28. c. Sub» diaconis; 9. cit. diſ. 32. & c. 1. diſ. 31.) decernit, » ut Epiſcopi nullum Subdiaconum facere præſu» mant, niſi qui, ſe caſtè victurum, promiſerit. Qna» re Papa Innocentius III. ſtatuit, ut Subdiaconus » in Epiſcopum liberè eligi poſſit, ſicut Diaconus, » vel Sacerdos.

Hinc colligitur 1. Quòd ſacer Ordo ille dicitur, cui promiſſio continentiæ eſt annexa. Abb. hîc not. 4. Et licet olim nullus ad Subdiaconatûs, Diaconatûs, vel Presbyteratûs Ordinem promoveri potuerit, niſi expreſsè polliceretur continentiam. c. 1. c. Quando; 3. c. Præterea; 7. diſ. 28. Poſtea verò ex Conſtitutione Papæ Martini nemo ordinandorum tenetur expreſſis verbis continentiam promittere, ſed tacitè, ita, ut ſilentium ordinati pro conſenſu habeatur, ſi qui verò dicant, ſe non poſſe, vel non velle continere, non ſunt ordinandi, c. 1. diſ. 27. c. Diaconi; 8. diſ. 28. Barb. hîc n.4. & de offic. Epiſc. alleg. 15. n. 2.

Colligitur 2. Quòd olim Archiepiſcopus, vel Epiſcopus poterat diſpenſare cum inhabili ex Ordinis defectu, ſed hodie id correctum eſt, & ſolus Papa poteſt diſpenſare. Abb. hîc in fine.

Colligitur 3. Quòd Clericus conſtitutus in minoribus ſolùm Ordinibus non poteſt eligi in Epiſcopum, ſed poſtulari debet, ſicut olim Subdiaconus, antequam inter ſacros, ſen majores Ordines numeraretur Subdiaconatus, non poterat, niſi ex diſpenſatione eligi, Gl. fin. hîc.

Porrò juxta Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. de reformat. neceſſarium eſt, ut eligendus in Epiſcopum ſaltem ſex menſium ſpatio in ſacro Ordine fuerit conſtitutns.

XXXVII. Quæritur 2. Quis Ordo ſacer requiratur in promovendis ad dignitates Eccleſiaſticas, quibus cura animarum, aut juriſdictio fori externi eſt annexa? Reſp. in c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concil. Pictavienſi, ſtatuitur, ut Abbates, Præpoſiti, & Decani, qui Presbyteri non ſunt, fiant; & qui Archidiaconatum obtinent, Diaconi: qui verò Archipresbyteratum, Presbyteri fiant. Si verò nolint, dimittere debeant Prelaturam, ſeu dignitatem ſuam. Imò etiamſi ex juſta cauſa impediantur, quò minùs fieri poſſint Presbyteri, aut Diaconi, nihilominus Prælaturas, ſeu dignitates amittant, iiſque privari debent.

XXXVIII. Notandum 1. Quatuor ſunt dignitates, quibus Jure communi annexus eſt Ordo Presbyteratûs, videlicet Abbatia, Præpoſitura, Decanatus, & Archipresbyteratns, quamvìs hîc non diſtinguatur à Decanatu, ut infrà dicetur tit. 24. Hòc autem intelligendum eſt de Abbatibns, Præpoſitis, Decanis, ſeu Archipresbyteris, qui Collegium, ſeu Conventum habent, & curam animarum, non item de illis, qui Conventu carent, aut curâ, hi enim non debent eſſe, aut fieri Presbyteri, qnia ad einſmodi dignitates non curatas obtinendas ſufficit, quòd promovendi annum ætatis XXII. compleverint, juxta Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reformat. Ex quo ſequitur, quòd non habeant Ordinem Presbyteratûs annexum, cùm ſic proviſi intra annum nequeant in Presbyteros ordinari, prout requiritur in obtinentibus dignitates, quibus Ordo Presbyteratûs eſt annexus, juxta Clement. 2. h.t. ut mox dicetur, & hanc ſententiam probavit S. Congreg. Concil. apud Fagn. in cit. c. 1. n.6. h.t. Neq; obſtat, quod ex decreto Concil. Trident. c.l. nemo ſit recipiendus ad dignitatem, niſi qui eo Ordine ſacro ſit initiatus, quem illa dignitas requirit, aut in tali ætate ſit, ut infrà tempus à Jure, vel ab eodem Concilio ſtatutum, initiari valeat. Nam decretum hoc intelligi debet de dignitatibus, quæ annexum habent Ordinem ſacrum ex jure ſpeciali, videlicet ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto particulari, ut notat Gloſſ. in c. Si eo; 9. V. Ætatem de reſcript. In 6. non autem jure communi. Ratio diverſitatis eſt, quia Concilium ſtatuendo generaliter, nt ad obtinendas dignitates non curatas ſufficiat ætas XXII. annorum, non cenſetur abrogâſſe conſuetudines, & ſtatuta particularia locorum, quæ requirunt majorem ætatem propter annexum Ordinem ſacerdotalem, cùm hæc pro-

probabiliter ignorati poſſint: at dum novam Conſtitutionem condidit, utique revocavit priorem diſpoſitionem Juris communis, c. 1. de conſtit. in 6. Fagnan. hîc n. 6.

Notandum 2. Ad obtinendam dignitatem, vel beneficium, cui annexus eſt jure communi Ordo ſacer, non requiritur, ut quis actu eo Ordine ſit initiatus, tempore promotionis, ſeu collationis, ſed ſatis eſt, ſi idoneus ſit, ut infra tempus à Canonibus præfixum, id eſt, intra annum promotionis ſuæ, Ordinem requiſitum ſuſcipere poſſit, c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora de elect. & Clement. 2. h. t. & colligitur ex cit. c. 1. ibi. *Presbyteri fiant* h. t. Abb. ibid. num. 2.

Notandum 3. Etſi olim, cùm Abbates, & Monachi non eſſent Clerici, Abbas fieri poterat etiam non Presbyter, vel in minoribus Ordinibus conſtitutus, imò & Laicus, ut conſtat ex c. à Subdiacono; 5. & ibi Gloſſ. V. Abbas; diſ. 93. id tamen poſtea correctum eſt in Concilio Pictavienſi relato in c. 1. h. t. cùm hodie Abbates benedicantur, & minores Ordines conferant, Abb. hîc n. 5.

XXXIX. Notandum 4. Abbates, & alij Prælati, etſi impediti ſint ex juſta cauſa ſuſcipere Ordines ſuæ dignitati annexos, non quidem ipſo jure privati ſunt Prælaturâ, aut beneficio, cit. c. Cùm in cunctis; §. Inferiora; & in cit. Clement. 2. h. t. Sunt tamen privandi, ut expreſsè colligitur ex hoc c. V. Amittent; ſcilicet per ſententiam Judicis, ut notat Hoſtienſ. in cit. §. Inferiora; V. Admonitio.

Sed contra id, quod hîc dicitur, quòd etiam legitimè impediti ſuſcipere Ordines Presbyteratûs, vel Diaconatûs, privandi ſunt dignitate, ſeu beneficio, obſtat text. in c. 1. de Cleric. ægrot. & expreſſiùs in c. Commiſſa; 35. de elect. in 6. & Clement. 2. h. t. ubi excipitur, niſi legitimum impedimentum adſit. Quæ jura contraria Gloſſ. in cit. c. 1. V. Amittent, & in cit. Clement. 2. V. Impedimento; & alij Canoniſtæ communiter, ita conciliare conantur, quòd in hoc c. ſermo ſit de juſto impedimento ſuſcipiendi Ordinem requiſitum ex culpa promoti proveniente, ut, ſi v. g. ſuſpenſionem ab Ordinibus incurrit, vel ex culpa, ſeu delicto factus ſit irregularis, ut ad Ordines promoveri non poſſit; & hoc caſu privari debet beneficio, non obſtante tali impedimento, niſi aliàs valde utilis eſſet Eccleſiæ, cui præeſt, ut limitat hîc Hoſtienſ. in fin. & Abb. præſertim, ſi ante dignitatem, vel beneficium acceptatum, impedimentum Ordinis jam habuit, debebat enim non acceptare, ſciens, ſe eſſe inhabilem ad Ordinem annexum ſuſcipiendum. Alia verò jura contraria loquuntur de impedimento abſque culpa contracto, quod proviſo obeſſe non debet, adeóque rerum non eſt privandus dignitate, vel beneficio, quia non debet addi afflictio afflictis.

Verùm cùm per hujuſmodi diſtinctionem textus in cit. c. 1. h. t. nimis reſtringatur, ubi tamen abſolutè dicitur, etiamſi juſtâ cauſâ quis impediatur, quò minùs ordinari poſſit, amittere dignitatem, ſeu beneficium, maximè tamen juſta cauſa eſt, ſi culpa non præceſſit: ideò meliùs Laym. in cit. c. 1. h. t. ait: diſtinguendum eſſe inter impedimentum perpetuum, ſeu diuturnum, & temporale. Nam ſi impedimentum ſit perpetuum, ſeu diu duraturum, privandus eſt inſtitutus ſuo beneficio, ſeu dignitate, juxta cit. c. 1. Cùm non poſſit præſtare officium, propter quod datur beneficium, c. ult. de reſcript. in 6. ſi quidem omnino inhabilis factus eſt ad ſatisfaciendum obligationi ſui officij. Si verò impedimentum ſit temporale, ſeu non longo tempore duraturum, inſtitutus privari non poteſt, dummodo impedimentum Ordinis ſuſcipiendi juſtum ſit, etiamſi præviſum, vel etiam ex culpa contractum fuerit, ut, ſi in rixa læſus ſit Clericus, quò minùs præfinito tempore Ordinem requiſitum ſuſcipere poſſit, arg. c. unic. Ne Sede vacante in 6.

XL. Cæterùm licèt promovendus in Abbatem, ſpectato Jure communi, debeat eſſe, vel fieri Sacerdos, juxta cit. c. 1. h. t. ob neceſſitatem tamen, vel utilitatem Eccleſiæ, etiam in minoribus conſtitutus, vel aliàs irregularis in Abbatem diſpenſativè promoveri poteſt, prout habetur in c. Tuam; 10. h. t. Nam vacante Monaſterio S. Quirici, cùm non poſſet reperiri perſona idonea, quæ Monaſterio illi præficeretur, retulit Legatus Cardinalis, ſive à Latere Papæ Innocentio III. adeſſe Monachum quendam, qui de jure non poſſet eligi in Abbatem, (quia fortè erat irregularis, v. g. ob defectum corporis) alioquin verò virum diſcretum, & idoneum, per quem ſpes eſſet, Monaſterium reformatum iri, ſi in Abbatem inſtitueretur, id quod etiam laici quidam inſtanter petebant. Reſpondet Papa, & mandat dicto Legato, ut, ſi non poſſit de perſona idonea eidem Monaſterio meliùs providere, Monachum illum, quem de litteris, morum honeſtate, ac induſtria ſibi commendavit, & per quem ſtatus ejuſdem Monaſterij creditur reformandus, in Abbatem inſtituat, non propter Laicorum preces, ſed propter illius Eccleſiæ neceſſitatem, & utilitatem, ita tamen, ut ad ſacros, ſeu majores Ordines, non aſcendat (nempe propter irregularitatem, cùm aliàs Abbas debeat eſſe Sacerdos. Gl. hîc V. Non aſcendat;) quia urgente neceſſitate in Abbatem aſſumi poteſt etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, dummodo etiam Laici illi non ſint dicto Monacho conſanguinitate, vel affinitate conjuncti, ut ex ipſorum petitione ſiniſtra aliqua ſuſpicio poſſit oriri.

Hinc colligitur 1. Quòd ad Eccleſiam etiam regularem, ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem, poteſt diſpenſativè aſſumi irregularis. Abb. hîc not. 4. Et quidem, ſi in minoribus Ordinibus conſtitutus intra annum Sacerdos fieri poſſit, Epiſcopus cum tali diſpenſare poterit, ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem, ut ad Abbatiam promoveatur, quia ſecundùm SS. Canones non ita requiritur, ut promovendus ad Prælaturas inferiores Epiſcopatu, & alia beneficia curata actu habeat ſacrum Ordinem, ſicut requiritur in eligendo, ſeu promovendo ad Epiſcopatum, ut conſtat ex c. Præterea; 5. h. t. & docet Hoſtienſ. hic V. Ex tuæ. Quòd ſi verò conſtitutus in minoribus ſit irregularis, ita, ut ob corporis defectum v. g. ad ſacros Ordines promoveri nequeat, ſolus S. Pontifex poteſt cum tali diſpenſare, ut ob neceſſitatem Eccleſiæ ad Abbatiam promoveri poſſit: non autem Prælati inferiores. quia promotus ad dignitatem, ſeu beneficium, cui cura animarum annexa eſt, ſecundùm Canones intra annum Sacerdos fieri debet, ut ſuprà dictum, in quo Epiſcopus diſpen-

ſare non poteſt. Abb. hìc prope finem. quamquàm, ot notat Layman. hìc S. Pontifex faciliùs diſpenſet, ut quis promoveatur ad Abbatiam, vel ſimilem dignitatem curatam, ſinè obligatione ſuſcipiendi Sacerdotium, qnàm ad Epiſcopatum, quia Epiſcopale officium magìs in exercenda poteſtate Ordinis conſiſtit, qnàm in juriſdictione erga ſubditos: At verò Abbatis officinm potiùs in gubernatione, quàm in exercitio Ordinis conſiſtit, arg. c. 1. cauſ. 18. quæſt. 2. eſt enim nomen Abbatis potiùs ſolicitudinis, qnàm Ordinis, vel honoris. Gloſſ. hìc V. Non aſcendat.

Colligitur 2. Non eſt illicitum inſtituere aliquem in beneficio ad preces aliorum, dummodo non habeatur principaliter reſpectus ad preces, ſed ad meritum, & dignitatem inſtituendi. Innocent. hìc num. 1.

XLI. Quæritur 3. Qualis Ordo requiratur in promovendis ad Eccleſias Parochiales? Reſpon- » detur: Ad regimen Eccleſiæ Parochialis noo de- » bet aliquis admitti, niſi ut minimùm ſit Subdiaco- » nus: diſpeuſativè tamen in minoribus Ordinibus » conſtituti poſſunt aſſumi, dummodo tales ſint, ot » infra breve tempus in Presbyteros ordinari poſſint, prout ſtatutum habetur in c. Præterea; 5. h. t. Nunc verò determinatum eſt hoc breve tempus, ut ſit annosà die, quo proviſus pacificam poſſeſſionem beneficij conſecutus eſt, vel per eum ſtetit, quò minùs conſequeretur, numerandos, c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora de elect. & expreſſiùs in c. Licèt; 14. eod. in 6. de quo plura dicta ſunt ſuprà tit. 6. num. 80. & ſeqq.

XLII. Notandum 1. Cum eo, qui eſt in Ordinibus minoribus conſtitutus, poteſt diſpenſare Epiſcopus, ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, nt poſſit ad Parochialem Eccleſiam aſſomi. Gloſſ. fin. hìc & ibi Inoocent. n. 2. Hoſtienſ. V. Diſpenſativè; & in ſumm. h. t. num. 3. & ſumitur ex hoc c. in quo Papa ait, diſpenſari hoc caſu poſſe, & tamen ſibi diſpenſationem non reſervavit, adeóque Epiſcopis eam poteſtatem reliqoiſſe, cenſeri debet: nam quando Canon dicit, poſſe fieri diſpenſatiooem, licèt expreſsè illam non concedat, tunc Epiſcopus poteſt diſpenſare, arg. c. Nuper; 29. de ſenteot. excommun. quia fruſtra intelligeretur de Papa, qui ſemper diſpenſare poteſt. Sylv. V. Diſpenſatio num. 15. & Canoniſtæ communiter in c. Dilectus; 15. de tempor. ordin.

Notandom 2. Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus à Patrono ad beneficium parochiale vacans præſentatus admittendus eſt, etſi nullo ſacro Ordine ſit initiatus, dummodo aliàs idoneus ſit, ut intra annum Sacerdos fieri poſſit, c. 2. de inſtitut. in 6. neceſſarium tamen eſt, ut 25. annum ætatis attigerit, juxta cit. c. Cùm in cunctis; §. Inferiora; & c. Licèt 14. de elect. in 6. & notat Franc. in cit. c. 2. num. 1.

Notandom 3. Quod dicitur in hoc c. non debere aliquem admitti ad beneficium curatum, ſeu Parochiale, niſi ſaltem ſit Subdiaconus, jure novo correctum eſt per c. Si pro Clericis; 8. de præbeod. in 6. ubi ſtatuitur, ut is, cui Papa mandat beneficium curatum conferri, non debeat neceſſariò eſſe in ea ætate, ut proximis temporibus à jure ſtatutis poſſit promoveri ad Ordines, quos beneficium requirit. Ubi Gl. V. Providere; ait, per illam decretalem non eſſe in totum correctum c. Præterea; h. t. ſaltem qooad Eccleſias Parochiales, de quibus loquitur. Gl. marg. ibid. ſed ſolùm in caſibus, in qnibus id eſt expreſſum, nempe in impetratione beneficij Parochialis, de qua loqoitur ille textus, & in præſentatione, de qua ſermo eſt in c. 2. de inſtitut. in 6. Secus verò eſſe in electione, ac proinde, qoòd hodie adhuc, ſi quis per viam electionis promoveatur ad Eccleſiam Parochialem, debeat eſſe ſaltem Subdiaconus, niſi cum ipſo diſpenſetur. Jo. Andr. ibidem, & Anchat. §. Quæro. ſed Franc. ibid. num. 5. prope finem, & alij DD. communiter tenent, quòd hodie ad beneficinm Parochiale, ſeu curatum poſſit, etiam ſinè diſpenſatione, promoveri, qoi Subdiaconus non eſt, joxta cit. c. Si pro Clericis, ſive per viam impetrationis, de qua loquitur illnd c. ſive præſentationis, ſive etiam electionis, ſit promotus, adeóque dictum c. Præterea; eſſe penitos revocatum.

Porrò in cit. c. Præterea; ſtatuitur, etiam eum, cui confertur beneficiom coratom, ſeo Parochiale, debere, non ſolùm primâ tonſurâ, ſed etiam minoribus Ordinibus eſſe initiatum, ídque novo jure non eſt correctum, ſed potiùs confirmatum in cit. c. Si pro Clericis, & c. 2. de inſtit. in 6. dum enim in ijs dicitur, non reqoiri, ut promovendus ſit conſtitutus in ſacris Ordinibus, excludendo ſolos ſacros Ordines, videntur tacitè innoere, minores ſaltem requiri. Franc. in cit. c. Si pro Clericis num. 5. & clariùs in c. Licèt; 15. num. 6. de elect. in 6. & alij apud Fagnan. in tit. c. Præterea; nom. 6. Neque verò hoc c. loquitur de promotis per electionem, ſed generaliter de proviſis, etiam per collationem, vel præſentationem, præſertim quia majus periculum ſubeſt, ne minùs idoneo conferatur beneficium curatum ab Ordinario collatore, vel ad præſentationem patroni, quàm ſi aſſumatur per electionem totius alicujus Collegij. Fagoan. hìc num. 8. ubi addit, in praxi tamen Parochiales Eccleſias etiam Clericis primæ tonſuræ conferri; quæ tamen praxis in noſtris partibus non eſt.

XLIII. Quæritor 4. Qualis Ordo requiratur in Canonicis, & Beneficiatis Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarom, ut vocem habere poſſint in Capitulo? Reſpondetur: De hoc agitur in Clement. 2. h. t. Nam ut ij, qui in Cathedralibus, vel » Collegiatis, ſecularibus, vel Regularibus Eccleſijs, » divinis officijs ſuot deputati, vel in poſterum de- » putabuntur, ad ſuſcipiendos Ordines propenſiùs » indocautur: ſtatuit Clemens V. in Concilio Vien- » nenſi, ut nullus (jam inſtitutus, vel inſtituendus) » de cætero in hujuſmodi Eccleſijs vocem, ſeo ſuffra- » gium in Capitulo habeat, (etiamſi hoc ipſi ab alijs » liberè coocedaror) niſi ſaltem in Subdiaconatûs » Ordine fuerit conſtitutus. Illi verò, qui digoita- » tes, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus cer- » ti Ordines ſunt annexi (de jure communi, vel ex » prioræva inſtitutione, antiquâ conſuetudine, vel » ſtatuto. Gl. hìc V. Annexi;) pacificè nunc obtinent » in eiſdem Eccleſijs (Cathedralibus, vel Collegiatis) » vel in futurum obtinuerint, niſi joſto impedimen- » to ceſſante, ad hujuſmodi Ordines, infra annum » (à tempore, quo obligat hæc conſtitutio in priùs inſtitu-

inſtitutis, vel à tempore obtentæ poſſeſſionis, vel quo per eos ſtetit, quò minùs obtinerent in inſtituendis, c. Commiſſa; 35. de elect. in 6. Gloſſ. hîc V. » Inf: a annum;) promoti fuerint, nullo modo vo- » cem in Capitulo habeant. Ipsíſque diſtributio- » num, quæ his dantur, qui certis horis interſunt, » pars dimidia ſubtrahatur, non obſtantibus qui- » bnſvis conſuetudinibus, vel ſtatutis (non autem » privilegijs, quæ hîc non revocantur. Gloſſ. hîc V. » Statutis;) pœnis alijs, quæ contra tales recuſan- » tes promoveri ad Ordines jure ſtatutæ ſunt (in c. » Licèt; 14. de elect. in 6. & c. Quæris; 6. h. t.) ni- » hilominus in ſuo rohore permanſuris. Atque hæc Conſtitutio innovatur in Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 4. de reform. ubi etiam additur, *quocunque privilegio non obſtante.*

XLIV. Pro explicatione hnjus Clement. Notandum 1. Sicut qui non eſt Subdiaconus, non poteſt eligi in Epiſcopum: ita æquum fuit, ut, qui non eſt ſaltem Subdiaconus, non poſſit eligere, nt ſervetur proportio inter eligentes, & electum, & quia Canonici tractare debent negotia Eccleſiaſtica, conveniens fuit, ut eſſent in aliquo ſacro Ordine; aliàs enim poſſent recedere à ſtatu Clericali. Gloſſ. hîc in caſu.

Notandum 2. Etſi Clerici non ſolùm ſeculares, ſed etiam Regulares, non poſſint habere vocem in Capitulo, niſi ſint Subdiaconi: tamen vi hujus Conſtitutionis, non excluduntur Converſi, ſive profeſſi Laici, qui ad divina officia non ſunt deputati, quò minùs vocem in Capitulo habere poſſint: aliàs ſequeretur, Moniales vocem, ſeu ſuffragium habere non poſſe in ſuis Capitulis, quia non ſunt capaces Ordinum. Gloſſ. hîc V. Mancipari. Sed & is, qui in ſacris non eſt conſtitutus, poteſt habere ſuffragium in Capitulo alicujus Eccleſiæ Collegiatæ Clericorum, vel Religioſorum, dummodo non habeat ratione Canoniæ, ſed ex alio jure, nempe conſuetudine, ſtatuto, vel privilegio. Gloſſ. cit. & Abb. hîc num. 2. in fine.

Notandum 3. Quamvìs Jure communi Canonicatibus Eccleſiatum Cathedralium, vel Collegiatarum non ſit annexus Ordo ſacer, ut notat hîc Gl. V. Officijs; nullus tamen Canonicus in hujuſmodi Eccleſijs ſuffragium habere poteſt in Capitulo, nec ex conceſſione Capituli, nec ex Epiſcopi diſpenſatione, niſi fuerit Subdiaconus. Gloſſ. hîc V. Concedatur; etiamſi non fuerit in mora. Garc. p. 3. cap. 4. num. 24. Sed & qui dignitates, perſonatus, officia, quibus certi Ordines ſunt annexi, v. g. Diaconalis, vel Presbyteralis, cum præbenda Canonicali, obtinent, niſi eos intra annum legitimè non impediti ſuſceperint, elapſo anno, ſtatim jus ſuffragij in Capitulo amittunt, & nullo modo habere poſſunt, donec requiſitos Ordines receperint, ut habetur in cit. Clement. 2. §. Illi verò; ita, ut nec alij Capitulares hoc jus ſuffragij ipſis concedere poſſint, nec Epiſcopus cum ijs diſpenſare. Gloſſ. hîc V. Nullo modo; Abb. ibid. num. 6.

XLV. Id autem limitandum eſt 1. Quòd, licèt Canonicus, qui ſaltem in Subdiaconatu non eſt conſtitutus, non habeat vocem, ſeu ſuffragium in electionibus, & alijs actibus Capitularibus, retinet tamen ſtallum in Choro, & alia, quæ extra Capitulum fiunt, peragere poteſt. Quare, ſi collatio beneficij ſpectet ad Canonicum hebdomadarium per turnum, poteſt illud conferre: & Capitulum poteſt Canonico, qui non eſt in ſacris, beneficij ad illud pertinentis collationem, vel nominationem committere: & poteſt talis Canonicus optare præbendam, ſicut conſtitutus in ſacris, ſi conſuetudo, vel ſtatutum Eccleſiæ non obſiſtat; cùm ille actus non ſit collegialis, ſed competat ratione Canoniæ, non ex voce Capituli: ſicut etiam à Papa poteſt dari delegatus. Gloſſ. hîc V. In Capitulo; & ibid. Abb. n. 6. Garc. cit. c. 4. n. 29. & ſeqq. Quod autem dictum eſt de non conſtitutis in ſacris, circa carentiam vocis in Capitulo, & actus, qui fiunt extra Capitulum, idem dicendum de ijs, qui intra annum non ſuſcipiunt Ordinem requiſitum. Garc. c. l. n. 32.

Limitatur 2. Si S. Pontifex diſpenſet cum Canonico, ut ante legitimam ætatem ad Ordinem Subdiaconatûs promoveatur, is ex diſpenſatione factus Subdiaconus, vocem, ſeu ſuffraginm in Capitulo habebit. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 1. n. 23. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 4. num. 7. Barb. in collectan. hîc n. 6. & tract. de Canonic. c. 37. num. 9. Ratio eſt, quia, cùm hujuſmodi ordinatio ſit legitima, & talis habeat omnia à Jure requiſita, ad ſuffragium ferendum admitti debet. Suar. c. l.

Limitatur 3. Prælatus principalis Collegiatæ Eccleſiæ, etiamſi in ſacris non ſit conſtitutus, vel negligat promoveri intra annum ad Ordinem illi dignitati annexum, non privatur poteſtate præſidendi, nec voce in Capitulo, ſicut privatur Canonicus, vel habens dignitatem inferiorem, perſonatum, vel officium in eadem Eccleſia, quia Prælatus, & Capitulum conſtituunt quidem unum corpus, ſunt tamen diverſa, ſicut caput, & membra, ac proinde ſub appellatione Capituli non comprehenditur Prælatus, præſertim in materia pœnali, & correctoria juris antiqui, qualis eſt conſtitutio hujus Clem. 2. Gloſſ. hîc V. In eiſdem; & Abb. num. 14. & 15. & Barb. n. 12. Aliud verò dicendum eſt de Decanis, & Archidiaconis, qui non ſunt Prælati Principales, licèt enim hi poſſint convocare Capitulum, & in eo proponere, & reſolutiones accipere, etiamſi non ſint in ſacris conſtituti, cùm iſte non ſit actus juriſdictionis, qui Archidiacono competit, & ad Decanum ſpectat, non ratione Ordinis, ſed antiquitatis, & Superioritatis, ut declaravit S. Congreg. Concil. apud Garc. cit. c. 4. n. 26. non tamen licet eis dare vocem, ſeu ſuffragium in Capitulo, ſi non ſint in ſacris conſtituti, contra diſpoſitionem hujus Clem. 2. Barboſ. cit. tract. de Canon. c. 27. n. 12.

XLVI. Notandum 4. Conſtitutio hujus Clement. 2. non extenditur ad præteritas inſtitutiones, non enim privat beneficio priùs inſtitutos, ſed reſpicit futuros tractatus, & actus Capitulorum, nec vitiat ſuffragium jam datum in Capitulo, quod eſt reſpicere præterita, ſed deinceps dandum, adeóque reſpicit futura. Gloſſ. hîc V. In poſterum; & Abb. num. 4.

Notandum 5. Hæc Conſtitutio in §. Illi verò; non habet locum in ijs beneficijs, ratione quorum non competit vox in Capitulo, & in quibus non dantur diſtributiones. Gloſſ. hîc V. Diſtributionum; ubi addit, quòd habeat locum etiam in Capellania Eccle-

Eccleſiæ Collegiatæ, reſpectu diſtributionum, ſi quæ pro certis horis dentur: contrarium tamen tenet Abb. hîc n. 17. quia diſpoſitio hujus Clement. in §. Illi verò; tantùm procedit in eo, qui obtinet dignitatem, perſonatum, officium, vel præbendam in Eccleſia Collegiata. ergo non debet extendi ad Capellaniam, vel aliud beneficium extra prædicta, cùm ſit jus novum, & pœnale, adeóque, etiamſi talis Capellanus non ſuſcipiat intra annum Ordinem beneficio ex prima inſtitutione annexum, non incurret pœnas hujus Clement. Verùm decretum Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 4. de reform. ubi innovatur hæc Conſtitutio, loquitur etiam de ijs, qui quælibet alia beneficia in dictis Eccleſijs obtinent.

Notandum 6. Pœna ſubtractionis dimidiæ partis fructuum incurritur à non promotis intra annum ad Ordinem requiſitum, etiamſi altera dimidia pars non ſufficiat ad ipſorum ſuſtentationem, quia ſibi imputare debent, cùm per receptionem Ordinis eam pœnam evitare potuiſſent. Gloſſ. hîc V. Pars dimidia: accrevit autem iſta dimidia pars ſubtracta alijs, qui interſunt divinis officijs, niſi aliud habeat conſuetudo, vel ſtatutum Eccleſiæ, v. g. ut iſta pars remaneat penes Eccleſiam, cui facta eſt injuria per abſentiam, vel negligentiam commiſſam in non recipiendo Ordinem requiſitum, vel in non ſerviendo Eccleſiæ. Gloſſ. hîc V. cit. & Abb. in fine.

XLVII. Cæterùm jure novo Concil. Tridentin. Seſſ. 24. c. 12. de reform. inſuper ſtatutum eſt, ut in omnibus Eccleſijs Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, ac Diaconatûs, vel Subdiaconatûs. Epiſcopus autem, cum conſilio Capituli, deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus Canonicatibus, ac portionibus quiſque Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat: ita tamen, ut dimidia ſaltem pars Presbyteri ſint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi; niſi fuerit ea loci conſuetudo, ut plures, vel omnes ſint Presbyteri, ea enim omnino obſervanda erit. Quæ conſtitutio non habet locum in Eccleſijs Collegiatis, ut ex Navarr. & Zerol. tradit Barboſ. in cit. Clement. 2. n. 3. Præterea cùm in decreto Concilij Trident. Seſſ. 22. c. 4. in fine præcipitur, ne alijs in poſterū fiat proviſio, niſi ijs, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcuntur (ita ſcilicet, ut intra annum Ordines requiſitos ſuſcipere valeant, ut paulò antè dicitur) alioqui irrita ſit proviſio: id intelligendum eſt de promotione ad omnia jura beneficij, non ſolùm ad ſtallum in Choro, ſed etiam quoad vocem, ſeu ſuffragium in Capitulo, & integros reditus: in Eccleſijs enim Germaniæ, & alibi recipiuntur in Canonicos ſolùm primâ Tonſurâ initiati, modò annum ætatis 14. attigerint, ita tamen, ut, licet habeant ſtallum in Choro, non tamen acquirant vocem in Capitulo, juxta Trident. cit. c. 4. Neque etiam integros reditus; juxta variam conſuetudinem Eccleſiarum, donec in Subdiaconatûs Ordine conſtituti recipiantur in Capitulum. Vel dicendum eſt abſolutè, ad Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium Germaniæ, neque ſacros, neque minores Ordines requiri, ſed ſufficere ſolam primam Tonſuram, & Concilium Tridentin. quoad hoc non eſſe receptum.

XLVIII. Quæritur 5. Quis diſpenſare poſſit in promovendis ad Canonicatus ſuper Ordinibus ſacris intra annum ſuſcipiendis? Reſpondetur: Epiſcopus, & Capitulum poteſt cum Canonicis, in hoc diſpenſare, ob cauſam ſtudiorum, ut colligitur ex c. Cum eo; 34. de elect. in 6. ubi id docet Laym. n. 2. & ex c. Relatum; 4. & c. Tuæ; 12. de Cleric. non reſident. ubi id tradit Abb. n. 6. & ſupponitur in Concil. Trid. Seſſ. 7. n. 12. de ref. junctâ Gloſſ. marg. quæ citat dictum c. Cùm ex eo; ubi ea diſpenſandi facultas permittitur ſtudiorum causâ Epiſcopis in beneficijs curatis. ergo multò magìs in ſimplicibus beneficijs locum habet; & quidem ſinè obligatione conſtituendi Vicarium, cùm jura id non exigant, niſi in beneficio curato, ut notat Abb. c. l. præterquam ſi ſit tale beneficium, quod ex propria inſtitutione perſonale ſervitium requirit, v. g. Capellania in certo Altari conſtituta. Laym. in cit. c. Cùm ex eo; n. 3. Imò etiam ſinè obligatione ſuſcipiendi Ordinem Subdiaconatûs, quam diu in ſtudijs verſantur, quia id Jure communi non requiritur in beneficijs ſimplicibus, ſicut in curatis. Layman. lib. 4. Theol. mor. tr. 2. c. 14. n. 2. §. Quæſtio; & de elect. Prælat. q. 28. ubi ait: non repugnare Concilio Trident. conſuetudinem illam, quæ in multis Eccleſijs Germaniæ viget, ut ad Canonicatus Cathedrales admittantur pueri, modò 14. ætatis annum ſint ingreſſi, qui interea ſtudeant, & reditus beneficiales, exceptis diſtributionibus quotidianis, in abſentia percipiant, ſi officium Canonicum recitent, donec ætatem conſequantur, ut Subdiaconi fieri, & ad Capitulum etiam, cum integra præbenda, admitti poſſint: nam Concil. Trident. per ſe, ac directè de ætate Canonicorum Cathedralium nihil ſtatuit, ſed ſolùm de ſacro Ordine, in quo ab Ordinarijs locorum diſpenſari poteſt, causâ ſtudiorum, ut ſuprà dictum. Quare Epiſcopus, ſeu Capitulum non diſpenſat hoc caſu per ſe in defectu ætatis, cùm nulla certa ætas per ſe, ac directè requiratur ad Canonicatus Eccleſiarum, etiam Cathedralium, ut dictum ſuprà n. 12. h. t. ſed diſpenſat in obligatione ſuſcipiendi ſacrum Ordinem, ob cauſam ſtudiorum: quâ velut principali ſublatâ, tollitur etiam conſequenter obligatio acceſſoria, videlicet ætas major xxi. anno, quæ non per ſe, ſed per accidens ſolùm, & indirectè à Concil. Trid. requiritur ad Canonicatus Cathedrales, ratione Ordinis ſacri annexi. Laym. cit. c. 14. num. 2. §. Quare ad argumentum.

XLIX. Quæritur 6. An in promovendis ad alia beneficia ſimplicia aliquis Ordo ſacer requiratur? Reſpondetur: Nihil eſſe de hac re Jure communi ſtatutum. At verò aliquando ex fundatione, conſuetudine, vel ſtatuto ſacer Ordo requiritur etiam in eo, qui eſt promovendus ad ſimplex beneficium, v. g. Capellaniam, ut notat Azor p. 2. lib. 6. c. 8. q. 12. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel in fundatione v. g. Capellaniæ, ei eſt annexus Ordo Sacerdotalis, quia cautum eſt, ut Capellanus ſit Sacerdos; vel non eſt annexus. Priore caſu, vel expreſsè, aut verbis æquipollentibus requiritur, ut Capellanus teneatur Miſſas dicere per ſe ipſum, & perſonaliter deſervire in officijs divinis, & tum lex fundationis ad amuſſim ſervanda eſt, juxta decretum Concil. Trid. Seſſ. 25. c. 5. de reform. & declarat. S. Congregat.

Concil.

Concil. apud Garc. p. 7. c. 1. num. 99. Vel nihil de hoc expreſsè, aut tacitè eſt cautum in fundatione, ſed ſimpliciter dicitur, quod debeat Capellanus Miſſas celebrare, vel divinis officijs inſervire; tunc non tenetur Ordinem Sacerdotij aſſumere, nec Miſſas; vel divina officia per ſe ipſum celebrare, ſed poteſt ejuſmodi oneribus per ſubſtitutum ſatisfacere, juxta declarationes S. Congreg. Concil. apud Fagnan. in c. 1. n. 65. h. t. & deciſionem Rotæ Rom. apud eundem ibid. n. 73. & 74. quia ex generali conſuetudine; in beneficio ſimplici non requiritur perſonalis reſidentia, ſed ſufficit, quòd ei per ſubſtitutum deſerviatur. Garc. c. l. n. 85. & 86. Poſteriore verò caſu, ſi Capellæ, aut alteri beneficio ſimplici non eſt Ordò Sacerdotalis annexus, ſed ſimpliciter in ejus fundatione dicitur, quòd illam obtinens debeat Miſſas ſemel, vel ſæpius in hebdomade celebrare, vel divinis officijs inſervire: & tunc non eſt neceſſe, ut Capellanus Ordinem Sacerdotalem ſuſcipiat, nec tenetur per ſe ipſum Miſſas, & divina officia celebrare, ſed ſatis eſt, ſi per alium ea munia expleat, juxta declarationem S. Congreg. Concil. apud Fagnan. c. l. n. 67. & duobus ſeqq. Ratio eſt, quia talis Capellania nec actu, nec aptitudine eſt Sacerdotalis, ac proinde poterit alicui conferri etiam ſimplici Clerico 14. annorũ, quia ſatisfit voluntati fundatoris, ſi Capellanus per alium Miſſas, aut divina officia peragi curet, niſi expreſsè conſtet, voluntatem fundatoris fuiſſe, ut per ſe ipſum celebraret, ut cenſuit S. Congreg. Concil. apud Garc. cit. c. 1. n. 87. & 93. & decîdit etiam Rota apud eundem num. 88. 94. & 95.

Porrò excipi debent quæcunque beneficia etiam ſimplicia in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, quibus onera (ex fundatione) ſunt annexa, nam ea obtinentes Ordines requiſitos intra annum, juſto impedimento ceſſante, ſuſcipere, & Miſſas, ac officia divina per ſe ipſos exercere debent, ex decreto Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 4. de reform. Fagnan. cit. c. 1. n. 8. quod decretum ſolùm habet locum in illis beneficijs, quæ certum Ordinem habent annexum, juxta declar. Cardin. apud Fagnan. c. l. n. 90.

L. Quæritur 7. Qualis Ordo requiratur in Abbatibus habentibus poteſtatem conferendi primam tonſuram, & Ordines minores? Reſpondetur: Requiri, ut ſint Sacerdotes, ut conſtat ex c. Cùm contingat; 11. h. t. Nam cùm Laici frequenter ſolerent ab Abbatibus Monaſteriorum, quorum ſubditi erant, primam tonſuram accipere, quæſitum fuit, an per hanc tonſuram Clericalis Ordo conferatur? Reſpondit Innocent. III. quòd in VII. Synodo generali ſit decretum (prout refertur in c. 1. diſ. 69.) ut liceat Abbatibus in proprio Monaſterio ſolùm facere Lectores, per manûs impoſitionem; dummodo, & ipſis ab Epiſcopo manûs impoſitio facta ſit) id eſt, benedictio data. Gloſſ. in dicto c. 1. diſ. cit.) & Sacerdotes exiſtant: tum enim ab ijſdem per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ, datam, Clericalis Ordo confertur. Ex quo patet, quòd hi Abbates non poſſint primam tonſuram, adeòque multò minùs Ordines minores conferre; niſi ſint Sacerdotes. Reliqua, quæ in hoc c. continentur, ad hunc tit. non pertinent, de quibus actum ſuprà tit. 11. num. 41. & 43.

§. VI.

An, & quâ ratione poſſit Epiſcopus Clericos ſibi ſubiectos compellere ad ſuſcipiendos Ordines beneficiis ſuis annexos, vel non annexos?

Procedit hæc quæſtio ſolùm de Clericis beneficiatis, nam qui beneficium non habent, non poſſunt inviti cogi ad Ordines ſuſcipiendos, cùm Sacramentum Ordinis debeat voluntariè recipi, ut notatur in c. Remiſſionem; 39. §. ult. cauſ. 1. q. 1. & Hoſtienſ. in ſumm. n. 3. de Sacram. non iterand.

LI. Aſſertio 1. Qui beneficia obtinent, poſſunt compelli ad Ordines ijſdem annexos ſuſcipiendos, ut tradit Gl. communiter recepta in c. Licèt; 14. V. Privatus de elect. in 6. Ubi tamen diſtinguendum eſt, nam vel nullum impedimentum Canonicum obſtat, quò minùs Ordinem beneficio annexum proviſus ſuſcipere poſſit, vel adeſt juſta cauſa, ſeu impedimentum, ob quod ad Ordinem annexum promoveri non poteſt.

Priore caſu, ſi ſit beneficium curatum, ſeu Eccleſia Parochialis, & intra annum ad Ordinem requiſitum promotus non fuerit, ipſo jure; ſinè monitione aliqua, privatus eſt beneficio, cit. c. Licèt. Idémque dicendum, ſi Prior Conventualis intra annum ad Sacerdotium non ſit promotus, juxta Clement. 1. §. Cæterùm; de ſtatu Monach. In Epiſcopatu verò non requiritur monitio, ſed electus, poſt tempus ad conſecrationem à Canonibus definitum, ipſo jure perdit beneficia, c. 1. diſ. 100. c. Cùm in cunctis; 7. §. Cùm verò de elect. Quòd ſi quis habeat Archidiaconatum, vel Decanatum, & admonitus, præfixo à Canonibus tempore, in Presbyterum ordinatus non fuerit, dignitate, ſeu beneficio eſt privandus, cit. c. Cùm in cunctis; §. Inferiora; quod non eſt correctum per cit. c. Licèt; Gloſſ. ibid. V. Parochialis.

Si denique quis habeat Canonicatum, vel præbendam, aut portionem in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, & nullâ impedimenti excuſatione allegatâ, non promoveatur ad Ordinem illi annexum, privatur voce in Capitulo, eique ſubtrahitur pars dimidia diſtributionum, juxta Clem. 2. §. Illi verò; h. t. & ſi monitus non ſuſciperet, poſſet etiam privari beneficio. Abb. in cit. c. Quæris; n. 6.

Poſteriore verò caſu, ſi appareat juſta cauſa, ſeu impedimentum, ob quod Ordines beneficio annexos ſuſcipere non poſſunt, v. g. ob irregularitatem contractam; tum refert, an proviſus tale impedimentum, ante dignitatis, vel beneficij aſſecutionem, contraxerit; an verò poſt: ſi ante, amovendus eſt à beneficio, quia impedimentum illud in promotione ſua reticere non debuit. Si verò hoc impedimentum contractum ſit poſt aſſecutionem beneficij, tunc, ſi in illud incidit ſinè culpa ſua, ut quia oculum, vel manum amiſit, ſinè culpa propria, tunc nec privandus eſt beneficio, nec ad Ordines compelli debet, cit. c. Cùm in cunctis; §. Inferiora; ibi: *Si Canones non obſtant:* & Clement. 2. ibi: *Juſto impedimento ceſſante.* Vel propriâ culpâ contraxit tale impedimentum, ut,

ſi io rixa manum, vel pedem amiſit: & hoc caſu non e compellendus ad Ordinem annexum ſuſcipiendum, ſed privandus eſt beneficio, in quo caſu loquitur tex. in c. 1. in fine h. t. Gloſſ. fin. ibid. & in cit. c. Licèt; V. Privatus.

LII. Aſſertio 2. Si dignitati, vel beneficio nullos certus Ordo ſit annexus, non poſſunt Clerici beneficiarij à Superiore compelli ad Ordines ſactos ſuſcipiendos; niſi Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas id poſtulet, ob magnam v.g. miniſtrorum penuriam, ut aliqui ordinentur, prout ſumitur ex c. Quæris; 6. h. t. » Nam Epiſcopus quidam Papam Alexandrū III. con» ſuluit, quid agendum eſſet cum Clericis, qui multa » Eccleſiaſtica beneficia obtinent, ſi commoniti no» liot ad majores Ordines promoveri, eò quòd di» cunt, occultum crimen ſe commiſiſſe, ob quod ſal» vâ conſcientiâ, ad ſuperiotes Ordines promoveri » non poſſint. Reſpondet Papa, qoòd videantur an» tiqui Canones in hoc caſu diſcordare: quidam e» nim aſſerunt, Clericos non eſſe compellendos (c. 1. & » 2. c. Ubi iſta; 7. & c. ſeq. & c. ult. diſ. 74.) alij verò » contrarium affirmant, (c. Si qui; 3. c. Placuit 4. » diſ. cit.) Quare ad tollendam hanc dubitatio» nem, ſtatuit Papa, ut, ſi Clerici, propter occulta pec» cata ſua, ſe receptione majorum Ordioum indi» goos ſateaotur, inferiores Clerici, qui probatæ vi» tæ, & bonæ exiſtimationis ſunt, in dignitatibus, & » beneficijs Eccleſiaſticis eiſdem præferantur: niſi » fortè, qoi ad Ordines aſcendere recuſant, in alijs » Eccleſiæ ſervitijs valde utiles eidem extiterint: a» lioqui verò illis beneficia, quæ obtioent, auferan» tur, & alijs conferantur: Quòd ſi verò pro ſola » voluntate ſua, nullo allegato impedimento juſto, » ordinati recuſent, cùm tamen utilitas Eccleſiæ, aut » neceſſitas exigat, ut majores Ordines (dummodo i» donei ſint) recipiant, tum per beneficiorum ſubtra» ctionem, & amiſſionem, appellatione remotâ, » compellantur.

LIII. Notandum 1. Si beneficia Eccleſiaſtica non habeant annexam obligationem ſuſcipieodi ſacrum Ordinem intra annum, neque ex prima inſtitutione, aut fundatione, neque ex ſpeciali Canonum conſtitutione, neque etiam neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ exigat, vel ſuadeat beneficiatos promoveri ad altiorem Ordinem, tum non ſunt cogendi, quia regulariter nemo invitus ad gradum altioris Ordinis promoveri debet, c. Geſta; 2. c. Ubi iſta; 7. & c. Honoratus; 8. diſ. 74. quin imò puniendus eſſet Epiſcopus, ſi eos cogeret, c. 1. ead. diſ. Sed hoc caſu ioferiores beoeficiati, ſcilicet acolythi, ſeu in miooribus Ordinibus conſtituti, ſi digoi ſint, promovendi ſunt ad majores Ordines, ut ſic alijs præferantur in ſeſſionibus, & præbendarum comodis, juxta c. Statuimus; 15. de majorit. & obed. & hac ratione alij ſibi inferiores præferri videotes, allicientur, ut etiam aſcendere velint ad majores Ordines; prout habetur in c. ult. cit. d. 74.

LIV. Notaodum 2. Etſi beneficium non habeat annexum Ordinem ſacrum, ſi tamen Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas requirat, ut beneficiati ſacrum Ordinem recipiant; tunc, vel moniti ab Epiſcopo renuunt ordinati, quia allegant impedimeotum irregularitatis, vel cenſuræ ex occulto crimine contractum, & quidem perperum; vel renuunt ordinari pro ſola voluntate ſua: priore caſu, poſſunt compelli, ut actâ pœnitentiâ, & impetratâ diſpenſatione ſuper defectu, Ordines ſuſcipiant, cùm quilibet peccator occultus (excepto crimine homicidij, & ſimoniæ, vel alio, quod poſt peractam etiam pœnitentiam, impedit Ordinis executionem, ſecundùm Gl. in c. Si cùm pridem; 10. §. Propter conſcientiam; V. Sed duntaxat de renuociat.) poſſit, poſt peractam pœnitentiam, promoveri ad altiores Ordines, & io ſuſceptis miniſtrare, c. ult. de tempor. ordinat. quòd ſi abſolutè, & ſimpliciter recuſent ſacrum Ordioem recipere, removendi ſunt, ſeu beneficijs privandi: quo caſu privantur beneficijs, non propter crimen, quod in judicinm non eſt deductum, ſed propter contumaciam, qoia nolunt parêre, ſed recuſant contumaciter recipere Ordines ſacros. Gloſſ. hîc V. Fatentur; junctâ addit. & Abb. n. 11. Excipitur, niſi tales beneficiati valde utiles ſint Eccleſiæ in alijs negotijs, ut quia ſunt providi in temporalibus, vel ratione ſcientiæ &c. tunc enim tolerari poſſunt, & relinqui in ſuis beneficijs, ut habetur in cit. c. Quæris; adeóque cum illis diſpenſatur. Hoſtienſ. ibidem V. Auferantur; & Abb. n. 4. Addit tamen Laym. ibid. n. 2. hanc exceptionem jure novo circa beneficia, quibus ſacer Ordo eſt aonexus, locum non habere, ut colligitur ex Clement. 2. h. t. & Concil. Trident. Seſſ. 7. c. 12. de reform. ubi prohibetur facultas de non promovendo, ſeu non recipiendo altiorem Ordinem Beneficiatis ultra annum prorogare, præterquam in caſibus à jure expreſſis, in c. Licèt; 14. & c. Cùm ex eo; 34. de elect. in 6.

Poſteriore caſu, ſi pro ſola voluntate ſua, ſive abſque juſta cauſa, ſeu impedimento allegato, recuſeot Ordines ſacros ſuſcipere, primò privari debent voce in Capitulo, vel quotidianis diſtributionibus, vel aliàs aggravari, juxta Clem. 2. h. t. per quam declaratur hæc decretalis, quia etſi loquatur ſolùm de obtineotibus beneficia, quibus certi Ordines ſunt annexi, quod ſtatim non ſint privandi, multò magis locum habet in obtinentibus beneficia, quæ certos Ordines non requirunt. Fagnan. hîc in fine. Poſtea ſubtrahendi ſunt eis reditus beneficiales, donec Ordines ſuſceperint. Gloſſ. fin. & Innoc. n. 2. V. Compellas; ac denique, ſi in contumacia perſtiterint, omnino ſunt privandi beoeficijs, prout habetur in hoc c. in fine. Hoſtienſ. ibid. & Abb. in fine. Ratio eſt ſecundùm Hoſtienſ. quia magìs contemnit is, qui pro ſola ſua voluntate ordinari recuſat, quàm qui juſtum impedimentum allegat, ideóque durius cum illo agendum.

Notandum 3. Non tantùm Rectores Eccleſiarum Parochialium, ſed etiam alij quicunque beneficia etiam ſimplicia, & tenuia obtinentes, qui perſonaliter ſervire Eccleſiæ tenentur, cogi poſſunt ad ſuſcipiendos Ordines ſacros etiam ſuis beneficijs non annexos, ob cauſam neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ. Hoſtienſ. hîc V. Si prædicti Clerici; Abb. n. 9. Et æquiparantur hîc neceſſitas, & utilitas: dicitur autem neceſſitas, quando Eccleſia indiget Miniſtris certorum Ordinum, nec reperiuntur alij, qui poſſint ordinari: utilitas verò, quando Eccleſia indiget Miniſtris talium Ordinum, ſed oon deſunt alij, quibus illi conferri poſſint Jo. Andr. hîc num. 12.

§. VII.

De duobus impedimentis dubiis, uno recipiendi ſacros Ordines, altero obtinendi Prælaturam.

Reſtant adhuc explicanda duo Capitula hujus Tituli, quorum prius meliùs poſitum ſuiſſet in Rubrica de temporib. Otdin. & qualit. Otdinandor. ut notat Gloſſ. ibid. Alterum etiam propriè ad bunc Titulum non pertinet.

LV. In c. Ad aures; 7. b. t. habetur, quòd qui-
» dam Canonicus Colonienſis propoſuit Papæ Cle-
» menti III. ſe, cùm Medicinæ peritus ſit, pluribus
» infirmis, ſecundùm præcepta artis illius, cùm di-
» ligentia, Medicameota præbuiſſe: quamvìs id ſæ-
» pius malè ſucceſſerit, quia aliqui, ex medicinis,
» quibus eos ſanare volebat, periculum morris in-
» curreruut: idcirco quæſivit, an uihilominus ad ſa-
» ctos Otdines promoveri poſſit? Reſpondet Papa,
» ſi in bis coocſcientia ipſum remordeat, ex contilio
» ſuo ad Otdines majores uon aſcendat.

Ubi notandum, ex homicidio caſuali, & omnino inculpabili non iocurritur irregularitas c. Larot; 9. de bomicid. adeóque, ſi Medicinæ peritus, adhibitâ diligentiâ, ſecundùm tegulas artis ſuæ, ptocedat (tum enim Medico eventus mortalitatis imputati non debet, l. Illicitas; 6. §. Sicuri; ff. de offic. Præſid.) etiamſi mots ſecuta fuetit, irregulatis non ſit, cùm ſir homicidium metè caſuale, & inculpabile. Quate etiam in caſu hujus e. ſi Canonicus ille in minoribus Otdinibus fuit conſtitutus, & peritus medicinæ, atque ſecundùm præcepta ſuæ attis eſt opetatus, cum debita diligeutia, nullam itregularitatem incurrit, uec timere debuit, ideóque etiam Papa non abſolutè ipſi prohibuit, ne ad majores Otdines aſcenderet, ſed ſolùm ipſi couſilium dedit, ne aſcenderet, ſi conſcientia ſua ipſum temotdeat, quia fortè ſaltem levem, ſeu venialem culpam, aut uegligentiam in curandis infirmis commiſit. Ioooceut. bic in fine, cùm ipſemet ſaſſus ſit, quòd multi ex medieiuis ſuis periculum morris ineurtetint: nam licèt Clericis nullo jure ſpecialiter ſit prohibitum exercete artem Medicam, vel Chirurgiam, niſi quando ſit cum aduſtione, vel inciſione, c. Sententiam; 9. Ne Cletici, vel Monachi &c. quia tamen ſunt officia ſeculatia, non poſſuut licitè exerceri à Clericis, niſi ob cauſam neceſſitatis, vel pietatis erga miſerabiles, & coguatas perſooas, ut docet Navarr. in Man. Præl. c.25. n. 110. §. 34. Quia ergo dictus Canonicus dedit opetam tei illicitæ, ſibique probibitæ, potuit ob homicidium, etiam per levem negligentiam ipſius, ſecutum itregularitatem conttahere, quia ad id ſufficit, etiam levis culpa, quando datut opera rei illicitæ, ſeu prohibitæ, ut docet Layman. l. 3. Theol. mot. tract. 3. p. 3. c. 10. num.4. in fine, de quo pluta alibi.

LVI. Præterea in c. Intelleximus; 12. h. t.
» habetur, quòd Canonicus quidam Regularis, qui in
» Monaſterio ſuo diu laudabilitet verſarus fuit, ttan-
» ſijt ad Otdinem Monachorum, ubi cùm aliquam-
diu permauſiſſet, poſtea pœnitentiâ ductus ad »
ptius Monaſtetium, uude diſceſſetat, redijt; ibí- »
que tam laudabiliter vixit, ut uuanimi Ftatrum »
conſeoſu, iu Abbatem ſuetit electus. Sed quia in »
altero Monaſterio, ad quod ttanſijt, aliquamdiu »
motatus fuit, dubitabat, an Ptælaturam, ad quam »
fuit promotus, licitè retinere, eámque adminiſtra- »
re poſſit, cùm dectetum ſit (ab Utbano II. in c. Man- »
damus: 2. cauſ. 19. q. 3.) ne Canonicus Regularis, »
niſi publicè lapſus ſuerit, Monachus fiat: alioquin »
ad Otdinem Canouicotum tevertatur, & cucul- »
lum tanquam memoriale ſuæ ptæſumptionis, ſeu »
transgreſſiouis deſetat, & ultimum locum in Cho- »
ro teoeat. Cùm autem Papam Innocentium III. »
ſupet hoc conſuluiſſet, is ei mandavit, ut ſolici- »
tam, ac diligentem curam getat in Prælatuta admi- »
niſtranda ſibi commiſſa. »

Sed contra hujus c. deciſionem opponi poteſt, quòd ſecundùm SS. Ganones, licitum eſt Religioſo tranſire ab Otdine laxiore ad ſtrictiotem Religionem, zelo melioris vitæ, & petitâ, quamvìs non obtentâ licentiâ, c. Licèt; 18. de Regular. Sed Ordo Canonicorum Regulariom eſt laxior, quàm Religio Monachotum, c. Quod Dei; 5. de ſtatu Monach. etgo Canonicus iſte Regularis licitè potuit tranſire ad Religiouem Mouacborum, quippe ſtrictiorem, c. Sanè; 10. de regular. adeóque ibi permanere debuit, nec ad prius Monaſterium tedire potuit. Reſpondetur eum S. Tbom. 2.2. q. ult. a. 8. ad 2. quòd olim, quando in pleriſque Monaſtetijs Monachi Clerici non erant, ſed Laici, ut conſtat ex c. 1.2. 3. & c. Alia; 6. c. Generaliter; 40. cauſ. 16. q. 1. uon erat permiſſum Canonicis Regularibus ad illos tranſire, quippe qui juxta profeſſionem ſuam ſunt deſtinati ad Sacetdotium, & divina officia obeunda, quæ Clericis ſunt ptoptia: Verùm quia & olim frequenter Monachi in Cletum aſſumebantur, ut couſtat ex c. Si Mooachus; 22. & ſeqq. eit. cauſ. & q. & multò magìs hodie paſſim Clerici eſſe ſoleant, ideo Cauonici Regulares poſſout licitè tranſire ad Ordinem Monachorum, quippe ſtrictiorem, petitâ tamen Sopetioris licentiâ, c. Statuimus; 3. cauſ. 19. q. 3. ſed uon vice verſâ, de quo plura ſuo loco.

Quòd verò ad caſum hujus e. attinet, cùm in textu uon exprimatur, utrùm Canonicus iſte Regularis licirè, an illicitè tranſierit ad Ordinem Monachotum, ideo vatiè reſpondent Gl. hîc V. Curam; Hoſtienſ. V. Mandamus; & Abb. n. 1. & alij Canouiſtæ communiter, nempe quòd Canonicus iſte adhuc fuerit in ptobatione Ordinis, ad quem tranſijt, & ſic potuit reverti ad prius Monaſtetium. Vel quía in Monaſterio, ad quod ttanſijt, etat laxior obſervantia Regulæ, quàm in priote Monaſterio, quod erat ſtrictioris obſervautiæ, & ideo potuit ad illud reverti. Vel quia, non petitâ liceotiâ à Prælato ſuo, tranſijt ad Monaſterium Ordinis Monachorum, & ideo potuit revocari à priote Monaſterio, & cogi ad revertendum etiam poſt profeſſionem emiſſam. Vel denique quia Canonicus iſte Regularis petijt, & impettavit, ut in Monaſterium, ex quo diſceſſetat, denuo recipetetur, ut ſupponit Layman in Paraphraſi hujus c.

TITVLVS XV.

DE SACRA UNCTIONE.

IN Ordinibus conferendis, & Eccleſiæ Miniſtris conſecrandis adhiberi ſolet ſacra Unctio, & ideo ſub tractatu Ordinationum agitur de varijs ſacris Unctionibus.

I. Continet hic Titulus unicum capit. in quo in primis habetur, quòd cùm quidam Epiſcopus Græcus conſecratus fuiſſet, non adhibitâ ſacrâ Unctione, quia apud Græcos, Pontifices, ſive Epiſcopi, cùm conſecrantur, inungi non ſolent: ideo Papa Innocentius III. mandat cæremoniam illam omiſſam ſuppleri, & dictum Epiſcopum ab Epiſcopo Albanenſi, aſſiſtentibus ei alijs duobus Epiſcopis (ſicuti ſecundùm morem Eccleſiaſticum requiritur) in capite, & manibus ſacro Chriſmate inungi.

Hinc colligitur, ſi cæremoniæ etiam accidentales, quæ ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinent, omiſſæ fuerunt, eæ poſtea ſuppleri debent, qualis eſt unctio in conſecratione Epiſcopi, ut patebit ex dicendis tit. ſeq.

II. Porrò duplex eſt unctio, una interior, & inviſibilis, ſeu ſpiritualis, quæ fit in corde, ſive animâ per Spiritum S. altera exterior, & viſibilis, ac materialis, quæ fit in corpore; & eſt ſignum interioris, & inviſibilis unctionis; hæc enim non tantùm eſt ſignificatum, ſed etiam res Sacramenti, conferens, vel augens gratiam, cit. c. unic. §. Scite. Ad exteriorem verò, ſeu viſibilem unctionem adhibetur oleum benedictum; quod duplex eſt, oleum Catechumenorum, & infirmorum confectum ex olivis; & Chriſma confectum ex oleo myſticè deſignante nitorem conſcientiæ, & balſamo, per quod odor bonæ famæ ſignificatur. Et hoc Chriſmate inungi debet Epiſcopus in capite, & in manibus; cujus caput quidem inungitur, ad ſignificandam auctoritatem, & dignitatem Ordinis Epiſcopalis: manus verò ad oſtendendum, eum accipere poteſtatem conſecrandi, & benedicendi, cit. c. unic. §. Ad exhibendum. Presbyteri verò cùm conſecrantur, unguntur in manibus oleo benedicto ſimplici. Gloſſ. in c. Præterea; 12. V. Chriſmatis; diſ. 23. Hoſtienſ. in ſumm. n. 3. h. t.

III. Præterea Reges quoque olim in veteri teſtamento inungebantur in capite: nunc verò, poſt adventum Chriſti, qui eſt caput totius Eccleſiæ; ſolùm inunguntur in brachio, humero, vel armo, quia ijs propriè deſignatur Principatus, juxta illud Iſai: c. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Inunguntur autem Reges non Chriſmate, ſicut Epiſcopi, ſed ſimplici oleo benedicto, ut oſtendatur, quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, ſive Epiſcopi, & poteſtatem Principis ſecularis: nam & ille etiam hodie in capite inungitur, quia repræſentat perſonam capitis, ſcilicet Chriſtum, in Pontificali officio, cit. c. unic. §. Unde in Veteri; h. t.

IV. Sed in novo Teſtamento, non ſolùm Reges, & Sacerdotes, ſed etiam omnes Chriſtiani unguntur, quia in ſanguine Chriſti facti ſunt Deo regnum, & quaſi Sacerdotes (offerentes ex puro corde orationum ſacrificia) juxta illud 1. Petr. c. 2. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium.* Unguntur autem bis, ante baptiſmum, oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter ſcapulas: & bis poſt baptiſmum Chriſmate ſancto, primùm in vertice, & poſtea in fronte, cùm confirmantur, cit. c. unic. §. Quia verò; ubi harum unctionum ratio, & cur in dictis partibus fiant, redditur. Additur verò ibid. in fine, quòd Chriſtiani, ante baptiſmum, ungantur ſolùm oleo benedicto; poſt baptiſmum verò ſacro Chriſmate, quia Chriſma ſoli competit Chriſtiano, Chriſtus enim à Chriſmate dicitur, vel potiùs à Chriſto dicitur Chriſma, non ſecundùm nominis appellationem, ſed myſticam fidei ſignificationem. Chriſtiani verò dicuntur à Chriſto, ſicut denominantur ab unctione.

V. Per frontis autem Chriſmationem manûs impoſitio deſignatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur, quia per eam Spiritûs ſancti robur, & augmentum confertur. Quare etſi alias unctiones etiam ſimplex Sacerdos miniſtrare poſſit, (ut in baptiſmo, c. Presbyteris; 119. & c. ſeqq. diſ. 4. de conſecrat. & cùm infirmos inungunt Sacerdotes, de qua unctione S. Jacobus Apoſtolus, in ſua Canonica Epiſt. c. 5. ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum in nomine Domini, &c.* cit. c. unic. §. Scite; h. t.) hanc autem Chriſmationem ſolus Summus Sacerdos, id eſt, Epiſcopus, poteſt conferre, quia de ſolis Apoſtolis legitur in actis Apoſtolorum c. 8. (quorum Vicarij ſunt Epiſcopi) quòd per manûs impoſitionem Spiritum S. dabant. Ita habetur in cit. c. unic. §. Per frontis.

Porrò etſi ſolus Epiſcopus, Jure communi, & Ordinario, Sacramentum Confirmationis conferre poſſit, ut hîc dicitur; ex delegatione tamen S. Pontificis, ob rationabilem, & valde urgentem cauſam, etiam per ſimplicem Sacerdotem adminiſtrari poteſt, juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam. Idque ſumitur ex c. 1. diſ. 95. ubi Papa Gregorius ait, ſe concedere, ut Presbyteri ad vitandum ſcandalum, ubi deſunt Epiſcopi, baptizatos in fronte Chriſmate inungere poſſint. Idémque determinatum videtur à Concil. Florentino in Decreto Eugenij §. Secundùm Sacramentum: ubi ait: *Legitur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili, & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtrâſſe Confirmationis Sacramentum.*

Idque colligitur etiam ex Concilio Trident. Seſſ. 7: can. 3. de confirm. ubi definit, ſolum Epiſcopum eſſe ordinarium Miniſtrum Confirmationis, & hoc ipſo indicat, alium poſſe eſſe delegatum, ut notant DD. & juxta declarat. S.Congreg. Concil. ibid. apud Joan. Gallem. n. 1. etiam Abbates, ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, de conſenſu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum Confirmationis conferre poſſunt.

VI. Præter prædictas unctiones ſacras, inungi etiam ſolent, ſecundùm morem Eccleſiaſticum acceptum à S.Sylveſtro, Altaria, cùm conſecrantur, Eccleſiæ, ſeu Templa, cùm dedicantur, calices, cum benedicuntur. Neque propterea judaizat Eccleſia, cùm tales unctiones adhibet, ſicut imperiti aliqui objecerunt. cit. c. unic. §. Ungitur præterea: nam unctiones Veteris Teſtamenti erant tantùm umbræ, ſeu figuræ ſignificantes gratiam futuram; unctiones verò novi Teſtamenti ſunt veritas, & ſignificant gratiam præſentem. Laym. hîc in cit. §. Ungitur: ubi etiam additur: illum in Ordinandis Presbyteris, & conſecrandis Epiſcopis morem obſervandum eſſe, quem Apoſtolica Sedes obſervat.

VII. Denique Romanus Pontifex baculo paſtorali non utitur, ſicut alij Epiſcopi, & Prælati, idque tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem, cit. c. unic. §. fin. Et hiſtoriam quidem refert Gl. hîc. V. Propter hiſtoriam, & Hoſtienſ. in ſumm. num. 14. h. t. Myſtica verò ratio eſt, quia curvitas baculi paſtoralis deſignat, eum, qui baculum à Superiore ad regendum accepit, ab eodem inflecti, & ſi non bene rexerit, penitus removeri poſſe; quod non habet locum in S.Pontifice, qui poteſtatem à ſolo Deo accepit, nec ullum Superiorem in terris habet; Gl. hîc. §. fin. V. Myſticam, junctâ Gl. margin. & Hoſtienſ. in ſumm. in fine h. t.

TITVLVS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

EST hîc ſermo de ijs Sacramentis, quæ characterem imprimunt, ideóque iterari non debent, quorum tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, nam reliqua per ſe conſtat, licitè ſæpius reiterari poſſe, ut ex communi docet Hoſtienſ. in ſumm. num. 11. h. t. Et quidem ex inſtituto hîc agitur ſolùm de ijs Sacramentis, quorum adminiſtratio ad Epiſcopum pertinet, videlicet Confirmatione, & Ordinatione, quòd ea nunquam ſint iteranda, ſed, ſi quid in eorum adminiſtratione omiſſum ſit, id poſtea ſupplendum ſit, ut mox dicetur.

I. Aſſertio 1. Si quis, ſinè impoſitione manuum, ad Ordinem Subdiaconatûs fuerit promotus, vel ſi quis in Sacramento Confirmationis per errorem, non chriſmate, ſed oleo ſimplici fuerit unctus, non eſt aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quòd incautè fuerat prætermiſſum, prout reſpondit Papa Innocentius III. in c. 1. h. t.

II. Notandum hîc 1. Subdiaconus in ſui Ordinatione non accipit manûs impoſitionem, conſecratoriam ſcilicet, quam ſolus Epiſcopus facere poteſt, dicendo: *Accipe Spiritum ſanctum &c.* ut patet ex c. Subdiaconus; 15. diſ. 23. & ibi Gl. V. Quia manus: ſed accipit tantùm deprecatoriam manûs impoſitionem, quæ eſt quædam benedictio, juxta Gl. in hoc c. V. Impoſitione, & conſtat ex c. Manus; 74. cauſ. 1. q. 1. quæ fit etiam in minoribus Ordinibus conſtituris. c. 1. diſ. 69. quamquàm Innocent. hîc n. 1. dicat, textum huius c. 1. eſſe corruptum, & pro *Subdiaconatu* legendum eſſe *Diaconatum*, & conſentit Gl. margin. hîc, quæ ait, in duobus vetuſtioribus Codicibus legi, *Diaconatûs.* Porrò in hoc caſu priùs ſupplenda eſt illa manûs impoſitio, quæ erat omiſſa, quàm Subdiaconus, præſertim verò Diaconus (juxta vetuſtiorem lectionem Innocentij, cùm ad eſſentiam Ordinationis Diaconi pertineat manuum impoſitio, ut conſtat ex c. 6. Actor.) miniſtrare permittatur; ut implicitè reſpondit Pontifex in hoc c. Gl. ibid. V. permitti.

III. Notandum 2. Quamvis Cajetanus, & poſt illũ Navarr. in man. Præl. c. 22. n. 8. & l. 1. conſil. 1. de ſacra Unct. n. 4. & alij nonnulli ex cit. c. 1. h. t. inferant, admixtionem balſami non eſſe de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, ſeu balſamum non eſſe partem eſſentialem materiæ Confirmationis; quia Pontifex hîc reſpondit, non eſſe aliquid iterandum, etiã ſi ſinè balſamo unctio ſit facta: at, ſi balſamum eſſet materia neceſſaria, ſeu eſſentialis confirmationis, iterari debuiſſet Sacramentum Confirmationis, quia nullum fuiſſet, ac irritum, cùm non poſſit ſubſiſtere ſinè ſubſtantiali parte materiæ. Verùm id ex hoc c. Non evincitur: nam inprimis Pontifex in genere dicit, in talibus non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum: non iteratur autem hoc caſu Sacramentum Confirmationis, ſed primùm confertur; cùm prior illa collatio, ob ſubſtantialem defectum, nempe omiſſionem chriſmatis, fuerit irrita. Deinde Pontifex interrogatus, utrùm Sacramentum Confirmationis collatum ſinè Chriſmate debeat iterari, abſolutè negat, eſſe iterandum, ſive iterum conferendum, cùm certum ſit, Sacramenta characterem imprimentia nunquam iteranda eſſe: ſed id, quod omiſſum, ſeu nunquam

collatum fuit (ſive ſubſtantiale ſit, ſive accidentale) ſupplendum eſſe: quare, cùm in caſu huius c. omiſſa fuerit unctio, non puri olei, quæ adhibita fuit, ſed Chriſmatis, ſive olei admixti balſamo, ea non quidem iteranda, ſed conferenda eſt, non autem unctio ſolius balſami adhibenda eſt, ſed Chriſmatis, ſive mixti oleo, ut rectè notavit Abb. hic in fine, quia cõtra morem Eccleſiæ eſt, ut unctio fiat ſolo balſamo in Confirmatione. Sed neque in eiuſmodi caſu accidentales Cæremoniæ, quæ ſemel ſolemniter ſunt adhibitæ, repetendæ ſunt, etſi poſtea ſubſtantialis defectus in materia, vel forma Sacramenti deprehendatur, ſed is tantùm privatim ſupplendus eſt, ut docet Laym.l.5.Theol.moral.tr.3.c.2.n.1. Porrò cum unctione Chriſmatis, ſimul debet proferri forma Confirmationis, *ſigno te ſigno crucis &c.* & ſi priùs in unctione ſimplicis olei prolata fuerit, quia unctio Chriſmatis nunquam fieri ſolet ſinè forma verborum, Abb.c.l.Tanner.tom.4.diſ.4. q. 4. dub. 1. n. 18. Eaque tunc ſaltem neceſſariò repetenda eſt, unà cum unctione Chriſmatis, ſi admixtio balſami ſit eſſentialis pars materiæ Confirmationis, juxta communiorem, & probabiliorem ſententiam DD. quod ſatis indicat Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. Secundum Sacramentum; quando abſolutè ait: *Materiam huius Sacramenti eſſe Chriſma confectum ex oleo, & balſamo.* Nam tali caſu primùm confertur, non autem iteratur Sacramentum, cùm prior collatio fuerit nulla, ob defectum ſubſtantialem materiæ, & conſequẽter etiam formæ prolatio fuit invalida, & nullum effectum habuit, quippe prolata ſuper invalida materia.

Si verò admixtio balſami ſit ſolùm accidentale quid, neceſſitate præcepti, non autem Sacramenti, ſive tanquam pars ſubſtantialis requiſita ad materiam confirmationis, juxta oppoſitam ſententiam, quæ ſaltem probabilis eſt; tunc unctio fieri debet Chriſmate, ſinè repetitione formæ, quia illud duntaxat nunquam collatum fuit, ideóque ſupplendum eſt, juxta c.1.b.t. Alioquin, ſi poſtea fieret unctio Chriſmatis, repetitâ formâ, iteraretur Sacramentum, cùm prior illa collatio facta, ſinè Chriſmate, cum ſimplici oleo, fuerit quoad ſubſtantiam valida, & perfecta, adeóque etiam forma prolata fuit ſuper materia valida, etſi illicita, & Sacramentum fuit validè collatum, non tamen licitè.

„ IV. Aſſertio 2. Cùm ordinantur Presbyteri,
„ & Diaconi, manuum impoſitionem, interveniente
„ tactu corporali, accipiunt, qui ritus primùm ab A-
„ poſtolis introductus, ſeu uſurpatus eſt (ut conſtat
„ ex 1.ad Timoth.4.& 2.ad Tim.1.& Act.6.) Quòd ſi
„ manuum impoſitio, per oblivionem, aut errorem,
„ omiſſa fuerit, non eſt aliquid iterandum, ſed ſta-
„ tuto tempore ad huiuſmodi Ordines conferendos
„ (ſcilicet in proxima Ordinatione generali) cautè
„ ſupplendum eſt (id eſt, ut, quantum fieri poteſt, ab
„ aliis aſtantibus non advertatur) quod prætermiſ-
„ ſum fuit. Suſpenſio verò, id eſt, impoſitio manuum
„ debet ſimul fieri, cum oratione, ſeu benedictione
„ Epiſcopali, id eſt, formâ verborum. Ita habetur in
c. Presbyter; 3. b.t. & explicat Hoſtienſ. in ſumm. n. 10. h. t.

V. Notandum hic 1. ſolis Presbyteris, & Diaconis imponuntur manus in eorum Ordinatione ab Epiſcopo, c. Quorundam; 14. diſ. 23.& patet etiam ex hoc c. quia ipſis competit diſpenſatio Sacramentorum, licèt uni, ut principali, alteri, ut miniſtro, ut docet S.Thom.in 4. diſ. 24. q.2. a. 3. Sed neque eodem modo imponuntur utrique manus, nam, cùm Diaconus ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum (ſcilicet dexteram) imponit ſuper caput Ordinandi. c. Diaconus; 11. diſ. 23. Sed in Ordinatione Presbyteri ambas manus Epiſcopus ei imponit: & quidem bis, ſemel ante Ordinationem, antequam ei porrigatur calix cum vino, & patena cum Hoſtia; & tunc ſimul etiam reliqui Presbyteri præſentes, juxta manus Epiſcopi, ſuas quoque manus ſuper caput Presbyteri ordinandi tenent. c. Presbyter; 3.cit.diſ. & Gl.hic V. impoſitionem, deinde poſt celebrationem Miſſæ, iterum imponuntur manus Presbytero jam ordinato ab Epiſcopo, & ſimul proferuntur illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris &c.* ut habetur in Pontificali Rom.

Notandum 2. In Ordinatione Presbyteri, & Diaconi intervenire debet tactus corporalis, v.g. ut manus capiti imponatur phyſicè, & realiter, patena, calix, vel liber Evangeliorum tangatur ab Ordinato, ut colligitur ex hoc c. ibi: *tactu corporali*, probabile tamen eſt, non requiri tactum phyſicum, & corporalem ad ſubſtantiam, & valorem Sacramenti, ſed ſufficere moralem acceptationem, item moralem impoſitionem manuum capiti ordinandi factam, vel moralem acceptationem inſtrumenti, quod traditur, v. g. calicis, ut docet Laym.l.5.tr.9.c.5. n.4. & in hoc c. n.3. quamvìs ex neceſſitate præcepti tactus phyſicus, & corporalis intervenire debeat.

Notandum 3. Ex hoc c. Hoſtienſ. hic V. Iterandum; & plures alij DD. probant, impoſitionem manuum non eſſe de ſubſtantia Ordinis Presbyteratûs, vel Diaconatûs, ſed ſolùm accidentalem ſolemnitatem, ſeu cæremoniam, tum quia hìc dicitur, eſſe ritum ab Apoſtolis introductum, adeóque non ex inſtitutione Chriſti: tum quia ſi manuum impoſitio eſſet de eſſentia, non ſufficeret ſupplere omiſſum, ut hìc dicitur, ſed tota ordinatio, quippe invalida, iteranda eſſet, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum. c. Veniens; 3. de Presbyt. non bapriz. Verùm id ex hoc textu non rectè probatur: nam hæc verba, *non eſt aliquatenus iterandum*, quæ obiter ſolùm interſeruntur, non neceſſariò intelliguntur de prima inſtitutione huius ritûs ab Apoſtolis factâ, ſed quia ipſi cœperunt primi uſurpare hunc ritum in Ordinationibus Presbyteri, & Diaconi. Deinde Ordo Presbyteratûs, vel Diaconatûs ſemel ritè, & validè ſuſceptus nunquam poteſt iterari: quòd ſi collatus ſit, ſinè impoſitione manuum, adeóque invalidè, eáque poſtea ſuppleatur, non iteratur Sacramentum, quod hìc negatur iterandum eſſe, quippe, quod priùs invalidum fuit, ſed primò confertur, ut ſuprà in ſimili de Confirmatione ſine unctione balſami facta dictum eſt: Quin imò in ipſo textu ſupponitur, hos Ordines, omiſsâ manuum impoſitione, non fuiſſe revera collatos, ſed poſtea primùm fuiſſe conferendos, ut patet ex illis verbis: *ſtatuto tempore ad huiuſmodi Ordines conferendos cautè ſupplendum &c.* ut rectè notavit Tanner.tom.4.diſ.7.q.2.dub.3. n.65.

Notandum 4. Materia, & forma Sacramenti Ordinis debent ſimul, ſive eodem tempore adhiberi, ut colli-

colligitur ex fine huius c. ita,ut moraliter ſaltem ſint conjunctæ, ſicut etiam in aliis Sacramentis: forma verò verborum, *Accipite Spiritum ſanctum &c.* quæ profertur in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi, vocatur in SS. Canonibus interdum oratio, ſeu benedictio Epiſcopalis, ut conſtat ex hoc c. in fine, & c. Presbyter; 8. & c. Diaconus; 11. diſ. 23.

VI. Cæterùm addendum hîc, quòd ſtatutum habetur in c. A nobis; 2. h. t. ubi quæſitum fuit ex Papa Honorio III. utrùm corpora deſunctorum fidelium, quæ à Schiſmaticis ſepulta ſunt in loco ſacro, debeant iterum exhumari: Et an veſtes ſacerdotales, cum quibus, & Altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrârunt, iterum benedici, vel cōſecrari debeant? Reſpondet Papa, non eſſe corpora fidelium, ob id duntaxat, quòd à Schiſmaticis ſepulta fuerint, exhumanda (dummodo non ſcienter elegerint, vel conſenſerint à Schiſmaticis ſepeliri, tunc enim graviter deliquiſſent, & exhumanda eſſent. arg. c. fin. diſ. 88. & c. fin. diſ. 91. nec ipſi Schiſmatici fuerint, vel excommunicati. Gl. marg. hîc Hoſtienſ. V. Duntaxat, & V. Exhumandos, & Abb. in notat.) Neque etiam tales veſtes iterum benedicendas, aut Altaria denuo conſecranda eſſe. Ratio eſt, quia nec veſtes ſacræ, nec Altaria per hoc ſunt execrata, ſed benedictionem, vel conſecrationem priùs acceptam retinent, ideóque non debent iterum benedici, vel conſecrari, Gl. hîc V. Benedici, & V. Altaria. Neque etiam Eccleſiæ, Altaria, & aliæ huiuſmodi res ſacræ reconciliari debent, niſi in caſibus jure expreſſis, ut conſtat ex c. Eccleſiis; 20. diſ. 1. de conſecr. hic autem caſus violationis nullibi in jure reperitur expreſſus. Verùm de hoc plura ſuo loco. l. 3. tit. 40.

TITVLVS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORVM ORDINANDIS, VEL NON.

Poſtquam in Superioribus actum eſt de Ordinationibus, & Ordinandis, nunc per plures titulos ſeqq. uſque ad Tit. 23. tractatur de variis impedimentis Ordinum. Et in hoc quidem Titulo agitur de ijs, qui ordinari, & beneficiis præfici prohibentur, ob defectum natalium, adeóque non ſolùm de filiis Presbyterorum, ſed etiam de aliis illegitimè natis, utrùm ordinari, ac beneficiis præfici poſſint, an non, ut notat Gl. margin. hîc, & patet ex Rubrica, ſeu Inſcriptione huius Tituli in Sexto.

§. I.

Quinam ob defectum natalium ab Ordinibus, & beneficiis Eccleſiaſticis repellantur?

I. Aſſertio 1. Filij Presbyterorum (quos in Sacerdotio genuerunt) & omnes alij illegitimè nati (non tantùm ſpurij, ſive ex nefario, & damnato coitu orti) ſed etiam ex ſimplici fornicatione nati, ad Ordines ſacros non ſunt promovendi: niſi vel Monachi fiant, vel in alia Congregatione Canonica, ſeu Regulari vivant: non tamen tales Religioſi ad Prælaturam aſſumi debent, prout habetur ſtatutum in c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Pictavienſi, ubi in fine additur: ſed neque ſervi, id eſt, mancipia, ordinandi ſunt, niſi priùs à dominis ſuis libertate donentur, de quo Tit. ſeq. Idque ſtatutum fuit, tum ob dignitatem, & excellentiam Ordinis, ſeu ſtatûs Clericalis, ad quem perſonæ infames, aut quæ notam turpitudinis contraxerunt, admitti non debent, c. Inter dilectos; 11. de exceſſib. Prælat. Tum in deteſtationem paterni criminis, quod Jus plerumque etiam in filiis temporaliter punit, c. Vergentis; 10. de hæretic. ut per id puniatur pater, ob magnum affectum parentum in filios, qui mala filiorum ſæpe magis ſentiunt, quàm propria. Tum ob timorem paternæ incontinentiæ, cuius imitatores futuri præſumuntur filij, c. Litteras; 14. h. t. c. Si gens; 10. diſ. 56. quò facit illud tritum, *ſæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri*, Gl. in c. 2. V. Defectu. h. t. in 6. Hoſtienſ. in ſumm. n. 6. h. t. Rebuff. in praxi benefic. tit. ſuper defectu natal. n. 3. & duobus ſeqq.

II. Aſſertio 2. Non tantùm autem ad Ordines ſacros, ſed etiam ad Ordines minores, filij Presbyterorum, & alij illegitimè nati, abſque diſpenſatione, promoveri non poſſunt, ut conſtat ex c. 1. h. t. in 6. ſicut neque ad dignitates, perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia, ſinè diſpenſatione, promovendi ſunt, c. ult. h. t. imò neque ad beneficia non curata, ſeu ſimplicia, cit. c. 1. eod. in 6. Quis autem cum illis diſpenſare poſſit, dicetur. §. ſeq.

III. Excipiuntur 1. Legitimati per ſubſequens matrimonium, nam filij nati ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tempore conceptionis, vel, ut quidam aſſerunt, ſaltem tempore nativitatis, nullum adfuit impedimentum Canonicum ad contrahendum matrimonium, ſi poſtea legitimè contrahant, legitimi fiunt per ſubſequens matrimonium, quia hoc retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel nativitatis, ex quadam Juris Canonici benignitate; & per matrimonium ſubſequens purgatur præcedens macula, & turpitudo contracta ex illicito, & fornicario concubitu,

bitu, adeóque tales ad Ordines etiam ſacros promoveri poſſunt, Suar.diſ.50. de ceoſur. ſect.1. n. 2. Piaſec. in praxi Epiſc.p.1.c.1.2.4.n.11. Garc. p.7. de benef.c.2.n.28. Secus eſt, de illis, qui coocepti, vel nati ſunt ex adulterio, inceſtu, vel alio coocubitu à lege damnato, hi enim oon legitimaotur per ſubſequens mattimonium, etiam verum, ac proiode etſi legitimati, non poſſunt promoveri ad Ordines, ſinè diſpenſatione, Suar.cit.ſect.1.n.5.Pariſ.c.l. Garc. cit. c.2.n.33.& ſeq. de quo plura ſuo loco.

IV. Excipiuntur 2. Legitimati à Papa, vel alio Prælato Eccleſiaſtico ad id ab eo poteſtatem habeute, hi enim ad Ordiues etiam ſacros promoveri poſſunt: ſecus ſi ſiot legitimati à Priocipe ſeculari, videlicet Imperatore, Rege, vel alio Principe ſuperiorem non recognoſcente, is enim legitimare tantùm poteſt ad jura, & officia civilia, oon autem Eccleſiaſtica. Suar. cit.diſ.50. ſect. 5. o.8. Piaſec. c.l. n.10. & 13.Garc.c.l.n.45.

V. Excipiuntur 3. Ii illegitimi, cum quibus diſpenſatom fuit per habentem ad id poteſtatem, ut Ordiues etiam ſacros ſuſcipere poſſint. c.1. h.t. in 6. Suar.cit.ſect.5.n.7. Garc. n.47. Ubi tamen notandum eſt diſcrimen inter legitimationem, & diſpenſationem cum illegitimo, in ordine ad certum actum, vel effectum, v.g. ad Ordioes, vel ad beneficia: oam legitimatio eſt abſoluta reſtitutio natalium, ita, ut per eam legitimatos acquirat omnia jura legitimorum. l.Quæris.3.ff.de oatalib. reſtituend. niſi in ipſo reſcripto legitimationis, vel communi Jure, vel per conſoetudinem aliqua ſpecialiter excepta ſint. V.g. ut legitimatus in civilibus ooo poſſit ſuccedere in feudo, vel oobilitate paterna: vel ut legitimatus in Eccleſiaſticis non poſſit promoveri ad dignitatem Epiſcopalem, vel Cardinalitiam. At verò diſpenſatio non omnino tollit vitium natalium, ſed tribuit poteſtatem exercendi aliquos actos legitimos, non obſtante eo defectu. 2. Legitimatio, cùm ſit gratia, & beueficium Principis, adeóque favorabilis, amplam ioterpretationem habere debet: diſpenſatio verò ſtrictæ interpretatioois eſt, cùm deroget Juri communi, quod favorabile eſt, c.1. §. Ille verò. h.t. io 6. Lapus ibid.n.8.ex Aocharan. Rodriq. qq. Reg. tom. 1. qu. 13. a. 10. 3. Poteſtas legitimandi ſoli Principi ſupremo veluti proprium ipſi⁹ privilegium competit: poteſtas verò diſpenſandi ad certum actum, etiam inferioribus v.g. Epiſcopis interdom Jure communi, & Ordinario couvenire poteſt, ut ex dicendis patebit.

VI. Excipitur 4. Niſi illegitimè uati Religioſi fiant, tunc enim ad Ordines etiam ſacros promoveri poſſunt. c.1.diſ.56, & c.1.h.t. Solus aotem iogreſſus in Religionem edocatiouis, vel probationis causâ, non tollit irregularitatem ottam ex defectu natalium, ſed per ſolam profeſſionem, vel vota in Religione approbata emiſſa (per quæ aliquis verus Religioſus, etſi noo profeſſus, efficitur, cujuſmodi ſunt vota ſimplicia Societatis Jeſo poſt biennium Novitiatus edita) fit quis aptus, & eo ipſo diſpenſatus cenſetur ad omnes Ordines ſuſcipiendos. Suar. cit.diſ.50.ſect.5.n.12.& 14.Sanch.l.5.mor.c.5.num. 12.& 13. quia verba illa cit.c.1. *niſi Monachi fiant* h.t. propriè, & cum effectu intelligi debent, verè autem, & cum effectu nemo fit Religioſus, ante profeſſionem, vel vota Religionis edita. Nec obſtat, quòd in cit.c.1. additur: *vel in Congregatione Canonica regulariter viventes*, quia per hoc ſolùm ſignificatur, non tantùm Monachos, ſed etiam Clericos, ſeu Caoonicos Regulares liberari ab irregularitate contracta ex defectu natalium per ingreſſum Religionis, ſive profeſſiooem in illa, prout etiam colligitur ex cit. c. 1. diſ.56. ex illis verbis: *niſi aut in Cænobiis, aut in Canoniis religiosè probati, fuerint converſati*, id eſt, oiſi fiant Monachi, aot Canonici Regulares: adeóque, ut aboleatur hæc irregularitas, oon requiritur tantùm, ut ſint educati in Religione; vel, ot in probatioue fueriot, ſed ut poſt ſufficientem probationem, ſiut admiſſi, quod fit per profeſſionem Religioſam. Suar. c.l. o.14.& Saoch.n.12. Idque coofirmatur ex eo, quia nomine Mooachi, aut Religioſi, hic non poteſt intelligi novitius, cùm enim legitimatio ad Ordines fiat ad rem quandam ſtabilem, ac perpetuam, non expediebat, aliqoem legitimari ad Ordines, donec ſtatum Religioois perpetuum aſſumpſit: alioquin fraus contra legem fieri poſſet, ſi Novitius illegitimè natus Ordioes ſacros ſuſciperet, & ante profeſſionem iterum egrederetur, prout liberè poteſt. Franc. in c.1.n.11.h.t.in 6. Suar.c.l. n.12.

Porrò non tantùm illegitimos per profeſſionem religioſam fit babilis ad ſuſcipiendos Ordines etiam ſacros, ſed etiam ad utendom Ordioibus ſuſceptis, ſive miniſtrandom in illis, cùm hoc poſterius faciliùs coocedi ſoleat, quàm prius, ut ſi quis fortè ſioè diſpenſatione ordinatus fuerit, ac poſtea profeſſus ſit Religionem. Sanch.c.l.n.10.

Quòd autem etiam per vota ſimplicia emiſſa in Societate Jeſu, poſt biennium Novitiatûs elapſum, tollatur hæc irregularitas orta ex defectu natalium, probatur inde, quia Canones ſuprà allati tantùm requirunt ad eam abolendam, ut illegitimus fiat verus Religioſus, qualis fit, qui hæc vota emittit, juxta Extravag. Aſcendente Domiuo Gregorij XIII. idque favore Religionis ſtatutum eſt. Et hinc etiamſi is, qui per vota ſimplicia factus eſt Religioſus, ſi à Societate recedat, & à votis abſolvatur, non tamen reincidit in banc priſtinam irregularitatem, ſed ſi promotus ſit jam ad Ordines ſacros, poteſt eis uti, vel ad eos promoveri, ſi nondum eoſdem ſuſceperit, cùm irregularitas hæc per vota Religiouis ſit omuino ſublata; neque ex eo, quòd, ſi Novitius ſit abſolutus ab excommunicatione, deſertâ Religione, in illam reincidit, ſequitur poſt vota Religionis emiſſa, eum etiam reincidere in irregularitatem, à qua foit ſemel abſolutus, qnia id oullo jure cavetur, & abſolutio conſecuta eſt ſuom effectum, ad quem ordinabatur: neque quod de abſolutione ab excommunicatione ſtatutum eſt, ad irregularitatem eſt extendendum, Suar. cit. ſect.5. n.14. Sanch. cit.c.5.n.14.

VII. Cæterùm, hactenus dicta procedunt quoad Ordines ſuſcipiendos, nam ad Prælaturas illegitimè nati, etſi Religioſi facti ſint, non poſſunt promoveri, ſinè diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, cit. c. 1. junctâ Gl. V. Prælationem. h.t. Neque ad dignitates, & beoeficia habentia curam animarum, extra vel intra Ordinem, c. ult. h. t. etſi poſſint,

abſque alia diſpenſatione, promoveri ad omnia beneficia, adminiſtrationes, & officia Ordinis, quæ curata non ſunt, atque manualia, ſeu ad nutum Superioris, à quo etiam conſeruntur, auferri poſſunt. Abb. in cit. c. 1. in fine h. t. Navarr. l. 1. conſil. 6. n. 2. & ſeqq. h. t. Sanch. c. l. n. 16. contra Suar. c. l. n. 15. Idque colligitur ex cit. c. 1. h. t. ubi habetur, quòd illegitimus factus Monacbus, vel Regnlatis, non poſſit, abſque diſpenſatione, aſſumi ad Prælationem, ergo à contrario ſenſu, ſinè diſpenſatione, poteſt aſſumi ad alia beneficia, & officia tegularia, quæ non ſunt Prælaturæ, cuiuſmodi ſunt Prioratus clauſtrales ſubjecti Abbati, ſeu Prælato Monaſterij, & alia beneficia, vel officia regulatia, quæ curata non ſunt. juxta c. ult. h. t. Neque obſtat, quòd profeſſio Religionis jure divino diſſolvit matrimonium ratum. ergo multò magìs tollet omnem inhabilitatem ad Ordines, & ad Prælaturas, ac beneficia. Nam eſto anteced. negatur conſeq. quia profeſſio, ſeu ſtatus Religioſus non habet illam repugnantiam cum irregularitate ad Ordines, & beneficia, quam habet cum matrimonio. Suar. cit. loc. num. 16. Porrò ob defectum natalium, Religioſi non poſſunt promoveri, ſine diſpenſatione, ad Prælaturas, etiamſi illæ non ſint perpetuæ, ſed temporales, aut triennales: nam alioquin omnes ferè Religioſi illegitimi poſſent aſſumi ad dignitates, & Prælaturas Ordinis, cùm hodie ferè omnes Superiores Ordinum ſint temporales, exceptis Generalibus quorundam Ordinum.

VIII. Præterea neque Moniales illegitimæ, abſque diſpenſatione, fieri poſſunt Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, ſive ſint perpetuæ, quæ benedici ſolent, ſive temporales, ut ex communi DD. ſententia docet Navarr. in Comment. 2. de regulat. n. 60. & in man. Prælat. c. 27. n. 201. Sanch. cit. c. 5. n. 19. & alij apud ipſum, & noviſſimè Fagnan. in c. 1. h. t. n. 38. & ſeqq. contra Rodriq. qq. reg. tom. 1. q. 13. a. 21. & Mirand. tract. de Monialib. q. 6. art. 3. Ratio eſt, quia illegitimi profeſſi excluduntur ab omni Prælatura, & dignitate. c. 1. & ult. h. t. Abbatiſſæ autem officium eſt dignitas, ut conſtat ex c. Indemnitatibus; 43. §. Verùm, ſi quæ ibi: *ut à dignitate dejiciatur adepta* de elect. in 6. & Abbatiſſa fungitur officio Prælationis in omnibus illis, quorum fœmina poteſt eſſe capax; & ratio, ob quam mares illegitimi excluduntur à Prælaturis, & dignitatibus, etiam locū habet in fœminis, nempe timor, ne imitentur incontinentiam paternam, adeóque illæ etiam comprehenduntur ſub diſpoſitione cit. c. 1. & ult. h. t. Neque verò etiam maſculis illegitimis ullum privilegium jure conceſſum eſt, quoad Prælaturas, adeóque nec fœminis, quamvìs aliàs Moniales fruantur omnibus privilegiis profeſſionis, quorum fœminæ ſunt capaces. Sanch. c. l. Porrò Abbatiſſæ, licèt non ſint perpetuæ, ſed temporales ſolùm, habent tamen dignitatem, & prælationem in Ordine ad Moniales ſibi ſubjectas, ad inſtar Vicarij Epiſcopi, qui dignitatem babet, etſi non ſit perpetuus, ſeu intitulatus. Fagnan. hîc in cit. c. 1. n. 56. & 57. Quinam verò cum Regularibus illegitimis diſpenſare poſſint ad Prælaturas, ac dignitates obtinendas, dicetur §. ſeq.

IX. Aſſertio 3. Omnes illegitimè nati ſunt irregulares, etiamſi defectus natalium ſit occultus, & publicè habeantur pro legitimis, ac proinde ſine diſpenſatione ſaltem ſecretò obtenta, ad Ordines ſuſcipiendos aſpirare non debent, Abb. in c. Niſi cùm pridem; 10. num. 15. & 16. de renunciat. Navarr. in man. c. 27. n. 201. Piaſec. cit. c. 1. art. 4. num. 7. Laym. l. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 5. c. 5. num. 1. Ratio eſt, quia jura abſolutè ſtatuunt, illegitimos eſſe irregulares, non diſtinguendo inter illegitimum notorium, & occultum, ergo neque nos diſtinguere debemus.

Id autem intelligendum eſt, ſi nulla neceſſitas cogat ſacros Ordines ſuſcipere, tunc enim illegitimus occultus ordinari non debet, ſi diſpenſationem petere nolit: ſecus eſt, ſi gravis cauſa urgeat ad Ordines ſuſcipiendos, &, ſi diſpenſationem peteret, graviter ſe, vel etiam parentes infamaret, ſaltem apud Papam, vel Epiſcopum; tunc enim ſinè diſpenſatione ordinari poteſt. V. g. ſi primogenitus filius Regis occultè ſciens, ſe eſſe illegitimum, regnum cedere non poſſet fratri legitimè nato, & idoneo ad regnum, niſi fiat Cardinalis, Presbyter, vel Diaconus. Laym. c. l. Non tamen filius illegitimus tenetur credere, ſi id occultum ſit, ita, ut probati non poſſit, neque de ea re fama vulgata ſit, matri dicenti, eum eſſe conceptum ex adulterio, quia, ſi educatus eſt in domo paterna, & tractatus, ut filius, præſumptionem juris habet pro ſe, quòd ſit legitimus filius, ideóque aſſertio contratia, etiam ab ambobus parentibus facta, ipſi non præjudicat, niſi hæc præſumptio juris per alias graviores conjecturas, ſeu præſumptiones tollatur. Piaſec. c. l.

X. Aſſertio 4. Etiam filij legitimi Sacerdotum, ij ſcilicet, qui ab illis poſt matrimonium, ſive ratum tantùm, ſive etiam conſummatum, ad Ordines ſacros promotis (uxore conſentiente, aut certè ſciente, & non contradicente, vel etiam ignorante, aut contradicente) adeóque ex uxore legitima ducta ante ſuſceptos Ordines ſacros, poſt ſuſceptum à viro Sacerdotium, vel etiam alium Ordinem ſacrum, ſunt geniti, irregulares ſunt, & pro illegitimis habentur, ita, ut ad Ordines, & beneficia Eccleſiaſtica, ſine diſpenſatione promoveri nequeant, prout apertè colligitur ex c. Litteras; 14. h. t. Nam cùm relatum eſſet Clementi III. quòd Henricus à patre in Sacerdotio ex uxore legitima (ducta ante ſacros Ordines ſuſceptos, cùm qua, poſt promiſſam continentiam Ordini ſacro annexam à viro, vel etiam ab uxore, caſtitatem ſimiliter vovente, vel Religionem ingrediente, carnale commercium, ſine violatione voti, & ſacrilegio habere non potuit. Gl. hîc V. legitima, & Hoſtienſ. V. Genitus) natus in officio, & ſtatu Clericali Deo ſervire cuperet: Reſpondit Papa, quamvis incontinentia Sacerdotum in filiis quoque ſit redarguenda, in hoc tamen caſu, ſi alioquin dignus eſt Henricus, ſe permittere, ut in Clericum ordinetur, & Eccleſiaſticum beneficium conſequatur, unde commodè ſuſtentari poſſit. Prior pars, quòd talis filius, abſolutè loquendo, ſit legitimus, probatur, quia eſt ex vero matrimonio natus, quippe quod ſemel legitimè contractum, etſi ratum tantùm, per ſuſceptionem Ordinis ſacri non diſſolvitur,

tur, juxta extravag. Antiquæ unic. Joan. xxII. de voto, multò minùs per votum ſimplex: ſed neque per profeſſionem ſolemnem in Religione, ſi conſummatum fuerit; matrimonium diſſolvitur; licèt uſus matrimonij ſit illicitus, & ſacrilegus, ſaltem qnoad petitionem debiti conjugalis, ex parte viri Sacerdotis, quod tamen ipſi matrimonio, & proli ex eo genitæ non poteſt officere: ac proinde, cùm tales filij ſint legitimi, conſequenter etiam hæreditariæ ſucceſſionis, aliorúmq; jurium filiis legitimís competentium capaces erunt, ut ex communiore, & probabiliore ſententia docet Suar. cit. ſec. 2. n. 4. Sanch. l. 9. de matrim. diſ. 38. n. 7. Aliud eſt, ſi ante matrimonium conſummatum, uterque, vel alter conjnnx ad Religionem tranſeat, tum enim filij ex ijs poſt profeſſionem factam geniti, ſunt illegitimi, ac ſpurij, quia per profeſſionem utriuſque, vel alterius conjugis prius matrimonium ratum eſt diſſolutum. Suar. c. l. n. 3. & Sanchez c. l. n. 4.

Poſterior verò pars, quòd tales filij Sacerdotũ ſint irregulares, nec ſinè diſpenſatione promoveri poſſint ad Ordines, & Eccleſiaſtica beneficia, probatur, quia filij geniti ex Sacerdote promoto ad ſactos Ordines, poſt matrimonium contractum, ſive conſummatum, ſive ratum tantùm, vel ex parentibus Religioné profeſſis, poſt matrimonium conſnmmatum, quamvìs legitimi ſint quoad ſucceſſionem, & jura civilia, ut jam dictum: ſunt tamen irregulares, ad modum prolis illegitimę, quoad Ordines ſcilicet, & beneficia Eccleſiaſtica, quia maculam, ſeu turpitudinem aliquam, & infamiam contrahunt, tum propter incontinentiã, & ſacrilegium patris. arg. c. Miniſtri; 19. diſ. 81. tum propter periculum, ne, ſi Sacerdotes ordinentur, patri ſimiles evadant, ideóq; non, niſi ex permiſſione, ſeu diſpenſatione, ad Ordines, & beneficia promoveri poſſunt. juxta cit. c. Litteras, & ibid. Innoc. V. Permittimus. Abb. n. 4. Suar. cit. ſect. 2. n. 5. Sanch. c. l. num. 7. Idque apertè colligitur ex cit. c. Litteras, ſecundùm integram eius lectionem apud Suar. c. l. num. 5. ubi ait, Pontifex, *ut poſtulationis ſuæ apud Sedem Apoſtolicam effectum aliquem conſequatur, permittere ſe &c.* ubi vel Papa diſpenſavit cum ſic genito in Sacerdotio ex legitima uxore, etiam quoad ſacros Ordines; & tunc ſubaudiri debet, ex indulgentia ſpeciali. Hoſtienſ. hîc V. Permittimus: vel dicendum eſt, quòd ſolus Papa tali caſu poſſit diſpenſare, etiam ad Ordines minores, ut cenſet Suar. c. l.

XI. Verùm probabilius eſt, quòd Papa in caſu illius cap. cum genito in Sacerdotio ex legitima uxore ducta, ante ſacros Ordines ſuſceptos, diſpenſavit, ut ordinetur in Clericum, adeóque ut minores Ordines ſuſcipere poſſit, non autem majores, Gl. ibid. V. ordinati, qnia diſpenſatus ſimpliciter ad Ordines, intelligitur tantùm diſpenſatus ad minores: & ut ſimplex beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit, quia diſpenſatio eſt odioſa, cùm deroget Juri communi, ideóqne non extendenda. Rebuff. in praxi benef. tit. de diſpenſ. ſuper defect. natal. n. 47. & 51. & alij apud Barb. in Collect. in cit. c. Litteras; n. 4. & 5. Diſpenſavit autem in hoc c. Papa, quia id ab ipſo petitum fuit: non tamen ideo aliis, v. g. Epiſcopis prohibita fuit diſpenſatio in tali caſu, ad Ordines minores, & beneficia ſimplicia: nam in his etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, ſinè licentia Papæ, ut tradit Gl. in fine in c. ult. h. t. & in c. 1. V. Epiſcopi eod. in 6. Hoſtienſ. in cit. c. Litteras; V. Permittimus.

Porrò etſi in cit. c. Litteras ſolùm expreſsè agatur, & ſermo ſit de filiis Presbyterorum, quia is fuit caſus illius c. non autem de aliis inferioribus in ſacris cõſtitutis, ut Diaconis, vel Subdiaconis, nec de Religionem profeſſis: tamen idem de illis eſt dicẽdum, quia ratio, ob quam talis filius Sacerdotis non poteſt promoveri ad Ordines, & beneficia, ſinè diſpenſatione, non eſt Ordo Sacerdotalis, ſed ſolemne votum continentię ei annexum, ratione cuius propria uxor in foro Eccleſiaſtico non reputatur uxor, quoad debitum reddendnm, quia votum reddit illicitum, & ſacrilegam copulam cum propria uxore, Gl. & Abb. in cit. c. Litteras. Suar. cit. ſect. 2. n. 6.

Illud hîc addendum, quòd hæc irregularitas non eſt pœna, reſpectu talium filiorum, ſed Canonicum impedimentum impoſitum propter quandam indecentiam, quæ à filiis, ſinè eorum culpa, ex vitio illiciti concubitûs contrahi potuit.

XII. Aſſertio 5. Infantes vnlgò expoſiti, quorũ parentes ignorantur, tanquam irregulares ab Ordinibus repelli ſolent, nec facilè ordinari debent, ſinè diſpenſatione, quia plerumque tales ex illegitimo toro naſci ſolent, ideóque vehemens præſumptio eſt, eos eſſe illegitimos, & maculam aliquam ex tali expoſitione contrahunt, ut docet Covarr. in Clement. ſi furioſus p. 1. in princ. n. 9. Suar. cit. diſ. 50. ſect. 4. n. 3. Garc. l. 7. de benef. c. 2. n. 8. & ſeqq. & alij apud ipſũ. Poteſt tamen Epiſcopus in tali caſu dubio diſpenſare cum expoſitis, ut etiam ad Ordines ſacros, & beneficia curata promoveantur, licèt aliàs jure ordinario cum illegitimis non poſſit ſic diſpenſare; ut infrà dicetur. Neque expoſitus, ſi bonâ fide ordinatus ſit, prohibetur miniſtrare in Ordinibus ſuſceptis, etiam ſacris, quia cùm habeat jus quæſitum, in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Covar. c. l. Suar. c. l. n. 4. Layman l. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 4.

XIII. Alij verò DD. plures ſimpliciter negant, expoſitos eſſe irregulares, prout videre eſt apud Suar. c. l. n. 2. Garc. cit. c. 2. n. 7. quia quilibet præſumendus eſt bonus, ac dignus, donec contrarium probetur. c. nlt. de præſcript. ac in dubiis ſemper præferenda ſunt benigniora. reg. jur. 56. in ff. præſertim verò in favorem prolis facienda eſt interpretatio, c. Ex tenore; 14. qui filij ſint legitimi: cùm filij legitimi etiam interdũ ob paupertatem, vel ſimilem cauſam exponantur. Et hæc ſententia quoque probabilis eſt, teſte Suar. c. l. quamvìs tutius ſit, diſpenſationem petere; idque cõmuniter in praxi obſervari ſolet, ut aſſerit Piaſec. cit. c. 1. a. 4. n. 15. Regulæ autem juris allatæ opponi poteſt alia, quòd in obſcnris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt, & quod plerumque fieri ſolet, Reg. 114. in ff. cùm ergo veriſimilius ſit, expoſitos eſſe illegitimè natos, plerique enim, & ferè omnes, qui exponunrur, ſunt illlegitimi, potiùs ab eo, quod communiter, & plerumque fit, interpretatio ſumenda eſt, qnàm ab eo, quod aliquando, ſed rarò fit, etſi aliàs id ſit melius, ac benignius. Garc. cit. loc. n. 10.

§. II. *Quis*

§. II.

Quis diſpenſare poſſit cum illegitimis, & qualis interpretatio facienda ſit in eiuſmodi diſpenſationibus?

XIV. Aſſertio 1. Ad majores Ordines, & dignitates, perſonatus, & beneficia curata Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum filiis Sacerdotum, & aliis illegitimè natis, ſed ſolus Papa; at verò quoad Ordines minores, & beneficia non curata, etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, idque quoad dignitates, & beneficia curata, habetur in c. Nimis; 18. & ult. h. t. Nam » cùm in provincia Turonenſi filij Sacerdotum, & a» lij non legitimè nati, ad dignitates, perſonatus, & a» lia beneficia curam animarum habentia, ſine diſpe» ſatione Sedis Apoſtolicæ, promoverentur, hoc in» tellecto, Papa Gregorius IX. mandavit Archiepiſco» po Turonenſi, ut omnes tales promotos à dignita» tibus, perſonatibus, & huiuſmodi beneficiis curam » animarum habentibus amoveat, & illa perſonis i» doneis conferri curet per illos, ad quos collatio eo» rum pertinet, & prohibet, ne id de cætero attentare » præſumant. Ex quo per ſenſum contrarium colligitur, Epiſcopum ad ſimplicia beneficia cum illegitimis diſpenſare poſſe. Hoſtienſ. hîc V. Curam animarum. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod Papa in cit. c. ult. prohibet ſolùm illegitimos promoveri ad dignitates, & beneficia curata, ſinè diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, intelligitur permittere promoveri ad alia beneficia inferiora, ſeu non curata, ſine diſpenſatione eiuſdem, quia quod de uno prohibetur, de alio permittitur, & quod non invenitur prohibitum, intelligitur permiſſum. Gl. ibid. V. Sedis Apoſtolicæ.

XV. Idque expreſſiùs habetur in c. 1. in princ. » h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Is, qui » defectum natalium patitur (ſive ſit ſpurius, vel ex adulterio, aut alio quocunque damnato, ac nefario » concubitu natus, ſive naturalis, ſeu ex ſimplici for» nicatione genitus. Gl. hîc V. defectum) ex diſpen» ſatione Epiſcopi, licitè poteſt (ſi aliud Canonicum » impedimentum non obſiſtat) ad Ordines minores » promoveri, & obtinere beneficium (ſimplex, Gloſſ. » hîc V. Beneficium) cui cura non imminet anima» rum, dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epi» ſcopum valeat diſpenſari: ubi etiam additur: ad » Ordines quoque majores, vel beneficia curam ani» marum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus » diſpenſare, illegitimus, ſinè diſpenſatione Sedis A» poſtolicæ, promoveri non poteſt: ex quo probata manet etiam prior pars quoad Ordines majores, & beneficia curata. Sed neque Legatus Sedis Apoſtolicæ diſpenſare poteſt cum illegitimo ad Ordines majores, & dignitates, ac beneficia curata, niſi hoc ei ſpecialiter à Papa conceſſum fuerit. Gloſſ. hîc V. Sedis Apoſtolicæ. arg. c. pen. h. t. Rebuff. c. l. num. 45.

XVI. Notandum 1. Beneficia, etſi ſimplicia, & non curata, quæ limites diſpenſationis Epiſcopalis excedunt, ſive ad quæ illegitimè nati ex diſpenſatione Epiſcopi promoveri non poſſunt, juxta cit. c. 1. h. t. in 6. cenſentur eſſe illa beneficia, quæ ſecundùm Jus commune, vel ſecundùm conſuetudinem Curiæ Romanæ, vel ſecundùm ſtatutum Eccleſiæ particularis juratum, aut à Sede Apoſtolica confirmatum illegitimis conferri non poſſunt, ut tradunt communiter DD. in cit. c. 1. h. t. in 6.

Primi generis ſunt dignitates, & perſonatus, etiam ſinè cura, ut docet Gloſſ. in cit. c. 1. V. Beneficium. h. t. in 6. Azor p. 2. l. 6. c. 3. quæſt. 3. Suar. cit. diſ. 50. de cenſur. ſect. 5. num. 6. Garc. cit. c. 2. num. 53. & duobus ſeqq. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 45. num. 29. & alij DD. communiter. Ratio eſt, tum quia textus in cit. c. 1. videtur ſolùm intelligendus de beneficiis ſimplicibus, non autem de dignitatibus, & perſonatibus, quæ curatis beneficiis æquiparari ſolent, c. Dudum; 54. de elect. Tum quia in c. fin. h. t. habetur, quòd illegitimè nati ad dignitates, perſonatus, & beneficia curam animarum habentia, ſinè diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, promoveri non poſſunt, juxta quod videtur intelligenda reſtrictio illa cit. c. 1. *dummodo ſit tale beneficium, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari*, Garc. cit. loc. num. 56. Huc etiam pertinent beneficia ſimplicia, quæ requirunt ſacrum Ordinem, quia, cùm in tali Ordine non poſſit diſpenſare Epiſcopus, ergo nec in beneficio, quod illum Ordinem requirit, Gloſſ. in cit. c. 1. V. Tale, & Franc. ibid. num. 8. Garc. cit. loc. num. 66. Barboſ. num. 30. Quòd ſi tamen beneficium actu non requirat ſacrum Ordinem, ſed ut intra certum tempus, v. g. annum, illum recipiat Beneficiatus, ut ordinariè accidit, Epiſcopum in tali caſu diſpenſare poſſe cum illegitimo ad tale beneficium, probabiliter cum Lapo in cit. c. 1. & Ancharano ibid. aſſerit Azor cit. c. 3. quæſt. 15. contra Franc. & Zerolam. Sed neque ad beneficium ſimplex poteſt diſpenſari cum illegitimo ab Epiſcopo in Eccleſia, ubi pater eius Beneficiatus eſt, aut fuit, juxta Gloſſ. in cit. c. 1. V. Tale; de quo infrà.

Secundi generis beneficia, ad quæ Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum illegitimis, ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, ſunt Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium, ut docet Rebuff. in praxi cit. tit. de diſpenſ. ſup. defect. nat. num. 10. nam etiam Papa, quando diſpenſat cum illegitimo ad obtinenda quæcunque beneficia, excipere ſolet dignitates, & Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, & primam, ſeu principalem in Eccleſia Collegiata, teſte Garc. cit. loc. num. 71. Spectato autem Jure communi, & ſecluſâ conſuetudine Curiæ, probabilius eſt, Epiſcopum cum illegitimo ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis diſpenſare poſſe, ut docet Gloſſ. in cit. c. 1. V. Beneficium. & ibid. Jo. Andr. num. 3. Franc. num. 6. Azor p. 2. l. 6. c. 3. quæſt. 11. & alij communiter contra Joan. Monach. & Rebuff. quia Epiſcopus diſpenſare poteſt in beneficiis non curatis. cit. c. 1. Canonicatus autem Eccleſiæ Cathedralis non eſt beneficium curatum, nec dignitas, aut perſonatus, ſed beneficium ſimplex: particula verò reſtrictiva ibidem addita eſt principaliter ad excludenda beneficia paterna. juxta Gl. ib. V. Tale. Garc. c. l. n. 63. Atq; hæc quidem Jure comuni antiquo ob-

tinent: hodie tamen quia poſt Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 12. de reformat. omnibus Canonicatibus Eccleſiæ Cathedralis eſt annexus Ordo ſacer, ad quem Epiſcopus non poteſt habilitare illegitimum, juxta cit. c. 1. h. t. in 6. ideo neque poteſt cum eodem ad talem Canonicatum diſpenſare; niſi priùs à Sede Apoſtolica diſpenſationem accepiſſet illegitimus, ut ſacros Ordines ei ſuſcipere liceat, tum enim ceſſat prædicta ratio, cùm jam ſit habilitatus ad ſacrum Ordinem, Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 34. num. 86. Garc. cit. loc. num. 68. Barboſ. num. 33. Unde infertur, etiam hodie Epiſcopum cum illegitimo diſpenſare poſſe ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, & dimidiam portionem, ſeu inferius beneficium Eccleſiæ Cathedralis, quia non habent annexum Ordinem ſacrum, Garc. cit. loc. num. 69. Barboſ. num. 22. & 23. & ad beneficium ſimplex, cui cura animarum per accidens eſt annexa, quia ipſi unita eſt Eccleſia parochialis, nam beneficium ovitum per ſe non confertur, ſed acceſſoriè cum principali, cujus naturam, & conditiones ſequitur. Leſſ. c. l. n. 87. Azor. cit. c. 3. q. 14. Barb. cit. alleg 45. n. 24.

Tertiò generis beneficia ſimplicia, ad quæ non poteſt diſpenſare Epiſcopus cum illegitimis, ſunt Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ, ſi à Capitulo ſtatutum fuit, ut nemo illegitimè natus ad illum admittatur, ipſéque Epiſcopus juravit, ſe quoque illud ſtatutum ſervaturum, vel ſi à Sede Apoſtolica fuerit confirmatum, Joan. Monach. in cit. c. 1. num. 4. h. t. in 6. Leſſ. cit. loc. num. 87. Azor cit. c. 3. quæſt. 12. Idémque eſt, ſi ex ſtatuto particulari à Papa confirmato Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ ſacrum Ordinem annexum habeat, ut patet ex ſuprà dictis. Sed neque Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare poteſt ſuper pluralitate beneficiorum ſimplicium, ut plura retinere poſſit, ſed non, niſi ad unicum beneficium obtinendum, ſaltem ſi illud ſufficiat ad eum honeſtè, & commodè ſuſtentandum, ut colligitur ex cit. c. 1. In princ. quod loquitur in ſingulari, & §. Ille verò. ibid. junctâ Gl. V. Per ſedem, nam cùm verſemur in materia prohibitoria, non debet fieri extenſio. Azor c. l. q. 12. Garc. c. l. n. 50. Barb. n. 28.

XVII. Notandum 2. Etſi Epiſcopus in criminibus, ut in adulterio, iiſque minoribus, póſt peractam pœnitentiam, diſpenſare poteſt, c. At ſi Clerici; 4. §. de adulteriis de judic. non tamen poteſt in defectu natalium, ſaltem ad Ordines ſacros, & beneficia curata, ut ex dictis patet. Ratio diverſitatis eſt, quia faciliùs tollitur irregularitas proveniens ex crimine, purgatur enim per pœnitentiam; non item, quæ provenit ex defectu natalium, ut colligitur ex c. Deinde; 3. diſ. 26. Gl. hic. V. Sedis Apoſtolicæ. Hoſtienſ. ibid. §. Sed cùm Epiſcopus. Abb. ibid. in fine.

Notandum 3. Quod dicitur in cit. c. 1. h. t. in 6. illegitimum non poſſe promoveri ad majores, ſeu ſacros Ordines, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, id intelligendum eſt de Clericis ſecularibus; nam ſecus eſt de illegitimis Regularibus, qui jure communi promoveri poſſunt ad ſacros Ordines, juxta c. 1. h. t. Gl. hic V. Majores.

XVIII. Notandum 4. Epiſcopus neque cum illegitimo occulto diſpenſare poteſt ad Ordines majores, & beneficia curata, vigore poteſtatis Epiſcopis factæ in Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reformat. diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, præterquam ex homicidio voluntario, & ijs, quæ deducta ſunt ad forum contentioſum; quia hæc irregularitas proximè, & formaliter non oritur ex proprio delicto ejus, qui eſt irregularis, ſed ex delicto parentum, & eſt moralis macula, ſeu nota ipſius perſonæ. Suar. cit. diſ. 50. ſect. 5. num. 5. Piaſec. in praxi cit. c. 1. art. 10. num. 13. præterquam, quòd etiam, ſinè ulla culpa parentum, poſſit contrahi, ut ſi proles naſcatur ex perſonis in amentia copulatis, ut ex Coninck notat Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2. Licèt contrarium teneat Avila de cenſur. p. 7. diſ. 3. dub. 7. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo occulto, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, ut tradit Avila c. l. dub. 6. not. 6. & Laym. c. l. ſaltem ſi bonâ fide ordinatus ſit, & poſtea cognoſcat natalium defectum; imò fortè etiam, ſi malâ fide, ut colligi videtur ex c. Niſi; 10. §. Perſonæ. de renunc. Laym. cit. loc.

XIX. Notandum 5. Capitulum Cathedrale, Sede Epiſcopali vacante, poteſt quoque diſpenſare cum illegitimis ad Ordines minores, & ea beneficia, ad quæ poteſt Epiſcopus, quia illi ſuccedit in omnibus, quæ Jure commoni pertinent ad Ordinariam juriſdictionem Epiſcopi, non ſolùm contentioſam, ſed etiam voluntariam, præterquam in caſibus ſpecialiter jure exceptis. Navarr. l. 1. conſil. 7. h. t. Barboſ. c. l. n. 25. & duobus ſeqq. & alij apud ipſum.

XX. Aſſertio 2. Jure communi ſolus S. Pontifex diſpenſare poteſt cum Religioſis illegitimè natis ad Prælaturas, etiam in Ordine conſequendas, ut patet ex c. 1. h. t. Ibi: *Prælaturas nullatenus habeant*, per quam dictionem adimitur Epiſcopis facultas diſpenſandi, & in c. ult. h. t. deciditur, nullum illegitimum promoveri poſſe ad dignitates, abſque S. Pontificis diſpenſatione, Prælatura autem Religionis eſt dignitas, ut docet Sanch. l. 5. moral. c. 5. & alij apud ipſum. Verùm ex privilegio Apoſtolico Ordinibus Mendicantibus conceſſo à Sixto IV. id etiam poſſunt eorum Superiores, prout videre eſt apud Rodriqu. tom. 1. qq. regul. quæſt. 13. art. 6. quam facultatem revocatam à Sixto V. reſtituit Gregorius XIV. & conceſſit, ut Prælati Regulares diſpenſare poſſint cum illegitimis, etiam ad Prælaturas, ſed non, niſi in Capitulo generali, vel provinciali, ut refert Rodriq. c. l. & Mirand. in man. Prælat. t. 1. q. 19. a. 3. & 1. 2. q. 2. a. 2. apud quem legi poſſunt, & Sixti V. & Gregorij XIV. Conſtitutiones.

XXI. Aſſertio 3. Diſpenſatio etiam Papalis ſuper natalium defectu ſtrictè accipienda, & explicanda eſt, neque ad ea, quæ expreſſa non ſunt, ſive ultra ea, quæ verba ſtrictè, ac propriè accepta ſignificant, extendenda, ſicut pluribus deducit Rebuff. cit. tit. de diſpenſ. ſup. defect. nat. num. 47. & ſeqq. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 8. num. 5. Ratio eſt, quia diſpenſatio cùm ſit exorbitans à jure, ſive relaxatio quædam Juris communis, velut odioſa reſtringi, & ſtrictam interpretationem habere debet. c. 1. §. Ille, in fine h. t. in 6. nam facultas diſpenſandi cùm ſit gratia, & beneficium

Prin-

Principis, latiſſimè quidem interpretãda eſt, c. Olim; 16. de V. S. non item diſpenſatio in caſibus particularibus facienda.

XXII. Hinc ſequitur 1. Si à Papa diſpenſatum ſit cum illegitimo ſimpliciter, ut Ordines ſuſcipere poſſit, intelligitur diſpenſatum quoad Ordines minores tantùm, non autem majores. Rebuff. c. l. n. 47. Azor cit. l. 6. c. 3. q. 6. Barb. cit. alleg. 45. num. 4. diſpenſatus verò ad Ordines ſacros, multò magis cenſetur diſpenſatus ad minores. Barb. c. l. num. 5.

2. Si diſpenſatum ſit cum illegitimo ad Ordines etiam ſacros, non cenſetur diſpenſatum ad beneficium, quia diverſa ſunt, & illegitimus eſt incapax beneficij. Rebuff. c. l. num. 48. Azor c. l. quæſt. 5. Barb. n. 6. Quod tamen improbat Laym. in cit. c. 1. h. t. in 6. n. 6. quia ordinato in ſacris conferri debet beneficium, c. Propoſuit; 4. h. t. ergo hoc ipſo, quòd Papa conceſſit, ut aliquis promoveri poſſit ad ſacros Ordines, cenſendus eſt etiam conceſſiſſe conſequens, ut habere poſſit beneficium, ſaltem ſimplex. 3. Illegitimus diſpenſatus à Papa ad beneficia quæcunque generaliter, non cenſetur diſpenſatus ad penſionem Eccleſiaſticam obtinendam, quia penſio propriè non eſt beneficium. Rebuff. c. l. n. 49.

4. Illegitimus, qui ad beneficia ſimpliciter eſt diſpenſatus, nõ poteſt idcirco obtinere dignitatem, vel beneficium curatum, quia ad hoc major idoneitas requiritur, quàm ad non curatum. Rebuff. n. 51. Azor c. l. q. 7. Barb. n. 11. & 12. 5. Illegitimus, qui ad beneficia etiam curata diſpenſationem obtinuit, non poteſt promoveri ad dignitates, aut perſonatus. Rebuff. c. l. n. 52. Azor c. l. q. 10. 6. Illegitimus, qui ad beneficia quæcunque, etiam dignitates eſt diſpenſatus, non poteſt, vi illius diſpenſationis, conſequi dignitates, quibus cura animarum eſt, ad quæ major ſcientia requiritur. Rebuff. c. l. Azor c. l. q. 9. Sed neque cum quo eſt diſpenſatum ad dignitates curatas, poteſt obtinere dignitatem principalem in Eccleſia Collegiata, nec majorem poſt Pontificalem in Eccleſia Cathedrali, v. g. Præpoſituram. Rebuff. c. l. n. 54. & 86. Azor c. l. q. 8. Barb. num. 14. quia hæ dignitates, ſecundùm ſtylum Curiæ, debent ſpecialiter exprimi, ideóque non comprehenduntur ſub generali conceſſione, ſive diſpenſatione, arg. c. In generali; 81. de R. I. in 6.

7. Illegitimus diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas quaſcunq;, non ideo cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, nec diſpenſatus ad Epiſcopatum promoveri poteſt ad Archiepiſcopatum. Azor c. l. quæſt. 8. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 1. num. 17. quia hæ dignitates ſpecialem expreſſionem requirunt, propter earum excellentiam, ideóque generalis conceſſio, ſeu diſpenſatio non ſufficit.

„ XXIII. Denique, ſi cum aliquo illegitimo per „ Sedem Apoſtolicam ſit diſpenſatum, ut non obſtan„ te defectu natalium, ad beneficium, etiamſi curam „ animarum annexam habeat, poſſit promoveri, non „ poteſt is, prætextu hujuſmodi diſpenſationis, niſi „ unicum beneficium obtinere, quia diſpenſatio„ nem, quippe quæ exorbitans eſt à Jure communi, „ veluti odioſam reſtringi oportet, prout ſtatutum habetur in c. 1. §. Illi verò; h. t. in 6.

XXIV. Notandum hìc 1. Illegitimus, cum quo ſuper certo beneficio diſpenſatum eſt, priore beneficio dimiſſo, aliud conſequi non poteſt, ſinè nova diſpenſatione, quia diſpenſatio ſuper priore beneficio ſuum effectum conſecuta fuit, ideóque nihil ultra operatur, & ſuper alio non fuit diſpenſatum, ut notat Jo. Monach. in cit. c. 1. n. 10. h. t. in 6. Lapus ibid. n. 11. Anchar. & Franc. n. 12. Cùm ergò illegitimus diſpenſatus ad certum effectum, v. g. ad unum beneficium curatum obtinendum, nihilominus maneat illegitimus, ad novum beneficium novâ diſpenſatione opus habet, & conſequenter etiam in impetratione novæ gratiæ iterum exprimere debet defectum natalium, quippe cùm gratiæ illegitimis non facilè concedi ſoleant. Si verò Papa diſpensâ rit cum illegitimo indeterminatè ad aliquod beneficium in genere obtinendum, tum, ſi primum fuerit in effectu conſecutus, eo dimiſſo, aliud beneficium obtinere non poteſt, quia diſpenſatio ſortita eſt effectum per adeptionem primi beneficij, ut ſuprà etiam dictum: idémque eſt, ſi culpâ ſuâ primum non fuerit adeptus, quia per ipſum ſtetit, quò minùs gratia ipſi facta effectum ſortiretur; quòd ſi non fuit in culpa, tunc poterit aliud beneficium obtinere, quia diſpenſatio debet intelligi cum effectu. Lap. in cit. c. 1. n. 9. & 10. Anchar. ibid. & Franc. n. 12. & 13. Azor cit. c. 3. q. 17.

Notandum 2. Si cum illegitimo non fuerit diſpenſatum, ſed ipſe legitimatus fuerit, nova diſpenſatio ad novum beneficium, vel gratiam obtinendam non requiritur, cùm per legitimationem defectus natalium omnino ſit abolitus; neque etiam idem defectus denuo exprimi debet in impetratione beneficij, ſed legitimatio ſemel data ſemper in effectu durat. Jo. Monach. c. l. & legitimatio, eſt favorabilis, ideóque extendenda, diſpenſatio verò odioſa, ideóque reſtringenda. Lap. c. l. n. 7. & 8. Anchar. ibid. & Franc. n. 13.

Notandum 3. Quando diſpenſatum eſt cum illegitimo ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum, ſecundùm formam hujus c. 1. h. t. in 6. non poſſunt ei conferri duo beneficia, ſive curata, ſive ſimplicia ſimul, quia nec collator poteſt ſimul uni conferre duo beneficia, nec recipiens acceptare, aut retinere. Neque etiam ſucceſſivè; nam, vel ambo ſunt curata, & tum proviſus perdit utrumque, primum per c. De multa; 28. de præbend. ſecundum per cit. c. 1. h. t. in 6. quamvis Jo. Monach. & Joan. Andr. ibid. putent, quòd debeat unum eligere, aliàs utroque privabitur. Vel ambo beneficia non ſunt curata; & tunc cogitur dimittere ſecundum, quod illicitè eſt adeptus, etſi ipſum retinere velit, privabitur etiam primo: niſi quis dicat, quòd recipiendo ſecundum, renunciet primo, & ſic nec ſecundum retinere poterit, quippe quod ei conferri non potuit vi diſpenſationis, nec retinebit primum, cui renunciavit. Lap. in cit. c. 1. n. 1. Anchar. ibid. in fine. Franc. ibid. num. ult.

Notandum 4. Epiſcopus non poteſt illegitimo, cum quo diſpenſatum eſt ad beneficium, etiam curatum, conferre duo beneficia, etiam ſimplicia, ſaltem, quando unum ſufficit ad eum honeſtè, & commodè ſuſtentandum, ut patet ex cit. c. 1. §. Ille ve-

rò: quia Epiſcopus Jure communi non poteſt eidem Clerico, etſi legitimo, conferre duo beneficia etiam ſimplicia, quando unum ſufficit ad Clericum alendum, multò minùs illegitimo: nam quamvis poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad unum ſimplex beneficium, non tamen, ut duo habeat, hæc enim poteſtas ei jure non eſt conceſſa. Nec obſtat, quòd Epiſcopus poſſit habenti ſimplex beneficium, quod ad ſuſtentationem ejus non ſufficit, dare ei alterum, dummodo neutrum per ſe ſit ſufficiens ad victum, nec perſonalem reſidentiam requirat, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 17. de reform. quia id intelligendum eſt, quando is, cui confertur, alioqui idoneus eſt, & habilis, qualis non eſt illegitimus, cum quo Epiſcopus non poteſt diſpenſare ad duo beneficia, ut ex dictis patet. Azor cit. c.3.q.12.

XXV. Poſtremò prædictis addendum, quod ſtatutum habetur in c. Si is; 2. h. t. in 6. Si ille, cum quo per Sedem Apoſtolicam fuit diſpenſatum, ut non obſtante defectu natalium, ad omnes Ordines (quia ſi non poneretur *ad omnes*, ſed ſimpliciter, & indefinitè, ad Ordines, venirent ſolùm minores. Gloſſ. hîc V. Ad omnes; junctâ Gloſſ. marg.) promoveri poſſit, & obtinere beneficium, etiamſi habeat curam animarum: poſtea verò ille aliam diſpenſationem obtineat à Papa, ut poſſit duo, vel plura beneficia ſimilem curam habentia recipere ſimul, & licitè retinere, modò aliàs Canonicè conferantur, nullâ tamen in petitione factâ mentione defectûs natalium: talis diſpenſatio, quippe ſubreptitiè impetrata, ipſo jure irrita eſt, & nullius momenti: quia non eſt veriſimile, Pontificem ſuper pluralitate beneficiorum hujuſmodi diſpenſaturum fuiſſe, ſi talis defectus expreſſus fuiſſet.

Ex quo colligitur 1. Quòd diſpenſatio addita diſpenſationi non valet, niſi in ſecunda diſpenſatione fiat mentio de defectu, Gl. hîc in notat. & Franc. num. 3.

Colligitur 2. Si Papa ad alicujus petitionem ſpenſet ſuper impedimento, ut in caſu hujus obtinendum alterum beneficium curatum, ſpenſatio reſtringi debet ad tenorem poſtul... & conſequenter, ſi in ea totum impedimentum non ſit expreſſum, diſpenſatio eſt invalida, quia perſonam, cum qua diſpenſatur, non omnino habilem reddit. Ut in caſu cit. c. 2. talis diſpenſatus duplex impedimentum habet ad obtinendum alterum beneficium curatum, nimirum, quòd jam habeat unum beneficium, illúdque retinere velit, & quòd ſit illegitimus, ideóque in petitione utrumque exprimi debet. Excipe, niſi Papa diſpenſet cum aliquo, motu proprio, & ex certa ſcientia, tum enim non requiritur, ut totum impedimentum exprimatur in litteris, ſed ſufficit clauſula generalis, *non obſtantibus quibuscunque*, per quam omnia impedimenta, quæ Pontificiâ poteſtate tolli poſſunt, ac ſolent, ſublata cenſentur, ut ex Lapo in cit. c. 1. num. 5. & 6. tradit Laym. in cit. c. 2. eodem in 6.

***

§. III.

An, & quo pacto filii illegitimi, & etiam legitimi Presbyterorum à beneficiis paternis, & Eccleſia paterna arceantur, & quis cum iis diſpenſare poſſit?

XXVI. Aſſertio 1. Filius Presbyteri, aut alterius Clerici, illegitimè natus non poteſt obtinere ullum beneficium, neque quoquo modo ex officio miniſtrare in Eccleſia, in qua pater ejus Epiſcopatum, Præpoſituram, Decanatum, Parochiam, vel Canonicatum, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum habet vel habuit, ſive ex officio miniſtravit, & ſi in tali Eccleſia inſtitutus, vel receptus ſit ad Miniſterium aliquod, inde amovendus eſt. Rebuff. in praxi benef. tit. de diſpenſ. ſup. defect. natal. n. 33. & pluribus ſeqq. Sylveſt. V. Beneficium; 3. num. 17. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 34. n. 88. Garc. p. 7. de benef. c. 3. n. 6. Idque locum habet etiam in filijs illegitimis Clericorum, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti. Garc. c. l. n. 4. Ratio eſt, tum quia indecorum, ac fœdum eſt, in eadem Eccleſia parentem, & filium nothum, aut illegitimum reſidere, totique populo exemplum paternæ incontinentiæ, velut cum præmio, ac dignitate, aſſiduè oſtentari, ut ait Leſſ. c. l. tum quia alioquin pleraque beneficia, induſtriâ parentum, ad hujuſmodi filios pervenirent, cùm tamen, quæ ſucceſſionis hæreditariæ ſpeciem habent SS. Canonibus ſint contraria, c. Apoſtolica; 7. cauſ. 8. quæſt. 1. & quidem etiam in filijs legitimis, ne dum illegitimis.

XXVII. Idque ſumitur etiam 1. Ex c. Ad præſentiam; 2. h. t. Nam cùm Robertus Presbyter filius illegitimus Sacerdotis ab Alexandro III. Capellaniam in Eccleſia, in qua pater ejus beneficium habuerat, impetrâſſet, tacendo id ipſum in poſtulatione: ideo mandat Papa, ut, ſi de hoc conſtiterit, non obſtantibus prioribus litteris Papalibus, à Capellania amoveatur. Ratio eſt, quia priores litteræ ſubreptitiè ſunt impetratæ, tacitâ veritate, quâ expreſsâ, ea conceſſæ non fuiſſent, Gl. fin. hîc.

XXVIII. 2. Idem ſumitur ex c. Præſentium; 3. h. t. Ubi præcipitur, ne filij (illegitimi) Sacerdotum ad Miniſterium Eccleſiæ, cui pater eorum præfuit, admittantur, &, ſi admiſſi fuerint, inde amoveantur: Ubi Hoſtienſ. V. Nullatenus notat: quamvis aliàs crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt, & nemo alieni criminis ſucceſſor conſtituitur, ut dicitur in l. Crimen; 26. ff. de pœnis: id tamen ſpeciale eſt in Ordinibus, & dignitatibus Eccleſiaſticis, quòd filij Sacerdotum, & alij ſpurij puniantur ob delictum patris, ſive prohibeantur ad illas promoveri.

XXIX. 3. Idem ſtatutum habetur in c. Conquerente; 4. h. t. Nam mortuo Presbytero S. Mariæ, cùm M. Clericus à Patrono ad illam præſentatus fuiſſet: Robertus dicti Presbyteri filius ejus inſtitutionem impediebat, quare dictus M. conqueſtus fuit Papæ Alexandro III. qui mandavit, ut, ſi conſtet Patrem Roberti, ex quo is illegitimè

natus

Digitized by Google

» natus eſt, perſonatum (vel aliud beneficium) in illa » Eccleſia habuiſſe, filius ejuſdem ibidem miniſtra- » re, & idem, vel aliud beneficium obtinere nullo » modo permittatur, ſed, ſi jam ibi inſtitutus fuit, in- » de amoveatur.

XXX. 4. Similiter in c. Cùm decorem; 15. h. » t. prohibet Papa Innocentius III. ne filiis Cano- » nicorum illegitimè natis beneficia, & præbendæ » conferantur in ijs Eccleſijs, in quibus patres eorum » ſunt Canonici; cùm indecorum ſit, ut illegitimus » filius in Altaris officio impudico patri miniſtret. Quare ſi Pater in aliqua Eccleſia ſit Canonicus, non poteſt filius ejus illegitimus in eadem Eccleſia alium Canonicatum obtinere. Rebuff. in praxi c. l. n. 37. Azor p. 2. l. 6. c. 4. q. 16. Bern. Diaz in pract. can. c. 50. n. 4. ubi ait, quòd illegitimus filius non poteſt inſtitui in Eccleſia, in qua præeſt pater ejus de præſenti, ut habeat alium Canonicatum, vel præbendam, licèt poſſit, eo mortuo, habere ſaltem ex diſpenſatione, dummodo non ſuccedat in beneficio paterno. Sed quia indecens eſt, ut vivo patre, filius illegitimus obtineat alium Canonicatum, aut præbendam in eadem Eccleſia, ideo non convenit, in hoc diſpenſari. Abb. hîc not. 3.

XXXI. 5. Denique in c. Ad abolendam; 16. h. t. quod eſt deſumptum ex Concil. generali Lateran. ſub Innocentio III. c. 31. prohibetur, ad abo- » lendam peſſimam, quæ in pluribus Eccleſijs inole- » vit, corruptelam, ne filij (ſcilicet illegitimi, Gloſſ. » hîc V. Filij, & Innoc.) maximè ſpurij (id eſt, non naturales tantùm, ſive nati ex ſimplici fornicatione, ſed ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, aut nativitatis matrimonium conſiſtere non potuiſſet, quales ſunt nati ex adulterio, inceſtu &c. Gloſſ. hîc V. In ſecularibus in fine. Hoſtienſ. V. Maximè ſpurij; Abb. n. 2.) Canonici fiant in ſeculari- » bus Eccleſijs, in quibus patres eorum ſunt inſtitu- » ti, alioquin non valeat eorum inſtitutio. Qui » verò tales (ſcilicet filios naturales, maximè ſpu- » rios. Hoſtienſ. hîc V. Tales;) in eiſdem Eccleſijs in » Canonicos inſtituere præſumpſerint, à ſuis bene- » ficijs ſuſpendantur, ut puniantur, in quo deliquerunt. Hoſtienſ. hîc V. eod.

Ex quo argumento à ſenſu contrario docto infertur, quòd in Eccleſiis Regularibus bene poſſunt ſimul eſſe Monachi, & Canonici Regulares, filius illegitimus, & eius pater, quia tales perſonæ irregulares poſſunt, non obſtante defectu natalium, ingredi Religionem, & Profeſſionem in illa emittere. c. 1. h. t. Gl. hîc V. In Secularibus. Nam cùm in cit. c. ad abolendam ſpecificè, & limitatè ſolùm prohibeatur, ne filij illegitimi inſtituantur Canonici in Eccleſiis ſecularibus, in quibus patres eorum Canonicatum obtinuerunt: cenſetur tacitè permitti, ut in Eccleſiis Canonicorum Regularium, recipi poſſint filij illegitimi, in quibus patres eorum Religionem ſunt profeſſi. Verùm, quid de hac re Jure novo ſtatutum ſit, infrà dicetur.

XXXII. Cæterùm quædam hîc præterea ſunt addenda 1. Si manifeſtum, ſeu notorium ſit, filium illegitimum Sacerdotis, aut Clerici in Eccleſia patris, abſque diſpenſatione, ſucceſſiſſe, & beneficium obtinuiſſe, ab illo amoveri poteſt, etiam ſine proceſſu ju- » diciario, ut conſtat ex c. Quoniam; 10. h. t. ubi Papa Alexander III. præcipit: ut ſi manifeſtum, & pu- » blicum fuerit, Patres Clericorum illegitimè nato- » rum in aliqua Eccleſia perſonatus habuiſſe, filij eo- » rum ab Eccleſiis illis excludantur, &, ſi perſona- » tus adepti fuerint, ab illis amoveantur, nec ad gu- » bernationem, ſeu adminiſtrationem earum Eccle- » ſiarum, vel perſonatuum deinceps aſſumantur; & » ſi hoc notorium fuerit, nec cauſa in judicium dedu- » catur, nec teſtes admittantur, ſeu audiantur. Ratio » eſt, quia in notoriis Ordo judiciarius non eſt neceſſariò obſervandus, prout etiam habetur in c. De manifeſta; 17. cauſ. 2. q. 1. Gl. fin. hîc. Etſi verò factum notorium non debeat probari, debet tamen proponi, & allegari, ut conſtet, inquiſitione, aut probatione non indigere. Barb. in Collect. in cit. c. Quoniam in fine, & alij apud ipſum. Porrò etſi adminiſtratio perſonatûs, vel alterius beneficij ſit notoria, tamen paternitas, & filiatio poteſt eſſe dubia, quæ difficulter probari poteſt, ut notat Hoſtienſ. hîc V. Manifeſtum, & Abb. n. 2.

XXXIII. Addendum 2. Epiſcopos, qui filio Sacerdotis (illegitimo) conceſſit Capellam, vel aliud beneficium, in quo pater eius miniſtravit, & ad cuius titulum eum ordinavit, ſi hoc ſcienter fecit, non poteſt illum inde amovere, ſed, ſi amovit, debet illi reſtituere Capellam, ſeu beneficium, ut pacificè poſſideat. Si verò ignoranter hoc fecit, non debet illum amovere, donec de alio ſufficiente beneficio illi provideat, prout ſtatutum habetur in c. Veniens; 5. h. t. Nam » cùm Epiſcopus Londonenſis Nicaſium Clericum » Presbyterum ordinâſſet, ad Capellam S. Leonardi, » cui eam conceſſit, ſeu contulit: poſtea ipſum eâdem » ſpoliavit, ſeu privavit, eò quòd pater ei⁹ in dicta Ec- » cleſia miniſtravit. Eo intellecto, Papa Alex. III. mã- » davit Epiſcopo, ut ſi is, eo tempore, quo Nicaſium » Presbyterum ordinavit, & Capellam ei contulit, ſci- » vit, Patrem eius in eadem Eccleſia miniſtrâſſe, tum » Capellam ei reſtituat, & pacificè poſſidere illam ſi- » nat, amoto altero Presbytero, ſi quem fortè in ea- » dem inſtituit. Si verò ignoravit, nihilominus ipſi » Capellam reſtituat, cùm ad illam in Presbyterum » eum ordinaverit, donec ei in illa Eccleſia de alio » beneficio provideat, ex quo poſſit ſe honeſtè ſu- » ſtentare. »

Porrò hoc c. dupliciter intelligi poteſt, vel de filio ante Sacerdotium genito, adeóque legitimo, prout aliqui DD. explicant; vel de filio poſt Sacerdotium genito, adeóque illegitimo, prout alij plerique Canoniſtæ intelligunt, quæ expoſitio verior eſt, & indicatur in textu, dum abſolutè proponitur, ideo Presbyterum illum privatum fuiſſe Capellâ, in qua inſtitutus fuit ab Epiſcopo, quia pater eius in eadem Eccleſia miniſtravit, ideóque non debuit inſtitui in beneficio eiuſdem Eccleſiæ, quod procedit ſolùm in filio Sacerdotis illegitimo, non autem in legitimo, niſi patri immediatè in beneficio ſucceſſiſſet, ſive ſubſtitutus fuiſſet, ut infrà dicetur, & notavit hîc Laym. n. 1.

XXXIV. Sed contra deciſionem huius c. opponi poteſt 1. Filius Sacerdotis illegitimus non poteſt obtinere beneficium in Eccleſia paterna, etiam ſimplex, c. 2. & ſeqq. c. Ad abolendam; 16. h. t. nec quidem per diſpenſationem Epiſcopi, ut ex infrà dicendis patebit. ergo cùm in caſu huius c. filius illegiti-

mus

mus Presbyteri non ſuerit canonicè Inſtitutus in Capella, removeri debuit, & oon reſtitui, nec removeri alter, qui ab Epiſcopo in locum illegitimi ſuit ſubſtitutus. Reſp. Si Epiſcopus alicui (qui tamen ſpectato jure naturali, eſt idoneus, & habilis) beneficiũ, contra prohibitionem Canonum, ſcienter contulit, cum poteſtatem diſpenſandi non haberet, non ipſemet eum amovere poteſt, ſed is à Superiore Epiſcopi, videlicet à Metropolitano, vel Papa amoveri debet, prout expreſsè habetur in c. Diverſis; 5. in fine de Cleric. conjug. Quare cùm Epiſcopus in caſu huius c. Clericum illum illegitimum, ſi ſcienter contra Canones eum inſtituit, noo habuerit poteſtatem eum amovendi, per conſequens etiam non habuit poteſtatem alium in locum eius ſubſtituendi, quia non poteſt aliquis validè ſubſtitui in locum eius, qui non eſt validè deſtitutus, ſive amotus. Laym. hîc n. 2. Nihilominus tamen Papa in caſu huius c. Presbyterum illum illegitimum, quem iovalidè Epiſcopus inſtituit, noluit amovere, ſed ex gratia cum ipſo diſpenſavit, ut poſſet licitè retioere beneficium paternum, idque tum in odium Epiſcopi, qui illegitimum ſcienter inſtituit in beneficio pateroo, ne temerariũ factum Epiſcopi, qui illicitè, & invalidè eum inſtituit, & mox proprium factum retractavit, approbare videretur; tum etiam ne ſic inſtitutus, cùm excepto defectu natalium, aliàs idoneus eſſet, in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogeretur. Gl. hîc V. Reſtituas, & Hoſtienſ. ibid. V. eod. Fagoan. ibid. n. 10. Aliam reſponſionem dat hîc Innocent. n. 1. quòd cùm Epiſcopus de facto ſpoliaverit filium illegitimum beneficio paterno, debuit eum reſtituere, aotequam cognoſceretur de canooico ingreſſu: & quamvìs notum fuerit, eum eſſe illegitimum filium Sacerdotis, ſervari tamen debuit ordo juris, & fieri ei reſtitutio, quia fortè inſtitutus contendebar de diſpenſatione, ſive dicebat, ſecum à Papa diſpenſatom eſſe.

Oppooltur 2. Poteſt Superior propriom ſuum factum reſcindere, ſeu revocare, ſi illicitum ſit, & peccatum foveat, c. Quòd quis; 3. cauſ. 35. q. 9. c. Nôſti; 9. de elect. ergo potuit etiam in caſu hujus c. Epiſcopus revocare illicitam inſtitutionem illegitimi contra Canones factam, eum amovendo: Reſpondet Gloſſ. hîc V. Reſtiruas; id Epiſcopo denegatum eſſe in odium ejuſdem, quia ſcienter inſtituit illegitimum. Verùm in caſu hujus c. Epiſcopus revocare non potuit factum proprium amovendo illegitimum, quem ſcienter inſtituit, quia, cùm diſpenſandi poteſtate non eſſet prædi tus, non potuit ipſemet eum amovere, ſed, ſi amovendus erat, à Superiore Epiſcopi amoveri debuit, ut ex ſuprà dictis patet.

Opponitur 3. Quando Epiſcopus contulit illegitimo beneficium paternum, ignorans, patrem in eo miniſtràſſe, inſtitutus removeri debet, nec reſtitui, donec de alio ei beneficio provideatur, quia, cùm Epiſcopum ignorantem iohabilitatem ipſius deceperit, non debet ex malitia, ſeu fraude ſua commodum referre. Reſpondetur, etſi illegitimus, reticendo inhabilitatem ſuam ad beneficium paternum, meruerit, ut à beneficio omnino amoveretur, nec reſtitueretur, etiam ad tempus; quia tamen Epiſcopus, cùm eum ordinavit in Presbyterum, debuit ei conſerre titulnm beneficij, c. Cùm ſecundùm; 16. de præbend. ideo oon potuit illum à beneficio, ad quod ordinatus eſt, removere, niſi aliud beneficium ei conſerret: quòd cùm non fuerit factum ab Epiſcopo, ideo ex mandato Papæ debuit eum reſtituere ad ſuum beneficium, à quo illegitimo modo amnrus ſuit, donec de alio ei provideretur. Laym. hîc in fine.

Hinc colligitur, eſſe hunc caſum ſingularem, in quo filius illegitim° Sacerdotis ab Epiſcopo ignorante ejus inhabilitatem, inſtitutus in beoeficio paterno, & ad illius titulum ordinatus, licitè poteſt illud beneficium, etſi invalidè ipſi collatum, retinere ad tempus, donec de alin ſufficiente beneficio ipſi proviſum ſuerit, quia nimirum ipſi debitum eſt beneficium, ad cujus titulum eſt ordinatus, donec aliud ei conſeratur, ne mendicare cogatur. Rebuff. in praxi tit. de diſp. ſup. mat. deſ. n. 79. Fagnan. in cit. c. Veniens; num. 15. Et quamvis aliàs regulariter beneficia ad tempus conſerenda nnn ſint, cùm debeaor eſſe perpetua, c. Præcepta; 12. diſ. 55. ſi tamen filius Presbyteri illegitimus ordinatus ad titulum Eccleſiæ paternæ ſibi collatæ, & ad eandem Eccleſiam reſtitutus ſit, is interim, donec de alia Eccleſia ei provideatur, erit Prælatus, ſeu Rector ejuſdem, ex tacita diſpenſatione Papæ. Gloſſ. fin. in cit. c. Veniens; & Innocent. ibidem propè finem. Vel ſaltem interim adminiſtrabit, tanquam Prælatus aut Rector. Hoſtienſ. hîc propè finem. Fagnan. c. l. num. 18.

XXXV. *Addendum* 3. Quamvìs Epiſcopus illegitimè natum non debeat, abſque diſpenſatione Papæ, ſacris Ordinibus initiare; ſi tamen de facto eum ordinavit, debet illi Eccleſiaſticum beneficium conſerre, prout ſumitur ex c. Propoſuit; 6. h. t. Ubi
habetur, quòd poſtquam Romanus filius Sacerdo- »
tis illegitimus ab Epiſcopo Oxonenſi Subdiaconus »
eſt ordinatus, loci Dominus, ac Patronus Eccleſiæ »
patochialis illum ad eandem præſentavit, quem »
Epiſcopus admittere noluit, eò quòd eſſet filius Sa- »
cerdotis illegitimè natus. Re hac delatâ ad Papam »
Alexandrum III. is ſcribit ad Epiſcnpum, cùm indi- »
gnum ſit, quòd ordinatus Subdiaconus Eccleſiaſti- »
ci beneficij proviſione carere debeat: idcirco »
mandat, ut honeſtum aliquem, & probatum »
Presbyterum, cum conſenſn ejuſdem Clerici, ſi- »
ve Subdiaconi, in Eccleſia illa inſtituat, cujus Ro- »
manus ſit Subdiaconus, & Miniſter, cui etiam me »
dietas omnium redituum illius Eccleſiæ aſſigne- »
tnr: non enim Presbyter ſolus, ſinè Miniſtro, po- »
reſt Miſſarum ſolemnia, & divina officia cele- »
brare. »

XXXVI. Ubi quædam adhuc notanda ſunt 1. Quia in caſu hujus c. Epiſcopus Romano, quem Subdiaconum ordinavit, debuit conſerre beneficium, ſaltem ſimplex, cùm non deceat, Clericum egere, & mendicare, cum opprobrio Ordinis Clericalis, c. Diaconi; 23. circa medium diſ. 93. ideo Papa maodavit, ut in Eccleſia illa patochiali aliquis Sacerdos Rector, aut Vicarius perpetuus inſtitueretur, Subdiaconus verò, ſive Miniſter ejus eſſet Romanus, cui media pars redituum aſſigoaretur, quia, quamvìs beneficium quoad titulum non poſſit dividi in duos, c. Majoribus; 8. de præbend.

præbend. fructus tamen redituum ex cauſa dividi poſſunt inter duos. Abb. hîc num. 2. & 6. Porrò noluit Papa diſpenſare cum Romano ad omnes Ordines ſacros, &, ut Rector præficeretur Eccleſiæ illi parochiali, quia non decet, ut cum filio illegitimo Sacerdotis diſpenſetur ad beneficium curatum, ſinè gravi cauſa, qualis hîc defuit; imò fortè latens cauſa ſuberat, ob quam non poterat, ſalvâ conſcientiâ, promoveri ad Superiores Ordines, & beneficium curatum. Hoſtienſ. hîc Circa medium, & Abb. n. 3. 2. In caſu cit. c. Propoſuit; ideo requirendus fuit conſenſus Subdiaconi, ſecundùm Hoſtienſ. ibid. ne ſocius daretur invito, & diſcordia oriretur inter Presbyterum, & Subdiaconum Romanum miniſtrantes in eadem Eccleſia. Vel meliùs, ut notat Laym. ibid. quia Romanus Subdiaconus jus, & actionem aliquam habuit contra Epiſcopum, tum quia ordinavit illum, ſinè titulo beneficij: tum quia rejecit præſentationem illius à Patrono factam: ideo voluit Papa, ut Romani conſenſus requireretur in illam quaſi tranſactionem, datâ illi facultate opponendi, ſi quid vellet. Conſenſus verò patroni non fuit requirendus, vel quia præſentavit indignum, ut vult Innocent. hîc, & Hoſtienſ. Vel quia erat proviſio quædam Superioris, in qua non principaliter inſtituebatur novus Rector, ſed ex cauſa dabatur Vicarius, ut cenſet Abb. hîc n. 4. Vel denique quia non negatur, hîc requiri conſenſum patroni, ſed ſupponitur, ipſum contentum fore, ſi Romanus conſenſerit in talem proviſionem illius Eccleſiæ, in cujus utilitatem ceſſura putatur. Laym. in cit. c. Propoſuit.

Aſſertio 2. Filius Presbyteri, aut Clerici, etiam legitimè natus, non poteſt ſuccedere patri, nullâ mediante aliâ perſonâ, in beneficio, quod pater in titulum obtinuit, & tanquam Rector, vel Vicarius perpetuus poſſêdit, ſed ab illo amovendus eſt, prout deciſum eſt in c. Ad extirpandas: 11. h. t. Ubi Papa Alexander III. reſcribit, & mandat Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut, ſi qui filij Presbyterorum Provinciæ ſuæ obtineant Eccleſias, in quibus patres eorum tanquam perſonæ (id eſt, Rectores, quia perſonæ Eccleſiarum dicuntur in Anglia, quæ præſunt Eccleſijs, qui alibi Curati appellantur, Innocent. in c. De multa; 28. num. 6. de præbend.) Vel Vicarij (perpetui Gloſſ. hîc V. Vicarij) nullâ perſonâ mediâ, miniſtrârunt: eos, ſive geniti ſint in Sacerdotio, ſive non (ſed ex legitimo matrimonio, ante Sacerdotium. Gloſſ. fin. hîc) ab eiſdem Eccleſijs amoveat: niſi cum illis canonicè ſit diſpenſatum, ut limitat Hoſtienſ. hîc in fine, ubi etiam V. Provinciæ; ex hoc c. colligi ait, quòd in communi vitio Provinciæ Metropolitanus ſit Judex. Ratio prohibitionis hujus c. eſt, ne beneficia per hæreditariam ſucceſſionem ad filios tranſmitti videantur, cujus ſpecies SS. Canonibus eſt contraria, & reprobata, c. Apoſtolica; 7. cauſ. 8. q. 1.

Requiritur autem, ut pater per ſe, vel per Procuratorem, beneficij poſſeſſionem obtinuerit, etſi nunquam in Eccleſia miniſtraverit, nec fructus ullos perceperit: nam, ſi tantùm titulum beneficij paterni conſecutus ſit, ſinè poſſeſſione, tunc filius non prohibetur idem beneficium patris obtinere, quia perinde eſt, ac ſi pater nunquam illud habuiſſet, ſiquidem nunquam illud tenuit, ſeu apprehendit, adeóque non cenſetur plenè conſecutus: nam quando lex loquitur de obtinentibus beneficium, intelligitur, quòd apprehenderint ejus poſſeſſionem, c. Si tibi; 26. de præbend. in 6. Garc. p. 7. de benef. c. 3. n. 55. & duobus ſeqq. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 65. n. 7. Fagnan. hîc. n. 30.

XXXVII. Idque extenditur 1. Quòd non ſolùm filius, ſed etiam nepos legitimè natus ex filio legitimo, & per lineam rectam deſcendens non poteſt immediatè ſuccedere avo ſuo in eodem beneficio, ſecundùm Gloſſ. hîc V. Filij; & Innocent. V. eodem. quod verum eſt, ut, ſaltem poſt mortem patris ſui, non poſſit ſuccedere, quia tunc, cùm in patris ſui locum ſubintret, filij loco eſſe cenſetur, avóque ſuccedit, §. Sic autem Inſtitut. de hæred. qualit. & ſic tota ratio prohibitionis in eo locum habet, videlicet ut vitetur hæreditaria ſucceſſio in beneficijs. At verò, patre adhuc vivente, poteſt nepos immediatè poſt avum obtinere ejus beneficium, quia tunc ceſſat cauſa prohibitionis, videlicet ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis, nam, ſi pater vivat, nepos etiam legitimus non poteſt ſuccedere avo in ejus bonis, ſed pater eſt proximus hæres. Hoſtienſ. in ſumm. h. t. num. 5. §. Qui filij Presbyterorum: Verſic. Sed nunquid; Sylveſt. V. Beneficium; 3. quæſt. 6. Leſſ. lib. 2. de juſtit. cap. 34. num. 91. Neque refert, quòd in materia odioſa, nomine filiorum non comprehendantur nepotes, ergo etiam, ſi filij legitimi non poſſint immediatè ſuccedere in beneficio patris, ut habetur in cit. c. Ad extirpandas; poterunt tamen indiſtinctè nepotes in beneficio avi, ſive pater adhuc vivat, ſive mortuus ſit. Sed reſpondetur cum Laym. hîc num. 2. quòd hæc non ſit materia odioſa, aut pœnalis, quia filij legitimè nati non repelluntur à beneficijs paternis ob pœnam aliquam, ſed principaliter ob favorem, & utilitatem Eccleſiarum, ne in ijs locum habeat hæreditaria ſucceſſio in beneficijs, ac proinde hæc Conſtitutio, quoad principalem intentionem, potiùs favorabilis cenſenda eſt, quàm odioſa: præterquam quòd, quando agitur de ſucceſſione, vel quaſi ſucceſſione hæreditaria, etiam nepotes, poſt mortem patrum ſuorum, nomine filiorum comprehendi ſoleant. Sunt tamen plures DD. qui dicunt, nepotes ex filio legitimo, imò etiam illegitimo poſſe obtinere beneficium avi; idque tam vivente, quàm defuncto patre, quia nomine filiorum non comprehenduntur nepotes ex propria ſignificatione nominis, ſed ſolùm ex interpretatione quadam, quæ non habet locum, niſi in diſpenſatione meræ favorabili, reſpectu filiorum; tum enim etiam nomine filiorum comprehenduntur nepotes: non autem in diſpoſitione filijs odioſâ, ut docent plures apud Barboſ. in c. Ad extirpandas; 11. num. 4. & 5. h. t. Fagnan. in c. Ex tranſmiſſa; 7. num. 14. & ſeqq. eodem. Verùm etſi hæc diſpoſitio non ſit favorabilis reſpectu filiorum, eſt tamen favorabilis, reſpectu Eccleſiæ, ideóque in eo nomine filiorum comprehenduntur etiam nepotes, ut ex dictis patet.

XXXVIII. Extenditur 2. Neque nepotem legitimè natum ex filio illegitimo v. g. Titij, ſi pater ejus jus ſuccedendi in bonis Titij habuit, quia legitimatus erat, poſſe poſt mortem patris ſoccedere in beneficio Titij avi ſui, quia jus hæreditariæ ſucceſſionis, patre mortuo, io nepotem traoſiit, adeóque ſucceſſio in beneficio avi tunc habet ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis. Innocent. hîc, Rebuff. cit. tit. de diſ. ſup. def. nat. n. 27. ubi id indiſtinctè aſſerit. Salzed. iu pract. can. c. 50. lit. A. Laym. hîc n 2. in fine.

Contrarium tamen, quòd nepòs legitimos Presbyteri ex filio Illegitimo natus poſſit ſuccedere in beneficlo avi; tenet Navarr. l. 1. coofil. 9. h. t. Azor cit. c. 4. quæſt. 17. Garc. cit. c. 3. n. 21. & 22. ubi ait, ita ceoſuiſſe S. Gongreg. Concil. Barboſ. in Collect. in cit. c. Ad extirpandas; n. 4. & 5. h. t. Quin imò etiam nepotem illegitimom natum ex filio illegitimo non prohiberi obtioere beneficiom, quod avus habuit, docet Garc. c. l. n. 25. obi n. 27. refert, ita declaratum eſſe à S. Coogreg. Concil. qoia quod pater ſit illegitimus, non obſtat filijs, quò minùs obtinere poſſint beneficinm avi: neque enim eſt tanta ratio in oepote, ac in filio, quia oepos oon ita repræſentat incontinentiam patris, ſicut filius, & filius præſumitur eſſe ſimilis patri, nõ verò nepos reſpectò avi, de quo plura infrà. Verùm ſi nepos legitimè natus ex illegitimo ſilio ſuccedat, poſt mortẽ patris legitimati, in bonis avl, hoc caſu, cùm nepos natus ex filio avi legitimo nõ poſſit immediatè ſuccedere in beneficio avi: multò minùs poterit nepos ex filio Illegitimo legitimè natus, quia talis ſucceſſio in beneficio avi haberet ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis, nt ex ſuprà dictis patet.

XXXIX. Porrò, quod attinet ad nepotes in linea collaterali, noo prohibetur talis nepos nbtinere beneficium ſni patrui, vel avunculi immediatè poſt illum, ſaltem, ſi ipſi jure hæreditario non ſuccedat. Reboff. c. l. n. 30. Idque ſumitur ex c. Ex parte; 12. de offic. deleg. ubi quidam impetravit reſcriptum, ur ad Avunculi Archidiaconarum promoveretur, ſi vacaret; & cùm Pontifex nullam ibi mentionem faciat diſpenſationis, ſignom eſt, id Jure communi conceſſum eſſe, ut nepos tranſverſalis immediatè ſuccedere poſſit patruo, vel avnnculo ſuo in beneficio. Imol. ibid. num. 3. & apertè etiam colligitur ex c. 2. De arbitris. Abb. ibid. not. 2. Ratio eſt, quia inter collaterales non eſt tanta neceſſitudo ſucceſſionis, quanta eſt inter filinm, vel nepotem, reſpectu patris, vel avi, ac proinde in collateralibus ceſſat ratio prohibitionis, out filius, vel nepos non poſſit immediatè ſuccedere in beoeficio patris, vel avi. Illud certum eſt, frattem non prohiberi immediatè ſuccedere in beneficio fratris ſui, cùm id nullo jure, ſeu canone reperiatur prohibitum. Abb. in cit. c. Ad extirpandas; num. 9. h. t. Azor cit. c. 4. quæſt. 18.

XL. Aſſertio 3. Non poteſt etiam ſilius legitimus obtinere Vicariam perpetoam ejus Eccleſiæ, io qua ipſius pater immediatè antè Rector principalis, aut Parochus fuit, prout deciditur in c. Mi- » chaël; 13. h. t. Nam quidam Presbyter pro- » poſuit Papæ Clemenri III. quòd perſonatum, aut Rectoriam alicujus Eccleſiæ canonicè ſit ade- » ptus, quam ante ipſum Antonius obtiuebat. Sed » Marcus filius Antonij aſſerebat, ad ſe Vicariam » perpetuam ejuſdem Eccleſiæ pertinere. Ad quod » reſponder Papa, ut, ſi conſtiterit, dictum Marcum » fuiſſe filium Antonij, qui proximè antè perſona- » tum, aut Parochiam ejuſdem Eccleſiæ, habuit, Ipſi » ſuper eadem Vicaria perpetuum ſilentium indica- » tur. Ratio eſt, quia beneficij curati, v. g. Parochiæ una eſt cura in ſolidum, ſeo unum, & indiviſum jus, unúſque titulos, c. Dilecto; 25. de præbend. ergo ſi filius fuit perpetuus, ſeu intitulatus Vicarius in ea Parochia, in qna pater ipſius, nullâ aliâ mediante perſonâ; Rector extitit, cenſetur immediatè ſuccedete Patri, qoòd Canones vetant. Hoſtienſ. in ſumma n. 5. §. Qui filij Presbyterorum; Verſic. Quin imò, ſi pater.

Similiter neque filius etiam legitimus poteſt obtlnere Commendam, vel Vicariam perpetuam, & multò minùs Rectoriam principalem ejus Eccleſiæ, in qua pater ejus proximè aotè Vicarius perpetuus, ſeu intitulatus fuit, qnia hoc etiam ſpeciem qoandam hæreditariæ ſucceſſionis habet. Rebuff. c. l. num. 16. Laym. in cit. c. Michaël; num. 4. h. t.

XLI. Porrò mediante perſooâ aliquâ, poteſt Vicaria vacans conferri fillo defuncti Rectoris. Idque duobus modis contingere poſſe, notat Laym. c. l. num. 3. 1. Si Rector Eccleſiæ mortuus ſit ante Vicarium, poteſt filius illius Rectoris, mortuo Vicario, Vicariam conſequi, quia tum non cenſetur ſuccedete patri, ſed potiùs Vicario. 2. Si Rectoria principalis ad alium delata ſit, poteſt is filium prioris Rectoris Vicarium Inſtituere, quia non ſuccedit in jure, & titulo patris, ſed potiùs in jure poſterioris, ac præſentis Rectoris. Et hinc in caſu cit. c. Michaël potuiſſet Presbyter ille Marcum filium Antonij Vicarium ſuum conſtitoere, ſi voluiſſet: ſed Marcus ideo non fuit admiſſus ad Vicariam, quia putavit, ſibi jus ad illam competere, eò quòd à patre ſuo fuerit præſentatus, vel in ea inſtitutus, ideóque, illo mortuo, aſſerebat, jus Vicariæ ad ſe pertinere. Verùm pater, ad quem ratione alicujus perſonarus, v. g. cui Eccleſia parochialis eſt incorporata, ſpectat, non poteſt filium ſuum etiam legitimum in illa parochia conſtituere Vicarium perpetuum, ſeu intitularum, quia communicatio illa tituli, ſeu juris beneficialis imagioem quandam, ſeu ſpeciem quaſi hæreditariæ ſucceſſionis in jure patris refert: poteſt autem ibi filium conſtituere Vicarium temporalem, quia talis non habet titulom, neque ullum jus Beneficiale conſequitur, in quo patri ſuccedat. Laym. c. l. num. 2.

XLII. Aſſertio 4. Poteſt filius, ſive legitimus, ſive illegitimus, præeſſe Eccleſiæ, vel obtinere beneficium, in quo pater ipſius Vicarius, non perpetuus, ſed temporalis ſolùm fuit in adminiſtranda Eccleſia, vel benefcio, ut conſtat ex c. Conſtitutus; 8. h. t. Nam cùm Guilielmus Clericus Capellaniam » quandã canonicè adeptus eſſet, quam pluribus an- » nis pacificè poſſedit, & in eadem miniſtravit: poſtea » miles quidam illum eâ ſpoliavit, ſinè judicio (id » eſt,

» eſt, propriâ auctoritate. Hoſtienſ. hîc V. eodem)
» cùm aorem de hoc dictus Clericus queſtus fuiſſet
» apud Ordinatium, objectum illi fuit, quòd pater
» ipſius in eadem Capella miniſtravit, ideóqne non
» poſſit illam habere. Sed ipſe excepit, quòd pater
» ejus nullum in ea Capella titulum, ſive Rectoris, ſi-
» ve Vicarij perpetui habuerit, ſed nomine, ac vice
» ipſius Guilielmi ad tempus ibi miniſtrârit. Re hac
» delatâ ad Papam Alexandrum III. is mandavit, ut,
» ſi conſtiterit, quòd idem Clericus à prædicta Ca-
» pella per potentiam ſecnlarem fuerit ejectus, &
» quòd pater ejus perſona, id eſt, Rector, vel Vica-
» rius perpetuus in illa non fuerit, licèt quandoque
» ejuſdem Guilielmi nomioe ibi miniſtraverit, dicta
» Capella, unâ cum froctibus, ſeu reditibus ab a-
» lieno poſſeſſore perceptis, eidem teſtiruatur: quin
» & ij, quos ipſemet percipere potuiſſet, ſi ſpolia-
» tus non fuiſſet. Gloſſ. fin. hîc. Ratio hujus de-
ciſionis eſt, quia, cùm pater nullum habuerit titulum, ſeu jns in re in eo beneficio, ceſſat jus hæreditariæ ſucceſſionis, ob quam prohibetur filius obtinere beneficium, quod pater ejus antè obtinebat. Gloſſ. hîc V. Perpetuus Vicarius; &, ſi pater miniſtravit ibi nomine filij, patet, quòd filius in illa Capella fuerit Rector, quia is poſſidet, cujus nomine poſſiderur, l. Quod meo; 18. in fine ff. de acquit. poſſ. §. Poſſidere; de interdict. Gloſſ. hic V. Nomine. Aliud eſt, ſi filius patri beneficium reſignâſſet, iſque in eo inveſtitus fuiſſet, tum enim, ſi filius illegitimè natus ſit, nunquam poteſt obtinere idem beneficium; ſi verò legitimè natus ſit, non poreſt illud conſequi, ſaltem immediatè poſt patrem, ut ex ſuprà dictis patet.

XLIII. Sed hîc difficultas eſt, quam movet Gloſſ. V. Ejectus; nam, cùm Clericus iſte fuerit ſpoliatus defacto beneficio ſuo, debuiſſet ſimpliciter reſtitui in poſſeſſionem, etiam priuſquam cognoſceretur de jure proprietatis, juxta c. In litteris; 5. & c. ſeq. & c. Ex conqueſtione; 10. de reſtitut. ſpol. Ad boc reſpondet Gloſſ. cir. quòd iſte Clericus ſpoliatus beneficio ſimul egerit judicio poſſeſſorio recuperandæ, & petitorio; & tum inqoirere debet judex de utroque, tam ſuper poſſeſſione, & ſpoliatione, an per vim ſpoliatus fuerit poſſeſſione, quàm ſuper jure proprietatis, utrùm ei jns in beneficio competat, ut conſtat ex c. Cùm dilectus; 6. & ibi Gloſſ. V. Poſſeſſorio, & petitorio de cauſ. poſſeſſ. & propr. quamvis, ſi ſpoliatus tantùm poſſeſſorio agat, ſive ſe reſtitui petat, non poſſit ei objici defectus canonicæ inſtitutionis, ſed ante omnia reſtitui debet, & poſtea inquiri de proprietate juris, ſeu titulo beneficij, juxta cit. c. In litteris.

Quòd autem in caſu hnjus c. Clericus iſte egerit poſſeſſorio, conſtat ex textu, quia queſtus eſt, ſe ſpoliatum fuiſſe, extra judicium, per potentiam laicalem: quòd autem ſimul etiam intentaverit petitoriom, patet inprimis, quia propoſuit, ſe canonicè fuiſſe inſtitutum in Capella, quâ poſtea à milite fuit ſpoliatus: deinde idem patet ex objectione ipſi factâ, quòd ejus pater in eadem Eccleſia miniſtrâſſet, & conſequenter canonicè inſtitutus non fuiſſet: quod fieri non potuiſſet, ſi ſolùm poſſeſſorium intentatum fuiſſet, quia agenti poſſeſſorio Recuperandæ tantùm, non poreſt objici vitium proprietatis, ſive quòd ipſius inſtitutio non fuerit canonica, ut ſuprà dictum. Denique idem etiam patet ex commiſſione, ſeu mandato Papæ, qui juſſit inquiri, non tantùm de ſpoliatione, ſed etiam, an pater Clerici ſpoliati in illa Eccleſia habuerit titulum Rectoris, vel Vicarij perpetui, adeóque an filius canonicè fuerit inſtitutus, quod pertinet ad proprietatem, & titulum beneficij. Cùm ergò egerit ſimul poſſeſſorio, & petitorio, non debuit reſtitui, priuſquam cognoſceretur de jure proprietatis, ſed cognoſci de utroque, licèt poſtea, ſi ſpoliatus probet poſſeſſionem, & ſpoliationem, ſed non proprietatem, obtineat in poſſeſſorio, ſed ſuccumbat in petitorio, juxta c. Cùm Eccleſia; 3. & c. ſeq. de cauſ. poſſ. & propr. Fagnan. hîc n. 9. & ſeqq. Porrò ſpoliato reſtitui debent, non tantùm fructus percepti, ſed etiam, qui percipi potuerunt, vel percepti fuiſſent, ſi ſpoliatus non fuiſſet, ſi agat poſſeſſorio, & utrumque probet, ne alioquin melioris conditionis ſit prædo, & injuſtus invaſor rei alienæ, quàm legitimus poſſeſſor, & intitulatus, ideóque ex hoc ſequitur quidem, hunc Clericum egiſſe poſſeſſorio recuperandæ, non tamen inde concluditur, quòd non ſimul egerit petitorio. Fagnan. hîc n. 18. & duobus ſeqq.

XLIV. Aſſertio 5. Filius legitimus poteſt, abſque diſpenſatione, obtinere eandem Eccleſiam, vel idem beneficium, quod pater ejus habuit, ſi inter ipſum, & patrem alia perſona extranea in beneficio interceſſit, ut deciditur in c. Ex tranſmiſ-
ſa; 7. h. t. Nam cùm Gaſpar filius (legitimus) »
Presbyteri ad beneficium quoddam à patrono »
præſentatus eſſet; Archiepiſcopus Cantuarienſis »
eum admittere noluit, eò quòd pater ejus in ea- »
dem Eccleſia, vel beneficio miniſtraverit, ſive i- »
dem beneficium obtinuerit. Nam ſi filius ſuc- »
cederet patri in eodem beneficio, id ſpeciem »
quandam haberet hæreditariæ ſucceſſionis in be- »
neficio. Verùm Papa Alexander III. hoc intel- »
lecto, mandavit Archiepiſcopo, ut, ſi ita ſit (nem- »
pe, ſi defuncto patre, alia perſona in ejus bene- »
ficio interceſſit) dicto Gaſpari beneficium il- »
lud conferat: nihilominus de cætero obſervato »
Apoſtolico decreto, quo probibetur ſucceſſio »
hæreditaria filiorum in Eccleſijs, & beneficijs pa- »
ternis, ut conſtat ex c. Apoſtolica; 7. cauſ. 8. »
quæſt. 1. Ratio hujus deciſionis eſt, quia hoc caſu nullum poteſt eſſe periculum hæreditariæ ſucceſſionis, quia filius non patri, ſed potiùs perſonæ illi intermediæ in beneficio ſuccedit, & ſic purgatum eſt vitium hæreditariæ ſucceſſionis, Gloſſ. hîc in notat. & Innocent. V. Decreto; in fine. Et hinc, ſi Clericus ſit filius legitimus, nulla diſpenſatio eſt neceſſaria ad obtinendum idem beneficium patris, cùm non immediatè illi in beneficio ſuccedat, ſed ſolùm mediatè; neque hîc dicitur, quòd non fuerit legitimè natus. Gloſſ. hîc V. Media; in fine.

Si verò ſit filius illegitimus, tunc abſque diſpenſatione Papæ, admitti ad beneficium patris etiam mediatè non poteſt, ſpectato Jure antiquo Canoni-

nonico. Innocent. hic in princ. & V. Admittere; & Hoſtienſ. V. Mandamus. Requiritur autem, ut perſona illa media, non tantùm titulum, ſed etiam poſſeſſionem beneficij acceperit, & in eo miniſtravetit: &, ut nulla fraus contra Canonem in ceſſione beneficij commiſſa ſit: qualis eſſe cenſeretur, ſi, poſtquam extraneus beneficij poſſeſſionem eſt adeptus, ſtatim illud filio anteceſſoris reſignaret. Rebuff. in praxi benef. cit. tit. n.22. & 23.

XLV. Porrò an, ſicut filius in beneficio patris, ita etiam pater viciſſim prohibeatur ſuccedere immediatè in beneficio filij, dubitatur? Affirmat Hoſtienſ. hîc §. Quid in converſo caſu, Archidiac. & alij apud Fagnan. hîc num. 26. quia in cit. c. Apoſtolica; ſucceſſio in beneficijs Eccleſiaſticis generaliter prohibetur: ſicut autem filius ſuccedit patri in bonis hæreditarijs, ita & pater filio, etſi turbato ordine mortalitatis, l. Nam etſi; 15. ff. de inoffic. teſtam. & utrique competit querela inofficioſi, Auth. ut cùm de appell. cognoſcitur §. Aliud quoque; coll. 8. nov. 115. Et cùm eadem ratio ſit in utroque ex correlativis, idem quoque jus eſſe debet.

Contrarium tamen tenet Jo. Andr. & Abb. hîc num. 7. Rebuff. c. l. num. 29. Azor cit. c. 4. quæſt. 18. Garc. cit. c. 3. num. 28. & alij apud ipſos, qui aſſerunt, patrem non prohiberi immediatè ſuccedere in beneficio filij, ſive ſit legitimus, ſive illegitimus. Ratio eſt, quia Jure Canonico non reperitur prohibitum, patrem ſuccedere immediatè in beneficio filij, & cùm ſit materia odioſa, pœnalis, & exorbitans, non debet fieri extenſio à filijs ad parentes. Accedit, quòd in filijs illegitimis per ſucceſſionem in beneficio patris magìs repræſentatur memoria incontinentiæ paternæ, quàm per ſucceſſionem patris in beneficio filij illegitimi. Verùm hîc non agitur de materia odioſa, ac pœnali, ſed potiùs favorabili, ut dictum eſt ſuprà n. 37. h. t. Idque procedit ſaltem, ſi pater filio legitimo ſuccedat in bonis; tum enim non poteſt immediatè poſt mortem acquirere beneficium filij propter ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis in beneficijs.

XLVI. Aſſertio 6. Filius legitimè natus in eadem Eccleſia, cui pater præeſt, vel præfuit, vel in qua pater beneficium habuit, aut etiamnum habet, poteſt, abſque diſpenſatione, aliud quodcunque beneficium obtinere, ut conſtat ex c. Ad hæc; 12. h. » t. Ubi ex Papa Clemente III. quæſitum fuit, an » ab Epiſcopis geniti (ſcilicet ante Epiſcopatum, vel » Sacerdotium, vel ſacrum Ordinem ſuſceptum. » Hoſtienſ. hîc V. Generati;) poſſint ad ſacros Ordi- » nes, promoveri, ſi ſcientiâ, & morum honeſtate » ſint prædit? Ad quod reſpondet Papa, ſi ex legitimo » matrimonio ſint nati, nec aliud canonicum im- » pedimentum obſiſtat, licitè poſſunt ad ſacros Or- » dines promoveri, & in eiſdem Eccleſijs (Cathe- » dralibus) in quibus præſunt, vel præfuerunt pa- » tres eorum, beneficium obtinere. Et quidem » non tantùm beneficium diſſimile, ſed etiam ſimi- » le beneficio paterno. V. g. Filius legitimus poteſt conſequi Præpoſituram, vel Canonicatum in Eccleſia, in qua pater ipſius eſt, vel fuit Epiſcopus, vel etiam Canonicatum in eadem Eccleſia, in qua pater ejus Canonicatum habuit, vel de facto adhuc habet. Rebuff. c. l. num. 37. & 39. Ratio eſt, quia filij legitimi Clericorum prohibentur ſolùm in beneficijs patribus ſuccedere, c. Ex transmiſſa; 7. h. t. at, quando pater, & filius ſimul duo diſtincta beneficia obtinent, etſi ſimilia, v. g. duos Canonicatus, non eſt locus ſucceſſioni, ſed uterque ſuum beneficium habet, & retinet, ac proinde unus alteri non ſuccedit, cùm ſucceſſio fiat neceſſariò in eodem beneficio, non in diſtinctis; nam duo beneficiati non poſſunt unum idémque beneficium ſimul obtinere, c. Dilecto; 25. de præbend. Multò magìs poteſt filius legitimus Clerici, mortuo patre, in eadem Eccleſia ejuſdem beneficium conſequi, dummodo illi non immediatè in eodem ſuccedat. Hoſtienſ. in ſumm. num. 5. §. Qui filij Presbyterorum; Verſic. Ex hoc pater; h. t.

Non obſtat c. Ad extirpandas; 11. & c. Ad abolendam; 16. h. t. Nam in priore ſolùm prohibetur, ne filius etiam legitimus immediatè patri in ejus beneficio ſuccedat; in poſteriore ſermo eſt de filio illegitimo, qui non poteſt ſimul, & eodem tempore beneficium obtinere cum patre ſuo in eadem Eccleſia, & nec immediatè, nec mediatè ſuccedere in beneficio paterno, ſive illud obtinere. Gloſſ. hîc V. Legitimo; & Hoſtienſ. V. Præſunt. Barboſ. hîc num. 4. & patebit magìs ex dicendis.

Illud hîc addendum, ſi Eccleſia Collegiata præbendas canonicales indiſtinctas habeat, adeóque numerata non ſit, ſive determinatum numerum Canonicorum non habeat, tum poſt mortem patris Canonici; ſtatim poteſt filio ejus legitimo conferri Canonicatus, quem pater obtinuit, nullâ intercedente mediâ perſonâ, quia in tali Eccleſia, in qua præbendæ Canonicales, ſeu beneficiales non ſunt diviſæ, ſeu diſtinctæ, nec ſingulis Canonicis certo numero aſſignatæ, ſed reditus omnes ad communem menſam Capituli deferuntur, Canonicatus non cenſetur per mortem Canonici vacare, c. Ex parte; 10. de conceſſ. præb. adeóq; non poteſt dici, filium ſuccedere patri in eodem beneficio, cùm non vacaverit per mortem ipſius. Hoſtienſ. hîc §. Quid ſi fuit Canonicus. Abb. ibid. n. 3. & Ant. de Butrio apud Laym. hîc in fine.

XLVII. Aſſertio 7. Nemo, præter Papam, poteſt diſpenſare cum filio etiam legitimo, ut patri ſuo in eadem Eccleſia, eodémque beneficio immediatè ſuccedat, ne quidem Legatus Sedis Apoſtolicæ, ut conſtat ex c. Dilectus; 17. h. t. Nam cùm Virgilius Presbyter » quandam Eccleſiam curam animarum habentem » obtineret, quàm priùs pater ipſius, nullo alio extra- » neo intermedio, habuit, Præpoſitus S. Mariæ ipſum » monuit, ut dictam Eccleſiam reſignaret (vel in ma- » nus iſtius Præpoſiti, quia is exemptus erat, vel quia ſpeciale mandatum habuit à Papa, vel Ordinario admittendi reſignationes, vel ut reſignaret in manus Diœceſani, ſed ipſe Præpoſitus fortè patronus erat. Hoſtienſ. hic V, Reſignaret;) ſed ipſe Virgilius aſſerebat, quòd Rhemenſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ » Sedis Legatus (ſive Nuncius ordinarius in Provincia) » cum eo diſpenſaverit, & ideò eam dimittere noluit. » Re hac delatâ ad Papam Honorium III. (vel Innoc. » III. ut legitur in quibuſdam vetuſtis Codicibus) is » mandavit, ut nõ obſtante diſpenſatione aliquâ, quæ » à Sede

» à Sede Apoſtolica non emanavit, quod canonicum
» fuerit, appellatione remotâ, ſtatuatur, id eſt, ab Ec-
cleſia illa amoveatur, prout SS. Canones ſtatuunt: fi-
lius enim etiam legitimus patri in eadem Eccleſia
immediatè ſuccedere non debet, ut patet ex Canoni-
bus ſuprà allatis, niſi fuerit cum eo ex cauſa neceſſa-
ria à Papa diſpenſatum Gl. fin. hic, juncta Gl. margin.
Et hinc etiam patet, quòd nec quidem Legatus Apo-
ſtolicus poſſit in hoc caſu diſpenſare, niſi Papa hoc ei
expreſsè conceſſerit. Rebuff. cit. tit. n. 32. imò nec
Legatus Cardinalis, ſeu à Latere. Gl. hîc V. non ob-
ſtante in fine. Barb. ibid. n. 2. quia generatim loquen-
do, nullus, præter Papam, poteſt diſpenſare in Cano-
nibus Univerſalibus, niſi ex ſpeciali conceſſione, aut
privilegio S. Pontificis, vel ex præſcripta conſuetudi-
ne, eam facultatem habeat.

Præterea colligitur ex fine hujus c. quòd, etſi quid
mandet Legatus Sedis Apoſtolicæ, tamen non cen-
ſeatur id proceſſiſſe ex mandato Papæ, ſi ſolùm gene-
rale mandatum dedit Legato, niſi eidem id ſpeciali-
ter mandaverit. Abb. hîc in fine.

XLVIII. Aſſertio 8. Si Epiſcopus, ex conceſſio-
ne Papæ, cum filiis Sacerdotum legitimis diſpenſet,
ut poſſint Eccleſias, quas patres eorum immediatè
ante illos poſſederunt, obtinere; illi, cum quibus di-
ſpenſatum eſt, non poſſunt, vi litterarum, quæ poſtea
contra eoſdem impetratæ ſunt à Papa, removeri, pro-
» ut deciditur in c. Ex tua; 9. h. t. Nam Archiepiſco-
» pus Eboracenſis obtinuit à Papa Alexandro III. fa-
» cultatem diſpenſandi cum Clericis filiis Sacerdo-
» tum (legitimis) ut poſſint retinere Eccleſias, quib⁹,
» immediatè ante illos, patres eorum præfuerunt,
» dummodo eſſent bonæ vitæ, & opinionis, & longo
» tempore illas tenuiſſent. Sed poſtquam Archiepi-
» ſcopus cum aliquibus filiis Sacerdotum diſpenſa-
» vit, quidam Clerici litteras contra eoſdem à Papa
» impetrârunt ad quoſdam Judices, quibus manda-
» batur, ut, ſi conſtaret, eos eſſe filios Sacerdotum, vel
» Clericorum, & eorum patres proximè ante illos
» Eccleſias illas obtinuiſſe, eis ſilentium indicatur, &
» ab Eccleſiis amoveantur, appellatione remotâ, ea-
» que Clericis aſſignentur, qui litteras impetrârunt,
» tacitâ veritate de diſpenſatione priùs factâ. Re hac
» delatâ ad Papam, is reſcripſit Archiepiſcopo, ſi vi-
» gore priorum litterarum, cum quibuſdam Sacer-
» dotum filiis diſpenſavit, diſpenſationem illam pro-
» pter poſteriores litteras non eſſe irritandam: Alios
» verò Clericos, qui à Laicis, ſine auctoritate Epiſco-
» pi ſui, in Eccleſiis ſunt inſtituti, ab illis removen-
» dos eſſe, nec remanere debere.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia diſpenſatio ſemel
facta non eſt ampliùs revocanda, ſicut nec inju-
riæ remiſſio poſtea eſt retractanda, c. Si illic; 29.
cauſ. 23. quæſt. 4 & decens eſt, beneficium eſſe man-
ſurum, Gloſſ. hîc V. irritari. Et cùm poſteriores
litteræ Papales fuerint ſubreptitiæ, nullâ in iis fa-
ctâ mentione diſpenſationis ab Ordinario factæ, ex
facultate ſibi à Papa conceſſa: ideo nihil præ-
judicant litteris prioribus. Vivianus hîc
in Ration. Jur. Pontif.

§. IV.

Quid Iure novo ſtatutum ſit circa ſucceſſiones filiorum illegitimorum in Eccleſiis, vel beneficiis paternis?

XLIX. Quæ §. præced. dicta ſunt, procedunt,
ſpectato Jure communi Decretalium, quod tamen
poſtea ex parte mutatum eſt, & correctum. Et in pri-
mis quidem per Conſtitutionem Clementis VII. e-
ditam nonis Junij anno 1533. quæ incipit: Ad Cano-
num Conditorem; & extat apud Quarant. in ſumm.
Bullarij V. Illegitimi: in qua ſtatuitur; Ut de cæ- »
tero filij Presbyterorum ex fornicatione nati quæ- »
cunque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cu- »
ra, ſecularia, & quorumvis Ordinum Regularia, »
quæ eorum Patres Presbyteri, & Clerici, ac Reli- »
gioſi in titulum, vel commendam, aut adminiſtra- »
tionem, ad tempus, vel in perpetuum, aliquando »
obtinuerunt, nullo unquam tempore quoquo mo- »
do obtinere poſſint, abſque ſpe diſpenſationis à Se- »
de Apoſtolica obtinendæ, non obſtante, quòd Ale- »
xander III. diſpoſuerit, filios Sacerdotum poſſe ſuc- »
cedere in beneficiis parentum, mediâ perſonâ in- »
tercedente, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & »
contrariis quibuſcunque. Præterea Concilium »
Trid. Seſſ. 25. c. 15. de ref. ſtatuit, ut non liceat filiis »
Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati »
ſunt, in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium a- »
liquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerût, quod- »
cunque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in »
dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare: nec pen- »
ſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes »
eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere &c. »
Nec reciprocæ reſignationes in favorem illorum »
à parentibus factæ illis ſuffragentur, velut in frau- »
dem hujus Decreti factæ, nec collationes inde ſecu- »
tæ. Cujus Conſtitutionis ratio ibid. in princ. hæc »
affertur: Ut paternæ incontinentiæ memoria ab »
Eccleſiis, ſeu locis Deo conſecratis, quos maximè »
puritas, ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur. »

L. Porrò tam circa Conſtitutionem Clementis
VII. quàm Concilij Tridentini c. l. occurrunt aliqua
in præſenti annotanda. 1. Per utramque hanc Con-
ſtitutionem nihil innovatur, quoad filios Clerico-
rum legitimos, ſed quoad hos incorrectum manet Jus
antiquum, cùm ſolùm loquantur de filiis ex forni-
catione, & non ex legitimo matrimonio natis, Salze-
do in pract. Canon. c. 50. in addit. lit. B. Garc. p. 7. de
benefic. c. 3. n. 18. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 65. n. 16.
& alij apud ipſos.

LI. Utraque hæc Conſtitutio habet locum e-
tiam in filiis naturalibus, ſeu ex fornicatione ſuſce-
ptis, ante Clericatum patris, ex declaratione Con-
greg. Conſil. apud Garc. c. l. n. 15. quin etiam in ille-
gitimis, ſed per reſcriptum Principis, ſeu Papæ legiti-
matis, niſi in eo expreſsè, & ſpecialiter ſublatum ſit
hoc impedimentum, ſeu inhabilitas, quia tales non
ſunt ex legitimo matrimonio nati, ideóque exclu-
duntur ab Eccleſiis, & beneficiis patrum ſuorum: &
memoria incontinentiæ paternæ etiam poſt legiti-

mationam manet, adeóque manet etiam ratio prohibitiva huius Conſtitutionis, ſeu decreti, & conſequenter etiam ipſa Conſtitutio. Sayr. de cenſur. l. 6. c. 11. n. 30. Laym. in c. 2. n. 1. h. t. niſi tamen filius ſit legitimatus per ſubſequens matrimonium, quia talis comprehenditur ſub appellatione nati ex legitimo matrimonio, etiam in materia ſtricta, ut tradit Gloſſ. communiter recepta in c. Innotuit; 20. V. conjugata de elect. & tenet Ant. de Butrio apud Fagnan. in cit. c. Ad extirpandas, n. 33. h. t.

LII. Tertiò, utraque hæc Conſtitutio loquens de filiis Clericorum nõ eſt extendenda ad nepotes legitimos ex filio illegitimo legitimè, vel illegitimè natos, quaſi hi quoque beneficium obtinere, vel ex officio miniſtrare non poſſint in Eccleſiis, in quibus avi eorum beneficia habent, vel habuerunt, ut docet Navarr. l. 1. conſil. 9. ſupr. cit. l. 6. c. 10. n. 46. Garc. cit. c. 3. n. 21. & 22. ubi ait, ita cenſuiſſe Rotam. Rom. Barb. c. l. n. 18. Idque colligitur quoad nepotes legitimos ex cit. Clement. quæ loquitur non ſimpliciter de filiis, ſed qui ex fornicatione nati ſunt: & ex decreto Concilij, quod loquitur de filiis, qui non ex matrimonio legitimo nati ſunt, quæ qualitates non conveniunt nepotibus ex legitimo matrimonio natis. Navarr. l. c. n. 9. Ratio eſt, quia in Conſtitutione pœnali, & odioſâ, appellatione filiorum non comprehenduntur nepotes, ut ex Bart. in l. Liberorum; 220. n. 6. ff. de verbor. ſignif. docent communiter DD. atqui Conſtitutio tum Clementis VII. tum Trident. Concil. eſt pœnalis, & odioſa, quia non tendit principaliter ad tollendam ſucceſſionem hæreditariam in favorem Eccleſiarum, nec fundatur in illa, ſicut fundatur prohibitio Juris communis, de qua ſuprà, ſed tendit ad tollendam memoriam incontinentiæ paternæ, adeóque principaliter in odium patrum, ac filiorum illegitimorum: & dum Concilium ait: *ut longiſſimè memoria arceatur*, id verificatur in filijs, in quantum prohibet eis, ut in Eccleſiis, ubi patres beneficium aliquod obtinuerunt, non poſſint etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis miniſtrare, nec penſionem ſuper fructibus beneficiorum paternorum habere. Navarr. c. l. n. 6. & 7. Et hinc idem dicendum videtur de nepotibus illegitimis natis ex filijs legitimis, vel illegitimis Clericis, quod non comprehendantur hìc ſub nomine filiorum. Garc. c. l. n. 25. Barb. c. l. n. 18. juxta aliam poſteriorem declarat. S. Congreg. Concil. apud Garc. c. l. n. 27.

LIII. Quartò, non tamen è converſo prohibetur pater acquirere beneficium in eadem Eccleſia, imò & in eodem beneficio immediatè ſuccedere filio illegitimè nato, ſi is mortuus ſit, vel reſignârit, quia Conſtitutiones Clementis VII. & Concil. Trident. c. l. tantùm loquuntur de filijs illegitimis Clericorum, &, cùm ſint editæ principaliter in odium eorum, non debent extendi ultra caſum, vel perſonas expreſſas, nempe à filijs ad patres; neque enim eſt eadem ratio in patre immediatè ſuccedente in beneficio filij illegitimi, quæ in hoc ſuccedente immediatè in beneficio patris, quia filius quodammodo repræſentat patrem, ideóque memoria incontinentiæ paternæ continuatur in filio illegitimo, quæ non ita repræſentatur per perſonam patris. Garc. c. l. n. 28. Neque tamen poſt Concil. Trident. c. l. poteſt pater acquirere beneficium in eadem Eccleſia, in qua filius eius illegitimus jam obtinet beneficium, quia non poſſunt pater, & filius illegitimus ſimul habere duo beneficia in eadem Eccleſia, ut apertè colligitur ex Concil. Trident. c. l. ubi dicitur: quòd ſi in præſenti pater, & filius (illegitimus) in eadem Eccleſia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius ſuum beneficium reſignare, aut cum alio commutare, extra Eccleſiam, intra triũ menſium ſpatium, aliàs ipſo jure eo privatus exiſtat: non cogeretur autem reſignare, ſi ſimul in eadem Eccleſia pater, & filius beneficia habere poſſent. Garc. c. l. n. 31. ubi addit, quòd, ſi filius habuit beneficium in Eccleſia aliqua, ante patrem, filius non debeat cogi reſignare illud, cùm non ſit in ulla culpa, & agat de beneficio jam acquiſito retinendo, adeóque de damno vitãdo, ſed hoc caſu pater repellendus eſt ab acquirendo beneficio in illa Eccleſia, quia agit de lucro captando, ſive novâ beneficij acquiſitione.

LIV. Quintò, pater non prohibetur penſionem, quam in Eccleſia habuit, cum facultate illam in alterum transferẽdi, cedere filio etiam illegitimo, quia penſio non eſt beneficium: modò ea penſio non ſit conſtituta ſuper beneficio, quod pater habet, vel habuit, hæc enim prohibetur transferri in filium illegitimum in Concil. Trident. c. l. Garc. c. l. n. 33. & 34. putat tamen Laym. in c. 2. h. t. n. 3. de hoc meritò dubitari poſſe, ſi penſio ſit ſpiritualis, quæ Clerico ob ſpirituale miniſterium datur, hæc enim æquiparatur beneficio, & cum eo in pleriſque convenit, ut idem docet l. 4. Theol. moral. tr. 2. c. ult. n. 2. q. 2.

LV. Sextò, filius illegitimus non poteſt in Eccleſia paterna, in qua pater beneficium habet, vel habuit, vel ex officio miniſtrat, etſi intitulatus non ſit, quovis modo ex officio, & obligatione miniſtrare, ita, ut v. g. Cooperatorem, vel Sacellanum agat, pro ſtipendio, vel ſalario ſibi conſtituto: imò neque Sacriſtæ, aut Cantoris officio in ea Eccleſia fungi poteſt, juxta cit. decretum Concil. & declarat. S. Congreg. Conc. apud Garc. c. l. n. 68. Barb. c. l. n. 20. quamvis ex libera devotione, aut ad ſtipem, ſeu eleemoſynam promerendam, poſſint pater, & filius illegitimus ſimul celebrare Miſſam in eadem Eccleſia, etiamſi alter in illa beneficium obtineat. Garc. c. l. n. 70. & 73. Barb. c. l. n. 23 E converſo verò filius illegitimus Clerici non prohibetur miniſtrare, & acquirere beneficium in Eccleſia, in qua eius pater inſervivit, ut Capellanus, vel Cooperator amobilis, non tamen titulum beneficij habuit, quia reſpectu patris requirit Concilium beneficium ad excludendum filium illegitimum ab illa Eccleſia, juxta declarat. Congreg. Concil. apud Garc. c. l. n. 72.

LVI. Septimò, non poteſt filius illegitimus Clerici obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater ei ſedem tantùm, ac locum, v. g. Canonici in choro habuit, etſi nullos fructus inde habuerit, juxta declarat. Cardin. apud Garc. c. l. n. 66. neque poteſt filius illegitimus obtinere beneficium in Eccleſia, in qua pater eius aliquando beneficium poſſedit, licèt minùs pacificè, & ſinè legitimo titulo, quia per poſſeſſionem etiam illegitimam dicitur illud habuiſſe, & militat ratio prohibitionis Decreti Concilij. Garc. c. l. n. 58. & 59. ex declarat. S. Congreg. Concil. Barb. n. 8. Si verò pater habuit quidem titulum beneficij in Eccleſia aliqua, quia ei collatio facta eſt, ſed poſſeſſionem eius nunquam per ſe, vel per Procurato-

rem

rem eſt adeptus, quia v.g. priùs reſignavit illud; tum filius eius illegitimus poteſt inſtitui in eadem Eccleſia, quia non cenſetur plenè beneficium in Eccleſia conſecutus pater, ante poſſeſſionem acceptam, per quam cauſatur vitium in perſona filij, & inducitur memoria paternæ incontinentiæ. Jo. Gallemart. cit. c. 15. Seſſ. 25. de reform. in declarat. n. 4. §. Non ſunt, & n. 6. Garc. c. l. n. 55. Sufficit autem, quòd pater in Eccleſia intitulatus fuerit, & poſſeſſionem beneficij obtinuerit, etſi nunquam in Eccleſia, vel beneficio miniſtraverit; tum enim filius eius illegitimus in eadem Eccleſia deſervire, vel beneficium obtinere non poteſt, quia pater eius beneficium conſecutus cenſetur; neque Concilium requirit, ut in Eccleſia, vel beneficio miniſtraverit, ex declarat. Cardinal. apud Gallemart. c. l. n. 4. in fine, & Garc. c. l. n. 56. & 57.

LVII. Octavò, filius illegitimus Clerici poteſt fieri Vicarius perpetuus, vel etiam temporalis, vel aliud beneficium obtinere in Eccleſia Parochiali v.g. acceſſoriè unita alteri Eccleſiæ principali, tanquam filia matrici, à qua illa dependet, & cui eſt ſubjecta, velut membrum Capiti, etſi in Eccleſia principali pater eius ſit Rector, ita tamen, ut utraque Eccleſia ſit beneficium per ſe, & ab alio diſtinctum, & dummodo ex parte filij nulla adſit obligatio miniſtrandi in Eccleſia principali, quia tum pater non cenſetur intitulatus in Eccleſia annexa, ſeu unita, ſed ſolùm in principali. At verò, ſi diverſa beneficia, vel Eccleſiæ parochiales ſint unitę æquè principaliter, ita, ut unus ſit utriuſque Rector, & utraque ſit per ſe, ac principalis; tunc ſi pater in una eſt, vel fuit Rector, vel aliud beneficium obtinuit, filius eius illegitimus non poteſt in illis ex officio miniſtrare, vel beneficium obtinere, quia pater in utraque eſt, vel fuit intitulatus, ut ex declaratione S. Congreg. Concil. tradit Garc. c. l. n. 62. & tribus ſeqq.

LVIII. Nonò, Religioſus illegitimè natus ex Clerico non poteſt ex officio miniſtrare, tanquam Parochus v.g. vel Vicarius, aut alius Beneficiatus in Eccleſia ſeculari, in qua pater eius beneficium obtinet, vel olim obtinuit, quia tam antiqui Canones, quàm Decretum Concilij Trident. c. l. generaliter, & abſolutè id prohibent, ſaltem in ordine ad Eccleſias ſeculares: & ratio prohibitionis de abolenda memoria paternæ incontinentiæ à locis ſacris, etiam in Religioſis illegitimis locum habet. Laym. in cit. c. 2. n. 2. h. t. Ex nova verò Conſtitutione Gregorij XIV. quæ incipit: Circumſpecta; editâ anno 1590. idibus Martij, & extat apud Quarant. in ſumm. Bullar. V. Monaſteria, filius illegitimus in Religione, vel Monaſterio, in quo pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filij, profeſſus fuit, ipſo patre vivente, admitti non poteſt. Ex quo per contrarium ſenſum colligi videtur, poſſe, patre mortuo, talem illegitimum in eandem Religionem, ſeu Monaſterium admitti, quia neque Canones antiqui, neque etiam Concil. Trident. c. l. voluit reſtringere filijs illegitimis facultatem ingrediendi Religionem, ex eo, quòd patres eorum, etſi Sacerdotes, in eadem Religione profeſſionem emiſerint, cùm etiam Decretum Trident. loquatur ſolùm de Eccleſiis ſecularibus, non autem Regularibus, ut tradit Rodriqu. tom. 1. qq. regul. quæſt. 13. art. 7.

LIX. Decimò, denique in prædicto Decreto Concil. Trident. reſignationes beneficiorum reciprocæ in favorem filiorum à parentibus factæ prohibitæ ſunt, tanquam factæ in fraudem Canonicarum Sanctionum, ſi tamen pactio aliqua inter renunciantes interveniat, & non merè liberâ voluntate, aut ex gratitudine aliquis renunciet filio eius, qui ſibi, aut cognato ſuo ante renunciârat, ut tradit Navarr. l. 1. de renunciat. conſil. 10. V.g. Parochus Titius reſignavit parochiam ſuam in favorem Caij, qui eſt filius illegitimus Sempronij Rectoris alterius Parochiæ: iſte Rector, poſt duos, vel tres menſes, parochiam ſuam, nullâ præcedente reſignandi obligatione, aut pacto, in favorem Sempronij, qui eſt filius illegitimus Titij, reſignat ſuam parochiam, & valida eſt renunciatio, nec Concilio Trident. repugnat.

LX. Ex dictis colligitur, quæ ſint differentiæ inter Jus commune antiquum, & Jus noviſſimum, tum Conſtitutionis Clementinæ, tum Concilij Trident. cit. Seſſ. 25. c. 15. de reform. quoad ſucceſſiones filiorum illegitimorum in beneficiis parentum, quarum 5. enumerantur in declarat. Cardin. c. l. n. 1. apud Jo. Gallemart. Nam 1. Jure communi ſolùm ratione ſucceſſionis arcentur filij à beneficiis paternis: Jure novo etiam ob memoriam incontinentiæ paternæ. 2. Jure communi filius illegitimus prohibetur inſtitui in beneficio patris immediatè tantùm, jure novo etiam mediatè. 3. Jure communi probibita eſt ſolùm ſucceſſio filij illegitimi in Eccleſia, in qua pater de præſenti habet beneficium, non autem in qua olim habuit beneficium, & nunc non habet: jure novo non licet filio illegitimo ſuccedere in alio quocunque beneficio etiam diſſimili in eadem Eccleſia, in qua pater olim beneficium habuit, etſi modò non habeat, ut patet ex Trident. c. l. 4. Jure communi non reperitur prohibitum, quò minùs filius illegitimus poſſit miniſtrare ſine titulo, & tanquam Vicarius temporalis, in Eccleſia, in qua pater fuit beneficiarus: Jure verò novo Concilij Trid. prohibentur filij illegitimi quoquo modo miniſtrare in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium aliquod habent, vel habuerunt. 5. Filij illegitimi, jure communi, non prohibentur obtinere penſionem ſuper beneficijs paternis: at jure novo nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum habere poſſunt, quæ parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt.

Porrò in omnibus caſibus hactenus allatis, in quibus illegitimus poteſt obtinere beneficium, id intelligendum eſt ex diſpenſatione Papæ, ſi ſit dignitas, perſonatus, vel beneficium curatum, vel ex diſpenſatione Epiſcopi, ſi ſit beneficium ſimplex. c. 1. & ult. h. t. & c. 1. eod. in 6. At verò ut filius illegitimus poſſit obtinere beneficium patris, requiritur diſpenſatio Sedis Apoſtolicæ, qualecunque ſit beneficium: idque propter duplex impedimentum, nempe illegitimorum natalium, & ſucceſſionis in beneficio, ut tradit Jo. Monach. in cit. c. 1. in 6. V. natalium, & alij apud Fagnan. in c. Ad extirpandas; 11. num. 24. & 25. h. t.

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

Poſt vitium natalium, quod eſt impedimentum originis, ſequitur de ſervitute, quæ eſt impedimentum conditionis perſonæ.

I. Quæritur 1. An, & qualiter ſervi ordinari poſſint, vel non poſſint? Reſp. 1. Servi, ſeu mancipia ad Ordines etiam minores, aut Ordinem Clericalem promoveri non debent, niſi à dominis ſuis manumiſſi, ſeu libertate donati ſint, ut conſtat ex c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Toletano, ubi „ dicitur; Clericus fieri non permittitur, id eſt, per„ mitti non debet, niſi ante Clericatum ingenui„ tatis dignitate (id eſt, plenâ libertate, Gloſſ. hîc V. „ ingenuitatis) potiatur, & ideo, quod infirmari, ſi„ ve revocari, vel vituperari poteſt, id eſt, in vitupe„ rium Eccleſiæ, vel miniſtrorum eius cedere, præ„ caveri debet: quia debemus futuris caſibus pru„ denter occurrere. c. 1. diſ. 23. Hoſtienſ. hîc V. Infirmari, & V. Præcaveri. Ubi notanda eſt differentia inter ingenuum, & libertinum, quia ingenuus eſt, qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt, ſive qui liber naſcitur, princip. Inſtitut. de ingenuis: libertinus verò, qui ex juſta ſervitute manumiſſus eſt, princ. Inſtitut. de libertin. Ad hoc autem; ut quis poſſit promoveri ad Clericatum, & ordinari, non quidem requiritur, ut ſit ingenuus, id eſt, liber natus: requiritur tamen etiam, ut non ſit libertus, ſed plenâ gaudeat libertate, ut infrà dicetur. Hoſtienſ. hîc V. ingenuitatis. Abb. hîc in princ.

II. Idem de ſervis non ordinandis ſtatutum „ habetur in c. Conſuluit; h. t. ubi Papa Alexan„ der III. conſultus ab Archiepiſcopo Turonenſi, „ reſpondet, quòd neque ſpurios, neque ſervos or„ dinare debeat, cùm ipſi in conſecratione dictum „ ſit: videlicet, ne aliquem ſervilis conditionis, id „ eſt, ſervum exiſtentem, ad Ordines promovere præ„ ſumas. Ubi gl. margin. notat, quòd hæc admonitio fortè extabat in veteribus Libris Cæremoniarum Pontificiarum, quæ hodie non extat. Porrò ratio, cur ſervi, ſeu mancipia ordinari prohibeantur, eſt, tum ob dignitatem Clericalem, & vilitatem ſervilem. c. Generalis; & c. Admittuntur; 21. diſ. 54. tum quia, cùm per Ordinis ſuſceptionem homo divinis Officiis mancipetur, debet eſſe ſui juris, ut liberè poſſit Eccleſiæ miniſterio vacare, ut colligitur ex c. 1. diſ. cit.

III. Reſp. 2. Si ſervus, ſciente, & non contradicente domino, in Clericum fuit ordinatus, hoc ipſo liber fit, etſi minores ſolùm Ordines, vel etiam primam tonſuram tantùm ſuſceperit. c. Si ſervus; 20. diſ. 54. Gl. in c. 2. V. Diſponatur; junctâ Gloſſ. margin. lit. b. h. t. Abb. ibid. in 2. caſu. Suar. diſ. ult. de cenſur. ſect. 3. num. 5. idque colligitur ex cit. c. Si ſervus; ibi: *ſi in Clero fuerit ordinatus*, id eſt, conſtitutus, nam per primam tonſuram quiſque in Clero conſtituitur; & ratio eſt, quia ex tunc talis perſona dicatur, & conſecratur divinis obſequijs, & ideo accedente voluntate domini, ex juris interpretatione, vel diſpoſitione talis fit liber, quia res Deo dicata, non debet humanis ſervitijs mancipata manere, juxta reg. Semel; 51. in 6. Suar. cit. loc. Si verò, domino ignorante, ſervus ordinatus fuit, & Minoribus tantùm Ordinibus ſit initiatus, manet ſervus, & dominus eum vendicare, & repetere poterit, prout ſumitur ex c. De ſervorum; 2. h. t. quod eſt deſumptum quoque ex Concilio Toletano, ubi ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcoporum de- „ inceps ſervos ad ſacros Ordines, (maximè, quia „ idem eſt de inferioribus, ſeu minoribus. Gloſſ. hîc V. Ad ſacros, & Hoſtienſ.) promovere præſumat, niſi priùs à dominis libertatem fuerint conſecuti. Et, ſi aliquis ſervus fugiat dominum ſuum, & per frau- „ dem (quia finxit ſe liberum, vel teſtes corrupit, ut ei de hoc teſtimonium perhiberent. Hoſtienſ. hîc V. vel fraude) ad gradus, five Ordines Eccleſiaſticos perve- „ nerit, deponatur, ut eius dominus eum recipiat, ſi- „ ve ei reſtituatur. Id quod ſaltem de ſervo minoribus Ordinibus initiato abſolutè, & ſine ulla limitatione intelligi debet, quia quoad hos Ordines nullo alio jure reſtringitur, ut notat Suarez cit. loc. num. 10.

Nec obſtat cit. reg. juris in 6. quod ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum; ideóque nec res aliena conſecrata domino laico eſt reſtituenda, ſed eius æſtimatio. c. Comperimus; 2. cauſ. 14. quæſt. 6. ergo neque alienus ſervus conſecratus, ſeu ordinatus reſtituendus eſt domino ſuo. Sed reſpondetur cum Gloſſ. in cit. c. 2. V. Eis, & in c. Frequens; 10. V. Reddi. diſ. 54. & Hoſtienſ. in ſumm. num. 7. §. Qualiter ſervus, Verſ. Quæri conſuevit; h. t. quòd regula allata tantùm in rebus inanimatis locum habet, in quibus non eſt dolus, & aliàs poſſunt facilè compenſari: at ſervus eſt res animata, qui delinquit, & fraudem committit, dum ſine conſenſu domini permittit ſe ordinari, quæ non debet ei patrocinari. Deinde in re inanimata conſecratio eſt merè materialis, & in ſuperficie, & ideo à manu profana tractari non debet: at conſecratio, quæ fit in homine per ordinationem, eſt interior, ſcilicet character ſpiritualis impreſſus animæ, qui tactu profanari non poteſt. Denique in Ordinibus minoribus conſecratio eſt valde imperfecta, ideo permittitur, ut Clerici in ſolis Minoribus conſtituti facilè, præſertim propter injuſtitiam, ad ſecularia negotia transferri poſſint. Suar. c. l.

IV. Reſp. 3. Si ſervus ad ſacros Ordines, domino ignorante, aut contradicente, ſeu invito,

pro-

promotus ſit; tum, ſi Epiſcopus ſervum ſcienter Ordine ſacro inſignivit, invito domino, ille liber efficitur; Epiſcopus autem tenetur domino duos ſervos æquè bonos, vel duplicatum pretium ſolvere, c. Si ſervus; 19. junct. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Deponatur. h. t. & ibid. Abb. in 3. caſu, quia, & Dominus hoc caſu gravatur, ut ſervum ita ordinatum vendere cogatur, aut dimittere, etiamſi contra juſtitiam, & voluntatem eius ordinatus ſit, Suar. cit. loc. num. 12. Si verò Epiſcopus, eum ſervum eſſe, neſcivit, tunc ij, qui teſtimonium perhibuerunt, aut ſupplicârunt, ut ordinaretur, ad ſimilem ſatisfactionem in duplum tenentur, cit. c. Si ſervus; 19. Suar. cit. loc. num. 13. Sin autem, & Epiſcopus, & Præſentatores, aut ſupplicantes probabiliter ignorârunt, eum eſſe ſervum, & ipſe à nullo inductus ordinatus ſit, ignorante Domino; tum, ſi Diaconus factus ſit, debet pro ſe Domino dare Vicarium, ſeu ſimilem ſervum, vel ex proprio peculio, pretio oblato, ſe redimere: vel, ſi neutrum præſtare poſſit, ipſe Domino reddendus eſt, c. Ex antiquis; 9. in fine cit. diſ. 54. & ibi Gloſſ. V. Vicarium: ita, ut Dominus eum in ſervitutem revocare poſſit, intra ſpatium unius anni, c. Si ſervus; 20. ead. diſ. qui annus computandus eſt, non à tempore ordinationis, ſed ſcientiæ, Gloſſ. ibid. V. Unius in fine. Alioquin, ſi Dominus per annum, poſtquam ſcivit, ſervum eſſe ordinatum, diſſimulet, cenſetur eum manumittere, & plenâ libertate donare, ut colligitur ex cit. c. Si ſervus abſente, Suar. c. l. n. 13.

V. Porrò, etſi olim ſervus ordinatus Subdiaconus, ignorante Domino, non eximebatur à ſervitute, quia in prædictis Canonibus ſolùm fit mentio Diaconi, & Presbyteri, & Subdiaconatus nondum erat numeratus inter ſacros Ordines, quia non habebat annexum votum continentiæ: hodie tamen reputatur Ordo ſacer, & ideo, quod in antiquis Canonibus ſtatutum eſt de ſervo facto Diacono, etiam extendi debet ad ſervum, qui Subdiaconus factus eſt. Suar. cit. loc. num. 13. & ita » habetur in c. Miramur; h. t. Nam cùm quidam » ſervus in Subdiaconum, ignorante Domino, ordi» natus eſſet, à Domino ipſum repetente, licèt pa» ratus eſſet ſe pretio redimere, ad inſtar Diaconi, » nihilominus tamen in ſervitutem retractus fuit. » Re hac delatâ ad Innocent. III. is reſpondit, mi» rari ſe, de hoc quæri, cùm cautum ſit in Conſti» tutionibus antiquis (c. Ex antiquis; 9. & duobus » ſeqq. diſ. 54.) quando ſervi ad Ordines Eccleſiaſticos » promoti in ſervitutem revocari debeant, vel non. » Verumtamen de Ordine Subdiaconali, etſi in an» tiquis Decretalibus nulla fiat mentio (quia in cit. c. ex antiquis nulla ſit expreſſa mentio, niſi de Presbytero, & Diacono, de Subdiacono verò, & alijs inferioribus officijs, ſeu Ordinibus ſolùm fit » mentio generaliter, Gloſſ. hìc V. mentio) hodie » tamen etiam ille Ordo eodem gaudet privilegio » cum Ordine Diaconali: nam licèt olim in pri» mitiva Eccleſia non reputaretur ſacer Ordo, ta» men à tempore Gregorij (in c. 1. diſ. 31.) & Ur» bani II. (in c. Erubeſcant; 11. diſ. 32.) indubitatè » ſacer Ordo eſſe cenſetur.

VI. Denique ſi ſervus, ignorante, aut invito Domino, Sacerdos ordinatus ſit, non poteſt revocari in ſervitutem, etiamſi domino integrè ſatisfacere nequeat, ſed ſolùm cogitur omittere peculium ſuum, quoad uſum illius; & Domino reddere. cit. c. Ex antiquis; quia peculium eſt Domini, & ſervus ſolùm habet eius uſum, & adminiſtrationem. Abb. in cit. c. 2. num. 1. in 4. caſu. Si verò talis ſervus peculium non habeat, tunc in ſpiritualibus officijs Domino ſervire debet, ſi exigat. c. Frequens; 10. cit. diſ. 54. Idque ſtatutum eſt, tum in reverentiam Sacerdotij: tum etiam quia illud miniſterium eſt excellentius, & utilius Domino, ideóque is re ipsâ non graviter læditur, quamvìs propter dignitatem miniſterij, id non fiat per modum compenſationis, quia res temporalis per ſpiritualem redimi, vel commutari non poteſt. Suar. cit. loc. num. 13.

VII. Illud hìc addendum, ſi ſervus, ignorante, aut invito Domino, ordinatus ſit Diaconus, vel Subdiaconus, & poſtea à Domino in ſervitutem vindicetur, non ſolùm manet privatus uſu Ordinum, ſed etiam amittit Clericale privilegium fori. cit. c. Ex antiquis; juncta Gloſſ. V. Religioſo privilegio; cùm nec habitum, nec tonſuram Clericalem ei deferre liceat, quia in ſtatu ſervi eſt, Tolet. in ſumm. Caſuum l. 1. c. 59. num. 10. privilegium tamen Canonis, ſi quis ſuadente cauſ. 19. quæſt. 4. non amittit, cùm hoc privilegium datum ſit Clericis, non tantùm favore eorum, ſed etiam in odium laicorum, ut docet Gloſſ. in c. Nulli; 2. V. Ceciderit. diſ. 54. Ita quidem, ut neque à Domino ſinè ſacrilegio verberari poſſit, ut tenet Sayr. in theſaur. de cenſur. l. 6. c. 14. num. 5. Campanil. in diverſ. Jur. Canon. Rubric. 11. c. 8. num. 6. quamquàm Turrecremata in cit. c. Nulli; num. 5. putet, talem Clericum retinere quidem privilegium Canonis, quoad alias perſonas; non tamen reſpectu Domini, cui per ordinationem præjudicium non fit in ſervo corrigendo; idque colligitur ex cit. c. Nulli; ubi dicitur, quòd talis Clericus ſit illius conditionis, cuius fuerat ante ordinationem, ſed non eſt dubium, quin antè potuerit verberari à Domino, ergo & nunc: ſed neque ſervus promotus ad ſacros Ordines, ſinè licentia Domini, & ab eo in ſervitutem retractus matrimonium contrahere poteſt, propter votum continentiæ, quod cenſetur emiſiſſe, ſuſcipiendo Ordinem ſacrum, & potuit facere, etiam invito domino, Gl. in cit. c. Nulli. V. Ceciderit, in fine, & ibid. Turrecrem. n. 7. Tolet. c. l. n. 9.

VIII. Quæritur 2. Quinam præterea ob defectum plenę libertatis ordinari prohibeantur? Reſp. 1. Liberti, ſeu Libertini non poſſunt ordinari, niſi à patronis fuerint directè, & ſine retentione obſequij temporalis, manumiſſi, c. Quicunque; 5. & c. fin. diſt. 54. Ratio eſt, ne tales, quando eorum Domini voluerint, fiant ex Clericis ſervi, ut dicitur in cit. c. Quicunque; in fine. quod tamen ipſi Domini facere non poſſunt, niſi probatâ causâ ingratitudinis, c. ult. cauſ. 15. quæſt. 7. Gloſſ. fin. in cit. c. Quicunque; nam ad Ordines promovendi ab omni jugo dominico debent eſſe liberati, c. Si quis; 7. cit.

diſ. 54. & ibi Gloſſ. V. eod. ubi habetur, quòd libertus ordinari non debet, niſi fuerit probatæ vitæ, & conſenſus patroni acceſſerit.

2. Neque ſervi originarij, vel adſcriptitij, ſi dominis ſuis, non tantùm ratione poſſeſſionum, ſeu bonorum, ſed etiam perſonaliter obligati ſint, ratione culturæ, aliorúmque obſequiorum, ita, ut niſi gratìs, vel pretio perſoluto, à Domino manumiſſi diſcedere non poſſint, (quales ſervi vulgò Leibaigne vocantur, & adhuc hodie multi in Germania reperiuntur) ſinè licentia Dominorum, ordinandi ſunt, c. Admittuntur; 21. diſ. 54. junctâ Gloſſ. margin. lit. d. ubi ait, per hunc textum corrigi, quod habetur in c. Si ſervus ſciente, immediatè præcedente in fine: ubi dicitur, quòd adſcriptitij in poſſeſſionibus poſſunt Clerici fieri, etiam præter voluntatem Dominorum, Gloſſ. fin. ibid. & Gloſſ. margin. Vel ibi ſermo eſt de adſcriptitijs ratione poſſeſſionum tantùm, qui ſinè voluntate Dominorum Clerici fieri poſſunt, ita tamen, ut Clerici facti impoſitam ſibi agriculturam adimpleant, ut ibid. dicitur. Quare, quæ de ſervis dicta ſunt, pleraque etiam in bis ſervis originarijs perſonaliter obligatis locum habent, ut docet Layman l. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 5. c. 8. num. 2. quamvìs aliàs abſolutè ſint liberi, ut tradit Gloſſ. in cit. c. Admittuntur. V. Originarijs, & conſtat ex l. Definimus; 11. C. de agricol. lib. 11. & ex c. 2. de Judæis, & ibi Gloſſ. V. Sint liberi; quia ab actibus legitimis, & officijs publicis non repelluntur.

3. Qui ex matre ancilla natus eſt, tametſi pater liber fuerit, ſervus cenſetur, ratione nativitatis, & ordinari nequit, quia partus ſequitur ventrem, l. Partum; 7. C. de rei vindic. id eſt, ſequitur conditionem matris, ſcilicet, quoad ſtatum libertatis, vel ſervitutis: quamvìs aliàs liberi legitimè nati non matris, ſed patris conditionem ſequantur, tum quoad nomen, familiam, Inſignia, nobilitatem, honores, & dignitates (niſi aliud ſtatuto, vel conſuetudine regionis, aut familiarum receptum ſit) tum etiam quoad originem, & domicilium, ut conſtat ex l. Cùm legitimæ; 19. & ibi Gloſſ. magna. & V. Matrem. ff. De ſtatu hominum, & l. Liberos; 10. junct. Gloſſ. fin. ff. De Senatorib.

Contra verò, qui ex matre ingenua, ſeu libera, patre autem ſervo natus eſt, liber cenſetur, §. Sed etſi quis; Inſtit. de Ingenuis, l. Et ſervorum; 5. §. Ingenui. ff. De ſtatu hom. ac proinde ordinari » non prohibetur, c. ult. h. t. ubi habetur, quòd » Joannes miles impediebat Gervaſium Diaconum, » ne in Presbyterum ordinaretur, quia dicebat, pa- » trem ipſius eſſe ſervum, quamvìs mater eius (cu- » jus debet imitari conditionem) libera eſſet. Quo- » circa mandat Papa Gregorius Archiepiſcopo Neo- » politano, ut, ſi de prædictis conſtiterit, militem » compellat deſiſtere ab hujuſmodi impedimenti » objectione. Porrò ſufficit, matrem liberam fuiſſe tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio, ídque in favorem prolis, & libertatis, d. l. & ſervorum. §. Ingenui, & l. Qui in utero; 26. ff. de ſtatu hom. & Inſtitut. d. t. §. Sufficit autem.

IX. Quæritur 3. Quis in impedimento ſervitutis, ſive irregularitate ob defectum libertatis diſpenſare poſſit? Reſp. **Epiſcopum diſpenſare** non poſſe, quia in Concilio Toletano relato in c. 2. h. t. ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcopus ad Ordines promovere præſumat ſervos, niſi priùs à Dominis libertatem conſecuti ſint, vel per expreſſam manumiſſionem, vel per conſenſum ſaltem tacitum; & Epiſcopus id ſcienter facere præſumens punitur in duplum, ut patet ex c. Si ſervus; 19. diſ. 54. Solus ergo Papa in hoc caſu diſpenſare poteſt, quia irregularitates hæ Jure communi Canonico ſunt conſtitutæ, in quo nemo, præter S. Pontificem, ordinariè diſpenſare poteſt, Laym. cit. l. 1. tract. 5. p. 5. c. ult. n. 1.

X. Quæritur 4. Qualiter fieri poſſit manumiſſio ſervorum, ut ad Ordines promoveantur? Reſp. Poteſt Dominus ſervum manumittere, & facultatem ei dare ad Ordines ſuſcipiendos etiam ſacros reſervatis ſibi in manumiſſione operis, ſeu ſervitijs ſpiritualibus, quæ ſi contumaciter Domino manumittenti præſtare recuſet, deponendus eſt, ut conſtat ex c. Nullus; 4. h. t. ubi ſtatutum habe- » tur, ut, ſi quis ex ſervis ſuis quemquam donaverit » libertate (ſub hac ſcilicet conditione, ut Domino in officijs divinis deſerviat, Hoſtienſ. hîc V. li- » bertati) & ipſum in Presbyterum fecerit ordinari: » ille autem Domino ſuo noluerit, horas canonicas » pſallendo, deſervire, accuſatus, id eſt, conventus, » & convictus apud Epiſcopum, qui eum ordinavit, » degradandus, ſeu deponendus erit. Hinc colli- » gitur, quòd poſſit Dominus, quando manumittit ſervum ſuum, ad Ordines ſuſcipiendos, vel ſtatim poſt manumiſſionem, ſibi reſervare operas, ſeu obſequia ſpiritualia: non autem temporalia, c. Quicunque; 5. diſ. 54. niſi manumittatur, non ad Ordines, ſed ut laicus remaneat, Gl. hîc V. Canonicas, & Abb. not. 1.

XI. Præterea poſſunt ſervi Eccleſiæ ab illa manumitti ad Ordines etiam ſacros ſuſcipiendos, cum ea reſervatione, ut, quidquid acquiſierint, poſt obitum eorum, ad Eccleſiam, à qua libertatem cõſecuti ſunt, pertinere debeat. Sed etſi abſolutè, & ſimpliciter libertate fuerint donati, ſi tamen Eccleſiam patronam ſuam accuſaverint, vel contra illam teſtificati fuerint, vel quocunque modo in Jus vocaverint, non petitâ veniâ; & libertate, & Ordinis dignitate privandi ſunt, ut conſtat ex Concilio Toletano relato in c. De famulis; 3. h. t. ubi ſtatuitur, quòd Eccleſia licitè » poſſit ex ſervis ſuis conſtituere Presbyteros, & Dia- » conos per parochias (ſubjectas illi Eccleſiæ, cujus » ſervi ſunt, Innocent. hîc & Hoſtienſ.) ita tamen, ut » priùs manumiſſi accipiant libertatem: &, quidquid » poſtea ab eis acquiſitum fuerit, vel eius debitum, ad » extraneas perſonas nõ tranſmittant: ſed omnia, poſt » obitum eorũ, ad Jus Eccleſiæ, à qua manumiſſi ſunt, » debeant pertinere. Quibus etiam omnis accuſandi » (ſeu agendi, Innoc. hîc) aut teſtificandi adversùs Ec- » cleſiam (vel Prælatum eius, qui eſt caput Eccleſiæ, » Gl. hîc V. Eccleſiam) aditus præcludatur, ſicut cęte- » ris libertis laicis; quòd ſi contra fecerint, nõ ſolùm » libertatem amittant, ſed etiam gradum honoris; id » eſt, Ordinis, cui honor eſt annexus, quem nõ digni- » tate naturæ (id eſt, nativitatis, quia ſervi nati » fuerunt, contra naturalem dignitatem, Hoſtienſ. » hîc V. naturæ) ſed neceſſitate temporis prome- » ruerunt,

ruerunt, id eſt, receperunt: quia nimirum fortè alij idonei non reperiebantur, vel etiam, quia meritis ſuis libertatem acceperunt. Gl. fin. hîc, & Hoſtienſ. V. Neceſſitate, & V. Promeruerunt.

Hinc colligitur, quòd bona liberti Eccleſiæ ad eandem ſpectant, ſaltem quæ ab illo ſunt acquiſita intuitu Eccleſiæ, nòn intuitu perſonæ liberti, niſi ſub hac conditione ſit manumiſſus, ut omnia ab eo acquiſita pertineant ad Eccleſiam, vel niſi conſanguinei, præſertim liberi, extent, qui excludunt Eccleſiam in bonis acquiſitis intuitu perſonæ liberti. Hoſtienſ. in ſum. h. t. n. 7. §. Qualiter ſervus; V. Quinta differentia. Abb. hîc n. 1.

XII. Denique ſervi ab Eccleſia manumiſſi ad Ordines ſuſcipiendos, eâ conditione, vel modo, ut ipſi Eccleſiæ in divinis Officiis perpetuò ſervire teneantur, non poſſunt ſe ad aliam Eccleſiam transferre; ſecus, ſi abſolutè manumiſſi fuerint, ut de» ciditur in c. Libentiùs; 6. h. t. Nam, cùm quæſitum » fuiſſet ex Innocentio III. an illorum filij (legitimi) » qui Eccleſiæ ſervitutis vinculo ſunt obſtricti (id » eſt, ſervi erant, antequam traderentur militiæ Cle» ricali) à ſuis parentibus traditi, ſive oblati ipſi Ec» cleſiæ, cum conniventia, ſeu conſenſu ſaltem tacito ſuorum dominorum, id eſt, (Epiſcopi, & Capi» tuli, ſi Eccleſia Cathedralis; vel aliorum Clerico» rum, ſi ſit alia Eccleſia. Hoſtienſ. hîc V. Domino» rum) ut in eadem Eccleſia debeant deſervire in Or» dine Clericali, à qua propterea libertatem ſunt con» ſecuti. An, inquam, tales ſervi Eccleſiæ, poſt ali» quod tempus, eâ dimiſsâ, poſſint ad aliam ſe trans» ferre? Reſpondet Papa, diſtinguendum eſſe, utrùm » eo tenore, id eſt, eo modo, ſeu pacto fuerint manu» miſsi, & oblati Ordini Clericali, ut Eccleſiæ manu» mittenti, dum vixerint, debeant in Officiis divinis » deſervire: & tunc ad aliam Eccleſiam ſe transferre » non poſſunt; vel, an abſolutè, & ſimpliciter (ſinè re» ſtrictione, ut perpetuò, vel quoad vixerint, ſerviant, » in illa Eccleſia) fuerint manumiſſi; & tunc licitè ad » aliam Eccleſiam poſſunt tranſire, de licentia tamen » Epiſcopi, Gl. fin. hîc.

Porrò in hoc caſu, quando ſervus Eccleſiæ ab eadem manumittitur, ut factus Clericus perpetuò maneat in obſequio ejuſdem Eccleſiæ, non datur libertas pro re ſpirituali, ſed potiùs datur pro obligatione perpetuò ſerviendi in illa Eccleſia, & privandi ſe facultate tranſeundi ad aliam Eccleſiam, ut ex Correa notat hîc Barb. in Collect. n. 2.

TITULUS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

I. ALiud impedimentum ſuſcipiendi Ordines eſt obligatio ad ratiocinia, ſeu rationes reddendas, de quo agitur in c. Magnus unic. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Carthaginenſi I. » c. 8. ubi habetur, quòd Magnus Epiſcopus Angu» ſtenſis, quæſivit in Concilio, utrùm Procuratores » (ad negotia, vel ad lites) actores (univerſitatis ad » præſentes lites tantùm, & cum decreto conſtitu» ti, Gl. hîc V. Procuratores in fin. & Hoſtienſ. V. » Actores) curatores (adultorum) & pupillorum, » ſcilicet tutores, debeant ordinari? Reſpondit Gra» tus Epiſcopus; ſi poſt depoſita onera, ſeu officia, » & reddita ratiocinia, ſeu rationes officij ſui, di» gni reperti fuerint, poſſunt ad Ordines promo» veri, ſed non, antequam ab eiuſmodi publicis » officiis, ac negotiis liberati fuerint, alioquin pe» riculum eſſet, ne Eccleſia infamaretur. Et omnes » in Concilio dixerunt: rectè reſpondit Sanctitas » veſtra, & iſta eſt quoque noſtra ſententia. Ratio bujus prohibitionis eſt, tum quia hujuſmodi Officiales in reddendis rationibus doli forſan redargui poſſent, & multis, magníſque litibus vexari, quod frequentiſſimum eſt, ídque cedere poſſet in grave damnum, vel infamiam Eccleſiæ. cit. c. unic. tum quia ſuſpicio eſt, ne ad declinandum forum ſeculare, in præjudicium creditorum, vel eorum, quorum res adminiſtrârunt, ſe curent ordinari; nam ſuſcipiendo Ordines forum mutant, cùm ordinarii in Eccleſiaſtico Tribunali conveniendi ſint, quia actor forum rei ſequi debet, c. Cùm ſit; 8. de for. compet. tum denique, quia hujuſmodi ratiocinijs, & negotijs ſecularibus implicati Eccleſiaſticis miniſterijs liberè vacare non poſſunt, Hoſtienſ. in ſumm. in fine h. t. Bernard. Diaz in pract. Canon. c. 20. num. 1. ubi addit, hoc mirum non videri, cùm etiam Jus civile iſtos ad honores, & publica munia promoveri prohibuerit. l. Reſcripto; 6. §. Debitores. ff. de munerib. & honorib. Et hinc ad exemplum actionis popularis, quælibet perſona Eccleſiaſtica hoc impedimentum opponere poteſt, ne tales ſacris Ordinibus initientur, & multò magìs dominus, cui rationes reddendæ ſunt, & quilibet alius, qui ſuâ intereſſe putat, Abb. in cit. c. unic. quæſt. ult. h. t. Diaz c. l. ubi addit, ſi unum totum Collegium, ob publicam adminiſtrationem rationem reddere teneatur, nullum ex Collegio illo, pendente adminiſtratione, poſſe ad Ordines promoveri.

II. Porrò circa prædictam Conſtitutionem Concilij Carthaginenſis notandum præterea 1. Etſi in cit. c. unic. quidam Adminiſtratores, ſeu Officiales publici in ſpecie recenſentur, ut ad Ordines, niſi depoſito munere, & redditis rationibus, non admittantur: tamen illi exempli tantùm causâ nominati ſunt; id ipſum autem, ob paritatem rationis, extendendum eſt ad omnes alias perſonas conſtitutas in aliquo officio, adminiſtratione, aut negotiatione ſeculari, ob quam minùs expeditæ reddantur ad ſerviendum Deo in officiis ſpiritualibus, ſicut notavit Suar. diſ. 51. de cenſur. ſect.

3. num. 15. Cujuſmodi ſunt obligati militiæ, c. unic. diſ. 53. obligati ad feudum requirens ſervitium perſonale, quod repugnet Ordini Clericali, Sylveſt. in ſumm. V. Feudum. quæſt. 8. Conductores vectigalium fiſci, agrorum colendorum, & alias negotiationes Clericis prohibitas exercentes, c. 2. & 3. cauſ. 21. quæſt. 3. c. 1. & 2. Ne Clerici, vel Monach. ſecul. negot. &c. juxta illud Apoſtoli 2. ad Tim. 2. nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus. Quare tales ordinandi non ſunt, niſi priùs ab ejuſmodi muneribus, & obligationibus ſint liberati.

III. Notandùm 2. Sunt tamen ab his nonnulli excipiendi. Veluti 1. Adminiſtratores bonorum, ſeu rerum Eccleſiaſticarum, vel cujuslibet alterius cauſæ piæ, publicæ, vel privatæ; & tutores, ſeu defenſores perſonarum miſerabilium, ſive indefenſarum, ut orphanorum, pauperum, & ſimilium perſonarum, quæ Eccleſiæ auxilio maximè indigent; nam cùm tales adminiſtrationes, & munera Clericis ſuſcipere liceat, causâ pietatis, c. 1. cauſ. 21. quæſt. 3. conſequenter durante etiam tali adminiſtratione, ſeu officio, ad Ordines promoveri poterunt, ſi aliud non obſiſtat, Gl. in cit. c. unic. V. Ratiocinia, h. t. Diaz cit. c. 20. num. 5. Suar. cit. loc. num. 17. 2. Qui legitimam tutelam proximorum agnatorum ſuſceperunt, ad Ordines admitti poſſunt, quia etiam Clerici non prohibentur eſſe tales tutores legitimi, ut colligitur ex c. 1. cit. cauſ. 21. quæſt. 3. ſive ex c. ult. diſ. 86. Sylv. V. Tutela. quæſt. 3. 3. Ex indulgentia S. Pontificis, vel longâ conſuetudine (quæ ita interpretata eſt ipſa jura) introductum eſt, ut Clerici in Curijs Principum etiam ſecularium, poſſint fungi officio Conſiliarij, Cancellarij, imò etiam Judicis in cauſis civilibus, ut tradit Abb. in c. Clericis. 5. n. 10. Ne Clerici, vel Monachi &c. & in c. Non eſt; 5. num. 4. de voto. Ideóque ob tale munus ſuſceptum non debet quia ab Ordinibus arceri, ſi aliud impedimentum non habeat, Laym. in cit. c. unic. num. 3. h. t. 4. Si is, qui publicis ratiocinijs eſt aſtrictus, idoneum fidejuſſorem præſtiterit, non prohibetur ordinari, etiam nondum redditis rationibus, ut docet Abb. in cit. c. unic. num. 12. h. t. modò fidejuſſor ſe conſtituat debitorem principalem, ita, ut ante illum conveniri poſſit, alioquin ipſe creditor non leve detrimentum pateretur, Diaz. cit. c. 20. n. 6. Campan. in diverſ. Jur. Can. rubr. 11. c. 9. n. 12.

Addunt nonnulli, quòd quivis ratiocinijs obnoxius jam Clericus factus, licèt in minoribus ſolùm conſtitutus ſit, non prohibetur ad altiores Ordines aſcendere, etiam ante reddita ratiocinia, ut tenet Abb. in cit. c. unic. num. 9. h. t. Campan. cit. loc. num. 11. quia ejuſmodi munera exercentes, prohibentur ſolùm ex laicis fieri Clerici, ne hi, quorum negotia geruntur, ex tali mutatione fori graventur; quæ ratio ceſſat in ijs, qui jam ſunt Clerici, & ad altiores Ordines promoveri cupiunt. Verùm hæc non eſt adæquata ratio, cur ad Ratiocinia obligati ordinari non poſſint, ut ex ſuprà dictis patet. Unde hæc exceptio, ſeclusâ auctoritate, dubio non caret.

IV. Notandum 3. Duæ in perſonis ad Ratiocinia obligatis diſtinguendæ ſunt obligationes. Una eſt, ratione ipſius muneris ſuſcepti, ad functiones, ſeu miniſteria eius propria peragenda; & hæc finito munere, exſpirat, &, quàm diu ea durat, adeóque ipſum etiam officium, certum eſt, officialem ordinari non debere. Altera obligatio eſt ad rationes reddendas muneris peracti, quæ ſæpe, etiam depoſito officio, remanet, ut notat Suar. cit. loc. num. 15. Et hoc poſteriore caſu, ſi obligatio reddendi rationes, poſt depoſitum officium, remanet, Gl. in cit. c. unic. V. Ratiocinia, & ibi Innocent. num. 3. & alij DD. communiter diſtinguunt: Vel enim eſt quis obligatus ad reddendas rationes, ob publicam adminiſtrationem bonorum Reipubl. & tunc ante rationes redditas, ordinari non debet, quia periculum eſt, ne Magiſtratus tales ex publica adminiſtratione ratiocinijs obnoxios repetat, ſeu revocet, & inde, litibus exortis, Eccleſia vexetur, c. 2. & 3. diſ. 51. & c. unic. diſ. 53. ubi ſub generali nomine Curialium, qui cauſas agunt, vel quibuslibet publicis functionibus occupantur, omnes hujuſmodi publici adminiſtratores comprehenduntur. Vel rationes reddendæ ſunt ex adminiſtratione privata, v. g. tutelæ pupilli: & tunc obligatus ad rationes reddendas, poſt depoſitum officium, etſi illas nondum addiderit, ad Ordines admitti poteſt, ut colligi videtur ex cit. c. unic. d. 53. ubi ſolùm fit mentio de illis, qui ad publicas rationes reddendas ſunt obligati. Excipi debet 1. Niſi periculum eſſet infamationis, vel vexationis, quam fortè pati poſſet Eccleſia, cui Adminiſtrator eſt adſcriptus, vel eius Clerici, ut ſi de dolo, ſeu perfidiâ in adminiſtratione privata commiſſa, jam lis mota eſſet, vel brevi movenda putaretur; tunc enim, ante litis exitum, Adminiſtrator ad Ordines admitti non debet, quia ex tali accuſatione condemnatus fieret infamis, l. 1. l. Furti; 6. §. Mandati; ff. De his qui notan. infam. Imò, ſi manifeſtum ſit, ipſum de dolo teneri, poteſt Epiſcopus ex officio ipſum repellere ab Ordinibus, ſicut quemlibet criminoſum, aut infamem, c. Infames; 17. cauſ. 6. quæſt. 1. Gloſſ. in cit. c. unic. V. Ratiocinia. in fine h. t. 2. Niſi obligatus ad ratiocinia privata ſolvendo non ſit, ideóque creditores ſe opponant, ne ordinetur; tunc enim, ante redditas rationes, ordinandus non eſt, etſi officium depoſuerit, ne forum mutetur, & lites à ſeculari Judice ad Eccleſiaſticum trahátur, cum damno creditorum, ex quo etiam vexari poteſt Eccleſia. Abb. in cit. c. un. h. t. n. 2. & ibid. Laym. n. 4.

Verùm probabilius videtur, nullam eſſe conſtituendam differentiam inter publica, & privata ratiocinia, ſed, ſi ipſa adminiſtratio, ſeu officium ſit tale, ut eo nondum depoſito, impediatur quis à ſuſceptione Ordinum, etiam propter obligationem reddendi rationes, ſive publicas, ſive privatas, ratione talis officij, quæ velut acceſſoria ex illo reſultat, eique annexa eſt, impedietur quis ab Ordinibus ſuſcipiendis, ſi illas nondum reddidit, quia tunc nondum cenſetur omnino depoſitum onus talis officij: nam talis diſtinctio inter publica, & privata ratiocinia nullo jure ſufficienter probatur: imò contrarium ſatis apertè colligitur ex cit. capit. unic. h. tit. ubi non ſolùm de Officialibus obligatis

ad pu-

ad publica, ſed etiam ad privata ratiocinia (quales ſunt tutores pupillorum, qui ibidem enumerantur) dicitur non eſſe admittendos ad Ordines, niſi poſt depoſita onera, & reddita ratiocinia. Suar. cit. ſec. n. 19. & 20.

V. Notandum 4. Si quis, poſt redditas rationes adminiſtrationis, ſeu officij, debito pecuniario obſtrictus permaneat, cui ſolvendo non eſt, non ideo excludendus eſt ab Ordinibus, ut docent communiter DD. apud Suar. cit. ſec. 3. n. 23. quia bona ſua creditoribus cedendo, reſervatâ ſibi congruâ ſuſtentatione, liber erit, donec ad meliorem fortunam pervenerit. Laym. c. l. Idque Suar. ibid. n. 22. locum habere putat, ſive debitum pecuniarium ſit contractum ex privata, ſive etiam ex publica adminiſtratione, modò rationes ſint redditæ, ac finitæ; tum enim jam ceſſavit irregularitas, ſeu impedimentum hoc ad Ordines ortum ex obligatione ad ratiocinia, quippe quod non eſt perpetuum, ſed finitâ adminiſtratione, ſeu officio, & rationibus redditis, omnino extinguitur, ut colligitur ex cit. c. un. h. t. ubi nihil aliud requiritur, niſi ut officium ſit depoſitum, & rationes ſint redditæ. Alij tamen DD. communiter apud Suar. c. l. n. 21. putant, debitores Reipubl. ex publica adminiſtratione ordinari non poſſe, eò quòd tales neque ad honores admittendi ſunt, donec ſolvant, juxta l. Reſcripto; 6. §. Debitores; ff. de munerib. & honor. quamvis debitores Reipubl. ex alia cauſa, v. g. mutuo, emptione, locatione, aut ſimili contractu, etiam obligatione nondum extinctâ, ordinari non prohibeantur, quia de tali debito nihil eſt in jure diſpoſitum, ſed de illo ſolo, quod ortum eſt ex publica adminiſtratione. Gloſſ. in c. Præterea. 3. V. Functionibus; diſ. 51. Diaz cit. c. 20. n. 4. Verùm Jus civile non poteſt inducere irregularitatem, neque lex illa civilis, quæ de honoribus ſolùm ſecularibus loquitur, ad dignitates, & Ordines Eccleſiaſticos extendi debet: etſi aliàs, quos Jus civile ob infamiam ad honores non admittit, etiam de Jure Canonico ad Ordines non ſint admittendi, c. Omnes; 2. cauſ. 17. q. 1. Suar. c. l. n. 22. Veruntamen per accidens fieri poteſt, ut ære alieno gravatus ordinari non poſſit, ſi nimirum ſufficientem ſuſtentationem non habeat, quia neque beneficium Eccleſiaſticum habet; neque patronum, qui, alimenta ſe daturum, promittat ordinato, ſi indigeat; tum enim ob defectum paupertatis, ſeu neceſſariæ ſuſtentationis, à SS. Ordinum ſuſceptione excludetur, juxta Concil. Trident. Seſſ. 21. c. 2. de reform. Suar. c. l. n. 24.

TITVLVS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

I. Aliud impedimentum Ordinis eſt, quod provenit ex corporis vitio. Idque generatim loquendo, triplex eſt: mutilatio, debilitatio, & deformitas, ut notat Hoſtienſ. in ſumma n. 1. 2. & 3. & Honorius in ſumm. eodem. Mutilatus dicitur, qui membro aliquo caret: membrum autem propriè dicitur ea pars corporis, quæ ad certum officium eſt deputata, & diſtinctam operationem habet in corpore, v. g. oculus viſionem, manus apprehenſionem, pes ambulationem, &c. Navarr. in man. c. 27. n. 206. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 42. n. 11. Debilitatus eſt, qui membrum habet, ſed inefficax, ut oculum cœcum, manum aridam. Deformis eſt, qui maculam, vel vitium notabile habet in membro aliquo, v. g. oculo, pede, &c. ut ſtrabo, claudus.

II. Quæritur 1. Quinam ob corporis vitium repellantur ab ordinibus ſuſcipiendis, vel non? Reſpondetur: Si defectus, ſeu vitium corporis ſit tale, ut vel impediat congruum uſum, ſeu exercitium Ordinis, præſertim celebrationem Miſſæ: vel magnam, ſeu notabilem deformitatem contineat, ut eo vitio laborans, ſinè ſcandalo, & indecentia, ſacrum Miniſterium non poſſit exercere: tum is eſt irregularis, & inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos; ſive ex propria culpa, ſive alieno facto, aut injuriâ: ſive à nativitate, aut caſu defectus ille acciderit. Navarr. in man. c. 27. n. 200. Dicto 6. Covarr. in Clement. unic. de homicid. p. 1. In initio; Avila de cenſur. p. 7. diſ. 3. dub. 1. & alij communiter: & ſumitur ex c. 2. de Cleric. ægrot. ubi Presbyter. cui cum medietate palmæ, duo digiti ſunt abſciſſi à prædone, non permittitur celebrare, quia nec ſecurè propter debilitatem, nec ſinè ſcandalo propter deformitatem, hoc fieri poteſt.

III. Et hinc ex priore capite ob impotentiam celebrandi, ſive impedimentum ſecurè, & debito modo exercendi Ordines, prohibetur ordinari, qui alterâ manu caret, aut mancam, vel inutilem habet, prout ſumitur ex c. Expoſuiſti; 6. h. t. Nam » cùm Miletenſis Epiſcopus quendam in Abbatem » promoviſſet, neſciens, eum manu ſiniſtrâ carere, » conſultus de ea re Innocentius III. reſpondit, quòd, » cùm ipſe ad Ordines ſacros, cùm tam enormi de- » fectu, promoveri non poſſit, quem etiam in pro- » motione ſua fraudulenter reticuit, ideo ab officio » Abbatiæ ſit amovendus. Ratio eſt, quia Abbas » debet eſſe, vel fieri Sacerdos, c. 1. de ætat. & qualit. atqui manu mutilatus promoveri non poteſt ad Ordines ſacros, præſertim ad Sacerdotium, ergo cùm talis ſit inhabilis ad Sacerdotium, conſequenter etiam eſt inhabilis ad Abbatiam, quæ neceſſariò requirit Ordinem Sacerdotij, & ſic inhabilis ad unum connexorum, eſt etiam inhabilis ad alterum. Gloſſ. hîc V. Promoveri; & Abb. ibid. num. 2. not. 3. Accedit, quòd ejus promotio ad Abbatiam fuerit ſubreptitia, ſcilicet tacito fraudulenter impedimento, quod promovendus in promotione ſua exprimere debuiſſet, ideóque illa retractatur tanquam nulla. Gloſſ. hîc V. Tacuerit; & ibid. Abb. num. 2. Nec obſtat c. Tuam; 10. de ætat. & qualit. ubi Papa permittit, ut irregularis in Abbatem eligatur, ita tamen

men, ut ad ſacros Ordines nunquam promoveatur. Verùm ibi diſpenſatum fuit, propter neceſſitatem; in caſu verò hujus c. nulla adfuit neceſſitas diſpenſandi, quin potiùs promotus ad Abbatiam fuit indignus diſpenſatione, cùm per fraudem reticuerit ſuam irregularitatem, & defectum, quem manifeſtare tenebatur in ſua promotione. Gloſſ. hîc V. Tacuerit; & Abb. in fine.

IV. Similiter qui digito caret ad frangendam, & elevandam ſacram hoſtiam neceſſario, videlicet pollice, aut indice, irregularis eſt, & ordinari non poteſt, ut colligitur ex c. ult. h. t. Avil. c. l. Qui verò partem ſolùm digiti, etſi ad hoſtiam frangendam neceſſarij, videlicet pollicis, aut indicis quantumvìs non ſinè culpâ ſua amiſit, ita tamen, ut abſque ſcandalo celebrare poſſit, non cenſetur irregu- » laris, prout ſumitur ex c. 1. h. t. Nam quidam » Presbyter in duello, quod ſponte obtulit adverſa- » rio, & viciſſim ab eo oblatum ſponte ſuſcepit, a- » miſit partem digiti. Unde quæſitum fuit, an » poſſit in Ordine Sacerdotali miniſtrare? Reſpon- » det Papa Alexander III. cùm ipſe non amiſerit » tantùm de digito (ſcilicet pollice, vel indice) quin, » ſinè ſcandalo, nihilominus poſſit ſolemniter, ſeu » publicè celebrare, poſſe Epiſcopum, poſt peractam » ab eo pœnitentiam, permittere, ut in ordine ſuo » miniſtret, ſeu celebret, quamvìs talis graviter de- » liquerit, ſcilicet ſponte in duellum deſcendendo. Ex quo colligitur, quòd Epiſcopus cum Presbytero illo non diſpenſavit ſuper irregularitate, ſeu vitio corporis, nam abſciſſio partis digiti non impediebat celebrationem; ideóque propter illam non incurrit irregularitatem, ſed pœnam ſuſpenſionis, quæ ob duellum infligi ipſi debebat, temperavit, & ita miſericorditer permiſit, ut poſt peractam pœnitentiam, mox celebrare poſſet: Vel ſi delictum hujus Presbyteri fuit publicum, & ſcandaloſum, ob quod ille infamiam, adeóque etiam ſuſpenſionem incurrit, tum neceſſaria fuit diſpenſatio, quæ hîc à Papa conceſſa fuit Epiſcopo: nam diſpenſatio in irregularitate, ob defectum, ſeu vitium corporis, jure communi, non eſt commiſſa, ſeu conceſſa Epiſcopo. Navarr. in Man. num. 198. & l. 1. conſil. 1. h. t. Suar. diſ. 51. de cenſur. ſec. 2. n. 7.

Sed neque is, qui integrum digitum, qui tamen ad hoſtiam frangendam neceſſarius non eſt, amiſit, v. g. in duello, irregularis cenſeri debet, dummodo abſque ſcandalo celebrare, & cruces formare poſſit, c. Latur; 11. junctâ Gloſſ. V. Siniſtræ; diſ. 55. Barboſ. de offic. Epiſ. alleg. 42. n. 18.

V. Porrò ex eodem capite impotentiæ, ſive impedimenti uſûs, ſeu exercitij Ordinis, non poteſt ordinari cœcus, mutus, & ſurdus, juxta Canonem 77. Apoſtol. ubi id de ordinando in Epiſcopum ſtatutum eſt; quamvìs, qui omnino ſurdus factus eſt, poſt ſuſceptionem Ordinum, privatim, ſinè miniſtro reſpondente, celebrare poſſit, ad quod non quidem abſolutè neceſſaria eſt, ſed utiliter petitur Papæ diſpenſatio, ut docet Navarr. l. 1. conſil. 6. & 7. n. 3. h. t. Item nanus, qui ita parvus eſt, ut brachia attollere nequeat, quatenus requiritur ad Altaris miniſterium, & qui ambulandi, aut ſtandi facultate deſtitutus eſt, irregularis eſt. Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 5. p. 5. c. 7. n. 1.

VI. Ex altero verò, ſeu poſteriore capite notabilis deformitatis fit 1. Inhabilis ad Ordines, qui uno oculo, ſive dextro, ſive ſiniſtro caret, cum notabili deformitate, ut cui unus oculus eſt erutus, c. ult. diſ. 55. Quòd ſi quis utrumque oculum integrum habeat, quamvis virtute videndi privatus ſit in dextro, ſinè notabili tamen deformitate, exteriùs apparente, non eſt irregularis: ſecus eſt, ſi privatus ſit viſu in ſiniſtro, qui oculus Canonis vocatur, tum enim eſt irregularis, etſi notabilis deformitas in ipſo oculo non ſit; niſi oculus dexter tantâ virtute videndi polleat, ut ſinè indecora faciei converſione, Canonem Miſſæ legere poſſit, ad quod etiam ſubſervire poteſt libri accommodatio. Navarr. c. l. n. 199. Dicto; 4. Suar. cit. ſec. 2. num. 15. Avil. cit. diſ. 3. dub. 1. coroll. 1. 2. Ob deformitatem irregularis eſt, qui naribus, vel auriculis truncatus eſt, nam quamvìs cartilago illa aurium non ſit membrum, ejus tamen carentia irregularitatem inducit, ob magnam deformitatem in parte corporis valde patente, ut docet Navarr. c. l. n. 222. Laym. c. l. num. 1. & alij communiter contra Henriq. niſi fortè illa aurium deformitas capillis tegeretur. Avil. c. l. coroll. 2.

3. Ex hoc capite irregularis eſt unipes. Laym. c. l. num. 1, non autem claudus, niſi valde deformiter incedat, vel baculo, aut pede ligneo niti debeat, c. Si quis; 10. junctâ Gloſſ. V. Claudus; diſ. 55. Navarr. c. l. num. 199. Dicto; 3. Avil. c. l. coroll. 3. Neque qui gibbum habet, niſi valdè deformem habeat, irregularis eſt. Navarr. c. l. Sylveſt. V. Corpore vitiatis; q. 6. neque etiam, qui ſenos digitos in una manu habet, modò non impediatur uſus manûs propter eos. Abb. in c. 2. num. 3. h. t. quamvìs irregularis ſit, qui duo capita, vel in eodem latere duas manus habet. Avil. c. l.

VII. Denique univerſim loquendo, ſi magna ſeu notabilis ſit deformitas, ea impedit ſuſceptionem Ordinum, non autem ſi modica, veluti macula in oculo non privans, nec notabilem deformitatem inducens, ut patet ex c. Cùm de tua; 2. h. t. Nam » cùm quidam electus fuiſſet in Epiſcopum, duo illi » objecta fuerunt, quòd in oculo maculam haberet, » & filius Canonici eſſet. Ad hæc reſpondit Papa A- » lexander III. ſe Archiepiſcopo Cantuarienſi in man- » datis dediſſe, ut cum electo, vel potiùs poſtulato » quoad defectum natalium diſpenſaret: quòd verò » ad maculam oculi attinet, ut cum conſilio Suffra- » ganeorum ſuorum, quod ipſi viſum fuerit, exe- » quatur, idque electus pro maxima gratia, ſeu di- » ſpenſatione habere debeat. »

Hinc colligitur 1. Quòd arbitrio Superioris, ſcilicet Epiſcopi conferentis Ordines, ſive jure ordinario, ſive ex delegatione ſibi factâ, determinandum relinquitur, an defectus corporis, vel deformitas ſit tam magna, & notabilis, ut promotionem ad Ordines impediat, an non, vel modica ſolùm, cùm nulla certa regula generalis in hoc conſtitui poſſit. Gloſſ. fin. in cit. c. 2. Hoſtienſ. V. Exequatur; & Abb. ibid. n. 1. Diaz in pract. canon. c. 17. n. 16. Navarr. l. 1. conſil. 1. n. 3. h. t. Avil. cit. diſ. 3. dub. 2. Barb. cit. alleg. 42. n. 60. & in collect. in cit. c. 2. n. 4. h. t. & alij apud ipſum. Addunt tamen DD. quòd hoc judicium non pertineat ad Confeſſarium, neque etiam, quoad Regulares, ad Prælatum

Ordi-

Ordinis, ſed ad Epiſcopum, quia ſicut Prælati Regulares non habent poreſtatem Ordines conferendi, ita nec judicandi, an ordinandi incurrerint irregularitatem ob corporis defectum, nécne, niſi boc expreſsè à Papa eis ſit commiſſum, ut præter citatos tenet Navarr. cit. c. 27. n. 200. Dicto 6. Sylveſt. V. De corpore vitjatis; q. 1. Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 24. a. 4. Contrarium tamen, quoad Regulares exemptos, teuet Avjl. c. l. Illud certum eſt, Epiſcopum ordinantem non teneri admittere tale arbitrium Prælati Regularis, ut notat Suar. cit. ſec. 2. num. 16. ubi excipit, niſi eſſet Prælatus, qui litteras dimiſſorias dare poteſt ad Ordines recipiendos, talis enim Prælatus habet juriſdictionem Epiſcopalem, ad quam magìs hoc judicium pertinet, quàm ad characterem Ordinis Epiſcopalis.

Colligitur 2. In caſu cit. c. 2. h. t. Papa mandavit Archiepiſcopo, ut cum conſilio ſuorum Suffraganeorum, conſideret, quanta ſit deformitas in oculo ordinandi, quia agebatur de promotione ad Epiſcopatum, quæ ad Papam, vel ex commiſſione ad Archiepiſcopum ſpectat, ut notavit Suar. cit. ſec. 2. num. 16. Quòd ſi is, ſinè conſilio Coëpiſcoporum, diſpensâſſet cum electo in defectu oculi, invalida fuiſſet diſpenſatio, quia ex vi delegationis à Papa ipſi factæ, tenebatur conſilium illorum in hac re adhibere. Gloſſ. hìc V. Cum conſilio; forma enim mandati obſervanda eſt, alioquin delegatus excedit limites poreſtatis ſibi commiſſæ, & actus eſt irritus: non tamen aſtringebatur Archiepiſcopus ſequi conſilium Coëpiſcoporum, quia ipſi non erant delegati, & patet ex textu ibi: *quod exinde ſibi* (non Suffraganeis) *viſum fuerit, exequatur*, Abb. hìc n. 2.

VIII. Porrò defectus bujuſmodi, aut deformitates corporis, de quibus dubitari poteſt, an impediant executionem Ordínis, vel honorem, aut ſcandalum generent, adeóque irregularitatem inducant, nécne, plures ſunt. Veluti, ſi quis maculam in oculo babeat, vel oculos lippos, & lacrymantes, vel unum oculum majorem altero, vel alterum, aut utrumque deformiter prominentem: vel, ſi habeat naſum deformem: faciem uſtulatam, maculatam, cicatricibus plenam: ſi blæſus ſit, ſeu linguâ impeditus; ſi manus habeat tremulas, ſi claudus ſit, vel ſtaturâ nimis parvus, & alij hujuſmodi defectus, & deformitates; nam, qui tali defectu laborant, ſi appareat eſſe magna deformitas, ordinari non poſſunt, abſque diſpenſatione Papæ, ut infrà dicetur: ſi verò modica eſſe judicetur, ordinari poſſunt. Laym. in cit. c. 2. num. 2. b. t.

IX. Poſtremò aliud exemplum deformitatis, ſed non magnæ, ſeu modicæ, eſt carentia unguis, ſeu ungulæ in pollice, quæ non impedit promotionem ad Ordinem, etiam Sacerdotalem, ut conſtat » ex c. Thomas; 7. & ult. h. t. Nam Thomas Mo» nachus in puerilibus annis conſtitutus, caſu » quodam fortuito amiſit pollicis dextri ungulam, » ideóq; dubitavit, an ad Sacerdotiũ promoveri poſ» ſit? Reſpondet Papa Honorius III. ſi nihilomi» nus pollice frangere poſſit ſacram Hoſtiam, & a» liud canonicum impedimentum non obſiſtat, pro» pter deformitatem bujuſmodi (quippe quæ modi» ca eſt) eum non impediri, quin ad Ordinem Sa» cerdotij promoveri poſſit. Ex quo per contrarium ſenſum colligitur, ſi magna, ſeu notabilis eſſet deformitas, vel, ſi quis perdidiſſet totum digitum, aut pollicem, ita, ut impediretur Ordinis exercitium, præſertim Miſſæ celebratio, is ab Ordinibus ſuſcipiendis repellendus eſſet. Gloſſ. hìc V. Deformitatem; & Abb. not. 1.

X. Quæritur 2. An, & quâ ratione incurratur irregularitas propter vitium corporis superveniens poſt Ordines ſuſceptos? Reſpondetur: Quando defectus, ſeu vitium corporis, quod vel ſimpliciter impedit congruum, ac debitum exercitium Ordinis, vel magnam, ſeu notabilem deformitatem adfert, ſupervenit poſt Ordines jam ſuſceptos, ſinè propria culpa ordinati, tum non inducit irregularitatem ſimpliciter, ſed quoad illum tantùm actum Ordinis, qui ob impedimentum illud, ſinè periculo, vel ob inſignem deformitatem, ſinè ſcandalo, & irreverentiâ, exerceri non poteſt, non autem quoad alios actus. V. g. Presbyter cœcus, aut ſinè ſua culpa manu mutilatus, vel ijs digitis, qui ad Conſecrationem, vel elevationem hoſtiæ ſunt neceſſarij, etſi non poſſit celebrare, Confeſſiones tamen audire, & alia officia Sacerdotalia, ſicut & Diaconalia, & Subdiaconalia, exercere non prohibetur. Similiter, qui ob magnam deformitatem ab Altaris miniſterio arcetur, non prohibetur pœnitentes abſolvere, ut docet Navarr. cit. c. 27. n. 200. Dicto 7. Diaz in pract. Can. c. 17. n. 7. Suar. cit. ſec. 2. num. 13. Avil. cit. diſ. 3. dub. 1. §. Sed circa; & alij DD. communiter, ídque expreſsè habetur in c. 2. de Clerico ægrot. ubi de Presbytero mutilato dicitur: *Ipſum autem cæteris officijs Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.* Aliud eſt, ſi tale vitium corporis accidat, ante ſuſceptionem ordinum; tum enim eo vitio laborans fit irregularis ſimpliciter, & inhabilis ad omnes Ordines ſuſcipiendos, ita, ut ſinè diſpenſatione non poſſit promoveri etiam ad eum Ordinem, ad cujus exercitium non eſt impeditus, ut docent DD. citt. Ratio diverſitatis eſt, quia iſte non habet jus quæſitum, ſicut prior. Quare laicus, qui nullos adhuc Ordines ſuſcepit, nullo modo ordinari debet: neque Clericus exiſtens in Ordine inferiore ad altiorem nondum ſuſceptum promovendus eſt, ſi ob corporis vitium ad Altaris miniſterium, ac celebrationem Miſſæ ſit inhabilis, eſto, ad miniſteria aliorum Ordinum inferiorum ſit habilis. Ratio eſt, quia alij Ordinum gradus, & miniſteria ad Miſſæ ſacrificium, tanquam ultimum finem, ac complementum eorum, referuntur, ut colligitur ex c. ult. h. t. & licèt inter Sacerdotium, & alios Ordines inferiores non ſit neceſſaria actualis connexio, cùm Sacerdotium Ordines inferiores non neceſſariò ſupponat, ita, ut ſinè illis validè conferri nequeat, ut patet ex c. unic. de Cleric. per ſalt. prom. requiritur tamen in promovendo ad illos habilitas, & capacitas ad Sacerdotium, ad quos alij Ordines ordinantur. Garc. p. 7. de benef. c. 12. n. 31. & 32.

XI. Quæritur 3. An, & quomodo irregularitas contrahatur, ſi defectus, ſeu vitium corporis accidat propriâ culpâ ordinandi, vel ordinati? Reſpondetur; Qui propriâ culpâ, & voluntate, ſe ipſum mutilavit, ſive membrum aliquod, vel etiam partem membri ſibi abſcidit, vel ab alio abſcindi juſſit, aut rogavit, eſt irregularis, ut ordinari non de-

beat:

beat: vel, ſi jam ordinatus, à ſacro Miniſterio amoveri: etſi talis mutilatio, vel abſciſſio, nec uſum Ordinis impediat, nec celebrationem Miſſæ, nec gravem deformitatem adſerat, utpote quia membrum abſciſſum eſt occultum, v. g. ſi quis ſe ipſum caſtravit. Ita habetur in c. Si quis abſcidit; 4. qui eſt deſumptus ex Canonibus Apoſtolorum; can. 21. & 22. & in c. Qui partem; 6. diſ. 55. & c. Ex parte; 3. h. t. Navarr. in cit. c. 27. n. 198. Suar. cit. ſec. 2. num. 6. Avil. cit. diſ. 3. dub. 1. §. Secunda regula; & alij communiter. Ratio eſt, quia maxima hæc eſt deformitas, & injuria Creatoris, quin & crudelitas in ſe ipſum, ſi quis membrum, aut partem membri ſponte, & nullâ neceſſitate cogente, ſibi abſcindat; præſertim genitalia, ideóque talis ſui homicida dicitur in cit. c. Si quis; propter periculum homicidij, quod ex ſectione ſequi poterat. Gloſſ. ibid. V. Homicida.

XII. Id autem extenditur 1. Quòd talis irregularis ſit, etiamſi culpa abſcindentis ſibi partem membri non ſit notoria, quia Canones ſuprà allati non fundantur in notorietate delicti, ſed in ſævitia, quam quis in ſe exercuit. Garc. cit. c. 12. n. 5. & alij apud ipſum contra Navarr. Avil. & alios.

Extenditur 2. Etſi quis ſe ipſum mutilârit, aut caſtrari curârit, ſedandæ libidinis causâ, putans, ſe obſequium præſtare Deo, irregularis efficitur, vel ſimpliciter, ac totaliter, ſi ſit Laicus, c. Hi qui; 5. diſ. 55. vel partialiter, ſi jam Clericus, vel Sacerdos fuerit, ita, ut præter Altaris miniſterium, alia officia Sacerdotalia, v. g. ſolemniter baptizare, benedicere, pœnitentes abſolvere, moribundos inungere, mortuos ſepelire, non autem Miſſam celebrare poſſit, ut conſtat ex c. Significavit; 4. h. t. junctâ Gloſſ. V.
» Officium; Ubi habetur, quòd quidam Presbyter
» ſe caſtrari curârit, exiſtimans, eâ te ſe obſequium
» præſtare Deo. Hoc poſtquam intellexit Papa
» Clemens III. mandavit Archiepiſcopo Ravennæ,
» ut, ſi dictum Presbyterum aliàs dignum repererit,
» ei Sacerdotale officium, abſque Altaris miniſterio,
» prout expedire ipſi videbitur, auctoritate Apoſto-
» licâ, quin & propriâ (id eſt, ipſi à Papa commiſsâ,
» ita, ut alij ſubdelegare non poſſit. Hoſtienſ. hîc V.
» Tua; & Abb. n. 2.) exercere concedat. Idque ex gratia, & diſpenſativè, quia ſub prætextu piæ intentionis, & ex zelo indiſcreto caſtimoniæ hoc fecit, cùm aliàs de vigore juris deponendus eſſet, c. Maritum; 2. diſ. 33. c. Si quis; 4. & 3. ſeqq. diſ. 55. Hoſtienſ. hîc V. Virilia; & V. Concedas. Ratio eſt, quia, cùm nemo ſit Dominus membrorum ſuorum, l. Liber homo; 13. ff. ad leg. Aquil. ne quidem caſtitatis, aut Religionis causâ, licèt in corpus ſuum ſævire, ſibíque manus injicere, ſe ipſum occidendo, vel mutilando. Gloſſ. hîc V. Noſtra.

Porrò hoc caſu, quando quis, ob corporis defectum, partialem ſolùm irregularitatem contrahit, videlicet, ut perpetuò inhabilis ſit ad Altaris miniſterium, non autem ad alia Sacerdotalia munera; probabilius eſt, quòd talis neque ut Subdiaconus, vel Diaconus in ſacrificio Miſſæ, canendo Epiſtolam, vel Evangelium, miniſtrare poſſit, ut docet Jo. Andr. in cit. c. Significavit; n. 3. h. t. & ſequitur Laym. ibid. num. 2. Nam ſub Altaris miniſterio indefinitè, & indiſtinctè poſito, comprehenditur etiam miniſterium Diaconi, & Subdiaconi; quia hîc non infligitur pœna, ſed privilegium, ſeu gratia diſpenſationis conceditur contra Jus commune, ſecundùm quod Clericus ſe ipſum mutilans, per errorem injuſtum, & culpabilem, ſimpliciter irregularis eſt, ac deponendus, ut conſtat Gloſſ. hîc V. Noſtra; diſpenſatio autem cùm ſit odioſa, reſtringi debet, & ſtrictè eſt interpretanda, c. 1. §. Ille verò; de filijs Presb. in 6. ac proinde conceſſo Sacerdotali officio, præter Altaris miniſterium, cenſeri debet etiam excluſum miniſterium Diaconi, ac Subdiaconi.

Extenditur 3. Etſi quis, abſque propoſito directo ſe ipſum mutilandi, per culpam tamen ſe ipſum mutilet, vel cauſa exiſtat, cur ab alio mutiletur, v. g. in rixa, vel quia in adulterio deprehenſus ab adulteræ marito, vel juſtè in pœnam criminis mutilatus eſt, irregularitatem contrahit, etſi membrum abſciſſum occultum ſit, perinde, ac ſi cauſa exiſteret, ut alius mutilaretur, modò mutilatio ſit perfecta, ita, ut integrum membrum abſciſſum ſit: nam, ſi quis eſſet culpabilis causâ talis mutilationis in alio, eſſet irregularis, ergo etiam, cùm eſt cauſa talis mutilationis in ſe ipſo. Suar. c. l. n. 8. Quamvìs, ſi ſibi ipſi vim inferat, non requiratur perfecta membri integri mutilatio, ſed ſufficiat, ſi aliqua pars membri ſit abſciſſa ad incurrendam irregularitatem, quia gravius delictum eſt, & major crudelitas ſævire in ſe ipſum, & abſcindere ſibi partem membri, quàm alteri, vel etiam, quàm ſit, dare cauſam culpabilem, ut ſibi abſcindatur ab alio, ſinè directa voluntate ſe ipſum mutilandi, ideo illud ſeveriùs punitur. Suar. c. l. n. 8. Diaz cit. c. 17. n. 8. Avil. cit. diſ. 3. dub. 1. §. Secunda regula.

XIII. Aliud verò dicendum eſt, ſi quis evnuchus natus ſit, vel abſque propria culpa, caſu fortuito, vel per hominum malitiam, vel ob neceſſitatem aliquam, v. g. propter infirmitatem, Medicorum conſilio, ſectus, aut caſtratus ſit, vel aliud membrum amiſerit, ſinè impedimento celebrationis Miſſæ, & notabili deformitate: is enim, ſi alioquin dignus fuerit, ad omnes Ordines, etiam Epiſcopatum promoveri poterit, ut conſtat ex c. Qui partem; 6. & pluribus ſeqq. diſ. 55.

Idem quoque deciditur in c. Ex parte; 3. h. t.
Nam quidam in cunabulis ſectus fuit, & poſtea »
ingreſſus Monaſterium in Diaconum ordinatus »
fuit, unde quæſitum fuit, an poſſit etiam ad Or- »
dinem Presbyterij promoveri? Reſpondet Papa »
Clemens III. etſi ſecundùm ſtatuta Concilij Ni- »
cæni (c. Si quis; 7. & c. Si quis; 9. cit. diſ. 55.) illi »
prohibeantur ad Ordines promoveri, & ſi pro- »
moti ſint, deponi debeant, qui ſe ipſos, dum ſa- »
ni ſunt, abſciderunt, vel affectaverunt, ut ab a- »
lijs abſcinderentur, vel caſtrarentur: attamen; »
qui in cunabulis ſectus fuit, bene poteſt ad Or- »
dines promoveri, quia, cùm judicium animi tum »
non haberet, non potuit affectare, ut ab alijs ab- »
ſcinderetur, aut caſtraretur. Et in Canonibus »
Apoſtolorum ſtatutum eſt (can. 21. Relato; in c. »
Evnuchus; 8. cit. diſ. 55.) quòd, ſi quis per in- »
ſidias hominum Evnuchus factus ſit, vel in per- »
ſecutione, & amputata ſint virilia, ſi aliàs di- »
gnus ſit, poſſit ad Epiſcopatum promoveri.

Simi-

» Similiter in c. Ex parte; 5. h. t. habetur, quòd
» quidam Presbyter ob periculum lepræ, conſilio
» Medicorum, ſibi genitalia abſcindi curavit. Con-
» ſultus Papa Innocentius III. reſpondit: quia SS.
» Canones talem à ſacri Altaris miniſterio non pro-
» hibent, idcirco, ſi ita eſt, & dictus Presbyter aliàs
» idoneus eſt, exequendi officium ſuum liberam ha-
» beat facultatem: idque de jure communi, ſinè a-
liqua diſpenſatione. Gloſſ. hic fin.

Ratio eſt, quia ſicut in illis, qui propriâ culpâ, & ſponte ſe mutilant, vel mutilari ab alijs ſinunt, perverſa voluntas juſtè vindicatur: ita in his caſus, vel alienum factum veniam meretur, ut dicitur in cit. c. Qui partem; ead. diſ. & generalis regula eſt, quòd nemo, ſi culpa abſit, propter corporis defectum, ab Ordinibus repelli debeat, niſi, vel congruum Ordinis exercitium impediat, vel notabilem deformitatem, & ſcandalum pariat, ut ex communi docet Suar. cit. ſec. 2. num. 10. idque colligitur ex c. 1. & ult. h. t. quia tunc ceſſat omnis cauſa imponendi irregularitatem, cùm nulla adſit culpa, neque etiam cauſa impediens uſum, ſeu exercitium Ordinis, vel inducens ſcandalum, ſinè culpa autem, vel ſaltem causâ non imponitur irregularitas.

XIV. Quæritur 4. An, & quando contrahatur irregularitas ob morbum corporis? Reſpondetur: Ad irregularitatem provenientem ex vitio corporis, pertinet etiam illa, quæ provenit ex morbo corporis, non quolibet, ſed tali, qui infert debilitatem virium, aut horrorem, ſeu gravem deformitatem perpetuam, & moraliter incurabilem, ut ex communi docet Suar. cit. ſec. 2. n. 17.

Quare ex hoc capite irregulares ſunt leproſi, paralytici, phrenetici, amentes, lunatici, energumeni, ſive à dæmone obſeſſi, morbo caduco laborantes, & ſimiles. Imò perpetuò, ſeu ſtabiliter amentes, epileptici, & arreptitij, ſeu poſſeſſi à dæmone, ordinari non debent, etſi liberati videantur, c. Maritum; 2. & pluribus ſeqq. diſ. 33. quia vix unquam perfectè ſani creduntur. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 7. num. 2. Verùm, qui antè ordinati erant, ſi integrè liberati videantur (quod ad judicium Epiſcopi pertinet) poſſunt miniſtrare in Ordinibus ſuſceptis, & ad celebrationem Miſſæ admitti, c. 1. cauſ. 7. quæſt. 2. Suarez. diſ. ult. de cenſur. ſec. 1. num. 5. Sylveſt. V. De corpore vitiatis; quæſt. 8. Laym. c. l. num. 3. Excipitur obſeſſus à dæmone, qui nunquam debet celebrare, ſinè diſpenſatione, c. Communiter; 3. diſ. 33. quamvis Epiſcopus, ſi plenè liberatus videatur, poſſit cum illo diſpenſare, ut celebret, vel etiam, ut in inferiore Ordine ſacro conſtitutus ad altiorem promoveri poſſit. Sylveſt. c. l. Laym. c. l. Sed etſi furioſus, vel epilepticus, non omnino liber ſit: ſi tamen rarò in furorem incidat, vel rarò cadat in terram, nec ſpumas evomat, privatim poterit celebrare, adjuncto ſocio Sacerdote, qui Miſſam perficiat, ſi fortè morbo eum corripi contingeret, c. Illud; 15. & c. ſeq. cauſ. 7. q. 1. Navar. cit. c. 27. n. 203. Avil. cit. diſ. 3. dub. 4. Laym. c. l. Tempus autem, quod datur ad explorandum, an quis convaluerit ab hujuſmodi morbis, eſt ſpatium unius anni, cit. c. Communiter: vel potiùs illud arbitrio Judicis, ſeu Epiſcopi, ſpectatis circumſtantijs, relinquendū eſt, ut colligitur ex cit. c. Communiter ibi: *per diſcretionem Epiſcopi*: Avil. c. l.

XV. Quæritur 5. Quis diſpenſare poſſit ſuper irregularitate orta ex defectu corporis? Reſpondetur: Poteſtas diſpenſandi cum corpore vitiatis regulariter ſoli S. Pontifici competit. Innocent. in c. 2. V. Curavimus; & alij DD. communiter: quia eſſet contra reverentiam Sacramenti, ſi gravi vitio corporis, ſeu notabili deformitate laborantes ad Altare miniſtrârent, & ſcandalum generaretur in populo, unde ipſe Papa non ſolet facilè diſpenſare, imò nunquam, ſi deformitas valde magna ſit. Avil. cit. diſ. 3. dub. 3. concl. 1. Epiſcopus verò, etſi diſpenſare non poſſit in hac irregularitate, auctoritate propriâ, poteſt tamen auctoritate Apoſtolicâ ſibi delegatâ, adeóque propriâ ſolùm ex commiſſione, c. Significavit; 4. & ibi Abb. n. 2. h. t. licèt Gloſſ. fin. ibid. Sylveſt. V. De corpore vitiatis; q. ult. Avil. c. l. concluſ. 2. Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 24. a. 3. Mirand. in Man. t. 2. q. 8. n. 3. putent, Epiſcopum diſpenſare poſſe in irregularitate proveniente ex abſciſſione membri factâ, culpâ propriâ, quando membrum eſt occultum, vel ipſum delictum, vel quando membrum patens, ſinè culpa propria, eſt abſciſſum, modò non impediat celebrationem, vel inducat notabilem deformitatem, quia iſtæ irregularitates nullo jure ſunt reſervatæ Papæ.

In dubio etiam poterit Epiſcopus interdum diſpenſare, ſeu potiùs benignè interpretari, non eſſe gravem deformitatem, quæ irregularitatem inducat. Eâque diſpenſatio, ſeu declaratio faciliùs locum habet, ſi quis Religioſus ſit, vel Religionem ingreſſurus, idque ob favorem Religionis: item, ſi quis jam ordinatus ſit, ut in Ordine ſuſcepto miniſtret, quia ad hunc repellendum ab uſu Ordinum ſuſceptorum, longè major deformitas requiritur, quàm ad repellendum non ordinatum: ac denique in Ordine ad minores Ordines tantùm, & beneficium ſimplex. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 1. c. 1. a. 10. num. 7. Laym. in c. 2. num. 2. h. t. & l. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. ult. num. 2. & 3.

Poſtremò in irregularitate quoque proveniente ex morbo corporis ſolus Papa, Jure communi, & ſecluſis privilegijs, diſpenſare poteſt: quamvis judicium de qualitate morbi ad Epiſcopum ſpectat. Suar. cit. ſec. 2. num. ult.

TITVLVS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Aliud impedimentum ſuſcipiendi Ordines eſt bigamia, & quidem inter cæteras irregularitates Ordinandorum non modica. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§ I.

Quid, & quotuplex ſit bigamia?

I. Aſſertio 1. Bigamia eſt irregularitas proveniens ex defectu Sacramenti, ſeu potiùs ex defectu perfectæ ſignificationis Sacramenti matrimonij, ideóque bigami ordinari non debent, cap.2. & ſeqq. diſ. 26. c. Præcipimus; 10. & ſeqq. diſ. 34. & c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio „ Aurelianenſi; 3. c. 6. Ubi ſtatuitur, ut bigamí, & pœnitentes (ſolemniter, ſive qui publicè pœnitentiam egerunt, c. Ex pœnitentibus; 55. diſ. 50. Gloſſ. hîc V. Pœnitentes;) vel repudiatarum „ mariti (id eſt, qui ab altero viro, ob cauſam fornicationis, ſeu adulterij, repudiatam, ſive dimiſſam uxorem, vel propter impedimentum dirimens, v. g. conſanguinitatis, relictam, vel ab alio viro jam cognitam, & corruptam duxerunt. Hoſtienſ. hîc V. Repudiatarum; & V. Mariti; & ex infrà di„ cendis patebit) ad Sacerdotium (aliúmve ſacrum „ Ordinem. Hoſtienſ. hîc V. eodem.) non aſcen„ dant. Idque propter defectum ſignificationis Sacramenti. Gloſſ. fin. hîc. Nam matrimonium conſummatum ſignificat arctiſſimam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, teſte Apoſtolo ad Epheſ. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*: quæ conjunctio eſt unius viri cum unica ſponſa ab alio non aſſumptâ, ſicut Chriſtus copulavit ſibi unam ſponſam Eccleſiam, eámque Virginem, & ab alio non aſſumptam: hanc autem ſignificationem tollit bigamia, nam bigamus eſt, qui duas duxit, & cognovit uxores, vel unam viduam, aut corruptam ab alio viro: matrimonium autem cum ſecunda uxore, vel cum viduâ, aut corruptâ initum, non poteſt perfectè ſignificare unionem Chriſti per carnis aſſumptionem cum Eccleſiâ, unicâ ejus ſponſâ, eâque Virgine, & ab alio non aſſumptâ, ideóque tale matrimonium, quoad hanc ſignificationem, non eſt omnino perfectum Sacramentum: & ob hanc cauſam bigamus non admittitur ad Sacramentum Ordinis, quia non decet, ut defectum patiatur in ſignificatione Sacramenti, qui alijs Sacramenta adminiſtrare debet, c. 2. diſ. 26. c. Debitum; 5. h. t. Accedit, quòd Clericus debet eſſe hortator ad continentiam, hanc autem efficaciter alijs perſuadere non poteſt, qui ad ſecundas nuptias tranſijt, c. Una tantùm; 4. diſ. 26. hoc enim eſt ſignum incontinentiæ, c. Propoſuiſti; 2. junctâ Gloſſ. V. Sed propter incontinentiam; diſ. 82. ideóque indecentiam quandam continet, ob quam repellitur quis ab Ordinibus.

II. Aſſertio 2. Triplex eſt bigamia, vera, interpretativa, & ſimilitudinaria, ut cum Gloſſ. in c. 2. V. In bigamis; h. t. tradunt communiter DD. quamvìs illa ſolas priores duas bigamiæ ſpecies referat. Vera bigamia eſt, cùm quis ſucceſſivè cum duabus uxoribus matrimonium verè, & validè contraxit, & utrumque conſummavit, cit. c. Præcipimus; cauſ. 34. c. fin. diſ. 26. c. fin. diſ. 51. & cit. c. Debitum; h. t. & conſtat ex Apoſtolica traditione 1. ad Timoth. 3. V. 2. *oportet Epiſcopum unius uxoris virum eſſe*, id eſt, Monogamum, qui ſecundas nuptias non inijt: & infrà V. 12. *Diaconi ſint unius uxoris viri*, ſecundùm comunem expoſitionem DD. ubi juxta Can. Apoſtolicum; 16. nomine Epiſcopi etiam Presbyter continetur. Et hæc propriè dicta bigamia eſt, ut patet ex vi nominis, nam bigamus Latinè idem ſignificat, quod bis conjugatus.

III. Atque hinc infertur 1. Quòd, qui duas uxores legitimè, & validè duxit, ſed cum altera, ſive priore, ſive poſteriore, matrimonium non conſummavit, bigamus, aut irregularis non eſt, ut ex communi docet Sanch. lib. 7. de matrimon. diſ. 83. num. 4. Ratio eſt, quia matrimonium illud, quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud conjugium deſignandum, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per Incarnationis Myſterium eſt contractum, adeóque tale matrimonium non poteſt pati defectum ſignificationis Sacramenti, ex quo velut fundamento oritur irregularitas bigamiæ, cit. c. Debitum. Quare univerſim, ut quis propter matrimonium cum pluribus fœminis, vel cum una quacunque fœmina, ſive validè, ſive invalidè contractum, bigamus cenſeatur, ſemper requiritur, ut matrimonium carnis copulâ fuerit conſummatum: alioquin enim non poteſt habere imperfectam, ſeu quodammodo deficientem ſimilitudinem cum conjunctione Verbi incarnati cum Eccleſia.

IV. Infertur 2. Sed neque bigamus cenſendus eſt, qui cum meretrice ſæpius fornicatus eſt, vel plures concubinas habuit, ſive ante matrimonium contractum cum una virgine, ſive eo ſtante, ſive poſt illud, prout ſumitur ex c. Fraternitatis; 7. diſ. 34. & c. Quia circa; 6. h. t. ubi id ſtatuitur de Presbyteris plures concubinas habentibus; Nam cùm » ex Papa Innocentio III. quæſitum fuiſſet, an Pres» byteri habentes plures concubinas bigami ſint » cenſendi, is reſpondit, quòd cùm irregularita» tem bigamiæ non incurrerint, Epiſcopus cum ijs, » perinde, ac cum alijs Sacerdotibus fornicarijs, » quoad Sacerdotalis officij executionem, poterit » diſpenſare. Ratio autem, cur per fornicationem cum pluribus fœminis non contrahatur irregularitas bigamiæ, ſicut per matrimonium cum pluribus, ſive de jure, ſive defacto, initum, eſt, quia per conjunctionem fornicariam non ſignificatur conjunctio Chriſti cum Eccleſia, per aſſumptionem carnis, & ſic non poteſt in ea habere locum defectus ſignificationis illius: neque etiam ea impedit, quò minùs tale matrimonium, ſive fornicatio illud præcedat, ſive ſequatur, ſive etiam, eâ durante, fiat, adhuc habeat perfectam ſignificationem Sacramenti, cùm ſit maritalis conjunctio unius viri cum unica ab alio non aſſumpta, adeóque non patiatur defectum Sacramenti, qui eſt fundamentum bigamiæ. Sanch. c. l. n. 3.

Non obſtat, quòd etiam concubinatus ſit ſignum nimiæ incontinentiæ, & longè turpior, quàm bigamia, ergo etiam propter illam quis removendus erit ab Ordinibus: nam præterquam, quòd ea ratio non eſt primaria, & adæquata, ob quam bigami arceantur ab Ordinibus; bigamia,

feu

ſeu matrimonium initum cum pluribus inducit vinculum indiſſolubile, & ſtatum perpetuum, adeóque ex natura ſua eſt ſignũ incontinentiæ magis diuturnæ, firmiúſque inhærentis, quàm concubinatus, qui diſſolvi poteſt, ut ex S. Thom. notat Vivian. in Ration. Jur. Pontif. in cit. c. Quia circa. Et licèt habens plures concubinas dividat carnem ſuam in plures, non tamen maritali affectu, quod requiritur ad incurrendam bigamiam, ut ex dictis patet.

Porrò cùm in cit. c. Quia circa Presbyteri ; concubinatus cum diverſis vocatur ſimplex fornicatio, id ita intelligendum eſt, non quòd non ſit ſacrilegium, ratione ſolemnis voti impliciti caſtitatis, ſed ut diſtinguatur ab alijs luxuriæ peccatis, nempe ab adulterio, ſtupro, inceſtu, quæ committunt interdum Presbyteri, ut ex Azor notat Barboſ. in Collect. in cit. c. pro.n.3.

V. Infertur 3. Per ſola ſponſalia cum pluribus inita non inducitur bigamia, quia ſinè matrimonio vero, vel attentato non contrahitur bigamia. Piaſec. in praxi p. 1. cap. 1. art. 6. num. 6. etiamſi ſubſecuta ſit copula, ſinè affectu maritali, ut ex Bonac. tradit Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 49. num. 13.

VI. Quod autem dictum eſt, veram bigamiam contrahi ab eo, qui duas uxores duxit, id extenditur, ut, quoad effectum irregularitatis, contrahatur etiam ab eo, qui unam uxorem, ante baptiſmum ſuſceptum, alteram poſt, vel etiam utramque antea duxit, ut ex communiore ſententia DD. tradit Sanch. cit. diſ. 83. num. 9. Suar. diſ. 49. de cenſur. ſec. 6. num. 10. & ſeqq. & patet ex c. 2. & c. Una ; 4. diſ. 26. Ratio eſt, quia hoc impedimentum non eſt inductum ab Eccleſia in pœnam alicujus delicti, quæ per baptiſmum, unà cum delicto, remittatur: ſed quia tale matrimonium non eſt aptum ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unius viri cum una ſponſa, eâque ab alio non aſſumptâ: qui defectus perfectæ ſignificationis æquè reperitur in matrimonio contracto ante baptiſmum, quàm poſt illum. Neque hic defectus impedimentum præſtat in homine infideli pro tempore infidelitatis, ſed poſt ſuſceptum baptiſmum, quo tempore jam eſt ſubditus Eccleſiæ, quæ talem baptizatum irregularem facit propter cauſam, quæ baptiſmum, vel ex parte, vel in totum præceſſit, videlicet, tum quia contraxit matrimonium ineptum ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; tum ob indicium incontinentiæ, quia bis matrimonium contraxit, etſi utrumque, vel alterum ante baptiſmum, quod ad propoſitum nihil refert. Suar. c. l. num. 14. Confirmatur, quia, ſi Eccleſia ſtatuiſſet, eos ſolos poſſe ad Ordines promoveri, qui nunquam fuerunt conjugati, nullus diceret, infidelem, qui ante baptiſmum matrimonium iniit, poſſe poſt ſuceptum baptiſmum, mortuâ uxore, ad Ordines promoveri, quia verum eſt, eum tunc fuiſſe conjugatum, & hinc etiam ante baptiſmum corrupta non poteſt poſt illum velari inter Virgines. Sanchez. c. l.

VII. Sed contra objicitur 1. text. in c. 1. diſ. 33. ubi dicitur: ſi quis, poſt acceptum baptiſma, ſecundis nuptiis fuerit copulatus, non poteſt fieri Epiſcopus, non Presbyter, &c. ergo ſecus dicendum de eo, qui ante baptiſma, ut à contrario ſenſu infertur. Sed reſpondetur 1. Subintelligendum eſſe, *maximè poſt baptiſma*, juxta Gloſſ. ibid. V. Poſt acceptum: idem enim eſt, ſi ante baptiſma habuit unam, & poſt, aliam uxorem. Vel dici poteſt, argumentum à contrario ſenſu non valere, quando oppoſitum jure eſt expreſſum, ut docet Gloſſ. communiter recepta in c. unic. V. Permittimus; de ætat. & qualit. in 6.

Objicitur 2. Matrimonium initum ante baptiſmum non eſt Sacramentum, ergo in eo non intervenit defectus ſignificationis Sacramenti, adeóque deeſt fundamentum hujus irregularitatis, ſeu bigamiæ. Reſpondetur: Satis eſt, quòd tale matrimonium non ſit aptum ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum unica ſponſa Eccleſiâ, quam ſemper etiam in ſtatu innocentiæ, ex primæva inſtitutione Dei, matrimonium copulâ carnali conſummatum aliquo modo ſignificavit, teſte Apoſtolo ad Epheſ. 5. quamvis non tam perfectè, ſicut, poſtquam matrimonium elevatum eſt ad rationem Sacramenti in nova lege. Suar. c. l. n. 14.

Objicitur 3. Hæc irregularitas eſt Jure Canonico inducta, ergo non poteſt ligare infideles, cùm enim infidelis ſit incapax Ordinis, ante baptiſmum, erit etiam incapax irregularitatis, quæ eſt privatio habilitatis ad Ordines ſuſcipiendos. Reſpondetur: Diſtinguendo conſequens, ergo non poteſt ligare infideles, ante baptiſmum, conceditur; poſt baptiſmum, negatur: nam tale matrimonium, etiam ante baptiſmum, non eſt aptum ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum unica Eccleſia intactâ: carere autem eâ qualitate, & ſignificatione eſt quid naturale, atque ita tempore infidelitatis adeſt, licèt non quatenus eſt impedimentum ſuſcipiendi Ordines: poſt baptiſmum verò iis obſtat, quia tunc lex Eccleſiaſtica jam baptizatos obligat, quæ prohibet ordinari eum, qui matrimonio inepto ad eam ſignificationem quandocunque eſt, vel erat junctus: ſicut etiam infidelis non poteſt ducere conſanguineam, v. g. in ſecundo gradu poſt baptiſmum, licèt ante baptiſmum non fuerit impedimentum dirimens matrimonium. Sanch. c. l.

Objicitur 4. Propter homicidium, ante baptiſmum, juſtè, vel injuſtè patratum, non incurritur irregularitas, ergo neque propter matrimonium duplex initum, ante baptiſmum, incurritur irregularitas bigamiæ. Sed negatur conſeq. quia prior irregularitas ſolùm eſt impoſita à Jure, homicidio patrato poſt baptiſmum: poſterior verò irregularitas bigamiæ veræ à jure eſt impoſita ei, qui duplex matrimonium legitimum quandocunque contraxit, & conſummavit, Barboſ. cit. alleg. 49. num. 3.

Porrò non ſolùm vera bigamia, ſed etiam interpretativa contrahitur ab eo, qui viduam, vel ab alio extra matrimonium corruptam in uxorem duxit ante baptiſmum, ut patet ex c. Si quis viduam; 15. diſ. 34. & docet Sanch. c. l. n. 9. Barb. & alij communiter, de qua mox plura.

VIII. Aſſertio 3. Bigamia interpretativa eſt, quæ ſecundùm Juris interpretationem, ſeu fictio-

nem, bigamia cenſetur, cujus quatuor modi comũniter aſſignati ſolent, ut videte eſt apud Navarr. cit. cap. 27. num. 195. Sanch. lib. 7. de matrimon. diſ. 84. Primus eſt, quando quis in uxorem duxit viduam à priore viro carnaliter cognitam, vel ab alio extra matrimonium corruptam, & cum ea matrimonium conſummavit, ut conſtat ex c. Maritum; 2. diſ. 33. c. Curandum; 9. c. Præcepimus; 10. c. Si quis viduam; 13. & c. Si quis viduam; 15. diſ. 34. c. Si quis viduam; 8. diſ. 50. c. ult. diſ. 51. c. 1. & c. Debitum; 5. Ratio eſt, qnia ducens viduam, vel ab alio corruptam, & cum ea matrimonium conſummans fit una caro cum illa, & per conſeqnens, ſicut ipſa uxor verè carnem ſuam diviſit in plures, ita etiam vir ejus, qui cum ipſa per copulam carnalem factus eſt una caro, ex juris interpretatione cenſetur carnem ſuam in plures diviſiſſe. Qnare deficit tale matrimonium à perfecta ſignificatione matrimonij Chriſti cnm Eccleſia, qnod eſt unius cum uoa intacta. Sanchez. cit. diſ. 84. num. 1.

IX. Et hinc etiam, qui nxorem ab altero viro repudiatam, ſeu dimiſſam duxit, & cognovit, bigamus, & irregularis eſt, cit. c. 1. h. t. Idque procedit, ſive dimiſſa fuerit, quia prius matrimonium invalidum fuit propter impedimentum dirimens; tunc enim qui eam duxit, & cognovit, interpretativæ bigamiæ irregularitatem contrahit, ſicut is, qui aliam à quocunqoe viro, præter ſe, cognitam, ſeu corruptam duxit, & cognovit; ſive repudiata, ac dimiſſa ſit per divortium, quoad torum, & cohabitationem, ſubſtantiali vinculo matrimonij non diſſoluto, quæ propriè ejecta dicitur, ut habetur in c. Vidua; 16. diſ. 34. & tunc, qui eam, marito ejus adhuc vivente, invalidè duxit, & affectn maritali cognovit, quaſi bigamus cenſetur, & irregularis, arg. c. Nuper; 4. h. t. de quo infrà.

X. Ex dictis infertur 1. Bigamiam hanc interpretativam contrahi, ſive vir ſciverit, eſſe viduam, vel aliter corrnptam, quam duxit, ſive ignoraverit: &, ſive mnlier volens, ſive per vim corrupta ſit ab alio, nt tradunt communiter DD. apud Saoch. cit. diſ. 84. num. 15. quia hæc irregularitas, non oritur ex culpa, vel infamia perſooæ, ſed ex defectu ſignificationis Sacramenti, qui etiam locum habere poteſt in igoorante: & vis illata excuſat fœminam à culpa, ſed non efficit, matrimonium illnd eſſe aptum ad ſigoificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. E contrario verò, ſi quis dncat virgioem, exiſtimans, illam eſſe cortnptam, non efficitur bigamus, quia ad irregularitates, & cenſuras incurrendas non ſufficit ſola intentio, ſed requiritur, ut factum re ipſâ ſeqnatur. Sanchez. c. l. oum. 8. ſic excommunicatus non eſt credens, ſe percutere Clericum, cùm percutiat Laicum, nec eſt irregularis occidens feram, putans eſſe hominem.

XI. Infertur 2. Non eſſe bigamum eum, qui duxit mnlierem, non ab alio, ſed à ſe ipſa ante matrimonium primò cognitam. Gloſſ. communiter recepta in c. Debitum; 5. V. Diviſit; h. t. Sanch. c. l. num. 14. Ratio eſt, quia in tali matrimonio oon eſt defectus Sacramenti, quod mulierem reſpicit, exigens, ut illa à plnribus viris nun ſit cognita; talis autem uxor non diviſit carnem ſuam in plures viros, cùm ab uno ſolo cognita fnerit: ergo oeque ipſe vir, ratiooe talis uxoris, cum qua factus eſt una caro, poteſt ex juris interpretatione cenſeri carnem ſuam in plures diviſiſſe. Deinde matrimonium illud retrotrahitur, ac fingitur initum tempore, quo uxor deflorata eſt, ac proinde juriſfictione cenſetur virgo ducta, & perinde eſt, ac ſi eo tempore, qno virginem defloravit, duxiſſet, vitiúmque præcedens purgatur per ſnbſequens matrimooium, arg. c. Tanta; 6. qui filij ſint legit. Sanch. c. l. Non obſtat text. in c. Qualis; 4. cauſ. 3. quæſt. 5. & c. unic. de Clerlc. conjugat. in 6. qnia ibi requiritur virginitas in uxore, tempore initi matrimonij, eo ſenſu, ut non ſit ab alio corrupta. Gloſſ. in cit. c. Debitum; V. Diviſit; in fine. Neque verò matrimonium eſt per ſe cauſa bigamiæ, ſed illnd matrimonium, ex quo conſurgit defectus ſignificationis, & eo caſn, quo inducit bigamiam, non poteſt operari contrarium. Sanch. c. l.

XII. Infertur 3. Neque bigamum eſſe eum, qui viduam duxit, ſed à priore incognitam, pront ſumitur ex c. Debitum; 5. h. t. Nam cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Innocentio III. an is; qui mulierem ab alio viro in domum ſuam tradnctam, ſed nondum cognitam, eo mortuo, matrimonio ſibi copnlavit, valeat, poſtquam ipſa quoque mortua fuit, ad Sacerdotium promoveri (pront habetur in integra lectione bujns c.) reſpondit Papa, quòd duplex ſit matrimonium, nnum ratum, quod mutuo animorum conſenſu contrahitur, & ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per unionem charitatis inter Deum, & animam juſtam, juxta illud 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo.* Alterum verò commixtione corporum conſummatum, quod ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationis Myſterium, juxta illud Jo. 1. *Verbum caro factum eſt:* & ad Epheſ. 5. *Sacramentum autem hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia.* Nam prohibitum eſt, propter defectum Sacramenti, ne bigamus (ideſt, qui duas uxores ſucceſſivè duxit, & cognovit) aut maritus viduæ (qui ſcilicet ab alio marito cogoitam duxit, & cognovit, vel ab alio corruptam, extra matrimonium. Gl. hîc V. Viduæ;) præſumat ad ſacros Ordines promoveri, quia nec illa, ſcilicet vidoa, & corrupta, eſt una nnius viri (ſicut Eccleſia Chriſti, ſed eſt una plurium, ſive quæ carnem ſuam in plures maritos diviſit) nec iſte eſt unus unius (ſcilicet bigamus, qui duas uxores, etſi virgioes, duxit, & cognovit, & ſic ooo eſt maritus unius uxoris, ſed duarum.) Ex quo patet, quòd, ubi deeſt inter conjuges cõmixtio corporum, ſive inter quos matrimonium non eſt coo ſummatum, ibi uon deeſt ſignificatio Sacramenti, ſive conjugij inter Chriſtum, & Eccleſiam per carois aſſumptionem, & cooſequeoter non incurritur irregularitas, (quæ non niſi ex matrimonio copulâ carnali conſumato oriri poteſt.) Quare is, qui mulierem ab alio viro ductam, ſed non carnaliter cognitam, duxit uxorem, non debet impediri, qnò minùs poſſit ad Sacerdotium, vel alium ſacrum Ordinem promoveri, quia nec illa (ſcilicet quæ Virgo permanſit, etſi alteri fuerit deſponſata) nec

nec ipſe (qui talem duxit) catnem ſuam diviſit in plures, adeóque tale matrimonium non patitur defectum Sacramenti, neque inducit irregularitatem. Idémque eſt de eo, qui duas uxores duxit, ſed alteram earum, priorem, vel poſteriorem, catnaliter non cognovit, nam bigamus non eſt, uti ſumitur ex cit. c. Debitum, & dictum ſuprà n. 3.

XIII. Atque hinc etiam colligitur ratio, cur bigamia inducatur ex matrimonio contracto cum corrupta, non item ſi corruptus, ſeu ſæpius fornicatus contrahat matrimonium: nam vitium corruptionis, in ordine ad irregularitatem inducendam, ſpectatur ſolùm ex parte fœminæ, in quam, velut terminum ad quem, fertur conſenſus viri matrimonium contrahentis, adeóque hoc vitium non præſtat impedimentum, ſeu non inducit irregularitatem in viro, niſi in ordine ad fœminam corruptam; nam corruptio carnis extra matrimoniũ contingens, ipſúmq; præcedens, non cauſat defectum ex parte illius, in quo eſt corruptio, ſed ex parte alterius conjugis, quia conſenſus ineuntis matrimonium non cadit ſuper ſeipſum, ſed ſuper alterum conjugem; adeóque vir contrahens eſt quaſi terminus à quo, mulier autem, cum qua contrahitur, eſt quaſi terminus, ad quem fertur alterius conjugis conſenſus, actus autem ſumit ſpeciem non à termino à quo, ſed ad quẽ, Sanch. c. l. Suar. diſ. 49. de cenſũt. ſect. 3. n. 9. Deinde defectus virginitatis in ſponſa eſt major indecentia, & eſt quædam infamia ducere ab alio corruptam, quæ non habet locum in viro corrupto, cui etiam ordinariè valde difficile eſt ſervare virginitatem, ante matrimonium, & ideo noluit Eccleſia ad hoc obligare omnes ordinandos, Suar. cit. ſect. 3. n. 9. Porrò prior illa ratio S. Thomę non habet locum in ducente duas uxores, quia is non fit irregularis, ob vitium initi matrimonij, ſicut, qui ducit unicam corruptam ab alio, ſed ob multiplicatum, ſeu iteratum matrimoniũ, ideóque hic non ſpectatur, an vitium conſurgat ex termino ad quem, Sanch. c. l. n. 9.

XIV. Secundus modus bigamiæ interpretativæ eſt, ſi is, qui virginem duxit, poſtquam adulterata eſt, illam carnaliter cognoſcat. c. Si cuius; 11. & c. ſeq. diſ. 34. idque procedit, tametſi vir adulterium uxoris ignoraverit, & ipſa non volens, ſed per vim, aut coactionem cognita ſit ab adultero, ut docet Sanch. cit. diſ. 84. n. 15. & alij communiter, quia nihilominus adeſt defectus Sacramenti, cùm talis conjunctio maritalis non ſit ampliùs apta ad perfectè repræſentandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. neque hic agitur de delicto promovẽdi ad Ordines, ad quod requiritur ſcientia, ſed de defectu ſignificationis, quem poteſt pati ignorans, ut ſuprà dictum n. 10. Alia ratio eſt de irregularitate ex homicidio juſto proveniente, quia illa oritur ex defectu perfectæ lenitatis, quæ non incurritur ab ignaro occiſionis: bigamia autem ex defectu ſignificationis Sacramenti æquè incurritur, ſive ſcientia, ſive ignorantia adſit. Quin imò etiamſi maritus debitum reddiderit uxori adulteræ, per cenſuras compulſus, quia v. g. plenè probare non potuit adulterium, nihilominus fit irregularis, ob rationem prædictam, ut ex omnium ferè ſententia docet Sanch. c. l. n. 17.

Dices, irregularitas non incurritur ab homine, niſi quatenus rationalis eſt, quia, ut ſic ſolùm eſt capax irregularitatis, ergo neceſſe eſt, ut actiones illæ, ob quas contrahitur, procedant ex ratione, & libero arbitrio, adeóque non ex ignorantia, Reſpondetur, ſatis eſt, quòd copula ſit voluntaria, ut ex libero arbitrio procedat, quamvis ignoretur corruptio, vel adulterium uxoris, Suar. c. l.

XV. Tertius modus bigamiæ interpretativæ eſt, quando Clericus, poſt primam uxorem, quam virginem duxit, defunctam (vel etiamnum viventem) ſacros Ordines ſuſcepit, & poſtea aliam invalidè duxit, & affectu maritali cognovit, talis enim, licèt re ipſâ bigamus non ſit, tamen quaſi bigamus, & irregularis habendus eſt, prout ſumitur ex c. Nuper; 4. h. t. ubi quæſitum fuit ex Papa Innocentio III. an Clerici, qui, dum adhuc laici erant, contraxerunt matrimonium cum virgine, ſed poſt mortem uxorum, ad ſacros Ordines ſunt promoti, & duxerunt, non de jure, ſed de facto etiam uxorem, cùm irritum ſit matrimonium celebratum à Clericis in ſacris conſtitutis, bigami ſint cenſendi? Videbatur affirmandum, quia in talibus (ſcilicet illicitis, ac prohibitis) matrimonijs contrahendis, non attenditur juris effectus, ſed animi deſtinatio, id eſt, non ad hoc eſt attendendum, an matrimoniũ cum effectu, & validè fuerit contractum, ſed an contrahens intentionem habuerit ducendi uxorem. Unde, qui duas ſimul habet uxores, ſecundùm leges infamiâ notatur (imò etſi unam ſolam contra jus duxerit. l. Quid ergo; 13. §. Cùm autem. ff. de his, qui notant. infam.) quod partim ad factum convenit retorqueri (quia de facto ſolùm ſecundam duxit, cùm de jure non potuerit, Gl. hîc V. ad factum) & ſecundùm Canones, etiam Presbyter punitur, qui non legales, ſive illegitimas nuptias contraxit, c. Presbyterum; 16. diſ. 28. Ex altera verò parte obſtare videtur, quòd veritas præferenda ſit opinioni, ſeu juris præſumptioni, alioquin, ſi tales Clerici cenſendi ſunt eſſe bigami, qui cum duabus contraxerunt, cum prima validè, cum ſecunda invalidè, ſequitur, quòd & is bigamus cenſendus eſſet, qui nullam uxorem habuit, ut ſi quis de facto cum duabus contraheret, quibus de jure non poteſt matrimonialiter conjungi, v. g. cum duabus conſanguineis ſuis. Quibus in utramq; partem propoſitis, reſpondet Papa, quòd hujuſmodi Clerici in ſacris conſtituti, qui, quantùm in ipſis fuit, (poſt primam uxorem defunctam) cum alia invalidè matrimonium contraxerunt, & conſummârunt, licèt re ipsâ bigami non ſint, tamen perinde, ac bigami habendi ſint, ideóque ad Ordines cum eis diſpenſari non debeat: idque non propter Sacramenti defectum (cùm enim nullum fuerit matrimonium, quod ſecundò initum eſt, adeóque nec Sacramentum, non potuit pati defectum Sacramenti) ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto, quia nimirum, quantum in ipſis erat, voluntariè ſecundùm matrimonium cum alia contraxerunt, & conſummârunt.

XVI. Porrò etſi in cit. c. Nuper; ſolùm expreſſè ſermo ſit de Clericis in ſacris conſtitutis, communiter tamen hoc à DD. extenditur etiam ad Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, imò & laicos, ut & illi interpretativè bigami ſint, & conſequenter iis diſpenſare ad Ordines non liceat, qui duo contraxerunt, & conſummârunt matrimonia, unum de jure, id

re,id eſt,validum,alterum de facto,id eſt,invalidum, & attentatum, ſeriò tamen, & cum conſcientia impedimenti,ſive priore conjuge vivente,ſive defunctâ, Sanch. cit. diſ.84. n. 3. & alii DD. communiter apud Laym.l.1.Theol.moral.tract.5.p.5.c.6.n.5.arg. cit. c. Nuper; h. t. quia etiam in Clericis minorum Ordinum,& in laicis, qui contraxerunt ſecundum matrimonium invalidum, propter impedimentum dirimens,adeſt affectus intentionis ad alterum matrimonium,cum opere ſubſecuto carnalis copulæ,& ſic eadem adæquata ratio habet in illis locum, ob quam de Clericis in ſacris conſtitutis id eſt, ſtatutum in cit. c.Nuper; in quo deciditur,tales,etſi non ſint verè bigami, tamen pœnam, ſeu impedimentum bigamiæ incurrere. Et quamvìs aliàs irregularitas non inducatur, niſi in caſibus jure expreſſis, tamen hic caſus ſatis intelligitur jure expreſſus in cit. c. Nuper; cùm includatur ſub generali ratione ibidem expreſsâ,quę vendicat ſibi locum etiam in Clericis minorum Ordinum, & laicis, quippe comprehenſis ſub dicta ratione, Fagnan.in c.ult.n.42.& 44.h.t.

Idem quoque dicendum eſt, ſi quis priùs cum una invalidè, & poſtea cum altera validè contraxit matrimonium, Avil.cit.diſ.8.dub.1.not.2. nam parùm refert,an matrimonium invalidum præcedat alterum validum, an ſubſequatur, dummodo contrahens invalidè, illud conſummet affectu maritali.

XVII. Quartus modus bigamiæ interpretativæ eſt,quando quis duo contraxit matrimonia de facto, non de jure,id eſt,ambo invalida, Navarr. in man.c. 27.n.295.Sanch.cit.diſ.84.n.3.Suar. cit. diſ. 49. ſect. 2.n.11. nam tunc incurritur irregularitas bigamiæ, non ob Sacramenti veri defectum,cùm non detur aliquod Sacramentum matrimonij veri, cui deficiat ſignificatio Sacramenti : ſed talis fit irregularis, & quaſi, ſive interpretativè bigamus, propter affectum intentionis ad duo matrimonia ineunda,cum ſubſecuto opere carnalis copulæ, & ſatìs eſt, quòd, quantum eſt ex parte ſua, utrumque de facto contraxit,& quantum eſt ex parte contrahentis ſignificatio Sacramenti deficiat. Addunt aliqui, etiam bigamiam interpretativam incurri, ſi quis unum matrimonium invalidum propter impedimentum dirimens contraxit,& conſummavit eum vidua, vel corrupta ab alio. Suar.cit.diſ.49.ſect.3.n.3.& ſeqq.& alij apud ipſum, arg. c.fin. h. t. Sed contrarium tenet Navarr. c. l. & conſil. 1.h.t. Sanch.c.l.n.11.Avil.cit. diſ.8. dub.1.§. Sequitur 2. Ratio eſt, tum quia nullibi jure canonico eſt expreſſum, hoc caſu contrahi irregularitatem bigamiæ : tum quia, ut aliquis interpretativè fiat bigamus,requiritur, ut vel cum duabus matrimonium contrahat, cum una validè, altera invalidè, vel cum duabus invalidè, vel cum una corrupta validè, quæ dicuntur tres ſpecies bigamiæ interpretativæ, talis autem cum una corrupta contraxit invalidè.

Præterea aliqui dicunt, bigamiam interpretativam contrahi,etſi utrumque,vel alterum matrimonium invalidè contractum ſit ex ignorantia,quia bonâ fide ignarus impedimenti putavit, ſe validè contrahere; nam ea non propter culpam,ſed propter publicum ſignum incontinentiæ, vel ſimilitudinem defectûs Sacramenti,videtur impoſita. Suar.cit. diſ.49. ſect. 2.n.8. Contrarium tamen probabiliùs tenet Sanch.cit. diſ.84.n.6. eò quòd hæc ſpecies bigamiæ, non ob defectum ſignificationis Sacramenti, ſed ob delictum,ſeu culpam incurratur. Alij denique putant, etiam quaſi bigamum eſſe eum, qui fictè, & ſimulatè alterum matrimonium contraxit, adeóque etiamſi nullum ſit ex defectu conſensûs,Suar.cit.ſec. 2.n.10. Sed contrarium tenet Avila cit.dub.1.§.2. notandum in fine,& alij apud ipſum, eò quòd,quando matrimonium alterum eſt nullum ex defectu cõſensûs,quia ſimulatè ad impetrandam copulam contractum eſt, deſit maritalis affectus, cum ſubſecuto opere carnalis copulæ,quod tamen requiritur in cit. c.Nuper; h. t. Sed Suar. c. l. reſpondet, non requiri intentionem contrahendi alterum verum conjugiũ, ſed ſufficere intentionem exteriùs contrahendi,quæ nunquam deeſſe poteſt, poſito, quòd voluntariè, & liberè exteriùs contrahat,cum opere ſecuto.

XVIII. Cæterùm, præter tres modos bigamiæ interpretativæ ſuprà allatos,cæteræ bigamiæ ſpecies, quæ afferuntur ab Auctoribus,non ſunt ſatìs expreſſæ in Jure Canonico : quin imò Laym.in c.Nuper; 4. h.t.& cit.c.6.n.5. putat, quòd in cit.c.Nuper; ſolùm agatur de Clericis in ſacris conſtitutis,qui, ſi alterum matrimonium,priore uxore mortuâ,aut vivente, invalidè contrahant, irregulares cenſentur, tanquam bigami,& indiſpenſabiles : & cùm ea Conſtitutio in odium Clericorum invalidè contrahentium, poſt ſacros Ordines ſuſceptos, facta ſit, ideóque ſtrictæ interpretationis ſit, ad alios, ſive Clericos in Minoribus conſtitutos, ſive laicos, cum duabus uxoribus, vel altera invalidè contrahentes, ſpectato Jure Canonico ſcripto, extendenda non videtur, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, reg.52. in 6. Verùm,quia DD. communiter illam Conſtitutionem generatim intelligunt de omnibus, etiam laicis, & ratio ibi expreſſa etiam in illis locum habet, ideo probabilius eſt, illos quoque in diſpoſitione cit.c.Nuper; comprehendi,ut ſuprà dictum n. 16. Unde ipſe Laym. fatetur, in praxi etiam laicos, ſi invalidè contrahant ſecundum matrimonium, pro bigamis, & irregularibus indiſpenſabiliter habendos eſſe: nam licèt cenſuræ,& irregularitates aliquæ jure ſcripto expreſſæ non ſint, per diuturnam tamen univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem,præſertim auctoritate,& conſenſu DD. roboratam, introduci poſſunt. Aliæ verò irregularitates bigamiæ, quæ inter DD. dubiæ, & controverſæ ſunt,in praxi timendæ non ſunt, nec neceſſariò obſervandæ.

XIX. Aſſertio 4. Bigamia ſimilitudinaria contrahi in primis videtur,ſi Clericus in Subdiaconatûs Ordine (vel alio ſacro) conſtitutus de facto tantùm,quia de jure non potuit,viduam(& corruptam ſive cognitam à priore viro) ducat in uxorem (& carnaliter cognoſcat) nam etſi talis revera bigamus nõ ſit,nec maritus viduæ verè dici poſſit, cùm matrimonium inter eos contractum non fuerit validum: cum eo tamen contra doctrinam Apoſtoli 1.ad Timoth. 3. diſpenſare non licèt (ſed irregularis cenſendus eſt,perinde,ac ſi bigamus eſſet) non propter Sacramenti defectum (cùm nullum fuerit hìc matrimonij Sacramentum) ſed propter pravam intentionem matrimonij contrahendi,cum opere carnali ſubſecuto,prout ſtatutum habetur c. A nobis; 7. & ult.h.t.& Gl,marginal.in c. Nuper;4.V.Tanquam, h.t.

h. t. haoc bigamiam inter ſimilitudinarias numetat: hoc *tanquam*, inquit, oon eſt expreſſivum veritatis, ſed ſimilirudinarium. Ratio autem, eur Subdiaconus, vel alius Clericus in ſacris conſtitutus, ducendo viduam, ſimilitudinatiam bigamiam contrahat, eſt, quia per ſuſceptionem ſaeri Ordiois obligatur voto ſolemni continentiæ, per quod contraxit ſpirituale matrimonium cum Chriſto, c. A multis; 9. de ætar. & qualit. c. unic. de voto in 6. unde poſtea contrahendo cum aliqua, licèt de facto, & invalidè, aliud matrimooium carnale, bigamiæ pœnam, & irregularitatem indiſpenſabilem incurrit, ad ſimilitudioem veri bigami, qui duo matrimonia cum diverſis contraxit. Navarr. in Man. cit. c.27.n.195. & in conſil. 1.h.t.

X X. Verùm alij DD. communiter apud Fagnan. in cit. c. ult. num. 40. h.t. cenſeot, Clericum in ſacris conſtitutum ducentem iovalidè uxorem viduam, bigamiam interpretativam potiùs contrahere, & quidem non propter Sacramenti defectum, talem incidere in pœnam bigamiæ, & irregularitatem indiſpenſabilem, adeóque nec propter duplex conjugium, ſpirituale, & caroale, ob quod inducitur defectus Sacramenti, cùm tollat ſignificatiooem conjunctioois Chriſti cum Eccleſia, ſed propter affectum intentioois, cum opere carnali ſecuto, quia, quantum in ſe eſt, matrimonium contraxit, & conſummavit, cit. c. fin. & cit. c. Nuper; h.t. Quare non ſolùm, ſi Subdiacoous, de quo loquitor cit. c. ult. h. t. ſed etiam, ſi Clericus Minorum Ordinum, vel etiam laicus de facto, & invalidè contrahat matrimonium cum vidua, vel corrupta, propter impedimentum v. g. conſanguinitatis, vel affinitatis, perinde, ac bigamus, irregularis indiſpenſabiliter fiet, oon propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentioois contrahendi matrimonium, cum opere carnali ſecuto, ſicut ſuprà num. 16. in caſu c. Nuper; 4. h. t. dictum, Fagnan. in cit. c. ult. oum. 41. & ſeqq. h. t.

X X I. Porrò aliud exemplum bigamiæ ſimilitudinariæ affertur, ſi Clericus in ſacris conſtitutus, vel Religionem profeſſus, cum unica virgine matrimooium de facto, & invalidè contrahat, & conſummet, irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ incurrit, ut docet Sanch. l.7. de matrim. diſ. 85. num. 5. & num. 8. Idque de Clerico in ſacris ſumitur ex c.1. & 2. Qui Clerici, vel vovent. matrim. &c. & ex c. Sanè; 4. de Cleric. conjug. & de religionem profeſſo colligitor ex c. Quotquot; 24. cauſ. 27. quæſt. 1. ubi dicitur; *quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ*, vel ut Gl. margin. legit, *prævaricati ſunt, profeſſione contemptâ, inter bigamos, id eſt, eos, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt*, id eſt, ut explicat Gloſſ. ibid. repelientur à promotione, ſicut bigami, nec fœminæ inter virgines conſecrabuntur: & eſt argumentum, propter ſimilitudinem dici aliquem de numero eorũ, de quorom oumero non eſt. Et quamvìs ibi ſermo eſſe videatur de Virginibus Deo conſecratis, tamen idem obtinet in viris, cùm commuois DD. ſententia, & praxis, ac traditio Eccleſiæ teſtetur, Religioſos propter matrimonium illegitimè contractum, & conſummatom, irregularitatem incurrere, quamvìs diſpenſabilem ab Epiſcopo, ut notavit Laym. cit. c.6. n.6. Rationem huius bigamiæ ſimilitudinariæ dat Sanch. cit. loc. quia aſtrictus voto ſolemni caſtitatis emiſſo in profeſſiooe Religionis, vel in ſuſceptione ſacti Ordinis, cenſetur ſimilitudinario, ſeu ſpirituali quodam matrimonio cum Chriſto, & Eccleſia eſſe conjooctus: ſi ergo poſtea, non quidem de jure, ſed de facto, & invalidè, aliam, licèt virginem, ducat, & cognoſcat, irregularis, & quaſi bigamus cenſetur, propter affectom ad alias nuptias, cum opere carnali ſubſecuto, adeóque propter ſimilitudinem quandam cnm verè bigamo. Verùm Laym. c. l. putat, Clericum in ſacris, vel Religioſum, ſi virginem ducat, eſſe qoidem irregularem, non tamen contrahere bigamiã ſimilitudinariam, quia in textibus allatis nulla bigamiæ fit mentio, & in ea diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi talis non fuit priùs conjugatus. Sed de nomine cum eo, qui non vult appellare bigamiam ſimilitudioariam, ſed irregularitatem hanc, propter Ordinis reverentiam, & in pœnam incontinentiæ eſſe inductam, non eſt magnoperè contendendom. Nihil tamen vetat, hanc irregularitatem in Canonibus expreſſam appellate bigamiam ſimilitudinariam, propter ſimilitudinem quandam, quam habet cum vera bigamia, Sanch. cit. diſ. 85. n. 5.

§. II.

De effectibus, ac pœnis bigamiæ, & eius diſpenſatione.

XXII. Quæritur 1. Quam pœnam incurrant bigami, qui abſque diſpenſatione ſunt ordinati? Reſp. Bigami, non ſolùm excluduntur à ſuſceptione omnium Ordinum, ſed etiam, poſt contractam bigamiam, illegitimè ordinati privati ſunt uſu, & executione omnium Ordinum, ut ex communi docet Suar. diſ. 49. de cenſur. ſect. 5. n. 3. & conſtat ex c. 2. & c. De bigamis; 3. h. t. ubi Papa Cæleſtinus III. ſancivit, ut Presbyteri, qui verè bigami ſunt (id eſt, duas uxores habuerunt) vel qui mariti viduarum fuetuot, ſive vidoas uxores haboerunt, oec viventibus uxoribus, nec defuoctis, ad celebrationem divinorum officiorum admittantor, cùm fuerint ordinati contra Apoſtoli doctrinam) quæ continetur in Canonibus Apoſtolorum Can. 16. & 17. & quoad viduam refertur io c. Si quis; 15. diſ. 34.) & Eccleſiæ ſtatuta, ac conſuetudinem. Neque verò per mortem uxoris impedimentum bigamiæ purgatur, vel tollitur, quia non vinculum matrimonij, ſed irregularitas contracta ex carnis diviſione in plures impedit ſuſceptionem, & excluſionem Ordinum, & illa non tollitur per mortem uxoris, ſicut oec per baptiſmum, vel pœnitentiam, ideóque, oon ſolùm vivente, ſed nec defunctâ oxore, admitti debet bigamus, vel maritus viduæ ad ſuſceptionem, vel executionem Ordinum, & celebratiooem divinorum, Gl. hîc V. Nec defunctis.

XXIII. His adde, quòd Clerici (in Minoribus Ordinibus conſtituti) ſi bigami fuerint, omni privilegio Clericali nodati, ſeu privati ſint ipſo facto, & juriſdictioni fori ſecularis ſubjecti, quavis contract

» trariâ conſuetudine non obſtante: & ſub pœna » excommunicationis (ferendæ, non latæ ſenten- » tiæ) prohibentur deferre tonſuram, vel habitum » Clericalem, prout decretum fuit in Generali Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. relato in c. unic. h. t. in 6. & ibi Gl. V. Bigamos, & V. Anathemate, & jam olim ſtatutum fuerat in c. Quisquis; 5. diſ. 84. Comprehenduntur autem ſub hac Conſtitutione pœnali, non ſolùm, qui verè bigami ſunt, quia duas uxores habuerunt, ſed etiam, qui interpretativè, quia unam viduam, aut corruptam duxerunt, Gloſſ. hîc V. Bigamos, idque ſumitur ex cit. c. Quiſquis; quod expreſsè loquitur de Clerico, qui viduam, aut ſecundam conjugem duxit, cuius hæc Conſtitutio Concilij Lugdunenſis declaratoria fuit, adeóque eodem modo intelligi debet. Quin imò Gloſſ. margin. hîc lit. b. extendit pœnam huius c. ad eum, qui duas duxit uxores, unam de jure, & validè, alteram de facto, & invalidè, propter aliquod impedimentum dirimens, quod contrahens ignorabat, cùm jure declaratum ſit, matrimonium verè, ac validè contractum, & attentatum, ſive invalidè contractum, ſecuto opere carnali, æquiparari, Suar. cit. diſ. 49. ſect. 5. num. 5. ubi tamen addit, in materia odioſa contrariam opinionem, quæ favorabilinr eſt, practicè ſervari poſſe, maximè quoad pœnam privationis omnis privilegij Clericalis, quæ non debet extendi ad bigamos latè, & impropriè dictos, & ita noviſſimè etiam tenet Fagnan. in c. ult. n. 22. & ſeqq. h. t.

XXIV. Notandum hîc præterea 1. Clerici in ſacris conſtituti, niſi deponantur, ſeu degradentur, nunquam privantur omni privilegio Clericali, neque habitu, & tonſurâ, cùm in ſtatu Clericali maneant, ideóque etſi bigami effecti ſint, quia matrimonium invalidè contrahere, & conſummare præſumpſerunt, retinent privilegium fori, & canonis; idque propter reverentiam ſacrorum Ordinum, Gloſſ. hîc V. Bigamos, & Suar. c. l. n. 7. At verò Clericus in Minoribus conſtitutus privatur omni privilegio Clericali, etiam quoad immunitatem perſonæ, ita, ut, qui illum percuſſerit, non incidat in Canonem, Si quis ſuadente; Gl. hîc V. Omni privilegio; Suar. c. l. num. 6. Ratio diverſitatis eſt, quia exiſtens in Minoribus factus bigamus, quia duas uxores duxit, vel unam viduam, fit laicus, & non remanet perſona Eccleſiaſtica; qui verò eſt in ſacris, non poteſt redire ad ſeculum, propter Ordinem ſacrum, nec deſinit eſſe perſona Eccleſiaſtica, idéoque etſi privatus ſit uſu, & executione Ordinum, non tamen privilegio Clericali fori, & Canonis, Sylv. V. Bigamia n. 8.

Notandum 2. Pœna huius c. habet ſolùm locum in Clericis ſecularibus, non autem in Regularibus, quia profeſſi in Religione approbata, etſi bigamiam contraxerint, gaudent adhuc privilegijs Clericorum, ut docet Franc. hîc num. 2. Sylv. c. l. num. 9. quia per bigamiam ſimilitudinariam non amittuntur privilegia Clericalia, ſed ſolùm per veram, & interpretativam, Gl. hîc V. Bigamos, Suar. c. l. n. 7. in fine.

Notandum 3. Non valet conſuetudo, ut bigamus, qui nullo gaudet privilegio Clericali, gaudeat privilegio fori Eccleſiaſtici, quia eſſet irrationabilis, & adverſa SS. Canonibus, ideóque etiam laico, vel privato omni privilegio Clericali prohiberi poteſt ſub pœna excommunicationis, ne ferat tonſuram, & habitum Clericalem, quia id redundaret in ignominiam Ordinis Clericalis, Franc. hîc num. 3.

XXV. Quæritur 2. Quæ ſit pœna, non ſolùm bigami ordinati, ſed etiam ordinantis bigamos? Reſp. Ordinatores bigamorum poteſtate, & officio » ordinandi (id eſt, conferendi Ordines ſimiles eis, » quos bigamis contulerunt) ſunt privandi: Ordi- » nati verò, ſi ad Ordines ſacros fuerint promori, » eis (id eſt, executione eorum) ſunt privandi: ne- » que enim cum bigamis contra Apoſtolum 1. ad Ti- » moth. 3. diſpenſare licet (ſcilicet Epiſcopis, imò » nec Papæ, niſi ex graviſſima cauſa, de quo in- » frà) ut vel ad Ordines ſacros promoveri, vel jam » promoti in ijs miniſtrare poſſint. Cum Ordina- » tore verò poteſt diſpenſari, ut ordinandi poteſta- » te, & officio non privetur, vel privatus eam recu- » peret, prout reſpondit Papa Lucius III. in c. Super » eo; 2. h. t.

XXVI. Notandum 1. Epiſcopus, qui ſcienter bigamum ordinavit, incurrit ſuſpenſionem à collatione eorum Ordinum, quos ei contulit, per annum, & quidem ipſo jure, nec non à celebratione Miſſæ, ut docet Navarr. in conſil. 3. h. t. idque probat ex c. Nullus; 2. diſ. 55. quia & deponi poteſt ab Ordine, ſecundùm Gloſſ. ibid. V. Severiorem. Verùm Congregatio Concilij, ut refertur in addit. apud Navarr. cit. loc. cenſuit, quòd Epiſcopus non incurrat propterea ipſo jure certam aliquam pœnam, cùm nullus extet Canon imponens ſuſpenſionem à collatione Ordinis, quem contulit bigamo, ipſo jure, imò ex c. 2. h. t. potiùs colligitur contrarium, quòd ſint privandi per ſententiam: nec cit. c. Nullus; talem pœnam imponit: pœna verò ſuſpenſionis à celebratione Miſſæ intelligi poteſt de pœna, non ipſo jure lata, ſed ferenda per ſententiam, & c. 2. & ult. de tempor. ordin. in 6. non loquuntur de ordinatione bigami; præterquam quòd pœnæ non ſunt extendendæ ad alium caſum, Garc. p. 7. de benefic. c. 6. n. 8. & duobus ſeqq. ubi n. 11. addit, quòd nova Conſtitutio Sixti V. contra Clericos malè promotos, & promoventes, eos eſſe à collatione Ordinum eo ipſo ſuſpenſos, redacta eſt ad terminos Juris communis.

Notandum 2. Etſi bigamus ordinari non debeat, ſi tamen ordinatus fuerit, characterem recipit, ut clarè colligitur ex hoc c. ibi: *privandi ſunt*, ſcilicet uſu Ordinum: ſed quomodo privari eo poſſunt, ſi Ordines non receperunt? Gl. hîc V. Diſpenſare in fine, Innocent. V. Eod.

Notandum 3. Licèt ordinans bigamum graviùs delinquat, quàm ordinatus, & ſic faciliùs debuiſſet diſpenſari cum iſto, quàm cùm illo, c. Inter; 2. in fine de translat. Epiſc. tamen hîc faciliùs diſpenſatur cum ordinante, quia in illo eſt ſola culpa, in ordinato ſimul culpa, & irregularitas, quæ non tollitur per pœnitentiam, ſicut culpa, Abb. hîc num. 8. Diſpenſare autem poteſt cum tali ordinante ſolus Papa, nam cùm reſervata ſit Papæ

pœna

pœna privationis, aut depoſitionis Epiſcopi Ordinantis, cenſetur etiam ei reſervata diſpenſatio, cùm regulariter eius ſit ſolvere, cuius eſt ligare. Hoſtienſ. hic V. Diſpenſatio,& Abb. n.9.& 10.

XXVII. Quæritur 3. An, & quis poſſit in irregularitate bigamiæ diſpenſare? Reſp. ſeqq. Aſſertionibus.

Aſſertio 1. S. Pontifex diſpenſare poteſt in omni bigamia, & quoad omnes Ordines, & dignitates. Eſt communis ſenteutia DD. cum Gl. in c. Lector; 18. V. Fiat diſ. 34. ubi refert. Lucium Papam cum Archiepiſcopo Panormitano bigamo diſpenſâſſe, contra nonnullos Canoniſtas. Ratio eſt, quia impedimentum hoc bigamiæ non eſt introductum Jure divino, ſed humano ſolùm, & Eccleſiaſtico: nam Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. ubi præcipit, ut Epiſcopi (quo nomine etiam Presbyteri comprehenduntur, & Diaconi) non creentur, niſi monogami, id eſt, unius uxoris viri, ſive qui præter unam uxorem, aliam non habuerint, id ſtatuit non auctoritate divinâ, tanquam Apoſtolus promulgans jus divinum: ſed tanquam Epiſcopus, & Paſtor Eccleſiæ, condendo leges Eccleſiaſticas, ut notat Sanch. l. 7. de matrimon. diſ. 86. num.6. neque enim irregularitas, ſive inhabilitas ad Ordines adjuncta eſt bigamiæ de jure naturali, vel divino, ſed de jure ſolùm poſitivo, ſeu humano, nec pertinet ad eſſentiam Ordinis, ut quis non ſit bigamus, ut docet S.Thom. in 4. diſ. 27.quæſt.3.art.3.& Innocent. communiter approbatus in c. Niſi, cùm pridem; 10. n. 9. de renunciat. Poteſt autem Papa diſpenſare in omni Jure Eccleſiaſtico, etiam ab Apoſtolis, auctoritate ſolùm humanâ, quatenus Rectores fuerunt Eccleſiarum, conſtituto, cùm ipſe auctoritate Apoſtolicâ in ligando,& ſolvendo ſit præditus,& ſit ſuprà omne jus humanum poſitivum, c.Propoſuit; 4. §.Licèt de conceſſ.præbend.

Et hinc etſi Apoſtolus cit. loc. prohibeat, percuſſorem ordinari Epiſcopum, tamen Papa, non ſolùm cum percuſſore, ſed etiam cum homicida diſpenſare poteſt, ut ordinetur, ut communiter tradunt DD. ergo eodem modo poterit diſpenſare cum bigamo, non obſtante prohibitione S. Pauli, quo majorem poteſtatem habet, tanquam Vicarius Chriſti, & ſummus Paſtor gregis Chriſti.

Non obſtat, quod in c.2.h.t. dicitur, in bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros Ordines promoveri &c. Nam per hoc oſtenditur ſolùm difficultas diſpenſationis, non autem impoſſibilitas; non enim dicitur, quòd non poſſit diſpenſari, ſed quòd non liceat, quia ſcilicet non pro arbitratu, neque ex levi, ſed non, niſi ex graviſſima cauſa, adeóque ratò licet diſpenſare contra Apoſtolicam, & in tota Eccleſia receptam traditionem, ut notat Suar.cit.diſ.49. de cenſur. ſect.6. n.6. Unde S. Pontifex non ſolet abſque graviſſima cauſa diſpenſare cum bigamis, præſertim veris, & propriè dictis. Sed neque facilè ſolet diſpenſare ad Ordines ſacros cum eo, qui viduam in uxorem duxit, ut conſtat ex c. Niſi; 10. §. Perſonæ de renunc. Ad Ordines verò minores ſuſcipiendos faciliùs Papa diſpenſat. Neque etiam obſtat, quòd Papa non poſſit tollere defectum ſignificationis Sacramenti, qui ſemper manet: nam id non requiritur ad diſpenſandum, ſed ſolùm, ut tollat impedimentum ad Ordines ex eo defectu ortum, non ex rei natura, neque ex jure divino, ſed Eccleſiæ prohibitione, quæ per diſpenſationem tolli poteſt: alioquin neque in impedimento ætatis, vel alio ſimili diſpenſari poſſet, eo defectu durante, quod apertè falſum eſt, Suar.cit.ſect.6.n.2. Sanch.c.l.

XXVIII. Aſſertio 2. Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum bigamis veris, vel interpretativis, non ſolùm quoad Ordines ſacros, c.2.& ibi Gloſſ.V. Diſpenſare. h.t. ſed (ut probabilius eſt) nec quoad Minores ſuſcipiendos, aut primam tonſuram, vel beneficium ſimplex, ut tenet Innocent. in cit. c.2.n.1. h.t. ubi abſolutè dicit, Epiſcopum diſpenſare non poſſe in bigamia, Abb.ibid.n.5. Joan.Andr. & Franc. in c.unic. n.4. eod.in 6. Navarr.cit. c. 27. num. 197. dicto 6.Suar.cit.diſ.49. ſect. 6. num.4. Garc. p. 7. de benefic. c. 6. num.5. ubi refert ita declarâſſe S.Congregat.Concilij, Piaſec.in praxi p.1.c.1. art.10.num. 11. Laym. cit. c. 6. num 7. & in c.2. h.t. Barboſ.cit. alleg.49.num.25.& alij apud Fagnan.in cit.c.2.num. 29.h.t. etſi oppoſitum teneat S. Thom. cit. loc. Sylv. V. Bigamia.quæſt.6. Sanch.cit.diſ.86. num.11. Avila p.7.de cenſur.diſ.8. dub. 4. concluſ. 3. quorum ſententiam probabilem eſſe, propter auctoritatem gravium DD. & in praxi ſervari poſſe, ubi uſu recepta eſt, ait Suar. cit.loc.num.5. Sed probatur ſententia negativa ex c.Confidat; 59. diſ.50. ubi prohibetur, ne quiſquam Pontificum, ſeu Epiſcoporum bigamos applicet divinis miniſterijs ſerviturus; & ex c. Nuper; 4. & ult. h. t. ubi ſimpliciter aſſeritur, quòd cum bigamis diſpenſare non licet, & ex c. unic. eod. in 6. ubi bigami privantur omni privilegio Clericali: imò etiam ſub pœna excommunicationis prohibentur tonſuram, vel habitum Clericalem deferre. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in Decreto Concilij Generalis, vel Juris Pontificij, niſi in caſibus jure expreſſis: bigamos autem excludendos eſſe ab omnibus Ordinibus, etiam Minoribus, & Clericatu, ſi non lege Apoſtolicâ, ſaltem in Concilio Niceno decretum eſt, ut refertur in c. Cognoſcamus; 14. diſ. 34. ubi dicitur PP. Concilij Nicæni addidiſſe, neque Clericum quenquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus eſt. Similiter etiam viduarum mariti Clerici fieri non poſſunt, ut additur ibid. §. Similiter: Nullibi autem reperitur in Jure Canonico conceſſum Epiſcopis, ut poſſint diſpenſare cum bigamis, quoad Ordines Minores ſuſcipiendos: nam in c.2. h.t. Papa non tantùm ab Epiſcopo, ſed ſimpliciter negat diſpenſari poſſe cum bigamis, quoad ſacros Ordines, quia de his ſolùm fuerat interrogatus; non verò definit ibi, quid de alijs Ordinibus liceat, nec ne; quare nihil à contrario ſenſu inde inferri poteſt, ut notat Suarez cit. ſect. 6. num. 5. Imò neque quoad uſum Ordinum minorum, diſpenſare licet Epiſcopo, ut cum Suar. cit. loc. plerique ex citatis docent, contra Navarrum, quia nullo jure hoc poſterius magis conceditur Epiſcopo, quàm prius.

XXIX. Non obſtat c. Lector; 18. diſ. 34 ex quo ſumitur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, ubi dicitur: *Lector, ſi viduam alterius uxorem acceperit, ſi in lectoratu permaneat, aut ſi fortè neceſſe ſit, Subdiaconus fiat, nihil autem ſupra: ſimiliter & ſi bigamus*

gamus fuerit: ex quo colligitur, quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare cum bigamo, uſque ad Subdiaconatum incluſivè, exigente neceſſitate, quia hoc non poteſt intelligi de Papa, cùm aliunde conſtet, ipſum diſpenſare poſſe; nec Martinus Papa in hoc c. potuiſſet imponere legem Succeſſoribus, ut notat Turrecrem. in cit. c. Lector; num. 6. Reſpondet Suar. cit. loc. dictum c. non eſſe Martini Papæ, ut à Gratiano inſcribitur, ſed Martini Brachatenſis Archiepiſcopi, qui diverſos Canones collegit, ideóque ex eo parùm probari poſſe: id tamen ex eo textu colligitur, fuiſſe aliquarum Eccleſiarum conſuetudinem, ut Clerici, qui viduam uxorem duxerunt, in Clero permitterentur, imò poſtulante neceſſitate, etiam ad Subdiaconatum, non ulteriùs promoverentur. Quod tamen hodierno jure ampliùs non licet, ut colligitur ex cit. c. unic. h. t. in 6. & Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 17. de reformat. ubi prohibetur Clericus bigamus miniſtrare, etiam in Minoribus Ordinibus, ex officio ſcilicet, & vi Ordinis; nam ex conſuetudine in multis Eccleſiis recepta, poſſunt etiam quivis laici exercere Miniſteria Minorum Ordinum, non tanquam Miniſtri ad id ordinati, ſed tanquam nudi executores Miniſterij, Laym. cit. c. 6. n. 7.

Deinde reſpondetur, etſi detur, cit. c. Lector; eſſe Martini Papæ V. non tamen ibi declaratur, per quem debeat illa diſpenſatio, ſeu gratia, ut bigami promoveantur ad Minores Ordines, vel etiam ad Subdiaconatum, concedi. Cùm ergo ante Martinum V. fuerit Epiſcopis prohibitum, relaxare Decretum Concilij Generalis, non poteſt dici eis data per illud reſcriptum Martini V. ſed potiùs eſſe Papæ reſervata. Et quamvìs facultas diſpenſandi eſſet Epiſcopis conceſſa per Martinum V. tamen revocata eſſet per poſteriores Canones, c. 2. c. Nuper; 4. & c. ult. h. t. c. un. eod. in 6. Fagnan. in cit. c. 2. n. 32. & ſeqq. h. t.

Nec obſtat ſecundò: c. 1. Qui Clerici, vel voventes &c. ubi cum Diacono, qui matrimonium contraxit, diſpenſat Epiſcopus. Sed ibi non agitur de bigamis, qui cum vidua, vel corrupta contraxerunt, ſed de eo, qui in ſacris conſtitutus de facto contraxit matrimonium, cum quo Epiſcopus diſpenſare poteſt, Gloſſ. ibid. V. diſpenſativè, de quo poſtea.

Neque tertiò: obſtat c. 1. de filijs Presb. in 6. ubi habetur, quòd Epiſcopi cum illegitimis diſpenſare poſſunt ad Ordines minores, ergo etiam cum bigamis. Sed diſparitas eſt, quia illegitimi prohibentur ordinari, & Clerici fieri, ob præſumptionem, ne ſint imitatores paternæ incontinentiæ, quæ ceſſat, ſi laudabiliter, & continenter vivant: bigamia verò eſt inducta, ob defectum Sacramenti, quia matrimonium illorum nunquam poteſt repræſentare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, ut ex ſuprà dictis patet Fagnan. in cit. c. 2. n. 37. & 38. h. t.

Non obſtat quartò: Quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare cum criminoſis, & in delictis, ut in adulterio, aliiſque inferioribus, c. At ſi Clerici; 4. §. De adulterijs. de judic. ergo etiam in bigamia, quæ eſt ſine delicto. Sed negatur conſeq. quia delicta per pœnitentiam delentur, ideòque faciliùs in ijs diſpenſatur, quàm in bigamia, quæ oritur ex defectu Sacramenti, qui per pœnitentiam non tollitur, nec per baptiſmum, ſed poſtea etiam durat, Gl. in cit. c. 2. V. diſpenſare h. t. Prætèrquam, quòd in certis delictis jure conceſſa eſt Epiſcopis diſpenſatio, non autem in bigamia, imò expreſsè prohibita in juribus ſuprà citatis.

Denique non obſtat, quòd cum bigamo diſpenſare poſſit ſolus Papa ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, quia annexum habent ſolemne votum caſtitatis, non item Ordines minores, ideóque quoad illos diſpenſare poteſt Epiſcopus, Verùm vera ratio, ob quam diſpenſari non poteſt, ſaltem regulariter, in bigamia ad ſacros Ordines, non eſt ſolemne votum caſtitatis, ſed defectus Sacramenti, ſive quia matrimonium bigami non poteſt repræſentare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, per aſſumptionem carnis, qui defectus etiam locum habet in Ordinibus minoribus; nam omnes Ordines unum conſtituunt Sacramentum, ſaltem totale; quamvìs major ratio diſpenſandi ſit cum bigamis ad Ordines minores, quàm majores, Fagnan. in cit. c. 2. n. 39.

XXX. Cæterùm, limitatur ſuprà dicta aſſertio, quòd Epiſcopus non poſſit diſpenſare cum bigamis, quoad Ordines etiam Minores, niſi gravis neceſſitas urgeat, ob Miniſtrorum penuriam, nec aditos ſit ad S. Pontificem; tunc enim poteſt Epiſcopus in lege Concilii Generalis, vel Pontificiâ diſpenſare, ex tacita voluntate Papæ, & conſequenter etiam ad Ordines minores, vel etiam majores cum bigamis, Sanch. cit. diſ. 86. num. 14. Barboſ. cit. alleg. 49. num. 25. quamvìs contrarium teneat Fagnan. in cit. c. 2. num. 40. & 41. quòd nec in caſibus, in quibus ſubeſt juſta cauſa, ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem, qualis in omni diſpenſatione in lege Superioris ſubeſſe debet, Epiſcopus diſpenſare poſſit in bigamia: Et quia juxta Concil. Trident. ſect. 23. c. 17. de ref. bigami, etiamſi cœlibes deficiant, ſive haberi non poſſint, non poſſunt adhiberi ab Epiſcopo in Miniſterijs Ordinum minorum. Verùm videtur excepta cauſa juſta, non quælibet, ſed valdè gravis, & quando Pontifex adiri non poteſt.

2. Limitant nonnulli in bigamia interpretativa conſurgente ex delicto occulto, tunc enim Epiſcopus diſpenſare poteſt, etiam ad Ordines ſacros, virtute Concilij Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reformat. qualis eſt illa, quæ oritur ex duplici matrimonio invalido, vel uno valido, altero invalido, modò delictum ſit occultum, Sanch. cit. loc. n. 12. Barboſ. c. l. num. 25. Sed contrarium tenet Suar. c. l. n. 9. quia irregularitas bigamiæ, etſi delictum interveniat, non oritur ex delicto, ſed ex defectu Sacramenti, ideóque nihil refert, quod factum, in quo fundatur, ſit publicum, vel occultum.

XXXI. Aſſertio 3. In bigamia ſimilitudinaria Epiſcopus diſpenſare poteſt, etiam ad altiores ſacros Ordines ſuſcipiendos, vel miniſtrandum in ſuſceptis, ſi Clericus in ſacris conſtitutus, qui antea conjugatus non fuit, de facto cum virgine matrimonium contraxit, & conſummavit, modò pœnitentiam egerit, & laudabilem vitam duxerit, ut ſumitur ex c. 1. & c. Sanè; 4. & tradit

dit ibi Gl. V. Ex indulgentia, de Cleric. conjug. præſertim ſi Religionem ingredi velit. c. 2. junctâ Gloſſ. V. Caſtitatem de Cletic. conjug. nam hæc irregularitas non eſt propriè dicta, ideóque faciliùs diſpenſationi eſt locus. Non autem poteſt Epiſcopus diſpenſare cum eo, qui poſt ſuſceptum ſacrum Ordinem, viduam duxit, & cognovit, nam hic quaſi cujuſdam bigamiæ (quam aliqui ſimilitudinariam, alij interpretativam vocant) indiſpenſabilem irregularitatem contrahit, c. fin. h. t. Suar. cit. c. 6. n. 7. Sanch. cit. diſ. 86. num. 20. Poteſt item Epiſcopus diſpenſare cum Religioſo, qui poſt profeſſionem editam, unicam, & virginem invalidè duxit, & cognovit; nam hæ duæ irregularitates ex matrimonio cum Virgine à Clerico ſacris initiato Ordinibus, & Religioſo contracto, à DD. æquiparantur Suar. c. l. num. 7. Sanch. cit. loc. num. 22. Laym. cit. c. 6. num. 6. Ex quo infertur, hanc irregularitatem bigamiæ non tolli ipſo facto per ingreſſum, ſeu profeſſionem Religionis, cùm diſpenſatione ſit opus, vel Papæ, cum verè, aut interpretativè bigamis; vel Epiſcopi, cum ſimilitudinariè bigamis, etiamſi Religionem ingrediantur. Suar. cit. l. n. 16.

XXXII. Aſſertio 4. Sed neque Prælati Religionum, etiam exempti, & privilegiati, ſpectato Jure communi, & ſecluſis ſpecialibus privilegijs, cum ſuis ſubditis Regularibus in bigamia vera, vel interpretativa diſpenſare poſſunt, ne quidem ad Ordines minores, quia nullibi in Jure Canonico reperitur talis poteſtas data Prælatis Regularibus: quin & in privilegijs conceſſis, etiam Religioſis Mendicantibus, ordinariè excipitur bigamia. In bigamia verò ſimilitudinaria diſpenſare poſſunt ij Prælati, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in ſuos ſubditos Regulares obtinent, ut Generales, Provinciales, Abbates, aut Priores exempti, quia & Epiſcopi id poſſunt, Suar. cit. ſect. 6. num. 16. & 18. Addit Avila cit. diſ. 8. concluſ. 8. ex Henriqu. aliquos Ordines Mendicantes habere ſpeciale privilegium diſpenſandi in bigamia cum ſuis Religioſis, quod ad quæſtionem facti pertinet, & oſtendendum eſt, Suar. c. l. n. 17.

Poſtremò, quæ de bigamis hactenùs dicta ſunt, etiam locum habent in trigamis; & ſufficit in petenda diſpenſatione exprimere, ſe duo matrimonia contraxiſſe; quamvis tria, vel plura contraxerit, quia æquè irregularis eſt, & inhabilis ad Ordines, qui bigamus eſt, atque trigamus, vel qui quatuor, aut plures nuptias celebravit, Navarr. in Conſil. 2. h. t. Sanch. c. l. n. ult. Avil. cit. diſ. 8. concl. ult.

TITVLVS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

INter eos, qui ad Ordines admitti non debent, vel non facilè, vel ab Ordinum executione repelli, ſunt Clerici peregrini, id eſt, extranei, qui non ſunt de Epiſcopatu, ſeu Diœceſi, ſive juriſdictioni Epiſcopi loci non ſunt ſubiecti, Hoſtienſ. in ſumm. hîc n. 1. præſertim verò vagi, & ignoti, de quibus hîc quæritur, an, & quomodo ad miniſtrandum in Ordinibus ſuſceptis admittendi ſint, vel repellendi?

I. Præmittendum eſt, quòd aliæ dicuntur litteræ dimiſſoriæ, aliæ commendatitiæ, aut teſtimoniales, ut notat Innocent. in Rubr. h. t. Equidem propriè loquendo, litteræ dimiſſoriæ ſunt, quæ ab Epiſcopo ſubditis ſuis dantur, ut ab alieno Epiſcopo ordinentur, vel etiam per quas Clerici à juriſdictione ſui Epiſcopi, vel à beneficio, quod obtinebant, liberi dimittuntur, ut alibi poſſint beneficium obtinere, & in Eccleſiis ſervire. Commendatitiæ verò, aut teſtimoniales litteræ dicuntur, quæ dantur ab Ordinario Clericis peregrinationem ſuſcipientibus, vel omnino diſceſſuris, ut eis liceat in aliena diœceſi Miſſas celebrare, & Sacramenta adminiſtrare, vel alia Divina officia, & ſacra miniſteria peragere, Azor. p. 2. l. 3. c. 49. quæſt. 1. in quibus etiam de vita, moribus, & doctrina commendari ſolent, & exprimuntur etiam Ordines, ſi quos habent. Innocent. hîc in Rubr. quamvìs aliàs etiam teſtimoniales litteræ dicantur, quibus Epiſcopus teſtatur, alicui Clerico hos, vel illos Ordines legitimè collatos eſſe, quę vulgò, & ex communi conſuetudine *formatæ* appellantur. Laym. in cit. c. 1. n. 3. h. t.

II. Aſſertio 1. Clerici peregrini, & ignoti, qui ex remotis regionibus litteras commendatitias adferunt ab Epiſcopis, à quibus ordinati ſunt, ſi incertum ſit, an vera Epiſcoporum ſigilla ſint appoſita, tanquam ordinati admittendi, ac miniſtrare permittendi non ſunt, niſi minimùm quinque Epiſcoporum teſtimonijs, ſeu chirographis de ordinatione ſua fidem faciant, & inſuper priùs de eorum vita, ac moribus inquiſitum fuerit, & an Ordines etiam minores gradatim acceperint, & non per ſaltum promoti ſint. Et hoc quod olim de Clericis tranſmarinis ſtatutum fuit (tota diſ. 98.) obſervandum quoque eſt circa alios Clericos peregrinos; quòd ſi aliàs digni inventi fuerint, circa eos poterit diſpenſari, id eſt, ex benignitate recipi poterunt, prout reſcripſit Papa Alexand. III. in c. 1. h. t. & ibi Gl. fin.

III. Porrò quòd hîc 5. Epiſcoporum teſtimonia requirantur, id olim ſtatutum fuit propter multas fraudes, quæ tunc temporis contigerunt, ut conſtat ex c. 2. in fine, ubi dicitur, quia multa per ſubreptionem ſolent evenire, & c. 3. diſ. 98.

Hodie verò obſervandum eſt decretum Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 16. de reformat. ubi ſtatuitur, ut nullus Clericus peregrinus, ſiuè Commendatijs ſui Ordinarij litteris, ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur. Ratio eſt, quia tales Clerici peregrini, & ignoti ſunt ſuſpecti, ſolent enim frequenter eſſe criminoſi, infames, excommunicati, vel aliàs irregulares, fugitivi, vel in exilium miſſi &c. & interdum mentiuntur, ſe habere Ordines, cùm non habeant, vel majores, quàm habeant, ideò illis fides haberi non debet, niſi authenticas litteras commendatitias ſui Ordinarij afferant. Hoſtienſ. in ſumm. n. 2. h. t. Huiuſmodi autem litteras Abbas concedere non poteſt, ex declarat. S.Congreg. Concil. apud Joan. Gallemart. cit. loc. num. 6. Epiſcopus verò non poteſt denegare litteras commendatitias, aut teſtimoniales Presbyteris, aliiſque Clericis, ſi intra, vel extra diœceſin peregrinari, vel omnino diſcedere velint, niſi habeant in titulum beneficia requirentia reſidentiam, ut declaravit S.Congreg.Concil. cit.loc.Suar.l.3.de voto c.4. num.9. Barb. de offic.Epiſc. alleg. 21.n. 5. quamvìs olim, cùm eſſent pauciores Clerici, & omnes intitulati, non poterant Clerici diſcedere ab Eccleſia ſua præſertim in longinquum, ſinè juſſu Epiſcopi, vel facultate ab eodem obtentâ, ut conſtat ex c. Si qui verò; 23. cauſ. 7. q. 1. deſumpto ex Concil. Nicæno c.16. & ex Concil. Laodiceuſi c.41. quod refertur in c. Non oportet; 36. diſ. 5. de conſecr. Suar. c.l.

Illud hîc addendum, ſi Clericus, ob vitæ improbitatem, ſive crimen, infamis ſit, ita, ut celebratio divinorum officiorum ei non permittatur, tunc diſceſſuro commendatitiæ, aut teſtimoniales litteræ negari debent; ſin autem moribus quidem commendatus non ſit, non tamen ita infamis, aut publicè ſuſpectus, ut à ſacro Ordinis miniſterio prohiberi debeat; tunc diſceſſuro, ſi beneficium reſidentiam poſtulans non obtineat, vel illud reſignavit, teſtimoniales litteræ, ſeu formatæ, quòd ſit v.g. Diaconus, aut Sacerdos ritè ordinatus, dari debent, ita tamen, ut in ijs aliter non commendetur, ſi commendatione dignus non ſit. Laym. in cit.c.1.n.5.h.t.

IV. Ampliatur autem, quod dictum eſt de Clericis peregrinis non admittendis, quòd non ſint ſuſcipiendi ad Eccleſiam, ut in aſſertis ab ipſis Ordinibus miniſtrent, neque ad ſuperiores Ordines ſint promovendi, ſi ſinè ſuorum Ordinariorum litteris (dimiſſorijs, aut commendatitijs) peregrè adveniant, etiamſi jurare parati ſint, ſe hos, vel illos Ordines à ſuo Epiſcopo legitimè recepiſſe: niſi per alia idonea argumenta, ſeu probabilia indicia de ipſorum Ordinatione Canonica conſtiterit, præſertim ſi nondum eorum probitas ſit perſpecta, prout reſpondit Papa Innocentius III. Patriarchæ Conſtantinopolitano in c. Inter; 2. h. t. quamvìs præter probationem honeſtæ converſationis, etiam ſit neceſſarium teſtimonium Ordinum ſuſceptorum. Innocent. hîc in fine, & Hoſtienſ. Ratio huius deciſionis eſt, quia juramentum communiter deferri ſolet in ſupplementum probationis, vel quando præſumptio ſtat pro aliquo, qualitas autem extrinſeca, cujuſmodi eſt, aliquem ordinatum eſſe, ſive Ordines ſuſcepiſſe, non præſumitur, ſed probari debet, ergo juramentum per ſe ſolùm non ſufficit ad id probandum, præſertim ſi homo ignotus ſit, aut ſuſpectus, qui ultrò ſe ad jurandum offerat, ut ex c. Ex litteris; 4. de in integr. reſtit. docet Abb. in cit. c.2.n.2.h.t.

Porrò litteræ dimiſſoriæ, ſeu formatæ, ſi ſint deperditæ, ſicut, & ipſi Ordines ſuſcepti, per legitimos teſtes probari poſſunt, c. Cùm olim; 12. in fine de privileg. & tradit Gloſſ. in cit. c. 2. V. Per argumenta in fine h.t. Quin imò per alia etiam idonea argumenta, ſeu veriſimilia indicia, & ſufficientes præſumptiones probari poteſt Ordinum ſuſceptio, æquè, ac per teſtes, Ita ut ad Ordines ſuperiores promoveri quis poſſit, Gl. hîc V. Per argumenta, Hoſtienſ. V. eod. & Abb. n.2. Addit tamen Laym. hîc n.2. tutius eſſe, Clericum hoc caſu interim ab exercitio Ordinum, vel ſuſceptione aliorum Superiorum ſuſpendere, donec alias litteras ab Ordinatore ſuo, ſi id fieri poſſit, impetret.

V. Aſſertio 2. Si Clerici peregrini, & omnino ignoti, ſinè commendatitijs litteris ſuorum Epiſcoporum, adveniant, non debent permitti publicè celebrare coram populo, niſi per teſtes, vel alia legitima documenta probaverint, ſe canonicè ordinatos eſſe (id eſt, ſecundùm præſcriptum Eccleſiæ) quamvìs, ſi ſecretò ex devotione celebrare voluerint, id eis permitti poſſit, prout reſcripſit Innocent. III. Patriarchæ Jeroſolymitano in c. Tuæ; 3. h. t. Ratio eſt, quia ſi tales publicè celebrarent, periculum eſſet, ut, ſi Sacerdotes non eſſent, populum deciperent: ſi autem occultè, nullum alium deciperent, niſi ſeipſos, quod non præſumitur, Gloſſ. fin. hîc. Innocent. in c. 1. n. 1. h. t. ubi ait, ſi tales, ut viatores, ſeu hoſpites petant recipi, permittendi ſunt ſecretò celebrare, Navarr. in conſil. unic. num. 4. h. t. Cùm ergo talis Sacerdos nullo jure ſit ſuſpenſus, vel irregularis, ſecluſo ſcandalo, & privatim ad celebrandum admitti poteſt, Barboſ. cit. alleg. 21. num. 3. Niſi tamen probabilis ſuſpicio fraudis adſit, tunc enim prohiberi debet ab Epiſcopo, ne privatim etiam celebret, ut colligitur ex Concil. Trident. Seſſ. 22. in Decreto de obſervand. in celebr. Miſſ. ubi dicitur: *Ut irreverentia vitetur, ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago, aut ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat.* Imò Epiſcopus prohibere etiam poteſt, ne admittantur ad celebrandum Sacerdotes exteri, ſeu peregrini in Eccleſiis Regularium, niſi priùs viſis, & examinatis eorum litteris commendatitijs ab ipſo Epiſcopo, Barb. c. l. n. 8. Quod tamen Laym. in cit. c.3.n.3.h.t. ait, intelligendum eſſe de Presbyteris ſecularibus, vel etiam Regularibus alterius Ordinis, & ſi ipſe Epiſcopus, vel eius Vicarius præſens ſit.

VI. Aſſertio 3. Prælati inferiores, juriſdictioni ipſius Epiſcopi ſubjecti, non poſſunt in Eccleſiis ſibi commiſſis Clericos peregrinos, ſive alienæ diœceſis inſtituere, ſine conſenſu, & examine Epiſcopi Ordinarij, quia id contrarium eſt honeſtati, & contra Conſtitutiones SS. Patrum, & SS. Canonum (c.1.2. & ſeqq. diſ. 71.) alioquin poterit Epiſcopus eos removere, niſi ex diſpēſatione eos tolerare velit, prout reſpondit Papa Honorius III. Epiſcopo Reginenſi in c. Te nobis; 4. & ult. h.t. Ratio eſt, quia

quia ad Epiſcopum pertinet cavere, ne indigni, aut improbi Clerici in ſuam Diœceſin recipiantur. Innocent. hîc num. 1. Imò neque indigenas poſſunt inſtituere, ſinè conſenſu Epiſcopi. Hoſtienſ. hîc V. Alienis; & Abb. num. 3. Niſi tamen tales Eccleſiæ eſſent pleniſſimè exemptæ, etiam quoad populum; tum enim hujuſmodi Prælati etiam extraneos Clericos inſtituere poſſunt in illis Eccleſijs, ſinè conſenſu Epiſcopi. Hoſtienſ. hîc §. Quid ſi Abbas, & Monachi, & ibidem Abb. num. 5. de quo alibi.

Cæterùm poſſunt inferiores Collatores in ſimplicibus beneficijs, quorum libera collatio ad eos ſpectat, etiam ſinè Epiſcopi examine, inſtituere Clericos notos, aut probatos: non autem in beneficijs curatis, & patronatis, juxta Concil. Trid. Seſſ. 7. c. 13. de reform. & declarat. Cardinal. apud Jo. Gallemart. ibid. n. 1. & 2. & Seſſ. 25. c. 9. de reform.

TITVLVS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

POſtquam ſuperioribus Titulis de Ordinationibus, & ijs, quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis, actum fuit, nunc de quibuſdam dignitatibus, perſonatibus, & officijs Eccleſiaſticis, quæ ad poteſtatem juriſdictionis, atque adminiſtrationis ſpectant, pluribus ſequentibus Titulis tractatur. Et 1. quidem de Officio, & poteſtate Archidiaconi, qui primam, poſt Epiſcopum, dignitatem in Eccleſia Cathedrali ex antiqua conſuetudine obtinet, c. Ad hæc; 7. h, t.

§. I.

De Archidiacono, & an habeat dignitatem, & iuriſdictionem?

I. Quæritur 1. Quis dicatur Archidiaconus, & an, ac quomodo differat ab Officiali, ſeu Vicario Generali Epiſcopi? Reſpondetur 1. Archidiaconus ſic dictus eſt, quaſi Princeps Diaconorum, ſeu primus inter Diaconos: nam primis Apoſtolorum temporibus, in ſingulis Urbibus, quibus præficiebatur Epiſcopus, ſeptem Diaconi conſtitui ſolebant, ex quibus, qui cæteris antiquior erat, appellatus fuit Archidiaconus, cujus Officium erat curare, ut cæteri Diaconi ritè ſuo munere fungerentur. Azor p. 2. Inſtit. lib. 3. c. 14. quæſt. 1. Item tum ipſis, tum Hypodiaconis imperare, eóſque ad Altaris miniſterium inſtruere, ac denique etiam bona Eccleſiaſtica adminiſtrare, & diſpenſare, ut colligitur ex c. 6. Actor. Apoſtol. & ibi Lorin. V. 3. Poſtea verò poteſtas Archidiaconi valde aucta eſt, ut Vicarius Epiſcopi in omnibus eſſet, c. 1. h. t. & oculus Epiſcopi diceretur, c. Ad hæc; 7. eod. Azor c. l. ut ex infrà dicendis patebit. Verùm hodie ad cognoſcendum Archidiaconi officium, inſpicienda eſt cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, vel ſtatutum, quæ Juri communi ſcripto in officijs prævalent. Innocent. in cit. c. 1. in princ. h. t. & in c. Cùm olim; 6. de conſuetud. Sylveſt. in ſumm. V. Archidiaconus; num. 1. Sicut autem olim, ita & hodie variæ ſunt Eccleſiarum conſuetudines, quoad officium, & poteſtatem Archidiaconi: nam in quibuſdam Eccleſijs nullus eſt Archidiaconus, ſed ejus officium obit Archipresbyter, ſive Decanus, vel generalis Epiſcopi Vicarius, ſeu Officialis. In quibuſdam verò Eccleſijs eſt Archidiaconus, ſed præeminentiam tantùm habet inter Canonicos, ſinè juriſdictione, vel adminiſtratione. In alijs quibuſdam Eccleſijs Archidiaconus exercet juriſdictionem in Clericos, & Parochias Civitatis Epiſcopalis, ac certum diſtrictum adjacentem, qui fines Archidiaconatûs dicuntur. In alijs quibuſdam locis, non unus tantùm, ſed plures Archidiaconi ſunt conſtituti, qui totam Diœceſin in certas partes diſtributam gubernant, tanquam Vicarij Epiſcopi perpetui, ac intitulati. Azor cit. c. 14. q. 7. Card. Tuſchus V. Archidiaconus; concl. 482. n. 1. Barb. l. 1. Jur. Eccleſ. c. 24. n. 37. Laym. de juriſd. ordin. concl. 139.

II. Reſpondetur 2. Loquendo verò de Archidiacono, ſecundùm Jus commune, & ſecluſis particularibus Eccleſiarum conſuetudinibus, is ab Officiali, ſeu Vicario Generali Epiſcopi differt 1. Quòd Archidiaconus ſit Vicarius natus, intitulatus, & perpetuus, quia ipſo jure eſt Vicarius Epiſcopi, & officium Vicariatûs ejus dignitati eſt annexum, ideóque auferri ei non poteſt. Officialis autem Epiſcopi eſt Vicarius factus, ſeu datus ab homine, videlicet Epiſcopo, licèt ſecundùm auctoritatem, & inſtitutionem Canonum, & non intitulatus, ac temporalis. Hoſtienſ. in ſumm. de offic. Vicar. num. 2. in fine. Laym. de juriſd. ordin. concl. 137. & in c. 1. num. 3. h. t. 2. Archidiaconi juriſdictio ordinaria directè, & immediatè provenit à lege, ſive Canone: indirectè autem, & mediatè ab homine, videlicet Epiſcopo, qui inſtituendo, vel confirmando Archidiaconum, conſequenter tribuit ei poteſtatem ordinariam Vicariatûs. At verò Vicarij generalis, ſeu Officialis ordinaria juriſdictio directè, & immediatè provenit ab Epiſcopo conſtituente Vicarium; indirectè verò, ſeu mediatè à Jure, ſeu Canone, quia Jus Canonicum poteſtatem dat Epiſcopo Vicarium conſtituendi. Laym. c. l. nam alioquin nullus Princeps inferior ſuum ordinarium

officium, ſeu juriſdictionem totam alteri committere poteſt. Marant. de Ordin. Judic. p.4. diſ. 5. num. 51. & DD. communiter in l. pen. ff. de judic. 3. Ab Archidiacono ad Epiſcopum appellari poteſt, c. Referente; 7. de præbend. Non item à Vicario generali Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum. c. 2. de conſuet. in 6. quia Epiſcopus, & ipſius Officialis unum Tribunal, ſeu Conſiſtorium habent, cui nomine Epiſcopi is præeſt. Sed Archidiaconus propriam juriſdictionem habet, licèt inferiorem, & ſubordinatam Epiſcopo, adeóque, & proprium veluti Tribunal habet. Hoſtienſ. c. l. Tuſch. cit. concl. 482. num. 20. quemadmodum, & à Principum Vicarijs, ſeu Urbium, ac Provinciarum Præfectis ad Principem appellare licet. Gloſſ. in c. l. 1. C. de Offic. Vicar.

III. Quæritur 2. An, & qualis dignitas ſit Archidiaconatus? Sciendum, quòd hæc tria dignitas, perſonatus, & officium, etſi aliquando confundantur, & pro ſynonymis accipiantur, ut patet ex c. Cùm acceſſiſſent; 8. de conſtit. quandoque tamen diſtinguuntur, ut notat Abb. in c. De multa; 28. n. 21. de præbend. Azor cit. l. 3. c. 13. quæſt. 5. Nam dignitas eſt prærogativa, ſive præeminentia conjuncta cum juriſdictione: perſonatus eſt præeminentia, ſinè juriſdictione, ut cùm quis in Choro, in Capitulo, in proceſſione, in conceſſu, in ſuffragijs ferendis, ſedem, ac locum digniorem, & honorabiliorem præ alijs obtinet. Officium verò eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum, ſinè juriſdictione: quanquam ſecundùm latiorem acceptionem, dignitatem etiam habere dicatur, qui præeminentiam in Eccleſia habet, ſinè juriſdictione, & omni adminiſtratione. Abb. c. l. hoc poſito

IV. Reſp. Archidiaconatus, ſpectato Jure communi, eſt dignitas ſtrictè accepta, cùm annexam habeat juriſdictionem, vel adminiſtrationem; imò etſi omni juriſdictione careat, nihilominus eſt dignitas, ſeu perſonatus, quia eſt una ex dignitatibus jure expreſſis, & præeminentiam habet in Eccleſia, ſeu præceſſionem. Abb. in cit. c. De multa; n. 21. Azor c. l. Et quidem prima poſt Pontificalem, ſeu Epiſcopalem dignitatem eſt Archidiaconatus, c. 1. c. Ad hæc; 7. h. t. ideóque præfertur Archidiaconus Præpoſito, & Archipresbytero, ſive Diacono, eóſque præcedit, quippe cui omnis cura totius Cleri commiſſa eſt, cit. c. Ad hæc; niſi alia quoad hoc ſit conſuetudo Eccleſiarum legitimè præſcripta. Tuſch. c. l. num. 22. & 28. Et quamvis Archipresbyter, ſeu quilibet alius Presbyter ſit major Archidiacono, ratione Ordinis, nam Archidiaconatus de jure communi tantùm annexum habet Diaconatum, ſive obligationem illum ſuſcipiendi, c. 1. de ætat. & qualitat. &c. ratione tamen dignitatis, & officij, ob majorem juriſdictionem, & adminiſtrationem, Archidiaconus major eſt, & ſimpliciter præfertur Archipresbytero, extra celebrationem Miſſæ. Hoſtienſ. in ſumm. num. 2. h. t. Tuſch. c. l. num. 12. & hic ejus juriſdictioni eſt ſubjectus, cit. c. Ad hæc; quemadmodum etiam Cardinales, quia proximè aſſiſtunt lateri S. Pontificis, ut adminiſtrent ejus negotia, ideo ratione majoris officij, & adminiſtrationis, præcedunt Epiſcopos Ordine majores. Tuſch. c. l. n. 14. Ratio eſt, quia licèt cura animarum, ſeu fori interni, quæ pertinet ad Archipresbyterum, ut infrà dicetur, major ſit cura fori externi, & adminiſtratione rerum externarum, quæ pertinet ad Archidiaconum: tamen externa cura, & adminiſtratio eſt ſuperior, à qua pendet cura animarum, ideóque Archidiaconus eſt major dignitate Archipresbytero, illúmque præcedit, quia adminiſtrationem habet in foro externo. Tuſch. c. l. Et hinc cùm Archidiaconatus de jure communi, poſt Epiſcopalem, ſit major dignitas omni aliâ in Eccleſia Cathedrali, per conſequens major eſt etiam dignitate Abbatiali, licèt contrarium in praxi uſurpetur, arg. cit. c. 1. h. t. Fagnan. in cit. c. Ad hæc; n. 30. h. t. Veruntamen ſpectato Jure communi, Archidiaconus non præcedit dignitate Vicarium generalem Epiſcopi, quia ejus Tribunal inferius eſt, & ſubjectum Conſiſtorio Epiſcopali, cui nomine Epiſcopi præeſt Vicarius Generalis. Tuſch. c. l. n. 20. Strox. l. 2. de Vicario Epiſc. q. 25. n. 1.

V. Quæritur 3. Qualem juriſdictionem habeat Archidiaconus, ordinariam, an delegatam? Reſpondetur: Cùm Archidiaconus ſit perpetuus Vicarius Epiſcopi, conſequenter habet juriſdictionem ordinariam, & quidem contentioſam, inferiorem tamen, & ſubordinatam Tribunali Epiſcopi, prout ſumitur ex c. 1. junctâ Gloſſ. V. Vicarium; & ex c. Ad hæc; 7. & ibi Gloſſ. V. Jurgia; h. t. c. 1. §. Archidiaconus; & ibi Gloſſ. V. Jurgia; diſ. 25. Hoſtienſ. in ſumm. n. 4. h. t. Nam Vicaria perpetua juriſdictionem tribuit ordinariam, l. 1. C. de Offic. ejus, qui vicem alterius gerit, & juriſdictio ejus data eſt ad univerſitatem cauſarum. Quare cauſæ Clericorum civiles, ſaltem minores, vel ubi de crimine civiliter agitur, in prima inſtantia ad Archidiaconum deferendæ ſunt, tanquam ordinarium Judicem. Innocent. in cit. c. Ad hæc; in princ. & ibid. Jo. Andr. num. 4. à quo tamen appellari poteſt ad Epiſcopum, vel Vicarium generalem ipſius, arg. c. Irrefragibili; 13. §. Exceſſus; de Offic. Ordin. & conſtat ex c. Referente; 7. de præbend. Verùm criminales, & civiles cauſas, ſive negotia ardua, & majora non poteſt Archidiaconus cognoſcere, ſed ad majorem ſe, videlicet Epiſcopum, referre debet, cit. c. Ad hæc; §. Item in epiſtola. Tuſch. cit. concl. 482. n. 9. Et hinc non poteſt Archidiaconus cognoſcere cauſas matrimoniales, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 20. de reform. nec cauſas concubinatûs. Idem Seſſ. 25. c. 14. de reform.

Porrò cùm dicitur, quòd Archidiaconus habeat omnem ſolicitudinem, & curam, tam in Clericis in civitate, & extra illam habitantibus, quàm in Eccleſijs eorum, cit. c. Ad hæc; & c. 1. eod. imò & curam animarum, c. Cùm in cunctis: 7. §. Inferiora; & c. Dudum; 54. de elect. id intelligendum eſt, non de cura ſtrictè ſumpta pro poteſtate Ordinis, ſcilicet ligandi, & ſolvendi in foro pœnitentiæ, & alia Sacramenta adminiſtrandi, quæ ſolis Sacerdotibus competit; Archidiaconus autem ratione officij non neceſſariò eſt Sacerdos: ſed intelligi debet de cura latè accepta, pro poteſtate juriſdictionis in foro externo, videlicet corrigendi Clericos, puniendi, & ſimilia agendi, quæ ad correctionem morum pertinent, ratione cujus poteſtatis dicitur Archidiaconus habere curam animarum officio ſuo annexam. Innocent. in c. Satìs; 4. num. 2. h. t.

b. t. Sylveſt. V. Archidiaconus; num. 5. Azor cit. c. 14. quæſt. 3.

VI. Prædictis addendum 1. Archidiaconi ex decreto Concilij Tridentini Seſſ.24. c.12. de reform. in omnibus Eccleſijs, ubi fieri poterit, eſſe debent Magiſtri in Theologia, vel Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico: quod tamen intelligendum eſt de ijs tantùm Archidiaconis, qui vel curam habent animarum, vel juriſdictionem contentioſam, & officium Archidiaconatûs revera exercent: non de ijs, qui ſolùm dignitatem, & præeminentiam habent, ſinè cura, vel juriſdictione, hi enim non neceſſariò debent eſſe graduati, ex declaratione S. Congregat. Concil. apud Garc. p. 7. c. 7. n. 41.

Addendum 2. Ætas requiſita ad Archidiaconatum, cui cura animarum eſt annexa, eſt 25. annorum incboatorum, c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora; de elect. Concil. Trident. cit. c. 12. licèt ad alias dignitates, quibus cura nòn ſubeſt, xxii. anni completi ſufficiant, Trident. c. l. & patet ex ſuprà dictis tit. 14. num. 9.

VII. Addendum 3. Quamvìs Archidiaconus ſit Vicarius Epiſcopi, habet tamen officium ab officio Epiſcopi ſeparatum, ideóque non poteſt Epiſcopus, pro ſuo arbitratu, officium Archidiaconi exercere, neque ei ſe inmiſcere, nec illum ad libitum amovere. Innocent. in c. 1. n. 2. h. t. Jo. Andr. ibid. n. 4. & Abb. in fine. Nam Archidiaconns eſt Vicarius, non ab Epiſcopo aſſumptus, ſed datus à Jure, ideóque ad nutum Epiſcopi revocari, vel removeri non poteſt, ſed habet Vicariam perpetuam ſuæ dignitati annexam, ex conceſſione, & privilegio Canonis, quod in totum, vel in partem à quoquam Pontificum, ſeu Epiſcoporum convelli, vel mutari non poteſt, prout habetur in c. Inſtitutionis; 7. cauſ. 25. q. 2. Etſi verò Archidiaconus de jure communi, abſente, vel mortuo Epiſcopo, ſit ipſo facto, ſinè alia conſtitutione, Vicarius Epiſcopi vices gerens; Tuſch. c. l. hodie tamen, pendente rermino octo dierum, intra quem debet Vicarius eligi à Capitulo, ex decreto Concil. Trident. Seſſ.24. c. 16. de reformatione, Sede vacante, totum Capitulũ poteſt, ac debet adminiſtrare. Riccius in praxi Vicar. Cap. Sede vac. not. 1. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 54. n. 163. & in c. 1. n. 3. & 4. h. t.

§. II.

De officio, & poteſtate Archidiaconi in ſpecie.

VIII. Quæritur 1. Quænam ſpectent ad officium Archidiaconi? Reſpondetur: Ad officium Archidiaconi, prout in SS. Canonibus deſcribitur, imprimis pertinet, ut ſit Vicarius Epiſcopi in omnibus, ideóque omnem curam totius Cleri, tam in civitate Epiſcopali, quàm extra Urbem in parochijs, habere debet, tum in ſpiritualium, tum temporalium rerum adminiſtratione. Et ſaltem tertio quoque anno univerſam parochiam, id eſt, Diœceſin, ſi Epiſcopus ipſemet non poteſt, viſitare debet, &, quæ emendatione indigent, vice Epiſcopi, corrigere, prout habetur ſtatutum in c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Libro Ordinis Romani. Poteſt autem Archidiaconus corrigere minora delicta, majora verò ad Epiſcopum deferre debet. Abb. hîc num. 2. oppoſ. 4. Porrò Archidiaconus non niſi ſemel in anno Eccleſias proprias, ſive parochias, quæ ſpeciatim ad illius Archidiaconatum pertinent, viſitare debet, niſi cauſa ſpecialis emerſerit, ob quam ſæpius viſitari debeant, prout ſtatuit Alexander III. in c. Mandamus; 6. h. t.

Verùm hodie, quod ad viſitationem attinet, ſervari debet Conſtitutio Concilij Tridentini Seſſ.24. c. 3. de reform. videlicèt, quòd Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in ijs Eccleſiis, ubi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueverunt, debeant, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi, deinceps per ſe ipſos tantùm viſitare, & viſitationis ſuæ rationem Epiſcopo intra menſem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere tenentur. Sed non ideo Epiſcopus, aut eo impedito, Viſitator ejus eaſdem Eccleſias ſeorſim viſitare prohibetur, non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemoriali, & privilegijs quibuſcunque. Epiſcopus quoque poterit præſtituere terminum Archidiacono ad viſitationem expediendam, & præſcribere comitatum, & equitatum, ne oneri ſit Eccleſijs, quas viſitat, juxta declarat S. Congreg. Concil. apud Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 3. a. 8. n. 12.

IX. Secundò: Ad officium Archidiaconi, ratione Ordinis, etiam pertinet, legere Evangelium, ſi voluerit, vel præcipere alicui Diacono, ut legat: & dum celebrat Epiſcopus, præcipere Levitis, ut induant ſe veſtibus ſacris, & cum eo ad Miſſæ Sacrificium procedant. Item Eccleſiaſticum officium providere, & ordinare debet, & inſtruere Diaconos, alióſque inferiores Miniſtros ad Altaris miniſterium: neque ullus legere, vel cantare debet publicè Evangelium, Epiſtolam, Lectionem, vel Reſponſorium, niſi priùs Archidiaconus eum audiat legentem, vel cantantem, & approbet, prout ſtatuitur in c. Officium; 2. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Toletano.

Non ohſtat, quod in c. 2. de Officio Archipresbyteri dicatur, jus ordinandi ea, quæ ſpectant ad officium Eccleſiaſticum, & miniſterium Altaris, competere Archipresbytero; quia huic competit de Jure communi; Archidiacono verò ſolùm, ubi talis viget conſuetudo, juxta cit. c. 2. h. t. Gloſſ. ibidem. V. Auſcultetur. Nam ad Archidiaconum de Jure communi tantùm pertinent, quæ recenſentur in c. Adhæc; 7. eodem. Joann. Andr. ibidem num. 11. Vel dici poteſt, quòd text. in cit. c. 2. h. t. loquatur, cùm Epiſcopus eſt præſens, & mandat hæc per Archidiaconum expediri. Gloſſ. fin. ibidem in addit.

X. Tertiò: Ad officium Archidiaconi pertinet cuſtodire vaſa ſacra, & divinis uſibus dedicare, & alia ornamenta Eccleſiæ, alioquin, ſi quid per fraudem, vel culpam alicuius perierit, ab ipſo repetetur, prout reſcripſit Gregorius III. Archidiacono Salonitano in c. Ea quæ; 3. h. t. Ratio eſt, quia ſuprema cura rerum Eccleſiæ Jure communi eſt commiſſa Archidiacono, ideóque non tantùm tenetur ex dolo, vel culpâ propriâ, latâ, aut levi, ſed etiam, ſi quid dolo, vel culpâ inferiorum, v. g. Sacriſtæ, perierit, vel deſtructum fuerit, ipſe tenebitur ad reſtitutio-

ſtitutionem, ſaltem in defectum inferiorum, ſi negligens fuit non attendendo, qualiter illi res Eccleſiæ cuſtodiant. Innocent. hîc in princ. Hoſtienſ. ibidem V. Collecta; Abb. num. 3. Excipi debet, niſi cuſtodia talium rerum Eccleſiaſticarum ſpecialiter commiſſa ſit Theſaurario, ſive Cuſtodi, tunc enim ipſe ſolos tenebitur ad reſtitutionem. Gloſſ. hîc V. Similia.

» XI. Quartò: Proprium munus Archidiaconi » eſt imperare Subdiaconis, & Levitis, curam Paro- » chiarum gerere, audire cauſas ſingulorum: cujus » juriſdictioni etiam Presbyteri, qui & Decani ap- » pellantur, ſubjiciuntur: eſt etiam major poſt Epi- » ſcopum, ejúſque Vicarius, omnem curam tam in » Clericis, quàm in Eccleſijs eorum impendendo, ſe- » cundùm conſtitutionem Ordinis Romani (prout » etiam habetur in c. 1. h. t.) Qui etiam oculus E- » piſcopi appellatur, ut loco Epiſcopi, quæ per Epi- » ſcopatum corrigenda viderit, corrigat: niſi adeò » ardua negotia fuerint, ut ſinè majore ſe, videlicet » Epiſcopo definiri nequeant, prout reſcripſit Inno- » centius III. in c. Adhæc; in princ. & §. Item in E- » piſtola. Præterea inſtitutio corporalis, tam in » beneficijs, quàm in dignitatibus ad Archidiaco- » num pertinet, ſicut etiam examinatio Clericorum » ordinandorum, & eorum, qui beneficijs Eccleſia- » ſticis præficiendi ſunt, ita tamen, ut poſtea Epi- » ſcopo præſententur, & ab eo approbentur, cit. c. » Adhæc; §. In quadam. Denique Decani rurales » ab Archidiacono etiam ſunt inſtituendi, vel deſti- » tuendi, ſeu amovendi, ſed non niſi accedente au- » ctoritate, & mandato Epiſcopi: nam quod omnes » tangit, ab omnibus debet approbari. Decani au- » tem illi rurales, non tantùm ſubſunt Archidiaco- » no, ſed etiam Epiſcopo, ideo eorum inſtitutio, vel » deſtitutio, ſeu amotio ad utrumque pertinere de- » bet, cit. c. Adhæc; §. fin.

XII. Similiter idem Innocent. III. in c. Ut » noſtrum; 9. h. t. ait, quòd de Jure communi ad Ar- » chidiaconi officium ſpectet, Ordinandos præſenta- » re Epiſcopo, & illos examinare: item Abbas, & » Abbatiſſas in Sede ponere, ſive in corporalem poſ- » ſeſſionem mittere, non tamen ſinè licentia, & » mandato Epiſcopi, juxta c. Cùm ſatis; 4. h. t. Plura ad Archidiaconi officium pertinentia recenſentur in c. 1. §. Archidiaconus; diſt. 25. Porrò hodie juxta Concil. Tridentin. Seſſ. 24. c. 18. de reform. promovendi ad Eccleſias Parochiales examinandi ſunt per concurſum ab examinatoribus deputatis in Synodo Diœceſana, non ab Archidiacono, niſi ſit unus ex deputatis, ex ſententia S. Congreg. Concil. apud Fagnan. in cit. c. Adhæc; n. 25.

Sed contra dicta obſtare videtur, quòd ad Epiſcopum pertineat inducere in poſſeſſionem corporalem beneficiorum, præſertim curatorum, prout habetur in c. Licèt; 28. in fine de præbend. in 6. ergo non ad Archidiaconum. Sed reſpondetur, id ita intelligi debet, quòd ad Epiſcopum pertineat per ſententiam, vel decretum pronunciare inſtitutum in poſſeſſionem beneficij mittendum, ſive corporalem poſſeſſionem ei tradendam eſſe, ſed executio, ſive ipſa actualis immiſſio fieri debet per Archidiaconum, ſpectato Jure communi. Covarr. l. 3. reſol. c. 16. num. 7. Verſ. tertiò. Vel quia hodie de conſuetudine ad Epiſcopum, non ad Archidiaconum, ſpectat corporalis poſſeſſionis traditio, ut refert Pariſ. l. 10. de reſign. benef. q. 6. n. 32. & 33. Barb. in Collect. in cit. c. Adhæc; n. 6. h. t.

XIII. Quæritur 2. Quænam Archidiaconus, ex vi officij ſui, non poteſt facere? Reſpondetur: Archidiaconus inprimis, ratione muneris ſui, non » poteſt ſinè licentia, & mandato Epiſcopi, contra » Conſtitutiones Canonicas (c. Nullus; 11. cauſ. 16. » q. 7.) nec vi alicujus conſuetudinis, committere » curam animarum, ſive inſtituere Miniſtros curatos » in Eccleſijs Epiſcopo ſubjectis, conferendo eis jus, ſive titulum in beneficijs curatis, prout reſcripſit Papa Alexander III. in c. Cùm ſatis; 4. h. t. Ratio eſt, quia talis conſuetudo eſſet Eccleſijs pernicioſa; ideóque induci non poteſt, ut etiam tradit Azor p. 2. l. 5. c. 19. §. Conſuetudo item, cùm Epiſcopus non poſſit deponere curam Parochiarum ſibi ſubjectarum, ſed invigilare debeat, ne indigni inſtituantur, & promoveantur ad regimen animarum, c. Regenda; 4. & c. Quæcunque; 5. cauſ. 10. q. 1. ubi dicitur, quòd omnes parochiæ regendæ ſunt ſub proviſione Epiſcopi, per Sacerdotes, & Clericos, quos ipſe providerit, & res quæcunque Eccleſiæ judicio & poteſtate Epiſcopi gubernandæ ſunt, cui totius plebis animæ ſunt commiſſæ. Veruntamen non prohibentur inferiores Prælati per conſuetudinem legitimè præſcriptam acquirere jus conferendi Parochias, ſeu beneficia curata, ſive in ijs Parochos, ſeu Miniſtros inſtituendi, ſed non ſinè examine, & approbatione Epiſcopi, cui Eccleſiæ illæ ſubjectæ, adeóque non tam nomine, & auctoritate propriâ, quàm auctoritate, & nomine, ac vice Epiſcopi. Innocent. in cit. c. Cùm ſatis; in fine h. t. Barboſ. ibidem in Collectan. num. 3. quippe ad quem jure communi ſpectat inſtitutio beneficiorum, præſertim curatorum, tanquam ordinarium, & ſupremum paſtorem totius Diœceſis, c. Cùm ex injuncto; 12. in fine de hæretic.

XIV. Secundò: Sed neque ſpectatâ antiquâ, » & primævâ inſtitutione Archidiaconi, is habet po- » teſtatem ferendi, & promulgandi ſententiam ex- » communicationis in aliquos, niſi Epiſcopi aucto- » ritas acceſſerit, ut conſtat ex c. Archidiaconis; 5. » ibi: de *Eccleſiaſtica inſtitutione* h. t. junctâ Gloſſ. V. Promulgare; quia olim tantùm rerum Eccleſiaſticarum cuſtodia, & adminiſtratio, nulla autem juriſdictio, aut cura animarum eidem commiſſa fuerat. At verò progrediente tempore, Archidiaconi poteſtas major evaſit, ita, ut & curam animarum haberet, ut conſtat ex c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora; de elect. & juriſdictionem ordinariam fori externi in alios Clericos, c. 1. & c. Adhæc; 7. h. t. ideóque poſtea etiam excommunicare potuit, & ſuſpenſionis, ac interdicti ſententiam ferre, ut patet ex c. Dudum; 54. §. Cùm in jure de Elect. & c. 1. De eo; qui furtivè Ordin. ſuſcep. & ibi Gloſſ. V. Archidiaconum; Suar. diſ. 2. de cenſur. ſec. 2. num. 9. Quanquam valde probabile eſt, quòd Archidiaconus, non jure communi, ſed ſolùm, vel ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi, quo ſenſu accipiendum eſt cit. c. 1. De eo; qui furtivè, &c. Barb. in cit. c. Archidiaconis; n. 4. vel ex conſuetudine legitimè præſcriptâ excommunicare poſſit, aliaſque cenſuras inferre, juxta cit. c.

Du-

Dudum; & ibi Gloſſ. V. Suſpendit; Gloſſ. in cit. c.
Archidiaconis; V. Promulgare; & ibid. Abb. num. 1.
Quare in hac re cujuſque Eccleſiæ conſuetudo eſt at-
tendenda. Gloſſ. in cit. c. Dudum; V. Suſpendit. Suar.
c. l. Laym. hic.

» XV. Tertiò; Non poteſt Archidiaconus, Jure
» communi, ſinè auctoritate, & conſenſu Epiſcopi,
» litteras commendatitias, ſeu dimiſſorias ad Ordi-
» nes ſuſcipiendos ab alieno Epiſcopo concedere, ne-
» que poſſunt ordinandi per tales litteras Ordines ſu-
» ſcipere; alioquin vi illarum ordinati ab executio-
» ne Ordinum ſic ſuſceptorum ſunt prohibendi, pro-
ut habetur in c. Significâſti; 8. h. t. Ratio eſt, quia
per litteras dimiſſorias, ſinè conſenſu Epiſcopi, da-
tas, derogatur juri Epiſcopali, quod habet ad confe-
rendos Ordines Clericis ſibi ſubjectis, ideóque ſinè
licentia illius dimiſſoriæ dari non poſſunt. Ob quam
cauſam etiam Capitulum, Sede vacante, ſubditis
Diœceſanis dimiſſorias dare non poteſt, quia jura E-
piſcopalia ſervari debent Epiſcopo ſucceſſori, ut no-
tat Laym. hîc. Et quamvis Archidiaconi officium
ſit, præſentare Ordinandos ſuo Epiſcopo, non tamen
poteſt illos alij Epiſcopo præſentare, ſinè conſenſu
illius. Gloſſ. hîc V. Litteras. Veruntamen ordinati
per dimiſſorias ſinè conſenſu Epiſcopi datas, non ſunt
ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum ipſo
facto, ſed per ſententiam ſui Epiſcopi ſunt ſuſpen-
dendi. Gloſſ. hîc in caſu; & V. Auctoritate. Et hinc,
ſi tales in ordinibus ſic ſuſceptis miniſtrent, ante
interdictũ ipſis per Epiſcopum exercitium Ordinum,
non incurrunt irregularitatem, ſed bene poſt inter-
dictum. Hoſtienſ. hîc V. Interdicas; & Abb. in fine.
Sed neque in abſentia Epiſcopi, ob neceſſitatem, vel
utilitatem Eccleſiæ, ſinè ſpeciali ejus mandato, Ar-
chidiaconus dimiſſorias litteras dare poteſt, niſi ex
conſuetudine ea poteſtas illi competat. Gloſſ. hîc V.
Litteras; in fine.

XVI. Quartò denique Archidiaconus non
habet juriſdictionem in Monaſteria intra fines Ar-
chidiaconatûs ſui ſita, etſi exempta non ſint à juriſ-
dictione Epiſcopi, niſi eam per diuturnam conſuetu-
dinem legitimè præſcripſerit, prout ſumitur ex c.
» Dilecto; 10. & ult. h. t. Nam Archidiaconus Se-
» nonenſis conquerebatur apud Papam Honorium
» III. quòd Abbas, & Conventus Monaſterij S. Petri
» Senonenſis annuam procurationem ratione viſita-
» tionis ſibi debitam, & alia quædam jura, ratione ſui
» Archidiaconatûs, ad ipſum ſpectantia denegaret.
» Quam cauſam Papa cuidam Abbati, & alijs qui-
» buſdam delegavit. Coram quibus comparens
» Archidiaconus petijt, ut, cùm Monaſterium in-
» tra fines ſui Archidiaconatûs ſit ſitum, Abbas, &
» Monachi ſibi obedirent in ijs, quæ ad juriſdictio-
» nem, correctionem, & viſitationem pértinent, ut-
» pote quæ ad jus Archidiaconatûs ſpectarent; ſalvâ
» ſuâ regulâ, & obedientiâ, quam Abbati ſuo de-
» bent, (quia correctio Monachorum primo loco
» ſpectat ad Abbatem. Gloſſ. hîc V. Sua regula) petijt
» quoque, ut, qui in diſtrictu Senonenſi exiſtunt, in
» prima inſtantia conveniri debeant, non coram
» Officiali Archiepiſcopi Senonenſis, ſed coram ipſo
» Archidiacono, excepto ipſo Archiepiſcopo, & fa-
» miliaribus ejus (contra quos nullam juriſdictio-
nem præſcripſit Archidiaconus, adeóque manebant
ſub Archiepiſcopi juriſdictione ex juris communis
diſpoſitione. Fagnan. in c. Nullus; 2. n. 24. de foro
compet. Quare Papa mandavit dictis Judicibus »
à ſe delegatis, ut per majores, ſeu antiquiores Ca- »
nonicos Eccleſiæ Senonenſis, qui pleniorem noti- »
tiam de hujuſmodi conſuetudine habere poſſunt, »
veritatem inquirant: & niſi conſtiterit, prædictum »
Archidiaconum, vel Anteceſſores ejus per pacifi- »
cam conſuetudinem, (ſive poſſeſſionem longo tem- »
pore continuatam. Gloſſ. hîc V. Pacifica;) obtinuiſ- »
ſe juriſdictionem aliquam in ipſo Monaſterio, vel »
in alijs Abbatijs, aut Monaſterijs, perpetuum ipſi »
Archidiacono ſilentium imponant, & Monaſte- »
rium ab impetitione ipſius abſolvant. Si verò de »
juriſdictione in Monaſterio habitâ per eoſdem Ca- »
nonicos conſtiterit, eandem ipſi Archidiacono ad- »
judicent, quam ipſum, vel Anteceſſores ejus habuiſ- »
ſe conſtiterit, ſuper alijs verò eidem perpetuum ſi- »
lentium imponant. »

XVII. Notandum 1. Etſi Epiſcopus de jure
communi fundatam habeat intentionem ſuper juriſ-
dictione, correctione, & viſitatione in omnibus Ec-
cleſijs, & Monaſterijs, quæ intra fines ſuæ Diœceſis
ſita ſunt, c. Omnes; 10. cauſ. 16. q. 7. c. Monaſteria;
17. cauſ. 18. q. 2. non autem Archidiaconus. Gloſſ.
hîc V. Situm; cujus juriſdictio, ſive officium potiùs
colligitur ex conſuetudine, quæ juriſdictionem quo-
que tribuit, quàm ex Jure communi. Gloſſ. hîc V. Pa-
cifica, & innuitur in textu ibi: *Quæ Archiadiaconi
ſolent rationabiliter injungere*, & in illis præcipuè con-
ſideratur. Gloſſ. hîc V. Soleant; & Hoſtienſ. V.
Sit ſitum.

Notandum 2. Licèt Archidiacono totius Cle-
ri cura commiſſa ſit, c. 1. h. t. & hodie etiam in qui-
buſdam locis habeat, tamen hoc nomine non ve-
niunt Religioſi, aut Monaſteria, quia juxta regu-
lam communiter receptam, in materia odioſa, aut
præjudiciali, appellatione Cleri Religioſi non com-
prehenduntur. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 138.
& in cit. c. ult. ubi etiam rationem dat, cur Archidia-
cono Religioſi etiam non exempti ſubjecti eſſe non
debeant, quoad correctionem, viſitationem, & alios
actus juriſdictionis, quia præter Epiſcopum, Reli-
gioſi Ordinarium habent Prælatum Ordinis, qui eſt
Abbas, aut Præpoſitus Regularis, unde non eſt con-
veniens, ut alium adhuc Ordinarium habeant,
videlicet Archidiaconum, niſi conſuetudine le-
gitimè præſcriptâ aliud ſit receptum, juxta cit. c.
ult. h. t.

Notandum 3. Si Archidiaconus in pleraque
Monaſteria ejuſdem Ordinis, v. g. S. Benedicti, in-
tra fines ſuos ſita juriſdictionem per diuturnam con-
ſuetudinem legitimè præſcripſit, ſive acquiſivit, præ-
ſumptio juris eſt, quòd etiam in reliqua ſimilia Mo-
naſteria, & intra eoſdem fines ſita juriſdictionem ob-
tinuerit, quia, quæ ſimilia ſunt, non debent diverſo
jure cenſeri, arg. c. Cognovimus; 29. cauſ. 12. q. 2. &
c. Cùm intra; 30. de decimis. Gloſſ. fin. in cit. c. ult.
h. t. ita tamen, ut contra hanc juris præſumptionem
admittatur probatio in contrarium, quòd Archidia-
conus in alia ſimilia Monaſteria juriſdictionem non
exercuerit, vel etſi exercere voluerit, ab ipſis repul-
ſus fuerit. Laym. ibid. n. 2. in fine.

TITVLVS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

POſt Archidiaconum, proximus dignitate, & gradu in Eccleſia Cathedrali eſt Archipresbyter, ideo de ejus officio hoc tit. immediatè poſt præcedentem agitur.

I. Eſt autem Archipresbyter ſic dictus, quia primus, ſeu princeps eſt Presbyterorum, qui reliquis Presbyteris præeſt, & imperat in ijs, quæ Sacerdotalis officij ſunt, quorum Dux, ſeu Decanus eſt, licèt ipſi Archidiacono tanquam Vicario Epiſcopi ſubſit, eòque dignitate, & officio ſit inferior, major verò quoad Ordinem, c. 1. §. Archipresbyter diſ. 25. c. 1. & ibi Gloſſ. V. Subeſſe; h. t. Azor p. 2. c. 15. q. 1. & 2.

Porrò duplex eſt Archipresbyter, ut notat Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. h. t. Azor c. l. q. 4. unus Urbanus, ſeu Civitatenſis, qui in Urbe Epiſcopali conſtitutus omnibus Presbyteris præeſt, & eſt Eccleſiæ Cathedralis Decanus, de quo in c. Officium; 3. h. t. Vel qui in Urbe degens dignitati præeſt in Eccleſia Collegiata, qui eſt Decanus Eccleſiæ Collegiatæ. Barboſ. l. 1. Jur. Eccleſ. c. 25. num. 5. & 6. Alius verò eſt Decanus ruralis, ſeu forenſis, qui ruri, id eſt, extra civitatem Epiſcopalem, curam habet plebis, ac Presbyterorum, qui per minores titulos, ſive Eccleſias habitant, de quo in c. ult. h. t. & ibi Gloſſ. V. Ut ſinguiæ. Hoſtienſ. cit. loc. & Azor c. l. Et hinc etiam Decanus ruralis, aut Vicarius, ſeu Officialis foraneus appellatur, c. Adhæc; 7. in fine de offic. Archidiac. & Clem. 2. de reſcript. junctâ Gloſſ. V. Foraneo.

§. I.

De officio, & poteſtate Archipresbyteri Civitatis, ſeu Decani Eccleſiæ Cathedralis, & Rectoris, aut Decani Eccleſiæ Collegiatæ.

II. Quæritur 1. Quod ſit officium Archipresbyteri Civitatenſis, ſeu Decani Eccleſiæ Cathedralis, ſpectato Jure communi? Reſpondetur: Ejus officium eſt, abſentis Epiſcopi vices ſubire, vel præſentis curam ſublevare, in omnibus ijs, quæ Sacerdotalis officij ſunt. Et in ſpecie quidem ſtatuitur inprimis in c. 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Toletano, ut Archipresbyter ſubſit Archidiacono, & ejus præceptis, ſicut Epiſcopi, obediat, & quod ſpecialiter ad ejus officium pertinet, ſuper omnes alios Presbyteros curam gerat animarum (quorum veluti Dux, & Decanus eſt) & aſſiduè (id eſt, competentibus horis. Hoſtienſ. hîc V. eod.) in Eccleſia ſtet, & in abſentia Epiſcopi vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectam (id eſt, Miſſam ferialem. Gloſſ. hîc V. eod.) dicat, vel cui ipſe dicendam injunxerit. Idem habetur in c. 1. §. Archipresbyter; diſ. 25. ubi tamen legitur, collectas dicat, id eſt, ut explicat Gl. ibid. V. eod. orationes.

III. Præterea in c. Miniſterium; 2. h. t. dicitur, officium Archipresbyteri eſſe, curam diligentem gerere, ut Sacerdotes Cardinales (id eſt, qui Parochijs ſunt præfecti. Gloſſ. hîc V. Cardinalium, junctâ Gloſſ. marginali) in adminiſtratione Sacramenti Eucharistiæ, & in officio, ſeu pſallendis Horis Canonicis ſint aſſidui, & ut Epiſcopi ſui præceptis obediant. Abſente verò Epiſcopo, omnia, quæ ad Sacerdotale officium ſpectant, peragere debet: cujuſmodi ſunt, fontes benedicere, infirmos oleo inungere (ſcilicet extremæ unctionis) pœnitentem (ſolemniter, qui publicum crimen commiſit. Gl. pen. hîc) conſulto tamen priùs Epiſcopo, reconciliare, & pœnitentiam alijs Sacerdotibus injungere, & alia ſimilia peragere, exceptis his, quæ illi prohibita ſunt, (ſicut ſunt ea, quæ ad Ordinem Epiſcopalem ſpectant. Hoſtienſ. hîc V. Prohibita.) In præcipuis quoque feſtivitatibus debet, vel ipſe Miſſam ſolemnem celebrare, vel alteri Sacerdoti id committere.

IV. Denique in c. Officium; 3. h. t. dicitur, ad officium Archipresbyteri de Urbe, ſeu Civitatenſis pertinere, ut loco abſentis Præſulis, officium Eccleſiaſticum inchoet, benedictiones Sacerdotales det in Eccleſia, Miſſam ipſe canat, vel alteri Sacerdoti demandet: ipſo verò Epiſcopo Miſſam canente, præcipiat Sacerdotibus, ut ſe induant veſtibus ſacris, & ordinet eos ad Altaris miniſterium. Debet etiam præcipere Cuſtodi Eccleſiæ, ut in Sacrario Euchariſtia non deſit pro infirmis, & providere, ne fortè aliqui, ſinè Sacramentis Confeſſionis, & Euchariſtiæ (quæ hîc confirmatio appellatur, quia datur ad roborandam animam. Hoſtienſ. hîc V. Confirmatione;) moriantur. Confeſſiones quoque Sacerdotum, & aliunde accedentium Diœceſanorum, unâ cum alijs Presbyteris, ſecundùm proviſionem Epiſcopi, excipere. (Ex quo infert Gloſſ. fin. hîc, quòd quilibet ex Epiſcopatu poteſt Sacramenta recipere in majore, ſeu Cathedrali Eccleſia, quia ea dicitur Parochia totius Civitatis, & Diœceſis) ſed & ad Catechumenorum inſtructionem, & baptizandos infantes, Sacerdotes providere debet. Plura de hoc legi poſſunt apud Hoſtienſ. in ſumm. n. 2. & 3.

V. Cæterùm ex hactenus dictis colligitur 1. quòd generatim loquendo, Archipresbyter Civitatenſis ſit Vicarius Epiſcopi à Jure datus in ſpiritualibus, ſive ijs, quæ concernunt divinorum celebrationem, & Ordinem, ſeu officium Sacerdotale, ac forum pœnitentiale: ſicut Archidiaconus eſt Vicarius juris, ut in ijs, quæ ad juriſdictionem, & forum contentioſum pertinent, vices Epiſcopi gerat,

Jo.

Jo. Andr. in c. 1. num. 3. h. t. Tuſch. V. Archipresbyter concl. 485. n. 2.

Colligitur 2. Quòd duo hi Vicarij à jure dati Epiſcopo, Archidiaconus, & Archipresbyter, habent ſe, ſicut excedens, & exceſſum; nam Archidiaconus eſt major Archipresbytero dignitate, & adminiſtratione; Archipresbyter eſt major Ordine. Hoſtienſ. in ſumm. n. 2. de offic. Archid. Prædictis quoque addidit Concil. Trident. Seſſ. 5. c. 2. de ref. ut Archipresbyteri, & alij curam animarum habentes, populo, ſaltem Dominicis, & feſtis diebus prædicent Dei Verbum, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & quæ eos declinare, & virtutes, quas ſequi oporteat.

VI. Quæritur 2. An, & qualem juriſdictionem habeat Archipresbyter Civitatenſis? Reſpondetur 1. Spectato Jure communi, præſertim antiquo, non habet juriſdictionem in foro externo, ut colligitur ex c. 1. h. t. Jo. Andr. in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. de offic. Ordin. n. 21. Tuſch. c. l. n. 6. nam cùm in civitate, in qua eſt Sedes Epiſcopalis, omnia referri poſſint ad Epiſcopum, vel Archidiaconum, vel ejus Vicarium generalem, ideo non eſt neceſſe, ut Archipresbyter juriſdictione externâ ſit præditus. Ex conſuetudine tamen, quæ in hac re ſpectanda eſt, in quibuſdam locis Archipresbytero, ſive Decano Eccleſiæ Cathedralis juriſdictio externa competit: & in multis quidem Eccleſijs, præſertim ijs, in quibus Archipresbyter, ſeu Decanus Cathedralis à Capitulo eligitur, is juriſdictionem aliquam habet in ipſos Canonicos, & Officiales Capituli. Imò in quibuſdam Eccleſijs, in quibus alius Archidiaconus non eſt, ipſe Decanus in reliquos etiam Clericos, extra Eccleſiam Cathedralem, juriſdictionem obtinet. Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. h. t. Greg. Tholoſ. l. 15. Syntag. Jur. univ. c. 21. num. 15. Laym. de juriſdict. Ordin. concluſ. 141. & in c. ult. num. 1. h. t.

VII. Reſpondetur 2. Archipresbyter, ſive Decanus Eccleſiæ Cathedralis, Jure communi antiquo, juriſdictionem ordinariam fori interni, ſeu curam animarum habet, tum in reliquos Sacerdotes, ita ut omnes, non alteri, quàm Archipresbytero ſuo olim peccata confiteri potuerint, ut colligitur ex c. 1. & 2. h. t. Joan. Andr. in c. Officium; 3. n. 4. eod. tùm in alios Diœceſanos, quorum confeſſiones excipere poterat, cit. c. Officium; junctâ Gloſſ. V. à foris. Quamvìs Jure communi, & ratione muneris ſui, Archipresbyter Civitatenſis non poſſit abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, ſinè ſpeciali commiſſione Epiſcopi. Sylveſt. V. Archipresbyter; quæſt. 3. Azor cit. l. 3. c. 15. quæſt. 8. nec ſolemniter pœnitentes reconciliare, Epiſcopo inconſulto, niſi eo abſente, gravis neceſſitas cogat, arg. c. 2. & ibi Gl. V. Conſulto Epiſcopo; h. t. Sylveſt. c. l. Poſtea verò conſuetudine inductum eſt, quæ & hodie viget, ut Sacerdotes, aliíque Clerici ſeculares cuivis approbato, ſeu expoſito Confeſſario peccata ſua confiteri poſſint, & pro Diœceſanis Laicis alij Pœnitentiarij conſtituantur. Laym. de juriſd. ordin. concl. 140. & l. 5. Theol. mor. tract. 6. c. 10. n. 4.

VIII. Quæritur 3. An Archipresbyter Civitatenſis, ſeu Decanus Eccleſiæ Cathedralis habeat dignitatem, vel perſonatum? Reſp. Cenſetur habere, ita, ut ipſi à Sede Apoſtolica, vel Legato ejuſdem cauſæ delegari poſſint, juxta c. Statutum: 11. de reſcript. in 6. quia licèt ſpectato jure communi, non ſit præditus juriſdictione fori externi, habet tamen præeminentiam inter Canonicos, & alios Clericos, quod ad dignitatem ſaltem latiùs acceptam, ſufficit. Abb. in c. De multa; 28. num. 21. & ſeqq. de præbend. Azor cit. c. 15. q. 7. Quomodo etiam multi Præpoſiti Eccleſiarum ſecularium Cathedralium, & Collegiatarum in Germania, & alijs quibuſdam Regnis, dignitatem, & perſonatum habere cenſentur, propter præeminentiam, quia alios Canonicos, & Clericos præcedunt in Choro, in Capitulo, & publicis Proceſſionibus, licèt nullam juriſdictionem, vel adminiſtrationem exerceant. Azor p. 2. lib. 3. c. 18. in princ. Laym. cit. concl. 141.

Quænam verò ſit major dignitas, Præpoſitura, an Decanatus, Jure communi Canonico expreſſum, & determinatum non reperitur: nam aliquando Decanus præponitur Præpoſito, & honorabilior de Capitulo cenſetur, c. 1. de ætat. & qualitat. præfic. Gloſſ. in c. Cùm inter; 18. V. Ad Decanum; de elect. arg. c. Poſt electionem; 7. de conceſſ. præbend. Aliàs verò Præpoſitus alijs antefertur, c. Quamvìs; 9. de Verb. ſignif. Et ſic Præpoſitura major videtur dignitas, quàm Decanatus. Fagnan. in cit. c. 1. n. 32. de ætat. & qual. Quare hac in re ad conſuetudinem cujuſque loci, ac provinciæ eſt attendendum. Riccius in praxi tom. 4. reſol. 395. n. 16. & 17. Fagnan. c. l. Nam in tota ferè Hiſpania, & Gallia prima poſt Pontificalem dignitas, & major eſt Decanatus, quia Decanus eſt Caput Capituli, eíque præeſt, juriſdictionem aliquam in Canonicos exercens. Riccius c. l. Barboſ. l. 1. Jur. Eccleſiaſt. c. 26. n. 3. & 4. At verò in Germania, Belgio, & Polonia, Præpoſitura eſt prima, & major dignitas, poſt Epiſcopalem, etiamſi nullam juriſdictionem annexam habeat. Riccius c. l. n. 12. Fagnan. in cit. c. 1. n. 25. Unde etiam in pleriſque Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis Germaniæ, Præpoſitura reſervata eſt collationi, & proviſioni S. Pontificis, quia cenſetur major, & dignior poſt Pontificalem, juxta Concordata Germaniæ; §. De cæteris.

IX. Quæritur 4. An, & qualem juriſdictionem habeat Præpoſitus, vel Decanus Eccleſiæ Collegiatæ? Reſpondetur: Spectato Jure communi, probabile eſt, Prælatos, ſeu Rectores Collegiatarum Eccleſiarum ſecularium, ſive vocentur Præpoſiti, ſive Decani, qui à Capitulo eliguntur, & à Superiore, vel Epiſcopo confirmantur, habere ordinariam juriſdictionem fori externi in Clericos ſui Collegij, licèt ſubordinatam Epiſcopo, cui ſubſunt. Gloſſ. in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. V. Eccleſiaſtica ſententia de offic. Jud. ordin. Innocent. ibidem in princ. & Jo. Andr. n. 9. Imol. n. 6. arg. l. ult. C. de juriſ. omn. jud. ita, ut etiam excommunicare, aliáſque cenſuras ferre poſſint. Gloſſ. c. l. Innocent. in c. Quanto; 7. n. 2. de offic. ord. Abb. in cit. c. 3. eod. n. 3. & in c. Si quis; 4. num. 51. de foro compet. arg. cit. c. Cùm ab Eccleſiarum, & colligitur ex c. 1. De eo qui furt. ordin. ſuſcep. Excipiendæ ſunt cauſæ criminales, & eæ quæ privationem, ſeu depoſitionem merentur, hæ enim Epiſcopi cognitioni,

& juriſdictioni ſunt reſervatæ. Abb. in cit. c. Si quis: num. 52. & in c. Cùm contingat; 13. num. 29. de foro comp.

In qua tamen re inprimis ſpectandum eſt, quæ ſit conſuetudo cujuſque Eccleſiæ, ea enim juriſdictionem tribuit. Joan. Andr. in cit. c. Cùm ab Eccleſiarum; num. 8. Nam in quibuſdam locis dicti Prælati juriſdictionem propriè exercent: in alijs non niſi cauſas leves cognoſcere poſſunt, & levia delicta: idque vel cumulativè, cum Epiſcopo, ita, ut in optione actoris ſit, an Clericos ipſorum convenire velit coram Epiſcopo, an coram Prælato ipſorum immediato. Innocent. in cit. c. Quanto; num. 2. Abb. c. l. vel privativè, excluſo Epiſcopo, ita, ut in prima inſtantia, etiam in cauſis civilibus Clericorum Collegiatæ Eccleſiæ, Judex ordinarius ſit Prælatus, ſeu Rector ejuſdem, vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ, iſque adiri debeat. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 142. Verùm poteſtas excommunicandi, cùm ſpectet ad merum Imperium, ut tradit Abb. in cit. c. Cùm contingat; num. 17. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 6. n. 1. & non poſſit infligi excommunicatio, niſi ob gravem cauſam, ideo hujuſmodi Prælatis inferioribus non facilè concedi ſolet. Laym. c. l.

Cæterùm in noſtris partibus, etiam in pleriſque Collegiatis Eccleſijs ſecularibus, quamvis prima dignitas ſit Præpoſitura, ei tamen nulla juriſdictio, & cura, vel adminiſtratio eſt annexa, ſed Decanatui, quæ ſecunda quidem eſt dignitas, juriſdictionem tamen fori externi in Clericos annexam habet, quæ per electionem Collegij, ſeu Capituli, & confirmationem Epiſcopi tribuitur. Innocent. in cit. c. Quanto; num. 2. & 3. Laym. c. l.

§. II.

De officio, & poteſtate Archipresbyteri, ſeu Decani Ruralis?

X. Quæritur 1. Quod ſit officium Archipresbyteri, ſeu Decani ruralis? Reſpondetur: De hoc agitur in c. Ut ſingulæ; 4. & ult. h. t. quod eſt deſumptum ex Synodo Ravennæ ſub Papa Joanne IX. vel X. habita c. 4. ubi ſtatuitur, ut ſingulæ plebes Archipresbyterum habeant, qui non ſolùm ſolicitam, & ſedulam curam imperitæ plebis gerat, ſed etiam Presbyteris, qui minoribus titulis, ſeu Parochijs præſunt, intendat: & quâ quiſque induſtriâ opus divinum exerceat, ad Epiſcopum referat. Ubi etiam ratio redditur, quia etſi Epiſcopus valdè idoneus ſit, decet tamen, ut ſua onera cum alijs partiatur, cùm ipſe ſolus omnibus intereſſe, & invigilare non poſſit: & ſicut ipſe Eccleſiæ matrici (id eſt, Cathedrali) præeſt, & unà cum Archidiacono, & Vicario ſuo generali invigilat: ita extra Civitatem Epiſcopalem, alios veluti Vicarios, nempe Archipresbyteros, ſeu Decanos rurales conſtituat, qui plebi commiſſæ invigilent: ita tamen, ut cuncta referant ad Epiſcopum, nec aliquid contra ejus decretum, vel præceptum ordinare præſumant.

XI. Quæritur 2. An prædicti Archipresbyteri, ſeu Decani rurales habeant externam aliquam juriſdictionem? Reſpondetur: Habere, tum in Clericos intra fines, ſeu diſtrictum Decanatûs ſui conſtitutos, tum in plebem ſibi commiſſam: ſunt enim velut Vicarij Epiſcopi, qui foris conſtituuntur ad gubernandum Clerum, & populum, ideóque etiam Vicarij foranei appellantur. Clement. 2. de reſcript. junctâ Gloſſ. V. Foraneo. Eſt tamen eorum juriſdictio ſubordinata, & omnimode dependens ab Epiſcopo, & ejus Vicario generali, ita, ut nihil contra præcepta eorum agere poſſint, & quæ dubia ſunt, vel gravioris momenti, ad eoſdem referre debeant, cit. c. ult. & ibi Gloſſ. V. Referant: quamvis minora, ſeu leviora negotia per ſe ipſos determinare, & expedire poſſint. Gloſſ. cit. loc. & ibi Innocent. in fine. Unde neque excommunicare poſſunt, ſinè conſenſu Epiſcopi, vel Vicarij ejus. Laym. de juriſd. ordin. concl. 145. cùm excommunicatio ſit pœna gravis, quâ nulla major pœna eſt in Eccleſia, c. Corripiantur; 17. cauſ. 24. q. 3.

XII. An autem hi Decani, ſeu Vicarij rurales habeant juriſdictionem ordinariam, an delegatam, controvertitur? Prius tradit Gloſſ. fin. in cit. c. ult. h. t. nempe habere ordinariam: alij verò communiter aſſerunt, eos habere delegatam ad univerſitatem cauſarum. Gloſſ. in cit. Clem. V. Foraneo; de reſcript. Fagnan. in c. Relatum; 4. n. 42. de Cleric. non reſid. & alij pleríque DD. Sed rectiùs diſtinguitur; vel enim Decani ejuſmodi conſtituuntur ab Epiſcopo, ita, ut ab ipſo pro arbitrio deponi, & amoveri poſſint; & cenſendi ſunt habere juriſdictionem delegatam, & omnimode dependentem ab Ordinario; quia Epiſcopus non poteſt inferiores Judices Ordinarios conſtituere, cùm id ſolus Princeps ſupremus, vel Magiſtratus Superiorem non recognoſcens facere poſſit, ut conſtat ex lib. 2. feud. tit. 56. quæ ſint regalia, &c. Durand. in ſpecul. de offic. ordin. §. 1. num. 5. Vel ejuſmodi Decani eliguntur à Capitulo rurali, & ab Epiſcopo, vel ejus Vicario generali confirmantur; ita, ut arbitratu Epiſcopi privari, ſeu amoveri non poſſint ab officio, niſi ob crimen id mereantur: & tum cenſentur habere juriſdictionem quandam ordinariam ſubordinatam Epiſcopali; ita, ut Epiſcopus cum ijs in juriſdictione cumulativè concurrat, & ad eum, vel Vicarium ejus ab ipſis appellari poſſit. Innoc. in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. n. 5. de offic. ordin. Laym. de juriſd. ordin. concl. 146.

Porrò Decani Rurales à Capitulo electi, ab Epiſcopo, vel ejus Vicario generali confirmandi non ſunt, niſi poſt factam diligentem inquiſitionem in eorum vitam, moréſque, & rerum agendarum peritiam, cùm ab ipſis totus Clerus, qui in oppidis, & pagis, extra civitatem Epiſcopalem verſatur, regi, & in diſciplina, ac honeſtate vitæ conſervari debeat. Quare Decani hujuſmodi, poſt editam fidei profeſſionem, etiam juramentum præſtare debent, quòd officium ſuũ fideliter adminiſtrare, commiſſos ſuæ curæ Clericos, & loca ſacra viſitare, Capitula congregare, quæ corrigenda videbuntur, corrigere, Clericorũ ebrietates, & alia ſcandala impedire: ſin autem non poſſint, ad Ordinarium referre velint. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 147.

XIII. Quæ-

XIII. Quæritur 3. An Archipresbyteri, ſeu Decani rurales habeant dignitatem, vel perſonatum? Reſp. Quamvis dicti Archipresbyteri, ſeu Decani rurales ordinariam juriſdictionem habeant, ſaltem qui non ab Epiſcopo immediatè conſtituuntur, ſed à Capitulo eliguntur: non tamen cenſentur habere Eccleſiaſticam dignitatem, vel perſonatum, ſicut alij Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Prælati, aut Decani, ſed ſimplex miniſterium, ſeu officium: ac proinde nec Sedis Apoſtolicæ delegati, nec Judices Conſervatores eſſe poſſunt, quia nulli Clericorum Collegio præſunt, nec præeminentiam habent in Eccleſiis principalibus, ſeu Cathedralibus, ſed ſolùm in Minoribus, ſeu plebanis parochijs, ut conſtat ex c. ult. ibi: *per minores titulos* h. t. Laym. cit. concl. 146. & cit. c. ult. n. 3. Fagn. in c. 1. de ætat. & qual. n. 23.

TITULUS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERIJ.

QUia Primicerius primus eſt in Choro, abſente Archipresbytero, ideo proximè hoc tit. de illo agitur.

I. Quæritur 1. Quis dicatur Primicerius, & quod ſit eius Officium? Reſp. 1. Primicerius generatim dictus fuit primus in ordine ceræ, ſeu ſcripturæ; nam mos erat antiquis in tabulis ceratis, & pugillaribus ſcribere, adeóque quicunque in quolibet hominum ordine, primo loco ſcriptus fuit, in Albo, ſeu Tabula cerata, Primicerius appellatus fuit, & qui ſecundo loco, Secundocerius, & qui tertio, Tertiocerius, ut colligitur ex l. ult. C. De domeſt. lib. 12. & tradit Azor. p. 2. l. 3. c. 16. q. 1. Greg. Tholoſan. L. 15. Syntagm. jur. c. 22. n. 5. & ſeqq. Quare Primicerius dicitur ille, qui in quocunque Ordine primum locum obtinet, ideóque etiam in propoſito, qui primus eſt, ſive primum locum obtinet, tum in choro pſallentium, tum in ſchola inter Diaconos, & reliquos Clericos, Primicerius dicitur, etſi alioquin non ſit ſimpliciter primus, cùm ſubſit Archidiacono. Alio verò nomine vocari etiam ſolet in quibuſdam Eccleſiis Cantor, ſeu Præcentor, ut patet ex c. Cùm olim; 6. de conſuetud. & qui ſecundum locum poſt ipſum tenet, eiuſque abſentis vices gerit, ſuccentor, c. Inter dilectos; 11. de exceſſib. Prælat. ſive Vicecantor, Azor cit. l. 3. c. 22. q. 2. Et in quibuſdam Eccleſiis Magiſter Scholarium, ſive Scholaſticus appellatur, ut notat Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. h. t.

II. Reſp. 2. Primicerij officium deſcribitur in c. 1. §. Ad primicerium diſ. 25. & in c. unic. h. t. quod eſt deſumptum ex Libro Ordinis Romani, ubi „ ſtatuitur, ut Primicerius ſubſit Archidiacono, ſicut „ & Archipresbyter; & ad eius curam pertinet, ut præſit Diaconis, & alijs Clericis in docendo, & mo„ do pſallendi, & ſollicitè curet, ut diſciplina inter „ eos obſervetur, tanquam pro ijs rationem coram „ Deo redditurus; & debet dare, ſeu aſſignare Lecto„ tibus Lectiones, quæ ad nocturna officia Clerico„ rum pertinent, & operam dare, ut omnes ab ipſo, „ vel à quo ipſe juſſerit, inſtruantur, alioquin tenebitur de negligentia in officio ſuo commiſſa. Abb. hîc in fine.

III. Quæritur 2. An Primicerius, Cantor, ſeu Præcentor in dignitate Eccleſiaſtica, ſeu perſonatu ſit conſtitutus? Reſp. Si Primicerius, ſeu Præcentor (idem eſt de Succentore, juxta Gloſſ. in c. Inter dilectos; 11. V. Dignitatis. de exceſſ. Prælat.) Præeminentiam habeat inter alios Canonicos, ſive illos, ratione officij ſui, in Choro, Capitulo, & proceſſionibus publicis præcedat, tum cenſetur conſtitutus in dignitate, ſeu perſonatu, ut conſtat ex c. Cùm acceſſiſſent; 8. de conſtitut. & c. Cùm olim; 6. de conſuet. Azor cit. c. 16. q. 3. & c. 22. q. 1. Idémque eſt de Theſaurario, ſeu Cuſtode, Azor cit. c. 16. q. 6. Si verò ratione muneris ſui, nullam præeminentiam, ſeu præceſſionem ante alios Canonicos habeat Primicerius, vel etiam Theſaurarius, ſeu Cuſtos, ſed nudum officium, ſeu adminiſtrationem, tunc neque dignitatem, ſeu perſonatum habere cenſetur, licèt duplex beneficium, & pinguiorem præbendam obtineat Laym. in c. un. h. t. & lib. 4. Theol. moral. tract. 2. c. 4. num. 4. §. Alia verò. Porrò juriſdictionem, vel curam animarum Primicerius, ſeu Præcentor non habet, niſi ubi fuerit conſuetudine introductum, Azor cit. c. 22. q. 1. §. Quæres.

TITULUS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTÆ.

AD Sacriſtam, qui etiam Archidiacono ſubjectus eſt, pertinet cuſtodia ſacrorum vaſorum (ſaltem poſt Archidiaconum) veſtimé„ torum Eccleſiaſticorum, & totius Theſauri Eccle„ ſiaſtici, nec non cura luminarium, ſive in cera, ſive „ in oleo, ſcilicet lampadum, prout habetur in c. un. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Toletano, & ibi Gl. V. Vaſorum, & V. Luminaria. Videtur autem Sacriſta idem eſſe cum eo, qui in quibuſdam Eccleſiis Theſaurarius vocatur, idémque utriuſque eſſe officium, ut colligi etiam videtur ex c. 1. §. Ad Theſaurarium diſ. 28. & notat Azor cit. c. 16. q. 4. ubi q. 5. addit, huius munus etiam eſſe, ſingulis operarijs ab Eccleſia conductis debita ſtipendia reddere.

TITVLVS XXVII.

DE OFFICIO CUSTODIS.

I. QUia Cuſtos eſt quaſi miniſter Sacriſtæ, ut
notat Gloſſ. & Abb. in Rubr. hujus tit. ideo
hîc deſcribitur illius officium. Et inprimis
inc. 1. quod eſt deſumptum ex Libro Ordinis Ro-
» mani, ſtatuitur, quòd Cuſtos circa cuſtodienda ea,
» quæ ſunt Eccleſiæ, debet obedire Archidiacono,
» pulſando campanas, ſignum dare ad Horas Cano-
» nicas: cuſtodire pallia, linteamina Altaris, &
» alia utenſilia Eccleſiæ: (Excipit tamen Hoſtienſ.
hîc V. Utenſilia; vaſa aurea, & argentea, & veſti-
menta pretioſa, quorum cuſtodia pertinet ad Sa-
» criſtam.) Item ad officium cuſtodis ſpectat ac-
» cendere lampades, & laternas, eáſque, debito
» tempore, iterum extinguere, ne nimis diu arden-
» do oleum depereat, aut minùs lucendo, obſcurior
» ſit Eccleſia, ſed omnia cum diſcretione fiant, quæ
» eſt omnium virtutum mater. Quòd ſi minùs i-
» doneus ſit ad hoc officium, ab Archidiacono cor-
» rigi debet, &, ſi non emendet, re delatâ ad E-
» piſcopum, amoveri debet, & alius idoneus mi-
» niſter conſtitui.

II. Præterea in c. Cuſtos; 2. h.t. quod eſt de-
» ſumptum ex Concilio Toletano, decernitur, quòd
» Cuſtos ſolicitus eſſe debet de ornamentis Eccleſiæ,
» luminarijs, & incenſo: habere paratum panem, &
» vinum ad Sacrificium Miſſæ: ſignum dare ad ſin-
» gulas Horas Canonicas, prout juſſerit Archidia-
» conus: item cum ejuſdem conſenſu, abſente Epi-
» ſcopo, omnes oblationes, ſeu eleëmoſynas, & deci-
» mas inter Canonicos, ſeu Clericos dividere. Addi-
» tur in fine, quòd his tribus, videlicet Archidiacono,
» Archipresbytero, & Cuſtode, veluti tribus colu-
mnis, niti debeat Eccleſia, ideóque debent eſſe, ſinè »
invidia, charitate conjuncti. »

Hinc colligitur, quòd idem videatur eſſe offi-
cium Cuſtodis cum officio Sacriſtæ, ſeu Theſaurarij,
quia in fine dicti, c. 2. h. t. ſub Cuſtodis appellatio-
ne etiam comprehendi videtur ipſe Sacriſta, ſive
Theſaurarius, cùm expreſſa de illo mentio non
fiat, licèt Compilator horum Titulorum pro diver-
ſis habuiſſe videatur. Verùm in hac re ſpectanda eſt
cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, ſecundùm quam,
pro varietate Eccleſiarum, & locorum, variantur
etiam iſta nomina, & ſimul eorum officia, atque i-
dem nunc Sacriſta, nunc Theſaurarius, nunc Cu-
ſtos appellari conſuevit, ut notat Azor cit. c. 16.
quæſt. ult.

III. Poſtremò, quia pulſare campanas ad offi-
cium Cuſtodis pertinet, ideo de hoc agitur in Extra-
vag. quia cuſtos unic. h.t. inter comunes, ubi ſtatuit
Papa Joannes XXII. ut Religioſi Ordinum Mendi- »
cantium in ſuis Conventibus, ſeu locis plures cam- »
panas habere non poſſint, ſinè ſpeciali licentia Se- »
dis Apoſtolicæ, ſed unâ tantùm in quolibet loco »
ſint contenti. Idque ſtatutum eſt, quia Cathedra- »
les, aliæque Eccleſiæ querebantur, afferri divinis »
officijs impedimentum, unde litigijs, & ſcandalis »
via aperiebatur, ut habetur ibid. in princ. Verùm »
plures campanulas, in Refectorijs, Sacriſtijs, Ca- »
pitulis, & alijs officinis licitè poſſunt dicti Religio- »
ſi habere, quia per illas alijs Eccleſijs non infertur »
impedimentum, cùm non inſerviant pro convo- »
cando populo externo, ſed pro privatis uſibus ipſius »
Conventûs. Vivian. in ration. hîc.

TITVLVS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

POſtquam actum eſt de Miniſtris, qui ſerviunt Eccleſiæ, nomine proprio; videndum nunc eſt de ijs, qui ſerviunt nomine alieno. Extat hîc Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

I. Vicarius generatim loquendo, dicitur, qui vices alterius gerit, in cujus locum ſubſtituitur; nam & Jure civili Magiſtratus, & Judices Vicarios ſuos habere poſſunt, quorum operâ utantur in civilibus cauſis cognoſcendis, ac definiendis; ut patet ex tit. C. de offic. Vicar, & notat Azor p. 2. Inſtit. mor. l, 3. c. 6. q. 1. Et hinc etiam Jure Canonico ſtatutum fuit, ut Prælati, & Rectores Eccleſiarum, qui quandoque varijs negotijs impediti, non omnibus, quæ officij ratio exigit, intereſſe, eáque per ſe præſtare poſſunt, Vicarios ſibi aſciſcere poſſent, quorum operâ in officijs ſibi commiſſis uterentur, ne quidpiam in his, cum damno Eccleſiæ, negligeretur.

Quare ſecundùm Jus Canonicum, Vicarij dicuntur, qui legitimâ auctoritate conſtituti ſunt, ut Epiſcopi, vel alterius Prælati, Parochi, aut Clerici vices gerant in divinis miniſterijs celebrandis, vel adminiſtratione, aut juriſdictione exercenda. Unde duo ſunt Vicariorum genera, ſeu ſpecies, ut notat Abb. Panorm. ad Rubr. h. t. quidam enim ſunt; qui in divinis miniſterijs, & cura animarum, ſive ijs, quæ ad internum forum conſcientiæ pertinent, aliorum vices gerunt; & hi vocantur Vicarij in divinis, de quibus potiſſimùm agitur h. t. in antiquis, & Clement. unic. eod. Alij ſunt, qui in foro contentioſo, ſeu externo juriſdictionem vice aliorum

exer-

exercent, de quibus agitnr h. t. in 6. Nos priùs de Vicario in divinis, & poſtea de Vicatio juriſdictionis agemus.

SECTIO I.

DE VICARIO IN DIvinis.

II. Vicarius in divinis duplex eſt, unus perpetuus, alrer temporalis, ut notat Azor cit. c. 6. q. 1. & alij DD. communiter. Perpetuus Vicarius is dicitur, qui Epiſcopi auctoritare canonicè eſt inſtitutus, in Eccleſia aliqua, certâ ipſi, & congruâ portione, ex annuis Eccleſiæ provenribus, tanquam laboris, & operæ mercede conſtitutá, ita, ut amoveri non poſſit, niſi per privationem, ſeu depoſitionem, ob cauſam jure approbatam, de quo in c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; de præbend. & c. Adhæc; 3. h. t. Gloſſ. in c. ult. V. Perpetnos Vicarios; & ibid, Abb. num. 1. h. t. Vicarius verò temporalis eſt, qui legitimâ auctoritate perſonæ Eccleſiaſticæ, in locum alterius, ſinè inſtitutione, ad tempus conſtituitur, & ſufficitur, interim congruâ ei portione aſſignatâ, ita tamen, ut ad nutum, ac lihitum ejus, à qno eſt conſtirutus, vel cujus vices gerit, amoveri poſſir, de quo fir meprio in c. Pervenit; 28. de appellat.

§. I.

De Vicariis perpetuis, ſeu intitulatis?

III. Quæritur 1. A quo nominati, & conſtitui poſſit Vicarius perpetuus? Reſpondetur nominatio, ſeu præſentatio, ac velut inſtitutio Vicarij perpetui regulariter pertinet ad Rectorem principalem in Eccleſia, Prælatura, ſeu dignitate, aut beneficio, v. g. Canonicatu, cui Parochia eſt perpetuò annexa, ſive unita, c. Adhæc; 3. h. t. & colligitur ex c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; de præbend. & docet ibid. Abb. num. 9. & habetur in declarationib. S. Congreg. Cardin. ſuper Conc. Trident. Seſſ. 7. c. 7. de ref. apud Joan. Gallemarr. num. 5. Ipſa verò propriè dicta inſtitutio, quæ præcedente examine fieri debet, ad ipſum Epiſcopum, ſive Ordinarium ſpectat, ut colligitur ex cit. c. Ad hæc; h. t. ſinè cujus auctoritate, & conſenſu, nullum beneficium, & per conſequens neque Vicaria perpetua, quæ inter beneficia computatur, in titulum erigi puteſt, aut in beneficio aliquis inſtitui, c. Ex frequentibus; 3. de inſtitur. c. Cùm ex injuncto; 12. in fin. de hæretic. c. 1. junct. Gloſſ. V. Beneficium; de R. I. in 6. ſicut etiam Epiſcopi eſt, congruentem fructuum portionem ipſi Vicario aſſignare, quæ plerumque eſt pars tertia, interdum major, vel minor, ſicut Ordinario viſum fuerit, Concil. Trident. c. l. modò tanta ſit, ut decentem ſuſtentationem habeat, & hoſpitalitatem erga peregrinos, ac miſericordiam erga pauperes exercere, & jura Epiſcopalia ſolvere, aliáque onera ſupportare poſſit, c. 2. de ſuppl. neglig. Prælat. c. De Monachis; 12. de præbend. Niſi omnia onera ejuſmodi incumbant Rectori principali, tunc enim ſufficit Vicario perpetuo dare congruentem ſuſtentationem. Clem. 1. de Jur. patron.

IV. Portò præter nominationem, ſeu præſentationem Rectoris principalis, intervenire etiam debet conſenſus, & præſentatio Patroni ad Vicariam perpetuam, ut colligitur ex c. Ad audientiam; 3. de Eccleſ. ædific. & ibid. docet Gloſſ. V. Rectoris; Innocent. in cit. c. Adhæc; V. Epiſcopi; Sylveſt. V. Vicarius; quæſt. 2. dicto 3. contra Gloſſ. in cit. c. Adhæc; V. Epiſcopi. Ratio eſt, quia patrono jus præſentandi competit ad titulum Parochiæ, quam fundavit, dotavit, aut ædificavit: Vicaria autem perpetua datur etiam in titulum, cùm Vicarius perpetuus in Parochia canonicè inſtitutus titulum perpetuum, ſaltem utilem, acquirat, ut poſtea dicetur: ac proinde cùm in inſtitutione Vicarij perpetui agatur, non ſolùm de præjudicio Rectoris principalis, ſed etiam patroni, utriuſque conſenſus meritò requiritur. Sylveſt. c. l. Laym. in cit. c. Adhæc; num. 4. Excipiendum tamen eſt, niſi Eccleſia parochialis unita ſit Prælaturæ, ſeu beneficio electivo, tum enim patroni conſenſus in inſtitutione Vicarij perpetui non requiritur, quia is per unionem cenſetur amiſiſſe jus præſentandi, niſi ſpecialiter id ſibi reſervârit. Laym. in cit. c. Ad hæc; n. 3.

V. Quæritur 2. In qnibus Eccleſijs, & qnibus ex cauſis Vicarius perpetuus conſtitui poſſit? Reſpondetur: Vicarius perpetnus, autboritate Epiſcopi, inprimis conſtitui poteſt, ac ſolet in Eccleſijs parochialibus, quæ alicui alteri Eccleſiæ, vel Collegio Canonicorum, vel Monaſterio, vel Seminario Clericorum, vel Academiæ, vel Hoſpitali domui, vel alteri loco pietatis causâ exſtructo, & fundato, vel Eccleſiaſticæ dignitati, aut præbendæ in perpetuum annexæ, ſeu unitæ fuerunt, cit. c. Extirpandæ; §. Qui verò; de præbend. Gloſſ. in Clement. unic. V. Parochialium; h. t. Concil. Trident. cit. Seſſ. 7. c. 7. de reform. Deinde etiam interdum, ob populi multitudinem, ſeu Parochiæ amplitudinem, præter Eccleſiam parochialem, Capella, ſeu Eccleſia filialis erigitur, & ædificatur, quæ acceſſoriè, & in perpetuum unita, ac ſubjecta eſt Eccleſiæ principali, ſeu Matrici, in eáque etiam Vicarius perpetuus, cum conſenſu, & approbatione Epiſcopi, à principali Rectore conſtituitur, juxta c. Ad audientiam; 3. de Eccleſ. ædific. detractâ etiam ex reditibus Eccleſiæ principalis juſtâ, ac debitâ portione ad commodam ſuſtenſtationem Vicarij, cit. c. Extirpandæ; §. Qui verò; Azor cit. c. 6. q. 2. In beneficijs verò ſimplicibus perpetuò unitis alteri beneficio non ſolet conſtitui Vicarius perpetuus, ſed ſolùm in Eccleſijs parochialibus. Gloſſ. in cit. Clement. unic. V. Parochialium; h. t. Rebuff. in praxi benefic. tit. de Vicar. perpet. num. 5. Porrò plures alij ſunt caſus, quibus licitum eſt Vicarium, etiam perpetuum, conſtituere, ut, ſi quis ex diſpenſatione obtineat plures Eccleſias, vel beneficia curata, vel perſonalem reſidentiam requirentia, & aliis caſibus, quos recenſet Hoſtienſ. in ſumm. n. 5. h. t.

VI. Quæritur 3. An in Eccleſijs parochialibus perpetuò unitis Eccleſijs, vel Capitulis, Monaſterijs, aut alijs pijs locis, inſtituendi ſint Vicarij perpetui; an verò etiam eis præfici poſſint Vicarij temporales, & ad nutum amovibiles? Reſpondetur;

Etſi

Etſi ſpectato Jure communi, in beneficijs Eccleſiaſticis curatis, ſeu parochialibus, quæ Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſijs, vel Monaſterijs, aot pijs locis quibuscunque, perpetuò ſunt unita, inſtituendi ſunt Vicarij perpetui, ut conſtat ex c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; c. De Monachis; 12. de præbend. & c. 1. de Capell. Monach. in 6. poteſt tamen etiam quandoque in beneficijs curatis, ſeu parochialibus perpetuò unitis alteri dignitati, vel beneficio conſtitui Vicaria perpetua, etiamſi ea adminiſtretur per Vicarios temporales, ſi ita Eccleſiæ magìs expedire Epiſcopus judicaverit, ut conſtat ex Concil. Tri-
» dent. cit. Seſſ. 7. c. 7. de reform. ubi decernitur, ut
» Ordinarij locorum ſolicitè provideant, ut bene-
» ficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Col-
» legiatis, ſeu alijs Eccleſijs, vel Monaſterijs, bene-
» ficijs, ſeu Collegijs, aut pijs locis quibuſcunque
» perpetuò unita, & annexa reperiuntur, animarum
» cura exerceatur per idoneos Vicarios etiam perpe-
» tuos, niſi ipſis Ordinarijs, pro bono Eccleſiarum
» regimine, aliter expedire videbitur, ab eis cum
» tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, ar-
» bitrio ipſorum Ordinariorum, portione etiam ſu-
» per certa re aſſignandâ: quod S. Congreg. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. num. 4. ita declarat: ſi Eccleſiæ ſint curatæ, & unitæ Monaſterijs (idem eſt de alijs Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, &c. ut conſtat ex ipſo textu Concilij) poſſunt Epiſcopi Ordinarij locorum viſitare eas, & in eis Vicarios perpetuos, ſive temporarios conſtituere, ſecundùm diſpoſitionem Concilij Trident. hoc capite, & paulò infrà n. 5. additur: non tamen prohibetur, quò minùs cura animarum exerceri poſſit per Vicarium amovibilem. S. 21. c. 6. dè reform. idémque ibid. repetitur num. 8. In Eccleſijs curatis unitis Monaſterijs poſſunt Epiſcopi Ordinarij locorum ponere in eis Vicarios perpetuos, vel temporaneos, juxta diſpoſitionem hujus decreti, prout eis expedire videbitur. Quin imò, univerſim loquendo, quando in unione beneficiorum non fuit conſtitutus Vicarius perpetuus, auctoritate Epiſcopi, poteſt in illo poni Vicarius temporalis. Rebuff. c. l. n. 6.

VII. Præterea Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, penes quæ animarum cura reſidet, poſſunt in Eccleſijs parochialibus pleno jure, quoad ſpiritualia, & temporalia, eiſdem ſubjectis, & unitis, ſpectato Jure communi, arbitratu ſuo, ponere idoneos Vicarios temporales, neque cogi poſſunt ad conſtituendos Vicarios perpetuos, qui curam animarum in ijſdem Eccleſijs exerceant, ut tradit Gloſſ. communiter recepta in Clement. frequens unic. de exceſſib. Prælat. & ibidem. Abb. num. 17. Rebuff. c. l. num. 6. nam quando Eccleſia Cathedralis habet Parochiam, jura parochialia pertinent ad Capitulum, non ad Epiſcopum, ut colligitur ex c. Super; 8. & ibi notat Abb. num. 4.

Veruntamen negari non poteſt, quin multò magìs expediat, ut in prædictis Eccleſijs inſtituantur Vicarij perpetui: tum quia, cùm parochiæ ſunt unitæ Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, cura animarum non eſt penes ſingulos Canonicos, ſive Capitulares in particulari, ſed potiùs penes totum Collegium, ſeu Capitulum; & ſic Parochia non habet certum, & particularem Paſtorem, qui curam animarum exerceat, cùm Collegium, ſeu Capitulum non ſit perſona vera, ſed ficta, ideóque magìs conveniens eſt, & conſultum, ut quælibet Eccleſia curata habeat unum certum, & proprium Rectorem, aut Vicarium, cui cura animarum incumbat, c. Sicut; 4. cauſ. 21. q. 2. c. Cùm non ignores; 15. de præbend. Tum quia cùm Vicarij temporales ad nutum amoveri, vel etiam ipſi pro libitu ab Eccleſijs parochialibus, in quibus non ſunt intitulati, recedere poſſint, ea frequens Miniſtrorum mutatio ut plurimùm valde pernicioſa eſt ipſis Eccleſijs, arg. Clement. unic. de renunc. Fagnan. in c. ult. n. 14. & ſeqq. h. t. ubi fusè probat, valde expedire, ut Sedes Apoſtolica ſtatuat, deinceps Vicarios perpetuos in dictis Eccleſijs eſſe inſtituendos.

VIII. Quæritur 4. Quale jus Vicario perpetuo competat, & in quibus æquiparetur Rectori principali, ſive Parocho? Reſpondetur: Poſtquam Vicarius perpetuus, cum congrua portione, inſtitutus eſt in Eccleſia curata, ſeu Parochiali, jus reale, ac verum titulum canonicum beneficij acquirit, non quidem directum, qui eſt penes Rectorem principalem, cujus vices gerere dicitur, ſed utilem portionis ex annuis parochiæ unitæ reditibus ſibi aſſignatæ, ratione cujus verum beneficium habere cenſetor, quia in perpetuum, non à Rectore principali, ſed ab Epiſcopo inſtituente datur, ut colligitur ex c. Poſtulâſti; 27. junct. Gloſſ. V. Beneficium de reſcript. Gloſſ. in c. 1. V. In diverſis; h. t. Azor cit. c. 6. q. 5.

IX. Atque hinc Vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato, ſeu Parochiali, & quæ jure ſtatuta ſunt de Eccleſijs curam animarum habentibus, vel de Rectore Eccleſiæ Parochialis, etiam locum habent, & obſervari debent in Vicaria, vel Vicario perpetuo, juxta Clement. unic. h. t. Ubi Clemens »
V. Statuit; quæ in Eccleſijs curam animarum (in ſo- »
ro judiciali, vel pœnitentiali) habentibus, per re- »
ceptionem aliarum ſimilium amittendis: ac de i- »
pſarum (ſcilicet Eccleſiarum curatarum) ad Sacer- »
dotium (infra annum) promovendis: & de eorum »
(Rectorum) ætate à jure ſtatuta ſunt, in perpetuis »
Eccleſiarum parochialium Vicarijs, & aſſumptis ad »
eas obſervari. »

Quare 1. Sicut beneficium curatum, ſeu parochiale (c. De multa, 28. de præbend. & Extravag. Execrabilis unic. Jo. XXII. eodem.) ita Vicaria perpetua vacat ipſo jure, per alterius ſimilis beneficij adeptionem, cit. Clement. unic. Spectato tamen jure antiquo, adeptus aliud beneficium curatum, erat Vicariâ privandus, non autem ipſo jure privatus, ut
patet ex c. 1. h. t. ubi habetur, quòd Georgius Pres- »
byter, cùm 20. annis à Vicaria ſua abfuiſſet, & in- »
terim in diverſis Eccleſijs perſonatus, vel beneficia »
curata adeptus fuiſſet, poſtea reverſus Vicariam »
ſuam repetere voluit. Sed re delatâ ad Papam Ale- »
xandrum III. is reſpondit; Cùm repugnet SS. Ca- »
nonibus, ut qui curam animarum in una Eccleſia »
gerit, in alia Vicarius exiſtat, ideo dictum Presby- »
terum compellendum eſſe, ut à petitione Vicariæ »
illius deſiſtat. Ex quo patet, quòd, licèt in hoc c. »
mandetur, ut is, qui habet Vicariam perpetuam Eccleſiæ parochialis, ſi acquirat aliud beneficium curatum,

tum, illâ privandus, ſive ad illam non ampliùs admittendus ſit; non tamẽ hîc ſtatuitur, ut per adeptionem alterius beneficij curati, unius, vel plurium, ipſo jure perdat Vicariam priùs obtentam, ſicut poſterioribus juribus ſuprà citt. ſtatutum fuit. Gloſſ. fin. hîc.

X. Secundò: Sicut Rector principalis ipſo jure amittit parochiam, niſi intra annum, poſt pacificam ejus poſſeſſionem, legitimo impedimento ceſſante, Sacerdos ordinetur, c. Licèt; 14. de elect. in 6. ita etiam Vicarius amittit, ob eandem cauſam, Vicariam perpetuam, cit. Clem. unic. & ibi Gloſſ. V. Sacerdotium. Quamvìs olim, non ipſo jure illam amittebat, ſed per ſubtractionem proventuum, vel privationem ipſius Vicariæ ad Sacerdotium ſuſcipiendum compellebatur, ut patet ex c. Ex par- » te; 6. & ult. h. t. ubi Papa Honorius III. mandat, » ut perpetui Vicarij, in Eccleſijs, in quibus Vicarias » obtinent, ad reſidendum, &c, ut ſe in Presbyteros, » ſicut earum cura exigit, faciant promoveri, per ſub- » tractionem proventuum, vel ipſarum Vicariarum » compellantur. Ratio eſt in textu, quia curam, ac veluti curatum beneficium obtinent, ideóque, & ad reſidentiam perſonalem, & ad Ordinem Sacerdotij Vicariæ perpetuæ intra tempus jure præſcriptum ſuſcipiendum, ſicut ipſi Rectores principales, ſeu Parochi intitulati, obligantur, cit. Clement. unic. h. t. Gloſſ. Magna; in cit. c. ult. h. t. & Abb. ibidem not. 1. & 2.

XI. Tertiò: Sicut nemo poteſt conſequi beneficium curam animarum habens, ſive Parochiam, ante xxv. ætatis annum cœptum, c. Cùm in cunctis; 7. §. Inferiora; de elect. cit. c. Licèt; eod. in 6. ita nec Vicariam perpetuam, cit. Clement. unic. Et ſicut Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper ætate cum Rectore Eccleſiæ Parochialis, c. unic. de ætat. & qualit. in 6. ita nec cum Vicario perpetuo. Gl, in cit. Clement. unic. V. Ætate.

Porrò Epiſcopum poſſe diſpenſare cum Vicario perpetuo Eccleſiæ curatæ, ſeu parochialis, ut ratione ſtudij, non teneatur intra ſeptennium ſuſcipere Sacerdotium, ſicut poteſt cum Rectore Eccleſiæ parochialis, juxta c. Cum ex eo; 34. de elect. in 6. tradit Gloſſ. in cit. Clement. unic. V. Sacerdotium, & Abb. ibid. n. 6. tum quia ratio permiſſionis expreſſa in cit. c. Cùm ex eo; æquè habet locum in Vicario perpetuo, atque in Rectore principali: tum quia ibi generaliter permittitur Epiſcopis poteſtas diſpenſandi cum illis, qui obtinent Eccleſias, quod verè dici poteſt non minùs de Vicarijs perpetuis, quàm de Rectoribus. Ex quo colligitur, quòd in materia diſpenſationis, propter identitatem rationis, fieri poteſt extenſio. Abb. c. I. n. 7. Neq; verò hoc caſu Vicarius dabit Vicarium, ſed Epiſcopus diſpenſans, loco perpetui Vicarij, ad ſeptennium ponet Vicarium, ſicut aliàs loco Rectoris. Gl. in cit. Clem. V. eod.

XII. Quartò: Sicut non poteſt aliquis ſimul eſſe Rector plurium, & diverſarum Eccleſiarum: ita nec Vicarius perpetuus in diverſis Eccleſijs, prout re- » ſcripſit Alexander III. in c. Provideas; 2. h. t. ubi » præcipit, ne aliquis permittatur habere plures » Vicarias, quia cùm Vicarij teneantur deſervire Ec- » cleſijs, earúmque perſonis (ſive curam animarum » habeant) contra jus eſt, ut quis Vicariam habeat, præter unam; non enim idem poteſt ſimul duabus deſervire, cùm perſonalem reſidentiam requirant. Et ſi verò regulariter prohibitum ſit habere Vicarium, præſertim perpetuum, quia quilibet per ſeipſum, & perſonaliter tenetur deſervire Eccleſiæ, vel beneficio, c. Quia nonnulli; 5. & c. ſeq. de Cleric. non reſident: ſunt tamen certi caſus, in quibus licitum eſt Vicariũ habere, & per ſubſtitutum deſervire Eccleſiæ. Gl. hîc V. Plures; & Abb. n. 2. & patet ex ſuprà dictis n. 5.

XIII. Quintò: Sicut Parochus, vel alius beneficiatus, temere, & ſinè cauſa, non eſt privandus beneficio ſuo: ita neque Vicarius perpetuus ſemel canonicè, id eſt, auctoritate Ordinarij inſtitutus amoveri poteſt ab Eccleſia ſua, niſi per ſententiam competentis Judicis, ob crimen, vel aliam juſtam cauſam, ut conſtat ex c. Ad hæc; 3. h. t. ubi idem Papa Alexander III. ita re- » ſcripſit: Si perſona alicujus Eccleſiæ (id eſt, perſo- » natum obtinens, v. g. Decanus Eccleſiæ Cathedralis) » cui Eccleſia parochialis perpetuò eſt unita, Vica- » rium in illa inſtituerit, ſeu conſtituerit, eique; cum » conſenſu, & auctoritate Epiſcopi Diœceſani, cer- » tam redituum portionem aſſignaverit: is, qui, per- » ſonâ illâ defunctâ, nempe Decano, in perſonatum » illius ſucceſſit, non poteſt Vicarium illum ab Ec- » cleſia amovere, aut penſionem ipſi aſſignatam mi- » nuere (cùm ſit perpetuò conſtituta. Gloſſ. fin. hîc) » niſi crimen commiſerit, propter quod per Judicem » ſuum Vicariâ, vel beneficio ſit privandus. »

Hinc colligitur 1. Quòd Vicarius perpetuus in Eccleſia curata alteri unita inſtitui non poteſt, ſinè auctoritate Epiſcopi Diœceſani, ad quem pertinet inſtitutio propriè dicta, etiam in Vicaria perpetua, & non ad inferiorem Epiſcopo. Hoſtienſ. hîc V. Inſtituit; & Abb. not. 1. & dictum ſuprà.

Colligitur 2. Quòd Vicarius perpetuus, etiam mortuo Rectore principali, removeri non poteſt à Succeſſore, ſinè conſenſu, & auctoritate Epiſcopi. Abb. hîc not. 2. & Rebuff. tit. de Vicarijs perpet. n. 15. quia Vicaria perpetua eſt beneficium, & datur Vicario in titulum perpetuum, ideóque cùm jus reale beneficij curati, auctoritate Epiſcopi, ſit conſecutus, eo privari non poteſt, niſi ob crimen per Judicis ſententiam.

XIV. Sextò denique ſicut Parochus, ita, & Vicarius perpetuus in ſua Eccleſia perſonaliter reſidere tenetur, & ad id per fructuum ſubtractionem eſt compellendus, cit. c. ult. h. t. Et hinc ſicut Parochus intitulatus, ita & Vicarius perpetuus tenetur habitare in ædibus parochialibus Eccleſiæ unitæ præbendis Capitularibus, & in earum defectum, in alia domo propinquiore à ſe conductâ, intra limites Parochiæ, ex ſententia S. Congreg. Concil. apud Fagnan. in cit. c. ult. n. 2. h. t.

Porrò ſicut Vicarij perpetui tenentur ad onera Parochorum, aliáſque obligationes curæ animarum annexas; Ita etiam eorundem commodis gaudent, juxta reg. jur. 56. in 6. cùm Rectoribus Parochialibus in jure æquiparentur, cit. Clement. unic. h. t. Tuſch. V. Vicarius; concluſ. 196.

XV. Quæritur 5. Qualem poteſtatem habeat Vicarius perpetuus in Eccleſia curata, ſeu Parochiali, in qua Vicarius eſt conſtitutus? Reſpondetur: Vicarius perpetuus in parochiali Eccleſia conſtitutus

eandem poteſtatem habet, quam verus Parochus, ita, ut tota cura actualis, ſive quoad exercitium, Vicario commiſſa ſit; Rector autem principalis non niſi habitu curam retineat. Gloſſ. in c. Super eo; 6. V. Annexæ; junct. Gloſſ. margin. de præbend. in 6. Abb. in c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; n. 15. extra eod. Rebuff. cit. tit. de Vicar. perpet. num. 11. Quamobrem Vicarius perpetuus, cum congrua portione, inſtitutus ab Epiſcopo, ſeu intitulatus in parochia, vix quiſquam dependet à Rectore principali, cùm jus reale beneficij curati, auctoritate Epiſcopi ſit conſecutus, & cura parochialis actu ipſi attributa ſit, ideóque ipſo Vicario invito, Rector principalis in Eccleſia parochiali deſervire, ſeu Sacramenta adminiſtrare non debet, nec poteſt. Rebuff. c. l. n. 1. Azor cit. c. 6. quæſt. 2. in fine: quia nullus poteſt in animarum curam ſe ingerere, niſi immediatum titulum ad illam habeat, qualem non habet Rector principalis, cujus dignitati, vel Canonicatui acceſſoriè, & in perpetuum annexa eſt Eccleſia Parochialis: nam per talem unionem ipſum beneficium principale, cui annexa eſt Eccleſia parochialis, ſi ſit ſimplex, v. g. Canonicatus, non fit curatum, cùm proviſus non ſit primò, ac principaliter intitulatus in Eccleſia Parochiali, ſed in Canonicatu, vel alio beneficio, cui illa eſt acceſſoriè, & in perpetuum unita. Barboſ. in Collect. in c. ult. num. 11. h. t. Et hinc Rector principalis habet ſolùm curam in habitu, ídque ex juris quodammodo diſpenſatione, dum permittit eum habere præbendam, cui annexa eſt Eccleſia curata, arg. c. Præterea; 5. & c. Ex litteris; 29. de offic. deleg. & l. 2. ff. de juriſdict. omn. jud. Fagnan. in c. Expoſuiſti; 33. num. 39. de præbend. Ob quam cauſam etiam in ipſo Rectore principali non requiruntur qualitates, ſeu conditiones, quæ aliàs exiguntur in Beneficiario Curato, ſeu curam animarum habente, ſed ſolùm eæ qualitates, quæ requiruntur ad ipſum beneficium principale, v. g. Dignitatem, vel Canonicatum, cui unita eſt Eccleſia parochialis. Barboſ. c. l. num. 15.

Prædicta autem procedunt, quando unio, ſeu incorporatio parochiæ facta eſt alteri dignitati, vel Canonicatui independenter ab onere, ſeu curâ animarum, quæ incumbit Eccleſiæ parochiali, ſive quoad temporalia tantùm, ita nimirum, ut relictâ congruâ portione Vicario, reliqui proventus ad Rectorem Principalem, cujus dignitati, vel Canonicatui acceſſoriè, & in perpetuum unita eſt parochia, pertineant: tum enim cura animarum actu ſpectat ad Vicarium, non verò ad Principalem, niſi habitualiter, idcóque neque is ſe quoad ſpiritualia immiſcere poteſt, ut dictum. Quòd ſi verò Eccleſia parochialis ſit unita, ſeu incorporata alteri Eccleſiæ, vel beneficio, dependenter, ac pleno jure, id eſt, quoad temporalia, & ſpiritualia ſimul, ut, ſi v. g. propter locorum diſtantiam, Eccleſia parochialis diviſa ſit in duas, & de novo erecta acceſſoriè ſit unita, & ſubjecta tanquam filialis Eccleſiæ Matrici, ſeu antiquæ: tum, cùm unus, idémque ſit Rector utriuſque beneficij, vel Eccleſiæ principalis, & acceſſoriè annexæ, & in utraque æquè principaliter ſit intitulatus, tota cura animarum, tam actualis, quàm habitualis utriuſque Eccleſiæ, eſt penes Rectorem principalem, quamvis eam interdum, ob juſtam cauſam, v. g. abſentiam, vel aliam ſimilem, ad tempus exercere poſſit per Vicarium temporalem. Barb. c. l. n. 10. 12. & 17.

XVI. Porrò quod dictum eſt, curam actualem Eccleſiæ Parochialis acceſſoriè, & in perpetuum unitæ alteri beneficio, aſſignatâ Vicario perpetuo in ea conſtituto certâ portione redituum, eſſe penes ipſum Vicarium, id ita intelligendum eſt, ut exercitium juris parochialis, in ſpiritualibus, & pertinentibus ad curam animarum, ſive forum internum, ſpectet ad Vicarium: in ijs verò, quæ ad externam defenſionem, vindicationem jurium parochialium, adeóque ad forum contentioſum, atque fabricæ reparationem pertinent, exercitium juris parochialis ad Rectorem principalem ſpectat, ſaltem ſi is majorem partem redituum percipiat, quia & ipſa Capella, ſeu Parochia unita quoad proprietatem dicitur eſſe Rectoris principalis, non Vicarij. Sylveſt. V. Vicarius; quæſt. 2. dicto 4. Zabatell. in Clement. unic. h. t. quæſt. 10. Laym. de Juriſdict. ordin. quæſt. 152. Niſi tamen de ipſo Jure Vicariatûs retinendo, vel recuperando agatur: nam Vicarius perpetuus, ac intitulatus pro juribus Vicariæ ſuæ, etiam ſinè mandato Rectoris principalis, agere poteſt. Sylveſt. c. l. cùm enim titulum beneficij obtineat, c. Michael; 13. de filijs Presbyt. ideo de ipſo, ſicut de alijs Curatis, & Beneficiatis ſentiendum eſt. Clement. unic. h. t. Conſtat autem, quòd Curatus, & quilibet alius Beneficiarius in judicio agere poteſt pro juribus ſui beneficij, c. Ex litteris; 3. de probat. ergo etiam Vicarius perpetuus id poterit. Imò in tali caſu, ſi uterque agere velit, Vicarius perpetuus præferri debet Rectori principali: cùm enim ipſe in Vicaria jus quoddam, ſive quaſi dominium utile habeat, & fructus tanquam uſufrarius quidam inde participet, ideo pro hoc jure ſuo defendendo agere poteſt, quia ipſius principaliter intereſt. Felin. in c. Gl. Perpetuus; 12. n. 2. de fide inſtrum. Quòd ſi verò Rector principalis etiam judicio aſſiſtere velit, admittendus eſt; cùm etiam ejus interſit: nam, ſi Vicarius cauſam perdat, & ideo neceſſariam ſuſtentationem non habeat, Rector aliunde ipſi providere debet. Sylv. c. l. Verùm pro ijs juribus Eccleſiæ, quæ remanent penes Rectorem principalem, Vicarius perpetuus agere non poteſt, niſi ab illo mandatum habeat. Sylv. c. l.

XVII. Quæritur 6. An Vicarius perpetuus alium Vicarium ſibi ſubſtituere poſſit? Reſp. Non poteſt Vicarius perpetuus alium ſimilem, & perpetuum Vicarium ſubſtituere, prout ſumitur ex c. Clericos; 4. h. t. ubi Papa Alexander III. reſcribit Epiſcopo cuidam, ne » permittat Clericos in Presbyteratu, vel alijs inferio- » ribus Ordinibus conſtitutos, in Vicarijs Eccleſiarũ, » quas adepti ſunt, alios ſibi ſubſtituere, cùm id ſatis » ſit abſonum, & abſurdum. Cujus c. duplex eſſe poteſt ſenſus, ſive expoſitio, prout tradit Gloſſ. hîc in caſu. Hoſtienſ. ibidem & Abb. num. 1. Prima eſt: non permittas Clericos, id eſt, Prælatos, vel Rectores in Presbyteratu, vel alios in inferioribus Ordinibus conſtitutos ſubſtituere in Vicarijs Eccleſiarum, quas adepti ſunt, alios tanquam Vicarios, nam appellatione Clericorum continentur etiam omnes Superiores, & Prælati, ſeu Rectores

Eccleſiatum, in qnibus habent curam animatum, vel aliam dignitatem, qui in propria perſonæ debent deſervire Eccleſiæ, & non per Vicarios ſibi ſubſtitutos, quia hoc fieret contra rationem, cùm beneficium detut propter officium. Aiins verò ſenſus, ſive expoſitio eſt: Clerici, ſcilicet Vicarij, ſive ſint Presbyteri, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, non poſſunt alios Vicarios in Vicatijs Eccleſiarum, quas adepti ſunt, ſibi ſubſtituere, quia hoc foret abſurdum. Hoſtienſ. hîc & Abb. n.2. Et iſte poſterior ſenſus, ſive expoſitio huc propriè pertinet, quam ſequuntur communiter DD. Ratio autem, cur Vicarius perpetuus alium ſimilem Vicarium ſubſtituere non poteſt, eſt; tum quia idem ritulus, ſeu jus Vicariæ ad duos ſimul pertinere non poteſt, tum quia neque ipſe Parochus, ſeu Rector principalis Eccleſiæ poteſt Vicarinm perpetuum inſtituere, cùm principaliter, ſive per ſe ipſum deſervire teneatur, præterquam in caſibus jure conceſſis, c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; de præbend. & ſumitur ex hoc c. ſecnndùm priorem illius intellectum: tum quia Vicarius perpetuus non niſi anctoritate Ordinatij, ſive Epiſcopi inſtitui poteſt, c. Ad hæc; 3. h. t. adeóque etiam à Vicario, ſinè conſenſu ejuſdem, alius Vicatius perpetuus ſubſtitui non poterit: tum etiam propter proceſſum in infinitum vitandum: nam Vicatius ſubſtitutus in locum Vicarij perpetui, poſſet alium ſimilem ſubſtituere, & ille itidem alium, & ſic in infinitum, & quia electa eſt induſtria perſonæ illius. Hoſticnſ. hîc & Abb. num.2. Azor cit. c. 6. quæſt. 10. Nec obſtat, quòd Procurator, ſive ad lites, ſive ad negotia, poteſt ſubſtituere alium, poſt litem conteſtatam, vel negotium cœptum c. 1. & 2. de procurat. in 6. quia is fit quaſi dominus liris, vel negotij cœpti, Abb. c. l. & Azor. neque etiam delegatus poteſt alium ſubſtituere, committendo ei in totum vices ſuas, de quo infrà.

XVIII. Cæterùm non prohibetur Vicarius perpetuus, ex juſta cauſa, ad tempus breve, v. g. ad unam, vel duas hebdomadas, etiam ſinè auctoritate, & conſenſu Epiſcopi, ſubſtituere Vicarium temporalem, committendo illi totum officium ſuum, ſive adminiſtrationem. Hoſtienſ. in cit. c. Clericos; & ibid. Abb. in fine. Azor c. l. Ratio eſt, quia etiam alij Patochi, ſeu Cnrati, propter neceſſariam abſentiam, vel infirmitatem, ad breve tempus poſſunt ſibi alium idoneum Sacerdotem ſubſtituere, ergo etiam Vicarius perpetnus id poterit, cùm & ipſi velut ordinaria cura, & juriſdictio competat, & Parocho in jure æquiparetur. Ad longum verò tempus, ſi impedimentum diu duraturum ſit, Vicarius interim auctoritate Epiſcopi conſtituendus eſt, ut colligitur ex c. Cùm ex eo; 34. §. Porrò; de elect. in 6. Quare ſi Curatus, ultra duos menſes, abeſſe cogatur à parochia, debet licentiam ab Ordinario impetrare, & Vicarium idoneum ab eodem approbandum relinquere, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 1. de reform. Azor cit. c. 6. q. ult. Si verò præſens ſit Curatus, ſed ob infirmitatem præeſſe officio perſonaliter non poſſit, probabile eſt, quòd etiam, ultra duos menſes, Vicarij, ſeu Cooperatoris operâ uti poſſit, delegando ei totum officium ſuum, eúmque conſilijs ſuis adjuvando: ſin autem impedimentum Curati diuturnum ſit, v. g. pluribus menſibus duraturum, Epiſcopus admonendus erit, ut interim Vicarium conſtituat. Laym in cit. c. Clericos; num. 1. §. Quæres.

XIX. Quæritur 7. An, & quomodo finiatur officium Vicarij perpetui? Reſpondetur: Poteſtas Vicarij perpetui non axtinguitur morte, ſeu obitu Rectoris principalis; neque propter depoſitionem, excommunicationem, vel ſuſpenſionem ab officio, & beneficio ejuſdem principalis, deſinit, vel ſuſpenditur officinm Vicarij perpetui; quia is non à Rectore principali, ſed auctoritate Superioris, videlicet Epiſcopi, & ipſius Juris eſt conſtitutus, ideóqne poteſtatem ordinariam, & à Rectore principali independentem eſt conſecutus. Abb. in cit. c. Extitpandæ; §. Qui verò; n. 14. de præb. & patet ex eod. c. Azor cit. c. 6. q. 7.

Quare mortuo Rectore principall, ejus Succeſſor Vicarium perpetuum amovere non poteſt, c. Ad hæc; 3. h. t. habet enim jus in re, id eſt, Vicariæ perpetuæ: quamvìs non teneat ipſam Eccleſiam parochialem, quoad proprietatem, ſeu titulum directum, qui reſidet penes Rectorem principalem. Gl. in cit. c. Ad hæc; V. Removere; & patet ex dictis ſuprà num. 13. Cæterùm poteſtas, & officium Vicarij perpetui, ijſdem modis, quibus Parochi, finitur, & amittitur, videlicet per mortem, reſignationem, aut depoſitionem ipſius Vicarij inſtituti: veruntamen ipſa Vicaria morte Vicatij vacat, non extinguitur, quippe quæ de novo erecta fuit, & in perpetuum, ſicut nec alia beneficia morte beneficiarij extinguuntur, ſed vacant, ita, ut alij conferri poſſint, de quo ſuo loco.

§. II.

De Vicariis temporalibus, & Cooperatoribus Parochorum.

XX. Quæritur 1. Ex quibus cauſis conſtitui poſſit Vicarius temporalis? Reſpondetur: Ex pluribus cauſis à jure conceſſis talis Vicatius conſtitui poteſt, & ſolet. Veluti quia Parochus, vel alius Rector beneficij pluribus Eccleſijs, quas legitimè obtinet, ſimul deſervire nequit, ideóque in una perſonaliter reſidet, ac per ſe ipſum deſervit; in alijs Vicarium conſtituit, qui ejus nomine adminiſtret, ut colligitur ex c. Et temporis; 48. cauſ. 16. quæſt. 1. Vel quia Eccleſia vacat, cui non ſtatim de alio Rectore idoneo provideri poteſt, ideóque ad tempus Vicarius in ea conſtituendus eſt, donec ei de Rectore provideatur, c. Cum vos; 4. de offic. Jud. ord. Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 18. de reform. Vel ob multitudinem negotiorum, quibus Eccleſiæ Rector, ratione ſui officij, detinetur, vel ob peregrinationem ad pia loca ſuſceptam: vel ob infirmitatem, aut ſenium: vel ob juſtam abſentiam ab Epiſcopo cognitam, & approbatam, quia v. g. Parochus in ſtudijs verſatur, vel quia nondum Sacerdos factus eſt, vel quia Religionem ingreſſus eſt, & adhuc in probatione verſatur; vel denique quia ob aliam cauſam aliquam, videlicet neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ, per ſe ipſum deſervire non poteſt, ideóque Vicarij operâ uti debet. Azor cit. c. 6. q. 3.

XXI. Quæritur 2. Quis poſſit conſtituere Vicarium temporalem, & quale jus, ſive poteſtas ei competat? Reſpondetur: Parochus, imò etiam Vicarius perpetuus, poteſt propter neceſſarium impedimentum, Vicarium temporalem, ſive ad breve tempus ſuo loco ſubſtituere, etiam ſinè licentia Epiſcopi, totam ei curam, & officium paſtorale committendo, dummodo ſit notus, & de promotione ejus ad hoc officium conſtet. Fagnan. in c. ult. num. 13. de Cleric. ægrot. & alii communiter; & ſumitur ex Concil. Trident. c. 4. Seſſ. 21. de reform. ubi habetur, quòd poſſint Epiſcopi Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ad hoc cogere, & niſi ſtatutum Synodale, vel provinciale prohibeat, Curato ſubſtituere Vicarium etiam ad breve tempus. Rebuff. in praxi benef. tit. de diſpenſat. de non reſid. n. 14.

Porrò talis Vicarius temporalis non ſe habet inſtar Beneficiarii, quia titulum, & jus in parochia non habet, ſicut Vicarius perpetuus, ſed jure parochiali, & curâ animarum penes Rectorem principalem manente, Vicarius ſolùm eam exercet, non ſuo, ſed ex commiſſione, & nomine Rectoris principalis, aut eum conſtituentis. Azor cit. c. 6. q. 5. Quare neque morte ipſius Vicarij temporalis Parochia vacat, ſed per mortem Rectoris principalis, vel ejus reſignationem, aut depoſitionem, officium, & adminiſtratio Vicarij exſpirat, ad cujus etiam nutum, & ſinè cauſa amoveri poteſt Vicarius temporalis. Innocent. in c. Cùm non ignores; 15. num. 2. de præbend. Hoſtienſ. ibid. §. Et quandoque; & Jo. Andr. num. 3. Verùm Vicarii ad libitum amovibiles deputati à Capitulo Cathedrali ad curam exercendam in Eccleſia parochiali, poſſunt quidem à Capitulo ad nutum ejuſdem amoveri, non tamen ab Ordinario, niſi ex cauſa legitima, & probata, propter quam, etiamſi perpetui eſſent, amoveri poſſent, juxta declarat S. Congregat. Concil. apud Fagnan. in c. Cùm ad Monaſterium; 6. num. 39. de ſtatu Monach.

Præterea Vicarii temporalis poteſtas exſpirat, redeunte ad ſuum officium Rectore principali, vel per revocationem Vicarii ab eo, qui illum conſtituit, factam: vel per propriam renunciationem ipſius Vicarii, quam facere poteſt, pro arbitrio, niſi ad certum tempus ſe obligârit, tum enim ante tempus illud elapſum, ſinè conſenſu Rectoris, aut Epiſcopi, Vicarius ſuum officium deſerere non debet.

XXII. Quæritur 3. An Vicarius temporalis poſſit alium ſimilem Vicarium ſubſtituere? Reſpondetur: Spectato Jure communi, Vicarius temporalis, qui titulum non habet, alium Vicarium temporalem ſubſtituere nequit, demandando ei totam curam, ſive officium ſuum, etiam ad modicum tempus, niſi cum licentia Ordinarij, expreſſa, vel tacita: & tum non tam ſuo, ſeu proprio, quàm ipſius Ordinarii paſtoris, jure, & auctoritate alium Vicarium ſubſtituit. Sanch. lib. 3. de matr. diſ. 31. num. 2. & 15. Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 6. c. 10. n. 13. & in c. Clericos; 4. n. 3. h. t. quamvis Vicarius temporalis, ſi ſolus officio ſatisfacere non poſſit, non prohibeatur aſſumere Cooperatorem, ſeu Coadjutorem: quia ſicut delegatus ad Univerſitatem cauſarum, cùm veluti ordinariam juriſdictionem habere reputetur, unam, vel alteram cauſam ſubdelegare poteſt, ſeu partem juriſdictionis, non tamen totam ſuam juriſdictionem ſibi delegatam, ut colligitur ex l. 1. C. Quis, & à pluribus appell. & ibi Gl. V. Ab eo; & docet etiam Gl. in l. à judice; 5. V. Non habet, & in c. Cùm cauſam; 62. V. Delegatus; de appell. ita ſimiliter Vicario temporali cenſetur ab Ordinario conceſſa poteſtas ſubſtituendi, ſeu demandandi, non quidem totum officium, ſed partem ejus, ſive unum, alterúmve actum officij parochialis, quia & ipſe quaſi ordinariam juriſdictionem, ac veluti commendatam exercet. Sylveſt. V. Vicarius; q. 5. Sanch. c. l. Laym. c. l. Excipiendum tamen eſt, niſi alicubi conſuetudo permittat (quæ pluribus locis viget) ut Vicarius etiam temporalis, ſeu Vicecuratus ad nutum amovibilis poſſit, ob juſtam cauſam neceſſariæ abſentiæ, vel infirmitatis, alium Vicarium ad breve tempus ſuo loco ſubſtituere, totum officium ſuum ei demandando; quia Epiſcopus conſtituens Vicarium temporalem, & ſciens talem conſuetudinem, tacitè conſentire, & dare facultatem ad talem ſubſtitutionem cenſetur. Sylv. & Sanch. locis citt.

XXIII. Ex dictis colligitur, quòd Vicarius temporalis Curati, ſeu Parochi habeat juriſdictionem, ſeu poteſtatem quaſi ordinariam, quia gerit vices Parochi, qui ordinariam juriſdictionem habet, eique in eadem juriſdictione, officio, aut curâ eſt ſubſtitutus, ut indicat Gloſſ. communiter recepta in Clement. 1. V. Presbyteri; de privil. & alij apud Fagnan. in c. Quod nobis; 2. de clandeſt. deſponſat. num. 28. non autem habet juriſdictionem delegatam, cùm non diverſam, ſed omnino eandem juriſdictionem ejus, cujus locum, & vices gerit, exerceat. Laym. in c. 1. n. 3. h. t. in 6. nam etſi non competit ei, ratione proprii muneris perpetui, & irrevocabilis, competit tamen ratione muneris temporanei, & revocabilis: unde ſolùm ſequitur, quòd non ſit officium, nec poteſtas ordinaria, & irrevocabilis, ſed quòd ſit veluti ordinaria; quamvis in hoc delegatæ ſit ſimilis, quia per modum cujuſdam delegationis, ſeu commiſſionis exiſtit in Vicario, juxta voluntatem committentis; qui eam, quando placet, revocare poteſt, ſicut idem obtinet in Vicario Epiſcopi, ut ex infrà dicendis patebit.

XXIV. Quæritur 4. Qualiter Parochi aſſumere poſſint Cooperatores, & quam Illi juriſdictionem habeant? Reſpondetur: Quia Parochi, ſeu Curati Sacerdotes ſunt ordinarij animarum Paſtores, ſive ordinariâ juriſdictione præditi in foro conſcientiæ, ideo Cooperatores ſibi aſciſcere, iiſdémq; juriſdictionem in eodem foro ad univerſitatem cauſarum delegare poſſunt, ſi ab Epiſcopo ſint approbati, etiam ad abſolvendum ab excommunicatione non reſervatâ: nam cùm talis abſolvendi facultas ipſis, ratione officii ſui paſtoralis, ſit commiſſa, ideo in ordinariam tranſit, & delegari poteſt, ut ex Conink. docet Laym. de Juriſd. ordin. concl. 151. ſecundùm communiorem DD. ſententiam. Ex quo patet, quòd Cooperator habeat juriſdictionem delegatam, adeóque diſtinctam à juriſdictione Parochi: & per conſequens neque alteri ſubdelegare poſſit poteſtatem audiendi Confeſſiones, aſſiſtendi marrimonio, & alios actus juriſdictionis parochialis exercendi, ne quidem in caſu particulari, ſinè commiſſione Parochi, vel Ordinarii. Laym. de juriſd. ordin. concl. 154.

Et in hoc etiam diſtinguitur Cooperator à Vicario temporali, ſive Vicecurato, qui in locum Parochi infirmi, vel abſentis ad tempus ſubſtituitur: is enim eandem juriſdictionem habet cum juriſdictione Parochi, Maranta de ordin. judicior. p. 4. diſ. 5. num. 7.&8. quamvis ſubordinatam, ac dependentem, cùm ut Mercenarius ſerviat, & ad nutum Parochi conſtitutus, quin etiam Epiſcopi amoveri poſſit, non enim poteſt Parochus officium ſuum parochiale, in alium transferre, niſi dependenter ab Epiſcopo, & cum licentiâ ejuſdem, ſaltem præſumptâ. Laym.c.l. Et hinc etiam talis Vicecuratus, ſive Vicarius temporalis, ſaltem partem juriſdictionis, ſive ad unam, vel alteram cauſam delegare poteſt, cùm ratione parochialis officij ad tempus ſibi conceſſi, juriſdictionem ordinariam exerceat. Marant. c. l. num. 17. ubi loquitur de Vicario Rectoris, ſeu Præſidis. Laym. c.l. Porrò de Coadjutore dando Parocho inhabili facto ad officium ſuum, dicetur infrà Lib. 3. Tit. 6.

SECTIO II.

DE VICARIO JURISDICTIONIS.

XXV. Vicarius juriſdictionis, generatim loquendo, duplex eſt: nam alius eſt à Lege, ſeu Canone conſtitutus, ita, ut propriam, & ordinariam juriſdictionem obtineat, diverſam à juriſdictione principalis, cujus vices gerit, quamvis ipſi ſubjectam & ſubordinatam, cujuſmodi Vicarius juris eſt Archidiaconus, c. 1. de offic. Archid. Alius eſt Vicarius ab homine, videlicet Superiore Ordinario, ſeu ordinariam juriſdictionem habente conſtitutus, & in ejus locum ſubſtitutus. Atque hic rurſus, vel ita eſt conſtitutus, ut poteſtatem, ſeu juriſdictionem diverſam à conſtituente accipiat, etſi ſubordinatam, & ab eo dependentem, qualis eſt Vicarius foraneus, ſeu ruralis, qui in certo tantùm loco, ſive diſtrictu Diœceſis juriſdictionem Vicariam exercet, de quo ſuprà in Tit. de offic. Archipresb. Vel ita eſt conſtitutus à Superiore, ut juriſdictionem, non diverſam, ſed eandem habeat cum juriſdictione conſtituentis, quamvis alio modo, videlicet dependenter ab ipſo conſtituente, cui ſubſtitutus eſt in eodem Tribunali, ſive in eadem juriſdictione exercendâ: qualis eſt Vicarius generalis, qui Vice-Ordinarij, Epiſcopi ſcilicet, vel quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentis, in tota Diœceſi juriſdictionem exercet. Et hic etiam Officialis Epiſcopi, c. ult. junctâ Gloſſ. margin. h. t. in 6. Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 16. de reform. aliàs etiam Vice-Dominus appellatur, c. Examinata; 15. de Judic.

§. I.

De Vicario Generali, ſeu Officiali Epiſcopi, eiúſque conſtitutione.

XXVI. Quæritur 1. Quotuplex ſit Vicarius, ſeu Officialis Epiſcopi? Reſpondetur: Vicarius Epiſcopi alius eſt ſimpliciter generalis, cui adminiſtratio tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus commiſſa eſt: alius autem generalis ſecundùm quid: & tum, vel in ſpiritualibus tantùm, qui abſolutè Vicarius, vel etiam cum addito, Vicarius in ſpiritualibus vocari ſolet: Vel in temporalibus duntaxat, & hic Oeconomus appellatur. Vicarius Epiſcopi in ſpiritualibus tantùm conſtitutus vocari ſolet Vicarius in ſpiritualibus generalis, ut patet ex Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 1. 2. 3. & 4. de reform. non item Vicarius in temporalibus tantùm, quia ſpiritualia ſunt digniora temporalibus. Jacob. Sbrozius de Vicar. Epiſc. l. 1. q. 25. & ſeq. Et hinc Vicarius in temporalibus tantùm non poteſt eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ, niſi aliunde dignitatem in Eccleſia obtineat. At verò ad Vicarium in ſpiritualibus ſæpe reſcripta juſtitiæ, & gratiæ à Sede Apoſtolica mittuntur. Garc. tract. de benefic. p. 5. c. 8. n. 124. Deinde, licèt Officialis Epiſcopi idem ſit, qui Vicarius Epiſcopi: ex uſu tamen, & conſuetudine Cancellariæ Apoſtolicæ, litteræ Sedis Apoſtolicæ, quæ ad provincias intra montes ſitas mittuntur, Vicario: quæ verò ad provincias Ultramontanas, Officiali inſcribi ſolent. Sbroz. cit. l. 1. q. 2. n. 10. Laym. de juriſd. ordin. concl. 91.

XXVII. Cæterùm ad generalem Vicariatum requiritur, ut adminiſtratio in ſpiritualibus ei generaliter commiſſa ſit, quoad omnia loca, ſeu totam Diœceſin: nam ſi Vicarius, ſeu Officialis ſolùm conſtitutus ſit pro iis, qui in Civitate Epiſcopali degunt, non poteſt cenſeri generalis, ſed diverſam juriſdictionem habebit à juriſdictione Epiſcopali, eámque delegatam, non abſimilem juriſdictioni Vicariorum ruralium. Sbroz. cit. l. 1. c. 29. n. 1. & ſeqq. ac proindeneque Sedis Apoſtolicæ delegatus eſſe poterit, arg. Clement. 2. de reſcript. Garc. cit. c. 8. num. 36. addit Sbroz. c. l. n. 7. & 8. ſecus eſſe de eo, qui non limitatè ad civitatem, ſed ſimpliciter eſt conſtitutus, tunc enim cenſetur generaliter conſtitutus pro tota Diœceſi, quia commiſsâ curâ civitatis, dicitur quoque commiſſa cura diſtrictûs, ſeu reliqui territorij. Deinde requiritur, ut generaliter omnes cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum, etiam externum, pertinent, ipſi commiſſæ ſint: licèt nihil obſtet, quò minùs certum aliquod cauſarum genus alteri committi poſſit. Nam interdum duo ſunt in Diœceſi Officiales: unus principalis, qui generatim Epiſcopi vices gerit, ſaltem in ſpiritualibus, & ad quem reſcripta, ſeu litteræ Apoſtolicæ diriguntur; & hic Officialis, ſeu Vicarius generalis dicitur: Alter verò eſt Officialis minùs principalis, & priori ſubordinatus, vel qui Conſiſtorio Epiſcopali præeſt in certis tantùm cauſis, v. g. matrimonialibus, decimalibus; & iſte Officialis appellatur, nec poteſt eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ, niſi aliunde præeminentiam, vel dignitatem habeat, vel Eccleſiæ Cathedralis ſit Canonicus, arg. cit. Clem. 2. de reſcript. Laym. de juriſd. ord. concl. 92.

Porrò adminiſtratio in ſpiritualibus conſiſtit in poteſtate excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, conferendi beneficia, inſtituendi, eligendi, præſentandi, viſitandi, corrigendi, puniendi, conferendi Sacramenta, dandi facultatem alteri, ut confeſſat, diſpenſandi in votis, & juramentis, & ea commutandi. Rebuff. in praxi benef. tit. forma Vicariatûs,

catiatûs, num. 18. Azor p. 2. l. 3. c. 47. q. 7. §. Si quæras. Adminiſtratio verò in temporalibus conſiſtit, vel in judicio, vel extra judicium: in judicio adminiſtratio in temporalibus includit omnem poteſtatem, & juriſdictionem temporalem pleno jure, quoad merum, & mixtum Imperium: extra judicium verò adminiſtratio temporalis conſiſtit in poteſtate alienandi bona temporalia, permutandi, locandi, colligendi cenſus, reditus, & penſiones, &c. Rebuff. c. l. n. 19. & ſeq. Azor c. l.

XXVIII. Quæritur 2. An Epiſcopus poſſit, ac debeat conſtituere Vicarium generalem? Reſpondetur 1. Epiſcopus poteſt conſtituere Vicarium generalem, & quidem ſolus, ſinè conſenſu, aut conſilio Capituli, quod etiam receptâ conſuetudine approbatur, quia, & eundem amovere poteſt. Hoſtienſ. in ſumm. §. Et in quibus caſibus num. 5. h. t. Abb. in c. pen. n. 4. eod. Azor cit. l. 3. c. 6. q. 14. & c. 43. q. 2. Sbroz. cit. l. 1. q. 54. Non tantùm autem poteſt Epiſcopus, ſed etiam ordinariè tenetur Vicarium generalem conſtituere, ut docet Abb. in c. Quoniam; 14. n. 3. de offic. Ordin. Ugolin. de Offic. Epiſc. p. 1. c. 4. §. 6. n. 1. Sbroz. l. 1. q. 46. n. 2. & ſeqq. Ratio eſt, quia propter multitudinem occupationum, Epiſcopus, etſi diligentiſſimus ſit, per ſe ſolus plerumque non ſufficit omnibus negotiis, ſaltem commodè, expediendis, quæ ad Regimen Epiſcopale, & curam animarum pertinent, ideóque Vicarium ſibi aſciſcere debet, cujus operâ adjuvetur. Quòd ſi Epiſcopus id facere negligat, Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus ipſi terminum præfiget ad conſtituendum Vicarium: quo elapſo, ſi non conſtituerit, ipſemet Metropolitanus Vicarium conſtituet, vel Epiſcopum ad eum conſtituendum cogere poteſt. Abb. c. l. Ugolin. c. l. num. 2. Dixi ordinariè, quia plerumque neceſſitas gubernandæ Diœceſis exigit, Vicarium aſſumi. Quòd ſi tamen nulla neceſſitas urgeret, quia Diœceſis parva eſt, vel quia Epiſcopus ita induſtrius eſt, & exercitatus in negotiis gerendis, ut per ſe ſolus omnia commodè agere poſſit, quæ ad munus Epiſcopale pertinent, non debet, nec poteſt cogi, ut vices ſuas alteri demandet, ut ex Rota Rom. tradit Barb. de Offic. Epiſc. allegat. 54. & l. 1. Jur. Eccleſ. c. 15. n. 16. Quod tamen quia vix unquam, aut rarò contingit, ideo alij DD. ſimpliciter affirmant, Epiſcopum teneri Vicarium conſtituere.

XXIX. Reſpondetur 2. Epiſcopus non tantùm unum, ſed etiam plures Vicarios principales, ſeu generales, eóſque cum juriſdictione, ac poteſtate in ſolidum ſingulos conſtituere poteſt, quò faciliùs negotia expediantur. Gloſſ. in Clement. 2. V. Principalis; de reſcript. Sbroz. l. 1. q. 50. num. 1. Barb. cit. alleg. 54. n. 156. dummodo tamen eos conſtituat in loco, ubi Sedem habet Epiſcopus, generalis enim, & principalis Vicarius dicitur ille, qui conſtitutus eſt, cum generali poteſtate ad omnia loca, ſive totam Diœceſin, & ad univerſitatem cauſarum in civitate Cathedrali, in qua reſidet Epiſcopus. Garc. cit. p. 5. c. 8. n. 36. & duobus ſeqq. Barb. c. l. Vel etiam qui in oppido, vel alio loco Diœceſis, ob majorem commoditatem eſt conſtitutus, quando in Civitate, in qua Sedem habet Epiſcopus, alius Vicarius generalis non eſt. Garc. c. l. n. 39. Poteſt etiam Epiſcopus plures Vicarios foraneos, & ſpeciales in certis partibus Diœceſis conſtituere, vel ad certos actus, ſive cauſas, v. g. matrimoniales deputatos. Gloſſ. in cit. Clem. 2. V. Foraneo; Sbroz. cit. q. 50. num. 4. Sed & Adminiſtrator Epiſcopatûs Vicarium unum, vel plures conſtituere poteſt, quia ſuccedit in ordinaria juriſdictione Epiſcopi, c. Is cui; 42. de elect. in 6. & æquiparatur quoad poteſtatem Capitulo, Sede vacante, c. Cùm nullus; 3. de tempor. ordin. in 6. Sbroz. cit. l. 1. q. 62.

XXX. Reſpondetur 3. Si duo ſint Vicarii, ſeu Officiales Epiſcopi, & delegatio à Papa ſimpliciter fiat Vicario, ſeu Officiali, tum, ſi alter ex illis ſit principalior, illi ſoli cenſetur facta commiſſio, quia nomen dignitatis abſolutè prolatum ſtat pro principali. Gloſſ. in c. Quoniam; 14. V. Subſtitutum; de offic. jud. deleg. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 27. n. 36. Barb. l. 1. Jur. Eccleſ. c. 15. n. 32. & ſumitur ex Clement. 2. de reſcript. Si verò hujuſmodi duo Vicarii, ſeu Officiales ſint æquè principales, & in ſolidum conſtituti, nullúſque ſit deſignatus in reſcripto delegationis, tunc, etſi hoc ipſo jure ſit validum, ita, ut, ſi Adverſarius, contra quem impetrata eſt commiſſio, conſentiat, vel nihil opponat, is Vicarius expedire poſſit cauſam delegatam, cui impetrans priùs præſentavit litteras delegationis: attamen ſi Adverſarius excipiat, ſeu opponat incertitudinem delegationis; tum ejus declaratio petenda eſt à Papa, & interea delegatio effectum non habet, donec declaret Papa, utri eorum cauſam delegare voluerit. Gloſſ. in cit. c. Quoniam; V. Subſtitutum; Sanch. c. l. n. 37. Barb. n. 33. Nec obſtat, quòd reſcriptum delegationis propter incertitudinem vitietur, ideóque ad Papam ſit reſcribendum, ut novam commiſſionem faciat, c. Ad hæc; 10. de reſcript. quia hoc verum eſt, quando Judex omnino incertus datus eſt, ſecus, ſi ex certis incertus ſit delegatus. Sanch. c. l.

Ex quo infertur, quòd in reſcriptis gratiæ, v. g. diſpenſationis faciendæ, ille Vicarius ſit delegatus, cui reſcriptum ab impetrante fuit præſentatum, quia in tali caſu de nullius alterius præjudicio agitur, ſicut in reſcripto juſtitiæ, ſive ad lites. Sanch. c. l. & Barb. Quare tunc locus erit præventioni, ita, ut poſtquam reſcriptum diſpenſationis uni ex duobus Vicarijs æquè principalibus Epiſcopi eſt præſentatum, alter adiri non poſſit, ut illud exequatur, nec ſe immiſcere. Sanch. c. l. n. 38. & conſentit. Laym. in c. 1. n. 7. h. t. in 6.

XXXI. Quæritur 3. Qualis debeat conſtitui Vicarius? Reſpondetur: Vicarius Epiſcopi in temporalibus tantùm, ſive Oeconomus Eccleſiæ, poteſt eſſe Laicus, quia talis ſubit vices Epiſcopi in juriſdictione, ſeu adminiſtratione ſeculari, & temporali, cujus Laicus eſt capax. Sbroz. l. 1. q. 31. n. 11. & alij communiter. Vicarius verò Epiſcopi in ſpiritualibus, debet eſſe Clericus, alioquin non eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, c. Nullas; 18. c. In nona; 22. cauſ. 16. q. 7. ubi dicitur, *indecorum enim eſt, Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſeculares in Eccleſia judicare*; Laici enim ſpiritualia negotia tractare non debent, c. 2. de judic. Sbroz. cit. q. 31. num. 1. & 11. ex communi. Non tamen requiritur neceſſariò, ut Vicarius in ſpiritualibus in ſacris, ſeu majoribus Ordinibus ſit conſtitutus, ſed ſufficit, ut primâ Tonſurâ ſit

ſit initiatus, & tonſuram, habitúmque Clericalem deferat. Sbroz. lib. 1. q. 32. n. 1. niſi etiam in Pontificalibus, ſive ijs, quæ Epiſcopalis Ordinis ſunt propria, in Epiſcopi locum ſit ſubſtitutus, qui vulgò Suffraganeus vocatur: vel non tantùm in ſpirituali juriſdictione externa; ſive in ijs, quæ ad forum Eccleſiaſticum externum, ſed etiam, quæ ad internum pœnitentiæ pertinent, Epiſcopi vices ſuppleat, qui vulgò Pœnitentiarius appellatur: tunc enim Epiſcopali, vel Sacerdotali Ordine inſignitum eſſe debere, per ſe patet.

Sed neque Clericus conjugatus, etiam cum una virgine, poteſt eſſe Vicarius Epiſcopalis in ſpiritualibus, quia non plenè gaudet privilegijs Clericalibus. Sbroz. cit. quæſt. 31. num. 5. & ſeqq. Garc. cit. cap. 8. num. 3. Neque bigamus, quia omni privilegio Clericali eſt nudatus, etſi Clericus effectus ſit, niſi priùs ſolutus ſit à bigamiæ impedimento, & in cœlibatu vivat, c. unic. de bigam. in 6. Sbroz. c. l. num. 5. Garc. c. l. num. 4. 5. & 6. Azor p. 2. l. 3. c. 43. quæſt. 12. Barboſ. cit. alleg. 54. num. 11. Debet etiam conſtitui Vicarius idoneus ſcientiâ, moribus, & ætate, uſúque rerum, ut colligitur ex c. Cùm in cunctis; 7. in princ. de elect. Ætas idonea cenſetur, ſi xxv. annum attigerit, etſi non compleverit, qualis ætas requiritur in ijs, quibus cura animarum imponitur, cit. c. Cùm in cunctis; §. Inferiora. Scientia ea eſſe debet, ut ſit Doctor, vel Licentiatus in Theologia, aut Jure Canonico. Azor cit. quæſt. 12. Sbroz. l. 1. q. 33. & tribus ſeqq. Poſſunt autē etiam Canonici Regulares, & Monachi, cum conſenſu Prælati ſui, Vicarij conſtitui, cùm jure non prohibeantur, ita tamen ut ſocium religioſum habeant adjunctum. Rebuff. in praxi benef. tit. de Vicar. Epiſc. n. 30. & 31. Non autem Religioſi Ordinum Mendicantium Vicarij munere fungi poſſunt. Clement. 1. §. Ad Prioratus de Regulat. Rebuff. c. l. n. 32.

XXXII. Poſtremò quod ad modum, ſeu formam conſtituendi Vicarium Epiſcopi attinet, licèt ad ejus ſubſtantiam ſcriptura non ſit neceſſaria, cùm abſolutè etiam ſolo verbo Epiſcopi validè conſtitui poſſit Vicarius: requiritur tamen ſcriptura publica, & ſolemnis ad probationem ejuſdem, ſi à partibus negetur, conſtitutum eſſe Vicarium, vel in dubium vocetur, ideóque non niſi per mandatum in publicum inſtrumentum redactum, in quo continetur poteſtas Vicario conceſſa, conſtitui ſolet, ac debet Vicarius Epiſcopi. Rebuff. c. l. num. 8. & 9. Sbroz. lib. 1. quæſt. 64. num. 7. & ſeqq. quia ſcripturæ auctoritas requiritur ad probandum Judicem Ordinarium, ut tradit Jaſon in l. More; 5. num. 53. ff. de juriſd. omn. jud. Porrò formula conſtituendi Vicarios generales Epiſcoporum habetur apud Rebuff. tit. Forma Vicariatus. Azor cit. l. 3. c. 46. q. 1. Sbroz. l. 1. q. 70. n. 10.

* * *

§. II.

An Vicariatus ſit Eccleſiaſticum beneficium, vel dignitas, & an iuriſdictio Vicarij Epiſcopalis ſit ordinaria, an delegata?

Ad utramque hanc quæſtionem reſpondetur ſeqq. Aſſertionibus.

XXXIII. Aſſertio 1. Vicariatus Epiſcopalis non eſt beneficium Eccleſiaſticum, ut ex communi docet Azor p. 2. l. 3. c. 13. quæſt. 8. & c. 43. quæſt. 8. Ratio eſt, quia, licèt Epiſcopus teneatur ex Camera ſua congruum ſalarium conſtituere, & dare Vicario, tanquam mercedem laboris ſui, arg. c. Charitatem; 45. & c. Quicunque: 66. cauſ. 12. quæſt. 2. Sbroz. lib. 1. quæſt. 55. num. 1. cùm nemo cogatur ſuis ſtipendijs militare, c. Cùm ex officij; 16. de præſcript. c. Cùm ſecundùm 14. de præbend. imò etſi de ſalario ſolvendo non ſit conventum, illud debeatur, quia ex æquitate ſalarium non conſtitutum officio Judicis peti poteſt. Barboſ. l. 1. Jur. Eccleſ. c. 15. n. 46. fructus tamen, ſeu reditus annui, pro ſalario, Vicario aſſignati ab Epiſcopo, non habent rationem beneficij, quia non conſeruntur ei in titulum ſtabilem, ac perpetuum, cùm Vicarius ad nutum Epiſcopi amoveri poſſit: beneficium autem ſuâpte naturâ eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis.

Quare Vicariatus Epiſcopalis non eſt incompatibilis tum alijs dignitatibus, & beneficijs Eccleſiaſticis, ſive curatis, ſive non curatis, etiam reſidentiam exigentibus, quia, cùm Vicarius in Miniſterio Epiſcopi verſetur, legitimè abſens cenſetur, nec ad perſonalem reſidentiam perpetuam obligatur, arg. c. Jubemus; 60. diſ. 1. de conſecr. Et hinc neque Vicariatus amittitur, aut vacat per adeptionem alterius dignitatis, vel beneficij, etſi curati, neque vice verſâ beneficium, quod quis habuit, per adeptionem Vicariatûs. Abb. in c. De multa; 28. num. 23. de præbend. Rebuff. tit. de Vicar. Epiſc. num. 7. & alij communiter. Nec refert, quòd Vicariatus ſit dignitas, quia illa dignitas eſt potiùs Epiſcopi, quem repræſentat Vicarius, & ipſe facilè amoveri poteſt: ideóque, cùm non ſit per ſe ſtabilis dignitas, non eſt talis, quæ ſit cum beneficio incompatibilis. Fagnan. in c. Ad hæc; 13. de præbend. n. 28. licèt quoad præeminentiam ſit dignitas, ut mox dicetur.

XXXIV. Aſſertio 2. Vicarius generalis Epiſcopi eſt in dignitate conſtitutus, quia præeminentiam habet cum juriſdictione conjunctam, & ex eadem provenientem. Gloſſ. in Clement. 2. V. Delegatus de reſcript. Sbroz. l. 2. de Vicar. Epiſc. q. 22. n. 1. & ſeqq. Et quidem ſpectato Jure communi, omnes alios Canonicos, & Prælatos Epiſcopo inferiores, etiam Archidiaconum, dignitate præcedit, quia locum Epiſcopi tenet, ejúſque perſonam repræſentat, & in eodem Tribunali juriſdictionem Epiſcopalem exercet: Archidiaconi verò tribunal inferius eſt,

&

& ſubjectum Conſiſtorio Epiſcopali, cui præeſt Vicarius generalis, Rebuff. c. l. n. 7. Sbroz. l. 2. q. 25. n. 1. & pluribus ſeqq. Ex quo inferunt nonnulli, neque per conſuetudinem induci poſſe, ut Archidiaconus præcedat Vicarium generalem, quia id abſurdum foret; neque per ſtatutum decerni, Felin. ad Rubric. n. 10. de majorit. & obed. Sbroz. cit. q. 25. n. 5. Verùm hoc de facto in multis Eccleſiis non obſervatur, in quibus Vicarius generalis, intra, & extra Eccleſiam, ſubſequi debet Archidiaconum, Præpoſitum, & Decanum: imò etiam in quibuſdam locis omnes Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, qualem conſuetudinem damnare difficile eſt, Laym. in c. 1. n. 4. & 5. de offic. Archid. Quare, cùm unus idémque, diverſo reſpectu, poſſit eſſe major, & minor altero, eidémque præferri, & poſtponi, in ordine ad diverſas cauſas, & loca, ut conſtat ex l. 1. C. de offic. Vicar. ubi habetur, Vicarium etiam Præfecti Prætorij in cauſis civilibus, ſeu judiciis præferendum eſſe Comitibus militaribus, ſed in rebus militaribus poſtponendum. Ideo Vicarius poteſt eſſe ſuperior, & major dignitate in tribunali ſuo, alióſque præcedere debet, quatenus actu ibi vices Epiſcopi gerit, & juriſdictionem in omnes alios Clericos, etiam Archidiaconum exercet; extra Tribunal verò ſuum poteſt alios ſequi, iíſque poſtponi in proceſſionibus, Choro, & alijs Conventibus; & ita reſpectivè poteſt Vicarij dignitas eſſe minor, quàm aliæ quædam dignitates Eccleſiæ Cathedralis, Laym. c. l. Quamobrem in his ſervanda eſt cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, Laym. de juriſd. Ordin. concl. 115.

XXXV. Aſſertio 3. Celebris eſt controverſia, an juriſdictio Vicarij Epiſcopalis ſit ordinaria, an delegata? in qua verior, ac probabilior, & SS. Canonibus conformior ſententia eſſe videtur, quæ aſſerit, Vicarium generalem Epiſcopi habere juriſdictionem ordinariam, non delegatam, ut tenet Gl. in c. 2. V. Officialem. h. t. in 6. & in c. Romana. 3. V. Generaliter. de appellat. in 6. Hoſtienſ. in ſumm. n. 2. h. t. Durand. in ſpec. l. 1. p. 1. tit. de offic. Ordin. §. 1. n. 2. Abb. in c. 2. n. 12. de Judic. & in c. Si quis; 4. n. 35. de foro compet. Covarr. l. 3. var. reſol. c. 20. n. 4. Sbroz. l. 2. q. 55. n. 9. & ſeqq. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 29. q. 1. n. 3. Barboſ. cit. alleg. 54. n. 37. & cit. c. 15. n. 17. Laym. in c. 1. n. 2. h. t. in 6. & plures alij, licèt multi contrarium teneant apud Barb. cit. alleg. n. 30. Probatur autem noſtra aſſertio 1. quia eadem eſt juriſdictio Epiſcopi, & Vicarij generalis, idémque Tribunal, Conſiſtorium, ſive Auditorium, in quo Vicarius generalis cauſas cognoſcit, & judicat, vice Epiſcopi, c. Romana; 3. de appel. in 6. c. 2. de conſuet. in 6. ſed Epiſcopi juriſdictio eſt ordinaria, c. Cùm Epiſcopus; 7. de offic. Ordin. in 6. ergo etiam juriſdictio Vicarij generalis, ſeu Principalis Officialis ejuſdem eſt ordinaria. Deinde à Judice delegato ad delegantem poteſt appellari, c. Super quæſtionum; 27. §. Porrò. de offic. deleg. quia juriſdictio delegata eſt diverſa, & diſtincta à juriſdictione ordinaria, licèt ab eadem ſit derivata, ac dependens. Sed à Vicario generali Epiſcopi (ſaltem in ijs, quæ, ipſo jure, ex officio Vicarij, ipſi competunt) non poteſt appellari ad Epiſcopum, ne ab eodem ad eundem appellari videatur, cit. c. Romana, & c. 2. de conſuet. in 6. Ergo Vicarius generalis non eſt Judex delegatus, ſed Ordinarius, ſeu potiùs ſubſtitutus Ordinario in eadem juriſdictione exercenda.

XXXVI. Verùm Adverſarij plura ſatis difficilia argumenta contra opponunt. Veluti 1. Epiſcopus habet juriſdictionem ordinariam, ergo non poteſt Vicarius eius habere eandem juriſdictionem cum Epiſcopo, ſed habet diverſam, adeóque delegatam: nam ſicut non poteſt unius einſdémque rei poſſeſſio, vel dominium ſimul eſſe penes duos in ſolidū, l. 3. §. Ex contrario. ff. de acquirend. poſſeſſ. l. Si ut certo. 5. §. Si duobus. ff. Commodat. l. Duo. 19. ff. De precar. ita neque poteſt ſimul penes duos eſſe eadem juriſdictio, à poſſeſſione enim, & dominio validè arguitur ad juriſdictionem, ut colligitur ex l. Qui furore. 20. ff. De ſtatu homin. Sed reſpondetur, negandō conſequentiam. Ad cuius probationem dicitur, licèt duo non poſſint eandem rem in ſolidum ſimul poſſidere eodem modo, ut patet ex juribus citt. & expreſsè habetur in c. Licet; 9. §. Ex præmiſſis de præbend. bene tamen poſſunt diverſo modo, ac reſpectu, ut unus ſcilicet poſſideat naturaliter, alter civiliter, unus nomine alterius, alter per ipſum nomine ſuo, ac proprio: quomodo etiam eiuſdem rei dominium penes duos ſimul in ſolidum eſſe poteſt, diversâ ratione, ita, ut penes unum ſit dominium directum, penes alium utile. Similiter licèt non poſſit eadem juriſdictio æquè principaliter, eodémque modo ſimul eſſe penes duos in ſolidum: non eſt tamen abſurdum, ut eadem juriſdictio ſit penes Epiſcopum principaliter, ac proprio nomine, qui ratione dignitatis Epiſcopalis quaſi dominium juriſdictionis habet: penes Vicarium verò acceſſoriè, ac ſecundariò, & non ſuo, ſed principalis nomine, & quaſi exercitium juriſdictionis, qui non ſuo nomine, ſed vice Epiſcopi juriſdictionem dicitur exercere, Sanch. c. l. n. 13. Barb. cit. alleg. 54. n. 38. & 39.

XXXVII. Objiciunt 2. Ordinaria juriſdictio à lege datur, & ab illa deſcendit, l. Et quia. 6. ff. De juriſdict. omn. jud. At juriſdictio Vicarij non datur à Lege, ſeu Canone, ſed ab homine, videlicet Epiſcopo, qui non poteſt conſtituere Judicem Ordinarium, cùm id ſit ſolius Principis ſupremi, c. A Judicibus. 33. §. Quod de arbitris, & ibi Gl. in caſu, ubi ait, Judicum alij ſunt Ordinarij, utpote dati à Principe, vel à lege, cauſ. 2. q. 6. Ergo juriſdictio Vicarij non eſt ordinaria, ſed delegata. Reſpondetur, licèt nulla lex Canonica, aut civilis in toto Jure reperiatur, quæ expreſsè juriſdictionem ordinariam tribuat huiuſmodi Vicarijs; tamen, cùm Jure Canonico licitum ſit, & permiſſum Epiſcopis Vicarios conſtituere, c. Cùm Epiſcopus; 7. ibi: *per ſe, vel per alium*, de offic. Ordin. in 6. c. ult. ibi: *coram diœceſano Epiſcopo, vel eo abſente, ipſius Vicario*, de hæretic. in 6. qui vice ipſorum juriſdictionem Epiſcopalem exerceant, hoc ipſo, quòd Epiſcopus nominat, & conſtituit Vicarium, ex permiſſione ipſius Juris Canonici, jus ipſi dat, & confert juriſdictionem ordinariam, ſuppoſitâ tamen, & interveniente nominatione, ſeu inſtitutione Epiſcopi, ac proinde non tam ab Epiſcopo, quàm ab ipſa lege Vicarius accipit juriſdictionem ordinariam, Sanch. c. l. Barb. c. l. n. 40. & 44. Deinde quamvis Epiſcopus non poſſit concedere, ſive conſtituere Judicem ordinarium, qui diſtinctum ab ipſo Tribunal, & juriſdictionem

ctionem habeat: bene autem poteſt, qui idem cum ipſo tribunal habeat, & ſit Epiſcopo ſubſtitutus in eadem juriſdictione exercenda.

XXXVIII. Objiciunt 3. Juriſdictio ordinaria eſt perpetua, & irrevocabilis, neque, mortuo concedente, exſpirat, ſicut extinguitur delegata, mortuo delegante, ſi res adhuc ſit integra. cit. l. & quia. ff. de juriſd. omn. jud. Atqui juriſdictio Vicarij non eſt perpetua, cùm ad nutum Epiſcopi revocari poſſit, & per mortem eiuſdem exſpiret, etiamſi res ſit integra, ergo juriſdictio Vicarij non eſt ordinaria, ſed delegara. Reſpondetur, de ratione ordinariæ juriſdictionis eſt, ut ſit perpetua, & irrevocabilis, neque morte concedentis exſpiret, quando alicui per ſe primò, ſeu principaliter, ac proprio nomine ineſt, & competit: ſecus eſt, quando juriſdictio ordinaria alicui non ineſt principaliter, & per ſe, ac nomine proprio, ſed ſolùm acceſſoriè, ita, ut vice, & nomine alterius exerceatur; tum enim non requiritur, ut ſit perpetua, & irrevocabilis, ſed per mortem Epiſcopi, in quo eſt principaliter, extinguitur etiam in Vicario, in quo eſt ſolùm acceſſoriè, & quoad exercitium. arg. l. Cùm principalis; 138. ff. de reg. Jur. Sanch. c. l. Barb. n. 44.

XXXIX. Sed urgent, & inſtant, hoc ipſo, quòd Vicario Epiſcopi juriſdictio competat, & inſit, nõ proprio nomine, ſed vice, & nomine alterius, Epiſcopi ſcilicet, ſequitur, illum non habere juriſdictionem ordinariam, ſed ſolùm delegatam, quæ in hoc diſtinguitur ab ordinaria, quòd Judex ordinarius propriâ juriſdictione utatur, & proprio nomine: delegatus vice alterius, qui mandavit, non ſuâ fungatur. l. 1. §. Qui mandatam. ff. de offic. eius, cui mandat. eſt juriſdict. l. Solet; 16. ff. de juriſdict. omn. jud. Ad quod reſpondetur, qui vices alterius gerit in diverſo Tribunali, eſt Judex delegatus; non autem, qui ita vices gerit alterius, ut conſtituat idem tribunal cum ipſo, ſicut Vicarius cum Epiſcopo; tunc enim Judex ordinarius eſt, cùm & Epiſcopi juriſdictio ſit ordinaria. Sanch. c. l. Quare univerſum loquendo, ex eo præciſè, quòd quis gerat vices alterius, non ſequitur, quòd non habeat juriſdictionem ordinariam, ſed delegatam: nam & Legatus Papæ eius vices gerit. c. 1. de offic. Legat. & tamen habet juriſdictionem ordinariam. c. 2. eod. in 6. Requiritur ergo inſuper, ut vices gerat alterius, non ex ullo proprio officio, cui talis juriſdictio cohæreat. Vicarius autem Epiſcopi exercet juriſdictionem, Vice Epiſcopi, ratione Officij Vicariatûs, non ex nuda commiſſione, & in eodem Tribunali, ſive Conſiſtorio. Barb. c. l. n. 43.

XL. Aſſertio 4. Vicarius generalis Epiſcopi habet juriſdictionem ordinariam, non tantùm in ijs cauſis, quæ ex generali Officio Vicariatûs ipſi competunt, & in generali mandato Vicariatûs comprehenduntur: ſed etiam in ijs, quæ ſpeciali commiſſione opus habent, modò, vel in prima commiſſione generali Vicariatûs officio ſpecialiter annectantur, vel tanquam Generali Vicario, ſeu intuitu officij Vicariatûs, poſtea per ſpeciale mandatum committantur. in ijs verò cauſis ſpecialibus, quæ in prima commiſſione, ſeu conſtitutione Vicarij ipſi ſpecialiter non committuntur, ſed poſtea ſeorſim, ac ſeparatim per ſpeciale mandatum delegantur, non tamen intuitu, aut ſub nomine Vicariatûs, juriſdictionem delegatam tantùm habet Vicarius, ideóque in his caſibus appellari poteſt à Vicario ad Epiſcopum delegantem. Sbroz. l. 2. qu. 25. num. 35. & ſeqq. Sanch. l. 3. de matrimon. diſ. 28. c. 8. num. 8. & 9. Garç. p. 5. c. 8. num. 40. & ſeqq. Laym. de juriſdict. ordin. concluſ. 105. Ratio eſt, quia priore caſu, juriſdictio, quoad actus ſpecialem commiſſionem exigentes, datur tanquam annexa, & acceſſoria ad ipſum officium generale Vicariatûs, & ideo ſicut juriſdictio principalis ipſius officij generalis Vicariatûs eſt ordinaria: ita, & juriſdictio, quoad actus ſpecialiter commiſſos, acceſſoriè ipſi annexa tranſit in ordinariam, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, juxta reg. jur. 42. in 6. Secus eſt in caſu poſteriore, in quo juriſdictio ad actus ſpecialiter commiſſos, non acceſſoriè, ſed ſeparatim, & ſingulariter, ac independenter à generali officio Vicariatûs datur, idcóque delegata cenſeri debet. Sanch. c. l.

§. III.

De ijs, quæ Vicarius Epiſcopi facere poteſt, vi officij ſui generaliter ipſi commiſſi.

XLI. Aſſertio 1. Officialis principalis, ſeu Vicarius generalis Epiſcopi per commiſſionem officij ſui ſibi generaliter factam, ac poteſtatem ordinariam, omnes cauſas ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinentes expedire poteſt, præter illas, quæ ſpeciale mandatum requirunt. c. Licèt; 2. in princ. h. t. arg. c. Qui generaliter; 5. de procurat. in 6: ubi de procuratore generaliter conſtituto ad negotia id deciditur. Garc. cit. c. 8. num. 65. & 66. Stat tamen pro Vicario generaliter, & ſinè expreſſis limitationibus inſtituto præſumptio, quòd omnes cauſas, quæ ad Epiſcopi poteſtatem pertinent, cognoſcere, & expedire poſſit, niſi conſtet, vel probetur jure ſcripto, vel ex recepta conſuetudine, aliquam inter ſpeciales numerari, vel ab Epiſcopo ſuæ poteſtati eſſe ſpecialiter reſervatam. Quare, ſi in aliquo Canone dicatur quidpiam ad Epiſcopi Diœceſani, vel Ordinarij poteſtatem pertinere, niſi ſit inter caſus ſpeciales, & exceptos, cenſeri debet etiam in Generali officio Vicarij comprehenſum, & ad ordinariam eius poteſtatem pertinere, quippe cùm ipſe eandem juriſdictionem ordinariam habeat. Laym. de juriſd. ordin. concl. 93. & cit. c. a. n. r.

XLII. Aſſertio 2. Si Epiſcopus Vicario in mandato generali, quo Vicariatus ipſi committitur, generalem, ſeu plenam, & liberam facultatem det agendi, quæ ſuæ poteſtatis ſunt, ſive, quæ ipſe facere poteſt, etiamſi talia ſint, quæ ſpeciale mandatum exigunt, in tali generali mandato, non cenſentur comprehenſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, ut collatio beneficiorum, diſpenſatio &c. Gl. in cit. c. 2. V. Committantur; in fin. h. t. in 6. Sbroz. l. 1. quæſt. 65. num. 7. & 9. Covarr. l. 1. reſol. c. 6. n. 3. Verſ. 6. & alij communiter. Ratio eſt, quia ſpecialia

cialia non cenſentur commiſſa, aut delegata, niſi exprimantnr. c. Qui ad agendum; 4. de procurat. in 6. Si verò in mandato generali exprimatur quidpiam requirens ſpeciale mandatum, adjectâ clauſulâ generali: V. g. committimus tibi Vicario generali facultatem diſpenſandi, & omnia alia expediendi, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt; tum ex vi talis commiſſionis, poterit Vicarins expedire etiam alia non expreſſa in particulari, dummodo ſint minora, vel æqualia, non autem majora, vel graviora expreſſis. Gloſſ. fin. in cit. c. 2. junct. Gloſſ. margin. h. t. in 6. & ibid. Barboſ. in Collectan. num. 8. Sbroz. c. l. n. 5. 7. 10. & duobus ſeqq. Garc. cit. c. 8. n. 68. & ſeq. qnia clanſula generalis, ſeu indefinita ſubſequens ordinariè reſtringitur ad ſimilia ijs, quæ antè expreſſa eraut, & dictio *alius*, vel *alia* eſt implicativa ſimilium, ſecundùm Clement. 2. de Procurat. & c. Sedes; 15. & ibi Abb. num. 2. & DD. de reſcript. In qua tamen re, ante omnia attendi debet ad intentionem committentis, qnia hujuſmodi juris præſumptiones non habent locum, ſi de contraria veritate conſtet. Laym. in c. ult. quæſt. 3. in fine h. t. in 6.

XLIII. Aſſertio 3. Si in mandato generali ab Epiſcopo detur Vicario generali poteſtas ad omnia expedienda, qnæ Epiſcopalis ſunt poteſtatis; exceptâ aliquâ re ſpeciale mandatum reqnitente, v. g. beneficiorum collatione, vi talis commiſſionis, non poteſt Vicatius expedire reliqua, quæ ſpeciale mandatum requirunt, v. g. diſpenſare, aut abſnlvere à caſibus ſpecialiter commiſſis Epiſcopali dignitati. Ancharan. in c. 2. §. Quæro Epiſcopus. h. t. in 6. Sbroz. cit. quæſt. 65. nnm. 13. & 14. Garc. cit. loc. num. 79. & alij apud ipſos. Ratio eſt, quia exceptio rei, qnæ ſnb regula non comprehenditur, non ampliat, ſive extendit regulam, ſed potiùs reſtringit, & diminuit: licèt enim exceptio appoſita regulæ univerſali eam confirmet in alijs contentis ſub regula; quia tamen collatio beneficiorum ex Jnris diſpoſitione non comprebenditur in generali mandato Vicariatûs, ideo illa exceptio non ampliat regnlam, ut comprehendar etiam reliqua ſpecialem commiſſionem requirentia, ſed ſolùm videtur appoſita ad ſignificandam diminntionem, ſeu reſtrictionem, ita, ut æquipolleat particnlæ adverſativæ, & ſenſus ſit, quòd Vicatius omnia poſſit exercere, qnæ jure ordinario ad eius officium ſpectant, ſed beneficia conferre non poſſit. Ancharan. cit. loc. Laym. in cit. c. ult. quæſt. 2. Quòd ſi Epiſcopus Vicario committat facultatem abſolutè faciendi omnia, quæ ipſe facere poteſt, exceptâ v. g. collatione beneficiorum: tum vi talis commiſſionis, poterit etiam expedire reliqua, quæ ſpeciale mandatum requirunt: nam collatio beneficiorum continetnt in regula, ſeu propoſitione illa univerſali, ideóque eius exceptio cenſetur confirmare alia eiuſdem generis, & non excepta. Glnſſ. in cit. c. 2. V. Committantur. Garc. c. l. n. 79. & Laym. in cit. c. ult. num. 12.

§ IV.

De iis, quæ Vicarius generalis non poteſt facere, ſine ſpeciali commiſſione Epiſcopi, & in primis de poteſtate cognoſcendi cauſas criminales, matrimoniales, & alias graves expediendi.

XLIV. Aſſertio 1. Inter cauſas, quæ ſpecialem commiſſionem exigunr, neqne in officio Vicariatûs generaliter cōmiſſo comprebenſæ cenſentur, numerantur inprimis cauſæ criminales, nt conſtat ex c. Licèt; 2. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacins VIII. ita decernit: licèt in Officialem Epiſcnpi per commiſſionem Officij ipſi generaliter factam, cauſarnm cognitio transferatur: non tamen (vi talis generalis commiſſionis) poteſtatem habet inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum exceſſus, ſeu crimina, & delicta, vel aliquos à ſuis beneficijs, officijs, vel adminiſtrationibus amovendi: niſi talis poteſtas ei ſpecialiter ab Epiſcopo committatur. Ratio eſt, quia cauſæ criminales computantur inter negotia majora, ſeu graviora, cùm in eis tractetur de vita hominis, vel alia gravi pœna infligenda; in mandato verò generali non comprebenduntur hujuſmodi majora, niſi ſpecialiter exprimantur. c. Quòd tranſlatione; 4. de offic. Legat. Vivian. in ration. Jur. Pontif. hîc. Qnare, ſi Vicarins generalis, ſinè ſpeciali mandato, ſeu commiſſione Epiſcopi, cognoſcat cauſas criminales, vel actum aliqnem pertinentem ad juriſdictionem criminalem exerceat, proceſſus ipſo jure eſt invalidns, ob defectum juriſdictionis. Sbroz. l. 2. quæſt. 143. nnm. 2. Idque extenditur, etiamſi Epiſcopus Vicatio talem conceſſionem fecerit: *committo tibi curam, & regimen Epiſcopatûs:* nam vi hujuſmodi indefinitæ conceſſinnis, Vicatius non poterit cognoſcere cauſas criminales, quia propoſitio indefinita æquipollet univerſali, quando par eſt ratio in omnibns particularibus: non autem, ſi ſit diverſa, ſicut diverſa eſt ratio in eis, quæ requirunt mandatum ſpeciale, quippe quæ non veniunt, nec comprebenduntur in generali conceſſione Vicariatûs. Franc. in cit. c. 2. num. 7. Sbroz. c. l. num. 4. & 5. & patet ex dictis. §. Præced.

XLV. Excipi debet 1. Niſi Vicarius inquirat, & cognoſcat de delictis, non ut ipſe puniat, ſed ut ad Epiſcopnm referat; tum enim non requiritur ſpecialis commiſſio. Anchar. in cit. c. 2. & ibid. Jo. Monach. & Franc. n. 2. Sbroz. c. l. n. 7. quo caſu, ſi eum, de quo Vicarins inqniſiverat, abſolvendum putet, poteſt illum abſolvere, ſinè ſpeciali mandato Epiſcopi. Sbroz. c. l. n. 8. 2. Excipitnr, niſi Vicarius inquirat, non ad puniendnm delinquentes, ſed ut ſe corrigant, & emendent, & ſcandala avertantur; tum enim poteſt inquirere, ſinè ſpeciali mandato. Franc. c. l. Sbroz. c. l. n. 10. 3. Poteſt Vicarius inquirere, ſinè ſpeciali commiſſione, & cognoſcere de delictis, ſi civiliter tantùm agatur de delicto, nō criminaliter: ut ſi aliquis ab Ordinario Collatore jus inſtituendi habente, Epiſcopo tamen ſubjecto, ſit inſtitutus in beneficio patronato,

non

Digitized by Google

non præſentatus à patrono, Vicarius poteſt banc cauſam cognoſcere, ſi patronus petat inſtitutionem irritam declarari, & inſtitutum amoveri, quia talis cognitio non tendit ad puniendum, ſed ad damnum illatum compenſandum, ſive declarandum, poſſeſſorem legitimum titulum, ſeu jus non habere. Joan. Andr. in cit.c.2.h.t.in 6. Ancharan.ibid. §. Sed hîc quæritur. Franc. num.6. Sbroz.l.2. quæſt. 126. 4. Poteſt Vicarius, ſine ſpeciali mandato, imponere pœnas leves, v. g. mulctas pecuniarias, vel alias ſimiles, propter delicta non gravia. Sbroz. cit. quæſt. 143. n.12. quia omnis juriſdictio, præſertim ordinaria, annexam habere debet poteſtatem aliquam coërcitivam ſaltem modicam, alioquin inefficax eſt. l.ult.in fin.ff.de offic.eius, cui mand. eſt juriſd.

Potrò, ſi delictum grave ſit, ad Epiſcopum id referre debet Vicarius, ut condignè puniatur. Sed etſi Vicario commiſſa ſit ſpecialis poteſtas cognoſcendi, & judicandi cauſas criminales, non tamen poteſt pœnam à Jure Canonico, vel particulari ſtatuto Diœceſano impoſitam, & definitam in leviorem, v. g. pecuniariam, commutare, vel delictum condonare, niſi hoc ipſum ſpecialiter, & expreſsè ipſi fuerit conceſſum, poſito, quòd Epiſcopus in talibus diſpenſare poteſt, ut colligitur ex c.Licèt; 3. junct.Gl.V. Pœnam pecuniariam de pœn. Laym.de juriſd. ordin. concl.94.& in cit.c.2.n.2. in fine h.t.in 6.

XLVI. Aſſertio 2. Præterea inter cauſas, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt, & in generali officio Vicarij non continentur, numerant nonnulli DD. etiam cauſas matrimoniales. Rebuff. cit. tit. de forma Vicariatûs n.155. Laym.de Juriſd. ordin. concluſ. 95. & in c. 2.num.3. h. t. & plures alij: Idque, tum quia Jure communi cognitio cauſarum matrimonialium ad Epiſcopum ſpectat, non autem ad alios inferiores, niſi ex ſpeciali commiſſione, vel immemoriali conſuetudine talem juriſdictionem obtinuerint. c.Accedentibus; 12. de exceſſib. Prælar. ubi dicitur, cognitionem eſſe dignitatis Epiſcopalis, & Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 20. de reformat. Tum quia cauſæ matrimoniales criminalibus æquiparantur, & inter cauſas majores, & arduas numerantur. c. pen. in fine de in integr. reſtit. quia in ijs agitur de ſtatu hominis: illa verò, quæ ardua ſunt, non tranſeunt in Vicarium etiam cum ampliſſima facultate conſtitutum.

XLVII. Contrarium tamen valde probabile eſt, videlicet Vicarium generalem Epiſcopi poſſe ex officio generali cognoſcere cauſas matrimoniales, ut docet Abb. in c. fin. num.4. de cognat.ſpirit. Covarr. l. 1. in epitome c. 8. §.12. n.1.Sbroz.l.2.quæſt. 44.in fine. Azor p.2. l. 3.c.45. quæſt.2. Sanch.l.9.de matrimon. diſ. 29. num. 18. Barb.cit.alleg.54.num. 94. Idque ſumitur ex c.1. de frigidis, junctâ Gl. V. Miſſum; ubi conjunx ad Epiſcopum, aut eius Miſſum proclamavit in cauſa divortij: per Miſſum verò intelligit Gloſſ. Vicarium, qui fungitur officio Epiſcopi; & ex cit. c. fin. de cognat. ſpirit. ubi habetur, quòd impedimentum matrimonij propoſitum fuit coram Officiali Cantuarienſi, & ſic ſupponitur, eum poſſe de cauſis matrimonij cognoſcere. Ratio eſt, nam cauſæ matrimoniales non ſunt adeò arduæ, ac difficiles, ut à ſolo Epiſcopo cognoſci, & expediri debeant, hoc præſertim tempore, quo plurimis Doctorum Scriptis, & Commentarijs ſunt illuſtratæ; neque ſunt nominatim exceptæ, ſicut cauſæ criminales, quibus æquiparantur in cit. c.pen. de in integr. reſtit. in eo ſolùm, quòd per arbitros cognoſci non poſſint. Neque etiam à Jure in cit. c. accedentibus, & à Tridentino c.l. adimitur Vicario poteſtas cognoſcendi cauſas matrimoniales, ſed ſolùm inferioribus Epiſcopo, ſub quibus non continetur Vicarius, qui eadem perſona cum Epiſcopo cenſetur, cuius vices gerit, & perſonam repræſentat. In hac re tamen ſpectanda eſt conſuetudo cujuſque Diœceſis, cùm in pluribus locis proprij Judices cauſarum matrimonialium ab Epiſcopis conſtitui ſoleant. Illud magìs certum eſt, quòd Epiſcopus cauſarum matrimonialium cognitionem poſſit Vicario ſuo generali, vel alteri idoneo etiam generaliter delegare, quia ſpectat ad ordinariam juriſdictionem Epiſcopi. Rebuff. c. l. Sbroz. l.2.quæſt.43. num.9. Sanch. l. 2. de matrimon. diſ.40. num. 17. in fine. Quin & ipſe etiam Papa cauſam matrimonialem quandoque alteri, quàm Epiſcopo, v. g. Officiali eius, Abbati, aut Præpoſito, vel ſimili perſonæ in dignitate conſtitutæ delegare ſolet, ut patet ex c.Propoſuiſti; 4. de probat. Abb. in c. Cauſam; 16. num. 1. de offic. deleg. Sanch. cit. diſ.num. 21. Et hinc etiam Epiſcopus cauſam matrimonialem à Papa ipſi ſpecialiter commiſſam alteri ſubdelegare poteſt, ut docet Abb. in c. Ex litteris; 4. not.2. de offic. deleg. Laym. cit. concluſ.95. contra Sbroz. cit. quæſt. 43. num. 18. quia cauſæ matrimoniales non debent cenſeri ita arduæ, ac difficiles, ut Epiſcopi præſentiam requirant. Idque quoad Vicarium etiam concedit Sbroz. cit. loc. num. 21. propter unitatem Epiſcopi; & Vicarij, qui excluſus non videtur propter Epiſcopi mentionem.

XLVIII. Aſſertio 3. Sunt & alij caſus, qui in generali mandato Vicariatûs non cenſentur commiſſi, tum quòd graves ſint, & ardui, tum quia in generali conceſſione non veniunt illa, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non concederet, c. ult.h.t.in 6. Quare non poteſt Vicarius Epiſcopi, vi generalis mandati, abſque ſpeciali commiſſione, Diœceſes viſitare. Rebuff. c. l. num.101. Azor cit.c.45. quæſt. 4. Sbroz. l. 2. quæſt. 120.num. 3.quia viſitatio videtur Epiſcopo reſervata, qui regulariter viſitare tenetur; nec poteſt Synodum congregare. Rebuff. cit.loc. num. 151. Azor c.l.quæſt.5. Sbroz l.2. q.46. num. 1. & 2. nec ultimas pias voluntates exequi, Sbroz l.2.q.49.n.2. Barb. c.l. num.104. nec dare litteras dimiſſorias, ſeu licentiam ordinandi, niſi Epiſcopo in remotis agente. c. Cùm nullus; 3. §.Epiſcopo de temp.ord.in 6.Barb. c.l.num.97.non poteſt etiam Vicarius Epiſcopi res Eccleſiæ alienare, etiam in illis caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus, aut Decretum in alienationibus, vel tranſactionibus interponere, etiam ex juſta cauſa. Rebuff. c.l. num.184. Azor c.l. quæſt.3. Sbroz l.2. quæſt. 118. num.2. nec feudales cauſas cognoſcere, ſinè ſpeciali mandato, vel recipere juramenta fidelitatis à vaſallis, qui feudum Epiſcopale habent. Sbroz.l.2.quæſt.119.num. 7. & 8. Barb. c. l. num. 112. nec Indulgentias concedere, cùm hic actus ſit voluntarius, & meræ gra-

tiæ, non neceſſitatis, & ideo ad Vicarium, ſinè ſpeciali Epiſcopi voluntate, ſeu commiſſione, non tranſit. Rebuff. c. l. num. 172. Azor cit. num. 45. quæſt. 13. Sbroz. l. 2. quæſt. 40. num. 2. & ult. neque exercere poteſt ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ut conſecrare Eccleſias, Ordines conferre, etſi talis Vicarius generalis ſit conſecratus Epiſcopus, niſi etiam in Pontificalibus Vicarius ſit conſtitutus. Rebuff. c. l. num. 170. Azor c. l. quæſt. 9. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 4. art. 1. num. 21. nec alteri Epiſcopo poteſtatem exercendi ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis committere. Rebuff. c. l. num. 171. Azor c. l. Sbroz. l. 2. quæſt. 5. num. 2. niſi ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi. Sbroz. l. 2. quæſt. 12. num. 1. & 5. quamvìs abſente Epiſcopo, poſſit Vicarius diſpenſare in interſtitijs temporum, ſi mandatum generale habeat, ut ex ſententia S. Congreg. Concil. tradit Fagnan. in c. De eo; 3. num. 12. de tempor. ord. neque etiam poteſt Vicarius publicas, ac ſolemnes pœnitentias injungere, vel publicè pœnitentes conciliare. Sbroz. l. 2. quæſt. 17. & 18. Barboſ. c. l. num. 58. Hæc omnia, & alia his ſimilia, non poteſt exercere Vicarius generalis Epiſcopi, ſinè ſpeciali eiuſdem commiſſione. Verumtamen non eſt neceſſarium, ut omnes prædicti caſus in mandato, ſeu generali commiſſione Vicariatûs ſpecificè, & nominatim exprimantur, ſed ſufficit, aliquos exprimi, additâ clauſulâ generali: *Et omnia alia expediendi, etiamſi exigant ſpeciale mandatum.* Sbroz. l. 1. q. 65. n. 5. de quo dictum ſupr. n. 42. Plura de his videri poſſunt apud Fagnan. in c. Quoniam; 14. n. 19. & ſeqq. de offic. deleg.

§. V.

An Vicarius Epiſcopi, vi generalis mandati, ſinè ſpeciali commiſſione, poſſit conferre beneficia Eccleſiaſtica, vel aliter circa illa diſponere?

XLIX. Aſſertio 1. Inter cauſas ſpeciales, quæ in generali Vicariatûs officio non comprehenduntur, eſt etiam beneficiorum collatio, quam facere non poteſt Vicarius, ſinè ſpeciali mandato, ſeu commiſſione Epiſcopi, ut conſtat ex c. Cùm in generali; 3. & ult. h. t. in 6. ubi etiam ratio redditur: „ quia in generali conceſſione, ſeu commiſſione „ non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter „ in ſpecie conceſſurus, nec regulariter, ſeu ordi- „ nariè loquendo, donare poteſt Adminiſtrator bo- „ norum Eccleſiæ, etiam cum libera poteſtate con- „ ſtitutus: ideo Officialis, ſeu Vicarius generalis „ Epiſcopi beneficia conferre non poteſt, niſi bene- „ ficiorum collatio ei ſpecialiter ſit commiſſa. Nam collatio beneficiorum eſt quædam veluti donatio, ſeu alienatio, cùm ergo officium Vicarij generalis ſit inſtitutum, ob neceſſitatem aliquam, in ſubſidium Epiſcopi, non poteſt is, ſinè eiuſdem ſpeciali mandato, exercere ea, quæ ad liberalitatem, & quamcunque alienationem ſpectant. Laym. hîc n. 1. & de Juriſd. ordin. concl. 99.

L. Poteſt tamen Epiſcopus Vicario ſuo generalem facultatem conferendi beneficia ad collationem ſuam ſpectantia, quæ alioquin ipſi ratione Vicariatûs non competeret, ſpecialiter concedere, vel reſpectu totius Diœceſis, vel ſaltem reſpectu certi loci, ſeu partis Diœceſis, modò ibi plura beneficia exiſtant: quia tunc non præbetur occaſio captandi mortem unius potiùs, quàm alterius, nec reſervatio beneficiorum inducitur. Rebuff. in praxi tit. de Vicar. Epiſc. n. 23. & 24. Sbroz. l. 1. q. 53. n. 5. At verò non poteſt Epiſcopus Vicario generali committere poteſtatem conferendi certum beneficium nondum vacans, vel reſpectu certæ perſonæ: V. g. concedimus tibi Vicario noſtro Generali poteſtatem conferendi Titio beneficium in hac Eccleſia proximè vacaturum, ſive per mortem, ſive per reſignationem. Gl. in c. Deliberatione; 4. §. Prohibemus. V. Cuicunque. de offic. Legat. in 6. Rebuff. c. l. n. 15. quia per eiuſmodi commiſſionem præbetur occaſio modis illicitis aperiendi viam ad beneficia vacatura, ſive per modos prohibitos procurandi vacationem beneficij, videlicet machinando mortem alteri, vel circumveniendo reſignaturum, contra prohibitionem Concilij Lateranenſis in c. 2. de conceſſ. præbend. & per huiuſmodi ſpeciales commiſſiones inducerentur reſervationes beneficiorum, & gratiæ expectativæ, quæ cùm odioſæ ſint, Epiſcopis non ſunt conceſſæ. Rebuff. c. l. n. 16. & 17. Azor l. 1. quæſt. 52. n. 2. & ſeqq. Non poteſt autem alteri, quàm Vicario generali, Epiſcopus, vel alius Papâ inferior committere in genere, vel in ſpecie poteſtatem conferendi beneficia vacatura, ut colligitur ex c. 4. §. Prohibemus. junct. Gl. V. Cuicunq; Gl. in c. Statutum; 3. V. id canonicè de præbend. in 6. Abb. in c. Conſtitutus. 11. n. 5. de conceſſ. præbend. Rebuff. tit. de forma Vicariatûs n. 7. & 8. ubi ait, hanc eſſe communem ſententiam. Cæterùm, poteſt Vicarius, cui ab Epiſcopo data eſt facultas conferendi beneficia, conferre etiam curata, & dignitates. Franc. in cit. c. ult. n. 3. h. t. in 6. Fagn. in c. ult. n. 36. de Simon. quia in materia favorabili, & nemini præjudicante, nomine beneficiorum etiam curata, & dignitates continentur. c. pen. de V. S.

LI. Aſſertio 2. Sed neque ſimul, & conjunctim poteſt Vicario ab Epiſcopo committi poteſtas admittendi reſignationem certi, ac determinati beneficij, illúdque conferendi, quia hoc caſu committeretur facultas conferendi certum beneficium, antequam vacaret, quod licitum non eſt. Poteſt tamen Epiſcopus Vicario ſuo committere facultatem admittendi reſignationem certi beneficij, eâque admiſsâ, poſtea eidem dare facultatem conferendi beneficium reſignatum, quia tali caſu non committitur collatio beneficij vacaturi, ſed vacantis. Gloſſ. communiter recepta in cit. c. Deliberatione. §. Prohibemus. V. Cuicunque. de offic. Legat. in 6. Abb. in cit. c. Conſtitutus. n. 5. de conceſſ. præbend. Sbroz. cit. quæſt. 52. n. 28. Deinde poteſt Vicarius habere poteſtatem conferendi certum beneficium, ſi tale jus conferendi ab Epiſcopo, cum conſenſu Capituli, in perpetuum ſit annexum dignitati, vel alteri beneficio, quia talis collatio non ad delegatam, ſed ordinariam poteſtatem pertinet. Rebuff. tit. de Vicar. Epiſcop. num. 27. ex c. Ad audientiam; 3. de Eccleſ. ædific. Denique ſi alicui jure debitum ſit beneficium in aliqua Eccleſia, v. g. quia Canoniam

ſinè

ſinè præbenda eſt conſecutus, poteſt Epiſcopus Vicario mandare, ut in tali Eccleſia beneficium vacaturum eidem Canonico conferatur. Laym. de juriſd. ordin. concl. 100. & c. ult. h. t. in 6. n. 6. quia, ſicut conditiones, quæ de jure inſunt, in pactum deduci poſſunt, l. Cùm quid; 3. ff. de reb. credit. ita etiam, quod de jure fieri debet, mandari, ſeu committi poteſt, ut fiat.

LII. Aſſertio 3. Vicarius Epiſcopi non poteſt, etiam vi officij ſui generalis, & ſinè ſpeciali commiſſione, præſentare ad beneficia, quorum præſentatio ad Epiſcopum ſpectat, quia & hæc liberalis gratia, & veluti donatio eſt. Sbroz. l. 2. quæſt. 110. num. 2. 3. & 4. Garc. p. 5. c. 8. num. 82. ſicut neque eligere poteſt ad beneficia, quia ſub nomine collationis beneficiorum quælibet alia proviſio continetur. Sbroz. l. 2. quæſt. 30. num. 5. & 6. neque reſignationes beneficiorum admittere, ſeu approbare, ſinè ſpeciali mandato. Rebuff. cit. tit. de forma Vicariat. n. 104. Azor p. 2. l. 3. c. 44. q. 6. quia neque deſtituere, ſeu amovere poteſt beneficiatos, c. 2. h. t. in 6. Imò etſi ſpeciali mandato Vicario conceſſa ſit poteſtas conferendi beneficia, non poteſt, vi illius conceſſionis, præſentare ad beneficia, ſicut nec eligere, quia conferre, & præſentare diverſa ſunt, c. Cùm in illis; 16. §. Cùm autem; de præbend. in 6. à diverſis autem non fit illatio, præſertim in materia ſtricta. Garc. c. l. n. 83. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 102. Neque etiam conceſsâ Vicario facultate conferendi beneficia, poteſt admittere reſignationes, ſive abſolutè, & ſimpliciter, ſive cauſâ permutationis factas. Pariſ. lib. 7. de reſign. benef. q. 24. num. 15. & 16. quia hæ ſunt duæ diverſæ poteſtates, ideóque ex conceſſione unius non poteſt inferri conceſſio alterius. Sed neque vice verſâ, conceſsâ Vicario poteſtate admittendi reſignationes, conceſſa videtur facultas conferendi beneficia reſignata, abſque ſpeciali mandato. Sbroz. l. 2. q. 71. num. 9. quia plus eſt conferre beneficia, quàm reſignationes admittere: nam Capitulum, v. g. Sede vacante, poteſt admittere reſignationes beneficiorum, etſi conferre non poſſit beneficia, quæ ad liberam collationem Epiſcopi ſpectant: ergo multò minùs Vicarius, quò majorem poteſtatem habet Capitulum, Sede vacante, ſecluſis ſpecialibus commiſſionibus Vicario factis. Pariſ. cit. q. 24. n. 8. Laym. cit. concluſ. 102. Probabile tamen eſt, quòd, ſi data ſit Vicario ſpecialis poteſtas admittendi reſignationes ex cauſa permutationis, etiam conferre poſſit beneficia reſignata, quia ejuſmodi collatio non eſt libera, ſed neceſſaria, cùm ipſo jure debeant conferri permutantibus. Clem. 1. de rer. permut. Azor cit. c. 44. q. 6. §. Sed quid dicendum. Laym. c. l. contra Rebuff. & Barb. cit. alleg. 54. n. 68.

LIII. Aſſertio 4. Conceſsâ ſpeciali facultate Vicario admittendi reſignationes beneficiorum, non ideo cenſetur conceſſa poteſtas deſtituendi, ſeu privandi beneficiatos, quia hæc poteſtas eſt major: neque vice verſâ, datâ poteſtate deſtituendi, ſeu privandi, ob commiſſa crimina, poteſt Vicarius admittere reſignationes etiam liberas, quia privare, & admittere reſignationes diverſa ſunt. Pariſ. cit. q. 24. n. 19. & 20. Sed neque, ſi Vicario data ſit ſpecialis poteſtas deſtituendi, ſeu amovendi à beneficijs, ideo habet poteſtatem inſtituendi, vel conferendi beneficia: ſicut nec viciſſim conceſsâ poteſtate conferendi, conceſſa cenſetur poteſtas deſtituendi. Pariſ. c. l. Nec obſtat, quòd, qui poteſt deſtituere, ſeu amovere beneficiatos, poteſt etiam inſtituere, & beneficia conferre: nam licèt, qui habet de jure communi poteſtatem ordinariam deſtituendi, ſeu amovendi, etiam habeat poteſtatem conferendi: non tamen qui habet jure ſpeciali, ſive poteſtatem delegatam, & ſpecialiter commiſſam deſtituendi, ideo etiam habet poteſtatem conferendi, quia juriſdictio contentioſa per ſe non includit voluntariam: neque poteſtas delegata limites delegationis excedit, cùm dependeat à voluntate committentis. Pariſ. c. l. n. 17. & 21. Laym. de juriſd. ordin. concl. 101.

LIV. Aſſertio 5. Præterea ſi Vicario ſpecialiter commiſſa ſit facultas conferendi omnia beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, poteſt, vi hujus poteſtatis, conferre omnia beneficia, quorum collatio, jure communi, & ordinario, ſive proprio, ſive devoluto, propter negligentiam, aut delictum inferiorum Collatorum, ad Epiſcopum tanquam Ordinarium ſpectat: quamvis tutius ſit, ut in mandato Vicariatûs ſpeciatim exprimatur poteſtas conferendi beneficia ad Epiſcopum devoluta. Rebuff. in praxi tit. De forma Vicariatûs. n. 88.

Non tamen poteſt Vicarius, vi talis commiſſionis, conferre beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum ſpectat jure ſpeciali, aut ex privilegio, vel quæ ad ipſum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum devoluta ſunt, ut propter negligentiam Prælatorum Regularium, ſecundùm Clement. unic. de ſuppl. negl. Prælat. Rebuff. c. l. n. 98. Azor cit. c. 44. q. 2. Pariſ. cit. q. 24. n. 64. niſi in inſtrumento Vicariatûs exprimatur, Vicario dari poteſtatem conferendi beneficia, non ſolùm quæ jure communi, & Ordinario conferre poteſt Epiſcopus, ſed etiam quæ jure ſpeciali, aut devoluto, auctoritàte Apoſtolicâ, vel quavis aliâ. Rebuff. c. l. n. 99. Neque etiam poteſt Vicarius, vi commiſſæ poteſtatis conferendi omnia beneficia, conferre ea, quæ poſt commiſſionem erecta, vel inſtituta fuerunt, niſi nominatim fuerint in mandato expreſſa, quippe cùm illa, tempore datæ, aut acceptæ poteſtatis, necdum in rerum natura fuerint. Rebuff. c. l. n. 124. Azor c. l. q. 8.

LV. Cæterùm poſtquam Epiſcopus Vicario ſpeciali mandato commiſit facultatem conferendi beneficia, poteſt is nihilominus per ſe ipſum conferre, & prævenire Vicarium, quia per hoc non ademit ſibi poteſtatem conferendi beneficia, quòd illam Vicario ſuo commiſerit, ſed cum eodem concurrit, & majorem ſibi poteſtatem retinuit, quàm conceſſit, arg. c. Dudum; 14. §. Nos igitur de præbend. in 6. ubi de Papa concurrente cum inferioribus collatoribus id habetur, præſertim cùm omnem poteſtatem ei conceſſam revocare poſſit. Rebuff. c. l. num. 89. Azor c. l. q. 12. Quòd ſi non conſtet, uter priùs contulerit, Epiſcopus, an Vicarius, præferri debet collatio Epiſcopi, etiamſi eâdem die Vicarius idem beneficium contulerit, quippe cùm Epiſcopus majorem poteſtatem habeat. Rebuff. c. l. num. 121. Azor c. l. Sbroz. l. 2. c. 93. n. 1. & 2. & q. 94. n. 1. & 2. ubi id extendit, etiamſi collatio Epiſcopi facta ſit extra Diœceſin. Porrò ſi Vicarius generalis, præ-

 ſente,

ſente, & patiente Epiſcopo, conferat beneficia, valet collatio, quia talis ſcientia, & patientia habetur pro legitima conceſſione, ſeu licentiâ tacitâ, ſaltem quoad illum actum, etſi non ſit approbatio, ſeu licentia generalis ſimpliciter, & abſolutè conferendi beneficia. Sanch. l. 3. de matrimon. diſ. 35. num. 20. & 22.

LVI. Aſſertio 6. Vicarius generalis non poteſt, ſine ſpeciali delegatione Epiſcopi, Eccleſias, aut beneficia unire, dividere, erigere, transferre, vel omnino ſupprimere, quia hæc inter cauſas arduas, & Epiſcopo reſervatas numerantur, quæ inferioribus non competunt. Sbroz. l. 2. q. 115. n. 3. & ſeqq. & q. 116. n. 3. & ſeqq. Barb. cit. alleg. 54. num. 71. & 72. Neque etiam poteſt licentiam concedere erigendi novum Monaſterium, quia hæc facultas, ob rei gravitatem, jure ſpeciali eſt commiſſa Epiſcopo, c. Quidam; 10. c. De Monachis; 12. & c. Cellulas; 13. cauſ. 18. q. 2. ideòque non competit ejus Vicario ex generali commiſſione. Proſp. Fagn. in c. 1. n. 73. & ſeqq. de inſtitut. Neque conſentire poteſt Vicarius, ſeu præſtare conſenſum collationi beneficiorum, ſinè ſpeciali mandato, quia qui non poteſt donare, nec donanti conſentire poteſt, l. Creditor; 20. C. de donat. inter vir. & uxor. l. Cum quis; 165. ff. de R. I. Sbroz. l. 2. q. 71. n. 19. & ſeqq. Barb. c. l. n. 61. Veruntamen poteſt Vicarius generalis, ſinè ſpeciali commiſſione, legitimè electos confirmare, & à patronis præſentatos inſtituere, ut colligitur ex c. Frequentibus; 3. de inſtitut. Gloſſ. in c. ult. V. Non poſſunt; b. t. in 6. quia Vicarius ratione officij generalis commiſſi, etſi non poſſit expedire ea, quæ ſunt gratiæ, & liberalitatis, ut eſt libera collatio beneficiorum: poteſt tamen ea, quæ juſtitiæ, ac neceſſitatis ſunt, uti eſt confirmatio canonicè electi, & inſtitutio, ſeu collatio non libera, præcedente præſentatione alterius. Sbroz. l. 2. quæſt. 70. num. 3. Garc. cit. c. 8. num. 84. & 85. & alij communiter contra Rebuſtum.

§. VI.

An, & qualis poteſtas diſpenſandi, vel abſolvendi Vicario competat, ex vi officii ſui?

LVII. Aſſertio 1. Inter cauſas, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt, & in generali officio Vicariatûs non continentur, eſt poteſtas diſpenſandi in votis, juramentis, canonicis impedimentis, & legibus, in quibus Epiſcopo diſpenſare conceſſum eſt. Rebuff. tit. Forma Vicariatus; num. 44. Sanch. l. 2. de matrimon. diſ. 40. num. 12. Gutier. l. 1. qq. Canonic. c. 19. n. 15. & alij communiter. Ratio eſt, tum quia diſpenſatio eſt quædam gratia, ac remiſſio, quæ in generali Vicariatûs mandato non continetur: tum quia diſpenſatio æquiparatur reſtitutioni in integrum, quæ etiam in generali mandato non comprehenditur, l. Illud; 25. §. Si talis; ff. de minorib.

LVIII. Excipitur 1. Niſi ipſum Jus Vicario generali diſpenſandi poteſtatem concedat. Et hinc Vicarius, ſinè ſpeciali commiſſione, diſpenſare poteſt in denuntiationibus matrimonij, eáſque remittere, ſive licentiam dare contrahendi matrimonium, non præcedentibus denunciationibus. Sbroz. l. 2. quæſt. 201. num. 1. & 2. Sanch. lib. 3. de matrimon. diſ. 7. n. 10. Gutier. c. l. contra Garc. p. 5. c. 8. n. 61. nam Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. eam diſpenſandi, ſeu remittendi poteſtatem concedit Ordinario; nomine autem Ordinarij comprehenditur etiam Vicarius generalis, quia habet ordinariam juriſdictionem. Pariſ. l. 3. de reſignat. benef. quæſt. 11. num. 22. & DD. citt. niſi expreſsè excludatur ipſe Vicarius, ut in occulto hæreſis crimine, in quo Epiſcopis tantùm, non autem eorum Vicarijs in foro conſcientiæ diſpenſare eſt permiſſum, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. Imò etiam ſub nomine Epiſcopi, aut Diœceſani continetur Vicarius generalis, ſi non excludatur, & ſit res, quæ convenit Vicario ex ejus officio. Sbroz. l. 2. q. 43. n. 29. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 29. num. 16. Garc. cit. c. 8. n. 52. ideòque & Confeſſarios approbare, juxta Concil. Trident. Seſſ. 23. c. 15. de reform. ubi approbatio Confeſſariorum injungitur Epiſcopis, non tamen excluditur Vicarius generalis. Sanch. c. l. & excommunicationem, quæ inferri ſolet ad reſtitutionem inventorum faciendam, promulgare poteſt, & decernere ſinè ſpeciali mandato, præcedente cauſæ cognitione. Sbroz. l. 2. q. 171. num. 2. Sanch. c. l. Garc. cit. c. 8. n. 94. Nam licèt in Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 3. de reform. excommunicatio illa à nemine, præterquam Epiſcopo, decernenda dicatur, non tamen excluditur Vicarius generalis, ſed tantùm excluduntur Prælati inferiores Epiſcopis, etiam habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. num. 5. & Garc. c. l. n. 95. Non tamen prohibetur Epiſcopus ejuſmodi facultate, v. g. diſpenſandi in denunciationibus, vel approbandi Confeſſarios, ſibi ipſi reſervare. Sanch. l. 3. de matrimon. diſ. 7. num. 8. Gutier. c. l. nam Epiſcopus Vicarij poteſtatem, vel ultra ea, quæ ex generali officio Vicariatûs ipſi competunt, extendere, vel eandem reſtringere poteſt, cùm ipſum arbitratu ſuo inſtituat, vel amoveat, ideóque etiam, vel ampliorem, vel magìs reſtrictam poteſtatem concedere poteſt, quilibet enim delegans juriſdictionem ſuam alteri, poteſt ampliare eam, vel reſtringere. Garc. c. l. n. 89. Quare, an Vicarius generalis Epiſcopi diſpenſare poſſit in denunciationibus matrimonij, ex mente Epiſcopi, & cujuſque Eccleſiæ conſuetudine colligi debet, cùm in multis Eccleſijs id Vicario non ſit conceſſum, ſi Epiſcopus ſit præſens, ut notat Laym. de Juriſd. ordin. concl. 97.

LIX. Excipitur 2. Quòd Vicarius, vi generalis commiſſionis, abſque ſpeciali mandato, ſciente, ac tolerante Epiſcopo, diſpenſare poſſit in caſibus frequenter occurrentibus, v. g. quoad jejunia, feſta, & ſimilia: nam, ſi Diœceſis ampla ſit, & multa negotia expedienda ſint, vel etiam, ſi Epiſcopus abſens ſit, aut in Eccleſia Cathedrali non reſideat, difficile eſt in omnibus recurrere ad Epiſcopum, & ab eo facultatem diſpenſandi petere. Et quamvìs per ſe loquendo, ob abſentiam Epiſcopi, Vicarius non habeat majorem poteſtatem, quàm aliàs, eo præſente, ut tradit Sbroz. l. 2. q. 30. n. 16. ex conſuetudine ta-

tamen

men toleratâ, & praxi præcedentium Vicariorum, interdum apparet, Epiſcopum tacitè conſentire, & committere Vicario talem poteſtatem diſpenſandi, quæ aliquando velut neceſſariò Vicario debetur, ſi Epiſcopus valdè remotus ſit, ut ad ipſum recurri, ſinè gravi incommodo, non poſſit. Laym. de juriſdict. ordin. concl. 98. & in c. ult. n. 9. h. t. in 6. arg. c. 3. §. Epiſcopo de tempor. ordin. in 6.

LX. Aſſertio 2. Tametſi Epiſcopus Vicario ſuo delegare, ſeu committere poſſit poteſtatem diſpenſandi in caſibus à Sede Apoſtolica, vel Concilio generali Epiſcopis, ratione dignitatis ſuæ, per generalem delegationem commiſſis, aut conceſſis, v. g. poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ illâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. quia talis poteſtas generaliter delegata, ratione dignitatis Epiſcopalis, tranſit in ordinariam, idcóque alteri delegari, & committi poteſt. Laym. in c. ult. n. 10. h. t. in 6. Verumtamen ſi Epiſcopus Vicario ſuo ſpecialiter commiſit facultatem diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus, ſub ea commiſſione non comprehenduntur caſus à Papa, vel Generali Concilio Epiſcopis, ratione dignitatis ſuæ, etiam generaliter delegati; niſi ex adjuncta clauſula colligi poſſit, quòd Epiſcopus voluerit omnem ſuam poteſtatem, quatenus delegari poteſt, Vicario committere, ut, ſi v. g. additum ſit: Committimus Vicario noſtro poteſtatem diſpenſandi in omnibus caſibus, prout ea nobis competit, vel competere poteſt, etiam ex Papæ, vel aliorum delegatione, vel aliàs quomodolibet. Rebuff. tit. de form. Vicariatus; num. 46. Laym. c. l.

LXI. Hinc ulteriùs infertur, quòd univerſim loquendo, & generaliter, Epiſcopus etiam ea, quæ non ut Ordinarius, ſed ut ſpecialis delegatus Sedis Apoſtolicæ agere poteſt, ſuo generali Vicario, ſpeciali mandato, committere, ſive ſubdelegare poſſit, quia delegatus à Principe poteſt ſubdelegare, l. à judice; 5. C. de judicijs, & c. Quoniam; 14. de offic. jud. deleg. Fagnan. ibidem num. 8. & ſeqq. & alij communiter. Niſi quid ſpecialiter exceptum ſit, vel ſola perſona Epiſcopi ſpecialiter in reſcripto delegationis deſignata, & expreſſa ſit, ita, ut cenſeatur electa induſtria perſonæ, c. ult. §. Is autem extra eod. Fagnan. c. l. n. 17. & 18. & alij. Quamvìs per generalem Vicarij conſtitutionem, ſeu vi officij Vicariatûs generaliter commiſſi, non poſſit Vicarius exercere ea, quæ Epiſcopus poteſt de jure ſpeciali, & tanquam delegatus Papæ, uti ſumitur ex c. ult. h. t. in 6. Fagnan. c. l. n. 10. quia in juriſdictione delegata non fit extenſio de perſona in perſonam, neque in hac procedit Epiſcopus, ut Judex Ordinarius, ſed ut delegatus, c. Edoceri; 21. junct. Gloſſ. fin. de reſcript. Fagnan. c. l. num. 11. & 12. Sicut neque è converſo, in cauſa Vicario delegata à Papa procedere poteſt Epiſcopus: nam licèt in juriſdictione ordinaria unum idémque ſit Tribunal, ſive Conſiſtorium Epiſcopi, & Vicarij, non tamen in delegata, quia cauſam ſibi delegatam non cognoſcit, ut Vicarius Epiſcopi, ſed ut delegatus Papæ, & in illa etiam major, & ſuperior eſt ordinario, c. Sanè; 11. de offic. deleg. Fagnan. c. l. n. 15. & 16. quemadmodum etiam in cauſa recuſationis non eſt idem Tribunal Epiſcopi, & Vicarij ejus, qui coram Epiſcopo recuſari poteſt, ſi ſit ſuſpectus, c. Si contra; 4. in fine de offic. deleg. in 6.

LXII. Aſſertio 3. In generali officio Vicariatûs non continetur poteſtas abſolvendi à caſibus, ſive peccatis Epiſcopo reſervatis in foro interno pœnitentiæ, à quibus Vicarius non poteſt abſolvere, neque alijs poteſtatem abſolvendi committere, ſinè ſpeciali mandato, & commiſſione Epiſcopi, nam in generali conceſſione hæc non veniunt, c. 2. de pœnit. in 6. Sbroz. l. 2. q. 19. n. 2. & 3. Barboſ. cit. allegat. 54. num. 116. Multò minùs Vicarius poteſt abſolvere, aut diſpenſare in caſibus Papalibus, ſive Papæ reſervatis, qui per accidens ad Epiſcopum devolvuntur, ob impedimentum, ſeu difficultatem adeundi Papam, vel ex ſpeciali privilegio Epiſcopis in perpetuum conceſſo, quale habetur in Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. nam hoc ipſo, quòd talia ad Epiſcopum jure communi, & ordinario non ſpectant, ſed ex privilegio ſpeciali, non competunt etiam Vicario ex commiſſione generali, ſive jure communi. Laym. in c. ult. n. 10. h. t. in 6.

Poteſt tamen Epiſcopus, non tantùm in caſu particulari, ſed etiam generaliter Vicario ſuo, vel alteri perſonæ idoneæ delegare poteſtatem abſolvendi à caſibus Papalibus, qui per accidens ſunt Epiſcopales, vel ex ſpeciali privilegio Epiſcopis conceſſo ad eoſdem ſpectant. Sanch. lib. 2. de matrimon. diſ. 40. num. 17. Navarr. lib. 5. de privileg. conſil. 11. num. 4. Garc. cit. c. 8. num. 48. nam ea, quæ ad ordinariam juriſdictionem pertinent, poſſunt abſolutè, & generaliter delegari; ejuſmodi autem facultates abſolvendi tranſeunt in juriſdictionem ordinariam, cùm ſint annexæ Epiſcopali dignitati in perpetuum: ergo, licèt opus ſit ſpeciali delegatione, ſeu commiſſione, cùm non competant Vicario, ratione generalis officij ſui, ſeu Vicariatûs, prout ſignificatur in Concil. c. l. nempe, quòd poteſtas abſolvendi ibi Epiſcopis conceſſa non competat Vicarijs ex generali officio Viacariatûs, ſed requiratur ſpecialis delegatio, ſeu commiſſio: poteſt tamen illi delegari generalis facultas abſolvendi ab hujuſmodi caſibus, quotieſcunque occurrerint, præterquam à crimine hæreſis, juxta Trident. cit. c. 6. Navarr. l. 1. de Conſtitut. conſ. 1. num. 89. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 96.

His adde, quòd Vicarius generalis in ſpiritualibus poteſt ex officio ſuo generali, abſque ſpeciali mandato, omnes Diœceſanos, ſi Sacerdos ſit, abſolvere ab omnibus caſibus, & peccatis Epiſcopo, aut Papæ non reſervatis, & alijs Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi delegare, quia eſt Ordinarius totius Diœceſis, & Superior Parochorum, ut ex communiore, & probabiliore ſententia docet Sanch. lib. 3. de matrimon. diſ. 29. num. 15. Barboſ. cit. loc. num. 92.

* * *

§. VII.

An Vicarius Generalis Epiſcopi alium ſibi ſubſtituere poſſit, & in quo loco exercere poſſit ſuam iuriſdictionem.

LXIII. Aſſertio 1. Non poteſt Vicarius Epiſcopi alium ſibi ſimilem, ſeu generalem ſubſtituere, arg. c. Clericos; 4. h. t. ubi de Vicario in divinis id ſtatuitur. Rebuff. cit. rit. num. 73. Sbroz. l. 2. q. 66. n. 11. & pluribus ſeqq. Ratio eſt, quia nullus inferior Principe Vicarium conſtituere, aut totum ſuum officium, ſeu poteſtatem ordinariam alteri committere poteſt, niſi id ex legis, vel Principis beneficio ipſi conceſſum ſit, Auth. Ut nulli Judicum; §. Nunc verò; collat. 9. nov. 134. & Authent. de collaroribus. §. Ad hæc prohibemus; collat. 9. nov. 118. Idque procedit non ſolùm de Vicario in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus tantùm, niſi aliud habeat conſuetudo. Rebuff. c. l. n. 75. Sbroz. c. l. n. 9.

Veruntamen poteſt Vicarius Epiſcopi, ob cauſam neceſſitatis, v. g. propter abſentiam, vel infirmitatem, ad breve tempus ſibi alium ſubſtituere, qui Vicarij munere, cum ſimili juriſdictione, interim fungatur, ut colligitur ex c. 1. h. t. in 6. ubi id ſupponitur, dum quæritur, an Officialis, ſeu Vicarius Suffraganei excommunicatus ab Archiepiſcopo, etiam ſubſtitutum ejus, ſive vices illius gerentem liget, ut notat Ancharan. ibid. Gloſſ. in Clement. 1. V. Locum aliorum; de Regularib. Sbroz. cit. q. 66. n. 17. Imò etiam abſolutè, & ad longum tempus ſibi alium Vicarium ſubrogare poteſt, accedente mandato, & auctoritate Epiſcopi. Rebuff. c. l. n. 76. & 77. Sbroz. c. l. n. 15. quia tunc non tam ab ipſo Vicario generali, quàm ab Epiſcopo ſubſtitutus cenſetur, cum eadem poteſtate, qui præter Officialem principalem, alium minùs principalem ſubordinatum principali conſtituere poteſt, ut ſuprà dictum.

Denique poteſt Vicarius generalis, vi commiſſionis, ſeu officij generalis, unam, vel alteram cauſam alicui delegare, Gloſſ. in cit. c. 1. V. Ipſius; h. t. in 6. Sbroz. cit. q. 66. num. 22. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 7. num. 1. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 111. nam Vicarius generalis, ſaltem in cauſis, quæ ratione Vicariatûs ſui ipſi competunt, eſt Judex ordinarius, ideo alteri delegare poteſt, ut tradunt communiter DD. in l. More; 5. ff. de juriſd. omn. jud. & talis poteſtas delegandi neceſſariò requiritur ad officium Vicarij, præſertim in ampla Diœceſi, & ubi multa ſunt negotia. Quin etiam poteſt Vicarius delegare ad univerſitatem cauſarum in foro externo, ſinè ſpeciali mandato Epiſcopi, ſi ſit talis conſuetudo Diœceſis. Rebuff. cit. loc. n. 78. nam licèt aliàs, qui juriſdictionem, non ſuo proprio, ſed alieno nomine obtinet, eam alteri delegare, ſeu demandare non poſſit, cit. l. More; ſicut Vicarius generalis obtinet Epiſcopalem juriſdictionem, non proprio, ſed ſibi commiſſo jure, cùm in Epiſcopali officio titulum non habeat: ſi tamen eam alteri delegat, ſciente, & patiente Epiſcopo, hic tacitè eam poteſtatem committere cenſebitur Vicario, & ſic delegabit, non ſuo jure, ſed jure, ac poteſtate ſibi commiſsâ ab Ordinario. Laym. in c. 1. h. t. in 6. n. 13.

LXIV. Aſſertio 2. Vicarius generalis Epiſcopi certum tribunal habet, quod Conſiſtorium Epiſcopi appellatur, & plerumque in Civitate Eccleſiæ Cathedralis eſt ſitum. Navarr. l. 1. conſil. 2. num. 5. de off. c. Jud. ordin. Laym. in c. Cùm contingat; 13. de foro compet. Poteſt tamen ex cauſâ rationabili Vicarius in quovis loco Diœceſis honeſto, & idoneo judicium exercere, ut, ſi in comitatu Epiſcopi, vel ſolus, extra locum tribunalis ſui, ad alias partes Diœceſis ſe contulerit, vel ob aliam cauſam commodius ſit, ibi cauſam controverſam decidi. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 80. n. 6. Nam Vicarius generalis juriſdictionem Epiſcopalem exercet, Epiſcopus autem in quovis loco non exempto juriſdictionem exercere poteſt, c. Cùm Epiſcopus; 7. de offic. jud. ordin. in 6. ergo & Vicarius ejus, dummodo id caveatur, ne partes litigantes ad locum nimis remotum, extra proprium Epiſcopi Conſiſtorium, trahantur: alioquin petere poſſunt, ut in loco ipſis propinquiore judicium inſtituatur, &, ſi id negetur, appellare. Barb. c. l. n. 5.

Cæterùm ſi Vicarius ſpeciale mandatum habeat conferendi beneficia, poteſt illa etiam extra Diœceſin exiſtens conferre, quia, quę judicialem cauſæ cognitionem non requirunt, etiam in alieno territorio exerceri poſſunt. Azor p. 2. lib. 3. c. 44. quæſt. 9. arg. lib. 2. ff. de offic. Proconſ. etſi contrarium teneat Baldus apud Franc. in c. nlt. n. 3. h. t. in 6.

§. VIII.

Quis cognoſcere poſſit de delicto, aut negligentia Vicarii Epiſcopi, eúmque punire?

LXV. Aſſertio 1. Si Vicarius generalis, ſeu Officialis Epiſcopi delinquat tanquam perſona privata, non poteſt eum punire Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus, niſi ad ipſum appellatum ſit, ſed Epiſcopus Judex eſt. Gloſſ. in c. 1. V. Rationabili cauſâ; h. t. in 6. & ibid. Jo. Monach. num. 2. Sbroz. l. 3. de Vicar. Epiſc. q. 57. n. 8. & 9. quia Vicarius in his, quæ agit ut privatus, non dicitur gerere Vices Epiſcopi, nec illum repræſentare, ſed illi eſt ſubditus, ſicut alij. Si verò Vicarius delinquat in pertinentibus ad ſuum officium, ita tamen, ut Epiſcopus extra culpam ſit: tum etiam ad Epiſcopum pertinet de delicto, aut negligentiâ Vicarij in officio ſuo commiſsâ cognoſcere, eúmque punire: neque Archiepiſcopus in hoc caſu ſe immiſcere poteſt, niſi Epiſcopus requiſitus cauſam cognoſcere recuſet. Sbroz. cit. q. 57. n. 10. Ratio eſt, quia licèt Vicarij poteſtas, & juriſdictio eadem ſit, & repuretur cum juriſdictione Epiſcopi, non tamen eodem, ſed diverſo modo reſidet in utroque: nam in Vicario eſt cum dependentia à voluntate, & Imperio Epiſcopi, ac proinde Vicarius, etiam ratione officij ſui, eſt aliquo modo ſubjectus, & ſubordinatus Epiſcopo. Laym. de juriſdict. ordin. concluſ. 107. & in cit. c. 1. num. 9. h. t. in 6.

LXVI. Aſſer-

LXVI. Aſſertio 2. Si Vicarius delinquat, aut negligentiam committat in officio ſuo, & Epiſcopus etiam delicti, ſeu culpæ ſit particeps, tum non ad Epiſcopum, ſed ad Archiepiſcopum pertinet cauſam cognoſcere, ac punire Vicarium, prout ſumitur ex cit. c. 1. & ibi Gloſſ. V. Rationabili causâ; Sbroz. cit. quæſt. 57. num. 3. & 11. Imò Epiſcopus tenetur tali caſu exhibere, & ſiſtere Vicarium, qui deliquit, Metropolitano, ſi petat. Sbroz. cit. loc. num. 6. Ratio eſt, quia Vicarius generalis, ſi conſideretur ut ſubſtitutus Epiſcopi in eodem tribunali juriſdictionem exercens, ex mandato ipſius Epiſcopi, ut ſic cenſetur eadem perſona cum Epiſcopo: quare ſicut Epiſcopus, ita & ipſius Vicarius Metropolitano eſt ſubjectus, & à quo proinde, ratione officij malè adminiſtrati, aut injuſtæ ſententiæ latæ (ſi Epiſcopus quoque fuit culpæ, aut delicti particeps) puniri, & excommunicari poteſt. Laym. in cit. c. 1. n. 8. h. t. in 6. & ſatis colligitur ex eodem c. 1. ubi habetur, quòd Archiepiſcopus ex juſta, & rationabili cauſa poſſit excommunicare Officialem, ſeu Vicarium Suffraganei ſui: Alioquin enim, ſi in tali caſu ipſe Epiſcopus judicaret, & de cauſa cognoſceret, ſimul fungeretur etiam officio partis, & in propria cauſa judicaret, cùm, ut ſupponitur, ejuſdem culpæ fuerit particeps.

Porrò Officialis, ſeu Vicarius generalis Archiepiſcopi nullam habet poteſtatem, aut juriſdictionem in Coëpiſcopos, aut Suffraganeos, ob dignitatem, & eminentiam officij Epiſcopalis, c. 1. §. Officiales; de offic. jud. ord. in 6. Sbroz. l. 2. q. 58. n. 2. neque in Vicarios Suffraganeorum generales, ſicut etiam non habet in ſubditos Suffraganeorum. Sbroz. l. 2. q. 59. num. 1.

LXVII. Ex dictis infertur, Epiſcopum teneri ex delicto, aut quaſi delicto Vicarij commiſſo in rebus pertinentibus ad officium ſuum, etiam ad damna reſarcienda, ſi & ipſe Epiſcopus in culpa fuit, ut quia imperitum Vicarium conſtituit, aut negligentem ſciens toleravit: ſecus, ſi Epiſcopus extra culpam fuit. Rebuff. tit. De forma Vicariatûs; num. 188. & ſeq. Sbroz. lib. 3. quæſt. 30. num. 1. & 2. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 4. a. 1. num. 15. Ratio eſt, quia factum à Vicario cenſetur factum ab Epiſcopo, arg. c. 2. de conſuetud. in 6. & l. 1. §. Dejeciſſe; ff. de vi, & vi armat. Rebuff. de Vicario Epiſc. num. 40. & generatim Dominus obligatur ex culpa Officialis, ſeu Miniſtri ſui, ſi negligentem conſtituit, aut ſciens toleravit, arg. l. 1. §. Familiæ; ff. de Publican. & l. Si quis; 5. §. fin. ff. de oblig. & action. Quare ſi v. g. Vicarius beneficium curatum perſonæ indignæ contulit, tum, ſi Epiſcopus mandavit conferri, vel collationem tatam habuit, pro ea vice privationem incurrit, & poteſtas conferendi, vel inſtituendi ad Metropolitanum, vel Capitulum devolvitur, c. Si Compromiſſarius; 37. de elect. in 6. c. Cùm in cunctis, 7. §. Clerici; extra eod. Rebuff. tit. De forma Vicariat. n. 141. & duobus ſeqq. Si verò Epiſcopus id nec mandavit, nec tatum habuit; tum remoto indigno, poteſt inſtituere dignum, quia culpa Vicarij ipſi obeſſe non debet, ſicut enim culpa, ita & pœna proprios ſuos tenere debet auctores, l. Sancimus; 22. C. de pœnis. & Vicarius, conferendo indigno, exceſſit limites mandati, ideóque collatio nulla fuit: nam Epiſcopus committens Vicario facultatem conferendi beneficia, cenſetur mandâſſe, ut non niſi perſonis idoneis conferantur. Rebuff. c. l. n. 139. & 140. & tit. de Vicar. Epiſc. n. 41. Sed neque Vicarius, reſciſſâ priore collatione beneficij, illud alteri conferre poteſt, quia etiam malè conferendo functus cenſetur officio ſuo, & privatus eſt, ſaltem pro ea vice, poteſtate alium inſtituendi, ideóque ea ad committentem, videlicet Epiſcopum redit, arg. cit. c. Cùm in cunctis; §. Clerici; & c. Si Compromiſſarius; §. Si verò eligat de elect. in 6. Laym. de juriſd. Ord. concl. 108.

§. IX.

Quibus modis finiatur, & ceſſet officium, & iuriſdictio Vicarii Epiſcopalis?

LXVIII. Aſſertio 1. Officium, & juriſdictio Vicarij generalis Epiſcopi varijs modis finitur. 1. Per mortem ipſius Vicarij, nam mors omnia ſolvit. Rebuff. tit. De forma Vicariatûs; num. 216.

2. Per propriam renunciationem expreſſam, vel tacitam factam ab ipſo Vicario, ut, ſi v. g. è Diœceſi, in qua erat Vicarius conſtitutus, diſcedat, animo extra illam perpetuò manendi, & non redeundi; tunc enim officio Vicariatûs tacitè renunciare cenſetur. Fagnan. in c. Præſentata; 20. num. 10. de teſtibus. eo ferè modò, quo Legati Pontificij, qui & ipſe eſt Judex ordinarius, c. 2. de offic. Legat. in 6. ſicut Vicarius generalis, munus legationis exſpirat, ſi provinciam ſibi commiſſam egreſſus ſit, animo non redeundi, arg. lib. 3. ff. de offic. Præſid. de quo infrà tit. 30. 3. Per mortem Epiſcopi, vel renunciationem admiſſam à Superiore, vel depoſitionem, aut translationem Epiſcopi ad aliam Eccleſiam, extinguitur, ipſo facto, omnis poteſtas, & juriſdictio Vicarij, etiam re non integrâ, ita, ut nec quidem cauſas cœptas, Epiſcopo vivente, aut regente, eo mortuo, vel renuntiatione factâ, vel eo depoſito, aut translato, Vicarius perficere queat, ſed poſtea per ipſum geſta irrita ſint tanquam facta à privato juriſdictione carente. Gloſſ. fin. in Clement. ult. de procurat. Abb. in c. Licèt; 30. num. 8. in fin. de offic. delegat. Sanchez. lib. 3. de matrimon. diſ. 30. num. 2. & 3. Ratio eſt, quia Vicarius generalis eandem cum Epiſcopo juriſdictionem, idémque tribunal habet, & reputatur eadem utriuſque perſona. ergo, cùm per mortem, renunciationem, &c. ceſſet Epiſcopi tribunal, & juriſdictio, ceſſabit etiam Vicarij ipſius. 4. Nonnulli aiunt, quòd, ſi Epiſcopus capiatur in bello à paganis, hæreticis, aut ſchiſmaticis, amittat libertatem, adeóque etiam juriſdictionem, & per conſequens etiam exſpiret mandatum, & juriſdictio Vicarij; nam captivitas cenſetur mors civilis, & æquiparatur morti naturali. Gloſſ. in c. Si Epiſcopus 3. V. Sed Capitulum de ſuppl. neglig. Prælat. in 6. Sed verius eſt, quòd Epiſcopus captus habitualiter retineat juriſdictionem Epiſcopalem, licèt illius

exer-

exercitium ſuſpendatur, & interea ad Capitulum devolvatur, juxta cit. c. Si Epiſcopus: ac proinde etiam Vicarij juriſdictio, durante captivitate Epiſcopi, tantùm ſuſpenſa eſt quoad exercitium, ita, ut illam interim exercere non poſſit, habitu tamen manet Vicarius: neque enim Epiſcopus per captivitatem amittit libertatem, niſi de facto, adeóque nec juriſdictionem, niſi quoad exercitium, ſicut & Vicarius ejus. Fagnan. in c. Per tuas; 32. num. 21. de ſimonia. & magis patebit ex mox dicendis.

LXIX. Aſſertio 2. Si Epiſcopus fuerit excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, adeóque ejus juriſdictio ſuſpenſa, & impedita ſit, eo ipſo etiam ſuſpenſa, ac impedita eſt Vicarij juriſdictio, etiam quoad negotia jam incepta, ita, ut omnia ab eo poſtea geſta ſint irrita, ſicut ipſius Epiſcopi acta ad juriſdictionem pertinentia ſunt invalida. Gloſſ. in c. 1. V. Ipſius; & ibid. Franc. num. 3. h. t. in 6. & colligitur ex illo c. Sanch. cit. diſ. 30. num. 6. 7. & 8. Azor p. 2. lib. 3. c. 6. quæſt. 13. Sbroz. lib. 3. cap. 17. num. 1. & 4. Ratio eſt, quia unum idémque eſt Tribunal utriuſque, Epiſcopi, & Vicarij ejus, ideóque ſicut per excommunicationem latam in Epiſcopum ſuſpenditur ipſius juriſdictio, ita etiam Vicarij ejuſdem, qui ab eo juriſdictionem accepit, modò Epiſcopus ſit nominatim denunciatus, vel notorius percuſſor Clerici, adeóque vitandus: nam alioqui poſt Concilium Conſtantienſe retinet juriſdictionem, & conſequenter etiam ipſius Vicarius.

LXX. Id autem, quod dictum eſt de Epiſcopo excommunicato, extenditur etiam ad ejus Vicarium generalem, qui, ſi excommunicatus ſit, & vitandus, & ob cauſam neceſſitatis, unum, vel plures ſibi ſubſtituat, in totum, vel in partem in officio, tunc ſimul etiam ſubſtituti, ſeu vices gerentis, aut ſubſtitutorum juriſdictio eſt ſuſpenſa, etiam quoad cauſas jam cœptas, quia ſubſtitutus, ſive Subvicarius non diverſam, ſed eandem juriſdictionem cum Vicario obtinet, & acta ejuſdem ſubſtituti in locum Vicarij excommunicati, irrita ſunt, ſi ab eodem tantùm juriſdictionem acceperit, prout ſumitur ex c. Ro-
„ mana; 1. h. t. in 6. Nam, cùm Archiepiſcopus
„ Rhemenſis in Officialem, ſive Vicarium genera-
„ lem alicujus Suffraganei ſui, ex rationabili, &
„ juſta cauſa, ſententiam excommunicationis (ma-
„ joris, alioqnin juriſdictione non eſſet privatus.
„ Gloſſ. hîc V. Excommunicationis;) protuliſſet,
„ dubitatum fuit, an etiam ij, qui ab eodem ge-
„ nerali Vicario in ejus officio ſunt ſubſtituti, & vi-
„ ces ejus gerunt, ſint excommunicati, & an acta
„ eorundem ſint valida? Ad 1. reſpondet Papa In-
„ nocent. IV. ſubſtitutos illos Vicarij excommu-
„ nicati propterea, quòd vices ejus gerant, excom-
„ municationis vinculo non ligari, cùm exercendo
„ officium; ſeu miniſterium ſibi à Vicario commiſ-
„ ſum, non communicent cum eodem in crimine,
„ ob quod ipſe Officialis, ſeu Vicarius generalis ex-
„ communicatus fuit, ac proinde neque excom-
„ municationis cenſurâ latâ in Officialem, eos, qui
„ vices ejus gerunt, afficere, ſeu ligare poteſt.
Ratio eſt, quia cùm excommunicatio ſit graviſſima pœna, non afficit, niſi perſonas delinquentes. Ad
ſecundum reſpondet Pontifex, acta eorum, qui vi- „
ces gerunt Vicarij excommunicati, irrita eſſe, ſi „
ab ipſo Officiali, ſeu Vicario tantùm juriſdictio- „
nem acceperint. „

LXXI. Notandum 1. Si Subvicarij, ſeu Vicarij, non à Vicario, qui excommunicatus eſt, ſed ab Epiſcopo, vel ejus auctoritate interveniente, juriſdictionem, ſeu commiſſionem acceperunt, tunc geſta ab illis, etiam poſt excommunicationem Officialis, ſeu Vicarij generalis, tenent, quia tenet commiſſio Gl. in cit. c. 1. V. Tantùm; h. t. in 6. & Franc. n. 3. & colligitur ex eod. c. in fine.

Notandum 2. Si Subvicarius, ſive ſubſtitutus Vicarij generalis eidem communicavit in crimine, ob quod excommunicatio in ipſum lata eſt, ut, ſi v. g. propter excommunicationem Epiſcopi, prohibitum fuit Vicario ejus ſub pœna excommunicationis, ne officium Vicariatûs exerceret: tum, ſi quis ab eo commiſſionem aliquam ſcienter acciperet, & vices illius gereret, communicaret illi in crimine, propter quod excommunicatus eſt Vicarius, ideóque, & ipſe ſimilem excommunicationem incurreret, juxta c. Si concubinæ; 55. de ſentent. excomm. & colligitur ex cit. c. 1. à ſenſu contrario, & tradit Gl. ibid. V. Qui; & Jo. Monach. n. 6.

Notandum 3. Si Officialis, ſive Vicarius generalis, poſt excommunicationem in ſe latam, ſibi ſubſtituat Subvicarium, unum, vel plures, acta eorum ſunt invalida, quia tunc de jure juriſdictionem, quâ per excommunicationem privatus fuit, alijs committere non potuit. Gloſſ. fin. hîc, & Franc. n. 7. Sbroz. lib. 3. q. 18. n. 16. Sed etſi Vicarius generalis ſubſtituerit ſibi alium Subvicarium, ante ſuam excommunicationem, geſta à Subvicario poſt excommunicationem Vicarij non valent, ut ex Innocent. rectè docet Sbroz. cit. q. 18. n. 7. & ſeqq. quia ſicut Vicarius Epiſcopi, mortuo Epiſcopo, non poteſt cauſas, eo vivente, cœptas perficere, quia unum eſt eorum Tribunal, ſive Conſiſtorium, adeóque poteſtas Vicarij, mortuo Epiſcopo, omnino exſpiret: ita nec Subvicarius poterit, Vicario excommunicato, cauſas cœptas, ante ejus excommunicationem, poſt illam perficere, quia cùm Vicarij, & Subvicarij non diverſa, ſed eadem ſit juriſdictio, ſicut per excommunicationem ipſius Vicarij, ita etiam Subvicarij juriſdictio eſt ſupenſa, & impedita, ut ſuprà dictum.

LXXII. Notandum 4. Aliud verò in propoſito eſt dicendum de delegato à Vicario generali: nam ſi Vicarius, qui delegaverat, moriatur, vel revocetur, vel excommunicetur, aut aliam cenſuram incurrat, propter quam vitandus ſit; tum extinctâ, vel ſuſpensâ juriſdictione Vicarij delegantis, extinguitur etiam, vel ſuſpenditur juriſdictio delegati, ſi res adhuc ſit integra, ſeu cauſa nondum cœpta ſit, arg. c. Licèt; 30. de offic. deleg. non autem ſi negotium jam cœptum ſit, arg. c. Relatum; 19. & c. Gratum; 20. eodem. quia delegatus non eandem, ſed diverſam juriſdictionem à juriſdictione delegantis, ab eáque derivatam obtinet: ideóque non eſt mirum, quòd illa ſubſiſtere poſſit, cauſâ jam cœptâ, & re non ampliùs integrâ, licèt juriſdictio delegantis per mortem naturalem, vel civilem, aut quaſi civilem ejuſdem, ſcilicet per excommunicationem ſublata ſit. Abb. in cit. c. Licèt; num. 8. & ibidem Innocent. num. 3.

Franc.

Franc. in cit. c. 1. num. 5. h. t. in 6. Sbroz. c. l. n. 10. & 2. ſeqq.

Cæterùm, quamvìs excommunicato Epiſcopo, juriſdictio Officialis, ſeu Vicarij generalis ipſius ſuſpendatur, ut dictum: ſi tamen cauſa aliqua delegata ſit ab alio ipſi Vicario, non ſuſpenditur juriſdictio Vicarij per excommunicationem Epiſcopi, quò minùs de cauſa illa delegata cognoſcere poſſit, ſi res non ſit integra, ſivè cauſa jam cœpta, quia ex una parte manet adhuc habitualiter Vicarius, & ex altera juriſdictio, per quam cognoſcit de illa cauſa, eſt delegata, adeóque diverſa à juriſdictione Epiſcopi, nec ab illo, ſed à delegante derivata, ac proinde non ſuſpenditur per excommunicationem Epiſcopi. Sanch. cit. diſ. 30. num. 9.

LXXIII. Ex dictis colligitur, 1. Si cauſa aliqua à Sede Apoſtolica Officiali, ſeu Vicario Epiſcopi, non ſub nomine proprio, ſed ſub nomine dignitatis, ſeu officij delegata ſit, v. g. Officiali Auguſtano, Epiſcopo mortuo, adeóque finitâ poteſtate Vicarij, ſi res non ſit ampliùs integra, adhuc cognoſcere, & expedire poterit Vicarius cauſam ſibi delegatam, quia juriſdictio delegata eſt diſtincta à juriſdictione ordinaria Vicarij, quæ per mortem Epiſcopi extinguitur, non autem delegata, ſi res non ſit ampliùs integra, juxta cit. c. Relatum; & c. Gratum; de offic. delegat. Si verò res adhuc ſit integra, & cauſa nondum cœpta, tunc etiam probabile eſt, quòd Vicarius, poſtquam aſſumptus, & confirmatus eſt à Capitulo, maneat delegatus, & cauſam delegatam à Papa expedire poſſit, quia reputatur quodammodo Vicarius Epiſcopi, cùm Epiſcopalem juriſdictionem, vice Capituli, exerceat. Et quamvìs Capitulum nequeat de illa cauſa delegata cognoſcere, ideóque etiam non transferat poteſtatem de illa cognoſcendi in Vicarium: conſtituit tamen Vicarium, qui ſic conſtitutus poteſt illam delegationem exequi, virtute reſcripti Apoſtolici Vicario talis Diœceſis illam cauſam committentis. Sanchez. lib. 8. de matrimon. diſ. 27. num. 33. Accedit, quòd, licèt reſcripta ad lites ſtrictè interpretari oporteat, quatenus tendunt in præjudicium partium: latè tamen, & benignè interpretari convenit, quatenus concernunt poteſtatem Principis delegantis, & in his commiſſionibus magìs ad mentem concedentis, quàm ad juris rigorem attendendum eſt, Berojus in c. Quoniam; 14. num. 81. de offic. deleg. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 113. & in c. 1. n. 16. h. t. in 6.

Sed & probabile eſt, quòd, ſi cauſa à Sede Apoſtolica delegata ſit Vicario, ſub nomine officij ſui, tanquam Vicario, neque ex conjecturis, & circumſtantijs appareat, quòd intentio Papæ delegantis ad certam perſonam reſtricta ſit, Vicario mortuo, aut depoſito, cauſam à Succeſſore, vel etiam à ſubſtituto expediri poſſe: quia, licèt, propriè loquendo, Vicarius Epiſcopi Succeſſorem non habeat, cùm ad nutum Epiſcopi ſit amovibilis, adeóque jus dignitatis, & officij, quippe precariò tantùm ipſi conceſſum, per mortem, aut depoſitionem ipſius omnino extinguatur, non poteſt illud ad Succeſſorem tranſmittere, ſolùm enim illa dignitas, quæ perpetuò durat, & nunquam moritur ad Succeſſorem tranſit, c. Si gratiosè; 5. de reſcript. in 6. Nihilominus tamen, quia ex reſcripto S. Pontificis delegantis Vicario cauſam, ſub nomine officij ſui, colligitur, intentionem ejus eſſe, cauſam delegare illi, qui Vicariatûs officium exerceat, non habitâ ratione ſingularis, ſeu certæ perſonæ, ideo etiam Vicario mortuo, aut depoſito, Succeſſor in officio Vicariatûs, vel in abſentia Vicarij, etiam ad tempus ipſi ſubſtitutus cauſam ſub nomine dignitatis, ſeu officij Vicarij commiſſam exequi poteſt, quia Succeſſor, ſive ſubrogatus non eſt moraliter alius, ſed idem reputatur cum priore, in cujus locum ſubſtituitur, arg. l. 2. C. de offic. ejus, qui vicem alien. Jud. obtin. Abb. in cit. c. Quoniam; de offic. deleg. Sanch. cit. diſ. 27. num. 41. Sbroz. l. 3. quæſt. 49. num. 9.

LXXIV. Colligitur 2. Si delegatio à Sede Apoſtolica Officiali, ſeu Vicario generali Epiſcopi facta ſit, ſub nomine dignitatis, ſeu officij Vicariatûs, non poteſt Epiſcopus, mortuo, aut depoſito Vicario, cauſam delegatam cognoſcere, vel expedire: ſicut neque vice verſâ, Vicarius expedire poteſt cauſam delegatam Epiſcopo. Rebuff. de forma Vicariat. num. 161. Navarr. l. 1. conſil. 5. de offic. deleg. Sanchez. cit. diſ. 27. n. 30. & alij communiter. Ratio eſt, quia, licèt tunc officium Vicariatûs ad Epiſcopum redeat; non tamen juriſdictio à Papa delegata ad eum devolvitur, cùm omnino diverſa, ac ſeparata ſit à juriſdictione ordinaria, tum Vicarij, tum Epiſcopi. Multò minùs Vicario adhuc vivente, & in officio conſtituto, Epiſcopus ſe in cauſis à Sede Apoſtolica Vicario delegatis immiſcere, vel el quidpiam impetare poteſt, quia in his cauſis non habet Vicarius cum Epiſcopo ullam communionem, neque Epiſcopo eſt ſubjectus, aut ſubordinatus, ſed potiùs major, & ſuperior illo, c. Sanè; 11. de offic. deleg. Et quamvìs idem ſit Tribunal, & Conſiſtorium Epiſcopi, & Vicarij ejus, id tamen ſolùm verum eſt in cauſis, quæ jure ordinario competunt Vicario, non jure delegationis, DD. citt. Quòd ſi Vicarius, cui delegatio à Papa facta eſt, ſub nomine officij ſui, poſtea factus ſit Epiſcopus Diœceſis, non poteſt, poſtquam deſijt eſſe Vicarius, cauſam ſibi delegatam proſequi, quia reſpectu ipſius perſonæ, ceſſat, & extinguitur delegatio. Sanch. c. l. num. 31.

LXXV. Aſſertio 3. Denique finitur quoque poteſtas, & officium Vicarij generalis per revocationem ab Epiſcopo conſtituente factam, etiam ſinè conſenſu Capituli. Abb. in c. pen. num. 4. h. t. Sbroz. l. 3. quæſt. 32. num. 1. & 2. quia Vicarius non eſt intitulatus in officio ſuo, ideóque ad libitum Epiſcopi revocari poteſt. Gloſſ. in Clement. 2. V. Per electionem de reſcript. Debet tamen ipſa revocatio denunciari Vicario; alioquin, ſi revocationem ignoret, geſta per eundem valent, donec ei revocatio intimetur: nam univerſim non ceſſat juriſdictio Judicis, donec certior reddatur de revocatione, l. Si fortè; 17. ff. de offic. Præſid. Quin imò, ſi adſit error communis populi, quia publicè ignoratur, Vicarium revocatum eſſe, geſta per ipſum etiam revocationis aliunde conſcium valebunt: quia publicè adhuc habetur pro legitimo Vicario, arg. l. Barbarius; 3. de offic. Prætor.

Sanch. lib. 3. de matrimoo. diſ. 22. num. 59. & cit. diſ. 30. num. 11. Sed & probabile eſt, quamvìs abſit error communia, non ſufficere qualemcunque notitiam revocationis in Vicario, ſed requiritur, ut intimetur ipſi revocatio, vel per ipſum Epiſcopum, vel per alium, nomine ipſius, ut per ejus procurarotem, ſive per epiſtolam, ſive per nuncium ad id deſtinatum, alioquin per eundem acta eruot valida; quia ſicut in conſtitutione Vicarij requiritur expreſſa iotimatio, ſeu denunciatio, cùm ex parte Vicarij neceſſaria ſit ejuſdem acceptatio: ita etiam in ejuſdem revocatione, per eaſdem enim cauſas res naſcitur, & diſſolvitur, c. 1. de R. I. Rebuff. tit. de forma Vicariatus; num. a 12. Sanchez. cit. diſ. 30. num. 13. Azor cit. c. 45. quæſt. 14. §. Dubiæ quæſtiones. Excipiunt communiter, niſi Vicarius, ſuâ culpâ, ab officio ſit depoſitus, tnm enim geſta per illum irrita eſſe, etiam ante notitiam, ſeu denunciationem revocationis, tradit Azor ex communi c. l. Sed oppoſitum quoque eſt probabile, nempe etiam tali caſu neceſſariam eſſe intimationem revocationis, ne culpa Vicarij alijs noceat. Sanchez. cit. diſ. 30. oum. 11.

LXXVI. Dupliciter autem Vicarius revocari poteſt ab Epiſcopo, vel expreſsè, vel tacitè, per conſtitutionem alterius Vicarij, modò ex verbis conſtiturionis ſecundi Vicarij appareat, primum Vicarium eſſe revocatum, & conſtitutio poſterioris Vicarij intimata fuerit priori Vicario: alioquin hic non cenſetur revocatns per conſtitutionem ſecundi, cùm plures Ordinarij conſtitui ſoleant in ſolidum, in eodem officio, ut faciliùs poſſit Reipubl. conſuli. Sbroz. lib. 3. quæſt. 33. oum. 2. & ſeqq.

Portò, licèt Epiſcopus juràſſet, ſe nunquam revocatutum officialem, ſeu generalem ſuum Vicarium, nihilominus valida eſt revocatio illius, quamvìs periurus foret, & in pœnam periurij incideret, ſi ſinè cauſa revocaret: non item ex cauſa juſta, ut quia Vicarins malè gerit officium, vendendo juſtitiam, vel, ſi negligens ſit, &c. tunc enim etiam licitè revocaret, non obſtante juramento, propter conditionem ſubintellectam, quæ tacitè ineſt juramento, c. Quemadmodum; 25. de jurejur. Abb. in c. pen. in fine h. t. Sbroz. lib. 3. quæſt. 32. num. 5. & 9.

§. X.

De Vicario Capituli, Sede Epiſcopali vacante.

LXXVII. Aſſertio 1. Etſi Capitulum, Epiſcopo vivente, vel abſente, vel negligente, non poteſt Vicarium generalem conſtituere, ſinè conſenſu Epiſcopi. Sbroz. lib. 1. quæſt. 59. poteſt tamen, eo mortuo: quamvìs ſpectato Jure communi, vacante Sede Epiſcopali, Capitulum ad id non teneatur, ſed poſſit juriſdictionem ad ſe devolutam per ſe ipſum exercere, ut docet Abb. in c. Irrefragibili; 13. num. 2. de offic. Ordio. Verùm jure noviſſimo Concilij Tridentini Seſſ. 24. c. 16. de reform. Capitulum Officlalem, ſeu Vicarium, infra octo dies, poſt mortem Epiſcopi, conſtituere, vel conſtitutum ab Epiſcopo confirmare tenetur, qui ſaltem in Jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poteſt, idoneus. Et ſi Capitulnm id non fecerit, ad Metropolitanum ejuſdem deputatio devolvitur. Si verò Eccleſia ipſa Metropolitana ſit, ant exempta, & Capitulum negligens fuerit, tunc antiqnior Epiſcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Epiſcopus in exempta, Oeconomum, & Vicarinm conſtituere poſſunt: Neque tamen neceſſarium eſt, ut Vicarius deputatus ſit ex gremio, ſive corpore Capituli; ſi verò adſit idoneus, cæteris paribus, præferendus eſſet extraneis. Quaranta in ſumma Bullar. V. Capitulum Sede vacante; num. 6.

Portò poteſt Capitulum, de Jure communi, Sede vacante, non tantùm unum, ſed duos Officiales, ſeu Vicarios deputare, etiam æquè Principales, præſertim ubi ampla eſt Diœceſis, quia in hac re non minùs poteſt, quàm Epiſcopus. Sbroz. lib. 1. quæſt. 50. num. 3. Quarant. c. l. num. 9. & colligitur ex c. unic. ibi: *unum, vel duos*, de Cleric. ægrot. Poſt Concil. Tridentin. tamen unom tantùm conſtituere poteſt, niſi alicubi per conſuetudinem immemorialem inductum eſſet, ut duo Vicarij in ſolidum eligantur à Capitulo, vel ut, alternis menſibus, Vicariatûs munere fungantur, proot reſpondit S. Congregatio Concil. ut refert Fagnao. in c. His quæ; 11. num. 68. de majorit. & obed. nam Concil. Trident. c. l. præcipit, ut Capitulum, Sede vacante, deputet Oeconmoum, unum, vel plures. Prædictum autem Decretum Concilij Trident. non comprehendit Vicarium Capituli Eccleſiæ Collegiatæ, defuncto ejus Prælaro, qui ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habet, ex declaratione S. Congr. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. num. 5. & Garc. tract. de benef. p. 2. c. 7. n. 20.

Non tantùm aotem, mortuo Epiſcopo, ſed etiam, ſi in remotis partibus degat, & Vicarins ab ipſo conſtitutus mortuus ſit, & ipſe non próvidit, Capitulum Vicarium conſtituere poteſt, quia longa abſentia morti æquiparatur. Quarantan. c. l. num. 12. Idémque eſt dicendum, quando Sedes Epiſcopalis quaſi vacat, v. g. ob captivitatem Epiſcopi, ſaltem dooec Papa conſultus provideat, c. Si Epiſcopus; 3. de ſuppl. neglig. Prælat. Quarantan. c. l. Deniqoe non requiritur, ut in electione, ſeu potiùs conſtitutione Vicarij Capitularis ſervetur forma electionis jure communi præſcripta in c. Quia propter; de elect. Garc. cit. c. 7. num. 22. quia iſti Vicarij ſolùm ſunt temporales, & momentanei.

LXXVIII. Aſſertio 2. Vicarius, vacante Epiſcopali Sede, à Capitulo conſtitutus, vel confirmatus eandem ferè juriſdictionem, & poteſtatem habet, quam Vicarius Epiſcopi, quia Epiſcopalem juriſdictionem, quæ vacante Sede ad Capitulum devolvitur, loco & vice Capituli, exercet. Barboſ. de offic. Epiſcop. alleg. 54. num. 158. Quare quæ ſpecialem commiſſionem requirunt, ſpecialiter etiam ipſi à Capitulo committi debent. Quarant. c. l. n. 15. §. Circa quam; Barboſ. c. l. ea verò, quæ Capitulum, Sede vacante, exercere non poteſt, ſed ex juris diſpoſitione

ſuc-

ſuoceſſori Epiſcopo reſervantur, ut eſt, conferre beneficia ad liberam Epiſcopi collationem ſpectantia, neque Vicario committi poſſunt, cuius poteſtas non poteſt eſſe major poteſtate Capituli, à quo eſt conſtitutus, ut colligitur ex c. un. §. Huiuſmodi de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.

Porrò Capitulum in ipſa commiſſione, ſeu conſtitutione Vicarij poteſt ſibi aliqua reſervare, adeóque eius poteſtatem reſtringere, vel ampliare: neque conſtituendo Vicarium omnino ſe abdicat juriſdictione, ſed illa penes Capitulum, vacante ſede Epiſcopali, habitualiter manet, & principaliter reſidet: exercitium verò illius eſt penes Vicarium ab eo deputatum. Quarant. c. l. n. 4. Fagnan. in c. His quæ; 11. n. 23. & 74. de major. & obed. nam quod quiſque per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, juxta reg. jur. 72. in 6. Quare Vicarius, ſive is, quem Capitulum ut Adminiſtratorem conſtituit, poteſt excommunicatos à jure, vel ab homine (v. g. ab Epiſcopo mortuo, vel eius Vicario, vel Delegato) ſede Epiſcopali vacante, abſolvere, ſicut Epiſcopus poſſet, ſi viveret, niſi à Sede Apoſtolica ſpecialiter id ei fuerit interdictum, c. unic. & ibi Gl. V. Is ad quem. & V. Hominis de majorit. & obed. in 6. Et ſicut abſolvere, ita etiam excommunicare, ſuſpendere, & interdicere poteſt, cùm juriſdictio Epiſcopalis quoad exercitium ad ipſum pertineat. cit. c. unic. Suar. de cenſur. diſ. 7. ſect. 3. n. 10. & diſ. 2. ſect. 2. n. 9. Non tamen poteſt Vicarius totum Capitulum ſuſpendere, vel interdicere, cùm eius poteſtas dependeat à Capitulo, cuius vices gerit; ac proinde ſuſpenſo, vel interdicto Capitulo, etiam ipſe Vicarius ſuſpenſus, vel interdictus foret, quia Vicarius utitur juriſdictione Capituli. Suar. cit. diſ. 7. ſect. 3. n. 13. Quarant. c. l. §. ult. Sicut autem Vicarius Epiſcopi, ita, & Vicarius Capituli non poteſt alium ſubſtituere, niſi ex ſpeciali mandato Capituli, facultatem ſubſtituendi habeat, ex magna cauſa, & non nimis frequenter. Quarant. c. l. n. 10. Riccius in praxi Vicariat. Cap. Sede vacante reſol. 511. Sed neque cauſas Vicario Epiſcopi delegatas cognoſcere, poteſt Vicarius Capiruiatis, quia non ſuccedit in juriſdictione delegata Epiſcopo, vel eius Vicario. Riccius c. l. reſol. 56.

LXXIX. Aſſertio 3. Vicarius à Capitulo, ſede vacante, conſtitutus, & confirmatus, poteſt ab eodem revocari, ad eius libitum, dummodo intra octo dies alium conſtituat, juxta declarationem S. Congreg. Concil. apud Fagnan. in cit. c. his quæ de major. & obed. & ita in praxi ſervari, ait Riccius c. l. res. 115. n. 4. Imò etiam ad certum tempus datus, ante illud elapſum, revocari poteſt, Joan. Andr. in c. pen. n. 15. h. t. in 6. arg. c. ult. de precar. & l. Judicium; 58. ff. de judic. Quin etiam in ipſa Vicarij conſtitutione Capitulum præfinire tempus poteſt, quo finito, eius juriſdictio exſpirat. Joan. Andr. c. l. arg. c. De cauſis; 4. de offic. deleg. & ita reſpondit S. Congreg. Conc. apud Fagnan. c. l. n. 72. Abſolutè tamen loquendo, & de jure communi, ad revocationem Vicarij à Capitulo conſtituti requiritur cauſa rationabilis, quia alioquin, ſi merè ad libitum revocari poſſet à Capitulo, non ita liberè adminiſtraret juſtitiam in Canonicos particulares, & ab eis dependentes. Quarant. c. l. n. 2. §. Tertiò dubitatur. Præterea Vicarij à Capitulo conſtituti, aut confirmati officium, ac poteſtas exſpirat, poſtquam novus Epiſcopus confirmatus fuit, & poſſeſſionem Epiſcopatûs accepit, ita, ut denuo à novo Epiſcopo, ſi in officio perſiſtat, confirmari debeat, quia tunc etiam ipſius Capituli juriſdictio ceſſat, & eò uſque Sedes habetur pro vacante. Sbroz. l. 3. q. 42. n. 8. & 9. Quarant. c. l. n. 23.

Porrò Epiſcopus novus debet à Vicario Capituli, ſicut & ab alijs Officialibus Eccleſiæ vacantis, rationem exigere adminiſtrationis ſuæ, eóſque punire poteſt, ſi in ſuo officio deliquerint, etiamſi jam antè, rationibus redditis, à Capitulo, vel ab eodem deputatis liberationem obtinuerint, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 16. de reform. Quòd ſi Vicarius, vacante Sede, à Capitulo deputatus recuſetur, ut ſuſpectus, poteſt Capitulum per ſeipſum de cauſis ſuſpicionum cognoſcere, non autem ad hoc arbitros eligere, juxta declarat. S. Congreg. Concil. ibid. apud Jo. Gallemart. n. 5. & Garc. p. 5. de benef. c. 7. n. 33. ubi plures huiuſmodi declarationes adfert.

§. XI.

De Vicario Papæ in Urbe, eiúſque poteſtate.

De hoc agitur in c. pen. h. t. ideo pauca quædam etiam de illo hoc loco trademus.

LXXX. Aſſertio 1. Spectato Jure communi, Vicarius, quem Pontifex Romanus, tanquam Urbis Epiſcopus, conſtituit, extra Urbem juriſdictionem exercere non poteſt, niſi id ei ſpecialiter conceſſum ſit, adeóque eius juriſdictio non ſe extendit ad Diœceſin Romanam. Joan. Andr. in cit. c. pen. n. 10. & ibid. Abb. n. 5. h. t. & Canoniſtæ communiter. Quare reſcripta ad lites, ſive litteræ juſtitiæ ab ipſo impetratæ ad loca provinciæ Romanæ, extra Urbem, ſubreptitiæ, & irritæ cenſendæ ſunt, prout habetur in c. Sua; 5. & pen. h. t. ubi, cùm contra Epiſcopum quendam excommunicantem ſuos ſubditos, pars adverſa à Vicario Papæ impetrâſſet litteras, ad alios Judices delegatos, ut excommunicatos ab Epiſcopo abſolverent, reſpondit Papa Innocent. III. quoniam juriſ- »
dictio Vicarij, quem Rom. Pontifex in Urbe reli- »
quit, non extenditur extra illam, niſi ei ſpecialiter »
ſit conceſſum, præſertim ſi ipſemet Pontifex in par- »
ticulari ſua Provincia, videlicet inter Capuanam, »
& Piſanam Provincias, commoretur, ideo, quidquid »
occaſione illarum litterarum actum eſt, irritum eſſe »
declarandum. »

LXXXI. Aſſertio 2. Quamvis de jure communi juriſdictio Vicarij Papæ non ſe extendat ad Diœceſin, ſeu Provinciam Romanam, ut dictum, nunc tamen, & de facto Eccleſiaſticam juriſdictionē exercet, non tantùm in Urbe Roma, ſed etiam in tota Diœceſi Romana, in Clericos, & Religioſos, qui non ſunt exempti, ut refert Gregor. Tholoſan. lib. 47. Syntagm. Jur. univ. c. 35. n. 9. & plura de eius poteſtate tradit Azor p. 2. l. 5. c. 39. cuius poteſtas pendet ex voluntate, & commiſſione Papæ. Non tamen, etiam de facto, Vicarius Urbis cognoſcere poteſt de cauſis ſubditorum Cardinalium, qui in Eccleſiis ſui Tituli, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent. Fagnan. in cit. c. His quæ de majorit. & obed. n. 17. & 18. Neque etiam intra Urbem conferre beneficia

poteſt, etiamſi Cardinalis ſit, niſi ad hoc ſpeciale mãdatum habeat à Papa, quia limitata poteſtas extendi non poteſt. Rebuff. tit. de forma Vicariat. n. 61. 63. & 64. Garc. p. 5. de benef. c. 8. núm. 182. & ſeqq. Sed neque ad Ordines promovere poteſt eos, qui alienis Epiſcopis ſunt ſubjecti, ſinè ipſorũ litteris dimiſſoriis, neq; has dare poteſt Clericis ſibi non ſubjectis, Abb. in cit. c. pen. h. t. n. 5. Azor p. 2. l. 3. c. 6. q. 16.

TITVLVS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

DIctum eſt in ſuperioribus Titulis de officio, ac poteſtate eorum Eccleſiæ Miniſtrorum, qui principaliter tum ad divina tractanda, tum ad ea, quæ voluntariæ juriſdictionis ſunt, exercenda conſtituuntur; ſequitur nunc, ut de eorum poteſtate, & officio agatur, qui ad ea, quæ juriſdictionis contentioſæ ſunt, expedienda, ſive ad cauſas externas judiciales tractandas aſſumuntur. Agitur autem priùs de officio, & poteſtate Judicis delegati, quàm Ordinarij, quia delegatus à Principe, in cauſa ſibi delegata major, ac dignior eſt Iudicibus Ordinariis. c. Sanè; 11. h. t. quamvìs aliàs ſecundùm Ordinem doctrinæ, priùs de Iudice Ordinario, quàm Delegato, qui eius vices gerit, & ab eo dependet, agendum fuiſſet. Eſt autem uſus delegationis in utroque foro, Eccleſiaſtico, & ſeculari, externo, & interno, frequentiſſimus: cùm enim Iudices, ſeu Magiſtratus Ordinarij omnes cauſas, & negotia per ſe expedire plerumque non poſſint, neceſſarium fuit, ut aliis eas delegare, & vices ſuas committere poſſent. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus. Porrò pro explicatione Rubricæ huius Tituli, notanda eſt differentia inter officium, & poteſtatem: nam poteſtas conſiſtit, velut in habitu, ſeu actu primo; Officium verò ipſum actum ſecundum, ſeu exercitium ſignificat, ut ex Ioan. Andr. notat Felin. in Rubr. n. 4. h. t. Deinde per poteſtatem denotatur, quid poſſit facere Iudex delegatus, ratione delegationis ſibi factæ: per officium verò quid debeat, ac teneatur facere, ut innuit Abb. Panormit. in rubr. in fine h. t. nam alia ſunt, quæ poſſumus, alia verò quæ etiam facere debemus; hæc dicuntur officij, illa poteſtatis, quamvìs hoc loco hæc nomina ferè pro eodem, & velut ſynonima accipiantur.

SECTIO I.

DE DELEGATIONE IN GENERE, & ijs, qui poteſtatem delegandi habent, vel non.

§. I.

Quid ſit delegatio, ſive quis ſit Iudex delegatus, & quotuplex?

I. Aſſertio 1. Delegare in genere nihil aliud ſignificat, quàm alterum in locum ſuum ſubſtituere, ſive vices ſuas alteri committere; quomodo ſi Titius debitor Caij ſubſtituat debitorẽ ſuum Sempronium, ut pro ipſo ſolvat Caio, dicitur Sempronius debitor delegatus à Titio. l. pen. ff. De novationib. In præſenti autem Judex delegatus (qui eſt extraordinarius Judex. c. De cætero; 5. junct. Gl. V. Extraordinarium. de tranſact, & vulgò Commiſſarius appellatur) eſt is, qui non ex proprio munere, ſeu officio, ſed ex commiſſione, vel ipſius Juris, vel alterius hominis propriam, & ordinariam juriſdictionem habentis, immediatè, vel mediatè facta, adeóque alterius vice, & auctoritate juriſdictionem exercet. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 14. n. 1. ita tamen, ut diſtinctam juriſdictionem habeat, ac derivatam à juriſdictione delegantis, ſeu committentis, ut colligitur ex l. 1. §. Qui mandatam. ff. de offic. eius, cui mandata eſt juriſd.

Dicitur 1. *qui non ex proprio munere*, per quod Judex delegatus diſtinguitur à Judice Ordinario, qui ſuo jure, ſive ex proprio aliquo officio, ſeu Magiſtratu cauſas cognoſcere, ac definire poteſt, adeóque proprio nomine, ac officio juriſdictionem exercet. l. More; 5. junct. Gl. V. Suo jure. ff. de juriſdict. omn. jud. Judex autem delegatus, non ſuo jure, ſed alieno utitur,

tur, eius ſcilicet, qui mandavit. cit. l. 1. §. Qui mandatam, ubi dicitur: *qui mandatam juriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed eius, qui mandavit, juriſdictione utitur.*

Dicitur 2. *ex commiſſione, vel ipſius Juris*, ut comprehendantur etiam delegati à jure: *vel alterius hominis propriam, & Ordinariam juriſdictionem habentis*, ut excludatur Judex arbiter, qui poteſtatem judicandi accipit, non à Judice ordinario, & propriam juriſdictionem habente, ſed à partibus compromittentibus, jure, ſeu lege approbante, & concedente. Molin. c.l. quia aliàs privati juriſdictionem, ſeu poteſtatem publicam alicui dare non poſſunt. l. 3. C. de juriſdict. omn. jud. quamvis etiam arbitri non habeant propriam, ac ſtrictè dictam juriſdictionem, ſed tantùm cauſæ cognitionem, de quo infrà tit. ult.

Dicitur 3. *immediatè, vel mediatè facta*, quia definitur hîc Judex delegatus latè acceptus, prout etiam ſubdelegatum comprehendit, qui mediatè juriſdictionem obtinet ab eo, qui ex proprio munere juriſdictionem exercet.

Dicitur 4. *Adeóque alterius vice, & auctoritate juriſdictionem exercet*, quia delegatus in cognoſcenda cauſa ſibi commiſſa vices delegantis gerit, eiúſque nomine, & auctoritate cognoſcit. c. Sanè; 11. ibi: *Judex à nobis delegatus vices noſtras gerit* h.t. l. Solet; 16. ff. de juriſdict. Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. h. t. Per id verò, quod adjicitur, *juriſdictionem exercet*, excluduntur illi, quibus nudum tantùm miniſterium, ſive executio, ſine cauſæ cognitione, committitur, qui magis propriè Auditores, vel Executores appellantur. Barboſ. in Collectaneis in princ. num. 12. h. t.

Additur denique, *ita tamen, ut diſtinctam juriſdictionem habeat &c.* per quæ ultima verba juriſdictio Judicis delegati potiſſimùm differt à juriſdictione Vicarij generalis Epiſcopi (quam Ordinariam eſſe ſuprà probavimus) quippe qui non diverſam, ſed eandem juriſdictionem cum juriſdictione committentis habet: delegatus verò diſtinctam habet, quia à delegato appellari poteſt ad delegantē, quamvis inferiorem, & ſubjectam juriſdictioni delegantis, ut colligitur ex cit. l. 1. §. Qui mandatam. Porrò ſi à Superiore cōmittatur alicui Judici Ordinario cauſa quædam, quæ excedat ordinariam poteſtatem ipſius, is in illa exercenda, non Ordinarij, ſed delegati partibus fungitur. l. Sed etſi; 3. ff. de offic. eius, cui mand. eſt juriſd. Molin. c.l.

II. Aſſertio 2. Delegatorum varia ſunt genera, ſeu ſpecies, prout videre eſt apud Greg. Tholoſan. partition. Jur. Canon. l. 5. c. 2. nam alij ſunt delegati à ſupremo Principe ſpirituali, ut à S. Pontifice: alij à temporali, ut ab Imperatore, vel Rege, alij ab alijs inferioribus Principibus, aut Magiſtratibus. Et horum rurſum alij ſunt delegati ad univerſitatem cauſarum, alij ad certam cauſam. l. Solet; 16. ff. de juriſd. Delegatus ad univerſitatem cauſarum is dicitur, cui non una, vel plures particulares cauſæ, ſed omnes, vel univerſim, vel ſaltem in certo aliquo genere ſubalterno, v. g. decimarum, matrimunij, vel mutui, ſunt commiſſæ, quamvis cum reſtrictione ad certum tempus, vel locum, vel quantitatem: ut ſi alicui cōmittantur omnes cauſæ decimales cognoſcendæ, ad unum annum, vel in tali territorio tantùm, vel quæ non excedunt valorem 10. aureorum. Bartol. in l. Legatus; 11. n. 4. ff. de offic. Proconſul. Quòd ſi delegatio fiat generalis quoad cauſas, ſed cum reſtrictione ad certas, & particulares perſonas, ut ſi alicui committantur omnes cauſæ, ſeu controverſiæ ortæ inter Titium, & Cajum, talis non debet cenſeri delegatio univerſalis, ſed potiùs particularis, cùm multò pauciora negotia occurrant, quando delegatio fit cùm reſtrictione ad certas perſonas, quàm quando cauſæ commiſſæ reſtringuntur ad certum locum, tempus, vel quantitatem, ſine reſtrictione ad certas perſonas. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 31. n. 4. contra Bart. c.l.

Sunt præterea quidam Delegati, ratione dignitatis, quam obtinet is, cui delegatio facta eſt, ut ſi fiat delegatio Epiſcopo, vel Abbati certi loci, non expreſſo nomine perſonæ delegatæ, v. g. Epiſcopo Auguſtano, Abbati S. Galli? Alij contrà ſunt delegati, ratione perſonæ ſuæ, & non dignitatis, quibus fit delegatio, expreſſo nomine proprio perſonæ delegatæ. Tholoſ. c. l. de quibus plura infrà. Rurſum alij ſunt delegati ab homine, ſcilicet Judice, vel Magiſtratu Ordinario: Alij à jure, qui delegatam juriſdictionem habent, ex commiſſione ipſius Juris communis, ut Epiſcopi in quibuſdam caſibus aliàs Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Sic etiam ex delegatione Juris communis Eccleſiaſtici, omnes Sacerdotes in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt, ſaltem ſi proprius Sacerdos, vel alius, qui etiā alioqui juriſdictionem habeat, non adſit, juxta Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 7. Imò etiam ex delegatione ipſius Juris divini, poteſtas abſolvendi tunc cuilibet Sacerdoti competit, quia ipſa inſtitutio, & neceſſitas huius Sacramenti id poſtulat, ut in tam gravi periculo, ſi alius Sacerdos idoneus non adſit, juriſdictio, & facultas abſolvendi omnibus Sacerdotibus ſit communis. Tanner. tom. 4. diſ. 6. q. 9. dub. 3. n. 62. & alij DD. cōmuniter. Quemadmodum etiam omnes Sacerdotes approbati, & jure non impediti cenſurâ aliquâ, vel alio impedimento canonico, abſolvere poſſunt quoſvis à peccatis venialibus, imò, & mortalibus jam aliàs rite expiatis, per poteſtatem juriſdictionis delegatam ab Eccleſia, ut patet ex conſuetudine recepta, & approbata ab Eccleſia, & quia hæc peccata non ſunt materia neceſſaria confeſſionis. Tanner. c. l. n. 59. & alij ab ipſo citt. Similiter omnes illi, qui ſive ex conceſſione Juris communis, ſive ex recepta conſuetudine, (quæ vim juris, ſeu legis habet) facultatem habent eligendi quemvis confeſſarium approbatum ab Ordinario, etiamſi aliàs juriſdictionem nullam in huiuſmodi pœnitentes haberet, poſſunt ab eodem abſolvi per poteſtatem juriſdictionis, ſaltem indirectè, & tacitè conceſſam, ſeu delegatam ab eodem communi Jure, vel conſuetudine, cùm alioquin tale privilegium inutile eſſet, & nullum effectum haberet. Tanner. c. l. n. 54. & 55. Denique alij ſunt delegati, quibus primùm delegata, ſeu demandata fuit juriſdictio: alij verò ſubdelegati, qui à delegatis iterum delegantur. Greg. Tholoſ. c. l.

* * *

§. II.

Quinam habeant poteſtatem delegandi, aut ſubdelegandi?

III. Aſſertio 1. Regulariter non ſolùm ipſe Princeps ſupremus, qui Superiorem non habet, ut S. Pontifex, Imperator, Rex, Reſpublica libera, ſed etiã quilibet Judex, ſeu Magiſtratus Ordinarius delegare poteſt, prout ſumitur ex c. Cùm Epiſcopus; 7. ibi: *per ſe, vel per alium* de offic. jud. ordin. in 6. l. More; 5. l. Solet; 16. & l. ſeq. ff. de juriſd. Ratio eſt, quia Ordinarius Judex propriam juriſdictionem habet, & non tantùm judicandi munere, vice alterius, fungitur, ideóque juriſdictione ſibi competente jure proprio, vel per ſe, vel per alium uti poteſt, quod enim poteſt quis facere per ſe ipſum, poteſt etiam per alium. reg. jur. 68. in 6. Non tamen poteſt Judex Ordinarius Principe inferior totam juriſdictionem ſuam alteri delegare, ſive totum officium ſuum alteri committere, ſinè conſenſu Papæ, aut alterius Principis ſupremi. Felin. in c. Super quæſtionum; 27. §. Si verò n. 17. h. t. Sanch. cit. diſ. 31. n. 11. Ratio eſt, quia committendo totam juriſdictionem ſuam, non tam cenſetur delegare, quàm omnino abdicare ſe juriſdictione, ſeu officio ſuo ordinario, quod ſinè conſenſu Principis non poteſt. l. pen. junct. Gl. V. Abdicando. ff. de offic. Præſid. Neque judex Ordinarius inferior Principe juriſdictionem ſuam ordinariam in aliũ transferre poteſt, cùm Judices ordinarios propriâ auctoritate conſtituere non poſſit: id enim eſt ſingulare privilegium competans ſupremæ poteſtati Principis, ut conſtat ex lib. 2. feud. tit. 56. Quæ ſint regalia c. unic. ubi inter Regalia reſervata Principi numeratur poteſtas conſtituendorum Magiſtratuum, ad juſtitiam expediendam, & colligitur ex c. Judicibus; 33. cauſ. 2. q. 6. & Judex ordinarius delegando juriſdictionem alteri, ſaltem in habitu, & radicaliter, illam retinet.

IV. Aſſertio 2. Delegatus à Papa, vel alio Principe Superiorem non recognoſcente, ſaltem in temporalibus, ſi ipſe cauſam expedire ſit impeditus, eam alteri ſubdelegare, ſive vices ſuas committere poteſt, ut conſtat ex c. Si pro debilitate; 3. h. t. ubi Papa Alexander III. reſcribit Epiſcopo Londonenſi, ut, ſi ob debilitatem, vel aliam cauſam gravem, aut neceſſariam, cauſas à Sede Apoſtolica ei commiſſas expedire non poſſit, liberum ei ſit, eas aliis perſonis diſcretis, & idoneis ſubdelegare, ſeu vices ſuas committere, ita tamen, ut ſubdelegati, orto aliquo dubio, Subdelegantem conſulere debeant: præterquam ſi cauſæ ſint ita graves, ſeu arduæ, ut ſinè ipſius principalis delegantis præſentia, terminari, ſeu definiri non poſſint, tunc enim alteri ſubdelegari non poſſunt. Idem habetur in c. Cùm cauſam; 62. in fine ibi: *cùm non niſi delegatus à Principe cauſam alij valeat delegare*, de appell. & in l. A judice; 5. C. de judic. Idque ex ſpeciali privilegio ab ipſo jure conceſſum eſt tali delegato, propter eminentiam ſupremæ poteſtatis Principis, cuius vices repræſentat. c. Paſtoralis; 28. in princ. h. t.

V. Extenditur autem 1. quòd delegatus Papæ, vel alterius Principis ſupremi, etiam partibus invitis, & nulla neceſſitate cogente, cauſam alteri ſubdelegare poſſit, cùm hæc poteſtas ei à lege ſit conceſſa. Gl. in cit. c. 3. V. Liberum, & ibid. Abb. n. 1. h. t. quamvìs, ſi juſta aliqua cauſa, vel neceſſitas appareat, aut præſumi queat, delegatus Principis ſubdelegandum etiam cogere poſſit ad acceptandam delegationem, ut conſtat ex c. Paſtoralis; 28. in princ. h. t. ubi Papa Innocent. III. conſultus ab Epiſcopo Helienſi, an eum, cui tanquam delegatus Papæ commiſit vices ſuas, poſſit compellere ad acceptandam ſubdelegationẽ, reſpondit: cùm delegato à Principe juriſdictio dandi judicem, ſive poteſtas ſubdelegandi alteri, à lege, ſive jure ſit conceſſa, ideo acceptare renitentem compellere poteſt, dummodo ſubdelegans non malitioſè ſe ipſum ſubtrahere, & exonerare intendat: alioquin verò debet recipere, & ad id compelli poteſt; quia niſi delegatus coërcitionem aliquam haberet, poteſtas eius, ac juriſdictio inutilis foret, & inefficax. Id tamen cavere debet delegatus Principis, ut, ſi neceſſitate ita exigente, perſonis ſuperioribus (id eſt, in dignitate conſtitutis) cauſam aliquam delegandam arbitretur, in coactione, ſive pœnæ illatione dignitatis rationem habeat. Ratio eſt, quia perſonæ nobiles, aut in dignitate conſtitutæ plerumque mitiùs puniendæ ſunt, ſaltem pœnâ corporali, aut ſimili, quia huiuſmodi pœna augetur, & maior cenſetur, quò perſona eſt maior, & dignior. c. fin. & ibi Gl. V. Nobilitati de pœnis. Abb. in cit. c. Paſtoralis. n. 5. & ibid. Felin. n. 1. & ſeqq.

VI. Notandum 1. Poteſtas ſubdelegandi non eſt juriſdictio delegata, ſed ordinaria, nam juriſdictio, quæ datur à lege, eſt ordinaria. l. Et quia; 6. ff. de juriſdict. Abb. hîc n. 3.

Notandum 2. Tunc cenſetur ſubdelegans malitioſè ſubdelegare velle, ſi ſubdeleget v. g. amico ſuo, cum læſione partis alterius, vel ſi cauſam ſibi delegatam cognoſcere non vult, ut evitet odium, ſeu periculum partis offendendæ, ideóque in alium, cui illam ſubdelegat, derivare vult hoc onus, tunc enim hic ad ſubdelegationem acceptandam cogi non poteſt. Abb. hîc num. 7. Imò univerſim, ſi eadem cauſa recuſandi ſubſit in Subdelegando, quæ in delegato, non cogitur ſubdelegandus acceptare ſubdelegationem. Layman. hîc n. 2.

Notandum 3. Subdelegans ſubdelegatum renitentem acceptare, ſinè juſta cauſa, ſubdelegationem, punire poteſt, quia delegare eſt mandare, ſeu præcipere, ideóque fieri non poteſt, niſi erga perſonam juriſdictioni delegantis ſubjectam, Gloſſ. in cit. c. Paſtoralis. V. Si coërcitionem, ex l. unic. C. Qui pro ſua juriſdict. judic. dare &c. hæc autem poteſtas præcipiendi ſæpe vana foret, aut illuſoria, niſi adjunctam haberet poteſtatem inferendi pœnam aliquam, ſaltem levem, ſeu modicam, ut eſt mulcta pecuniaria, vel ſimilis. Abb. in cit. c. Paſtoralis. in princ. num. 9. Poteſt autem delegatus Papæ ſubdelegando compellere omnes, quos poteſt ipſe Papa delegans, cuius vices gerit: ſicut enim omnes Clerici ſubjiciuntur juriſdictioni Papæ; ita etiam juriſdictioni delegati eiuſdẽ, quoad cauſam delegatam. Aliud aſt de judice ordinario inferiore, qui delegando non poteſt compellere, niſi hominem ſuæ juriſdictioni ſubjectum. Gl. in cit. c. Paſtoralis; V. Renitantam, & ibid. Abb. n. 7.

VII. No-

» VII. Notandum 4. Sicut delegatus Papæ, » ſeu Principis totam cauſam ſibi commiſſam alte- » ri ſubdelegare poteſt: ita, & partem, ſeu articu- » lum aliquem, v. g. citationem partium, & reni- » tentem compellere, ac punire, ſervatâ debitâ diſ- » cretione, poteſt, prout habetur in cit. c. Paſtoralis. §. Item cùm totum h.t. & in Clem. unic. in princ. ubi id traditur de receptione teſtium, eodem. Ratio eſt, quia, quod juris eſt in toto, quoad totum, idem juris eſt in parte, quoad partem. l. Quæ de tota; 76. junctâ Gloſſ. V. Dicta ſunt. ff. De rei vindic. ubi exemplum affert, ſi quis v. g. fundum alienum malâ fide poſſidet, debet eum, cum omnibus fructibus reſtituere, adeóque etiam, qui partem talis fundi malâ fide poſſedit, illum cum fructibus reſtituere cogitur: modò eadem ſit ratio partis, quæ totius, Abb. in cit. §. Item cùm totum. n. 6.

VIII. Extenditur 2. Tradita doctrina de poteſtate ſubdelegandi conceſſa delegato Papæ, vel alterius Principis, quod talis delegatus poteſt alteri cauſam ſubdelegare, reſervato ſibi, vel alicui tertio hoc jure, ut ſubdelegatus teneatur in ſententia ferenda requirere conſilium ſuum, vel illius tertij: Alioqui ſententia lata per ipſum, oon petito priùs coofilio ſubdelegantis, vel tertij, erit invalida, quia forma delegationis non fuit ſervata, prout ſumitur ex cit. c. Si pro debilitate; 3. h. t. & tradit ibid. Innocent. num. 1. & Abb. n. 3. & 7. Decius num. 8. Porrò, quando delegatus ſubdelegat cauſam alteri, reſervando ſibi, ut conſilium ſuum petatur, tum ſolùm cenſetur velle, ut coofilium ipſius adhibeatur, tanquam viri boni, ac prudentis, non tanquam judicis, quia dare conſilium non eſt actus juriſdictioois, neque enim Conſiliarius eſt Judex, vel exercet poteſtatem jutiſdictionis: ac proinde delegatus ſic ſubdelegando cenſetur omnem juriſdictionalem coguitionem talis cauſæ à ſe abdicâſſe, illámque ſubdelegato commiſiſſe, ideóque unà cum illo, in hac cauſa judicare non poteſt, quia nihil juriſdictionis in illa ſibi reſervavit, Gl. communiter recepta in cit. c. 3. V. Te conſulere. Abb. ibid. oum. 6. & Decius num. 7. ubi ait, tali caſu appellandum eſſe, non ad delegatum ſubdelegantem, ſed ad primum delegantem. Verumtamen non requiritur, ut Commiſſarius, cui cauſa delegata, vel ſubdelegata fuit, ſub obligatione petendi conſilium, illud neceſſarium ſequatur, ſed ſatis eſt, ſi petat, & debito tempore reſponſum expectet. Abb. cit. loc. num. 7. & Decius num. 9. & ſumitur ex c. Cùm in veteri; 52. junct. Gloſſ. V. Expectatum, de elect. & c. Cùm olim; 7. de arbitr.

Aliud verò dicendum eſt, ſi quis alteri cauſam committat, cum expreſſa reſervatione, quòd conſilium eios ſequi debeat; tunc enim fecit ſe participem officij judicis, ſive judicii, adeóque ſententia à Commiſſario lata non valet, niſi ipſo delegante conſentiente. Abb. cit. loc. num. 7. nam generatim loquendo, quando conſilium requirendum eſt ab eo, qui officij particeps eſt, tum etiam illud oeceſſariò ſequi oportet, ita, ut geſta, ſine eius conſenſu, non valeant. Bart. in l. 1. §. Si plures, n. 7. ff. de exercitor. act.

IX. Cæterùm, quod dictum eſt, delegatum Papæ, vel alterius Principis ſupremi, poſſe cauſam ſibi commiſſam alteri ſubdelegare, id limitari debet. 1. Niſi ea cauſa ſit gravis, ſeu ardua, talis enim etiam à delegato Papæ, ſeu Principis alteri ſubdelegari non poteſt. cit. c. Si pro debilitate; 3. in fine h. t. Ratio eſt, quia tum, ob cauſæ gravitatem cenſetur induſtria perſonæ delegatæ ſingulariter electa fuiſſe, ideóque per alium expediri non poteſt. l. Inter artifices; 31. ff. De ſolution. Abb. in cit. c. 3. num. 4. Quænam autem cauſæ graves, ſeu arduæ cenſendæ ſint, Judicis arbitrio decidendum relinquitur, cùm jure definitum non ſit. Felin. in cit. c. 3. col. 3. & Decius num. 5. h. t. qui tamen ibid. num. 4. notat, in cit. c. 3. non eſſe ſermonem ſimpliciter de quibuslibet cauſis gravibus, ſed de ita gravibus, ut ſinè Epiſcopi: cui à Papa delegatio facta eſt, præſentia expediri nequeant: quales non ſunt cauſæ matrimoniales, ideóq; etiam aliis, quàm Epiſcopis, committi poſſe, ſaltem ſecluſo ſtylo Curiæ Rom.

X. Limitatur 2. Magis generaliter ſuprà tradita doctrina, quòd delegatus Papæ, vel Principis ſubdelegare poſſit, oiſi vel ex ipſis verbis reſcripti delegationis, (ut ſi dicatur: *per te ipſum, vel perſonaliter exequaris*: item *confidimus de induſtria, & diſcretione, vel prudentia tua &c.*) vel ex ipſius negotij, ſeu cauſæ commiſſæ gravitate (ſive quia jure expreſſum eſt, ut gravis, & non delegabilis cauſa cenſeatur, ſive quia talis eſt, ut non facilè ab alio expediri poſſit) appareat, induſtriam, ac fidem Judicis delegati ſpecialiter electam eſſe, tum enim neque delegatus Principis alteri cauſam ſubdelegare poteſt. Abb. in c. ult. §. Is autem n. 6. h. t. & Felin. ibid. n. 2. not. ult. n. 3. & 4. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 15. num. 3.

Exempla habentur in cit. c. ult. §. Is autē; h. t. ubi » Papa Gregor. IX. ita reſcribit: is autem, cui in- » jungitur, ut perſonaliter negotium exequatur, » poteſt hoc aliis delegare, dummodo partes con- » ſentiant: præterquam, ſi mandatum ſit, ut inqui- » ſitio aliqua fiat, vel Eccleſiis provideatur de Præ- » laris, vel aliis Miniſtris: tum enim cenſetur ſin- » gulariter electa induſtria, ac fides perſonæ, cui » tália committuntur: ideóque tunc delegatus, e- » tiam conſentientibus illis, quorum negotium committitur, vices ſuas alteri committere non poteſt, tum ob rationem allatam in textu, tum qoia in iſtis majus periculum vertitur. Gloſſ. hic V. Ut perſonaliter.

Quòd ſi verò induſtria, ac fides perſonæ, cui fit commiſſio, non cenſeatur ſingulariter electa, etſi Papa alicui cauſam commiſerit, ut eam perſonaliter exequatur, nihilominus eam alteri delegare poteſt, dummodo partes conſentiant, ut expreſsè habetur in cit. §. Is autem; in princ. Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi clauſula, ſeu conditio commiſſioni adiecta ſit in favorem partium, de quarum cauſa, ſeu negotio agitur, cui ipſæ expreſsè, vel tacitè renunciare poſſunt: ſecus ſi ob utilitatem publicam ſit adiecta clauſula commiſſioni, ut illam perſonaliter exequatur; tum enim nec cum conſenſu partium, per alium cauſa commiſſa expediri poteſt, ſed forma reſcripti commiſſionis exactè ſervanda eſt, quia privati non poſſunt renunciare his, quę pro publica utilitate

ſunt demandata, vel officio Judicis decreta, Innoc. in cit. c. ult. n. 1. & ibid. Abb. §. Is autem, n. 5.

XI. Aliud exemplum habetur in c. Is cui; 12. » h. t. in 6. ubi ſtatuitur, quòd ſi cui ab Apoſtolica » Sede fuerit commiſſum, ut certæ perſonæ de bene- » ficio in certa Eccleſia, diœceſi, vel provincia provi- » deat, is poteſt vices ſuas, ſive proviſionem hanc al- » teri licitè committere. Si verò nullâ certâ perſonâ » expreſſâ, ſeu nominatâ, alicui committatur, ſeu » mandetur, ut perſonæ idoneæ de certa Eccleſia, vel » beneficio provideat, non poteſt is provinciam ſibi » commiſſam alteri demandare, quia tunc circa per- » ſonam eligendam eius induſtria ſpecialiter electa » cenſetur: niſi in forma commiſſionis ipſi factæ cō- » tineatur, ut per ſe, vel per alium id expedire poſſit. Ratio prioris partis eſt, quia, quādo principalis committens, ſeu delegans deſignat certam perſonam, cui providendum eſt, tum plerumque parùm intereſt, an per ſe, vel per alium ipſi provideatur, adeòque delegatus, ſive executor vices ſuas alteri committere poteſt. Ratio poſterioris partis eſt, quia, quando principalis committens, non deſignat certam perſonam, cui de beneficio provideatur, ſi idonea reperiatur, tunc cenſeri debet, quòd induſtriæ, & diſcretioni delegati, ſeu executoris conſtituti id reliquerit, ideòque is ſubdelegare poteſt, Gl. magna hic in notatis. & Franc. n. 1. Porrò quamvìs is, cuius induſtria electa eſt ad aliquid faciendum, non poſſit id alteri delegare, ſeu committere: excipi tamen debet, niſi addita ſit clauſula, ut per ſe, vel per alium id exequi poſſit, ut habetur in fine huius c. & ibi Gl. V. Pet alium.

Atque hinc inferunt Dominc. & Franc. hic num. 2. Si teſtator conſtituit executores, ut arbitratu ſuo diſtribuant legata inter pauperes, quos ipſi elegerint, quòd ij non poſſunt hoc officium, ſeu vices ſuas alteri committere, quia cenſetur electa induſtria eorum, & commiſſum diſcretioni eorundem; ſecus eſt, ſi ipſemet teſtator certos pauperes in ſpecie nominavit, quibus legata dari juſſit, tum enim executores etiam per alios id expedire poſſunt.

XII. Limitatur 3. Quòd etiam Principis delegatus non poteſt alteri vices ſuas committere, ſeu cauſam ſibi commiſſam ſubdelegare, ſi non jurisdictio, ſed nudum miniſterium, ſeu mera executio ipſi à Principe ſit commiſſa, adeòque merus » executor ſit conſtitutus. Veluti ſi alicui à Sede A- » poſtolica commiſſum ſit, ut Crucem prædicet (pro » recuperatione Terræ ſanctæ) vel excommunicet, » aut abſolvat aliquos, vel cum irregularibus diſpen- » ſet, vel pœnitentias injungat, non poteſt in his vi- » ces ſuas alteri committere, ſed perſonaliter ea exe- » qui debet, quia ipſi non juriſdictio, ſed nudum mi- » niſterium eſt commiſſum: excepto Legato Sedis A- » poſtolicæ, qui talia per alium exercere poteſt: idque ipſi cōceſſum eſt ob multitudinem negotiorum, quia omnia ſolus per ſe ipſum expedire non poteſt. Felin. in cit. c. ult. §. Cæterùm, n. 9. h. t.

Idémque eſt, etſi aliud ſimile nudum Miniſterium, ſeu negotij executio alicui ſit commiſſa, quia ratio diſpoſitionis in lege, ſeu Canone expreſſa oſtendit, idem jus ſtatuendum eſſe de aliis caſibus, etſi in ſpecie non ſint expreſſi, ac proinde caſus expreſſi in cit. §. Cæterùm; ſolùm exempli causâ ſunt allati, quia ratio in fine ibi poſita etiam in omnibus ſimilibus locum habet, adeòque etiam eadem diſpoſitio. Abb. in cit. §. Cæterùm; num. 2. Ratio autem, cur delegatus Principis ſupremi alteri delegare poſſit juriſdictionem, non autem nudum miniſterium, ſeu executionem, eſt, quia in articulo jurisdictionali, ſecundùm leges publicas, procedi debet, ideòque parùm refert, quiſnam Judex conſtituatur, dummodo legum peritus ſit. At verò in nudo miniſterio, ſeu executione plùs valet, & operatur induſtria, ſeu experientia, peritia, & auctoritas perſonæ, ideòque Princeps alicuius cauſæ nudum miniſterium, ſeu executionem committendo, frequenter ad induſtriam perſonæ attendere ſolet, eámque elegiſſe cenſetur. Abb. in cit. c. ult. §. Is autem; n. 6. h. t.

Sed contrà obſtare videtur, quòd nudum officium, cui non eſt annexa juriſdictio, poteſt committi alteri, ut facultas eligendi. c. Quia propter; 42. de elect. ergo & nudum miniſterium carens juriſdictione. Reſp. Si nudum officium alicui competat jure proprio, poteſt alteri id ſubdelegare, ſeu committere, ut in electione, ſecus, ſi competat jure alieno, ſive exerceat nomine, & auctoritate alterius, tum enim nudum miniſterium alteri committi nō poteſt. Abb. in cit. §. Cæterùm. n. 3.

XIII. Notandum hìc præterea 1. Poteſt Commiſſarius, ſeu Executor à Papa, vel Principe datus etiam nudum miniſterium interdum alteri committere, ſi ex qualitate cauſæ, vel commiſſionis appareat, vel præſumi poſſit, perſonæ induſtriam electam non fuiſſe, adeòque commiſſionem, ſeu negotium demandatum æquè per alterum expedire poſſe, ut conſtat ex prima parte cit. c. Is cui; 12. h. t. in 6. Abb. in cit. c. ult. §. Is autem; n. 5. extra eodem.

Notandum 2. Licèt ei, cui nudum miniſterium, ſeu mera executio, ſinè cauſæ cognitione, commiſſa fuit, v. g. ut aliquem excommunicet, vel abſolvat, per ſe nulla juriſdictio competat; poteſt tamen per accidens, ratione talis commiſſionis, aliqua juriſdictio, ſeu coërcitio ei competere, quatenus ea neceſſaria eſt ad mandatum implendum, ne aliàs illuſoria, & ſine effectu ſit talis commiſſio, ita, ut impedientes, ſeu contradictores compeſcere, & punire poſſit. Gl. in cit. §. Cæterùm; V. Commiſſum, & ibid. Joan. Andr. num. 33. & Imol. n. 19. contra Gl. marg. in cit. c. Cæterùm. Hoſtienſ. & Abb. ibid. num. 5. qui negant nudum Executorem ullam habere juriſdictionem, niſi in litteris commiſſionis appoſita ſit hæc clauſula, *contradictores compeſcendo*. Verùm etſi talis clauſula in litteris Apoſtolicis non ſit adiecta, de jure tamen ineſt, & tacitè ſubintelligitur, cùm uno commiſſo, cenſeantur etiam alia commiſſa, ſine quibus illud expediri non poteſt. c. Præterea; 5. & c. Ex litteris; 29. h. t. Poteſt autem Executor Papæ talem juriſdictionem etiam alteri ſubdelegare, extra Curiam Romanam: (nam ſi in Curia verſetur, & impediatur ab executione, negotium ad Papam referre debet) quamvìs ipſam executionem, ſeu nudum miniſterium alteri committere non poſſit, quod non habet adjunctam aliquam cognitionem, vel juriſdictionem, ut eſt, prædicare, Innocent. in c. ult. n. 4. & Imol. n. 20. h. t.

Notan-

Notandum 1. Si nudum miniſterium alicui commiſſum ſit ſub nomine dignitatis, ſed eo nondum expleto, moriatur Commiſſarius, illud ab eo tranſit ad ſucceſſorem, ut tenet Abb. in cit. §. Cæterùm.n.7.Felin.ibid.n.8.limit.1.Imol.n.36.quia præſumitur, quòd omnes conſtituti in illa dignitate ſint futuri providi, diſcreti, & idonei ad executionem demandatam.

XIV. Cæterùm huc quoque pertinet, quod ſtatutum habetur in Clement. Judices unic. h. tit. » quòd Judices (delegati à Papa, vel alio Principe) » ſuper receptione teſtium in cauſa civili: nec non » executores deputati à Sede Apoſtolica, ad provi- » dendum aliquibus (certis, & nominatis, de bene- » ficio) ſi per inquiſitionem ſolertem, ſeu diligen- » tem eos eſſe vitæ laudabilis, & honeſtæ conver- » ſationis, repererint, aliis licitè poſſint vices ſuas » committere.

XV. Pro cuius intellectu notandum 1. Si à Papa, vel alio Principe aliquis ſit deputatus ad recipiendos teſtes, tanquam Judex delegatus, cum juriſdictione ſcilicet, citandi partem adverſam, puniendi teſtes, examinandi articulos &c. is poteſt alium ad id munus ſubdelegare, ſive vices ſuas alteri committere, quia eſt delegatus Principis ad certum articulum, ſed cum juriſdictione. Secus ergo eſt, ſi quis ſit nudus miniſter, ut ſi receptis teſtium juramentis, examinatis articulis, ſuper quibus producuntur teſtes, & interrogatoriis, ſecundùm quæ fieri debet examinatio teſtium, alicui committatur mera executio, talis enim non eſt judex delegatus, nec juriſdictionem habet, ſed nudum miniſterium, ideóque ſubdelegare illud alteri non poteſt, Gloſſ. hîc V. Judices, de quo plura infrà. Quamvis autem in cauſa criminali judex non debeat committere examinationem teſtium, ſed ipſe perſonaliter eos examinare; aliud tamen eſt in cauſa civili, ſive ſeculari, ſive ſpirituali, Judex enim, cui committitur receptio, & examinatio teſtium, poteſt aliis ſubdelegare, Gl. hîc in caſu.& V. Civili.

Notandum 2. Executor datus ad providendum alicui de beneficio, etiam additâ conditione, ſi ſit vitæ laudabilis, & honeſtæ converſationis, poteſt vices ſuas alteri committere, quia per illam clauſulam, ſeu conditionem non cenſetur electa induſtria perſonæ, ſed ſolùm declaratur officium executoris, & illa conditio tacitè ineſt, etſi non exprimatur. Gl. hic in caſu.

§. III.

An, & qua ratione ſubdelegare poſſit delegatus Papæ, vel Principis, adiunctus ei aliis Iudicibus delegatis, vel cum poteſtate ſubdelegandi alteri?

» XVI. Aſſertio 1. Si præter duos Judices, qui » ſuper aliqua cauſa dati ſunt, Papa tertium deleget, » & ſuperaddat, vel ex communi conſenſu partium, » vel, ſi conſentire nequeant, ex officio ſuo, tum, ſi » is vices ſuas alij delegaverit, (cùm id concedatur à jure delegato à Principe) valida erit delegatio, » quia Papa delegans intendit providere ipſis nego- » riis, ſeu cauſis (ut citò expediantur) non autem per- » ſonis, quibus ſit delegatio, prout habetur in c. Quo- » niam; 43.& ult. in princ. h. t. Quare non facilè præſumi debet, in delegatione electam fuiſſe induſtriam perſonæ, ſed delegatus à Principe poteſt cauſam ſibi commiſſam alteri ſubdelegare, ob rationem allatam in textu. Et quidem etiam inviris partibus, & non requiſito conſenſu illarum, aliàs non vellet Papa providere negotiis, ſed perſonis. Gl. in cit. c. ult. V. Negotiis, & Abb. n. 5.

Ubi notandum, quòd, ſi partes ſint præſentes in Curia, non datur Judex ad petitionem unius partis tantùm, quia is videretur ſuſpectus. l. Obſervādum; 47.& ibi Gl. V. Iniqui exempli. ff. de judic. Sed permittitur, ut utraque pars judices ſibi deligant, & communi conſenſu partium datur, ſive ſuperadditur tertius, vel, ſi conſentire nequeant, ex officio Papæ. Abb. in cit. c. ult. in princ. n. 3. & Imol. n. 2. Non tamen poteſt ille judex tertius, qui ex conſenſu partium, vel officio Papæ eſt datus, & delegatus, cauſam ſubdelegare alterutri Judicum, quem pars quæque ſibi delegit, cùm is ſit conſtitutus veluti arbiter, ſeu diremptor inter judices à partibus electos, & is eſſet ſuſpectus alteri parti. Durand. in ſpeculo l. 1. partic. 1. tit. de Jud. deleg. §. Sequitur; 5. n. 1. Abb. in cit. c. ult. num. 5.

Præterea, ſi Papa ex tribus deputatis Judici- » bus, unum prælíget, ut cum altero ſuorum conju- » dicum, mandatum Apoſtolicum exequatur, vel » cauſam cognoſcat; ut ſi v. g. committat Epiſcopo: » *ſi non omnes poteſtis, tu frater Epiſcope, cum altero conju-* » *dicum, cauſam cognoſcas.* tunc etiam Epiſcopus vi- » ces ſuas alteri ſubdelegare poteſt, ita, ut reliqui duo, » ſine ſuo delegato ab ipſo Epiſcopo, procedere non » poſſint, prout habetur in cit c. ult. §. Idem quo- » que, & ibi Gl. V. Cùm mandatur. h. t. Poteſt autem Epiſcopus hoc caſu, uno conjudice mortuo, cum altero procedere, quia ipſe eſt præ aliis delegatis deputatus, ſed non vice verſâ, illi ambo ſine Epiſcopo, vel ipſius ſubdelegato. Gl. cit.

XVII. Aſſertio 2. Si à Sede Apoſtolica duo- » bus Judicibus cauſa commiſſa ſit ſimpliciter, non » additâ clauſulâ, ut *ſi unus cognoſcere non poſſit, aut no-* » *lit, alter ſolus cognoſcat:* hoc caſu, unus ex ipſis alteri, » ſive ſuo conjudici, ſive alicui tertio vices ſuas com- » mittere, ſeu ſubdelegare poteſt, ut habetur ſtatu- » tum in c. Quamvis; 6. h. t. Ratio eſt, quia conceſſum à jure privilegium delegato Principis, ut ſubdelegare poſſit, & committere vices ſuas alteri, ob Principis honorem, non ſtrictè, ſed latè interpretari oportet, ut ipſi etiam conjudici, ſive collegæ ſuo ſubdelegatio fieri poſſit. Et licèt aliàs, ſi duobus judicibus cauſa commiſſa ſit, non in ſolidum, ſed, ut ſimul cognoſcant, non addita clauſulâ: *ſi non omnes, vel ſi ambo non poteritis, alter cognoſcat*, tunc unus ſine altero cognoſcere non poſſit. c. Cauſam; 16. h. t. Hoc tamen caſu, ſi Judex delegatus collegæ, ſive ſocio vices ſuas committat, non cenſetur is judicare ſolus, ſeu jure ſingulari, ſed tam ſuo, quàm ſocij nomine, videlicet, ut delegatus, & ut ſubdelegatus collegæ ſui: quamvis neceſſarium ſit, ut non diverſam, ſed eandem ſententiam pro-

proferat, quia, quâ conſcientiâ judicat, aliqnid juſtum eſſe, nt delegatus, eâdem qnoque, ut ſubdelegatus, juſtnm cenſere debet. Abb. in cit. c. Quamvis num. 2. & 3. Decius ibid. poſt princ. & in addit. Fridet. Hiltropius in proceſſu judiciario p. 1. tit. 8. num. 7. arg. c. pen. 5. Porrò, junctâ Gloſſ. V. Nihil agit; de elect. in 6. Idque in aliis ſimilibus negotiis, quæ à judicio intellectûs pendent, locum etiam habet, ut, ſi quis duplici jure poſſit aliquem eligere ad beneficinm, ut Præpoſitus Eccleſiæ, &, ut unus ex Canonicis. c. Cùm olim; 51. & ibi Gloſſ. V. Duplici ſibi voce, de ſentent. & re jud. Vel ſi à duobus ſit conſtitutus Procurator ad eligendum, hoc caſu, non poteſt ille diverſos eligere, ſed unum tantùm, alioquin neutrum votum, ſeu ſuffragium valet. cit. c. pen. junct. Gl. cit. Abb. c. l.

Non obſtat, qnòd hoc caſu, ſaltem ſubdelegans ſolus committit alteri vices ſuas, quod videtur eſſe contra cit. c. Cauſam h. t. nam textus ille loquitur, quando cauſa eſt duobus delegata, non in ſolidum, ſed, ut ſimul cognoſcant, tunc enim unus non poteſt eam expedire, ſine altero: hîc autem ſermo eſt de poteſtate ſubdelegandi, quæ unicuique in ſolidum à jure competit, ideóque ad illam nihil facit dicta clauſula, ut unus ſine altero non procedat. Gl. hîc V. Duobus in fine, & Decius in fine. Atque hinc patet, quòd delegatus Papæ, ſeu Principis ſupremi ſubdelegare poteſt, non tantùm, qnando ipſe ſolus, ſed etiam qnando adjunctum habet Conjudicem, ſive ſocium delegatum, cui alium in ſui locnm adjungere poteſt, etiam ipſo invito. Abb. hic num. 1. Hiltrop. cit. loc. num. 7.

XVIII. Aſſertio 3. Si cauſa duobus Judicibus à Papa, vel alio Principe ſupremo delegata ſit, cum clauſula: *quòd, ſi ambo intereſſe non poſſint, alter ſolus procedat*; hoc caſn, ſi unns ex delegatis impeditus ſit, qnò minùs cauſam per ſe cognoſcere poſſit, is poteſt quidem alteri cauſam ſubdelegare, vicéſque ſuas committere, ſi ſit delegatus Principis, non tamen alter delegatus, ſive collega eius tenetur ſubdelegatum recipere, ſed per exceptionem eum repellere, & ſolus procedere poteſt, prout ſumitur ex c. Coram dilecto; 34. h. t. » Nam cùm quidam Archipresbyrer, intra fines parochiæ S. Mariæ Ravennatenſis, Capellam, ſen Eccleſiam in honorem S. Agathæ conſtruxiſſet (quod regulariter illicitum eſt, ſine conſenſu Ordinarij » c. 3. de Eccleſ. ædific.) Rector S. Mariæ litteras » impetravit, ur cauſa illa quibuſcunque Judicibus committeretur, qui pro Eccleſia S. Mariæ » definitivam ſententiam protulerunt. Sed Capellanns S. Agathæ ſententiæ latæ parêre recuſavit, » ideo aliæ litteræ, ſuper eadem cauſa, à Sede » Apoſtolica ſunt impetratæ ad Ferrarienſem Epiſcopum, coram quo çùm diu litigatum eſſet, dictus Capellanus, ſuppreſsâ veritate, (de proceſſu inſtituto coram Epiſcopo Ferrarienſi) poſtea obtinuit, ut M. Ludovicus Canonicus Bononienſis eidem Epiſcopo in canſæ deciſione, ſeu » cognitione adiungeretur, hac adiectâ clauſulâ: » *ut, ſi ambo intereſſe non poſſint: ſolus Epiſcopus in cauſa procedat.* Cùm autem Ludovicus Canonicus cauſam cognoſcere impeditus eſſet, alij vices ſnas ſubdelegavit, qnem Epiſcopus Ferrarienſis admittere noluit, ſed ſolus in cauſæ cognitione proceſſit, & ſententiam priorum judicum contra Eccleſiam S. Agathæ confirmavit, eò quòd in poſterioribus litteris comiſſionis fuit inſertum: *quod, ſi ambo intereſſe non poſſent; ſolus Epiſcopus in cauſa procederet*, quòd non poteſt intelligi, ſi per ſe, vel per alium intereſſe non poſſet, qnia id rarò, vel nunquam cnntingeret, ſed, ſi non poſſet perſonaliter intereſſe, adeóque clauſula illa adiecta verificata fuit. » Cùm autem uttaqne pars ad Sedem Apoſtolicam » recurriſſet, Papa Innocentius III. quendam Cardinalem Auditorem dedit, ſeu deſignavit, qui cùm » videret, Canonicum S. Agathæ cum inſtrumentis eiuſdem Eccleſiæ, adveniſſe, ſed abſque litteris » ratihabitionis, eum per fideiuſſores cavere juſſit, » quòd Dominus id tatum habiturus ſit. nam etſi » mandatum procuratorium non habuerit, admiſſus tamen eſt ad agendum, quia, cùm attulit inſtrumenta cauſæ, præſumptio erat pro eius mandato, ita, ut admitti poſſet, cum cautione fideiuſſoria de ratihabitione Dnmini, juxta l. 1. C. de procur. Gl. hîc V. Abſque litteris, & Innocent. in princ. Abb. n. 2. Vel quia iſte Capellanus veniebat ad proſequendam cauſam ſuæ Eccleſiæ, ideo admitti dcbuit ad agendum, præſtitâ cautione de rato, juxta doctrinam Gloſſ. receptam in c. Cùm olim; 34. V. Per exceptionem de teſtib. Imol. hîc num. 9. & alij apud ipſnm. Poſtea dictus Cardinalis ſententiam latam » ab Epiſcopo Ferrarienſi confirmavit, adverſæ parti » perpetuum ſilentium imponendo, idque Papa quoque Innocentius approbavit. »

XIX. Ex quo jam patet ratio deciſionis hujus c. Quia clauſula, *ſi non ambo &c.* intelligi debet, quando unus ex delegatis per ſe non poteſt cognoſcere, & non, ſi per ſe, vel per alium non poteſt, quia reſcripta Principum intelligi debent ſecundùm ea, quæ frequenter accidunt, non autem quæ rarò. arg. l. Nam ad ea; 5. ff. de legib. frequenter autem contingit, nt delegatus non poſſit per ſeipſum cauſam cognoſcere, valde rarò autem, ut nec per ſe, nec per alium poſſit. Quare, ſi unus ex delegatis, ob neceſſarium impedimentum, non poſſit ipſemet cauſam cognoſcere, cenſetur purificata clauſula, & tota poteſtas cognoſccndi devoluta ad alterum condelegatum. Et quamvìs aliàs delegatus Principis habeat poteſtatem ſnbdelegandi cauſam alteri, ſi ipſe impeditus ſit, adeóque etiam in hoc caſu ſubdelegatio ab ipſo facta ſir valida; quia tamen clauſula illa in favorem collegæ, ſeu condelegati adiecta cenſetur, ut nno impedito, alter ſolus procedat, ideo hic cnntra ſubdelegatum excipere, & ipſum à cognoſcendo, ſeu judicando repellere poteſt. Gloſſ. in cit. c. Coram. V. Quod non intelligitur; h. t. & Innocenr. num. 2. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 24. num. 3. §. Quando duobus. Laym. hîc num. 3. & Barb. in Collect. n. 3. Idémque eſt, ſi tres delegati ſint, cum dicta clauſula, ut *ſi omnes intereſſe non poſſint, reliqui, vel unus ſolns procedat*: neque enim nnn impediti admittere tenentur ſubdelegatum à delegato impedito, Molin. c. l.

XX. Aſſertio 4. Nullus delegatus, etiam Papæ, ſen Prin-

Principis, poteſt ſubdelegare, ita, ut hanc iterum ſubdelegandi poteſtatem in ſubdelegatum transfundere valeat, ſive ei dare poteſtatem alteri ſubdelegandi, prout habetur in c. Super quæſtionum; 27. „ §. Si verò; h. t. ubi dicitur: Si duo ſint à Principe „ delegati, & unus committat vices ſuas alteri, ille „ nec poteſt, nec debet cauſam alij delegare, quia eſt „ delegatus ab alio, quàm à Principe, ſcilicet à delegato ejus. Gloſſ. ibid. V. Delegare; & §. Porrò; V. Transfert; & Abb. num. 2. Sanch. cit. diſ. 31. num. 9. Ratio eſt, quia delegatus etiam Principis non habet poteſtatem ultra illam, quæ ipſi commiſſa eſt; aliud autem eſt, ſubdelegare, & aliud, dare facultatem ſubdelegandi: & licèt in jure reperiatur conceſſa delegato Principis poteſtas ſubdelegandi, non tamen reperitur iſta poteſtas conceſſa ipſi dandi alteri facultatem ſubdelegandi: ergo ex eo, quòd prior facultas ipſi conceſſa ſit, non ſequitur etiam poſteriorem eſſe conceſſam, quia à diverſis non fit illatio: præſertim cùm poteſtas ſubdelegandi ſit perſonale privilegium delegato Principis ſpecialiter conceſſum: ideóque ad diverſum caſum, vel perſonam extendi non debet. Quare nullus ſubdelegatus, etiamſi ſit delegatus à Principe, poteſt ulteriùs alij ſubdelegare. Et in hoc diſtinguitur delegatus etiam Principis, à quolibet Judice ordinario, qui, licèt ſit inferior, aut minimus, poteſt delegare, cum poteſtate ſubdelegandi, quia habet poteſtatem juriſdictionis univerſalem, & ordinariam. Sanch. c. l. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi Judex ordinarius Principe inferior delegato ſuo committere poſſit poteſtatem ſubdelegandi, proprio nomine ipſius delegati, ſed quòd delegato à non Principe concedi poſſit, ut ſubdeleget, nomine ipſius Ordinarij delegantis, prout infrà magis declarabitur. Ut, ſi v. g. Epiſcopus in commiſſione dicat, committo tibi hanc cauſam, quam ſi per te ipſum cognoſcere nolis, vel non poſſis, alteri id demandes, cui etiam poteſtatem delegatam volo. Sed dicet aliquis, poteſt unus ex duobus à Principe delegatis, v. g. Titius Cajo condelegato ſuo vices ſuas committere, ut ſuprà dictum aſſert. 3. at hoc caſu, cùm Cajus duplici jure ſit Judex, ut delegatus Principis, &, ut ſubdelegatus Caij, poterit juriſdictionem in illa cauſa alteri committere, ſive ſubdelegare, ut delegatus Principis, & retinere ut ſubdelegatus. Reſp. cùm Laym. in cit. c. Super quæſtionum; §. Si verò; num. 12. h. t. id fieri non poſſe, tum quia, quando juriſdictio in unam perſonam eſt translata, quodamodo coaleſcit in unam, & fit una individua juriſdictio, ita, ut non poſſit pro parte, ſive uno reſpectu transferri; pro parte, ſive altero reſpectu retineri. Tum quia Titius voluit juriſdictionem ſuam ſubdelegare Cajo conjudici ſuo, & Cajus ita acceptavit, qui ſi juriſdictionem ſuam alteri committat, deſinit eſſe Judex, ſierique poterit, ut Judex ſubdelegatus à Cajo ab ipſo in ſententia diſcordet, quod repugnat priori delegationi factæ à Titio. Laym. c. l. ubi addit, quòd Cajus poſſit hoc caſu aſſumere Aſſeſſorem, qui conſilium det, non tamen conferendo illi poteſtatem judicandi.

* *

§ IV.

An, & quando delegatus ab inferiore Judice ordinario ſubdelegare poſſit?

XXI. Aſſertio 1. Delegatus ab alio, quàm à Principe, nullum Superiorem agnoſcente, ſive ab inferiore Judice ordinario, v. g. ab Epiſcopo, ſubdelegare, ſive cauſam ſibi commiſſam regulariter, & ordinariè alteri committere non poteſt, ut conſtat ex c. Cùm cauſam; 62. in fine de appellat. l. à Judice; 5. C. de judic. l. More; 5. ff. de juriſdict. Ratio eſt, tum quia delegatus non habet plus juris, aut poteſtatis, quàm ipſi commiſſum ſit à delegante: eſt autem ipſi mandata, ſeu commiſſa tantùm facultas exercendi juriſdictionem, non autem committendi alteri, ergo non poteſt eam alteri committere, cùm hæ duæ facultates diverſæ ſint, & una alteram ſecum trahat, à diverſis autem non fit illatio: tum quia ſi quilibet ſubdelegatus, etiam à delegato, poſſet cauſam ſibi mandatam alteri iterum committere: ne igitur in infinitum abeatur, rectè ſtatutum eſt, ut Judex delegatus cauſam ſibi commiſſam per ſe cognoſcere debeat. Gloſſ. in cit. c. Cùm cauſam; V. Delegatus.

XXII. Excipitur 1. Delegatus ad univerſitatem cauſarum, qui ſcilicet ad omnes cauſas cognoſcendas certi generis, v. g. decimales, aut matrimoniales, vel generatim quoad cauſas, ſed in certo loco, eſt deputatus, quia is cenſetur veluti ordinariam juriſdictionem habere, ideóque unam, vel plures cauſas in particulari ſubdelegare poteſt, prout ſumitur ex l. 1. §. Ab eo; ff. quis, & à quo appelletur, ubi dicitur: *Cum quis delegatus ſubdelegavit, eſſe appellandum ad primum delegantem*, adeóque ſupponitur, poſſe delegatum ſubdelegare, ubi Gloſſ. V. Non ipſe; & Gloſſ. fin. junctâ Gloſſ. margin. 1. id explicat de delegato ad univerſitatem cauſarum. Idem docet Gl. communiter recepta in l. Legatus; 12. V. Legatus; ſolut. 3. ff. de offic. Proconſ. & Gloſſ. in l. ult. V. Neminem poſſe; ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd. & Gloſſ. in cit. c. Cùm cauſam; V. Delegatus; in fin. ff. de appell. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 15. num. 4. Sanch. lib. 3. de matrimon. diſ. 31. num. 2. & alij DD. communiter. V. g. Vicarius foraneus, ſeu Decanus ruralis ab Epiſcopo conſtitutus in certa parte Diœceſis, ita, ut ab ipſo pro arbitrio amoveri poſſit, habet juriſdictionem delegatam ad univerſitatem cauſarum, & quodammodo ordinariam, quia annexam officio Vicariatûs, ſeu Decanatûs, ut dictum ſuprà tit. 24. n. 12. adeóque poteſt etiam unam, vel alteram cauſam alijs ſubdelegare. Non tamen totam univerſitatem cauſarum, ſive univerſam juriſdictionem ſibi demandatam poteſt talis delegatus alteri committere, quia univerſim nullus Judex, etiam Ordinarius, poteſt totum officium ſibi commiſſum alteri delegare, ſeu committere, ſinè juris, vel Principis licentia. Gloſſ. in cit. c. Cùm cauſam; V. Delegatus. Molin. c. l. Sanch. c. l. num. 3. Et hinc etiam olim delegatus Proconſulis ſubdelegare potuit unam, vel alteram cauſam, tanquam delegatus ad univerſitatem cauſarum, l. Legatus; 12. ff. de offic.

Pro-

Proconſ. l. Cùm Prætor; 12. ff. de judic. Quòd ſi una tantùm cauſa ipſi commiſſa fuit à Proconſule, non poterat eam ſubdelegare. Gloſſ. in cit. l. Legatus; ſolut. 3. quia tunc non eſt delegatus ad univerſitatem cauſarum. Idémque dicendum eſt de delegato Apoſtolici Legati à Latere, hic enim, dum in Provincia eſt, Proconſuli æquiparatur, c. 2. de offic. Legat. in 6. ideóque unam, vel alteram cauſam ſubdelegare poteſt, ſicut delegatus Proconſulis, quia Legatus Cardinalis gerit vices Papæ in Provincia ſibi commiſſa, & ſupremam ordinariam juriſdictionem exercet, loco Papæ: unde ſicut delegatus Principis, ſubdelegare poteſt, ita & talis Legatus Papæ; idque ſumitur ex c. Cùm Bertholdus; 18. de ſent. & re judic. & docet Abb. ibid. num. 12. niſi una tantùm cauſa à Legato à Latere alteri commiſſa ſit, tunc enim is non poterit eam ſubdelegare alteri, ut de delegato Proconſulis dictum eſt,

XXIII. Excipitur 2. Quòd delegatus etiam judicis ordinarij inferioris Principe, etſi non ad univerſitatem cauſarum, poſſit ſubdelegare, ſi id ipſi ab Ordinario delegante expreſsè, vel tacitè conceſſum fuerit. Gloſſ. in c. Is cui; 12. V. Per alium; h. t. in 6. ubi Gloſſ. marg. addit, ita practicari, quia ordinarij ſolent delegare cum clauſula: *per ſe, vel per alium.* Felin. in c. Super quæſtionum; 27. §. Si verò; num. 18. h. t. Sanch. cit. diſ. 31. num. 6. Ratio eſt, quia tunc delegatus, non tam ex ſua, quàm delegantis perſona delegat: nam licèt judex inferior Principe non poſſit committere à ſe delegato, ut ſuo (ipſius delegati ſcilicet) nomine deleget, quia omnis juriſdictio à lege, aut ſupremo Principe gradatim ad inferiores derivatur: lex verò, vel Princeps non niſi Ordinariis, & à ſe delegatis judicibus tribuit poteſtatem conſtituendi alios judices, ſeu ſubdelegandi, l. More; 5. ff. de juriſd. l. à judice; 5. C. de judic. ideóque delegatis non à Principe talis poteſtas dandi alium judicem ſubdelegatum competere non poteſt. Veruntamen poteſt Ordinarius judex inferior Principe delegato ſuo facultatem dare, ut deleget, nomine ipſius Ordinarij delegantis, ita, ut ſubdelegatus juriſdictionem accipiat, non à delegato, ſed à primo delegante ordinario, ad quem etiam à ſubdelegato appellandum eſt, non ad delegatum. Felin. in cit. c. §. Porrò; n. 13. limit. 3. Idque confirmatur à ſimili, nam, ſi hæres juſſu teſtatoris eligat unum ex familia Titij, ad fundum legatum capiendum, non hæres, ſed teſtator cenſetur beneficium conferre legatario, l. Unum; 67. §. Si de falcidia: ff. de legat. 2.

Similiter, licèt arbiter non poſſit alteri delegare arbitrium, ne in infinitum abeatur: poterit tamen ex conſenſu partium, alij committere, ut arbitrium pronunciet, l. Non diſtinguemus; 32. §. Quæſitum; ff. de receptis, qui arbitr. &c. Ergo pari ratione, licèt delegatus ab inferiore judex per ſe ſubdelegare cauſam non poſſit, poteſt tamen, ex conſenſu Ordinarij, à quo juriſdictionem accipit, alium deſignare, per quem cauſa cognoſcatur. Porrò ſufficit etiam tacita licentia Ordinarii Judicis, ſi videlicet delegatus, ipſo ſciente, & patiente, ſubdeleget: hæc enim patientia habetur pro mandato, ſeu præſenti ratihabitione, per quam juriſdictio confertur, vel ſi ex aliis ſufficientibus indiciis conſtet de voluntate Ordinarii. Sanch. c. l. n. 7.

XXIV. Non obſtat 1. Quòd ea, quæ ſpecialiter, & in privilegium alicui conceduntur à lege, vel Principe, non poſſunt ab ipſo in alium transferri, l. 1. in princ. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd. Poteſtas autem delegandi ſpecialiter conceditur ordinariis Judicibus, l. More, 5. ff. de juriſd. ergo non poſſunt hanc poteſtatem transferre in delegatum, conceſsâ illi ſubdelegandi poteſtate. Sed reſponderi poteſt 1. ea, quæ ſpecialiter conceduntur, non poſſe in alium transferri, ſi ita concedantur majoribus, ut denegentur minoribus: at cuilibet ordinario Judici etiam minimo conceſſa eſt poteſtas delegandi. Felin. in c. Super; 27. §. Si verò; h. t. num. 18. Sanch. c. l. n. 6. Deinde reſpondetur, quòd Judex ordinarius inferior Principe non poſſit in delegatum transferre poteſtatem, ut ſuo, delegati ſcilicet, nomine ſubdeleget; bene autem nomine delegantis, quia, cùm delegatus propriam juriſdictionem non habeat, non poteſt eam proprio nomine alteri committere, qui enim nihil proprii habet, nihil etiam proprio nomine alteri conferre poteſt, neque Ordinarius inferior Principe propriam juriſdictionem delegato dare poteſt, quam hic ſuo nomine alteri committat, uti ſumitur ex l. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. Abb. in c. Cùm Bertholdus; 18. n. 23. de ſentent. & re judic.

Non obſtat 2. Quòd Judex certus delegari debeat, non incertus, arg. c. Ad hæc; 10. de reſcript. Nam reſpondetur, hoc ipſo, quòd delegatus Ordinarii ex mandato ejus ſubdelegat, & deſignat alium, qui cauſam delegatam cognoſcat, per illam ſubdelegationem, ſeu deſignationem fit Judex certus, tanquam per conditionem, cum qua, & ſinè qua non confertur juriſdictio ſubdelegato à primo delegante: non debet autem conſtitutio Judicis delegati committi arbitrio unius ex partibus, id quod ſolùm jure prohibetur in cit. c. Ad hæc; Felin. cit. §. Si verò; num. 18. Laym. in cit. c. Super; §. Quem verò; num. 10.

XXV. Ex dictis colligitur 1. Cur Confeſſarii Regulares, quibus ex privilegio S. Pontificis conceſſa eſt facultas omnes fideles abſolvendi à peccatis, & cenſuris, & cùm iis diſpenſandi in votis, vel ea commutandi, adeóque qui in foro conſcientiæ ſunt delegati ad univerſitatem cauſarum, non poſſint talem facultatem ſubdelegare, ſeu alteri committere, ne quidem in caſu particulari, ſinè ſpeciali conſenſu Ordinarii, ſeu Papæ: ratio, inquam eſt, quia delegatus etiam ad univerſitatem cauſarum non poteſt ſubdelegare, niſi ratione delegationis ſibi factæ, cenſeatur veluti officium ordinarium habere, cùm æquiparetur Ordinario. Prædictis autem Confeſſariis Regularibus ejuſmodi facultas abſolvendi non competit, ratione officii ordinarii, vel quaſi ordinarii, ſed ex delegatione præciſè, ſeu jure merè commiſſo: nam Confeſſarii Regulares, & privilegiati non audiunt confeſſiones, nec abſolvunt, ex vi officii ordinarii, cui cura animarum, & juriſdictio velut ordinaria ſit annexa, cùm ipſi non ſint Paſtores ordinarii eorum, quorum confeſſiones excipiunt, nec cura animarum ipſis ex obligatione officii incumbat, ſed audiunt, & abſolvunt poteſtate merè delegatâ à Papa. Laym. l. 5. Theol. mor. tract. 6. c. 10. n. 14. & de juriſd. ordin. concl. 61.

Simi-

Similiter Cooperatores Parochorum, quibus generatim delegata eſt à Parocho poteſtas andiendi confeſſiones Parochianorum, eóſque abſolvendi, non poſſunt eam facultatem ſubdelegare alteri, ſinè ſpeciali licentia Parochi, vel alterius ordinarij, quia non ſunt Paſtores ordinarij plebis, ſed ſolùm operam ſuam ad tempus locant Parocho præſenti, in exercenda cura animarum, & juriſdictione merè delegatâ utuntur, per quam nec quaſi ordinariam juriſdictionem, & officium habere cenſentur. Laym. citt. locis. Quamvìs autem Cooperatores Parochorum non poſſint facultatem Confeſſiones audiendi alijs committere, quippe cùm ipſis ſolùm poteſtas abſolvendi, non autem ſubdelegandi ſit commiſſa: nihil tamen obſtat, quò minùs Parochus, vel Ordinarius alius demandare poſſit Cooperatori, vel delegato ſuo, ut alium ſubdelegare, ſeu ſubſtituere poſſit ad confeſſiones v. g. excipiendas, nomine, & auctoritate ipſius Parochi, ſeu Ordinarii delegantis: quia tunc non ipſe delegatus cenſetur delegare, ſed Parochus, vel Ordinarius principalis delegans; ipſe verò delegatus eſt nudus miniſter: nec juriſdictio datur incerto, quia eo tempore, quo delegatus, velut merus miniſter deſignat perſonam, cui datur facultas abſolvendi, conceditur juriſdictio, & tunc jam perſona, cui conceditur, eſt certa, ac determinata. Sanch. cit. diſ. 31. n. 18.

XXVI. Colligitur 2. Si Epiſcopus Parocho, vel Generalis, aut ProvincialisOrdinis alicujus Priori, aut Quardiano ſibi ſubdito deleget, ſeu committat facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis; tum eam delegatus ſubdelegare poteſt alteri, non quidem ita generaliter, ſicut ipſi delegato eſt conceſſa, ſed particulariter in certo caſu, & ad unam, vel alteram perſonam abſolvendam, ſi quidem illa facultas, tanquam privilegium, ratione dignitatis, vel officij, in perpetuum conceſſum, ei competat, ita, ut ſit veluti ordinaria, & ad Succeſſorem in officio tranſeat, c. ult. junctâ Gl. V. Caſibus; de offic. jud. ordin. Laym. cit. c. 10, num. 12. in fine, & de juriſd. ordin, concluſ. 58. Secus eſt, ſi talis facultas abſolvendi alicui competat ſolùm tanquam privilegium perſonale, ſpecialiter conceſſum, propter induſtriam perſonæ, vel ſpecialem erga illam favorem, tunc enim illam facultatem alteri ſubdelegare non poteſt, ne quidem in caſu particulari. Laym. locis citt. de quo plura infrà.

XXVII. Aſſertio 2. Delegatus ab Ordinario non Principe, & ad unam tantùm cauſam, non poteſt totam illam cauſam, neque partem, ſeu articulum cauſæ juriſdictionalem alteri ſubdelegare: poteſt tamen committere articulum non juriſdictionalem, ſeu nudum miniſterium, vel executionem. Gloſſ. fin. in Clement. unic. h. t. Sanch. cit. diſ. 31. n. 10. idque colligitur ex c. Super quæſtionum; 27. in princ. §. Nos autem; h. t. ubi ſignificatur, quòd non tantùm delegatus à Papa, ſed quicunque Judex ad certum aliquem cauſæ articulum poſſit executorem conſtituere: poſtea verò in eodem textu, quando fit mentio de articulo juriſdictionali, non ampliùs quicunque judex nominatur, ſed ſolus delegatus Papæ. Ratio diſparitatis eſt, quia, quando committitur articulus juriſdictinnalis, Commiſſarius cenſetur eſſe Judex delegatus: quando verò articulus non juriſdictionalis, non eſt judex, ſed merus Auditor, ſeu Executor. Nam articulus juriſdictionalis dicitur, ad quem cauſæ cognitio requiritur, adeóque, & perſona Judicis, ut eſt v. g. litis conteſtatio, teſtium receptio, cùm nondum ſunt approbati, nec interrogatoria formata, ſeu articuli, de quibus ſunt examinandi: & talem articulum juriſdictionalem, ſeu cauſæ cognitionem continentem non poteſt judex committere alteri, niſi ſit Ordinarius, vel delegatus à Principe, ſecundùm Gloſſ. communiter receptam in cit. Clement. unic. V. Judices; h. t. Articulus verò non juriſdictionalis dicitur, qui non cauſæ cognitionem, ſed nudum miniſterium, vel executionem continet, ideóque judicis perſonam non requirit, ſed ab alio etiam fieri poteſt, ut eſt v. g. ipſorum teſtium auditio, poſtquam illi coram judice jam recepti ſunt, ac jurârunt, articulíque, ſuper quibus producuntur, examinati, & interrogatoria formata ſunt, ita, ut nihil ſuperſit, niſi ut depoſitiones eorum annotentur: talis enim actus nudum miniſterium continens à quolibet, ſive Ordinario, ſive delegato judice, alii committi poteſt, non enim eſt actus judicialis, cùm etiam die feſto exerceri poſſit. Gloſſ. cit. Abb. in c. Super quæſtionum; 27. in princ. n. 9. h. t. Laym. de juriſd. ordin. concl. 61.

Porrò Judex ab Executore in eo differt, quòd Judex principaliter detur ad cognoſcendum, & ſententiam ferendam, acceſſoriè autem, & conſequenter ad exequendum. Verùm Executor principaliter datur ad exequendum, licèt interdum etiam acceſſoriè cognoſcere debeat; & tunc non eſt merus Executor, cui nulla cognitio, ſed ſola executio cauſæ jam plenè cognitæ, & deciſæ committitur, ſed Executor mixtus, cui non ſolùm executio, ſed etiam cognitio de facienda executione committitur. Gloſſ. in c. Paſtoralis; 28. §. Quia verò; V. Etſi ſciat; h. t.

XXVIII. Hinc infertur, quòd delegatus ab Epiſcopo, vel ſubdelegatus à delegato Papæ ad abſolvendum aliquem à cenſura excommunicationis, ſi poſt cognitam cauſam excommunicationis ſibi commiſſam, reum eſſe abſolvendum, pronunciavit, ipſum nudum, ac ſimplex miniſterium abſolutionis, tam in foro externo, quàm interno, cuivis alteri Sacerdoti committere poſſit. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 62. Deinde, ſi Epiſcopus, aut ejus Vicarius generalis, alicui Sacerdoti committat, ut receptis priùs teſtibus, & informatione de habilitate duarum perſonarum, quæ matrimonium inire cupiunt, earum matrimonio aſſiſtat, non poteſt quidem hic Sacerdos delegatus ad unam duntaxat cauſam, alteri teſtium receptionem ſubdelegare, cùm ſit actus juriſdictionalis; poteſt tamen, eâ factâ, & informatione acceptâ, alteri committere, ut matrimonio illorum ſponſorum aſſiſtat, illóſque conjungat, quia is non eſt actus alicujus juriſdictionis, ſed nudum miniſterium. Sanch. cit. diſ. 31. n. 20. Quod tamen ut validè fiat, neceſſe eſt, ut Ordinarius quicunque Sacerdoti illi delegato expreſſè commiſerit, ut, ſi ipſemet aſſiſtere nolit, vel non poſſit, alium quemcunque Sacerdotem ſubſtituat, quia tunc Sacerdos ille ſubſtitutus aſſiſtit, cum licentiâ Ordinarii. Laym. c. l. idque juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr. requiritur ad valorem matrimonij,

nij, nam ibi exigitur, ut alius Sacerdos, de licentia ipſius Parochi, ſeu Ordinarij, matrimonio aſſiſtat, & quidem cum expreſsâ licentiâ ejuſdem. Menoch. de arbitr. judic. caſu 453. n. 14. Denique, etſi Confeſſarij Regulares, & privilegiati non poſſint facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, & diſpenſandi in votis, vel ea commutandi alteri committere, ſeu ſubdelegare, ut ſuprà dictum: probabile tamen eſt, quòd talis Confeſſarius ex juſta cauſa, v. g. ob multitudinem confitentium, commutare votum poſſit in opera ab alio certo viro docto deſignanda. Laym. cit. loc. ubi tamen monet, hujuſmodi facultatibus, quippe non uſitatis in Eccleſia, non niſi rarò, & ob aliquam neceſſitatem utendum eſſe.

SECTIO II.

DE IIS, QUIBUS DELEGARI POTEST.

§. I.

Qui poſſunt eſſe Judices delegati, & quibus delegare?

XXIX. Aſſertio 1. Generatim loquendo, omnes poſſunt eſſe delegati Judices, qui vel naturâ, vel lege, vel moribus non prohibentur. Hoſtienſ. in ſumma n. 3. h. t. Unde regulariter, & ordinariè, qui non poſſunt eſſe Judices Ordinarij, nec poſſunt eſſe Judices delegati: ſive ob defectum naturæ, ut ſurdi, muti, perpetuò furioſi, & impuberes, quia hi judicio, & diſcretione carent, c. 1. §. Tria; cauſ. 3. q. 7. l. Prætor; 12. §. Non autem omnes; ff. de Judic. ſive ob prohibitionem legis, aut conſuetudinis, ut infames, qui à legitimis actibus repelluntur, c. Licèt; 47. §. Nec tamen; de teſtib. Item fœminæ, & ſervi, qui moribus, ſeu conſuetudine excluduntur, non quia judicium, ſeu diſcretionem non habent, ſed quia uſu receptum eſt, ut officijs civilibus, & publicis non fungantur, cit. c. 1. §. Tria; cit. l. Prætor; §. Nun autem omnes.

XXX. Aſſertio 2. Adeò autem impubes non poteſt eſſe Judex delegatus, ut neque Princeps ad judicandum inter partes habilitare poſſit impuberem minorem XIV. annis, quia ob impedimentum naturæ prohibetur eſſe judex, videlicet ob defectum, ſeu immaturitatem judicij, cit. §. Non omnes; Princeps autem non poteſt tollere, vel mutare jura naturalia, §. Sed naturalia; Inſtit. de jure natur. gent. & civil. ſive quæ omnium gentium ſunt communia. Imò neque minor XX. annis, ſive qui XX. ætatis annum nondum complevit, poteſt eſſe Judex delegatus, ut conſtat ex c. Qui viceſimum; 41. h. t. ubi decernitur, » quòd qui viceſimum annum complevit, dati po- » teſt in tali ætate delegatus: ſed conſtituto infra » eandem ætatem delegatio facta non tenet, præter- » quam ſi à Principe facta ſit, vel niſi partes conſen- » tiant in eum, qui XVIII. annum explevit.

Ex quo patet 1. Quòd minor XX. annis poteſt eſſe judex delegatus, ſi à Principe, ex certa ſcientia, id eſt, non ignorante, quòd ſit minor 20. annis, ſit conſtitutus, quia tum Princeps in ætate diſpenſare cenſetur, l. Quidam; 57. ff. de re judic. Gloſſ. communiter recepta in l. Cum Prætor; 12. V. Et impubes; ff. de judic. 2. Niſi partes conſentiant, ut minor 20. annis ab alio Inferiore, ſeu non Principe delegetur, dummodo is XVIII. annum exceſſerit, alioquin delegatio, etiam partibus conſentientibus, ab alio, quàm à Principe facta non valebit, cit. c. Cùm vigeſimum; & cit. l. Quidam; Gloſſ. hîc V. Ætatem.

XXXI. Porrò, quamvis minor 20. annis poſſit eſſe Judex delegatus, non tamen poteſt arbiter Compromiſſarius à partibus conſtitui, l. Cùm lege; 41. ff. de receptis, qui arbitrium, &c. Ratio diverſitatis eſt, tum quia judex delegatus juriſdictionem accipit à Principe, vel Magiſtratibus inferioribus: Arbiter verò à partibus, ſeu privatis: tum quia in judicio multa ſunt remedia, ut ſupplicatio, appellatio, recuſatio, quæ in arbitrio non ſunt, ideóque major ætas requiritur in arbitro, quàm in judice delegato. Gloſſ. in cit. c. Viceſimum; V. Ætatem in fine. Præterea, quamvis minor xxv. annis non poſſit conſtitui Judex ordinarius, ſaltem ab alio inferiore, quàm à Principe, dicta l. Cùm lege; & l. Ad Rempubl. 8. ff. de munerib. ubi tamen additur, quòd annus xxv. cœptus pro pleno, ſeu completo habetur; quia qui nondum aptus cenſetur ad propria adminiſtranda, multò minùs ad Rempubl. adminiſtrandam. Abb. in cit. c. Cùm viceſimum; num. 4. niſi ex conſuetudine loci, etiam ante legitimam ætatem, judices ordinarij creari poſſint, ut ſignificatur in l. Non tantùm; 11. ff. de decurionib. Abb. c. l. Poteſt tamen minor xxv. annis eſſe judex delegatus, ita, ut à partibus recuſari non poſſit, ob defectum ſolius ætatis, dummodo xx. annum expleverit, ut colligitur ex cit. c. Cùm viceſimum; & cit. l. Cùm quidam; ff. de re judic. Quòd ſi minor xxv. annis delegationem ultrò acceptavit, (ad quod invitus cogi non poteſt) ſententiam, ſicut & arbitrium, dicere ſeu proferre cogitur, ita tamen ut, ſi ex imprudente acceptatione læſus ſit, poſſit petere reſtitutionem in integrum. Abb. c. l. n. 5.

XXXII. Aſſertio 3. Delegatus Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus nullus eſſe poteſt, niſi ſit in aliqua Eccleſiaſtica dignitate, vel perſonatu conſtitutus, vel alicujus Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, ut conſtat ex c. Statutum; 11. in princ. de reſcript. in 6. & dictum ſuprà tit. 3. n. 128. Non ſolùm autem Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ſecularis, ſed etiam Regularis, ſive profeſſus Eccleſiæ Cathedralis Regularis poteſt eſſe delegatus S. Pontificis, aut Legatorum ejus, cùm & ipſe ſit Canonicus Cathedralis, nec ſtatus Religionis repugnet, quò minùs ejuſmodi delegationes ſuſcipere poſſit: præſertim cùm hîc agatur, non de re odioſa, ſed favorabili, ut mandatum Papæ faciliùs executioni mandetur, ideóque nomine Canonici Eccleſiæ Cathedralis, etiam Profeſſus Regularis rectè comprehenditur. Abb. in c. Cauſam; 9. num. 9. de judic. Sanchez. lib. 6. moral. c. 13. num. 83. contra Joann. Andr. & Franc.

Quòd ſi Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ſecularis, cui commiſſa eſt à Papa cauſa aliqua, religionem ingrediatur, nihilominùs illam cognoſcere, & exequi poteſt, accedente licentiâ Prælati ſui, quia ſtatus Reli-

Religionis ſuperveniens non facit eum incapacem: habilitas enim delegati ſpectari debet ſecundùm tempus factæ delegationis, quod etiam in delegante eſt addendum. Franc. in cit. c. Statutum, in princ. num. 8.

Sed & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ, qui præbendam non habet, poteſt eſſe delegatus S. Pontificis, vel Legati ejus, quia præbenda Canonicum non facit, ſed Canonia, ſive jus ſpiritualis officij. Joan. Andr. in cit. c. Statutum; V. Canonicis, idque ſumitur ex c. Si is cui; 39. de præbend. in 6. junct. Gloſſ. in notatis: ubi habetur, ſi in Eccleſia ſtatutum ſit, ut dignitas conſeratur Canonico, ſufficere, ſi canoniam habeat, etſi non præbendam.

Denique nec delegatus à Sede Apoſtolica alteri ſubdelegare poteſt, niſi habenti prædictas qualitates, videlicet, ut ſit in dignitate, vel perſonatu conſtitutus, vel Eccleſiæ Cathedralis Canonicus. Gl. in cit. c. Statutum; V. à Sede Apoſtolica; idque etiam habetur ibid. §. in nullo; junct. Gloſſ. V. Deſignatis ſuperiùs.

XXXIII. Aſſertio 4. Delegatus Epiſcopi, vel alterius inferioris Ordinarij, poteſt eſſe ſimplex Clericus, etſi in dignitate non ſit conſtitutus, nec Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. Gloſſ. in cit. c. Statutum; V. Sedis Apoſtolicæ; & dictum ſuprà tit. 3. num. 129. ubi etiam ratio allata eſt: ſicut etiam ſimplex Religioſus, cum licentia ſui Prælati, poteſt eſſe delegatus Epiſcopi, quia in cit. c. Statutum ſermo eſt de ſolis delegatis Papæ, vel Legati ejus. Sanch. cit. lib. 6. cap. 13. num. 77. Quin imò in cauſis extrajudicialibus, quando mera executio, ſinè cauſæ cognitione, ſeu juriſdictione annexâ, committitur, vel etiam ſubdelegatur: v. g. ut quis beneficiũm conferat, aut proviſum in poſſeſſionem mittat, nemine ſe opponente: vel articulus, non juriſdictionalis, ſed nudum miniſterium, v. g. teſtium jam approbatorum receptio: in his, inquam, cauſis, ſeu commiſſionibus, etiam aliæ perſonæ idoneæ poſſunt eſſe delegati Papæ, vel etiam ſubdelegati delegati ejuſdem. Gloſſ. in cit. c. Statutum; V. Cauſæ; & §. In nullo; ibid. V. Vices ſuas; etſi in dignitate non ſint conſtitutæ, nec Canonici Cathedrales, quia jure antiquo tales qualitates non requirebantur in delegatis Sedis Apoſtolicæ, ſicut conſtat ex c. Cùm in veteri; 52. de elect. ubi cauſa electionis faciendæ, adeóque extrajudicialis delegata fuit ſimplici Religioſo: ergo ab eodem non eſt recedendum in cauſis extrajudicialibus, quæ ſinè judiciali cognitione expediri poſſunt, cùm de ijs jure novo nihil immutatum reperiatur. Abb. in cit. c. Cùm in veteri; n. 2. & correctio juris antiqui in dubio non præſumenda, ſed vitanda, c. Cùm expediat; 29. de elect. arg. l. Præcipimus; 32. C. de appellat.

Denique generatim loquendo, delegatio fieri debet perſonis diſcretis, & idoneis, c. Si pro debilitate; 3. h. t. id eſt, viris bonis, ac prudentibus, & rerum, juriúmque peritis: nam hæc duo, bona conſcientia, & rerum, juriúmque peritia requiruntur in Judice. Laym. ibid. n. 2. ex Baldo.

XXXIV. Aſſertio 5. Cauſæ Eccleſiaſticæ, & ſpirituales, ut decimarum, juriſpatronatûs, &c. non Laicis, ſed Clericis tantùm delegati, ſeu committi poſſunt. Hoſtienſ. in ſumma num. 3. h. t. Ratio eſt, quia Laici negotia Eccleſiaſtica tractare non debent, c. 2. de judic. Et ſi non poteſt compromitti in rebus ſpiritualibus in Laicum, quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur, c. Contingit; 8. de arbitris: multò minùs poterunt cauſæ ſpirituales Laico delegari, quia major eſt poteſtas judicis delegati, quàm arbitri. Et hinc etiam delegatus Papæ cauſam ſibi commiſſam non niſi perſonis Eccleſiaſticis, & non Laicis delegare poteſt, arg. c. Cùm te; 18. junct. Gloſſ. V. à perſonis Eccleſiaſticis; h. t. Delegari tamen poſſunt Laicis cauſæ Clericorum merè civiles, ut pecuniariæ, & ſimiles. Gloſſ. in cit. c. 2, V. Non præſumant; de judic. non autem criminales. Abb. ibidem num. 5. & eſt communis DD. ſententia apud Jul. Clar. l. 5. ſentent. §. fin. quæſt. 41. num. 5. quia ſunt graves, & præjudiciales perſonis Clericorum. Papa verò ex certa ſcientia, non ſolùm cauſas civiles, & criminales, ſed etiam ſpirituales poteſt Laico delegare. Gloſſ. & Hoſtienſ. loc. citt. Etſi verò ſuper cauſa ſpirituali, ſeu Eccleſiaſticâ, unâ cum Clerico, etiam in unum, vel plures Laicos tanquam arbitros compromitti poſſit, accedente Prælati Eccleſiaſtici aſſenſu, c. Per tuas; 9. de arbitris: non tamen poteſt Epiſcopus, vel alius judex ordinarius inferior cauſam Eccleſiaſticam, unâ cum Clerico, Laico judicandam delegare. Gloſſ. in cit. c. Contingit; V. Spiritualibus; Abb. ibidem num. 4. Clarus c. l. num. 6. ex communi. Ratio diverſitatis eſt, quia arbitrium proferre, ſicuti, & conſilium dare in cauſa Eccleſiaſtica, non eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, ideóque in Laicum cadere poteſt. At verò judicare in cauſa ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, cujus Laicus non eſt capax, etiam adjuncto ei cojudice Clerico. Abb. c. l. Quare Laici poſſunt eſſe Conſiliarij, & Aſſeſſores in Conſiſtorijs Epiſcoporum, non autem Judices, ne quidem unâ cum Clericis. Addit Clar. c. l. n. 7. quòd Epiſcopus neque Clerico conjugato cauſas criminales delegare poſſit, quia is regulariter tanquam merus Laicus reputatur.

XXXV. Aſſertio 6. Superior, ſeu Judex ordinarius poteſt cauſas ſuas delegare. non tantùm ſubdito ſuo, ſed etiam non ſubdito, qui non eſt ſubjectus juriſdictioni delegantis, quoad perſonam ſuam: nam ſatis eſt, quòd cauſa pertineat ad juriſdictionem delegantis, ita, ut de illa cognoſcere poſſit, l. unic. C. qui pro ſua juriſdict. judic. dare; ubi tantùm prohibetur, ne cauſa aliena, ſive ad juriſdictionem delegantis non pertinens alteri committatur. Eſt autem hoc diſcrimen, quòd Judex ordinarius delegans ſibi ſubditum, etiam invitum compellere poteſt ad acceptandam delegationem: non ſubditum autem cogere non poteſt, quia præcipienti extra ſuum territorium impunè non paretur, l. Eum qui; 13. junct. Gloſſ. V. Magiſtratum; & l. ult. ff. de juriſdict. Poſtquam verò non ſubditus delegationem acceptavit, cogi poteſt, ut in cauſa procedat, eámque cognoſcat. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 16. num. 1. Et hinc, ſi ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum cauſa aliqua per appellationem devoluta ſit, poteſt eam

Coëpiſcopi, ſeu Suffraganei ſubdito, v. g. Collegiatæ Eccleſiæ Decano, vel Canonico delegare: non tameu eundem ad ſuſcipiendam delegationem compellere, cùm nullam habeat juriſdictionem in ſubditos Coëpiſcoporum (exceptis quibuſdam articulis, ſeu cauſis jure expreſſis) ſed tantùm in ipſos Coëpiſcopos, ſeu Suffraganeos, c. Paſtoralis; 11. in princ. de offic. Jud. Ordin. Poteſt tamen Archiepiſcopus mandare Egiſcopo, ut ſuum ſubditum compellat recipere comiſſionem ab ipſo factam. Gloſſ. ibid. V. Nullam habeant poteſtatem. Deinde etiam ſubditus delegantis non poteſt cogi ad acceptandam delegationem, ſi ſinè gravi ſuo detrimento acceptare non poſſit, quia ordinariè loquendo, non cenſetur ſuperior ſubdito mandare velle, quod ſinè gravi periculo rei familiaris exequi non poteſt. Gloſſ. in c. Prudentiam; 21. §. Adjicimus; V. Cùm poſſit; h. t. Delegatus autem Papæ, vel alterius Principis ſuperiorem nullum agnoſcentis, poteſt quemcunque ſinè juſta cauſa recuſantem compellere, ut ſuſcipiat munus delegati, cùm gerat vices Papæ, cui omnes Chriſtiani ſubſunt, c. Paſtoralis; 28. in princ. h. t. & Abb. ibidem num. 7. & patet ex ſuprà dictis; n. 5.

§. II.

An pluribus Judicibus eadem cauſa ſimul delegari poſſit, & quomodo illi procedere debeant?

XXXVI. Aſſertio 1. Non tantùm unus, ſed etiam plures Judices ad eandem cauſam cognoſcendam delegari poſſunt, ita tamen, ut hi non habeant ſinguli juriſdictionem in ſolidum, ideóque unus ſinè altero procedere, aut ſententiam ferre non poteſt: & ſi unus ſinè alio procedat, proceſſus eſt ipſo jure nullus, niſi aliter in forma commiſſionis ſit expreſſum. Idque probatur inprimis ex c. Cauſam; 16. h. t. Nam cùm Papa Alexander III. cauſam matrimonij inter duos conjuges duobus Epiſcopis commiſiſſet, ij judicârunt, mulierem viro reſtituendam eſſe: quo facto, vir mulierem adeò acerbè flagellavit, ut invita, & coacta ſit confeſſa (coram uno judice tantùm) inter ſe, & virum ſuum conſanguinitatis impedimentum intercedere: quo intellecto, alter ex Epiſcopis delegatis ſententiam divortij inter eos tulit. Sed re delatâ ad Pontificem, is mandavit, ut vir ille, qui uxorem ſuam ad judicium unius solùm Judicis delegati à ſe dimiſit, monitione præmiſsâ, compellatur eandem recipere, & maritali affectu tractare, quia cùm cauſa duobus committitur, ſeu delegatur, unius tantùm ſententia, abſque ſocio, lata non tenet. Si qui verò, poſtquam uxor à viro ſuo recepta fuit, velint matrimonium eorum legitimè accuſare, ſive impedimentum matrimonij inter eos oſtendere, Judices delegati cauſam audiant, & canonicè definiant. Conſentit text. in c. Prudentiam; 21. in princ. h. t. & in l. Duo; 39. ff. de re judic. ubi dicitur, duo ex tribus judicibus (delegatis. Gl. ibid. V. Duo; uno abſente (vel mortuo) judicare non poſſunt, quippe omnes judicare juſſi ſunt. Ratio eſt, quia judices delegati ſimpliciter dati, ſinè clauſulâ, *ſi non omnes poteſtis, unus procedat*, non habent exercitium juriſdictionis ſinguli in ſolidum, ſed quiſque pro parte tantùm, ideo unus ſinè altero procedere, & nec interlocutoriam, nec definitivam ſententiam proferre poteſt, ob defectum juriſdictionis. Abb. hîc n. 3. Quare ſi aliter, quàm ipſis mandatum, judices delegati procedant, præter illius formam judicare cenſendi ſunt, ideóque ſententia eſt irrita, cit. c. Prudentiam; §. 1.

XXXVII. Hinc colligitur 1. Quòd confeſſio injuſto, & gravi metu extorta non valet, nec præjudicat matrimonio. Gloſſ. hîc V. Invita; quamvis in muliere minor metus excuſet, quàm in viro. Abb. hîc n. 2. quin imò, etiamſi ſponte confeſſa fuiſſet impedimentum matrimonij, propter ſolam confeſſionem unius, vel etiam amborum conjugum, matrimonium ſeparari non deberet, quia ſæpe inter ſe colludere poſſent. Gloſſ. cit.

Colligitur 2. Qui ſpoliatus eſt poſſeſſione ſuâ, prætextu ſententiæ invalidæ, ut in caſu hujus c. mulier per ſententiam Judicis delegati, qui contra formam mandati ſolus judicavit ſinè altero, poteſt petere reſtitutionem, & ante omnia reſtitui debet, & poſtea tractari de proprietate, ſeu cauſa principali matrimonij. Gloſſ. fin. hîc, & Abb. in fine.

XXXVIII. Aſſertio 2. Si cauſa tribus judicibus delegata ſit, adjectâ clauſulâ, ut, *ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam cognoſcant, & exequantur*; tum duo illi non poſſunt procedere, niſi illis per certum nuncium; vel executorem cum litteris deſtinatum, vel aliunde legitimè conſtiterit, quòd tertius adeſſe non poſſit, vel nolit, alioquin ſi procedant, acta irrita erunt, prout habetur in c. Prudentiam; 21. in princ. h. t. Nam cùm inter alia ex Papa Cœleſtino III. quæſitum fuiſſet, utrùm; ſi tribus Judicibus cauſa commiſſa ſit, ita, ut, ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam nihilominus exequantur, reus à duobus tantùm citatus, comparere teneatur? Et, ſi à tribus Judicibus citatus, coram duobus comparuerit, tertio nec veniente, nec per litteras, ut fieri ſolet, ſe excuſante, an duo Judices præſentes in cauſa procedere poſſint, eámque definire? Reſpondet Papa, niſi duobus Judicibus delegatis per certum nuncium (eúmque juratum, vel ſaltem ita fidelem, ut de ejus fide nequaquam ſit dubitandum. Gloſſ. hîc V. Per certum nuncium; & in addit.) vel executorem cum litteris deſtinatum, vel aliunde canonicè, ſeu legitimè (v. g. per teſtes. Gl. hîc V. Canonicè) conſtiterit, quòd tertius adeſſe non poſſit, vel nolit, duo illi reliqui ad cauſæ cognitionem procedere non debent; quòd ſi procedant, acta invalida ſunt. Nam ex antiqua Sedis Apoſtolicæ conſuetudine, libentiùs Pontifex cauſam committit duobus, quàm uni; & tribus, quàm duobus, quia integrum magìs judicium æſtimatur, quod plurium ſententijs confirmatur. Quare, ſi judices aliter procederent, præter formam reſcripti præſumerent judicare, & fines mandati excederent. Ex quo jam patet etiam reſponſio ad priorem quæſtionem in hoc c. propoſitam, nempe quòd ſi ex tribus judicibus prædicto modo delegatis, duo tantùm reum citent, is comparere non teneatur,

tur,

tur, cùm enim duo judices delegati ſine tertio procedere nequeant, conſequens eſt, illos jus citandi non habuiſſe. Gloſſ. magn. hîc in fine princ. Niſi in citatione expreſſerint impedimentum, aut excuſationem tertij delegati; tum enim citatus debet fidem habere, & comparere. Abb. in cit. c. Prudentiam; in princ. n. 17. vel niſi unus ex delegatis vices ſuas alteri condelegato commiſerit, uti poteſt, c. Quamvis; 6. h. t.

XXXIX. Præterea, ſi ex tribus Judicibus delegatis, unus, aut duo tantùm citent partes, quòd eæ non teneantur comparere, habetur etiam in c. Cùm cauſa; 22. h. t. Ubi Papa Innocentius III. cauſam, ſeu controverſiam, quæ inter Archiepiſcopos erat ſuper quibuſdam decimis, commiſit tribus Judicibus delegatis, ſcilicet duobus Archiepiſcopis, & uni Epiſcopo definiendam: quorum duo citârunt unum ex Archiepiſcopis, qui ad citationem eorum acceſſit, & excipiendo propoſuit, quòd ob duas cauſas non teneatur ſtare eorum judicio: tum quia ipſa cauſa tribus Judicibus fuerat delegata, ipſe verò à duobus tantùm, tertio inconſulto, neque vices ſuas alteri committente, ad judicium citatus fuerit: tum quia ante eorundem citationem, & notitiam illarum litterarum, nuntium ad Sedem Apoſtolicam propter eandem cauſam deſtinârit, allegando Conſtitutionem Alexandri III. in c. Ad hæc; 30. infr. de appell. quæ ipſi ſuffragetur. Sed Judices illi delegati exceptiones has admittere nolentes, per interlocutoriam ſententiam pronunciârunt, quòd dictus Archiepiſcopus coram ipſis reſpondere teneatur: quare is ad Sedem Apoſtolicam appellavit, ſed Judices, non obſtante eâ appellatione, proceſſerunt, & adverſariũ, ſeu Actorem in poſſeſſionem illarum decimarum introduxerunt. Re hac intellectâ, Papa alijs Judicibus conſtitutis, ſeu delegatis mandavit, ut, ſi res ita ſe habeant, ſicut narratum fuit, decimas illas Archiepiſcopo (quibus, ſive per potentiam Laicalem, ſive per dictos Judices ſpoliatus fuerat, poſtquam ipſius Nuncius ad Sedem Apoſtolicam acceſſit,) unâ cum fructibus inde perceptis (vel qui percipi potuerunt. Gloſſ. fin. hic) reſtitui faciant; præſertim cùm decimæ illæ Archiepiſcopo, ejúſque Eccleſiæ ante hac à Sede Apoſtolica fuerint confirmatæ. Poſtea verò, ſi contra dictum Archiepiſcopum quidpiam oppoſitum fuerit de jure, ſeu proprietate illarum decimarum, iidem Judices id audiant, ſeu cognoſcant, ac ſecundùm Jus definiant.

XL. Notandum hîc 1. Si citatus à duobus tantùm Judicibus, ex tribus delegatis, etſi non teneatur, tamen compareat, quando omnes tres delegati ſunt præſentes; tum is debet reſpondere, non vi prioris citationis, quæ nulla fuit, ſed quia, cùm partes præſentes ſunt, non eſt opus citatione. Innocent. in cit. c. Cùm cauſa; in princ. & ibidem Abb. num. 3. & Decius num. 3. not. 3. arg. l. De uno quoque; 47. ff. de re judic. Etſi verò tali caſu Judices duo delegati non poſſunt citare tertium condelegatum, cum poteſtate, & imperio, ad cauſam cognoſcendam, cùm ipſe ſit par illis, par autem in parem imperium non habeat, c. Innotuit; 20. de Elect.: poſſunt tamen eum admonere, ut veniat, conſtituto ei certo tempore competente, quo elapſo, ſi non veniat, præſumitur, quòd non velit, vel non poſſit intereſſe, & tum poſſunt reliqui duo in cauſa procedere. Gloſſ. in cit. c. Cùm cauſa; V. Ab illis; & Abb. ibidem num. 6. quemadmodum Decanus, vel Senior Capituli convocare poteſt reliquos Canonicos ad electionem faciendam, vel conſultandum: & tamen eos, qui venire recuſant, punire non poteſt, cùm Capitulum, vel Decanus jure communi, juriſdictionem fori externi non habeat in ſingulos Canonicos. Abb. c. l. n. 7.

Notandum 2. Non tamen hoc caſu, quando cauſa tribus eſt delegata cum clauſula, *quòd ſi non omnes, reliqui procedant*, & unus abſit, requiritur trina citatio, ſeu monitio tertij delegati abſentis, ſed ſufficit una, ad hoc, ut poteſtas judicandi ad alios delegatos devolvatur, quia generatim loquendo, in omni extrajudiciali citatione ſufficit una citatio, ſeu vocatio, modò terminus ad comparendum ſufficiens aſſignetur; imò etiam in judiciali, ſi citatus comparere non teneatur. Abb. in cit. c. Cùm cauſa; num. 8. & Felin. ibidem num. 9. & conſtat ex c. Si Epiſcopus: 13. junct. Gloſſ. V. Præſcriptione; diſt. 18. Niſi jura expreſsè trinam citationem requirant, ut in c. 1. de ſuppl. negl. Prælat. ſi Diœceſanus ter requiſitus Abbates benedicere nolit. Aliud eſt, ſi poteſtas procedendi propter negligentiam Superioris ad inferiorem devolvatur, tum enim requiritur trina monitio, ſeu citatio, Abb. in cit. c. Cùm cauſa; num. 8. & ibidem Imol. num. 7.

Notandum 3. Sicut poteſt peti reſtitutio contrà ſpoliationem per privatum factam, ita etiam contra ſpoliationem factam, auctoritate judicum non rite procedentium, ita, ut ante omnia ſpoliatus reſtitui debeat, & poſtea cognoſci de ejus jure, ſeu proprietate, prout ſumitur ex h. c. & tradit Abb. ibid. n. 4. Decius n. 3. not. 4. Felin. n. 2. & 3. de quo plura infrà l. 2. tit. 13.

XLI. Cæterùm ſuprà dicta aſſertio, quòd, ſi ex tribus Judicibus, cum prædicta clauſula, delegatis, duo procedant, abſque tertio, eóque inconſulto, neque vices ſuas uni ex reliquis delegatis committente, acta ſint invalida, & ſententia ab illis lata nulla, extenditur, tametſi poſtea tertius ille id ratum habeat. Gloſſ. in cit. c. Prudentiam; in princ. V. Teneatur; propè finem. Abb. ibidem num. 19. quia, quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, reg. juris; 29. in ff. Idque vel maximè procedit, quando plurium conſenſus, vel cognitio requiritur potiſſimùm ob favorem publicum; ut in caſu propoſito, quia ſæpe magis expedit Reipublicæ, ut cauſæ à pluribus Judicibus cognoſcantur, cùm plurium judicium ſit magis firmum, nec ita periculo, ne corrumpantur, qui judicant, obnoxium. Abb. c. l. contra Innocent. Aliud verò dicendum eſt, quando plurium conſenſus, vel cognitio, aut ſimilis conditio præcipuè requiritur, ob favorem privatorum: tunc enim ij, quorum intereſt, el expreſsè, vel tacitè conſentiendo renunciare poſſunt, adeóque actus, vel proceſſus, ſi nihil contra illum opponatur, ob defectum talis conditionis, non erit invalidus, arg. c. ult. §. Is autem; h. t. Abb.

e. l. Ut ſi v. g. Capitularis contemptus, ſeu non vocatus ad electionem, illam reſcindere nolit, poteſt illam ratificare, c. Quòd ſicut; 28. in princ. de elect. quia, quòd omnes, & ſinguli Capitulares vocari debeant, id principaliter decretum eſt ad jura ipſorum Capitularium defendenda, adeóque in favorem ipſorum, cùm aliàs ad valorem actorum, duas partes Capituli congregari, ſufficiat, arg. l. Planè; 4. & ibi Gloſſ. V. Duæ partes; ff. quod cujuſque univ. nom. Porrò in prædicto caſu duo Judices delegati non poſſunt procedere ſinè tertio, etiamſi partes expreſsè conſentiant, quia id non fuit ſtatutum in privatum favorem partium. Gloſſ. in cit. c. Prudentiam; V. Tenatur; in fin. Abb. ibid. num. 20.

» XLII. Aſſertio 3. Si in reſcripto delegationis
» adjecta ſit clauſula: *ſi non omnes intereſſe, vel con-*
» *gnoſcere poteritis*, *tum duo* (vel reliqui) *nihilominus*
» *procedant, & cauſam exequantur*: hoc caſu, ſi u-
» nus, vel plures eorum, licèt poſſint (abſque gravi
» periculo rei ſuæ familiaris) tamen intereſſe, ſeu
» cognoſcere nolint (& de hoc conſtiterit) alter, vel
» reliqui in cauſa procedere poſſunt: (perinde, ac ſi
» in delegatione expreſſum fuiſſet, ut ſi non omnes
» intereſſe nequiverint, aut noluerint, alter, vel
» reliqui procedant) quamvìs ille, vel illi, qui, cùm
» poſſent, noluerunt intereſſe, graviter arguendi
» ſint, quòd mandatum Apoſtolicum exequi inter-
» miſerint. Idémque dicendum, ſi cauſa duobus
» committatur, cum clauſula, *ut, ſi ambo intereſſe ne-*
» *queant, alter nihilominus exequatur*: prout habetur
in cit. c. Prudentiam; §. Adjicimus; h. t. & ibi Gloſſ. V. Cùm poſſit; & V. Procedant. Ratio eſt, quia licèt, nolle intereſſe, non importet impotentiam, ſeu impoſſibilitatem, ex parte volentis, eſt tamen impoſſibilitas ex parte conjudicis, qui non poteſt cognoſcere cauſam, unâ cum nolente, ſicut, ſi tu non vis mecum intereſſe rei divinæ, verum eſt dicere, quòd ego non poſſim tecum eidem intereſſe. Abb. hîc n. 2. Adeóque ſub illa clauſula, *ſi omnes intereſſe nequiverint*, includitur, ac ſubintelligitur etiam illa, *aut noluerint*. Gloſſ. hîc V. Noluerit. Porrò qui mandatum Papæ exequi noluit, etiam puniendus eſt, non à conjudicibus delegatis, quia par in parem Imperium non habet; ſed vel à delegante, ad quem ea cauſa pertinet, ut tradit Gloſſ. hîc V. Arguendus; communiter recepta: vel etiam ab immediato ſuo Superiore ordinario, ſicut alij delinquentes, puniri poteſt, non ut delegatus, quia ut ſic major eſt illo, quoad cauſam delegatam, ſed quia contempſit exequi ſui Superioris mandatum, adeóque propter delictum præciſè. Abb. hîc n. 6.

» XLIII. Aſſertio 4. Interdum duo, vel
» plures delegati, aut Executores à Sede Apoſto-
» lica (vel ab alio poteſtatem delegandi haben-
» te) dantur ſub hac forma: *ut omnes, aut duo,*
» *vel unus eorum procedant, aut mandatum exequan-*
» *tur*, aut aliâ conſimili formâ: & tum cenſentur
» habere juriſdictionem in ſolidum, ita, ut etiam
» ſinguli ſeorſim eam liberè (id eſt, non requiſi-
» tis alijs collegis) exercere poſſint: datúrque in-
» ter eos locus præventioni, ita, ut etiam unus ſo-
» lus, qui alios prævenit, negotium commiſſum exe-
» qui debeat, eòque negotium inchoante (etiamſi lis
nondum ſit conteſtata) alij condelegati, ſe am- »
pliùs eidem immiſcere nequeant: niſi qui præoc- »
cupavit, infirmitate, vel aliâ juſtâ causâ exequi »
impeditus ſit, vel nolit, vel malitiosè in negotio »
procedere, illúdque expedire recuſet, prout ha- »
betur ſtatutum in c. Cùm plures; 8. in princ. h. »
t. in 6. & ibi Gloſſ. V. Liberè; & V. Inchoante. Idémque dicendum eſt, ſi cauſa delegata ſit pluribus ſub hac forma, ut quilibet eorum in ſolidum, & per ſe judicare, & exequi poſſit: vel ut alter alterum non teneatur expectare, vel requirere, adeóque ut omnes, aut plures conjunctim, vel ſinguli diviſim, ac ſeparatim procedere poſſint. Gloſſ. hîc V. Conſimili; junct. addit.

XLIV. Notandum hîc 1. Si plures delegati juriſdictionem habeant in ſolidum, ita, ut ſinguli eorum, etiam ſeparatim in cauſa procedere poſſint, tunc locus eſt inter eos præventioni, ita, ut, ſi unus proceſſum inchoavit, alij nec licitè, nec validè in illa cauſa procedere poſſint, ſed proceſſus eorum ſit ipſo jure irritus, etiam nullâ oppoſitâ exceptione, quia, licèt alij delegati habeant juriſdictionem in habitu, non tamen habent juriſdictionis exercitium, niſi is, qui alios prævenit, exequi non poſſit, ob impedimentum, vel executionem negotij malitiosè differat, juxta cit. c. Cùm plures; & ibi Jo. Andr. n. 2. Anchar. not. 3. & Franc. num. 2. not. 3. Vel niſi delegatus, qui negotium commiſſum inchoavit, longè abſit, ut quia in terras remotas abijt, & cauſa dilationem commodè non ferre putetur, tum enim collega poteſt eam expediendam ſuſcipere, ut tradit Jo. Andr. hîc n. 2. & Franc. n. 6.

Notandum 2. Si Judices, quibus, ſecundùm prædictam formam, in ſolidum eadem cauſa delegata eſt, ſimul illam cognoſcere incipiant, non poteſt unus procedere, ſi alij condelegati non ſint requiſiti, nec impediti, quia ſicuti, ſi unus negotium cœpit, ac præoccupavit, alij in eo procedere non poſſint: ita etiam, ſi omnes inchoaverint, ac veluti occupaverint cauſam delegatam, unus ſinè alijs non requiſitis, nec impeditis, in cauſa illa procedere non poteſt. Gloſſ. in cit. c. Cùm plures; V. Uno eorum; & ibid. Lapp. num. 3. Abb. in cit. c. Prudentiam; in princ. num. 13. extra. eod. Aliud verò eſt, ſi delegatio, ſeu commiſſio pluribus facta ſit ſub ea forma: *quòd ſi non omnes, vel ambo intereſſe poſſint, aut velint, unus, vel alter eorum procedat*: tum enim non datur locus præventioni, quia non habent ſinguli juriſdictionem in ſolidum, neque ſinguli ſeorſim procedere poſſunt, niſi in defectum aliorum: nam eo caſu juriſdictio ſingulis datur ſolùm conditionaliter, ut, ſi de impedimento aliorum delegatorum conſtiterit, tum demum duo, vel unus eorum procedere poſſint. Gloſſ. in cit. c. Cùm plures; V. Forma.

XLV. Cæterùm, ſi ex pluribus, quibus cau- »
ſa in ſolidum delegata eſt, unus negotium incepit, »
mandatore adhuc vivente, juriſdictio cenſetur per- »
petuata, etiam quoad alios, ita, ut per mortem »
delegantis, vel etiam delegati, qui cæteros præve- »
nit, juriſdictio delegata in reliquis delegatis non »
exſpiret, ſed ipſi cauſam cœptam proſequi, & »
perficere poſſint, prout habetur in cit. c. Cùm »

plures

plures in fine. Ratio eſt, quia ita ab initio judices dati ſunt, ut non ſolùm omnes ſimul, & conjunctim, ſed etiam ſinguli diviſim in cauſa procedere poſſint, adeóque quandam inter ſe communionem babent, nempe, ut delegato, qui alios prævenit, impedito, vel mortuo, alter in eius locum ſuccedere, & cauſam finire poſſit, vel etiam mortuo delegante. Laym hîc n. 2. Et cùm omnes delegati retineant jurisdictionem, ſaltem in habitu, ut impedito illo, vel nolente, qui cauſam cognoſcere cœpit, ipſi in illa procedere poſſint, poſtquam ſemel exercitium juriſdictionis in perſona unius delegati eſt inchoatum, cenſetur radicata etiam in aliis condelegatis, ita, ut per mortem unius delegati, vel etiam delegantis, juriſdictio in illis non exſpiret, quamvìs exercitium eiuſdem per illos non fuerit inceptum, Geminian. apud Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hîc.

XLVI. Verùm contra hactenus dicta objici poteſt, juriſdictio eſt res incorporalis, adeóque indiviſibilis, ſecundùm Gl. in cit. c. Prudentiam. V. Teneatur, & Abb. ibid. n. 6. Ergo non poteſt pluribus competere partialiter, ſed ſingulis in ſolidum, ſive tota indiviſibiliter neceſſariò competit, etiamſi in forma commiſſionis id non exprimatur, quia ſingula jura à quolibet in ſolidum tenentur. Gl. in c. Loquitur; 18. V. In ſolidum. cauſ. 24. q. 1. Reſp. Juriſdictionem in ſe non poſſe dividi, ita, ut ſecundùm diverſas ſui partes pluribus competat, cùm partes non babeat; poteſt tamen ita competere pluribus, ut penes ſingulos tota ſit, etſi non totaliter, quia ſolus eam exercere non poteſt: ſicut ſi plures fures unam trabem furentur, quàm unus ſolus tollere non poteſt, ſinguli totam trabem furantur, etſi nō totaliter, quia unus ſolus illam auferre non potuiſſet, quod eſt exēplum Gl. in cit. c. Prudentiam. V. Teneatur. Ubi tamen diſtinguendum eſt ex doctrina Abbatis in cit. c. n. 7. & ſeqq. & Decij ibid. num. 7. & ſeqq. Vel juriſdictio, aut alia ſimilis poteſtas competit pluribus, ut Collegio, ſeu Univerſitati: & tum exercitium illius juriſdictionis, aut poteſtatis non eſt penes ſingulos, ſed penes totum Collegium, ideóque requiritur, ut ſententia, vel decretum eorum à majore, & ſaniore parte Collegij feratur, alioquin non valet. l. Quòd major; 19. junct. Gl. marg. ff. ad munic. Abb. c. l. n. 10. quamvìs Decius l. c. n. 8. dicat, id ſolùm procedere in cauſis, & actibus Eccleſiaſticis, non item in profanis, & ſecularibus, in his enim ſufficere, quòd major pars Collegij conſenſerit, quia jura civilia ſimpliciter dicunt, quòd major pars ſufficiat. Vel juriſdictio, aut ſimilis poteſtas competit pluribus, non collegialiter, ſed ut ſingulis: & tunc interdum competit eis juriſdictio totaliter, ſeu in ſolidum, ita, ut ſinguli ſeorſim etiam ſinè aliis procedere poſſint. Sic plures Judices ordinarij, etiamſi ad unum idémque officiū ſint deputati, juriſdictionem actualem in ſolidum habent, ita, ut tum ſimul, tum ſeorſim judicare, & cauſas cognoſcere, ac definire poſſint, v. g. duo Conſules in eadem civitate, duo Vicarij generales Epiſcopi in una eadémque diœceſi, ut colligitur ex l. unic. ff. de offic. Conſul. & ibi Bart. n. 1. Gl. in c. Ut officium; 11. V. Separatim. de hæretic. in 6. & in cit. c. Prudentiam; V. Teneatur. h. t. & ibid. Abb. num. 10. Quòd ſi unus præoccupavit, & cauſam inchoavit, alter ſe immiſcere in illa cauſa non poteſt, niſi ille, qui cœperat, impeditus fuerit. Abb. c. l. n. 11. Similiter plures Judices delegati ad univerſitatem cauſarum, v. g. duo Viſitatores diœceſis, habent juriſdictionem ſinguli totaliter, & in ſolidum, eámque non eandem, ſed diverſam, quia eorum juriſdictio æquiparatur Ordinariæ, ex communi ſententia apud Decium in c. Cauſam; n. 16. h. t. arg. l. 1. §. Si plures. ff. de exercitor. act. ubi plures delegati ad univerſitatem cauſarum habent poteſtatem in ſolidum: quamvìs oppoſitum teneat Abb. in cit. c. Cauſam. n. 7. arg. cit. c. Ut officiū de hæret. in 6. eò quòd ibi ſpecialiter conſtitutum fuerit, ob favorem fidei, ut hæreticæ pravitatis Inquiſitores (qui ad univerſitatem cauſarum in cauſa hæreſis delegati ſunt) & ſimul, & ſeparatim procedere poſſint. Verùm non ſatìs ex eo textu colligitur, quòd ſpecialem conſtitutionem contineat, cùm plura in eo c. demandata ſint, & hoc ipſum, de quo hoc loco agitur, Pontifex ſpecialiter declarare potuiſſet ad tollendam omnem dubitationem, ut notat Laym. in cit. c. Cauſam. n. 2. Sic etiam plures hæredes, ante factam diviſionem bonorum, juriſdictionem in ſolidum ſinguli habent in oppida, & caſtra, quamvìs unus non poſſit exercere juriſdictionem ſinè alio, ſtatuendo, vel immutando aliquid, cum incommodo alterius. Abb. in cit. c. Prudentiā; n. 12. Quomodo etiā plures tutores in ſolidum ſinguli adminiſtrationem habent, ita, ut unus ſine altero negotia pupilli gerere poſſit, præterquam ſi de tutela finienda agatur. l. ult. C. de auctor. præſtand. Abb. c. l. n. 14. Interdum verò competit juriſdictio, ſeu poteſtas pluribus, ut ſingulis, ita, ut etiam ſinguli totam habeant, ſed non totaliter, ſeu in ſolidum, ac proinde unus ſinè altero procedere non poteſt: ut ſi plures ſint Judices delegati ad unam, vel plures particulares cauſas cognoſcendas, ac decidendas: ij non habent regulariter juriſdictionem in ſolidum ſinguli, niſi id in forma commiſſionis exprimatur. Gl. in cit. c. Prudentiam; V. Teneatur, & dictum ſuprà. nam plures delegati repræſentant unius perſonam, ſcilicet delegantis, ideóque cùm ſint loco unius, & una ſit omnium juriſdictio, non poſſunt ſeparatim procedere, niſi in caſibus ſuprà allatis. Abb. c. l. n. 13. Reſponderi poteſt 2. Licèt juriſdictio in ſe dividi non poſſit, poteſt tamen dividi per accidens in ordine ad exercitium, quoad diverſa tempora, & loca. ut ſi duo Conſules civitatis alternis annis, vel ſemeſtribus juriſdictionem exerceant, ſeu officium adminiſtrent: vel ſi plures fratres territorium ad ſe jure hæreditario devolutum inter ſe dividant; conſequenter enim etiam juriſdictio in ordine ad illa loca dividitur. Abb. in cit. c. Prudentiam, n. 13. Felin. ibid. n. 3. cujuſmodi diviſio ſemper fieri poteſt, niſi vel ob jus primogenituræ, majoratûs, vel ob ſpecialis feudi conceſſionem, vel ob aliam diſpoſitionem factam, territorium aliquod indiviſum manere debeat. Abb. c. l. Felin. c. l. n. 5. Et ad talem diviſionem faciendam ſocij etiam cogi poſſunt, cùm ex communione, præſertim in exercenda juriſdictione, ſæpe diſcordiæ oriri ſoleant.
Felin. c. l. n. 5.

* *
*

§. III.

An una cauſa delegata etiam pluribus poßit ſubdelegari?

XLVII. Aſſertio 1. Delegatus Papæ, ſeu alterius Principis poteſt cauſam ſibi commiſſam, non tantùm uni, ſed etiam pluribus ſubdelegare, ut conſtat ex c. Cùm te; 18. ibi: *una, vel pluribus* h. t. & notat ibid. Innocent. V. uni; Abb. n. 2. Felin. n. 2. modò tamen delegatus cauſam ſibi commiſſam ſubdeleget perſonis Eccleſiaſticis, non laicis, cùm laici de cauſis Eccleſiaſticis judicare non debeant Gl. ibid. V. A perſonis Eccleſiaſticis; & patet ex ſuprà dictis. Sicut etiam, ſi ſint duo, vel plures delegati, ſimul omnes poſſunt uni, vel pluribus ſubdelegare cauſam: ſed etſi unus ex pluribus delegatis velit cauſam pluribus ſubdelegare, aliis ſuis ſociis non ſubdelegantibus, poteſt id facere, ſicut unus ſolus delegatus poteſt. arg. c. Prudentiam; 21. §. Illa quippe; h. t. quod enim non eſt prohibitū, intelligitur eſſe conceſſum, Innoc. in cit. c. Cùm te; Abb. ibid. n. 3. neq; verò hoc prohibitū eſt propter abſurdū, quod ſequeretur, ſi inter ſe diſcordarent, ſeu contraria ſentirent, ut ex dicendis patebit.

XLVIII. Aſſertio 2. Si ſubdelegatos à delegato diſſentire in ſententia ferenda contingat, tum, vel inter ſe, vel cum altero delegato diſcordant. Priore caſu, ſi ſubdelegati inter ſe diſcordent, ſtandum eſt ſententiâ majoris partis, ſi v. g. ex tribus ſubdelegatis duo conſentiant, tertio diſcordante: ſi verò duo tantùm ſint ſubdelegati, iique inter ſe diſcordent, tunc neutrius ſententia valet, ſed ad delegantem, qui ſubdelegavit, recurrendum eſt, ſi quidem ſibi aliquid de juriſdictione reſervavit: nam etiam, quando delegati diverſas ſententias proferunt, ad delegantem eſt recurrendum, c. ult. in fine de ſent. & re judic. quia ipſi non habent juriſdictionem in ſolidum: quæ ratio etiam locum habet in duobus ſubdelegatis: & regulariter, quod ſtatutum eſt in delegatis, etiam in ſubdelegatis diſpoſitum intelligitur, niſi aliud jure ſit expreſſum, Decius in cit. c. Cùm te; n. 2. h. t. Si verò ſubdelegans in totum vices ſuas commiſit duobus ſubdelegatis, tum his diſcordantibus, ad primum, ſeu principalem delegantem recurrendum eſt, prout in cauſa appellationis definitum eſt in c. Super; 27. §. Porrò. h. t. Decius c. l.

Poſteriore verò caſu, ſi ſubdelegati ab uno ex duobus delegatis diſcordent ab altero delegato: tum ſi non in totum ſubdelegavit, recurrendum eſt ad ſubdelegantem, alioquin ſi in totum, ad primum, ſeu principalem delegantem. arg. cit. c. ult. de ſent. & re judic. Neceſſarium tamen eſt, ut hoc caſu major pars ſubdelegatorum conſentiat in unam ſententiam cum altero delegato, collegâ ſubdelegantis, quia omnes ſubdelegati ab uno tenent locum unius, ſcilicet delegati, qui ſubdelegavit, cuius vices repræſentant. Abb. in cit. c. Cùm te. n. 3. Si verò ex duobus ſubdelegatis unus conſentiat cum altero delegato, alter verò ab eo diſcordet, tum neutrius ſententia valebit, cùm ſinguli ſubdelegati nō habeant juriſdictionem, ſeu poteſtatem judicandi, & cognoſcendi in ſolidum, neque tali caſu maior pars convenit in unam ſententiam, ideóque non valet ſententia, Abb. cit. loc.

SECTIO III.

DE CAUSIS, QUÆ DELEGARI poſſunt, & de forma, ſeu modo delegandi.

§. I.

Quæ cauſæ delegari poſſunt, vel non?

XLIX. Aſſertio 1. Generatim loquendo, omnes illæ cauſæ, quæ ad ordinariam juriſdictionem delegantis pertinent, poſſunt delegari; non item illæ, quæ alienæ juriſdictionis ſunt. l. unic. junct. Gl. V. Si ad juriſdictionem, & V. Pertineant. C. Qui pro ſua juriſdict. judic. Adeò quidem, ut ſententia judicis delegati ad cognoſcendam cauſam non ſubiectam juriſdictioni delegantis, ſit invalida, etiamſi partes litigantes non contradicant, ſi tanquam judex delegatus ſententiam pronunciavit. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 16. n. 3. Ratio eſt, quia, ſi Judex delegatus pronunciet, ſibi nullam juriſdictionem, ſive nullum jus cognoſcendi cauſam commiſſam competere, non poteſt officium (quo ſemel functus eſt, ſive bene, ſive malè) reaſſumere, ne quidem ex partium conſenſu, ut conſtat ex c. Significantibus; 38. h. t. quia partes non poſſunt conferre juriſdictionem ei, qui nullam habet. l. Privatorum; 3. C. de juriſd. omn. jud. Gl. in cit. c. Significantibus; V. Procedere. Ergo ſimiliter judex delegatus, ne quidem partibus conſentientibus, poteſt validè cognoſcere cauſam ſibi delegatam à non habente poteſtatem delegandi illam, quia partes non poſſunt tribuere juriſdictionem delegato, ſi nullam habeat.

Porrò in ſpecie etiam cauſa appellationis delegari poteſt, ſpectato jure Canonico, ut conſtat ex c. Paſtoralis; 11. in princ. de offic. jud. ordin. ubi habetur, quòd Archiepiſcopus cauſam ad ſe per appellationem delatam poſſit eandem alteri jure ordinariæ poteſtatis delegare: ſecus autem eſt de Jure civili. Auth. ad hæc. C. De judiciis, & ibi Gl. V. Audiat. Abb. in cit. c. Paſtoralis; n. 4. nam hoc jure non poteſt Judex ordinarius appellationis cauſam delegare, retentâ ſibi ſententiâ, ſed debet vel totam cauſam audire, vel totam delegare. Quin imò ſecundùm Jus Canonicum, cauſa appellationis delegari poteſt, etiam à non Principe, ſive qui ſupremus Judex non eſt, ut conſtat ex c. Ut litigantes; 5. de offic. ordin. in 6. & c. Super quæſtionum; 27. §. Intentionis, juncta Gl. V. Alij delegare. h. t. Abb. in c. Ex litteris; 4. n. 2. not. 3. de in integr. reſtitut.

L. Aſſertio 2. Non ea tantùm, quæ juriſdictionis ſunt, ſed etiam ea, quæ Ordinis ſunt, delegari poſſunt, dummodo is, cui demandantur, competentem Ordinem habeat. Hoſtienſ. in ſumm. n. 6. Verſ. Delegantur aliquando. h. t. Sic Parochus non poteſt delegare, v. g. poteſtatem audiendi confeſſiones alteri, niſi Sacerdoti. Et hinc etiam ea, quæ ad poteſtatem

Ordi-

Ordinis Epiſcopalis pertineot, non poſſuot ab Epiſcopo delegari, niſi alteri Epiſcopo, qui poteſtatem Ordinis, ſine ulla delegatiooe, habet, ex vi ordinatioois ſuæ. c. Aqua; 9. de conſecr. Eccleſ. Hoſtienſ. c. l. Ratio eſt, qnia poteſtas exerceodi ea, quæ ſunt Ordinis, non pendet ex ſola voluntate delegantis, ſicnt poteſtas exercendi ea, quæ ſunt juriſdictionis, hæc enim ſolâ volootate, verbis, vel alio quodam ſigno expreſsâ committi, vel revocari poteſt, ideóque unicuique, juriſdictionem aliàs oon habenti, poteſt delegari. At verò poteſtas Ordinis pendet ex inſtitutione Chriſti, & non per verbalem commiſſionem, ſed realem cooſecrationem, & mannum impoſitionem confertur: ideóque ea, qoæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, aliis non Epiſcopis, qui Ordinandi poteſtatem non habent, delegari non poſſunt. Gl. in cit. c. Aqua. V. Juriſdictionis. Abb. ibid. n. 7. & Fagnan. n. 4.

Excipitur 1. Quòd, etſi Epiſcnpus ſolus habeat ordinariam poteſtatem conferendi Ordines, & Sacramentum Cooſirmationis, tanquam Ordioarius Miniſter, quam aliis noo Epiſcopis delegare non poteſt: tamen ex delegatione Juris communis, vel ſummi Pontificis, etiam non Epiſcopi, Ordines ſaltem minores conferre poſſuot, ut quidam Abbates, ut colligitur ex c. 1. & ibi Gl. V. non ab Epiſcopis de Ordinatis ab Epiſcopis, qui Epiſc. renunc. Concil. Trident. Seſſ. 21. c. 1. de reform. Et ſimplices etiam Sacerdotes ſacro Chriſmate inungere, & confirmare poſſunt, tanquam Miniſtri extraordinarij, juxta communem doctrinam, & praxin Eccleſiæ.

Excipitur 2. Quòd ex conceſſione Juris Eccleſiaſtici, Sacerdos v. g. Parochus poſſit in caſu neceſſitatis, ſi ipſe impeditus ſit, & alius Sacerdos haberi non poſſit, committere Diacono, ut Euchariſtiam diſpenſet popnlo, juxta Decretum Concilij Carthaginenſis IV. Can. 38. & tradunt communiter DD.

§. II.

An cauſæ meri, & mixti Imperij delegari poßint?

Celebris eſt quæſtio, an cauſæ pertinentes ad merum imperium, cuiuſmodi eſt v. g. jus gladij, ſive poteſtas puniendi facinoroſos, pœnâ mortis, vel mutilationis, aut perpetui carceris: vel ad mixtum imperium, ut eſt v. g. poteſtas legitimandi illegitimum: vel aliæ huiuſmodi poſſint delegari? de quo hoc loco breviter agendum.

LI. Aſſertio 1. De Jure Civili, cauſæ, quæ ad merum, & mixtum imperium ſpectant, ordinariè, & ſeclusâ abſentiâ, infirmitate, alióve impedimento delegantis, non poſſunt â Judicibus Ordinariis Principe inferioribus delegari. Eſt communis DD. ſententia apud Jul. Clarum in pract. crimin. l. 5. §. fin. q. 41. n. 1. *Nam quæcunque ſpecialiter Lege, vel Conſtitutione Principum tribuuntur, mandatâ juriſdictione, non transferuntur*, prout habetur in l. 1. in princ. ff. de offic. eius, cui mand. eſt juriſd. Id eſt, ut explicat Gl. ibid. V. Quæcunque, quæ ad merum, & mixtum imperium ſpectant, majoribus tantùm Judicibus, ſin ſpeciale eorum privilegium conceduntur, ideóque delegari non poſſunt. *Sed ea duntaxat mandari, ſeu delegari poſſunt, quæ jure Magiſtratûs competunt*, cit. l. 1. in princ. id eſt, cuilibet Magiſtratui, ſeu juriſdictionem ordinariam habenti: conſentit l. 70. ff. de reg. jur. ubi dicitur, *nemo poteſt gladij poteſtatem ſibi datam, vel cuiuslibet alterius coercitionis* (magnæ ſcilicet Gl. ibid.) *in alterum transferre*. Ratio eſt, quia cùm huiuſmodi cauſæ ſpecialiter conceſſæ ſint majoribus Magiſtratibus, cenſetur electa induſtria perſonæ eorum, ideóque delegari ſive alteri committi noo poſſunt, Clarus c. l.

Excipitur caſus abſentiæ, negotij publici causâ, in quo etiam merum imperium delegari poteſt, dicta l. 1. in princ. & ibi Gl. V. Proficiſcatur, junctâ Gl. margin. ff. eod. Gl. in l. Imperium. 3. V. Mixtum. ff. de juriſd. Idque communiter extendunt DD. etiam ob identitatem rationis, ad caſum infirmitatis, multitudinis cauſarum, vel alterius ſimilis impedimenti, ne pœnarum executiones, cum Reipublicæ damno, diutiùs differantur: nam ubi eſt eadem ratio, idem jus eſſe debet, etiam in caſibus exceptis. Abb. in c. Quòd ſedem; 10. n. 6. in fine de offic. Ordin. & alij; & ſumitur ex c. Dilecta; 4. junctâ Gl. V. Similitudine; de confirm. util. licèt aliqui noo admittant alias exceptiones, præter illam, quæ in dicta l. 1. nominatim eſt expreſſa.

Porrò etſi Fachineus l. 9. Controv. jur. c. 98. ex pluribus juris civilis textibus allegatis probare conetur, mixtum imperium delegari poſſe; tamen alij DD. communiter tenent contrarium. Et hinc cùm in l. 1. §. fin. ff. de eo, cui mand. eſt juriſdict. dicitur: *Imperium, quod juriſdictioni cohæret, mandatâ juriſdictione tranſire*: id intelligendum eſt de eo, quod generaliter jure Magiſtratûs competit, id enim mandari poteſt, ut habetur in eadem l. 1. in princ. & in l. 3. ff. de juriſdict. ubi dicitur: *imperium, quod juriſdictioni cohæret, mixtum eſt*: noo autem de eo imperio mixto, quod ſpecialiter lege datur, hoc enim delegari non poteſt. Gl. fin. in cit. l. 1. Item cùm dicitur in l. ult. ff. de offic. eius, cui &c. *mandatâ juriſdictione privato, etiam imperium, quod non eſt merum, mandari videtur, quia juriſdictio, ſine modica coërcitione, nulla eſt*, id non eſt accipiendum de mero, aut mixto imperio, ſed de modica coërcitione, ſeu caſtigatione, Gloſſ. ibid. V. Etiam imperium, vel de imperio mixto; non quoad primum gradum, ſed quoad reliquos inferiores, qui delegari poſſunt, de quo infrà. Vel, ut explicat Alciatus apud Zœſium in Comment. ff. de juriſdict. num. 53. agitur ibi de tali mixto imperio, quod jure Magiſtratûs competit, non autem, quod ſpecialiter lege tributum, id enim, mandatâ juriſdictione, non tranſit, quia eâ mandatâ, non alia tranſire cenſentur, quàm quæ proprio jure non competunt, eò quòd gravitas talium negotiorum noo permittat, ut eorum cognitio committatur alteri perſonæ, quàm cuius induſtria, & fides eſt electa.

LII. Aſſertio 2. Quamvis ſpectato jure communi Canonico, omnes cauſas ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis Prælatis ad eorum juriſdictionem pertinentes delegari poſſe, etiamſi ſint mixti, vel meri Imperij, communiot tradat DD. ſententia. Gloſſ. communiter recepta in c. Quod ſedem; 10. V. Committere in fine, & ibid. Abb.

num.

num.4.de offic.Ordin.Maranta de Ordin. judic. p. 4. diſ.5.num.62.Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 17. num. 4 & alij communiter. Idque ſumi videtur ex c.2. de offic. Vicar. in 6. et. c.Cùm Epiſcopus; 7. de offic. Ordin. in 6. in quibus permiſſum eſt Epiſcopis per ſe, vel per alios jurisdictionem civilem, & criminalem exercere: item ex Clement. 1. §. 1. de hæretic. cap. ult. de offic. Ordin. c. ult. ne Clerici, vel Monachi &c. ubi habetur, Epiſcopos delegare poſſe cauſas ſanguinis, quæ proculdubio ad merum imperium pertinent: nihilominus tamen probabilius eſt, nullam quoad hoc ſtatuendam eſſe differentiam inter SS. Canones, & LL. Civiles, eò quòd Jure Canonico nullibi ſit expreſſum, quòd generaliter, ſeu univerſim à quovis Judice merum imperium delegari poſſit, ut tenent Covarr. l. 3. variar. reſolut. c. 20. num. 4. Menoch. de arbitr. Judic. l. 1. quæſt. 54. & quæſt. 74. num. 45. Facbin. l. 9. controv. Jur. c. 99. & alij plures. Nam Canones, qui in contrarium allegantur, loquuntur ſolùm in caſu ſpeciali. Quomodo in Clement. I. §. 1. de hæretic. ob favorem fidei conceditur Epiſcopis diœceſanis, & Inquiſitoribus fidei, ut in cauſis hæreſis delegare, ſeu committere poſſint aliis vices ſuas, ſive alios ſubſtituere, ac proinde ea delegatio, ſeu commiſſio ad alia delicta, vel cauſas trahi, & extendi non debet. Deinde in c. Licèt; 6. de offic. Vicar. in 6. & c. Si Epiſcopus; 7. de offic. Ordin. eod. in 6. datur Epiſcopis facultas cognoſcendi, & expediendi cauſas criminales per Vicarios, qui & Ordinarij vocantur, non tamen ex hoc inferre licet, Jure Canonico generaliter permiſſum eſſe cauſas meri Imperij delegare, Fachin. cit. loc. Similiter etiam conceditur Epiſcopis, aliiſque, quibus ex officio ordinario, vel quaſi Ordinario competit poteſtas abſolvendi ab excommunicatione, propter percuſſionem Clerici, ut illam aliis delegare, & committere valeant, ut habetur in c. ult. de offic. Ordin. idque ob favorem animæ, & eius utilitatem, ne periclitetur, ſi excommunicatione ligata maneat, Covarruv. cit. loc. num. 5. §. 2. Denique in c. ult. Ne Clerici, vel Monachi &c. Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis Eccleſiaſticis, qui merum imperium obtinent, permiſſum eſt, ut, cùm ipſi cauſas ſanguinis perſonaliter tractare, & expedire, ob metum irregularitatis non poſſint, Vicarios, locúmque tenentes laicos conſtituere, atque illis generaliter juriſdictionem criminalem delegare poſſint, Covarr. loc. cit. §. Tertiò adducitur; qui proinde, quia in genere vices Epiſcopi gerunt, etiam ordinariam juriſdictionem habere cenſentur, juxta Gloſſ. in c. 2. V. Officialem de offic. Vicar. in 6.

Neque etiam obſtat c. Cùm in Archiepiſcopatu; 4. de raptorib. ubi Judex Ordinarius inferior Principe, qualis erat Rex Siciliæ, cauſas criminales, quæ ad merum imperium pertinebant, delegavit. Nam, licèt Rex Siciliæ, ratione feudi, tanquam vaſallus ſit ſubditus S. Pontifici, Clement. 2. de ſentent. & re judic. nihilominùs Rex, & Princeps eſt, habétque omnem poteſtatem, quæ aut Principi, jure communi convenit, aut ſpeciali privilegio reſervatur: ſicut ergo Nobili v. g. merum imperium ſibi competens jure feudi perpetuò concedere poteſt, ita etiam in caſu ſingulari delegare. Covarr. cit. loc. num. 2. Accedit, quòd Rex tot curis, & negotiis implicitus cauſas meri imperij per ſe audire, ac definire non poteſt, nec debet.

Quare, cùm Jus Canonicum à Jure civili, præſertim in cauſis, & quæſtionibus forenſibus, diſcrepare in dubio non præſumatur, neque ulla inter utrumque Jus ſtatuenda ſit differentia, niſi expreſſo textu probetur. argum. c. 1. de nov. oper. nunciat. ideo meritò negatur, quòd de Jure Canonico paſſim, & generaliter, & abſque juſta cauſa, & à quovis Judice ordinario merum imperium delegari poſſit. Verùm, quidquid ſit de Jure ſcripto, hodie ex generali conſuetudine, indiſtinctè omnes cauſæ meri, & mixti Imperij delegari ſolent, etiam Capitales, ut teſtatur Jul. Clar. cit. loc. & VVeſenbec. in paratitl. ff. de offic. eius, cui mand. &c. num. 4. quia ſcilicet merum imperium non ampliùs ex ſpeciali privilegio, ſed unâ cum juriſdictione datur, & tranſit: qua in re tamen particularis cuiuſque loci conſuetudo ſpectanda eſt, ut notat Molin. cit. diſ. 17. num. 3.

Porrò Zœſius in Comment. in ff. de juriſdict. num. 58 & in Jure Canonico h. t. num. 18. putat, hanc quæſtionem non poſſe habere locum de Jure Canonico, cùm merum imperium dicatur eſſe, habere jus gladij, ſeu poteſtatem animadvertendi in facinoroſos homines pœnâ capitali. l. 3. ff. de juriſd. Eccleſia autem non habet gladium, niſi ſpiritualem. c. Inter hæc; 6. cauſ. 33. quæſt. 2. Verùm præter jus gladij, alia quoque de jure Canonico ad merum imperium ſpectant, ut Clericorum degradatio, depoſitio, excommunicatio, ſuſpenſio &c. de quo alibi; præterquam quòd Epiſcopi etiam cauſas ſanguinis delegare poſſunt, ut ſuprà dictum.

LIII. Aſſertio 3. Delegati à Principe ſuperiorem non recognoſcente, tam Civili, quàm Canonico Jure, cauſas quaſcunque, etiam criminales, & tam meri, quàm mixti imperij, aliis delegare poſſunt, niſi appareat, perſonæ induſtriam ſpecialiter electam fuiſſe, prout ſumitur ex l. unic. C. qui pro ſua juriſdict. judic. Gloſſ. ibid. V. Judicandas, junctâ Gl. margin. quæ ait, eſſe ſententiam communiter receptam. Etſi contrariam ſententiam teneant nonnulli apud Clarum cit. quæſt. 41. num. 3. Qui ait, eam in praxi ſervari, nunquam enim cauſæ criminales delegantur à Principe, niſi perſonæ induſtria, & fides ſpecialiter ſit electa. At verò in eo omnes conveniunt, quòd delegati à Judicibus Ordinariis inferioribus, cauſas criminales nullo modo poſſunt ſubdelegare, ne quidem poſt litem conteſtatam, Clar. cit. q. 41. n. 2.

Porrò in generali conceſſione totius juriſdictionis, civilis, & criminalis, etiam cum mero, & mixto imperio, alicui à Principe facta, non cenſentur comprehenſa, quæ ad primum gradum meri, vel mixti Imperij pertinent, niſi ſpecialiter exprimantur. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 6. num. 5. quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, ſi ni-

ſi nimirum in ſpecie rogatus fuiſſet, juxta reg. jur. 81. in 6. Quæ autem in ſpecie ad merum, vel mixtum imperium pertineant, dicetur inf. tit. 31.

§. III.

De cauſis delegatis, ratione dignitatis, vel officij, non perſona.

LIV. Aſſertio 1. Si alicui, ſive Jure communi, ſive ex ſpeciali privilegio, voluntaria juriſdictio, ſeu poteſtas ſit conceſſa, etiamſi ad merum, vel mixtum Imperium pertineat, aut S. Pontifici ſit reſervata, v. g. ut poſſit abſolvere à peccatis, aut cenſuris Papæ reſervatis, vel caſibus Papalibus occultis, & ad forum contentioſum non deductis: vel diſpenſare in votis, juramentis, irregularitatibus, aut matrimonij impedimentis, propter difficultatem adeundi Papam: tum, ſi talis conceſſio facta ſit alicui, ratione officij ſui Ordinarij, aut dignitatis, ita, ut ea poteſtas perpetuò annexa ſit ipſi officio, vel dignitati, poterit illam, non tantùm in caſibus particularibus, ſed etiam generaliter delegare, ſeu committere alteri, niſi in conceſſione expreſſum ſit, ut per ſeipſum illam exerceat, prout ſumitur ex c. ult. de offic. judic. ordinat. & ibid. Gloſſ. V. Caſibus. Abb. num. 3. Covarr. cit. c. 20. num. 5. & 10. Molin. cit. tract. 5. diſ. 18. num. 1. Sanch. l. 2. de matrimon. diſ. 40. num. 14. Ratio eſt, quia talis perpetua commiſſio à lege, vel Canone, vel ex ſpeciali privilegio facta tranſit in poteſtatem, ſeu juriſdictionem ordinariam, ut potiùs ordinaria, quàm delegata cenſenda ſit: ea autem, quæ jure ordinario, & proprio alicui competunt, poſſunt abſolutè, & generaliter delegari, juxta regulam communiter receptam, & traditam in cit. c. ult. ubi, quod dicitur de abſolutione à cenſura Canonis, propter percuſſionem Clerici, id exempli tantùm causâ dictum eſt, & generaliter intelligi debet de quacunque poteſtate abſolvendi à peccatis, & cenſuris, diſpenſandi &c. Gloſſ. ibid. V. Caſibus. Et cùm alicui Jure communi, aut ex ſpeciali privilegio competit aliqua poteſtas, ratione officij, aut dignitatis ſuæ, adeóque etiam ſucceſſoribus, vel quaſi ſucceſſoribus illius (uti ſunt Legati Sedis Apoſtolicæ, & Vicarij Epiſcoporum, qui propriè Succeſſores non habent) tunc non poteſt cenſeri electa induſtria perſonæ, cùm etiam perſonis incognitis, nempe qui ſucceſſuri ſunt in ea dignitate, vel officio, talis delegatio fiat, ideóque nihil obſtat, quò minùs alteri poteſtas illa delegetur. Sanch. c. l. n. 17.

Excipitur 1. Niſi voluntaria juriſdictio, ſeu poteſtas ipſi officio à lege, vel ex privilegio commiſſa, ſeu conceſſa, ita magni momenti ſit, ut per alium expediri nequeat: uti eſt poteſtas conferendi beneficia, quæ ab Epiſcopo alteri, quàm Vicario ſuo Generali, committi non poteſt. Gl. in c. Deliberatione; 4. V. Cuicunque; de offic. Legat. in 6. Covarr. cit. c. 20. n. 6. Sanch. c. l. n. 16.

Excipitur 2. Niſi ex commiſſione, ſeu privilegij conceſſione appareat, ſpecialiter eam factam eſſe Prælato, eò quòd propter auctoritatem officij, & diſcretionem, ad munus v. g. abſolvendi, magis idoneus reputatus ſit, ut in caſu c. 2. & c. Cùm illorum; 32. de ſent. excommun. ubi abſolutio Monachi à cenſura Canonis ſpecialiter commiſſa eſt Abbati, propter diſcretionem, & prudentiam, quæ in tali perſona ineſſe præſumitur. Laym. in cit. c. ult. n. 3. de offic. ord.

LV. Aſſertio 2. Similiter, ſi alicui nudum miniſterium, ſeu mera executio, ſine cauſæ cognitione, v. g. ad abſolvendum, vel diſpenſandum, ratione dignitatis, vel officij, ſit commiſſum, adeóque jure perpetuo, & ordinario: tum illud alteri delegare, ſeu committere poteſt. Navarr. l. 5. Conſil. 11. in fine de privileg. Molin. cit. diſ. 18. num. 1. Aliud verò eſt dicendum, ſi alicui tale miniſterium ex ſimplici delegatione ſit demandatum, non ratione officij, vel dignitatis; tum enim plerumque perſonaliter id exequi debet, & alteri delegare non poteſt, ut conſtat ex c. ult. §. Cæterùm; h. t. & ex dictis ſuprà num. 12. Quamvìs aliàs, generatim loquendo, quicunque delegatus, vel etiam ſubdelegatus, tametſi juriſdictionem alteri committere nequeat, tamen nudum miniſterium, v. g. abſolvendi, ſine cauſæ cognitione, committere poteſt, juxta dicta ſuprà num. 24. dummodo juriſdictione aliquâ ſit præditus, & non nudus executor ſit conſtitutus, ut jam dictum.

§. IV.

Quâ formâ, & modo fieri poſſit, vel debeat delegatio.

LVI. Aſſertio 1. Forma delegationis conſiſtit in modo procedendi præſcripto in litteris ipſius commiſſionis, qui juxta cauſarum, clauſularum adjectarum, & perſonarum conditionem, & qualitatem varius eſſe poteſt, ut notat Dan. Venator in Analyſi Jur. Pontif. §. Quæ forma h. tit. Nam, vel tota cauſa delegatur, vel certum aliquod genus, ſeu ſpecies cauſarum, v. g. decimarum, matrimonij &c. vel plures cauſæ certo numero definitæ, vel una tantùm cauſa aliqua. Item, vel uni tantùm, vel pluribus ſit delegatio, iiſque, vel ſimpliciter, vel adjectâ clauſulâ: *quòd ſi non omnes intereſſe poſſunt, alij nihilominus in cauſa procedant; vel ſi non ambo, alter procedat:* vel cum clauſula, *ut omnes, aut duo, aut unus procedat*, vel cum clauſula, *appellatione remotâ:* c. Super quæſtionum; 27. in princ. & §. Si verò h. t.

Præterea, vel cum reſtrictione ad certas perſonas, vel ad certum tempus, vel ad certum locum, vel ad certam quantitatem juriſdictio committitur, VVeſenbec. in Paratitl. ff. de juriſdict. num. 10. Quæ omnia ex ſuprà dictis patent. Denique, vel tota cauſa delegatur, vel pars eius, videlicet principium, vel medium, vel finis litis, ſeu cauſæ controverſæ, cit. c. Super quæſtionum. §. Intentionis. Principium cauſæ committitur, ſi actus judicii præparatorius, v. g. citatio,

tio, libelli oblatio, vel litis conteſtatio alicui delegetur, ut coram eo inſtitui poſſit, c. Paſtoralis; 28. §. Item cùm totum h. t. medium litis committitur, ſi cui audientia, aut cauſæ cognitio demandetur, v. g. inquiſitio, ac teſtium examinatio, reſervatâ ſibi ſententiâ definitivâ, c. Cùm te; 58. & cit. c. Super quæſtionum; §. fin. h. t. Idque frequenter fieri ſolet; tum quia ipſi Judices Ordinarij gravioribus negotiis impediti ſæpe per ſeipſos cauſas cognoſcere nequeunt: tum, ut laboribus, & ſumptibus partium parcatur, quæ, ſi fortè longiùs diſtent, cùm magnis expenſis, & viarum periculis, ad Judicem delegatum evocandæ forent. cit. c. Cùm te. Finis litis delegatur, quando jus pronunciandi, ſeu ferendi ſententiam definitivam alicui committitur, & talis Commiſſarius eſt Judex, vel quando mera executio ſententiæ per alium latæ, & publicatæ alicui committitur: & hic judex non eſt, ſed nudus auditor, ſeu executor. Quando verò principium, medium, & finis alicui delegatur, tunc tota cauſa delegari dicitur: Hiltrop. in proceſſu judic. lat. p. 1. tit. 7. n. 27. & plurib. ſeqq.

L V I I. Aſſertio 2. Si certa forma delegationis præſcripta ſit à delegante, ſive certus modus procedendi, ea forma reſcripti diligenter obſervanda eſt: alioquin totus proceſſus eſt ipſo jure nullus, & ſententia irrita, ſi delegatus plus, vel minus, quàm ſibi commiſſum, adeóque contra formam, ac tenorem mandati fecerit, quippe factus à non habente juriſdictionem, cùm delegatus nullam habeat poteſtatem, niſi quæ ipſi in delegatione, ſive mandato conceſſa eſt, ut conſtat ex c. Cùm dilecta; 32. de reſcript. & l. Diligenter; 5. ff. Mandati, ubi dicitur: *diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt, quia, qui exceſſit, aliud quid facere videtur.* Item ex c. Cùm olim; 32. h. t. ubi irrita declaratur ſententia interlocutoria judicum delegatorum, quia ad eos non ſpectabat cognitio de damnis illatis, cùm de his cognoſcendis in reſcripto commiſſionis Apoſtolicæ nulla facta ſit mentio, Ideóque proceſſus non valuit, quia delegati formam mandati tranſgreſſi ſunt. Gl. ibid. V. In reſcripto.

L V I I I. Prætetea idem etiam ſumitur ex c.
» Venerabili; 37. h. t. nam cùm Epiſcopus Cepha-
» ludenſis ſpoliatus eſſet à Friderico II. Imperato-
» re, Papa Honorius III. mandavit Archiepiſco-
» po Cuſentino, ut illum ad Epiſcopatum, &
» alia, quibus fuerat ſpoliatus, reſtitui curaret, eó-
» que plenè reſtituto (quoad omnia jura, & bona corporalia, & incorporalia, mobilia, & immobilia, unà cum fructibus, Gloſſ. hîc V. Reſtituto plenariè, & Hoſtienſ. & conſtat ex c. 1. &
» ſeqq. cauſ. 2. quæſt. 2.) atque corporalem, & pa-
» cificam poſſeſſionem adepto, ſi Epiſcopus ob di-
» lapidationem bonorum, meritò ſuſpectus ſit,
» virum providum, & honeſtum coadjutorem ei-
» dem adjungat, ſine cuius conſilio (id eſt, conſen-
» ſu, aliàs non multùm prodeſſet talis Coadjutor,
» Gloſſ. hic V. Conſilio, & Hoſtienſ.) nihil circa
» temporalia adminiſtrare, ſeu diſponere debeat,
» donec Papa, veritate pleniùs perſpectâ, aliter
providcat; interim verò utrique, (tam Epiſcopo, »
quàm eius Coadjutori) omne genus alienationis »
interdicat. Sed quia idem Archiepiſcopus corporis »
infirmitate impeditus erat, in hoc negotio vices »
ſuas primùm Abbati S. Spiritûs Panormi, poſtea »
verò Theſaurario Cuſentino commiſit, ſive totam »
cauſam ſubdelegavit; ſed utriuſque Subdelegati »
proceſſus Papa Honorius ſibi exhibitos, juſtitiâ »
exigente, caſſavit (id eſt, nullos, ſeu irritos decla- »
ravit, juxta cit. c. Cùm dilecta, Gl. hîc V. Caſſa- »
vimus, & Hoſtienſ.) quia nimirum Abbas contra »
reſcripti, ſeu mandati Apoſtolici formam, priuſ- »
quam Epiſcopus ſpoliatus reſtitutus eſſet, inquiſi- »
tionem de ipſo inſtituit, an de dilapidatione bo- »
norum ſit ſuſpectus: Theſaurarij verò, quia cùm »
Archiepiſcopus ei in totum committendo vices »
ſuas, jam ſuo officio functus fuerit, non poterat »
eidem cauſam illam committere, ſeu ſubdelegare.

L I X. Colligitur hinc 1. Contra ſpoliatum non debet inſtitui inquiſitio, etſi ſuſpectus ſit de dilapidatione bonorum, niſi priùs plenè reſtitutus fuerit, & antequam inquiratur de veritate dilapidationis, debet ſummariè inquiri, an ſit de illa ſuſpectus, & ſi tali ſuſpicione laboret, poteſt ei dari à Superiore (videlicet à Papa) Epiſcopo Coadjutor, quàm diu durat adminiſtratio, interdictâ illi omni alienatione bonorum. Abb. hîc num. 3. & 4. de quo alibi plura.

Colligitur 2. Non tantùm delegatus Papæ, ſed etiam illius ſubdelegatus, debet ſervare formam reſcripti, ſeu mandati Apoſtolici, ut patet ex hoc c. ubi proceſſus Abbatis ſubdelegati ab Archiepiſcopo Papæ delegato caſſatus, ſeu irritus declaratus fuit, ob non ſervatam formam reſcripti, ſeu mandati Apoſtolici. Abb. hîc n. 5. & 8.

Colligitur 3. Si delegatus Papæ, vel alterius Principis, cauſam totam alteri ſubdelegavit, non poteſt is ſe ampliùs immiſcere, poſtquam ſubdelegatus cauſam agere cœpit; nec commiſſionem factam ad ſe revocare; vel cauſam alteri committere, quia functus ſuo officio cenſetur, ut notat Gloſſ. hîc communiter recepta V. Non potuit, & Abb. n. 6. de quo plura infrà.

Sed contrà obſtare videtur, quòd in caſu huius c. Proceſſus Abbatis ſubdelegati, contra formam mandati Apoſtolici inſtitutus, fuerit ipſo jure irritus, ut patet ex hoc c. Ergo eo non obſtante, poterat Archiepiſcopus delegans ſe immiſcere, cùm res adhuc fuerit integra, quia proceſſus nullus haberi debet pro non facto, paria enim ſunt non eſſe, vel non legitimè eſſe. Reſp. cum Imola hîc num. 28. quòd Abbas cauſam ſibi commiſſam, ſive ſubdelegatam agere cœperit, dum eos, qui Epiſcopum ſpoliârunt, citavit, quæ citatio, quia facta fuit generaliter, non fuit facta contra formam mandati Apoſtolici, adeóque valida fuit, & per illam perpetuata eſt jurisdictio ſubdelegati, quamvis is poſtea malè proceſſerit, & contra formam mandati, ideóque proceſſus eius invalidus fuit.

L X. Cæterùm, quod dictum eſt, formam delegationis præſcriptam à delegāte accuratè obſervandam eſſe, id tum demum locum habet, ſi forma, ſeu modus procedendi Jure cōmuni nō requiratur, ſed à de-

logan-

legante de novo præſcribatur; tum enim cenſetur eſſe ſubſtantialis, ita, ut niſi ea forma ſervetur, actus ſit irritus. Ionocent. in c. ult. in princ. de præſumpt. Imola in c. pen. num. 2. de inſtitut. Sanch. l. 3. de matrimon. diſ. 33. num. 3. Ut ſi v. g. Papa mandet alicui conferri beneficium, ſi ſit Juris Canonici, vel Theologiæ Doctor, vel ſi idoneus repertus fuerit, poſt præmiſſam diligentem indagationem, ſeu examen, non valebit collatio, niſi ſubſiſtat conditio, quia talis conditio, ſeu forma examinis præmittendi jure communi non requiritur, ſed à delegante eſt præſcripta, ideóque mandatum facit conditionale. Aliud eſt, ſi forma, ſeo conditio, quæ Judici delegato præſcribitur, etiam jure communi requiratur, tum enim oovam formam non indncit, ſed eſt ſolùm inſtar commonitionis, ſeu inſtructionis Judicis, ſecundùm Gloſſ. receptam in Clement. unic. V. Repetetiot; h. t. nam conditio, quæ de jure ineſt, oihil operatur, quia, licèt non exprimeretur, tameo ſubintelligi deberet, nt docet Bartol. in l. 3. in princ. ff. de legat. 1. Quare ſi cooditio, ſeu forma ſecundùm ſe non pertineat ad ſubſtantiam actûs exercendi, adeóque etſi omittatur, non fiat propterea actus irritus, tametſi illicitus; tum, quamvis in commiſſione, aut mandato eiuſmodi conditio expreſſa fuerit, non tamen eius omiſſio actum vitiabit, Innocent. cit. loc. Imola c. l. & Sanch. & in ſimili dictum ſuprà, tit. 3. num. 46. & 48. V. g. Si Papa mandet, ut conferatur beneficium Titio, ſi idoneus eſt, tum, etſi minùs idoneus ſit, nec literis conſpicuus, aut moribus commendatus, modò non ſit infamis, aut omnino illiteratus, adeóque inhabilis, & indigous, collatio ipſi à delegato facta valebit, quia, & Jure communi, ac ordinario valeret, ſecundùm quod ſufficit, ut inſtituendus non ſit indignus. Quòd ſi nulla delegationi certa forma præſcripta ſit à delegante, delegatus ſervare debet formam præſcriptam à Jure communi: quia Papa io reſcriptis ad lites, quæ ad juſtitiam adminiſtrandam tendunt, non cenſetur velle derogare Juri communi: c. Cauſam; 18. de reſcript.

LXI. Aſſertio 3. Ad formam, ſeu modum delegationis prætèrea requiritur, ut, ſi diverſæ litteræ juſtitiæ ſuper eadem cauſa ad Judices delegatos ſint impetratæ à Papa, in poſterioribus mentio fiat de prioribus, de quo agitur inprimis io c. Sa» nè; 2. h. t. ubi Alexander III. ſtatuit, ut, ſi quis » à Sede Apoſtolica ſuper cauſa aliqua litteras im» petravit ad Judices delegatos, & aliæ poſtea lit» teræ contrarium quidpiam continentes ab adver» ſario impetrentur, & ad (eoſdem) Judices de» ſtinentur, nullâ factâ mentione priorum litte» rarum, tum Judices illi ſuperſedere debent exe» cutione utrarumque litterarum, donec S. Pon» tificem conſulant, eiúſque voluntatem pleniùs » cognoſcant, ne alioquin litterarum varietas im» pediat, quò minùs cauſa commiſſa terminetur, ac » definiatur.

LXII. Notandum 1. Hoc Cap. intelligi debet, quando litteræ poſteriores, nullâ factâ mentione de prioribus, ad eoſdem Judices delegatos ſunt impetratæ, ac deſtinatæ; tunc enim, ſi in poſterioribus oppoſitum contineatur circa ipſam ſubſtantiam, aut proceſſum cauſæ, non debent Judices delegati in cauſa procedere, ſed priùs Papam conſulere, eiúſque declarationem petere: nam, cùm hoc caſu, propter oppoſita mandata, dubium ſit de mente delegaotis, neceſſarium eſt, ut is conſulatur, ut ſciant Judices delegati, ſecundùm quas litteras, priores, an poſteriores, procedere debeant: neque enim exequi poſſunt id, quod mandatum eſt, ſi voluntatem maodantis cognitam non habeant. Gloſſ. hìc V. Priorum litterarum, & Laym. ibid. num. 1. Aliud verò eſt, ſi duo reſcripta, ſive litteræ diverſæ, ſeu adverſæ ad diverſos Judices delegatos ſint impetratæ, & directæ, nullâ factâ in poſterioribus meotione de prioribus; tum enim Judices, ad quos directæ ſunt priores litteræ, ad deciſionem cauſæ procedere poſſunt, non obſtantibus poſterioribus litteris, quippe quæ ſunt irritæ, & ſubreptitiæ, ut conſtat ex c. Cæterùm; 3. & ibi Gloſſ. V. Priores; de reſcript. quia alioquin utrique Judices, ſcilicet dati per priores, & dati per poſteriores litteras, ſeorſim contraria judicarent, vel contentio, ſeu diſſidium inter eos oriretur, quæ non ita facilè contingunt, ſi diverſæ litteræ ad eoſdem Judices delegatos, vel eundem dirigantur. Laym. c. l.

Notandum 2. Quando Judex dubitat de reſcripto, ſeu mandato Sedis Apoſtolicæ, an per aliud reſcriptum, ſeu mandatum ſit revocatum, vel immutatum, recurrendum eſt ad Papam, ut generaliter ex hoc c. 2. colligit Abb. hìc n. 1. & Felin. n. 1.

Notandum 3. Quando poſterius reſcriptum ad lites, io quo non eſt facta mentio prioris, licèt ei contrarium ſit, ad eoſdem Judices eſt impetratum, non cenſetur ipſo jure ſubreptitium, etiamſi mentio io illo non fiat de priore, ſicut aliàs requiritur, cùm ad diverſos Judices ſit impetratio, quia cauſa commiſſa manet apud eoſdem Judices, nec per poſterius reſcriptum illis irrogatur injuria: neque prior impetrans privatur omni uſu prioris reſcripti, nec apud alios Judices litigare cogitur: neque etiam veriſimile eſt, Superiorem poſterius reſcriptum, ſi in eo facta eſſet mentio prioris, non fuiſſe conceſſurum: quia tamen unum reſcriptum eſt contrarium alteri, ideo tantiſper impeditur, & differtur otriuſque executio, donec concedens, ſeu delegans, videlicet Papa, conſulatur. Barboſ. in Collect. in cit. c. 2. num. 3. b. tit. Sed neque hoc caſu præſumendum eſt per poſterius reſcriptum contrarium, in quo de priore nulla ſit mentio, eſſe derogatum priori, vel illud revocatum, quia tam multa reſcripta prodeunt à Sede Apoſtolica, ut nón poſſit Papa omnium meminiſſe, licèt aliud ſit quoad inferiores Ordinarios. Laym. in cit. c. 2. n. 3.

LXIII. Præterea, ſi quis impetravit litteras à Papa de conferenda ſibi dignitate in certa Eccleſia primò vacatura, v. g. Archidiaconatu: poſtea verò alius ab eodem impetravit alias litteras de conferendo ſibi certo Archidiaconatu, ſi vacaverit in eadem Eccleſia, nullâ factâ mentione priorum litterarum, tum hic conferri debet priori impetranti, non poſteriori, quia ſi Papa memor fuiſſet prioris mandati, poſterius non dediſſet, prout habe-

» babetur in c. Ex parte; 12. h.t. Nam cùm Nico-
» laus litteras ab Alexandro III. ad Epiſcopum
» Conventrenſem impetràſſet, ut Archidiacona-
» tum, qui in Eccleſia eius primò vacaverit, ei con-
» ferret: poſtea Rabanns alias litteras ab eodem
» Papa obtinuit ad Archiepiſcopum Eboracenſem,
» nullâ de prioribus factâ mentione, in qnibus
» mandabatur, ut, ſi avunculus eius Melchior Ar-
» chidiaconatum, quem obtinebat in eadem Ec-
» cleſis, omnino (id eſt, ſine aliqua pactione, condi-
» tione, vel modo, Gl. hîc V. Omnino) dimittere vel-
» let, eundem ipſi Rabano conferret. Unde quæſi-
» tum fuit, cui ex duobus impetrantibus Archi-
» diaconatus, poſt ceſſionem à Melchiore abſolutè
» factam, conferendus eſſet? Reſpondit Papa, eum
» conferri debere Nicolao priori impetranti, non
» obſtantibus poſterioribus litteris, quia, ſi me-
» mor fuiſſet, ſe pro illo priùs ſcripſiſſe, pro al-
» tero eius æmulo nullas litteras dediſſet. Neque enim Pontifex præſumitur per reſcripta, ſeu mandata ſua juri alteri priùs conceſſo derogare velle, ut colligitur etiam ex c. Quamvìs; 18. de reſcript.

Dices, prius mandatum fuit generale, quia dirigebatur, non ad certnm aliquem Archidiaconatum conferendum, ſed indeterminatè ad unum ex pluribus Archidiaconatibus, qui erant in illa Eccleſia, & qni primò vacaverit: poſterius verò erat mandatum ſpeciale de conferendo Archidiaconatu, quem obtinebat Melchior, ſi vacaret per liberam eius renunciationem: at verò ſpeciale mandatum derogat generali, c. 1. de reſcript. Sed reſpondetur, prius mandatum in effectu non eſſe generale, ſed ſpeciale, nam hoc ipſo, quod mandatum fuit, ut Nicolao conferretur Archidiaconatus primò vacaturus in illa Eccleſia, debuit ei, poſtquam vacavit proximè Archidiaconatus Melchioris per liberam eius renunciationem, vi prioris mandati, ille conferri, perinde, ac ſi à principio in ſpecie, ſeu in individuo ei promiſſus fuiſſet, qnia prius etiam mandatum, licèt per verba generalia conceptum, actu, & re ipsâ dirigebatur ad unum tantùm Archidiaconatum conferendnm, nec poterat impleri, ſive executioni mandari, niſi in uno, non ſimul in pluribus, adeòque re ipsâ, & in effectu fuit magìs ſpeciale mandatum, quàm generale. Abb. in cit. c. Ex parte; 12. num. 6. h. t. Barb. in Collectan. ibid. num. 4. videri poſſunt, quæ de boc dicta ſunt ſuprà tit. 3. num. 164.

§. V.

De interpretatione, & probatione mandati delegationis.

LXIV. Aſſertio 1. Delegatus ita obſervare debet formam mandati, ut non tam verba, quàm intentionem mandautis reſpiciat. Quare reſcriptum delegatorium Papæ, vel alterius Principis, non ita intelligendum eſt, ut alteri præjudicium inferatur, quia Princeps non cenſetur velle præjudicare juri alterius, niſi id exprimatur, ut conſtat ex l. 2. §. Si qnis à Principe. ff. Ne qnid in loco publico &c. Abb. in c. Super eo; 15. num. 2. h. t. Idque ſumitur etiam ex eodem c. Nam ortâ controverſiâ »
inter duos, v. g. Titium, & Caium, de jure præſen- »
tandi ad Eccleſiam aliquam Parochialem, Papa »
cauſam delegavit alicui hac formâ: ut, ſi conſtite- »
rit ipſi, jus præſentandi ad alterutram partem per- »
tinere, factâ præſentatione perſonæ idoneæ, Ec- »
cleſiam illam, appellatione remotâ, ordinet (id »
eſt, ordinari, ſive de Rectore ei provideri faciat, »
Gloſſ. hîc V. Ordinet; & Hoſtienſ. V. Eod.) Unde »
quæſitum fuit: utrùm Judex delegatus licitè poſ- »
ſit, inſcio Epiſcopo diœceſano, vel reclamante Ar- »
chidiacono, aut Archipresbytero, præſentatum »
Clericum in poſſeſſionem Eccleſiæ immittere: & »
an, ſi Epiſcopus, Archipresbyter, vel Archidiaco- »
nus, ad quem de jure inſtitutio pertinet, contra de- »
legatum inſtituere volentem appellaverit, eius ap- »
pellationi deferendum ſit? Ad hoc reſpondet Pa- »
pa Alexander III. quamvis alicui committat, ut »
controverſiam, quæ de jure præſentandi inter ali- »
quos vertitur, cognoſcat, ac definiat, appellatione »
remotâ: non tamen ſuæ intentionis eſſe, Epiſcopo »
diœceſano, Archidiacono, vel Archipresbytero »
præjudicium generare, ideóque Clericus inſtituen- »
dus præſentari debet illi, ad quem de jure inſtitu- »
tio pertinet; quòd ſi aliquis ex prædictis juri ſuo »
præjudicium generari prætendens, appellaverit »
contra delegatum, eius appellatio admitti debet, »
cùm ea in mandato Apoſtolico, non quoad præ »
dictos (ſcilicet Epiſcopum, Archidiaconum, vel »
Archipresbyterum) ſed reſpectu partium litigan- »
tium, prohibita fuerit.

LXV. Notandum 1. Quod dictum eſt, reſcriptum, ſeu mandatum Principis non eſſe intelligendum cum præjudicio alterius, extenditur 1. quòd verba etiam impropriè potiùs accipienda, & explicanda ſunt, quàm ita, ut alterius juri derogetur, ut colligitur ex hoc c. ubi verba illa, *Eccleſiam ordinet*, ita explicanda ſunt, pronunciet ordinandam Eccleſiam, ſive faciat, ut ordinetur, per eum ſcilicet, qui jus ordinandi habet. Gl. hîc V. Ordinet, & Hoſtienſ. 2. Etſi tale reſcriptum emanavit, motu proprio, & ex certa ſcientia Principis. 3. Quamvìs non agatur de jure in re, ac plenè acquiſito, ſed tantùm de jure ad rem tertij, Decius in cit. c. Super eo; n. 2. h. t. Eſt tamen neceſſarium, ut verba reſcripti, ſeu mandati Principis ſaltem impropriam ſignificationem retineant, alioquin ſtandum eſt formâ mandati, etiam cum præjudicio juris alterius, cui tunc Princeps cenſetur ex plenitudine poteſtatis derogare voluiſſe, ſi aliàs reſcriptum inutile redderetur, nihilque operaretur, præſertim, ſi motu proprio, & ex certa ſcientia emanavit; quamvìs aliàs Princeps in dubio non cenſeatur velle uti plenitudine poteſtatis ſuæ Decius c. l. & in c. Quoniam; 14. n. 5. limit. 2. h. t.

Notandum 2. Si in caſu huius c. jus inſtituendi in tali beneficio ad ipſum Papam pertinuiſſet, v. g. jure devolutionis, tum potuiſſet delegatus præſentatum inſtituere, vi illorum verborum, *ut ordinet Eccleſiam*, qnia tunc ceſſat præjudicium tertij: & licèt reſcriptum Principis ſtrictè interpretari oporteat, quatenus cedit in præjudicium partium,

vel

vel alicujus tertij; latè tamen explicari debet, reſpectu mandantis, ſeu committentis. Abb. in cit. c. Super eo; n. 5. Imò etiam ipſe delegatus inſtituere in beneficio potuiſſet, cum conſenſu expreſſo, vel ſaltem tacito illius, ad quem de jure pertinebat inſtitutio, ut, quia ſciens eam fieri à delegato non contradixit. Gloſſ. in cit. c. V. Ordinet; in fine, & Abb. num. 2. qui ibid. addit, quòd delegatus, etſi non poſſit abſolutè declarare, per quem debeat fieri inſtitutio, quia ipſi cauſa commiſſa eſt inter patronos, non inter alios, tamen id poſſet ſaltem tunc, ſi contentio eſſet inter eos, qui prætendunt, jus inſtituendi ad ſe pertinere, quia cùm delegato mandatur, ut de perſona idonea ordinet Eccleſiam, conſequenter etiam videntur ei mandata ea, ſinè quibus Eccleſia ordinari non poteſt, c. Præterea; 5. h. t.

Notandum 3. Executio ſententiæ latæ à Judice delegato differri debet, ſi is, cujus intereſt, ab ea appellat, ne executioni mandetur, niſi appareat, quòd malitioſè appelletur, ſive ſolùm causâ differendæ executionis. Gloſſ. in cit. c. Super eo; V. Tenebit; in fine, & Abb. n. 6. quæ tamen præſumptio malitiæ purgatur, ſeu tollitur, ſi opponens, ſive appellans offerat, ſe incontinenti probaturum oppoſitionem ſuam, ut de reſtitutione in integrum tradit Gloſſ. in c. Suſcitata; 6. V. Sententiæ de in integr. reſtit. Abb. c. l.

» LXVI. Aſſertio 2. Si Judici delegato à Papa
» (vel Principe) certa forma procedendi, vel judi-
» candi ſit præſcripta: nihilominus rationabiles, &
» legitimas exceptiones admittere, & in cauſa, ſe-
» cundùm juris æquitatem, procedere debet, niſi in
» litteris Sedis Apoſtolicæ exprimatur, ut nullæ ex-
» ceptiones admittantur, quod tamen SS. Pontificea
» apponere non ſolent.
Ita ſtatutum habetur in c. Ex parte; 13. h. t. Ratio eſt, quia Papa non cenſetur per verba generalia velle tollere juris ordinem, & graviter præjudicare juri partium, adeóque nec tollere exceptiones legitimas, quæ ſunt ſecundùm Jus, eique conſormes, præſertim eas, quæ ad defenſionem naturalem pertinent. Gloſſ. hîc V. Rationabiles; & Abb. n. 5. Ex quo per ſenſum contrarium colligitur, quòd Judex etiam delegatus exceptiones minùs rationabiles admittere non debeat. Decius hîc num. 1. not. 2.

LXVII. Notandum præterea 1. Si in reſcripto Papæ, vel Principis dicatur, *nullâ exceptione admiſſâ*, in cauſa procedendum eſſe, id de exceptione irrationabili, & illegitima intelligendum eſt, aut quæ ſolùm ad removendum, & differendum judicium eſt adjecta. Gloſſ. hîc V. Nullæ; Abb. num. 1. & Decius num. 4. ſicuti etiam, ſi Papa mandet alicui conferri beneficium, non obſtante collatione priùs alteri factâ, de collatione invalida id intelligi debet. Dec. c. l. Quòd ſi verò expreſsè additum fuerit, nulla quantumvis rationabili exceptione admiſsâ, tum ſervanda eſt forma mandati, & cenſentur rejectæ etiam exceptiones rationabiles. Felin. hîc n. 6. ſi quidem conſtet de voluntate Principis, qui ex plenitudine poteſtatis derogare poteſt juri communi, vel partis, ob gravem cauſam, ſaltem in cauſis civilibus, præſertim, ſi aliud remedium ſe defendendi parti adhuc relinquatur, cujuſmodi eſt appellatio, vel imploratio officij Judicis, ut, ſi v. g. cauſa Judici delegata ſit, additâ clauſulâ, ut recuſari non poſſit, ne quidem rationabiliter, ſtandum eſt formâ mandati, quia adhuc à parte appellari poteſt, vel implorari officium Judicis, ut ex Barbatia tradit hîc Layman. num. 4. Porrò rejectâ exceptione, nunquam cenſetur rejecta exceptio notoria. Felin. hîc num. 7.

Notandum 2. Judex, etiam delegatus, procedere, & judicare debet, ſecundùm æquitatem, quæ jure informata eſt, ſive quæ juri non repugnat, quia Judex non debet eſſe clementior lege, ſed ejus verbis eſt ſtandum. Auth. de Judicibus; §. Oportet; collat. 6. & ibi Gloſſ. V. Neque videri; junct. Gloſſ. margin. Et æquitas, quæ juri repugnat, potiùs iniquitas; quàm æquitas cenſenda eſt, quia deviat ab eo, quod juſtum, & æquum eſt, cùm lex ſit fundata in ratione, & æquitate. Abb. hîc num. 3. Neque etiam Princeps, præſcribendo Judici delegato certam formam procedendi, in reſcriptis ad lites, ſeu juſtitiæ, cenſetur derogare velle juri communi, c. Cauſam; 18. de reſcript. ideóque ſi forma reſcripti, ſeu mandati contraria ſit Juri communi, potiùs ſecundùm formam reſcripti procedendum eſt, niſi Papa, ſeu Princeps ex certa ſcientia Juri contrarium mandet. Gloſſ. hîc V. Rationabiles.

LXVIII. Aſſertio 3. Delegatus litteras, ſeu mandatum delegationis ſuæ in forma authentica exhibere debet, ut fides ipſi habeatur de accepta poteſtate, alioqui neceſſariò illi parendum non eſt, neque Ordinarius loci, vel alius, cui delegatus, etiam Sedis Apoſtolicæ, aliquid mandat, exequi illud tenetur, niſi de mandato, ſeu commiſſione ſibi factâ certam fidem faciat, prout ſumitur ex c. Cùm in ju-
re; 31. h. t. ubi quæſitum fuit ex Papa Innocentio
III, an, ſi aliquis aſſerens, ſe Apoſtolicæ Sedis eſſe »
delegatum, mandet Ordinario loci hoc modo: »
auctoritate, quâ fungor, injungo tibi, ut Titium v. g. »
denuncies excommunicatum eſſe: ſed Ordinarius »
dubitet de commiſſione illi factâ, quia de manda- »
to Apoſtolico nullam fidem fecit, an, inquam, man- »
datum hujuſmodi exequi teneatur? Reſpondet »
Papa, quòd, niſi de mandato Sedis Apoſtolicæ cer- »
ta ipſi fides fiat, illud exequi non teneatur. Con- »
ſentit c. Cùm contingat; 24. de reſcript. Ratio eſt, quia factum non præſumitur, ſed probari debet, præſertim ſi ſit tale, quod vergat in præjudicium alterius. Et quamvis in dubio quilibet præſumatur bonus, adeóque non mentiri, ſi aſſerat aliquid, tamen id non procedit, ſi agatur de præjudicio alterius; tum enim non ſufficit præſumptio, ſed fieri debet plena probatio. Felin. hîc n. 1. & nemo præſumitur Judex datus, etſi aliàs præſumatur bonus, niſi id probet. Hoſtienſ. hîc V. Tenearis.

LXIX. Extenditur autem prædicta aſſertio 1. quòd aſſerens, ſe delegatum eſſe Principis, aliter id probare non poſſit, quàm per litteras authenticas delegationis, l. unic. C. de mandat. Princip. Extrav. 1. de elect. inter communes, ubi poſt princ. dicitur: *aſſerenti namque, cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probaverit.* Aliud eſt de delegatis inferiorum, ij enim poſſunt probare ſuam commiſſionem etiam per teſtes, quia in ijs locum habet Jus commune, ſecundùm quod eandem vim habet probatio per teſtes, & per inſtrumenta, l.

In exercendis; 15. C. de fide inſtrum. Faga n. in cit. c. Cùm in jure; n. 7. & 35. h. t.

Extenditur 2. Tametſi exhibeatur publicum inſtrumentum, in quo contineatur, ſententiam à judice delegato eſſe latam, & à Notario mentio fiat delegationis, ſeu mandati; non tamen inde probatur, quòd delegatus habuerit mandatum, ſeu juriſdictionem ſibi delegatam, quia per tale inſtrumentum probatur quidem productio mandati, ſed non tenor ejus, ſeu contenta in illo, ideóque neceſſarium eſt, ut etiam mandatum, ſeu commiſſio, coram Judice, præſente parte, à Notario regiſtretur, ac tranſcribatur, vel aliter probetur delegatio, videlicet per ſoriginale mandatum, vel per exemplum ex originali olemniter tranſumptum. Gloſſ. in cit. c. Cùm de jure; V. Super mandato. Innocent. ibid. n. 4. Abb. n. 6. & Felin. n. 8.

Extenditur 3. Quòd geſta per delegatum, qui non legitimè probavit mandatum, ſeu commiſſionem ſuam, ſint ipſo jure nulla, adeóque non ſolùm proceſſus, præſertim quoad actus, qui ſunt de ſubſtantia judicij, ut eſt citatio, libelli oblatio, litis conteſtatio, &c. ſed etiam ſententia excommunicationis in Ordinarium, vel partem parêre nolentem à delegato lata, non tenet, cùm non habeat tali caſu juriſdictionem in illum; neque enim ex eo, quòd petat Ordinarius ſibi fieri fidem de commiſſione, ſeu mandato, poteſt dici rebellis, ſeu contumax, cùm id ipſi à jure ſit permiſſum. Innocent. hic V. De mandato. Abb. num. 3. & Felin. num. 3. Imò Ordinarius poteſt etiam delegato juriſdictionem exercenti, non oſtenſis litteris commiſſionis ſuæ, de facto reſiſtere, quia poteſt poſſeſſionem ſuam tueri. Fagnan. hîc num. 32. & 33. & alij apud ipſum.

Extenditur 4. Quòd etiam arbitro non credatur, ſi de compromiſſo non conſtet, licèt aſſerat, in laudo factum fuiſſe compromiſſum, niſi laudum ſit latum, partibus præſentibus, & non contradicentibus. Fagnan. c. l. n. 39. & 40. Idémque dicendum eſt, de quibuſcunque Mandatarijs, Commiſſarijs, Procuratoribus, etiam Legatis Sedis Apoſtolicæ, quòd ijs fides haberi non debeat, niſi mandatum, vel commiſſionem exhibeant. Felin. hîc n. 11. Fagnan. ibid. n. 41. & duobus ſeqq.

LXX. Limitatur autem, & declaratur prædicta aſſertio 1. etſi quis à delegato exigere poſſit litteras mandati, ſeu delegationis factæ, nemo tamen ad id tenetur, ſi ſinè illis fidem ipſi aſſerenti, ſe habere mandatum, dare velit, quia præſumptio ſtat pro mandato. Abb. in cit. c. Cùm in jure; num. 4. h. t.

2. Litteræ commiſſionis ordinariè exhiberi non ſolent à delegato, ſi ipſe delegans præſens ſit, ita, ut facilè ex ipſo quæri poſſit, an poteſtatem ei delegaverit, Barbatia apud Laym. hîc n. 1. 3. Si ſententia lata ſit à delegato, præſentibus, & non appellantibus partibus: tunc enim præſumitur, quòd Judex delegatus habuerit juriſdictionem, etiamſi litteras delegationis non exhibuerit. Abb. hîc num. 7.

4. Non poteſt à parte litigante objici delegato defectus juriſdictionis, ob litteras ſuæ commiſſionis non exhibitas, poſt litis conteſtationem, ſed ſolùm ante illam, quia hujuſmodi exceptiones dilatoriæ judicij debent ab initio opponi, arg. c. Inter; 20. de ſentent. & re judic. Abb. hîc n. 7. & Imol. num. 7. Niſi tamen pars opponens ſuſcipiat in ſe onus probandi defectum juriſdictionis delegati, vel per confeſſionem adverſarij propriam, vel probando revocationem mandati, vel ſaltem indirectè probando, delegantem eo tempore non fuiſſe in eo loco, ubi & quando dicitur facta eſſe delegatio: cùm hujuſmodi negativa propoſitio, quòd delegatio non ſit facta, directè probari non poſſit. Imola hîc num. 8.

Illud hîc addendum, ſi exhibito mandato à delegato, Ordinarius loci, vel pars citata parêre nolit, prætextu falſitatis in reſcripto apparentis, vel alterius defectûs, negando delegati juriſdictionem; tum delegatus poteſt citatum compellere ad parendum, ſi advertat, oppoſitionem frivolam eſſe, vel malitioſè confictam, ut ex Hoſtienſi tradit hîc Abb. num. 5. quia non ſolùm Judex ordinarius, ſed etiam delegatus cognoſcere poteſt, an ſua ſit juriſdictio, l. Si quis; 5. ff. de judic. l. 2. junctâ Gloſſ. V. Sciatur; ff. Si quis in jus vocatus non ierit; Martha de juriſdict. p. 2. c. 4. num. 1. Quamvìs hoc ſit diſcrimen inter Judicem ordinarium, & delegatum, quòd priori, etiam in dubio caſu, parendum ſit, cùm juriſdictionem fundatam habeat, & in dubio inter Superiorem, ac ſubditum præſumptio ſtat pro Superiore, arg. c. Quid culpatur; 4. cauſ. 23. q. 1. At verò Judex delegatus non poteſt compellere citatum ad parendum, niſi oſtendat, & authenticam fidem faciat de ſua delegatione, cùm juriſdictionem fundatam non habeat. Hoſtienſ. hîc in fine. Innocent. n. 4. nam juriſdictio Ordinarij cenſetur notoria, ideo non eſt opus de iſta facere fidem, ſecus de delegata. Felin. hîc num. 10.

SECTIO IV.

DE OFFICIO, ET POTESTATE Judicis delegati.

LXXI. Poteſtas Judicis delegati, generatim loquendo, ex auctoritate, & poteſtate delegantis metienda eſt, & ex mandato conceſſo: nam delegatus in juriſdictione ſibi commiſſa vices delegantis gerit, & pari honore dignus eſt, c. ult. diſ. 93. et c. 1. diſ. 94. c. Sanè; 11. h. t. non tamen æquè honorandus, atque ipſe principalis. Decius ibid. n. 2. quia ampliorem ſibi poteſtatem reſervavit delegans, quàm communicavit delegato. Neque tamen hinc ſequitur, quòd delegatus nudum exercitium, ſeu uſum juriſdictionis habeat, ſed propriam juriſdictionem, ſeu diſtinctam à juriſdictione delegantis obtinet, quamvìs inferiorem, & ab illa dependentem. Gloſſ. in l. Ait Prætor; 5. in princ. V. Non habeat; ff. de re judic. & conſtat ex l. ult. ff. de officio ejus, cui mand. eſt juriſdict. & ex c. Ex litteris; 29. h. t. & ex c. Sanè; 11. in princ. h. t. ubi dicitur. Quoniã verò delegatus » Sedis Apoſtolicæ in cauſa ſibi delegata vices gerit i- » pſi°S. Pontificis, ideo major, ac ſuperior omnib. il- » lis cenſeri debet, etiã ipſo Ordinario loci, ſeu Epiſc. » Diœceſano: quoad cauſam ſibi delegatam, prout ha- » betur in cit. c. Sanè; in princ. & ibi Gl. V. Vices noſtras; & V. Terminandum. Abb. in cit. c. Sanè; n. 2. Et hinc, ſi quis delegatus ſit à Papa ad cognoſcendam cau-

cauſam controverſam inter Clericum, & Epiſcopum, cui aliàs ipſe delegatus eſt ſubjectus, v.g. ſi committatur Decano, vel Canonico Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ cauſa controverſa inter Epiſcopum Auguſtanum, & alium Clericum, tum ipſe Decanus, vel Canonicus poteſt juriſdictionem delegatam exercere in ipſum Epiſcopum; &, ut ſic eſt eo major, ac ſuperior, quia repræſentat vices Papæ, licèt aliàs abſolutè ſit ei ſubjectus, tanquam Ordinario ſuo: adeóque eadem perſona, diverſo reſpectu, eſſe poteſt Superior, & inferior, Superior ſecundùm quid, & quoad certam cauſam delegatam à Papa, cujus vices gerit: inferior abſolutè, & ſimpliciter. Abb. in cit. c. Sanè; n. 3. & Decius n. 2. not. 3.

§. I.

De poteſtate iudicandi, & puniendi conceſsâ Judici delegato.

LXXII. Aſſertio 1. Si Epiſcopus (cujus cauſa commiſſa eſt delegato) vel alia quævis perſona, etiam, quæ non eſt de juriſdictione illius (ſcilicet ordinaria delegati) in cauſa delegata rebellis fuerit, vel contumax, poteſt, ſecundùm qualitatem facti, per ſententiam ſuſpenſionis, vel interdicti compelli à Judice delegato: ita tamen, ut temperatè procedens, Epiſcopo ingreſſum Eccleſiæ, vel Sacerdotale officium, vel terram illius juriſdictioni ſpecialiter ſubjectam interdicto ſubjiciat. ita habetur in cit. c. Sanè; h. t.

LXXIII. Notandum 1. Felin. hic n. 2. & Decius n. 5. Covarr. in c. Alma; p. 2. §. 1. n. 4. Suar. diſ. 56. de cenſur. ſec. 3. n. 7. & alij communiter tenent, quòd delegatus Papæ, ob rebellionem, vel contumaciam Epiſcopi; quia delegato non vult parêre, vel juriſdictionem ipſius impedire conatur, poſſit totam ejus Diœceſin, adeóque etiam terram ſpirituali ipſius juriſdictioni tantùm ſubjectam interdicto ſubjicere: tum quia cùm interdictum imponi poſſit civitati; vel loco, ob delictum ejus, qui juriſdictionem temporalem habet, multò magis ob delictum Epiſcopi, qui ſpiritualem habet juriſdictionem, cùm interdictum ſit pœna ſpiritualis; tum quia etiam ratione ſpiritualis juriſdictionis civitas, vel Diœceſis dicitur propria Epiſcopi, c. 1. in princ. ibi: *Civitatem, & Diœceſin propriam* de cenſib. in 6. & particula illa, *ſpecialiter*, in cit. c. Sanè; referri poteſt, non ad terram, ſed ad interdictum; quod ſpecialiter imponatur, ut notat Decius c. l. atque hæc ſententia valde probabilis eſt. Nihilominus tamen etiam oppoſitum non minùs probabile eſt, nempe, quòd etſi terra propter delictum Domini, vel Rectoris temporalis poteſt interdicto ſubjici, ut conſtat ex c. Si ſententia; 16. §. Cæterùm; de ſentent. excomm. in 6. non tamen propter delictum Rectoris ſpiritualis, ſive Epiſcopi, terra ſpirituali tantùm ipſius juriſdictioni ſubjecta, tum quia prius jure expreſſum eſt, non item poſterius, ac proinde in materia pœnali non poteſt fieri talis illatio, vel extenſio, ſed locum habet communis illa regula, quòd nemo propter alterius culpam ſit puniendus: tum quia id ſatis apertè colligitur ex cit. c. Sanè: in fine, ubi dicitur, quòd delegatus terram illius, quæ ad juriſdictionem Epiſcopi ſpecialiter pertinet, interdicto ſupponere poſſit, ubi vocula *ſpecialiter* ſinè violentia non poteſt referri ad interdictum: ſed ſenſus eſt, ſi terra alium Dominum non habeat, quàm Epiſcopum, poſſe interdici, propter gravem contumaciam Epiſcopi, arg. cit. c. Si ſententiam; et c. 1. de poſtul. Prælat. atque hanc ſententiam tenet Abb. in cit. c. Sanè; n. 6. & ibid. Laym. n. 2.

Notandum 2. Epiſcopus, etſi contumax fuerit in parendo mandato delegati, non facilè debet excommunicari ab eodem, propter ſtatûs, ac dignitatis excellentiam, ſed priùs alia leviora media tentanda ſunt, pœnæ enim temperandæ ſunt, ſecundùm facti, & perſonarum qualitatem, ut conſtat etiam ex c. 2. h. t. in 6. de quo infrà.

LXXIV. Ex dictis infertur, quòd Ordinarius loci, etiamſi certò ſciat, eum, quem delegatus Papæ mandat in poſſeſſionem induci, non eſſe canonicè inſtitutum, non debeat violenter reſiſtere delegato, quò minùs is Clericos in poſſeſſionem mittat, ſed precibus apud ipſum inſtare, ut differat executionem, donec Papa conſulatur, prout ſtatutum eſt in c. Si quando; 8. h. t. Nam cùm quidam Clerici Prælatos quarundam Eccleſiarum ad judicium, coram delegato Papæ, traherent ſuper Eccleſijs, quas obtinebant: & probare conarentur, dictas Eccleſias ob tranſactionem (id eſt, amicabilem compoſitionem, quia tranſactio propriè dicta in ſpiritualibus intervenire non poteſt, c. Super eo; de tranſact. Gl. hic V. Tranſactione;) vel aliam ſimilem cauſam, ad ipſos de jure pertinere, ideo Judex delegatus, præcedente cauſæ cognitione, dictas Eccleſias eiſdem Clericis adjudicavit, licèt certò conſtaret Epiſcopo, ſeu Ordinario loci, dictos Clericos in illis Eccleſijs non fuiſſe canonicè inſtitutos, nec etiam corporalem poſſeſſionem habuiſſe (quamvìs hoc notorium non fuerit. Hoſtienſ. hic V. Certum ſit;) nihilominus tamen hoc caſu non debet Judex Ordinarius mandato Judicis delegati (de mittendo in poſſeſſionem Clericos illos) violenter reſiſtere, ſed apud ipſum inſtare, ut differat eos in poſſeſſionem mittere, donec Papa ſuper ea re informetur. Quòd ſi preces non admittat delegatus, appellatio ad Superiorem interponi poterit, ut notat Gloſſ. fin. hic. Ratio eſt, quia ſi Judex judicialiter procedat, & publicâ auctoritate, etſi injuſtè, volens v. g. injuſtam ſententiam exequi, tum, ſi injuſtitia proceſsûs non ſit notoria, etſi parti læſæ certò ſit cognita, ut in caſu hujus c. non poteſt pars ei violenter reſiſtere, ſi quidem gravamen, ſeu injuria illata per appellationem ſit reparabilis; ſed ad Superiorem appellari debet, ne reſiſtendo publica poteſtas contemni videatur; ſecus verò eſt, ſi gravamen à Judice actu illatum per appellationem reparari non poſſit, ut in cauſa criminali; tum enim per ſe loquendo, reſiſtere licet, niſi majoris mali, aut ſcandali periculum timeatur. Si verò Judex notoriam injuriam alicui inferat, ei reſiſtere licet, etiamſi gravamen ſit reparabile, quia tunc non tantùm ſecundùm rei veritatem, ſed etiam quoad externam apparentiam, & quoad forum externum, limites ſuæ poteſtatis excedit. Abb. hic n. 2. & Decius num. 3. & 4. Si denique Judex, extra judicium, adeóque ut privata perſona injuriam alicui inferat, tum ei violenter reſiſti poteſt (ſecluſo

ſcan-

ſcandalo) ſicut cuivis alteri, Abb. c. l. arg. l. Prohibiſitum; 5. C. de jure fiſci lib. 10. & ibi Gloſſ. V. Reſiſtentibus; ubi habetur, quòd etiam Principis Officialibus liceat reſiſtere, ſi excedant in ſuo officio, vel in commiſſione ipſis factâ.

LXXV. Aſſertio 2. Judex delegatus, non tantùm jurisdictionem habet, & exercere poteſt in partes litigantes, ſed etiam in alios, qui juriſdictionem ejus, ſeu proceſſum cauſæ impedire, vel turbare volunt, licèt id in delegatione, ſeu mandato expreſſum non ſit, ut conſtat ex c. 1. h. t. & notat ibid. Gl. » In caſu; & alij Canoniſtæ communiter. Nam quia » interdum aliqui impetrant à Sede Apoſtolica litte- » ras juſtitiæ contra adverſarios ſuos ad Judices de- » legatos, & cùm ipſi faciunt reos in jus vocari, Po- » teſtates, & alij Potentes minis, & terroribus eos » impediunt, & compellunt ſilere, ſive ab actione » deſiſtere, unde fit, ut mandatum Apoſtolicum elu- » datur. Ad hoc conſultus Papa Alexander III. re- » ſpondet, Judicem delegatum, non tantùm eos, qui » citati in judicium venire nolunt, ſed etiam princi- » pales eorum fautores, ſi manifeſtè conſtet, eos ju- » ſtitiæ proceſſum impedire conari, per cenſuram » Eccleſiaſticam coërcere poſſe, quia teſte Scripturâ » (ad Rom. 1.) malè agentes, & conſentientes pari » pœnâ puniendi ſunt.

LXXVI. Simili ratione, non tantùm Judex ordinarius, ſed etiam delegatus poteſt partes citare, & contumaces punire, & excommunicare, vel alias pœnas, juxta cauſæ, & delicti qualitatem, ijs imponere, etiamſi id in mandato non ſit expreſſum, ut conſtat ex c. Præterea; 5. h. t. ubi habetur; ſi ali- » cui cauſa delegata ſit, licèt ſimpliciter (ſinè certa » forma expreſſa, v. g. Committimus tibi, ut, quod » juſtum eſt, exequaris. Gloſſ. hîc V. Simpliciter;) po- » teſt Judex delegatus Papæ (vel alterius Principis) » auctoritate delegantis, partes compellere, ut ve- » niant, ſeu citare, & contumaces per cenſuram ec- » cleſiaſticam coërcere, etiamſi hoc in litteris com- » miſſionis non contineatur expreſsè, & partes nul- » lum mandatum acceperint à delegante, ut compa- » reant: nam hoc ipſo quòd cauſa alicui commiſ- » ſa eſt, cenſentur etiam omnia alia, quæ ad cauſam » expediendam pertinent, & neceſſaria ſunt, commiſ- » ſa eſſe. Et talis poteſtas puniendi contumaces, qui in judicium venire detrectant, neceſſariò requiritur ad officium Judicis delegati, quia alioquin ejus poteſtas inefficax foret, ac parùm timeretur, & facilè eluderetur.

Non obſtat, quòd juriſdictio delegata ſtricti juris eſſe cenſeatur, neque ultra cauſam, vel perſonas in reſcripto delegationis expreſſas ſit extendenda, c. Cùm olim; 32. c. P. & G. 40. h. t. nam delegatus non propriam, ſed delegatam juriſdictionem exercet, fines autem mandati diligenter cuſtodiendi ſunt, nec ultrà prorogandi, l. Diligenter; 5. ff. mandati, et c. Cùm dilecta; 22. de reſcript. Sed reſpondetur, quando delegatus ea præſtat, quæ neceſſariò requiruntur ad cauſam expediendam, & mandatum implendum, non poteſt dici excedere fines mandati: nam, qui mandat principale, cenſetur etiam mandare annexa, & acceſſoria. Gloſſ. fin. in cit. c. Præterea; ſive qui executionem finis committit, etiam neceſſaria media, ſinè quibus finis obtineri non poteſt, committere cenſetur, etiamſi illorum in mandato nulla fiat mentio, cit. c. Præterea; in fine, & datâ alicui juriſdictione, ea quoque conceſſa intelliguntur, ſinè quibus juriſdictio explicari non poteſt, l. 2. ff. de juriſdict.

LXXVII. Porrò, quod dictum eſt de poteſtate puniendi conceſsâ delegato, extenditur 1. Quòd Judex delegatus non tantùm poteſt punire partes litigantes, in quas ei juriſdictio eſt delegata, ſi contumaces ſint, ſed etiam alias perſonas, ut, ſi Miniſtri Judicis delegati, aut teſtes delinquant, v. g. falſum dicendo coram delegato, dummodo per id juriſdictio ipſius impediatur, aut retardetur, alioquin non poterit delegatus eos per ſe punire, ſed remittere debebit ad Judices ordinarios puniendos. Abb. in cit. c. Præterea; n. 4. & Felin. in cit. c. 1. n. 15. h. t. quia delegatus in eos directè juriſdictionem non accepit, ſed ſolùm indirectè, & in conſequentiam, quatenus ea neceſſaria eſt ad cauſam delegatam expediendam. Quanquam regulariter teſtis falſum deponens in judicio puniri poſſit à Judice, etiam delegato, quia alioqui facilè veritas occultaretur, & eluderetur juriſdictio delegati, ſi talem poteſtatem non haberet. Decius in cit. c. Præterea; num. 5. in fine.

LXXVIII. Extenditur 2. Quòd Judex delegatus poteſt contumaces, ſive in non comparendo, cùm citati fuerint, ſive in non parendo mandato Judicis punire, non ſolùm per cenſuras Eccleſiaſticas, etiam excommunicando eos, ſi aliæ pœnæ non ſufficiant, ut colligitur ex c. Tam litteris; 33. ibi: *excommunicantes ſolemniter, ſi quis eos impedire præſumpſerit, quò minùs teſtimonium perhibeant veritati*, infr. de teſtib. & quoad alias cenſuras habetur in c. Ex litteris; 29. h. t. ſed etiam poteſt pœnam extraordinariam, v. g. mulctam pecuniariam eis imponere. Abb. in cit. c. Præterea; n. 2. & 4.

Porrò, ſi partes à Judice delegato legitimè ci- » tatæ venire, vel ejuſdem mandato parêre contem- » pſerint: tum, ſi certa pœna Jure Canonico expreſ- » ſa, ac definita ſit, delegatus etiam Principis ean- » dem (non minorem, nec majorem) infligere de- » bet: ſi verò nulla ſit à jure certa pœna ſtatuta, pro » qualitate delicti, & cauſæ, arbitrariam imponere » debet, prout habetur in c. De cauſis; 4. §. Illis etiam; h. t. Etſi verò Judex etiam delegatus, non poſſit in pœna à jure decreta diſpenſare: poteſt tamen, propter particulares circumſtantias minuentes, vel aggravantes, arbitrari, ſeveriorem, vel mitiorem pœnam eſſe imponendam, juxta l. Ex facto; 16. ff. de pœnis. Idémque procedit in Judice ordinario Principe inferiore, quòd non poſſit pœnam lege ſtatutam minuere, & multò minùs augere, niſi facultas diſpenſandi in lege Superioris ei conceſſa fuerit, ut conſtat ex l. 1. §. Quorum; ff. ad S. C. Turpilian. Joann. Andr. in cit. c. In cauſis; §. Illis; n. 4. & Abb. n. 16.

LXXIX. Extenditur 3. Delegatus, non ſolùm citare poteſt partes contendentes, ut compareant, ſed etiam eligere nuncium, per quem citet, & alios Miniſtros, ac Officiales ad id neceſſarios aſſumere, aliáque perficere, quæ ad executionem cauſæ pertinent, quandoquidem hæc omnia in delegatione

con-

Digitized by Google

continentur, etſi expreſſa non ſint. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 26. n. 1.

LXXX. Extenditur 4. Sicut delegatus Papæ, ſeu Principis, ita etiam ſubdelegatus à delegato Papæ, vel Principis, cum juriſdictione ad totam cauſam, vel ſaltem ad certum articulum, poteſt coërcere, ſeu punire inobedientes, &, qui impedire eundem volunt in exercitio juriſdictionis, quia alioqui juriſdictio ei demandata illuſoria videretur,
» prout ſumitur ex c. Ex litteris; 29. h. t. Nam
» orta controverſia inter Antonium Presbyterum,
» & Canonicos Eccleſiæ S. Juſtinæ, ſuper Canoni-
» catu ejuſdem Eccleſiæ, ea cauſa ad petitionem Ca-
» nonicorum à Papa commiſſa fuit Primicerio Gran-
» denſi, & Plebano S. Sophiæ: poſtea verò Antonius
» alias litteras ſuper eadem cauſa impetravit ad Ar-
» chipresbyterum Paduanum, in quibus de priori-
» bus, ut dicebatur, mentio non fiebat; tandem di-
» ctus Archipresbyter in Canonicos S. Juſtinæ ex-
» communicationis ſententiam promulgari curavit,
» eò quòd Antonium in Canonicum recipere nol-
» lent. Sed priores illi Judices deputati, Primice-
» rius, & Plebanus mandârunt Patriarchæ Granden-
» ſi, ut dictos Canonicos excommunicatos non eſſe,
» declararet, ac denunciaret, eò quòd litteræ poſterio-
» res, in quibus nulla mentio de prioribus facta eſt,
» ſubreptitiæ eſſent, adeóque nulla per illas Archi-
» presbytero Paduano poteſtas ſit collata. Cùm
» verò Patriarcha mandatum hoc exequi vellet, Ar-
» chidiaconus Caſtellanus impedivit, ne litteræ ipſius
» in publico legerentur. Quare Patriarcha ipſum,
» unà cum Eccleſia ipſius, Eccleſiaſtico interdicto
» ſubjecit. Re hac delatâ ad Papam Innocentium
» III. quia non potuit ipſi de facto plenè conſtare,
» commiſit cauſam alijs Judicibus delegatis, iiſque
» mandavit, ut veritatem inquirant, &, ſi ipſis conſti-
» terit, quòd in ſecundis litteris ad Archipresbyte-
» rum Paduanum impetratis, non ſit expreſſa men-
» tio facta de prioribus à Canonicis S. Juſtinæ, ad Pri-
» micerium Grandenſem, & Plebanum S. Sophiæ
» obtentis, adeóque quòd per ſecundas non revo-
» centur primæ, tum ſententiam interdicti latam à
» Patriarcha in Archidiaconum Caſtellanum, qui, ne
» ejuſdem litteræ in publico legerentur, impedivit,
» confirment, & inviolabiliter obſervari faciant, do-
» nec de illata injuria eidem Patriarchæ ſufficienter
» fuerit ſatisfactum: quia priores Judices delegati à
» Papa poteſtatem habuerunt executionem ſenten-
» tiæ ſuæ Patriarchæ ſubdelegandi, & conſequenter is
» etiam coërcitionem aliquam habuit erga volentes
» eum in executione mandati ſui impedire, cùm alio-
» quin, ſi ſubdelegatus aliquâ coërcitionem non ha-
» beret, juriſdictio ipſi demandata inutilis foret, & il-
» luſoria. Sin verò conſtiterit, primas litteras legitimè
» per ſecundas revocatas fuiſſe, tum prædictam ſen-
» tentiam interdicti irritam pronuncient; nam, cùm
» per poſteriores litteras poteſtas priorum Judicum
» delegatorum in hac cauſa fuerit revocata, & illis
» adempta, non potuerunt juriſdictionem, ſeu pote-
» ſtatem aliquam coërcendi in Patriarcham ſubdele-
» gatum transferre: ita habetur in cit. c. Ex litteris;
ſecundùm integram ejus lectionem.

LXXXI. Notandum 1. Ut per litteras poſteriores impetratas in eadem cauſa ad alios Judices delegatos cenſeantur revocatæ priores, in quibus priùs cauſa alijs commiſſa eſt, non ſufficit, ut in poſterioribus fiat mentio priorum in genere tantùm, non obſtantibus alijs litteris ad alios fortè Judices impetratis, ſed requiritur, ut expreſſa, & ſpecialis priorum mentio fiat, v. g. non obſtantibus alijs litteris ad tales Judices in hac cauſa priùs impetratis, ut conſtat ex c. Bonæ; 3. de confirm. util. & inutil. Ratio eſt, quia revocatio juriſdictionis, ſeu poteſtatis delegatæ, cùm cedat in præjudicium, & contemptum priorum Judicum, qui fortè ob culpam aliquam eorum revocari videbuntur, cenſetur eſſe odioſa, ideóque non debet præſumi, delegantem voluiſſe revocare Judices priores, niſi in poſterioribus litteris ad alios Judices datis, id exprimat. Innocent. hîc V. Expreſſam; & Imola n. 5. & 6.

Notandum 2. Quod hîc dicitur, commiſsâ ſubdelegato juriſdictione, cenſeri etiam conceſſam poteſtatem coërcendi, ſeu puniendi inobedientes, vel impedire eum volentes in exercitio juriſdictionis, id intelligendum eſt, ſi non nudum miniſterium, aut mera executio facti jam priùs judicialiter plenè cogniti, ſed ſaltem articulus aliquis juriſdictionalis, ſive juriſdictio ad certum articulum ſubdelegato ſit demandata, cum cauſæ cognitione. Abb. hic num. 4. Idque colligitur ex hoc c. ubi Patriarchæ non fuit mandatum, ut tantùm declararet excommunicationem à prioribus Judicibus delegatis latam nullam fuiſſe, ſed ut poſt cognitionem cauſæ ab ipſo factam, excommunicationis nullitatem promulgaret: alioquin enim, ſi Patriarchæ nudum miniſterium, ſive executio, ſinè omni cauſæ cognitione, demandata fuiſſet, non potuiſſet verè dici in hoc c. quòd juriſdictionem acceperit à Judicibus delegatis ipſi hanc cauſam ſubdelegantibus, & ideo poteſtatem coërcendi habuerit, quippe cùm juriſdictio, ſinè aliqua coërcitione, inefficax ſit, & deluſoria, ut ex Barbatia notat hîc Laym. num. 1.

LXXXII. Cæterùm, quod dictum eſt, Judicem delegatum, etiam quæ acceſſoria ſunt cauſæ delegatæ, poſſe expedire, id dupliciter limitari debet. Nam 1. non poteſt expedire ea, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt. 2. Si, quod expediri debet, propriè, ac directè, non ad cauſam delegatam, ſed ad alterius juriſdictionem, ac poteſtatem pertineat, tunc enim is priùs monendus eſt, ut præſtet, quod ex officio debet; ſi verò malitiosè id detrectet, tum demum expedire id poterit delegatus. Laym. in c. Prudentiam; 21. §. Sexta; not. 2. h. t. Utriuſque hujus limitationes exempla afferentur. §. ſeq.

LXXXIII. Illud adhuc circa poteſtatem judicandi delegati Judicis quæri poteſt, an cognoſcere poſſit, num ſua ſit juriſdictio? Reſp. Affirmativè, quòd regulariter poſſit, etiamſi pars citata objiciat Judici delegato omnis juriſdictionis defectum, ſive dicat, nullam penitus juriſdictionem competere ei, qui ſe aſſerit delegatum; idque ſumitur ex c. Ex parte; 33. de reſcript. ubi Judices delegati per ſententiam interlocutoriam pronunciârunt, non obſtante revocatione mandati procuratoris, ad ipſos ſpectare, ut de cauſa ſibi commiſſa cognoſcant, adeóque juriſdictionem ſibi com-

ſcandalo) ſicut cuivis alteri, Abb. c. I. arg. l. Prohibitum; 5. C. de jure fiſci lib. 10. & ibi Gloſſ. V. Reſiſtentibus; ubi habetur, quòd etiam Principis Officialibus liceat reſiſtere, ſi excedant in ſuo officio, vel in commiſſione ipſis factâ.

LXXV. Aſſertio 2. Judex delegatus, non tantùm juriſdictionem habet, & exercere poteſt in partes litigantes, ſed etiam in alios, qui juriſdictionem ejus, ſeu proceſſum cauſæ impedire, vel turbare volunt, licèt id in delegatione, ſeu mandato expreſſum non ſit, ut conſtat ex c. 1. h. t. & notat ibid. Gl. » In caſu; & alij Canoniſtæ communiter. Nam quia » interdum aliqui impetrant à Sede Apoſtolica litte» ras juſtitiæ contra adverſarios ſuos ad Judices de» legatos, & cùm ipſi faciunt reos in jus vocari, Po» teſtates, & alij Potentes minis, & terroribus eos » impediunt, & compellunt ſilere, ſive ab actione » deſiſtere, unde fit, ut mandatum Apoſtolicum elu» datur. Ad hoc conſultus Papa Alexander III. re» ſpondet, Judicem delegatum, non tantùm eos, qui » citati in judicium venire nolunt, ſed etiam princi» pales eorum fautores, ſi manifeſtè conſtet, eos ju» ſtitiæ proceſſum impedire conari, per cenſuram » Eccleſiaſticam coërcere poſſe, quia teſte Scripturâ » (ad Rom. 1.) malè agentes, & conſentientes pari » pœnâ puniendi ſunt.

LXXVI. Simili ratione, non tantùm Judex ordinarius, ſed etiam delegatus poteſt partes citare, & contumaces punire, & excommunicare, vel alias pœnas, juxta cauſæ, & delicti qualitatem, ijs imponere, etiamſi id in mandato non ſit expreſſum, ut conſtat ex c. Præterea; 5. h. t. ubi habetur; ſi ali» cui cauſa delegata ſit, licèt ſimpliciter (ſinè certa » forma expreſſa, v. g. Committimus tibi, ut, quod » juſtum eſt, exequaris. Gloſſ. hîc V. Simpliciter;) po» teſt Judex delegatus Papæ (vel alterius Principis) » auctoritate delegantis, partes compellere, ut ve» niant, ſeu citare, & contumaces per cenſuram ec» cleſiaſticam coërcere, etiamſi hoc in litteris com» miſſionis non contineatur expreſsè, & partes nul» lum mandatum acceperint à delegante, ut compa» reant: nam hoc ipſo quòd cauſa alicui commiſ» ſa eſt, cenſentur etiam omnia alia, quæ ad cauſam » expediendam pertinent, & neceſſaria ſunt, commiſ» ſa eſſe. Et talis poteſtas puniendi contumaces, qui in judicium venire detrectant, neceſſariò requiritur ad officium Judicis delegati, quia alioquin ejus poteſtas inefficax foret, ac parùm timeretur, & facilè eluderetur.

Non obſtat, quòd juriſdictio delegata ſtricti juris eſſe cenſeatur, neque ultra cauſam, vel perſonas in reſcripto delegationis expreſſas ſit extendenda, c. Cùm olim; 32. c. P. & G. 40. h. t. nam delegatus non propriam, ſed delegatam juriſdictionem exercet, fines autem mandati diligenter cuſtodiendi ſunt, nec ultrà prorogandi, l. Diligenter; 5. ff. mandati, et c. Cùm dilecta; 22. de reſcript. Sed reſpondetur, quando delegatus ea præſtat, quæ neceſſariò requiruntur ad cauſam expediendam, & mandatum implendum, non poteſt dici excedere fines mandati: nam, qui mandat principale, cenſetur etiam mandate annexa, & acceſſoria. Gloſſ. fin. in cit. c. Præterea; ſive qui executionem finis committit, etiam neceſſaria media, ſinè quibus finis obtineri non poteſt, committere cenſetur, etiamſi illorum in mandato nulla fiat mentio, cit. c. Præterea; in fine, & datâ alicui juriſdictione, ea quoque conceſſa intelliguntur, ſinè quibus juriſdictio explicari non poteſt, l. 2. ff. de juriſdict.

LXXVII. Porrò quod dictum eſt de poteſtate puniendi conceſſâ delegato, extenditur 1. Quòd Judex delegatus non tantùm poteſt punire partes litigantes, in quas ei juriſdictio eſt delegata, ſi contumaces ſint, ſed etiam alias perſonas, ut, ſi Miniſtri Judicis delegati, aut teſtes delinquant, v. g. falſum dicendo coram delegato, dummodo per id juriſdictio ipſius impediatur, aut retardetur, alioquin non poterit delegatus eos per ſe punire, ſed remittere debebit ad Judices ordinarios puniendos. Abb. in cit. c. Præterea; n. 4. & Felin. in cit. c. 1. n. 15. h. t. quia delegatus in eos directè juriſdictionem non accepit, ſed ſolùm indirectè, & in conſequentiam, quatenus ea neceſſaria eſt ad cauſam delegatam expediendam. Quanquam regulariter teſtis falſum deponens in judicio puniri poſſit à Judice, etiam delegato, quia alioqui facilè veritas occultaretur, & eluderetur juriſdictio delegati, ſi talem poteſtatem non haberet. Decius in cit. c. Præterea; num. 5. in fine.

LXXVIII. Extenditur 2. Quòd Judex delegatus poteſt contumaces, ſive in non comparendo, cùm citati fuerint, ſive in non parendo mandato Judicis punire, non ſolùm per cenſuras Eccleſiaſticas, etiam excommunicando eos, ſi aliæ pœnæ non ſufficiant, ut colligitur ex c. Tam litteris; 33. ibi: *excommunicantes ſolemniter, ſi quis eos impedire præſumpſerit, quò minùs teſtimonium perhibeant veritati*, infr. de teſtib. & quoad alias cenſuras habetur in c. Ex litteris; 29. h. t. ſed etiam poteſt pœnam extraordinariam, v. g. mulctam pecuniariam eis imponere. Abb. in cit. c. Præterea; n. 2. & 4.

Porrò, ſi partes à Judice delegato legitimè ci» tatæ venire, vel ejuſdem mandato parêre contem» pſerint: tum, ſi certa pœna Jure Canonico expreſ» ſa, ac definita ſit, delegatus etiam Principis ean» dem (non minorem, nec majorem) infligere de» bet: ſi verò nulla ſit à jure certa pœna ſtatuta, pro » qualitate delicti, & cauſæ, arbitrariam imponere » debet, prout habetur in c. De cauſis; 4. §. Illis etiam; h. t. Etſi verò Judex etiam delegatus, non poſſit in pœna à jure decreta diſpenſare: poteſt tamen, propter particulares circumſtantias minuentes, vel aggravantes, arbitrari, ſeveriorem, vel mitiorem pœnam eſſe imponendam, juxta l. Ex facto; 16. ff. de pœnis. Idémque procedit in Judice ordinario Principe inferiore, quòd non poſſit pœnam lege ſtatutam minuere, & multò minùs augere, niſi facultas diſpenſandi in lege Superioris ei conceſſa fuerit, ut conſtat ex l. 1. §. Quorum; ff. ad S. C. Turpilian. Joann. Andr. in cit. c. In cauſis; §. Illis; n. 4. & Abb. n. 16.

LXXIX. Extenditur 3. Delegatus, non ſolùm citare poteſt partes contendentes, ut compareant, ſed etiam eligere nuncium, per quem citet, & alios Miniſtros, ac Officiales ad id neceſſarios aſſumere, aliáque perficere, quæ ad executionem cauſæ pertinent, quandoquidem hæc omnia in delegatione con-

continentut, etſi expreſſa non ſint. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 26. n. 1.

LXXX. Extenditur 4. Sicut delegatus Papæ, ſeu Principis, ita etiam ſubdelcgatus à delegaro Papæ, vel Principis, cum juriſdictione ad totam cauſaoi, vel ſaltem ad certum articulum, poteſt coërcere, ſeu ponire inobedientes, &, qui impedire eundem volunt in exercitio joriſdictioois, quia alioqui juriſdictio ei demandata illuſoria videretor,
» prout ſumitur ex c. Ex litteria; 29. h. t. Nam
» ortâ controverſiâ inter Antonium Presbyterum,
» & Canonicos Eccleſiæ S. Juſtinæ, ſuper Canoni-
» catu ejoſdem Eccleſiæ, ea cauſa ad petitionem Ca-
» nonicorum à Papa commiſſa fuit Primicerio Gran-
» donſi, & Plebano S. Sophiæ: poſtea verò Antooius
» alias litteras ſuper eadem cauſa impetravit ad Ar-
» chipreabyterum Paduanum, in quibus de priori-
» bus, ut dicebator, meotio non fiebat; tandem di-
» ctua Archipresbyter io Canonicoa S. Juſtinæ ex-
» communicationis ſententiam promulgari coravit,
» eò quòd Antoninm in Canonicum recipere nol-
» lent. Sed priores illi Jodicea deputati, Primice-
» rius, & Plebanus mandâtunt Parriarchæ Granden-
» ſi, ut dictos Canonicos excommunicatos non eſſe,
» declararet, ac denunciaret, eò quòd litteræ poſterio-
» res, in quibus nulla mentio de prioribua facta eſt,
» ſubreptitiæ eſſent, adeóque nulla per illaa Archi-
» presbytero Padnano poteſtas ſit collata. Cùm
» verò Patriarcha mandatum hoc exequi vellet, Ar-
» chidiaconus Caſtellanus impedivit, ne litteræ ipſios
» in publico legerentur. Quare Patriarcha Ipium,
» unâ cum Eccleſia ipſius, Eccleſiaſtico ioterdicto
» ſubjecit. Re hac delatâ ad Papam Innocentium
» III. quia non potuit ipſi de facto plenè cooſtare,
» commiſit cauſam alijs Judicibus delegatis, iiſque
» mandavit, ut veritatem inquirant, &, ſi ipſia conſti-
» terit, quòd in ſecundis litteris ad Archipresbyte-
» rum Paduanum impetratis, non ſit expreſſa men-
» tio facta de prioribus à Canonicis S. Juſtinæ, ad Pri-
» micerium Grandenſem, & Plebanum S. Sophiæ
» obtentis, adeóque quòd per ſecuodas non revo-
» centur primæ, tum ſententiam interdicti latam à
» Parriarcha in Archidiaconom Caſtellanom, qui, ne
» ejuſdem litteræ iu poblico legerentur, impedivit,
» confirment, & inviolabiliter obſervari faciant, do-
» nec de illata injuria eidem Patriarchæ ſufficienter
» fuerit ſatisfactum: quia priores Judices delegati à
» Papa poteſtatem habuerunt executionem ſenten-
» tiæ ſuæ Patriarchæ ſubdelegandi, & conſequenter ia
» etiam coërcitionem aliquam habuit erga volentes
» eum in executione mandati ſui impedire, cùm alio-
» quin, ſi ſubdelegatua aliqoā coërcitionem non ha-
» beret, juriſdictio ipſi demandara inutilis foret, & il-
» luſoria. Sin verò conſtiterit, primas litteras legitimè
» per ſecundas revocatas fuiſſe, tum prædictam ſen-
» tentiam interdicti irritam prononcieot; nam, cùm
» per poſteriores litteras poteſtas priorum Judicum
» delegatorum in hac cauſa fuerit revocata, & illis
» adempta, oon potueront juriſdictionem, ſeu pote-
» ſtatem aliquam coërcendi in Patriarcham ſubdele-
» gatom tranaferre: ita habetur io cit. c. Ex litteris;
ſecundùm integram ejus lectionem.

LXXXI. Notandum 1. Ut per litteras poſteriores impetratas in eadem cauſa ad alios Judices delegatoa cenſeantur revocatæ priores, in quibus priùs cauſa alija commiſſa eſt, non ſufficit, ut in poſterioribus fiat meotio priorum in genere tantùm, non obſtantibus alijs litteria ad alios fortè Judices impetratis, ſed requiritur, ut expreſſa, & ſpecialis priorum meotio fiat, v. g. non obſtantibus alijs litteris ad tales Judices iu hac cauſa priùs impetratis, ut conſtat ex c. Bonæ; 3. de confirm. util. & inutil. Ratio eſt, quia revocatio juriſdictionis, ſeu poteſtatis delegatæ, cùm cedat in præjudicium, & contemptum priorum Judicum, qui fortè ob culpam aliquam eorum revocati videbuntur, cenſetur eſſe odioſa, ideóque non debet præſumi, delegaotem voluiſſe revocare Judices priores, niſi in poſterioribus litteris ad alios Jodices datis, id exprimat. Innocent. hic V. Expreſſam; & Imola n. 5. & 6.

Notandum 2. Quod hîc dicitur, commiſsâ ſubdelegato juriſdictione, cenſeri etiam conceſſam poteſtatem coërcendi, ſeu puniendi iooobedientes, vel impedire eum volentes in exercitio juriſdictionis, id intelligendum eſt, ſi non nudum miniſterium, aut mera executio facti jam priùs judicialiter plenè cogniti, ſed ſaltem articulus aliquis juriſdictionalis, ſive juriſdictio ad certum articulum ſubdelegato ſit demandata, cum cauſæ cognitione. Abb. hic num. 4. Idque colligitur ex hoc c. ubi Patriarchæ non fuit mandatum, ut tantùm declararet excommunicationem à prioribus Judicibus delegatis latam nullam fuiſſe, ſed ut poſt cognitionem cauſæ ab ipſo factam, excommunicationis nullitatem promulgaret: alioquin enim, ſi Patriarchæ nudum miniſterium, ſive executio, ſinè omni cauſæ cognitione, demandata fuiſſet, non potuiſſet verè dici in hoc c. quòd juriſdictionem acceperit à Judicibus delegatis ipſi hanc cauſam ſubdelegantibus, & ideo poteſtatem coërcendi habuerit, quippe cùm juriſdictio, ſinè aliqua coërcitione, inefficax ſit, & deluſoria, ut ex Barbatia notat hic Laym. nom. 1.

LXXXII. Cæterùm, quod dictum eſt, Judicem delegatum, etiam quæ acceſſoria ſunt cauſæ delegatæ, poſſe expedire, id dupliciter limitari debet. Nam 1. non poteſt expedire ea, quæ ſpecialem commiſſiooem requirunt. 2. Si, quod expediri debet, propriè, ac directè, non ad cauſam delegatam, ſed ad alterius juriſdictionem, ac poteſtatem pertineat, tunc enim is priùs monendus eſt, ut præſtet, quod ex officio debet; ſi verò malitioſè id detrectet, tum demum expedire id poterit delegatus. Laym. in c. Prudentiam; 21. §. Sexta; not. 2. h. t. Utriuſque hujus limitationes exempla afferentur. §. ſeq.

LXXXIII. Illud adhuc circa poteſtatem judicandi delegati Judicis quæri poteſt, an cognoſcere poſſit, num ſua ſit juriſdictio? Reſp. Affirmativè, quòd regulariter poſſit, etiamſi pars citata objiciat Judici delegato omnis juriſdictionis defectum, ſive dicat, nullam penitus juriſdictionem competere ei, qui ſe aſſerit delegatum; idque ſumitur ex c. Ex parte; 33. de reſcript. ubi Judices delegati per ſententiam interlocutoriam pronunciârunt, non obſtante revocatione mandati procuratoria, ad ipſos ſpectare, ut de cauſa ſibi commiſſa cognoſcant, adeóque juriſdictionem ſibi com-

competere. Abb. ibidem num. 3. Ubi tamen notandum eſt diſcrimen inter Judicem ordinarium, & delegatum, quia, ſi Ordinario, v.g. Epiſcopo probabiliter objiciatur, eum non eſſe legitimum Epiſcopum, ideóque nullam babere juriſdictionem, non poteſt ipſemet de hoc dubio cognoſcere, nec illud pet ſeutentiam interlocutoriam definite, cùm juriſdictio ejus non ſit fundata, nec de ea certus ſit, aliàs enim judicaret directè in propria cauſa: ſecus eſt, ſi negaretur ſolùm eſſe Judex competens, reſpectu partis citatæ. Abbas in c. Super litteris; 20. de reſcriptis. num. 10. caſu 3. & Felin. ibidem num. 23. At verò etiamſi pars citata Judici delegato objiciat, nullam ei juriſdictionem competere: poteſt tamen de hoc cognoſcere. Felin. c. I. quia, cùm Judex delegatus omnia agat, nomine delegantis, de cujus juriſdictione, ut ſupponitur, nullum movetur dubium, conſequenter babet etiam delegatus poteſtatem cognoſcendi, utrùm litteræ delegationis à delegante datæ ſint validæ, nécne. Laym. in cit. c. Ex parte; num. 3. de reſcript.

§. II.

Quomodo Iudex delegatus procedere debeat in certis quibuſdam cauſis delegatis?

De boc agitur in pluribus capitulis b. t. quæ boc loco exponemus.

» LXXXIV. Aſſertio I. Si reus, coram Judi-
» cibus delegatis à Papa, actori objiciat, quòd ſit
» excommunicatus (excommunicatione majore)
» ideóque in judicio ſtare non poſſit: tum, ſi reus
» non ſtatim, vel infra terminum competentem
» (videlicet intra octo dies, c. I. de except. in 6.)
» excommunicationem actori objectam legitimè
» probaverit, is audiendus eſt, donec reus pro-
» baverit, ipſum eſſe excommunicatum. Ve-
» rùm, ſi vel ex confeſſione ejuſdem actoris, aut
» alio legitimo modo (nempe per teſtes, inſtru-
» menta, vel alia idonea argumenta) conſtiterit, a-
» ctorem eſſe vinculo excommmunicationis obſtri-
» ctum (poſt reſcriptum delegationis à Papa im-
» petratum contra reum) tum actor à judicibus de-
» legatis, ſecundùm formam Eccleſiæ abſolvi de-
» bet, niſi tamen actor, ob aliam juſtam cauſam,
» quæ delegata non eſt, ſi in judicium coram dele-
» gato Papæ non eſt deducta, excommunicatus fue-
» rit ab Ordinario Judice, vel alio delegato, tum e-
» nim ad auctorem excommunicationis remitti de-
» bet, ut ab ipſo, qui eum excommunicavit, abſolva-
» tur: quòd ſi is malitioſè abſolvere recuſet, tum
» Judices delegati à Papa ei abſolutionem, ritu Ec-
» cleſiaſtico, impertire poſſunt: dummodo non ſit
» excommunicatio Papæ ſpecialiter reſervata. Ita
» habetur in c. Prudentiam; 21. §. Sexta; h. t. ubi
» in fine ratio additur; quia explorati Juris eſt,
» quòd Judicibus delegatis, quibus à Papa com-
» mittitur principale negotium, ſeu cauſa, e-
» tiam acceſſorium commiſſum cenſeatur, ſive
» omnia alia, quæ ad cauſæ expeditionem ſunt neceſſaria: cujuſmodi in boc caſu eſt, abſolutio ab excommunicatione, quia ſine illa cauſa principalis expediri non poteſt, nam, cùm excommunicatio major repellat hominem à forenſi, & judiciali communicatione. admitti non poteſt excommunicatus ad agendum, niſi priùs abſolvatur. Gloſſ. hîc V. Explorati.

LXXXV. Atque binc colligitur I. Vel coram delegato probatur, quòd actor fuerit excommunicatus, ante impetrationem reſcripti, ſeu mandati Apoſtolici ad Judices delegatos; & tunc delegatus procedere, ſeu cauſam cognoſcere non poteſt, quia reſcriptum impetratum ab excommunicato invalidum eſt, niſi in cauſa appellationis, vel abſolutionis ab excommunicatione, c. I. de reſcript. in 6. Et hoc caſu non habet locum diſpoſitio hujus Decretalis. Vel actor probatur excommunicatus, poſt impetrationem reſcripti ad Judicem delegatum; & tum habet locum hæc decretalis, & delegatus procedere debet hoc ordine, ut, ſi fuit excommunicatus propter cauſam ſibi delegatam, tunc ipſe eum abſolvat, ſervato tamen juris Ordine, quia Pontifex delegando cauſam, etiam alia acceſſoria commiſiſſe cenſetur. Si verò actpr fuit excommunicatus, propter aliam cauſam non pertinentem ad cauſam delegatam: tum, ſi ſit excommunicatio Papæ reſervata, non poteſt delegatus eum abſolvere, ſed pro abſolutione eum remittere debet ad Papam: Vel non eſt abſolutio reſervata Papæ, & debet illum remittere ad excommunicatorem, ſive hic ſit Ordinarius, ſive delegatus, ut ipſum abſolvat: qui, ſi illum abſolvere nolit; tum vel allegat juſtam cauſam, eámque probat, nempe quia excomunicatus fuit ob manifeſtã offenſam, aut contumaciam; & tunc non tenetur illum abſolvere, niſi priùs factâ debitâ ſatisfactione, c. Ex parte; 23. de V.S. et c. Venerabilibus; 7. §. Secus autem; de ſentent. excomm. in 6. Si verò alleget aliam cauſam probabilem, ſed non notoriam, ob quam fuerit excommunicatus: tum excommunicans non tenetur eum abſolvere, niſi præſtitâ priùs cautione de parendo mandatis Eccleſiæ, cit. cap. Ex parte; in fine: ſi denique per malitiam non vult eum abſolvere, tum ipſe delegatus poteſt illum abſolvere, juxta cit. §. Sexta; conſtabit autem de malitia excommunicatoris, ſi intra tempus ipſi à delegato præfixum, eum non abſolvat, nec cauſam probabilem alleget, ob quam eum abſolvere non debeat, ita Abb. in cit. §. Sexta; num. 3.

Colligitur 2. Si in caſu hujus c. actor excommunicatus remittatur ad excommunicatorem, v. g. Ordinarium, ſive Epiſcopum, iſque non ex malitia, ſed ideo ipſum non abſolvat, quia in contumacia perſiſtit: tum, ſi neceſſitas exigat, ut cauſa delegata à Papa, v.g. matrimonialis definiatur, poteſt delegatus actorem abſolvere, non quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed ad tempus tantùm, donec cauſa delegata fuerit expedita, ut notat Decius hîc n. 4. vel in ordine ad præſentem actum judicialem exercendum duntaxat, ſive ad hoc tantùm, ut habilis fiat ad agendum in judicio, ita, ut is poſtea in eandem excommunicationem reincidat: nam per hoc nihil præjudicatur juriſdictioni excommunicatoris,

toris, quandoquidem excommunicatio non eſt omnino relaxata, ſed quoad omnia alia adhuc permaner. Laym. in cit. §. Sexta; b. t. quamvìs aliàs regulariter actor non poſſit ad reincidentiam abſolvi ab excommunicatione in proprium ſuum commodum, ſicut poteſt teſtis in commodum partis. Decius c. l.

LXXXVI. Præterea in cit. c. Prudentiam; §. Si verò; h. t. additur, ut, ſi excomunicator per malitiam recuſat abſolvere Actotem, & Judices delegati eundem abſolverint ab excommunicatione, præſtitâ juratoriâ cautione, quòd ſtabit, ſeu parebit mandatis Eccleſiæ: hnc caſu, actor ab excommunicatione abſolutus à delegatis, cotam ipſo excommunicatore, ſuper illa cauſa, ob quam fuerat excommunicatus, reſpondere debet, & ejus mandaris obedire, niſi Papa ſpecialiter aiijs hnc negotium delegaverit. Sin verò excommunicátor malitioſè differat procedete in cauſa illa, ob quam actor fuit excommunicatus: tum ipſi delegati Papæ juriſdictionem in eadem illa cauſa exercere poterunt, eámque finire, eò quòd acceſſorium trahatur ad principale. V. g. causâ aliquâ à Papa cuidam delegatâ, reus coram delegato objecit actori, quòd ab Epiſcopo fuerit excnmmunicatus. Judex delegatus remiſit actorem ad Epiſcopum, ut ipſum abſolverer, præſtitâ cautione de parendo Eccleſiæ mandatis: hoc caſu, Epiſcopus, qui excommunicavit actorem, poteſt illum abſolvete,& ad ſatisfaciendum compellere,& de cauſa excommunicationis cognoſcere debet,quia ad excomunicatorem per ſe pertinet cognoſcere cauſam principalem, ob quam excommunicatio lata eſt: ad delegatum verò ſolùm per accidens,ſive incidentet,ob aliam cauſam ipſi delegatam, ptincipale autem trahit ad ſe acceſſorium. Laym. in cit. §. Si verò. Sin autem excommunicator pertinaciter renuat abſolvere actorem, tum delegatus Papæ poteſt Actorem abſolvere, receptâ ab eo cautione, & ad ſatisfaciendum compellere, & poſtea etiam de canſa excommunicationis cognoſcere: quia tunc cauſa illa, ob quam actor fuit excommunicatus, acceſſoriè venit ad abſoiutionem, quam incidenter fecit delegatus; nam facultas abſolvendi erat acceſſoriè annexa cauſæ principali ipſi delegato commiſſæ, ut ſuprà dictum, & ſic principale trabit ad ſe acceſſorium. Gloſſ. hîc V. Acceſſorio; & Abb. num. 2.

LXXXVII. Aſſertio 2. Si quis aſſerens, ſe Eccleſiâ, v. g. parochiâ ſuâ, vel alio beneficio, extra judicium, & injuſtè ab alio ſpoliarum eſſe, obtinuit à Papa reſcriptum ad Judices delegatos, quo eis mandatur, ut, ſi conſtiterit, impetrantem ita ſpoliatum fuiſſe, eum intra certum tempus, v. g. duorum menſium, in poſſeſſionem reſtituant. Hoc caſu, ſi teus, ſeu is, qui poſſidet Eccleſiam, vel beneficium, antequam de hujuſmodi litteris delegationis aliqua mentio fieret, vel notitia haberetur, ob ſtudiorum, vel peregrinationis, vel aliam ſimilem legitimam cauſam, tunc abſit, ita,ut intra præfixum tempus ſe in judicio præſentem ſiſtere nequeat: non poſſunt, nec debent Judices delegati allegantem ſe ſpoliarum in poſſeſſionem reſtituere: tametſi ipſe per idoneos teſtes probare paratus ſit, ſe à poſſeſſione Eccleſiæ, vel beneficij injuſtè dejectum fuiſſe. Secus eſt, ſi poſſeſſor parochiæ, vel beneficij (poſt habitam notitiam reſcripti à Sede Apoſtolica obtenti) ſe fraudulenter, & contumaciter abſentavit, tunc enim actori poſſeſſio oblata reſtitui debet,ſi probaverit, ſe poſſediſſe, & ſpoliatum fuiſſe, prout ſtatutum habetur in c. Conſultationibus; 10. h. t. & ibi Gloſſ. In caſu; & V. Antequam.

LXXXVIII. Ubi notandum 1. Quamvìs, quandocunque etiam contra reum, ſeu poſſeſſorem abſentem, non animo fraudandi,ſed ex juſta cauſa,ſi non defendatur, poſſit actor immitti in poſſeſſionem bonorum ejus,causâ rei ſervandæ,ut patet ex juribus allegatis à Gloſſ. hîc V. Reſtitutionem; non tamen debet actor reſtitui in poſſeſſionem, ita, ut fiat verus poſſeſſor, ſi reus non frandulenter, nec contumaciter abſit, donec actor doceat de proprietare, quia non debet reus inculpatè abſens privari cnmmodo poſſeſſionis. Gloſſ. cit.

Notandum 2. Dupliciter intelligi poteſt, quod in fine hujus c. dicitur, videlicer reſtitutionem poſſeſſionis faciendam eſſe, ſi reus per contumaciam ſe abſentavit: Vel, ut procedat, ſi ſe contumaciter abſentavit, poſt litem conteſtatam; tunc enim reciperentur teſtes, & actor reſtitueretur, ſi probâſſet ſuam intentionem; nam aliàs ante litem conteſtatam, teſtes non ſunt recipiendi in cauſa reſtitutionis, infrà: Ut lite non conteſtata non procedatur &c. Gloſſ. hic V. Niſi is; Abb. num. 8. Vel quòd lite etiam non conteſtatâ, ad receptionem teſtium, & ſententiam definitivam contra reum procedi poſſit, ſi per edicta citatus contumaciter non compareat, & poſſeſſio actori, ſi probavit poſſeſſionem, & ſpoliationem ſuam, reſtitui debeat. Gloſſ. bîc V. Niſi; in fine, & colligitur ex c. ult. §. Porrò; Ut lite non conteſtata, &c. ita, ut hic ſit unus ex ſpecialibus caſibus ibi exceptis, in quo etiam lite nou conteſtatâ, adverſùs reum fraudulenter, & contumaciter abſentem, ad teſtium receptionem,& ſententiam definitivam, vel quaſi definitivam procedi poteſt, & poſſeſſio actori, qui probavit intentionem ſuam, reſtitui. Laym. in cit. c. Conſultationibus; h. t. Sed hæc aliò pertinent.

LXXXIX. Aſſertio 3. Si partes ad teſtes recipiendos, vel eorum depoſitiones publicandas, vel ſententiam definiendam audiendam, peremptoriè ad certum diem ſint citatæ, & altera pars ſe contumaciter abſentet, nec compareat, ad veſperam diei aſſignatæ: tunc, ſi Judicis delegari juriſdictio, die illo, ad quem partes peremptoriè citatæ ſunt, non exſpiret: is non tenetur quidem exſpectare in diem ſequentem,de juris rigore; attamen,ſecundùm æquitatem,poteſt judicium differre in diem ſequentem,neque neceſſarium eſt,ut poſt elapſum terminum peremptorium, pars contumax iterum citetur,niſi Judex gratiam ei facere velit. Si verò Judicis delegati juriſdictio in termino præfixo exſpiret, tunc, ſi partes hoc ſciverint, & non ſe ſtiterint coram Judice delegaro, eâ borâ, quâ poſſit congruè procedere, & exequi id, propter quod eis legitimè terminum peremptorium aſſignavit, non debet Judex delegatus exſpectare in diem ſequentem, ne judicialis poteſtas fruſtranea ſit, ſed ſtatim procedere poteſt in cauſa cognoſcenda,&ad ſenten-

» tiam definitivam contra contumacem abſentem
» ferendam. Cavendum tamen eſt, ne judicium
» Eccleſiaſticum ad mortem differatur, ſive in te-
» nebris exerceatur, quia qui malè agit, odit lu-
» cem (Joan. 3.) & tametſi ſecundùm morem Ro-
» manum, dies (naturalis) à media nocte incipiat,
» & mediâ parte noctis ſequentis finiatur, ita, ut,
» quod etiam in duabus dimidiatis noctibus actum
» eſt, perinde habeatur, ac, ſi quavis horâ lucis,
» ſeu diei actum eſſet (l. More; 8. ff. de ferijs) ta-
» men congruum non videtur, ut judicia in no-
» ctis tenebris exerceantur. Porrò Judex diſcre-
» tus, quando partes peremptoriè citat, non debet
» terminum ijs aſſignatum nimis coarctare, ſeu re-
» ſtringere, niſi neceſſitas exigat. Ita ſtatutum habetur in c. Conſuluit; 24. h. t. Ratio prioris partis hujus c. eſt, quia licèt de juris rigore, is, cui à Judice terminus peremptorius ad veniendum eſt præfixus, ſi in eo non compareat, poſſet contumax reputari, & contra eum procedi, ac ſi præſens exiſteret: æquum tamen eſt, ut, quia tota dies ad comparendum parti citatæ dari poteſt, & conſequenter etiam judicium in ſequentem diem differri, ut exſpectetur uſque in diem alterum, quia potuit fortè habere juſtam cauſam abſentiæ, ob quam intra tempus præfixum venire non poterat, quâ legitimè probatâ, ſententia eſſet retractanda: non tamen eſt neceſſarium, ut judex differat judicium in diem alterum, ſi non velit. Gloſſ. hic V. Æquitate. Ratio poſterioris partis eſt, quia, ſi Judex delegatus procederet in cauſa, poſtquam juriſdictio ad certum tempus ipſi collata exſpiravit, omnia geſta ejus invalida forent, nec partes tenerentur ejus mandatis parêre, cùm non ſit ampliùs eorum Judex, & ideo judicium prorogare non poteſt in diem ſequentem. Vivian. hic in ratioo. Jur. Pontific.

XC. Hinc colligitur 1. Quòd Judex delegatus poteſt judicium in ſequentem diem differre, ita, ut pars altera, quæ præſens eſt, exſpectare teneatur, nec poſſit, ſinè Judicis licentia, diſcedere, quia utitur poteſtate ſibi à jure conceſsâ: neque verò talis prorogatio modici temporis cedere poteſt in magnum præjudicium partis præſentis; de modico verò præjudicio non curatur, l. Si debitori; 21. ff. de judicijs. Abb. hîc n. 9. quamvis Judex non poſſit remittere expenſas, ſi propterea major pars præſens facere debuit, alioqui ipſe ex ſuo eas reſarcire debet. Gloſſ. hic V. Gratiam fecerit; & Abb. c. l.

Colligitur 2. Quòd Judex poteſt procedere aliâ horâ, aut die, quàm ſit præfixum in citatione, quia ſi terminum prorogет, & judicium differat in diem ſequentem, non requiritur alia citatio. Veruntamen, ſi dilatio judicij in diem ſequentem fiat, non in favorem, ſeu gratiam partis non comparentis, ſed ob aliam cauſam, quia ipſe Judex v. g. impeditus fuit judicare die ſtatutâ, tunc non debet procedere ſinè nova citatione. Abb. hîc num. 4. Decius num. 3.

Colligitur 3. Citatus ad comparendum in judicio certâ die, non expreſsâ horâ, debet ita maturè ſe ſiſtere, ut ante noctem peragi poſſit judicium, ut ſumitur ex hoc c. Idémque dicendum de alijs negotijs, pro qualitate eorum: ſic Canonici citati ad electionem certo die faciendam, manè adeſſe debent, quia electio ex conſuetudine fieri debet, poſt cantatam Miſſam de Spiritu S. Abb. hîc n. 5. & Decius n. 4.

Colligitur 4. Judicium, ſeu Judiciarius proceſſus de nocte inſtitui non debet, abſque gravi neceſſitate, quamvis acta valeant, cùm nullo jure cautum reperiatur, eſſe irrita, & multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. Gloſſ. hîc V. Tenebras; alia verò omnia negotia, ut contractus, tranſactiones, inſtrumenta, teſtamenta, & beneficiorum collationes &c. de nocte fieri poſſunt, niſi jure ſcripto, vel conſuetudinario ſpecialiter prohibeantur. Decius hîc num. 5.

XCI. Aſſertio 4. Si Judex delegatus à Papa (vel »
Principe) certum diē partibus litigantibus aſſigna- »
vit; accidat autem, ut alterutra pars malitioſè pro- »
curet Judicem delegatum ad eum diem, ad quem »
litigantes citati ſunt, à Rege, vel Archiepiſcopo »
evocari, ut negotium prorogetur: tum, ſi delega- »
to conſtiterit (ſaltem per probabiles conjecturas, »
ſeu indicia, quia, cùm malitia conſiſtat in animo, fa- »
cilè per teſtes, aut clarè probari non poteſt) unum »
ex litigantibus talem fraudem commiſiſſe, eum »
condignè punire debet (mulctâ pecuniariâ, vel aliâ »
ad ejus arbitrium, cùm certa pœna de hoc ſtatuta »
non ſit) ne ex malitia ſua commodum reportet, & »
alteri Judici neutri parti ſuſpecto ad eundem diem »
cauſam cognoſcendam committere, remotâ appel- »
latione, niſi utriuſque litigantis partis conſenſu, lis »
prorogetur, ante elapſum terminum præfixum. Ita »
ſtatutum habetur in c. Paſtoralis; 28. §. Cùm autem
h. t. & ibi Gloſſ. V. Puniat.

Porrò hic eſt caſus ſpecialis, in quo Judex delegatus à Papa ſubdelegare, ſeu committere poteſt cauſam alteri, ut procedat, appellatione remotâ, ipſo jure talem facultatem concedente, in odium illius, qui malitioſè procuravit, ut ad terminum præfinitum judex abeſſet, cum alterius partis incommodo. Gloſſ. hîc V. Appellatione remotâ; Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 27. n. 4. Idque vel maximè procedit, ſi etiam Judici delegato cauſa commiſſa fuerit à Papa, cùm clauſula, remotâ appellatione. Gloſſ. cit. in fine, & Laym. ibid.

§. III.

De poteſtate exequendi, quæ competit Judici delegato, & tempore, intra quod fieri debet executio.

XCII. Aſſertio 1. Judex delegatus à Papa, ſeu Principe, non tantùm habet poteſtatem cognoſcendi, ac decidendi cauſam ſibi abſolutè delegatam, ſed etiam exequendi, vel alteri executionem cōmittendi, eóſque, qui reſiſtunt, puniendi, ut conſtat ex c. Significâſti; 7. h. t. ubi Papa Alexander III. ita reſcribit: »
ſi Judex ordinarius, ad mandatum Judicis delegati »
à Papa, ſententiam ab eo latam non vult, vel non »
poteſt (alijs ſibi reſiſtentibus) exequi, tum Ju- »
dex delegatus ipſemet, auctoritate Apoſtolicâ ſi- »
bi commiſsâ, eam executioni mandare, & eos, qui »

reſi-

„ reſiſtunt, per cenſuram Eccleſiaſticam coërcere „ poteſt. Ratio eſt, quia commiſſio ſimpliciter facta ſuper toto negotio facta intelligitur, adeòque commiſſa, non tantùm poteſtas cognoſcendi, & judicandi, ſed etiam exequendi, Decius hîc in princ. not. 2. conſentit c. In litteris; 9. h. t.

XCIII. Ubi notandum 1. Poteſt delegatus Papæ executionem ſententiæ à ſe latæ etiam Judici Ordinario demandare, cui Ordinarius obedire debet, & à quo compelli poteſt ad parendum, & exequendum, quippe qui ipſo Ordinario in hac cauſa major, & ſuperior eſt. c. Sanè; 11. h. t. Abb. hîc n. 1. Solet autem delegatus Papæ ſententiæ à ſe latæ executionem frequenter committere Ordinario loci, quia per illum id meliùs fieri poteſt, cùm Officiales Idoneos habeat, quales plerumque non habet ipſe Judex delegatus. Abb. hîc n. 6.

Notandum 2. Judex delegatus, non tantùm in defectum Ordinarij non exequentis ſententiam à ſe latam, ſed etiam per ſe, vel proprios Miniſtros, ſi velit, ac poſſit, exequi non prohibetur; nam Papa in cit. c. Significâſti; ſolùm reſpondet ad caſum propoſitum, in quo Ordinarius non voluit, vel non potuit exequi: per hoc tamen ibidem non negatur, quin delegatus etiam per ſe, principaliter, & immediatè poſſit exequi ſententiam ſuam, etiamſi eam Ordinario, vel alteri exequendam commiſerit, revocando commiſſionem ei factam. Abb. hîc n. 6. & Decius n. 2. Quod tamen ita intelligendum eſt, dummodo delegatus eum, cui executionem committit, nō ſubdelegatum ſuum, ſed ſolùm miniſtrum, ac veluti Officialem ſuū conſtituat, petendo eius auxilium ad ſententiæ executionem, prout factum eſt in caſu huius c. Nam ſi executionem alteri, v. g. Ordinario loci commiſit, eum conſtituendo ſuum ſubdelegatum, & non merum miniſtrum, tum cenſetur functus ſuo officio, & à ſe abdicâſſe omnem juriſdictionem, ut eam reaſſumere non poſſit: ſaltem ſi res non ſit integra, & ſubdelegatus negotium, ſeu cauſam exequi cœperit, juxta c. Ex litteris; 9. h. t. Abb. hîc n. 7. ubi addit, id procedere, etiamſi Commiſſarius delegati, ſeu ſubdelegatus non poſſet, vel nollet executionem perficere, quia, poſtquam delegatus actu omnem juriſdictionem in eum transtulit, remanet perſona privata, ita, ut nequeat ampliùs juriſdictionem reaſſumere, etiam conſentiente ſubdelegato, de quo plura infrà.

XCIV. Cæterùm, quod dictum eſt, Ordinarium, ſi ei executio ſententiæ latæ à Delegato Papæ, ſeu Principis commiſſa ſit, teneri eam exequi, id extenditur, etiamſi ſciat, illam ſententiam injuſtam eſſe, prout ſtatutum habetur in c. Paſtoralis; 28. §. Quia „ verò; h. t. ubi quæſitum fuit, an, ſi Ordinario execu„ tio ſententiæ à Delegato Papæ ſit demandata, & „ ipſe cognoverit, eam eſſe injuſtā, debeat eam execu„ tioni mandare? Reſpondet Papa Innocentius III. „ cùm Ordinarius teneatur obſequi delegato, etſi ſci„ at, ſententiam illam injuſtam eſſe, nihilominus te„ netur exequi, quia non cognitio cauſæ, ſed mera „ executio tantùm ei demandata eſt, niſi obtinere „ poſſit à delegato, ut ab hoc onere executionis libe„ retur.

Eſt autem hîc ſermo de nudo, ſeu mero executore, cui poſt cauſam plenè cognitam, ac ſententiam definitivam à Judice delegato latam, ſola executio eſt commiſſa, qui proinde partes Judicis ſibi vendicare nequit, nec ullam cauſæ cognitionem habet, & nullas exceptiones admittere poteſt, ut colligitur ex l. Si ut proponis; 6. C. de execut. rei judic. & talis executor debet exequi ſententiam delegati, etſi ſciat, illam eſſe injuſtam, id eſt, contra jus litigatoris latam, à qua non fuit intra tempus legitimum appellatum, & ideo tranſiit in rem judicatam, cuiuſmodi ſententia ſolùm eſt injuſta ex parte Judicis eam ferentis, ipſo jure tamen validā eſt, ideòque mandanda executioni, ut ſit litium finis, Gl. hîc V. Et ſi ſciens, & Abb. n. 2. Aliud eſt, ſi executor ſciat, ſententiam delegati eſſe nullam, ut quia lata eſt auctoritate falſarum litterarum, ſeu per falſa inſtrumenta, ideòque delegatus non habuit juriſdictionem: vel, ſi manifeſtè conſtet, errorem commiſſum eſſe, vel fraudem adverſarij interveniſſe, tunc enim ſententia lata non debet executioni mandari, ſed executor debet id ad Superiorem, ſeu Judicem referre, juxta l. 2. C. de crimine falſi: dummodo talia non malitiosè, vel per calumniam contra ſententiam objiciantur. c. De cætero; 5. de ſentent. & re judic. Gl. hîc V. Eodem. Suar. de cenſur. diſ. 3. ſect. 15. n. 6. Verùm de hoc plura alibi.

XCV. Aſſertio 2. Delegatus S. Pontificis, ſi cauſam ſibi commiſſam aliter expedire, aut ſententiam à ſe latam exequi nequeat, etiam brachium ſeculare in ſubſidium invocare poteſt. Abb. in cit. c. Significâſti; n. 8. & Decius idem n. 4. Molin. tract. 5. diſ. 26. n. 3. nam cùm Epiſcopus ad executionem ſuæ ſententiæ invocare poſſit brachium ſeculare. arg. c. Adminiſtratores; 26. cauſ. 23. q. 5. per conſequens etiam id poteſt delegatus Papæ, qui majorem in cauſa ſibi commiſſa poteſtatem, & auctoritatem habet quolibet Ordinario. c. Sanè; 11. h. t. Nec refert, quòd in mādatis Sedis Apoſtolicæ interdum addi ſoleat clauſula illa (invocato etiam, ſi opus ſit, Auxilio brachij ſecularis) nam conditiones, quæ de jure inſunt, & facilè ſubintelliguntur, ſæpe exprimi ſolent, vel ad tollenda dubia, vel ad majorem auctoritatem, ac firmitatem, quia expreſſa magis apprehenduntur, quàm ſubintellecta: facultas autem invocandi brachium ſeculare de jure inēſſe videtur, & tacitè ſubintelligitur, etſi non exprimatur, quia alioquin poteſtas Judicis delegati ſæpe inefficax foret, nec eius ſententia executioni mandari poſſet. Abb. & Decius locis citatis.

Porrò ad hoc extraordinarium remedium invocandi brachij ſecularis non eſt deveniendum, niſi in caſu neceſſitatis, ſi ordinarium remedium coërcendi contumaces per cenſuras eccleſiaſticas ſufficere non videatur, uti ſumitur ex c. unic. De ſtatu regular. in 6. Quòd ſi neceſſitas urgeat, debet delegatus priùs invocare auxilium Ordinarij Eccleſiaſtici; &, ſi hoc non ſit ſufficiens, auxilium Principis ſecularis; ac deniquè in defectum horum, ſi iſti ſuccurrere ei non poſſint, aut nolint, nō prohibetur ipſe delegatus remedium adhibere, conducendo armatam manum ad cauſæ expeditionem, Decius c. l. n. 4. Ratio eſt, quia delegatus non poteſt, præſertim quod arduum ſit, agere, niſi in mandato eius comprehendatur: ſed ut armatos conducat ad cauſæ executionem, non cenſetur comprehenſum in mandato, ſi modo faci-

kore, magiſque conſneto nti poſſit, invocando auxilinm poteſtatis ordinatiæ, inprimis Eccleſiaſticæ, deiode laicæ, in euius deſectum poteſt ipſemet temedium adhibere. arg. c. Præterea; 5. b. t. Imò etiam Epiſeopns, qui temporali juriſdictione non eſt prædi tus, in caſu neceſſiiatis, ad deſenſionem jurium ſuorum, & liberè exercendam juriſdictionem ſuam adversùs impedientes, poteſt aſſumere miniſtros armatos, licèt aliàs Clericis armorum uſus ſit prohibitus. arg. c. Dilecto; 6. de ſentent. excomm. in 6. Decius in cit. c. Significavit n. 7. & 8. h. t. contra Abbatem ibid. num. 10.

XCVI. Aſſertio 3. Judex delegatus à Papa integrum annum habet ad exequendam ſententiam à „ ſe latam, ut conſtat ex c. Quærenti; 26. h. t. Nam cùm dubitatum fuiſſet, ſi delegatus Papæ aliquem excommunicaret, qnia ſententiæ à ſe latæ parêre noluit, utrùm eum, ſi poſtea parêre velit, poſſit abſolvere? Aliqui dicebant, quòd, cùm functus ſit ſuo officio, ulteriùs ipſum abſolvere non poſſit: alij verò, quòd, cùm juriſdictio ipſius duret, donec ſententiæ eius pareatur (cum effectu, Gl. hic V. pareatur) interim ſemper illum abſolvere poſſit parêre nolentem. Sed Papa Innocentius III. ſecundùm æquitatem ſtatuit: quòd delegatus Papæ non tantùm tempore quadrimeſtri, quod à Jure ad ſolvendum debitum Reo conceſſum eſt (numerandum à die latæ ſententiæ, ſi ab ea appellatum ſit. c. Quod ad conſultationem; 15. de ſentent. & re judic. l. 2. & 3. C. De uſuris rei judic.) ſed per integrum annum, poſt latam à ſe ſentẽtiam, juriſdictionem ſibi commiſſam adhuc poſſit exercere ad eam exequendam: ſicut ſi ob contumaciam Rei actor miſſus ſit in poſſeſſionem, cuſtodiæ causâ, ante litis conteſtationẽ, annus conceditur contumaei, intra quem ſi comparear, poſſeſſiooem recuperare poteſt, ſalvo tamen jure proprietatis. c. ult. §. In aliis. Ut lite non conteſtatâ &c.

XCVII. Ubi notandum 1. Si Judex delegatus ſententiam nondum tulit, juriſdictio abſolutè illi delegata, non ad certum tempus, ſemper durat, nec lapſo anni finitur, etiamſi proceſſum non inchoaverit, quia reſcripta juſtitiæ ſunt perpetua, ſi certum tempus definitum non ſit, niſi revocẽtur, id eſt, ſemper eorum uſus, ſeu utendi facultas durat, quàm diu permanet jus agendi, vel excipiendi, ſuper quo fundantur. c. Si autem; 9. de reſcript. & l. 2. junctâ Gl. V. Perennia. C. De diverſ. reſcript. Abb. hîc n. 7. Si verò Judex delegatus tulit ſententiam, ſed eam executus non eſt, tum conceditur ipſi annus ad exequendum; qno elapſo, exſpirat eius juriſdictio, etſi ſententia executioni mandata non ſit: éſtque annus ille contiouus, non utilis, ideóque ſemper currit, etiam diebus impeditis, & continet dies 365. arg. l. Cùm hæres; 4. §. Stichus; ff. de ſtatu liberis: quia in dubio tempus à jure conceſſum intelligitur de continuo, niſi aliud jure expreſſum ſit. Abb. hîc n. 2. & 3. Si denique delegatus ſententiam à ſe latam executus eſt, tum exſpirat eius juriſdictio. c. In litteris; 9. h. t. dummodo Reus condemnatus plenè ſententiæ eius paruerit: nam, ſi paulò pòſt ab executione receſſit, iterum turbando eum, qui in cauſa vicit; tum quia perinde eſt, ac ſi non paruiſſet. arg. c. Divortium; 21. diſ. 1. de pœnit. poteſt delegatus, ſi annus nondum finitus ſit, reaſſumere juriſdictionem, non quidem ad cognoſcendam iterum cauſam, ſed ad hoc, ut compellat Reum ad executionem integrè, & ſtabiliter perficiendam. Gl. hîc V. Ad integrum annum, & Abb. n. 6. Secus eſt, ſi poſt longum intervallum, victor iterum turbaretur à condemnato; tum enim non poſſet victor recurrere ad delegatum, cuius juriſdictio jam omnino extincta eſt, ſed deberet adire Ordinarium Judicem, vel alium, qui ad id juriſdictionem haberet. Abb. c. l. & Molin. tract. 5. diſ. 27. n. 1.

Notandum 2. Delegatus quoque ſupremi Principis ſecularis, ſententiam ſuam intra annum exequi poteſt, non ſolùm per ſe, ſed etiam per alium, videlicet per Judicem Ordinarium, quem cogere poteſt ſub gravibus pœnis ad exequendum. Bartol. in l. à D. Pio; 15. n. 2. ff. de re judic. Abb. in c. Si quis; 4. n. 31. & in relect. ibid. n. 36. de foro compet. Marant. de Ordin. judic. p. 4. diſ. 5. n. 43. Molin. tr. 5. diſ. 26. n. 4. & probari ſolet ex l. ult. in fine C. de judic. & §. Si verò Auth, de exhibend. reis. Novell. 53. Et quamvìs Jure Civili id non ita clarè expreſſum habeatur, quia tamen deciſum eſt in Jure Canonico, huius diſpoſitione ſtandum eſt, etiam in foro civili, ſeu ſeculari, quándoquidem in Jure Civili contrarium non reperitur ſtatutum. arg. c. 1. de nov. oper. nunciat. Abb. c. l. Ratio eſt, quia delegatus Principis habet poteſtatem velut ordinariam, ideóque, & ſubdelegare poteſt. l. A judice; 5. C. de Judic. ergo ad inſtar Ordinarij etiam ſententiam ſuam exequi poteſt.

XCVIII. An autem delegatus ab inferiore Judice ordinario. v. g. Epiſcopo, vel Subdelegatus à Delegato Principis ſententiam à ſe latam exequi poſſit, videlicet intra annum, controvertitur inter DD. Negat de utroque Imola in cit. c. Quærenti; n. ult. h. t. de delegato ab inferiore Bart. in dicta l. à D. Pio ff. de re judic. n. 14. quamvis id affirmet de ſubdelegato à delegato Principis. Idque probant, quia officium delegati ab Ordinario inferiore, latâ ſententiâ, exſpirat. cit. l. A D. Pio in princ. ubi dicitur: à D. Pio reſcriptum eſt, Magiſtratus populi Romani, ut judicum à ſe datorum (id eſt, à Magiſtratibus populi Romani, vel aliis Ordinariis, juxta Gl. ibid. V. A ſe, junctâ Gl. marg. lit. b.) vel arbitrorum ſententiam exequantur hi, qui eos dederunt. Idque non ſolùm de Jure Civili, de delegatis ab inferiore Judice ſeculari, verùm etiam de Jure Canonico, de Delegatis ab Eccleſiaſtico Judice Ordinario Papâ inferiore intelligendum eſſe, docet Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 1. tit. 7. de Jud. deleg. n. 65. eò quòd Canones tantùm de delegato Papæ loquantur, & nullibi id expreſſum ſit de Delegato ab inferiore Ordinario: imò contrarium decerni videtur in c. Si quis; 4. de foro compet. in fine. ubi Epiſcopus recuſatus ſententiam â Delegatis latam exequitur: & ibi n. 66. addit: neque Subdelegatum Papæ, aut Principis executionem ſententiæ habere, quia neque hoc legibus, vel Canonibus expreſſum reperitur.

Contrariam tamen, & affirmativam ſententiam tenent Gl. in cit. c. Si quis; V. Ipſius ſolicitudine de for. compet. & ibid. Abb. n. 32. & duobus ſeqq. & in relect. n. 39. & in cit. c. Quærenti; n. 8. h. t. Molin. cit. diſ. 26. n. 5. diſcrimen eſſe dicunt, quoad hoc, inter Jus Canonicum, & Civile: nam de Jure Canonico delegatus ab inferiore Ordinario poteſt exequi ſententiam

tentiam à ſe latam, non ſolùm, quando Id fuit expreſsè ei conceſſum à delegante, ſed etiam eo ipſo, quòd cauſa eidem fuit commiſſa, niſi delegans ſibi ſpecialiter reſervaverit ſententiæ executionem. Ratio eſt, quia cùm alicui cauſa abſolutè committitur, cenſentur omnia commiſſa, quæ ad eius executionem, ſeu ad cauſam expediendam, & ad ultimum effectum perducendam ſpectant, ſive neceſſaria ſunt; modò delegans ea delegare, ſeu committere poſſit, nec ſibi reſervet: ergo eo ipſo, quòd delegatur ab Ordinario inferiore cauſa aliqua, neque executio ſententiæ reſervatur à delegante, cenſetur etiam ea delegata tanquam neceſſaria ad cauſam expediendam, & ultimatè perficiendam. Confirmatur, quia ſpectato Iure Canonico, à delegatis Papæ executio ſententiæ alteri ſubdelegari poteſt. c. Ex literis; 29. h.t. Et Ordinarius inferior Papâ executionem miſſionis in poſſeſſionem ex primo decreto poteſt delegare. c. Cùm veniſſent; 3. de eo, qui mittitur in poſſeſs. &c.

Neque prædictis obſtat cit. c. Si quis de foro compet. nam inprimis ibi non negatur, delegatum ab Ordinario poſſe ſententiam à ſe latam exequi, ſi Ordinarius cauſam abſolutè illi committat, & nolit nec ſe ipſum cauſam executioni mandare, uti poteſt, non obſtante delegatione alteri factâ, cùm penes Ordinarium nihilominus remaneat juriſdictio ad ſententiam delegati executioni mandandam, ſi velit. Abb. in cit. c. Si quis; n. ult. & in relect. n. 39. Deinde dici poteſt, quòd ibi Ordinarius ſolùm cenſetur delegâſſe cognitionem, ac definitionem cauſæ, circa quam ſolam tanquam ſuſpectus recuſari poterat, non verò executionem ſententiæ, circa quam non poterat eſſe ſuſpectus, quippe cùm ſententia ab illo delegato jam lata fuerit. Abb. locis citt. Molin. cit. diſ. 26. n. 5. Neque etiam obſtat, quòd juriſdictio delegati, latâ ſententiâ, exſpiret; quia, etſi exſpiret quoad actum cognoſcendi, non tamen quoad actum exequendi. cit. c. Ex litteris. Abb. c. l. n. 39. Aliud verò dicendum videtur de Jure civili, quo delegatus à non Principe ſententiam à ſe latam non poteſt exequi, ſed executio illius ad Judicem Ordinarium delegantem pertinet. juxta cit. l. à D. Pio, & Gl. ibid. V. A ſe. quia de Jure Civili ea, quæ ſunt meri, & mixti imperij, delegari non poſſunt, executio autem ſententiæ ad mixtum Imperium ſpectat. Abb. locis citatis. Molin. cit. loc. num. 6.

Verùm, cùm res hæc valde controverſa ſit, attendendum eſt, tum ad conſuetudinem loci, tum ad verba commiſſionis, num contineant mandatum faciendi juſtitiam, ut notat Laym. iu cit. c. Si quis; de foro compet.

XCIX. Poſtremò illud hic addendum circa executionem litterarum delegationis, quòd litteræ » Apoſtolicæ impetratæ ad gratias, ſeu beneficia, vel » ad lites in aliqua civitate, vel diœceſi, ſi contigerit, » ante illarum effectum, ex mandato Papæ illam civi- » tatem, vel diœceſin dividi in duas, vel plures, pro- » pter divini cultûs augmentum, & populi ſalutem, » non obſtante diviſione, debeant habere eandem » vim, & eodem modo, ac formâ per executores de- » putatos executioni mandari, quo ante diviſionem » poterant, ac debebant. Similiter, & Judices dati per » litteras Apoſtolicas juſtitiam continentes, in cau- ſis quarumlibet perſonarum, quæ nunc in diœceſi- » bus diviſis exiſtunt, poſſunt, juxta earum tenorem, » perinde procedere, ac ſi diœceſes illæ, de quibus mê- » tio fit in litteris, integræ, ſeu indiviſæ remanſiſſent, » prout declaravit Joannes XXII. in Extravag. Sedes Apoſtolica unic. h. c. Inter communes. quæ iiſdem verbis etiam extat in Extravag. 1. Joan. XXII. de conceſſ. præbend.

Hinc patet, quòd, ſi delegatio fiat in cauſis pertinentibus ad aliquam civitatem, vel diœceſin, tametſi illa poſtea dividatur in duas, vel plures, delegatus tamen retinet poteſtatem exercendam in ſingulis locis, etiam diviſis.

§. IV.

Quando, & ubi, ſive quo in loco, Iudex delegatus iuriſdictionem ſuam exercere poſſit, vel debeat?

C. Aſſertio 1. Delegatus non habet exercitium juriſdictionis ſuæ, niſi poſtquam ei præſentatum eſt reſcriptum delegationis, prout ſumitur ex c. Super eo; 12. in fine de appellat. ubi dicitur, ſi infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cùm Judices contigerit litteras recepiſſe, ergo ante receptas litteras delegationis, non poteſt delegatus exercere juriſdictionem ſuam. Ratio eſt, quia, licèt reſcriptum, quoad vim comprehenſivam, ſeu ea, quæ in reſcripto continentur, & quoad habilitatem, vel inhabilitatem perſonæ impetrantis, conſiderari debeat ſecundùm tempus datæ, illúdque reſpiciendum ſit. arg. c. Si eo tempore; 9. de reſcript. in 6. tamen, quod attinet ad poteſtatem ipſius delegati, aut executoris, conſiderari debet tempus præſentationis, ſeu receptionis reſcripti, quia ex tunc, & non antè, juriſdictio, aut poteſtas ipſi collata cenſetur. Joan. Andr. in cit. c. Super eo; n. 3. cùm ea acquiri non poſſit, niſi ſcienti, imò & acceptanti per legitimam præſentationem. Quare proceſſus, ante præſentationem, ſeu receptionem commiſſionis, à delegato factus, eſt nullus, etiamſi privatim ſciat, ſe eſſe Judicem delegatum. Maranta de Ordin. Judic. p. 4. diſ. 16. n. 8. Sed neque per præſentationem reſcripti delegatorij poſtea ſupervenientem confirmatur, ſeu validatur proceſſus antea factus, quia cenſetur factus à privato, & juriſdictionem nô habente: dummodo pars opponat, quòd reſcriptû delegationis præſentatum non fuerit, ante cauſæ expeditionem, aliàs valet proceſſus ante præſentationem reſcripti factus. Marant. c. l. Cæterùm, ſi Judici delegatio facta ſit, ſine expreſſione perſonarum, aut cauſarum, juriſdictionem acquirit in habitu ſolùm: non autem actu eam exercere poteſt erga perſonas, & res, ſeu cauſas, antequam fuerint expreſſæ. c. Paſtoralis; 14. §. Quoniam, & ibi Gl. V. Juriſdictionem de reſcript.

Sed quid ſi poſt præſentatum, & receptum delegationis reſcriptum, ſuperveniat Judici delegato impedimentum, ob quod inhabilis ſit ad munus judicandi, quod tempore factæ, & præſentatæ delegationis non adfuit, potéſtne, non obſtante eo impedimento,

mento, in cauſa procedere, & judicare? Reſp. Per ſuperveniens impedimentum ſuſpenditur juriſdictio Judicis delegati, & impeditur illius exercitium: ſive ſit impedimentum juris naturalis, ut furor, amentia; ſive juris poſitivi, ut ſi Judex ſervus fiat, vel infamiã juris incurrat, quæ ipſo facto inducit muneris privationem. l. 2. §. Si miles; ff. quibus ex cauſis infam. contrah. Gl. in c. Sciſcitatus; 13. V. Infamem de reſcript. & ibid. Abb. n. 7. & Decius n. 7. Porrò, ſi impedimentum ſuperveniens Judici delegato ſit perpetuum, ceſſat omnino ipſius juriſdictio. Gl. in cit. c. V. Impedimento: ſecus, ſi ſit temporale, tunc enim ſuſpenditur ſolùm quoad exercitium juriſdictio, non omnino tollitur, ſed eo ceſſante, reaſſumere poteſt juriſdictionem in cauſa ipſi delegata, ut ſi furor, vel amentia ceſſet, vel infamis famæ, & poteſtati, ac ſtatui priſtino reſtituatur. Abb. in cit. c. Sciſcitatus; n. 10. Decius n. 8.

CI. Aſſertio 2. Judex delegatus à Sede Apoſtolica, cui commiſſum eſt, ut cauſam in certo loco cognoſcat, non poteſt, ſine expreſſo conſenſu partiũ, in alio loco illam cognoſcere, prout habetur in c. Statutum; 11. §. In nullo quoque; de reſcript. in 6. & » dictum ſupra tit. 3. n. 141. Id verò limitandum eſt, » niſi is, cui à Sede Apoſtolica mandatum eſt, ut in » certo loco inquiſitionem inſtituat, vel aliud quid- » piam expediat, propter potentiam, vel malitiam » Adverſarij, contra quem inquiri, vel aliter procedi » debet, aut fautorum eiuſdem, in loco deſignato ſe- » curè procedere, & mandatum exequi nequeat: tum » enim delegatus, aut executor alium idoneum, & ſe- » curum locum ad exequendum eligere poteſt: ne » alioqui malitioſè executionem mandati impedi- » re volens ex dolo, vel fraude ſua commodum re- » portet. Idémque faciendum, ſi alia quæcunque » rationabilis cauſa ſubſit, propter quam in loco » conſtituto mandatum commodè executioni man- » dari nequeat, ne alioqui mandatum Apoſtolicum » impediri, vel nimiùm differri contingat, prout ſtatuit Bonif. VIII. in c. Statuimus; 13. h. t. in 6. Et quidem etiam ſine conſenſu partium, ſi juſta cauſa ſubſit, poteſt delegatus in alio loco, quàm qui eſt conſtitutus, mandatum exequi, ſed, abſque juſta cauſa, non poteſt id fieri ſine conſenſu partium, qui requiritur ad prorogandam juriſdictionem delegati. Gl. hîc in notatis. Deinde neceſſe eſt, ut locus, ad quem juriſdictio prorogatur, ſeu transfertur, ſit ſubiectus juriſdictioni delegantis, vel ſaltem, ut ordinarius Judex loci illius conſentiat, ne alienum territorium violetur. Abb. in c. P. & G. 40. n. 15. h. t. Ratio autem, cur, ſi quis delegatus ſit à Sede Apoſtolica, ut cauſam certo loco cognoſcat, non poſſit extra illum, ſive in alio loco cauſam cognoſcere, ſine partium conſenſu, eſt, quia alioquin excederet formam reſcripti, ſeu mandati, quæ diligenter ſervanda eſt. Gl. in cit. c. Statuimus; V. eodem. At verò cum expreſſo partium conſenſu, poteſt delegatus in alio loco, quàm deputato, procedere, & cauſam cognoſcere, quia certus locus eſt deputatus in favorem ipſarum partium, ne ſi fortè longè diſtet à partibus, eæ, ob itineris longitudinem, magnos ſumptus facere debeant, cui velut favori ſuo partes renunciare poſſunt. Vivian. in Rat. Jur. Pontif. in cit. §. In nullo quoque de Reſcript. in 6.

CII. Porrò non ſolùm delegatus Papæ, ſed etiam inferioris Ordinarij, v. g. Epiſcopi, poteſt cauſam ſibi commiſſam, ut in certo loco tractetur, ſi ibi non poſſit, in alio loco commodo, & honeſto cognoſcere: ſed non niſi cum communi conſenſu partium litigantium, in quorum favorem plerumque certus locus deſignatur: & accedente inſuper conſenſu eius judicis, ſi in loco deleganti non ſubiecto cauſa tractanda ſit, qui territorio illi præeſt, ne violetur territorium alienum. Abb. in c. P. & G. 40. n. 14. & 15. h. t. Verùm, ſinè conſenſu partium, non poteſt judex delegatus alium locum deligere, cùm plerumque Ordinarius delegans adiri, & conſuli poſſit, ſi impedimentum incidat, ob quod in loco deſignato cauſa commiſſa tractari non poſſit: aliud eſt in delegato Papæ, ad quem non ita facilè recurri poteſt. Gl. hîc V. Apoſtolicâ Sede. Excipi debet, niſi Ordinarius procul abeſſet, vel ob aliam cauſam, periculum in mora eſſet; tum enim etiam delegatus inferioris Ordinarij in alio loco proceſſum inſtituere poſſet, ob eandem rationem neceſſitatis, & æquitatis, quæ hoc caſu in quolibet delegato locum habet, adeóque etiam idem jus. Laym. hîc num. 3. in fine. Cæterùm, plura de loco, in quo Judex delegatus exercere poteſt, ac debet juriſdictionem ſuam, dicta ſunt ſuprà tit. 3. §. 2.

SECTIO V.

DE APPELLATIONE IN cauſis delegatis.

§. I.

An, & quando appellari poſſit à Judice ſubdelegato, vel ab Auditore?

CIII. Aſſertio 1. A Judice ſubdelegato, cui tota cauſa, vel pars eius eſt commiſſa, cum juriſdictione, vel cauſæ cognitione, appellari poteſt, non autem à mero Auditore, ſeu Executore, cui ſolùm pars, ſive articulus non juriſdictionalis, adeóque nudum miniſterium eſt commiſſum, prout ſumitur inprimis ex c. Super quæſtionum; 27. in princ. h. t. ubi talis caſus proponitur, juxta Gl. ibid. in caſu: Qui- » dam impetravit à Papa, committi cauſam cuidam » Judici delegato, qui audientiam cauſæ commiſit a- » liis quibuſdam, reſervatâ ſibi ſententiâ definitivâ, » reo abſente, & ignorante. Hi Judices ſubdelegati » citaverunt Reum, is comparens excepit, quòd ſine » ſuo conſenſu deputatus eſſet Auditor, & allegavit » quandam Conſtitutionem Innocentij III. in qua » dicitur: ſi alicui à Papa delegata ſit cauſa, remotâ appellatione, quòd ipſe eam non poſſit alij commit- » tere, ſeu ſubdelegare, ut is procedat, remotâ appel- » latione. Si verò delegatus ad certum aliquem articulum non juriſdictionalem, v. g. ad meram examinationem teſtium, deputaverit Auditorem, quòd ab » eo non poſſit appellari, ſi partibus conſentientibus » ſit datus. Unde per ſenſum contrarium colligi vi- » debatur, quòd, ſi de conſenſu partium non ſit datus » (ut in caſu propoſito) poſſit ab eo appellari, ideóque »

etiam

etiam dictus Reus appellavit. Ex adverſo verò allegabatur, quòd talis appellatio non valeat propter Conſtitutionem Alexandri III. (in c. Cùm te; 18. h. t. de qua infrà) juxta quam, ſi delegato à Papa cauſa ſit commiſſa, iſque uni alteri, vel pluribus committat, ſive ſubdeleget cauſæ cognitionem, & teſtium examinationem, reſervatâ ſibi ſententiâ definitivâ, & ab eo, vel iis appelletur, delegatus, non obſtante appellatione, cauſam per definitivam ſententiam decidere poterit. Re hac delatâ ad Papam Innocent. III. is reſpondit: quòd per ſuam Conſtitutionem nihil omnino derogetur Conſtitutioni Alexandri III. quia, licèt is, cui cauſa committitur, remotâ appellatione, non poſſit illam aliis, adempto appellationis remedio, ſubdelegare (quia hoc eſt privilegium ſolius Principis, ut poſſit committere cauſam, appellatione remotâ, Gl. hîc V. Provocationis) ſi tamen delegatus à Papa, vel alius Judex quicunque (etiam Ordinarius, Gl. hîc V. Quicunque) non tam cognitionem, quàm (merum) executorem ad aliquem certum articulum (non juriſdictionalem) quempiam deputaverit (adeóque non cauſæ cognitionem, ſed nudum miniſterium commiſerit) ab eo non licet appellare, niſi modum, ſeu formam mandati excedat (vel ut ſuſpectus recuſetur, Gloſſ. hîc V. Dummodo; & patet ex hoc §. Verùm) dummodo hoc caſu ex partium conſenſu ſit datus. Et de hoc caſu loquitur Innocentius III. ſed Alexander III. de illo, quo delegatus Papæ cognitionem articuli alicuius juriſdictionalis alteri ſubdelegavit, reſervatâ ſibi ſententiâ, quòd, non obſtante eâ appellatione à ſubdelegato, delegatus ſententiam, quam ſibi reſervavit, ferre, & cauſam definire poſſit, ut ex dictis patet.

Porrò, ſi delegatus à Papa, vel litis exordium (quod propriè eſt litis conteſtatio, quamvìs ad perpetuandam juriſdictionem delegati ſufficiat citatio, Gl. hîc V. Litis exordium) vel cauſæ finem (id eſt ſententiam definitivam) vel totam cauſam alteri commiſit, ab ipſo tanquam à Judice licitè appellatur (ſi gravetur, quia aliàs hodie ante ſententiam non appellatur, Gl. hîc V. Provocetur) cùm & litis conteſtatio coram Judice debeat fieri, & cauſa per Judicem definiri, prout habetur in cit. c. Super quæſtionum; poſt princ. Verſic. Quòd ſi delegatus. Ex quo colligitur, quòd is, cui committitur litis conteſtatio, & cauſæ definitio, ſit Judex, & ab eo poſſit appellari, Gl. hîc V. Per judicem. Additur ibidem §. Intentionis; quòd delegatus à Papa licitè poſſit, & principium, & medium, & finem cauſæ ſibi commiſſæ, nõ ſolùm conjunctim, adeóque totam ſimul cauſam, ſed etiam diviſim (unam partem uni, & aliam alij) delegare: nihil obſtante, quòd dicitur, Judicem debere per ſeipſum cognoſcere, & principium, & medium, & finem litis, quia ipſe delegatus, antequam ferat ſententiam, quam ſibi reſervavit, debet, quæ acta ſint in judicio (à ſubdelegatis) diligenter inveſtigare, & perpendere.

CIV. Præterea in §. Verùm eod. c. habetur: ſi delegatus Papæ totam cauſam, vel eius partem, principium, aut finem cauſæ, alteri ſubdeleget, ut Judici, ab eo appellari poteſt. Sin autem alicui medium tantùm cauſæ (v.g. teſtium depoſitiones, ſine cauſæ cognitione. Hoſtienſ. hîc V. Medium) ut mero Auditori committat, ab eo appellari non poteſt; niſi fines mandati excedat, vel meritò ſuſpectus ſit (ideóque recuſari poſſit) Quare neceſſe eſt, ut ex partium conſenſu talis Auditor detur, ſeu conſtituatur, ne poſtea recuſari poſſit. Ratio huius deciſionis eſt, quia, cùm talis ſubdelegatus ſit judex; ab eo, ſi partem gravet, appellari poteſt, tanquam à Judice. At verò talis Auditor non eſt propriè judex, cùm non habeat cauſæ cognitionem, ſed quodammodo merus executor, ideóque ab eo non appellatur, quia non ipſe, ſed potiùs is, qui delegavit, ſeu commiſit executionem, cenſetur gravare, & ab illo appellari debet. Gl. in cit. c. Super quæſtionum in princ. V. Executorem, & ibid. Abb. n. 11. Quòd ſi tamen talis Auditor, ſeu Executor limites ſuæ commiſſionis excedat, vel indirectè gravet, poteſt ab eo appellari extrajudicialiter, ut evitetur injuſtum gravamen, quod de facto intulit, tametſi actus ſit nullus, quippe contra, vel ultra formam mandati factus. Abb. hîc n. 4. Sed debet priùs talis executor tanquam ſuſpectus recuſari, &, ſi non velit juſtam recuſationem admittere, ab eo poteſt appellari, quia tunc gravat. Abb. hîc in princ. n. 12. Niſi ſit de conſenſu partium deputatus, tunc enim recuſari non poteſt, niſi ex nova cauſa. Abb. in cit. §. Verùm. num. 2. quia per talem conſenſum partes fatentur, ſe non habere ipſum pro ſuſpecto. c. Inſinuante; 25. h. t. Unde ne talis Auditor, ſeu Executor recuſari poſſit, proviſum eſt in cit. §. Verùm; ut detur, vel recipiatur de aſſenſu partium. Verumtamen ab eo poteſt appellari, ſi mandati fines excedat, licèt non poſſit recuſari. Gloſſ. hîc V. Aſſenſu.

CV. Porrò, quod dictum eſt, Auditorem deputatum ex conſenſu partium non poſſe recuſari, id ita intelligendum eſt, quòd ſine juſta cauſa non poſſit recuſari: nam aliàs neque Auditor à delegato Papæ deputatus (etiam ſine conſenſu partium) à partibus litigantibus recuſari poteſt, ut ſuſpectus, niſi coram eodem delegato juſtam recuſationis cauſam oſtendant, prout habetur in eod. c. Super quæſtionum; §. Cùm verò, h. t.

CVI. Aſſertio 2. Quando delegatus Papæ, cui cauſa delegata fuit (cum clauſula, appellatione remotâ) ſubdelegatum conſtituit, vel Auditorem dedit (cum juriſdictione ſcilicet) reſervatâ ſibi ſententiâ definitivâ, ab eo delegato appellari non poteſt ad Papam, ex eo, quòd Auditor ſine conſenſu partium ſit datus, adeóque non impeditur ipſe Auditor, quò minùs procedere poſſit, niſi pars appellans juſtam cauſam recuſationis oſtenderit coram eodem Judice delegato. Quòd ſi Auditor ut ſuſpectus recuſetur, vel partes injuſtè gravet, poſſũt partes cauſam recuſationis, vel gravamen injuſtè ipſis illatum, deferre ad Judicem delegatum, qui Auditorem dedit. Et quamvìs Auditor meritò fuerit recuſatus, nihilominus delegatus Papæ, ſublato appellationis remedio, cauſam judicialiter expedire poteſt. Si tamen is juſtam recuſationis cauſam admittere nolit, ſed coram eodem ſuſpecto Auditore partes litigare compellat, vel gravamen injuſtè illatum amovere recuſet, tùm à tali gravamine delegati partes appellare poſſunt ad ſuperiorem Judicem, ſeu Papam delegantem, &, ſi quid poſt huiuſmodi appellationem actum fuerit, irritum cenſeri debet.

Digitized by Google

Ita habetur in cit. c. Super quæſtionum §. Eius ergo; ult. h.t. quia per legitimam appellationem ſuſpenditur juriſdictio Judicis, à quo appellatur. Abb. hìc n. 4.

Hinc colligitur 1. Si delegatus Papæ cauſam ſibi commiſſam, non totam deleget, ſed reſervatâ ſibi parte cauſæ, non poteſt pars litigans appellare ex eo, quòd delegatus ſubdelegaverit, ſine ſuo conſenſu: quia cùm delegatus Papæ habeat jus ſubdelegandi, & ſic uſus ſit jure ſuo, non gravavit partem. Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hìc §. Eius ergo.

Colligitur 2. Si Subdelegatus, ſive Auditor datus à Delegato Papæ ob juſtam cauſam recuſatur tanquã ſuſpectus, tum nihilominus poteſt Delegatus definire cauſam, quia recuſato ſubdelegato, juriſdictio redit ad ipſum delegatum ſubdelegantem, quippe qui non abdicavit ſe omni juriſdictione, cùm non totam cauſam ſubdelegaverit: ſed etſi totam ſubdelegâſſet, juriſdictio rediret à ſubdelegato ad delegatum, ſi ille, re adhuc integrâ, recuſetur; ſecùs, ſi, poſtquam ſubdelegatus uti cœpit juriſdictione. Abb. hìc n. 3. Quare ad delegatum etiam ſpectat hoc caſu definire, an ſubdelegatus ipſius juſtè recuſetur, adeóque an debeat eſſe judex in illa cauſa.

Colligitur 3. Si delegatus juſtam cauſam recuſationis ſuſpecti ſubdelegati nolit admittere, poteſt ab eo licitè ad ſuperiorem delegantem, videlicet ad Papam appellari, quia tunc injuſtè gravat partes. Abb. hìc n. 3.

§. II.

Ad quem appellandum ſit à Iudice delegato, vel ſubdelegato?

CVII. Aſſertio 1. Si Judex Ordinarius, v.g. Epiſcopus cauſam alicui delegavit, ſemper appellari debet à delegato ad delegantem. l. 1. & l. fin. ff. Quis, & à quo appellet. l. Imperatores; 21. §. 1. ff. de appellat. vel eius ſucceſſorem in officio. cit. l. 1. junct. Gl. V. Et ſucceſſor, ſive totam cauſam delegaverit, ſive partem tantùm. Ratio eſt, quia tametſi Ordinarius totam cauſam deleget, non tamen poteſt à ſe totam juriſdictionem abdicare, cùm eam propriam, ac ſtabilem habeat, ideoque ad eum à delegato appellari poteſt. Secus eſt in delegato, qui juriſdictionem in totum abdicare, & alteri committere poteſt, quippe cùm propriam nõ habeat, ſed demandatam, ſeu conceſſam tantùm. Ob quam cauſam etiam Ordinarius juriſdictionem delegatam ſemper revocare poteſt: non item delegatus Principis, qui facultatem ſubdelegandi habet, juriſdictionem, quam alteri in cauſa ſibi delegata commiſit, revocare poteſt, poſtquam ſubdelegatus eâ uti cœpit. Anchar. in c. Is, cui; 12. not. 1. h.t. in 6. & patebit ex infrà dicendis.

CVIII. Cæterùm illud circa appellationem à delegato Papæ ſpeciale eſt, ſi aliquibus cauſa delegata ſit à Papa, ut procedant, *appellatione remotâ*, & pars illa, contra quam ſententia lata eſt à delegato, non obſtante inhibitione appellationis, ad Papam appellet: iſque cauſam poſtea aliis Judicibus, ex certa ſcientia, committat, (adeóque appellationem ipſo facto admittat) tum cenſendum eſt, Papam juriſdictionem priorũ Judicum revocare, ita, ut interim executio ſententiæ ab ipſis latæ ſuſpenſa eſſe debeat, donec cauſa appellationis diſcuſſa fuerit, prout ſtatutum habetur in c. Paſtoralis; 28. §. Præterea; h. t.

Ubi notandum 1. Quamvis aliàs reſcriptum poſterius, quod eſt contrarium priori, ſubreptitium eſſe cenſeatur, ſi in eo non ſit facta mentio de prioris revocatione. c. Cæterùm; 3. de reſcript. excipi tamẽ debet, niſi poſterius reſcriptum ex certa ſcientia Papæ emanârit; tum enim priori cenſetur Papa derogare voluiſſe, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quatenus adverſatur poſteriori. Ut in propoſito caſu, prius reſcriptũ datum ad Judices delegatos, ut procedant, appellatione remotâ, per poſterius datum ad alios Judices, ut cognoſcant de juſtitia appellationis, revocatur, non ſimpliciter, ſed quoad cauſam appellationis, ſive quatenus ipſis conceſſum erat, ut in cauſa procederent, remotâ appellatione, ſi in poſteriore reſcripto appoſita ſit clauſula *ex certa ſcientia*, vel ex adjunctis, ſeu aliis narratis appareat, Papam ſciviſſe, quòd cauſa prioribus Judicibus commiſſa fuerit, appellatione remotâ. Quare clauſula illa, *ex certa ſcientia*, referri debet, non ad merita cauſæ appellationis, quaſi illa jam plenè fuerit diſcuſſa, ſed eò, quòd Papa jam ſciverit, prioribus Judicibus eſſe factam cõmiſſionem, cum clauſula, *appellatione remotâ*, & nihilominus mandaverit aliis judicibus, ut cognoſcant de juſtitia appellationis. Abb. hìc n. 3. 4. & 5.

Notandum 2. Si in propoſito caſu poſteriores Judices cognoſcant contra appellantem, adeóque judicent, malè appellatum eſſe, & ſententiam priùs latam confirment, tunc executio illius pertinebit ad priores Judices, juxta regulam traditam à Gloſſ. in c. Cùm in Eccleſia; 38. V. Alioquin de appellat. quòd Judex appellationis, qui confirmat ſententiam, quam alius tulit, non debeat ipſam mandare executioni, ſed primus: nam judicium, ubi latum eſt, etiam perfici debet. Abb. hìc n. 7. quamvìs alibi contrarium tenuerit. Sed hæc aliò pertinent.

CIX. Aſſertio 2. Quando delegatus Papæ alteri ſubdelegavit cauſam, tanquã Judici, tum, ſi omnem juriſdictionem ſuam, ſive cauſam totam ei cõmiſit, nullâ reſervatione factâ, non ad delegatum ſubdelegantem, ſed ad primum delegantem, videlicet Papam appellari debet. Si verò non totam cauſam, ſed aliquã ejus partem, ſeu articulum cauſæ, v.g. inquiſitionem, aut teſtium depoſitiones, alteri ſubdelegavit, ita, ut aliquid de cauſa ſibi reſervârit, v.g. ſententiam, hoc caſu, non ad Papam, ſed ad delegatum ſubdelegantem appellandum eſt: maximè, ſi delegato cauſa commiſſa ſit, appellatione remotâ. Si denique medium cauſæ, v.g. teſtium examinatio, vel alius articulus (non juriſdictionalis) alicui tanquam Executori, vel potiùs Auditori commiſſus ſit; tum, ſi ab eo appelletur, quia mandati fines exceſſit, vel quia tanquã meritò ſuſpectus recuſatus fuit, ad delegatũ Papæ provocandum erit, iſque eam cauſam, non obſtante tali appellatione, definire poterit, ut parcatur laboribus, & expenſis partium. Ita habetur in c. Super quæſtionum; 27. §. Porrò; h. t.

Ratio primæ partis eſt, quia, quando delegatus Papæ totam cauſam alteri commiſit, nihil ſibi reſervando, in eius perſona omnis juriſdictio eſt extincta, & ipſe deſinit eſſe judex. Abb. in cit. §. Porrò; num. 4. ideóque ad eum, tanquam privatum, per

appel-

appellationem juriſdictio transferri nequit, quia partes litigantes, quæ appellant, privatæ perſonæ ſunt, privatorum autem conſenſus judicem non facit eum, qui nullam juriſdictionem habet. l. 3. C. de juriſdict. omn. jud. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, quando delegatus Papæ, ſeu Principis, non totam cauſam alteri ſubdelegavit, ſed partem ſibi reſervavit, v. g. ſententiam, poteſtas, & juriſdictio adhuc in delegato reſidet, & radicata manet, ideóque ad illum appellari poteſt. Abb. c. l. n. 4. in fine: cur autem tali caſu non poſſit à ſubdelegato delegati Papæ appellari immediatè ad ipſum Papam, infrà dicetur.

Etſi verò; in cit. §. Porrò dicitur, quòd, quando delegatus Papæ reſervavit ſibi partem cauſæ, tunc ſit appellandum ad eundem, ſi cauſa ei ſit commiſſa cum clauſula, appellatione remotâ; tamen idem quoque dicendum eſt, ſi cauſa delegata commiſſa ſit ſimpliciter, ſive ſi remedium appellationis non ſit ſublatum: quia utroque caſu appellandum eſt ad ipſum delegatum, non ad Papam, ob rationem infrà afferendam, & docet Gloſſ. communiter recepta, & Abb. num. 5. contra Hoſtienſ. idque ſumitur ex cit. §. Porrò; in fine, ubi textus, cur ad delegatum appellandum ſit, non ſe fundat in eo, quòd cauſa delegato commiſſa ſit, appellatione remotâ, ſed ut parcatur laboribus, & expenſis partium, ut notat Abb. ibid. in fine.

Ex quo jam patet etiam ratio tertiæ partis, quia is, cui committitur medium cauſæ, ſive articulus non juriſdictionalis, propriè non eſt, nec dicitur cognitor, ſed merus executor, vel potiùs Auditor, quia habet ſolùm poteſtatem audiendi partes, non autem exercendi ullam juriſdictionem, vel cognoſcendi cauſam, & aſſumendi partes Judicis, ideóque, ſi ab illo in caſu, quo eſt licitum, appelletur, ad delegatum ſubdelegantem ei nudum miniſterium appellandum eſt. Abb. in cit. §. Porrò. n. 1.

CX. Aſſertio 3. Quamvis ordinariè loquendo à Judice Ordinario immediatè appellari poſſit ad Papam, omiſſo medio, v. g. ab Epiſcopo, prætermiſſo Metropolitano. arg. c. Ad Romanam; 8. cauſ. 2. quæſt. 6. ſi tamen delegatus Papæ, non totam cauſam, ſed aliquam eius partem alteri ſubdelegavit, hoc caſu, à ſubdelegato, non ad ipſum Papam, ſed ad delegatum ſubdelegantem appellari debet. cit. c. Super; 27. §. Porrò; h. t. & ſumitur etiam ex c. Cùm te; 18. eodem: ubi ſtatuitur, ſi delegatus à Papa uni, aut pluri- » bus Eccleſiaſticis perſonis (ut laboribus, & expen- » ſis partium parcatur) ſubdelegavit cognitionem » ipſius cauſæ, & teſtium examinationem (vel aliam » cauſæ partem) reſervatâ ſibi ſententiâ: hoc caſu, ſi » contingat, à Judicibus ſubdelegatis appellari, per » eam appellationem non ſuſpenditur juriſdictio » delegati Papæ, quò minùs cauſam ipſam definire » poſſit. Ex quo apertè colligitur, quòd hoc caſu appellandum ſit ad delegatum, non ad Papam, quia appellatio à ſubdelegato facta ad Papam non tenet, alioquin per illam ſuſpenderetur juriſdictio delegati, ut in cauſa alteri ſubdelegata procedere non poſſet, cuius hîc contrarium dicitur. Ratio eſt, quia Papa totam hanc cauſam delegato ſuo commiſit, ita, ut vices ipſius gerat, & in eo Papalis poteſtas, quoad hanc cauſam, adſit, quippe cùm illam delegatus non totam alteri commiſerit, ideo fruſtra hoc caſu appellaretur ad primum delegantem, nempe ad Papam. Abb. hîc num. 1. & Decius num. 1. Ex quo infertur, quòd delegatus Papæ, non ſolùm in cauſa principali, ſed etiam in cauſa appellationis repræſentat Papam, quando ab eius ſubdelegato appellatur, ideóque non ad Papam, ſed ad delegatum appellandum eſt, quia idem de cauſa appellationis, quod de cauſa principali judicatur. l. 1. ff. An per alium cauſæ appell. &c. Dec. c. l.

Aliud verò dicendum eſt in ſubdelegato alterius delegati, quàm Papæ, nam à tali ſubdelegato immediatè appellari poteſt ad Papam, omiſſo medio, nempe delegato, quia tum ceſſat prædicta ratio, cùm talis delegatus non repræſentet vices ipſius Papæ, ſed eius, qui ipſi delegavit, ſeu commiſit cauſam, Decius ibid. n. 1.

CXI. Porrò, quod dictum eſt, à ſubdelegato, cui delegatus Papæ, vel Principis vices ſuas non in totum commiſit, appellandum eſſe ad eundem delegatum ſubdelegantem, non verò ad primum delegantem, nempe Papam, id extenditur, ut, ſi delega- » tus cauſam alteri ſubdelegavit, donec revocet, vel » ita, ut executionem ſententiæ tantùm, vel aliquid » aliud de juriſdictione, ſive alium juriſdictionalem » articulum medium (v. g. litis conteſtationem, vel » teſtium receptionem) ſibi reſervârit, tum, ſi appelle- » tur à ſubdelegato, etiam poſt latam ſententiam, non » ad primum delegantem, ſed ad delegatum ſubdele- » gantem appellãdum erit, prout ſtatuitur in c. Si de- » legatus; 7. §. Ad eum quoque h. t. in 6. Ratio eſt, quia delegatus ſubdelegans, reſervando ſibi executionem ſententiæ, non poteſt cenſeri tunc totam juriſdictionem à ſe abdicâſſe, cùm adhuc poſſit exequi, & propter talem retentionem juriſdictionis poterit cauſam revocare ad ſe, & cognoſcere, &, ſi appellatum fuerit, etiam de appellatione cognoſcere. Franc. hîc n. 6. & Imol. in cit. c. Super; 27. §. Porrò, n. 9. extr. eodem. Idémque dicendum eſt, etiamſi delegatus vices ſuas in totum alteri commiſerit, ſive ſubdelegârit, non reſervatâ ſibi executione ſententiæ, ſed adiectâ clauſulâ, *donec revocaverit*, quia, cùm reſervare poſſe ſit juriſdictionis. l. Judic. ium; 58. ff. de judic. delegatus reſervando ſibi poteſtatem revocandi, aliquid de juriſdictione retinuit. Gl. hîc V. Revocandas; & ſic etiam hoc caſu non ad ad primum delegantem, ſed ad delegatum ſubdelegantem appellandum erit. Franc. hîc num. 6. Et quidem etiam tunc, ſi poſt latam ſententiam definitivam, ab eo appelletur, ut patet ex cit. §. Ad eum ibi, *etiamſi poſt ſententiam &c.* Barb. ibid. n. 15. Verumtamen, ſi articulus juriſdictionalis, quem delegatus ſibi reſervavit, jam peractus ſit, non ad ipſum poſtea, ſed ad primum delegantem appellandum eſt, cùm delegatus cenſeatur functus ſuo officio, poſtquã actus juriſdictionis reſervatus ab eo fuit expeditus, tunc enim exſpirat quoque juriſdictio delegata. Jo. Andr. in cit. §. Eum quoque: n. 1. & Franc. ibid. n. 7.

CXII. Atque hæc quidem procedunt de Jure Canonico. at verò Jure Civili generaliter ſtatutum videtur à ſubdelegato Principis, non ad ipſum delegatum ſubdelegantem appellandum eſſe, ſed ad quem ab eodem delegato jure appellaretur, id eſt, ad primũ dele-

delegantem. l. 1. §. 1. ff. Quis, & à quo appell. & aliis juribus allegatis apud Barb. in cit. c. Si delegatus; n. 7. h. t. quamvis in l. 1. C. Qui pro ſua juriſd. dicatur, à ſubdelegato Principis ad ſubdelegantem appellandum eſſe, nullâ factâ diſtinctione, an delegatus ſubdelegans totam cauſam commiſerit, vel aliquid ſibi de juriſdictione reſervaverit. Verùm communior ſententia DD. tenet, leges civiles, quæ aiunt, ad delegatum eſſe appellandum, intelligendas eſſe, quando non totam cauſam commiſit, ſed aliquid ſibi de juriſdictione reſervavit: illas verò, quæ dicunt, non ad delegatum, ſed ad primum delegantem, omiſſo medio, appellandum eſſe, intelligi debere, quando delegatus nihil ſibi de juriſdictione retinuit, conformiter Juri Canonico in c. Super; 27. §. Porrò, h. t. ut tenet Gloſſ. ibid. V. Ad eum. Abb. ibid. n. 4. Marant. de Ordin. judic. p. 4. diſ. 5. num. 27. Molin. tract. 5. diſ. 21. num. 6. Barb. in cit. c. Si delegatus; 7. num. 9. & 10. h. t. in 6. Ratio eſt, quia quando delegatus Principis ſubdelegat cauſam, unam, vel plures, reſervando ſibi aliquid de juriſdictione, tum non abdicat ſe totâ juriſdictione, ſed ſolùm judicem conſtituit, cui vices ſuas committit, ideóque ab hoc rectè appellatur ad ſubdelegantem tanquam eius Superiorem. juxta l. 1. C. Qui pro ſua juriſd. quando verò totam juriſdictionem transfert in ſubdelegatum, tum omnino deſinit eſſe Judex, adeóque non ad ipſum delegatum, ſed ad eius Superiorem, nempe primum delegantem appellari debet, juxta cit. l. 1. §. 1. ff. Quis, & à quo, Abb. c. l. & Barb. c. l. Quare, cùm inter leges Civiles, & SS. Canones non debeat facilè differentia conſtitui, ubi diverſum expreſsè ſtatutum non reperitur, ſed potiùs unum jus per aliud explicari, & ſuppleri debet, ideo etiam in propoſito Jus Civile ſecundùm Canonicum explicandum, & intelligendum eſt. arg. c. 1. de nov. oper. nunc. Abb. c. l. n. 4. & Barboſ. in cit. c. 7. n. 11.

» **CXIII.** Aſſertio 4. Si duo à Papa, ſeu Princi-
» pe ſint delegati, cùm clauſula, remotâ appellatio-
» ne, & unus committat vices ſuas alteri condelega-
» to (ſcilicet in totum, quod ſemper videtur facere,
» quando ſimpliciter committit vices ſuas. Hoſtienſ.
» hic V. Vices ſuas) ille, cui vices committuntur, non
» poteſt, nec debet, appellatione remotâ, procedere,
» nec cauſam alteri ſubdelegare: quamvis in dele-
» gatione facta duobus expreſsè contineatur, ut, ſi
» ambo non poſſunt pariter intereſſe, alter ſolus,
» appellatione remotâ, poſſit procedere: quia, quod
» poteſt (is qui recipit commiſſionem, ante eius re-
» ceptionem) ex ſola juriſdictione ſibi à Principe de-
» legata (ſcilicet appellatione remotâ, cognoſcere, &
» cauſam alij ſubdelegare) non poteſt cum juriſdi-
» ctione ſibi à condelegato commiſſa (poſt receptio-
» nem ſubdelegationis.) Quare ſi ab eo, cui vices
» ſuas alter delegatus commiſit, appelletur, non ad
» condelegatum, ſed ad primum delegantem appel-
» lari debet. Ita ſtatuitur in cit. c. Super quæſtionum,
» 27. §. Si verò; h. t.

Ratio prioris partis eſt, quia, licèt delegatus Principis poſſit procedere, appellatione remotâ (nam cum illa clauſula eſt delegatus) & quidem ſolus, ſi alter delegatus impeditus ſit, ob adjunctam aliam clauſulam expreſſam quoque in textu huius c. non tamen poteſt, à ta procedere, ſi ſubdelegationem à ſocio acceptavit, quia privilegium illud procedendi, appellatione remotâ, cenſetur à Principe conceſſum delegato ſuo, ob fidem, & induſtriam perſonæ ipſius, quòd non aliter judicaturus ſit, quàm ipſe Princeps: quare non potuit delegatus hoc privilegium, quippe perſonale, & alteri incommunicabile, collegæ ſuo ſubdelegare, & ſic delegatus Principis, propter admixtionem imperfectioris juriſdictionis, nempe ſubdelegatæ, non poteſt procedere, remotâ appellatione, nec ſubdelegare cauſam alteri, perinde, ac ſi tota eius juriſdictio eſſet ſolùm ſubdelegata, licèt aliàs ratione poteſtatis delegatæ ſibi à Principe, utrumque poſſet. Abb. hîc num. 3. & 4. nam ante acceptionem ſubdelegationis, procedit tantùm, ut delegatus Principis: poſtea verò, ut ſubdelegatus delegati, quia, quando concurrit juriſdictio delegata cum ſubdelegata juriſdictione in eadem perſona, in effectu cenſetur eſſe juriſdictio ſubdelegata potiùs, quàm delegata. Et habet tunc locum commune illud axioma Philoſophicum, quòd effectus ſequitur deteriorem partem ſuæ cauſæ, ſive quòd bonum, ſeu perfectum ſit ex integra cauſa, malum autem, ſeu imperfectum ex quolibet defectu: ut in propoſito delegatus Principis non poteſt, propter adjunctam ſubdelegationem, quæ eſt minùs perfecta, quam delegatio, præſtare ea, quæ alioquin ratione delegationis ſuæ poſſet. Laym. in cit. §. Si verò in fine.

CXIV. Ratio poſterioris partis, cur non poſſit à delegato, cui ſubdelegatio facta eſt, appellari ad condelegatum ſubdelegantem, eſt, quia vel ei tota cauſa commiſſa fuit à condelegato, vel pars ſolùm. Si primum, ceſſavit omnis juriſdictio ſubdelegantis, quia nihil ſibi de illa reſervavit. Si ſecundum, rurſum ad illum appellari non poteſt, quia ſequeretur, quòd ſubdelegans cognoſceret de facto collegæ ſui, cùm tamen par in parem imperium non habeat. c. Innotuit; 20. de elect. & appellatio fieri debeat ad Superiorem Judicem, & non ad parem, uterque autem delegatus pares ſunt in cauſa ipſis delegata, ideóque ab uno ad alterum appellari non poteſt. Gl. in cit. §. Si verò V. Si non poſſunt, & Abb. ibid. n. 5. Neque etiã dici poteſt, quòd hoc caſu appelletur à ſubdelegato ad delegatum, non quà talem, ſed tanquam ad ſubdelegantem, qui, ut ſic, eſt ſuperior ſubdelegato; nam, cùm juriſdictio delegati, cui ſubdelegatio facta eſt à ſocio, individua ſit, & is unam ſententiam proferat, adhuc re ipsâ appellaretur à pari ad parem in hoc caſu: vel, ſi ab eo non poſſet appellari, ſubdelegatus procederet, remotâ appellatione, quod dici non poteſt, ob rationem ſuprà allatam. Quare hoc caſu ad primum delegantem, videlicet Papam, ſeu Principem appellandum eſt. Porrò etſi delegatus Principis poſſit ſubdelegare, ſive vices ſuas alteri committere, etiã in totum, non tamen poteſt juriſdictio ſubdelegata iterum ſubdelegari, ſive non poteſt delegatus etiam Principis dare ſubdelegato poteſtatem iterum ſubdelegandi alteri, quia eſt delegatus ab alio, quàm à Principe, prout ſumitur ex cit. §. Si verò, & dictum ſuprà num. 20. Similiter, etſi delegatus Principis poſſit cauſam cognoſcere, appellatione remotâ, ſi ipſi cum tali clauſula cauſa ſit commiſſa: non tamen poteſt alteri cauſam cõmittere, ſeu ſubdelegare, ut procedat, appellatione remotâ, cùm ſol⁹ Princeps ſupre-

mus

mus poſſit removere, ſeu tollere remedium appellationis, Abb. hîc n. 5.

§. III.

Quibus caſibus à ſubdelegato, non ad ſubdelegantem, ſed ad primum delegantem ſit appellandum, & ad quem ab arbitris appellatio fieri debeat?

Dictom eſt §. præced. regulariter, ſeu ordinariè à ſubdelegato, cui cauſa non tota commiſſa erat, ſed reſervatâ ſubdeleganti ſententiâ, vel ejus executione, aut alio articulo juriſdictionali, appellandum eſſe ad ſubdelegantem, ut conſtat ex c. Cùm te; 18. et c. Super quæſtionum; 27. §. Porrò; h. t. ſunt tamen plures hujus regulæ limitationes, de quibos hoc §. agemus.

CXV. Aſſertio 1. Si is, v. g. Epiſcopus, vel Abbas, cui, licèt oomine proprio non expreſſo, à Sede Apoſtolica cauſa delegata fuerat, non in totum vices ſuas alicui ſubdelegaverit, ſed reſervatâ ſibi v. g. ſententiâ: interim verò accidat, ut delegatus ſubdelegans excommunicationem (majorem) incurrat, vel mo iatur: hoc caſu, ſi à ſubdelegati ſententia appelletur, ad primum delegantem, videlicet ad Papam appellari debet, ne, ſi diutius exſpectandum ſit, donec delegatus ab excommunicatione abſolvatur, vel ſucceſſor, ſive alius Prælatus in locum demortui ſubſtituatur, cauſæ expeditio, cum partium litigantium præjudicio, nimis diu protendatur. Ita ſtatuitur in c. Si is, cui; 30. h. t. in 6.

CXVI. Notandum 1. Duo hîc caſus afferuntur, in quibus à ſubdelegato, non in totum, non ad ſubdelegantem, ſed eo prætetito, quaſi deficiente gradu proximo, ad primum delegantem deferenda eſt appellatio, nempe cùm delegatus eſt mortuus, vel excommunicatus. Anchar. hic num. 2. idémque eſt, ſi ſit ſuſpenſus, vel hæreticus. Barb. hîc in Collect. n. 6. Ratio eſt, quia etiam quædam, quæ aliàs ſunt contra jus commune, mutantur, ſeu ſpecialiter conſtituuntur, ob vitandum præjudicium, quod probabiliter litigantibus, vel alijs imminet, c. Abbate; 3. de ſent. & re judic. in 6. Gloſſ. hîc in notat. Quòd ſi delegatus cauſam ſubdelegavit in totum, nullâ reſervatione factâ, indiſtinctè appellari debet ad primum delegantem, ut ex ſuprà dictis patet. Gloſſ. hîc V. Non in totum.

Notandum 2. Non ſolùm in prædictis duobus caſibus excommunicationis, vel mortis delegati, ſed etiam propter diuturnam abſentiam, aut longinquam diſtantiam ejuſdem delegati, eo prætermiſſo, à ſubdelegato ad primum delegantem appellari poteſt; ſecus, ſi brevis ſolùm ſit, vel modica abſentia, tum enim ad ipſum, qui cauſam ſubdelegavit, appellari poterit. Anchar. hîc not. 4. & Franc. not. 3. & univerſim, ſi impedimentum juriſdictionis ſit ſublatum, vel non diu duraturum, ut quia v. g. delegatus mox ab excommunicatione abſolvetur, vel alius ſucceſſor ei brevi ſubſtituetur, tum non ad primum delegantem, ſed ad delegatum ſubdelegantem appellatio deferri debet, quia propter modicum, vel non diuturnum impedimentum cauſæ protrahendæ, non eſt recedendum à Jure communi. Gl. hîc V. Durante; & Anchar. c. l. Laym. n. 1.

Notandum 3. Si Epiſcopus, vel alius Judex ordinarius, cùm ut ſuſpectus eſſet recuſatus, cauſam principalem delegavit, tum ab hujuſmodi delegato, non ad ipſum Epiſcopum, vel Ordinarium delegantem, ſed eo tanquam ob ſuſpicionem impedito prætermiſſo, ad Archiepiſcopum, vel alium Superiorem ejus immediatum eſt appellandum, ut tradunt plures DD. apud Barb. in Collect. hîc n. 8.

CXVII. Aſſertio 2. Si duo ex tribus Judicibus à Sede Apoſtolica delegatis, vices ſuas alijs duobus ſubdelegaverint, non in totum (id eſt, non totam cauſam, ſed tantùm partem, ſeu articulum cauſæ juriſdictionalem) tum, ſi tertius delegatus, cum duobus ſubdelegatis, ad articuli illius cognitionem proceſſerint, & ab ipſis (ſcilicet delegato, & ſubdelegatis) appelletur, non ad condelegatos, vel ſubdelegantes, ſed ad Papam velut primum delegantem appellandum eſt, prout ſtatuitur in c. Si duo; 3. h. t. in 6. quæ eſt ſecunda limitatio doctrinæ ſuprà traditæ, niſi cum ſubdelegato, uno, vel pluribus cognoſcat delegatus, licèt aliàs ordinariè, ſi non tota cauſa, ſed tantùm pars, ſive articulus cauſæ delegatus ſit, à ſubdelegatis appellari ſoleat ad ſubdelegantem, cit. c. Super quæſtionum; §. Porrò; h. t. Ratio hujus exceptionis eſt, tum quia, quoties in aliqua cauſa concurrunt plures judices habentes diverſam juriſdictionem, attenditur, quoad appellationem, juriſdictio dignior; delegata autem dignior eſt, quàm ſubdelegata, dignius enim, ſeu potentius trahit ad ſe minùs dignum, ſeu potens, quando ſimul concurrunt, etſi hoc numero excedat; ut in propoſito, ſi unus ex tribus delegatis cauſam cognoſcat, cum duobus ſubdelegatis. Gloſſ. hîc In notatis. Anchat. num. 3. Barb. ibid. n. 2. & 5. tum quia appellatio eſt à minore ad majorem, ſeu Superiorem provocatio, l. 1. §. Si quis; ff. de appell. c. Anteriorum; 28. cauſ. 2. q. 6. in præſenti verò caſu, ſi ad condelegatum appellaretur, ſaltem pro parte appellaretur à pari ad parem, nempe à delegato ad condelegatos, quod fieri non poteſt. Gloſſ. fin. in cit. c. Si duo. Sic etiam, quando in eadem cauſa concurrunt Ordinarius, & delegatus Papæ, ſeu Principis, appellatio, non ad Superiorem ordinarij, ſed ad delegantem, videlicet Papam, interponi debet, quia delegata juriſdictio dignior eſt, idcóque trahit ad ſe juriſdictionem ordinariam velut minùs dignam; uti fit, ſi Inquiſitores fidei, & Ordinarius, vel Ordinarij ſimul procedant, etſi hi numero plures ſint. Anchat. hîc not. 3. Abb. in cit. c. Super quæſtionum; §. Si verò; num. 5. h. t. Quomodo etiam, ſi Judex Eccleſiaſticus, & ſecularis ſimul cognoſcant, appellatio deferri debet ad Superiorem Judicem Eccleſiaſticum veluti digniorem, ut docet Bart. in l. 1. §. Si quis; n. 13. ff. de appellat. & alij apud Barboſ. hic n. 4.

CXVIII. Extenditur autem limitatio, ſeu deciſio cit. c. Si duo; 1. ut etiam locum habeat, ſi unus tantùm ex tribus delegatis ſubdelegavit non in to-

tum vices ſuas alteri; vel duo illi, non alijs duobus, ſed uni tãtùm vices ſuas commiſerunt, tum enim multò magis appellandum eſt à ſubdelegato ad primum delegantem, non ad delegatos, utpote æquales, quia tunc ceſſat ratio dubitandi deſumpta ex majore numero ſubdelegatorum, cùm unus tantùm ſit ſubdelegatus. Gl. hìc V. Ex tribus; Barb. n. 6.

Extenditur 2. Si duo tantùm ſint delegati, & unus ex illis ſubdelegavit vices ſuas in totum alicui alteri: alter verò delegatus tantùm partem, reſervatâ ſibi parte aliquâ juriſdictionis, tunc quoque, ſi à ſubdelegatis appelletur, non ad illum delegatum, qui partem juriſdictionis retinuit, ſed ad primum delegantem appellandum eſt, quia hoc caſu, attenditur ſolùm, quoad appellationem, ſubdelegatio illius, qui in totum ſubdelegavit. Franc. hìc in Gl. 2. Barb. ibid. n. 7.

Extenditur 3. Si ex tribus delegatis duo vices ſuas non extraneis, ſed tertio collegæ, ſeu condelegato ſuo committant, ſive in totum demandent (de quo non poteſt eſſe dubium, quia tunc ſemper appellatur ad primum delegantem, c. Super; 27. §. Porrò; h. t. Gloſſ. hìc V. Non in totum,) ſive reſervando ſibi aliquid de juriſdictione: tum enim non ad condelegatos ſubdelegantes, ſed ad primum delegantem appellandum eſt, quia cùm in perſona tertij delegati concurrat delegata, & ſubdelegata, juriſdictio, prior ſolùm attenditur, tanquam dignior. Gloſſ. hìc V. Duobus alijs; & Barboſ. num. 8. & 9. Quòd ſi verò in reſcripto delegationis tribus à Papa factæ, appoſita eſſet clauſula: *quòd ſi non omnes, &c. duo, vel unus ſolus procedat:* & duo ex delegatis ſubdelegarent alijs, tertius verò non committeret vices ſuas alij: tum ab illis duobus ſubdelegatis ad delegatos ſubdelegantes rectè appellaretur, & non ad primum delegantem, ceſſat enim prædicta ratio. Barboſ. hìc num. 10. quia ſolùm appellaretur ad delegatos, qui ſunt majores ſubdelegatis, à quibus appellatur.

» CXIX. Aſſertio 3. Si delegatus Papæ cauſam » alteri ſubdelegavit, non in totum, ſed reſervatâ » ſibi juriſdictione aliquâ, v. g. ſententiâ, vel execu» tione, & pars citata à ſubdelegato coram eo exci» piat, quòd non teneatur eum admittere, ſeu coram » ipſo reſpondere, eò quòd Papa delegans mortuus » fuerit, antequam per ipſum delegatum, vel ſubde» legatum in cauſa proceſſum, ſive cauſa cœpta fuiſ» ſet; hoc caſu, ſi pars litigans à ſententia ſubde» legati appellet, non ad delegatum ſubdelegantem, » cùm juriſdictionem habere negetur, ſed ad pri» mum delegantem appellari debet. Idémque di» cendum in alijs omnibus caſibus, in quibus dele» gatus juriſdictionem habere negatur: ubi etiam » ratio additur: quia, ſi appellari deberet ad ipſum » delegatum delegantem, appellans eſſet ſibi ipſi » contrarius, quia appellando fateretur, delegatum » juriſdictionem habere, quod tamen antea, exci» piendo contra eundem, negaverat. ita ſtatuitur in c. Si à ſubdelegato; 14. h. t. in 6. contraria autem allegans non eſt audiendus, c. Solicitudinem; 54. in fine de appellat. l. 1. C. de furtis. Gloſſ. fin. hìc. Atque hæc eſt tertia exceptio, ſeu limitatio regulæ ſuprà traditæ, quòd ſi delegatus Papæ cauſam, non in totum ſubdelegavit, & appelletur à ſubdelegato, appellandum ſit ad delegatum ſubdelegantem. Gloſſ. hìc in princ.

Porrò alias cauſas, ob quas negari poteſt, juriſdictionem delegato competere, & conſequenter etiam ſubdelegato, recenſet Gl. hìc V. In alijs caſibus, ut, ſi dicatur, delegatum ſubdelegantem, tempore reſcripti dati, excommunicatum fuiſſe, vel aliàs incapacem delegationis ipſi factæ, vel commiſſionem delegato factam revocatam eſſe à primo delegante, vel ob alias ſimiles cauſas, quibus juriſdictio ſubdelegati impugnari poteſt, ob defectum juriſdictionis ſubdelegantis, quia exceptio, quæ obſtat ſubdeleganti, & afficit, ſeu concernit juriſdictionem ipſius, etiam obſtat ſubdelegato, à quo hic juriſdictionem accepit, infirmatâ enim juriſdictione auctoris, infirmatur etiam juriſdictio ſucceſſoris. Anchar. hìc not. 1. & ſeqq.

CXX. Hinc præterea colligitur 1. Quòd etiam ipſe Judex ſubdelegatus poſſit, ſi negetur, ipſi juriſdictionẽ competere, de hoc cognoſcere, & pronunciare, quia fungitur vice delegati ſubdelegantis, ſicut ergo ipſe cognoſcere potuiſſet, ſi coram ipſo talis exceptio propoſita fuiſſet, ita & ipſe ſubdelegatus. Anchar. hìc in fine.

Colligitur 2. Allegans, judicem non habere juriſdictionem, ad eum appellare non poteſt, quia appellatio debet interponi ad Judicem, qui habeat juriſdictionem in cauſa, in qua appellatur, unde, ſi neget, eam ipſi competere, tanquam ſibi ipſi contrarius repelli debet. Franc. hìc n. 1. not. ult.

Colligitur 3. Quamvis delegare, vel ſubdelegare cauſam alteri ſit actus juriſdictionis, tamen per talem actum, ſi primus delegans moriatur, ante partium citationem, non perpetuatur juriſdictio, etiamſi ſit ſubdelegatio facta, ut ſatìs colligitur ex hoc c. ibi: *antequam per eum,* ſcilicet ſubdelegatum, *vel per ipſum delegatum, in aliquo proceſſum fuiſſet,* ergo, ſi moriatur primus delegans, antequam delegatus ſubdelegans, vel ſubdelegatus in cauſa proceſſit, ſive juriſdictione uti cœpit, exſpirat juriſdictio, ut contra Gloſſ. hìc V. Proceſſum; docet Franc. hìc n. 2. in Gl. V. eod. de quo infrà.

CXXI. Aſſertio 4. Si appelletur ab arbitris, » qui ſecundùm formam juris, & ex ipſius præſcri» pto, à partibus ſunt eligendi, ut de cauſa ſuſpicio» nis Judici (delegato à Papa) objecta cognoſcant » (juxta c. Suſpicionis; 39. h. t. et c. Si contra; 4. » eod. in 6.) vel, ſi appelletur ab arbitris, qui eligi de» bent, quando diverſi Judices ſuper revocatione lit» terarum Apoſtolicarum in unam ſententiam con» curdare nequeunt (juxta c. Paſtoralis; 14. in princ. » de reſcript.) his caſibus, ſi gravaverint, ad Sedem » Apoſtolicam eſt appellandum. Ita ſtatuitur in c. » Ab arbitris; 11. h. t. in 6. Ratio eſt, quia, ſicut Judices iſti ſunt ſuſpecti circa cauſam principalem; ita etiam circa acceſſoriam, à qua appellatur. Gl. hìc in caſu: ut quia arbitri gravârunt partes, ſive ante ſententiam, nimis brevem dilationem dando, c. 1. de dilation. ſive quia iniquam ſententiam tulerunt, pronunciando, Judicem eſſe ſuſpectum, qui ſuſpectus non eſt probatus, vel è converſo. Gloſſ. hìc V. Gravaverint. Quare non ad Judicem recuſatum in cauſa ſuſpicionis, nec ad Judices diſcordantes, in cauſa revocationis litterarum Apoſtolicarum, ſed

ad

ad Papam eſt appellandum, quia iſti arbitri, etſi eliguntur à partibus, cùm de illarum præjudicio agatur, tamen poteſtatem habent, non à partibus, ſed ab ipſo jure, ideóque rectè ad Papam ab illis appellatur, qui eſt velut lex animata in terris. Gloſſ. hîc V. Juris; & quia funguntur vice delegatorum ipſius S. Pontificis, & loco eorum ſubrogantur, licèt non poſſint ſubdelegare, ſicut etiam aliàs à delegatis Papæ ad eundem appellatur. Franc. hîc in Gloſſ. 2. & Barb. n. 7. Idémque dicendum eſt de arbitris juris electis ad audiendam cauſam, quam Epiſcopus movet contra ſuum ſubditum, quia illo etiam caſu ex neceſſitate, & diſpoſitione juris eligendi ſunt arbitri, c. Si Clericus; 46. cauſ. 11. q. 1. ideóque etiam ab illis ad Sedem Apoſtolicam appellandum eſt. Gl. fin. hîc. non ad Epiſcopum, qui in ſua cauſa Judex eſſe non poteſt: neque etiam ad Archiepiſcopum, qui non poteſt adiri per viam appellationis, niſi quando ab Epiſcopo appellatur, c. 1. in princ. de offic. Ord. Barb. hîc n. 9. in fine.

Nec refert, quòd ab arbitris appellari non poſſit, l. 1. C. de recept. arbitr. Nam, licèt ab arbitris voluntarijs, ſeu Compromiſſarijs, qui liberâ partium voluntate, ſeu conventione eliguntur, non appelletur: ab arbitris tamen neceſſarijs, qui ex juris præcepto, ſeu diſpoſitione, vel ex præſcripto alicujus ſtatuti; vel judice cogente, à partibus eligi debent, appellari poteſt ad Judicem ordinarium, ſeu eum, qui ad arbitros eligendos partes coëgit: idque, tum quia arbitrorum juris pronunciatio magis ad naturam ſententiæ judicialis accedit, ut tradit Mynſing. cent. 4. obſerv. 68. tum quia æquum eſt, ut potiùs per remedium appellationis ſuccurratur ijs, qui arbitros eligere compulſi ſunt, quàm ijs, qui ſponte in eos conſenſerunt. Gloſſ. fin. hîc, & Anchar. in fine.

§. IV.

An delegatus Papæ poſſit abſolvere eum, qui dicit, ſe ab Ordinario ſuo injuſtè, vel poſt legitimam appellationem, excommunicatum eſſe?

CXXII. De hoc agitur in c. Cùm contingat; 36. h. t. ubi talis caſus proponitur: Aliquis conqueſtus fuit apud Papam, ſe à ſuo Epiſcopo, poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam legitimè interpoſitam, vel aliàs injuſtè excommunicatum fuiſſe: Pontifex autem Judicibus delegatis mandavit, ut, ſi res ita ſe habeat, juxta formam Eccleſiæ, eundem abſolvant, vel, ſententiam excommunicationis nullam eſſe, declarent. At verò Epiſcopus paratus erat probare, quòd ante appellationem factam, vel aliàs eum excommunicaverit. Unde quæſitum fuit, an liceat Judicibus delegatis excommunicatum abſolvere, vel denunciare, ſententiam excommunicationis eſſe nullam, non admiſſis probationibus Epiſcopi? Reſpondet Papa Innocentius III. ſi quis conqueratur, ſe, poſt appellationem legitimè ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, excommunicatum fuiſſe, probationes utriuſque partis admittendas eſſe, antequam abſolvatur, ex quibus apparebit, an conquerens indigeat abſolutione, quia injuſtè fuit excommunicatus: vel potiùs, an declarandus ſit, illâ non fuiſſe ligatus, eò quòd excommunicatio fuerit omnino nulla (quia nimirum poſt interpoſitam appellationem lata fuit, vel quia intolerabilem juris errorem contineet, juxta c. Per tuas; 40. de ſentent. excomm.) Si verò excommunicatus dicat, ſe injuſtè, ſeu illicitè excommunicatum fuiſſe, tum ordinariè ſtatim abſolvendus eſt, antequam ejus probationes admittantur: præterquam ſi aſſerat; in ſententia excommunicationis intolerabilem errorem eſſe expreſſum, ad quod probandum admitti debet, antequam abſolvatur. Verùm, ſi quis dicat, ſe injuſtè excommunicatum fuiſſe, Epiſcopus ad probationes, quòd juſtè ipſum excommunicaverit, admitti non debet, antequam ille abſolvatur. Nam, etſi certò conſtaret, juſtè, ac licitè eum excommunicatum eſſe, nihilominus tamen humiliter petenti abſolutionem ea impertienda eſſet (ſi ſatisfacere paratus ſit.) Quare hoc caſu non, niſi poſt abſolutionem, probationes utriuſque partis ſunt admittendæ, ut appareat, juſtène, an injuſtè reus ab Epiſcopo fuerit excommunicatus.

CXXIII. Porrò ex hoc c. colliguntur duæ regulæ. Prima eſt, quòd conquerens, ſe injuſtè excommunicatum eſſe, ita tamẽ, ut neget, validè latam fuiſſe excommunicationem, hoc caſu, ante omnia, abſolvi debet, juxta formam Eccleſiæ, præſtitâ ſcilicet cautione, quòd Eccleſiæ mandatis ſit pariturus, c. Ex tenore; 10. de ſentent. excomm. et c. Ex parte; 23. de verb. ſignif. Ratio eſt, quia excommunicatio, injuſta quidem, ſed non ipſo jure nulla, ligat ſaltem in foro externo, & ideo, antequam admittantur probationes, abſolvendus eſt reus, quia etſi poſtea probetur, excommunicationem fuiſſe injuſtam, nihilominus abſolutio petenda eſt, & impertienda, cùm, ut ſupponitur, excommunicatio fuerit valida, fruſtra autem exſpectatur eventus, cujus nullus eſt effectus. Abb. hîc n. 1. 2. & 4. ubi tamen id limitat: niſi excommunicator, vel is, ad cujus petitionem lata fuit excommunicatio, paratus ſit probare, illam latam eſſe, propter notorium delictum, aut contumaciam, tunc enim non debet abſolvi, probatâ excommunicatione, niſi priùs ſatisfecerit.

Secunda regula eſt, ſi quis proponat, ſententiam excommunicationis in ſe latam eſſe nullam, ſive, quia lata eſt, poſt appellationem legitimam; ſive, quia error intolerabilis in illa eſt expreſſus, qui duo caſus exprimuntur in hoc c. ſive ob alias cauſas excõmunicatio dicatur nulla, his caſibus, recipi debent probationes utrinſque partis, ſuper invaliditate excommunicationis, antequam declaretur nulla. Ratio eſt, quia, ſi probetur, invalidam fuiſſe excommunicationem, non eſt opus abſolutione, cùm ſentẽtia ipſo jure nulla ligare non potuerit: & ideo, ut conſtet, an reus indigeat abſolutione, priùs admitti debet probatio. Abb. hîc n. 2. ubi etiam id limitat, niſi probare volens nullitatem excommunicationis, præſtitâ cautione, petat ſe abſolvi ad cautelam, tum enim abſolvi debet, ante omnem probationem, c. Solet; 2. de ſentent. excomm. in 6.

His

Digitized by Google

His addi debet tertia regula, ſi excommunicatus ſimpliciter petat abſolutionem, non allegando, an injuſta, vel irrita fuerit excommunicatio, tum enim cenſetur illam fateri, arg. l. Ad ſolutionem; 5. C. de re judic. ubi dicitur, quòd, qui petit dilationem ad ſolvendum à judice, ejus ſententiæ acquieſcere manifeſtè probatur. Barbatia apud Laym. hîc n. 1. adeóque ſtatim abſolvendus erit, ſi ſatisfacere paratus ſit, ut ex dictis patet.

SECTIO VI.

DE PROROGATIONE jurisdictionis Judicis delegati, & ejuſdem recuſatione.

§. I.

De prorogatione, ſive extenſione juriſdictionis delegatæ.

CXXIV. Aſſertio 1. Juriſdictio delegata non poteſt, etiam ex partium conſenſu, prorogari, ſeu extendi ad perſonas in reſcripto delegationis non expreſſas, ut conſtat ex c. P. & G. 40. h. t. Nam, cùm » Publius, & Gaſpar Mercatores litteras Apoſtoli» cas impetrâſſent, contra Epiſcopum Londonen» ſem ad Abbatem S. Genovefæ, eò quòd mutuum » ab ipſis conceſſum dicto Epiſcopo, is promiſſo lo» co, & tempore eiſdem non ſolverit: pendente hoc » judicio, quidam laicus, qui & ipſe Mercatori cer» tam pecuniæ ſummam debebat, coram eodem Ab» bate delegato Apoſtolico, voluit juriſdictionem » (ſcilicet delegatam, non ordinariam. Gloſſ. hîc V. » Juriſdictionem) ejuſdem in ſe prorogare, ita, ut, ſi » intra tempus conſtitutum, debitam pecuniæ ſum» mam non ſolverit, ipſe Abbas, tanquam delegatus » Papæ, excommunicationis, & interdicti ſententiam » in ipſum, & terram ejus promulgaret. Re hac de» latâ ad Gregorium IX. is reſpondit, cenſuras ab » Abbate eâ occaſione in dictum laicum latas, inva» lidas eſſe: nam etſi aliàs Abbas ille juriſdictionem » aliquam (ſcilicet ordinariam) habere dicatur (& ſic potuiſſet idem Laicus in illum conſentire, & illum ſibi judicem conſtituere, prorogando juriſdictionem ejuſdem ordinariam. Gloſſ. hîc V. Juriſdi» ctioni) quia tamen is Abbatis juriſdictioni ſubje» ctus non fuit, non potuit juriſdictionem delegatam » ipſius prorogare, quia delegata juriſdictio non po» teſt ad alias perſonas (quàm quæ in reſcripto de» legationis continentur) prorogari, ſeu extendi. Quare in caſu hujus c. Laicus ille, quod voluit, ſcilicet juriſdictionem delegatam Abbatis prorogare, non potuit; quod verò potuit, ſcilicet ordinariam juriſdictionem ejuſdem prorogare, non voluit, nec intendit; & ſic utraque prorogatio invalida fuit; prior, ob defectum poteſtatis; poſterior, ob defectum voluntatis, cùm ad validam prorogationem, & poteſtas, & voluntas prorogantis requiratur. Gl. hîc V. Juriſdictioni præeſſe; & Hoſtienſ. V. Juriſdictionis prorogatio. Ratio autem, cur delegata juriſdictio de perſona ad perſonam prorogari, ſeu extendi non poteſt, eſt, quia, cùm ſit ſtrictæ interpretationis, & potiùs ad delegantem pertineat, quàm ad delegatum, ideo ſinè conſenſu delegantis, ultra perſonas, vel cauſas in reſcripto, ſeu mandato commiſſionis expreſſas prorogari, ſeu extendi non poteſt: nam delegatus juriſdictionem non abſolutam, ſed limitatam ad certas cauſas, & perſonas habet, quæ limitatio exactè ſervanda eſt. Hoſtienſ. hîc V. Ad alias perſonas. Abb. ibid. n. 5.

CXXV. Excipitur 1. Niſi perſonæ non expreſſæ in reſcripto delegationis per accidens, ſeu acceſſoriè veniant, ob proprium intereſſe, quod in cauſa delegata habent; tum enim juriſdictionem delegati prorogare poſſunt, ut, ſi tertius aliquis, cujus intereſt, jus ſuum proponat coram delegato, vel, ſi fidejuſſor datus coram delegato ad ſatisfaciendum compelli debeat. Felin. in cit. c. P. & G. n. 5. limit. 2. & 3. h. t. Abb. ibid. n. 13.

Excipitur 2. Niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum, illius enim juriſdictio prorogari poteſt. Gloſſ. in l. 1. V. Qui tribunal; ff. de judic. nam iſta juriſdictio ordinariæ æquiparatur, & quaſi ordinaria cenſetur, ſecundùm Gloſſ. in c. Cùm cauſam; 62. V. Delegatus; in fine de appellat. ac proinde, ſicut ordinaria juriſdictio, cum partium conſenſu, ad perſonas, alioquin non ſubjectas, prorogari, ſeu extendi poteſt, cit. l. 1. junctâ Gloſſ. ff. de judicijs. Felin. in cit. c. P. & G. num. 4. limit. 6. h. t. quamvìs Abb. ibid. n. 5. hanc exceptionem non admittat, tum quia in cit. c. hîc indiſtinctè dicitur, quòd juriſdictio delegata prorogari non poteſt: tum quia eadem ratio prohibitionis videtur locum habere, tam in delegato ad univerſitatem cauſarum, quàm in delegato ad certam cauſam, nempe quia juriſdictio delegata non eſt delegati, ſed delegantis, cujus is vices gerit, ideóque ſinè hujus conſenſu prorogari non poteſt. Nihilominus negari non poteſt, quin juriſdictio delegata ad univerſitatem cauſarum magìs accedat ad naturam juriſdictionis ordinariæ, quàm delegatæ, ideóque non eſt eadem omnino in utraque delegatione ratio.

CXXVI. Præterea ex cit. c. P. & G. colligitur 1. Quòd juriſdictio delegata non poteſt prorogari, ſeu extendi, ad perſonas non contentas in reſcripto delegationis, etiamſi illa concurrat cum juriſdictione ordinaria in eadem perſona, quæ aliàs prorogari poteſt, ut, ſi cauſa aliqua Epiſcopo ſit delegata à Papa. Abb. hîc num. 5. not. 2. & patet ex hoc c. nam Abbas ad S. Genovefam, non ſolùm juriſdictionem delegatam à Papa, ſed etiam ordinariam aliquam habuit, ut colligitur ex illis verbis: *cùm etſi aliàs juriſdictioni præeſſe dicatur*: & tamen juriſdictio ejus delegata prorogari non potuit.

Colligitur 2. Reus Laicus poteſt ſe etiam coram Judice alieno, cujus juriſdictionem ordinariam in ſe prorogare intendit, obligare ſub pœna excommunicationis incurrendæ, niſi v. g. intra definitum tempus debitum ſolverit. Gloſſ. hîc V. Promulgares; Abb. ibid. n. 6. & alij DD. communiter, & patet ex cit. c. P. & G. ſicuti etiam ſe aliquis poteſt obligare ſub pœna beneficij ſui amittendi, c. Cùm dilectus; 32. propè fin. de elect. et c. ult. junctâ Gloſſ. V. Cauſæ de crimin. falſ. Gloſſ. V. cit. modò tamen id ſuperior ratum habeat, ut notat Gloſſ. margin. ibidem. Plura de hoc videri poſſunt apud Abbat. hîc num.

num. 6. Felin. ibid. n. 2. Imol. n. 25. quæ res aliò pertinet.

CXXVII. Aſſertio 2. Sed neque juriſdictio delegata poteſt prorogari, ſeu extendi de re ad rem, ſive de cauſa expreſſa ad non expreſſam in reſcripto delegationis, ſi ea connexa non ſit, ſed ſeparabilis: quemadmodum nec mandatum procuratoris extendi debet ad ea, quæ in eo non ſunt expreſſa, vel cum expreſſis non ſunt neceſſariò connexa, prout ſumi- » tur ex c. Cùm olim; 32. h. t. Nam, cùm Abbas qui- » dam, & Conventus ejus conqueſti eſſent de Comite » Altiſſiodorenſi, quod ſtagnum, molendinum, & do- » mum in territorio eorum conſtruere niteretur, in » gravamen eorundem, impetrârunt à Papa, ut cauſa » hæc Epiſcopo, & Theſaurario Nivernenſi delegare- » tur. Coram his lite conteſtatâ, & receptis utriuſque » partis teſtibus, & atteſtationibus eorum publicatis, » Comes oppoſuit, quòd Judices delegati de damnis » in nemoribus, & rebus alijs illatis, ſuper quibus te- » ſtes depoſuerunt, cognoſcere non debeant, cùm in » reſcripto delegationis Apoſtolicæ nulla de damnis » mentio facta ſit. Sed Judices de exceptione hac co- » gnoſcentes per ſententiam interlocutoriam pro- » nunciârunt, quòd ad ipſos pertineat etiã de damnis » cognoſcere. Quo audito, Comes ab hac ſententia » appellavit ad Sedem Apoſtolicam: Judices verò, non » obſtante appellatione Illâ, velut non legitimâ, Co- » mitem denuò ad Judicium citârunt, & cùm nec per » ſe, nec per alium compareret, ipſum excommunicâ- » runt. Re hac ad Papam Innocentium III. delatâ, is re- » ſpondit: cùm ad Judices delegatos cognitio de da- » mnis illatis non pertinuerit, antequam lis fuit con- » teſtata, eò quòd de his in reſcripto nulla mentio fa- » cta fuerit: neq; ad dictos Judices juriſdictio delegata » potuerit prorogari, ſeu extendi, quia procurator ad » illa ſolùm conſtitutus eſſe cenſetur, quæ in litteris » cõmiſſionis, ſeu mandato procuratorio ſunt expreſ- » ſa: & poſtquã Comes, publicatis atteſtationibus, in- » tellexit, ſuper damnis illatis teſtes examinatos de- » poſuiſſe, ſtatim contradixit: ideo Papa pronunciavit, » Judices illos perperam proceſſiſſe, ſive interlocutos » fuiſſe, & Comitem ab illis legitimè appellâſſe, & » conſequenter ſententiâ excommunicationis ab il- » lis latâ eundem ligatum non fuiſſe.

CXXVIII. Notandum hîc 1. Cùm reſcriptum delegationis ſit ſtrictæ interpretationis, non debet extendi ultra ea, quæ in ipſo ſunt comprehenſa; vel eis inſeparabiliter connexa; cùm ergo in propoſito caſu, mandatum cognoſcendi, utrùm Comes habeat jus ædificandi in alieno fundo, & jus cognoſcendi de damnis illatis ſint diverſa, & ſeparari poſſint, nam diverſas actiones requirunt, ideo mandatum, in quo conceditur poteſtas cognoſcendi de jure ædificandi, non debet extendi ad poteſtatem cognoſcendi de damnis illatis, quippe à priore diverſam, & ſeparabilem, ſi de illa nulla fiat mentio in reſcripto. Abb. hîc num. 3.

Notandum 2. Si cauſa non expreſſa connexa ſit cauſæ delegatæ expreſſæ: ut ſi alicui commiſſum ſit, ut de illata injuria, damno, aut ſpoliatione cognoſcat, vel judicet, poteſt is partem lædentem compellere ad reſtitutionem, vel ſatisfactionem præſtandam, quia hæc ſunt acceſſoria, & connexa cauſæ commiſſæ, ideóque etiam eâdem actione peti ſolent. Innocent. hîc n. 2. Jo. Andr. n. 8. & Abb. n. 7. Ex quo infert Laym. hîc n. 3. ſi in caſu hujus c. Comes, poſt litem conteſtatam, cauſâ proſequendi juris ædificandi, damnum in nemoribus intuliſſet, potuiſſent Judices delegati de eo cognoſcere, quia tunc damnum cauſæ delegatæ annexum fuiſſet, ut per ſenſum contrarium colligitur ex hoc c. ibi: *antequam lis fuerit conteſtata.* Verùm Gl. hîc V. Antequam, ait, ſubintelligendũ eſſe, *maximè:* quia nec poſt litis conteſtationem, Judices de damno cognoſcere potuiſſent, cùm Dominus non habuerit ratum factum procuratoris, ſed poſtquam ſcivit, ſtatim contradixerit.

Notandum 3. Procurator ad lites ſimpliciter conſtitutus ad cauſam delegatam pertractandam, non poteſt mandatum ſuæ procurationis prorogare de re ad rem, ſive de cauſa ad cauſam, Domino ignorante, cùm talem facultatem à Domino non acceperit, ſed requiritur, ut habeat ſufficiens, & ſpeciale mandatum: quòd ſi procurator excedat fines mandati, Domino ſciente, ipſi præjudicat, niſi ſtatim contradicat. Gloſſ. hîc V. Protinus contradixit; & Imol. n. 10.

CXXIX. Aſſertio 3. Quamvis prorogatio juriſdictionis delegatæ, quoad ſubſtantialia, videlicet de caſu ad caſum non expreſſum, aut de perſona ad perſonam, etiam partium conſenſu, fieri nequeat, cit. c. Cùm olim; 32. et c. P. & G. 40. h. t. poteſt tamen fieri ejus prorogatio, ſive extenſio, quoad accidentalia, videlicet tempus, locum, quantitatem rei, tum partium conſenſu, dummodo appareat, reſtrictionem delegatæ juriſdictionis in earundem partiũ favorem principaliter factam eſſe, cui proinde, quippe favori ſuo, renunciare poſſunt: ſin autẽ reſtrictio juriſdictionis facta ſit, ob favorem publicum, vel in utilitatem mandantis, vel alterius perſonæ, tum forma mandati extendi non debet, ſed exactè ſervanda eſt, juxta c. Cùm dilecta; 22. de reſcript. Abb. in cit. c. Cùm olim; 32. n. 9. h. t. Quamobrem juriſdictio alicui delegata ad expediendam cauſam, intra certum tempus, vel diem, communi partium conſenſu, ulteriùs prorogari, ſeu extendi poteſt, ita, ut Judex delegatus, etiam poſt terminum à delegante præfixum, cauſam ſibi demãdatam cognoſcere poſſit, c. De cauſis; 4. in princ. ibi: *niſi dies præfixus, de communi conſenſu partium, prorogetur*, h. t. l. 2. §. Si, & Judex; ff. de judic. quia terminus ille videtur præfixus in favorem partium, ne ulteriùs differatur cauſæ cognitio, cum damno earundem, ideóque huic ſuo favori renunciare poſſunt, arg. c. Ad Apoſtolicã; 16. de Regular. præterquam, ſi delegatus prohibuit, ne terminus prorogaretur, cit. l. 2. §. Si & Judex; vel, niſi appareat, nõ ob favorem partium, ſed ob bonum publicum, cui partes renunciare non poſſunt, certum tempus præfixum eſſe, v. g. quia ſpecialiter intereſt Eccleſiæ, ut controverſia aliqua beneficialis citò expediatur. Gloſſ. in cit. c. De cauſis; V. Conſenſu partium; & ibidem Decius n. 8. in fine.

Similiter poteſt juriſdictio Judicis delegati prorogari, ſeu extendi de loco ad locum, ita, ut Judex juſſus de cauſa ſibi delegata cognoſcere, poſſit in alio loco de ea cognoſcere, dummodo partes expreſsè conſentiant, c. Statutum; 11. §. In nullo; de reſcript. in 6. de quo dictum ſuprà n. 96. Idque ſpeciale

eſt, cùm alioqui expreſſi, & taciti eadem ſit virtus, juxta Gl. in c. 1. V. Opera, diſt. 43. Denique poteſt etiam fieri prorogatio, ſeu extenſio juriſdictionis delegatæ de quantitate minore ad majorem, l. De qua re; 74. §. Si judex; ff. de judic. ubi habetur, quòd Judex uſque ad certam quantitatem judicare juſſus poteſt etiam de majore quantitate judicare, ſi partes litigantes conſentiant, & ipſe etiam judex, ut addit Gl. ibid. V. Conveniat; quia diverſitas quantitatis non inducit diverſam ſpeciem juriſdictionis. Abb. in cit. c. P. & G. n. 21. h. t.

§. II.
De recuſatione Judicis delegati.

CXXX. Aſſertio 1. Judex delegatus, tam Canonico, quàm Civili Jure, ut ſuſpectus recuſari poteſt, ſi probabilis ſuſpicio, ſeu cauſa recuſandi afferatur, c. Suſpicionis; 39. h. t. l. Apertiſſimi; 16. & l. ult. C. de judic. ſive talis cauſa, quæ, ſi probata fuerit, legitima reputabitur. Gloſſ. in cit. c. Suſpicionis; V. eod. Cujuſmodi cauſa eſt, quæ jure expreſſa eſt, ut, ſi Judex delegatus ſit Dominus adverſarij, cum quo aliquis litigare debet, tum enim ut ſuſpectus recuſari poteſt, ut conſtat ex c. Cauſam quæ; 17. h. t. Nam, cùm controverſia quædam orta fuiſſet inter Franciſcum, & Romanum, ea tribus Epiſcopis à Papa commiſſa, ſive delegata fuit. Sed quia Franciſcus unum ex Epiſcopis habuit ſuſpectum, eò quòd Dominus eſſet dicti Romani, ideo Papa Alexander III. ad petitionem recuſantis juſſit illum amoveri, & loco illius ſubrogavit Abbatem Herfordenſem. Ubi nomine Domini intelligitur quicunque Superior, etiam paterfamilias, comparatione domeſticorum ſuorum. Abb. hic num. 2. Ratio eſt, quia Dominus cenſetur ſubditos ſuos peculiariter diligere, aut defendere velle.

CXXXI. Hinc infertur, quòd non ſolùm, ſi unus ſit Judex delegatus, ſed etiam, ſi plures ſint delegati, & unus ſolus ex illis ſit ſuſpectus parti litiganti, quia v.g. ipſius inimicus eſt, poſſit recuſari. Abb. hîc n. 1. idque patet ex hoc c. ubi tres Judices erant delegati, & tamen, quia unus eorum fuit ſuſpectus, is remotus fuit, ad petitionem partis, cui erat ſuſpectus. Similiter Candidatus, qui aſpirat ad Doctoratum, poteſt contra unum ex Collegio Examinatorum ſibi ſuſpectum excipere, eúmq; allegatâ, & probatâ cauſâ probabili, recuſare, quia Examinatores ſunt velut teſtes, quippe qui teſtimonium ferunt de doctrina examinandi: at, ſi unus ex pluribus teſtibus ſit ſuſpectus, ut quia inimicus eſt, poteſt recuſari, etiamſi ex unius teſtimonio reus non ſit condemnandus: ergo etiam, ſi unus ex Doctoribus, ſeu Examinatoribus ſit ſuſpectus, recuſari poterit, quia ab uno ex judicibus, examinatoribus, vel teſtibus malè affecto, etiam alij facilè perverti poſſent. Abb. hîc n. 2. & Felin. n. 1. & Laym. n. 2. qui tamẽ id limitat, niſi ſpectatis circumſtantijs, appareat, nullum ſubeſſe periculum perverſionis, vel injuſtitiæ, tametſi unus ex collegio Judicum, vel Examinatorum ſit Dominus, vel Conſanguineus adverſarij, vel ejus, cum quo aliquis examinandus de Cathedra certat.

CXXXII. Porrò quod dictum eſt, poſſe recuſari Judicem delegatum, ſi Dominus adverſarij ſuî factus ſit, id limitatur. 1. Niſi Judex ſit Dominus utriuſque partis, Actoris, & Rei, tum enim recuſari non poteſt, ut colligitur ex c. Tranſmiſſa; 6. de for. compet. quia par affectionis cauſa excludit ſuſpicionem fraudis, ut ait Gloſſ. in c. t. V. Parentes; cauſ. 3. q. 5. Felin. in cit. c. 17. n. 3. fallent. 5. h. t. 2. Si nihil contra judicem, qui recuſari poteſt, opponatur, tum enim valet judicium, ut ex communiore ſententia docet Decius in cit. c. 17. n. 3. h. t. Felin. ibid. n. 3. fallent. 7. 3. Si Judex deſijt eſſe Dominus partis litigantis, quia tunc ceſſat cauſa ſuſpicionis. Felin. c. l. in fine. 4. Si conſideratâ perſonâ, & reliquis circumſtantijs, appareat, ſuſpicioni ſiniſtræ affectionis locum non eſſe. Felin. c. l. fallent. 6. de qua tamen limitatione meritò dubitari poteſt, cùm hæc cauſa recuſationis jure non ſit expreſſa, ſed potiùs, cùm hæc cauſa recuſationis jure ſit expreſſa, præſumptio eſt pro recuſante, quæ difficulter per oppoſitam præſumptionem elidi poteſt, ſiquidem vehemens amor etiam prudentûm judicia pervertere ſolet; idque colligitur ex cit. c. 17. ubi Epiſcopus, pro quo jure multùm præſumitur, recuſatus fuit. Decius ibid. n. 4. in fine. 5. Denique non poteſt recuſari judex exercens juriſdictionem voluntariam in familiares, ſeu domeſticos, vel etiam filios, v.g. legitimando, emancipando, &c. Felin. c. l. fall. 1. ubi plures limitationes affert.

CXXXIII. Præterea alia cauſa in jure expreſſa recuſandi judicem delegatum, ut ſuſpectum, eſt, ſi unus litigantium, poſt litem conteſtatam, factus ſit familiaris, ſeu domeſticus Judicis delegati, ut conſtat ex c. Inſinuante; 25. h. t. Nam ortâ controverſiâ inter Rogerium ex una parte, & Thomam ex altera, ſuper jure parochiali, ea cauſa à Papa Innocentio III. delegata fuit, ad petitionem Rogerij Rectoris Eccleſiæ S. Saldati, Epiſcopo Vigorienſi, & ejuſdem Officiali, ac cuidam tertio, hac formâ: *Ut, ſi non omnes poſſunt, Epiſcopus, cum eorum altero, procederet, ſeu cognoſceret.* Cùm autem Judices in cauſa procederent, lite jam conteſtatâ, ante definitivam ſententiam, Epiſcopus Rogerium in familiarem ſuum aſſumpſit: unde, cùm dictus Rogerius Epiſcopi, & Officialis ipſius, quos Judices impetravit, poſtea familiaris effectus fuerit, meritò poterat uterque ab adverſa parte, nempe à Thoma tanquam ſuſpecti recuſari. Quare hic intelligens, quòd alij conjudices ſinè Epiſcopo, juxta formam Apoſtolici reſcripti, procedere non poſſint, cauſam hanc alijs Judicibus delegari poſtulavit. Idcirco Papa mandavit cuidam Abbati, & Priori, ut, ſi ita eſt, ſicut ipſi narratum eſt, illi in cauſa ſecundùm tenorem priorum literarum procedant, niſi pars adverſa (ſcilicet Thomas) poſtquam dictus Rogerius familiaris Epiſcopi factus fuit, coram illo litigare conſenſerit, tum enim partes ad priores Judices revertantur.

CXXXIV. Notandum hîc 1. Poteſt eadem cauſa ſimul committi Epiſcopo, & ejus Vicario, ita, ut hic ſit collega, ſive condelegatus Epiſcopi in cauſâ eidem ſpecialiter delegatâ: ſi tamen Epiſcopus recuſetur, tanquam ſuſpectus, conſequenter etiã ejus Officialis, ſeu Vicarius recuſatur. Abb. hîc n. 2. idq; propter magnã affectionem, quam erga Epiſcopum gerit ad cauſas,

&

& acta ejus defendenda. Idque obtinet locum, non ſolùm, ſi cauſa utrique ſit delegata, ſed etiam, ſi Vicarius procedat tanquam Vicarius, ſive ex officio Vicariatûs, tum enim magìs recuſari poteſt, quia cenſetur magìs eſſe affectus erga Epiſcopum in juriſdictione ipſi ab Epiſcopo commiſsâ, quàm in juriſdictione utrique delegatâ per Superiorem. Gl. c. l.

Notandum 2. Si Dominus ſuſpectus ſit, tota familia recuſari poteſt, quia familiaritatis affectio impedire ſolet veritatem, ideóque propter illam recuſari poteſt judex, ſicut, & teſtis. Gl. hîc V. Familiarem, quin imò faciliùs recuſatur judex, quàm teſtis, nam etiam frater contra fratrem teſtificari poteſt, c. Litteras; 14. de præſumpt. Conſanguineus autem impetrantis litteras delegationis recuſari poteſt, tanquam judex ſuſpectus, quamvìs, appellatione remotâ, fuerit ei cauſa delegata, c. Poſtremò; 37. de appellat. ſicut etiam poteſt quis Canonicum, in cauſa Canonici ejuſdem Eccleſiæ adverſarij ſui, tanquam judicem ſuſpectum recuſare, c. Cùm R. 35. h. t. propter præſumptionem ſingularis affectionis erga ſocium, & fratrem; licèt canonicè poſſit eſſe teſtis. Gl. ibid. V. Cùm ſint ejus ſocij. Ratio diſparitatis eſt, tum quia plures plerumque judices haberi poſſunt, ſed non teſtes. Gl. in cit. c. Inſinuante; V. Familiarem; h. t. tum quia judex non examinatur in judicio, ſicut teſtis, ideóque ipſe poteſt faciliùs injuriam inferre, quàm teſtis, qui examinatur à judice, num vera dicat. Laym. hîc n. 2. ex Barbatia.

Notandum 3. Non tantùm poteſt recuſari Judex tanquam ſuſpectus, eò quòd ſit Dominus, vel conſanguineus adverſarij ſui, in cauſa propria Domini, v. g. Rectoris, vel Prælati, in re propria, ſive patrimoniali ad eum ſpectante, ſed etiam in cauſa propria Eccleſiæ, ut patet ex hoc c. in quo erat lis ſuper jure parochiali, adeóque in cauſa Eccleſiæ; & tamen recuſatus fuit judex, quia erat Dominus Rectoris Eccleſiæ, ſive impetrans Judicem factus eſt familiaris illius. Abb. hîc n. 3. & Imol. n. 8. Nec obſtat, quòd Prælatus poteſt eſſe Judex in cauſa Eccleſiæ ſuæ, ut tradit Gloſſ. in c. 1. V. Punire de pœnis; in 6. ergo multò magìs conſanguineus, vel Dominus Prælati, aut Rectoris Eccleſiæ poteſt eſſe Judex in cauſa ejuſdem Eccleſiæ: negatur enim conſequentia. quia multò majorem affectionem habere præſumitur ipſe Prælatus, vel Rector ad cauſam Eccleſiæ ſuæ, quàm conſanguineus, vel Dominus ipſius Rectoris; nam etſi poſſit eſſe judex Prælatus, ſeu Rector, aut conſanguineus ejus, ita, ut valeat ejus ſententia, excipi tamen debet, niſi ut ſuſpectus repellatur. Abb. hîc n. 4.

Notandum 4. Etſi Judex à Principe delegatus recuſari poteſt à parte litigante, ob probabilem cauſam ſuſpicionis: non tamen poteſt recuſari Judex, quem ipſa pars petivit, niſi nova cauſa recuſationis poſtea ſupervenerit, vel antea cognita non fuerit, ut quia judex, poſt impetrationem, in familiam ſuam aſſumpſit adverſarium impetrantis judicem, alioquin non poteſt reprobare, quem ſemel approbavit, ſive in quem priùs conſenſit. Gloſſ. hîc V. Conſenſerit; & Abb. n. 10.

CXXXV. Aſſertio 2. Si Judex ut ſuſpectus recuſetur, tum ex partium conſenſu, arbitri eligendi ſunt, qui terminum ad probationes ſuas afferendas partibus ſtatuant, & de tota ſuſpicionis cauſa cognoſcant, per poteſtatem ipſis à jure conceſſam, prout ſtatuitur in c. Suſpicionis; 39. h. t. Nam, cùm quidam » Judex delegatus, ob juſtam cauſam ſuſpicionis, à reo » recuſatus eſſet, ad eam cognoſcendam arbitri à par- » tibus ſunt electi. Sed quæſitum fuit, utrùm Judex » recuſatus poſſit arbitris terminum præfigere, intra » quem cauſam ſuſpicionis cognoſcere, & definire » debeant? Reſpondet Papa Gregorius IX. quòd non » poſſit, cùm ipſe ſit in hac cauſa ſuſpectus, ne fortè » provocatus (eò quòd ut ſuſpectus recuſatus fuit) » obſit, ſive noceat (terminum reſtringendo, ſive ni- » mis brevem aſſignando) ſed potiùs ipſimet arbitri, » coram quibus probatio facienda eſt, terminum par- » tibus ſtatuere debent, ad probationes ſuas afferen- » das, ſicut & alia omnia, quæ ad hunc articulum ſu- » ſpicionis pertinent, agere debent. Verùm poteſt » Judex delegat⁹, qui recuſatus, (quippe cui unâ cum » juriſdictione, etiam reliqua, ſinè quibus ea exerceri » nequit, comiſſa cenſentur) arbitros, ſi diſcordes ſint, » compellere, vel ut concordent, ſive conveniant in » eandem ſententiam; vel tertiũ advocent, cum quo » ambo, vel alter eorum conſentiat, ne alioquin plus » juſto principalis negotij deciſio differatur, ſeu pro- » longetur, prout habetur in eod. c. §. Ab ipſo. »

CXXXVI. Notandum 1. Licèt Judex, etiam delegatus, regulariter poſſit cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio, l. 2. ff. Si quis in jus vocat. non ierit, & l. Si quis; 5. ff. de judic. id tamen fallit, ſi recuſarit, ut ſuſpectus, propter præſumptionem, ne fortè noceat parti eum recuſanti, unde, ſicut eſt ſuſpectus in cauſa principali, ita etiam in quæſtione incidente competentiæ, vel incompetentiæ. Imol. hîc num. 3. & Abb. num. 2.

Notandum 2. Omnia, quæ ſpectant ad articulum ſuſpicionis, poſſunt arbitri peragere, veluti teſtes citare, & compellere ad teſtificandum; eos, ſi delinquant, punire, ipſos examinare, exceptiones contra perſonas, aut dicta eorum admittere; utrùm cauſa ſuſpicionis ſit juſta, & probata, an non, pronunciare &c. Hoſtienſ. hîc V. Omnia; Abb. n. 3. Molin. tract. 5. de juſt. diſ. 23. n. 10. Eſt autem juriſdictio horum Arbitrorum non merè, ſed quaſi ordinaria, juxta Gloſſ. hîc V. Ad quos; cùm non habeant juriſdictionem, niſi ad certum articulum: nec merè delegata, quia Princeps eos non conſtituit, ſed de conſenſu partium ſunt aſſumpti, adeóque eſt veluti mixta, ita tamẽ, ut magìs accedat ad delegatam, ideóque poſitum eſt hoc c. ſub hoc tit. Abb. hîc n. 9. Vel potiùs eſt extraordinaria juriſdictio à lege data ad particularia aliqua cognoſcenda, ac definienda, circa cauſas, in quibus proceditur, tam poteſtate juriſdictionis delegatæ, quàm ordinariæ, & accedit multùm ad ordinariam; non tamen poteſt delegari, cùm ſit extraordinaria, & ad quædam particularia detur. Molin. cit. diſ. 23. num. 11. Agitur verò de hujuſmodi arbitris in hoc tit. quia frequenter judices delegati recuſantur ut ſuſpecti, & tunc recurritur ad hujuſmodi arbitros, ut de cauſa ſuſpicionis cognoſcant.

Notandum 3. Poſtquam duo electi Arbitri ſententias ſuas in diſcordia dixerunt, quia v. g. unus pronũciavit, cauſam ſuſpicionis eſſe legitimã, alter verò, non eſſe legitimam, vel non probatam, tum cenſentur eſſe functi ſuo officio, ut nihil ampliùs agere poſſint,

ſed ad Superiorem delegantem recurrendum eſt, qui approbabit unam ex duabus ſententijs in diſcordia latis. Abb. hîc n. 11. arg. c. ult. de ſentent. & re judic. Et hoc de jure verius eſt: quamvìs etiam probabile ſit, & æquitati magìs conſonum, quòd arbitri, poſt latas diverſas ſententias, poſſint tertium, ut diremptorem, eligere, ne cauſa delegata maneat indeciſa. Durand. in ſpecul. tit. de recuſ. §. ult. num. 6: Imol. hîc n. 20. nam in hoc c. non diſtinguitur, num ſententia ab arbitris lata ſit, vel ferenda. Nec obſtat cit. c. ult. de ſentent. & re judic. ubi habetur, quòd, ſi arbitri pari numero electi in ſententia diſcordant, nulla earum valeat; quia loquitur de arbitris Compromiſſarijs, qui ſponte eliguntur, non de ijs arbitris; qui ex neceſſitate juris eligi debent. Imol. hîc num. 21. Et hinc etiam arbitri voluntarij non coguntur ad ſuſcipiendum arbitrium, l. 3. §. 1. ff. de recept: qui arbitrium; &c. ſicut arbitri juris compelli poſſunt, ut docet Gloſſ. communiter recepta hîc V. Ad quos; Verſ. Sed quid dices; & Abb. num. 8.

Notandum 4. Si arbitri electi recuſationis quæſtionem diutius protrahant, Judex ordinarius, vel delegatus recuſatus ipſis competentem terminum præfigere debet, intra quem, vel ipſi inter ſe, vel, ſi conſentire non poſſint, cum tertio cauſam ſuſpicionis, ſeu recuſationis decîdant: alioquin eo elapſo, judex recuſatus juriſdictionem aſſumere, & in cauſa principali procedere poteſt, acſi recuſatus non fuiſſet, juxta c. 2. de appell. in 6. Abb. hîc num. 10. Neque verò per cit. c. 2. aliquatenus correcta eſt hæc decretalis, ut cenſet Gloſſ. hîc V. Ad quos in fine, quia illud c. loquitur ſolùm de termino aſſignando ipſis arbitris à Judice recuſato ad cauſam ſuſpicionis decidendam, qui ſibi ipſis terminum præfigere non poſſunt: at verò hoc c. loquitur de termino aſſignando partibus ad probandam cauſam recuſationis. Abb. hîc num. 9. in fin. Barboſ. in Collect. hîc num. 5.

CXXXVII. Cæterùm, quòd dictum eſt, ſi Judex delegatus ut ſuſpectus recuſetur, arbitros eligendos, qui de cauſa ſuſpicionis cognoſcant, id limitari debet 1. Niſi cauſa recuſationis ſit in jure expreſſa, aut aliàs indubitata, ſeu notoria; vel recuſatio judicis manifeſtè ſit injuſta, aut frivola: tum enim non eſt neceſſarium arbitros eligere, ſed ipſe judex recuſatus ipſam rejiciet, ut tradit Gloſſ. in c. Cùm ſpeciali; 61. V. Juſtæ ſuſpicionis; junct. Gl. margin. de appell.

CXXXVIII. Limitatur 2. Si duo (vel plures) Judices à Papa ſint delegati, cum clauſula; *quòd ſi ambo non poſſint, alter, ſeu unus eorum in cauſa procedat;* „ (vel alij, ſi plures ſint delegati) & contra unum eo„ rum legitima cauſa ſuſpicionis objiciatur; tum il„ la coram altero conjudice non recuſato (ad quem „ ex vi prædictæ clauſulæ ipſius cauſæ cognitio per„ tinet) probari, & ab eo expediri debet: ſi verò „ cauſula illa non ſit adjecta in reſcripto, tum ad ar„ bitros recurri debet, prout habetur in c. Si contra; 4. in princ. h. t. in 6. nam, cùm Judices delegati ſimpliciter ſunt dati, ſinè clauſula, unus ſinè altero procedere non poteſt. Gloſſ. hîc V. Clauſula. Et tunc arbitri partium conſenſu electi cauſam ſuſpicionis examinare debent, & ſi eam juſtam repererint, vel ipſimet, vel alij electi arbitri de cauſa principali cognoſcent. Laym. in concluſ. Canon. de Juriſd. Ordin. concl. 41. Similiter, ſi duo, cum prædicta clauſula, ſint delegati, tum ſocius, ſeu condelegatus, qui de cauſa recuſationis cognoſcere debet, ſi eam juſtam judicavit, etiam cauſæ principalis cognitionem ſuſcipere debet. Laym. c. l. Ratio eſt, quia, quando duo, vel plures Judices ſunt delegati, cum prædicta clauſula, tum, ſi cauſa recuſationis uni eorum objecta probata fuerit, non poteſt judex recuſatus in cauſa ulteriùs procedere, ac proinde vi ejuſdem clauſulæ, non ſolùm cognitio de cauſa ſuſpicionis in ſolidum ad alterum condelegatum, vel alios pertinet, & devolvitur, ſed etiam ipſius cauſæ principalis, Layman. c. l. Neque verò, etſi judex condelegatus non recuſatus pronunciet, ſocium juſtè recuſatum fuiſſe, incurrit ſuſpicionem, quaſi ita judicaverit; ut ipſe ſolus judex remaneat, & de cauſa principali cognoſcat: nam, quamvìs eſſe judicem ſit honor, & major honor, ſolum eſſe judicem, quàm cùm alio; quia tamen ille honor eſt oneroſus, ideo in dubio non præſumitur, ipſum pronunciaturſi, quòd ſua ſit juriſdictio, ſi verè judex nó eſt, quia nemo cenſetur appetere oneroſa, præſertim cùm ab eo, ſi gravet pronunciando, ſe ſolum judicem, appellari poſſit. Gloſſ. hîc V. Probari; junct. Gl. margin.

CXXXIX. Limitatur 3. Si delegatus ab alio, quàm à Papa, ſeu Principe, ſive ab Ordinario Judice Principe inferiore, tanquam ſuſpectus recuſetur; tunc non ad arbitros recurrendum, ſed de cauſa recuſationis ipſe delegans, ſive Ordinarius cognoſcere debet, eaque coram ipſo probanda eſt, prout habetur in cit. c. Si contra; §. Cùm autem; h. t. ubi dicitur: cùm delegatus Epiſcopi recuſatur, „ cauſa recuſationis coram eodem Epiſcopo eſt pro„ banda. Similiter, ſi Officialis Epiſcopi recuſe„ tur, tanquam ſuſpectus, coram eodem probari de„ bet cauſa recuſationis, licèt ab Officiali ad Epiſco„ pum nequeat appellari, cit. c. Si contra; in fine, & „ ibi Gloſſ. V. idem.

CXL. Hinc patet, quòd duo ſunt alij caſus, in quibus arbitri non conſtituuntur, tametſi judex delegatus, ut ſuſpectus recuſetur. Primus eſt, ſi delegatus ab Ordinario, v. g. Epiſcopo recuſetur, tunc enim non eliguntur arbitri, qui de cauſa recuſationis cognoſcant, ſed ipſe Judex ordinarius non ſuſpectus de ea cognoſcit, & judicat. Ratio eſt, quia Epiſcopus, vel alius Ordinarius ſemper poteſt commiſſionem; ſeu cauſam alteri delegatam ad ſe revocare, manet enim Superior delegati, adeóque etiam de propoſita contra illum ſuſpicione cognoſcere poteſt, Barboſ. in Collect. hîc n. 6.

Excipi debet, niſi Epiſcopus procul abſens ſit, & longè diſtet, ut ad ipſum cauſa facilè referri non poſſit; tum enim recurrendum eſt ad arbitros. Gloſſ. hîc V. Epiſcopi; junctâ Gloſſ. margin. & Ancharan. not. 4. Nam ideo cùm recuſatur delegatus Papæ, eliguntur Arbitri, quia S. Pontifex ſolet longè diſtare; ut igitur parcatur moleſtiæ, & ſumptibus, de cauſa ſuſpicionis, non cognoſcit ipſe Papa per ſuos immediatos miniſtros, ſed electi arbitri; quæ ratio etiam locum habet, ſi Ordinarius delegati, qui recuſatur, ut ſuſpectus longè diſtet. Anchar. hîc n. 4. Molin. cit. diſ. 23. n. 15.

Vel

Vel potiùs tali caſu Vicarius Generalis Epiſcopi de ſuſpicione delegato ipſius objecta cognoſcet, utpote qui cum Epiſcopo idem tribunal conſtituit, & factum per Vicarium cenſetur factum per Epiſcopum: Anchar.hic not.4.& Franc.ibid.n.3.not.4.

CXLI. Alter caſus exceptus eſt, ſi Officialis, ſeu Vicarius Generalis Epiſcopi recuſetur tanquam ſuſpectua,tum enim Arbitri non eliguntur, ſed ipſe Epiſcopus,ſi aliunde ſuſpectus non ſit,de cauſa recuſationis cognoſcere,& coram illo ea probari debet: licèt enim ab Officiali ad Epiſcopum appellari non poſſit,poteſt tamen is de cauſa recuſationis; ſeu ſuſpicionis cognoſcere. cit.c. Si contra, in fine h.t.Niſi Epiſcopus ſit longè abſens, tunc enim etiam arbitri aſſumuntur; qui de Vicarij ſuſpicione cognoſcant; quemadmodum etiam, ſi ipſe Epiſcopus, ſive Ordinarius recuſetur, tanquam ſuſpectus,cùm in diœceſi non ſit alius judex,qui cognoſcat.Gl. in cit. c.Si contra V. Epiſcopi junctâ Gl.marg. Anchar. ibid. not.4. & Franc.n.3. not.4.

CXLII. Porrò ratio diverſitatis, cur,etſi appellari non poſſit ab Officiali ad Epiſcopum, poſſit tamen hic de illius recuſatione; ſeu ſuſpicione cognoſcere,eſt,tum quia de eſſentia appellationis eſt,ut fiat ad judicem majorem, ſeu ſuperiorem: at cauſa recuſationis etiam à pari cognoſci poteſt, v.g. à condelegato, imò etiam à minoribus, videlicet arbitris, Gl. fin. hîc: tum quia appellatio concernit, & reſpicit juriſdictionem,quæ in Epiſcopo, & Vicario eius eadem eſt: & ideo à Vicario ad Epiſcopum appellari nequit. At verò recuſatio non concernit juriſdictionem,ſed adhæret perſonæ recuſatæ, eámque reſpicit; quæ diverſa eſt. Licèt autē Vicarius recuſetur tanquā ſuſpectus, non ideo etiam Epiſcopus recuſatur; neque vice verſâ, idcóque poteſt Epiſcopus cognoſcere de ſuſpicione Vicarij,vel etiam Delegati ſui.Gl.margin. in cit. c. Si contra: §. Cùm autem. Anchar.ibid. not.ult. & Franc.n.6.

Excipi tamen debet, niſi cauſa ſuſpicionis, non tantùm Vicarium, vel Delegatum Epiſcopi, ſed ipsū quoque Epiſcopum afficiat;ut,quia adverſarius,cum quo quis litigat, eſt domeſticus, vel conſanguineus Epiſcopi, tum non poteſt Epiſcopus cognoſcere de ſuſpicione, ſeu recuſatione Vicarij, vel Delegati illius, ſed recuſato Epiſcopo tanquam ſuſpecto, alius judex non ſuſpectus delegandus eſt, vel arbitri ſunt eligendi, juxta c. Cùm ſpeciali; 61. de appellat.& c. Inſinuante; 25.h.t.Anchar.in cit.c.Si contra not.3.& Franc. n. 6. ubi in fine ait, quòd ſic debeat intelligi textus in cit.c.Inſinuante; ubi dici videtur, quòd,ſi ſuſpectus ſit Epiſcopus, cenſeatur etiam ſuſpectus eſſe Vicarius eius;

Non obſtat,quòd Judex Ordinarius, vel Delegatus cognoſcere poſſit, an ſua ſit juriſdictio. l. 2. ff. ſi quis in jus vocat.&c.& l.Si quis; 5. ff. de judic. Nam id limitandum eſt, niſi dubium incidat concernens ipſam perſonam judicis, ut in propoſito, ſi tanquam ſuſpectus recuſetur, vel alius defectus, aut inhabilitas ad judicandum ipſi objiciatur, v.g. quòd ſit infamis, excommunicatus &c. tunc enim de tali exceptione non poteſt ipſe Judex cognoſcere; ſicut enim ſuſpectus eſſe, vel defectu laborare cenſetur in cauſa principali, ita etiam in acceſſoria. Quare hoc caſu ad Superiorem eius recurrendum eſt, vel Arbitri eligi debent,ut docet Bartol.in l.Quidam;57.n.3.& ſeq. ff.de re judicat. Anchar.hic not. 3. Probus in addit. 1. ad Joan.Monach.

CXLIII. Limitatur 4. Quod ſuprà dictum, arbitros eſſe eligendos,qui cognoſcant de recuſatione; ſeu ſuſpicione judicis delegati,ſi unus ex duobus Judicibus delegatis à Papa cauſam alteri ſubdelegavit, & hic; ut ſuſpectus, recuſetur: tum enim; ſi totam cauſam ei ſubdelegavit,& hic,ut ſuſpectus,recuſetur; antequam ſubdelegatus partes citavit; cauſa recuſationis,non coram Arbitris,ſed coram Delegato ſubdelegante proponenda eſt, & probanda; & is de ea cognoſcere poterit. Si verò citatione jam factâ à ſubdelegato, partes eum tanquam ſuſpectum recuſent; tunc,ſi pars tantùm, ſive articulus cauſæ ſubdelegatus ſit; delegatus ſubdelegans quoque cognoſcet de recuſatione ſubdelegati; arg. c. Super quæſtionum; 27. §. Si verò;h.t. Innocent.ibid.in fine.Gl.in cit. c.Si contra; V. Epiſcopi h.t. Ratio eſt,quia; cùm delegatus,non in totum ſubdelegans, ſed reſervatâ ſibi parte aliquâ juriſdictionis,maneat Superior, ſeu Judex; coram eo,ſi ipſe non recuſatus fuit,ſed ſolus ſubdelegatus, negotium ſuſpicionis; ſeu recuſationis tractari debet;ut ſic faciliùs,& cum minore partium diſpendio,expediatur. cit.c. Super quæſtionum §. Porrò;in fine:Molin. tit.diſ. 23. n. 15. Barb.hîc n. 17. Si verò tota cauſa ſubdelegata ſit; tunc arbitri eligi debent,qui de recuſatione ſubdelegati cognoſcant, vel Judex condelegatus non recuſatus de ea cognoſcet, ſi adiecta ſit clauſula,*quòd ſi non ambo,unus eorum procedat*,ut colligitur ex cit.c.Si contra; & ſequitur ex ſuprà dictis.

§. III.

Alia quadam Aſſertiones circa recuſationem Iudicis delegati proponuntur.

CXLIV. Aſſertio 1. Non tantùm ipſæ partes litigantes, ſed etiam tertius interveniens,quia eius intereſt, poteſt recuſare Judicem delegatum; ut ſuſpectum,ſi juſtam cauſam recuſandi habeat,prout ſumitur ex c. Cùm ſuper; 23.h.t. Nam ortâ controverſiâ inter Conventum de Conchis, & Abbatem Simonem,qui, ſe injuſtè Abbatiâ ſpoliatum,aſſerebat,alio Abbate Rogerio in eius locum ſubſtituto, Simon; qui Abbatiâ deiectus erat; impetravit à Papa Innocentio III. ut cauſa committeretur Epiſcopo Leſionenſi,& Abbati de Becco ſub hac forma: *ut uno nolente, aut non valente intereſſe, alter ſolus in cauſa procedat*. Partibus in præſentia horum Judicum conſtitutis,Rogerius,qui in Abbatiam intruſus dicebatur, in præjudicium Abbatis deiecti; alterum Judicem delegatum,videlicet Epiſcopum,tanquam ſuſpectum, ex tribus cauſis recuſavit: 1.Quia idem Epiſcopus litem, ſeu controverſiam judicialem habebat cum Monaſterio ſuo. 2. Quia,cùm ipſe Rogerius ex Curia Romana rediret, ad oſculum pacis ipſum non admiſit. 3. Quia eidem Rogerio Epiſcopus dixit,quòd,ſi poſſet,eum in hac cauſa impedire vellet: & ad hæc probanda coram Abbate condelegato Judice, vel coram Arbitris à partibus

» eligendis,ſe obtulit. Sed cùm Epiſcopus delegatus
» hæc admittere nollet, ante cœptum cognitionem
» cauſæ, Rogerius ab eodem appellavit. Porrò di-
» cti duo Judices delegati nihilominus per interlo-
» cutoriam ſententiam pronuntiârunt, appellatio-
» nem illam illegitimam eſſe, nec admittendam: at-
» que in cauſa principali procedentes, definierunt,
» Simonem in Abbatiam reſtituendum eſſe, ipſi verò
» Rogerio perpetuum ſilentium indixerunt. Sed Ro-
» gerius jam ante etiam ab Abbate condelegato ap-
» pellaverat, ne cum Epiſcopo in cauſa procederet.
» Re hac delatâ ad dictum Papam Innocentium, is
» reſpondit: quamvis Abbas de Becco, antequam ab
» eo appellatum fuit, abſque Epiſcopo condelegato,
» qui recuſatus erat, ſolus procedere potuiſſet, juxta
» formam litterarum Apoſtolicarum (ut uno non
» valente, aut nolente intereſſe, alter ſolus in cauſa
» procederet) poſtquam verò cum dicto Epiſcopo
» tanquam conjudice interlocutus eſt, appellationem
» illam ab Epiſcopo, qui legitimè recuſatus fuit, in-
» terpoſitam jure non tenuiſſe, per conſequens i-
» dem Abbas confeſſus eſt (ipſo facto, Gl. hîc V. Con-
» feſſus) ſe in cauſa nec ſolum, nec cum condelegato
» Epiſcopo procedere poſſe. Neque enim ſolus pro-
» cedere potuit, quia noluit, aſſerens, ſe ſolum non
» poſſe mandatum Sedis Apoſtolicæ exequi: ſed ne-
» que cum Epiſcopo, etſi voluerit, procedere potuit,
» quia is, poſt legitimas recuſationes, & appellatio-
» nes contra ipſum, judex eſſe deſiit, & judicandi po-
» teſtatem amiſit: ac proinde dictus Abbas condele-
» gatus, quod potuit, noluit, & quod voluit, non po-
» tuit. Ex quo ſequitur, quòd acta horum duorum
» delegatorum Judicum omnino ſint irrita. Ita ha-
betur in cit. c. Cùm ſuper; ſecundùm integram eius lectionem, ut refert Gl. hîc in caſu.

CXLV. Pro explicatione huius c. Notandum 1. etiam tertius interveniens poteſt excipere contra judicem delegatum, eúmque ex cauſa juſta, ut ſuſpectum recuſare, ſi eius intereſſit, ut patet ex hoc c. ubi, cùm quidam Abbatiâ deiectus eſſet, alio in eius locum ſubſtituto, is litem intendit Conventui, à quo deiectus erat, petens ſe reſtitui: ſed ſubſtitutus, cuius cauſa per accidens agebatur, interveniens alterum ex Judicibus delegatis recuſavit. Abb. hîc num. 2. & ſumitur etiam ex c. Cùm ſuper; 17. de ſentent. & re judic.

Notandum 2. Tres recenſentur in hoc c. cauſæ legitimæ recuſandi Judicem, ſive Ordinarium, ſive Delegatum. Prima eſt, ſi quis litem, ſeu judicialem controverſiam habeat cum Judice, nam ex litibus ſolent oriri inimicitiæ; unde is, qui cum aliquo contendit in judicio, dicitur ipſius adverſarius. c. 1. de judic. Abb. hîc n. 3. & Felin. n. 3. Secunda, ſi Judex ſignum benevolentiæ, ſeu amicitiæ alicui deneget, quod aliis eiuſdem conditionis, & ſtatûs hominibus exhibere ſolet, ex eo enim præſumitur inimicitia. Abb. hîc n. 4. & Felin. n. 4. Tertia cauſa eſt, ſi Judex alicui minatus ſit, quòd occaſione oblatâ, ei nocumentum inferat, vel ſe de eo vindicabit, non enim ſolùm cenſetur inimicus, qui actu infert injuriam, ſed etiam, qui conatur inferre. Abb. c. l. & Felin.

CXLVI. Notandum 3. Ad actum legitimum, & validum duo copulativè requiruntur, poteſtas, & voluntas agendi, ac proinde, ſi quis, quod poteſt agere, nolit, &, quod vult agere, non poſſit, actus non valet, etiam eo modo, quo poteſt valere, quia, quod voluit, non potuit, & quod potuit, noluit. Gloſſ. hîc V. Multò adverſantibus. Sicut in propoſito, judex delegatus non recuſatus noluit procedere, ſeu definire cauſam ſolus, prout potuiſſet, vi clauſulæ in reſcripto delegationis adiectæ, ſed unâ cum ſocio, ſeu condelegato: Idque vel ex eo conſtat, quia Interlocutoriè pronunciavit, condelegatum ſuum non eſſe legitimè recuſatum, adeóque poteſtatem judicandi illum retinere; ſéque ſine illo procedere non poſſe, & conſequenter noluit aliter procedere, quàm cum collega, ſeu condelegato: quare eo modo, quo potuit procedere, videlicet ſolus, noluit: adeóque actus fuit nullus, defectu voluntatis: quo autem voluit procedere, videlicet cum conjudice delegato, non potuit, adeóq; actus fuit nullus defectu poteſtatis, quia condelegatus, poſt legitimam recuſationem, & appellationem contra ipſum factam, deſiit eſſe judex, ideóque acta irrita fuerunt. Abb. hîc n. 12. & Decius n. 7. Verùm, ſi Judex delegatus non recuſatus dubitans de poteſtate condelegati, proteſtetur, ſe velle, ut ſententia valeat tanquam lata à ſe ſolo. Si non valeat, ut lata ab utroque delegato conjunctìm; tunc acta eius valebunt, quia adeſt, & voluntas, & poteſtas procedendi, ut ſolus ſine ſocio: adeóque ceſſat prædicta ratio, & conſequenter etiam legis diſpoſitio. Abb. hîc n. 10. in 2. ſolut. Gl. Secus eſt, ſi non proteſtetur, & ſententia collectivè, nomine utriuſque delegati, feratur, v. g. *nos condemnamus &c.* tunc enim præſumptio eſt, quòd delegatus non recuſatus nolit ſolus procedere, etſi poſſet, præſertim ſi putet, ſocium ſuum, ſeu condelegatum non eſſe poteſtate judicandi privatum, quippe illegitimè recuſatum. arg. l. Qui in aliena; 6. §. Si quis. ff. de acquir. hæredit. Laym. hîc n. 7.

Aliud verò eſt in duobus tutoribus, quorum unus verus eſt tutor, alter falſus: nam, ſi uterque ſimul auctoritatem præſtet pupillo, v. g. contrahenti, licèt actus non valeat ex parte tutoris falſi, valet tamen ex perſona veri tutoris, nec fit irritus propter admiſſionem inhabilis, & falſi tutoris, juxta l. 1. §. 1. ff. Quod falſo tutore &c. Ratio eſt, quia cùm tutor ex juris communis diſpoſitione habeat poteſtatem in ſolidũ, ita, ut auctoritatem interponere poſſit, etiam ſinè altero contutore. l. ult. C. De auctorit. præſtanda, præſumitur, quòd is velit ſaltem implicitè, & interpretativè auctoritatem ſuam interponere, etiamſi contutor eam, vel non poſſit, vel nolit interponere; alioquin verò, ſi conſtaret, nolle tutorem verum, valere actum, ſive negotium, niſi uterque tutor auctoritatẽ ſuam interponat, tunc neque tutor verus validè ſuam auctoritatem interponeret, ob defectum voluntatis, ſeu intentionis. At verò in caſu huius c. conſtabat, quòd delegatus non recuſatus, etſi poteſtatem haberet, ut ſolus procedat in cauſa delegata, tamen noluerit ſolus cauſam definire, ſed non, niſi unâ cum conjudice, ſeu condelegato, ideóq; acta eius irrita fuerunt ob defectum voluntatis, quia, quomodo potuit, procedere noluit, quomodo autem voluit, non potuit, ut ex dictis patet. Laym. hîc n. 5.

Neque verò etiam obſtat regula illa in ſpeciem contraria, ſi actus non valet eo modo, quo geritur, valere tamen debet, ſicut poteſt, juxta c. Abbate; 25. de verb. ſignif. & ſumitur etiam ex c. unic. de deſpon-

ſat. impuber. ubi habetur, quòd ſponſalia de præſenti contracta inter impuberes, valent, ut ſponſalia de futuro. Nam id verum eſt, ſi conſtet, agentem ſaltem implicitè velle, ut actus valeat eo modo, quo poteſt valere: alioquin verò, ſi ex circumſtantiis, vel conjecturis appareat, non velle aliquem agere alio modo, niſi eo, quo actus non poteſt valere, tum ille invalidus eſt. Abb. hic n. 12. Unde neque matrimonium inter impuberes contractum, valebit, ut ſponſalia de futuro, ſi exprimant, vel ex conjecturis appareat, quòd noluerint aliter contrahere, niſi ut matrimonium inter eos initum ſit validum, quia actus humani non poſſunt extendi ultra intentionem agentium, ſaltem implicitam, aut interpretativam. l. Non omnis; 19. in princ. ff. de reb. credit. Laym. cit. loc.

» CXLVII. Aſſertio 2. Quamvis Judex à Papa, » (vel alio Principe) delegatus legitimè recuſari poſ- » ſit, ut ſuſpectus, poteſt tamen vices ſuas alteri com- » mittere, ſeu cauſam ſibi commiſſam ſubdelegare, » antequam recuſatio contra ipſum proponatur. » Quòd ſi delegatus cauſam ſubdelegavit in totum, » recuſari ulteriùs, aut commiſſio, ſeu ſubdelegatio » per eum facta ulteriùs impugnari non poteſt. Si » verò delegatus partem, ſeu articulum cauſæ tan- » tùm alteri commiſit, adeóque ſibi de juriſdictione » aliquid reſervavit, tum recuſari poteſt, & commiſ- » ſio eius oppugnari. Ita habetur in c. Judex; 5. in princ. h. t. in 6. & ibi Gl. V. Quod poſſet.

CXLVIII. Ratio 1. partis, quòd ante propoſitam recuſationem delegatus ſubdelegare poſſit, eſt, quia, licèt judex ſit ſuſpectus, eſt tamen, & manet verè judex, quàm diu contra illum non excipitur tanquam ſuſpectum, ergo, ſicut poteſt cauſam cognoſcere, antequam recuſatur, & proceſſus eius tenet; ita etiam poteſt illam alteri committere, ſeu ſubdelegare. Gl. hic V. Proponatur in fine, & Vivian. hic in Ration. Jur. Pontif. ex quo Gl. marg. ibid. à ſenſu contrario infert, quòd, ſi recuſetur, non poſſit poſtea cauſam cognoſcere, nec alteri ſubdelegare, de quo infrà.

Ratio ſecundæ partis, quòd, ſi ante propoſitam recuſationem, delegatus ſubdeleget totam cauſam, is recuſari non poſſit, nec eius commiſſio impugnari, eſt, quia cauſa ſuſpicionis perſonam delegati ſolùm concernit, ſeu afficit, ideóque eùm ſit vitium perſonale, ad ſucceſſorem, ſeu ſubdelegatum non tranſit, quò minùs ei tota cauſa ſubdelegari poſſit. arg. l. Anvitium; 5. ff. de diverſ. temp. præſcript. Gl. hic V. Proponatur; niſi tamen ipſe ſubdelegatus ſit etiam ſuſpectus, causáque ſuſpicionis ipſi ſit objecta, & adversùs eum probata, tunc enim ſubdelegatus recuſari poteſt. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 23. num. 14. Aliud verò dicendum eſt, ſi negaretur, delegatum habere juriſdictionem, ideóque alteri cauſam committere, ſive ſubdelegare non potuiſſe, tunc enim ipſe delegatus recuſari, & eius commiſſio impugnari poſſet. Joan. Andr. hic n. 1. V. Impugnari.

Deinde id intelligendum eſt, poſtquam ſubdelegatus incepit uti juriſdictione, nam ideo tunc non poteſt delegatus recuſari, quia exercitium juriſdictionis ipſius tranſiit in ſubdelegatum, neque hic tunc poteſt recuſari: ſecus verò eſt, ſi res ſit adhuc integra, quia ſubdelegatus juriſdictione uti necdum cœpit, vel, ſi ſubdelegationem non acceptavit: tunc enim ſi ſubdelegans revocet ſubdelegationem, ſicut poteſt, poterit ipſe delegatus, ut ſuſpectus recuſari, Gl. hic V. Nequibit, & in addit. Franc. ibid. n. 7. in Gl. V. Nequibit.

Ratio tertiæ partis eſt, quia, quando delegatus partem cauſæ tantùm commiſit alteri, tum aliquid ſibi de juriſdictione reſervavit, & ſaltem in eo, quod reſervavit, judex remanet, ideóq; contra illum opponi poteſt cauſa recuſationis, cùm adhuc ad ſe revocare poſſit juriſdictionem ſubdelegari, & ſic nocere parti litiganti per ſiniſtram affectionem. Gl. hic V. aliquid, junctâ Gl. margin. Anchar. not. 3.

CXLIX. Præterea in cit. c. Judex, 5. Poſt recuſationem; ſtatuitur, quòd poſt propoſitam cauſam re- » cuſationis, Judex delegatus vices ſuas committere » alteri non poteſt, niſi pars recuſans conſentiat, ſed » eâ volente, poteſt, etiamſi cauſa recuſationis ſit pro- » bata, dummodo ſuper ea pronunciatum non ſit, a- » lioquin enim nec cum recuſantis conſenſu, com- » miſſio per delegatum fieri poteſt, cùm omnino ju- » dex eſſe deſierit. Ratio prioris partis eſt, quia, poſt- » quam probabilis cauſa ſuſpicionis eſt propoſita contra judicem delegatum, non eſt quidem omnino extincta, ſed ſuſpenſa, & impedita eius juriſdictio, conſequenter in cauſa ſibi commiſſa ulteriùs procedere, vel illam alteri ſubdelegare non poteſt, niſi conſenſu recuſantis hoc impedimentum iterum tollatur; nam delegatus Principis hoc à lege habet, ut poſſit ſubdelegare: impeditur autem ex facto recuſantis, qui huic favori ſuo renunciare poteſt: volente ergo illo, poterit delegatus ſubdelegare, etſi adverſarius, contra quē ſit commiſſio, contradicat. Gl. hic V. Recuſatoris, & Anchar. not. 4. Ratio poſterioris partis eſt, quia, poſtquam delegatus pronunciatus eſt ſuſpectus, & ſententia interlocutoria lata eſt contra judicem recuſatum, ne quidem cum conſenſu partis recuſantis, poterit delegatus cauſam ſubdelegare, cùm Judex eſſe deſierit, ſive omnem juriſdictionem amiſerit, ideóque eam alteri dare nō poſſit. Gl. fin. hic, & Franc. n. 3. quamvis poſſit appellare à ſententia contra ſe lata. Joan. Monach. hic n. 3. & 4.

Porrò neque partes litigantes poſſunt in judicem delegatum conſentire, cuius juriſdictio per ſententiam legitimæ recuſationis adversùs eum latam, eſt omnino extincta, quia privati juriſdictionem ei dare non poſſunt, qui nulli judicio præeſt. l. 3. C. de juriſdict. omn. jud. quamvis alia quoad hoc ſit ratio de Judice ordinario, qui, tametſi ut ſuſpectus recuſatus ſit, & contra ipſum pronunciatum, poteſt, ac debet cauſam alteri non ſuſpecto delegare, quia is adhuc juriſdictionem retinet, ideóque, & committere eam alteri poteſt. c. Si quis; 4. junct. Gl. V. Executor de foro compet. Anchar. hic not. 7. Franc. n. 3.

Ex dictis infertur, ſi alicui à Papa cauſa delegata ſit, ratione dignitatis, v. g. Abbatiæ, non perſonæ, iſque recuſetur, ut ſuſpectus, ſed ante latam ſententiam ſuper exceptione recuſationis moriatur, ſucceſſor eius cauſam cognoſcere, & judicare poteſt, quia ceſſat ratio recuſationis, & juriſdictio non eſt finita: ſecus eſt, ſi recuſatus, poſt latam ſententiam, ſit mortuus, tunc enim juriſdictio eſt extincta, ideóque ad ſucceſſorem tranſire non poteſt. Joan. Andr. hic n. 1. Anchar. hic, & Franc. in fine.

CL. Aſſertio 3. Non tantùm Judex delegatus ſuſpe-

ſuſpectus, ſed etiam locus recuſari poteſt, ſi pars citata ad eum ſecurè accedere non poſſit, ut quia v. g. citatus, propter multas, & graves inimicitias, vel privatas, vel civitatis ſuæ, coram Judice illius loci ſe ſiſtere non poteſt, prout ſumitur ex c. Cùm Raphaël;
» 35. h. t. Nam in quadam controverſia, quam Ra-
» phaël Canonicus Eccleſiæ Januenſis habebat cum
» Publio cive Januenſi, ad petitionem ipſius Ra-
» phaëlis, cauſa illa à Papa delegata fuit Præpoſito
» S. Dominici, qui cùm citâſſet partem adverſam, ſci-
» licet civem abſentem, is excuſavit ſe, quòd propter
» multas, & graves inimicitias civitatis ſuæ cum illo
» Judice, non poſſit coram illo comparere. Quare
» Innocentius III. mandavit eidem Præpoſito, qua-
» tenus dicto Raphaëli hanc optionem det, ac per-
» mittat, ut ſive in Civitate, ſive in Diœceſi Januen-
» ſi, eligat aliquem virum diſcretum, ac prudentem
» (exceptis Canonicis Januenſibus, qui cùm ſint eius
» ſocij, ſeu Canonici, meritò parti adverſæ eſſent ſu-
» ſpecti) coram quo cauſa controverſa cognoſcatur,
» eidémque Judici, Apoſtolicâ auctoritate, præcipiat,
» ut eandem cauſam, juxta prioris reſcripti tenurem,
» appellatione remotâ, definiat.

CLI. Notandum 1. Si Reus ad locum Judicis delegati ſecurè accedere non poteſt, tum talem locum judicii recuſare, & petere poteſt, ut ipſi Judex in alio loco ſecuto detur. Abb. hîc in ſumma. Non tantùm autem propter privatas, ſeu proprias inimicitias, ſed etiam propter inimicitias civitatis, ſeu patriæ ſuæ, poteſt locus judicii recuſari, ſi civitas, vel locus ille gerat inimicitias adversùs civitatem Rei citati. Abb. hîc n. 1. & Imol. in princ. quia pars, quæ non poteſt ſecurè, & liberè accedere ad locum judicij, gravatur in obtinenda juſtitia, ideóque licitè poteſt illum recuſare, & ſi non admittatur recuſatio, appellare. c. Ex parte; 47. de appellat. Vivian. hîc in Ration.

Notandum 2. Si certus Judex delegatus ab una parte petatur, tum juxta ſtylum Curiæ, ille conceditur, dummodo pars adverſa non contradicat, vel juſtam cauſam contradicendi alleget, quo caſu, quælibet pars eligit unum judicem, & Curia dat tertium, Abb. hîc in fine. Quòd ſi utraque pars ſit præſens in Curia, non datur Judex, ad petitionem unius partis tantùm, niſi altera quoque conſentiat, ut notat Imol. hîc num. 15. Porrò in caſu huius c. ex ſpeciali gratia conceſſum fuit actori, ut eligeret ſibi judicem, quem vellet, idque, quia priùs Reo etiam hæc gratia facta eſt, ut ad petitionem illius prior Judex delegatus removeretur. Gl. hîc V. Judicem eligat, & Abb. in fine.

Notandum 3. Canonicus, ut ſuſpectus recuſari ab Adverſario poteſt, ne ſit Judex in cauſa Concanonici ſui, propter familiaritatem, ſeu præſumptionem ſingularis affectionis erga ſocium, & fratrem. Gl. hîc V. Eius ſocij, & Abb. n. 2. & dictum ſuprà. n. 134.

Notandum 4. Si principalis delegans præcipiat alicui, ut Judicem aliquem conſtituat, is cenſebitur conſtitutus, non ab exequente mandatum, ſeu Commiſſario, ſed à mandante, ſeu primo delegante, prout ſumitur ex hoc c. ubi Judex conſtitutus à Præpoſito, juſſu Papæ, non ab illo, ſed à Papa conſtitutus, ſive delegatus eſſe cenſendus eſt, cuius auctoritate cauſam definivit. Felin. hîc n. 3. Unde, quod fit per executores teſtamenti, videtur factum per ipſum teſtatorem. Abb. in c. In cauſis; 30. n. 6. de elect.

CLII. Cæterùm illud hîc eſt addendum, quòd litigans in judicio, ex eo, quòd litteras à Judicibus delegatis in cauſa ſua ad Superiorem, ſeu delegantem, v. g. Papam datas ſuſpectas habeat, illas amotis ſigillis aperiat, poſtea audiendus non eſt, ſi illas falſas oſtendere velit, prout ſumitur ex c. Cùm olim Magiſter; 53. h. t. Nam, cùm Sebaſtianus Archidiaco- »
nus, & Benedictus Præpoſitus dignitates ſuas inter »
ſe permutare vellent, orta fuit inter eos controver- »
ſia, quam Papa Innocentius III. quibuſdam Judici- »
bus commiſit cognoſcēdam, qui, cùm in cauſa pro- »
ceſſiſſent, acta judicij per Præpoſitum ad Sedem A- »
poſtolicam tranſmiſerunt. Verùm lator eorum »
Præpoſitus, per injuriam Judicibus delegatis, Imò, »
& ipſi S. Pontifici illatam, amotis ſigillis, litteras a- »
peruit. Quod cùm ipſi poſtea coram Papa objectum »
fuiſſet, excuſavit factum, eò quòd Judices delegati »
acta non fideliter in ſcriptum redegiſſent, ideóque »
timens, ne litteras Uriæ ſecum deferret, eas aperue- »
rit, &, quod ſuſpicatus erat, in eis repererit. Ve- »
rùm Papa reſpondit, quòd Benedictus, ſi rebus ſuis »
bene conſulere voluiſſet, vel litteras illas ſibi ſu- »
ſpectas non recipere, vel poſtquam recepit, eas inte- »
gras, & clauſas afferre, & exhibere, atque cauſas ſu- »
ſpicionis ſuæ coram Papa exponere debuiſſet: præ- »
terquam, quòd Papa non proprio motu Judi- »
cem delegatum Benedicto dederit, ſed ad petitio- »
nem ipſius, & quem ipſe ſibi elegerat. Quare idem »
Papa decernit, quia dictus Præpoſitus acta Judicum »
temerè violavit, ideo poſtea audiendum non eſſe, ſi »
falſum in illis contineri, probare voluerit, ut in eo »
ipſo puniatur, in quo peccavit, & ne ex proprio dō- »
lō commodum ferat. »

CLIII. Hinc colligitur 1. Quòd inferens injuriam judici delegato, cenſetur eam inferre ipſi deleganti, cuius ille vices gerit. Gl. hîc V. Deleganti, & Abb. n. 1. 2. Qui inſtrumentum, vel litteras malitiosè aperuit, non debet admitti, ſi eas poſtea falſitatis arguere voluerit, quamvìs talis propriè falſarius non ſit, neque pœnam falſi incurrat, ſed pœnâ arbitrariâ, & mitiore puniendus ſit, Innocent. hîc, & Abb. n. 4. niſi in litteris Authenticis ſigillum, aut plumbum amoviſſet. Felin. hîc n. 2. de quo ſuo loco.

3. Judicem delegatum à Principe poteſt pars litigans ex probabili cauſa recuſare, ut ſuſpectū, tametſi proprio motu datus ſit, quia Princeps in dubio non cenſetur velle judicem ſuſpectum dare. Abb. hîc n. 6. niſi Papa expreſsè, vel tacitè inhibeat, ne recuſetur: ſed Judicem datum, ad petitionem ipſius partis, illa poſtea recuſare non poteſt, niſi ex nova ſuperveniente cauſâ, vel antè incognitâ, ut colligitur ex c. Inſinuante; 25. h. t. Hoſtienſ. hîc V. proprio motu.

* * *

SECTIO VII.

QUIBUS MODIS OFFICIUM, & poteſtas Iudicis delegati finiatur?

§. I.

An, & quomodo finiatur poteſtas Iudicis delegati per ſententiæ executionem, vel ſi pronunciet, juriſdictionem ſibi non competere in cauſa, aut per lapſum temporis?

» CLIV. Aſſertio 1. Poſtquam Judex delega-
» tus per ſe, vel per alium ſententiam executioni
» mandavit, vel alteri exequẽdam commiſit, ſive exe-
» cutionem ſententiæ delegavit, eius poteſtas, & ju-
» riſdictio ceſſat, nam tunc functus eſt officio ſuo. Ita habetur in c. In litteris; 9. h.t.

CLV. Ubi notandum 1. Juriſdictio Judicis delegati non poſt ſententiæ prolationem, ſed poſt eius executionem finitur (quando eam exequi poteſt, alioquin exſpirat poſt ſententiam latam) ſive per ſe ſententiam exequatur, ſive alteri executionem, v. g. Ordinario loci committat, dummodo eum non merum miniſtrum, ſed ſubdelegatum ſuum conſtituat; nam tum cenſetur ſe abdicâſſe juriſdictione, ſi ſubdelegatus negotium exequi cœpit, tametſi perficere nolit, aut non poſſit: ſin autem res integra ſit, & negotium nondum cœptum à ſubdelegato, poteſt ſubdelegans reaſſumere juriſdictionem, ſive revocare commiſſionem, & exequi ſententiam, quia non cenſetur juriſdictio efficaciter tranſiiſſe in ſubdelegatum, ſi eâ uti non cœpit. c. Quamvis; 6. h. t. in 6. Abb. hîc num. 2, & Imol. num. 4. & 5. licèt aliter intelligat hoc c. Gloſſ. hîc V. Præcepit; videlicet, quòd delegati juriſdictio non exſpiret, niſi ſit paritum mandato, ſive ſententia omnino ſit executioni mandata, & non tantùm cœpta à ſubdelegato. Quòd ſi verò Judex delegatus alteri ſententiæ executionem committat, conſtituendo eum, non ſubdelegatum, ſed merum miniſtrum, ac veluti Officialem ſuum, non cenſetur functus officio ſuo, & juriſdictionem à ſe abdicâſſe, ſed eam reaſſumere poteſt, etiamſi alter exequi cœperit, juxta c. Significâſti; 7. h. t. & tradit ibid. Abb. n. 7.

CLVI. Notandum 2. Judex delegatus, poſtquam ſemel ſententiam tulit, quamvìs ipſo jure nullam, adeóque, ſive bene, ſive malè, non poteſt ſententiam latam revocare: aut iterum judicare, ſeu cauſam cognoſcere, ſine nova commiſſione, quia finita eſt eius juriſdictio, & functus eſt officio ſibi commiſſo. arg. c. Si compromiſſarius; 37. §. Si verò; h. t. in 6. & habetur in l. Si ut proponis; 4. C. Quomodo, & quando judex &c. ubi Judex delegatus protulit ſententiam nullam, videlicet die feriatâ, & alterâ partium abſente non citatâ, & dicit Juriſconſultus, non immeritò Præſidem denuo negotium alterius judicis notioni terminandum commiſiſſe. Idque docet Innocent. hîc n. 2. Abb. n. 4. Decius n. 5. Sanch. lib. 8. de matr. diſ. 27. n. 39. Gutier. qq. Canonic. l. 2. c. 2. n. 8. & alij apud Sanch. c. l. Idque procedit etiam in delegato à Principe ad unam, vel plures cauſas in particulari, cùm jure non repetiatur cautum, aliud ſpecialiter eſſe indultum delegato Principis, Gutier. c. l. n. 17.

Limitatur autem 1. In delegato ad univerſitatem cauſarum, qui æquiparatur Ordinario, & poſt latam ſententiam, eiúſque executionem, non omnem juriſdictionem amittit. Gutier. c. l. n. 25. & duobus ſeqq. contra Decium hîc n. 5.

2. Limitatur in delegato, qui ſententiam nullam, aut invalidam tulit, ob formam mandati non ſervatam. arg. l. Quid tamen; 21. ff. de recept. qui arbitr. &c. ubi dicitur: qui non ſervavit formam compromiſſi, iterum pronunciare poteſt, ergo & delegatus, qui non obſervavit formam mandati, poteſt iterum judicare, non enim cenſetur ſententiam pronũciâſſe, ſeu juriſdictione ſuâ uſus. Gutier. c. l. n. 28. & alij DD. cõmuniter apud Decium hîc n. 6. licèt ipſe diſſentiat.

3. Limitatur in executore gratię v. g. beneficialis, qui ſi per errorem juris, vel facti, invalidam proviſionem fecit, aliam validè facere poteſt, ut poſt Innocent. docet. Abb. in c. 1. n. 28. de ſentent. & re judic. quia Princeps videtur mandâſſe proviſionem cum effectu, nam beneficia Principum latè oportet interpretari; &, cùm gratia effectum non ſit conſecuta, ideóque permaneat; etiam executio eius, quippe acceſſoria permanere debet. arg. c. Si ſuper. 9. h. t. in 6.

CLVII. Notandum 3. Aliud verò quoad hoc obtinet in Judice Ordinario, qui jure proprio judicat, hic enim, ſi ſententiam v. g. definitivam ipſo jure nullam protulit, quia nimirum eſt lata contra legem manifeſtam, poteſt eam revocare, & denuo judicare, novámque ſententiam ferre, ut docet Innocent. hîc num. 1. & ibid. Abb, num. 4. Gutier. c. l. num. 1. Sanch. c. l. & alij apud ipſos, per l. Si præſes; 6. C. quom. & quand. judex &c. quod enim nullum eſt, nullum effectum producit. arg. l. Si ſe; 4. §. Condemnatum. ff. de re judic. Quamvis etiam hoc caſu Superior adiri poſſit, ut ſententiam ab inferiore judice nulliter latam revocet, & novam ſententiam ferat. Bartol. in l. Si expreſſim; 19. num. 14. ff. de appellat. nam ſicut appellatio devolvit totam cauſam ad Superiorem, ut poſſit ſententiam reformare: ita etiam nullitas ſententiæ latæ totam cauſam ad Superiorem devolvit. Bartol. cit. loc. n. 15. Et hinc, ſi Epiſcopus ferat ſententiam ipſo jure irritam, etſi ab ea appellatum non ſit, poteſt adiri Archiepiſcopus per viam nullitatis, ſicut poteſt per viam appellationis, cui nullitas æquivalet. Abb. hîc in fine, & Felin. num. 4. Contrarium tamen tenet Decius hîc in fine, ubi ait, doctrinam illam, quòd, qui poteſt adire judicem ſuperiorem per appellationem, poſſit etiam per nullitatem; locum habere in eo Superiore, qui non habet juriſdictionem limitatam, ſicut Archiepiſcopus, ad quem, non niſi per appellationem aditus patet, non per querelam. c. 1. de offic. deleg. & conſequenter, nec per nullitatem. Denique, ſi ſententia Judicis Ordinarij non ſit ipſo jure nulla, tum non poteſt Judex Ordinarius eam revo-

revocare, quia ſententia valida tranſit in rem judicatam, ſi ab ea non ſuit appellatum, adeóque juriſdictio ad Superiorem devoluta non ſuit. Abb. hîc num. 3.

Porrò ratio, cur Judex delegatus non poſſit revocare ſententiam, quam invalidè tulit, ſed cenſeatur officio ſuo eſſe functus, ita, ut ampliùs ſe immiſcere non poſſit: Judex Ordinarius autem id poſſit: ratio, inquam, diſparitatis eſt, quia Judex delegatus, ex juris poſitivi diſpoſitione habet poteſtatem valde arctam, & limitatam, ſeu reſtrictam, ideóque, ſi ſemel fecit, quod mandatum, ſeu commiſſum eſt, omnem juriſdictionem, ac poteſtatem amiſit. At verò Judex Ordinarius habet magìs amplam, ac ſtabilem juriſdictionem, quam alteri delegando, vel ſemel ſententiam ferendo, non amittit, ſed ſaltem in habitu, & radice retinet. Laym. in cit. c. In litteris; n. 3. in fine h.t. ex Baldo.

CLVIII. Aſſertio 2. Si Judex delegatus interloquendo pronunciet, ſe nullam juriſdictionem, ſive poteſtatem cauſam delegatam cognoſcendi habere, quia v. g. reſcriptum delegationis per ſuggeſtionem ſalſitatis eſt impetratum, adeóq; ſubreptitium, tum ſi pars impetrans à ſententia hac interlocutoria, vim tamen definitivæ habente, non appellet, adeóque ea tranſeat in rem judicatam, non poterit poſtea delegatus officium judicis reaſſumere, & in eadem cauſa procedere, ne quidem partibus conſentientibus, quia ſive bene, ſive malè pronuntiando, cenſetur functus officio ſuo, & juriſdictionem amiſit, prout ſumitur ex c. Significantibus; 38.
» h. t. ubi habetur, quòd, cùm Juliana nobilis
» vidua, mentiens ſe pauperem, à Sede Apoſtolica
» litteras ad quoſdam Judices impetrâſſet ſuper con-
» troverſia, quam habebat cum Margareta, & filio
» eius: hi citati, coram illis Judicibus, excipiendo
» propoſuerunt, quòd litteræ illæ per ſuggeſtio-
» nem ſalſitatis ſint impetratæ, adeóque ſubrepti-
» tiæ eſſent, cùm dicta Juliana non pauper, ſed di-
» ves ſit. Quare de jure ſe non poſſe, nec debere
» per has litteras conveniri coram illius Judicibus
» delegatis, non requiſito priùs domino, ſub cuius
» juriſdictione ipſi exiſtunt, & coram quo ipſi pa-
» rati ſint, prout juſtitia exigit, reſpondere: quo au-
» dito, dicti Judices delegati interloquendo pro-
» nunciârunt, ſe vigore earum litterarum, procede-
» re non poſſe, nec debere. Poſtea verò partes in
» quoſdam Arbitros compromiſerunt, hac condi-
» tione, & pacto, ut, ſi ij intra certum, & determi-
» natum tempus, cauſam non deciderent, eius co-
» gnitio ad eoſdem illos Judices delegatos iterum de-
» volveretur. Verùm cùm arbitri, intra tempus ipſis
» conſtitutum, cauſam non definirent, Judices de-
» legati, juxta formam compromiſſi, juriſdictionem
» reaſſumpſerunt: à quibus cùm partes ſe gravari
» ſentirent, ad Sedem Apoſtolicam appellârunt. Qua-
» re mandat Papa Gregorius IX. certis à ſe delegatis,
» ut, ſi ita ſit, acta eorum Judicum in irritum revo-
» cent, ſive irrita eſſe, declarent.

CLIX. Pro explicatione h.c. notandum 1. Sententia, per quam delegatus pronunciat, ſibi nullam juriſdictionem in cauſa delegata competere, eſt interlocutoria, non definitiva, quia non definit, ſeu decidit negotium principale; habet tamen vim ſententiæ definitivæ, quia per illam extinguitur omnino juriſdictio pronunciantis. Unde fit, ut à tali ſententia interlocutoria appellari poſſit: & ut per ipſummet judicem, qui eam tulit, revocari non poſſit. Abb. hîc num. 3. Imola num. 4. & Felin. num. 1. nec obſtat text. in c. Dilectus; 34. de præbend. ubi executores interloquendo dixerunt, ſe non poſſe mandatum Apoſtolicum exequi, & tamen poſtea ſunt executi. Verùm id factum eſt, vi ſecundi mandati à Papa dati, per quod expreſſè ipſis conceſſa fuit poteſtas revocandi illam ſententiam interlocutoriam, aliàs non potuiſſent revocare. Gl. margin. hîc lit. c. & Imol. n. 5.

Id verò limitandum 1. Ut procedat in Judice delegato, non autem in Ordinario; nam in delegato, qui pronunciat, ſe non habere ullam juriſdictionem in cauſa, nihil omnino remanet de juriſdictione, ſed ea prorſus extinguitur, unde nec manet aliquid, in quo fundetur poteſtas revocandi interlocutoriam ſententiam: in Judice verò Ordinario remanet firma ſua ordinaria juriſdictio. Felin. hîc n. 1. limit. 1.

Limitatur 2. Niſi à tali ſententia interlocutoria fuerit appellatum, tunc enim poterit delegatus illam revocare, quia per appellationem, inſpecto ſtatu præſenti, eſt extincta ſententia, perinde, ac ſi lata non fuiſſet; ſi autem lata non fuiſſet ſuper incompetentia, judex integram poteſtatem ſuam retinuiſſet: ergo ea remanſit etiam integra, poſt interpoſitam appellationem, juxta c. Ceſſante; 60. de appellat. & ſic poteſt delegatus ſententiam ſuam interlocutoriam revocare. Felin. hîc n. 2. limit. 2.

Limitatur 3. Ut procedat, ſi Judex pronunciet, ipſi juriſdictionem non competere ſuper cauſa principali ſibi commiſſa: ſecus, ſi ſuper aliqua quæſtione incidente, ſeu dependente à negotio principali: quia talis interlocutoria non habet vim definitivæ, cùm per illam non omnino extinguatur officium, ſeu juriſdictio Judicis, ideóque illam revocare poteſt. Felin. hîc num. 2. limit. 3.

Limitatur 4. Quòd, etſi Judex, qui fuit principaliter datus in cauſa, non poſſit revocare talem interlocutoriam; poteſt tamen is, qui fuit acceſſoriè datus, ut, ſi executor in cauſa beneficiali pronunciet, ſe non eſſe executorem, non ideo abdicat à ſe juriſdictionem, quin talem ſententiam revocare poſſit, quia, cùm duret adhuc principalis gratia, ſuper qua deputatus fuit executor, nõ potuit per ſuam pronunciationem tollere jus parti quæſitum. Felin. hîc n. 3. limit. 4.

CLX. Notandum 2. Si Judex delegatus pronunciet, ſe non habere poteſtatem cognoſcendi de cauſa delegata, & pars litigans non appellet ab hac ſententia interlocutoria, tunc ea tranſit in rem judicatam, ac proinde Judex non poterit poſtea in cauſa procedere, nec eam denuo reaſſumere, quia ſive bene, ſive malè pronunciando, cenſetur functus officio ſuo. c. In litteris; 9. h.t. l. Judex; 55. ff. de re judic. & pars litigans ſibi imputare debet, quòd non appellavit, quia res judicata facit jus inter partes. c. Cùm inter; 13. de ſent. & re judic. Abb. hîc n. 7. Imò neque ex partium conſenſu, poteſt Judex delegatus, poſtquam pronunciavit, nullam ſibi in cauſa juriſdictionem competere, illam deinde, vi primi mãdati,

fine

ſine nova commiſſione, cognoſcere, quia, cùm amiſerit juriſdictionem, partes litigantes non poſſunt illam ei dare, Gl. hîc V. Procedere; nam conſenſus privatorum non poteſt judicem facere eum, qui nullam juriſdictionem babet. l. 3. C. de juriſdict. omn. jud. Quamvìs verò per reſcriptum ad lites, etiam ſubreptitiè impetratum, aliqua juriſdictio judici delegato conferatur, ſaltem in habitu, ut in caſu huius c. ſi perſona ſimulans ſe pauperem, quæ revera pauper non eſt, impetret reſcriptum delegationis, quia tale reſcriptum non eſt ipſo jure nullum, ſed validum, ita tamen, ut per oppoſitam exceptionem doli in impetratione commiſſi elidi poſſit. c. Cæterùm; 3. & c. Plerumque; 23. de reſcript. Abb. hìc num. 2. adeóque partes in judicem delegatum conſentiendo, poſſint eius juriſdictionem confirmare, ac veluti prorogare, quantum eſt præcisè ex parte reſcripti ſubreptitij: id tamen non procedit, ſi ex parte obiecti, & in rei veritate in delegato deficiat poteſtas juriſdictionis, ut in caſu propoſito; nam cauſas civiles perſonarum non miſerabilium non poteſt Judex Eccleſiaſticus cognoſcere, ac tractare, niſi in defectum, & ob negligentiam Judicis ſecularis, ideóque hoc caſu delegatus, nec ex partium conſenſu, procedere poteſt, ob defectum juriſdictionis, Innocent. hic n. 1. & Abb. n. 8. Quare ſi tali caſu negligentia Domini, ſeu Judicis ſecularis poſtea interveniat, etſi probabile ſit, quòd tunc Judex delegatus, vi reſcripti etiam ſubreptitiè impetrati, poſſit, ſaltem partibus conſentientibus, in cauſa procedere, ut tenet Abb. hîc cit. num. 8. probabilius tamen eſt, non poſſe, quia Prælati Eccleſiaſtici non ſolent cauſas ſeculares aliis committere, priuſquam ad ipſos ſint devolutæ, ut notat Innocent. hic num. 1. Cùm igitur per tale reſcriptum nulla omnino ſit juriſdictio collata delegato, quippe quod per errorem ſubſtantialem eſt conceſſum, ipſo jure irritum eſſe cenſeri debet, Laym. hîc in fine.

CLXI. Notandum 3. Pactum in caſu huius c. compromiſſo appoſitū, ut, ſi arbitri intra terminum conſtitutum cauſam non deciderent, partes litigantes redirent ad priores judices delegatos, irritum fuit, nec obligare potuit, quia horum judicum juriſdictio per pronunciationem eorum fuit extincta; privati autem non poſſunt dare juriſdictionem ei, qui nullam habet, nec per partem ſe quis obligare poteſt, quod velit ſtare eius ſententiâ, qui juriſdictione caret. Abb. hîc n. 4.

» CLXII. Aſſertio 3. Si cauſa alicui delegata » ſit intra certum tempus, v. g. duos menſes, deci» denda, poſt tempus illud exactum, juriſdictio dele» gati, ipſúmq; mādatum exſpirat, niſi terminus præ» finiti temporis, communi conſenſu partium, fuerit » prorogatus. Ita habetur in c. De cauſis; 4. in princ. h. t. Ratio prioris partis eſt, quia tempus præſcriptum Judici delegato ad definiendam cauſam, cenſetur pertinere ad formam ſubſtantialem delegationis, nam ſuperior delegans hoc caſu dat juriſdictionem delegato ad cauſam expediendam non niſi limitatè, ſecundùm formam commiſſionis, ac mandati, ideóque, eâ non obſervatâ, exſpirat eius commiſſio, & mandatum. Aliud eſt, ſi certus terminus temporis ad aliquam cauſam expediendam præſcribatur Judici ordinario, ſive ordinariam juriſdictionem babenti ab eius Superiore; nam tum valet ſententia: etiam poſt lapſum temporis præfixi, lata, quamvìs illicitè differatur, ſeu poſtea feratur, Decius hîc num. 9. Bartol. in l. Properandum; 13. in princ. n. 5. C. de judic. Ratio eſt, quia hoc caſu non datur judici ordinario juriſdictio in illam cauſam, quam antè jam habet, ſed præſcribitur tantùm modus, ut citiùs cauſam expediat, ideóque is modus, ſeu conditio non ſubſtantialis, ſed accidentalis tantùm cenſeri debet, neque enim facilè præſumendum eſt, quòd ſuperior juriſdictionem alicui collatam auferre velit. Gloſſ. in Clement. 1. V. inhibentes de jure patron. Laym. hîc num. 1.

Ratio verò poſterioris partis, ſive exceptionis eſt, quia terminus cauſæ intra certum tempus expediendæ videtur ſtatutus in favorem partium, ne cauſa diutius, cum illarum damno protrahatur, ideóque huic favori ſuo renunciare poſſunt. arg. c. Ad Apoſtolicam; 16. de Regular. & tempus præfixum ulteriùs prorogare, ſeu extendere, uti etiam habetur in l. 2. §. Si & judex. ff. de judic.

Excipi debet 1. Niſi à delegante fuerit prohibita termini prorogatio. cit. l. 2. §. Si & Judex, junctâ Gl. V. Inhibita. Excipiendum 2. Niſi appareat, terminum temporis eſſe præfixum, non ob favorem partium, ſed ob communem utilitatem, ſeu bonum publicum, cui partes renunciare non poſſunt; adeóque neque talem terminum prorogare, ut ſi interſit v. g. Eccleſiæ, controverſiam aliquam beneficialem citò expediri. Gl. hic V. conſenſu partium, & ibid. Decius n. 8. in fine.

CLXIII. Porrò Judex delegatus, cui certum tempus præfixum eſt, intra quod cauſam definire, ſeu expedire debeat, poteſt ſententiam à ſe latam exequi, etiam poſt elapſum tempus præfinitum, quia eius juriſdictio non eſt omnino finita: nam poteſt ſententiam ferre in ultimo die termini, & poſtea exequi intra annum à jure ad executionem ipſi conceſſū, juxta c. Quærenti; 26. h. t. Secus tamen dicendum eſt, ſi terminus certi temporis ſit præfixus non Judici, ſed ipſi juriſdictioni delegati, ita, ut poſt elapſum illud tempus, extinguatur juriſdictio, tunc enim non poterit exequi poſt elapſum terminum, quia executio ſententiæ eſt actus juriſdictionis, quæ tamen jam exſpiravit. Joan. Andr. bic. n. 19. & Decius n. 9. Abb. in c. Significâſti; 7. n. 2. h. t. Molin. tr. 5. de juſtit. diſ. 27. num. 3.

§. II.

An, & quomodo finiatur iuriſdictio, & poteſtas Iudicis delegati morte eiuſdem?

CLXIV. Aſſertio 1. Finitur præterea juriſdictio, & poteſtas Judicis delegati morte ipſius delegati, ſi delegatio facta ſit perſonæ, ſeu expreſſo proprio nomine delegati; V. g. *Titio hanc cauſam committimus*; tunc enim cenſetur electa induſtria perſonæ, ideóque ad ſucceſſorem non tranſit, ſed cum perſona extinguitur ipſa delegatio, ſeu poteſtas delegata, quippe deficiente ſubiecto, cui inhærebat. Abb. in c. Quoniam; 14. n. 4. & 7. & ibid. Imol. n. 5. Decius n. 3. h. t. & alij Canoniſtæ communiter. Si verò delegatio, ſeu com-

commiſſio facta ſit dignitati, ſeu ſub nomine dignitatis, v.g. Epiſcopo, Præpoſito, vel Decano Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ, morte delegati non extinguitur officium, & poteſtas delegati, ſed ad ſucceſſorem in eadem dignitate tranſit, etiamſi res adhue ſit integra, ſive cauſa nondum cœpta, quia dignitas perpetua eſt, & nnnquam moritur. c. Gratioſè; 5; de reſcript. in 6. etſi individua quotidie pereant. Gl. in cit. c. Quoniam; V. Subſtitutum, nec dignitas variatur per mutationem perſonæ. Abb. c. l. n. 3. & 4. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 27. n. 6. & alij DD. ſuprà cit.

CLXV. Idque ſumitur ex cit. c. Quoniam; 14. h.
» t. ubi Papa Alexander III. cauſam quandam dele-
» gavit duobus Abbatibus, ſcilicet Abbati Leiceſtriæ,
» & Abbati Vinceſtriæ, qui citârunt partes, vel (ut
» litteræ magìs congruit) mortuo Abbate Vince-
» ſtriæ, alter Abbas ſuperſtes partes citavit (ex vi clau-
» ſulæ, *quòd ſi non ambo poteritis, alter procedat*, in re-
» ſcripto adiectæ. Gl. hìc in caſu, & Hoſtienſ. in princ.)
» & diem ad agendum, ſeu procedendum ipſis præfi-
» xit, &, cùm interim in locum demortui Abbatis
» Vinceſtrienſis, alius Abbas ſubſtitueretur, Abbas
» Leiceſtriæ mandatum Apoſtolicum Succeſſori illi
» porrexit, & cum eodem in cauſæ cognitione pro-
» ceſſit, eámque definivit. Quorum ſententiam tan-
» quam juſtam, idem Papa ratam habuit, & confir-
» mavit, eò quòd delegatio, non ſub nomine pro-
» priarum perſonarum, ſed expreſſis nominibus lo-
» corum (id eſt, dignitatum) facta eſt.

CLXVI. Pro intellectu huius c. notandum 1. ut cognoſcatur, num delegatio facta ſit perſonæ, an dignitati, vel officio, non ad ſola verba attendendum eſt, an ſcilicet in delegatione expreſſum ſit nomen proprium perſonæ, an nomen appellativum dignitatis: ſed potiùs inſpicienda eſt præſumpta voluntas committentis, quatenus ea ex materia ſubjecta, & aliis adiunctis colligi poteſt, nam verba deſerviunt intentioni, non hæc verbis. Abb. hìc n. 8. & una præſumptio major, & fortior tollit aliam minorem, quæ præciſè ex verbis deſumitur, ut tradit Gl. fin. in c. Tranſmiſſæ; 3. qui filij ſint legitimi. Et hinc ſi v.g. Papa, expreſſo ſolo nomine dignitatis, Abbati alicui cauſam aliquam committat, adjiciendo, ſe illi cauſam delegare, ob peculiarem illius doctrinam, & diuturnam experientiam in eo genere, cenſendum eſt, non intuitu dignitatis, ſed perſonæ delegationem eſſe factam. arg. c. Mandata; 6. de præſumpt. Sanch. cit. diſ. 27. num. 3. Sic, etiamſi Abbas, vel Epiſcopus aliquis excommunicatus fuerit, ſolo dignitatis nomine expreſſo, ex ſubiecta materia apparet, excommunicationem eſſe perſonalem, nec ad ſucceſſorem tranſire, quippe quæ ob ſolum delictum perſonale inferri poteſt. Abb. c. l. & Sanch. c. l. E contrario verò ex ſubiecta materia colligi poteſt, quòd ex reſcripto Principis, de pecuniario v.g. debito ſolvendo, in quo Anteceſſoris nomen proprium expreſſum fuit, eo mortuo, etiam ſucceſſor in officio, vel hæres eius conveniri poſſit. Abb. in c. Significavit; 36. n. 4. de reſcript.

Porrò quamvìs in legatis relinquendis haberi ſoleat ratio conſanguinitatis, & amicitiæ, ideóque legatum relictum Epiſcopo à conſanguineis, non Eccleſiæ, ſed perſonæ intuitu relictum cenſeatur. c. Requiſiſti; 15. de teſtament. Atque ſimiliter, ſi executio teſtamenti perſonæ in dignitate conſtitutæ ſit commiſſa à teſtatore ſub nomine dignitatis, v. g. Præpoſito Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ, rectè cenſebitur eſſe facta, non dignitati, ſed perſonæ, cùm ea executio communiter demandari ſoleat amicis, & ſanguine junctis. Id tamen non habet locum in cauſarum delegationibus, in quibus non tam ſanguinis, & amicitiæ conjunctio, quàm auctoritas, & periria delegati ſpectatur, quæ etiam in ſucceſſoribus plerumque reperitur: ideóque ex eo, quòd delegatus ſit ſanguine, vel amicitiâ conjunctus deleganti, non debet cenſeri, delegationem eſſe factam intuitu perſonæ, ſed potiùs dignitatis, ac proinde eam ad ſucceſſorem tranſire. Sanch. c. l. n. 15. cùm juxta ſtylum, & uſum receptum, delegationes committi ſoleant alicui perſonæ in dignitate conſtitutæ. c. Statutum; 11. de reſcript. in 6.

CLXVII. Notandum 2. Si cauſa alicui commiſſa ſit, expreſſo ſimul proprio nomine perſonæ delegati, & appellativo dignitatis, v. g. *committimus Henrico Epiſcopo Auguſtano*, tum in dubio, ſi de voluntate delegantis ex aliis conjectutis conſtare non poſſit, cenſenda eſt hujuſmodi commiſſio eſſe perſonalis, ſive intuitu perſonæ facta, ac proinde ad ſucceſſorem non tranſire, ſive nomen proprium perſonæ appellativo nomini dignitatis præponatur, ſive poſtponatur. Imol. in cit. c. Quoniam; n. 25. h. t. Sanch. cit. diſ. 27. num. 20. Ratio eſt, tum quia, univerſim loquendo, per ſpeciem determinatur, & reſtringitur genus, ſive illa præcedat, ſive ſequatur: ergo, & nomen genericum dignitatis contrahitur, ac determinatur per nomen ſpecificum perſonæ, ut commiſſio ultra perſonam proprio nomine expreſſam non extendatur: tum quia verba reſcripti debent aliquid operari, fruſtra autem apponeretur nomen proprium, niſi faceret commiſſionem perſonalem, nam alium effectum habere nequit, cùm perſona delegati, expreſſo nomine certæ dignitatis, jam aliàs ſit certa. Tum quia præſumptio ſpecialis, deſumpta ex nomine proprio perſonæ, vincit generalem præſumptionem, quæ deſumitur ex expreſſo nomine dignitatis. Sanch. c. l.

CLXVIII. Notandum 3. Si commiſſio ſit perſonalis, ſeu intuitu perſonæ facta, ſemper extinguitur cum perſona delegati: ſi verò ſit commiſſio realis, ſeu facta intuitu dignitatis, ad ſucceſſorem tranſit, tametſi res ſit integra, & cauſa nondum cœpta. Abb. in cit. c. Quoniam; n. 4. Sanch. cit. diſ. n. 7. & alij. nam, ſive res ſit integra, ſive non, eadem ratio militat, nempe, quòd dignitas, & ea, quæ ratione dignitatis competunt, mutatâ perſonâ, non pereant, aut amittantur. c. Si gratioſè; 5. de reſcript. in 6.

Nec obſtat dictum c. Quoniam; ibi: *illi mandato noſtro porrecto:* nam ſubintelligendum eſt *maximè:* neque in hoc vis deciſionis conſiſtit, ſed in eo, quòd delegatio non perſonæ, ſed dignitati facta ſit. Hoſtienſ. ibid. V. Porrecto. Quòd ſi commiſſio ſit intuitu perſonæ facta, depoſitâ dignitate, vel officio, ſi delegatus adhuc ſuperſtes ſit, nō exſpirat juriſdictio delegati, ſed is cauſam commiſſam poteſt adhuc cognoſcere, licèt nōdum cœpta fuerit. Ratio eſt,

quia

quia mandatum, ſeu reſcriptum perſonale adhæret perſonæ, eamque comitatur inſtar privilegij perſonalis, & eſſe rem integram, aut cœptam, ſolùm attenditur, quando delegans obijt, vel dignitatem amiſit, non autem, quando ipſe delegatus. Sanch. cit. diſ. 27. num. 22. & 25. Si verò commiſſio ſit intuitu dignitatis facta, amiſsâ dignitate, vel officio per reſignationem, vel etiam translationem ad aliam, non poteſt cauſam cognoſcere delegatus, etiamſi cauſa jam cœpta ſit, ſed ejus cognitio ad Succeſſorem pertinet, quia commiſſio realis adhæret rei, ſeu dignitati, cujus intuitu facta eſt, ergo depoſitâ dignitate, vel officio amittitur, & ad Succeſſorem tranſit. Sanch. c. l. n. 23. & 24.

Porrò, quòd commiſſio perſonalis non exſpiret, depoſito officio, aut dignitate, id limitari debet 1. Niſi delegatus ob crimen ſit depoſitus, ſeu privatus officio, aut dignitate, arg. l. 2. ff. de Senatorib. ubi remotus à Senatu propter turpitudinem propriam non poteſt judicare. Sanch. c. l. n. 26. 2. Niſi delegatus ſtatum incompoſſibilem, ſeu contrarium aſſumat, ut, ſi Canonicus delegatus à Sede Apoſtolica, relicto Canonicatu, uxorem ducat, & incapax fiat juriſdictionis Eccleſiaſticæ; tum enim commiſſionem perſonalem exequi haud poterit. Sanch. c. l. n. 27. Secus eſt, ſi Religionem ingreſſus ſit, tunc enim nihilominus exequi poterit, niſi ſit talis Religio, in cujus Conſtitutionibus cauſarum delegatarum cognitio, & executio ſpecialiter prohibeatur. Laym. in cit. c. Quoniam; n. 5.

CLXIX. Sed prædictis obſtare videtur, quòd nullus ſit capax delegationis à Sede Apoſtolica factæ ad lites, ſeu cauſas juſtitiæ, niſi ſit in dignitate conſtitutus, vel Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, c. Statutum; 11. de reſcript. in 6. ergo depoſitâ dignitate, vel Canonicatu, non poteſt quis ampliùs exequi comiſſionem intuitu perſonæ factam, & conſequenter illa non ſemper cum perſona perpetuatur. Verùm reſpondetur, ſufficere, quòd delegatus fuerit capax, videlicet in dignitate conſtitutus, aut Canonicus, tempore commiſſionis ſibi factæ, ſeu datæ litteratum, ad hoc, ut commiſſionem perſonæ, non dignitatis intuitu factam exequi poſſit, licèt tempore præſentationis illarum reſignârit. Gloſſ. communiter recepta in cit. c. Statutum; V. Canonicis; in fine. Sanch. c. l. num. 24. & 28. & alij ab eo citt. Contrà verò, ſi delegatus, tempore præſentationis reſcripti, ſeu delegationis Apoſtolicæ, dignitatem obtineat, vel Eccleſiæ Cathedralis Canonicus exiſtat, non item tempore impetrationis, ſeu commiſſionis factæ, commiſſionem perſonalem exequi non poteſt, quia in talibus initium ſpectandum eſt. Gloſſ. l. c. arg. c. Si eo tempore; 9. de reſcript. in 6. Quare hîc locum habet illa regula juris 73. in 6. factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari: atqui Principis commiſſio rata fuit, tempore datæ, ſeu expeditionis litteratum, & quoad actum delegandi fuit conſummata: ergo licèt Commiſſarius, ſeu delegatus poſtea ad ſtatum deveniat, in quo ipſi delegatio fieri ſecundùm Canones non poteſt, quia videlicet dignitati, vel Canonicatui Eccleſiæ Cathedralis renunciavit: nihilominus cauſam delegatam exequi poterit, quia dignitas illa, vel Canonicatus, non tempore executionis, ſed ſolùm tempore delegationis faciendæ requiritur, ut colligitur ex cit. c. Statutum; in princ. ibi: *Canonicis committantur.* Quòd ſi commiſſio ſit realis, ſeu intuitu dignitatis facta, non eſt neceſſe, ut tempore commiſſionis, ſeu impetrationis reſcripti delegatus obtineat dignitatem, vel Canonicatum, ſed ſufficit, quòd tempore præſentationis reſcripti delegatorij: quia commiſſio realis ſequitur dignitatem, quæ tempore commiſſionis factæ eadem erat, quamvìs in alia perſona exiſtens. Non tamen etiam ſufficit, talem delegatum obtinere dignitatem, vel Canonicatum tempore commiſſionis, ſed requiritur, ut etiam tempore executionis, adeóque toto tempore delegationis ſit, & perſeveret in illa dignitate: nam alioquin, quamprimum ceſſat dignitas in perſona delegati, commiſſio tranſit ad Succeſſorem in dignitate. Sanch. c. l. n. 28. in fine.

CLXX. Notandum 4. Etſi commiſſio nomine dignitatis facta tranſeat ad Succeſſorem in dignitate, quia is æquali jure gaudet, & officio fungitur; non tamen tranſit ad Adminiſtratorem, qui tempore vacantis Eccleſiæ conſtituitur. Laym. in cit. c. Quoniam; num. 1. Et hinc neque ea, quæ Epiſcopo, ratione dignitatis ſuæ, ſpecialiter delegata ſunt, ad Capitulum, Sede vacante, tranſeunt, ut docet Abb. in c. Verùm; 7. n. 9. de ſoro compet. Decius in cit. c. Quoniam; n. 3. h. t. niſi ſint talia, quæ tranſeant in ordinariam Epiſcopi juriſdictionem, ut eſt poteſtas abſolvendi à caſibus Papalibus occultis, de quibus Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. Laym. c. l.

CLXXI. Aſſertio 2. Si unus ex duobus, vel pluribus Judicibus delegatis, vel arbitris, mortuus ſit, etiam alterius, vel aliorum officium exſpirat: niſi aliud in delegatione, aut compromiſſo fuerit expreſſum. ita habetur in c. Uno; 42. h. t. Ratio eſt, quia, quando duo, aut plures Judices ſimpliciter ſunt delegati, ſinè adjecta clauſula, tum omnes ſimul, & conjunctim judicare juſſi ſunt, & omnes unius loco tantùm ſunt, ac proinde unus ſinè alio in cauſa procedere non poteſt, l. Duo; 39. ff. de re judic. Gl. hîc V. Delegatorum. Idque etiam locum habet, ſi alter judicum delegatorum judicandi poteſtate privatus ſit, ut quia infamis factus eſt juris infamiâ, ut colligitur ex c. Sciſcitatus; 13. de reſcript. Gloſſ. hîc V. Delegatorum; vel, ſi quis ob crimen ut ſuſpectus, remotus, aut à dignitate, quam obtinet, per ſententiam depoſitus ſit, quia neuter illorum judex erat in ſolidum, ſed juriſdictio quoad exercitium erat penes utrumque, ſive omnes delegatos ſimul, & conjunctim, & non tantùm remanet penes duos, vel plures ſuperſtites, aut non recuſatos, aut non depoſitos, c. Licèt; 30. & ibid. Gloſſ. V. Re integrâ; in fine. Gloſſ. in cit. c. pen. V. Delegatorum; h. t. adeóque, vel uno ex illis mortuo, ſuſpecto facto, aut depoſito, tota poteſtas eorum, ſeu juriſdictio exſpirat. Aliud eſt de ligato majore excommunicatione, quia poſt impetratum reſcriptum delegationis, illius juriſdictio per excommunicationem non extinguitur, ſed ſolùm ſuſpenditur, quouſque fuerit ab ea abſolutus, arg. c. Prudentiam; 21. §. Sexta; h. t. Hoſtienſ. hîc V. Exſpirat.

CLXXII. Excipitur 1. Niſi clauſula, *ſi non ambo, aut ſi non omnes, &c.* adjecta ſit, tum enim alio-

rum juriſdictio, uno mortuo, vel recuſato tanquam ſuſpecto, aut depoſito, non exſpirat, cit. c. pen. h. t. & ibi Gloſſ. V. cit. 2. Si vivente adhuc altero, cauſa inchoata ſit, adeóque res non ſit integra, tum morte unius aliorum juriſdictio non extinguitur, cit. c. Licèt; & Gloſſ. in cit. c. pen. V. cit. 3. Si unus delegatorum alteri condelegato vices ſuas commiſerit, illo mortuo, juriſdictio in ſolo ſuperſtite permanet, etiamſi res ſit integra, c. Quamvis; 6. h. t. 4. Si commiſſio facta ſit nomine dignitatis, tum enim morte delegati nō exſpirat, ſed ad Succeſſorem tranſit, juxta c. Quoniam; 14. h. t. Gloſſ. margin. ble Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 24. num. 1. Idémque obtinet in arbitris, ut uno mortuo, aliorum officium exſpiret, ſi in eos compromiſſum ſit, ut omnes judicent, cit. c. pen. h. t. & ibi Gl. V. cit. l. Item, ſi unus; 27. §. Item, ſi plures; ff. de receptis, &c. qui arbitrium &c. ſicut enim plures delegati non poſſunt ſinguli exercere juriſdictionem in ſolidum, ſed pro parte tantùm: ita nec plures Arbitri, qui in hoc æquiparantur delegatis. Abb. hic num. 2. niſi in compromiſſo expreſsè ſit actum, ut, ſi unus intereſſe non poſſit, alter, vel reliqui arbitrium proferre poſſint, cit. c. pen. & ibi Gloſſ. V. cit. Idque etiam locum habere in arbitratoribus docet Jo. Andr. & Abb. hìc num. 4. quia eſt in illis eadem ratio. Verùm nomine Arbitri compromiſſarij non comprehendi Arbitratores, qui jus partibus non dicunt, ſed ſolùm amicabiliter eas componunt, habetur in l. Pomponius; 13. §. Recepiſſe; ff. eod. & notat ibi Bart. de quo plura infrà ſuo loco.

Porrò, quando ob mortem unius ex pluribus delegatis, ante ſententiam ab ijs latam, tota juriſdictio ad cauſam proſequendam, & ad ſententiam ferendam etiam in cæteris Conjudicibus exſpirat, tunc ad delegantem eſt recurrendum. Molin. cit. diſ. 24. num. 1.

§. III.

An, & quando poteſtas Judicis delegati exſpiret morte delegantis?

CLXXIII. Aſſertio 1. Finitur juriſdictio delegati, quoad litteras juſtitiæ exequendas, per mortem delegantis, re adhuc integrâ, id eſt, ſi delegatus necdum uti cœpit juriſdictione: ſin autem res non ſit integra, ſive cauſa commiſſa jam ſit cœpta, mortuo delegante, non extinguitur, ſed perpetuatur juriſdictio delegati, ut conſtat ex c. Relatum; 19. et c. Gratum; 20. et c. Licèt; 30. h. t. & ibi Canoniſtæ communiter, & ex l. Et quia; 6. ff. de juriſdict. Ratio eſt, tum quia univerſim mandatum morte mandantis, ſi res integra ſit, exſpirat, l. Mandatum; 15. ff. Mandati; tum quia per actum delegationis non transfertur efficaciter juriſdictio in delegatum, donec is eâ uti cœperit, c. Quamvis; 6. in fine h. t. in 6. ex quo tempore, & non antè, judex eſſe incipit. Cùm ergo juriſdictio nondum inchoata à delegato, ſeu re integrâ, cum effectu adhuc ſit penes delegantem, conſequenter extinctâ per mortem juriſdictione ipſius delegantis, extinguitur quoque juriſdictio delegata, quæ, ântequam eâ uti cœpit delegatus, potiùs cenſetur eſſe aliquid ſpectans ad delegantem, quàm delegatum, neque eſt radicata in perſona delegati: at verò per exercitium juriſdictionis, ante mortem delegantis, juriſdictio efficaciter tranſit in delegatum, ut colligitur ex cit. c. Quamvis in fine: ideóque poſtquam eâ delegatus uti cœpit, non extinguitur juriſdictio hæc delegata per mortem ipſius delegantis. Sanch. lib. 8. de matrimon. diſ. 28. num. 30.

CLXXIV. Porrò illud controverſum eſt, quando res deſinat eſſe integra, ſive cauſa, & per conſequens etiam juriſdictio delegata cenſeatur eſſe cœpta, utrùm per litis conteſtationem, an verò per ſolam citationem? Nam priùs videtur apertè ſtatui in c. Relatum; 19. h. t. ubi Papa Lucius III. ita reſcribit: Si lis ante obitum Papæ delegantis fuerit conteſtata, mandatum, ſeu delegatio morte mandantis, ſeu delegantis non exſpiravit. Si verò ante litis conteſtationem deceſſit, tum Judices ab eo delegati in cauſa illa delegata procedere non poſſunt.

CLXXV. Sed directè contrarium, nempè quòd per ſolam citationem factam à delegato, ante mortem delegantis, perpetuetur juriſdictio delegati, apertè ſtatutum habetur in c. Gratum; 20. h. t. Ubi Papa Urbanus III. conſultus, utrùm ante obitum delegantis, propoſito citationis edicto, lite verò poſt mortem ejuſdem conteſtatâ, nihilominus in cauſa procedere poſſit, aut debeat delegatus? Reſpondet Papa: quòd, cùm per citationem factam cauſa ſit veluti cœpta, poteſt, imò & debet Judex delegatus in ea procedere, eámque definire: præſertim, ſi (tempore litis conteſtandæ) non fuerat certus de obitu delegantis (quamvis idem eſſet, ſi poſt præmiſſam citationem, eſſet certus de morte delegantis, tempore litis conteſtatæ, Gloſſ. hìc V. Maximè; & Hoſtienſ.) Ratio autem, cur citatione factâ, ante mortem delegantis, juriſdictio delegati perpetuetur: extinguatur verò, ſi citatio facta non ſit, eſt iſta: quia per mortem delegantis non exſpirat juriſdictio delegati, ſi is eâ uti cœpit, c. Licèt; 30. h. t. primus autem actus ſubſtantialis, adeóque principium, & fundamentum judicij eſt citatio, §. ult, Inſtit. de pœna temerè litigant. Gloſſ. in c. Quoniam; 11. V. Citationes de probat.

CLXXVI. Variè autem hos textus in ſpeciem contrarios conciliare nituntur DD. nam inprimis Gloſſ. in cit. c. Relatum; in caſu ait, quòd illa decretalis correcta ſit per poſteriorem, nempe per ſequens c. Gratum. Vel potiùs, ut vitetur jurium correctio, unus textus per alium, & reſponſum unius Papæ per alterius Pontificis reſponſum ſuppleri, & declarari debet, ita, ut, cùm dicit Lucius III. morte delegantis non exſpirare mandatum delegationis, ſi lis, ante ejus obitum, fuerit conteſtata, ſecus, ſi lis nondum ſit conteſtata, ſubintelligendum ſit, *maximè*, cùm etiamſi citatio emanârit, ante obitum delegantis, in cauſa commiſſa à delegato procedi poſſit, juxta reſponſum Papæ Urbani III. in cit. c. Gratum; & ita conciliat hos textus Abb. ibid. n. 1. & 2. Sanch. cit. diſ. 23. n. 10. Vel ſecundò etiam dici poteſt, quòd Lucius III. in c. Relatum; 19. h. t. ideo mentionem fecerit litis conteſtationis, quia in caſu ſibi propoſi-

to

ro deſacto lis fuerat conteſtata; non autem negavit, ſufficere etiam ſolam citationem ad perpetuandam juriſdictionem delegati, prout reſpondit Urbanus III. in cit. c. Gratum; Barboſ. in Collectan. ibid. n. 4. Vel denique tertiò dici poteſt, quòd, cùm Jure Civili (cui jus Canonicum ſe conformat, quantum fieri poteſt, præſertim in cauſis judicialibus) non ſatìs expreſſum ſit, utrùm juriſdictio delegata per litis conteſtationem, an verò per ſolâ citationem cœpta cenſeatur: Lucius III. in cit. c. Relatum; ſecutus ſit priorem opinionem tanquam tutiorem: Urbanus verò III. aliter reſponderit in cit. c. Gratum; ſecutus ſententiam poſteriorem, quæ benignior eſt. Decius ibid. n. 1. & Laym. n. 1. Veruntamen probabilius eſt, utroque Jure, tam Canonico, quàm Civili, requiri, & ſufficere partis citationem ad perpetuandam juriſdictionem delegati, adeóque ad hoc, ut res deſinat eſſe integra, & cauſa ſit cœpta, ante mortem delegantis, quia à citatione incipit judicium. Bartol. in l. Et quia; 6. n. 13. ff. de juriſdict.

CLXXVII. Præterea in cit. c. Gratum; in fi-
» ne additur, quòd, ſi quis à ſententia Judicis appella-
» vit, ſed poſtea inducias petijt ad producendos te-
» ſtes, ac demum renuncians huic productioni, re-
» ceptas atteſtationes ſolemniter publicari poſtula-
» vit, ab interpoſita appellatione receſſiſſe cenſeri
» debet, quippe exercens actum appellationi contrarium. Gloſſ. ibid. V. Receſſum. Hoc autem procedit in appellatione interpoſita, non autem interponenda, nam, ſi gravatus, intra tempus datum ad appellandum, pergat, poſt gravamen illatum, litigare coram eodem Judice, non cenſetur renunciare appellationi interponendæ, quia interim de ea deliberare poteſt. Abb. in cit. c. Gratum; n. 6. & Decius ibid. n. 4. Sed hæc aliò pertinent.

CLXXVIII. Ubi inſuper notandum 1. Tametſi ad perpetuandam juriſdictionem delegati requiritur, & ſufficit citatio, ut ſuprà dictum, non tamen ſufficit actus ſubdelegationis, per quem delegatus, ante mortem delegantis, alteri cauſam ſubdelegavit; neque alia judicialis præparatio citationem præcedens, uti eſt, vocare notarium, vel teſtes; deligere locum judicio exercendo; præcipere, ut citatio fiat &c. Abb. in cit. c. Gratum; n. 5. Sanch. l. 8. de matrimon. diſ. 28. n. 18. & alij apud ipſum citt. contra Hoſtienſ. & Sylveſt. V. Delegatus; q. 6. nam delegare, vel ſubdelegare, & alij hujuſmodi actus, non ſunt actus judiciales, cùm etiam extra territorium Judicis ordinarij, aut delegati, & ſinè cauſæ cognitione, exerceri poſſint, ac proinde per exercitium talis actûs non eſt cœptum judicium, & committere juriſdictionem non eſt actus exercendi illam, nec actus judiciarius. Felin. in cit. c. Relatum; num. 12. h. t. & conſtat etiam ex c. pen. h. t. in 6. et c. ult. de offic. Legat. Neque dicas, juriſdictio delegati perpetuatur, cùm is eâ uti cœperit, c. Licèt; 30. h. t. At ſubdelegando utitur juriſdictione ſibi delegatâ, ergo jam uti cœpit juriſdictione delegatâ, & ſic res non eſt integra. Nam reſpondetur, delegatus, exercendo actum juriſdictionis intrinſecum, ſeu ſubſtantialem, ac pertinentem ad ſubſtantiam judicij, cujuſmodi eſt citatio, dicitur, ac cenſetur uſus juriſdictione: non item exercendo actum juriſdictionis extrinſecum, & accidentalem tantùm, qualis eſt ſubdelegare, vel alium hujuſmodi, per quem judicium extrinſecè, ſeu præparatoriè tantùm cœptum dicitur. Sanchez. c. l.

CLXXIX. Notandum 2. Ad perpetuandam juriſdictionem delegati ſufficit, citationem ab ipſo emanâſſe, ante mortem delegantis, etſi illa ad notitiam partis citatæ non pervenerit. Gloſſ. margin. communiter recepta in Clement. 2. Ut lite pendente &c. Abb. in cit. c. Gratum; num. 3. Sanch. cit. diſ. 28. n. 13. & alij apud ipſum: & colligitur ex cit. c. Gratum; ibi: *propoſito citationis edicto:* nam olim per publica edicta citationes fieri ſolebant, nunc autem per nuncium, ac litteras ad perſonam citandam deſtinatas. Ratio eſt, quia, cùm citatio vim præcepti habeat, ad inſtar præcepti obligat, & effectum ſuum conſequitur: præceptum autem, quatenus à Superiore procedit, plenum effectum habere cenſetur, & quantum eſt ex ſe, vim obligandi habet, licèt per accidens ratione ignorantiæ non obliget, donec fuerit intimatum: ergo & citatio per ſe effectum habet, & vim perpetuandi juriſdictionem, quamvìs nondum ſit intimata citato. Laym. in cit. c. Gratum; num. 2.

CLXXX. Cæterùm, quod dictum eſt, juriſdictionem delegatam, ſi nondum cœpit delegatus eâ uti, exſpirare per mortem delegantis, ita, ut proceſſus poſtea inſtitutus non valeat, id extenditur 1. Ut procedat, ſive ipſe delegatus mortem ejus ſciat, ſive etiam ignoret, ut docet Abb. in cit. c. Gratum; n. 10. Sanch. lib. 3. de matrimon. diſ. 22. num. 59. ex communi. Ratio eſt, tum quia jura nihil quoad hoc diſtinguunt, adeóque non eſt diſcrimen faciendum inter ſcientiam, & ignorantiam delegati: tum quia juriſdictio, ante mortem delegantis, non eſt efficaciter tranſlata in delegatum: ergo, cùm ipſi nondum inſit, cum ſuo Auctore, videlicet delegante exſpirat, ſive delegatus ſciat mortem ipſius, ſive ignoret, quia ignorantia non poteſt tribuere juriſdictionem non habenti, arg. l. 3. C. de juriſd. omn. judic. Excipi debet, niſi mors delegantis publicè ignoretur in eo loco, ubi juriſdictio deleganda exercenda eſt: tum enim non exſpirat per mortem delegantis juriſdictio delegati, ſed ejus acta valent, licèt ipſe privatim ſciat mortem delegantis. Abb. in cit. c. Gratum; n. ult. & Sanch. c. l. nam præter titulum coloratum, ſeu præſumptum, qui fundatur in litteris delegationis à legitimo Superiore, videlicet delegante collatis, concurrit etiam communis error, ſeu publica ignorantia, quâ neſcitur, commiſſionem illam per mortem delegantis extinctam eſſe, ideóque defectum illum, ob publicam utilitatem, jus ſupplere cenſetur, arg. l. Barbarius; 3. ff. de offic. Prætor.

His adde, quòd mortuo delegante, ſi cauſa nondum cœpta ſit, ita extinguitur juriſdictio delegata, ut neque, ſi partes conſentiant, poſſit delegatus in cauſa procedere, quia, cùm ejus juriſdictio ſit omnino extincta, non poteſt partium conſenſu prorogari, privatorum enim conſenſus judicem conſtituere non poteſt eum, qui judex non eſt, l. 3. C. de juriſdict. omn. judic. Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 28. num. 41.

CLXXXI. Extenditur 2. Quòd non ſolùm mortuo delegante, ſed etiam eo ab officio depoſito, extin-

extinguitur juriſdictio delegara, ſi ea nondum cœpta ſit. Gloſſ. io c. Licèt; 30. V. Re integrâ circa finem; h. t. Abb. ibid. n. 7. Sanch. cit. diſ. 28. num. 32. nam mors naturalis, & civilis æquiparantur, quando eadem ſubeſt ratio. Quòd ſi delegans ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, denunciatus, & non toleratus, noo quidem omnino exſpirat, ſed ſuſpenditur juriſdictio delegati, quoad negotia nondum cœpta; non item quoad negotia cœpta: nam quoad hæc jam radicata eſt juriſdictio in delegato, in eúmque efficaciter tranſlata, ideóque non ſuſpenditur per excommuoicationem, vel ſuſpenſionem delegantis. In quo differt juriſdictio delegati à juriſdictione Vicarij generalis, quia hæc eadem eſt cum juriſdictione Epiſcopi; juriſdictio autem delegantis, & delegati eſt diſtincta; ideóque ſuſpenſâ juriſdictione delegantis, oon neceſſariò etiam ſuſpenditur juriſdictio delegati. Abb. in cit. c. Licèt; num. 8. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 30. n. 3. & 7.

CLXXXII. Extenditnr 3. Quòd etiam juriſdictio delegati à Principe exſpiret per mortem delegantis, ſi res adhuc ſit integra, ut conſtat ex c. Licèt; 30. h. t. ubi dicitur, delegatiooem à Papa factam exſpirare morte ipſius, re integrâ, quia eadem eſt ratio in delegato Principis, quæ io alijs. Sanch. cit. diſ. 28. num. 33. Sicut etiam juriſdictio delegati ad univerſitatem cauſarum, mortuo delegante, ſi cauſa nondum ſit cœpta, extinguitur, cùm etiam tuoc juriſdictio maneat penes delegaorem, & ipſe delegatus nihil proprio nomine habeat. Abb. in cit. c. Relatum; 19. n. 7. h. t. Sanch. c. l. n. 34. Et licèt hujuſmodi juriſdictio in multis æquiparetur ordinariæ, non tamen in omnibus, maximè ubi ſubeſt diverſa ratio: Abb. c. l. Accedit, quòd juriſdictio ad univerſitatem cauſarum æquiparetur ordinariæ, poſtquam in judicem delegatum efficaciter tranſijt, ipſique plenè acquiſita eſt: quod tum primùm fit, quando res deſijt eſſe integra, & delegatus juriſdictione uti cœpit, juxta c. Qnamvìs; 6. h. t. in 6. ergo re adhuc integrâ, non æquiparatur ordinariæ, & conſequenter juriſdictio etiam ad univerſitatem cauſarum exſpirat morte concedentis. Laym. in cit. c. Gratum; n. 8.

Porrò, poſtquam judex ad univerſitatem cauſarum delegatus unam cauſam tractare cœpit, juriſdictio ejus inchoata eſt, & perpetuata manet, etiam quoad alias cauſas nondum cœptas, quia tunc cenſetur commiſſio generalis facta, in qua omnes cauſæ ſic generatim commiſſæ inter ſe connexionem habent: ſecus eſt, ſi plures cauſæ in commiſſione ſpecificè ſint expreſſæ; tunc enim ſunt plures commiſſiones, ideóque unâ causâ commiſſâ cœptâ, juriſdictio delegata, quoad alias non cœptas, non perpetuatur, ſed per mortem delegantis exſpirat, arg. l. Scire; 29. in princ. ff. de verb. oblig. ubi dicitur, tot eſſe ſtipulationes, quot ſunt ſpecies, vel ſummæ ſpecialiter deſignatæ: at unicam eſſe, quoties res uoiverſaliter deſignatur. Sanch. cit. diſ. n. 27. Prætereà quam, ſi cauſæ ſpecificè expreſſæ inter ſe fuerint connexæ, ita, ut una alteram ſecum trahat, tunc enim unâ cœptâ, fit perpetuatio juriſdictionis delegatæ etiam quoad alias, arg. l. ult. C. de duobus reis. Abb. in cit. c. Licèt; n. 3. h. t.

CLXXXIII. Aſſertio 2. Sicut juriſdictio delegati morte delegantis, ita etiam juriſdictio ſubdelegati exſpirat morte committentis, ſive ſubdelegantis, ſi res, ſeu cauſa tunc ſit integra, ſeu nondum cœpta, ſaltem per citatiooem partis: ſecus, ſi cauſa non ſit integra, ſed jam cœpta ante mortem ſubdelegantis, tnm enim juriſdictio ſubdelegati oon exſpirat per mortem ſubdelegantis, prout ſumitur ex c. Licèt; 30. h. t. Nam, ſi cauſa à Papa commiſſa ſit tribus Judicibus, adjectâ clauſulâ, *ut, ſi non omnes intereſſe poſſint, reliqui duo cauſam exequantur:* poſtea verò uous Judicum alteri ex condelegatis vices ſuas committat, ſeu ſubdeleget, tertius autem tanquam ſuſpectus meritò recuſetur, ac deniq; ſubdelegans, qui vices ſuas alteri commiſit, moriatur: hoc caſu, ſi collega, ſive delegatus ſuperſtes, cui à condelegato ſubdelegatio facta eſt, eo adhuc vivente, juriſdictione ſibi ſubdelegatâ uti non cœpit, ſolus judicare non poteſt, quia mandatum, ſive ſubdelegatio ipſi facta morte mandantis, ſive ſubdelegantis exſpiravit, cùm res adhuc integra eſſet: ſi verò ante mortem mandantis, ſive ſubdelegantis, juriſdictione ſibi ſubdelegatâ, uti cœperit, poterit judicando procedere, & ſuo, & alterius jam defuncti nomine, tanquam ſubdelegatus ipſius, cui is vices ſuas commiſit.

CLXXXIV. Pro explicatiooe hujus c. ootandum 1. Vel primus Ordinarius delegans eſt mortuus, vivit verò delegatus, qui ſubdelegavit: vel vice verſâ, delegatus ſubdelegans mortuus eſt, ſuperſtite primo delegante. Priore caſu, ſi tota cauſa ſubdelegata fuit, & nondum cœpta ſit, nec à delegato ſubdelegante, nec à ſubdelegato, exſpirat juriſdictio per mortem primi delegantis, quia ſubdelegatus ſubſtituitur in locum delegati, ergo ſicut juriſdictio delegati extinguitur, mortuo delegante, ſi res adhuc ſit integra, ſive cauſa non cœpta; ita, & juriſdictio ſubdelegati, arg. c. pen. h. t. in 6. ubi ponderatur, ut juriſdictio ſubdelegati exſpiret, mortuo primo Ordinario delegante, non eſſe proceſſum in cauſa per delegatum, vel ipſius ſubdelegatum. Francus ibid. num. 2. Si autem cauſa cœpta eſt à ſubdelegato, oon exſpirat ejus juriſdictio: nam poſtquam ſubdelegatus cœpit uti juriſdictione ſibi commiſſâ, ea in ipſo radicata, ſeu efficaciter in eum eſt tranſlata, ac proinde oon extinguitur per mortem primi delegantis, arg. cit. c. pen. h. t. in 6. Sanch. l. 8. de matrimon. diſ. 28. n. 37. Sed neque mortuo primo delegante, ſi cauſa cœpta ſit à delegato, non autem à ſubdelegato, exſpirat juriſdictio ejuſdem ſubdelegati, quia ad perpetuandam juriſdictionem etiam ſubdelegatam, ſatis eſt, quòd ſubdelegatus, vel ſaltem delegatus ſubdelegans cœperit uti juriſdictione, ante primi delegantis obitum. Sanch. cit. l. n. 38. Poſteriore verò caſu, ſi delegatus ſubdelegaos mortuus ſit, ſuperſtite primo delegante; tum, ſi delegatus poteſtatem ſubdelegaodi jure proprio, & ex lege, adeóque veluti ordinariam habeat, ut eſt delegatus Principis, vel ad univerſitatem cauſarum, exſpirat juriſdictio ſubdelegati, ſi eâ noodum uti cœperit, quia tunc non primus delegans, ſed ipſe delegatus cenſetur ſubdelegare, à quo ſubdelegatus immediatè accipit poteſtatem: cùm ergo ab ipſo

velut

velut radice, ac fundamento procedat, & pendeat tota juriſdictio ſubdelegata, ſequitur, mortuo delegato, ſive eo, qui ſubdelegavit, re adhuc integrâ; exſpirare juriſdictionem ſubdelegatam. Secus eſt, ſi delegatus, non ſuo nomine, ſed auctoritate, & poteſtate ſibi ſpecialiter conceſsâ à primo delegante ſubdeleget; tunc enim, ipſo mortuo, extinguitur juriſdictio ſubdelegati, ſi cauſa integra, ſeu nondum cœpta ſit: eodem autem ſuperſtite, non extinguitur, ſive delegatus vivat, ſive mortuus ſit: quia hoc caſu primus delegans ordinarius cenſetur ſubdelegare, adeóque eſſe prima radix, ac fundamentum poteſtatis ſubdelegatæ, cujus nomine, & auctoritate fit ſubdelegatio, ſeu ſubſtitutio, ut ex Jaſone docet Sanch. c. l. n. 36. in fine.

CLXXXV. Notandum 2. Si Judex delegatus, cui delegatio facta eſt à Principe, intuitu dignitatis ſuæ, ab ea ſit depoſitus, vel ei renunciavit, vel ad aliam dignitatem ſit promotus; tum juriſdictio ab ipſo ſubdelegati exſpirat, ſi cauſa nondum ſit cœpta. Gl. hîc V. Re integrâ; & Imol. n. 25. Ratio eſt, quia non minùs per depoſitionem à dignitate delegatus amittit juriſdictionem, quæ ipſi intuitu dignitatis delegata eſt, quàm per mortem naturalem, ergo, ſicut per mortem naturalem delegati, re integrâ, exſpirat juriſdictio ſubdelegati; ita & per mortem civilem, videlicet depoſitionem delegati, quæ æquiparatur morti naturali. Quòd ſi verò cauſa alicui à Principe delegata ſit, intuitu perſonæ, tum per depoſitionem delegati à dignitate, vel Canonicatu exſpirat juriſdictio ſubdelegati, ſi res ſit integra, non item per renunciationem, vel tranſlationem delegati ad aliam dignitatem, vel Canonicatum. Ratio prioris eſt, quia juriſdictio delegata, vel ſubdelegata, re adhuc integrâ, potiùs ad delegantem, vel ſubdelegantem, quàm delegatum, vel ſubdelegatum pertinere cenſetur, ab illóque pendére: ergo ſi delegans, vel ſubdelegans deponatur à dignitate, vel officio, ob crimen, vel aliàs ſtatum incompoſſibilem aſſumendo, juriſdictionem amittat, conſequenter etiam in delegato, vel ſubdelegato juriſdictio exſpirat. Ratio poſterioris eſt, quia, ſi delegatus renunciet dignitati, vel officio, vel aliò transferatur, juriſdictionem nihilominus retinet in ordine ad cauſam ſibi intuitu perſonæ commiſſam, ac proinde etiam in ejus ſubdelegato juriſdictio permanere poteſt. Laym. in cit. c. Licèt; n. 3. h. t.

§. IV.

Quibus caſibus juriſdictio delegata non exſpiret per mortem delegantis, etſi res ſit integra?

Dictum eſt §. præcedente, juriſdictionem delegatam exſpirare morte delegantis, re integrâ, quæ regula plures limitationes habet, de quibus hoc §. agemus.

CLXXXVI. Aſſertio 1. Si quid mandatum, ſeu commiſſum ſit à Superiore ordinario Judici, aut Officiali, aliàs ſub illius juriſdictione, aut adminiſtratione contentum, tum mortuo mandante, non exſpirat mandatum, ſeu commiſſio, ſed executioni mandari poteſt, tametſi res integra ſit. Abb. in c. Relatum; 19. n. 9. h. t. Sanch. cit. diſ. 28. n. 42. Ratio eſt, quia tale mandatum cenſetur eſſe acceſſorium juriſdictioni, aut officio ordinario, per quod non confertur nova poteſtas, ſed antiqua excitatur; acceſſorium autem ſequitur naturam principalis: nam, ſi Superior inferiori Judici mandet ea, quæ ad ordinarium ejus officium ſpectant, non cenſetur eum facere delegatum, ſed commonere, & impellere illum ad officiũ præſtandum, niſi aliud exprimatur, vel ex adjunctis colligatur, c. Licèt; 12. de offic. Ord. & ibid. Abb. n. 5. Et hinc, etiamſi juriſdictio delegata ſit acceſſoria gratiæ jam factæ, ſicut ipſa gratia jam facta, morte concedentis non exſpirat, tametſi res integra ſit: ita neq; poteſtas acceſſoria, v. g. exequendi gratiam factam, ſed naturam principalis gratiæ ſequitur, c. Si ſuper; 9. h. t. in 6. Franc. ibid. n. 2. Sanch. c. l. n. 43. de quo plura §. ſeq.

CLXXXVII. Aſſertio 2. Si juriſdictio delegata ſit commiſſa; nomine, ſeu ratione dignitatis committentis, ut, ſi expreſsè dicatur, *Sedes Apoſtolica tibi committit*, vel alijs verbis denotetur, delegationem non à perſona, ſed à dignitate committentis proximè procedere: tunc, ſicut ipſa dignitas nunquam perit, ſed manet, perſonâ, cui inhæret, defunctâ, c. Si gratioſè; 5. de reſcript. In 6. ita neque juriſdictio delegata à dignitate immediatè procedens, & ab illa dependens, morte delegantis exſpirat, tametſi res integra ſit. Abb. in c. Relatum; 19. n. 3. & in c. Licèt; 30. n. 7. h. t. Sanchez. cit. diſ. 28. num. 44.

Porrò ordinariè loquendo, delegatio, aut ſubdelegatio, non à dignitate, quæ ſemper permanet, ſed à perſona proximè procedit, cui cohæret, ideóque eâ mortuâ, etiam juriſdictio delegata ab auctoritate perſonæ procedens extinguitur, ſi res ſit integra: nam quamvis dignitas, ſeu Sedes v. g. Apoſtolica ſit cauſa, & radix poteſtatis, ſeu auctoritatis, ex qua promanant mandata, ſeu commiſſiones Papæ; proximè tamen procedunt ab auctoritate perſonæ, non dignitatis, aut Sedis (niſi aliud verbis exprimatur, ut dictum) alioqui morte S. Pontificis non extinguerentur, dum res eſt integra, c. Relatum; 19. h. t. et c. Si cui; 36. de præb. in 6. Sanch. c. l. n. 44. Idémque dicendum eſt de delegationibus judicum inferiorũ Principe, quamvis enim hi non poſſint alijs delegare juriſdictionem contentioſam perpetuã, ſive quæ, mortuo delegante, non exſpiret, ſi res ſit integra; tamen, ſi delegent contentioſam juriſdictionem ad aliquã cauſam, etiã ſub nomine perſonæ, nõ exſpirat juriſdictio per mortem concedentis, ſeu delegantis, ſi res nõ ſit integra. Sanchez. c. l. quia univerſim juriſdictio delegata ad cauſam juſtitiæ non exſpirat morte concedentis, ſeu mandantis, ſi res non ſit integra, ut patet ex ſuprà dictis.

CLXXXVIII. Ex hactenus dictis colligitur notabile diſcrimen inter juriſdictionem ordinariam, & delegatam, quòd illa non exſpiret per mortem Principis concedentis, etſi res integra ſit, ſive Ordinarius ille juriſdictione uti non cœperit, ut conſtat ex c. 2. de offic. Legat. in 6. & colligitur ex l. Et quia; 6. ff. de juriſd. Ratio eſt, tum quia per conceſſionem ordinariæ juriſdictionis à lege, vel Principe factam fit gratia illi, cui conceditur, quia confertur ipſi ſtatus, ac dignitas Judicis, ſeu Superioris: gratia autem, ſeu beneficium alicui conceſſum, non exſpirat per mortem concedentis, etiamſi res ſit integra, c. Si ſuper; 9. h. t. In 6. tum quia juriſdictio ordinaria radicatur in perſona, cui conceditur, & immediatè per conceſ-

ſionem quaſi inhæret oſſibus illius, adeóq; per mortem concedentis non extinguitur. Abb. in cit. c. Relatum; n. 4. h. t. Imò, quamvìs aliæ gratiæ Principis ad beneplacitum ejuſdem conceſſæ, per mortem concedentis exſpirent, c. Si gratioſè; 5. de reſcript. in 6. non tamen juriſdictio ordinaria prædicto modo conceſſa extinguitur, licèt, re integrâ, moriatur concedens, Idque propter publicum favorem, ſeu utilitatem. Sanchez. cit. diſ. 28. n. 5. At verò juriſdictio delegata non habet rationem gratiæ, ſeu beneficij, ſed habet ſe inſtar mandati, quod in gratiam mandantis fieri ſolet, ideóque etiam, re integrâ, morte mandantis finitur, l. Mandatum; 15. C. Mandati.

CLXXXIX. Cæterùm, quod dictum eſt, mandatum non extingui morte mandantis, ſi res non ſit integra, ſive negotium cœptum ſit, id intelligi debet de mandato, per quod committitur juriſdictio ad aliquid exequendum circa cauſam aliquam, vel ſimilis poteſtas: nam præceptum Superioris, quod non in ordine ad jura, ſeu facultates per negotij inchoationem acquirendas, ſed in ordine ad imponendam obligationem aliquid faciendi, vel non faciendi datur, morte præcipientis omnino extinguitur, tametſi res non ſit integra. Sylveſt. in ſumm. V. Mandatum; q. 3. Sanch. cit. diſ. 28. num. 47. quia, cùm ea præcepta non ſint communes leges, aut Conſtitutiones, non ſunt ſuâpte naturâ perpetua, nec obligare poſſunt, extinctâ juriſdictione præcipientis per ejus obitum, vel depoſitionem ab officio, à qua præcepta vim habent. Sanch. c. l. V. g. ſi Prælatus alicui præcipit, ut peregrinationem inſtituat, & is dum eſt in via, intelligat, Prælatum eſſe mortuum, non tenetur præceptum perficere, licèt etiam cœptum negotium perficere non prohibeatur, ſi ejus interſit.

§. V.

An mandata, ſeu commiſſiones gratiæ exſpirent morte committentis, ſi res ſit integra, vel non integra?

CXC. Aſſertio 1. In quibuſcunq; delegationibus, aut facultatibus conceſſis, attendendum eſt, num habeant rationem meri mandati, ſeu delegationis, cujuſmodi ſunt reſcripta juſtitiæ, quibus delegatur alicui juriſdictio contentioſa ad juſtitiam adminiſtrandam; & hæc regulariter exſpirant morte mandantis, ſi res integra ſit, ut ex ſuprà dictis patet: an verò habeant rationem gratiæ, ſeu beneficij acceptati, cujuſmodi ſunt reſcripta gratiæ, & non exſpirant morte concedentis, tametſi res integra ſit: decet enim conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum, juxta reg. juris 16. in 6. Tales gratiæ, ſeu facultates ſunt poteſtas abſolvendi à peccatis, & cenſuris, ſeu caſibus reſervatis, diſpenſandi in votis, aut impedimentis matrimonij, ſuſcipiendi Ordines ab alieno Epiſcopo, aſſiſtendi matrimonio, eligendi Confeſſarium, veſcendi carnibus diebus vetitis, celebrandi in privato Oratorio, non reſidendi in beneficio &c. tales, inquam, facultates, cùm ſint gratiæ; ſeu mera beneficia, morte concedentis non extinguuntur: tametſi res integra ſit, id eſt, is, cui facultas, ſeu gratia conceſſa fuit, eâ nunquam uſus fuerit. Sanch. cit. diſ. 28. n. 71. & ſeq. Laym. l. 5. Theol. mor. tr. 6. c. 10. q. 4. n. 22. & 23. Idque deſumitur ex c. Si cui; 36. de præb. in 6. ubi habetur: ſi cui, nullâ perſonarum factâ expreſſione, ſit gratioſè conceſſa facultas, ut in certa Eccleſia perſonis idoneis conferre poſſit beneficia, hujuſmodi conceſſionem non exſpirare, etiam re integrâ, per obitum concedentis, cùm enim ſpecialem gratiam contineat (ſeu privilegium principaliter conceſſum in favorem ejus privilegiati) decet eam eſſe manſuram. Quare hoc locum habet, non tantùm, ſi ejuſmodi facultates, ſeu gratiæ à Papa abſolutè conceſſæ ſint, ſed etiã ab alijs inferioribus Ordinarijs, nempe ab Epiſcopo; imò & Parocho, cùm in iſtis par ſit ratio, ut, ſi alicui Sacerdoti facultatem v. g. abſolvendi ſuos ſubditos abſolutè concedant. Sanch. c. l. n. 43. & 72. Suar. l. 8. de legib. c. 31. n. 5. Laym. c. l. cùm enim hujuſmodi facultates jure ordinario competant Epiſcopo, cur nõ poſſit illas alteri cõmittere: nõ enim per tales conceſſiones ullum præjudicium ſucceſſori affertur, ſiquidem is, quandocunque voluerit, ejuſmodi gratias revocare poterit.

Porrò ſignum talis gratiæ eſt, ſi alicui perſonæ, vel communitati, v. g. Religioſorum, indeterminatè, ſive ſinè perſonarum determinatione, ſit conceſſa hujuſmodi facultas abſolvendi, diſpenſandi &c. adeóque principaliter in ipſius perſonæ, vel communitatis gratiam, & favorem; tunc enim, cùm ſit gratia ipſi diſpenſaturo facta, non exſpirat morte concedentis. Sanch. cit. diſp. 28. n. 81. ſi verò talis facultas diſpenſandi cum certâ perſonâ conceſſa ſit in favorem illius tantùm, exſpirat morte concedentis, re adhuc integrâ. Sanch. c. l. n. 89. modò etiam abſolutè, & ſinè reſtrictione ad certum tempus, vel ad concedentis beneplacitum, aut, donec revocet, ſit conceſſa. Sanch. c. l. n. 48. & 49.

CXCI. Aſſertio 2. Quoad mandata, ſeu cõmiſſiones gratiæ, diſtinguendum eſt inter gratiã factam, & faciendam: nam, ſi gratia alicui jam facta ſit, non exſpirat morte concedentis, etſi res integra ſit, ſeu gratia nondum cœpta executioni mandari, ut conſtat ex c. Si ſuper; 9. h. t. in 6. ubi ſtatuitur: Si ſuper gratiâ alicui à Sede Apoſtolica factâ, executores ſint deputati, ſicut ipſa gratia, licèt nondũ ſit executioni mandata, morte concedentis non extinguitur: ita quoq; æquum eſt, ut poteſtas data executoribus deputatis, morte deputantis, etiam re integrâ, non extinguatur, quia, cùm ea poteſtas executorum ſit veluti acceſſoria ipſius gratiæ conceſſæ, naturam ſequi debet ſui principalis: nam alioquin, vel gratia conceſſa quandoque omnino redderetur inutilis, vel ejus effectus, ſeu executio longo tempore, cum diſpendio ejus, cui gratia collata eſt, differretur. Quia videlicet debebit adire Papam pro obtinenda juſtitia, vel pro novis executoribus impetrandis. Gl. fin. hîc. V. g. Si Papa alicui contulit Canonicatum, cum præbenda, quæ jam vacat, vel proximè vacatura eſt, conſtituto executore Ordinario loci, & poſtea Papa ſtatim moriatur, ante executionem hujus mandati, non extinguitur gratia jam facta à Papa, per mortem ejuſdem, ſed manet, & conſequenter etiam poteſtas exequendi, ſive executio tanquam acceſſoria gratiæ non exſpirat, ſed poſt mortem Papæ fieri poteſt. Gloſſ. in c. Si cui; 36. V. Moriatur; de præbend. in 6. Sanch. cit. diſ. 28. num. 64. & alij communiter.

CXCII. Idq; extenditur 1. Licèt gratia, tempore mortis concedentis, nondum ſit acceptata ab eo, cui facta

Digitized by Google

eſt, non enim exſpirat gratia, adeóque nec executoris poteſtas; dumodo à Superiore ex debito, ſeu obligatione officij facta ſit, qualis gratia v. g. eſt collatio beneficij, facultas abſolvendi, diſpenſandi &c. arg. c. Si tibi; 17. de præb. in 6. Lapus hîc, & Franc. n. 2. Sanch. c. l. n. 43.

Extenditur 2. Ut non tantùm procedat in meris executoribus gratiæ factæ, ſed etiam in mixtis, quibus executio cum aliqua cauſæ cognitione demandata eſt, nam in his quoque ratio in cit. c. Si ſuper; allata locum habet, ut docet Franc. ibid. num. 4. circa finem. Sanch. c. l. Ut, ſi Pontifex mandet alicui conferri beneficium jam vacans, ſi preces veritate nitantur, vel præmiſsâ citatione partis, ſeu poſſeſſoris intruſi, poteſt is exequi, etiam poſt mortem Papæ, quia is, quantum eſt ex ſua parte, gratiam jam fecit. Laym. in cit. c. Si ſuper; n. 2.

Extenditur 3. Quòd habeat locum etiam hæc Conſtitutio, ſi Papa alicui contulit Canonicatum, dato executore, cum mandato, ut ei provideat de præbendâ proximè vacaturâ, quia mortuo Papâ, non exſpirat gratia, vel poteſtas executoris quoad præbendam poſtea vacaturam, quia, licèt quoad hanc videatur gratia facienda, tamen quoad Canonicatum, ſive Canoniam, jam erat gratia facta, & eo ipſo, quòd Canonicus factus eſt, auctoritate Papæ, jus ei acquiſitum eſt ad præbendam proximè vacaturam, c. Si poſtquam; 13. de præbend. in 6. Franc. in cit. c. Si ſuper; n. 2. in Gl. 2. h. t. in 6.

Porrò deciſio dicti c. Si ſuper; locum habet in executoribus acceſſorijs gratiæ conceſſæ: ſecus, ſi principaliter, ac per ſe eſſent dati: ut, ſi v. g. ortâ diſcordiâ ſuper gratia jam facta, darentur Judices delegati à Papa, ut cognoſcant ſuper illa: nam mortuo Papâ delegante, re integrâ, exſpirat illorum poteſtas, cùm ſint principaliter tanquam Judices dati ad cauſam commiſſam cognoſcendam. Franc. hîc n. 4. in fine.

CXCIII. Aſſertio 3. Si gratia alicui facta non ſit, ſed facienda ab ipſo mandatario, ſeu executore, tum exſpirat morte concedentis, ſi res integra ſit, ſeu nondum cœpta executioni mandari. Ratio eſt, quia faciliùs impeditur faciendum, quàm tollitur jam factum. Gl. in cit. c. Si ſuper; V. Facta; in addit. ibid. & Anchar. not. 1. h. t. in 6. Veluti, ſi Papa mandavit Epiſcopo, ut beneficium, quod nunc vacat, vel proximè vacabit, conferat alicui, v. g. Titio, ut conſtat ex c. Si cui; 36. in fine de præb. in 6. quia mandatum exſpirat morte mandantis, ſi executioni mandari nondum ſit cœptum. Secus eſt, ſi gratia jam cœpta ſit executioni mandari, tum enim etiam gratia facienda non exſpirat, morte mandantis, ſeu concedentis, ut colligitur ex cit. c. Si cui; argumento à contrario ſenſu ducto. Sanch. c. l. n. 64. Sicuti neque, re integrâ, exſpirat morte concedentis gratia facienda, ſi ſub nomine dignitatis mandantis ſit conceſſa. Sanch. c. l. num. 67. & patet ex ſuprà dictis.

Similiter, ſi à Papa alicui commiſſum ſit, v. g. Ordinario loci, vel ejus Vicario, ut cum Titio in impedimento matrimonij diſpenſet, ſi preces veritate nitantur, cenſetur gratia jam plenè facta Titio, ex parte Pontificis, & ſolùm executio Ordinario demandari, quam is perficere debet, etiam poſt mortem Papæ concedentis. Sanch. c. l. num. 87. Si verò Ordinario loci commiſſum, ſeu mandatum ſit, ut cum Titio diſpenſet, causâ cognitâ, ſi ipſi ita expedire videatur, non eſt gratia facta, ſed facienda, & conſequenter exſpirat morte mandantis, ſi cauſa cœpta non ſit; ſecus, ſi cœpta ſit, ut, ſi Mandatarius, ſeu Commiſſarius accepit informationem de veritate precum, vel mandavit vocari eum, cum quo eſt diſpenſandum, &c. tum enim poteſt, etiam mortuo poſtea mandante, cauſam exequi. patet ex ſuprà dictis.

CXCIV. Porrò cur gratia facta non exſpiret, morte concedentis, etſi res integra ſit; exſpiret verò gratia facienda, ratio diſcriminis eſt, quia, quando in litteris gratiæ in alicujus favorem conceſſis, executor eſt neceſſarius, quippe qui exequi jubetur, ſi preces veritate nitantur, tunc eſt gratia facta reſpectu illius, per abſolutam conceſſionem committentis, ac proinde non exſpirat morte concedentis, etiamſi res ſit integra, quia jam eſt jus ad rem acquiſitum illi, in cujus favorem gratia illa eſt conceſſa, ideóque non relinquitur voluntati executoris, illam gratiam concedere, vel denegare, ſed eam neceſſariò conferre, vel exequi debet, repertâ precum veritate. Sanch. cit. diſ. 28. n. 87. Laym. cit. c. 10. n. ult. Barboſ. in Collect. in c. Relatum; 19. n. 6. h. t. At verò, quando in litteris gratię in alicujus favorem conceſſis executor eſt voluntarius, utpote cui non præcipitur, ut exequatur, ſed ſola exequendi facultas conceditur, non ob ſuum favorem, ſed ejus, cui gratia eſt concedenda; tunc eſt gratia facienda: ac proinde exſpirat morte concedentis, re integrâ, quia per tale mandatum, ſeu commiſſionem nulli jus quæſitum eſt; non miniſtro executori, cùm in ejus favorem non ſit facta: neque ei, cui gratia facienda eſt, quia liberæ voluntati mandatarij, ſeu executoris relictum fuit, an velit ei gratiam conferre, v. g. abſolvere eum, vel cum eo diſpenſare, nécne, ut tradunt DD. jam allegati locis cit.

§. VI.

An, & quomodo poteſtas Judicis delegati finiatur per revocationem delegantis?

CXCV. Aſſertio 1. Finitur denique juriſdictio delegata per revocationem, nam Princeps, vel quilibet alius Judex ordinarius poteſt juriſdictionem, ſive contentioſam, ſive voluntariam, in foro externo, vel interno, à ſe alteri delegatam, etiam ad univerſitatem cauſarum, pro ſuo arbitrio, revocare, quia utitur jure ſuo, & quaſi re propriâ, & in conceſſione juriſdictionis ſemper intelligitur excepta ſuprema poteſtas Principis, vel Superioris auctoritas. Felin. in c. Novit; 13. num. 8. & 9. limitat. 1. de judicijs. Sanch. l. 8. de matrimon. diſ. 33. n. 6. & 7. Idque indubitatè verum eſt, ſi res integra ſit, ſeu judicium nondum cœptum. Sed etſi cœptum ſit judicium, imò etiam lis fuerit conteſtata, poteſt Judex ordinarius cauſam alteri delegatam revocare, aut reaſſumere, l. 58. ff. de judic. ubi dicitur, *judicium ſolvitur, prohibente eo, qui judicare juſſerat*; ubi Gl. V. Judicium; junct. Gl. marg. notat, quòd juriſdictio delegati, poſt

poſt litem conteſtatam, revocari poteſt. Et quidem non ſolùm validè, ſed etiam licitè, ſi juſta cauſa revocandi ſubſit, poteſt Ordinarius delegans eam revocare, ut quia, ſublato impedimento, ipſemet cauſam vult cognoſcere: nam univerſim loquendo, etiam re non integrâ, mandans revocare poteſt mandatum, ſi talis revocatio in damnum, ſeu præjudicium tertij, vel mandatarij non redundet; tum enim in ea revocatione agitur tantùm de commodo, vel incommodo ipſius mandantis, ut tradit Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 552. n. 6. quamvìs Gl. cit. loc. velit, alia mandata poſt litem conteſtatam, revocari non poſſe, quia in illis vertitur damnum pecuniarium.

CXCVI. Porrò ordinarius, & conſuetus modus revocandi juriſdictionem delegatam eſt, ut revocatio vim, ſeu effectum non habeat, priuſquam ea delegato fuerit intimata, ſeu litteræ revocatoriæ delegationis ei fuerint præſentatæ, prout ſumitur ex c. Cùm contingat; 24. de reſcript. & docet Sanch. l. 3. de matr. diſ. 30. n. 11. & 12. & Suar. l. 8. de legib. c. ult. n. 5. nam ſicut juriſdictio, ſeu poteſtas procedendi in cauſa delegata non priùs acquiritur Judici delegato, quàm litteræ delegationis ipſi fuerint præſentatæ, ſeu ab ipſo receptæ, c. Super eo; 12. in fine de appellat. ita neque illa ei auſertur, ſaltem quoad exercitium, ante litteras revocatorias ipſi præſentatas, ut tradit Felin. in c. Cæterùm; 3. n. 11. de reſcript. & ante præſentationem illarum proceſſus per talem judicem revocatum teneret. Franc. in c. Quamvìs; 6. n. 2. h. t. in 6. quamvìs notitia de datis litteris aliunde ad delegatum pervenerit. Laym. ibid. n. 7. Ratio eſt, quia non eſt alius modus magìs conveniens dandi, ſeu conferendi, & auferendi juriſdictionem, quàm per ſpecialem intimationem revocationis ipſi delegato factam, quia ex alio modo revocandi plura ſequi poſſunt incommoda, ut in ſimili de revocatione privilegij ab homine, ſeu privatim facta docet Suar. c. l. n. 6. Alia quædam de revocatione Judicis delegati dicta ſunt ſuprà tit. 3. n. 51. & ſeqq.

» CXCVII. Aſſertio 2. Sed & Judex delegatus Papæ
» (ſeu Principis) ſi vices ſuas alteri in totum commiſit,
» ſive totam cauſam ſibi commiſſam alteri ſubdelega-
» vit (nihil ſibi retinendo de juriſdictione) poteſt il-
» lam ab eodem revocare, ſeu cauſam ipſam reaſſu-
» mere, ſi res integra ſit, ſeu ſubdelegatus nondum ju-
» riſdictione uti cœperit (ſaltem per citationem par-
» tis) vel, ſi ſubdelegatus mortuus fuerit; antequam
» juriſdictione uſus fuit, quia juriſdictio non cenſe-
» tur efficaciter tranſiviſſe in ſubdelegatum, niſi poſt-
» quam eam exercere cœpit, ita habetur in c. Quam-
vìs; 6. h. t. in 6. Gloſſ. ibid. in notatis: nam univerſim omne mandatum, ſeu commiſſio, dum res eſt integra, revocari poteſt à mandante, ad quem magìs ſpectare cenſetur poteſtas, quàm ad mandatarium, re adhuc integrâ, & conſequenter etiam magìs ad ſubdelegantem, quàm ad ſubdelegatum, qui reſpectu delegati ſubdelegantis, ſeu committentis eſt mandatarius.

CXCVIII. Extenditur autem 1. Quòd delegatus Papæ, qui alteri in totum vices ſuas commiſit (quia alius delegatus non Principis hoc facere non poteſt. Gloſſ. hîc V. à Sede Apoſtolica) poteſt, re integrâ, juriſdictionem, ſive cauſam alteri commiſſam, ſeu ſubdelegatam revocare, non ſolùm expreſsè, ſed etiam tacitè, ſive ipſo facto, ut, ſi procedat per ſe ipſum in cauſa ſubdelegata, vel illam alteri ſubdeleget, antequam ſubdelegatus juriſdictione uti cœpit. Anchar. hîc not. 2. & Franc. n. 2. Barboſ. in Collectan. ibid. n. 4. At verò poſtquam ſubdelegatus judicium, ſive cauſam agere cœpit, partem citando, non poteſt delegatus etiam Principis commiſſionem factam ad ſe revocare, nec cauſam ſubdelegatam, loco prioris ſubdelegati, alteri committere, ſeu iterum ſubdelegare, quia cenſetur functus officio ſuo, & juriſdictione privatus, quâ ſe abdicavit, ſubdelegando totâ cauſam, ut conſtat ex c. Venerabili; 37. in fin. junct. Gl. V. Vices ſuas; & Gloſſ. fin. h. t. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 21. n. 1.

Extenditur 2. Poſtquam delegatus à Sede Apoſtolica, vel Principe, re adhuc integrâ, juriſdictionem à ſe comiſſam revocavit, ſi ſubdelegatus nihilominus procedat, invalidus eſt omnino proceſſus ab eo poſtea factus, ob defectum poteſtatis, quæ revocata fuit. Barb. in Collect. hîc n. 5. quamvìs neceſſe ſit, ut revocatio ad ſubdelegati notitiam perveniat, eique intimetur, alioquin priùs geſta ab ipſo valida erunt. Franc. hîc n. 2. & Barb. n. 5.

CXCIX. Porrò, quæ dicta ſunt, procedunt 1. In delegato Papæ, ſeu Principis, qui totam cauſam ſibi commiſſam alteri ſubdelegavit: nam, ſi partem ſolùm cauſæ commiſit alteri, aliquid ſibi de juriſdictione reſervando, tunc etiam re non integrâ, poteſt ſubdelegans commiſſionem à ſubdelegato revocare, etiamſi eam exequi cœpit, quia tunc delegatus, qui ſubdelegavit, manet Judex, ſive juriſdictionem retinet, & ſic locum habet, quod deciditur in l. 58. ff. de judic. judicium ſolvitur, vetante eo, qui judicare juſſerat, vel ejus Superiore. Franc. hîc n. 2. Molin. cit. diſ. 21, n. 4. Barb. hîc num. 6. 2. Ea procedunt in delegato Papæ, vel Principis ſubdelegante, non autem in ordinario Judice delegante, qui in hoc differt à delegato, quòd ille, ſive pro parte, ſive in totum cauſam committat, poſtquam lis cœpta eſt, vel etiam conteſtata, revocare poteſt, quia manet judex; quamvìs non debeat revocare, ut eam alteri deleget, ſinè juſta cauſa, v. g. abſentiæ delegati, vel morbi: ſi tamen actu revocaret, ſinè cauſa, revocatio teneret. Molin. c. l. n. 2. Non autem Judex delegatus, ſi alteri vices ſuas in totum commiſit, & cauſa ſit cœpta, revocare eam poteſt, niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum, quia hic Ordinario comparatur. Barboſ. hîc num. 7. & patet ex ſuprà dictis.

CC. Aſſertio 3. Si delegatus Sedis Apoſto- »
licæ (vel alterius Principis) alteri commiſit vices »
ſuas, ſeu cauſam ſubdelegavit, non abſolutè, ſed »
limitatè, aut ſub conditione, quoties illum abeſſe »
contigerit; poſtea verò ſubdelegans moriatur, po- »
teſt ſubdelegatus, ſi vivente illo, juriſdictione u- »
ti cœpit, cauſam ſibi commiſſam liberè definire, »
cùm & mortuus abeſſe cenſeatur. Idémque di- »
cendum, ſi delegans vices ſuas, ſub ea forma, al- »
teri commiſit, ſive cauſam ſubdelegavit, donec »
eam revocaverit: nam talis commiſſio, per quam »
cenſetur etiam ſententiæ prolatio committi, niſi »
antea fuerit revocata, morte committentis non ex- »
ſpirat, ſi res integra non exiſtat. Ita habetur in c. »
Si delegatus; 7. in princ. h. t. in 6. Ratio eſt, quia ſi priore modo delegatus ſubdelegavit, nempe quoties

ab-

abfuerit, juriſdictionem, quâ non omnino ſe abdicavit, reaſſumit, ſi reverſus fuerit, & præſens ſit. arg. c. Si quem; 8. in prioe. de procurat. in 6. & quia abeſſe etiam dicitur is, qui io humanis eſſe deſinit. l. Mulieris; 13. in fine. ff. de verb. ſignif. imò tunc verè, & finaliter, ſeu perpetuò abeſt, ſcilicet non reverſurus. Gl. hîc V. Abeſſe. ideo etiam morte ſubdelegantis interveniente procedere poteſt ſubdelegatus, ſi eo vivente, cauſam cœpit.

Si verò poſteriore modo delegatus cauſam ſubdelegavit, videlicet, donec revocaverit: tunc reſervavit ſibi jus, ſeu poteſtatem revocandi juriſdictionem ſubdelegatam, adeóque aliquid de juriſdictione retinuit; nam revocare juriſdictionem, ſicut & dare, eſt actus juriſdictionis, & ad eum pertinet, qui juriſdictione præditus eſt. cit. l. judicium; 58. ff. de judic. Gl. hîc V. Revocandas: ac proinde talis commiſſio, ſi antea non fuit revocata, per mortem committentis non exſpirat, poſtquam ſubdelegatus eam agere cœpit, & dicta clauſula, *donec revocavero*, hoc operatur, ut ſubdelegans poſſit revocare ad ſe cauſam ſubdelegatam, etiam poſtquam ſubdelegatus commiſſione uti cœpit, partes citando, quam tamen non potuiſſet revocare, ſi ſimpliciter, & abſolutè totam cauſam, ſine clauſula adiecta, commiſiſſet, re non integrâ exiſtente. Gl. hîc V. Committi.

CCI. Ubi notandum præterea 1. Verba delegationis benignè, & latè interpretari oportet, ut ea potiùs valeat, & conſervetur, quàm ut pereat, & ceſſet, quia magis expedit, ut mortuo ſubdelegante, ſubdelegatus procedat in cauſa, eámque definiat, quàm ut novo judici cauſa committatur decidenda, ut ſic celeriùs ea expediatur. Gl. hîc V. Morte in fine, junct. Gl. margin. idque colligitur ex hoc c. Ubi verbum *abeſſe* latè accipitur, non ſolùm pro abſentia temporali, ſed etiam pro perpetua per mortem naturalem, ut etiam mortuo delegante, procedere poſſit ſubdelegatus. Franc. hîc not. 1.

Notandum 2. Commiſſio, ſeu delegatio facta cum clauſula, *donec revocavero*, nō cenſetur per mortem delegantis revocata, re non integrâ, ſi aliter non fuerit revocata, quia importat actum poſitivum novæ voluntatis: ſecus, ſi apponatur clauſula importans actum perſeverantem antiquæ voluntatis, ut ſi Papa committat cauſam, uſque ad beneplacitum, ſive, quàm diu voluerit, tunc enim, quia voluntas non durat poſt mortem, ſed ceſſat. c. Si gratiosè; 5. de reſcript. in 6. ideo commiſſio poſt mortem committentis exſpirat, re adhuc integrâ. Gl. pen. hîc junct. Gloſſ. marg. Franc. hîc n. 4. ubi addit, id fallere io ultimis voluntatibus, in quibus voluntas teſtatoris non cenſetur ceſſare.

SECTIO VIII.

DE JUDICIBUS CONSERVATORIBUS.

Quoniam Conſervatores ſunt quoque Judices delegati, ut ex communi docet Gl. in c. 1. V. Conſervatores h. t. in 6. cùm eorum officium morte concedentis exſpiret, quoad negotia non cœpta, ut notat Gl. marg. in cit. c. 1. lit. e. & infrà dicetur, ideo de illis hoc loco agendum.

§ I.

Quis ſit Iudex Conſervator, à quo dari, & quinam eſſe poſſint Conſervatores?

CCII. Aſſertio 1. Conſervator, ſpectato Jure communi, eſt Judex delegatus, ſive deputatus ad defendendum aliquos à manifeſtis injuriis, & violentiis, abſque judiciali inquiſitione, ſive cauſæ cognitione, ut conſtat ex c. 1. h. t. in 6. ubi Papa Innocentius IV. ſtatuit, quòd Conſervatores, qui à Sede Apoſtolica dantur, ſeu deputantur, à manifeſtis injuriis, & violentiis defendere poſſint, ac debeant eos, qui eiſdem defendendi, & conſervandi ſunt commiſſi. Sed ad alia, quæ judicialem indaginem (id eſt, cauſæ cognitionem, ſeu examinationem, Gl. fin. hîc) exigunt, eorum poteſtas ſe non extendit.

CCIII. Notandum 1. Per injuriam hîc intelligitur quodcunque damnum injuſtè illatum, ut docet Emman. Rodriq. qq. regular. tom. 1. q. 65. art. 12. Per manifeſtam verò injuriam ea, quæ notoria eſt, ſive evidentiâ facti, ut nullâ probabili tergiverſatione celari poſſit; ſive confeſſione Rei coram Judice; nam utroque caſu ceſſat dubium, & judicialis inquiſitio, ſeu examen, Gl. hîc V. Conſervatores, Sylveſt. in ſum. V. Conſervator; q. 3. Quare, ſi non conſtet, manifeſtúmque ſit, quempiam feciſſe aliquid, quod in eorum, quibus datus eſt conſervator, injuriam, vel injuſtum damnum cedat, & quoad ea, in quibus eorum defenſio, & conſervatio ei commiſſa eſt, non poteſt Conſervator ſe intromittere ad cognoſcendum de tali facto. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 29. n. 1.

Notandum 2. Conſervatores dari ſolent interdum contra latrones, & prædones: interdum contra eos, qui privilegia quibuſdam conceſſa violant: interdum latiùs contra injurias, & offenſas manifeſtas, ut eos ab ijs defendant, Gl. hîc V. Conſervatores, & Joan. Andr. Et in omnibus his caſibus procedunt Conſervatores, ſine judiciali cauſæ cognitione, non quaſi dubij de veritate, vel juſtitia. Gl. cit. Azor. p. 2. l. 5. c. 34. q. 3.

CCIV. Aſſertio 2. Solus Papa poteſt dare Judices Conſervatores, non item inferiores Prælati, ut poſt Joan. Andr. docet Sylveſt. V. Conſervator n. 2. q. 1. Rodriq. cit. q. 65. art. 2. Azor cit. c. 34. q. 6. Molin. cit. diſ. 29. n. 1, & colligitur ex c. 1. h. t. in 6. ibi: *Concedimus*, et c. ult. eod. in 6. *plerumque à Sede Apoſtolica conceduntur*. nam ſaltem ſecundùm ampliſſimam illam poteſtatem, ut à nemine, ne quidem Legatis à Latere, aut quibusvis Ordinariis in ſuo officio impediri poſſint, ſed contra ipſos impedire volentes procedere valeant, à ſolo Papa Conſervatores dari poſſunt, ut tradit Cardin. Tuſchus V. Conſervator, concluſ. 760.

CCV. Aſſertio 3. Conſervatores, qui à Sede Apoſtolica aliquibus concedi ſolent, ut ab injuriis, ac violentiis manifeſtis eos tueantur, de cætero deputari non poſſunt, niſi Epiſcopi, vel eorum Superiores (ut Archiepiſcopi, & Patriarchæ) vel Abbates, vel qui dignitatem, ſeu perſonatum in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata obtinent. Nullus etiam

„ Conſervator dari poteſt ei, cui ipſemet Conſerva-
„ tor datus fuit: (ut ſi Abbas unius Monaſterij v. g.
S. Viti ſit datus Conſervator privilegiorum conceſſo-
rum alteri Monaſterio, v.g. S. Georgij, & Abbas hu-
jus Monaſterij Conſervator privilegiorum Monaſte-
rij S. Viti, quia præſumitur, quòd ſibi invicem fave-
rent) prout ſtatuit Bonifacius VIII. in c. ult. io princ.
„ h.t. in 6. & ibi Gl. in caſu. Sed neque aliquis Con-
„ ſervatorem habere poteſt eum, qui ſub ipſius ju-
„ riſdictione, dominio, vel diſtrictu Eccleſiaſtico, vel
„ temporali exiſtit, exceptis tamen Regibus, & Re-
„ ginis, qui habere poſſunt Conſervatorem in tem-
„ poralibus ſibi ſubjectum. cit. c. ult. §. Nec aliquis.

CCVI. Hinc colligitur, in quibus Judex Conſervatot ab aliis judicibus delegatis differat. Nam 1. Canonicus Eccleſiæ Cathedralis poteſt eſſe delegatus Papæ, non autem Conſervator, Gl. in cit. c. ult. V. Obtinentes, h.t. in 6. 2. Poſſunt duo ſibi invicem dari judices delegati in diverſis cauſis, ſalvo jure recuſatioois, ſeu exceptionis: non item Conſervatores, etiamſi non opponatur exceptio, Gl. in cit. c. ult. V. Conſervator, quia iſta mutua defenſio eſt juri ſuſpecta, Gl. margin, ibid. lit. d. 3. Poteſt quis impetrare delegatum ſuum ſubditum, ſalvo etiam hoc caſu jure recuſationis; oon autem Conſervatorem. Gl. io cit. c. V. Vel temporali: imò deputatio Conſervatoris his caſibus eſt ipſo jure irrita. cit. c. ult. §. ult. & ibi Gl. V. Omnino. Aliæ differentiæ infrà afferentur.

CCVII. Cæterùm, Religioſi Ordinum Mendicantium per privilegia à Sede Apoſtolica ipſis conceſſa, præter perſonas recenſitas in cit. c. ult. in prioc. h.t. in 6. etiam Canonicos Metropolitanarum Eccleſiarum, vel Cathedralium, & Vicarios Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in ſpiritualibus, eorúmque Officiales generales (de quibus ſpectato Jure communi dubium eſſe poſſet) ubilibet conſtitutos aſſumere poſſunt, & quidem tanquam Judices Ordinarios, ad ſervanda, & tuenda jura ſua, & privilegia, prout videre eſt apud Rodriq. cit. q. 65. art. 3. & in Compendio privileg. Societ. V. Conſervator. §. 1.

§. II.

Quod ſit officium, & poteſtas Iudicis Conſervatoris, & quando exſpiret?

CCVIII. Aſſertio 1. Judex Conſervator de manifeſtis ſolùm injuriis, & violentiis cognoſcere poteſt. cit. c. 1. & c. ult. in princ. h.t. in 6. & dictum ſuprà. Quòd ſi Reus citatus neget, injuriam notoriam eſſe, aut aſſerat, ſe, quod fecit, jure feciſſe, licèt per negationem res videatur fieri dubia: tamen de hoc ipſo cognoſcere poteſt Conſervator, an videlicet injuria ſit notoria, & ſuper illa probationes recipere, ut conſtet, an hoc caſu juriſdictio ſibi competat; &, ſi reperiat, injuriam eſſe notoriam, ulterius in cauſa procedet, alioquin deſiſtet à procedeodo. Gl. in cit. c. 1. V. Conſervatores, Sylveſt. V. Conſervator. q. 3. dicto 1. & 2. Azor cit. c. 34. q. 7. Molin. cit. diſ. 29. n. 1. nam univerſim in dubio quilibet judex cognoſcere poteſt, an ſua ſit juriſdictio. l. Si quis; 5. & ibi Gl. & DD. ff. de judiciis: alioquin facilè eluderetur poteſtas Conſervatoris, ſi quando Reus objicit defectum notoriæ injuriæ, de hoc ipſo cognoſcere non poſſet. Gl. magn. io cit. c. 1. in notat. & alij DD. citt. At verò, cùm Princeps poteſtatem alteri committit, cenſetur etiam ea committere, ſine quibus res expediri non poteſt. c. Præterea; 5. h. t. Poteſt etiam Conſervator citare Reum, &, ſi neget, ſe feciſſe, probationes ſuper notorio facto recipere debet: ſi verò confiteatur factum, ſed dicat, ſe id jure ſuo feciſſe, v. g. ad defenſionem ſuam, neque tamen ſufficienter excuſare poſſit ab injuria id, quod ſe feciſſe fatetur, & alioquin conſtet, eſſe injuriam, adversùs eum procedere poterit, quia tunc notorium eſt, injuriam eſſe illatam per confeſſionem Rei in judicio. Gl. in cit. c. 1. V. Conſervatores, & Molin. c. l.

CCIX. Aſſertio 2. Juriſdictio, ſeu poteſtas Judicis Cooſervatoris extendit ſe, noo ſolùm ad defenſionem à quibuſcunque injuriis, ac violentiis illatis, ſed etiam ab injuriis, ac violentiis inferendis, ut, ſi aliquis paratus ſit ad vim, vel bellum injuſtum inferendum perſonis, v.g. Eccleſiaſticis, ſub cenſurâ excommunicationis pręcipere illi poteſt, ut deſiſtat. arg. c. Romana; 5. de ſentent. excomm. io 6. & ut condignam ſatisfactiooem læſo præſtet, invocando etiam, ſi opus fuerit, brachium ſeculare. Gl. in cit. c. 1. V. Defendere, Sylv. c. l. q. 3. dicto 4. & Molin. c. l. Io quo etiam Conſervator differt à Judice delegato, qui generaliter ad cauſas præſentes, & futuras dari oon ſolet, cùm per eiuſmodi delegationem Ordinariorum Judicum poteſtati multùm derogetur, ut tradit Gl. in c. Ad hæc; 10. V. Omnia oegotia de reſcript. Conſervatoribus tamen huiuſmodi generalis poteſtas conceditur, ob favorem pauperum, & oppreſſorum, pręſertim etiam Ordioum Religioſorum, quorum Sedes Apoſtolica ſpeciale patrocinium gerit, & in protectiooem ſuam eos recipit. Gl. in cit. c. ult. V. edita in addit. h.t. in 6. quamvis alioquin Judices, ſeu Magiſtratus inferiores jure prohibeantur generales Judices dare, ut notavit Rodriq. cit. q. 65. art. 1. Neque verò periculum eſt, ne Judex Conſervator injuſtè procedat, in favorem perſonæ læſæ, cuius defenſionem ſuſcipit, cùm oon habeat poteſtatem judicandi in cauſis dubiis, ſed tantùm in injuriis, & violentiis manifeſtis. Aocharan. in cit. c. 1. quæſt. 1. h.t. in 6.

Neque etiam refert, quòd laici, ſi Eccleſiaſticas perſooas opprimant, aut vexent, trahaotur ad forum Conſervatoris Eccleſiaſtici à Papa dati, quia hoc caſu etiam laici conveniri poſſunt coram Judice Eccleſiaſtico, & ab eo puniri, cùm ſit crimen mixti fori, juxta c. Cùm ſit; 8. de foro compet. & hinc non eſt mirum, quòd Papa, qui eſt Judex Ordinarius etiã laicorum, cùm damna inferunt perſonis, & rebus Eccleſiaſticis, vel aliis miſerabilibus perſonis, Judices conſervatores det, qui illas defendant. Anchar. in cit. c. 1. q. 1. Rodriq. cit. q. 65. a. 1.

CCX. Porrò, licèt alioquin Judex delegatus tanquam ſuſpectus recuſari poſſit, non tamen Conſervator, ſi aliàs idoneus ſit, nec ab eo appellari, quia in notoriis noo admittitur recuſatio, vel appellatio, Judex autem Conſervator de notoriis tantùm cognoſcit, ideóque recuſari noo poteſt. Gl. communiter recepta in cit. c. 1. V. Conſervatores, in fin. h.t. in 6.

Sylveſt.

Sylveſt. V. Conſervator, quæſt. 3. dicto 4. Azor cit. c.34. quæſt. 11. Quòd ſi tamen dubitetur, an injuria ſit notoria, nécne, poterit Conſervator, ſi de hoc dubio cognoſcere velit, tanquam ſuſpectus recuſari, & à ſententia eius interlocutoria, pronunciantis factum eſſe notorium, appellari, quia, licèt à facto notorio non poſſit appellari, c.Cùm ſit; 5. §. Præterea. junctâ Gl. V. Manifeſtus de appellat. poteſt tamen à ſenteutia Judicis, per quam declarat, illud eſſe notorium, appellari, quia fieri potuit, ut injuſtè declararet. Abb.Conſil. p. 1. conſil.100. num. 3. Tuſchus V. Conſervator concl.760.Cochier c.l.quæſt.16.n.1. lim.6.

CCXI. Aſſertio 3. Non poſſuut Conſervatores, extra civitates, aut diœceſes, in quibus ſunt deputati, contra quoſcunque procedere: nec aliquos ultra dietam, ſive iter unius diei, à finibus diœceſis, vel provinciæ numerandum, trahere, ſive citare præſumant, prout habetur in cit. c.ult. §.Conſervatores h. t. in 6. Et quamvis idem ſtatutum ſit de Judice delegato. in c. Statutum; 11. §. Cùm verò de reſcript. in 6. hoc tamen eſt diſcrimen, quòd juriſdictio delegati, cum partium conſenſu, poſſit de loco in locum prorogari, cit. c. Statutum. §. In nullo: non autem juriſdictio Conſervatoris, cùm de hoc nihil jure ſit expreſſum, ſicut de delegato, Gl. hîc V. Præſumant, & colligitur ex cit.c. ult. in fine.

Nec poteſt etiam Judex Conſervator vices ſuas committere, ſive cauſam, vel articulum cauſæ alteri ſubdelegare, niſi id in litteris Apoſtolicis ſit ei conceſſum: exceptâ tamen citatione partium, & denuuciatione ſententiæ, quas Conſervator aliis intra eandem civitatem, vel diœceſin, in qua eſt deputatus, committere poteſt, dummodo eas qualitates habeant, ut Conſervatores eſſe poſſint, cit. c. ult. §. Vices quoque. In quo etiam Conſervator differt à delegato Sedis Apoſtolicæ, qui cauſam, vel totam, vel partem, ſeu articulum illius alteri ſubdelegare poteſt. Gloſſ. hîc V. Nulli committere.

Denique, ſi Conſervatores traditæ ſibi poteſtatis limites excedant, de aliis, quàm manifeſtis injuriis, & violentiis, ſcienter (idem eſt, ſi ex ignorantia juris craſſa, vel affectata, Gl.hîc V.Scienter) cognoſcendo, vel ad ea, quæ judicialem indaginem, ſeu inquiſitionem requirunt: ſe intromittendo, eo ipſo, adeóque ipſo jure ab officio ſunt ſuſpenſi (& per conſequens etiam à beneficio, Gl.hîc V. Officio) Pars verò litigans, quæ hoc fieri procurat, excommunicationem (ipſo jure) incurrit, à quo abſolvi non poteſt, priuſquam alteri parti integrè ſatisfaciat, reſtituendo expenſas, quas ob eam cauſam indebitè facere debuit. cit. c. ult. §. Ut autem, & Gl. V. Incurrat. Quæ tamen pœna ſuſpenſionis non habet locum in delegato, ſi ſe intromittat ei, quod non pertinet ad ſuam juriſdictionem, cùm hoc de illo in jure non ſit expreſſum. Gloſſ. hîc V. Suſpenſi.

CCXII. Cæterùm, ex privilegiis SS.Pontificum poſſunt Ordines Mendicantes in cauſis, ſive criminalibus, ſive civilibus, ſive mixtis: &, ſive Actores ſint, ſive Rei, eligere ſibi Conſervatores, qui non tantùm in cauſis manifeſtis, ſed etiam, quæ judicialem indaginem requirunt, ſummariè, & ſine ſtrepitu judicii procedant, Sylveſt. cit. quæſt. 3. in fine. Rodriqu. cit. quæſt. 65. art. 12. & habetur in Compend. Privileg. Societ. V. Conſervator. §. 1. Imò hodie communiter Conſervatores dari ſolent, cum clauſula, ut cognoſcere poſſint de ijs, quæ judicialem indaginem, ſeu cognitionem exigunt, Gl. magna in c. 1. h.t.in 6. Rodriqu. c.l. Poſſunt etiam Conſervatores Ordinum Mendicantium partes citare, ultra unam dietam, extra provincias, non tamen ultra tres dietas. Rodriqu. cit. quæſt. 65. art.7. & colligitur ex Compend. privileg. Societ. V. Conſervator. §.4. Denique poſſunt prædicti Conſervatores per privilegia Religionibus Mendicantibus conceſſa, etiam vices ſuas aliis committere, ſeu ſubdelegare, quod aliis Conſervatoribus jure communi non eſt conceſſum. Rodriq. c. l. art. 10. Cochier in tract. de juriſd. Ordin. in exemptos tom.2. p. 2.q.1.& conſtat etiam ex cit. Compendio. V.Conſervator.§.2.

CCXIII. Aſſertio 4. Ad officium Conſervatorum præterea ſpectat, ut, ſicut Judices delegati, ita etiam Conſervatores à Sede Apoſtolica deputati modum à jure præſcriptum in procedendo contra Epiſcopos, qui mandata eorum violant, obſervent, & debitâ moderatione utantur, ut conſtat ex c. Quia Pontificali; 2. h. t. in 6. ubi Papa Alexander IV. reſcribit, ut Judices delegati, vel Conſervatores à Sede Apoſtolica deputati, in coactionibus, & pœnis Epiſcopis non parentibus eorum mandatis, inferendis, propter reverentiam officij, & dignitatis Pontificalis, moderatione utantur: ita, ut ipſis, ſi contumaces ſint, primò Eccleſiæ ingreſſus, vel ſacerdotale miniſterium, ſeu officium interdicatur. (hoc eſt, ut ab ijs exercendis, quæ ſunt propria Sacerdotis, prohibeantur) deinde verò ab officio Pontificali abſolutè ſuſpendantur (hoc eſt, ab exercitio eorum, quæ tum ratione Ordinis, tum ratione juriſdictionis, vel alterius adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, Epiſcopis competunt, Barboſ. in Collect. hîc num. 10.) & ſic deinceps aggravetur cenſura Eccleſiaſtica contra illos: (proferendo ſententiam excommunicationis in eos, vel etiam interdicti in terras eorum, juxta c.Sanè; 11. in fine h.t. Franc.hîc num.4.Barboſ.num. 12.) niſi nimia extiterit Epiſcoporum contumacia, ita, ut ſtatim (non ſervato dicto ordine, ac modo procedendi) excommunicatio inferenda videatur. Ut quia injurias, vel contumelioſa verba Epiſcopus profert in Judicem delegatum, vel Conſervatorem. Gl.fin.hîc.

CCXIV. Ubi notandum 1. Quoad pœnas inferendas, & modum procedendi in judicio contra delinquentes, deferendum eſt dignitati, præſertim Epiſcopali, ita, ut mitiùs. quàm alij inferiores puniantur, utì ſumitur ex hoc c. in princ. et c. Sanè; 11. ibi: *temperatè procedens*, et c. Paſtoralis; 28. in fine princ. ibi: *in coactionibus inferendis dignitati deferat, & perſonæ*, h. t. Franc. hîc num.2.not.3.Barb. in Collect. num. 4.

Notandum 2. Conſtitutio hujus c.2. locum habet etiam in Epiſcopis electis, & confirmatis, etſi non-

nondum conſecratis, cùm hoc privilegium Epiſcopis concedatur, non ratione Ordinis, ſed ratione dignitatis, & officij Epiſcopalis. Franc. hîc num. 2. not. 2. nam univerſim, quæ Epiſcopis competunt, non ratione Ordinis, ſed dignitatis Epiſcopalis, ea exercere poſſunt etiam electi, & confirmati, quamvìs non conſecrati, ut eſt diſpenſare, dare indulgentias &c, ex generali doctrina Abbatis in c. Accedentibus; 11. n. 3. & 4. de exceſſ. Prælat.

Notandum 3. Si Judex delegatus à Papa, vel Conſervator, non obſervato hoc ordine, ac modo procedendi, ſtatim excommunicavit Epiſcopum contumacem, & inobedientem, valet ſententia, ſi Epiſcopus ab illa non appellavit, licèt Judex delegatus, vel Conſervator malè agat, ideóque puniri poſſit. Gl. fin. hîc. Ratio eſt, quia, licèt, quando certa forma procedendi ab homine mandante in reſcripto delegationis præſcripta fuit, illâ non ſervatâ, proceſſus ſit nullus. c. Venerabili; 37. h. t. c. ult. de teſtit. ſpoliat. Secus tamen eſt, ſi forma, ſeu ordo à jure præſcriptus, prætermittatur, quia ſententia v. g. excommunicationis lata, non ſervato ordine à jure præſcripto, eſt quidem contra jus litigatoris, & injuſta, ideóque ab illa appellari poteſt, ac debet: non tamen eſt invalida: niſi talis ordo ſit ſubſtantialis, qualis in propoſito cenſeri non poteſt, ſi Epiſcopus ob gravem contumaciam excommunicatus fuerit. Franc. hîc num. 4. in fine. Barb. in Collectan. ibid. n. 18. & 19.

» CCXV. Aſſertio 5. Officium quorumcun-
» que Conſervatorum (ſive dati ſint ad conſervanda
» privilegia, ſive ad defendendum à manifeſtis in-
» juriis, vel alio modo) quoad negotia non cœpta,
» ipſo jure per obitum Papæ concedentis, exſpirat.
cit. c. ult. §. Officium; h. t. in 6. & ibi Gl. V. Quorumcunque; adeóque proceſſus poſtea inſtitutus, quoad non cœpta, nullus eſſet. Gl. hîc V. Ipſo jure. At verò quoad negotia non cœpta, officium Conſervatoris morte concedentis non exſpirat, ut colligitur ex cit. §. Officium; à contrario ſenſu, & docet Rodriq. cit. quæſt. 65. art. 6. Unde, ſi plures Conſervatores ſint deputati pro aliqua Eccleſia, vel Religione, quoad negotium cœptum per unum eorum, perpetuatur juriſdictio etiam aliis, non obſtante morte concedentis. arg. c. Cùm plures; 8. in fine h. t. in 6, Gl. hîc V. Exſpirare, Rodriq. cit. a. 6.

CCXVI. Portò, quod dictum eſt, officium Conſervatoris exſpirare per mortem concedentis, quoad negotia non cœpta, etiam locum habet in Conſervatore Religioſis à Papa deputato, ad defenſionem privilegiorum ſuorum, ſi videlicet Papa ipſemet ſpecialiter, ac directè Conſervatorem deſignavit ad privilegia Religioſorum in certo aliquo caſu defendenda; tum enim eius poteſtas extinguitur, quoad negotia non cœpta, per mortem committentis. Aliud eſt, ſi privilegium Conſervatoris, quocunque occurrente tempore, ſibi eligendi à Sede Apoſtolica Religioſis conceſſum ſit: hoc enim privilegium, cùm ſit reale, ac perpetuum, quippe certo generi perſonarum, ſive Ordini conceſſum, conſequenter etiam deputatio Conſervatoris ex illo privilegio conveniens perpetuò durat, neque exſpirat morte Papæ concedentis, ac proinde talis Conſervator, non ab hoc, vel illo Pontifice, ſed auctoritate ipſius Sedis Apoſtolicæ, quæ ſemper durat, delegatus, ſeu deputatus cenſeri debet. arg. c. Si ſuper; 9. h. t. in 6. & Conſervatores tales eliguntur virtute gratiæ jam factæ, & Religioſis conceſſæ, quæ eſt perpetua, ſicut privilegium conceſſum civitati, vel loco, perpetuum cenſetur. l. Forma; 4. §. Quamquàm. ff. de cenſib. Rodriq. cit. a. 6. Laym. in c. ult. n. 7. h. t. in 6.

CCXVII. Prætereà in §. Circa; cit. c. ult. ſtatui- »
tur, quòd, quæ circa Judices delegatos Iure commu- »
nì Canonico decreta ſunt, quoad munera, & expen- »
ſas, Aſſeſſores, Notarios, & teſtes, in c. Statutum; 11. »
§. inſuper, & ſeqq. de reſcript. in 6. ea etiam à Judici- »
bus Conſervatoribus obſervanda ſint. »

Deniq; in §. ult. cit. c. decernitur, ut, quidquid con- »
tra prædicta, vel aliquid eorum attentatum fuerit, »
inane ſit, & irritum, ipſo ſcilicet jure, & ſine ope ex- »
ceptionis. Gl. fin. hîc. »

CCXVIII. Illud poſtremò hîc addendum eſt, quod circa Conſervatores jure novo Concil. Trid. ſtatutum eſt ſeſſ. 14. c. 5. de reform. Videlicet 1. Ut litteræ conſervatoriæ nemini, cuiuſcunque dignitatis, & conditionis ſit, etiamſi Capitulum fuerit, ſuffragentur, quò minùs coram Epiſcopo ſuo, ſive alio Superiore Ordinario, in cauſis criminalibus, aut mixtis, quovis prætextu, conveniri poſſit. 2. Ut in cauſis etiam merè civilibus, ſi ipſe actor èxſtiterit, aliquem ei apud ſuos Conſervatores in judicium trahere non liceat. Quòd ſi in his cauſis, in quibus ipſe reus fuerit electus ab eo Conſervator, ab Actore reus eſſe dicatur; vel controverſia inter Conſervatorem, & Ordinarium ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, in cauſa non procedatur, donec per arbitros in forma juris electos ſuper ea re judicatum fuerit. 3. Litteræ conſervatoriæ impetratæ ab aliquo, non proſint eius familiaribus, niſi duobus tantùm, ſi propriis eius ſumptibus vixerint. 4. Nemo ſimilium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit. 5. Non liceat Conſervatoribus judicibus ullum tribunal erectum habere. 6. In cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum ſervetur decretum Trident. Seſs. 7. c. 14. de reformat. quod non eſt abrogatum. 7. Denique ſub hoc decreto non ſunt comprehenſæ Univerſitates generales, nec Collegia Doctorum, aut Scholarium, nec regularia loca, & hoſpitalia, nec eorundem perſonæ, ſed eæ omnino exemptæ ſint, ut habetur in dicto decreto in fine: neque per illud Conſervatoriæ huiuſmodi locorum, & perſonarum à Concilio ſublatæ ſunt, juxta declarat. Cardin. Concil. apud Joan. Gallemart ibid. n. 3. Molin. cit. diſ. 29. num. ult. alij verò Clerici, vel etiam laici in criminalibus mixti fori per huiuſmodi Conſervatorias litteras ab ordinaria juriſdictione Eccleſiaſtica ſe eximere non poſſunt; Salzed. apud Diaz in pract. Canon. c. 3. in annotat. ſ. Nec poſſunt,

TITVLVS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

QUia Legatus Sedis Apoſtolicæ partim cum Iudice delegato, partim cum Ordinario convenit, quamvìs abſolutè loquendo, eius juriſdictio, & officium ſit ordinarium, & inter ordinarios Iudices numerari debeat, ſicut olim quoque Proconſules, & Præſides provinciæ, Iudices ordinarij erant, ut conſtat ex c. 2. h. t. in 6. ideo inter Titulum præcedentem de officio Iudicis delegati, & ſequentem de officio Iudicis Ordinarij, interponitur iſte Titulus. Sunt autem quidam Legati Apoſtolici Nuncij, & non Iudices, alij verò Iudices, ut notat Abb. in Rubric. h. t. & Sylveſt. V. Delegatus n. 16. q. 11. Legati non Iudices, ſive Nuncij dicuntur, qui ad certum negotium expediendum, ſive nudum miniſterium obeundum, abſque juriſdictione aliqua, mittuntur. Et hi, ſive ſint Sedis Apoſtolicæ, ſive aliorum Principum, & Rerumpublicarum, etiam hoſtium Legati, ab injuriis jure gentium immunes ſervandi ſunt, iuxta c. Ius gentium; 9. diſ. 1. & habetur in l ult. ff. de legationib. Sed de his Legatis, ſeu Nunciis hoc loco non agitur. Alii verò Legati Sedis Apoſtolicæ Iudices ſunt, qui ad Provinciam aliquam gubernandam, cum iudiciaria poteſtate, mittuntur: & de iſtis hoc tit. rtactatur, & in Sexto.

§. I.

Quot ſint genera, ſeu ſpecies Legatorum Sedis Apoſtolicæ?

I. Legati huiuſmodi ſunt tripllcis generis, Legati à Latere, Nuncij Apoſtolici, ſeu Legati miſſi, & Legati nati, prout ſumitur ex c. 1. & ibi Gloſſ. 1. & V. Legati h. t. in 6. Legati à Latere, ex uſu Curiæ Romanæ, ſunt ſoli Cardinales, ſic dicti, quia quaſi à Latere Pontificis, cui in Conſiliis, & negotiis arduis aſſiſtunt, & veluti ex eius Senatu mitti ſoleot: nam Papa, & Cardinales faciunt unum Corpus, cuius Caput eſt Papa, & membra ſunt Cardinales, Gloſſ. in cit. c. 1. His æquiparantur illi, qui, etſi Cardinales non ſint, cum poteſtate tamen Legati à Latere miſſi ſuot, Gl. fin. in c. 1. h. t. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 9. num. 4. Laym. l. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 7. §. 6. num. 22. Nuntij Apoſtolici, ſeu Legati miſſi dicuntor, qui non ſunt à Latere, neque Cardioales, ſed à S. Pontifice ad aliquam Provinciam, uoam, vel plures ſunt deſtinati, ut ibi munus Legatorum obeant. Et quamvìs quicunque Clerici tales Nuncij, ſive Legati miſſi à S. Pontiſice coostitui poſſint; ſolet tamen Prælatos ad id muous tantùm deputare. Legati nati dicuntur, qui Prælaturæ, ſeu dignitati ſuæ Eccleſiaſticæ officium, & muous Legati Apoſtolici perpetuò annexum habent: ideòqne nati appellantur, qoia ſimul, atque conſequuotur talem digoitatem, onâ etiam Legati naſcuntur, ſeo fiunt, & conſequuntur munus Legationis Apoſtolicæ. Talis Legatus natus in Germania noſtra olim erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, nunc autem eſt Salisburgenſis, in Anglia Archiepiſcopus Cantuarienſis; in Italia Piſanus; in Gallia Rhemenſis, in Hiſpania Toletanus, in Polonia Goeſnenſis &c. Azor p. 2. Inſtit. mor. lib. 5. c. 27. quæſt. 1. Tuſchus V. Legatus, concl. 157.

II. Porrò omnes iſti Legati Apoſtolici in Provinciis, ad quas ſunt deputati, vices Papæ gerunt, & loco ipſius ordinatiam juriſdictionem in omnes de Provincia exercent, atque Apoſtolicâ auctoritate funguntur, ideòque Vicarij Papæ ſunt, & dici poſſunt, c. 1. in fine h. t. oam, cùm juriſdictio S. Pontificis per totum orbem Chriſtianum ſe extendat, omnéſque ei ſint ſubiecti in ſpiritualibus, c. Cuncta; 17. cauſ. 9. q. 3. ideò in partibus, & regionibus remotis Vicarios ſuos conſtituit, qui vices ipſius ſuppleant, cauſas cognoſcant, ac definiant, & jus dicant. Etſi verò dicti Legati, ſimpliciter loquendo, ordinariam, ac propriam juriſdictionem habeant. c. 2. h. t. in 6. eſt tamen ea quodammodo extraordinaria, & ſuperioducta, ut tradit Abb. in cit. c. 1. o. 3. h. t. Molin. cit. diſ. 9. o. 3. quia ooo eſt perpetua, & ſtabilis, ſed pro arbitrio Papæ, Legati creantur, & revocantur, ut ex iofrà dicendis magìs patebit.

§. II.

De iuriſdictione, & poteſtate communi omnibus Legatis Pontificiis.

III. Aſſertio 1. Poteſtas Legati Apoſtolici, tum abſolutè, tum quoad extenſionem, ant reſtrictionem, pendet ex voluntate Papæ delegantis, Durand. in ſpecul. l. 1. partic. 1. de Legaro, §. 2. num. 1. Laym. in c. Quòd translationem; 4. num. 4. h. t. eo

ferè modo, quo poteſtas Vicarij Generalis pendet ex voluuiate Epiſcopi enm conſtitnentis. Quare Legatus Sedis Apoſtolicæ provinciam ingreſſus, antequam poteſtatem ſuam exerceat, ſolet Legationis ſuæ litteras, & mandatum Apoſtolicum, quo Legatus eſt conſtitutus, publicare, ne quiſquam ignorantiam prætendere poſſit. Durand. cit.loc.§.4. num. 15. Azor cit. c. 27. quæſt. 7. in fine, quod ſi nou faciat, exigi ab eo poteſt, ut exhibeat mandatum Legationis ſuæ. arg. l. unic. C.de mandat.Princ. ubi dicitur, quòd nemini, quamquàm dignitate fulgear, credendum ſit, ſi dicat, ſe cum mandatis Principis venire, niſi ſcriptis probaverit: & colligitur ex c. ult. diſ. 97. ubi habetur, quòd Eccleſia Romana nullam Legationem ſuſcipiat, niſi exhibitis litteris ſignatis; ergo neque alij coguntur ipſius Legatos ſuſcipere ſine litteris. arg. l. 1. ff. Quod quiſque juris &c. & c. Omnes; 6. de conſtitut. Veruntamen Legato, ſi Cardinalis ſit, vel aliàs notus, & bonæ exiſtimationis, miniméque ſuſpectus, ex æquo, & decoro fides habenda eſt, ſaltem quoad ea, quæ in generali officio Legati continentur; non item quoad ea, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt (v. g. quòd ſuper impedimento matrimonij in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis diſpenſare poſſit) vel quæ aliis præjudicare poſſunt: horum enim fidem per litteras authenticas Legatus facere debet, quamvìs id in praxi ratò obſervetur. Durand. c.l.n16. Azor c.l.q.8.

IV. Aſſertio 2. Officium Legatorum Apoſtolicorum in genere deſcribitur in c.Legatos; 2. h.t. in » 6. in princ. ubi habetur, Legatos, quibus in certis » provinciis Legationis officium committitur, tan» quam ordinarios Judices conſtitui, ut ad inſtar » Proconſulum, aliorúmque Præſidum, quibus cer» tæ provinciæ moderandæ ſunt decretæ, in provin» ciis ſibi commiſſis, diſſipent, & evellant (vitia) ædificent, & plantent (virtutes) Gloſſ. ibid. V. Diſſipent, & V. Plantent. ubi Gl. V. Proconſulum; ait, Legatos Cardinales æquiparari Proconſulibus, qui ex Conſulibus ab Imperatore ad certam provinciam regendam mittebantur, ſicut Legati Cardinales, qui ex Latere, ſive Conſulibus Papæ, cui in ſecretis conſiliis aſſiſtunt, mittuntur ad regendam provinciam: reliquos verò Legatos æquiparari Præſidibus, qui, cùm non eſſent priùs Conſules, ad regimina provinciarum mittebantur.

Porrò Legatus, etiamſi non ſit à Latere, regulariter poteſt in Provincia ſibi commiſſa, ex vi muneris ſui, quæ poteſt Ordinarius in ſua Diœceſi, aut Provincia, ſive ſit Epiſcopus, ſive Archiepiſcopus, vel Patriarcha. Imò omnia poteſt, quæ ipſe S.Pontifex poteſt, præter illa, quæ tantùm ſunt reſervata S. Pontifici, in ſignum ſingularis privilegij, ſeu prærogativæ, quia hæc non comprehenduntur in Generali Legationis officio, ac mandato, niſi ſpecialiter concedantur, c. Quod translationem; 4. h. t. Molin.cit.diſ. 9. n.5.

V. Atque hinc infertur 1. Licèt Legatus aliquantò majorem poteſtatem habeat in Provincia, quàm ipſe Epiſcopus, aut Archiepiſcopus, quippe cùm eorum etiam Judex ſit ordinarius, & de criminibus ipſorum cognoſcere poſſit. Abb. in c.1. n. 2. h.t. Molin.c.l.n.5. Non tamen poteſt Legatus, quamvis à Latere ſit, aliquem Epiſcopum transferre ab una Eccleſia Cathedrali ad aliam, ſine ſpeciali commiſſione, ac mandato Papæ, ut conſtat ex c.Niſi ſpecialis; » 3.h.t. Nam, cùm quidam Cardinalis Apoſtolicæ Se» dis Legatus, propriâ auctoritate, Troianum Epiſco» pum ab illa Eccleſia ad Panormitanam tranſtuliſſet, » Papa Innocent. III. eidem reſcripſit, quòd, niſi ſpe» cialis dilectio, quam habet erga perſonam illius, in» tercederet, pœnâ docente, cognoſceret, quãtum de» liquerit, transferẽdo de facto (quia de jure non po» tuit) motu, ſeu auctoritate propriâ dictum Epiſco» pum ab una Eccleſia ad aliã, contra Canonicas ſan» ctiones (c. Mutationes; 34. cauſ.7.q.1.c.1.& 2.ſupr. » de translat.Epiſc.) & generalem conſuetudinem. »

Ubi notandum 1. Quòd Judex poſſit, ratione ſpecialis, & honeſtæ amicitiæ, remittere pœnam, quæ ex arbitrio ipſius pendet, ſine gravi detrimento alterius, Gl. hîc V. Specialis, juncta Gl.marg.& Abb.n.2, & 6. 2. Quòd etiam Legatus de Latere regulariter non poteſt aliquid attentare contra Canones, vel generalem conſuetudinem. Abb.hîc n.4.

VI. Infertur 2. Quòd Legatus Sedis Apoſtolicæ, etiam à Latere, non poteſt duos Epiſcopatus unire, aut dividere, ſine ſpeciali Papæ licentia, & alia hujuſmodi facere, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt, ut conſtat ex c. Quod translationem; 4.h.t. ubi » idem Papa Innocentius III. reſcripſit, quòd Legatus » à Latere, tametſi generalis Legationis officium in » Regno aliquo ſibi commiſſum habeat, non poteſt » tamen, ſine ſpeciali mandato Papæ, expedire ea, » quæ in ſignum ſpecialis privilegij tantùm S.Ponti» fici ſunt reſervata. Et quamvis aliqua hujuſmo» di per longam conſuetudinem ſpecialiter Legatis » à Latere fuerint conceſſa, videlicet, ut eos, qui vio» lentas manus injiciunt Clericis, ab excommuni» catione Canonis abſolvant: non tamen hinc ſequi» tur, quòd etiam alia, quæ ſpecialiter Papæ reſerva» ta ſunt, talibus Legatis ſint commiſſa, eáque exer» cere queant: cujuſmodi ſunt, unum Epiſcopatum » alteri ſubjicere, Primatem conſtituere, duos Epi» ſcopatus unire, vel unum in duos dividere, ſine » ſpeciali Papæ licentiâ. »

Sed neque Epiſcopos deponere, nec ceſſiones eorum admittere, nec alia exercere poteſt Legatus, etiam de Latere, quæ tanquam ſpecialiter Papæ reſervata enumerat, Gl. in c.1. V. Legationis h.t.& in cit. c. Quod translationem; V. Reſervata, & Hoſtienſ.in ſumma cod. n. 3. ubi plures caſus ſpecialiter S. Pontifici reſervatos adfert, quia in generali commiſſione, vel conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialem expreſſionem, ſeu commiſſionem requirunt.

VII. Verùm contra id, quod hîc dicitur, Legatos à Latere poſſe abſolvere percuſſores Clericorum ab Excommunicatione, eò quòd ea poteſtas ſæpe, & per longum tempus fuit conceſſa à SS. Pontificibus, obſtare videtur, quòd per actus merè facultatis, ſive merè voluntarios, ſeu gratuitos nõ inducitur conſuetudo, vel præſcriptio juris alicuius, ut communiter tradunt DD; ergo ex eo, quòd Papa ſæpius, & per longum tempus, ex ſpeciali gratia, conceſſerit Legatis jus, ſive poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione ipſi reſervata, nõ ſequitur, quòd ea poteſtas abſolvendi generatim ſit inducta, ſive præſcripta à Legatis. Reſp. Hanc poteſtatẽ abſolvendi acquiſiviſſe

fuiſſe Legatos, non præciſè ex ſæpius, & per longum tempus repetitis conceſſionibus gratuitis, ſed vel ex tacito conſenſu, ſive approbatione Principis, ſeu Papæ, ſi ipſo ſciente, & non contradicente, illæ abſolutiones factæ ſint à Legatis, etiam abſque temporis diuturnitate; vel per diuturnam conſuetudinem legitimè præſcriptam, ſaltem temporis immemorialis, ſine titulo, ſi, Papâ ignorante, ſint factæ, Abb. in cit. c. Quod translationē, n. 4. Laym. ibid. n. 3. ubi addit, non obſtante eiuſmodi diuturnâ conſuetudine, talem poteſtatem abſolvendi Legatis acquiſitam, iterum revocari, & auferri poſſe, ſicut poſſet, ſi per expreſſum privilegium ijs conceſſa fuiſſet. Nam, ſi Princeps alicui merè gratuitò commiſit, vel conceſſit juriſdictionem ſuam, v. g. ad abſolvendum à peccatis, & cenſuris, vel ad diſpenſandum, eam ſine cauſa pro arbitrio revocare poteſt, quia in conceſſione juriſdictionis ſemper intelligitur excepta Superioris auctoritas. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 33. n. 6.

Atque hinc etiam patet, ex eo, quòd unus ex caſibus reſervatis Papæ, vel Principi, ſit conceſſus, vel per diuturnum tempus præſcriptus, non debet fieri extenſio ad alium caſum, etiam reſervatum, non conceſſum, vel expreſſum, quia conſuetudo, aut præſcriptio, cùm ſit contra jus, vel cedat in præjudicium alterius, adeóque ſtricti juris ſit, & odioſa, non debet extendi de caſu ad caſum non expreſſum. Abb. in cit. c. Quod translationem; n. 5. h. t. ut in propoſito, ex eo, quod Legati de Latere præſcripſerunt poteſtatem abſolvendi à cenſura excommunicationis reſervatæ Papæ, non ſequitur, quòd etiam alias cauſas ſpecialiter eidem reſervatas expedire poſſint.

VIII. Aſſertio 3. Legatus Sedis Apoſtolicæ, circa ea, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinent, veluti ad mores reformandos, & vitia corrigenda, poteſt ſtatuta condere, quæ ſuâpte naturâ perpetuò duratura ſunt, etiam poſt finitum legationis officium, mortuo ſcilicet, aut revocato Legato eorum auctore, » ut habetur in c. Nemini; 10. & ult. h. t. ubi Papa » Gregorius IX. reſcribit, quòd ſtatuta à Legatis Se- » dis Apoſtolicæ (ſive ſint de Latere, ſive miſſi, ſive » nati, quia textus hic non diſtinguit, adeóque gene- » raliter eſt intelligendus. Abb. hic n. 1.) edita in pro- » vincia ſibi commiſſa, durent tanquam perpetua, li- » cèt provinciam poſtea ſint egreſſi. Secus autem, ſi » cauſas aliis delegârint, nam ſi ante illorum diſceſ- » ſum (è provincia ſibi commiſſa) citatio delegato- » rum à Legatis facta non ſit; juriſdictio eorundem » delegatorum exſpirat.

IX. Ratio prioris partis eſt, quia Legati Papæ habent juriſdictionem ordinariam in provincia ſibi commiſſa, & æquiparantur Proconſulibus, & Præſidibus Provinciarum. c. 2. h. t. in 6. ergo, ſicut iſti poſſunt condere leges, & ſtatuta perpetuò duratura; ita etiam Legati Papæ. Et cùm Epiſcopi, qui minoris ſunt auctoritatis, poſſint facere ſtatuta in ſuâ diœceſi perpetua, donec à ſucceſſore revocentur; multò magis Legati Papæ poterunt talia ſtatuta condere. Gloſſ. hic V. Statuta, & Vivian. in Rat. Jur. Pontif. Etſi verò Legatus Papæ non poſſit facere ſtatuta contra Jus commune Canonicum, quia inferior non poteſt tollere legem Superioris. arg. c. Inferior; 4. diſ. 21. Innocent. in cit. c. ult. V. Statuta; & Imol. num. 9. Poteſt tamen ſtatuta condere, præter Jus commune, cùm ſit Judex Ordinarius in provincia. c. 2. junct. Gl. V. Plantent h. t. in 6. & quidem ſolus in rebus ad ſuam juriſdictionem ſpectantibus, non requiſitis Prælatis Provinciæ, nec populo; cùm in hoc c. fiat tantùm mentio de Legato, dummodo, ſi ſtatuere aliquid velit tendens in præjudicium aliorum, conſenſus eorum accedat. Abb. hîc num. 7. & Imol. n. 9. Ratio poſterioris partis eſt, quia Legatus Apoſtolicus, cùm ſit Judex Ordinarius, cauſas ad ſe pertinentes delegare aliis poteſt, quàm diu manet in Provincia, nam, poſtquam illâ egreſſus eſt, finitur officium Legationis, ut infrà dicetur, & conſequenter eius juriſdictio, & poteſtas delegandi, ſicut etiam per mortem eius illa extinguitur, Gl. hîc V. Exſpiret; niſi tamen à delegato Legati Papæ, ante illius diſceſſum è Provincia, præmiſſa fuerit citatio partis, per quam perpetuatur delegati juriſdictio. cit. c. ult. & ibi Gloſſ. V. Citatio, Abb. ibid. num. 10. & 11. ubi ait, ſufficere, quòd citatio emanârit à delegato, ante finitum Legati officium, etſi non pervenerit ad citandum, quia quoad perpetuandam juriſdictionem delegati, ſufficit, judicem delegatum commiſiſſe citationem, ante finitum officium Legati delegantis, neque enim plus requiritur, quàm, quòd uti cœperit juriſdictione delegatâ, c. Licèt; 30. de offic. Deleg. & l. Quia; 6. ff. de juriſdict. Quòd ſi citatio à Delegato facta non ſit, priuſquam finiretur officium, & juriſdictio Legati delegantis, cauſa ab eo antea commiſſa non poterit per eius Delegatum poſtea expediri, ut colligitur ex fine c. ult. h. t. per ſenſum contrarium, & ex cit. c. Licèt. Quia finitâ legatione, extinguitur etiam juriſdictio Legati delegantis, à quo pendet juriſdictio delegati, quàm diu eâ uti non cœpit, ut patet ex ſuprà dictis.

X. Aſſertio 4. Legatus Sedis Apoſtolicæ poteſt etiam ſuper cauſâ electionis Epiſcopi examen inſtituere, ita tamen, ut examen, & informationes ad Papam mittere debeat, & ex eo tempore non poteſt ampliùs in cauſa procedere, quia interim ſuſpenſa eſt eius juriſdictio, prout ſumitur ex c. Licet; 5. h. t. Nam cùm Canonici Tranenſes Guilielmum » fratrem Caſſinenſis Abbatis in Archiepiſcopum e- » legiſſent, eam electionem Portuenſis Epiſcopus tunc » Legatus Apoſtolicus examinari præcepit, atq; exa- » minationem ad Papam per ſuos Nuncios tranſmi- » ſit: ſed poſtea eandem electionem iterum exami- » nari præcepit. Hoc intellecto, Papa Innocent. III. » de conſilio Fratrum ſuorum, declaravit, poſterius » examen tanquam à non ſuo judice factum, irritum » eſſe, & inane, quia Legatus, poſtquam cauſam ele- » ctionis ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſit, juriſdi- » ctionem nullam ſuper illa habuit. Ratio eſt, quia, » ſi Judex examen cauſæ, ſeu cauſam inſtructam ad Principem, ſeu Superiorem referre decrevit, cum partium appprobatione, & pendente relatione, procedat, irritus eſt proceſſus, tanquam factus à Judice incompetente, alioquin enim, ſi inferior interim poſſet aliquid in cauſa procedendo immutare, videretur Superioris auctoritati illudere, ut habetur in l. Ex illo; 13. C. de appellat. & l. 1. C. de relationib. c. Nomen; 12. cauſ. 2. quæſt. 1. Verumtamen cum partium conſenſu, Judex relationem, ſeu cauſam inſtructam ad Superiorem tranſmiſſam

itetum cognoſcere poteſt. Gloſſ. hîc V. Tranſtulerat: modò ea nondum ſit Principi, ſeu Superiori præſentata: alioquin, ſi præſentatio facta ſit, nec partibus conſentientibus, inferior Judex cauſam reaſſumere, vel quidpiam immutare poteſt, ne illudatur Superiori, ut colligitur ex c. Bonæ; 4. de poſtul. Præl. Abb. hîc in fine, & Imol. n. 6.

XI. Aſſertio 5. Legatus Sedis Apoſtolicæ, ſive Miſſus, ſive natus, ut Archiepiſcopus, v. g. cujus Sedi, ac dignitati munus Legati Apoſtolici annexum eſt, omnes cauſas provincialium, ſive per appellationem, ſive per ſimplicem querelam ad ipſum deferantur, audire, & cognoſcere poteſt, ac debet, cùm in Provincia ſua vices Papæ gerat, prout reſcripſit Alexander III. in c. 1. h. t. Quòd licèr Archiepiſcopus
» Cantuarienſis, qui & jure Metropolitano, & jure Le-
» gationis Apoſtolicæ (quod annexum eſt illi Archie-
» piſcopatui) provinciæ ſuæ præeſt, ut Metropolita-
» nus, cauſas eorum, qui Suffraganeis ſuis, ſive Coepi-
» ſcopis ſubditi ſunt, audire, & cognoſcere nequeat,
» niſi per appellationem ad eum deferantur (vel alijs
» caſibus jure expreſſis. Gl. hîc V. Per appellationem;)
» tamen ut Legatus Sedis Apoſtolicæ, omnes cauſas,
» quæ per appellationem, vel ſimplicem querelã ad
» eum perveniunt, audire, & definire poteſt, ac debet,
» tanquam qui in Provincia ſua vices Papæ gerit.

XII. Porrò Legatus Apoſtolicus eſt ita Judex Ordinarius ſuæ Provinciæ, ut in omnibus cauſis ſubditorum concurrat cum Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, aliiſque inferioribus Judicibus Ordinarijs Provinciæ: ideóque, licèt cauſas ſubditorum ad ſe trahere non poſſit, neque illos cogere, ut coram ſe litigent, cùm, quando plures judices Ordinarij concurrunt, optio actori detur, ut eligat, quem voluerit: poteſt tamen, tam in prima, quàm in ſecunda inſtantia coram Legato actio, ſeu judicium inſtitui, cit. c. 1. & ibi Gloſſ. V. Legationis, & Abb. n. 3. & 4. Molin. cit. diſ. 9. n. 7. Et, ſicut ab inferioribus Judicibus ſub Epiſcopo conſtitutis ad ipſum Epiſcopum, & ab iſto ad Archiepiſcopum; ita etiam ad Legatum immediatè, prætermiſſo Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, appellari poteſt, quia, cùm Legatus Papæ concurrat cum Epiſcopo, & quolibet alio Ordinario, non datur Judex intermedius, ſed ſicut immediatè ad Epiſcopum ab inferiore, ita etiam ad Legatum appellari poteſt. Abb. hîc n. 7. Molin. c. l. n. 9.

Verùm Jure novo Concilij Tridentini Seſſ. 24. c. 20. de reformat. reſtricta eſt quoad hoc Legatorum poteſtas, ubi ſtatutum eſt, ut Legati Apoſtolici, etiam de Latere, non poſſint cognoſcere cauſas ſubditorum provincialium, niſi Ordinarius, intra biennium à die motæ litis numerandum, negligat: vel niſi per appellationem à ſententia definitiva ad Legatum devolvantur. Et in ipſo appellationis proceſſu ſervanda eſt Conſtitutio in c. Romana 3. de appellat. in 6. ut decernit idem Trident. Seſſ. 22. c. 7. & quoad appellationem in cauſis criminalibus, obſervari debet decretum eiuſdem Concilij Seſſ. 13. c. 3. de reform.

XIII. Aſſertio 6. Non poteſt Legatus Generalis (etiam de Latere) ad provinciam deſtinatus, cauſam ſpecialiter à S. Pontifice alteri delegatam, ad ſuam cognitionem trahere, vel ſententiam à delegato in cauſa ſpeciali, ſecundùm formam mandati, latam irritare, ac proinde is, qui Generale mandatum, ſive commiſſionem habet omnes cauſas cognuſcendi, vel omnia negotia exequendi, non poteſt ſe immiſcere cognitioni, ac proceſſui certæ cauſæ ſpecialiter commiſſæ, nec impedire debet commiſſionem ſpecialem, prout habetur in c. Studuiſti; 2. h. t. Nam, »
cùm ex Cæleſtino III. quæreretur, ſi in provincia »
ſit Legatus Generalis, & Papa committat ſpeciali- »
ter cauſam aliquam cuidam delegato, utrùm Lega- »
tus Generalis poſſit impedire proceſſum talis dele- »
gati, vel de cauſa illa cognoſcere, ante cognitio- »
nem ipſius delegati, vel poſtea? Ad hoc reſpon- »
det dictus Papa, cùm mandatum ſpeciale deroget »
generali, non poteſt Legatus Generalis impedire »
commiſſionem alij ſpecialiter factam, nec ſe ei im- »
miſcere. Et, ſi ſecundùm formam mandati, à dele- »
gato ſententia lata fuit, non poterit ipſe Legatus »
eam quovis modo irritare, niſi ſpeciale ad hoc man- »
datum acceperit, quamvis Legatus ſententiam il- »
lam, ſi legitimè lata fuit, confirmare, & executioni »
mandare poſſit. »

Ratio deciſionis huius c. exprimitur in textu, quia mandatum ſpeciale derogat generali, quoad illam ſpeciem. Accedit, quòd juriſdictio minoris Judicis non exſpirat, præſente majore. c. Pervenit; 39. cauſ. 11. quæſt. 1. c. Ecce; 6. diſ. 95. etſi ſubinde quoad exercitium ſuſpendatur, de quo infrà. Imò ſpecialis delegatus Papæ, quoad cauſam ſibi commiſſam, majorem poteſtatem habet quolibet Ordinario, etiam Legato Papæ generali, vel de Latere. arg. c. ult. diſ. 93. & c. Sanè; 11. de offic. deleg. Gl. hîc V. Non poteſt.

XIV. Porrò, quod dictum eſt, Legatum generalem Papæ, etiam de Latere, non poſſe ſe immiſcere cauſæ alicui ſpecialiter delegatæ à Papa, extenditur.

1. Ut procedat, etiamſi delegatus nondum cœperit cauſam cognoſcere, ut patet ex cit. c. 2. ibi: *ante cognitionem* ſcilicet cauſæ delegatæ, Innocent. hîc V. Eodem, & Hoſtienſ.

Extenditur 2. Quòd non poſſit Legatus generalis Papæ, etiam de Latere, appellationem à ſententia Delegati Papæ admittere, ut patet ex cit. c. 2. ibi: *eam quomodolibet irritare.* Joan. Andr. ibid. n. 3. & Abb. n. 3. & Imol. num. 5. quia appellatio fieri debet à minore judice ad majorem. c. 2. De conſuet. in 6. Delegatus autem Papæ in cauſa ſibi commiſſa eſt major Legato Papæ, Gloſſ. hîc V. Non poteſt; communiter recepta, ergo non poteſt à ſententia Delegati appellari ad Legatum Papæ.

Extenditur 3. Quòd Legatus Papæ non poſſit aliquem reſtituere adversùs ſententiam Judicis delegati à Papa, vel Principe. arg. l. Adversùs; 3. C. ſi advers. rem judic. ubi dicitur, quòd adversùs ſententiã eius, qui vice Principis judicavit, id eſt, Vicarij, vel Delegati eius, ſolus Princeps cognoſcit, & reſtituit in integrum, Gl. hîc V. Mandatum ſpeciale, & Abb. n. 3.

XV. Limitatur autem prædicta aſſertio 1. Niſi cauſa nova, vel antea non prævisa à delegante ſuperveniat, quâ cognitâ, veriſimiliter non emanâſſet illa comiſſio ſpecialis; tum enim Legatus generalis prohibere poteſt Delegato ſpeciali, ne in negotio ſibi commiſſo procedat, vel formã procedendi ei præſcribere. arg. l. Si hominẽ; 10. ff. mandati, Abb. in cit. c. 2. n. 2. h. t.

Limitatur 2. Niſi delegatus ſpecialis contra formã mandati Apoſtolici procedat, tum enim Legatus generalis ſe immiſcere, & acta eius reſcindere, aut irrita de-

ta declarare poteſt, quia juriſdictionem ſuper cauſâ ſpecialiter commiſsâ babitualiter retinet. Imol. in cit. c. 2. num. 3. & ex Barbatia notat Laym. ibid. n. 2. Idq; colligitur ex eodem c. argumento ducto à contrario ſenſu: nam ibi dicitur, quòd non poteſt Legatos generalis ſententiam delegati ſpecialis, ſi ſecundùm formam mandati lata ſit, irritare: ergo ſi contra formam mandati lata ſit, irritare eam poterit. Addit Imol. c. l. idem dicendum, ſi ſententia delegati ex alio capite ſit nulla, quia lata contra jus conſtitutionis; tunc enim Legatus generalis non impeditur cognoſcere, & declarare, illam eſſe nullam, quia inferior non prohibetus cognoſcere de actis per Superiorem, (qualis eſt Legatus generalis reſpectu delegati Papæ, quoad cauſam commiſſam) ſi acta ſint nulla: ſecus eſt, ſi ſententia delegati ſit valida, ſed injuſta, quia lata contra jus litigatoris, tunc enim Legatus ſe immiſcere non poteſt.

XVI. Limitatur 3. Ut non procedat, ſi Legatus generalis, ſeu Ordinarius in cauſa prævenerit delegatum, & cauſam contra impetrantem mandatum, ſeu commiſſionem ſpecialem, cœperit cognoſcere, antequam litteræ commiſſionis eſſent præſentatæ Judici delegato, tunc enim poterit Legatus in cauſa cœpta progredi; ſecus, ſi illæ jam fuerint præſentatæ delegato, quia quoad exercitium juriſdictionis non attenditur tempus datæ, ſed præſentationis litterarum. Innocent. Hoſtienſ. & alij apud Fagnan. in cit. c. 2. num. 12. h. t.

Limitatur, & declaratus 4. Licèt Legatus generalis non poſſit ſententiam delegati Sedis Apoſtolicæ irritare, poteſt tamen ſententiam rationabiliter latam à delegato confirmare, & executioni mandare; ut habetur in fine cit. c. 2. h. t. quæ tamen confirmatio non tribuit firmitatem ſententiæ, ob defectum legitimæ auctoritatis, non enim Legatus auctoritativè, & judicialiter, cum cauſæ cognitione, confirmare poteſt ſententiam delegati Papæ, neq; ex certa ſcientia, nec in forma communi, cùm delegatus in cauſâ ſibi commiſſa ſit Superior omnibus Ordinarijs, arg. c. Sanè; 11. de offic. deleg. Et ſicut Legatus non poteſt infirmare ſententiam delegati; ita nec illam confirmare, robur illi addendo: ſed talis confirmatio eſt tantùm approbatio quædam, quæ in facto conſiſtit, ſeu teſtimonium quoddam, ad hoc inſerviens, ut Legatus ſententiam à delegato latam, & à ſe approbatam, nullitatis poſtea arguere non poſſit. Gl. in cit. c. 2. V. Confirmare; h. t. & ibid. Innocent. Hoſtienſ. V. eodem, & Abb. n. 5. Et hinc delegatus ſpecialis Papæ Legatum generalem ad ſententiæ ſuæ executionem compellere poteſt, quia quoad cauſam delegatam eſt major, & ſuperior illo. Imol. in cit. c. 2. n. 5. h. t. & Abb. ibid. n. 6. ubi dicit, quòd hæc ſententia verior videatur, etſi altera æquior, quam tenet Gloſſ. fin. hîc. & Hoſtienſ. in fine.

Quin imò, ſi Legatus generalis Commiſſarium, ſeu delegatum ſpecialem injuſtè impedire velit, poteſt hic contra illum etiam per cenſuras procedere, habitâ tamen ratione dignitatis ipſius, juxta c. Paſtoralis; 28. in princ. de offic. deleg. et c. 2. eod. in 6. Tuſch. V. Legatus concluſ. 157. Laym. in cit. c. 2. num. 4. h. t. Alias quaſdam limitationes adfert Fagnan. in cit. c. 2. num. 13. 17. & 22.

§. III.

De poteſtate ſpeciali Legati à Latere.

XVII. Aſſertio 1. Legatus à Latere, ſeu Cardinalis majorem, quàm alij Legati, poteſtatem habet, ideóque eo velut digniore præſente, Legatus Miſſus, qui non eſt à Latere, non poteſt exercere poteſtatem legationis ſuæ, ſed ipſius officium, licèt non omnino exſpiret, interim tamen dum Legatus Cardinalis ibi commoratur, quoad exercitium, eſt ſuſpenſum, prout ſtatutum habetur in c. Volentes; 8. h. t. Ubi Papa Gregorius IX. officium Apoſtolicæ legationis commiſit Patriarchæ Hieroſolymitano in Provincia ſua, ita tamen, ut, ſi accidat, Legatum à Latere eò deſtinari, executionem ipſius officij Legationis, quàm diu ipſe Legatus ibi fuerit, ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, intermittat. Ratio inſinuatus in textu, quia Legatus Cardinalis, cùm à Latere S. Pontificis ſit aſſumptus, ſpeciali modo, ac propinquiùs Papam repræſentat, ideóque non decet, ut dum is præſens eſt in Provincia, aliquis alius auctoritatem, ſeu poteſtatem Pontificiam exerceat, ejúſque vices repræſentet (niſi ipſe Legatus Cardinalis cauſam ſpecialiter ei commiſerit) quamvis eo indè recedente, Legatus Ordinarius ſuum officium denuò exercere poſſit. Gloſſ. hîc V. De Latere noſtro. Idémque dicendum eſt de Legato nato, ſive perpetuo; cùm eadem ſit ratio in utroque Legato, miſſo, & nato, ſive cujus dignitati officium legationis annexum eſt, nempe ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ. Abb. hîc n. 4. in fine. Ceſſat autem officium minoris Legati, præſente majore Cardinale, ſive de Latere, ſolùm in actu, ſive quoad exercitium, nam in habitu juriſdictionem retinet, ita tamen, ut nec contentioſam, nec voluntariam juriſdictionem interim exercere poſſit. Imol. hîc n. 4.

Ex dictis colligitur, quòd neque Legatus à Latere, ſi in loco aliquo præſens ſit ipſemet S. Pontifex, juriſdictionem aliquam exercere debeat. Durand. in ſpecul. tit. de Legato; §. Finitur; 8. n. 5. arg. c. Antiqua; 23. §. Dominicæ; de privileg. Porrò conſtitutio hujus c. non habet locum in illis Legatis, qui poteſtatem habent à diverſis, ut in Legato S. Pontificis, & Imperatoris, quilibet enim officium ſuum exercere poteſt, etiam altero præſente. Abb. hîc num. 4.

XVIII. Aſſertio 2. Ob prædictam prærogativam dignitatis præ cæteris Legatis, conceſſum eſt inprimis Legatis à Latere, ut ratione muneris ſui, adeóque jure ordinario, conferre poſſint beneficia in Provincia, ad quam ſunt deſtinati, ſita, ut docet Garcias tr. de benef. p. 5. c. 3. num. 4. & 8. & alij DD. communiter, & conſtat ex c. 1. in fine h. t. in 6. Quare, ſicut Papa, ita & Legatus à Latere in ſua Provincia concurrit cum quolibet Ordinario in collatione beneficiorum, ita, ut inter eos locus ſit præventioni, & Legati collatio præferatur collationi Ordinarij; ſi utraque eodem tempore facta ſit, juxta c. Si à Sede; 31. juncta Gloſſ. V. Legato; de præbend. in 6. Garc. cit. c. 3. n. 40.

Verùm alij Legati Sedis Apoſtolicæ, qui non ſunt à Latere, ſive ſint Nuncij Miſſi, ſive Legati nati, ex officio Legationis ſibi generaliter commiſſæ, nullam habent poteſtatem conferendi beneficia, niſi hoc ipſis ſpecialiter ſit conceſſum; ſed ſolis Legatis Cardinalibus ea poteſtas competit, prout habetur in cit. » c. 1. h. t. in 6. ubi Innocentius IV. ſtatuit, ut Le- » gati Romanæ Eccleſiæ, ſive à Sede Apoſtolica miſ- » ſi fuerint, ſive ratione Eccleſiarum ſuarum, lega- » tionis dignitatem ſibi vendicent, ex munere ipſius » legationis, nullam habeant poteſtatem conferen- » di beneficia, niſi hoc ſpecialiter alicui ſit indultum (ut in caſu c. Litteras; 4. de ſuppl. negl. Prælat. ubi Legati, qui Cardinales non erant, beneficia contulerunt, ſed ex ſpeciali mandato Papæ. Gloſſ. hîc » V. Poteſtatem;) At verò Legati Cardinales, ra- » tione muneris, ſive legationis ſuæ, beneficia con- » ferre poſſunt, quia, ſicut honoris prærogativâ alijs » præcellunt, ita etiam par eſt, eos majore fungi au- » ctoritate.

XIX. Hinc colligitur 1. Quòd Legatis à Latere competit poteſtas conferendi beneficia ex privilegio à jure communi ipſis conceſſo, & ſic jure ordinario, & jure legationis, non in genere, ſed in ſpecie, id eſt, jure talis legationis, ſcilicet à Latere. Garc. cit. c. 3. num. 8. Legati verò nati beneficia conferre poſſunt, non quidem ratione, ſeu jure legationis, ſed jure ordinario, quatenus ſimul ſunt in certa Provincia Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, aut Primatis. Azor p. 2. l. 6. c. 25. q. 6. in fine. Alij denique Legati ſimplices, ſeu Nuncij Miſſi, non poſſunt conferre beneficia, niſi ex ſpeciali S. Pontificis conceſſione, qui aliquando ipſis eandem poteſtatem committere ſolet, quæ Legatis à Latere jure communi eſt conceſſa, cit. c. 1. h. t. in 6. Azor c. l.

Colligitur 2. Ubi eſt Cardinalis Legatus in aliqua Provincia, vel alius habens ſpeciale mandatum conferendi beneficia, poſſunt tres concurrere in collatione unius beneficij, ſcilicet Papa, Legatus, & Epiſcopus, vel alius Collator Ordinarius, & inter illos eſt præventioni locus, ſi appareat, quis primò contulerit, alioquin præferetur dignior, ut Papa Legato, hic Ordinario, juxta c. Si à Sede; 31. de præbend. in 6. Gloſſ. in cit. c. 1. V. Amplioti; in fine h. t. in 6.

XX. Cæterùm ſuprà dicta aſſertio, quòd Legati à Latere, ſeu Cardinales poſſunt conferre beneficia in ſuâ Provinciâ ſita, extenditur 1. Ut poſſint conferre beneficia, etiamſi illa ſint de jure patronatûs Eccleſiaſtici, ſinè conſenſu ipſius Patroni, imò ipſo etiam inconſulto, ut conſtat ex c. Dilectus; 6. » h. t. Ubi habetur, quòd, cùm Epiſcopus Præneſti- » nus (qui eſt unus ex ſex Epiſcopis Cardinalibus) » Apoſtolicæ Sedis Legatus (de Latere) Roberto Me- » thenſi Canonico Eccleſiam S. Trudonis contuliſ- » ſet, Archidiaconus Methenſis ipſi moleſtationes in- » tulit, nec permittebat eum pacificâ poſſeſſione frui, » aſſerens, quòd dicta Eccleſia à Legato eidem Ca- » nonico non potuerit conferri, ipſo (Archidiaco- » no) inconſulto, cùm ad eum jus præſentandi per- » tineret. Re hac intellectâ, Papa Innocentius III. » quibuſdam à ſe delegatis mandavit, ut dictum Ar- » chidiaconum compellant à moleſtando deſiſtere, » appellatione remotâ, eò quòd Prælatus in conceſ- ſione beneficiorum plus juris habeat, quàm patro- » nus in præſentatione; neque præjudicium infer- » tur patrono (Clerico, ſive Eccleſiaſtico. Gl. fin. hîc) » ſi quando ipſo inconſulto, à Legato Sedis Apoſtoli- » cæ Eccleſia aliqua concedatur. Ratio deciſionis » hujus c. indicatur in textu: nam, ſi Legatus à Latere poteſt prævenire Ordinarium collatorem, ſeu Prælatum Eccleſiaſticum in collatione beneficij, c. Si à Sede; 31. de præbend. in 6. multò magis poteſt conferre beneficium, inconſulto patrono, cùm per collationem, ſeu inſtitutionem Prælati plus juris conferatur proviſo, quàm per præſentationem patroni: tum quia per illam confertur jus reale in beneficio: per præſentationem verò acquiritur præſentato ſolùm jus ad rem, ſive actio perſonalis contra Epiſcopum, ut ipſum inſtituat, ſi idoneus ſit, c. Paſtoralis; 29. de jure patronat. adeóque per præſentationem longè minùs juris tribuitur inſtituendo, quàm per collationem, ſeu inſtitutionem. Gloſſ. hîc V. Plus juris; junct. Gloſſ. marg. lit. c. Innocent. ibid. V. In conceſſione; & Abb. num. 3. tum quia Prælato competit jus conferendi de jure, ratione officij, vel dignitatis ſuæ; patrono verò jus patronatûs ex gratiâ conceſsâ ab Eccleſia. Hoſtienſ. hîc V. Plus juris. Præterquam, quòd, tametſi Legatus in aliquo caſu beneficium conferat, ſinè conſenſu patroni; non tamen ipſi jus præſentandi aufertur, cùm in alijs caſibus, ſive aliâ vice, ſeu proximâ vacatione beneficij præſentare poſſit. Gloſſ. fin. hîc, & Hoſtienſ. in fine.

XXI. Ubi tamen notandum, aliud eſſe dicendum de beneficijs, quorum præſentatio ſpectat ad patronum laicum, ratione fundationis, dotationis, vel ædificationis Eccleſiæ: vel ad patronum Eccleſiaſticum, ſive Clericum, ſi ipſi ex bonis patrimonialibus jus patronatûs acquiſitum ſit: nam tunc Legatus Pontificius, etiam à Latere, non poteſt conferre hujuſmodi beneficia, ſinè conſenſu patroni, nec derogare juri patronatûs Laicorum, c. Cùm dilectus; 28. de jure patron. quia nec Papa huic juri unquam derogare cenſetur, niſi id exprimat, ne Laici à fundandis, & ædificandis Eccleſijs avertantur. Abb. in cit. c. Dilectus; num. 4. h. t. Azor p. 2. l. 5. c. 28. quæſt. 2. Garc. cit. c. 3. num. 63. ita, ut proviſio facta à Legato, ſinè conſenſu Patroni Laici, ſit nulla. Garc. c. l. num. 64. Si verò ex præſcriptione, conſuetudine, aut ſpeciali privilegio, jus præſentandi ad beneficia Laico competat, quæ ſecundùm originem ſuam, ſunt patronatûs Eccleſiaſtici, ei derogari poteſt; & conſequenter etiam Legatus à Latere hujuſmodi beneficia, inconſulto patrono, conferre poteſt, tunc enim ceſſat prædicta ratio. Azor c. l. Garc. num. 72. Quòd ſi jus præſentandi ad beneficia ſimul ſpectat ad patronum Laicum, & Eccleſiaſticum, non poterit ei derogari à Legato à Latere, conferendo ejuſmodi beneficia, quia cenſebitur potiùs jus patronatûs Laici, quàm Eccleſiaſtici, arg. l. Si communem; 10. ff. quemadm. ſervit. amitt. ubi major retinet ſervitutem ex perſonâ minoris. Abb. c. l. n. 5. alioqui enim, ſi tale jus patronatûs non cenſeretur ſeculare, facilè Laici à fundandis, aut ædificandis Eccleſijs retraherentur. Azor c. l. §. Sed quid dicendum. Garc. c. l. n. 67.

XXII. Extenditut 2. prædicta poteſtas, quòd Legarus à Latere poſſit etiam conferre illa beneficia, quorum collatio, proptet inferiorum collatorum, vel eligentium negligentiam, ad Papam eſt devoluta, quippe cujus vices in Provincia gerit, c. pen. de præbend. Gl. fin. communiter tecepta in c. 1. h. t. in 6. Garc. cit, c. 3. num. 21. & quia à tali Legato tanquam Apoſtolicam auctoritatem habente non fit devolutio ad Papam, ideo non currit illi tempus ſemeſtre ſub pœna privationis pro ea vice conſtitutum à Concilio Lateranenſi, in c. 2. de conceſſ. præhend. Garc. cit. c. 3. n. 22. Non autem poteſt Legatus, etiam à Latere, conferre beneficia devoluta ad Epiſcopum, propter negligentiam Prælatorum Regularium exemptorum, quæ Epiſcopus confert auctoritate Apoſtolicâ, juxta Clement. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. quia Epiſcopus illa confert, ut delegatus Papæ, ideóque in eorum collatione non poteſt ſe Legatus generalis ingerere, c. 2. h. t. etſi poſſit Legatus conferre illa beneficia, ante devolutionem factam ad Epiſcopum, & poſt devolutionem ab Epiſcopo, propter ejus negligentiam, factam ad Papam. Garc. cit. c. 3. n. 32. & duobus ſeqq. nam, cùm habeat juriſdictionem in exemptos, ut infrà dicetur, poteſt etiam conferre beneficia ad eorum collationem ſpectantia, quamvis etiam ipſa beneficia ſint exempta. Garc. c. l. o. 19. & 20.

XXIII. Extendirur 3. Quòd Legatus à Latere poteſt, non tantùm conferre beneficia vacantia, ſed etiam ſuæ collationi reſervata beneficia nondum vacantia, ſed proximè vacatura, etiam in favorem certæ perſonæ, cum limitatione tamen præſcriptâ in c. » Præſenti; 3. h. t. in 6. Ubi Papa Bonifacius VIII. » declarat, reſervationes quorumcunque beneficio» rum ab Apoſtolicæ Sedis Legato (à Latere) auctori» tate ſuæ Legationis factas, & decreta ſuper ipſis im» poſita, nec non denunciationes, inhibitiones, & » proceſſus quoslibet, per eum, vel per executores ab » eo deputatos factos, eo ipſo, quòd illius legatio fi» nitur, invalidos eſſe, dummodo ad collationem eo» rundem beneficiorum jam vacantium non ſit pro» ceſſum; nec eoſdem executores poſſe deinceps be» neficia ſic reſervata conferre. V. g. ſi Legatus à Latere in Eccleſia aliqua Provinciæ ſibi commiſſæ, reſervet beneficium proximè vacaturum, in favorem certæ perſonæ, datis executoribus ad ei providendum, ſed poſtea legatio ejus finiatur (nempe per mortem, vel revocationem illius, vel per egreſſum è Provincia, & reditum in Urbem, vel alio modo) tum, ſi beneficium jam vacans nondum per executorem collatum ſit, reſervatio, & omnis proceſſus ſuper beneficio factus, irritus eſt, nec executor poteſt illud conferre ei, in cujus favorem eſt reſervatum. Gl. hîc in caſu. Ratio eſt, quia finito officio legationis, velut principali, extinguitur jus, ac poteſtas conferendi beneficia, ac proinde etiam ipſa reſervatio, & proceſſus, aliáque omnia velut acceſſoria. Gl. margin. hîc, & Ancharan. not. 2. Nec obſtat, quòd, ſi Legarus cauſam alteri deleget, hujus juriſdictio perpetuetur per ſolam citationem à delegato factam, ita, ut duret, etiam poſt finitum officium Legationis: ergo ſimiliter proceſſus executoris perpetuatur, poſtquam in cauſa procedere cœpit, per citationem, aut alium actum judicialem, ita, ut teneat etiam poſt finitam legationem. Sed negatur conſeq. quia reſervationes beneficiorum ſunt odioſæ; nam per illas via aperitur ad beneficia vacatura, & gravantur Eccleſiæ, & Ordinarijs Collatoribus præjudicium infertur, ideóque ſunt reſtringendæ. Gloſſ. hîc V. Finitur Legatio. Quòd ſi Legatus Papæ, ex ſpeciali ejus mandato, reſervet beneficium vacans, vel proximè vacaturum, in favorem certæ perſonæ, poteſt executor, ſi in negotio progredi cœpit, citando v. g. partes, etiam poſt finitum legationis officium, illud eidem conferre. Durand. in ſpec. tit. de Legato; §. Nunc tractemus; n. 14.

Porrò Legatus, etiam de Latere, non poteſt beneficium nondum vacans ita reſervare in favorem certæ perſonæ, ut jus ei tribuatur ad beneficium vacaturum, quia per tale jus exſpectativæ daretur occaſio deſiderandi, & captandi mortem alterius, quod eſt prohibitum in c. 2. de conceſſ. præb. idcóque non obſtante tali reſervatione, Legatus voluntatem mutare, & alteri beneficium reſervatum conferre poteſt: ad ſolum enim Papam ſpectat dare jus ad beneficia vacatura. Azor p. 2. l. 5. c. 29. q. 1. 2. & 3. Garc. cit. c. 3. n. 38.

XXIV. Præterea in cit. c. Præſenti; §. Cæterùm; h. t. in 6. prohibet idem Pontifex, ne, poſt» quam Legatus in Eccleſia aliqua Cathedrali, vel Col» legiata, beneficium vacaturum ſuæ collationi reſer» vavit, illâ pendente (hoc eſt, quàm diu beneficium » non eſt collatum) aliam in eadem Eccleſia reſerva» tionem faciat. Neque etiam poſtquam ex alijs be» neficijs ad cujuſcunque collationem ſpectantibus, » aliquod ſibi reſervavit, eâ reſervatione adhuc pen» dente, aliud beneficium, quod ad ejuſdem colla» tionem pertinet, ſibi reſervet. Quidquid autem » contra prædicta attentatum fuerit, eo ipſo ſit ir» ritum. »

Ex quo patet, quòd, poſtquam prima reſervatio beneficij proximè vacaturi à Legato facta eſt finita, ſeu effectum ſortita, quia ſcilicet beneficium collatum eſt ei, in cujus gratiam eſt reſervatum; tum poteſt Legatus aliam reſervationem facere, factâ mentione primæ, aliàs ſecunda reſervatio non ſubſiſteret: quia veriſimile eſt, Legatum non velle Ordinarium Collatorem duplici reſervatione gravare, cùm Legatus facilè adjicere poſſit in litteris, ſeu mandato de providendo, clauſulam, *non obſtante, quòd pro alio ſcripſerimus:* ſecùs eſt, ſi conferat beneficium jam vacans, tum enim non eſt neceſſe facere mentionem de prima reſervatione. Franc. in cit. c. 3. §. Cæterùm; num. 3. Azor cit. c. 29. q. 1. Si verò reſervatio effectum non fuit ſortita, quia collatio beneficij vacantis facta non fuit, tum finitâ legatione, exſpirat quoque reſervatio, ita, ut ea, & omnis proceſſus ſuper beneficio irritus cenſeri debeat, cit. c. Præſenti; & ibi Gloſſ. V. Ad collationem. Quòd ſi Legatus contulit alicui Canonicatum, ſed præbendam vacaturam ſibi reſervavit, dato executore, illa, finitâ legatione, ab executore conferri poterit. Gloſſ. margin. hîc in cit. §. Cæterum, quia Canonico de jure debetur præbenda, c. Relatum; 9. et c. Dilectus; 19. de præbend.

XXV. Limitatur autem prædicta poteſtas Legati à Latere circa conferenda beneficia 1. Quòd » non poſſit conferre, aut collationi ſuæ reſervare Ec» cleſias

» cleſias Catbedrales, Regulares, aut Collegiatas, vel
» etiam dignitates, quæ in Cathedralibus, poſt Epi-
» ſcopatum, majores ſunt, & per electionem Capitu-
» larem conſernntur: has enim Legatns ſuæ ordina-
» tioni, collationi, proviſioni, aut diſpoſitioni re-
» ſervare, aut ſe immiſcere, vel Electores impedire
» non poteſt, quò minùs liberè, cùm vacabunt, eli-
» gere, vel pnſtulare poſſint: & quidquid contra a-
» ctnm fuerit, eo ipſo irritum ſit, & inane, pront
ſtatutum habetur in c. Deliberatione; 4. in princ. h. t. in 6. Ratio eſt, quia id cederet in præjudicinm Electorum, quorum juri nec ipſe Papa facilè derogare ſolet, ſed liberam eis eligendi poteſtatem relinquere, arg. c. Cùm in illis; 16. §. Illis verò; de præbend. in 6.

An verò Legatus poſſit conſerre Eccleſias Collegiatas, vel Regulares, quæ electivæ non ſunt, ſeu per electionem non conferuntur, dubium eſt inter DD. Negat Gloſſ. hìc V. Electionis; quia non poteſt conſerre Eccleſias Catbedrales, quæ electivæ non ſunt, ergo nec Collegiatas, vel Regulares, & indiſtinctè dicitur in hoc c. hujuſmodi Eccleſias Legatum conſerre non poſſe, ſive ſint electivæ, ſive non; nam de ſolis dignitatibns principalibns, ſive majoribus, poſt Pontificalem Eccleſiarum Cathedralium, quales apud nos ſunt Præpoſituræ, additnt, eas conferri non poſſe à Legato, ſi per viam electionis conferantur. Er hæc ſententia videtur, ſpectato juris rigore, verior. Contrarium tamen tenet Azor cit. l. 5. c. 28. q. 16. in fine, qui ait, ſolùm ibi prohiberi, ne à Legato conſerantur hujnſmodi Eccleſiæ non electivæ: Eccleſias verò Cathedrales, etſi electivæ non ſint, eſſe reſervatas ſoli Papæ, c. 2. de translat. Epiſc. ideóque à Legato conferri non poſſe, ut mox dicetur.

Limitatur 2. Non poteſt Legatus conferre beneficia à S. Pontifice ſuæ collationi reſervata, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, abſque ſpeciali ejus mandato, nam in reſervatis Sedi Apoſtolicæ Legatus ſe immiſcere non poteſt, c. Quod translationem; 4. h. t. Azor cit. c. 28. q. 15. Garc. p. 5. c. 3. n. 53. & 54. nec beneficia vacantia in Curia, ut colligitur ex c. 2. de præbend. in 6. Garc. c. l. n. 55. nec poteſt etiam Legatus Papæ conferre beneficia litigioſa, arg. c. 1. & 2. Ut lite pendente, quæ non ab alijs, quàm à Papa conferri poſſunt. Garc. cit. c. 3. n. 56.

Limitatur 3. Sicut æquius, ita & probabilius eſt, Legatum à Latere nó poſſe conferre beneficia intra ſex menſes alternos aſſignatos per Concordata Germaniæ Ordinarijs Collatoribus, eos præveniendo, quia hæc Concordata Nicolai V. cum Natione Germanica babent rationem pacti, cui nec Summus Pontiſex derogare ſolet, qnamvìs abſolutè ex plenitudine ſuæ poteſtatis poſſit. Laym. in c. Dilectus; 6. num. 2. b. t. licèt contrarium teneat Garc. cit. c. 3. num. 42.

XXVI. Præterea in cit. c. Deliberatione; 4. §.
» Probibemus; b. t. in 6. inſuper prohibetur, ne Le-
» gatus (à Latere) in genere, vel in ſpecie concedat a-
» licui poteſtatem, ut beneficiorum reſignatione ac-
» ceptâ ab ijs, qni beneficia intra legationem ejuſ-
» dem obtinent, ea perſonis idoneis valeat conferre,
» ne via illicita aperiatur ad beneficia vacatura, con-
» tra probibitionem Concilij Lateranenſ. in c. 2. de
conceſſ. præbend. alioquin irritum ſit, quidquid »
contra hoc fuerit attentatum. Additur in cit. §. »
Prohibemus; in fine, quòd hæc Conſtitutio pro- »
bibitoria, non ſolùm ad futura, ſed etiam ad »
præterita, & adhuc pendentia negotia exten- »
datur. »

Ubi notandum 1. Quamvìs Legatus non poſſit dare alicui poteſtatem recipiendi reſignationem alicujus beneficij, & ſimul ei committere collationem ejuſdem, ut dictum, poteſt tamen committere ſucceſſivè. Gloſſ. hìc in caſu. Quare non prohibetur Legatus alicui committere, ut recipiat reſignationem beneficij, & poſtquam reſignatio admiſſa eſt, eidem, vel alteri committere, ut illud beneficium perſonæ idoneæ conferat, ut docet Gloſſ. communiter recepta hìc V. Cuicunque, ubi notat, eſſe hunc caſum ſpecialem, in quo poteſt quis per ſe, quod non poteſt per alium. Sic licèt Epiſcopns poſſit generaliter dare poteſtatem Officiali, vel Vicario ſuo conferendi beneficia vacatura, non tamen poteſt ſpecialiter alicui committere, ut conſerat certum beneſcium nondum vacans, ſive cùm vacaverit, c. Conſtitutus; 11. de conceſſ. præb. Franc. hìc n. 2. in fine.

Notandum 2; Legatus non poteſt committere alicui facultatem recipiendi reſignationem beneficij ſiti in Diœceſi, extra Provinciam Legationis ſuæ, ut colligitur ex cit. c. §. Probibemus; ibi: *Beneficia intra legationem ejuſdem habentes*, ob defectum poteſtatis, cùm tale beneficium non ſit ſub juriſdictione illius. Rebuff. in praxi benefic. tit. forma Vicariatûs; num. 109. Bathoſ. in Collect. in cit. §. Prohibemus; n. 4. Poteſt tamen Legatus à Latere reſignationes beneficiorum liberas, & abſolutas recipere, ut colligitur ex c. Si Abbatem; 36. de elect. in 6. quin & eas, quæ fiunt ex cauſa permutationis, non tamen illas, quæ fiunt ſub conditione, aut in favorem certæ perſonæ, ut ex communi docet Pariſ. lib. 2. de reſignat. benef. q. 13. & dictum ſupr. tit. 9. num. 77.

XXVII. Prædictis addendum, ſi Legatus Sedis »
Apoſtolicæ (Cardinalis, ſive à Latere, quia alius ju- »
re legationis beneficia conferre non poteſt) haben- »
ti unum beneficium conferat aliud, non factâ men- »
tione de alio beneficio priùs obtento, impetratio, »
& collatio beneficij irrita eſt, prout ſtatuitur in c. »
Collatio; 5, & ult. h. t. in 6. & in Clement. 2. de offic. jud. Ordin. Secus eſt in alijs inferioribus Collatoribus Ordinarijs, qui ſi beneficia conferunt, non requiritur, ut in impetratione beneficij priùs obtenti mentio fiat, cit. Clement. 2. in fine: quamquàm utrumque retineri non poſſit, ſed prius dimitti debeat, ſi ſit incompatibile cum ſecundo. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Mentio; h. t. in 6. Gloſſ. in cit. Clement. 2. in caſu. Ratio diſparitatis inter Legatum Papæ, & alios Collatores Ordinarios eſt; tum quia poteſtas conferendi beneficia Legatis à Latere conceſſa, eſt quaſi extraordinaria, & ſuperinducta, & alijs Collatoribus præjudicans, ideóque reſtringenda; aliorum verò Ordinariorum collatio, cùm ſit quaſi naturalis, & ſavorabilis, eſt amplianda. Gloſſ. in cit. Clement. 2. V. Nolumus; tum quia, ſicut collatio Papæ ſubreptitiè impetrata cenſetur, ſi prioris beneficij etiam modici mentio non fiat, quia is plerumque ignorat, quæ quiſque Clericus beneficia obtineat;

neat: ita, & collatio beneficij à Legato à Latere impetrata, ob prioris beneficij taciturnitatem, ſubreptitia cenſenda eſt, quia, cùm is Apoſtolicâ auctoritate conferat, ejus collatio imitatur collationem Papæ; nam & Legatus plerumque non plenè novit qualitatem beneficiorum ſuæ Provinciæ: ſecus eſt de alijs inferioribus Ordinarijs, quibus, cùm ſæpius viſitare debeant ſuos ſubditos, ferè ſemper notum eſt, qualia beneficia ſinguli Clerici ſuæ Diœceſis poſſideant, ideóque collatio beneficiorum ab ipſis impetrata, tacito priore beneficio, non vitiatur. Azor cit. c. 28. q. 23.

Excipitur, ſi Legatus à Latere, motu proprio, conferat beneficium ſecundum, non factâ mentione primi, ſed clauſulâ illâ in litteris collationis expreſſâ; tum enim probabiliter valida eſt collatio, ſicut etiam valida eſt eo caſu collatio Papæ, c. Si motu; 23. de præbend. in 6. dummodo beneficia non ſint incompatibilia; tum enim, obtento ſecundo, ipſo jure vacat primum, c. De multa; 28. de præbend. ſicut enim, ſi Ordinarius habenti beneficium conferat aliud non incompatibile, tacito priore, tenet collatio; ita etiam idem dicendum de Legato Papæ, qui non debet eſſe deterioris conditionis, quàm alius Ordinarius inferior, præſertim quia, quando collatio beneficij facta eſt, motu propriu, is, cui ea facta aſt, non impetravit beneficium, adeóque in nullo peccavit, ſed hoc ſponte ei collatum fuit. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Mentio; h. t. in 6. & in cit. Clement. 2. V. Facta; & Laym. in cit. c. ult. & Barb. ibid. n. 6. contra Jo. Monach. & Lap. hîc n. 6. Nec obſtat, quòd in cit. c. Si motu; ſermo ſit de Papa; non enim ibi Legatus illius excluditur, qui ſimiliter per clauſulam, *motu proprio*, declarare poteſt ſuam voluntatem conferendi beneficium ei, qui aliud obtinet. Barb. c. l. Quod autem hîc dictum eſt de Legatis à Latere, etiam procedit de alijs Legatis, ſi ex ſpeciali commiſſione, aut privilegio Papæ beneficia conferre poſſint. Gloſſ. in cit. Clement. 2. V. Nolumus.

XXVIII. Aſſertio 3. Legatus à Latere, vel qui cum poteſtate Legati à Latere miſſus eſt, etſi Cardinalis non ſit, à die egreſſûs ſui ex Urbe, uſque ad diem reditûs in Urbem, poteſt abſolvere quoſcunque Clericorum, aut Eccleſiaſticarum perſonarum percuſſores ab excommunicatione contractâ, etiam propter percuſſionem enormem: ſive illi ſint de Provincia, ad quam miſſus eſt Legatus, adeóque ſubditi, ſive de alia, & extranei, etiam poſt legationem finitam, dummodo à Summo Pontifice non ſit revocatus, ut colligitur ex c. Excommunicatis; 9. per ſenſum contrarium, & ex c. Quòd tranſlationem; 4. h. t. & tradit Gl. communiter recepta in cit. c. Excommunicatis; pen. h. t. & ibid. Abb. n. 3. & Imol. n. 2. Molin. tr. 5. de juſtit. d. 9. n. 4. §. Secundum eſt. Idque introductum eſt, tum ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, cujus vices gerunt tales Legati: tum in favorem animarum, ut periculum moræ vitetur. Gl. in cit. c. pen. V. Mittuntur, Hoſtienſ. ibid. V. De Ipſius Latere. Non tamen poteſt ab alijs excomunicationibus Papæ reſervatis Legatus, etiam à Latere, abſolvere, ſinè ſpeciali conceſſione, ſeu mandato, quia in iſtis exorbitantibus, & probibitis non debet fieri extenſio de caſu ad caſum non expreſſum. Abb. in cit. c. pen. num. 4. Molin. c. l. n. 4. §. Quamvis autem; & patet ex ſuprà dictis n. 7.

XXIX. Legati verò miſſi, ſeu deſtinati ad certam provinciam, quibus legationis officium, non ratione dignitatis, ſed ut privilegium perſonale ad tempus committitur, Provinciales tantùm, ſive ſubditos abſolvere poſſunt ab excomunicatione lata contra percuſſores Clericorum, dum in Provincia exiſtunt, ut colligitur per ſenſum contrarium ex cit. c. pen. & tradit Gloſſ. ibid. V. Commiſſam; & Abb. n. 4. Extra Provinciam verò ſibi commiſſam, ne quidem Provinciales, ſive ſubditus abſolvere poſſunt excomunicatos propter violentam injectionem manuum in perſonas Eccleſiaſticas: ſicut neque, dum ſunt in Provincia, extraneos, & non ſubditos, qui alibi excommunicatione contractâ ad ipſos accedunt, & veniunt in Provinciam, in qua ſunt Legati, prout expreſſè habetur in cit. c. pen. in princ. h. t. quia nulla eſt hujuſmodi Legatis conceſſa poteſtas, vi legationis ſuæ, extra illam Provinciam, ad quam ſunt deſtinati, ſed limitatè ad Provinciam, niſi eis amplior poteſtas ſpecialiter data fuerit. Gl. ibid. V. Commiſſam. At verò, ſi ſubditus, ſeu Provincialis, extra Provinciam Legato commiſſam, contrahat excommunicationem, ob enormem percuſſionem Eccleſiaſticæ perſonæ, & poſtea ad Provinciam redeat, probabilius eſt, poſſe eum à Legato abſolvi. Abb. in cit. c. pen. n. 6. quia ſicuti Judex ordinarius punire poteſt ſubditos extra territorium delinquentes, arg. c. Cùm contingat; 13. de foro compet. ita & abſolvere: ſicut etiam Parochus abſolvere poteſt Parochianum ſibi ſubditum à delicto extra Parochiam commiſſo. Quare cùm in hoc c. dicitur, *ſi hujuſmodi manuum injectores illuc* (ſcil. in Provinciã) *contingat aliunde accedere*, id intelligendum eſt de non ſubditis accedentibus ad Provinciam, quòd non poſſint à Legato abſolvi ab excommunicatione alibi contracta, ut explicat Abb. c. l. licèt contrariũ teneat Hoſtienſ. in ſum. n. 5. h. t. Nam cùm in hoc c. à Papa concedatur beneficium Legatis miſſis; qui non ſunt de Latere, oportet id latè interpretari, juxta l. fin. ff. de conſtit. Princ. et c. Olim; 16. de verb. ſignif. Imò etiam peregrini, & aliunde adventantes, ſi in Provinciâ Legato commiſſâ cenſuram Canonis contraxerunt, ab eadem abſolvi poſſunt per Legatum. Abb. in cit. c. pen. n. 7. h. t. quia licèt domicilium in Provincia non habeant, adeóq; ſtrictè Provinciales non ſint dicendi, juxta l. Provinciales; 190. ff. de verb. oblig. ſunt tamen ſubditi facti, ratione delicti in Provincia commiſſi, juxta c. ult. de foro compet. ideóque in materia hac favorabili, latè loquendo, Provinciales dici poſſunt.

Sed neque Legatus non à Latere ſubditos alterius Provinciæ, ſive extraneos abſolvere poteſt, cum conſenſu proprij Ordinarij eorum, quia poteſtas, ſive juriſdictio conceſſa alicui ex privilegio cum limitatione, ut exerceatur in certo loco, etiam in ſubditos non poteſt exerceri in alio loco, licèt Dominus, ſive Judex territorij conſentiat: ſecus, ſi juriſdictio alicui competat de Jure communi. Abb. in cit. c. pen. n. 5. Verùm Laym. ibid. dub. 3. putat, eſſe diſtinguendum, utrùm poteſtas ſit reſtrictè conceſſa in favorem Ordinariorum; & tum probabiliter hi poſſunt illam prorogare, ſive extendere: an verò poteſtas ſit reſtricta in favorem publicum, vel in favorem ipſius Principis, qui privilegium conceſſit; & tum Ordinarij inferiores eam prorogare, ſeu extendere non poſſunt: ut in caſu pro-

propoſito, cùm ipſi Epiſcopi ab excommunicatione Canonis abſolvere nequeant,conſequenter nec ad alios poſſunt poteſtatem hanc extendere,quia,qui privilegium dare non poteſt,neque extendere poteſt.

„ XXX. Denique Legati nati,ſeu quibus munus
„ LegationisApoſtolicæ,ratione dignitatis ſuæ,com-
„ petit,ij,quamvìs inProvincia ſua exiſtentes, neque
„ Provinciales ſubditos à prædictâ excomunicatione
„ abſolvere poſſunt: niſi talis facultas illis (ſcilicet
„ Legatis miſſis,ſed qui non ſunt deLatere,de quibus
„ in princ.hujus c.agitur)& iſtis(nempe qui non mit-
„ tuntur,nec ſunt de Latere,ſedLegati nati)ex ſpecia-
„ li gratiâ à SedeApoſtolica ſit conceſſa, prout habe-

tur ſtatutum in cit. c. pen. in fine h.t. Rationem datAbb. ibid.num.7.quia,ſi iſti Legati nati, cùm ſint perpetui, ſicut ipſa dignitas, cui officium Legationis cohæret,eſt perpetua,poſſent,ob percuſſionemClerici excomunicatos,abſolvere, hi nunquam deberent pro abſolutione petenda adire Papam, cùm haberent præſentem Superiorem, ſeu Prælatum,qui eos abſolvere poſſet,videlicetLegatum natum; & ſicClerici illiusProvinciæ perderent privilegiũ Canonis: Si quis ſuadente; cauſ. 17. q. 4. vi cujus percuſſores illorum non poſſunt à cenſura abſolvi,niſi per Papam.

XXXI. Aſſertio 4. Ad ſpecialem poteſtatem Legati àLatere etiam pertinet, quòd ex officio ſuo confirmare poſſit Archiepiſcoporum , Epiſcoporum, & exemptorumPrælatorum electiones, quod alijLegati,ſeu Nuncij non àLatere,ſinè ſpeciali commiſſione, agere non poſſunt,c.Si Abbatem; 36.§.Hujuſmodi;de elect.in 6.& dictum ſupr.tit.6.n.309. Imò univerſim loquendo, tales Legati habent juriſdictionem in exemptos,& Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos, exceptis caſibus ſpecialiter eidem Sedi reſervatis: non obſtantibus exemptorum privilegijs, quia per illa eximuntur ſolùm à juriſdictione Epiſcoporũ, in quorumDiœceſi verſantur, nõ item à juriſdictione ipſius Papæ,velLegatorum,qui ſunt à Latere ipſius.Gl.in c. 1.V.Univerſas; h.t.& ibid.Abb.n.8. Alij verò Legati nullam in exemptos,ex vi legationis ſuæ,juriſdictionem habent,ut colligitur ex c.1.deVerb.ſignific.in6. & ex cit. §.Hujuſmodi. Quare exempti,niſi velint, compelli non poſſunt ad litigandum corã alijs Legatis.Molin.cit.diſ.9.n.10. Cæterùm nequeLegatus à Latere poteſt Eccleſiam Epiſcopo ſubjectam ab ejus juribus omnino eximere. Abb. in c. fin. n.1. de confirm. util. ſed ſolus Papa hoc poteſt, per plenitudinem poteſtatis, quia ſolius Principis eſt jus ſuum uni auferre, & alteri dare.Clement.2.junct.Gl.V.Sedis Apoſtolicæ de relig. domib. Abb.c.l.

§. IV.

Quando, & quo loco Legatus Sedis Apoſtolicæ exercere poßit ſuam iuriſdictionem?

XXXII. Aſſertio 1. Legatus Pontificius,cùm primùmUrbe egreſſus eſt,gerit dignitatem, & poteſtatem velut in habitu,ideòq; in acceſſu ad Provinciam, ad quam eſt deſtinatus,legationisInſignia geſtare poteſt, arg.l.1.ff.de offic.Proconſ.ubi id de Proconſule ſtatutum eſt: cujuſmodi Inſignia Legati Apoſtolici ſunt equus albus, veſtes rubræ, frænum, & calcaria deaurata,ut tradit Azor p.2.lib.5.c.33.in 4. privilegio. Non tamen actu exercere poteſt juriſdictionem, ſaltem contentioſam, ante ingreſſum inProvinciam; etſi ob neceſſitatem, quia v.g. infirmitate impeditus procedere non valet,alteri cauſas judiciales committere poſſit,ab illo cognoſcendas, ante ingreſſumLegati in Provinciam, quia delegatio non requirit cauſæ cognitionem, arg. l. Aliquando; 5.ff.de offic.Proconſ. ubi id deProconſule habetur.Gl.in cit.c.Novit; 7.V.Terminos; h.t.hodie tamen abſolutè,tametſiLegatus impeditus non ſit,extra Provinciam delegare poteſt. Hoſtienſ. in ſumma n.4. h.t.

XXXIII. Aſſertio 2. Quamvìs LegatusPontificius,dum extra fines legationis , ſive Provincias ſibi comiſſas exiſtit, non poſſit exercere juriſdictionem contentioſam,prout idem ſtatutum habetur in Jure civili deProconſule l.1.ff.eod.ubi dicitur,poteſtatem non exercet, niſi in ea Provincia ſola, quæ ei decreta eſt; cuiLegatus,ſicut & PræſidiProvinciæ, æquiparatur,c.2.h.t.in6. poteſt tamen voluntariam exercere, ſicut alij Ordinarij,extra Diœceſin, vel Provinciam ſuam exiſtentes, videlicet diſpenſando,abſolvendo à peccatis, & cenſuris,legitimando,beneficia,&gratias conferendo&c.arg.l.2.ff.dicto tit.ubi dicitur, omnes Proconſules ſtatim,quàm Urbem egreſſi fuerint, habent juriſdictionem, non contentioſam, ſed voluntariam,ut manumittendo. Gloſſ. in cit.c.Novit; V. Terminos;h.t.& ibid.Abb.n.3. Ratio diverſitatis eſt, quia juriſdictio contentioſa non poteſt exerceri, ſinè cauſæ cognitione,& ſtrepitu judicij , ideòq, in alieno territorio exerceri non poteſt , niſi ordinarius Judex loci conſentiat; nam, ſi quis, cum conſenſu proprij judicis, poteſt judicare ſubditum alienum,extra territorium proprium,c.Nullus;3.cauſ.9.q.2 multò magis poterit judicare ſubditum proprium , extra territorium ſuum,ſed cum conſenſu Judicis loci: modò etiam partes conſentiant,quæ invitæ trahi nõ poſſunt, extra territorium ſuum. Abb.in cit.c.Novit;n.4. At verò ad exercitium juriſdictionis voluntariæ nullus proceſſus judicij,vel cauſæ cognitio eſt neceſſaria, ideóq; impunè etiam,extra territoriũ proprium,exerceri poteſt,ut infrà dicetur,ut ſi v.g.cauſa excomunicationis inferendæ ſit notoria,ideòque nullam cauſæ cognitionem requirat,poterit Epiſcopus extra ſuum Epiſcopatum exiſtens excommunicare ſuum ſubditum. Navarr. in Man. Prælat. c.27. n. 6.

XXXIV. Aſſertio 3. Si Legatus Sedis Apoſtolicæ ad plures,& diverſas Provincias deſtinatus ſit, poteſt in una earum exiſtens, juriſdictionem, non ſolùm voluntariam, ſed etiam contentioſam exercere erga alios Provinciales ſibi à Papa ſubjectos exiſtentes in aliaProvincia, cognoſcendo etiam cauſas aliarũ Provinciarum, in quibus ipſe non exiſtit, ut conſtat ex c. Novit; 7.h.t. Ubi habetur,quòd PapaInnocentius „
III. mandavit Legato à ſe miſſo in plures Provin- „
cias,ut RegnumGalliæ interdictoEccleſiaſtico ſub- „
jiceret,quod & fecit. Sed Rex Francorum,cùm ipſi „
Legatus eſſet ob certam cauſam ſuſpectus,oppoſuit, „
quòd is ſententiã interdicti extra finesRegni Fran- „
ciæ promulgavit,adeòque illam eſſe irritam. Sed „
Papa reſpondit,etſiLegatus finesRegniFranciæ exi- „
erit, non tamen terminos ſuæ legationis eſſe egreſ- „
ſum, cùm miſſus fuerit, ut non tantùm in Regno „
Franciæ , ſed etiam Viennenſi , Lugdunenſi. & „
Biſun-

„ Biſuntina Provincijs, legationis officium exerceret. Ratio deciſionis eſt, quia, ſicut Epiſcopus in qualibet parte ſuæ Diœceſis poteſt ſedere pro tribunali, & juriſdictionem ſuam exercere erga quoslibet Diœceſanos, ſeu ſubditos, c. Cùm Epiſcopus; 7. de offic. Ordin. in 6. & S. Pontifex in quacunque parte Orbis terrarum exiſtens poteſt erga quoslibet Chriſtianos exercere juriſdictionem; ita & Legatus Papæ in quocunq; loco ſuæ Provinciæ, aut Provinciarum ſuarum, erga quoslibet provinciales ſibi ſubditos juriſdictionem exercere poterit, ſive voluntariam, ſive etiam contentioſam, expediendo in uno loco cauſas alterius Provinciæ ſibi quoque commiſſæ, & reliqua, quæ ad ſuum munus ſpectant, quia juriſdictionem ordinariam habet in tota Provincia, vel omnibus Provincijs ſibi commiſſis. Molin. tract. 5. diſ. 9. n. 8.

Porrò Legatus, qui deputatus eſt ad plures Provincias, non debet partes extra ſuam Provinciam, in qua verſantur, trahere, quod jura vetant, c. Neminem; 36. cauſ. 3. q. 6, ne ſumptibus graventur, nam poteſt cauſam alteri delegare, vel etiam loco ſui Vicarium conſtituere, ſicut Epiſcopus. Abb. in cit. c. Novit; n. 2. quemadmodum etiam Proconſules, & Præſides Provinciarum olim Vicarios conſtituere poterant, ut paret ex tit. ff. de offic. Proconſ.

Illud hîc addendum, quòd Legati Sedis Apoſtolicæ ingreſſi Provincias, ad quas miſſi ſunt, ab omnibus excipiendi ſunt, non obſtante quâvis contrariâ conſuetudine, quippe qui vices Papæ gerunt, & ſupplent in partibus remotis, cùm ipſemet perſonaliter in ſingulas Regiones venire non poſſit, ut conſtat ex Extravag. unic. de conſuet. inter communes, de quo plura ſuprà tit. 4. n. ult.

§. V.

Quibus modis finiatur officium, ſeu poteſtas Legati Apoſtolici?

XXXV. Aſſertio 1. Legati Papæ juriſdictio, ſeu poteſtas quatuor potiſſimùm modis finitur, ut tradit Gl. in c. Præſenti; 3. V. Finitur Legatio; h. t. in 6. Hoſtienſ. in ſumm. §. ult. eodem. Durand. in ſpec. tit. de Legato; §. ult. Molin. cit. diſ. 9. num. ult. & alij DD. communiter. Nam inprimis, ſi ad certum tempus datus ſit Legatus, eo elapſo, ipſius juriſdictio exſpirat, arg. c. De cauſis, 4. de offic. deleg. Deinde, poſtquam Legatus cauſam aliquam dubiam ad S. Pontificem retulit, juriſdictio ejus, quoad cauſam illam, finita eſt, ita, ut illam reaſſumere, ſeu cognoſcere deinceps non poſſit, c. Licèt; 5. h. t. de quo ſupr. dictum n. 10.

XXXVI. Aſſertio 2. Præterea, ſi Legatus à Pontifice, à quo miſſus eſt, revocetur, exſpirat ejus juriſdictio. Veruntamen, ſi Papa, poſtquam Legatum ad Provinciam miſit, ac deputavit, alium ad eandem mittat, non ideo prior revocatus cenſetur, ut tradit Gl. communiter recepta in c. In Galliarum; 3. V. Prætermitti; cauſ. 25. q. 2. Abb. in c. Volentes; 8. n. 2. h. t. & ibid. Imol. n. 6. Durand. c. l. n. 7. Ratio deſumitur tum à ſimili, quia primus tutor à teſtatore datus non cenſetur eo ipſo revocatus, quòd datus eſt ſecundus; l. 2. C. de teſtam. tutel. Tum quia nihil repugnat, duos eſſe Judices ordinarios in eadem Provincia nul Superiori ſubordinatos, qui juriſdictionem ſinguli in ſolidum habeant; ſicut & duo Vicarij generales, & æquales eſſe poſſunt: ergo & duo Legati, idque, interdum neceſſarium eſſe poteſt ad cauſas citiùs expediendas, arg. l. unic. ff. de offic. Conſul. Aliud eſt in Procuratore, nam ſi detur ſecundus, eò ipſo cenſetur revocatuss primus, l. Si quis; 31. §. Julianus; ff. de procurat. et c. pen. extra. eodem. Ratio diverſitatis eſt, quia, ſi plures Procuratores dati ſint, facilè ſe mutuò impedire poſſunt, & unus ab alio diſſentire: ſed duo Legati, vel Judices ordinarii habent ſinguli juriſdictionem in ſolidum, & ſoleat plures deputari in eodem officio, ut tantò faciliùs expediantur negotia Reipubl. Abb. in cit. c. Volentes; n. 3. h. t. & cit. c. pen. n. 4. de procurat.

Porrò Sede Papali vacante, Collegium Cardinalium Legatum ordinariè revocare non poteſt, niſi ex gravi, & urgente cauſa. Gl. in c. 2. V. Declaramus; h. t. in 6. Durand. c. l. §. ult. n. 5. quia Cardinales, vacante Sede Apoſtolicâ, juriſdictionem Pontificiam non exercent. Quòd ſi Legatus nondum Provinciam ſit ingreſſus, adeóque juriſdictio non plenè ipſi acquiſita ſit, frequenter neceſſarium erit, Legatum revocari, ut à novo Pontifice, cum novis mandatis, & inſtructionibus, ad Provinciam mitti poſſit. Layman. in cit. c. 2. n. 3.

XXXVII. Non ſolùm autem, ſi Legatus ſit revocatus, ſed etiam, ſi Provinciam ſibi commiſſam ſponte egreſſus ſit, animo non redeundi ad legationem, finitur ejus juriſdictio, arg. l. 1. ff. de offic. Præſid. ubi dicitur: Præſes Provinciæ in ſuæ tantùm Provinciæ homines imperium habet; & hoc, dum in Provincia eſt; nam, ſi exceſſerit, privatus eſt. Si verò Provinciâ exceſſerit mox reverſurus, non omnino extinguitur, & amittitur, ſed tantùm interim ſuſpenditur juriſdictio cõtentioſa, non autẽ voluntaria. Gl. in cit. l. 3. V. Privatus eſt; Durand. cit. §. ult. in princ. Id autem intelligendum eſt, dummodo Legatus, cum facultate Papæ legantis, ſeu mittentis, Provinciâ excedat, alioqui enim non poteſt, propriâ auctoritate, ſe legatione abdicare. Azot cit. lib. 5. c. 32. q. 10.

XXXVIII. Aſſertio 3. Denique morte ipſius Legati extinguitur ejus juriſdictio, nam munus, & poteſtas legationis, etiam quæ ratione dignitatis, v. g. Archiepiſcopalis, cui id legationis munus eſt annexum, alicui competit, magìs perſonalis, ſeu perſonaliter data cenſeri debet, quàm realis, quia propriè ad Succeſſorem in eadem dignitate non tranſit, neque mortuo Legato, propriè vacat, ſed cum ipſa perſona omnino extinguitur, & poſtea de novo creatur, ſive Succeſſori conceditur. Abb. in c. Quoniam; 14. n. 11. de offic. deleg. Verùm morte S. Pontificis legantis non exſpirat juriſdictio Legati, ut conſtat ex c. Legatos; 2. in fine h. t. in 6. Ubi Clemens IV. declarat, com- »
miſſum à Prædeceſſore ſuo legationis officium Car- »
dinali Presbytero S. Cæciliæ per obitum ipſius Papæ »
nõ exſpiraſſe. Ratio eſt, quia Legatus Pontificius ju- »
riſdictionem ordinariam, & propriã habet, quæ in orte concedentis non extinguitur. Gl. ibid; V. Reputantes. Imò neq; juriſdictio Legati extinguitur, quamvis eâdem uti non cœperit, neq; Provinciam ſibi cõmiſſam ingreſſus fuerit, ante obitum Papæ, quia neq; alij

Judices ordinarij amittunt juriſdictionem per mortem conſtituentis, tametſi res integra ſit, ſive juriſdictione nondum uti cœperint, l. Et quia; 6. ff. de juriſd. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Declaramus. Accedit, quòd Legatus Papæ dicitur Legatus Sedis Apoſtolicæ, qoæ oou moritur, c. Si gratioſè; 5. de reſcript. in 6. ideóque nec ipſius Legati juriſdictio per obitum Papæ ceſſare debet. Gloſſ. jam cit. Et quamvìs Legatus, ante ingreſſum Provinciæ, juriſdictionem exercere non poſſit, jam tamen dignitatem, & poteſtatem Legati in habitu gerit, cùm primùm Urbe egreſſus eſt; arg. l. 1. & l. Obſervare; 4. §. fin. ff. de offic. Proconſ. ideóque eam, ſicut alij Ordinarij, non amittit, donec revocetur. Laym. io cit. c. 2. n. 1. h. t. in 6.

His adde, qoòd ei, qui ſemel fuit Legatus Sedis Apoſtolicæ, ſemper, etiam poſt depoſitũ, ſeu finitum officium, reverentia debetur, in memoriam priſtinæ dignitatis, ut notavit Durand. tit. De Legato; §. ult. n. 8.

TITVLVS XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

Poſtquam actum eſt præcedente Titulo de uno genere, ſive ſpecie Judicum ordinariorum, nempe de Legato, ſubnectitur nunc Titulus de officio Judicis ordinarii cuiuſcunque, de quo etiam extat Titulus in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus. Sumitur autem hîc officium pro juriſdictione, ſeu poteſtate Judicis ordinarii.

SECTIO I.

DE JURISDICTIONE IN genere, & de iuriſdictione, ſeu poteſtate Judicis ordinarij univerſim.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Iuriſdictio in genere?

I. Aſſertio 1. Juriſdictio geoericè, & latiſſimè ſumpta, eſt poteſtas jure publico iotroducta, cum neceſſitate juris dicendi, & æquitatis ſtatuendæ, prout definitur à Gloſſ. V. Poteſt; ff. de juriſdict. Abbate Panorm. in c. Sedem; 10. num. 5. h. t. Sylveſt. in ſumm. V. Juriſdictio; num. 1. & alij communiter. Jus dicere eſt publicâ auctoritate, in quacunque cauſa, civili, vel criminali, cognoſcendo, vel decernendo, jus & juſtitiam adminiſtrare. Hiltropius in proceſſu judiciatio p. 1. tit. 1. num. 6. Verùm hæc definitio non videtur omnem juriſdictionem comprehendere, neque enim comprehendit ſpiritualem, ſive Eccleſiaſticam, quæ non Reipublicæ auctoritate eſt iotroducta, ſed à Chriſto Eccleſiæ data: neqoe etiam omni ſeculari juriſdictioni coovenit, ut notat Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 2. o. 5. & ex diceodis patebit.

Itaqoe rectiùs defioitur Juriſdictio, quòd ſit *poteſtas alicujus auctoritatem, & eminentiam habentis ſuper alios, ſive publicam auctoritatem circa aliorum regimen, ſeu gubernationem*, prout definit Molin. c. l. n. 1. & ſequitur Laym. in concl. Canonic. de juriſdict. Ordin. concl. 1. cujuſmodi actus juriſdictionis ſunt, non ſolùm ſententiam ferre, & definire, quid jus & æquitas contineat: ſed etiam præcipere, prohibere, punire, leges ferre, in ijs diſpenſare, & univerſim omnis ille actus juriſdictioois eſſe cenſetur, qui à Superiore ex publico munere, ac poteſtate in ſubditos, ſive, quatenus publica perſona eſt, exercetur. Ex quo infertur, licèt maritus io uxorem, pater in filium fam. dominus in ſervum, Magiſter in diſcipulos, tutor in pupillum, auctoritatem, & poteſtatem habeant præcipiendi, etiam ſub culpa, & jus cujuſdã gubernationis cum modica punitione junctum; non tamen juriſdictionem propriè dictam habeot, quia ea poteſtas magìs ad Oeconomicam, ſive domeſticam, & privatam, quàm ad publicam gubernationem ſpectat, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 7. ad 2. & 3. Laym. c. l. Sumitur autem hoc loco juriſdictio, non pro actu, & exercitio juriſdictionis, ſed pro facultate, & potentia ad eum exercendum, quæ etiam poteſtas juriſdictionis appellatur, & qui illam habent, Poteſtates publicæ. Molin. c. l. n. 1.

II. Aſſertio 2. Juriſdictio variè dividitur, nam 1. Alia eſt Eccleſiaſtica, quæ circa cauſas ad Dei cultum, & ſpiritualem animarum ſalutem pertinentes, verſatur: Alia politica, ſeu civilis, quæ circa cauſas ſeculares, & profanas verſatur, & temporalem Reipubl. gubernationem proximè reſpicit. Rurſum alia eſt, quæ in foro externo exercetur; alia, quæ in foro interno, ſeu Conſcientiæ. Utraque ſubdividitur io ordinariam, & delegatam, de hac ſuprà tit. 29. dictum, de illa hoc tit. agitur.

2. Juriſdictio fori externi ſubdividitur in voluntariam, & cootentioſam. Illa non niſi inter volentes; hæc etiam in invitos exerceri poteſt. Illa etiam extra proprium territorium, validè, & plerumq; etiam licitè exercetur, ut eſt v. g. diſpenſare io votis, & juramentis cum ſubditis, legitimare, adoptare, manumittere, delegare, abſolvere à cenſuris, & peccatis, beneficia conferre, Sacramẽta adminiſtrare &c. quia, cùm ad voluntariæ juriſdictionis exercitium ſtrepitus, ſeu proceſſus judicialis noo requiratur, neq; opus ſit Judicem pro tribunali ſedere; licèt interdum aliqua extrajudicialis cauſæ cognitio requiratur, idcir-

vel exerceri poteſt in alieno territorio, abſque injuriâ Judici proprio locí illatâ, Hiltrop.c.1. n.15. & 16. quamquàm plerumque non publicè, ſed privatim tantùm actus juriſdictionis voluntariæ exerceri debent à Judice, ad vitandum ſcandalum, & confuſionẽ, ne is videatur alienam juriſdictionem iuvadere velle, ut notat Sanch.l.3. de matrim.diſ.19.n.7. Laym. l. 1. Theol.mor.tr.4.c.5.n.4. At verò juriſdictio contentioſa, extra proprium territorium, in alieno, ſine expreſſo, vel tacito conſenſu Judicis proprij loci, tum etiam ipſarum partium contendentium, exerceri nõ poteſt, cùm extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. c. 2. de Conſtit. in 6. Sanch. c.l. Ad hanc juriſdictionem pertinet, leges ferre, punire, cauſas tum civiles, tum criminales definire &c. quæ propriũ tribunal requirit, quod à partium in judicio contentione contentioſum vocatur. Laym. c.l. Hiltrop. c.l. num.17.

III. 3. Juriſdictio tum Eccleſiaſtica, tum civilis fori externi, dividitur in Imperium, & ſimplicem juriſdictionem, prout videre eſt apud Bart. in l. 3. n. 1. ff. de juriſd. Abbat. in c. Quod ſedem; 10. n. 5. & ſeqq. h.t. Durand. in ſpec. tit. de juriſd. omn. Jud. num. 10. Molin. tract. 5. de juſtit. n. 1. 2. & ſeqq. Imperium dicitur juriſdictio, quæ nobili Judicis officio exercetur: ſimplex verò Juriſdictio, quæ mercenario tantùm Judicis officio exercetur, & cui imperium non ineſt. Nam duplex eſt officium Judicis, unum per ſe ſtans, quod non deſervit, aut alligatum eſt actioni; & hoc nobile officium Judicis appellatur: alterum mercenarium, quod actioni, merè civili ſcilicet, deſervit, prout infrà tit. ſeq. magis declarabitur. Rurſus Imperium dividitur in merum, & mixtum. Merum imperium eſt juriſdictio, quæ nobili Judicis officio utilitatem publicam ſpectante exercetur, cuius actus ſunt, leges ferre, malefactores punire &c. Mixtum imperium eſt juriſdictio, quæ nobili Judicis officio privatam juriſdictionem reſpiciente exercetur. Eius actus ſunt, tutores dare, mittere in poſſeſſionem, reſtituere in integrum &c. Vel ſecundùm Durand. c.l. merum imperium eſt, ſumma quædam poteſtas, per quam ea, quæ ſunt maximæ juriſdictionis, expediuntur, ob publicam utilitatem. Mixtum verò eſt, quædam poteſtas media, per quam ea, quæ ſunt mediæ juriſdictionis expediuntur.

Utrumque Imperium in plures gradus ſubdividitur. Et quidem meri Imperij primus gradus eſt, qui maximum Imperium dicitur, ut eſt poteſtas condendi leges univerſales, in eiſque diſpenſandi, congregandi Univerſalia Concilia, vel Comitia, indicendi, ac inferendi bellum, cognoſcendi cauſas, remoto appellationis remedio: item poteſtas imponendi tributa, & exigendi vectigalia, cudendi Monetam, & ſimilia faciendi, quæ Regalia appellari ſolent, & Principi reſervãtur in ſignum ſupremæ poteſtatis, quamvis etiam inferioribus Ducibus nonnulla ab Imperatore in feudum concedi ſoleant. Molin. tr. 5. diſ. 6. n. 1. Laym. cit. c. 5. n. 9. Secundus gradus eſt meri Imperij majoris, ad quem pertinet poteſtas puniendi facinoroſos pœnâ mortis, vel mutilationis, vel perpetui carceris, qui gradus vulgò abſolutè merum imperium appellatur, quod ſcilicet jus gladij continet ad animadvertendum in facinoroſos, juxta cit. l. Imperium; 3. ff. de juriſdict. Huc etiam pertinet poteſtas Inferendi mortem civilem, per maximam capitis diminutionem, per quam olim, & jus Civitatis Romanæ, & libertas amittebatur, juxta tit. Inſtitut. de capit. diminut. Quò etiam ſecundùm Jus Canonicum, pertinet poteſtas degradandi Clericum, & ſeculari poteſtati tradendi. Item excommunicandi, motu proprio, & non ad inſtantiam partis læſæ. Molin. cit. diſ. 6. n. 1. Tertius gradus eſt merum Imperium magnum, quò pertinet poteſtas inferendi mediam capitis diminutionem, per quam jus civitatis amittitur, retentâ libertate, uti olim fuit poteſtas deportandi In inſulam, Molin. c.l. cui hodie ſecundùm nonnullos, æquivalet condemnatio ad triremes.

Quartus gradus eſt merum imperium parvum, ut eſt poteſtas relegandi, ſubjiciendi torturæ, verberandi flagellis, ſed citra mortem, vel mutilationem, cujuſmodi pœna etiam in foro Eccleſiaſtico locum habere poteſt, Molin. c. l. Quintus gradus dicitur merum imperium minus, ut eſt poteſtas leviter coërcendi in corpore. Sextus denique dicitur merum imperium minimum, ut eſt poteſtas imponendi modicam mulctam pecuniariam, Molin. c.l. Et hi duo ultimi gradus cuivis Judici Ordinario, ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico competunt, cùm alioquin inefficax foret juriſdictio imperij; ſi nullam conjunctam haberet coërcitionem, ſaltem modicam. Laym. cit. loc. num. 9. Atque hi duo gradus etiam aliis delegari poſſunt, cùm jure Magiſtratûs competant, id eſt, cuivis ordinariam juriſdictionem habenti, juxta l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. eſt juriſdict.

Imperium mixtum, cui non tantùm imperium, ſed etiam juriſdictio ineſt, cit. l. Imperium; etiam in plures gradus diſtingui ſolet, quorum primus eſt maximi imperij, qui eſt ſoli Principi reſervatus; cuiuſmodi eſt poteſtas legitimandi illegitimum, jure infamem reſtituendi famæ, ac priſtino ſtatui, dandi veniam ætate minoribus, revocandi ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, & alia ſimilia. Reliqui verò gradus mixti imperij, etiam inferioribus Magiſtratibus competunt, uti eſt, reſtituere in integrum, conſtituere tutores, & curatores, & alia ſimilia facere, quæ ad nobile officium Judicis ſpectant, de quibus videri poteſt Bartol. & Abb. locis citt.

Porrò in generali conceſſione totius juriſdictionis, civilis, & criminalis, etiam cum mero, & mixto imperio, alicui à Principe factâ, non cenſentur comprehenſa ea, quæ ad primum gradum meri, vel mixti imperij pertinent, adeóque reſervata eſſe ſolent ſupremæ poteſtati Principis, niſi ſpecialiter exprimantur. Molin. cit. diſ. 6. num. 3. quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus. reg. jur. 81. in 6.

§. II.

De Iudice Ordinario in genere, eiúſque iuriſdictione, ac poteſtate.

IV. Quæritur 1. Quis ſit, aut dicatur Judex

Ordinarius? Reſp. Judex Ordinarius eſt, qoi ex proprio muoere, adeòque ſuo jure juriſdictionem exercet. l. Moie; 5. ff. de juriſdict. junctâ Gl. V. Suo jure. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 8. n. 2. ſive qui ſuo nomine, & auctoritate procedit, cauſas cognoſcit, ac definit, cui ſcilicet juriſdictio, ex vi ſuæ dignitatis, officij, vel Magiſtratûs, quem gerit, competit. In quo differt à Judice delegato, qui non ſuo jure, ac nomine, ſed alieno, & vice alterius juriſdictionem exercet, eius ſcilicet, qui mandavit, auctoritate cauſas cognoſcendo, ac definiendo. l. 1. §. Qui maudatam, ff. de offic. eius, cui mand. eſt juriſd. c. Sanè; 11. de offic. jud. deleg.

Porrò Judex Ordinarius, vel plenam juriſdictionem habet, vel non plenam, Durand. in ſpec. tit. de juriſd. omn. jud. §. 1. n. 1. Plena juriſdictio in ſupremo Principe reſidet, & plenitudo poteſtatis dicitur, quæ inferioribus non communicatur: cuiuſmodi juriſdictionem plenam, & ordinariam habet S. Pontifex in cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis per totum Orbem Chriſtianum, quia ipſe eſt Generalis totius Orbis Epiſcopus. Gl. fin. in c. ult. de pœnis in 6, & Ordinarius Ordinariorum, ad quem ſpectat poteſtas de omnibus judicandi. c. Cuncta; 17. & c. ſeq. & c. ult. cauſ. 9. q. 3. Non plena juriſdictio eſt, quæ aliis Judicibus ſupremo Principe inferioribus communicatur.

V. Quæritur 2, Quot, & quibus modis acquiratur juriſdictio ordinaria? Reſp. Ea tribus modis acquiri poteſt: vel enim datur à Principe, ſive ex privilegio Priocipis (cui æquiparatur Reſpublica, ſive populus, aut Magiſtratus Superiorem non agnoſcens) conceditur dignitati, vel perſonæ: vel à Lege, ſeu Canone: vel ex conſuetodine legitimè præſcripta, prout ſumitur ex c. Duo ſimul; 9. h. t. Imol. ibid. n. 1. Durand. in ſpec. tit. de offic. Vicar. §. 2. n. 1. Et in primis à Principe Eccleſiaſtico, videlicet ſumō Pontifice conſtituuntur Judices Ordinarij, Legati, Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Officiales Sedis, ſeu Curiæ Romanæ, ut Vicecancellarius, Camerarius, & alij huiuſmodi: item Generales Ordinum Religioſorum. Hoſtienſ. in ſumm. h. t. n. 2. Molin. cit. diſ. 8. n. 6.

A Principe verò ſeculari, videlicet Imperatore, aut Rege, conſtituuntur Duces, Marchiones, Comites, aliique Provinciarum, aut locorum Gubernatores, Hoſtienſ. c. l. Porrò, quamvìs Judex Principe inferior proprio jure, ac nomine non poſſit alios Magiſtratus, & Judices ordinarios conſtituere, quia id ſingulare privilegium eſt competens ſoli ſupremæ poteſtati Principis, ut cooſtet ex lib. 2. feud. tit. 56. quæ ſunt Regalia &c. nam ſolus Princeps facit Judicem Ordinarium, Durand. cit. loc. §. 1. n. 5. ſolet tamen inter alia Regalia, etiam hoc ab Imperatore inferioribus Principibus ſæpe concedi, ut poſſint Gubernatores, ac Judices Ordinarios, in ſuis terris, conſtituere. Et hinc, licèt Epiſcopi Germaniæ in cauſis Eccleſiaſticis nequeant conſtituere Judices Ordinarios, præter illos, quos Canones conſtitui jubent, vel permittunt: quia tamen ſunt etiam Principes Imperij, poſſunt ex conceſſione Imperatoris conſtituere Ordinarios Judices, qui cauſas profanas, tum civiles, tum criminales ſuorum ſubditorum laicorum cognoſcant, ac definiant. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 51.

VI. 2. A Lege, ſeu Canone conſtitui cenſentur Jodices Ordinarij, qui ſecundùm præſcriptum Legis, aut Canonis, vel ab homine publicam poteſtatem habente (nam privatâ auctoritate, nullus Judex conſtitui poteſt) vel ab Univerſitate, ſeu Collegio per electionem conſtituuntur. Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 2. Durand. cit. loc. §. 2. n. 2. Molin. cit. diſ. 8. n. 4. in fine. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 49. Sic Epiſcopus poteſt facere Judicem Ordinarium, creando Vicarium generalem. Sic Archidiaconus à Collegio, ſeu Capitulo electus juriſdictionem ordinariam habet, quamvìs confirmatio ad Epiſcopum ſpectet. Durand. cit. §. 1. n. 5. Et generaliter loquendo, quilibet ab Univerſitate, ſeu Collegio v. g. mercatorum, opificum, aut cuiusvis alterius Congregationis in Rectorem, vel Præfectum eiuſdem electus, ut illi per modum Capitis præſit, dicitur habere juriſdictionem ordinariam erga ſubditos, in cauſis pertinentibus ad Communitatem, vel Congregationem: quamvìs etiam ſubditi maneant ſuperiori Judici ordinario loci, & coram eo conveniri poſſint, videlicet Epiſcopo, ſi ſint Eccleſiaſtici, vel ſeculari Magiſtratui loci. l. ult. C. de juriſd. omn. jud. Molin. cit. diſ. 8. n. 4. Laym. c. l. qui quidem juriſdictionem ſuam habent à Lege, quæ eos ita eligi, ac creari permittit, & concedit, ſed mediante electione eorum, quibus eligere eos in judices, eſt conceſſum. Molin. c. l. n. 4. in fine.

VII. 3. Per conſuetudinem legitimè præſcriptam, acquiri etiam poteſt Juriſdictio ordioaria. c. Cùm contingat; 13. in fine de foro compet. & ibi Gl. V. Maximè, aliique Canoniſtæ, & Legiſtæ in l. Imperium; 3. ff. de juriſd. nam, ut communiter dici ſolet, conſuetudo juriſdictionem dat, & aufert. Et quidem non tantùm ſimplex juriſdictio, ſed etiam ea, quæ ad merum, & mixtum imperium ſpectant, licèt Principi in ſignum privilegij, ſeu prærogativæ ſpecialis reſervata ſint, per præſcriptionem, ſaltem immemorialis temporis, acquiri poſſunt, ut colligitur ex c. Quòd translationem; 4. ſupr. de offic. Legat. dummodo ſint talia, ut aliis quoque ioterdum demandari, ſeu concedi ſoleant. arg. c. Super; 26. de verb. ſignif. Abb. in cit. c. Cùm contiogat; n. 14. Laym. c. l. concl. 54. Requiritur autem ad præſcribendam juriſdictionem etiam ſimplicem, præter tempus legitimum (videlicet 40. annorum, quandoquidem præſumptio juris ſtat pro Superiore, v. g. Epiſcopo, vel Principe contra præſcribentem, arg. c. 1. de præſcript. in 6. Covarr. reg. poſſeſſor. p. 2. §. 3. n. 3.) & bonam fidem, etiam ſcientia, & patientia eius, contra quem præſcribitur, Abb. in cit. c. Cùm contingat; n. 11. & 14. nam in poſſeſſionibus, & uſucapionibus rerum incorporalium, ſeu jurium, ordinariè opus eſt ſcientiâ, & patientiâ domini, quæ in talibus eſt inſtar tituli, vel traditionis, alioquin enim uſurpata, & injuſta poſſeſſio cenſebitur, ut ex Baldo tradit Laym. de juriſd. ordin. concl. 54. niſi poſſeſſio ſit immemorialis, hæc enim habet vim tituli præſumpti, ſeu præſumptionem conceſſionis factæ, ſeu privilegij inducit. Gl. in cit. c. Super V. noo extat de Verb. ſignif. modò capacitas ſit in poſſidente, ſive perſona, ita, ut abſque privilegio, & conceſſione, poſſidere poſſit, alioquin enim uſucapionem præſcriptionémque procedere impoſſibile eſt, cùm incapax poſſeſſionis, ſit etiam incapax præſcriptionis. c. Cauſam; 7. de præſcript. Accedit, quòd juriſdi-

ctio

ctio fori externi in alterius territorio habeat ſe velut jus ſervitutis affirmativæ, v. g. itineris, ſervitutes autem eiuſmodi, ſi alius titulus coloratus conceſſionis deſit, uſucapi non poſſunt, abſque ſcientia, & patientia eius, contra quem præſcribitur. l. 2. C. de ſervitut. & aqua.

Ex quo ulteriùs infertur, neminem poſſe præſcribere juriſdictionem Eccleſiaſticam fori externi, niſi ſit, non ſolùm Clericus, ſed etiam in publico aliquo munere, ſeu officio Eccleſiaſtico conſtitutus, cùm alioquin incapax ſit poſſidendæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ fori externi. Abb. in cit. c. Cùm contingat, n. 16. & Laym. c. l. concl. 55. quæ tanquam ordinaria, aut quaſi ordinaria à Prælatis Eccleſiæ non niſi Clerico, ratione alicuius dignitatis, adminiſtrationis, ſeu officij Eccleſiaſtici, concedi ſolet: nam cùm Clericus juriſdictionem eccleſiaſticam, v. g. poteſtatem excommunicandi, vel alias cenſuras inferendi, uſucapere non poſſit, niſi ſub titulo ſaltem colorato factæ conceſſionis à Prælatis Eccleſiæ, à quibus omnis poteſtas juriſdictionis tanquam à fonte derivatur: Prælati autem non conferant prædictam juriſdictionem, niſi ratione dignitatis, vel officij Eccleſiaſtici; conſequenter Clericus, non ut privata perſona, ſed ſolùm intuitu dignitatis, vel officij alicuius, juriſdictionem externi fori, cum bona fide, præſcribere poteſt.

VIII. Porrò, an juriſdictio alicui conceſſa cenſeri debeat ordinaria, néene, id colligi poteſt ex ipſa conceſſione, ut docet Bartol. in l. More; 5. n. 8. ff. de jurisd. Abb. in c. Relatum; 19. n. 5. de offic. jud. deleg. Molin. tract. 5. diſ. 14. n. 3. Laym. c. l. concl. 50. nam vel committitur alicui juriſdictio ad cauſam unam, vel plures, ſpecificè, ac determinatè, & cenſetur eſſe delegata: vel conceditur juriſdictio ad univerſitatem cauſarum; & tum diſtinguendum eſt: vel enim univerſitas cauſarum committitur à Principe ſupremo, videlicet Papâ in Eccleſiaſticis; vel Imperatore in civilibus; vel ex electione Univerſitatis, ſeu Collegij approbati; vel ab inferiore Ordinario, videlicet ab Epiſcopo, aut Generali Ordinis. Si à Principe ſupremo, in dubio cenſeri debet juriſdictio ordinaria cómiſſa eſſe, niſi Princeps aliud exprimat, & dicat: *Delegamus, vel volumus, ut auctoritate noſtrâ cognoſcas.* Si verò juriſdictio ad univerſitatem cauſarum committatur ab Univerſitate, vel Collegio per electionem, ut ſi à Capitulo eligatur Decanus, vel Archidiaconus, ij cenſendi ſunt habere juriſdictionem ordinariam. Innoc. in c. 3. n. 1. h. t. Durand. c. l. §. 1. n. 4. Quomodo etiam in pleriſque Religioſis Ordinibus, per electionem Capituli, ſeu Conventûs conſtituuntur Abbates, Præpoſiti, Priores, Quardiani, & Provinciales, cum ordinaria poteſtate, & juriſdictione in ſuos ſubditos Regulares, accedente confirmatione Superioris. Si denique committatur univerſitas cauſarum ab inferiore Ordinario, videlicet ab Epiſcopo, vel Generali Ordinis; tum, vel id fit ex præſcripto Legis, aut ex conſuetudine vim legis habente, & cenſeri debet juriſdictio ordinaria: Sic enim Epiſcopi creant, & conſtituunt in Diœceſibus Vicarios Generales, & Archipresbyteros, ſeu Decanos cum certa juriſdictione eorum officio annexa, & Parochos, qui ſunt Ordinarij Paſtores fidelium. Sic Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, juxta eius Conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas, conſtituit Viſitatores, Præpoſitos, Provinciales, & Rectores locorum, qui poteſtatem ordinariam habent in ſuos, ut patet ex Bulla Confirmationis inſtituti Societatis Jeſu Gregorij XIV. editâ anno 1591. 4. Calend. Julij, quæ incipit, Eccleſiæ Catholicæ. Vel Prælatus inferior Ordinarius, v.g. Epiſcopus committit juriſdictionem ad Univerſitatem cauſarum aliis, non ex præſcripto legis, ſed pro mero ſuo arbitrio, conſtituendo, v. g. Vicarios, vel Viſitatores, pro certa parte Diœceſis, vel Pœnitentiarios pro foro conſcientiæ: & tales cenſendi ſunt habere, non ordinariam, ſed delegatam juriſdictionem, quia inferior Papâ non poteſt Ordinarios Judices Eccleſiaſticos infra ſe in foro externo, aut interno conſtituere, cùm id ſolus Princeps ſupremus poſſit. Durand. c. l. §. 1. n. 5. & patet ex ſuprà dictis n. 5.

IX. Ex dictis infertur, quòd facultates, & privilegia v. g. abſolvendi, vel diſpenſandi cum ſuis ſubditis; quæ à Sede Apoſtolica Epiſcopis, vel aliis Prælatis generaliter, & perpetuò ſunt conceſſa, iiſque competunt, ratione dignitatis, vel muneris, ſeu officij ſui Ordinarij, pertinent ad juriſdictionem eorum ordinariam. Felin. in c. Licèt; 12. n. 4 h. t. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 40. n. 14. Laym. de juriſd. ordin. concl. 53. Exemplum habetur in Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. Idque probabiliter etiam extenditur ad facultates conceſſas ab Epiſcopis: ut ſi v. g. Epiſcopus Prælato Ordinis, eiúſque ſucceſſoribus, cum conſenſu Capituli, det facultatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis: talis enim facultas, cùm ſit acceſſoriè annexa dignitati, & officio Ordinario Prælaturæ, eius naturam ſequitur, adeóque tranſit etiam in Ordinariam; nam quamvis DD. tantùm loquantur de conceſſione Papæ, tamen idem dici poſſe videtur de aliis, ut cenſet Laym. de juriſd. ordin. concl. 52. Aliud verò dicendum eſt de facultatibus, & privilegijs abſolvendi à peccatis, & cenſuris, & diſpenſandi in votis, & caſibus Papæ reſervatis, quæ à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt Sacerdotibus, & Confeſſariis Regularibus, ea enim non ad Ordinariam, ſed ad delegatam juriſdictionem pertinent, quia licèt talis poteſtas detur ad univerſitatem cauſarum, non tamen competit Religioſis Confeſſariis quaſi ordinaria, ratione alicuius muneris, ſeu officij proprij. Laym. cit. concluſ. 53. & alij DD. communiter.

X. Porrò, ſi ſuperior Inferiori Judici ordinario ea mandet, quæ ad Ordinarium eius officium ſpectant, v. g. ut ſubditum ſuum corrigat, non cenſetur eum conſtituere delegatum, ſed excitare tantùm juriſdictionem eius ordinariam, ſeu commonere, & impellere ipſum ad officium ſuum præſtandum, ut colligitur ex cit. c. Licèt; h. t. niſi expreſsè addatur, ut Epiſcopus. v. g. auctoritate Apoſtolicâ, vel ut delegatus Sedis Apoſtolicæ procedat: vel niſi ex adiunctis aliud colligatur, ut quia Papa formam procedendi præſcribit, quæ limites ordinariæ juriſdictionis excedit, v. g. ut in cauſa, in qua alioquin appellare licitum eſt, remotâ appellatione, procedatur, Innocent. in cit. c. Licèt; & ibid. Abb. num. 3. Gloſſ. magn. in c. Cum aliquibus; 4. in notat. de reſcript. in 6.

XI. Quæritur 3. Quinam Judices Ordinarij dari poſſint? Reſp. generatim loquendo, omnes eſſe poſſunt

Digitized by Google

poſſunt Judices, ſive Ordinarij, ſive delegati, qui non prohibentur, ſive ſint ſui Juris, ſive alieni, ut filiifam. l. Prætor; 12. in princ. & in fine ff. de judiciis. Hoſtienſ. in ſumm. §. Quis poſſit eſſe Ordinarins h. t. VVeſenb. in parat. ff. eod. num. 10. Prohibentur antem quidam eſſe Judices naturâ, ut ſurdns, mutus, perpetuò furioſus, & impubes, qnia hi animi; illi corporis vitio impediti munus judicandi obire nequeunt. cit. l. Prætor. §. Non autem omnes. c. 1. §. Tria; cauſ. 3. quæſt. 7. Sed neque minor 25. annis poteſt conſtitui Judex Ordinarius. l. Cùm lege; 41. junctâ Gl. V. Minor 25. annis. ff. de recept. qui arbitrium &c. quia qui nondum aptus eſt ad propria adminiſtranda, multò minùs ad Rempubl. adminiſtrandam. l. Ad Rempubl. 8. ff. de munerib. niſi minor 25. annis à Principe, vel ex conſenſn partium datus ſit, tum enim ſententiam ab eo datam æquiſſimnm eſt tueri, niſi minor 18. annis fuerit, l. Quidam; 57. ff. de re judic. quòd ſi minor 20. annis, ex conſenſu partium, judex datus ſit, invitus judicare non cogitur. cit. l. Cùm lege. Cæcus autem jndicandi officio ſungi poteſt. l. Cæcus; 6. ff. de judic. ſi nimirũ antea erat jndex, antequã cæcus fieret, quia de novo judex fieri non poteſt. Gl. ibid. V. Fungitur.

Quidam verò lege prohibentur eſſe Judices, ut qui Senatu moti ſunt propter turpitudinem. cit. l. Cùm Prætor, & ibi Gl. V. Motus. ff. de judic. quia univerſim inſames à legitimis actibus repelluntur. c. Licèt; 47. §. Nec tamen de teſtib. nec ipſis portæ dignitatum patere debent. c. Inter; 12. de exceſſib. Prælat. l. 1. & 2. C. De dignitat. l. 12. Quidam moribus, ſive ex receptâ conſuetudine prohibentur eſſe judices, ut fœminæ, & ſervi, non quòd judicium, ſeu diſcretionem non habeant, ſed qnia receptum eſt, ut officiis civilibus non fungantur. cit. l. Cùm Prætor, & cit. c. 1. §. Tria; cauſ. 3. quæſt. 7. Excipiuntur fœminæ illuſtres, ut Reginæ, Principiſſæ, & Comitiſſæ, quæ judiciariæ poteſtatis capaces ſunt: vel quæ adminiſtrationem habent, nt Abbatiſſæ. Hoſtienſ. in ſumma. §. cit. h. t. Item Monachi, & Religioſi Judices eſſe non poſſunt, quia pro mortuis reputantur. Gloſſ. fin. in cit. l. cum Prætor. Denique etiam publicè, ſeu notoriè excommunicati judicandi munere ſungi non poſſunt. c. Ad probandnm; 24. de ſent. & re judic. Acta tamen, & ſententiæ latæ à Judice excommnnicato, ſi toleratus ſit, validæ ſunt, poſt Concil. Conſtantienſ. invalidæ verò, ſi toleratus non ſit, ut quia nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor eſt, ſive ſit judex ordinarius, ſive delegatus. Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 22. n. 32. & 36.

XII. Quæritur 4. Qnibus modis finiatur officiũ, ſeu juriſdictio Judicis ordinarij? Reſp. ea exſpirat 4. modis. 1. Per mortem Judicis ordinarij. 2. Per renunciationem illius. 3. Per depoſitionem ab officio. 4. Per translationem eiuſdem. Hoſtienſ. in ſum̃. n. 3. h. t. Hoc autem intelligendum eſt, quoad perſonam Ordinarij: nam alioquin juriſdictio ordinaria, quoad dignitatem, ſeu magiſtratum, cni annexa eſt, non extinguitur, ſed cùm ipſa dignitate, ſeu officio ad ſucceſſorem tranſit. Hoſtienſ. c. l. Sed neque reſpectu perſonæ exſpirat juriſdictio ordinaria per mortem Principis, à quo conceſſa eſt, tametſi res adhuc ſit integra, ſive Ordinarius illâ juriſdictione uti non cœperit, juxta l. Et qnia; 6. ff. de juriſdict. & c. 2. de offic. Legat. in 6. Ratio eſt, quia juriſdictio ordinaria à Lege, aut Principe conceſſa, cùm primùm acceptata eſt, tanquam gratia, ſeu jus qnoddam adhæret perſonæ, per quam conſtituitur in ſtatu, ac dignitate Judicis, ſeu Snperioris: gratia autem facta, ſive beneficium alicui à Principe conceſſum morte concedentis non exſpirat, etiam re adhuc integrâ, c. Si ſuper; 9. de offic. deleg. c. Si cui; 36. de præbend. in 6. ergo neque juriſdictio ordinaria, quippe quæ radicatur in perſona illius, cui conceditur, & inhæret veluti oſſibus eius, & ideo per mortem concedentis non exſpirat, qnia juxta reg. jur. 11. in ff. id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro, ad alium transferri non poteſt. Abb. in c. Relatnm; num. 4. de offic. deleg. Imò licèt alioquin gratia Principis conceſſa ad beneplacitum concedentis, eo mortno, exſpiret. c. Si gratioſè; 5. de reſcript. in 6. jnriſdictio tamen ordinaria, etiam ad beneplacitum Principis, conceſſa, per mortem illius non extinguitur: idque propter favorem, & utilitatem publicam, qnæ in juriſdictione ordinaria conſervanda verſatur. Sanch. lib. 8. de matrim. diſ. 28. n. 5. ubi num. 6. rectè excipit juriſdictionem Generalis Vicarij Epiſcopi, quæ, etſi Ordinaria ſit, exſpirat tamen morte concedentis, ut ſuprà dictum. Et in hoc etiam juriſdictio ordinaria à delegata differt, quæ, re integrâ, ſi delegatns cauſam nõdum cognoſcere cœpit, per mortẽ delegantis extinguitur. c. Gratum; 20. de offic. deleg. qnia, cùm ſit inſtar mandati, qnod in gratiam mandantis fieri ſolet, potiùs cenſetur eſſe aliquid ſpectans ad mandantem, ſen delegantem, quàm delegatum, qui proinde, antequam cauſam aggredi cœpit, non incipit eſſe Jndex, ut colligitur ex c. Quamvìs; 6. de offic. deleg. in 6.

Porrò non tantùm ipſa juriſdictio ordinaria, ſed etiam mandatum, ſive præceptum â ſuperiore Ordinario Judici, aut Officiali datum, per mortem illius Superioris non extinguitur, ſed poteſt, re licèt adhuc integrâ, executioni mandari: quia tale mandatum cenſetur eſſe acceſſorium juriſdictioni, aut officio ordinario, per quod illud excitatur, & non nova poteſtas datur, ideòque non exſpirat morte mandantis, re integrâ. c. Licèt; 12. h. t. ſed ſequitur naturam ſui principalis. arg. c. Si ſuper; 9. de offic. deleg. Abb. in cit. c. Relatum, num. 9. ex Auth. Ut nulli Judicum &c. §. Et hoc verò jubemus collat. 9. Sanch. cit. diſ. n. 42.

SECTIO II.

DE ARCHIEPISCOPO, SEU Metropolitano, eiúſque Juriſdictione, ac poteſtate.

XIII. Archiepiſcopus ſic dictus, quòd ſit veluti Dnx, ſeu Princeps inter Coëpiſcopos ſuæ Provinciæ. c. 1. diſ. 21. deſumpto ex Iſidoro, ibi: *Archiepiſcopus, Græco dicitur vocabulo*, quòd ſit *ſummus Epiſcoporum*: qui etiam alio nomine Metropolitanus vocatur, ſive à menſura, aut numero civitatum.

cit.

cit. c. 1. §. Metropolitani: quia ſicut Provincia decem, aut undecim civitates ſub ſe continet: ita & Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus totidem Epiſcopis ſuffraganeis olim præeſſe ſolebat. c. Scirore; 2. cauſ. 6. quæſt. 3. Gl. in cit. c. 1. V. A menſura; diſ. 21. Vel potiùs Archiepiſcopus vocatur Metropolitanus à Metropoli, id eſt, à civitate præcipua, quæ in una provincia eſt veluti Mater aliarum civitatum, cui illæ ſunt ſubiectæ, in qua Archiepiſcopus reſidet. cit. c. 1. & ibi Gl. V. A menſura.

Porrò Archiepiſcopus ab Epiſcopo differt, non Ordinis, ſed Juriſdictionis poteſtate, nam major, & amplior eſt juriſdictio Archiepiſcopi, quippe qui non uni ſolùm civitati, cum oppidis ei ſubiectis, ſed Civitati Metropolitanæ præeſt, quæ eſt mater, & caput aliarum civitarum Epiſcopos habentium, cui eæ ſunt ſubiectæ in ſpiritualibus. Azor p. 2. l. 3. c. 33. quæſt. 5. Epiſcopi verò Metropolitano ſubiecti in Jure Canonico Suffraganei vocantur. c. 1. de foro compet. in 6. c. Suffraganeis; 11. de elect. Poteſt tamen aliquis eſſe Archiepiſcopus, tametſi non ſit Metropolitanus, quia nullum Epiſcopum ſibi ſubiectum habet, ut in his partibus ſaltem olim erat Archiepiſcopus Pragenſis. Azor cit. loc. q. 1.

§. I.

De Iuriſdictione, & poteſtate Archiepiſcopi in Epiſcopos Suffraganeos ſibi ſubiectos.

XIV. Aſſertio 1. Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus ordinariam juriſdictionem habet in omnes Suffraganeos, ſeu Coëpiſcopos non exemptos ſuæ provinciæ, cui præeſt, adeóque tanquam Ordinarius, & immediatus eorum Superior iis præcipere poteſt, quæ ad officium eorum ſpectant, atque negligentes ad executionem, & officium præſtandum compellere, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ut apertè colligitur ex c. 1. 2. & 3. cauſ. 9. quæſt. 3. c. Quia cognovimus; 6. cauſ. 10. quæſt. 3. & conſtat etiam ex c. Paſtoralis; 11. in fine princ. h. t. ubi dicitur, quòd Epiſcopus Archiepiſcopo ſuo Metropolitanâ lege ſit ſubiectus, & ibi Gl. V. Exceptis, & Abb. n. 2. ubi ait, quòd Archiepiſcopus eſt judex Ordinarius omnium Epiſcoporum ſuæ provinciæ. Verùm in cauſis criminalibus majoribus, quæ privationem, ſeu depoſitionem merentur, non poteſt Archiepiſcopus contra Epiſcopum ſuffraganeum procedere ad ſententiam definitivam, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ delegatione, c. Quamvis; 7. cauſ. 3. quæſt. 6. c. Frater; 52. cauſ. 16. quæſt. 1. Abb. cit. loc. Imò Jure novo, non ſolùm condemnatio; ſed etiam cognitio, ac proceſſus in cauſis criminalibus gravioribus ſoli Papæ eſt reſervatus, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſs. 24. c. 5. de reform. & Declarat. Cardin. Concil. apud Joan. Gallemart. ibid. num. 1. Minores verò criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantùm provinciali cognoſci, ac terminari debent, vel à deputandis per Concilium provinciale, juxta Concil. Trident. cit. l. in fine. Ex quo ſequitur, quòd hodierno jure Epiſcopus in cauſa criminali, quæ privationem meretur, citatus à quocunque Judice, præter Papam, comparere, ac reſpondere non teneatur, niſi exhibitâ ipſi ſpeciali commiſſione à Papa factâ, Pariſius de reſignat. benef. h. t. quæſt. 10. num. 4. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 112. num. 5. At verò, ſpectato Jure antiquo, & cauſas criminales, & indiſtinctè omnes cauſas civiles Epiſcoporum ſuffraganeorum poteſt Archiepiſcopus cognoſcere, ac definire, cùm ſit Judex Ordinarius eorum. Abb. in cit. c. Paſtoralis; num. 2. h. t. Quare probabiliter etiam diſpenſare poteſt in votis, ac juramentis Suffraganeorum, etiam extra tempus viſitationis. Sanch. l. 4. moral. c. 38. num. 16. & alij apud ipſum: quamvis in hoc ſpectanda ſit conſuetudo loci, cùm de eo in Jure Canonico nihil ſit ſpecificè expreſſum, neque Epiſcopus videatur propriè ſubiectus Archiepiſcopo, quoad ſpiritnale regimen perſonæ ſuæ; ſed ſolùm in actibus quibuſdam ad externam gubernationem Eccleſiæ pertinentibus, ut docet Suar. tom. 2. de Relig. l. 6. de voto; c. 11. n. 3.

XV. Aſſertio 2. Etſi ipſemet Archiepiſcopus per cenſuras Eccleſiaſticas procedere poteſt contra Epiſcopos ſuffraganeos, tanquam Judex ordinarius eorum: Generalis tamen Vicarius, ſeu Officialis Archiepiſcopi, dum ipſemet Archiepiſcopus in provincia eſt, aut non longè diſtans, non poteſt in aliquem Suffraganeorum, ſeu Coëpiſcoporum ſententiam interdicti, ſuſpenſionis, aut excommunicationis proferre, idque ob reverentiam officij, ac dignitatis Epiſcopalis, prout habetur in c. 1. §. Officiales; h. t. in 6. ubi id decernitur de Officialibus Archiepiſcopi Rhemenſis, & præcipitur idem ab Officialibus aliorum Metropolitanorum, circa ipſorum Suffraganeos, obſervandum eſſe. Notat autem Gloſſ. ibid. V. Circa illam; quòd Archiepiſcopus cenſeatur exiſtere circa, ſive prope provinciam, ſi ſit in vicina provincia, intra duas dietas vulgares, vel Legales, vel ſecundùm arbitrium prudentis. Porrò ſententia, ſeu cenſura à Vicario, ſeu Officiali Archiepiſcopi lata in Epiſcopum ſuffraganeum; non ſolùm illicita eſt, & injuſta, ſed etiam invalida, ſecundùm probabiliorem ſententiam, quam tenet Joan. Monach. in cit. c. 1. num. 11. & 12. & ſequitur Laym. ibid. num. 3. licèt contrarium teneat Gl. ibid. V. Non attentent, & Ancharan. §. Quæro, ſi contra prohibitionem. Ratio eſt; quia Vicarius, ſeu Officialis Archiepiſcopi, vel Epiſcopi non habet poteſtatem quidpiam agendi, niſi quod jure communi, vel ex ſpeciali voluntate Archiepiſcopi, vel Epiſcopi conſtituentis ei conceſſum eſt: cùm ergò jure communi expreſsè denegata ſit Vicario generali Archiepiſcopi poteſtas ferendi cenſuras in Coëpiſcopos. cit. c. 1. §. Officiales: ideo neque Archiepiſcopus talem poteſtatem Vicario ſuo generali concedere poteſt, contra expreſſam prohibitionem SS. Canonum. arg. l. Non ſolùm; 5. C. de legib. & conſequenter Vicarius Archiepiſcopi, nec validè, nec licitè cenſuras ferre poterit, ob defectum legitimæ facultatis, Jo. Monach. c. l. Aliud verò dicendum eſt de delegato ab Archiepiſcopo, is enim cenſuras in ſuffraganeum Epiſcopum ferre poteſt. Joan. Andr. in cit. c. 1. num. 4. in fine, & Laym. ibid. num. 3. con-

contra Gl. fin. ibid. & Ancharan. in fine. Tum quia id de delegatis non eſt jure prohibitum, ſicut de Vicariis, ſeu Officialibus Archiepiſcopi, ac proinde licèt delegatus ſit minor Ordine, & dignitate, quàm Epiſcopus ſuffraganeus; tamen in cauſa ſibi commiſſa erga illum, majorem illo poteſtatem habet, cùm in illa cauſa vices delegantis Archiepiſcopi gerat, adeóque, ſi neceſſitas exigat, etiam per cenſuram Epiſcopum ſubditum Archiepiſcopi delegantis compellere poteſt. arg. c. Sanè; 11. de offic. deleg. Tum quia non eſt eadem ratio in delegato, & Vicario generali Archiepiſcopi; nam ab hoc appellari non poteſt ad Archiepiſcopum, cùm idem habeat territorium ſive tribunal eum Archiepiſcopo. c. Romana; 3. In princ. de appellat. in 6. à delegato verò poteſt appellari, ſi injuſtè graver, cùm habeat tribunal diſtinctum. Joan. Andr. cit. loc. Quare valde probabile eſt, quòd etiam Vicarius generalis, cui ab Archiepiſcopo cauſa aliqua ſpecialiter delegata eſt, validè ferre poſſit ſententiam cenſuræ in Epiſcopum ſuffraganeum, ob rationem prædictam, Laym. cit. loc. quamvis talem poteſtatem exercere non debeat, niſi neceſſitas exigat, idque propter reverentiam officij, ac dignitatis Epiſcopalis. arg. cit. §. Officiales.

Quæ autem dicta ſunt de Epiſcopo ſuffraganeo, locum etiam habent in electo, & confirmato, licèt nondum ſit conſecratus, quia Epiſcopus confirmatus, ante conſecrationem, exercere poteſt ea, quæ ad juriſdictionem Epiſcopalem pertinent. c. Tranſmiſſam; 15. de elect. Jo. Monach. in cit. c. 1. n. 13. h. t. in 6. & Ancharan. ibid. q. pen. & in dignitate, ac culmine honoris eſt conſtitutus, ut reverentia ipſi præ aliis debeatur. arg. c. 2. de transl. Epiſc. et c. Accedentibus; 12. de exceſſib. Prælat.

XVI. Aſſertio 3. Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus poteſt ſtatuta provincialia condere, ſed non, niſi cum conſilio, & conſenſu Coëpiſcoporum provincialium. c. Nullus; 7. cauſ. 9. q. 3. cuius rei cauſâ Synodum, ſeu Concilium provinciale cogere debet, in quo ipſe Archiepiſcopus præſidet, velut Caput Concilij, ad eum effectum, ut poteſtas convocandi Synodum Provincialem ad eum ſpectet, & primam in illa Sedem habeat; non tamen ei præſidet, tanquam ſit Superior Concilio congregato, & Caput exercens juriſdictionem in illud, neque quod habeat parem juriſdictionem, quam habet ipſum Concilium, ſed eſt tantùm conjudex, & collega aliorum Coëpiſcoporum: ac proinde Archiepiſcopus non præeſt Concilio Provinciali, quemadmodum Epiſcopus præſidet in Synodo diœceſana, & Papa in Concilio Oecumenico, ſive generali. c. Significaſti; 4. de elect. ſed præſidet illi, ſicut Decanus Eccleſiæ Cathedralis Capitulo Canonicorum. Quare, ſicut Capitulum, ſede vacante, vel etiam non vacante, habens juriſdictionem ex conſuetudine, in ſingulos è Capitulo, eam exercere poteſt, etiam in Decanum: ita Concilium provinciale, cùm habeat juriſdictionem in ſingula Concilij membra, quorum unum, etſi præcipuum, eſt Archiepiſcopus, eandem quoque in ipſum exercere poteſt: nam, licèt ſingulis de Concilio non ſit ſubiectus, ſed potiùs major & dignior; eſt tamen ſubiectus toti Concilio Provinciali, ita, ut ab eodem judicari, excommunicari, & puniri poſſit; exceptis cauſis majoribus, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Navarr. lib. 1. de majorit. & obed. Conſil. 6. Sanch. lib. 8. de matrim. diſ. 17. num. 36. Idque vel ex eo confirmatur, quia ab Archiepiſcopo appellari poteſt ad Concilium provinciale, tanquam ab inferiore ad Superiorem. Gl. fin. in c. pen. de appellat. in 6. Navar. cit. l. num. 4. Et hinc Archiepiſcopus ea, quæ in Provinciali Concilio ſunt decreta, revocare non poteſt, nec immutare, nec in ijs diſpenſare. Sanch. cit. loc. Non obſtat c. Grave; de præbend. quia delictum illud Metropolitani inter cauſas graves cenſebatur, ideóque Superioris judicio reſervandum videbatur: vel ob reverentiam dignitatis Archiepiſcopalis, noluit Papa eius delictum puniri à Synodo provinciali. Sanch. cit. loc. Neque dicas, Archiepiſcopus eſt Judex totius Provinciæ, ergo habet juriſdictionem in omnes ſubditos provinciales; quia, licèt habeat juriſdictionem univerſalem in omnes collectivè, non autem in omnes diſtributivè, ſive in ſingulos ſeorſim, niſi in caſibus jure expreſſis: ſicut Epiſcopus eſt Judex Ordinarius totius diœceſis, non autem Judex exemptorum, qui ſunt in diœceſi.

XVII. Cæterùm, Concilium provinciale olim ſingulis annis celebrari debebat à Metropolitano, cum ſuis Suffraganeis. c. Quoniam; 7. diſ. 18. c. Sicut; 25. de accuſat. imò antiquioribus temporibus bini Conventus Epiſcoporum quot annis cogi debebant. c. De Conciliis; 2. et c. Propter; 4. diſ. cit. quod poſtea correctum fuit. Jure verò novo Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 2. de reformat. ſtatutum eſt, ut Metropolitanus, eóque impedito, Epiſcopus antiquior, quolibet triennio, Synodum in provincia ſua cogere non prætermittat. Et ad tale Concilium Epiſcopi omnes, & aliqui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent (exceptis ijs, quibus, cum ingenti periculo, transfretandum eſſet) venire omnino tenentur: imò etiam Epiſcopi exempti, ſeu nulli Archiepiſcopo ſubiecti, v. g. Bambergenſis, venire debent ad Concilium provinciale alicuius viciniMetropolitani, quem ipſi ſemel elegerint, cuiúſque Concilij decretis obligantur. Trident. c. l. Præter Epiſcopos verò, de jure vocari, & venire debent ad Concilium provinciale etiam ij Prælati, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem intra aliquam provinciam obtinent, cuiuſmodi ſunt multi Abbates, & aliqui Priores. Azor p. 2. l. 3. c. 47. quæſt. 2. Alij verò Prælati Epiſcopo inferiores, ſpectato Jure communi, non debent vocari ad Concilium provinciale, nec vocem deciſivam in eo habent, quamvis per conſuetudinem tales Prælati poſſint etiam intereſſe Concilio Provinciali, & jus definiendi in illo habere: nam vocem deciſivam habere in Conciliis Provincialibus eſt quidem proprium Epiſcoporum, ita tamen, ut etiam aliis per conſuetudinem competere poſſit, quia definire non eſt actus Ordinis Epiſcopalis, ſed juriſdictionis. Azor c. l.

Neque verò omnes, qui ad Concilium provinciale conveniunt, etiam vocem deciſivam in eo habent; nam Prælati Coëpiſcopis ſubiecti vocari poſſunt ad Concilium provinciale, & in eodem, ſive ob contumaciam, ſeu ob aliud delictum puniri, quia Con-

Concilium provinciale joriſdictionem habet in omnes Provinciales. Abb. in c. Grave; 29. num. 4. de præbend. & tamen vocem deciſivam, ſecluſâ conſuetudine, in illo non habent, ut ex dictis patet. Sed & Capitula Eccleſiarum Cathedralium invitari debent ad Concilia Provincialia. c. ult. de his, quæ fiont à Præl. ſine conſ. cap. non tamen cogi poſſunt ad venſendum, ſicut Epiſcopi, niſi alia ſit Eccleſiarum conſuetudo. Abb. in cit. c.ult. num. 2. Poſſunt autem comparere in Concilio per Procuratores, qoia non ita facilè ſinguli Canonici per ſe venire poſſunt, & non ſine deſertione cultûs divini in ſingulis Eccleſiis, Abbas cit. loc. num. 3.

XVIII. Aſſertio 3. Ad poteſtatem, & officium Archiepiſcopi olim quoque pertinebat confirmare Epiſcopos ſuffraganeos electos. c. 1. diſ. 64. c. Cùm dilectus; 32. de elect. c. Quâ fronte; 25. de appellat. quamvìs aliis qoibuſdam temporibus hæc confirmatio à Sede Apoſtolica petenda fuerit. c. Quantò; 10. c. Salonitanæ; 24. diſ. 63. c. Paſtoralis; 42. cauſ. 7. q. 1. Quod & hodie in noſtra Germania ordinariè obſervari ſolet, ac debet, juxta Concordata Germaniæ. §. Item placet.

Sed & munus conſecrandi Epiſcopos ſoffraganeos, ſecundùm Canones, ad Archiepiſcopum pertinet, c. 4. & ſeqq. diſ. 64. c. 2. & 3. diſ. 65. c. 2. diſ. 75. c. Soffraganeis, 11. de elect. c. 2. de translat. Epiſcop. c. Si Archiepiſcopus; 6. & c. ſeq. de tempor. Ordin. ita, ot ipſe ſit principalis conſecrans, aſſiſtentibus ſibi duobus Epiſcopis. c. 2. diſ. 66. de quo plura dicta ſunt ſuprà tit. 11. n. 115.

» XIX. Portò, ſi Archiepiſcopus infirmitate, » vel aliâ juſtâ cauſâ impeditus eſſet, quò minùs » ſoffraganeum, ſeu Epiſcopum ſuæ provinciæ con» ſecrare poſſet, alteri Coëpiſcopo, cui voluerit, vi» ces ſuas committere poteſt, à qoo conſecrandus » debet conſecrationem recipere, dummodo Epi» ſcopus ille Catholicus ſit, & gratiam communio» nis cum Sede Apoſtolica habeat, prout ſtatuitur in c. Quod ſedem; 10. h. t. nam ea, qoæ ſunt juriſdictionis, poteſt Archiepiſcopus committere etiam ijs, qui illam non habent; ſed ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, non, niſi Epiſcopis conſecratis committere poteſt. Gloſſ. hîc V. Committere. Ita tamen, ut Epiſcopus, cui committitur conſecratio, non ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel ſchiſmaticus, vel hæreticus, talis enim ordinare, ſeu conſecrare non poteſt, ſicut nec ordinari, Gloſſ. fin. hîc. Poteſt autem Archiepiſcopus, non ſolùm, ſi juſtè impeditus ſit, ſed etiam aliàs, ceſſante impedimento, cuilibet Epiſcopo, etiam non Suffraganeo ſuo, committere munus conſecrandi Epiſcopum provincialem; quia Jure communi poteſt pro arbitrio ſuo delegare, ſeu committere alteri, tam ea, quæ ſunt juriſdictionis, quàm quæ ſunt Ordinis, cùm quilibet Ordinarius id poſſit. Unde quòd in hoc c. dicitur de impedimento, id non ita accipiendum eſt, quaſi Archiepiſcopus, ſi juſtè impeditus ſit, non poſſit vices ſuas alteri committere, ſive munus conſecrandi, ſed, quia magìs decens, & conveniens eſt, ut, ſi juſtè impeditus non ſit, per ſe conſecret Coëpiſcopum, etſi id abſolutè non ſit neceſſarium. Hoſtienſ. hîc V. In tali articulo; & Abb. num. 3. Poteſt etiam Archiepiſcopus Epiſcopum ſuffraganeum ſibi ſubiectum compellere ad ſuſcipiendum munus conſecrandi, & is ad id tenetur, quia qoilibet Superior poteſt cogere ſubditum ſuum ad acceptandam delegationem, ſeu commiſſionem. Gl. hîc in notatis. Abb. n. 2.

Illud hîc addendum, quòd in Germania noſtra, ex recepta conſuetudine, conſecratio Epiſcopi non ſit neceſſariò ab Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano, ſed à vicino aliquo Epiſcopo fieri poteſt, cui duo alij Epiſcopi ſaltem Titulares, aſſiſtunt. Laym. in cit. c. Quòd ſedem n. 2. & patet ex praxi.

§. II.

De Iuriſdictione, & poteſtate Archiepiſcopi in ſubditos Epiſcoporum ſuffraganeorum.

XX. Aſſertio 1. Licèt Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus joriſdictionem habeat in Epiſcopos ſuffraganeos; ſitque Ordinarius Superior eorum; tamen; in ſubditos eorundem juriſdictionem exercere non poteſt, niſi in caſibus jure expreſſis, c. Nullus; 7. & c. Conqueſtus; 8. caoſ. 9. quæſt. 3. c. Paſtoralis; 11. in princ. h. t. c. 1. in princ. eod. in 6. c. 1. de ſoppleod. neglig. Prælat. in 6. Quorum primos, ac præcipuus eſt, ſi ab Epiſcopi ſententia, vel gravamine ad Archiepiſcopom, ſeu Metropolitanum ſit appellatum. cit. c. Conqoeſtus, junctâ Gloſſ. V. Provocaverint. c. 1. de offic. Legat. ſive in cauſis ſpiritualibos, ſive in temporalibus, civilibus, vel criminalibus. c. Romana; 3. §. Debet autem; de appellat. in 6. & non ſolùm, cùm proceditur per viam accuſationis, ſed etiam per viam inquiſitionis. Abb. in c. Licèt; 12. n. 3. in fine h. t. Quarant. in ſumma Bullar. V. Archiepiſcopi auctoritas; num. 13. in fine. Ita tamen, ut juriſdictionem in criminalibus Archiepiſcopus per alios exerceat. Gloſſ. in cit. §. Debet autem. V. Temporalem. Niſi de conſuetudine, aut privilegio, vel alio jure ſpeciali ad alium, quàm Archiepiſcopum, ſit appellandum. cit. §. Debet autem: Gloſſ. in c. Solitæ; 6. V. Suſcipiant; de majorit. & obed.

XXI. Portò circa appellationem ab Epiſcopo ſuffraganeo ad Archiepiſcopum notandum 1. Ar» chiepiſcopus non poteſt in diœceſibus ſuffraganeo» rum ſuorum, Officiales foraneos, ſeu Vicarios Ju» dices conſtituere ſuper ſuturis cauſis appellatio» num, quæ ad ipſos deferri debeant: nam cùm i» pſemet Archiepiſcopus, ſecundùm Canones, non » poſſit Diœceſes Suffraganeorum ingredi, & in ijs » auctoritate propriâ judicare (exceptis caſibus ſpe» cialibus in jure expreſſis) neque etiam extra judi» cium, qoidpiam diſponere, vel ordinare, ſequitur, » qoòd in illis neque per alios talia exercere poſſit, » (quod enim quis per ſe non poteſt, nec per alium. c. ult. diſ. 46. l. 2. §. 1. ff. De adminiſtrat. rer. ad civit. pertin.) Et quamvìs Archiepiſcopus cauſas per ap» pellationem ad ſe delatas in Suffraganeorum diœ» ceſibus delegare poſſit, & tales Officiales, ſive Vica» rios Judices in eiſdem cõſtituere, qui eius vice, cùm » ad ipſum appellatur, partes citent, vel inhibeant. Ju» dici

» dici (ſcilicet à quo appellatum eſt, ne in cauſa ulte-
» riùs procedat) aut rebelles compeſcant, quia in
» cauſis per appellationem ad ipſum devolutis jam
» juriſdictionem acquiſivit, ideóque licitè poteſt
» ſuper illis delegare, ſeu committere vices ſuas (quia,
» quod per ſe poteſt facere, poteſt etiam per alium.)
» Verumtamen in aliis cauſis, in quibus nondum
» ad Archiepiſcopum appellatum eſt, non poteſt ali-
» quos conſtituere, qui in futuris appellationum
» cauſis citationes, vel inhibitiones faciant, cùm
» Archiepiſcopus, ante appellationem factam, nul-
» lam actualem juriſdictionem habeat, aut exerce-
» re poſſit in ſubditos Suffraganeorum. Præterquam
» ſi conſuetudine (legitimè præſcripta) inductum ſit,
» ut tales Officiales, ſeu Vicarij in diœceſibus Suffra-
» ganeorum conſtituantur ab Archiepiſcopo, ea e-
» nim ſubſiſtet; ita tamen, ut ſe cauſis Diœceſano-
» rum non immiſceant, priuſquam ad Archiepiſco-
» pum ſit appellatum. Ita ſtatuit Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi relato in c. Romana 1. in princ. h. t. in 6. & ibi Gl. in notatis, & V. Per alios.

XXII. Hinc colligitur 1. Si quis juriſdictionem habeat non actu, ſed in habitu ſolùm, ſive in certis quibuſdam caſibus futuris, ſeu emergentibus, ſicut Archiepiſcopus in diœceſibus Suffraganeorum, ſi ad ipſum appelletur, non poteſt aliis eam demandare, quia nemo dare poteſt, quod non habet. Gloſſ. hîc V. Nondum. Aliud eſt de ijs ordinariis Judicibus, qui juriſdictionem habent actualem, non limitatam ad certos caſus futuros, ij enim bene poſſunt cauſas delegare aliis, etiam futuras, ſive quæ nondum ortæ ſunt. Ancharan. in cit. c. 1. not. 3. & in oppoſit. Franc. ibid. n. 3.

Colligitur 2. Quòd Archiepiſcopus in diœceſi Suffraganeorum, non tantùm poteſtatem judicialem exercere non poteſt, ſed neque extrajudicialem, veluti conferre Ordines, conſecrare Altaria, celebrare divina officia &c. ſi talia facere attentet, auctoritate propriâ: ſecus, ſi auctoritate Papæ, vel cum licentia Epiſcopi diœceſani, tunc enim licitè ea facere poſſet. Ancharan. in cit. c. 1. not. 2. & Franc. num. 2. h. t. in 6.

Colligitur 3. Etſi per conſuetudinem, ſaltem immemorialem, & bonâ fide præſcriptam, induci poſſit, ut Archiepiſcopus Officiales conſtituere poſſit in diœceſi Suffraganeorum ſuper futuris cauſis appellationum: non tamen valet conſuetudo, vi cuius tales Officiales cognoſcant cauſas Diœceſanorum, antequam ad Archiepiſcopum appellatum ſit, cùm nec ipſe Archiepiſcopus id poſſit, qui non debet plus poſſe per alium, quàm poſſit per ſeipſum. arg. c. Poteſt quis; 68. de reg. jur. in 6. Vivian. in ration. Jur. Pontif. in cit. c. 1. h. t. in 6. alioqnin enim juriſdictiones Diœceſium confunderentur, contra SS. Canones, & Eccleſiæ hierarchiæ inſtitutionem. Laym. ibid. n. 1. in fine.

» XXIII. Notandum 2. Quamvis Archiepi-
» ſcopus cauſam ad ſe per appellationem delatam, ju-
» re ordinariæ poteſtatis, eandem poſſit ſubdito Suf-
» fraganei ſui (v. g. Decano Eccleſiæ Collegiatæ, aut
» Canonico) delegare: non tamen poteſt eundem
» ad ſuſcipiendam delegationem invitum compelle-
» re, cùm in ſubditos Suffraganeorum, exceptis qui-
buſdam articulis, nullam habeat poteſtatem, ſeu »
juriſdictionem, ſed tantùm in ipſos Coëpiſcopos, »
qui eidem Metropolitanâ lege ſunt ſubiecti, prout »
habetur ſtatutum in c. Paſtoralis; 11. in princ. h. t.
Ratio prioris partis eſt, quia, cùm Archiepiſcopus per appellationem juriſdictionem acquiſiverit in appellantem, & appellatum, poteſt eam alteri delegare, etiam non ſubdito; ſufficit enim, cauſam pertinere ad juriſdictionem delegantis, licèt is, cui delegatur, non ſit de juriſdictione ipſius. Gl. in cit. c. Paſtoralis. V. Nullam habeat. Ratio poſterioris partis redditur in textu, quia, cùm non ſit ſubiectus juriſdictioni delegantis; non poteſt ab eodem cogi ad acceptandam delegationẽ. Gl. in l. unic. V. Reſediſſent. in fine. C. Qui pro ſua juriſd. judic. &c. Poteſt tamen Archiepiſcopus mandare Coëpiſcopo ſuo, ut compellat delegatum recipere commiſſionem, licèt ab eo ſit appellatum. Gl. in cit. c. Paſtoralis. V. Nullam habeat; h. t. quia poteſt compellere Epiſcopum, ut exequatur officium ſuum. Abb. ibid. in fine.

XXIV. Sed contra objici poteſt 1. Si Epiſcopus poteſt compellere ſubditum ſuum ad acceptandam delegationem, ergo etiam ipſe Archiepiſcopus eundem compellere poteſt, cùm ad ipſum juriſdictio Epiſcopalis ſit per appellationem devoluta. Reſp. Per appellationem ſolùm devolvitur juriſdictio ad Archiepiſcopum, quoad partes, nempe appellantem, & appellatum, non autem quoad alios ſubditos Suffraganei, ideóque ad hunc recurrendum eſt, ut compellat ſubditum ſuum ad recipiẽdam delegationem. Abb. in cit. c. Paſtoralis; in princ. n. 12.

Objicitur 2. Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus eſt Judex Ordinarius totius Provinciæ, cuius curam, & ſolicitudinem ſuſcepit. c. Per ſingulas; 2. cauſ. 9. quæſt. 3. ergo habet juriſdictionem in quoslibet, qui ſunt de provincia, adeóque etiam in ſubditos Suffraganeorum, qui ſunt de provincia. Reſp. Archiepiſcopus habet juriſdictionem Archiepiſcopalem, ſive Metropolitanam in totam provinciam, ideóque etiam viſitat totam provinciam: non autem habet juriſdictionem Epiſcopalem, niſi in ſua diœceſi, extra illam verò ſolùm eſt Judex Ordinarius in caſibus ſpecialibus jure expreſſis. Gl. hîc V. exceptis quibuſdam articulis; ſicut etiam Epiſcopus eſt Judex Ordinarius totius diœceſis, non tamen omnium, qui ſunt in diœceſi, quia non eſt Judex exemptorum, niſi etiam in ſpecialibus caſibus, de quibus infrà. Innocent. in cit. c. Paſtoralis; num. 1. & Abb. n. 8. h. t.

XXV. Aſſertio 2. Secundus caſus, in quo Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus ordinariam juriſdictionem habet in ſubditos Suffraganeorum, eſt, cùm viſitat provinciam; id, quod Jure communi liberè facere poteſt, & procurationes ratione viſitationis debitas à ſubditis Coëpiſcoporum exigere. c. Cùm Apoſtolus; 6. in princ. & ibi Gloſſ. V. Archiepiſcopi, c. Sopitæ; 14. c. Super eo; 22. c. Cùm nuper; 25. de cenſib. c. Cùm ex officij; 16. de præſcript. licèt Suffraganei eius non ſint negligentes, c. ult. de cenſib. in 6. ita, ut tunc etiam excommunicare, vel aliter punire poſſit procurationem debitam denegantes, quia per hoc impeditur viſitatio, & conſequenter etiam eius juriſdictio, Abb. in cit. c. Cùm ex officij; num. 11. quo caſu

poteſt

poteſt Metropolitanus animadvertete in ſubditos Suffraganeorum, c. 1. de pœnis in 6. Sicut etiam oh delicta notoria eorundem in tora Provincia, c. 1. §. Notoria verò; de cenſib. in 6. etiam extra viſirationem, ſaltem, ſi Epiſcopus ſit negligens io ijs ponieudis. Ahb. in c. Ex frequentihus; 3. n. 10. de inſtitut. Sylveſt. V. Atchiepiſcopus; n. 2. in fine. Quatant. c. l. num. 23. & 24. Verùm Jure novo Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 3. de reform. à Metropolitanis, etiam poſt plenè viſitatam propriam Diœceſin, oon poſſunt viſitari Eccleſiæ Cathedrales, neque Diœceſes ſuorum Comprovincialium, niſi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali.

Cæterùm Metropolitanus poteſt, dum viſitat Provinciam, omnium Provincialium confeſſiones audire, eóſque abſolvete coofitentes, & ipſis pœuitentias injungere, c. ult. §. fin. de cenſih. in 6. quia tempore, quo viſitat Diœceſio Suffraganei, cenſetut illa tanquam ſua, ſaltem quoad forum pœoitentiæ, arg. cit. c. ult. §. fin. de cenſib. in 6. Noo autem poteſt Archiepiſcopus, etiam dum viſitat, diſpenſare in votis, aut irregulatitatibus, aut alijs, cum ſuhditis Suffraganeorum, quia hæc poteſtas non reperitur ei in Jute ſpecialiter conceſſa, neque eſt pet ſe conjuncta cum poteſtate abſolvendi in confeſſione, ut patet in Parochis: neque Atchiepiſcopus ordinariam curam habet, & juriſdictiouem, extta ſuam Diœceſio, niſi in caſibus jure conceſſis, cit. c. Paſtoralis; h. t. Suar. tom. 2. de relig. l. 6. De voto; c. 10. n. 8. Sanchez. l. 4. in decalog. c. 38. num. 11. & 14. licèt aliqui DD. putent, Archiepiſcopum poſſe diſpeoſate cum ſubditis Coëpiſcoporum, ſaltem in foro conſcientiæ. Poteſt autem Archiepiſcopus per totam Provinciam, etiam extta viſitationem, jubete Crucem ſibi præſerri, populo beoedicere, in Pontificalibus celebrare, etiam in locis exemptis à juriſdictione Ordinatij, Clement. 2. de privileg. ídque propter reliquias præcedentis ſuhjectionis, cùm per exemptionem talia loca noo deſinant eſſe io Provincia, vel Diœceſi; & jus, aut dehitum teverentiæ per exemptiouem nou tollitur. Quatant. c. l. §. 28. Auctoritas eſt. Deoique poteſt etiam Archiepiſcopus Indulgentias rempotales, & limitatas, ſeu non pleoatias coocedete, intra ſuam Provinciam, c. pen. de pœnit. & remiſſ.

XXVI. Aſſertio 3. Tertius caſus exceptos eſt, quòd poſſit Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus exercere juriſdictionem in ſubditos ſuorum Suffraganeorum, in caſu, qui totius Provinciæ ſtatum concernit, rollendo v. g. pravam conſuerudinem, quæ per totam Provinciam viget, & à populo frequentatur, & excommunicando eos, qui illam obſervant, præſertim, ſi Epiſcopi Suffraganei in tali conſuetudine tollenda ſiot negligentes, prout ſumitur ex c. Ex Frequentibus; 3. de inſtitut. & ibidem Ahh. num. 4. Gloſſ. in ſumma cauſ. 9. quæſt. 3. V. Quod autem. Nam univerſalis, ſeu genetalis ſolicitudo totius Provinciæ Metropolitano commiſſa eſt, c. 1. diſ. 21. c. 2. cir. cauſ. & q. Quarant. c. l. num. 23. §. XX. Auctoritas eſt.

XXVII. Aſſertio 4. Quartus caſus, in quo Metropolitanus exercere poteſt juriſdictionem in ſubditos Suffraganeotum ſuorum, ſaltem ut delegatus Sedis Apoſtolicæ, eſt, ſi Canonici Cathedrales, » abſque manifeſtâ, & rationabili causâ, ceſſent à divinis; maximè, ſi id agant in contemptum Epiſcopi; » tunc enim Epiſcopus nihilominus, ſi voluerit, » in Eccleſia Cathedrali officia divina celebrate » poteſt: & Metropolitanus, ad querelam Epiſco- » pi, tanquam delegatus Papæ, per cenſuram Eccle- » ſiaſticam, cognitâ veritate, Canooicos punire, & » compeſcere poteſt, oe metu pœoæ deinceps talia » præſumant. Ita hahetur in c. Irrefragahili; 13. §. Cæterùm; h. t. Ratio eſt, quia, licèt Canonici, ſive Capitulum Cathedtale, ſi ex ſpeciali jure, ſeu privilegio, vel ex conſuetndioe præſcripta, juriſdictio in Eccleſiaſticis ipſi competat, poſſit indicere, ſeu ceſſationem imponere à divinis ad tempus. Gloſſ. hic V. Ceſſaverint à divinis; non tamen ſinè manifeſtâ, ſeu notoriâ, & ratiooabili causâ; quia alioquin talis ceſſatio cederet in dimioutionem cultûs divini, & gravamen infettet Eccleſijs, c. 2. h. t. in 6. ideóque Epiſcopus non tenetur illam ohſervare, ſed de hoc apud Metropolitanum conqueri poteſt. Et quamvis aliàs Metropolitanus, querelâ ah Epiſcopo ad ipſum delatâ, Ordinario, ſeu Metropolitano jure de ea cognoſcere poſſit, ſaltem, ſi ſit cauſa concernens Epiſcopum, in qua ipſemet Judex eſſe non poteſt: nihilominus tamen, quia prædicta cauſa Capituli gravis, & ardua fuit, & periculum erat, ne ioter Epiſcopum, in cujus odium, ſeo contemptum ea ceſſatio à divinis impoſita fuit, ſcandalum, & perplexitas oriretur, qui videri poterat ſimul eſſe Judex, & actor, ſi cognoſceret in propria cauſa, ideo meritò ſtatutom fuit, ut in ea Metropolitanus auctoritate Apoſtolicâ tanquam delegatus Papæ procederet, itáque efficaciùs illa expediretur. Gloſſ. hic V. Super hoc delegatus; & ihid. Jo. Andr. n. 7. quæ delegatio cùm ſit ſacta à Lege, ſeu Canone, non exſpirat, etiam re integrâ, morte mandaotis, ſeu delegantis, ſicut exſpitat illa, quæ fit ah homine, quia lex non moritur, ſed ſemper durat, donec revocetur. Innocent. hîc o. 4. Abb. n. 1. in fine. Sed neque in propoſito caſu eligi poſſunt arhitri, qui de illa cognoſcant, quia hîc irrogata fuit injuria Epiſcopo, & agebatur criminaliter ad pœnam, io cauſa autem criminali arbitri aſſumi non poſſunt. Gloſſ. hîc V. Super hoc delegatus; in fine, & Abb. n. 2. de quo mox plura.

XXVIII. Aſſertio 5. Quintus caſus exceptus eſt, ſi cauſa crimioalis agitetur inter Epiſcopum, & Clericum ejus ſubditum; tum enim ea deferri debet ad Concilium proviociale, in quo Archiepiſcopus præſidet, ut colligitur ex c. 2. in fine. cauſ. 9. q. 3. et c. 1. cauſ. 6. q. 2. et c. Sicut; 25. de accuſat. & tradit Gloſſ. in c. Paſtoralis; 11. V. Exceptis; h. t. Hoſtienſ. in ſumm. V. Crimen; eodem. Sylveſt. V. Archiepiſcopus; q. 1. caſu 6. nam Coocilium provinciale juriſdictionem habet in omnes Provinciales, ſicut Concilium generale in omnes Chriſtianos. Neque verò tali caſu locus eſt athitris, in quos partes compromittant, c. Cauſa; 9. de in integr. reſtit. Aliud verò diceadum eſt, ſi cauſa civilis inter Epiſcopum, & Clericum ſuum orta ſit, tum enim Arbitri, partium conſenſu eligendi ſunt, c. Si Clericus; 46. cauſ. 11. q. 1. ubi Gloſſ. V. Arbitros rationem reddit, quia Metropolitaous non eſt Judex Clerici, qui eſt ſubjectus Suffraganeo: nec coram Epiſcopo poteſt conveniri, cùm hic non poſſit eſſe ſimul actor, & judex: poteſt

tamen ab Epiſcopo Clericus ſubditus, quo cum ipſe controverſiam habet, compelli ad eligendum arbitros. Gloſſ. io cit. c. Si Clericus; & Gloſſ. in c. Irrefragabili; 13. §. Cæterùm; V. Super hoc delegatus.

Verùm, ſi Concilium provinciale longo tempore non celebretur (ſicut apud nos in Germania ab hominum memoria nulla Synodus Provincialis habita fuit) neque in Provincia ab Urbe remota ſit Legatus Apoſtolicus; tunc, ſi Clericus criminaliter accuſet ſuum Epiſcopum, vel contrà Epiſcopus Clericum non exemptum, à quo injuria, vel damno injuſto affectus eſt, certè alius Judex in tali cauſa adiri non poteſt, quàm Archiepiſcopus, quippe cùm ipſe Epiſcopus in cauſa propria non poſſit eſſe judex: neque ad Arbitros in cauſa criminali conſuetum ſit confugere; cùm ea majores Judices exigat; neque etiam Papa, ob quamvis cauſam inter Epiſcopum, ac ſubditum, adiri poſſit, vel debeat, ita tamen, ut ob allatam, & probatam probabilem cauſam, Archiepiſcopus recuſari, & ab eo ad Papam appellari poſſit. Imola in c. Paſtoralis; 11. n. 10. h. t. & ibid. Laym. n. 1. & de juriſd. ordin. concl. 81. Idque confirmatur ex eo, quia, cùm Archiepiſcopus, ſecundùm SS. Canones, ſit Judex ordinarius totius Provinciæ ſuæ, ejúſque juriſdictio, quoad exercitium erga ſubditos Suffraganeorum, potiſſimùm ſit ſuſpenſa in gratiam eorundem Suffraganeorum; ideo, ſi Epiſcopus ipſemet id petat, vel res ipſa exigat, ut Archiepiſcopus talem cauſam cognoſcat, conſequens eſt, ut ea ad eundem tanquam proximum Superiorem devolvatur, alioqui enim Eccleſiaſticis perſonis non eſſet ſatis proſpectum in judicijs criminalibus. Layman. c. 1.

XXIX. Aſſertio 6. Sextus caſus exceptus eſt, ſi Epiſcopus ſit negligens in exercenda juriſdictione, & officio ſuo, tum enim ejus poteſtas devolvitur ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, ſecundùm plurium Doctorum ſententiam, ut tradit Gloſſ. in cit. c. Paſtoralis; V. Exceptis; h. t. Hoſtienſ. in ſumm. §. Sunt autem diſtinctæ; V. Deſes Præſul, eodem, & alij ferè communiter. Verùm probabilius eſt, Archiepiſcopum non poſſe ſupplere negligentiam, ac defectum Epiſcopi, niſi in caſibus jure expreſſis, arg. cit. c. Paſtoralis; ubi dicitur, quòd Archiepiſcopus in ſubditos Coëpiſcopi nullam juriſdictionem habet, exceptis quibuſdam articulis. Abb. ibid. n. 10. & 12. Ratio eſt, quia, cùm verſemur in materia prohibitoria, eo ipſo, quòd Archiepiſcopo juriſdictio in caſu aliquo erga ſubditos Epiſcopi Suffraganei conceſſa non reperitur, prohibita cenſeri debet, c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. in 6. nullibi autem reperitur expreſſum, quòd Archiepiſcopus, ſi Suffraganeus Epiſcopus ſit negligens in ſuo officio, poſſit exercere juriſdictionem in ſubditos illius. Quamquàm in caſu negligentiæ, ſi Epiſcopus juriſdictionem exercere negligat, Archiepiſcopus eundem mandatis, ac cenſuris compellere poſſit, ad juſtitiam adminiſtrandam, & officium præſtandum. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 80. Non obſtat text. in c. Cùm ſimus; 3. cauſ. 9. quæſt. 3. quia loquitur in caſu ſpeciali, quando nempe Epiſcopus eſt negligens in conſtituendo generalem Oeconomum in ſua Eccleſia, quod non debet extendi ad omnem alium caſum negligentiæ commiſſæ ab Epiſcopo, contra regulam traditam in cit. c. Paſtoralis; in princ. quod ſolùm in certis caſibus ſpecialiter exceptis Archiepiſcopus juriſdictionem habeat in ſubditos Coëpiſcoporum. Abb. ibid. n. 10. Non obſtat etiam c. Quanto; 7. h. t. quia loquitur de Archiepiſcopo tanquam Ordinario Epiſcopo illius loci; vel in caſu illius c. factum, ſeu delictum, erat notorium, quia Regulares exiſtentes in Provincia Archiepiſcopi, extra propriam ejus Diœceſin, diſcurrebant per Curias Principum, quod non poterat non eſſe notorium: Archiepiſcopus autem notoria delicta totius Provinciæ punire poteſt, c. 1. §. Notoria; de cenſib. in 6. Abb. in cit. c. Quanto; n. 6. & in cit. c. Paſtoralis; n. 10.

Plures caſus, in quibus juriſdictio in ſubditos Suffraganeorum devolvitur ad Archiepiſcopum, recenſet Gloſſ. in cit. c. Paſtoralis; V. Exceptis; h. t. Hoſtienſ. in ſumma. §. Sunt autem diſtinctæ; eodem tit. Quaranta. cit. §. Archiepiſcopi auctoritas.

XXX. Cæterùm, quod dictum eſt de Archiepiſcopis, extendendum etiam eſt ad Primates, ac Patriarchas, qui juriſdictionem quoque Epiſcopalem, & ordinariam habent in omnes Metropolitanos, ſeu Archiepiſcopos ſibi ſubjectos: nam ſicut plures Epiſcopi ſunt ſub uno Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano; ita plures Metropolitani ſunt ſub uno Primate, ſeu Patriarcha, ut colligitur ex c. 1. diſ. 99. Abb. in c. Duo; 9. n. 1. h. t. ſicut ergo Metropolitani, ſpectato Jure communi, non poſſunt exercere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum Epiſcoporum: ita nec Primates, aut Patriarchæ erga ſubditos Archiepiſcoporum, adeóque neque cauſas eorum cognoſcere poſſunt; ut conſtat ex c. Duo ſimul; 9. h. t. Nam quia Patriarcha Hieroſolymitanus Clericos Archiepiſcopi Turonenſis conquerentes de ſuis Epiſcopis compellebat coram ſe in judicio agere, & reſpondere: cùm tamen ipſi parati eſſent coram Archiepiſcopo Turonenſi, tanquam Metropolitano ſuo, in judicio comparere: dictus Archiepiſcopus de hoc queſtus eſt apud Papam Innocentium III. qui reſpondit: cùm ſit in SS. Canonibus definitum (c. Nullus; 7. et c. Conqueſtus; 8. cauſ. 9. q. 3.) Primates, vel Patriarchas, nihil juris præ cæteris (Metropolitanis in ſubditos Archiepiſcoporum) habere, niſi quantum eis SS. Canones concedunt, ut, ſi cauſa per appellationem ad Patriarcham ſit delata: vel antiqua, ſeu diuturna conſuetudo (legitimè præſcripta. Gl. hîc V. Conſuetudo) vel ſpeciale Apoſtolicæ Sedis privilegium, ſive illud ipſi Eccleſiæ, ſive perſonæ ſit conceſſum. Quare ſi Clerici Turonenſes coram Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano ſuo juri ſtare noluerint, compelli non debent coram Patriarcha judicium ſubire. Ubi ſubintelligi debet, *maximè*, nam etſi nollent coram Archiepiſcopo judicium ſubire, ab eo compelli poſſunt, niſi ipſe conſentiret, juxta c. Significâſti; 18. de foro compet. Gloſſ. hîc V. Voluerunt.

Ex quo patet, quòd tres ſunt modi, quibus juriſdictio ordinaria acquiri poteſt, vel per legem, ſeu Canonem: vel per diuturnam, & antiquam conſuetudinem, vel per ſpeciale privilegium Papæ; idque vel conceſſum Eccleſiæ, ſeu dignitati Eccleſiaſticæ, vel perſonæ, ſeu Prælato ipſius Eccleſiæ, Imol. hîc n. 1. & Abb. n. 1. not. 3.

XXXI. Ubi præterea notandum, hoc eſſe diſcrimen inter Patriarcham, & Primatem, quòd omnis Patriarcha etiam Primas dici poſſit, ſeu primæ, ac primariæ Sedis Epiſcopus, ut colligitur ex c. 1. cit. diſ. 99. non tamen vice verſâ, omnes Primates Patriarchæ appellari poſſunt, quia Patriarchæ majoris ſint dignitatis, & honoris. Jo. Andr. in cit. c. Duo; anm. 8. Durand. in ſpec. tit. de juriſdict. omn. judic. n. 8. cujuſmodi quatuor ſunt, Antiochenus, Alexandrinus, Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus, c. Antiqua; 23. de privileg. Alij verò Patriarchæ ſunt minùs Principales: & de his rectè intelligitur, quòd dicitur, inter Patriarcham, & Primatem diverſitatem eſſe in nomine, ſed dignitatem eandem, cit. c. 1. diſ. 99. Gloſſ. in cit. c. Duo; V. Patriarchas. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. tit. 1. c. 6. n. 7.

§. III.

Alia nonnulla quæſtiones circa iuriſdictionem, & poteſtatem Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani proponuntur, & reſolvuntur.

XXXII. Quæritur 1. An, & quâ ratione Archiepiſcopus poſſit excommunicatum ab Epiſcopo Suffraganeo abſolvere? Reſp. Etſi Metropolitanus poſſit excommunicatum à Coëpiſcopo, ſi ab eo ad ipſum appellatum ſit, abſolvere, c. Per tuas; 40. de ſentent. excommun. c. Venerabilibus; 7. §. Porrò; eodem in 6. quia per appellationem juriſdictionem acquiſivit, cùm cauſa in eum translata ſit, acceſſorium autem ſequitur principale. Suar. diſ. 7. de cenſur. ſec. 2. num. 32. ut tamen id licitè fiat, ſervari debet modus à jure præſcriptus, qui colligitur ex c. » Ad reprimendam; 8. h. t. ubi decernitur: ſi Epi» ſcopus Diœceſanum ſibi ſubditum excommuni» cavit, etiam alij Epiſcopi, ipſéque Metropolita» nus ipſum pro excommunicato habere debent: » ſicut enim ipſi ſententias à ſe latas in ſubditos in» violabiliter obſervari volunt; ita etiam canonicè » latas ab alijs ſententias, ac cenſuras, & ipſi obſer» vare debent, & facere à ſubditis ſuis obſervari. Si » verò excommunicatus ab Epiſcopo de injuſta ex» communicatione apud Archiepiſcopum conque» ratur, is non debet ordinariè eundem abſolvere, » ſed Coëpiſcopo deferens, remittere excommuni» catum ad excommunicatorem, ut ab eo, ſecun» dùm Eccleſiæ formam, abſolvatur, quia ſententia » excommunicationis (vel alterius cenſuræ) per ap» pellationem non ſuſpenditur. Si verò Epiſco» pus excommunicatum abſolvere recuſet, Archie» piſcopus eundem abſolvat, recipiendo priùs ab eo » juratoriam cautionem, quòd Epiſcopo, in eo, pro» pter quòd excommunicatus fuit, competentem ſa» tisfactionem præſtare velit: niſi legitimè conſti» terit, eum injuſtè excommunicatum fuiſſe. Quòd » ſi excommunicatus ſatisfacere contempſerit, eâ» dem, quâ antè tenebatur, excommunicationis » ſententiâ, Archiepiſcopus eum iterum obſtringet, » remotâ appellatione.

XXXIII. Notandum 1. Excommunicatus in uno loco, ubique pro excommunicato habendus eſt, quia excommunicatio afficit perſonam, eámque comitatur, ſicut lepra leproſum. Abb. hic num. 2.

Notandum 2. Etſi ſententia excommunicationis, vel alterius cenſuræ non ſuſpendatur per appellationem, quia ſecum trahit executionem, ſive ſtatim privat hominem communibus bonis Eccleſiæ, c. Paſtoralis; 53. §. Verùm; de appell. Gloſſ. hîc. V. Suſpendatur: per illam tamen cauſa devolvitur ad Superiorem, ad quem appellatum eſt, ut ipſe cognoſcat, juſténe, an injuſtè talis fuerit excommunicatus, & an abſolvendus ſit, néccne? Abb. hîc num. 8. & 9. Verùm de hoc plura ſuo loco.

Notandum 3. Etſi per appellationem à ſententia excommunicationis, vel alterius cenſuræ, cauſa devolvatur ad Superiorem, poteſt tamen nihilominus Judex, à quo appellatum eſt, abſolvere appellantem ab eo excommunicatum, quia is juriſdictionem ordinariam, quam habebat, non amiſit, ſed tantùm impeditam habet, ſeu ſuſpenſam, ut nihil agere poſſit, quòd effectum appellationis impedire poſſit: conferre autem abſolutionem non impedit effectum appellationis, ſed potiùs juvat ad illam meliùs proſequendam. Suar. cit. diſ. 7. ſec. 2. num. 33.

Notandum 4. Quod dictum eſt, Metropolitanum ordinariè non debere excommunicatum ab Epiſcopo Suffraganeo abſolvere, ſed ad excommunicatorem remittere, tametſi ab ipſo ſit appellatum, id limitari debet 1. Niſi conſtiterit, appellantem injuſtè fuiſſe excommunicatum ab Epiſcopo, ut patet ex cit. c. Ad reprimendam; ad quod cognoſcendum excommunicator Epiſcopus citari debet, ut eo præſente, de injuſtitia excommunicationis cognoſcatur, ut tradit Gloſſ. in c. Sacro; 48. V. Conſtiterit; de ſentent. excommun. & ſumitur ex c. Romana; 3. §. Sententias; de appell. in 6. 2. Si Epiſcopus, qui excommunicavit, abſolvere nolit; tunc eum Archiepiſcopus abſolvet, juxta cit. c. Ad reprimendam. 3. Si periculum ſit in mora, cit. c. Sacro; ibi: *ſi abſque periculo moræ poteſt*. Abb. hîc n. 3.

Notandum 5. Excommunicatus, antequam abſolvatur in foro externo, præſtare debet cautionem ſaltem juratoriam de ſatisfaciendo, modò non ſit ſuſpectus de violatione juramenti; tunc enim exigenda foret ab eo cautio idonea per fidejuſſores. Abb. hîc num. 4.

Notandum 6. Si abſolutus ab excommunicatione, præſtitâ cautione de ſatisfaciendo, poſteà nolit ſatisfacere, non reincidit in priorem excommunicationem ipſo facto, ſed debet iterum excommunicari, prout ſumitur ex cit. c. Ad reprimendam; in fine. Abb. ibid. n. 4. not. ult. ubi addit, id fallere in caſibus, qui habentur in c. Eos qui; 22. de ſentent. excomm. in 6.

XXXIV. Quæritur 2. An non obſtante mandato Papæ dato Ordinario, ut ſubditos ſuos corrigat, poſſit ab ipſo appellari ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum? Reſp. Affirmativè, ut conſtat ex c. Licet; 12. h. t. ubi habetur, quòd Innocentius III. » mandavit Epiſcopo Pariſienſi, ut tam in Religioſos, »

quàm

» quàm Cleticos ſeculares ſuæ juriſdictioni ſubje- » ctos, qui multa, & gravia crimina committere di- » cebantur, iuquirat, eóſque, qnos deliquiſſe depre- » henderit, juxta Canonicas Sanctiones corrigat, ac » puniat, appellatione remotâ, & quæ ad morum re- » ſormationem pertinere videntur, ſtatuat. Quare E- » piſcopus Pariſienſis dicebat, quòd nullus ex ſuis » ſubditis ad Archiepiſcopum Senonenſem tanquam » Mettopolitanum poſſit appellare, cùm in mandato » Papæ appellatio fuerit prohibita. Conſultus ſuper » hoc Papa, is reſpondet, ſe nec voluiſſe, nec debuiſſe » per mandatum hujuſmodi juriſdictioni Archiepi- » ſcopi derogare, quò minùs ad ipſum, tanquam » Metropolitanum à ſententia, aut gravamine Epi- » ſcopi appellari poſſit, in caſibus alioquin jure » conceſſis (quia v. g. Epiſcopus inquiſitionem in- ſtituit ſuper criminibus, non præcedente infama- tione, vel non citavit illum, contra quem inſtituta eſt inquiſitio, vel non ſervatâ debitâ formâ inqui- » ſitionis. Gloſſ. hîc V. Appellare;) quia tali caſu » non cenſetur Epiſcopus conſtitutus delegatus Pa- » pæ, ſed excitata ipſius juriſdictio ordinaria, ut pro- » cedat in cauſa tanquam Judex ordinarius. Ratio dubitandi fuit, quia, ſi in caſu hujus c. Epiſcopus tanquam delegatus Papæ proceſſiſſet, vel inquiſiviſſet, tum ab eo non ad Metropolitanum, ſed ad Papam delegantem appellari debuiſſet, c. Super; 27. §. Porrò; de offic. deleg. Gloſſ. hîc V. Tanquam delegato. Sed quia Epiſcopo à Papa mandata fuerunt ea, quæ ad Ordinarium ejus officium pertinent, videlicet, ut inquirat, ac puniat crimina Clericorum ſecularium, ſibi ſubjectorum, & Regularium non exemptorum; ideo cenſeri debet, ipſum non eſſe conſtitutum delegatum, ſed Papam ſolùm voluiſſe eum inſtruere, & commonere ad præſtandum officium ſuum Ordinarium, adeóque vi hujus mandati, Epiſcopus non potuit procedere, ut delegatus, cùm ex eo non habeat juriſdictionem delegatam. Gloſſ. hic V. Mandati; niſi ex adjunctis appareat, aliam fuiſſe mentem, ſeu intentionem Papæ. Innocent. hîc num. 1. & Abb. num. 3. Imol. n. 8. & dictum ſupr. n. 10.

XXXV. Ubi præterea notandum 1. Si in reſcripto, ſeu mandato Apoſtolico adjecta ſit clauſula, *appellatione remotâ*, ut in caſu hujus c. tum ea intelligi debet, ſecundùm naturam ejus, cui adjicitur, ut, ſi prohibeatur appellatio à correctione Superioris, id intelligi debet, niſi modus in corrigendo excedatur, quia aliàs, qui legitimè corrigit, non gravat. Gloſſ. hîc in notat. & V. Interclusum. Abb. num. 1. & 2. neque etiam per hujuſmodi clauſulam prohibetur, quò minùs ab inferiore Judice ad Superiorem, v. g. ab Epiſcopo ad Metropolitanum, in alijs caſibus, in quibus jure conceſſa eſt appellatio, appellari valeat, ut patet ex cit. c. Licèt; ibi: *In inquiſitionibus ab eodem Epiſcopo, non tanquam delegato, ſed tanquam Ordinario faciendis*, & infrà ibi: *Tanquam ad Metropolitanum appellari valeat*, h. t. neque enim in dubio cenſetur Papa velle per ſuum mandatum alicui præjudicium inferre. Gloſſ. magna hîc in fine.

Notandum 2. Non tantùm in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus ab Epiſcopo appellari poteſt ad Archiepiſcopum, ſive procedatur per viam accuſationis, ſive per viam inquiſitionis. Abb. in cit. c. Licèt; n. 3. not. ult. h. t.

Notandum 3. Si Epiſcopus per errorem exiſtimans, ſe, vi mandati Apoſtolici, eſſe conſtitutum delegatum Papæ, cùm tamen is noluerit cauſam delegare, ſed ſolùm excitare juriſdictionem Epiſcopi ordinariam, ut in caſu cit. c. Licèt; procedat, ut delegatus, proceſſus, & acta ipſius ſunt omnino irrita; quia poteſtate ordinariâ, quâ potuiſſet, noluit procedere: poteſtate verò delegatâ, quâ voluit, non potuit procedere, cùm ea non fuerit illi, vi hujus mandati, commiſſa, ſeu conceſſa, arg. c. Cùm ſuper; 23. de offic. deleg. Abb. in cit. c. Licèt; n. 6.

XXXVI. Quæritur 3. In quo loco Archiepiſcopus exercere poſſit juriſdictionem ſuam erga ſubditos Suffraganeorum? Reſp. De hoc agitur in c. Ut litigantes; 5. h. t. in 6. ubi Papa Bonifacius VIII. » ut litigantes à laboribus, & expenſis releventur, » ſtatuit, ne Archiepiſcopus cauſas ſubditorum Coë- » piſcopi, ſeu Suffraganei, quæ per appellationem, » vel aliàs jure Metropolitano ad ipſum delatæ ſunt, » alibi cognoſcere, aut cognoſcendas committere, » ſeu delegare poſſit, quàm in propria ſua Civi- » tate, aut Diœceſi, vel in illa eâdem Diœceſi, ex » qua cauſæ illæ ſunt profectæ, ac devolutæ: ni- » ſi aliud per conſuetudinem hac in re ſit intro- » ductum. »

Ex quo patet, quod Legatus Sedis Apoſtolicæ ad plures Provincias deſtinatus, in hoc etiam plus juris, ac poteſtatis habet, quàm Archiepiſcopus, qui plures ſub ſe Diœceſes habet, quòd ille in quovis loco Provinciarum, cauſas per ſe, vel per alium cognoſcere poſſit, ſive cauſas unius Provinciæ in alia, c. Novit; 7. de offic. Legat. At verò Archiepiſcopus ordinariè non poteſt cognoſcere cauſas ſubditorum Suffraganei ſui, extra propriam Diœceſin, in Coëpiſcopi Diœceſi, niſi ex ea ad ipſum ſint devolutæ, quia Archiepiſcopo nō competit exercitium juriſdictionis, præterquam in caſibus jure ipſi conceſſis, c. Paſtoralis; 11. in princ. h. t. Ancharan. in cit. c. Ut litigantes; not. 2.

XXXVII. Etſi verò regulariter, & jure Ordinario, Archiepiſcopus non poſſit in qualibet Diœceſi ſuæ Provinciæ cauſas cognoſcere: excipi tamen debet 1. Niſi aliud conſuetudine ſit receptum, cit. c. Ut litigantes; in fine: modò ea ſit legitimè præſcripta, ſcilicet ſpatio 40. annorum, quia ſicut ad conſuetudinem contrà Jus Canonicum inducendam, requiritur tempus 40. annorum, ita etiam, quando eſt conſuetudo contra rationem in jure expreſſam. Gloſſ. hîc V. Statuimus; junct. Gloſſ. margin. Excipitur 2. Niſi partes litigantes conſentiant, ut in alio loco, ſeu Diœceſi cauſa cognoſcatur per Archiepiſcopum, vel delegatum ipſius, quàm ex qua, & ad quam devoluta eſt, quia, cùm hoc jus ſit in favorem litigantium introductum, poſſunt illi renunciare, c. Ad Apoſtolicam; 16. de Regulat. in 6. Gloſſ. hîc V. Expenſis; arg. c. Statutum; 11. §. In nullo; de reſcript. in 6. dummodo etiam accedat Epiſcopi, ſeu Ordinarij illius Diœceſis, in qua cauſa tractatur, conſenſus. Gloſſ. cit. loc. cùm alioqui Epiſcopus non poſſit ingredi Diœceſin ſui Suffraganei, ut aliquid ibi agat, vel judicet, niſi in caſibus jure permiſſis, c. 1. h. t. in 6. Sufficit autem probabiliter ta-

citus

citus conſenſus Ordinarij loci, ſi id ſciat, & non contradicat, ſeu prohibeat, cùm poſſet, quia juri ſuò, ſive expreſsè, ſive etiam tacitè renunciare poteſt. Ancharan. hîc not. 3. & Franc. num. 3. & num. 4. in fine. His addendum, quòd ſæpe ob cauſæ mediocritatem, & itineris longinquitatem, cauſæ appellationum non poſſint cognoſci in Curia Metropolitana, ideóque in Diœceſi litigantium per delegatum expediendæ ſunt, arg. l. Non poteſt; 26. C. de appellat. Ancharan. in cit. c. Ut litigantes; not. 1. h. t. in 6.

SECTIO III.

DE JURISDICTIONE, officio, & poteſtate Epiſcopi.

XXXVIII. Epiſcopus in Diœceſi ſua ordinatiam juriſdictionem generalem obtinet, c. 1. h. t. c. Cùm Epiſcopus; 7. eodem in 6. habet enim illam à lege, ſeu Canone, & ad univerſitatem cauſarum, adeóque ordinariam, ut notant DD. in cit. c. 1. h. t. Et quidem, non ſolùm in Clericos ſeculares, & Regulares, niſi ſpecialiter à juriſdictione Epiſcopi ſint exempti; ſed etiam in Laicos in cauſis ſpiritualibus, & mixtis, id eſt, ijs, quæ ſunt utriuſque fori, tam Eccleſiaſtici, quàm ſecularis, c. Cùm ſit; 8. c. Ex tenore; 11. de foro compet. Nomine autem Epiſcopi, cui ordinaria juriſdictio competit, intelligi debet, qui electus, aut nominatus, & confirmatus eſt, etſi conſecratus non ſit, c. Tranſmiſſam; 15. de elect. Sed & quilibet Prælatus exemptus, ſive Regularis, ſive ſecularis, qui in ſubditos ſuos quaſi Epiſcopalem juriſdictionem exercet, eſt Judex ordinarius in territorio ſuo. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 8. num. 6. ex communi.

§. I.

An Epiſcopis poteſtas iuriſdictionis ſuæ competat immediatè ex Iure Divino, an verò ex Iure humano, ſeu Eccleſiaſtico?

XXXIX. Senſus hujus quæſtionis eſt, an Epiſcopi poteſtatem juriſdictionis immediatè accipiant à Chriſto, an verò ab Eccleſia, ejúſque Capite Romano Pontifice? Priorem ſententiam tenent Petrus Sotus, & plures alij DD. apud Azor p. 2. Inſtit. lib. 3. cap. 30. quæſt. 13. cujus rationes, & fundamenta infrà afferentur. Verùm oppoſita ſententia eſt veriſſima, & hodie communis Theologorum, & Canoniſtarum, quam tenet Turrecremata in c. 1. diſ. 22. Azor c. l. Molina tract. 4. de juſtit. diſ. 4. num. 1. & 2. Barboſ. p. 1. de offic. & poteſtat. Epiſc. tit. 1. c. 1. num. 18. & ſeqq. & noviſſimè Fagnan. in c. 1. num. 30. & ſeq. h. t. & alij apud ipſos citt. nam, licèt ipſum Epiſcopale munus, ſeu officium, ejúſque juriſdictio ordinaria ſit à Chriſto inſtituta in generali, adeóq; nòn ſit temporalis gubernandi poteſtas à Republ., vel Magiſtratu humano, & civili inſtituta, ſed ſpiritualis, ac divina, à Chriſto inſtituta in genere: ſi tamen conſideretur Epiſcopalis juriſdictio, ipſúmque Officium Epiſcopale, prout in particulari huic, vel illi ſubjecto confertur, reſpectu horum, vel illorum ſubditorum, ut ſic ejus juriſdictio immediatè derivatur, & confertur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Chriſti, & ſummo univerſalis Eccleſiæ Paſtore, ac Succeſſore Petri, cui à Chriſto dictum eſt, *paſce oves meas*, Joann. 21. à quo tota juriſdictio, tam in conſcientiæ, quàm in externo foro in reliquas Eccleſiæ Poteſtates, ut in Patriarchas, Epiſcopos, omnes Prælatos Religionum, & in quoſcunque alios Judices, ac Superiores Eccleſiaſticos derivatur.

Idque probatur 1. Ex pluribus antiquis Canonibus, in quibus dicitur, quòd Eccleſia Romana ſit prima, quæ ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, c. Qui ſcit; 12. cauſ. 2. quæſt. 6. 2. Quòd omnes Patriarchales, Metropolitanas, Epiſcopales Eccleſias inſtituit Romana Eccleſia, c. Omnes; 1. diſ. 22. 3. Quòd Apoſtolica Sedes eſt cardo, & caput omnium Eccleſiarum à Domino conſtituta, à qua omnes Eccleſiæ reguntur, ſicut cardine oſtium regitur, c. Sacroſancta; 2. diſ. cit. 4. Nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes, & ab Eccleſia Romana eos principium accepiſſe, c. Quis neſciat; 11. diſ. 11. 5. Eccleſiæ particulares comparantur ad Eccleſiam Romanam, ſicut radij ad ſolem, rami ad radicem, rivuli ad fontem, c. Loquitur; 18. cauſ. 24. quæſt. 1. Unde evidenter infertur, quòd omnes Eccleſiæ particulares, ab Eccleſia Romana, ejúſque Capite Romano Pontifice proximè ſumant originem, & omnem poteſtatem juriſdictionis. Turrecremata c. l. num. 2.

Probatur 2. Ratione S. Thom. 2. 2. quæſt. 39. art. 3. ſi poteſtas juriſdictionis Epiſcopalis immediatè eſſet data à Chriſto, non poſſet Epiſcopis auferri ab Eccleſia, vel S. Pontifice, ſicut poteſtas Sacramentalis, ſeu Ordinis non poteſt auferri, quia confertur per conſecrationem, per quam imprimitur animæ character indelebilis, ac proinde immediatè confertur, & accipitur à Chriſto: atqui poteſtas juriſdictionis Epiſcopis auferri poteſt ab Eccleſia, vel Summo Pontifice, ut patet in Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, degradato, depoſito, hæretico, vel ſchiſmatico: ergo falſum eſt, poteſtatem juriſdictionalem Epiſcoporum immediatè conferri, vel accipi à Chriſto. Azor cit. c. 30. quæſt. 13.

Confirmatur, quia Romanus Pontifex ſolus per ſe, vel per alios, ſuâ auctoritate, & conſenſu, Epiſcopos creat, deſignat, eligit, inſtituit, transfert, & deponit, ſeu amovet, & eorum poteſtatem auget, vel reſtringit: ipſe Diœceſes erigit, dividit, ampliat, minuit, quod eſt evidens ſignum, Epiſcopos omnes juriſdictionem proximè accipere, & obtinere à Papa. Azor c. l. Barboſ. c. l. n. 27.

XL. Objicitur 1. Illud Actor. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus S. vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Reſpondetur: Epiſcopos eſſe à Spiritu S. conſtitutos in particularibus Eccleſijs, non immediatè, ſed mediante juriſdictione, quæ ſingulis tribuitur proximè à Papa, ſicut etiam illi Epiſcopi, de quibus ibi loquitur S. Paulus, erant à Spiritu S. poſiti; non autem proximè, ſed per ipſos Apoſtolos, qui illis juriſdictionem dederant: ſic, quod Eccleſia facit, vel præcipit, dicitur Spiritus S. facere, non proximè, ſed mediante Eccleſiâ; quomodo etiam idem S. Paulus ad Epheſ. 4. dicit: Deum poſuiſſe quoſdam Apoſtolos, alios Doctores, alios Paſtores, uſque ad conſummationem ſeculi; & tamen non omnes Doctores, aut Paſtores ponit Deus immediatè per ſeipſum, ſed per Vicarium ſuum, ſcilicet Papam. Azor c. l.

Objicitur 2. Epiſcopi ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum, c. In novo; 2. diſ. 21. & tradit Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 4. ſed Apoſtoli immediatè à Chriſto acceperunt omnem poteſtatem juriſdictionis: ergo etiam cenſeri debet Epiſcopis, eorum Succeſſoribus, ab eodem immediatè eſſe conceſſam juriſdictionem. Reſpondetur: Inprimis plures aiunt, Apoſtolos non immediatè accepiſſe juriſdictionem à Chriſto, ſed à Petro, juxta c. Ita Dominus; 7. diſ. 19. & fusè probat ibidem Turrecrem. Deinde negatur conſeq. quia ex eo, quòd Chriſtus in prima Eccleſiæ fundatione immediatè dedit Apoſtolis poteſtatem juriſdictionis, non rectè infertur, ergo etiam poſtea in propagatione Eccleſiæ immediatè eandem poteſtatem dat alijs Epiſcopis, qui non ſunt Apoſtoli, & non mediante Vicario ſuo Generali: ſicut non ſequitur, in prima creatione mundi, cœli, & elementa, ac partes principales mundi immediatè à Deo facta fuerunt, ergo etiam in propagatione mundi omnia immediatè fiunt à Deo, non mediantibus cauſis ſecundis. Turrecrem. c. l. & in cit. c. Omnes; num. 3. diſ. 22.

Ubi notandum eſt diſcrimen inter poteſtatem juriſdictionis à Chriſto immediatè conceſſam Petro, & cæteris Apoſtolis: nam Petrum ſibi ſubſtituit Vicarium, ipſique dedit poteſtatem per totum orbem inſtituendi, & creandi Epiſcopos omnium Eccleſiarum, quæ cùm data ſit, ratione officij Vicariatûs, velut ordinaria, & perpetuò duratura, etiam ad Succeſſores Petri tranſit. At verò cæteri Apoſtoli acceperunt quidem à Chriſto immediatè etiam poteſtatem fundandi Eccleſias, & conſtituendi Epiſcopos per totum orbem, ſed tanquam perſonale privilegium ea poteſtas data fuit Apoſtolis, ideóque ipſis decedentibus, exſpiravit, nec ad Succeſſores Epiſcopos tranſijt, quia ipſi non ſucceſſerunt Apoſtolis in dignitate Apoſtolatûs, cui illa poteſtas annexa fuit, ſed ſolùm in officio Epiſcopatûs; & quamvis etiam primi Epiſcopi, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, & à quibus in certis Eccleſijs ſunt conſtituti, ab ijſdem acceperint juriſdictionem ordinariam, tamen poſt mortem eorum, Petro, vel ejus Succeſſoribus ſubjectam. Azor cit. quæſt. 13. §. Dices. Barb. c. l. num. 31. & ſeqq.

Verùm ulteriùs inſtari poteſt, Epiſcopi etiam poteſtatem Ordinis non accipiunt immediatè à Deo, quia Deus nullum Epiſcopum immediatè per ſe ipſum ordinat, vel conſecrat, ergo quoad hoc, nulla eſt differentia inter poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis. Reſpondetur: Cùm datur poteſtas Ordinis, ea datur ſolùm, mediante ordinatione, ſeu conſecratione, vel ordinante, ſeu conſecrante, per quem velut miniſtrum, ſeu inſtrumentum Dei, poteſtas Ordinis confertur, ideóque cenſetur adhuc immediatè à Deo dari, neque auferri, minui, vel reſtringi poteſt. Sed cùm confertur poteſtas juriſdictionis, illa confertur, mediante perſonâ Papæ, qui non præcisè ut inſtrumentum Dei, ſed tanquam Vicarius Chriſti omnem juriſdictionem Eccleſiaſticam alijs Eccleſiæ Miniſtris communicat, ideóque non cenſetur proximè dari à Chriſto, ſed à S. Pontifice, qui juriſdictionem Epiſcopi minuere, vel omnino tollere poteſt. Azor c. l. in 2. object.

Porrò ex eo, quòd Epiſcopi vocantur Legati, Vicarij, vel Miniſtri Chriſti, non ſequitur, eos immediatè à Chriſto juriſdictionem accipere, ſed mediante S. Pontifice, cujus non ſunt Vicarij pro arbitrio ipſius revocabiles, ſed ſunt Judices ordinarij à ſummo Vicario Chriſti ex ejus mandato conſtituti. Azor c. l. in object. 3.

§. II.

De duabus Legibus, iuriſdictionali, & Diœceſana, in quibus totum ius, ſeu officium, & poteſtas Epiſcopi conſiſtit.

De his agitur in duobus Capitulis h. t. nam quædam ſpectant ad officium Epiſcopi, ex lege juriſdictionis, ad quam omnes Eccleſiæ, ſeculares, & Regulares, quæ ſpeciali privilegio non ſunt exemptæ, obligantur, c. Monaſteria; 17. cauſ. 18. quæſt. 2. quædam ex lege Diœceſana, à qua omnia Monaſteria, etiamſi aliàs juriſdictioni Epiſcopi ſint ſubjecta, regulariter ipſo jure ſunt exempta. Gloſſ. in c. Dilectus; 18. V. De lege juriſdictionis; h. t. & ex infrà dicendis patebit.

XLI. Et inprimis quidem in c. Conquerente; 16. h. t. decernitur, & declaratur, quæ ſint jura Epiſcopalia: Nam, cùm Epiſcopus Aſſiſinarenſis ex » quibuſdam Capellis, ſeu Eccleſijs Parochialibus » cuidam Monaſterio S. Benedicti incorporatis, præ- » ter alia jura Epiſcopalia, etiam procurationes, ra- » tione viſitationis, exigeret: Oeconomus Monaſte- » rij propoſuit, Capellas illas ad has exactiones præ- » ſtandas non ſufficere, & petijt ſpecificari, quæ- » nam, ratione juris Epiſcopalis, ex illis deberentur: » quibuſdam verò ſpecificatis, lis inter partes le- » gitimè fuit conteſtata. Quare Papa Honorius » III. ſtatuit, & declaravit, Epiſcopo in Eccleſijs Pa- » rochialibus ſuæ Diœceſis, & Capellis etiam ad Mo- » naſteria ſpectantibus, competere canonicam obe- » dientiam, ſubjectionem, & reverentiam, inſtitutio- » nem, & deſtitutionem in beneficijs, correctionem, »

&

& reformationem morum, cenſuram Eccleſiaſticam, juriſdictionem quoque omnium cauſarum ad forum Eccleſiaſticum de jure ſpectantium: pœnitentias, collationem omnium ſacrorum, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda, Synodum, & exactionem Synodatici, ſeu Cathedratici, videlicet duorum ſolidorum: quartam decimarum, & mortuariorum; viſitationem quoque annuam: ita tamen, ut procurationis nomine plus non exigatur, niſi quantum præſtare potuerunt, penſatis earundem Eccleſiarum, ſeu Capellarum facultatibus; ne plus in procurationibus, quàm cæteræ Capellæ ejuſdem Diœceſis graventur. Et iſtis juribus in prædictis Eccleſijs Epiſcopus ſit contentus, nec amplius exigat, præter moderatum auxilium, ſive ſubſidium, quod juxta formam præſcriptam à Concilio Lateranenſi (in c. Cùm Apoſtolus; 6. de cenſib.) cum charitate poſtulandum eſt, ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit. Hinc patet, in quibus tum lex juriſdictionalis, tum lex Diœceſana Epiſcopi conſiſtat: quibus addi debet abſolutio, diſpenſatio, indulgentia, de quibus omnibus infrà in §.§. ſeqq. agetur.

XLII. Notandum hîc 1. Eccleſiæ Parochiales, ſeu Capellæ, etſi Monaſterio ſubjectæ, ſeu incorporatæ ſint, tenentur nihilominus ad jura Epiſcopalia, ſicut aliæ Eccleſiæ ſeculares: niſi Monaſterium ſit exemptum, etiam quoad Capellas ipſi ſubjectas, & incorporatas: vel niſi aliàs ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel legitimâ præſcriptione acquiſiviſſet jura Epiſcopalia in illis Eccleſijs, uti poteſt, juxta c. Auditis; 15. et c. Cùm olim; 18. de præſcript. Abb. hîc not. 2.

Notandum 2. Tametſi Monaſteria regulariter non obligentur ad ea, quæ ad legem Diœceſanam pertinent, ob favorem Religionis, c. 1. quæſt. 1. c. Inter cætera; 8. quæſt. 3. cauſ. 10. & ibi Gloſſ. V. Solutionis; c. Cùm pro utilitate; 34. cauſ. 16. quæſt. 1. c. Quàm ſit; 5. in fine, junctâ Gloſſ. V. Juribus; cauſ. 18. q. 2. c. Dilectus; 18. & ibi Gloſſ. V. De lege juriſdictionis; h. t. ratione tamen Capellarum, ſive Parochiarum ſecularium, quæ ipſis incorporatæ, nec exemptæ ſunt, eidem legi ſubjiciuntur. Gl. fin. in cit. c. Dilectus; & ſumitur ex c. Sanè; 6. cauſ. 16. q. 2. ſecus eſt, ſi eſſent Capellæ regulares, in quibus habitant Monachi, ſeu Regulares, tales enim Capellæ gaudent privilegio Monaſteriorum, & Monaſteria dici poſſunt. Abb. hîc n. 1. in notat.

Notandum 3. Epiſcopus, ultra jura Epiſcopalia in jure expreſſa, non poteſt aliquid exigere ab Eccleſijs ſibi ſubjectis, nec à Clericis ſubditis petere ſervitia in jure non expreſſa, vel collectas eis imponere, c. Quia cognovimus; 6. cauſ. 10. q. 3. præter moderatum ſubſidium charitativum. Abb. hîc not. 3.

Notandum 4. Omnes Clerici, ſive ſeculares, ſive Regulares non exempti, tenentur ad præſtandam Canonicam obedientiam Epiſcopo tanquam Judici, parendo mandatis ejuſdem, & ſubjectionem, tanquam Domino, & reverentiam, tanquam Patri, cit. c. Conquerente; h. t. & ibid. Abb. n. 2.

XLIII. Præterea in c. Dilectus; 18. h. t. habetur, quòd, cùm inter Abbatem Monaſterij Rothomagenſis, & Epiſcopum Venetenſem lis orta eſſet, Abbas proponebat, tertiam partem emendarum, id eſt, mulctarum pecuniariarum, quas Parochiani in quinque Parochijs propter delicta ſua ſolvere cogerentur, ad Monaſterium ſuum ab antiquo ſpectare: & quòd ortâ controverſiâ Eccleſiaſticâ inter ipſos Parochianos, citatio partium ad Monaſterium, ſed examinatio, & deciſio cauſæ ad Epiſcopum Venetenſem, & ipſum Monaſterium, ſimul & communiter pertineret, prout habetur in integra lectione hujus c. quam ponit Gloſſ. hîc in caſu. Quare Innocentius III. quibuſdam in mandatis dedit, ut auditis ijs, quæ utraque pars proponeret, cauſam inſtructam ad ipſum remitterent. Sed dictus Epiſcopus proceſſum judicij coram Judicibus delegatis impedire volebat, allegans ſententiam quandam, quæ pro ipſo contra Monaſterium lata eſſet, quòd idem Monaſterium in quibuſdam Eccleſijs, quoad legem Diœceſanam, nullum jus haberet. Verùm Abbas, re delatâ ad Honorium III. qui Innocentio ſucceſſerat, ei ſupplicavit, ut, cùm hîc non agatur de pertinentibus ad legem Diœceſanam, ſed de examinatione, deciſione, ſeu definitione cauſæ, & ſolutione mulctæ, quæ notoriè ad legem juriſdictionis pertinerent; ideo non permittat, prætextu ſententiæ illius, proceſſum cauſæ ulterius impediri. Itaque idem Honorius dictis Judicibus mandavit, ut non obſtante illâ ſententiâ, cùm prædicta ad legem juriſdictionis ſpectent, in negotio ipſis commiſſo, juxta formam eiſdem traditam, procedant.

XLIV. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Ut cognoſci poſſit, quæ ſint de lege juriſdictionis, vel de lege Diœceſana. Gloſſ. hîc V. De lege juriſdictionis; & Hoſtienſ. ibidem V. Ad legem juriſdictionis, tradunt hanc regulam, quòd ea, quæ conſiſtunt in dando, ſeu conferendo, vel in actione, pertinent ad legem juriſdictionis; ſicut eſt, cauſas audire, delicta punire, inſtituere, vel deſtituere, viſitare, excommunicare, ſuſpendere, interdicere, conferre Sacramenta, & alia ſimilia. At verò quæ conſiſtunt in recipiendo, ſive, ut Hoſtienſ. loquitur, in paſſione, ea ad legem Diœceſanam ſpectant, cujuſmodi ſunt recipere Cathedraticum, quartam decimarum, & mortuariorum, & alia hujuſmodi.

Verùm hæc regula nullo jure probari poteſt, quia nullibi dicitur, quòd ea quæ conſiſtunt in dando, ſint de lege juriſdictionis: quæ verò in recipiendo, ſint de lege Diœceſana: Imò id apertè convinci poteſt falſitatis, quia procurationes conſiſtunt in recipiendo, & tamen Monaſteria non ſunt exempta à procurationibus debitis, ratione viſitationis, c. Sopitæ; 14. de cenſib. & ad quartam mortuariorum obligantur etiam Monaſteria, c. Requiſiſti; 15. de Teſtament. & tamen in recipiendo conſiſtit. Contrà verò Synodi celebratio non conſiſtit in recipiendo, in qua præſidet Epiſcopus, & juriſdictionem exercet, & non venientes punit: & tamen ſecundùm Gloſſ. hîc eſt de lege Diœceſana. Abb. hîc num. 4. Itaque cùm in jure ſolùm expreſſum habeatur, quòd Monaſteria non ſubſint Epiſcopo, quoad legem Diœceſanam, ut patet ex canonibus ſuprà allegatis: ideo rectiùs, & congruentiùs dicitur, illa, à quibus Monaſteria

de jnre repetiuntur exempta, ad legem Diœceſanam pertinere, reliqua verò ad legem juriſdictionis. Jo. Audr. hîc n. 15. Abb. n. 4. Imola n. 6. ac proinde, ſi quis dicat, extra caſus jure expreſſos, aliquid pertinere ad legem Diœceſanam, ideóque Monaſterium ad illud non reneri, probare id debet. Abb. hîc circa finem. Quamvìs autem lex Diœceſana, ſtrictè ſumpto hoc vocabulo, diſtinguatur à lege juriſdictionis: ramen, ſi latè ſumatur, etiam juridictionalem ſub ſe comprehendit. Gloſſ. hîc V. De lege juriſdictionis; & Abb. n.2. Imol. n.6. in fine.

Notandum 2. Poteſt quis per antiquam conſuetudinem, ſaltem remporis immemorialis, acquirere juriſdictiunem, alias jure communi competententem ſoli Epiſcopo, licèt non poſſit allegare juſtam cauſam, ſive titulum, cur ſibi tale jus vendicet, ut in caſu hujus c. Abbas Rothomagenſis ſe fundabat ſolùm in antiqua conſuerudine. Imol. bic num. 3. & Abb. num. 3. quia talis immemorialis conſuetudo habet vim tituli, arg. l. Hoc jure; 3. §. Ductus; ff. de aqua quotid.

Notandum 3. Senteuria lata ſuper ijs, quæ pertinent ad legem Diœceſanam, nihil præjudicat ijs, quæ ſpectant ad legem juriſdictionis, quia ſunt leges diverſæ, à diverſis autem non fit illatio. Gloſſ. hîc in fine. Licèr aliàs, ſi eadem ſit cauſa, exceptio rei judicatæ, cùm ſir litis finitæ, opponi poſſit ad impediendum cauſæ proceſſum. Imol. hîc num. 4.

§. III.

De iis, quæ ad officium Epiſcopi ex lege iuriſdictionis ſpectant, & in ſpecie de poteſtate iudicandi, inquirendi, puniendi, & corrigendi, ac reformandi.

XLV. Aſſertio 1. Ad legem juriſdictionalem Epiſcopi pertinet inprimis cognitio judicialis omnium cauſarum ad forum Eccleſiaſticum externum ſpectantium, quas tanquam ordinarius Judex totius Diœceſis, per ſe, vel per alium audire poteſt, & cognoſcere, cit. c. Conquetente; & ibi Gloſſ. V. Juriſdictionem; h. t. Porrò Epiſcopus, ſpectato Jure communi, in juriſdictione cumulativè concurrit cum Prælatis inferioribus, præſertim ſecularibus, qui Eccleſiaſticam juriſdictionem fori externi ordinariam obtinent ſubordinatam Epiſcopo, cui ſunt ſubjecti videlicet Archidiaconus, Decanus, vel Capitulum Catbedrale, Præpoſitus, ſeu Rector Eccleſiæ Collegiatæ, & in quibuſdam etiam locis Decanus ruralis: item Abbas non exemptus, ita, ut inter eos locus ſit præventioni, & in cauſis civilibus optio detur Actori, an Renm ſtatim velit convenire coram Epiſcopo, an verò coram inferiore Prælaro Eccleſiaſtico, arg. l. ult. C. de juriſdict. omn. judic. nam Epiſcopus eſt ordinarius Judex Clericorum totius Diœceſis, c. Cùm Epiſcopus; 7. h. t. in 6. Abb. in c. Cùm Eccleſiarum; 3. num. 9. h. t. quamvìs in criminalibus coram ſolo Epiſcopo ſint conveniendi, c. 1. in fine, cauſ. 16. quæſt. 2. c. De perſona; 38. cauſ. 11. quæſt. 1. Abb. c. l. Præterquam, ſi hujuſmodi Prælati inferiores contra Epiſcopum, in certa parte Diœceſis, per privilegium, vel legitimè præſcripram conſuetudinem, acquiſiverint juriſdictionem fori exterui privativè, ſive excluſo Epiſcopo, ut apertè colligitur ex c. Irrefragabili; 13. junctâ Gloſſ. V. Per Capitulum; h. t. Abb. ibidem num. 1. & in c. Paſtoralis; 11. num. 7. eodem: runc enim Epiſcopus non poteſt cognoſcere cauſas, nec ſe immiſcere, niſi ab inferiore Prælaro ad ipſum Epiſcopum appellerur. Abb. in cit. c. Paſtoralis; num. 7.

XLVI. Aſſertio 2. Epiſcopi babent qnoque »
juriſdictionem ordinariam, ac liberam poreſtarem »
in Diœceſibus ſuis, adulteria, & alia ſcelera, ſe- »
cundùm Canones, inquirendi, & puniendi, abſque »
alicujus impedimenro, &, ſi opus fuerit, poſſunt »
etiam auxilium ſecularis Magiſtratûs invocare, non, »
ut unus Magiſtratus alreri præjudicet, ſed ut mu- »
tuò ſe adjuvantes, id, quod Deo placitnm eſt, exe- »
quanrur, prout ſtatuit Joannes Papa in c. Pernicio- »
ſam; 1. h. t. Idémque habetur in c. Licèt; 12. in princ. eodem.

XLVII. Notandum 1. Epiſcopum in criminibus poſſe procedere per viam inquiſitionis, dummodo præcedat infamia, ſi fiat inquiſitio ordinaria, & ſpecialis contra certam perſonam, quæ vicem accuſatoris obtinet, c. Qualiter; 24. de accuſat. Si verò inſtituatur inquiſitio extraordinaria, & generalis, ut, cùm Epiſcopus viſitans Diœceſin ex officio generaliter inquirit, an non aliqui criminoſi reperiantur, vel crimina committantur, vel, ſi crimen quidem ſit notorium, ſed ignoretur, quis fecerit, tum ſummariè, & ſinè ſtrepitu judicij, procedi poteſt, etiamſi infamia non præcedat. Abb. hîc n. 6. & alij communiter.

Notandum 2. Poſſunt Epiſcopi inquirere, & punire crimina, non tantùm Clericorum ſecularium, & Regularium non exemptorum, c. Licèt; 12. h. t. ſed etiam Laicorum, quia hæc Decretalis; cit. c. 1. h. t. generaliter loquitur de tota Diœceſi, adeóque non eſt reſtringenda ad Clericos, de quibus nullum fuerat dubium, ſed etiam Laicos comprehendit, quoad crimina merè Eccleſiaſtica, ut eſt hæreſis, ſimonia: vel quæ ſunt mixti fori, de quibus uterque Judex Eccleſiaſticus, & ſecularis cognoſcere poteſt, & eſt inter eos præventioni locus: quale crimen mixtum eſt, v. g. adulterium, in quo Epiſcopus procedere poteſt, etiam contra Laicos, ſi agatur de ejus prohibitione, & punitione. Innocent. hîc in princ. & Abb. num. 3. ſecus eſt, ſi agatur ad ſeparationem tori, runc enim eſt crimen merè Eccleſiaſticum, de quo non poteſt Judex ſecularis cognoſcere. Abb. c. l. quoad alia verò crimina, quæ non ſunt merè Eccleſiaſtica, nec mixti fori, non poſſunt ſe regulariter immiſcere Epiſcopi, nec procedere conrra Laicos in terris Imperij, in quos temporalem juriſdictionem non habent, cùm Eccleſtaſtica, & ſecularis ſint diſcretæ, ac diſtinctæ poreſtates. Gloſſ. in cit. c. 1. V. Secundùm qnod Canones. Imol. ibidem num. 5. Abb. num. 6. & alij DD. communiter.

XLVIII. Notan-

XLVIII. Notandum 3. Si neceſſitas poſtulet, poreſt interdum Epiſcopus etiam manu, ſeu vi armatâ juriſdictionem, & jura ſua rueri, quamvìs nullam temporalem jnriſdictionem habear : ideóque etiam in hunc finem Officiales, ſeu Miniſtros, ac milites armaros ſibi aſciſcere poreſt, ur eorum operâ juriſdictionem ſuam exercere, & cenſuras, ac alias pœnas Eccleſiaſticas execurioni mandare poſſit. Martha de juriſdict. p.1.c.50,n.33.& 14.Barb. de offic.Epiſc.alleg.107.n.2.& 3. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 68. cùm enim Epiſcopus poſſit jndicare, & punire delinquentes. cit.c. 1. h. t. conſequenrer etiam omnia illa ipſi conceſſa eſſe cenſeri debenr, quæ ad hoc exequẽdum ſunt neceſſaria. arg.l.2.ff. de juriſd. Quòd ſi Epiſcopus non habear ſufficiẽtem porenriam ad exercendam juriſdictionem ſuam, & vi compeſcendos inobedientes, porcſt auxilium petere à Magiſtratu ſeculari. c.1. in fine.et c.Quoniam; 14. in fine b. r. c. Principes; 20.cauſ.23. q.5. quia Eccleſiaſtica, & ſecularis poreſtas ſe mntuò adjuvare debent. Gl. in cit. c. 1, V. Publicum. arg.c.Cùm ad verum;6.diſ.96.

Porrò, ſicut Judex ſecularis deber animadvertere in eos, qui rebelles ſunr, & inobedientes Judici Eccleſiaſtico; ita vice verſâ æquiras poſtular, ur Judex Eccleſiaſticus, ad peritionem Magiſtratûs ſecularis, per cenſuras compellat ad obedientiam ſubditos eins conrumaces, & inobedientes. Abb. hîc n. 10. & 14. Eſt ramen quoad hoc diſcrimen inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſecularem, quia Judex ſecularis, ſi requiſitus, ſine juſta cauſa, renuar ferre auxilium Judici Eccleſiaſtico ad ſententiam ipſius exequendam, poteſt ab eodem per cenſuras compelli. Gl.fin. in cit. c.1.& ſumitur ex c. Ut inquiſitionis; 18. §. Prohibemus, de hæretic.in 6. ſed non viciſſim Eccleſiaſticus poreſt cogi à ſeculari, quia major eſt illo, ut colligitur ex c. Qualiter; 17. de judic. & c. Legimus;24.diſ. 93.in fine, Innocent.hîc n.1.& Abb.n.11. Deinde Judex Eccleſiaſticus non tenetur juvare ſecularem, excommunicando eius ſubditos inobedienres, niſi priùs ipſi fiat fides, & proceſſus exhibeatur, ut conſtet de crimine contumaciæ : non tamen vice verſâ, Judex ſecularis, ſi ab eo Eccleſiaſticus petar ſubſidiũ, tenetur fidem facere, & exhibere ei proceſſum judicii, ſi crimen ſit merè Eccleſiaſticum, ut eſt bæreſis, quia rum nec directè, nec indirectè de rali crimine poreſt cognoſcere Judex ſecularis, ſed poſt latam à Judice Eccleſiaſtico ſenrentiam, ad illius reqniſirionem, nuda ſeu mera executio ad illum pertinet, ut conſtat ex cit. §. Prohibemus. In crimine verò non merè Eccleſiaſtico, proptet quod Clericns degradatur, & traditur Judici ſeculari, non tenetur Judex ſecularis eum pnnire, niſi exhibeatur illi ab Eccleſiaſtico proceſſus jndicii, quia runc reus efficitur de foro, ſeu juriſdictione Jndicis ſecularis, & is eſt Judex, & non merus executor. Abb.hîc n. 12. Non tamen poteſt Judex ſecularis compelli ad exequendam ſententiam Jndicis Eccleſiaſtici, ſi notorinm ſit eam injuſtam, & irritam eſſe, ut contia Abbatem hîc tradir Laym.n.6. in fine.

XLIX. Aſſertio 3. Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum, non ſolùm poſſunr, ſed etiam ex officio tenenrur ſubditorum crimina corrigere, ne alioquin peccata eorum ipſis imputentur, cùm enim illa, ut ſupponitur, poſſint impedire, & ex officio, adeóque ex juſtitia ad id obligati ſint, ipſis tanquam indirectè voluntaria meritò imputanrur, prout habetur in c. Irrefragabili; 13. in princ. h.r. ubi Innocentius III. »
in Concilio generali Lateranenſi ſtatuit, ut Eccle- »
ſiarum Prælati ad corrigenda crimina, & reforman- »
dos mores ſubditorum, maximè Clericorum, pru- »
denrer, ac diligenter attendanr, ne alioquin ſanguis »
eorum de manibus ſuis requiratur. Ut aurem hoc »
correctionis, & reformationis officium liberè (& »
ſine impedimenro) exercere poſſinr, decernit præ- »
terea, ut nulla conſuetudo, nec appellatio ipſorum »
executionem impedite valeat, niſi modum in cor- »
rigendo exceſſerint. Ratio eſt, quia contra obedientiam à ſubdito debitam Prælaro, ſeu Superiori non poteſt præſcribi. c.Cùm non liceat; 12.de præſcript. Gl. hîc V. Nulla conſuetudo, & à correctione Epiſcopi, ſeu Prælati Eccleſiaſtici, (tali ſcilicet, quæ fit ſecundùm Canones) appellari non poreſt, urì ſumitur ex c.Reprehenſibilis; 26. de appellat. niſi in corrigendo modns excedatur, ur hîc dicitur Gl. hîc V. Vel appellatio. nam talis correctio eſt veluti executio Canonis, ab executore autem appellari non poteſt, niſi limires, ſeu modum excedat. l. Ab execurione; 5. C. quorum appellat. non recipiunr.

L. Porrò ne Clerici, ſpe impunitatis, quia gau- »
dent privilegio Clericalis Ordinis (rum perſonæ, »
tum fori) enormia peccara commirtanr, per quæ »
diffamatur Eccleſia, ſeu dehoneſtatur, & gravia ſcã- »
dala in populo generanrur, idcirco debenr Epiſcopi »
crimina Clericorum ita corrigere, ut, & ipſi metu »
pœnæ ab ijs arceantur, & alij eorum exemplo per- »
territi ſimilia perpetrate non præſumant, prout ha- »
betur in Clemenr. Ut Clericorum; b.t. Quâ ratione antem Prælati ſubdirorum delicta corrigere debeant, noviſſimè præſcripſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13.c.1.de reform.

LI. Aſſertio 4. Non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam alij inferiores Epiſcopo, v.g. Capitulum Cathedrale, vel Decanus, vel Archidiaconus, per ſpeciale privilegium, vel conſuetudinem legirimè præſcriptam, poreſt acquirere poteſtatem corrigendi, ac puniendi Canonicos, alióſque Clericos, etiam privativè, ſeu excluſo Epiſcopo, ita, ut ſe hic immiſcere non poſſit, niſi in defectum, ſeu propter negligentiam Superioris, prout ſumitur ex cit.c. Irrefragabili; §. Exceſſus h. t. ubi ſtatuitur, quòd, ſi in aliqua Eccleſia conſue- »
tudo ſit, ut delicta Canonicorum Cathedralis Ec- »
cleſiæ à Capitulo puniantur (vel à Decano, vel alio »
Prælaro ex Capitularibus. Gl. ibid. V. Per Capitu- »
lum) tum eo negligenre, Epiſcopus moneat Capitu- »
lum, vel jubeat, ur delicta corrigat, ac puniar, & »
competenrem rerminum præfigat, intra quem cor- »
rectio fieri debeat : alioquin ipſemet Epiſcopus, »
prout animarum cura ei incumbens requirit, per »
cenſuras Eccleſiaſticas corrigere non intermittat. »
Porrò in cit. c. §. Provideant; in fine additur, quòd »
Prælari Eccleſiarum cavere debenr in correctione, »
& impoſitione pœnæ à quæſtu pecuniæ, & ab omni »
alio gravamine, ſi canonicam velint effugere ultio- »
nem. »

LII. Notandum 1. Quamvìs Capitulum, vel alius Prælatus inferior Epiſcopo, poſſit per conſuetudinem legitimè præſcriptam obrinere juriſdictionem, ſeu poteſtatem corrigendi, & puniendi Cano-

nicos, vel alios Clericos diœceſanos delinquentes, etiam excluſo Epiſcopo, ut colligitur ex cit. c. Irrefragabili, §. Exceſſus h.t. & docet Abb. ibid. n. 1. in notatis, & in c. Paſtoralis; 11. n. 7. h.t. non tamen valet conſuetudo, quantumvis diuturna, per quam Epiſcopo omne jus corrigendi, etiam in habitu auferatur, ita, ut tametſi inferior, ad quem ex privilegio, vel conſuetudine pertinet correctio, eam negligat, Epiſcopus ſe immiſcere, eámque ſuppiere non poſſit, ut patet ex cit. c. Irrefragabili; in princ. ubi dicitur, quòd nulla conſuetudo valeat impedire, quò minùs Epiſcopi, ſeu Prælati Eccleſiarum correctionis, & reformationis officium poſſint exercere, & exequi, ſi nimirum inferior, v. g. Capitulum, vel Decanus, ad quem ex conſuetudine correctio pertinet, ſit negligens in corrigendo. Gl. ibid. V. Nulla conſuetudo, & Abb. n. 1. nam talis conſuetudo eſſet pernicioſa Eccleſiæ: imò ipſi fini, & inſtitutioni Officij Epiſcopalis repugnaret, quod ſe ad omnes diœceſanos extendit, qui ſpecialiter exempti non ſunt. arg. c. Cùm non liceat; 12. de præſcript. Laym. in cit. c. Irrefragabili; n. 3. Neque obſtat, quòd in princ. huius c. videatur tolli conſuetudo, quæ poſtea in §. Exceſſus; admittitur: nam in primo reſponſo tollitur, & improbatur conſuetudo, quatenus omnino impedit correctionem: in ſecundo admittitur, quatenus poteſtas corrigendi non omnino impeditur, aut tollitur, ſed in alium transfertur, v. g. in Capitulum, vel Decanum. Abb. hîc n. 1. in §. Exceſſus.

Notandum 2. Superior in ijs, quæ ad juriſdictionem pertinent, ſupplet negligentiam inferioris, v. g. Epiſcopus negligentiam Capituli, vel Decani Cathedralis, ut in caſu huius c. §. Exceſſus: ſed non è contrario inferior ſupplet negligentiam Superioris: nam licèt in collatione beneficiorum, propter negligentiam Epiſcopi, poteſtas conferendi ad Capitulum devolvatur. c. 2. de conceſſ. præbend. non tamen in exercenda juriſdictione: quia nimirum maior communio, ſive conjunctio eſt inter Epiſcopum, & Capitulum in collatione beneficiorum, quàm in exercenda juriſdictione; nam Epiſcopus, & Capitulum, ſpectato jure communi, regulariter debent ſimul beneficia conferre: juriſdictio verò ad ſolum Epiſcopum principaliter pertinet, licèt conſilium Capituli requirere debeat. Abb. in cit. c. Irrefragabili in princ. n. 3. Verùm poſtea ſtatutum eſt, quòd per conſuetudinem legitimè præſcriptam, poſſint Epiſcopi, etiam non adhibito conſilio Capituli Cathedralis, delicta ſubditorum inquirere, punire, & corrigere, aliáque juriſdictionalia exercere, neque enim talis conſuetudo à SS. Canonibus eſt reprobata, ut patet ex c. Non eſt; 3. de conſuet. in 6. Abb. c. l.

Notandum 3. Quando Capitulum, vel alius Prælatus inferior, ex conſuetudine, vel privilegio habet poteſtatem corrigendi delicta Canonicorum, vel aliorum Clericorum, ſi id negligat, debet Epiſcopus ei præfigere terminum, quo elapſo, ipſe poteſt procedere ad correctionem, & non priùs, nec eſt locus præventioni. Joan. Andr. hîc n. 9. Abb. not. ult. Excipi debent crimina graviora, quæ degradationem merentur, in his enim poteſtas puniendi, non poteſt transferri in Capitulum, vel alium inferiorem, ut notat Hoſtienſ. hîc V. Per Capitulum, quia degradatio eſt actus Ordinis Epiſcopalis, cujuſmodi actus nullo tempore præſcribi poſſunt à non Epiſcopis. c. Quanto, 4. de conſuet. Fagnan. hîc n. 3.

LIII. Notandum 4. Ut meliùs cognoſcatur, quando poteſtas corrigendi, ac puniendi crimina Canonicorum, vel aliorum Clericorum, propter negligentiam commiſſam in correctione, devolvatur ad Epiſcopum, nécne, diſtinguendum eſt. Nam vel poteſtas corrigendi, ſive de Jure communi, ſive jure ſpeciali, pertinet ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum: & tunc jus corrigendi, in caſu negligentiæ, non devolvitur ad Epiſcopum, ſed ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum, qui ſupplere debet negligentiam utriuſque; ſicut etiam, ſi poteſtas hæc principaliter ſpectet ad ſolum Epiſcopum, jus corrigendi ob negligentiam devolvitur ad Archiepiſcopum tanquam immediatum ſuperiorem ipſius, non ad Capitulum, quoad juriſdictionem exercendam, ut ſuprà dictum. Vel hæc poteſtas principaliter pertinet ad Capitulum tantùm, ex jure ſpeciali: & hoc caſu, ſi Epiſcopus nullo modo intereſt Capitulo, correctio devolvitur, ad Epiſcopum, quia ipſe eſt Caput, & immediatus Superior Capituli. Vel Epiſcopus intereſt Capitulo, tanquam Canonicus, quia ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine Epiſcopus ſimul eſt Canonicus; & hoc caſu, cùm Epiſcopus gerat vices duarum perſonarum, ad eum, tanquam ad Epiſcopum, fit devolutio huius poteſtatis, quia, ut Canonicus habet votum in Capitulo; ut Epiſcopus verò, ſupplet negligentiam Capituli. arg. c. Paſtoralis; 15. de conceſſ. præb. et c. A collatione; 11. de appel. in 6. quia nec Epiſcopus hoc caſu, nec alij Canonici ſunt Judices illorum, de quibus inquiritur, vel qui corrigendi ſunt, ſed penes totum Capitulum eſt juriſdictio, non penes ſingulos Canonicos. Innocent. hîc n. 1. & Abb. n. 3. Et hoc poſteriore caſu, tenetur Epiſcopus, ad quē, propter negligentiam Capituli, facta eſt devolutio correctionis, nihilominus in corrigendo adhibere conſilium Capituli, prout tenetur de jure cōmmuni, niſi ratione conſuetudinis eiuſmodi conſilium requirere non teneatur; quia, etſi Capitulum propter negligentiam perdiderit jus corrigēdi, quod ex conſuetudine habuit: non tamen perdidit jus dandi cōſilium. Gloſſ. hîc communiter recepta V. Per Capitulum. Fagnan. ibid. n. 16.

Notandum 5. Hactenus dicta procedunt, ſpectato Jure communi Canonico: Jure verò novo Cōcilij Tridentini ſeſſ. 6. c. 4 de reform. datur Epiſcopis facultas viſitandi, & corrigendi, etiam auctoritate Apoſtolicâ, Capitula Eccleſiarum Cathedralium, illorúmque perſonas, non obſtantibus exemptionibus, & conſuetudinibus, & non tantùm in caſu negligentiæ, ſed quoties opus fuerit, ac proinde non eſt ampliùs præmittenda monitio, nec terminus præfigendus, & ſic quoad hoc corrigitur, & ampliatur. cit. Conſtitutio decretalis in cit. c. Irrefragabili. §. Exceſſus. Et in c. 6. ſeſſ. 25. de reform. hæc facultas extenditur etiam extra viſitationem, de quo plura Fagnan. hîc, n. 9. & 10.

LIV. Cæterùm, quod dictum eſt, propter negligentiam Prælati Epiſcopo inferioris, poteſtatē corrigendi devolvi ad ipſum Epiſcopum, id nō procedit in Prælatis exemptis, in his enim, propter negligentiam ipſius Prælati in corrigendis ſubditis, jus corrigendi, non ad ordinarium, ſive Epiſcopum, ſed ad

Supe-

Superiorem illius Prælati exempti devolvitur. Ut, ſi Abbas, ſeu Prælatus exemptus negligens ſit in corrigendo Monachos ſuos, poteſtas corrigendi, non ad Epiſcopum diœceſanum devolvitur, ſed ad Papam. Abbas in c. Grave; 19. n. 6. h. t. Idémque dicendum, ſi Abbas, ſeu Prælatus aliquis ab Epiſcopo exemptus habeat Eccleſias aliquas Monaſterio ſuo pleno jure ſubiectas, ſeu incorporatas, & remiſſus ſit in corrigendo, tum enim poteſtàs corrigendi, non ad Epiſcopum, ſed ad Papam devolvitur, prout ſumitur ex cit. c. Grave, ſecundùm unam illius expoſitionem, quam tenet Gl. ibid. V. Corrigere; ferè communiter recepta. Nam quidam Epiſcopus acceperat litteras à Papa Gregorio IX. in quibus ei mandavit, ut correctioni Clericorum ſuæ diœceſis intenderet. Quare idem Epiſcopus in Eccleſias quaſdam intra diœceſin ſuam exiſtentes, atq; ad Monaſterium quoddam pertinentes, interdicti, & in Clericos earum ſuſpenſionis ſententiam promulgavit, tametſi nullam juriſdictionem ordinariam, vel etiam delegatam in Eccleſias illas, vel Clericos haberet, & Abbas Monaſterij per ſeipſum paratus eſſet ſubditos ſuos corrigere. Quo intellecto, Pontifex præcepit Epiſcopo, ut, ſi res ita ſe habeant, per ſe ipſum corrigens, quæ imprudenter attentavit, prædictas ſententias, ſeu cenſuras relaxet. Ratio eſt, quia, ſi Papa mandet Epiſcopo, ut Clericos ſuæ diœceſis corrigat, non cenſetur eum facere delegatum, ſive dare ei novam poteſtatem in exemptos, ſed excitare officium ipſius, ſive poteſtatem ordinariam, ne in ea exercenda ſit negligens, neque enim cenſeri debet per mandatum generale poſterius conceſſum velle derogare priori ſpeciali, ſcilicet privilegio exemptionis priùs conceſſo, ſi de illo in generali mentio non fiat. arg. c. Liceat; 12. h. t. & univerſim Papa per litteras juri aliorum præjudicare non intendit. Gl. hîc V. Litterarum. Quòd autem in hoc c. ſermo ſit de Eccleſiis, & Clericis exemptis ab Epiſcopo, patet ex eo, quod hîc dicitur, Epiſcopum nullam juriſdictionem ordinariam, aut delegatam in Eccleſias illas, vel Clericos habuiſſe, ergo fuerunt ab ipſo exemptæ.

LV. Verùm licèt hic ſenſus, ſeu intellectus ſecundùm ſe verus ſit, & certum, à Prælato exempto poteſtatem corrigendi, ob eius negligentiam, non ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium, ſed ad Papam devolvi: tamen hoc ex iſto c. non ſatis evincitur, & probatur: ſed probabilius eſt, quòd in caſu huius c. Abbas non fuerit exemptus, ſed ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine habuerit juriſdictionem in quaſdam Eccleſias, & Clericos, vel etiam Parochianos earum, excluſo Epiſcopo, ita, ut ei poteſtas corrigendi non competeret, niſi in defectum, ſeu negligentiam Abbatis: idque per ſenſum contrarium ex textu huius c. colligitur, ubi ponderatur, quòd Epiſcopus ſententias interdicti, & ſuſpenſionis in Eccleſias, & Clericos promulgârit; quamvìs Abbas per ſe eos corrigere paratus fuerit, per quod tacitè inſinuatur, quòd, ſi Abbas iſte negligens fuiſſet, poteſtas corrigendi ad Epiſcopum pertinuiſſet; quod dici non poteſt, ſi Abbas à juriſdictione Epiſcopi exemptus fuiſſet: ergo ſupponitur, quòd Abbas hic Epiſcopo fuerit ſubiectus, ut notavit Gl. hîc V. Corrigere. Abb. ibid. n. 7. Quare, cùm hîc dicitur, quòd Epiſcopus nullam juriſdictionem habuerit in Eccleſias, & Clericos Abbati immediatè ſubiectos, id verum eſt quoad exercitium, & effectum, quia Epiſcopus non debuit illos corrigere, quàm diu Abbas per ſe illos corrigere paratus fuit. Et hinc etiam, quando in fine dicitur, ut cenſuræ relaxentur, intelligi debet de facto, ſive ut irritæ declarentur, quia, quamvìs verbum *relaxare* propriè ſumptum ſupponat, actum eſſe validum, tamen ex ſubiecta materia ſæpe apparet, actum eſſe invalidum, adeóque id intelligendum eſſe de relaxatione, ſeu abſolutione facti, ſive de revocatione ſententiæ, Gl. hîc V. Relaxes. Abb. ibid. n. 10. & Imol. in fine.

LVI. Aſſertio 5. Epiſcopi, & ſimiles Prælati, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, reos Clericos in cauſis, ſeu criminibus ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, non ſolùm per miniſtros ſuos capere, ſed etiam pœnâ carceris, triremium, verberum afficere poſſunt. c. Cùm Epiſcopus; 7. h. t. in 6. eùm merum, & mixtum imperium habeant. Abb. in c. Quod ſedem; 10. n. 8. h. t. exceptis ijs, quæ ad primum gradum pertinent, & Papæ ſpecialiter reſervata ſunt. c. Quod translationem; 4. de offic. Legat. non tamen pœnam mutilationis, vel mortis infligere poſſunt, ſed, ſi crimen meretur, Clericos degradare debent, & degradatos Judici ſeculari tradere. c. In Archiepiſcopatu; 4. de raptorib. Molin. tract. 5. diſ. 7. n. 1. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 66. Quin imò etiam Laicos ab Epiſcopo, non ſolùm ob crimen hæreſis, juxta c. Ut commiſſi; 12. et c. Ut inquiſitionis; 18. de hæretic. in 6. ſed etiam ob alia crimina, quæ, vel merè eccleſiaſtica ſunt, vel mixta, ſeu utriuſque fori (in quibus etiam laici ſubjiciuntur juriſdictioni, ſeu foro Eccleſiaſtico Epiſcopi) capi, & incarcerari, ac puniri poſſe, probabilius eſt: eùm ad merum imperium, quod Epiſcopus in foro ſuo Eccleſiaſtico exercet, pertineat jus facinoroſos capiendi, incarcerandi, & puniendi. Covarr. pract. qq. c. 10. n. 2. Cardin. Tuſchus V. Epiſcopus, concl. 25. Martha tract. de juriſd. p. 1. c. 50. n. 8. & ſeqq. idque apertè ſumitur ex c. Contra; 10. junct. Gl. V. Verberibus. cauſ. 26. q. 5. ubi de laicis eſt ſermo, quòd Epiſcopus eos poſſit verberibus caſtigare, & in carcerem mittere reos. Nec obſtat, quod in cit. c. Cùm Epiſcopus; 7. h. t. in 6. dicit Pontifex, Epiſcopum Eccleſiaſticas perſonas poſſe capere, & incarcerare ob delicta, ergo id ipſum videtur negare de laicis. Nam inprimis argumentum à ſenſu contrario non eſt efficax, ſi contrarium habeatur jure expreſſum, ut in propoſito in cit. c. Contra, & aliis juribus. Deinde dici poteſt, quòd Bonifacius VIII. ideo in cit. c. Cùm Epiſcopus; non fecit mẽtionem de laicis, ſed de ſolis Eccleſiaſticis, ſeu Clericis, quia in hos generatim, & indifferenter Epiſcopus juriſdictionem exercet: in Laicos verò ſolùm, in ordine ad certas cauſas, ſeu crimina, quæ eo loco ſpecificè exprimere Pontifex non intendit. Laym. ibid. num. 3.

LVII. Præterea poteſt Epiſcopus pœnas, ſeu mulctas pecuniarias imponere, tum Clericis ſibi ſubjectis, tum etiam Laicis, ob delicta ad forum Eccleſiaſticum pertinentia, v. g. ob blaſphemiam, Clerici percuſſionem, aut immunitatis Eccleſiaſticæ violationem. cit. c. In Archiepiſcopatu, & ſumitur etiam ex c. Statuimus, 55. cauſ. 16. q. 1. junctâ Gloſſ. ibid. V. Bannum. et c. Dilectus; 18. h. t. Joan. Andr. ibid. n. 7. Abb. n. 1. Imol. n. 1. & 10. Martha c. l. n. 17. Barb. de

offic.

offic. Epiſc. alleg. 107.n.18. Et poteſt Epiſcopus talem pœnam, ſeu mulctam pecuniariam ſibi, vel fiſco, ſeu Cameræ ſuæ applicare. arg. cit. c. Dilectus, quamvis meliùs faciat, ſi ad cauſas, ſeu uſus pios eam applicet. Hoſtienſ. in ſumm. n.4. h.t. Felin. in c. Irrefragabili; 13. §. Cæterùm; n.9. h.t. Barboſ. c. l. imò etiam juxta Decretum Concilij Tridentini Seſſ. 25. c. 3. de reformat. hæ mulctæ cauſis piis applicari debent.

LVIII. Aſſertio 6. Etſi Regulares non exempti, quoad diſciplinam Regularem, ſubſint ſuo Abbati, ſeu Prælato Ordinis, ita, ut in ijs, quæ ad Regulares obſervationes ſpectant, magis obedire debeant Prælato, quàm Epiſcopo, adeóque in his etiam poteſtas corrigendi primò, & immediatè ad Prælatum Ordinis ſpectet, cui ratione voti obedientiæ, ſunt ſubjecti, ita, ut contumaces, & incorrigibiles etiam ejicere poſſit, ut docet Innocent. in c. Quanto; 7. n.2. h.t. Abb. ibid. n.5. Sylveſt. V. Obedientia; q.8. Sanch. lib.6. moral. c.1.n.12. Attamen in ijs, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, & quoad punitionem criminum graviorum, præſertim quæ depoſitionem merentur, directè, & immediatè ſubijciuntur Religioſi non exempti Epiſcopo, ſeu Ordinario loci, cui etiam ipſi Prælati eorum in his ſubſunt. Innocent. & Abb. c.l. Sylveſt. c.l. q.10. dicto 2. Sanch. c.l. n.13. nam Regulares non exempti, ut alij Clerici, legi juriſdictionis Epiſcopi ſunt ſubjecti, etſi ratione voti ei non ſubdantur.

LIX. Cæterùm, ſi Prælatus Regularis non exemptus negligens ſit in regulari diſciplina obſervanda, & quotidianis erratis corrigendis, poſt monitionem factam, ad Epiſcopum devolvitur poteſtas corrigendi: nam ob hanc cauſam Monaſteria viſitantur ab Epiſcopis, ut inquiratur, an Regularis diſciplina in ijs vigeat, nécne: prout ſumitur ex c. » Quantò; 7. h. t. Nam cùm Monachi quidam, & » Canonici, aliíque Regulares, ex reditibus bene» ficiorum, quorum curam, & adminiſtrationem geſ» ſerunt, ut obedientiarij, pecuniam collegiſſent, clau» ſtrum abhorrentes, in Curiis Principum, & Ma» gnatum vagabantur. Hoc intellecto, mandat In» nocentius III. Archiepiſcopo Auſitano (Diœceſa» no eorum, quia hi Religioſi erant in diœceſi Archiepiſcopi, qui eſt Epiſcopus, ſeu Ordinarius in ſua » diœceſi. Abb. hìc n.7.) ut, ſi tales in provincia ſua » repererit, moneat Abbates, ut illos ad clauſtrum » revocent, &, proprium ſi quid habent, in manibus » Prælatorum ſuorum reſignent, convertẽdum in u» tilitatem Monaſterij, ſecundùm conſilium eorun» dem Abbatum, & regularem diſciplinam obſer» vent. Quòdſi Prælati eorum, poſt monitionem » Archiepiſcopi, id exequi per negligentiam omiſe» rint, tum ipſemet Archiepiſcopus (tanquam Ordi» narius loci) compellat Regulares illos, per ſuſpen» ſionem ab officio, & beneficio, ad prędicta facienda, » appellatione remotâ. Ex quo patet, quòd correctio Regularium in ijs, quæ diſciplinam Regularem concernunt, primo loco ſpectat ad Prælatos ipſorum, &, ſi hi ſint negligentes in corrigendo, tunc Epiſcopi eos corrigere debent, Gl. magna hìc in notatis, & V. Si Prælati, & Abb. n. 3. nam, niſi Epiſcopus poteſtatem haberet corrigendi, & præcipiendi in ijs, quæ ad religioſam diſciplinam, & obſervantiam ſpectant, ferme fruſtra Regulares ſubiecti eſſent Epiſcopo. Suar. tom.3. de relig. lib.10. c.11. n.15.

Verùm in cauſis civilibus, ſi Religioſus extra Monaſterium degens, v. g. ſtudiorum causâ in Academia, debitum contrahat, coram Epiſcopo potiùs judicialiter conveniendus erit, quàm coram Prælato Ordinis; quia, cùm ſolutio ex bonis Monaſterij fieri debeat, Abbas eſſet Judex in cauſa propria: ſi verò Monaſterium, ad quod Religioſus debitor pertinet, & ex cuius bonis ſolvendum eſt debitum, Abbati alterius Monaſterij ſit ſubiectum; tunc Epiſcopus, & Abbas ille ſuperior in juriſdictione concurrunt, ita, ut coram utroque, pro arbitrio Actoris, conveniri poſſit Religioſus ille in cauſa debiti, & præventioni inter illos ſit locus, Innocent. & Abb. hìc n.6. niſi Actor ultro velit judicio Prælati in hac cauſa ſe ſubjicere, quæ potiùs Monaſterium attingit, quàm eius Prælatum, tum enim non prohibetur de ea judicare. Laym. de juriſd. ordin. concl. 119. Quòd verò attinet ad Regulares exemptos, illi, juxta privilegia Apoſtolica, extra Monaſterium degentes coram locorum Ordinariis conveniri non poſſunt, non obſtante Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 3. de reform. & ſeſſ. 25. c. 4. de Regul. præterquam in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum. Seſſ. 7. c. 14. de reform. Navarr. comment. 2. de Regul. n. 63.

§. IV.

De poteſtate inſtituendi in beneficiis, & deſtituendi, ſeu deponendi.

LX. Aſſertio 1. Conſiſtit Lex juriſdictionalis Epiſcopi etiam in inſtitutione in beneficiis, & deſtitutione, ſeu depoſitione. cit. c. Conquerente h.t. quæ ſpectato jure communi ad Epiſcopum pertinet. c. Cùm injuncto; 12. in fine de hæreticis. Sumitur autem inſtitutio hìc latè, vel pro libera collatione, vel pro confirmatione electionis, aut nominationis ad beneficium aliquod, per alium, quàm Epiſcopum factæ: vel pro approbatione præſentati à Patrono ad beneficium patronatum: vel pro confirmatione collationis ab alio, ex privilegio, vel conſuetudine, quàm Epiſcopo factæ, Gregor. Tholoſan. in explicat. ad cit. c. Conquerente; c. 8. quamvìs interdum inſtitutio etiam accipiatur pro inveſtitura, ſive inductione in actualem poſſeſſionem beneficij, quæ jure communi, non ad Epiſcopum, ſed Archidiaconum ſpectat, c. Ad hæc; 7. de offic. Archidiac. Deſtitutio verò opponitur inſtitutioni, & eſt depoſitio, ac remotio, vel ab officio, & beneficio Eccleſiaſtico in perpetuum, vel à privilegiis Clericalibus fori, & Canonis, & omnibus aliis, quæ degradatio verbalis; vel ab Ordine, quæ degradatio realis, ſive actualis vocatur, per quam Reus exutus veſtibus, & ornamentis Clericalibus, traditur poteſtati ſeculari, eiúſque juriſdictioni ſubjicitur, eáque à ſolo Epiſcopo conſecrato exerceri poteſt. Tholoſan. cit. loc. num. 10. Laym. l. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 3. c. 5. num. 4. de qua alibi plura. Porrò, cui competit de Jure communi jus inſtituendi, eidem etiam competit jus deſtituendi.

Unde

Unde Epiſcopus ſupet utroque jure habet fundatam inrenrionem ſuam ln omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis. c.Omnes Baſilicæ;10.cauſ. 16. q.7. & cit. c.Cùm ex injuncto;ln fine de hæretic. Abb.in cit. c.Conquerente;n.2. Secus,ſi inſtitutio comperat alicui ex jure ſpeciali,nempe privilegio, vel ex præſcriptione; tum enim acquiſitâ inſtiturione, non cenſetur eriam acquiſita deſtitutio. Felin.in cit.c.Conquerẽte in princ. Fagnan.ibid.n.19.& 20.

» LXI. Aſſertio 2. Si vacantibus Eccleſiis, io » quibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non » haber,adeóque parroni laici ad illas perſonam mi- » nùs idoneam,ſeu indignam præſentent,vel de jure » præſentandi inter ipſos, & Epiſcopum ſit contro- » verſia,vel ſi ob aliam cauſam (v.g. ob magnũ ſcan- » dalum) non poſſit ſtatim Rector, vel Beneficiatus » inſtirui,tum Epiſcopus interim,remotâ appellario- » ne,Oeconomos conſtituere debet,qui Eccleſiæ,aut » beneficij vacautis fructus percipiant,eóſque in Ec- » cleſiæ utiliratem expendant, ſeu convertanr, vel » futuro ſucceſſori reſervent,prout ſtatuit Papa Ale- » xander III. in c.Cùm vos; 4:h.t.

LXII. Notandum 1. Si parronus laicus indignum præſentet ad Eccleſiam,vel beneficium,non ideo eſt pro ea vice privatus, nec privandus jure, ac poteſtate præſentandi, ſed alium, eúmque idoneum præſentare debet,ut colligitur ex hoc c.nam ſi privatus eſſet,eâ vice,præſentando indignum,tum Epiſcopus ſtatim Eccleſiæ vacanti providere poſſet de Rectore, nec neceſſarium foret Oeconomum, ſeu Adminiſtratorem fructuum conſtitui. Gl. hîc V. Minùs idoneæ;Innocent.ibid.in princ.Jo.Andr.n.2. Abb. n. 1.& Imola n. 3. an autem hoc abſolutè verum ſit, alibi examinabitur. infrà lib.3.tit.38.

Notandum 2. Si patronus laicus, intra quatuor menſes jure ipſi præfixos ad præſentandum. c. Quoniam:3. & c. Cùm propter: 27. de iure patron. alium præſentare omittat, tum libera collatio, ſeu proviſio ad ordinarium collatorem devolvitur. Jo. Andr. hîc n.12.quia paria ſunt,nullum,vel indignũ,ſeu inhabilem præſentari: quòd ſi lis ſit inter patronum,& Epiſcopum,vel alium Superiorem, ad quem pertinet jus inſtituendi,ſuper jure præſentandi, vel ipsâ præſentatione, an v.g. præſentatus ſit dignus, an non, tum lite pendente, etiamſi ea duret ultra 4. menſes, non poteſt Epiſcopus,vel alius Ordinarius Collator, Eccleſiæ de Rectore providere, ſed interim Oeconomũ conſtituere debet,juxta hoc c. Gl.hîc V.Oeconomos. Jo.Andr.hic n.2.& Imol.n.2. Ex quo infertur, quòd licèt Capitulum,Sede Epiſcopali vacante,non habeat poteſtatem conferẽdi beneficia, quæ ad liberam collationem Epiſcopi ſpectant, poteſt tamen interim conſtituere Oecnnomum in Eccleſiis vacantibus.arg. huius c. Abb. hîc n. 2. quamquàm poſt Concil.Trid. ſeſſ.24.c.16.Capitulum debet infrà 8.dies,poſt mortem Epiſcopi, conſtituere Vicarium, qui conſtituat Oeconomum. Fagnan.in cit.c.Conquerente;n.12.

Notandum 3. Si Eccleſiâ, vel beneficio vacante, jus præſentandi pertineat ad perſonam Eccleſiaſticã, & Eccleſiæ ob juſtam cauſam ſtatim de Rectore provideri nequeat,tum non Epiſcopus,ſed ipſe patronus Eccleſiaſticus ibi Oeconomum,ſeu Adminiſtratorem redituum conſtituere poteſt,ut ſumitur ex hoc c. per ſenſum contrarium ibi: *in quibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet*, quia patronus Eccleſiaſticus habet adminiſtrationem,& cuſtodiam bonorũ Eccleſiaſticorum:non item patronus laicus, qui defenſionẽ tantùm habet:niſi ex privilegio Papæ,vel conſuetudine legitimè præſcripta, etiam jus cuſtodiæ, ſeu adminiſtrationis ei competat. Innocent. hîc n. 1. Jo. Andr.n.15.Abb.n.4.& 8. Verùm poſt Concil. Trid. Seſſ.25.c.9.de reformat. ſive Eccleſia ſit liberæ collationis,ſive juris patronatûs Eccleſiaſtici, aut laicalis, non poſſunt ſe patroni ingerere in perceptione redituum Eccleſiæ,vel beneficij,ſed Epiſcopus debet,poſt habitam notitiam vacationis, Oeconomum, ſeu Vicarium in ea conſtituere,qui illius cuſtodiam, & adminiſtrationem gerat,ut patet etiam ex c.18.Seſſ.24. eiuſdem Concilij,& notat Fagnan.in cit. c.Cùm vos; n.6. & 7. h.t.

Notandum 4. Fructus,ſeu reditus Eccleſiæ vacantis debent reſervari ſucceſſori, nec poteſt Oeconomus eos alienare, niſi ſint tales, qui ſervando ſervari non poſſunt,hos enim vendere poteſt, reſervato pretio Eccleſiæ. Gl.fin.hîc. & Hoſtienſ.in fine.

LXIII. Aſſertio 3. Ad Epiſcopum quoque ſpectat inquirere, num Beneficiati canonicè fuerint in beneficiis inſtituti,prout ſumitur ex c. Ordinarij; 3. h.t.in.6. ubi Papa Gregorius X. ſtatuit, quòd Ordi- » narij locorum (quo nomine hoc loco intelliguntur, non tantùm Epiſcopi, ſed etiam ſecundùm ſubiectam materiam, alij inferiores, qui jus inſtituendi,ac deſtituendi in beneficiis habent, nam, & ipſi Ordinatij ſunt. Gloſſ.hîc V. locorum) eos, qui » plura beneficia incompatibilia obtinent, v. g. plu- » res dignitates, vel beneficia curata, vel dignita- » tem,ſeu perſonatum, unâ cum alio beneficio cura- » to, compellere debent,ut intra tempus, juxta facti » qualitatem, arbitrio Ordinariorum definiendum, » diſpenſationem Pontificiam exhibeant, vel cuius » plures huiuſmodi Eccleſias, aut beneficia alioquin » incompatibilia, poſſidere poſſint. Quòd ſi, juſto » impedimento ceſſante, nullam (vel minùs ſuffi- » cientem. Gloſſ.hîc V.Nullam) diſpenſationem,infra » idem tempus (ab Ordinario definitum) non exhi- » beant,ab ijs, ad quos jure ordinario collatio perti- » net, tanquam illicitè, & ſine diſpenſatione obten- » ta,perſonis idoneis liberè,id eſt,non obſtante con- » tradictione ea poſſidentis, conferantur (quippe » quæ ipſo jure vacant. c. De multa; 28. de præ- » bend. & Extravag. Execrabilis; 4. eod. tit. Si ve- » rò diſpenſatio exhibita ſufficiens ſuper pluralita- » te beneficiorum manifeſtè appateat,proviſus in hu- » juſmodi beneficiis,quæ Canonicè obtinet,non mo- » leſtetur. Nihilominus tamen curare debet Ordina- » rius,ne cura animarum,in pluribus huiuſmodi Ec- » cleſiis, dignitatibus, aut beneficiis negligatur, aut » alia debita obſequia prætermittantur. Si deniq; ex- » hibitâ diſpenſatione,de eius ſufficientia probabili- » ter dubitetur,tum recurrendum eſt ad Sedem Apo- » ſtolicã,cuius eſt dubias diſpenſationes interpretari. »

Inſuper in eodem c.§.in conferendis ſtatuitur,ut » iidem Ordinarij diligenter obſervent, ne habenti » duo,vel plura beneficia curata,dignitates; aut per- » ſonatus,aliud ſimile conferatur, antequam eis ſu- » per prioribus beneficiis ſimul poſſidendis, ac reti- » nendis ſufficiens diſpenſatio à Papa obtenta oſten- » datur. Eâ verò oſtenſâ, tum demum aliud ſimile »

» beneficium ei, cum quo diſpenſatum eſt, conferri » poteſt, ſi appareat, quòd vi eiuſdem diſpenſationis, » unà cum obtentis, aliud conſequi, & liberè retine- » re valeat: vel ſi, priùs obtenta liberè, ac ſponte reſi- » gnet, ſeu dimittere paratus ſit: alioquin novi be- » neficij collatio, habenti jam alia incompatibilia ſa- » cta omnino irrita erit. Hæc Conſtitutio decreta- lis innovata eſt per Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 5. de re- form. non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & exemptionibus.

LXIV. Notandum 1. Quamvis regulariter ne- mo cogi debeat ad edendum titulum ſuæ poſſeſſio- nis. l. Cogi; 11. C. de petit. hæred. ſi tamen juris præ- ſumptio ſtat contra poſſeſſorem, is compelli poteſt ad exhibendum titulum, ut in caſu huius c. quia ha- bere ſimul plura beneficia, præſertim incompatibi- lia, eſt contra juris diſpoſitionē. c. Multa; 28. de præ- bend. ideo poſſeſſor cogi poteſt ad exhibendum titu- lum diſpenſationis Papalis, & onus probandi in ipsū transfertur. Gl. hîc V. Exhiberi: compellere autem eum poteſt Ordinarius per excommunicationem, & ſubtractionem fructuum. Ancharan. not. 2. Quòd ſi poſſeſſor intra terminum præfixum non oſtendit ti- tulum, præſumitur injuſtè poſſidere, nam paria ſunt non eſſe, & eſſe, ſed non apparere, quia, quæ non ap- parent, cenſentur non eſſe. Gl. hîc V. Eo ipſo, ideóque proviſus per ſententiam beneficio privari, aut priva- tus declarari, & beneficium alteri conferri poteſt, Anchatan. hîc not. 3. & 4. niſi beneficiatus, ob juſtum impedimentum, non poſſit titulum oſtendere, intra tempus præfinitum, quia tunc poſtea poterit, cùm juſtè impedito tempus non currat. Gloſſ. hîc V. Juſto impedimento.

Notandum 2. Si diſpenſatio ſufficiens exhi- bita ſit, non debet poſſeſſor ulteriùs moleſtari, quia diſpenſatio legitima facit licitum, quod aliàs eſſet il- licitum. Et quamvis Ordinarius de valore diſpen- ſationis ſuper pluralitate, aut incompatibilitate be- neficiorum, ſi de eo dubitetur, non poſſit cognoſce- re, ſed ad Sedem Apoſtolicam id remittere debe- at, uti habetur in hoc c. §. Si verò: poteſt tamen diſpenſatum compellere, ut beneficium ritè ad- miniſtret, vel illud dimitat, quia ad Ordinarium loci ſpectat providere, ut beneficia ſuæ curæ ſub- jecta rectè adminiſtrentur, non enim diſpenſatio Papæ aliter data intelligitur, aut dari poteſt, niſi hac conditione, ut animarum cura, & divina officia non negligantur, Gloſſ. hîc V. Cura in addit. Ancharan. not. 5.

Notandum 3. Habenti plures dignitates, vel beneficia curata non poteſt aliud ſimile conferri, niſi appareat, cum illo diſpenſatum eſſe ſuper plu- ribus beneficiis priùs obtentis, quia cùm præſu- matur illicitè ea poſſidere, contra juris prohibitio- nem, cenſetur inhabilis ad aliud beneficium, præ- ſertim ſimile, obtinendum. Gl. hîc V. Oſtendatur, & Anchar. not. 6. Sed etſi exhibita, & oſtenſa ſit diſpenſatio, niſi tamen illa ſe extendat, & data ſit ad aliud ſimile beneficium obtinendum, per illam ſolùm conceſſam ſuper beneficiis jam obtentis, non datur facultas ad alia obtinenda, cùm aliud ſit, de novo acquirere beneficium, aliud, retinere priùs ac- quiſitum, quia tales diſpenſationes, quippe exorbi- tantes à jure communi, ſunt odioſæ, ideóque reſtrin- gendæ. Gl. hîc V. Ea quæ; & Vivian. in Ration. Jur. Pontif. ibid. Similiter habens plura beneficia in- compatibilia, etſi cum illo diſpenſatum ſit ſuper ob- tentis, non poteſt aliud beneficium conſequi, niſi priùs habitis renunciet, cùm non extendatur diſpen- ſatio ad tot beneficia. Gl. hîc V. Aliter.

Notandum 4. Si babens plura beneficia in- compatibilia vult obtinere aliud ſimile beneficium, & non oſtendat ſufficientem diſpenſationem ad a- liud obtinendum, retentis prioribus, vel ſi non re- nunciet prioribus, antequam aliud conferatur, col- latio alterius beneficij poſtea ei facta, eſt ipſo jure irrita, quippe facta inhabili, & adhuc babenti alia beneficia incompatibilia, ut habetur in fine huius cap. Nec obſtat text. in c. de multa; 28. de præb. ubi dicitur, quòd per adeptionem ſecundi beneficij ſimilis, & incompatibilis cum priore, ipſo jure vacat primum, ſed collatio ſecundi valet: hic verò dicitur, quòd collatio poſterioris irrita eſt, niſi ſponte reſi- gnet primum. Verùm in illo c. eſt ſermo de illo, qui unum tantùm beneficium obtinebat, quod erat ſecú- dùm Jus commune; ideóque per adeptionem ſecundi ſimilis vacat primum ipſo jure, & abſque alia renun- ciatione, tenet collatio ſecundi: At verò in hoc c. eſt ſermo de illo, qui antè obtinebat plura beneficia, quod eſt contra Jus comūne, & qui non eſt habilis ad aliud beneficium, niſi ex diſpenſatione, cùm ſit tranſ- greſſor Canonum, ideo collatio ſecundi non tenet, niſi renunciet prioribus; neque eſt mirum, ſi faciliùs tollatur, quod competit alicui ex ſpeciali jure, ſeu pri- vilegio, aut diſpenſatione, quàm quod ex jure com- muni, Gl. fin. hîc & Anchar. in oppoſitione 2.

LXV. Cæterùm huc quoque pertinet, quod ha- betur in Extravag. Ut quos; 2. inter communes h. t. ubi Joan. XXII. ſtatuit, ut, quicunq; plura beneficia » incompatibilia ſimul obtinet, ſine Canonica diſpen- » ſatione, debeat illa, præter ultimum, intra duos me- » ſes, ſine ulla fraude, in manibus Ordinarij dimitte- » re, per Ordinarios collatores eâ vice liberè diſpo- » nenda: alioquin etiam illo, in quo jus habebat, eſt » ipſo jure privatus, & ſit inhabilis ad alia quæ- » cunque beneficia obtinenda. Et præcipitur Or- » dinariis, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub » pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto » incurrendæ, ut tales plura beneficia incompati- » bilia obtinentes compellant, ad diſpenſationes, & » titulos huiuſmodi beneficiorum, Ordinariis, vel » ab ipſis deputandis exhibendas, intra tempus, pro » facti qualitate ab ipſis Ordinariis ad arbitrium de- » finiendum: & de proceſſibus ſuper his exhibitis » per ſcripta publica Sedem Apoſtolicam certiorem » reddant. »

Sed hodie juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 4. de re- form. quicunque plura curata, aut aliàs incompatibi- lia beneficia Eccleſiaſtica, quocunque titulo, contra formam SS. Canonum, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, eiſdem ipſo jure privatus eſt.

LXVI. Illud hîc addendum, etſi Legatus Sedis A- poſtolicæ de Latere cōferre poſſit beneficia Eccleſia- ſtica, ſicut Epiſcopus: non tamen valet collatio be- » neficij ab eodē facta ei, qui aliud beneficium (quā- » tumvis modicum) obtinet, niſi ſpecialis mentio » de illo, quod obtinet, facta fuerit: ſecus eſt in a- » liis quibuslibet, qui collationem beneficiorū ha- » bent,

bent, ut babetur in Clement. Etſi; 2. h.t. ij enim, ſive collatio ad eos pertineat jure proprio, ſive devoluto, non tenentur facere in litteris collationis mentionem de beneficio priùs obtento. Gl. in cit. Clement. 2. V. Quibuslibet, & V. Habentibus, dummodò utrumque beneficium de jure communi ſimul poſſit retinere, vel, ſi non poſſit, proviſus dimittat primum. Gl. cit. V. Quibuslibet. Ratio diverſitatis, quoad hoc, inter Legatum Papæ, & alios inferiores collatores ordinarios ſuprà aſſignata eſt tit. præced. n. 27. quia, cùm hi ſint præſentes, & ſæpius viſitent Eccleſias ſibi ſubiectas, præſumuntur ſcientiam habere de beneficiis priùs obtentis, ideóq; , etiamſi de illis mẽtio non fiat in collatione, ea non eſt ſubreptitia: cùm contrà in Papa, eiúſque Legato, præſumatur ignorantia. Abb. in cit. Clement. 2. n. 6. Ubi n. 5. ait, licèt poteſtas Legati, reſpectu juriſdictionis, ſit ordinaria. c. 2. de offic. Legat. in 6. tamen reſpectu collationis beneficiorum, eſt extraordinaria, quia ex proprio officio Legationis poteſtas conferendi beneficia non competit Legatis Papæ, unde Legati, qui non ſunt de Latere, eam non babent, ſed ſolùm Legati Cardinales, ſive de Latere, ex ſpeciali privilegio, de quo plura ſuprà c. l. quia hoc magis eò pertinet.

LXVII. Aſſertio 4. Epiſcopi, aliíque Prælati non habent poteſtatem occupandi reditus Eccleſiarum, vel dignitatum vacantium, ut conſtat ex c. Præſenti; 9. & ult. h. t. in 6. ubi prohibetur, ne Epiſcopi, iiſque Superiores (Archiepiſcopi, vel Patriarchæ) Abbates, aut quivis alij Regulares, vel Seculares Prælati, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ vacantium dignitatum, perſonatuum, Prioratuum, vel Eccleſiarum ad ſuam collationem, præſentationem, vel cuſtodiam pertinentium bona, vel reditus, poſt mortem Prælatorum, ſeu Rectorum, extantes, vel tempore vacationis obvenientes occupare, vel in uſus proprios convertere quoquo modo præſumant, cùm, vel in utilitatem earundem Eccleſiarum, vel beneficiorum converti, vel Succeſſori reſervari debeant (per Oeconomum, vel alium, qui cuſtodiam Eccleſiæ habet. Gl. hîc V. Reſervari) niſi ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta (40. annorum, Gloſſ. hîc V. Legitimè) vel aliâ causâ rationabili (nempe onere impoſito in fundatione. Gloſſ. hîc V. Aliâ causâ) ipſis Prælatis, aut aliis perſonis Eccleſiaſticis, jus competat reditus Eccleſiæ, vel beneficij vacantis accipiendi: alioquin Epiſcopi ab ingreſſu Eccleſiæ, alij verò (inferiores Epiſcopis) ab officio, & beneficio tam diu ſint, ac maneant ſuſpenſi, donec accepta reſtituerint. Si verò ex privilegio, vel conſuetudine, vel ex alia cauſa rationabili, aliquis aſſerat, ſibi jus competere accipiendi bona, vel reditus relictos, poſt mortem Prælati, vel beneficiati, vel vacationis tempore obvenientes, id ſolùm intelligi debet de illis bonis, quæ ſolutis debitis, ſi qua ſunt, & neceſſariis expenſis pro miniſtris, aliiſque oneribus (fabricæ, & ſimilium) Eccleſiæ, vel beneficio incumbentibus, deductis, ſuperſunt. Per hanc tamen Conſtitutionem non derogatur Conſtitutioni (quæ habetur in c. Quia ſæpe; 40. de elect. in 6.) editæ contra Capitula, Collegia, Conventus, aut ſingulares perſonas occupantes bona, aut reditus Eccleſiaſticos.

LXVIII. Notandum 1. Poſt mortem Prælati, vel Beneficiati fructus à Prælato collecti, vel qui vacante Eccleſiâ, aut Prælaturâ, ſunt percepti in utilitatem eiuſdem convertendi, vel futuro ſucceſſori reſervandi ſunt, ut habetur in cit. c. ult. & in c. Quia ſæpe; 40. de elect. in 6. at verò quoad fructus collectos à Beneficiato, diſtinguendum eſt, vel enim Clericus beneficiatus habuit tantùm adminiſtrationem redituum beneficij ſui, ſicut ſolent habere Epiſcopi, aliique Prælati Eccleſiarum Collegiatarum; & tum debent vel in utilitatem Eccleſiæ, ſeu beneficij expendi, vel Succeſſori reſervari, juxta cit. c. ult. h. t. quia præſumitur, illos, intuitu Eccleſiæ, eſſe acquiſitos. Ancharan. ibid. col. 3. Vel Clericus beneficiatus habet dominium redituum beneficij ſui, ſicut habent Parochi, Canonici, & ſimiles Beneficiati: tum juxta varias Eccleſiarum conſuetudines, in quibusdam locis huiuſmodi reditus acquiruntur Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, vel ex ſpeciali jure eos accipit Epiſcopus; non ſucceſſor in beneficio, quod per conſuetudinem induci licitè poteſt, ut conſtat ex cit. c. ult. In aliis verò locis de huiuſmodi Eccleſiaſticis reditibus tales Clerici beneficiati liberè diſponere poſſunt, etiam per ultimam voluntatem, quia præſumuntur intuitu perſonæ acquiſiti. Ancharan. hîc & Laym. n. 1. Sed de hoc alibi plura, ubi ex inſtituto de hac re agendum erit.

Notandum 2. Si quis prætendat, ex vi privilegij, vel conſuetudinis, ſibi competere bona Eccleſiæ vacantis, vel deberi proventus annuos illius, id intelligi debet de ijs tantùm, quæ deductis debitis, vel qui, ſolutis expenſis neceſſariis, & præſtandis oneribus, ſuperſunt. l. Mulier 72. ff. de jure dotium. Gloſſ. hic V. debita, & ſumitur ex hoc c. & l. Fructus; 6. ff. ſolut. matrim.

Notandum 3. Per conſtitutionem decretalem cit. c. ult. h. t. in 6. non corrigitur Conſtitutio, quæ habetur in c. Quia ſæpe; 40. de elect. in 6. ubi prohibetur, ne Clerici ſuccedant in bona Prælati defuncti, vel illa occupent, non obſtante ſpeciali jure privilegij, vel contrariæ conſuetudinis: in hoc verò c. conceditur, quòd vi ſpecialis conſuetudinis, Prælatus ſuccedere poſſit in bona, ſeu percipere reditus collectos ex vacantibus beneficiis Clericorum defunctorum. Ubi rationem diſparitatis dat Gl. fin. hîc, & Anchar. not. 3. quia in priore caſu læditur caput per mẽbra, in poſteriore verò è converſo læduntur membra per caput, gravior autem eſt læſio capitis, quàm membrorum: nam abſurdum eſt, & inconveniens, ut Clerici, v. g. Canonici ſuccedant in bona Prælati, ſeu Epiſcopi defuncti, ſive bona eius occupent, quod prohibetur in cit. c. Quia ſæpe; & quia, ſi Canonici occupare poſſent bona, vel reditus Prælaturæ vacantis, tardiùs eligerent novum Prælatum, ut plures fructus perciperent. cit. c. Quia ſæpe; non autem inconveniens eſt, ut Prælatus ſuccedat in bona Clericorum, aut Canonicorum defunctorum, ac reditus ex vacantibus eorundem beneficiis percipiat, quod ex ſpeciali jure permittitur in cit. c. ult. h. t. in 6.

* * *

§. V.

De poteſtate inferendi Cenſuras Eccleſiaſticas, & ab iiſdem abſolvendi.

LXIX. Aſſertio 1. Lex juriſdictionalis Epiſcopi conſiſtit etiam in poteſtate inferendi Cenſuras Eccleſiaſticas. cit.c.Conquetente; 16. b.t.. quod eſt ordinatium remedium coërcendi contumaces, & inobedientes, atque jura Epiſcopalia violare attentantes. c.1.de offic.jud.deleg. nomine autem cenſuræ Eccleſiaſticæ comprehenditur ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.c.Quærenti; 20. de Verb. ſignif. Quare Epiſcopi, & ſimiles Prælati quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes prædictas cenſuras,& alias quoque pœnas canonicas privationis, aut depoſitionis in perpetuum Clericis criminoſis infligere poſſunt, ac debent pro criminis qualitate, ſecundùm diſpoſitionem Juris Canonici, & conſuetudinem præſentis temporis: veluti ob adulterium, & alia crimina, ſive minora, ſive æqualia, vel majora, ut perjurium, inceſtum, ſtuprum violentum, magiam &c. ob quæ Clerici privari beneficiis, imò etiam deponi ab officio, & Ordine Clericali merentur, ut ex communi tradit Abb. in c. At ſi Clerici; 4, in princ.num.33.& ſeqq. de judiciis. Laym. de juriſd. ordin. concl. 69. de quo plura infrà eod.tit.

LXX. Aſſertio 2. Epiſcopi poſſunt etiam à cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis canonicis quandoque abſolvere, vel eaſdem ex cauſa rationabili relaxare, ſaltem in caſibus jure expreſſis. cit.c. At ſi Clerici; §.De adulteriis de Judic. & ibid. Abb. num.4. nam abſolutio à cenſuris, & pœnis ad Legem juriſdictionalem Epiſcopi pertinet. Laym.in cit. c. Conquerente; n.2.b.t. Quare, licèt, ſi lex canonica ſtatuat, vel etiam conſuetudo Eccleſiæ ob crimen imponat certam pœnam Clerico, v.g.ob adulterium eſſe beneficio privandum, vel etiam ab Ordine Clericali in perpetuum deponendum, talis pœna ordinariè ſit ab Epiſcopo imponenda, ita, ut pro mero arbitrio ſuo, eam remittere nõ poſſit, ut docet S.Thom. 2,2.q.67.a.4. ubi ait: Judex inferior non habet poteſtatem abſolvendi reum à pœna, contra leges à Superiore ſibi impoſitas. Menoch. de arbitrar. Judic.q. 96.n.10.& ſumitur ex l.Servos; 8.in fin. C.ad leg.Jul. de vi publ.& l.1.§.Quorum.ff.ad S.C. Turpillian.ubi dicitur, quòd pœnæ perſecutio non Judicis voluntati mandatur, ſed legis auctoritati reſervatur. Farinac. in praxi crimin. p.1.l.1.tit.3.q.17.n.5. nihilominus tamen ex juſta cauſa conceſſum eſt, etiam Judici non ſupremo, ſed ſubordinato rigorem legis temperare, pœnamque minuere. Gl. in cit.l.1. V. Facti. Farinac. l.c.n.7.Unde Epiſcopus non tantùm in adulterio, & aliis criminibus minoribus.cit.c. At ſi Clerici.§.De adulteriis (ob quę, ſi abſolutè gravia, & ſcandaloſa ſint, ſuſpenſio inferenda eſt, ad certum tempus, vel donec ſe Clericus emendaverit. Laym. ibid. n. 6.) ſed etiam in æqualibus, vel majoribus adulterio criminibus, ſuper pœnis canonicis non latis, ſed ferendis diſpenſare poteſt ex juſta cauſa, eáſque minuere, & commutare, niſi Canon id prohibeat. Gl. in c. Cùm illorum; 32. V. Interdicta de ſent. excommun. Innocent. in c.Dilectus; 15.n.2.de tempor.Ordin. Laym.de juriſd.Ordin.concl.69.nam in criminalibus licet ſemper diſpenſare; niſi prohibeatur. arg. l. Nec non; 28. junctâ Gl. V.Prohibeant.ff.ex quib.cauſ.majores &c. ubi ait, omnia ſunt permiſſa per legem, quæ non reperiũtur prohibita; & ratio eſt, quia facultas diſpenſandi in criminibus, cùm ſit gratia Principis, in tertij præjudicium non cedens, benignè, & latè interpretari debet, Abb.in cit.c. §.De adulteriis; n.11.quare dicendum, adulterium in cit. §. exempli tantùm causâ poſitum eſſe. Laym.ibid.n.7.

Quin imò non tantùm diſpenſare poteſt Epiſcopus, ex cauſa juſta eum adultero, v.g. vel inceſtuoſo, ut non privetur beneficiis, vel non deponatur: ſed etiam, poſtquam ob adulterium, vel furtum damnatus eſt, vel per ſententiam latam depoſitus, adeóque infamiam contraxit, poteſt eum Epiſcopus diſpenſativè reſtituere, poſt actam pœnitentiam, & vitæ emendationem. Abb.in cit.§.De adulteriis; n.14.Felin.ibi. n.12.Laym.de juriſd.ordin.concl.70.quia datâ poteſtate diſpenſandi Epiſcopo in pœna, cenſetur etiá ei data ſuper acceſſorio, ſcilicet reſtituendi famæ depoſitum, ex Concil.Trid.ſeſſ.25.c.14.de reformat. Sed & probabile eſt, licèt Canon præcipiat, ut ob crimen pœna ſuſpenſionis inferatur, ad certum, ac determinatum tempus, v.g. triennium, poſſe Epiſcopum ex gravi cauſa eam remittere, & diſpenſare. Jo.And.in c. ult. n. 11. & ibid. Alexander de Nevo n. 8.de clandeſt.deſponſ. Laym.de juriſd.ordin.concl.71. contra Sanch. l.3.de matr. diſ.52.n.2. quia, licèt Clericus ob adulterium, vel furtum damnatus, & depoſitus infamiam incurrerit, tamen reſtitutus contra ſententiam, indirectè, & conſecutivè etiam famæ reſtituitur, ut officio Clericali fungi, & beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit. Abb. c.1.n.15. Laym. cit.concl. 70.

LXXI. Cæterùm prædicta non ſunt intelligenda de pœnis latæ ſententiæ, ſeu ipſo jure inflictis, has enim Epiſcopus relaxare, aut in ijs diſpenſare non poteſt. Gl.recepta in c.Cupientes; 16.§.Cæterùm; V.Suſpenſos, de elect.in 6.Felin.in cit. §.De adulterijs; n. 4. Laym.cit.concl.71. quia inferior, ſicut non poteſt tollere legem Superioris, ita nec pœnam ei annexam; niſi id ipſi ſit commiſſum: ut, ſi irregularitates vel ſuſpenſiones ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum, proveniant, in his enim Epiſcopus diſpenſare poteſt ex comiſſione Concil. Trid. ſeſſ.24.c.6.de reform. Verùm in pœnis Legalibus, ſeu Canonicis, quæ ſunt ſententiæ ferendæ, quando ſcilicet Judici à lege præcipitur, ut ob tale crimen pœnam inferat, v.g. depoſitionis, Epiſcopus poteſt ex rationabili cauſa diſpenſare, ſeu ſpectatis circumſtantijs, eas minuere, ut colligitur per ſenſum contrarium ex ſuprà dictis, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in pœnis ipſo jure latis, ſive à Canone impoſitis, quæ trahunt ſecum executionem, & ipſo facto incurruntur. Felin.c.1. n.4. ergo in ferendis per ſententiam diſpenſare poteſt. Laym. in cit.c. At, ſi Clerici; n. 8. Deinde licèt Epiſcopus in pœnis Canonicis, quæ ſunt latæ ſententiæ, & puræ pœnæ, propter delictũ comiſſum, ſeu præteritum, ipſo jure inflictæ diſpenſare nequeat, ut jam dictum: poteſt tamen Epiſcopus à cenſuris Papalibus propriè dictis, v.g. excommunicatione

aut ſuſpenſione, quæ propter contumaciam ipſo jure incurruntur, in utroque foro abſolvere, quia illæ non ſunt reſervatæ, arg. c. Nuper; 29. et c. Cùm illorum; 32. de ſentent. excommun. Gloſſ. recepta in Clement. 1. §. Verùm quia; V. Excommunicationis de hæret. Abb. in c. 2. num. 5. de ſolut. Laym. de juriſd. ordin. concl. 71.

Quin imò probabile etiam eſt, etſi plura crimina diſpenſabilia concurrant, ut, ſi Clericus v. g. adulterium, & inceſtum comiſit, vel Religionem profeſſus à fide ſimul, & Ordine apoſtatavit, poſſe Epiſcopum illum abſolvere, & cum eo diſpenſare in utroque foro, ita tamen, ut gravior cauſa requiratur ad diſpenſandum cum tali criminoſo, qui plura ſimul crimina commiſit. Abb. in cit. c. At, ſi Clerici; §. De adulterijs: n. 10. Felin. ibid. n. 7. Idque confirmatur ex eo, quòd is, qui habet facultatem legitimandi ſpurios, & inceſtuoſos, poſſit legitimare natum ex adulterio, & inceſtu ſimul, nam in materia favorabili (cujuſmodi eſt gratia, & privilegium) ſub ſimplicibus etiam mixta comprehenduntur. Bartol. in l. 2. num. 2. ff. de verb. obligat. Laym. de juriſd. ordin. concl. 74.

LXXII. Aſſertio 3. Epiſcopi poſſunt etiam lapſos in hæreſin, ſive Clericos, ſive Laicos, in foro externo, poſt abjuratam hæreſin, abſolvere à cenſura excommunicationis Papæ reſervatâ. Jo. Andr. in c. Ut officium; 9. in princ. de hæretic. in 6. Franc. ibid. n. 2. Farinac. tract. de hæreſi q. 192. §. 4. n. 51. Idque magis certum eſt de Epiſcopis Germaniæ: nam cùm in illis Regionibus, in quibus non ſunt alij Inquiſitores fidei, ipſi Epiſcopi ſint Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & delegati Sedis Apoſtolicæ ſuper crimine hæreſis, ut tradit Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 7. num. 5. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 105. num. 56. ideo hæc poteſtas ipſis ex jure competit, cit. c. Ut officium; §. Si verò; quæ abſolutio facta in foro externo etiam prodeſt in ordine ad forum internum, ita, ut ablatâ per Epiſcopum, vel alium ejus delegatum, cenſurâ excommunicationis, ſic abſolutum quilibet Sacerdos approbatus abſolvere poſſit à peccato hæreſis. Farinac. cit. loc. Sanch. l. 2. in Decalog. c. 12. num. 6. Laym. de juriſdict. ordin. concl. 72. Quòd ſi crimen hæreſis non ſit delatum ad forum externum, ſeu judiciale Epiſcopi, vel ejus Vicarij, ſed ſtatim ad forum pœnitentiæ, poterunt Epiſcopi Germaniæ, non ſolùm ab hæreſi occulta, juxta Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 6. de reform. ſed etiam à notoria (dummodo abſolvendus non ſit hæreſiarcha, ſive auctor novæ hæreſis) abſolvere in foro conſcientiæ, quia caſus Papales, ſive Papæ reſervati, ob nimiam frequentiam, & impedimentum adeundi Papam, vel propter longam loci diſtantiam, vel alias cauſas, fiunt Epiſcopales, ut tradunt communiter DD. ac proinde non tantùm æquum, ſed etiam neceſſarium eſt talem facultatem Epiſcopis Germaniæ concedi, ne alioquin converſio hæreticorum, & augmentum fidei Catholicæ impediatur: quamvìs ob majorem ſecuritatem, Epiſcopi ſoleant eam facultatem à Sede Apoſtolica petere. Layman. de juriſdict. ordin. concluſ. 73. An autem hæc diſpenſandi facultas conceſſa Epiſcopis generaliter revocata ſit per Concil. Tridentin. c. l. infrà dicetur lib. 5. tit. 7.

LXXIII. Aſſertio 4. Epiſcopus, vel alius Prælatus ſuperior poteſt relaxare cenſuras ab inferiore Prælato ſibi ſubjecto latas, & ab eodem excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos abſolvere, dummodo non tantùm in excommunicatorem, ſed etiam in ipſos cenſurâ ligatos plenam juriſdictionem obtineat; ſicut ipſe excommunicator, ut ex communi docet Sylveſt. V. Abſolutio; 2. n. 1. Covarr. in c. Alma; p. 1. §. 12. n. 2. Suar. de cenſur. diſ. 7. ſec. 2. n. 12. Et hinc Archiepiſcopus non poteſt abſolvere excommunicatos à Coëpiſcopis, ſeu Suffraganeis, quia in ſubditos eorum juriſdictionem non habet, niſi ad ipſum appellatum ſit, c. Romana; 3. de appell. in 6. et c. Per tuas; 42. de ſentent. excom. et c. Venerabilibus; 7. eod. in 6. Hoſtienſ. in ſumma de ſentent. excommun. §. Eſt & alia regula. Neque etiam poteſt Epiſcopus abſolvere excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos à Prælato inferiore ſibi ſubjecto, v. g. Archidiacono, vel Præpoſito Eccleſiæ Collegiatæ, qui ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ex conſuetudine legitimè præſcriptâ, adeóque ſpeciali jure juriſdictionem exercet in Clericos, vel Laicos ſibi ſubjectos, excluſo Epiſcopo, ita, ut hic ſe immiſcere non poſſit, niſi per viam appellationis, aut querelæ ad Epiſcopum legitimè delatæ, arg. c. ult. de offic. Archidiac. et c. Auditis; 15. de præſcript. Sylveſt. c. l. Suar. c. l. n. 18.

LXXIV. Cæterùm, ſi Prælatus inferior ordinariam juriſdictionem in foro externo habeat ſubordinatam Epiſcopo, adeóque non privativè, ſive excluſo Epiſcopo, ſed cumulativè tantùm, quia Epiſcopus cum illo in juriſdictione erga ſubditos concurrit, & inter illos locus eſt præventioni: cujuſmodi juriſdictionem habent Archidiaconi, & Decani etiam rurales in quibuſdam locis, qui ſcilicet non ab homine, ſeu Epiſcopo, ſed ex Lege, ſeu Canone, vel conſuetudine Diœceſis conſtituuntur: tum licèt Epiſcopus, abſolutè loquendo, poſſit excommunicatos, ſuſpenſos, aut interdictos à tali inferiore Prælato abſolvere, cùm ſit Ordinarius totius Diœceſis; ſi tamen cenſura juſtè lata ſit, curare debet Epiſcopus, ut illa inviolabiliter obſervetur, neque debet eam relaxare, ſinè præſcientiâ Auctoris, qui cenſuram tulit, & ante præſtitam congruam ſatisfactionem, prout habetur in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. h. t. Ubi Papa Alexander III. reſcribit Epiſcopo Florentino, quòd, ſi Prælati Eccleſiarum Eccleſiaſticam „ ſententiam, ſeu cenſuram proferant in quoſdam „ malefactores, ea firma, & rata conſiſtere debet, & „ inviolabiliter obſervari, donec condigna ſatisfa- „ ctio fiat: idcóque mandat eidem, ut, ſi Plebanus „ S. Pancratij in Clericos, vel Laicos parochianos „ ſuos ſententiam interdicti, vel excommunicationis (vel etiam ſuſpenſionis. Abb. hîc n. 2.) ratio- „ nabiliter, ſeu juſtè protulerit (quod in dubio ſemper præſumitur, donèc contrarium probetur. Gloſſ. „ hic V. Rationabiliter;) illam inviolabiliter faciat „ obſervari, nec ante præſtitam congruam ſatisfa- „ ctionem, & abſque ejuſdem Plebani ſcientiâ, ſeu „ conſenſu eam relaxet. „

LXXV. Notandum 1. Nomine Prælati non tantùm veniunt Epiſcopi, iiſque Superiores, ſed etiam inferiores juriſdictionem ordinariam in foro externo habentes, videlicet Archidiaconi, Archi-

preſbyteri, Præpoſiti, Decani, Abbates, Rectores Eccleſiæ Collegiatæ, qui ab univerſitate, ſeu Collegio eliguntur, vel ab Epiſcopo alicui Collegio, aut Univerſitati præficiuntur, qui etiam poteſtatem excommunicandi habent. Gloſſ. hic V. Eccleſiaſtica ſententia; h. t. Quare etiam Plebanus iſte in caſu hujus c. non fuit ſimplex Parochus, ſeu Curatus, ſed ordinariam, ac perpetuam juriſdictionem in foro externo habuit in parochianos ſuos, acquiſitam ex jure ſpeciali, videlicet privilegio, vel legitima præſcriptione, aut per electionem Capituli, & confirmationem Epiſcopi, ideóque etiam excommunicare, & interdicere potuit. Innocent. in c. Quantò; 7. n. 2. h. t. Abb. hìc n. 1.

Notandum 2. Epiſcopus poteſt ab excommunicatione, vel aliâ cenſurâ latâ à Prælato inferiore ſibi ſubjecto abſolvere, ſi eam injuſtam repererit, ut docet Butrio apud Fagnan. hìc num. 11. ſi verò ea juſta fuerit, non debet excommunicatum abſolvere, ſed remittere ad excommunicatorem, ut illum abſolvat. Gloſſ. fin. hìc & Abb. n. 3. Veruntamen etſi Epiſcopus abſolvat, irrequiſito excommunicatore, abſolutio eſt valida, ut tradit cit. Gloſſ. fin. hìc communiter recepta, & Abb. num. 11. Suar. cit. ſec. 2. num. 17. quia in hoc c. nullo verbo irritatur talis abſolutio, & inferior juriſdictionem habet, non privativè, excluſo Epiſcopo, ſed cumulativè tantùm, ita, ut Epiſcopus cum eo tanquam ordinarius Superior totius Diœceſis concurrat: contrarium tamen tenet Barboſ. in collect. hìc n. 3.

LXXVI. Ex dictis colligitur 1. Quòd Epiſcopus poteſt excommunicatos à Vicario ſuo, qui ad nutum ipſius amovibilis eſt, vel à delegatis ſuis, pro libero arbitrio ſuo, abſolvere, quia tales Vicarij, & delegati, non proprio jure, ſed jure, & auctoritate alterius juriſdictionem exercent. Laym. hìc n. 3.

Colligitur 2. Epiſcopus excommunicatos à Prælatis Ordinum non exemptorum abſolvere non poteſt, niſi ad ipſum ſit appellatum, ita, ut abſolutio, ſeu relaxatio cenſuræ etiam irrita ſit, quia Epiſcopus non habet plenam juriſdictionem in Regulares, etiam non exemptos, cùm correctio primo loco ſpectet ad Prælatum Ordinis, ita, ut Epiſcopus ſe immiſcere non debeat, niſi in defectum Prælati negligentis, vel, ſi crimina gravia ſint, præſertim quæ depoſitionem merentur. Abb. hìc num. 10. & patet ex ſuprà dictis num. 58.

LXXVII. Aſſertio 5. *Si excommunicatus ab Epiſcopo, ſeu Ordinario ſuo, abſolutionem impetret à Pontifice, verâ excommunicationis cauſâ tacitâ, ſeu ſuppreſſâ, & aliâ falsâ expreſſâ, idque certò conſtet Epiſcopo, debet illum per Eccleſiaſticas cenſuras compellere, ut cum litteris ejuſdem Epiſcopi veram cauſam continentibus, ad Sedem Apoſtolicam ſe conferat: Si verò Epiſcopo non certò conſtet de ſubreptitia impetratione abſolutionis, ſed impetrantem ſuſpectum ſolùm habeat; tunc illum compellere debet ad Canonicam purgationem coram ipſo præſtandum, prout reſpondit Papa Alexander III. in c. Ex parte; 5. h. t.* Ratio primæ partis eſt, quia ad abſolutionem à cenſura, ex parte abſolventis, non tantùm poteſtas, ſed etiam voluntas, ſeu intentio abſolvendi requiritur: quamvìs autem Papa poſſit validè aliquem abſolvere ab excommunicatione, etiamſi ignoret juſtam abſolvendi cauſam, vel nulla ſubſit, adeóque abſolutio ſit injuſta, ut conſtat ex c. Venerabilibus; 7. §. Sanè; Verſic. ubi autem de ſentent. excomm. in 6. Abb. hìc n. 6. non tamen eſt præſumendum, Papam ita velle abſolvere, arg. c. 2. de filijs Presbyter. in 6. ideóque impetrans abſolutionem à Papa ſubreptitiè, ſupprimendo veram cauſam, & exprimendo falſam, non debet cenſeri abſolutus, ſed ad Sedem Apoſtolicam remitti pro vera abſolutione obtinenda.

Porrò, ſi quis unâ, vel pluribus excommunicationibus, ſed ex pluribus cauſis æquè principalibus, ſit irretitus, v. g. ob percuſſionem Clerici, & violationem immunitatis Eccleſiaſticæ, impetret abſolutionem, expreſſâ unâ causâ, ſed tacitâ alterâ, non eſt abſolutus quoad alteram excommunicationem, quæ permanet, juxta c. Cùm pro cauſa; 27. de ſentent. excom. Garc. p. 8. de benef. c. 3. n. 13. Barb. hic in collect. n. 2. ſicut etiam abſolutio ab excommunicatione incursâ ob unam cauſam veram, valet, non item quoad aliam non expreſſam. Garc. c. l. n. 14. Neque verò tot ſunt neceſſariæ abſolutiones, quot ſunt excommunicationes, ut vult Gloſſ. hìc V. Redire; ſed una abſolutio ſufficit pro pluribus, dummodo abſolvens habeat poteſtatem, & voluntatem abſolvendi ab utraque, vel omnibus. Laym. hìc num. 1. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ob gravem, & urgentem ſuſpicionem commiſſi criminis, poteſt alicui indici purgatio canonica, ut in propoſito impetrans abſolutionem à Papa, cogi poteſt ab Ordinario, ſi graviter ſuſpectus ſit de taciturnitate cauſæ, ut teſtes idoneos producat, qui teſtentur, illum veram cauſam excommunicationis ſuæ S. Pontifici expoſuiſſe, & conſequenter ritè ab ea abſolutum fuiſſe. Innocent. hìc in fine. Abb. n. 7. & Imol. num. 7. quamvìs aliàs purgatio Canonica non ſit alicui indicenda, niſi præcedente publicâ infamiâ apud bonos, & graves viros, juxta Gloſſ. fin. hìc.

LXXVIII. Aſſertio 6. *Si Judex à Papa delegatus reum citatum, propter contumaciam in comparendo, excommunicavit, atque actorem in poſſeſſionem rei ſervandæ causâ miſit, ſeu induxit, ſed delegatus poſtea è vita exceſſit; hoc caſu, non poteſt Epiſcopus, ſeu Ordinarius loci, ſinè ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ, excommunicatum à delegato abſolvere, etſi ſatisfacere nolentem, cùm delegatus ſit major Ordinario, quantùm ad cauſam delegatam, ſed ſolus Papa: præterquam in mortis articulo, vel niſi delegatus ſucceſſorem habeat in onere, & honore delegationis, tunc enim ejus ſucceſſor abſolvere poterit. Neque etiam Reus per alium, quàm S. Pontificem (vel ejus delegatum ſpecialiter ad id deputatum) amiſſam poſſeſſionem recuperare poterit. Verùm ne Actor, ob contumaciam Rei, miſſus in poſſeſſionem cuſtodiæ causâ, poſt annum elapſum, verus poſſeſſor efficiatur; poteſt Reus coram Ordinario loci, vel, ſi ejus copiam habere nequeat, coram publicis, & honeſtis perſonis cautionem offerre, ac præſtare, quòd juri pariturus ſit: ſic enim veluti interrumpitur præſcriptio annalis, ut etiam poſt annum poſſeſſionem per Sedem Apoſtolicam recuperare mereatur. Ita ſtatutum habetur in c. Paſtoralis; 11. §. Præterea; h. t.*

LXXIX. No-

LXXIX. Notandum 1. Nemo poteſt abſolvere excommonicatum ab homine, ſive per ſenrentiam Judicis, niſi excommunicatioois auctor, vel ejus Superiot, vel Succeſſor. Quare excommunicatum à delegato Papæ, eo mottuo, nullus poteſt abſolvere, niſi ipſe Papa, vel ſucceſſor delegati, ſi cauſa commiſſa ſit v.g. Epiſcopo, inruitu digoitatis, non perſonæ; tum enim ſucceſſor ejus io dignirare, etiam ſuccedit in onere, & honore delegationis, juxta c. Quoniam; 14. de offic. deleg. & conſequenter etiam abſolvere poreſt excommunicatum à delegato ejus anteceſſore. Abb. hîc oum. 2. Dicitur autem delegario onus, quia obligationem mandati imponir; & honor propter joriſdictionem, ſeu munus judicandi. Abb. hîc n. 1. Barb. in Collect. n, 15. Porrò ab excommunicatione lata à Canone, vel per ſtatutum quilibet Epiſcopus, vel Prælatus Superior excommunicati abſolvere poteſt, ſi excommunicatio oon ſit reſervata in Canooe, vel ſtatuto. Abb. hic num. 1. not. 1.

Notandum 2. In atticulo mortis nulla eſt criminum, aut caſuum reſetvatio, adeóque quilibet Sacerdos à quacuoque excommunicatione, aliâve cenſurâ etiam Papæ reſervatâ, abſolvete poteſt. Gl. margin. hîc, & Abb. n. 2. per articulum verò mortis hîc intelligitur quodvis probabile pericolum moriendi alicui imminens. Abb. hîc n. 3.

Notandum 3. Delegarus Papæ poteſt, ob contumaciam Rei, actotem mittere in poſſeſſiooem, causâ rei ſervandæ, per quam tamen oon vera, ac ſtabilis poſſeſſio, ante annum elapſum, obtinetur, ſed potiùs cuſtodia ſolùm immiſſo committicur. Quòd ſi Reus intra annum cautionem præſtet de ſiſtendo ſe in judicio, recuperat poſſeſſionem, ut patet ex textu, & ex c. ult. §. In alijs; Ut lite non conteſt. de quo plura ibid. Quæ cautio fieri poteſt, Judice proprio abſente, etiam coram Tabellione, vel aliâ perſonâ publicâ dignitatem cum juriſdictione habente. Abb. hîc num. 5. vel, ſi Tabellio non adiit, coram doobus, aut tribus teſtibus, qui vicem Tabellionis ſuppleant, ut colligitur ex l. 2. C. de annali exceptione. Imol. hîc n. 17.

» LXXX. Aſſertio 7. Ij, quibus ex officio (ſcilicet
» proptio, & otdinatio) competit in certis caſibus
» poteſtas abſolveodi ab excommunicatione Cano-
» nis, eos, qui violentas manus iojiciunt Clericis,
» poſſunt illam alijs committere, ſi quando ita ex-
» pedire ipſis viſum fuerit, prout ſtaruitur in c. His
quibus; 20. & ult. h. t. & ibi Gloſſ. V. Ex officio.

Ubi notandum 1. Hæc facultas abſolvendi competit, non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam Legatis Sedis Apoſtolicæ, & ijs Prælatis, etiam Regularibus, quibus per ſpeciale privilegium talis poteſtas abſolvendi ratione dignitatis ſuæ conceſſa eſt, adeóqoe in perpetuum tanquam ordinaria competit, cùm dignitati eorum ſit annexa, c. Cùm illorum; 32. de ſentent. excommun. ideóque cùm talis commiſſio perpetua tranſeat in ordinariam, delegari poteſt. Gloſſ. hîc V. Caſibus; Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 40. n. 14. Idémque dicendum de abſolutione ab alijs excommunicationibus, & cenſuris; nam licèt in cit. c. ult. h. t. tantùm meotio fiat de abſolutione à cenſura Canonis propter percuſſionem Clerici, c. Si quis ſuadente; 39. cauſ. 17. quæſt. 4. id tamen ſolùm exempli cauſâ eſt allatom, & locum habet in omnibus alijs otiam excommunicationibus. Gloſſ. hîc V. Caſibus; in fine. & Abb. n. 1. nam cùm alicui Jure communi, aot privilegio ſpeciali coonceſſa eſt poteſtas aliqua, ratione officij ſui, aut dignitatis, quæ ad Succeſſores tranſit, vel quaſi Succeſſores (uti ſunt ij, qui ſuccedunt in officio Legationis Apoſtolicæ, vel Vicariatûs Epiſcopalis) tunc non poteſt cenſeri electa induſtria perſonæ, ideóque alteri delegari poteſt. Navarr. l. 5. conſil. 11. num. 4. de privileg. edit. 2. Sanchez. cit. diſ. 40. n. 17.

Notaodum 2. Non tantùm in particulari, ſed etiam generaliter bujuſmodi poteſtas abſolvendi alijs committi poteſt; ea enim, quæ jore ordinario, ſive ratione poreſtatis ordinariæ, alicui competunt, abſolutè, & generaliter delegari poſſunt. Sanch. c. l. Imò non taotùm nudum miniſterium abſolutionis, ſed etiam, cum cauſæ cognitiooe, alteri committi poteſt. Navarr. c. l. & Sanch. c. l. præterquam, ſi ex commiſſione, ſeu privilegij conceſſiooe appareat, ſpecialiter induſtriam, & diſcretionem perſonæ ad abſolvendum electam eſſe, ut io caſu c. 2. et c. Cùm illorum; 32. de ſeotent. excomm. Laym. hîc o. 3.

Notandum 3. Quamvìs delegatus Principis juriſdictionem alteri quoque committere poſſit: alij tamen delegati ab inferiorihus Ordinarijs juriſdictionem alteri cōmittere nequeunt, adeóque neque poteſtatem, ſed tantùm nudum miniſterium abſolvendi, ſine cauſæ cognitione, dūmodo ipſe delegatus juriſdictionem aliquam babeat, & oon nudum miniſterium ad abſolvendum ipſi commiſſum ſit, tum enim illud alteri ſubdelegare non poreſt, ſed pletumque perſonaliter exequi debet, juxta c. ult. §. Cæterùm; de offic. deleg. & ſic illud non contradicit huic c. Gloſſ. hîc V. Caſibos; in fine. Abb. ibid. in fine, & Imol. n. 2. Navarr. in Man. Prælat. c. 27. n. 45.

LXXXI. Cæterùm hacteous dictis de poteſtate excommunicandi, & abſolveodi ab excommunicatiooe, addeodum 1. quòd ſtatutum habetur in c. Si Sacerdos; 2. h. t. nam cùm quæſitum fuiſſet, an Epiſcopus, vel alius Sacerdos, qui juriſdictiooe in foro externo eſt præditus, v. g. Vicarius Epiſcopi, excommunicare poſſit occultum crimiooſum, tamerſi crimen ex Sacramentali confeſſione cognoverit? Eugenius Papa reſpoodit: Si Sacerdos pro certo ſciat (oo- »
titiâ privatâ, & occultâ) aliquem eſſe reum alicu- »
jus criminis, vel, ſi illud ei confeſſus fuerit (in foro »
Sacrameotali pœnitentiæ) & admonitus emendare »
ſe noluerit, oon debet illum nominatim arguere »
in publico, ſed indeterminatè, ſicut Chriſtos dixit: »
Vnus veſtrûm me traditurus eſt. Matth. 26. niſi »
crimen judiciario ordine ipſi Sacerdoti probatum »
fuerit. Poteſt tamen talis Sacerdos (imò, & de- »
bet) petente eo, cui damnum illatum eſt, ſibi juſti- »
tiam adminiſtrari, occultum auctorem damni ex- »
communicare (per ſententiam generalem, & indefinitam: v. g. quicunque injuſtè rapuit rem Titij, niſi intra meoſem rem ablatam reſtituerit, ipſo facto ſit excommunicatus. Gloſſ. hîc in caſu, & V. Nominatim;) licèt ipſi crimen Sacramentaliter confeſſos »
fuerit: ſed oominàtim, ſeu expreſſo nomioe, non »
poteſt eom à ſacra communione removere, quam- »
vìs ſciat, eum eſſe reum, quia non ut Judex ejus cri- »
men ſcit, ſed ut Deus, id eſt, locum Dei teoens, »

preſbyteri, Præpoſiti, Decani, Abbates, Rectores Eccleſiæ Collegiatæ, qui ab univerſitate, ſeu Collegio eliguntur, vel ab Epiſcopo alicui Collegio, aut Univerſitati præficiuntur, qui etiam poteſtatem excommunicandi babent. Gloſſ. hic V. Eccleſiaſtica ſententia; b. t. Quare etiam Plebanus iſte in caſu hujus c. non fuit ſimplex Parochus, ſeu Curatus, ſed ordinariam, ac perpetuam juriſdictionem in ſoro externo habuit in parochianos ſuos, acquiſitam ex jure ſpeciali, videlicet privilegio, vel legitima præſcriptione, aut per electionem Capituli, & confirmationem Epiſcopi, ideóque etiam excommunicate, & interdicere potuit. Innocent. in c. Quantò; 7. n. 2. b. t. Abb. hîc n. 1.

Notandum 2. Epiſcopus poteſt ab excommunicatione, vel aliâ cenſurâ latâ à Prælato inferiore ſibi ſubjecto abſolvere, ſi eam injuſtam repererit, ut docet Buttrio apud Fagnan. hîc num. 11. ſi verò ea juſta fuerit, non debet excommunicatum abſolvere, ſed remittere ad excommunicatorem, ut illum abſolvat. Gloſſ. fin. hîc & Abb. n. 3. Veruntamen etſi Epiſcopus abſolvat, irrequiſito excommunicatore, abſolutio eſt valida, ut tradit cit. Gloſſ. fin. hîc communiter recepta, & Abb. num. 11. Suar. cit. ſec. 2. num. 17. quia in hoc c. nullo verbo irritatur talis abſolutio, & inferior juriſdictionem babet, non privativè, excluſo Epiſcopo, ſed cumulativè tantùm, ita, ut Epiſcopus cum eo tanquam ordinarius Superior totius Diœceſis concurrat: contrarium tamen tenet Barboſ. in collect. hîc n. 3.

LXXVI. Ex dictis colligitur 1. Quòd Epiſcopus poteſt excommunicatos à Vicario ſuo, qui ad nutum ipſius amovibilis eſt, vel à delegatis ſuis, pro libero arbitrio ſuo, abſolvere, quia tales Vicarij, & delegati, non proprio jure, ſed jure, & auctoritate alterius juriſdictionem exercent. Laym. hîc n. 3.

Colligitur 2. Epiſcopus excommunicatos à Prælatis Ordinum non exemptorum abſolvere non poteſt, niſi ad ipſum ſit appellatum, ita, ut abſolutio, ſeu relaxatio cenſuræ etiam irrita ſit, quia Epiſcopus non habet plenam juriſdictionem in Regulares, etiam non exemptos, cùm correctio primo loco ſpectet ad Prælatum Ordinis, ita, ut Epiſcopus ſe immiſcere non debeat, niſi in defectum Prælati negligentis, vel, ſi crimina gravia ſint, præſertim quæ depoſitionem merentur. Abb. hic num. 10. & patet ex ſuprà dictis num. 58.

» LXXVII. Aſſertio 5. Si excommunicatus ab
» Epiſcopo, ſeu Ordinatio ſuo, abſolutionem impe-
» tret à Pontifice, verâ excommunicationis causâ ta-
» citâ, ſeu ſuppreſſâ, & aliâ ſalsâ expreſſâ, idque cer-
» tò conſtet Epiſcopo, debet illum per Eccleſiaſticas
» cenſuras compellere, ut cum litteris ejuſdem Epi-
» ſcopi veram cauſam continentibus, ad Sedem Apo-
» ſtolicam ſe conferat: Si verò Epiſcopo non certò
» conſtet de ſubreptitia impetratione abſolutionis,
» ſed impetrantem ſuſpectum ſolùm babeat; tunc
» illum compellere debet ad Canonicam purgatio-
» nem coram ipſo præſtandum, prout reſpondit Pa-
» pa Alexander III. in c. Ex parte; 5. b. t.

Ratio primæ partis eſt; quia ad abſolutionem à cenſura, ex parte abſolventis, non tantùm poteſtas, ſed etiam voluntas, ſeu intentio abſolvendi requiritur: quamvìs autem Papa poſſit validè aliquem abſolvere ab excommunicatione, etiamſi ignoret juſtam abſolvendi cauſam, vel nulla ſubſit, adeóque abſolutio ſit injuſta, ut conſtat ex c. Venerabilibus; 7. §. Sanè; Verſic. ubi autem de ſentent. excomm. in 6. Abb. hic n. 6. non tamen eſt præſumendum, Papam ita velle abſolvere, arg. c. 2. de filijs Presbyter. in 6. ideóque impetrans abſolutionem à Papa ſubreptitiè, ſupprimendo veram cauſam, & exprimendo falſam, non debet cenſeri abſolutus, ſed ad Sedem Apoſtolicam remitti pro vera abſolutione obtinenda.

Porrò, ſi quis unâ, vel pluribus excommunicationibus, ſed ex pluribus cauſis æquè principalibus, ſit irretitus, v. g. ob percuſſionem Clerici, & violationem immunitaris Eccleſiaſticæ, impetret abſolutionem, expreſſâ unâ causâ, ſed tacitâ alterâ, non eſt abſolutus quoad alteram excommunicationem, quæ permanet, juxta c. Cùm pro cauſa; 27. de ſentent. excom. Garc. p. 8. de benef. c. 3. n. 13. Barb. hîc in collect. n. 2. ſicut etiam abſolutio ab excommunicatione incursâ ob unam cauſam veram, valet, non item quoad aliam non expreſſam. Garc. c. l. n. 14. Neque verò tot ſunt neceſſariæ abſolutiones, quot ſunt excommunicationes, ut vult Gloſſ. hîc V. Redire; ſed una abſolutio ſufficit pro pluribus, dummodo abſolvens habeat poteſtatem, & voluntatem abſolvendi ab utraque, vel omnibus. Laym. hic num. 1. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ob gravem, & urgentem ſuſpicionem commiſſi criminis, poteſt alicui indici purgatio canonica, ut in propoſito impetrans abſolutionem à Papa, cogi poteſt ab Ordinario, ſi graviter ſuſpectus ſit de taciturnitate cauſæ, ut teſtes idoneos producat, qui teſtentur, illum veram cauſam excommunicationis ſuæ S. Pontifici expoſuiſſe, & conſequenter ritè ab ea abſolutum fuiſſe. Innocent. hîc in fine. Abb. n. 7. & Imol. num. 7. quamvìs aliàs purgatio Canonica non ſit alicui indicenda, niſi præcedente publicâ infamiâ apud bonos, & graves viros, juxta Gloſſ. fin. hîc.

LXXVIII. Aſſertio 6. Si Judex à Papa de- »
legatus reum citatum, propter contumaciam in »
comparendo, excommunicavit, atque actorem in »
poſſeſſionem rei ſervandæ causâ miſit, ſeu induxit, »
ſed delegatus poſtea è vita exceſſit; hoc caſu, non »
poteſt Epiſcopus, ſeu Ordinarius loci, ſinè ſpecia- »
li mandato Sedis Apoſtolicæ, excommunicatum »
à delegato abſolvere, etſi ſatisfacere nolentem, »
cùm delegatus ſit major Ordinario, quantùm ad »
cauſam delegatam, ſed ſolus Papa: præterquam in »
mortis articulo, vel niſi delegatus ſucceſſorem ha- »
beat in onere, & honore delegationis, tunc enim »
ejus ſucceſſor abſolvere poterit. Neque etiam »
Reus per alium, quàm S. Pontificem (vel ejus de- »
legatum ſpecialiter ad id deputatum) amiſſam poſ- »
ſeſſionem recuperare poterit. Verùm ne Actor, »
ob contumaciam Rei, miſſus in poſſeſſionem cu- »
ſtodiæ causâ, poſt annum elapſum, verus poſſeſ- »
ſor efficiatur; poteſt Reus coram Ordinatio lo- »
ci, vel, ſi ejus copiam babere nequeat, coram pu- »
blicis, & honeſtis perſonis cautionem offerre, ac »
præſtare, quòd juri pariturus ſit: ſic enim veluti »
interrumpitur præſcriptio annalis, ut etiam poſt »
annum poſſeſſionem per Sedem Apoſtolicam re- »
cuperare mereatur. ita ſtatutum habetur in c. Pa- »
ſtoralis; 11. §. Præterea; h. t.

LXXIX. No-

LXXIX. Notandum 1. Nemo poteſt abſolvere excommunicatum ab homine, ſive per ſententiam Judicis, niſi excommunicationis auctor, vel ejus Superior, vel Succeſſor. Quare excommunicatum à delegato Papæ, eo mortuo, nullus poteſt abſolvere, niſi ipſe Papa, vel ſucceſſor delegati, ſi cauſa commiſſa ſit v.g. Epiſcopo, intuitu dignitatis, non perſonæ; cum enim ſucceſſor ejus in dignitate, etiam ſuccedit in onere, & honore delegationis, juxta c. Quoniam; 14. de offic. deleg. & conſequenter etiam abſolvere poteſt excommunicatum à delegato ejus anteceſſore. Abb. hîc num. 2. Dicitur autem delegatio onus, quia obligationem mandati imponit; & honor propter jurisdictionem, ſeu munus judicandi. Abb. hîc n. 1. Barb. in Collect. n, 15. Porrò ab excommunicatione lata à Canone, vel per ſtatutum quilibet Epiſcopus, vel Prælatus Superior excommunicati abſolvere poteſt, ſi excommunicatio non ſit reſervata in Canone, vel ſtatuto. Abb. hîc num. 1. not. 1.

Notandum 2. In articulo mortis nulla eſt criminum, aut caſuum reſervatio, adeóque quilibet Sacerdos à quacunque excommunicatione, aliâve cenſurâ etiam Papæ reſervatâ, abſolvere poteſt. Gl, margin. hic, & Abb. n. 2. per articulum verò mortis hîc intelligitur quodvis probabile periculum moriendi alicui imminens. Abb. hîc n. 3.

Notandum 3. Delegatus Papæ poteſt, ob contumaciam Rei, actorem mittere in poſſeſſionem, cauſâ rei ſervandæ, per quam tamen non vera, ac ſtabilis poſſeſſio, ante annum elapſum, obtinetur, ſed potiùs cuſtodia ſolùm immiſſo committitur. Quòd ſi Reus intra annum cautionem præſtet de ſiſtendo ſe in judicio, recuperat poſſeſſionem, ut patet ex textu, & ex c. ult. §. In alijs; Ut lite non conteſt. de quo plura ibid. Quæ cautio fieri poteſt, Judice proprio abſente, etiam coram Tabellione, vel aliâ perſonâ publicâ dignitatem cum jurisdictione habente. Abb. hîc num. 5. vel, ſi Tabellio non adſit, coram duobus, aut tribus teſtibus, qui vicem Tabellionis ſuppleant, ut colligitur ex l. 2. C. de annali exceptione. Imol. hîc n. 17.

» LXXX. Aſſertio 7. Ij, quibus ex officio (ſcilicet » proprio, & ordinario) competit in certis caſibus » poteſtas abſolvendi ab excommunicatione Cano» nis, eos, qui violentas manus injiciunt Clericis, » poſſunt illam alijs committere, ſi quando ita ex» pedire ipſis viſum fuerit, prout ſtatuitur in c. His quibus; 20. & ult. h. t. & ibi Gloſſ. V. Ex officio.

Ubi notandum 1. Hæc facultas abſolvendi competit, non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam Legatis Sedis Apoſtolicæ, & ijs Prælatis, etiam Regularibus, quibus per ſpeciale privilegium talis poteſtas abſolvendi ratione dignitatis ſuæ conceſſa eſt, adeóque in perpetuum tanquam ordinaria competit, cùm dignitati eorum ſit annexa, c. Cùm illorum; 32. de ſentent. excommun. ideóque cùm talis commiſſio perpetua tranſeat in ordinariam, delegari poteſt. Gloſſ. hîc V. Caſibus; Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 40. n. 14. Idémque dicendum de abſolutione ab alijs excommunicationibus, & cenſuris; nam licèt in cit. c. ult. h. t. tantùm mentio fiat de abſolutione à cenſura Canonis propter percuſſionem Clerici, c. Si quis ſuadente; 39. cauſ. 17. quæſt. 4. id tamen ſolùm exempli cauſâ eſt allatum, & locum habet in omnibus alijs etiam excommunicationibus. Gloſſ. hîc V. Caſibus; in fine. & Abb. n. 1. nam cùm alicui Jure communi, aut privilegio ſpeciali conceſſa eſt poteſtas aliqua, ratione officij ſui, aut dignitatis, quæ ad Succeſſores tranſit, vel quaſi Succeſſores (uti ſunt ij, qui ſuccedunt in officio Legationis Apoſtolicæ, vel Vicariatûs Epiſcopalis) tunc non poteſt cenſeri electa induſtria perſonæ, ideóque alteri delegari poteſt. Navarr. l. 5. conſil. 11. num. 4. de privileg. edit. 2. Sanchez. cit. diſ. 40. n. 17.

Notandum 2. Non tantùm in particulari, ſed etiam generaliter hujuſmodi poteſtas abſolvendi alijs committi poteſt; ea enim, quæ jure ordinario, ſive ratione poteſtatis ordinariæ, alicui competunt, abſolutè, & generaliter delegari poſſunt. Sanch. c. l. Imò non tantùm nudum miniſterium abſolutionis, ſed etiam, cum cauſæ cognitione, alteri committi poteſt. Navarr. c. l. & Sanch. c. l. præterquam, ſi ex commiſſione, ſeu privilegij conceſſione appareat, ſpecialiter induſtriam, & diſcretionem perſonæ ad abſolvendum electam eſſe, ut in caſu c. 2. et c. Cùm illorum; 32. de ſentent. excomm. Laym. hîc n. 3.

Notandum 3. Quamvìs delegatus Principis jurisdictionem alteri quoque committere poſſit: alij tamen delegati ab inferioribus Ordinarijs jurisdictionem alteri comittere nequeunt, adeóque neque poteſtatem, ſed tantùm nudum miniſterium abſolvendi, ſine cauſæ cognitione, dumodo ipſe delegatus jurisdictionem aliquam habeat, & non nudum miniſterium ad abſolvendum ipſi commiſſum ſit, tum enim illud alteri ſubdelegare non poteſt, ſed plerumque perſonaliter exequi debet, juxta c. ult. §. Cæterùm; de offic. deleg. & ſic illud non contradicit huic. Gloſſ. hîc V. Caſibus; in fine. Abb. ibid. in fine, & Imol. n. 2. Navarr. in Man. Prælat. c. 27. n. 45.

LXXXI. Cæterùm hactenus dictis de poteſtate excommunicandi, & abſolvendi ab excommunicatione, addendum 1. quòd ſtatutum habetur in c. Si Sacerdos; 2. h. t. nam cùm quæſitum fuiſſet, an Epiſcopus, vel alius Sacerdos, qui jurisdictione in foro externo eſt præditus, v. g. Vicarius Epiſcopi, excommunicare poſſit occultum criminoſum, tametſi crimen ex Sacramentali confeſſione cognoverit? Eugenius Papa reſpondit: Si Sacerdos pro certo ſciat (no» titiâ privatâ, & occultâ) aliquem eſſe reum alicu» jus criminis, vel, ſi illud ei confeſſus fuerit (in foro » Sacramentali pœnitentiæ) & admonitus emendare » ſe noluerit, non debet illum nominatim arguere » in publico, ſed indeterminatè, ſicut Chriſtus dixit: » *Unus veſtrûm me traditurus eſt.* Matth. 26. niſi » crimen judiciario ordine ipſi Sacerdoti probatum » fuerit. Poteſt tamen talis Sacerdos (imò, & de» bet) petente eo, cui damnum illatum eſt, ſibi juſti» tiam adminiſtrari, occultum auctorem damni ex» communicare (per ſententiam generalem, & indefinitam: v.g. quicunque injuſtè rapuit rem Titij, niſi intra menſem rem ablatam reſtituerit, ipſo facto ſit excommunicatus. Gloſſ. hîc in caſu, & V. Nominatim;) licèt ipſi crimen Sacramentaliter confeſſus » fuerit: ſed nominatim, ſeu expreſſo nomine, non » poteſt eum à ſacra communione removere, quam» vìs ſciat, eum eſſe reum, quia non ut Judex ejus cri» men ſcit, ſed ut Deus, id eſt, locum Dei tenens, »

&

Digitized by Google

» & ut Vicarius Chriſti; ſicut nec Chriſtus Judam » à communione removit, debet tamen eum admo- » nere in ſecreto, ne ad ſacram Eucharistiam accedat. Gloſſ. fin. hîc..

LXXXII. Notandum 1. Tribus modis poteſt aliquis habere notitiam criminis alterius: 1. Ut privata perſona, quia fortè vidit eum delinquentem, ſed ſolus: 2. Ut Judex, ſeu perſona publica, cui in judicio probatum fuit crimen. 3. Ut Vicarius Chriſti, ex confeſſione ei factâ in foro Sacramentali pœnitentiæ. Abb. hîc n. 4.

Notandum 2. Quando in hoc c. dicitur, poſſe Sacerdotem, ſeu Confeſſarium, qui peccatum alicujus ex confeſſione cognovit, indeterminatè, & in genere arguere, nullâ nominatâ perſonâ, id ita intelligendum eſt, quòd non prohibeatur crimina ex Sacramentali confeſſione ipſi cognita generatim reprehendere, etiam pro publica concione, modò tamen nemini præbeatur anſa ſuſpicandi, aliquem in particulari carpi, aut perſtringi. Deinde cùm dicitur in fine, quòd Sacerdos debeat reum admonere, ne ſe ingerat Sacramentis, id facere debet in ipſa Confeſſione, ne ad S. Communionem accedat, ſi non ſit diſpoſitus, ut à peccatis abſolvi poſſit. Quòd ſi crimen publicè notorium ſit, v. g. cædes Presbyteri, ſed auctor ignoretur, poteſt Confeſſarius indeterminatè monere pro concione eum, qui hoc crimen commiſit, & ipſi confeſſus fuit, ne ad Sacramenta accedat, ante præſtitam debitam ſatisfactionem. Laym. hîc n. 5.

Notandum 3. Si Prælatus juriſdictione fori externi præditus crimen alicujus cognovit ex Confeſſione Sacramentali, poteſt nihilominus accuſationem, vel denunciationem Rei admittere, & convictum, vel confeſſum in judicio punire, adeóque uti notitiâ criminis aliunde acceptâ, dummodo illam nullo modo adjuvet notitia hauſta ex confeſſione Sacramentali, & ſcandalum abſit. Laym. c. l. n. 3. & l. 5. Theol. mor. tr. 6. c. 14. n. 3.

Notandum 4. Non poteſt Sacerdos, cui ex ſola confeſſione occultum crimen alicujus eſt cognitum, Euchariſtiam, vel aliud Sacramentum negare, etiam occultè petenti, prout ſumitur ex hoc c. quia talis denegatio continet ſaltem tacitam exprobrationem peccati ex confeſſione cogniti, adeóque redderet Confeſſionem odioſam. Laym. hîc n. 3. & Barboſ. in Collect. n. 5.

LXXXIII. Addendum 2. Quod circa excommunicatos ab Epiſcopo, ſeu Ordinario, ſed à delegatis Papæ abſolutos, ſi in crimine nihilominus perſeverent, dictum eſt, ſtatutum habetur in c. Significavit; » 6. h. t. Nam quidam matrimonium contraxe- » runt, qui juxta publicam famam erant conſangui- » nitate, vel affinitate conjuncti, ideóque eos Epi- » ſcopus, cùm contumaces eſſent, & ab invicem ſe- » parari nollent, excommunicavit. Sed illi per ap- » pellationem, vel ſimplicem querelam ad S. Ponti- » ficem delatam conqueſti ſunt de injuſta excommu- » nicatione, & litteras impetrârunt ad Judices dele- » gatos, ut, ſi ita eſſet, abſolverentur, & cauſa poſtea » cognoſceretur (juxta c. Cùm contingat; 36. de of- » fic. deleg.) Judices delegati prædictos illegitimè » conjugatos ab excommunicatione abſolverunt, » ſed non, uti debebant, in cauſa proceſſerunt, nec ad locum, ubi teſtes ad probandam conſanguinitatem, » vel affinitatem produci poſſent, acceſſerunt, » nec aliquos ad recipiendos teſtes illuc miſerunt, » & ſic conſanguinei illi, vel affines in nefariæ con- » junctionis, ſeu inceſtûs crimine perſeverârunt, & » cauſa debitum finem non eſt ſortita. Quare Pa- » pa Cæleſtinus III. reſpondit, cùm homines illi ex » dolo ſuo commodum referre non debeant (prout » habetur in integrâ lectione hujus c.) neque ex de- » legatorum Judicum malitiâ, vel deſidiâ, ſeu negli- » gentiâ ad remanendum in nefaria conjunctione » ſuffragium conſequi: idcirco poſſe Epiſcopum, ſeu » Ordinarium loci eoſdem in crimine perſiſtentes, » non obſtante abſolutione, denuo excommunicare, » neque iterum abſolvendos eſſe, donec ad teſtium » receptionem, & alia, quæ ad cauſæ cognitionem » pertinent, legitimè fuerit proceſſum. »

LXXXIV. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Quamvis regulariter Judex ordinarius non poſſit ſe intromittere in cauſa alteri à Superiore v. g. Papâ delegata, c. 2. de Offic. Legat. ſi tamen cauſa aliqua, quæ alioquin ad juriſdictionem Ordinarij pertinet, per appellationem, vel ſimplicem querelam ad Judicem delegatum malitioſè deferatur, & quia ille in cauſa non procedit, aliqui in crimine contumaciter perſiſtant; tum poteſt Judex ordinarius ad tollendum peccatum, defectum delegati ſupplere, & delinquentes, ſi moniti à peccato deſiſtere nolint, excommunicare, uti ſumitur ex hoc c. idque ſpecialiter ſtatutum eſt in favorem animarum, ut poſſit Ordinarius procedere contra delinquentes, eos ob contumaciam excommunicando, non obſtante eo, quòd cauſa devoluta ſit ad Judices delegatos, ſi ob eorundem malitiam, vel negligentiam nutriatur peccatum. Et quamvìs in hoc c. ſolùm ſermo ſit de ijs, qui contumaciter perſiſtunt in crimine inceſtûs: tamen ob eandem rationem æquitatis, & neceſſitatis, idem generatim dicendum eſt de ijs, qui in quolibet alio publico, & ſcandaloſo peccato perſeverant, quòd Judex ordinarius malitiam, vel deſidiam delegatorum ſupplere poſſit, quatenus neceſſarium eſt ad tollendum peccatum. Gl. hîc V. Deſidia; Hoſtienſ. ibid. in fine, & Abb. num. 2. nam etſi licitè ab inferiore ad Superiorem Judicem recurratur, ad defenſionem juſtitiæ, & innocentium; non tamen talis recurſus eſt licitus, ſi id cedat in defenſionem malitiæ, & peccati: unde quamvìs ab Epiſcopo ad Metropolitanum recurri poteſt, ſi tamen hic negligat procedere in cauſa, ideóque reus in crimine cum ſcandalo perſiſtat, poteſt Epiſcopus, non obſtante recurſu ad Metropolitanum, per excomunicationem, aliáſve cenſuras eum compellere ad deſiſtendum à peccato. Laym. hîc num. 1. Aliud verò dicendum eſt, ſi nullum foveatur peccatum, ut in cauſa pecuniaria, tum enim tametſi delegatus v. g. Papæ, negligat in cauſa procedere, Ordinarius non poteſt ſe cauſæ immiſcere, ſed recurrendum eſt ad ipſum Papam delegantem, cùm hoc ipſo, quòd cauſa delata eſt ad delegatum, ſeu ei commiſſa, ab Ordinarij juriſdictione ſit exempta. Hoſtienſ. hîc: & Abb. n. 2.

Notandum 2. Si qui conſanguinitate, vel affinitate conjuncti, tanquam veri conjuges cohabitent, poteſt, ac debet Epiſcopus eos excommunicare, ſi moniti

niti recuſent ab invicem ſeparari, quia excom̃unicatio infligitur, non immediatè propter delictum, ſed propter contumaciam, ſive perſiſtentiam in delicto, poſt admonitionem Rei factam, c. Sacro; 48. de ſent. excomm. hodie tamen jure novo, qui ſcienter contrahunt matrimonium in gradu prohibito, ipſo facto excom̃unicationem incurrunt, juxta Clement. unic. de conſangu. & affinit. Abb, hîc not. 1.

Notandum 5. Si quis ſemel ab excommunicatione ſit abſolutus, ſed poſtea in eodem crimine, & contumaciâ perſeveret, non debet denuo abſolvi, donec cauſa ſit tranſacta, uti ſumitur ex hoc c. in fine. Et eſt hic caſus ſpecialis, in quo excommunicatus admittitur ad litigandum de injuſta excommunicatione, etſi non abſolvatur in principio litis; ſcilicet quando priùs fuit abſolutus, & poſtea negligit in cauſa procedere. Gl. margin. hîc, & ibid. Abb. in fine, & Imol. n. 5.

§ VI.

De poteſtate diſpenſandi conceſſâ Epiſcopis.

Ad legem juriſdictionalem Epiſcopi pertinet etiam diſpenſatio, de qua hoc §. agemus.

LXXXV. Quæritur 1. An Epiſcopi poſſint diſpenſare in univerſalibus Conſtitutionibus SS. Canonum, & Decretis Conciliorum generalium? Reſpondetur: Non poſſunt Epiſcopi in lege S. Pontificis, vel Canonicâ, aut Concilij diſpenſare, niſi in caſibus ipſis à jure conceſſis. Innocent. in c. Dilectus; 15. num. 2. de tempor. Ordin. ubi ait, non licere diſpenſare Epiſcopo, niſi ubi invenitur conceſſum. Abb. ibid. n. 3. & alij Canoniſtæ communiter. Idem docet Sylveſt. V. Diſpenſatio; num. 14. Rebuff. in praxi tit. de diſpenſ. ad plura benef. num. 26. & 27. Suar. lib. 6. de legib. c. 4. num. 4. Idque ſumitur ex jam cit. c. Dilectus; ubi reprobatur collatio plurium ſacrorum Ordinum unâ die ab Epiſcopo eidem facta, etſi ex mandato, ſive diſpenſatione Archiepiſcopi, eò quòd hujuſmodi diſpenſatio ipſi à Canone non ſit permiſſa, & per conſequens cenſeatur ei eſſe prohibita, alioquin ratio textûs nihil probaret. Et in c. pen. & ult. de filijs Presbyt. irritæ declarantur diſpenſationes factæ contra juris diſpoſitionem ab inferiore Papâ. Ratio eſt, quia Judex inferior non poteſt tollere legem Superioris, quidquam ei detrahendo, vel diſpenſando quomodolibet, prout habetur in Clement. 2. in princ. de elect. c. Inferior; 4. diſ. 21. et c. Cùm inferior; 16. de major. & obed. Confirmatur, quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, ſed inferior non habet juriſdictionem circa legem Superioris, v. g. Epiſcopus circa legem S. Pontificis, nec circa perſonas ipſi ſubditas, ergo nec habet poteſtatem diſpenſandi in lege Superioris. niſi ei concedatur. Suar. c. l.

Multò minùs verò poſſunt Epiſcopi diſpenſare in Decretis Concilij generalis, ut docet Gl. communiter recepta in c. Cùm dilectus; 32. V. Ætate; de elect. Abb. in c. At, ſi Clerici; 4. §. De adulterijs; n. 5. de judic. Rebuff. c. l. num. 28. & alij Canoniſtæ. Idque ſumitur ex Extravag. Sancta unic. §. Quidam autem de relig. domib. junctâ Gloſſ. V. Concilij generalis, ubi ait: non licet Epiſcopis contra inhibitionem generalis Canonis facere, cùm ſint aſtricti ad obſervantiam Canonum. Et in c. ult. de filijs Presbyt. declarantur irritæ promotiones factæ de illegitimis ad dignitates, & beneficia curata, ſinè diſpenſatione Papæ, quia ſunt contra Canonem Concilij Pictavienſis in c. 1. eodem. quin imò ipſe Papa difficiliùs diſpenſat in Decretis Concilij generalis, quàm in alijs Decretis ſimplicibus, ob majorem auctoritatem Conciliorum. Fagn. in cit. c. ult. n. 18. de fil. Presb.

LXXXVI. Objicitur 1. Quando S. Pontifex in Lege, ſeu Canone aliquo expreſsè non prohibet, ſive ſibi reſervat diſpenſationem, tum cenſetur illam Epiſcopis conceſſiſſe, nam juxta commune axioma multorum Canoniſtarum, Epiſcopus ex jure divino poteſt in ſua Diœceſi, quidquid Papa poteſt in univerſa Eccleſia, ijs tantùm exceptis, quæ S. Pontifex ſibi expreſsè reſervavit. Verùm hoc dictum in nullo jure eſt fundatum, & ſupponit falſum, nempe Epiſcopos habere abſolutam, & univerſalem juriſdictionem in ſuis Diœceſibus ex jure divino, cùm tamen illam habeant immediatè à S. Pontifice, ut probatum ſuprà n. 39. h. t. qui etiam illam varijs modis reſtringere, & limitare poteſt. Ex quo ſequitur, quòd illam partem juriſdictionis tantùm habeant Epiſcopi, quæ illis à S. Pontifice eſt conceſſa. Et hinc multa ſunt, quæ poteſt Papa in univerſali Eccleſia, non tamen poſſunt Epiſcopi: nam ſolus Papa diſpenſare poteſt in matrimonio rato, non conſummato, & in voto ſolemni paupertatis, & continentiæ: committere Presbytero poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, ſaltem quoad Ordines minores: concedere indulgentias plenarias abſolutè pro vivis, & defunctis; approbare Religiones, canonizare Sanctos, & multa alia poteſt Papa, quæ Epiſcopi jure ordinario, & communi non poſſunt, etiamſi à Papa non ſint expreſsè reſervata. Suar. cit. c. 14. n. 6. Fagnan. in c. 1. num. 54. & ſeqq. h. t. Idque etiam ſatis clarè conſtat ex cit. c. Dilectus; de tempor. Ordin. ubi Epiſcopus diſpenſare non poteſt, non ex eo, quòd illi poteſtas diſpenſandi ſublata ſit, ex vi reſervationis, ſed quia illa à Canone ei non reperitur conceſſa. Fagn. ibid. n. 16. Idque confirmatur, quia, quamvis Epiſcopi ſint Paſtores animarum, & juriſdictionẽ ordinariã habeant in ſua Diœceſi, habent tamen ſubordinatã Papæ, cui ſunt ſubjecti, adeóq; nõ poſſunt ſolvere ejus Leges, ſeu Canones, & diſpenſando relaxare, niſi id eis ſit conceſſum: ſicut etiam Papa, etſi habeat plenitudinẽ poteſtatis in tota Eccleſia, c. Cùm ex eo; 14. de pœnit. & remiſſ. non tamen poteſt relaxare Jus divinũ, ſive contra illud diſpenſare, cujus auctoritas eſt à Deo, niſi illi ſpecialiter ſit conceſſum. Fagn. c. l.

Objicitur 2. Quando Legiſlator, ſeu Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur alijs facultatem abſolvendi, c. Nuper; 29. de ſentent. excomm. ergò ſimiliter eo ipſo, quòd non reſervat ſibi diſpenſationem, cenſeri debet illam alijs concedere. Sed negatur conſeq. quia c. Nuper; loquitur de abſolutione ab excommunicatione, quæ faciliùs conceditur, quàm diſpenſatio, quia illa fit ſecundùm jus, quod non vult, ut aliquis in excommunicatione decedat; c. Quâ fronte; 25. de appellat. c. Cùm illorum; 32. de ſentent.

excommun. cùm ergo ſit favorabilis, & ordinetur ad bonum animæ, ideo cenſetur permiſſa, ſi non ſit reſervata, ſeu prohibita. At verò diſpenſatio eſt contra jus, ſive legem Superioris, eique derogari: ideóque meritò intelligitur prohibita, ſi non reperiatur conceſſa. Suar. cit. c. 14. n. 7.

LXXXVII. Quæritur 2. In quibus caſibus Epiſcopus diſpenſare poſſit in lege Pontificia, vel Canone Concilij generalis? Reſp. In tribus caſibus cenſetur Epiſcopo conceſſa poteſtas diſpenſandi in lege Canonica, vel etiam decreto Concilij generalis, etiamſi expreſsè ei non concedatur, ut docet Sylveſt. V. Diſpenſatio; n. 15. Suar. l. 6. c. 14. n. 8. 1. Si in lege, ſeu Canone ſimpliciter dicatur, poſſe diſpenſari, adeóque poſitivè permittatur diſpenſatio, etſi Papa illam ſibi non reſervet, nec determinet perſonam, cui committatur diſpenſatio; tunc enim Epiſcopus diſpenſare poteſt, quamvis expreſsè ei non fuerit conceſſa. Innoc. in cit. c. Dilectus; n. 2. de temp. ord. Abb. in cit. c. At, ſi Clerici; §. De adulterijs; n. 5. & ibid. alij Canoniſtæ communiter. Ratio eſt, tum quia aliàs verba illa, quibus ſimpliciter conceditur diſpenſatio, ſuperflua forent, & nihil operarentur, cùm per ſe conſtet, Papam poſſe in tali lege, ſeu Canone diſpenſare, cujus auctoritas ſemper intelligitur excepta: tum quia poteſtas diſpenſandi, reſpectu illam concedentis, non eſt ſtricti juris, ſed favorabilis, & amplè interpretanda, cùm ſæpe ſit neceſſaria, & debita: tum denique quia, ubi jus exprimit, poſſe diſpenſari, jus ſervatur, ſi diſpenſetur, ergo tum ipſe Epiſcopus, qui eſt Canonum cuſtos, & executor, poteſt diſpenſare, quia ſic ſervat jus, & ſecundùm illud operatur. Archidiac. apud Fagn. in cit. c. Dilectus; n. 17. Idémque dicendum, ſi in Canone, ſeu decreto Concilij generalis abſolutè, & ſimpliciter permittatur diſpenſatio: poterit enim etiam tunc diſpenſare in illo Epiſcopus, ob rationem ſuprà allatam, quia ipſa Conſtitutio Concilij videtur id clarè concedere, dum in eo diſpenſari poſſe, permittit: quare Epiſcopus diſpenſando nihil facit contra Conciliū, ſed potiùs illud exequitur, cùm concedat diſpenſationem: ſecus eſt, ſi Concilium non concederet diſpenſationem, ſed generaliter diſponeret, nullâ factâ mentione de diſpenſatione. Abb. c. l. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 5. n. 4. Et abſque fundamento dicitur, permiſſionem diſpenſationis hoc operari, ne ſit opus ſpeciali mentione ad derogandum tali decreto Concilij. 2. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in Lege Pontificia, vel etiam Canone Concilij generalis, ex cauſa magnæ, ſeu urgentis neceſſitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergentis, vel priùs veriſimiliter incognitæ, & quando periculum eſt in mora, nec ſinè notabili incommodo peti poteſt diſpenſatio à S. Pontifice: tunc enim ex rationabiliter præſumpta, ſeu interpretativa voluntate Papæ, cenſetur Epiſcopus habere poteſtatem diſpenſandi. Abb. in cit. §. De adulterijs; n. 9. Sylveſt. c. l. Rebuff. c. l. n. 30. & 31. Suar. c. l. n. 10. & alij DD. communiter. Similiter in caſibus frequenter occurrentibus, ut in votis ſpecialiter Papæ non reſervatis, in injurijs, & ſimilibus, diſpenſare poteſt Epiſcopus, quia non eſt veriſimile, Papam velle, ut in neceſſitatibus quotidianis, ſive frequenter occurrentibus ad illum recurratur, cùm in his ſæpe Sedes Apoſtolica conſuli non poſſit, & in his caſibus poteſtas diſpenſandi ad ordinarium regimen ſit neceſſaria. Navarr. in Man. c. 21. n. 21. Sanch. c. l. n. 9. Quare in his locum habet illa regula, Epiſcopum diſpenſare poſſe in omnibus ſibi non prohibitis, vel Papæ ſpecialiter reſervatis: idque maximè procedit, ſi talis diſpenſatio ordinetur ad bonum animæ, ne conſcientiæ ſcrupulis illaqueetur, & ad tollendum periculum peccandi. Suar. c. l. 3. Poteſt Epiſcopus diſpenſare contra Canonem, vel decretum Concilij generalis, vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ, quæ dare poteſt juriſdictionem, & diſpenſationem, aliàs invalidam, reddere validam. Sylveſt. c. l. Suar. c. l. n. 10.

LXXXVIII. Quæritur 3. In quibus caſibus præterea poſſit diſpenſare Epiſcopus? Reſpondetur: Inprimis, ſicut Epiſcopus poteſt leges, ſive conſtitutiones ſpeciales facere in ſua Eccleſia, & Diœceſi, quæ tamen SS. Canonibus non adverſentur, c. Catholica; 8. diſ. 11. c. 2. junctâ Gloſſ. V. Decretum; de majorit. & obed. c. 2. de Conſtitut. in 6. Barboſ. lib. 1. Juris Eccleſ. c. 21. n. 113. ita etiam poteſt in ijſdem diſpenſare, & quidem validè, etiam ſinè juſta cauſa. Sanch. lib. 8. de matrim. diſ. 17. n. 27. Barboſ. c. l. n. 199. quia lex omnem vim ſuam, ſeu valorem habet à voluntate Legiſlatoris. 2. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in certis irregularitatibus, ut ſcilicet poſſit quis Ordines ſuſcipere, vel in ſuſceptis miniſtrare. Barboſ. c. l. num. 134. 3. In inhabilitate ad dignitates, & beneficia, ac officia Eccleſiaſtica conſequenda. Barboſ. c. l. & num. 175. 4. In impedimentis matrimonij, quæ impediunt contrahendum; non autem in ijs, quæ dirimunt contractum, niſi in certis caſibus. Barb. c. l. n. 182. & ſeqq. Denique etiam in juramentis, & votis: quamvis in his non ſit propriè dicta diſpenſatio: ſed potiùs abſolutio, vel commutatio, vel declaratio, juramentum, aut votum hic, & nunc non obligare. Barboſ. c. l. num. 134. Sed hæc in genere indicâſſe ſufficiat: nam de particularibus caſibus, in quibus in prædictis diſpenſare poſſunt Epiſcopi, vel non poſſunt, ſuis proprijs locis agitur, neque enim in præſenti quidpiam determinamus.

§. VII.

De Collatione Sacrorum, & Prædicatione, impoſitione pœnitentiarum, & conceſſione Indulgentiarum.

LXXXIX. Aſſertio 1. Ad legem juriſdictionalem Epiſcopi ſpectat quoque Sacrorum omnium collatio, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda, cit. c. Conquerente; 16. h. t. videlicet Sacramentorum, præſertim Confirmationis, & Ordinum collatio: Altarium, Eccleſiarum, & Virginum conſecratio, quæ jure communi propria ſunt Ordinis Epiſcopalis. Gl. in c. Dilectus; 18. V. De lege juriſdictionis; h. t. Concurrit autem Epiſcopus, cum omnibus Parochis, aliiſque Curatis Eccleſiarum non exemptarum cumulativè, ita, ut etiam ipſe, vel Vicarius ejus Diœceſanis Sacramenta miniſtrare poſſit, cùm ſit etiam Ordinarius, & principalis Paſtor totius Diœceſis, c. 2. & ult. de offic. Archipresbyt. Gl. in Clement. 1. V. Presbyteri; de privileg. ubi ait, Diœceſis eſt parochia Epiſcopi. Laym. de juriſd. ordin. concl. 65.

XC. Aſſer-

XC. Aſſertiu 2. Ad officium Epiſcopi etiam pertinet prædicare Verbum Dei, eóque pupulum ſibi ſubjectum paſcere, vel, ſi ipſe impeditus ſit, hoc munus alijs perſunis idoneis cummittere, prout cunſtat ex c. Intet cætera; 15. h.t. ubi dicitur, ſicut corpus cibu materiali nutritur, & eu conſervatut, ita anima cibo ſpirituali, quod eſt Verbum Dei. Quare, cùm ſæpe contingat, ut Epiſcopi propter multas eorum occupationes, & alia impedimenta, populis Verbum Dei per ſe ipſos miniſtrare non poſſint, præſertim, ſi amplæ Diœceſes ſint: ideo decrevit Concil. Lateranenſe ſub Innocent. III. ut Epiſcupi viros idoneos, potentes in opete, & ſermone, ad prædicationis officium aſſumant, qui plebes ſibi commiſſas, loco ipſurum (cùm per ſe nun poterint) ſolicitè viſitantes, eas verbo, & exemplo ædificent; iiſque ad victum neceſſaria ſubminiſtrent. Inſuper in Cathedralibus, & Converualibus, ſeu Collegiatis Eccleſijs viri idonei tanquã Coadjutores Epiſcoporum, conſtitui debent, tum in officio prædicationis, tum in audiendis confeſſionibus, & pœnitentijs iujungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem animarum pertinent. Qui autem hoc facere ueglexerit, ſeverè eſt puniendus.

XCI. Notandum 1. Epiſcopi, ceſſante juſto impedimento, tenentur prædicare per ſe ipſos ex præcepto Divinu, juxta Concil. Trid. Seſſ. 5. c. 2. & Seſſ. 24. c. 4. & Seſſ. 23. c. 1. de reform. nam cùm prædicatio Verbi Dei ſit præcipuum munus Epiſcopi, c. Epiſcopus; 6. diſ. 88. non poteſt per alium ſubſtitutum impleri, ſecluſo impedimentu, quia cenſetur electa induſtria perſonæ, nun ubſtante contrariâ conſuetudine etiam immemuriali, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt. Trident. cit. c. 1. propè finem. Fagnan. hîc num. 10. & 11.

Notandum 2. Ad Epiſcopum de Jure cummuni etiam ſpectat jus Cathedræ, ſeu munus prædicandi ad plebes perſonis idoneis committere, ſive Prædicatores, non ſolùm in Eccleſia Catbedrali, ſinè conſenſu Capituli, ſed etiam in Eccleſijs parochialibus, & alijs ſuæ Diœceſis deputare: niſi alij inferiores hoc jus cunſtituendi Prædicatores in Eccleſijs non Catbedralibus, per couſuetudinem immemurialis temporis acquiſiverint, arg. c. Irrefragabili; 13. h.t. Concil. Trident. cit. Seſſ. 5. cap. 2. & Seſſ. 24. cap. 4. de reform. junctâ declaratiune Cardinalium ibidem Zerola in praxi Epiſc. p. 1. V. Prædicatio; §. Ad 7. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 76. n. 5. quamvis nullâ conſuetndine etiam immemoriali ita præſcribi poſſit, ut omnis Epiſcopo cura circa munus prædicandi auferatur: ſed, ſi inferiores in ea re negligentes fuerint, Epiſcopus tempus competens cõſtituere debet, intra quod Eccleſiæ de idoneo Concionatore provideatur, alioquin ipſemet providebit, quia Epiſcopus curam Diœceſis ſuæ nunquam poteſt omnino deponere, quàm diu manet Epiſcopus. Jo. Andr. in cit. c. Inter cætera; num. 9. Laym. cit. concluſ. 65.

Notandum 3. Munus prædicandi in propria Parochia etiam Parochis, aliiſque Curatis ex officio, & poteſtate ordinariâ competit cumulativè, id eſt, Epiſcopo non excluſu. Abb. in cit. c. Inter cætera; num. 1. Laym. c. l. quod proinde ab Epiſcopo ipſis auferri nuu debet, ſi ad huc munus idonei ſint, & rectè illud obire poſſint. Barboſ. cit. alleg. 36. num. 9. nam Verbum Dei prædicare (ſicut & abſolvere à peccatis, aliàque Sacramenta miniſtrare) pertinet ad curam animarum. Clement. 2. V. Verùm; de ſepult. Poteſt autem Epiſcopus munus prædicandi committere etiam Clerico, qui non ſit in ſacris conſtitutus, quia prædicatio non eſt actus proprius alicujus Ordinis, ſed potiùs juriſdictionis. Ugolin. de uffic. Epiſc. c. 42. §. 2. n. 1. Barb. c. l. num. 44. & 45.

Notandum 4. Religioſi, & alij quidam, qui non habent curam animarum, non niſi ex privilegio Papæ in ſuis Eccleſijs, & iocis prædicare liberè poſſunt, exceptâ tamen horâ illâ, in qua Epiſcopi, ſeu Prælati locurum prædicare voluerint, vel coram ſe per alium juſſerint prædicari. In Eccleſijs autem Parochialibus, vel alijs Religioſi prædicare nun audent, nec debent, niſi ex conceſſione, aut mandatu Epiſcopi, vel cum conſenſu, & petitâ, ac impetratâ licentiâ Rectoris, ſeu Parochi illius Eccleſiæ, cit. Clement. 2. §. Nos autem; ubi id ſtatutum habetur de Religioſis Mendicantibus. Abb. in cit. c. In cætera; ; n. 1. Quamvìs juxta Concil. Trident. Seſſ. 5. c. 2. de reform. non ſufficiat licentia Parochi, ſed requiratur etiam conſenſus Epiſcopi. Ugolin. c. l. num. 3. ubi tamen ait, quòd Parochus ſemel, vel bis dare poſſit facultatem prædicandi in ſua Eccleſia Clerico Regulari, vel etiam ſeculari ab Epiſcopu jam aliàs ad prædicandum approbato. Quin imò neque in proprijs ſui Ordinis Eccleſijs Religioſi cuncionari poſſunt, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientiâ examinati, & probati ſint, & ab ijſdem licentiam habeant prædicandi, ſéque perſonaliter Epiſcopo Diœceſis, præſentent, & ab eo benedictionem petant, quam Epiſcopus negare nou poteſt, ſi præſentati ſint idonei. Concil. Tridentin. c. l. Sed neque Regulares, contradicente Epiſcopo, in ſuis Eccleſijs prædicare poſſunt. Trident. Seſſ. 24. c. 4. de reform. quod tamen Decretum de uon prædicando, cuntradicente Epiſcopo, Miranda in Man. Prælat. Regul. tum. 1. q. 5u. num. 3. limitandum & intelligendum eſſe, ait, de illo tempore, & horâ, quâ Epiſcopus prædicare voluerit, aut coram ſe facere prædicari, non aliàs, juxta cit. Clement. 2. nam aliuqui Concilium ſibi ipſi contradicere videretur, dum primò concedit in cit. c. 2. Seſſ. 5. Regulares in Eccleſijs ſuorum Ordinum, cum ſola Epiſcoporum benedictiune, poſſe prædicare, etiam ſinè expreſſa licentia eorum: poſtmodum verò in cit. c. 4. ſtatuit, ut non præſumant prædicare, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo.

Notandum 5. Epiſcopus, ex juris communis diſpoſitione, tenetur neceſſarios ſumptus, ſeu alimenta præſtare Prædicatoribus, præſertim in Eccleſia Cathedrali, utì ſumitur ex cit. c. Inter cætera; de quo plura. Fagn. ibid. n. 18. & ſeqq.

XCII. Porrò, ſi in aliqua civitate, aut Diœceſi » populi diverſarum linguarum, ac rituum permixti » degant (v.g. Latini, & Græci) tum Epiſcopus loci » debet idoneos miniſtros (ſuis expenſis) ipſis » conſtituere, qui ſecundùm diverſitatem rituum, & » linguarum, divina officia celebrent, & Eccleſiaſtica » Sacramenta eis miniſtrent, eóſque inſtruant »

» verbo pariter, & exemplo. Et licèt non poſſint in
» una civirate, aut Diœceſi duo ſimul eſſe Epiſcopi
» (principales ſcilicet, ſeu poteſtate æquales) cùm u-
» num corpus non debeat babere duo capita, quaſi
» monſtrum(adeóque nec una Eccleſia, aut Diœceſis
» duosEpiſcopos) ſi ramen ob dictas cauſas neceſſa-
» rium videatur, poteritEpiſcopusSuffraganeumEpi-
» ſcopum (v. g. Epiſcopus Latinus Epiſcopum Græ-
» cum pro Diœceſanis Græcis) tanquam Vicarium
» ſuum conſtituere, qui ipſi in omnibus obediat, &
» ſubjectus ſit. Si quis autem alirer ad Epiſcopalia
» officia ſe ingeſſerit, ipſo facto excommunicarus ſit:
» & niſi reſipuerir, ab omni miniſterio Eccleſiaſtico
» eſt deponendus, invocato etiam, ſi neceſſe fuerit,
» auxilio brachij ſecularis. Ita ſtatutum habetur in
Concilio Lateranenſi ſub Innocent. III. relato in c.
Quoniam; 14. b. t.

Ubi notandum, quòd non ſolùm Epiſcopus, ob
dictas cauſas, poteſt conſtituere Epiſcopum Suffra-
ganeum tanquam Vicarium ſibi ſubjectum quoad
ea, quæ ad poteſtatem Ordinis ſpectant, & qui loco
ipſius Pontificalia exerceat (id quod in praxi eſt val-
de frequens) ſed eriam quoad poteſtatem juriſdictio-
nis, ita, ut ralis Vicarius Epiſcopus habeat juriſdictio-
nem ex Canone ordinariam, ac perpetuam, in illos,
qui ſunt ſuæ linguæ, ac ritûs, ſubordinatam tamen
Epiſcopo, ſeu Diœceſano loci, ſicut habet Archidia-
conus: in quo multùm differt à Vicario generali E-
piſcopi, qui ordinariam quidem juriſdictionem e-
tiam habet, ſed non perpetuam, cùm ad nutum ſit
amovibilis. Gloſſ. hîc V. Vicarium; junctâ Gl. marg.
An autem, ob aliam ſimilem neceſſitatis cauſam,
poſſit Epiſcopus perpetuum Vicarium Coëpiſcopum
in juriſdictione exercenda ſibi ſubordinatum aſci-
ſcere, id ad Papam examinare pertinebit, nam
cùm boc ſit à Jure communi exorbitans, non niſi
diſpenſativè permitti poteſt. Gloſſ. hîc V. Neceſſitas;
& Innoc. & Laym. n. 2.

XCIII. Aſſertio 3. Ad legem juriſdictionalem
Epiſcopi etiam pertinet pœnitentias imponere, ſcili-
cet publicas, cit. c. Conquerente; junct. Gl. V. Pœ-
nitentias; h.t. nam rriplex eſt pœnitentia, ut notat
Gregor. Tholoſ. in cit. c. Conquerente; c. 12. n. 4. una
ſolemnis, quæ fit in capite quadrageſimæ, cùm certis
ſolemnitatibus deſcriptis in c. In capite; 64. diſ. 50. &
ſemel facta repeti non poteſt, neque Clericis imponi,
ſed ſolis Laicis. Altera publica non ſolemnis, quæ pu-
blicè quidem fit, & cum aliqua ſolemnitate, in exem-
plum, & cautelam aliorum, non tamen cum ſolemni-
tatibus, quæ obſervantur in pœnitentia abſolutè ſo-
lemni, cujus publicæ pœnitentiæ exemplum eſt in c.
2. de maledict. Et hæ pœnitentiæ ſolemnes, & publi-
cæ jure comuni, & ordinario à ſolo Epiſcopo impo-
nuntur, c. Accedentibus; 12. de exceſſ. Præl. quæ ta-
men non niſi ob publica, quæ in multorū conſpectu
commiſſa ſunt, & graviora crimina imponi debent, c.
fin. cauſ. 26. q. 6. Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 8. de reform.
Tertia eſt pœnitentia privata, quæ à proprio Sacerdo-
re, vel ab alio poreſtatem habente audiendi Confeſ-
ſiones imponirur, & ſecretò à pœnitente peragitur.

XCIV. Aſſertio 4. Ad eandem legem Epiſcopi ſpectat
Indulgentiarum conceſſio: nam Epiſcopus electus,
& confirmatus, etſi non ſit conſecratus, aut Sacerdos,
Indulgentias concedere poteſt ſuis ſubditis; eſt enim
actus voluntariæ juriſdictionis, non Ordinis. Ugolin.
de offic. Epiſcopi c. 41. n. 2. Barb. de offic. Epiſc. alleg.
88. n. 7. & 8. Poteſt autem in Dedicationibus, unius
anni, in Anniverſario verò Dedicationis, & aliàs, 40.
dierum indulgentias concedere, c. Cùm ex eo; 14. §.
Ad hæc; de pœnit. & remiſſ. non autem plenarias,
niſi ex delegatione S. Pontificis. Barboſ. c. l. n. 5. & 9.
Poſſunt tamen etiam exempti lucrari indulgentias E-
piſcopales, quia in ſavorabilibus eodem jure gau-
dent, quo non exempti, ne, quod in eorum favorem
inductum eſt, in eorundem præjudicium cedat, l.
Quod favore; 6. C. de legib. et c. Quod ob gratiam;
61. de R. I. in 6. Barb. c. l. n. 27. contra Ugolin.

§. VIII.

De viſitatione Epiſcopi.

XCV. Aſſertio 1. Ad legem juriſdictionalem,
& officium Epiſcopi denique ſpectat vel maximè vi-
ſitatio añua, cit. c. Conquerente; h. t. quam Epiſcopus
facere debet, vel per ſe ipſum, vel, ſi legitimè impedi-
tus fuerit, per ſuum Vicarium generalem, vel per alios
idoneos Presbyteros, aut Diaconos ad viſitandum de-
putatos, c. Epiſcopum; 11. cauſ. 10. q. 1. ita, ut ſingulis
annis ſemel totam Diœceſin, vel ſaltem majorem ejus
partem perluſtret; ſi autem id propter ejus latitudi-
nem fieri non poſſit, ſaltem biennio totam viſitatio-
nem abſolvat. Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 3. de reform. Et
licèt etiam inferiores Epiſcopo, qui juriſdictionem
ordinariam obtinent, ut Archidiaconi, & Decani, alii-
que, qui ex privilegio, vel conſuetudine legitimè præ-
ſcriptâ jus viſitandi babent, Eccleſias, & Clericos ſibi
ſubjectos viſitare poſſint; non tamen ideo prohibe-
tur Epiſcopus ſeorſim eaſdem Eccleſias viſitare: qui
quidem non niſi per ſe ipſos, aſſumpto Notario, viſi-
tare debent, cum conſenſu Epiſcopi, cui etiam factâ
viſitatione, infra menſem, ejus rationem reddere re-
nentur, non obſtante quacunq; conſuetudine, etiam
immemoriali, atque exemptionibus, & privilegijs
quibuſcunque. Quòd ſi etiam Capitulo Cathedrali
jus viſitandi ſpeciali jure competat, Viſitatores ab i-
pſo deputandi priùs ab Epiſcopo approbari debent,
juxta Concil. Trid. c. l. Poteſt autem Epiſcopus etiam
ſæpius, quàm ſemel, & quoties neceſſitas poſtulave-
rit, quotannis viſitare. Gl. in cit. c. Conquerente; V.
Annuam; & V. Viſitandas; h. t. & in c. Si Epiſcopus; 6.
V. Permittitur; eod. in 6. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 49.
in princ. n. 3. cujus viſitationis præcipuus ſcopus, ac
finis eſt, ſanam, Orthodoxámque doctrinam, expulſis
hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corri-
gere &c. Trid. c. l. Quare ab Epiſcopo, vel ejus Viſitato-
re inquirendum eſt, an Miſſarum ſolemnia, & Sacra-
menta ritè celebrentur, & adminiſtrentur, an Eccleſiæ
reparatione indigeant, ipſæque & earum reditus
conſerventur, & qualis ſit vita, moréſque Miniſtro-
rum Eccleſiaſticorum, &c. c. Decrevimus; 10. & 2.
ſeqq. cauſ. 10. q. 1. Gregor. Tholoſan. in cit. c. Con-
querente; c. 17. n. 5. & ult.

XCVI. Aſſertio 2. Viſitari debent ab Epiſcopis, ſeu
locorū Ordinarijs omnes Eccleſiæ, etiam Cathedrales,
iiſque majores, Monaſteria, beneficia curata, & non
curata, ſecularia, & regularia. Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 4.
& Seſſ. 7. c. 8. & Seſſ. 21. c. 8. de reform. Item Hoſpita-
lia, Collegia, Confraternitates Laicorum, & Scholæ, &
omnia

omnia pia loca, etiam exempta. Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 8. de reform. Sed & Eccleſiæ perpetuò unitæ Monaſteriis, etiam exemptis, ſi populus earum ſubjectus ſit in ſpiritualibus Epiſcopo, ab eodem viſitati poſſunt. Trident. cit. ſeſſ. 7. c. 7. de reform. & ſeſſ. 25. c. 11. de Regul. junctâ declaratione Cardinalium ibid. in fine: quia tales uniones fieri ſolent, ſalvo jure Epiſcopali. Laym. l. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. §. 8. n. 30. Verùm illæ Eccleſiæ, quæ propriè ad Regulares exemptos ſpectant, ſicut & ipſi Religioſi hujuſmodi, ab eorum Prælatis, videlicet Generalibus, vel eorum Delegatis viſitari ſolent, ac debent. Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 1. & c. 8. de Regnlar. quippe qui eiuſmodi locorum, & Eccleſiarum Ordinarij ſunt, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent in ſuos ſubditos, ideóque ab Epiſcopis irritari non poſſunt: nam viſitare eſt actus juriſdictionis competens ſuperiori, cui Eccleſia, vel Monaſterium eſt ſubjectum, c. 1. §. fin. de cenſib. in 6. Epiſcopus autem non habet juriſdictionem ordinariam in exemptos, neque in loca, & Eccleſias illorum, quæ perſonis ſunt connexæ, nam acceſſorium ſequitur principale. Et cùm juriſdictio eccleſiaſtica, ſeu ſpiritualis ſit individua, non poteſt duobus ſimul, quorum unus alteri ſubordinatus non eſt, competere, videlicet Generali Ordinis, & Epiſcopo, Emman. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 36. art. 3. Laym. c. l. Neque refert, quòd Eccleſia Regularis ſita ſit in Diœceſi Epiſcopi: nam locus exemptus, quoad juriſdictionem exercendam ab Epiſcopo, æquiparatur loco exiſtenti extra diœceſin. Rodriq. c. l.

Neque etiam obſtat Concil. Trident. cit. ſeſſ. 7. c. 8. quod generatim præcipit, ut locorum Ordinarij Eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas ſingulis annis viſitent: quia huiuſmodi Eccleſiarum Ordinarij non ſunt Epiſcopi, ſed Prælati Ordinum exemptorum. Quamquàm etiam dici poteſt, Concilium ibi loqui de Eccleſiis ſecularibus exemptis, quæ privilegium prætendunt, quòd viſitari non debeant: Hæ enim viſitari debent ab Epiſcopis, tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, non obſtante tali privilegio, quod per Concil. Tridentinum eſt revocatum; Regulares verò exempti privilegium habent, ut non viſitentur ab Epiſcopis, quod non eſt revocatum per Concil. Trident. ut patet ex c. 8. & 20. ſeſſ. 25. de Regulat. ſed potiùs confirmatum. Rodriq. cit. loc.

» XCVII. Aſſertio 13. Quando Archiepiſcopus, » vel Epiſcopus Monaſteria Regularium ſibi ſubiecta » viſitat, non debet ſeculares (ſive laicos, ſive etiam » Clericos) ſecum ducere ad Capitulum, præter duos, » aut tres Canonicos Eccleſiæ ſuæ Cathedralis, qui » in habitu decenti incedant, idque ne diſſolutionis » materia, ſive anſa in Clauſtro præbeatur, adjunctis » etiam aliis quibuſdam perſonis Religioſis, quate» nus id expedire videbitur. Ita ſtatutum habetur in » c. Ut juxta; 17. h. t.

XCVIII. Ubi notandum 1. Ad viſitationem Monaſteriorum Regularium adhiberi debent pauci viri idonei, iique Eccleſiaſtici, non laici; nam per Seculares hîc intelliguntur Clerici, ad diſtinctionem Religioſorum, de quibus paulò pòſt in textu fit mentio: tum quia prohibetur, ut Archiepiſcopus, vel Epiſcopus nullos Seculares in Capitulum introducat, tempore viſitationis, particula autem univerſalis negativa *nullus*, excludit omnes Seculares, ſive laicos, ſive Clericos: tum quia exceptio ſubſequens de Canonicis, qui ſunt Clerici ſeculares, declarat, priùs actum eſſe de Clericis ſecularibus, alioquin exceptio non eſſet de regula, ſed irriſoria, quia id, quod excipitur, priùs non continebatur ſub regula, ſive materia, de qua fit exceptio. Hoſtienſ. hîc V. Ut nullos. Abb. n. 2. in Gl. 1. Fagnan. ibid. n. 7. 8. & 9.

Notandum 2. Si Epiſcopus per ſe ipſum viſitet Monaſteria, decens eſt, ut duos, vel tres Canonicos Cathedrales ſecum ducat, tanquam Conſiliarios, & Laterales ſuos. arg. c. Ad audientiam; 15. de Cleric. non reſident. ubi tamen de duobus tantùm Canonicis, qui Epiſcopum Eccleſiæ cauſâ abſentem comitari poſſunt, fit mentio. Verùm ibi ſermo eſt de Canonicis comitantibus Epiſcopum, quando diu abeſt; tum enim ultra duos Canonicos ſecum ducere non poteſt: hîc, quando ad paucos dies viſitat diœceſin, & ſic Eccleſia non deſtituitur miniſterio Canonicorum ad longum tempus. Hoſtienſ. hîc V. Niſi dicat, & Abb. n. 2. not. 3. Poſſunt tamen etiam alij, quàm Canonici, aſſumi ab Epiſcopo, ſi ſint ad viſitandum magis idonei. Hoſtienſ. hîc V. De Canonicis. Jo. Andr. n. 7. & Imol. n. 2.

Notandum 3. Eſt etiam conveniens, ut in viſitationibus Religioſorum, non ſoli Seculares Clerici adhibeantur, ſed ijs unus, aut plures Religioſi adjungantur, qnia hi magis idonei cenſentur, cùm majorem Regularis diſciplinæ cognitionem, & experientiam habeant, quàm Seculares Clerici. Gl. fin. hîc. arg. c. In ſingulis; 7. de ſtatu Monach. Verùm Conſtitutio h. c. locum tantùm habet, quando viſitantur Monaſteria virorum: in viſitatione verò Monaſteriorum Monialium ſervandum eſt, quod ſtatuitur in Clement. 2. §. Ipſos autem viſitatores, de ſtatu Monach. ubi definitur numerus admittendorum in Capitulum, tempore viſitationis, Monialium. Gl. ibid. V. Contentos. Abb. hîc n. 2. §. 2. Quæritur, & Imol. num. 4.

XCIX. Porrò cum prædicto cap. conſentit Conſtitutio Extravag. inter communes, quæ incipit: Debent; h. t. in qua Bonifacius VIII. ſtatuit, quòd, quan- » do Epiſcopus viſitat Capitulum Eccleſiæ ſuæ Ca- » thedralis, quæ Regularis eſt, debeat duas, vel tres » honeſtas perſonas in Clericali Ordine conſtitutas, » quarum una ſaltem ſit eiuſdem Religionis, & unum » Notarium, etiam Clericum, ſecum adducere, & ad- » hibere, & non plures, non obſtante quacunque con- » ſuetudine, & compoſitione inter partes ſuper hoc » contrariâ. Ratio huius Conſtitutionis eſt, tum qnia, » ſi Epiſcopus, cùm Monaſterium viſitat, nullos alios ſibi adjungere poſſet, niſi Monachos, & quidem Monaſterij viſitandi, nimiùm reſtringeretur probationum facultas, cùm tamen publicè interſit, eam non anguſtari, ne veritas occultetur: tum quia Monachi eſſent ſuſpecti, ne contra Priorem, & Capitulum, quibus ſubſunt, quæ corrigenda eſſent, non fideliter, & rectè conſcriberent: neq; etiam Monachi ordinariè gerere poſſunt officium tabellionis, propter eorum profeſſionem, ob quam à judiciis, & publicis, ſive civilibus actibus arcentur: prout habetur in textu huius Extravag. ideo ſtatutum fuit, ut Epiſcopus in viſitatione Capituli, ſeu Conventûs Regularis, non teneatur accipere Monachum pro tabellione,

Digitized by Google

ſed aſſumere alias perſonas extraneas poſſit: tum denique quia, ſi Epiſcopus nullis aliis adjunctis, niſi iis, qui ſuot de Capitulo, ſeu Conventu Monaſterij, viſitare poſſet, & ſic ſoli Monachi aſſiſterent Viſitanti, ſequeretur, quòd eædem perſonæ, quæ eſſent forſan per Viſitatorem corrigendæ, Miniſtri eſſent correctionis. Gl. hic V. Compelletur; ideo meritò ſtatutum fuit, ut io viſitatione Monaſterij Epiſcopus duos, vel tres Clericos, cum Notario, qui ſimiliter ſit Clericus, ſecum aſſumat. Loquitur autem hæc Conſtitutio de Epiſcopo viſitante ſuum proprium Capitulum, videlicet Eccleſiæ Cathedralis Regularis: in viſitationibus verò aliorum locorum ſervari debet, quod ſtatuitur in c. Ut juxta; 17. h. t. Gl. hic V. Religioſa. & Abb. in cit. c. Ut juxta; n. 3. & Fagnan. ibid. num. 10.

C. Poſtremò addendum hoc loco, quod, ne præcipuus effectus, ſeu fructus Viſitationis, qui eſt correctio criminum, & reformatio morum, impediatur, ſtatutum habetur in c. Quia plerique; 4. h. t. in 6. » ubi Papa Bonifacius VIII. præſcribit, ne Prælati Ec» cleſiaſtici (tam Seculares, quàm Regulares) ſubdi» tos ſuos ſub comminatione cenſuræ, ſive inferen» dæ excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdi» cti, aut ſub juramento, promiſſionibus, & obligatio» nibus, aliiſque pœnis aſtringant, quod ſuperiori» bus Prælatis (cujuſmodi eſt Epiſcopus, reſpectu Ar» chidiaconi, vel Archipresbyteri; Archiepiſcopus reſpectu Epiſcopi, & ſic de cæteris Superioribus) vel » Apoſtolicæ Sedis Legatis, aut Inquiſitoribus ad in» quirendum, corrigenda crimina, & reformandos » mores, in eorum Eccleſiis, Monaſteriis, vel locis ab » eadem ſede deputatis, vel aliis quibuſcunque per» ſonis (videlicet familiaribus ipſorum Superiorum, Legatorum, vel Inquiſitorum. Gl. hic V. Perſonis) » per quas ad notitiam prædictorum valeant perve» nire, & ſtatum Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſeu » locorum, vel perſonarum, & rerum ad prædictos » Prælatos pertinentium, inquirentibus nolint illum » exponere. Quare idem Papa, ne tali prætextu in » Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis locis correctio, ſeu re» formatio morum poſſit impediri, ejuſmodi ſenten» tias, promiſſiones, & juramenta irrita, & nullius » penitus firmitatis, vel obligationis eſſe, declarat. » Ipſos verò Prælatos, ne magna eorum temeritatis » audacia impunita maneat, à ſuperioribus Prælatis, » vel Legatis, vel Inquiſitoribus prædictis condignâ » pœnâ coërcendos eſſe, decernit.)

CI. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia ſubditus legitimè interrogatus à Superiore tenetur ei veritatem edicere, ac proinde non poteſt ſe obligare ad celandam veritatem: hoc enim cederet in damnũ Reipubl. cujus ſalus, & utilitas publica conſiſtit in delictorum correctione, & punitione, Ancharan. hic not. 2. & Franc. n. 2. Neque promiſſio facta contra jus publicum, vel contra obedientiam Superiori debitam valet, nec obligat, cùm juri publico, vel Superioris, pactis privatorum derogari non poſſit. reg. jur. 45. in fine in ff. et c. Diligenti; 12. de foro compet. Neque etiam talis promiſſio valet, etiamſi ei juramentum accedat, vel pœna adjiciatur, corruente enim principali obligatione, etiam corruit acceſſoria. reg. jur. 41. in 6. Gl. hic V. Aſtringi. Anchar. not. 3. nam juramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores præſtitum obligat. c. Quanto; 18. de jurejurand. & reg. juris 58. in 6. Neque refert, quòd valeat, & obliget pactum, & juramentum, quo quis ſe obligat ad non denunciandum, vel accuſandum Reum. c. Veniens; 15. de accuſat. et c. Quemadmodum; 25. in fine de jurejur. Nam valet quidem pactũ, per quod unus, vel duo excluduntur ab accuſatione, quia reperiri poſſunt alij, qui accuſent: non tamen valet pactum, etiam juratum, per quod Judex excluditur, & impeditur, quò minùs procedere poſſit contra delinquentes ex officio ſuo, dum ipſi præcluditur via denegandæ veritatis, ad quam aperiendam Judici ſubditi ſunt ſub peccato obligati, ideóque ad eam celandam ſe obligare non poſſunt. Ancharan. hic in fine.

Porrò cùm certa pœna contra Prælatos prædicta attentantes non ſit jure expreſſa, cenſetur eſſe relicta arbitrio Superioris corrigentis. Gloſſ. hic V. Condigna.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Officium Epiſcopi ex Lege Diœceſana.

CII. Aſſertio 1. Omnia Monaſteria regulariter, ſecundùm ſe, à Lege diœceſana Epiſcopi ipſo jure ſunt exempta, in favorem Religionis. c. 1. q. 2. c. Inter cætera; 8. quæſt. 3. cauſ. 10. & ibi Gl. V. Solutionis, c. Cùm pro utilitate; 34. cauſ. 16. q. 1. c. Quàm ſit; 5. in fine, & ibi Gl. V. Juribus cauſ. 18. q. 2. c. Dilectus; 18. juncta Gl. V. De lege juriſdictionis h. t. quamvis ratione Capellarum, ſeu Parochiarum ſecularium Ipſis incorporatarum, ſi ex exemptæ non ſint, eidem ſubjiciantur. Abb. in cit. c. Conquerente. not. 2. Gloſſ. fin. in cit. c. Dilectus; & ſumitur ex c. Sanè; 6. cauſ. 16. q. 2. niſi tales Capellæ pleno jure ſubſint Monaſteriis. c. Quoniam; 21. in fine de privileg. Gl. fin. in cit. c. Dilectus. Abb. c. l.

CIII. Aſſertio 2. Conſiſtit lex diœceſana Epiſcopi primò in vocatione ad Synodum. cit. c. Conquerente, eam enim ad legem diœceſanam ſpectare, dicitur in c. Quod ſuper; 9. de majorit. & obed. ubi tamen Hoſtienſ. V. Diœceſana; notat, quòd Synodus ſit quid mixtum; nam quoad convocationem, pertinet ad legem diœceſanam; quatenus verò in ea judicatur, vel aliquid ſtatuitur, ad legem juriſdictionis: unde quamvis ipſa Monaſteria ſint exempta à lege diœceſana, tamen Abbates eorum non ſunt exempti, quoad Synodum, quò minùs ad illam venire teneantur, de quo plura infrà tit. 33.

CIV. Secundò ad legem diœceſanam pertinet exactio annua Synodatici, ſeu Cathedratici, cujus nomine duos ſolidos Epiſcopus petere poteſt à qualibet Eccleſia ſuæ diœceſis. cit. c. Conquerente, juncta Gl. V. Duos ſolidos h. t. c. Placuit; ubi Gl. V. Duos ſolidos ait, ſolidum accipi pro aureo, et c. Inter cætera; 8. cauſ. 10. q. 3. à qua tamen penſione ſolvenda exemptæ ſunt Eccleſiæ Monaſteriorum: non item Capellæ eorum, ſive Parochiæ ipſis incorporatę. cit. c. Inter cætera, & ibi Gl. V. Solutionis. Gl. fin. in cit. c. Dilectus h. t. Dicitur autem Synodaticum, quia ſolvi

ſolvi debet à Clericis in Synodo Epiſcopali quot annis celebranda: & Cathedraticum, quia ob honorem Cathedræ, ſeu dignitatis Epiſcopalis, datur. Gl. in tit. c. Conquerente. V. Duos ſolidos. Porrò, cùm valor duorum ſolidorum varius ſit in diverſis provinciis, attendenda ſemper eſt in eius taxatione, & ſolutione rationabilis conſuetudo cuiuſque provinciæ, aut Diœceſis. Piaſec. in praxi Epiſcop. p. 2. c. 2. a. 3. n. 11. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 86. n. 44.

C V. Tertiò, inter jura Epiſcopalia ſpectantia ad legem Diœceſanam numeratur etiam quarta decimationum, quæ ſpectato jure communi, Epiſcopo, ſeu Ordinario loci præſtanda eſt. cit. c. Conquerente, & c. De quarta; 4. de præſcript. idque propter univerſalem curam, quam habet Epiſcopus in Eccleſiis ſibi ſubiectis. Barb. c. l. n. 33. Debetur autem hæc quarta decimarum de jure communi à ſolis Eccleſiis parochialibus, ad quas eodem jure duntaxat decimæ pertinent, ex quibus iſta quarta detrahitur, à qua proinde Monaſteria, & aliæ Eccleſiæ non parochiales ſunt exemptæ. Barb. c. l. n. 38. Verùm, cùm jam pluribus locis Epiſcopi ſufficientem ſuſtentationem habeant ex propriis fundationibus, vel aliunde, ideo præſtatio huius quartæ in pluribus Diœceſibus per deſuetudinem abolita eſt, ut notat Laym. l. 4. Theol. moral. tract. 6. c. 4. n. 6. ad quam abrogandam ſufficit præſcriptio; 40. annorum cum titulo. cit. c. De quarta.

C VI. Quartò inter jura Epiſcopalia numeratur etiam quarta mortuariorum. cit. c. Conquerente, id eſt, portio canonica debita Epiſcopo ex Legatis, & funeralibus oblationibus, quæ factæ ſunt Eccleſiis, vel aliis piis locis intra Diœceſin eius ſitis. Sylveſt. V. Canonica portio q. 3. & ſumitur ex c. Requiſiviſti; 15. de teſtam. nam, cùm Epiſcopus ſit ordinarius paſtor Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, ideo pars aliqua ad ipſum ſpectare debet ex ijs, quæ Eccleſiis relinquuntur, non ſolùm Cathedrali, ſed etiam inferioribus ſibi ſubiectis. cit. c. Requiſiviſti. §. Secus autem.

Hæc autem Canonica portio Epiſcopalis, ſecundùm variam locorum conſuetudinem, varia eſt, & diverſa; nam alicubi quarta, alibi tertia, alibi media pars eſt eorũ, quæ legantur, vel Eccleſiis obveniunt. Gloſſ. in cit. c. Conquerente. V. Mortuariorum h. t. & habetur in cit. c. Requiſiviſti, juncta Gl. V. Quartam: pluribus autem locis per contrariam conſuetudinem ſpatio 40. annorum præſcriptam, eſt omnino abolita, juxta c. De quarta; 4. de præſcript. Sylveſt. c. l. q. 1. Azor p. 2. Inſtit. lib. 9. c. 12. q. 3. Barboſ. cit. alleg. 86. n. 4. Ubi verò, & quatenus ea in uſu eſt, ad illam præſtandam obligantur etiam Monaſteria non exempta. cit. c. Requiſiviſti. Abb. in c. Dilectus; 18. n. 4. h. t. Imò ſecundùm aliquos DD. etiam Monaſteria, & Eccleſiæ exemptæ. Hoſtienſ. in ſumma de ſepult. n. 12. Laym. l. 3. Theol. moral. tr. 5. c. ult. n. 13. & de juriſdict. Ordin. concl. 120. Verùm probabilius eſt oppoſitum, quia hæc quarta portio debetur ratione Eccleſiarum, quibus bona leguntur: idque in ſignum ſuperioritatis, vel propter onus curæ paſtoralis: atqui Epiſcopus non eſt ſuperior, neque curam habet Eccleſiæ, vel loci exempti, & immediatè Papæ ſubiecti, ideóque non poteſt exigere, vel percipere jura Epiſcopalia in locis exemptis. Sylveſt. c. l. q. 3. Azor cit. c. 12. q. 5. Barboſ. cit. alleg. 86. n. 11. Eccleſiæ tamen exemptæ, quæ habent Capellas, vel populum non exemptum, tenentur ad Canonicam hanc portionem Epiſcopo præſtandam; niſi populus pleno jure, id eſt, in ſpiritualibus, & temporalibus ſubiectus eſſet Eccleſiæ exemptæ. Barboſ. c. l. n. 14. & 15. Verùm juxta Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 13. de reform. hanc quartam mortuariorum, ſeu funeralium etiam ſolvere debent Regulares exempti, ſi jam ante annos 40. Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita fuerat perſolvi, non obſtantibus privilegiis Monaſteriis, hoſpitalibus, aliiſque piis locis quibuſcunque poſtea conceſſis. Plura de hac Canonica portione alibi.

C VII. Quintò inter jura Epiſcopalia numerantur etiam procurationes, id eſt, victualia præſtari ſolita ab Eccleſiis, tempore viſitationis, dum Epiſcopus, vel alius eius juſſu viſitat, quæ tamen, ſecundùm facultates cuiuſque Eccleſiæ, & ita moderatè exigi debent, ut Eccleſiæ non graventur, nec aliquæ præ aliis. cit. c. Conquerente h. t. Ad eiuſmodi procurationes obligantur etiam Monaſteria non exempta à juriſdictione Epiſcopi. c. Sopitæ; 14. de cenſib. quia procuratio annexa eſt viſitationi. c. Cùm venerabilis; 21. eod. ideóque non nulli procurationes has ad legem juriſdictionalem revocant. Imò etiam Monaſteria exempta, ratione Capellarũ, ſeu Parochiarum, quæ ipſis incorporatæ, & non exemptæ ſunt, has procurationes ſolvere coguntur, quia unio Eccleſiarum præſumitur ſemper facta eſſe, ſalvis juribus Epiſcopalibus. Laym. de juriſd. ordin. n. 120. non tamen ab Eccleſiis omnino pauperibus procurationes accipiendæ ſunt, ſed Epiſcopus propriis ſumptibus eas viſitare tenetur, ſicut etiam hoſpitalia, & domos pauperum, vel infirmorum. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 73. n. 50.

C VIII. Porrò, ſi Epiſcopus non per ſe, ſed per alium, quando id jure permittitur (ut quia legitimè impeditus perſonaliter non poteſt) Diœceſin viſitat, tum ipſe Epiſcopus illi, qui loco ipſius viſitat, neceſſaria providere debet (videlicet veſtes, famulos, ſalaria, equos. juxta c. Inter cætera; h. t.) illi verò qui viſitantur, ſolùm tenentur expenſas victualium (id eſt, neceſſaria ad victum, ſive cibum, & potum) miniſtrare viſitanti, prout ſtatutum eſt in c. Si Epiſcopus; 6. h. t. in 6. ubi etiam in fine additur, quòd, ſi Epiſcopus perſonaliter non viſitet, non poteſt, nec debet ab illis, qui per alium à ſe deputatum viſitantur, quidquam exigere. Ratio eſt, quia procurationes, ſeu victualia debentur ratione viſitationis. cit. c. Cùm venerabilis, et c. Procurationes; 23. de cenſib. Si ergo ipſe Epiſcopus perſonaliter non viſitet, nihil eo nomine exigere poteſt, ſed illi præberi debent procurationes, per quem Eccleſiæ viſitantur. Gl. fin. hîc. Neque etiam ex eo, quòd viſitati plus expendiſſent; ſi Epiſcopus perſonaliter eos viſitâſſet, illum exceſſum Epiſcopus exigere poteſt. Gl. margin. hîc lit. b. & Anchatan. not. 4.

Ubi notandum 1. Quòd appellatione victualium veniat ſolus victus, ſive cibus, & potus neceſſarius ad unum diem, qui & diarium vocari ſolet, juxta l. Diariis; 21. ff. de aliment. & cibar. legat. Sed nomine alimentorum, præter victum, ſeu cibaria, etiam

alia

alia ad ſuſtentationem neceſſaria comprehenduntur, ut veſtes, calcei, habitatio &ç. l. Legatis; 6. ff. eod. Ancharan. hîc not. 2.

Notandum 2. Quamvìs in hoc c. ſolùm ſermo ſit de Epiſcopo, tamen diſpoſitio illius etiam locum habet in Archiepiſcopo viſitante provinciam, & aliis Prælatis inferioribus, quibus ſive de jure cõmuni, ſive ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine, jus viſitandi competit. Franc. hîc not. 1. Verùm plura de Procurationibus infrà l. 3. tit. 39. ubi ex inſtituto de illis agitur.

C I X. Sextò denique inter jura Epiſcopalia ad legem Diœceſanam ſpectantia numeratur etiam petitio moderati auxilij, ſive charitativi ſubſidij, quod Epiſcopus ex cauſa manifeſta, & rationabili exigere poteſt, ſecundùm facultates Eccleſiæ, vel beneficij, ita, ut Eccleſiæ, vel Clerici non nimiùm graventur. cit. c. Conquerente, et c. Cùm Apoſtolus; 6. §. Prohibemus de cenſib. Ideo autem charitativum ſubſidium ſic dictum eſt, quia ab initio cum charitate poſtulandum eſt, cit. c. Conquerente: quamvìs, ſi ex juſta cauſa petitum ſolvere id Clerici renuant, compelli poſſint, etiam per cenſuram excommunicationis, ad illud ſolvendum. Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 2. & 3. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 87. n. 2. Ad hoc ſubſidium Epiſcopo præſtandum non tenentur Monaſteria, & Eccleſiæ Regularium, ſive exemptæ, ſive etiam non exemptæ, ſpectato Jure communi, niſi ratione Eccleſiarum ſecularium, vel Capellarum habentium populum, ſive curam plebis, quæ, antequam unirentur Monaſterio, ſolvere conſueverunt hoc ſubſidium charitatis, & alia jura Epiſcopalia, ideóq; cenſentur cum hoc onere unitæ, & incorporatæ Monaſterio, de quibus eſt ſermo in Clement. 1. & 2. de cenſib. alioquin per ſe non tenentur, quia exactio hujus ſubſidij eſt de lege Diœceſana Epiſcopi, à qua ſunt exempta Monaſteria, & Eccleſiæ Regularium. ſed neque pauperes Clerici, qui vix ſufficientem victum, & veſtitum habent ex beneficio, poſſunt cogi ad tale ſubſidium præſtandum. Azor. c. l. q. 6. Barboſ. cit. alleg. 87. n. 45. & 2. ſeqq. & n. 49. Plura de hoc infrà lib. 3. tit. 39.

§. X.

Quibus caſibus Epiſcopus loci Iuriſdictionem habeat in Regulares exemptos?

C X. Etſi olim, ſpectato Jure communi, omnes Religioſi, ſicut Clerici ſeculares, Epiſcopis ſubiecti erant, in quorum Diœceſibus Monaſteria ſita erant. c. Qui verè; 12. cauſ. 16. q. 1. c. Abbates; 16. cauſ. 18. q. 2. & ex communi docet Rodriq. qq. Regul. tom. 2. q. 2. a. 6. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 105. n. 1. poſtea tamen ex SS. Pontificum privilegiis multi Religioſi Ordines ſunt exempti ab Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum juriſdictione, excepto Legato à Latere. Rodriq. tom. 2. q. 64. a. 3. & 4. ubi varia refert exceptionis privilegia. Quare Religioſi exempti in omnibus cauſis ſubſunt juriſdictioni ſuorum Prælatorum Regularium, qui in eos quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, & omnia exercere poſſunt in eoſdem, quæ Epiſcopi in ſuos ſubditos, ut tradit Cochier p. 1. de juriſd. Ordinar. in exemptos q. 17. n. 25. Barb. c. l. n. 4. de quo plura infrà. Sunt tamen plures caſus ſpeciales, quibus Epiſcopi, ſeu Ordinarij locorum, ſaltem tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in Religioſos alioquin exemptos, etiamnum juriſdictionem obtinent, iique poteſtati eorundem ſubjiciuntur, quos fuſiùs refert Cochier p. 2. q. 45. Rodriq. cit. q. 64. a. 11. Barb. cit. alleg. 105. n. 14. & ſeqq. ex quibus hoc loco præcipuos afferemus.

C X I. Primus caſus eſt: Regularis, extra Monaſterium, ſive Conventualem domum, aut reſidentiam degens ab Ordinario loci, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegato, viſitari, corrigi, & puniri poteſt, juxta Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 3. de reform. Quòd ſi Regularis exemptus intra clauſtra Monaſterij degens, extra ea notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, poteſt Epiſcopus Prælato Ordinis tempus præfigere, intra quod reus ille ſeverè puniatur, & de punitione Epiſcopus certior fiat: ſi verò id negligat, Prælatus, à Superiore ſuo officio privetur, & Regularis, qui deliquit, ab Epiſcopo puniatur. Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 14. de Regular. Secundus caſus eſt, in cauſis civilibus mercedum, & perſonarum miſerabilium, Regulares etiã exempti, ſi extra Monaſterium, ſeu Conventum regularem degant, coram locorum Ordinariis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis cõveniri, & ad debitum ſolvendum compelli poſſunt, quamvìs certum Judicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, & in aliis quoque, ſi ipſum Judicem non habuerint. Concil. Trident. Seſſ. 7. c. 14. de reform. quod fuſiùs explicat Barboſ. c. l. num. 23. Tertius. Regulares, præter licẽtiam Superiorũ ſuorum, abſque examinatione, & approbatione Ordinarij, libros imprimere, vel imprimi facere non poſſunt, ut colligitur ex Trident. Seſſ. 4. in decreto de editione, & uſu ſacrorum librorũ. Quartus. Epiſcopus compellere poteſt Regulares ſuæ Diœceſis, ut lectionem S. Scripturæ in ſuis Monaſteriis, & in Conventibus aliorum Regularium, ſi commodè fieri poteſt, habeant. Trident, Seſſ. 5. c. 1. §. In Monaſteriis de reform. Quintus. Regulares non ſolùm cenſuras, & interdicta à Sede Apoſtolica emanantia, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, in Eccleſiis ſuis publicare, & ſervare debent. Trident. Seſſ. 25. c. 12. de regul. Sextus. Dies feſtos, quos Epiſcopus in Diœceſi ſervandos præcipit, Regulares etiam exempti ſervare coguntur. Trident. c. l.

CXII. Septimus. Regulares etiam exempti ad publicas proceſſiones vocati accedere debent, ijs tantùm exceptis, qui in ſtrictiore clauſura perpetuò vivunt. Controverſias quoque, quæ in Proceſſionibus, aut defunctorum corporibus ſepeliendis interdum oriuntur, Epiſcopi, remotâ appellatione, componere debent. cit. ſeſſ. 25. c. 13. de Regular. Octavus. Regulares omnes ſubjiciuntur Epiſcopo, quoad renunciationes faciendas, ita, ut nulla valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij fiat intra duos menſes, proximè ante profeſſionem. Trident. Seſſ. 25. c. 16. de Regul. Nonus. Epiſcopus Regulares quoſcunq; etiam per cenſuras compellere poteſt, ne quidquam ex bonis Novitij accipiant, & ut acceptum abeunti ante profeſſionem reſtituant. Trident. c. l. Rodriq. qq. regul. tom. 2. q. 64. a. 11. Decimus caſus eſt. Epiſcopus

pus

pus Regulares etiam exemptos, ſi ſint Teſtamentorum executores, poteſt compellere ad rationem ipſi reddendam, ac eos punire, ſi malè rem geſſerint, juxta Clement. unic. de teſtam. Barb. c. l. n. 50. ex communi. Undecimus. In cauſa hæreſis, aut ſimilibus criminibus ad Tribunal S. Inquiſitionis pertinētibus, Regulares etiam exempti ſubſunt juriſdictioni Ordinariorum, ſi in ijs locis Inquiſitores non ſunt. c. Ad abolendam; 9. §. fin. de hæretic. Barb. c. l. n. 56. Duodecimus. Si Regularis etiam exemptus, ſinè habitu extra Monaſterium incedat, ab Ordinario puniri poteſt; ſecus, ſi intra. Cochier cit. q. 45. n. 33. Barboſ. c. l. num. 61.

CXIII. Decimus tertius. Si Religioſus, ſine licentia Superioris, à ſuo Conventu recedat, etiā prætextu accedendi ad Superiores ſuos, niſi ab iiſdem miſſus, vel vocatus fuerit, tanquam deſertor Inſtituti ab Ordinario loci puniri poteſt. Trident. Seſſ. 25. c. 4. de Regular. Excipi debet, niſi ex gravi, & juſta cauſa ad ſuperiorem Prælatum ſe conferat, quia ab immediato Prælato injuſtè gravatur, ut docet Rodriq. tom. 1. q. 50. a. 3. Decimus quartus. Regulares, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitare debent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedi poteſt. Trident. cit. Seſſ. 25. c. 4. in fine. Adde, quòd quilibet Profeſſus, ſeu Religioſus, ſi abſque Prælati licentiâ, cum conſilio Conventûs, aut majoris partis, ad quævis ſtudia litterarum, extra Monaſterium ſe conferat, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat. c. 2. Ne Clerici, vel Monachi &c. Decimus quintus. Ordinarij locorum etiam Regulares exemptos, ſi Eccleſias curatas, quantumvis exemptas, obtineant, compellere poſſunt, etiam per cenſuras, ſi ita neceſſarium videatur, ut diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebem ſibi commiſſam ſalutari Verbo paſcant. Trident. Seſſ. 5. c. 2. de reform. Quòd ſi Prędicator errores, aut ſcandala diſſeminet in populum, Epiſcopus ei prædicationem interdicere debet; ſin autem hæreſes prædicaverit, Epiſcopus contra eum procedat, & quidem, ſi exemptus ſit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, Trident. cit. c. 2. in fine. Decimus ſextus. Si Regularis, quantumvis exemptus, aut privilegiatus, qui alterius Parochiæ ſponſos, ſine proprij illorum Parochi licentiâ, matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tam diu ſuſpenſus manet, donec ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, abſolvatur. Trident. Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr. Decimus ſeptimus. Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, aliàſque pœnas compellere poſſunt Moniales in Monaſteriis exemptis, ad clauſuram ſervandam, quacunque appellatione poſtpoſitâ, invocato etiam, ſi opus fuerit, ad hoc auxilio ſecularis brachij. Trident. Seſſ. 25. c. 5. de Regular. Ubi etiam ſtatuitur, quòd nemini Sanctimonialiū liceat poſt profeſſionem exire è Monaſterio, etiā ad breve tempus, quocunque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſâ ab Ordinario approbanda. Decimus octavus. Monaſteria Monialium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta ſubjiciuntur Epiſcopo, tanquam eiuſdem Sedis delegato, ut ab eo gubernentur, ſcilicet in ſpiritualibus. Trident. Seſſ. 25. c. 9. de Regular. juxta declarat. Card. ibid.

CXIV. Decimus nonus. Epiſcopi, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, etiam per cenſuras, procedere poſſunt contra exemptos, ſi importunas, & illiberales eleemoſynarum exactiones faciant, vel certè à turpi quæſtu non longè abſint: vel ſi horis non debitis, vel in Oratoriis privatis celebrent, (niſi Apoſtolico privilegio ſint muniti. Laym. de juriſd. ordin. concl. 116.) Trid. Seſſ. 22. in decreto de obſerv. & ſervād. in celeb. Miſſ. Vigeſimus. Regulares etiam exempti, qui aliàs ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis Generalib. ſubduntur, ad Synodum Epiſcopalem accedere tenentur. Trid. Seſſ. 24. c. 2. de reform. Vigeſimus prim⁹. Nullus etiā Regularis, & exempt⁹ poteſt Confeſſiones audire, niſi parochiale beneficiū habeat, vel ab Epiſcopo per examen, vel aliàs idoneus judicatus, approbationē obtineat. Trid. Seſſ. 23. c. 15. de reform. Vigeſimus ſecundus. Epiſcopis ſubduntur Regulares exempti in cauſis matr. Trid. Seſ. 24. c. 20. de refor. niſi juriſdictio illis competat privativè, excluſo Epiſcopo, vel ex im̃emoriali conſuetudine. Barbol. cit. alleg. 105. n. 72. Vigeſimus tertius. Si Regulares adminiſtrent Clericis, vel laicis Sacramentū extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ, vel matrimonij, ſine licentia Parochi, ab Epiſcopo poſſunt excom̃unicari. Clem. 1. de privil. Barb. c. l. n. 68. Vigeſ. quartus. Regulares exempti ſubjiciuntur Epiſcopo in ijs omnib. quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ut in petitione Chriſmatis, Conſecrationis Eccleſiarū, ſuſceptionis Ordinum, & ſimiliū, Cochier cit. q. 45. n. 16. Barb. c. l. n. 65. Et hinc Regulares, quamvis exempti, Ordines ſuſcipere prohibentur ab alio Antiſtite, quàm ab Epiſcopo illius loci, in quo à Superiore Regulari ſunt conſtituti. Barb. c. l. n. 7. niſi ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica, ut à quocunque Epiſcopo Catholico ordinari poſſint, habeant.

CXV. Vigeſ. quintus. Si Regulares ſine Ordinarij licentia, promulgent Indulgentias à Papa impetratas, quoad hoc ſubjiciūtur Epiſcopo. Barb. c. l. n. 69. Vigeſ. ſextus. Epiſcopus poteſt Regulares exemptos, ſi ſint notoriè excom̃unicati à jure, vel ab homine, denunciare, ut vitentur. Barb. c. l. n. 73. Vigeſ. ſeptimus. Ordinarius loci, ex defectu juſtitiæ, quam exempti non adminiſtrant, adiri poteſt, ut suppleat, ſi ad Papam, vel Superiorem exemptorum facilè recurri nequeat. Cochier. cit. q. 45. n. 63. Barb. c. l. n. 62. Vigeſ. octavus. Epiſcopus exemptos, ſi fugæ periculum ſit, capere poteſt, & remittere ad Judicem competentem. Cochier c. l. n. 10. quod non licet, ſi citra periculum exſpectari poſſit auctoritas Judicis exemptorum, ut limitat Barb. c. l. n. 64. Vigeſ. nonus. In Confeſſarios Regulares, & Adminiſtratores bonorum Monaſteriorum Monialium Epiſcopis conceſſa eſt poteſtas à Gregor. XV. in Bulla, quæ incipit: Inſcrutabili, anno 1623. edita: & ut Epiſcopus, unâ cum Prælatis, ſeu ſuperioribus Regularibus, electioni Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ, per ſe, vel per aliū præſidere poſſit. Trigeſimus. Monaſteria tam virorum, quàm mulierum de cætero erigi prohibentur, ſine Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda ſunt, licentiâ priùs obtentâ, ex decreto Concil. Trid. Seſſ. 25. c. 3. de Regul. Trigeſimus primus. Monaſteria, & loca Regularia poſthac erigenda, in quibus XII. Religioſi ſuſtentari, & inhabitare non poterint, & actu non inhabitaverint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdi-

riſdictioni ſunt ſubiecta, prout habetur in decretis de celebratione Miſſarum à S. Congregatione Concilij editis, auctoritate Urbani VIII. anno 1625. die 21. Junij, ut refert Fagnan. in c. Grave; 19. n. 78. h. t.

Plures caſus, quibus Regulares exempti ſubduntur juriſdictioni, & poteſtati Epiſcopi, enumerant Cochier, & Barboſ. locis citt. & Fagnan. in cit. c. pen. n. 37. & ſeqq. h. t.

§. XI.

De loco Iuriſdictionis Epiſcopi.

CXVI. Quæritur 1. Ubi, ſive quo in loco Epiſcopus poſſit exercere ſuam juriſdictionem? Reſp. Poteſt Epiſcopus in quovis loco ſuæ Diœceſis ordinariam juriſdictionem Eccleſiaſticam, non tantùm voluntariam, ſed etiam contentioſam exercere, ut ex communi docet Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 80. n. 2. & 3. Idque conſtat ex c. Cùm Epiſcopus; 7. h. t. in 6. ubi » Papa Bonifacius VIII. ita reſcribit: Cùm Epiſcopus » in tota ſua Diœceſi juriſdictionem ordinariam ha» beat, dubium non eſt, quin in quolibet loco ipſius » Diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium poſſit » pro tribunali ſedere: cauſas ad forum Eccleſiaſticũ » ſpectantes audire, & cognoſcere: perſonas Eccleſia» ſticas, cùm earum exceſſus, ſeu delicta id exegerint, » capere, & incarcerare: atque reliqua, quæ ad ipſius » officium ſpectant, liberè (id eſt, abſque alicuius » contradictione, Gl. fin. hîc) exercere.

CXVII. Notandum 1. Epiſcopus, vel eo Superior, ut Archiepiſcopus, Legatus à Latere: & quivis alius Ordinarius habens proprium territoriũ, in quo Epiſcopalem juriſdictionem obtinet, poteſt in quolibet loco ſuæ Diœceſis, vel territorij, judicare, & cauſas cognoſcere, dummodo locus ille ſit honeſtus, & ſecurus. Gl. hîc V. Epiſcopus, & V. Loco, junctâ Gl. margin. & non nimis remotus, ita, ut partes graventur; tunc enim poſſunt partes litigantes petere, ſibi aſſignari locũ propinquiorem, in quo ipſis jus dicatur, & ſi id denegetur, appellare. Barboſ. c. l. n. 5. Deinde id intelligi debet, quòd Epiſcopus poteſt Conſiſtorium, ſeu tribunal ſuum ad tempus transferre ab Eccleſia principali, ſeu Cathedrali ad quemlibet alium locũ Diœceſis, & ibi de cauſis cognoſcere: ſecus, ſi perpetuò, vel ad longum tempus vellet transferre tribunal ad aliá Eccleſiam einſdem Diœceſis, tum enim id non poſſet. c. Placuit; 21. cauſ. 7. q. 1. Franc. hîc n. 4.

Notandum 2. Epiſcopus ex communi jure habet fundatam intentionem erga loca, & perſonas intra Diœceſin exiſtentes, ita, ut, ſi exemptio aliqua prætendatur, ea probari debeat. Gl. hîc V. Habere, & Anchar. not. 1. & ſumitur ex c. Cùm perſonæ; 7. de privileg. in 6. Aliud eſt de aliis Prælatis Epiſcopo inferioribus, & ipſi ſubiectis, qui non tale territorium juriſdictionis ſuæ habere cenſentur, v. g. Archidiaconus. Quare ſi Clericus extraneus, ſeu peregrinus in Archidiaconatu delinquat, eum non Archidiaconus ſuâ auctoritate punire poteſt, ſed Epiſcopus, qui eſt proprius, ac generalis Ordinarius loci, & generale territorium habet, Gl. magna hîc not. 1. ita, ut nullus alius in tota Diœceſi ſub eo juriſdictionem habeat, ſed in parte ſolùm, Gl. hîc V. in tota ſua.

CXVIII. Notandum 3. Epiſcopus, vel alius Judex Eccleſiaſticus ſimilem poteſtatẽ obtinens poteſt per miniſtros ſuos, Clericos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas crimen comittentes capere, & incarcerare, non autẽ laicos, niſi propter crimen hæreſis, juxta c. Ut commiſſi; 12. et c. Ut inquiſitionis; 18. de hæret. in 6. idq; per ſenſum contrarium colligi videtur ex hoc c. Ubi dicitur, quòd Epiſcopus perſonas Eccleſiaſticas propter exceſſus earum poſſit capere, & incarcerare: ergo laicos non poteſt, quia, quod de Clericis affirmatur, videtur negari de laicis, Jo. Andr. hîc, & Anchar. not. 5. Verùm probabiliꝰ eſt, quòd Epiſcopus poſſit laicos capere, & incarcerare, etiam propter alia crimina, ſive merè Eccleſiaſtica, v. g. ſimoniã, ſive mixta, quæ ſunt utriusq; fori, ut crimen blaſphemiæ, perjurii, ſacrilegij &c. etiamſi in loco non habeat temporalẽ juriſdictionem, ut docet Franc. hîc not. 4. Covarr. pract. qq. c. 10. n. 2. Card. Tuſch. V. Epiſcopus; concl. 253. Martha p. 1. c. 50. n. 8. Ratio eſt, quia Epiſcopi poſſunt in foro Eccleſiaſtico exercere merum imperiũ, nam habent poteſtatem capiendi, incarcerandi, & puniendi criminoſos, ut conſtat ex c. 1. h. t. Franc. hîc n. 3. extra pœnam tamen ſanguinis, quam Epiſcopi infligere nõ poſſunt, ut docet Molin. tr. 5. de juſtit. diſ. 7. n. 1. ergo eam poteſtatẽ exercere poſſunt, non tantùm in Clericos, ſed etiam in laicos propter crimina merè Eccleſiaſtica, vel mixta, cùm in his etiam laici Epiſcopo ſint ſubiecti in foro Eccleſiaſtico: Franc. hîc not. 4. Neque verò argumentũ à contrario ſenſu valet, quando cõtrarium jure reperitur expreſſum: quòd autem Epiſcopi habeant poteſtatem etiam laicos incarcerandi, & caſtigandi, propter delicta Eccleſiaſtica, conſtat ex c. Contra; 10. junctâ Gl. V. Secularibus cauſ. 26. q. 5. & ex aliis juribus, ut dictũ ſuprà. Deinde Papa in hoc c. ideo tantùm mentionem fecit de perſonis Eccleſiaſticis, quia in illas generaliter, & indifferẽter Epiſcopus juriſdictionem exercet: in laicos verò non niſi limitatè, in ordine ad certas cauſas, aut crimina, quæ hoc loco Papa in ſpecie proponere non intendit, Laym. hîc n. 3. Quòd autem Epiſcopus ſolùm ſpiritualem pœnam infligere poſſit laicis, ſaltem ob crimina mixta, relictâ pœnâ temporali Judici ſeculari, id verum non eſt, alioquin nec mulctã pecuniariam propter eiuſmodi crimina imponere laicis poſſet, quod eſt contra praxin, & communem ſententiam DD. ut notat Laym. hîc in fine.

CXIX. Quæritur 2. An Epiſcopus exercere poſſit juriſdictionẽ in loco exempto intra Diœceſin ſuâ ſito? Reſp. in loco exempto à juriſdictione Epiſcopi, non poteſt is exercere juriſdictionem ſaltem contẽtioſam, ſive pro tribunali ſedere, aut judicia exercere, ut colligitur ex hoc c. ibi: *non exempto*, ergo in exempto non poteſt. Gl. hîc V. Eodem, & probatur ex c. Luminoſo; 6. junctâ Gl. V. Collocare. cauſ. 18. q. 2. Ratio eſt, quia Epiſcopus, vel alius Judex non poteſt tribunal, extra ſuam Diœceſin, aut territorium ei nõ ſubjectum erigere, c. Epiſcopum; 7. cauſ. 9. q. 2. locus autem intra Diœceſin exemptus æquiparatur loco extra Diœceſin, ſeu territorium ſito, quod attinet ad excludendam juriſdictionem Epiſcopi; non autem quoad alia, ut tradit Gl. in Clement. Frequens; un. V. primi anni; de exceſſib. Prælat. Cochier de juriſd. ord. in exẽptos p. 2. q. 1. n. 6. Barboſ. hîc in collect. n. 7. & 8.

Excipi debet, niſi Epiſcopus expulsꝰ ſit à ſua Diœceſi, ita, ut nec per Vicariũ juriſdictionẽ ibi exercere poſſit; tũ enim in aliena vicina Diœceſi jus dicere poteſt

ſubditis ſuis,petitâ,licèt non obtentâ,licentiâ ab Ordinario loci, dummodo ultra duas dietas, extra propriam Diœceſin, ſive à fine Diœceſis computandas, non evocentur. Clement. unic. de foro compet. Cochier c.l.n.11.Barb.cit.alleg.80. n.10.

§. XII.

De poteſtate Capituli indicendi ceſſationem à Divinis.

De hac agitur in duobus Capitulis h.t.in 6. Eſt autem hæc ceſſatio non cenſura, nec pœna propriè dicta, ſed ſimplex prohibitio Divinorum, ob quam Eccleſiæ miniſtri in certa Eccleſia, vel loco ceſſare debent à publica celebratione Divinorũ officiorum, & adminiſtratione Sacramentorum, niſi quatenus eam neceſſitas poſtulat, idque propter graviſſimam injuriam Eccleſiæ, aut honori Divino illatam, donec injurians ab ea deſiſtat,& Eccleſiæ læſæ ſatisfaciat, de qua videri poteſt Suar.diſ.39.de cenſur.ſec.1. n.1. & ſeqq.Laym.l.1.Theol.mor.tr.5.p.4.c.4.n.6.

CXX. Inprimis igitur in c.Si Canonici;2.h.t.in 6. Gregorius X.in Generali Cõcilio Lugdunenſi ſtatuit:
» quòd Capitulum, ſeu Canonici (ſeculares, vel Regulares,quia nomine Canonici veniunt etiam Regulares,ſi materia id patiatur. Gl.hîc V. Seculares, jun-
» ctâ Gl.marg.) poſſint in Eccleſia Cathedrali, vel
» Collegiata, ſi ipſis ex conſuetudine competat, vel
» aliàs(videlicet per privilegium,vel ab Epiſcopo, vel
» per ſtatutum Synodale, Gl. hîc V. Aliàs & in ad-
» dit.) conceſſum ſit,ceſſationem à Divinis officiis
» indicere: ita tamen,ut antequam ad ceſſationem
» indicendam procedant,in inſtrumento publico,vel
» in litteris patentibus propriis eorum ſigillis mu-
» nitis, vel in alio authentico ſcripto cauſam ceſſa-
» tionis exprimere, & ei, contra quem ceſſare inten-
» dunt,illud exhibere teneantur. Alioquin ſi id Ca-
» nonici, ſeu Capitulares omiſerint,vel cauſa ceſſan-
» di non fuerit inventa (per Superiorem) Canonica;
» omnes reditus ex Eccleſia illa, in qua ceſſatum
» fuit,provenientes non poſſunt percipere, atq; per-
» ceptos tempore,quo à Divinis ceſſatum eſt,reſtitue-
» re debent,iſque eidem Eccleſiæ applicandi ſunt: &
» inſuper ei,contra quem ceſſatio inſtituta fuit (vi-
» delicet Epiſcopo, vel alteri cuicunque) ad damni
» illati compenſationem, & injuriæ ſatisfactionem
» teneneur. Sin autem cauſa ceſſandi Canonica fuit
» reperta; tum is, qui culpâ, vel dolo cauſam præ-
» buit,cur in Eccleſia Divina officia non celebraren-
» tur,obligatur Canonicis ad intereſſe (ſeu compen-
» ſationem damni,vel lucri ceſſantis,ſi videlicet ob-
» lationibus, & eleemoſynis interim privari fuerint)
» & Eccleſiæ, cui debitum ſervitium eius culpâ eſt
» ſubtractum,ad mulctam, ſeu pœnam pecuniariam,
» Superioris arbitrio, taxandam, in ſatisfactionem
» injuriæ illatæ,& in divini cultûs augmentum con-
» vertendam. Denique in fine huius c. §.Cæterùm;
» prohibetur, & reprobatur conſuetudo, ſeu abuſus
» deteſtabilis illorum, qui imagines, vel ſtatuas S.
» Crucis, S. Mariæ Virginis, aliorúmque Sanctorum
» irreverenter tractantes, indictâ ceſſatione,proſter-
» nunt in terram,& urticis,ſpiniſque ſupponunt,ſive
» obtegunt: & ſtatuitur, ut,qui de cætero id fecerint,
graviter puniantur, ne alij ſimilia præſumant, ſeu »
attentent. »

CXXI. Notandum 1. Si Canonici,ſeu Capitulares, abſque manifeſta, eaque vera & rationabili cauſa,ceſſârunt à Divinis officiis,tripliciter puniendi ſunt,ut notat Gl. hîc V. Tenebuntur. 1.Ut fructus perceptos reſtituant. 2. Ut fructus non percipiant, quia fructus beneficij dantur propter officium. c.ult. de reſcript. in 6. Si ergo Canonici ſine canonica,ſeu legitima cauſa, à Divinis ceſſârunt, nec debitum officium in Eccleſia præſtiterunt, fructus beneficij percipere non poſſunt, vel perceptos reſtituere debent, tanquam datos ob cauſam,cauſâ non ſecutâ. tit.ff.de condict. causâ datâ, causâ non ſecutâ; qui enim Altari non ſervierant, de eo vivere non debuerant,&, cùm Eccleſiæ detur actio ad repetendos fructus perceptos ab huiuſmodi Canonicis non præſtantibus officium debitum, multò magìs datur ei exceptio ad non ſolvendũ eis fructus non perceptos. arg. reg. qui ad agendum; 71. in 6. Gl. hîc V. Reſtituent. & V. Percipient. iique fructus in utilitatem Eccleſiæ ſunt applicandi. Franc. hîc V.Scituri;n.2. 3.Puniuntur huiuſmodi Canonici, quorũ culpâ à Divinis officiis ceſſatum eſt,ad intereſſe, ſeu compenſationem damni ipſi Eccleſiæ, eiúſque miniſtris, ſi oblationibus,& eleemoſynis interim carere debuerunt. Gloſſ. hîc V.Damnis.

Notandum 2. Si verò ceſſatio à Divinis à Capitularibus ex canonicâ, & legitimâ causâ fuit indicta,tum is, qui occaſionem, ſeu cauſam juſtæ ceſſationi ſuâ culpâ dedit, debet quoque condemnari ad compenſandum omne damnum dictis Canonicis, quod ex ceſſatione illa ſunt paſſi; & Eccleſiæ, cui debitum officium eſt ſubtractum, eſt illatum: præterea ad ſolvendam certam pœnam pecuniariam, arbitrio judicis, quæ ad Divinum cultum augendum applicari debet, prout habetur in hoc c. §. Si autem, & ibi Gl.V.Occaſionem,quia,qui occaſionem damni dat,damnum dediſſe videtur. c.ult.de injuriis.

CXXII. Præterea in c.Quamvis;8.h.t.in 6.prohibet Bonifacius VIII.ne à Seculari, vel Regulari »
Capitulo,Collegio,ſeu Conventu,cuiuſcunque Ec- »
cleſiæ, ceſſationes à Divinis officiis (cui per conſue- »
tudinem,aut privilegium ea poteſtas competit. Gl. »
hîc V.Conventu)indicantur,niſi omnes Capitulares »
abſentes vocentur,ſicut convocandi ſunt omnes ad »
electionem Prælati: Tum verò præmiſsâ diligenti »
deliberatione,ſi Capitulum congregatum judicet, à »
Divinis ceſſandum eſſe,Epiſcopo,aut alteri Clerico »
vel Laico,cuiuſcunque dignitatis,ſtatûs, vel condi- »
tionis ſit,ob cuius injuriam ceſſatio indicenda vi- »
detur,id inſinuari debet,ut irrogatam injuriam,vel »
offenſam emendet: quod ſi fecerit,vel,ſi per ipſum »
Capitulum, ſeu Conventum ſteterit,quò minùs in- »
juriam inferens illam emendaret, intermitti debet »
ceſſatio. Sin vero requiſitus recuſet emendationem »
aut ſatisfactionem facere,& Capitulum,ad ceſſatio- »
nem procedendum eſſe,judicet, tunc utraque pars, »
videlicet,& ij,qui ceſſant,& illi etiam,propter quo- »
rum factum à Divinis ceſſatur,intra unum menſem »
(niſi ſuperveniente inter eos concordiâ à ceſſatione »
deſiſtatur) iter,per ſe ipſos, vel per Procuratores i- »
doneos,ad Sedem Apoſtolicam accipere debent, in- »
ſtructi munimentis,& actis ad negotium ipſum ſpe- »

» ctantibus,ſéque, quamptimum commodè fieri po-
» terit, coram Papa præſentare, ut partibus præſenti-
» bus,vel unâ præſente,alterâ neç per ſe,nec per Pro-
curatores comparente, pars quæ culpabilis reperta
» fuerit,ſive quæ ceſſationi, rationabiliter factæ cau-
» ſam dedit, ſive qui ſine rationabili, & manifeſtâ
» causâ ceſſavit,præter alias perſonas à ſacris Cano-
nibus ſtatutas,(in c.13. §.Cæterùm. h.t.& in c.2.Eo-
» dem in 6.) à S. Pontifice pœna ad arbitrium illius
» inſligatur. Quòd ſi prædicta non obſervet pars
» ceſſans à Divinis, poterunt, non obſtante ceſſatio-
» ne, ſeu organorum ſuſpenſione, Divina officia,utì
» priùs, celebrari in Eccleſia, in qua ceſſatio eſt pro-
» mulgata.

CXXIII. Notandum 1. Plures conditiones requiruntur ad indicendam ceſſationem à Divinis ab aliquo Capitulo, ſeu Collegio, ut notat Gloſſ.hîc V. Mittendo,& Suar.diſ.49.de cenſur.ſec.3.n.7.& ſeqq. 1.ut cauſa ceſſationis in inſtrumento publico per tabellionem publicum confecto, vel in patentibus litteris authentico ſigillo munitis exhibeatur. 2. Ut indicatur ab eo, qui ad id, vel ex conſuetudine, vel privilegio, aut alio jure poteſtatem habet. 3. Ut ex cauſa Canonica, id eſt, manifeſta, & rationabili indicatur,ut,ſi fiant ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, ſi tallia, ſeu collectæ Clericis imponantur, ſi Clericus per ſecularem Magiſtratum detineatur. Atque hæ conditiones habentur in c. 2. & ibi Gl.V. Cauſa. h.t. in 6.& in c.Irrefragabili; 13. §. Cæterùm extra eodem. Aliæ conditiones requiruntur in cit.c. pen. h. t. in 6. Veluti 1. Ut ad indicendam ceſſationem vocentur omnes,qui ſunt de Capitulo: num verò ſolùm omnes præſentes, an etiam abſentes ex locis magìs,vel minùs remotis evocandi ſint,in hac re ſtandum eſt conſuetudini, Gloſſ. hîc V. Evocandi. 2. Ut præcedat tractatus, vel ſaltem diligens deliberatio circa ipſam ceſſationem ferendam, eiúſque cauſam. Gloſſ. hîc V. Deliberatione. Suar. c. l. n. 9. 3. ut Capitulum,vel ſaltem major eius pars conſentiat in ceſſationem ferendam. Suar.c.l. 4.Ut is,qui cauſam dedit ceſſationi, moneatur, ut irrogatam injuriam emendet. 5. Ut poſt ceſſationem, intra menſem, utraque pars ineat iter Romam versùs,per ſe, vel per Procuratores ſufficienter inſtructos: ita tamen, ut etiam poſt menſem, concordiâ initâ inter partes, ceſſatio tolli poſſit. Suar. c.l. n.13. Portò omnibus his conditionibus non ſervatis,nec ſervanda eſt ceſſatio, adeóque eâ non obſtante, celebrandum eſt in Eccleſia,in qua ceſſatio facta eſt,& ea nullum effectum habet.Gl.fin.hîc,& Suar.c.l.n.15.

Notandum 2. Capitulum ſive Canonici ex tribus cauſis,aut triplici modo inſtituere, ſive indicere poſſunt ceſſationem à Divinis,ut notat Ancharan.in cit.c. Quamvis in fine h.t.in 6. 1. Propriâ auctoritate, quia id per conſuetudinem, vel privilegium ipſis competit, propter offenſam, vel injuriam eiſdem illatam,& tunc ſervare debent formam in hoc c.præſcriptam. 2. Ex mandato Epiſcopi, ſeu ſuperioris Ordinarij; & tunc etiam hæc forma obſervari debet, quando Superior,videlicet Epiſcopus, vel Prælatus, causâ priùs non cognitâ,neque negotio diſcuſſo,Capitulo mandat ceſſationem fieri, tunc enim ipſi diſcuſſionem relinquit. Secus verò eſt,ſi Superior,causâ antè cognitâ,decrevit,ut ceſſatio à Divinis indicatur;tunc enim,cùm ſola executio demandata ſit Capitulo, non debet obſervari forma ceſſationis ſuprà tradita. Sed neque ipſemet Superior illam obſervare tenetur, cùm enim ſoli Capitulo ſpecialiter ſit jure præſcripta, non debet ad alios caſus, aut perſonas non expreſſas extẽdi, quippe exorbitans à jure communi,ut tradit etiam Suar.cit.ſect.3.n.6. 3. Si ceſſatio à Divinis indicta fuit à Capitulo, ex decreto Concilij Provincialis, tum debet ſtatim Capitulum illud exequi,nullâ præcedente diſcuſſione,nec tenetur obſervare prædictam formam, ut colligitur ex Clement.1.de ſent.excomm.& tradit Ancharan.c.l.

SECTIO IV.

DE OFFICIO, ET JURISDIctione ordinaria Prælatorum Regularium, Epiſcopo inferiorum.

Agimus hîc de poteſtate Prælatorum Regularium,& quidem non de poteſtate Ordinis,de qua ſuprà dictum tit.11.ſed de poteſtate juriſdictionis tantùm. De poteſtate verò, & officio Prælatorum ſecularium Epiſcopis inferiorum actum eſt ſuprà tit.23. & ſeqq.

§ I.

De Iuriſdictione, & poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium in genere.

CXXIV. Quæritur 1. Qualem poteſtatem habeant Prælati Ordinum in ſubditos ſuos Regulares? Reſp. duplex eſt poteſtas,una dominativa,vel domeſtica,ſeu œcumenica,qualem habet pater in filium,& dominus in ſervum. Altera juriſdictionis, ut tradit Suar. tom. 3. de relig. lib.2.c.18.n.5; Poteſtas quaſi dominativa, ſeu domeſtica eſt jus quoddam competens Prælato ad imperandum Religioſis, & utendum eorum operibus, prout ad Regularem diſciplinam conveniens judicaverit, quæ radicaliter oritur à voluntate profitentium talem regulam, & ſe tradentiũ Religioni,cum promiſſione,& obligatione ſecũdùm illam obediendi,ad quam pertinet,v.g. irritare vota: poteſtas verò juriſdictionis eſt poteſtas ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica pertinens ad claves Eccleſiæ,& conſequenter à Chriſto data eſt, vel derivata, mediante Papâ eius Vicario,vel aliis Epiſcopis, unde omnis ligandi, & ſolvẽdi poteſtas conveniente ordine deſcẽdit;ad quam poteſtatem pertinet,judicare, excommunicare, & alias cenſuras inferre, corrigere, & punire, inſligendo pœnas corporales,& graviores, quàm per domeſticam poteſtatem inferri poſſint, vi cuius moderata ſolùm coërcitio, ac pœna à Prælato inſligi poteſt, quæ ad ordinarium regimen unius familiæ ſufficiat, Suar. cit. c. 18. num. 10. Prior poteſtas dominativa,vel paterna eſt privata,&domeſtica: poſterior juriſdictionis eſt publica, quæ ad publicam Eccleſiæ gubernationem, & diſciplinã Eccleſiaſticam perti-

pertinet. Poteſt autem utraque hæc poteſtas, dominativa, & juriſdictionis propriè dictæ, ſimul concurrere. Sic enim Prælatus Regularis exemptus, qui à Papa habet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Religioſos ſuos, & ſimul poteſtatem quaſi dominativam, ratione profeſſionis, & obedientiæ ſibi præſtitæ, poteſt in virtute obedientiæ aliquid præcipere, & ſimul ſub pœna excommunicationis; & ſic, vel regulari tantùm diſciplinâ, & coactione uti, vel per poteſtatem juriſdictionis graviùs punire. Suar. c. l. num. 13.

CXXV. Quæritur 2. An Prælati Regulares habeant ſpiritualem juriſdictionem ordinariam in ſubditos ſuos Regulares, eámque alteri delegare poſſint? Reſpondetur: Prælati Regulares habent juriſdictionem ordinariam, quia ea ipſis competit ex vi officij, ſeu muneris ſui, ad quod ab Univerſitate, ſeu Collegio ſunt electi, ergo juriſdictio eorum eſt ordinaria, juxta ſuprà dicta num. 6. h. t. Sylveſt. in ſumma V. Prælatus; quæſt. 1. Suar. tom. 3. de Relig. l. 10. c. 11. num. 18. Tamburin. tom. 2. de Jure Abbat. diſ. 1. q. 4. n. 1. & 2. Et hinc etiam Abbas, ſeu Prælatus Ordinis hanc poteſtatem ſuam ordinariam alteri delegare poteſt in abſentia ſua, cui tanquam vices gerenti, perinde, ac ipſi Prælato, Religioſi obedire debent. Suar. c. l. & Tambur. c. l. n. 6. Cæterùm talis Vicarius, ut Prior clauſtralis, Decanus, vel Rector Chori, etſi propriè dictam juriſdictionem non habeat, nec poteſtatem præcipiendi aliquid in virtute obedientiæ, niſi conſuetudo, vel ſtatutum alicujus Ordinis aliud præſcribat: habent tamen tales Vicarij poteſtatem aliquam gubernandi, ac præcipiendi, ſecundùm facultatem ipſis conceſſam, ſive abſente, ſive etiam præſente Prælato, ita, ut Religioſi ipſis obedire debeant in conſcientia, ſicut diſcipuli Ludimagiſtro in ſchola, & domeſtici patrifam. in domo. Suar. cit. c. 11. n. 19. Laym. de juriſd. ordin. concl. 130.

CXXVI. Quæritur 3. An Prælati Regulares, ſive exempti, ſive etiam non exempti, habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Regulares ſuos? Reſpondetur 1. Prælati Religioſorum Ordinum à juriſdictione Epiſcoporum exempti, & immediatè S. Pontifici ſubjecti, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent in ſuos Regulares. Ubi tamen diſtinguendum eſt inter Prælatos exemptos: nam aliqui habent territorium proprium, ac ſeparatum, adeò, ut neque in Diœceſi, neque de Diœceſi alterius Epiſcopi ſint; & hi dicuntur eſſe nullius Diœceſis, & poſſunt omnia facere in ſuo territorio, ſive quaſi Diœceſi, in qua juriſdictionem Epiſcopalem exercent, quæ Epiſcopi faciunt in ſua Diœceſi circa ſuos ſubditos, exceptis ijs, quæ ad Ordinis Epiſcopalis poteſtatem ſpectant. Sanch. l. 2. in Decal. c. 11. n. 7. Sayr. in clavi reg. l. 6. c. 11. n. 83. Tamburin. cit. diſ. 1. quæſt. 5. num. 7. & alij apud ipſum. Alij verò ſunt Prælati exempti, qui territorium proprium, & ſeparatum non habent, ſed ſunt in alterius Diœceſi, & hujuſmodi loca exempta, licèt non ſint de Diœceſi, ſive juriſdictione Epiſcopi, ſunt tamen in Diœceſi, ſive territorio Epiſcopi, arg. c. Cùm Epiſcopis; 7. h. t. in 6. ubi dicitur, quòd Epiſcopus poteſt ordinariam juriſdictionem exercere in qualibet parte ſuæ Diœceſis, dummodo in loco exempto id non faciat: ergo locus exemptus eſt in Diœceſi Felin. in c. pen. num. 2. circa finem h. t. & hujuſmod. Prælati exempti, etſi quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant in ſuos ſubditos Regulares, vel etiam ſeculares, non tamen poſſunt omnia exercere, quæ Epiſcopi circa ſuos ſubditos, nec nomine Epiſcoporum abſolutè comprehenduntur, quia non habent territorium, ſeu Diœceſin propriam. Sayr. & Sanch. citt. locis. Tamburin. c. l. n. 6. & 8. Prælati verò non exempti, habent etiam quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ſed ſubordinatam, & in certis caſibus dependentem à juriſdictione Epiſcopi Diœceſani, ut mox dicetur.

CXXVII. Reſpondetur 2. Prælati Ordinum, qui ab Ordinarijs locorum non ſunt exempti, ſed ijs ſubjecti, habent etiam poteſtatem juriſdictionis ordinariæ in Regulares ſuos, ut ipſis, ratione præſtiti voti obedientiæ, præcipere poſſint in ijs, quæ pertinent ad vota, obſervationem Regulæ, & religioſam diſciplinam domeſticam, rationem vivendi, & quoad officia, & promotionem ad Ordinum gradus, juxta c. Ad aures; 5. de tempor. ordin. nam in his diſpoſitio, correctio, & punitio primo loco ad Prælatum Ordinis ſpectat, nec Epiſcopus in his ſe immiſcere debet, niſi conſtet de negligentia, aut injuria Prælati Regularis, ut docet Sanch. l. 6. in Decal. c. 1. num. 12. & dictum ſuprà n. 58. Epiſcopo verò Regulares non exempti ſunt ſubjecti, non ratione voti obedientiæ, quia hoc ipſi (ſaltem viri Religioſi) præſtare non ſolent: ſed in ijs tantùm, quæ ad externam diſciplinam Eccleſiaſticam communem Clericis ſecularibus, & Regularibus pertinent, & quoad crimina graviora, & publicè ſcandaloſa punienda, Abb. in c. Quantò; 7. num. 5. h. t. Sanch. c. l. num. 13. Laym. de juriſd. ordin. concluſ. 117. & dictum ſuprà num. 58. h. t. Et ſic intelligi debet, quod dicitur in c. Monaſteria; 17. cauſ. 18. quæſt. 2. deſumpto ex Concil. Arelatenſi: *Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertineat Epiſcopum, in cujus territorio ſunt conſtituta*; ſcilicet in gravioribus delictis, præſertim exigentibus depoſitionem, ut exponit Gloſſ. margin. ibidem, & loquitor hic Canon de Monaſterijs, & Monachis non exemptis. Tamburin. c. l. num. 9.

§. II.

De poteſtate excommunicandi, aliáſque cenſuras, vel pœnas inferendi, & ab iis abſolvendi, item reſervandi peccata, ac diſpenſandi, & denique adminiſtrandi, quæ competit Prælatis Regularibus.

CXXVIII. Aſſertio 1. Prælati Ordinum, cùm juriſdictionem ordinariam obtineant in ſuos Regulares, etiam in foro externo, poſſunt, ob contumaciam, excommunicationem, aliáſque cenſuras in eoſdem ferre, ut colligitur ex c. Cùm in Eccleſijs; 19. de majorir. & obed. et c. Sicut; 33. & ibi Gloſſ. V. Sub intermi-

interminatione de Simon. modò ſint confitmati, vel inſtituti, ſeu proviſi, etſi non benedicti. Sylv. in ſumma V. Abbas; q. 2. Navarr, in Man. c.27. n.5. Azor p. 1. Inſtit. mor. lib. 12. c. 10. q. 7. Suar. diſ. 2. de cenſur. ſec. 2. n. 9. & alij communitet. Ratio eſt, quia Prælati Eccleſiarum Collegiatarum, ſive Regularium, ſive ſeculatium, ſunt Capita Eccleſiarum ex legis præſctipto, per electionem, & confirmationem conſtituti, ergo ab eadem lege communi habent juriſdictionem ordinariam fori externi in Collegium, ſeu eos, quibus præficiuntur, adeóque etiam habent poreſtatem eos excommunicandi, vel per alias cenſuras coërcendi, licèt rales Prælati Epiſcopo ſubſint, ut tradit Gloſſ. communiter recepta in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. V. Eccleſiaſtica ſenrentia; h. t. Inſuper etiam poſſunt hujuſmodi Prælati Monachos, ſeu Regulares ſuos incarcerare, jejunijs, ac ſimilibus pœnis punire, ac denique, ſi incorrigibiles fuerint, ex Ordine ejicere, ita, ut non niſi emendatos recipere debeant, ut conſtat ex c. Ea quæ; 8. de ſtatu Monach. & docet Imol. in cit. c. Cùm ab Eccleſiarum; num. 8. Laym. de juriſdict. ordin. concluſ. 127.

CXXIX. Extenditur autem dicta aſſertio, quòd Abbates, aliíque Prælati Regulares ſubditos ſuos excommunicare poſſint per ſententiam generalem, vel particularem in eos latam, etiamſi in alieno territorio exiſtant, quia cenſura ligat perſonam ſecundùm ſe, eámque comitatur, ubicunque locorum exiſtat. Suar. lib. 1. de cenſur. ſec. 5. num. 18. Tambur. tom. 2. diſ. 14. q. 2. n. 4. & duobus ſeqq. Ex quo infertur, quòd juriſdictio, & poteſtas Prælatorum Regularium in Profeſſos, ſeu Religioſos ſuos extendat ſe ad omnem locum, ita, ut ubique locorum eos capere, & conſtringere poſſint, ſi ſint fugitivi, quia eorum juriſdictio provenit ex perſonali obligatione Religioſorum per vota, ſecundùm Sedis Apoſtolicæ approbationem: unde dici ſolet, quòd totus mundus his Prælatis ſit pro territorio.

CXXX. Aſſertio 2. Prælatus Ordinis, cùm etiam in foro conſcientiæ juriſdictionem habeat in Regulares ſuos, poteſt eoſdem ab omnibus peccatis, & cenſuris à jure ſpecialiter non reſervatis abſolvere, vel alteri Sacerdoti idoneo abſolvendi poteſtatem committere. Navarr. cit. c. 27. n. 39. Sylveſt. V. Abbas; q. 2. arg. c. Nuper; 29. de ſentent. excomm. ubi habetur, quòd quilibet proprius Sacerdos abſolvere poſſit à cenſuris non reſervatis, quia, quando conditor Canonis cenſuræ in eo appoſitæ abſolutionem ſibi non retinuit, eo ipſo alijs relaxandi facultatem conceſſiſſe videtur. Multò magis poteſt Prælatus Ordinis Regulares ſuos abſolvere à cenſuris à ſe latis, quia regulariter, cui jure ordinario conceſſa eſt poteſtas ligandi, eidem etiam eodem jure poteſtas ſolvendi competit, vel ejus delegato, aut Succeſſori, aut Superiori. Navarr. c. l. n. 40. Tambur. cit. diſ. 14. q. 6.

Et hinc etiam Superiores Prælati Religionis poſſunt abſolvere ſubditos à cenſuris latis ab inferioribus, v. g. Provincialis abſolvere poteſt Religioſos, quos excommunicavit Prælatus Conventualis, ſeu localis, & Generalis, quos excommunicavit Provincialis, ad quod requiritur, ut inferior habeat juriſdictionem quidem in perſonam abſolvendam, ſed ſubordinatam, ac dependentem à Superiore, ita, ut hic quoque juriſdictionem habeat in eam cauſam, & in perſonam abſolvendam, ut tali cauſæ ſubeſt, poſſitque Superior cauſam ab inferiore inchoatam ad ſe avocare, eámque cognoſcere, etiamſi ad eum appellatum non ſit: alioquin enim non poterit Superior abſolutionem impertiri, quippe quæ eſt actus juriſdictionis. Ob cujus conditionis defectum, Archiepiſcopus non poteſt à cenſura ab Epiſcopo Suffraganeo latâ abſolvere, niſi ad ipſum ſit appellatum, ut dictum ſuprà n. 73. nec Epiſcopus excommunicatum à Prælato Regulari etiam non exempto, quia Epiſcopus non habet plenam juriſdictionem in abſolvendum, ut dictum ſuprà num. 76. h. t. At verò juriſdictio Prælatorum inferiorum Regularium, ita eſt ſubordinata juriſdictioni Superiorum, ut ab ea omnino in fieri, & conſervari dependeat, & Superiores poſſint cauſam ab inferioribus cœptam ad ſe avocare, & cognoſcere, quando ita expedire judicaverint, tametſi ad eos appellatum non ſit: idcirco poteſt Superior v. g. Provincialis, vel Generalis abſolvere Religioſos, quos inferior, nempe Prælatus Conventualis, ſeu localis, vel Provincialis excommunicaverat, quia Generalis, & Provincialis æquè immediatè juriſdictionem ſuam exercere poteſt in omnes Regulares ſubditos totius Ordinis, vel Provinciæ, ac Prælatus proprius, ſeu localis in Regulares illius Monaſterij, vel loci. Suar. diſ. 3. de cenſur. ſec. 2. num. 12. & ſeqq. Tambur. cit. diſ. 14. q. 7. n. 3. & 4. Ubi hoc addendũ, quòd, etſi Prælatus Regularis Superior poteſt abſolvere ab omnibus cenſuris ab inferiore latis, ut jam dictum: non tamen vice verſâ inferiores Prælati poſſunt abſolvere à cenſuris latis à Superiore Prælato, niſi quando Superior illas ſpecialiter ſibi non reſervâſſet, juxta cit. c. Nuper; de ſentent. excommun. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 2. & 3. Tamburin. cit. diſ. 14. quæſt. 12. num. 4.

CXXXI. Aſſertio 3. Abbates, aliíque Prælati Religioſorum Ordinum, non ſolùm ſupremi, aut medij, ut Generales, & Provinciales, ſed etiam inferiores, ut ſunt Priores, Quardiani, Rectores, & alij Prælati Conventuales, ſeu locales poſſunt certa peccata, quæ graviora ſunt, aut magìs noxia, abſolutioni ſuæ reſervare. Idque eodem modo certum eſt, quo de Epiſcopis, aliíſque Prælatis circa ſibi ſubjectos idem conſtat: nam quamvìs in Concilio Tridentin. Seſſ. 14. c. 7. ſolùm mentio fiat de S. Pontifice, & Epiſcopis, tamen ſub Epiſcopis ibi ſunt intelligendi omnes Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinentes, quia actus reſervandi peccata non ſpectat ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, ſed ad poteſtatem juriſdictionis. Suar. tom. 4. de Relig. c. 18. num. 1. eámque poteſtatem reſervandi etiam competere inferioribus Prælatis Regularium, colligitur ex Conſtitutione Clementis VIII. anno 1593. die 26. Maij editâ, quæ incipit: Ad futuram rei memoriam, in qua Papa loquitur indefinitè de Superioribus Regularium, ut notat Suar. c. l. num. 14. Porrò in cit. Conſtitut. enumerantur XI. caſus, qui in Religionibus reſervari poſſunt: non tamen in illa præcipitur, ut omnes illi caſus reſerventur, ſed permittitur Prælatis, ut ex caſibus ibi nominatis poſſint, quos expedire judicaverint, reſervare. Suar. c. l. n.

c. l. n. 14. Et licèt Papa reſtrinxerit poteſtatem reſervandi ad caſus ſibi expreſſos, non tamen omnino abſtulit Religionibus poteſtatem alios reſervandi; ſed ſolùm præcipit, ut, ſi quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate, reſervandum videatur, id non aliter fiat, quàm cum Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, maturâ diſcuſſione, & conſenſu, ut ibidem habetur, & notat Suar. c. l. n. 15. quæ tamen limitatio non eſt uſu recepta in quibuſdam Religionibus, ut de Ordine Minorum teſtatur Rodriq. tom. 1. qq. reg. quæſt. 21. art. 2. ubi ait, Provinciales eorum caſus, ſi ipſis videatur, etiam extra Capitulum reſervare, non item Quardianos id poſſe.

CXXXII. Notandum hîc præterea 1. Poſſunt Prælati Regulares etiam abſolutioni ſuæ reſervare excomunicationem, vel aliam cenſuram alicui peccato, ipſo facto, annexam, non obſtante Decreto Clementis VIII. quia illud loquitur de reſervatione culparum, quòd aliæ culpæ, ſeu peccata, præter expreſſa, non poſſint à Prælatis per ſe, ac directè reſervari, extra Capitulum: in hoc autem caſu non reſervatur abſolutio à peccato, ſed à cenſura; & licèt aliàs, per ſe loquendo, non poſſit dari abſolutio à peccato, non ablatâ cenſurâ, &, reſervatâ cenſurâ, etiam peccatum cenſeatur reſervatum: hoc tamen per accidens eſt, quia revera peccatum, & cenſura, & utriuſque reſervatio non ſunt idem, ſed per ſe diſtincta: adeòque à prohibitione unius non debet fieri extenſio ad prohibitionem alterius, quia à diverſis non fit illatio, & mens S. Pontificis in dicto decreto non fuit tractare de reſervatione cenſuræ: ergo non eſt cenſendum, Prælatos Regulares per illud decretum eſſe privatos ſuo jure reſervandi cenſuram, quamvis cavere debeant, ne hac occaſione nimis multiplicent cenſuras. Suar. cit. c. 18. n. ult. Tamburin. tom. 2. diſ. 13. q. 3. num. 1.

Notandum 2. Si Prælatus Ordinis, v. g. Provincialis, vel Abbas ſolus, ſinè Conventu, ſeu Capitulo, peccatum unum, vel plura ſibi reſervavit, ea reſervatio, mortuo, vel depoſito Prælato reſervante, ceſſat, quia cenſetur eſſe facta ſolùm per modum ſententiæ, ſeu præcepti, quod mortuo mandante exſpirat; non autem habere vim ſtatuti, quod perpetuò durat, juxta Gloſſ. receptam in c. 2. V. Statuto; de conſtitut. in 6. Laym. de juriſd. Ordin. concluſ. 128. Quemadmodum etiam, ſi Epiſcopus ſolus, abſque Synodo, ſibi peccatum reſervet, eo mortuo, extinguitur reſervatio: ſecus eſt, ſi reſervatio facta ſit ab Epiſcopo, non per modum præcepti, ſed per modum ſtatuti perpetuò duraturi, ut quia peccatum, cum conſenſu, & conſilio Capituli, etſi extra Synodum, ſibi, & Succeſſoribus ſuis, aut Sedi Epiſcopali reſervavit; tunc enim mortuo Epiſcopo, non exſpirat reſervatio, niſi à Succeſſore, vel Capitulo, Sede vacante, fuerit revocata. Quarant. in ſumma Bull. V. Caſus reſervati in fine. Laym. c. l. ubi addit, in dubio præſumendum eſſe, quòd Epiſcopus voluerit reſervationem facere ſolùm per modum præcepti.

CXXXIII. Aſſertio 4. In genere loquendo, poteſt Abbas, ſeu Prælatus Ordinis cum ſuis ſubditis in obſervatione regulæ diſpenſare, quatenus id à Jure, vel Regulâ, vel conſuetudine, vel privilegio eſt conceſſum. Sic poteſt Abbas Regulam relaxare ob cauſam juſtam, in abſtinentijs, & eſu carnium, jejunijs; ſilentio, & operibus manuum, quæ alioqui ex præſcripto Regulæ Monachi, ſeu Religioſi ſervare debent: imò generaliter in omnibus ad Regulam ſpectantibus, præterquam in ijs, quæ ad habitum, trium votorum obſervationem, & Religionis ſubſtantiam pertinent. Azor p. 1. Inſtit. lib. 12. c. 20. quæſt. 16.

CXXXIV. Aſſertio 5. Jure communi Canonico, ad Abbatem, ſeu Prælatum ſpectat libera adminiſtratio Monaſterij, ſeu Congregationis Regularis, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, ita, ut ſolus, & independenter à Capitulo, ſeu Conventu, Regulares ſuos corrigere, & ſolus ordinare poſſit ea, quæ ad cultum Divinum, & bonorum temporalium diſpenſationem in Monaſterij utilitatem pertinent, ut docet Abb. in c. Reprehenſibilis; 26. n. 11. de appell. & in c. Edoceri; 21. num. 2. de reſcript. & ibid. Imol. num. 2. Navarr. in Comment. 3. de Regularib. num. 4. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 26. n. 2. Idque ſumitur ex c. Nullam; 9. cauſ. 18. q. 2. ubi Pelagius Papa ſcribit: *Univerſa, quæ vel ad Divini cultûs reverentiam, vel ad utilitatem Monaſterij pertinent, Abbatis ſolicitudo, ad quem tota poteſtas pertinere convenit, debeat adimplere*, ubi Gloſſ. V. Tota; ait, quòd tota poteſtas ita pertinet ad Abbatem, ut non ad Monachos: idem habetur in c. Non dicatis; 11. §. Cùm hujus; cauſ. 12. q. 1. & in cit. c. Edoceri; dicitur, quòd *Abbates ex officio ſuo teneantur congregationum ſuarum negotia, procurare.* rationem dat Suar. c. l. n. 3. quia neceſſarium fuit hanc poteſtatem gubernandi alicui committere, quia non poterat per totam communitatem adminiſtrari, ergò maximè debuit committi Prælato, ut debitus ordo, & perfecta obedientia in omnibus ſervaretur. Ex quo colligitur, quòd Prælatus Regularis, non tantum dependeat in rebus gerendis à ſuo Conventu, quantùm Epiſcopus à ſuo Capitulo, quia ipſa Ordinis Regula, maximè propter votum obedientiæ, Abbati, ſeu Prælato Regulari plenam ſuper Regulares ſuos, & Monaſterium poteſtatem tribuit. Abb. in cit. c. Reprehenſibilis; num. 11. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 159.

CXXXV. Porrò, quod dictum eſt de Abbatibus, ſeu Prælatis Regularibus, quòd plenam, tam in perſonas, quàm in res Monaſterij poteſtatem, & liberam earum adminiſtrationem habeant, limitari debet 1. Niſi, vel per conſuetudinem, vel per ſtatutum Ordinis introductum, aut diſpoſitum ſit, ut Prælatus ſaltem ea, quæ gravia ſunt, ſeu majoris momenti, ſinè conſenſu, vel conſilio Conventûs ſui, aut majoris, vel ſanioris partis ejus, expedire non poſſit. Quare in hac re inſpiciendum eſt, quid in quovis Monaſterio, vel per ſtatuta ordinatum, vel conſuetudine receptum ſit. In dubio tamen de Jure communi ſtat præſumptio pro Abbate, cùm ipſi plena, & libera adminiſtratio, ſecundùm Canones, ſit conceſſa. Laym. cit. concl. 129. & in cit. c. Edoceri; 21. n. 5. de reſcript. 2. Non poteſt Abbas, ſeu Prælatus Regularis ea, quæ in præjudicium Conventûs cedere poſſe videntur, ut eſt v. g. Monachorum receptio, ſolus, ſinè ejuſdem Conventûs, vel

majo-

majoris ejus partis conſenſu, expedire. Idémque dicendum, ſi agatur de ijs, quæ ad ſtatum, ac honorem Eccleſiæ, vel Monaſterij ſpectant, v. g. de ipſius ſubjectione, aut membrorum ejuſdem. Imola in cit. c. Edoceri; n.5. & Laym. ibid. n.6. 3. Denique quod dictum eſt, ſecundùm Canones, plenam, ac liberam adminiſtrationem rerum Monaſterij competere Abbatibus, ſeu Prælatis Regularibus, id intelligendum eſt de ijs Monaſterijs, quæ ex antiqua inſtitutione, etiamſi ejuſdem Regulæ, & Ordinis ſint, jura tamen, & bona omnino diviſa, & ſeparata habent, ita, ut non habeant unum Generalem Præpoſitum, ſeu Caput, cui, quoad adminiſtrationem illorum bonorum, ſint ſubjecti, in his enim tota poteſtas adminiſtrandi eſt penes Prælatum; ut ſuprà dictum. Verùm aliud obtinet in alijs Religionibus, nempe Mendicantium, quæ habent unum Generalem Præſulem, ſeu Præpoſitum, ita, ut immediati, ſeu locales Prælati, videlicet Priores, Guardiani, Rectores ſubordinati ſint, & ſubjecti Provincialibus, Provinciales verò uni Generali totius Ordinis; à quo omnes, non ſolùm ſubditi, ſed etiam ſubordinati Prælati, tanquam unius Corporis, ſeu Congregationis membra dependent, tam quoad juriſdictionem exercendam in ſubditos Regulares, quàm quoad Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Collegiorum, & jurium, ac bonorum adminiſtrationem; in his enim Religionibus, quam Prælati ſubordinati, videlicet Provinciales, & Prælati Conventuales, ſeu Locales juriſdictionem habeant in perſonas, vel quam poteſtatem adminiſtrandi bona, id ex uniuſcujuſque Religionis Conſtitutionibus, Conſuetudinibus, & privilegijs colligi poterit. Laym. in cit. c. Edoceri; n.7.

§. III.

De Abbatiſſarum, ſeu Præpoſitarum Regularium officio, & poteſtate.

CXXXVI. Aſſertio 1. Abbatiſſæ, Præpoſitæ, ſeu Prioriſſæ Regulares, propriè loquendo, ſpiritualem, & Eccleſiaſticam ordinariam juriſdictionem non habent, ideóque excommunicare, vel alias propriè dictas cenſuras inferre non poſſunt, nec ab illis abſolvere, neque etiam, unà cum toto Conventu ſuo, propriam legem, vel ſtatutum condere, ut ex communi Theologorum, & Canoniſtarum ſententia docet Gl. in c. Dilecta; 12. V. Juriſdictioni; de majorit. & obed. Sylveſt. V. Abbatiſſa; num. 1. Suar. tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. c. 12. num. 8. Etſi verò mulieres ſunt incapaces juriſdictionis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ, ejus præſertim, quæ pertinet ad Claves Eccleſiæ, per quas traditur poteſtas ligandi, & ſolvendi, quia etiam à civilibus officijs jure Cæſareo excluduntur, l. 1. §. 1. ff. ad SC. Vellelan. Gloſſ. in cit. c. Dilecta; V. Juriſdictionis; nihilominus tamen habent tales Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ, ex commiſſione, ſeu delegatione Prælatorum Eccleſiæ, uſum quendam, ſeu exercitium ſpiritualis juriſdictionis in Moniales ſuas, imò etiam in Clericos beneficiarios, ita, ut non ſolùm beneficia conferre, ſed etiam Clericos, in parochijs, & alijs beneficijs pleno jure ſibi ſubjectis, inſtituere poſſint, adeóque etiam quodammodo Prælatæ dici poſſunt. Gloſſ. in cit. c. Dilecta; V. Juriſdictioni; Sylveſt. V. Abbatiſſa; n. 3. quod tamen intelligi debet de inſtitutione, per quam datur titulus, & poſſeſſio, non autem de inſtitutione auctoritativa, per quam datur poteſtas ligandi, & ſolvendi, & cura animarum, nam hujus poteſtatis non eſt capax mulier, & conſequenter eam alijs dare non poteſt. Sylveſt. c. l. num. 5. ubi n. 6. & 7. addit, quòd Abbatiſſæ etiam præcipere poſſint ſuis Presbyteris beneficiarijs exiſtentibus in Capellis, pleno jure, ad Moniales, ex privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcriptâ, pertinentibus, ut excommunicent Moniales contumaces, & delinquentes, & eas abſolvant, dummodo tales Presbyteri poteſtate excommunicandi, ex ſpeciali, vel generali conceſſione Epiſcopi, vel Papæ, ſi Monſteria ſint exempta, prædìti ſint. Alij tamen, ut Abb. in cit. c. Dilecta; num. 2. Azor p. 1. lib. 13. c. 10. quæſt. 5. dicunt ſimpliciter, Abbatiſſam eſſe capacem juriſdictionis ſpiritualis, nam, ſicut fœmina, ratione dignitatis, vel muneris, eſt capax juriſdictionis civilis, ut Regina, Duciſſa, vel Comitiſſa: ita etiam Abbatiſſa, ratione publici officij, jus habet inſtituendi Clericos in Eccleſijs ſuo Monaſterio pleno jure ſubjectis, & beneficia conferendi, quæ cùm ſit annexa perpetuò Abbatiæ, cui præeſt, cenſenda eſt ordinaria. Et hæc quoque ſententia eſt probabilis.

CXXXVII. Aſſertio 2. Abbatiſſa, ſeu Præpoſita Regularis, non tantùm habet poteſtatem dominativam, ſeu gubernativam temporalem, ſeu politicam, aut domeſticam adminiſtrandi, & regendi Monaſterium in temporalibus, ſicut quævis materfamilias; ſed etiam poteſtatem gubernandi ſpiritualem in ſuas Moniales obtinet, ita, ut ſpiritualia præcepta, ſeu in ordine ad finem ſpiritualem, eis imponere, atque ratione voti obedientiæ ſibi tanquam Præfectæ, ac Matri ſuæ ſpirituali præſtiri, ſi res poſtulet, etiam in virtute S. Obedientiæ, ipſis, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, & Regulæ conformia ſunt, præcipere poſſit; & Moniales ipſi ex Religionis virtute, ſive vi voti, in conſcientia, & ſub peccato obedire teneantur, ut docet Azor l. 13. c. 10. quæſt. 7. & Suar. tom. 3. lib. 10. c. 11, n. 20. & tom. 4. tr. 9. lib. 1. c. 12. n. 9. Ratio eſt, quia Abbatiſſa talis fungitur munere publico, eique Moniales, vi profeſſionis emiſſæ, parêre coguntur, & in eam Superiores Ordinis illius Regularis, in quo verſatur, eam poteſtatem tranſtulerunt. Etſi contrarium teneat Rodriq. tom. 1. qq. regul. quæſt. 15. art. 1. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 1. num. 21. & 30. Non eſt autem ad hanc poteſtatem exercendam in Moniales, ex parte Abbatiſſæ, neceſſarium, ut ſit benedicta, niſi ubi juxta Regulam, vel conſuetudinem, id requiritur, juxta Clement. 2. de ſtatu Monach. alioquin ſufficit, quòd ſit legitimè electa, & confirmata in ſuo munere. Suar. cit. c. 12. n. 10.

CXXXVIII. Notandum hîc præterea 1. Juriſdictionem ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam differre à poteſtate gubernativa ſpirituali, quæ quidem in viris aliquando conjunctæ eſſe poſſunt, ut in Prælatis, qui habent juriſdictionem ſpiritualem, ſeu poteſtatem ligandi, & ſolvendi, quæ directè, & proximè, non à voventibus, ſeu profeſſione in Religione emiſſâ,

ſâ,

ſâ, ſed à Superioribus Eccleſiæ Prælatis, ipſóque S. Pontifice, convenienter derivatur; ſed præter hanc, habet Prælatus etiam poteſtatem gubernativam ſpiritualem, per quam Regularibus ſubditis, ratione voti obedientiæ, ſibi, tanquam Patri ſpirituali præſtiti, præcepta ad ſalutem animæ ſpectantia imponere, & eis præcipere poteſt, in virtute S. Obedientiæ. Quòd ſi Laicus, vel Clericus ſecularis obedientiam voverer Confeſſario, tanquam ſuo ſpirituali patri, tunc hæc poteſtas gubernativa ſpiritualis ſeparata eſſet à poteſtate juriſdictionis ſpiritualis, quia Confeſſarius poſſet quidem illi præcipere opera ſpiritualia, in ordine ad animæ ſalutem, v.g. ut certis diebus jejunet, eleemoſynam det &c. non tamen poſſet eum excommunicare, vel in votis ejus diſpenſare, &c. ob defectum juriſdictionis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ in illum, cùm non ſit ejus Prælatus. Layman. in cit. c. Dilecta; num. 4. Quod verò attinet ad Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas, illæ præter poteſtatem gubernativam ſpiritualem, habent ſaltem aliquem uſum, ſeu exercitium juriſdictionis ſpiritualis, ita tamen, ut illa poteſtas ſubordinata ſit alicui Prælato ejuſdem Ordinis, & ab eo multùm dependeat, ut ex uſu, & praxi Eccleſiæ conſtat. Suar. cit. c. 11. num. 20. ubi addit, ad cognoſcendum, quanta ſit poteſtas in ſingulis Abbatiſſis, indagandum eſſe, quæ ſint ſpecialia ſtatuta, & propriæ conſuetudines uniuſcujuſque Religionis, vel Monaſterij.

Porrò, ſi Moniales obedientiam voveant, non Prælato Regulari, ſed Epiſcopo, ſive in illius manibus profeſſionem edant, inde colligitur, juriſdictionem quoque ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam Epiſcopo in illas competere, alioqui enim votum obedientiæ ſibi fieri non permitteret Epiſcopus. Laym. de juriſdict. Ordin. concl. 134.

Notandum 2. Non tantùm Abbatiſſæ Regulares, ſed etiam Seculares poteſtatem gubernativam, & exercitium alicujus juriſdictionis ſpiritualis, præter adminiſtrationem in temporalibus, habent in Canonicas ſuas itidem Seculares, ut colligitur ex cit. c. Dilecta; ibi: *Canonicas ſuas* de majorit. & obed. quales plures reperiuntur in Germania, quæ nullam profeſſionem emittunt, nec proprijs facultatibus renunciant; imò etiam matrimonium adhuc contrahere poſſunt, ut notat Gl. ibid. V. Canonicas.

SECTIO V.

DE OFFICIO, ET POTESTATE PAROCHI.

Nullibi quidem in toto Corpore Juris Canonici, vel Libris V. Decretalium extat proprius Titulus de officio, & poteſtate Parochi: quia tamen ipſi quoque Parochi ſunt Judices ordinarij, ſeu curam animarum habent, & ordinariam juriſdictionem ſpiritualem, ſaltem in foro interno, ſeu conſcientiæ, exercent in ſuos parochianos, ideo rectè, & convenienter de eorum officio, & poteſtate hoc loco, & Titulo agitur.

***

§ I.

De Parochis, ſeu Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, eorúmque officio, & poteſtate in communi.

CXXXIX. Quæritur 1. Quinam ſint, & dicantur Parochi? Reſp. Parochi dicuntur illi Sacerdotes, qui auctoritate Epiſcoporum, Eccleſijs ſunt præfecti, ut plebibus, ſive populis ſacrum Divini verbi, & Sacramentorum pabulum ad paſcendos animos ſubminiſtrent. Azor p. 2. l. 3. c. 12. q. 1. Dicitur autem Parochus à Parochia, ſeu Parœcia, ſicut & Parochiani, ſeu Parœciani, ut tit. de Parochiis. Parochia autem eſt locus Parocho commiſſus, in quo degit populus alicui Eccleſiæ deputatus, certis finibus limitatus. Card. Tuſchus lit. P. concl. 94. num. 1. Appellantur autem Parochi etiam Rectores à regenda Eccleſia, & animabus eidem ſubjectis, quia plebem, & populum ſibi commiſſum cum cura regunt; c. 1. de Capell. Monach. c. Ut quiſque; 3. de vita, & honeſt. Cleric. eorúmque beneficium Rectoria dicitur: item Curiones, ſive Curati à cura, quam de regendis ovibus ſuſceperunt, vel Presbyteri parochiales. Clem. Dudum; §. Cæterùm; de ſepult. Clem. 1. de privil. & alibi ſæpe: vel Cardinales, c. 2. de offic. Archipresbyt. Vocatur etiam cujuslibet Parochiæ Rector proprius Sacerdos, c. Omnis; 12. de pœnit. & remiſſ. quia ipſe ſolus, ex neceſſitate, & obligatione Sacramenta adminiſtrat. Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 13. de reform. is verò, qui in Eccleſia Monachorum curam animarum exercet, Capellanus dicitur, c. 1. de Capell. Monach. Denique Parochi appellantur etiam Plebani à plebe, vel populo, cujus curam gerunt, c. fin. Ne Clerici, vel Monachi, et c. 1. eod. in 6. Plebs autem hic accipitur pro omnis generis populo, non autem pro fæce, ſeu vulgo populi: non enim tantùm viles, & plebeij, ſed etiam nobiles, & ſenatores, & primarij Parochiæ in ſpiritualibus Parocho ſuo ſunt ſubjecti. Gregor. Tholoſan. l. 15. Syntagm. c. 24. n. 15. quamquàm Plebani aliquando appellantur illi, qui curam exercent animarum in Plebania habente ſub ſe plures Eccleſias, vel Capellas, cit. c. 1. & ibi Gl. Ne Clerici, vel Monachi; et c. 1. eod. in 6. quæ & Matrix vocatur, quaſi mater aliarum Eccleſiarum, quas ſub ſe continet, c. Ad audientiam; 3. de Eccleſ. ædific. c. 1. de præſcript. Barb. de offic. & poteſt. Parochi c. 1. n. 4. & 5. quæ & ideo filiales Eccleſiæ dicuntur.

CXL. Quæritur 2. An Parochi habeant juriſdictionem ordinariam? Reſp. Parochi, ſpectato Jure communi, non habent ordinariam juriſdictionem in foro externo, ſed tantùm interno conſcientiæ, arg. c. De perſona; 38. junct. Gl. V. Non ab alio; cauſ. 11. q. 1. niſi ſint non ſimplices Parochi, ſeu Curati, ſed Capita aliorum, ſive Plebani, aut Decani, cujuſmodi fuit Plebanus, de quo fit mentio in c. Cùm ab Eccleſiarum; 3. h. t. cùm inter Prælatos numeretur. Quare Jure communi, & ordinario non competit Parochis poteſtas diſpenſandi in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis cum ſuis ſubditis, ſeu parochianis, quia non habent juriſdictionem ordinariam fori externi, etiam voluntariam, ad quam pertinet talis poteſtas diſpenſandi,

ſandi, neque reperitur ullum jus ullam ipſis tribuens. Poſſunt tamen ex commiſſione Epiſcoporum, vel ex conſuetudine in caſibus particularibus crebriùs occurrentibus diſpenſare in præceptis Eccleſiæ, v.g. jejuniorum, obſervatione feſtorum, quoad vacandum ab operibus ſervilibus, & audiendi Miſſam: & quidem etiam præſente Epiſcopo, ubi talis conſuetudo viget. Sanch. lib. 8. de matrimon. diſ. 9. n. 27. Suar. de legib. l. 6. c. 14. num. 11. & alij DD. communiter. quia conſuetudo dat juriſdictionem, c. Cùm contingat; 13. de foro compet. & ibi Gloſſ. V. Vel conſuetudine: quæ quidem ſervari poteſt in legibus, circa quas fuit introducta; non tamen ad alias ſimiles leges extendi debet, cùm ſit contraria juri communi, eique deroget, ideóque reſtringenda potiùs, quàm extendenda. Sanchez. & Suar. citt. loc. Sed neque Jure communi, neque etiam conſuetudine generali Parochi poſſunt diſpenſare in votis, & juramentis cum ſuis ſubditis, etiam in minoribus, v. g. brevis peregrinationis, niſi ex ſpeciali privilegio, id illis ſit conceſſum; neque etiam illa commutare. Sanch. c. l. Suar. lib. 6. De voto; c. 10. num. 11. Ratio eſt, quia diſpenſatio hæc vel commutatio eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ diſtinctæ à juriſdictione fori interni, ſive Sacramenti pœnitentiæ, qualis non eſt conceſſa Parochis, nec jure communi, nec ex conſuetudine ſaltem generali, ſed ſolùm Prælatis, qui Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali juriſdictione ſunt præditi. Abb. in c. 1. n. 7. De voto; neque poteſtas Parochis ex conſuetudine conceſſa diſpenſandi in quibuſdam legibus Eccleſiaſticis extendi debet, aut poteſt ad diſpenſandum in votis, & juramentis. Sanch. & Suar. c. l.

CXLI. Ex dictis ſequitur, quòd Parochi etiam de Jure communi, & ordinario, ſecluſo ſpeciali privilegio, aut conſuetudine legitimè præſcriptâ, non poſſint excommunicare, nec in genere, nec in ſpecie, aliáſve cenſuras ferre. Gloſſ. in c. Nemo; 11. V. Excommunicet; cauſ. 2. quæſt. 1. Abb. in c. 2. num. 10. de offic. Ordin. & in repetit. in c. Si quis; 4. num. 51. de foro compet. & eſt communis ſententia DD. apud Suar. diſ. 2. de cenſur. ſ. 2. num. 10. & diſ. 24. ſ. 1. num. 3. & colligitur ex c. 3. h. t. et c. Quærenti; 10. de V. S. & c. 1. de ſentent. excommun. in 6. ubi dicitur, excommunicationem ferendam eſſe à Judicibus, & patet etiam ex praxi Eccleſiarum: nam talis poteſtas ordinaria neque Jure Divino, neque humano Parochis conceſſa reperitur, & cùm ipſi non habeant juriſdictionem in foro externo, ſive contentioſo, ſed ſolùm in foro interno pœnitentiæ, in quo ſunt ordinarij Paſtores, & Judices, non eſt ad ipſorum officium neceſſaria hæc poteſtas. ſicut ergo in cauſa aliqua non poſſunt cum judiciali cognitione ſententiam ferre; ita neque ſententiam excommmunicationis, vel cenſuras, ad quas ferendas requiritur cauſæ cognitio. Suar. l. c. & hinc, ſi pœna, ſive cenſura, v. g. excommunicationis, aut interdicti à Lege, ſeu Canone ſtatuta, ſit ferendæ ſententiæ, non poteſt Parochus tranſgreſſorem ab Eccleſia prohibere, v. g. ob neglectam communionem paſchalem, ſed priùs rem ad Epiſcopum referre debet, niſi conſuetudine aliud in Diœceſi ſit receptum, adeóque id fiat ex tacitâ commiſſione Epiſcopi. Si verò ſit pœna, ſeu cenſura latæ ſententiæ, & delictum ſit publicum, ſeu notorium, poteſt Parochus eum, qui ipſo jure excommunicationem, v. g. incurrit, à Sacris prohibere, donec abſolutus ſit: imò debet prohibere, ſi non ſit toleratus, ſed vitandus: v. g. ob Clerici percuſſionem. Laym. de juriſd. ordin. concl. 148.

§. II.

De celebratione Miſſæ, & adminiſtratione SS. Eucharistiæ.

CXLII. Aſſertio 1. Parochi tenentur in propria Eccleſia Miſſam celebrare, per ſe, vel per alios ex juſta cauſa, ſaltem omnibus diebus Dominicis, & Feſtis: quibus populus ipſis commiſſus Rei Divinæ intereſſe debet. Azor p. 1. Inſtit. l. 10. c. 24. q. 2. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 3. n. 10. & alij DD. communiter. conſentit Concilium Tridentin. Seſſ. 23. c. 14. de reform. Etſi verò, ſpectato Jure communi ſcripto, præceptum eſſe videatur, ut parochiani diebus Dominicis, & Feſtis in propria Parochia Miſſam audiant, & non alibi, ſaltem non in contemptū proprij Parochi, vel abſque juſta cauſa, c. 2. de Parochijs; c. 4. & 5. cauſ. 9. q. 2. & expreſſiùs habetur in Extrav. 2. Sixti IV. de treug. & pace inter communes. Innocent. ad Rubr. de Paroch. & in cit. c. 2. ibid. & Joan. Andr. n. 2. nihilominus tamen illud, vel per generalem conſuetudinem eſt omnino abrogatum, vel ſaltem ei in pluribus Provincijs derogatum, præſertim in civitatibus, ubi ſunt plures Eccleſiæ, adeò, ut quis pro ſuo libitu, aut devotione, Miſſam prædictis diebus in quacunque Eccleſia, aut Oratorio etiam privato, licitè audire poſſit. Sylv. V. Miſſa; 2. q. 5. Gutier. l. 1. can. qq. c. 30. n. 21. Azor p. 1. l. 7. c. 6. q. 5. & alij. Et hinc etiam Concilium Tridentinum ait quidem, monendum populum, ut frequenter ad ſuos Parochos, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis, accedant, Seſſ. 22. in decret. de obſerv. & evitand. in celebrat. Miſſ. non autem ait, eſſe cogendum, nimirùm pœnis, aut cenſuris, juxta declarat. S. Congreg. Concil. ibid. & Seſſ. 24. c. 4. de reform. Zerola in praxi Epiſc. V, Miſſa; ad 6. quæſt. Accedit, quòd ex privilegio à Leone X. Pontifice Religioſis Mendicantibus, iiſque, qui eorū privilegijs gaudent, conceſſo, omnes Chriſti fideles utriuſque ſexûs, qui in ipſorum Eccleſijs, non contempto proprio Sacerdote, ſeu Parocho, diebus Dominicis, ac Feſtis Miſſas audiunt, præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, prout videre eſt in Compend. privil. Societ. Jeſu. V. Miſſa; §. 2. & habetur apud Barboſ. de offic. Parochi; c. 11. n. 15. Quòd ſi tamen tota, aut maxima pars Parochianorum parochiam deſereret, aut contemneret: aut, ſi res Divina, ſinè ulla cauſa juſta, & legitima, in privatis Sacellis, & Oratorijs, nullo ad id Pontificio privilegio munitis, audiretur, probabile eſt, Epiſcopis licere, ſimplici mandato, ſive conſtitutione editâ, abſque irrogatis pœnis, id prohibere. Azor cit. c. 6. quæſt. 6. quia hoc cederet in injuriam, & contemptum propriæ Parochiæ.

CXLIII. Aſſertio 2. Quamvìs ex Chriſti inſtitutione, & vi Ordinationis ſuæ, quibuſvis Sacerdotibus competat ordinaria poteſtas miniſtrandi SS. Eucharistiam populo Chriſtiano, prout ſumitur ex c. Pervenit; 39. de conſecrat. diſ. 2. & Concil.

Trid.

Trid. Seſſ. 13. c. 8. Sylv. in ſumm. V.Evchariſtia; 3. q. 4. Laym. l.5. tr. 5. c. 7. num. 1. tamen defacto illam licitè non exercent,niſi habeant ordinariam, vel delegatam juriſdictionem ad Sacramentum hoc adminiſtrandum, quia diſpenſario Sacramentorum eſt munus proprium Paſtoris,præſertim SS. Evchariſtiæ, quo fideles ſpiritualirer paſcuntur, ac proinde nemo, ſinè ordinarij Paſtoris, videlicet Parochi, Epiſcopi, vel Papæ facultate expreſſâ, vel præſumptâ, illud obire debet: excepto caſu extremæ neceſſitatis, ſi infirmo in mortis articulo conſtituto Viaticum ſit præbendum; tunc enim, ſi proprius Sacerdos abſit, vel præſens non poſſit,aut nolit SS. Cōmunionem præbere, quilibet Sacerdos ſecularis, velRegularis, vel etiam eo abſente, Diaconus id facere poteſt, ipſo Jure communi licentiam dante. Ugolin. de offic.Epiſ.c.15.§.7.num.1. Laym.c.l.n.3.in princ.& alij communiter.Barb.de offic. Paroch.c.20. n.2.& 3. Poteſt autem quilibet ſimplex Sacerdos, ex commiſſione Parochi, diſpenſare hoc Sacramentum in Eccleſia Parochiali, etiamſi ab Epiſcopo non ſit expoſitus ad Sacramenta miniſtranda, ſive ſit Sacerdos ſecularis, ſive Regularis: quia ad hoc non requiritur juriſdictio, ſeu poteſtas ad abſolvendum, ſicut ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ non poteſt committi, niſi Sacerdoti approbato, ſeu expoſito ab Epiſcopo, juxta Concil. Tridenr. Seſſ. 23. c. 15. de reform. ſed tantùm requiritur poteſtas ad diſtribuendum,& diſpenſandum Sacramentum jam confectum, quam habet etiam ſimplex Sacerdos,ut proinde approbatione Epiſcopi non egeat ad communionem dandam; neque enim ad id ea ſcientia, & prudentia exigitur in miniſtro, qualis ad abſolvendum. Emman. Rodriq. tom.1. qq. regul.q.56. art.7. Non ſolùm autem Parochus ſuis ſubditis tenetur miniſtrare Evchariſtiam, quando ex præcepto obligati ſunt communicare, ſed etiam aliàs, quoties ſubditi rationabiliter illam petunt, modò non nimis frequenter petant, ſed quatenus poſtular illorum conditio, & Sacramenti reverentia. Barboſ.cit.loc. num. 14. & 15.

CXLIV. Aſſertio 3. De Jure communi omnes Regulares Sacerdotes ipſo facto excōmunicationem incurrunt Papæ reſervatam,ſi Sacramentum Evchariſtiæ, ſinè Parochorum ſpeciali licentia, ipſorum ſubditis miniſtrent. Clement.1.in princ.de privil. ſufficit tamen, ſi Parochus det generalem licentiam ſubdito, ut Evchariſtiam recipere poſſit à quovis Sacerdote; tunc enim etiam à Religioſo illam recipere poteſt, quia talis licentia eſt etiam reſpectu illius quaſi ſpecialis, cùm non ſit veriſimile, quòd dans hujuſmodi licentiam generalem, voluerit Religioſos Sacerdotes in particulari excipere, aut ſub ea non comprehendi. Miranda in Manual. Prælat. q. 42. art. 1. Emman. Rodriq. tom.1. qq. regul.quæſt. 56. a. 1. Verùm poſterioribus temporibus, Religioſis quibuſdam, & alijs, qui cum illis privilegiorum communionem habent,privilegium à SS.Pontificibus eſt conceſſum,ut non requiſitâ licentiâ Parochi, omnibus Chriſti fidelibus SS. Evchariſtiam in ſuis templis, per ſe, vel per alios Sacerdotes, miniſtrare poſſint: exceptâ Communione Paſchali,& eâ, quæ fit in extremo mortis articulo, in quo Viaticum à proprio Paſtore fideles accipere debent, extra caſum neceſſitatis, ſi Parochus non poſſit, vel non velit illud præbere, prout videre eſt apud Mirandam cit. q. 42. a. 2. Rodriq. cit. quæſt. 56. a. 3. Compend. privileg. Societat. Jeſu V. Evchariſtia; §.2. & 3. Sed & toto tempore Paſchali, Regulares Mendicantes, ex privilegio Nicolai V. ipſis conceſſo, excepto Dominico die Reſurrectionis, SS. Evchariſtiã miniſtrare poſſunt, ſinè ſpeciali licentia Parochi loci, non tantùm peregrinis, & advenis, qui Parocho loci, per quem tranſeunt, non ſunt ſubjecti, nec obligati Sacramenta ab eo ſuſcipere; ſed etiam indigenis, qui Præcepto de Paſchali Communione, vel jam ſatisfecerunt, vel adhuc ſatisfacturi ſunt, quod in dubio de Ipſis præſumi poteſt, & debet, cùm non facilè quis ab Altari repelli debeat, quando cùm alijs accedens Communionem recipere petit. Sanch. lib.8. de matrim. diſ. 23. num. 17. Laym. cit. c. 7. n. 3. Quin imò ipſo etiam Reſurrectionis Dominico die, poſſunt Regulares Sacerdotes Evchariſtiam miniſtrare ijs, qui exiſtimantur Præcepto Paſchalis Communionis in Parochia jam ſatisfeciſſe, vel poſtea ſatisfacturi: quia per hoc juri Parochorum nil derogatur, cùm ipſo die Paſchæ abſtinere à Communione poſſint, & in hoc non tàm verba, quàm mens SS. Pontificum ſpectanda eſt, qui voluerunt, Parochianos ſemel tempore Paſchali in ſuâ Parochia communicare, ut de ſuorum ſubditorum Communione, ipſis Parochis conſtare poſſit. Laym. c. l. In praxi tamen curandum eſt, ne invitis, & contradicentibus Parochis, ipsâ die Dominicâ Reſurrectionis, in Eccleſijs Regularium Parochianis eorum Evchariſtia miniſtretur. Mirand. cit. quæſt. a. 3. in fine. Laym. c. l.

§. III.

De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum.

CXLV. Aſſertio 1. Parochus confeſſiones audire poteſt ſuorum Parochianorum ubique locorum, etiam extra propriam Parochiam, quia, cùm audire confeſſiones ſit actus juriſdictionis voluntariæ, quæ ſit ſinè cauſæ cognitione, & ſtrepitu judiciali, poteſt etiam in alieno territorio exerceri. Azor p. 2. lib. 3. c. 12. quæſt. 11. & alij communiter, arg. l. 2. ff. de offic. Proconſul. Habet autem Parochus juriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ in ſuos Parochianos, hoc ipſo, quòd parochiale beneficium obtinuit, ſinè alia approbatione Epiſcopi, ſive Ordinarij, ut colligitur ex Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 15. de reform. ibi: *Niſi aut parochiale beneficium &c.* Et ſunt ipſius juriſdictioni ſubiecti in hoc foro, non tantùm ij, qui in Parochia domicilium, ſive habitationem ad tempus non valde breve conſtituerunt, ut ſtudioſi, milites præſidiarij, famuli, & ancillæ. Sylveſt. V. Parochia; Sanch. lib. 3. de matrimon. diſ. 23. num. 12. ſed & ij, qui in duabus Parochijs domicilium habent, in quibus ſcilicet diverſis anni temporibus habitare ſolent, utriuſque Parochi juriſdictioni ſunt ſubjecti, ita, ut liberum ijs ſit in alterutrâ Parochia Pœnitentiæ, & alia Sacramenta ſuſcipere; dum-

dummodo in utroque loco per magnam anni partem habirare ſoleant, ſecus, ſi ad breve tempus tantùm. Sanch. cit. l. diſ. 24. n. 12. Laym. l. 5. tt. 6. c. 10. n. 6. & ſumitur ex l. Aſſumptio; 6. §. pen. ff. ad Municip. et c. 2. de ſepult. In Eccleſia quoque Cathedtali, quilibet ex Diœceſanis Sacramentum Pœnitentiæ, ucl & Evchatiſtiæ, ſuſcipere poteſt: quia Epiſcopus concurrit in cuta animarum cum omnibus Parochis Diœceſis. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 3. art. 3. n. 26. unde tota Diœceſis etiam Parochia appellatur c. 1. de offic. Atchid.

CXLVI. Aſſertio 2. Peregtini, & itet facientes confiteri poſſunt Parocho loci, in quo pro tempore verſantur, & ab eo Evcbatiſtiam ſuſcipere, etiam tempore Paſcbali, ſi ad propriam Parochiam non poſſint facilè accedere: idque ex tacito conſenſu ſuorum Parochotum, quod etiam conſuetudo, & praxis confitmat: dummodo de induſtria à ſuo domicilio non diſceſſetint, ut alteti confitetentur. Debent tamen domum reverſi proprio Parocho poſtulanti exhibere teſtimonium annuæ Confeſſionis, & Communionis. Laym. c. l. n. 9. & alij paſſim. Denique vagi, qui nullibi certum domicilium habent, vel confiteri debent Patocbo loci, in quo pro tempore exiſtunt, quia cenſentur quaſi incolæ illius loci, in quo motantur. Sylveſt. V. Confeſſor; 1. q. 10. & alij plures. Vel potiùs poſſunt cuivis Parocho, aut Sacetdoti approbato confiteri, & ab eo Communionem accipere, quia non eſt major ratio, cur uni potiùs Parocho ſubjiciantut, quàm alteri, cùm nullibi cenſeantur habitare, ſed ſolùm hoſpitentur, ubi verſantur, & conſequenter non habent proptium Parochum, vel Patochiam. Sancb. l. 3. de matrim. diſ. 25. n. 5. Laym. c. l. n. 7. & alij.

CXLVII. Aſſertio 3. Non poteſt Parochus alienorum Parochianorum confeſſiones audite, etiam intra ptopriæ Parochiæ limites, ſinè conſenſu expreſſo, vel tacito proprij illorum Patochi, cùm abſolutio Sactamentalis ſit actus judicialis, qui nec licitè, nec validè exerceri poteſt in enin, in quem Sacerdos ordinariam, vel delegatam juriſdictionem non habet. Azor. cir. c. 12. q. 10. & eſt definitum in Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 7. Sufficit autem aliquando conſenſus tacitus, cùm ſciente, & tolerante Parocho proprio, aliquis alteri Parocho ſua peccata confitetur. Azor. c. l. Neque vetò debet Parochus licentiam petenti alieno Sacerdoti confitendi, illam negare, ſi præſumere poſſit, ipſum juſtam ad id canſam habere. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 15. §. 8. num. 2. adeò quidem, ut aliqui non improbabiliter exiſtiment, quòd, ſi Parochus ſubdito juſtè poſtulanti licentiam alteri confitendi injuſtè deneget, ſubditus autem, ſinè periculo ſalntis, famæ, &c. ptoprio Patocho confiteri non poſſit, ipſe abſque alia facultate, alieno Sacerdoti confiteri poſſit, poſito, quòd ab Epiſcopo licentiam petere, & impetrare non valeat. Sylveſt. V. Confeſſor; 1. quæſt. 6. & alij: & videtur colligi ex c. Placuit; 3. diſ. 6. de pœnit. ubi tamen ſermo eſt de pœnirentia publica olim imponi ſolita, quæ ab uno Sacerdote impoſita ab altero mutari uon potetat, niſi manifeſtum errotem continetet; quamvìs oppoſitum probabilius videatur, excepto periculo mortis, quia aliàs multi falsò prætendentes impedimentum confirendi, poſſent ſe juriſdictioni Ordinarij ſui Paſtoris ſubtrahere, ut colligitur ex c. Omnis; 12. de pœnit. & remiſſ. ibi, *licentiam priùs poſtulet, & obtineat, &c.* Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. n. 3, & alij apud eundem citt. Potrò regulariter ei, qui alienum Sacerdotem accedit, aſſerens, ſe licentiam habere à ſuo Parocho alteri confitendi, fides adhibenda eſt, juxta Extravag. 1. §. Super confeſſione; de privil. inter comunes. niſi ſit excommunicatus, vel nororius peccator. Gl. pen. in cit. c. Placuit; quia nemo præſumi debet ita eſſe immemot ſalutis ſuæ, ut cum mendacio accedat ad pœnitentiam. Ugolin. c. l. o. 3.

Non ſolùm autem, quando Parochiani ex præcepto confiteri tenentur, ſed etiam aliàs Parochus obligatus eſt ad confeſſiones ſubditorum ſuorum excipiendas, quotieſcunque illi juſtam confitendi cauſam habent, & oppottuno tempore, ac loco confiteri petunt, quia non debet ſubtrahere ea, quæ ad commodum ſpirituale ſubditorum ſuorum ſpectant. Ugolin. c. l. n. 8. Laym. c. l. n. 2.

CXLVIII. Cætetùm ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, poſſunt Sacerdotes Regulares Mendicantes ab aliquo Ordinario approbati, & à ſuis Supetioribus ad audiendas Confeſſiones expoſiti, ac deputati, & qui cum illis in privilegijs communicant, confeſſiones omnium Chriſti fidelium excipere, licentiâ ſuorum Rectorum, ſeu Parocborum minimè requiſitâ. Emman. Rodriq. tom. 1. qq. tegul. q. 60. a. 4. Mirand. in Man. Præl. q. 54. a. 14. & conſtat ex Bulla Pauli III. Societati Jeſu conceſſa, anno 1549. pag. 48. idque quovis tempore, quia ſinè omni limitatione temporis, & exceptione alicujus confeſſionis, hoc privilegium eſt illis conceſſum. Quare non ſolùm imperitè, ac indiſcretè, ſed etiam illicitè agunt illi Parochi, qui, eò quòd ex Præcepto generalis Concilij Lateranenſis, omnes utriuſque ſexûs fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerunt, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, confiteri proptio Sacerdoti tenentur, c. Omnis; 12. de pœnit. & remiſſ. prohibent ſuis Parochianis, ne banc annuam confeſſiouem apud privilegiatos Confeſſarios peragant. nam non ſolus Parocbus eſt proprius Sacerdos, ſed etiam Epiſcopus eſt Ordinarius totius Diœceſis Paſtor, & Judex, ut colligitur ex c. Inter cætera; 15. de offic. Ordin. & habetur in c. Cùm Epiſcopus; 7. ench in 6. & Papa eſt generalis totius Orbis Chriſtiani Epiſcopus, & Paſtor. Gl. fin. in c. ult. de pœn. in 6. & Ordinarius Ordinatiorum, c. Cuncta; 17. et c. ſeq. et c. ult. cauſ. 9. q. 3. ſicut ergo confeſſio annua fieri poteſt Parocho, vel, de licentia ejuſdem, alteri Sacerdoti, cit. c. Omnis; vel etiam ipſi Epiſcopo, aut alteri Sacerdoti ab ipſo delegato: ita etiam poteſt fieri delegato ab ipſo Papa, qui etiam proprius eſt Paſtor, etſi communis, & univerſalis: Confeſſatij autem privilegiati audiunt confeſſiones omnium fidelium, tanquam delegati Papæ, adeóque de licentia ſummi Sacerdotis, & Paſtoris ordinarij. Neque refert, quòd non poſſit privilegium concedi in alterius præjudicium, vel in dubio non ita illud interpretati oporteat: nam per privilegium Religioſis quibuſdam conceſſum audiendi Confeſſiones omnium fidelium non fit præjudicium inferioribus Paſtoribus ordinarijs: non enim infertur præjudicium, niſi alicui ſubtrahatur, quod in fa-

vorem

votem eius eſt indultum: juriſdictio autem, præſertim fori interni, non datur in favorem Paſtorum, ſed ſubditorum, ergo ſi ſuperiores Prælati, videlicet Epiſcopi, & ſummi Pontifices ea, quæ juriſdictionis ſunt, committant aliis, quia ita expedire videtur ad ſalutem plebis, & gloriam Dei; nullum fit præjudicium inferioribus Prælatis, aut Rectoribus. S. Thom. 3. p. in ſupplem. q. 8. a. 5. ad 1. Et hinc ipſi Parochi non poſſunt etiam impedire Regulares privilegiatos, quò minùs non petitâ licentiâ eorum, audire poſſint in domibus Confeſſiones ægrorum, quando ab eis vocantur, modò Parochos de audita Confeſſione eorundem, eodem die, certiores reddant, juxta ſententiam S. Congreg. Cardin. apud Barb. de offic. Paroch. c. 19. n. 23.

CXLIX. Aſſertio 4. Etſi Parochi non poſſint abſolvere à peccatis, & excommunicationibus S. Pontifici, aut Epiſcopis de jure reſervatis: excepto articulo mortis, in quo ceſſat omnis reſervatio, Ugolin. cit. c. 15. §. 8. n. 10. & conſtat. ex Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 7. poſſunt tamen Parochi, aliique expoſiti Confeſſarij pœnitentes in foro conſcientiæ abſolvere ab excommunicatione majore, ſi ea auctori ſuo in jure non ſit reſervata. Sylv. V. Abſolutio; 1. n. 4. & 5. Suar. diſ. 7. de cenſur. ſect. 3. n. 23. Laym. de juriſd. Ordin. concluſ. 149. & alij communiter: quia, quando Conditor Canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter nō retinuit, ſive reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. c. Nuper; 29. §. In ſecundò verò caſu de ſent. excomm. & colligitur ex communi formula abſolutionis: *abſolvo te inprimis à vinculo excommunicationis, in quantum poſſum.* Competit autem hæc poteſtas abſolvendi ab excommunicatione non reſervatâ, Parochis, non ratione muneris ſui Ordinarij, vi cuius ſicut non poſſunt aliquem cęſurâ excommunicationis ligare; ita nec abſolvere: ſed ex delegatione ipſius Juris: poteſt verò aliquis habere poteſtatem delegatam ad abſolvendum, & non ad excommunicandum, quia poteſtas delegata poteſt committi ad unum actum, & non ad alium, & generalius committitur ad eum actum, qui favorabilior eſt. Suar. cit. loc. n. 26. & 29. Ratio autem, cur talis poteſtas à jure data ſit Parochis, eſt, quia, cùm ordinariam habeant juriſdictionem abſolvendi à peccatis, ideo Eccleſia conveniens judicavit, ut etiam habeant poteſtatem ad abſolvendum à cenſuris jure laris, quando non ſunt reſervatæ, præſertim cùm excommunicatio talis ſit pœna, ut ex intentione Eccleſiæ relaxanda ſit, quando reus eſt diſpoſitus, & ſatisfactionem obtulit. c. Quâ fronte; 25. de appellat. Suar. cit. diſ. ſect. 4. n. 7. & confirmatur ex Extravag. i. §. Obſervent. de privil. inter communes. ubi Benedictus XI. ait: *inconvenientens exiſtimamus, ut à peccato abſolvat, qui excommunicationem, quæ infligitur, maximè à jure, removere non poteſt.* Porrò, ſi in aliqua Diœceſi per conſuetudinem introductum ſit, ut Parochi, & alij inferiores Confeſſarij à nulla excommunicatione majore abſolvere poſſint, ea obſervanda eſt, quia conſuetudo, ſicut dare poteſt juriſdictionem, ita & auferre. Suar. cit. ſect. 3. num. 30. & 31. Laym. cit. loc.

CL. Aſſertio 5. Sed & probabile eſt, quòd Parochi, aliique inferiores Confeſſarij à caſibus Papæ reſervatis abſolvere poſſint, qui per accidens Epiſcopales fiunt, propterea, quòd non pateat aditus ad Papam, vel eius Legatum, aut Delegatum, niſi cum magna difficultate, & mora: ſi neque Epiſcopus, vel eius Vicarius adiri poſſit. arg. c. De cætero; 11. & ibi Gl. V. Licet Diœceſano, & c. De Monialibus; 33. de ſentent. excomm. Sylveſt. V. Abſolutio; 3. & eod. verb. 4. n. 5: Suar. tom. 4. in 3. p. diſ. 30. ſect. 3. n. 8. & ſeqq. Laym. de juriſd. Ordin. concluſ. 150. nam, cùm à caſibus Papalibus, propter impedimentum adeundi Pontificem, reſervatio ablata eſt, conceditur poteſtas abſolvendi ab illis (præſtitâ cautione de parendo mādatis eius, cui excommunicatio reſervata fuit) inferioribus Ordinariis, Epiſcopo ſcilicet, & in defectum huius, etiam alteri proprio Sacerdoti. c. Nuper; 29. in fine de ſentent. excomm. idque ne reſervatio, quę prò bono charitatis introducta eſt, contrà charitatem vergat, & in periculum cedat animarum. arg. c. ult. de pœnit. & remiſs. Suar. c. l. n. 9. Semper tamen, quoties Epiſcopus, vel inferior Sacerdos, propter quamcunque neceſſitatem, abſolvit à caſu Papę aliàs reſervato, ſublato impedimento, obligatur pœnitens abſolutus ſe ſiſtere S. Pontifici, (per ſe, vel per alium) non ut iterum abſolvatur (cùm jam verè, & directè fuerit abſolutus) ſed, ut accipiat mandatum ſatisfaciendi, prout juſtitia ſuadebit, juxta c. Eos qui; 22. de ſentent. excomm. io 6.

CLI. Aſſertio 6. Ad officium Parochi etiam ſpectat, ut adminiſtret Baptiſmum ſuis Parochianis, quamvis cum eius licentiâ expreſsâ, aut rationabiliter præſumptâ, etiam alienus Sacerdos ſolemniter baptizare poſſit, ut colligitur ex c. Interdicimus; 10. cauſ. 19. q. 1. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 15. §. 6. n. 3. & alij DD. communiter. Unde graviter peccant parentes, ſi prolem ſuam Parocho alieno, abſque proprij licentiâ, baptizandam offerant, quia cooperantur peccato alieno Parochi ſine licentia proprij ſolemniter baptizantis, & Eccleſiæ ordinationi adverſantur, & jus alienum violant. Laym. l. 5. tr. 2. c. 7. n. 2. In caſu autem neceſſitatis, vel de licentia Sacerdotis proprij, non ſolùm Parochus alienus, ſed etiam Sacerdotes Regulares baptizare non prohibentur Mirand. in Manual. Prælat. q. 43. a. 1. quamvis aliàs jure communi baptizare eis ſit prohibitum, c. Placuit; 8. tit. c. 16. q. 1. niſi populus aliquis illis ſit commiſſus, tunc enim baptizare poterunt, etiam cum ſolemnitate. c. Doctos; 21. ead. cauſ. & q. Gl. in cit. c. 8. V. Placuit. Item ex Sacerdotis proprij commiſſione, ob rationabilem cauſam, factâ, poteſt etiam Diaconus ſolemniter baptizare. c. Diaconos; 13. diſt. 93. & ibi Gl. V. Abſque Epiſcopo. Laym. c. l. n. 3. non autem ipſe Parochus, ſi non ſit Sacerdos, quia poteſtas baptizādi jure Ordinatio, & ex proprio officio Paſtorali ſolis Sacerdotibus competit. Ugolin. cit. §. 6. n. 5. c. Conſtat; 19. de conſecrat. diſt. 4. licèt Parochus, etiamſi Sacerdos non ſit, poſſit poteſtatem alteri Sacerdoti delegare, committendo illi exercitium ſuæ juriſdictionis in ſubditos ſuos. Ugol. c. l. n. 7.

CLII. Aſſertio 7. Præterea Parochus, ratione officij ſui, ſubditis ſuis in gravi infirmitate conſtitutis extremam Unctionem conferre debet, ità, ut graviter peccet, ſi ſine juſta cauſa illam neget, vel differat, cum probabili periculo, ne infirmus interim decedat. Sylv. V. Unctio extrema q. 4. Laym. l. 5. tr. 8. c. 7. n. 3. & alij communiter. Sacerdos verò, vel Parochus

alienus,ſine licentia proprij Parochi, illam conferre licitè non poteſt, quia Sacramenta fidelibus miniſtrare eſt proprium officium Paſtoris ordinarij, nullus autem alienum officium,& juriſdictionem ſibi uſurpare debet,Sylveſt. c.l,Laym. cit. tr,8.c.6. num.2. Quin imò Regulares Sacerdotes,qui Clericis ſecularibus,vel laicis hoc Sacramentum,ſine ſpeciali licentia proprij Sacerdotis, miniſtrant, ipſo facto excommunicationem incnrrunt,cuius abſolutio Sedi Apoſtolicæ eſt reſervata,Clement.1. de privileg.in princ. excepto tamen caſu neceſſitatis,ſi proprius Parochus abſit,vel præſens non poſſit, aut per manifeſtam injuriam nolit extremam Unctionem conferre, neque Superior adiri poſſit pro petenda licentia; tum enim quilibet alius Sacerdos non excommunicatus, vel ſuſpenſus eam licitè poteſt miniſtrare. Laym. c. l. & alij. Denique Parochus proprius etiam aſſiſtere debet matrimonio ſuorum Parochianorum, vel alius, ſed non niſi de eiuſdem licentia. Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. de quo,ex inſtituto, ſuo proprio loco agitur.

§. IV.

De Prædicatione Verbi Dei, & Doctrina Chriſtiana per Parochos tradenda, & aliis functionibus, & obligationibus Parochialibus.

CLIII. Aſſertio 1. Parochi ex officio ſuo Paſtorali tenentur per ſe,vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, paſcere plebes ſibi commiſſas Verbo Dei. Concil.Trident.Seſſ.5. c.2. De reform. Ugolin. de offic.Epiſc.c.16.§.3.n.1.Piaſec.in praxi Epiſc.p.2. c.3.a.3.n.3. quòd ſi id præſtare negligant, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione ſe exemptos prætendant, modò re ipsâ in Diœceſi ſint, ſi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio, muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu aliàs ad ipſius Epiſcopi arbitrium, cogendi ſunt, ita, ut etiam, ſi ei expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat. Trident. c.l.

Porrò munus prædicandi non ita proprium eſt Parochorum, quin etiam competere poſſit Regularibus, non ſolùm in proprijs ſuorum Ordinum Eccleſijs, In quibus Clero, & populo,qui Epiſcopo ſubjectus eſt, prædicare poſſunt, cum licentia ſuorum Superiorum, & petitâ benedictione ab Epiſcopo, cui ſe perſonaliter ſiſtere debeut, antequam prædicate incipiant, ut habetur in Concil. Trident. c. l. & dictum ſuprà n. 91. ſed etiam, juxta privilegium Sedis Apoſtolicæ aliquibus conceſſum, extra Eccleſias, in omnibus locis, & publicis plateis. Extravag. 1. de privileg. inter communes, & extat hac de re privilegium datum Societati Jeſu à Paulo III. Pontifice anno 1545. in Bulla, cujus initium. Cùm inter cunctas: imò etiam in ipſis Eccleſijs parochialibus, & earundem filiabus, ſi Parochi conſentiant, vel Epiſcopus facultatem tribuat, tunc enim Parochi contradicere non poſſunt, niſi rationabilem cauſam allegent. Clement. 2. §. In Eccleſijs autem; de ſepult. & cit. Extravag. 1. de privileg. Suar. tom. 4. de relig. l. 9. c. 1. n. 6. Sed neque Sacerdotes ſeculares in Eccleſijs parochialibus prædicare poſſunt, ſinè licentia Parochi loci, uti ſumitur ex cit. Clem. 2. Barboſ. de offic. Parochi c. 14. num. 8. Imò Jute novo, non niſi de licentia, & cum conſenſu Epiſcopi. Concil. Trident. cit. Seſſ. 5. c. 2. & Seſſ. 24. c. 4. de reform. Ugolin. de offic. Epiſc. c. 24. §. 1. num. 5. ſi tamen aliquis jam aliàs ad prædicandum ab Epiſcopo approbatus, eſſet notus Parocho, poſſet hic illi concedere licentiam, ut unâ alterâve vice prædicaret. Ugolin. c. l.

Debent etiam Parochi, ſaltem Dominicis, & alijs feſtivis diebus, pueros in ſingulis Parochijs fidei Rudimenta docere, & doctrinam Chriſtianam Ijs exponere, &, ſi opus ſit, poſſunt Epiſcopi, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, Parochos ad id compellere. Concil. Tridentin. cit. Seſſ. 24. c. 4. Ex quo infertur, ad id Parochos gravi obligatione obſtrictos eſſe, & graviter peccare, ſi in hoc munere ſint notabiliter negligentes. Barboſ. de offic. Parochi c. 15. num. 2.

CLIV. Aſſertio 2. Sunt & aliæ functiones Parochiales, quæ à proprio Parocho fieri ſolent, ac debent, & in quibus Capellanum, ſeu quorumvis beneficiorum Rectores, & Capellani ſe immiſcere non poſſunt, eò quòd tales actus ad ipſum tantùm Parochum ſpectant, ejúſque officio ſunt annexi. Riccius in praxi tom,4. reſolut.305. cujuſmodi functiones ſunt benedictio Candelarum in feſto Purificationis B.Virgin. Cinerum in principio Quadrageſimæ, Palmarum in Dominica proxima Paſchati: item benedictio fontis Baptiſmalis, delatio Sanctiſſimi Sacramenti, & ſimiles. Idem reſol. 306. & ſeqq. Præterea ad officium Parochi pertinet denunciare Vigilias, ac dies jejuniorum, Feſta, Indulgentias, Matrimonia. Barboſ. de offic. Parochi c. 16. Debet etiam Parochus, præter librum principalem, in quo familiæ, & perſonæ Parochianorum, cum annotatione ætatis, ſint deſcriptæ, habere alios 4. libros, ſeu matriculas. Unum, in quo contineantur omnes in Eccleſia ſua baptizati, cum nominibus parentum, ſi ex legitimo matrimonio ſint nati, & patrinorum, qui eos de baptiſmo ſuſceperunt, addito die, menſe, & anno. Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim. Barb. de offic. Parochi c. 7. n. 1. & 2. ex quo probati poteſt, quòd quis ſit baptizatus, eiúſque ætas. Maſcard. de probat. concl. 672. n. 1. Menoch. l. 2. de præſumpt. q. 51. n. 3. In ſecundo libro conjugum, qui in Parochia ſua matrimonium contraxerunt, & teſtium nomina, diéſque, & locus contracti matrimonij deſcribi debent à Parocho, Concil. Trident. cit. ſeſſ 24. c. 1. de reform. Et cùm hoc præceptum tendat ad finem vitandi lites, & ut Eccleſiæ conſtet de matrimonio, obligat ſub culpa lethali. Sanch. l. 3. de matrimon. diſt. 15. n. 22. Quare ex ſolo hujuſmodi libro, mortuis teſtibus, & Parocho, abſque aliis probationibus, matrimonium contractum plenè probari poteſt: quia in hac re fides induſtriaq; Parochi fuit electa à S. Concilio Tridentino, ideóq; plena ei fides habenda eſt. Maſcard. cit. concl. 672. n. 18. & ſeqq. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg.

11.

32. n.192. In tertio libro annotandi ſunt mortui, qui in Parochia ſunt ſepulti, ex quo probatur mors, & ſepultura. Menoch.c.l.n.55. Barb.cit.alleg.n.127. & de offic. Paroch. cit. c.7.n.11.& 12. In quarto nomina,& cognomina confirmatorum, & patrinorum, nec non Epiſcopi Confirmantis, & Eccleſiæ, in qua Sacramentum Chriſmatis fuit adminiſtratum, ſunt deſcribenda, addito die, menſe,& anno. Barb.cit. c.7.n.16.

Denique ex præcepto Concilij Tridentini cit. Seſſ.24.c.12. de reform. Parochi, poſt obtentam Parochiæ poſſeſſionem, intra duos ſaltem menſes, Profeſſionem fidei emittere tenentur in manibus ipſius Epiſcopi, vel coram eius Vicario generali, alioquin fructus non faciunt ſuos. Barboſ. de offic. Parochi toto c.4.

TITVLVS XXXII.

DE OFFICIO IUDICIS.

HActenus dictum eſt de Officio Iudicum in ſpecie, tum Ordinariorum, tum Delegatorum: nunc ſequitur de officio Iudicis in communi, ad imitationem Ordinis, qui in Digeſto Veteri à Iuſtiniano obſervatus fuit, in quo, poſtquam actum eſt de ſpecialium Iudicum Ordinariorum,& Delegatorum officiis, tractatur in communi de Iuriſdictione omnium Iudicum lib.2.tit.3.

I. Pro explicatione huius Rubricæ, notandum 1. Judex ſic dictus eſt quaſi jus dicens populo, c.Forus; 10.§. Judex de V. S. qui ſcilicet juriſdictionem, ſive publicam poteſtatem habet cauſas cognoſcendi, ſeu judicandi, & ſententiam ferendi: ſicut etiam judicare eſt in cauſis decidendis jus dicere, ſive definire, quod juſtum eſt. Unde arbitri compromiſſarij propriè Judices non ſunt, quia non funguntur publicâ judicandi auctoritate,& poteſtate, ſed privatâ ſolùm, quippe conſenſu privatorum electi, qui Judicem facere nequeunt. l.Privatorum; 3.C. de juriſd. omn. jud.Barb.hîc in princ.n.6.& 7.

Notandum 2. Officium Judicis duplex eſt, nobile,& mercenarium. Nobile eſt, quòd per ſe ſubſiſtit, & nulli actioni deſervit. Mercenarium verò eſt, quòd actioni, ſcilicet merè civili, deſervit, quia illud impertire judex non poteſt, niſi ad inſtantiam actoris, ſive præcedente actione, per quam ab eo petitur, quod ſuâ intereſt, ſive quod ſibi ab altero debetur. Nobile Judicis officium rurſum duplex eſt, nam interdum Judex, motu proprio, & ex mero officio ſuo, à partibus litigantibus non adactus, nec rogatus procedit, v.g. ad inquirendum, crimina punienda, beneficia, aut privilegia conferenda: interdum verò Judex procedit ad ſupplicationem partis, quia à parte v.g. læſa eius officium imploratur, licèt nulla inſtituatur, vel etiam competat ordinaria actio, ut ſi minor, vel Eccleſia aliqua ex contractu læſa, imploret officium Judicis, ut in integrum reſtituatur, vel contractus reſcindatur, quo caſu officium principaliter imploratur, & eſt inſtar, ſive loco actionis. Abb. in c. 2.n.5.h.t. Differt autem actio ab imploratione officij Judicis, quòd actio, ex parte agentis, ſupponat jus, & ex parte eius, contra quem actio intentatur, debitum, ſive obligationem: eſt enim actio jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. princ. Inſtit.de action. At verò imploratio officij Judicis, non præſupponit obligationem aliquam, ex parte eius, contra quem imploratur, nec propriè ullum jus ex parte implorantis, ſed nititur potiùs æquitate, propter quam Judex ſuccurrere poteſt, & interdum debet: quare cùm ſit extraordinarium remedium, non niſi in defectu remedij ordinarij, videlicet actionis, cùm ea deficit, inſtitui debet. Bart. in l.1.num.12.ff. de juriſdict.omn.Judic.Imol. in c.2.n.1.& 7.h.t.& ibid. Abb.num.2.

§. I.

De duobus Caſibus ſpecialibus pertinentibus ad officium Iudicis, de quibus agitur in hoc Titulo.

II. Aſſertio 1. Officium Judicis latiſsimum eſt, ut ait Juriſconſultus in l.1.ff.de juriſd.nam, quidquid agitur in judicio, vel extra, ad ipſum pertinet, debet enim malitiis hominum occurrere, & provinciam malis hominibus purgare, ut, fusè perſequitur Hoſtienſ. in ſumm.n.1.h.t. In ſpecie verò inter cætera ad officium Judicis ſpectat, ut, ſi pars litigans idoneum advocatum, v.g. ob paupertatem, judicii imbecillitatem, adverſarij potentiam, vel ob aliam cauſam habere non poſſit: Judex (ſive Ordinarius, ſive Delegatus) ei providere debeat, prout ſtatuitur in c. Ex litteris; 1.h.t. Nam, cùm controverſia orta fuiſſet inter Abbatem, & Conventum Foſſæ novæ ex una parte, & Abbatem, ac Conventum Monaſterij Canenſis ex altera, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus, ſeu bonis Monaſterij S.Petri, quod erat pleno jure ſubiectum Monaſterio Foſſæ novæ (ideóque hoc agere poterat pro juribus illius Monaſterij tanquam ſibi ſubiecti, ut colligitur ex l. Sancimus; 21. juncta Gl. V. Epiſcopos C.de SS.Eccleſ.& c.ult.& ibi Gl.in notat.de ſucceſs.ab inteſt.ubi ait, quòd Epiſcopus poteſt agere pro Eccleſia ſibi ſubiecta, & tradit Abb.hîc n.1.) ea agitata fuit coram Judicibus delegatis, videlicet Archiepiſcopo, & Abbate S. Leonardi, coram quibus Procurator Foſſæ novæ propoſuit,

» ſuit, quòd pars iſta uon poterat habere advocatum, » ideóque Epiſcopi officium imploravit, qui conſti» tuit Magiſtrum Romanum Clericum ſuum, ad pa» trocinium in illa cauſa eidem præſtandum. Verùm » Stephanus Canenſis Monachus oppoſuit, hoc in » præiudicium eiuſdem Monaſterij factum eſſe, eò » quòd dictus R. Clericus domeſticus eſſet Archi» epiſcopi, qui erat Judex delegatus. Re hac delatâ » ad Sedem Apoſtolicam, mandavit Papa Honorius » III. ut hac exceptione non obſtante, Judices dele» gati in negotio procedant.

III. Notandum 1. Pars litigans non debet compelli ad reſpondendum in judicio, ſi non habeat advocatum, ideóque poteſt implorare officium Judicis, ut ipſi provideat de neceſſario advocato, ſi per ſe habere non poſſit: idque procedit, non ſolùm in judice Ordinario, ſed etiam delegato, ut apertè colligitur ex hoc c., in quo cauſa fuit propoſita coram Judicibus delegatis, Abb. hic n. 2. Poteſt autem advocatus hoc caſu compelli ad cauſæ patrocinium ſuſcipiendum, niſi juſtam excuſationem adferat, alioquin munere advocandi privandus erit. l. Providendum; 7. C. de poſtulando, de quo plura infrà tit. 37.

Notandum 2. Etſi Advocatus ſit ſubditus, vel familiaris, ſeu domeſticus Judicis, non ideo hic recuſari poteſt, ut colligitur ex hoc c. juncta Gl. V. Obſtante: licèt Judex, ſi ſit Dominus partis litigantis, recuſari poſſit, ut ſuſpectus. c. Cauſam; 17. c. Inſinuante; 5. ſuprà de offic. Jud. deleg. Ratio diſparitatis eſt, quia cauſa magìs ſpectat ad partem litigantem, quàm Advocatum, ideóque magìs periculum eſt, ne judex corrumpatur, ac juſtitiam ſubvertat, ſi litigans ſit ſubditus, aut domeſticùs Judicis, quàm ſi Advocatus ſit eiuſdem familiaris, aut commenſalis. Hoſtienſ. hîc & Abb. n. 6. quamvìs ſi Advocatus verſutus perpetuò aſſiſteret Judici, Superior, ſpectatâ qualitate Judicis, & Advocati aſtutiâ, arbitrari poterit, an juſta cauſa recuſandi Judicem ſubſit. Abb. c. l. & Imol. hîc n. 9. Quòd ſi Advocatus ſit Dominus Judicis, hic poteſt recuſari, quia magìs terretur, & movetur Judex auctoritate Domini ſui, quàm Dominus ad petitionem ſibi ſubiecti. Abb. hîc in fine.

Non obſtat, quòd teſtis non poſſit produci ex domo Judicis, ergo nec Advocatus, cùm teſtis atteſtetur in jure, & in facto. Nam reſpondetur, diſtinguendo, vel Judex procedit ex officio, & ſuâ ſponte; & non eſt producendus teſtis ex illius domo, ſeu familiâ, & productus ſaltem plenam fidem non facit: Vel Judex procedit ad inſtantiam, ſeu petitionem partis, & tum poteſt teſtis domeſticus ipſius produci. Abb. hîc n. 6.

» IV. Aſſertio 2. Si officium Judicis loco actio» nis imploretur, ut, cùm reſtitutio in integrum prin» cipaliter poſtulatur, tum litis conteſtatio requiri» tur: ſi verò Judicis officium imploretur incidenter » tantùm, ſive ante, ſive poſt ingreſſum cauſæ; tum li» tis conteſtatione non eſt opus: ita reſcripſit Papa » Gregor. IX. in c. Iudicis; 2. h. t.

V. Ex deciſione huius c. colliguntur duæ regulæ à DD. Prima eſt, quando officium Judicis imploratur principaliter contra certam perſonam, ita, ut neceſſaria ſit cauſæ cognitio; tum requiritur, ut poſt oblatum libellum, fiat litis conteſtatio. Ratio eſt, quia hoc caſu principaliter officium imploratum eſt, inſtar actionis, & quaſi ordinarium judicium, ideóque ſicut in aliis ordinariis actionibus, ſeu judiciis, poſt oblationem libelli, fieri debet litis conteſtatio. Gl. hîc V. Pro actione proponitur. Ubi tamen duo requiruntur, 1. ut officium Judicis imploretur contra certam perſonam, à qua aliquid petatur; nam ſi minor 25. annis v.g. petat reſtitui, non contra certam perſonam, ſed contra factum ſuum, ut liceat ei repudiare hæreditatem aditam, ex qua læſus eſt, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, ut colligitur ex Auth. ſi omnes C. ſi minor ab hæredit. ſe abſtin. & docet Gl. hîc V. Pro actione. 2. Requiritur, ut ad implorandum officium Judicis ſit neceſſaria cauſæ cognitio; nam ſi cauſa ſit liquida, & notoria, ut, ſi filius à patre alimenta petat, non eſt opus litis conteſtatione, ſed de plano procedi debet. l. Nec quidquam; 9. §. De plano. ff. de offic. Proconſ. Abb. hîc n. 10.

VI. Secunda regula eſt, quando imploratur officium Judicis, non principaliter, ſed incidenter, antè, vel poſt ingreſſum, ſeu conteſtationem litis; tum non eſt neceſſaria alia litis conteſtatio: ut, ſi quis ante litem conteſtatam petat ſibi dari Advocatum à Judice, vel, ſi omiſit aliquam exceptionem, quam non propoſuit, infra tempus ſibi præfixum: vel, ſi poſt litis conteſtationem, aut etiam poſt latam ſententiam, pars roget ſe officio Judicis admitti ad proponendam neceſſariam probationem per errorem facti omiſſam, juxta c. 3. de in integr. reſtit. Gl. hîc V. Aliàs ante. Ratio eſt, quia tunc, vel non requiritur plena cauſæ cognitio, vel ſufficit litis conteſtatio præcedens, vel ſubſequens in ipſo negotio principali, quæ extenditur etiam ad officium Judicis incidenter, ſive acceſſoriè imploratum, unâ cum ipſa actione principaliter inſtituta, cui officium mercenarium Judicis deſervit, ideóque nec litis conteſtationem expoſcit. Ant. Butrio hîc apud Vivian. in Ration. Jur. Pontif.

§. II.

Utrùm Iudex ex officio ſuo debeat iudicare, ſecundùm allegata, & probata?

VII. Certum eſt, quòd regulariter, & ordinariè Judex debet judicare, non ſecundùm privatam ſuam ſcientiam, ſed ſecundùm publicas allegationes, & probationes in judicio factas. c. Judicet; 4. & ibi Gl. V. Audit; cauſ. 3. q. 7. c. Paſtoralis; 28. §. Quia verò, junctâ Gl. V. Tenetur; de offic. Jud. deleg. l. Illicitas; 6. §. Veritas, juncta Gl. margin. ff. de offic. Præſid. Sed ardua, & gravis quæſtio inprimis eſt, quam tractant Theologi, Canoniſtæ, & Legiſtæ, an Judex poſſit condemnare eum, qui per teſtes, vel alias probationes de crimine eſt convictus, quem tamen Judex privatâ ſcientiâ certò ſcit, eſſe innocentē? Tres ſunt ſententiæ: Prima univerſim aſſerit, Judicem debere ferre ſententiam, ſecundùm veritatem, quam ipſe novit, ſive publicâ, ſive privatâ ſcientiâ, adeóque nunquam poſſe ferre ſententiam contra eum, quem certò ſcit eſſe innocentem, ita Abb. in c. Paſtoralis; 28. §. Quia verò; n. 8. in fine de offic. deleg. & alij citt. apud Covarr. lib. 1. reſol. c. 1. n. 3. fundamentum eſt, quia nunquam Judex debet judicare contra conſcientiam ſuam,

Digitized by Google

ſuam, etiam privaram. c. 1. de re judic. in 6. & Clement. 1. §. Verùm quia de hæret. at, ſicut privatus non tenetur obedire Superiori contra conſcientiam ſuam, ita nec judex judicando. Secunda ſententia eſt extremè oppoſita, poſſe, ac teneri Judicem ſemper proferre ſententiam, ſecundùm allegata, & probata in quacunque cauſa, etiam damnando innocentem, qui probatur nocens, ſi aliud medium non occurrat: hanc tenet S.Thom. 2, 2. q. 67. art. 2. Navarr. in Man. Prælar. c. 25. num. 10. Azor p. 1. Inſtit. l. 2. c. 17. num. 8. Sanch. l 6. conſil. c. 1. dub. 17. num. 11. & 15. Covarr. c. l. num. 5. Jul. Clarus in pract. crimin. §. fin. quæſt. 66. num. 2. Clavis Regia, l. 12. c. 8. num. 13. Jo. Dicaſtillo l. 2. de juſtit. tract. 1. diſ. 4. dub. 5. num. 86. Tertia ſententia media diſtinguit, quòd Judex nunquam poſſit in criminalibus condemnare ad pœnam mortis, vel mutilationis innocentem cognitum, licèt publicè probetur nocens: in civilibus verò, & criminalibus minoribus poſſit ferre ſententiam, ſecundùm allegata, & probata, contra privatam ſuam ſententiam. Ita Imola, & alij Juriſperiti in l. A Divo; 15. ff. de re judic. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 29. dub. 10. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 6. c. 2. q. 1. & eandem præfert Card. Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 37. ſect. 4. n. 45.

VIII. In hac re certum eſt apud omnes, quòd Judex teneatur omnia media probare, omnémq; diligentiam adhibere ad liberandum reum illum, quem ſcit innocentem. Veluti 1. Iterum, & exactiùs examinando teſtes, & inſtrumenta, interrogando circumſtantias loci, temporis &c. ut vel ſic falſitatem teſtium deprehendat. 2. Inquirendo cauſas, ob quas repelli poſſit accuſatio. 3. Diſſimulanter permittendo, ut innocens è carcere fugiat, modò id ſine ſcandalo fieri poſſit. 4. Remittendo cauſam ad Judicem ſuperiorem, & coram illo teſtimonium ferendo de innocentiâ Rei ſibi privatim cognitâ. 5. Reum abſolvendo per poteſtatem abſolutam, ſi Judex ſit Princeps ſupremus, cùm etiam omnino poſſit aliquando pœnam debitam condonare. Unde in praxi nón niſi rariſſimè contingere poteſt, ut Judex non poſſit liberare reum, quem certò novit eſſe innocentem, ut notat Lugo c. l. n. 41.

IX. His præmiſſis, ad quæſtionem propoſitam dicendum 1. In cauſis civilibus, & criminalibus minoribus, quando de pœna pecuniaria, vel exilij, vel privationis officiorum, aut bonorum, aut ſimili agitur, non de pœna ſanguinis, poteſt, ac debet Judex ſententiam ferre, & condemnare reum, ſecundùm publica allegata, & probata, quem ipſe privatim certò ſcit, innocentem eſſe, ſi eius innocentiam demonſtrare non poſſit. Leſſ. cit. loc. num. 84. & in hoc conſentiunt Auctores tertiæ ſententiæ cum Auctoribus ſecundæ. Ratio eſt, quia Reſpublica ex gravi cauſa, propter bonum commune, poteſt diſponere de bonis externis ſubditorum, auferendo ea illis, & transferendo ad alios, ergo probabiliter talis poteſtas à Republ. in hoc caſu conceſſa eſt Judici ad eum finem, ut ſecundùm publicas leges, & probationes judicetur, cùm ad Reipublic. pacem, & quietem plurimùm conferat, ne ordo, aut forma publicorum judiciorum pervertatur, aut impediatur, adeóque in hoc caſu juſta, & ſufficiens cauſa adeſt privandi innocentem ſuis bonis: quin imò etiam Judex poteſt reum talem cõdemnare ad pœnam infamiæ, quæ jure annexa eſt, aut ſtatuta illi crimini, quia, cùm probatus ſit criminoſus, ſaltem poſſeſſionem famæ amiſit, & cauſam infamiæ contraxit, quia etiam de fama ſubditorum Reſpubl. diſponere poteſt, non autem de vita, & membris. Leſſ. c. l. n. 85. Quamquàm probabile ſit, quòd per ſententiam ita materialiter injuſtam condemnatus non privetur re ipsâ, & in foro conſcientiæ dominio bonorum ſuorum, ſed illud retineat, cùm lex, aut ſententia injuſta etiam materialiter non obliget, neque jus conferat ei, cui per huiuſmodi ſententiam bona ſunt applicata, ideóque jus recipiendi illa à poſſeſſore, & occultâ compenſatione contra illum utendi condemnatus habet: neque enim mens Reipubl. vel Judicis eſt, per ſententiam, quæ falſis probationibus nititur, ſeu in falſa præſumptione fundatur, alicui auferre dominium rerum ſuarum. Leſſ. cit. loc. num. 84. ubi tamen excipit bona publica Reipubl. ut officia, & beneficia, quorum non ſolùm poſſeſſione, ſed etiam dominio Reſpubl. ſubditos privare poteſt.

X. Dicendum 2. Probabilius videri, quòd in cauſis criminalibus, in quibus agitur de pœna mortis, vel mutilationis membrorum, nunquam liceat Judici eum, qui ſecundùm publicas allegationes, & probationes convictus, & nocens eſt, condemnare, ſi eum privatim certò nôrit eſſe innocentem, ut tenet Leſſ. c. l. num. 78. Laym. c. l. quæſt. 1. & alij DD. ſuprà pro tertia ſententia citt. quamvis etiam oppoſitum valde probabile ſit.

Prior pars probatur 1. Quia directè occidere innocentem eſt per ſe, & intrinſecè malum, ſicut fornicari, ſive carnaliter cognoſcere non ſuam: nam ſicut Reſpubl. non poteſt alicui dare poteſtatem ad coeundum cum non ſua: ita nec poteſt alicui dare poteſtatem ad adimendam vitam innocenti, niſi Deus id jubeat. Atqui nullo caſu eſt licitum alicui cognoſcere eam, quam privatim certò ſcit, non eſſe ſuam conjugem, quamvis per legitimos teſtes probatum fuerit, eſſe ſuam, & Judex pronunciaverit, matrimonium eſſe validum, quia talis copula eſt intrinſecè mala, & fornicaria, ideóque Eccleſia nemini vult, aut poteſt facere poteſtatem talis copulæ, ut fatetur ipſe Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 39. num. 8. ergo nunquam etiam licebit alicui occidere eum, quem certò ſcit, eſſe innocentem, quamvis probetur nocens per falſa, & apparentia teſtimonia. Reſpondent imprimis Adverſarij, quòd Judex condemnans reum, quem privatim ſcit, eſſe innocentem, ſed ex publicis probationibus convictum, & nocentem, non innocentem, ſed potiùs nocentem occidat, quia judex tenetur in judicio fidem adhibere his, quæ ut judex cognoſcit, non quæ ut privatus. Deinde reſpondent, occidere innocentem non eſſe ita intrinſecè malum, ut non poſſit ex gravibus cauſis cohoneſtari, & juſtificari: ac proinde ſicut ſufficiens cauſa putatur bonũ commune, ne perturbetur Reſpubl. & via injuſtitiis aperiatur, ad hoc, ut Magiſtratus poteſtatem habeat privandi verum dominum, quantumvis innocẽtem, bonis alioquin propriis: ita, & privandi vitâ, ſive occidendi innocentem propter bonum commune. Ad inſtantiam illatam reſpondet Sanch. cit. diſ. 39. n. 12. licèt judex, ut privatus homo ſciat, reum eſſe innocentem,

centem, ut judex tamen, ſive perſona publica ſcit, eſſe nocentem, & quidem invincibiliter, ſcientiâ publicâ, non privatâ. Sicut ergo licet cognoſcere non ſuam, quam aliquis invincibiliter putat eſſe ſuam; ita etiam licet occidere innocentem, quem aliquis invincibiliter putat, eſſe nocentem. Quare probationes legitimæ delicti cauſant invincibilem ignorantiam innocentiæ in judice, quamvis privatim ſciat, reum eſſe innocentem: non item probationes valoris matrimonij cauſant invincibilem ignorantiam in conjuge conſcio nullitatis matrimonij, ſive impedimenti dirimētis: Ratio diſparitatis eſt, quia judex judicat, ut perſona publica, ideóque in judicando, nō privatâ, ſed publicâ ſcientiâ regulari debet: at verò conjunx utitur matrimonio, ut perſona privata, ideóque ſcientiâ privatâ duci debet.

Verùm difficile eſt, quomodo is poſſit habere invincibilem ignorātiam innocentiæ, qui certò ſcit, reum innocentem eſſe. Deinde quid ſi Judex ſubornâſſet teſtes ad dicendum falſum teſtimonium contra innocentem, teſtibus poſtea mortuis, poſſet Judex condemnare illum innoxium, ſecundùm allegata, & probata, quia ipſe non ut judex, ſed ut privatus homo falſitatem teſtium ſciebat, quæ ſcientia privata, ſecundùm Adverſarios, impertinenter ſe habet ad judicium publicum, & ſic hoc caſu nullum ſupereſſet remedium aperiendi veritatem, id verò videtur valde abſurdum. Lug. cit. loc. n. 43. ubi pluribus impugnat allatam reſponſionem Sanchezij, & aliorum.

XI. Probatur 2. Eadem prima pars, quia Judex debet ſequi in judicando ſcientiam publicam, & procedere ſecundùm publicas allegationes, & probationes; ſed ex præſumptione, ac hypotheſi, quòd ex veræ ſint, ſive quòd ſint media, per quæ veritas innoteſcat: ergo, quando aliunde certò conſtat Judici, illas probationes eſſe falſas, non poteſt juxta illas ferre judicium, cùm ceſſet ratio, ob quam ſecundùm illas procedere debet judex, ne ſcilicet aberret à veritate in ſententia proferenda, neque locum habere poteſt præſumptio, cùm de contraria veritate conſtat.

Reſpondent Adverſarij, quòd Judex non debet ferre ſententiam, ex probationibus falſis, quando falſitas probationum eidem, ut judici conſtat, non autem, cùm eidem privatim conſtat, nam ſufficit, quòd publica acta, & probata ſint media apta ad finem principalem, qui eſt publica obſervatio juſtitiæ, & legitimi proceſsûs judicialis, cuius finis non eſt veritas facti abſolutè, ſed cognitio veritatis publica: probationes enim in hunc finem diriguntur, ut veritas publica Judici manifeſta fiat. Quare probationes, ipſéque proceſſus, quamvis ſit contrarius privatæ ſcientiæ judicis, non tamen adverſatur, ſed valde conformis eſt fini, id eſt, publicæ veritati, quam Judices ſcrutari, & amplecti debent, unde, licèt tunc contra privatam ſcientiam judicet Judex, verè tamen judicat, ſecundùm publicam veritatem, Covarr. c. l. n. 7.

XII. Et hinc probatur etiam ſecunda ſententia, nempe Judicem poſſe, ſecundùm allegata, & probata, condemnare etiam innocentem, cuius ratio potiſſima hæc affertur, quia Judex in judicando gerit perſonam publicam, & quidem ipſius Communitatis, cui præeſt: ergo non privatâ, ſed publicâ tantùm ſcientiâ uti debet, ſive fidem adhibere ijs, quæ ſibi ut judici, ſeu ut perſonæ publicæ nota ſunt, non ijs, quæ ut privato ei manifeſta ſunt, non enim pertinet hæc ſcientia ad Judicem, qui ex publicis actis, ſeu documentis, judicare debet: & licèt ſententiam dicere debeat, juxta propriam ſuam conſcientiam, inſtructam tamen ex actorum allegatis, & probatis. Covarr. c. l. Quare, poſtquam adhibuit omnia media moraliter poſſibilia ad liberandum innocētem, profert quidem ſententiam materialiter injuſtam, adeóque materialiter injuſtum committit: ſecundùm eam tamen ſcientiam, quâ in judicando uti debet, formaliter juſtum agit, ac proinde jure ſuo utendo nemini facit injuriam. Neque dicas, impoſſibile eſt, ut quis ſcienter exerceat actum materialiter injuſtum, quin etiam formaliter injuſtum agat, & peccet. Nam reſpondetur diſtinguendo, ſi faciat ſcienter illâ ſcientiâ, quâ regulari debet talis actus, quæ in propoſito eſt ſcientia publica, verum eſt, quod dicitur; ſecus, ſi faciat ſcienter, ſcientiâ omnino impertinente ad talem actum, qualis eſt ſcientia privata reſpectu judicij publici, Jo. Dicaſtillo cit. loc. num. 91. Quare judex condemnando reum ſecundùm publica acta, & probata, quem privatim ſcit innocentem, ſcienter profert ſententiam materialiter injuſtam ſcientiâ privatâ, non publicâ, ſecundùm quam ſcienter non condemnat innocentem, & per conſequens neque committit injuſtum formaliter, ſive non peccat. Veruntamen manet difficultas, quomodo non formaliter peccet, qui ſcienter facit id, quod per ſe, & intrinſecè malum eſt, & contra juſtitiam, & nullo fine, vel circumſtantiâ extrinſecâ coboneſtari poſſe, videtur. Unde quamvis hæc ſententia ſit probabilis, præſertim propter auctoritatem DD. quia communis eſt, oppoſita tamen eſt probabilior, & confirmatur ex illo Exod. c. 23. *inſontem, & juſtum non occides, quia averſor impium.* Neque verò dici poteſt, condemnatum per teſtes ſecundùm publicam opinionem non eſſe inſontem. Nam contra eſt, quia aliorum opinio, & calumniæ non poſſunt aliquem facere ſontem, alioquin Suſanna fuiſſet ſons, ſeu nocens, cùm tamen Scriptura Dan. 13. eam vocet innocentem. Leſſ. c. l. n. 80.

XIII. Plura tamen contra hanc tertiam, & mediam ſententiam objiciuntur. Veluti 1. Illud Deut. c. 17. *in ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur.* Reſp. ibi non præcipi, quòd ſemper damnati debeat, contra quem duo teſtantur, cùm multa poſſint intervenire, propter quæ duorum teſtimonium non ſufficiat, ſed ſolùm præcipi, ne aliquis condemnetur, niſi duobus teſtibus convictus, ita, ut unus non ſufficiat, ut ibidem ſubjungitur.

Objicitur 2. Inc. Paſtoralis 28. §. Quia verò; de offic. deleg. dicitur, quòd Judex Ordinarius debet exequi ſententiam delegati, etiamſi ſciat, illam eſſe injuſtam. Reſp. Inprimis cum Gl. ibid. V. Etſi ſciat, ibi ſermonem eſſe de mero executore, qui nullâ habet cauſæ cognitionem, hic enim tenetur exequi ſententiam delegati, etſi ſciat, eam eſſe injuſtam, id eſt, contra jus litigatoris, à qua is non appellavit, ideòque videtur crimen fateri, & cadere jure ſuo. Non poteſt tamen exequi ſententiam, quam ſcit eſſe nullam,

quia

quia lata per inſtrumenta falſa, vel per dolum adverſarij, & ſic textus favet potiùs noſtræ ſententiæ. Deinde ibi non eſt ſermo de pœna mortis, vel mutilationis, quam non cognoſcit Judex Eccleſiaſticus propter irregularitatem, imò quæ neque innocenti inferri poteſt ab ulla poteſtate humana, cùm nullus Princeps habeat dominium ſupra vitam, & membra ſubditorum, ut ea innocentibus adimere poſſit. Alias verò pœnas, ſive civiles, ſive criminales minùs graves poteſt Judex inferre per ſententiam, ſecundùm allegata, & probata, juſtam, quia Princeps habet dominium ſuper alia bona, quibus huiuſmodi pœnæ privant: & de his ibi eſt ſermo, ut mandentur executioni ab Ordinario, juxta ſententiam delegati.

Objicitur 3. Judex tenetur ſententiam ferre ex probationibus actorum, adeóque ſecundùm notitiam publicam, etiam contra privatam, eámque certam ſcientiam, quia judicat, ut perſona publica, non ut privata. Reſp. Hinc ſolùm ſequitur, quòd Judex non poſſit ex privata ſcientia per ſententiam definitivam condemnare, & abſolvere, non tamen ſequitur, quod teneatur condemnare, ſecundùm publicam ſcientiam, quando certò ſcit, illam eſſe falſam, & injuſtam. Leſſ. c. l. num. 88. Itaque tunc demum tenetur ex actis, & probatis ſententiam ferre, cùm aliunde certò de veritate contraria ipſi non conſtat.

Objicitur 4. Sic occaſio præberetur judicibus, ut pecuniâ corrupti, nollent reum per juridicas probationes convictum condemnare, dicentes, quòd non poſſint ſententiam condemnatoriam ferre, contra eum, quem certò ſciunt, eſſe innocentem. Reſp. Inprimis idem, vel majus periculum eſſe in Reipubl. ex falſis depoſitionibus teſtium contra innocentem. Deinde hoc periculum non habet locum, quia in foro externo ipſi Judici, reum publicè convictum eſſe innocentem, non debet fides haberi, niſi id probet, ſed potiùs puniendus eſt, propter publicæ juſtitiæ ordinem, ſeu proceſſum non ſervatum, unde non facilè ei periculo ſe exponet, niſi propriâ conſcientiâ urgeatur.

Objicitur 5. Licitum eſt aliquando interficere innocentem, ob bonum commune, ut in oppugnatione arcis, in qua plures ſunt innocentes: ergo etiam licitum eſt Judici condemnare ad mortem innocentem, ob bonum publicum, ut ſervetur ordo judiciorum. Reſp. neg. conſ. quia priore caſu non intenditur directè occiſio innocentis, ſed occupatio arcis, ex qua per accidens, & indirectè, contra voluntatem oppugnantis ſequitur mors innocentis; in propoſito verò directè, & immediatè judex intendit innocentem occidere, dum eum cõdemnat ad mortem, quod propter nullum finẽ, nec propter bonum publicum unquam directè intendere licet. Inſtabis, qui occidit furioſum, vel ebrium, directè occidit innocentem, ergo in aliquo caſu, & multò magis propter cõmune Reipubl. bonum, licebit etiam directè occidere innocentem. Reſp. licitum eſſe etiam directè occidere innocentem, ob neceſſariam vitæ propriæ defenſionem, quia vim vi repellere jure naturæ conceſſum eſt.

Objicitur 6. Si Judex in judicando ſequi debet potiùs privatam ſuam ſcientiam, quàm aliorum teſtimonia, tum ſequitur, quòd plus debeat credi Judici, ut teſti, qui tamen teſtis eſſe nequit, & unicus eſt, fallique poteſt, quàm duobus, vel tribus teſtibus, qui verè teſtes ſunt, & publicè prò legitimis habentur, quod eſt contra rationem, & Reipubl. perniciosum. Reſp. aliud eſt, Judicem poſſe judicare, ſecundùm privatam ſuam ſcientiam, contra publica teſtimonia, & probationes, quod non niſi rariſſimè poteſt Judex, ut poſtea dicetur: aliud eſt, poſſe non judicare contra privatam ſuam ſcientiam, propter publica allegata, & probata, id quod Judex poteſt, nam, quamvìs contra rationem ſit, credere magìs uni teſti, quàm duobus, non eſt tamen contra rationem credere magìs ſibi ipſi, quàm mille teſtibus, poſito, quòd quis non nudam fidem, ſed certam ſcientiam, ſive evidentiam rei habeat, quæ prævalet mille teſtibus, qui ſolùm fidem faciunt, non evidentiam rei. Lugo c. l. n. 46. apud quem alia adhuc objectio deſumpta ex notitia Sacramentalis Confeſſionis videri poteſt. c. l. n. 47.

Porrò, quod Abbas ſuprà citatus aſſerit, judicem nunquam poſſe judicare contra conſcientiam ſuam privatam, nec quidem in cauſis civilibus, & criminalibus minoribus, ídque probare vult ex c. 1. de ſent. & re jud. in 6. in quo inhibetur judicibus condemnare illum, quem æterni Judicis tribunal non condemnat, & ex Clem. 1. §. Verùm de hæretic. id ex ijs textibus non evincitur, quia in illis agitur de Judice iniquè gravante alteram partem, ut notat Zoeſ. in Comment. tit. 1. l. 5. Decret. n. 49. & 51. Et quamvìs privatus non debeat agere contra ſuam conſcientiam, tamen Judex habens publicum officium, non ſecundùm conſcientiam privatam, ſed ſecundùm acta publica judicare debet, prætérquam, ſi agatur de occiſione, vel mutilatione hominis innocentis, quæ eſt per ſe, & intrinſecè mala, ut ex dictis patet.

XIV. Ex hactenus dictis infertur 1. quòd ſequendo tertiam ſententiam ſuprà poſitam, quando agitur de neciſione, ſive mutilatione hominis innocentis, ſicut Judex non poteſt condemnare reum, quem ſcit innocentem: ita neque executores, ſeu miniſtri Judicis talem ſententiam exequi poſſunt, quia id eſt intrinſecè malum. Leſſ. cit. c. 29. n. 83. Sequendo verò ſecundam ſententiam valde quoque probabilem, miniſtri juſtitiæ poſſunt exequi ſententiam mortis, vel mutilationis latam contra reum, quẽ aliunde ſciunt eſſe innocentem, ſed tamen juxta probata eſſe legitimè condemnatum; dummodo nõ poſſint commodè ſe excuſare ab executione talis ſententiæ, quia cùm Judex tali caſu juſtè præcipiat, ſecundùm acta, & probata, miniſtri obedire debent, non obſtante ſuâ privatâ notitiâ oppoſiti. Sanch. in conſil. l. 6. c. 1. dub. 18. n. 4. quia ipſorum non eſt diſcutere Superioris ſententiam, nec ipſi occidunt innocentẽ, ſed Judex, cui exhibent miniſterium. Excipi debet, etiam juxta ſecundam ſententiam, niſi ſententia Judicis condemnantis innocentem contineat manifeſtam injuſtitiam, aut errorem intolerabilem, tunc enim non debent miniſtri illam exequi, aliàs excuſarentur Carnifices, qui Martyres occiderunt. S. Thom. 2, 2. q. 64. a. 6. ad 3.

Infertur 2. Procedendo ſecundùm tertiam, & mediam ſententiam, tenetur Judex (idem eſt de executoribus, ſeu miniſtris) cedere officio ſuo, ſi aliter non poſſit declinare condemnationem innocentis, quippe quæ intrinſecè mala, ideóque omnino vitanda eſt.

Juxta ſecundam verò ſententiam, probabilius eſt, Judicem non teneti ad medium adeò difficile, quale eſt relinquere officium, neque cum tanto ſuo diſpendio, tueti vitam innocentis, qnando ipſe non eſt in culpa, ſed alij: præſertim ſi idem damnum ſubiturus ſit teus ab alio Judice. Sanch.cit.c.5.dub.17.n.14. Si autem ſpes eſſet, abdicationem officij profuturam innocenti, rum deberet id relinquere, cùm juxta ordinem charitatis, debeat quis, pro liberando proximo extremè indigente, etiam cum dettimento aliquo ſuorum bonorum temporalium, ei ſnbvenire, ergo etiam pro ſervanda vita innocentis: niſi in graviſſimum damnũ Judicis abdicatio cederet, ut ſi ſummæ dignitati, vel regno renunciandum foret; tum enim non teneretur cum tanto detrimento. Lug.cit.d.37.ſect.4.n.47. ubi addit, quòd alij miniſtri inferiores rariùs teneantur dimittere officium, quàm Judex, ſequendo ſecundam ſententiam, quia ferè nunquam illa abdicatio reo proderit.

X V. Altera quæſtio priori annexa eſt, an poſſit Judex, vice verſâ, condemnare eum, quem privatâ ſcientiâ certò novit eſſe nocentem, licèt publicè probetur eſſe innocens, vel ſaltem non nocens.

Ad hanc quæſtionem dicendum 1. Sicut Judex inferior non poteſt abſolvere innocentem, quàm diu is ſecundùm pnblicas probationes nocens apparet: ita neque poteſt condemnare reum, antequam, vel per legitimas probationes convictus de crimine, vel ſponte in judicio confeſſus ſit, qnamvìs Judex privatâ ſcientiâ certò ſciat, enm reum criminis eſſe, ut docet S.Thom.2,2.q.67.a.2. Covarr.cit.c.1. n.7. §.Tertinm. Leſſ.cit.c.29. n.92. & alij communiter. Ratio eſt, quia Judex inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, maximè in re tanti momẽti, ſed ordinem juris ſervare tenetur, qui poſtulat, ut nemo condemnetur, niſi ſecnndùm pnblica allegata, & probata legitimè nocens, ſeu reus probetur: nam poteſtas judicandi ipſo jnre gentium collata eſt à populo Magiſtratibus, tali conditione, ut non niſi ex publicis actis, & probatis ſententiam, ſive abſolutoriam, ſive condemnatoriam ferant, quia Judex, ſicut ex publica poteſtate, ita etiam ex publica ſcientia judicare debet, actus enim publicus debet à poteſtate, & notitiâ publicâ tanquam ſibi commenſuratâ procedere.

X V I. Dicendum 2. Sed neqne Princeps ſupremus, ſaltem regulariter, & ordinariè, poteſt condemnare eum, quem ex ſola ſua ſcientia privata novit, eſſe nocentem, & qui legitimè reus probatus non eſt. Navarr.in Man.c.25.n.9. Leſſ.c.l.n.94. & alij comunitet. Ratio eſt, quia Princeps non habet majorem poteſtatem, quam à communitate in illum tranſlata eſt, à qua promanat omnis poteſtas Principis: ſed non eſt credibile, quôd communitas poteſtatem dederit Principi, ut poſſit ex ſuo privato judicio, ſine pnblicis allegatis, & probatis, vel contra illa abſolvere reos, tanqnam innocentes, vel damnare tanquam nocentes, id enim eſſet cõtra bonum regimen, dare uni homini poteſtatem ſupra vitam, ſine alio teſtimonio, qnàm ſuo, & per hoc licentia ei daretur exercendi tyrannidem, & prætextu privatæ notitiæ publica judicia ab improbis pervertetentnr, cum maximo damno Reipubl. Sunt tamen quidam caſus, in quibus Judex ſupremus teum, ſine citatione, defenſione, & proceſſu judiciali, condemnare poteſt. Veluti 1. Si crimen publicum ſit notorium: ſic enim fures, & latrones, in flagranti crimine deprehenſi licitè ſtatim ſuſpenduntur, quia furtum notorium eſt loco accuſatoris, & teſtium, publicámque facit ſcientiam, nec reo ullnm jus relinquit ſe defendendi in judicio. Navarr.cit.c.25.num.10. Leſſ.c.l.n.100. Laym.c.l. num.7. 2. Quando non agitur de puniendo crimine, ſed de impediendo gravi malo Reipubl. per aliquem imminenti, tunc poteſt Princeps ex privata ſcientia jubere eum occidi, ſi aliâ ratione malum impediri non poſſit, quia hîc non agit, ut judex, ſed utitur defenſione naturali rei ſibi commiſſæ. Leſſ. c.l. num.98. 3. Si ex citatione delinquentis, & publico judiciali proceſſu timeretur periculum rebellionis, vel alterius gravis turbationis, ut ſi reus eſſet valde potens, v.g. Dux Generalis exercitûs, & militibus chariſſimus, tunc enim licitè poſſet cauſa eius ſecretò, & in privato judicio tractari, aſſignato patrono, qui ageret cauſam Rei, & ſervato Ordine judiciali, quantum fieri poteſt, ac denique reus, etſi abſens, per ſufficientes teſtes, & probationes convictus occidi poſſet. Leſſ. c.l. num.100. Lugo cit.diſ.37.ſect.5. nnm.52. 4. Quando crimen plenè, & juridicè probari poteſt, tum, ſi reus publicè pnniri non poſſit, abſque gravi incommodo, neque expediat, ut crimen in judicium dedncatur, & probetur, ob grave ſcandalum, vel aliam juſtam cauſam, poteſt reus, ſine alia citatione, & probationibus, occultè occidi, quia, quando crimen plenè probari poteſt, non poteſt reus ſe tueri in judicio, etiamſi conſueto jure procederetur, adeóque non adimitur illi juſta ſui defenſio. Leſſ. cit.loc. num.101.

Addit idem num.96. quòd in caſu aliquo rato, ſi ex proceſſu juridico maxima inconvenientia ſequerentur, ex ſola ſua ſcientia privata poſſit Princeps punire, & condemnare reum, ut, ſi quis Reginæ vim inferret, ſolúſque Rex id ſciret, tali caſu ad vitandam infamiam Regiam, poſſet Princeps ex tacita conceſſione Reipubl. occidere adulterum, ſine proceſſu judiciario, vel ſpontanea eius confeſſione. Sed contrarium verius eſſe in hoc caſu, aſſerit Lugo cit. ſect. 5. num.51. quia Reſpubl. non haber poteſtatem in vitam, & membra civinm, niſi qnando illi certò conſtat de delicto: ſed per teſtimoninm unius quantumvis Principis, non poteſt certò conſtare ipſi Reipubl. ſi id neget Reus, poteſt verò per duos, vel tres, qui faciunt rem moraliter certam: ergo non poteſt Reſpubl. & per conſeqnens neque ipſe Princeps pnnire delinquentem, ſine ſufficiente probatione, ſive occidere aliquem pro delicto adhuc dubio: ſecus eſt, ſi non agatur de pœna capitis, vel mutilationis, ſed de cauſis civilibus, & privatione bonorum vel officiorum, in quæ Reſpubl. & Princeps majus jus habet, ut ex ſuprà dictis patet.

* * *

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Aliæ quaſtiones ad officium Iudicis pertinentes proponuntur, & reſolvuntur.

XVII. Quæritur 1. An Judex ſecundùm publicas leges judicare debeat? Reſpondetur: Judex, præſertim inferior, ſive non ſupremus, non ex proprio ſenſu, & arbitrio, ſed ſecundùm jura, & leges publicas judicare debet, prout habetur in c. 1. de conſtit. junct. Gloſſ. V. Suo ſenſu; & in c. De iſtis; 3. diſ. 4. dicitur, quòd Judex, non de legibus legitimâ auctoritate inſtitutis (examinando, an illæ juſtæ ſint) ſed ſecundùm ipſas, earúmque præſcriptum judicare debet. Ratio eſt, quia inferior Judex diſpenſare non poteſt in lege Superioris: at verò ſupremus Princeps poteſt ex rationabili cauſa diſpenſare in lege poſitiva, ejúſque rigorem temperare, & relaxare, ſi putet, id expedire bono publico. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 29. n. 46. Excipi debet, quòd Judex, etiam inferior, interdum poteſt ob mutationem circumſtantiarum epijkiâ uti, & à littera, ſive à ſenſu, quem verba legis in rigoroſa, & ſtricta ſignificatione acceptâ habent, recedere, modò à mente Legiſlatoris non recedat, quia, cùm omnes caſus ſpeciales unâ lege generali comprehendi non poſſint, occurrere poteſt caſus, in quo ipſemet Legiſlator, ſi adeſſet, ſpectatâ æquitate, haud dubiè judicaret, hîc & nunc ſecundùm legis ſuæ præſcriptum procedendum non eſſe. Leſſ. l. c. n. 47. Laym. in cit. c. 1. n. 13. de conſtit. In ſpecie autem, quamvìs ſupremus Princeps, qui plenariam poteſtatem habet in Republica, poſſit relaxare certas pœnas, ob crimen aliquod, lege decretas, ſi hoc publico bono non obſit, vel eas augere, & minuere, non tamen id licet ordinariè Judicibus inferioribus, l. 1. §. Quorum; in fine ff. ad S. C. Turpill. & docet S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. Gloſſ. in c. Licèt; 3. V. Pœnam pecuniariam; inf. de pœn. quia nihil adeò perniciosum Reipubl. eſt, quàm, ſi Judices arbitraria faciant ea, quæ à lege certa, & definita ſunt, ut videre eſt apud Farinac. in praxi crimin. lib. 1. tit. 3. q. 17. n. 5. nihilominus tamen, quia variæ ſunt qualitates, & circumſtantiæ, tum delictorum, tum perſonarum delinquentium, ob quas crimen ipſum quandoque fit excuſabile, vel ſaltem minuitur; quandoque verò redditur gravius, & magìs atrox, ideo data eſt Judicibus facultas arbitrandi, & pœnam lege decretam augendi, vel, & frequentiùs quidem, eam minuendi, ut colligitur ex l. Perſpiciendum; 11. in princ. l. Hodie; 13. l. Aut facta; 16. ff. de pœnis. Farinac. c. l. n. 8. & 9. Idque maximè in majoribus Magiſtratibus conſuetudine receptum eſt; at verò minores, inconſulto Principe, à quo conſtituti ſunt, id facere non debent, præſertim poſt latam ſententiam condemnationis. Gail. lib. 2. de pace publ. c. 9. n. 22. Verùm de hac re plura ſuo loco.

Porrò plures alij caſus ſunt, in quibus Judici permiſſum eſt, ex gravi, & urgente cauſa, in judicando recedere à diſpoſitione legis, quos enumerat. Felin. in cit. c. 1. n. 49. de conſtitut. ubi tamen n. 51. id limitat, niſi Superior præſens ſit, & conſuli poſſit; quod etſi tutius ſit, non tamen videtur eſſe neceſſarium, modò cauſa ſit manifeſta, & evidens, non autem dubia, quia tunc conſulendus eſt Superior; non tantùm, ſi præſens ſit, ſed etiam abſens, ſi id fieri poſſit. Laym. in cit. c. 1. n. 15. idque ſumitur ex l. 1. C. de legib. ubi Imperator ait: inter æquitatem, juſque interpoſitam interpretationem, nobis ſolis, & oportet, & licet inſpicere.

XVIII. Illud hîc addendum, ſi cauſa in judicium deducta ſit dubia, & in legibus non ſatìs deciſa videatur, vel expreſſa, tum Judex debet judicare, ſecundùm receptam conſuetudinem, quæ legem interpretatur, quo modo ſervanda ſit. Quòd ſi de conſuetudine non conſtet, non eſt recedendum à proprietate verborum legis, niſi abſurdum ſequatur. Si verò ſenſus verborum legis multiplex, & incertus ſit, benigniorem viam ſequi debet Judex, vel, ſi non appareat, quæ ſit benignior, de ſimilibus ad ſimilia in alijs legibus expreſſa procedere debet, l. Non poſſunt; 12. ff. de legib. vel denique ad Principem ſupremum recurrendum eſt, ut legem interpretetur, quam tulit. Quòd ſi circa dubium legis ſenſum, variæ ſint DD. opiniones, à communi ſententia, quam plures, & graviores tenent, non debet Judex recedere, niſi ea per novas, & ſolidas rationes, ab uno, vel pluribus Doctoribus falſitatis convicta fuerit, arg. l. 1. C. de vet. jure enucl. alioquin Judex ſequi poterit quamcunque ſententiam, modò ea verè probabilis ſit, ita Abb. in cit. c. 1. n. 14. & 15. de conſtit. Felin. ibid. n. 54. ubi limit. 2. ait, quòd auctoritas Gloſſæ præferenda ſit, etiam communi DD. opinioni contrariæ: quod tamen ſinè fundamento dicitur, cùm Gloſſæ credendum non ſit, niſi lege, vel ſolidâ ratione nitatur. Gail. lib. 1. obſ. pract. obſer. 153. n. 7. & 8.

XIX. Quæritur 2. An, & quibus caſibus Judex ex officio ſupplere poſſit, vel etiam debeat omiſſa à partibus litigantibus, vel earum Advocatis? Reſpondetur: Si à partibus, earúmve Advocatis aliquid ad defenſionem cauſæ pertinens omittatur, Judex ex officio ſupplere poteſt, quatenus id ad controverſiam definiendam neceſſarium erit, & proferre, quæ juris publici ſunt, allegando legem, vel Canonem, vel ſtatutum loci, aut quæ receptæ conſuetudinis ſunt; non autem ea, quæ ad factum ſpectant, ut conſtat ex l. unic. C. ut, quæ deſunt Advocatis partium, Judex ſuppleat, & colligit Gloſſ. ex c. Bonæ; 3. V. Curavimus allegare; de poſtul. Præl. ubi Papa auditis, quæ de jure, & de facto allegata fuerunt, ex officio ſuo ſupplevit, curando pleniùs allegari, quæ pro utraque parte faciebant. Ratio eſt, quia Judex debet ea agere in judicio, quæ ad publicum ipſius officium pertinent, cujuſmodi v. g. ſunt libellum ab Actore oblatum examinare, eúmque rejicere, ſi malè conceptus ſit, juramentum calumniæ deferre, dare dilationes parti petenti; & hæc poteſt facere ex officio, etiam parte non petente, modò utraque pars præſens ſit. Bartol. in cit. l. unic. n. 2. C. dicto tit. Abb. in cit. c. Bonæ; n. 9. At verò in ijs, quæ ad factum ſpectant, & principaliter reſpiciunt proprium, ac privatum commodum partium litigantium, Judex non debet ex officio regulariter ſupplere, quia non debet aſſumere officium partium, cujuſmodi ſunt, proponere exceptiones, producere teſtes, inſtrumenta, vel alias probationes, petere à Judice ſen-

tentiam ferri, vel aliquid aliud. Bart. c. l. n. 2. Abb. c. l. num. 10.

Sunt tamen plutes caſus, in quibus Judex ex officio ſuo ſupplere, & iò medium proferre poteſt, & plerumque debet, etiam ea, quæ ad factum ſpectant, quos eoumetat. Abb. in eit. e. Bonæ; num. 9. Veluti 1. In ijs factis, quæ ſunt ipſi nota ut Judici, ut, ſi quid Judici notum ſit ex atteſtaiooibus, vel alijs actis in publicum judicium deductis. Gloſſ. in cit. c. Bonæ; V. Curavimus allegare; junct. Gloſſ. matg. 2. Si Judex proferat factum notorium, quod nullâ probatione indiget, atg. l. 1. & ibi Gl. V. in conſilio; C. qui, & adverſus quos in iotegr. &c. 3. Supplet Jodex in caſibos, in quibus vertitur periculum animæ: ſic publicè excommunicatus, etiam nemine oppooente, officio Judicis repellendus eſt, ne quis, cum periculo animæ ſuæ, cum excommunicato communicate cogatur, e. Exceptiooem; 12. infr. de except. Idémque frequenter accidit in cauſis matrimonialibus, nt notat Ant. de Butaio in cir. c. Bonæ; num. 21. apud Laym. ibidem. 4. Judex ex officio ſupplere poteſt, repellendo teſtes, qui ootoriè indigni ſunt, nam ad bonorem, & honeſtatem publici judicij ſpectat, ut teſtes, vel aliæ perſonæ jute inhabiles noo admittantur: præterquam, ſi quis tepellatur à teſtimonio in commodum partis, ut, quia eſt familiaris adverſarij, tunc enim Judex contra eum non debet ex officio ſuo excipere, parte oon opponente. Abb. c. l. 5. Supplet Judex ex officio in favotem boni publici, v. g. in utilitatem Eccleſiarum, ne indignus eligatur, vel poſtuletur in Epiſcopum, ſeu Prælatum: vel in favorem miſerabilium perſonatum, ut in cauſis pupillorum, vel viduatum, quas Judex ex officio defendete debet ab injurijs. 6. Quando Judex ex officio cootra contumacitet abſentem procedere poteſt ad definitivam ſententiam, tum etiam poteſt ſupplere, quæ ad factum ſpectant, ut teſtes producete, pro abſente excipere, & alia facere, quæ aliàs incumbunt parti abſenti. Batt. in cit. l. onic. C. ut quæ deſunt advoc. &c. n. 3. cootra Bald. Et hanc ſententiam eſſe æquiotem, & communiorem, ait Abb. c. l. etſi oppoſita de rigote juris videatur verior, cùm nullo jure ſit cautum, Judicem poſſe teſtes ptoducere pro abſente.

Plura alia ſunt magis ſpecialiter ad officium Judicis pertinentia, de quibus agendum proptijs locis.

TITVLVS XXXIII.

DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA.

QUoniam Miniſtrorum, & Judicum Eccleſiaſticorum, de quorum ordinatione, officiis, ac poteſtate præcedentibus Titulis actum eſt, diverſi, ac diſtincti ſunt gradus, & Ordines, ita, ut non omnes ſint æquales honore, & poteſtate, ſed ſibi ſubordinati: aliíque majores, ac digniores; alii minores, & ſubjecti: ſicut etiam in Cœleſti Hierarchia, ſeu Eccleſia Triumphante ſunt Angeli, Archangeli, & alij beatorum ſpirituum ordines, qui tamen non ſunt in officio, & poteſtate æquales, ſed alii aliis Superiores, prout habetur in c. ult. diſ. 89. ideo ſubjungitur hic Titulus, in quo explicatur, quam obedientiam, & reverentiam minores, ſeu inferiores Miniſtri, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ majoribus, & ſuperioribus præſtare debeant. Similis Titulus extat in Sexto, Extravag. Joann. XXII. & communibus.

SECTIO I.

IN QUIBUS CONSISTAT majoritas, ſive prætogativa, ac præeminentia majorum, & obedientia, ac reverentia à minoribus, ſeu inferioribus exhibenda Majoribus, & Superioribus.

§. I.

Quâ ratione quis, & ex quibus cauſis maior habeatur inter Clericos?

Varijs modis poteſt contingete, ut unus Clericus ſit major, & dignior altero, ut notat Hoſtienſ. in ſumma h. t. n. 1. 1. Poteſtate, & juriſdictione, quomodo Archiepiſcopus eſt major Epiſcopo; & Archidiaconus Archipresbytero, c. Ad hæc; 7. de offic. Archid. & Abbas Mooachis. 2. Ratione Ordinis. 3. Ratione antiquitaiis, ſeu prioritatis temporis, 4. Ratione prærogativæ, ſeu dignitatis Ordinantis, ut ex dicendis patebit.

1. Aſſertio 1. Inprimis, ratione Ordinis, eſt unus Clericus major, & dignior altero, veluti Epiſcopus Presbytero, hic Diacono, iſte Sobdiacono, c. A Subdiacono; 5. c. Non oportet; 15. c. Legimus; 24. diſ. 93. Quare tum in loco, ſive ſeſſione, tum in portiooe beneficiali percipiendâ, ſive in præbendâ conſequendâ, qui majores ſunt in Ordine, etiamſi poſteriùs recepti ſint, alijs præferendi ſunt, ut conſtat ex c. Statuimus; 15. b. t. ubi Papa Gregorius IX.

ſtatuit,

» ſtatuit, ut in Eccleſia S. Mariæ Majoris in Urbe, » Presbyteri primum locum, Diaconi ſecundum, » Subdiaconi tertium, & ſic de cæteris Clericis (in» ferioribus, Acolytho, Exorciſtâ, Lectore, Oſtia» rio) ſecundùm Ordinum gradus, obtineant, etiam» ſi poſteriùs ſint admiſſi. Et ſimiliter, qui majores » ſunt Ordine, etiamſi poſteriùs ſint recepti, in » portione beneficiali percipienda alijs ſint potio» res. Denique, ut, qui in minoribus Ordinibus » ſunt, conſueta ſervitia peragant; quod intelligendum ſecundùm Gloſſ. hîc V. Conſueta; & Hoſtienſ. de obſequijs præſtandis in Eccleſia ad cultum Divinum. Ratio hujus deciſionis eſt, quia prærogativa Ordinis eſt dignior, quàm prærogativa temporis, ſeu antiquitatis, ideóque, & potior, ac præferenda. Porrò in multis Eccleſijs contraria viget conſuetudo, videlicet, ut Canonici priùs recepti alios in choro antecedant, tametſi hi majores in Ordine exiſtant, & ut, qui tempore ſunt antiquiores, in aſſequendis præbendis alijs præferantur, nullâ habitâ ratione Ordinis, an ſint Sacerdotes, Diaconi, vel Subdiaconi tantùm. Quam conſuetudinem reprobat Abb. hîc, eò quòd ſit contra Eccleſiæ honeſtatem. Sed immeritò, ut docet Felin. hîc num. 1. arg. c. ult. de conſuet. in 6. ubi approbatur conſuetudo, ut antiquiores Canonici vacantes præbendas optare poſſint, id eſt, ſuâ derelictâ, illam, quæ vacat, acceptare, nullâ habitâ ratione Ordinis majoris: ergo ob prærogativam temporis, ſeu antiquitatis, quæ valde honeſta, & rationabilis eſt, ut conſtat ex reg. juris 54. in 6. *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, poteſt induci talis conſuetudo: licèt, ſi cætera ſint æqualia, per nullam conſuetudinem introduci poſſit, ut minores in Ordine præferantur conſtitutis in Ordine majore, v. g. Diaconi Presbyteris, Subdiaconi Diaconis. Laym. hic num. 2. Sic etiam, ſi in Eccleſia aliqua conſuetudo ſit, ut omnes Canonici antiquiores, & juniores in perceptione fructuum præbendarum coæquentur, illa ſervanda erit, c. Cùm omnes; 6. de conſtit. & notat Gloſſ. hîc V. Potiorem.

II. Verùm deciſioni hujus c. Obſtare videtur; c. Quia ſæpe; 15. de præb. in 6. et c. Dilectus; 27. extr. eod. ubi habetur, quòd is, qui priùs in Canonicum eſt receptus, in aſſecutione præbendæ alijs poſtea receptis ſit præferendus, alioquin ipſi ex reditibus Eccleſiæ interim loco præbendæ provideri debet à Capitulo, donec beneficialis præbenda ei aſſignetur, ubi non habetur ratio ſuſcepti majoris Ordinis, ſed ſolùm prioris receptionis in Canonicum. Reſp. in citt. Canonibus agitur de eo, qui in Canonicum eſt aſſumptus, ita, ut vel ſtatim ei debeat præbenda aſſignari, vel quæ proximè vacatura eſt. At verò in caſu hujus c. ſermo eſt de Clericis minoribus Eccleſiarum Urbis, in quarum pleriſque conſuetum erat, ut in Canonicos reciperentur Clerici in minoribus conſtituti, eâ conditione, ut haberent quidem jus Canoniæ; nulla tamen redituum portio eis aſſignaretur, ante tres, vel quatuor annos, ſed interea ſervitia Eccleſiæ præſtare debebant, nempe Eccleſiam purgare, campanas pulſare, lampades accendere. Sed quia in conſecutione præbendæ beneficialis habebatur ratio temporis, ſeu antiquitatis, ita, ut priùs recepti præferrentur alijs poſtea receptis; ideò reprobatâ hac conſuetudine, ſtatutum fuit, ut in his potiùs haberetur ratio Ordinis ſuſcepti, ita, ut, qui ex prædictis minoribus ad Superiores Ordines priùs ſunt promoti, ante alios etiam, qui in inferiori Ordine ſunt conſtituti, promoveantur ad præbendas, ut ſic excitentur ad ſuſcipiendos Ordines altiores, arg. c. Quæris; 6. de ætat. & qualit. Ex quo apparet, quòd Conſtitutio hæc Decretalis ſit localis pro Eccleſijs Urbis. Innocent. hîc, & Joann. Andr. num. 7.

III. Aſſertio 2. Præterea major quis eſt altero, & præferendus ratione antiquitatis, ſeu prioritatis temporis, juxta cit. reg. jur. 54. in 6. Sic priùs Ordinatus, aut Canonicè inſtitutus in Eccleſia, cæteris paribus, eſt major, ac præferendus poſteriùs ordinato, aut inſtituto, juxta c. Cùm certum; 1. h. t. ubi Gregorius M. ita reſcribit: *ſit honoris iſta di» ſtinctio, ut ille prior, & major habeatur, qui priùs » communitatis conſilio, & concordi actione (id eſt, » canonicè, & concordi conſenſu, vel ſaltem majo» ris partis. Gloſſ. fin. hîc & Innoc. in fine) fuerit or» dinatus, aut inſtitutus.* »

Hoc autem limitari debet 1. Ut ſolùm procedat, ſi alioquin pares ſint in Ordine, ac dignitatis gradu, & ideo antiquior Epiſcopus, non ætate, ſed ſecundùm tempus ordinationis, aut inſtitutionis, præcedit poſteriùs ordinatum, vel inſtitutum, non autem Archiepiſcopum: & Presbyter Presbyterum, non autem Diaconus Presbyterum, etſi poſteriùs ordinatum, vel inſtitutum. Innocent. hîc in princ. & Hoſtienſ. V. Habeatur; Imol. num. 1.

2. Limitatur, ut procedat, niſi ratione privilegij, vel conſuetudinis, alicui Eccleſiæ competat præcedentia ante alios, etſi antiquiores ſint, ſeu priùs tempore ordinati, aut inſtituti: nam conſuetudo in honoris prærogativa præcipuè attendi debet, c. Cùm omnes; 6. de Conſtitut. Hoſtienſ. hîc, & Innocent. in fine.

IV. Hinc infertur 1. Quòd non ſolùm inter Canonicos, Parochos, alióſque Sacerdotes, ſed etiam Religionem profeſſos, ſi aliàs pares ſint in Ordine, ac dignitate, qui priùs inſtituti, ordinati, aut Ordinem profeſſi ſunt, reliquos præcedant. Idémque obſervari ſolet in Curijs Principum ſecularium inter Conſiliarios, & Aſſeſſores, & in Academijs inter Profeſſores, & Magiſtros, ut antiquiores in officio, vel priùs creati, ſeu promoti ad gradus poſteriores tempore præcedant, ut notat Laym. hîc. Idque tum ad vitandas lites: tum quia antiquiores, qui diutius in Eccleſia, vel alterius Reipublicæ officijs, aut miniſterijs ſunt verſati, habent majora merita, & ſunt ſapientiores, ac peritiores, magíſque experti, ideóque etiam major honor ijs in Eccleſia, vel Republica debetur. Inter eos verò, qui meritis, & officijs etiam ſunt pares, omnino decens eſt, ut majores natu, ſive ſeniores præcedant juniores, Layman. c. l.

Infertur 2. In Conventibus, in quibus, vacante Prælaturâ, nemo eſt, qui Capitulo præſit, Senior ſolet Capitulares convocare ad electionem novi Abbatis, ſeu Prælati, niſi ex privilegio, vel conſuetudine ad alium hoc ſpectet: non tamen poteſt non comparentes punire, cùm nulla juriſdictio ei competat. Item poteſt Senior Capituli propoſitionem facere, & Capitularium vota, ac ſententias inquirere, primum

in

in electione votum, ſeu ſuffragium dare, & decretum electionis promulgare, oiſi, ut dictum, alia ſit conſuetudo. Innocent. hìc uum. 2. Abb. num. 4. Cæterùm majoritas hæc, ſive honoris prærogativa, quâ majores Clerici minores antecedunt, conſiſtit in eo, quòd primum locum obtineut iu ſedendo ante alios, in Capitulo, & Choro, & præcedant alios in publicis proceſſionibus, priùs ſe ſubſcribant, & ſuffragium dent in Capitulo, & in alijs ſimilibus. Hoſtienſ. hìc in princ. & Abb. n. 1.

V. Aſſertio 3. Ratione prærogativæ, ſeu dignitatis ordinantis, ſi cætera paria ſint, meritò plus inter alios Clericos honorandus, & alijs præferendus eſt ille, cui S. Pontiſex Ordiues contulit, quamvìs per hoc à juriſdictione, & obedientia Epiſcopi nou eximatur, ut conſtat ex c. Per tuas; 7. h. t. Nam „cùm quidam Clericus Ordiuem Subdiaconatûs à Romano Pontifice accepiſſet, quæſitum fuit ex Innocentio III. an idcitco ab obedientia, & ſubjectione Epiſcopi ſit exemptus? Reſpondet Papa, etſi decens ſit, ut talibus, quantùm couvenit, plus honoris inter alios Clericos deferatur, quos S. Pontiſex confereudo ipſis Ordinem honoravit: non tamen propterea ab obedientia, quàm aliàs Epiſcopo ſuo debent, liberantur."

VI. Notandum 1. Clericus ordiuarus à Papa plus honorandus eſt alijs Clericis, qui ſunt ejuſdem Ordinis, & dignitatis: nam, ſi ſint in majote Ordine, vel dignitate conſtituti; tum nou convenit, ut ordiuati à Papa iſtis præſerantur: ueque enim Diaconus etiam priùs ordinatus à Papa, præferri debet Presbytero poſteriùs Ordinato ab Epiſcopo. Gloſſ. hìc V. Subdiaconatus; & Hoſtienſ. V. Deferatur; ſed inter æquales Ordine, & gradu præferendus eſt is, qui à Papa ordinatus eſt, ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ. Abb. hìc u. 1. Eſt autem hoc ſpeciale privilegium ordinati à Papa, nam ordinatus ab Archiepiſcopo non videtur præferendus Ordiuato priùs ab Epiſcopo, ſed prioritas temporis eſt attendenda, ut ex Innocent. tradit Imol. hìc n. 3. quamvìs Abb. hìc not. 2. generatim dicat, quòd inter æquales Ordine præferendus ſit, qui recepit Ordinem à majore, etiam priùs ordinato ab inferiore, quod tameu ex hoc textu non probatur.

Notandum 2. Ordinatus à Papa magìs honorandus eſt, non quòd per Sacramentalem ordiuationem à Papa factam plus accipiat, quàm, qui à viliore Miniſtro baptizatus, vel ordinatus eſt, quia hoc verum uon eſt, ut conſtat ex c. Cùm tantùm; 47. diſ. 4. de conſect. ſed ideo ordinati à Papa præ alijs honorandi, & promovendi ſunt, ut deferatur teſtimonio Papæ, qui eos dignos ſua ordinatione judicavit, ut habetur in hoc c. & notat Layman. ibidem.

Notandum 3. Etſi Gloſſ. hìc V. Subdiaconatus; & Innocent. puteut, Epiſcopum non poſſe ordinatum à Papa, ob crimen commiſſum, in perpetuum ſuſpendere, vel deponere ab Ordine ſuſcepto, quia talis uon poteſt etiam ab Epiſcopo ad ulteriorem Ordinem promoveri, ſinè licentia Papæ, juxta c. Cùm in diſtribuendis; 12. de temp. ordin. Contrarium tamen eſt verius, quod tradit Abb. hìc num. 2. & Felin. num. 1. tum quia Clerici à Papa ordinati non eximuntur à juriſdictione, & ſubjectione Epiſcopi: ergo hic poteſt illos punire ob crimen, eos ſuſpendendo, & deponeudo ab Ordine, cùm hæc poteſtas uullibi reperiatur adempta Epiſcopo erga non exemptos: ſicut etiam Epiſcopus poteſt proviſum, & inſtitutum à Papa ſuſpendere à beneficio, illóque privare, ob crimen commiſſum. Nec obſtat, quòd nou poteſt Epiſcopus tali ordinato altiores Ordines conferre, tum quia hoc eſt ſpeciale privilegium conceſſum in houorem Papæ, quod cùm cedat in præjudicium poteſtatis ordinariæ Epiſcopi, noo debet extendi ad alium caſum non expreſſum: tum quia hìc concurrit, & ſupervenit crimen, propter quod meretur privilegium amittere, qui eo abuſus eſt, juxta c. Privilegium; 63. cauſ. 11. q. 3. Secus eſt in altero caſu, in quo ordinatus à Papa nullum commiſit crimeu, ſed tantùm prohibetur altiores Ordines recipere ab Epiſcopo, ob reverentiam Papæ, qui manus ſemel ei impoſuit.

§ II.

De obedientiâ, & reverentiâ, à minoribus, ſeu inferioribus præſtandâ majoribus, aut ſuperioribus, & pœnis inobedientium.

VII. Generatim loquendo, obedientia debita majoribus iu tribus conſiſtit, ut tradit Gloſſ. in c. 1. V. Obedieutiam; diſ. 93. & Hoſtienſ. lo ſumm. n. 2. h. t. in reverentia exhibenda, in mandato, ſive præcepto ſuſcipiendo, & in judicio ſubeundo. Nam reverentiam debet minor, ſeu inferior, ut aſſurgat majori, eíque cedat primum locum, in eundo, & ſedendo, c. Non oportet; 15. diſ. cit. & Gloſſ. loc. cit. Deinde minor obedire debet præcepto majoris, ſeu ſuperioris in his, quæ ad cultum Divinum pertinent, vel utilitatem commuoem reſpiciunt. Hoſtienſ. hìc n. 6. ac denique etiam obedire debet minor majori, ſeu ſuperiori in judicio, nempe in ijs, quæ ad juriſdictionem, ſeu cauſas judiciales pertinent.

VIII. Quæritur 1. Qui, & in quibus rebus obedientiam debeant exhibere Epiſcopis? Reſpondetur: „Omnes homines (fideles, & Chriſtiani) etiam Principes, ſive Imperatores, & Reges obedire debent Epiſcopis, juxta præceptum S. Petri, ut reſcripſit Papa Clemens III. in c. Omnes; 4. h. t. vel, ut in vetuſtioribus exemplaribus habetur: Clemens Papa I. qui fuit diſcipulus S. Petri. nempe ijs Epiſcopis, quibus tanquam Ordinarijs in ſpiritualibus ſunt ſubjecti. In quibuſdam tamen Principes, ex ſpeciali privilegio, aut immemoriali conſuetudine, ſunt exempti à juriſdictione Epiſcopi, v. g. quòd cuilibet Sacerdoti approbato, quem ſibi elegerint, peccata confiteri poſſint. Abb. hìc n. 3. Quòd ſi Princeps, vel Rex in Provincia, aut Regno ſuo plures Epiſcopatus habeat, Epiſcopus ejus loci, ſeu Civitatis, in qua Princeps, vel Rex principalem Sedem fixit, & ordinariè habitat, ipſius quoque Ordinarius erit, ut ipſi v. g. ſi matrimonium contrahat, aſſiſtere poſſit, & alia Sacramenta miniſtrare; non item Epiſcopus alterius Civitatis, in qua Princeps ordinariè nou reſidet. Gloſſ. fin. hìc.

IX. Ratio

Digitized by Google

IX. Ratio autem, cur etiam Principes, & Reges ſubjecti ſint, & obedire debeant Epiſcopis, eſt; quia Poteſtas Eccleſiaſtica major, ac dignior eſt Poteſtate ſeculari, ſicut anima dignior eſt, quàm corpus; quia Regi, aut Imperatori in temporalibus tantùm imperium, & poteſtas competit: at verò S. Pontifici, & alijs Prælatis Eccleſiaſticis in ſpiritualibus, quæ temporalibus digniora ſunt: ideòque Magiſtratus ſecularis ſubordinatus eſſe debet Magiſtratui Eccleſiaſtico, eique obedire in ordine ad ſpiritualia, & finem ſupernaturalem, ac ſalutem animæ, prout apertè conſtat ex c. Solitæ; 6. h. t. Nam cùm Papa Innocentius III. Imperatorem Conſtantinopolitanum per litteras reprehendiſſet, quòd Patriarcham Conſtantinopolitanum juxta pedes ſuos in ſcabello, ad partem ſiniſtram, ſedere faciat, cùm alij Reges, & Principes ſuis Prælatis, ut debent, reverenter aſſurgant, & eis juxta ſe honorabilem Sedem aſſignent: id ægrè ferens Imperator reſcripſit Papæ, Sacerdotium ſubeſſe debere Imperatoriæ poteſtati; ad hoc probandum uſus teſtimonio S. Petri ep. 1. c. 2. *Subditi igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, tanquam præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Sed ad hoc reſpondet Papa, Apoſtolum ibi loqui de ſubditis, ut omnibus ſuperioribus ſuis, ſeu poteſtatem ſupra ſe habentibus obediant: nam, ſi voluiſſet ibi Sacerdotibus imponere ſubjectionem, ſequeretur, quòd etiam quilibet ſervus imperium in Sacerdotes haberet, quia ibi dicitur: *omni humanæ creaturæ.* quod autem ſequitur, *Regi tanquam præcellenti,* non negatur, quin Imperator, aut Rex habeat imperium, & poteſtatem, ſed in temporalibus tantùm, & in eos, qui ab illo accipiunt temporalia (v. g. in feudum data. Hoſtienſ. hîc V. Temporalia;) ſed Pontifex in ſpiritualibus antecellit, quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantum anima præfertur corpori. Poteſt etiam prærogativa Sacerdotij ex eo intelligi, quod Jerem. c. 1. à Deo non Regi, vel ex regia ſtirpe oriundo, ſed Sacerdoti, aut ex Sacerdotali proſapia deſcendenti dictum legitur: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna &c.* præterea *fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti.* Gen. 1. Sic Deus fecit in firmamento univerſalis Eccleſiæ duo luminaria magna, id eſt, duas inſtituit poteſtates, Pontificalem, & Regalem: ſed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus, major eſt; quæ verò temporalibus, minor, ut, quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia eſſe videatur. Ex quibus apparet, quòd Pontifex, etſi monuerit tantùm Imperatorem, tamen etiam juſtè increpare potuiſſet: cùm Imperator etiam ſe ſubjectum eſſe juriſdictioni S. Pontificis, Succeſſori B. Petri, profiteri debeat, niſi velit alienos eſſe ab Ovili Chriſti, ſiquidem B. Petro, ſinè diſtinctione, & exceptione, generatim dictum eſt: *paſce oves meas,* Joan. 21. ſicut etiam generaliter ad Petrum, & Succeſſores ejus dictum eſt à Chriſto, *quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis.* Matth. 18.

X. Hinc colligitur 1. Quòd Clerici, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ nullo modo ſubſint juriſdictioni, ſeu poteſtati ſeculari, ſed jure Divino ab ipſa ſint exempti, niſi obtineant bona in feudum ab Imperatore, vel alijs Dominis temporalibus; tum enim illis, ratione horum bonorum, ſunt ſubjecti, c. Verùm; 7. de foro compet. Ratione aliorum verò bonorum, non ſubjiciuntur ſecularibus Magiſtratibus, quia bona acceſſoriè ſequuntur perſonam, & forum Eccleſiaſticum. Abb. hic n. 3. & 4.

Colligitur 2. Quòd Principes, & Domini ſeculares reverentiam exhibere debent Sacerdotibus, maximè verò Epiſcopis, & alijs ſimilibus Prælatis: unde etiam decens eſt, ut in Conventibus publicis Epiſcopi ad dexteram, ſeculares verò Principes ad ſiniſtram collocentur, ut notat hîc Jo. Andr. n. 18. & Abb. n. 7. qui n. 4. ait, dignitatem Sacerdotum, & Clericorum hodie vileſcere, quia nimiùm multiplicantur.

XI. Reſpondetur 2. Præterea Abbates, & Sacerdotes, qui Epiſcopo Diœceſano ſubjecti ſunt, vocati ad Synodum Diœceſanam venire debent, eique obedire, juxta c. Quod ſuper his; 9. h. t. ubi decernitur, ut Abbates, & Sacerdotes lege Diœceſanâ Epiſcopo ſubjecti, ſi ad Synodum vocati venire contemnant, per cenſuram Eccleſiaſticam ad veniendum compellantur, & debitam ipſi Epiſcopo obedientiam, & reverentiam exhibeant, dummodo in ipſa Synodo nihil contrarium SS. Canonibus ſtatuatur.

XII. Ubi notandum 1. Ad Synodum Diœceſanam vocari, & accedere debent Abbates, & Præpoſiti, ſive Seculares, ſive etiam Regulares, non exempti, ſed Epiſcopo ſubjecti, prout habetur in hoc c. et c. pen. & ult. diſ. 18. et c. Abbates; 16. cauſ. 18. q. 2. c. Ex ore; 17. de privil. Abb. hîc in Gl. 1. quod tamen Gl. hîc V. Diœceſana; & Innoc. In princ. aliique communiter apud Fagn. hîc n. 1. intelligunt de Abbatibus habentibus populum, de quibus loquitur cit. c. Abbates; cauſ. 18. q. 2. hi enim propter populum tenentur accedere ad Synodum, etiamſi ſint exempti, cit. c. Ex ore; de privil. alij verò populum non habentes non tenentur, niſi cauſa rationabilis ſubſit, c. Epiſcopus; 11. diſ. 18.

Notandum 2. Ad Synodum Diœceſanam vocari, & accedere etiam debent omnes Sacerdotes curam animarum habentes, & Epiſcopo ſubjecti, cit. c. Quod ſuper; h. t. & ibid. Abb. not. 1. Idque etiam conſuetudine in his regionibus obſervatur: niſi quòd non omnes Curati, ubi Diœceſes amplæ ſunt, vocari ad Synodum ſoleant, ſed præcipui tantùm, videlicet Decani rurales, & Camerarij. Laym. de juriſd. ordin. concl. 121. Sacerdotes verò ſeculares, & beneficiati, qui Curati non ſunt, ad Synodum Diœceſanam venire non tenentur, cùm populum non habeant, niſi ea ſit inſtituta ad Cleri totius reformationem, vel ſtatuta generalia Diœceſana edenda, tunc enim omnes Sacerdotes, & Clerici Civitatis, & totius Diœceſis venire tenentur, ſi vocentur, ita tamen, ut Eccleſiæ debitis ſervitijs Divinis non careant. Abb. hic not. 1. Azor tom. 2. lib. 3. c. 47. q. 3.

Verùm hodie ex Decreto Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 2. de reform. Synodi Diœceſanæ quot annis celebrari debent, ad quas exempti omnes, qui aliàs, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere tenentur, ſicut & ij Sacerdotes, qui Parochiarum, aut aliarum ſecularium Eccleſiarum non exemptarum curam gerunt, etiam annexarum, ſive Seculares ſint, ſive Regulares, etiam exempti, Synodo intereſſe debent: Rectores verò Parochia-

chialium Eccleſiàtum, qui nullius Diœceſis ſunt, tenentur accedere ad Synodum Diœceſanam Epiſcopi viciniotis, qui poteſt illos viſitare, ut reſpondit S. Congreg. Concil. apud Fagn. hîc n. 10. Præter ſuprà dictos verò, alij Prælati, & Religioſi, quorum Eccleſijs cura animarum non eſt annexa, præſertim Mendicantes, ad Synodum Diœceſanam venire non tenentur. Piaſec. in praxi Epiſc. p. 2. c. 2. a. 1. n. 3. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 93. n. 7.

Notandum 3. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis vocari quoque debet ad Synodum Diœceſanam, arg. c. ult. de his, quæ fiunt à Præl. & ibid. Abb. n. 3. & 4. imò ſinè ipſius conſilio, non debet Synodus congregari. Innoc. in c. Niſi; 3. de uſu, & auct. Pall. Piaſec. c. l. n. 4. non tamen omnes Canonici venire debent, ſed aliqui ſolùm nomine omnium, præſertim Præpoſitus, aut Decanus, ne alioqui Eccleſiæ ſervitio, & cultu Divino priventur, ex declarat. S. Congr. Concil. Barb. c. l. n. 11. Habet autem Capitulum in Synodo vocem conſultivam tantùm, non deciſivam, niſi Sede Epiſcopali vacante, nam tunc ſuccedit in tota juriſdictione Epiſcopi. Piaſec. c. l. Sed & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum, quæ quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent, ad Synodum vocanda ſunt, juxta declarat. Cardin. apud Piaſec. c. l. n. 5. Denique etiam Laici ad Synodum invitari poſſunt, ſi de eorum præjudicio agatur, ut, ſi tractetur aliquid circa fidem, aut circa matrimonia, cui tamen interetunt, non ut judicent, ac definiant, ſed ut audiant, quid ſtatuatur. Gl. fin. in cit. c. ult. de ijs quæ fiunt à Præl. &c. Piaſec. c. l. n. 6.

XIII. **Notandum** 4. Epiſcopi non poſſunt aliquid **ſtatuere contra** SS. Canones, etiam in Synodo, ut colligitur ex hoc c. & notat Abb. ibid. not. 2. & ex c. Inſtitutionis; 7. cauſ. 25. q. 2. Et hinc neque ſubditi Epiſcopis vocati ad Synodum Diœceſanam tenentur venire, ſi in citatione expreſſa ſit cauſa injuſta, vel notorium ſit, quòd ob cauſam injuſtam indicta ſit congregatio, ut in propoſito, ut ſtatuatur aliquid contra Canones, vel, ſi ad aliud opus illicitum fiat convocatio. Abb. hîc propè finem. Sed neque Epiſcopus in Synodo Diœceſana poteſt aliquid ſtatuere contra privilegia Regularium, nec Archiepiſcopus in Concilio Provinciali, de quo fusè agit Fagnan. hîc n. 14. & ſeqq.

XIV. Quæritur 2. Qualem obedientiam, & honorem Capellani Presbyteri, & alij Clerici Eccleſiæ Titularis alicujus Cardinalis, eidem exhibere debeant? Reſp. De hoc agitur in c. His quæ; 11. h. t.
» Nam, cùm inter Cardinalem Tituli S. Laurentij in
» Damaſco, & Capellas, ſeu Parochias eidem ſubje-
» ctas, orta eſſet controverſia, Papa Honorius III. au-
» ditis, quæ utraque pars propoſuerat, per ſententiam
» definivit, ut Presbyteri, & Clerici earundem Capel-
» larum Cardinali manualem obedientiam (id eſt, ſi-
» nè ſcriptura, & ſinè juramento. Gl. hîc V. Obedien-
» tiam; & Hoſtienſ. de quo infrà) ac reverentiam ex-
» hibeant, & ad Eccleſiam ejuſdem Tituli pro ſcruti-
» nio (id eſt, examine, aut catechiſmo ante baptiſ-
» mum catechumenorum fieri ſolito. Hoſtienſ. hîc
» V. eod.) baptiſmo, & Capitulo celebrandis, veniant,
» conſuetis temporibus: & correctionem ipſius Car-
» dinalis recipiant, ac ſententias, ſeu cenſuras excom-
» municationis, interdicti, vel ſuſpenſionis, quas for-
» tè in ipſos, vel Eccleſias eorum tulerit, inviolabili-
ter obſervent. Cùm verò Eccleſia Tituli ejuſdem »
Cardinalis vacaverit, tum ipſi Capellani, ac Clerici »
Capitulo, ſeu Collegio ejuſdem Eccleſiæ, quæ dicta »
ſunt (de ſcrutinio, baptiſmo, & Capitulo celebran- »
dis &c.) exhibeant, & præſtent: præterquam, quòd »
correctionem, excommunicationem, & ſuſpenſio- »
nem ipſorum, pro bono pacis, Pontifex ſibi ipſi re- »
ſervârit. »

XV. Ratio prioris partis hujus Conſtitutionis eſt, quia Cardinales Eccleſiæ Romanæ, non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Presbyteri, vel Diaconi tantùm, non Epiſcopi, ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent in Eccleſias ſui Tituli, & conſequenter etiam in Parochias, & Capellas pleno jure, id eſt, in ſpiritualibus, & temporalibus, Eccleſiæ principali, ſeu Titulari ſubjectas, & in Clericos earundem, ideòque etiam ipſi Cardinales habent poteſtatem eoſdem Clericos corrigendi, ſeu puniendi, & cenſuras Eccleſiaſticas in contumaces ferendi. Abb. hîc not. 2. & 3. Jo. Monach. in c. unic. h. t. in 6. Quin imò Cardinales habent etiam jus viſitandi Eccleſias Titulari ſuæ Eccleſiæ ſubjectas, & Clericos, ac populum ſibi ſubjectum, ſicut Epiſcopi, item jus inſtituendi, ac deſtituendi. Felin. hîc n. 1. & conferendi beneficia ſuarum Eccleſiarum Titularium, & admittendi reſignationes Clericorum earum. Pariſ. l. 7. de reſign. benef. q. 12. n. 8. & 9.

Inſuper etiam poſſunt uti Inſignijs Pontificalibus, & ſolemnem benedictionem impertiri, more Epiſcoporum, etſi Epiſcopi non ſint. Fagn. hîc n. 24. Poſſunt etiam in proprijs Titulis conferre Ordines minores ſuis ſubditis, & familiaribus. Pariſ. l. 4. c. 2. n. 88. dummodo ſint Sacerdotes, aliàs ſecus, arg. c. Cùm contingat; 11. de ætat. & qual. Fagnan. hîc n. 2. reliqua verò, quæ ad poteſtatem Ordinis pertinent, exercere non poſſunt, niſi ſint Epiſcopi, omnia verò, quæ ad juriſdictionem Epiſcopalem pertinent in ſuis Titulis. Felin. hîc num. 1. & Fagnan. num. 26.

XVI. Porrò ex altera parte hujus c. colligitur, quòd mortuo Cardinale, ſpectato Jure communi, & ſeclusâ reſervatione Pontificia, tota adminiſtratio, & juriſdictio Cardinalis devolvitur ad Capitulum, ſeu Collegium Eccleſiæ Collegiatæ, quæ fuit Titularis ejuſdem, ſicut mortuo Epiſcopo, tranſit ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis. Idque ſatis apertè colligitur ex hoc c. in quo Pontifex ſibi poteſtatem corrigendi, & excommunicandi, aliáſque cenſuras ferendi reſervavit, propter bonum pacis: ergo, ſi reſervatio facta non fuiſſet, ea poteſtas Jure communi ad Capitulum tranſijſſet, ac proinde Capitulum ſaltem Eccleſiæ omnino exemptæ, quæ quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habet, vacante Prælaturâ, poteſt judicare, corrigere, abſolvere, & cenſuras ferre, & alia, quæ ad juriſdictionem, & adminiſtrationem pertinent, exercere, ſicut Capitulum Cathedrale, exceptis illis, quæ Sede vacante, expediri non poſſunt, ut eſt bonorum alienatio. Gl. hîc V. Pro bono pacis; Abb. n. 3. not. ult. quamvis plures diſſentiant, quoad poteſtatem corrigendi, ſeu puniendi crimina, & infligendi cenſuras, quam Papa hîc ſibi ſpecialiter reſervavit: nam Papa noluit hunc articulum decidere, quia conſuetudo Urbis allegabatur, ſecundùm quam Capitulum dicebatur habere poteſtatem

corri-

Digitized by Google

porrigendi, & cenſuras ferendi, ideo Pontifex ad vitandas lites, & ſcandalum, noluit hanc conſuetudinem approbare, ſed ex officio ſuo hoc ſibi reſervare. Innocent. hîc in fine.

Verùm iſtud eſt ſolùm divinare, & verba textûs ad ſenſum improprium trahere, ut notat Abb. c. l. nam propter pacem, & concordiam, ſolùm ſe eam reſervationem feciſſe, ait hîc Pontifex, multa enim pacis conſervandæ causâ de jure conceduntur, quæ aliàs non concederentur, c. ult. de tranſact. Barb. hîc in Collect. n. 5. addit tamen Fagnau. hîc n. 35. quòd hodie, mortuo Cardinale, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ Titularis non poſſit cauſas criminales cognoſcere, nec cenſuras promulgare, quia ea poteſtas, etſi Jure communi, Capitulo competeret, per reſervationem Papæ ei eſt ablata, quæ, cùm ſit inſerta Corpori Juris, facit Jus commune inter perſonas expreſſas, ſicut privilegium in Corpore Juris contentum.

De poteſtate autem, quam, vacante Sede, habet Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, vel etiam non Cathedralis, & non exemptæ, infrà agetur.

XVII. Quæritur 3. Quam obedientiam, & reverentiam Moniales exhibere debeant ſuæ Abbatiſſæ? Reſp. De hoc agitur in c. Dilecta; 12. h. t. Nam quædam Abbatiſſa conqueſta eſt Papæ Honorio III. quòd, cùm ipſa Canonicas ſuas (loquitur de Secularibus. Gl. hîc V. Canonicas; de quibus ſupr. tit. 6. ſect. 4. §. 3. in fin. idémque multò magìs locum habet, in Monialibus Regularibus) & Clericos ſuæ jurisdictioni ſubjectos, ſuſpenderet ab officio, & beneficio, ob culpas, & innbedientias eorum, ipſi ſcientes, quòd eos excom̃unicare nõ poſſet, ſuſpenſionem hujuſmodi non obſervent, unde delicta eorum impunita manerent. Quare mandat Papa cuidam Abbati, ut dictas Canonicas, & Clericos per cenſuras Eccleſiaſticas compellat ad obedientiam, & reverentiam debitam eidem Abbatiſſæ exhibendam, & ſalutaria ejus monita, & mandata obſervanda.

XVIII. Notandum 1. Etſi Abbatiſſa non poſſit excommunicare ſibi ſubjectos, quia ea poteſtas ſpectat ad poteſtatem clavium Eccleſiæ, cujus eſt incapax mulier, poteſt tamen implorare officium ſuperioris, & petere, ut ipſe excom̃unicet ſubditos inobedientes, & contumaces, uti ſumitur ex hoc c. Abb. hîc n. 3. imò nec vir, qui nullum Ordinem habet, nec quidem Clericalem Tonſuram, excom̃unicare poteſt, etiamſi ſit perſona Eccleſiaſtica, ut Monachus, qui Clericus non eſt. Abb. hîc n. 5. ex quo infert, quòd, ſi eſſet Collegium aliquod Religioſorum non habentium Ordinem, non poſſet Superior excommunicare ſuos ſubditos, etiamſi aliàs jurisdictionem in eos habeat.

Notandum 2. Quando in hoc c. dicitur, quòd Abbatiſſa Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, propter inobedientias, & culpas eorum, ab officio, & beneficio ſuſpenderit, id non debet intelligi de ſuſpenſione propriè, & ſtrictè acceptâ pro cenſura Eccleſiaſtica, ob cujus violationem irregularitas incurritur, & quæ pendet à poteſtate clavium Eccleſiæ, & in fœminam cadere non poteſt, ut jam dictum: ſed de ſuſpenſione impropriè, & largè ſumptâ, pro præcepto, ſeu mandato, per quod Abbatiſſa Clericis ſibi ſubjectis prohibere poteſt, ne celebrent Miſſas, donec ſatisfecerint, atque interim fructibus beneficiorum eos privare, ut colligitur ex fine hujus c. ubi ſuſpenſio illa ab officio, & beneficio, non jam ſuſpenſio vocatur, prout antea, ſed ſalutaria monita, & mandata, ad quæ obſervanda Clerici Abbatiſſæ per accidens ſubjecti, ratione alicujus Capellæ, vel Parochiæ, ex privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcriptâ pleno jure ad ipſam pertinentis, per Eccleſiaſticam cenſuram compellendi ſunt à Prælato, alióve Superiore, qui poteſtatem excommunicandi, aliáſque cenſuras infligendi habet. Abb. hîc n. 5. Sylveſt. V. Abbatiſſa; num. 6. Azor p. 1. l. 13. c. 10. q. 6.

XIX. Quæritur 4. An Clerici Epiſcopo ſubjecti teneantur ad præſtandam ei obedientiam in ſcripto, vel per juramentum? Reſp. Si Epiſcopus à ſimplici Clerico, ſeu Beneficiato, qui adminiſtrationem, vel curam animarum non habet, ſibi ſubjecto ſponſionem obedientiæ in ſcripto, vel etiam cum juramento exigat, non tenetur Clericus ei parêre, quandoquidem Epiſcopus veluti injuriam ipſi infert, exigendo ab eo promiſſionem ſcriptam, vel juratam, cùm ſufficiat promiſſio verbalis, aut manuâlis. Ita ſumitur ex c. Legebatur; 3. h. t. & ibi Gloſſ. magn. in princ. Nam cùm quidam electus fuiſſet in Prælatum alicujus Eccleſiæ, & confirmatus; aliquis frater, Atticus nomine, ſtatim venit volens ei præſtare obedientiam, ſed Prælatus juſſit, ut in ſcriptis ſe obligaret ad ſervandam obedientiam, quod ipſe fecit. Hoc intellecto, Leo Papa reſcripſit, quòd Prælatus velut injuriam quandam dicto fratri intulerit, quia non fuit neceſſarium, ut obligaretur ſcripto, qui ſponte adveniens obedientiam ſuam exhibuit. Etſi verò in hoc c. ſolùm mentio fiat de promiſſione obedientiæ per ſcripturam, tamen communiter Canoniſtæ hoc c. intelligunt etiam, ſi fiat per juramentum, ut patet ex ſumma hujus c. & ex c. Nullus; 5. de jurejur. Ratio eſt, quia injuria fit ei, à quo major cautio, v. g. jurata, vel fidejuſſoria exigitur, cùm ſufficiat ſimplex, ſeu verbalis promiſſio, ſi leve ſit debitum, & obligatus ad ſolvendum ſit idoneus: & multò magis injuria fit debitori, ſi paratus præſtare fidejuſſoriam cautionem, vel per pignora, conjiciatur in carcerem, ideóque, & injuriarum actione contra talem Judicem agi poteſt, l. Si verò; 5. ff. Qui ſatiſd. cog. & l. Nec Magiſtratibus; 32. ff. de injur. Abb. hîc not. 1. Felin. in princ. Porrò, quod dictum eſt, procedit ſolùm in Clericis ſimplicibus nullam adminiſtrationem habentibus: nam utrùm Parochi, ſeu Curati, tempore inveſtituræ, teneantur juramentum obedientiæ præſtare Epiſcopo, id pendet ex cujuſque Eccleſiæ conſuetudine. Abb. hîc in Gl. 1.

XX. Præterea etiam ſimplices beneficiati Seculares, qui animarum curam, & adminiſtrationem non habent, ſicut & Regulares, ad juramentum obedientiæ Prælato ſuo præſtandum compelli debent, ſi inobedientes, ac rebelles, & contumaces fuerint, vel de inobedientia ſuſpecti, prout ſumitur ex c. Cùm in Eccleſijs; 10. h. t. Nam cùm Canonici Regulares alicujus Eccleſiæ ſuo Priori inobedientes eſſent, & in alijs etiam delinquerent, ſignificatum id fuit Papæ Innocentio III. qui illis mandavit, ut in ijs, quæ ad Deum pertinent, Priori ſuo obedirent, cui mandato omnes paruerunt, exceptis quatuor, qui contra Priorem ſuum ſe ſuperbè erigentes, quamvis de obedientia ipſi præſtanda corporale juramentum edidérint, tamen per omnia ipſi reſtiterunt. Quare

idem Prior eos excommunicavit. Et licèt eos ab excommunicatione abſolvere vellet Prior, ſi jurare parati ſint de parendo ejus mandatis, tamen id dicti Canonici detrectârunt, (ut habetur in antiqua lectione apud Abbat. hîc in caſu, & Imolam) ſed ad Sedem Apoſtolicam ſe contulerunt. Cùm autem Papa plurium Prælatorum authenticis litteris (id eſt, ſigillis eorum munitis. Hoſtienſ. hîc V. Authenticas;) certior eſſet factus de Canonicorum iſtorum contumacia, recepto ab eis juramento corporali, ſecundùm formam Eccleſiæ, eoſdem ab excommunicatione abſolvit, præcipiens illis, ut ad clauſtrum ſuum redeuntes, Priori ſuo humiliter obedirent: ſimul verò mandavit duobus Abbatibus, ut Canonicos illos ad obediendum Priori ſuo per cenſuras Eccleſiaſticas compellant: & ne de ſua contumacia, & malitia poſſint gloriari, cogant eos ad præſtandum Priori ſuo juramentum, (ſi expedire videbitur) de parendo ipſius mandato, quod antè ſuperbè ipſi negaverant: ſi verò hæc facere recuſent, è Fratrum conſortio penitus excludantur.

XXI. Hinc colligitur 1. Quòd ſubditi regulares teneantur obedire Prælato ſuo in ijs, quæ ad Deum pertinent, ſecus, ſi quid præcipiat contra Deum, vel, ſi excedat limites officij ſui. Hoſtienſ. hîc V. Pertinent; & Abb. not. 1.

Colligitur 2. Quòd Abbas, vel etiam Prior, qui inſtar Abbatis Monaſterio cum juriſdictione præeſt, habet poteſtatem excommunicandi ſuos ſubditos Regulares, vel alias cenſuras infligendi, propter eorum contumaciam, utì etiam habetur in c. Sicut; 33. de ſimonia, & ibi Gl. V. Sub interminatione anathematis, Gloſſ. hic V. Excommunicationis; & Abb. not. 2. & 3.

Colligitur 3. Quòd etiam Regulares poſſint compelli ad promittendam obedientiam Prælato ſuo per juramentum, ſi priùs ſe reddiderunt ſuſpectos de inobedientia, vel contumaces extiterunt in obediendo. Gloſſ. hîc V. Juramentum; & Abb. in notat. ubi addit, idem obſervandum eſſe in Clericis Secularibus non curatis, arg. hujus c.

Colligitur 4. Perjurus iterum ad jurandum compelli poteſt, quando juramentum tendit in ſui præjudicium, ſive cedit in novam obligationem jurantis: non autem, ſi id cedat ad relevandum perjurum ab onere, ſeu obligatione, ſive in ejus honorem, vel aliorum præjudicium, quia ſemel perjurus nunquam ampliùs admittitur ad ferendum teſtimonium, juxta c. Teſtimonium; 54. de teſtib. Gloſſ. hîc V. Juramento; & Abb. n. 4.

Colligitur 5. Si Religioſi Inobedientes Prælato, etiam poſtquam excomunicati fuerunt, perſeverent in contumacia, à conſortio aliorum ſunt ſeparandi, ne alios, velut ovis ſcabioſa inficiant, ita, ut conjiciantur in carcerem, non autem expellantur ex Ordine, ne illis detur occaſio vagandi, & delinquendi, niſi fiant penitus incorrigibiles. Abb. hîc not. ult. & Imol. n. 8.

XXII. Prædictis addendum, ſi Archiepiſcopus ab Epiſcopo Suffraganeo ſuo juramentum obedientiæ, ac fidelitatis (quod olim Epiſcopi Metropolitano ſuo, à quo confirmabantur, nunc verò S. Pontifici præſtant, à quo confirmationem etiam hodie accipiunt) exigat, præter formam præſcriptam à SS. Canonibus, & ad plura ſe extendens, quàm alioquin Suffraganei Metropolitanis ſuis jurare conſueverunt: tunc Suffraganeus, ſeu Coëpiſcopus tali juramento, quoad illa, quæ præter formam canonicã in eo continentur, non obligatur, ut conſtat ex c. Dilecti; 13. h. t. ubi habetur, quòd Archiepiſcopus, & Patriarcha Grandenſis ab Epiſcopo Caſtellano juramentum exegit, præter formam Canonicam, & quàm alioquin Suffraganei Epiſcopi Metropolitanis ſuis præſtare conſueverunt. Quare Archidiaconus, & Capitulum Caſtellanum, cùm viderent per hoc præjudicium Eccleſiæ ſuæ generari poſſe, ad Sedem Apoſtolicam appellârunt. Unde Papa Gregorius IX. mandat, ut Grandenſis Patriarcha contentus ſit eâ formâ Canonicâ juramenti, quod ipſe Pontifex ab Epiſcopis immediatè ſibi ſubjectis recipere ſolet (ut habetur in c. Ego N. 4. de jurejur.) & nihil prætextu juramenti, ultra illam formam, quod vi conſuetudinis ſe recepiſſe, aſſerit, ab Epiſcopo Caſtellano exigat: cùm Papa ipſum ab hujuſmodi juramento, quoad alios ultra communem formam Canonicam, in eo contentos articulos abſolverit, vel potiùs, non eſſe obligatum, declaraverit. Ratio eſt, quia cùm juramentum illud præſtitum fuerit in damnum Eccleſiæ, & in præjudicium tertij, ideo non tenuit, neque enim eſt vinculum iniquitatis, c. Quanto; 18. de jurejur. & juramenta contra ſtatuta Canonum edita non valent. Gloſſ. hîc V. Juramenti.

XXIII. Hinc colligitur 1. Si ex facto Epiſcopi, vel alterius Prælati præjudicium inferatur Eccleſiæ, poteſt Capitulum ſe opponere, & appellare, etiam invito, & contradicente Prælato, & repetere, quod occaſione talis juramenti datum eſt, quia Prælatus non poteſt deteriorem facere conditionem Eccleſiæ ſuæ, Gl. hîc V. Appellârunt; & Abb. n. 1. imò, & alius quilibet Clericus Eccleſiæ illius ſe opponere poteſt, & appellare, cùm ejus quoque interſit, c. Si quis; 6. de reb. Eccl. non alien. ut in caſu hujus c. Archidiaconus; qui non eſt de Capitulo, niſi ſimul ſit Canonicus, vel, niſi aliud habeat conſuetudo. Abb. hic not. 1. quòd ſi nemo ſe opponat, Superior ex officio ſubvenire debet Eccleſię, ne damnum patiatur. Abb. hîc n. 3. Imol. n. 7. Similiter, ſi dominus alicujus loci, aut territorij velit illud ſubjicere juriſdictioni alterius domini, poſſunt ſubditi, aut vaſalli contradicere, cùm ipſorum interſit, non habere multos dominos, vel dominum mutari. Abb. hîc n. 1. & Imol. n. 5.

Colligitur 2. Quamvìs juramentum Epiſcopi in caſu hujus c. fuerit ſolùm perſonale, quia ipſum tantùm obligabat, nec tranſibat ad ſucceſſorem, cùm nemo niſi ſe ipſum obligare poſſit promiſſione ſimplici, non alium, adeóq; nec acceſſione juramenti, quod ſequitur naturam actûs, cui adjicitur: tamen quia, exactum fuit ab Epiſcopo, prætextu conſuetudinis, conſequenter ita, ut eſſet onus reale ipſius Sedis Epiſcopalis, & tranſiens ad ſucceſſores, Ideo potuit, ac debuit Capitulum ſe opponere, ne tale onus Eccleſiæ imponeretur. Imol. hîc n. 8.

Colligitur 3. Quòd juramentum præſtitum ab Epiſcopo in caſu hujus c. partim fuit validum, quatenus juſtè fuit præſtitum, ſecundùm formam Canonicam; partim invalidum, quatenus illicitè contra Canones, nec vitiatur propter partem inutilem, cùm una pars ſeparari poſſit ab alia, Gloſſ. fin. hic.

Colligi-

Colligitur 4. Quòd Metropolitanus, vi diuturnæ conſuetudinis, acquirere poſſit jus, ut Suffraganeus teneatur ei præſtare juramenrum obedientiæ, ſecundùm certam formam alienam à Jure Canonico, ſeu in illo non expreſſam, ſed non, niſi per conſuetudinem immemorialem: cùm enim talis conſuetudo ſit contra Jus commune Canonicum, non poteſt contra Eccleſiam præſcribi, vel induci ſine titulo, niſi per tempus immemoriale, juxta c. 1. de præſcript. in 6. quod inducit præſumprionem, ex juſta cauſa id indnctum fuiſſe. Abb. hìc n. 3. in Gl. pen. contra Gl. hìc V. Conſuetudinis.

XXIV. Quæritur 5. Quomodo componenda ſit controverſia orta inter Clericos de ſuperioritate unius, & ſubiectione alterius? Reſp. de hoc agitur in c. Humilis; 17. & ult. h. t. Nam cùm orta fuiſſet controverſia inter Burdegalenſem, & Bituricenſem Archiepiſcopos de jure Primatûs, quis eorum debeat eſſe Primas, quod Bituricenſis ad ſe pertinere contendebat: Papa Gregorius IX. quandam inter ipſos proviſionem fecit, per qnam partes componerentur, eámque miſit quibuſdam à ſe delegatis, mandans eiſdem, ut ſuper ea proviſione conſenſum Prælatorum Burdegaleuſis provinciæ tuuc præſentium, nec non Cathedralium Capitulorum eiuſdem: ex altera verò parte, Bituricenſis Capituli conſenſum requirerent, eóque habito, proviſionem illam publicarent. Quòd ſi aliqui conſenſum dare noluerint, tum delegati proviſionem non publicent, ſed contradicentes, ſi Prælati fuerint, perſonaliter, vel, ſi Capitula, per idoneos procuratores ad Sedem Apoſtolicam accedere compellant, ut ibi proſequantur jus, ſi quod habent, & ſatisfaciant alteri parti (ſi ſuccubuerint) in expenſis.

XXV. Pro explicatione huius c. notandum 1. In cauſis arduis concernentibus totam provinciam, non tantùm conſenſus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorùm ipſius Provinciæ, qui ordinariam juriſdictionem habent, ſed etiam Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium requiritur, quia omnium eorum intereſt. Navarr. hic n. 2. & Abb. not. 1. & in Gloſſ. 2. quia Dominus non poteſt compoſitionem facere ſuper jure ſuperioritatis, in præjudicium ſubditorum, ſine eorum conſenſu, nam intereſt ſubditorum, non habere multos Dominos, vel mutare Dominum, adeóque nec Archiepiſcopus in caſu huius c. componere potuit ſuper Primatu, ſine conſenſu Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, & Capitulorum, ſaltem Cathedralium provinciç. Et quamvìs aliàs, quando agitur de rebus concernentibus ſingulos, etiam ſingulorum conſenſus requiri debeat: ſecus tamen eſt, ſi agatur de cauſa concernente univerſitatem Eccleſiarum Provinciæ, vel Diœceſis: tum enim ſufficit, Prælatos, & Capitula Cathedralia convenire, & majorem eorum partem conſentire, quia hi, cùm ſint præcipui, repræſentant totum Clerum, & res univerſitatis expediuntur per Rectores, & majores univerſitatis. Innocent. hìc num. 1. & Abb. hìc in Gloſſ. 2.

Porrò ideo in caſu huius c. requiritur conſenſus Prælatorum, & Capitulorum Cathedralium Provinciæ Burdegalenſis, quia eorum intereſt conſentire, vel contradicere, nam per illam proviſionem ſubjiciebantur Archiepiſcopo Bituricenſi, tanquam Primati, ita, ut hic viſitare eos poſſet, & eorum cauſæ ad ipſum deferri poſſent per appellationem gradatim, &, ob negligentiam eorum, devolveretur etiam ad ipſum collatio beneficiorum: ex altera verò parte ſufficiebat conſenſus Cathedralis Capituli Bituricenſis, quia per illam proviſionem reſervabatur jus Primatûs Archiepiſcopo Bituricenſi, & ſic nihil intererat Prælatorum illius provinciæ, nec de illorum præjudicio agebatur, ſed ſolùm requirebatur conſenſus Capituli eiuſdem provinciæ, quippe qui requiritur, ut Prælatus litigare poſſit in judicio, ſaltem in gravibus cauſis, Gl. hìc V. Prælatorum junctâ Gl. margin. lit. A.

XXVI. Notandum 2. Licèt aliàs regulariter ſufficiat, ſi Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus requirat conſilium Capituli. c. Novit; 4 & c. ſeq. de his, quæ fiunt à Præl. &c. tamen in cauſis arduis, ſeu magni præjudicii, quæ concernunt ſtatum Epiſcopatûs, vel provinciæ, non tantùm conſilium, ſed etiam cōſenſus Capituli Cathedralis eſt neceſſarius, ídque propter communionem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Capitulum, tanquam caput, & corpus, prout ſumitur ex hoc c. & tradit ibid. Innocent. n. 2. Joan. Andr. n. 6. & Abb. n. 1. not. 3.

Notandum 3. De Jure communi ad tractanda negotia Univerſitatis, etiam ardua, & gravis momenti, non eſt neceſſarium, ut vocentur Capitulares abſentes, præterquam in electione Prælati, prout colligitur ex hoc c. ibi: *in ea præſentium*, & Gl. hìc V. eod. & Abb. not. 2. quamvìs ſecurius ſit, ut, ſi res ſint valde arduæ, etiam abſentes, quatenus fieri poteſt, vocentur, cùm aliqui DD. id neceſſarium eſſe, putent, ídque in quibuſdam Eccleſiis conſuetudine receptum eſſe, ait hìc Laym. n. 3.

Notandum 4. Compoſitionem faciendam, nomine Collegij, etiam unus ſolus ex Collegio contradicendo impedire poteſt, quia compoſitio eſt actus voluntarius, in actibus verò merè voluntariis omnes de Collegio conſentire debent, præſertim, ſi prætendere poſſint, actum cedere in præjudicium Collegij, Abb. hìc n. 2. not. 6. ubi tamen addit, quòd, ſi compoſitio tenderet in utilitatem Collegij, ea non poſſet per contradictionem unius impediri.

Notandum 5. Capitula Eccleſiarum non debent citari, ut perſonaliter ſinguli compareant, ſed, ut procuratorem mittant, nomine omnium, quia aliàs Eccleſiæ ſervitio Miniſtrorum deſtituerentur, prout ſumitur ex hoc c. & tradit Abb. hìc not. 7.

XXVII. Quæritur 6. Quæ ſint pœnæ Jure Canonico decretæ in eos, qui ſunt inobedientes ſuis Superioribus, ſeu Prælatis Eccleſiaſticis, eorúmque ſtatutis? Reſpondetur 1. Qui decretis, ſeu ſtatutis Epiſcoporum, aliorúmque Prælatorum, ſeu ſuperiorum Eccleſiaſticorum per contumaciam non obtemperaverint, excommunicari debent, prout habetur in c. Si quis; 2. h. t. ubi dicitur: Si quis venerit contra decretum (juſtum ſcilicet, Gl. hìc V. decretum) Epiſcopi (vel alterius Prælati Eccleſiaſtici) abjiciatur (id eſt, excommunicetur. Hoſtienſ. hìc V. eodem) Et in libro Regum 3. c. 1. legitur: *qui non obedierit Principi, morte moriatur.* Et in Concilio Agathenſi: Anathematizetur. Ubi per mortem intelligitur, vel mors æterna, ſeu ſpiritualis animæ: vel moriatur, id eſt, excommunicetur, nam mors in Jure Canonico quandoque accipitur pro excommuni-

catione majore; c. Per venerabilem; 13. qui filij ſint legitimi: vel, ſicut non obediens Principi, ſeu Judici ſeculari morte corporali punitur, ita non obediens Judici Eccleſiaſtico morte civili puniendus eſt, ſcilicet per excommunicationem. Abb. hic n.4. Hæc autem pœna excommunicationis non eſt infligenda, niſi propter inobedientiam, quæ ſit, vel ſecundùm ſe gravis culpa, vel propter adjunctas circumſtantias, cui inſuper contumacia accedat, ut tradunt communiter DD. ſuo loco.

XXVIII. Reſp. 2. Qui Canonicis Conſtitutionibus non obediunt, inobedientiæ notam, ſeu quodammodo infamiam incurrunt, prout ſumitur ex c. Illud; 5. h.t. Nam, cùm Epiſcopus Hildesheimenſis, relictâ ſuâ Eccleſiâ, propriâ auctoritate, ad Eccleſiam Herbipolenſem tranſiiſſet, prætendens, quòd id feceri propter commodum temporale illius Eccleſiæ, Papa Innocentius III. hanc excuſationem reiecit, quia ſpiritualia ſunt digniora temporalibus, & obedientia melior eſt, quàm victima, ideòque propter temporale commodum alterius Eccleſiæ non debuit, Epiſcopus inobedientiæ notam (id eſt, infamiam, ut explicat Hoſtienſ. hic V. eod. & Abb.) incurrere, nec Apoſtolicis mandatis contravenire: Nam occaſione, ſeu prætextu pietatis non eſt facienda impietas. c. Non eſt; 27. cauſ. 1. q.1. Gl. fin. hîc, & non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ad Rom. 3. Eſt autem talis infamia Canonica, quæ ſublato peccato, ex quo provenit, per pœnitentiam tollitur. Abb. hic in fine.

§. III.

An minor, ſeu inferior poſſit exercere Iuriſdictionem, ac poteſtatem in maiorem, ſeu ſuperiorem, & hic ſubjici minori?

XXIX. De hoc agitur in c. Cùm inferior; 16. h. t. ubi habetur, quòd, cùm Archiepiſcopus Colonienſis, ex licentia, ac mandato Papæ, Monaſterium quoddam in Archidiaconatu Firmienſi Diœceſis Colonienſis conſtitutum in Eccleſiam Cathedralem erexiſſet, Archidiaconus Firmienſis in Epiſcopum ibi conſecratum, & Eccleſiam eius juriſdictionem exercere præſumpſit. Quare, cùm inferior regulariter Superiorem nequeat ſolvere, & ligare, ſed Superior inferiorem: & abſurdum videatur, ut filius poteſtatem habeat in parentem, ideo Papa Gregorius IX. mandat Archiepiſcopo Colonienſi, ut dicto Archidiacono inhibeat, ne de cætero aliquid huiuſmodi erga Epiſcopum, & Eccleſiam eius attentare audeat, cùm dictus Epiſcopus à juriſdictione ipſius Archidiaconi ipſo facto ſit exemptus. Quòd ſi per hoc jura Archidiaconi Firmienſis lædantur in Diœceſi Colonienſi, tum ipſi aliunde in eadem Diœceſi, ubi Archiepiſcopus expedire judicaverit, congruentem compenſationem facere debet, abſque præjudicio tamen juris alieni.

XXX. Notandum 1. Si inferior Eccleſia Collegiata, aut Conventualis, ſive Secularis, ſive Regularis, auctoritate Papæ, erigatur in Cathedralem, ipſo facto ſit exempta à juriſdictione Prælati Epiſcopo inferioris, v. g. Archidiaconi, ut in caſu huius c. & docet Abb. hic o. ult. & Imol. n. 2. Ratio eſt, quia haud conveniens eſt, ut Epiſcopus, qui in culmine poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt conſtitutus, ſubjiciatur juriſdictioni inferiori, videlicet Archidiaconali, vel alij inferiori.

Hinc ſequitur 1. Si Epiſcopo de novo conſtituto aſſignata ſit propria Diœceſis, intra cuius fines Archidiaconatus exiſtit, tum ſpectato Jure communi, etiam Archidiaconatus illi ſubiectus erit. arg. c. Regenda; 4. cauſ. 10. q. 1. & c. Cùm perſonæ; 7. de privil. in 6. Abb. hic in fine. Si verò Archidiaconatus in diſtrictu novæ Diœceſis non ſit ſitus, tum neque Archidiaconus novo Epiſcopo, neque hic illi ſubjectus erit. Laym. hic n. 2.

XXXI. Sequitur 2. Si Archiepiſcopus delinquat in Diœceſi ſui Suffraganei, ſeu Coepiſcopi, non poteſt ab illo puniri, quia inferior non poteſt ligare, nec ſolvere, aut judicare Superiorem ſuum, ſed conveniendus erit Archiepiſcopus coram Judice ſuperiore, videlicet coram Patriarcha, vel Papa, ſi ſit ei immediatè ſubiectus, & ab ipſo puniendus erit: ſicut etiam, ſi Epiſcopus delinquat intra fines Archidiaconatûs ſibi ſubordinati, & ſubiecti, non ab Archidiacono, quippe inferiore, & ſubdito ſuo, ſed à Metropolitano ſuo puniri debet, ſecundùm doctrinam Innocentij hic in princ. communiter receptam. Verumtamen, ſi extraneus Epiſcopus delinquat in territorio Abbatis, vel Prælati exempti, poteſt ab illo puniri, quia ratione delicti ſit illi ſubditus; nam Epiſcopus in aliena Diœceſi, vel territorio delinquens, in quo nullam juriſdictionem habet, cenſetur quaſi privata perſona. arg. l. Præſens; 3. junctâ Gl. verb. Privatus eſt; ff. de offic. Præſid. ubi dicitur, quòd præſes provinciæ in alieno territorio cenſetur privatus. Abb. hic not. ult. & in c. Sanè; 3. n. 4. de foro compet. majoritas enim quam hic habet ſe merè per accidens, adeòque non tantùm à pari Epiſcopo, ſed etiam ab inferiore Prælato poteſt judicari, & puniri Epiſcopus extraneus, ratione delicti in illius territorio commiſſi. Simili ratione, ſi Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus delinquat in Diœceſi aliqua extra ſuam provinciam, ratione delicti ſubjicitur juriſdictioni Epiſcopi illius loci, & ab eo puniri poteſt, quia hic non eſt illius Suffraganeus, nec ſubditus, ſed potiùs, quoad illam cauſam, major illo; ſicut delegatus Papæ, v. g. Præpoſitus, vel Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, licèt ſit minor Epiſcopo, poteſt auctoritate delegatâ excommunicare Epiſcopum ſecundùm ſe majorem, quia in illa cauſa delegatus non eſt minor, ſed major illo. c. Sanè; 11. de offic. deleg. Abb. c. l. non tamen poteſt talis Prælatus inferior procedere contra Epiſcopum delinquentem in ſua Diœceſi in criminibus, & cauſis majoribus, quippe quæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. c. 2. de tranſl. Epiſc. Abb. c. l.

Nec obſtat, quòd inconveniens ſit, ut major ſubjiciatur minori: ergo nec Archiepiſcopus alieno, ſeu extraneo Epiſcopo, nec Epiſcopus alteri Prælato inferiori ſubjici poteſt. Nam reſpondetur, quòd major ei, cuius eſt major, ſeu ſuperior, inferiori, ac ſubdito ſuo non debeat ſubjici, ut Archiepiſcopus ſuo Suffraganeo, vel Epiſcopus Archidiacono ſibi ſubiecto: bene tamen poteſt, ratione delicti, v. g. major ſubjici minori, ſeu inferiori, cuius non eſt major,

Digitized by Google

ſeu ſuperior, ut Archiepiſcopus Epiſcopo alieno, & extraneo: Epiſcopus Archidiacono alterius diœceceſis, quia reſpectu illius habet ſe, ut perſona privata: & poteſt idem homo uno reſpectu eſſe maior, & alio reſpectu minor altero. Gl. hîc V. Ligare, & Abb. not. ult. in fine.

Deinde, cùm dicitur, quòd minor, ſeu inferior non poſſit ligare, aut ſolvere majorem, ſeu ſuperiorem, id limitandum eſt, niſi maior, ſeu ſuperior ſponte ſe illi ſubjiciat, in caſibus à lege, ſeu Canone permiſſis, tunc enim ſe ſubjiciendo major fit minor: ſic S. Pontifex, qui non recognoſcit ſuperiorem, poteſt ſe ſubjicere Confeſſario ſuo in foro pœnitentiæ. Abb. hîc in Gloſſ. 1.

XXXII. Notandum 2. Regula illa deſumpta ex hoc c. & ex l. 3. ff. de re judic. qui poteſt ligare, poteſt & ſolvere, & è converſo, qui poteſt ſolvere, poteſt & ligare, quia hæc duo ſunt connexa, juxta Gl. hîc communiter receptam V. Ligare; intelligi debet, ut procedat, quando unum horum ex officio, ſive jure ordinario alicui competit, tum enim etiam alterum competere debet: ſecus tamen, ſi alicui committeretur nuda poteſtas ligandi, ſeu excommunicandi, vel abſolvendi, tunc enim non hoc ipſo habet quis poteſtatem quoque alteram, quæ illi conceſſa non eſt, Joan. Andr. hîc n. 11. & Abb. in Gl. 1. Deinde id intelligendum eſt de juriſdictione fori externi: nam in foro conſcientiæ Parochi jure ordinario poſſunt abſolvere ab excommunicationibus non reſervatis, & tamen ligare non poſſunt, ſive excommunicare, ut patet ex dictis ſuprà tit. 31. n. 131. Item fallit etiam in juriſdictione fori externi, quam habet Legatus à Latere, qui extra provinciam ſuam non poteſt excommunicare, & tamen percuſſores Clericorum abſolvere poteſt. arg. c. pen. de offic. Legat. Joan. Andr. hîc n. 11.

Notandum 3. Papa non intendit alterius juri præjudicium inferre, ſaltem grave, ideóque in hoc c. mandat, ut, ſi Archidiaconus, ob erectionem novi Epiſcopatûs, damnum paſſus ſit, recompenſatio aliunde ipſi fiat, ſed ſine damno quoque juris alterius. Gl. fin. hîc, & Hoſtienſ. in fine.

§. IV.

An Eccleſia, cuius Epiſcopus, ſeu Prælatus, vel etiam Capitulum, & Clerus, in hæreſin, vel ſchiſma incidit, iuriſdictionem, & alia iura, ac privilegia amittat?

XXXIII. De hoc agitur in c. Inter quatuor; 8. h. t. Nam cùm Eccleſia Conſtantinopolitana in ſchiſma, ac rebellionem incidiſſet, Eccleſiæ Catholicæ, quæ ante ſubiectæ erant Patriarchæ Conſtantinopolitano, obedientiam, & ſubiectionem ei denegârunt, & ſe ab illa Eccleſia ſeparantes, Catholicæ Eccleſiæ Romanæ adhæſerunt. Sed poſtquam Côſtantinopolis à Venetis denuò recepta, & Catholicus Patriarcha ibi conſtitutus fuit, is petiit ab Innocentio III. ut Eccleſiæ illæ, quæ tempore ſchiſmatis, ab obedientia, & ſubiectione Eccleſiæ, & Patriarchæ Conſtantinopolitani receſſerunt, nunc, poſtquam illa Eccleſia ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ Romanæ rediit, etiam ipſæ ad priſtinam obedientiam, & ſubiectionem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, eiúſque Patriarchæ compellantur. Ad hoc reſpondit Papa, ſe ob duplicem cauſam petitionem illius admittere non poſſe, tum quia iſtæ Eccleſiæ, earúmque Epiſcopi, antequam recuperaretur Conſtantinopolis, non obediebant Patriarchæ illi, & ſic non erat Eccleſia Conſtantinopolitana in poſſeſſione ſubiectionis: tum quia in abſentia illorum Epiſcoporum, quibus illæ Eccleſiæ de facto ſunt ſubiectæ, cùm nec citati, nec convicti ſint, nec contumaciter abſint, nihil in eorundem præjudicium ſtatui poteſt. (nam Patriarcha petebat, extra judiciū, illas Eccleſias ſibi ſubjici, Gl. hîc in caſu) Quòd ſi verò Patriarcha cōtra prædictas Eccleſias, & Epiſcopos judicialiter agere velit, ſe juſtitiam ipſi non negaturum. Idem ferè reſpondit Papa hîc in §. Super; ad alteram petitionem dicti Patriarchæ, videlicet, ut præſtaretur ſibi obedientia ab Archiepiſcopo, & Epiſcopis Regni Cypri, cùm & ipſi, ante inſtitutionem novi Patriarchæ, exempti fuerint, eo tempore, quo Eccleſia Conſtantinopolitana erat inobediens, & rebellis, & in eorum abſentia, nihil circa ſtatum illorum debeat immutari.

XXXIV. Pro declaratione huius c. & reſponſione ad quæſtionem ſuprà propoſitam notandum 1. Si Eccleſia aliqua in hæreſin, vel ſchiſma labatur, omnia Eccleſiaſtica jura, & privilegia, ſaltem quoad exercitium, & poſt declaratoriam ſententiam incurſæ hæreſis, aut ſchiſmatis, amittit, ita, ut inferiores Eccleſiæ in ſpiritualibus illi antea ſubiectæ, ab eius juriſdictione, & poteſtate ipſo facto eximantur: prout ſumitur ex hoc c. & de hæreſi colligitur ex c. Ut commiſſi; 12. §. Privandi de hæretic. in 6. & de ſchiſmate ex c. Novitianus; 6. cauſ. 7. q. 1. & c. Didicimus; 31. cauſ. 24. q. 1. & docet S. Thomas 2, 2. qu. 39. art. 3. Ratio eſt, quia, cùm hæretici, & ſchiſmatici non ſint membra Eccleſiæ, meritò etiam privantur Eccleſiæ juribus, & privilegiis. Laym. hîc n. 1.

XXXV. Notandum 2. Eſt tamen hîc ulteriùs diſtinguendum, nam, ſi Epiſcopus, vel Prælatus ſolus in hæreſin, vel ſchiſma ſit lapſus, tum, ipſo excommunicato, vel privato juriſdictione, aliiſque juribus Epiſcopalibus, non ideo Eccleſia amittit jura ſua, ac privilegia, ſed illa retinet. Felin. hîc n. 3. quia delictū perſonæ non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare. reg. juris 76. in 6. & cùm Prælatus jura Eccleſiæ non poſſit per pactum alienare, aut perdere, ſine conſenſu Capituli, multò minùs poterit per propriū delictum. Idem viceverſâ dicendum, ſi Capitulares omnes deficiant à fide, & unitate Eccleſiæ, ſed Prælatus maneat Catholicus, is enim jura Eccleſiæ ſuæ retinet. Laym. de juriſd. Ordin. concl. 84.

Si verò non ſolùm Epiſcopus, ſeu Prælatus, ſed etiam totum Capitulum, & Clerus in hæreſin, aut ſchiſma labatur, etſi nonnulli DD. exiſtiment, tali caſu jura, ac privilegia manere penes Eccleſiam, ſicut omnibus peſte ſublatis, jura, ac privilegia loco adhærent, ut tenent Joan. Andr. hîc num. 4. & Abb. num. 5. Probabilius tamen eſt, hoc caſu, Eccleſiam amittere jura, ac privilegia ſua, quoad poſſeſſionem, & pro-

proprietatem ſeu dominium. Imola hîc n. 10. & Felin. n. 3. §. Secundus caſus, Laym. c. l. quia delictum Prælati, ſi Capitulum, ſeu Conventus conſentiat, Eccleſiæ obeſſe poteſt. arg. c. 2. junctâ Gl. V. Ipſius doli, de Ordin. cognit. Gl. in cit. reg. 76. V. Delictum, Bartol. in l. Jubemus; 10. n. 4. C. de SS. Eccleſ. Et generaliter in quibusvis Univerſitatibus receptum eſt, ut, ſi totum Corpus, ſeu Univerſitas delinquat, jura ſua, ac privilegia perdat. Laym. c. l. Cæterùm, ſi vel unus ex Capitularibus Catholicus maneat, tum omnibus aliis, etiam ipſo Prælato, deficientibus, ac privatis, jura Eccleſiæ penes illum unum manebunt. arg. l. Sicut; 7. ff. Quod cuiuſq. univ. nom. &c. Ratio eſt, quia, licet alioqui geſta à maiore parte Capituli valeant, etiamſi alij pauciores contradicant, ſi agatur de utilitate Eccleſiæ: poteſt tamen etiam unus contradicendo impedire, quò minùs geſta à maiore parte Capituli valeant, ſi agatur de delicto, & damno Eccleſiæ imputando. Laym. hîc n. 2.

XXXVI. Notandum 3. Si Eccleſia, quæ in hæreſin, vel ſchiſma incidit, ad fidei Catholicæ unitatem revertatur, tum vel ipſo jure recuperabit jura amiſſa, veluti titulo, ac jure poſtliminij, v. g. jus conferendi beneficia, jus præſentandi, percipiendi decimas, vel jus immunitatis à decimis, vel exemptionis à ſubiectione &c. ſi ea jura ſint vacantia, Imola hîc n. 10. & Felin. n. 4. arg. c. Quia; 5. de elect. Vel talis Eccleſia recuperabit jura amiſſa per Judicis ſententiam, petendo reſtitutionem in integrum, ſi illa jura ab aliis poſſideantur, ut colligitur ex hoc c. ubi Innocentius III. indicat, juſtam eſſe petitionem Patriarchæ, ut Eccleſia Conſtantinopolitana, quæ in ſchiſma, ac rebellionem inciderat, poſtquam rediit ad unitatem fidei Catholicæ, reſtituatur in priſtina jura, ac proinde Eccleſiæ Catholicæ, quæ ante ſchiſma ipſi ſubiectæ erant, ad priſtinam ſubiectionem eiuſdem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ revocentur: addit tamen Pontifex, hanc reſtitutionem fieri non poſſe, niſi citatis, & auditis ijs, quorum id intereſt. Abb. hîc num. 4. & 5.

Excipiendum tamen eſt, niſi jura illa auctoritate Principis, videlicet Papæ, in aliam Eccleſiam abſolutè, & non tantùm ſub conditione dependente ab Eccleſiæ defectione, vel rebellione, translata ſint, Imol. Abb. & Felin. locis citt. quia generatim loquendo, ſi privatus, aut proſcriptus in integrum reſtituatur, is reſtitui debet, ſine præjudicio eorum, quibus interim jus quæſitum eſt. arg. l. 2. ff. de Decurionib. & docet Bart. in l. Gallus; 29. §. Et quid ſi tantùm n. 11. ff. de liber. & poſthum. ſic, ſi Civitas aliqua, ob crimen perduellionis commiſſum, à Principe ſit privata juriſdictione, quam habebat in pagos, aut caſtra quædam, eáque alterius poteſtati, & juriſdictioni ſint ſubiecta: reſtitutâ poſtea in integrum Civitate, non ideo recuperabit juriſdictionem in pagos, & caſtra illa, ſi ea à Principe jam alteri fuit in perpetuum, & abſolutè conceſſa, vel donata, ob rationem jam allatam, quia reſtitutio ita debet fieri, ut non cedat in præjudicium eorum, quibus jus interim quæſitum eſt, Abb. cit. loc.

§. V.

De ſubiectione, & obedientia exhibenda Summo Pontifici.

XXXVII. De hac agitur inprimis in Extravag. Unam ſanctam; 1. h. t. inter communes: ubi Papa Bonifacius VIII. reſcribit: quòd una eſt ſancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, extra quam non eſt ſalus, nec remiſſio peccatorum, in qua unus Dominus, una fides, unum baptiſma: cuius Eccleſiæ unius, & unicæ, unum eſt Corpus, & unum Caput, non duo Capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique Succeſſor, dicente Domino ipſi Petro, Paſce oves meas Joan. 21. Quare, qui non fatentur, ſe eſſe comiſſos à Chriſto curæ Petri, eiúſque Succeſſorum, neceſſe eſt, non eſſe de ovibus, ſive grege Chriſti, qui Joan. 10. dicit, unum eſſe ovile, & unum Paſtorem. In hac Eccleſia duo ſunt gladij, ſpiritualis, & temporalis, ſeu materialis, primus eſt in manu Sacerdotis, qui ab Eccleſia exercetur: alter in manu Regum, & militum pro Eccleſia exercendus. Eſt autem gladius ſub gladio, ſeu poteſtas temporalis ſubordinata, & ſubiecta ſpiritiali poteſtati (in ijs ſcilicet, quæ ſpectant ad finem ſupernaturalem, & æternam ſalutem animæ, non in ijs directè, quæ proximè ſpectant ad finem temporalem, & politicum Reipubl. Suar. lib. 3. de legibus c. 6. n. 3. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 29. col. 4. §. His prænotatis; & alij apud Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. tit. 3. c. 2. n. 24. Unde poteſtas terrena, ſeu temporalis judicatur à poteſtate ſpirituali, ſuprema autem poteſtas ſpiritualis, quæ eſt in Papa, à nemine judicatur, niſi à Deo. Et ideo ſubeſſe Romano Pontifici omnem creaturam, eſſe omnino de neceſſitate ſalutis, definit, ac declarat idem Papa hîc in fine.

XXXVIII. Præterea in Extravag. Ut Prælatorum 2. inter communes h. t. prohibet Joan. XXII. ne Epiſcopi, & Prælati ijs Superiores, abſque rationabili cauſa, extra limites ſuæ Diœceſis, vel Provinciæ, mutato habitu, indiſcretè diſcurrant: & ne, ſi ad Curiam venerint, antequam ſe Pontifici coràm præſentaverint, ſine obtenta licentia eiuſdem, inde recedant: alioquin tam ipſi, quàm, qui eos receperint, ſi eos Papæ non manifeſtaverint, excommunicationem incurrant.

XXXIX. Similiter idem Joan. XXII. in Extravag. Etſi deceat; 3. h. t. Inter communes, prohibet, ne de cætero Præſul aliquis, niſi propter negotia Eccleſiæ ſibi commiſſæ, extra Diœceſin ſuam, audeat pernoctare, & ſtatuit inſuper, ut, quicunque Epiſcopus ad Romanam Curiam venerit, Papale palatium primùm viſitet, exhibiturus Papæ debitam reverentiam, ſi opportunitas detur: nec à Curia recedat, niſi ab ipſo, ſuper hoc petitâ, & obtentâ licentiâ. Qui ſecus fecerint, & qui tales recipere præſumpſerint, niſi ante eorum receptionem, Papæ ſignificaverint adventum illorum, pro infidelibus habeantur, & excommunicationi ſubiaceant.

XL. Poſtremò addenda hîc eſt alia Conſtitutio, quæ extat in Extravag. Eccleſiæ unic. Joan. XXII. h. t. Nam quia plures occupabant dominium, & ſe

» creari faciebant Poteſtates, & Capitaneos in civi-
» tatibus, terris, & caſtris ad patrimonium Eccleſiæ
» Romanæ pertinentibus, & eidem ſubiectis, ideo
» prohibet Pontifex, ne quis in poſterum tales Offi-
» ciales io iſtis locis cōſtituere præſumat, ſine ſpecia-
» li licentia Sedis Apoſtolicæ, & ſi de facto poſiti ſu-
» erior, populus illis non obediat. Quòd ſi ſint ali-
» quæ civitates, vel perſonæ particulares, quæ habe-
» ant jus eligendi tales Capitaneos à Sede Apoſtolica
» confirmaodos, vetat Papa, ne illis, ante debitam
» confirmationem obtentam, ulla obedieotia præſte-
» tur.

SECTIO II.

DE JURISDICTIONE, ET poteſtate Capituli.

XLI. De hac quoque agitur in hoc Titulo. Nomine autem, ſeu appellatione Capituli hîc intelligitur torum Collegium Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive ſoli Canonici Capitulares collegialiter cougregati, & iu majoribus, ſeu ſacris, ſaltem Subdiaconatûs Ordioe, coòſtituti, Clement. 2. de ætat. & qualit. præf. Azor p. 2. Inſtit. lib. 3. c. 37. q. 1. Portiouarij autem, & cæteri Beneficiari inferiores, in eadem Eccleſia, qui non habent ſedem, & vocem in Capitulo, non ſunt de Capitulo, ſeu Collegio. Abb. in c. 1. n. 11. de elect. Sub Capitulo autem comprehenditur etiam Præpoſitus, vel Decanus, qui immediatè Capitulo præeſt, cùm ſit præcipua pars Capituli, pars autem in toto continetur. Gl. in c. Poſt electiooem; 7. V. meutio. de conceſ. præb. & ibid. Abb. n. 9. idque ſumitur ex illo c. ubi in litteris ad Capitulum directis nulla facta eſt mentio de Decano, quia tanquam pars continetur ſub Capitulo. Azor c. l. q. 3. Sic Senatores nomine populi coutinentur. §. Plebiſcitum, Inſtit. de jure nat. gent. & civ. & familiæ nomine ipſe paterfam. ſive Dominus familiæ continetur. l. Familiæ; 196. ff. de V. S. Epiſcopus verò nomine Capituli comprehendi non ſolet, ſicut nec Abbas nomioe Conventûs; ſed Epiſcopus, & Capitulum tanquam diverſa, quorum unum in altero non continetur, commoniter accipiuntur, ut conſtat ex Rubrica Tituli de his, quæ fiunt à Prælatis, ſioe conſenſu Capituli, ubi Prælatus, ot à Capitulo diſtinctus, ponitur, & tradit Gl. communiter recepta in cit. Clement. 2. V. In eiſdem; & Abb. in cit. c. 7. n. 9. de conceſ. præb. quia jus Prælaturæ eſt diſtinctum à jure Capitulari, licèt Epiſcopus, ſeu Prælatus, & Capitulum faciant unum Corpus, & unam Eccleſiam, tanquam Caput, & membra. c. Novit; 4. de his, quæ fiunt à Præl. &c. caput autē diſtinguitur à reliquis membris corporis.

§. I.

De officio, & poteſtate Capituli, Eccleſiâ, vel Sede non vacante.

XLII. Aſſertio 1. Capitulum, etiam Cathedrale, ſpectato Jure communi, Sede Epiſcopali nō vacāte, nullam habet juriſdictionem Eccleſiaſticam in civilibus, aut criminalibus cauſis, in ſingulos Canonicos, & reliquos Clericos, ſeu Eccleſiæ miniſtros, etiā ſubditos ratione ſervitij, adeóq; noo poteſt illos excommunicare, nec interdictū ferre, aut alias cenſuras, niſi ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel conſuetudine legitimè præſcriptâ, talem poteſtatem habeat, ut docet Gl. in c. Irrefragabili; 13. V. Per Capitulum de offic. jud. Ordin. Abb. in c. Ex parte; 33. n. 2. de reſcript. & iu c. Cùm contingat; 13. u. 4. de foro compet. & alij communiter. Ratio eſt, quia adminiſtratio, & juriſdictionis Epiſcopalis exercitium, ad ſolum Epiſcopum ſpectat, tanquam ad ordinarium Judicem totius Diœceſis, ita tamen, ut abſque conſilio, & io certis quibuſdam caſibus, etiam ſine conſenſu Capituli, vel majoris partis eiuſdem, negotia, ſaltem majoris momenti, expedire non debeat. c. Novit; 4. & ibid. Abb. n. 6. & 7. et c. Quanto; 5. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. &c. niſi per conſuetudinem legitimè præſcripſerit Epiſcopus, ut in negotiis tractandis, noo teneatur adhibere conſilium Capituli. c. Non eſt; 3. de conſuet. in 6. & c. Ea; 6. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. Quare Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, vivente Epiſcopo, ſine eiuſdem auctoritate, & conſenſu, non poteſt propriè dictas leges, ſive ſtatuta cōdere de ijs, quæ Epiſcopum reſpiciunt, vel ad communem Eccleſiæ ſtatum pertinent, aut in negotiis magnis, & arduis, prout ſumitur ex c. Cùm conſuetudinis; 9. de conſuetud. Abb. ibid. n. 4. arg. c. Cùm acceſſiſſent; 8. de Conſtit. & tradunt cōmuniter DD. apud Barb. l. 1. Juris Eccleſ. c. 32. n. 16. quamvis ſine conſenſu Epiſcopi, poſſit Capitulum ſtatuere de ijs, quæ ad particularia negotia, & ad adminiſtranda bona communia Capituli pertinent, in quibus Capitulum adminiſtrationem habet, ſeorſim ab Epiſcopo, & in aliis ſimilibus. Abb. c. l. & alij DD. communiter apud Barb. c. l. n. 15. & dictum ſuprà tit. 2. n. 7.

XLIII. Aſſertio 2. Poteſt Capitulum etiam pœnas tranſgreſſoribus ſuorum ſtatutorum imponere, quia, tametſi Capitulum Cathedrale, abſolutè loquēdo, non habeat juriſdictionem in Eccleſia, viveote Epiſcopo: habet tamen partem aliquam, ſive potiùs uſum, & exercitium juriſdictionis, ſive à Superiore cōmiſſum, ſive per conſuetudinem acquiſitum, ſecundùm modū adminiſtrationis ſuæ: nam ipſum Capitulū, ſi ſeparatim conſideretur, ſine Epiſcopo, Collegiū, ſive Univerſitatem aliquā conſtituit, cui Præpoſitus, vel Decanus præeſt, ſecundùm diverſas Eccleſiarum conſuetudines. Cùm ergo Capitulum poſſit iotra termioos poteſtatis ſuæ, ſtatuta facere, conſequenter etiam ijs pœnam, ſeu mulctam, v. g. pecuniariam adjicere poterit, & per ſubtractionem fructuum ex corpore, tranſgreſſores compellere ad pœnam ſtatuto decretam ſolvēdam, prout ſumitur ex c. Cùm aliquibus; 4. juncta Gl. V. Firmitate; de reſcript. in 6. Felin. in cit. c. Cùm omnes; 6. n. 14. De Conſtitut. & ibid. Laym. n. 1. quia id connexum eſt, ac neceſſarium ad executionem legis, ſive ſtatuti, ut colligitur ex l. 1. ff. Si quis jus dicenti uoo obtemp. Idémque ob eandem rationem, dicendum eſt de Collegiatis Eccleſiis ſecularibus Epiſcopo ſubjectis. Abb. in cit. c. Cùm conſuetodinis; n. 4. de conſuet.

Verumtamen Antonius de Buttio, & alij apud Fagnan. in cit. c. Cùm omues; n. 39. & ſeqq. cenſent, Capitulum, etiam Cathedrale, non poſſe condere ſtatutū hujuſmodi pœnale, quod obliget, vi alicuius juriſdictionis, quâ caret Capitulum, ſed ſolùm poſſe adjicere pœnam, per modum alicuius pacti, ſeu conventionis, vi cuius Capitulares ſe obligent ad ſervandum

ſtatutum ſub certa pœna, quia privati etiam poſſunt inter ſe paciſcendo pœnam ſtipulari. l. Si pacto; 14. C. de pactis. dummodo ſit talis pœna, quæ pacto privatorum promitti, & in conventionem deduci poteſt. Sufficit autem, huiuſmodi pœnas conventionales decerni à majore parte Capituli, quæ prævalet parti minori, quando agitur de neceſſitate; vel utilitate Eccleſiæ, in ijs, quæ competunt Canonicis, non ut ſingulis, ſed tanquam Collegio, ſeu Univerſitati, tunc enim abſentes, ſive vocati in caſibus, in quibus ſunt vocandi, ſive non vocati, qui vocari non debent, ſtare debent ſententiæ factæ à majore parte Capitularium præſentium, ut tradit Gl. in cit. c. Cùm omnes; V. Conſtitutum, & Abb. n. 6. Verſ. Venio ad ſecundum. Neque tamen huiuſmodi ſtatutis pœnalibus ligantur ſucceſſores Canonici, niſi ab Epiſcopo fuerint confirmata, ex declaratione S. Congreg. Concil. apud Fagnan. in cit. c. Cùm omnes; in fine.

§. II.

De Iuriſdictione, & poteſtate Capituli Cathedralis, Sede vacante.

XLIV. Aſſertio 1. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Sede Epiſcopali vacante, (ſive per mortem Epiſcopi, ſive per renunciationem, translationem, vel depoſitionem) loco Epiſcopi, omnem adminiſtrationem, & juriſdictionem Epiſcopalem ordinariam, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, exercere poteſt: exceptis ijs, quæ ipſum Jus commune excipit, vel S. Pontifex ſpecialiter interdicit, prout ſumitur ex c. Cùm olim; 14. & ibi Gl. V. Capitulo h. t. „Nam, cùm vacante Prælaturâ Monaſterij Salvatoris „Meſſanenſis, Conventuales elegiſſent perſonam in„dignam in Abbatem, ideóque pro ea vice poteſtate „eligendi ipſo jure privati eſſent: Papa Gregorius „IX. illis ex ſpeciali gratia liberam facultatem eli„gendi, ſeu poſtulandi conceſſit: & inſuper manda„vit, ut, quia Eccleſia Cathedralis Meſſanenſis eo „tempore vacabat, ipſi Monachi, ſeu Conventuales „electionem Abbatis à ſe factam Capitulo Meſſanē„ſi præſentent, ut illam confirmet, vel infirmet, pro„ut de jure fieri debet. Ratio eſt, quia Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Sede vacante, ſuccedit in juriſdictione Epiſcopali, eáque ad ipſum devolvitur, in ijs actibus, per quos nulla fit rei alienatio, & qui non tendunt in præjudicium Epiſcopi novi; ſeu futuri, ut tradit Gloſſ. hîc V. Capitulo; ſed confirmare, vel infirmare electiones Prælatorum inferiorum, eſt talis actus juriſdictionis, per quem nulla res Eccleſiæ alienatur, nec aliquod præjudicium futuro Epiſcopo generatur; nam, ſi electus eſt dignus, debet Superior illum confirmare, vel, ſi eſt indignus, illum rejicere. c. Poſtquam; 3. de elect. ideo, cùm hæc poteſtas confirmandi, vel infirmandi electiones ſit neceſſaria, & ex officio debita, & ſpectet ad ordinariam juriſdictionem Epiſcopi, ea, Sede vacante, tranſit ad Capitulum, propter communionem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Capitulum, ex quibus conſtituitur unum Corpus, ad providendum Eccleſiæ neceſſitatibus; ſicut etiam alij ſimiles actus juriſdictionales, ut inſtituere à patronis præſentatos in beneficiis, ad Capitulum devolvuntur. c. 1. & ibi Gl. fin. de Inſtit. Vivian. hîc in Ration. Jur. Pontif. concordat n. His quæ; 11. h. t. & c. unic. eod. in 6. & c. Ad abolendum; 9. de hæretic.

XLV. Porrò tradita generalis regula, quod Capitulum in exercenda juriſdictione ordinaria Epiſcopi, Sede vacante, ſuccedat, Extenditur 1. Sive ea ex jure communi Epiſcopo competat, ſive per conſuetudinem acquiſita ſit, cùm etiam competat Epiſcopo, ut Epiſcopo. Abb. hîc q. 10. vel ex privilegio, & jure ſpeciali, in perpetuum conceſſa, aut commiſſa ſit Epiſcopis, ita, ut in ordinariam eorum juriſdictionem tranſeat: nam in tali poteſtate, quæ Epiſcopis jure ſpeciali, non merè delegato, ſed ordinario competit, ſuccedit Capitulum. Sanch. lib. 8. de matrim. diſ. 2. n. 10. contra Suar. de cenſur. diſ. 41. ſect. 2. c. 3. poteſtas enim collata, non intuitu perſonæ, ſed dignitatis, ſeu officij in perpetuum, cenſetur ordinaria. Talis eſt v. g. poteſtas abſolvendi, & diſpenſandi in caſibus Papalibus occultis, nec deductis ad forum contentioſum, conceſſa Epiſcopis à Concilio Tridentino. Seſſ. 24. c. 6. de reform.

Extenditur 2. Quòd Capitulum exerceat omnem juriſdictionem Epiſcopalem, tam voluntariam, quàm contentioſam, temporalem, & ſpiritualem, exceptis caſibus jure expreſſis. Abb. hîc n. 2. Verſ. Ex quibus elicitur, Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 11. n. 3. licèt nonnulli contrarium teneant, quoad juriſdictionem voluntariam: ſed minùs probabiliter, cùm ſecundùm Canones, tota juriſdictio ordinaria Epiſcopi, Sede vacante, ad Capitulum devolvatur, ut colligitur ex c. Si Epiſcopus; 3. ibi: *in ſpiritualibus, & temporalibus miniſtrare debebit*, ſcilicet Capitulum, & in c. ult. ibi: *niſi fortè Capitulum in ſpiritualibus, & temporalibus &c.* de ſuppl. neglig. Præl. in 6. Molin. c. l.

Extenditur 3. Quòd, licèt Capitulum, Sede vacante, non poſſit exercere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: poteſt tamen ea committere Epiſcopo vicino, vel alteri externo, cum proteſtatione, quòd per hoc nihil juris illi Epiſcopo acquiratur, quia committere eſt actus juriſdictionis, non Ordinis. Abb. in c. His quæ; 11. n. 3. h. t. Quaranta in ſumma Bullarij V. Capitulum Sede vacante; §. Subvertitur. His adde, quòd Capitulum exercere poſſit juriſdictionē, non tantùm in Clericos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam Seculares, in quas Epiſcopus decedens, præter Epiſcopalē, temporalem juriſdictionem habebat, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus per alios exercēdam, Quarant. c. l. §. Ulteriùs ſciendum.

XLVI. Aſſertio 2. In ſpecie verò Capitulum inprimis Sede Epiſcopali vacante, (præter confirmationē electionū, de qua ſuprà) vel is, ad quem tunc temporis Epiſcopalis juriſdictio pertinet (videlicet Adminiſtrator à Papa conſtitutus, juxta c. Is cui; 42. de elect. in 6. et c. ult. de ſuppl. neglig. Præl. vel à Capitulo deputatus, Gl. in c. unic. V. Is, ad quem h. t. in 6.) poteſt excomunicatos à jure, vel ab homine, abſolvere, ſicut Epiſcopus poſſet, ſi viveret: niſi id ei fuerit à Sede Apoſtolica ſpecialiter interdictū, prout ſtatuitur in cit. c. un. h. t. in 6. Idque locū habet, ſive Eccleſia verè vacet, ſive quaſi vacet, ut quia Epiſcopus à paganis, vel ſchiſmaticis captus eſt, c. Si Epiſcopus; 3. de ſuppl. neglig. Præl. in 6. Gloſſ. hîc V. Vacante. Sicut autem Epiſcopus poteſt abſolvere à qualibet excom-

excommunicatione juris, cuius abſolutio non eſt reſervata S.Pontifici, c.Nuper;29.de ſent. excomm.ita, & Capitulum, v. g. ob levem percuſſionem Clerici, quippe quod, Sede vacante, Epiſcopi vices gerit, abſolvere enim ab excomunicatione eſt actus pendens à poteſtate juriſdictionis, non Ordinis Epiſcopalis, Gl. magna hîc in notat.& V. Juris. Item ab excommunicatione hominis, videlicet excommunicatos ab Epiſcopo mortuo, vel Vicario ipſius, vel delegato, vel ab inferiore Prælato ſubiecto Epiſcopo, v. g. ab Archidiacono, Capitulum poteſt, Sede vacante, abſolvere, Gl. hîc V. Hominis, junctâ Gl.margin.

Secundò, ſicut Capitulum ſuccedit Epiſcopo in poteſtate abſolvendi ab excommunicatione, ita & in poteſtate excommunicandi, Philip.Franc.in cit.c.un. n.1.not.2.h.t.in 6. Quarant.c.l. qu.3.nam eiuſdem poteſtatis eſt, ligare, & ſolvere, & qui poteſt unum, regulariter poteſt & alterum, ut colligitur ex c.Cùm inferior;16. & ibi Gl. communiter recepta V. Ligare h.t.& dictum ſuprà. Item poteſt Capitulum ſuſpendere ab officio, deponere, & privare beneficiis, & alia facere, quæ ad correctionem ſpectant, cùm ea omnia ad ordinariam juriſdictionem Epiſcopi pertineant. Franc. c.l.& Molin.c.l.n.6.

XLVII. Tertiò poteſt Capitulum, Sede vacante, diſpenſare in caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus poteſtate ordinariâ, ut in votis, juramentis, ſtatutis Diœceſanis. Abb. in cit. c. Cùm olim;q.8. Molin. c.l. n.5. Quarant.c.l.q.2. neque verò diſpenſare eſt actus merè voluntarius, cùm ſæpe expediens, imò, & neceſſarium ſit cum ſubditis diſpenſare. Non ſolùm autem in caſibus, qui per ſe, ſed etiam qui per accidens (videlicet propter impedimentum adeundi S.Pontificē) Epiſcopales, ſeu ordinariæ juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, Capitulum diſpenſare, & abſolvere poteſt. arg. c.De cætero;11.de ſentent.excommun. Laym.de juriſd.ordi.concl.85.& conſequenter etiam Pœnitentiarium conſtituere, qui à caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvat. Abb.in c.His quæ; 11. in fine h. t. Quarant.c.l.q.3.Laym.c.l.

Quartò poteſt Capitulum, Sede vacante, etiam facere ſtatuta obligantia totam Diœceſin, etiamſi ea contraria ſint ſtatutis Diœceſanis, ita, ut perpetua ſint, & durent, etiam poſt electionem, aut conſtitutionem novi Epiſcopi, qui tamen pro libitu ea revocare poterit, cùm pari, videlicet Epiſcopali juriſdictione ſit prædītus, niſi in illa juràrit. Quod tamen intelligendum eſt, dummodo ea ſtatuta honeſta, & juſta ſint, neque Eccleſiæ, aut juribus Epiſcopalibus juſtè acquiſitis præjudicent; alioquin enim nec juſtata valerent, aut obligarent, cùm Capitulum, vacante ſede, nihil poſſit ſtatuere de rebus Epiſcopatûs in eius præjudicium. c.Sicut;27.junctâ Gl.V. In damnū de jureiurando. Abb.in cit. c.Cùm olim; q.7.Molin. c.l.n.7.Quarant.c.l.q.4.

Quintò denique poteſt Capitulum, Sede vacante, etiam compellere executores teſtamentorum ad exequendum, & rationes reddendas, & negligentes punire, ſicut poſſunt Epiſcopi, ad quorum juriſdictionem ordinariam hæc ſpectant. c. Tua; 17. et c. Joannes; 19. de teſtam.& executoribus negligentibus, poteſt Capitulum teſtamenta exequi. Quarant. c.l.q.7. Laym. cit. concl. 85.

§. III.

De Caſibus exceptis, in quibus Capitulum Cathedrale, Sede vacante, non ſuccedit in Iuriſdictione Epiſcopi, & de poteſtate, quam habet in cauſis beneficialibus.

XLVIII. Quæritur 1. Quando juriſdictio, ſeu poteſtas Epiſcopi non tranſeat ad Capitulum, Sede vacante? Reſp. Plures ſunt caſus jure excepti, in quibus juriſdictio competens Epiſcopo, eo vitâ, vel officio decedente, ad Capitulum non tranſit. Nam inprimis Capitulum, Sede vacante, non ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione delegata, etiamſi delegatio fiat à Jure communi Canonico, vel Concilio Generali. Quare, ſi Epiſcopis per viam juris, etiam abſolutè, & in perpetuum, quidpiam commiſſum ſit expediendū, auctoritate Apoſtolicâ, ſive, ut tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ illud expediant, v. g. ut viſitent Monaſteria Monialium exempta, juxta Clement.2. de ſtatu Monach. vel aliud quidpiam erga Religioſos exemptos, tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ, exercere valeant, talis poteſtas ad Capitulum, Sede vacante, non tranſit, nam cenſetur eſſe poteſtas, non ordinaria, ſed delegata. Gl.in c. Ad abolendam; 9. V.Delegatis.de hæretic. Abb.in cit.c.Cùm olim; q.5. Franc. in cit.c.unic.n.6.not.5.h.t.in 6.ubi ait, hanc ſententiam tenere communiter DD. quamvìs nonnulli diſſentiant. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd Epiſcopi procedere debeant, auctoritate Apoſtolicâ, non agunt ex proprio, ſeu ordinario ſuo officio Epiſcopali, ſed Delegato. In his autem, quæ jure ſolùm Delegato competunt Epiſcopo, non habet Capitulum communionem cum eodem, tanquam membra, ſeu corpus cum ſuo Capite, & conſequenter etiam eidem non ſuccedit. Abb. c.l.

Id tamen limitari debet, niſi poteſtas aliqua conceſſa ſit Epiſcopis à Jure comuni, vel à Concilio Tridentino, utroque jure, ſeu poteſtate, ſcilicet ordinariâ, aut delegatâ, ut ſi Concilium Trid. det eis facultatem procedendi, etiam auctoritate Apoſtolicâ: tum enim ob additam particulam *etiam*, involvitur quoq; juriſdictio ordinaria, ideóq; talis poteſtas, etiā mortuo Epiſcopo, ad Capitulum tranſit. Exemplum habetur in Concil. Trident. Seſſ.21.c.7. de reform. ubi conceditur Epiſcopis, ut etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, transferre poſſint beneficia ſimplicia, etiam juris patronatûs, ex Eccleſiis vetuſtate collapſis, quæ facultas tranſit ad Vicarium Capituli, Sede vacante, ex declaratione S.Congreg. Concil. apud Fagnan.in c. His quæ; 11. n. 56. h.t. & conſequenter etiam tranſit ad ipſum Capitulum.

XLIX. Secundò, Capitulum non ſuccedit in poteſtate Epiſcopis conceſsâ, ratione dignitatis, ac præeminentiæ Epiſcopalis, quæ aliis, qui Epiſcopi non ſunt, licèt Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem juriſdictioné exerceant, non conceditur, qualis eſt facultas celebrandi Miſſam in itinere, extra Eccleſiam in loco decente, ſuper altari portatili Epiſcopis conceſſa in c.ult.de privil.in 6.& alia huiuſmodi privilegia,

quæ allegat Gl. ibi. V. Indulgemns. Abb. in cit. c. Cùm olim; q. 12, Molin. cit. diſ. 11. n. 9. Cuiuſmodi poteſtas etiam eſt concedere indulgentias, quæ concedi ſolet Epiſcopis tantùm, & quidem couſecratis, dum Miſſarum Solemnia celebrant, ut praxis teſtatur. Quarant. c. l. q. 12. Laym. in cit. c. Cùm olim; n. 8. & alij Canoniſtæ cummuniter. Quamvìs contrarium, quod Capitulum poſſit indulgentias concedere, ſicut Epiſcopus, teneat Abb. n cit. c. Cùm olim; q. 13. & Molin. c. l. n. 6. Azor p. 2. Inſtit. lib. 3. c. 37. q. 9. quia non eſt actus poteſtatis Ordinis, ſed ſolius juriſdictionis: idque etiam probabile eſt: præſertim, ſi Capitulum ex conſuetudine id haberet, ut notat etiam Quar. c. l. Talis poteſtas item eſt creare Doctores, quæ ex jnre, ac privilegio ſpeciali interdum Epiſcopis competit, ideóq; ad Capitulum non tranſit. Abb. in c. Verùm; 7. n. 10. de ſoro compet. & ibid. Felin. n. 2. Laym. de juriſd. ordin. concl. 86.

L. Tertiò Capitulum, Sede vacante, ea, quæ valde ardua ſunt, & ſecundùm conſuetudinem Eccleſiarũ, ſolis Prælatis, ſeu Capitibns Eceleſiarnm competere cenſentut, expedire nõ poteſt, niſi neceſſitate cogẽte. Laym. cit. c. 86. & in cit. c. Cùm olim; n. 13. Cuiuſmodi eſt viſitare Diœceſin, ſi modica ſit vacatio, & brevi ſpeteturEpiſcopus ſucceſſor futurus: ſecus, ſi diutina ſit vacatio, vel ſi neceſſitas urgeat, tum enim Capitulũ viſitare poteſt. Quar. c. l. q. 1. & Laym. c. l. quãvìs alij indiſtinctè velint, Capitulum viſitare poſſe, Sede vacante. Abb. in cit. c. Cùm olim; q. 4. Moli. cit. diſ. 11. n. 7. Azor cit. c. 37. q. 14. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 73. n. 24. quia viſitatio eſt actus, qui ex officio incumbit cuivis adminiſtrationẽ, ſeu curã Epiſcupatûs gerenti.

Quòd verò ad convocationẽ Synodi attinet, ea etiã, abſq; neceſſitate, Sede vacante, congregari non debet, ſi paulò pòſt Epiſcopus eligendus, aut inſtituendus ſpetetur: ſecus, ſi Sedes diu vacatura ſit, ut propter captivitatem Epiſcopi ab hoſtibus, vel ſi ob aliã ingruentem neceſſitatem, res motam, ac dilationẽ non patiatur. Laym. in cit. c. Cùm olim; in fine. Sed neq; charitativum ſubſidium poſtulare debet Capitulum, extra caſum urgentis neceſſitatis, ut ex Pavino tradit Laym. c. l. Aliàs verò generaliter loquẽdo, non prohibetur Capitulum, Sede vacante, cauſas judiciales, quamvìs graves, & arduas, cognoſcere, cùm talis generalis, & abſoluta prohibitio Capitulo facta non reperlatur. Laym. it cit. c. Cùm olim; n. 13. nam & cauſæ matrimoniales graves, & arduæ cenſentur. c. 1. de cõſang. quas tamen Capitulum, Sede vacante, cognoſcere poteſt. c. Venlens; 7. de eo, qui duxit in matrim. &c. Quar. c. l. q. 5. ſicut & de crimine hæreſis, Clem. 1. de hæret. Quat. cit. q. 5. Nec obſtat, quòd juxta Concil. Trid. Seſ. 24. c. 20. §. Ad hæc; cauſæ matrimoniales, & criminales Epiſcopi tantùm examinationi, & juriſdictioni relinquantur: nam per illa verba ſolùm excluduntur alij Prælati inſeriores, non autem Capitulum, quod in hoc caſu non eſt inſerius, ſed par Epiſcopo, cuius vices gerit. Quaranta cit. loc.

LI. Quartò Capitulum Cathedrale, Sede vacante, non poteſt donare, & alienare jura Epiſcopatûs, ſeu bona Eccleſiæ vacantis, ſive immobilia, ſive mobilia pretioſa, & quæ ſervando ſervari poſſunt. c. Si qua; 42. cauſ. 12. q. 2. & ibi Gl. V. Remiſſo. Abb. in cit. c. Cùm olim; n. 2. & eſt communis DD. apud Azor cit. c. 37. q. 13. Quar. c. l. q. 6. Sed neque pecunias mutuò accipere poteſt Capitulum, eóq; nomine Eccleſiam obligare, niſi ob magnam, & evidentem Eccleſiæ utilitatem, vel neceſſitatẽ, tum enim id facere poteſt, ita, ut Epiſcopus ſucceſſor obligetur, quippe cuius negotiũ utiliter geſtum fuit. Gl. recepta in c. Cupientes; 16. §. Adhæc. V. Aliunde de elect. in 6. Azor c. l. Quar. c. l. q. 6. Poteſt tamen Capitulum, Sede vacante, confirmare alienationes ab inferiore Eccleſia faciendas, quia Capitulum hoc caſu non alienat propriè, ſed interponit auctoritatẽ Eccleſiæ ex legitima cauſa alienanti, quod juriſdictionis eſt, & ſæpe neceſſariũ. Abb. in cit. c. Cùm olim; q. 3. Poteſt etiam Capitulum, vacante Sede, non tantùm confirmare electiomem Abbatis, aut ſimilis Prælati alterius, vel eam infirmare, ut conſtat ex cit. c. Cùm olim; h. t. Sed etiam licentiam dare Abbati, vel ſimili Prælato tranſeundi ad Prælaturam alterius Diœceſis, nam hæc non eſt propriè dicta alienatio, ſicut rerum Eccleſiæ, nam res Eccleſiæ non poſſunt alienari ſine ſolemnitate, de qua in c. Sine; 52. cauſ. 12. q. 2. ſed licentia iſta datur ſine ulla ſolemnitate, ut colligitur ex c. Si Religioſus; 27. §. Quia verò; de elect. in 6. & translato Prælato, alius continuò ſuccedit, non verò in locum rerum alienatarum ſuccedunt aliæ res, ſeu bona. Abb. in cit. c. Cùm olim; q. 2. contra Gl. ibid. V. Capitulo, ideóque Capitulum ſuccedit in poteſtate iſta dandi licentiam, cùm ad ordinariam juriſdictionem Epiſcupalem ſpectet.

LII. Quintò, Capitulum Cathedrale non ſuccedit, Epiſcopali Sede vacante, in juriſdictione feudali, ideóque controverſiâ ortâ de feudo ſpectante ad ſolum Epiſcopum, eóque, ſi aperiatur, devolvendo ad menſam Epiſcopalem, non poteſt de eo cognoſcere Capitulnm, illámque definire, neque inſeudare, ſeu novum vaſallum ſuper tali fendo inveſtire. c. Verùm; 7. junctâ Gl. V. Mota quæſtio de foro compet. & ibid. Joan. Andr. n. 9. & Abb. n. 8. Quàran. c. l. q. 6. In fine, quia in ijs, quæ Epiſcopo jure ſpeciali, & extraordinario competunt, non ſuccedit Capitulum. Abb. c. l. n. 9. Secus eſt, ſi feudum communiter ad Epiſcopum, & Capitulum ſpectet, tunc enim, & Capitulnm, Sede vacante, de illo cognoſcere, & infeudare poteſt, ſi ex conſuetudine feudum iterum conferri ſoleat. arg. c. unic. Ne ſede vacante &c. in 6. Joan. Andr. in cit. c. Verùm; n. 9. & Abb. n. 8. Laym. de juriſd. ordin. concl. 89. quòd ſi feudum ad ſolum Capitulum ſpectet, tum hoc ſuper illo inveſtire poteſt, etiam Sede non vacante, & ſine Epiſcopi conſenſu. Roſenthal tract. de feudis c. 4. concl. 26. n. 2.

His addendum, licèt Capitulum, Sede Epiſcopali vacante, admittatur ad Comitia Imperialia: non tamen Capitulum v. g. Eccleſiæ Archiepiſcopalis, admittitur ad electionem Imperatoris, vel Regis Romanorum, cùm hoc jus eligendi quibuſdam Archiepiſcopis Germaniæ, ratione dignitatis eorum, ex ſpeciali jure, ac privilegio competat, ut ex Domin. Aromæo de Comitiis, tradit Laym. in cit. c. unic. Ne Sede vacante &c. in 6. in his autem, quæ Epiſcopo, ſeu Prælato ex ſpeciali jure competunt, non ſuccedit Capitulum, quia ſuccedit in juriſdictione, & adminiſtratione Epiſcopi propter unionem, quæ eſt inter ipſum, & Epiſcopum: hæc autem communio non intervenit, ſecundùm ea, quæ Epiſcopo jure, ac privilegio ſpeciali, & veluti extrinſeco, ac extraordinario

natio competunt. Honorius ab Axel io Summa Decretalium in cit. tit. Ne Sede vacante &c. n. 7.

LIII. Quæritur 2. Quid poſſit Capitulum, Sede vacante, in cauſis beneficialibus, vel non poſſit? Reſpondetur 1. Capitulum Cathedrale, Sede Epiſcopali vacante, poteſt præſentatos à patronis ad beneficia inſtituere, c. 1. de inſtit. in 6. & Prælatos inferiores electos confirmare, vel etiam electionem eorum infirmare, prout ſumitur ex c. Cùm olim; 14. h. t. Nam vacante Prælaturâ Monaſterij Salvatoris Meſſanenſis, Conventuales elegerunt in Abbatem perſonam indignam, ideóque eligendi poteſtate pro ea vice fuerunt privati. Sed Papa Gregorius IX. ipſis ex ſpeciali gratia liberam facultatem de noo eligendi, ſeu poſtulandi conceſſit, & inſuper eiſdem mandavit, ut, quia eo tempore Cathedralis Eccleſia Meſſanenſis vacabat, electionem Abbatis à ſe factam Capitulo Meſſanenſi confirmandam, vel etiam infirmandam, prout de jure fieri oporterebit, præſentent. Ratio eſt, quia inſtitutio, & confirmatio eſt veluti acceſſoria, & de jure debita; ſi præſentatus, vel electus ſit idoneus, ideóque utraque hæc poteſtas, Sede vacante, tranſit ad Capitulum. Abb. in cit. c. Cùm olim; n. 2.

LIV. Reſpondetur 2. Capitulum Cathedrale, Sede vacante, non poteſt conferre beneficia, quæ ad liberam collationem ſolius Epiſcopi pertinent, c. 1. de inſtitut. in 6. & ibi Gloſſ. V. Epiſcopi; et c. unic. §. Cùm verò; Ne Sede vacante, &c. in 6. Niſi beneficium aliquod, etiam non patronatum, ſed merè collativum ex fundatione conſtet, ſit certæ perſonæ, aut certo generi perſonarum, v. g. uni ex conſanguineis, aut familiæ Fundatoris, quia tunc non eſt collatio libera, ſed veluti neceſſaria. Garc. p. 5. de benef. c. 7. o. 76. Sed neque Capitulum vacante Sede, poteſt eligere, aut præſentare ad beneficia, quorum electio, aut præſentatio ad ſolum Epiſcopum propriè ſpectat, ut ex communiore ſententia docet Garc. c. l. n. 52. Neque etiam conferre beneficia, ſive libera, ſive electiva, quorum collatio, aut electio ad Epiſcopum, propter delictum, vel negligentiam inferiorum Collatorum, vel Electorum, eſt devoluta. Abb. in cit. c. Cùm olim; num. 2. Garc. c. l. n. 53. contra Jo. Andr. & alios nonnullos. Idque ſumitur ex cit. c. Cùm olim; h. t. Nam Pontifex Gregorius IX. non præjudicâſſet Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Meſſanenſis, ſi propter delictum Conventûs indignum in Abbatem eligentis, electio Abbatis ad ipſum Capitulum devoluta fuiſſet: non enim facilè Pontifex concedere ſolet alicui gratiam, derogando juri alterius. Sed quia Sedes Epiſcopalis tunc vacabat, ideo de electio Abbatis diu differtur, Papa ex ſpeciali gratia conceſſit Conventui facultatem de novo eligendi, ſeu poſtulandi Abbatem, ita tamen, ut Capitulum Meſſanenſe novam hanc electionem confirmaret, vel infirmaret. Et confirmatur etiam hæc doctrina ex cit. c. unic. Ne Sede vacante, &c. in 6. ubi generalis regula negativa traditur, quòd beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, Sede vacante, Capitulum conferre non poſſit: neque reperitur in jure aliqua exceptio, quoad beneficia devoluta. Abb. c. l. & jure noviſſimo per conſtitutionem Pij V. 161. quæ incipit: Sanctiſſimus; omnia beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum quomodolibet pertinet, vacante Sede, Papæ ſunt reſervata. Quar. c. l. q. 9. Ratio autem prædictorum eſt, quia libera collatio beneficiorum, quæ ad Epiſcopum pertinet, ſive jure proprio, ſive jure devoluto, item præſentatio, & electio eſt ſpecies quædam donationis, ſeu dationis gratuitæ, c. ult. de offic. Vicar. in 6. cùm ei fiat, qui jus non habet ad beneficium, quod ipſi confertur, vel ad quod præſentatur, aut eligitur: Capitulum autem non ſuccedit Epiſcopo in adminiſtratione merè voluntariâ, ſeu liberâ, ſed ſolùm in adminiſtratione neceſſariâ, & aliquo modo debitâ. Gloſſ. communiter recepta in Clement. 1. §. 1. V. Capituli; de hæretic. Garc. cit. c. 7. n. 59. Accedit, quòd hujuſmodi jura conferendi, præſentandi, eligendi, eorúmque actus inter fructus Epiſcopatûs numerentur, qui diſtrahi non debeot, ſed ſucceſſori Epiſcopo reſervari, c. Hæc huius; 38. cauſ. 12. q. 2. c. Quia ſæpe; 40. de elect. in 6. Gl. in cit. c. Cùm olim; V. Capitulo; & ibidem Abb. ſub num. 2.

LV. Reſpondetur 3. Præterea poteſt Capitulum Cathedrale beneficia, etiam non patronata, ſeu libera, Sede vacante, dare in commendam ad ſex menſes, &c, ſi interim Epiſcopus non eligatur, aut confirmetur, tempus prorogare, ut ex communi tradit Rebuff. in praxi benef. tit. de devolution. n. 77. nam id neceſſarium eſt, ut interim, dum Beneficiatus inſtituatur, alteri cura commendetur, alioquin in beneficijs vacantibus liberis Eccleſiæ non eſſet proviſum. Poteſt etiam Capitulum, Sede vacante, conferre ea beneficia, quorum libera collatio ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul pertinet, c. unic. in princ. Ne Sede vacante, &c. in 6. quia uno deficiente, vel inhabili exiſtente, alter confert. Quar. c. l. quæſt. 9. limit. 1. Sicut etiam præſentare, & eligere poteſt ad beneficia, quorum præſentatio, & electio ad Epiſcopum, & Capitulum communiter pertinet, Idque ob identitatem rationis. Garc. c. l. nam cùm Epiſcopus, & Capitulum ſint unum Corpus, cujus Epiſcopus eſt Caput, & Capitulum membra, c. Novit; 4. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. ideo propter unionem hanc faciliùs poteſtas ab uno ad alium devolvitur. Jo. Monach. in cit. c. unic. n. 5.

LVI. Sed & ob cauſam magnæ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, Capitulum, Sede vacante, beneficia unire poteſt in omnibus caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt, dummodo ejuſmodi unio per ſe non tendat in utilitatem Capituli, neque in præjudicium juris Epiſcopalis; quia talis actus, ob utilitatem Eccleſiæ, ſeo ob cauſam rationabilem fieri ſolitus ad juriſdictionem Epiſcopalem ſpectat, ideóque à Capitulo, vacante Sede, expediri poteſt. Rebuff. in praxi benefic. tit. de unionib. benefic. num. 36. Quaranr. c. l. quæſt. 8. limit. 6. Laym. de juriſdict. ordin. concluſ. 88. Et hinc etiam à contrario ſenſu, poteſt Capitulum ex legitimâ cauſa diſſolvere unionem, ſive dividere beneficia unita, in eo caſu, in quo poteſt Epiſcopus. Rebuff. in praxi tit. de revocat. unioon. num. 19. Etiam unio, quàm unionis diſſolutio, ſive diviſio beneficiorum unitorum durabunt, uſque ad tempus novi Epiſcopi, & donec illas revocaverit. Quar. c. l.

LVII. Reſpondetur 4. Capitulum, ſpectato jure communi, non poteſt recipere reſignationes be-

 neficio-

neficiorum ad collationem Epiſcopi ſpectantium, ſi abſolutè, & liberè fiant. Rebuff. in praxi tit. de devolut. n. 95. Quarant. c.l. q. 9. limit. 5. Pariſius lib. 7. de reſign. benef. q. 23. n. 37. & 38. arg. cit. c.unic. §. Cùm verò; de Sede vacante, &c, in 6. ubi dicitur, quòd Capitulum in beneficijs ad collationem Epiſcopi ſpectantibus ſe non poteſt intromittere, quia admiſſio talium reſignationum eſt gratia, ſeu remiſſio obligationis; in his autem, quæ ſunt gratiæ, & liberalitatis, non ſuccedit Capitulum, Sede vacante. Parif. c. l. n. 36. Nec obſtat, quòd Capitulum poteſt, Sede vacante, deſtituere beneficiatos ex juſta cauſa, illóſque privare beneficijs, ut ex communi docet Quaranta c.l.q.9. in fine. Ergo etiam poteſt reſignationes beneficiorum admittere. Neg. enim conſeq. nam à diſparatis, ſeu diverſis non fit bona illatio. Excipi debet 1. Quòd Capitulum poteſt recipere reſignationes beneficiorum, quæ ad collationem Epiſcopi, & Capituli ſimul pertinent, tunc enim habent ſe velut duo corpora, & ſic uno deficiente, alterum ſuccedit, niſi tamen Capitulum, Sede vacante, in poſſeſſione fuiſſet admittendi reſignationes omnium beneficiorum, etiam ad collationem ſolius Epiſcopi pertinentium, tunc enim etiam Capitulum illorum reſignationes recipere poſſet. Parif. c.l. & dictum ſuprà tit. 9. n. 74. Excipiuntur 2. Reſignationes, quæ fiunt cauſâ permutationis. Gloſſ. in Clement. unic. V. Conferantur; de rerum permut. ſaltem quoad illa beneficia, quorum conferendorum jus ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum ſpectat: ſecus, ſi talia beneficia ſpectent ad collationem ſolius Epiſcopi, ſinè Capitulo, tum enim Capitulum permutationi auctoritatem præſtare non poteſt, quia non eſt juriſdictionis neceſſariæ. Gloſſ. cit. Azor p. 2. Inſtitut. lib. 7. c. 29. quæſt. 4. Parif. c. l. num. 39. Quarant. c. l. Excipitur 3. Si reſignatio fiat propter commiſſum crimen, & in pœnam ipſius reſignantis, ſive, quia perſona inhabilis eſt, tum enim admittere reſignationes ad neceſſitatem, & juſtitiam ſpectat, adeóque etiam à Capitulo admitti poſſunt. Quarant. c. l. Parif. c. l. n. 35.

Porrò hodie ex Decreto Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 16. tenetur ad Capitulum infra 8. dies, poſt mortem Epiſcopi, Officialem, ſeu Vicarium conſtituere, vel exiſtentem confirmare, qui eandem ferè juriſdictionem habet, quam Capitulum, de quo actum ſuprà tit. 28. ſect. 2. §. 10.

§. IV.

De iuriſdictione, & poteſtate Capituli Eccleſiæ non Cathedralis, ſeu Collegiatæ, ſive Secularis, ſive Regularis, Prælaturâ vacante.

LVIII. Aſſertio 1. Capitulum Eccleſiæ non Cathedralis, ſed omnimode exemptæ, cujus Prælatus ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinet in Eccleſia, & Capellis eidem pleno jure ſubjectis, vacante Sede, ſeu Prælaturâ, omnem juriſdictionem, & adminiſtrationem habet, ſicut Capitulum Cathedrale, adeóque etiam excommunicationis ſententiam, aliáſque cenſuras ferre poteſt in ſubditos contumaces, niſi S. Pontifex id ſibi ſpecialiter reſervet, prout ſumitur ex c. His quæ; 11. h. t. ubi eſt ſermo de vacante Eccleſiâ, quæ eſt Tituli Cardinalis, in qua Cardinales ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, niſi quòd ibi ſpecialiter reſervârit ſibi Papa, pro bono pacis, poteſtatem corrigendi, excommunicandi, & ſuſpendendi, ut ſuprà dictum n. 14. Idem ergo dicendum de alijs Eccleſijs exemptis, & ordinariam, ac quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, quia tales Eccleſiæ æquiparantur Cathedralibus in cit. c. His quæ; Laym. de juriſdict. ordin. concluſ. 143. & patet etiam ex praxi.

LIX. Aſſertio 2. Si Præpoſitus, aut Decanus v. g. Eccleſiæ Collegiatæ ſecularis, quæ exempta non eſt, juriſdictionem dignitati ſuæ annexam in Clericos ſibi ſubjectos obtineat privativè, id eſt, excluſo Epiſcopo, ita, ut is in prima inſtantia ſe immiſcere non poſſit, dummodo Prælatus inferior officium ſuum rite præſtet: tum ſpectato Jure communi, ea juriſdictio, & adminiſtratio, vacante Prælaturâ, non tranſit ad Capitulum illius Eccleſiæ, ſed ad Epiſcopum, cui ea ſubjecta eſt. Felin. in cit. c. His quæ; arg. 4. & 5. h. t. Laym. ibid. num. 4. Ratio eſt, tum quia, quòd Sede vacante, Capitulum in juriſdictione ſuccedat, id expreſſum habetur in Jure de Eccleſijs Cathedralibus tantùm, vel quaſi Epiſcopalibus, quæ exemptæ ſunt à juriſdictione Epiſcopi, & Epiſcopalibus æquiparantur, cit. c. Cùm olim; et c. His quæ; h. t. & devolutio juriſdictionis ab Epiſcopo, vel Prælato ad Capitulum non debet induci, niſi in caſibus in jure expreſſis, c. Quamquam; 18. de elect. in 6. ubi id notatur. Idque etiam propter diverſam rationem, quæ eſt in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis exemptis, & in alijs inferioribus non exemptis: quia in illis, ſi in juriſdictione Capitulum non ſuccederet, nun adeſſet alius, qui poſſet in defectum Eccleſiæ providere: ſicut in alijs inferioribus adeſt Epiſcopus, qui adiri, & providere poteſt. Fagnan. in cit. c. His quæ; num. 40. Tum quia Prælatos hujuſmodi inferior, & Epiſcopo ſubjectus, vel juriſdictionem acquiſivit per conſuetudinem legitimè præſcriptam, vel jure ſpeciali, ſive ex privilegio: nam ſpectato Jure communi, ſolus Epiſcopus habet juriſdictionem ordinariam in omnibus Eccleſijs ſuæ Diœceſis, c. Omnes baſilicæ; 10. cauſ. 16. q. 7. Si priore modo, tum juriſdictio, vi præſcriptionis, acquiſita à Prælato, eo mortuo, ad Capitulum non tranſit, cùm præſcriptio ſit ſtricti juris, ideóque ultra præſcribentem non extenditur ad alios: niſi & ipſum Capitulum legitimè præſcripſerit, ut vacante Prælaturâ, juriſdictionem exercere poſſit. Sin autem poſteriore modo juriſdictio ſit acquiſita à Prælato; neque tum ea tranſit ad Capitulum, quia ea, quæ non communi, ſed ſpeciali jure competunt Prælato, vacante Sede, non tranſeunt ad Capitulum. Felin. c. l. & Laym. Addit tamen Felin. in cit. c. His quæ; ſententiam affirmativam, quòd etiam in Eccleſijs inferioribus non exemptis, vacante Sede, ſeu Prælaturâ, Capitulum ſuccedat in juriſdictione Prælati ſui, communiter teneri, & receptam eſſe conſuetudine, licèt negativa in puncto juris ſit verior. Cæterùm, ſi juriſdictio Prælato,

lato, & Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ nou exemptæ competat ſimul, & conjunctim, ex ſpeciali jute, vel couſuetudine, tum mortuo Prælaro, ſeu Sede vacante, juriſdictio penes ſolum Capitulum manet. Felin. in cit. c. His quæ, §. Secundus caſus; & ibid. Laym. n. 3. arg. c. unic. Ne Sede vacante &c. in 6.

LX. Aſſertio 3. Sed neque vacante Prælaturâ Regolati, ſuccedit Capitulum, ſeu Conventus in jutiſdictione: multò minùs Priot Clauſtralis, vel Decanus, ant Senior, qui Prælatus non eſt, ſed ea ad Epiſcopnm devolvitur, ſi Monaſtetium non ſir exemptum, ſed ei ſubjectum, cui proinde Epiſcopus Adminiſtratorem dare poteſt in ſpiritualibus, & temporalibus. Feliu. in cit. c. His qnæ; arg. 4. & alij DD. apud ipſum allegati. Ratio eſt, quia Epiſcopus habet juriſdictiouem in omnia Monaſteria ſnæ Diœceſis non exempta, licèt in his, quæ ad diſciplinam tegularem pertinent, eam exercere uon poſſit, dum Prælatus Ordiuis officium ſuum rite obit: alioquiu in defectum ipſius, exercitium juriſdictionis ad ipſum Epiſcopum devolvitur, ut patet ex ſuptà dictis tit. 31. num. 59. ita, ut Adminiſtratorem hoc caſu; etiam in ijs, quæ ad regularem diſciplinam ſpectant, couſtituete poſſit. Felin. c. I. & Laym. de juriſdict. ordin. coucluſ. 132. Accedit, quòd Religioſi votnm obedientiæ, ratione cujus potiſſimùm ſubduntur Ordinis Prælato, non ſaciunt Capitulo, ſeu Conventui, nec Priori Clauſtrali, aut Decano, ant Seniori, ſed ipſi Abbati, ſeu Prælato, ergo, eo mortuo, poteſtas, & jutiſdictio Prælati, pet quam ſuis Regularibos ptæcipete poteſt, in virtute obedientiæ, vel ſub excommunicatione, non devolvitur ad Capitulum, vel Priotem, aut Decanum, aut Seniorem. Laym. in cit. c. His quæ; n. 5. h. t.

Cæterùm, ſi mortuo Prælato, nullus Admiuiſtrator, conſtitnatur ab Epiſcopo, cui Monaſterium eſt ſubjectum, tum Prior, vel Decanus, aut Senior admiuiſtrationem, ſeu guberuationem habet, aliiſque præcipere poteſt, licèt propriè dictam juriſdictionem in illos nou exerceat, quia nec Prælatns, nec Vice-Prælatus eſt: niſi, vel conſuetùdine receptum ſit, vel Regula, aut Statutum Ordinis præſcribat, nt vacante Prælaturâ, Priot, ſeu Decanus, vel alius interea vices Prælati gerat, dum novus Prælatus eligatur, vel conſtituatur. Laym. cit. concluſ. 132.

TITVLVS XXXIV.

DE TREUGA, ET PACE.

QUoniam Judicum eſt, ut, ſi fieri poſſit, diſſidentes, ac litigantes, ſive interpoſitâ auctoritate ſuâ, ſive per propria pacta, & tranſactiones ad concordiam redigant, ideo, poſtquam hactenus actum eſt de officio, & poteſtate Eccleſiaſticorum Judicum, antequam agatur de ipſis judiciis, præmittitur tractatus de treuga, & pace, pactis, & tranſactionibus, conformiter Juri Civili, in quo idem obſervatum fuit à Juriſconſulto, ut videre eſt in lib. 2. tit. 14. ff. Extat ſimilis Titulus in Extravagantibus communibus.

I. Quæritur 1. Quid, & quotuplex ſit Treuga? Reſpoudetur 1. Treuga definitur à Gloſſ. in c. 1. h. t. & Hoſtienſ. in ſumm. n. 1. eod. quòd ſit ſecuritas perſonis, & rebus ad tempus præſtita, diſcordiâ uondum finitâ. Ubi vetbum *diſcordia* latè accipitut, prout comptehendit etiam privatorum diſſidia, inter quos propriè bellum non eſt, quippe quod geri non poteſt, niſi anctoritate publicâ Principis, aut Magiſtratûs Superiorem non recognoſcentis: quamvis latè, & genetalirer ſumpto hoc vocabulo, poſſit dici bellum, & conſequenter etiam treuga inter privatos. Imola in c. 1. num. 9. h. t. Eſt autem treuga propriè dicta nihil aliud, quàm ioduciæ belli, cùm ſcilicet iuter hoſtes ad breve tempus convenit, ne ſe invicem armis laceſſant, l. Poſtliminium; 19. §. Induciæ; ff. de caprivis, vulgò ein An- oder Stillſtand der Waffen / quamquàm Gloſſ. in l. Conventiouum; 5. V. Paciſcontur; ff. de pactis hanc notar eſſe differentiam inter iodncias, & treugam, quòd induciæ ſint, ſeu dentur ad breve rempus, treugæ ad longom, ideóque ſint induciæ, ſeu feriæ belli longiores: communiter tamen pro ſyuonymis, ac promiſcuè accipiuotur. Differt autem treuga à pace, quia treuga eſt veluti pats factæ pacis, ſeu pax, & ſecuritas ad tempus tebus, ac perſonis conſtituta: pax verò eſt finis diſcordiæ, ſeu belli, juxta Gloſſ. in cit. c. 1. V. Treugas; junctâ additione: non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur, c. Novi; 3. cauſ. 23. quæſt. 1.

II. Reſpondetur 2. Duplex eſt treuga, alia Conventionalis, alia Canooica, ſeu Legalis, ſecundùm Gloſſ. in cit. c. 1. V. Frangere; h. t. & Hoſtienſ. in ſumma u. 5. eod. Conventionalis eſt, quæ ab hominibus fit, & ex conveurione formam, & modum tecipit, ſicut quilibet contractus, l. 1. §. Si conveniat; ff. Depoſiti. Atque hæ treugæ, ſeu induciæ conventionales inter gentium jura numerantur in c. Jus gentium; 7. diſ. 1. nam omnium geurium uſu, & conſenſu, ſecundùm naturalem æquitatem, conſtitutum eſt, ut etiam hoſti fides data ſervanda ſit, cit. c. Noli; cauſ. 23. quæſt. 1. dommodo is quoque ex ſua parte fidem ſervet, c. Pervenit; 3. de jutejutand c. 2. cauſ. 28. quæſt. 2. Quare tempore induciarum capta non fiunt capientium, nec capti ſervi, neque opus eſt captis jute poſtliminij, quia captio non jure bel-

re belli facta eſt, cit. l. Poſtliminium; §. Induciæ; & ſeq. l. Non dubito; 7. ff. de captiv. Canonica, ſeu Legalis treuga eſt, quæ per Canonem, ſeu Legem conſtituta eſt, de qua fit mentio in c. 1. & 2. h. t. Eáque, vel temporalis eſt, vel perpetua, juxta Hoſtienſ. hic c. l. & ex dicendis patebit.

III. Quæritur 2. Quibus diebus ſervandæ ſint treugæ, & quæ ſint pœnæ eas violantium? Reſpondetur: De his agitur in c. Treuga; 1. h. t. ubi
» Papa Alexander III. in Concilio Lateranenſi c. 21.
» præcipit treugas, ſeu inducias belli à quarta feria,
» poſt occaſum ſolis, uſque ad ſecundam feriam,
» ante ortum ſolis: item ab Adventu Domini uſque
» ad Octavam Epiphaniæ, & à Septuageſima uſque
» ad Octavam Paſchæ, ab omnibus inviolabiliter
» ſervandas eſſe. Si quis verò treugas violare au-
» ſus fuerit, poſt tertiam admonitionem, Epiſco-
» pus proprius ſententiam excommunicationis in
» eum ferat, & ſcribat, atque ſcriptam vicinis Epi-
» ſcopis denunciet, nullúſque excommunicatum
» in communionem recipiat, ſed omnes ſententiam
» ſcriptam confirment (id eſt, obſervent, & fa-
» ciant obſervari. Gloſſ. hîc V. Confirment;) alioquin
» ſi quis hæc violare præſumpſerit, Ordinis ſui peri-
» culo ſubjaceat, id eſt, excommunicetur. Gl. hîc V.
» Periculo. Denique in fine præcipit Papa, ut o-
» mnes Epiſcopi mutuum conſilium, & auxilium
» ſibi præſtent, &, qui ſecus fecerit, puniatur. Gloſſ.
» hîc in caſu.

IV. Notandum 1. Ob myſterium, & reverentiam ſacri temporis Adventûs, vel Quadrageſimæ, certis diebus ſervandæ ſunt treugæ, ſive induciæ, & ab armis ceſſandum eſt, item die Jovis propter Aſcenſionem Domini, & ultimam Cœnam cum diſcipulis: die Veneris, propter Paſſionem Domini: die Sabbati, quia Corpus Domini jacuit in ſepulchro, & die Dominico, propter ejus Reſurrectionem. Hoſtienſ. in ſumm. num. 5. h. t. Eſt autem hîc ſermo de treuga Canonica, id eſt, præcepta à Canone in hoc c. niſi inevitabilis urgeat neceſſitas ad bellandum: quæ tamen Conſtitutio præſcribens certa tempora induciarum, vel per contrariam diuturnam conſuetudinem eſt abrogata, vel nunquam moribus utentium recepta. Gloſſ. hîc V. Frangere; & Abb. ibidem num. 4.

Notandum 2. In actibus, qui nocturno tempore exerceri commodè non poſſunt, dies non naturalis, qui eſt 24. horarum, & comprehendit etiam noctem, ab occaſu ſolis uſque ad manè, ſed dies artificialis, qui incipit ab ortu ſolis, & deſinit in occaſu ſolis, computari debet. Imola hîc n. 3.

Notandum 3. Poteſt Eccleſia, & Magiſtratus Eccleſiaſticus etiam præcipere Laicis, eóſque obligare ad culpam, & pœnam, quando agitur de exercitio actûs, ex quo arguitur quædam irreverentia, quæ irrogatur diebus in honorem Dei inſtitutis, uti ſumitur ex hoc c. & notat Imola hîc n. 4.

V. Quæritur 3. Qui gaudeant treugâ, ſeu ſe-
» curitate perpetuâ? Reſp. Presbyteri (& omnes alij
» Clerici. Hoſtienſ. hîc V. eod.) Monachi, & eorum
» Converſi (aliique Religioſi) Peregrini, Mercato-
» res, Viatores, Ruſtici, & in agricultura exiſtentes,
» animalia quoque, quibus arant, & ſemina portan-
» tur in agros, plenâ ſecuritate (tempore belli, & ali-
» às) gaudere debent, prout ſtatuit Alexander III.
» in c. Innovamus; 2. h. t. ubi innovat, quod jam
antè ſtatutum erat in c. Si quis; 23. et c. ſeq. cauſ. 24. q. 3. Gloſſ. hîc V. Innovamus. Ratio eſt, quia ex prædictis perſonis quædam non poſſunt in bello ſpoliari bonis ſuis, aut corporaliter lædi, ſeu puniri, cùm perſonaliter non noceant, nec ſint injuriæ auctores, vel cooperatores, ut ſupponimus: neque per accidens, ratione Reipubl. nocentis, contra quam juſtum bellum offenſivum geritur, cùm non ſint ejus partes, vel membra: cujuſmodi ſunt Clerici, Religioſi, Peregrini. Quædam verò perſonæ ex enumeratis in hoc c. plenâ ſecuritate gaudent, tempore belli, ob publicam neceſſitatem, ut Mercatores, & Agricolæ, ne commercia, & agriculturæ impediantur, cum gravi incommodo totius Reipubl. licèt tales alioquin ſint partes Reipubl. nocentis. Laym. hîc num. 1. Verùm per accidens interdum etiam prædictas perſonas bonis ſuis ſpoliare licitum eſt, etiamſi ipſæ perſonaliter non noceant, ſi aliâ ratione victoria, & pax obtineri nequeat, ut docet Laym. l. 2. Theol. moral. tract. 3. c. 12. q. 3. dicto 3.

VI. Hinc colligitur 1. Quòd ruſtici, ſeu agricolæ gaudeant privilegio ſecuritatis, vel alio ipſis conceſſo, quàm diu vacant agriculturæ; ſicut milites, quàm diu actu militant, gaudent ſuo privilegio, l. ult. ff. de teſtam. milit. & Mercatores, quàm diu mercimonia exercent; Peregrini, quàm diu peregrinantur; & Legati, quàm diu in legatione ſunt, l. 2. §. Legatis; & §. Omnes; Verſ. Planè; ff. de judic. Clerici, & Monachi, quàm diu regulariter vivunt, & Eccleſijs ſerviunt, l. Generaliter; 52. C. de Epiſc. & Cleric. Gloſſ. fin. hîc, junctâ Gloſſ. margin. & Hoſtienſ. hîc in fine. Profeſſores, & Studioſi privilegijs ipſis conceſſis gaudent, quàm diu in ſcholis publicè docuerint, vel ſtuduerint, c. ult. de Magiſtris.

Colligitur 2. Salvus conductus, ſive ſecuritas data alicui in eundo ad locum aliquem, intelligitur etiam conceſſa in redeundo, ut colligitur ex hoc c. ibi: *Euntes, & redeuntes*, quia hæc duo communiter in jure pari paſſu ambulant, c. Magnæ; 7. de voto, l. Si cui; 38. §. Tam diu; ff. Ex quibus cauſ. majores, &c. non enim dicitur quis ſecurè venire ad certum locum, niſi ſecurè poſſit ibi morari, & inde recedere, ut ex Bartol. notat Abb. hîc num. 1. & Felin. num. 1.

VII. Quæritur 4. An Judex, ſeu Superior, ſive Eccleſiaſticus, ſive Secularis, poſſit ſubditos, aut partes litigantes cogere ad pacem, & tranſactionem faciendam? Reſpondetur 1. Si publica diſſidia, ſeu bella ſint inter civitates, aut populos ſubjectos, tum Princeps, ſeu Magiſtratus poteſt præcipere partibus inter ſe diſſidentibus, ut pacem, ſeu compoſitionem faciant, juxta Authent. de mandatis Princip. §. Deinde; junctâ Gloſſ. V. Pacem; nov. 17. l. Congruit; 13. ff. de offic. Præſid. & ibid. Bart. n. 4. Abb. in princ. num. 1. h. t. Cùm autem Princeps poſſit ſubditos cogere ad faciendam pacem, multò magis poterit ad treugam, ſeu inducias belli faciendas. Abb. hîc n. 2. nam qui poteſt efficere totum, is & partem poteſt, l. Quæ de tota; 76. ff. de rei vindic.

treuga

treuga autem eſt, quaſi pax quædam ad tempus, ſive pars factæ pacis.

VIII. Reſpondetur 2. Si privati inter ſe litigent, & judicio contendant, non poteſt Superior, ſive Judex ordinariè eos cogere ad concordiam, & tranſactionem faciendam, ut conſtat ex Authent. Ut litigatores jurent; c. ult. novel. 124. & docet Felin. in princ. n. 1. h. t. aliique communiter. Ratio eſt, quia Judex non poteſt alicui jus, quod habet, interdicere.

Excipitur 1. Niſi ſit cauſa criminalis, in qua tranſigi non poteſt, quia per talem cauſam poſſet Respubl. lædi, ideóque Judex poteſt partes cogere ad concordiam, & compoſitionem faciendam, ratione publicæ utilitatis; ſecus eſt, ſi ſit talis cauſa criminalis, ſuper qua tranſigi poteſt. Abb. hîc in princ. n. 1. & Felin. n. 2. fallent. 1.

Excipitur 2. Si cauſa, ſive criminalis, in qua tranſigi poteſt, ſive civilis, ſit valde intricata, & lis diu duraverit, neque ſpes ſit, controverſiam brevi finiendam: tum enim poteſt Judex partes compellere ad tranſigendum, vel compromittendum: licèt aliàs in cauſis civilibus Judex monere quidem poſſit partes ad compoſitionem, non autem cogere. Abb. in princ. num. 1. h. t. & Felin. n. 5. fallent. 3.

Excipitur 3. Quòd in cauſis, in quibus Princeps Superiorem non recognoſcens, habet liberam diſpoſitionem, ut Papa in cauſis beneficialibus, poteſt partes litigantes citiùs compellere ad tranſigendum. Felin. c. l. n. 4. fallent. 2.

Excipitur 4. niſi ex diſcordia timeatur bellum publicum, vel alia Reipubl. turbatio, tum enim poteſt Judex partes cogere ad tranſigendum, vel compromittendum, ne propter litem privatorum turbetur Respubl. arg. l. Congruit; 13. ff. de offic. Præſid. Felin. c. l. fallent. 4. & 5.

Illud hîc addendum, ſi quis probabiliter timeat, ne offendatur ab adverſario, poteſt Judicis officium implorare, ut ipſum compellat ad præſtandam cautionem de non offendendo, nec ſe, nec familiares ſuos, aut domeſticos, præmiſsâ tamen cauſæ cognitione, niſi periculum offenſionis ſit notorium. Abb. in princ. h. t. n. 2. Felin. ibid. num. 10. & declarat. 1. & 5. ubi declarat. 6. addit, quòd, ſi etiam adverſarius probabilem timorem offenſionis ſibi inferendæ alleget, tum uterque mutuam cautionem de non offerendo præſtare debet, non nudam, ſed ſufficientem.

IX. Cæterùm duæ adhuc reſtant Conſtitutiones Extravagantes inter communes h. t. in quarum prima, quæ incipit: Ad univerſalis; Papa Sixtus IV. volens componere diſcordiam ex antiqua pragmatica ſanctione Regni Franciæ ſubortam, ſtatuit, quid circa collationem beneficiorum Ordinarijs conceſſam, & tractandas, ac terminandas cauſas beneficiales ſit obſervandum. Quæ conſtitutio cùm ſit localis, & extra Franciam non obliget, diutiùs nobis in ea immorandum non eſt.

X. In Extravag. 2. quæ incipit: Vices illius; h. t. idem Papa confirmat compoſitionem per quatuor à ſe delegatos Judices factam in Germania, inter Parochos, & Religioſos Mendicantes, videlicet, ne Parochi dicant, hæreſes à Mendicantibus proceſſiſſe: & Mendicantes non prædicent, Parochianos non teneri audire Miſſam in Parochijs ſuis, diebus Feſtivis, & Dominicis, cùm hoc jure ſit cautum, niſi juſta cauſa eos excuſet. Item nec Mendicantes, nec Curati, ſeu Parochi inducant Laicos ad eligendam ſepulturam apud eos, cùm ſecundùm Canones, libera ſit ſepulturæ electio. Item Mendicantes non prædicent, quòd Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti: cùm id quoque jure præceptum ſit. Item quoad tempus prædicandi, horas cantandi, & campanas pulſandi, ſervetur antiqua conſuetudo, nec fiat commutatio temporis, niſi ex conſenſu partium; ac denique nec Mendicantes in ſermonibus ſuis detrahant Prælatis, & Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, nec vice verſâ hi illis. Et ut hæc inviolabiliter obſerventur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipitur.

Porrò an Jure novo, & poſt Concilium Tridentinum ſit obligatio audiendi Miſſam in propria Parochia, & confitendi in Paſchate ſuo Parocho, partim jam dictum eſt ſuprà Tit. 31. n. 142. &c. & n. 148. partim dicetur in proprijs ſuis locis.

TITULUS XXXV.

DE PACTIS.

Quoniam plerumque dubius eſt litis eventus, etiamſi quis juſtam cauſam litigandi habere videatur, & ob vitandas graves expenſas, ſolent interdum partes, ante ingreſſum litis, ſuper lite inter ſe paciſci, & tranſigere, ſeu per pacta à lite recedere; ideóque agitur hoc loco de pactis. Extat hîc Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quid ſit pactum, & quomodo dividatur? qui paciſci poſſint? quæ ſit materia pactorum in genere, & quæ forma?

I. Aſſertio 1. Pactum ſic dictum à pactione, l. 1. §. 1. ff. De pactis; vel quaſi ex pace factum, quia per pacta fieri ſolet pax, c. Pactum; 1 1. de V. S. in genere non differt à contractu latè accepto; at verò à contractu propriè, ac ſtrictè ſumpto diſtinguitur, ſicut genus à ſpecie, cùm latiùs pateat, quàm contractus propriè, ac ſtrictè acceptus, hic enim continet eas tantùm conventiones, quæ ultro, citróque obligationem pariunt, adeóque mutuam utriuſque contrahentis obligationem exigunt, l. Labeo; 19. ff. de verb. ſignif. & ibi Gloſſ. V. Ultro citróque: pactum verò velut genus continet omnes contractus, adeóque promiſſiones, & conventiones qualeſcunque, ſive ſint reciprocæ, vel mutuò utrinq; ſint obligatoriæ, ut emptio, locatio &c, ſive non, ut tradit Weſenbec. in paratitl. ff. h. t. n. 2. nam pactum poteſt dari, ſinè mutua utriuſque obligatione, ut fit in promiſſione liberali acceptata, per quam ſolus promittens obligatur, nulla autem obligatio imponitur ei, cui fit promiſſio: Quare pactum in genere nihil aliud eſt, *quàm duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſus*, ut definitur in cit. l. 1. §. 2. ff. h. t. ſive eſt duorum conſenſus, atque conventio, prout dicitur in l. 3. ff. de pollicitationib. videlicet de aliquo dando, vel non dando, faciendo, vel non faciendo.

Ex quo patet, quòd conſenſus loco generis ponitur, quia latiùs patet, quàm pactum: nam poſſunt duo, vel plures conſentire in aliqua ſententia, vel conſultatione, abſque eo, quòd inter ſe paciſcantur; pactum verò, & conventio eandem ſignificationem habent, ut patet ex cit. l. 3. ff. de pollicitationib. ubi pactum, quod in l. 1. ff. De pactis; dicitur conſenſus, conventio appellatur. Additur *duorum, vel plurium*, quia nemo ſolus quidpiam, vel ſibi ipſi paciſci poteſt, nemo enim ſibi obligatur, l. 2. ff. de ſtipul. ſervor. Weſenbec. c. l. num. 2.

II. Præterea per hoc, quòd pactum dicitur duorum, vel plurium in idem conſenſus, diſtinguitur à pollicitatione, ſive ſimplici, & nondum acceptatâ promiſſione, quòd hæc ſit unius partis tantùm conſenſus, ſive ſolius offerentis promiſſum, cit. l. Pactum; 3. ff. de pollicit. & ibi Gloſſ. V. Offerentis; pactum verò mutuum, ſeu reciprocum utriuſque promittentis, & promiſſarij conſenſum importat, & requirit. Unde nuda promiſſio alicui facta, antequam acceptetur ab eo, nondum eſt pactum, quia nondum convenit in idem utriuſque voluntas, ideóque nullam, nec quidem naturalem, ſive in conſcientiæ foro obligationem parit, ſed revocari poteſt, ut præter alios docet Covarr. in relect. ad c. Quamvìs pactum; 2. in 6. p. 2. §. 4. n. 25. niſi pollicitatio, ſeu nuda promiſſio Civitati, ſeu Reipubl. ob cauſam, v. g. propter incendium, vel terræ motum, vel ex gratitudinè facta ſit, nam ex tali pollicitatione ſtatim oritur obligatio ex parte promittentis, etiam antequam acceptetur, & in pactum tranſeat, ita, ut pollicitans, quantum eſt ex parte ſua, eam revocare non poſſit, ſed ad eam implendam, ſaltem in foro externo, per Judicis ſententiam cogi poſſit, l. 1. in princ. l. Pactum; 3. §. Si quis; & l. Propter; 4. ff. de pollicitat. quamvìs ſecundùm ſe, & de jure naturæ, nulla promiſſio obligationem pariat, ſinè acceptatione promiſſarij, cùm nemo ſolâ ſuâ voluntate efficere poſſit, ut res ſua alteri acquiratur, niſi is conſentiat, ut colligitur ex c. Si tibi; 17. de præbend. in 6. Ratio eſt, quia Princeps, propter bonum publicum, pollicitanti per legem latam obligationem imponere potuit, ac voluit. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 4. c. 1. n. 3. Veruntamen pollicitatio facta Eccleſiæ, antequam ejus nomine ſit acceptata, revocari poteſt, quia omnis promiſſio ex natura ſua eſt reſpectiva, ita, ut vim abſolutè obligandi non habeat, niſi dependenter ex alterius partis conſenſu. cùm ergo aliud ſpeciale quoad hoc in favorem Eccleſiarum jure ſtatutum non reperiatur, idem dicendum eſt de pollicitatione Eccleſiæ, vel ad pias cauſas factâ, niſi fuerit juramento confirmata, tunc enim obligabit, non vi pacti ex juſtitia, ſed ex virtute Religionis. Laym. cit. c. 1. n. 3. & alij apud ipſum, vel niſi ex intentione promittentis tales pollicitationes vim voti habeant. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 18. n. 39. & 40.

Ex dictis ſequitur aliud adhuc diſcrimen inter pollicitationem, & pactum, quòd pollicitatio, non ſolùm præſenti, ſed etiam abſenti, abſque epiſtola, vel nuncio, fieri poteſt: pactum verò non niſi præſenti, vel etiam abſenti, ſed per epiſtolam acceptanti, vel per nuncium, ſeu alium, qui nomine abſentis acceptet, ſeu conſentiat, fieri poteſt. Weſenbec. c. l. n. 2. Sylveſt. V. Pactum; q. 1.

Porrò Cardin. de Lugo tom. 2. de juſtit. diſ. 23. ſec. 3. n. 46. exiſtimat, etiam pollicitationem non excludere acceptationem, & inter præſentes etiam dari poſſe: ſed pactum in eo differre à pollicitatione, quòd pactum præſupponat tractatum, & ultro citróque conventionem, ut colligitur ex l. 1. §. 1. ff. De pactis; ubi Ulpian. ait, pactum celebrari, quando contrahendi gratiâ partes in unum conveniunt, & tanquam ex diverſis animi motibus in eandem ſententiam decurrunt: ad pollicitationem autem non requiritur tractatus, vel conventio, ſed ſola offerentis promiſſio, ſive inter abſentes, ſive præſentes fiat. Sed contrà eſt, quia etſi aliquando inter paciſcentes præcedat tractatio, non tamen illa requiritur ad ſubſtantiam pacti, quia, ſi unus alteri, ſinè omni prævia tractatione, aliquid promittat, & alter acceptet, erit verum pactum, unde verba citata, *qui ex diverſis animi motibus in unam ſententiam decurrunt*, Gloſſ. explicat, id eſt, voluntatem, dum ſcilicet alter conſentit, acceptando promiſſum alterius. Deinde etiam pollicitatio poteſt fieri præſenti, ſed niſi conſenſus, ſeu acceptatio alterius accedat, erit nuda pollicitatio, non pactum.

III. Aſſertio 2. Præcipua diviſio pacti eſt, in nudum, & veſtitum, ſeu potiùs legitimum, ut tradit Abb. in c. 1. num. 4. h. t. & alij Canoniſtæ communiter. Pactum nudum, ſive ſimplex promiſſio eſt, quæ ſolâ paciſcentium conventione, ſive conſenſu, & naturali æquitate nititur, neque jure civili eſt ſpecialiter confirmata, ideóque ſaltem

regula-

regulariter ex ea nulla oritur efficax obligatio, aut actio civilis in foro externo, idque ad vitandam litium multitudinem, ſed ſolùm exceptionem parit, l. Jurisgentium; 7. §. Sed cùm nulla; ff. h. t. & l. Legem; 10. C. eodem, ut infrà magis declarabitur. Pactum veſtitum, ſive legitimum eſt, quod, præter conventionem partium, aliquod aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur, cit. l. Jurisgentium; §. 1.

IV. Porrò pactum pluribus modis veſtitur, ſeu Jure civili confirmatur, ut tradit Gloſſ. in cit. l. 1. §. Sed cùm nulla; V. Quin imò; ff. h. t. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 255. & alij DD. communiter.

Primò, ſi pactum ſimplex tranſeat in contractum ſpecificum, ſeu nominatũ, in genere ſuo perfectum, v. g. in emptionem, locationem, commodatum, &c.

Secundò, veſtitur, & confirmatur pactum, ſi ex altera parte ſecuta ſit traditio rei, vel impletio promiſſi, prout fieri quandoque ſolet in contractibus innominatis, v. g. do, ut des, tunc enim jam non ex ſola conventione, ſed ex re ipſa conſurgit obligatio, adeóque, qui ex ſua parte implevit promiſſum, petere poteſt; vel, ut alter quoque impleat contractum, & præſtet id, quod conventum eſt; vel, ut ſibi reſtituat, quod dedit, vel quantum ſuâ intereſt, prout ipſe actor maluerit, l. Naturalis; 5. §. Et ſi quidem; ff. de præſcript. verb. & patet etiam ex l. 1. l. Dedi; 3. §. Sed, ſi tibi t & l. Si pecuniam; 5. in princ. ff. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut. V. g. ſi Titius conveniat cum Cajo, ut ſibi det tres ſcaphas tritici pro una urna vini, poſtquam Titius vinum tradidit Cajo, poteſt agere contra illum, vel per actionem in factum, ſeu præſcriptis verbis, ut viciſſim ipſi triticum promiſſum tradat, vel quantum ſuâ intereſt, ſibi datum non eſſe: vel etiam, ſi Actor maluerit, per condictionẽ dati ob cauſam, cauſâ non ſecutâ, petere poteſt ſibi reſtitui vinum, quod dedit, & ſic reſilire à contractu, antequam alter eundem implevit.

Quod tamen, ſpectato Jure Canonico, & in foro conſcientiæ ſolùm procedit, ſi is, qui nondum implevit promiſſum, ſit in culpabili mora, aut habeat animum deliberatum non implendi tempore debito; tum enim pœnitentiæ, ſeu revocationi locus eſt in foro interno, & Canonico, ac ſpectato jure naturali: ſecus, ſi ex ſua parte paratus ſit implere promiſſum ſinè culpabili mora, tum enim pœnitentiæ, ſeu revocationi locus non eſt, ſed contractus perfici debet, ob naturalem obligationem ortam ex utriuſque conſenſu, ſeu contractu innominato, à quo ſicuti, ſi neuter implevit, recedere non licet, altero invito, ſaltem jure naturali, & Canonico; ita neque, ſi unus tantùm implevit, dummodo alter non ſit in mora culpabili implendi. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 258. n. 7. Laym. l. 3. tr. 4. c. 2. n. 2.

Tertiò, veſtitur, & confirmatur pactum nudum, ſi ei accedat ſtipulatio, cujus forma jure civili introducta eſt, mutuâque interrogatione, ac reſponſione perficitur: v. g. promittis te mihi daturum decem oves pro uno bove? promitto: talis ſtipulatio confirmat pacta alioquin nuda; juxta l. Ex placito; 3. C. de rer. permut. Hodie tamen plerumque promiſſiones, & pacta confirmari ſolent, vel per publicum inſtrumentum Notarij, vel etiam per ſimplicem ſcripturam manu promiſſoris ſubſcriptam, aut obſignatam. Molin. tr. 2. diſ. 255. n. 4. Laym. cit. c. 2. num. 2.

V. Quartò, veſtitur, & confirmatur pactum nudum, ſeu ſimplex, ſi incontinenti, & non ex intervallo adjiciatur ad aliud pactum veſtitum, ſeu jure civili firmum; ſive pactum nudum præcedat pactum veſtitum, ſive confeſtim ſubſequatur: nam per cohærentiam ad alterum contractum nominatum, vel innominatum, ſeu pactum veſtitum, ac legitimum, veſtitur etiam, & confirmatur pactum nudum, juxta cit. l. Jurisgentium; §. Quin imò; ff. h. t. V. g. ſi quis locavit domum Titio, adjecto ſimul pacto, ut agrum ſuum adjacentem coleret, hoc pactum licèt ſit ſecundùm ſe nudum, ac ſimplex, quia tamen cohæret cum illo primo pacto veſtito, ſeu contractu locationis, hoc adimpleto, ex parte locantis domum, firmatur etiam hoc pactum ſimplex, ita, ut pariat actionem civilem, ſicut pactum prius, ſive ipſe contractus nominatus locationis, cui eſt adjectum. Molin. cit. diſ. 255. num. 2. Sic etiam ex promiſſione pignoris oritur obligatio, & actio civilis, propter cohærentiam cum contractu, cui accedit, niſi quis dicere malit, id eſſe ſpeciale privilegium pignoris, ut per ſe ex ſimplici ejus promiſſione actio concedatur, l. Si tibi; 17. §. Si pignore; ff. h. t. Molin. cit. diſ. 255. num. 5. Laym. c. l. num. 2.

Quintò, pactum nudum, ſeu ſimplex veſtitur, ſeu confirmatur legis auxilio, ſive per legis aſſiſtentiam, ita, ut ex eo oriatur actio civilis, ex juris privilegio, ut notat Gloſſ. in cit. l. Jurisgentium; §. Sed cum nulla; V. Igitur; ff. h. t. nam ex ſimplici donatione, poſteaquam acceptata eſt, ante traditionem rei, jure novo Codicis oritur actio civilis ad rei ita promiſſæ traditionem, l. Si quis; 55. §. Sed, ſi quidem; C. de donation. Item ex ſimplici promiſſione dotis acceptatâ, in favorem matrimonij, oritur actio civilis, l. unic. C. de rei uxor. act. l. Ad exactionem; 7. de dotis promiſſ. Præterea ex promiſſione nuda, quâ quis conſtituit, ſeu promittit, ſe tibi ſoluturum debitum alienum, quod alius tibi debet (ſive naturali obligatione tantùm, ſive etiam civili ſit debitum) vel quâ quis promittit tibi ſolvere, alio die, aut loco debitum proprium, quod ipſe ex alia cauſa, vel alio modo debebat, oritur obligatio, & actio civilis, quæ dicitur *de conſtituto*, l. 1. & 2. ff. de conſtit. pecun. §. De conſtituta Inſtitut. de action. Molin. cit. diſ. 255. n. 7. & tribus ſeqq. quamvis cum Bartolo ibid. n. 12. putet, in his, & ſimilibus caſibus, non eſſe dicendum pactum nudum veſtitum eſſe ex juris privilegio, ſed potiùs parere actionem, licèt nudum ſit, quæ eſt quæſtio de nomine.

Sextò, pactum nudum veſtitur, & confirmatur, adjectione juramenti, ita, ut etiam ex Jure civili concedatur actio, ut ex probabiliore ſententia docet Covarruv. in cit. c. Quamvis; p. 2. §. 4. n. ult. Molin. diſp. 256. n. 4. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 17. n. 25. Laym. c. l. n. 2. in fine, contra Bart. in l. Jurisgentium; 7. §. Quin imò; ff. h. t. quia ex contractu jure civili irrito, ſi per ſe non ſit illicitus, ſeu contra bonos mores, ut eſt v. g. alienatio fundi dotalis, vel à minore, ſinè debita ſolemnitate, facta, datur jure civili actio,

quando juramento confirmatur, ut conſtat ex Authent. Impuberum, C. Si adverſus vendition. ergo multò magìs ex pacto nudo juramento confirmato datur actio civilis, quia hoc ex ſe parit naturalem obligationem in foro conſcientiæ, non item contractus ipſo jure irritus. Molin. tr.2. diſ. 256. n. 3. nam ad ea, quæ vel ſecundùm naturam, vel ſecundùm leges fieri nequeunt, nemo ſe obligare poteſt, juxta reg. jur. 6. in 6. nemo poteſt ad impoſſibile obligari, de quo plura infrà.

Denique pactum nudum etiam confirmatur, ita, ut actiooem pariat, etiam de Jure civili; ſi fiat in judicio, tunc enim proficit ad agendum, l. 4. §. fin. ff. de fidejuſſ. tut. nam, & in judicijs quaſi contrahitur, l. 3. §. Idem ſcribit; ff. de pecul. ex quaſi contractibus autem oritur obligatio, & actio, ut patet ex tit. Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contract. & quæ in judicijs fiunt, omnem contractuum ſolennitatem exuperant, l. 2. l. Omnes; 19. C. de teſtam. Weſenb. in paratil. ff. h. t. §. Quæ autem pacta.

VI. Cæterùm præter allatam diviſionem pactorum, alia ſunt publica, quæ per Principem ob cauſam Reipubl. fiunt, l. Conventionum; 5. ff. h. t. & fœdera vocantur; alia privata. Item alia ſunt expreſſa, alia tacita. Expreſſa ſunt, quæ conſenſu, verbis, aut literis expreſſo conſtant. Tacita, quæ ſinè expreſſione verborum, ex præſumpta paciſcentium voluntate, ſeu conſenſu facta cenſentur. Sic, qui reddit cautionem (id eſt, chirographum) debitori, cenſetur tacitè paciſci de non petendo l. 2. ff. h. t. & ibi Gloſſ. V. Vel re. Rurſum privatorum pactorum, alia ſunt juris gentium; quæ ſolâ æquitate naturali conventionis nituntur: alia legitima, quæ non ſolùm naturali ratione, ſed etiam aliquâ civili confirmantur, ita, ut actionem pariant, cit. l. Conventionum; & l. ſeq. ff. h. t. Præterea alia ſunt pacta in rem, alia in perſonam. In rem ſunt, quando quis generaliter paciſcitur, ne petatur: in perſonam, quando quis paciſcitur, ne à ſe, vel ab alia certa perſona petatur, cit. l. Jurisgentium: §. Pactorum; ff. h. t. Denique alia ſunt pacta judicialia, alia extrajudicialia: alia obligatoria, quibus paciſcentes adaliquid dandum, vel faciendum obligantur: alia liberatoria, quibus actio ex jure competens, mediante acceptilatione, vel novatione, ipſo jure, vel ope exceptionis tollitur, l. Tale pactom; 40. in princ. & ibi Gloſſ. V. Profiteor; ff. h. t. Hoſtienſ. in ſumma. §. Petimuor quoque; & §. Fieri poteſt; h. t. Weſenbec. ff. eodem num. 4. & Zœſ. ff. eod. num. 4. & ſeqq.

VII. Aſſertio 3. Paciſci, ſive pacta inire omnes poſſunt, qui non prohibentur, nam paciſci, & contrahere eſt de genere permiſſorum; ideóque omnibus non prohibitis conceſſum cenſetur. Prohibentur autem quidam naturâ, qui conſentire nequeunt, ut infantes, furioſi, extra dilucida intervalla, perpetuò amentes, muti, & ſurdi conjunctim. Quidam verò lege prohibentur, veluti impuberes, ob Imbecillitatem judicij, niſi paciſcendo conditionem ſuam meliorem faciant; prodigi, quibus bonis interdictum eſt, item minores 25. annis, qui curatorem habent. Weſenb. in parat n. 5. ff. h. t. Zœſ. ff. eod. n. 9. & ſeqq. Jure verò Canonico prohibentur paciſci de rebus Eccleſiaſticis, quibus prohibita eſt alienatio earundem, ſinè conſenſu Superioris, ſeu Prælati, vel Capituli, ut patet ex tit. de reb. Eccleſ. non alien. & de his, quæ fiunt à Prælat. &c. Hoſtienſ. hîc in ſumm. n. 4. de quo ſuo loco.

Porrò nemo alteri regulariter, ſed ſibi tantùm paciſci poteſt, §. Alteri Inſtit. de inutil. ſtipul. Idque procedit etiam de Jure Canonico, ut, ſi Titius ſimplici pacto promittat Cajo, ſe cẽtum aureos daturum Sempronio, nulla inde oritur obligatio, vel acquiritur Sempronio; nec civilis, quia jure civili alteri paciſci non licet; nec naturalis, quia pactum requirit conſenſum duorum, l. 1. ff. h. t. qui hîc deeſt, ex parte ejus, cui facta eſt promiſſio, quippe abſentis, nempe acceptatio, quæ non poteſt ſuppleri per tertium, ſi non eſt ex ijs, per quos alteri etiam abſenti, & ignoranti acquiri poteſt. Abb. in proœm. Decretal. n. 25. Zœſ. in Comment. Decret. h. t. n. 3. & ff. eod. n. 15. contra Covarr. in c. Quamvìs; h. t. in 6. p. 2. §. 4. n. 2.

VIII. Aſſertio 4. In genere loquendo, de omnibus rebus licitis, & honeſtis, & quæ in commercio huminum conſiſtunt, ſive præſentes ſint, ſive abſentes, ſive etiam futuræ, & nondum exiſtentes, paciſci licet, dum tamen ſint paciſcentium propriæ; nam res, aut jura aliorum utiliter in pactum deduci non poſſunt. Weſenb. ff. h. t. in 6. Ad formam verò pactorum quod attinet, ea ex conſenſu, & voluntate paciſcentium pendet, l. 1. §. Si conveniat; ff. Depoſit. modò pacta adjecta contractui non ſint contra formam ſubſtantialem ejuſdem à legibus definitam, alioquin vitiatur contractus, cujuſmodi eſt pretium in emptione, merces in locatione, quæ, ſi per pactum adiectum tollantur, illud non tenet. Poteſt tamen per pacta additio, vel diminutio fieri in contractibus, ſalvâ manente eorum ſubſtantiâ, l. Pacta; 72. ff. de contrah. empt. Gregor. Tholoſ. partit. Juris Canon. l. 3. tit. 1. c. 7. nam contractus ex conventione legem accipiunt, l. Contractus; 23. ff. de R. I. Cujuſmodi ſunt, præſtatio culpæ, evictio rei, & ſimilia, quæ per pacta removeri poſſunt. Zœſ. ff. h. t. n. 16. Cæterùm pacta nullo verborum ordine, nullâ certâ formâ, ſed tantùm æquitate conventionis conſtant, ideóque non tantùm inter præſentes, ſed etiam per nuncium, vel epiſtolam inter abſentes fieri poſſunt, l. 2. ff. h. t. Sed & in præſens, vel ex certo die, aut ad certum diem, vel ſub modo, vel purè, rectè contrahitur pactio, l. Si unus; 27. §. 1. l. Intra; 41. ff. h. t. Weſenb. ff. eodem num. 7. & Tholuſan. c. l.

Illud hîc addendum, pacta ſtricti juris eſſe, ideóque ſtrictam recipere interpretationem, ita, ut nec ad alias perſonas, neque ad alias res extendantur, quàm quæ expreſſis verbis pacto comprehenſæ ſunt, l. Si onus; 27. §. Ante omnia; ff. h. t. niſi, cùm pacta apponuntur bonæ fidei contractibus, ſecundùm quos ex bono, & æquo recipiunt interpretationem, l. Jurisgentium; 7. §. Adeò; l. Ab emptione; 58. ff. eod.

Denique pacta noviſſima, ſeu ultima ſervari oportet, per quæ prioribus derogatur, ſi ijs contraria ſint, l. Pacta; 12. C. h. t. Weſenb. ff. eodem num. 11. & ult.

* * *

§. II.

De obſervatione Pactorum, & eorum confirmatione per Superiorem.

IX. Aſſertio 1. Pacta legitima inter Chriſtianos inita ſervari debent, prout ſtatuitur in c. Antigonus 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Africano, ubi dicitur: aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem: aut conventus (is, qui non ſervat pacta, coram Eccleſiaſtico Judice) vel monitus is, qui convenitur, ut pacta ſervet. Hoſtienſ. hîc V. Conventus. Si non cohibuerit (id eſt, ſe non emendaverit, & pacta ſervaverit. Hoſtienſ. hîc V. Eodem) per Eccleſiaſticam diſciplinam, ſeu cenſuram ad obſervationem compellatur, prout reſponderunt omnes PP. illius Concilij: *pax ſervetur, pacta cuſtodiantur.* Porrò Canon hic deſumptus eſt ex Concilio Carthaginenſi 1. c. 12. quod fuit provinciale celebratum ab Epiſcopis in Africa, & poſtea approbatum à Leone IV. ut oſtendit Fagnan. hîc n. 1. & 65. contra Abbatem hîc not. 3. qui putat, fuiſſe Generale, eique præfuiſſe S. Pontificem. Similiter in c. Qualiter; 3. h. t. dicitur, quòd Judex ſtudiosè agere, ſeu curare debet, ut, quæ promittuntur, opere adimpleantur.

X. Hinc colligitur 1. Ad pacti obſervationem poteſt quis compelli per cenſuras Eccleſiaſticas, videlicet excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum, juxta c. Quærenti; 26. de verb. ſignif. modò pactum ſit legitimum: nam pacta, quæ fiunt contra leges, aut bonos mores, aut dolo, vel aliis ſunt damnoſa, vel quæ in detrimentum ſalutis æternæ vergunt, ſervanda non ſunt. Gl. hîc V. Pacta cuſtodiantur.

Colligitur 2. Etſi Gl. in cit. c. 1. V. Pacta cuſtodiantur. h. t. illud reſtringat ad pacta inita inter Epiſcopos, de quibus loquitur illud c. ſed exempli ſolùm causâ, ob caſum ibi propoſitum; attamen generaliter intelligi debet deciſio huius c. quòd pacta legitima obſervanda ſunt, non ſolùm inter Clericos, ſed etiam laicos, quia textus generaliter loquitur, & etiam laici peccant non ſervando pacta. c. Juramenti; 12. cauſ. 22. q. 5. Abb. hîc n. 2. Ratio eſt, quia naturalis æquitas dictat, pacta licita ſervanda eſſe, ex qua naturalis obligatio naſcitur, quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea ſervare, quæ inter eos (paciſcentes) placuerunt. l. 1. in princ. ff. h. t. Gl. ibid. V. Huius edicti. Idque obtinet etiam in nudo, ſeu ſimplici pacto, quod ſcilicet nullâ Scripturâ, vel inſtrumento, vel interventione rei, vel alio extrinſeco legis adminiculo eſt firmatum, nam & illud obligationem naturalem parit, ideóque ſervari debet. Abb. hîc num. 4.

Colligitur 3. Violare pacta legitima ab altera parte acceptata, eſſe peccatum grave, ſeu mortale, ut tradit Gl. communiter recepta in c. 1. V. Pacta cuſtodiantur; h. t. idque probatur ex eodem c. 1. ubi habetur, quòd violantes pacta poſſunt excommunicari, excommunicatio autem non poteſt inferri, niſi propter peccatum grave, & manifeſtum. c. Nemo; 41. cauſ. 11. q. 3. cuiuſmodi eſt violatio pacti, quia grave eſt, fidem datam fallere. l. 1. in princ. ff. de conſtit. pecun. quod intelligi debet in materia gravi.

Colligitur 4. Quòd ex pacto, quamvìs nudo, oriatur actio in foro externo, ſecundùm Jus Canonicum, ut probant Canoniſtæ communiter ex cit. c. 1. h. t. quia, quando jus mandat aliquid obſervari, oritur inde actio. l. Statuat; 41. in fine. ff. de acquirend. rer. dom. At Jus Canonicum mandat obſervari pacta, ergo ex illis datur actio. Gl. hîc V. Pacta cuſtodiantur. Abb. in cit. c. 1. n. 5. & alij; idque ſumitur ex eod. c. ibi: *conventus*, ſcilicet coram Judice Eccleſiaſtico, ut explicat Innocent. hîc, & Hoſtienſ. V. Eodem, conveniri autem propriè quis dicitur per viam actionis, & convenire eſt agere contra aliquem in judicio. Et quia textus hîc generaliter decernit, pacta ſervanda eſſe, nec diſtinguit inter pacta nuda, & veſtita, ſeu non nuda, per conſequens etiam ex nudo pacto oritur actio, ſecundùm Canones, Fagnan. in cit. c. 1. n. 15. 16. & 17. h. t. Sed de hoc plura infrà.

XI. Aſſertio 2. Conventiones, ſeu pacta inter aliquos inita poſſunt per ſupervenientem poſtea conſenſum, aut ratihabitionem Superioris confirmari, prout ſumitur ex c. Quoties; 2. h. t. ubi Papa Gregorius I. reſcribit: Si pacta, ſeu conventiones aliquæ fiant (in Eccleſiis v. g.) Pontifex (vel Epiſcopus) ne in dubium vocentur, poteſt, ac debet illas, poſtea, pro ſecuritate partium, ſolidare, id eſt, per ratihabitionem confirmare, cùm cauſæ tamen cognitione. Gl. fin. hîc.

XII. In qua re tamen diſtinguendum eſt; nam, vel actus ſecundùm ſubſtantiam omnino eſt nullus, & irritus, etiam ſpectato jure naturali; & per ſubſequentem conſenſum Superioris non confirmatur, vel ratificatur, juxta regulam juris; 18. in 6. Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, & quod non eſt, ſive quod omnino invalidum eſt, id confirmari non poteſt. Vel actus eſt aliquo modo validus, ſaltem ſpectato jure naturali, licèt ſecundùm jus poſitivum ſit irritus, tum per conſenſum Superioris poſtea præſtitum confirmatur. Innocent. in c. Cùm conſuetudinis; 9. V. Conſenſu de conſuet. Imola in cit. c. 2. n. 3. h. t. Sic alienatio rerum Eccleſiæ facta à Prælato, ſine conſenſu Capituli, ratificatur per eiuſdem conſenſum poſtea adhibitum. c. Cùm nos; 3. de his quæ fiunt à Præl. ſine conſenſ. Cap. Item alienatio facta à Rectore Eccleſiæ inferioris confirmatur, ſi Epiſcopus, vel Papa poſtea conſentiat, eámque ratificet. arg. cit. c. 2. h. t.

Porrò, ut cognoſci poſſit, an conſenſus Superioris, vel alterius requiratur ab initio ad ſubſtantiam actûs, ita, ut, etiamſi poſtea ſuperveniat, actus non confirmetur, ſed maneat invalidus; an verò per ſubſequentem conſenſum actus validetur, & confirmetur, videndum eſt, an conſenſus prærequiratur ad actum per modum auctoritatis, vel licentiæ; an verò per modum ſimplicis conſensûs, nam priore caſu, eſt de ſubſtantia actûs. Exemplum habetur in tutore, qui ſi auctoritatem præſtet, poſt contractum à pupillo initum, is non confirmatur. l. Obligari, 9. §. Tutor. ff. de auctorit. tutor. nam plus eſt, auctoritatem præſtare, quàm nudum, ſeu ſimplicem conſenſum, juxta Gl. margin. in cit. c. 3. V. Ratam, de his quæ fiunt à Præl. &c. qui enim auctoritatem præſtat, ille præ-

ſtat aſſenſum; ut principalis, ratione alicuius officij publici, ita, ut abſque eo actus valere non poſſit, pro eo tempore, quo geſtus eſt, licèt valere poſſit pro tempore, quo interponenda erat auctoritas. Poſteriore verò caſu, ſi requiratur conſenſus alicuius ſolùm per modum nudi, ſeu ſimplicis conſensûs, tunc confirmatur actus, etiamſi conſenſus ex poſtfacto ſit præſtitus, quia non requiritur ad ſubſtantiã actûs, quippe qui jam ab initio erat aliquo modo validus, ut ſuprà dictum, niſi aliud expreſsè in jure ſit cautum. Imola hîc n.4.& Abb.not.2.

XIII. Cæterùm non ad omnia pacta, & conventiones inferiorum, ſeu ſubditorum confirmandas requiritur, ut accedat conſenſus, aut ratihabitio Superiorum; Nam pacta, & tranſactiones, quæ inter Religioſos Mendicantes, & Prælatos, Capitula, & Rectores Eccleſiarum, civitatum, & aliorum locorum, in quibus Religioſi Mendicantes habitant, ſuper juribus Patochialibus, vel aliis ſimilibus articulis, ab ipſis Prioribus Convẽtualibus, aut Quardianis, vel ab eorum Anteceſſoribus, cum conſilio, & conſenſu Conventûs ſui, ſunt inita, rata eſſe debent, & firmiter obſervari, dummodo aliàs ſint licita, & honeſta (& poſſibilia) tametſi Provincialis, vel Generalis eorum, vel Sedis Apoſtolicæ aſſenſus non acceſſerit, neque eiuſmodi pacta in Generalibus, vel Provincialibus eorum Capitulis approbata fuerint: idque ſtatutum eſt, ut ſcandala, quæ alioquin oriri poſſent, vitentur, & dicti Religioſi puritatem ſuam conſervent, neque eorum honori, ac famæ detrahatur, prout habetur in c. Quia ex eo; 3.& ult.h.t.in 6.

XIV. Notat verò Rodriq. tom.1. qq. Regular. q.27.a.3. per hanc Conſtitutionem Bonifacij VIII. revocata eſſe privilegia, quæ Fratribus Minoribus ab Alexandro IV. & Honorio IV. conceſſa fuerunt, nempe invalida eſſe quæcunque pacta, quæ Minores, etiam Quardiani, fecerint contra prædicti Ordinis ſtatuta, vel conſuetudines, abſque Generalis, vel Provincialis licentiâ, & aſſenſu: vel etiam quæ dicti Minores, & domus eiuſdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum, in quarum territorio domus, & loca prædicta exiſtunt, abſque licentia Genetalis Miniſtri, & Capituli inire præſumpſerint, in præjudicium dicti Ordinis.

Verùm prædictam Conſtitutionem iterum ſublatam eſſe per Sixtum IV. & privilegia Mendicantibus priùs conceſſa, quæ per illam revocata fuerant, reſtituta eſſe, ait idem Rodriq. c.l. nam, ſicut Rector Eccleſiæ Collegiatæ inferioris non poteſt jura, & bona immobilia Eccleſiæ alienare, niſi, præter conſenſum Capituli, obtinuerit conſenſum Epiſcopi, ut colligitur ex c.2.de tranſact. ubi id tradit Abb.n.3. ita etiam Rector, vel Prior Eccleſiæ Conventualis, ſeu Regularis non poteſt alienare, ſine conſenſu Generalis ſui Ordinis, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in ſuos ſubditos habet, vel ſaltem Provincialis, cui ſæpe à Genetali talis poteſtas præbendi conſenſum committi ſolet. Laym. hîc n.1. Quare in hac re cuiuſque Ordinis conſuetudo, ſtatuta, & privilegia Apoſtolica, poſt prædictam Conſtitutionem Bonifacij VIII. facta, vel conceſſa ſpectanda ſunt.

§. III.

De diverſis pactis illicitis, & Iure Canonico prohibitis, ac reprobatis.

XV. Aſſertio 1. Inprimis Illicitum, & invalidum eſt pactum, quod cedit in præjudicium alterius non conſentientis, præſertim per quod juri publico Eccleſiæ præjudicatur, quia pactis privatorum juri publico derogari non poteſt. c. Si diligenti; 12.de foro compet. l.Inter; 42. ff. h.t. non enim jus publicum privatorum pactis mutari poteſt. l. Jus publicum; 38.ff.Eodem. Quare prohibitum, & irritum eſt pactum appoſitum in præjudicium juris parochialis alterius Eccleſiæ, prout ſtatuitur in c. Plerique; 7. h.t. Nam, quia plerique Clerici, tum Regulares, tum Seculares, cùm vel domus ſuas locarent, vel feuda concederent, in præjudicium Parochialium Eccleſiatum, pactum adjiciebant, ut conductores domorum, aut feudatarij, qui feuda à Clericis recipiebant, decimas ipſis ſolverent, vel ſepulturam apud eoſdem eligerent, Ideo Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi c.56. tale pactum, quippe quod ab avaritiæ radice procedit, penitus reprobat, ſive, irritum eſſe, declarat, & decernit, ut, quidquid occaſione huiuſmodi pacti præceptum fuit, Eccleſiæ Parochiali reddatur. Ratio eſt, quia jura parochialia ſunt debita ipſi Eccleſiæ parochiali. c.fin. de paroch. ergo non valet tale pactum, quod cedit in præjudicium alterius, præſertim Eccleſiæ. Abb. hîc not.1.

XVI. Ubi notandum 1. Poteſt Parochus decimas ex tali pacto à Clericis perceptas petere, vel ab ipſis Parochianis condictione ex lege, ſeu Canone. arg.l.unic. ff. de condict.ex lege, quæ eſt actio perſonalis. Abb.in c. Commiſſum; 4.n.4.de decimis, vel ab Ipſis Clericis decimarum poſſeſſoribus actione quaſi reali, ut colligitur ex c.Si quis laicus; 42. juncta Gl. V. Irrita; cauſ.16.q.1. & tradit Gl.in c.In aliquibus; 32. V. Compellantur, de decim. ubi ait, pactum non nocet Eccleſiæ, quin à quolibet poſſeſſore poſſit petere decimas, quia eſt onus, quod ſequitur ipſam rem.

Notandum 2. Quamvìs quilibet fidelium ſibi liberè eligere poſſit ſepulturam, extra Eccleſiam ſuam parochialem. c.1. de ſepult. non tamen ad id pacto, ſeu fide datâ obligari debet, ſed tali pacto non obſtante, ſepeliendus eſt in loco, in quo aliàs de jure ſepeliendus erat. c.1. de ſepult. in 6. & Clement. cupientes; 3. in fine de ſepult. Abb. hîc not.2.

XVII. Cæterùm, etſi prohibitum, & Irritum ſit pactum, vi cuius aliquis obſtringitur, ut ſepeliri debeat, extra Parochiam ſuam, in Eccleſia regulari, vel ſeculari, ut jam dictum: valet tamen pactum, quo Religioſi alicuius Monaſterij, qui ex privilegio à Sede Apoſtolica conceſſo, liberam habent facultatem ſepeliendi in ſua Eccleſia Parochianos, qui apud eos elegerint ſepulturam, paciſcuntur cum Rectore Eccleſiæ parochialis, quòd vel omnes ipſius Parochianos, vel certos ad Eccleſiaſticam ſepulturam recipere nolint, nam pactum huiuſmodi Monachi, ſeu Religioſi omnino ſervare debent, quia

per illud privilegio ipſis conceſſo fuit derogatum, prout ſtatutum eſt in c.Pactum; 1.h.t.in 6.

XVIII. Notandum 1. Privilegiati poſſunt privilegio ipſis dato renunciare, ſi eorum tantùm commodum, ſeu favorem principaliter reſpiciat. c. Si de terra; 6. c. Accedentibus; 19. de privileg. præſertim ſi per talem tenunciationem redeatur ad Jus commune, quod eſt ſavorabile. Gl.marg. hîc lit. e. Franc. n. 3. ſicut fit in prnpoſito, cùm jus ſeplieudi Parochianos, Jure communi, & ordinatio, ſpectet ad ſolas Eccleſias Parochiales; ad alias verò Collegiatas, ſeu Seculares, vel Conventuales, ſen Regulares ſolùm ex privilegio, nr docetur communiter infr. in Tit. de ſepultnris. Neque verò hoc caſu requiritur ad acceptandam renunciarionem talis privilegij à Patochis, nt iurerveniar auctoritas Superioris v.g. Epiſcopi, quia poteſt Rector Eccleſiæ etiam ſine illa paciſci, in ſavorem, ſeu commoduin Eccleſiæ ſuæ, quando ſcilicet agirur de acquirendo, vel conſervando jure Eccleſiæ; ſecns, ſi pactum redundet, vel tedundare poſſit in damnum Eccleſiæ; unde Rectores, & Adminiſtratores nnn poſſunt alienare hona, & jura Eccleſiæ, abſque Superioris auctorirate, ut conſtat cx c. Abbatibus; 41. cauſ. 12. q. 1. Ancbaran. hîc in princ. Franc. ibid. not. 2.

Notandum 2. Etſi Parochiaui facultatem habeant eligehdi ſepulturam, extra Parochiam ſuam, non ramen poſſunt eam eligere in Eccleſia, quæ jus ſepeliendi non babet, ſed illud amiſit, ut in propoſito Monaſterium, renunciando privilegio accepto, ſaltem quoad certos Parochianos: prætetquam, quòd, licèt Parochiani poſſint eligere ſibi ſepulturam, extta Parochiam, ſi ad eam admittantur, non tamen poſſunt alios cogete, ut in aliena Eccleſia ad ſepulturam recipiantur. Anchat. bîc not. 2.

Notandum 3, Vel privilegium Monaſterij ſepeliendi alienos Patochianos eſt impettatum, ante pactum initum cum Rectore Eccleſiæ Parochialis, de non ſepeliendis eius ſubdiris, vel poſt pactum; ſi ante pactum, tnm per hoc, quippe poſterius, & ſpeciale, derogatum eſt privilegio genetali prlùs obtento, præſertim cùm per pactum redearur ad primam tei naturam, ſeu Jus commuue. Si poſt pactum, tnm per privilegium ſubſequens non potuit ptæjudicari pacto, ſeu conventioni ptæcedenti, ſi in privilegio non ſit facta meutio pacti præcedentis. Gl. fin. bîc Franc. ibid. n. ult.

Notandum 4. Quamvìs in cit. c. 1. h.t. in 6. tantùm ſit ſermo de pacto Eccleſiæ Parochialis facto cum Eccleſia Regulari, quòd hæc non debeat recipete Parochianos ad ſepulruram: tamen idem dicendum eſt, ſi fiat tale pactum à Parochiali Eccleſia cum alia Eccleſia ſeculari jus ſcpeliendi habente, vel inter duas Eccleſias parochiales, qnia eadem eſt tatio. Jo. Andr. hîc. & Ftanc. not. 1. nnn tamen poſſet tale pactum facere Eccleſia Patnchialis, vel eius Rector, quòd nolit recipere ad ſepulturam proprios Parochianos, qnia id cedetet in eorum præjudicium, quibus non poteſt denegari ſepultura, niſi in certis caſibus. Franc. hîc n. 3.

XIX. Aſſertio 2. Illicltum, & ſimonlacum pactum ceuſetur, ſi privatâ paciſcentium conventione, & ſine Superioris auctoritate fiat, ut una pars lite, & jure, ſi quod in beneficio habeat, cedat: altera verò viciſſim temporale aliquid det, v.g. expenſas factas refundendo, vel penſionem annuam ſolvendo, prout ſumitur ex c. Cùm pridem; 4. h.t. Nam cùm inter Priotem, & Monachos de Acra, & Publium eiúſq; ftatrem Germanum, lis orta fuiſſet ſuper quadam Eccleſia, & Capellâ, quibus hi à Monachis ſe deiectos ſuiſſe, dicebant: poſtea inrer ſe privatâ auctoritare, pactionem, ſeu conventiouem fecerunt, ut Publius, & ſrater eius lite cederent, Monachi verò eiſdem in compenſationem expenſarum, quas feeerant, rres argenti Marchas ſolverent: quam compoſitionem auctoritate Apoſtolicâ confirmari poſtulabant. Scd Papa Alexander III. illam admittere noluit, eò quòd pravam illicitæ, ſeu ſimoniacæ pactionis ſpeciem continere videretnr. Quare Papa alium modum compoſitionis partibus propoſuit, nimirum, ut Publius pro ſe, & fratre ſuo liti renunciaret, traditis ſibi inſtrumentis authenticis, quæ ſuper cauſa illa habebat, eáque Papa Prioti, & Monachis tranſmiſir: hi verò dicto Publio, eiúſque fratri de alio beneficio providerent. Sed quia Priot, & Monachi huic compoſirioni acquieſcete nolebant, mandavir idem Papa Judicibus à ſe delegaris, ut, niſi competens beneficium dictis Clericis frarribus aſſignent, illos ad Eccleſiam, & Capellam, ſi quidem conſtiterit, eoſdem, abſque judiciario ordine, violenter deiectos ſuiſſe, iterum reſtituant, non obſtanribus litteris confirmationis, quas Prior, & Monachi à Papa priùs imperraverant.

XX. Nnrandum 1. Qui tenunciat liti ſuper beneficio Eccleſiaſtico, adiecto pacto, ut aliquid temporale, etiam expenſarum nomine, ipſi reddatur, cenſetur illicltam, & ſimoniacam pactionem facere, quia jus ſpirituale prn pecunia, vel alia te pretio æſtimabili remittit, quod ſimoniacum eſt Gl. hîc V. Illicitæ pactionis ſpeciem. Abb. not. 2. quamvls interveniente Snperioris, ſeu Prælati, vel Judicis auctoritate, nihil vetet, tale pactum fieri inter partes, videlicet, ut pars cedens liri, vel reuuncians alij juri ſpirituali, tecipiat aliquid temporale: idque non in compenſationem dubij juris, quod pars illa ad beneficiū habet, nam, cùm illud ſit ſpirituale, non poreſt, ſine labe ſimoniaca, pretio remporali redimi: ſed vel in compenſationem expenſarum, quas pars recedens à lite beneficiaria, fruſtra litigando, fecerat. arg. c. Niſi eſſent; 21. de præbend. vel ad neceſſariam ſuſtentationem eius, qui à jnre, & actione deſiſtit: vel etiam in bonum pacis, & concordiæ, quæ ipſi etiam tranſigenti commodum, vel utilitatem temporalem affert, adeóque pretio æſtimabilis eſt, vel ob dubium litis evenrum, & ad tedimendam vexationem, Gl. hîc V. Induximus, Suat. l. 4. de ſimon. c. 51. num. 21. & 22. Laym. l. 4. Theol. moral. tract. 10. c. ult. n. 59.

Notandum 2. Quamvìs Papa, ex plenitudine poteſtaris ſuæ, poſſit partes lirigantes compellere ad renunciandum liti, & tranſigendum, dummodo res, ſuper qua lirigatur, ſit ſub diſpoſirione Papæ; id tamen ordinatiè facere non debet, nec ſolet, niſi lis fuerit diuturna, vel canſa valde intricata, ur facilè expediri non poſſir, vel ex alia cauſa neceſſiratis. Abb. hîc n. 6.

Notandum 3. Per traditionem inſtrumentorum videtnr renuuciari juri ex ilis competenti, Imola hîc n. 7. potéſtque adverſarius petete, ſibi tradi inſtru-

ſtrumenta, quæ ad cauſam pertinent, & ad hoc pars renuncians liti cogi poteſt à Judice, cùm illa ampliùs ipſi prodeſſe non poſſint. l. ult. C. ad exhibend. Gl. hîc V. Reſignavit, & Abb. n. 5.

Notandum 4. Qui renunciavit beneficio in manibus Superioris, eo pacto, ſeu conditione ſaltem tacitâ, ut pars adverſa quidpiam præſtet, poteſt beneficium ſuum, ſi pactum impletum non ſit, repetere, illúdque debet ipſi reſtitui, prout ſumitur ex hoc. c. Gl. fin. hîc in 3. reſponſ. & Abb. n. 11.

XXI. Aſſertio 3. Irritum, & invalidum eſt pactum alicui factum de ſuccedendo poſt mortem Prælati, vel Beneficiati in ipſius Eccleſia, vel beneficio, ut conſtat ex c. Accepimus; 5. h. t. Nam, cùm Papa Alexander III. intellexiſſet, quòd quædam Eccleſiæ Clericis ſint tali modo, ſeu pacto conceſſæ, ut poſt eorum (ſcilicet Clericorum, quibus Eccleſiæ ſunt conceſſæ) obitum, alij nominibus propriis deſignati eiſdem ſuccedant (v. g. cognati eorum.) Idem Papa mandat, ut, cùm tale pactum ſit iniquum, & SS. Canonibus repugnans, ideóque tolerari non debeat, huiuſmodi ſucceſſiones tam deteſtabiles, & iniquæ, non tantùm deinceps fieri prohibeantur, ſed etiam, ceſſante appellatione, frivolæ, & ipſo jure irritæ eſſe decernantur, ac declarentur. Ratio eſt, quia Eccleſiæ, & beneficia Eccleſiaſtica, non per hæreditariam veluti ſucceſſionem, ſed per canonicam electionem, vel inſtitutionem obtineri debent, & quidem non priùs, quàm vacent. c. Ex tranſmiſſa; 7. & c. Ad extirpandas; 11. de filiis Presbyt. c. 2. de conceſſ. præb. c. Apoſtolica; 7. cauſ. 8. q. 1. in quibus prohibentur ſucceſſiones in Eccleſiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, Gl. fin. hîc. Accedit, quòd tale pactum inducit votum captandæ mortis alienæ, ideóque odioſum eſt, & utroque jure reprobatum. l. fin. C. de pactis. cit. c. 2. de conc. præb. c. 2. & 3. eod. in 6. Veruntamen Papa, ex plenitudine ſuæ poteſtatis, poteſt alicui, ex ſpeciali gratia concedere facultatem deſignandi ſibi ſucceſſorem in Eccleſia, vel beneficio. Imol. hîc n. 2.

XXII. Aſſertio 4. Illicitum quoque, & ſimoniacum pactum eſt, ſi quis promittat penſionem annuam, vel augmentum penſionis antiquæ ſe ſoluturum, ſi in Eccleſia, vel beneficio inſtituatur, ut conſtat ex c. Cùm Clerici; 6. h. t. Nam in Cantuarienſi Provincia decedentibus Eccleſiarum perſonis, (id eſt, Prælatis, ſeu Rectoribus, Hoſtienſ. hîc V. eod.) Clerici ijs, à quibus Eccleſias recipiebant, promittebant, ſe ſolito maiores penſiones (quas ex illis Eccleſiis ſolvi conſuetum erat, v. g. Epiſcopo Collatori) ſoluturos, ſi in ijs inſtituantur, ut ſic faciliùs poſſent Eccleſias illas obtinere. Hoc intellecto, mandat Papa Alexander III. Archiepiſcopo Cantuarienſi, eiúſque Suffraganeis, ut Clericis ſuis prohibeant, nec deinceps tale quid attentare præſumant, alioquin, qui contra hanc prohibitionem per deteſtabile huiuſmodi ſimoniæ vitium fuerint inſtituti, ceſſante appellatione, eos ab Eccleſiis removeant, & inſuper Eccleſiaſticâ ſeveritate eoſdem puniant. Procedit autem deciſio huius c. non ſolùm in illis Eccleſiis, ex quibus penſio legitimâ auctoritate Superioris impoſita ſolvi conſuevit, quam cum pacto augere non poſſunt Clerici inſtituendi, præſertim ante factam collationem, vel inſtitutionem, ſed etiam ſi promovendus propriâ auctoritate ſe obligaret per pactum ad ſolvendam penſionem maiorem. Abb. hîc not. 1.

XXIII. Ubi notandum 1. Si inſtituendus in beneficio promittat, maiorem penſionem ſe ſoluturum, quàm ante conſuetum erat, ut tantò faciliùs beneficium conſequatur, tale pactum apertè ſimoniacum eſt, quia promittit aliquid temporale pro obtinendo jure ſpirituali, ideóque invalidum eſt, etiamſi juratum foret. Gl. hîc V. Paciſcantur. Quare cùm hîc dicitur, talem eſſe beneficio ſpoliandum, id intelligendum eſt, non de privatione propriè dictâ, ſed de remotione à poſſeſſione beneficij, quia talis non habuit in beneficio ullum jus, vel titulum, cùm collatio ſimoniacè facta ſit ipſo jure nulla, ſive pactũ factum ſit ante collationem, ſive in ipſa collatione. Si verò huiuſmodi pactum factum ſit, poſt collationem beneficij, non poteſt dici ſimoniacum, cùm iſte jam ſit conſecutus jus ſpirituale beneficij, ſine promiſſione rei temporalis; nihilominus tamen peccat, conſtituendo Eccleſiam cenſualem, ſine Superioris auctoritate, contra juris prohibitionem. c. Prohibemus; 7. de cenſib. ideóque puniri debet. Abb. hîc n. 2. Porrò pœna per ſimoniam obtinentis beneficium eſt depoſitio à gradu, ſeu Ordine Clericali, c. Reperiuntur; 7. cauſ. 1. Gl. fin. hîc.

Notandum 2. Poteſt Epiſcopus, cum conſenſu Capituli, imponere penſionem beneficio vacanti, vel antiquam augere (auctis redditibus beneficij) ante collationem eiuſdem, nam, ſi in ipſa collatione imponatur, vel augeatur penſio, periculum eſt pactionis ſimoniacæ, ſi ſolutio penſionis in commodum Collatoris directè, vel, indirectè cedat, ut patet ex c. unic. in fine. Ut Eccleſ. benef. ſine dimin. conf. Laym. l. 4. tract. 2. c. 18. n. 4. de quo plura alibi.

XXIV. Aſſertio 5. Denique generaliter irritæ ſunt pactiones factæ pro ſpiritualibus obtinendis: cùm in huiuſmodi omnis pactio, omniſque conventio debeat omnino ceſſare. Idémque dicendum eſt de aliis, quæ obſervari non poſſunt, ſine detrimento animæ, ſive periculo æternæ ſalutis: nam etiam ſecundùm leges civiles, pactum turpe, vel rei turpis, vel impoſſibilis, de jure, aut de facto, nullam obligationem inducit, ita reſcripſit Papa Gregorius IX. in c. Pactiones; 8. & ult. h. t.

XXV. Notandum 1. Pacta, quæ fiunt de rebus ſpiritualibus obtinendis, vel quæ ſpiritualibus ſunt annexæ, v. g. de præbendis annexis titulo beneficij, de jure patronatûs &c. ſunt illicita, & irrita atque ſimoniaca, ſi nimirum pro re ſpirituali viciſſim promittatur, aut detur res temporalis, ſive pretio æſtimabilis, aut res ſpiritualis, cui temporale eſt annexũ, ut beneficium Eccleſiaſticum, vel jus decimarum. v. g. Si pro beneficio Eccleſiaſtico ex pacto pecunia detur collatori, vel aliquid aliud temporale. Hoſtienſ. hîc V. Spiritualibus, & huiuſmodi, & Abb. in 1. regula. Item, ſi per pactum unum beneficium, propriâ auctoritate, commutetur cum alio beneficio, ſimonia cõmittitur, quia ſpirituale commutatur cum alia re ſpirituali, cui temporale eſt annexum, c. Quæſitum; 5. junctâ Gl. V. Simonia de rer. permutat. quamvìs partes inter ſe paciſci, & tractare poſſint de permutatione beneficiorum facienda, ſub ratihabitione, & conſenſu Superioris, ita, ut antè rata, & firma non ſit, ut

tradit

tradit Gloſſ. in Clement.unic. V. Volentibus de rer. permutat. Similiter illicitum, & ſimoniacum pactum eſt, ſi pro beneficio obtinendo promittatur Epiſcopo v. g. ab aliquo ſua obſequia, ſeu ſervitia in unum, vel alterum annum, quia pro beneficio, quod eſt jus ſpirituale, promittitur ſervitium temporale, & pretio æſtimabile. Sic etiam ſimoniaca, & turpis pactio eſt, ſi conſeratur alicui beneficium pro ſacris Reliquiis, viciſſim collatori donatis, quia res merè ſpiritualis obtinetur per beneficium, cui temporales reditus ſunt annexi. Aliud verò eſt, ſi pro re merè ſpirituali promittatur, aut detur alia res merè ſpiritualis, cui ſcilicet nihil pretio æſtimabile eſt annexum, talis enim conventio non eſt turpis, aut ſimoniaca, ut ſi quis promittat alicui ſe pro illo certas preces recitaturum, eo pacto, ut viciſſim ipſe pro illo celebret: vel, ſi ſacræ Reliquiæ cum aliis ſacris Reliquiis commutentur, niſi unius Reliquiæ pretioſis thecis involutæ eſſent, tum enim, ſi non conſtet, gratìs dari, periculum eſt, & ſuſpicio in commutando temporalis pretij rationem haberi. Laym. hîc n.2. de quo plura alibi.

XXVI. Notandum 2. Pactum turpe, vel de re turpi, & inhoneſta, vel injuſta, nullam obligationem parit, ut, ſi quis promittat, ſe homicidium, vel ſacrilegium facturum: neque pactum de re impoſſibili obligare poteſt, nemo enim poteſt ad impoſſibile obligari, juxta reg. juris 6. in 6. ſive ſit impoſſibile de facto, ſive de jure, quia jure, etſi ſolùm poſitivo, ſeu humano, eſt prohibitum, illud enim dicimus poſſe, quod de jure poſſumus; quod autem non eſt poſſibile de jure, reputatur impoſſibile. c. Faciat; 15. cauſ. 22. q. 2. & ibi Gl. V. Quod poteſt; l. Filius; 15. ff. de condit. inſtitut. ubi generaliter dicitur, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt. Abb. hic n. 1.

Et hinc generaliter pacta, quæ contra leges, vel bonos mores fiunt, nullam vim habent, l. Generaliter; 26. & l. ſeq. ff. de verb. oblig. l. Pacta; 6. C. h. t. quod Gl. margin. ibid. lit. c. ait, eſſe intelligendum de pactis, quæ lex non tantùm ſimpliciter prohibet, ſed etiam expreſsè reprobat, talia enim pacta non tantùm illicita ſunt, ſed etiam invalida. Unde etiam non valet pactum, ne dolus præſtetur, ne furti, vel injuriarum reus agatur, ſi furtum, vel injuria fiat, l. Si unus; 27. §. Illud; & §. Pacta; ff. h. t. quia talia pacta alliciunt ad impunè peccandum. Similiter etiam nullam obligandi vim habent pacta, quæ fiunt de re de facto impoſſibili, ut, ſi quis promittat, quòd velit digito cœlum attingere, vel quid ſimile, cit. reg. jur. 6. in 6. ubi tamen diſtinguendum eſt, nam pactum de facto ſimpliciter, & perpetuò impoſſibili, nullatenus obligat: ſi verò ſolùm ſit de facto ad tempus impoſſibile, ut, ſi quis promiſit Titio dare mille florenos, quos hîc, & nunc, dare non poteſt, poterit autem poſtea, illud obligat, ſublato impedimento temporali. Abb. hîc n. 1.

XXVII. Notandum 3. Interdum promiſſio facta ob turpem cauſam, etſi turpis cenſeatur, & non obliget, dum adhuc pendet, ſive cauſa nondum impleta eſt: poſtquam tamen ea impleta eſt, ac finita, oritur ex tali promiſſione obligatio, ita, ut, quod ob talem cauſam datum fuit, non tantùm ab accipiente poſſit retineri, nec à dante repeti, ſed etiam non datum exigi poſſit. Ut, ſi quis promiſit mulieri pecuniam ſe daturum, ſi ſui corporis copiam fecerit, talis promiſſio non obligat promittentem ad dandum, quia promiſit ob turpem cauſam, adeóque illicitè, & ſine peccato dare non poteſt: ſed poſtquam cauſa, ob quam promiſſio facta eſt, impleta fuit, promiſſor obligatur ad ſolvendum, & ſolutum repetere non poteſt, quia, licèt mulier turpiter faciat, quòd ſit meretrix, non tamen turpiter accipit, cùm ſit meretrix, ut ait Juriſconſ. in l. Idem; 4. §. Sed quod; ff. de condict. ob turp. cauſ. Ratio eſt, quia licèt talis datio ſit illicita propter finem, ſeu cauſam turpem, ob quam ſit, ſcilicet propter fornicationem: tamen ipſa datio ſecundùm ſe non eſt illicita, ut docet S. Thom. 2, 2. q. 62. a. 5. ad 2. ideóque poſt impletam cauſam, obligatur promittens ad dandum, quia tunc ſine peccato ſervari poteſt, quod promiſſum eſt.

§. IV.

De pacto tum negativo de non ſuccedendo, per quod renunciatur hæreditati futuræ, tum affirmativo de ſuccedendo alicui.

XXVIII. Præmittendum eſt, quòd Jure civili in l. Pactum; 3. C. de collationib. improbatur pactum, per quod filia dote contenta renunciat bonis paternis, ita, ut poſt mortem patris, non obſtante eo pacto, regreſſum habeat ad bona paterna, eíque ab inteſtato ſuccedere non prohibeatur, dummodo dotem, quam accepit, cum fratribus conferat. Nam, licèt tali pacto, per ſe, & ex objecto ſuo, nihil mali ſubſit, neque votum captandæ mortis contineat, ſicut pactum de ſuccedendo: imò etiam Jure civili tale pactum ſit validum, & licitum, ſi is, de cujus hæreditate agitur, conſentiat, & in illa voluntate uſque ad mortem perſiſtat, l. ult. C. h. t. ut notat Covarr. in c. Quamvìs; 2. h. t. in 6. in init. 3. p. relect. num. 1. ob bonum publicum tamen, Cæſareis legibus conſtitutum eſt, ut hæreditas pactis, nec dari, nec auferri poſſit, quæ privati juris ſunt, l. Hæreditas; 5. C. de pact. convent. & ne per talia pacta liberi retrahantur à paternis obſequiis, quæ ſpe futuræ ſucceſſionis retinentur, & ad quæ meritis potiùs provocandi ſunt liberi, quàm pactionibus aſtringendi, l. Si quando; 35. §. Illud; ff. de inoffic. teſtam. Zœſ. in Comment. ff. h. t. n. 36.

XXIX. Quæritur jam 1. An pactum de non ſuccedendo, per quod renunciatur hæreditati paternæ, vel alteri ſibi deferendæ, confirmetur per appoſitum juramentum, ita, ut vim obligandi habeat?

Reſp. affirmativè, ut conſtat ex famoſo, & celebri c. Quamvìs; 2. h. t. in 6. ubi Papa Boniſacius VIII. ita reſcribit: quamvìs lex civilis improbet pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regreſſum habeat: ſi tamen hujuſmodi pactum juramento nec vi, nec

„ doſo præſtito, ab eadem firmatum fuerit, omnino „ ſervandum erit, cùm nõ vergat in ſalutis æternæ di- „ ſpendium (id eſt, ſine peccato ſervari poſſit) nec in „ alterius cuiuſpiam detrimentum redundet. Ratio eſt, quia omne juramentum præſtitum ſuper actu lege civili irritato, principaliter in favorem jurantis, etſi ſecundariò etiam ob ſavorem publicum, neceſſariò ſervandum eſt, ſi abſque vi, & dolo ſit factum, nec in alterius præjudicium cedat, & ſine peccato ſervari poſſit. cit. c. Quamvìs, et c. Cùm contingat; 28. de jureiur. Covarr. in cit. c. Quamvìs; p. 2. §. 1. o. 5. Atqui juramentum appoſitum pacto, per quod renunciatur hæreditati paternæ à filia, eſt tale, quia lex civilis illud pactum improbat principaliter in favorem filiæ, ne à ſucceſſione paterna excludatur, & non ſit deterioris conditionis, quàm cæteri filij, ſicque à paternis obſequiis retrahatur; quamvìs ſecundariò etiam illud prohibeatur, ob bonum publicum, ut mulieres eò faciliùs poſſint inire matrimonia, per quæ multiplicentur cives: ſpectato autem jure naturali, tale pactum eſt licitum, neque involvit aliquid bonis moribus contrarium, renunciatio enim ſui juris cuilibet permiſſa eſt, ergo tale juramentum, ſeu pactum juratum eſt omnino ſervandum.

XXX. Extenditur autem diſpoſitio huius c. 1. ut procedat, ſive filia per pactum renunciet hæreditati paternæ, dum nuptui traditur, ſive poſt nuptias, ſive etiam ante illas, & conſtitutam dotem, quia ratio decidendi innititur juramento. Covarr. in cit. c. Quamvìs in relect. 3. p. §. 2. n. 1. Franc. hic not. 1.

Extenditur 2. Quamvìs textus hic loquatur de pacto, per quod filia renunciat hæreditati paternæ, tamen idem eſt dicendum de renunciatione hæreditatis fraternæ, vel aliorum conſanguineorum, quia narratur hìc factum, & eadem ratio juramenti in illa quoque locum habet, adeóque etiam eadem juris diſpoſitio. Covarr. c. l. in relect. 3. p. in initio n. 5. Franc. c. l.

Extenditur 3. Quòd renunciatio hæreditatis jurata etiam facta à filio, vel alio neceſſario hærede, deſcendente, vel aſcendente, ſit valida, & omnino ſervari debeat: nam hîc de filia ſolùm exempli cauſa fit mentio, quia frequentiùs filiæ, quàm filij hæreditati paternæ renunciare ſolent; eadem tamen ratio etiam militat in filio, ſi is dotis causâ, vel donationis propter nuptias renunciet hæreditati ſibi debitæ, vel ob aliam cauſam, eſt enim pactum validum, & firmum, ratione juramenti. Covarr. c. l. §. 1. n. 1. ex communiore ſententia.

XXXI. Extenditur 4. Quòd etiam filia, vel filius minor 25. annis obligetur ex pacto hoc jurato, cùm minor 25. annis poſſit juramento obligari, modò pubes ſit: aliud eſt in impubere, etiam proximo pubertati, & doli capace, is enim ex juramento, ob imperfectam ætatem, non obligatur civiliter, quò minùs abſolutionem ab illo petere poſſit, & reſtitutionem in integrum, ut colligitur ex Auth. Sacramenta puberum; C. ſi adverſ. vendit. Covarr. c. l. §. 1. n. 3.

Extenditur 5. Quòd filia obligetur ex juramento, etiamſi ignoraverit, pactum hoc jure civili eſſe prohibitum, quia ignorantia iſta non impedit conſenſum jurantis. Covarr. c. l. §. 1. num. 4. & ſive fuerit emancipata, ſive ſub patriâ adhuc poteſtate conſtituta, quia ex cauſa dotis poteſt fieri pactum inter patrem, & filiamfam. etiam jure civili. Covarr. c. l. n. 5.

Extenditur 6. Quòd pactum hoc, per quod renunciatur hæreditati paternæ, juramento firmatum valeat, etiamſi eo tempore fiat, quo filius, vel filia Religionem ingreditur, quia Monaſterium non ſuccedit in bonis profeſſi, niſi ex jure, & perſona ipſius; cùm ergo hic tempore antecedente profeſſionẽ, quo adhuc renunciare potuit, jam bonis illis ſe abdicaverit, non potuit hoc jus ſuccedendi in Monaſterium transferre, quod ipſe tunc non ampliùs habuit, ideóque, cùm hæc renunciatio facta ante profeſſionem ſit valida, Monaſterium, vi illius, excluditur à ſucceſſione. Covarr. c. l. p. 3. §. 2. o. 3.

Extenditur 7. Licèt poſt pactum renunciationis juratum, aucta ſint bona patris, non tamen poterit filia renuncians cum juramento aliquid petere ex bonis patris, Covarr. cit. p. 3. §. 1. n. 2. in fine.

Extenditur 8. Licèt aliàs donatio revocetur, propter ſupervenientiam liberorum, tamen renunciatio hæreditatis facta à filio patri, vel à ſorore fratribus, non revocatur, etiamſi poſtea liberos acquiſierit. Franc. hîc n. ult. Covarr. c. l. §. 3. n. 8.

Extenditur 9. Quòd diſpoſitio huius c. obliget etiam laicos, & ab ipſis quoque ſervanda ſit, quia ratione juramenti poteſt Papa ſtatuere circa ſeculares, & ſortiuntur hi ſorum etiam coram Judice Eccleſiaſtico, ita, ut ab illo cogi poſſint ad obſervationem juramenti, quia agitur de vitando peccato, ac perjurio. Petr. Anchar. hîc not. 4. & Franc. not. 5. Et hinc ſecundùm hanc Conſtitutionem procedi, & judicari debet, etiam in foro civili, & Tribunalibus ſecularibus, & poſſunt Judices ſeculares compelli ad obſervandam hanc Decretalem. Gloſſ. hîc V. Servari debebit in fin. & Franc. n. 7. Covarr. c. l. §. 4. num. 9. & ſumitur ex c. 2. de jurejur. in 6. Barboſ. in Collect. hîc num. 29.

XXXII. Cæterùm, Conſtitutio huius c. pluribus modis limitari, & declarari debet. Veluti 1. Pactum de non ſuccedendo, per quod filius, vel filia hæreditati paternæ, vel maternæ omnino, & in totum renunciat &c. nullâ portione, vel dote acceptâ, ne quidem per appoſitum juramentum validari, vel confirmari poteſt, ut colligitur ex hoc c. ibi: *dote contenta.* ergo à contrario ſenſu, ſi nullam dotem acceperit, habebit regreſſum ad bona paterna, etiamſi cum juramento renunciaverit. Anchar. hîc not. 2. quia dos ſuccedit loco alimentorum: ſicut ergo alimentis renunciari non poteſt, ita nec juri dotis. Gail l. 2. obſerv. 147. num. 13. & 14. Quod tamen ſublimitari debet, niſi filius, vel filia aliunde bona habeat ſufficientia ad competentem ſuſtentationem, vel facilè habere poſſit, ſive ex propriâ induſtriâ, aut alio quovis modo: tunc enim validum eſt juramentum, etiamſi nulla dos, vel alia portio hæreditatis renuncianti ſit aſſignata: alioquin verò, ſi alimenta neceſſaria non habeat, tale pactum renunciationis repugnat juri naturæ, quod præcipit liberos ali à parentibus, ne aliàs videantur illos necare, ideóque per juramentum confirmari non poteſt, quod vinculum iniquitatis eſſe non poteſt. c. Quanto; 18. de jureiur. Covarr. c. l. §. 2. num. 6. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 579. num. 33. Neque verò per

tale

tale juramentum de non ſuccedendo cenſetur renunciari juri petendi coogruam dotem, quæ ſuccedit loco alimentorum, oeque etiam juti petendi neceſſaria alimenta, vel legitimam. Franc.hic num.8. Cùm ergo maneat ſalvum jus dotis, vel alimentorum, ſaltem eo caſu, qno ſufficientem ſuſtentationem renuncians aliunde habere non poteſt, tale pactum juratum non eſt contra booos mores, aut jus naturale, ideo ex boc capite invalidum eſſe non poteſt.

Limitatur, & declaratur 2. Si ſilius, vel filia renunciavit hæreditati paternæ per pactum; appoſito juramento, ſed interveoiente dolo, aut vi aliquâ, ſeu gravi metu injuſto, ut qoia callidâ perſuaſione inducta eſt ad rennnciandum, quia v. g. pater dixit, modicas eſſe facultates ſuas, cùm revera magnæ eſſent, ut filia modicâ dote contenta, reliquæ hæreditati renuociaret: vel, ſi minis, aut verberibus à patre adducta eſt ad renunciandum: his caſibus, jurans obligatur quidem ex virtute Religionis ob reverentiam Divini Numinis, ad ſervandum juramentum, quia ex parte illius onn eſt de re mala, ſeu illicita, ideóque ſine peccato ſervari poteſt, ut docet Laym. l.4. Theol. moral. tract. 3.c.7.q.5. & alij communiter: noo tamen huiuſmodi pactum renunciationis per jurameotum ſic extortum eooſirmatur efficaciter, ſeu firmiter, quia jurans juramenti relaxationem petere poteſt, & Magiſtratus cogere poteſt eum, qui per dolum, aut vim ad juramentum induxit, ut illud remittat, vel eo id recuſante, etiam ipſemet Judex relaxare illud poteſt. Quare filius, vel filia, quæ cum juramento vi, aut dolo præſtito, renunciavit, etſi ſervare debeat juramentum, cùm ſine peccato ſervari poſſit, attamen poſt impetratam juramenti relaxationem, petere poteſt hæreditatem ſibi debitam, quia pactum renunciationis, ſi per dolum, aut vim eſt præſtitum, efficaciter non obligat, ſive nullum jus tribuit ei, cui factum eſt, cùm injuſtè ſit extortum. Molin.cit.diſ.579.n.28. Ob ſolum verò merum reverentialem patris non vitiatur renuociatio jurata, ut quia patre præſente facta eſt. Gail.l.2.obſ.147.n.16.

Limitatur 3. Niſi pater filiæ, quæ cum joramento renunciavit, ſponte aliquid reliquiſſet in teſtamento, vel in vita donâſſet, tum enim non obſtante pacto jurato renunciationis, poterit filia illud petere, quia tum pater cenſetur tale juramentom remittere, ad eoius petitionem eſt præſtitum. Franc.hîc n.10.limit.5.Gail.l.2.obſ.148. n.11.

XXXIII. Limitatur 4. Si filia renuociavit paternæ hæreditati noo ſimpliciter, ut liberè de rebus ſuis pater diſpooere poſſit, ſed in favorem expreſſum, vel tacitum, v. g. fratrum, vel ijs deficientibus, in favorem proximorum agnatorum lateralium, tom mortuis fratribus, vel, ſi nullus agnatus lateralis ſuperſit, poterit filia ſuccedere ab inteſtato, vel etiam ex teſtamento patri, quia ceſſavit principalis, & finalis cauſa renunciationis. Franc.hîc n.10. limit.6. Covarr. c.l. §.3.n.4. Gail. c.l.n.10. In dubio verò interpretari oportet renunciationem, eum minimâ læſione, ſeu præjudicio renunciantis, quia renuociationes de non ſuccedeodo ſunt odioſæ, & ſtricti juris. l.Pactom; 3. C. de collat. ideóque extra caſum expreſſum non ſunt extendendæ. Unde, ſi filia renunciavit hæreditati paternæ, non cenſetur renunciâſſe hæreditati maternæ, vel fraternæ. Gail. c.l.n.12.

Limitatur, & declaratur 5. Si filia, quæ per pactum juratum renunciavit hæreditati patris, objit poſt mortem patris, ſive ſupervixit patri, non ſolùm ipſa, ſed etiam filij, & hæredes eius excluduntur ab hæreditate iſta, cui renunciatum eſt: hoc enim caſu non poteſt ab eius filiis peti hæreditas avi, qnia illi non poſſunt alio jure avo ſuccedere, quàm ipſius matris, quod jus ſuccedendi per renunciationem eſt extioctum: & quia nunquam fuit ad matrem delata hæreditas patris, obſtante pacto renunciationis, conſequenter oeque ad filios eius, qui oon niſi ex matris jure, & perſona ſuccedere poſſunt ayo materno adhuc ſuperſtiti: nam ratione pactionis per juramentum validæ, ſicut ipſa mater ab hæreditate patris, ita etiam filij ab hæreditate avi excluduntur, quando non ex alio, quàm ex matris jure ad hæreditatem avi admitti poſſunt, & jus habent. Gl.fin. hîc, & Covarr.c.l.§.3.n.7.

Verumtamen, ſi filia, quæ renuociavit, obiit, vivo adhuc patre, tum poterunt nepotes ex tali filia (idémque eſt de nepotibus ex tali filio) non obſtante matris rennociatione etiam juratâ, & ſioe omni relaxatione juramenti, jure proprio petere hæreditatem avi, eíque ſuccedere, quia obligatio juramenti, quippe perſonalis, illos non afficit, ſeu ligat. Gl. margin. hîc lit. b. Covarr.c.l.§.2.n.6. & §.3. n.7. etſi contrarium teneat Molin.cit.diſ. 579. n.14. Sed reſolutio huius quæſtionis pendet ab eo, an pactum jure poſitivo nullum confirmetur per joramẽtum, etiam in ratione pacti, ſeu contractûs, & non obſervandum ſit ſolùm ob religionem juramenti, de quo infrà l. 2. tit. 24. adeóque nihil hoc loco quoad hanc quæſtionem determinamus.

Limitator 6. Si filia (idémque eſt de filio) etiam maior 25. annis per huiuſmodi renunciationem hæreditatis valde eoormiter, & oiultùm ultra dimidium læſa ſit, tum, non obſtante renuociatione, & juramento, poteſt illius relaxationem, & reſtitutionem in integrum petere, quia juramentum non debet eſſe vinculum ioiquitatis, & jurans non videtur conſenſiſſe in tantam læſionem, nec de illâ præcogitâſſe, præſertim, quia ex enormi læſione præſumitur dolus, & comparatur dolo vero, ſeu ex propoſito, ſine quo noo poteſt re ipſâ fieri tam enormis læſio. Abb. in c.Cùm contingat; 28.num.23.de jureiur. Covarr. c.l.§.4.n.5.Gail.l.2.obſerv.147.num.2. & ſeqq. & alij apud ipſum. Talis eoormis læſio cenſetur, ſi filia pro modica dote, quæ legitimam non continet, reounciet ampliſſimæ hæreditati paternæ, vel etiam pluribus hæreditatibos; non ſolùm paternæ, ſed etiam maternæ, fraternæ, & conſanguineorum collateralium, à quibns nihil loco dotis, vel alimentorum accepit. Gail. c.l. num.12. Plura hac de re videri poſſunt apud Covarr. in cit. c. Quamvis de pactis.

XXXIV. Quæritur 2. An pactum affirmativum de ſuccedendo in hæreditate valeat, & juramento confirmari poſſit? Reſp. Pactum futuræ ſucceſſionis: per quod Titius v. g. Caio promittit, ſe hæredem

dem ipſum in teſtamento inſtiruturum, jure civili improbatur in l. Pactum; 15. & l. fin. C. h. t. & nec quidem per appoſitum juramenrum validatur, & confirmatur; ita, ut ei, cui ralis promiſſio facta eſt, actio ex juſtiria rribuatur ex vi talis pacti: quia rale pactum futuræ ſucceſſionis cenſetur eſſe contra bonos mores, cùm præbeat non quidem ex ſe, ſive ex obiecto, ſed vitio cupiditatis bonorum temporalium, interdum anſam machinandi mortem promiſſori, ideóque etiam pet illud bono communi grave incommodum inferri poteſt, Covarr. in cit. c. Quamvls p. 2. §. 1. num. 8. & p. 3. init. num. 2. Gail. l. 2. obſerv. 125. num. 2. & obſ. ſeq. num. 1. & alij apud ipſum. Laym. l. 4. Theol. moral. tract. 3. c. 8. num. 4. & in cit. c. Quamvis; num. 2. Quare non obſtante tali promiſſione juratâ, ſi Titius alium inſtituat, quàm Caium, periutus quidem erit, ob violationem juramenti, cùm hoc per ſe ſit de re licita, & irriterur ſolùm jure civili, quia eſt contrarium bono regimini Reipubl. ideóque ſervandum eſt juramenrum, donec relaxetur. Vaſqu. cit. c. 6. dub. 12. num. 52. nihilominus, tamen hæredis inſtitutio eſt valida, neque contra ipſum, aut poſt eius mortem, contra hæredem inſtiturum actio competit. Alitd eſt in pacto de non ſuccedendo, ſive in renunciatione hæreditaris: nam hoc pactum nullam præbet occaſionem machinandæ mortis alienæ, ideóque juramento confirmari poteſt, ita, ut actio exinde concedatur contra renunciantem, ut ex ſuprà dictis patet.

Veruntamen excipienda ſunt pacta gentilitia familiarum, vulgò Erbeinigung dicta, quæ ex recepta in Germania inter Principes, & perſonas illuſtres, ac nobiles, conſuetudine, deficientibus liberis maſculis, de mutua inter ſe ſucceſſione fiunt: hæc enim ſunt valida, tum quia, cùm jure civili tantùm ſint prohibita, poreſt illi per contrariam conſuetudinem, vel ſtaturum municipale derogari: tum quia in Principibus, & illuſtribus perſonis omnis ſiniſtra præſumptio, vel ſuſpicio captandi alterius mortem ceſſat, ideóque etiam prohibitio. Gail lib. 2. obſerv. 127. præſertim verò firma ſunt huiuſmodi gentilitia pacta, vel ſtatuta, ſi auctoritate Imperatoriâ fuerint confirmata. Gail. c. l. num. 5.

§. V.
De Effectu Pactorum.

XXXV. Aſſertio 1. Etſi ex nudo pacto Jure Civili non oriatur obligatio efficax, ſive actio, id eſt, jus petendi in judicio, quod promiſſum eſt: oriuntur tamen ex tali pacto alij quidam effectus, etiam in foro externo; Veluti 1. Quòd exceptionem patiat. l. juris gentium; 7. §. Sed cùm nulla; ff. h. t. ita, ut, licèt promiſſarius non poſſit inſtitutâ actione petere; quod ſibi promiſſum eſt ex ſimplici, & nudâ promiſſione, poteſt tamen pacto illo tanquam exceptione uti, ut ſe defendat ab actoris petitione, eúmque repellat. V. g. Si Titius ſimpliciter promiſit, ſe centum aureos mutuò daturum Caio, iſque viciſſim Titio debeat centum ex venditione, hoc caſu, Caius Titium petentem centum aureos ſibi debitos poteſt repellere exceptione promiſſi mutui. 2. Quod ſemel ſolutum eſt ex tali pacto, retineri poteſt, & non debet etiam in judicio reſtitui. 3. Si promiſſarius aliunde quid debeat paciſcenti, poteſt compenſare pro illo, quod ex pacto nudo ipſe ſibi debebat. 4. Nudo pacto poteſt accedere fideiuſſor, qui efficaciter obligatur, ita, ut contra eum detur actio. 5. Poteſt retineri pignus datum pro eo, quod ex nudo pacto eſt debitum, Molin. tract. 2. de juſt. diſ. 257. num. 1. Leſſ. lib. 2. de juſtit. c. 17. num. 23. Ratio eſt, quia ex nudo pacto, ſi jure poſitivo non ſit irritum, naſcitur obligatio naturalis, & in foro conſcientiæ, cùm adſit conſenſus verbis expreſſus, & acceptatus, quod ſpectato jure naturæ ad ſe obligandum ſufficit, ut ex communi Theologorum docet Leſſ. c. l. num. 19. Et licèt lex civilis non tribuat actionem poſitivam in foro externo ad petendum, idque ad vitandas lites, quæ aliàs nimiùm multiplicarentur, cùm nihil ſit frequentiùs, quàm nuda pacta, ſeu ſimplices promiſſiones inire: quam ob cauſam Jus civile noluit etiam pro ſingulis debitis civilibus dare recurſum ad forum judiciale; quomodo deceptus ſupra valorem juſti pretij, citra dimidium tamen illius, non habet actionem ad petendum exceſſum, vel reſcindendum contractum in foro externo, juxta l. 2. C. de reſcind. vendit. attamen lex civilis non abſtulit obligationem naturalem, quæ in foro conſcientiæ oritur ex nudo pacto, neque alios effectus, ut jus excipiendi, compenſandi &c. qui de facto etiam in foro externo conceduntur, quod non fieret, ſi pacta illa ſecundùm ſe irrita eſſent, & nullam omnino obligationem parerent.

XXXVI. Aſſertio 2. Secundùm Jus Canonicum, ex pacto nudo, ſeu ſimplici promiſſione, ſi ea acceptata ſit, oritur actio efficax ad exigendum in judicio, quod promiſſum eſt. Ita communior, & probabilior ſententia Theologorum, & Canoniſtarum, prout videre eſt apud Abbat. in c. 1. num. 5. h. t. Felin. ibid. num. 5. & 6. Molin. diſ. 256. num. 3. & diſ. 257. num. 2. Covarr. in c. Quamvis; 2. h. t. in 6. p. 2. §. 4. num. 14. Leſſ. cit. c. 17. num. 22. & c. 18. num. 55. & alij. Idque ſumitur ex c. 1. & c. Qualiter; 3. h. t. in quibus præcipitur, quòd pacta nuda, ſine ſtipulationis formâ, inita firmiter obſervanda, & opere adimplenda ſint: ergo; cùm Canones, ſive leges Eccleſiaſticæ aſſiſtant nudo pacto, ſeu ſimplici promiſſioni, ſi acceptata ſit, ex illo etiam in foro Eccleſiaſtico actio conceditur, nam actio in judicio datur, quando lex aſſiſtit promiſſioni factæ; l. Legitima; 6. ff. h. t. l. unic. C. de condict. ex lege. Ratio eſt, quia quælibet pacta, ſeu promiſſiones, ſi non ſint de re mala, & illicita, & à promiſſario ſint acceptatæ, obligant in conſcientia, & quidem ſub peccato mortali, ſi materia ſit gravis, & ſufficiens ad culpam mortalem, ut ex communi docet Leſſ. cit. c. 18. num. 55. ergo, cùm in Jure Canonico, & foro Eccleſiaſtico præcipuè caveatur periculum peccati, & inten-

darur

datur ſalus animarum, meritò in hoc foro promittentes etiam nudè, & ſimpliciter, compelluntur ad pacta conventa obſervanda, non ſolùm ope exceptionis, vel implorato officio Judicis, ut cenſent contrariæ ſententiæ DD. ſed etiam conceſſo remedio ordinario actionis, per quam petitur in judicio, quod promiſſum eſt.

XXXVII. Cæterùm aſſertio poſita limitari, & declarari debet 1. Ut procedat in cauſis, quæ, ſive ratione perſonarum, ſive ratione materiæ, ſpectant ad forum Eccleſiaſticum, & in locis Eccleſiæ ſubjectis: in alijs verò cauſis locum habere poteſt denunciatio Canonica, ut ad vitandum peccatum Prælatus Eccleſiæ cogat promittentem ſtare promiſſis, juxta c. Novit; 13. de judic. & docet Felin. in cit. c. 1. n. 10. h. t. Molin. cit. diſ. 257. n. 3. Idem tamen jam in multis Tribunalibus ſecularium Principum, Lege ſtatutum eſſe, ut ſcilicet etiam ex ſimplici promiſſione, animo verè ſe obligandi factâ, obligatio, & actio oriatur, tradit Cardin. de Lugo diſ. 22. de contract. ſect. 5. num. 56. idque meritò, ne forum internum diſcordet ab externo; & ut delictis janua non aperiatur.

Declaratur 2. Ex nudo pactò, ſeu ſimplici promiſſione acceptatâ; ſecundùm Jus Canonicum, oritur actio, ſi promittens omnino intendat ſe obligare, & quidem ex juſtitia, & non tantùm ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, nam hoc caſu poſteriore, nulla actio acquiritur promiſſario contra promittentem, per quam exigere poſſit id, quod promiſſum eſt, tanquam ſibi debitum. Leſſ. cit. c. 18. n. 55. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 4. c. 12. n. 1. Quare; cùm hodie facillimè, & valde frequenter ſimplices promiſſiones fieri ſoleant; ſinè animo obligandi ſe ex juſtitia, juxta illud vulgare dictum, *pollicitis dives quilibet eſſe poteſt*, Ideo rarò etiam in foro Eccleſiaſtico compelluntur paciſcentes ad ſimplices promiſſiones obſervandas, ut notat Laym. in c. 1. h. t.

Declaratur 3. Ex nudo pacto de Jure Canonico conceditur actio, ſi cauſa expreſſa ſit, ob quam aliquid promittitur: ſecus, ſi nulla cauſa adjecta ſit, neque ab Actore oſtendi poſſit. V. g. ſi expreſſum fuerit, promitto, me tibi daturum 100. aureos, propter obſequia à te mihi præſtita, vel promitto, me mutuò daturum, quia jam includitur cauſa oneroſa, quod ſcilicet tantundem mutuanti reddendum ſit. Item, ſi exprimatur, quòd promittat, ſe gratìs, ſeu ex mera liberalitate donaturum, nam promiſſio donationis acceptata parit obligationem, etiam de Jure civili. Si verò Titius v. g. promittat, ſe donaturum Cajo pecunias, ſinè cauſæ expreſſione, nec debitor id fateatur, vel creditor probet, non datur actio in foro externo, etiam de Jure Canonico, quia Titius excipere poteſt, ſe promiſiſſe quidem, ſed ſub conditione, vel cauſâ pendente in futurum, v. g. propter obſequium à Cajo exhibendum, vel propter mutuum ab eo accipiendum, quæ tamen cauſa poſtea poſita non fuerit. Etenim pactum nudum parit actionem de Jure Canonico, ſicut ſtipulatio de Jure Civili: ſed ex hac non conceditur actio contra promiſſorem, niſi conſtet, vel probata fuerit cauſa promiſſionis, l. 2. §. Circa primam ſpeciem; junctâ Gloſſ. V. Sinè cauſa; ff. de doli mali except. ergo neque ex pacto nudo, niſi conſtet, quòd promiſſor ſimpliciter animum donandi habuerit, quod non præſumitur, niſi conſtet, promittentem ſciviſſe, nullam adeſſe cauſam promittendi. Molin. cit. diſ. 257. n. 6. Laym. lib. 3. tr. 4. c. 2. n. 3. Lug. cit. loc. num. 57. Addit tamen Laym. c. l. in promiſſione facta Eccleſiæ non eſſe opus cauſam exprimere, quia præſumitur ſufficiens cauſa adeſſe, nimirum pietatis, & Religionis.

Dices, ſic nulla eſt differentia inter utrumque Jus, cùm & Jus Civile ex nudo pacto concedat actionem, ſi cauſa ſit adjecta, per cujus appoſitionem veſtitur, ſeu confirmatur, ut ſuprà dictum. Verùm diſcrimen adhuc eſt, quia de Jure Civili requiritur cauſa executioni mandata, id eſt, quòd alter paciſcentium, ſeu contrahentium impleverit id, ad quod ſe ex parte ſua in eodem contractu obligavit: de Jure verò Canonico hoc non requiritur; ſed quòd cauſa, ob quam promittitur, exprimatur in promiſſione, vel de ea conſtet per confeſſionem debitoris; aut legitimam probationem creditoris, ſeu actoris, etiamſi neuter executioni mandârit id, quod in contractu promiſit. Molin. cit. diſ. 257. num. 10. Lug. cit. loc.

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS.

I. TRanſactio affinis eſt pactis, imò, & ſpecies eſt pacti generaliter ſumpti: quamvis nonnulli exiſtiment, eam potiùs ad diſtractum, quàm ad contractum, ſive ad pactum diſſolvens, quàm contrahens, aut inducens obligationem pertinere, quia litem, & controverſiam diſtrahit, ac diſſolvit, ut notat Pet. Gregor. Tholoſan. partit. Jur. Canon. l. 3. tit. 3. c. 1. Weſenbec. in paratitl. ff. h. t. num. 2. Verùm hoc ad finem, & effectum tantùm tranſactionis, non ad formam pertinet, ideóque tranſactio pro contractu potiùs obligatorio, quàm diſtractu liberatorio haberi debet; ſicut ſecunda emptio, vel pactum noviſſimum, quo prius diſſolvitur, ac tollitur, non diſtractus, ſed alia obligatio, ſeu renovatus contractus, alia emptio, novum pactum dicitur, l. Juris gentium; 7. §. Adeò autem; ibi: *quaſi renovatus contractus videtur*, ff. De pactis; licèt tranſactio alio reſpectu etiam diſtractus dici poſſit, quia litem diſtrahit, qui eſt finis illius principalis. Weſenbec. c. l.

* * *

§ I.

Quid, & quotuplex ſit transactio?

II. Aſſertio 1. Tranſactio dupliciter ſumitur. 1. Latè pro cujuſque negotij compoſitione, l. Tranſacta; 229. ff. de verb. ſignif. ſive pro quolibet actu, quo ab obligatione receditur, & quaſi tranſitur, ſic omnis diſtractus tranſactio dici poteſt, l. 1. § Conventionis; junctâ Gl. V. Tranſigendique; ff. de pact. Et juxta hanc acceptionem, etiam res judicata, jusjurandum, & quodlibet pactum nomine tranſactionis comprehenditur, cit. l. Tranſacta; l. 2. ff. de jurejur. l. Tres fratres, 35. in fine. ff. de pact.

2. Accipitur propriè pro ea compoſitione, quâ res dubia, & litigioſa partium conſenſu componitur: & hoc ſenſu definitur tranſactio, eſt *de re dubia, & controverſa, ſive lite incertâ, & necdum finitâ, non gratuita pactio*, ut colligitur ex l. 1. ff. de tranſact. & l. Tranſactio; 38. C. eodem. Abb. in proœmio; h. t. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 556. num. 1. Sylveſt. V. Tranſactio; in princ. nam dicta eſt tranſactio, quaſi tranſitio actionis, eò quòd is, qui tranſigit, tranſeat, ſive recedat ab actione, quæ ſibi competebat, & ſic actor magis propriè dicitur tranſigere, quàm reus, ut notat Gloſſ. in l. 2. V. Tranſegiſſe; C. h. t.

III. Dicitur 1. De re dubia: tum ut diſtinguatur à pacto, quod eſt de re certa, & indubitata, quæ per pactum ſubinde remittitur: tum quia, ſi tempore tranſactionis parti tranſigenti conſtet, ſibi nullum in re, de qua tranſigitur, jus competere: tum non ſolùm in foro conſcientiæ (eò quòd talis tranſigens nullum habeat juſtum titulum, vi cujus poſſit aliquid accipere, ut recedat ab actione, vel retineat id, de quo agitur) ſed etiam in foro externo, invalida erit tranſactio, vel ipſo jure, ſiquidem actor ita tranſegit, ſciens rem ad alterum pertinere: ſicut conſtat ex l. In ſumma; 65. ff. de condict. indeb. vel ſaltem per doli actionem, vel exceptionem reſcindenda foret, ſi reus ita tranſegit, l. Sub prætextu; 19. C. h. t. & docet Gloſſ. in c. Super eo; 7. V. Dato; junctâ Gloſſ. marg. h. t. & ibid. Abb. in fine. Molin. cit. diſp. n. 1. Sin verò poſt tranſactionem bonâ fide factam, nova inſtrumenta, ac probationes reperiantur: ex quibus conſtat, alterutram partem tranſigentium nullum jus habuiſſe in re, de qua tranſactum eſt, tum tranſactio reſcindi non poteſt, cit. l. Sub prætextu; 19. neque tenetur quidquam reſtituere in foro interno, vel externo, quod eo nomine pars tranſigens accepit, vel retinuit, licèt ad alterum verè pertinuiſſe, poſtea evidenter conſtet. Molin. c. l. n. 14. Idémque procedit, etiamſi poſtea appareat ex inſtrumentis de novo repertis, quòd una pars tranſigentium graviter læſa ſit, ita, ut nec dimidium ejus, quod ipſi re ipsâ competebat, acceperit, ut habetur in l. Lucius; 78. §. ult. ff. ad S. C. Trebellian. & in cit. l. Sub prætextu; 19. & l. Sub prætextu; 29. C. h. t. Ratio eſt, quia, ſicut in ludo, ita etiam in tranſactione utraque pars, cùm res ſit dubia, & controverſa, incerto eventui ſe ultro, ac ſponte committit, ideóque de læſione conqueri non poteſt, dummodo altera pars nihil dolo agat, occultando v. g. fraudulenter ea, quæ manifeſtari debent, ut colligitur ex cit. l. 19. C. h. t. Aliud eſt, ſi in ipſa tranſactione pars una injuſtè lædatur, quia jus dubium, quod uni parti competebat, minoris æſtimabatur, quàm revera tunc erat: nam hoc caſu inæqualitas hæc in foro conſcientiæ ad æqualitatem reducenda eſt, ita, ut parti pro remiſſione juris ſui dubij, ſeu controverſi, tantum detur, quanti illud juxta prudentis viri arbitrium valet. Molin. cit. diſ. 556. n. 15. Imò etiam, ſi probari poſſit, læſionem ultrà dimidium juſti valoris fuiſſe, remedium reſciſſionis, ex l. 2. C. de reſcindend. vendit. etiam in foro externo, concedi deberet, ſicut in alijs contractibus oneroſis & reciprocis, ut docet Molin. c. l. n. 16. arg. l. Si ſuperſtite; 5. & ibi Gloſſ. V. Læſa; C. de dolo malo. Quamvis multi contrarium teneant apud Gail. lib. 2. obſerv. 70. & in praxi talis reſciſſio in tranſactionibus, quippe quæ litium finiendarum causâ fiunt, ob læſionem etiam enormem concedi non ſolet, teſte eodem c. l. n. 16. juxta cit. l. Lucius; §. ult. per contrarium ſenſum, & ibi Gloſſ. V. Læſa; niſi dolus cauſam tranſactioni dediſſet: vel læſio ſit enormiſſima, ſeu nimis excedens dimidium juſti valoris, ideóque dolus præſumatur, ut tradit Mynſing. centur. 6. obſer. 91. vel niſi minor 25. annis, vel Eccleſia in tali tranſactione ſit læſa, quibus ſubvenitur per reſtitutionem in integrum, juxta l. 1. & 2. C. ſi adverſ. tranſact.

IV. Dicitur 2. In definitione tranſactionis, *de re controverſa, ſeu lite incerta*: quia tranſactio propriè dicta non eſt de qualibet re dubia, ſed de re dubia propter litem jam motam, ſed necdum finitam, vel movendam, id eſt, de qua eſt lis, vel eſſe poteſt, ac timetur, quia ſcilicet controverſia, ſeu dubium inter partes ortum eſt, ut in judicium deduci poſſit, etſi nondum deductum ſit, l. 2. C. h. t. Nec refert, quòd res in ſe certa ſit, ſeu certum jus contineat: quia ſufficit, quòd ſit dubium in facto, & non in jure, ideóque de ea tranſigere licet, propter incertum litis eventum. Weſenbec. ff. h. t. num. 5.

Porrò poſt cauſæ concluſionem adhuc tranſigere licet, quia tunc quoque dubius, & incertus eſt litis eventus, non tamen poſt rem judicatam, ac proinde tranſactio de re, circa quam lata eſt à Judice ſententia definitiva, quæ tranſivit in rem judicatam, vel à qua tempore debito non eſt appellatum, irrita eſt, l. Si cauſa; 32. C. h. t. Secus, ſi poſt latam ſententiam, appellatum ſit, vel appellari potuerit, (quia tranſactio eſt interpoſita, vel aliter eſt dubium) l. Et poſt rem; 7. in princ. ff. h. t. & ibi Gloſſ. V. Appellare; nam appellatio ſuſpendit ſententiam, ideóque, eâ interpoſitâ, lis nondum finita eſt, ſed adhuc durat, cit. l. Si cauſa. Item, ſi adverſus ſententiam latam petatur reſtitutio in integrum, d. l. Si cauſa; C. eodem (ut, ſi minor, vel Eccleſia notabiliter læſa ſit) vel, ſi negetur, judicatum eſſe, vel ignoretur, an judicatum ſit, l. Poſt rem; 11. ff. h. t. vel, ſi alio modo res judicata dubia adhuc eſſe poſſit, an ſcilicet judicatum ſit, vel ea ſententia valeat; his caſibus, tranſactio etiam poſt latam ſententiam valet, & vires habet, l. Eleganter; 23. §. Quid ergo; ff. de cond. indeb. Molin. c. l. n. 2. Aliàs verò regulari-

tet

tet de re judicata tranſactio fieri non poteſt, cùm enim per ſententiam finita ſit, non poteſt ampliùs tranſactione finiri, nec expedit, ut, quæ publico judicio ſemel definita ſunt, rurſus per privatorum arbitrata, tanquam indefinita, & incerta, tranſactione definiantur. Quamvìs res judicata pacto remitti poſſit. Weſenb. c. l.

Eſt autem tranſactio de re, quæ nullo remedio retractari, ſeu infirmari poteſt, non ſolùm irrita, juxta cit. l. Eleganter; §. Quid ergo; ſed nec quidem juramento confirmari poteſt, ita, ut ex ea jus alteri parti acquiratur, quamvìs jurans teneatur ſtare juramento, quippe quod ex ſe malum non eſt, donec ejus relaxationem obtineat: ipſa verò tranſactio, ſecundùm ſe, ſecluſo juramento, invalida eſt, adeóque nullum jus tribuere poteſt ei, cum quo tranſactio facta eſt, iſque neque in conſcientia, neque in externo foro, poterit id retinere, quod per illam obtinuit, etiam antequam alter juramenti relaxationem impetravit, ſicut nec jurata promiſſio uſurarum, etſi juramento confirmata, poteſt transferre jus in uſurarium. Molin. cit. diſ. 566. n. 3.

V. Dicitur 3. *Non gratuita pactio*, quia nullo dato (pro eo, quod remittitur) vel retento, vel promiſſo, minimè procedit tranſactio, l. Tranſactio; 38. C. h. t. in eóque differt à compoſitione amicabili, quæ gratis fit, nullo dato, aut retento, ſed per quam pars debiti gratis remittitur, & condonatur, c. Super eo; 7. h. t. Ut, ſi quis lite, quam juſtè movere poteſt, gratìs cedat, omnémque actionem remittat: vel, ſi à debitore ſuo, qui liquidè v. g. centum aureos ei debet, exigat ſolùm 80. remiſſis 20. Vel, ſi S. Pontifex partem debitorum incertorum condonet, & reliquum ad pias cauſas applicari jubeat: nam hæ non ſunt propriè tranſactiones, ſed liberales, ſeu gratuitæ compoſitiones. Molin. c. l. n. 5. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 31. n. 2. & l. 4. tr. 10. c. ult. §. 5. q. 7.

VI. Ex dictis infertur, quòd tranſactio propriè dicta, & ſuprà definita, eſt contractus reciprocus, non gratuitus, iſque innominatus, *facio, ut facias, vel; do, ut facias*, per quem reus dat aliquid actori, v. g. centum aureos, ut ab actione, litéque intentata, vel intentanda recedat, júſque omne, quod in re litigioſa prætendere poteſt, remittat, reóque cedat; Vel vice verſâ Actor dat aliquid reo, ut rem, vel partem rei, de qua eſt controverſia, ſibi cedat, ac tribuat. Molin. cit. diſ. 556. n. 7. & 8. Veruntamen, ſi tranſactio, accedente ſtipulatione, vel acceptilatione firmetur, tunc tranſit in contractum nominatum. Molin. c. l. n. 9.

VII. Aſſertio 2. Tranſactio alia eſt realis, quæ ad ſucceſſores rei, ſuper quâ tranſactum eſt, tranſit, nam domini abſoluti prædiorum, vel jurium pactionibus hæredes quoque ſuos obligare poſſunt, quin & pactum reale, ſive quo res ipſa afficiatur, & obligetur, inſtituere, juxta l. Juris gentium 7. §. Pactorum; ff. de pactis. Alia eſt tranſactio perſonalis, quæ durat, dum tranſigens vivit, & cum eo extinguitur, neque ad ſucceſſores tranſit. Exemplum habetur in c. De cætero; 5. h. t. ubi per tranſactionem, litis finiendæ causâ, inſtitutam, auctoritate Judicis delegati, onus penſionis, aut censûs imponi poteſt, non ipſi beneficio, ita, ut ad ſucceſſores tranſeat, ſed parti tranſigenti, ad certos annos, aut ad tempus vitæ ipſius, uti etiam habetur in c. Niſi; 21. de præbend. de quo §. ſeq.

§. II.

De ijs, qui tranſigere poſſunt, vel non poſſunt, & ſpeciatim, an, ac quatenus Prælati, vel Rectores Eccleſiarum tranſigere poſſint de rebus, & iuribus Eccleſiaſticis?

VIII. Aſſertio 1. Generaliter, & univerſim loquendo, tranſigere poſſunt omnes, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent, adeóque qui res ſuas alijs donare, vel quovis alio modo alienare poſſunt, l. In re; 21. C. Mandati; qui verò non poſſunt alienare bona, vel res aliquas, neque circa illa tranſigere poſſunt. Sylveſt. V. Tranſactio; dicto 1. Weſenbec. in paratitl. ff. h. t. n. 4. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 557. n. 1. Neque refert, an adminiſtratores rerum ſuarum maſculi ſint, an fœminæ, ſani, an ægri corpore, modò mente ſani ſint, ac conſentire poſſint, l. Sanum; 7. C. h. t.

Atque hinc infertur 1. Quòd hæres fideicommiſſo gravatus hæreditatem alteri reſtituere, non poteſt circa illam tranſigere. Molin. c. l. 2. Vaſallus non poteſt, ſinè conſenſu domini directi, de feudo transſigere, transferendo illud in alium. Molin. c. l. 3. Tutor, aut curator, ſicut non poteſt bona immobilia, aut mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, alienare, ſinè Judicis decreto, ita nec de ijs tranſigere, l. Non ſolùm; 4. C. de prædijs minor. Molin. c. l. 4. Procurator, ſive Principis, ſive alterius perſonæ, cum generali mandato ad agendum, conſtitutus, non poteſt tranſigere, niſi ſpeciale mandatum habeat ad tranſigendum, l. Tranſactionis; 7. C. h. t. l. Nulli; 13. ff. eod. l. Mandato; 60. ff. de procurator. quia neque alienare poteſt, ſinè ſpeciali mandato, l. Procurator; 63. ff. eodem; vel, niſi procurator ſit conſtitutus cum libera adminiſtratione bonorum, vel cauſæ alicujus, l. Procurator; 58. ff. de procurat. c. Qui ad agendum; 4. eod. in 6. Vel niſi in rem ſuam datus ſit, l. Jusjurandum; 17. §. fin. ff. de jurejurand. ut, quia creditor ceſſit illi debitum, & jus omne, quod circa id, de quo agitur, habet, tunc enim tranſigere de eo poteſt. Molin. cit. diſ. 557. n. ult. in fine. 5. Pupillus, aut minor habens curatorem non poteſt tranſigere, quia liberam rerum ſuarum adminiſtrationem non habet: quamvìs contrarium teneat Cujacius apud Zœſ. ff. h. t. n. 3. nam quia curator bonis datur, non perſonæ, ideo minor quoad perſonam ſuam non videtur minùs liber. Quòd ſi curatorem non habeat, poteſt tranſigere, ſicut & alienare, ſed læſus reſtituitur in integrum, toto tit. C. Si adverſ. tranſact. 6. Sed & prodigus, cui bonis eſt interdictum, alienare, & conſequenter etiam tranſigere non poteſt, l. Is cui; 6. ff. de verb. oblig.

IX. Aſſertio 2. Prælatus Eccleſiæ, v. g. Abbas, vel Prior Conventualis, etſi generalem, & liberam habeat rerum Eccleſiæ adminiſtrationem, ideóque

que etiam in judicio, ſolus agete, & conveniri poſſit, ſaltem, ſi cauſa valde gravis non ſit: non tamen poteſt ſuper bonis Eccleſiaſticis immobilibus, vel mobilibus pretioſis, quæ ſervando ſervati poſſunt, tranſigere, abſque conſenſu Capituli, prout ſumitur ex c. Contingit; 3. h. t. & docet ibid. Gloſſ. communiter recepta V. Litteras; & Hoſtienſ. ibid. V. De ratibabitione, & in ſumma h. t. num. 2. Ratio eſt, quia, ſicut Prælatus Eccleſiæ non poteſt hujuſmodi res, ſeu bona Eccleſiæ directè alienare, ſinè conſenſu Capituli, & alijs ſolemnitatibus, ita neque indirectè ſuper eis tranſigendo, cùm pet tranſactionem deveniri ſoleat ad alienationem: neque verò, cùm quid unâ viâ, prohibetur alicui, ad id aliâ debet admitti, juxt. reg. juris 84. in 6. Abb. in cit. c. 3. num. 3. Ex qno ſequitur, quòd, ſicut res Eccleſiæ modicas, & patùm utiles, etiam immobiles, vel mobiles non pretioſas, vel quæ ſervando ſetvari non poſſunt, Prælatus poteſt alienare, etiam ſinè conſenſu Capituli: ita poteſt in cauſa dubia ſnper ijs trauſigete, ſinè conſenſu ejuſdem.

X. Excipitur 1. Niſi Prælatus Eccleſiæ (idémque eſt quoad hoc, de tutore, aut quolibet Adminiſtratore, cum liberâ poteſtate) ita tranſigat ſupet rebus immobilibus, & mobilibus pretioſis Eccleſiæ, non ut ea perdat, aut alienet, ſed ut ea aliquâ datâ pecuniâ, v. g. litis terminandæ causâ, recnperentur, vel retineantur, & permaneant penes Eccleſiam; ideóque Eccleſiæ conditionem meliotem efficiat, tunc enim ſubſiſtit ttanſactio à Prælato facta, etiam ſinè conſenſu Capituli, & aliâ requiſitâ ſolemnitare, ut docet Gloſſ. communiter recepta in l. Nulli; 13. V. Tranſigete; ff. h. t. Abb. c. 1. Molin. cit. diſ. 557. num. 8.

XI. Excipitur 2. Niſi Prælatus Eccleſiæ (vel alius ſimilis Adminiſtrator) à Conventu, vel Capitulo ſuo, præter mandatum procuratorium, acceperit litteras de ratihabitione, in quibus expreſsè contineantur, quòd, quidquid Prælatus in hac cauſa egerit, Capitulum, ſive Conventus ratum habebit: tum enim poteſt Prælatus in cauſa dubia tranſigere, etiam alienando bona immobilia, & mobilia pretioſa, ut tradit Gloſſ. in c. Contingit; 3. V. Litteras; h. t.
» Idqne aperiè colligitur ex eodem c. Nam qnia in-
» terdum contingit, ut Abbas, vel Prior alicujus Ec-
» eleſiæ Conventualis cnm adverſario Clerico, vel
» Laico ſupet controvetſia, quæ inter eos vertitur,
» coram Judice ordinario, vel delegato, tranſigat,
» ſed Capitulum tranſactionem illam velit revocare,
» (eò quòd ſinè conſenſu ipſius facta ſit, Gloſſ. hîc in
» caſu.) Ideo Papa Alexander III. ſuper hoc con-
» ſultus reſpondet, quòd, ſi Abbas, vel Prior habuit
» mandatum, ſive litteras, cnm clanſula de ratiha-
» bitione, à Capitnlo ſuo (id eſt, quod ratum habere
» velit, quidquid Abbas, vel Prior fecerit) tum tran-
» ſactionem illam Capitulum revocare non poteſt,
» quaſi in illam nõ conſenſerit: maximè, ſi tranſactio
» illa aliquot annis ſetvata fuerit. Ratio hujus deciſionis eſt, quia Prælatus habens mandatum generale, & liberum, cum clauſula de ratihabitione Capituli, quòd velit rata habete, quæ ille geſſerit, poteſt omnia facere, ac ſi expreſſum, & ſpecialem conſenſum Capituli haberet, adeóque etiam tranſigere, & alienare, dummodo etiam legitimus Superior ipſius conſentiat, de quo infrà: ſicut procurator ad agendum conſtitutus, cum mandato generali, & libero, poteſt omnia facere, quæ dominus poteſt, etiam tranſigere, & alienare, præterquam, quòd donare nequeat, juxta l. Procurator; 58. junctâ rubric. & Gloſſ. in caſu, & V. Procurator; ff. de procurat.

Portò, quando hîc dicitur, quòd Capitulum revocare non poſſit tranſactionem, ſi illa aliquot annis fuerit ſervata, ſubintelligendum eſt, *maximè*, quia conſenſit illam obſervando, quamvìs etſi ſervata non fuiſſet, illam revocare non potuiſſet, quia conſenſit, concedendo litteras de rato; quòd ſi Capitulum læſum ſit ex illa tranſactione Prælati, poteſt intra quadriennium petere reſtitutionem in integrum, non autem poſtea. Gloſſ. hîc V. Aliquot annis, & Innocent. V. eod.

XII. Excipitur 3. Caſus neceſſitatis, in quo bona alioquin alienari prohibita, per tranſactionem, ſen compoſitionem, in alium transferri poſſunt, vi ſtatuti, vel ſententiæ Judicis id jubentis, præſertim, ſi Principis conſenſus accedat; ut, ſi id neceſſarium videatur ad diuturnas lites terminandas, vel gravia ſcandala vitanda: nam, ſi prohibita ſit aliquorum bonorum alienatio, ea intelligi debet de alienatione voluntariâ, non item de neceſſariâ, quam Adminiſtrator bonorum facere cogitur, ut ex communi tradit Mol. cit. diſ. 557. n. 9. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 31. q. 1. n. 4.

XIII. Aſſertio 2. Ad tranſigendum ſuper rebus, & juribus Eccleſiæ, præter conſenſum Capituli, requiritur etiam conſenſus legitimi Superioris, v. g. Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, cui Eccleſia eſt ſubjecta, prout ſumitur ex c. Statuimus; 2. h. t. ubi Pa-
pa Alexander III. ſtatuit, ut, ſi ſuper decimis inter »
aliquos (etiam Laicos, ad quos ſcripſit hîc Papa, »
ſecundùm Hoſtienſ. hîc V. Inter vos) & perſonam »
Eccleſiaſticam (v. g. Rectorem Eccleſiæ, ſeu Paro- »
chum, vel alium Beneficiatum, ad quem nomine »
Eccleſiæ ſpectat jus decimarum) cum conſenſu E- »
piſcopi, vel Archiepiſcopi ſui, compoſitio facta »
fuerit, ea rata, & firma permanere debeat. »

XIV. Ubi notandum 1. Etſi ſuper juribus ſpiritualibus, v. g. decimis non poſſit fieri tranſactio, per quam aliquid temporale datur pro jure ſpirituali, quod ſimoniacum eſſet: poteſt tamen fieri talis tranſactio, ſeu compoſitio, per quam, vel jus ſpirituale remittitur, vel ſpirituale pro ſpirituali datur, v. g. beneficium pro beneficio. Gloſſ. hîc in caſu; & V. Super decimis. & Abb. n. 5. dummodo auctoritas, ſeu conſenſus Superioris interveniat, ſcilicet Epiſcopi in tranſactionibus, quæ fiunt à Prælatis, vel Rectoribus inferiorum Eccleſiarum ſibi ſubjectis: vel conſenſus Archiepiſcopi, quoad ſubditos, non Provinciæ, ſed Diœceſis ſuæ, vel quando Epiſcopus tranſigit cum aliquo, tunc enim intervenire debet auctoritas Archiepiſcopi, qui eſt ſuperior Epiſcopi. Abb. hîc n. 2. & Imol. n. 4. Quòd ſi Abbates, ſeu Prælati inferiores, vel Parochi pleniſſimo jure quoad ſpiritualia, & temporalia ſint ſubjecti alicui Prælato ab Epiſcopo exempto, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habenti, tum in tranſactionibus ſuper decimis, vel alijs juribus ſpiritualibus, accedere debet aſſenſus ipſius Prælati exempti. Abb. hîc n. 4.

&

& Imol. num. 5. Quin imò probabile eſt, quòd etiam Prælati non exempti, qui per conſuetudinem legitimè præſcriptam juriſdictionem acquiſiverunt in Eccleſijs quibuſdam, excluſo Epiſcopo, poſſunt in tranſactionibus illarum conſenſum præbere. Abb. hic num. 4.

Notandum 2. Alij DD. hunc textum intelligunt de tranſactione, aut compoſitione factâ ſuper decimis inter Laicos, & perſonam Eccleſiaſticam, v. g. Rectorem Eccleſiæ, ſeu Parochum, cum conſenſu Epiſcopi: quia, quamvis Epiſcopus non poſſit obligationem ſolvendi decimas Laicis, vel etiam Clericis abſolutè, & in perpetuum remittere, vel jus decimarum ipſis concedere; cùm hoc jus Jure communi Canonico ſit conſtitutum, quod inferior Papâ relaxare non poteſt: attamen poteſt Epiſcopus, vel alius Eccleſiæ Prælatus juriſdictionem obtinens, adhibitâ juris ſolemnitate, decimas alicui Laico ad vitam ex juſta cauſa concedere, v. g. ob remunerationem meritorum, vel ratione ſtipendij. Gloſſ. hic V. Perſonam Eccleſiaſticam. Laym. lib. 4. Theol. moral. tract. 6. c. 6. num. 5. & conſequenter etiam poteſt, cum auctoritate, ſeu conſenſu Epiſcopi, Rector Eccleſiæ cum Laico ſuper decimis compoſitionem, vel tranſactionem facere, v. g. quia, qui debet decimas, allegat paupertatem, ideóque remiſſionem ſaltem partis fructuum petit, vel privilegium Papæ, quòd tamen non eſt clarum: vel quia dubium eſt, an non Laicus immunitatem à ſolvendis decimis in totum, vel pro parte præſcripſerit. Abb. hic num. 7. in fine, & Laym. num. 1.

XV. Cæterùm, licèt inferior Prælatus, Parochus, vel alius beneficiatus non poſſit tranſigere ſuper juribus Eccleſiaſticis, v. g. decimis, ſinè conſenſu Epiſcopi, ut ſuprà dictũ, quod tantùm intelligendum eſt de pacto tranſactionis perpetuo, quo ſucceſſores etiam obligentur: poteſt tamen tranſigere, etiam ſinè Epiſcopi, vel alterius Superioris conſenſu (niſi ſtatuto Diœceſano tales pactiones ſint prohibitæ) ad certos annos, vel ad tempus vitæ alterius partis tranſigentis, ita, ut obligatio ſit perſonalis, Eccleſiámque, & Succeſſores non afficiat, ut conſtat ex
» c. De cætero; 5. h. t. ubi habetur, quòd Rector a-
» licujus Eccleſiæ contra Rectorem alterius Eccleſiæ,
» in controverſia, quam habebant ſuper jure cujuſ-
» dam Capellæ, impetravit litteras Apoſtolicas ad Ju-
» dicem extraordinarium (id eſt, delegatum. Gloſſ.
» hic V. Extraordinarium;) coram quo tranſactio-
» nem, ſeu compoſitionem inter ſe fecerunt, abſque
» Epiſcopi Diœceſani conſenſu, ita, ut alter tranſi-
» gens jus aliquod in Eccleſia haberet, ſcilicet cenſum
» annuum ipſi pendendum ex Capella. Re delatâ ad
» Papam Alexandrum III. is reſpondit, ſi compoſitio
» illa alioquin juri non ſit contraria, eam ab Epiſcopo
» loci improbari non poſſe. Verùm cenſus vi tranſa-
» ctionis ſolutus, vel ſolvendus, ſinè Epiſcopali au-
» ctoritate, illi Eccleſiæ, cui præeſt (is ſcilicet, qui
» litteras impetravit, & cum quo litigabat ſolvens
» cenſum) vitam illius, qui ſolvit, excedere non de-
» bet. Gloſſ. hic in caſu, & Abb.

XVI. Hinc colligitur 1. Clericus litigans ſuper beneficio, coram Judice delegato à Papa, poteſt tranſigere cum adverſario ſuo, etiam ſinè auctoritate, & conſenſu Ordinarij, ſeu Epiſcopi Diœceſani, dummodo tranſactio illa ita fiat, ut, qui in Eccleſia, vel beneficio antea inſtitutus erat, jus ſuum beneficiale retineat, quia, ſicut non poteſt dimittere beneficium directè, ſinè Epiſcopi licentia, & conſenſu, c. Admonet; 4. de renunc. ita nec indirectè tranſigendo. Abb. hic not. 2. Quòd ſi tamen Epiſcopus renunciationem beneficij factam à tranſigente concordiæ cauſâ, ſeu, ut à lite deſiſtat, admittere nollet, ſinè cauſa legitima, poſſet Judex delegans à Papa illum compellere ad admittendum, quia delegans alicui cauſam, cenſetur etiam committere ea, quæ ad cauſam expediendam ſunt neceſſaria, c. Præterea; 5. de offic. deleg. Laym. hic n. 1.

Colligitur 2. Per tranſactionem, ſeu compoſitionem auctoritate Judicis delegati factam, litis terminandæ cauſâ, poteſt Clericus ſe obligare ad ſolvendum cenſum Adverſario, non quidem perpetuum, qui ad ſucceſſores tranſeat, ſed ad tempus vitæ ſuæ, prout etiam habetur in c. Niſi; 21. de præbend. etiamſi Epiſcopus Diœceſanus non conſenſerit, nec conſentire velit, quia propter bonum pacis poteſt imponi cenſus, non quidem ipſi beneficio, ſed beneficiario, quem ex redditibus beneficij ſolvere debet, quàm diu vixerit. Abb. hic not. 3. Quare Judex delegatus à Papa non poteſt Eccleſiam, vel beneficium conſtituere perpetuò cenſuale, ſed bene Epiſcopus ex cauſa juſta, ſaltem ſpectato Jure antiquo, & cum conſenſu Capituli. Abb. hic n. 2. de quo alibi.

XVII. Præterea, quod dictum eſt, tranſactionem à Prælato, aut Rectore Eccleſiæ initam ſuper juribus ſpiritualibus, ſinè Superioris conſenſu, ad Succeſſores non tranſire; idem etiam habetur in c. Veniens; 8. h. t. Nam Monachi alicujus Monaſte- »
rij terras, ſeu prædia habebant in Parochia S. Ma- »
riæ, in qua Coloni eorum omnia Eccleſiaſtica »
Sacramenta, tam voluntaria, quàm neceſſaria »
recipiebant, & tamen decimas eidem Eccleſiæ »
ſolvere recuſabant, idque prætextu cujuſdam »
tranſactionis factæ inter dictos Monachos, & »
Anteceſſorem Parochum, ut tertiam tantùm par- »
tem decimarum ex quibuſdam prædijs perſol- »
vant. Hoc intellecto, Papa Alexander III. »
mandat quibuſdam à ſe delegatis, ut compel- »
lant Monachos, ac eorum colonos ad decimas »
ex quibuslibet eidem Eccleſiæ parochiali inte- »
grè perſolvendas, & inſuper ad reſtituendam ju- »
ſtam æſtimationem earum, quas hactenus illici- »
tè detinuerunt, quia tranſactio illa inter perſo- »
nas tranſigentes tantùm (ſcilicet Monachos, & Pa- »
rochum Eccleſiæ) non cum ipſa Eccleſia facta vi- »
detur, ideóque ſucceſſores Parochos non afficit, »
ſeu obligat, cùm pacta inter alios facta alijs ob- »
eſſe non debeant; præterquam, ſi Monachi o- »
ſtenderint, tranſactionem illam auctoritate Apo- »
ſtolicâ confirmatam eſſe; tunc enim valida erit, »
& ſervanda. »

XVIII. Hinc colligitur 1. Quòd Religioſi de Jure communi tenentur decimas prædiales ſolvere Eccleſiæ parochiali, in qua prædia eorum ſita ſunt. Abb. hic not. 5. exceptis illis decimis à quibus ex privilegio Papæ ſunt exempti, de quo ſuo loco.

Colligitur 2. Rector Eccleſiæ, vel alius Beneficiatus poteſt tranſactionem, ſeu compoſitionem facere ſuper rebus, ſeu juribus Eccleſiæ, vel beneficij ſui, etiam abſque legitimi Superioris auctoritate, in præjudicium ſui ipſius, quoad reditus ſuos, & ad tempus vitæ: non autem ita, ut vi talis tranſactionis obligetur in perpetuum Eccleſia, vel ſucceſſores. Abb. hîc in notat. Ratio eſt, quia Rectores Eccleſiarum, aliique beneficiati non ſunt abſoluti Domini jurium, ac prædiorum Eccleſiaſticorum, ſed uſufructarij tantùm, ſeu potiùs uſuarij, ideóque pactionibus, & tranſactionibus non poſſunt obligare ſucceſſores, ſicut abſoluti Domini hæredes ſuos, neque enim pactum perſonale ad alium tranſit, l. Idem; 25. ff. de pactis. Laym. hîc num. 2. & lib. 3. Theol. moral. tract. 4. cap. 10. num. 5.

Colligitur 3. Licèt tranſactio Parochi in caſu hujus c. ſit perſonalis, non tamen poteſt illam revocare, quàm diu vivit, ſicut nec Monaſterium revocare poſſet, niſi Eccleſia eſſet læſa, tum enim petere poſſet reſtitutionem in integrum. Gloſſ. hîc V. Inter alios; & Abb. num. 3.

Colligitur 4. Tranſactio perſonalis, quæ ſolam perſonam afficit, & ad tempus facta eſt, ſinè conſenſu Superioris, fit realis, & perpetua, ita, ut obliget etiam ſucceſſores, ſi per Papam fuerit confirmata, ut patet ex hoc c. dummodo confirmatio facta ſit, non in forma communi, ſed ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, ut docet Gloſſ. hic V. Confirmatam: nam Papa poteſt facere, ut tranſactio, vel alius actus, qui aliàs ipſo jure invalidus eſt, ſit validus, arg. c. ult. cauſ. 16. quæſt. 1. ergo multò magìs poteſt efficere, ut actus validus mutetur in alium, ſive alterius rationis, ſeu qualitatis, quia plus eſt aliquid facere ex nihilo, quàm ex aliquo aliud. Gloſſ. hîc, & Innocent. V. Confirmatam; Hoſtienſ. ibid. V. Auctoritate Apoſtolicâ; & alij communiter.

§. III.

An, & quâ ratione liceat tranſigere de rebus ſpiritualibus, vel iis, quæ ſpiritualibus annexa ſunt?

Regula generalis eſt, quòd de omnibus rebus dubijs, & controverſis tranſigere licitum eſt, præterquam ijs, de quibus jure id prohibitum eſt, ut notat Hoſtienſ. in ſumm. n. 3. h. t. quænam autem in ſpecie illa ſint, hoc, & ſeq. §. Videndum eſt.

XIX. Aſſertio 1. Tranſactio ſuper beneficio Eccleſiaſtico, vel alia re ſpirituali, de qua litigatur, neque privato partium conſenſu, neque Judicis, ſeu Superioris auctoritate fieri poteſt, ita, ut pro re, ſeu jure ſpirituali retento, vel accepto, viciſſim detur, remittatur, vel promittatur aliquid temporale, nam talis commutatio, ſeu reciproca promiſſio, & obligatio ſimoniaca eſt, ut conſtat ex c. ult. de » rer. permut. & ex c. Super eo; 7. h. t. Nam, cùm » quæſitum fuiſſet, utrùm de Eccleſiaſtico benefi- » cio in judicium deducto poſſit fieri tranſactio: re- » ſpondet Papa Alexander III. quòd ſuper re ſacrâ, ſeu ſpirituali, & litigioſâ tranſigi non poteſt, quia » quando pro re ſacrâ, ſeu ſpirituali datur, retinetur, » vel promittitur aliquid (temporale. Gl. hîc V. Su- » per re ſacrâ; & Hoſtienſ. V. Dato;) id ſpeciem ſi- » moniæ habet: alioquin verò, ſi litigantes gratui- » tam, & amicabilem compoſitionem inter ſe faciant, » id SS. Canonibus nequaquam repugnat. Exem- » plum ſimoniaræ tranſactionis ſuper beneficio litigioſo eſt, ſi ortâ lite beneficiatiâ, à poſſeſſore beneficij pecunia datur, vel promittitur actori, ut à lite deſiſtat: nam, cùm jus, ſive titulus beneficij ſit ſpiritualis, ideo pretio temporali, abſque ſimoniæ vitio, redimi non poteſt.

XX. Extenditur autem 1. Quòd in hoc c. prohibetur etiam omnis illa compoſitio, quæ non eſt gratuita, ut, ſi fiat ſuper beneficio litigioſo, cum pacto, ſeu onere dandi, & recipiendi aliud beneficium, vel ſimile jus ſpirituale, nam in fine hujus c. excipitur ſola compoſitio ſuper beneficio, quæ fit gratis, & amicabiliter, & conſequenter excluditur, & reprobatur omnis illa compoſitio, quæ fit cum pacto oneroſo, talis enim non poteſt dici compoſitio gratuita. Suarez. lib. 4. de ſimon. c. 51. num. 12. idque colligitur etiam ex eo, quia hîc dicitur, quòd talis tranſactio habere videatur ſpeciem ſimoniæ: ergo non loquitur textus de ſola ſimonia vera, in qua datur temporale pro ſpirituali, quæ eſt contra Jus Divinum: ſed etiam de illa, in qua datur beneficium, cum pacto dandi pro eo aliud ſpirituale, nam etiam iſta Jure Canonico eſt prohibita, tanquam ſimoniaca, ſive ſpeciem ſimoniæ habens, ſi propriâ conventione pactum fiat, ſinè auctoritate Prælati, ut infrà dicetur.

XXI. Extenditur 2. Quòd tranſactio propriè dicta ſuper beneficio Eccleſiaſtico, vel jure beneficiali dubio, & in judicium deducto, ſaltem, ſi propriâ, ſeu privatâ auctoritate fiat, illicita ſit, & prohibita, tanquam ſimoniaca, etiamſi fide præſtitâ, aut juramento interpoſito fuerit confirmata, ut conſtat ex c. Conſtitutus; 4. h. t. Nam, cùm in- » ter duos Clericos Gaſparem, & Alexandrum ſu- » per quadam Capella controverſia orta eſſet, ea » tandem per tranſactionem fide ſibi invicem datâ » (id eſt, juramento interpoſito, ſecundùm Gloſſ. hîc V. Fide præſtitâ; vel quæ ſaltem juramento æquipollet, nam etiam juramentum de re illicita non eſt obligatorium, &, ſi non tenet principale, videlicet ipſa tranſactio, nec juramentum ei acceſſorium valere poteſt. Hoſtienſ. hîc V. Fide præſtitâ;) ſopi- » ta fuit. Sed cùm Alexander tranſactionem ſerva- » re nollet, causâ delatâ ad S. Pontificem, is reſpondit, » tranſactiones hujuſmodi continere ſpeciem ſimo- » niæ, ideóque mandavit, ut dicta tranſactio in irri- » tum revocetur, & cauſa illa audiatur, & ſecundùm » jura decidatur. »

XXII. Pro explicatione dictorum duorum Capp. notandum 1. Si alicui ſuper beneficio, ſeu jure beneficiali lis moveatur, non poteſt is, propriâ auctoritate, ſuper eo tranſigere, ut colligitur ex cit. c. Conſtitutus; h. t. ubi tranſactio facta ſuper beneficio reprobatur, & dicitur habere ſpeciem ſimoniæ, quod non poteſt intelligi de ſola tranſactione, in quo temporale datur pro beneficio, ſed abſolutè, de quocunque pacto oneroſo intelli-

gi

gi debet) quia Papa nihil diſtinguit, ſed abſolutè loquitur de quacunque tranſactione oneroſa: idque confirmatur ex cit. c. Super eo; de quo ſupr. num. 20. Suarez. cit. c. 51. num. 12. Et colligitur etiam ex c. 2. h. t. ubi ad tranſactionem ſuper decimis requiritur conſenſus Epiſcopi, velut conditio neceſſaria: ergo multò magis requiritur ad tranſactionem ſuper beneficio, adeóque ea propriâ auctnritate partium facta eſt illicita, & invalida. Ratio eſt, quia, cùm beneficium habeat annexum commodum tempnrale, nempe præbendam, quæ in proventibus temporalibus conſiſtit, hinc periculum, & ſuſpicio eſt, ne hujuſmodi tranſactio ſuper beneficio fiat, intuitu rei temporalis, ideóque tanquam ſimoniæ ſpeciem habens reprobatur. Laym. in cit. c. ult. n. 51. Accedit, quòd per talem tranſactionem cum pacto oneroſo, ut pro beneficin, de quo litigatur, detur viciſſim aliud quidpiam ſpirituale, aliquo modo acquiri poſſit beneficium, nam fieri poteſt, ut jus dubium, quod quis haber in beneficio, re ipsâ ſit nullum, & per illam tranſactinnem obtineatur, ut jus, quod in ſe eſt incertum, ac dubium, fiat certū, & firmum: cùm tamen beneficium non per pactionem, aut tranſactionem, ſed per Canonicam inſtitutionem obtineri debeat, c. 1. de R. I. in 6. Suar. cit. c. 51. n. 12.

Notandum 2. Veruntamen, accedente Judicis, ſeu Prælati Eccleſiaſtici auctnritate, poteſt tranſactio ita fieri ſuper lite beneficiariâ, ut una pars beneficium retineat, alteri verò parti pro ceſſione juris ſui dubij annua penſin ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica, qualis dari ſnlet ob ſpirituale officium, aſſignetur, etiam ex conventinne partium antecedente, ita tamen, ut poſtea Superiori ea offeratur confirmanda, per cujus confirmatinnem, & conſenſum purgatur vitium apparentis ſimnniæ, & cohneſtatur, ita, ut ſit licita cnnventin: quia hnc caſu non datur, vel recipitur temporale pro ceſſinne juris ſpiritualis, vel pro retinendn jure ſpirituali, ſed ſpirituale datur, aut commutatur pro ſpirituali titulo penſinnis, cui etſi annexum ſit temporale commodum, tamen illud eſt acceſſorium, & ſequitur naturam principalis, quia fructus illi ſunt annexi officio, ac titulo ſpirituali penſionis, ſicut idem eſt in beneficio Eccleſiaſtico. Et licèt aliàs talis conventio prohibita ſit in materia beneficiali, ut ſuprà dictum: non tamen, ſi fiat cum Epiſcopi, vel alterius Superioris cnnſenſu, qnia nullibi reperitur à Jure Canonico talis tranſigendi modus ſpecialiter, & abſnlutè prohibitus, ſed generaliter ſolùm prohibentur pactiones, & conventiones circa beneficia, quæ non debent extendi ad illas, quæ fiunt etiam antecedenter, cum ſubordinatione ad Prælatum Eccleſiaſticum, & ſub conditione, ſi ipſe approbaverit, & confirmaverit tranſactionem. Suar. cit. c. 51. n. 19. & 20. Laym. cit. c. ult. n. 58.

Aliud eſt de penſione merè temporali, quæ etiam auctoritate Judicis ordinarij, ut Epiſcopi, vel delegati, non poteſt alicui dari, ut recedat à lite beneficiaria, in cnmpenſationem juris ſui dubij, ut conſtat ex c. Cùm pridem; 4. de pact. Quamvis ex alijs cauſis, v. g. pro expenſis ei aſſignari poſſit. Suar. cit. c. 51. n. 22. & Laym. c. l. n. 59. & dictum tit. præced. n. 20.

XXIII. Notandum 3. Si quis habeat in beneficio liquidum jus acquiſitnm, & injuſtè in judicio vexetur, poteſt abſque ulla ſpecie ſimoniæ, pecuniâ vexationem redimere, quia tunc illa non datur pro jure beneficij acquirendo, vel retinendo, ſed pro repellenda injuria, ſeu vexatione redimenda. Suar. cit. l. 5. de ſimnn. c. 50. n. 2. Laym. cit. c. ult. n. 24. Verùm de hoc plura ſun loco.

Notandum 4. Super lite beneficiariâ, vel aliâ re ſpirituali cnntrnversâ, poſſunt partes inter ſe gratis, & amicabiliter componere, cit. c. Super eo; in fine, h. t. Idque, vel per ſe, ſi unus ſponte, & gratis, nullâ re acceptâ, jure ſuo cedat, beneficio, vel re aliâ parti adverſæ relictâ, ſinè omni compenſatinne. Vel per arbitros, ita, ut rem totam illi parti adjudicent, quæ potinre jure niti videtur. Abb. in cit. c. Super eo; num. 2. Suar. cit. l. 4. c. 50. num. 3. Laym. cit. c. ult. num. 56. Neque prohibetur hoc caſu pars illa, cui beneficium relictum eſt, donum aliquod liberaliter, & nullo præcedente pacto, nfferre, velut ex gratitudine. Abb. c. l. Et quidem, etiam ſinè Superioris conſenſu, hujuſmodi amicabilis, & gratuita compoſitio fieri poteſt, dummodo ita fiat, ut poſſeſſor beneficij, ſive priùs inſtitutus illud retineat, nam, ſi poſſeſſor beneficij, vi compoſitionis, illud dimittere debeat, non poteſt id fieri, ſinè Superioris cnnſenſu, c. Admonet; 4. c. Quod in dubijs; 8. de renunc. Abb. c. l.

Nntandum 5. Tranſactio, per quam datur res ſpiritualis non beneficialis, in compenſationem aliquam alterius rei, vel juris ſpiritualis, non eſt ſimoniaca, & ideo fieri poteſt ex partium cnnſenſu, etiam abſque auctoritate Prælati Eccleſiaſtici, niſi hæc aliunde, ſive ex alio capite requiratur: ratio eſt, quia tranſactio eſt ſpecies quædam permntationis, res autem una ſpiritualis cum altera ſpirituali poteſt licitè dari, ſive permutari, c. Ad quæſtiones; 6. et c. ult. junctâ Glnſſ. V. Temporalia; de rer. permut: nam talis datio, & acceptio non eſt ſimonia contra Jus Divinum: neque etiam eſt prohibita Jure Eccleſiaſtico, extra materiam beneficialem, adeóque neque ſpeciem ſimoniæ habet. Sic v. g. ſi contentio ſit ſuper juriſdictione ſpirituali inter aliquos, v. g. de jure viſitandi, vel conferendi beneficium, poſſunt tranſigere inter ſe, ut alternis vicibus viſitent, vel cnnferant. Suar. cit. c. 51. num. 8. Laym. c. l. num. 57. eſt tamen interdum neceſſaria auctoritas Prælati ad talem tranſactionem, quia alienationem bonorum Eccleſiaſticorum cnntinet. Suar. c. l. num. 10. quomodo etiam quando ſuper decimis cnm Laicis ſit tranſactio, ex ſpeciali juris diſpoſitinne, cnnfirmatin S. Pontificis requiritur, vel ſaltem Epiſcnpi, c. 2. et c. Veniens; 8. h. t. Suar. c. l.

XXIV. Aſſertio 2. Non licet quoque tranſigere ſuper jure patronatûs, ſeu præſentandi ad beneficia, interventu rei temporalis, ac pretio æſtimabilis, ut conſtat ex c. Præterea; 9. h. t. Nam, » cùm orta eſſet controverſia inter Laicos, & Reli- » gioſos ſuper jure præſentandi ad aliquam Eccle- » ſiam parochialem, ita inter ſe tranſegerunt (pro- » priâ auctnritate. Glnſſ. hîc V. Tranſigitur;) ut jus » præſentandi pertineat ad Laicos: Religioſis verò »

ex dicta Eccleſia nova annua penſio, quæ antea præſtari ſolita non fuit, vel major, quàm priùs dari ſolebat, ſolvatur: unde quæſitum fuit, utrùm talis tranſactio teneat? Reſpondet Papa Lucius III. quòd de jure non teneat, cùm ſit pactio ſimoniaca, adeóque illicita, & irrita, ex qua Religioſi nullum debent commodum obtinere. Ratio eſt, quia res ſpiritualis non poteſt dari, aut promitti pro pecunia, vel re pretio æſtimabili, abſque ſimonia, cit. c. Super eo; h. t. Atqui jus præſentandi ad beneficium, vel ſecundùm ſe, & intrinſecè eſt ſpirituale, ut tradit Gloſſ. fin. hîc in addit. vel ſaltem ſpirituali eſt antecedenter annexum, ideóque ſpirituale cenſetur, c. Quanto; 3. junctâ Gloſſ. V. Connexa; de judicijs: ergo non poteſt ſuper illo tranſigi, interveniente re temporali, ſinè vitio ſimoniæ, quia de connexis idem eſt judicium, c. Translato; 5. de conſtitut.

XXV. Aſſertio 3. Sed & tranſactio ſuper ſpirituali ſubjectione alicui debitâ irrita eſt, & ſimoniaca, ſi videlicet aliquid temporale, ſeu pretio æſtimabile, pro exemptione v. g. Capellæ à ſubjectione ſpirituali Eccleſiæ matricis, detur, vel promittatur, ut conſtat ex c. Præterea; 10. h. t. ubi habetur, quòd ortâ controverſiâ de ſubjectione alicujus Capellæ quorundam Monachorum Eccleſiæ matrici, Monachi in judicio per Syndicum ſuum confeſſi ſunt, illam olim ſubjectam Eccleſiæ matrici fuiſſe, ſed poſtea per tranſactionem liberatam, per quam conventum fuit, ut Monachi annuum cenſum Eccleſiæ matrici ſolverent, pro exemptione Capellæ ab illius ſubjectione. Sed Prior, ſeu Rector Eccleſiæ matricis proponebat, quòd ſuper ſpirituali ſubjectione tranſigere non liceat. Re delatâ ad Papam Lucium III. is reſpondit: quòd, cùm ex confeſſione propriâ ipſorum Monachorum conſtet, Capellam illam olim ſubjectam fuiſſe Eccleſiæ matrici, ideo contra illos ſententia ſit ferenda, cùm illa tranſactio de ſolvendo cenſu annuo pro exemptione à ſpirituali ſubjectione ſimoniacam iniquitatem contineat; quamvis ipſi non conſtet, quantus determinatè cenſus ſolutus fuerit.

XXVI. Notandum 1. Sicut non poteſt fieri tranſactio, ut detur cenſus temporalis pro exemptione à ſubjectione ſpirituali, ut in caſu hujus c. ita nec cenſus v. g. debitus à Matrice Eccleſia Capellæ Monachorum, ab ijs remitti poſſet, ut eximeretur Capella à ſubjectione Eccleſiæ matricis, quia utrumque ſimoniacum eſt, nam remittere idem eſt, quod dare, l. 2. ff. De calumniatorib. ſicut ergo ſimonia cenſetur, dare temporale pro ſpirituali, ita & remittere. Imola hîc circa finem.

Notandum 2. Confeſſio facta in judicio, & coram ſuo judice præjudicat confitenti. Gloſſ. hîc V. Confeſſione; & Hoſtienſ. quia confeſſus in jure pro convicto habetur. Gloſſ. hîc in notat. & poteſt quis adverſæ partis confeſſionem, quatenus pro ſe facit, recipere; & quoad aliam partem, quæ contra ſe facit, rejicere, ut colligitur ex hoc c. Abb. hîc not. 1. de quo plura alibi.

Notandum 3. Si conſtet de ſubjectione, eáque legitimè probata ſit, ea ſemper præſumitur manere, donec contrarium probetur: ut in caſu hujus c. quia ex propria confeſſione Monachorum conſtabat, Capellam olim ſubjectam fuiſſe Eccleſiæ matrici, neque Monachi privilegium ullum exemptionis exhibebant, ideo ſententia contra eos lata eſt, quòd adhuc ſubjecta ſit, quia aſſerenti exemptionem incumbit onus probandi, arg. l. Sive; 16. C. de probat. per tranſactionem autem, quippe illicitam, & ſimoniacam non probatur exemptio. Hoſtienſ. hîc V. Debeat; & Abb. n. 3.

Notandum 4. Sive multum, ſive parùm pecuniæ, aut alterius rei temporalis datum ſit pro beneficio acquirendo, vel alia re ſpirituali, illicita, & ſimoniaca nihilominus eſt pactio, vel tranſactio, ut, ſi in caſu hujus c. exiguus ſolùm cenſus paucorum denariorum datus fuiſſet pro exemptione à ſubjectione ſpirituali, ut colligitur ex hoc c. in fine. Hoſtienſ. hîc V. Conſtare; quamvis, ſi exiguum quid datum ſit, ſæpe præſumi poſſit, quòd non in compenſationem pro beneficio, vel aliâ re ſpirituali, ſed merè liberaliter, ac gratuitò datum ſit, ut notat Laym. hîc num. 2.

XXVII. Porrò tranſactio facta ſuper ſubjectione temporali, v. g. ſuper ſervitute, non valet, ſi de illa certò conſtet, quia inter dominum, & ſervum nulla obligatio locum habere poteſt, adeóque nec ex pacto, vel tranſactione dominus obligari poteſt ſervo, l. Interpoſitas; 13. in fine C. h. t. Secus eſt, ſi dubium ſit de ſubjectione, ſeu ſervitute, tunc enim de illa tranſigi poteſt, l. ult. C. eodem. Hoſtienſ. hîc V. De ſpirituali, & Abbas num. 4. ubi ait, idem dicendum, ſi talis tranſactio fieret inter Abbatem, & Monachum, invalida enim foret, quia Abbas non poteſt obligari ſuo Monacho.

XXVIII. Aſſertio 4. Super matrimonio nec tranſactio, nec compoſitio amicabilis fieri poteſt, prout conſtat ex c. Ex parte; 11. & ult. h. t. Nam, cùm Græci multa contra SS. Canones perversè agerent, & inter alios exceſſus, etiam uxores ſuas, propriâ voluntate, ſeu arbitrio dimitterent, & illis adhuc viventibus, alias ſuperinducerent, ſeu reciperent, prout habetur in integra lectione hujus c. Legatus Cardinalis Tituli S. Praxedis conſuluit Honorium III. quidnam ipſi agendum eſſet? Reſpondit Papa, ut in his procedat ſecundùm legitimas, & Canonicas ſanctiones, non tantùm definiendo, ſed etiam componendo partes inter ſe, & tranſigendo, ita, ut interdum aliquid de ſeveritate remittat, prout ſecundùm præſentem ſtatum Imperij, & ſpectatâ delinquentium multitudine, expedire ei videbitur, (quandoque enim detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat, prout dicitur in c. Conſtitueretur; 25. in fine, diſ. 50. Gloſſ. hîc V. Severitati; & ob multitudinem peccantium, multum de gravitate pœnæ remitti convenit, c. Quoties; 14. cauſ. 1. quæſt. 7. Gloſſ. hîc V. Multitudine;) Exceptis ijs caſibus, qui ejuſmodi compoſitionis, aut diſpenſationis remedium non admittunt: quale eſt Sacramentum matrimonij, quod non ſolùm apud Latinos, & Græcos, ſed etiam apud fideles, & infideles (quamvis apud hos non ſit Sacramentum, nec ratum, ſeu omnino

insolu-

inſolubile, Gl. hic V. Et infideles) exiſtit: in quo Ju- „ dici non eſt permiſſum à ſeveritate Canonica rece- „ dere. In ijs verò, de quibus jus expreſſum non re- „ peritur, Cardinalis procedat, ſervatâ æquitate, ſem- „ per in mitiorem partem declinando, quatenus per- „ ſonæ, cauſæ, loca, & tempora poſtulare videbun- „ tur.

XXIX. Notandum 1. Tranſactio, vel compoſitio, ſicut & diſpenſatio ſuper matrimonio non valet, quod intelligendum eſt, ſi per tranſactionem, vel compoſitionem aliquid fiat contra vinculum matrimonij, & ad illud diſſolvendum, Gl. hic V. Sacramentum, Abb. n. 8. Ratio eſt, quia non poſſumus tranſigere, niſi circa ea, quæ in noſtra ſunt poteſtate, matrimonium autem divinâ auctoritate eſt inſtitutum, adeòque nullâ tranſactione, vel compoſitione humanâ, quoad ſubſtantiam ſuam, diſſolvi poteſt, quia, quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Gen. 2. Verumtamen tranſactio, vel compoſitio etiam ſuper matrimonio fieri poteſt, interveniente auctoritate Judicis, ſi ea non tendat ad eius diſſolutionem, ſed ad contrahendum matrimonium, de quo contendunt partes, an legitimè contraxerint, néc ne, modò nullum inter eos ſit impedimentum canonicum, tunc enim ceſſat ſuprà allata ratio prohibitiva tranſactionis, vel compoſitionis ſuper matrimonio, Abb. hic n. 8. Lancell. lib. 3. Inſtit. Canon. in Gloſſ. V. Matrimonij. Privatâ verò auctoritate non poteſt fieri tranſactio ſuper matrimonio, quia eius quæſtio eſt decidenda ſecundùm Canones: non ſecundùm arbitria partium, ſeu privatorum, Zœſ. in Comment. ff. h. t. n. 15.

Notandum 2. Ad Judicem pertinet, partes litigantes ad componendum, & concordiam inducere, ſi fieri poſſit, priuſquam ad judicium veniatur, ut ſumitur ex hoc c. & notat Gl. hic V. Ad componendum, Abb. not. 1. Sed & Judex, ſi jus expreſſum non ſit, ſecundùm æquitatem procedere debet, & ſequi id, quod benignius eſt, inſpectâ qualitate perſonarum, cauſæ, loci, & temporis, prout habetur in hoc c. Gloſſ. hic V. Æquitate; & V. Humaniorem; & Abb. num. 9. Si verò expreſſum Jus ſcriptum reperiatur, tum Judex ſecundùm illud judicare debet: l. 1. C. de legib. c. Judices; 4. cauſ. 3. quæſt. 7. quia non debet velle Judex videri clementior lege, Auth. de Judicib. collat. 6. §. Oportet. Abb. hîc num. 9. niſi ſit ſupremus Judex, ſeu Princeps, qui in lege diſpenſare poteſt.

§. IV.

De quibus præterea rebus, ſeu cauſis licitum ſit tranſigere, vel non?

XXX. Aſſertio 1. De publico crimine capitali (ob quod ſcilicet pœna ſanguinis irrogatur) licitum eſt tranſigere. l. Tranſigere; 18. junctâ Gl. V. Capituli, C. h. t. Ratio eſt, quia licet cuique ſanguinem ſuum quovis modo redimere. l. 1. ff. De bonis eorum, qui ante ſententiam &c. dando ſcilicet pecuniam adverſario, vel aliquid aliud pretio æſtimabile, ut ab accuſatione deſiſtat, ſecundùm Gl. ibid. V. Qualiter: nec pro confeſſo reus tranſigens habetur, quia magìs graviſſimi periculi declinandi cauſâ, quàm conſcientiæ facinoris tranſigere cenſetur. l. fin. ff. de prævaricationibus. VVeſenbec. in paratit. ff. h. t. n. 5. Neque verò per talem tranſactionem præcluditur via alijs idem delictum proſequendi, quia pacta, & tranſactiones non egrediuntur perſonas paciſcentium, vel tranſigentium. Zœſ. ff. h. t. n. 23. Non ſolùm autem reo accuſato, ſed etiam accuſatori tranſigere licet, cùm & is de capite periclitetur, & eodem genere ſupplicij puniatur, ſi calumnia detegatur. l. fin. C. de Calumniat. l. fin. C. de accuſat. VVeſenbec. c. l. n. 5. §. Cùm autem. & ne, ſi accuſatori adimatur libera tranſigendi facultas, nulla ſpes, aut ratio ſuperſit miſeris reis redimendi ſanguinem ſuum. Zœſ. ff. eod. n. 29.

Porrò per pœnam, quæ imponitur pro crimine capitali, hic intelligitur pœna mortis naturalis, vel etiam mutilationis, quæ pœna ſanguinis propriè dicitur: non autem perpetui carceris, vel amiſſionis libertatis. Jul. Clar. l. 5. ſentent. §. fin. q. 58. n. 7. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 46. n. 2. & alij communiter: quamvìs contrarium teneat Zœſ. ff. h. t. n. 25. quia, etſi per amputationem membri effundatur ſanguis, non tamen hoc beneficium tranſigendi à jure conceſſum eſt ad conſervandum ſanguinem, ſed potiùs ad redimendam vitam. Verùm prius eſt conformius textui in cit. l. Tranſigere. Excipitur crimen adulterij, quod, etſi poſterioribus temporibus capitale crimen eſſe cœperit Jure Codicis, l. Quamvìs; 30. C. ad leg. Jul. de adulter. tamen de eo tranſigere prohibitum eſt in cit. l. Tranſigere. C. h. t. idque tum ob frequentiam hujus criminis; tum ad vitandam notam dedecoris, quæ conjugi innocenti, eiúſque conſanguineis ex tali tranſactione aſpergi poteſt: tum ad alia mala, quæ inde ſequuntur, impedienda, ut ſunt occaſiones cædium, inimicitiarum, infectio clarorum natalium, ſucceſſio filij ſpurij in bonis conjugis innocentis &c. Molin. tract. 3. de juſtit. diſ. 46. num. 7. §. Licèt autem.

XXXI. Aſſertio 2. De aliis publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non irrogant, licitum non eſt de Jure communi tranſigere, citra falſi accuſationem. Ita habetur in cit. l. Tranſigere; C. h. t. Ratio eſt, ne crimina maneant impunita, in præjudicium boni communis, Clarus c. l. n. 15. & quia ceſſat hic periculum capitis, & ſanguinis, ideóque tranſigentes excuſationem non merentur, ſed reus corrumpere Adverſarium pretio videtur, & actor vendens judicium publicum, prævaricari, & calumniari, l. fin. ff. de prævaric. VVeſenb. c. l. n. 5. §. Reliquis criminibus. Quare, ſi reus circa huiuſmodi crimen tranſigat, habetur pro confeſſo. l. ult. ff. de prævaricat. l. Athletas 4. §. ult. junctâ l. ſeq. ff. de his, qui notant. infam. & pœnâ eius criminis à lege decretâ, vel ordinariè imponi ſolitâ puniri poteſt, ac debet, niſi ſufficienter probet, ſe innocentem eſſe, & pecuniam v. g. dediſſe tantùm ad redimendam vexationem, vitandamque moleſtiam, ac ſumptus litis, l. Servi; 23. C. ad leg. Jul. de adulter. l. Si ab eo; 8. ff. de calumniat. Molin. cit. diſ. 46. n. 13. Excipitur accuſatio de crimine falſi, de quo tranſactio licita eſt, cit. l. Tranſigere, & l. pen. C. eodem. quia, licèt pro eo de Jure communi non infligatur pœna ſanguinis, valde gravem tamen infamiæ condemnato irrogat, adeóque eius pœna, quæ est gravis jactura honoris, pœnæ ſanguinis æquiparatur.

Clar.cit.q.58.n.18.Mol. c.l.n.16. contra Zœſ. ff. h.t. n.44.qui putat τὸ *citra* in cit.l.Transigere; accipiendum eſſe pro *ſine*,ita,ut ſenſus ſit, non tranſigitur ſuper prædictis criminibus, quin competat adversùs tranſigentem accuſatio falſi,qui revera falſum committit: verùm correctio literæ textûs communiter aſſerenda non eſt ſine neceſſitate.

XXXII. Notandum hîc præterea 1. In quibus criminibus non eſt licitum tranſigere, in iiſdem neque licitum eſt gratuitò paciſci, ut ex communi docet Clarus c.l.n.19.ac proinde etiam gratuita pactio, ſeu compoſitio in criminibus publicis, quæ pœnam ſanguinis non irrogant, irrita eſt, ne ſcilicet impunita maneant: quamvis gratuitò paciſcens, ſeu amicabiliter componens non ideo habeatur pro convicto, & confeſſo,neque infamis efficiatur, ſicut tranſigens cum pacto oneroſo de tali crimine, ut colligitur ex l.In fiſci; 4. ff.De jure fiſci.& l.ult.ff.De prævaricat. & eſſe ibi ſermonem non de pacto gratuito, ſed de pacto cum pretio,ſeu tranſactione,conſtat ex l.Furti;6. §.Pactúſque; ff. de his,qui not. infam.Mol.c.l.n.15.

Notandum 2. Licèt accuſatio de crimine publico,& capitali ſit abolita per tranſactionem, nihilominus poteſt Judex, vel ad accuſationem alterius, vel ex officio ſuo inquirendo, inſtituto novo proceſſu,vel cœptam inſtantiam proſequendo,contra reum procedere,idque ob vindictam publicam,ut in praxi obſervatur,teſte Claro c.l. n.3.

Notandum 3. Tranſactio, vel gratuita pactio, ſeu compoſitio ſuper criminibus publicis, in quibus ea jure permiſſa eſt, fieri debet, antequam adversùs reum lata ſit ſententia, eáque in rem judicatam tranſierit: nam,poſtquam pœna criminalis,ob commune bonum,à judice eſt impoſita,remiſſio illius,ſeu compoſitio circa id delictum, non ad partem offenſam, ſed ad ſolum Principem ſpectat. Molin.c.l. n.19.

XXXIII. Aſſertio 3. De criminibus privatis, quibus pœna ſanguinis non irrogatur, illicita, & invalida eſt tranſactio, ſi criminaliter agatur ad vindictam publicam criminis,v.g. injuriarum,vel furti: & accuſatus tranſigens de tali crimine privato pro cōfeſſo habetur, perinde, ac tranſigens de crimine publico,ob quod nòn infligitur pœna ſanguinis: ſi verò agatur de tali crimine privato civiliter, ad pœnam parti læſæ applicādam, valida,ac licita eſt tranſactio, ſicut & gratuita pactio, ſeu compoſitio, Gl.in cit.l. Transigere, C. h.t. V. In aliis autem publicis, Clar. c. l.n.16.Molin.cit.diſ.46.n.14. Ratio eſt, quia partes pactionibus præjudicare poſſunt juri ſuo,ac commodo privato;non item juri, ac bono publico, ad quod tendit accuſatio criminalis, Andr. Facbin. lib.1.controverſ.jur.c.9.

XXXIV. Aſſertio 4. Quod attinet ad cauſas civiles,de ijs,quæ in teſtamento,vel Codicillo relicta ſunt,ſine Judice tranſigi non poteſt, niſi inſpectis, cognitiſque verbis teſtamenti, prout habetur in l.1.§.Ratio.ff.de teſtament.quemadm.aperiant. l. De his;6.& l. Non eſt; 12. h.t. ne quid facilè admittatur contrarium voluntati teſtatoris, & quia talis tranſactio captioſa, & improba videtur, nam ſolent facilè homines,ſi modicum incontinenti detur, repudiare ea,quæ inexpectatò eis obveniunt ex ultima voluntate, Zœſ.ff. h.t.n.20. Hoc autem intelligendum eſt de controverſiis ortis ex teſtamento in ſcriptis condito,non autem de nuncupativo, ut tradit Frid. Hiltrop.in proceſſ.judic.p.2.tit.17.§. De materia tranſactionis.n.9.

Similiter de alimentis quâvis ultimâ voluntate relictis, quæ in futurum debentur, ſine auctoritate Judicis,& cauſæ cognitione, tranſigere non licet, ob rationem ſuprà allatam,ne contenti modico præſenti facilè ſibi relicta repudient,& inde contra teſtatoris voluntatem egeant, quibus ipſe alimenta providendo vitæ neceſſaria, proſpectum eſſe voluit. l.Cùm hi; 8. in princ.ff.h.t.& l.de alimentis; 8. C.eodem.

De alimentis verò præteritis,ſi quæſtio oriatur,licitum eſt tranſigere, cit. l. Alimentis; etiam ſine Judice,vel cum illo, ſed causâ non cognitâ, Gl. ibid. V. Tranſigi poteſt,& V.Præſide: quia in illis prædictum periculum ceſſat, nec ab ijs dependet vita hominis, nemo enim in præteritum eſt alendus, Zœſ. ff. h.t.n. 18. Quin imò etiam de futuris alimentis licita eſt tranſactio,ſi per illam conditio alimentarij,ſeu alendi melior fiat, etiam ſine Judicis auctoritate, velut ſi quis tranſigat, ut, quod per ſingulos annos dandum ei relictum erat, conſequatur per ſingulos menſes, cit. l. Cùm hi; §. Eam tranſactionem.ff.h.t.non enim debet ſtatutum in compendium alicuius, cedere in diſpendium eiuſdem. Zœſ. c.l. Sicut etiam de omnibus alimentis debitis ex contractu indiſtinctè tranſigi poteſt, Gl.in cit.l.Cùm hi; V.Alimentorum; ff.h. t, & Gl.fin.in dicta l.De alimentis;C.eodem.

Quòd ſi tranſactio de futuris alimentis juramento confirmetur,valida erit, & obligabit, ob Religionem jurisjurandi,ut ex communiore, & probabiliore ſententia docet Covarr. in c. Quamvìs de pactis in 6.p.2.§.6.n.12.Laym.l.3.Theol.moral.tr.4.c.31.n.6. Ratio eſt,quia huiuſmodi tranſactio non eſt de re per ſe,& intrinſecè malâ,vel illicitâ, ſed ſolùm prohibitâ,quia ſolent homines pro modico præſenti remittere jus futurum, cit, l.Cùm hi;ff.h.t.quod cùm concernat utilitatem privatorum, ei renunciare poſſunt. adeóque,cùm hoc juramentum ſervari poſſit,ſine detrimento ſalutis animæ jurantis, ſervari debet. Zœſ. ff.h.t.n.19.

§. V.

De forma tranſactionis, eiúſque extenſione, & reſciſſione,

XXXV. Aſſertio 1. Tranſactio fit duobus modis,ſimplici acceptilatione,& acceptilatione, quā præcedit Aquiliana ſtipulatio, ut colligitur ex l.2.ff. h.t.& l.Ut reſponſum;15.C.eodem. Pacto, ſeu ſimplici acceptilatione fit tranſactio, ſi lis ſit v.g. inter Titium,& Caium de centum aureis debitis, quos Titius petit à Caio: tum ſi reus Caius interroget Titium actorem,an de centum petitis accepto ferat 50.ita,ut reliqua 50.ipſi ſolvat? & Titius reſpondeat, ſe 50.accepto ferre,ſi reliqua 50.ſolverit? hæc tranſactio dicitur facta ſimplici acceptilatione, quia illam acceptilationem non præceſſit alia ſtipulatio, Hiltrop.cit. tit. 17.§.quib.mod.fiat tranſact.n.5. Altero modo fit tranſactio per acceptilationem, præcedente Aquiliana ſtipulatione, quando v. g. Titius prætendit, à Caio ſibi deberi centum, ex venditione, vel alio ſimili contractu, citra ſtipulationem, & Titius Caium

inter-

interroget, qnnd mihi debes ex vendirione ultra 50. promirris, te ſoluturum, animo novandi? & Caius reſpondeat, promitto, & poſtea inrerroget Titium actorem, habéſne acceptum? iſque dicat, habeo: hæc eſt Aquiliana ſtipulario, nt explicar Gl. in cit. l. 2. in caſu, quæ priorem obligationem ex contractu novat, & perimir, ipsáqne per acceptilationem perimitur. l. Aquilianâ; 4. ff. eod. Arque hæc procedunt de Jure civili.

Verùm, ſpectato jure naturæ, & Canonico, nulla certa verborum forma requiritur ad tranſactionem, ſed poſſunt partes verbis quibuſcunque mutuum conſenſum, ſeu conventionem exprimentibus rranſigere.

Prætetea tranſactio fit, vel purè, vel ſub conditione. l. Si ſuper; 9. C. h. t. & tam in judicio, quàm extra judicium, interveniente ſcripturâ, vel ſine illa, l. Sive; 28. C. eodem. dummodo pro remiſſione litis aliquid contra præſtetur, aut fiat, in qua præcipuè forma rranſactionis conſiſtit, ut patet ex §. 1. VVeſenb. c. l. n. 6.

XXXVI. Cæterùm ad formam tranſactionis etiam pertinet, quòd ei pœna quandoque adjiciatnr, quam is, qui ab ea receſſerit, ſolvere cogitur. l. Pacto; 15. & l. ſeq. l. Promiſſis; 37. & l. Ubi pactum; 40. C. eodem. Si verò non ſolùm pœna tranſactioni appoſita, ſed inſuper clauſula adiecta fuerit, *rato manente pacto*, id eſt, quòd nibilominus pactum ſervari debeat, runc contraveuiens ad utrumque compelli poteſt, & ad ſolvendam pœnam, & ad pactum tranſactionis implẽdum. l. Qui fidem; 16. ff. h. t. & l. Cùm proponas; 17. C. eodem. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 656. n. 10. Similirer ſi rranſactio, cui pœna appoſita erat, juramẽto confirmara ſit, contraveniens cogi poreſt, & ut pactum ſerver, & ut pœnam impleat, l. Si quis maior; 41. ff. h. t. quia tranſactio, & juramentnm eam habent racitam conditionem, ſi ex altera parte fides ſervetur, Molin. cir. diſ. n. 11.

XXXVII. Aſſertio 2. Si tranſactio fiat ſpecialls de aliqua ceria re, unâ, vel plnribus in particulati, ea non debet extendi ad res alias, quàm ad expreſſas, niſi ſint acceſſoriæ, & connexæ, l. Si unns; 27. §. Ante omnia; ff. de pact. junct. Gl. V. Noceat. l. Age; 3. C. h. t. Similiter ſi peritio rei cerræ, v. g. domûs, facta ſit, non abſolutè, aur univerſim, puta jure dominij, vel quaſi dominij, ſed ex certa cauſa, ſeu titulo, v. g. vendirionis, & poſtea tranſactio ſuper rali petitione facta ſit, poreſt nihilominus ex alia cauſa, ſeu titulo res eadem in jndicio peti, v. g. ex cauſa donarionis. Abb. in c. 1. h. t. n. 6. Mol. tr. 2. de juſt. diſ. 558. num. 2. Laym. cir. c. 31. n. 7. Quòd ſi tranſactio fiat generalis, aur indefinita, qnæ æquivalet univerſali, v. g. ſuper rota hæredirate, vel omnibus juribus Epiſcopalibus, tum extenditur ad omnia particularia ſub eo genere conrenta, etiamſi in ſpecie non ſint cognita. l. Tres fratres; 35. ff. de pact. l. Sub prætextu; 29. l. Si de certa; 31. C. h. t. quia ſatis eſt, quòd in genere, & confusè cognira fuerint, adeóque comprehenſa, ſi non ſint excepta, dummodo tranſactio generalis, ſalvâ proprietate verborum, reſtringi poſſit ad res particulares, de quibus erat petirio. Abb. c. l. & Molin. c. l. n. 5.

Excipi eriam debet, niſi dolo alicuius tranſigentium, res aliquæ in cognitæ, & occultatæ ſint, cit. l. Tres fratres; l. Qui cùm; 9. §. Qui per fallaciam; ff. h. t. Vel niſi tranſactio univerſalis facta ſit ſuper ralictis in ulrima voluntare, de quibus non valet rranſactio, niſi inſpecto teſtamenro, ut ſuprà dictum, Gl. in cit. c. 1. V. Sit vacuum; h. t. Abb. ibid. n. 6. Mol. cir. diſ. n. 4. Denique tranſactio, quantumvis generalis, & indefinita, reſtringenda eſt ad ea, de quibus tractatus præceſſit, ſive inter partes actum fuit, cir. l. Qui cum; §. Tranſactio; ff. h. t. l. Qui de ceria; 31. & ibi Gl. V. Quæſtionibus; C. eod. Gl. in cir. c. 1. V. Sit vacuum; h. t. & ibid. Abb. n. 6. Laym. c. l. n. 8. ſicut etiam rranſactlo ab una perſona ad aliam non expreſſam extendi non debet, arg. l. 1. C. h. t. Hiltrop. cit. tit. 17. §. de effectu tranſact. num. 11.

XXXVIII. Aſſertio 3. Tranſactio ex variis cauſis reſcindi poteſt. 1. Si interpoſito metu injuſto, qui in virum conſtantem cadat, ſit facta, l. Interpoſitis; 13. C. h. t. 2. Si dolo extorta ſit, tunc enim per replicationem doli, vel per actionem de dolo reſcinditur, l. Sub prætextu; 19. l. pen. C. h. t. 3. Ob intervenientem errorem ſubſtantialem, l. Sub prætextu; 29. C. eodem, quia error tollit conſenſum, l. Si per errorem; 15. ff. de juriſd. 4. Mutuo conſenſu partium, l. Si diverſa; 14. C. h. t. quia ſecundùm naturam eſt, eodem modo quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt. 5. Per errorem calculi, niſi & ſuper ipſo errore tranſactum ſit, l. unic. C. de errore calculi, Hiltrop. cit. tit. 17. §. Ex quib. cauſ. reſcind. tranſact.

§. VI.

De Effectu tranſactionis.

XXXIX. Aſſertio 1. Primus, & principalis effectus tranſactionis eſt, quòd per illam litibus motis, & movendis, finis imponatur, l. Fratris; 10. C. h. t. vel, ne oriantur, impeditur. Nam conſultum, & ſalubre eſt, ut lites inter Chriſtianos, maximè Eccleſiaſticas perſonas, per tranſactionem, aut compoſitionem partium finiantur, idque ob bonum pacis, & concordiæ; quare tranſactio ſemel bonâ fide, & legitimè celebrata, invitâ alterâ parte tranſigentium, revocari, aut reſcindi non poteſt, l. Cùm te; 5. C. h. t. l. Poſtquam liti; 4. C. de pact. ne quidem reſcripto Principis, l. Cauſas; 16. C. h. t. ubi dicitur: cauſas, vel lites tranſactionibus legitimis finitas Imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet. Neque etiam prætextu inſtrumentorum de novo poſtea repertorum ad litem ſopitam pertinentium, l. Sub prætextu; 19. juncta l. Sub prætextu; 29. C. eodem, de quo dictum ſuprà n. 3. h. t. nam qui ſuper principali tranſigit, etiam ſuper acceſſoriis, & ijs ſervientibus tranſigere cenſetur: & nihil ita fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ placuerant, cuſtodiri, l. Non minorem; 20. C. h. t. Et hinc etiam non licet in tranſactione, etſi res adhuc integra ſit, & contractus ex neutra parte completus, pœnitere, ſeu reſilire, alterâ parte invitâ, l. Quamvìs; 39. C. h. t. alioquin litium nullus futurus eſſet finis.

X L. Porrò adeò tranſactio legitimè facta controverſiis, ſeu litibus finem imponit, ut omnes pro-

Digitized by Google

probationes, & inſtrumenta, ac alia jura partium in contrarium allata poſt finitam tranſactionem ſint irrita, & inania, etiamſi de hoc inter partes actum non ſit, prout ſumitur ex c. Sicut grave; 1. h. t. Nam, cùm quidam Prælati Eccleſiarum controverſiam, quam habebant inter ſe de bonis, aut juribus ſuis, ſalubri tranſactione finiiſſent, petierunt à Papa Gregorio I. ut eam auctoritate ſuâ confirmaret. Ad quod Pontifex reſpondit, omnia inſtrumenta, & quidquid aliud eſt, quod uni, vel alteri parti, in cauſis per tranſactionem finitis, ſive ex præſcriptione, ſive ex privilegio, vel ex alia quacunque cauſa, aliquid opis afferre poſſit, irrita eſſe, & inania, ſolámque tranſactionis conventionem inter illas initam validam eſſe, & firmiter obſervandam. Sed, etſi fortè per incuriam, ſeu negligentiam, vel imperitiam in illa tranſactione aliquis defectus, ſeu error commiſſus ſit (ſive facti, ſive juris, Hoſtienſ. hîc V. Incuria; & V. Imperitia; Abb. n. 5.) ait Pontifex, ſe eam Apoſtolicâ auctoritate, ex certa ſcientia, confirmare, omnéſque defectus ſupplere.

XLI. Notandum 1. Quia pacta noviſſima tollunt pacta priora, l. Pacta; 12. C. de pact. Gl. hîc V. Nunc habitorum; ideo per tranſactionem poſteriorem tolluntur omnia priora jura competentia tranſigentibus, & derogatur teſtibus, inſtrumentis, præſcriptionibus, privilegiis, vel cuilibet alij, quod priùs illis de jure communi, vel ſpeciali competebat, Abb. hic n. 4. quod tamen intelligendum eſt: 1. Dummodo tranſactio non fuerit dolo alterius partis extorta, nec inſtrumenta, & probationes per fraudem ſint occultatæ; tum enim tranſactio non valeret, cit. l. Sub prætextu; 19. C. h. t. Gl. hîc V. Obtineat. 2. Id intelligi debet, ſi & altera pars velit tranſactionem implere, ac ſervare, aliàs enim poteſt pars adverſa uti priſtino jure ſuo, ac ſi non eſſet tranſactum, arg. l. Cùm proponas; 21. C. de pact. Abb. hîc n. 4. not. 3.

Notandum 2. Papa poteſt confirmare, & validare actus etiam ipſo jure invalidos, uti ſumitur ex hoc c. ubi Gl. in notat. quod intelligi debet, non de confirmatione ſimplici, quæ fit in forma communi, & actui valorem non tribuit, ſed ſupponit. c. 1. & 2. de confirm. util. vel inut. ſed de confirmatione, quæ fit ex certa ſcientia, & cum plena cauſæ cognitione, ac informatione accepta, ut colligitur ex hoc c. ibi: *vires habeat pleniſſimæ notionis*, Gl. hîc V. Notionis; per quam ſuppleatur defectus juris poſitivi, in quibus Papa, vel Princeps diſpenſare poteſt; non autem defectus juris naturalis, nec inhabilitas perſonarum, Abb. hîc n. 5. & Imol. n. 7. de quo plura ſuo loco.

XLII. Aſſertio 2. Alter effectus tranſactionis eſt, quòd, etſi actionem civilem non pariat, ſi nudo pacto celebrata, & rei traditione, vel ſtipulatione firmata non ſit. l. Sive; 28. C. h. t. cùm ex nudo pacto jure civili non detur actio: neque etiam priorem actionem ipſo jure tollat, cùm tranſactio non ſit modus tollendæ obligationis à Jure civili introductus; parit tamen exceptionem. l. Cùm proponas; 17. C. h. t. quæ eſt exceptio litis finitæ, c. 1. de lit. conteſt. in 6. ideóque licet peremptoria ſit, opponi poteſt, ante, vel poſt litis conteſtationem, Abb. hic n. 3. & litem decidit, ac ſi res in judicio deciſa eſſet: unde in cit. c. 1. h. t. tranſactio vocatur deciſio cauſæ, æquiparatur enim rei judicatæ, quia tranſactio non minorem vim, & auctoritatem habet ad litem dirimendam, ac finiendam, quàm res judicata, l. Non minorem; 20. C. h. t.

Verùm, quod dictum eſt, tranſactionem non parere actionem, id non procedit de Jure Canonico, ſecundùm quod, & ex conſuetudine hodie receptâ ex nudo pacto datur actio, ut dictum tit. præced. per conſequens etiam ex ſimplici tranſactione nudo pacto factâ, non tantùm exceptio, ſed etiam actio datur, ut notat VVeſenb. in parat. ff. h. t. n. 7. §. Sed hæ diſtinctiones.

XLIII. Cæterùm ex eo, quòd tranſactio pariat exceptionem litis finitæ, ſequitur, quòd, licèt aliàs is, qui alicuius Advocatus, & Procurator fuit, non poſſit in eadem cauſa eſſe teſtis pro eo, c. ult. de teſtib. in 6. & l. ult. ff. eodem. poteſt tamen Advocatus in cauſa principali unius partis litigantium, ſi ea poſtea per tranſactionem componatur, eſſe teſtis huius tranſactionis, prout ſumitur ex c. Ex litteris; 6. h. t. ubi habetur, quòd inter duos Clericos, Romanum, & Antonium, qui controverſiam ſuper Eccleſiâ quadam habebant, coram Epiſcopo Vigorenſi Apoſtolicæ Sedis delegato, tranſactio facta fuit, mediante Guilielmo, qui eiuſdem tranſactionis auctor, & alterius partis, ſcilicet Antonij, in ea cauſa Advocatus fuit, & in inſtrumento tranſactionis tanquam teſtis ſe ſubſcripſit. Sed poſtea idem Guilielmus putans, dictam tranſactionem ſimoniacam, ideóq; irritam eſſe, litteras à Sede Apoſtolica contra dictum Romanum ad certos Judices delegatos impetravit ad Eccleſiam illam ſibi conferendam, tacens, ſe tranſactioni illi patrocinatum fuiſſe; imò etiam mentiens, ſe Clericum eſſe, cùm tamen tempore impetrationis nondum eſſet Clericali tonſurâ initiatus. Quare Judices cauſam hanc ad Papam Alexandrum III. remiſerunt, qui reſcripſit, cùm idem Guilielmus non neget ſe tranſactioni interfuiſſe, & quando litteras illas impetravit, nondum Clericum fuiſſe, ut eidem ſuper Eccleſia illa petenda ſilentium imponatur.

XLIV. Hinc colligitur 1. Quòd Advocatus alterius partis in aliqua cauſa poteſt eſſe teſtis in inſtrumento tranſactionis in illa cauſa, quia talis non eſt ſimul Advocatus, & teſtis in eadem cauſa, nam, cùm lis finiatur per tranſactionem, ſequitur, quòd deſinat eſſe advocatus, adeóque qui fuerat Advocatus in cauſa controverſa, poſtquã ea per tranſactionem eſt finita, ac deciſa, incipit eſſe teſtis tranſactionis: neque priùs præſtitit patrocinium ſuper tranſactione, ſed ſuper causâ controversâ principali, quâ finitâ, teſtimonium dat ſuper tranſactione, Abb. hic n. 1. & Imola n. 2. Similiter, ſi quis, ut teſtis ſe ſubſcripſit in inſtrumento alicuius cõtractûs, poteſt poſtea eſſe Advocatus, ſi agatur de executione illius contractûs, quia tunc non dat teſtimonium, ſed, qui priùs erat teſtis, jam fit Advocatus, & prius eius teſtimonium firmum manet: quamvìs ſi de valore inſtrumẽti dubium oriatur, non poteſt iſte Advocatus de eo teſtimonium ferre, quia nunc eſt Advocatus, Abb. hic n. 1. & Imol. n. 13.

Colligitur 2. Si quis fuit auctor, mediator, vel ſuaſor alicuius tranſactionis, vel contractûs, non poteſt poſtea illam impugnare tanquam irritam, & injuſtã,

quia

quia allegaret propriam turpitndinem, ideóque non eſt audiendns, c.Inter dilectos; 8. juncta Gl. V. Turpitudinem de donat. Ut in caſu hujus c. Guilielmus impetravit Eccleſiam, de qoa lis erat, nt vacantem: ſed, cùm exciperetur contra ipſum, quòd alius ſit in poſſeſſione illius, replicavit, quòd ſit injuſtus, & ſimoniacus poſſeſſor, qnippe quam nbtinnlt, vi tranſactionis illicitæ, & injuſtæ: ſed, quia ipſe fuit anctor, & mediator illius tranſactionis, & teſtis in inſtrumento tranſactionis ſobſcriptus, non poterat illam impugnare, quia allegaret propriam ſuam turpitudinem, Abb. hîc. n.4.

TITVLVS XXXVII.

DE POSTULANDO.

SI lis inter partes per pactum, vel tranſactionem non ſit ſopita, tunc ad judicium proceditur, ſeu judicis ſententia poſtulatur, ideóque ante omnia quærendi ſunt idonei Advocati, & Procuratores ad cauſam inſtituendam, & agendam, de quibus hoc, & ſeq. titulo agitur, tanquam de quibuſdam præparatoriis ad judicium, ut notat Gl. ad rubric. C. h. t.

§ I.

Quid ſit poſtulare, ſeu advocare, quomodo Advocatus à Procuratore differat, & à quo conſtituantur Advocati?

I. Aſſertio 1. Nomen poſtulandi aliquando latiùs accipitur, prout nihil aliud eſt, quàm deſiderium ſuum, vel animi ſui in jure (id eſt, judicio) apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere; vel alterius deſiderio (id eſt, actoris petitioni io ſua, vel amici cauſa) contradicere, l. 1. §. Poſtulare; ff. De poſtulando: ac proinde rectè, tam pro actore, quàm reo poſtulatur: & juxta hanc acceptionem, etiam ij, qui Advocati non ſunt, dum pro ſe cauſam aguot coram Judice, poſtulare dicuntur. Aliàs verò poſtulare ſtrictiùs accipitur pro advocatione, ſive officio Advocati, qui aliàs etiam patronus cauſæ, & Orator, & Cauſidicus appellatur, nt ootar Gregor. Tholoſan. Syntagm. Jur. univ. c. 6. num.2.

Atque hinc infertur primò, Advocati munus non obire eum, qui ſive verbo, ſive ſcripto conſilium dat in aliqua cauſa, non adeundo judicem, quia hic non aſſiſtit in judicio: advocare autem eſt alterius deſiderium in judicio exponere. Bart. in l.1. §. Advocatos; n. 3. & 4. ff. de var. extraord. cognit. Sanch. l. 6. mor. c.13. n. 29. Secundò, neque eum eſſe Advocatum, qui partes inducit ad contractum aliquem ineundum, quia hoc non eſt in judicio aſſiſtere. Bart. c. l. n. 4. & Sanch. c. l. n. 30.

Tertiò, eum, qui ex pacto, ſtatuto, vel lege prohibetur advocare, poſſe extra judicium conſilium dare, verbo, vel ſcripto, gratìs, vel pro mercede, quia id non eſt advocare. Bart. cit. loc. num. 4. Sanch. c. l. num. 32. Neque eum eſſe Advocatum, qui jura partis allegat coram arbitratore, quia arbitramentum non eſt propriè judicium, ſed quidam contractus tranſactionis. l. Pomponius; 13. §. Recepiſſe; ff. de receptis &c. qui arbitr. recept. & ſic non eſt hoc, intereſſe liti, ſed contractui. Bart. c. l. n. 5. Aliud eſt, ſi defenderet cauſam Actoris, vel Rei coram arbitro, hoc enim foret verè advocare, quia arbitrium eſt inſtar veri judicii. Sanch. c. l. n. 31.

II. Aſſertio 2. Licèt ſub generali appellatione Advocatorum comprehendantur etiam Procuratores, & côtrà Procuratorum nomine Advocati, quia utrique ad judicium pro cauſa agenda advocantur, & Clientis ſui curam, ſeu procurationem gerunt: atque in inferiorum Judicum tribunalibus cauſarum patroni, utrumque munus, Advocati, & Procuratoris obeunt, ut refert Greg. Tholoſ. c. l. n. 5. propriè tamen Advocatus differt à Procuratore. Primò, quia Advocatus eſt is, qui pro altero in judicio præſente, & cauſam pro ſe etiã agente, aut adverſario reſpondente, poſtulat, ſive patrocinium aliquod, ac defenſionem præſtat, eúmque anctoritate, conſilio, & operâ ſuâ adjuvat, ac tuetur. Procurator verò propriè dicitur, qui pro altero abſente poſtulat, eiúſque litem proſequendam ſuſcipit, éſtque veluti Adminiſtrator, & Executor advocationis, Gregor. Tholoſan. c. l. num. 6. Sylveſt. V. Procurator, Myoſing. Inſtit. de his, per quos agere poſſ. §. Procurator; n. 5.

Secundò, Procurator tenetur actione mandati, ſi cum adverſario colluſerit, l. Si Procuratorem; 8. ff. mandat. l. Si Procurator; 10. C. de Procurat. quia cum ipſo contrahitur. Advocatus non obligatur ex mandato, etiamſi cauſam malè agat, tenetur tamen de prævaricatione, l. 1. C. de Advocat. diverſ. jud. ſi nimirum ex una parte animo, ex altera ſtat corpore, vel ſi ſecreta, & conſilia ſuæ partis aperiat, juxta Gl. ibid. V. Prævaricatum; ſive cauſam partis ſuæ prodat adverſario, eum adjuvando. l. 1. ff. de prævaricat. Tertiò, Procurator poſt litis conteſtationem fit dominus litis, c. 1. de Procurat. in 6. id eſt, inſtantiæ litis, non cauſæ: Advocatus non item, l. 1. C. de errore Advocat. Quartò, Advocati officium eſt publicum, l. 2. ff. de reg. jur. VVeſenb. in Paratitl. ff. h. t. n. 2. & honorabile multis gaudens privilegiis, l. Laudabile; 23. C. de Advoc. diverſ. jud. Officium Procuratoris eſt magìs privatũ, & vile, ac oneroſum, ut colligitur ex l. Si quis; 34. C. de decurion. l. 10. junct. Gl. V. Vilitatem. Gail. l. 1. obſ. 43. n. 5. Quintò, Advocatus debet

debet eſſe peritus juris, eíque operam dediſſe, ſaltem per quinquennium, & juramento Doctorum eſſe approbatus. l.Nemini; 11. l. Jubemus; 22.§. Nec de cætero; C.de Advoc.diverſ.jud.l.2.C.h.t.Abb.ad rubric. n.2.h.t.& ex officio ſuo agit cauſam, velut juris defenſor,& vindex. In Procuratore verò non tam ſcientia, quàm diligentia requiritur, cùm cauſæ, ſeu negotij adminiſtrationem tantùm habeat: & nomine partis litigantis tantùm agit. VVeſenb.in parat. ff. de Procurat. n.10. Sextò. Advocatus compelli poteſt per Judicem, etiam delegatum, ut patrocinium ſuſcipiat. l.1.§. Ait Prætor; 4. ff. h.t. l.Providendum; 7.C. eod.c.1.de offic.Judic.& quidem ſub pœna privationis officij, ſi pro altero poſtulare renuat, cit. l. Providendum; ibi: *careat foro*, ipſo jure, ut addit Gloſſ. ibid. V. eod. niſi juſtam excuſationis cauſam habeat, argum. l.Humanitatis; 23. C. de excuſat. tut. & l. Si longius; 18. in princ. ff. de judic. quia ad publica munera etiam inviti compelli poſſunt, arg. tot. tit. ff. de munerib. & honor. l. pen. §. Qui autem; ff. de vacat. & excuſ. mun. Officium autem Advocationis publicum, & neceſſarium eſt, ut dictum. Sed officium Procuratoris nemo invitus ſuſcipere cogitur, l. Invitus; 17. C. de Procurat. nam cum Procuratore contrahitur, quando mandatum ſuſcipit, nemo autem invitus cogitur contrahere, cùm contractus ab initio ſint voluntatis, l. Sicut; 5. C. de act.&oblig.Gail.cit.obſerv.n.1. Septimò. Quidquid à filiofam. acquiritur ex patrocinio, ſeu advocatione, acquirit non patri, ſed ſibi tanquam peculium quaſi caſtrenſe, l. fin.C.de inoffic. teſtam. non item acquiſitum ex procuratione, quia non tam eſt quæſtus, ſive lucrum ingenij,& doctrinæ, quàm communis negotiationis, cùm Procurator tantùm communes operas in tractanda cauſa præſtet, VVeſenb. in parat.ff.de Procurat.n.10.

III. Aſſertio 3. Judex, ſeu Magiſtratus ordinarius partibus litigantibus petentibus dare debet Advocatos, qui earum patrocinium gerant, l. 1.§. Ait Prætor; ff. h. t. Imò perſonis miſerabilibus, ut pupillis, furioſis, viduis, vel aliàs debilibus, quæ ob potentiam, favorem, ambitionem, aut metum adverſarij patronos habere non poſſunt, non tantùm petentibus, ſed etiam non petentibus Judex ordinarius, vel etiam delegatus ultro ex officio Advocatos dare debet, l. Nec quidquam; 9.§. Advocatos; ff. de offic. Proconſ. l. Providendum; 7. C. h. t. c. 1. de offic. Judic. junctâ Gloſſ. V. Implorando. Porrò, licèt Advocatus poſſit etiam invitus cogi ad patrocinium præſtandum, non tamen cogi poteſt, ut gratìs id præſtet, ſed ſalario dato à Cliente, pro modo litis, próque Advocati facundiâ, & fori conſuetudine, l.1.§.In honorariis; ff. de var. & extraord. cognit. Gloſſ. in cit.l.1. V. Non habebunt; ff. h. t. nemo enim ſuis ſtipendiis militare cogitur, c. Cùm ex officij; 16. in fine de præſcript. Quòd ſi Cliens pauper ſit, ſalarium ex publico ei conſtituendum eſt, Gl. c. l. ne inopes indefenſi maneant: quamvìs etiam Advocatus gratìs patrocinari debeat pauperi,& ad id à judice compelli poſſit, ad quod obligatus eſt ex naturali lege charitatis erga proximum, niſi & ipſe pauper ſit, Sylveſt. V.Advocatus; quæſt. 16. & 18. Gail. cit. obſerv. 43. num. 13. & 14. & alij DD. communiter.

Debet etiam Judex attendere, ut æqua Advocatorum diſtributio fiat, ne ſcilicet pro una parte peritiſſimi Advocati ſint, pro altera verò rudes, ac minùs experti, cit. l.Providendum; C.h.t. & c. Infames; 2. §. Si verò; cauſ. 3. q.7.

§. II.

De iis, qui ſuo, vel alieno nomine poſtulare poſſunt, vel non poſſunt.

Poſtulare, ſive advocare omnes poſſunt, quibus expreſsè in Jure id non reperitur prohibitum, nam Edictum de poſtulando prohibitorium eſt, ſicut & illud de Procuratore conſtituendo, l. Mutus; 43.§.1. ff.de Procurat. Hoſtienſ.in ſumma h.t. VVeſenbec.in Paratitl.ff.h.t.n.4. Prohibentur autem quidam Edicto, quidam Lege, quidam ſententiâ Judicis, ut notat VVeſenbec.c.l.de quibus hoc §.agemus.

IV. Quæritur 1. Quinam Edicto prohibeantur poſtulare? Reſp. Eorum, qui edicto prohibentur, tres ſunt Ordines, ut patet ex l.1,§.1.ff.h.t. et c.Infames; 2.cauſ. 3. q.7. nam quidam in totum, & tam pro ſe, quàm pro aliis poſtulare prohibentur, ut minor XVII. annis ob ætatem minùs adhuc maturam, quamvìs, completâ hac ætate, aliorum cauſas agere poſſit: item ob caſum ſurdus, qui omnino non audit, etiam pro ſe poſtulare prohibetur, cit.l.1. §.Initium. Quidam pro aliis tantùm poſtulare vetantur, non item pro ſe, cit.l.1.§. Secundo loco: veluti fœminæ, ne contra pudicitiam ſexui convenientem alienis cauſis ſe immiſceant, néve virilibus officiis fungantur, cit. l.1.§.Sexum; nam poſtulare pro alio, ſeu alienam ſuſcipere defenſionem, virile officium eſt. l. Alienam; 18.C.de Procurat. l.2. ff. de R.I. Excipitur tamen, quòd mulier tutrix in cauſa filij per ſe ipſam in judicio ſtare, adeóque, & pro ipſo poſtulare poſſit: quia, cùm lex adminiſtrationem bonorum ei deferat, videtur etiam concedere, ut pro filiorum defenſione in judicio aſſiſtere poſſit. arg.c.Ex parte; 67.de appellat. Laym.in c.2.de judic.n.3. Item cœcus utroque lumine orbatus pro aliis poſtulare prohibetur, quia inſignia Magiſtratûs videre,& revereri non poteſt, cit. l. 1.§.Caſum, quamvìs judex eſſe poſſit.cit.§.Caſum,& l.Cœcus; 6.ff.de judic. Inſuper removentur à poſtulando pro aliis inſigni turpitudine,& infamiâ notati, ut, qui in corpore ſuo muliebria paſſus eſt, niſi per vim ſibi illatam ſtupratus ſit, cit. l.1. §. Removet autem; quia talis ipſo jure infamis eſt, Gl.ibid.V. Paſſus eſt;& conſtat ex l.Cùm vir; 31.C.ad leg.Jul.de adult. Similiter, qui de capitali crimine, vel de calumnia publico judicio damnatus eſt, vel qui operas ſuas ad pugnandum cum beſtiis in arena locavit mercedis cauſâ, cit.§.Removet autem. Sylveſt. V. Advocatus; q.1. dicto 5.

Alij denique pro ſe poſtulare poſſunt, non tamen promiſcuè pro omnibus aliis, ſed pro certis tantùm perſonis conjunctis fortè uſque ad quartum gradum, & pro illis, quorum tutelam, cautionémque gerunt, ut pro pupillo, furioſo, fatuo &c. cit.l.1.§. Eſt æquiſſimum; & §. Ut initio, VVeſenb. ff. h. t. num.4. §. Tertius ordo. In quo tertio Edicti genere continentur omnes quâlibet infamiâ notati,

non

non tamen ſummâ,ſeu inſigni, cit. l. 1. §. ait Prætor; 8. niſi tales perſonæ à Principe, vel Senatu famæ reſtitutæ ſint, tum enim rectè pro omnibus poſtulant. cit. l. 1. §. Deinde adjicit; 9.& §.ſeq. quæ omnia approbata ſunt etiam Jure Canonico in c. Infames; 2. cauſ. 3. quæſt. 7. Aliàs verò prædictæ perſonæ omnes per edictum Prætoris ita poſtulare prohibentur, ut ne quidem adverſario conſentiente, admitti poſſint ad poſtulandum, l. Quos prohibet; 7. ff. h. t. Nam hoc Edictum prohibitorium de poſtulando tendit ad publicam Magiſtratûs dignitatem conſervandam. cit. l. 1. in princ. adeóque jus publicum concernit, l. 1. §. Hujus ſtudij; ff. de juſt. & jur. jus autem publicum pactis privatorum immutari nequit. l. 38. ff. de pact.

V. Quæritur 2., An, & quâ ratione Lege Canonicâ Clerici prohibentur poſtulare, ſeu advocare? Reſp. Clerici Subdiaconi, & ijs Superiores » (ſcilicet Diaconi, & Presbyteri) vel etiam in mi» noribus Ordinibus conſtituti, ſi ſtipendiis Eccle» ſiaſticis ſuſtententur (ſive ſi beneficiati ſint) non » poſſunt eſſe Advocati ad lites, coram Judice ſe» culari, & in negotiis; ſeu cauſis ſecularibus: niſi, » vel propriam ſuam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ proſe» cuti fuerint: vel pro miſerabilibus fortè perſonis, » quæ proprias cauſas, vel ſe ipſas defendere non poſ» ſunt. Ita habetur ſtatutum in c. Clerici; 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. c. 12. Ratio eſt, quia poſtulare, ſive advocare in cauſa ſeculari, & coram Judice ſeculari, eſt negotium ſeculare, c. 1. Ne Clerici, vel Monachi &c. ideóque Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, vel in Minoribus, ſed beneficia obtinentibus, advocare regulariter eſt prohibitum, quia nemo militans Deo ſecularibus negotiis ſe implicare debet, 2. ad Timoth. 2. &, qui vivit de Altari, inſervire debet Altari 1. Cor. 9.

VI. Similiter in c. Cùm Sacerdotis; 3. & ult. h. » t. in princ. reſcribit Papa Gregor. IX. Cùm Sacer» dotis officium ſit, nulli nocere, ſed omnibus velle » prodeſſe, non eſt Sacerdoti ulli licitum, niſi pro ſe » ipſo, vel Eccleſiâ ſuâ, vel (ſi neceſſitas poſtulat) pro » conjunctis perſonis, aut miſerabilibus poſtulare, » ſeu in judicio advocare.

VII. Pro utriuſque hujus c. explicatione notandum 1. Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi beneficiati non ſint, non prohibentur eſſe advocati, etiam in cauſis ſecularibus, & coram Judice ſeculari, ut per ſenſum contrarium colligitur ex cit. c. 1. h. t. ibi: *ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur*: ergo, ſi non ſuſtententur, quia nullum beneficium Eccleſiaſticum habent, poſſunt eſſe Advocati, etiam in foro ſeculari, Gl. hîc V. Stipendiis; & Abb. not. 1. Ratio eſt, quia cauſa prohibitionis hujuſmodi factæ Clericis in majoribus eſt excellentia ſtatûs, ſive ſacri Ordinis: in Beneficiatis autem eſt, quia ſufficientem ſuſtentationem habent ex beneficio Eccleſiaſtico: quæ utraque ratio prohibitionis ceſſat in Clericis in minoribus conſtitutis, & non beneficiatis, ideóque etiam ceſſat ipſa prohibitio. Quin imò probabile eſt, quòd Clericus minorum Ordinum, etiam non beneficiatus, non poſſit fungi officio Advocati, coram Judice ſeculari, ſi patrimonialia, vel aliunde acquiſita bona habeat, quia tunc ceſſat cauſa neceſſitatis, propter quam permiſſum eſt Clericis advocare, nam aliàs generatim omnes Clerici, ſi non egeant, non debent ſe immiſcere ſecularibus negotiis, quale eſt advocatio in foro ſeculari, c. 1. ibi: *in placitis diſputare*, ne Cleric. vel Monach. &c. arg. c. Epiſcopus; 4. de præbend. Fagnan. in cit. c. 1. n. 5.

VIII. Notandum 2. Clerici in majoribus conſtituti, ſi Sacerdotes non ſint, poſſunt eſſe Advocati, & Procuratores coram Judice Eccleſiaſtico, in omnibus cauſis, etiam ſecularibus: ut colligitur per ſenſum contrarium ex cit. c. 1. ibi: *coram ſeculari Judice* h. t. ergo coram Judice Eccleſiaſtico poſſunt eſſe Advocati in omnibus cauſis, cùm ibi nulla fiat mentio negotij, vel cauſæ: at verò coram Judice ſeculari ſolùm eſſe poſſunt Advocati in cauſis Eccleſiaſticis, ut patet ex cit. c. 1. ibi: *in negotiis ſecularibus*, in quibus prohibentur eſſe Advocati: ergo à contrario ſenſu in Eccleſiaſticis eſſe poſſunt, Innocent. hîc V. Negotiis, & Abb. num. 3. Porrò cauſa, ſeu negotium, quod aliàs ad forum ſeculare ſpectat, poteſt cenſeri Eccleſiaſticum, vel ratione perſonæ, quia perſona litigans Eccleſiaſtica eſt, videlicet Actor, qui forum rei laici ſequi, & coram Judice ſeculari litigare debet in cauſa ſeculari, c. Cùm ſit; 8. de foro compet. Vel ratione delicti, ut quia ob ſacrilegium, vel aliud crimen mixti fori commiſſum à laico, Eccleſia vult eum convenire coram Judice ſeculari, ſicut poteſt, cit. c. Cùm ſit. Vel ratione rei, de qua litigatur; ut quia res eſt Eccleſiæ, & ſeculari Domino obligata, ut feudum, Hoſtienſ. in cit. c. 1. V. Secularibus, & Abb. num. 3. Quare Clericus etiam in ſacris conſtitutus in omnibus his caſibus poteſt eſſe Advocatus, coram Judice ſeculari.

IX. Notandum 3. Clerici, qui Sacerdotes ſunt, neque in Tribunali Eccleſiaſtico Advocatos agere poſſunt, niſi ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, vel exigente neceſſitate (quia nimirum alius Advocatus, ſaltem tam idoneus, haberi non poteſt) conjunctarum; vel miſerabilium perſonarum cauſam proſequantur, prout habetur in c. 3. & ult. h. t. ubi indiſtinctè, & abſolutè, non adiectis illis verbis, *coram ſeculari judice*, ſicut ſit in c. 1. h. t. Sacerdos prohibetur in judicio poſtulare, adeóque debet intelligi generaliter, tam in foro ſeculari; quàm Eccleſiaſtico, exceptis cauſis, & negotiis prædictis: idque propterea, quia, cùm Sacerdotis officium ſit nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe, ideo ab eo alienum eſt munus Advocati, ſeclusâ neceſſitate, nam Advocatus, dum uni parti aſſiſtit, & patrocinatur, alterum oppugnat. Et ſic prædictum c. explicat Abb. ibid. n. 5. contra Hoſtienſ. hic in princ. qui putat, nomen Sacerdotis hîc accipi pro quolibet Clerico in ſacris conſtituto, imò etiam pro quovis Beneficiato, adeóque, quòd etiam Sacerdos indifferenter poſſit poſtulare, ſive advocare, coram Judice Eccleſiaſtico, ſed ſine ſalario. Verùm hoc pacto in c. ult. h. t. nihil aliud ſtatueretur, quàm in primo: ergo dicendum eſt, quòd Sacerdos abſolutè, & ordinariè poſtulare, ſive Advocatus eſſe non poſſit, ne quidem coram Judice Eccleſiaſtico, ne videatur alijs nocivus, ſaltem quoad externam ſpeciem, & opinionem; idémque dicendum eſt de Epiſcopo, Abb. c. l. & alij communiter.

» ex dicta Eccleſia nova annua penſio, quæ antea » præſtari ſolita non fuit, vel major, quàm priùs da» ri ſolebat, ſolvatur: unde quæſitum fuit, utrùm » talis tranſactio teneat? Reſpondet Papa Lucius » III. quòd de jure non teneat, cùm ſit pactio ſimo» niaca, adeóque illicita, & irrita, ex qua Religioſi » nullum debent commodum obtinere. Ratio eſt, quia res ſpiritualis non poteſt dari, aut promitti pro pecunia, vel re pretio æſtimabili, abſque ſimonia, cit. c. Super eo; h. t. Atqui jus præſentandi ad beneficium, vel ſecundùm ſe, & intrinſecè eſt ſpirituale, ut tradit Gloſſ. fin. hîc in addit. vel ſaltem ſpirituali eſt antecedenter annexum, ideóque ſpirituale cenſetur, c. Quanto; 3. junctâ Gloſſ. V. Connexa; de judicijs: ergo non poteſt ſuper illo tranſigi, interveniente re temporali, ſinè vitio ſimoniæ, quia de connexis idem eſt judicium, c. Translato; 5. de conſtitut.

XXV. Aſſertio 3. Sed & tranſactio ſuper ſpirituali ſubjectione alicui debitâ irrita eſt, & ſimoniaca, ſi videlicet aliquid temporale, ſeu pretio æſtimabile, pro exemptione v. g. Capellæ à ſubjectione ſpirituali Eccleſiæ matricis, detur, vel promittatur, ut » conſtat ex c. Præterea; 10. h. t. ubi habetur, quòd » ortâ controverſiâ de ſubjectione alicujus Capellæ » quorundam Monachorum Eccleſiæ matrici, Mo» nachi in judicio per Syndicum ſuum confeſſi ſunt, » illam olim ſubjectam Eccleſiæ matrici fuiſſe, ſed » poſtea per tranſactionem liberatam, per quam » conventum fuit, ut Monachi annuum cenſum Ec» cleſiæ matrici ſolverent, pro exemptione Capel» læ ab illius ſubjectione. Sed Prior, ſeu Rector » Eccleſiæ matricis proponebat, quòd ſuper ſpiri» tuali ſubjectione tranſigere non liceat. Re de» latâ ad Papam Lucium III. is reſpondit: quòd, » cùm ex confeſſione propriâ ipſorum Monacho» rum conſtet, Capellam illam olim ſubjectam fuiſ» ſe Eccleſiæ matrici, ideo contra illos ſententia » ſit ferenda, cùm illa tranſactio de ſolvendo cenſu » annuo pro exemptione à ſpirituali ſubjectione » ſimoniacam iniquitatem contineat; quamvìs ipſi » non conſtet, quantus determinatè cenſus ſolutus » fuerit.

XXVI. Notandum 1. Sicut non poteſt fieri tranſactio, ut detur cenſus temporalis pro exemptione à ſubjectione ſpirituali, ut in caſu hujus c. ita nec cenſus v. g. debitus à Matrice Eccleſia Capellæ Monachorum, ab ijs remitti poſſet, ut eximeretur Capella à ſubjectione Eccleſiæ matricis, quia utrumque ſimoniacum eſt, nam remittere idem eſt, quod dare, l. 2. ff. De calumniatorib. ſicut ergo ſimonia cenſetur, dare temporale pro ſpirituali, ita & remittere. Imola hîc circa finem.

Notandum 2. Confeſſio facta in judicio, & coram ſuo judice præjudicat confitenti. Gloſſ. hîc V. Confeſſione; & Hoſtienſ. quia confeſſus in jure pro convicto habetur. Gloſſ. hîc in notat. & poteſt quis adverſæ partis confeſſionem, quatenus pro ſe facit, recipere; & quoad aliam partem, quæ contra ſe facit, rejicere, ut colligitur ex hoc c. Abb. hîc not. 1. de quo plura alibi.

Notandum 3. Si conſtet de ſubjectione, eáque legitimè probata ſit, ea ſemper præſumitur manere, donec contrarium probetur: ut in caſu hujus c. quia ex propria confeſſione Monachorum conſtabat, Capellam olim ſubjectam fuiſſe Eccleſiæ matrici, neque Monachi privilegium ullum exemptionis exhibebant, ideo ſententia contra eos lata eſt, quòd adhuc ſubjecta ſit, quia aſſerenti exemptionem incumbit onus probandi, arg. l. Sive; 16. C. de probat. per tranſactionem autem, quippe illicitam, & ſimoniacam non probatur exemptio. Hoſtienſ. hîc V. Debeat; & Abb. n. 3.

Notandum 4. Sive multum, ſive parùm pecuniæ, aut alterius rei temporalis datum ſit pro beneficio acquirendo, vel alia re ſpirituali; illicita, & ſimoniaca nihilominus eſt pactio, vel tranſactio, ut, ſi in caſu hujus c. exiguus ſolùm cenſus paucorum denariorum datus fuiſſet pro exemptione à ſubjectione ſpirituali, ut colligitur ex hoc c. in fine. Hoſtienſ. hîc V. Conſtare; quamvis, ſi exiguum quid datum ſit, ſæpe præſumi poſſit, quòd non in compenſationem pro beneficio, vel aliâ re ſpirituali, ſed merè liberaliter, ac gratuitò datum ſit, ut notat Laym. hîc num. 2.

XXVII. Porrò tranſactio facta ſuper ſubjectione temporali, v. g. ſuper ſervitute, non valet, ſi de illa certò conſtet, quia inter dominum, & ſervum nulla obligatio locum habere poteſt, adeóque nec ex pacto, vel tranſactione dominus obligari poteſt ſervo, l. Interpoſitas; 13. in fine C. h. t. Secus eſt, ſi dubium ſit de ſubjectione, ſeu ſervitute, tunc enim de illa tranſigi poteſt, l. ult. C. eodem. Hoſtienſ. hîc V. De ſpirituali, & Abbas num. 4. ubi ait, idem dicendum, ſi talis tranſactio fieret inter Abbatem, & Monachum, invalida enim foret, quia Abbas non poteſt obligari ſuo Monacho.

XXVIII. Aſſertio 4. Super matrimonio nec tranſactio, nec compoſitio amicabilis fieri poteſt, prout conſtat ex c. Ex parte; 11. & ult. h. t. Nam, cùm Græci multa contra SS. Canones perversè » agerent, & inter alios exceſſus, etiam uxores » ſuas, propriâ voluntate, ſeu arbitrio dimitte» rent, & illis adhuc viventibus, alias ſuper» inducerent, ſeu reciperent, prout habetur in » integra lectione hujus c. Legatus Cardinalis Ti» tuli S. Praxedis conſuluit Honorium III. quid» nam ipſi agendum eſſet? Reſpondit Papa, ut » in his procedat ſecundùm legitimas, & Cano» nicas ſanctiones, non tantùm definiendo, ſed e» tiam componendo partes inter ſe, & tranſi» gendo, ita, ut interdum aliquid de ſeveritate » remittat, prout ſecundùm præſentem ſtatum Im» perij, & ſpectatâ delinquentium multitudine, » expedire ei videbitur, (quandoque enim detra» hendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat, prout dicitur in c. Conſtitueretur; 25. in fine, diſ. 50. Gloſſ. hîc V. Severitati; & ob multitudinem peccantium, multum de gravitate pœnæ remitti convenit, c. Quoties; 14. cauſ. 1. quæſt. 7. Gloſſ. hîc V. Multitudine;) Exceptis ijs caſibus, qui ejuſmodi » compoſitionis, aut diſpenſationis remedium non » admittunt: quale eſt Sacramentum matrimonij, » quod non ſolùm apud Latinos, & Græcos, ſed e» tiam apud fideles, & infideles (quamvis apud hos » non ſit Sacramentum, nec ratum, ſeu omnino » inſolu-

inſolubile, Gl. hîc V. Et infideles) exiſtit: in quo Ju-
» dici non eſt permiſſum à ſeveritate Canonica rece-
» dere. In ijs verò, de quibus jus expreſſum non re-
» peritur, Cardinalis procedat, ſervatâ æquitate, ſem-
» per in mitiorem partem declinando, quatenus per-
» ſonæ, cauſæ, loca, & tempora poſtulare videbuo-
» tur.

XXIX. Notaodum 1. Tranſactio, vel compoſitio, ſicut & diſpenſatio ſuper matrimonio non valet, quod intelligendum eſt, ſi per tranſactionem, vel compoſitionem aliquid fiat contra vinculum matrimonij, & ad illud diſſolvendum, Gl. hîc V. Sacramentum, Abb. n. 8. Ratio eſt, quia non poſſumus tranſigere, niſi circa ea, quæ in noſtra ſunt poteſtate, matrimonium autem divinâ auctoritate eſt inſtitutum, adeóque nullâ tranſactione, vel compoſitione humanâ, quoad ſubſtantiam ſuam, diſſolvi poteſt, quia, quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Gen. 2. Verumtamen tranſactio, vel compoſitio etiam ſuper matrimonio fieri poteſt, interveniente auctoritate Judicis, ſi ea non tendat ad eius diſſolutionem, ſed ad contrahendum matrimonium, de quo contendunt partes, ao legitimè contraxerint, nécne, modò nullum inter eos ſit impedimentum canonicum, tunc eoim ceſſat ſuprà allata ratio prohibitiva tranſactionis, vel compoſitionis ſuper matrimonio, Abb. hîc n. 8. Lancell. lib. 3. Inſtit. Ganon. in Gloſſ. V. Matrimonij. Privatâ verò auctoritate non poteſt fieri tranſactio ſuper matrimonio, quia eius quæſtio eſt decideoda ſecundùm Canones: non ſecundùm arbitria partium, ſeu privatorum, Zœſ. in Comment. ff. h. t. o. 15.

Notandum 2. Ad Judicem pertinet, partes litigantes ad componendum, & concordiam inducere, ſi fieri poſſit, priuſquam ad judicium veniatur, uti ſumitur ex hoc c. & notat Gl. hîc V. Ad componendum, Abb. not. 1. Sed & Judex, ſi jus expreſſum non ſit, ſecundùm æquitatem procedere debet, & ſequi id, quod benignius eſt, inſpectâ qualitate perſonarum, cauſæ, loci, & temporis, prout habetur in hoc c. Gloſſ. hîc V. Æquitate; & V. Humaniorem; & Abb. num. 9. Si verò expreſſum Jus ſcriptum reperiatur, tum Judex ſecundùm illud judicare debet: l. 1. C. de legib. c. Judicet; 4. cauſ. 3. quæſt. 7. quia non debet velle Judex videri clementior lege, Auth. de Judicib. collat. 6. §. Oportet. Abb. hîc num. 9. niſi ſit ſupremus Judex, ſeu Princeps, qui in lege diſpenſare poteſt.

§. IV.

De quibus præterea rebus, ſeu cauſis licitum ſit tranſigere, vel non?

XXX. Aſſertio 1. De publico crimine capitali (ob quod ſcilicet pœna ſanguinis irrogatur) licitum eſt tranſigere. l. Tranſigere; 18. juncta Gl. V. Capitali, C. h. t. Ratio eſt, quia licet cuique ſanguinem ſuum quovis modo redimere. l. 1. ff. De bonis eorum, qui ante ſententiam &c. dando ſcilicet pecuniam adverſario, vel aliquid aliud pretio æſtimabile, ut ab accuſatione deſiſtat, ſecundùm Gl. ibid. V. Qualiter: nec pro confeſſo reus tranſigens habetur, quia magis graviſſimi periculi declinandi cauſâ, quàm conſcientiæ facinoris tranſigere cenſetur. l. fin. ff. de prævaricationibus. VVeſenbec. in paratitl. ff. h. t. o. 5. Neque verò per talem tranſactionem præcluditur via aliis idem delictum proſequendi, quia pacta, & tranſactiones non egrediuntur perſonas paciſcentium, vel tranſigentium. Zœſ. ff. h. t. n. 23. Non ſolùm autem reo accuſato, ſed etiam accuſatori tranſigere licet, cùm & is de capite periclitetur, & eodem genere ſupplicij puniatur, ſi calumnia detegatur, l. fin. C. de Calumniat. l. fin. C. de accuſat. VVeſenbec. c. l. n. 5. §. Cùm autem. & ne, ſi accuſatori adimatur libera tranſigendi facultas, oolla ſpes, aut ratio ſuperſit miſeris reis redimendi ſanguinem ſuum. Zœſ. ff. eod. n. 29.

Porrò per pœnam, quæ imponitur pro crimine capitali, hîc intelligitur pœna mortis naturalis, vel etiam mutilationis, quæ pœna ſanguiois propriè dicitur: non autem perpetui carceris, vel amiſſiooîs libertatis. Jul. Clar. l. 5. ſentent. §. fin. q. 58. o. 7. Molin. tr. 3. de juſtit. diſ. 46. n. 2. & alij communiter: quamvìs contrarium teneat Zœſ. ff. h. t. n. 25. quia, etſi per amputationem membri effundatur ſanguis, non tameo hoc beneficium tranſigendi à jure conceſſum eſt ad conſervandum ſanguinem, ſed potiùs ad redimendam vitam. Verùm prius eſt conformius textui in cit. l. Tranſigere. Excipitur crimen adulterij, quod, etſi poſterioribus temporibus capitale crimen eſſe cœperit Jure Codicis, l. Quamvìs; 30. C. ad leg. Jul. de adulter. tamen de eo tranſigere prohibitum eſt in cit. l. Tranſigere. C. h. t. idque tum ob frequentiam huius criminis; tum ad vitaodam notam dedecoris, quæ conjugi innocenti, eiúſque conſanguineis ex tali tranſactione aſpergi poteſt: tum ad alia mala, quæ inde ſequuntur, impedienda, ut ſunt occáſiones cædium, inimicitiarum, infectio clarorum natalium, ſucceſſio filij ſpurij in bonis conjugis innocentis &c. Molin. tract. 3. de juſtit. diſ. 46. num. 7. §. Licèt autem.

XXXI. Aſſertio 2. De aliis publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non irrogant, licitum non eſt de Jure communi tranſigere, citra falſi accuſationem. Ita habetur in cit. l. Tranſigere; C. h. t. Ratio eſt, ne crimina maneant impuoita, io præjudicium boni communis, Clarus c. l. n. 15. & quia ceſſat hic periculum capitis, & ſanguinis, ideóque tranſigentes excuſationem non merentur, ſed reus corrumpere Adverſarium pretio videtur, & actor vendens judicium publicum, prævaricari, & calumniari, l. fin. ff. de prævaric. VVeſenb. c. l. n. 5. §. Reliquis criminibus. Quare, ſi reus circa huiuſmodi crimen tranſigat, habetur pro coofeſſo. l. ult. ff. de prævaricat. l. Athletas; 4. §. ult. junctâ l. ſeq. ff. de his, qui notant. infam. & pœnâ eius criminis à lege decretâ, vel ordinariè imponi ſolitâ puniti poteſt, ac debet, niſi ſufficienter probet, ſe innocentem eſſe, & pecuniam v. g. dediſſe tantùm ad redimendam vexationem, vitandamque moleſtiam, ac ſumptus litis, l. Servi; 23. C. ad leg. Jul. de adulter. l. Si ab eo; 8. ff. de calumniat. Molin. cit. diſ. 46. n. 13. Excipitur accuſatio de crimine falſi, de quo tranſactio licita eſt, cit. l. Tranſigere, & l. pen. C. eodem. quia, licèt pro eo de Jure communi non infligatur pœna ſanguinis, valde gravem tamen infamiam condemnato irrogat, ideóque eius pœna, quæ eſt tam gravis jactura honoris, pœnæ ſanguinis æquiparatur,

Clar.cit.q.58.n.18.Mol. c.l.n.16. contra Zœſ. ff. h.t. n.44.qui putat τὸ *citra* in cit.l.Tranſigere; accipiendum eſſe pro *fine*,ita,ut ſenſus ſit, non tranſigitur ſuper prædictis criminibus, quin competat adversùs tranſigentem accuſatio falſi,qui revera falſum committit: verùm correctio litteræ textûs communiter aſſerenda non eſt ſine neceſſitate.

XXXII. Notandum hîc præterea 1. In quibus criminibus non eſt licitum tranſigere, in iiſdem neque licitum eſt gratuitò paciſci, ut ex communi docet Clarus c.l.n.19.ac proinde etiam gratuita pactio, ſeu compoſitio in criminibus publicis, quæ pœnam ſanguinis non irrogant, irrita eſt, ne ſcilicet impunita maneant: quamvìs gratuitò paciſcens, ſeu amicabiliter componens non ideo habeatur pro convicto, & confeſſo,neque infamis efficiatur, ſicut tranſigens cum pacto oneroſo de tali crimine, ut colligitur ex l.In fiſci; 4. ff.De jure fiſci.&l.ult.ff.De prævaricat. & eſſe ibi ſermonem non de pacto gratuito, ſed de pacto cum pretio,ſeu tranſactione,conſtat ex l.Furti;6. §.Pactúſque; ff. de his,qui not. infam.Mol.c.l.n.15.

Notandum 2. Licèt accuſatio de crimine publico,& capitali ſit abolita per tranſactionem, nihilominus poteſt Judex, vel ad accuſationem alterius, vel ex officio ſuo inquirendo, inſtituto novo proceſſu,vel cœptam inſtantiam,proſequendo,contra reum procedere,idque ob vindictam publicam,ut in praxi obſervatur,teſte Claro c.l. n.3.

Notandum 3. Tranſactio, vel gratuita pactio, ſeu compoſitio ſuper criminibus publicis, in quibus ea jure permiſſa eſt, fieri debet, antequam adversùs reum lata ſit ſententia, eáque in rem judicatam tranſierit: nam,poſtquam pœna criminalis,ob commune bonum,à judice eſt impoſita,remiſſio illius,ſeu compoſitio circa id delictum, non ad partem offenſam, ſed ad ſolum Principem ſpectat. Molin.c.l. n.19.

XXXIII. Aſſertio 3. De criminibus privatis, quibus pœna ſanguinis non irrogatur, illicita,& invalida eſt tranſactio, ſi criminaliter agatur ad vindictam publicam criminis,v.g. injuriarum,vel furti: & accuſatus tranſigens de tali crimine privato pro cōfeſſo habetur, perinde, ac tranſigens de crimine publico,ob quod non infligitur pœna ſanguinis: ſi verò agatur de tali crimine privato civiliter, ad pœnam parti læſæ applicādam, valida,ac licita eſt tranſactio, ſicut & gratuita pactio, ſeu compoſitio, Gl.in cit.l. Tranſigere, C. h.t. V. In aliis autem publicis, Clar. c. l.n.16.Molin.cit.diſ.46.n.14. Ratio eſt, quia partes pactionibus præjudicare poſſunt juri ſuo,ac commodo privato;non item juri, ac bono publico, ad quod tendit accuſatio criminalis, Andr. Facbin. lib.1.controverſ.jur.c.9.

XXXIV. Aſſertio 4. Quod attinet ad cauſas civiles,de ijs,quæ in teſtamento,vel Codicillo relicta ſunt,ſine Judice tranſigi non poteſt, niſi inſpectis, cognitiſque verbis teſtamenti, prout habetur in l.1.§.Ratio.ff.de teſtament.quemadm.aperiant. l.De his;6.&l. Non eſt; 12. h.t. ne quid facilè admittatur contrarium voluntati teſtatoris, & quia talis tranſactio captioſa, & improba videtur, nam ſolent facilè homines,ſi modicum incontinenti detur, repudiare ea,quæ inexpectatò eis obveniunt ex ultima voluntate, Zœſ.ff.h.t.n.20. Hoc autem intelligendum eſt de controverſiis ortis ex teſtamento in ſcriptis condito,non autem de nuncupativo, ut tradit Frid. Hiltrop.in proceſſ.judic.p.2.tit.17.§. De materia tranſactionis.n.9.

Similiter de alimentis quâvis ultimâ voluntate relictis, quæ in futurum debentur, ſine auctoritate Judicis,& cauſæ cognitione, tranſigere non licet, ob rationem ſuprà allatam,ne contenti modico præſenti facilè ſibi relicta repudient,& inde contra teſtatoris voluntatem egeant, quibus ipſe alimenta providendo vitæ neceſſaria, proſpectum eſſe voluit. l.Cùm hi; 8. in princ.ff.h.t.& l.de alimentis; 8. C.eodem.

De alimentis verò præteritis,ſi quæſtio oriatur,licitum eſt tranſigere, cit. l. Alimentis; etiam ſine Judice,vel cum illo, ſed causâ non cognitâ, Gl. ibid. V. Tranſigi poteſt,& V.Præſide: quia in illis prædictum periculum ceſſat, nec ab ijs dependet vita hominis, nemo enim in præteritum eſt alendus, Zœſ. ff. h.t.n. 18. Quin imò etiam de futuris alimentis licita eſt tranſactio,ſi per illam conditio alimentarij,ſeu alendi melior fiat, etiam ſine Judicis auctoritate, velut ſi quis tranſigat, ut, quod per ſingulos annos dandum ei relictum erat, conſequatur per ſingulos menſes, cit. l. Cùm hi; §. Eam tranſactionem.ff.h.t.non enim debet ſtatutum in compendium alicuius, cedere in diſpendium eiuſdem. Zœſ. c.l. Sicut etiam de omnibus alimentis debitis ex contractu indiſtinctè tranſigi poteſt, Gl.in cit.l.Cùm hi; V.Alimentorum; ff.h. t. & Gl.fin.in dicta l.De alimentis;C.eodem.

Quòd ſi tranſactio de futuris alimentis juramento confirmetur,valida erit, & obligabit, ob Religionem jurisjurandi,ut ex communiore, & probabiliore ſententia docet Covarr. in c. Quamvìs de pactis in 6.p.2.§.6.n.12.Laym.l.3.Theol.moral.tr.4.c.3 r.n.6. Ratio eſt,quia huiuſmodi tranſactio non eſt de re per ſe,& intrinſecè malâ,vel illicitâ, ſed ſolùm prohibitâ,quia ſolent homines pro modico præſenti remittere jus futurum, cit, l.Cùm hi;ff.h.t.quod cùm concernat utilitatem privatorum, ei renunciare poſſunt. adeòque,cùm hoc juramentum ſervari poſſit,ſine detrimento ſalutis animæ jurantis, ſervari debet. Zœſ. ff.h.t.n.19.

§. V.

De forma tranſactionis, eiúſque extenſione, & reſciſſione,

XXXV. Aſſertio 1. Tranſactio fit duobus modis,ſimplici acceptilatione,& acceptilatione, quā præcedit Aquiliana ſtipulatio, ut colligitur ex l.2.ff. h.t.& l.Ut reſponſum;15.C.eodem. Pacto, ſeu ſimplici acceptilatione fit tranſactio, ſi lis ſit v.g. inter Titium,& Caium de centum aureis debitis, quos Titius petit à Caio: tum ſi reus Caius interroget Titium actorem,an de centum petitis accepto ferat 50.ita,ut reliqua 50.ipſi ſolvat? & Titius reſpondeat, ſe 50.accepto ferre,ſi reliqua 50.ſolverit? hæc tranſactio dicitur facta ſimplici acceptilatione, quia illam acceptilationem non præceſſit alia ſtipulatio, Hiltrop.cit. tit.17.§.quib.mod.fiat tranſact.n.5. Altero modo fit tranſactio per acceptilationem, præcedente Aquiliana ſtipulatione, quando v. g. Titius prætendit, à Caio ſibi deberi centum, ex venditione, vel alio ſimili contractu, citra ſtipulationem, & Titius Caium

inter-

interroget, quod mihi debes ex venditione ultra 50. promittis, te ſoluturum, animo novandi? & Caius reſpondeat, promitto, & poſtea interroget Titium actorem, habéſne acceptum? iique dicat, habeo: hæc eſt Aquiliana ſtipulatio, ut explicat Gl. in cit. l. 2. in caſu, quæ priorem obligationem ex contractu novat, & perimit, ipsáque per acceptilationem perimitur. l. Aquilianâ; 4. ff. eod. Atque hæc procedunt de Jure civili.

Verùm, ſpectato jure naturæ, & Canonico, nulla certa verborum forma requiritur ad tranſactionem, ſed poſſunt partes verbis quibuſcunque mutuum conſenſum, ſeu conventionem exprimentibus tranſigere.

Præterea tranſactio fit, vel purè, vel ſub conditione. l. Si ſuper; 9. C. h. t. & tam in judicio, quàm extra judicium, interveniente ſcripturâ, vel ſine illa, l. Sive; 28. C. eodem. dummodo pro remiſſione litis aliquid contra præſtetur, aut fiat, in qua præcipuè forma tranſactionis conſiſtit, ut patet ex §. 1. VVeſenb. c. l. n. 6.

XXXVI. Cæterùm ad formam tranſactionis etiam pertinet, quòd ei pœna quandoque adjiciatur, quam is, qui ab ea receſſerit, ſolvere cogitur. l. Pacto; 15. & l. ſeq. l. Promiſſis; 37. & l. Ubi pactum; 40. C. eodem. Si verò non ſolùm pœna tranſactioni appoſita, ſed inſuper clauſula adiecta fuerit, *rato manente pacto*, id eſt, quòd nihilominus pactum ſervari debeat, tunc contraveniens ad utrumque compelli poteſt, & ad ſolvendam pœnam, & ad pactum tranſactionis implēdum. l. Qui fidem; 16. ff. h. t. & l. Cùm proponas; 17. C. eodem. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 656. n. 10. Similiter ſi tranſactio, cui pœna appoſita erat, juramēto confirmata ſit, contraveniens cogi poteſt, & ut pactum ſervet, & ut pœnam impleat, l. Si quis maior; 41. ff. h. t. quia tranſactio, & juramentum eam habent tacitam conditionem, ſi ex altera parte fides ſervetur, Molin. cit. diſ. n. 11.

XXXVII. Aſſertio 2. Si tranſactio fiat ſpecialis de aliqua certa re, unâ, vel pluribus in particulari, ea non debet extendi ad res alias, quàm ad expreſſas, niſi ſint acceſſoriæ, & connexæ, l. Si unus; 27. §. Ante omnia; ff. de pact. junct. Gl. V. Nuceat. l. Age; 3. C. h. t. Similiter ſi petitio rei certæ, v. g. domûs, facta ſit, non abſolutè, aut univerſim, puta jure dominij, vel quaſi dominij, ſed ex certa cauſa, ſeu titulo, v. g. venditionis, & poſtea tranſactio ſuper tali petitione facta ſit, poteſt nihilominus ex alia cauſa, ſeu titulo res eadem in judicio peti, v. g. ex cauſa donationis. Abb. in c. 1. h. t. n. 6. Mol. tr. 2. de juſt. diſ. 558. num. 2. Laym. cit. c. 31. n. 7. Quòd ſi tranſactio fiat generalis, aut indefinita, quæ æquivalet univerſali, v. g. ſuper tota hæreditate, vel omnibus juribus Epiſcopalibus, tum extenditur ad omnia particularia ſub eo genere contenta, etiamſi in ſpecie non ſint cognita. l. Tres fratres; 35. ff. de pact. l. Sub prætextu; 29. l. Si de certa; 31. C. h. t. quia ſatis eſt, quòd in genere, & confusè cognita fuerint, adeóque comprehenſa, ſi non ſint excepta, dummodo tranſactio generalis, ſalvâ proprietate verborum, reſtringi poſſit ad res particulares, de quibus erat petitio. Abb. c. l. & Molin. c. l. n. 5.

Excipi etiam debet, niſi dolo alicuius tranſigentium, res aliquæ incognitæ, & occultatæ ſint, cit. l. Tres fratres; l. Qui cùm; 9. §. Qui per fallaciam; ff. h. t. Vel niſi tranſactio univerſalis facta ſit ſuper relictis in ultima voluntate, de quibus non valet tranſactio, niſi inſpecto teſtamento, ut ſuprà dictum, Gl. in cit. c. 1. V. Sit vacuum; h. t. Abb. ibid. n. 6. Mol. cit. diſ. n. 4. Denique tranſactio, quantumvis generalis, & indefinita, reſtringenda eſt ad ea, de quibus tractatus præceſſit, ſive inter partes actum fuit, cit. l. Qui cum; § Tranſactio; ff. h. t. l. Qui de certa; 31. & ibi Gl. V. Quæſtionibus; C. eod. Gl. in cit. c. 1. V. Sit vacuum; h. t. & ibid. Abb. n. 6. Laym. c. l. n. 8. ſicut etiam tranſactio ab una perſona ad aliam non expreſſam extendi non debet, arg. l. 1. C. h. t. Hiltrop. cit. tit. 17. §. de effectu tranſact. num. 11.

XXXVIII. Aſſertio 3. Tranſactio ex variis cauſis reſcindi poteſt. 1. Si interpoſito metu injuſto, qui in virum conſtantem cadat, ſit facta, l. Interpoſitis; 13. C. h. t. 2. Si dolo extorta ſit, tunc enim per replicationem doli, vel per actionem de dolo reſcinditur, l. Sub prætextu; 19. l. pen. C. h. t. 3. Ob intervenientem errorem ſubſtantialem, l. Sub prætextu; 29. C. eodem, quia error tollit conſenſum, l. Si per errorem; 15. ff. de juriſd. 4. Mutuo conſenſu partium, l. Si diverſa; 14. C. h. t. quia ſecundùm naturam eſt, eodem modo quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt. 5. Per errorem calculi, niſi & ſuper ipſo errore tranſactum ſit, l. unic. C. de errore calculi, Hiltrop. cit. tit. 17. §. Ex quib. cauſ. reſcind. tranſact.

§. VI.

De Effectu tranſactionis.

XXXIX. Aſſertio 1. Primus, & principalis effectus tranſactionis eſt, quòd per illam litibus motis, & movendis, finis imponatur, l. Fratris; 10. C. h. t. vel, ne oriantur, impeditur. Nam conſultum, & ſalubre eſt, ut lites inter Chriſtianos, maximè Eccleſiaſticas perſonas, per tranſactionem, aut compoſitionem partium finiantur, idque ob bonum pacis, & concordiæ; quare tranſactio ſemel bonâ fide, & legitimè celebrata, invitâ alterâ parte tranſigentium, revocari, aut reſcindi non poteſt, l. Cùm te; 5. C. h. t. l. Poſtquam liti; 4. C. de pact. ne quidem reſcripto Principis, l. Cauſas; 16. C. h. t. ubi dicitur: cauſas, vel lites tranſactionibus legitimis finitas Imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet. Neque etiam prætextu inſtrumentorum de novo poſtea repertorum ad litem ſopitam pertinentium, l. Sub prætextu; 19. juncta l. Sub prætextu; 29. C. eodem, de quo dictum ſuprà n. 3. h. t. nam qui ſuper principali tranſigit, etiam ſuper acceſſoriis, & ijs ſervientibus tranſigere cenſetur: & nihil ita fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ placuerant, cuſtodiri, l. Non minorem; 20. C. h. t. Et hinc etiam non licet in tranſactione, etſi res adhuc integra ſit, & contractus ex neutra parte completus, pœnitere, ſeu reſilire, alterâ parte invitâ, l. Quamvis; 39. C. h. t. alioquin litium nullus futurus eſſet finis.

XL. Porrò adeò tranſactio legitimè facta controverſiis, ſeu litibus finem imponit, ut omnes pro-

probationes, & inſtrumenta, ac alia jura partium in contrarium allata poſt finitam tranſactionem ſint irrita, & inania, etiamſi de hoc inter partes actum non ſit, prout ſunitur ex c. Sicut grave; t. h. t. Nam, cùm quidam Prælati Eccleſiarum controverſiam, quam habebant inter ſe de bonis, aut juribus ſuis, ſalubri tranſactione finiiſſent, petierunt à Papa Gregorio I. ut eam auctoritate ſuâ confirmaret. Ad quod Pontifex reſpondit, omnia inſtrumenta, & quidquid aliud eſt, quod uni, vel alteri parti, in cauſis per tranſactionem finitis, ſive ex præſcriptione, ſive ex privilegio, vel ex alia quacunque cauſa, aliquid opis afferre poſſit, irrita eſſe, & inania, ſolámque tranſactionis conventionem inter illas initam validam eſſe, & firmiter obſervandam. Sed, etſi fortè per incuriam, ſeu negligentiam, vel imperitiam in illa ttaniactione aliquis defectus, ſeu error commiſſus ſit (ſive facti, ſive juris, Hoſtienſ. hîc V. Incuria; & V. Imperitia; Abb. n. 5.) ait Pontifex, ſe eam Apoſtolicâ auctoritate, ex certa ſcientia, confirmare, omnéſque defectus ſupplere.

XLI. Notandum 1. Quia pacta noviſſima tollunt pacta priora, l. Pacta; 12. C. de pact. Gl. hîc V. Nunc habitorum; ideo per tranſactionem poſteriorem tolluntur omnia priora jura competentia tranſigentibus, & derogatur teſtibus, inſtrumentis, præſcriptionibus, privilegiis, vel cuilibet alij, quod priùs illis de jure communi, vel ſpeciali competebat, Abb. hîc n. 4. quod tamen intelligendum eſt: 1. Dummodo tranſactio non fuerit dolo alterius partis extorta, nec inſtrumenta, & probationes per fraudem ſint occultatæ; tum enim tranſactio non valeret, cit. l. Sub prætextu; 19. C. h. t. Gl. hîc V. Obtineat. 2. Id intelligi debet, ſi & altera pars velit tranſactionem implere, ac ſervare, aliàs enim poteſt pars adverſa uti priſtino jure ſuo, ac ſi non eſſet tranſactum, arg. l. Cùm proponas; 21. C. de pact. Abb. hîc n. 4. not. 3.

Notandum 2. Papa poteſt confirmare, & validare actus etiam ipſo jure invalidos, utì ſumitur ex hoc c. ubi Gl. in notat. quod intelligi debet, non de confirmatione ſimplici, quæ fit in forma communi, & actui valorem non tribuit, ſed ſupponit. c. 1. & 2. de confirm. util. vel inut. ſed de confirmatione, quæ fit ex certa ſcientia, & cum plena cauſæ cognitione, ac informatione accepta, ut colligitur ex hoc c. ibi: *vires habeat pleniſſimæ notionis*, Gl. hîc V. Notionis; per quam ſuppleatur defectus juris poſitivi, in quibus Papa, vel Princeps diſpenſare poteſt; non autem defectus juris naturalis, nec inhabilitas perſonarum, Abb. hîc n. 5. & Imol. n. 7. de quo plura ſuo loco.

XLII. Aſſertio 2. Alter effectus tranſactionis eſt, quòd, etſi actionem civilem non pariat, ſi nudo pacto celebrata, & rei traditione, vel ſtipulatione firmata non ſit. l. Sive; 28. C. h. t. cùm ex nudo pacto jure civili non detur actio: neque etiam priorem actionem ipſo jure tollat, cùm tranſactio non ſit modus tollendæ obligationis à Jure civili introductus; parit tamen exceptionem. l. Cùm proponas; 17. C. h. t. quæ eſt exceptio litis finitæ, c. 1. de lit. conteſt. in 6. ideóque licet peremptoria ſit, opponi poteſt, ante, vel poſt litis conteſtationem, Abb. hîc n. 3. & litem decidit, ac ſi res in judicio deciſa eſſet: unde in cit. c. 1. h. t. tranſactio vocatur deciſio cauſæ, æquiparatur enim rei judicatæ, quia tranſactio non minorem vim, & auctoritatem habet ad litem dirimendam, ac finiendam, quàm res judicata, l. Non minorem; 20. C. h. t.

Verùm, quod dictum eſt, tranſactionem non parere actionem, id non procedit de Jure Canonico, ſecundùm quod, & ex conſuetudine hodie receptâ ex nudo pacto datur actio, ut dictum tit. præced. per conſequens etiam ex ſimplici tranſactione nudo pacto factâ, non tantùm exceptio, ſed etiam actio datur, ut notat VVeſenb. in parat. ff. h. t. n. 7. §. Sed hæ diſtinctiones.

XLIII. Cæterùm ex eo, quòd tranſactio pariat exceptionem litis finitæ, ſequitur, quòd, licèt aliàs is, qui alicuins Advocatus, & Procuṙator fuit, non poſſit in eadem cauſa eſſe teſtis pro eo, c. ult. de teſtib. in 6. & l. ult. ff. eodem. poteſt tamen Advocatus in cauſa principali unius partis litigantium, ſi ea poſtea per tranſactionem componatur, eſſe teſtis huius tranſactionis, prout ſumitur ex c. Ex litteris; 6. h. t. ubi habetur, quòd inter duos Clericos, Romanum, & Antonium, qui controverſiam ſuper Eccleſiâ quadam habebant, coram Epiſcopo Vigorenſi Apoſtolicæ Sedis delegato, tranſactio facta fuit, mediante Guilielmo, qui eiuſdem tranſactionis auctor, & alterius partis, ſcilicet Antonij, in ea cauſa Advocatus fuit, & in inſtrumento tranſactionis tanquam teſtis ſe ſubſcripſit. Sed poſtea idem Guilielmus putans, dictam tranſactionem ſimoniacam, ideóq; irritam eſſe, litteras à Sede Apoſtolica contra dictum Romanum ad certos Judices delegatos impetravit ad Eccleſiam illam ſibi conferendam, tacens, ſe tranſactioni illi patrocinatum fuiſſe; imò etiam mentiens, ſe Clericum eſſe, cùm tamen tempore impetrationis nondum eſſet Clericali tonſurâ initiatus. Quare Judices cauſam hanc ad Papam Alexandrum III. remiſerunt, qui reſcripſit, cùm idem Guilielmus non neget ſe tranſactioni interfuiſſe, & quando litteras illas impetravit, nondum Clericum fuiſſe, ut eidem ſuper Eccleſia illa petenda ſilentium imponatur.

XLIV. Hinc colligitur 1. Quòd Advocatus alterius partis in aliqua cauſa poteſt eſſe teſtis in inſtrumento tranſactionis in illa cauſa, quia talis non eſt ſimul Advocatus, & teſtis in eadem cauſa, nam, cùm lis finiatur per tranſactionem, ſequitur, quòd deſinat eſſe advocatus, adeóque qui fuerat Advocatus in cauſa controverſa, poſtquā ea per tranſactionem eſt finita, ac deciſa, incipit eſſe teſtis tranſactionis: neque priùs præſtitit patrocinium ſuper tranſactione, ſed ſuper causâ controversâ principali, quâ finitâ, teſtimonium dat ſuper tranſactione, Abb. hîc n. 1. & Imola n. 2. Similiter, ſi quis, ut teſtis ſe ſubſcripſit in inſtrumento alicuius cōtractûs, poteſt poſtea eſſe Advocatus, ſi agatur de executione illius contractûs, quia tunc non dat teſtimonium, ſed, qui priùs erat teſtis, jam fit Advocatus, & prius eius teſtimonium firmum manet: quamvis ſi de valore inſtrumēti dubium oriatur, non poteſt iſte Advocatus de eo teſtimonium ferre, quia nunc eſt Advocatus, Abb. hic n. 1. & Imol. n. 13.

Colligitur 2. Si quis fuit auctor, mediator, vel ſuaſor alicuius tranſactionis, vel contractûs, non poteſt poſtea illam impugnare tanquam irritam, & injuſtā,

quia

quia allegaret propriam turpitudinem, ideóque non eſt audiendus, c. Inter dilectos; 8. juncta Gl. V. Turpitudinem de donat. Ut in caſu hujus c. Guilielmus impetravit Eccleſiam, de qua lis erat, ut vacantem: ſed, cùm exciperetur contra ipſum, quòd alius ſit in poſſeſſione illius, replicavit, quòd ſit injuſtus, & ſimoniacus poſſeſſor, quippe quam obtinuit, vi tranſactionis illicitæ, & injuſtæ: ſed, quia ipſe fuit auctor, & mediator illius tranſactionis, & teſtis in inſtrumento tranſactionis ſubſcriptus, non poterat illam impugnare, quia allegaret propriam ſuam turpitudinem. Abb. hîc. n. 4.

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO.

SI lis inter partes per pactum, vel tranſactionem non ſit ſopita, tunc ad judicium proceditur, ſeu judicis ſententia poſtulatur, ideóque ante omnia quærendi ſunt idonei Advocati, & Procuratores ad cauſam inſtituendam, & agendam, de quibus hoc, & ſeq. titulo agitur, tanquam de quibuſdam præparatoriis ad judicium, ut notat Gl. ad rubric. C. h. t.

§. I.

Quid ſit poſtulare, ſeu advocare, quomodo Advocatus à Procuratore differat, & à quo conſtituantur Advocati?

I. Aſſertio 1. Nomen poſtulandi aliquando latiùs accipitur, prout nihil aliud eſt, quàm deſiderium ſuum, vel animi ſui in jure (id eſt, judicio) apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere; vel alterius deſiderio (id eſt, actoris petitioni in ſua, vel amici cauſa) contradicere, l. 1. §. Poſtulare; ff. De poſtulando: ac proinde rectè, tam pro actore, quàm reo poſtulatur: & juxta hanc acceptionem, etiam ii, qui Advocati non ſunt, dum pro ſe cauſam agunt coram Judice, poſtulare dicuntur. Aliàs verò poſtulare ſtrictiùs accipitur pro advocatione, ſive officio Advocati, qui aliàs etiam patronus cauſæ, & Orator, & Cauſidicus appellatur, ut notat Gregor. Tholoſan. Syntagm. Jur. univ. c. 6. num. 2.

Atque hinc infertur primò, Advocati munus non obire eum, qui ſive verbo, ſive ſcripto conſilium dat in aliqua cauſa, non adeundo judicem, quia hic non aſſiſtit in judicio: advocare autem eſt alterius deſiderium in judicio exponere. Bart. in l. 1. §. Advocatos; n. 3. & 4. ff. de var. extraord. cognit. Sanch. l. 6. mor. c. 13. n. 29. Secundò, neque eum eſſe Advocatum, qui partes inducit ad contractum aliquem ineundum, quia hoc non eſt in judicio aſſiſtere. Bart. c. l. n. 4. & Sanch. c. l. n. 30.

Tertiò, eum, qui ex pacto, ſtatuto, vel lege prohibetur advocare, poſſe extra judicium conſilium dare, verbo, vel ſcripto, gratìs, vel pro mercede, quia id non eſt advocare. Bart. cit. loc. num. 4. Sanch. c. l. num. 32. Neque enim eſſe Advocatum, qui jura partis allegat coram arbitratore, quia arbitramentum non eſt propriè judicium, ſed quidam contractus tranſactionis. l. Pomponius; 13. §. Recepiſſe; ff. de receptis &c. qui arbitr. recept. & ſic non eſt hoc, intereſſe liti, ſed contractui. Bart. c. l. n. 5. Aliud eſt, ſi defenderet cauſam Actoris, vel Rei coram arbitro, hoc enim foret verè advocare, quia arbitrium eſt inſtar veri judicii. Sanch. c. l. n. 31.

II. Aſſertio 2. Licèt ſub generali appellatione Advocatorum comprehendantur etiam Procuratores, & cõtrà Procuratorum nomine Advocati, quia utrique ad judicium pro cauſa agenda advocantur, & Clientis ſui curam, ſeu procurationem gerunt: atque in inferiorum Judicum tribunalibus cauſarum patroni, utrumque munus, Advocati, & Procuratoris obeunt, ut refert Greg. Tholoſ. c. l. n. 5. propriè tamen Advocatus differt à Procuratore. Primò, quia Advocatus eſt is, qui pro altero in judicio præſente, & cauſam pro ſe etiã agente, aut adverſario reſpondente, poſtulat, ſive patrocinium aliquod, ac defenſionem præſtat, eúmque auctoritate, conſilio, & operâ ſuâ adjuvat, ac tuetur. Procurator verò propriè dicitur, qui pro altero abſente poſtulat, eiúſque litem proſequendam ſuſcipit, éſtque veluti Adminiſtrator, & Executor advocationis, Gregor. Tholoſan. c. l. num. 6. Sylveſt. V. Procurator, Mynſing. Inſtit. de his, per quos agere poſſ. §. Procurator; n. 5.

Secundò, Procurator tenetur actione mandati, ſi cum adverſario colluſerit, l. Si Procuratorem; 8. ff. mandat. l. Si Procurator; 10. C. de Procurat. quia cum ipſo contrahitur. Advocatus non obligatur ex mandato, etiamſi cauſam malè agat, tenetur tamen de prævaricatione, l. 1. C. de Advocat. diverſ. jud. ſi nimirum ex una parte animo, ex altera ſtat corpore, vel ſi ſecreta, & conſilia ſuæ partis aperiat, juxta Gl. ibid. V. Prævaricatum; ſive cauſam partis ſuæ prodat adverſario, eum adjuvando. l. 1. ff. de prævaricat. Tertiò, Procurator poſt litis conteſtationem fit dominus litis, c. 1. de Procurat. in 6. id eſt, inſtantiæ litis, non cauſæ: Advocatus non item, l. 1. C. de errore Advocat. Quartò, Advocati officium eſt publicum, l. 2. ff. de reg. jur. VVeſenb. in Paratitl. ff. h. t. n. 2. & honorabile multis gaudens privilegiis, l. Laudabile; 23. C. de Advoc. diverſ. jud. Officium Procuratoris eſt magis privatũ, & vile, ac oneroſum, ut colligitur ex l. Si quis; 34. C. de decurion. l. 10. junct. Gl. V. Vilitatem. Gail. l. 1. obſ. 43. n. 5. Quintò, Advocatus

debet eſſe peritus juris, eique operam dediſſe, ſaltem per quinquennium, & juramento Doctorum eſſe approbatus. l. Nemini; 11. l. Jubemus; 22. §. Nec de cætero; C. de Advoc. diverſ. jud. l. 2. C. h. t. Abb. ad rubric. n. 2. h. t. & ex officio ſuo agit cauſam, velut juris defenſor, & vindex. In Procuratore verò non tam ſcientia, quàm diligentia requiritur, cùm cauſæ, ſeu negotij adminiſtrationem tantùm habeat: & nomine partis litigantis tantùm agit. VVeſenb. in parat. ff. de Procurat. n. 10. Sextò. Advocatus compelli poteſt per Judicem, etiam delegatum, ut patrocinium ſuſcipiat. l. 1. §. Ait Prætor; 4. ff. h. t. l. Providendum; 7. C. eod. c. 1. de offic. Judic. & quidem ſub pœnâ privationis officij, ſi pro altero poſtulare renuat, cit. l. Providendum; ibi: *careat foro*, ipſo jure, ut addit Gloſſ. ibid. V. eod. niſi juſtam excuſationis cauſam habeat, argum. l. Humanitatis; 23. C. de excuſat. tut. & l. Si longius; 18. in princ. ff. de judic. quia ad publica munera etiam inviti compelli poſſunt, arg. tot. tit. ff. de munerib. & honor. l. pen. §. Qui autem; ff. de vacat. & excuſ. mun. Officium autem Advocationis publicum, & neceſſarium eſt, ut dictum. Sed officium Procuratoris nemo invitus ſuſcipere cogitur, l. Invitus; 17. C. de Procurat. nam cum Procuratore contrahitur, quando mandatum ſuſcipit, nemo autem invitus cogitur contrahere, cùm contractus ab initio ſint voluntatis, l. Sicut; 5. C. de act. & oblig. Gail. cit. obſerv. n. 1. Septimò. Quidquid à filiofam. acquiritur ex patrocinio, ſeu advocatione, acquirit non patri, ſed ſibi tanquam peculium quaſi caſtrenſe, l. fin. C. de inoffic. teſtam. non item acquiſitum ex procuratione, quia non tam eſt quæſtus, ſive lucrum ingenij, & doctrinæ, quàm communis negotiationis, cùm Procurator tantùm communes operas in tractanda cauſa præſtet, VVeſenb. in parat. ff. de Procurat. n. 10.

III. Aſſertio 3. Judex, ſeu Magiſtratus ordinarius partibus litigantibus petentibus dare debet Advocatos, qui earum patrocinium gerant, l. 1. §. Ait Prætor; ff. h. t. Imò perſonis miſerabilibus, ut pupillis, furioſis, viduis, vel aliàs debilibus, quæ ob potentiam, favorem, ambitionem, aut metum adverſarij patronos habere non poſſunt, non tantùm petentibus, ſed etiam non petentibus Judex ordinarius, vel etiam delegatus ultro ex officio Advocatos dare debet, l. Nec quidquam; 9. §. Advocatos; ff. de offic. Proconſ. l. Providendum; 7. C. h. t. c. 1. de offic. Judic. junctâ Gloſſ. V. Implorando. Porrò, licèt Advocatus poſſit etiam invitus cogi ad patrocinium præſtandum, non tamen cogi poteſt, ut gratìs id præſtet, ſed ſalario dato à Cliente, pro modo litis, próque Advocati facundiâ, & fori conſuetudine, l. 1. §. In honorariis; ff. de var. & extraord. cognit. Gloſſ. in cit. l. 1. V. Non habebunt; ff. h. t. nemo enim ſuis ſtipendiis militare cogitur, c. Cùm ex officij; 16. in fine de præſcript. Quòd ſi Cliens pauper ſit, ſalarium ex publico ei conſtituendum eſt, Gl. c. l. ne inopes indefenſi maneant: quamvìs etiam Advocatus gratìs patrocinari debeat pauperi, & ad id à judice compelli poſſit, ad quod obligatus eſt ex naturali lege charitatis erga proximum, niſi & ipſe pauper ſit, Sylveſt. V. Advocatus; quæſt. 16. & 18. Gail. cit. obſerv. 43. num. 13. & 14. & alij DD. communiter.

Debet etiam Judex attendere, ut æqua Advocatorum diſtributio fiat, ne ſcilicet pro una parte peritiſſimi Advocati ſint, pro altera verò rudes, ac minùs experti, cit. l. Providendum; C. h. t. & c. Infames; 2. §. Si verò; cauſ. 3. q. 7.

§. II.

De iis, qui ſuo, vel alieno nomine poſtulare poſſunt, vel non poſſunt.

Poſtulare, ſive advocare omnes poſſunt, quibus expreſsè in Jure id non reperitur prohibitum, nam Edictum de poſtulando prohibitorium eſt, ſicut & illud de Procuratore conſtituendo, l. Mutus; 43. §. 1. ff. de Procurat. Hoſtienſ. in ſumma h. t. VVeſenbec. in Paratitl. ff. h. t. n. 4. Prohibentur autem quidam Edicto, quidam Lege, quidam ſententiâ Judicis, ut notat VVeſenbec. c. l. de quibus hoc §. agemus.

IV. Quæritur 1. Quinam Edicto prohibeantur poſtulare? Reſp. Eorum, qui edicto prohibentur, tres ſunt Ordines, ut patet ex l. 1. §. 1. ff. h. t. et c. Infames; 2. cauſ. 3. q. 7. nam quidam in totum, & tam pro ſe, quàm pro aliis poſtulare prohibentur, ut minor XVII. annis ob ætatem minùs adhuc maturam, quamvìs, completâ hac ætate, aliorum cauſas agere poſſit: item ob caſum ſurdus, qui omnino non audit, etiam pro ſe poſtulare prohibetur, cit. l. 1. §. Initium. Quidam pro aliis tantùm poſtulare vetantur, non item pro ſe, cit. l. 1. §. Secundo loco: veluti fœminæ, ne contra pudicitiam ſexui convenientem alienis cauſis ſe immiſceant, néve virilibus officiis fungantur, cit. l. 1. §. Sexum; nam poſtulare pro alio, ſeu alienam ſuſcipere defenſionem, virile officium eſt. l. Alienam; 18. C. de Procurat. l. 2. ff. de R. I. Excipitur tamen, quód mulier tutrix in cauſa filij per ſe ipſam in judicio ſtare, adeóque, & pro ipſo poſtulare poſſit: quia, cùm lex adminiſtrationem bonorum ei deferat, videtur etiam concedere, ut pro filiorum defenſione in judicio aſſiſtere poſſit. arg. c. Ex parte; 67. de appellat. Laym. in c. 2. de judic. n. 3. Item cœcus utroque lumine orbatus pro aliis poſtulare prohibetur, quia inſignia Magiſtratûs videre, & revereri non poteſt, cit. l. 1. §. Caſum, quamvìs judex eſſe poſſit. cit. §. Caſum, & l. Cœcus; 6. ff. de judic. Inſuper removentur à poſtulando pro aliis inſigni turpitudine, & infamiâ notati, ut, qui in corpore ſuo muliebria paſſus eſt, niſi per vim ſibi illatam ſtupratus ſit, cit. l. 1. §. Removet autem; quia talis ipſo jure infamis eſt, Gl. ibid. V. Paſſus eſt; & conſtat ex l. Cùm vir; 31. C. ad leg. Jul. de adult. Similiter, qui de capitali crimine, vel de calumnia publico judicio damnatus eſt, vel qui operas ſuas ad pugnandum cum beſtiis in arena locavit mercedis cauſâ, cit. §. Removet autem. Sylveſt. V. Advocatus; q. 1. dicto 5.

Alij denique pro ſe poſtulare poſſunt, non tamen promiſcuè pro omnibus aliis, ſed pro certis tantùm perſonis conjunctis fortè uſque ad quartum gradum, & pro illis, quorum tutelam, cautionémque gerunt, ut pro pupillo, furioſo, fatuo &c. cit. l. 1. §. Eſt æquiſſimum; & §. Ut initio, VVeſenb. ff. h. t. num. 4. §. Tertius ordo. In quo tertio Edicti genere continentur omnes quâlibet infamiâ notati,

non

non tamen ſummâ,ſeu inſigni, cit. l. 1. §. ait Prætor; 8. niſi tales perſonæ à Principe, vel Senatu famæ reſtitutæ ſint, tum enim rectè pro omnibus poſtulant. cit. l. 1. §. Deinde adjicit; 9. & §. ſeq. quæ omnia approbata ſunt etiam Jure Canonico in c. infames; 1. cauſ. 3. quæſt. 7. Aliàs verò prædictæ perſonæ omnes per edictum Prætoris ita poſtulare prohibentur, ut ne quidem adverſario conſentiente, admitti poſſint ad poſtulandum, l. Quos prohibet; 7. ff. h. t. Nam hoc Edictum prohibitorium de poſtulando tendit ad publicam Magiſtratûs dignitatem conſervandam. cit. l. 1. in princ. adeóque jus publicum concernit, l. 1. §. Hujus ſtudij; ff. de juſt. & jur. jus autem publicum pactis privatorum immutari nequit. l. 38. ff. de pact.

V. Quæritur 2. An, & quâ ratione Lege Canonicâ Clerici prohibentur poſtulare, ſeu advocare? Reſp. Clerici Subdiaconi, & ijs Superiores (ſcilicet Diaconi, & Presbyteri) vel etiam in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur (ſive ſi beneficiati ſint) non poſſunt eſſe Advocati ad lites, coram Judice ſeculari, & in negotiis, ſeu cauſis ſecularibus: niſi, vel propriam ſuam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ proſecuti fuerint: vel pro miſerabilibus fortè perſonis, quæ proprias cauſas, vel ſe ipſas defendere non poſſunt. Ita habetur ſtatutum in c. Clerici; 1. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. c. 12. Ratio eſt, quia poſtulare, ſive advocare in cauſa ſeculari, & coram Judice ſeculari, eſt negotium ſeculare, c. 1. Ne Clerici, vel Monachi &c. Ideóque Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, vel in Minoribus, ſed beneficia obtinentibus, advocare regulariter eſt prohibitum, quia nemo militans Deo ſecularibus negotiis ſe implicare debet, 2. ad Timoth. 2. &, qui vivit de Altari, inſervire debet Altari 1. Cor. 9.

VI. Similiter in c. Cùm Sacerdotis; 3. & ult. h. t. in princ. reſcribit Papa Gregor. IX. Cùm Sacerdoris officium ſit, nulli nocere, ſed omnibus velle prodeſſe, non eſt Sacerdoti ulli licitum, niſi pro ſe ipſo, vel Eccleſiâ ſuâ, vel (ſi neceſſitas poſtulat) pro conjunctis perſonis, aut miſerabilibus poſtulare, ſeu in judicio advocare.

VII. Pro utriuſque hujus c. explicatione notandum 1. Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi beneficiati non ſint, non prohibentur eſſe advocati, etiam in cauſis ſecularibus, & coram Judice ſeculari, ut per ſenſum contrarium colligitur ex cit. c. 1. h. t. ibi: *ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur*: ergo, ſi non ſuſtententur, quia nullum beneficium Eccleſiaſticum habent, poſſunt eſſe Advocati, etiam in foro ſeculari, Gl. hîc V. Stipendiis; & Abb. not. 1. Ratio eſt, quia cauſa prohibitionis hujuſmodi factæ Clericis in majoribus eſt excellentia ſtatûs, ſive ſacri Ordinis: in Beneficiatis autem eſt, quia ſufficientem ſuſtentationem habent ex beneficio Eccleſiaſtico: quæ utraque ratio prohibitionis ceſſat in Clericis in minoribus conſtitutis, & non beneficiatis, ideóque etiam ceſſat ipſa prohibitio. Quin imò probabile eſt, quòd Clericus minorum Ordinum, etiam non beneficiatus, non poſſit fungi officio Advocati, coram Judice ſeculari, ſi patrimonialia, vel aliunde acquiſita bona habeat, quia tunc ceſſat cauſa neceſſitatis, propter quam permiſſum eſt Clericis advocare, nam aliàs generatim omnes Clerici, ſi non egeant, non debent ſe immiſcere ſecularibus negotiis, quale eſt advocatio in foro ſeculari, c. 1. ibi: *in placitis diſputare*, ne Cleric. vel Monach. &c. arg. c. Epiſcopus; 4. de præbend. Fagnan. in cit. c. 1. n. 5.

VIII. Notandum 2. Clerici in majoribus conſtituti, ſi Sacerdotes non ſint, poſſunt eſſe Advocati, & Procuratores coram Judice Eccleſiaſtico, in omnibus cauſis, etiam ſecularibus: ut colligitur per ſenſum contrarium ex cit. c. 1. ibi: *coram ſeculari Judice* h. t. ergo coram Judice Eccleſiaſtico poſſunt eſſe Advocati in omnibus cauſis, cùm ibi nulla fiat mentio negotij, vel cauſæ: at verò coram Judice ſeculari ſolùm eſſe poſſunt Advocati in cauſis Eccleſiaſticis, ut patet ex cit. c. 1. ibi: *in negotiis ſecularibus*, in quibus prohibentur eſſe Advocati: ergo à contrario ſenſu in Eccleſiaſticis eſſe poſſunt, Innocent. hîc V. Negotiis, & Abb. num. 3. Potiò cauſa, ſeu negotium, quod aliàs ad forum ſeculare ſpectat, poteſt cenſeri Eccleſiaſticum, vel ratione perſonæ, quia perſona litigans Eccleſiaſtica eſt, videlicet Actor, qui forum rei laici ſequi, & coram Judice ſeculari litigare debet in cauſa ſeculari, c. Cùm ſit; 8. de foro compet. Vel ratione delicti, ut quia ob ſacrilegium, vel aliud crimen mixti fori commiſſum à laico, Eccleſia vult eum convenire coram Judice ſeculari, ſicut poteſt, cit. c. Cùm ſit. Vel ratione rei, de qua litigatur, ut quia res eſt Eccleſiæ, & ſeculari Domino obligata, ut feudum, Hoſtienſ. in cit. c. 1. V. Secularibus, & Abb. num. 3. Quare Clericus etiam in ſacris conſtitutus in omnibus his caſibus poteſt eſſe Advocatus, coram Judice ſeculari.

IX. Notandum 3. Clerici, qui Sacerdotes ſunt, neque in Tribunali Eccleſiaſtico Advocatos agere poſſunt, niſi ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, vel exigente neceſſitate (quia nimirum alius Advocatus, ſaltem tam idoneus, haberi non poteſt) conjunctarum, vel miſerabilium perſonarum cauſam proſequantur, prout habetur in c. 3. & ult. h. t. ubi indiſtinctè, & abſolutè, non adiectis illis verbis, *coram ſeculari judice*, ſicut fit in c. 1. h. t. Sacerdos prohibetur in judicio poſtulare, adeóque debet intelligi generaliter, tam in foro ſeculari, quàm Eccleſiaſtico, exceptis cauſis, & negotiis prædictis: idque propterea, quia, cùm Sacerdotis officium ſit nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe, ideo ab eo alienum eſt munus Advocati, ſeclusâ neceſſitate, nam Advocatus, dum uni parti aſſiſtit, & patrocinatur, alterum oppugnat. Et ſic prædictum c. explicat Abb. ibid. n. 5. contra Hoſtienſ. hîc in princ. qui putat, nomen Sacerdotis hîc accipi pro quolibet Clerico in ſacris conſtituto, imò etiam pro quovis Beneficiato, adeóque, quòd etiam Sacerdos indifferenter poſſit poſtulare, ſive advocare, coram Judice Eccleſiaſtico, ſed ſine ſalario. Verùm hoc pacto in c. ult. h. t. nihil aliud ſtatueretur, quàm in primo: ergo dicendum eſt, quòd Sacerdos abſolutè, & ordinariè poſtulare, ſive Advocatus eſſe non poſſit, ne quidem coram Judice Eccleſiaſtico, ne videatur aliis nocivus, ſaltem quoad externam ſpeciem, & opinionem; idémque dicendum eſt de Epiſcopo, Abb. c. l. & alij communiter.

Excipiuntur tamen quatuor caſos in cit.c.ult.h.t. in quib' etiam Sacerdos poteſt advocare io judicio, coram Judice Eccleſiaſtico. Primus eſt, pro ſe ipſo, ſive in propria caoſa, io qoa Sacerdos, vel alius Clericus non cogitur Procutatorem, vel alium conſtituere, ſed poteſt per ſe ipſum agere, vel cauſam ſuam defendere. Hoſtienſ. in cit. c. 1. V. Niſi propriam. Secundus eſt, pro cauſa ſuæ Eccleſiæ, quæ hîc pooitur, ut diverſa à cauſa Prælati, vel Rectoris Eccleſiæ. Abb. io cit. c. 1. not. 2. et c. ult. not. 2. Tertius caſus eſt, pro perſoois conjunctis. quæ autem illæ ſint, habetur in l. Sed & hæ; 35. ff. de Procurat. & c. Infames; 2. §. Permittitur autem cauſ. 3. quæſt. 7. quæ in iſto caſu ſimt conjunctæ uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, Sylv. V. Advocatus; quæſt. 2. dicto 3. inter quas Gl. in cit. c. ult. b. t. V. Pro ſeipſo; numerandos etiam cenſet fratres ſpirituales, v.g. Concanonicos eiuſdem Eccleſiæ: nam, licèt in rigore jura loquentia de perſonis conjunctis, intelligenda ſint loqui de naturali conjunctione ſanguinis, non autem ſpirituali, vel amicitiæ, ut ex commuoi tradit Abb. in cit. c. ult. num. 4. nihilominus tamen ob paritatem, & majoritatem ratioois, & ſecundùm æquitatem, etiam Sacerdos poterit poſtulare, ſeu advocare pro fratre ſpirituali, ſi alium tam idoneum Advocatum habere non poſſit, juxta opinionem Gloſſ. c. l. quam tenet etiam Laym. in cit. c. ult. num. 2. & Fagnan. in cit. c. 1. num. 10. & 11. quoad poteſtatem exercendi munos advocationis, quamvis ſecus ſit quoad poteſtatem agendi ſine mandato. Quartus caſus eſt, pro perſonis miſerabilibus, quarum defenſio ad Eccleſiam ſpectat, quales ſunt pauperes, vel, etſi ſint divites, tamen ſe ipſos defendere nequeont, nec idoneum Advocatum habere poſſunt, qui eos defendat, cuiuſmodi ſunt pupilli, & orphani, propter defectom ætatis, & parentum, & viduæ ob ſexûs imbecillitatem, quorum patrocioium ſuſcipere opos eſt pietatis, Abb. in c. 1. n. 2. not. 3. h. t. & alij apud Fagnan. ibid. n. 13. & 18.

X. Notaodum 4. Si Clerici io ſacris conſtituti, etſi Sacerdotes ſint, neque ex redditibus Eccleſiaſticis, neque aliunde habeant, unde vivant, neque Epiſcopus, aut velit, aut poſſit illis providere, licitè poſſunt munere advocationis fungi, etiam coram Judice ſeculari in cauſis ſecularibus, ſi in tribuoali Eccleſiaſtico advocandi occaſionem habere nequeaot, ut docet Hoſtienſ. in cit. c. 1. §. ſed & conſtitoti in ſacris. Abb. ibid. n. 4. h. t. Nam, ſi Clericus victum, & veſtitum ſibi quærere poteſt, exercendo agriculturam, c. Clericus; 3. diſ. 91. multò magìs in tali neceſſitate poterit exercere munus advocationis, quod nobilius eſt; præſertim, qnia oeceſſitas legem non habet: &, ſi Clerico licet advocare pro pauperibus, & aliis miſerabilibus perſonis, ut illatum oeceſſitati ſuccurrat; moltò magìs erit id licitum, ut propriæ neceſſitati conſulat, cùm charitas bene ordinara incipiat à ſe ipſo. arg. l. Præſes; 6. C. de ſervitut. Barb. in collect. in c. 1. b. t. n. 4.

XI. Notandum 5. Nullus Clericos, ſive in majoribus, ſive in minoribus tantùm conſtitutus, ſive Beoeficiatus ſit, ſive noo, poteſt eſſe Advocatus in cauſa criminali, cui venit imponenda pœna ſanguinis, præſertim pro actore contra reum, ſi condemnatio ad mortem, vel membri abſciſſio ſeqoi poſſit, c. Sententiam; 9. ne Clerici, vel Monachi &c. idqoe propter periculum irregularitatis incurrendæ, præſtando auxilinm, Gl. in c. 1. V. Stipeodiis, & ibid. Abb. b. t. Aliod eſt de Advocato pro reo, nam probabile eſt, id eſſe licitom Clericis, præmiſsâ proteſtatione, quòd non intendat patrocinium præſtare ad vindictam, vel pœnam talionis ioſerendam accuſatori, ſi deficiat in probatiooe (præſertim cùm hodie pœna talioois per deſuetudinem ſublata ſit, teſte Claro, in practica crim. quæſt. 81. oum. 3.) ſed tantùm pro defenſione Rei: modò Advocatus Clericus in ſuo officio ſit inculpabilis, tum enim non fieret irregularis, qoia pœna ſanguinis non inſerretur ex facto, ſeu patrocioio præſtito, ſed ex juris diſpoſitione: quamvis totius ſit, ut Clericus abſtineat etiam ab Advocatione Rei, Gloſſ. in c. 1. V. Ad Sacerdotium; diſ. 51. Abb. c. l. n. 5.

XII. Notandum 6. Etſi Clericus regolariter probibeatur poſtulare, ſeu advocare io judicio: non tameu probibetur domi dare conſilium petentibus, etiam in ſcriptis, quia poſtulare, eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure (id eſt io loco, in quo ſolet jus reddi) apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere. l. 1. §. Poſtulare; & ibi Gloſſ. V. Io jure; ff. h. t. unde prohibitus poſtulare nooceoſetur prohibitus domi conſilium dare, etiam Procuratori partis. Abb. ad rubr. b. t. oum. 1. Sylv. V. Advocatus; num. 1. Præterea in Romaoa Curia ex conſuetudine, & indulgeotia S. Pontificis, etiam Clerici advocationis, & procorationis pnblica munera exercere poſſunt, ut ex Veſtrio notat Fagnan. in c. 1. o. 22. b. t.

XIII. Cæterùm prædictis addendum, qnòd ſtatutum habetur in cit. c. ult. §. Clericus; h. t. Si Clericus contra Eccleſiam, à qua beoeficium obtinet, pro extraneo aliquo Advocatus, vel Procurator eſſe præſumpſerit, tanquam ingratus poteſt beneficio hujuſmodi privari, maximè, ſi ſit Clericus eiuſdem Eccleſiæ (à qua beneficium babet, ſive in qua eſt intitulatus) idem tamen eſt, ſi ſit Clericus alterius Eccleſiæ, non illius. Hoſtienſ. hic V. Maximè; & V. Eiuſdem Eccleſiæ. Idémque dicendum, ſi Clericus contra Epiſcopum ſuum conſilium, vel auxilium aliis præſtet. c. Gravem; 15. de exceſſib. Prælat. Hoſtieoſ. in ſummam. §. Illud; b. t. Idque probatur à ſimili, nam, etiam, ſi Advocatus contra donatorem ſuom patrocinium alicui præſtet, donatio ob ingratitudinem revocari poteſt, ut tradit Abb. in cit. c. ult. oum. 2. h. t. Gail. l. 1. obſerv. 88. num. 6. Sicuti etiam vaſallus Advocatus, ſi patrocinium præſter contra directum Dominum feodi, beneficio privari poteſt periode, ac ſi contra Dominum ſuum militâſſet, ut conſtat ex lib. 2. feud. tit. 24. quæ fuit prima cauſa benef. amitt. nam, & Advocati militare dicuntur, cùm hominum vitam, & bona defendant. l. Advocati; 14. C. de advocat. diverſ. Jud. adeóque Advocatus Dominum in judiciali certamine defendere, non oppugnare debet. Simile eſt in liberto, qui ſi contra Eccleſiam teſtis ſit, vel agat, in ſervitutem revocatur, c. 3. de ſervis non ordin. Abb. hîc num. 3. & Gail. cit. loc. o. 5.

XIV. Sed

XIV. Sed limitari debet 1. Niſi Clericus contra Eccleſiam, vel Vaſallus, aut Donatarius contra Dominum, vel Donatorem, non ſponte, ſed per præceptum Superioris cogatur patrocinium in judicio ſuſcipere: tum enim excuſatur à pœna privationis, ut notat Gail. c. l. num. 5. & 7. quamquàm ad id non facilè compellendi ſunt advocati. Limitari debet 2. Niſi Clericus contra Eccleſiam, à qua beneficium obtinet, vel Vaſallus contra Dominum pro perſona ſibi conjuncta poſtulet, ſeu patrocinium præſtet: tum enim perinde cenſetur, acſi propriam cauſam tueretur, nec pœnam privationis beneficij incurrit, arg. bujus c. à contrario ſenſu, ibi: *pro extraneis*: non enim cenſetur quis promiſiſſe fidelitatem contra ſe ipſum, vel ſuos. Durand. in ſpec. l. 1. part. 4. tit. De advocato; n. 30. Sylveſt. V. Advocatus; n. 8. quæſt. 14. Vel niſi pro miſerabilibus perſonis poſtulet, ſi neceſſitas immineat. Sylveſt. c. l. Vel denique, niſi quis contra aliquem de Eccleſia, à qua beneficium obtinet, in cauſa propria, quæ non contingit Eccleſiam, poſtulaverit, vel procurator fuerit, tum enim non incurret pœnam privationis. Gloſſ. fin. in cit. c. ult. b. t. ubi addit: ſi Eccleſia ingrata eſſet in Clericum, tunc contra ipſam advocare poſſet.

XV. Hinc infertur 1. Si Clericus beneficia habeat in pluribus Eccleſijs, quæ inter ſe litigant, tum conveniens eſt, ut neutri Eccleſiæ advocando aſſiſtat: ſi tamen eſſet Prælatus in una Eccleſia, & in alia ſimplex beneficium haberet, tunc poſſet pro Eccleſia illa, ratione prælationis, quæ prævalet, ſtare contra aliam. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Contra Eccleſiam; h. t.

Infertur 2. Quòd Advocatus etiam non debet patrocinium præſtare contra Rempubl. vel Dominum, à quo certum ſalarium accipit, ſi vocetur ad cauſas ejus defendendas, aliàs ab officio tanquam ingratus removeri poteſt, ut docet Bart. in l. 2. C. de advoc. diverſ. jud. n. 2. per illum textum. Gail. cit. obſ. 88. n. 7. licèt oppoſitum teneat Abb. in cit. c. ult. num. 3. eò quòd Advocatus ſalarium accipiat, non ut gratuitum donum, ſeu beneficium, ſed tanquam meritum, ſeu mercedem laboris. Sed prior ſententia in praxi recepta eſt in noſtris partibus, teſte Laym. in cit. c. ult. num. 6. nam eâ conditione expreſsâ, vel tacitâ annuum ſalarium Advocato conſtitui ſolet, ut non liceat ipſi advocare contra dantem illud, niſi Principis, ſeu Superioris præcepto cogatur.

XVI. Quæritur 3. An Regulares, ſeu Religioſi prohibeantur eſſe Advocati in judicio? Reſpondetur: Monachi quoque, & alij Religioſi prohibentur ſecundùm SS. Canones exercere officium Advocati, vel Procuratoris in judicio, ſive coram Judice Eccleſiaſtico, ſive Laico agatur, præterquam in cauſis ſui Monaſterij, exigente id utilitate ejuſdem, & accedente inſuper Abbatis, ſeu Prælati Regularis mandato, prout ſtatutum habetur in c. De præſentium; 20. junctâ Gloſſ. V. Defenſor; & in c. Monachi; 35. cauſ. 16. q. 1.

Idque extenditur ad Canonicos Regulares, aliòſque Religioſos in c. Ex parte; 2. h. t. ubi habetur, quòd quidam Canonici Regulares, non tantùm in Eccleſiaſticis, ſed etiam in forenſibus, ſeu ſecularibus cauſis, (adeòque in utroque foro) præſumpſerint Advocati officium exercere: cùmque eis objiceretur, quòd ſecundùm antiquos Canones (ſuprà allatos) ipſi non debeant eſſe forenſis, ſeu ſecularis, vel Eccleſiaſtici negotij ſuſceptores, id eſt, Advocati, vel Executores, id eſt, Procuratores, niſi pro utilitate ſui Monaſterij, & ex mandato Abbatis, ſeu Prælati ſui; ad ſuam inſolentiam excuſandam allegabant, quòd Canones illi prohibeant officium Advocati, vel Procuratoris Monachis tantùm, de quibus manifeſtè loquuntur, non de Canonicis Regularibus. Quare conſultus Papa Innocentius III. reſpondit, licèt id de Monachis in Canonibus ſit ſpecialiter expreſſum; idem tamen, quoad hunc articulum, intelligendum eſſe de Canonicis Regularibus, quod de Monachis eſt ſtatutum. Ratio eſt, quia Canon, ſive Conſtitutio diſponens aliquid de Monachis, ſi fundetur, non in qualitate propriâ Monachorum, v. g. ſolitudinis, ſed in generali ratione Religionis omnibus Religioſis communi, per quam à ſecularibus curis, ſeu negotijs abſtracti, Divino cultui ſunt mancipati; ob identitatem rationis, etiam ad alios Religioſos, ſaltem clauſtrales, extenditur. Abb. hîc not. 1. cenſeri enim debet ſpecies aliqua præcipua eſſe poſita pro genere, uti frequenter fieri ſolet in conſtitutionibus, quæ emanant. Cùm ergo prohibitio bujus c. non recipiat Ordinem Monachorum in ſpecie, ſed Religionem in genere, comprehendit omnes Religioſos. Sanch. l. 6. mor. c. 13. n. 1. non autem Novitios, qui veri Religioſi non ſunt. Sanch. c. l. n. 2.

XVII. Notandum hîc præterea 1. Ut Religioſus poſſit eſſe Advocatus, vel Procurator, duo copulativè requiruntur, utilitas Monaſterij, & Superioris mandatum, ſeu licentia, ita, ut, ſi alterutra conditio deficiat, non poſſit obire munus Advocati, vel Procuratoris, nec in foro ſeculari, nec Eccleſiaſtico, Gloſſ. hîc V. Imperante; & Abb. num. 2. requiritur autem, ut licentia non tantùm ſit petita, ſed etiam obtenta, ut colligitur ex cit. c. 2. h. t. ubi exigitur, ut Abbas id imperet: non poteſt autem dici imperare, niſi licentiam concedat, & non tantùm, ut ab eo petatur. Sanch. c. l. n. 5. ſufficit autem interdum tacita, ſeu præſumpta licentia Prælati, ad hoc, ut Religioſus in judicio poſtulare poſſit, ſi videlicet abſens ſit à Monaſterio, arg. l. Si longiùs; 18. §. Filiusfam. ff. de judic. Sanch. c. l. num. 7. & poteſt hanc licentiam dare etiam Superior immediatus Religionis, nec exigitur conſenſus Conventûs, neque etiam Epiſcopi, ſeu Ordinarij loci, niſi Monaſterium ipſi eſſet ſubjectum. Sanch. c. l. n. 8. & 9.

XVIII. Notandum 2. Præter mandatum, ſeu licentiam Prælati, requiritur etiam utilitas Monaſterij, ut munus Advocati Religioſus obire poſſit: & quidem aliqui putant, non exigi utilitatem directam, ut nimirum agatur de rebus Monaſterij conſervandis, vel in judicio petendis, ſed ſufficere indirectam, ut quia cauſa agitur amici, vel fautoris, ex quo commoda, & lucra Monaſterio provenire poſſunt. Abb. hîc n. 3. & alij apud Sanch. cit. c. 13. n. 17. quamvìs alij contrarium teneant, quia iſta explicatio nimis ampla videtur, ſecundùm quam Religioſis ferè ſemper licitum eſſet advocare, ſiquidem

talis indirecta utilitas Monaſterij frequenter occurrit. Imol. hic n. 2. Sylveſt. V. Advocatus; q. 7. arg. c. De præſentium; 20. cauſ. 16. q. s. et c. Magnopere; 13. Ne Cleric. vel Mooach. Verùm, ſi agatur non de quocunque indirecto cmmodo, aut lucro, ſed, ſi magoa Mooaſterij indigentia ad id lucrum procurandum obligaret, vel ad magnum damnum avertendum, quod alioquin ex omiſſione talis advocationis ſentiret, vel ad æs alieoum ſolvendum, probabile eſt, eam eſſe licitam Religioſis, tum enim talis utilitas neceſſitati æquiparatur. Sauch. c. l. n. 17. & alij apud ipſum.

XIX. Notandum 3. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus Religioſus poteſt obire munus Advocati, vel Procuratoris. Veluti primò, Prælatus, ſeu Superior Ordiois poteſt eſſe Advocatus, vel Procurator in judicio, ſinè licentia ſui Conventûs, quia ipſe non pendet à Conventu, ſicut Conventuales ab ipſo. Gloſſ. in cit. c. De præſentium; V. Defenſor; Sanch. cit. c. 53. n. 18. idque non ſolùm in cauſa pertinente ad utilitatem Monaſterij, ſed etiam in alia cauſa Eccleſiaſtica, ſi gravis ſit, & pertinens ad utilitatem publicam, v. g. electionem Epiſcopi. Abb. in c. Conſtitutis; 23. not. 1. de appel. Secundò, in cauſis miſerabiliũ perſonarum poteſt Religioſus, cum licentia Prælati, munus Advocati, vel Procuratoris obire, qua ad Eccleſiam ſpectat, perſonas auxilio deſtitutas defendere. Imol. hîc num. 3. Sanch. c. l. n. 23. & alij apud ipſum. Contrarium tamen tenet Laym. hîc n. 2. quia prohibitio hujus c. eſt generalis, neque iſte caſus in jure reperitur exceptus. Addit tamen n. 3. ſi ageretur cauſa alterius Monaſterij, vel Eccleſiæ, vel alia cauſa pia, tum æquitas ſuaderet, quòd Religioſus, ſi alius defenſor haberi non poſſet, cum mandato Superioris, munus Advocati, unâ, vel alterâ vice, obire poſſet.

Porrò non poteſt Religioſus, etiam cum licentia Prælati, eſſe Advocatus pro perſonis ſibi ſanguine conjunctis, niſi ſint miſerabiles, quia in eo nulla vertitur utilitas Monaſterij, & oon decet, ut Religioſi propter carnalem cognatiooem ſecularibus oegotijs ſe involvant. Abb. hîc num. 4. in fioe. Sanch. c. l. num. 24.

XX. Quæritur 4. Quinam præterea lege, ſive Canonicâ, ſive Civili prohibeantur advocare? Reſpondetur: Non poſſuot etiam poſtulare pro alijs inprimis hæretici, & pagani, ſub pœna perpetui exilij, l. fin. C. h. t. item excommunicati, c. Decernimus; 8. de ſentent. excomm. in 6. Sylveſt. V. Advocatus; quæſt. 2. Secundò, Jodices, & arbitri in ea cauſa, in qua judicaturi ſunt; neque eoim idem in eodem negotio poteſt eſſe Advocatus, & Judex, l. Quiſqnis; 6. C. h. t. etiam diverſo tempore. Gloſſ. ibid. V. Negotio; Sylveſt. c. l. q. 2. dicto 4. Tertiò, Poteotiores, qui ratione officij, vel digoitatis, vel Magiſtratûs poſſuot eſſe terrori, l. 1. C. Ne liceat potent. patrocin. item fiſcus, vel Reſpubl. non enim poteſt patrocinari contra privatum, prætextu debiti, quod fiſco, vel Reipubl. debetur, l. 3. & tot. tit. C. Ne fiſcus, vel Reſpubl. procurat. &c. Denique omnes, qui legitimam perſonam ſtandi in judicio non habent, de quibus in tit. C. qui legit. perſon. ſtandi &c. Weſenb. in parat. ff. h. t. n. 5.

XXI. Quæritur 5. Quinam ſententiâ Judicis poſtulare prohibentur? Reſpondetur: Interdum officium poſtulandi Advocatis, & Procuratoribus, ob contumaciam, vel delictum, vel ob aliam cauſam, per ſententiam Judicis interdicitur, vel ad certum tempus, pota quinquennium, vel in perpetuum, l. Moris; 9. ff. de pœnis, l. Puto; 6. l. Imperator; 8. ff. h. t. Weſeob. ibid. n. 5. Item, ſi Advocati, aut Procuratores de quota litis pacti ſint, videlicet, ut rem, de qua litigatur, aut ejus partem, v. g. tertiam, quartam, vel decimam honorarij loco accipiant, l. Si qui; 5. C. eod. l. Sumptus; 53. ff. de pact. l. Litem; 15. C. de procurat. hujuſmodi enim pactiones prohibentur ſub pœna privationis officij, ne Advocati, & Procuratores ex ijs occaſionem ſumant calumnioſè litigandi, & per fas, ac oefas victoriam in judicio obtinere conentur. Sylveſt. V. Advocatus; num. 12. quæſt. 19. Ob qnam cauſam non valet etiam pactum, etſi non expreſsè de quota litis obtentæ fiat, ſive, ut certa pars ejus, quod ex lite obventurum eſt, Advocato, vel Procuratori cedat: ſed hoc modo, ut certa aliqua quantitas illi detur, caſu, quo vincat, ut, ſi domus, de qua litigatur, valeat mille taleros, ut Advocato dentur 500. Gloſſ. in cit. l. Sumptus; V. Datum; ff. de pact. Sylveſt. c. l. q. 19. Poteſt tamen licitè conveniri cum Advocato de certa quãtitate, pro juſtâ laboris mercede ſolvendâ Advocato, ſive victoriam litis obtineat, ſive non; modò muneri ſuo non defuerit, ut conſtat ex l. 1. §. Si cui cautum; ff. de var. & extraord. cognit. imò etiam licet paciſci, ut præter juſtum ſalarium, etiam certum prœmium nomine palmarij detur Advocato, ſi victoria obtineatur, dummodo id moderatum ſit, & ſpeciali lege non prohibitum, cit. l. 1. §. Si cui cautum; Sylveſt. c. l. Navarr. l. 1. conſil. 4. de pact. & in man. Prælat. c. 25. num. 30. Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 4. c. 26. num. 10.

§. III.

De officio, & obligatione Advocati, & effectu poſtulationis?

XXII. Aſſertio 1. Ad officium Advocati pertinet, ut merita cauſæ paodat, ſeu omnia, quæ ad cauſam Clientis ſui, ſive de jure, ſive de facto faciunt, in judicio proponat, & ambigua facta, ſeu fines cauſarum dirimat, l. Advocati; 14. C. de advoc. diverſ. jud. ab injuria, probris, & coovicijs ſibi temperet, ſeu abſtineat, l. Quiſquis; 6. C. h. t. lites ex induſtria non protrahat, cit. l. Quiſquis; §. Nemo ex indnſtria; nullam falſam legem pro vera allcget, aliàs falſi crimen incurrit: nec perversè interpretetur, nec dilationes nõ neceſſarias petat: nec producat falſa inſtrumenta, aut teſtes falſos, vel corruptos. Sylveſt. V. Advocatos; n. 4. q. 9. Item nec ſuſcipiat injuſtam cauſam defendendam, alioquin, ſi ſcienter id fecerit, tenebitur tum parti læſæ, tum clienti, ſi eum decepit, dicens, caoſam eſſe juſtam, qui aliàs non litigâſſet, ad reſtitutionem damni illati per ejus aoxilium contra juſtitiam. Quòd ſi ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans, eſſe juſtam, tenetur, ſecun-

ſecundùm modum, quo ignorantia excuſare poteſt, ſive pro qualitate ignorantiæ, ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 71. art. 3. Si verò Advocatus in principio credidit, cauſam eſſe juſtam, & poſtea in proceſſu appareat, eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet alteram partem juvet, vel ei cauſæ ſecreta revelet: poteſt tamen, & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, inducere, ut à lite deſiſtat, vel ad componendum cum adverſario, ſinè damno ipſius. S. Thom. c. l. ad 2. quàm diu autem cauſa eſt dubia, poteſt ejus patrocinium ſuſcipere, eámque ſemel cœptam deſerere non debet, niſi reperiat injuſtam, ſed ad exitum perducere, uſque ad ſententiam definitivam, l. Properandum; 13. C. de judic. quamvis in ſecunda inſtantia invitus patrocinari non cogatur, niſi aliter conventum ſit. Gloſſ. in l. Invitus; 17. V. Extendere; C. de procurat. ubi id de Procuratore docet, quia actus appellandi, & exercendi appellationem ſunt diverſi.

Præterea tenetur Advocatus ad reſtitutionem damni, imò & ſalarij, ſecundùm quod recepit, non ſolùm, ſi cauſam prodiderit (quo caſu majori etiam pœnæ eſt obnoxius, l. Si quis; 38. §. Si quis inſtrumentum; ff. de pœn.) ſed etiam, ſi quovis modo per culpam ſuam in judicio cauſam amittat, ſive ob imperitiam ſuam in jure, ſive ob negligentiam: ſecus, ſi cauſa amittatur, ob qualitatem ipſius cauſæ, vel ob defectum probationis, vel ob falſam, aut malam informationem clientis, tum enim excuſatur Advocatus. Hoſtienſ. in ſumm. num. 4. & 5. h. t. Sylveſt. V. Advocatus; quæſt. 11. Non poteſt etiam in eadem inſtantia, etſi cauſa dubia ſit, pro utraque parte quis advocare, tum ad vitandum ſcandalum, & detrimentum famæ: tum quia vix poſſibile videtur, ut perſpectis diligenter utriuſque meritis cauſæ, habeat bonam fidem, reſpectu cauſæ utriuſque partis: tum quia allegans contraria non eſt audiendus, l. 1. C. de furt. Quare tali caſu Advocatus, vel omnino deſiſtere debet ab advocatione utriuſque partis, vel in dubio aſſiſtere reo contra actorem, juxta reg. juris 11. in 6. Vel conſilium, & auxilium præſtare, v. g. pro matrimonio, libertate, dote, vel vel aliâ cauſâ piâ, & favorabili, arg. c. fin. de re judic. c. Ex litteris; 3. de probat. Gloſſ. in c. Inter; 6. V. Quia petitor; de fide inſtrum. alioquin tanquam prævaricator puniendus eſt. In diverſa verò inſtantia non prohibetur quis advocare pro utraque parte, patrocinium præſtando uni in cauſa principali, alteri in cauſa appellationis, modò non conſtet de juſtitia, vel injuſtitia alterius partis, ſed cauſa dubia ſit. Sylveſt. c. l. n. 7. q. 13.

XXIII. Aſſertio 2. Effectus interdictæ poſtulationis eſt, quòd talis Advocatus non poſſit poſtulare, ſive patrocinium præſtare, etiamſi adverſarius ejus id patiatur, l. Quos prohibet; 7. ff. h. t. quòd ſi in officio ſuo Advocatus delinquat, pecuniariâ, vel aliâ arbitrariâ pœnâ debet puniri, l. 1. §. Qui adverſus; ff. h. t. vel etiam, ſi gravius ſit delictum, ab officio advocationis omnino amoveri poteſt, l. Si qui; 5. C. h. t. Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 1. tit. 19. num. 109. Illud etiam ad effectum poſtulationis pertinet, ut, quàm diu quis idoneum Advocatum non habet, vel habere non poteſt, tam diu propter contumaciam damnari nequeat, ſed dandæ ſunt illi induciæ ad quærendum Advocatum, c. 1. ut lite non conteſtatâ, &c. junctâ Gloſſ. V. Advocatus; Weſenbec. ff. h. t. num. 7.

TITVLVS XXXVIII.

DE PROCURATORIBVS.

Dictum eſt de Advocatis, qui patrocinium præbent litigantibus. Sequitur nunc de Procuratoribus, qui vicem litigantium ſupplent, ut notat Hoſtienſ. in ſumma ad Rubr. h. t. Reperitur hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I.

Quis ſit Procurator, & quotuplex?

I. Aſſertio 1. Procurator dictus eſt, quaſi pro alio Curator, nempe pro Domino, cujus loco, & nomine res, & negotia geriti uſus enim Procuratorum per quàm neceſſarius eſt, ut, qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe, vel nolunt, vel non poſſunt, per alios poſſint, vel agere, vel conveniri, ut ait Ulpianus in l. 1. §. Uſus autem; ff. de procurat. Eſt igitur Procurator, qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat, cit. l. 1. in princ. Ubi genus brevitatis cauſâ omiſſum ſubintelligi debet, videlicet Geſtor, ſeu Adminiſtrator, ſive Curator, ut notat Weſenb. in paratitl. ff. h. t. n. 2.

Dicitur 1. *Aliena negotia*, quibus vocibus materia indicatur, nam, ut res ſua nemini ſervire dicitur, l. In re; 26. ff. de ſervit. urban. præd. ita nec in proprijs negotijs ſibi ipſi quiſquam eſt Procurator, ſed ea adminiſtrat tanquam Dominus, per quod excluditur Procurator in rem ſuam, qui propriè non dicitur Procurator, unde nec illi, nec contra alium datur actio mandati, ut docet Gloſſ. in cit. l. 1. V. Aliena; junctâ Gloſſ. margin. Per negotia verò intelligi debent tam judicialia, quàm extrajudicialia, ut definitio conveniat tam Procuratori ad lites, quàm ad negotia, qui aliàs mandatarius dicitur.

II. Dicitur 2. *Mandato Domini*, per quod diſtinguitur Procurator à negotiorum Geſtore, qui ſinè mandato aliena negotia gerit, l. 2. ff. de negot. Geſt. Gloſſ. in cit. l. 1. V. Aliena; junct. Gloſſ. margin. ff. h. t. quamvìs hic etiam ſubinde Procurator in jure vocatur, ut in l. Si quis; 58. ff. de ſolut. & alibi. Item per hanc particulam diſtinguitur Procurator à Tutore, & Curatore, aliiſque ſimilibus, qui non mandato Domini, ſed publicâ auctoritate legis, vel Magiſtratûs, vel teſtatoris adminiſtrant. At Procurator privato Domini mandato adminiſtrat. Weſenbec. c. l. Diſtinguitur præterea à defenſore, nam Procurator propriè dicitur, qui ſtat ex parte actoris, defenſor verò, qui ex parte Rei, juxta Gloſſ. in cit. l. 1. V. Procurator; & hic etiam ſinè mandato defendere poteſt, l. Servum; 33. §. Publicè; ff. h. t. Procurator verò non niſi cum mandato agit, cit. l. 1. in princ. Quare, cùm Procurator is dicitur, qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat, non minùs is, qui ex parte Rei intervenit, dummodo mandatum habeat, quàm qui actoris vices tuetur, Procurator propriè dicitur: &, quamvìs omnis Procurator Rei, ob defenſionem, quam ſuſcipit, defenſor etiam dici poſſit, ut colligitur ex l. Si mater; 11. §. Hoc jure; ff. de except. rei judic. magìs propriè tamen is defenſor dicitur, qui ſinè mandato defenſionem Rei ſuſcipit, l. unic. in fine C. De ſatisdando; l. 2. §. Sin autem abfuerit; Verſ. Similique modo; junctâ Gloſſ. V. Procuratorem; & V. Vel defenſor; C. de jurejur. propt. calumn. dand. quamvìs hujuſmodi defenſor ſatisfactionem *judicatum ſolvi* pro litis æſtimatione præſtare debeat, l. Jam tamen; 5. §. Nunc videamus; l. Si ad defendendum; 10. ff. judicatum ſolvi. Sed & Procurator actoris interdum dicitur eum defendere, l. Servum; 33. §. ait Prætor. l. Mutus; 43. §. Pœna; ff. h. t. quando ſcilicet actor reconvenitur, adeóque Rei perſonam ſuſtinet, l. Si defectus; 15. §. ult. junct. Gloſſ. marg. lit. b. ff. eod.

III. Additur in definitione *mandato Domini*, quia Procurator à Domino conſtituitur, non ab his, qui adminiſtrationem tantùm alienarum rerum ſuſceperunt, ut ſunt Tutores, & Curatores, qui actorem conſtituere poſſunt, non Procuratorem, l. Neque Tutores, 11. C. h. t. niſi tales ſint Adminiſtratores, qui ſint quaſi Domini, ſive loco Dominorum habeantur, ut Epiſcopi, aliíque Prælati, ſeu Rectores Eccleſiarum, qui Procuratorem conſtituere poſſunt, non tantùm Syndicum, vel Actorem, ut conſtat ex c. Petitio; 9. h. t. quia majorem poteſtatem, ac liberiorem adminiſtrationem habent, ac pinguius jus ſuper bonis Prælaturæ, quàm Tutores, & Curatores ſuper bonis pupilli, vel minoris: Prælati enim ſuo jure utuntur fructibus Prælaturæ, eóſque ſuos faciunt. Innocent. in cit. c. Petitio; n. 2. & Abb. ibid. not. 3.

IV. Dicitur ultimò: *Adminiſtrat*, per quam particulam diſtinguitur Procurator, tum ab Advocato, tum à Nuncio: ab illo quidem, quia Procurator, quidquid agit, nomine principalis litigantis agit, & litem dirigit, velut Adminiſtrator Domini: ſed Advocatus ex ſuo officio cauſam agit, & jus ejus oſtendit, ac defendit, velut juſtitiæ, juríſque cuſtos, & vindex, & ſic propriè non adminiſtrat Domino, ſed meritis cauſæ. Weſenbec. ff. h. t. n. 10. Alias verò differentias inter Advocatum, & Procuratorem tit. præced. n. 2. attulimus. A Nuncio verò differt Procurator, quia Nuncius non gerit aliquid ipſemet, nec eſt Dominus litis, id eſt, inſtantiæ litis, ſicut Procurator; l. Procuratoribus; 22. & l. Nulla; 23. junct. Gloſſ. V. Dominus litis; C. h. t. ſed, ut nudus Miniſter, ſeu Executor, ac velut inſtrumentum agit, penes quem non eſt poteſtas adminiſtrandi, ſed tantummodo nudum factum exequendi. Durand. in ſpec. l. 1. part. 3. tit. de Procurat. §. De formis Procurat. n. 5. Weſenb. c. l.

V. Addunt nonnulli in definitione, *gratuitò adminiſtrat*, quia Procuratoris officium debet eſſe gratuitum, l. Litem; 15. C. h. t. eſt enim ſpecies quædam mandati; mandatum autem, niſi gratuitum, nullum eſt, l. 1. ff. Mandati; eſt enim officium ab eo, qui ſuſcepit, gratuitò exhibendum, ut definit Accurſ. in princ. tit. ibid. Unde, ſi pactio, vel conventio de mercede intervenìat, inter Dominum, & Procuratorem, non eſt propriè Procurator, reſpectu Domini mandantis, ſed locator operarum, neque mandati, ſed locati agetur, §. fin. Inſtit. de mand. cit. l. 1. ff. eod. Gloſſ. in c. 1. V. Procuratorum; in fine de foro compet. in 6. Hoſtienſ. in ſumm. num. 1. h. t. Verùm, licèt Procuratoris officium ſit ſuâpte naturâ gratuitum, tamen ex pòſt facto, ſeu officio præſtito, ſalarium oneris, ſeu remunerationis loco petere, & accipere Procuratoribus eſt licitum. Gloſſ. in cit. l. Litem; V. Gratuitum; junctâ Gloſſ. marg. C. h. t. neque ideo natura contractûs mutatur, ſed mandatum eſſe deſinit, ut patet ex l. Si remunerandi 6. in princ. & l. ſeq. ff. mandat. quin imò, etſi ab initio conſtitutum ſit Procuratori ſalarium, ejúſque in procuratorio mandato expreſſa mentio fiat, nihilominus tamen legitimus Procurator cenſebitur, neque ab agendo repellendus erit, quia ſufficit, quòd mandato Domini agat: quamquàm quoad actionem, quæ inter Dominum, & Procuratorem datur, multùm intereſt, gratuitò, an pactâ mercede, procurationem quis ſuſceperit, cùm priore caſu mandati, poſteriore locati actio competat, ut ex l. Naturalis; 5. §. pen. ff. de præſcript. verb. docet Bartol. in cit. l. Litem; h. t. Frideric. Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 1. tit. 21. num. 16. & 18.

VI. Aſſertio 2. Procurator alius dicitur verus, qui nempe legitimum mandatum adminiſtrandi à Domino habet; alius falſus, l. Licèt; 24. C. h. t. qui ſcilicet nullum à Domino mandatum habet, vel habet quidem, ſed non ſufficiens, ut, ſi proferat mandatum generale in cauſa, quæ exigit ſpeciale, vel habeat mandatum, ſed revocatum, vel alio modo extinctum. Weſenb. h. t. n. 3.

Secundò: Procurator verus, alius eſt univerſalis, alius ſpecialis. Generalis eſt Procurator univerſorum, ſeu totorum bonorum, ſive negotiorum, l. Procurator; 63. ff. h. t. cui omnium rerum adminiſtratio demandata eſt, vel qui ad omnes lites proſequendas eſt conſtitutus. Specialis Procurator eſt certæ alicujus rei, litis, vel negotij, l. 1. §. 1. ff. h. t.

Tertiò: Procurator generalis alius conſtituitur, adjectâ clauſulâ, *cum liberâ*, hoc eſt, cum plena, & libera poteſtate agendi, vel adminiſtrandi ea omnia,

quæ-

quæcunque ipſe Dominus, agere, & facere in cauſis, ſeu negotijs poteſt, l. Procurator; 58. cum l. ſeq. ff. h. t. Quare talis Procurator, *cum liberâ*, omnia poteſt, quæ Dominus, etiam alienare. Gloſſ. in ſumma cit. l. Procurator; 58. & Gloſſ. in l. Procuratot; 63. V. Procurator tutorum; junctâ Gloſſ. margin. ff. eod. præterquam, quòd donare non poteſt, arg. l. Filiusfam. 7. ff. de donat. & docet Gloſſ. in ſumma cit. l. Procurator; 58. Alius verò conſtituitur Procurator generalis ſimpliciter, & ſinè tali clanſula, qui alienare non poteſt, niſi fructus, & res, quæ facilè cotrnmpi poſſunt, cit. l. Procurator; 63. ff. h. t.

Quartò, Procurator alius conſtituitur in rem alienam, alius verò in rem, ac utilitatem ſuam, qui conſtituitur quidem ad alienum negotium mandato Domini gerendum (nam in proprio negotio nemo Procuratot eſt, ut ſuprà dictum) ſed in proprium ſuum commodum, l. Servum; 33. §. fin. ff. h. t. Et quidem ex parte Actoris dicitur quis Procurator in tem ſuam, cui Dominus, aut vendidit, ant quoquo modo ceſſit jura, & actiones ſuas, ut pro ſe in judicio exigere poſſit, l. Si quis; 34. & l. Procuratore; 55. ff. eod. V. g. Si pater filio ſuo, vel alteri perſonæ cedat jura, & actiones ſibi competentes contra debitores ſuos, juxta l. Illam; 33. C. de donat. actiones directæ ſemper remanent penes cedentem, quippe quæ contrahentium oſſibus veluti affixæ ſunt, ut inde avelli non poſſint: actiones verò utiles tranſeunt in ceſſionarium, id eſt, in illum, cui ceſſio actionum facta eſt: ac proinde is exercebit actiones directas nomine cedentis: utiles verò, ſive ceſſas, ſuo nomine, ſeu in proptiam utilitatem, ut docet Gloſſ. magn. in c. 1. h. t. in 6. Ex parte verò Rei conſtituitur Procurator in rem ſuam, ſi quis vendat, vel cedat alicui hæreditatem, in qua ſunt creditores: ceſſionarius enim in effectu erit debitor iſtorum creditorum, & ſic ex parte Rei conventi in effectu Procurator erit in rem ſuam, l. ult. §. Titius; ff. de condict. indeb. Gloſſ. in l. Plautius; 61. V. In rem ſuam; ff. h. t. Frider. Hiltrop. de proceſſ. judiciar. p. 1. tit. 21. de Procurat. num. 32. Verùm talis Procurator non ita propriè eſt Procurator, cùm non tam aliena, quàm propria negotia tractet, ut ſuprà dictum.

Quintò, deoique Procurator alius eſt extrajudicialis, qui ad negotia extra judicium tractanda conſtituitur: alius judicialis, qui ad judicia, & lites proſequendas conſtituitur, l. Nec ſervum; 33. in princ. & ibi Gloſſ. V. Verum eſt; & V. Intendere; ff. h. t. Differunt hi Procuratores inter ſe: Primò, quòd in Procuratore ad negotia minor ætas, quàm in Procuratore ad lites requiritur, ut infrà dicetur. Secundò, Procurator ad judicia non poteſt regulariter alium Procuratorem ſubſtituere: Procurator verò ad negotia poteſt, de quo etiam infrà. Tertiò, Procuratot conſtitutus ad negotia poteſt etiam agere in judicio in ijs, quæ ſpeciale mandatum non requirunt: non autem vice verſâ Procurator ad lites poteſt gerere alia negotia Domini, extra judicium, prout etiam infrà dicetur. Quartò, differunt, quia Procurator ad lites de dolo, & culpâ etiam levi, imò ſecundùm quoſdam, de leviſſima quoque tenetur, l. à Procuratore; 13. C. mandat. & ibi Gloſſ. V. Et omnem culpam; quia cenſetur exactam induſtriam, & rei gerendæ peritiam profiteri, & tacitè promittere. At verò Procurator ad negotia regulariter tantùm tenetur de dolo, & culpâ latâ, ſicut alij mandatarij, niſi ob negotij qualitatem exacta diligentia requiratur. Laym. lib. 3. Theol. moral. tract. 4. c. 26. num. 7.

§. II.

De iis, qui poſſunt conſtituere Procuratorem, vel non poſſunt.

Generatim loquendo, omnes poſſunt conſtituere Procuratorem, qui non prohibentur, eſt enim Edictum hoc prohibitorium, ita, ut, qui non prohibetur dare Procuratorem, huic id ipſum conceſſum eſſe cenſeatur, l. Mutus; 43. §. 1. ff. h. t. & ibi Gloſſ. Verſic. Edictum. Quinam verò in ſpecie dare poſſint, vel non, hoc §. videbimus.

VII. Quæritur 1. An Univerſitas poſſit conſtituere Procuratorem, etiam ad cauſas in judicio agendas? Reſpondetur: Poteſt conſtituere Procuratorem ad agendum, & defendendum, prout ſumitur ex c. Quia in cauſis; 7. h. t. Nam, quia Univerſitas ſcholatium Pariſienſium interdum in judicio lites movere debebat contra alios, vel alij contra ipſam, & omnes ad agendum, & reſpondendum commodè comparere non poterant; ideo petierunt ab Innocentio III. ut illis liceret Procuratorem conſtituere. Reſpondit Papa, quamvis de Jure communi id ipſis facere ſit permiſſum, tamen etiam auctoritate Apoſtolicâ conſtituendi Procuratorem ſe ipſis concedere facultatem. id eſt, conceſſam eſſe à Jure communi, declarat, Gloſſ. fin. hic.

VIII. Ubi notandum 1. Univerſitas, etiam ſcholarium, poteſt conſtituere Procuratorem, qui nomine illius agat in judicio, & pro illa reſpondeat, eámque defendat, quia tanquam perſona ficta loco Domini habetur. Gloſſ. hic V. De Jure communi. nam Scholares poſſunt ſibi Rectorem eligere, qui habeat juriſdictionem in ſingulos de Univerſitate in ijs, quæ ad eorum facultatem, & profeſſionem pertinent, adeóque inter ſe Collegium, ſeu Univerſitatem licitam, & approbatam conſtituere poſſunt, ita tamen, ut ſuperiori Magiſtratui ſint ſubjecti, ſeu ſubordinati, prout de communitatibus artificum id ſtatuitur in l. ult. C. de juriſdict. omn. judic. Abb. hic not. 2.

Notandum 2. Procurator ab Univerſitate conſtitutus propriè Actor, vel Syndicus appellari ſolet in Jure Civili, l. 1. §. Quibus autem; ff. Quod cujuſque univerſ. nom. &c. c. unic. de Syndic. ſed ſecundùm Canones, etiam Procurator appellatur. Abb. hic in Gloſſ. 1. not. 1. Procurator tamen, ſeu Syndicus ab Univerſitate conſtitutus jurare debet de calumnia ſine mandato, non autem Procurator à privato datus, niſi ſpeciale mandatum habeat, ſed Dominus. Gloſſ. fin. hic, & Abb. num. 2.

Notandum 3. Interdum quæ Jure communi conceſſa ſunt, à Principe denuo conceduntur,

majoris confirmationis, & ſecuritatis cauſâ, ut colligitur ex hoc c. quia ſpecialis conceſſio pluris æſtimari ſolet, quàm generalis. Hoſtienſ. hîc in fine.

IX. Quæritur 2. An excommunicatus poſſit conſtitoere Procuratorem ad agendum io judicio? Reſpondetur negativè, ſi ſit excommunicatus publicus, ſeu notorius, & deounciatus, non roleratus; ut colligitur ex c. Conſulti; 15. & ult. h. t. quia, ſicut excommunicatus per ſe ipſum agere non poteſt in judicio, c. Decernimus; 8. de ſent. excommun. in 6. ita nec per alium, videlicet Procuratorem, juxta reg. jur. 67. in 6. quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit: ſicuc neque reſcriptum Papale impetrare poteſt, c. 1. de reſcript. in 6. ad defendendum verò ſe ipſum, ſi in judicium vocetur, poteſt, ac debet excommunicatus Procuratorem dare, alioquin ex malitia ſua commodum reportaret, ſi nec per ſe, nec per alium in judicio reſpondere teneretur, c. Intellexlmus; 7. de judic. Accedit, quòd defenſio ſit juris oaturalis, ac proinde neque reo denegari debet, ſive per ſe, ſive per alium. Gail. lib. 1. obſ. 9. num. 8.

„ X. Porrò, ſi Procurator à communitate a-
„ liqua ſit conſtitutus ad impetrandum reſcriptum,
„ cujus majores, & jurati (id eſt, Officiales, Præ-
„ ſides, ſeu Poteſtates, & Conſiliarij, ſeu Senato-
„ res, qui juramentum fidelitatis præſtaot com-
„ munitati) quorum coofilio communitas illa re-
„ gitur, tempore, quo injonctum ei fuit Procu-
„ ratoris officlum, erant excommunicationis ſen-
„ tentiâ ligati, non ideo talis Procurator repellen-
„ dus eſt ab impetratione reſcripti, tanquam con-
„ ſtitutus ab excommunicatis; niſi hi in litteris
„ excommunicationis fuerint expreſſi; vel niſi a-
„ liàs eorundem excommunicatorum auctorita-
„ te inſtitutio Procuratotis facta ſit: vel, niſi ipſa
„ communitas ſciens, illos eſſe excommunicatos, u-
„ nâ cum illis, Procuratorem conſtituerit: prout
„ habetur ſtatutum in cit. c. Conſulti; h. t.

Ratio deciſionls eſt, quia univerſim loquendo, actus geſtus ab Univerſitate collegialiter, ſeu nomine, & auctoritate Univerſitatis, non vitiatur ex eo, quòd aliqui inter eos ſint inhabiles, v. g. excommunicati, etiamſi ſint tales, per quos regitur, ſeu adminiſtratur Univerſitas, cujuſmodi ſunt Officiales, Præſidentes, ſeu Regentes, & Conſules, Præfecti Urbis, & Senatores, modò hi non præſideant illi communitati jure proprio, & poteſtate principaliter, ac perpetuò ab Univerſitate translatâ, ſed jure, ſeu auctoritate, & nomine totius Univerſitatis, ut tradit Abbas in cit. c. ult. num. 3. & 4. h. t. Nam tunc actus geritur nomine totius Univerſitatis, & non, ut à ſingulis: jus verò totum Univerſitatis reſidet penes habiles, & non privatos, etſi unicus tantum foret, arg. c. 2. de poſtulat. Prælator. & l. Sicut; 5. ff. Quod cujuſque Univerſ. nom. &c. inhabiles verò non ſunt de Univerſitate, ſed privati, & ab illa excluſi: ergo actus geſtus nomine, & auctoritate Univerſitaris non debet corruere propter aliquos inhabiles, qui ſunt privati, & excluſi ab Univerſitate: quales ſunt Officiales, aut Præſidentes excommunicatl, qui non poſſunt officium ſuum exercere, dorante excommunicatione, ſed actus, cui Officialis excommunicatus præſtitit auctoritatem, eſt ipſo jure nullus. Abbas in cit. c. ult. num. 2. Aliud eſt, ſi aliquis actus fiat à pluribus, ut ſinguli ſunt; tum enim, ſi unus eorum ſit inhabilis, totus actus corruit: ut, ſi à pluribus judicibus delegatis ſimul ſententia feratur, & unus ex illis excommunicatus ſit, ſententia irrita eſt, arg. c. Cùm ſuper; 23. de offic. deleg. & l. Pedius; 7. §. Unde; ff. de recept. qui arbitrium, &c. ceſſat enim hoc caſu ratio, quæ militat in Univerſitate, cùm actus fiat, non ab Univerſitate collegialiter, ſed à ſingulis habilibus, & inhabilibus conjunctim, & indiviſim, & inſeparabiliter onnm individuum actum exercentibus, qui non poteſt pro parte valere, & pro parte non valere. Abb. c. l. n. 4.

XI. Excipi debet 1. Niſi inhabiles, v. g. excommunicati in litteris procurationis ſint expreſſi; tum enim conſtitutio Procuratoris non valet, cit. c. ult. h. t. Ratio eſt, quia actus talis, ſeu decretum, per quod conſtituitur Procurator, expreſſis nomioatim inhabilibus, ſeu excommunicatis, v. g. Nos Conſol, Senatores, & reliqui de communitate, conſtituimus, & decernimus Titium Procuratorem noſtrum ad impetraodum reſcriptum Apoſtolicum, &c. fit auctoritate, & nomine totins Collegij, ſen Univerſitatis, qoatenus etiam comprehendit Conſulem, & Senatores, & quidem tanquam primariam, ac principalem partem ejuſdem, ut ex forma mandati procuratorij, ſeu decreti apparet: ergo talis actus fit etiam nomine, & auctoritate Conſulis, & Senatorum, qui ſunt inhabiles, & excommunicati; & conſequenter totus actus eſt irritus, tametſi habiles ignorent aliorum inhabilitatem, quia indiviſim, & inſeparabiliter procedit ſimul ab inhabilibus, & habilibus. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Expreſſi; Abb. ibidem num. 7.

XII. Ezcipi debet 2. Niſi eorundem excommunicatorum auctoritate Procuratoris conſtitutio facta ſit, cit. c. ult. Nam, ſi actus, ut in propoſito conſtitutio Procuratoris, vel decretum communitatis revera fiat auctoritate iohabilium, ſeu excommunicatorum, licèt illi nominatim non exprimantur, nempe, quia ſinè conſenſu, ſeu approbatiooe, ac ſubſcriptione, v. g. Conſulis, aut Senatorum, actus valere non poteſt; tum propter inhabilitatem, ſeo excommunicationem eorum, actus corruit, & invalidus eſt, quippe cùm re ipsâ ab ipſorum auctoritate procedat. Gloſſ. in cit. c. ult. V. Expreſſi; h. t. quæ cùm non ſit legitima, ob inhabilitatem eorum, qui illam præſtant, non poteſt robur dare actui, & conſequenter actus, ob defectum legitimæ auctoritatis, a qua procedit, infirmatur. Abb. c. l. num. 8. ubi addit, tametſi ad conſtituendum Procuratorem non fuerit neceſſaria auctoritas, v. g. Conſulis, vel alterius Superioris, juxta l. 1. ff. Quod cujuſq. Univ. &c. ſi tamen conſtet, quòd reliqui de Univerſitate noluerunt Procuratorem conſtituere, niſi interveoiente conſeoſu, & auctoritate Conſulis, & Senato-

rum

rum, qui tum excommunicati erant, actus non valet.

XIII. Excipi debet 3. Niſi ipſa Communitas ſciens, illos eſſe excommunicatos, unâ cum illis, Procuratorem conſtituerit, cit. c.ult.h.t. Nam, ſi habiles ſcienter admittant eos, qui ſunt inhabiles, ad actum aliquem, v.g. conſtitutionem Procuratoris, ad decretum faciendum, vel electionem celebrandam; tum actus, vel ipſo jure irritus eſt, quia cenſentur velle actum peragere, unâ cum inhabilibus, & rè ipsâ fateri videntur, ſe ſinè illis nolle, nec poſſe ad talem actum procedere, ut docet Abb. in cit. c. ult. n. 6. & 7. niſi expreſsè proteſtentur, ſe nolle admittere inhabiles, ſi eos commodè excludere non poſſint: vel ſaltem à Superiore reſcindi, & irritari poteſt in pœnam, ſeu odium ſcienter admittentium inhabiles, cùm nullo jure expreſſum habeatur, actum ipſo jure eſſe irritum, ut de electione docet Laym. in qq. Canon. de elect. Prælat. q. 26. & in cit. c. ult. in fine h. t.

XIV. Quæritur 3. Quinam prætetea Procuratorem conſtituere poſſunt, vel prohibentur? Reſpondetur: In primis pupilli, & minores habentes Curatorem, ſinè illorum auctoritate, non poſſunt conſtituere Procuratorem, quamvìs cum auctoritate eorundem poſſint ad negotia, & ad lites, etiam ante litis conteſtationem, l. Neque; 11. C.h.t. Minor verò non habens Curatorem, ſicut habere non cogitur, Procuratorem ad negotia extrajudicialia conſtituere poteſt, l. Mutus; 43. §. Is qui; ff. h. t. quia, & contrahere poteſt; non item ad judicia, quia, cùm ipſe non habeat legitimam perſonam ſtandi in judicio, non poteſt etiam ad id alium legitimare. Weſenb. in paratit. ff. h. t. num. 4. Secundò, mutus, & ſurdus dat Procuratorem, eo modo, quo poteſt, videlicet nutu, vel ſcripto, cit. l. Mutus; in princ. junctâ Gloſſ. V. Procedere. Tertiò, Syndicus Univerſitatis, vel Civitatis, item Tutor, vel Curator, ante litis conteſtationem, non poſſunt conſtituere Procuratorem in cauſa pupilli, vel minoris, ſed tantùm Actorem, quia antea non ſunt litis Domini: poſt litis verò conteſtationem poſſunt, quia tum ſunt Domini litis, l. Nec Civitatis; 74. junctâ Gloſſ. V. Poteſt; ff. h. t. l. Neque; 11. l. Procuratoribus; 22. & l. ſeq. C. eodem. Sed & ipſi Procuratores, poſt litem conteſtatam, alium dare, ac ſubſtituere poſſunt, non quidem vi mandati, ſed quia Domini litis facti ſunt. Mynſing. centur. 1. obſ. 43. Weſenbec. c. l. Quartò, Filiusfam. extra judicium ad negotia Procuratorem dare poteſt, quia & contrahere poteſt, non autem ad agendum in judicio, quia nec agere poteſt ſuo nomine, exceptis quibuſdam caſibus, ut in actione Injuriarum, & ſimilibus, l. Filiusfam. 8. ff. h. t. ad defendendum verò dare poteſt, cit. l. Filiusfam. Quintò, ſervus ſicut per ſe in judicio agere non poteſt, l. Servus; 6. C. de judic. ita neque per alium, videlicet Procuratorem; l. Servum; 33. in princ. junctâ Gloſſ. V. Vetamus; ff. h. t. niſi de ſtatu ſuo litiget, cit. l. Servum; §. Eum verò; tunc enim ad omnia negotia, & ad litem dare poteſt. Gloſſ. ibid. V. Procuratorem; cùm interim pro ſervo habendus non ſit. Sed neque ab hoſtibus captus Procuratorem conſtituere poteſt, ſed tantùm Actorem, aut Curatorem, quia, quàm diu in poteſtate hoſtium eſt, non eſt ſui juris, nec rerum ſuarum Dominus, l. Ab hoſtibus; 15. ff. ex quib. cauſ. majores, &c.

XV. Præterea ſecundùm Canones, Prælatus in ijs cauſis, in quibus per ſe ſolus in judicio agere, & conveniri poteſt, ſinè conſenſu Capituli, quia in ijs liberam, & generalem adminiſtrationem habet, conſequenter etiam Procuratorem conſtituere poteſt, ut ex communi docet Abb. in c. Edoceri; 21. de reſcript. num. 6. & 8. quia, qui in judicio poteſt agere per ſe, poteſt etiam per alium, l. 1. ff. h. t. licèt Gloſſ. ibidem. V. Debeant; contrarium teneat. Excipiuntur tes, ſive cauſæ graves, ſeu arduæ, quæ concernunt ſtatum Eccleſiæ, videlicet ejus libertatem, ſubjectionem, alienationem bonorum, &c. vel ad conſtituendum Procuratorem generalem, & perpetuum, qui omnia negotia gerat, tam intra, quàm extra judicium, in his enim requiritur conſenſus Capituli. Abb. c. l. num. 9. quia hæc inter negotia ardua numerantur. Conventus autem, ſeu Capitulum in bonis, ſeu rebus communibus, ſicut non poteſt agere, ſinè conſenſu Prælati, quia adminiſtratio à jure eſt conceſſa Prælato; non Capitulo. Abb. c. l. num. 7. ita nec Procuratorem conſtituere, niſi bona Capituli ſint omnino diviſa quoad adminiſtrationem à bonis deputatis ad menſam Prælati; tum enim Capitulum in cauſis ſuis proprijs poterit agere, & conſequenter etiam conſtituere Procuratorem, ſinè conſenſu Prælati, præterquam in cauſis arduis, ut colligitur ex cit. c. Edoceri; & tradit Abb. ibidem num. 7.

Similiter quilibet Rector Eccleſiæ, ſeu Beneficiatus, ſicut pro juribus ſuæ Eccleſiæ agere poteſt in judicio, ſinè Superioris requiſito conſenſu, in rebus, ſeu cauſis non arduis, ita & Procuratorem conſtituere ad agendum. Abb. in c. Petitio; 9. §. Sed oppones; h. t.

Denique Religioſus non poteſt alium, ſinè licentia ſui Superioris, Procuratorem conſtituere, vel ſibi ſubſtituere, ut habetur in Clement. Religioſus; 3. h. t. ubi in fine dicitur, non poteſt (Religioſus) alium Procuratorem conſtituere, vel ſubſtituere (intellige ſinè licentia Prælati, vel Superioris. Gloſſ. ibidem V. Conſtituere; & V. Subſtituere;) etiamſi per conſtituentem hoc expreſsè ei commiſſum fuerit. Exceptis ijs caſibus, quibus ſinè licentia Prælati, per ſe, ſive perſonaliter in judicio agere poteſt, ut cùm Prælatum ſuum accuſat, c. Ex parte; 11. et c. Olim; 26. de accuſat. imò melius eſt, ut Religioſus tunc per alium agat, quàm per ſe ipſum, c. unic. de Syndic. Gloſſ. in cit. Clement. V. Conſtituere; de quo plura infrà.

XVI. Cæterùm illud hîc addendum, quòd nemo regulariter cogitur dare Procuratorem, adeò, ut, etſi quis citatus ſit ad judicium, ſi juſtum non veniendi impedimentum habeat, & cauſa gravis, ſeu ardua ſit, non teneatur pro ſe mittere Procuratorem, ut patet ex c. Querelam; 2. h. t. Nam, cùm inter Epiſcopum Sabinenſem, & Antonium Clericum controverſia eſſet ſuper Eccleſia quadam, ea commiſſa fuit Epiſcopo Vigornenſi, qui Anto-

» nium citavit: ſed is infirmitate detentus ad termi-
» num conſtitutum venire non potuit, idque per
» duos, unum Presbyterum, & alterum Diaconum,
» ab ipſo miſſos ad Epiſcopum, probare paratus
» fuit. Verùm, hoc non obſtante, Epiſcopus di-
» ctum Clericum ad reſtituendas expenſas conde-
» mnavit, quæ à tempore citationis factæ ſunt.
» Quare Alexander III. mandavit quibuſdam, ut,
» ſi conſtiterit, quòd Epiſcopus dictum Clericum,
» ob nullam aliam rationabilem cauſam, con-
» demnaverit, niſi, quia in termino præfixo non
» comparuit, infirmitate impeditus; eundem à
» ſententia hac abſolvant; cùm non poſſit quis
» citatus ad judicium in gravibus cauſis invitus
» cogi, ut, ſi ipſemet venire nequeat, Procuratorem
» mittat, prout habetur in integra lectione hu-
» jus c.

XVII. Notandum 1. Infirmitas gravis excuſat, quò minùs citatus venire debeat ad judicium, ſecus, ſi levis ſit. Abb. hîc not. 1. idque ſumitur etiam ex l. Quæſitum; 60. ff. de re judic. Et, licèt alioquin, qui ſimpliciter citatus eſt, ſi non poſſit per ſe comparere, debeat Procuratorem mittere, tamen id non procedit, ſi cauſa gravis, ſeu ardùa ſit, ut patet ex hoc c. Innocent. hîc num. 1. ſecus ergo, ſi quis abſit ex cauſa juſta, ſed levi, quæ non impedit acceſſum ad judicium; tum enim per Procuratorem litigare debet, ut per contrarium ſenſum colligitur ex hoc c. & tradit Abb. hîc not. 3. Nec obſtat cap. Cùm dilecti; 6. de dolo, & contum. ubi habetur, quòd citatus ad judicium, ut veniat perſonaliter, vel mittat Procuratorem, condemnatur in expenſas, ſi non mittat Procuratorem, etſi ex juſta cauſa abſit. Verùm ibi citatus non allegavit, vel ſaltem non probavit juſtam cauſam abſentiæ. Gloſſ. hic V. Detentus. Vel ibi impeditus ex gravi cauſa debuit mittere Procuratorem, ne Eccleſia diu vacaret, adeóque ob ſpecialem cauſam. Innocent. hîc n. 1.

Notandum 2. Sententia lata à Judice contra abſentem veluti contumacem, qui tamen juſtam cauſam, ſeu neceſſarium impedimentum habuit non veniendi, ipſo jure eſt irrita, ſi juſta cauſa abſentiæ probata fuit, ut conſtat ex cit. l. Quæſitum; ff. de re judic. Unde in caſu hujus c. Clericus fuit abſolutus à ſententia Epiſcopi, non de jure, ſed de facto ſolùm, quia de jure non erat opus abſolutione, cùm ſententia fuerit nulla, præſertim, quia ab illa non eſt appellatum. Si verò Judex probabiliter ignorabat juſtum impedimentum abſentis, tum ſententia condemnatoria mero jure valet, ſed contra illam peti poteſt ex juſta cauſa reſtitutio in integrum, & ſic reſcindi, arg. c. Ex litteris; 4. de in integr. reſtit. Abb. hîc num. 4. Porrò cauſa juſta, & gravis, ſeu ardua non veniendi ad judicium hoc loco cenſetur, quæ eſt valde intricata, & involuta, ita, ut per Procuratorem facilè explicari non poſſit: item cauſa matrimonialis, vel, quando agitur de majore parte bonorum, vel quæ infamiam inducit, vel ubi vertitur periculum animæ. Hoſtienſ. hîc V. Gravibus cauſis; & Abb. n. 9.

Notandum 3. Si impedimentum, etiam ex cauſa juſta, & neceſſaria, ſit perpetuum, vel diu duraturum, & cauſa differri nequeat, tum impeditus debet mittere Procuratorem, ne jus alterius partis pereat, vel lædatur, quia non debet uni ſubveniri cum tam gravi præjudicio alterius, ut docet Gloſſ. in cit. c. Cùm dilecti; V. Reſponſalem in fine de dolo, & contum. Abb. hîc num. 7. Sunt tamen etiam, qui inviti, & non impediti venire ad judicium, Procuratorem ad agendum, & defendendum conſtituere coguntur, ut, qui per ſe litigare non poſſunt, cujuſmodi ſunt perſonæ illuſtres, l. Quicunque; 25. & Auth. ſeq. C. h. t. Weſenbec. ff. eodem, num. 4.

§. III.

Quinam poßint dari Procuratores, vel non?

XVIII. Aſſertio 1. Regulariter quivis Procurator dari poteſt, & idoneus reputatur, qui non expreſsè prohibetur, prout habetur in c. 1. in princ. h. t. in 6. ubi Gloſſ. magna notat, quòd in materia per ſe, ſeu communiter conceſſa, cujuſmodi eſt officium Procuratoris, hoc ipſo, quòd aliquæ perſonæ non reperiuntur in jure prohibitæ, cenſentur eſſe admiſſæ; & hujuſmodi dicitur Edictum prohibitorium, quando ſcilicet materia per ſe, ſeu communiter eſt permiſſa, ſed in aliquibus caſibus eſt prohibita; contra verò, quando materia per ſe, ſeu communiter eſt prohibita, ſed in certis caſibus permiſſa, tum, etſi primo obtutu videatur dicendum Edictum prohibitorium, rectiùs tamen dicitur permiſſorium: & in tali materia per ſe prohibita, hoc ipſo, quòd aliquid non reperitur in jure permiſſum, cenſetur eſſe prohibitum. ſic occidere hominem eſt per ſe, & regulariter prohibitum, vi præcepti Divini, *non occides:* & ſolùm in quibuſdam caſibus permiſſum, ſcilicet auctoritate publicâ Magiſtratûs, ad vindictam malorum, & ad ſui defenſionem. Itaque Edictum prohibitorium, vel permiſſorium denominatur tale non ab eo, quod generaliter edicit, ſed quod ſpecialiter: nam etſi generaliter aliquid permittat, ſi tamen ſpecialiter aliquid prohibeat, ſive in ſpecialibus caſibus, erit prohibitorium: contrà verò, ſi generaliter aliquid prohibeat, ſed non niſi in ſpecialibus caſibus permittat, erit permiſſorium Edictum cenſendum. Gloſſ. c. l. Quicunque ergo expreſsè in jure non prohibetur, poteſt eſſe, & conſtitui Procurator, ſive ad negotia, ſive ad judicia. Hoſtienſ. in ſumm. hîc n. 8:

XIX. Hinc infertur 1. Quòd Laicus, etiam in cauſis ſpiritualibus, ad agendum, & defendendum in judicio poſſit eſſe, & conſtitui Procurator, cùm per Canones non prohibeatur, ut conſtat ex c. Non indiſcretè; 1. in princ. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. reſcribit, quòd Judex poteſt Procuratorem Laicum »
(qui ſcilicet nullum habet Ordinem, nec aliàs eſt »
perſona Eccleſiaſtica. Gloſſ. hîc V. Laicum;) ad agen- »
dum, vel defendendum in cauſis ſpiritualibus ad- »
mittere: cùm regulariter, qui non prohibetur »
expreſsè exercere officium Procurationis, ido- »
neus reputari debeat. Et hinc Laicus poteſt »
à Clerico etiam conſtitui Procurator ad renunciandum beneficio, vel ad acceptandum beneficium ipſius nomine, juxta c. Accedens; 24. de præbend. & tradit Gloſſ. margin. hîc, & Ancharan.

not. 2. etiam beneficium incertum, nempe primò vacaturum, Franc. hîc n. 3. §. 3. Conclude. nam, etſi laicus non poſſit tractare cauſas ſpirituales ſuo nomine, quaſi jus in eis habeat, & tanquam principalis, c. 2. de judic. poteſt tamen alieno nomine, ſive miniſterialiter tractare negotia Eccleſiaſtica, Gl. hîc V. Spiritualibus, Barb. in collect. hîc n. 3. & 4. Non tamen laicus poteſt eſſe Judex in cauſis ſpiritualibus etiam delegatus, cit. c. 2. de judic. Ratio diſparitatis eſt, quia Procurator eſt nudus miniſter, ſive nudum miniſterium exercet, ita, ut nullum jus, ſive titulus ſpiritualis in illo radicetur, ſed abſque ceſſione, rectâ tranſit ad principalem mandantem, ſive conſtituentem, ut ex Bart. notat Gl. margin. hîc, & Anchar. not. 2. nam non ſuo, ſed alieno nomine agit, & defendit: juriſdictio vetò radicata, & fundata eſſe debet in ipſo Judice, cujus ſi Eccleſiaſtica ſit, laicus non eſt capax. Sed neque laicus conſtitui poteſt Procurator ad eligendum Prælatum, etiam nomine illius, qui aliàs vocem habet in Capitulo, & habilis eſt, Joan. Andr. in reg. quod alicui 74. in 6. Franc. hîc n. 3. §. 2. Conclude. Ratio eſſe videtur, quia vocem dare in Capitulo plus eſt, quàm exercere nudum miniſterium, eſt enim actus Capitularis, adeóque proprius Clerici.

XX. Infertur, 2. Quòd non tantùm paterfam. ſed etiam filiusfam. Procurator eſſe, & conſtitui poteſt, ſive ad negotia, ſive etiam ad judicia, tam ad agendum, quàm ad defendendum, etiam patre invito, ut conſtat ex l. Si filiusfam. 8. §. Ipſe quoque; junctâ Gl. margin. ff. h. t. idem quoque habetur in c. pen. in » princ. h. t. ubi dicitur: non injuſtè Judex proceſſit, » qui filiumfam. in Procuratorem admiſit. Et expreſ» ſiùs in c. Qui generaliter; 5. §. Nedum; eod. in 6. ubi » dicitur, nedum ad negotia, ſed etiam ad judicia, fi» liusfam. abſque patris aſſenſu, poteſt fieri Procura» tor. Ratio eſt, quia filiusfam. etiam ſine patris auctoritate, ex omni contractu obligari poteſt. §. Item, utilis Inſtit. de inutil. ſtipulat. l. Filiusfam. 39. ff. de obligat. & action. ergo etiam Procurator conſtitui poteſt ad agendum, & defendendum, etiam ſine mandato patris, Gl. in cit. c. pen. V. Filiusfam. h. t. modò major ſit 25. annis, de quo poſtea: quamvis aliàs regulariter filiusfam. non poſſit per ſe, & ſuo nomine agere in judicio, abſque auctoritate ſui patris. l. Cùm non ſolùm; 8. in fine princ. & ibi Gl. margin. C. De bonis, quæ liberis &c. id autem intelligi debet, quãdo nihil deperit patri ex eo, quòd ſit Procurator, alioquin ſine conſenſu illius non poſſet eſſe Procurator, Gl. in cit. c. pen. V. Filiusfam. h. t.

XXI. Aſſertio 2. Prohibentur Procurarores dari, imprimis minor xxv. annis ad judicia, ut conſtat ex cit. c. Qui generaliter; §. fin. h. t. in 6. ubi dicitur: » Licet autem quis poſt xvII. annum, Procurator ad » negotia licitè deputetur: ad judicia tamen, niſi ma» jor xxv. annis fuerit, deputari nequit. Idque, tum quia minori 25. annis, ſi aliquẽ in judicio defendere velit, vel pro eo agere, per reſtitutionẽ in integrũ ſuccurritur, ideóq; idoneus Procurator ad judicia nõ eſt. l. Minor; 51. in princ. ff. h. t. tum quia, cùm minor 25. annis non poſſit pro ſe ſtare in judicio, ſine tutore, aut curatore. l. 1. & 2. C. qui legit. perſon. ſtandi &c. multò minùs poterit pro alio ſtare. Idem habetur in l. Exigendi; 12. §. Sanè; C. h. t. Et hinc, ſi minor 25. annis admittatur alieno nomine, tanquam Procurator ad judicium, hoc eſt ipſo jure nullum, etiam nullâ oppoſitâ exceptione, quia non habet legitimam perſonam ſtandi in judicio, ut ex Baldo docet Franc. hîc n. 3. in Gl. fin.

Cur autem ad Advocatum in judicio minor ætas requiratur, & ſufficiat, videlicet xvII. annorum, quàm ad Procuratorem ad lites, ratio eſt, quia Procurator actione mandati obligatur, & condemnatur, cùm contra eum ſententia feratur, quod non eſt in Advocato, ut notat Gl. hîc V. 17. annum in addit. Similiter in Procuratore ad negotia minor ætas requiritur, quia in negotiis regulariter non agitur de tam gravi præjudicio, ſicut in judiciis, Geminian. apud Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hîc.

Secundò. Clerici in majoribus cõſtituti, ac præſertim Sacerdotes non poſſunt Procurarores eſſe in judicio, etiam in foro Eccleſiaſtico c. ult. de poſtuland. & dictum tit. præced. Excipi debet, quòd etiam Presbyteri conſtitui poſſint Procuratores ad lites in cauſa Epiſcopi ſui, præſertim ſi is defendendus ſit, ut colligitur ex c. In noſtra; 4. h. t. non minùs, quàm pro Eccleſia ſua, idque propter conjunctionem, & reverentiam, quam Epiſcopo ſuo debent, ut docet ibid. Joan. Andr. n. 2. & Abb. n. 1.

XXII. Tertiò. Religioſus nõ poteſt eſſe Procu» rator, etſi per aliũ Religioſum ſui, vel alterius Mo» naſterij fuerit conſtitutus, quia non poteſt, ſine Su» perioris ſui licentiâ, officium procurationis ſuſci» pere, niſi pro ſuo in eadem lite conſorte: ſicut etiá » non poteſt alium Procuratorem conſtituere, vel » ſubſtituere, etiamſi per conſtituentem hoc ipſi ex» preſsè fuerit commiſſum, prout habetur in Cle» ment. Religioſus; 3. h. t.

Ubi notandum 1. Non ſufficit licentia Superioris, ut Religioſus poſſit eſſe Procurator, ſed requiritur etiam, ut ſubſit utilitas Monaſterij, Gl. hîc V. Licentia; & patet ex dictis tit. præced. n. 17. neque ſub hac prohibitione comprehenduntur novitij, quia veri Religioſi non ſunt. Abb. hîc n. 1.

Notandum 2. In quibuſdam tamen caſibus Religioſus poteſt eſſe Procurator: Veluti primò. Si ſit Prælatus, ſeu Superior Religionis, quia ſicut ipſe poteſt ſubditis dare licentiam ſuſcipiendi hoc munus, ita & ipſe per ſe illud obire poteſt; ſine alterius licentia, ob utilitatem Monaſterij. Gl. hîc V. Religioſus, & Abb. n. 4. Sanch. l. 6. mor. c. 13. n. 18. Secundò. Poteſt Religioſus conſtitui Procurator, cum licentia Prælati, in negotiis ipſum concernentibus, ut ſi agatur de electione Prælati, vel de ejus crimine inquiratur, & opus ſit illum defendere, quia tunc utilitas Monaſterij vertitur: ad accuſandum verò, vel denunciandum Prælatum poteſt Religioſus Procurator conſtitui, etiam ſine licentia ipſius, quia id ipſo jure conceſſum eſt. Sanch. c. l. Quin imò etiam in negotiis cujuſcunque Religioſi, ſaltem ejuſdem Ordinis, poteſt Religioſus conſtitui Procurator, cum licentia Superioris, cùm interſit Religionis, defendi membra illius, ut colligitur ex cit. Clem. à contrario ſenſu, Sanch. c. l. n. 20. quod aliqui extendunt etiam ad negotia Religioſi alterius Ordinis, quod tamen aliis nimia laxum videtur, quia exigitur utilitas Monaſterij, quæ non reperitur in negotiis alterius Religionis, ideóque in cit. Clement. dicitur, *pro Religioſo ſui, vel alterius Monaſterij*, non autem profeſſionis,

Sanch.c.l.n.21.ubi n.22.addit,aliquos hoc extendere etiam ad negoria Epiſcopi. Tertiò, poteſt Religioſus eſſe Procurator etiam pro litis conſorte, cit. Clem. & ibi Gl.V.Conſorte,quia,poſtquam Religioſus accepit licentiam ſuſcipiendi munus Procuratoris,in cauſa communi cum aliis, cenſeri debet, etiam datam illi eſſe licentiam acceptandi mandatum procuratorium ab eiuſdem litis conſortibus, Vivian. in Ration. hîc.

Notandum 3. *Sicut* Religioſus non poteſt eſſe Procurator: ita nec poteſt Procuratorem conſtituere, vel ſubſtituere, quamvis ad hoc mandatum acceperit â conſtituente,qui tamen non ſit eius Superior, cit.Clem. Religioſus; in fine. ubi, licèt non addatur: abſque licentia Prælati ſui. ſicut in priore parte additum fuit, quòd Religioſus non poſſit eſſe Procurator: cenſeri tamen debet idem repetitum in parte poſteriore; ut colligitur ex particula *ita*,vi cuius præcedentia repetuntur, Gl. hîc V. Conſtituere, & Subſtituere, Sanch.c.l.n.12. ubi addit, non exigi hoc caſu utilitatem Monaſterij, quia in c. non requiritur.

XXIII. Quartò,prohibetur quoque Jure Canonico eſſe Procurator excommunicatus, c.Intelleximus; 7.de judic. c. Decernimus; 8. de ſent.excommun. in 6. c.Poſt ceſſionem; 7. de probat. ubi habetur,quòd, ſi quis in excommunicatione ſuſcepit munus Procuratoris, à Judice per exceptionem repelli poteſt, Innocent.ibid.in fine,& Decius n. 17.

Quintò, infames infamiâ juris, vel facti,Jure Canonico ad officiũ Procuratoris,ſive ad lites,ſive etiam ad negotia pro Eccleſiaſticis perſonis non admittuntur,ſed pro laicis tantùm, ut docet Abb.in c.Imperatorum; 4.n. 9. de juram.calumn. idque colligitur ex c.ult. junctâ Gl.V. Quia Epiſcopus;cauſ.5.q.3. At de Jure civili infames Procuratores eſſe poſſunt. §. fin. Inſtit. de except. quia Procuratoris officium non eſt dignitas,à qua removentur infames, ſed onus,& quidem vile reputatum.

XXIV. Poſtremò plures alij, ſpectato Jure civili Procuratores eſſe prohibentur, præſertim in judiciis,uti fœminæ.l.Fœminæ;54.ff.h.t.l.Quia abſente; 4. C.Eodem;quia officium Procuratoris eſt virile, & à pudore fœminei ſexûs alienum; 18.C.eod. l.2.ff. de R.I. niſi vel in rem ſuam, aut proprium lucrum, ceſſis ſibi actionibus, agant. cit.l.Quia abſente: vel causâ cognitâ,eiſdem pro parentibus morbo, vel ætate impeditis, ob defectum aliorum idoneorum, agere permittatur.l.Fœmineis; 41.ff.h.t. Vel,niſi mulier tutrix ſit; tum enim in cauſa filiorũ per ſe ipſam in judicio ſtare poteſt,ut docet Jo.Andr.in c.2.de judic. in 6. cùm enim lex ei adminiſtrationem bonorum deferat,videtur etiam concedere, ut pro eorum defenſione in judicio ſtare poſſit,& procuratricis,ſeu advocatricis munere fungi,arg.c.Ex parte; 67.de appellat. 2. Milites quoque in aliena cauſa, etiam volente adverſario, Procuratores eſſe nequeunt, ne quidem pro conjunctis perſonis.l.Filiusfam.8.§.Veterani, & cit.l.Neque fœmina; ff. h. t. non ſolùm ad lites,ſed neque ad negotia, ut colligitur ex l. Milites; 31.C.de locat. quia publicè intereſt,eos,per privatorum negotia,à militia non avocari. cit.l.Milites in fine. Excipi debet, niſi milites in rem ſuam, aut ſuæ cohortis nomine agant. cit.l.Filiusfam. §. Veterani; ff. h.t. l.Qui ſtipendia; 9. C. eod. quia tunc tam alienam,quàm propriam cauſam agunt; vel,niſi ſint veterani, qui honeſtam miſſionem conſecuti ſunt. cit. §. Veterani. 3. Neque ſervus poteſt eſſe Procurator, quia legitimam perſonam ſtandi in judicio non habet, l. 1.& tot.tit.C.qui legit.perſ.&c. quamvis ad negotia dari poſſit. nec furioſus, ob animi defectum, l.2. §.Furioſus; ff. h.t. nec mutus, & ſurdus, licèt ad negotia Procuratores dari poſſint, l. Mutus; 43.in princ. ff.eod.nec decuriones, aliique digniores Procuratores eſſe poſſunt. l. Si quis; 16. & l. Si quis; 24. C.De decurion. l. 10. neque fiſcus,& Reſpubl.ob potentiam,& terrorem, l.3.& tot.tit. C.Ne fiſcus,vel Reſpubl.&c. neque reus criminis, pendente accuſatione,antequam probet ſuam innocentiam, l.Reum; 6.C.h.t. Denique qui Reipubl.causâ abſuturus eſt, aut initurus Magiſtratum,aut perpetuo morbo tenetur, aut invitus judicium pati non poteſt, idoneus Procurator,aut defenſor eſſe non poteſt.l.Neque;54. ff.eod. WVeſenb.in parat. ff. h. t. Hiltrop. de proceſſu judic.p.1.tit.21.n.52. & ſeqq.

§. IV.

De cauſis, in quibus conſtitui poteſt Procurator, vel non poteſt.

XXV. Aſſertio 1. In omnibus cauſis, & negotijs adhiberi poteſt Procurator, in quibus id non reperitur expreſsè prohibitum; cùm enim hoc Edictum ſit prohibitorium, l. Mutus; 43. §. 1. ff. h. t. quidquid non eſt prohibitum,id intelligi debet conceſſum, arg. l. Cùm Prætor; 12. ff. da re judic. & patet ex ſuprà dictis. Quare in omnibus civilibus cauſis ad agendum,& defendendum in judicio intervenire poteſt Procurator,tam in cauſis pecuniarijs,l. In pecuniarijs; 26. C. h. t. quàm liberalibus, ſive ſtatum concernentibus, l. Servum; 33. §. Eum verò; l. Sed & hæ; 35. §. 1. ff. h. t. & in cauſis temporalibus, & ſpiritualibus, c. 1. h. t. in 6. & non tantùm ad lites præſentes, ſive inchoatas, ſed etiam futuras,ſive nondum exortas dari poteſt Procurator, l. Item; 3. ff. h. t. c. pen. & ibi Gloſſ. V.Ad futuras; extra eod. tam in prima, quàm ſecunda inſtantia, ſive appellationis, l. 2. C. h. t.

XXVI. Et hinc etiam in cauſis matrimonialibus admittitur Procurator, & quidem ad matrimonium contrahendum, ut conſtat ex c. Procurator; 9. & ult. h. t. in 6. ubi tria ſpecialia decernuntur obſervanda in Procuratore ad contrahendum matrimonium conſtituto: Inprimis, ut non ali- » ter cenſeatur eſſe idoneus ad matrimonium con- » trahendum (nec ad cauſam matrimonialem agen- » dam. Gloſſ. hîc V. Matrimonium contrahendum) » quàm, ſi ad hoc ſpeciale mandatum habuerit. Se- » cundò, quamvis aliàs Procurator ad negotia con- » ſtitutus liberè poſſit alium Procuratorem dare, ſi- » ve ſubſtituere: in hoc tamen caſu non poteſt a- » lium deputare, niſi hoc ei ſpecialiter ſit commiſ- » ſum; idque propterea, quia negotium iſtud valde » arduum eſt, & periculoſum. Tertiò, ſi Procura- » tor, antequam matrimonium nomine Domini » ſui contraxerit, ab eo fuerit revocatus, poſtea il- » lud contrahi non poteſt, ſed contractum nullum » erit, ob defectum conſenſus ſui principalis: »

quam

» quamvis tam Procurator, quàm perſona, cum » qua contraxit, revocationem hujuſmodi omnino » ignotârint, prout habetur in cit. c. ult. §. Sanè ; » h. t. in 6.

XXVII. Notandum 1. Omnes contractus, qui conſenſu perficiuntur, ſeu peraguntur, poſſunt inter abſentes contrahi, arg. l. 1. in fine ff. de contrah. empr. adeóque etiam per alium, ſeu Procuratorem, qui cùm ſit quaſi miniſter, & inſtrumentum Domini, per illum ipſe Dominus conſentire cenſetur, & dicitur, juxta reg. jur. 72. in 6. qui facit per alium, eſt perinde, acſi faciat per ſe ipſum. Gl. hîc V. Idoneus; junct. Gloſſ. marg. requiritur autem, ut Procurator habeat ſpeciale mandatum ad contrahendum matrimonium, quia cauſa matrimonij valde ardua cenſetur, propter periculum, quod inde provenire poteſt, ſi minùs providè contrahatur, ideóque ſpecialem, & expreſſam commiſſionem requirit: nec ſufficit mandatum generale, in quo expreſſis quibuſdam ſpecialibus, addatur clauſula generalis, *& alia omnia*, quia illa comprehendit ſolùm ſpecialia ſimilia, non autem majora expreſſis, ut eſt cauſa matrimonij, Gl. hîc V. Speciale. Imò etiam requiritur, ut in mandato exprimatur certa, ac determinata perſona, cum qua matrimonium contrahendum eſt, v.g. conſtituo Titium Procuratorem meum, ad contrahendum matrimonium meo nomine cum Anna, nec ſufficit generale ad contrahendum cum quacunque, ut tradit etiam Gl. hîc V. eodem. & l. Generali; 34. ff. de ritu nupt. ubi in Rubr. deſumpta ex Baldo dicitur *generale mandatum in nuptiis non ſufficit, niſi mandantis ratihabitio ſequatur*. Covarr. in Epitom. l. 4. Decret. p. 2. c. 4. in princ. n. 8. & alij apud Barboſ. in Collect. in cit. c. ult. n. 2. h. t. in 6. Ratio eſt, quia ad ſubſtantiam matrimonij requiritur, ut contrahentes in certam, ac determinatam perſonam mutuo conſentiant.

XXVIII. Notandum 2. Procurator deputatus ad contrahendum matrimonium dicitur ad negotia conſtitutus, uti colligitur ex hoc c. ibi *ad negotia*, Franc. hîc not. 2. Et licèt aliàs Procurator ad negotia conſtitutus regulariter poſſit alium ſubſtituere: Procurator tamen cum mandato ſpeciali conſtitutus ad contrahendum matrimonium non poteſt alium ſubſtituere, niſi expreſsè in mandato id contineatur, uti habetur in cit. c. ult. Ratio eſt, quia in cauſis, & negotiis gravibus, ſeu arduis, cenſetur electa fides, & induſtria perſonæ, ideóque negotium alteri committi non poteſt, Franc. hîc n. 2. Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 11. n. 3. & 4. & alij apud Barboſ. hîc num. 6.

XXIX. Notandum 3. Procurator ad matrimonium contrahendum conſtitutus non poteſt illud contrahere, poſt revocationem mandati, etiam ipſo ignorante, à Domino factam; & quamvis notitia revocationis ad ipſum non pervenerit; quod etiam ſpeciale eſt in Procuratore dato ad matrimoniũ contrahendum, cùm aliàs regulariter non valeat revocatio Procuratoris ad negotia, niſi pervenerit ad notitiam eiuſdem, ut infrà dicetur, Gl. hîc V. Ignorarent. Ratio redditur in fine hujus c. quia in aliis cõtractibus jus poteſt ſupplere defectũ conſensûs contrahentium, & ſine conſenſu illorum dominium rerum, vel jura transferre: at verò ad ſubſtantiam matrimonij contrahendi requiritur verus, & formalis conſenſus mutuus contrahentium; qui per jus poſitivum ſuppleri non poteſt, adeóque ſi hic deficiat ex parte unius principalis contrahentis, propter revocationem mandati procuratorij, non poteſt matrimonium à Procuratore revocato contractum validum eſſe. Franc. hîc n. 3. Covarr. c. l. n. 9. Sanch. cit. diſ. 11. n. 6. & alij apud Barb. hîc n. 7. Idem dicendum, ſi tacitè revocatum ſit mandatum Procuratoris per aliud mandatum poſterius datum ad contrahendum matrimonium cum alia, vel ſi mandans, ante contractum matrimonium à Procuratore, cum aliâ contraxit, etiam ignotante Procuratore. Covarr. c. l. n. 11. Item, ſi matrimonium contractum ſit per Epiſtolam, Covarr. c. l. n. 10. in fine.

His adde, quòd, etſi dominus juraverit, ſe non revocaturum Procuratorem datum ad matrimoniũ contrahendum, ſi tamen poſtea revocet, tenet revocatio, non obſtante juramento, & matrimonium à Procuratore contractum eſt invalidum, ob defectum conſensûs, quamvìs revocans perjurus fiat, & puniri debeat, Gl. hîc V. Revocatus. Franc. num. 6. Sanch. cit. diſ. 11. n. 8. & alij apud Barboſ. hîc n. 9.

XXX. Porrò quæ hîc dicta ſunt de matrimonio, etiam locum habent in ſponſalibus contractis per Procuratorem, nam & is ſpeciale mandatum habere debet, nec poteſt alium ſibi ſubſtituere ad contrahenda ſponſalia. arg. cit. c. ult. h. t. in 6. & ſic, poſtquam revocatus eſt à domino, etiam ignoranter, ſponſalia quoque ab eo poſtea contracta ſunt invalida, quia, cùm ſponſalia ſint via, ac diſpoſitio quædam ad matrimonium, ideo eius quodammodo naturam, & conditiones participant. arg. l. Oratio; 16. ff. de ſponſalib. Sanch. cit. diſ. 11. n. 3. & 5. Layın. hîc in fine.

XXXI. Aſſertio 2. In cauſis, ſeu judiciis criminalibus, ſive crimina ſint publica, ſive privata, ſi non pecuniaria mulcta, ſed pœna capitalis, vel alia corporalis, ſeu corporis afflictiva, & major relegatione pro crimine imponenda ſit, non admittitur Procurator, ſed partes perſonaliter comparere debent, ut conſtat ex c. Veniens; 15. de accuſat. & l. 1. ff. An per alium cauſ. appel. &c. & ex l. pen. §. Ad crimen; ff. de publ. judic. ex communi docet Jul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 32. n. 1. & pluribus ſeqq. Idque de Jure communi obtinet, ut neque pro reo criminaliter accuſato admittatur Procurator ad eum defendendum: neque pro actore, ſeu accuſatore ad agendum, ſeu accuſandum in cauſa criminali, Gl. in cit. c. Veniens; V. Criminali. Ratio eſt, quia, ubi agitur de pœna capitis, vel aliâ corporali reo infligendâ, ſententia Judicis reddi eluſoria poſſet, neque executioni mandari: nam in Procuratorem non eſſet executioni mandanda, quia ipſe nõ deliquit: contra reum autem abſentem non facilè executioni mandari poſſet, quia in Judicis poteſtate non eſſet, & ad evitandam pœnam fugâ ſibi conſuleret, Hiltrop. in proceſ. judic. p. 1. tit. 21. n. 73.

Similiter, ſi quilibet accuſator poſſet conſtituere Procuratorem, evaderet condemnationẽ ad pœnam talionis, ad quam ſe inſcribere, & obligare debet, ſi in probatione illum ſuccumbere contingat, nempe ad talem pœnam, qualem accuſatus ſuſtinere deberet, ſi convictus eſſet, l. ult. C. de accuſat. & ſic judicia crimina-

minalia frequenter redderentur illuſoria, & irrita, Clar.c.l.n.3. Verùm, cùm jam per contrariam conſuetudinem ſit ſublata pœna talionis, ad quam non ampliùs tenetur accuſator, ſed tantùm ſumptus præſtare debet, & mulctam pecuniariam, ſi in accuſando defecerit: ideo ex parte accuſantis criminaliter hodie plerumque admittitur Procurator, etiam in criminibus capitalibus, quia in illo ceſſat cauſa, propter quam in cauſa criminali per Procuratorem agi non poteſt. Clar.c.l.n.3.& n.23. VVeſenb. in paratitl.ff.h.t.n.5. Sed de hoc plura alibi.

XXXII. Cæterùm, quod dictum eſt, in cauſis criminalibus non poſſe intervenire Procuratorem, ſaltem ex parte Rei, quando agitur de pœna capitali, aut alia corporali imponenda, id limitari debet, niſi de crimine non agatur criminaliter ad pœnam legalem, & publicam, ſed civiliter ad pœnam pecuniariam, vel aliam ſimilem, tum enim admittitur Procurator. l.Licèt; 42. §.1. ff. h. t. quia tunc ceſſat ratio, ob quam in criminalibus cauſis non admittitur Procurator; nam, cùm executio condemnationis fieri debeat, non in perſona, ſed in bonis, nihil intereſt fiſci, neque partis læſæ, an reus perſonaliter compareat, an verò per Procuratorem ea defendat. Clar. c.l.n.4. VVeſenb.c.l.

» Idque etiam ſumitur ex c.Tuæ; 5. h.t. ubi Papa » Innocentius III. reſcribit: Si vir, ſeu maritus, co- » ram Judice ſeculari, accuſet uxorem de adulterio » criminaliter ad pœnam legalem (quæ olim erat pœna ſanguinis, ſeu capitalis, nempe amputatio capitis. l.Quamvis; 30. in fine C.ad leg.Jul. de adult. Gl. hic V. Legitimam, ſed poſtea mutata fuit in pœnam verberationis, & detruſionis in Monaſterium in fœminis adulteris. Auth. Sed hodie; C.eodem) ei infli- » gendam, non per Procuratorem, ſed perſonaliter » præſens eam accuſare debet, quia tunc ſe inſcribe- » re, & ad pœnam talionis obligare debet. Si verò » maritus uxorem accuſare velit de adulterio, coram » Judice Eccleſiaſtico, ad inſtituendum divortium, » ſeu ſeparationem tori, & cohabitationis, tum, quá- » vìs ſe inſcribere debeat, ut in ſcripto deſignet no- » men (adulteri) locum (in quo commiſſum fuit cri- » men) tempus (ſcilicet annum, & menſem commiſ- » ſi criminis) & alia, quæ lege civili deſignanda ſunt » (juxta l.Libellorum; 3. ff. de accuſat.) quia tamen ad » pœnam talionis, ſi fortè in probatione defecerit, ſe » obligare non tenetur; ideo ſuſtineri poteſt, ſi ne- » ceſſitas id poſtulet, ut per Procuratorem accuſet, » ſeu agat, ne intentionis ſuæ conſequatur effectum » (ut ſcilicet ſeparentur, Gl. hic V. effectum) quia hu- » juſmodi accuſatio, etſi ſit de crimine, non tamen eſt » criminalis, ſed veluti mixta inter civilem, & crimi- » nalem; ſecurius tamen erit, ſi partes principales » perſonaliter in judicio ſint præſentes.

XXXIII. Notandum 1. Spectato Jure communi accuſator in cauſa criminali, ut in propoſito caſu, ſi maritus accuſat uxorem criminaliter ad pœnam publicam, tenetur per ſe, & non per Procuratorem accuſare, quia obligatur ad pœnam talionis, ut patet ex hoc c. & juribus ſuprà cit. At verò reum criminaliter accuſatum, ſi abſens perſonaliter comparere commodè nequeat, per Procuratorem defendi poſſe, videtur clarè colligi ex l. 3. C. de accuſ. ubi dicitur, reos capitalium criminum abſentes etiam per Procuratorem defendi, leges publicorum judiciorum permittunt, & ex l.Servum; 33. §. Publicè; ff.h.t. & ex c. In noſtra; 4. h. t. & ex Cujacio docet Fachin. l. 1. controverſ. jur. c. 24. Qui textum; in l. pen §. Ad crimen; ff. de publ. judic. ubi dicitur: *ad crimen judicij publici perſequendum fruſtra Procurator intervenit, multóque magis ad defendendum*: intelligit de reo non abſente, ſed præſente, quia fruſtra per Procuratorem defenderetur, cùm præſens ſit. Alij verò communiter dicunt, Procuratorem in tali cauſa criminali ex parte Rei intervenire poſſe tantùm ad allegandam, & probandam cauſam abſentiæ, juxta l. Abſens; 71 juncta Gl. V. Poteſt; ff.h.t. vel, ut alias exceptiones declinatorias, vel dilatorias, quæ crimen ipſum principaliter non reſpiciunt, opponat contra Judicem, adverſarium, aut teſtes, non autem admitti Procuratorem ad defendendam ejus innocentiam, Gloſſ. in c. In noſtra; V. Præſentia; h.t. & in cit. c. Veniens; V. Criminaliter; de accuſ. Gl. marg. in l. 3. C. eod. Clar. cit. q. 32. n. 17. & duob⁹ ſeqq. Weſenb. ff.h.t.n.5. & alij communiter. Et ita explicant ll. ſupra in contrarium allegatas, in quibus habetur, Procuratorem in criminibus publicis, & capitalibus, ad agendum, vel defendendum intervenire non poſſe.

Notandum 2. Si de adulterio agatur criminaliter ad pœnam ſanguinis, vel capitalem, tum cognitio pertinet ad Judicem ſecularem: ſi verò agatur ad divortium inſtituendum, ſeu ſeparationem tori, non ſecularis, ſed Eccleſiaſticus Judex de eo cognoſcere debet, ut patet ex hoc c. quia, cùm matrimonium ſit Sacramentum, de ejus valore, vel diſſolutione ad Eccleſiam pertinet cognoſcere.

Notandum 3. Si in caſu hujus c. maritus priùs accuſavit uxorem ſuam criminaliter, ad publicam vindictam criminis, non poteſt poſtea contra illam agere civiliter ad ſeparationem tori, vel lucrandam dotem: quia cùm utraque actio tendat ad pœnam, etſi una ad publicam, altera ad privatam, non poteſt etiam una poſt alteram inſtitui, quia non eſt æquum, ut quis petat, idem delictum bis puniri, ut conſtat ex l. Interdum; 4 ff. de publ. judic. & l. 6. in fine; ff. de injuriis: ubi dicitur, ſi actum ſit publico judicio, denegandum eſt privatum, & ex diverſo. Et talis actio, quæ tendit ad pœnam privatam applicandam actori, ſeu accuſatori, dicitur hìc mixta, quia partim eſt criminalis, eò quòd tendit ad puniendum crimen, partim quodammodo civilis, quia tendit ad pœnam actori applicandam. Aliud eſt, ſi actio aliqua civilis non ſit pœnalis, ſed merè rei perſecutoria, tendens ad compenſationem damni illati, vel ad intereſſe rei familiaris; tum enim poſt actionem criminalem, illa quoque inſtitui poteſt, quia actio civilis criminali non præjudicat, l. unic. C. quando civil. act. &c. non tamen ſimul poſſet cum criminali inſtitui, niſi incidenter, & acceſſoriè. Abb. hic num. 5. Clar. §. fin. quæſt. 2. num. 2. Plura de Procuratore, an intervenire poſſit in cauſis criminalibus, infrà l. 5. tit. 1. ubi ex inſtituto de hac re agitur.

§. V.

De forma, ſeu modo conſtituendi Procuratorem.

XXXIV. Aſſertio 1. Procurator, non tantùm præſens, ſed etiam abſens conſtitni poteſt, modò conſentiat, ſeu ratum babeat, l. 1. §. fin. & l. 2. ff. h. t. Et quidem, vel per conſenſum expreſſum, veluti per pactum, nnncium, literas, tatihabitionem: vel per tacitum conſenſum facto aliquo ſignificatum; ut, cùm dominus principalis præſens permittit alteri cauſam ſuam agere, vel defendere in judicio: præſumitur enim, ipſum conſtitnere Procuratorem: nam ſcientia, & patientia domini ſui, ſeu principalis præſnmptionem inducit mandati, niſi dominus contrarium probet, Mynſing. centur. 5. obſerv. 80. num. 4. vel, ſi dominus inſtumenta cauſæ Procuratori tradar, argum. l. ult. ff. de pact. convent. Hiltrop. cit. tit. 21. num. 61. Idémque dicendum, ſi Procurator conſtitutus ſcienter mandatum recipiar, nec contradicat, ut habetnr in Clement. inſtrumento 1. h. t. ubi ſtatuitur, ſi quis inſtrumen» to (ſcilicet manu publicâ Notarij confecto, Gloſſ. » margin. hîc) vel litteris (ptivatis ſigillo ſuo mu» nitis, Gloſſ. hîc V. eod.) aliquem in cauſis ſuis » Procuratorem conſtituit, & pro ipſu debito mo» do cavit (de judicato ſolvendo; Gloſſ. hîc V. Cavit) » & is nullâ factâ proteſtatione, ſcienter inſtru» mentum, vel litteras procurationis recipiat, non » poteſt poſtea recuſare defenſionem (nam hîc a» gitur de Procuratore Rei, Gloſſ. hîc V. Cavit) imò cogi poterit ad ipſnm dominum defendendum in omnibus cauſis, & negotiis, ad quæ inſtrumentum procurationis ſe extendit, quia illud recipiendo, cenſetur conſenſiſſe in omnia in eodem contenta.

XXXV. Hinc colligitnr primò, qui recipit litteras, ſeu inſtrumentum publicum, vel privatum, in quo continetur aliquid, alicui gtavamen afferens, vel onus imponens, ſi illud abſque omni proteſtatione acceptet, ſciens, quæ in illo continentur, cenſetur tacitè, ſeu ipſo facto conſentire, & ſe obligare ad præſtanda omnia in illo contenta: ſecus, ſi ignoret, qnia ignorans, vel errans non conſentit, Gl. hîc V. Scienter, & Abb. n. 2.

Colligitur ſecundò, licèt aliàs tegulariter, qui tacet in rebns præjudicialibus, & oneroſis, non habetur pro conſentiente: ſecns ramen eſt, ſi prætet taciturnitatem, accedat aliquis actus poſitivus, per quem approbantur ea, quæ geruntur, ut in propoſito eſt acceptatio mandati procuratorij ſcienter facta, Abb. hîc num. 3. & in c. pen. num. 7. extra. eodem. ubi ex hoc infert, quòd, ſi quis ſcienter recipiat litteras ab aliqno, in quibus continetur, quòd ſit debitor ipſius, nec contradicat, videatur tunc conſentire.

Colligitur tertiò, quamvìs Procurator regulariter non cogatnr præcisè dominnm defendere, etiamſi ſatisdederit de jndicato ſolvendo, & domino defendendo, niſi ob juſtam, & nrgentem cauſam impediatur, l. Mutus; 43. §. Qui non cogitur; ff. h. t. ſed tantùm tenetur domino ſolvere id, quod eius intereſt, l. Non cogendum; 45. ff. eod. tamen id non procedit, quando dominus, ſive reus pro Procuratore præſente, & non contradicente ſatiſdedit, l. Filiusfam. 8. §. fin. l. Sed & hæ; 35. §. pen. ff. h. t. idque ne fallat fidem domino, & adverſario, Gloſſ. hîc V. Cogi; & Abb. n. 4.

Colligitur quartò, ad conſtitutionem Procuratoris, & Principalis conſtituentis, & conſtituti Procuratoris conſenſus requiritur, quia ſicut nemo regulariter Procuratorem conſtituere cogitur: ita nec aliquis compellitur invitus officium Procuratoris ſuſcipere: c. Licèt; 7. h. t. in 6. l. Filiusfam. 8. §. Invitus; ff. eod. l. Invitus; 17. C. eodem: invitus autem dicitur non tantùm is, qui contradicit, ſed is quoque, qui conſenſiſſe non probatur, cit. l. Filiusfam. §. Invitus; adeóque in propoſito, taciturnitas conſenſui non comparatur, ut notat Gloſſ. ibid. V. Non probatur.

XXXVI. Cæterùm hîc addendum, quod habetur ſtatutum in c. Licèt; 7. h. t. in 6. Si Procurator » ab abſente conſtitutus (ſive ad judicia, ſive ad ne» gotia, Gl. hîc V. Procurator) mandatum procurato» rium ſibi præſentatum ſuſcipere nolit, hoc non » obſtante (contra reg. jur. 21. in 6. Quod ſemel pla» cuit, ampliùs diſplicere non poteſt) poſtea mutatâ » voluntate, illud acceptare poterit, dummodo con» ſtituens Procuratorem in eadem voluntate perſe» verârit. Quod quidem præſumitur, ſi conſtituens » Procuratorem abſens ſit, & nihil intellexit de diſſenſu Procuratoris, nec probabiliter aliquid ſuſpicari poſſit, quia voluntas ſemel poſita ſemper præſumitur, niſi contrarium probetur, quòd ſit mutata, Gloſſ. hîc in caſu, in fine. & Ancbar. not. 2. Aliud eſt, ſi conſtituens Procuratorem præſens ſit, & diſſenſum illius cognoſcat; tum enim, ſi Procurator pœnitentiâ ductus de novo conſentire velit, poteſt conſtituens dicere, ſe jam mutâſſe voluntatem, ac proinde contractus mandati non ſubſiſtet, eò quòd conſenſus utriuſque partis domini conſtituentis, & Procuratoris conſtitnti, eodem tempore non ſit præſtitus, arg. l. 2. junct. Gl. V. Conſentire, ff. de oblig. & act. Laym. hîc num. 2. Idémque eſt, ſi in conſtitutione Procuratoris dominus dicat, *conſtituo talem Procuratorem, &, ſi is renuerit acceptare hoc officium, conſtituo talem*, tunc enim Procurator primò conſtitutus ſemel repudians munus procurationis poſtea pœnitere non poterit, Gl. magna hîc, & V. Placebit, ut colligitur ex textu ibi: *quàm diu conſtituens &c.*

XXXVII. Idque etiam obtinet in omnibus aliis contractibus, qui conſenſu perficiuntur; quòd ſi, uno contrahere volente, alter diſſentiat, ſed poſtea mutatâ voluntate, conſentiat, ſubſiſtet contractus, ſi prior in eadem voluntate perſtiterit, Gl. marg. hîc & Anchar. not. 2. Franc. num. 2. Similiter in electione, ſi electus electionem ſibi præſentatam primùm repudiat, ſed mox poſtea acceptet, intra tempus à jure præfinitum, & Electores interim voluntatem non mutent, valida eſt acceptatio, & electio, ut tradit Gl. communiter recepta hic V. Placebit; in fine. Et de collatione etiam beneficij abſenti facta docet Anchar. hîc §. Opponit, arg. c. Si tibi; 17. de præbend. in 6. Idque multò magis locum

habet in delegato, cùm ipſius officium ſit neceſſarium, Gl. fin. hîc in addit. & Ancharan.

Atque hinc etiam colligitur, quòd officium Procuratoris ſit voluntarium ab initio, quia nemo cogitur illud acceptare, ut ſuprà dictum, quod verum eſt in Procuratore privatorum: ſecus eſt in Procuratore Regio, ſeu Principis, vel Reipubl. quia publica munera, & onera etiam inviti ſuſcipere coguntur, Gl. magna hîc.

XXXVIII. Aſſertio 2. Procurator prætetea conſtitui poteſt, non tantùm ad præſentes, ſed etiam futuras lites. l. 3. ff. h. t. Et vel purè, vel ſub conditione, ut, ſi Titius litem moverit: vel in præſens, ut ſcilicet ſtatim negotia gerat, vel lites proſequatur: vel in diem, id eſt, ex die, ut ſcilicet officium incipiat poſt certam diem, v.g. poſt Calendas Martij: vel uſque ad diem, ſeu certum tempus, v. g. annum, l. Item; 3. ff. h. t. vel in perpetuum, l. 4. ff. eod. Hoſtienſ. in ſumma. n. 2. eod.

Procurator item conſtituitur, vel in judicio, ſi dominus conſtituens litteras mandati Judici offerat, vel mittat, & ad acta redigi curet, aut, ſi ipſe coram Judice Procuratorem eligat, cúmque confirmet: Vel extra judicium, coram Notario ſcilicet, & teſtibus, vel, ſi is haberi commodè nequit, litteris publico, vel privato ſigillo conſignatis conſtituat, VVeſenbec. ff. h. t. num. 6.

XXXIX. Aſſertio 3. Non tantùm unus, ſed etiam duo, aut plures Procuratores, ſuper eadem cauſa, ſeu lite, conſtitui poſſunt; & quidem, vel ſimul, & eodem tempore, vel non ſimul, ſed diverſis temporibus; idque vel in ſolidum, vel ſimpliciter, ut mox declarabitur. Et inprimis, ſi duo, vel plures Procuratores ſimul, & in ſolidum dati ſint ſuper eadem cauſa, ita, ut ſinguli ſeorſim ſine aliis litem proſequi poſſint, tum is, qui priùs cauſam, ſeu negotium tractare cœpit, alioſque prævenit, præferendus eſt aliis, eóſque excludit, ita, ut ſe immiſcere non poſſint: ſecus eſt, ſi diverſis temporibus ſint conſtituti in ſolidum ſinguli, tum enim per poſterioris, vel poſteriorum conſtitutionem in eadem cauſa, cenſetur prior Procurator tacitè revocatus, prout
» ſumitur ex c. Non injuſtè; 14. in princ. h. t. Nam,
» cùm quidam filiusfam. (ut refert Gloſſ. in caſu) in
» quadam cauſa Procurator conſtitutus fuiſſet, e-
» tiam ad futuras lites, & ſimul cum aliis in ſoli-
» dum (ut ſupplendum eſſe ait Gloſſ. hic V. Cum ali-
» is, & ex dicendis patebit) ipſe filiusfam. prævenit
» alios: ideóque ei objiciebatur, quòd non poſſit eſ-
» ſe Procurator, cùm ſit adhuc in poteſtate patris, &
» quòd ad futuras cauſas, vel controverſias conſtitui
» non poterat. Sed Judex nihilominus eum admi-
» ſit. Re delatâ ad Papam Gregor. IX. is reſpondit,
» quòd Judex juſtè fecit, admittendo filiumfam. tan-
» quam Procuratorem, etiam ad futuras contro-
» verſias conſtitutum: qui, licèt ſimul cum aliis con-
» ſtitutus fuerit, (in ſolidum) ipſe tamen priùs pro-
» curationis officium occupavit. Secus eſt, ſi plures
» Procuratores diverſis temporibus (in ſolidum) ſint
» conſtituti, tum enim per poſterioris conſtitutio-
» nem prioris procuratio revocata eſſe cenſetur.

XL. Prima pars huius c. habetur etiam in c. Si duo; 6. h. t. in 6. & in l. Pluribus; 32. ff. eodem. ubi dicitur: pluribus Procuratoribus in ſolidum ſimul datis, occupantis conditio melior erit, ut poſterior non ſit Procurator in eo, quod prior petit: cuius ratio paulò pòſt afferetur. Secunda pars habetur etiam in l. Si quis; 31. §. Julianus; ff. h. t. ubi dicitur: Julianus ait, eum, qui dedit diverſis temporibus Procuratores duos, poſteriorem dando, priorem prohibuiſſe videri. Ubi ſimul etiam ratio redditur, quia poſt primum Procuratorem conſtitutum, dando ſecundum, videtur revocare primum. Idque procedit, etiamſi poſterior Procurator mandatum ſuſcipere noluerit, argum. §. Poſteriore Inſtitut. quib. mod. teſtam. rump. ubi dicitur, quòd per poſterius teſtamentum rumpitur primum, licèt ex ſecundo aliquis hæres non extiterit, vel eſſe noluerit, Gloſſ. in cit. c. Si duo; V. Simul; h. t. in 6. & quamvis dans poſteriorem, ſuper eodem negotio, vel lite, non faciat mentionem de priore, quando uterque eſt ſpecialis, vel uterque generalis, Gloſſ. marg. in cit. c. pen. V. Temporalibus; lit. b. h. t.

Excipi debet primò, niſi dans ſecundum Procuratorem exprimat, ſe nolle per hoc revocare primum. Gloſſ. in cit. c. pen. V. Temporibus.

Secundò excipi debet, niſi Procurator priùs datus ſit Procurator generalis ad omnia negotia, poſterior verò ſpecialis, ſeu ad certam cauſam datus, tum enim per ſpecialem commiſſionem, ſeu mandatum non derogatur priori generali, ſed ordo præſcribitur, ut priùs admittatur ſpecialis, & in eius defectum generalis, juxta l. Quoniam; 3. C. de conven. fiſc. debit. & ex doctrina Baldi docet Laym. in cit. c. pen. h. t. n. 3. ſicut neque per Procuratorem generalem poſteriorem revocatur prior ſpecialis, quia per genus non derogatur ſpeciei, arg. c. 1. de reſcript.

XLI. Præterea, ſi duo, vel plures Procuratores »
ſimul conſtituti ſint, non adiectâ clauſulâ *in ſolidum*, »
ſed ſimpliciter, tum unus ſine altero admitti nō de- »
bet, ſed ambo, vel omnes ſimul. Si verò uterque, vel »
omnes in ſolidum ſint conſtituti, tunc ille præfe- »
rendus eſt, qui per litis conteſtationem cauſam pri- »
ùs occupavit, ſive alios prævenit, ita, ut alter, vel re- »
liqui ſe poſtea immiſcere non poſſint, cùm ille do- »
minus litis effectus fuerit. Niſi in conſtitutione, ſeu »
mandato adiectum ſit, ut præoccupantis conditio »
melior non ſit; tunc enim, ſi Procuratorem, qui li- »
tem conteſtando cauſam præoccupavit, infirmari, »
mori, vel abſentem eſſe, aut ex alia cauſa impediri »
contigerit, vel etiam cauſam fortè proſequi nolit: »
his, inquam, caſibus, alter, vel reliqui cauſam ab il- »
lo inchoatam ſuſcipere, & perficere poſſunt: dum- »
modo ille præoccupans alium Procuratorem in »
locum ſuum non ſubſtituerit, tum enim is præfer- »
ri debet alteri, vel aliis Comprocuratoribus, pro- »
ut ſtatutum eſt, in c. Si duo; 6. in princ. huius tit.
in 6.

XLII. Notandum 1. Quando duo, vel plures ſunt deputati Procuratores ſimpliciter, & eodem tempore, tum unus ſeorſim ſine aliis procedere non poteſt, quia poteſtatem habent, non in ſolidum ſinguli, ſed quiſque pro parte ſolùm, & omnibus procurare ſimul conceſſum eſt. Franc. hîc num. 1. not. 2.

not. 2. ſicut idem ſtatutum eſt de pluribus Judicibus delegatis ſimul, & ſimpliciter datis in c. Cauſam; 16.& c.Prudentiam;21.de offic.deleg.neque inter pluresProcuratores ſimul ſimpliciter datos habet locum præoccupatio unius,per litis conteſtationem, quia unus ſine altero procedere non poteſt,& omnes habentur loco unius. Franc. hîc num 5. Si verò plures Procuratores ſimul ſint conſtituti, cum clauſula *in ſolidum*, tum quiſque habet poteſtatem faciendi per ſe, quod poſſet ipſe dominus in ijs, ad quæ extendit ſe mandatum, quia tunc unus ſolus procedere poteſt, & admittitur ad agendum ſine altero, ſive aliis, Gl. hîc V. Secus, & Abb. in cit.c.pen. num. 3. h. t. Quòd ſi tamen unus in cauſa per litis conteſtationem (poſt quam propriè quis agere dicitur, Gl.hîc V. Litis conteſtationem) alios prævenit: tum, cùm factus ſit dominus litis,alios Comprocuratores ab agendo excludit, ut ſe ingerere cauſæ ampliùs non poſſint: prætetquam, ſi ipſe principalis conſtituens in mandato expreſsè præoccupationi unius Procuratoris, & excluſioni aliorum derogaverit: tum enim, etſi, qui alios prævenit, ſolus adhuc cauſam cœptam proſequi poſſit, cùm enim hoc jus ex juris diſpoſitione ei competat, non potuit ipſi per conſtituentem in totum auferri: ſi tamen nolit,vel ob impedimentum non poſſit, alij admittentur, Gl. hîc V.Occupantis, ubi regulam allegat: ſi, quod aliquis agit,non valet in totum, valebit tamen ex parte, & eo modo, quo valere poteſt. Quare clauſula illa mandato inſerta, ut non fiat melior conditio Procuratoris præoccupantis, tribuit alteri, vel aliis poteſtatem agendi ſolùm in habitu, non autem actu, & quoad exercitium, niſi is, qui præoccupavit, non poſſit, vel non velit agere. Franc. hîc num. 2. not. 3. Excipi debet, niſi præoccupans alium Procuratorem ſibi ſubſtituerit, tunc enim ille præferendus eſt aliis Comprocuratoribus, cùm ſit conſtitutus ab eo, qui illis potior eſt,adeóque vices potioris gerat, Gl. hîc V. Præferri.

Notandum 2. Similiter in Procuratoribus pluribus ad negotia ſimul in ſolidum datis, unus poteſt præoccupare, & prævenire alios, etiam per quemlibet actum, &, quamvìs talis actus de jure effectum non habuerit; in quo tales Procuratores differunt à Judicibus ſimul delegatis in ſolidum, in quibus non inducitur præoccupatio juriſdictionis per actum invalidum, v.g. ſi unus ex delegatis priùs citavit reum,ſed illegitimè. arg. c.pen.de foro compet. Franc. hîc n.1.& 2.

Notandum 3. Si plures Procuratores ſint ſimul conſtituti ad negotia ſimpliciter, & non in ſolidum, tum unus non poteſt exigere ab altero debitum domini ſui, quia nec ab extraneo id exigere poteſt, cùm regulariter unus nihil poſſit agere ſine alio: niſi eſſent dati ad diverſa negotia, v.g. unus ad procuranda negotia civitatis, alius ad ea, quæ foris, ſeu ruri geruntur. Si verò in ſolidum dati ſint, ita, ut unus etiam ſeorſim ſine altero agere poſſit: tum vel ſpecialiter ad exigendum debitum domini dati ſunt; & unus ab altero exigere poteſt, l. Qui proprio; 46. §. fin. ff. h. t. vel generaliter ad negotia dati ſunt; & unus ab alio debitum domini exigere non poteſt, juxta l. Qui duos; 46. ff. eod. Excipi debet, niſi dominus ipſe exigere non poſſit. Et hinc, ſi duo tutores, vel duo executores teſtamenti ſunt conſtituti, quamvìs ſimpliciter, & non in ſolidum, tum poteſt unus ab altero debitum pupilli, vel teſtatoris exigere, quia ipſe dominus per ſe illud exigere non poteſt, adeóque propter neceſſitatem permittitur, ut unus ſine altero agere poſſit,quamvìs aliàs regulariter non poſſit, ut ex Bart. tradit Abb. in cit. c. pen.n.8.h.t.

XLIII. Prædictis addendum primò, ſi Procurator, qui præoccupavit, ſive prævenit alios per litis conteſtationem, nullúmque ſibi ſubſtituit, poſtea ob impedimentum à cauſa proſequenda ceſſet, eo impedimento ſublato, non poteſt cauſam illam reaſſumere, niſi & alter Comprocurator, ſive collega (cum eo in ſolidum datus) qui cauſam ſuſcepit, loco prioris Procuratoris, tunc impeditus ſit, prout habetur ſtatutum in cit. c. Si duo; §. Cæterùm, h. t. in 6. Ratio eſt, quia hoc caſu alter impeditus, qui poſterius cauſam ſuſcepit, non poteſt alium ſibi ſubſtituere, cùm litem non fuerit conteſtatus, & ideo prior Procurator cauſam iterum aſſumere poterit. Gloſſ. fin. hic. Neque verò duo Procuratores in ſolidum dari ſimul, & eodem tempore procedere poſſunt, quia facilè contingere poſſet, ut ſe mutuò in cauſa impedirent, dum unus fateretur, quod alter negaret, per quod litium expeditio retardaretur, quod bono publico obeſſet, Vivian. in Rat.Jur.Pontif. hîc §. Cæterùm, ex Geminian.

XLIV. Addendum ſecundò, ſi in cauſis electionum, poſtulationum, proviſionum, & aliorum ſpiritualium negotiorum, quæ celeriorem expeditionem poſtulant, duo vel plures Procuratores ſimul, non in ſolidum dati ſunt: poteſt Judex, ne propter eorum concurſum negotia intricari contingat, quem cenſuerit magìs idoneum, ex eis eligere, qui cauſam ſolus proſequatur. Neque alter Procurator poſtea admitti ampliùs debet, niſi,qui præoccupaverat,cauſam proſequi nolit,aut non poſſit,nec ſubſtitutum dederit. Ita deciditur in cit. c. Si duo; §. Sanè, h.t. in6.junct.Gl. V. Admittendum.

Hinc colligitur primò, ſi in cauſa beneficiali, vel alia ſpirituali plures Procuratores ſint conſtituti ſimpliciter, & non in ſolidum: & unus in cauſa proceſſerit, aliis ſe non opponentibus, valebit proceſſus, quia Judex videtur elegiſſe illum, cum quò proceſſit Franc.hîc n.2.

Colligitur ſecundò, quando plures Procuratores in ſolidum ſunt conſtituti, tum judex non poteſt eligere magìs idoneum, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus cauſis, etiamſi ſint dati cum clauſula; *ut non ſit melior conditio præoccupantis.* Franc. in cit. §. Sanè; n. 3. in fine, ubi ſermo eſt de Procuratoribus ſimpliciter,& non in ſolidum conſtitutis, & in cauſis ſpiritualibus: ergo non habet locum in Procuratoribus in ſolidum datis,etiam in cauſis ſpiritualibus.

XLV. Sed contra ſuprà dicta obſtare videtur, quòd, ſi duo Judices ſimul in ſolidum ſint delegati ad eandem cauſam,& is, qui præoccupavit, ſive prævenit alios, nolit, vel impeditus ſit procedere: alter in cauſa cognoſcenda ſuccedere poteſt, etſi id in cõmiſſio-

miſſione, non fuerit expreſſum, juxta c. Cùm plures; 8. de offic. deleg. ergo idem videtur dicendum, ſi duo ſint conſtituti Procuratores in ſolidum, & unus præoccupet, quòd hoc nolente, vel impedito alter procedere poſſit: cùm tamen juxta cit. c. Si duo; huius t. in 6. alter Procurator ſe immiſcere nequeat, ſed omnino ſit excluſus, niſi in mandato contineatur clauſula, per quam præoccupationi unius, & excluſioni alterius ſit derogatum.

Ad hoc reſpondetur cum Laym. in cit. c. Si duo; §. Quæres; diſparem eſſe rationem, quia Judices in ſolidum delegati ab ipſa lege, ſeu canone communionem quandam habere cenſentur: idque, ut cauſæ, & lites celeriùs expediantur: at verò Procuratores in ſolidum dati non habent à lege communionem, nam per pluralitatem Procuratorum non magis promovetur negotiorum expeditio, ſed potiùs impeditur, ideóque eam ab homine accipere debent.

§. VI.

De mandato procuratorio, & ſatisdatione Procuratoris.

XLVI. Aſſertio 1. Ad Procuratoris conſtitutionem requiritur etiam, ut habeat legitimum mandatum à domino, ſeu principali, de quo niſi fidem faciat, Procurator ad litigandum in judicio non eſt admittendus, prout ſumitur ex c. Alia; 1. h. t. Nam, cùm Epiſcopi Salonitani cauſa in Curia Romana tractanda eſſet, quidam eò acceſſerunt, non habentes mandatum ab Epiſcopo, & cauſam agere cœperunt in judicio cum adverſatio Epiſcopi, in qua per ſententiam ſunt condemnati. Hoc intellecto, Epiſcopus Romam ſcripſit, ſe illos non miſiſſe, ſive Procuratores ſuos non conſtituiſſe, ideóq; quæ cum ipſis in præjudicium ſuum acta ſunt, ſubſiſtere non debere: quod etiam alius quidam, Epiſcopum hoc dixiſſe, perhibuit. Poſtea, cùm idem Epiſcopus alios nuncios Romam ſubmiſiſſet, neque ipſis fidem habendam eſſe, Papa Gregorius I. judicavit, quia nec ipſi mandatum procuratorium exhibere poterant. Quare idem Papa mandavit Epiſcopo, ut perſonam instructam, cum mandato legitimè facto, & Presbyterorum, ac Diaconorum ſuorum (ſeu Capitularium) ſubſcriptionibus roborato, aliiſque actis authenticis, tranſmittat, ut, quidquid cum tali Procuratore actum fuerit, de jure ſubſiſtat.

XLVII. Notandum 1. Procurator non admittitur in judicio ad agendum, ſine mandato, adeò, ut, ſi mandatum legitimum non habeat à domino, ſeu principali, hic non teneatur, ut patet ex hoc c. & ex l. Licèt; 24. C. h. t. ſed ipſemet Procurator conveniri poteſt, l. Plautius; 61. §. Falſus; ff. h. t. & ibi Gl. in caſu, Abb. hîc n. 2. not. 1. At verò quilibet poteſt defenſionem Rei ſuſcipere, etiam ſine mandato, & invito actore, modò ſatisdet de judicato ſolvendo, & legitimam perſonam ſtandi in judicio habeat. l. Exigendi; 12. & ibi Gl. V. Poteſt; C. h. t. quia publicè intereſt, abſentes omnes, etiam ignorantes, per quemcunque defendi. l. Servum; 33. §. Publicè; ff. eod. ne ignari damnum patiantur, nemine eos defendente, & naturali rationi conſentaneum eſt, alterius conditionem etiam ignorantis per alterum poſſe fieri meliorem. l. Solvendo; 39. ff. de negot. geſt.

XLVIII. Notandum 2. Quod dictum eſt, Procuratorem non audiri, nec admitti, ſine mandato domini, id limitandum eſt. Primò. Niſi ſint perſonæ conjunctæ, quæ etiam ad agendum in judicio admittuntur ſine mandato pro conjunctis ſibi perſonis, dummodo caveant, principalem ratum eſſe habiturum, quod actum fuerit, & non appareat de contraria domini voluntate: cujuſmodi perſonæ conjunctæ ſunt liberi, licèt ſint in poteſtate, parentes, fratres, ſorores, affines, & liberti, prout habetur in l. Sed & hæ; 35. in princ. ff. h. t. Imò omnes conjuncti uſque ad quartum gradum in linea tranſverſali, ut tradit Hoſtienſ. in ſumm. n. 13. h. t. Cùm prædictæ perſonæ exempli tantùm causâ enumeratæ ſint, Abb. in c. Nonnulli; 28. §. Sunt & alij; n. 10. de reſcript. exempla autem non reſtringunt regulam, ſed declarant, etiam in ſimilibus debere locum habere. Vel potiùs dicendum eſt, ad Judicem pertinere, arbitrari, quæ perſona ita ſanguine, vel amicitiâ alteri conjuncta videri debeat, ut citra omnis fraudis ſuſpicionem, admitti poſſit ad agendum ſine mandato, cùm in l. cit. conſideretur affectio conjunctorum. Laym. in c. Nonnulli; 28. §. Sunt & alij; n. 5. not. 3. de reſcript. Unde etiam maritus, nomine uxoris, agere poteſt, tanquam eius Procurator ſine mandato, ut colligitur ex c. Conſtitutis; 12. junct. Gl. V. Uxoris nomine; h. t. Ubi tamen cum Abbate ibid. n. 5. & Bartol. in l. Maritus; 21. C. eod. diſtinguendum eſt; nam pro bonis dotalibus (ut. ſi uxor marito inſtrumenta debitorum ſuorum in dotem dedit) maritus ſuo nomine agit, cùm ex juris diſpoſitione, veluti dominus dotis, conſtante matrimonio, reputetur. l. 2. C. de obligat. & action. Sed & pro bonis paraphernalibus, quæ penes maritum exiſtunt, & quorum adminiſtratio ipſi ab uxore commiſſa eſt, poteſt agere maritus tanquam Procurator, nomine uxoris, in judicio, ſine mandato, &, licèt non caveat de rato, ut colligunt DD. ex l. ult. C. de pact. convent. ubi habetur; quòd uxor tradendo marito inſtrumenta debitorum paraphernalium, cenſetur ei relinquere adminiſtrationem, & conſtituere eum Procuratorem ad agendum ſuo nomine, ſine ratihabitione: ergo multò magìs tradendo ei ipſa bona paraphernalia. Denique pro bonis paraphernalibus, quæ penes uxorem exiſtunt, & mariti adminiſtrationi non ſunt commiſſa, maritus admittitur ad agendum, etiam ſine mandato, tanquam perſona conjuncta, quia quamvìs non ſit affinis uxoris, eſt tamen cauſa affinitatis, Gloſſ. in cit. l. Sed & hæ; V. Liberi; dummodo caveat de rato, & ſi maritus mandatum accepit ab uxore, non poteſt agere, niſi quatenus in mandato continetur, ſicut habetur in cit. l. Maritus; 21. C. h. t. & docet Gloſſ. in caſu ibid. & in cit. c. Conſtitutis; V. Uxoris nomine.

XLIX. Limitatur ſecundò, quòd conſortes einſdem litis pro ſe invicem, etiam abſque mandato, in judicio agere poſſunt. l. 2. C. de conſortib. eiuſd. lit. Gloſſ. in cit. l. Sed & hæ; V. Liberti; ff. h. t.

His

His adde, quòd neque perſonæ conjunctæ admittuntur ad agendum in judicio, ſinè mandato, in ijs caſibus, quibus exigitur ſpeciale mandatum. Gl. in l. Exigendi; 12. V. Non cogitur; C. h. t. Vel, ſi agere velint contra voluntatem, ſeu mandatum eorum, pro quibus interveniunt; tum enim non admittuntur ad agendum, etiamſi cavere velint de rato: niſi pro libertate agere velint, vel pro defenſione condemnati ad mortem, l. Pomponius; 40. §. fin. junct. Gloſſ. fin. ff. h. t. Hoſtienſ. in ſumm. num. 13. in fine h. t.

L. Notandum 3. Prælatus non videtur conſtituere poſſe Procuratorem, ſeu legitimum mandatum procuratorium dare, ſinè conſenſu, & ſubſcriptione Capituli, ut videtur colligi ex cit. c. 1. in fine h. t. & tradit ibid. Imol. num. 3. quod intelligendum eſt in magnis, & gravibus cauſis, ſeu negotijs, quæ non poſſunt ſinè conſilio, vel conſenſu Capituli expediri. Hoſtienſ. in cit. c. 1. V. Presbyterorum. Ubi tamen V. Jure ſubſiſtit; addit, quòd regulariter, nec de jure, nec de conſuetudine tanta ſolemnitas requiritur ad facienda mandata procuratoria, ſed ſufficit, quòd per manum publicam Notarij fiant, vel ſigillo authentico ſint firmata: in cit. verò c. contineri caſum ſpecialem, in quo Papa requiſivit Capitularium ſubſcriptionem, ad majorem cautelam, cui Epiſcopus cauſam dederat, mittendo ad Curiam aliquos non habentes mandatum procuratorium, ut patet ex textu. Sed & teſtium ſubſcriptio videtur requiri, ut ſubſiſtat mandatum procuratorium, in quo ij, qui ſunt de Capitulo, non poſſunt ſcribi ut teſtes, ſi auctoritatem, & conſenſum præſtent geſtis à Procuratore, quia non poteſt quis eſſe teſtis in actu, cui auctoritatem præſtat. Imola c. l. Secus eſt, ſi tantùm adhiberentur, ut tanquam teſtes fidem facerent inſtrumento, ut cenſet Innocent. in cit. c. 1. V. Presbyterorum; & Hoſtienſ. h. t.

LI. Aſſertio 2. Si actor, vel reus det Procuratorem non habentem ſufficiens mandatum (v. g. reus ad agendum tantùm, non ad defendendum) tum perinde cenſeri debet, ac ſi nullus datus fuiſſet, quia paria ſunt, aliquid non fieri, aut eo modo fieri, quo non debuit, l. 1. §. Quòd ſi nemo; junctâ Gloſſ. V. Aut inhabilis; ff. Quod cujuſcunq. Univerſ. nom. &c. Quare dans talem Procuratorem, qui nec per ſe ipſum in judicio ſe ſtitit, vel, ſi venit, iterum receſſit, puniri poteſt tanquam contumax, & parti adverſæ in expenſas condemnari debet, prout habetur in c. Conſtitutis; 12. h. t. Nam » ortâ controverſiâ inter Priorem Sagienſem, & » quendam Laicum, qui nomine uxoris ſuæ, cer» tam pecuniæ quantitatem dicto Priori mutuò de» derat, quam ab eodem repetebat. Papa Grego» rius IX. ſuper hac cauſa Ottonem Subdiaconum » ſuum Auditorem dedit. Sed Prior, recepto libel» lo ab Actore ſibi oblato, ſinè licentia Auditoris » Subdiaconi, Româ diſceſſit, nullo relicto Procu» ratore, niſi cum poteſtate ad agendum tantùm. » Quia verò Auditor ille videbat, Procuratorem da» tum non habere ſufficiens mandatum, cùm vi il» lius non habeat poteſtatẽ ad defendendum, dictum » Priorem tanquam contumacem parti adverſæ, ad » certam pecuniæ ſummam, præmiſſâ taxatione Judicis (quæ ſemper præcedere debet condemnationem in expenſas, imò & juramentum partis, quæ expenſas repetit. Gloſſ. hic V. Taxatione; arg. c. ult. de ijs, quæ vi metuſ. cauſ.) ratione expenſarum, condemnavit. Quod factum Auditoris Papa poſtea » ratum habuit, & confirmavit. Ratio deciſionis » eſt, quia, cùm Prior eſſet Reus conventus in judicio, debuit relinquere Procuratorem ad defendendum, & non ad agendum, niſi vellet actorem reconvenire, & ideo non valuit mandatum, & ipſe contumax eſt reputatus, quia non reliquit idoneum Procuratorem. Gloſſ. hic V. Ad agendum. Ex quo patet, quòd non ſolùm, qui citatus comparet in judicio, ſed etiam ille, qui ſinè licentia recedit, non conſtituto idoneo Procuratore, reputatur pro contumace, & ut contumax condemnari poteſt in expenſas, etiam abſens, & ſinè nova citatione. Abb. hic num. 2. & 4.

LII. Dices, Procurator conſtitutus ad agendum videtur per conſequens etiam habere mandatum ad defendendum: ergo Procurator datus à Priore habuit ſufficiens mandatum: præſertim quia is, qui conſtituitur ad agendum, poteſt defendere, imò & cogitur, l. Servum; 33. §. Æquum; & l. Mutus; 43. §. Pœna; ff. h. t. Reſpondent aliqui, Procuratorem hunc tantùm fuiſſe conſtitutum ad agendum, adeóque cum excluſione defenſionis. Verùm per hoc non potuit illi adimi facultas defendendi, quæ ex juris diſpoſitione ineſt mandato procuratorio dato ad agendum, illúdque neceſſariò conſequitur. Itaque rectiùs dicitur, quòd id procedat in Procuratore actoris, de quo loquuntur jura ſuprà citata, qui cùm expreſsè, & principaliter conſtituatur ad agendum, conſequenter, & acceſſoriè cenſetur ei data poteſtas etiam ad defendendum: ſecus eſt in Procuratore Rei, qui expreſsè, & principaliter conſtitui debet ad defendendum: unde, ſi conſtituatur ad agendum, non poteſt, vi illius mandati, in conſequentiam ei eſſe data facultas defendendi, cùm ea principaliter debeat dari à reo. Abb. hic num. 7. in 2. ſolut. Barboſ. in Collect. hic n. 3.

Porrò Gloſſ. hic V. Ad agendum: ait, quòd Procurator in caſu hujus c. noluerit Principalem ſuum defendere, alioquin iſte non fuiſſet condemnatus in expenſas. Sed verius eſt, quòd nihilominus Principalis condemnandus eſt in expenſas, quia ſibi imputare debet, quòd talem Procuratorem conſtituerit. Innocent. hic n. 3. Jo. Andr. n. 19. quamvis Principalis agere poſſit contra Procuratorem ad præſtandum, quod ſuâ intereſt, ob neglectam defenſionem in judicio, de quo infrà.

LIII. Aſſertio 3. Inſtrumentum, ſeu mandatum procuratorium continere debet nomen conſtituentis, & Procuratoris conſtituti: item contra quem, in qua cauſa, coram quo, & ad quos actus (puta ad agendum, an defendendum) Procurator conſtituatur; & quod ratum habiturus ſit Dominus, quidquid is geſſerit. Præterea annus, & dies conſtitutionis inſerendus eſt: & in ſumma Stylus Curiæ, ubi Procurator conſtituitur, eſt obſervandus. Durand. in ſpec. l. 1. partic. 3. tit. de Procurat. §. 3. Ratione formæ; n. 20. Weſenb. ff. h. t. n. 7.

Porrò procuratorium mandatum etiam probari debet, vel per inſtrumenta publica, aut priva-

ta, c. Petitio; 9. h. t. l. Si Procuratorem; 65. ff. eodem. vel per teſtes, ut cùm coram duobus, vel pluribus appellatur Procurator, qui poſtea teſtimonium de mandato perhibeat: vel denique per præſumptionem ex conjunctione ſanguinis, l. Sed & hæ; 35. ff. h. t. Abb. in c. 5. num. 5. h. t. Weſenbec. ff. eod. n. 7.

LIV. Aſſertio 4. Si de mandato legitimo Procuratoris conſtet, non tenetur Procurator actoris cavere, ſive promittere, rem ratam Dominum habiturum, quia ratihabitio non eſt neceſſaria, quando mandatum certum eſt, l. unic. C. de ſatiſdando; & l. 1. C. h. t. ut quia actis eſt inſinuatum, vel ipſe actos præſens in judicio perſonam Procuratoris confirmavit, §. Sin autem Inſtitut. de ſatiſdation. quamvis etiam tunc Procurator actoris cavere debeat de defendendo, cit. l. unic. aliàs denegatur ei actio, l. Mutus; 43. §. Pœna; ff. h. t. Sin autem probabiliter dubitetur, an quis mandatum habeat ad agendum, an non; hoc caſu, præſtitâ cautione de rato, admittitur, l. Non ſolùm; 39. §. Qui alieno; & ibi Gloſſ. V. Debet; ff. h. t. & l. 1. C. eod. ut, ſi proferat in judicio mandatum aliqua ex parte mutilum, aut inſufficiens, v. g. ſi ſigillum inſtrumenti incognitum ſit: quia cautionem præſtare non tenetur Procurator, ſi per teſtes probare velit, ſe mandatum, de quo dubitatur, habere, juxta Gl. in c. 5. V. Portitoribus; h. t. quia, ſi fefellerit, nihilominus obligabitur adverſario. Quòd ſi verò Procurator videatur non eſſe ſufficiens ad ſolvendum, tum cautionem fidejuſſoriam ab eo reus exigere poterit. Abb. in cit. c. 1. n. 5. in fine. Si denique evidenter conſtet, Procuratorem non habere mandatum, eò quòd nullum omnino exhibere poſſit, tum non admittitur, etiamſi ſatiſdare velit, invito adverſario, niſi ſit ex perſonis, quæ agere poſſunt ſinè mandato. Gloſſ. in cit. c. 5. V. Portitoribus; & Gloſſ. in cit. l. Non ſolùm, V. Debet. Nec ſufficit, quòd Procurator nudè aſſerat, ſe habere mandatum, aut miſſum, ſeu conſtitutum eſſe à Domino Procuratorem, nullâ legitimâ probatione allatâ: quia per hoc, quòd Procurator aſſerat, ſe habere mandatum ad litigandum, & adverſarius id negat, non efficitur res dubia; nam facta non præſumuntur, niſi probentur, & affirmanti incumbit probatio: ideòque, ſi Procurator dicat, ſe habere mandatum, & nihil omnino probet, non cenſetur res dubia, cùm præſumptio ſit contra illum, & conſequenter neque cum cautione de rato tali caſu admitti debet, ut cum Bartol. in cit. l. 1. n. 52. docet Abb. in cit. c. 1. n. 3. contra Gloſſ. in cit. l. 5. V. Cautio.

Et hæc quidem procedunt in Procuratore actoris: Procurator verò Rei, etiamſi conſtet de mandato, non admittitur, ſinè ſatiſdatione de judicato ſolvendo, niſi Dominus ipſe, ſive principalis ſatiſdationem præſtiterit, §. Si verò reus Inſtitut. de ſatiſdat. nemo enim in re aliena idoneus defenſor ſine ſatiſdatione intelligitur, l. Qui proprio; 46. §. Qui alium; ff. h. t. neque adverſario ſatis cautum eſſet de executione, ſi neque à Domino, neque à Procuratore ejuſmodi ſatiſdatio præſtaretur. Gloſſ. in cit. l. Non ſolùm, V. Debet; Weſenb. ff. h. t. num. 6. Satiſdatio autem de judicato ſolvendo tria involvit, ſcilicet de ſolvendo eo, in quo condemnatur, & quòd defendat cauſam Rei, nec commiſſat dolum, l. Judicatum; 6. ff. Judicatum ſolvi. Gloſſ. in c. Accedens; 50. V. Reſpondendum; h. t. Verùm in praxi hujuſmodi cautiones, quòd hodie non ſoleant exigi à Procuratoribus, ſed quòd ſufficiat fidem facere de mandato procuratorio, refert Gregor. Tholoſan. Syntagm. Jur. univerſ. lib. 49. c. 4. num. 9.

LV. Cæterùm hoc loco addendum, nihil referre, quo nomine ij, qui deputati ſunt ad gerendas res, ſeu negotia aliena, in inſtrumento, ſeu mandato procuratorio appellentur, num Syndici, vel Actores, aut Procuratores, vel Oeconomi, modò de intentione conſtituentis conſtet, nihilominus enim validum, & legitimum eſt mandatum, prout ſumitur ex c. Petitio; 9. h. t. Nam; cùm Epiſcopus » Mutinenſis è Diœceſi ſua diſceſſurus eſſet, duos Canonicos conſtituit Vicarios, ſeu Procuratores generales, qui agebant contra detentores bonorum Epiſcopi Mutinenſis, vel, cùm ab illis conveniretur, reſpondebant pro eo. Sed objectum » eiſdem fuit, quòd non poſſint, vi inſtrumenti, ſeu » mandati procuratorij, in judicio agere, vel reſpondere pro Epiſcopo, eò quòd in illo non appellarentur Syndici, vel Actores Epiſcopi. Ad » hoc reſpondit Papa Honorius III. cùm ex tenore ipſius inſtrumenti liquidè appareat, quòd intentio Epiſcopi fuerit dare illis Canonicis liberam » pro ſe in judicio agendi, & reſpondendi poteſtatem, ideo exceptionem hujuſmodi frivolam eſſe, » & reprobandam. Ratio eſt, quia cùm in inſtrumento, mandato, vel quacunque alia diſpoſitione, per verba exprimatur, & declaretur mens, ſeu intentio mandantis, vel deponentis, ideo huic verba ſunt accomodanda, ſi de ea ex antecedentibus, vel ſubſequentibus conſtet, non intentio verbis; c. Humanæ; 55. cauſ. 22. q. 5. ubi dicitur, non debent conſiderari verba, ſed voluntas, & intentio loquentis, vel conſtituentis (ſi de ea conſtet) quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni, ad quam declarandam ſunt inſtituta. Gloſſ. ibid. V. Verba; Abb. hìc not. 3. niſi certa verborum ſolemnitas ſequiratur ad ſubſtantialem formam actûs, tum enim eâ non adhibitâ, irritus eſt actus, etſi conſtet de intentione loquentis. Nec refert, quòd Epiſcopus, aliùſve Prælatus non ſit verus Dominus rerum, ſeu bonorum Eccleſiæ, ſed potiùs Adminiſtrator, ſeu Curator, c. 2. de donat. adeóque non poſſit Procuratorem propriè dictum conſtituere, qui mandato veri Domini conſtitui debet, l. 5. ff. h. t. Nam ſecundùm Canones, etiam deputati ad cauſas, vel negotia Eccleſiarum gerenda ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis, quippe qui loco Dominorum ſunt, & liberam adminiſtrationem habent, Procuratores rectè vocantur, cùm hoc nomen ſit generale, c. Salvatos; 8. §. Quiſquis; cauſ. 5. q. 3. Gloſſ. hic V. Actores; Innocent. num. 2. & Abb. § Sed quæro; ſicut etiam dictum ſuprà §. 5. num. 3. h. t.

§. VII. De

§. VII.

De officio, & poteſtate Procuratoris.

Genetatim loquendo, officium Procuratoris ad plura ſe non extendir, quàm juſſum fuit, ſive ei injunctum, nam, cùm ſit ſpecies mandati, ejus fines diligentet ſetvate debet Procurator, neqne excedere poteſt, ſed bonam fidem, & diligentiam in exequendo mandato exhibere debet, l. Diligenter; 5. l. Idémque; 10. ff. mandat. Hoſtienſ. in ſumma h. t. num. 11. Quòd ſi quid extra fines mandati gerar, in eo Domino non præjudicat, l. In cauſæ; 27. ff. h. t. l. Si Prncurator; 10. C. eodem. nam, qui exceſſit, aliud quid facere videtur, quàm ei mandatum eſt, cit. l. Diligenter; in prioc. Nunc in ſpecie videndum, quod ſit officium, & quonſque ſe extendat poteſtas Procuratoris, tum genetalis, tum ſpecialis.

LVI. Aſſertio 1. Ad officium Procuratoris ad judicia pertinet in primis, non taotùm agere, ſed etiam reſpondere, ſeu defendere, ita, nt conſtitutus ad agendum ſimpliciter, cenſeatur etiam conſtitutus ad reſpondendum, ſeu defendendum Domioum, ſaltem in conſequentiam, ſi à Reo reconveniatur, l. Servum; 33. §. Æqnum; ff. h. t. & docet Gl. margin. in l. Mutus; 43. §. Pœna litigant. ff. eodem. Abb. hîc num. 4. Quòd ſi Procutator conſtitutus ad agendum, Dominum ſuum defendete, ſeu pro eo reſpondere nolit, ab agendo repelli poterir, cit. §. Pœna; & l. unic. C. de ſatisdando; & tradit Gloſſ. in c. Accedens; 10. V. Reſpondendum; h. t.

LVII. Portò non ſolùm Procuratot conſtitutus ab Actore poteſtatem babete debet ad agendum, & reſpondendum, ſed etiam non eſt idoneus Procurator, niſi à Domino ſit conſtitutus cum plena libertate, prout ſumitur ex cit. c. Accedens; 10. b. » t. Nam, cùm nobilis quædam muliet, no mi» ne filij ſui, contraxiſſet ſponſalia cum filia Ubal» di civis Piſani, ſed poſtea ſotrè ſtare nollet pro» miſſione nomine filij factâ, Ubaldus eam ſub po» teſtate ſua violenter detinebat. Hac te cognitâ, » Papa Gregotius IX. mandavit prædicto Ubaldo, ut » nobilem illam plenè reſtituat priſtinæ libertati, & » ſecurè deduci curet ad Caſtrum ſuum de Maſſa » Diœceſis Lucanenſis, quò ibi libera exiſtens Pro» cutatorem deſtinare poſſit ad Sedem Apoſtolicam, » qui cauſam ſponſalium proſequator: & ipſe U» baldus Procuratorem idoneum mittat ad Papam, » ſuper cauſa illa ſponſaliorum, qui ad agendum, & » reſpondeudum plenam habeat poteſtatem.

LVIII. Notandum 1. Poſſunt parentes, ſicut olim moris etat, nnmine liberorum, quos in poteſtate habent, ſponſalia contrahere, vel etiam mattimonium, dummodo liberi, adoleſcens, vel puella, quorum nomine fit contractus, conſentiant, & factum parentum ratum habeant, quia perinde habetur, acſi ipſi contraherent pet alios. Gloſſ. hîc V. Reſpondendum; quamvìs verò mater non habeat liberos in poteſtate, tamen in caſu hujus c. mulier illa nobilis erat tuttix filij ſui, ut notat Innocent. hîc in princ. ideóque is ſub cuta, & poteſtate ipſius erat: quamvìs Gloſſ. hîc V. Libeta; putet, quòd mulier illa contraxerit ſpnnſalia, nominc filij ſui, atthis hinc inde promiſſis, ſi pet alteram partem ſtaret, qoò minùs matrimonium perficeretur: & ſic agebatur etiam de facto ptoprio ipſius mulietis.

Notandum 2. Judex debet providete, ut quis ſponte, ac liberè, non autem per metum conſtituat Procuratorem, per quem agat in jndicio, qui enim agit, libertatem habere debet. Gloſſ. hîc V. Libera; nam intereſt Judicis, ne judicium ſit fruſtratorium, & per metum acta in eo reſcindantur, ſicut & conttactus, per actionem: Quod metûs causâ; l. Qui in carcerem; 22. ff. Quòd met. cauſ. Abb. hîc num. 1.

Notandum 3. Procuratot ex patte actoris conſtitui debet ad agendum, & reſpondendum, ſeu defendendum, ut babetur in fine hujus c. quòd ſi conſtitutus ſit ad agendum ſimpliciter, vel etiam additâ patticulâ taxativâ *tantùm*, nihilominùs defendere eum poteſt, ſi non vi mandati, ſaltem, quia quilibet poteſt defendere alium, etiam ſinè mandato, dummodo præſtet cautionem de judicato ſolvendo. Abb. hîc n. 5. & dictum ſuptà n. 47.

LIX. Aſſertio 2. Procuratot generaliter » conſtitutus ad negotia (non addito, *judicialia, & » extrajudicialia*) cenſetur etiam conſtitutus ad judi- » cia, ita, ut agere, & experiti, ſeu defendere poſ- » ſit, exceptis caſibus, qui ſpeciale mandatum exi- » gunt. Ita habetut in c. Genetalitet; 5. in ptinc. » h. t. in 6. ubi Gloſſ. V. Experiri; ait, quòd hîc accipitur pro defendere, licèt alibi *experiri* ponatur etiam pro agere, ut in c. Paſtoralis; 5. de cauſ. poſſ. & propr. Ratio eſt, qnia verbum *negotia* in propriâ ſignificatiooe, etſi non ſtrictâ, ſed latâ, includit etiam judicia, ut conſtat ex c. Forus; 10. §. Negotium; infrà de V. S. ubi dicitur: *Negotium modò ſignificat actionem cauſæ, quod eſt jurgium litis:* ergo Procutator datus generaliter ad negotia, poteſt etiam ttactate judicia agendo, & defendendo, quia verba generalia generaliter ſunt intelligenda. Procurator tamen datus ad negntia ſtrictè accepta pro ſpecie diſtinctâ à judicio, tantùm datus intelligitur ad negotia extrajudicialia, non ad judicia, prout accipitut in cit. c. Generaliter; §. Nedum; h. t. in 6. Franc. hîc n. 1. ſicut, & vice vetsâ Procurarot conſtitutus ad cauſas judiciales, non cenſetur datus ad negotia extrajudicialia, quia ſunt ſpecies negotiorum diſtinctæ, & una non comprehenditur nomine alterius, neque mandatum debet exteudi de caſu ad caſum non contentum ſub verbis mandati, l. Si Procutator; 10. h. t.

LX. Ubi addeudum 1. Procurator conſtitutus ad jndicia, ceoſetur datus, non ſolùm ad lites præſentes, ſed etiam futuras. Durand. in ſpec. cit. tit. de Procurat. §. Ratione formæ; n. 9. & 10. Weſenbec. ff. h. t. num. 9. quia propoſitio indefinita in materia non odioſa æquivalet univerſali, arg. c. Quia circa; 22. de privileg. Secus eſt, in reſcriptis ad lites, quæ tanquam odioſa ſtrictam ioterpretationem habere debent, c. ult. de reſcript. Contrarium tamen, quòd Procuratot in dubio videatur datus ſolùm ad lites præſentes, non futuras, tenet Gloſſ. in l. Omnium; 37. V. Non dantur; junct. Gloſſ. marg. ff. h. t.

ff. h. t. Imola in c. pen. num. 14. h. t. Franc. in c. Qui ad agendum; 4. num. 3. h. t. in 6. quia cederet in magnum præjudicium Procuratoris, ſi, vi mandati generalis, obligatus eſſet etiam ad agendas cauſas futuras; quod tamen limitat Franc. c. l. niſi futuræ cauſæ orirentur ex præteritis, vel eſſent eis connexæ, tunc enim mandatum traheretur ad cauſas futuras: vel niſi tempore, quo conſtitutus eſt Procurator, nullas lites haberet, tunc enim neceſſariò intelligi debet eſſe datus ad futuras lites, ne actus pereat.

Secundò. Procurator generaliter conſtitutus non cenſetur datus ad cauſas criminales agendas, quia in nullo mandato generali comprehenduntur cauſæ criminales, niſi ſpecialiter exprimantur. Weſenb. c. l. Quando tamen civiliter ageretur de crimine, & non criminaliter, admitteretur Procurator ad agendum etiam generaliter datus ad negotia. Gloſſ. marg. hîc in princ. & Franc. n. 1.

Tertiò. Procurator conſtitutus ad proſequendum judicium petitorium, videtur etiam datus ad exercenda judicia præparatoria, & poſſeſſoria, etiamſi hoc in mandato non ſit expreſſum, l. Ad rem; 56. & l. Ad Legatum; 62. ff. h. t. Nam, cùm aliquid mandatur, intelliguntur omnia injungi, ſine quibus id, quod mandatum eſt, expediri nequit, l. 2. ff. de juriſd. omn. jud. Weſenb. ff. h. t. n. 9.

Porrò in cit. c. Generaliter excipiuntur caſus illi, qui ſpeciale mandatum requirunt, in his enim Procurator generaliter ad negotia datus nec agere, nec defendere poteſt. Tale ſpeciale mandatum requiritur in impetratione reſcriptorum, vel in cauſa matrimoniali: in petenda reſtitutione in integrum; in compromiſſo; in petenda abſolutione ab excommunicatione, & in pluribus alijs caſibus, quos recenſet Gloſſ. in c. Qui ad agendum; 4. V. Vel paciſci; h. t. Durand. in ſpec. tit. de Procur. §. 1. n. 4. & ſeqq. & Franc. in cit. c. 4. §. fin. n. 3. & ſeqq. h. t. in 6. ubi enumerat caſus 37. in quibus requiri videtur ſpeciale mandatum, quorum tamen plures dubij ſunt, & incerti.

» LXI. Aſſertio 3. Procurator generalis, etſi » ad agendum, & defendendum, ac generaliter ad » omnia conſtitutus ſit, cum clauſula, ut omnia ex- » pedire poſſit, etiamſi ſpeciale mandatum exigant: » nihilominus ex vi hujus generalitatis, ad aliquem » articulum, in quo ſpeciale mandatum requiritur, » admitti non debet, ita ſtatuitur in c. Qui ad agendum; 4. in princ. h. t. in 6. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd jura ad quædam expedienda ſpeciale mandatum requirunt, ſive ut ſpecialiter, ac nominatim exprimantur, non ſufficit commiſſio, ſeu mandatum generale ſinè ſpecifica expreſſione, alioquin fruſtra exigeretur mandatum ſpeciale, arg. l. Pomponius: 40. ibi: *Si, & nominatim ei mandatum ſit*, ff. h. t.

» Excipi debet, niſi in procuratorio mandato » unus, vel plures articuli, qui ſpeciale mandatum » exigunt, ſpecificati, ſeu nominatim expreſſi ſint, » adjectâ clauſulâ generali, tunc enim vi talis man- » dati, etiam ad caſus non expreſſos Procurator ad- » mitti debet, cit. c. Qui ad agendum; §. Sed ſi aliquis. V. g. Si conſtitutus ſit Procurator ad judicia, cum plena, & libera poteſtate etiam tranſigendi, petendi reſtitutionem in integrum, & alia omnia expediendi, quæ ſpeciale mandatum requirunt: hoc caſu, etiam ad juramentum patti adverſæ, etſi id nominatim expreſſum non ſit, deferendum admitti debet, ſi velit. Covarr. l. 1. var. reſol. num. 3. §. Quartò.

LXII. Sed hoc ulteriùs declarari, & ſublimitari debet 1. Dummodo contenta ſub clauſula illa generali faciendi omnia alia, etiam quæ ſpeciale mandatum requirunt, & quæ ipſe conſtituens faceret, vel facere poſſet, ſi præſens eſſet, & quæ expreſſa in mandato non ſunt, graviora, & majora non ſint expreſſis, ad quæ non extenditur clauſula illa, ſed tantùm ad ſimilia, & minora expreſſis, juxta c. Sedes; 15. de reſcript. & habetur expreſsè in Clement. Non poteſt; 2. h. t. ubi deciditur: Non po- » teſt Procurator ad agendum, & defendendum, ju- » randúmque de calumnia, & veritate dicenda, & ge- » neraliter ad omnia alia agenda, quæ ſpeciale man- » datum, contra perſonam electi, vel ejus, cui provi- » ſio (de beneficio) facienda, vel facta eſt, oppone- » re crimina, vel defectus (ut quòd ſit homicida, » irregularis, vel illegitimus, &c.) niſi id ipſum » nominatim in mandato procuratorio expreſſum » ſit: cùm ſub tali generalitate non veniant gravio- » ra, vel majora, quàm in ipſo procuratorio manda- » to expreſſa ſunt. »

LXIII. Ubi notandum 1. Etſi ſpeciale mandatum procuratorium requiratur ad opponendum crimina, & defectus contra electum, vel proviſum, non eſt tamen neceſſe, ut in eo ſpecificè exprimantur illa crimina, ſeu defectus, ſicut requiritur in appellatione. Gloſſ. hîc V. In mandatis; & Abb. num. 1. At verò ad opponendum crimina, vel defectus contra perſonas eligentium, vel providentium, vel contra formam electionis, ſpeciale mandatum procuratorium non exigitur, quia de iſtis nulla hîc fit mentio, neque exceptio illos principaliter contingit. Gl. hîc V. In perſonam; & Abb. n. 2.

Notandum 2. Poteſtas opponendi alicui crimina, vel defectus gravior cauſa eſt, quàm facultas jurandi de calumnia in animam Domini, juxta c. ult. de juram. calumn. in 6. ideóque requiritur, ut illa ſpecialiter in mandato exprimatur: quia per oppoſitionem criminum læditur fama, & ſtatus illius, contra quem fit oppoſitio, & ipſe opponens, ſi in probatione deficiat, punitur, c. 1. §. ult. de elect. in 6. At ob perjurium Procuratoris non ligatur anima principalis conſtituentis, ſi is in culpa non ſit, c. ult. de jurejur. in 6. Gloſſ. hîc V. Electi; & Gloſſ. fin.

LXIV. Declaratur, & ſublimitatur 2. In mandato procuratorio, articuli (unus, vel plures) exigentes ſpeciale mandatum exprimi debent, per modum permiſſionis, non autem exceptionis: V. g. ſi quis conſtitutus ſit generaliter Procurator ad omnia, excepto, quòd tranſigere non poſſit, vi hujus particulæ exceptivæ, non poteſt Procurator facere alia ſimilia, quæ requirunt mandatum, etiamſi poſt exceptionem illam, talis clauſula generalis appoſita ſit, quia exceptio non auget, ſed diminuit illud, cui apponitur. Gloſſ. marg. in cit. c. Qui ad agendum; §. Sed ſi aliquis; h. t. in 6. adeóque exceptio iſta non extendit mandatum, in quo apponitur, ſed reſtringit,

git, & operatur, ut Procurator, vi talis mandati, ſicut non poteſt tranſigere, ita nec alia ſimilia non expreſſa facere poſſit. Et, licèt exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis; non tamen facit, ut non excepta comprehendantur in regula, in qua ſecundùm ſe non continentur. Ancharan. hîc not. 3. & Franc. in cit. §. Sed ſi aliquis; num. 2. ſicut in propoſito, in mandato generali, quo datur Procuratori poteſtas expediendi omnia negotia, exceptâ tranſactione, & alia, quæ ſpeciale mandatum requirunt: hæc exceptio non debet extendi ad alia non excepta, quæ ſpecialiter exprimi debent, quia hæc non comprehenduntur in generali mandato procuratorio, ideóque non confirmantur per illam exceptionem. Simile eſt, quod ſuprà dictum Titul. 28. num. 43. de commiſſione facta ab Epiſcopo ſuo Vicario, quòd poſſit omnia facere, exceptâ collatione beneficiorum, non enim poterit, vi talis mandati, conferre beneficia, nec alia ſimilia non expreſſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt.

» LXV. Aſſertio 4. Procurator ad lites, vel
» ad negotia generaliter conſtitutus, non poteſt,
» abſque ſpeciali mandato, juramentum deferre
» parti adverſæ, ad litis deciſionem, vel tranſigere,
» aut paciſci, niſi ei bonorum, vel cauſæ libera ad-
» miniſtratio ſit conceſſa, ita habetur in cit. c. Qui ad agendum; 4. §. fin. h. t. in 6. ubi tria ponuntur, quæ ſpeciale mandatum requirunt; ſicut neque compromittere in arbitrum poteſt Procurator, ſinè ſpeciali mandato. Gloſſ. ibid. V. Vel paciſci. Eſt autem ibi ſermo tum de Procuratore ad lites, tum ad negotia, ut colligitur ex fine c. ibi: *Bonorum, vel cauſæ.* Idem de tranſactione litis decidendæ causâ habetur in l. Mandato; 60. ff. h. t.

LXVI. Excipitur 1. Niſi Procuratori libera, ſive cauſæ, ſive bonorum, ſeu jurium adminiſtratio ſit commiſſa, tum enim prædicta omnia facere poteſt, ſinè ſpeciali mandato, & alia inſuper, ut exigere debita, aliud pro alio permutare &c. l. Procurator; 58. ff. h. t. quia mandatum cum libera poteſtate æquiparatur ſpeciali mandato. Franc. in cit. §. Procurator; not. 3. h. t. in 6. adeóque omnia poteſt agere, perinde, ac Dominus, etiam alienare, cit. l. Procurator; 58. & ibi Gl. in caſu, ff. h. t. niſi quòd donare non poteſt merè liberaliter, c. 2. de donat. Idémque eſt, ſi Procurator conſtitutus ſit cum plena poteſtate, l. Procurator; 10. & ibi Gl. V. Plenam; C. h. t. vel, ſi totalis poteſtas ei conceſſa ſit: vel, quòd poſſit facere, quidquid ipſe Dominus poſſet, ſi præſens eſſet: vel, ſi conſtituens Procuratorem promittat ſe ratum habiturũ, quidquid per eum factum fuerit, id enim æquiparatur etiam mandato cum libera: vel denique, ſi dicatur in mandato procuratorio, quòd poſſit facere, quidquid velit, l. 1. in princ. & ibi Gloſſ. ff. Quod juſſu; & ex Bart. docet hîc Franc. n. 6. & ult.

Excipitur 2. Non poteſt Procurator generalis tranſigere, ſinè ſpeciali mandato ad tranſigendum, niſi fuerit conſtitutus Procurator in rem ſuam, ſeu utilitatem, translatis actionibus contra debitorem ſuum in ipſum Procuratorem, tunc enim poteſt tranſigere in detrimentum ſui, & Domini. Gloſſ. in cit. c. Qui ad agendum in caſu; & Gl. fin. ibid. h. t. in 6.

LXVII. Aſſertio 5. Ad officium Procuratoris prætereà pertinet appellare, ut conſtat ex c. Non injuſtè; 14. §. Potuit; h. t. Ubi ſtatuitur, quòd Procurator »
(conſtitutus ad lites) à ſententia contra ipſum latâ »
poteſt, imò & debet (ſi expedire ipſi videatur) appel- »
lare: vel, ſi juſtâ causâ impediatur (veluti infirmita- »
te, paupertate, vel metu, vel alia ſimili. Gl. marg. hîc) »
ſaltem Domino maturè denunciare debet (coram »
teſtibus, arg. l. Si Procuratorem; 8. §. Quòd & ad a- »
ctionem; ff. Mandati; Gl. marg. hîc) ut ipſe appellet, »
ſi velit: quamvìs ipſe Procurator invitus appella- »
tionem proſequi non obligetur. Idem habetur in »
l. Invitus; 17. & ibi Gl. V. Extendere; C. h. t. Ratio deciſionis eſt, quia Procuratori videtur tacitè injunctum, ut appellet, ne, ſi ſententia tranſeat in rem judicatam, lis pereat, & Dominus cauſam amittat, id quod Procuratori imputabitur, quia non appellavit. Abb. hîc n. 13. non tamen cogitur Procurator appellationem proſequi, quia cauſa appellationis plerumque in alio loco agitatur, & eſt aliud judicium, ideóque non cenſetur Procurator ad illam proſequendam ſe obligâſſe, finitâ primâ inſtantiâ. Abb. hîc n. 5.

LXVIII. Excipi debet 1. Niſi ſit Procurator generalis, ſive ad omnes cauſas, ſeu lites conſtitutus, tum enim appellationem proſequi eſt obligatus, quia & cauſa appellationis eſt judicialis. Abb. c. l. Si verò datus ſit Procurator ad certum actum ſolùm, v. g. ad recipiendum libellum, vel audiendam ſententiam, tunc non tenetur, nec poteſt appellare, nec alium actum facere, quia mandatum non ſe extendit ad hunc caſum. Abb. c. l. 2. Limitari debet, ut procedat ſolùm quoad appellationẽ, à ſententiâ definitivâ; nam appellationem ab interlocutoria ſententia factam tenetur Procurator proſequi, quia cenſetur idem negotium cum cauſa principali, dummodo cauſa agitanda ſit in eadem civitate, vel loco, non in alio remoto. Innocent. hîc in fine, & Abb. in fine. Camill. Borell. in ſumm. deciſion. tit. 66. de Procurat. num. 338. & ſeqq. 3. Limitatur in Procuratore conſtituto ad agendum, defendendum, & appellandum, tunc enim appellationem proſequi tenetur. Borr. c. l. n. 344. Barb. hîc n. 9.

LXIX. Porrò unus, inter alios, caſus ſpecialis, in quo Procurator generalis appellare poteſt, eſt, ſi inducias ſibi concedi petat ad conſulendum ſuper re aliqua Dominum ex juſta cauſa abſentem, eǽque ipſi denegentur, prout habetur in c. Dilectus; 11. h. t. Nam cùm Magiſter Laurentius Rector, »
ſeu Parochus alicujus Eccleſiæ, ſtudiorum causâ »
(cum licentia Epiſcopi, juxta c. Cùm ex eo; 34. de »
elect. in 6.) Bononiam veniſſet, conſtituit Procu- »
ratorem generalem ad omnia ſua negotia tractan- »
da. Poſtea quidam Presbyter Richardus nomine »
impetravit litteras à Sede Apoſtolica in quadam »
controverſia ſuper eadem Eccleſia, ad quoſdam »
Judices delegatos, qui Parochum illum apud ean- »
dem Eccleſiam ad judicium citârunt. Sed Procu- »
rator illius generalis loco Domini ſui comparens, »
petijt competentem terminum temporis ſibi aſſi- »
gnari, intrà quem Parochum principalem conſu- »
lere poſſet, utrùm contendere deberet in judicio, »
an liti cedere? At Judices illi inducias denegâ- »
runt. Quare idem Procurator ad Papam Gregorium »
IX. appellavit: qui mandavit, ut, ſi ita ſit, ſicut »
narratur, omnia, quæ poſt appellationem factam à »
Judicibus acta ſunt, tanquam irrita reſcindantur. »

LXX. Notandum 1. Procurator generalis conſtitutus à Domino ad omnia ſua negotia tractanda, cenſetur conſtitutus, non tantùm ad negotia extrajudicialia, ſed etiam judicialia, ſive ad lites, nt colligitur ex hoc c. & notat Gloſſ. hîc V. Generalis; & Imol. num. 1. quia ſub appellatione negotij poteſt etiam comprehendi lis, ſive cauſa judicialis, ut patet ex c. Qui generaliter; 5. h. t. in 6. & ex ſoprà dictis.

Norandum 2. Si Dominus ſit abſens, & commodè citari poſſit, tom conveniens eſt, & conſultum, ut ſemper à principio ipſe citetor, non autem Procuratot ejus generalis, niſi in defectum Domini, prout colligitut ex hoc c. ibi: *Eodem Rectore citato*, & tradit Gloſſ. in c. Canſam; 3. Verſic. Ad domum de dolo, & cont. Abb. hîc num. 4.

Notandum 3. Si à principio fuit citatos ad jodicium Dominus, ſeu Principalis generalitet, ita, ut cauſa non ſuerit in citatione ſufficienter expreſſa, boc caſu, Procuratoti genetali concedendæ ſunt ioduciæ, ſeu dilationes ad conſulendum Dominum, utrùm litigare velit, nécne, quia tunc Dominus Procuratotem ioſtructum mittere non potuit, cùm neſciret, ſupet qua re eſſet conveniendus, ideóque, ſi induciæ à Procuratore petitæ denegentur, is appellare poterit, ut in caſu hujus c. Idémque dicendum, ſi à principio fuit citatus Procutator generalis, nam etiam tunc non poteſt imputari Domino, quòd noo inſtruxerit Procutatorem. Si verò Dominus à principio fuit citatus ſpecificè, expreſsâ causâ in citatione, eique libellus actotis inſertus ſit, tum induciæ ad conſulendum Dominum, num contendere velit, vel liti cedere, vel etiam ad reſpondendum ſuper meritis cauſæ, Procuratori non debent concedi, quia Dominus Procuratotem in cauſa inſtructum mittete debuiſſet, arg. c. 2. de dilation. niſi aliquid de novo emergat, quod veriſimiliter præviderì non potuit. Abbas hîc num. 5. & Imol. num. 6. Porrò hujuſmodi induciæ, ſeu dilationes deliberatoriæ concedendæ ſuut longiores, vel bteviores, ſecundùm locotum diſtantiam, & perſonam, ac negotij qualitatem. Gloſſ. hîc V. Cedere; de quoplura alibi.

LXXI. Aſſertio 6. Ad officium Procuratoris quoque pertinet poteſtas ſubſtituendi ſuo loco alium Procuratorem. Ubi tamen diſtinguendum eſt: „Nam Procurator, poſt litem ab eo (ſcilicet Procuratore) conteſtatam, alium Piocuratorem dare, ſeu ſubſtituere poteſt, cùm Dominus litis ſit effectus. Sed ante litis conteſtationem, non poteſt alium ſubſtituere, niſi in rem ſuam Procurator datus ſit: vel niſi à Domino alium ſubſtituendi (quamvìs nullâ certâ perſonâ expreſsâ) ipſi poteſtas fuerit conceſſa. Procutatot verò ad negotia datus poteſt liberè, quandocunque vult, alium Procnratorem deputare. Ita babetur ſtatutum in c. Non indiſcretè; 1. §. Licet; & §. Ptocuratot; h. t. in 6.

LXXII. Pro declaratione hujus Conſtitutionis, notandum 1. Regulariter non poteſt Procurator alium loco ſuo ſubſtituete, quod tamen fallit in quatuot caſibus expreſſis in hoc c. Primus eſt, poſt litem conteſtatam, tunc enim, quia per litis conteſtationem Dominus litis effectus cenſetur, alium ſuo loco ſubſtituere poteſt, pront etiam babetur in l. Quod quis; 8. & l. Neque; 11. l. Nulla; 23. C. b. t. nam per litis conteſtationem partes inter ſe quaſi contractom ineunt, ſibíque mutuò obligantur, juxta l. Licèt; 3. §. Idem ſcribit; junctâ Gloſſ. margin. lit. c. ff. de pecul. Ex quo fit, ut poſt litis conteſtationem ipſe Procurator, & non Dominus, ſit citandus ad actus judiciales, v. g. ad producendos teſtes, vel audiendam ſententiam, ut ex communi notat Franc. in cit. c. 1. §. Licèt; not. 1. &, ut poſt litis conteſtationem revocari non poſſit, niſi causâ cognitâ, ut infrà dicetur.

Notandum 2. Ut poſt litem conteſtatam, Procurator poſſit ſubſtituere alium, requiritur ſecundùm Gloſſ. hîc V. Ab eo; ut ipſe, & non Dominns litem ſit conteſtatus, quia aliàs ipſe Dominus, conteſtando litem, factus eſſet Dominos litis, & conſequenter daret Procuratorem ad litem; quamvìs alij contratium teneant, quòd Procurator, etiam poſt litem conteſtatam datus, fiat Dominus litis per ſubſequentem proceſſum in cauſa, cùm in eum ferenda ſit ſententia, ut tradit Gloſſ. in c. Nihil; 20. junctâ Gloſſ. margin. C. h. t. quod fieri non poſſet, ſi non eſſet Dominus litis, juxta l. 1. C. de ſentent. & interloc. &c. Franc. in cit. §. Licèt; num. 4. h. t. in 6. & conſequenter, quòd adhuc Procuratorem ſubſtituere poſſit. In cauſis verò, in quibus litis conteſtatio non eſt neceſſaria, Procurator intelligitur eſſe factus Dominus litis, cùm primùm tractari cœpit de meritis cauſæ, & negotium principale diſcutitur. Franc. in cit. c. Licèt; n. 1. & alij apud Batb. ibid. in Collect. n. 7.

LXXIII. Notandum 3. Procurator, poſt litis conteſtationem, factus Dominus litis in cauſa principali, non poteſt alium ſubſtituere in cauſa appellationis, quia ſunt diverſæ inſtantiæ: quamvìs poſſit alium ſubſtituere ad appellandum, l. Ab Execurore; 4. §. fin. ff. de appellat. quia poterat appellate, cit. §. fin. & l. Invitus; 17. C. h. t. non tamen poteſt ſubſtituere alium ad proſequendam cauſam appellationis. Franc. hîc num. 5.

Notandum 4. Procurator, poſt litem conteſtatam, poteſt alium ſubſtituere, ſi ſuerit ſimpliciter conſtitutus, vel non expreſsè prohibitus: ſecus, ſi ſuerit conſtitutus uſque ad litem conteſtatam tantùm, & expreſsè prohibitus, ne ultrà procederet: & tunc Dominus per ſe, vel per alium perficiet litem cœptam. Gloſſ. in cit. §. Licèt; V. Procurator; junctâ Gloſſ. margin. b. t. Franc. ibidem num. 6.

LXXIV. Notandum 5. Secundus caſus, in quo Procurator ſubſtituere poteſt alium Procuratorem, etiam ante litem conteſtatam, eſt, ſi ſit datus in rem ſuam, ſeu in proprium commodum, cit. c. Licèt; qnia talis Procurator agit in proprium commodum, ſeu utilitatem ſuam, ideo non eſt mirum, quòd alium ſubſtituere poſſit, eſt enim Procurator impropriè dictus, cùm non tam aliena, quàm propria negotia tractet. Ancharan. hîc not. 4.

LXXV. Ter-

LXXV. Tertius caſus eſt, quando Procurator à Domino accepit poteſtatem alium ſubſtituendi, etiam ante litem conteſtatam, & nullâ certâ perſonâ nominatâ, cit. c. Licèt; tunc enim talis ſubſtitutus potiùs ab ipſo Domino videtur datus, quàm à ſubſtituente, ſive magìs Domini, quàm ſubſtituentis eſſe Procurator. Gloſſ. hîc V. Subſtituendi. Et quamvìs aliàs non, niſi certus Procurator dari debeat, l. 2. ff. h. t. ſatìs tamen eſt, quòd fiat certus per deputationem ſubſtituentis: nam attento fine, non poteſt dici incerta diſpoſitio, quæ poſtea per alium eſt certificanda. Ancharan. hîc not. 5. quemadmodum etiam poteſt quis in teſtamento ſuo dare executorem incertum, v. g. illum, quem Titius nominaverit, ut docet Bartol. in l. Quidam; 6. num. 7. ff. de reb. dub. Aliud eſt in tutore, qui in teſtamento incertus dari non poteſt, l. Tutor; 20. ff. de teſtament. tut. quod ſpecialiter in favorem filiorum eſt ſtatutum, ut pater ipſemet eis provideret tutorem: ſed quando Procurator alium ſubſtituit, agitur de bonis proprijs conſtituentis, qui ſubſtituere poteſt alium eo modo, quo vult. Bartol. c. l.

LXXVI. Quartus caſus exceptus eſt, quòd Procurator conſtitutus, ſive ſimpliciter, & generaliter ad omnia negotia, ſive ad unum tantùm, poteſt alium ſubſtituere, cit. c. 1. §. Procurator; ult. h. t. in 6. & ibi Gloſſ. V. Ad negotia; Franc. ibidem num. 1. quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi Procurator generalis alium conſtituere poſſit, cum ſimili generali poteſtate, ſed quia poteſt alteri unam, vel plures cauſas particulares committere, ſinè ſpeciali mandato principalis conſtituentis, l. 1. §. Magiſtrum autem; & ibi Bart. ff. de exercit. act. Sicut etiam Procurator ſpecialis negotium ſibi demandatum alteri committere poteſt, l. Si Procuratorem; 8. §. Si quis mandaverit; & ibi Bartol. ff. Mandati; l. Si ego; 6. ff. Quod vi, aut clam. Niſi tale quid ſit ſpecialiter alicui commiſſum, ut fides, & induſtria perſonæ ſit electa, v. g. ad contrahendum matrimonium, c. ult. h. t. in 6. vel ad alienandum, vel recipiendam ſolutionem; tum enim illud alteri committere, ſive alium ſubſtituere non poteſt, quia hoc poſſet cedere in Domini præjudicium, l. pen. §. Item adjiciendum; & ibi Bartol. ff. de diverſ. & temp. præſcript. Ancharan. in cit. c. 1. in fine, h. t. in 6.

Porrò rationem, cur regulariter Procurator ad judicia non poſſit ſubſtituere alium; Procurator verò ad negotia poſſit, hanc dat Bartol. c. l. quia in illo videtur electa induſtria perſonæ, non autem in iſto, ideóque, ſi in negotijs ſit electa induſtria, etiam Procurator ad negotia non poteſt ſubſtituere, ut jam dictum, ſicut neque, ſi expreſsè id ei ſit prohibitum, vel tacitè, ut, ſi alicui committatur certum negotium expediendum per ſe ipſum. Franc. in cit. §. Procurator; in fine ex Baldo.

LXXVII. Notandum 6. Si quis ſpeciale mandatum habeat à Domino ad ſubſtituendum alium, & ſubſtituat, ſed re integrâ moriatur, antequam ſubſtitutus acceptet mandatum, tum ſubſtitutus poteſt proſequi cauſam per ipſum ſubſtituentem inchoatam, quia cenſetur ab ipſo Domino, ſeu principali ſubſtitutus: ſecus eſt, ſi ex legis diſpoſitione ſit ſubſtitutus, ut, ſi Procurator ad lites, poſt litis conteſtationem, ſubſtituat; tunc enim, mortuo ipſo ſubſtituente, re adhuc integrâ, exſpirat mandatum talis ſubſtituti, nam tunc ſubſtituens eſt inſtar principalis mandantis, quia à lege habet poteſtatem ſubſtituendi, mandatum autem morte mandantis, re integrâ, exſpirat, ut ex Rota Rom. tradit Franc. in cit. §. Licèt; n. 6.

Illud poſtremò hîc addendum, quòd tametſi quis non cogitur ſuſcipere officium Procuratoris, l. Filiusfamil. 8. §. Invitus; ff. h. t. l. Invitus; 17. C. eodem. poſtquam tamen illud ſuſcepit, exequi cogitur, & perficere, vel maturè renunciare, dum res eſt integra. §. Mandatum Inſtitut. de mandat. l. Si mandavero; 22. §. ult. ff. eod. de quo plura infrà.

§. VIII.

An, & quâ ratione factum, vel omiſſio Procuratoris noceat Domino, ſeu Principali, & quinam alij ſint effectus mandati procuratorii?

Inter effectus mandati procuratorij numeratur, quòd factum Procuratoris, vel omiſſio Domino proſit, & noceat, de quo hoc §. agendum, ſicut & de alijs effectibus.

LXXVIII. Aſſertio 1. Si ex Judicis, vel legis præcepto, Dominus aliquid facere debuiſſet, quod Procuratori demandavit, qui tamen illud non fecit, tum id Domino nocet, & imputatur, quia ipſe obligatus erat ad id faciendum per ſe, vel per alium, & in effectu non fecit, ut docet Bartol. in l. unic. §. Si Procurator; num. 1. ff. Si quis jus dicenti non obtemp. Abb. in c. 1. Ut lite non conteſtatâ, &c. num. 17. Excipi debet, niſi caſus fortuitus acciderit Procuratori, qui etiam Dominum excusâſſet, adeóque ob impedimentum moraliter inevitabile, non fecit Procurator, quod Dominus juſſit; tum enim neque ipſi Domino id imputari poterit, arg. l. Cùm à matribus; 8. C. Qui petunt tutor. ubi excuſatur mater, quæ cùm filio tutorem petere deberet, Procuratorem miſit ad petendum, qui in via à latronibus eſt occiſus. Bart. c. l. & Abb. Felin. in cit. c. 1. num. 5.

LXXIX. Aſſertio 2. Si Procurator ipſe ex Judicis, vel legis præcepto aliquid facere ſit obligatus, & non Dominus, ſed Procurator id non faciat, tum ſi conſtet, quòd ſit talis negligentia, quæ cadat in delictum, vel pœnam mereatur, & agatur de re magni præjudicij, ut de mulctæ impoſitione, tum, ea omiſſio nihil nocet, nec præjudicat Domino, cit. l. unic. §. Si Procurator; ff. Si quis jus, &c. Bartol. ibidem num. 1. Abb. c. l. num. 18. Ratio eſt, quia non cenſetur Dominus, conſtituendo Procuratorem, quamvìs generalem, voluiſſe ei præcipere delictum. Exemplum habetur in cit. c. 1. Ut lite non conteſtatâ, &c. ſi Procurator ad judicia conſtitutus à Domino juſſus litem conteſtari, id contumaciter recuſet, non Dominus, ſed ipſe Procura-

tor eſt puniendus. Excipitur, niſi Dominus ſciat, ac toleret contumaciam Procuratoris, adeóque tacitè conſentiat, cit. c. 1. in fine: vel niſi agatur de re exigui præjudicij; tum enim Domino etiam ignoranti omiſſio, vel contumacia Procuratoris obeſſe poteſt. Bart. c. l. & Abb. c. l. num. 18. & 19. ut, ſi propter contumaciam Procuratoris decernatur, immiſſionem in bona cuſtodiæ cauſâ faciendam eſſe, juxta l. Eum qui; 5. C. h. t. ubi ſtatuitur, ut propter negligentiam Curatoris, vel Adminiſtratoris, qui non vult defendere pupillum, vel minorem, immiſſio fiat in bona illius.

LXXX. Aſſertio 3. Si non ſit certum, contumaciam Procuratoris omittentis facere, quod poterat, cadere in delictum, vel pœnam meteri, tunc nocet, ſeu præjudicat Domino: ut, ſi v. g. Procurator omiſit appellare intra decem dies à ſententia, ideóque ea tranſijt in rem judicatam, ut Dominus poſtea appellare volens non admittatur, l. 1. in fine, ff. Quando appelland. ſit. vel, ſi negligens fuit in producendo teſtes, & alias probationes, infra terminum præſcriptum; ſi tamen malitioſè id fecit Procurator, ſuccurritur Domino. Bart. c. l. & Abb. c. l, num. 19. & 20. Aliàs verò ſibi imputare debet Dominus, quòd negligentem, & imperitum Procuratorem conſtituerit, l. Cum mandato; 23. ff. de minorib.

LXXXI. Aſſertio 4. Quando Procurator non omittendo, ſed poſitivè aliquid illicitè faciendo; deliquit, vel fecit, quod pœnæ ſit obnoxium, tale factum non nocet, aut præjudicat Domino, niſi ad id dederit ſpeciale mandatum, vel Dominus ex pôſt facto expreſsè, vel tacitè ratum habeat, quod illicitè fecit Procurator, vel eum obligando ad pœnam. Bartol. in cit. l. 1. §. Si Procurator; num. 5. ff. Si quis in jus, &c. Abb. in cit. c. 1. num. 23. Ut lite non conteſtatâ. Felin. ibidem num. 8. & 12. V. g. ſi Procurator generaliter conſtitutus ad eligendum, eligat ſcienter indignum, Dominus non incurret pœnam privationis, & ſuſpenſionis decretam in c. Cùm in cunctis; 7. §. fin. de elect. quia tunc præſumitur Procurator fines mandati excedere. Veruntamen ad pœnam conventionalem, quæ communiter adjici conſuevit, à Procuratore promiſſam obligatur etiam Dominus, ut, ſi v. g. Legatus ſit miſſus ad componendam pacem, & adjiciatur pœna parti tranſgredienti fœdera pacis, & Procurator in illam conſentiat, obligatur ad illam etiam principalis eum mittens, ut docet Felin. in cit. c. 1. num. 10.

LXXXII. Aſſertio 5. Confeſſio Procuratoris facta in judicio ordinariè Domino præjudicat, ut conſtat ex c. Suborta; 21. & ibi Gloſſ. V. Per confeſſionem de ſentent. & re judic. et c. Olim; 20. junctâ Gloſſ. V. Revocata; de cenſib. nam Procurator ex neceſſitate officij ſui debet reſpondere ad exhibitas partis adverſæ poſitiones, ad quod habet mandatum ſpeciale, vel generale. Hoc autem maximè verum eſt, ſi Procuratoris confeſſio fiat poſt litis conteſtationem, nam, ſi in ipſo ingreſſu in judicium, ſive poſt oblatum libellum, Procurator ultro fateatur intentionem actoris, non præjudicat talis confeſſio Domino, cùm ea ſinè neceſſitate facta prodigalitas, ac veluti donatio, ſeu renunciatio juris videri poſſit, quæ ſinè mandato ſpeciali Procuratori non competit. Abb. in cit. c. 1. Ut lite non conteſtatâ, &c. num. 29. Imò univerſim, quando voluntariè, & ſinè neceſſitate, Procurator confitetur, non præjudicat Domino, l. Certum; 6. & ibi Gotbofr. lit. p. ff. de confeſſion. Quòd autem dictum eſt, confeſſionem Procuratoris in judicio, reſpondendo ad poſitiones adverſarii, factam nocere Domino, id limitandum eſt, niſi Dominus illam revocet, ut poteſt, probando errorem, arg. c. ult. de confeſſ. ſive facti, ſive juris. Abb. c. l. num. 31.

Aliud verò quoad hoc eſt de Advocato, cujus confeſſio non obeſt parti, ſeu Clienti, quò minùs eam ſtatim revocare, & Advocato ſuo contradicere poſſit, ut ſumitur ex c. Cùm cauſam; 62. de appellat. ubi, quia Procurator ad litem, qui ſibi Advocatum adjunxit, confeſſionem Advocati, quæ ſuæ petitioni contraria videbatur, eâdem die revocavit; decernit Pontifex, per illam confeſſionem, & reſponſionem Advocati litem non fuiſſe conteſtatam, quia Advocatus non habet mandatum ad reſpondendum, & contradicendum, ſicut Procurator, ideóque ſufficit, ſi confeſſio Advocati à parte revocetur. etiam non allegato, & probato errore. Abb. in cit. c. 62. num. 2. ſi tamen ſciens taceat, cenſebitur eum approbare, & ratum habere, arg. l. 1. C. de error. Advocat. ubi dicitur, quòd, quæ Advocati, præſentibus illis, quorum cauſæ aguntur, allegant, perinde habenda ſint, ac ſi ab ipſis Dominis litium profetantur. Alex. de Nevo in cit. c. 62. num. 4. de appellat.

LXXXIII. Cæterùm alij præter ſuprà allatos n. 72. ſunt effectus mandati procuratorij, veluti

Primò, quòd obligationes, & actiones directæ ordinariè tendunt in ipſum Procuratorem, ſive ſit datus ad negotia, ſive ad lites, ita tamen, ut Procurator actiones poſtea cedere debeat ipſi Domino, ſeu Principali conſtituenti. Laym. lib. 3. Theolog. mor. tractat. 4. cap. 26. num. 14. & in c. 1. §. Licèt; num. 2. h. t. in 6.

Secundò, ſententia condemnatoria, non in Dominum abſentem, ſed in ipſum Procuratorem præſentem ferenda eſt, ſecundùm Juris Civilis diſpoſitionem in l. 1. C. de ſent. & interloc. omn. judic. & ſumitur etiam ex c. pen. junct. Gl. V. Contra ipſum; h. t. in 6. ubi addit, id procedere, ſive ab initio, ſive poſt litem conteſtatam, Procurator intervenerit, juxta l. Nihil; 20. C. h. t. quamvìs hoc non ſemper obſervari ſoleat, ut notat Gloſſ. margin. in cit. l. 1. præſertim de Jure Canonico, ut videre eſt apud Abbat. in c. Querelam; 24. num. 19. de elect. neque etiam in Camera Imperiali ſervatur, niſi interdum in cauſis injuriarum, ad evitandam infamiam condemnati, teſte Mynſing. centur. 6. obſ. 11. Et hinc in ijs, in quibus executio ſententiæ fieri non poteſt in Procuratorem, ut in criminalibus, & matrimonialibus cauſis, & ſimilibus, neque ſententia in Procuratorem ferri debet, ſed in Dominum, l. fin. junctâ Gloſſ. V. Contra eum; C. de injur. Weſenb. ff. h. t. n. 8. Executio tamen ſententiæ ordinariè fit in bonis Domini, non Procuratoris, niſi is in rem ſuam datus ſit, vel falsò dixit,

dixit, ſe mandatum habere, vel cùm nullum mandatum haberet, ad defenſionem ſe nbtulit, ſatiſdando, dominum rem ratam habiturum. l. Plautius; 61. ff. h. t. junct. §. Sin autem. Inſtit. de ſatiſdat. Laym. cit. c. 26. num. 14.

LXXXIV. Tertiò, duplex ex mandato procuratorio oritur actio, una directa mandati, quæ datur domino contra Procuratorem, ut rationem reddat omnium, quæ geſſit, & reſtituat, quę ex re, ſeu lite conſecutus eſt, ſive juſtè, ſive injuſtè. l. Qui proprio; 46. §. Procurator; ff. h. t. VVeſenb. ff. eod. n. 8. Item, ut omne damnum per dolum, vel culpam, ſeu negligentiam Procuratoris domino illatum, vel intereſſe compenſet. l. Licet; 42. §. Ea obligatio; ff. h. t. l. Procuratorem; 11. & l. A Procuratore; 13. C. Mandati. ubi dicitur, quòd Procurator de dolo, & omni culpâ teneatur, etiam leviſſimâ. Gl. ibid. V. & Omnem culpam, idque propter tacitè promiſſam induſtriam. Quòd ſi verò Procurator, cuius dolo, vel culpâ aliquid neglectum eſt, ſolvendo non ſit, tum domino reſtitutio in integrum concedenda eſt. arg. l. eleganter; 7. §. pen. ff. De dolo, Gl. in c. 2. V. Reſtituimus; de in integr. reſtit. Abb. in cit. c. 1. n. 16. Ut lite pendent. &c. Gail. lib. 1. obſ. 45. n. 6. Et hinc, ſi Procurator per negligentiam non appellet, & non ſit ſolvendo, non currit domino tempus decendij, niſi à tempore ſcientiæ latæ ſententiæ, Felin. in cit. c. 1. Gail c. l. n. 7.

Ex dictis patet, quòd, licèt domino noceat culpa, aut negligentia Procuratoris, ita, ut in judicio condemnari poſſit ad ſolvendum id, quod culpâ Procuratoris neglectum eſt. l. Eum; 10. in fine, ff. Commodat. Bart. in cit. l. unic. §. Si Procurator; ff. Si quis jus &c. not. 2. quia ſibi imputare debet dominus, quòd negligentem Procuratorem conſtituerit. l. Cùm mãdato; 23. in fine. ff. De minorib. tamen per actionem mandati ab eo recuperare poteſt dominus damna, & intereſſe. l. Si Procuratorem; 8. §. Si tutores; ff. Mandat. Abb. in cit. c. 1. n. 22. Ut lite non conteſtatâ &c.

LXXXV. Altera actio contraria mandati datur Procuratori, ſive Actoris, ſive Rei, contra Dominum, ad repetendas omnes expenſas, quas occaſione mandati, ſeu negotij ſibi commiſſi bonâ fide fecit. l. Qui proprio; 46. §. Item contra; & §. Litis; ff. h. t. Idem
„ ſumitur ex c. Cùm pro cauſa; 6. h. t. ubi ſtatuitur, ſi
„ Clericus alicuius Eccleſiæ, v. g. Canonicus legitimè
„ probare poſſit, ſe ex mandato Capituli ſuſcepiſſe
„ negotia ipſius promovenda, ideóque ad Sedem A-
„ poſtolicam acceſſiſſe, expenſas ob eam cauſam fa-
„ ctas ipſi reſtituendas eſſe. Ratio eſt, quia officium
„ ſuum nemini debet eſſe damnoſum.

LXXXVI. Idque extenditur primò, quòd non ſolùm extraneus, ſed etiam Prælatus, ſeu Eccleſiæ Rector, vel alius, qui eſt de Eccleſia, ſi expenſas fecit ex propriis, ſeu patrimonialibus bonis in utilitatem Eccleſiæ, poteſt illas repetere. c. Quicunque; 2. & ibi Gl. in caſu cauſ. 12. q. 4. Abb. hîc not. 1. Secundò, qui mandatum ſpontè ſuſcepit, etiamſi in eo nihil fuerit actum de expenſis, poterit illas repetere factas ob negotium ſibi injunctum: Abb. hic not. 2.

Tertiò, etiamſi Procurator in cauſa ſuccubuerit, vel inutiliter negotium geſſerit, dummodo eius culpâ id non acciderit, poteſt petere ſibi reſtitui expenſas factas occaſione mandati, ſeu negotij ſibi commiſſi. l. Qui mutuam; 56. §. fin. ff. Mandat. & l. Etiamſi; 4. C. eodem. Secus, ſi egit ſine mandato, & ſuccubuit, ſive ſi res infelicem eventum habuit, Gl. hîc in not. & V. Propter hoc. Quartò, ſi quis etiam ſine mandato negotia abſentis utiliter, & rationabiliter geſſit, poteſt expenſas repetere actione negotiorum geſtorum, tametſi effectum non habuerit negotium. l. 2. l. Sed an ultro; 10. ff. de negot. geſt. Gl. hîc V. De mandato. Illud tamen intereſt inter mandatarium, ſeu Procuratorem, & negotiorum geſtorem, quòd is, cui mandatum eſt, ut negotium alterius ſuſcipiat, expenſas repetere poſſit, ſive conſultum, & expediens fuerit domino illud ſuſcipi, aut tractari, ſive non: is verò, qui ſine præcedente mandato, cauſam, vel negotium alterius ſuſcepit, non repetit expenſas, ſi infelix eventus fuit, aut non expediebat domino negotium ſuſcipi, ut conſtat ex cit. l. Sed an ultro; §. 1. & docet Gl. hîc V. Propter hoc. Quintò, Procurator etiã petere poteſt, ut expenſæ ſibi ſolvantur ex ipſa re judicata, ſi dominus ſolvendo non ſit. l. Actoris; 30. ff. h. t. Denique actio mandati etiam competit Procuratori ad petendum ſalarium, ſi quod debeatur. l. Salarium; 7. ff. Mandati, VVeſenb. ff. h. t. num. 8. in fine.

LXXXVII. Portò, quæ dicta ſunt, limitari debent. Primò. Expenſas, quas Procurator fecit principaliter pro ſuis negotiis, & in conſequentiam ſolùm pro alienis, non poteſt repetere, ut ſi alicui in cauſa propria, vel etiam alterius Romam v. g. profecturo mandes, ut tua quoque negotia peragat: non poteſt is repetere à te ſumptus itineris, quos alioquin etiam ſine tuo mandato facturus fuiſſet, niſi propter tua negotia diutius morando plus expenderit, ut colligitur ex cit. c. Cùm pro cauſa ibi: *propter hoc*; h. t. & l. Ex parte; 39. ff. famil. herciſc. & notat Gl. hîc V. Propter hoc; & Abb. not. 3.

Secundò. Si Procurator proficiſcens in negotio ſibi à Domino demandato, infirmetur in via, vel incidat in latrones, & ab ijs ſpolietur, non poteſt damna accepta, vel ſumptus factos repetere à Domino. l. Inter cauſas; 26. §. Non omnia; ff. Mandati, ubi etiam ratio redditur, quia hæc magis caſui fortuito, quàm mandato imputari oportet: & merè extrinſecè, ac per accidens ſe habent ad mandatum. Aliud eſt in contractu ſocietatis, in quo damna, quæ unus ex ſociis paſſus eſt, occaſione ſocietatis, etiam alter ferre debet, quia ibi eſt jus quoddam fraternitatis, & ſicut lucrum, ita, & damnum quoque commune eſſe oportet, quod ſine culpa ſocij contingit. l. Cùm duobus; 52. §. Quidam; ff. Pro ſocio, Gl. in cit. §. Omnia; V. Mandato. Abb. in cit. c. Cùm pro cauſa; num. 4. h. t.

§. IX.

An, & quomodo officium, ac poteſtas Procuratoris ad Iudicia dati finiatur per revocationem eiuſdem à Domino factam?

LXXXVIII. Aſſertio 1. Procurator ad lites, ante litem conteſtatam, liberè revocari poteſt,

non autem poſteà, prout ſtatutum habetur in c.Quămvis; 2. h. t. in 6. ubi dicitur: Quamvìs Procurator poſſit, ante litem conteſtatam, etiam ſine cauſa, liberè à Domino revocari: poſtea tamen (id eſt, poſt litem conteſtatam ab ipſo Procuratore, Gloſſ. hic V. Poſtea) ipſo nolente (ſecus ſi volens ſit, Gloſſ. hîc V. eod.) revocari non poteſt: niſi inimicitias cum domino contraxerit (etiam non capitales, Gl. hîc V. Inimicum) vel aliâ ratione ſuſpectus reddatur: vel adverſario affinitate conjungatur, vel hæres eius fiat: vel ſi Religionem ingredi (etiam non profitendo, ſed ſolùm probationis causâ, Gl. hîc V. Ingredi) vel in longinquum eum proficiſci (juxta arbitrium Judicis, conſideratis circumſtantiis cauſæ & viarum, Gl. hîc V. In longum) vel ægritudine, aut vinculis (in prædonum, vel hoſtium poteſtate) detineri contingat: vel alia rationabilis cauſa (v. g. ætas nimis decrepita, vel quia nimis juvenis eſt, Gl. hîc V. Alio) ſubſit, propter quam meritò ſit revocandus. Verùm quamquàm Procurator (cum quo lis eſt conteſtata) revocari non poſſit (invitus, ut ſuprà dictum) non prohibetur tamen ipſe dominus ſuæ cauſæ in judicio cum Procuratore adeſſe: præſertim, ſi colluſionis alicuius ſubſit periculum, vel ſuſpicio.

LXXXIX. Pro declaratione cit. c. 2. h. t. in 6. notandum 1. Dominus, ante litis conteſtationem, liberè revocare poteſt Procuratorem, etiam ſine cauſa l. Ante litem; 16. h. t. ſive ſit Procurator Actoris, ſive Rei, Gl. ibid. & l. Quæ omnia; 25. in princ. ff. eod. quia ante litem conteſtatam, per mandatum nullum eſt jus quæſitum Procuratori, & nullum etiam fit præjudicium adverſario, vel alteri, per talis Procuratoris revocationē. Similiter etiam Procurator liberè reſignare poteſt officium procurationis ante litem conteſtatam: niſi dominus pro Procuratore præſente, & non contradicente, vel etiam pro abſente, ſed poſtea expreſsè, vel tacitè ratum habente, ſatiſdederit, ſeu fidejuſſerit de judicato ſolvendo: tum enim compelli poteſt Procurator ad dominum defendendum, & judicium accipiendum, ac litem conteſtandam, ne decipiatur is, qui ſatiſdedit. l. Si defectus; 15. l. Mutus; 43. §. Qui non cogitur; ff. h. t. Clement. 1. & ibi Gloſſ. Verb. Cogi eod. Porrò, quod dictum eſt, Procuratorem à domino, ante litem conteſtatam, liberè, & ſine cauſa revocari poſſe, limitari debet. Primò, niſi Procurator revocationi domini ſe opponat, ad ſe purgandum, & ſervandam exiſtimationem ſuam illæſam, quia dominus vult eum revocare tanquam ſuſpectum. Secundò, niſi in rem ſuam datus ſit Procurator. Tertiò, niſi de ſuo aliquid expendiſſet, quod retinere velit, quod tamen ſi dominus ſolvere paratus ſit, removeri poteſt, etiam poſt litem conteſtatam, prout habetur in l. Quæ omnia; 25. & l. ſeq. ff. h. t. niſi dominus vellet illum revocare ex parte ſolùm, & non in totum. l. In cauſæ; 47. in princ. ff. eod. in his enim caſibus non poteſt Procurator removeri, etiam ante litem conteſtatam, & multò minùs poſt illam. Franc. hîc n. 1.

Notandum 2. Procurator, poſt litem conteſtatam, invitus revocari non poteſt, niſi causâ revocationis priùs cognitâ. l. Poſt litem; 17. ff. h. t. Ratio eſt, quia ex eo tempore tum adverſarij, tum ipſius Procuratoris, quippe qui dominus litis factus eſt. l. Procuratoribus; 22. C. h. t. intereſt, ne temerè removeatur. Quòd ſi Procurator, poſtquam à domino, etiam poſt litis conteſtationem, revocatus eſt, ſe opponat, & operam ſuam invito ingerat, eo ipſo ſe ſuſpectum reddit, quamvìs petere poſſit, ut cauſa revocationis cognoſcatur ad famam ſuam defendendam. cit. l. Quæ omnia; §. 1. ff. h. t. Sed ne quidem volens Procurator revocari poteſt, poſt litem conteſtatam, ſi adverſarius, quo cum litigatur, nolit, & mutationi reſiſtat, niſi priùs cauſa revocationis cognoſcatur, ut appareat, an removeri debeat Procurator, nécne, ut docet Gl. in cit. c. 2. V. Suſpectam; h. t. in 6. Poteſt tamen Procurator, ſi ſine culpa ſua ſit remotus, præter alias expenſas, petere ſalarium, ut docet Bart. in cit. l. Poſt litem; n. 2. ff. h. t.

X C. Notandum 3. Procurator quoque non poteſt, poſt litis conteſtationem, adeóque re non integrâ, renunciare officio ſuo, invito domino, niſi juſta cauſa ſubſit, ac ſimilis ei, ob quam Procurator poſt litem conteſtatam revocari poteſt, ut patet ex l. Filiusfam. 8. §. fin. & 2. ll. ſeqq. & tradit Gl. in c. 3. V. Suſceptum; h. t. in 6.

Notandum 4. Quamvìs Procurator per litis conteſtationem efficiatur dominus litis, ſeu inſtantiæ, non tamen fit dominus cauſæ, ſed ipſe principalis conſtituens Procuratorem, dicitur dominus ſuæ cauſæ, etiam poſt litis conteſtationem, ut ex Bartolo docet Franc. in cit. c. Quamvìs; not. 3. Ex quo infertur, quòd in cauſa appellationis Procurator revocari poteſt, etiam poſt litem conteſtatam, quia cenſetur effectus dominus inſtantiæ, non autem cauſæ, Barb. in cit. c. 2. num. 6. h. t. in 6. & alij apud ipſum.

Notandum 5. Ex cauſa legitima, inſtantia judicij, ſive proſecutio litis à Procuratore, cum quo lis fuit conteſtata, transferri poteſt in ipſum dominum, ſi per ſe agere velit, vel in novum Procuratorem, idque, vel de novo litem conteſtādo, ut tradit Gl. marg. in l. Mutari; 24. lit. f. ff. h. t. vel ſi Procurator cedat jus inſtantiæ domino, vel alteri Procuratori, Bart. in cit. l. Mutari; num. 4. & Ancharan. in cit. c. 2. not. 4. h. t. in 6. & ſumitur ex l. In cauſæ; 26. §. Ex parte, junct. Gl. marg. lit. f. ff. eod.

Notandum 6. Etſi dominus, poſt litem conteſtatam, nequit abſque juſta cauſa revocare Procuratorem: poteſt tamen intereſſe judicio, unâ cum Procuratore, ut habetur in cit. c. 2. in fine: præſertim, ſi eum ſuſpectum habeat de colluſione, quam tamen fortè probare non poteſt, vel quia non vult prolongare proceſſum judicii, qui fieri deberet in cognitione ſuſpicionis, Gl. ibid. V. De colluſione. Porrò præſentia domini in judicio, unâ cum Procuratore, ad hoc ipſi proderit, quia teſtes ad probationes adducere poterit, quas fortè Procurator omitteret: vel ſaltem præſens curabit, ut Procurator teſtes nominatos à domino, vel probationes, quas volet, producat; nam beneficium juris conceſſum domino, ut adeſſe poſſit, latè interpretari oportet, ut aliquid conferat, Gl. fin. in cit. c. Quamvìs.

XCI. Aſſertio 2. Si Procurator ſit revocatus à domino coram teſtibus, & pervenerit ad notitiam Procuratoris ipſius revocatio, tum ſententia contra ipſum lata in præjudicium domini eſt nulla, prout ſumitur ex c. Ex inſinuatione; 3. h. t. Nam ortâ

con-

» controverſiâ inter Archidiaconum Sagienſem, & » M. Gaſparem, ſuper quadam præbenda, Archidia- » conus Procuratori ſuo expreſsè inhibuit, duobus » Clericis præſentibus, ne cauſæ cognitionem ſuſci- » peret (id eſt, ne mandato, ſeu inſtrumento ſuo procuratorio uteretur ad ſuſcipiendum judicium, ut habetur in integra lectione huius c. teſte Gl. hîc V. Suſciperet, adeóque ipſum revocavit, quod dominus potuit, cùm lis non fuerit conteſtata, & res erat integra, l. Ante litem; 16. ff. b. t. Gl. hîc V. Inhibitum) » ſed Procurator, non obſtante eâ inhibitione, ſeu » revocatione, nihilominus in cauſa proceſſit, & con- » tra ipſum ſententia eſt lata, & adverſarius Archi- » diaconi in poſſeſſionem illius præbendæ eſt immiſ- » ſus. Redelatâ ad Papam Clementem III. is man- » davit, quia unus ex duobus Clericis, coram quibus » facta eſt revocatio Procuratoris, jam obierat, rece- » pto juramento, tum ipſius Archidiaconi, tum Cle- » rici ſuperſtitis de revocatione factâ, non obſtante » ſententiâ priùs latâ, præbenda illa eidem Archi- » diacono, unâ cum fructibus perceptis, auctoritate » Apoſtolicâ reſtituatur, dummodo aliud canoni- » cum impedimentum non obſtet. Poſt factam ve- » rò reſtitutionem, ſi idem Archidiaconus inſtitu- » tionem ſuam canonicam probaverit, eam ratam » permanere, remotâ appellatione, debere.

XCII. Pro declaratione huius c. notandum 1. Quamvis Procurator per litteras, ſeu inſtrumẽta fuerit conſtitutus, poteſt tamen ſolis verbis, ſine ſcriptura, à Domino revocari. Abb. hîc nut. 1. ita tamen, ut revocatio probari debeat, v. g. per duos teſtes, ſi Procurator illam neget eſſe factam, ut colligitur ex hoc c.

Notandum 2. In cauſa etiam non levi (modò non ſit criminalis, famoſa, vel valde ardua) ſufficit unus teſtis ad faciendam ſemiplenam probationem, ita, ut à Judice in ſupplementum integræ probationis juramentum deciſorium deferri poſſit habenti unum teſtem, ut patet ex hoc c. & habetur etiam in l. 3. junctâ Gl. V. Per judicem; C. de reb. credit. Gl. in c. ult. V. à te de jureiur. Abb. hîc n. 2. 3. & 6. & Laym. num. 1.

Notandum 3. Spoliatus à judice per ſententiam invalidam poteſt petere reſtitutionem, & reſtitui debet in poſſeſſionem, antequam cognoſcatur de jure, ſeu proprietate ſpoliati, ut colligitur ex hoc c. Nam Archidiaconus fuit ſpoliatus poſſeſſione ſuæ præbendæ, prætendens, ſententiam fuiſſe nullam, quippe latam contra Procuratorem jam revocatum. c. Licèt; 24. C. h. t. qui legitimam perſonam ſtandi in judicio non ampliùs habuit, & Papa mandat, reſtitui ipſi poſſeſſionem: Verùm, quia in caſu huius c. Judex probabiliter ignoravit revocationem Procuratoris, ideo non potuit contra ipſum agi interdicto: Unde vi; cùm nullam vim injuſtam parti intulerit, ſed poteſt agi per viam nullitatis, & peti, ut ex officio Judicis ſententia lata declaretur nulla, & ſpoliato reſtituatur poſſeſſio, Innocent. hîc n. 2. & Abb. n. 4.

Notandum 4. Spoliatus non eſt reſtituendus, ſi canonicum impedimentum obſtet, cujuſmodi eſt excommunicatio, à qua is non eſt abſolutus: vel pactum de non petenda reſtitutione poſt ſententiam. Vel, ſi ſententia ſit lata contra ſpoliatum ſuper proprietate, adeóque agenti poſſeſſorio obſtet exceptio notorij defectûs proprietatis: vel denique, ſi ſpoliatus ſententiam nullam, ut in caſu huius c. contra Procuratorem revocatum latam, vi cuius poſſeſſione deiectus fuit, ratam habeat, Gl. hîc V. Aliud canonicum; & Abb. n. 7. de quo plura alibi.

Notandum 5. Si juris præſumptio ſtet contra poſſeſſorem, ut, ſi ei jus commune reſiſtat, tum obligatur exhibere, aut probare titulum poſſeſſionis ſuæ, ut in caſu huius c. Archidiaconus; quia in alia Eccleſia habebat præbendam incompatibilem cum Archidiaconatu, cùm nemo, ſine diſpenſatione, poſſit eſſe in pluribus Eccleſiis intitulatus. c. 2. diſ. 70. c. Dudum; 54. de elect. ideo debuit probare, ſe canonicè inſtitutum fuiſſe, Gl. hîc V. Probare. Quòd ſi quis impetret litteras Papales ad beneficium, tanquam de jure vacans, quod tamen ab alio de facto poſſidetur, debet ipſe probare, quod de jure vacet, adeóque nullum titulum in eo habeat poſſeſſor, neque hic compellitur oſtendere titulum, quia præſumitur juſtè poſſidere. l. ult. C. de rei vindic. Abb. hîc n. 9.

XCIII. Aſſertio 3. Reſcriptum impetratum à Procuratore revocato, cui revocatio eſt intimata, eſt ipſo jure nullum, nec valet proceſſus, vel ſententia vi talis reſcripti lata, ſi revocatio etiam pervenit ad notitiam adverſarij, prout ſumitur ex c. In noſtra; 4. h. t. Nam in quadam cauſa, quæ inter Epiſcopum, & » Decanum Tullenſem, ſuper dilapidatione, excom- » municatione, & perjurio, ac aliis quibuſdam cri- » minibus vertebatur (civiliter in judicium dedu- » ctis, vel per modum inquiſitionis, aut denunciationis, alioquin ſi criminalis fuiſſet accuſatio, Procurator intervenire non potuiſſet, Gl. hîc V. Præſentia; & Hoſtienſ. V. vertebatur) Epiſcopus duos Presbyte- » ros Procuratores ad Sedem Apoſtolicam deſtinavit; » ſed paulò pòſt de fide illorum dubitans, mandatum » procuratorium ab eiſdem revocavit: ſed ipſi, licèt » litteras mandati revocatorias recepiſſent, nihilo- » minus in cauſa proceſſerunt, & in judicium cum » adverſario ingreſſi, unâ cum eodem, litteras Apo- » ſtolicas ad Judices delegatos impetrârunt, in præ- » judicium Epiſcopi Tullenſis, qui coram iſtis exci- » piens, inducias ſibi dari, poſtulavit, ad probandum, » quòd falſi Procuratores fuerint; ſed Judices hac ex- » ceptione tanquam inutili reiectâ, dilationem con- » cedere recuſârunt, ideóque Epiſcopus ad Sedem A- » poſtolicam appellavit. Verùm Judices, non obſtâ- » te eâ appellatione, lite non conteſtatâ, & juris ordi- » ne prætermiſſo, contra Epiſcopum teſtes recipere » præſumpſerunt, eúmque à Tullenſi Eccleſiâ remo- » verunt. Quæ etſi vix credibilia viſa fuerint Papæ » Innocentio III. quòd Judices, quippe viri litterati, » & providi, ſic proceſſiſſent, maximè, quia in rela- » tione ſuâ Papæ tranſmiſsâ, nullam mentionem de » hujuſmodi exceptione fecerunt: quia tamen viri » religioſi, providi, & honeſti ſub juramento de ijs » hæc teſtati ſunt, de quibus non eſt veriſimile, quòd » ſuæ ſalutis obliti, falſum teſtimonium dederint: id- » circo idem Innocentius proceſſum illorum Judicũ » irritandum eſſe, judicavit (id eſt, irritum declarandum, Gl. fin. hic & Hoſtienſ. in fine) propterea, quòd » exceptio falſi Procuratoris, non ſolùm ante, ſed e- » tiam poſt ſententiam latam, objici poteſt, quia illâ » probatâ, judicium, ſive acta judicii nullius ſunt mo- » menti.

XCIV.

XCIV. Pro declaratione huius c. notandum 1. quòd Presbyteri, aliíque Clerici, ſicut poſſunt eſſe Advocati, & Procuratores pro ſua Eccleſia, ita, & pro Epiſcopo proprio, præſertim ad illum defendendum, ut apertè colligitur ex hoc c. idque propter conjunctionem, quam habent cum ſuo Epiſcopo, & reverentiam, ac obedientiam ipſi debitam, Joan. Andr. hîc, & Abb. not. 2.

Notandum 2. Non ſolùm reſcriptum impetratum per falſum Procuratorem, qui ſcilicet, vel nullum procuratorium mandatum accepit, vel quod revocatum à domino fuit, ipſo ſciente, eſt nullùm; ſed etiam proceſſus inde ſecutus, & ſententia lata nullius eſt momenti, prout etiam habetur in l. Licet; 24. C. h. t. Quare talis exceptio, ſicut & quævis alia, per quam judicium redditur nullum, in quacunque parte judicii, adeóque etiam poſt litem conteſtatam, imò poſt latam ſententiam opponi poteſt, Gl. communiter recepta hîc V. Exceptio, & Abb. n. 2. & 4.

Notandum 3. Si perſona ſecundùm ſe inhabilis, vel prohibita ad procurandum, quæ tamen per ſe in judicio ſtare poteſt, ut Clericus, miles, mulier conſtituatur Procurator, tum exceptio falſi Procuratoris, ante litis conteſtationem, contra illam opponi debet; nam poſtea non poterit repelli per oppoſitam exceptionem, tum quia hæc exceptio eſt dilatoria, ideóque ante litem conteſtatam opponi debet; tum quia per litis conteſtationem Procurator factus eſt dominus litis, unde, ſicut in cauſa propria poteſt ſtare in judicio, ita etiam in cauſa aliena, vel appellationis, juxta l. Ita demum; 13. & ibi Gl. V. Militiæ; junct. Gl. marg. C. h. t. Si verò ſit perſona, quæ per ſe non poteſt ſtare in judicio, ut pupillus, amens, religioſus, tum exceptio falſi Procuratoris, ſive de nullitate judicii, etiam poſt litem conteſtatam opponi poteſt, Gl. hîc V. Exceptio, & Abb. n. 7. & in c. pen. num. 6. h. t.

Notandum 4. Si Procurator à domino ſit revocatus, etiam ante litis ingreſſum, vel conteſtationem, ignotante adverſario, & Judice, tum acta judicii facta cum Procuratore revocato valent: ſi verò, adverſario ſciente, ſit revocatus, non valent acta judicii poſt revocationem, quia requiritur ad nullitatem judicii, quòd revocatio pervenerit ad notitiam adverſarij, licèt judex ignoraverit, ut in caſu huius c. Gl. hîc V. Revocavit; & Abb. n. 5. & 6. quæ ex infrà dicendis patebunt.

XCV. Aſſertio 4. Revocatio Procuratoris in contemptum Judicis, præſertim Sedis Apoſtolicæ, & in præjudicium adverſarij, facta, poſtquam in cauſa concluſum eſt, non tenet, & revocans condemnari debet in expenſas factas ab adverſario, prout ſumitur ex c. Auditis; 8. h. t. » Nam cùm controverſiæ quędam eſſent inter Epiſcopum Egitanenſem, & Epiſcopum Colubrienſem, ex commiſſæ ſunt quibuſdam Judicibus cognoſcendæ: ſed ad petitionem Epiſcopi Colubrienſis, tota cauſa ad Sedem Apoſtolicam fuit avocata. Verùm idem Epiſcopus, poſtquam jam in cauſa concluſum fuerat, ita, ut nihil reſtaret, quàm ſententia ferenda, Procuratorem pro illa cauſa datum, non ſine contemptu Sedis Apoſtolicæ, & diſpendio partis adverſæ revocavit. Quare Honorius III. proceſſus illos Judicum, & quæ inde ſecuta fuerunt, irrita declaravit, non obſtantibus litteris revocatoriis mandati procuratorij, & Epiſcopum Colubrienſem in expenſas condemnavit, quas Egitanenſis Epiſcopus fecit ex eo tempore, quo ad Procuratorem ipſius revocatoriæ litteræ pervenerunt, & quas idem Epiſcopus adhuc faciet, donec Colubrienſis Epiſcopus, vel per ſe, vel per idoneum Procuratorem comparebit, in principali negotio legitimè proceſſurus. »

XCVI. Notandum 1. Qui citatus eſt ad totam cauſam, ſed receſſit, ſine licentia Judicis, vel Procuratorem revocavit, nullum alium ſubſtituendo, contra illum tanquam contumacem procedi poteſt, etiam ad ſententiam definitivam, ſine alia eius citatione, poſtquam cauſa cognita, & concluſa eſt, ut ſumitur ex hoc c. & docet Innocent. hîc n. 1. Præſertim, ſi ipſemet petiit, ut tota cauſa ad judicem traheretur, & devolveretur, ut in caſu huius c.

Notandum 2. Revocatio Procuratoris, poſtquam eſt in cauſa concluſum, non obſtat, quò minùs poſſit ferri ſententia in Procuratorem, perinde, ac ſi revocatus non fuiſſet, quia liquet Judici de meritis cauſæ, Abb. hîc n. 2. quin imò etiam poſt litem conteſtatam, non poteſt removeri Procurator ſine cauſa, adverſario contradicente, intereſt enim adverſarij, ne mutatione perſonarum judicium varietur, Abb. hîc n. 8. ubi addit, quòd in hoc c. fiat mentio de concluſione cauſæ, quia factum narratur, idem tamen fuiſſet, ſi quandocunque poſt litem conteſtatam Procurator, ſine cauſa, & invito adverſario, revocatus fuiſſet, ideóque ſubintelligendum eſſe, *maximè*. Porrò Papa in caſu huius c. non proceſſit in cauſa principali, quæ erat de limitatione Diœceſium, ſed, cùm ſuper nullitate proceſſuum à delegatis factorum, non ſervato debito ordine judiciario, eſſet in cauſa concluſum, non obſtante revocatione Procuratoris Epiſcopi Colubrienſis, quæ poſt concluſionem in cauſa ad Procuratoris notitiam pervenit, Papa ſententiam tulit ſuper nullitate proceſſuum; non autem ſuper negotio principali, quia vi generalis citationis ad totam cauſam factæ, non poterat, parte abſente, procedi ad ferendam ſententiam ſuper quæſtione principali, cùm ſuper illa coram Papa lis nondum fuerit conteſtata, Innocent. hîc num. 1. & Abb. num. 8. in fine.

Notandum 3. Pars litigans ab eo tempore, quo incipit eſſe contumax, nec per ſe comparendo in judicio, nec per Procuratorem, debet adverſario condemnari in expenſas, quas propter eius contumaciam facere debuit, quia ille in mora fuit, c. Cùm dilecti; 6. de dolo, & contum. Abb. hîc num. 10. imò etiam in futuras, ſive deinceps faciendas expenſas condemnari debet is, qui Procuratorem intempeſtivè revocavit, vel per contumaciam abeſt, etiam nullâ taxatione præmiſſâ, quia, cùm pars litigans necdum ſcire poſſit, quas, & quantas expenſas adhuc faciet, ſufficit generalis petitio illarum, quam poteſt ſequi etiam generalis, & incerta ſententia condemnatoria in expenſas, quarum taxatio poteſt poſtea fieri, Gl. fin. hîc, & Abb. n. 10.

XCVII. Aſſertio 5. Revocatio Procuratoris à domino facta inſinuari debet Judici, vel adverſario, alioquin, ſi tam adverſario, quàm Judice ignorante, facta ſit, ac neutri intimata, acta cum Procuratore revocato valent: non item, ſi vel adverſario,

ſario, vel Judici revocatio intimata ſit, tum enim acta cum eo, tanquam Procuratore falſo, irrita ſunt. Ita colligitur ex l. Si Procuratorem; 65. ff. h.t.& l.unic. C. De ſatiſdand. & quoad priorem partem expreſsè » habetur in c.Mandato; 13.h.t. ubi dicitur: manda- » to Procuratoris, poſt litem conteſtatam, à domi- » no revocato, ſi hoc, ignotante Judice, vel adverſa- » rio, factum ſit, judicium, quod idem quaſi Procu- » rator poſtmodum expertus eſt, ratum eſſe debe- » bit. V.g. aliquis conſtituit Procuratorem in cauſa agitata coram Judice Ordinario, vel delegato, ſed dominus, poſt litis ingreſſum, ſeu conteſtationem, revocavit Procuratorem, quæritur, utrùm ea, quæ cum eodem Procuratore poſtea acta ſunt, valeant? Reſpondet Papa Gregorius IX. ſi revocatio ad notitiam Judicis, vel Adverſarij non pervenit, acta cum Procuratore revocato valere, Gl. hîc in caſu. Ex quo per contrarium ſenſum infertur, quòd, ſi revocatio pervenit ad notitiam Judicis, vel Adverſarij, acta poſtea cum eo tanquam Procuratore falſo, non valent, Gl. hîc V. A domino revocato. Ratio deciſionis eſt, quia, poſtquam pars litigans per Procuratorem in judicio agere cœpit, tum intereſt Judicis, vel partis adverſæ, ut mandatum procuratorium non revocetur, niſi id ipſis intimetur, ne alioquin fruſtra in judicio fatigentur, adeóque acta etiam cum Procuratore revocato valere debent, aliàs enim poſſet conſtituens Procuratorem occultè illum revocare ad reddenda acta judicii invalida, quando timet ſententiam contra ſe ferendam, & revocationem factam publicare, & ſic ex dolo ſuo commodum ſentiret, ideóque debet de revocatione Procuratoris Judicem, vel adverſarium certiorem facere, alioquin non obſtante revocatione, acta valebunt, Gl. hîc in not. & Vivian.. in Ratinn. Jur. Pontif.hîc. Nec obſtat c. Ex inſinuatione; 3. et c. In noſtra; 4. h. t. ubi habetur, quòd acta cum Procuratore revocato ſint invalida: quia illa debent intelligi, quando notitia revocationis pervenit ad Judicem, vel adverſarium, ſive quando, ſciente Judice, vel adverſario, Procurator eſt revocatus; tum enim acta poſt revocationem non valent, ut jam dictum, Gloſſ. hîc V. A domino, & Hoſtienſ. §. Nec obſtat.

XCVIII. Cæterùm, pro majore declaratione huius c. notandum 1. Non ſufficit, quòd revocatio Procuratoris, poſt litem conteſtatam facta ſit ipſi Procuratori, ſed neceſſe eſt, ut etiam ſignificetur adverſario, vel Judici, alioquin non obſtante revocatione, valent acta cum Procuratore revocato, ſi vergant in præjudicium Domini revocantis, qui ſibi imputare debet, quòd revocationem ijs non inſinuaverit, quibus debuiſſet: non autem valent in præjudicium adverſarij, quia debuit ei ſignificari revocatio, Abb. hîc num. 2. Verùm priusquam mandatum procuratorium intimatum eſt parti adverſæ, vel Judici, ſufficit, quòd revocatio illius innotuit Procuratori, cum quo ſolo tunc actum fuit, ut colligitur ex cit. l. Procuratorem; ff. h. t. & l. unic. C. de ſatiſd. & notavit Laym. in cit. c.Mandato; n. 1.

Notandum 2. Non ſufficit, revocationem Procuratoris aliunde veniſſe in notitiam Judicis, vel adverſarij, ſed requiritur, ut ipſe principalis, qui Procuratorem conſtituit, eius revocationem inſinuârit adverſario, vel Judici, ut notat hîc Joan. Andr. in Gl. 2. & Abb. in fine huius c. ne detur adverſæ parti anſa prorogandi judicium. Quamvìs autem conſultum ſit, ut utriq; tam adverſario, quàm Judici fiat intimatio revocationis; ſufficit tamen, valétque, & effectum habebit revocatio, ſi vel ſoli adverſario intimetur. arg. c.Ex parte; 33. de reſcript. nam deinceps non poterit adverſarius litigare cum Procuratore, quem ſcit eſſe revocatum, adeóque falſum Procuratorem: Vel ſi intimetur ſoli Judici, nam ex eo tempore proceſſus, ſeu acta judicii ipſo jure nulla erunt, juxta c. 1. h. t. quia judex ſciens in non legitimam perſonam ſententiam tulit, Gl. fin. hîc, ubi ait, cùm in cit. c.Mandato; dicitur: Si Procurator revocatus ſit, ignorante Judice, vel adverſario, rata ſint acta cum illo. quòd Copula *Vel* non disjunctivè, ſed copulativè accipienda ſit pro *Et*, quia aliàs à contrario ſenſu ſequeretur, quòd, ſi revocatio ad alterius tantùm, ſive Judicis, ſive adverſarij notitiam perveniſſet, acta valerent, quod non eſt verum. Et, cùm adverſarius ſcit, Procuratorem eſſe revocatum, adeóque non habere facultatem jus domini deducendi in judicium, non apparet ratio, cur acta cum Procuratore revocato debeant eſſe valida, ſiquidem ipſe adverſarius ſe ipſum decepit, Abb. hîc num. 5.

Quamquàm Gl. in cit. l. Si Procuratorem; V. Mutatâ voluntate; ff. h. t. & Gl. in cit. l. unic. V. Noluerit; & ibi Bartol. C. De ſatiſdand. exiſtimant, quòd priore caſu, quando revocatio mandati procuratorij ſoli adverſario, non item Judici intimata eſt, acta, & ſententia ipſo jure valeant, ita tamen, ut per oppoſitam exceptionem reſcindi poſſint officio Judicis, ne adverſarius ex propria deceptione commodum referat.

Notandum 3. Non ſolùm, ſi poſt litis conteſtationem (cuius expreſſa mentio fit in cit. c. Mandato; h. t.) ſed etiam ante litis conteſtationem, Procurator revocatus ſit, ignorante Judice, & adverſario, acta judicii valent, ut tradit Gl. in cit. c. Mandato; Verſ. Sed quare. ubi ait, in textu ſupplendum eſſe, *maximè poſt litem conteſtatam*, quia idem eſt ante, & poſt litem conteſtatam, dummodo Procurator revocatus ſit, poſtquam eius conſtitutio Judici, vel adverſario inſinuata fuit, ſive extra judicium, ſive apud acta judicii, ſive per ipſam litis conteſtationem, qui velut modus clarus inſinuationis ponitur in cit. c. Mandato; & quòd Dominus ratum habebit, quod cum eo actum fuerit, ut colligitur ex cit. l. Si Procuratorem; ff. h. t. & cit. l. unic. C. De ſatiſd. Quòd ſi Procuratoris revocatio facta ſit, antequam eiuſdem conſtitutio parti adverſæ, vel Judici denunciata fuit, tum quæcunque cum Procuratore revocato acta fuerint, nulla, & irrita cenſeri debent, tanquam facta cum Procuratore falſo, juxta c. Inſinuatione; 3. h. t. Laym. in cit. c. Mandato; n. 2.

XCIX. Aſſertio 6. Procurator habens à Do- » mino poteſtatem ſubſtituendi alium Procuratorem » non poteſt à ſe ſubſtitutum, poſt mandatum ab illo » ſuſceptum, etiamſi eo uſus non ſit, revocare, niſi non ſolùm poteſtas alium ſubſtituendi, ſed etiam revo- » candi ſubſtitutum à domino eidem ſit conceſſa, li- » cèt aliud ſit in delegato Sedis Apoſtolicæ, qui vices »

ſuas alteri committit, ſeu ſubdelegat, nam is poteſtatem eidem demandatam revocare poteſt, etiamſi ſubdelegatus illâ nondum uſus fuerit, juxta c.Quamvìs; 6.de offic. Jud.deleg. in 6. Verùm, ſi Procurator ad plures, vel omnes generaliter cauſas ſit conſtitutus,& in unâ tantùm earum alium ſubſtituerit, tum non prohibetur in aliis cauſis,(in quibus nullum ſubſtituit) Procuratoris officium exercere. Ita ſtatutum habetur in c.Is qui; 3.h.t. in 6.

Ratio verò diſcriminis inter Procuratorem, & delegatum Sedis Apoſtolicæ, hæc affertur à Gl.hîc V. Aliud; quia delegatus Principis poteſtatem ſubdelegandi habet à lege, ideóque, antequam Judex ſubdelegatus eo uti cœpit, revocare poteſt: at verò Procurator ad judicia non habet facultatem ſubſtituendi ſibi alium à lege, ante litis conteſtationem, ſed illam ab homine accipit: quare, ſi ſolùm facultatem ſubſtituendi alium, & non etiam ſubſtitutum revocandi à domino acceperit, ſubſtituendo alium, poſtquam is mandatum acceptavit, cenſetur ſubſtituens functus officio ſuo, ideóque revocare ampliùs non poteſt ſubſtitutum: præſertim, quia Procurator ſubſtitutus potiùs ab ipſo Principali, ſeu domino, quàm à Procuratore ſubſtituente conſtitutus eſſe cenſetur, unde etiam ipſe ſubſtitutus ſatiſdare debet, non ſubſtituentem, ſed ipſum dominum, ſeu principalem ratum habiturum, quod egerit in judicio, Gl. hîc V. Uſus non fuerit; junct. Gl.marg. lit. e. Franc.hîc n.3. in Gl. V. Uſus.

C. Quod autem dictum eſt, Procuratorem habentem poteſtatem ſubſtituendi, ſed abſque ſpeciali facultate revocandi, non poſſe revocare ſubſtitutum, poſt mandatum ab eo acceptatum, etſi eo non ſit uſus, id limitari debet Primò. Ut ſolùm procedat de Procuratore ſubſtituente, ante litis conteſtationem: nam ſi poſt illam alium ſubſtituat jure ſuo, quia ſcilicet tunc dominus litis factus eſt, & poteſtatem ſubſtituendi, non ab homine, ſed à lege habet, juxta c.1. §. Licèt; h. t.in 6. ideo poterit eodem jure ſubſtitutum pro arbitratu revocare, etiamſi facultatem revocandi à domino non acceperit; & cauſam reaſſumere, ſi res integra ſit, ſive, ſi ſubſtitutus nondum uſus ſit mandato, ſeu judicium in eum necdum translatum ſit, Gl.hîc V. Aliud;& Franc.n.4. Non tamen, etiam poſt litem conteſtatam, vel poſt judicium aliter inchoatum per ſubſtitutum, poteſt ſubſtituens eum revocare, niſi causâ revocationis priùs cognitâ, ſicut nec ipſe dominus, ſeu principalis hoc caſu Procuratorem revocare poteſt, niſi causâ cognitâ, ut dictum ſuprà num. 88. not. 2. non enim Procurator ſubſtituens plus poteſt quoad revocandi poteſtatem, quàm ipſe dominus, ſeu principalis, ideóque ſolùm eo caſu revocare poteſt à ſe ſubſtitutum, quo dominus à ſe conſtitutum, Gl.hîc V. Ab illo in addit. Secundò. Limitatur, quòd Procurator in rem ſuã datus liberè poteſt revocare à ſe ſubſtitutum, re adhuc integrâ, ſive antequam uſus fuit mandato, quia & is poteſtatem ſubſtituendi à lege habet, cit. c. 1. §. Licèt; h.t.in 6. Gl.hîc V. Aliud in fine. Tertiò. Limitatur, niſi Procurator ſubſtitutus mandatum non acceptârit, vel ſubſtitutio non valuit, vel ſubſtitutus ſit inhabilis, tunc enim ſubſtituens, alium ſubſtituere poterit, Franc.hîc n.5.

Porrò ſi Procurator generaliter conſtitutus ad omnes, vel plures cauſas, cum poteſtate ſubſtituendi, ſubſtituat aliquem in una cauſa, is nõ obſtante eâ ſubſtitutione, quam fecit, in alijs cauſis Procurator remanet, prout habetur in cit. c. Is qui; §. Verùm; h. t. in 6. quia in alijs cauſis retinet poteſtatem, nec cenſetur in ijs eſſe functus officio ſuo, cùm in ijs nullum ſibi ſubſtituerit: & in non connexis, ſeu ſeparabilibus ex uno non infertur aliud non connexum. Ancharan. hîc not. 4. ubi in propoſito, ſubſtitutus in una cauſa non cenſetur ſubſtitutus in alijs diverſis,& ſeparatis. Sic etiã delegatus ab alio, quàm à Principe, ad univerſitatẽ cauſarum, ſi unam deleget, retinet in alijs juriſdictionem, arg. l. Cùm Prætor; 12. in princ. ff. de judic.Gl. fin. hîc.

CI. Aſſertio 7. Si quis Procuratorem, v. g. Titium conſtituat ad cauſam, ſub hac forma, *quoties me abeſſe contigerit:* licèt poſtea Dominus reverſus tractet cauſam per ſe ipſum, non ideo Procuratorem revocare cenſendus eſt. Quin imò Titius Procuratoris officium iterum aſſumere poterit, quoties Dominum abeſſe contigerit. Secus eſt, ſi Titius ſimpliciter ſit conſtitutus Procurator, tum enim, ſi Dominus, qui eum conſtituit, ſive ante litem conteſtatam (quia tunc poteſt revocari ſinè cauſa,& invitus, c.2.h.t.in 6.) ſive poſt illam, veniat ad judicium, non ut Procuratori aſſiſtat, (quod poteſt, etiam eo invito, cit. c. 2. in fine eodem in 6.) ſed ut per ſe ipſum cauſam tractet, tum eam tractando Procuratorem datum revocare cenſetur: niſi Dominus expreſsè dicat, quòd velit, hoc non obſtante, eum in officio procurationis manere: vel ex probabilibus conjecturis appareat, quòd non animo revocandi hoc faciat: ut, ſi Dominus certum articulum tractandum ſibi aſſumat, de quo majorem habet cognitionem: vel, ſi Procurator ſit infirmus, vel ad tempus ſe abſentet, vel aliquid aliud accidat, propter quod Dominum oportet eſſe præſentem: ut, ſi Procurator non habeat mandatum jurandi de calumnia, ideóque Dominus venire debet,& jurare. Ita habetur ſtatutum in c.Si quem; 8.h.t.in6.& ibi Gl.fin.

CII. Notandum 1. Si Dominus cauſæ Procuratorem conſtituat præcisè, & principaliter, ob cauſam abſentiæ, quia ipſe abeſſe debuit, tunc reverſus ad judicium, cenſebitur tacitè, ſive ipſo facto revocare Procuratorem, etiam poſt litem conteſtatam, ut patet ex hoc c.& docet Anchar.in c.2. q.1. h.t. in 6. niſi ex circumſtantijs contrarium præſumi poſſit, ut, quia Dominus reverſus non aſſumit cauſam tractare per ſe ipſum, ſed permittit Procuratorem omnia agere, ſicut priùs; tum enim videtur tacitè ipſum denuo confirmare, non revocare, arg. l.Item quæritur; 13.§. Qui impleto; ff.locat. Franc.hîc n.2. Quòd ſi Dominus conſtituit Procuratorẽ ſub hac forma, quoties ipſum abeſſe contigerit, etiamſi reverſus cauſam ipſemet tractet, non ideo cenſetur Procuratorem omnino revocare, ſed tantùm ſuſpendere voluiſſe ejus poteſtatem, ita, ut, dum ipſe præſens eſt, illam Procurator exercere non poſſit, donec Dominus iterum diſcedat, l.Qui mutuam; 56. §.Non ideo; junct.Gl.V.Inſtauraverit; ff.Mandati; & colligitur ex cit. c. pen. h.t. in 6.

Si verò Dominus Procuratorem conſtituit, non ob cauſam abſentiæ, ſaltem principaliter, ſed ſimpliciter; tum, ſi veniat ad judicium, non ut cauſam per ſe ipſum tractet, ſed tantùm, ut aſſiſtat Procuratori, eúmque

que

que dirigat, & adjuvet; tum certum eſt, non revocari Procuratorem, juxta l. Paulus; 69. ff.h. t. Sin autem dominus cauſam per ſe ipſum tractandam ſuſcipiat; tum vel id facit, præſente Procuratore, & non impedito, & cenſetur dominus eum revocare; niſi expreſsè dicat, ſe non animo illum revocandi id facere; vel ex conjecturis idem appareat, ut quia intervenit in judicio, eò quòd ad actum aliquem neceſſaria fuit eius præſentia, ut patet ex ſuprà dictis. Vel dominus perſonaliter tractat cauſam, Procuratore abſente, aut impedito, & tunc non cenſetur eum revocare, Anchar. in cit. c. 2. h.t. in 6.

Notandum 2. Si dominus veniat ad judicium, poſt litis conteſtationem, & cauſam jam cœptam à Procuratore per ſe ipſum tractandam aſſumat: tum vel id facit Procuratore præſente, & non contradicente; & hoc ipſo Procurator cenſetur conſentire, & domino velle cedere litis conteſtatæ inſtantiam, ita, ut in dominum transferatur jus inſtantiæ, ſive actio utilis, & Procuratori competat jus inſtantiæ, ſive actio directa, juxta l. In cauſæ; 27. §. fin. ff. h. t. Vel Procurator, aut ipſe adverſarius, poſt litis conteſtationem, contradicit, & ſe opponit domino cauſam per ſe ipſum tractare volenti: & tum non poteſt Procurator revocari, niſi causâ priùs cognitâ, Gl. hîc V. Sive poſt; & Franc. n. 3. in Gl. V. eod. Anchar. in cit. c. 2. q. 1. h. t. in 6.

Notandum 3. Quod ſuprà dictum eſt, dominum, ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam, tractando cauſam à Procuratore cœptam, cenſeri eum tacitè revocare, id extendendum eſt 1. Ut procedat etiam, ſi dominus cauſam in prima inſtantia tractatam à Procuratore, in ſecunda inſtantia, ſive cauſa appellationis proſequatur. 2. Ut procedat etiam in Procuratore, quoad ſubſtitutum ab illo; nam, ſi Procurator habens poteſtatem ſubſtituendi, & ſimul revocandi ſubſtitutum, alteri præſenti, & acceptanti vices ſuas committat, & poſtea tractet cauſam, videtur talem ſubſtitutum revocare, Franc. hîc n. 1.

§. X.

De revocatione Procuratoris ad negotia, & aliis modis, quibus finitur officium Procuratoris, ſive ad negotia, ſive ad iudicia dati.

Præmittendum, quòd etiam Procurator ad negotia à domino liberè revocari poteſt, re integrâ, §. Rectè Inſtit. de mandat. non item poſtquam res deſiit eſſe integra, niſi juſta cauſa ſubſit, idque, ne mandatarius damno afficiatur, VVeſenb. ff. h. t. n. 11. Revocatur autem Procurator, ſive ad negotia, ſive ad judicia, etiamſi per mandatum juratum ſit conſtitutus, ſive cum clauſula, aut juramento de non revocando, quamvìs revocans fiat perjurus. Gl. fin. c. ult. V. Revocatus; h.t. in 6. Hoc poſito.

CIII. Quæritur 1. Quo pacto revocetur Procurator ad negotia conſtitutus? R. Vel Procurator generaliter, ac indiſtinctè eſt à domino ad omnia negotia conſtitutus; vel ſolùm ad contrahendum, aut quaſi contrahendum cum certa perſona, ut diſtinguit Abb. in c. Ex parte; 33. num. 10. de reſcript.

Priore caſu, revocatio Procuratoris effectum non habet, priuſquam ad notitiam Procuratoris pervenerit, eique intimata ſit, ac proinde, quæ à Procuratore ignorante revocationem geſta ſunt, valent: quæ verò poſt notitiam habitam ab eo acta ſunt, irrita ſunt. l. Si Mandâſſem; 15. ff. Mandati. ubi etiam ratio redditur, ne damno afficiatur is, qui mandatum ſuſcepit: nam, cùm Procurator contrahendo cum altero obligationem contrahat, juxta l. 1. C. de ſent. & interl. omn. judic. eius intereſt, ſcire revocationem mandati: aliorum verò contrahentium plerumque non intereſt ſcire revocationem Procuratoris, quia ſaltem Procuratorem ſibi obligatum habent contrahentem cum illis, cùm ſciret mandatum revocatum, juxta cit. l. 1. Laym. in cit. c. Ex parte; n. 6.

CIV. Excipitur 1. Contractus matrimonij, quod validum non eſt, ſi celebretur cum certa perſona à Procuratore, poſtquam is à domino revocatus fuit, licèt tam ipſe Procurator, quàm perſona, cum qua contraxit, revocationem ignorârit, c. ult. §. Sanè; h.t. & dictum ſuprà n. 29.

Excipitur 2. Si quis non ſit conſtitutus Procurator, ita, ut ei poteſtas, ſive generalis, ſive ſpecialis negotij peragendi commiſſa fuerit, ſed ſimplex mandatarius, ſeu merus internuncius, aut executor, ac velut inſtrumentum mittentis ſit deputatus, huius enim executio, poſt revocationem mandati factam, ante traditionem, ſeu præſentationem rei, non valet, etſi revocatio ad eius notitiam non pervenerit, ut docet Felin. in cit. c. Ex parte; num. 18. limit. 6. Sanch. lib. 2. de matrim. diſ. 11. num. 7. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 263. num. 4. V.g. ſi quis miſerit nuncium, vel famulum, cum ſimplici mandato donandi ſcyphum aureum Titio, poſtea verò, antequam ſcyphus tradatur, revocet, non valebit donatio facta, poſt pœnitentiam, & revocationem donantis, licèt eam nuncius ignorârit.

Excipitur 3. Si Procurator conſtitutus ſit ad acceptandum beneficium Eccleſiaſticum, iſque illud acceptet, poſt revocationem mandati, ea acceptatio non valet, etſi ignoraverit revocationem; tum quia inter beneficiatum, & Eccleſiam quaſi matrimonium ſpirituale contrahitur, ad quod formalis, & actualis conſenſus principalis acceptantis requiritur: tum quia Procurator hoc caſu ex revocatione mandati non læditur, ſive eius non intereſt. Felin. c. l. num. 11. ampliat. 3.

Non obſtat, quòd renunciatio beneficij facta à Procuratore poſt eius revocationem valida ſit, etiamſi illam ignoraverit, tum ipſe Procurator, tum is, coram quo renunciatio fieri debet, juxta Clement. unic. de renunc. ut etiam tenet Anchar. in c. ult. not. 3. h.t. in 6. nam id ſpecialiter conſtitutum eſt in caſu renunciationis beneficij, ad puniendam inconſtantiam, quæ Clericos, præſertim in huiuſmodi materia, valde dedecet, Laym. c. l. n. 7.

CV. Poſteriore verò caſu, ſi Procurator conſtitutus ſit, v. g. ad emendum, vel mutuandum cum certa perſona, vel ad quaſi contrahendum, videlicet in judicio, in quo cum adverſario quaſi contrahitur per litis conteſtationem. l. 3. §. Idémque ſcribit; ff. de pecul. tum ordinariè loquendo, neceſſe eſt, ut revo-

catio Procuratoris intimetur, ac perveniat ad notitiam, non ſolùm ipſius Procuratoris, ſed étiam alterius partis, cum qua contrahitur, vel partis adverſæ, cum qua litigatur, vel ſaltem Judicis, qui renet locum adverſarij, ſaltem poſtquam mandatum procuratorium, ſive conſtiturio Procuratoris ipſis intimata fuit, juxta ſuprà dicta: alioquin quæ à Procuratore ſciente revocationem mandati ſui, adeóque malâ fide acta fuerint, ſed ignorante comparte, cum qua contractum fuit, vel adverſario, & judice, valebunt, & rata erunt, juxta c. Mandatum; 13. h. t. Ratio eſt, quia hoc caſu, partis, cum qua contrahitur, vel litigatur, aut etiam Judicis intereſt, ſcite revocationem mandati, cùm illa in eorum præjudicium, ac damnum cedere poſſit. arg. l. Si fideiuſſor; 29. ff. Mandat. Abb. in cit. c. Ex parte; num. 10. & Felin. ibid. n. 24.

CVI. Ex dictis infertur, ſi Procurator generalis ſit conſtitutus, cui poſtea ortâ lite, ſeu controverſiâ aliquâ, prohibeatur, ne cauſam illam tractet, eíque ſe immiſceat, acta cum tali Procuratore irrita erunt, licèt hæc ſpecifica revocatio Procuratoris non ſit intimata adverſario, vel Judici. Laym. in cit. c. Mandato; num. 2. Quia id non requiritur, cùm Procurator talis non ſit conſtitutus ad contrahendum, vel quaſi contrahendum cum certa perſona. Excipi debet, niſi quis in certo loco, aut certo genere negotiorum, v. g. ad merces vendendas, generalem Procuratorem ad illam negotiationem, vel potiùs Actorem, ſeu Inſtitorem conſtituerit, tum enim neceſſarium eſt, ut eius revocatio publicè in eo loco denuncietur: alioquin quæ per eum, & cum eo acta fuerint, valida erunt, licèt revocatio poteſtatis ad eius notitiam pervenerit, ut docet Bart. in l. unic. num. 9. C. De ſatiſdand. Felin. in cit. c. Ex parte; num. 7. & ſumitur ex l. Si pupillus; 11. §. De quo; ff. De inſtitor. act.

CVII. Quæritur 2. Quibuſnam præterea modis finiatur officium Procuratoris? Reſp. Finitur 1. mutuo conſenſu utriuſque principalis, ſcilicet domini conſtituentis, & Procuratoris conſtituti, ſicut etiam mutuo conſenſu conſtituitur, l. Mutari; 24. & ibi Gl. V. Vel ipſo; ff. h. t. juxta reg. jur. unumquodque eodem modo diſſolvitur, quo colligatum eſt, l. Nihil; 35. ff. de R. I. c. 1. extr. eode.

Secundò. Finitur officium Procuratoris, finitâ inſtantiâ judicii, videlicet latâ ſententiâ definitivâ, non enim cogitur Procurator judicium appellationis proſequi, l. Invitus; 17. C. h. t. quia non eſt gravandus ultrà, quàm ſuſcepit in ſe negotium, ſuſcepit autem judicium, quod per ſententiam jam finitum eſt, VVeſenb. ff. h. t. num. 11. & dictum etiam ſuprà.

CVIII. Tertiò, exſpirat officium, ac poteſtas Procuratoris, per mortem domini conſtituentis, ſi res adhuc ſit integra. §. Item ſi adhuc; Inſtit. de mandat. l. Inter cauſas; 26. in princ. ff. eod. l. Mandatum; 15. C. eod. videlicet, ſi dominus conſtituens moriatur, ante litis conteſtationem, per quam res deſinit eſſe integra in mandato procuratorio ad lites. l. Si defunctus; 15. in princ. ff. h. t. licèt in juriſdictione delegata per citationem. c. Gratum; 20. de offic. deleg. vel, ſi dominus moriatur, antequam aliqua neceſſaria præparatoria ad negotium demandatum facta ſunt, quibus factis, res deſinit eſſe integra in mandato procuratorio ad negotia, ut docet Gl. communiter recepta in cit. l. Mandatum; V. Finitur; C. Mand. & Gl. in Clement. ult. V. Pro Eccleſia; h. t. Idque ſumitur ex l. De qua re; 74. §. Cùm abſentem; ff. de judic. ubi dicitur, quòd ſententia lata contra defenſorem non tenet, ſi dominus tunc erat mortuus, & docet Bart. in l. Si Procuratorem; 65. n. 6. ff. h. t. Abb. in c. Mandato; 13. n. 6. extr. eod.

Excipi debet, niſi reus pro Procuratore, ſeu defenſore ſuo ſciente, & non contradicente, extra, vel intra judicium, ſatiſdederit, ſeu fideiuſſerit de judicato ſolvendo, juxta §. Si verò aliquis Inſtit. de ſatiſdat. tunc enim, licèt dominus mortuus ſit, ante litem conteſtatam, Procurator compellendus eſt ad judicium accipiendum, cit. l. Si defunctus; ff. h. t. Bart. & Abb. citt. locis. Si verò dominus conſtituens Procuratorem moriatur, poſtquam res deſiit eſſe integra, videlicet poſt litis conteſtationem, vel negotij inchoationem, ſaltem quoad præparatoria, tum non exſpirat poteſtas, & mandatum Procuratoris, ſed obligatio ad hæredem domini, ſeu mandantis tranſit, ut docet Gl. communiter recepta in cit. Clem. ult. V. Pro Eccleſia, quam mandatum morte mandantis non exſpirat, ſi res integra non ſit, cit. l. Mandatum, junct. Gl. V. Finitur; C. Mandati. & §. Rectè; Inſtit. eod. & ibi DD. Et hinc per mortem domini, poſt litis conteſtationem, ante latam ſententiam non finitur mandatum Procuratoris, nec litis inſtantia, l. Nulla; 23. C. h. t. quo caſu ſententia contra Procuratorem ferenda erit, tanquam in Procuratorem hæredis, ut ex Baldo notat Laym. in c. 2. n. 5. h. t. in 6.

CIX. Verùm, quod ſuprà dictum, limitari debet, quia interdum etiam, re integrâ, officium Procuratoris exſpirat per mortem conſtituentis, ut conſtat ex Clement. Procuratorem; 4. & ult. h. t. ubi ſtatuitur, Procuratorem à Prælato, vel Rectore Eccleſiæ, vel alium Beneficiatum pro Eccleſia ſua, vel beneficio conſtitutum per mortem conſtituentis revocari, etiã quoad negotia jam incepta, & cauſas (Eccleſiæ, vel beneficij) in quibus lis ante mortem conſtituẽtis jam fuerat conteſtata. Ratio huius conſtitutionis eſt, ſecundùm Gl. hîc V. Revocati, quia Sede vacante, ſive mortuo Prælato, non debet agi in judicio de rebus, & juribus Eccleſiæ, quippe quæ tunc defenſore caret; c. 1. & ult. Ne Sede vacante &c. Verùm quia hæc ratio procedit ſolùm in Procuratore ad judicia, non item in Procuratore ad negotia, cuius tamẽ mandatum exſpirat per mortẽ Prælati Eccleſiæ, licèt negotia jam cœpta ſint, juxta cit. Clem. ult. junctâ Gl. V. Negotia, ideo meliorem, & univerſaliorem rationẽ ex Zabarella tradit hîc Vivian. in Rat. Jur. Pontif. quia Procurator adminiſtrat, ſeu agit, ſive in judicio, ſive extra illud, nomine, ac vice domini, ſeu principalis conſtituentis, l. 1. ff. h. t. ideóque extinctâ, ſeu deſinente poteſtate principalis conſtituentis, etiam Procuratoris poteſtatem, ac mandatum exſpirare, neceſſe eſt. Atqui mortuo Prælato, aut Beneficiato, jus Prælaturæ, aut beneficij exſpiravit, quia non tranſit ad aliquem, tanquam ad ſucceſſorem, ita, ut is eadem perſona cum defuncto cenſeatur, ſicut hæres cum perſona defuncti: ergò mortuo Prælato,

aut

aut Beneficiato conſtituente Procuratorem ſuper bonis, ac juribus Eccleſiæ, aut beneficij extinguitur mandatum procuratorium, ſive res ſit integra, ſive non. Ob quam cauſam etiam officium Vicarij, & cujuslibet ſubſtituti extinguitur per mortem conſtituentis, etiam quoad negotia, & cauſas jam cœptas, ut alibi dictum. Accedit, quòd,ſi Procurator, vacante Prælaturâ, poſſet adhuc adminiſtrare,aut agere, nomine Prælati defuncti, præjudicaretur juri Capituli, vel alterius, ad quem, Sede vacante, poteſtas adminiſtrandi pertinet. Vivian. hîc. Similiter mortuo Prælato, qui compromiſit ſuper rebus Eccleſiæ, exſpirat compromiſſum. Gloſſ. fin. hîc.

CX. Extenditur autem hæc conſtitutio, quòd non ſolùm per mortem Prælati conſtituentis Procuratorem, ſed etiam per tranſlationem, depoſitionem, vel aliam amotionem ipſius, adeóque etiam civilem mortem ejuſdem exſpiret poteſtas Procuratoris, quia eadem omnino eſt ratio. Abb. hîc n. 6. Quòd ſi Prælatus conſtituens Procuratorem excommunicatus fuerit, non exſpirat, ſed ſuſpenditur ſolùm officium Procuratoris quoad exercitium, donec Principalis abſolvatur. Gloſſ. fin. hîc, & Abb.n. 9. Non autem hæc conſtitutio habet locum,ſi Prælatus, vel Beneficiatus, non in cauſa Eccleſiæ, ſed in cauſa ſua propria conſtituat Procuratorem, ut colligitur ex cit.Clem. ibi: *pro Eccleſia*; nam tunc mandatum finiretur morte conſtituentis, re integrâ, non autem re non integrâ, ſicut aliàs regulariter fit in omni mandato. Gloſſ. hîc V. Pro Eccleſia.

CXI. Ubi prætereà notandum, ac diſtinguendum eſt, nam, vel ſolus Prælatus, v. g. Epiſcopus ſuper bonis, & juribus pertinentibus ad menſam ſuam diſtinctam à menſa Capitulari, ſive bonis Capituli, conſtituit Procuratorem,& tum,mortuo Prælato, etiam re non integrâ, exſpirat mandatum, & poteſtas Procuratoris, ut deciditur in cit. Clem. ult. niſi Capitulum, quod Sede vacante, in adminiſtratione ſuccedit, confirmet mandatum Procuratoris, dummodo negotium tale ſit, quod ſub poteſtatem Capituli cadat, ac Sede vacante, à Capitulo expediri poſſit. Gloſſ. hîc V. Revocari. Idemque eſt, ſi Prælatus principaliter conſtituit Procuratorem, quamvis cum conſenſu, ſeu conſilio Capituli, ſed ſuper negotijs, ſeu cauſis pertinentibus ad ſolam Prælaturam. Abb. hîc num. 4. Vel Procurator eſt conſtitutus à Prælato, & Capitulo ſimul, ſuper bonis, vel negotijs, aut cauſis communibus utrique; & tum mandatum,ac poteſtas Procuratoris per mortem Prælati non exſpirat, ſed Capitulum ſuâ auctoritate poteſt ſuſtinere mandatum procuratorium, cùm etiam ipſum conſtituerit Procuratorem. Idémque eſt, ſi Capitulum principaliter conſtituit Procuratorem, etſi cum auctoritate, & conſenſu Prælati, ſed in juribus, & negotijs, quæ pertinent ad ſolum Capitulum, ſaltem principaliter. Gloſſ. hîc V. Revocari; Abb. num. 3. & 5. Imò, etſi omnes Capitulares,à quibus Procurator conſtitutus eſt,ſint mortui, & alij poſteà ſubſtituti, durat officium Procuratoris, quia non à ſingulis, ſed à toto Collegio, ſeu Univerſitate conſtitutus eſt, quod unum idémque remanet, & cenſetur, etiam alijs ſubrogatis, ut notat Gloſſ. marg. in cit. Clem. ult. lit. a.

CXII. Quartò: Denique exſpirat officium Procuratoris per mortem ipſius Procuratoris, non ſolùm re integrâ, ſed etſi deſijt eſſe integra, ut colligitur ex l. Tum ex contractibus; 57. ff. de judic. l. Si quis; 27. §.Morte; ff. mandat. nam hoc officium non tranſit ad hæredes, cùm videatur electa eſſe induſtria perſonæ. Weſenb. ff. h. t. n.11.

Porrò exceptiones, quæ contra Procuratores opponi poſſunt, ſumuntur, vel ex parte conſtituentis, quòd Procuratorem conſtituere non poſſit: vel ex parte conſtituti, quòd Procurator eſſe non poſſit: vel ex defectu materiæ, ſive ratione cauſæ, quòd Procuratorem non admittat: vel denique ex defectu formæ, ſive mandati procuratorij, de quibus videri poteſt. Weſenb. ç. l. n.11.

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO.

Procuratori ſimilis eſt Syndicus, ideóque ſubjicitur hic Titulus de eodem.

I. Quæritur 1. Quis ſit, & dicatur Syndicus, & quomodo à Procuratore, & alijs ſimilibus differat? Reſp.Syndicus (qui Latinè defenſor dicitur) propriè eſt Procurator Univerſitatis ad negotia illius tractanda, ac potiſſimùm ad cauſas, & lites in judicio perſequendas conſtitutus, l, 1. §. Quibus autem; ff. Quod cujuſq. Univerſ. nom. &c.

Primò diſtinguitur à Procuratore propriè dicto, quia hic à quocunq; privato Domino,& in cauſis privatis: Syndicus verò ab Univerſitate,Collegio, vel alterius communitatis Corpore, ejúſq; adminiſtratore, v. g. Epiſcopo,Capitulo,Monaſterij Prælato, & in cauſis publicis, & communibus conſtituitur, ut colligitur ex c. Petitio; 9. ſupt. de Procurat. Abb. ad rubric. b. t.quamquàm à Jure Canonico Syndicus aliquando etiam Procurator appelletur, ut conſtat ex c. Quia in cauſis; 7. & ibi Gloſſ. V. De jure communi de Procurat. Deinde Officium Syndici eſt publicum, ideóque etiam invitis imponi poteſt, arg. tot. tit. ff. de munerib. & honorib. Officium verò Procuratoris eſt privatum, nec invitis imponitur, ut ſuprà dictum. Denique in cauſis criminalibus pro privato Procurator intervenire non poteſt, ut patet etiam ex dictis præced. tit. n. 31. poteſt verò Syndicus pro Univerſitate in cauſis criminalibus agere, & defendere,cum mandato tamen ſpeciali. Weſenb.in paratit. ff.Quod cujus. Univerſ. &c. n.6.

Secundò. Differt Syndicus ab Actore, quia ille generaliter conſtituitur ab Univerſitate ad omnes cauſas tractandas præſentes, & futuras: Actor verò

eſt, qui conſtituitur ſpecialiter ad unam tantùm cauſam. Gloſſ. in cit. l. 1. V. Syndicum; ff. dicto tit. vel ad plures, ſed tantùm præſentes. Hoſtienſ. in ſumm. h. t. n. 7. & 9. Weſenb. c. l. n. 3. quamvis etiam Actor Univerſitatis quandoque pro Syndico ſumatur, & è diverſo, ut patet ex cit. l. 1. §. 1. ibi: *Actorem, ſive Syndicum*; ff. eod. item Syndicus à pluribus tantùm: Actor ab uno, & pluribus conſtitui poteſt. Hoſtienſ. c. l.

Tertiò: Syndicus differt ab Adminiſtratore Univerſitatis, quia hic præeſt pecuniæ, aliáque eò pertinentia curat: Syndicus autem cauſas judiciales tractat: in quo etiam differt à Curatore Civitatis, qui alia negotia Civitatis extrajudicialia perſequitur. Weſenb. c. l. n. 3.

Quartò: Differt Syndicus ab Oeconomo, quòd hic ſit Diſpenſator Eccleſiæ, cui res Eccleſiaſticæ gubernandæ committuntur. Gloſſ. in cit. l. 1. V. Syndicum. Hoſtienſ. in ſumm. hîc n. 8. Porrò Univerſitas, ſeu alia communitas Syndicum neceſſariò conſtituere debet, nam Univerſitas neque agere, neque conveniti rectè poteſt, niſi per Syndicum, qui repræſentet Univerſitatem. Weſenb. c. l. n. 8.

II. Quæritur 2. Quomodo conſtituatur Syndicus? Reſpondetur 1. Ad conſtituendum Syndicum omnes de communitate, qui jus ſuffragij habent, convocandi, ſeu citandi ſunt, quia, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Si tamen aliqui vocari emancant, poſſunt præſentes eum conſtituere, modò duæ partes ex tribus de Univerſitate, eorum, qui volunt, poſſunt, ac debent intereſſe, ſint præſentes, & major pars præſentium conſentiat, l. Nulli; 3. junct. Gloſſ. V. Duæ partes; ff. Quod cujuſq. Univerſ. &c. & ibid. Bart. n. 8. l. Quòd major; 19. ff. ad municip. Hoſtienſ. in ſumm. h. t. n. 10. Weſenb. c. l. n. 4. Porrò, licèt nonnulli exiſtiment, ſi parva ſit Univerſitas, ſeu communitas, neceſſariò exprimenda eſſe in inſtrumento Syndicatûs à Notario confecto, omnium conſtituentium Syndicum nomina, ut appareat, duas partes fuiſſe præſentes, & nullum conſtituentium excommunicatum: non item, ſi ſit numeroſa communitas, in qua ob difficultatem exprimi non debent, nec commodè poſſunt, niſi in eo caſu, quo ad alienandum Syndicus conſtituitur, ut videre eſt apud Abbat. in c. unic. n. 3. h. t. Probabilius tamen eſt, id abſolutè non eſſe neceſſarium, modò inſtrumentum ſigillo Univerſitatis muniatur. Abb. c. l. n. 9.

III. Reſpondetur 2. Ad conſtituendum Syndicum ſuper bonis, ſeu juribus, quæ communiter pertinent ad Rectorem, ſeu Prælatum, & ad Collegium, ſeu Univerſitatem, requiritur etiam conſenſus ipſius Rectoris, ſive Superioris, v. g. Abbatis, reſpectu Monaſterij, vel Epiſcopi reſpectu Capituli. Quòd ſi bona, ac jura ſeparata ſint, & tantùm ſpectent ad Univerſitatem, vel Capitulum, tum ſolum Capitulum, ſive Univerſitas, ſinè Superioris conſenſu, Syndicum conſtituere poteſt, l. 1. §. 1. ff. Quod cujus Univerſ. &c. & docet Abb. in c. unic. n. 5. h. t. ubi addit, quòd inferiora Collegia, v. g. Univerſitas Scholarium, poſſit Syndicum, ſeu Actorem conſtituere, ſinè conſenſu Superioris loci, vel Magiſtratûs, ſeu Judicis, quia de Jure communi habet Univerſitas, cum ſuo Rectore, poteſtatem conſtituendi Syndicum, cit. l. 1. §. 1. et c. Quia in cauſis; 7. ſupr. de Procurat. & ibi Gloſſ. V. De jure communi. Similiter & Monaſterium cum ſuo Prælato, ſinè conſenſu Epiſcopi, Syndicum conſtituere poteſt. Porrò Prælatus Syndicum ab ipſo, & à Capitulo conſtitutum revocare poteſt, quia ſolus poteſt agere, adeóque & per ſe ipſum cauſam tractare, revocato Syndico. Abb. in cit. c. unic. n. 6.

IV. Quæritur 3. Quis, & qualis conſtituendus ſit Syndicus? Reſpondetur: Syndicus conſtitui poteſt, ſive ex ipſa Univerſitate, ſi in ea reperiatur idoneus, ſive extraneus: quamvìs ſatius ſit, ut conſtituatur ex ipſo corpore Univerſitatis, ſi idoneus adſit, quia præſumitur talis majore fide, ac diligentiâ acturus cauſas ſuæ communitatis, quàm extraneus. Weſenb. ff. h. t. n. 5. Poteſt etiam Superior, ſeu Rector Univerſitatis deligi in Syndicum, ut Conſul, Duumviri: neque ſolùm unus aſſumi poteſt, ſed etiam plures, ac plerumque duo, vel tres conſtitui ſolent in magnis Communitatibus, quia rectiùs plurium fidei, quàm unius, Reſpubl. committitur: & intelliguntur ſinguli in ſolidum dati, etſi id in inſtrumento non exprimatur; ſecus, ac in Procuratoribus privatis. Weſenb. c. l. n. 5. ubi addit, quod univerſim, qui Procuratores eſſe poſſunt, hi & Syndici; & vice verſâ, qui Procuratores eſſe prohibentur, multò magìs ab officio Syndici tanquam publico arcendi ſunt.

V. Quæritur 4. An Religioſi Syndici eſſe poſſint in cauſis ſui Monaſterij? Reſpondetur: Etſi Religioſi, cum licentia Prælati, officio Procuratoris fungi poſſint in cauſis Monaſterij, c. 2. de poſtul. et c. Inſuper; 6. de teſtibus. conſultius tamen eſt, ut à forenſibus judicijs abſtineant, & extraneum aliquem Procuratorem generalem, ſeu Syndicum conſtituant, cui cauſas in judicio tractandas demandent, aſſignato ipſi ſalario, prout reſcripſit Gregor. I. in c. Sicut; unic. h. t. ubi ait: Sui officij eſſe, curare, ut Monachi à forenſibus judicijs abſtineant, ita tamen, ut bona, ac jura eorum defendantur: ideo mandat cuidam Subdiacono, ut alicui (cui voluerit Subdiaconus, vel potiùs ipſe Conventus. Hoſtienſ. hîc V. eodem;) generaliter negotia (ſcilicet ad lites, ſeu judicialia. Hoſtienſ. hîc V. eod.) demandet, conſtituto ipſi ſalario: præſtat enim, ut ſervi Dei modicum aliquid expendant, (nempe dando Syndico pro ſalario) quàm ut ipſi forenſi cauſarum ſtrepitu involvantur.

VI. Hinc colligitur 1. Etſi non deceat, ut Religioſi ſint Syndici, etiam in cauſa ſui Monaſterij, ne à Divinis officijs abſtrahantur, & ſecularibus negotijs implicentur, abſolutè tamen eſſe poſſunt. Gl. hîc in notat. Ut, ſi Monaſterium ob inopiam Procuratori ſalarium dare non poſſit, vel, ſi alius idoneus, & fidelis Procurator acquiri nequeat. Abb. hîc num. 4.

Colligitur 2. Etſi Laicus non poſſit eſſe Oeconomus, aut Adminiſtrator Eccleſiæ, cui ſcilicet committitur cura rerum Eccleſiaſticarum, tam ſpiritualium, quàm temporalium, ut colligitur ex c. Judicatum; 5. diſ. 89. c. In nova; 22. cauſ. 16. quæſt. 7. nam ob admixtionem ſpiritualium, tale officiũ non cadit in Laicum: poteſt tamen Laicus eſſe Procurator, aut Syndicus, etiam in ſpiritualibus cauſis, ad

agen-

agendum,& defendendum in judicio,quia non exercet propriè munus ſpirituale, ut patet ex c. 1. de Procurat. in 6. & tradit Gloſſ. in cit. c. unic. & Abb. ibid. num. 3.

VII. Quæritur 5. Quæ ſit poteſtas Syndici? Reſpondetur: Syndicus, ſive Actor Univerſitatis, parem poteſtatem conſequitur, quam Procurator, l. Item; 6. §. fin. ff. Quod cujuſq. Univerſ. &c. imò omnia expedire poteſt, quæ aliàs ſpeciale mandatum requirerent, & conſequenter etiam tranſigere, juramentum deferre, ac præſtare poteſt, nomine Univerſitatis, quia intelligitur ſemper conſtitutus cum libera poteſtate, etiamſi id non ſit expreſſum. Gail. l. 2. obſerv. 72. num. 11. donare tamen, ac liquidum debitum remittere non poteſt, quia donare eſt ſpecies dilapidationis; Adminiſtratores autem Reipubl. res Univerſitatum non prodigere, ſed conſervare debent; neque mandatum quantumvis generale, & cum libera, ad caſum donationis, aut perditionis extenditur. Gail. c.l. num. 12. & 13. Tutius quoque eſt, ſpeciale mandatum Syndico dari, in his, quæ illud alioquin requirunt. Weſenb. c.l. num. 8. Cæterùm Syndicos non tenetur cavere de rato, niſi probabiliter de mandato dubitetur, cit. l. Item; §. fin. junct. Gloſſ. V. De rato; neque cogitur ſatiſdare, judicatum ſolvi, quia publica auctoritate conſtituitur, ſicut Tutor. Gloſſ. cit. loc. V. Rato; præſertim cum Univerſitas ſemper præſumatur eſſe ſolvendo.

Denique finitur officium Syndici iiſdem propè modis, quibus mandatum procuratorium, cit. l. Item; in fine: niſi quòd morte conſtituentium non exſpiret, quia communitas ſemper permanere intelligitur, l. Sicut; 7. §. In Decurionibus; ff. Quod cujuſq. Univerſ. &c. Weſenb. ff. eod. n. 9.

TITULUS XL.

DE IIS, QUÆ VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

Spectato Juris Civilis rigore, læſis ex contractu, vel quaſi contractu per metum, aut vim injuſtam, vel ob ætatem, vel ſimilem cauſam, nullum remedium, vel ordinaria actio competit, ideóque propter æquitatem à Prætore per reſtitutionem in integrum illis ſuccurritur. Quare de his extraordinarijs remedijs Prætorijs hoc, & ſeq. Titulo agitur. Reperitur hîc Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quid ſit vis, quid metus, & quotuplex?

I. Aſſertio 1. Vis eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt, prout definitur à Paulo Juriſconſulto in l. 2. ff. Quod met. cauſ. geſtum erit. Dicitur majoris rei, quia minor, quatenus minor, vim inferre non poteſt. Eſt autem vis, ſeu coactio alia præciſa, ſive abſoluta, & ſimpliciter dicta, quæ cauſat ſimpliciter involuntarium, ſive liberum conſenſum omnino tollit, ut, cùm inevitabili violentiâ alicui liber, vel aliquid aliod eripitur. Alia eſt vis conditionalis, ſeu compulſiva, quæ voluntarium ſimpliciter non tollit, quamvis involuntarium imperfectum, ſeu conditionatum admiſceat; ut, quando aliquis compellitur ad faciendum, quod aliàs non faceret, ita, ut abſolutè quidem velit facere, nollet tamen, ſi vis exterior abeſſet; & hæc vis non diſtinguitur à metu, ut conſtat ex l. 1. in fine, & ibi Gloſſ. V. Atroci; ff. dicto tit. Alia eſt vis ablativa, quâ mobile quid alicui aufertur, & inducit actionem, vi bonorum raptorum. Alia eſt turbativa, quâ quis turbatur in ſua poſſeſſione. Alia inquietativa, quâ quis inquietatur in uſu rei ſuæ: & ex his omnibus dantur varia interdicta vim patientibus contra eam inferentes, de quibus alibi. Gloſſ. fin. in cit. l. 2. & Gloſſ. in c. Ad audientiam; 4. V. Cauſa; h. t.

II. Aſſertio 2. Metus eſt inſtantis, vel futuri pericull cauſâ, mentis trepidatio, ut definitur ab Ulp. in l. 1. ff. eodem. Requiritur autem, ut metus ſit præſens, etſi propter periculum futurum, non enim ſufficit ſuſpicari metum aliquando inferendum, ſed in præſenti timore, percelli quis debet, quia judicat malum, quod timet, veriſimiliter mox futurum. Gloſſ. in cit. c. Ad audientiam; V. Cauſa; in fine. Hoſtienſ. in ſumma num. 1. h. t. Azor p. 1. Inſtitut. mor. lib. 1. c. 10. q. 1. Differt autem metus à violentia, ſeu coactione abſolutâ, quia, qui hanc patitur, abſolutè invitus eſt, & nullo modo conſentit, eùm non agat ipſe, ſed potiùs ab extrinſeco agatur, ac patiatur: ut, ſi aliquis in loco, auribus, vel oculis apertis, per vim detineatur, is abſolutè cogitur adeſſe, audire, videre. Qui autem metu compulſus agit, quod alioquin non ageret, v. g. Miſſæ, vel Concioni intereſt, ob metum pœnæ, is ſimpliciter invitus non eſt, ſed potiùs volens: eſt tamen invitus ſecundùm quid, ſeu conditionaliter, quia nollet, ſi non majus malum timeret, ut benè explicat Jo. Andr. in c. Sacris; 5. o. 15. h. t.

III. Ex quo aliud diſcrimen ſequitur inter vim, ſeu coactionem ſtrictè ſumptam, & metum; quòd violentia abſoluta, cùm ſimpliciter tollat liberum voluntatis conſenſum, ſemper, & omnino excuſat

cuſat à culpa, & pœna: metus autem minuit quidem culpam, quia, quod metu fit, minùs voluntariè fit, hoc ipſo, quod involuntarium admixtum habet, & conſequenter etiam minus peccatum eſt, & mitiùs etiam punitur in foro exteroo, quàm, ſi ſponte factum eſſet: non tamen metus, etſi gravis, & juſtus, ſemper culpam omnino excuſat, & tollit, cùm relinquat voluntarium ſimpliciter, & ob nullum metum liceat peccare mortaliter, prout ſumitur ex c. » Sacris; 5. h. t. Nam, cùm ex Innocentio III. » quæſitum eſſet, an is, qui invitus communicat » cum excommunicato, etiam ipſe incurrat excom» municationem. Reſpondet Papa, diſtinguen» dum eſſe, vel enim abſolutè eſt invitus, ſeu coa» ctus, & non debet cenſeri excommunicationem » incurriſſe, cùm magis patiatur, quàm agat volun» tariè: Vel per metum eſt inductus ad communi» candum cum excommunicato, tum, licèt metus » minuat culpam, quia tamen eam non omnino tol» lit, cùm ob nullum metum liceat mortaliter pec» care, ideò exiſtimandum eſt, ita communicantem » cum excommunicato, excommunicationem con» trahere.

IV. Notandum 1. Variè hoc c. intelligunt, & exponunt Interpretes, quia caſus S. Pontifici propoſitus non exprimitur, ſed ſolùm reſponſio illius, quæ eſt, communicationem factam cum excommunicato per vim abſolutam excuſare à culpa; quia eſt ſimpliciter involuntaria; factam verò per metum non excuſare, quia eſt ſimpliciter voluntaria. Ex quo aliqui inferunt hanc generalem regulam, quòd nunquam ob metum, quantumvis gravem, liceat communicare cum excommunicato, quia hìc generatim dicitur, quòd ob nullum metû liceat mortaliter peccare, cenſura autem excommunicationis ſemper obligat ſub peccato mortali, cùm per ejus violationem lædatur bonum publicum, & auctoritas Eccleſiæ, adeóque obligat, non obſtante quocunque metu. Verùm Papa in hoc c. ſtatuit quidem generaliter: vim abſolutam ſemper excuſare à culpa, & conſequenter etiam à cenſura ei annexa: non tamen ſtatuit generaliter, metum nunquam excuſare à communicatione cum excommunicato, & ab excommunicatione ei annexa: ſed Papæ intentio fuit oſtendere, quòd metus non ſemper excuſet à culpa mortali, & per conſequens etiam à cenſura ei annexa, ſicut vis, ſeu violentia abſoluta ſemper excuſat: & ſimul quòd, quando metus non excuſat à culpa mortali, contra Eccleſiæ prohibitionem de non communicando cum excommunicato, neque à cenſura excommunicationis excuſet, ut docet Suar. diſ. 6. de cenſur. ſec. 3. n. 10.

Quare, ſi quis ob metum ſcienter communicet cum excommunicato denunciato, ac vitando, excommunicationem & ipſe contrahit, & quidem, vel majorem, ſi communicet in crimine, ob quod alter excommunicatus eſt, juxta c. Concubinæ; 55. de ſentent. excommun. vel minorem, ſi communicet cum eodem in alijs negotijs ſacris, & politicis, c. Statuimus; 3. eodem in 6. & tum, ſi communicatio cum excommunicato intrinſecam malitiam includat, ut, quia facta eſt in contemptum fidei, vel Religionis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ, vel in crimine, propter quod cenſura lata eſt, ſeu ex contumacia, nunquam etiam graviſſimus metus mortis excuſat à culpa mortali, & ab excommunicatione ei annexa; & de his caſibus loquitur text. in cit. c. Sacris; 5. nam talis communicatio cum excommunicato eſt intrinſecè mala, quia non ſolùm contra prohibitionem legis humanæ, ſed etiam legis naturalis. Sylv. V. Metus; q. 3. Suar. c. l. n. 11. Covarr. in c. Alma; p. 1. §. 3. n. 9. Azor p. 1. lib. 1. c. 11. q. 1. V. g. ſi aliquis hæreticus contemnens poteſtatem Eccleſiæ infligendi cenſuras Eccleſiaſticas, in vilipenſionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, minaretur alicui mortem, niſi communicet cum eo in Divinis; potiùs mortem pati debet is, quàm cum eo communicare. At verò extra hujuſmodi caſus, ordinariè metus gravis, & juſtus excuſat à præceptis, & cenſuris Eccleſiaſticis, quia leges poſitivæ, adeóque etiam Eccleſiaſticæ, ipſæque cenſuræ communiter non obligant, cum periculo valde gravis mali incurrendi: quæ enim poſitivâ lege ſolùm ſunt prohibita, non ſunt ita intrinſecè, ac per ſe ex objecto ſuo mala, & prohibita, quin, ſi quædam circumſtantiæ occurrant, (quarum etiam una eſt hæc ipſa gravis metûs illatio) deſinant eſſe peccata, ac prohibita, ut ex communi Theologorum ſententia docet Laym. l. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 14. num. 5. & ſeqq. & tract. 5. p. 1. c. 5. n. 9. Et in ſpecie quidem ipſum Jus Canonicum ex levioribus cauſis permittit communicationem cum excommunicato, nempe ratione patriæ poteſtatis, cohabitationis conjugalis, & familiaritatis, ut conſtat ex c. Quoniam multos; 103. cauſ. 11. q. 3. ergo multò magìs licebit, ob graviſſimum metum, ſeu periculum imminentis mortis, communicare cum excommunicato, etiam in ſacris, & Divinis, ita, ut talis metus excuſet ab omni culpa, & cenſura. Covarr. c. l. Nec obſtat, quòd prohibitio ſub cenſura ſit res gravis concernens bonum publicum, adeóque obliget ſub peccato gravi, non obſtante quovis metu; nam non ſemper, & in omni caſu eſt talis, ut ejus obſervantia ſit neceſſaria ad commune bonum, vel, ut ex eo, quòd non obſervetur, ſequatur gravis offenſio, vel læſio auctoritatis Eccleſiæ, ita, ut fideles obligentur ad eam ſervandam, non obſtante metu mortis. Et hinc etiam propter metum gravis infamiæ, & jacturæ gravis temporalium bonorum, excuſatur quis, ne incurrat cenſuram, quia univerſim loquendo, leges poſitivæ non obligant cum toto rigore, extra caſus ſpeciales ſuprà poſitos. Suar. c. l. n. 12.

V. Notandum 2. Propter nullum metum quantumvis gravem, & juſtum, poteſt committi peccatum mortale, uti ſumitur ex hoc c. quia peccatum mortale infert mortem animæ, quæ longè majus malum eſt, quàm mors corporis, adeóque multò magìs vitanda. Azor cit. c. 10. q. 12. Imò nec peccatum veniale, quod eſt intrinſecè malum, v. g. mentiri, faciendum eſt ad vitandam mortem. Abb. hìc num. 5. quia, cùm ſit offenſa Dei, gravius malum eſt, quàm mors corporalis. Veruntamen, ſi peccatum veniale non ſit intrinſecè malum, fieri poteſt, ob metum non ſolùm mortis, ſed minoris mali, ceſſet ejus prohibitio, & ut jam non ſit peccatum veniale, quod aliàs eſſet. Suar. cit. ſect. 3. num. 1.

VI. Aſſer-

VI. Aſſertio 3. Metus alius eſt gravis, ſeu cadens in conſtantem virum, quia eſt alicujus magni mali imminentis, vel futuri formido: alius levis, vel vanus: Item alius probabilis, & juſtus, quia eum leges approbant; alius non probabilis, nec juſtus. Exempla metûs gravis probabilis, ac juſti ſunt, metus mortis corporalis, l. Si per vim; 4. C. de his, quæ vi met. cauſ. &c. metus atrocis cruciatûs corporis, vel abſciſſionis membri corporalis, cit. l. 4. & l. Si donationis; 7. C. eod. metus amittendi libertatem per captivitatem, vel ſervitutem, l. Iſti; 8. §. 1. ff. h. t. metus gravium verberum, exilij, longi carceris, l. Nec timorem; 7. §. Proinde; l. Qui in carcerem; 22. ff. eod. Item metus ſtupri, quo integritas virginalis violatur, l. Iſti; 8. §. 2. ff. eod. Item metus amiſſionis bonorifici ſtatûs, vel jacturæ omnium bonorum temporalium, aut majoris, vel notabilis partis eorum: metus infamiæ juris, vel facti, cui non facilè occurri poteſt; fama enim præfertur opibus: metus excommunicationis injuſtæ, nam juſta facilè vitari poteſt, ſublatâ contumaciâ. Azor cit. l. 1. c. 10. quæſt. 2. & pluribus ſeqq. Leſſ. lib. 2. de juſtit. c. 17. num. 35. Sanch. lib. 4. de matrim. diſ. 5. num. 4. & pluribus ſeqq. & alij communiter. Metus gravis quoque dicitur, ſi hujuſmodi mala timeantur liberis, cit. l. Iſti; in fine; vel parentibus, vel uxori: imò ſecundùm aliquos, etiam fratri, ſorori, vel arctiſſimo amico, quia horum mala noſtra reputamus. Leſſ. c. l. Ad metum gravem quoque pertinet metus reverentialis, qui eſt filij erga patrem, ſubditi erga Dominum, uxoris erga maritum, cui tamen timori, ut gravis cenſeatur, debent eſſe conjunctæ minæ, verbera, mala tractatio, vel preces importunæ, & ſæpius repetitæ. Leſſ. c. l. Sanch. cit. l. 4. diſ. 6. n. 7. Solæ verò minæ per ſe non ſunt juſta cauſa timendi, niſi procedant ab eo, qui potens, & ſolitus eſt eas exequi, juxta l. Metum; 9. C. h. t. Sanch. cit. l. 4. diſ. 2. n. 19. & 20.

Præterea metus alius eſt gravis abſolutè, qui eſt alicujus mali, quod cuilibet viro conſtanti eſt formidabile, eúmque meritò commovere poteſt: alius eſt gravis reſpectivè, qui eſt alicujus mali, quod, etſi viro forti non ſit formidabile; tamen fœminæ, puero, ſeni, homini meticuloſo meritò formidandum videtur. Idémq; eſt comparatione factâ inter ipſas fœminas, & viros: aliqua enim fœmina minore malo deterretur, quàm alia, & ſimiliter de viris. Sanch. cit. l. 4. diſ. 3. n. 4. Qualis autem, & quantus is metus eſſe debeat, judicio prudentûm definiendum eſt. Leſſ. c. l.

§. II.

An per vim, ſeu coactionem abſolutam contractus, aliique actus vitientur, & quomodo probanda ſit violentia, & amiſſa per illam?

Pertinent hæc ad priorem Rubricam hujus Tituli, quæ eſt de vi, ſeu violentia ſtrictè accepta, prout diſtinguitur à metu.

VII. Aſſertio 1. Ea, quæ per vim, ſeu coactionem abſolutam, & injuſtam geſta ſunt, ipſo jure, ſeu facto ſunt irrita, & nulla, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 5. idque patet, quia talis vis, ſeu violentia cauſat ſimpliciter, & abſolutè involuntarium, ita, ut eam paſſus nullo modo conſentiat, conſenſus autem ad ſuſtantiam actûs humani pertinet, adeóque talis excuſatur etiam ab omni culpa, & pœna. Non ſufficit tamen in ordine ad actum externum, ut vim paſſus voluntate, & animo diſſentiat; ſed requiritur, ut etiam externis corporis facultatib⁹ reſiſtat, &, quantum poteſt, impediat actum malum externum, ut, ſi virgo per vim ſtupretur, corpore quoque renitatur, vel ſaltem clamet, ſi id commodè facere poteſt; & tum neque opus externum ei ad culpam imputari poteſt, vel pœnam. Azor cit. lib. 1. c. 9. q. 3.

VIII. Aſſertio 2. Si conſtet, vel legitimè probatum ſit, aliquid per vim injuſtam ablatum eſſe, tum quantitas, & æſtimatio rerum ablatarum per juramentum ſpoliati, præcedente Judicis taxatione, probari poteſt, ut habetur in c. Super eo; 7. & ult. h. t. Nam quidam conquerebatur, ſe ſpoliatum fuiſſe per violentiam à quibuſdam inimicis ſuis, quos convenit in judicio: & violentiam quidem ſibi illatam probavit per teſtes, ſed ſingula, quæ amiſſa erant, ſolùm per proprium juramentum, ideóque querebantur ſpoliatores, ſe injuſtè condemnatos fuiſſe. Verùm Papa Gregorius IX. reſpondit, quòd, poſtquam conſtitit de violentia per teſtes, & de rebus amiſſis per proprium juramentum ſpoliati, potuit Judex (imò, & debuit. Hoſtienſ. hîc V. Potuit;) quantum ſpoliatus res amiſſas, & damnum ſibi illatum proprio juramento æſtimaverit (factâ tamen priùs taxatione Judicis pro perſonarum, & negotij qualitate) ſpoliatores ad hoc condemnare. Conſenſit l. Si quando; 9. C. Unde vi, ex qua deſumptum eſt hoc c. Idque ſtatutum fuit, tum ob inopiam, ſeu defectum probationis, quia aliter, quàm per proprium juramentum ſpoliati, probari non potuit, has, vel illas res amiſſas eſſe, & æſtimatio earum: tum in odium delinquentium, ſeu vim injuſtam inferentium, ut tradit Gloſſ. communiter recepta in cit. l. Si quando; V. Manifeſtet; arg. l. Sancimus; 25. C. de judicijs, cùm aliàs regulariter juramentum non ſit deferendum parti, niſi adſit ſemiplena probatio per unum teſtem, l. In bonæ; 3. C. de reb. credit. Gloſſ. hîc, V. Per teſtes.

IX. Notandum 1. Allegans, violentiam ſibi illatam eſſe, debet illam legitimè probare per teſtes, nec admittitur juramentum conquerentis de vi ſibi illatâ, quia delicta liquidè debent probari. Gl. in cit. c. Si quando; V. Patefacta. Abb. hîc n. 2. ubi tamen addit, probari etiam poſſe, vim illatam eſſe, per indicia, quæ violentam præſumptionem inducant, in ordine ad damnum illatum compenſandum; vel etiam per unum teſtem, cum juramento partis, ſi agatur de modico præjudicio. Imò propter difficultatem probandi, tali caſu admittuntur etiam teſtes familiares, ſeu domeſtici, ſi per alios probari non poſſit. Abb. hîc n. 9. neque tunc recurri facilè debet ad juramentum, ne perjurijs anſa detur.

Notandum 2. Judex, antequam condemnet violentiam inferentes ad res ablatas reſtituendas, debet priùs, audito læſo, earum æſtimationem taxare, ſeu definire, & poſtea deferre parti juramentum, ut juret, tantum, & non minus damni illatum eſſe, quàm ta-

xatum fuit, ac demum damnificantem condemnare ad reſtitutionem, ſicut juratum eſt, juxta Auth. poſt jusjurandum, junct. Gl. in addit. C. de judic. Gl. hic V. Taxatione; Abb. n. 3. Ratio eſt, quia, cùm hoc juramentum, quod à parte præſtatur, ſit juramentum veritatis, ſive veræ æſtimationis, ſi Judex priùs reciperet tale juramentum, & poſtea damnum illatum in minore quantitate taxaret, quàm juratum fuit, argueret jurantem perjurij. Aliud eſt in juramento affectionis, nam tunc poteſt Judex, etiam poſt præſtitum juramentum, taxare quantitatem damni illati, & in minus condemnare reum, quàm juratum ſit: quia ſæpe fit, ut ob immoderatam affectionem, quam quis habet erga rem ſuam, pluris illam æſtimet, quàm revera valeat, juxta l. Videamus; 4. §. Item videodum; ff. De in litem jurando; & ibi Gloſſ. V. Ex magna cauſa; Verſ. Tu dicas; Gloſſ. in cit. Auth. poſt jusjurandum in addit. Abb. hîc n. 4. & Imol. n. 8.

Notandum 3. In taxatione Judex conſiderare debet perſonam Rei conventi, an aliàs fuerit bonæ famæ, nécne; dives, an pauper, ita, ut veriſimile ſit eum res ſurripuiſſe: item qualitatem negotij, & quantitatem rerum ablatarum. Gloſſ. hic, & Hoſtienſ. hic V. Negotij qualitate.

Notandum 4. Hoc juramentum veritatis, ſeu veræ æſtimationis non habet locum, ſi agatur non contra illum, qui violentiam intulit, ſed contra alium, qui non fuit particeps violentiæ, aut doli. Veluti, ſi in aliqua civitate ſtatutum ſit, ut, ſi quis propè illam fuerit ſpoliatus, & ſpoliatores damnum non reſarciant, ipſa civitas illud reſarcire debeat: tali caſu, ſi conſtet de ſpoliatione, vel ea probata ſit per teſtes, non poterit probari quantitas rerum amiſſarum per ſolum juramentum ſpoliati, ſed requiretur, ut ea probetur ſaltem ſemipleoè, videlicet per unum teſtem, quæ, accedente juramento à judice delato actori, faciet plenam probationem, juxta l. In bonæ; 5. C. de reb. credit. Bart. in cit. l. Si quando; num. 4. C. Unde vi. Abb. hic n. 5.

Notandum 5. Quamvìs in hoc c. tantùm ſit ſermo de rebus ablatis per violentiam, quòd ſpoliato juramentum deferri poſſit ſuper quantitate rerum ablatarum, ſi alia probatio deficiat: tamen probabiliter idem etiam obtinet in rebus per furtum ablatis, ſinè violentia, quia eſt eadem ratio, nempe difficultas probationis rerum amiſſarum, & odium furantis, vel alterius delinquentis, ſi de facto conſtet. Abb. hîc n. 6.

§. III.

An, & quomodo metus vitiet contractus, aliósque actus, etiam iuramento confirmatos?

X. Aſſertio 1. Pacta, contractus, ſive onerosi, ſive etiam gratuiti, transactiones, renunciationes, & ſimiles actus, qui ex metu, etiam gravi, & injuſtè illato fiunt, tam de jure naturæ, quàm poſitivo, regulariter mero jure ſunt validi, & in utroque foro, ſive conſcientiæ, ſive judiciali: quamvìs, quæ per hujuſmodi metum facta ſunt, per actionem: Quòd metûs causâ; & reſtitutionem in integrum, reſcindi debeant. Ita Gloſſ. in c. 2. V. Coactus; h. t. Hoſtienſ. ibid. §. Nota autem; & Abb. n. 7. Gloſſ. magna in c. unic. h. t. in 6. Sanch. l. 4. moral. diſ. 8. n. 4. & plures Theologi, Canoniſtæ, & Legiſtæ apud eundem citati. Prima pars, quòd validi ſint de jure naturæ, probatur, quia, quod ex metu fit, eſt ſimpliciter voluntarium, licèt ſecundùm quid ſit involuntarium, ſive admixtum habeat involuntarium imperfectum, ſeu conditionatum, quandoquidem, qui ex metu agit, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, conſentit, & voluntariè agit, & ex duobus malis minus eligit, v. g. mavult contrahere, quàm interfici, vel aliud gravius malum pati, quamvìs id nollet agere, ſi metus abeſſet, ut docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 6. artic. 6. & conſtat ex l. Si mulier; 21. §. Si metu; ff. h. t. ubi dicitur: *Si metu coactus adivi hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui, ſed per Prætorem reſtituendus ſum, ut abſtinendi mihi poteſtas tribuatur.* Ergo metus, licèt gravis, & injuſtè incuſſus, non tollit conſenſum voluntarium ſimpliciter requiſitum ad valorem pactorum, transactionum, renunciationum, & contractuum, & qui mutuo conſenſu voluntatum perficiuntur: & conſequenter hujuſmodi actus metu gravi, & injuſto initi, ſpectato jure naturæ, ſunt validi: alioquin etiam actus factus ex metu ab intrinſeco proveniente, v. g. votum editum ex metu mortis in naufragio, vel gravi morbo non valeret, quia, quod ex tali metu fit, eſt etiam ſecundùm qoid involuntarium, quia nollet vovere, ſi metus, ac periculum mortis abeſſet. Similiter, qnod fit ex metu juſtè incuſſo, non minùs fit ex metu, & cum repugnantia, quàm ſi metus injuſtè inferatur, & tamen fit ſimpliciter voluntariè: qui enim legem Dei, v. g. obſervat ex metu inferni, cum maxima repugnantia, voluntariè id facit, & tale obſequium voluntarium ſufficit ad ſalutem: ergo non deeſt conſenſus voluntarius ſimplicìter, propter metum incuſſum, ſive is ab extrinſeco, ſive ab intrinſeco, ſive juſtè, ſive injuſtè inferatur: nam, quod per injuriam inferatur, non ideo contrahens redditur ſimpliciter invitus, ſeu nolens, ſed obligatur inferens metum ad reſtitutionem, & reſciſſionem contractûs, & datur ei, qui metum paſſus eſt, jus contra metum injuſtè inferentem, ut notat Cardinal. de Lugo tom. 2. de juſtit. diſp. 22. ſect. 7. num. 115.

Secunda pars, quòd ea, quæ metu gravi, & injuſto fiunt, jure etiam poſitivo ſint valida, ſed irritanda, probatur ex c. Abbas; 2. h. t. ubi id ſtatuitur de renunciatione beneficij per metum amittendi bona temporalia factâ, quòd in irritum revocari, ſive reſcindi debeat. Nam, cùm Abbas S. Cadmundi, Clerico Remigio Eccleſiam contuliſſet, » poſtea milites ſuos miſit, qui illum domo, cum omni ſubſtantiâ, expellerent, niſi Eccleſiam abjuraret, ſive juratus reſignaret: quod cùm idem Remigius coactus feciſſet, Abbas dictam Eccleſiam » alteri conceſſit. Quare Papa Alexander III. mandat, ut, quia, quæ metu, aut vi (injuſtâ) fiunt, de jure in irritum revocari debent, omnia Remigio integrè reſtituantur. Cùm ergo hîc generatim di- » catur, ea, quæ metu, ſeu vi iojuſtè fiunt, in irritum revocanda eſſe, ſupponitur, ea valida eſſe, donec irriten-

Irritentur. Idque conſtat etiam ex l. 1. ff. h. t. ubi dicitur: *ait Prætor, quod metu geſtum eſt, ratum non habebo*, nam verbum futuri temporis ſignificat, non eſſe ipſo jure irritum, ſed irritandum, & ex cit. l. Si mulier; §. Si metu; ff. & l. fin. C. eod. ubi præcipitur, venditiones, donationes, tranſactiones, &c. quæ per potentiam, ideſt, vim aut metum extortæ ſunt, infirmari: nam ex æquitate, gravi metu compulſis ſuccurrendum putavit Prætor, per reſtitutionem in integrum, videlicet, ut, quæ per metũ ejuſmodi acta ſunt, perinde reſcindantur, acſi ab initio irrita fuiſſent, ut colligitur ex cit. c. 2. h. t. nam reſtituere in integrum eſt reducere in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem, juxta Gl. fin. in c. Auditis; 4. de in integr. reſtit. adeóque non tantùm omnes res ablatæ, ſed etiam omne intereſſe, & damna per metum illata reſarcienda ſunt. Abb. hìc n. 3.

XI. Sed contrà obſtare videntur plures ll. nam inprimis in l. 1. C. de reſcind. vendit. venditio per metum facta irrita dicitur. Sed reſpondetur cum Gl. ibid. V. Irrita eſt; appellari ibi irritam, id eſt, irritandam per actionem, quod metûs cauſâ, ut ex verbis ſtatim ſubjunctis, & ex Rubrica Tituli apparet: quia, quod reſcindendum eſt, in effectu vires non habet, & firmum non eſt. Secundò. In l. Qui in aliena; 6. §. Celſus; ff. de acquir. hæred. dicitur, quòd, qui timore coactus fallens hæreditatem adijt, hæres non fiat, ergo aditio hæreditatis metu facta non eſt valida. Reſp. Aditionem illam hæreditatis fuiſſe invalidam, non quòd metu facta ſit, ſed quia ficta fuit, & animus adeundi defuit, quam fictionem ipſe adicus priùs clàm manifeſtavit coram teſtibus, ut notat Gl. ibid. V. Fallens; & V. Non fieri. Tertiò. In l. Qui in carcerem; 22. ff. h. t. dicitur: Qui in carcerem quem detruſit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt. Reſp. ibi ſolùm ſignificari, quòd promiſſio à detruſo in carcerem facta nullius momenti, & roboris ſit, non in ſe, ſed quoad effectum, quia propter gravem metum carceris illatum, ad arbitrium metum paſſi, irritari debet. Zœſ. in Comment. ff. h. t. n. 5. Aliam reſponſionem dat Sanch. cit. diſ. 8. n. 10. quòd ibi, ultra metum, adfuerit calliditas peſſima, & dolus illius, qui injuſtè detruſit in carcerem, adeóque gravius delictum, in cujus odium quidquid geſtum eſt, ipſo facto à lege irritatum eſt. Sed prior reſponſio eſt melior. Quartò. Metus habet in ſe ignorantiam, ut dicitur in l. Item, ſi cum exceptione; 14. §. In hac actione; ff. h. t. ſed ignorantia eſt conſenſui contraria, l. Si per errorem; 15. ff de juriſdict. ergo contractus metu initus, quippe carens conſenſu, eſt ipſo jure irritus. Reſp. Metus dicitur in ſe habere ignorantiam, non, quòd metum paſſus erret, & ignoret, quid agat, ſed quia juſtè ignorat, quis metum intulerit, cùm talia de nocte, vel clàm fiant, aut in multitudine. Gloſſ. ibid. V. Ignorantia. Quintò. Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quàm vis atque metus, l. Nihil; 116. ff. de R. I. cùm locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, c. Cùm locum; 14. de ſponſal. ſinè conſenſu autem nullus eſſe poteſt contractus, cujus ſubſtantia in conſenſu conſiſtit, l. Obligationum; 3. ff. de oblig. & action. Reſp. Metus opponitur conſenſui ſpontaneo, ſeu omnino libero, eâ libertate, quæ opponitur coactioni, non quæ opponitur neceſſitati, & quæ ſufficit ad ſimpliciter voluntarium, & liberum. Gloſſ. magn. in cit. reg. jur.

XII. Objicitur 2. Dolus dans cauſam contractui reddit illum irritum, de jure poſitivo, ergo etiam metus, quia metus, & dolus in jure æquiparantur, c. Cùm contingat; 28. de jurejur. Reſpondet Sanch. c. l. cum Bartol. & Zœſ. ff. h. t. n. 9. neg. conſeq. quia non æquiparantur omnino in omnibus, adeóque, quamvìs metus, & dolus vitient contractus, dolus tamen irritat ipſo facto, utpote tollens voluntarium requiſitum, non verò metus, quippe non tollens voluntarium neceſſarium: nam contrahens ex metu non errat in cauſa conſensûs, ſed illam novit, ideòque valet contractus: is verò, qui conſentit dolo inductus, errat in cauſa conſensûs, ideòque conſentit ſub conditione, ſi verum ſit, propter quod inducitur ad contrahendum: quâ conditione deficiente, deficit conſenſus in contractibus bonæ fidei, non item ſtricti juris, in quibus cauſa illa, inducens ad conſenſum erroneum, eſt extra contractum.

Verùm alij reſpondent, neg. anteced. quia contractus, ſive bonæ fidei, ſive ſtricti juris, initi ex dolo dante cauſam contractui, ſunt validi, tam de jure naturæ, quàm poſitivo. ſi in ijs error, aut dolus non contingat circa ſubſtantiam, ſed ſolùm circa accidentalia, reſcindendi ſunt, petente eo, qui dolo inductus eſt, ſeu deceptus: quia in ijs non deeſt conſenſus ſufficiens ad reddendum actum ſimpliciter voluntarium, cùm non magìs dolus in contractibus bonæ fidei tollat conſenſum voluntarium, quàm in matrimonio, & contractibus ſtricti juris, qui tamen, dolo dante cauſam contractui, initi ſunt validi. Lugo cit. diſ. 22. ſec. 6. n. 73. de quo alibi occaſio dicendi erit.

Objicitur 3. Si metum paſſus non tradidit rem promiſſam, non obligatur illam tradere, ergo contractus, ſeu promiſſio non fuit valida, alioquin peperiſſet aliquam obligationem in contrahente, ſeu, promittente: cùm ergo nulla ſit in eo obligatio ad ſervandum contractum, ſeu promiſſionem, nullus etiam omnino fuit contractus, ſeu promiſſio. Reſpondetur: Contractum dolo, vel metu initum eſſe validum, ita tamen, ut revocari poſſit, & reſcindi, volente illo, qui dolum, vel metum paſſus eſt: ac proinde contractus hujuſmodi non eſt omnino otioſus, & inefficax, quia in contrahente decepto, vel metum paſſo immediatè oritur obligatio, ita, ut vi contractus is ſit obligatus ad illum ſervandum, quàm diu ille non reſcinditur: ſimul tamen propter injuriam illatam, jura dant decepto, vel metum paſſo actionem contra adverſarium, per quam ipſum, ſi velit, compellere poterit ad reſcindendum contractum, dummodo contractus ſuâpte naturâ ſit reſcindibilis, quo facto, tolletur obligatio illa ex contractu orta ad implendum illum: ex quo ſolùm ſequitur, quòd deceptus, aut metum paſſus non obligetur firmiter, & irrevocabiliter ex contractu dolo, vel metu inito, ut rectè notavit Lugo cit. diſ. 22. n. 78. & 116.

XIII. Objicitur 4. Per contractum metu extortum non transfertur dominium rei traditæ in accipientem, ergo ejuſmodi contractus non eſt validus;

Antec. patet ex l. Metum; 9. §. Volenti; & §. Licèt; ff. h. t. ubi metum paſſo datur actio, non ſolùm in perſonam, ſed etiam in rem, & redditur ratio, quia res in bonis ejus eſt, qui vim paſſus eſt. Reſp. neg. anteced. quia per traditionem rerum dominia transferuntur, ſi ea fiat cum titulo de jure valido, qualis adeſt in contractu per metum inito, quippe qui non eſt invalidus ipſo jure, quamvìs reſcindi poſſit, ut ex ſuprà dictis patet. Ad probationem dicitur, dari metum paſſo actionem in rem utilem contra quemvis poſſeſſorem, perinde, acſi Dominus manſiſſet, qui per metum rem tradidit, & ideo etiam dicitur in ejus bonis eſſe, juris fictione, quia ſcilicet nemo excluſus à re, vel eâ omnino privatus cenſetur, cui à Prætore conceditur, & offertur remedium reſtitutionis in integrum, juxta l. Nemo; 5. ff. de in integr. reſtit. &, qui actionem habet ad rem, rem ipſam habere videtur, l. Qui actionem; 15. ff. de R. I. Gl. in cit. l. Metum; V. In rem; & V. In bonis ejus, Zœſ. ff. h. t. n. 12. & 13. quamvìs etiam dici poſſit, hanc actionem, *Quod metûs causâ* eſſe mixtã, ſive in rem ſcriptam, ita, ut detur, non tantùm contra metum inferentem, ſed etiam in rem ipſam apud quemcunque poſſeſſorem exiſtat, l. Item, ſi cum exceptione; 14. §. In hac actione; ff. h. t. Sanchez. cit. diſ. 8. n. 11.

Objicitur 5. Res, unâ cum fructibus interim perceptis, reſtitui debet metum paſſo: ergo dominium rei nõ eſt translatum in accipientem, qui metum incuſſit, alioquin is non teneretur fructus reſtituere, qui ad verum Dominum pertinent. Reſp. Fructus reſtituendos eſſe, non ex defectu dominij, ſed, quia beneficio juris, propter injuriam metum paſſo illatam, conceditur ei reſtitutio in integrum, cit. c. 2. in fine h. t. Sanch. c. l. n. 11. nam omne damnum ex delicto proveniens, qualis eſt jactura fructuum, reſarciri debet ab eo, qui injuriam intulit. Quare ſi is, qui rem bonâ fide poſſidet, nullam injuriam intulit, non tenetur fructus bonâ fide conſumptos reſtituere, niſi ad ſummum, quatenus inde factus eſt locupletior. Lugo c. l. n. 119.

Objicitur 6. Nunquam per traditionem, ſinè juſto titulo, transfertur dominium, ut patet ex uſurario, qui juxta communem ſententiam, non acquirit dominium uſurarum, licèt adſit traditio, & conſenſus voluntarius dantis: ergo nec ille, cui per metum aliquid ſolvitur, acquirit dominium, quia deeſt juſtus titulus accipiendi. Reſp. Ad transferendum dominium, præter traditionem, requiritur juſtus titulus, id eſt, talis, qui non ſit ipſo jure irritus, ſed validus, cujuſmodi eſt titulus acquiſitus per contractum metu extortum, licèt in ſe injuriam contineat, ideóque ope exceptionis ſit irritandus; nam non eſt inconveniens, quòd per injuriam acquiratur aliquod jus inferenti illam, cum obligatione tamen reſcindendi illud, ſi reſcindi poſſit: at verò titulus uſurarius ipſo jure eſt invalidus. Sanchez. c. l. n. 11. Deinde poſito, quòd uſurarius non acquirat dominium rei ſibi traditæ, id ideo eſt, quia, qui uſuras ſolvit, non habet animum donandi, ſed ſolvendi ex debito: ergo, cùm nihil debeat, nihil agitur; quia uſurarius non accipit titulo donationis, cùm dans donare non intendat; ſed nec ex debito, cùm nullum debitum adſit, ideóque nullum omninò titulum accipiendi habet. At verò in contractu metu extorto adeſt titulus, nam dans verè vult, vel gratìs dare, ſi metu coactus donet; vel dare ex titulo venditionis, aut alterius contractûs, qui ipſo jure validus eſt. Lugo cit. loc.

XIV. Objicitur 7. Si per contractum metu extortum transfertur dominium, ſequitur, quòd, ſi inferens metum creditores antiquiores, vel privilegiatos habeat, ij præferendi ſint metum paſſo in re per metum tradita, tanquam in re propria illius, qui metum intulit: conſequens autem eſt falſum, ergo &c. Reſp. neg. ſeq. quia reſoluto jure dantis, reſolvitur etiam jus accipientis, l. Ubi autem; 4. §. Sed & Marcellus; ff. de in diem adject. cùm ergo per reſtitutionem metum paſſi, reſolvatur totum jus illius, qui metum intulit, perinde, acſi nullum jus unquam habuiſſet, conſequenter etiã reſolvitur, ac ceſſat jus creditorum illius, quorum jus ad rem per metum traditam fundabatur in jure debitoris. Sanch. c. l. n. 11.

Objicitur 8. Dans poteſt rem per metum traditam, ante Judicis ſententiam, propriâ auctoritate, occultè ſurripere, ſi aliter recuperare non poſſit, & is, qui accepit, tenetur, ante ſententiam reſciſſoriam contractûs, eam reſtituere: ergo dominium non eſt translatũ in accipientem. Reſp. neg. conſeq. quia hoc ideo eſt, non quòd dominium rei non ſit translatum, ſed quia metum paſſus jus, & actionem habet ad reſcindendum contractum, & recuperandam rem per metum traditam, quæ ipſi eſt debita, ideóque occultè eam recuperare poteſt. Sanch. cit. loc. n. 11. in fin.

Objicitur 9. Plus requiritur ad transferendum dominium rei ad alium, quàm ad abdicandum à ſe jus, quod habet ad rem, & concedendum illud alteri, quia dominium plus eſt, ſcilicet jus in re, quàm jus ad rem, ad illud enim requiritur promiſſio cum translatione; ad hoc ſufficit promiſſio: ergo etiam plus requiritur, ut quis fiat Dominus alicujus rei, quàm, ut habeat jus retinendi, & alter amittat omnem actionem ad recuperandam rem. Reſp. neg. conſeq. quia ad dominium ſufficit traditio cum titulo ipſo jure valido: ad poſterius verò requiritur titulus omnino juſtus, qui reſcindi non poſſit. Sanch. c. l.

XV. Aſſertio 2. Si quis gravi metu coactus aliquid promiſerit, vel alicui juri renunciaverit, v. g. electioni ad beneficium, & juramento promiſſionem, vel renunciationem metu factam confirmaverit, is juramento obligatur, illúdque ſervandum eſt, ſi ſinè diſpendio ſalutis æternæ ſervari poſſit, neque actio, vel exceptio, Quod metûs causâ; ei cõpetit: quamvìs, ſi juramentum hujuſmodi promiſſorium per metum gravem injuſtè extortum ſit, jurans petere poſſit relaxationem juramenti; imò, tametſi non petatur, judex ex officio ſuo juramentum relaxare, eóque relaxato, promiſſionem, vel renunciationem metu factam per reſtitutionem in integrum reſcindere poſſit. Utraque pars hujus aſſertionis ſumitur ex c. Ad aures; 3. h. t. Nam, cùm quidam in Plebanum, ſeu Rectorem cujuſdam Eccleſiæ concorditer electus fuiſſet, uno Electore excepto: is propter Laicorum ſe opponentiũ terrorem, electioni de ſe factæ renunciavit. Quâ re delatâ ad Papam Clementem III. is reſpondit, quòd renunciatio hæc ad terrorem Laicorum facta, non impedit, quò minùs electus Eccleſiæ illi, cui renunciaverat, præfici poſſit, dummodo juramento, vel fide interpoſitâ confirmata non fuerit.

XVI. No-

XVI. Notaodom 1. Qui tenunciavit juri Eccleſiaſticæ electionis,ob gravem metum iliatum,oon obſtante tali tenunciatione, nihilominus ioſtitui poteſt in Eccleſia, ad quam eſt electus. neque tamen talis reouociatio eſt ipſo jute irrita, ſed petente eo, qoi ita reonciavit, per reſtitutionem in integrum à Superiore irritari,ſeu reſciodi poteſt,perinde,ac ſi ab initio irrita fuiſſet, ot docet Abb. hîc n. 2. contra Imol.o.2.

Notandum 2. Si quis,poſt electionem confirmatam à legitimo Superiore, eidem renunciet, ob terrorem v. g. laicorum,ipſo jure valida eſt reounciatio, quia,quæ gravi metu facta ſunt,ipſo jure valeut,ot ſuprà dictum: quamvìs ſic tenuncians per officium Judicis Eccleſiaſtici,reſciſsâ renunciatione, in integrum reſtitui debeat. Abb. hîc n. 2. & colligitut etiam ex c. Ad audientiam; 4. h.t. Laym. hîc o. 3.

Excipi debet, niſi aliqoi habentes poteſtatem ſeculatem, etiam Clerici,detineant, vel capi faciant perſonas Eccleſiaſticas, ot ab eis per vim,aot metum extorqueant reſignationes beneficiorum; tales enim ſunt ipſo jore nullæ, utì ſpecialiter ſtatutum eſt in Clement.2.§.Sanè de pœnis.Abb.hîc n.2.

XVII. Notandom 3. Si quis renunciavit cum juramentn, vel interpoſitâ fide (ſcilicet Sacerdotali, ſeo Clericali, ad cuius nhſervationem non minùs, quàm juramenti, in externo foro Eccleſiaſtico compelluotur Clerici,cùm vice juramenti ſit,& ſimilitudioem cum illo habeat ea fidei interpoſitio,ut docet Laym.lib.4.Theol.mot.tract.3.c.2.n.2.) quòd nunquam acceptare,ſeu recipere velit Eccleſiam,vel Prælaturam, ad qoam eſt electus; tum non poteſt illam repetere,obſtaote jorameoto,quod cùm ſervari poſſit,ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſervandum eſt,niſi relaxetur: verumtamen,ſi jutamentum promiſſoriū, de non acceptanda Eccleſia, vel Prælatura, per metum gravem injoſtè extortuo ſit,tom,licèt tale juramentum obliget,& ſervandum ſit,antequam relaxetur;non tamen obligat omnimode,& efficaciter,quia juramenti telaxatio,probato metu,peti poteſt,ac deinde Eccleſiam,vel Prælatotam acceptare poterit, ut colligitur ex c.Si verò; 8.de jureiur. et c.Quamvìs;2. de pact.in 6.Gl.in cit. c.Ad aures; V. Niſi fortè juramento h.t.& Abb.ibid.n.8.& Imol.n.7.qoin imò,etſi noo petatur relaxatio juramenti, Judex ex officio ſuo illod relaxare poterit, reſtitutâ facultate acceptandi ei,qui jutavit, ſe nunquam acceptaturum Eccleſiam,vel Prælaturam,Gl.fin. In c. Ad audieotiam; 4.b.t.

XVIII. Atqne hinc ulteriùs infertur, ſi qois gravi metu coactus juravit,ſe reſignaturum beneficium, illúdque teſignavit in manibus Superiotis: is poteſt petere, ut idem beneficium reſignatom, nun obſtante tali jutamento, ſibi reſtituatur, prout ha» betur in c. Ad audientiam; 4. h. t. Nam Magiſter » Guilielmus Rector Eccleſiæ de Chevellis, graviſſi» mo metu à Rege incuſſo, coactus fuit eam teſigna» re,atqoe io eorum manibus,ad qoos admiſſio per» tinebat, reſignavit (alioquin enim non tenuiſſet » teſignatio. c. Admonet; 4. et c. Quod in dubiis; 8. » de renunciat. Gl, hìc V. Pertinebat) Re delatâ ad » Papam Ionocent. III. is reſcripſit: cùm ea, quæ vi » metûsve causâ fiont, carere debeant robore firmi» tatis: ideo,ſi conſtiterit,eundem Rectorem per talem metum fuiſſe coactom ad reſignandum,qui po» tuerit,ac debuerit cadere in virum conſtaotem;tum » non obſtaote eo juramento, Eccleſia dicto Guiliel» mo reſtituatur, quia vi jutamenti ad reſignandum » ſolùm teoebatur, noo verò etiam ad ooo repeten» dum beneficium reſignatum. Ratio deciſionis eſt, » quia jutamentum promiſſorium (præſertim,ſi vi, ſeu metu iojuſto extortum ſit, ſive ex parte promiſſatij turpitudinē contioeat,ut in caſu huius c.)noo cenſetur ad plus obligare, quàm, ſecundùm ſtrictam verbotom ſigoificatiooem, promiſſum foit, neque exteoditur ad ilia, ſuper quibos præſtitum non fuit, Gl. hîc in notatis. Cùm ergo in propoſito Rector ille ſolùm juraverit,ſe parochiam reſignaturum, id quod implevit, non aotem juravit,ſe noo repetiturum teſignatam: ergo ad hoc, vi juramenti,non fuit obligatus, adeòque,eo non obſtaote, & non petitâ ullâ relaxatione, eandem parochiam per actionem, Quòd metûs causâ; repetere poteſt. Si verò juráſſet,ſe oon repetiturum beneficium reſignatum, nnn potuiſſet repetere,ante impetratam relaxatiooem jurameoti à Superiore,videlicet Epiſcopo, Gl.hîc V.Repetēdum, & Abb. not.1.& patet ex ſuprà dictis. Simili modo, ſi quis metu adactus juravit,pecunias ſe daturum,poteſt datas repetere, juxta c. Debitores; 6. de jureiur. quòd ſi verò jutavit,peconias ſe illi daturum,& nuoquam repetiturum, ob juramentum prohibetur eas repetere, niſi priùs à Superiore relaxationem illius impetrâtit,quæ tamen concedi ooo debet,ſi videatur In cootemptum Religioois Chriſtianæ ceſſura, ut ſi captus à Turcis pretium redemptionis juratus promiſit,ut notat Laym.hîc in fine.

XIX. Sed ſi quis,quod per metum gravem juramento promiſit, poſtea ſponte ſolvat,poterítne ſolutum repetere,qoaſi porgato metu? Negat Gl.hîc. V. Ad reſignationem. Sed oppoſitum eſt verios, quia probabilis coniectura eſt, ſolutionem noo eſſe ſponte factam, ſed metu perjurii Incurreodi, ſive videtur potiùs ſolvere,ot vitet perjurium, quàm ut ratificet promiſſionem, & metum purget: idque probatur claré ex c.Debitores;6.de jureiur.ubi jurans,ſe ſolutorum uſuras,poteſt ſolutum repetere,quaſi non ſponte ſolverit,ſed ob juramentum, Hoſtienſ.hîc,V. Reſignavit,& Abb.n.3.Navarr.l.1.conſil.4.n.10.b.t. Saoch.l.4.de matr.diſ.18.o.10.

XX. Aſſertio 3. Si jutamentum promiſſorium, vel votum etiam joratum, in alicuius hominis gratiam, ſeu utilitatem factum ſit, illod omnino,& abſque ſpe relaxationis,ac reſtitutionis in integrum, ſervaodum eſt, dummodo ſine diſpendio ſalutis æternæ ſervari poſſit, niſi gravis metus, vel verus, ac propriè dictus dolus, ſeu deceptio cauſam vovendi, vel jurandi præbuetit,prout ſumitur ex c. Cùm dilectus; 6.h.t. Nam Canonici quidam in Inſulis ha» bitantes,ediderunt votum,addito ſimul jotamento » ſive votom juratum,quòd Regulam Ordinis Ciſter» cienſis aſſumere,& obſervare, vel quantum in ipſis » eſt,non impedire,ſed permittere velleot, ut Eccle» ſia eorum eidem Ordini adjungatur,ſeu incorpore» tur. Poſtea verò dicti Canooici,mutatâ volunta» te,præſtitum jotamentom, & votum revocare vo» lentes,petierunt,ſe reſtitui:dicebant enim,quòd per» metum,& dolum Ciſtercienſium inducti fuerint ad » tale votum, ac jurameotum edeodum, idcóque ſe »

» reſtituendos eſſe. Sed Papa Innocentius III. re- » ſpondit, quia, examinatâ cauſâ, conſtitit de emiſſo » tali voto, & juramento præſtito ab illis Clericis, u- » trumque ſervandum eſſe, cùm non vergat in diſpē- » dium ſalutis æternæ, neque perjuriis viam aperien- » dam eſſe. Nec obſtat, quòd de violentia ipſis illata » propoſitum fuit, cùm conſtet, eum non fuiſſe me- » tum mortis, aut cruciatûs corporis, vel alium ſimi- » lem gravem metum, qui in virum conſtantem ca- » deret. Quòd autem ſe dolo inductos, ac deceptos » eſſe allegabant, ea non fuit vera circumventio, ſed » potiùs fatuitas, ſeu ſimplicitas ipſorum reputari » debet. Quare mandat Papa, ut dictis Canonicis » ſuper petita reſtitutione ſilentium imponatur. Ratio huius Conſtitutionis eſt, quia votum juratum, aut promiſſio jurata facta erga hominem, & in commodum illius, ſi ex parte recipientis juramentum, nullam turpitudinem contineat, adeoque, ſi tale votum, aut juramentum non ſit vi, ſeu gravi metu injuſtè extortum, nec interveniente dolo eius, cui factū eſt, omnino, & ſine relaxatione ſervandum eſt, quia per tale votum, aut juramentum promiſſorium jus tertio acquiſitum eſt, ideóque non debet, nec ordinariè poteſt relaxari in præjudicium illius, niſi ex cauſa graviſſima per plenitudinem poteſtatis S. Pontificis, ut docet Sanch. lib. 3. mor. c. 10. n. 2. dummodo tale juramentum, ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſervari poſſit: nam, ſi juramentum ſit de re turpi, vel illicita, ſive de eo, quod abſque peccato impleri non poteſt, ab initio nullam obligationem parit. c. Non eſt obligatorium; 58. de R. I. in 6.

XXI. Ubi notandum 1. Quòd in caſu hujus c. Canonici Eccleſiam ſuam non potuerunt ſubjicere Ordini Ciſtercienſi, vel etiam alij, ſine conſenſu Epiſcopi Diœceſani, cui erant ſubiecti, ſed ſe ipſos perſonaliter obligârunt ad ſervandam regulam illorum, quia poterant ſe communi omnium conſenſu, voto, aut juramento, obligare ad vitam arctiorem ducendam, etſi ad Religioſos illos non tranſirent: ſicut etiam potuerunt promittere, ſe non impedituros tranſlationem Eccleſiæ ſuæ, ſive eius incorporationem Ordini Ciſtercienſi, ſi ea per Epiſcopum, cum conſenſu Capituli, fieret, Gloſſ. hic V. Eccleſiæ, & Abb. num. 1.

Notandum 2. Si metus non ſit gravis, ſeu cadens in virum conſtantem, non ſuccurritur metum paſſo per actionem, Quòd metûs cauſâ; vel reſtitutionem in integrum, ut colligitur ex reſponſione Papæ in hoc c. quòd Canonici illi non fuerint inducti, metu cadente in virum conſtantem, ad votum, & juramentum, ideóque fuit illis denegata petita reſtitutio. Quis autem ſit juſtus metus, ſeu gravis cadens in virum conſtantem, judicis arbitrio relinquendum eſt, v.g. an minæ, vel verba, vel potentia judicis ſit juſta cauſa metûs. Gloſſ. hic V. Metum; Abb. ibid.

Notandum 3. Etſi jura ſuccurrant dolum malum paſſo, qui eſt calliditas, & machinatio quædam ad decipiendum alterum adhibita, l. 1. §. Dolum, ff. de dolo mal. non tamen in foro externo ſubvenitur per reſtitutionem in integrum ei, qui eſt deceptus per dolum impropriè dictum, qui non cadit in virum prudentem, & cordatum, ſed eſt nimia quædam ſimplicitas, ſeu fatuitas ſe ipſum decipientis, ut colligitur ex hoc c. in fine. Abb. hîc n. 12. & Imol. n. 2. Verumtamen, ſi quis deceptus ſit per ſimplicitatem invincibilem, probabile eſt, quòd in foro conſcientiæ per exceptionem ſe defendere poſſit, quin & in foro externo ei quandoque ſuccurretur ex officio Judicis per reſtitutionem in integrum; quia plerumque non ſine culpa quis contrahit cum tali homine: non autem per actionem de dolo, cùm dolus malus, & propriè dictus, hîc non ſit commiſſus. Laym. hîc in fine.

XXII. Sed hîc jam quæritur, an univerſim loquendo, ſi quis per metum, non gravem, ſed levem injuſtè incuſſum ad juramentum promiſſorium ſit inductus, illud relaxari poſſit à Superiore inferiore Papâ, v.g. Epiſcopo? Negat Abb. hîc n. 10. & Sanch. l. 4. de matr. diſ. 20. n. 7. & 9. & alii apud eundem, & probatur arg. cit. c. Cùm dilectus; h. t. et c. Si verò; 8. de jureiur. in quibus textibus ponderatur, & attenditur, an metus ſit gravis, & cadens in virum conſtantem, ut concedatur abſolutio à juramento, cuiuſmodi non eſt metus levis, qui in jure metus non reputatur. l. Metum; 5. ff. h. t. ubi dicitur, metum accipiendum eſſe non quemvis timorem, ſed majoris malitatis. Affirmativam verò ſententiam tenet Joan. Andr. in c. Verùm; 15. n. 6. de jureiur. & ibid. Abb. n. 3. ſibi contrarius, & Alexander de Nevo; n. 7. & 8. Covarr. in reg. peccatum. p. 2. §. 3. n. 7. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 17. dub. 6. n. 46. quos ſequitur Laym. in cit. c. Cùm dilectus; n. 4. h. t. nempe, quòd ſi is, cui jurata promiſſio facta eſt, metum, quamvìs levem, ipſemet injuſtè incuſſit, juramentum à Judice relaxari poſſit in illius odium, ne ex delicto proprio commodum ferat. Ratio eſt, quia per relaxationem juramenti nulla fit injuria promiſſario injuſto, cui jus efficax non eſt acquiſitū, cùm in foro conſcientiæ, & ante Judicis ſententiam, ad læſum in integrum reſtituendum teneatur; nam, quod etiam per levem metum acquiritur, per injuriam obtinetur, adeóque obnoxium eſt reſtitutioni. Neque verò ex caſu cit. c. Cùm dilectus conſtat, metum aliquem, quamvìs levem, incuſſum fuiſſe à Monachis Ciſtercienſibus directè ad extorquendum juramentum. Et quamvìs in foro externo non concedatur actio, Quod metûs cauſâ; niſi metus gravis fuerit, idq; ob vitandam litium multitudinem: poteſt tamen Judex, etiam ſine actione intentata, ex officio ſuo ſuccurrere per metum levem injuſtè læſo, eúmque, relaxato juramento, in integrum reſtituere, prout docet Gl. in cit. c. Cùm dilectus; V. Metum; h. t. & ibid. Abb. n. 9. Imò in foro conſcientiæ à Prælato, v.g. Epiſcopo in tali caſu juramentum relaxari poſſe, ad hoc, ut metum injuſtum, quamvis levem, paſſus per exceptionem promiſſa petentem repellere poſſit, docet etiam Sanch. c. l. n. 9. quia etiam, quando metus eſt levis, adeſt turpitudo ex parte recipientis. Neque obſtat, quod Jure tum civili in cit. l. Metum; 5. h. t. tum etiam Canonico, in c. Si verò; 8. de jurejur. & cit. c. Cùm dilectus; ponderatur, & inſpicitur, utrùm metus levis, an gravis fuerit: nam id fit eo fine, ut appareat, an metus cauſaverit involuntarium mixtum, quia ſcilicet promittens noluiſſet promittere, niſi coactus fuiſſet, id quod requiritur, ut promiſſio per metum extorta reſcindi poſſit, & facilè præſumitur, aut probatur, ſi metus gravis ſit; & cadens in conſtantem virum: non item, ſi levis, niſi probari poſſit, vel ex conjecturis præſumi, etiam levem

vem metum conſenſum mixtum cum involuntatio in metum paſſo effeciſſe, tùnc enim etiam, ſaltem ex officio Judicis, in integrum reſtitueretur, ut dictum; Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 6. n. 4.

§. IV.

Quinam contractus, aliíve actus metu gravi facti ſint ipſo iure irriti?

Dictum eſt §. præcedenti, contractus, vel actus gravi metu factos eſſe ipſo jure poſitivo validos regulariter, quamvìs per Judicem reſcindi poſſint; excipiuntur tameo aliqni contractus, pactiones, & alij actus, qui ob intervenientem metum gravem, & injuſtè incuſſum de Jure poſitivo Eccleſiaſtico, vel civili, ipſo facto ſunt irriti, ita, ut ab ioitio nullius roboris ſint, neque reſciſſione indigeant, ut notat Gl. in c. 2. V. Coactus; h. t. & ibi alij Canoniſtæ communiter, inter quos aliqui actus ſunt certi, quos conſtat, indubitatè eſſe ipſo jure irritos; alij dubij, & incerti. de utriſque hoc §. agemus.

XXIII. Aſſertio 1. Inter contractus, & actus, qui indubitatè ſunt irriti ipſo jure poſitivo, numeratur in primis contractus matrimonij, nam hoc per metum cadentem in conſtantem virum injuſtè incuſſum ad extorquendum matrimonialem conſenſum, eſt ipſo iure Eccleſiaſtico nullum, in utroq; foro, interno, & externo, ut conſtat ex c. Cùm locum; 14. & c. Veniens; 15. de ſponſal. & matr. & ex communi docet Sanch. l. 4. de matrim. diſ. 12. n. 18. Ratio eſt, quia matrimonia coacta frequenter infelices habere ſolent exitus, ideóque plenè libera eſſe debent ab omni coactione. c. Requiſivit; 17. de ſponſal. Gl. in c. 2. V. Coactus; h. t. ubi addit, tale matrimonium eſſe irritum, etiamſi juramentum ei acceſſerit, ut conſtat ex c. 2. de eo, qui duxit in matrim. &c. quia matrimonium metu contractum eſt irritum ob defectum liberi, & ſpontanei conſensûs, cit. c. Cùm locum; quem juramentum ſupplere non poteſt, cùm requiratur ad ſubſtantiam matrimonij. Sanch. cit. l. 4. diſ. 20. n. 12. Imò plures DD. extendunt ad ſponſalia metu extorta, quod & illa ſint ipſo jure irrita, ut ex c. Ex litteris; 11. de deſponſat. impuber. probat Sanch. cit. l. 4. diſ. 19. n. 2. & 3. Verùm de hoc plura infrà in lib. 4. Decretal. tit. 1. ubi ex inſtituto de matrimonio coacto agitur.

XXIV. Secundò, Matrimonium ſpiritoale, ſive profeſſio religioſa, perinde, ac matrimonium carnale, ſi ex metu gravi, & injuſtè incuſſo emiſſa ſit, Jure Eccleſiaſtico eſt irrita, ut colligitur ex c. ult. qui Clerici, vel Monach. &c. et c. Perlatum; 1. h. t. niſi talis profeſſio metu cogente facta, poſtea eo ceſſante, expreſsè, vel tacitè, v. g. geſtando habitum religioſum, ratificata fuerit: tum enim per ſubſequentem ratihabitionem, ſeu liberum conſenſum convaleſcit, „ uti ſumitur ex cit. c. 1. h. t. Nam, cùm quidam „ vir nobilis, & potens uxorem ſuam ſuſpectam ha„ beret de adulterio, milites ipſius, juſſu eiuſdem do„ mini, eam in ſilvam eduxerunt, ut occiderent: Illi „ cùm gladium iam evaginâſſent ad illam occiden„ dam, miſericordiâ moti eidem pepercerunt, hac conditione, ut in Monaſterio quodam habitum monialium ſuſciperet. Poſtea maritus miſit ad Monaſterium, ut uxori ſuæ velum (converſionis, ſeu profeſſionis, non velum Conſecrationis, quod ſolis virginibus datur, Gl. hìc V. Velum) imponerent: ſed, cum Epiſcopi miſſi à viro viderent, mulierem eſſe juvenem, & filium parvulum habere, hæc mutatio vitæ, & ſtatûs ipſis ſuſpecta erat, ideóque illam ſeorſim examinabant: quæ rem ipſis aperuit, nempe, quòd mortis timore Monaſterium ſit ingreſſa, & inde libenter exire vellet, ſi poſſet. Sed alter ex Epiſcopis, ut mariti crudeli petitioni ſatisfaceret, velum ei impoſuit, ſimulãdo, quaſi eam profeſſam feciſſet. Poſtea verò, marito mortuo, dicta mulier ex Monaſterio egreſſa, alteri viro nupſit, ideóque Epiſcopus Diœceſanus, ad inſtantiam Monialium, illos conjuges tanquam illegitimè conjunctos excommunicavit. His cognitis, Papa Alexander III. mandat quibuſdam à ſe delegatis, ut dictam mulierem, & virum eius (recepto priùs juramento, de parendo ipſorum mandatis) ab excommunicatione abſolvant: deinde vocatis ad ſe tam muliere, quàm Prioriſſâ, & Monialibus, ſi legitimè probatum fuerit, mulierem illam, non timore mortis Religionem ingreſſam: vel, ſi mortis timore intravit, profeſſionem poſtea ratam habuiſſe, eam ad Monaſterium redire, & religioſum habitum reaſſumere per cenſuram Eccleſiaſticam compellant.

XXV. Pro explicatione huius c. notandum 1. Profeſſio religioſa emiſſa timore mortis, aut alterius metûs gravis injuſtè incuſſo, eſt ipſo jure irrita, ob defectum conſensûs plenè voluntarij: Abb. hìc n. 3. arg. c. Cùm virum; 12. de Regular. Et hinc in caſu huius c. mulier, quæ metu mortis à marito incuſſo Religionem profeſſa eſt, ſaltem tacitè ſuſcipiendo habitum Religionis, potuit inde exire, & matrimonium contrahere. Præſumitur autem, metum durare, quàm diu durat cauſa metûs, ſive quàm diu vivit ille, qui metum incuſſit: ut in caſu huius c. toto tempore, quo vixit maritus, qui metu mortis coëgit uxorem ingredi, & profiteri in Monaſterio, dummodo illa, vivente marito, non potuerit ſine metu mortis confugere ad locum tutum, quia aliàs ceſſâſſet metus, Innocent. hìc n. 1. V. Ratum; & Abb. num. 12. Porrò nòn eo ipſo, quòd mulier, poſtquam ſcivit, maritum eſſe mortuum, non ſtatim reclamavit contra profeſſionem, cenſetur eam ratificâſſe: ſed, ſi, vel poſt menſem primùm, vel duos menſes, vel poſt annum, non contradixit, juxta diverſas opiniones Auctorum e quamvìs probabilius ſit, id relinquendum eſſe Judicis arbitrio, qui ex qualitate perſonæ, & diuturnitate temporis, arbitrari debet, an tacitè approbaverit ingreſſum Religionis, perſeverando in ea, poſt obitum mariti. Abb. hìc n. 13. qui ait, hanc eſſe communem opioionem DD.

Notandum 2. Sicut ad profeſſionem religioſam requiritur plena libertas à coactione; ita etiam ad ratihabitionem eiuſdem, ut colligitur ex hoc c. ubi habetur, quòd mulier illa, ſi poſt mortem mariti, adeóque ceſſaote metu, profeſſionem per ſubſequentem liberum, & ſpontaneum conſenſum ratam habuit, compellenda ſit redire ad Monaſterium, & habitum Religionis iterum aſſumere. ergo, ſi durante metu, ratihabitio facta eſſet, ea non valuiſſet, nec obli-

obligâſſet, ob defectum perfectæ libertatis à coactione.

XXVI. Notandum 3. Si de contractu inito conſtet, onus probandi incumbit aſſerenti, ſe gravi metu adactum fuiſſe, ad contrahendum, cùm contra illum ſtet præſumptio. l. Non eſt; 23. in princ. ff. h.t. & ibi Gl. V. Apertiſſimas probationes, niſi præſumptiones, ſeu probationes adeſſent pro metum paſſo; tum enim agens ex contractu probare tenetur, non fuiſſe metum illatum. Ut in caſu huius c. ſi conſtet, vel fateatur mulier, ſe profeſſionem emiſiſſe, vel habitum Religionis ſuſcepiſſe, metum probare debet, quia præſumptio eſt contra illam. Si verò inquiſitione factâ, conſtet, vel legitimè probatum ſit, quòd mulier, vivente marito, non auſa fuerit reclamare contra profeſſionem, nec Monaſterio egredi, & quòd proteſtata fuerit coram Epiſcopis contra velum profeſſionis ſibi impoſitum. tum non debet, poſt mortem viri, compelli ad reaſſumendum habitum Religioſum: niſi Moniales probaverint ipſam ſponte, & non coactam profeſſionem edidiſſe, vel metu illato factam, poſtea ceſſante metu, liberè ratificâſſe, quia tum præſumptiones, ſeu probationes ſtant pro muliere, prout habetur in hoc c. in fine. Abb. hîc num. 10.

Notandum 4. Regularis, qui exivit è Monaſterio allegans profeſſionis nullitatem, poteſt in ſeculo remanere, nec cogitur redire ad Monaſterium, donec diſcutiatur juſtitia cauſæ, ob quam profeſſio ſit nulla. Unde Papa in hoc c. mandavit, ut mulier, & vir eius abſolvantur ab excommunicatione, recepto mandato, quòd velint parére mandatis Eccleſiæ, & cauſa nullitatis priùs examinetur. Verùm hodie poſt Concil. Tridentin. Seſſ. 25. c. 19. de Regularibus. Qui prætendit, ſe per vim, vel metum ingreſſum eſſe Religionem, non debet audiri, niſi infra quinquennium cauſas nullitatis deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario: de quo plura ſuo loco.

XXVII. Tertiò. Inter actus, qui ob incuſſum metum ſunt ipſo facto irriti, ponitur quoque votum quodlibet, etiam ſimplex; nam, & hoc metu gravi, & injuſtè incuſſo editum ipſo jure Eccleſiaſtico nullum eſt, ut docet Gl. in c. 2. V. Coactus, prope finem; h. t. Abb. ibid. n. 11. in 4. caſu. Sanch. l. 4. moral. c. 3. n. 12. & alij DD. communiter. Idque deducitur ex mente S. Pontificis in cit. c. 1. h. t. ubi, etſi non ſit ſermo de voto ſimplici, ſed de voto ſolemni, ſive profeſſione religioſa, declaratur tamen ibi, ea eſſe irrita, non ob id, quòd mulier illa fictè, ſeu ſimulatè aſſumpſerit velum profeſſionis, ſed ſolùm ob timorem mortis à marito ei incuſſum, quæ ratio irritandi etiam locum habet in voto ſimplici. Abb. c. l. ídque etiam colligitur ex traditione perpetua, quam conſenſus omnium ferè Doctorum comprobare videtur, teſte Sanch. c. l. Ratio eſt, quia, cùm votum ſit opus conſilij, & non præcepti, & aliquam perpetuitatem habeat, plenam libertatem requirit, non minùs, quàm ſolemnis profeſſio; voluntarium enim militem ſibi eligit Chriſtus, ut dicitur in c. Non eſt; 10. cauſ. 15. q. 1. Gl. in cit. c. 2. V. Coactus. Et hoc procedit, etiamſi vovens habeat animum ſe obligandi, dummodo poſtea, ceſſante metu, votum non ratificet; nam Eccleſia conſenſum metu extortum ita irritat, ut nulla ex eo oriri poſſit obligatio, ſicut irritat conſenſum matrimonij clandeſtini, aliàs nihil peculiare daretur metui, ſiquidem etiam eo deficiente, votum abſque animo ſe obligandi eſt irritum. Sanch. c. l. n. 13.

XXVIII. Quartò, contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ ex ſimili metu ipſo jure, ſeu facto redditur irritus, l. Si mulier; 21. §. Si dos, ff. h. t. & ibi Gl. V. Illam eſſe; ubi ait, id ſpeciale eſt in dote; & ratio eſt, quia, ſicut matrimonium debet eſſe liberum ab omni coactione; ita & dos, quæ eſt acceſſoria matrimonij, eiúſque naturam in hoc ſequitur, adeóque per metum promiſſa, vel ſoluta etiam invalida eſt. Gl. in cit. c. 2. V. Coactus, & Abb. ibid. n. 9. in 2. caſu, Sanch. lib. 4. de matrim. diſ. 12. n. 23. ubi ait, quamvis diverſa quoad hoc ſit ratio in matrimonio, & dotis promiſſione, quia matrimonium ſemel validum irritari non poteſt, ſed dotis conſtitutio ſemel valida, ob metum reſcindi poteſt, ideóque ex eo, quod in matrimonio tanquam principali eſt diſpoſitum, ut ſit ipſo jure irritum, non ſequitur, idem dicendum eſſe in dote, cùm diverſa militet ratio in principali, & acceſſorio. Verumtamen, quia non ſolùm in matrimonio, ſed etiam in dotis promiſſione expreſſo jure eſt diſpoſitum, ut per metum facta ipſo jure ſit irrita, ideo, etiamſi nō ſit eadem in utroque ratio, dotis promiſſio, vel conſtitutio metu facta eſt invalida. Idémque eſt de diſſolutione dotis. Sanch. c. l. n. 24.

XXIX. Quintò, promiſſio, vel traditio rerum Eccleſiæ facta ex metu gravi, ipſo jure invalida eſt, c. 1. & ibi Gl. V. Per metum; cauſ. 15. quæſt. 6. idémque de juramento per metum extorto ſuper rebus Eccleſiæ non repetendis habetur in c. 2. de jurejur. Ratio eſt, quia, cùm alienatio rerum Eccleſiæ ſponte à Prælato facta, ſine requiſitis ſolemnitatibus, non valeat: multò magis non valet, ſi per metum facta ſit, Gloſſ. in cit. c. 2. V. Coactus; h. t. Abb. ibid. n. 10. in 3. caſu.

XXX. Sextò, abſolutio à cenſura per vim, & metum gravem extorta ab Eccleſiaſtico Judice, ſicut & revocatio cenſuræ incurrendæ, eſt ipſo jure irrita, &, qui ita extorquet, ipſo facto novam excommunicationem incurrit, ut conſtat ex c. Abſolutionis; unic. h. t. in 6. quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. ubi definitur: Si abſolutio à ſententia excommunicationis, vel eius revocatio, ſuſpenſionis (ab officio, vel beneficio, aut ab ingreſſu Eccleſiæ, Gl. hîc V. Suſpenſionis) vel interdicti, per vim, aut metum extorta ſit, auctoritate huius Conſtitutionis, omnino viribus careat, ſive irrita ſit. Et qui abſolutionem, ſeu revocationem per huiuſmodi vim, vel metum extorſerint, ipſo facto excommunicationem incurrant. Eſt autem hic quoque caſus ſpecialis, in quo acta per metum invalida ſunt, etſi aliàs regulariter ipſo jure valida ſint, & obligent, ſed per actionem: Quòd metûs cauſâ; vel officium Judicis reſcindi debent, Gl. hîc V. Abſolutionis beneficium. ídque colligitur ex illis verbis, *omnino viribus vacuamus*, quibus ſignificatur, talem abſolutionem non eſſe per ſe, & ſuâpte naturâ irritam, quia metus non reddit actum ſimpliciter involuntarium, ſed tantùm ſecundùm quid, ſed eſſe nullam jure poſitivo Eccleſiaſtico, Suar. diſ. 7. de cenſur. ſec. 6. n. 13.

XXXI. Ubi

XXXI. Ubi notandum 1. Hæc conſtitutio extenditur 1. Ut etiam locum habeat, ſi quis abſolutionem à minnre excommunicatione per vim, aut metum eiuſmodi extorqueat, ut ex communi docet Suar. c. l. quia verba textûs ſunt generalia, & mens Pontificis fuit, extorſionem cuiuſcunque excommunicationis, aut revocationis cenſuræ irritam reddere; & quidem ſub pœna incurrendæ excommunicationis: &, quia hæc Conſtitutio potiùs favorabilis eſt, quàm odioſa, quippe cùm principaliter ad defenſionem Eccleſiaſticæ poteſtatis contra injuſtos eius violatores tendat, ideo extendenda eſt; vel potiùs comprehendit abſolutionem ab omnibus cenſuris. Suar. c. l. non item abſolutionem, ſeu diſpenſationem ab irregularitate ex ſimili metu datam, quia in prædicto c. unic. ſolùm eſt ſermo de abſolutione ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto: quare diſpenſatio ab irregularitate metu etiam gravi facta valida eſt, ſed irritari debet. Card. Lugo. tom. 2. de juſtit. diſ. 22. ſect. 7. num. 129. nomine tamen interdicti probabiliter comprehenditur hîc etiam ceſſatio à Divinis, quæ æquiparatur interdicto. Franc. in cit. c. unic. num. 7. h. t. in 6. Extenditur 2. etiam ad revocationem cenſuræ, nempe quando cenſura lata eſt intra certum terminum incurrenda, ſi mandatum, ſeu præceptum aliquod violetur, & poſtea ante illum terminum elapſum, mandatum, vel cenſura revocetur: tum enim, ſi revocatio illa cenſuræ per vim, vel metum extorta ſit ab eo, qui cenſuram tulit, ea irrita eſt ipſo jure, ita, ut non obſtante illâ revocatione, cenſura incurratur, ſi præceptum violetur. Suar. c. l. n. 13.

Notandum 2. Si ſententia cenſuræ, non tantùm injuſtè, ſed invalidè lata ſit; tum in effectu non extorquentur per vim, ſeu metum abſolutio, aut revocatio alicuius cenſuræ: quia, quando cenſura eſt invalida, & nulla, perinde eſt, ac ſi nulla lata fuiſſet, conſequenter hoc caſu non poteſt eſſe locus conſtitutioni pœnali prædicti c. unic. h. t. in 6. quæ ſecundùm effectum intelligi debet, ita, ut per metum extorqueatur abſolutio, vel revocatio cenſuræ veræ, ac validæ. Suar. diſ. 23. de cenſur. ſect. 4. num. 12.

XXXII. Notandum 3. Si quis metum incuſſit ad extorquendam abſolutionem à cenſura, ſed Judex Eccleſiaſticus abſolvere noluit, tum metum inferens non incurrit pœnam excommunicationis in fine huius c. decretam, quia actu abſolutio non eſt per vim, vel metum extorta: verba autem legis cum effectu intelligi debent. c. Relatum; 4. de Cleric. non reſident. præſertim legis pœnalis. Gl. hîc V. Extorſerint.

Notandum 4. Excommunicatus ſive ligatus unâ excommunicatione, poteſt iterum excommunicari ex alia cauſa, ut colligitur ex hoc c. Gloſſ. hîc V. Excommunicatus; qui vi ſecundæ excommunicationis, non conſtituctur quidem extra Eccleſiam, cùm per primam jam ſit poſitus extra illam; facit tamen, ut maneat extra Eccleſiam, donec fuerit abſolutus, non ſolùm à prima, ſed etiam à ſecunda excommunicatione. Gloſſ. fin. in c. Ita quorundam; 6. de Judæis. Porrò ſi hoc caſu non ipſe excommunicatus, ſed alius per metum extorſit abſolutionem, tum ille non incurret novam excommunicationem, cùm metum nō intulerit: quamvis hanc pœnam incurrat, ſi mandavit, ut alius metum inferat, vel, ſi, quod eius nomine factum eſt, ratum habuit. Gl. hîc V. Excommunicationis.

XXXIII. Aſſertio 2. Præter prædictos, adferuntur alij quidam caſus, quibus metus gravis, & injuſtus ipſo jure actum irritum reddit, qui tamen non ſunt extra controverſiam. Nam 1. Juriſdictio per vim, ſeu metum gravem obtenta ipſo jure nulla eſſe videtur. arg. l. 2. juncta Gloſſ. V. Nulla juriſdictio; & Gloſſ. marg. ff. de judic. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Coactus; h. t. Abb. ibid. num. 12. Verùm contrarium eſt probabilius, ut tradit Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 39. num. 13. Leſſ. lib. 2. de juſtit. c. 17. num. 37. Lugo cit. loc. num. 131. quia in cit. l. 2. ſermo eſt de caſu ſpeciali, quando ſcilicet litigantes compelluntur litigare coram judice non ſuo, ex quo non debet argui ad juriſdictionem collatam à Superiore per metum, neque extendi id debet ad omnem collationem juriſdictionis. Accedit, quòd ibi nulla voluntas etiam coacta adfuit dandi juriſdictionem; nam litigans coactus eſt reſpondere coram judice non ſuo, abſque ullo animo dandi illi juriſdictionem in ſe: ergo irrita ibi fuit juriſdictionis collatio, ſeu potiùs prorogatio, (quia privati juriſdictionem dare non poſſunt) ob defectum conſensûs, ſeu voluntatis prorogandi illam, quam ob metum illatum. Lug. c. l.

XXXIV. Secundò auctoritas tutoris per metum extorta nulla eſt. l. 1. §. ult. ff. de auctorit. tut. ubi dicitur: Tutor, ſi invitus retentus ſit per vim, non valet, quod agitur. ubi Gl. V. Non valet; dicit, id eſſe ſpeciale, ſicut in dote. Verùm hoc caſu ideo non valet, quod agitur, quia ad contractum pupilli requiritur, ut conſenſus, ſeu auctoritas tutoris interveniat; ſola autem præſentia corporalis ad conſenſum nō ſufficit, ut, ſi quis invitus per vim in loco detineatur, is nullo modo conſentit, quia talis violentia omnem conſenſum tollit: quare, cùm tutor ſic deſertus ſit præſens ſine conſenſu, actus cum pupillo geſtus ſine eius conſenſu non valet, ut explicat ibid. Bartol. ubi ait, poſſe eſſe præſentiam, ſine conſenſu: in metu autem adeſt conſenſus ſimpliciter metum paſſi, ideóque actus ex metu factus ipſo jure eſt validus.

XXXV. Tertiò, renunciationem beneficij metu factam, eſſe ipſo jure irritam, docet Imol. in c. Ad aures; 3. num. 2. h. t. Sed verius eſt, non eſſe irritam, ut dictum ſuprà num. 16. neque contrarium deducitur ex cit. c. Ad aures; quia ibi ſolùm dicitur, quòd electus, qui propter terrorem laicorum ſe opponentium, electionis juri renunciavit, non obſtante hac renunciatione, præfici poſſit Eccleſiæ illi, cui renunciaverat, priùs petitâ ſcilicet reſtitutione in integrum, adversùs renunciationem metu factam, de quo ſuprà.

XXXVI. Quartò, ſi teſtes inviti cogantur adeſſe teſtamento, hoc invalidum eſt. l. Qui teſtamento; 20. §. ult. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Verùm hic caſus ad propoſitum non pertinet, quia in teſtibus non requiritur conſenſus, ſed tantùm, ut præſentes intelligant, quod agitur, id autem fieri poteſt, etiamſi vi detineantur, juxta l. Coram; 209. ff. de V. S.

Illud tamen ſpeciale eſt in teſtibus teſtamentariis, quòd nun ſufficiat eorum præſentia, ſi inviti per vim detineantur, quia rogati eſſe debent. l. Hæredes; 21. §. In teſtamentis; ff. qui teſtam. fac. poſſ. Sanch. cit. diſ. 39. in fine.

Addit quintò Abbas in cit. c. 2. n. 19. h. t. alium caſum ſpecialem, in quo acta per metum ſunt invalida ipſo jure, nempe à detrudente cum detruſo in carcerem, juxta l. 22. ff. h. t. ubi dicitur: Qui in carcerem quem detruſit, ut ei aliquid extorqueret, quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt. Verùm ibi ſolùm ſtatuitur, quod carcer inferat metum cadentem in virum conſtantem, ut explicat Bart. ibid. adeóque, quod promiſſio incarcerati nullius ſit momenti, ſcilicet non in ſe, ſed quoad effectum, quia reſcindi poteſt.

XXXVII. Cæterùm illud hìc addendum, non parùm referre, an contractus aliquis, vel alius actus gravi metu factus ſit ipſo jure irritus, an verò reſcindendus, ſive irritandus per ſententiam, vel officium Judicis: nam priore caſu, ſi dicatur actus aliquis, v. g. renunciatio beneficij ex gravi metu facta eſſe ipſo jure irrita, dicendum eſt, renunciantem teneri adhuc ad recitandas horas canonicas, & poſſe ad titulum illius beneficij ordinari, cùm verè ſit adhuc ſuum, nec per renunciationem, quippe irritam, titulum amiſerit, priuſquam reſcindatur renunciatio: ſecus eſt, ſi renunçiatio talis eſſet valida, quamvìs reſcindenda; tunc enim nec ad horas canonicas tenebitur, ſi ſolùm ratione beneficij ad illas obligabatur: quia jam non habet beneficium, nec ſufficit, id ei eſſe debitum; alioquin præſentatus ad beneficium ante inſtitutionem, & electus ante confirmationem, teneretur ad illas, quod nemò dixerit. Neque etiam renuncians poterit Ordine ſacro initiari ad titulum illius beneficij, quippe quem per validam renunciationem perdidit. Nec obſtat illa reg. jur. Qui actionem habet, rem habere videtur. quia illud impropriè dicitur, ut patet ex verbo *videtur*. Navarr. in c. Accepta; in oppoſit. 5. num. 2. 12. 21. & 22. Sanch. lib. 4 de matrim. diſ. 8. num. 1. Similiter, ſi dicatur, ſponſalia gravi metu inita, eſſe ipſo jure irrita, non orietur ex illis impedimentum publicæ honeſtatis; quod tamen orietur, ſi dicatur illa eſſe valida, ſed poſtea irritanda. Sanch. c. l.

§. V.

De conditionibus requiſitis, ut ex cauſa metûs contractus, vel alius actus reſcindatur, vel etiam ipſo iure irritus reddatur: & de actione, & exceptione, quæ datur metum paſſo.

XXXVIII. Aſſertio 1. Plures conditiones requiruntur ad reſcindendum actum metu initum, vel irritum reddendum. Prima eſt, ut metus gravis ſit, ſive cadens in virũ conſtantem, non autem levis, ſive vani hominis metus. l. Metum; 5. & l. ſeq. ff. h. t. quis autem dicendus ſit metus gravis, ſuprà dictum eſt n. 6.

Atque hinc infertur, quòd in foro externo nôn detur actio ad reſcindendum actum, propter metum levem, idque ad vitandas lites, quæ paſſim ſuboriri poſſent, cùm metus levis facilè probari poſſit: in foro tamen conſcientiæ, etiam ille, qui metum levem injuſtè intulit, obligatur ad reſtitutionem, adeóque contractus eſt irritabilis, ut docet Sanch. l. 4. de matr. diſ. 9. n. 4. Leſſ. cit. c. 17. n. 46. & alij apud ipſos. Ratio eſt, quia talis injuſtitiam committit, & injuriam infert alteri, cùm cogat illum ad præſtandum conſenſum medio injuſto. ergo contrahit obligationem reſtituendi, ſeu reparandi injuriam illatam, reſcindendo contractum, & eo, qui talem metum paſſus eſt, reſtituto in priſtinam libertatem. Accedit, quòd metus levis ſæpe non minùs perturbat hominem, & impellit nolentem ad conſenſum, quàm metus gravis: ergo eandem obligationem inducit in cogente. Quod tamen Lugo cit. diſ. 22. ſ. 7. n. 138. declarat, ac limitat, ſi metus levis fuerit cauſa principalis conſensûs: tum enim adfert obligationem ad reſcindendum contractum, & reſtituendum: ſecus, ſi ita moverit, ut ex metu ſolo non daretur conſenſus, & ſine illo daretur, propter alia motiva: tum enim erit ſolùm obligatio reſtituendi quoad partem, non quoad totum, nec reſcindendi contractum.

Porrò, etſi levem tantùm metum paſſo non detur in foro externo actio: Quod metûs causâ; ſuccurretur tamen ei Judicis officio, & reſcindetur contractus. Gl. in l. Nec timorem; 7. V. Reſtitutio; ff. h. t. Abb. in c. Cùm dilectus; 6. num. 9. extr. eod. Sanch. cit. diſ. 9. num. 5.

XXXIX. Secunda conditio eſt, ut metus illatus ſit ab extrinſeca cauſa libera: nam metus provenièns à cauſis naturalibus, ut à morbo, tempeſtate, naufragio, & ſimilibus, tametſi gravis ſit, non reddit irritum, aut irritabilem contractum, vel alium actum. Azor p. 1. lib. 1. c. 11. quæſt. 4. Sanch. cit. diſ. 9. num. 7. Leſſ. cit. c. 17. num. 40. Lugo cit. diſ. 22. ſ. 7. num. 113. & alij communiter. Ut ſi aliquis promittat, vel voveat ægrotus, aut in periculo naufragij, ob metum mortis, vel res ſuas vendat, ne fame pereat, promiſſio, & venditio valida eſt, & irrevocabilis, perinde, ac ſi abſque metu promiſiſſet, vel vendidiſſet. arg. c. Sicut; 17. de regulat. Ratio eſt, quia, licèt metu promittat, aut vendat, non facit id involuntariè; ſed propriâ ſponte eligit id medium ad liberandum ſe à periculo imminente, quod timet: quare promiſſio, vel contractus validus eſt, &, cùm talis metus dans cauſam promiſſioni, vel contractui, nullam injuriam contineat, non eſt ratio, cur poſtea debeat reſcindi.

X L. Tertia conditio eſt, ut metus gravis ab extrinſeco injuſtè illatus ſit, nam, ſi juſtè inferatur, ut quia metum paſſus ſuâ culpâ in metum incidit, promiſſio, vel contractus validus eſt, neque reſcindi poteſt. Sylv. V. Metus; quæſt. 6. Sanch. cit. lib. 4. diſ. 8. num. 8. & cit. diſ. 9. num. 8. Leſſ. cit. c. 17. num. 41. Veluti ſi quis eum, quem juſtè accuſare poteſt, metu cogat ad contrahendum, vel donandũ. Vel ſi is, qui inventus eſt cum puella, cogatur ab eius conſanguineis ad eam ducendã, alioquin eum apud Judicem accuſaturis, ut corporaliter puniatur, quod juſtè facere poſſunt. Idque probatur ex l. Continet; 3. §. Sed vim, & ibi Gl. V. Jure licito; ff. h. t.

& l.

& l. Si mulier; 21. in princ. ff. eod. ubi Gl. V. Quia, hunc ſibi metum, dicit, ideo non revocari donationem metu factam à liberta, quia patronus juſtè poterat eam ob ingratitudinem in ſervitutem revocare. Ratio eſt, quia contractus metu initi reſcinduntur, ratione injuriæ metum paſſo illatæ, quæ omnino ceſſat, quando metus juſtè infertur. Quòd ſi metus injuſtè, & non juridicè inferatur, veluti ſi parens adultero invento cum filia minetur mortem privatâ auctoritate inferendam, ſubvenitur metum patienti etiam culpâ ſuâ, juxta l. Nec timorem; 7. ff. h. t. & c. Veniens; 15. de ſponſal. Sanch. cit. diſ. 8. num. 9. Non obſtat, quòd in c. ult. de appellat. dicitur, eum, qui ex metu juſto non appellavit, juvandum eſſe, ut poſtea audiatur. Nam reſpondetur, ibi juſtum metum non appellari, qui juſtè incutitur, ſed qui juſtam cauſam dabat reo non appellandi: & quamvis ex vero crimine, ob quod condemnatus fortè fuerat, oriretur metus ille, non tamen adhuc juſtè poterat judex illum cogere ad non appellandum; quare metus ille proximè, & formaliter fuit injuſtus, ex parte inferentis: ſi verò Judex juſtè metum incuteret appellanti, is non excuſaretur. Sanch. cit. diſ. 8. n. 9. Lug. cit. ſect. 7. n. 157.

XLI. Quarta conditio eſt, ut metus incutiatur directè ad contractum, vel conſenſum extorquendum, alioquin, ſi ob alium finem, etſi injuſtè, incutiatur, validus eſt contractus, vel promiſſio, nec reſcindi poteſt, ut docet Sanch. cit. lib. 4. diſ. 12. n. 3. & plurib. ſeqq. Leſſ. cit. c. 17. num. 40. & alij. V. g. ſi alicui in ſtupro deprehenſo parentes puellæ minitentur mortem, & ipſe nemine petente, ſed ſponte ſuâ matrimonium offerat, ut mortem evadat, validum eſt matrimonium, quia parentes non intulerunt metum mortis, ad extorquendum matrimonium; ſed in vindictam criminis admiſſi, & dedecoris filiæ illati. Ratio eſt, quia tunc metum patiens non impellitur ab alio ad matrimonium, ſed à ſe ipſo, cùm nullus tunc exigat matrimonium, ſed contrahens id voluntariè eligit, ut medium ad evadendum periculum mortis, & tunc metus non eſt propriè cauſa contractûs, ſed occaſio.

Verùm contrarium valde probabiliter tenet Lugo cit. diſ. 22. ſ. 7. n. 175. & ſeqq. & alij apud ipſum, nempe, quando metus gravis injuſtè incutitur, etiamſi non directè ad extorquendum contractum incutiatur, contractus tamen irritus eſt, vel ſaltem irritandus, perinde, ac ſi ad extorquendum directè contractum incuteretur, prout ſumitur ex l. Nec timorem; 7. §. Proinde; ff. h. t. quam legem Gl. in l. Si mulier; 21. V. Quia hunc ſibi metum; ff. eod. explicat de metu injuſtè illato deprehenſo in aliquo flagitio, adeóque de eo, qui ſe ipſum in neceſſitatem poſuit, ſeu coniecit culpâ ſuâ. Ratio eſt, quia, licèt metus mortis v. g. injuſtè non inferatur ad obtinendum conſenſum, infertur tamen injuſtè, ac proinde qui illum intulit, obligatur, ratione injuriæ ad reſarciendum totum damnum, quod incurrit is, qui metum paſſus eſt, & per conſequens tenetur reſcindere contractum, quia metu injuſtè illato, cauſa fuit conſenſûs in contractum, ad vitandum enim periculum mortis metum paſſus conſenſum præſtitit, quem aliàs non præſtitiſſet, ſive in contractum non dediſſet. Neque requiritur ad obligationem reſarciendi damnum, & reſcindendi contractum, ratione injuriæ, quòd injuriam inferens non intenderit damnum illatum, ſed ſufficit, quòd dedit cauſam injuſtam, ex qua, per ſe loquendo, damnum illud conſequi poterat.

Ad rationem ſuprà allatam ex Sanch. reſpondet idem Lugo c. l. num. 178. licèt metum paſſus immediatè non impellatur ad matrimonium contrahendum ab inferente metum, qui matrimonium non intendit, incutiendo metum, ſed vindictam criminis: impellitur tamē ab eo mediatè: ſicut qui merces projicit in mare, immediatè impellitur à metu mortis, & mediatè à tempeſtate, quæ illum metum intulit: ſic in propoſito, metus mortis injuſtè per minas intentatæ immediatè impellit ad matrimonium, ut mors vitetur; mediatè verò impellit, qui metum illum injuſtè intulit. Alia verò argumenta Sanch. ſolùm probant de metu ab intrinſeco provenientè, vel non injuſtè illato, nam acta per talem metum ſunt valida, nec reſcindenda, ut ex dictis patet. Quare parùm refert in propoſito, an is, qui metum patitur, ſe ipſe offerat ad donandum, vel matrimonium contrahendum, vel ad quodvis aliud: an verò is, qui metum mortis injuſtè intulit, offerat liberationem à periculo mortis, ſub eâ conditione, ſi matrimonium, vel alium contractum inierit: nam ſi metus juſtè infertur, modò prædicto, utrovis modo fiat, contractus erit validus, nec reſcindendus: ſi verò injuſtè, utroque modo irritus erit, vel irritandus. Ratio eſt, quia, ſive metum paſſus id offerat, ſive metum inferens, ſemper tamen obtinetur conſenſus, ut metum inferens deſiſtat ab injuria graviſſima, ad quod aliàs per ſe tenebatur. Unde metus ille ſufficit ad irritandum contractum, quia, licèt ab initio incuſſus ad extorquendum contractum, poſtea verò, quando ad eam conventionem venitur, is, qui injuſtum metum incutit, mortem ipſi minatur, ſi non contrahat. ergo perinde eſt, ac ſi ab initio eam minatus eſſet, ſi non conſenſerit in contractum. Lugo c. l. n. 180.

XLII. Quinta denique conditio requiſita eſt, ut, qui vim, ſeu metum paſſus eſt, damnum inde acceperit, ut conſtat ex l. Sed & partus; 12. §. Julianus; ff. h. t. ubi dicitur: eum, qui debitori ſuo vim adhibuit, ut ſolveret, hac actione, ſeu edicto, Quod metûs cauſâ; non teneri, quia damnum non intulit: attamen in legem Juliam de vi incidiſſe, ut debitum ſuum amiſiſſe judicandus ſit. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum, quæ per hanc actionem petitur, læſionem ſupponit, cùm reſtitutio in integrum ſit, reducere ad eum ſtatum, in quo erat ante læſionem, ut tradit Gl. fin. in c. Auditis; 3. de in integr. reſtit.

XLIII. Aſſertio 2. Ei, qui metum gravem, & injuſtè incuſſum paſſus eſt, non tantùm actio, ſed etiam exceptio, Quod metûs cauſâ; datur. l. Metum; 9. §. Sed quod Prætor; ff. h. t. nam, cui actio datur, multò magis exceptio competit. l. Invitus; 198. ff. de R. I. Quare, ſi quis gravi metu adactus ad contrahendum aliquid dedit, repetere illud poteſt, intentatâ actione, Quod metûs cauſâ; per quam petitur coram Judice, ut contractus reſcindatur, & probato metu, ipſe in integrum reſtitui debet. Sin autē nondum dedit, tum illum, quocum contraxit, agentem ex con-

ex contractu metu inito repellere poteſt per exceptiooem, Quod metûs causâ; & metum paſſus officio Judicis abſolvetur, ne dare cogatur, quod promiſit, Gl. in c. 2. V. Coactus; h. t. Neque verò quidquam refert ad hoc, ut reſtitutio in integrum, & reſciſſio contractûs coocedatur ex cauſa metûs, ſive ab ipſo contrahente, ſive ab aliquo tertio gravis metus alicui injuſtè incuſſus foerit, dummodo probet, ſe per metum rem perdidiſſe, etſi ooo oſtendat, quis ei metum intulerit, quia metus juſtam in ſe habet ignorantiæ cauſam, ut expreſsè habetur in l. Item ſi cum exceptiooe; 14. §. In hac actione; ff. h. t. & docet Gl. in cit. c. 2. V. Coactus; Sanch. c. l. 4. diſ. 8. num. 7. Idque confirmatur ex voto Deo ſacto, quod ex gravi metu ab homine injuſtè incuſſo emiſſum irritum eſt, licèt Deus, cui promittitur, & cum quo quaſi cootrahitur, eiuſmodi metum oon iotulerit.

XLIV. Porrò, ſi metum inferens alterum coëgit, ut non ſibi, ſed tertiæ perſooæ, v. g. Titio rem donaret, vel venderet, tum metum paſſus duplicem actionem habet, unam perſonalem contra metum inferentem, & eius hæredes, ad reſarciendum ipſi damnum, ſive qoantum intereſt, metum illatum noo fuiſſe. Alteram verò habet adversùs Titium donatarium, vel emptorem, etſi is metûs injuſti particeps oon fuerit: & hæc actio vocatur in rem ſcripta, ſive utilis rei viodicatio, quæ ex Prætoria æquitate datur quaſi domino, juxta l. Metum; 9. §. Volenti, & §. Licèt; junctà Gl. V. In rem; & §. Cùm autem; & ibi Gl. V. In rem; ff. h. t. & l. 3. juncta Gl. V. In rem, & l. Noo intereſt; 5. C. eod. Quare, cùm hæc actio ſit ſuo modo realis, & detur in ipſam rem, ideo datur etiam cootra quemvis alium booę fidei poſſeſſorem, ad quem res metu cogente donata, vel quovis alio titulo tradita, vel commodum ex illa pervenit, etiamſi metûs nullo modo ſuerit particeps, ut colligitur ex cit. l. Item ſi; 14. §. Pedius; ff. h. t. Sanch. cit. lib. 4. diſ. 8. n. 7. & diſ. 9. n. 6. & alij communiter. Ratio eſt, quia, licèt dominium rei, metu cogeote, traditæ, v. g. ex venditiooe, ſit translatum in emptorem, ſi contractus metu initus ipſo jure fuit validus, quia per traditionem transfertur dominium, quando cõcurrit titulus, qui de jure invalidus noo eſt. l. Traditioolbus; 20. C. de pact. Sanch. cit. diſ. 8. n. 5. Ad hoc tamen datur utilis actio in rem contra qoemcunqe poſſeſſorem, Sanch. c. l. n. 7. & lex oullo modo poſtea voluit ratum habere cootractum metu initum, ſed ita peoitus reſcindere, ac ſi nunqoam factus fuiſſet, quo caſu res deberet reſtitui priori domioo: ergo etiam, ſi tranſivit ad alium poſſeſſorem: quamvìs poſſeſſor poſtea poſſit agere cootra venditorem, vel eum, à quo rem accepit per contractum oneroſum, qui tenebitor de evictione, ſicut ſi rem alieoam vendidiſſet. Lugo cit. diſ. 22. ſect. 7. num. 186.

Verumtameo in ſoro conſcientiæ, & ante repetitionem metum paſſi, ac judicis ſententiam, tertius ille poſſeſſor, ſi injuſtæ coactionis particeps non fuit, rem reſtituere ooo tenetur: oeque enim ratiooe rei acceptæ, ſeu poſſeſſæ, cùm aliena noo ſit, ſed propria; nam illius domininm in illum eſt translatum, quamvìs noo irrevocabiliter, cùm repeti poſſit; neque ratione injnſtæ acceptionis, ſive detentionis, quia nullam injuriam iotulit, neq; illius particeps fuit, nt ſupponitur. Leſſ. cit. c. 17. o. 39. Lug. cit. loc. o. 173.

Illud poſtremò hîc addendum, actionẽ hanc: Quod metûs causâ; eatenus pœnalem eſſe, quia, ſi intra annum, eũmq; utilem, inſtituatur contra eum, qoi vim iotulit, aut contra alium poſſeſſorem, & is juſſus à Judice in mora reſtituendi fuerit, tum in quadruplum condemnandus erit, aliàs verò in ſimplũ tantùm, cit. l. Item ſi; 14. §. Hucuſque; & §. Si quis; ff. h. t. quæ pœna quadrupli immediatè non oritur ex metu illato, ſed ex contumacia erga Judicem rem noo reſtituentis, ut juſſus erat, Zœſ. in Commeot. ff. h. t. n. ult.

TITVLVS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE

AGitur in hoc Titulo de reſtitutione in integrum generaliter, quia præter metum (de quo Tit. præcedente) ex aliis quoque cauſis per reſtitutionem in integrum ſubvenitur minoribus, & Eccleſiis, aliíſque lapſis, vel circumſcriptis, ſive calliditate (ſcilicet dolo adverſarij) ſive ætatis imbecillitate, ſive per abſentiam, ſive per mutationem ſtatûs, ſive per juſtum errorem inciderint in captionem, ſeu læſi fuerint, prout habetur in l. 1. & 2. ff. de in integr. reſtit. Et Eccleſiis quidem, ac minoribus 25. annis ſuccurritur per reſtitutionem in integrum ex jure ſpeciali; majoribus verò ex clauſula generali, *ſi qua alia iuſta cauſa eſſe videbitur reſtituendi,* juxta l. 1. ff. ex quibus cauſis majores &c. & notavit Gl. in Rubrica h. t. & ex dicendis patebit. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I. Quid

§. I.

Quid ſit reſtitutio in integrum, & quæ ad illam requirantur?

I. Aſſertio 1. Reſtituere in integrum, in genere loquendo, nihil aliud eſt, quàm in priſtinum ſtatum reponere, ſive reducere aliquem in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem, ut tradit Gloſſ. in Rubric. h. t. & Gloſſ. fin. in c. Auditis; 3. eod. vel quod in idem recidit, reſtitutio eſt prioris ſtatûs, vel juris reintegratio, ut definit Hoſtienſ. hîc in ſumm. n. 1. In ſpecie verò reſtitutio in integrum, prout hoc loco ſumitur, eſt remedium extraordinarium à Prætore inductum, quo minor læſus, & deceptus, in contractu, vel quaſi contractu, ſive in actibus judicialibus, vel extrajudicialibus, ex naturali æquitate, causâ cognitâ, in priſtinum ſtatum, ac jus reſtituitur, & alij inſtar illius, quibus id jure reperitur conceſſum, ut colligitur ex l. 1. & duabus ſeqq. ff. h. t. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 573. n. 1. quæ definitio magìs declarabitur in ſequentibus.

II. Aſſertio 2. Ut læſus ex contractu, vel quaſi contractu, aut alio actu in integrum reſtitui debeat, requiritur 1. Ut contractus ille, vel actus jure ſit validus, nam, ſi nullus ſit, ſeu invalidus ipſo jure, non eſt locus beneficio reſtitutionis in integrum, quia tunc læſus communi auxilio, ac mero jure munitus eſt, ideóque non debet ei tribui extraordinarium auxilium, ſeu remedium reſtitutionis in integrum, quod non, niſi in ſubſidium, ſeu defectum ordinarij remedij conceditur, prout habetur in l. In cauſæ; 16. in princ. & §. Generaliter; ff. de minorib. ubi dicitur: Generaliter probandum eſt, ubi contractus non valet, pro certo Prætorem ſe non debere Interponere. Ut, ſi v. g. minor curatorem habens, ſinè ejus auctoritate interveniente, res etiam mobiles, quæ ſervando ſervari non poſſunt, vendat, irrita eſt venditio, neque minor reſtituendus eſt, l. Si curatorem; 3. & ibi Gloſſ. V. Res; & V. Non oportet; C. de integr. reſtit. min. Vel ſi minor, ſinè debita ſolemnitate, videlicet Judicis decreto non interveniente, bona immobilia alienet, irrita eſt alienatio, l. Cùm emancipatis; 3. & l. Non ſolùm; 4. C. de prædijs minor. Quare, cùm tali caſu minor rem alienatam repetere poſſit per ordinariam viam nullitatis, agendo ſcilicet, vel rei vindicatione, vel ad intereſſe, vel, ſi nihil ex parte ſuâ præſtitit, tuendo ſe exceptione, quòd contractus ſit nullus, ideo reſtitutioni in integrum locus non eſt. Sin autem probabiliter dubitetur, an contractus ſit nullus, néc ne, tum minor læſus alternativum libellum offerre poteſt, ſive ſub disjunctione petere, ut, vel contractus declaretur nullus, vel, ſi mero jure validus fuit, Ipſe in integrum reſtituatur, ut conſtat ex c. Conſtitutus; 8. h. t. & docet Innocent. ibid. n. 2. & Abb. n. 9. nam, licèt poſſeſſiones, ſeu bona minoris, vel Eccleſiæ, cum debita ſolemnitate, & decreto Judicis, ſint alienata, ſi tamen gravis læſio Inſecuta eſt, reſtitutio in integrum concedi debet, l. Si quidem; 11. C. de præd. min.

III. Secundò requiritur, ut Eccleſia, vel minor, vel etiam major reſtituendus ex clauſula generali, *ſi qua cauſa juſta, &c.* non ſolùm ſit læſus ex contractu, vel alio actu cum illo geſto, ſed etiam, ut, vel de læſione manifeſtè conſtet, vel, ut ea in judicio probetur à læſo, ut docet Abb. in c. 1. n. 2. h. t. & ibid. Aug. Berojus n. 5. probari autem debet læſio, non per juramentum læſi, ſed per teſtes, quia, etſi, quando damnum, ſeu læſio provenit ex delicto, vel vi, aut metu injuſtè illato, ſufficiat, eam per juramentum læſi probari, præcedente taxatione Judicis, ut conſtat ex c. ult. ſupr. de ijs, quæ vi, &c. tamen, quando damnum, ſeu læſio provenit ex contractu, vel alio actu geſto cum aliquo, ſinè delicto, tum per teſtes, vel alia legitima documenta ea probanda eſt, quia hoc caſu nulla eſt præſumptio contra eum, cum quo contractum eſt, vel alius actus geſtus, ut ſatìs ſit, damnum illatum probari per ſolum juramentum partis læſæ, ſicut in priore caſu. Abb. in cit. c. 1. n. 2. h. t. Berojus ibid. n. 8.

IV. Tertiò requiritur, ut læſio ſit gravis, ſeu magna, & notabilis, nam, ſi modica ſit, tum non datur reſtitutio in integrum, ut conſtat ex l. Scio; 4. ff. h. t. & ex c. pen. junctâ Gloſſ. V. Enorme; de reb. Eccleſ. non alien. Abb. in cit. c. 1. n. 2. h. t. & Beroj. n. 8. nam in his, quæ contra Jus commune conceduntur (quale eſt beneficium reſtitutionis in integrum) de minimis, ſeu modicis non curatur, ut docet Bart. in cit. l. Scio; n. 1. Secus in ijs, quæ ſecundùm Jus commune conceduntur, ut patet ex l. Si proprietarius; 22. V. Eodem erunt; ff. de damn. infect. & ibi Gloſſ. V. eadem. junct. Gloſſ. marg. ubi dicitur, quòd cautio damni infecti, etiam pro modico damno, jure exigitur: & hinc vulgò dicitur: Minima, ſeu modica non curat Prætor, à quo hoc beneficium reſtitutionis emanavit. Debet autem læſio, ſive damnum ſpectari, non abſolutè, ſed reſpectivè, arbitrio prudentis viri, ſeu Judicis, attentâ qualitate contractûs, & conditione perſonæ læſæ, ut cenſeatur magna, vel parva læſio, v. g. an Eccleſia ſit dives, an pauper; an perſona ſit in dignitate conſtituta, an non. Abb. in cit. c. 1. n. 8. & Beroj. n. 82. Spectanda eſt etiam quantitas, an parva, an magna ſit. Ut, ſi prædium, cujus juſtum pretium eſt mille florenorum, vendatur 980. vel 70. florenis, adeóque læſio ſit facta in 20. vel 30. florenis, non conceditur reſtitutio in integrum, quia modica eſt læſio: ſin autem prædium minimùm centum florenis æſtimatum vendatur 90. florenis, adeóque læſio ſit in decem, ea notabilis, ſeu magna cenſetur, reſpectu talis ſummæ, & ſufficiet ad petendam reſtitutionem in integrum. Abb. in cit. c. 1. num. 8. & Molin. cit. diſ. 573. n. 9.

Ex quo patet, quòd non requiritur ad concedendam reſtitutionem, ut enormis ſit læſio, ſeu tanta, ut dimidium juſti pretij excedat, quia, cùm tunc læſus ipſo jure ſit tutus, & communi, ſeu ordinario auxilio, ſive remedio l. 2. C. de reſcind. vend. uti poſſit, non eſt illi neceſſarium hoc extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, juxta cit. l. In cauſæ; 16. in princ. ff. de minor. Mol. c. l. Quamvìs autem tali caſu læſo non ſit neceſſarium beneficium reſtitutionis in integrum, quia hoc regulari-

ter ceſſat, quando competit remedium ordinarium: poteſt tamen cum eo ſimul concurrere, quando pleniùs, & pinguiùs datur per remedium extraordinarium, quàm per ordinarium; ut in caſu propoſito, pinguius, ac locupletius eſt extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, quàm ordinarium, quod ex l. 2. C. de reſcind. vendit. competit, quia in hoc reus conventus electionem habet, vel ad reſtituendam rem, reſciſſo contractu, vel ad ſupplendum juſtum pretium: in reſtitutione verò in integrum præcisè cogi poteſt ad rem reſtituendam, ſaltem, ſi abſolutè loquendo, non expediebat læſo, contractum inſtitui, de quo infrà. Covarr. lib. 1. var. reſol. c. 3. n. 11. §. Tertiò hinc deducitur. Accedit, quòd interſit læſi, v. g. minoris, ut poſſit pluribus actionibus jus ſuum proſequi, & utilius eſſe poſſit læſo, reſtitui in integrum, quàm ſumptuoſis actionibus, & litibus involvi. Weſenb. in parat. ff. de minor. n. 7.

§. II.

Quibus in ſpecie conceditur reſtitutio in integrum?

V. Aſſertio 1. Beneficium reſtitutionis in integrum inprimis datur ætate minoribus, id eſt, qui XXV. annos nondum compleverunt, ſi ex contractu, vel alio actu notabiliter læſi, vel decepti ſint, ſicut conſtat ex l. 1. & tot. tit. ff. de minorib. Ratio affertur in cit. l. 1. nam, cùm inter omnes conſtet, fragile eſſe atque infirmum hujuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus (in contractibus. Gl. ibid. V. eod.) ſuppoſitum, & inſidijs (extra contractus) expoſitum, ideo hoc auxilio eis à Prætore ſuccurritur. Conceditur autem hoc beneficium minori utriuſque ſexûs, ſive maſculus ſit, ſive fœmina: ſive paterfam. ſive filiusfam. etiamſi contractus, vel actus factus ſit, cum conſenſu patris, tutoris, vel curatoris, imò etiam auctoritate, ſeu decreto Judicis interveniente: ut patet ex l. 1. & pluribus ſeqq. ff. de minorib. & ff. h. t. Ratio eſt, quia conſenſus tutoris, vel curatoris, & decretum Judicis ſolùm id operantur, ut actus jure ſit validus, non autem excludunt beneficium reſtitutionis in integrum, ut benè notavit Leſſ. l. 2. de juſt. c. 17. n. 63.

VI. Idem quoque, quòd minores læſi ex contractu, vel alio actu reſtituendi ſint in integrum, ſtatutum habetur in c. Conſtitutus; 8. h. t. Nam quidam conjuges habebant poſſeſſiones, ſive bona quædam ipſis communia (quia fortè ex communi pecunia illa emerunt. Gloſſ. hîc V. Utrique;) mortuâ uxore, vir, ſeu maritus illas poſſeſſiones vendere volens, duos filios adhuc in minore ætate conſtitutos, & qui matri ſuæ in bonis pro parte, ſucceſſerunt, Guilielmum, & Ignatium, qui erat Canonicus, emancipavit, ut in venditionem conſentire poſſent (quia aliàs, dum filius eſt in poteſtate patris, alienare, vel aliàs diſponere de rebus ſuis non poteſt, l. 1. C. de bonis matern.) Venditione factâ. duo illi fratres ſupplicârunt Papæ Gregorio IX, ut, vel venditionem illam irritam declararet, vel, cùm adhuc exiſtant intra tempus (ſcilicet 4. annorum, l. ult. C. de tempor. integr. reſtitut.) ad petendam reſtitutionem in integrum jure conceſſam, tum quoad ſuam prædiorum portionem ex materna hæreditate ad ſe pertinentem; tum quoad alteram partem, ſeu portionem paternam, quam juxta municipalem conſuetudinem loci, jure retractûs, tanquam proximi conſanguinei, intra diem, & annum, oblato eodem pretio emptori, ab eo repetere poterant, ſed facere omiſerunt, in integrum reſtituantur, cùm in utroque horum graviter læſi fuerint. His auditis, Papa mandavit, ut, ſi vera ſunt, quæ referuntur, dicta venditio, quoad partem, quæ ex ſucceſſione maternâ dictos fratres contingit, irrita declaretur, ſi in ea debita juris ſolemnitas fuit omiſſa: ſi verò debita ſolemnitas fuit ſervata, ſed, eos læſos eſſe, conſtiterit, tam ſuper ſuâ, quàm ſuper paternâ portione, auctoritate Apoſtolicâ, in integrum reſtituantur, dummodo pretium, ad quod ſe obtulerunt, emptori, vel ejus hæredibus refundant.

VII. Pro explicatione bujus c. notandum 1. Clericatus, vel etiam Canonicatus non liberat à patria poteſtate, quia in caſu hujus c. unus ex duobus fratribus erat Canonicus, & tamen ſub patris adhuc poteſtate, qui illum poſtea emancipavit, quia ſola dignitas Epiſcopalis eximit à patria poteſtate, ut notat Abb. hîc n. 3. ubi addit, id intelligendum eſſe, quoad res temporales, nam in ſpiritualibus Clericus non eſt ſub poteſtate patris, c. ult. de judic. in 6. Similiter minor 25. annis, etiam Clericus in rebus temporalibus reſtitutionem in integrum petere poteſt, ſi læſus ſit, ut patet ex hoc c. & docet Abb. n. 2. not. 3.

Notandum 2. Venditio, aut alienatio rei immobilis à minore 25. annis facta, non ſervatâ debitâ ſolemnitate juris, videlicet ſinè decreto Judicis, eſt ipſo jure nulla, adeóque tunc non habet locum reſtitutio in integrum, ſed peti poteſt, ut alienatio declaretur nulla: ſi verò ſolemnitas requiſita ſit ſervata, ſed ex alienatione læſus ſit minor, tunc reſtitui in integrum debet. Gloſſ. hîc V. Debita; dummodo probet, ſe minorem fuiſſe tempore, quo fuit læſus, l. Si minorem; 4. C. h. t. & læſionem ipſam, alioquin reſtitutio in integrum ei non concedetur, l. Ait Prætor; 7. §. Non ſolùm; 3. l. Verùm; 11. §. Sciendum; & ibi Gloſſ. V. Proponuntur; ff. de minor. l. Nam, & poſtea; 9. §. Si minor; ff. de jurejur. l. Minoribus; 5. C. h. t. Gloſſ. fin. hîc. Molin. cit. diſ. 573. n. 11. Probare autem, tranſactum eſſe quadriennium, poſt ætatem minorem completam, intra quod adhuc peti poteſt reſtitutio in integrum, ut infrà dicetur, ſpectat ad adverſarium. cit. l. Si minorem; junct. Gloſſ. fin. C. h. t. Molin. c. l.

VIII. Notandum 3. Minoribus per beneficium reſtitutionis in integrum ſuccurritur, non tantùm, ſi damnum paſſi ſint, ſed etiam ob lucrum ceſſans, quod conſequi poterant, ſed ob ſui facilitatem, ſive ætatis imbecillitatem, vel injuriam neglexerunt, vel ob dolum adverſarij non perceperunt, ut in caſu hujus c. in quo duo illi fratres partim damnum paſſi ſunt, vendendo portionem hæreditatis maternæ ad ſe pertinentem: partim verò lucrum amiſerunt, quia etiam portionem hæreditatis à patre venditam poterant intra annum & diem jure retractûs repetere, & ad ſe revocare, cum magno lucro ſuo, idque

facere

facere intermiſerunt, ideóque ſuper utroque tam damno illato, quàm lucro captando, petierunt à Papa in iotegrum reſtitui, & impetrârunt. Abbas hic num. 4. Idem habetur in l. Ait Prætor; 7. §. Hodie; & l. Non omnia; 44. ff. De minorib. de quo plura infrà.

Notandum 4. Si ſtatutum municipale, vel conſuetudo loci ſit, ut, ſi quis bona ſua vendat extraneo, vel alicui cognato magis remoto, poſſit conſanguineus gradu proximior, intra annum, & diem à tempore contractûs, ſeu venditionis, illa ad ſe revocare, ita, ut oblato eodem pretio emptori, quod pro bonis illis ſolvit, is teneatur recipere pretium, & res venditas reſtituere proximo conſanguineo retrahenti, tale ſtatutum, vel conſuetudo valet, & approbatur, in hoc c. ubi fratres iſti omiſerant, infrà annum, & diem, portionem bonorum communium utrique patri, & matri, quæ ad patrem ſpectabat, ab ipſo venditam, oblato eodem pretio, ad ſe revocare, ſicut poterant, tanquam proximi conſanguinei, ſeu filij, ideóque ſuper hoc reſtitutionem in integrum petierunt, ut bona à patre vendita recipere poſſent, & Papa mandat eos, etiam quoad hoc, reſtitui. Gloſſ. hic V. Conſuetudinem.

Ex quo infertur 1. Quòd etiam Clerico ſeculari competat facultas, ſeu jus retrahendi, juxta ſtatutum, vel conſuetudinem loci, intra certum tempus, res, ſeu bona patrimonialia alicui extraneo vendita jure proximæ conſanguinitatis, ut docet Gutier. l. 2. qq. pract. quæſt. 156. num. 2. ex hoc c. in quo alter ex fratribus fuit Canonicus, & Clericus, & tamen potuit uti jure retractûs ad recipienda bona à patre vendita, oblato eodem pretio, quæ fuerunt vendita.

Infertur 2. Quòd conſuetudines, vel ſtatuta, quæ continent merum favorem, non onus, generaliter pro tota communitate lata, etiam extendantur ad Clericos, quia & ipſi ſunt membra Reipublic. c. Eccleſia; 10. de conſtit. Abb. hic n. 3. & Imola n. 6. Gutier. c. l.

IX. Aſſertio 2. Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Eccleſiæ, quippe quæ jure minoris fungitur, ideóque inſtar minoris natu, ſemper illæſa ſervari debet, ita, ut ex quocunque contractu, vel alio actu læſa fuerit, poſſit petere reſtitutionem in integrum, & reſtitui debeat, dummodo damnum, ſeu læſio gravis, ſive magna fuerit, eáque manifeſtè appareat, vel in judicio legitimè probetur, prout ſumitur ex c. Requiſivit; 1. h. t. ubi habetur, quòd poſſeſſiones, ſeu prædia alicujus » Eccleſiæ ſub modico cenſu Laicis quibuſdam fuerint conceſſa. unde quæſitum fuit, utrùm talis » conceſſio, aut alienatio valeat, an verò revocari » debeat? Reſpondet Papa Alexander III. ſi Eccleſia læſa ſit, & manifeſtè appareat, damnum ipſi illarum eſſe (ſcilicet magnum, ſeu grave, nam pro » modico reſtitutio non datur. Gloſſ. hic V. Detrimentum, vel, ſi id legitimè probari poſſit) quæ i» ra in damnum ejus alienata, vel data ſunt, ad eiuſdem Eccleſiæ proprietatem, ſeu dominium re» dire debent, quia Epiſcopus conditionem Eccleſiæ » ſuæ deteriorem facere non potuit; & Eccleſia jure » minoris gaudet, ita, ut ſemper illæſa ſervari de» beat. Verumtamen, ſi fortè coloni prædia illa expenſis, vel labore ſuo interim meliora reddide» runt, non debent ſumptibus, quos bonâ fide fece» runt, defraudari. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, tum quia publicus eſt Eccleſiæ favor: tum quia, ſicut pupillis Tutores, & minoribus natu Curatores: ita rebus Eccleſiæ Rectores, ſeu Adminiſtratores præficiuntur: quare ſicut illi, ita & iſti per contractus, & quaſi contractus rem minorum, vel Eccleſiæ meliorem quidem facere, non autem deteriorem poſſunt, ut habetur in textu.

X. Pro declaratione hujus c. notandum 1. Variè Canoniſtæ intelligunt hoc c. nam aliqui exponunt illud de contractu locationis ad longum tempus, pro certâ penſione, in quo, ſi Eccleſia læda-tur, reſtitui debeat. Gloſſ. hic V. Sub modico cenſu. Verùm hoc repugnat litteræ textûs, in quo dicitur, proprietatem ad Eccleſiam redire debere, cùm tamen in contractu locationis ad longum tempus, non proprietas rei, ſed utile tantùm dominium transferatur. Alij intelligunt de contractu, tam venditionis, quàm locationis. Abb. hic not. 1. cui tamen obſtat etiam littera, quia illi, in quos alienatio poſſeſſionum eſt facta, vocantur, non emptores, ſed coloni. Alij intelligunt de contractu emphyteutico, ut Imol. hic n. 1. Verùm hîc dicitur, Eccleſiam eſſe reſtituendam, ſi læſa fuerit, quia pro modico cenſu data ſunt prædia, qui fructibus non reſpondet: quod non habet locum in contractu emphyteutico, in quo ex natura contractûs ſolvitur modicus cenſus tantùm, ut ex Rota notat Fagnan. hic num. 4.

Itaque rectiùs dicitur, hoc c. intelligendum eſſe de contractu cenſuali propriè dicto, ſeu reſervativo, in quo dominium alicujus fundi, vel prædij tam directum, quàm utile, adeóque plenum transfertur in alterum, v. g. colonum, annuâ penſione ex eodem reſervatâ Domino priori, juxta l. ult. C. de rer. permut. quæ eſt ſpecies quædam venditionis, neque redit dominium rei ad antiquum Dominum, etiamſi, qui cenſum debet, longo tempore, illum non ſolverit: ſecus eſt in contractu Emphyteutico, in quo tantùm transfertur dominium utile, quod, ſi per biennium ceſſet ſolvere canonem, redit ad Dominum proprietatis. Abb. hic n. 7. Verùm licèt hoc c. ſolùm loquatur de ſpeciali contractu, videlicet cenſuali, quia tamen ratio ibi expreſſa, in qua deciſio hujus c. fundatur, eſt generalis, quæ locum habet in omni contractu, ut patet ex illis verbis: *Cum Epiſcopo ejuſdem Eccleſiæ conditionem facere deteriorem non liceat, & Eccleſia jure minoris ſemper debeat illæſa ſervari:* ideo etiam generaliter intelligi poteſt, ac debet, nempe quòd Eccleſia, non ſolùm adverſùs locationem, aut venditionem, ſed etiam adverſùs quemvis alium contractum, in quo graviter læſa eſt, in integrum reſtituenda ſit, ut tradit Abb. hic not. 1. quem ſequitur Fagnan. ibid. n. 2.

Porrò quando in hoc c. dicitur, quòd Eccleſia jure minoris ſemper illæſa ſervari debeat, id ita intelligi debet, quòd, quotieſcunque graviter læſa fuerit in omni contractu, vel quaſi contractu petere poſſit reſtitutionem in integrum, modò petat intra tempus jure præſcriptum, videlicet quadriennium; & probatâ læſione. Gloſſ. hic Verſ. Jure minoris; & Hoſtienſ. in fine. & Abb. not. 1. Ex quo patet, quòd bene-

beneficium reſtitutionis competens Eccleſiæ ſit longè majus, quàm minoris nato, quia non eſt certo tempore, aut annis definitum, ſicut privilegium minoris natu, quod reſtrictum eſt ad XXV. ætatis annum, quia Eccleſiæ favor ſemper manet, ideóque etiam ſemper reſtituitur, quotieſcunque læditur. Gloſſ. cit. loc.

XI. Notandum 2. Alienatio rei Eccleſiaſticæ, vel alius contractus legitimè celebratus non eſt irritus propterea, quòd Eccleſia ex illo graviter ſit læſa, ſed reſcindi debet per reſtitutionem in integrum, & res alienata redire ad proprietatem, ſeu dominium Eccleſiæ: ut conſtat ex hoc c. & ibi Gloſſ. V. Redire: & Innocent. in princ. V. Conceſſis; niſi Eccleſia eſſet læſa ultra dimidium juſti pretij: tunc enim juris communis auxilium ordinarium habet, nempe l. 2. C. de reſcind. vendit. Ideóque remedium ſubſidiarium reſtitutionis in integrum locum non habet. Gloſſ. hic Verſ. Redire; & patet ex ſuprà dictis.

XII. Notandum 3. Sicut minor, ita & Eccleſia, ſi in contractu, vel quaſi contractu læſa ſit, ita reſtitui debet, ut, nec damnum patiatur, nec lucrum reportet, cum alterius jacturâ, prout ſumitur ex hoc c. junctâ Gloſſ. fin. & expreſsè habetur in l. unic. C. de reparation. ubi dicitur: Qui reſtituitur in integrum, ſicut in damno morari (id eſt verſari) non debet, ita nec in lucro, ſcilicet captando, cum alterius jacturâ, ut ſupplet Gloſſ. ibid. V. In lucro; quia jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuriâ fieri locupletiorem reg. 206. in ff. Quare reſtitutio in integrum utrique parti contrahentium communis eſſe debet, & utrique prodeſſe, tam illi, qui reſtituitur, quàm ei, contra quem datur reſtitutio, quia ea eſt in priſtinum ſtatum repoſitio, ſeu redintegratio. l. 1. & ult. C. de ſentent. paſſ. adeóque debet utramque partem in priſtinum ſtatum reponere; nam, ſicut Ipſi Eccleſiæ reſtitui debent poſſeſſiones, ſeu bona alienata: ita etiam illi, contra quem fit reſtitutio, reſtitui debet pretium, v. g. emptionis, & omnes expenſæ, quas bonâ fide, & utiliter circa rem reſtituendam fecit, & quibus ea melior eſt reddita, unà cum laboris perſonalis æſtimatione, ut conſtat ex cit. c. 1. h. t. & tradit ibidem Abb. n. 3. & Berojus n. 20. ita, ut is, contra quem fit reſtitutio, poſſit interim retinere rem, donec ei de pretio, ſumptibus, meliorationibus, & æſtimatione laboris ſatisfiat. Abb. cit. loc. & Berojus num. 25. ſicut ſcriptor poteſt retinere quaterniones, quos ſcripſit, donec ei merces debita ſolvatur, ut tradit Gloſſ. in l. Si non ſortem; 26. §. Certum; V. Retinebitur; ff. de condict. indeb. Sed de his plura infrà.

XIII. Cæterùm prædictum beneficium reſtitutionis in integrum, non tantùm datur Eccleſijs, ſed etiam omnibus alijs locis pijs, & Collegijs Clericorum, & Religioſorum, etiam Hoſpitalibus, ſi Epiſcopi auctoritate ſint erecta, & fundata: quin, & Confraternitatibus, ſeu Congregationibus, quæ ad pietatem, & religionis augmentum ſunt inſtitutæ: ad hæc enim omnia extenduntur privilegia Eccleſijs conceſſa, juxta l. Omnia; 24. C. de Epiſc. & Cleric. & ex communi docet Abb. in cit. c. 1. n. 15. h. t. Marant. de Ordin. judic. p. 6. in 7. actu ſuſpenſivo appellat. n. 85. alia autem loca non pia non gaudent privilegio reſtitutionis in integrum, excepto Collegio Studioſorum, quod reſtitutionem in integrum petere poteſt, non tanquam Eccleſia, ſed quia in eo multi eſſe ſolent natu minores. Abb. c. l. Conceditur autem reſtitutio in integrum, quando ipſa Eccleſia, vel Capitulum, ſeu Collegium Eccleſiaſticum in juribus, ac bonis, quæ manent ipſius Eccleſiæ, læditur: non item, ſi perſonæ Eccleſiſticæ, v. g. Rector Eccleſiæ, vel Canonicus, in proprijs bonis, aut juribus ad ſuam perſonam pertinentibus, vel etiam in reditibus Eccleſiaſticis læduntur, quia tunc ceſſat communis, & publicus favor Eccleſiæ. Abb. cit. loc. Marant. c. l. n. 84. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 574. n. 2.

XIV. Præterea non tantùm Eccleſia jam extructa, ſed etiam extruenda gaudet privilegio minoris, & beneficio reſtitutionis in integrum, ſaltem, ſi cœpta ſit ædificari, ut ex Dominico de S. Geminiano docet Laym. in c. 1. n. 3. h. t. in 6. obi exemplum dat, ſi quis mille florenos legavit pro ædificanda Eccleſia, de quibus tamen in judicio litigatum fuit, & appellatio à teſtatore interpoſita, ob negligentiam executoris, ſit deſerta; tum reſtitutio in integrum nomine Eccleſiæ peti poterit, arg. l. 7. ff. de ſtat. homin. ubi dicitur, eum, qui in utero eſt, pro jam nato haberi, ſi de commodo ejus agatur. Quin imò, tametſi Eccleſia non ſit cœpta ædificari, tamen ut cauſæ piæ reſtitutionem in integrum concedi poſſe, ſaltem eo modo, quo majoribus natu, & non privilegiatis, ob juſtam, & evidentem cauſam, conceditur, tenet Laym. c. l. Idque ob favorem cauſæ piæ, & Religionis.

XV. Aſſertio 3. Hoc beneficium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Reipubl. quæ minorum jure quoque gaudet, l. Reſpublicæ; 4. C. Ex quib. cauſ. major. Nomine autem Reipubl. non ſolùm ſuprema, quæ Superiorem non recognoſcunt, ſed etiam inferiores communitates comprehenduntur habentes bona communia, quæ per aliquos nomine communitatis adminiſtrantur, aut civitas, oppida, & pagi, ſi bonorum, ſeu jurium communium Adminiſtratores habeant: non item Congregationes, ſeu Collegia laica opificum, mercatorum, &c. ut tradit Abb. in cit. c. 1. n. 15. h. t. Marant. c. l. n. 87. Molin. cit. diſ. 574. n. 4. Ratio eſt, quia, cùm tales communitates per Adminiſtratores, perinde atque minores per Curatores, regantur, ideo illis etiam, ad inſtar minorum, reſtitutionis auxilium petere permiſſum eſt, ſaltem ex clauſula, *ſi qua mihi juſta cauſa videbitur*. Idque extenditur etiam ad ſupremum Principem, cui etiam reſtitutio in integrum conceditur, quoad bona Principatûs, ſeu Coronæ, ac fiſci, quæ reputantur Reipublic. bona, non autem circa bona ſua particularia, & propria. Molin. cit. loc.

XVI. Aſſertio 4. Etiam majoribus xxv. annis, ſi graviter læſi ſint, quandoque ob juſtam cauſam, beneficium reſtitutionis in integrum conceditur, ut videre eſt toto tit. Ex quibus cauſis major. &c. Sed diſcrimen eſt inter reſtitutionem, quæ conceditur minori, vel Eccleſiæ, & eam quæ conceditur natu majori: quòd ad illam priorem ſufficiat oſtendere: gravem læſionem interveniſſe, nam minori læſo, pro-

propter ætatis imbecillitatem, officio Judicis ex æquitate ſuccurritur, etiamſi fuerit in culpa, vel negligentia; ſimiliter & Eccleſiæ, vel etiam Reipubl. ſaltem ſupremæ, propter publicum ſavorem: at verò ad reſtituendum majorem xxv. annis, præter læſionem gravem, neceſſe eſt aliam juſtam cauſam demonſtrare, v.g. abſentiæ Reipub. cauſâ, detentionis in vinculis, vel hoſtium poteſtate, juſti erroris, ſeu probabilis ignorantiæ, vel aliam ſimilem cauſam, ob quam læſus per Judicis officium ſecundùm æquitatem reſtituendus videatur, juxta illã Prætoris generalem clauſulam: *Si qua alia juſta cauſa mihi videbitur, in integrum reſtituam*, l.1.ff. Ex quib. cauſ. major. Abb. in c. Ex litteris; 4.n.5. & 11. & in c. Tum ex litteris; 5.n.12.h.t. Laym.l.3. Theol.mor.tr.4.c.11.n.6. Deinde minor, vel Eccleſia, ſi graviter læſa ſit, ex officio Judicis in integrum reſtitui debet, etſi nemo ſit, qui petat: at verò reſtitutio natu majoris potiùs conceditur, ad inſtantiam partis læſæ, quàm ex officio Judicis. Abb. in cit. c. Ex litteris; n. 11. Laym.c.l. Denique præter prædictos, etiam interdum conceditur reſtitutio in integrum rudibus, ſeu imperitis, qui ignorant jura, nec potuerunt conſulere petitiores, ut militibus, dum in expeditione verſantur, ruſticis, & mulieribus. Marant. c.l. n. 86. 88. & 89. Molin. c.l. n. 5.

§. III.

In quibus cauſis, ſeu caſibus in ſpecie concedatur reſtitutio in integrum minoribus, vel Eccleſiæ.

Generatim loquendo, ſi minor, vel Eccleſia graviter, ſeu notabiliter læſa ſit, ſive in contractibus, ſive in quaſi contractibus, ſive in ultimis voluntatibus, ſive in judicio, vel actibus judicialibus, ſive in alijs actibus, extra judicium, in integrũ reſtitui debet; ut patet ex toto tit. ff. de minor. & ff. & C. de in integr. reſtit. & extra eod. & fusè oſtẽdit Hiltrop. in proceſ. jud. p. 4. tit. 10. n. 43. & ſeqq. Sunt autem plures caſus in utroq; jure expreſſi, in quibus datur reſtitutio in integrum minori, vel Eccleſiæ, quorũ præcipuos, præſertim qui Jure Canonico in hoc tit. continentur, proponemus.

XVII. Aſſertio 1. Si minor, vel Eccleſia læſa ſit in contractu, v.g. venditionis, aut emptionis; tum, ſi in ſubſtantia venditionis læſa ſit, quia abſolutè loquendo, non expediebat, contractum inſtitui, in totum reſcinderur contractus officio Judicis, & dabitur læſo actio adversùs quemvis rei alienatæ poſſeſſorem, etiamſi cum eo contractum non ſit, juxta l. In cauſæ; 13. §. Interdum; ff. de minor. Sin autem minor, vel Eccleſia ſolùm læſa ſit, circa quantitatem pretij, ut quia rem minoris juſto vendidit, vel pluris juſto emit, quamvìs ultra, vel infra dimidium juſti pretij; tum contractus reſcindi non debet, ſed ſufficit, ſi juſtitia pretij compleatur, & ad æqualitatem reducatur: ac proinde tali caſu in optione emptoris, v. g. qui juſtò minus pretium ſolvit, erit, vel rem emptam reſtituere, recepto pretio, quia fortè non emiſſet pro tanto pretio, etſi juſto, vel juſtum pretium ſupplere, ſive uſque ad æqualitatẽ addere, quod deficit; vel, ſi minor, aut Eccleſia plus juſto emit, reddendum eſt ei incrementum pretij, quod dedit, uſque ad limites juſti: modò tamen læſio non ſit nimis modica, ut ejus ratio non ſit habenda; ut docet Abb. in c. Conſtitutus; 8. n. ult. h.t. Molin. cit. diſ. 573. n. 12. Leſſ. cit. c. 17. n. 63. Laym. cit. c. 11. n. 1. & ſumitur utrumque aſſertum ex l. Si res; 12. §. Mulier; ff. de jure dot. Ratio eſt, quia minor, vel Eccleſia non debet reſtitui, niſi quatenus læſa eſt, cùm reſtitutio in integrum ſolùm reſarciat totã læſionem: ſi ergo tantùm ſit læſa in pretij quantitate, ſufficienter reſtituitur, ſi pretij defectus ſuppleatur, ſolvendo, quod juſto pretio deeſt, vel reddendo incrementum pretij, quod ultra valorem rei emptæ eſt acceptum. Deinde, ſi facili de cauſa contractus cum Eccleſijs, vel minoribus inſtituti omninò reſcindendi ſint, id in ipſorum etiam magnũ incommodum redundabit; quia nemine cum ipſis contrahere volente, quodammodo commercio eis interdicetur, ut ait Juriſconſultus in l. Quod minor; 24. §. Non ſemper; ff. de minor.

Sed obſtare videtur text. in c. 1. h.t. ubi contractus pro modico cenſu, ſeu alienatio pro modicâ pecuniâ facta penitus reſcinditur. Reſpõdetur autem, id duobus modis intelligi poſſe; vel quòd conductor, ſeu potiùs emptor noluerit juſtum pretium ſupplere, ideóque contractum reſcindendum fuiſſe; vel quòd Eccleſia læſa etiam fuerit circa ipſam alienationem, quàm exiſtimaverat cedere in ſuam utilitatem, cùm poſtea contrarium appareret. Abb. ibid. n. 17.

XVIII. Aſſertio 2. Si minor, vel Eccleſia, propter negligentiam Tutoris, ſeu Curatoris, vel Procuratoris, in judicio læſa ſit, ita, ut contra ſe Judicis ſententia lata ſit, eò quòd v.g. Procurator probationes, aut exceptiones neceſſarias producere, vel opponere neglexit, reſtitutionem in integrũ petere poteſt; ut de minorib⁹ conſtat ex l. Etiam in his; 3. C. Si tutor, vel curat. interven. & de Eccleſia ex c. Veniens; 2. h.t. Nam,
cùm Monachi Rothonenſes, vacante Monaſterio, »
Abbatem elegiſſent, Epiſcopus Venetenſis oppoſuit, »
quòd ſibi competat jus eligendi, ſeu potiùs conſti- »
tuendi Prælatos in ſua Diœceſi (etiam Regulares.) Ad »
hanc controverſiam cognoſcendam, utraque pars, »
communi conſenſu, Judices delegatos à Sede Apo- »
ſtolica impetravit, quorum duo cùm ad Monaſte- »
rium accederent, (tertio eis committente vices ſuas, »
vel ſe excuſante, ſi ſimpliciter dati ſint. Gl. hîc V. Duo »
rum;) eorum adventum intruſus (id eſt, electus) »
præſentiens, juri electionis ſuæ renunciavit (nam »
ante confirmationem poteſt fieri renunciatio eis, »
qui elegerunt. Gl. hîc V. Renunciavit;) Sed Judices »
delegati, auctoritate Apoſtolicâ, mandârunt Mona- »
chis, ut Syndicum, ſeu Procuratorem ad cauſam il- »
lam conſtituerent, ſimul prohibentes, ne deinceps »
aliquem in Abbatem eligere præſumerent, donec »
cognoſcatur de jure, tum ſubjectionis, in cujus quaſi »
poſſeſſione erat Epiſcopus Venetenſis, quia prædi- »
ctum Monaſterium ſitum erat in Diœceſi ejuſdem: »
tum de jure eligendi Abbatem, quod ad ſe etiam E- »
piſcopus pertinere, cõtendebat. Monachi verò Pro- »
curatorem quidem conſtituerunt, ſed Abbatem ni- »
hilominus elegerunt, quam electionem Epiſcopus »
infirmari petijt, & ſe in poſſeſſionem reſtitui, quâ »
Monachi eum ſpoliârunt. Porrò Judices delegati per »
ſententiam definitivam electionem illam caſſârunt, »
quam ſententiam Procurator Epiſcopi petijt confir- »
mari. Verùm ad hoc ex parte Monachorum reſpon- »
ſum fuit, quòd Procurator eorum coram Judicibus »
propoſuerit, Monaſterium ad Eccleſiam Romanam »

» immediatè pertinere; ſed Judices, eo non obſtante,
» nimis animosè proceſſiſſe. His utrinq; propoſitis,
» Papa Innocentius III. inſpectis privilegijs exemptio-
» nis, quæ à varijs SS. Pontificibus Monaſterio conceſ-
» ſa fuerant, & Procurator coram Judicibus exhibere
» neglexerat: quamvìs proteſtatus fuerit, non tam de
» ſuo, quàm de Sedis Apoſtolicæ jure, videlicet, quòd
» dictum Monaſterium ad eandem im̃ediatè ſpectet,
» Monachos quidem contra ſententiam Judicum illo-
» rum reſtitui juſſit, ne Procuratoris negligentia in da-
» mnum Monaſterij, imò & Sedis Apoſtolicæ redun-
» daret; electionem verò Abbatis, etſi, ut dicebatur,
» concorditer factam, nec confirmandam, neq; infir-
» mandam eſſe, cenſuit, donec controverſia, ex qua
» dependet, decidatur, videlicet ſuper jure, & quaſi
» poſſeſſione eligendi Abbatem, & jure ſubjectionis
» ejuſdem Monaſterij, quod utrumque Epiſcopus ad ſe
» pertinere contendebat; nam hæc controverſia tan-
quam præjudicialis priùs eſt tractanda, ſi enim Epi-
ſcopus cauſam obtineat, electio erit infirmanda: ſi
verò in ea ſuccumbat, confirmanda, niſi aliud cano-
nicum impedimentum electioni obſiſtat. Hoſtienſ.
hîc V. Pendente controverſiâ; & V. Pendet.

XIX. Notandum 1. Etſi Jure communi electio Prælati ſpectet ad Capitulum, ſeu Collegium, & confirmatio ad Epiſcopum, tamen ex jure ſpeciali per conſuetudinem legitimè præſcriptam, poteſt Epiſcopus acquirere jus eligendi in omnibus Eccleſijs Collegiatis etiam Regularibus ſibi ſubjectis, utì notat Abb. hîc n. 3.

Notandum 2. Eccleſia, propter negligentiam Procuratoris in judicio, ſi notabiliter læſa fuerit, reſtitui debet in integrum, etiam adverſus ſententiam definitivam contra illam latam; utì ſumitur ex hoc c. Idque certum eſt, ſi Procurator non ſit ſolvendo, ſive damnum illatum reſarcire nequeat, etiamſi aliàs ſit locuples, ut in caſu hujus c. quia libertas, ſeu jus exemptionis à ſubjectione, & ſtatus Monaſterij pretio æſtimari non poteſt. Gl. hîc V. Reſtituimus. Ubi in fine addit, etſi Procurator ſit ſolvendo, & damnum reſarcire poſſit; in optione tamen Eccleſiæ eſſe, utrùm velit convenire Procuratorem negligentem ad præſtandum intereſſe; an verò petere reſtitutionem in integrum. arg. l. 3. C. ſi tut. vel curat. idq; favore Eccleſiæ. Verùm lex illa loquitur de Curatore, ſeu Adminiſtratore neceſſariò, nõ item de voluntario; cujuſmodi eſt Procurator, qui voluntariè aſſumitur, ſeu eligitur; ut docet Bart. in l. Cum mandato; a 3. ff. de minorib.

Quare, ſi Prælatus, vel alius bonorum ejus Adminiſtrator damnum intulit Eccleſiæ, agendo in judicio, vel contrahendo extra judicium, in optione ejuſdem eſt, vel convenire Prælatum, ſeu alium Adminiſtratorem, aut hæredes illius ad compenſationem damni; vel petere reſtitutionem in integrum contra quemvis poſſeſſorem; ut tradit Gl. in c. Præſentium; 3. V. Neceſſitate de pignorib. Molin. cit. diſ. 573. n. 5. Idémque eſt, ſi minor, ob negligentiam Curatoris, læſus ſit, cit. l. Etiam; & l. ult. C. ſi Tut. vel Curat. Molin. c. l. Si verò ob negligentiam Procuratoris læſus ſit, non poteſt petere reſtitutionem in integrum, niſi priùs agat contra Procuratorem, ſi is ſolvendo ſit; nam tunc in ſubſidium ſolùm, ſi is ſolvendo non ſit, conceditur minori reſtitutio in integrum. cit. l. Cum mandato; ff. de minor. & ibi Gl. V. Auditi; junctâ Gloſſ. margin. ubi rationem diſcriminis reddit inter Tutorem, ſeu Curatorem, & Procuratorem minoris, quia hunc ſponte eligit. Abb. hîc n. 20. & Molin. c. l.

Notandum 3. Electio facta, lite pendente ſuper jure eligendi, non debet confirmari, antequam lis dirimatur: ſed neque infirmari debet, quia ejus vis ſuſpenſa eſt, & dependens à futuro eventu, ut ſuprà etiam indicatum. Abb. hîc n. 22. & Imol. n. 20.

XX. Aſſertio 3. Si minor, vel Eccleſia graviter læſa ſit, propter negligentiam propriam, dum probationem ad obtinendam cauſam neceſſariam in judicio allegare omiſit, conceditur ei beneficium reſtitutionis in integrum; ut de minore habetur in l. Minor; 36. ff. de minorib. ubi dicitur: minor 25. annis omiſſam allegationem (id eſt, probationem. Gl. ibid.) per in integrum reſtitutionis auxilium repetere poteſt. Idem de Eccleſia ſtatuitur in c. Auditis; 3. h. t. Nam ortâ controverſiâ inter Epiſcopum Vigorienſem, & Abbatem de Eveſcam, ſuper quibuſdam Eccleſijs, Epiſcopus aſſeruit, illas, lege Diœceſanâ (latè ſumptâ, prout comprehendit omnẽ juriſdictionem Epiſcopi, ut patet ex ſequentibus. Hoſtienſ. hîc V. Diœceſana; & Abb. not. 1.) ſibi eſſe ſubjectas. Sed Abbas dicebat, illas à juriſdictione Epiſcopali eſſe omnino exemptas. Ex actis autem, & probationibus ab utraq; parte, corã Judicibus delegatis, exhibitis evidenter apparebat, Eccleſias per privilegia Romanorũ Pontificũ ab Epiſcopali juriſdictione non eſſe exemptas: niſi fortè vallis de Eveſcam ſit ille locus, qui à duobus Regibus libertate eſt donatus (quoad temporalem juriſdictionem) & à Cæleſtino Papa (quoad ſpiritualem. Gl. hîc V. Continetur;) Verùm per depoſitiones teſtium probatum fuit, Abbates de Eveſcam tanto tempore Eccleſias illas poſſediſſe pleno jure, (id eſt, in ſpiritualib⁹, & temporalibus) ut appareat, eos juriſdictionem Epiſcopalem in illis Eccleſijs legitimè præſcripſiſſe contra Diœceſanum: niſi fortè Eccleſia Vigorienſis interim tanto tempore vacaverit, ut ſubducto eo tempore vacationis, præſcriptio non ſit completa. Quamvìs verò utrinq; in hac cauſa conclusum ſit: quia tamen utraq; pars aſſerit, ſe neceſſariam probationem omiſiſſe, ideo Papa Innocentius III. conſiderans, quòd utraq; Eccleſia fungatur jure minoris, adeóque pariter privilegiata ſit, ex æquitate utramq; reſtituit, ad probandam rationem (id eſt, ad afferendã probationem omiſſam) ne una, vel altera pars, propter hujuſmodi negligentiam, gravem jacturam patiatur, ſeu graviter lædatur.

XXI. Notandum 1. Vacante Eccleſiâ, nulla contra eam currit præſcriptio, ſive vacatio contingat in principio, ſive in medio, ſive in fine præſcriptionis, ideóque hoc tempus deducendum eſt, ſive computari non debet, ſed interim ſuſpenſa manet præſcriptio. c. De quarta; 4. de præſcript. quia Eccleſia tunc caret defenſore. c. 1. & ult. junct. Gl. V. Vacante; Ne Sede vacante &c. Gloſſ. hîc V. Subducto; & Abb. n. 5.

Notandum 2. Termini peremptorij, ſeu excluſivi probationum currunt etiam contra Eccleſiam, ſicut contra privatum, & natu minorem: ita, ut Eccleſia, vel minor poſt elapſum terminum v. g. duorum menſium, intra quem teſtes, aliáſque probationes afferre debuiſſet, non admittatur ad probandum, ſi neceſſariam probationem omiſit: quamvìs tunc petere poſſit reſtitutionem in integrum adverſus lapſum temporis, ſive peremptorium terminum ad probandum conſtitutum; ut colligitur ex hoc c. & docet Abb.

Abb. hîc n. 6. Requiritur tamen, ut Eccleſia (vel minor) propter probationes omiſſas, ſive non productas intra terminum peremptorium, patiatur aliquod damnum pecuniarium, vel lucrum amittat: alioquin beneficium reſtitutionis ei non concedetur: ut, ſi v. g. Eccleſia contra litigantem ſuper beneficio non oppoſuit, vel probavit crimina, ſeu defectus, quæ illi objicere potuiſſet, ſed omiſit: quia ex omiſſione illius probationis Eccleſia non patitur aliud damnum, nec lucrum perdit; ideóque adverſus peremptorium terminum ad probandum non reſtituitur. Durand. in ſpec. lib. 2. part. 3. §. 2. n. 7. & 8. Abb. hîc n. 16. arg. l. Auxilium; 37. ff. de minorib. ubi habetur, quòd in executionibus pœnarum non datur reſtitutio: litigans autem puniretur, & privaretur jure ſuo, ſi probarentur crimina illi objecta.

Notandum 3. In petenda reſtitutione in integrum, propter omiſſam neceſſariam probationem, etiam poſt concluſionem in cauſa, non eſt neceſſe probare ipſam læſionem, ſed ſatìs eſt allegare, omiſſionem neceſſariæ probationis, intra terminum præfixum, quia hoc ipſo apparet de læſione, ut colligitur ex cit. c. Auditis; ibi: *utraque pars neceſſariam, ut aſſerit, probationem omiſit.* Aliud eſt, ſi allegetur læſio propter privilegia omiſſa, nam illa debent priùs exhiberi Judici, quàm detur reſtitutio, quia poſſent allegari in fraudem, ut colligitur ex c. 2. ibi: *Inſpectis privilegiis* h. t. Sicut etiã, ſi allegetur læſio in contractu, vel alio actu extrajudiciali, priùs probanda eſt læſio, quàm concedatur reſtitutio; uti colligitur ex l. In cauſæ; 22. §. Cauſa cognita; ff. de minor. Abb. hîc n. 7.

Notandum 4. Eccleſia læſa reſtituitur non ſolùm contra privatum, ſed etiam contra aliam Eccleſiam æquè privilegiatam, ut expreſsè conſtat ex cit. c. Auditis; ibi: *Utramque reſtituimus contra reliquam.* Gl. fin. ibid. & Abb. n. 8. Sed de hoc plura infrà.

XXII. Cæterùm, quamvìs Eccleſia, vel minor, poſt elapſum terminum peremptorium, intra quem probationes ſunt afferendæ, de Jure communi non ampliùs audiatur; admittitur tamen ad probandum per beneficium reſtitutionis in integrum: prout habetur ſtatutum in c. Coram; 7. h. t. „Nam, cùm inter Archiepiſcopum Bracharenſem, & Archiepiſcopum Toletanum coram Innocentio III. ſuper jure Primatiæ controverſia eſſet, liſq; inter eos conteſtata fuiſſet, Papa eam quibuſdam Judicibus commiſit, ut ipſam cauſam ad Sedem Apoſtolicam remitterent, termino peremptorio partib⁹ aſſignato, intra quem ſe coram Papa, cum omnibus actis, & inſtrumentis, ſiſterent ad ſententiam audiendam. Verùm non niſi poſt terminum elapſum, & longam exſpectationem, Procuratores Archiepiſcopi Bracharenſis comparuerunt coram Papa Honorio III. ſed quia non attulerunt teſtium depoſitiones, & alia munimenta (id eſt, inſtrumenta, confeſſiones, & alia, quibus cauſa munitur, & adjuvatur. Gloſſ. hîc V. Monimenta;) ideo aliam dilationem ad inſtruendam cauſam inſtanter poſtulârunt. Sed, cùm Papa interloquendo pronunciâſſet, dilationem ipſis denegandam eſſe, dicti Procuratores Eccleſiæ Bracharenſis petierunt, illam ſibi concedi per auxilium reſtitutionis in integrum, ſuper hoc ſpeciale mandatum exhibentes. Quare Papa Honorius III. id illis per beneficium reſtitutionis conceſſit, uſque ad Octavam Pentecoſtes.“

XXIII. Notandum 1. Præſcriptiones judiciales, etiam contra Eccleſiam, vel minorem currunt, ideóque, ſi Eccleſia poſt dilationem, ſeu terminum peremptorium ad probandum ſtatutum, probationes non adferat, deinceps non debet admitti, niſi per beneficium reſtitutionis in integrum; ut conſtat ex hoc c. & cit. c. Auditis; 3. eod. Abb. hîc n. 2. & de minore colligitur ex l. 1. C. ſi ſæpius in integr. reſtit. poſtul. ubi habetur, quòd minor, ſi poſt ſententiam contra eum latam, intra decendium non appellavit, per reſtitutionem in integrum ad appellandum ſit admittendus. Id autem intelligendum eſt de præſcriptionibus, ſeu terminis judicialibus, qui currunt etiam contra Eccleſiam, & minorem, ut docet Bart. in cit. l. 1. C. ſi ſæpius &c. ubi ait, id ſpeciale eſſe in temporibus, ſeu terminis judiciorum, quod currant contra omnes. Abb. in cit. c. Auditis; n. 6. h. t. At verò præſcriptiones extrajudiciales temporales ipſo jure non currunt contra Eccleſias, & minores, exceptâ præſcriptione xxx. vel xl. annorum, ut conſtat ex l. ult. C. in quib. cauſ. in integr. reſtitut.

Notandum 2. Procurator, ſi principaliter petat reſtitutionem in integrum, non admittitur, niſi habeat ad id ſpeciale mandatum; uti ſumitur ex l. illud; 25. §. Si talis; ff. de minor. Secus, ſi incidenter, ut tradit Gl. communiter recepta in c. Suſcitata; 6. V. Poſtulavit; h. t. Cùm ergo in caſu hujus c. cauſa generaliter commiſſa fuerit Procuratori, petitio reſtitutionis in integrum ſolùm incidenter, ſeu acceſſoriè ei comiſſa fuiſſe, cenſeri debet: adeóq; non requirebatur mandatum ſpeciale ad petendam reſtitutionem, ſed ſufficiebat generale ad cauſam proſequendam: quod autem in hoc c. dicitur, Procuratorem habuiſſe mandatum ſpeciale ad petendam reſtitutionem in integrum, factũ narratur, non jus ſtatuitur; quia ſponte Procurator exhibuit mandatum ſpeciale, non neceſſariò. Hoſtienſ. hîc V. Speciale mandatum; & Jo. Andr. n. 5. Abb. n. 4. Covarr. l. 1. var. reſol. c. 6 n. 1. 5. Ex quibus. Vel etiam dici poteſt, quòd fortè in caſu hujus c. ſententia illa interlocutoria, à qua non fuit appellatum, poſt decendium elapſum, tranſierit in rem judicatam: ideóque, ſicut non debuit Procurator admitti ad petendam reſtitutionem in integrum, ſinè ſpeciali mandato, contra ſententiam definitivam poſt decendium: ita nec contra interlocutoriam. Dilectus; 32. in fine de elect. quia reſtitutio in integrum contra ſententiam æquivalet appellationi, & plerumq; datur loco illius. At verò intra decendium poſt latam ſententiam Procurator, ſicut appellare, c. pen. de Procurat. ita etiam petere poteſt reſtitutionem in integrum contra ſententiam, ſinè novo, & ſpeciali mandato; quia, cùm hoc cauſæ principali ſit connexum, cenſetur commiſſum, unâ cum ipſa cauſa. Gl. in cit. c. Suſcepta; V. Poſtulavit; h. t. & ibid. Abb. n. 5. & in cit. c. Coram; n. 4. eod. quin imò probabile eſt, Procuratorem, nondum finitâ cauſâ principali, petere poſſe reſtitutionem in integrum, ſinè ſpeciali mandato, etiam contra ſententiam interlocutoriam, quæ tranſijt in rem judicatam, eò quòd ab ea debito tempore non ſit appellatum; quia cenſetur adhuc habere mandatum ad omnia, quæ ad illam cauſam ſpectant: quamvìs non poſſit Procurator petere reſtitutionem in integrum contra ſententiam definitivam cauſæ principalis, poſt elapſum tempus ad appellandũ conceſſum, ſinè novo ſpeciali mandato, quia tunc cenſe-

tur omnino finita cauſa, ad quam Procurator habebat mandatum. Covarr. c.l. & Molin. tr. 2. diſ. 573. num. 29.

Porrò ſufficit ad petendam reſtitutionem, etiam principaliter, mandatum generale, quo conſtituitur quis Procurator ad omnia, & ſingula facienda, etiamſi talia ſint, quæ requirunt mandatum ſpeciale, quia ſatis comprehenditur caſus reſtitutionis in integrum. Abb. in cit. c. Coram; n. 5. ubi n. 6. addit, quòd, quando dubitatur de ſpeciali mandato, admittatur Procurator, cum cautione de rato.

Notandum 3. Quamvìs aliàs regulariter, cùm aliquid unâ viâ prohibetur alicui, non debet ad id aliâ viâ admitti, juxta reg. jur. 84. in 6. tamen hîc eſt caſus ſpecialis; quia Eccleſia excluſa fuit, unâ viâ de jure communi, tamen poſtea admiſſa fuit ad probandum aliâ viâ, videlicet per beneficium reſtitutionis in integrum. Gl. fin. hîc, & Abb. n. 3. not. ult.

XXIV. Aſſertio 4. Contra ſententiam latam à Papa, vel alio Principe ſupremo, peti poteſt reſtitutio in integrum; ſicut conſtat ex c. Tum ex litteris; 5. h. t.
» Nam, cùm inter Eccleſiam Oſcenſem, & Ilerdenſem
» controverſia eſſet ſuper quibuſdam parochijs, co-
» ram Eugenio Papâ, is ſententiam tulit pro Eccleſia
» Oſcenſi contra alteram Eccleſiam, quæ, ſe per hanc
» ſententiam enormiter læſam eſſe, conquerebatur.
» Mortuo Eugenio, ſucceſſit Anaſtaſius IV. qui Cæle-
» ſtino tum legationis officio in Hiſpanijs fungenti
» cauſam cognoſcendam commiſit, qui cauſam co-
» gnoſcere cœpit, ſed nō terminavit, ſeu finivit. Inte-
» rim mortuus quoque eſt Anaſtaſius, cui Alexander
» III. ſucceſſit, qui eidem Cæleſtino denuo Legato in
» Hiſpania eandem cauſam commiſit. Poſtea mortuo
» Alexandro, dictus Cæleſtinus III. ſucceſſit, qui di-
» ctam cauſam Cardinali Diacono delegavit, eo teno-
» re, ut inſpectis Eccleſiæ Ilerdenſis privilegijs, & au-
» ditis partium rationibus, ſive juribus, & allegatio-
» nibus, non obſtante priore ſententiâ Eugenij, ſen-
» tentiam definitivam proferret, & executioni man-
» dari curaret. Verùm, licèt aliqui producti fuerint ex
» parte Ilerdenſis Eccleſiæ (ad probandum, quòd conce-
cedi debeat reſtitutio in integrum, & quòd non per
Eccleſiam illam, ſive Epiſcopū Ilerdenſem, ſed potiùs
per Judicem ſteterit, quò minùs fuerat proceſſum. Gl.
hîc V. Teſtes;) tamen mandatum Sedis Apoſtolicæ non
» fuit adimpletum. Quare Antonius Ilerdenſis Cano-
» nicus poſtulavit ab Innocentio III. qui Cæleſtino
» ſucceſſerat, ut ex officio ſuo, reformatâ, ſeu in me-
» lius commutatâ ſententiâ Eugenij, contra eandem
» ſententiam Eccleſiam Ilerdenſem in integrum re-
» ſtitueret. Papa itaq; deliberatione habitâ cum Car-
» dinalibus, aliiſque viris peritis, & quibuſdam aſſe-
» rentibus, quòd Cæleſtinus videatur beneficium re-
» ſtitutionis Eccleſiæ Ilerdenſi conceſſiſſe, vel con-
» cedendum eſſe, judicâſſe, dum non obſtante illâ ſen-
» tentiâ, cauſam illam Legato Cardinali commiſit, &
» ſe quoque ſupplicationem illam ejuſdem Eccleſiæ
» admittere debere, cenſuit: præſertim, cùm & ſen-
» tentia Romani Pontificis poſſit in melius commu-
» tari, ſi ſurreptio intervenerit, ſive ob expreſſionem
» falſitatis, ſive taciturnitatem veritatis; vel, ſi ob æ-
» tatem, aut temporum gravem neceſſitatem, aliud
» quiddam decernendum fuerit. Quin imò etiam ſe-
» cundùm jura civilia, Princeps cauſas bis judicatas
in auditorio ſuo examinari permittit; num iis re- »
ſciſſis, reſtitutio in integrum concedenda ſit, nécne? »
Sed & ex Regiſtro Papæ Eugenij ſe perſpexiſſe, ait In- »
nocent. quod ſententia illa primo Pontificatûs ſui »
menſe fuerit promulgata, quando de meritis cauſæ »
nondum plenè, & ſufficienter videbatur eſſe inſtru- »
ctus. Et, quia is eâ potiſſimùm ratione nitebatur ad »
ferendam ſententiam contra Eccleſiam Ilerdenſem, »
quòd privilegium Urbani II. falſaverit eidem Ec- »
cleſiæ conceſſum, quod tamen poſtea in Regiſtro e- »
juſdem Urbani repertum fuit incorruptum. Quibus »
omnibus conſideratis, Papa in hanc ſententiā tan- »
dem deſcendit, ut, utrâque parte præſente, cogno- »
ſcatur, utrùm contra prædictam ſententiam reſtitu- »
tio in integrum jam data ſit, vel adhuc danda, néc- »
ne, quarum aſſertione merita cauſarum aperiuntur. »
Quamobrem mandat Papa Epiſcopo, & Capitulo O- »
ſcenſi, ut ad feſtum D. Lucæ perſonaliter, vel per i- »
doneum Procuratorem ſe coram eodem Romæ ſi- »
ſtant, oſtenſuri, ſi poterint, quòd ſententia Eugenij »
retractari non debeat, vel ſi fortè, exigente juſtitiâ, »
retractanda fuerit, ad principale negotium pertra- »
ctandum ſufficienter inſtructi veniant: ſtatuitque, »
quòd, cùm propter longam locorum diſtantiam, ad »
Sedem Apoſtolicam, ſinè magnis ſumptibus, & la- »
boribus, non poſſit haberi recurſus, ſi ad dictum »
terminum ipſis ut peremptorium aſſignatum, man- »
datis non paruerint, nihilominus Papa in ipſo ne- »
gotio, quantum de jure poterit, procedet. »

XXV. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Quamvìs à ſententia Papæ, vel alterius Principis ſupremi appellari non poſſit, c. Cuncta: 17. cauſ. 9. q. 3. & l. 1. ff. à quib. appell. non licet: poteſt tamen a læſo contra eandem peti reſtitutio in integrum ex juſta cauſa, propter quam Judex ex officio ſuccurrere debeat, reſcindendo ſententiam latam; cùm ordinarium appellationis remedium hoc caſu non competat; uti ſumitur ex hoc c. & docet Abb. hîc n. 2. & 17. & alij Canoniſtæ communiter. quamvìs etiam ſupplicari poſſit Principi, petendo, allegatâ enormi læſione, ut ſententia reſcindatur ex ſola gratia, & benignitate Principis, eò quòd appellationis auxilio nullus ſit locus, ideóque æquum videatur, ut ſuccurratur extraordinariè, quæ eſt ſupplicatio ſtrictè dicta, & innititur ſoli gratiæ, juxta Auth. Quæ ſupplicatio; C. de precib. Imper. offer. & l. unic. C. de ſentent Prætor. præfic. At verò reſtitutio in integrum (quæ eſt ſupplicatio latè ſumpta) partim de gratia, partim de juſtitia participat, quia præter læſionem gravem, requiritur alia juſta cauſa ad illam impetrandam, v. g. imbecillitas ætatis, vel favor publicus Eccleſiæ, vel abſentia Reipubl. causâ, vel alia cauſa in jure probabilis, ob quam æquum videatur, ut læſo extraordinariè ſuccurratur per reſtitutionem in integrum. Abb. hîc n. 17.

Notandum 2. Legatus etiam Cardinalis non poteſt concedere reſtitutionem in integrum contra ſententiam Papæ, ne quidem Eccleſiæ, ſed Papa adiri debet; uti ſumitur ex hoc c. nam Legatus iſte cognovit ex delegatione Papæ cauſam reſtitutionis in integrum, licèt Eccleſia, de cujus reſtitutione agebatur, eſſet intra limites legationis, ſive Provinciæ ſuæ. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum contra ſententiam debet tractari coram Superiore ejus, qui ſententiam tulit. l. 1. C. ubi, & apud quem cognit. &c. & inferior

non

non poteſt reſcindere ſententiam Superioris. Clem. 2. de elect. Abb. hîc n. 3. ex quo infert, quòd Vicarius generalis Epiſcopi non poteſt aliquem reſtituere contra ſententiam Epiſcopi; bene verò hic contra ſententiam Vicarij ſui, de quo plura infrà.

XXVI. Notandum 3. Quamvìs ſententia lata à Judice, ut ob anguſtias temporis non potuerit inſtrui de meritis cauſæ, ſit ipſo jure nulla, quippe lata abſque cauſæ cognitione, ut docet Bart. in l. Prolatum; 4. n. 10. C. de ſent. & interl. omn. jud. ſi tamen ſententiam tulit intra tempus ita breve, ut ex actis non potuerit ſufficienter, & plenè inſtrui de meritis cauſæ, tum valida quidem eſt ſententia, ſed oritur præſumptio aliqua, quòd non ſatìs inſtructus ſententiam tulerit; ideóque peti poteſt, ut per reſtitutionem in integrum reſcindatur. Ut in caſu hujus c. tempus menſis erat breve, reſpectu Papæ, ut is ſatìs inſtrueretur de controverſia difficili, præſertim in initio ſui officij, etſi non erat omnino impoſſibile. Abb. hîc n. 6. Ex quo infert Innocent. hîc n. 1. & Abb. n. 9. quòd mandatum Papæ factum extra judicium, & ſinè cauſæ cognitione, quod tamen illam requirit, nõ habeat vim ſententiæ, niſi conſtet de certa ſcientia Papæ.

Notandum 4. Si petatur reſtitutio in integrum contra ſententiam definitivam Judicis, tum, utràque parte præſente, litis conteſtatio fieri debet, & poſtea cognoſci, an reſtitutio ſit concedenda, nécne: & ſi judicatum fuerit, eſſe concedendam, poteſt, ſi partes petant, ad cauſam principalem denuò cognoſcendam procedi; utì ſumitur ex hoc c. propè finem, ubi petita fuit reſtitutio in integrum contra ſententiam, & Papa minatur parti, ut, ſi non comparuerit, procedet in negotio principali, quantum de jure poterit, per quod innuit, quòd ad ſententiam non poſſit procedi, cùm lis non fuerit conteſtata. Gl. fin. hîc & Innoc. n. 2. Abb. n. 15. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum habet vim appellationis, illiq; æquipollet. ergo, ſicut in cauſa appellationis debet fieri litis cõteſtatio, præſentibus partibus, juxta l. unic. C. Ne liceat in una &c. ita etiam in cauſa reſtitutionis in integrum. Abb. c. l.

Notandum 5. Etiam contra ſententiam bis confirmatam poteſt Princeps concedere reſtitutionem in integrum, ut habetur in hoc c. & quamvìs non poſſit contra ſententiam latam, & confirmatam tertiò appellari; l. unic. C. Ne liceat in una &c. c. Sua; 65. de appell. poteſt tamen ſupplicari, ut cauſa bis judicata, denuò cognoſcatur, & reperto errore, reſcindatur. Abb. hîc n. 4. & 5.

XXVII. Præterea huc pertinet, quod ſtatutum habetur in c. Suſcitata; 6. h. t. nempe per reſtitutionem in integrum regulariter, & ordinariè ſuſpendi executionem latæ ſententiæ, ita, ut ea differri debeat; (prout etiam deciditur in l. unic. C. De in integr. reſtit. poſtul.) niſi tamen contra petentem reſtitutionem adſit præſumptio, quòd malitiosè illam petat ad impediendam, & differendam executionem: tunc enim ſecundùm æquitatem, ſententia ſtatim executioni mandanda eſt, præſtitâ idoneâ cautione (fidejuſſoriâ ſcilicet, vel pignoratitiâ) ab adverſario, pro quo ſententia lata fuit, quod petenti reſtitutionem, ſi ei cauſa adjudicata fuerit, omnia reſtituentur, quæ medio tempore, occaſione ſententię, adverſarius per-
» cepetit: prout ſumitur ex cit. c. Suſcitata: Nam
» ortâ controverſiâ inter Epiſcopum Burgenſem, &
Monaſterium Ovenſe, ſuper quatuor articulis, & »
quibuſdam decimis (ſuper quibus jam in cauſa cõ- »
cluſum erat. Gl. hîc V. Decimis) Monaſterio per »
quandam tranſactionem, ſeu amicabilem compo- »
ſitionem acquiſitis: ea cauſa tandem delata eſt ad »
Sedem Apoſtolicam: ubi Innocent. III. auditis ijs, »
quæ partes coram ſe propoſuerant, contra Mona- »
ſterium ſententiam tulit, illúdque condemnavit. »
Sed Procurator Monaſterij ad probandam præſcri- »
ptionem, tam ſuper quatuor articulis, quàm ſuper »
decimis per tranſactionem acquiſitis, nomine Mo- »
naſterij reſtitutionem in integrum poſtulavit, quã »
etiam Papa concedendam judicavit. Ne verò per »
malitiam, cuius aderant præſumptiones aliquæ, ef- »
fectus, ſive executio ſententiæ in damnum Epiſco- »
pi impediretur, néve etiam illa executio ſententiæ »
in detrimentum Monaſterij redundaret: ideo Pa- »
pa ſecundùm æquitatem præcepit, ut ante omnia, »
ſententia lata executioni mandetur, & Epiſcopus »
cautionem idoneam præſtet; quòd ſi Monaſterium »
cauſam obtinuerit, omnia, quæ medio tempore per- »
cepit, dicto Monaſterio reſtituat. »

XXVIII. Ubi notandum 1. Quòd adversùs ſententiam latam à Papa, vel alio Principe, poteſt non ſolùm ipſi ſupplicari, ſed etiam peti reſtitutio in integrum ab eodem, qui ſententiam tulit, ut in caſu huius c. à Papa, nam de ſupplicatione nulla hîc facta eſt mentio. Abb. hîc n. 1.

Notandum 2. Reſtitutio in integrum adversùs omiſſionem neceſſariæ probationis conceditur, ſine alia probatione læſionis, ut in caſu huius c. Papa conceſſit reſtitutionem petitam, non examinatis priùs teſtibus, utrùm aliquid ſcirent de præſcriptione allegata, quia conſtabat, allegatam eſſe probationem neceſſariam. Abb. hîc n. 2.

Notandum 3. Licèt exceptiones dilatoriæ, ſi adſit præſumptio, vel ſuſpicio, quòd malitiosè opponantur, non ſint admittendæ à Judice, tamen peremptoriæ non facilè ſunt rejiciendæ, niſi præſumptio, quòd malitiosè opponantur, ſit valde urgens, & vehemens: quia, cùm agatur de magno præjudicio excipientis, major, & fortior præſumptio requiritur ad eas rejiciendas. Ut in caſu huius c. Procurator Monaſterij excipiebat, quòd contra actionem, ſeu petitionem actoris præſcriptum ſit, &c. tametſi aderant præſumptiones quædam contra allegantem exceptionem peremptoriam, quòd malitiosè eam opponeret, tamen Papa noluit propter illam præſumptionem rejicere exceptionem præſcriptionis. Abb. hîc num. 3.

XXIX. Notandum 4. In quibuſdam tamen caſibus, poſtulatâ reſtitutione in integrum, non debet ſtatim fieri executio ſententiæ, receptâ cautione, ſi nimirum revocari non poſſit executio, ut quia condemnatus cum infamia relegandus, aut in carcerem detrudendus eſſet, ex doctrina Baldi apud Abbat. hîc n. 8. quia tunc non poſſet reſtitui: impoſſibile enim eſt facere, ut incarceratus non fuerit in carcere, vel illam ignominiam non fuerit paſſus, ideóque fruſtratoria etiam eſſet illa cautio. Vel, ſi læſio ſit manifeſta, aut petens reſtitutionem in integrum ſe offerat ad læſionem; & cauſam juſtam reſtitutionis in continenti probandam, tum enim, quia ceſſat præſumptio malitiæ, audiendus erit, & executio ſententiæ dif-

differenda. Gloſſ. hîc V. Sententiæ; & Abb. num. 8. in fine.

XXX. Cæterùm, quod dictum eſt, contra ſententiam latam peti poſſe reſtitutionem in integrum, id extenditur, ut non ſolùm Eccleſiæ, vel minori, ſed etiam majori xxv. annis, concedatur reſtitutio in integrum adversùs rem judicatam, ſive ſententiam latam, ut cauſa denuo cognoſcatur, dummodo præter læſionem, juſta cauſa illam petendi ſubſit, eáque plenè probetur; prout ſumitur ex c. Ex litteris; 4. h. t. Nam, cùm inter duos conjuges cauſa matrimonij agitaretur, ea à Papa Innocentio III. commiſſa fuit quibuſdam Judicibus delegatis, qui divortij ſententiam protulerunt, à qua mulier ad Sedem Apoſtolicam appellavit: eam appellationis cauſam idem Papa delegavit Abbati, & Archipresbytero Paduano. Sed Abbas, cui alter condelegatus vices ſuas commiſerat (aliàs non tenuiſſet ſententia, cùm cauſa ſimpliciter, & non in ſolidum ſingulis, ſit commiſſa, Gl. hîc V. Vices ſuas) quia videret, mulierem in termino peremptorio ipſi aſſignato non comparuiſſe, inſpectis actis, ſeu allegationibus partium, ſententiam à prioribus Judicibus latam confirmavit. Verùm poſt octo dies, cùm pater mulieris intellexiſſet, ſententiam latam eſſe, acceſſit ad Abbatem, & proprio juramento confirmavit, quendam ad ſe, & filiam ſuam veniſſe, & falſas litteras nomine Abbatis eis ubtuliſſe, in quibus mandabatur, ut intra octo dies, poſt terminum conſtitutum, Abbatis conſpectui ſe ſiſterent, cùm ipſe Judex, ſcilicet Abbas, ad diem aſſignatum, ob neceſſarium impedimentum, venire non poſſit. Sed, quia Abbas huic narrationi fidem habere nolebat, ipſa mulier ad Sedem Apoſtolicam appellavit, & ſupplicavit. Hoc intellecto, reſpondit Innocentius III. licèt de fraude, quæ fuerat allegata, plenè non conſtet, nec probata ſit; in favorem tamen matrimonij, ſecundùm æquitatem, & benignitatem canonicam, ſe ſupplicationem mulieris admittere, eique poſtulanti pro matrimonio reſtitutionem, novam cauſæ audientiam concedere: ideóque mandat aliis Judicibus, ut de cauſa prioris appellationis, ſervato ordine judiciario, cognoſcant, & priorum Judicum ſententiam confirment, vel infirment, prout ipſis juſtum eſſe, viſum fuerit.

XXXI. Notandum 1. Qui dubitat, an poſſit appellare, poteſt ſub conditione, ſi fortè priùs remedium ei non competat, aliud extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, vel ſupplicationis adjungere; ut in caſu huius c. mulier dubitabat, an poſſet appellare, propter contumaciam ſuam, quia ad terminum peremptorium non comparuit: ideo etiam ſupplicavit, in defectum appellationis, poſito, quòd appellare non poſſet, quia ubi comperit alicui remedium ordinarium, ceſſat remedium extraordinarium. l. In cauſæ; 16. ff. De minor. Abb. hîc n. 3.

Notandum 2. Si ſententia à Judice juſtè ſit lata, (ut in caſu huius c. in quo altera pars, poſt elapsū terminum peremptorium, non comparens, per contumaciam abeſſe cenſebatur, ideóque Judex ad ſententiam procedere potuit, etiam lite non conteſtatâ, Gl. hîc V. Confirmavit) tum non poteſt ab ea appellari; poteſt tamen ſupplicari, ut concedatur reſtitutio in integrum adversùs ſententiam, allegatâ cauſâ, v. g. juſtâ abſentiâ, probabili ignorantiâ; vel fraude alicuius tertij, ob quam læſo ſuccurri debeat. Abb. hîc n. 5. ubi ait, quòd contra ſententiam etiam inferiorum poteſt ſupplicari, quādo ex aliqua cauſa non admittitur appellatio.

Notandum 3. Minor, vel Eccleſia poteſt petere reſtitutionem in integrum adversùs ſentētiam, tametſi poſſit ab ea appellare, quia remediū reſtitutionis eſt facilius, & per illud efficaciùs ſuccurritur læſo, quàm per remedium appellationis, in qua oportet oſtendere, coram ſuperiore Judicis inferioris, ſententiam errorem, vel injuſtitiam continere: reſtitutione verò obtentâ, non debet quis inchoare novam inſtantiam, nec adire alium judicem fortè remotum; ideóq; per remedium ordinarium appellationis non tollitur extraordinarium reſtitutionis, quia hoc eſt pinguius, & facilius. Abb. hîc n. 13. niſi tamen ſententia eſſet ipſo jure nulla; tunc enim, cùm Eccleſia, vel minor ipſo jure ſit tutus, & petere poſſit per ordinarium remedium, ut ſententia declaretur nulla, non datur ei remedium extraordinarium reſtitutionis in integrum. Abb. in c. Tum ex litteris; 5. n. 18. h. t. & dictum etiam ſuprà. Majoribus verò natu, ſi ordinarium appellationis remedium eis competat, non datur ob læſionem reſtitutio in integrum, cùm ſit remedium extraordinarium. cit. l. In cauſæ; 16. ff. de minor. & ex ſuprà dictis patet. Poteſt tamen etiam major xxv. annis reſtitui, ſi ſubſit juſta cauſa, v. g. quia per alium circumventus eſt, modò ea fuerit probata. Abb. hîc n. 5.

Notandum 4. Per ſupplicationem ſtrictè acceptam poteſt peti à Principe, ut ex mera gratia, & benignitate, reſtituat aliquem adversùs ſententiam latam, eámque reſcindat, eò quòd ei non competat ordinarium appellationis remedium: & talem ſupplicationem ſolus Princeps admittere poteſt, quia per illam retractatur ſententia, & præjudicium infertur juri alterius quæſito, quod Judex inferior, extra caſus jure conceſſos, facere non poteſt. l. 2. & 3. C. ſent. reſcind. non poſſ. licèt latè loquendo, etiam Judici inferiori ſupplicari poſſit adversùs ſententiam. Innoc. hîc n. 3. Abb. n. 10. & Beroi n. 20.

XXXII. Notandum 5. Per ſupplicationem ſtrictè acceptam factam Principi non ſuſpenditur executio ſententiæ, ſicut per appellationem, & reſtitutionem in integrum, quæ habet vim appellationis; ſed cautio præſtari debet de reſtitutione facienda, ſi ſupplicans cauſam obtinuerit, juxta Auth. Quæ ſupplicatio; C. de precib. Imper. offer. Ratio diſcriminis eſt, quia reſtitutio in integrum innititur juri, ſive juſtitiæ, licèt gratiam annexam habeat, ſed potiùs à jure conceſſam, quàm à Judice: at verò ſupplicatio ſoli gratiæ innititur, cùm juſtam cauſam extrinſecam habeat; ideóque reſtitutio in integrum plus operatur, ſuſpendendo executionem ſententiæ, quàm ſupplicatio. Abb. in c. Suſcitata; 6. n. 10. h. t.

Notandum 6. Si major natu petat reſtitutionem in integrum, ex cauſa juſta ſaltem ſemiplenè probata, v. g. per juramentum, vel unum teſtem; tum in cauſa favorabili, qualis eſt vel maximè cauſa matrimonij, interdum cōceditur ei reſtitutio in integrum, ut cauſa denuò cognoſcatur; ut in caſu huius c. quia mulier non probavit plenè fraudem allegatam, ideo jure communi non debebat audiri: favore tamē matri-

trimonij Papa conceſſit beneficium reſtitutionis in integrum, ídque ex benignitate canonica, quia ſecundùm Canones ad æquitaté, ſive id, quod æquum, & rationabile eſt, magìs attendendum eſt, quàm ad juris rigorem, & ſubtilitatem. c. 1. De dolo, & contum. c. In cauſis; 19. de ſentent. & re judic. Abb. hic n. 7. ubi n. 8. addit, idem diceodum in qualibet alia cauſa favorahili, dummodo major natu juſtam cauſam, ob quam reſtituendus ſit in integrum, ſaltem ſemiplenè per juramentum, vel unum teſtem probet. Et quamvìs in hoc c. ſolùm ſermo ſit de Principe, ſive Judice ſupremo concedente beneficiũ reſtitutionis, tamen idem etiam locum habet in Judice inferiore, in caſu, quo is poteſt reſtituere. Arg. cit. c. In cauſis; ſaltem de Jure Canonico, in quo mitiùs proceditur, quàm de Jure Civili. Abb. c. l.

Notandum 7. Quando ſupplicatur Principi ad reſtitutionem in integrum faciendam, tum poteſt procedi ad confirmandam, vel infirmandam ſententiam, contra quam petita fuit reſtitutio, ſicut in cauſa appellationis; ut apertè colligitur ex fine huius c. ubi mulier reſtituta fuit vi ſupplicationis, ac ſi appellâſſet, quia quoad hoc ſupplicatio æquivalet appellationi. Abb. hîc n. 6. Sed, de ſupplicatione plura infrà l. 2. tit. 28.

» XXXIII. Aſſertio 5. Si Eccleſia petiit beneficium reſtitutionis in integrum, ídque ei fuit dene- » gatum, ea iterum in alio judicio reſtitui non poteſt, » præterquam ad inſtituendam appellationem o- » miſſam. Si tamen novæ defenſiones emergant, ad » beneficium reſtitutionis admitti debet Eccleſia. Ita habetur ſtatutum in c. Beneficio; 10. & ult. h. t. & de minoribus in l. 1. 2. & 3. C. Si ſæpius reſtitutio; in integr. poſtul. V. g. Si Eccleſia, contra quam lata eſt ſententia, à qua ipſa non appellavit, petiit ſibi concedi beneficium reſtitutionis in integrum, ſed reſtitutio ei fuit denegata, ideóque iterum in alio judicio petiit reſtitutionem, hoc caſu ea ipſi denegari debet, quamvìs ad appellandum contra ſententiam, à qua non appellavit, reſtitui debeat, propter novas tamen defenſiones peti, & concedi debet Eccleſiæ beneficiũ reſtitutionis. Gl. hîc in caſu, & V. Denegato.

XXXIV. Ratio prioris partis eſt, quia ſententia lata ſuper reſtitutione in integrum tranſit in rem judicatam, etiam contra Eccleſiam, vel minorem, niſi intra decendium ab ea fuerit appellatum. c. Coram; 7. h. t. & l. 1. C. Si ſæpius in integr. reſtit. &c. ac proinde Eccleſia, vel minor petens reſtitutionem in integrum contra latam ſententiam, ſi ſemel ei in judicio denegata ſit, ulteriùs non auditur, ſive petat reſtitutionem ob læſionem, ſive contra ſententiam denegatæ reſtitutionis: ídque meritò, tum quia aliàs ſententia ſuper denegata reſtitutione lata eſſet illuſoria, ſi directè contra eam daretur reſtitutio, & nullus foret litium finis, nam, ſi audiretur ſecundò, deberet etiam audiri, ſive admitti tertiò ad reſtitutionem, & ſic deinceps in infinitum. Hoſtienſ. hîc in fine. & Abb. n. 5. tum quia Judex iterum cognoſcẽdo de tali cauſa, quæ ante ab ipſo judicata fuerant in dubium revocaret, quod fieri non debet. Quare, ſicut Eccleſia, vel minor non reſtituitur contra quadriennium jure præfixum ad petendam reſtitutionem ob læſionem. c. 1. h. t. in 6. de quo infrà, ita nec contra reſtitutionem denegatam. Abb. c. l.

XXXV. Excipitur tamen, quòd, licèt minor, vel Eccleſia non reſtituatur adversùs denegatam reſtitutionem, reſtitui tamen debet ad appellandum contra ſententiam denegatæ reſtitutionis, à qua non appellavit, ita, ut ei concedenda ſit reſtitutio, causâ cognitâ, eò quòd non appellavit. cit. c. ult. h. t. & l. 1. C. Si ſæpius in integ. reſt. &c. Tum quia hæc eſt nóva reſtituendi cauſa, diverſa ab illa, quę priùs dijudicata erat; nam antea petebatur reſtitutio contra ſententiam latam, poſtea verò petitur adversùs lapſum fatalium appellationis, ut concedatur poteſtas appellandi, etiam poſt decendium elapſum: at ſententia, & lapſus fatalium diverſa ſunt. Tum quia, quando reſtitutio fit ad totam cauſam, perinde eſt, ac ſi non eſſet lata ſententia; quando verò fit ad appellationem tantùm, non tollitur ſententia priùs lata, licèt per appellationem ſuſpendatur eius executio. Tum quia quando fit reſtitutio ad appellandum, debet appellari intra decendium, & ſi ſic reſtitutus cauſam appellationis non proſequatur, intra terminum jure præfixum, confirmatur prior ſententia. Abb. hîc c. l.

XXXVI. Ratio poſterioris partis eſt, tum quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. l. De ætate; 13. §. Ex cauſa; ff. de interrogat. action. Tum quia ex nova cauſa poteſt aliquid iterum peti, non obſtante exceptione rei judicatæ ex alia cauſa. l. Cùm quæritur; 12. & duabus ll. ſeqq. ff. de except. rei judic. ideóque poteſt iterum peti reſtitutio in integrum, ex nova cauſa non allegata in priore judicio, ſi videlicet novæ deducantur cauſæ reſtitutionis, quæ in priore judicio non erant deductæ, quia latebant, aut quæ poſt denegatam reſtitutionem primùm emerſerunt, ſeu ſupervenerunt. Gl. hîc V. Novis; & Abb. n. 1. V. g. ſi Eccleſiæ, quæ ob Procuratoris negligentiam, in contractu, vel judicio læſa fuit, reſtitutio denegata ſit, eò quòd priùs agere debeat contra Procuratorem ad damnum reſarciendum, juxta ſupra dicta tit. 38. ſed poſtea Procurator excuſſus reperiatur non ſolvẽdo, vel de novo fiat impotens ad ſolvendum; tum Eccleſiæ iterum petenti reſtitutionem, ea concedi debet: nam, cùm cauſa illa, ob quam priùs veluti per accidens denegata fuit reſtitutio in integrum, jam ſit ſublata, videlicet quia putabatur, Procuratorem ſufficientem eſſe ad reſarciendum damnum illatum: maneat autem cauſa per ſe reſtitutionis in integrum, videlicet gravis læſio, quæ alio remedio reſarciri nequit, ideo denuo concedi debet reſtitutio Eccleſiæ. Item, ſi minor, aut Eccleſia petens reſtitutionem in intégrum contra ſententiam, quia non produxit privilegia, repulſam paſſa eſt, denegatâ ei reſtitutione, ſed poſtea denuo petat, allegando præſcriptionem, quam antea allegare omiſerat, debet audiri. Abb. hîc num. 4.

XXXVII. Notandum hîc præterea 1. Tempus decendij præſcriptum ad appellandum, currit etiam Eccleſiæ, vel minori: ideóque, ſi Eccleſia velit appellare, vel minor, non admittitur, niſi per reſtitutionem in integrum reſtituatur ad appellandum. cit. c. ult. h. t. & l. 1. C. Si ſæpius reſtit. &c. Abb. hîc n. 2. Nec obſtat, quòd præſcriptio temporalis non currit contra minorem. l. fin. C. in quib. cauſ. reſtit. in integr. &c. & conſequenter nec contra Eccleſiam: quia hoc non habet locum in præſcriptionibus judicialibus, quæ

ſur-

currunt contra omnes. Abb. hic num. 3. & patet ex ſuprà dictis.

Notandum 2. Judex, qui cognoſcere debet de cauſa reſtitutionis contra appellationem omiſſam, poteſt eſſe non tantùm Judex à quo, ſeu inferior, à quo appellari debuiſſet, ſed etiam Judex ad quem, ſive Superior; ut docet Batt. in cit. l. 1. n. 3. C. Si ſæpius reſtitut. &c. quod tamen limitandum eſt, ſi is abſolutè ſit Superior: nam ſi tantùm ſit Superior, & adiri poſſit in cauſa appellationis, ut Archiepiſcopus, reſpectu ſubditorum Suffraganei ſui, tum non poterit cognoſcere de cauſa reſtitutionis contra appellationem omiſſam; quia talis non habet juriſdictionem, niſi quando ad illum appellatur: at verò poſt elapſum decendium à lata ſententia, non poteſt is, qui appellationem omiſit, appellare, niſi priùs in integrum reſtitutus ſit ad appellandum. cùm ergo non fuerit appellatum, non habet Judex ſuperior juriſdictionem, ſive poteſtatem reſtituendi ad appellandum. Abb. hic. n. ult.

§. IV.

Quâ ratione Eccleſiis, vel minoribus læſis, ob damnum illatum, vel lucrum ceſſans, ſuccurratur per reſtitutionem in integrum, & an etiam minor, vel Eccleſia adversùs alium minorem, vel Eccleſiam reſtituenda ſit?

XXXVIII. Aſſertio 1. Sicut minoribus, non tantùm, ſi ratione damni illati, ſed etiam, ratione lucri ceſſantis, graviter læſi ſint, ſubvenitur per reſtitutionem in integrum, ita & Eccleſia reſtituenda eſt. l. Ait Prætor; 7. §. Hodie; ff. de minorib. ubi Ulpianus ait: *hodie certo jure utimur, ut & in lucro minoribus ſuccurratur.* & l. Non omnia; 44. ff. eod. & apertè colligitur ex c. Conſtitutus; 8. h. t. & patet ex dictis ſuprà n. 8. ſed etiam Eccleſiæ læſæ, ſive in damno illato, ſive in lucro ceſſante, reſtituendæ ſunt; ut tradit Gl. in c. Auditis; 3, V. Reſtituimus; h. t. & Abb. in c. Conſtitutus; 8. n. 5. eod. & alij DD. communiter, quia Eccleſia gaudet jure minoris. cit. c. Auditis. Exemplum reſtitutionis in damno emergente eſt, ſi minor xxv. annis, licèt cum conſenſu Curatoris, rem notabilem donavit; cenſetur læſus: niſi ob cauſam rationabilem, v. g. juſtæ remunerationis, vel propter nuptias, aut conſuetas ſponſalitias largitates donârit; tum enim reſtitutioni non eſt locus. l. 1. C. ſi adverſ. donat.

Exemplum lucri ceſſantis eſt, ſi Eccleſia, vel minor legatum, vel hæreditatem ſibi lucroſam repudiavit. cit. l. Ait Prætor; §. Pomponius; ff. de minor. Quòd ſi v. g. res Eccleſiæ, vel minoris prudenter, congruo tempore, ac loco, fuit vendita, eo pretio, quod tunc temporis prudenter acceptari poterat, nō dabitur reſtitutio in integrum, ratione lucri ceſſantis, eò quòd poſtea alius majus pretium offerat; niſi inordinato affectu, & acceleratione, vel negligentiâ vendentium, aut locantium, res minore pretio fuerit vendita, vel locata, quàm alioquin fuiſſet: Et in his caſibus debet intelligi cit. l. Ait Prætor; §. Quæſitum; ff. de minorib. ubi contrarium videtur reſponderi. Mol. tract. 2. de juſtit. diſ. 575. n. ult. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 17. n. 69.

Cæterùm, ſi reſtitutio in integrum fiat ejus læſionis, quæ in damno illato conſiſtit, illa magis privilegiata eſt, & pleniùs fit, quàm ſi læſio in lucro ceſſante conſiſtat: nam, ſi agatur de damno vitando, cōceditur reſtitutio, ſive res, de cujus reſtitutione agitur, ſit integra, ſive non: quando verò agitur de lucro captando, non conceditur reſtitutio, ſi res non ſit ampliùs integra, v. g. ſi hæreditas repudiata à minore jam ſit diſtracta à ſubſtituto. l. Quod ſi minor; 24. §. Scævola; ff. de minorib. Abb. in c. Ex parte; 14. n. 15. de reſtit. ſpoliat. Covarr. l. 1. var. reſol. c. 5. n. 2. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 573. n. 10. Vel, ſi beneficium Eccleſiaſticum, cui minor renunciavit, jam alteri collatum ſit: ſecus, ſi collatio alteri nondum facta ſit, adeóque res ſit integra; tum enim reſtitutio in integrum concedi poterit. Abb. cit. loc. num. 16. quamvis quoad renunciationem beneficij, minorem reſtituendum eſſe, etſi beneficium, poſt renunciationem illius, jam alteri collatum ſit, putent Covarr. c. l. n. 3. Molin. c. l. 16. eò quòd tum agatur de læſione damni emergentis, quia ſuâ facilitate, & imprudentiâ privavit ſe beneficio jam ſuo, adeóque non agitur tantùm de lucro ceſſante. ſed Leſſ. cit. c. 17. n. 63. exiſtimat, nō eſſe in uſu, ut hoc caſu detur reſtitutio. Nec refert, quòd in ſpiritualibus, & beneficiis minor habeatur major. c. ult. de judic. in 6. quia, licèt minor admittatur ad agendum in judicio, etiam ſine curatore, in cauſa beneficiali, ſicut major, juxta cit. c. ult. non tamen ſequitur, quòd læſus reſtitui non poteſt, cùm nullibi à reſtitutione excludatur etiam in caſibus, in quibus agere poteſt, aut de rebus ſuis diſponere, ut in peculio caſtrenſi, & quaſi: ſicut etiam Eccleſia poteſt agere in judicio, & tamen reſtituitur. c. 1. & 2. h. t. Abb. in c. Ex parte; 14. n. 16. de reſtit. ſpol. Covarr. l. 1. reſol. c. 5. n. 8.

XXXIX. Aſſertio 2. Sicut minor læſus contra minorem reſtituitur. l. Verùm, 11. §. Item quæritur; ff. de minor. ita, & Eccleſia læſa reſtituenda eſt, etiam contra aliam Eccleſiam, ut apertè colligitur ex c. Auditis; 3. & ibi Gl. fin. & Abb. n. 8. h. t. Quare, ſi una Eccleſia contraxit cum alia Eccleſia, & in contractu fuit læſa, poteſt petere reſtitutionem in integrum adversùs Eccleſiam, cum qua contraxit.

Nec obſtat, quod dici ſolet: Privilegiatus non utitur ſuo privilegio contra æquè privilegiatum. ſed ſi duorum paria privilegia concurrant, utroque caſſato, ſervari debet Jus commune; ut docet Abb. in c. In præſentia; 8. n. 37. de probat. & alij communiter, ex l. Aſſiduis; 12. C. Qui potior in pign. Nam reſpondetur, id verum eſſe in pari utriuſque cauſa, ſi duo pariter ſint privilegiati, reſpectu ejuſdem cauſæ; ut ſi uterque læſus ſit, & certet de damno vitando: nam tum inter pares melior eſt conditio poſſidentis. c. In pari; 65. de reg. jur. in 6. V. g. minor temere credidit, ſeu mutuò dedit pecuniam alteri minori, iſte inutiliter eam conſumpſit: hoc caſu minor creditor contra alium minorem debitorem non reſtituitur.

tuitur. cit.l.Verùm; §. Item quæritur; ff.de minorib. quia in pari cauſa, melior eſt conditio poſſidentis, ſive, ut dicitur in l. Si minor; 34. ff. eod. hoc caſu, melior eſt cauſa conſumentis, niſi inde locupletior ſit factus, tempore litis conteſtatæ: & favorabiliores Rei, quàm actores cenſentur; juxta reg. jur. 125. in ff. ſibique imputet, quòd credidit. Zoeſ. ff. de minor. num. 57. Secus eſt, ſi duo in genere tantùm ſint privilegiati, ſed reſpectu cauſæ, non ſit par utrinſque conditio; ut ſi unus læſus ſit, alter non, vel ſi certet de damno vitando, alter de lucro captando; tum enim per reſtitutionem in integrum illi parti potiùs ſubveniendum eſt, quæ in damno, ſeu amiſſione juris ſui verſatur; ut docet Bart. in Auth. Quas actiones; num. 3. C. de SS. Eccleſ. & Abb. c. 1. V.g. minor minori credidit, ſeu mutuavit pecuniam, quæ in eius, hoc eſt, debitoris utilitatem verſa eſt; tum creditoris, qui de damno vitando certat, potior ratio habebitur, iſque contra minorem debitorem reſtituetur. cit.l. Verùm; §. Item quæritur; ubi dicitur, inſpiciendum à Prætore, quis captus ſit, ſive læſus, ut is reſtituatur. Gl. ibid. V. Captus ſit. Quòd ſi utraque pars læſa videatur, & contendat de jure ſuo non amittendo, neſciatur autem, utri parti revera jus competat; tum utraque interim reſtituitur, donec de veritate in judicio conſtet; ut in caſu cit. c. Auditis; h. t. ubi utraque Eccleſia reſtituta fuit ad probationem, quam omiſit, adferendam, ne vel una, vel altera pars gravem jacturam juris ſui pateretur. Laym. ibid. n. 6.

Præterea hîc addendum, ſi minor, vel Eccleſia agat de lucro ceſſante, v. g. de hæreditate lucroſa repudiata, contra aliam Eccleſiam, cui lucrum illud, ſive hæreditas jam eſt acquiſita; tum potiùs ſubveniendum eſt illi alteri Eccleſiæ, quæ in poſſeſſione exiſtit, & certat de jure ſibi acquiſito non amittendo, ſeu retinendo, quàm ei, quæ repudiavit hæreditatem, & agit de lucro acquirendo; ut docet Sanch. lib. 6. de matrim. diſ. 4. n. 15. nam privilegiatus contra pariter privilegiatum non reſtituitur, ſi ex tali reſtitutione alter pariter, vel magìs lædendus ſit: nam Eccleſia v.g. quæ non eſt læſa, vel minùs læſa, non habet in eo articulo, ſeu cauſa privilegium. Abb. in cit. c. Auditis; n. 2. Laym. l. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 11. n. 2.

§. V.

In quibus caſibus reſtitutio in integrum Minoribus non concedatur?

XL. Plures ſunt caſus jure expreſſi, in quibus minoribus xxv. annis beneficium reſtitutionis in integrum non conceditur, veluti Primò, ſi major factus, id eſt, poſt exactum xxv. ætatis annum, ſponte confirmet, & ratificet ea, quæ in minore ætate geſta ſunt; tum enim beneficium petendæ reſtitutionis amittit. l. 1. & 2. C. Si major factus ratum habeat. Ratio eſt, quia per ratihabitionem beneficio reſtitutionis renunciare videtur: quilibet enim favori pro ſe principaliter introducto renunciare poteſt. l. Si quis; 29. C. de pact. Tum quia propter ſubſequentem ratihabitionem, cenſentur à majore geſta, cui reſtitutio non conceditur, ratione ætatis: tum quia ſuperveniens novus conſenſus à majore præſtitus tollit præſumptionem læſionis, ob infirmitatem ætatis: ſicut in ſimili pactum nudum non parit actionem; quia præſumitur factum animo indeliberato; at, ſi geminatum fuerit, efficaciter obligat, & ex eo datur actio, quia ob geminationem præſumitur deliberatâ voluntate factum. Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 4. tit. 10. n. 117.

Porrò ratihabitio iſta fit, vel expreſsè per verba, vel ſcripturam: vel tacitè, ſive ipſo facto, ut ſi minor pecuniam, vel rem aliam ex contractu in minore ætate inito exigat, recipiat, vel retineat, hoc ipſo ſatis declarat, ſe ratificare contractum, vel, ſi quadriennium à tempore majoris ætatis elabi paſſus fuerit. l. fin. C. de temp. reſtit. in integrum. Hiltrop. c. l. num. 118. & duabus ſeqq. Quamvis autem ratificatio tollat beneficium reſtitutionis, ſi contractus, in quo minor fuit læſus, mero jure validus fuit; non tamen tollit beneficium, ſeu jus competens majoribus; uti eſt remedium l. 2. C. de reſcind. vend. ſi contractus non valuit ipſo jure, ob defectum v.g. debitæ ſolemnitatis; ut expreſsè habetur in l. 1. C. ſi major factus alien. fact. ſine decret. rat. hab. & docet Leſſ. cit. c. 17. n. 65.

XLI. Secundò, ſi minor ſimulet, ſive dolo aſſerat, ſe majorem, eo animo, ut alium ad contrahendum ſecum inducat, qui aliàs contracturus non erat, non reſtituitur, etſi læſum ſe probaverit. l. 2. & 3. in princ. C. Si minor ſe maior. dixer. quia deceptis, non decipientibus, jura ſubveniunt. cit. l. 2. niſi adverſarios ſciverit, eum fuiſſe minorem. l. De tutela; 7. h.t. ſcienti enim non fit injuria. Si verò dolo adverſarij, contra quem petitur reſtitutio, vel per errorem ex ſua facilitate, minor ſe majorem dixerit, tum reſtitui debet. l. 1. & 3. C. Si minor ſe major &c. Mynſing. centur. 4. obſ. 20. Hiltrop. c. l. n. 122. 123. & 127.

XLII. Tertiò, ſi minor veniam ætatis, ſive diſpenſationem ſuper ætate à Principe impetravit, quæ poſtea geſſit, rata, firmáque manent, neque adverſus ea reſtituitur. l. 1. C. De his qui ven. ætat. impetr. ubi etiam ratio redditur, ne hi, qui cum talibus contrahunt, principali auctoritate circumſcripti eſſe videantur; & quia is, qui impetravit veniam ætatis minoris, fictione juris major natu reputatur: majoribus autem reſtitutio non conceditur. Hiltrop. c. l. num. 128. & 129. Requiritur autem, ut & cauſæ cognitio præceſſerit ſuper morum probitate, & mentis ſolertiâ impetrantis veniam, &, ut reſcriptum Principis ſuper venia ætatis impetratum judici competenti inſinuetur, & offeratur, iſque impetranti adminiſtrationem rerum ſuarum concedat; alioquin impetratio veniæ effectu caret, & poſt illam geſta vires non habent. l. Ea, quæ; 5. in princ. C. De tempor. in integr. reſtit. & l. 2. C. De his, qui ven. ætat. Quamvis autem ij, qui talem veniam impetrârunt, liberam habeant rerum ſuarum adminiſtrationem; non tamen poſſunt bona ſua immobilia alienare, vel obligare ſub hypotheca, ſine Judicis decreto. l. 2. & 3. C. dicto tit. quia alienatio rerum immobilium in magnum præjudicium redundare poteſt. Porrò venia ætatis maſculis non conce-

ceditur, niſi xx. neque fœminis niſi XVIII. ætatis annum impleverint. cit. l. 2. C. eod.

XLIII. Quartò, minor adverſùs caſum fortuitum non reſtituitur, ſi ſcilicet prudenter, & circumſpectè contractum inſtituit, vel aliud negotium geſſit, ita, ut ob nimiam ſuam facilitatem, imbecillitatẽ ætatis, temeritatem, aut imprudentiam non ſit læſus; ſed res caſu fortuito perierit, vel aliud damnum acciderit, quod cuilibet etiam majori, licèt prudentiſſimo, & maximè induſtrioſ, accidere potuiſſet; tum enim minori adverſùs eiuſmodi damnum caſu fortuito, aut fatali quaſi neceſſitate illatum reſtitutio non datur; prout habetur in l. Verùm; 11. §. Sciendum; ff. de minor. Ratio eſt, quia tunc minor non fuit læſus ex contractu, vel quaſi contractu, aut tempore contractûs celebrati, ſed poſtea ex caſu ſupervenente: ad reſtitutionem autem faciendam non attenditur læſio, quæ ex poſtfacto contingit, ſed quæ tempore contractûs, vel quaſi contractûs: nec enim eventus damni indulget reſtitutionem, ſed inconſulta facilitas in contrahendo, vel agendo. cit. §. Sciendum; quæ ſcilicet ex imprudentia, aut imbecillitate ætatis, aut dolo adverſarij cauſam, & originem traxerit. Unde, ſi minor locupletem hæreditatem adiit, cuius prædia poſtea chaſmate, vel aquarum inundatione perierunt, non reſtituitur. cit. l. Verùm; §. Si locupletis; ff. de minor.

Cæterùm, ſi ex ſolutione facta, aut mutuo dato minori, etiã cum auctoritate Curatoris, poſtea is notabiliter lædatur, quia facilitate, aut culpâ ſuâ pecunia in ſolutum, vel mutuò data, fuit perdita, aut malè conſumpta, neque inde minor locupletior factus eſt, hoc caſu reſtitui debet adverſùs huiuſmodi damni eventum; ut patet ex l. 1. C. ſi adverſ. ſolut. l. 1. & 2. C. ſi adverſ. credit. l. Ait Prætor; 7. §. Sed etſi ei; ff. de minor. §. At ex contrario Inſtit. quib. alien. lic. & docet Gl. in cit. l. Verùm; §. Sciendum; V. Item non reſtituetur. Cuius ratio eſt, quia eâ ipsâ ſolutione minori factâ, vel mutuo illi dato, exponitur minor periculo læſionis, ac jacturæ, ſive periculo malè, & imprudenter expendendi huiuſmodi pecuniam, propter eius facilitatem, & imbecillitatem ætatis. unde non eſt mirum, quòd ex læſione poſtea eveniente minori concedatur reſtitutio; quia cenſetur tali læſioni cauſa data ipsâ ſolutione, vel mutui datione: quare in ipſa acceptione pecuniæ incepit læſio, ut rectè notavit Molin. cit. diſ. 573. n. 17. in fine. Sin autem Judicis decreto facta ſit ſolutio, debitor manet omnino liber, nec reſtitutio datur. cit. §. At ex contrario. junct. Gl. V. Securitas, quia tunc debitor ex neceſſitate ſolvit.

XLIV. Quintò, ſi minor pubes contractum à ſe celebratum juramento ſponte facto confirmavit, videlicet ſe alienationem, vel contractum non retractaturum, vel ei, quod geſſit, nõ contraventurum, reſciſſionem poſtea, ſeu reſtitutionem in integrum petere non poteſt, juxta Auth. Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vendit. ubi dicitur: Sacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter cuſtodiantur: idémque habetur in l. 1. C. eodem. Idque procedit, etiamſi cõtractus ſit ipſo jure invalidus; ut, quia alienatio rerum immobilium facta eſt à minore, ſine Curatore, vel decreto Judicis. Gl. in cit. Auth. V. Contractibus. Leſſ. cit. c. 17. n. 65. Molin. cit. diſ. 573. n. ult. nam etſi in cit. Auth. videatur ſupponi, contractum eſſe validum, neq; enim invalidus indiget reſciſſione, vel reſtitutione, reſcindi enim nõ poteſt, quod nullum eſt, ac ipſo jure non valet, quia habetur pro non facto: nihilominus tamen juramẽtum ſervandum eſt, tametſi actus fuerit ipſo jure invalidus, ita, ut minor pubes non poſſit petere, reſtitutionem in integrum contra actum etiam invalidum: quia ſecundùm Canones omne juramentum ſervandum eſt, quod ſine detrimento ſalutis animæ jurantis ſervari poteſt, vel non lædit jus publicum, aut tertij. c. Cùm contingat; 28. de jureiur. Zœſ. in Comment. ff. de minor. n. 40. An autem contractus per juramentum confirmetur, ita, ut, ſi ipſo jure ſit invalidus, validus fiat, dicetur infr. l. 2. tit. 24. de jureiur.

Excipi debet, niſi in contractu juramento minoris puberis confirmato injuſtitia intervenißet, ut ſi dolo, vel metu injuſtè incuſſo inductus fuiſſet ad contrahendum; tum enim juramentum, ſpectato jure civili, eſt ipſo jure irritum, & nec majores natu obligat. cit. Auth. Sacramenta impuberum; in fine. Secundùm Canones verò ſervandum eſt, donec petatur abſolutio à juramento, quâ obtentâ, minor, qui juravit, petere poterit reſtitutionem in integrum. Leſſ. c. l. Zœſ. c. l. n. 43, ubi n. 44. ait, deciſionem cit. Authenticæ in pluribus locis non eſſe in uſu, ſed non obſtante juramento, læſum minorem reſtitui, imò, & majores, impetratâ priùs relaxatione juramenti ab Epiſcopo.

Quòd autem ſtatutum eſt de minore pubere, eum non eſſe reſtituendum adverſùs contractum ſpontaneo juramento ab ipſo confirmatum, id plures DD. extendunt etiam ad impuberem proximum pubertati, & doli capacem; quia tales impuberes obligantur etiam ex delicto. c. 1. de delict. puer. & ſponſalia ab ijs inita tenent, eáque jurata implere coguntur. c. Ex litteris; 10. de deſponſ. impub. Cùm ergò dicta l. 1. & Auth. loquens de minoribus puberibus fundetur in evitando perjurio, cuius etiam impuberes pubertati proximi ſunt capaces; nam & ipſi peierare poſſunt: ideo probabiliter dicitur, eos etiam propter omnimodam identitatem rationis, ſub diſpoſitione cit. Auth. comprehendi, quamvis tali impuberi abſolutio à juramento danda ſit, quia ſicut facilè inducitur ad contrahendum propter ætatem, ita, & ad jurandum. Zœſ. cit. loc. num. 39. & Hiltrop. cit. tit. 10. num. 144.

XLV. Cæterùm aliud dicendum eſt de Prælato Eccleſiæ, qui juravit etiam ſponte, ſe contractum irrevocabiliter ſervaturum; nam, ſi ex tali contractu notabiliter lædatur Eccleſia, licèt Prælatus contraveniendo perjurus fiat, tamen non obſtante juramento, quippe in præjudicium Eccleſiæ facto, adeóque invalido, poteſt, ac debet, eodem Prælato petente, vel alio, ex officio judicis ipſa Eccleſia in integrum reſtitui. Gl. in c. 1. V. Contractum; h. t. in 6. Abb. in c. 1. num. 16. extra eod. Ratio autem differentiæ, cur in contractibus minorum, quos proprio juramẽto confirmârunt, ſe non retractaturos, ceſſet reſtitutio; non tamen in contractibus cum Eccleſia celebratis confirmatis juramento Prælati: ratio, inquam, differentiæ eſt, quia, cùm Eccleſia ſit communitas, adeóque corpus fictum, perſonaliter jurare non poteſt, ideóque etiam ex juramento Prælati, qui jura-

juravit, ſe non revocaturum contractum, ſi lædatur, obligari non poteſt: cùm enim tale juramentum cedat in præjudicium Eccleſiæ, non valet, nec obligat, c. Sicut; 27. c. Intellecto; 33. de jureiur. c.1. de his quæ fiunt à maj. part. Cap. At verò minor, ſi uſum rationis habeat, jurare poteſt; ut docet Suar. tom. 2. de relig. l. 1. de juram. c. 14. num. 5. & patet ex c. 1. de delict. puer. cùm ergo juramentum præſtitum à minore de non contraveniendo contractui à ſe inito, ſolùm contineat ipſius præjudicium, nec vergat in diſpendium ſaluris æternæ; ideo contra proprium juramentum non reſtituitur, ſed ſervare illud debet. Franc. in c.1. num. 5. h. t. in 6. & alij apud Barboſ. ibid. n. 33.

XLVI. Sextò, minor non reſtituitur in delictis, quæ per dolum commiſit, ſecus in ijs quæ per culpam. l. 1. & ibi Gl. V. Extravenit; C. ſi adverſ. delict. ut ſi furtum fecit, vel damnum per injuriam dedit. l. In cauſa; 9. §. Nunc videndum; l. Auxilium; 37. ff. de minor. etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat; ut dicitur in cit. l. 1. non cenſetur tamen dolo deliquiſſe, ſi ætate infans ſit, aut proximus infantiæ; ut docet Clarus l. 5. ſent. §. fin. quæſt. 6. num. 4. Unde neque reſtituitur minor adversùs omiſſam, aut à ſe remiſſam executionem pœnarum criminalium. cit. l. Auxilium; 37. in princ. & ibi Gloſſ. V. Pœnarum; ff. de minorib. quia ea res potiùs ad vindictam pertinet, quàm ad rem familiarem, & læſionem. Zœſ. ff. de minor. n. 29.

XLVII. Septimò, ex profeſſione Religionis, ſi ad eam ingrediendam ex falſa cauſa ſit inductus minor, non reſtituitur in integrum; quia per hoc non infertur illi verum detrimentum; non enim decipitur, aut læditur, cùm per hoc animæ ipſius meliùs conſulatur, & ſtatus in melius commutetur. Abb. in c. Ex parte; 14. num. 16. de reſtit. ſpoliat. Molin. cit. diſ. 573. num. 8. Sicut neque ex matrimonio concedi poteſt minori reſtitutio in integrum, cùm ſit vinculum perpetuum, & indiſſolubile, quoad ſubſtantiam; licèt poſſit reſtitui, quoad dotem promiſſam, ſi in ea læſus fuerit. l. unic. C. ſi adverſ. dot. vel circa litem in cauſa matrimonij, & quoad alia cum ipſo matrimonio accidentaliter conjuncta. Covarr. l. 1. reſol. c. 5. n. 8. Molin. c. l.

§. VI.

Intra quod tempus peti debeat reſtitutio in integrum.

XLVIII. Aſſertio 1. Sicut minor xxv. annis, non ſolùm intra totum tempus minoris ætatis petere poteſt reſtitutionem in integrum, ſi læſus ſit, ſed etiam poſtea quadriennium continuum habet ad illam petendam. l. ult. C. de temp. in integr. reſtit. ita etiam Eccleſiæ, ſi ex contractu, vel Judicis ſententia læſa ſit, datur continuum quadriennium ad petendam reſtitutionem, non autem poſtea, niſi ex cauſa rationabili; prout ſtatutum habetur in c. Eccleſia; 1. » h. t. in 6. ubi dicitur: Eccleſia, quæ ad retardandam » ſententiam (contra ſe latam) vel contractum, per beneficium reſtitutionis in integrum ſe admitti, po» ſtulat, ſed intra quadriennium eam petere per ne» gligentiam intermiſerit, poſtea ad huiuſmodi beneficium reſtitutionis admittenda non eſt. Niſi pro» batum fuerit, prævaricationem, ſive colluſionem, » aut manifeſtam fraudem interveniſſe; vel alia ra» tionabilis cauſa adſit, ob quam Superior moveatur » ad idem beneficium reſtitutionis, etiam poſt qua» driennium concedẽdum. Ratio deciſionis eſt, quia » Eccleſia fungitur jure minoris in reſtitutione petenda. Gl. hîc V. Eccleſia; ſicut ergo minor non auditur, poſt quadriennium, ſi reſtitutionem petat, ita nec Eccleſia, idq; ne lites fiant immortales; niſi juſta cauſa aliud ſuadeat. Vivian. hîc in Rat. Jur. Pontif.

XLIX. Pro intellectu huius c. notandum 1. Quadriennium iſtud in reſtitutione minorum incipit computari ab ætate legitima, ſeu exacto anno xxv. quo deſinunt eſſe minores, & fiunt majores, & durat uſque ad annum xxix. completum. juxta l. fin. C. de tempor. in integrum reſtit. & eſt communis ſententia apud Molin. cit. diſ. 573. num. 3. In minoribus verò, qui veniam ætatis impetrârunt, computatur quadriennium à die, quo venia ætatis obtenta, & intimata fuit. l. 1. C. De his, qui ven. ætat. &c. & ibi Gl. V. Impetraverunt; & l. Ea quæ; 5. C. de tempor. in integ. reſtit. Molin. cit. diſ. 573. n. 4. In reſtitutione verò majorum natu, tempus quadriennij incipit currere à tempore, quo ceſſat juſta cauſa abſentiæ, vel aliud legitimum impedimentum; ut colligitur ex l. ult. C. de tempor. in integ. reſtit. & docet Gl. in Clement. unic. V. A tempore h. t. Denique in reſtitutione Eccleſiæ (vel Reipubl.) quadriennium incipit computari à tempore factæ læſionis, videlicet à tempore celebrati contractûs, vel quaſi contractûs, aut latæ ſententiæ, ex qua Eccleſia læſa eſt. cit. Clem. unic. & ibi Gl. V. A tempore; h. t. Franc. in c. 1. n. 2. not. 3. eod. in 6. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 574. in princ. Quomodo verò, ſi Eccleſia læſa ſit ex lapſu temporis, quadriennium computetur, infrà dicetur.

L. Notandum 2. Licèt hoc tempus quadriennij pro petenda reſtitutione minoribus, & majoribus conceſſum, ſit continuum, ita, ut continuè currat, diebus feriatis, & non feriatis, quibus agere, vel non agere licet: eſt tamen utile quoad hoc, & eo ſenſu, quia non currit juſtè impedito, ita, ut, ſi adverſarij, contra quem petitur reſtitutio, vi, vel dolo, vel ob aliud juſtum impedimentum, non potuit peti reſtitutio in integrum, ſuppleatur poſtea totum illud tempus, quo duravit impedimentum, addito ad quadriennium, quantum temporis ablatum fuerat; ut colligitur ex cit. l. fin. & ibi Gl. V. Vacuam; in fine, & V. Excipiatur; C. de tempor. in integr. reſtit. Gl. in cit. Clem. unic. V. Continuum; Mynſing. centur. 1. obſer. 51. Idemque intelligendum eſt de quadriennio conceſſo Eccleſiæ. Molin. cit. diſ. 573. in fine, & diſ. ſeq. n. 1.

Portò, etſi minor, ſi dubitetur, an contractus ſit celebratus infra minorem ætatem, probare debeat, illum celebratum eſſe tempore minoris ætatis: at verò, ſi dubium ſit, an tempus quadriennij ad petendam reſtitutionem in integrum conceſſum, ſit tranſactũ, tunc non minor, vel Eccleſia, ſed adverſarius, contra quem petitur reſtitutio, id probare debet. l. Si minorem; 4. C. h. t. Molin. cit. diſ. 573. n. 3. Barboſ. in c. 1. n. 18. h. t. in 6. Aliud eſt, ſi conſtet, quadriennium eſſe elapſum, ſed minor, vel Eccleſia aſſerant, illud de jure non potuiſſe currere, ob impedimentum, quod

aderat, vel quia ex alia rationabili cauſa reſtitotio concedenda erat, etiam poſt quadriennium; tum enim onus hoc probandi incumbit ipſi minori, vel Eccleſiæ; ut colligitur ex cit. c. 1. ibi: *niſi probetur*, h. t. in 6. Joan. Monach. ibid. n. 4. & Barb. n. 18.

Notandum 3. Eccleſia, ſi per negligentiam non petiit reſtitui adversùs contractum, vel ſententiam, poſt quadriennium elapſum, non eſt admittenda, nec per viam exceptionis, ſi ex eis conveniatur, nec per viam reſtirutionis in integrum: nam etſi poſſit reſtitoi adversùs lapſum temporis, in quo ſe læſam aſſerit, ut infrà dicetur: non tamen eſt ei reſtitutio concedenda adversùs lapſum quadriennij, quia aliàs daretur reſtitutio ad reſtitutionem impetrandam, & ſic proceſſus in infinitum. Franc. in cit. c. 1. num. 7. Barb. n. 23. & 24.

LI. Notandum 4. Eccleſiæ (ſicut & Reipublicæ) ioterdum etiam poſt elapſum quadriennium, reſtirutio in integrum concedi debet, ſi videlicet juſta cauſa adſit, ob quam Superior beneficium reſtitutionis etiam poſtea concedendum arbitretur. cit. c. 1. in fine h. t. in 6. Molin. cit. diſ. 574. num. 3. Talis cauſa eſt inprimis, ſi prævaricatio, ſeu colluſio, & fraus interveniat, quia ſcilicet colluſum fuit cum Prælato, vel Adminiſtratore bonorum Eccleſiæ: vel, ſi is fraude circumventus fuit, ne reſtitutionem intra quadrienniũ peteret. cit. c. 1. Secundò, ſi valdè enormis ſit læſio, ut docet Gl. fin. in cit. c. 1. h. t. in 6. Abb. in c. 1. n. 2. extr. eod. Covarr. l. 1. reſol. c. 3. n. 10. Leſſ. cit. c. 17. n. 66. Molin. c. l. & ſumitur ex c. pen. de reb. Eccleſ. non alien. ubi Eccleſiæ ob enorme damnum, quod incurrit ex alienatiooe, conceſſa eſt reſtitutio in integrum; poſt quadriennium, imò, & decennium, ut putat Hoſtienſ. ibid. Quænam autem tam enormis læſio cenſenda ſit, ob quam etiam poſt exactum quadriennium, Eccleſiæ reſtitotio concedenda ſit, prudenti Judicis arbitrio determioandom relinquitur; videturq; ſufficere etiam ea læſio, qoæ dimidium juſti pretij non excedit. Covarr. c. l. n. 11. Mol. cit. diſ. 574. n. 3. in fine. Tertiò, ſi propter inculpatam ignorantiã, vel ob aliud juſtum impedimentum, reſtitutio in integrum intra quadriennium petita non ſit; ídque colligitur ex cit. c. 1. & c. 2. h. t. in 6. obi dicitur: ſi Eccleſia infra quadriennium beneficiũ reſtitutioois in integrum petere negligenter omittat, poſtea admittendam non eſſe. ergo ſecus, ſi joſtè impedita ſit petere, juxta Gl. ibid. V. Negligenter; quia legitimè impedito tempus jure definitum non currit. Quare, ſi ab initio de læſione non conſtet, ſed poſtea appareat, tẽpus quadriennij incipit currere à tempore læſionis, non factæ, ſed apparentis; ut docet Laym. l. 3. tr. 4. c. 21. n. 4. In ſpecie autem tale impedimentũ, ob quod quadriennium iſtud non currit, cenſetur eſſe, dum Prælatus, qui malè adminiſtravit, fuitq; cauſa læſionis, vivit, ſi non facilè adduci poſſit, ut proprium factum retractet, ſed eius ſucceſſor poterit petere reſtitutionem in integrum, poſt mortem anteceſſoris ſui. Gl. in cit. c. 1. in notat. & Gl. fin. ibid. Vel, ſi Eccleſia propter metum non audeat petere reſtitutionem à Judice, qui ſententiam injuſtam tulit; ut notavit Abb. in c. Tom ex literis; 5. n. 10. h. t.

LII. Notandum 5. Quòd interdum ob juſtam cauſam Eccleſiæ, & Reipubl. beneficium reſtitutionis in integrum, etiam poſt quadriennium, conceditur, id ſpeciale eſt in Eccleſia, & Republ. neqoe in minoribus locum habet; ut docet Molin. cit. diſ. 574. n. 3. Ratio eſt, quia favor publicus, qui eſt cauſa reſtituendi Eccleſiam, & communitatem, ſemper manet: tum qnia Eccleſia, & Reſpubl. per Adminiſtratores gubernatur, quorum negligentiam, ſeu delictum non debet Eccleſiæ imputari, juxta reg. juris 76. in 6. ideóque illi tanquam perſonæ fictæ citiùs ſuccurrendum eſt. Sed minor, qui ob ætatis imbecillitatem reſtitoitur, poſtqoam major factus eſt, adeóqoe legitimam ætatem eſt conſecutus, majorem favorem jam non meretur, quàm alij majores natu, ideóq; poſt quadrieñium illi per reſtitutionem in integrum non ſobvenitur, niſi ex ijs tantùm cauſis, ob qoas etiam majores natu reſtituuntur. Laym. in cit. c. 21. n. 5. §. Adde 1. Porrò hæc reſtitotio in integrum, quæ Eccleſiæ, & Reipubl. etiam poſt elapſum quadriennium, interdum ex ſuprà dicta aliqua caoſa rationabili, conceditur, ex Judicis officio extraordinariè darj poteſt, non tantùm ad alterum quadriennium, ut nonnulli putant, ſed etiam uſque ad longiſſimum tempus, videlicet xxx. annos; ut docet Covar. cit. c. 3. n. 12. §. Sed ut rem. arg. l. Sicut in rem; 3. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. junct. Gl. margin. V. Proſecutione; ubi ait, quòd contra Judicis officium regulariter non præſcribitur, niſi ſpatio xxx. annorom.

LIII. Aſſertio 2. Eccleſia poteſt petere reſtitutionem in integrum, etiam adversùs lapſum temporis, in quo ſe læſam (enormiter) affirmat (& probat) & cauſa huiuſmodi reſtitutionis debet finiri, infra qoadrieñium continuom à tempore læſionis compotandum, etiamſi tempns læſionis ſit minns quadriennio. Sed non fiet reſtitutio, niſi ad illud tempus tantùm, quantom ſe per lapſum temporis læſam eſſe, Eccleſia probaverit. Ita habetur ſtatutũ in Clem. ab Eccleſia; unic. h. t. V. g. Procurator Eccleſiæ petiit certum terminum ad producendũ teſtes, & alias probationes, & ipſi aſſignati ſoot tres menſes, intra quos neglexit producere teſtes, & alia acta: hoc caſu, Eccleſia poteſt petere reſtitutionem in integrũ infra qoadriennium à tempore læſionis: ſed nõ reſtituitur, niſi ad tempos, in quo ſuit læſa; ut, ſi tres menſes ſint conceſſi pro termino, & ipſa tantùm fuit impedita producere teſtes, vel alia inſtrumẽta per duos menſes, reſtituetur ſolùm ad tempus, in quo fuit læſa, ſcilicet ad duos menſes, non ad tres. Gl. hic in caſu. Idémque eſt, ſi Eccleſia, vel eius Procurator extra judicium, infra tempus ſtatutum, non obtulit pretium emptori, & ex eo Eccleſia læſa fuerit. Gl. hic V. Lapſum temporis.

LIV. Notandum 1. Diſtingoendum eſt hîc duplex tempus, onum, infra quod peti debet, & fieri reſtitutio in integrum; alterum tempus, ad quod fit reſtitutio; ut notat Gl. hîc V. Si minus; & Abb. num. 2. Qood ad prios tempos attinet, ſi Eccleſia petat reſtitutionem in integrum, ſemper ea debet peti, & finiri intra quadriennium, licèt læſio fuerit minoris temporis; proor habetur in hoc c. & tradit Gl. magn. hîc in notatis. Et hoc quidem, ſi agatur de læſione ex cõtractu, aut ſententia, eſt iodiſtinctè verum: ſi verò ex lapſu temporis; tunc Eccleſiæ datur quoque ſemper quadriennium ad petendam reſtitutionem, etiamſi læſio ſit minoris temporis, qoàm quadriennium, v. g. in decendio, quod datur ad appellandum, ſi id neglexit

zit

xit Eccleſia, poteſt petere reſtitutionem intra quadriennium. Gloſſ. magn. hîc in notat. & Abb. n. 6. In alijs verò reſtitutionibus, præter Eccleſiam, ut, ſi major petat reſtitutionem adversùs lapſum temporis, communiter diſtinguunt: vel enim læſio eſt tanti temporis, quantum eſt quadriennium; & tunc infra quadriennium datur reſtitutio in integrum: vel læſio eſt minoris temporis; & tunc non datur integrum quadriennium, ſed ſolùm tantum tempus ad reſtitutionem petendam, quantum fuit tempus læſionis. V. g. ad petendam reſtitutionem contra uſucapionem, quæ finitur trienn[i]o, non datur quadriennium, ſed tantùm unus annus, v. g. ſi Dominus per unum annum tantùm abfuit Reipubl. cauſâ; ut refert Gloſſ. hîc V. Si minùs; licèt hanc ſententiam non approbet. Sed probabilius eſt, quòd indiſtinctè, etiam privatis, utroque Jure detur quadriennium, infra quod peti poteſt reſtitutio, etiamſi læſio ſit minoris temporis; quia textus in hac Clement. non ſe fundat ſuper favore Eccleſiæ, & in dubio recurrendum eſt ad Jus Canonicum, & per illud declarandum Jus dubium Civile; nam, cùm hoc, ſi dubium ſit, declaretur per conſuetudinem, multò magìs per Jus Canonicum, quod majoris eſt auctoritatis. Abb. hîc n. 7. & 8. Quòd verò attinet ad poſterius tempus, videlicet ad quod fit, ſeu datur reſtitutio, hoc non eſt ſtabile, ſed variatur ſecundùm quantitatem læſionis, nec datur ad majus tempus, quàm fuerit tempus læſionis, ut in exemplo ſuprà allato; idque procedit utroque Jure, ut de Canonico conſtat ex hac Clement. de Civili ex l. Sed etſi per Prætorem; 26. §. Quotiens; ff. Ex quib. cauſ. major. &c. Ratio eſt, quia, ſi quis reſtitueretur ad majus tempus, quàm fuerit tempus læſionis, non ſolùm reponeretur in priore ſtatu, ſed in meliore, quàm ante læſionem fuerat; & ſic eſſet in lucro, & plus haberet, quàm antea, etſi non fuiſſet læſus, quod eſſe non debet. Gloſſ. hîc V. Si minùs; & in cit. §. Quotiens; V. Unius; & ideo reſtitutio adverſus lapſum temporis ſemper ſolùm datur ad tantum tempus, quantum fuit tempus læſionis, non ad majus, ſeu longius. Abb. hîc n. 2. & 5.

LV. Notandum 2. Hæc conſtitutio habet locum, non tantùm in reſtitutione adverſùs lapſum temporis judicialis, ſed etiam extrajudicialis, quia indiſtinctè loquitur, ſive Eccleſia ſit læſa in judicio, ſive extra, ex curſu temporis. Gloſſ. magn. hîc in notat.

Notandum 3. Quamvìs cauſa reſtitutionis in integrum adverſus lapſum temporis debeat inhoari, & finiri, intra quadriennium à tempore læſionis, & ſic officium nobile Judicis, quod imploratur ad impetrandam reſtitutionem in integrum, non perpetuatur per litis conteſtationem, ſicut fit in actione: ſi tamen non per Eccleſiam, ſed per Judicem, vel adverſarium ſteterit, quò minùs cauſa intra illud tempus finiatur, tum lapſus ipſius non imputabitur, nec nocebit Eccleſiæ. Gloſſ. hîc V. Finiri; & Barb. n. 7

Notandum 4. Si Eccleſia non produxit teſtes, & alias probationes, intra terminum peremptorium ipſi aſſignatum ad probandum, & ideo ſententia contra illam lata eſt; tum probabilius eſt, quòd quadriennium petendæ reſtitutionis incipit currere, non à fine termini; ſed à tempore ſententiæ; quia ſatìs eſt contra ſententiam petere reſtitutionem in integrum. Gloſſ. hîc V. A tempore; & Abb. in fine. Porrò, quamvìs ad hoc, ut Eccleſia petens ſe reſtitui, audiatur, & ut cauſæ reſtitutionis in integrum examinentur, ſufficiat, quòd affirmet, ſe læſam: non tamen conceditur ei reſtitutio in integrum, niſi læſione probatâ. Gl. fin. hîc, & patet ex fine hujus c.

LVI. Aſſertio 3. Si Eccleſia (vel ejus Prælatus, aut Procurator agens in judicio) adversùs propriam confeſſionem, ex qua læſa fuit (enormiter, » ſeu graviter) beneficium reſtitutionis in integrum » infra quadriennium à tempore confeſſionis computandum, petere per negligentiam intermiſerat, » ad illud petendum poſtea non eſt admittenda, niſi » cauſa rationabilis aliud ſuaſerit. Si verò Eccleſia » per viam communem, ſeu ordinariam, errorem, » qui in facto conſiſtit, circa confeſſionem ſuam revocare velit, tum ſemper id poterit facere, (etiam poſt quadriennium) donec cauſa finita ſit. » Ita habetur ſtatutum in c. Si adverſus; 2. h. » t. in 6.

LVII. Pro intellectu hujus c. notandum 1. Si Prælatus nomine Eccleſiæ agens in judicio, etiam ſinè conſenſu Capituli: vel Procurator Eccleſiæ, fateatur aliquid, quod plenè probari non poteſt, & ex tali confeſſione læſa ſit ipſa Eccleſia; tum ei conceditur reſtitutio in integrum, uſque ad quadriennium computandum à tempore confeſſionis, ſeu læſionis. Gloſſ. hîc V. Confeſſionem; & Franc. n. 1. & 2. idque etiam conſtat ex l. Certum; 6. §. In pupillo; ff. de confeſſ. & l. Si ea cauſa; 9. §. Nunc videndum; ff. de minorib. Idque extenditur primò: quòd etiam contra confeſſionem juramento firmatam, ſi falsò per imprudentiam Prælati, vel Procuratoris facta ſit, non obſtante juramento, beneficium reſtitutionis in integrum peti poſſit; ut docent plures apud Barboſ. hîc num. 3. & non ſolùm, ſi in cauſa civili, ſed etiam criminali facta fuerit confeſſio, contra eam datur reſtitutio in integrum. Barboſ. cit. loc. num. 4.

Notandum 2. Ad hoc, ut Eccleſia poſſit petere reſtitutionem in integrum contra confeſſionem, ex qua læſa eſt, non requiritur, ut probetur falſitas, vel error, ſed ſufficit, ſi probetur læſio gravis, cùm hæc ſit ſufficiens cauſa reſtituendi Eccleſiam. Franc. hîc n. 4. not. 2. nam, ſi Eccleſia, non ſolùm læſionem, ſed etiam errorem facti in confeſſione commiſſum ante ſententiam, & infrà quadriennium probare teneretur, ad hoc, ut concedatur ei beneficium reſtitutionis in integrum contra propriam confeſſionem, tum nullum haberet privilegium, quoad revocationem propriæ confeſſionis, cùm Jure communi, probato errore, quilibet major admittatur, poſt latam ſententiam, ad revocationem propriæ confeſſionis, ex illa clauſula generali Prætoris: *Si qua alia cauſa juſta &c.* Gloſſ. marg. hîc V. Confeſſionem; & Anchar. §. Opponitur.

Notandum 3. Poteſt quoque Eccleſia confeſſionem ſuam, ex qua læſa eſt, revocare, allegando, & probando errorem commiſſum fuiſſe, nempe facti, non juris, qui ordinariè non excuſat, l. 2. ff. de confeſſ. l. Error; 8. de jur. & fact. ignor. Et hoc caſu Eccleſia non tantùm infra quadriennium, ſed e-

tiam poſtea ſemper auditur, ſicut quilibet privatus, dummodo error probetur, causâ nondum finitâ; prout habetur in fine hujus c. Gloſſ. ibidem V. In facto. Exemplum dat Laym. hîc n. 1. ſi v. g. Prælatus, vel Procurator Eccleſiæ in judicio fateatur, alienationem factam eſſe, cum conſenſu Capituli, cùm tamen ſinè illa facta ſit; hic error, quippe facti, revocari poteſt. Si verò Prælatus, vel Procurator aſſerat, alienationem factam, ſine conſenſu Capituli, eſſe validam, vel ex iguorantia juris non alleget, quòd ſine conſenſu Capituli facta ſit, tum error iſte, quippe juris, revocari non poteſt, licèt Eccleſia petere poſſit reſtitutionem in integrum.

LVIII. Notandum 4. Ad revocandum errorem facti contra propriam confeſſionem, requiritur etiam, ut error, qui in confeſſione commiſſus dicitur, ante finitum negotium, ſive latam ſententiam probetur; prout etiam habetur in c. ult. de confeſſ. & tradit Gloſſ. in l. 2. V. Qui errat; ff. eodem: junct. Gloſſ. marg. ubi ait, quòd confeſſio facti erronea ad ſententiam uſque revocari poteſt. Sed neque ante ſententiam, poſtquam in cauſa concluſum eſt, ita, ut nihil ſuperſit, niſi ferenda ſententia, poteſt revocari confeſſio, in qua commiſſus eſt error facti; ut docet Gloſſ. fin. hîc, & Jo. Monach. num. 2. Anchar. not. 5. Arg. c. Auditis; 8. de Procurat. quia poſt concluſionem in cauſa, admittitur probatio partis, quæ neceſſaria eſt ad allegandum errorem facti. Excipi debet, ut addit Laym. hîc in fine. niſi notorium ſit, errorem facti commiſſum eſſe, vel Judex ex officio de illo cognoſcere velit; tum enim non requiritur, ut error facti à parte probetur.

Notandum 5. Reſtitutio in integrum contra confeſſionem propriam competit ſolùm Eccleſiæ, vel minori intra quadriennium: at verò revocatio erroris per viam juris communis quandocunque fieri poteſt, ante finitam cauſam; quia ſpeciale privilegium per extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum citiùs, & faciliùs tollitur, quàm remedium ordinarium Juris communis. Anchar. hîc not. 3. & Franc. n. 3. Et hinc neque beneficium reſtitutionis in integrum poteſt ſimul concedi cum remedio ordinario Juris communis; quia extraordinarium nunquam competit, quando datur ordinarium, ſive Juris communis. l. In cauſæ; 16. ff. de minorib. Ancharan. hîc not. 3. quamvìs contrarium teneat Gloſſ. hîc V. Computandum; ubi ait, in hoc minorem differre à majore, quia minor, etiam poſt ſententiam infrà quadriennium, reſtituitur contra ſuam confeſſionem: major verò non niſi ante ſententiam, & probato errore. Sed prius eſt verius.

Notandum 6. Poteſt quis venire contra proprium ſuum factum, ratione erroris, quia nihil tam contrarium eſt conſenſui, quàm error. l. Si per errorem; 15. ff. de juriſdict. Gloſſ. hîc V. Jurare.

§. VII.

Coram quo Judice petenda ſit reſtitutio in integrum, ſive quis de ea cognoſcere poßit?

LIX. Aſſertio 1. Ordinariè loquendo, reſtitutio in integrum poſtulanda eſt à Judice illius, contra quem ea petitur, qui petens reſtitutionem in integrum eſt velut actor; ideóque forum rei ſequi debet; ut habetur in l. 2. C. ubi, & apud quem cognit. &c. Abb. in c. 1. n. 18. h. t. & Covarr. l. 1. var. reſol. c. 4. in princ. Dixi, ordinariè; nam, ſi contractus celebratus ſit in alio loco, in quo reus conveniendus non habet domicilium, poteſt minor læſus ex eo contractu petere reſtitutionem in integrum coram Judice illius loci, ſi ibi reus, contra quem petenda eſt reſtitutio, reperiatur; quia ratione contractûs ſortitur quis forum, ita, ut in loco contractûs conveniri poſſit, ſi ibi exiſtat, etiamſi ibi domicilium non habeat: neque ulla eſt ratio, cur judex loci contractûs ſit competens judex ad intentandam actionem ex eo contractu, & non ſit competens ad contractum reſcindendum, ſive petendam reſtitutionem coram illo, propter læſionem ex eo contractu, ſi adverſarius, contra quem petitur, ibi ſit præſens; ut docet Covarr. cit. c. 4. num. 1. Molin. tract. 2. de juſtit. diſ. 573. n. 23.

LX. Porrò, ſi Eccleſia læſa ſit, poteſt reſtitutionem in integrum petere etiam adverſus Laicum, coram Judice proprio, & Eccleſiaſtico, quia, quando Eccleſia agit ex jure, & privilegio ſpeciali, illud deducere poteſt in judicio coram Judice Eccleſiaſtico, idque ſtatutum eſt favore Eccleſiæ; ut colligitur ex c. 1. h. t. & multò apertiùs ex c. pen. de reb. Eccl. alien. ubi, cùm Monaſterium quoddam enormiter eſſet læſum, ex contractu cum Laico inito, præcipitur reſtitui in integrum per Judicem Eccleſiaſticum. Abb. in cit. c. 1. n. 18. et c. Conſtitutus; 8. n. 1. h. t. Covarr. c. l. Molin. cit. diſ. 573. n. 25. Id quod Abbas, & alij nonnulli extendunt etiam ad Clericos minores læſos in bonis ſuis proprijs. Verùm probabilius eſt, quòd, ſi Clericus minor læſus ſit in bonis ſuis proprijs, & privatis, maximè in patrimonialibus, debeat Laicum convenire coram Judice ſeculari, & ab eo petere reſtitutionem in integrum; cùm etiam ſecundùm Canones, actor forum Rei ſequi debeat. Imol. in c. Conſtitutus; 8. n. 8. h. t. ubi ait, quòd in caſu illius c. locus ille, vel erat de terris ſubjectis Eccleſiæ; & ideo potuit conveniri etiam Laicus. coram Judice Eccleſiaſtico: vel erat conſuetudo illius loci, quòd, ſi actor eſſet Clericus, poſſet reum trahere ad forum Eccleſiaſticum. Neque verò privilegia conceſſa ipſis Eccleſijs, earúmque bonis extendi debent ad Clericorum bona patrimonialia, niſi à jure Canonico expreſsè diverſum fuerit in quibuſdam caſibus ſtatutum. Covarr. c. l. num. 2. & 3. Molin. c. l.

LXI. Aſſertio 2. „Cauſa reſtitutionis in integrum coram Judicibus ordinarijs adminiſtrationem habentibus, vel à delegatis eorum tractari, & finiti debet: ſive ea ipſis delegatis ſpecialiter ſit „

com-

„ commiſſa, ſive in controverſiam ipſis demandatam incidenter veniat. At verò delegari à Judicibus ordinarijs, qui non adminiſtrationem, ſed ſimplicem juriſdictionem, ſeu facultatem judicandi tantùm habent, ſicut & arbitri, de cauſa reſtitutionis cognoſcere non poſſunt, niſi coram eis incidenter mota fuerit. Ita habetur ſtatutum in c. Cauſa; 9. h.t. & in l. ult. C. ubi, & apud quem cognit. in integr. reſtitut. &c. Additur in fine cit. c. Quod in matrimoniali quoque; vel liberali (id eſt, in qua de libertate hominis agitur) vel criminali cauſa arbiter aſſumi non poteſt, cùm tales cauſæ majores Judices exigant. Conſentit l. Non diſtinguemus; 32. ff. de his, qui arbitr. recep. &c.

LXII. Hinc colligitur 1. Quòd is Judex, qui ordinariam juriſdictionem, cum adminiſtratione rerum, ſeu jurium, conjunctam, adeóque imperium aliquod merum, aut mixtum in territorio aliquo habet, poteſt reſtituere in integrum, ſive de cauſa reſtitutionis in integrum cognoſcere, veluti Epiſcopus, ejúſque Vicarius generalis, & alij Prælati Eccleſiaſtici, & poteſtates, ſeu Magiſtratus ſeculares. Imò etiam minores Judices ordinarij, contentioſam juriſdictionem cum adminiſtratione habentes, qui alicui Univerſitati præſunt, reſtituere in integrum poſſunt, etſi merum imperium non habeant. Gloſſ. in cit. c. Cauſa; V. Habentibus; h. t. & ibid. Abb. not. 1. Gloſſ. in cit. l. ult. V. Juriſdictio; C. ubi & apud quem cognit. &c. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum eſt actus imperij mixti, qui nobili officio Judicis expeditur; ut tradit Bartol. in cit. l. ult. num. 3. talis autem Judex ordinarius exercet officium nobile: &, licèt reſtitutio in integrum poſſit delegari, id eſt ſpeciale favore minoris, ſecundùm Bartol. c. l.

LXIII. Colligitur 2. Delegatus ad univerſitatem cauſarum, ſi habeat adminiſtrationem rerum in territorio aliquo, de cauſa reſtitutionis in integrum principaliter cognoſcere poteſt, licèt illa non ſit ipſi ſpecialiter commiſſa; uti ſumitur ex cit. l. ult. ibi: *vel ſi generaliter dati ſint Judices*, id eſt, delegati. Gloſſ. ibid. V. Dati; & docet Bartol. ibid. n. 4. Abb. in cit. c. Cauſa; n. 7. Ratio eſt, quia delegati ad univerſitatem cauſarum æquiparantur Judicibus ordinarijs.

LXIV. Colligitur 3. Judex ordinarius, qui adminiſtrationem rerum, ſeu bonorum in aliquo territorio non habet, aut imperium ſaltem mixtum, ſed tantùm poteſtatem judicandi ſimpliciter, non poteſt principaliter reſtituere, ſive tractare cauſam reſtitutionis in integrum. cit. l. ult. junctâ Gloſſ. V. Non habent; & colligitur ex cit. c. Cauſa; per ſenſum contrarium. Abb. ibid. n. 7. Ratio eſt, quia ſimplex juriſdictio non exercetur per liberum, ſeu nobile Judicis officium, ſed per mercenarium, quod actioni merè civili deſervit: reſtituere verò in integrum eſt actus imperij mixti, quod nobili Judicis officio exercetur. Laym. l. 1. Theol. mor. c. 5. n. 7. & 8.

Porrò tales Judices ordinarij, ſinè adminiſtratione, ſunt illi, quibus Princeps indulget, ut poſſint cauſas v. g. appellationum, vel alias audire, & definire, & juriſdictionem voluntariam exercere, v. g. dare Tutores, & Curatores, vel emancipare: qui honorem, & dignitatem habent, ſed non adminiſtrationem; quales ſunt Epiſcopi, qui renunciârunt regimini, ſed non honori, & dignitati Epiſcopali; & horum juriſdictio etiam prorogari poteſt, ita, ut, ſi qui velint ſe ſubjicere eorum juriſdictioni, poſſint cognoſcere de eorum cauſis, neminem autem compellere poſſunt coram ſe litigare. Gloſſ. in cit. c. Cauſa; V. Non habent; h. t. Hoſtienſ. in ſumma. §. A quo petenda ſit reſtit. eod. Exemplum hujuſmodi juriſdictionis ſimplicis, ſeu ſinè adminiſtratione, habetur in Authent. habita C. Ne filius pro patre &c. ubi ſcholaribus licentia datur, ut, ſi velint, litigare poſſint coram Magiſtris, ſeu Profeſſoribus ſuis, quibus in ea lege juriſdictio (ſcilicet ſimplex, & ſinè adminiſtratione) tribuitur.

LXV. Colligitur 4. Judex delegatus, etiam Principis, non poteſt principaliter reſtituere in integrum contra ſententiam ſuam definitivam; quia poſtquam ſententiam ſemel protulit, functus eſt officio ſuo, ſive bene, ſive malè, ejúſque juriſdictio ceſſat, c. In litteris; 9. de offic. Jud. deleg. Excipe, niſi talis poteſtas reſtituendi ei ſpecialiter commiſſa ſit à Principe, vel ab eo, qui ordinariam juriſdictionem cum adminiſtratione habet, adeóque à Magiſtratu habente merum, vel mixtum imperium: non item, ſi ſpecialiter commiſſa ſit à Judice ſimplicem juriſdictionem habente; ut patet ex cit. c. Cauſa; & notat ibid. Abb. n. 7. & ex cit. l. ult. Nam, cùm Judex ſimplicem juriſdictionem habens, ſinè adminiſtratione, non poſſit principaliter cauſam reſtitutionis cognoſcere, conſequenter nec alteri eam delegare poteſt: nemo enim dare poteſt, quod non habet.

LXVI. Colligitur 5. Quilibet Judex, qui juriſdictionem aliquam, ſive ſimplicem ordinariam, & ſinè adminiſtratione, ſive etiam delegatam tantùm habet ab Ordinario habente, vel non habente adminiſtrationem, poteſt de cauſa reſtitutionis cognoſcere incidenter; ut conſtat ex cit. c. pen. h. t. & cit. l. ult. V. g. ſi minor, vel Eccleſia læſa ſit, propter omiſſam probationem in termino peremptorio, Judex delegatus, etiam ab Ordinario ſimplicem juriſdictionem habente, poteſt eam reſtituere in integrum. Abb. in cit. c. pen. not. 3. Ratio eſt, quia delegatus ad cauſam principalem, cenſetur etiam delegatus ad quamlibet, quæ cum ea coincidit, & velut acceſſoria eſt: ideóque etiam ad negotia incidentia, ſeu acceſſoria non requiritur nova commiſſio, niſi ſit res majoris momenti, ac præjudicij. Idque confirmatur ex generali illa regula: Qui eſt Judex cauſæ principalis, eſt etiam Judex cauſæ incidentis cum illa, licèt aliàs de illa non poſſet principaliter cognoſcere; quæ eſt deſumpta ex l. Quoties; 3. & ibi Gloſſ. notat in caſu. C. de judic.

LXVII. Colligitur 6. Arbiter compromiſſarius non poteſt cognoſcere de cauſa reſtitutionis in integrum, niſi mota ſit incidenter, ſive incidat in cauſam principalem, de quâ compromiſſum eſt. cit. c. pen. h. t. & cit. l. ult. C. Ubi, & apud quem, &c. Neque verò arbiter cognoſcendo de incidente quæſtione reſtitutionis in integrum, dici poteſt excedere limites compromiſſi, quia hujuſmodi reſtitutio non eſt cauſa diverſa ab ea, quæ arbitro commiſſa eſt, ſed ex illa oritur, & ei velut acceſſoria cohæret

ideóque

ideóque de illa etiam coguoſcere poteſt, vi compromiſſi in eum facti. Gloſſ. in cit. c. pen. V. Incidenter; h.t. Quamvìs autem arbiter per ſe non poſſit reſtituere in integrum, quia nec imperium, nec ſimplicem juriſdictionem habet, ſed nudam cognitionem partium conſenſu datam. l. 1. C. de recept. arbitr. l. Ait Prætor; 5. ff. de re judic. compromitti tamen in arbitros poſſe videtur, ut pronuncient reſtituendum, ſeu determinent, num reſtitutio à Judice petenda ſit, nécne; quia tunc non ipſi reſtituunt, quod facere non poſſunt. Gloſſ. in cit. l. ult. V. Compromiſſarios; & ibid. Bart. n. 5.

Porrò de cauſis, de quibus dicitur in cit. c. Cauſa; in fine, h. t. quòd arbitris committi non poſſint, quia ſunt valdè arduæ, & maximi præjudicij, & de alijs hujuſmodi cauſis, commodiùs agetur infrà tit. 43. hoc libro.

LXVIII. Aſſertio 3. Solus Princeps, qui Superiorem non recognoſcit, ut Imperator, vel Rex, poteſt aliquem adversùs ſententiam definitivam ipſius Principis, vel Vicarij ſui, qui vice Principis judicavit, aut delegati ipſius, reſtituere in integrum. l. Minor; 18. §. Sed etſi; ff. de minorib. l. Adverſus; 3. C. ſi adverſ. rem judic. & ibi Bartol. Abb. in cit. c. Cauſa; n. 7. ſed nec ipſemet delegatus Principis poteſt in integrum reſtituere, niſi id ei ſpecialiter commiſſum ſit; ut notat Gloſſ. fin. in cit. l. 3. in addit. & ibi Bart. in fine. quod intelligi debet, non poſſe delegatum reſtituere adversùs ſententiam definitivam, bene autem adversùs ſententiam aliquam interlocutoriam; ut habetur apud Bartol. in cit. l. 3. in annotat. Neque etiam inferior Ordinarius, v. g. Epiſcopus, poteſt reſtituere in integrum adverſus ſententiam Principis, vel delegati ipſius; quia delegatus in cauſa ſibi commiſſa major eſt Ordinario, c. Paſtoralis; 11. §. Præterea; de offic. Jud. ordin. Minor autem, ſeu inferior Magiſtratus, ſive Judex etiam habens adminiſtrationem non reſtituit contra ſententiam majoris, ſeu ſuperioris. cit. l. Minor; in princ. ff. de minorib. At verò adverſus propriam ſententiam, vel eorum, qui æqualem, vel inferiorem juriſdictionem habent, Judex ordinarius poteſt reſtituere, tam minorem, vel Eccleſiam, quàm etiam majorem ex juſta cauſa. l. In cauſæ; 16. in fine. ff. de minorib. Abb. in cit. c. Cauſam; num. 7. Gloſſ. in cit. l. Minor; in princ. V. Non reſtituat.

Præterea is, qui ſententiam tulit, poteſt contra illam reſtituere in integrum, cauſâ cognitâ, vel Superior ejus, v. g. Epiſcopus contra Vicarij generalis ſententiam: non autem vice verſâ Vicarius reſtitutionem facere poteſt contra ſententiam Epiſcopi; ut docet Abb. in c. Tum ex litteris; 5. num. 3. h. t. & dictum ſuprà num. 25. h. t. quia inferior non reſtituit contra ſententiam Superioris. cit. l. Minor; ff. de minorib. Porrò hodie in quibuſdam regnis ſolus Princeps, aut ejus nomine ſupremus Senatus reſtituit in integrum. Zoeſ. ff. h. t. n. 5.

* * *

§. VIII.

De forma, & effectu reſtitutionis in integrum, ac de reſtituendis fructibus, & expenſis.

LXIX. Quæritur 1. Quâ formâ, ſeu modo peti, & fieri debeat reſtitutio in integrum? Reſpondetur: Forma petendæ, & faciendæ reſtitutionis eſt, ut intra legitimum tempus, implorato officio Judicis. l. Quòd ſi minor; 24. §. ult. ff. de minor, apud competentem Judicem illius, contra quem petitur, proponatur petitio, atque ita causâ legitimè cognitâ, & probatâ. l. 1. & l. fin. ff. h. t. l. Ait Prætor; 7. §. Non ſolùm; 1. l. Verùm; 11. §. Sciendum; ff. de minor. & præſente adverſario, niſi per contumaciam abſit. cit. l. In cauſæ; §. Cauſa; præmiſſâ citatione, & litis conteſtatione, reſtitutio fiat. Mynſing. cent. 1. obſ. 49. Weſenb. in paratitl. ff. h. t. n. ult. Poteſt autem reſtitutio in integrum dupliciter proponi: 1. Directè, ac principaliter, per modum petitionis, ſeu actionis; ut modò explicatum. 2. Incidenter, per modum exceptionis, ut, ſi minor conventus ab aliquo ex contractu, in quo ipſe minor læſus eſt, excipiat contra actorem, ſe eſſe læſum ex eo contractu, peteréque reſtitutionem in integrum. Quæ tamen exceptio, non longiore tempore opponi poteſt, quàm directè peti poteſt ipſa reſtitutio; quia exceptio, quæ oritur ex actione temporali, quæ certo ſolùm tempore intentari poteſt, non eſt perpetua; ac proinde hæc exceptio non durat ultra quadriennium, poſt completam minorem ætatem, ſicuti ipſa petitio directa reſtitutionis in integrum non ulteriùs durat, in qua illa fundatur. Molin. cit. diſ. 573. n. 22.

LXX. Quæritur 2. Quis ſit effectus reſtitutionis in integrum? Reſpondetur: Is eſt, ut unuſquiſque jus ſuum integrum recipiat. l. Quod minor; 24. §. Reſtitutio; ff. de minorib. Ideóque reſtitutio utrique parti communis eſt, ita, ut non tantùm Eccleſia, vel minor læſus, ſed etiam ij, qui cum illis contraxerunt, in priſtinum ſtatum reponendi ſint; quod in omnibus reſtitutionibus in integrum, ita exigente æquitate, obſervatur. Weſenbec. ff. de minor. n. ult. Nam ſicut, qui reſtituitur in integrum, damno affici non debet, ita nec lucrum eum facere, æquitas patitur. l. Ergo; 22. §. Sicut; ff. eod. Quare, ſi minor, vel Eccleſia, aut Reſpubl. in contractu v. g. venditionis læſa reſtituatur, non tantùm pretium emptionis reddere debet, quatenus in utilitatem læſi, v. g. minoris verſum probatur. l. Prædiorum; 10. C. de prædijs minor. (nam ſecus, ſi pretium abſumptum fuiſſet) ſed etiam omnes expenſas neceſſarias, aut utiles ab emptore in rem emptam bonâ fide factas, unâ cum laboris æſtimatione, ac melioramentis. c. 1. in fine; h. t. l. Intra; 39. in fine junct. Gloſſ. V. Expenſas; ff. de minor. & dictum ſuprà n. 12. h. t. Secus eſt de ſumptibus voluptatis causâ ab emptore factis; hi enim non reſtituuntur. l. Sinè; 32. §. Item reſpondit; ff. De Adminiſt. Tut. Neque verò emptor tenetur rem emptam à minore, vel Eccleſia reddere, etiam poſt reſtitutionem in integrum impetratam; ſed poteſt eam retinere, donec de pretio,

pretio, ſumptibus, & labore fuerit ei ſatisfactum. Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t. Sed jam hîc

LXXI. Quæritur 3. An, quando minor, vel Eccleſia in alienatione fundi, v. g. læſa eſt, non tantùm res principalis, ſed etiam fructus percepti ab emptore reſtituendi ſint, ſi adhuc extent, vel inde locupletior factus ſit? Affirmat Abb. in c. 1. n. 4. h. t. Betojus ibid. n. 41. & 42. Covarr. lib. 1. var. reſol. c. 3. n. 1. & 2. idque apertè probari videtur ex l. Quòd ſi minor; 24. §. Reſtitutio; ibi: *Jubeat Prætor fundum cum fructibus reddere*, & ex l. Patri; 27. §. Si pecuniam; ibi: *Emptor juberi debebit prædia cum fructibus reſtituere*; ff. De minor. ubi Gloſſ. V. Cum fructibus; addit: etiam, quos percipere potuit. Ratio eſſe poteſt, quia emptor tali caſu, quo fundus reſtitui debet, juriſfictione æquiparatur bonæ fidei poſſeſſori; hic autem fructus extantes, aut quatenus inde locupletior factus eſt, reſtituere debet, vel computare pro expenſis in rem factis. l. Sumptus; 48. ff. De rei vindic. Ergo ſimiliter & emptor; licèt fructus bonâ fide conſumptos reſtituere non cogatur, ſi ex eis locupletior non ſit factus. Covarr. c. l. num. 4.

Contrariam, & negativam ſententiam tenet Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 575. n. 4. & ſeqq. Leſſ. l. 2. de juſtit. cap. 17. dub. 10. Laym. lib. 3. tractat. 4. cap. 21. num. ult. & in c. 1. num. 8. h. t. Idque ſumitur ex c. pen. de reb. Eccleſ. alienand. ubi Pontifex conceſſit reſtitutionem in integrum alicui Monaſterio, ob fundum feudalem venditum vili pretio; retentis tamen ab emptore fructibus perceptis, tametſi plurimùm excederent fructus, & laborem in fructu colendo adhibitum. Verùm ex hoc c. nimiùm probaretur; quia ibi propter inæqualitatem pretij (quod infra dimidium juſti fuerat, non enim excedebat fructus unius anni) emptor tenebatur fructus reſtituere, ſaltem quoad illam pretij partem, quæ defuerat, ut paulò pòſt dicetur; & tamen Pontifex ei permiſit, ut omnes fructus retineret. Ergo dicendum eſt, quòd Pontifex ibi condonârit emptori obligationem reſtituendi portionem fructuum reſpondentem parti illi pretij juſti, quæ defuit; idque tum ad exonerandam conſcientiam emptoris, tum ad faciliorem reddendam reſtitutionem, quod ob juſtas cauſas facere potuit, ad majora mala vitanda; cùm ſit ſupremus Adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum; & ita explicat illud c. Molin. cit. loc. num. 5. & Lugo diſ. 22. de contract. ſect. 12. num. 326. Ratio autem hujus ſententiæ eſt, quia fructus ex fundo percepti pertinent ad ejus dominum: emptor autem erat dominus fundi, cùm contractus venditionis fuerit validus, alioquin non eſſet neceſſaria reſtitutio in integrum; & dominium fundi fuit translatum in emptorem, dato juſto, & æquali pretio, ut ſupponitur: ergo emptor acquiſivit ſibi fructus, &, quia non fuit tantùm bonæ fidei poſſeſſor, ſed verus Dominus fundi, etiam fructus extantes, & ex quibus locupletior factus eſt, fecit ſuos. Neque hîc locum habet diſtinctio illa Covarruviæ inter fructus bonâ, vel malâ fide perceptos, & conſumptos: nam, ſi contractus ob malam fidem injuſtus fuit, & fructus malâ fide percepti ſint; ex omnium ſententiâ, hi fructus reſtitui debent, idque ex debito juſtitiæ, ante ſententiam Judicis, propter injuriam; neque ad hoc neceſſarium eſt remedium reſtitutionis in integrum. Si verò per malam fidem ſolùm intelligatur ſcientia de minore ætate, quòd minor reſtitutionem in integrum petere poſſit; impertinenter ſe habet hæc ſcientia, vel ignorantia in emptore, in ordine ad beneficium reſtitutionis: quia hoc conceditur, non propter ſcientiam emptoris, ſed propter læſionem minoris, & favorem minoris ætatis, ut ejus infirmitati conſulatur. Molin. cit. num. 5. in fine. Lugo c. l. n. 331.

Ad ll. in contrarium adductas, in quibus dicitur, rem eſſe reddendam, cum fructibus, quando conceditur reſtitutio in integrum, reſpondet Leſſ. c. l. num. 71. illam explicari poſſe de fructibus perceptis, poſt reſciſſionem contractûs per reſtitutionem in integrum: alioquin, ſi verè intelligi deberent hujuſmodi ll. de fructibus perceptis ante reſciſſionem contractûs, non eſſe conſentaneas rationi, & æquitati. Addit Molin. cit. loc. num. 6. non omnia Veterum Juriſconſultorum reſponſa tanquam certa, & indubitata eſſe recipienda; cùm non rarò etiam contraria diverſorum auctorum reſponſa extent, quæ in Corpus juris ſunt inſerta, non ut omnia juris auctoritatem habeant, ſed ut, quod magis rationi, & naturali æquitati conveniens videtur, ſectemur, prout etiam notavit Covarr. in cit. c. 3. num. 7.

LXXII. Itaque his poſitis, ad propoſitam quæſtionem Reſpondetur 1. Si res minoris (idem eſt de rebus Eccleſiæ, & Reipubl.) per contractum, vel quaſi contractum gratuitum ſit alienata, res reſtituenda eſt, unâ cum fructibus ex ea perceptis, deductis tamen expenſis in eorum collectione factis. Ut, ſi prædium, vel domus minoris alteri ſit donata, vel utilis hæreditas ab illo repudiata. Molin. cit. diſ. 575. num. 6. Leſſ. cit. loc. num. 70. & in hoc conveniunt utriuſque ſententiæ Auctores. Ratio eſt, quia tunc læſus fuit, non ſolùm in re ipſa, ſed etiam in fructibus.

LXXIII. Reſpondetur 2. Si res minoris alienata fuit per contractum oneroſum, & is læſus propter inæqualitatem contractûs, v. g. quia pretium minùs juſto datum fuit, tum unâ cum re, fructus reſtituendi ſunt; non totaliter, ſed ſecundùm proportionem pretij diminuti. V. g. Si res valeat 1200. florenos, & empta ſit 600. cogetur emptor reſtituere dimidiam partem fructuum; quia hæc reſpondet rei, quatenus res excedit pretium datum; ſuperat enim parte dimidiâ. Vel; ſi res valens 1200. empta ſit 800. cogetur emptor reſtituere tertiam partem fructuum, quia res tertiâ ſui parte ſuperat illud pretium. Molin. & Leſſ. loc. citt. Ratio eſt, quia tunc, ſicut ex juſtitia debetur majus pretium uſque ad juſtum valorem; ſic debentur & fructus correſpondentes illi parti pretij juſti, quæ defuit: quia non ſolùm in rei venditione, ſed etiam in illa portione fructuum læſus fuit venditor: ideóque reſtituendus eſt quoad illam partem fructuum.

LXXIV. Reſpondetur 3. Si res minoris alienata ſit per contractum oneroſum, ſed juſto pretio; & reſtitutio petatur, non ob læſionem circa quantitatem pretij, ſed in ſubſtantia venditionis, v. g. quia abſolutè non expediebat minori rem illam alie-

lienare; tùm ordinariè loquendo, non ſunt reſtituendi fructus, ante reſciſſionem contractûs, percepti. Molin. & Leſſ. locis citt. Lugo cit. ſect. 12. num. 328. Qui tamen addit, hunc caſum non niſi rariſſimum eſſe; ut, ſi v. g. domus, vel Caſtellum paternum, & antiquum totius familiæ ſit venditum, quod ob memoriam retinere oportebat: nam aliàs vix contingit, ut petatur reſtitutio ex hoc capite, & reſciſſio contractûs validi, & oneroſi, ſed ſemper, aut ferè ſemper petitur reſtitutio, propter venditionem, aut emptionem minore juſto, vel majore pretio factam. Ratio concluſionis eſt, quia reſtitutio non datur, niſi ad id, in quo quis læſus eſt, & quatenus læſus eſt, cùm reſtitutio nihil aliud ſit, quàm reſarcitio damni, ſive læſionis: at in prædicto caſu minor ſolùm læſus eſt in alienatione rei, v. g. domûs, vel caſtelli aviti, non verò quoad fructus; ſiquidem juſtum pro re vendita pretium accepit, quod & elocare poterat: ergo, ſicut emptor ex re, quam accepit, fructus percepit; ita potuit venditor ex pretio lucrum facere, aut pretio illo aliam rem æquè, vel magìs fortè frugiferam ſibi comparare; quòd, ſi non fecit, ſuæ negligentiæ id imputare debet: ergo in reſtitutione non poteſt repeti, niſi res ipſa, in qua ſolùm læſio facta eſt, non autem fructus percepti. Accedit, quòd talis reſtitutio potiùs in damnum, quàm commodum minorum eſſet ceſſura: nemo enim vellet cum iis contrahere, cum tanto onere, & periculo reſtituendi poſtea rem cum omnibus fructibus, & carendi interim pretio dato. Confirmatur; quia in ipſa acceptatione pretij æqualis pro fructibus, quoad jacturam fructuum, nihil eſt imprudenter factum: ideóque non eſt locus reſtitutioni.

LXXV. Ubi tamen duo ſunt addenda Primò, ſi minor in ipſa ſolutione, ſeu acceptatione pretij damnum accepit, quia eo tempore emptor dederat, quo meritò exiſtimare poterat, ac debebat, illud inutiliter conſumendum à minore: tum reſtitutio dabitur contra illam pretij ſolutionem, ita, ut non teneatur pretium reddere emptori, niſi quatenus inde factus eſt locupletior; ut apertè colligitur ex cit. l. Quòd, ſi minor; §. Reſtitutio; ibi: *Niſi, ſi tunc dederit, cùm, eum perditurum, non ignoraret.* Molin. c. l. n. 7.

Secundò, ſi propter nimiam feſtinationem venditionis, minor rem vendidit, juſto quidem pretio, ſpectatis illis circumſtantijs, ſed tamen imprudenter; quia venditio differri debuiſſet per menſem, vel ulterius, & tum longè majore pretio diſtraxiſſet: hoc caſu, ſi id probabiliter prævideri potuit ab emptore; unâ cum re, etiam fructus correſpondentes defectui pretij, cum proportione, reſtituendi ſunt: quia etiam quoad illos minor læſus eſt. Lug. cit. loc. num. 329.

Cæterùm ll. ſuprà citt. pro prima ſententia, præter reſponſionem ex Leſſio ſuprà allatam, loquuntur de venditione minore pretio factâ: nam in l. Quòd ſi minor; 24. §. Reſtitutio; ff. de minor. ſermo eſt de venditore circumſcripto, & in l. Patri; 27. §. Si pecuniam; expreſsè ſermo eſt de emptione majore pretio, quàm oportuit, factâ, ibi: *Prædium quoque, ſi ex ea pecunia pluris, quàm oporteret, emerit*, ſcilicet minor; hoc caſu autem fructus reſtituendos eſſe, ſaltem quoad partem defectui pretij reſpondentem, patet ex dictis, & fatentur etiam ſecundæ ſententiæ Auctores. Lug. c. l. n. 327. Neque etiam obſtat c. 1. h. t. ubi læſio ponderatur ſolùm reſpectu pretij, & tamen contractus in totum reſcinditur. Nam, vel ibi Eccleſia læſa fuit, quoad ipſam etiam alienationem Rei, quia exiſtimaverat, eam cedere in utilitatem Eccleſiæ, cùm tamen poſtea contrarium appareret: vel emptor noluit ſupplere juſtum pretium; ideóque contractus reſcindi debuit. Abb. in c. Conſtitutus; 8. n. ult. h. t.

LXXVI. Quæritur 4. An expenſæ neceſſariæ, & utiles, unâ cum æſtimatione laboris, computari debeant, ac reſtitui abſolutè: an verò in ordine ad valorem meliorationum, quem habent tempore, quo facienda eſt reſtitutio? Reſp. 1. Si æſtimatio expenſarum, & laboris major ſit, quàm valor meliorationum, tempore reſtitutionis faciendæ, tum ſufficit reſtituere valorem præſentis meliorationis: v. g. aliquis in fundum meliorandum expendit centum aureos, ſed meliorationes tempore reſtitutionis valent tantùm 50. is, qui reſtitutus eſt in integrum, v. g. minor, non debet reſtituere, niſi 50.; prout ſumitur ex l. In fundo; 38. & ibi Gloſſ. V. Plus pretio; ff. de rei vindic. Abb. in c. 1. n. 4. h. t. Berojus ibid. n. 38. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 365. n. 11. Ratio eſt, quia alioquin minor, vel Eccleſia de novo damnum incurreret, ſeu læderetur, adeóque non reſtitueretur in integrum: &, cùm hoc caſu alterutra pars, vel minor, aut Eccleſia, vel adverſarius, contra quem petitur reſtitutio, damnum pati debeat; in pari cauſa ad illum potiùs ſpectare dicendum eſt, qui imprudenter ſumptus fecit, & ſic damno illi cauſam dedit. Abb. c. l. & Berojus.

Hinc infertur, quòd ad hoc, ut expenſæ factæ in meliorationes bonâ fide in re aliena, repeti poſſint, duo probanda ſint, videlicet tantum fuiſſe expenſum, & tantundem melioratum. V. g. ſi in fundum meliorandum expenſa ſint centum, & is ſit melior factus 150. non reſtituuntur, niſi centum, quia in illis 50. in quibus melioratio excedit expenſas, nihil fuit impenſum. Et è converſo, ſi 150. ſint expenſa, & res ſolùm ſit melior facta in centum; reſtituenda ſunt ſolùm centum meliorata; ut colligitur ex cit. c. 1. h. t. in quo præcipitur, expenſas reſtitui propter meliorationes, ſi ergo melioratio non eſt facta, niſi in centum, hæc ſolùm ſunt reſtituenda, & imputare debet ſibi is, qui imprudenter expenſas fecit, quòd non poſſit repetere id, quod inutiliter erogavit, & ex quo res non eſt facta melior. Abb. in cit. c. 1. num. 4. Fagnan. num. 19. ibidem, & duobus ſeqq.

LXXVII. Reſpondetur 2. Si valor, ſeu æſtimatio expenſarum minor ſit, quàm valor meliorationum, tempore reſtitutionis faciendæ, tum ſatis eſt, reſtituere expenſas, & laboris æſtimationem; prout ſumitur ex cit. c. 1. h. t. ubi dicitur: quòd ei, contra quem petitur reſtitutio, debent reſtitui ſumptus bonâ fide facti, non autem valor meliorationum: & in cit. l. In fundo; idem ſtatuitur de poſſeſſore bonæ fidei, qui fecit ſumptus in rem alienam, quam reſtituere cogitur. Ratio aſſertionis eſt, quia augmentum, ſeu melioratio rei eſt acceſſoria ipſi rei, ideóque re reſtitutâ, & ipſa reſtitui debet, dummodo alter indemnis ſervetur, & ipſi expenſæ, & laboris æſti-

æſtimatio reſtituantur, nam melioratio fictione juris ſemper cenſetur fuiſſe in bonis, ac dominio ejus, cui reſtituenda eſt. Laym. in cit. c. 1. n. 7. h. t. Idémque obtinet in alijs reſtitutionibus, quæ fiunt v. g. per reſciſſionem alienationis, ob læſionem ultra dimidium juſti pretij, etiam ab eo, qui dominium utile tantùm habet in re, quam melioravit, quales ſunt vaſallus, emphyteuta, fideicommiſſarius. Molin. c. l. Niſi tamen ex conſuetudine recepta in aliqua Provincia, melioramenta ſecundùm valorem, quem habent tempore reſtitutionis, ſolvantur, & reſtituantur, ſive is major ſit, ſive minor, quàm valor expenſarum, & æſtimationis laboris; tum enim, ſi ij, qui, vel plenum, ut emptor, vel ſaltem utile fundi dominium habuerunt, ut vaſallus, emphyteuta, fideicommiſſarius, reſtitutionem facere debeant, æquum eſt, ut meliorationea, quas in re propria fecerunt, poſſint repetere, quatenus valent tempore reſtitutionis: alioquin venditor locupletabitur cum jactura emptoris, ſi minus illi reſtituatur, quippe qui rem, quæ ſua erat, tradere cogitur; uti colligitur ex l. ult. §. ult. ff. De fundo dotali; ubi maritus fructus perceptos ex melioramentis factis in fundum dotalem, tanquam ex re ſua lucratur. Molin. cit. diſ. 465. n. ult. Laym. c. l.

Denique addendum, ad effectum reſtitutionis in integrum etiam pertinere, quòd pendente ejus judicio regulariter nihil ab una, vel altera parte ſit innovandum, donec res finita ſit. l. unic. C. de reſtit. in integr. poſtul.

T I T V L V S XLII.

DE ALIENATIONE, JUDICII MUTANDI CAUSA, FACTA.

AGitur in hoc Titulo de alio quodam remedio reſtitutionis in integrum, per quod providetur illis, in quorum præjudicium eſt facta alienatio, ob cauſam futuri judicii mutandi, ſeu vitandi.

I. Quæritur primò, quid ſit alienatio judicii mutandi cauſâ facta, & quæ ad illam requirantur? Reſp. primò, alienatio judicii mutandi cauſâ fieri dicitur, ſi quis metu litis impendentis, quia ſuſpicatur, litem ſibi movendam eſſe, ſuper re aliquâ dolo malo in alium eam transfert: ideóque Prætor æquitate motus, cùm non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri, juxta reg. juris 74. in ff. neque alteri per alterius factum, aut dolum præjudicari. l. 2. ff. Quòd vi, aut clam; ex officio ſuccurrit ei, in cujus fraudem alienatio facta eſt, concedendo ei actionem in factum, per quam conventus alienans tenetur præſtare, quatenus intereſt petitoris, rem ita per fraudem alienatam non fuiſſe: & ſic reſtituendo eum in integrum, perinde, ac ſi alienatio facta non eſſet; ut conſtat ex l. 1. & ſeqq. ff. de alienat. jud. mut. cauſ. factâ.

Portò nomine alienationis hîc intelligitur omnis actus, per quem, ſive dominium rei, ſive poſſeſſio transfertur. l. Item ſi res: 4. §. 1. ff. eod. ubi Gl. V. Feciſſe; ait, quòd actio directa ex edicto de alienatione judicii mutandi cauſâ competat adversùs eum, qui proprietatem alienat: utilis adversùs eum, qui poſſeſſionem tantùm in alium tranſtulit. Gl. in c. 1. V. Commutationem; h. t. & perinde eſt, quoquo modo fiat alienatio, vendendo, permutando, vel etiam donando &c. l. pen. ff. eod. VVeſenb. ibid. in parat. n. 6. Neque etiam refert, ſive res, ſive actio ad rem metu futuri judicii in aliam perſoná transferatur: nam, ſicut actor poteſt agere ad intereſſe contra eum, qui rem fraudulenter in alium tranſtulit, judicii mutandi cauſâ: ita & reus poteſt agere contra actorem, qui actionem ſuam judicii mutandi cauſâ, dolo alteri ceſſit, & ab eo repetere, quanti ſuâ intereſt, actionem in alium translatam non eſſe; ut docet Abb. in c. 1. n. 6. h. t. arg. c. 2. eod. quamvìs etiam ab eo, cui ceſſio facta eſt, conventus poſſit illum repellere per exceptionem, quòd alienatio, ſive ceſſio actionis in ipſum, mutandi judicii cauſâ, facta fuerit. cit. l. pen. ff. h. t. Abb. c. l.

II. Reſp. ſecundò, ut hæc actio in factum, per quam convenitur alienans rem judicii mutandi cauſâ, competat, tria requiruntur, ut tradit Gl. in c. 1. V. Commutationem fecerint; h. t. & Gl. V. Reſtitutio; C. eod. Primò, ut alienatio facta ſit cauſâ mutandi judicii, & quidem futuri, non ejus, quod jam ſit. l. Ex hoc edicto; 8. §. 1. ff. h. t. nam ſi lite intentatâ, ſive judicio jam cœpto, res litigioſa alienetur, alienatio regulariter, & ordinariè eſt ipſo jure civili irrita, ut nullo prætorio remedio reſtitutionis opus ſit, & res affecta vitio litigioſi à quovis poſſeſſore, quamvìs ignorante, vindicari poteſt, perinde, ac ſi nihil actum fuiſſet. l. 2. C. de litigioſ. & docet Covarr. pract. qq. c. 15. n. 7. qui verò rem litigioſam alienavit, & qui alienatam ſciens accepit, certis pœnis ſubjacet; de quibus in l. ult. C. de litigioſ.

III. Secundò, requiritur, ut dolo malo res, ſeu poſſeſſio rei in alterum translata ſit. l. 1. l. Item ſi res; 4. §. Si quis; ff. h. t. Cenſetur autem dolo malo alienatio facta, vel ratione loci, ut quia res translata eſt in perſonam extraneam, ſeu alterius provinciæ, ſeu juriſdictionis, videlicet, quæ ſub eodem Judice non eſt. Vel ratione perſonæ, ſi in alium quempiam ſub eodem Judice conſtitutum, ſed potentiorem, aut alium, qui divexaturus ſit adverſarium, vel res, vel actio ad rem translata ſit. Vel denique, ſi alio quovis modo per alienationem durior, aut deterior adverſarij conditio efficiatur; prout habetur in l. 1. in fine.

fine. l.2. & 3. ff.h.t. Neque verò in propoſito refert, utrùm quis expreſsè,& directè rem alienet, aut poſſeſſionem in alium extraneum, vel potentiorem transferat: an verò ipſo facto à poſſeſſione rei decedat, ſi id in fraudem, ſeu dolo malo faciat, eo fine ſcilicet, ut alius extraneus, vel potentior poſſeſſionem ingrediatur, & occupet: nam utroq; caſu actio ex Edicto de alienatione judicii mutandi causâ competit; ut docet Abb.in cit.c.1.n.1.not.1. Neceſſe eſt autem, ut alienatio fiat in potentiorem, privatum tamen, nempe ratione nobilitatis,& divitiarum: nam,ſi quis potentiori, ratione officij, & poteſtatis publicæ, actionem cedit,non eſt locus huic Edicto Prætorio, & actione in factum ex illo ortâ; nam talis alienatio, ſeu ceſſio eſt irrita ipſo jure,vel ſaltem per ſententiam irritanda, & effectum non habet, & cedens causâ cadit,juréque agendi privatur. l.2. l. Ne liceat potentioribus &c. VVeſenb.ff.h.t.n.2.Abb.in c. 2.n. 3. in fine h.t.

IV. Ex dictis ſequitur primò. Si quis, citra dolum,rem poſſidere deſierit,ut,ſi quis ob morbum, aut ætatem,aut occupationes neceſſarias,aut quia lites execratur, vel ob aliam neceſſitatem, rem alienavit,& litem futuram in alium transtulit, non eſt locus huic Edicto,quippe quod dolum requirit. l. 4. §. Si quis; ff.h.t. Idem eſt,ſi quis eam rem,quæ petitur, obligatus creditori ſuo ſolverit, aut venditori redhibuerit eo animo,ut litis moleſtias ſubterfugiat, non dabitur adversùs alienantem actio ex hoc edicto. cit. l.8.§.ult. & duab⁹ ll.ſeqq.ff.h.t.cit.l.Item ſi res;§.1.in fine.ff.eod.Nam,in neceſſaria alienatione dolũ ineſſe, dici nequit,nec fraudem committit,qui jure ſuo utitur.l.1.ff.de fundo dotal. l.Nullus;55.ff.de R.I.cuilibet autem regulariter permiſſum eſt, rem ſuam alienare. VVeſenb. ff. h.t. num.6.

Sequitur ſecundò, ſi quis hæredem inſtituendo, vel legando alienet rem ſuam,huic Edicto locus non erit. cit.l.8.§.Sed hæredem. ff. eod. quia non cenſetur dolo, judicii mutandi causâ, ſed potiùs benignâ voluntate,aut neceſſitate id eſſe factum.Gl.ibid.V.Non erit. VVeſenb. c.l. Sic etiam vice versâ, ſi quis dolo malo quidem deſiit poſſidere, non tamen judicii mutandi causâ id fecit,non tenetur hoc judicio: non enim alienat, quantum ad hoc Edictum attinet, qui duntaxat poſſeſſiones amittit, ſeu deſerit, ſed neceſſe eſt, ut id faciat judicii mutandi causâ. cit.l.4.§.1. ff. h.t.

V. Tertiò requiritur, ut interſit actoris, ſive eius,qui petiit reſtitutionem ex hoc Edicto,ut,ſi quas fortè expenſas fecerit, vel aliam incommoditatem paſſus ſit(ut,quia damnum paſſus eſt in rebus ſuis)ex eo, quòd alius adverſarius ſit ſubſtitutus. l. Quia; 3. §.Ex quibus; & ibi Gl:V.Incommoditatum; ff. h. t. nam ei,cuius nihil intereſt,alienationem non eſſe factam, non competit hæc actio reſtitutoria. Ut,ſi res alienata non pertinuit ad petitorem, vel ſine culpa eius, qui alienavit, periit.cit.l.4.§. Per; ff.h.t. Vel ſi quis rem alienaverit,& deinde iterum receperit,ante litem motam.cit.l.8. §.Si quis. Vel,ſi paratus ſit alienans ſubire judicium, ac ſi poſſideret. cit. l.3.§.fin.ff. h.t. Vel, ſi in æquè commodam perſonam alienatio facta ſit. his enim, & ſimilibus caſibus, cùm ceſſet cauſa actionis, videlicet nullum damnum exiſtat, & ſentiat actor, non datur ex hoc Edicto actio. VVeſenb.ff.h.t. n.6.

VI. Cæterùm factâ alienatione judicii mutandi causâ, non tantùm actio in factum datur ad intereſſe contra alienantem,ſed etiam directa rei vindicatio contra poſſeſſorem rei, ita, ut petitor, ſeu actor,quem voluerit,convenire poſſit. l.unic. C.h.t.& ibi Gl.V.Elegeris;Gl.in c.1.V.Commutationem; h.t. quia, & utilis rei vindicatio datur contra eum, qui dolo deſiit poſſidere, is enim pro poſſeſſore habetur. l.Sin autem; 27. §.Sed & is; ff. de rei vindic. Neque per actionem ordinariam,id eſt,per directam in rem, tollitur utilis in rem, vel etiam extraordinaria, ſcilicet in factum, aut vice versâ, quia contra diverſos dantur,rei vindicatio contra poſſeſſorem, actio in factum contra alienantem. Gl.in cit.l.unic.V.Elegeris; h.t. quia & ad diverſa tendunt, directa vindicatio ad ipſam rem conſequendam, utilis ad rei æſtimationẽ, per quam non ſemper ſatisfit actori, cui fortè magis expedit habere rem ſuam,quàm eius æſtimationem: actio verò in factum ad intereſſe datur, propter damnum extrinſecum, neque utilis rei vindicatio datur contra dolosè deſinentem poſſidere, niſi poſt litem conteſtatam,non antè;unde opus fuit alio remedio,ſcilicet actionis in factum. Abb. in cit. c. 1. n. 4. & 5.h.t.

VII. Quæritur 2. Quid Jure Canonico ſtatutum ſit circa alienationem judicii mutandi causâ factam? Reſp. De hac re duo extant Capitula in hoc Titulo. Nam inprimis in c. Ex quorundam; 1. habetur,relatum eſſe Papæ Alexandro III. quòd, » cum aliqui impetrant litteras commiſſionis ad Judices delegatos à Papa contra adverſarios ſuos; adverſarij iſti, antequam litteræ ad Judices pervenirent,vel etiam poſtea,ut mandatum Apoſtolicum eludant, priuſquam ab eis citentur (ipſi ſcilicet Adverſarij) appellant,aut commutationem faciunt,aliquos in poſſeſſionem eorum, de quibus controverſia vertitur,malitiosè inducendo,prout habetur in integra lectione huius c. Quare idem Papa hac in re providere volens,mandat quibuſdam à ſe delegatis,ut,ſi adverſarij eorum (qui impetrârunt reſcriptum,ſeu mandatum Apoſtolicum) ad illud eludendum taliter appellaverint (ſubintelligi debet, ne tali appellationi Judices deferant,cùm non niſi à manifeſto gravamine ſit appellandum. Gl. hîc V. taliter appellaverint, & Hoſtienſ.V.eod.) aut de poſſeſſionibus,de quibus controverſia vertitur, id eſt, movenda timetur,commutationem fecerint(transferendo,ſeu alienãdo rem in aliam perſonam, causâ judicii mutandi. Gl.hic V.Commutationem, & Hoſtienſ.) vel ſi etiam malitiosè ſe abſentaverit (ſubaudi, contra tales nihilominus Judices procedant. Hoſtienſ. hîc V. Malitiosè) illos,ſicut & eos, qui ſe in poſſeſſionem ingeſſerint,appellatione remotâ,juris æquitati parere,ſive ſub eorum examine reſpondere compellant; prout juris æquitas ſuadet.

VIII. Pro intellectu huius c. notandum 1. Si quis metu judicii futuri rem alienavit, & in alium transtulit,vendendo v.g. aut donando: Vel etiam ſi per fraudem receſſit à poſſeſſione rei, ut alius v.g. amicus eius illam occuparet (nam talis in effectu cen-

ſe-

ſetur rem in alium tranſtuliſſe; ut notat Abb. hîc not. 1.) hoc caſu, ſicut alienans, ita etiam poſſeſſor rei ſic alienatæ, in quem res, aut poſſeſſio eius translata eſt, non tantùm coram ſuo Judice ordinario (quod jam antè Jure civili ſtatutum fuit in l. unic. C. h. t.) ſed etiam coram alieno Judice, videlicet delegato, vigore reſcripti, non contra poſſeſſorem rei ita alienatæ, ſed ſolùm contra alienantem impetrati, conveniri poteſt; ut conſtat ex hoc c. nam, licèt alioquin reſcriptum delegationis non extendatur ad ſucceſſorem ſingularem, cùm ordinariè tale reſcriptum non ſit extendendum ad perſonam in eo non expreſſam. c. P. & G. 40. de offic. Jud. deleg. Si quis tamen metu futuri judicii, quia ſcit, reſcriptum contra ſe impetratum eſſe, rem, ſuper quâ controverſia movenda timetur, alienet, vel eius poſſeſſionem alteri cedat, tum per reſcriptum, quod impetratum erat contra alienantem, etiam ipſe poſterior poſſeſſor rei ſic alienatæ, in quem res translata eſt, ſi ſcivit alienationem mutandi, ſeu vitandi judicii causâ per fraudem factâ eſſe, conveniri poterit, licèt in eo reſcripto non ſit nominatus, ſeu expreſſus; ut colligitur ex illis verbis huius c. *qui in poſſeſſionem ſe ingeſſerint:* nam, qui bonâ fide poſſeſſionem rei acquirit, non dicitur ſe ingerere: neque id, quod ſtatutum eſt in odium alienantis per fraudem, debet nocere ſucceſſori, ſi is in nulla culpa, vel dolo fuit. Quare hæc Conſtitutio decretalis continet novam, & ſpecialem proviſionem, ſeu diſpoſitionem in Jure civili non expreſſam, ut colligitur ex textu ibi: *contra calliditatem & verſutiam providere volentes:* per quam reſcriptum impetratum ad Judicem delegatum contra alienantem per fraudem, extenditur ad ſingularem eius ſucceſſorem, ſeu poſſeſſorem rei ſic alienatæ, ſi doli, ſeu fraudulentæ alienationis fuit conſcius: at verò in cit. l. unic. C. h. t. ſolùm dicitur, ſingularem ſucceſſorem, ſeu poſſeſſorem rei per fraudem judicii mutandi causâ alienatæ, coram ſuo ordinario judice conveniri poſſe; ut bene notavit Abb. hîc n. 2. & 3. Quamvis autem is, in cuius fraudem alienatio facta eſt, rem alienatam à poſſeſſore repererit, & receperit, nihilominus tamen per actionem in factum convenire poteſt alienantem, ad reliqua damna, & expenſas reſarciendas; ut ex ſuprà dictis patet n. 6.

Notandum 2. Sicut poteſt contra directè alienantem, ob cauſam mutandi judicii, agi ad intereſſe, & omne incommodum inde proveniens reſarciendum. l. 1. & 3. ff. h. t. ita etiam agi poterit contra illum, qui indirectè alienavit, cedendo poſſeſſionem alteri, ut eam nomine proprio poſſideat: quia & hic facit contra mentem legis punientis alienantem, & fraudem committit in legem. Abb. hîc num. 1. not. 1. in fine.

IX. Præterea in c. Ex parte 2. h. t. prohibetur, ne Clerici faciant ſibi cedi actiones, & lites à laicis, causâ mutandi judicium, ut laicos ad forum Eccleſiaſticum trahant: Nam Scabini, id eſt, Majores, ſeu Conſules, & Senatores oppidorum apud Hipretum conqueſti ſunt Papæ Gregorio IX. quòd, quando emergunt quæſtiones, ſeu controverſiæ inter laicos, quæ dirimi, ſeu decîdi debent per judicem ſecularem, Clerici quidam dono, vel pretio actiones ſibi à laicis cedi faciant, ut adverſarios ad forum Eccleſiaſticum trahere, & lucrum, ſeu emolumentum aliquod inde conſequi poſſint. Quia verò hujuſmodi litium ceſſiones, & emptiones legibus civilibus, ſeu Cæſareis prohibitæ ſunt, ita, ut cauſam amittere debeant ij, qui potentiorum patrocinium tali modo advocare præſumunt: &, quia eiuſmodi mercationes actionum odioſæ ſunt, cùm ex fonte cupiditatis ſoleant procedere: ideo mandat Papa quibuſdam Judicibus à ſe delegatis, ut dictos Clericos ab hujuſmodi præſumptione per cenſuram Eccleſiaſticam abſtinere compellant.

X. Notandum 1. Tres ſunt modi alienationum, quæ prohibitæ ſunt Jure civili, & Cæſareo.

Primus modus eſt, ne res, vel actio ad rem, ante cœptum judicium, metu intentandæ ſibi litis, transferatur in aliam perſonam extraneam, quæ non eſt ſub eodem Judice conſtituta, vel aliam quâcunque ratione potentiorem, per quam adverſarij conditio durior reddatur; & de hoc agitur in h. t. & tit. ff. & C. eod. de quo etiam ſuprà jam dictum.

Secundus modus alienationis prohibitæ eſt, ne res litigioſa, vel actio in judicium deducta alienetur, vel in alium transferatur, alioquin alienatio eſt ipſo jure irrita, vel ſaltem per ſententiam irritanda, & eâ non obſtante, quaſi nihil factum eſſet, in judicio procedetur. l. 2. C. de litig. de quo agitur tot. tit. ff. & C. eodem, & alibi agendum erit.

Tertius modus alienationis prohibitæ eſt, ne quis actionem, vel cauſam in judicium deductam cedat alicui potentiori, ratione publici officij, & poteſtatis, quâ eſt præditus, ita, ut poſſit terrere partem adverſam, alioquin causâ cadit; potentiores verò puniendi ſunt pœnâ arbitrariâ, & ceſſio non habet effectum. l. 1. & 2. C. ne liceat potent. patrocin. &c. de quo etiam incidenter fit mentio in c. 2. h. t. Abb. ibid. not. 4. & Durand. in ſpecul. l. 2. partic. 1. tit. de ceſſion. action. §. 1. n. 1. Si quis tamen alicui potentiori, etiam ratione publici officij, actionem cedat, non per fraudem, & adverſarij terrendi, ſeu opprimendi causâ, ſed bonâ fide, & ex cauſa juſta, vel neceſſitate (tunc enim præſumitur bonâ fide, & non per fraudem fieri) non perdit cauſam. Durand. c. l. n. 4. & Abb. hîc n. 4. Sed etſi ceſſio actionis fuit facta non potentiori, ratione officij, ſed alteri, interdum tamen ex circumſtantiis, & conjecturis doloſa, ſeu ſimulata cenſetur, ita, ut effectu careat. Veluti ſi ceſſio actionis facta ſit perſonæ magis privilegiatæ, v. g. Clerico, vel Scholari. Barboſ. hîc n. 4. vel ſi nimis modico pretio actio ſit vendita; vel partim vendita, partim donata; juxta l. pen. & ult. C. Mandati Durand. c. l. n. 7. Abb. hîc n. 4. & ſeqq. ubi plures afferunt cauſas ſimulatæ, & prohibitæ ceſſionis.

XI. Notandum 2. Prohibitum eſt in c. 2. h. t. ne Clerici, ſive dono, ſive pretio (id eſt, ſive titulo lucrativo donationis, ſive oneroſo venditionis; aut emptionis) ſibi à laicis cedi faciant lites, & actiones perſonales, ſive jura creditorum, per dolum causâ judicij mutandi, ut adverſarius in alio judicio magis fatigetur; & Clericus videtur talem ceſſionem recipere avaritiæ causâ: fraus autem, & avaritia, præſertim Clericis, ſunt vitandæ. cit. c. 2. junct. Gl. fin. Aliàs verò univerſim, & abſolutè non eſt prohibitum actiones, & lites Clericis cedi, ſive ea ceſſio fiat per ultimam voluntatem, aut legatum, quemadmodum id indiſtinctè conceſſum eſt in l. Nomen; 34. ff. de le-

gat. 3. quia in ultima voluntate ceſſat præſumptio fraudis; nam moriturus non cenſetur immemor ſalutis ſuæ; ut notat Abb. hîc in fine; ſive ea ceſſio fiat inter vivos, titulo donationis, vel etiam venditionis, & emptionis, ita, ut ceſſante fraude, teneat venditio, & emptio. Abb. hîc n. ult. cùm Clericis non ſit abſolutè prohibitum actiones perſonales emere, ſed ſolùm, ne emantur per fraudem judicii mutandi causâ, ita, ut durior fiat conditio adverſarij, & potentior actor ei ſubſtituatur. Zœſ. ff. h. t. n. ult. Ut ſi juxta qualitatem cauſæ, vel loci conſuetudinem, reus ſequi debeat forum actoris, ut in caſu hujus c. Clerici, ſecundùm illius loci conſuetudinem, poterant laicos trahere ad forum Eccleſiaſticum; licèt ſecus ſit de jure communi. Gloſſ. hîc V. Eccleſiaſticum forum. Hoſtienſ. in ſumma in rubric. de ceſſ. act. n. 1. §. Sed hoc quomodo. Durand. c. l. §. 1. n. 8. Actiones autem reales in judicium deductæ emi non poſſunt. Laym. hîc num. 8.

Verumtamen in dubio ceſſio litis, ſive actionis etiam perſonalis à laico Clerico facta, præſumitur in fraudem, & avaritiæ causâ facta, ideóque Clerici non debent recipere hujuſmodi ceſſionem. Gloſſ. fin. hîc. quod tamen non procedit in ſimplicibus Clericis, ſed in Prælatis, & Clericis juriſdictionem habentibus, ratione cujus poſſunt coërcere reos ſibi ſubditos; nam tales dicuntur potentiores, ideóque in eos ceſſio actionum fieri non poteſt. Maſcard. de probat. concluſ. 558. n. 21.

Deinde, ſi ceſſio actionis titulo oneroſo, v. g. venditionis, ſit facta, præſumitur in fraudem facta; nam emere actiones, præſertim dubias, ſeu incertas, & nondum in judicium deductas, eſt ſpecies quædam mercationis, ſeu negotiationis, quæ Clericis prohibita eſt, & multò magìs talis negotiatio actionum, & litium forenſium. Abb. hîc not. ult. quare, ſi hujuſmodi mercationes cum ſcandalo, ſeu periculo pervertendi juſtitiam fiant, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis Clericis prohiberi poſſunt; ut patet ex cit. c. 2. h. t. Sin verò ceſſio actionum fiat Clerico, titulo lucrativo donationis, non per fraudem judicij mutandi causâ, ſed bonâ fide, valida, & licita eſt hujuſmodi ceſſio; quia non reperitur jure prohibitum, quin jura ſua poſſit quis donare Clerico, vel Eccleſiæ, nec reperitur cautum, quòd in tali ceſſione factâ Clerico, vel Eccleſiæ fraus præſumi debeat. Abb. in cit. c. 2. n. ult. h. t.

XII. Quæritur 3. An actio in factum ex hoc edicto competens tranſeat ad hæredes? Reſp. Non ſolùm ei, in cujus fraudem facta eſt alienatio, judicij mutandi causâ, ſed etiam hæredibus ejus hæc actio reſtitutoria datur, quia non eſt pœnalis, ſed rei perſecutionem continet. l. Item ſi; 4. §. fin. ff. h. t. Et directa quidem datur contra eum, qui alienavit ſuo nomine; vel etiam contra rei alienatæ poſſeſſorem, ut ſuprà dictum. Zœſ. ff. h. t. num. 7. utilis verò in eum, qui alieno nomine alienavit, ut Tutor, vel Curator. l. Nam etſi; 10. & ibi Gloſſ. ff. eod. In hæredem autem alienantis, vel ſimilem (ut bonorum poſſeſſorem, vel fideicommiſſarium) non datur, niſi quatenus ad eum pervenit: neque poſt annum (utilem) datur, quia, licèt pertineat ad rei perſecutionem, ex parte tamen debitoris, ſive rei, ex delicto dari videtur, videlicet ex dolo alienantis; prout habetur in cit. l. 4 in fin. cum tribus ll. ſeqq. & ibi Gloſſ. V. Poſt annum. Quare, cùm ſit pœnalis actio, ex parte Rei, in hæredes ejuſdem nequaquam tranſit. l. 1. ff. De privat. delict. §. Non autem; Inſtit. de perpet. & tempor. act. Weſenb. ff. h. t. num. 7.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

ANte Tractatum de Judiciis, Compilator Juris Canonici imitatus Juriſconſultum in Digeſtis, & Codice, priùs agit de Arbitris: tum quia arbitria ad judiciorum formam redacta ſunt. l. 1. ff. De receptis arbitr. tum quia per arbitria, & compromiſſa non rarò lites terminantur, & ſopiuntur, ut in judicio contendere non ſit opus; ideóque de his priùs actum fuit, ſicut etiam ſuprà de pactis, & tranſactionibus, ob eandem cauſam, quia etiam per illa frequenter controverſiæ, ac lites componi ſolent. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

De Arbitris in genere, eorúmque diviſione, & differentiis inter Arbitrum, & Judicem?

I. Quæritur 1. Qui ſint, & dicantur Arbitri? Reſp. Arbiter dictus eſt ab arbitrando, cenſendo, & æſtimando: & latè quidem ſumendo hoc nomen, idem eſt, quòd arbitrator, ſeu exiſtimator, id eſt, quilibet vir bonus, qui ad aliquod negotium æſtimandum aſſumitur, ut, quid ſibi de re aliqua videatur, edicat. Et ſic capitur in l. Quis tam; 52. C. de decurion. lib. 10. aliàs arbiter dicitur quilibet rei ſuæ moderator, & diſpenſator, ſive dominus. l. In re; 21. ff. mandat. Interdum etiam Arbiter pro Judice, ſive ordinario, ſive delegato ſumitur, ut in l. Arbitro; 9. & l. ſeq. ff. Qui ſatisd. cogunt. & l. Quiſquis; 6. in princ. junct. Gl. V. Arbitros; C. de poſtul. nam, & arbitrari, ſeu exiſtimare de rebus in judicium deductis Judici juriſdictionem habenti convenit. Mol. tr. 5. de juſtit. diſ. 30. n. 1. Propriè autem, & magìs ſtrictè arbiter dicitur is, qui ſive ex juris, ſeu legis diſpoſitio-

ſitiooe, ſive ex partium conventione conſtituitor, ut circa controverſiam aliqnam ſuum arbitrium, ſive jodicium, animíqne ſenſum dicat, & pronunciet, cúi partes ſtare debent; quæ eſt acceptio prnpria hujus loci; ot ex diceodis magìs patebit.

II. Quæritor 2. Quotuplices ſint Arbitri, ſive, quot ſint eorum genera, ſeu ſpecies? Reſpondetur 1. Alij ſunt Arbitri juris, ſive neceſſarij, qui ſcilicet ex neceſſitate, ac præſcripto legis, aut ſtatuti, vel à Priocipe, aut Judice, vel à partibus conſtitui debent. Alij verò ſunt arbitri Voluntarij, ſeu Compromiſſarij, qui ſponte, & nullo jure jubente, ex libero partium conſenſu, & compromiſſo conſtituuntur. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 31. num. 1. & 2. & alij DD. communiter. Si ex juris neceſſitate, ac præſcripto Arbitri à partibus eligendi ſunt, qui de cauſa ſuſpicionis Judici objectâ cognoſcant, juxta c. Suſpicionis; 39. de offic. deleg. et c. Si contra; 4. et c. Ab Arbitris; 11. eodem in 6. Item, ſi diverſi Jodices ſoper revocatiooe litterarum Apoſtolicarum diſcordent, arbitri à partibus eligi debent. c. Paſtoralis; 14. de reſcript. Sic, ſi Epiſcopus cum Clerico ſibi ſubdito controverſiam habeat, ea ab Arbitris otriuſque partis conſenſu electis decidenda eſt. c. Si Clericus; 46. cauſ. 11. quæſt. 1. Rurſum, ſi ſupremi Principes inter ſe contendant, & tranſactione res componi nnn poſſit, communi partiom conſenſo Arbitri eligendi ſunt; ut docet Laym. lib. 1. Theol. motal. tract. 1. c. 5. num. 26. Similiter, ſi extet ſtaturom in aliqno loco, ut ſuper controverſijs inter perſooas ſanguine conjonctas ortis compromittatur io arbitros, tales arbitri juris, ſeu neceſſarij dicuotur. Molin. cit. diſp. 31. num. 2.

III. Porrò inter utroſque atbitrns, ſcilicet juris, qui ex diſpoſitione juris ad cngnoſcendum, & judicandum ſunt conſtituti, & arbitros compromiſſarios, qui à privatis, ſeu partibus liberè ſunt electi, plures ſont differentiæ; prout videre eſt apud Abb. in c. Suſpicionis; 39. n. 4. & ſeqq. de offic. deleg. & Mol. tr. 5. de joſt. diſ. 23. n. 10. quarum præcipuæ ſunt iſtæ.

Primò. Arbitri juris habent juriſdictionem à lege ipſis datam ad expedienda omnia, quæ neceſſaria ſunt ad cauſam definiendam, ideóque, ut veri Judices poſſunt præſcribere partibus terminom etiam peremptorium, citare, & compellere teſtes, ut ad teſtimonium ferendum accedant, eóſque examinare, ac puoire, ſi inobedientes ſint. arg. cit. c. Suſpicionis; & ibi Gloſſ. V. Ad quos omnia; Abb. Ibid. num. 3. At verò Arbitri cnmpromiſſarij nullam habent juriſdictionem, ſed tantùm cognitionem; quia totam poteſtatem à partibus compromittentibus accipiont: privati autem juriſdictiooem, ſeu poteſtatem publicam conferre alteri non poſſunt. l. Privatorum; 3. C. de juriſdict. omn. judic. qnare hi arbitri non poſſunt teſtes compellere ad compatendum, nec eos, ſi delinquant, punire; neqne partibus coram eis litigantibus imperare poſſunt, niſi quatenus illæ ſe liberè per compromiſſum obligâruot. Molin. cit. diſ. 23. n. 10.

IV. Secundò. Arbitri juris compelli poſſunt ad hoc munus ſuſcipiendum. c. Cùm ſpeciali; 61. de appellat. quia aſſumuntur ex neceſſitate, ſive ex præſcripto juris eligi debent, & juriſdictionem habent: unde, ſicut monos judicandi eſt oeceſſitatis, & neceſſariò acceptari debet. l. Munerom; 18. §. Judicandi; ff. de munerib. & honor. ita & hoc munus arbitrandi, ſeu judicandi. At verò Arbitri compromiſſarij compelli non poſſont ad acceptandum compromiſſum, ſed liberè illud ſuſcipiunt, aut reſpuunt. l. 3. §. 1. ff. h. t. quia non ex neceſſitate legis, ſed liberâ, & nudâ voluntate partium eliguntur, nec juriſdictionem babent. Abb. cit. l. num. 8. quamvìs, poſtquam ſemel acceptârunt compromiſſum (ſive per intervenientem ſtipulationem, ſecundùm Jus Civile, ſive per nudum pactum, ſecundùm Jns Canonicum, & forum conſcientiæ) cogi poſſint ad officium in ſe receptum implendum. cit. l. 3. §. 1. niſi causâ cognitâ, excoſatio recipiatur, ob incideos aliquod neceſſarium impedimentum, v. g. nb invaletudinem, propriorum negotiornm occupationem, profectionem nrgentem, inimicitias capitales inter arbitrum, & litigatorem, aut ſuceptum munus aliquod Reipubl. &c. l. Licèt; 15. & l. ſeq. ff. eodem.

V. Tertiò. Ab Arbitris neceſſarijs, qoi ex juris, aut ſtatuti alicujus præſcripto, vel etiam Judicis coactione, à partibus eligi debent, appellari poteſt ad eum, qui juri, aut ſtatuto præſidet, vel qui ad arbitros eligendos compnlit. cit. c. Ab Arbitris; & ibi Gloſſ. fin. de offic. delegat. Ratio eſt, tum qnia, cùm juriſdictionem habeaot, ſunt veri Jodices, & eorum pronunciatio magìs ad judicialis ſententiæ naturam accedit, cùm ex illa oriatur actio in factum; ut notat Mynſ. cent. 4. obſerv. 68. tom quia æquum eſt, ut ijs per remedium appellationis ſuccurratur, qui ad arbitros aſſumendns compulſi ſunt: at verò ab arbitris voluntarijs, ſen compromiſſarijs appellari oon poteſt. l. 1. C. h. t. l. Non diſtinguemus; 32. §. Cùm qoidam; ff. eod. Ratio eſt, tum quia nec judicati actio, in factum ſcilicet, ex ſententia, arbitrio, ſen laudo datur. cit. l. 1. & ibi Gloſſ. V. Actio; tnm quia, cùm partes ſponte elegerint hos arbitros, & ſe obligârint ad ſtandum arbitrio, ſeu laudo eorum, non debent illud impugnare neque illis ſuccurritur per appellationis remedium, ſicut ijs, qui ad arbitros eligendos compnlſi ſunt, ſed ſibi imputare debent, qnòd in eos ultro conſenſerint, jnxta Gloſſ. fin. in cit. c. Ab Arbitris; Abb. in cit. c. Suſpicionis; n. 7. Verùm, quamvìs ab arbitramento, ſen laudo horum arbitrorum propriè appellatio non detur, poteſt tamen Judici ſupplicari, ſen officiom ejus implorari, ac poſtulari, ut, ſi iniquum arbitrium pronunciâſſe videantur, illod ad juſtitiam reducatur, ſecundùm boni, ac prudentis viri judicium; ut notat Gloſſ. marg. In cit. c. Ab arbitris; in fine, ex c. 2. h. t. de quo infrà. Quin imò, ſi arbitriom, ſeu laudum manifeſtam iniquitatem continere videatur, & multò magìs, ſi appareat, arbitros per dolum, collnſionem, aut ex falſis probationibus proceſſiſſe, tum pars adverſa, ſive in judicio coram Judice ordinario, ſive extra judicium, executionem arbitrij poſtulans per oppoſitam exceptionem de dolo repelli poteſt. cit. l. Non diſtingoemns; §. Cùm quidam; ff. h. t.

VI. Reſpondetnr 3. Arbitri compromiſſarij, qui à partibus ſponte aſſumnntor, rurſum ſunt duplicis generis, ſicut videre eſt apud Abbatem in c. Quintavallis; 23. n. 7. de jurejur. Sylv. V. Arbiter; in princ. & alios: nam alij ſunt, in quos ita, ſive expreſsè,

gat. 3. quia in ultima voluntate ceſſat præſumptio fraudis; nam moriturus non cenſetur immemor ſalutis ſuæ; ut notat Abb. hîc in fine; ſive ea ceſſio fiat inter vivos, titulo donationis, vel etiam venditionis, & emptionis, ita, ut ceſſante fraude, teneat venditio, & emptio. Abb. hîc n. ult. cùm Clericis non ſit abſolutè prohibitum actiones perſonales emere, ſed ſolùm, ne emantur per fraudem judicii mutandi causâ, ita, ut durior fiat conditio adverſarij, & potentior actor ei ſubſtituatur. Zœſ. ff. h. t. n. ult. Ut ſi juxta qualitatem cauſæ, vel loci conſuetudinem, reus ſequi debeat forum actoris, ut in caſu huius c. Clerici, ſecundùm illius loci conſuetudinem, poterant laicos trahere ad forum Eccleſiaſticum; licèt ſecus ſit de jure communi. Gloſſ. hic V. Eccleſiaſticum forum. Hoſtienſ. in ſumma in rubric. de ceſſ. act. n. 1. §. Sed hoc quomodo. Durand. c. l. §. 1. n. 8. Actiones autem reales in judicium deductæ emi non poſſunt. Laym. hîc num. 8.

Verùmtamen in dubio ceſſio litis, ſive actionis etiam perſonalis à laico Clerico facta, præſumitur in fraudem, & avaritiæ causâ facta, ideóque Clerici non debent recipere hujuſmodi ceſſionem. Gloſſ. fin. hîc. quod tamen non procedit in ſimplicibus Clericis, ſed in Prælatis, & Clericis juriſdictionem habentibus, ratione cujus poſſunt coërcere reos ſibi ſubditos; nam tales dicuntur potentiores, ideóque in eos ceſſio actionum fieri non poteſt. Maſcard. de probat. concluſ. 558. n. 21.

Deinde, ſi ceſſio actionis titulo oneroſo, v. g. venditionis, ſit facta, præſumitur in fraudem facta; nam emere actiones, præſertim dubias, ſeu incertas, & nondum in judicium deductas, eſt ſpecies quædam mercationis, ſeu negotiationis, quæ Clericis prohibita eſt, & multò magìs talis negotiatio actionum, & litium forenſium. Abb. hîc not. ult. quare, ſi hujuſmodi mercationes cum ſcandalo, ſeu periculo pervertendi juſtitiam fiant, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis Clericis prohiberi poſſunt; ut patet ex cit. c. 2. h. t. Sin verò ceſſio actionum fiat Clerico, titulo lucrativo donationis, non per fraudem judicij mutandi causâ, ſed bonâ fide, valida, & licita eſt hujuſmodi ceſſio; quia non reperitur jure prohibitum, quin jura ſua poſſit quis donare Clerico, vel Eccleſiæ, nec reperitur cautum, quòd in tali ceſſione factâ Clerico, vel Eccleſiæ fraus præſumi debeat. Abb. in cit. c. 2. n. ult. h. t.

XII. Quæritur 3. An actio in factum ex hoc edicto competens tranſeat ad hæredes? Reſp. Non ſolùm ei, in cujus fraudem facta eſt alienatio, judicij mutandi causâ, ſed etiam hæredibus ejus hæc actio reſtitutoria datur, quia non eſt pœnalis, ſed rei perſecutionem continet. l. Item ſi; 4. §. fin. ff. h. t. Et directa quidem datur contra eum, qui alienavit ſuo nomine; vel etiam contra rei alienatæ poſſeſſorem, ut ſuprà dictum. Zœſ. ff. h. t. num. 7. utilis verò in eum, qui alieno nomine alienavit, ut Tutor, vel Curator. l. Nam etſi; 10. & ibi Gloſſ. ff. eod. In hæredem autem alienantis, vel ſimilem (ut bonorum poſſeſſorem, vel fideicommiſſarium) non datur, niſi quatenus ad eum pervenit: neque poſt annum (utilem) datur, quia, licèt pertineat ad rei perſecutionem, ex parte tamen debitoris, ſive rei, ex delicto dari videtur, videlicet ex dolo alienantis; prout habetur in cit. l. 4 in fin. cum tribus ll. ſeqq. & ibi Gloſſ. V. Poſt annum. Quare, cùm ſit pœnalis actio, ex parte Rei, in hæredes ejuſdem nequaquam tranſit. l. 1. ff. De privat. delict. §. Non autem; Inſtit. de perpet. & tempor. act. Weſenb. ff. h. t. num. 7.

TITVLVS XLIII.

DE ARBITRIS.

ANte Tractatum de Judiciis, Compilator Juris Canonici imitatus Juriſconſultum in Digeſtis, & Codice, priùs agit de Arbitris: tum quia arbitria ad judiciorum formam redacta ſunt. l. 1. ff. De receptis arbitr. tum quia per arbitria, & compromiſſa non raròˋ lites terminantur, & ſopiuntur, ut in judicio contendere non ſit opus; ideóque de his priùs actum fuit, ſicut etiam ſuprà de pactis, & tranſactionibus, ob eandem cauſam, quia etiam per illa frequenter controverſiæ, ac lites componi ſolent. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

De Arbitris in genere, eorúmque diviſione, & differentiis inter Arbitrum, & Judicem?

I. Quæritur 1. Qui ſint, & dicantur Arbitri? Reſp. Arbiter dictus eſt ab arbitrando, cenſendo, & æſtimando: & latè quidem ſumendo hoc nomen, idem eſt, quòd arbitrator, ſeu exiſtimator, id eſt, quilibet vir bonus, qui ad aliquod negotium æſtimandum aſſumitur, ut, quid ſibi de re aliqua videatur, edicat. Et ſic capitur in l. Quis tam; 52. C. de decurion. lib. 10. aliàs arbiter dicitur quilibet rei ſuæ moderator, & diſpenſator, ſive dominus. l. In re; 21. ff. mandat. Interdum etiam Arbiter pro Judice, ſive ordinario, ſive delegato ſumitur, ut in l. Arbitro; 9. & l. ſeq. ff. Qui ſatisd. cogunt. & l. Quiſquis; 6. in princ. junct. Gl. V. Arbitros; C. de poſtul. nam, & arbitrari, ſeu exiſtimare de rebus in judicium deductis Judici juriſdictionem habenti convenit. Mol. tr. 5. de juſtit. diſ. 30. n. 1. Propriè autem, & magìs ſtrictè arbiter dicitur is, qui ſive ex juris, ſeu legis diſpoſitio-

ſitione, ſive ex partium conventione conſtituitur, ut circa controverſiam aliqnam ſuum arbitrium, ſive judicium, animique ſeuſum dicat, & pronunciet, cúi partes ſtare debent; quæ eſt acceptio propria hujus loci; ut ex dicendis magìs patebit.

II. Quæritur 2. Quotuplices ſint Arbitri, ſive, quot ſint eorum genera, ſeu ſpecies? Reſpondetur 1. Alij ſunt Arbitri juris, ſive neceſſarij, qui ſcilicet ex neceſſitate, ac præſcripto legis, aut ſtatuti, vel à Principe, aut Judice, vel à partibus conſtitui debent. Alij verò ſunt arbitri Voluntarij, ſeu Compromiſſarij, qui ſponte, & nullo jure jubente, ex libero partium conſenſu, & compromiſſo conſtituuntur. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 31. num. 1. & 2. & alij DD. communiter. Si ex juris neceſſitate, ac præſcripto Arbitri à partibus eligendi ſunt, qui de cauſa ſuſpicionis Judici objectâ cognoſcant, juxta c. Suſpicionis; 39. de offic. deleg. et c. Si contra; 4. et c. Ab Arbitris; 11. eodem in 6. Item, ſi diverſi Judices ſuper revocatione litterarum Apoſtolicarum diſcordent, arbitri à partibus eligi debent. c. Paſtoralis; 14. de reſcript. Sic, ſi Epiſcopus cum Clerico ſibi ſubdito controverſiam habeat, ea ab Arbitris utriuſque partis conſenſu electis decidenda eſt. c. Si Clericus; 46. cauſ. 11. quæſt. 1. Rurſum, ſi ſupremi Principes inter ſe contendant, & tranſactione res componi non poſſit, communi partium conſenſu Arbitri eligendi ſunt; ut docet Laym. lib. 1. Theol. moral. tract. 1. c. 5. num. 26. Similiter, ſi extet ſtatutum in aliquo loco, ut ſuper controverſijs inter perſonas ſanguine conjunctas ortis compromittatur in arbitros, tales arbitri juris, ſeu neceſſarij dicuntur. Molin. cit. diſp. 31. num. 2.

III. Porrò inter utroſque arbitros, ſcilicet juris, qui ex diſpoſitione juris ad cognoſcendum, & judicandum ſunt conſtituti, & arbitros compromiſſarios, qui à privatis, ſeu partibus liberè ſunt electi, plures ſunt differentiæ; prout videre eſt apud Abb. in c. Suſpicionis; 39. n. 4. & ſeqq. de offic. deleg. & Mol. tr. 5. de juſt. diſ. 23. n. 10. quarum præcipuæ ſunt iſtæ.

Primò. Arbitri juris habent juriſdictionem à lege ipſis datam ad expedienda omnia, quæ neceſſaria ſunt ad cauſam definiendam, ideóque, ut veri Judices poſſunt præſcribere partibus terminum etiam peremptorium, citare, & compellere teſtes, ut ad teſtimonium ferendum accedant, eóſque examinare, ac punire, ſi inobedientes ſint. arg. cit. c. Suſpicionis; & ibi Gloſſ. V. Ad quos omnia; Abb. ibid. num. 3. At verò Arbitri compromiſſarij nullam habent juriſdictionem, ſed tantùm cognitionem; quia totam poteſtatem à partibus compromittentibus accipiunt: privati autem juriſdictionem, ſeu poteſtatem publicam conferre alteri non poſſunt. l. Privatorum; 3. C. de juriſdict. omn. judic. quare hi arbitri non poſſunt teſtes compellere ad comparendum, nec eos, ſi delinquant, punire; neque partibus coram eis litigantibus imperare poſſunt, niſi quatenus illæ ſe liberè per compromiſſum obligârunt. Molin. cit. diſ. 23. n. 10.

IV. Secundò. Arbitri juris compelli poſſunt ad hoc munus ſuſcipiendum. c. Cùm ſpeciali; 61. de appellat. quia aſſumuntur ex neceſſitate, ſive ex præſcripto juris eligi debent, & juriſdictionem habent: unde, ſicut munus judicandi eſt neceſſitatis, & neceſſariò acceptari debet. l. Munerum; 18. §. Judicandi; ff. de munerib. & honor. ita & hoc munus arbitrandi, ſeu judicandi. At verò Arbitri compromiſſarij compelli non poſſunt ad acceptandum compromiſſum, ſed liberè illud ſuſcipiunt, aut reſpuunt. l. 3. §. 1. ff. h. t. quia non ex neceſſitate legis, ſed liberâ, & nudâ voluntate partium eliguntur, nec juriſdictionem habent. Abb. cit. l. num. 8. quamvis, poſtquam ſemel acceptârunt compromiſſum (ſive per intervenientem ſtipulationem, ſecundùm Jus Civile, ſive per nudum pactum, ſecundùm Jus Canonicum, & forum conſcientiæ) cogi poſſint ad officium in ſe receptum implendum. cit. l. 3. §. 1. niſi causâ cognitâ, excuſatio recipiatur, ob incidens aliquod neceſſarium impedimentum, v. g. ob invaletudinem, propriorum negotiorum occupationem, profectionem urgentem, inimicitias capitales inter arbitrum, & litigatorem, aut ſuceptum munus aliquod Reipubl. &c. l. Licèt; 15. & l. ſeq. ff. eodem.

V. Tertiò. Ab Arbitris neceſſarijs, qui ex juris, aut ſtatuti alicujus præſcripto, vel etiam Judicis coactione, à partibus eligi debent, appellari poteſt ad eum, qui juri, aut ſtatuto præſidet, vel qui ad arbitros eligendos compulit. cit. c. Ab Arbitris; & ibi Gloſſ. fin. de offic. delegat. Ratio eſt, tum quia, cùm juriſdictionem habeant, ſunt veri Judices, & eorum pronunciatio magìs ad judicialis ſententiæ naturam accedit, cùm ex illa oriatur actio in factum; ut notat Mynſ. cent. 4. obſerv. 68. tum quia æquum eſt, ut ijs per remedium appellationis ſuccurratur, qui ad arbitros aſſumendos compulſi ſunt: at verò ab arbitris voluntarijs, ſeu compromiſſarijs appellari non poteſt. l. 1. C. h. t. l. Non diſtinguemus; 32. §. Cùm quidam; ff. eod. Ratio eſt, tum quia nec judicati actio, in factum ſcilicet, ex ſententia, arbitrio, ſeu laudo datur. cit. l. 1. & ibi Gloſſ. V. Actio; tum quia, cùm partes ſponte elegerint hos arbitros, & ſe obligârint ad ſtandum arbitrio, ſeu laudo eorum, non debent illud impugnare neque illis ſuccurritur per appellationis remedium, ſicut ijs, qui ad arbitros eligendos compulſi ſunt, ſed ſibi imputare debent, quòd in eos ultro conſenſerint, juxta Gloſſ. fin. in cit. c. Ab Arbitris; Abb. in cit. c. Suſpicionis; n. 7. Verùm, quamvis ab arbitramento, ſeu laudo horum arbitrorum propriè appellatio non detur, poteſt tamen Judici ſupplicari, ſeu officium ejus implorari, ac poſtulari, ut, ſi iniquum arbitrium pronunciâſſe videantur, illud ad juſtitiam reducatur, ſecundùm boni, ac prudentis viri judicium; ut notat Gloſſ. marg. in cit. c. Ab arbitris; in fine, ex c. 2. h. t. de quo infrà. Quin imò, ſi arbitrium, ſeu laudum manifeſtam iniquitatem continere videatur, & multò magìs, ſi appareat, arbitros per dolum, colluſionem, aut ex falſis probationibus proceſſiſſe, tum pars adverſa, ſive in judicio coram Judice ordinario, ſive extra judicium, executionem arbitrij poſtulans per oppoſitam exceptionem de dolo repelli poteſt. cit. l. Non diſtinguemus; §. Cùm quidam; ff. h. t.

VI. Reſpondetur 3. Arbitri compromiſſarij, qui à partibus ſponte aſſumuntur, rurſum ſunt duplicis generis, ſicut videre eſt apud Abbatem in c. Quintavallis; 23. n. 7. de jurejur. Sylv. V. Arbiter; in princ. & alios: nam alij ſunt, in quos ita, ſive

expreſsè,

Digitized by Google

expreſsè, ſive tacitè eſt compromiſſum, ut in cauſa ſibi commiſſa, ſervato juris ordine, ac formâ judicii, procedere, ac pronunciare debeant. Et hi propriè Arbitri appellantur, vulgò Willkührige Schiedsrichter/ & eorum ſententia arbitrium, ſeu laudum vocatur: & de horum arbitriis dicitur in l. 1. ff. h. t. quòd ſint redacta ad ſimilitudinem judiciorum: nam partes coram eis citari, libellus offerri, lis conteſtari, teſtes examinari, & aliæ ſolemnitates ad judiciarium proceſſum requiſitæ obſervari debent; ut conſtat ex l. Sed & interpellatur; 49. §. Arbiter; ff. h. t. & ex l. pen. circa finem. C. eod. Hiltrop. in proceſſ. jud. p. 1. tit. 9. n. 17. & 18. Poſſunt tamen partes compromittentes in hos arbitros iiſdem de ſolemnitate, ſeu formâ judiciali aliquid remittere; cùm tota poteſtas eorum à partibus derivetur, & conſequenter à libera eorum voluntate pendeat, ac menſuranda ſit; ut colligitur ex l. Diem; 27. §. Si quis litigatorum, ibi: *ſi in compromiſſis hoc ſpecialiter expreſſum ſit.* & ex communi docet Molin. tr. 5. diſ. 33. n. 1.

Alij verò ſunt Arbitri, in quos à partibus ita compromittitur, ut ſine juris ordine, ſeu non obſervatâ judicii formâ, cauſam cognoſcant, & examinent, & de illa arbitrentur, ac ſtatuant, ſicut ipſis æquum, & bonum videbitur. Et hi à DD. vocari ſolent Arbitratores, & eorum ſententia arbitramētum: quamvìs inter hæc nomina; *Arbitri*, & *Arbitratoris*, nullum in ipſo jure diſcrimen reperiatur, ſed nomine Arbitrorum interdum etiam Arbitratores comprehenduntur. Mol. tr. 5. diſ. 30. n. 1. & diſ. 38. n. 10. Et hi Arbitratores ſtrictè ſumpti potiſſimùm aſſumuntur ad contractus perficiendos, vel damna illata reſarciendа, & alia negotia extrajudicialia expedienda: Ut ſi in contractu emptionis, ac venditionis pretium à contrahentibus relinquatur arbitrio tertij, quanti ille rem venditam æſtimaverit: vel, ſi inter partes conveniat, ut pro injuria, vel damno illato lædens tantum det, quantum tertius v. g. Titius fuerit arbitratus; quamvìs arbitratores etiam aſſumantur interdum circa lites, citra judicialem indaginem, ſeu non ſervatâ formâ judicii definiendas. Molin. cit. diſ. 30. n. 4. & 6.

VII. Porrò aliud diſcrimen inter Arbitros ſtrictè acceptos, & Arbitratores afferunt Bart. in l. Societatem; 76. §. Arbitrorum; ff. Pro ſocio. & Abb. in c. Quintavallis; 23. n. 29. & 30. de jureiur. quòd ſententia Arbitratoris, ſi iniquitatem, vel læſionem enormem contineat, petente parte, reducenda ſit ad æqualitatem juſtitiæ, ſecundùm boni viri arbitrium: non item ſententia arbitri, cui partes ſtare debent, ſive æqua, ſive iniqua ſit, dummodo dolus abſit. Idque probant ex cit. c. l. Societatem; ubi dicitur: Arbitrorum genera duo ſunt, unum eiuſmodi, ut, ſive æquum ſit, ſive iniquum, (quod ſcilicet arbitrati fuerint, ac definiverint) parére debeamus, quod obſervatur, cùm ex compromiſſo ad arbitrium itum eſt. Alterum ejuſmodi, ut ad boni viri arbitriũ redigi debeat, (quod illi arbitrati fuerint, ac definierint, ſi reperiatur in ſe iniquum, & injuſtum) etſi nominatim perſona ſit comprehenſa, id eſt, expreſſa, cuius arbitratu fiat. Verùm hanc doctrinam in jure fundamentum non habere, bene probat Molin. cit. diſ. 30. n. 7. & 8. ex l. In propoſita; 78. ff. Pro ſocio, ubi dicitur, quòd arbitrium boni viri ſequendum ſit, eò quòd judicium

pro ſocio bonæ fidei ſit, quaſi dicat, quòd æquitas i
judicando circa ſocietatem ſervanda ſit, quando a-
liud de forma contractûs non conſtat: & in l. ſeq. di-
citur, quando arbitrium manifeſtam contiuet ini-
quitatem, corrigi poſſe per judicium bonæ fidei: a
proinde in dubio, quando non conſtat de iniquitate
non eſt locus reductioni ad arbitrium boni viri, ſe
illi ſtandum eſt. Et in l. libertus; 30. ff. de oper. libert
dicitur, compromittentium in aliquem eam ſen
ſemper, ſive regulariter, mentem eſſe, ut intendant ſ
obligare ad ſtandum eius arbitrio, ſi æquum ſit; no
verò, ſi immodicè, ſive iniquè arbitratus fuerit: ni
expreſsè in eo compromiſſo conventum fuerit, n
arbitrium, qualecunque fuerit, ſive æquum, ſive ini
quum, ſervetur; aut ex circumſtantiis conſtiterit, i
partes ſuo compromiſſo intendiſſe, quia ſcilicet in
tenderunt ſe exponere quaſi fortunæ, & tam pericu
lo, quàm commodo judicii arbitrorum, ad redimen
dos ſumptus, & moleſtias coram Judice ordinario
aut delegato: perinde, ac in ſortibus, & alearum lu
do: tunc enim in utroque foro partes ſtare deben
arbitrio, etſi iniquum ſit, & in alterius partis inju
riam cedat; quia æqualis eſt utriuq; contractus com
promiſſi, juxta cit. l. Societatem; & l. Diem; 23. §. Sta
ri; ff. h. t. Verùm in dubio nunquam præſumen
dum eſt, partes ita conveniſſe, ſeu compromiſiſſe i
arbitros qualeſcunque, ut eorum judicio ſtare velin
ſive æquum, ſive iniquum ſit: ſed potiùs ita conve
niſſe in eos, quòd velint ſtare eorum judicio, ſi it
arbitrentur, ſicut bonum virum arbitrari oporte
juxta cit. l. Si libertus. Quare in priore parte cit. l. Sc
cietatem, ſermo eſt de eo compromiſſo, quo conven
tum eſt inter partes, ut, quidquid arbitri definiverin
illorum judicio ſtetur: in poſteriore verò parte ſe
mo eſt de eo pacto, quo ſimpliciter conventum eſt,
ſtaretur judicio arbitri; tum enim ſententia arbit
cuiuſcunque ad boni viri arbitrium redigi debet,
manifeſta eius iniquitas appareat; ut patet ex juribu
citt. Mol. c. l. Sed de hoc plura infrà.

VIII. Cæterùm, præter prædictos Arbitros,
Arbitratores, quorum utrique non niſi cauſâ ip
commiſſâ cognitâ, & examinatâ, adeòque ſecundù
merita illius, & terminos juris, arbitrium ferre d
bent, ſive ſervatâ formâ judicii, ſive non ſervatâ, ſu
aliqui propriè amicabiles compoſitores, vulgò gütl
che Unterhändler/ ſeu mediatores, & aliquando etia
Arbitratores appellari ſolent. Et hi non debent
pronunciando attendere ad merita cauſæ, ſed potiù
ac principaliter ad hoc, ut partes extra judicium p
blicum ad pacem, & concordiam inducant: ad qu
ſæpe neceſſarium, vel expediens eſt, rem, de quâ
controverſia, dividere inter partes, vel totam adju
care uni parti, quæ viciſſim comparti aliquid pec
niæ, vel alterius rei ſolvere jubeatur: vel etiam a
quid uni parti auferre, & alteri adjudicare, dumm
do ſine notabili læſione, ac damno id fiat. Sylveſt.
Arbiter q. 2. in differeut. 20. Molin. cit. diſ. 30. nu
9. Sunt tamen tales compoſitores duplices, alij, q
ex compromiſſo in eos facto à partibus eliguntur,
amicabiliter inter eoſdem componant, & pacem ſ
biliant: Alij ſunt, qui nullo præcedente comprom
ſo, vel pacto partium, ſed ſponte, ac proprio mo
vel ex mandato v. g. Principis, vel rogatu ipſaru
partium, vel alicuius extranei accedunt, ut partes
ami

micabiliter componant, ita tamen, ut arbitrium illorum nullam vim habeat, niſi partes liberè in id conſentiant. Atque hi magìs propriè amicabiles compoſitores partium appellantur; de quibus ſermo eſt in Auth. ſi verò C. de Iudic. Molin. c.l.n.9. Et hi compoſitores non ſunt propriè dicti Arbitri, vel Arbitratores; ut colligitur ex l. Pomponius; 13. §. Recepiſſe. ff. h.t. Sed ſunt ſimiles proxenetis, à quibus in eo ſolùm differunt, quòd hi ſunt mediatores inter partes, ut illas ad concordiam circa ineundos, ac perficiendos contractus inducant: at iſti amicabiles compoſitores non compromiſſarij, ſunt mediatores circa componendas controverſias inter partes jam ortas; ut tradit Molin. cit. diſ. 30. n. 10.

IX. Quæritur 3. In quibus Arbiter præſertim compromiſſarius differat à Judice? Reſp. Plures ſunt differentiæ. Primò, Judex etiam invitus dari poteſt; arbiter compromiſſarius non niſi volens. l. Labeo; 3. §. 1. ff. h.t. & ſuprà dictum. Secundò, reconventio non habet locum coram arbitro compromiſſario, ſicut coram Judice ordinario. c. Cùm dilectus; 6. h.t. de quo infrà. Tertiò, à ſententia Judicis cõceſſum eſt appellare. l. 1. & tot. tit. ff. de appellat. non item à ſententia arbitri. l. 1. C. h.t. Quartò, coram Arbitro nõ inducitur litis pendentia, ſicut coram Judice. Gail. l. 1. obſ. 141. n. 3. Quintò, arbiter ſententiam invalidã, quam tulit, mutare, ſeu retractare non poteſt. l. Qualem; 19. in fine, & l. ſeq. ff. h. t. At judex ordinarius poteſt. l. Si præſes; 6. l. Quomod. & quando Judex &c. Sextò, Arbiter laudum ſuum executioni mandare non poteſt, quia juriſdictionem nullam habet. l. pen. C. h. t. ſed executio demandatur Judici ordinario ipſius rei. Abb. in c. Per tuas; 9. n. 1. h.t. Gail. l. 1. obſ. 1. n. 51. Judex verò poteſt. Septimò, Procurator litigans coram Arbitro non ſatiſdat de rato. l. 32. §. Arbitri. ff. h.t. quia poteſt ſolvere pœnam compromiſſi, & non ſtare ſententiæ; ſecus coram Judice. tot. tit. rem rat. hab. Octavò, Arbiter nõ poteſt punire contumaces, nec teſtes cogere, quia juriſdictionẽ non habet; judex poteſt. l. 2. §. fin. ff. de judic. Nonò, Laudum arbitri condemnatum non infamat. l. Quid ergo; 13. § Ex compromiſſo. ff. de his, qui not. infam. quia de crimine, quod infamat, cognoſcere nõ poteſt: at ſentẽtia Judicis ſuper ſamoſo delicto lata infamat. l. 1. l. 4. §. fin. ff. dicto tit. Decimò, Arbiter non poteſt delegare arbitrium. l. 32. §. Quæſitum. ff. h.t. judex poteſt vices ſuas delegare. l. More; 5. ff. de juriſd. l. 1. ff. de offic. eius cui mand. eſt juriſd. Undecimò, in arbitrio non poteſt mora purgari, in quo dies præfixus eſt ab homine. l. Celſus; 23. ff. h.t. in judiciis poteſt. l. Sancimus; 26. C. de fidejuſ. Duodecimò, in arbitriũ id ſolùm venit, de quo actum eſt, ut veniret. l. 21. §. Plenum. ff. h.t. quia ſtricti juris eſt; in judicium verò veniunt omnia, quæ expreſſè, ne venirent, non prohibentur. l. Solemus; 61. ff. de judic. Decimo tertiò, partes non tenentur præcisè ſtare arbitri ſentẽtiæ, ſed poſſunt ab ea recedere; etſi pacti ſint de non recedendo. l. pen. §. Sin autem. C. h.t. at ſententiæ judicis ſtandum eſt, ſi ſit pactum de non appellando. l. ult. in fine C. de temp. appel. Decimo quartò, ex laudo arbitri, neque actio, neque exceptio rei judicatæ datur, ſed pœnæ petitio. l. 2. C. h.t. niſi expreſſè, vel tacitè ſit approbatum. l. pen. C. eod. ex ſententia verò judicis datur. tot. tit. ff. & C. de re judic. & except. rei jud. Plures differentias refert Durand. in ſpec. tit. de arbitro. §. Differt. & Hilrrop. in proceſſ. p. 1. tit. 9. n. 19. & pluribus ſeqq. & ex infrà dicendis plures colligentur.

§. II.

De iis, qui compromittere in arbitros, & qui arbitri eſſe poſſunt, vel non poſſunt.

X. Quæritur 1. Quinam poſſint compromittere in arbitros, vel non? Reſp. generatim loquendo, quilibet, qui habet rerum ſuarum liberam adminiſtrationem: qui verò non poteſt res alienare, ſeu liberè de illis diſponere, is neque ſuper illis compromittere poteſt. arg. l. Non ſolùm; 4. C. de prædiis minor. & colligitur ex c. Cùm tẽpore; 5. h.t. ubi habetur, quòd non valet compromiſſum factum in præjudiciũ exemptionis, quia Prælatus exemptus non poteſt renunciare huic privilegio ſine facultate S. Pontificis; ideóque neque ſuper eo compromittere poteſt. Abb. ibid. n. 3. Ratio eſt, quia per compromiſſum deveniri poteſt ad alienationem: quod tamen intelligi debet cum effectu, ſi compromiſſum actu inducat alienationem; alioquin enim, ſi res permaneat apud eum, qui alienare prohibetur, tum etiam is, qui non habet facultatem alienandi, ſuper ijs compromittere poteſt. Abb. c.l. n. 4. Atque hinc etiam, qui tranſigere poteſt, is quoque compromittere poteſt: qui verò tranſigere non poteſt, is neque cõpromittere, cùm par ſit utriusq; ratio, & ad eundem effectum tendant; prout colligitur ex c. Per tuas; 9. h.t. ibi: *compromittere poſſet, vel tranſigere ſuper eo.* Imol. ibid. n. 2. & Abb. in c. Expoſita; 11. num. 3. eod. ubi rationem dat, quia compromiſſum eſt quædam tranſactio, & æquiparatur tranſactioni. Hoſtienſ. in ſumm. n. 7. in fine, h. t. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 40. n. 6.

XI. Ex dictis infertur, non valere compromiſſũ, ob defectum poteſtatis in perſona compromittente: Primò, ſi pupillus ſine Tutoris auctoritate, compromittat, præterquam ſi fideiuſſorem dedit, à quo poſtea peti poteſt. l. Si pupillus; 35. ff. h. t. Secundò, ſi minor pubes curatorem habens, ſine eius auctoritate, compromittat, nõ obligatur compromiſſo: ſi verò curatorem non habeat, cogitur ſtare cõpromiſſo, aut ſolvere pœnam, non ſecus, ac ſi eſſet major, ut colligitur ex l. Labeo; 3. junct. Gl. V. Comiſſæ; & V. Dabitur; ff. eod. ſi tamen læſus ſit, ſubvenitur ei per beneficium reſtitutionis in integrum. Molin. c.l. n. 8. Tertiò, Prælatus de rebus Eccleſiæ, quas alienare non poteſt, nec ſuper ijs compromittere poteſt, ſine conſenſu Capituli, & ſolemnitatibus requiſitis ad alienationẽ rerum Eccleſiaſticarum: niſi compromiſſum de rebus Eccleſiæ ſit tale, quod non inducit alienationem illarum, ſed res permaneant penes Eccleſiam; tunc enim etiam ſolus poteſt de illis compromittere. Abb. in cit. c. Cùm tempore; n. 3. in fine h.t. ubi addit, idem eſſe de tutore, qui non poteſt tranſigere, aut compromittere de rebus pupilli, quas alienare non poteſt, ſi ex compromiſſo ſequatur alienatio; ſecus ſi non ſequatur, ſed res penes minorem permaneant. Sed neque inferior Clericus, v.g. Parochus, ſine auctoritate Ordinarij ſui, facere poteſt compromiſſum de

bonis Eccleſiaſticis, per quod obligetur Eccleſia, cujus eſt Rector: aut cum præjudicio Eccleſiæ; ut conſtat ex c. Pervenit; 3. & ibi Gloſſ. fin. h. t. quamvis Clericus, ſine conſenſu Epiſcopi, poſſit compromittere de bonis ſuis patrimonialibus, & reditibus Eccleſiaſticis, quorum alienatio ipſi interdicta non eſt, Gl. in c. 1. V. Judices junct. Gloſſ. marg. lit. c. de for. compet. in 6. Quartò, nec compromiſſum à ſervo factum tenet. l. Non diſtinguemus; 32. §. Si ſervus. ff. h. t. Quintò, nec vaſallus ſuper feudo compromittere poteſt, ſine licentia domini ſui. Hoſtienſ. in ſumma hîc n. 7. Clarus §. Feudum; q. 39. quia regulariter, de qua re non poteſt quis liberè diſponere, neque poteſt de ea facere compromiſſum, niſi ex tali compromiſſo non poſſet ſequi alienatio feudi; rum enim etiam vaſallus de feudo compromiſſum facere poſſet. Clar. c. l. Sexto, Religioſus, ſine licentia Prælati ſui, non poteſt compromittere, etiamſi adminiſtrationem habeat, Hoſtienſ. c. l. Septimò, mulier non poteſt pro alio compromittere, quia videtur intercedere, & ſic juvatur exceptione Senatusconſulti Velleiani. cit. l. Non diſtinguemus; & ibi Gl. magna ff. h. t. quamvis ſuper re ſua compromittere non prohibeatur. Octavò, Procurator non poteſt compromittere, ſine ſpeciali mãdato domini; uti ſumitur ex c. Per tuas; 9. h. t. & ibi Abb. n. 2. Gl. in c. Qui ad agendum; 4. V. Paciſci; de procurat. in 6. quòd ſi abſque mandato compromiſit, contra ipſum agi, & executio fieri poteſt, ac debet. cit. c. Per tuas; & ibi Abb. n. 6. Idque locum habet in omni Procuratore, qui nomine abſentis aliquid agit, cuius mandatum non habet. l. Plautius; 61. ff. de procurat.

XII. Quæritur 2. Quinam poſſint eligi, ſeu aſſumi in arbitros, vel nõ? Reſp. Omnes arbitri eſſe poſſunt præter illos, qui jure prohibentur, cuiuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis ſint. l. 3. §. fin. ff. h. t. Eſt enim Edictum de arbitris prohibitorium certarũ perſonarum, in quo etiam arbitria imitantur judicia, ut ſicut Judices eſſe permittuntur, qui non prohibẽtur. l. Cùm Prætor; 12. ff. de judic. ita & Arbitri eſſe poſſunt, qui non prohibentur. Gregor. Tholoſ. partit. Jur. Can. l. 5. tit. 4. c. 6. Quare in Arbitros eligi poſſunt, non ſolùm ij, qui ſunt integræ famæ, ſed etiam Infames, c. Infames; 2. §. Cognitores cauſ. 3. q. 7. l. Pedius; 7. in princ. ff. h. t. quia arbitrium non eſt res pertinens ad dignitatem, dignitates enim infamibus non parent. Zœſ. ff. h. t. n. 11. ſive ſint ingenui, ſive libertini. cit. l. Pedius ſive patresfam. ſive filiifam. quia hi etiam in re patris arbitri eſſe poſſunt, conſentiente adverſario, cùm & judices eſſe poſſint. l. Cedat; 5. & l. ſeq. ff. eod. cit. c. Infames; §. Filius: nam Judicis officiũ eſt publicum, in publicis autem cauſis filiusfam. loco patrisfam. habetur. l. Filiusfam. 9. ff. de his, qui ſui, vel alien. jur. ſunt. Et non ſolùm privati, ſed etiam qui in Magiſtratu ſunt conſtituti arbitri eſſe poſſunt, licet tales non poſſint cogi, ut arbitrium recipiant. l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. h. t. Zœſ. ff. hîc n. 15.

XIII. Idque extenditur, quod partes poſſunt compromittere, etiam in Judicem ſuum competentem, ac proprium, ut cauſam, quæ coram illo agitur, tanquam judex arbiter definiat; ut docet Gloſſ. communiter recepta in c. Cum tempore; 5. V. Magdeburgenſis Archiepiſcopi; h. t. & quoad judicem ordinarium ſumitur ex eod. c. Gl. ibid. V. cit. & Abb. n. 5.
clariùs ex c. Ex parte; 10. h. t. ubi à partibus ſup
cauſa electionis compromiſſum fuit in Archiepiſc
pum Colonienſem, qui erat Ordinarius compromi
tentium, tanquam in Arbitrum; quod ex eo collig
eur, quia tanquam arbiter præfixit diem partibus
ſententiam audiendam; Arbitrator autem non fe
ſententiam, cùm coram eo non ſit judicium, nec qu
ſi. Abb. ibid. num. 1. not. 2. item ex c. pen. eod. u
partes compromiſerunt in Cardinalem Legatum S
dis Apoſtolicæ, qui eſt Judex ordinarius. Quo
Judicem verò delegatum apertè colligitur ex c. Cù
olim; 7. h. t. ubi in Judices delegatos compromiſſu
fuit, tanquam in arbitros, ſuper cauſâ ipſis antea d
legatâ; idque etiam ſumitur ex c. Litteras; 14.
præſumptionib. ubi partes contendentes compr
miſerunt in Judices delegatos: & operatur tale co
promiſſum hoc, ut Judex deinde recuſari non poſſ
nec ab eius ſententia appellari. Laym. in cit. c. Cù
olim; n. 1. Et hoc quidem indubitatum eſt de Ju
Canonico; ut ex allatis juribus patet.

Verùm de Jure Civili apertè prohibitum eſſe v
detur in l. Sed ſi in ſervum; 9. §. Si quis Judex. ff. h.
ut judex ordinarius accipiat arbitrium eius rei,
qua eſt Judex: quam leg. Gl. ibid. V. inve ſe, ita exp
nit, quòd lex illa, & prohibet recipere volentes, &
mul prohibeat vim fieri nolentibus, ne judex vide
tur juriſdictione ſibi datâ abuti. Idémque ten
Molin. tract. 5. diſ. 39. num. 7. ubi tamen num. 8. ac
dit, quòd in Judices delegatos compromitti poſſ
ſuper causâ, quæ coram illis agitur, cùm id jure civ
li non reperiatur prohibitum. At verò Gloſſ. in ci
c. Cum tempore; V. Magdeburgenſis Archiepiſcop
& Abb. num. 6. aiunt, dictam leg. intelligendam e
eo ſenſu, quòd ibi ſolùm prohibeatur, ne Judex o
dinarius cogat partes litigantes, ut cauſam in ipſu
compromittant: non autem eſſe ibi prohibitum a
ceptare compromiſſum, ſi ſponte à partibus fiat i
judicem, & non eo jubente. Idque ſumitur ex ſu
junctis ibidem verbis: *inve ſe compromitti jubere pr
hibetur*: ubi particula *inve* non disjunctivè, ſed cop
lativè accipienda eſt, ut patet ex cit. c. Infames; §.
quis verò; ubi ex cit. l. 9. refertur integer §. Si quis J
dex; & exponitur copulativè, *& in ſe compromitti.*
notat Fagnan. in cit. c. Ex parte; n. 28. h. t. Idque co
firmatur: nam lex civilis dubia ſecundùm determ
nationem Juris Canonici intelligenda eſt, cùm eni
in dubiis recurratur ad conſuetudinem, quæ eſt op
ma legis interpres, ad Jus Canonicum etiam recu
rendum erit, quod majoris auctoritatis eſt, quàm c
ſuetudo. Neque conſtituenda eſt differentia int
Jus Canonicum, & Civile, niſi ubi id clarè reperit
expreſſum. arg. c. 1. de nov. oper. nunc ergo, cùm i
Jure Canonico hic articulus ſit expreſsè deciſus, l
civilis dubia exponi debet ſecundùm Jus Canon
cum, & ſic jura juribus concordantur. Fagnan. c. l.
32. & 33. Atque hæc poſterior expoſitio eſt prob
bilior.

XIV. Cæterùm, ſi à partibus compromiſſum
ſuper cauſa aliqua in Judicem ordinariũ, vel deleg
rum, vel in alium tertium, nõ ideo extinguitur jur
dictio eius ordinaria, vel delegata quoad eandẽ ca
ſam; ut docet Abb. in c. Innotuit; 12. n. 5. & 6. h. t. M
lin. cit. diſ. 39. num. 8. Quare partes, ſi velint, relic

co

compromiſſo, ſi res ſit integra, non ſolùm ad Judicem ordinarium, ſed etiam delegatum iterum redire poſſunt: quin & actor, reo invito, cauſam coram eodem delegato proſequi poteſt, cùm eius juriſdictio nondum ſit extincta, dum controverſia manet, & partes à compromiſſo, quippe voluntario, liberè recedere poſſunt, à quibus arbiter recipit poteſtatem: juriſdictio verò à publica poteſtate datur, & exercetur in invitum, ideóque non extinguitur, etiamſi partes ad arbitros accedant; ut docet Imol. in cit. c. Innotuit; num. 6. Abb. ibid. num. 6. ac proinde, ſi per arbitros, in quos compromiſſum eſt, cauſa non expediatur, eam Judex etiam delegatus reaſſumere poteſt: nam reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites ſuâpte naturâ ſunt perpetua, l. 2. C. de diverſ. reſcript.

XV. Ubi tamen prætetea advertẽdum eſt Primò, an cauſa aliqua Judicibus delegata ſit in favorem partium, an verò in favorem publicum: nam hoc poſteriore caſu, non poſſunt partes compromittere in Judices delegatos, ut tanquam arbitri cauſam definiant; neque ijs relictis, in alios arbitros, quia favori publico renunciare non poſſunt: priore verò caſu poſſunt, cùm privato favori impetrati reſcripti renunciare valeant. arg. c. Ad Apoſtolicam; 16. de regulat. Molin. cit. diſ. 39. n. 8. Secundò, partes, relictis Judicibus delegatis, ita in arbitros poſſunt compromittere, ut tamen Judices retineant poteſtatem compellendi partes ad obſervandum arbitrium; ut colligitur ex cit. c. Innotuit; h. t. ubi illud factum S. Pontifex non reprobavit; & notat Laym. ibid. n. 4. Tertiò, ſi compromiſſum ſit in Judicem, & dubitetur, an in cauſa proceſſerit, ut Judex, an verò, ut arbiter, cenſeri debet, quòd proceſſerit, ut Judex, ſi fecit ea, quæ arbiter non poteſt: quia habens duplicem poteſtatem ſimul concurrentem, in dubio cenſeri debet eâ uſus eſſe, per quam actus ſuſtineatur, & valeat eo modo, quo poteſt. Fagnan. in cit. c. Ex parte; n. 34. & ſeqq.

XVI. Quæritur 3. Quinam in ſpecie prohibeantur eſſe arbitri compromiſſarij? Reſp. Inprimis in ſervum compromitti non poteſt. l. Pedius; 7. §. 1. ff. h. t. c. Infames; 2. §. Si quis, verò; in fine, cauſ. 3. q. 7. quia ſervi Jure civili pro mortuis habentur: niſi liber factus ſententiam dixerit, partibus de novo in eum jam liberum factum conſentientibus. l. Sed etſi; 9. in princ. ff. h. t. Mol. cit. diſ. 39. n. 2. Vel, niſi tempore compromiſſi, & ſententiæ, ſervus communiter pro libero habitus ſit. arg. l. Barbarius; 3. ff. de offic. Prætor. & l. 1. C. de teſtam. Hiltrop. cit. tit. 9. n. 31. Secundò pupillus, furioſus, mutus, aut ſurdus arbitri compromiſſarij eſſe nequeunt. cit. l. Sed etſi. §. 1. nec minor xx. annis. l. Cùm lege 41. ff. eod. quòd ſi major xx. annis, ſed minor xxv. compromiſſum acceptet, & pronunciando arbitrium læſus ſit, reſtituitur in integrum. cit. l. 41. §. fin.

XVII. Tertiò mulier, ſicut Jure communi non poteſt Judicis officio fungi, quia ab omnibus officiis civilibus, ac publicis fœminæ remotæ ſunt, l. Fœminæ; 2. ff. de R. I. ita nec arbitrium dicere poteſt. l. fin. C. h. t. nam arbitraria ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſunt. l. 1. ff. eod. Excipi debet, niſi mulier aliàs habeat juriſdictionem de jure communi, vel ſecundùm conſuetudinem regionis, tum enim, ſicut judicare, ita & arbitrari poteſt; ut conſtat ex c. Dilecti; 4. h. t. Nam cùm inter Abbatem, & Conventum Ordinis Ciſtercienſis ex una parte, atque Hoſpitalarios ex altera, controverſia eſſet ſuper uſuario jure, ſeu uſu cuiuſdam nemoris; à partibus utrinque compromiſſum fuit in Reginam Galliæ. Ea auditis, & cognitis cauſæ meritis, arbitrium, ſeu laudum, adhibito quorundam Epiſcoporum conſilio, pronunciavit, & promulgavit. Sed, quia fœminæ arbitrium ferre non poſſunt, Hoſpitalarij exiſtimârunt, illud ſibi obſervandum non eſſe; ideóque cauſam ad Innocentium III. detulerunt. Ad quod Papa reſpondit, quamvis fœminæ, ſecundùm leges civiles, à publicis officiis ſint remotæ, & in l. ult. C. de arbitris ſtatuatur, ut mulieres quantumvis præcellentes, aut ſapientes ſint, arbitrium ferre non poſſint; ita quidem, ut etiamſi liberti in patronam ſub pœnæ ſtipulatione compromiſerint, arbitrium ſervare non teneantur, nec pœnam ſolvere: quia tamen juxta approbatam conſuetudinem, quæ in partibus Gallicanis pro lege obſervari ſolet, fœminæ præcellentes in ſuos ſubditos ordinariam juriſdictionem exercent, ideo mandat idem Papa, ut Hoſpitalarios dictum arbitrium Reginæ, præſertim cùm, adhibito cõſilio Epiſcoporum, providè latum, & ab utraque parte ſponte receptum ſit, obſervare, ſub pœnâ mutuo conſenſu in compromiſſo ſtatutâ, appellatione poſtpoſitâ, compellant.

XVIII. Notandum 1. Quamvis fœminæ ordinariè non poſſint ſuſcipere, vel gerere officium Judicis, aut arbitri: excipi tamen debet, niſi ad mulierem Regnum aliquod, Ducatus, aut Comitatus jure proprio, v. g. hæreditario, pertineat; cui juriſdictio ſit annexa; tum enim mulier ipſamet, ſpectato Jure communi, juriſdictionem exercere, & conſequenter judicare, & arbitrium ferre poteſt: vel niſi, juxta conſuetudinem loci, ſeu Regionis, mulier, ob conjugium cum marito Rege, aut Duce initum; non tantùm dignitatem obtineat; ſed etiam juriſdictionem ab ipſo participet, ita, ut inter ſubditos ſuos judicare poſſit (ut in caſu huius c.) Innocent. hîc num. 1. Abb. num. 4. Molin. cit. diſ. 39. num. 4. Ex quo infertur, quòd mulier prohibetur judicare; non præcisè ratione incapacitatis, quia tunc nec per conſuetudinem poſſet acquirere juriſdictionem, aut poteſtatem judicandi, cùm conſuetudo per ſe ſola non poſſit habilem reddere eum, qui ſecundùm ſe inhabilis eſt, licèt privilegium poſſit, ut alibi dictum; ſed, quia minùs decens eſt, ut mulier virilibus muneribus ſe immiſceat, niſi dignitatem obtineat; tunc enim ratione dignitatis admittitur etiam ad officia virilia, & publica. Abb. hîc n. 3.

Notandum 2. Conſuetudo legitimè præſcripta circa unum actum, extendi debet etiam ad alium actum, qui ſecundùm jura omnimodè æquiparatur, & quodammodo includitur in priore actu, tanquam pars in toto: ſic in propoſito, acquiſitâ per conſuetudinem poteſtate judicandi, cenſetur acceſſoriè acquiſita etiam poteſtas arbitrandi, quia arbitria ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſunt: l. 1. ff. h. t. Abb. hîc num. 5.

XIX. Notandum 3. Quamvis mulier, ſpectato Jure communi, exceptis prædictis caſibus, non

poſſit eſſe arbitra, quia arbitrium fit, judiciali ordine ſaltem ex parte ſervato, & habet vim, & auctoritatem judicialis ſententiæ, & quaſi jus facit; poteſt tamen eſſe arbitrix in aliquo contractu, ita, ut controverſiam amicabiliter componat: nam tale arbitramentum, vel compoſitio cenſetur actus extrajudicialis, neque ſecundùm terminos juris, & merita cauſæ fieri debet. Abb. hic n.2. & in c. Quinsavallis; 23. n.2. de jureiur. Molin. cit. diſ. n. 4. idque colligitur per contrarium ſenſum ex cit. c. Dilecti; h. t. ubi dicitur, quòd fœminæ ab omni ſint judiciali examine ſeparandæ: ergo ſecus de cognitione extrajudiciali; adeóque in arbitramento, vel amicabili compoſitione, quæ fit extra judicium, & ordinem judiciarium non requirit.

Sed quid, ſi partes compromiſſum in mulierem tanquam arbitram juramento confirment, quòd eius arbitrio ſtare velint, num ad illud ſervandum obligantur? Negat Abb. in cit. c. Dilecti; h. t. num. 2. quia, cùm partes non poſſint conferre mulieri poteſtatem, & officium arbitri, quippe quod inter civilia, & publica munera computatur, quorum mulier eſt incapax, neque pactis privatorum juri publico derogari queat. c. Si diligenti; 12. de for. compet. idcirco tale juramentum nullum effectum producit, nec ſervandum eſt. Contrarium tamen tenet Imol. in cit. c. Dilecti; num. 2. & Beroi. num. 6. ubi ait, quòd tale arbitrium ſervandum ſit, non quidem ex vi ipſius ſententiæ, quaſi vim, & auctoritatem juris, ſeu judicialis ſententiæ habeat, ut bene probat ratio pro oppoſita ſententia allata, & colligitur etiam ex l. 3. ff. de juriſdict. ſed ex vi pacti jurati, quod, cùm non ſit contra bonos mores naturales, adeóque ſine peccato ſervari poſſit, videlicet quòd partes velint ſtare arbitrio, ſeu judicio fœminæ, ideo omnino ſervandum eſt. c. Cùm contingat; 28. de jureiur. Conſentit Gl. in l. 2. V. Non fuit C. commun. utriuſque judic. atque hæc ſententia probabilior eſt.

Notandum 4. Pœna poteſt apponi in compromiſſo etiam inito inter perſonas religioſas; ut patet ex fine cit. c. Dilecti; h. t. quia Clerici, vel Religioſi quoque poſſunt licitè exigere pœnam conventionalem, vel à jure permiſſam. Gl. fin. in cit. c. & Abb. n. 6. de quo plura alibi.

XX. Quartò, ſicut laicus in cauſis ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis non poteſt eſſe Judex. c. 2. de judic. c. Lator; 5. qui filij ſint legitimi; ita nec arbiter compromiſſarius; ut conſtat ex c. Contingit; 8. h. t. quod eſt deſumptum ex Concilio generali Lateranenſi c. 40. ubi generaliter prohibetur, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur, ſeu cognoſcat.

XXI. Idque extenditur 1. Etſi in hoc c. ſimpliciter prohibeatur compromiſſum factum in laicū ſuper rebus ſpiritualibus: tamen huiuſmodi compromiſſū, ſeu arbitrium, non ſolùm illicitum eſt, ſed etiā ipſo jure eſt invalidum; ut docet Gl. hîc in caſu, & V. Spiritualibus; Verſ. Si verò compromittatur; & patet ex ſumma huius c. quæ dicit: De rebus ſpiritualibus in laicum compromitti non poteſt. & ibi communiter DD. non poſſe autem negat potentiam, ſeu poteſtatem, juxta doctrinam Gl. in c. 1. V. Non poteſt; de R. I. in 6. poteſtas autem judicādi, aut arbitrandi negotia Eccleſiaſtica, ſeu ſpiritualia, non laicis, ſed Eccleſiaſticis perſonis tantùm committenda eſt. Gl. hîc V. Spiritualibus; in fin. & Fagnan. n. 2. 3. & 4.

Extenditur 2. Quòd in laicum de cauſis ſpiritualibus nec principaliter, nec incidenter compromitti poteſt; quia de talibus nec incidenter laicus judicare, aut cognoſcere poteſt. c. pen. de ord. cognit. Gl. hic V. In ſpiritualibus. Innoc. n. 1. & Hoſtienſ. V. Ut laicus; nec per viam reconventionis. c. 1. de mut. petit. Abb. hic n. 1.

Extenditur 3. Quòd, etiam interveniente auctoritate Epiſcopi, compromitti non poſſit in laicum, de rebus ſpiritualibus; quia jus ſpirituale non cadit in laicum, niſi auctoritate Papæ. Gloſſ. hic circa finem. nullus enim inferior Papâ poteſt laico committere, ſeu delegare cauſam ſpiritualem; adeóq; nec poteſtatem dare, ut de te, ſeu jure ſpirituali compromittatur in laicum: quia ſuperior non poteſt conſtitutionem ſuperioris tollere, vel ei detrahere: & in dicto c. generaliter prohibetur, ne compromiſſum huiuſmodi fiat in laicum. Fagn. hic. n. 5.

XXII. Limitatur autem 1. Quòd compromiſſum validè, & licitè fieri poteſt, de re ſpirituali in Clericum, & laicum ſimul, modò id fiat cum auctoritate, ſeu cōſenſu Superioris, ſeu Judicis Eccleſiaſtici, juxta c. Per tuas; 9. h. t. quia dignius trahit ad ſe minùs dignum, ut ſic actus magis valeat, quàm pereat. Gl. hic V. Spiritualibus. Quare, licèt Judex Eccleſiaſticus ordinarius, v. g. Epiſcopus non poſſit cauſam Eccleſiaſticam delegare Clerico, & laico ſimul: poteſt tamē laicum, unā cum Clerico, conſtituere arbitrum. Ratio diſparitatis eſt, quia judicare in cauſa ſpirituali, ſeu Eccleſiaſticâ, eſt actus juriſdictionis ſpiritualis: ideóq; in laicum cadere nō poteſt, exceptâ plenitudine poteſtatis Papalis; neque laicus fit capax juris ſpiritualis ex eo, quòd ipſi adjungatur Clericus. At verò arbitrium, ſicut & conſilium proferre ſuper cauſa Eccleſiaſtica, non eſt actus ſpiritualis; ideóque in laicū cadere poteſt. Abb. hic n. 4 & Joan. Andr. in cit. c. Per tuas; n. 12. idque colligitur ex cit. c. Contingit; h. t. ubi dicitur: Non decet, ut laicus in talibus arbitretur: ergo non eſt abſolutè incapax. Et hinc laici in Conſiſtoriis Epiſcoporum poſſunt etiam eſſe Conſiliarij, & Aſſeſſores. Abb. hic in fin. & alij DD. cōmuniter. Poteſt autem cauſa ſpiritualis, cum licentia Judicis ordinarij, aut delegati, ad quos cognitio illius cauſæ ſpectat, compromitti in Clericos, & laicos ſimul, & conjunctim, etiamſi ſint plures laici, quàm Clerici; ut colligitur ex cit. c. Per tuas; ubi arbitri erant duo laici, & unus Clericus. Abb. ibid. n. 3. & 6. Mol. cit. diſ. 39. n. 10.

Limitatur 2. In cauſis Eccleſiarum, & Clericorum civilibus, ac temporalibus, compromitti quoque poteſt in laicum, appoſitâ etiam pœnâ; ut conſtat ex c. Dilecti; 4. & c. Expoſita; 1. & ibi Gl. V. cum parte altera cōpromiſit; & ex c. Contingit; 8. h. t. arg. à contrario ſenſu: enim ibi tantùm prohibetur cōpromitti in laicum in cauſis ſpiritualibus; conſequenter permittitur in temporalibus, quia quod de uno prohibetur, de altero conceditur. Gl. ibid. V. Spiritualib. Et quidem etiā ſine conſenſu Superioris, poſſunt Clerici in rebus temporalibus cōpromittere in laicū; ut docet Abb. in cit. c. Dilecti; n. 8. nam cùm arbiter non habeat juriſdictionem, ſed tantùm notionem quandam, compromittentes in laicos non ſe ſubjiciunt juriſdictioni eorum.

XXIII. Por-

XXIII. Porrò an, ſicut in rebus ſpiritualibus non poteſt compromitti in laicum, tanquam arbitrum; ita neque in eundem tanquam arbitratorem, aut amicabilem compoſitorem, non conveniunt DD. Negat Abb. in cit. c. Contingit; n. 1. ubi generaliter prohibetur fieri compromiſſum in Laicum de re ſpirituali; nec diſtinguitur, num in arbitrum, an arbitratorem; & quia laici non debent tractare negocia Eccleſiaſtica. c. 2. de judic. cùm id non deceat, adeóque etiam non liceat; nec debet, ſicut etiam de rebus ſpiritualibus non poteſt tranſigi. Et hæc ſententia eſt probabilis. Contrarium tamen non minùs probabiliter tenet Durand. in ſpec. l. 1. part. 1. tit. de arbitro, & arbitrat. §. Reſtat; num. 2. & alij communiter apud Fagnan. in cit. c. Contingit; n. 20. quòd de re ſpirituali in laicum tanquam arbitratorem, aut amicabilem compoſitorem compromitti poſſit: tum quia in cit. c. Contingit; eſt ſermò de arbitro, non de arbitratore: & ratio differentiæ eſt, quia arbiter procedit inſtar judicis, ſervato ordine judiciali; ideóque, ſi laicus poſſet eſſe arbiter in rebus ſpiritualibus, videretur quodammodo cognitionem ſibi aſſumere de cauſis ſpiritualibus, quod laicis non eſt permiſſum. c. Quanto; 3. de judic. quæ ratio ceſſat in arbitratore, qui aſſumitur, ut dicat, & arbitretur, quod ſibi videtur, ſinè ordine judiciario, & amicabiliter componat, nec arbitramentum propriè eſt ſententia, nec quaſi ſententia, ſicut arbitrium, ſed implementum compromiſſi, ideóque non mirum, quòd, etſi non poſſit compromitti in laicum, tanquam arbitrum, in re ſpirituali, poſſit tamen tanquam in arbitratorem. Neque verò universim prohibentur in c. 2. de judic. laici tractare negotia Eccleſiaſtica, cùm laicus poſſit eſſe Procurator in ſpiritualibus. c. 1. de Procurat. in 6. ſed solùm prohibentur ibi tractare negotia Eccleſiaſtica judicando, & diſponendo, non autem, ut nudi miniſtri; ut patet ex verbis, quæ antecedunt, & ſubſequuntur. Nec etiam obſtat, quòd de rebus ſpiritualibus non poteſt fieri tranſactio, quia tranſactio eſt ſpecies quædam alienationis, & in ea requiritur, ut aliquid viciſſim detur, vel promittatur, vel retineatur, ideóque fieri non poteſt in ſpiritualibus; quæ omnia ceſſant in arbitramento, vel amicabili compoſitione. Fagnan. in cit. c Contingit; num. 21. & pluribus ſeqq.

XXIV. Quintò, Religioſus non poteſt eſſe arbiter compromiſſarius; ut docet Gloſſ. in l. Pedius; 7. §. ult. V. Nullum ſit; ff. h. t. Durand. cit. tit. de arbitr. §. ult. n. 29. quia arbitrium judicij formam requirit: niſi aliud Monaſterij utilitas poſtulet, ſimúlque Superioris licentia accedat; cùm alioqui Monachus non poſſit eſſe forenſis judicij ſuceptor. c. De præſentium; 20. c. Monachi; 35. cauſ. 16. quæſt. 1. poteſt tamen Religioſus, cum conſenſu Superioris, eſſe arbitrator, aut amicabilis compoſitor, cùm tale arbitramentum, vel compoſitio judicij formam non requirat. Abb. in c. Quintavallis; 23. n. 13. de jurejur. Molin. c. l. n. 5.

Sextò, notoriè excommunicatus, & non toleratus, ſeu vitandus, ſicut non poteſt eſſe Judex ordinarius, vel delegatus, ita nec arbiter, imò nec arbitrator, aut amicabilis compoſitor, quia à communione fidelium excluditur. Abb. c. l. n. 27. Molin. c. l. n. 6. contra Bart, qui putat, excommunicatum poſſe eſſe arbitratorem.

Septimò, denique, ſicut nemo in re ſua propria judex eſſe poteſt. l. Qui juriſdictioni; 10. ff. de juriſdict. ita nec arbiter eſſe poteſt; quia ſententiam, ac jus ſibi dicere, ſibique imperare non poteſt. l. pen. ff. h. t. ubi Gloſſ. V. Imperare ſibi; ait: Quia verbum in imperativo modo non habet primam perſonam. Arbitrator tamen quis eſſe poteſt in re propria. l. Veluti; 77. ff. Pro ſocio. Molin. cit. diſ. 39. n. 9.

§ III.

De cauſis, in quibus compromitti poteſt in Arbitros, vel non.

Regula generalis eſt, quòd ſuper qualibet cauſa, ſeu re, compromitti in arbitros poſſit, de qua id Canonibus, vel Legibus non reperitur prohibitum. Hoſtienſ. in ſumma num. 5. h. t. Molin. tract. 5. de juſtit. diſ. 40. in princ. quænam autem utroque Jure Canonico, & Civili prohibeantur, hoc §. tradimus.

XXV. Aſſertio 1. In primis cauſæ, quæ à majoribus Judicibus expediri debent, quia ſunt valde arduæ, & magni præjudicij, eæ arbitris committi non poſſunt; prout ſumitur ex c. pen. ſupr. de in integr. reſtit. & tradit ibid. Abb. n. 4.

Primò, tales ſunt cauſæ matrimoniales. cit. c. pen. in quibus, ſicut non habet locum tranſactio, aut compoſitio amicabilis. c. ult. de tranſact. maximè cùm de validitate, vel invaliditate matrimonij agitur: ita nec in ijſdem compromiſſum in arbitros, vel arbitratores valet, ſi ad vinculum ipſum matrimonij ſpectent. Abb. in cit. c. pen. n. 4. Molin. cit. diſ. 40. n. 4. Quare Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 20. de reform. ſtatuit, ut cauſæ matrimoniales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur. Id autem intelligendum eſt de cauſis matrimonij carnalis; nam in cauſis matrimonij ſpiritualis, ut eſt cauſa electionis, vel alia beneficiaria, arbitri aſſumi poſſunt; ut conſtat ex c. Ex parte; 10. h. t. c. Cùm inter; 21. de elect. c. Niſi eſſent; 21. de præbend. Abb. cit. loc.

Secundò, tales quoque ſunt cauſæ liberales, in quibus agitur de hominis libertate, ingenuitate, vel libertinitate, quæ favore libertatis majores Judices habere debent; ideóque Arbitris committi non poſſunt. cit. c. pen. & l. Non diſtinguemus; 32. §. De liberali; ff. h. t. quamvis arbiter incidenter de cauſa ſtatûs cognoſcere poſſit, juxta l. Cùm proponas; 6. junctâ Gloſſ. fin. C. de reb. credit. Molin. cit. loc. num. 2.

Tertiò, cauſæ criminales publicæ, & privatæ, ſi criminaliter intententur ad vindictam publicam, & pœnam corporalem, vel etiam pecuniariam, ſed fiſco applicandam, non poſſunt committi arbitris, &, ſi de facto committantur, arbiter non cogitur dicere ſententiam. cit. c. pen. & cit. l. Non diſtinguemus; §. Julianus; ff. h. t. quia partes talem pœnam

nam non poſſunt remittere, & crimina non privato arbitrio remittenda, ſed condignè per publicam auctoritatem vindicanda ſunt. Zœſ. ff. eod. num. 19. Si verò ex crimine ſolùm agatur civiliter ad pœnam pecuniariam ipſi parti applicandam, poteſt etiam in cauſa criminali, ac famoſo delicto compromitti In arbitros. Gloſſ. in cit. §. Julianus; V. Famoſo delicto; Abb. in cit. c. pen. n. 4. & in c. Quintavallis; 23. n. 1. de jurejur. Molin. cit. diſ. n. 1.

Quartò, quæcunque officio Judicis nobili exercentur, adeóque ad merum, vel mixtum Imperium pertinent, arbitris committi non poſſunt; quia arbiter nec quidem ſimplicem juriſdictionem habet, ſed meram cognitionem. Abb. in cit. c. pen. n. 4. Gloſſ. in cit. §. De liberali; V. Idem dicendum; ubi tamen addit: niſi cum cauſâ principali arbitro commiſsâ incidenter veniant.

XXVI. Aſſertio 2. Præterea non poteſt compromitti in arbitros de ijs, quæ vergunt in præjudicium Eccleſiæ. Sic Prælati, vel Clerici exempti, & immediatè ſubjecti Eccleſiæ Romanæ, ſeu S. Pontifici nequeunt compromittere, ſinè conſenſu ejuſdem, in præjudicium exemptionis, quia id vergeret in detrimentum Sedis Apoſtolicæ, ſive Eccleſiæ Romanæ; prout ſumitur ex c. Cùm tempore; 5. h.
» t. Nam, cùm inter Abbatem de Pigravia ex una
» parte, & Epiſcopum Mersburgenſem, & quoſdam
» Monachos dicti Abbatis ex altera parte, contro-
» verſiæ quædam ortæ eſſent, ſuper ijs partes, fide
» Invicem datâ, (quæ æquipollet juramento. Ho-
» ſtienſ. hîc V. eod.) compromiſerunt in Archiepi-
» ſcopum Magdeburgenſem (qui erat Metropolita-
» nùs dicti Epiſcopi) tanquam in arbitrum. Quare
» mandat Papa Innocent. III. ut arbitrium, ſeu lau-
» dum ab Archiepiſcopo prolatum obſervetur, ex-
» ceptis ijs capitulis, quæ contra libertatem, ſeu ex-
» emptionem ipſius Monaſterij, & Capellarum ejus,
» In arbitrio ſunt expreſſa: quia, etſi Abbas ſpon-
» te vellet, de jure tamen non poſſet, abſque licentia
» Romani Pontificis, renunciare privilegijs, ac in-
» dulgentijs, quibus indicatur, Monaſterium illud
» ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ perti-
» nere.

XXVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Si ſuper pluribus capitulis in unum, vel plures arbitros compromiſſum ſit, poteſt arbitrium, ſeu laudum ab ijs latum Ipſo jure eſſe invalidum, vel reſcindi, quoad unum capitulum; validum tamen, & ratum manere quoad alia capitula, ſi inter ſe non ſint connexa, nec unum ab altero dependeat, ut patet ex hoc c. ubi Papa præcipit arbitrium ab Archiepiſcopo latum obſervari, prætérquam In ijs Capitulis, quæ ſunt contra libertatem, ſeu exemptionem Monaſterij, & Capellarum ejus. Idémque procedit in ſententiâ Judicis ſuper pluribus articulis latâ: ut, ſi v. g. minor reſtitui debeat quoad unum articulum, poteſt reſcindi ſententia quoad illum articulum, ita tamen, ut, quoad alia non connexa, valida, ac firma maneat. l. Etiam; 29. §. Ex cauſa; ff. de minorib. Ratio eſt, quia tot videntur eſſe compromiſſa, quot ſunt capitula, ſuper quibus fuit compromiſſum; ſicut tot etiam videntur eſſe ſententiæ, quot ſunt articuli, ſuper quibus fertur. Arg. l. Scite; 29. ff. de verb. oblig. ubi dicitur, tot eſſe ſtipulationes, quot ſunt ſummæ, ſive res in ſtipulationem deductæ. Abb. hîc n. 1. not. 3. quare utile per inutile non debet vitiari, juxta reg. jur. 37. in 6. dummodo ab invicem ſeparari poſſint. Verùm de hoc plura infrà.

XXVIII. Notandum 2. Eccleſia exempta, & immediatè ſubjecta Sedi Apoſtolicæ, gaudet quidem aliquâ libertate, reſpectu ſcilicet Epiſcopi, in cujus Diœceſi eſt ſita, non tamen omnimoda, quia eſt ſubjecta Papæ: alioqui enim eſſet acephala, ſive ſine omni capite, quod eſſe non poteſt. Abb. hîc not. 2. neque poteſt huic privilegio exemptionis, ſeu immediatæ ſubjectionis erga Sedem Apoſtolicam renunciare, ſinè licentia, & auctoritate S. Pontificis, quia id cederet in præjudicium Eccleſiæ Romanæ, ad cujus proprietatem pertinet; ut habetur in hoc c. & quidem privativè, ſive excluſo Epiſcopo Diœceſano, quippe à cujus juriſdictione, ſeu ſubjectione eſt exempta. Aliud eſt, ſi de alicujus Eccleſiæ, vel Monaſterij libertate, ſeu exemptione non agatur principaliter; quia conſtat, Eccleſiam illam, vel Monaſterium exemptum eſſe; ſed ſolùm ſit controverſia, an Parochia, vel Capella aliqua pleno jure ſit incorporata, & ſubjecta Monaſterio, vel alteri Eccleſiæ: tum enim in arbitros compromitti, & per illos lis definiri poteſt; ut colligitur ex c. Cùm olim; 18. de præſcript. & notat ibid. Abb. n. 18. Innocent. hîc n. 1. §. Hæc autem decretalis; & Imol. n. 6. renunciat enim tunc Monaſterium per compromiſſum proprio juri, quod prætendit in Parochia, vel Capella, de qua eſt controverſia, an ſit Monaſterio connexa, vel ſubjecta. At verò in hoc c. agitur principaliter de jure exemptionis, ſeu immediatæ ſubjectionis erga Sedem Apoſtolicam, quod cenſetur, non ſolùm ad Eccleſiam, vel Monaſterium exemptum, ſed etiam principaliter ad Eccleſiam Romanam pertinere: ideóque Eccleſia exempta illi juri, ſeu privilegio, in præjudicium ejuſdem Sedis Apoſtolicæ, renunciare non poteſt, ſinè conſenſu Romani Pontificis; quia renunciaret juri alieno, & immediatè pertinenti ad Superiorem, videlicet Papam. Abb. c. l. nam dum Papa Eccleſiam ab alijs exemit, conſequenter juriſdictioni Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubjecit; cùm nulla Eccleſia poſſit eſſe acephala, id eſt, ſinè capite. c. Nulla; 8. diſ. 93. & ſuprà dictum.

XXIX. Atque hinc jam colligitur, ob quas cauſas non poſſit compromitti ſuper jure exemptionis: nam 1. exemptus non poteſt directè illi renunciare; adeóque nec indirectè per compromiſſum, quia ex eo poſſet fieri arbitrium contra exemptionem. Abb. hîc n. 3. not. ult. 2. Quia nullus inferior Papâ poteſt cognoſcere de privilegijs Sedis Apoſtolicæ tanquam Judex. c. Cùm veniſſent; 12. de judic. ergo nec ut arbiter; quia, qui non poteſt eſſe Judex, nec arbiter eſſe poteſt. l. Cùm lege; 41. ff. h. t. Et quamvis partes in ijs, quæ concernunt tantùm favorem earum, poſſint ſe ſponte ſubjicere alicujus arbitrio: non tamen arbiter poteſt aſſumere cognitionem ſuper privilegio Papæ, qui ſolus eſt Judex exemptorum. c. Auctoritate; 8. de privileg. in 6. Fagnan. hîc n. 9. & 10. ubi plures caſus affert.

Cæterùm, ſicut non poteſt compromitti de ijs quæ vergunt in præjudicium Eccleſiæ, aut Superioris, ut hactenus dictum: ita ſimiliter de rebus a

con

communitatem aliquam ſpectantibus, ut ad regnum, civitatem, vel oppidum, privati cives, aut incolæ non poſſunt compromittere; quia id cedere poſſet in præjudicium Reipublic. Molin. cit. diſ. 40. num. 3.

XXX. Aſſertio 3. Sed neque compromiſſum fieri poteſt de ijs, quæ per ſententiam indubitatam, & quæ tranſivit in rem judicatam, deciſa ſunt; uti
» ſumitur ex c. Expoſita; 11. h. t. Nam, cùm in-
» ter Epiſcopos Feltrenſem, & Belvenenſem, ex una
» parte, & cives Terviſinos ex altera parte, contro-
» verſia eſſet ſuper diſtrictu (ſeu juriſdictione quo-
» rundam locorum. Hoſtienſ. hîc V. Diſtrictu;) &
» quibuſdam alijs rebus (temporalibus, non ſpiri-
» tualibus, Hoſtienſ. hîc V. eod.) ea lis, per ſententiam
» Hoſtienſis Epiſcopi tunc Apoſtolicæ Sedis Legati,
» fuit terminata. Sed poſtea, cùm aliæ diſcordiæ
» exinde orirentur, partes compromiſerunt in Du-
» cem Venetorum tanquam in arbitrum, datis ab
» utraque parte obſidibus, ut ejus arbitrium ſerva-
» retur: qui contra eandem ſententiam auctoritate
» Apoſtolicâ confirmatam veniens, ſuper rebus ju-
» dicatis ab eodem Legato adversùs eaſdem Eccle-
» ſias, æquitate poſtpoſitâ, iniquum arbitrium pro-
» mulgavit (prout habetur in integra lectione hujus
» c.) ſed & Papa Honorius III. eidem Duci per litte-
» ras mandavit, ut partes inter ſe componere cura-
» ret. Verùm, quia Dux ſententiam antea latam à
» Legato immutare auſus fuit: ideo idem Papa re-
» ſcripſit, intentionis ſuæ non fuiſſe, ei committere,
» ut ſopitas per ſententiam Legati controverſias re-
» ſuſcitaret, aut revocaret. Unde Papa mandat
» quibuſdam à ſe delegatis, ut non obſtantibus
» prioribus litteris ſuis, quæcunque per arbitrium
» dicti Ducis contra ipſius Legati ſententiam facta,
» aut decreta eſſe, invenerint, in irritum revocent,
» ac ſeverè ei prohibeant, ne ulteriùs in compro-
» miſſo procedat, eundémque ad reſtituendos ob-
» ſides, qui ei ad obſervandum compromiſſum, &
» arbitrium dati ſunt, per cenſuram Eccleſiaſticam
» compellant.

XXXI. Notandum 1. Non poteſt compromitti in arbitros ſuper ijs, quæ per certam ſententiam, à qua non fuit appellatum, nec ſupplicatum, jam ſunt deciſa, etiamſi arbiter mandatum acceperit, ut partes componat; ut patet ex hoc c. nam ſicuti tranſactio ſuper re dubiâ fieri debet, non ſuper certâ, l. 1. ff. de tranſact. ita & compromiſſum. Gl. hîc V. Cum parte alterâ compromiſit. Innocent. ibidem, & Jo. Andr. n. 3. Imol. n. 2. & 5. quamvis aliquantùm aliter ſentiat Abb. hîc num. 3. Si tamen novæ controverſiæ, ſeu quæſtiones oriantur per ſententiam latam non deciſæ, de illis compromitti poteſt in arbitros; ut colligitur ex hoc c. ubi præcipitur, in irritum revocari arbitrium, ſeu laudum arbitri, quia pronunciavit ſuper rebus jam deciſis per Legatum, cùm tamen non ſuper illis, ſed ſuper controverſijs poſt illam ortis, ad quas ſententia lata non ſe extendebat, fuerit compromiſſum: nam Epiſcopi non poterant compromittere ſuper juribus Eccleſiæ per ſententiam Legati jam acquiſitis, neque Papæ intentio, ſeu voluntas fuit, tale compromiſſum concedere Duci Venetorum, vi cujus poſſit arbitrium ferre ſuper controverſijs per ſententiam Legati deciſis, eámque revocare, ſed ſolùm, ut partes componeret, vel arbitrium ferret ſuper controverſijs poſtea exortis, ideóque, cùm iſte arbiter exceſſerit limites compromiſſi, hoc non valuit; quia arbitrium non extenditur, niſi ad ea tantùm, quæ ſunt expreſſa in compromiſſo. c. Cùm dilectus; 6. h. t. & l. Non diſtinguemus; 32. §. Item, ſi jubeat; ff. h. t. Gloſſ. hîc V. Exortæ; & V. Revoceris; in fine.

Notandum 2. Etſi non poſſit compromitti in Laicum in rebus ſpiritualibus. c. Contingit; 8. h. t. bene tamen in civilibus, ſeu temporalibus rebus, ſeu juribus etiam Eccleſiæ; ut in caſu hujus c. in Ducem Venetorum. Gloſſ. hîc V. Compromiſit. Quòd ſi Laicus prætextu compromiſſi opprimat Eccleſiam, vel jura illius lædat, tum poteſt adiri Judex Eccleſiaſticus, ut in caſu hujus c. Papa; modò conſtet de oppreſſione, vel injuſtitiâ, ſicuti in propoſito arbitrium Ducis Venetorum erat notoriè nullum, ob defectum poteſtatis, quia arbitrium tulit de ijs, quæ non erant comprehenſa in compromiſſo. Abb. hîc num. 2. not. 1. ubi not. 2. addit, ſi arbiter, in quem compromiſſum eſt, non recognoſcat Superiorem in temporalibus, ſaltem de facto, etiam Laicus poſſit in re ardua adire Papam, in defectum alterius Superioris.

Notandum 3. Ad confirmandum compromiſſum, ut fiat, quod inter partes convenit, & ut arbitrium ex eo latum obſervetur, poſſunt dari obſides, idque conſuetum eſt inter viros nobiles, & potentes, qui non ita facilè poſſunt conveniri, vel cogi ad obſervandum, & executioni mandandum arbitrium, ſeu laudum. Abb. hîc n. 1. not. 3. poſtquam autem arbitrium eſt revocatum, vel reſciſſum, debent obſides à partibus arbitro dati reſtitui, quia ſublato principali, tollitur & acceſſorium. Gloſſ. fin. hîc.

§. IV.

De forma, ſeu modo, quo fieri debet, vel poteſt compromiſſum in Arbitros.

XXXII. Aſſertio 1. Si ortâ aliquâ controverſiâ, partes communi conſenſu eam per arbitros definiendam, iiſque committendam ſtatuant, ad quod regulariter cogi non poſſunt; ut patet ex ſuprà dictis num. 2. tum aſſumere poſſunt, & compromittere in unum, vel plures arbitros, eóſque pari, vel impari numero: quamvis conſultius ſit, ut impari numero aſſumantur, quàm pari; ut, ſi non omnes in judicando, ſeu arbitrando conſentiant, ſaltem major pars reperiatur, cujus arbitrio ſtetur: quia alioquin facilè ſine exitu res futura eſt, ſeu arbitrium impeditur, propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem. Ita habetur in l. Item, ſi unus; 17. §. Principaliter; ff. de recept. arbit. & in c. Sanè; 1. h. t. & ibi Gloſſ. V. Unus eligatur, aut tres; quod eſt deſumptum ex Concilio Africano, ubi ſtatuitur: ut, ſi inter Epiſcopos cauſa, ſeu contro- »
verſia vertatur, quam communi conſenſu per ar- »
bitros (compromiſſarios) definiri velint, aut unus »
eligatur, aut tres, ita, ut omnes, vel trium ſequantur ſententiam, vel duorum, qui nimirum id,

in

in quo, vel omnes tres, vel ſaltem duo ex arbitris dictis conſenſerint, ſervandum erit.

XXXIII. Ubi notandum 1. Quòd dictum eſt, arbitros aſſumendos eſſe in diſpari numero, id conſilium eſt, non antem neceſſarium, nam compromiſſum factum etiam in arbitros pari numero, valet, ut ex inſtà dicendis patebit: & quod hîc dicitur de tribus, vel duobus arbitris eligendis, tantùm exempli gratiâ dicitur; quia poſſunt etiam plures, quàm tres eligi. Abb. hîc n. 1. not. 3.

Notandum 2. Si in tres, aut plures arbitros ſimpliciter compromiſſum ſit, iique inter ſe diſſentiant, ſtatur ſententiâ majoris partis, ita, ut ſufficiat, duos conſentire, etiamſi tertius diſcorder. cit. l. Item, ſi unus; §. fin. & l. ſeq. ff. h. t. & cit. c. 1. h. t. & c. 1 eod. in 6. Gloſſ. ibid. in notatis. Ratio eſt, quia, quod major pars totius numeri, ſive omnium arbitrorum ſtatuit, id perinde cenſetur, ac ſi omnibus placuiſſet. l. Quod major; 19. ff. ad municip. Gloſſ. hîc V. Aut duorum.

XXXIV. Aſſertio 2. Ut ſententia à majore parte arbitrorum lata valida ſit, de Jure Civili requiritur, ut omnes, in quos ſimpliciter compromiſſum eſt, ſint præſentes, quando profertur ſententia, ſeu laudum: nam, vel uno eorum abſente, quâcunque ex causâ, etiam ex negligentia, aut malitia, tametſi reliqui plures numero, & potiores conſentiant, arbitrium non valet; ut habetur in cit. l. Item, ſi unus; §. fin. ff. h. t. ubi ratio hujus redditur: quia in plures fuit compromiſſum, v. g. ut tres, non duo arbitrentur: & potuiſſet fortè qui abeſt, ſi præſens fuiſſet, reliquos arbitros trahere in ſuam ſententiam. Sic etiam pluribus Judicibus delegatis, niſi omnes præſentes ſint, ſententia non valet, quia omnes judicare juſſi ſunt. l. Duo ex tribus; 39. ff. de ſent. & re judic. l. Sicuti tribus; 18. ff. h. t. Quare nullus etiam arbitrorum ſolus cogi poteſt ſententiam dicere, ſi unus, vel plures abſint, ſed vel omnes, vel nullus. cit. l. Item, ſi unus; §. Item, ſi plures. Quòd ſi ex tribus v. g. arbitris electis duo conſentiant, præſente tertio, licèt ipſe diſſentiat, valet arbitrium. cit. l. Item, ſi unus; §. fin. imò Gloſſ. ibid. V. Et tertius; ait, valere compromiſſum, præſente tertio, ſive is ſuam ſententiam proferat, ſive non, ſed taceat, cùm in textu non exprimatur, quòd debeat tertius ſententiam ſuam dicere: quamvìs id requiri videatur in l. Sicuti; 18. ff. eod. junctâ Gloſſ. V. Omnes; nempe ut omnes arbitrium proferant, ſicut quilibet ex pluribus Judicibus delegatis ſententiam ferre debet, niſi hoc actum ſit, ut unus, alio abſente, ſententiam ferat. Gloſſ. ibid. V. Non valere. Eſt igitur hic caſus ſpecialis, in quo plus operatur abſentia, quàm præſentia cum contradictione: licèt aliàs regulariter, quod poteſt fieri aliquo invito, aut contradicente, multò magìs poteſt fieri, eo abſente, vel ignorante. Gloſſ. in cit. §. ult. V. Non valere.

XXXV. Verùm aliud quoad hoc Jure Canonico ſtatutum habetur in c. Ut quæſtionibus. 2. h. t. » in 6. videlicet, ut, ſi ex tribus Arbitris à partibus » electis (ſimpliciter. Gloſſ. hîc V. Electis;) unus le» gitimè requiſitus ad cauſam, ſuper qua in eos com» promiſſum eſt, unâ cum alijs, examinandam, & » definiendam, abſque legitimo impedimento, in» tereſſe nolit; hoc caſu alij duo, penes quos tota lis poteſtas tunc remanet, liberè procedere, ac ne- » gotium, abſque tertio, non obſtante ejus abſentiâ » voluntariâ, vel malitioſâ, definire poſſunt; ſicut » poſſent, ſi ille præſens eſſet: ſed cum ipſis conſen- » tientibus in unam ſententiam concurdare nollet, » quia tunc ille abſens habetur pro præſente: quam- » vìs aliud Jure Civili de hoc ſit ſtatutum. Verùm » quod ad Judices delegatos attinet, in ijs ſervandum » eſt Jus antiquum, videlicet, ut, ſi tres delegati ſint » ſimpliciter, & ſinè clauſulâ, ſi non omnes poſſint, » aut velint, reliqui procedant; duo, tertio abſen- » te, in cauſa delegata procedere non poſſint; ut ha- » betur in fine cit. c. 2. h. t. in 6. juncta Gloſſ. fin. ubi rationem diſparitatis inter Arbitros, & Judices delegatos aſſignat, & Jo. Monach. ibid. tum quia arbitri à partibus eligunrur, & quod minus eſt eis datum à partibus, jus ſupplet; quæ ratio non habet locum in Judicibus, qui majore maturitate creantur, & ideo jus in ijs nihil ſupplet: tum quia in Judicibus attenditur juris rigor, cùm non debeant eſſe clementiores lege; ſecundùm juris rigorem autem, cauſa tribus Judicibus commiſſa non poteſt expediri à duobus. Secus eſt in arbitris compromiſſarijs, qui, prout ipſis videtur, pronunciant, & plerumque amici eliguntur, & poſſunt eſſe viles; ideóque Jus benignius ipſis providere voluit, ut duo, abſente tertio, ſi legitimè impeditus non ſit, procedere poſſent, idque, ut litibus (quæ propter arbitrorum voluntariam, vel malitioſam abſentiam plerumque remanet indeciſæ) celeriùs finis imponatur; ut dicitur in cit. c. 2. h. t. in 6. in princ.

XXXVI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Hæc nova conſtitutio Juris Canonici à Bonifacio VIII. edita, ſervanda tantùm eſt in foro Eccleſiaſtico, & in terris temporali juriſdictioni Eccleſiæ Romanæ (vel etiam alterius) ſubjectis: in alijs verò locis in foro ſeculari adhuc locum habet Conſtitutio antiqua Juris Civilis; ut notat Gloſſ. in cit. c. 2. V. Lex civilis; h. t. in 6. Mulin. tract. 5. de juſtit. diſp. 42. n. 3. quia, quando Jus Canonicum, & Civile inter ſe diſcrepant circa materiam non ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam, ſed ſecularem, & temporalem, utrumque in ſuo foro ſervandum eſt; ut dictum ſuprà tit. 2. Secundò, neque hæc conſtitutio Juris Canonici in foro Eccleſiaſtico locum obtinet, ſi ex tribus arbitris electis unus abſit, quia legitimè impeditus eſt; tum enim etiam ſpectato Jure Canonico, reliqui duo arbitrium dicere non poſſunt; ut apertè colligitur ex cit. c. 2. & tradit ibid. Gloſſ. V. Impedimento. Molin. c. l. n. 3. Tertiò, ſi ex duobus arbitris electis unus abſit, tametſi legitimè impeditus non ſit, non eſt locus huic Conſtitutioni: ac proinde unus ſinè altero procedere non poteſt, quia arbitrium non à majore, ſed à minore, vel æquali tantùm parte arbitrorum latum eſt invalidum. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Pro præſente. Molin. c. l. Quartò, ſi in tres v. g. vel plures ita à partibus compromiſſum ſit, ut non valeat arbitrium, niſi omnibus præſentibus, aut concordantibus, negotium examinatum, & definitum ſit; tum etiam non habet locum hæc conſtitutio: ſed ſi unus abſit, etiam ceſſante legitimo impedimento, reliqui procedere non poterunt, quia compromiſſum ex partium compromittentium voluntate totum pendet. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Pro

præ-

præſente in fine. Quintò, ſi inter tres, vel plures arbitros compromiſſum ſit, non ſimpliciter, ſed adjectâ clauſulâ: *Quòd ſi non omnes*, ſive, *ut ſi non omnes poſſint, reliqui procedant*: tum duo arbitrari poſſunt ſinè tertio, qui non poteſt, aut non vult intereſſe, & ferre ſimul arbitrium; ſicut idem obtinet in pluribus Judicibus cum prædicta clauſula delegatis. Gloſſ. in cit. c. 2. V. Electis; & V. Poteſtatem. Molin. cit. diſp. 42. num. 6. Idémque dicendum, ſi compromiſſum ſit cum clauſula: *Unus, vel alter veſtrûm*: ut nimirum omnes, vel aliqui, vel unus eorum procedat: tum enim quilibet eorum ſolus poteſt arbitrium ferre, juxta Gloſſ. in cit. c. 2. V. Electis. Molin. cit. num. 7. Hi tamen duo caſus non comprehenduntur in decretali conſtitutione, cit. c. 2. cùm ibi ſermo ſit tantùm de arbitris ſimpliciter electis; ut notat Gloſſ. ibid. V. Electis.

Porrò, ſi compromiſſum ſit in plures arbitros, cum prædicta clauſula, ut, vel omnes, vel aliqui, vel unus eorum cauſam expediat: tunc, ſi unus eorum negotium incboârit, cæteri ulteriùs in eo ſe immiſcere non poſſunt; niſi ille ob morbum, vel aliud legitimum impedimentum, non poſſit illud negotium proſequi, aut non velit, aut malitioſè recuſet: tum enim quilibet eorum in illo negotio procedere poſſet. Arg. c. Cùm plures; 8. de offic. deleg. in 6. obi id ſtatutum habetur in pluribus Judicibus cum tali clauſula delegatis, quòd ad arbitros etiam cum eadem clauſula conſtitutos extendi poteſt; ut tradit Molin. c. l. n. 7.

XXXVII. Notandum 2. Diſpoſitio hujus c. 2. non habet locum in arbitratoribus, nec in arbitris juris, ſeu neceſſarijs: quia hi magis accedunt ad naturam judicum delegatorum, quàm arbitrorum; ideóque de iis idem dicendum, quod de Judicibus delegatis, nempe in iis quoque ſervandum eſſe jus antiquum. Franc. in cit. c. 2. n. 2. in fin. h. t. in 6. & patet ex dictis. Et, licèt arbitri juris eligantur à partibus, non tamen habent poteſtatem à partibus, ſed à jure: ideóque non poſſunt partes aliam formam arbitrandi dare, quàm quæ à lege præſcribitur. Franc. hic num. 7.

Notandum 3. Compromiſſum in arbitros aliquando ſit ſimpliciter in plures, non exprimendo, qualiter ſententiam dicere debeant: & tum in dubio præſumitur actum, ut omnes ſimul arbitrentur, ita, ut non valeat arbitrium unius, aliquo abſente: & habet locũ diſpoſitio hujus c. 2. Aliquando ſit compromiſſum cum adjecta clauſula, de qua ſuprà, & ceſſat diſpoſitio hujus c. Aliquando ſit compromiſſum in plures, & quidem in ſingulos in ſolidum: & tunc valet ſententia unius, neque neceſſariò requiritur ſententia, vel arbitrium aliorum; cùm quilibet ſit arbiter in ſolidum. Aliquando denique ſit compromiſſum in plures, ita, ut omnes concordare debeant: & tunc non ſtatur ſententiâ, ſeu arbitrio majoris partis, nec habet locum conſtitutio hujus c. 2. Franc. hic n. 4. quæ omnia patent ex ſuprà dictis.

» XXXVIII. Aſſertio 3. Compromiſſo facto in » tres arbitros, ſi duo eorum condemnent unum ex » compromittentibus, in decem v. g. aureos, & ter- » tius ab eis diſſentiens in quinque; tum ſtari debet » arbitrio duorum conſentientium in decem. Si verò » omnes diſcordent, & unus condemnet in quinde- » cim, alter in decem, tertius in quinque; tum efficax cenſeri debet ſententia illius, qui condemnavit » in ſummam minorem, videlicet in quinque: cum » in ea ſumma omnes concordes ſint; ſcilicet virtua- » liter, & implicitè, nam ſummæ majori minor ineſt. » Ita habetur ſtatutum in c. Si ex tribus; 1. h. t. in 6. » & in l. Diem; 27. §. Si plures; ff. eodem. Ratio prioris partis eſt, quia, ſicut in judicijs, ita & in arbitrijs prævalet ſententia partis majoris, ſi conſentiat, eique ſtandum eſt. c. 1. h. t. & cit. §. Si plures; ibi: *Si major pars conſentiat, ei ſtabitur*. Idémque eſt, ſi ex quatuor, vel quinque arbitris concordent tres, & ex ſex, vel ſeptem, quatuor: ſemper enim ſtatur ſententiâ majoris partis; quia eadem eſt ratio. Franc. hic not. 1. Ratio poſterioris partis eſt, quia arbitrium, ſicut & quemlibet alium actum, ita interpretari oportet potiùs, ut valeat, quàm ut pereat: hoc autem ſit in propoſito: nam, ut ſuſtentetur arbitrium, id attenditur, quod plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus, juxta l. In eo; 110. ff. de R. I. & in ſumma majore etiam minor ineſt. Gl. ſin. hic. adeóque, qui ad xv. aut x. condemnavit, cenſetur etiam condemnâſſe ad v. Accedit, quòd in obſcuris ſemper, quod minimum eſt, ſequimur. l. Semper; 9. ff. de R. I.

XXXIX. Porrò, ſi ſimpliciter ſit compromiſſum in plures arbitros, cenſetur ita factum, ut ſtetur judicio majoris partis, reſpectu omnium arbitrorum, non tantùm plurium, comparatione minoris partis: v. g. ſi ſuper una re, ſeu controverſia, de qua tres contendunt, ſint aſſumpti xi. arbitri, & quinque pronuncient pro uno, v. g. Titio, quatuor pro Cajo, & duo pro Sempronio; non valebit ſententia etiam quinque arbitrorum, qui pronunciârunt pro Titio: quia, etſi ſint pars major, comparatione aliarum partium minorum, ſcilicet quatuor, & duorum arbitrorum; non tamen ſunt major pars, reſpectu omnium arbitrorum, ſive totius numeri; quia ſex pro alijs arbitrium dixerunt: nam omnes cenſentur loco unius, & conſtituunt quaſi unum Corpus, ſeu Collegium, & ſic major pars omnium concordare debet; quia non arbitrantur, ut ſinguli ſeparatim, ac ſeorſim, ut de electione ſuprà dictum. Lapus in cit. c. 1. & Franc. ibid. n. 1. h. t. in 6.

Nec obſtat, quòd judicium, ſeu arbitrium condemnantis in minore ſumma, v. g. in 5. ſit contrarium arbitrio condemnantium in majore ſumma, videlicet in 10. vel 15. quia, licèt ſit contrarium alijs, quoad majorem ſummam, non tamen quoad minorem, quatenus contenta eſt ſub majore ſumma: nam in hac omnes conveniunt, ſeu concordant; ut dicitur in cit. c. 1. & cit. l. Diem; §. Si plures; Covarr. lib. 1. var. reſol. c. 2. num. 6. Barboſ. in Collect. ibid. num. 3. Ratio eſt, quia inter pares Judices eligenda eſt ſententia, quæ favet reo. l. Inter pares; 38. ff. de re judic. quòd ſi in diverſis ſummis condemnent Judices, minima ſpectanda eſt. cit. l. Inter pares; in fine. Quamvis autem hoc caſu formaliter, & ſimpliciter non conſentiant omnes arbitri in 5. cùm verè diſſentiant, conſentiunt tamen ſecundùm quid, quatenus omnes ſupponunt, ſaltem minorem ſummam deberi: ideóque ſtandum eſt arbitrio de minore ſummâ; quia ut minimùm debentur 5. an verò plus non debeatur, id non eſt deciſum. Laym. in cit. c. 1. h. t. in 6. Sin verò unus, vel alter ex

arbitris pronuncient, quòd reus non poſſit minoris condemnari, quàm in 15. vel 10. adeóque exprimant, ſe nolle conſentire in minorem ſummam, ſive in 5. tum claré patet, eos non eſſe concordes quoad minorem ſummam, neque ſumma minor tunc ineſt majori, ideóque arbitrium propter diſſenſum eorum non valet. Laym. in cit. c. 1. h. t. in 6. Zœſ. ff. h. t. n. 26.

Verùm Gloſſ. fin. in cit. c. 1. h. t. in 6. extendit deciſionem ejuſdem c. ut procedat, etiamſi duo illi arbitri, qui condemnârunt debitorem ad majorem ſummam, proteſtentur, ſe non conſentire in minorem ſummam: quia proteſtatio contra ea, quæ non ex voluntate partium, ſed juris diſpoſitione pendent, nihil operatur; juxta Gloſſ. receptam in l. Alimenta; 11. V. Oſtenderis; C. de negot. geſt. ac in propoſito caſu conſenſus arbitrorum in minore ſumma ex juris diſpoſitione, ſeu præſumptione, eſt inductus. cit. c. 1. & cit. l. Diem; §. Si plures; ideo proteſtatio contraria hominis nullum effectum habet. Barb. c. l. n. 4.

XL. Limitari autem debet diſpoſitio dicti c. 1. h. t. in 6. ut tantùm procedat in arbitris compromiſſarijs: non autem in arbitratoribus, vel in ijs, qui ſunt aſſumpti ad declarandum pretium rei, vel mercedem, aut ad faciendam æſtimationem alicujus rei; tum enim, ſi tales diſcordent, non ſtatur arbitrio ejus, qui minimam quantitatem, ſeu æſtimationem rei pronunciavit, ſed omne illum arbitrium invalidum eſt. Franc. in cit. c. 1. num. 3. limit. 2. Covarruv. cit. c. 2. num. 6. Ut, ſi v. g. in tres arbitratores ſit compromiſſum, ut æſtiment, quanti valeat domus vendenda, & unus arbitretur, illam valere 900. aureos, alter 600. tertius 300. hoc caſu non ſtabitur arbitrio ejus, qui domum æſtimavit aureis ſolùm 300. ſed totum arbitrium, ſive omnium æſtimatio rejicietur.

XLI. Aſſertio 4. Si in duos arbitros (vel plures) eâ formâ, ſeu conditione compromiſſum ſit à partibus, ut, ſi inter ſe diſſentiant, tertium aliquem aſſumant, nemine in ſingulari nominato, quem eligere debeant, compromiſſum eſt invalidum; prout ſtatutum habetur in l. Item, ſi unus; 17. §. Si in duos; ff. h. t. ubi ratio redditur: quia fieri poteſt, ut etiam in aſſumendo tertio (ſi is à partibus nominatus non ſit) arbitri diſſentiant; ideóque cauſa nunquam expediatur. Idem decernitur in c. In-
» notuit; 12. h. t. Nam, cùm inter Guiliel-
» mum, & Ottonem laicos controverſia orta eſſet,
» ſuper quadam pecuniæ ſumma; ad petitionem u-
» nius partis; Papa Gregorius IX. cauſam commi-
» ſit quibuſdam Judicibus delegatis, qui cùm in il-
» la procederent, tandem à partibus in duos arbi-
» tros eſt compromiſſum, eâ formâ, & pacto, ut, ſi
» duo illi inter ſe diſcordarent, Judices delegati ter-
» tium ipſis arbitrum adjungerent, retentâ penes ſe
» poteſtate compellendi partes ad obſervandum ar-
» bitrium per arbitros ferendum. Sed, cùm duo il-
» li arbitri convenire non poſſent, dicti Judices ter-
» tium ipſis adjunxerunt; qui cum altero eorum
» concordans, contra unum ex compromittentibus
» ſententiam tulit, eúmque condemnavit; quem
» cùm Judices illi delegati ad obſervationem arbitrij
» compellere vellent, is ſentiens, ſe inde gravari, ad
Sedem Apoſtolicam appellavit. Sed Judices, non »
obſtante eâ appellatione, ſententiam excommuni- »
cationis in eundem tulerunt. Quare Papa mandat, »
ut, ſi res ita ſe habeat, ſententia iſta excommuni- »
cationis irrita declaretur: cùm Jure Civili ſtatu- »
tum ſit, ut compromiſſum de incerta perſona in »
arbitrum aſſumenda non teneat. Sententia au- »
tem poſt legitimam appellationem lata eſt nulla. Gl. hîc in notatis.

XLII. Notandum 1. Poſſunt partes etiam in cauſa delegata à Papa recedere à Judicibus delegatis, & compromittere in arbitros, ſi in favorem partium facta ſit delegatio; quia tunc poſſunt renunciare favori pro ſe introducto. c. Ad Apoſtolicam; 16. de regular. non item, ſi cauſa delegata ſit ob favorem publicum. Abb. hîc n. 2.

Notandum 2. Poſſunt Judices delegati, ex conſenſu partium compromittentium in arbitros, retinere ſibi poteſtatem exequendi ſententiam arbitrorum ferendam ſuper cauſa delegata, & partes compellendi ad obſervandum arbitrium; ut ex hoc c. colligitur, ubi de conſenſu partium prorogata eſt juriſdictio Judicum delegatorum, illiſque ea poteſtas reſervata, quod factum non improbat Pontifex: ex quo à contrario ſenſu infertur, quòd ſinè conſenſu partium non poſſint delegati ſibi reſervare talem poteſtatem; ſed adiri debet Judex ordinarius, ut compellat partes ad obſervationem arbitrij. Gloſſ. hîc V. Poteſtate; & Abb. n. 3. not. 3.

Notandum 3. Partes, quæ in cauſa delegata, relictis Judicibus delegatis, compromiſerunt in arbitros, poſſunt, ſi velint, & res adhuc ſit integra, redire ad Judices delegatos, ſinè nova delegatione: quia eorum juriſdictio, durante controverſiâ, non exſpiravit; cùm reſcripta ſuâpte naturâ ſint perpetua, ſicut & juriſdictio: adeóque, ſi per arbitros ea non decidatur, poſſunt delegati cauſam reaſſumere cognoſcendam; ut docet Imol. num. 6. & Abb. num. 5. Ratio eſt, quia compromiſſum eſt voluntarium, & arbitri accipiunt poteſtatem à partibus; ideóque poſſunt partes merâ voluntate à compromiſſo facto recedere: ſed juriſdictio datur à lege, vel ſuperiore, & exercetur in invitum; ideóque non extinguitur, etiamſi partes arbitros compromiſſarios elegerint. Imol. c. l. & Abb. n. 6.

Notandum 4. Sicut non poteſt compromitti in duos arbitros eâ conditione, ut, ſi inter ſe diſcordent, eligant aliquem tertium innominatum; ut conſtat ex cit. l. Item, ſi unus; §. Si in duos; ff. h. t. ita neque ſic poteſt fieri compromiſſum, ut, ſi diſcordent arbitri, Judices delegati deſignent tertium arbitrum; ut patet ex hoc c. debet enim fieri compromiſſum purè in certos arbitros, alioquin non valet. Abb. hîc n. 3. not. 2. Aliud verò eſt, ſi in tertium arbitrum eligatur certa perſona, v. g. Sempronius; tum enim valet compromiſſum, quia arbitri in aſſumendo, ſeu eligendo tertio arbitro diſſentire non poſſunt. cit. §. Si in duos; in fin. nam tunc ceſſat diſcordia in electione tertij arbitri, quæ eſt ratio finalis legis; adeóque ceſſare etiam debet ipſa lex. Abb. hîc n. 8. in 2. caſu, & 5.

XLIII. Notandum 5. Si in duos arbitros ſimpliciter compromiſſum ſit, iique in ſententia ferenda non conſentiant; Judex ordinarius cogere eos poteſt, ac debet, ut tertiam perſonam certam eligant, cujus

auctо-

auctoritati ſtetur, ac pareatur; prout habetur in cit. l. item, ſi unus; §. Principaliter; ff. h. t. Ratio autem, cur jure ſtatutum ſit, ut arbitri, ſi non conſentiant, tertium eligere debeant, non ex compromiſſo partium, ſed ex Judicis auctoritate, eſt; quia partes compromittentes non poſſunt compellere arbitros, ſicut Judex poteſt. Bart. in cit. §. Principaliter; num. 1. & Abb. hîc num. 8. Porrò tertius ille, qui juſſu Judicis ab arbitris electus eſt, non eſt verus arbiter compromiſſarius, cùm à partibus non ſit conſtitutus, ſed potiùs eſt quidam conſultor, aut dirimptor, qui ex legis præſcripto conſtitui debet, cui arbitri diſſidentes parere debent, ita, ut ſententiam ferre, ſecundùm ejus voluntatem, ac conſilium, teneantur, licèt diſcordet ab alijs duobus; ut docet Bart. in cit. §. Principaliter; num. 3. poſt Gloſſ. ibidem Verſ. Auctoritati; in 2. reſponſ. Et hic tertius aſſumptus ab arbitris imperio Judicis cogitur conſentire in ſui electionem, eámque acceptare, juxta Gloſſ. in cit. §. Principaliter; V. Pareatur; in fine.

Notandum 6. Quod dictum eſt, compromiſſum in arbitros factum, eâ conditione, ac formâ, ut, ſi diſcordent, tertium aliquem innominatum, & incertum eligere poſſint, invalidum eſſe, id procedit, etiamſi poſtea arbitri in electione tertij conſentiant: erit enim nihilominus irritum, quia, cùm ab initio fuerit vitioſum, & invalidum, non poteſt tractu temporis convaleſcere. Imò totum compromiſſum prædictâ conditione, ſeu formâ factum, quoad omnes actus ſubſequentes, omnino irritum eſt, ita, ut neque ſententia concors duorum arbitrorum ſit valida; quippe lata ex compromiſſo juris diſpoſitione invalido: neque electio tertij arbitri; neque conſilium, ſeu arbitrium tertij conſentientis cum uno, aut utroque priorum arbitrorum; eò quòd compromiſſum, cui innituntur, ſit irritum; ut docet Abb. in cit. c. Innotuit; h. t. num. 8. in 3. caſu. Molin. tract. 5. diſp. 42. num. 5. circa finem. idque confirmatur ex dicto c. ubi ſententia concors tertij arbitri conſentientis cum altero duorum arbitrorum, vi talis compromiſſi, lata, nulla eſſe dici videtur, eò quòd Jure Civili ita ſtatutum ſit, ac definitum. Quamvìs nonnulli apud Molin. c. l. contrarium teneant; & conſentit Laym. in cit. c. Innotuit; n. 4. q. 1. videlicet, tale compromiſſum non eſſe irritum abſolutè, & in ſe, ſed tantùm quoad illum modum adjectum, nempe, ut, ſi diſcordes ſint arbitri, habeant poteſtatem eligendi tertium, propter quem modum adjectitiũ non debeat ipſum principale compromiſſum irritari; ſed potiùs is pro non adjecto haberi, perinde, ac ſi ſimpliciter in duos arbitros compromiſſum fuiſſet. Arg. reg. 37. in 6. utile per inutile non vitiatur, ſi ſeparari poſſint: ac proinde duo arbitri concordantes dicere poterunt ſententiam, eáque ſaltem concorditer ab illis lata erit valida. Et hæc ſententia quoque probabilis eſt.

Notandum 7. Papa potuit in caſu hujus c. cauſam etiam civilem inter duos laicos ſuæ temporali juriſdictioni non ſubjectos committere Judicibus delegatis cognoſcendam; vel quia ſumma illa pecuniæ, de qua erat lis, fuit per uſurariam pravitatem extorta; vel quia debitor conventus juravit, ſe eam ſoluturum; vel ob negligentiam Judicis ſecularis, juxta c. Licèt; 10. de foro compet. vel ob intervenientem aliam extraordinariam cauſam ad Eccleſiaſticum Judicem pertinentem; quamvìs ea in textu non exprimatur; alioquin verò non poteſt impetrari à Papa, ſeu Judice Eccleſiaſtico reſcriptum delegationis à laico contra laicum, in cauſa merè civili. Hoſtienſ. hîc in princ. Jo. Andr. n. 2.

XLIV. Aſſertio 5. Valet compromiſſum factum ſub hac forma, in unum, vel plures: ut ipſi per ſe cauſam definiant, vel per alios, quos ipſi elegerint; prout ſumitur ex c. Cùm à nobis; 3. h. t. Nam controverſiâ ortâ inter Archiepiſcopum Senonenſem, & Abbatiſſam, ac Conventum Monaſterij Jorrenſis, ſuper eo, quòd Archiepiſcopus dicebat, Monaſterium ſibi Metropolitano jure ſubjectum eſſe, ideóque procurationes, & alia ab illo exigebat: tandem ſub certa pœna in Legatum Sedis Apoſtolicæ Cardinalem concorditer compromiſerunt, quòd arbitrio, ſeu ordinationi ejus factæ per ipſummet, vel per duos Mediatores ab ipſo deputatos omnimode parére velint. Igitur dictus Legatus Capellanum Papæ, & Archidiaconum Senonenſem, ut Mediatores, ſeu arbitros conſtituit, qui ordinando, vel definiendo cauſam illam terminârunt. Et quod per ipſos actum fuit, Gregorius IX. Apoſtolicâ auctoritate confirmavit.

XLV. Verùm deciſioni hujus c. 12. h. t. obſtare videtur c. præcedens, in quo ſtatuitur, quòd non poſſit compromitti in arbitros incertos, ſicut factum eſt in caſu hujus c. nam arbitri eligendi à Legato non fuerunt à partibus compromittentibus nominati, ſeu expreſſi, adeóque incerti fuerunt electi. Reſpondet Gl. hîc V. Mediatores; quòd Mediatores illi non fuerint veri arbitri, ſed arbitratores, aut amicabiles compoſitores, qui de plano, & ſinè ordine judiciario, ſeu cognitione aliquâ partes in concordiam redegerunt; & ideo in illos compromitti poteſt, ut in caſu diſcordiæ eligant tertium etiam incertum: quia, ſi eſt iniquum, redigitur ad arbitrium boni viri, ſeu judicis, & ad æquitatem. Sed meliùs reſpondetur cum eadem Gloſſ. in 2. reſponſ. & Abb. hîc n. 2. in 2. ſolut. & Imol. n. 7. quòd in c. præced. datur arbitris poteſtas eligendi tertium, non ab initio, & abſolutè, ſed ſub hac conditione: ſi diſcordes ſint: in hoc autem c. datur ab initio cauſæ, & abſolutè, vi compromiſſi, poteſtas arbitris, ut ipſi per ſe cauſam definiant, vel per alios arbitros, quos ipſi elegerint: nam, licèt arbiter vices ſuas alteri delegare non poſſit, l. Non diſtinguemus; 32. §. Quæſitum; ff. h. t. poteſt tamen à partibus compromittentibus illi dari poteſtas, ut, ſi ipſe arbitrium dicere nolit, alium conſtituat, unum, vel plures, per quos arbitrium pronuncietur; ita ſumitur ex cit. §. Quæſitum; in fine. Abb. hîc n. 1. not. 3. Et ſic ceſſat hoc caſu periculum illud, ne lis nimis diu protrahatur, & cauſa ſit ſinè exitu, ſive nunquam finiatur; quia arbitri, in quos compromiſſum eſt, non in caſu diſcordiæ, ſed ab initio, & abſolutè, ſi cauſam per ſe definire nolint, alios arbitros, qui illam cognoſcant, ac terminent, deputare debent. Abb. c. l.

XLVI. Aſſertio 6. Si in unum, vel plures arbitros, eâ formâ compromiſſum ſit, ut alicujus, vel aliquorum conſilium, & ſententiam, non tantùm exquirere, ſed etiam ſequi in arbitrando teneantur,

invalidum eſt compromiſſum. Si verò in arbitros eâ lege, ac conditione ſit compromiſſum, ut adhibito conſilio aliquorum, ſententiam ferant, tenentur illud petere, non autem ſequi. Prius habetur in l. Item, ſi unus; 17. §. Inde Pomponius; ff. h. t. ubi etiam ratio additur; quia arbitro libera facultas ſententiæ dicendæ, non adimi, ſed relinqui debet, ut id judicet, quod ſibi juſtum, & æquum viſum fuerit. Molin. tr. 5. diſ. 33. n. ult.

Poſterius ſtatutum habetur in c. Cùm olim; 7.
» h. t. Nam, cùm controverſia orta eſſet inter
» Priorem S. Bartholomæi Lucani ex una parte, &
» Hoſpitalarios S. Bartholomæi ex altera, ſuper jure
» eligendi Rectorem Hoſpitalis, quod Prior ad ſe
» pertinere dicebat: ea cauſa delegata fuit quibuſ-
» dam Judicibus, in quos tandem utraque pars com-
» promiſit, tanquam in arbitros; & ipſi arbitrium
» tulerunt, de quo cùm dubitatio utrinque oriretur,
» illud in publico inſtrumento Romam miſſum fuit
» ad Innocentium III. qui illo diligenter inſpecto,
» cognovit, quòd Prior S. Bartholomæi, ſecundùm
» formam arbitrij, teneatur, habito conſilio cum
» Hoſpitalarijs, tractare de Rectore eligendo, &
» poſtea aliquem eligere. Quare reſpondet Papa,
» quòd, ſi Prior, non præmiſſo tractatu cum Hoſpi-
» talarijs, eorúmque conſilio non audito, ad electio-
» nem proceſſit, irrita cenſeri debeat electio Recto-
» ris: ſi verò tractatus præceſſerit cum Hoſpitalarijs,
» eorúmque conſilium exquiſitum, & adhibitum
» fuerit; tum Prior liberè eligere poteſt Rectorem,
» quem voluerit, dummodo idoneum; ſive Hoſpi-
» talarij in eundem conſenſerint, ſive non.

XLVII. Hinc colligitur 1. Quòd partes poſſunt compromittere etiam in Judices delegatos in cauſa ipſis commiſſa, tanquam in arbitros. Abb. hîc not. 2. & dictum ſuprà num. 13.

Colligitur 2. Quòd arbitri non poſſunt arbitrium, ſeu ſententiam à ſe latam declarare, ſi dubium ex illa oriatur: quia eo ipſo, quod pronunciârunt, functi ſunt ſuo officio, ut ulteriùs ſe in cauſa immiſcere non poſſint: ideóque tunc adiri debet Papa ad declarandam ſententiam arbitrorum; prout factum eſt in caſu hujus c. vel etiam alius inferior Judex ordinarius, qui habet poteſtatem exequendi ſententiam arbitri. Abb. hîc not. 3.

Colligitur 3. Qui ex obligatione legis, vel ſtatuti, vel pacti, tenetur in expeditione alicujus negotij, exquirere conſilium aliorum, non ideo cogitur illud ſequi, ſed ſatis eſt, quòd conſilium fuerit auditum, vel petitum, & congruo tempore exſpectatum; ut traditur etiam in c. Cùm in veteri; 52. junctâ Gloſſ. V. Exſpectatum; de elect. nec poteſt dici, ſuperfluum videri, adhibere conſilium, quod non tenetur quis ſequi: quia tale conſilium poteſt eſſe utile, poteſt enim movere conſulentem, ut illud ſequatur, & deliberare, an expediat ſequi conſilium. Gloſſ. hîc V. Sive diſcordet.

XLVIII. Aſſertio 7. Compromiſſum in arbitros ſolo conſenſu compromittentium, & compromiſſariorum, ſive arbitrorum, in quos compromittitur, verbis, vel alijs ſignis externis expreſſo perficitur: quare non ſolùm voce, aut nutibus inter præſentes, ſed etiam per epiſtolam, vel inter nuncium inter abſentes fieri poteſt, eſtque contractus innominatus: *facio, ut facias*. Molin. tr. 5. diſp. 32. n. 1. & 2. Fit autem compromiſſum, vel per nudum pactum, vel per intervenientem ſtipulationem, quâ partes ſe invicem obligant ad ſtandum definitioni, ac ſententiæ arbitrorum: & tum compromiſſum tranſit in contractum nominatum, & non niſi inter præſentes fieri poteſt. Item interdum fit abſolutè, ſinè adjectione pœnæ, aliàs verò appoſitâ pœnâ, quæ ſolvenda ſit ab eo, qui arbitrio non ſteterit. Interdum etiam compromiſſum firmatur juramento, ſive ſimul interveniat ſtipulatio, aut promiſſio pœnæ, ſive non. Molin. c. l. num. 4. ex communi; ut ex infrà dicendis patebit.

§. V.

De officio, & poteſtate Arbitri.

XLIX. Aſſertio 1. Tota poteſtas, & officium Arbitri ex compromiſſo dependet, ac deſumi debet, ita, ut Arbiter de ijs tantùm ferre poſſit arbitrium, ſuper quibus compromiſſum eſt, neque extra illud, quidpiam validè agere, ſive fines illius excedere poſſit: ſunt enim compromiſſa ſtricti juris, ideóque non extendenda ultra ea, de quibus cautum eſt; prout habetur in l. Non diſtinguemus; 32. §. De officio, & ibi Gloſſ. V. Cautum; & §. fin. ff. h. t. & in l. Quid tamen; 21. §. Plenum; ff. eod. ubi dicitur: id enim venit in compromiſſum, de quo actum eſt, ut veniret. & in c. Cùm dilectus; 6. in fine extra eodem. Idem eſt de arbitramento Arbitratoris. Molin. tr. 5. diſ. 44. n. 6.

Excipienda tamen ſunt ea, quæ dependentia, ſeu neceſſariò connexa ſunt, ſinè quibus cauſa principalis commodè expediri non poteſt; nam de his cognoſcere, & judicare poteſt arbiter, etſi ea non ſint expreſſa in compromiſſo. Gloſſ. in cit. c. Cùm dilectus; V. Niſi de his; h. t. & ibid. Abb. n. 10. Gl. in cit. §. De officio; V. Cautum. Sic arbiter poteſt pronunciare ſuper fructibus perceptis ex re, ſuper quâ compromiſſum eſt, quia veniunt acceſſoriè ad cauſam principaliter commiſſam. Gloſſ. in cit. §. De officio; V. Cautum; Abb. c. l. n. 11. Item, licèt arbiter non poſſit punire partem, v. g. propter contumaciam ejus in parendo, niſi in compromiſſo hoc actum, ac de pœna conventum ſit: poteſt tamen condemnare ad præſtandas expenſas, & ſumptus, quos pars altera fecit, ob illam contumaciam, quia in eo vertitur intereſſe partis adverſæ; ut docet Jo. Andr. in cit. c. Cùm dilectus; n. 6. & ibid. Abb. n. 12. nam per hoc non dicitur quid fieri extra, vel ultra, ſed juxta compromiſſum. Deinde arbiter poteſt uni parti rem litigioſam adjudicare, eique imperare, ut non quidem aliam rem, ſed pecuniam alteri parti det in compenſationem ſui juris dubij; quia pecunia non cenſetur eſſe prorſus alia res, cùm ſuccedat in locum æſtimationis rei. Abb. c. l. n. 8. Mol. cit. diſ. 44. n. 6. Denique poteſt diem ſolutioni faciendæ ſtatuere, ſeu aſſignare. l. Quid tamen; 21. §. Solutioni; & l. Celſus; 23. ff. h. t. Gloſſ. in cit. c. Cùm dilectus; V. Niſi de his.

L. Ex dictis infertur 1. Quòd coram arbitris non poſſit fieri reconventio; ut conſtat ex c. Cùm dilectus; 6. h. t. Nam, cùm ex Papa Innocentio III. »

quaſi-

Digitized by Google

» quæſitum fuiſſet, utrùm coram Arbitris locus ſit » reconventioni: is reſpondit, quòd, licèt in judicio » (ordinario, vel delegato) reus conventus actorem » coram eodem Judice reconvenire poſſit (c.1. & 2. » de mut.petit.) coram Arbitris tamen eum recon- » venire non poteſt, cùm Arbitri de ijs tantùm judi- » care poſſint, ſuper quibus in eos compromiſſum » fuit. Ratio diverſitatis, cur reconventio non habet locum coram Arbitris, ſicut coram Judice ordinario, vel delegato, eſt, quia reus invitus litigare cogitur coram judice, ad inſtantiam actoris; ideóque conqueri non poteſt, ſi & ipſe viciſſim conveniat Actorem, coram eodem Judice; cujus enim in agendo obſervat arbitrium, eum habere & contra ſe judicem in eodem negotio non dedignetur. l.Cùm Papinianus; 14. C. de ſentent. & interloc.omn. jud. quæ ratio ceſſat in compromiſſo; in quo arbiter non magìs ab actore, quàm à reo, ſed utriuſque partis voluntate, & conſenſu eligitur; adeóque ab actore, & reo ſimul, & idcirco compromiſſum in arbitros non extenditur, niſi ad ea, quæ expreſſa ſunt, vel neceſſariò connexa; ut tradit Bart.in Auth. & conſequenter n.20.C.dicto tit. Quare, ſi Judex delegatus, communi utriuſque partis conſenſu, datus ſit, non habet locum reconventio coram illo delegato, ob eandem rationem, quæ eſt in arbitro, & ſibi imputare debet reus conventus, quòd in poſtulatione Judicis cauſam reconventionis non fecerit exprimi. Bart. c. l. n.21. Abb.hîc n.6.in fine.

L I. Porrò coram Arbitris juris, qui non voluntate partium, ſed ex juris diſpoſitione eligi debent, locum habet reconventio; ut, ſi delegatus Principis recuſetur, juxta l.Cùm ſpecialis; 18. C.de judic. vel, ſi Clericus contra Epiſcopum ſuum litem moveat. c.Si Clericus; 46.cauſ.11. q.1. & ex communi docet Abb.hîc n.7.& Molin.cit.diſ.44.n.7.niſi tales arbitri non ad totam aliquam cauſam, ſed tantùm ad certum cauſæ articulum definiendum eligantur; v.g. utrùm Judex tanquam ſuſpectus recuſari poſſit; hoc enim caſu non eſt locus reconventioni, etiam coram Arbitro juris, quia talis articulus recuſationis citò expediri debet, ne progreſſus cauſæ principalis retardetur. c.2.de appell.in 6.Abb.& Mol.citt.locis.

Infertur ſecundò, quòd Arbiter compromiſſarius poteſtatem arbitrij ferendi delegare, ſive loco ſuo alium ſubſtituere non poteſt, niſi hoc expreſsè ipſi cōmiſſum fuerit. l.Non diſtinguemus; 32.§.Quæſitum, & l.In compromiſſis; 45. ff.h. t. ubi dicitur: In compromiſſis arbitrium perſonę inſertum perſonam non egreditur. Gl.hîc V.Niſi de his; quia ex ſpeciali fiducia erga hanc perſonam compromiſſum factum cenſetur.

L II. Aſſertio 2. Arbiter ſuam ſententiam, ſeu laudum in præſentia partium compromittentium pronunciare debet, niſi in compromiſſo hoc ſpecialiter expreſſum ſit, ut parte utrâque, vel alterâ earum abſente, cauſam definire poſſint; ut habetur in l. Diem; 27. §. Si quis litigatorum; ff. h.t. & colligitur ex c.Ex parte; 10.ibi: *In tua præſentia partibus conſtitutis*. h.t. Gl.in cit. c.Cùm dilectus; V. Niſi de his eod. Quamobrem arbiter partes citare poteſt, ac debet, ut ad certum diem, & in eo loco, ad quem; vel in quo arbitrium pronunciandum eſt, compareant; ut colligitur ex cit. c.Ex parte.& l.Si quid tamen; 21.§.Si intra diem.ff. eod. & de loco id tradit Gl.in cit. c.Cùm dilectus.V.Niſi de his; Molin.cit.diſ.44. n.1. & quidem poteſt arbiter citare partes per nuncium, vel epiſtolam.l.Sed & interpellatur; 49.§.1.h.t.

L III. Aſſertio 3. Arbiter compromiſſarius debet procedere in forma judicii, ſive ſervato ordine judiciali; ut colligitur ex cit. c.Cùm dilectus; ibi: *Arbitri judicare*. h.t. & tradit ibid. Abb. n.4.quamvìs propriè, ac ſtrictè loquendo, non ſit judex, nec judicium exerceat, ad quod requiritur juriſdictio, qualem non habet arbiter, ſed notionem quandam. l.Ait Prætor; 5.in princ.ff.de re judic.l. 3.C.de juriſd.omn. jud.ideóque etiam propriè, ac ſtrictè non fert ſententiam, ſed arbitrium, ſeu laudum. Abb.c.l. n.3. Quia tamen compromiſſa, & arbitria hodie ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſunt. l. 1. ff.h.t. ideo etiam coram arbitro compromiſſario debet offerri libellus, & fieri litis conteſtatio, per quam interrumpitur præſcriptio. l.pen. C.h.t.& jurari de calumnia. Gl.in cit.c.Cùm dilectus; V.Niſi de his; in fine.& Abb.ibid. n.4.Durand.in ſpec.l.1.part,1.tit.de arbitr.§.Differt, n.12. & ſententia, ſeu laudum arbitri ferri quoque debet in ſcriptis. Abb. c.l.

L IV. Aſſertio 4. Ad officium quoque Arbitri pertinet, ut ſententiam, ſive arbitrium juſtum, & æquum ferat: quamobrem, ſi arbitrium, ſeu laudum dolo arbitri latum ſit, illud obſervandum non eſt, vel ſi ſimoniacam pravitatem contineat; prout ſumitur ex c. Non ſine; 2. h.t. ſecundùm duplicem illius intellectum, de quo infrà. Nam, cùm Alanus Presby- » ter per Robertum Archidiaconum in Eccleſia S. Al- » phridi Capellanus inſtitutus fuiſſet: mortuo Rober- » to, Marcus nepos ejus (ex fratre) qui Roberto in ea- » dem Eccleſia ſucceſſerat, eundem Alanum in Capel- » lanum denuo inſtituit, ſeu potiùs jam inſtitutum » confirmavit. Sed poſtea idem Marcus multis inde- » bitis exactionibus eum gravavit, & vexavit, &, ut Ca- » pellaniâ cederet, promiſit, ſe illi quinque marchas » argenti pro annua penſione ſoluturum: cùm verò » dictus Alanus Capellaniâ cedere nollet, ab eodem » Marco illâ eſt ſpoliatus; prout habetur in integra » lectione hujus c. Tandem cùm Alanus exul juſti- » tiam obtinere non poſſet, nec ſuam inopiam ulte- » riùs ſuſtinere, Marcus per dolum, & fraudem jura- » mentum extorſit à dicto Alano, ſe ſuſcepturum ar- » bitrium ſuper hac re duorum Clericorum, illúdque » ſervaturum: qui Marco faventes præceperunt, ut i- » pſe quinque marchas argenti annuatim perſolveret » Alano, & hic lite, ac jure ſuo ſuper Capellaniâ cede- » ret. Re delatâ ad Papam Alexandrum III. is man- » davit Archiepiſcopo Eboracenſi, ut, ſi dicti Clerici » confeſſi fuerint, vel ipſe aliunde cognoverit, illos » tam nequiter arbitratos eſſe, dictum Alanum ab ob- » ſervatione juramenti, auctoritate Apoſtolicâ abſol- » vat (& ipſum in Capellaniam ſuam reſtituat; ut ſup- » plet Gloſſ.hîc V.Abſolvat;) ſin autem cognoverit ar- » bitrium, ſeu laudum Clericorum illorum æquitate » ſubnixum eſſe, utramque partem ad ejus obſerva- » tionem, remotâ appellatione, compellat. »

L V. Notandum hîc 1. Dupliciter poteſt intelligi hoc c. Primò, quòd arbitrium ideo fuerit rejectum, quia dolus & favor erga alteram partem compromittentium ei cauſam præbuit, juxta Gl.hîc V. Dolum; & pars petendo executionem arbitrij, ſaltem

tunc dolum facit, ſeu committit, ideóque exceptio doli contra illam opponi poteſt, etſi aliàs ſolus arbiter dolum commiſerit. l. Non diſtinguemus; 32. §. Cùm quidam; ff. h. t. ubi ex ſolo facto arbitrorum, qui, licèt fuerint recuſati tanquam ſuſpecti, judicare voluerunt, competit exceptio doli contra partem petentem executionem talis arbitrij: idémq; conſtat ex l. Arbitrorum, 3. C. eod. & ibi tradit Gl. V. Clauſula in fine. Abb. hîc n. 9.

LVI. Alter intellectus huius c. eſt, ſi arbitrium, ſeu laudum ſimoniacam pravitatem contineat, ut, ſi Arbitri pronuncient, v. g. ut una pars compromittentium renunciet juri beneficij ſpiritualis, cui pars altera viciſſim det aliquid temporale; vel, ſi quodvis aliud peccatum contineat, non eſt obſervandum, ſed ipſo jure irritũ; juxta c. ult. de rer. permut. ubi decernitur, arbitrium, in quo fit permutatio ſpiritualiũ cum temporalib⁹, & quidquid inde ſecutum eſt, irritũ eſſe: quæ expoſitio magis eſt conformis textui, eámque ſequitur. Gl. hîc V. Quinque marchas; & Abb. n. 10. nam in hoc c. deciditur, ſententiam, ſeu laudum arbitrorum ideo obſervandum non eſſe, quia Clerici illi tam nequiter arbitrati ſunt, ut præceperint ſolvi annuam penſionem pecuniariam pro ceſſione beneficij, id quod ſimoniacam commutationem involvit: nam ſicut partes, ſi in compromiſſo renunciarent juri ſpirituali pro temporali obtinendo, committerent ſimoniam; ita & arbitri ſic pronunciando. Et hinc etiam mandat Papa in hoc c. ut Alanus Presbyter à juramento præſtito abſolvatur, ſive potiùs, ut abſolutus denuncietur, ſive declaretur, ipſum juramento non eſſe obligatum; cùm is non voluerit, nec potuerit ſe obligare ad obſervandum arbitrium ſimoniacum. Gl. fin. hîc. Idémque dicendum, ſi per quodvis laudum præcipiatur, quod ſine peccato fieri non poteſt; eſt enim ipſo jure nullum. Abbas hîc n. 14.

LVII. Excipi tamen debet, niſi ex circumſtantiis præſumi poſſit, vel ab arbitris oſtendi, quòd imperârint, pecuniam alteri parti perſolvi, non in compenſationem juris beneficialis, quod remiſſum fuit, ſed pro bono pacis, & concordiæ causâ, ob dubium litis eventum; tum enim, ſi arbitrium æquum reperiatur, obſervandum erit; ut habetur in fine huius c. arg. c. Niſi; 21. de præbend. ex quo conſtat, quòd arbitri, in quos compromiſſum eſt, ſi lis ſit ſuper beneficio, poſſint uni partium litigantium adjudicare beneficium, ità tamen, ut alteri parti pro bono pacis pecuniam perſolvat.

Itaque hîc diſtinguendum eſt: vel enim certum eſt, renunciantem liti beneficiariæ pro pecunia habere jus ſpirituale in beneficio; & tum arbitrium latum, ut unus litigantium cedat liti ſuper beneficio, & alter det pecuniam pro ceſſione, eſt irritum; quia ſimoniacam pravitatem continet: ſicut enim ſimonia committitur, ſi beneficium acquiratur pro pecunia; ita etiam ſi pro illa reſignetur. c. Cùm pridem; 4. de pact. Vel vice versâ certum eſt, renuncianti liti beneficiariæ nullum jus competere in beneficio; & tum valet arbitrium latum, ut una pars de facto dimittat beneficium, in quo jus non habet, & altera pecuniam det cedenti liti, juxta cit. c. Niſi; non enim ſemper eſt ſimoniacum, dare pecuniam pro redemptione litis ſuper re, ſeu jure ſpirituali, veluti ſi jus non habenti detur pecunia ad redimendam vexationem, & liti cedat; ut patet ex c. Dilectus; 28. de ſimon.

Vel denique dubium eſt, an renuncians liti beneficiariæ habeat jus in beneficio, nécne; adeóque an detur ſpirituale pro temporali: & hoc caſu, ſi Arbitri pronuncient, ut pro bono pacis pars renunciet juri, ſi quod habet, & cedat liti, & viciſſim aliquid temporale recipiat, non eſt quidem id apertè ſimoniacũ; præ ſe fert tamen ſpeciem ſimoniæ: quia, ſi jus competat parti cedenti, datur temporale pro ſpirituali: ideóque contra arbitrium ſtat gravis præſumptio, quæ tamen purgari poteſt, ſi arbitri allegent excuſationem aliquam; ut ſi dicant, ſe ita arbitratos eſſe ob bonum pacis; quia renuncians liti nullum habebat in beneficio, vel illud erat valde dubium: & tum ad Superiorem ſpectabit, ex circumſtantiis, & perſonarum qualitatibus arbitrari, an illorum excuſatio admittenda, vel rejicienda ſit; ut docet Abb. hîc n. 10. Fagnan. ibid. num. 3. & pluribus ſeqq. Et hoc eſt, quod in fine huius c. dicitur: Si arbitrium æquitate ſubnixum fuerit, obſervandum fore; quia nimirum ex circumſtantiis præſumi, vel probari poterat, arbitros nõ pro jure beneficiali, ſed ob bonum pacis, & concordiæ, & dubium litis eventum, imperâſſe, ut parti cedẽti liti pecunia daretur: quamvis aliàs præſumptio contraria fuerit cõtra arbitros, nempe, quòd juſſerint, pecuniam ſolvi pro jure beneficij, quod indubitatè competebat Presbytero Alano, cùm injuſtè eo fuerit ſpoliatus, ideóque iſta præſumptio per contrariam fortiorem præſumptionem, vel probationem elidi debebat, aliàs arbitrium obſervandum non foret; ut ex dictis patet.

LVIII. Notandum 2. Super beneficio ſpirituali poteſt licitè fieri compromiſſum in arbitros, dummodo fiat in Clericos, vel ſimul in Clericum, & laicum. Abb. hîc n. 6. & patet ex ſuprà dictis n. 20. & 22. quod tamen ita intelligendum eſt, ut arbiter compromiſſarius non poſſit beneficium adjudicare, cui velit, ex compromittentibus, ſed ſolùm habenti canonicum titulum, ſeu jus in beneficio; quia beneficia ſine canonica inſtitutione obtineri non poſſunt. c. 3. de inſtitut. & reg. jur. 1. in 6. Fagnan. hîc n. 10.

Notandum 3. Compromittentes in arbitrum, vel arbitratorem poſſunt ſe obligare juramento ad obſervationem arbitrij, vel arbitramenti, ſaltem de Jure Canonico, & laudum executioni mandari debet, ſi aliàs ſit licitum, & æquum; prout colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ibid. V. Sacramentum, & Abb. n. 3. not. 4 & alij DD. communiter, qui dicunt, hoc ſervandum eſſe etiam in foro civili; de quo plura infrà.

Notandum 4. Non tantùm arbitratores, ſed etiã, ſi arbitri pronuncient, ſeu ferant laudum, quod evidenter continet iniquitatem, ſeu peccatum, eſt corrigendum per Superiorem, ſeu Judicem ordinarium, & reducendum ad arbitrium boni viri; ut colligitur ex hoc c. ibi: *quoniam non decet ſuſtinere, ut, quod perperam arbitrati ſunt, debeat incorrectum relinqui*: idque non obſtante etiam juramẽto, & tam de Jure civili, quàm Canonico. quia etiam leges civiles volunt, ut peccata corrigantur, & non foveantur. Hoſtienſ. hîc V. Incorrectum, & Joan. Andr. n. 18.

LIX. Aſſertio 5. Sed neque valet arbitrium, ſeu laudum, ſi in Eccleſiæ detrimentum, ſeu præjudicium vergat, prout ſumitur ex c. Pervenit. 3. h. t. Nam ...

cùm

Digitized by Google

» cùm Gullielmus Clericus ſororem ſuam Gaſpari de
» Callis in uxorem dediſſet, promiſit, ſe in dotem ſo-
» rori ſuæ, annuatim quinque ſolidos ſterlingorum
» daturum eſſe. Sed quia ſuper promiſſione huius pe-
» cuniæ inter illos controverſia orta fuit, in quatuor
» arbitros compromiſerunt: qui arbitrati ſunt, quòd
» Gaſpar decimas (id eſt, fructus decimarum, Gl. hîc
» V. Decimas) quas Goilielmus Clericus in parochia
» de Callis habebat (cuius ipſe Gaſpar parochianus
» erat. Hoſtienſ. hîc V. Decimas) pro prædictis quin-
» que ſolidis annuatim percipere debeat. Re delatâ
» ad Papam Alexandrum III. is mandavit, ut, ſi ita
» ſit, Gaſpar admoneatur, & per Eccleſiaſticam cen-
» ſuram compellatur decimas illas dimittere: neque
» ex illis ſibi quidquam deinceps vendicare præſu-
» mat; quia tale arbitrium Eccleſiæ in futurum po-
» teſt eſſe pernicioſum: Guilielmus verò Clericus
» moneatur, ut cum dicto Gaſpare rem amicabiliter
» componere ſtudeat.

LX. Hinc colligitur 1. Quòd in caſu huius c. reprobatum fuit arbitriũ, ſeu laudum illorum, qui arbitrati ſunt, ut laicus decimas à Clerico, cuius ſororẽ in matrimonium duxerat, dotis nomine datas perciperet, nõ, quòd judicaverint arbitri, ut marito ipſum jus decimandi Clericus ille in dotem daret ſororis, ut nonnulli putant: quia, cùm hoc jus ſit ſpirituale, in laicum non cadit: ſed quia, etſi aliàs fructus decimarum poſſint à Clerico vendi, & locari ad vitam ſuam, c. 2. de locat. adeóque etiam laico concedi, aut in ſolutum dari: non tamen in dotem dari, eò quòd talis datio futuris temporibus poſſet in detrimentum, ſeu præjudicium Eccleſiæ cedere: quia fortè, laicus ille, ſi durante matrimonio mortuus fuiſſet Clericus, qui ipſi decimas dotis nomine dedit, etiam poſt deceſſum illius, toto tempore vellet decimas illas retinere, ſive fructus illarum adhuc percipere, nomine dotis, quæ ſaltem durante tempore matrimonij, adhuc debetur marito: quod beneficiatus promittere non poteſt, cùm neſciat, an tam diu victurus ſit: & ſic Eccleſia, vel ſucceſſor in beneficio non facilè, neq; ſinè moleſtia, ac ſumptibus litis, illas decimas recuperare potuiſſet, quod in damnum Eccleſiæ redundâſſet, cuius intereſt, ne ſumptibus gravetur. Gl. hîc V. Exiſtere; & Innoc. V. Decimas. Abb. n. 2. not. ult. Deinde ideo etiã non eſt conveniens, ut decimæ Clericales in dotem dentur marito; quia is, cui decimæ ſunt venditæ, vel locatæ, eas percipit loco, & nomine Clerici, penes quem remanet jus radicale percipiendi decimas: maritus verò nomine, ac loco uxoris ſuæ, percipit, & adminiſtrat fructus dotis; adeóque non nomine Clerici; ut notavit Joan. Andr. hîc n. 6.

Colligitur 2. Eccleſiæ ſuccurrendum eſt, non ſolùm, ſi periculùm ſit, ne ei gravamen inferatur de jure, ſed etiam de facto tantùm: & ſive damnum immineat de præſenti, ſive etiam timeatur in futurum. Ut ſi v.g. Eccleſia pro juſta penſione locavit fundum ſuum alicui potenti, à quo probabiliter timetur, quòd non poterit futuro tempore, ſine difficultate, exigere, & recipere ſolutionem penſionis, poterit propter tale periculum petere reſtitutionem in integrum adverſus illum contractum. Abb. hîc n. 4.

Colligitur 3. Quòd Rector Eccleſiæ, aut beneficiatus non poteſt compromittere in arbitros, ſine cõſenſu Diœceſani, ſeu Superioris, ſi per compromiſſum obligetur Eccleſia in futurum: quia non poteſt Eccleſiæ conditionem facere deteriorem. Gl. fin. hîc, & Abb. n. 4.

Colligunt 4. Aliqui ex hoc c. quòd frater etiam Clericus teneatur dotare ſororem ſuam, ſi aliũde dotem habere non poſſit. Verùm, ut notat hîc Abb. n. 1. not. 2. id ex iſto c. non probatur: tum quia hîc non exprimitur, quòd 5. illos ſolidos promiſerit loco, & nomine dotis: tum quia ſponte, & à nemine compulſus id promiſit, ac dedit: quamvìs aliàs verum ſit, fratrem teneri dotare ſororem pauperem, ſaltem ex eodem patre natam: & multò magìs Clericus, qui obligatur magìs exercere actus charitatis, & miſericordiæ, quàm laicus; ídque etiam ex reditibus Eccleſiaſticis poteſt, ſi patrimonialia non habeat. Abb. c. l.

§. VI.

De effectu, ſeu obligatione compromiſſi, & ſententia, ſeu laudi Arbitrorum.

LXI. Aſſertio 1. Si per nudum, ſeu ſimplex pactum, neque interveniente ſtipulatione, neque pœnâ adiectâ, abſolutè compromiſſum ſit in arbitros; tum de jure civili nulla efficax obligatio, aut actio ex eò competit; quia hoc jure ex nudo pacto actio non datur. l. Juriſgentium; 7. §. Sed nulla; ff. de pact. adeóque, ſicut ex nudo pacto compromiſſi, etiam poſt latam ſententiam, ſeu arbitrium, partes non coguntur de jure civili ſtare compromiſſo, ac ſententiæ arbitri, ſed impunè poſſunt illi non parére: ita etiam arbitri, etſi conſentiant in compromiſſum nudo pacto ſolùm factum; eodem jure civili non poſſunt cogi progredi in cauſa ipſis commiſſa, arbitriúmq; proferre. Abb. in c. Per tuas; 9. n. 8. h. t. Mol. tr. 5. de juſt. diſp. 34. n. 1. & 6. niſi tamen ex altera parte pactum illud traditione ſit impletum, & ſic tranſeat in pactum veſtitũ; ut quia una pars compromittentium alteri aliquid tribuit, ac tradidit ratione eius pacti: tum enim ex eo actio dabitur contra illum, qui pactum, ſeu compromiſſum implere non vult, ut vel impleat, vel ſolvat, quantum ſuâ intereſt, ut impleat pactum, ſeu ſtet cõpromiſſo; vel, ut per illam repetat quod dedit, prout is qui compromiſſum implevit, maluerit. Mol. c. l. n. 1. & 3.

Si verò in arbitros per intervenientem ſtipulationem, ſpectato Jure civili, vel etiam per nudum pactum, ſecundùm Jus Canonicum, abſolutè compromiſſum fuerit, ſine adiectione pœnæ; tunc cõtra non ſtantem compromiſſo, ſeu arbitrio lato, actio ad intereſſe competit, ut ſolvat alteri parti, quanti eius intereſt, compromiſſum, aut arbitrium ſervatum eſſe; ut conſtat ex l. Diem; 27. §. ult. junctâ Gl. V. Incerti. ff. h. t. & colligitur ex c. Per tuas; 9. h. t. & ibi Abb. n. 10. Marant. p. 6. de Ord. judic. de appellat. n. 250. & 251. & coguntur partes parére ſententiæ arbitrorum, & hi illam proferre. Mol. cit. tract. 5. diſ. 35. n. 1. & 2. non tamen ex compromiſſo etiam ſtipulatione firmato, & poſt latam ſententiam, ſeu arbitrium, datur actio, vel exceptio rei judicatæ. l. 1. C. h. t. & l. 2. juncta Gl. V. Exceptionem. ff. eodem.

LXII. Excipi debet, niſi compromiſſo, ſive per nudum pactum, ſive etiam per ſtipulationem facto, ſine pœnâ appoſitâ, & ſine juramento, ſententia, ſivè

laudum

laudum atbitri à partibus compromittentibus emologatuin,id eſt,receptom,ſive approbatum fuerit,vel expreſsè,vel taciiè,per ſilentium decem dierum:tum enim otitur ex illo exceptio, & actio in factum, tanquam ex re judicata; & laudum indiſtinctè obſervandum, & execuiioni mandandum eſt; ut habetur in l. Ne in atbitris; 4. Si quis autem;& l.Cum antea; 5. C. h. t.

Idémque etiam ſumitur, & confirmator ex c. Per
» tuas; 9. h. t. Nam ortâ controvetſiâ intet Hoſpi-
» talarios S.Joannis, & Plebanum de Piſcia, ſuper
» Hoſpitali S. Albucij, ea cauſa Archiepiſcopo Ge-
» nuenſi delegata fuit. Sed poſtea procurator Ple-
» bani, unâ cum patte advetſa,interveniente aucto-
» ritateArchiepiſcopiGenuenſis,tanquam Judicis de-
» legati,comptomiſetunt ſupet hac quæſtione in ar-
» biiros,Clericum unum, & duos laicos, interpoſito
» juramento à Procuratote Plebani. Sed,cùm ab ar-
» biiris pronunciatum eſſet atbitrium, Hoſpitalaiij
» imperrâtunr littetas à Papa Innocentio III. ad Ar-
» cbiepiſcopuin Piſanum, quibus jubebatur arbitriũ
» executionl mandate: contta quod Plebanus ſe op-
» poſuir,allegando tres rationes: Primò,quòd Pro-
» cutatori ad cauſam ttactandam genetale tantùm
» mandatum dederit; non tamen mandatum ſpeciale
» ad compromittendum, vel rranſigeodnm ſuper ea.
» Secundò,quòd Procurator non fuerit cum cõſen-
» ſu Capituli conſtitutus, & ideo arbittium non va-
» lere; ptæſertim, cùmProcuraiot fines mandari ex-
» ceſſerit. Tettiò,quia arbitrium fuit per unũ Cle-
» ricum,& duos laicos pronunciaium,quamvìs cum
» conſenſu Archiepiſcopi. Ad hæc reſpondit Papa:
» ſi ex parte Plebani arbitrium receptum, ſeu appro-
» batum fuit;indiſtinctè ratum haberi debet, & exe-
» cutioni mandari, ſecundùm fotmam mandati A-
» poſtolici. Si verò receptum non fuit; tum diſtin-
» guendum eſt, utrùm pœna compromiſſo appoſita
» fuerit ſolvenda, ſi non obſervatetur, nécne: ſi pœ-
» oa fuit adiecta,agi poteſt ad eam ſolvendam: ſi verò
» nullâ pœnâ appoſitâ, ſimpliciter fuit compromiſ-
» ſum,ot ſtaretur ſententiæ arbitrorum;tunc Procu-
» rator poterit conveniri ad præſtandum inteteſſe:
» quia juramento ſuo ſeipſum perſonaliter, non au-
» tem Eccleſiam obligare poterat. Quod denique
» obiectùm fuit,compromiſſum in dnos laicos, & u-
» num Clericum eſſe factum;id nihil obſtat,cùm hoc
» cum conſenſu,& auctoritate ArchiepiſcopiGenuẽ-
» ſis factum fuerit, cui à Papa cauſa delegata erat.

LXIII. Pro explicatione huius c. norandum 1. atbitri non poſſunt ſuam ſententiam, ſeu laudũ executioni mandate, ſed pto ea ſacienda recurti debet ad Supetiorem. l. à D.Pio; 15. in princ. ff. de re judic. ideóque in boc c. impetratum fuir teſcripium Apoſtolicum ad dandum executotem atbittij pronunciati; quamvìs non tantùm Papa, ſed etiam alius inferior Judex ordinarius Rei, contra quem fieri debet executio, poſſit arbitrium exequi; juxta l. pen. C.h.t.

Notandum 2. Athitrium emologatum, ſeu approbatum à partibus comptomittentibus executioni mandati poteſt,ac debet; etiamſi fuerit nullum ex defectu maodati: ut in propoſito, Procurator non habuit mandatum ſpeciale à Plebano ad compromittendum; ideóque non potuit compromittere in arbitros, oec quidem validè: ſi tamen à Plebano receptum, ſen approbatum fuit arbittium, illud tatum eſt, & executioni mandari debet; ut decernitur in hoc c. & Abb. ibid. num. 2. & 4. Si vetò arbitrium non fuit receptnm, ſeu apptobatum, non poteſt executioni mandari etiam de Jure Canooico, ſed tunc,ſi pœna fuit adiecta,agitut ad pœnã; & qoidem contta Procuratorem, ſi compromiſir, ſinè mandato ſpeciali:tunc enim debet ſatisfacete de ſuo. l. Plantius; 61. ff. de procurat. licèt aliàs agetetur cootra dominum, ſi ipſe mandatum dediſſet compromittendi: ſi verò ſine pœnâ adiectâ fuit compromiſſum, agitur ad intereſſe contra Procuratorem; ut patet ex hoc c. Abb. ibid. num. 5. & 6. qnod tamen intelligendum eſt in compromiſſo facto, tanquam in arbitros: ſi verò compromiſſum ſit tanquam in arbitratorem, ſeo amicabilem compoſitorem; tunc agi debet ptæcisè ad obſervandum aibitramentum; ſed pars læſa petere poteſt, nt arbitramentum teducatur atbitrio Jndicis ad æquitatem. l. Societatem; 76. ff. pro ſocio. Abb. hìc n. 5.

LXIV. Notandum 3. Si compromiſſnm factum ſit nudo pacto, ſine pœna, & juramento; tunc de Jure Canonico agitut ad intereſſe, etiamſi non ſit à partibus approbatuin arbitrium: quia hoc jure nudum pactum producit actionem. Secus eſt de jure civili; niſi arbitrium, ſeu laudum fuerir apptobatum, vel expteſsè per pattes: tunc enim ex eo otitur actio, & ſtatim mandari debet executioni: vel ſaltem tacitè, quia partes inſtà 10. diea non contradixerunt arbitrio, nec quidem extrajudicialiter; tunc enim mandandum eſt executioni poſt 10. dies. l. pen. C. h. t. Quòdſi compromiſſum pet ſtipulationem factum ſit, ſed ſine pœna, non eſt opus, ut emologatum, ſeu approbatum ſit, quia agitur ad inteteſſe, quod ſuccedit in locnm pœnæ. Abb. in cit. c. Per tuas; 9. num. 10. b. t. Molin. cit. diſ. 35. num. 10. §. Dubium eſt; & nom. 11. Marant. de ordin. judic. p. 6. de appell. n. 251. quamqnàm Bart. in cit. l. pen. n. 2. dicat, quòd tum locum habeat tantùm emologatio, ſeu apptobatio expreſſa, vel tacita ſententiæ arbitri, ut ratione illius procedi poſſit ad executionem eiuſdem, quando compromiſſum nudo pacto factum eſt ſine ſtipulatione: quia quando intervenit ſtipulatio ſine pœoa, non eſt opus emologatione, ſeu approbatione ſentẽtiæ, ſive laudi, cùm aliud remedium competat, ſcilicet actio ad intereſſe ex ſtipulatione, juxta l. Diem; 27. §. fin. junct. Gl. V. Incerti. ff. h. t.

Verùm ſic Jure Canonico nunquam, ratione arbitrij, ſeu laudi recepti, & approbati à parte compromittente, illud ratum haberi, & execntioni mandari deberet; cuius tamen contrarium expreſsè habetur in cit. c. pen. Pet tuas; h. t. quia, cùm de Jure Canonico ex compromiſſo etiam nudo pacto inito actin competat contra non ſtantem compromiſſo, vel arbitrio; adeóqne aliud remedium detur, etiam quando compromiſſum nudo pacto factum ſuit; oòn haberet locum emologario, ſen approbatio arbitrij. Abb. in cit. c. Per tuas; n. 10. Matant. c. l. num. 257. ubi dictam l. pen. C. h. t. extendunt etiam ad compromiſſum factum cum ſtipulatione ſine pœna, ita, nt in illa etiam locum habeat emologatio, ſeu approbatio arbittij, quia in illa l. non agitur de nndo pacto, ſed ſolùm providetur de illis comptomiſſis, in quibus non eſt appoſita pœna, & quæ non ſunt facta ex decreto Judicis,

dicis,ut ex initio illius l.apparet: unde non videntur ibi excludi compromiſſa per ſtipulationem facta ſine pœna.

LXV. Notandum 4. Licèt de Jure Civili,ut laudum arbitri cenſeatur expreſsè emologatum,ſeu approbatum, requiratur ſubſcriptio partium compromittentium; ut conſtat ex cit. l. Ne in arbitris; 4.in princ.& l.ſeq. C.h.t.tamen ſecundùm Jus Canonicũ, & forum conſcientiæ (ubi ad veritatem magis attenditur) ea non eſt neceſſaria; ſed ſatìs eſt, ſi verbo, vel quovis alio modo,in ſententiâ arbitri partes conſentiant; ut colligitur ex cit.c. Per tuas;ubi ad hoc,ut arbitrium obſervandum, & executioni mandandum ſit, plus non requiritur, quàm ut receptum, ſeu approbatum fuerit, nulláq; fit mentio ſubſcriptionis, quæ ſolùm tanquam extrinſeca ſolemnitas ad conſenſum partium manifeſtandum, ſeu probandum adhibetur. Abb.ibid.n.9. Molin.cit.diſ.34.n.8.& alij DD. communiter. Emologatio verò,ſeu approbatio tacita fit, ſi nullus ex compromittentibus contra arbitri ſententiam,ſeu laudum intra 10. dies poſt latum arbitrium reclamet: tum enim cenſetur illud tacitè approbare, ut poſtea reclamare, vel reprobare illud non poſſit; ut conſtat ex cit.l.pen. §.Sin autem.C.h.t. & docet Gl.communiter recepta in l.1.V.Actio verſ. Sed cùm;C.eodem.

Notandum 5. Poteſt quandoque Judex delegatus interponere ſuam auctoritatem, etſi id nõ ſit expreſſum in reſcripto delegationis: ſic enim in cit. c. Per tuas, auctoritate Judicis delegati ad cauſam factum eſt compromiſſum in laicos ſimul,& Clericum de re ſpirituali.Gl.fin.hîc & Abb.n.6.

LXVI. Cæterùm,quòd dictum eſt parti compromittenti,in cuius favorem ſententia, ſeu laudum ab arbitris latum eſt, competere actionem ad intereſſe contra alteram partem, quæ arbitrio lato ſtare, ſeu parère non vult, quando compromiſſum interveniente ſtipulatione,ſine appoſita pœna,fuit ſactum,vel etiam de Jure Canonico, nudo pacto; id intelligendum eſt,dummodo ſententia, ſeu laudum arbitrorũ manifeſtam iniquitatem non contineat;ut,quia dolo pronunciatum eſt, vel ab arbitris pecuniâ, vel aliâ re corruptis, vel per illud aliquid contra bonos mores præcipitur, vel juri repugnans &c. his enim caſibus, alteri parti gravatæ exceptio doli contra partem petentem executionem ſententiæ competit: adeóque non quidem propriè dicta appellatio, ſed quaſi appellatio,& reclamatio,ita,ut intra 10.dies reclamare, ſeu contra laudum excipere, & per eiuſmodi reclamationem, ſeu exceptionem actionem adverſæ parti competentem elidere,&enervare poſſit;quæ eſt quędam ſpecies appellationis, ſive inſtar appellationis, per quam retractatur ſententia arbitri. l.Non diſtinguemus; 32. §.Cùm quidam.ff.h.t. & l.Arbitrorum; 3.C.eod. & impeditur laudi executio; etiam poſt 10. dies,& ne exigi poſſit intereſſe. Abb. in c.2. n.14.h.t. Marant.c.l.n.255. Molin.cit.diſ.35.n.3. Reclamatio autem iſta,ſeu quaſi appellatio intra 10.dies fieri debet ad adverſarium,vel ad Judicem;juxta cit.l.pen.C. h.t. Et quidem ad proprium Judicem reclamantis, quia is per modum exceptionis ſe reclamatione iſtâ defendit ab actione contra ipſum intentatâ,vel intẽtandâ;ſicut docet Abb.in c.Quintavallis;33.n.39.de jurejur.Mol.cit.diſ.35.n.8. Quare vir bonus, ad quẽ recurritur, ut arbitriũ reſcindat, vel ad æqualitatem reducat,eſt ipſemet Judex:quia quando mentio fit de arbitrio boni viri in genere, intelligitur de Judice. l. Continuus;137.§. Cùm ita.ff.de verb. oblig.Abb.c.l. num.38.

LXVII. Aſſertio 2. Si compromiſſum in arbitros factum ſit, adiectâ pœnâ tranſgreſſori, ſine juramento; tum is,qui compromiſſo,vel ſententiâ arbitri non ſtat,pœnam ſolvere tenetur;ut colligitur ex cit. c.Per tuas;quâ ſolutâ à compromiſſo, & ſententia Arbitri liberatur,& recedere poteſt;nec cogì poteſt ad obſervandum arbitrium; prout habetur in l.1.junct.Gl.V. Metu;& auth.Decernitur;C.h.t.nam ideo pœna adjicitur, & invicem promittitur,ut metu eius à placitis non recedatur,ſed compromiſſo ſtetur. cit. l. 1. Abb. in cit. c. Per tuas; n.15. Marant.c.l.n.257. Idque locum etiam habet in omni pœna conventionali,quæ contractui,vel tranſactioni appoſita eſt: nam,qui cõtravenit, cogi poteſt, vel ſtare tranſactione, vel pœnam ſolvere: non verò cogi poteſt ad utrumque. l. Ubi pactum;40.C.de tranſact. Mol. tr. 2. de juſt. diſ. 556. n.13.

LXVIII. Excipitur 1. Niſi compromiſſo, ſive per nudum pactum, ſive per ſtipulationem facto, cum adiectione pœnæ,ſententia arbitri à compromittente, adverſùs quem lata eſt, expreſsè fuerit emologata,ſeu approbata: tunc enim non ſufficit pœnam ſolvere,ſed cogitur ſtare ſententiâ,ſeu arbitrio lato,eáq; adverſùs illũ executioni mandanda eſt; ut docet Molin. cit. diſ. 35. n. 11. & 14. Ratio eſt,quia eo ipſo quòd compromittens,contra quem laudum,ſeu ſententia arbitri pronunciata eſt,expreſsè illam approbavit, illique conſenſit, elegit potiùs ſtare illâ ſententiâ, quam ſolvere pœnam: eâque electione cenſetur tacitè renunciâſſe jure illi,ſeu poteſtati, quam priùs ex juris conceſſione habebat, vel ſolvendi pœnam,vel ſtandi ſententiâ arbitri. Secus eſt, ſi ſententia arbitrorum tacitè ſolùm approbata ſit per lapſum 10. dierum, intra quos contra eam non fuit reclamatum: tunc enim ſufficit ſolvere pœnam, quâ ſolutâ, compromiſſor non tenetur ſtare ſententiâ arbitrorum, ſed impedire poteſt eius executionem. Molin.c.l.n.12. & ſumitur ex cit. Authent. Decernimus;C. h. t. ibi: *ſed pœnam ſtatuant* (ſcilicet compromittentes) *quâ præſtitâ, liceat à judicatis recedere*: quia tacita approbatio tantùm aufert poteſtatem reclamandi contra ſententiam,poſt lapſum 10 dierum; non autem privat libertate eligendi potiùs ſolvere pœnam, quàm ſtare ſententiâ: nam,quàm diu illam expreſsè non approbavit, eligendo ſtare illi, tum, ſi Judex ordinarius velit ſententiam arbitrorum executioni mandare, juxta l.pen. C. h.t. poteſt compromiſſor excipere,ſe eligere potiùs ſolvere pœnam cõpromiſſo adiectâ, & nolle ſtare judicatis ab arbitris; prout ſibi jure communi permiſſum eſt.Mol.c.l.n.11:

LXIX. Excipitur 2. Niſi in compromiſſo pœnali adiecta ſit clauſula: *rato manente compromiſſo, & arbitrio ſuper eo lato*,id eſt, ut nihilominus ſententia arbitrorum rata maneat: tunc enim contraveniens; & pœnam ſolvere, & ſententiæ arbitri nihilominus parére cogitur: quia iſta in effectu ſunt, & cenſentur duo compromiſſa,unum pœnale,alterum purum,ſeu ſimplex: ex quo etiam ſolutâ pœnâ, agi poteſt ad obſervationem,& executionem laudi, ſeu arbitrij lati.

Gl.in c.Dilecti;4.In fine b.t. & ibid. Abb. n. 17. Durand.in ſpec.l.1.part.1.tit.de arbitro;§.ult.n.38. Marant.c.l.n.252.Gail.l.1.obſ.150. n.14.arg. l.pen.ff.de tranſact.& l.Cùm proponis; 17.C. eod. ubi habetur; quòd,ſi tranſactioni adiecta ſit pœna, cum clauſula: *rato manente pacto*,tranſgreſſor,& ad pœnam compelli poteſt,& ad tranſactionem obſervandam. Mol. tr. 2.de juſt.diſ.556.n.13.& tr.5. diſ.35. n.17. Verumtamen ſi ſententia arbitri manifeſtam contineat iniquitatem,vel fraudem,tametſi in eum à partibus cõpromiſſum ſit,pœnâ quomodocunque adiectâ,etiam cum clauſula:*rato manente compromiſſo,ſeu arbitrio.* nihilominus poteſt compromittens gravatus contra talem ſententiam arbitri reclamare,& petere, ut reducatur ad æqualitatem ; nam partes non cenſentur in arbitros compromittere,etiamſi iniquum arbitriũ tulerint, niſi aliud inter illas expreſsè conventum ſit, Molin.tr.5.diſ.30. num.8. & patet ex dictis ſuprà.§. 1.n.7. Quamvis autem partes inter compromittendum renunciare poſſint reclamationi, & reductioni arbitrij ad æqualitatem, & juſtitiam, ſi ſcilicet inter partes in compromiſſo conventum ſit, ut utrinque obſervandum ſit arbitriũ, ſive æquum, ſive iniquum ſit, juxta l. Societatem; 76. §.Arbitrorum. ff.pro ſocio,& l.Diem; 27. §. Stari, ff. h. t. Si tamen dolus adverſarij intervenit,ita,ut ob dolum alterius compromittentis, iniquum arbitrium latum ſit, non obſtante priore conventione de obſervãdo arbitrio, etiamſi iniquum fuerit, exceptio, quin & actio de dolo parti læſæ contra adverſarium competet : non verò conveniri poteſt, ut quiſpiam de dolo proprio non teneatur, cùm tale pactum turpe ſit, & contra bonos mores. Molin. cit.diſ.30.n 7. §. Quamvìs autem; & diſ. 35.num.10.

LXX. Excipitur 3. Niſi cômpromiſſo, præter pœnam tranſgreſſori ſtatutam, adiectum ſit juramẽtum de obſervando arbitrio:hoc enim caſu juramentum appoſitum pacto, ſeu compromiſſo pœnali habet vim clauſulæ : *rato nihilominus manente pacto, vel compromiſſo:* ideo,tametſi huiuſmodi clauſula adiecta non ſit compromiſſo,poteſt tranſgreſſor compelli ad ſolvendam pœnam, & inſuper etiam ad obſervãdam ſententiam arbitri propter jusjurandum ; ut docet Abb.in cit. c.Per tuas; n.14. Mol.cit.diſ. 35. n.20.& diſ.36.n.6.

Verùm Innocent. in cit.c.Per tuas; n.3.b.t.& ibid. Laym.n.14.& lib.4.Theol.mor.tract.3. c.9.Corol.2. exemplo 3.contrarium docent,videlicet,quòd,ſiquis in compromiſſo,cui pœna eſt appoſita,juravit,ſe ſtaturum arbitri ſententiâ,is, vel ſtare ei teneatur, vel pœnam ſolvere,ita, ut pœnam ſolvẽdo recedere poſſit à ſententia. Si verò juratus promiſit,ſe arbitrium ſervaturum,ſed pœna compromiſſo adiecta non fuit; tunc obligatur disjunctivè,vel ad obſervandam ſententiam arbitri,vel præſtandum intereſſe ; quod ſi præſtet,ſatisfacit; ut tradunt DD. citt.contra Abbat. in cit.c.n.13. Ratio huius ſententiæ eſt, quia juramentum in dubio intelligi debet ſecũdùm terminos juris, & ſecundùm naturam actûs, cui apponitur.c. Quemadmodum; 25.de jureiur. Atqui compromiſſum,cũ adiectione pœnæ, vel ſine adiecta pœna, ſuâpte naturâ,& ex juris diſpoſitione,eam obligationem parit,ut compromittenti in arbitros optio alternativa detur,vel ſtandi arbitrio eorum, in quos compromiſſum eſt,vel ſolvendi pœnam,aut intereſſe,ſi pœna adiecta non ſit;ut conſtat ex l.1.& Auth.decernit, C. h.t.& l.In diem;27.§.ult.ff.eod. & dictum ſuprà: ergo ita etiam obligat, ſi juramentum accedat: hoc enim obligationem pacti, vel compromiſſi non extendit, ſed tantùm intendit, hoc eſt, nõ facit,ut ad plus quis obligetur, quàm,ſi nõ jurâſſet,ſed ut efficaciùs,&firmiùs obligetur,ob vinculum, & religionem juramẽti. Excipi debet,niſi alia fuerit intentio compromittentis jurantis(quæ tamen in dubio non præſumitur) videlicet obligandi ſe determinatè ad ſervandum arbitrium,& inſuper,ſi nõ obſervaverit, ad ſolvendam pœnã, vel eius,quod intereſt,ſi pœna non ſit appoſita.

Ad l. Si quis maior;pro contraria ſententia allegatam Reſp. cum Laym. c. l. legem illam pœnalem eſſe in pœnam perjurii latam;videlicet,ut,qui tranſactionem, vel pactum juramento confirmatum violârit; præter infamiam,quam incurrit, pœnam ſtatutã ſolvat,nec actionem habeat, & omni alio commodo ex tali pacto careat : quæ tamen non obligant ante ſententiam Judicis condemnatoriam, neq; ad compromiſſum juratum extendi debent. Atque hæc ſententia probabilior videtur.

LXXI. Aſſertio 3. Si compromiſſo juramentum adjectum ſit,quo partes compromittẽtes jurârunt, ſe ſtaturos ſententiã arbitri, tam de Jure Civili veteri, quàm de Jure Canonico,naſcitur ex eo obligatio efficax,& actio;ut patet ex l.Ne in arbitris;4.C.h.t.et c. 2.extra eod.ubi partes jubentur compelli ad obſervãdum arbitrium,in quod cum juramento compromiſſum eſt;modò id aliàs licitum, & æquitate ſubnixum ſit;& ex communi ibid.docet Abb. n.8.Mol.tr.5.diſ. 36.n.2.cõtra Bart. Verùm Jure civili noviſſimo prohibetur compromiſſum confirmari juramento, & ex tali juramento nulla tribuitur actio ; ſed perinde habetur,ac ſi appoſitum non fuiſſet. Auth.de Judicib. §. Quia verò;Novel.82.&Auth.decernit C.h.t.ubi prohibetur apponi juramentum in compromiſſis, idque ne partes poſtea perjuriũ facilè incurrant : ergo, cùm reprobetur Jure civili novo tale juramentum, non debet illud aliquid operari, ſive actionem producere; quia aliàs Jus Civile tali pacto aſſiſteret, & approbaret,quod prohibuit. Et hinc Bart.in cit. Auth.Decernit;putat,poſt eiuſmodi prohibitionem Juris civilis, nec de Jure Canonico, nec ex natura rei,partes, quæ compromiſſum juramento confirmârunt, teneri id ſervare. Sed meritò id refellit Abb.in cit.c.2. n.8.& Mol.c.l.n.2. nam omne juramentum promiſſorium, ſi ex parte jurantis ſine peccato ſervari poſſit,ſervandum eſt: & , licèt juramẽtum prohibitum ſit quacunque lege Canonicâ, vel Divinâ;ſi tamen id,quod juratur,licitum ſit,& ſine peccato impleri poſſit, tenetur jurans ſervare juramentum; quamvìs peccaverit, confirmando id juramento contra legis prohibitionem. arg. c. Etſi Chriſtus; 26. de jureiur. et c.Movet; 16.cauſ.22. q.1.

LXXII. Cæterùm, ſi compromiſſum juramento confirmatum ſit, tenetur compromiſſor jurans ſtare arbitrio , etiamſi illud iniquum ſit ; ſive eo injuſtè gravatus ſit, ita , ut reclamare , ſeu reductionem ad æquum, & juſtum; juxta arbitrium boni viri , id'eſt, Judicis, petere non poſſit , niſi priùs obtentâ relaxatione juramenti , dummodo ſententia arbitri ſine peccato , ex parte compromitten-

tentis, impleri, & executioni mandari poſſit, quia id, quod præcipitur, ſecundùm ſe licitum eſt. nam omne juramentum ſervandum eſt, quod ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſeu peccato ſervari poteſt. c. Cùm contingat; 28. de jureiur. Molin. cit. diſ. 36. n. 3. Idque indubitatum eſt, ſi jurans ſaltem habitualiter intendit, ac voluit ſe obligare ad ſervandum arbitrium, ſive æquum, ſive iniquum fuerit: ſecus verò, ſi talem intentionem ſaltem habitualem non habuit; tum enim, vi compromiſſi etſi jurati, non tenetur ſtare arbitrio iniquo. Molin. cit. loc. An autem in dubio præſumendum ſit, jurantem habuiſſe intentionem ſe obligandi ad ſervandum arbitrium etiam iniquum, dubitatur? Affirmat Molin. c. l. ſaltem in foro conſciētiæ teneri in dubio ſtare arbitrio etiam iniquo, ante relaxationem juramenti. Sed contrarium eſt probabilius; & tenet Laym. in cit. c. Per tuas; n. 12. h. t. Gregor. Tholoſ. partit. Jur. Can. l. 5. tit. 4. c. 10. ut apertè colligitur ex l. Si liberius; 30. ff. de operis libertor. ubi habetur, quòd compromiſſor (quamvis cum juramento, ut in caſu illius legis) non teneatur ſtare arbitrio, ſi illud apertè excedens ſit æquitatē, eò quòd compromittentiū ferè (id eſt, regulariter) ea ſit mens, nō aliter ſe obligare ad ſervandum arbitrium, quàm ſi limites æquitatis non excedat: juramentum autem non ad plura ſe extendit, quàm compromiſſum, quod per illud confirmatur.

LXXIII. Ex dictis colligitur, arbitrium, ſeu ſententiam arbitrorum ſervandum eſſe ab utraque parte compromittentium, niſi fortè arbitri compromiſſi formam exceſſerint. c. Cùm dilectus; 6. h. t. Vel arbitrium peccatum contineat, etſi juramento confirmatum ſit compromiſſum. c. 2. h. t. aut arbitri dolo corrupti ſententiam tulerint. l. Ita demum; 31. ff. h. t. aut non obſervato judicii ordine proceſſerint: ſunt enim arbitria ad judiciorum ſimilitudinem redacta. l. 1. ff. eod. vel contra rem priùs judicatam ſententiam dixerint. c. Expoſita; 11. h. t. Greg. Tholoſ. c. l. c. 9.

LXXIV. Denique ad effectum compromiſſi etiam pertinet, quod pendente arbitrio ſuper re, de qua eſt compromiſſum, ſuſpendatur Judicis ordinarij juriſdictio, & cognitio, ita, ut cauſa ampliùs coram Judice diſcuti non poſſit, invitâ parte alterâ, ſed qui litem proſequitur coram Judice, omiſſo Arbitro, in quem compromiſit, incidit in pœnam compromiſſi. l. Si quis rem; 30. ff. h. t. & quidem tam cauſa principalis, quàm appellationis ſuſpenditur per compromiſſum, donec fuerit pronunciatum, vel ſolutum arbitrium. Clement. quàm diu; 4. de appellat. & auth. ſi tamen C. de temp. appel. Ex compromiſſo etiam poſt litis conteſtationem, actiones perpetuantur, & præſcriptio interrumpitur. l. pen. §. Pleniùs autem; C. h. t. Mol. tr. 5. diſ. 44. n. 2. Item acta coram arbitris, ſi reſpiciant factum, & merita cauſæ, inter eaſdem perſonas finem faciunt, etiam in judiciis ordinariis. cit. l. pen. in fine, & ibi Gl. V. Judiciis; C. h. t. c. Præſentata; 50. de teſtib. Imò etiam confeſſio coram Arbitris facta, tanquam judicialis valebit, & allegari poterit coram Judice, ut ſatis inſinuatur in cit. l. pen. ibi: *vel profeſſum eſt*, id eſt, juxta Gloſſ. ibid. confeſſum eſt ab eo, & docet Imol. in cit. c. Præſentata; num. 9.

* * *

§. VII.

De reductione laudi, ſive arbitrorum, ſive arbitratorum, ad arbitrium boni viri.

LXXV. Dictum eſt ſuprà §. 1. n. 5. h. t. quòd ab arbitris compromiſſariis, eorúmq; ſententiâ regulariter appellari non poteſt. l. 1. C. h. t. & habetur etiā in c. A Judicibus; 33. junctâ Gl. ibid. cauſ. 2. q. 6. ubi in §. Quod de arbitris; in fine ex Gratiano additur: Si in Judicem ordinariū compromittatur, tanquā in arbitrū, ab eo, ratione ordinariæ dignitatis, ſeu poteſtatis, appellari non poſſe: quod tamen Gl. fin. ibid. rejicit. Ratio eſt, quia ex ſententia arbitri non naſcitur, actio, vel exceptio rei judicatæ. l. 2. ff. h. t. adeóq; non reperitur, quod ſuſpendat appellatio, & ſibi imputare debent partes compromittentes, quòd in arbitrum cōſenſerint, eúmq; approbârint. Unde jam dubium oritur, an non ſaltem peti poſſit, ut ſententia arbitri reducatur ad arbitrium boni viri, & ſic hac viâ parti læſæ ſuccurratur, & procedit quæſtio tam de arbitro compromiſſario, quàm de arbitratore. Eſt autem reductio ſpecies quædam appellationis, cum qua ſimilitudinem aliquam habet; quia executionem ſententiæ ſuſpendit, etſi non ſit propriè appellatio; ut ex probabiliore ſententia docet Marant. de ord. jud. p. 6. de appell. n. 110.

LXXVI. Quæritur 1. An peti poſſit reductio ad arbitriū boni viri à ſententia arbitri compromiſſarij? Reſp. verius eſt, non poſſe. Abb. in c. Quintavallis; 23. n. 30. de jureiur. & alij DD. comuniter. Ratio eſt, tum quia ſententia arbitri, ſi emologata, ſeu approbata ſit à partibus, ſive expreſsè, ſive tacitè per lapſum 10. dierum, ſtandum eſt. l. Diem; 27. §. Stari. ff. h. t. l. pen. C. h. t. Tum quia, qui cōpromittit in arbitrū, videtur tranſigere, quòd ſcilicet velit deſiſtere ab ulteriore proſecutione cauſæ, & acquieſcere ſententiæ arbitri, quod ille dixerit: jura autē non permittunt, ut lis per tranſactionem ſemel deciſa inſtauretur, ne quidem prætextu enormis læſionis; ut comuniter tradunt DD. ad Tit. de tranſact. Zœſ. ff. h. t. n. 31. Excipi debet, niſi laudū, ſeu ſententia arbitri compromiſſarij enormiſſimam læſionē, vel manifeſtam, & evidentem iniquitatem contineat: tunc enim admittenda eſt reductio ad arbitriū boni viri, & ex officio Superioris, ſeu Judicis retractari poteſt. Abb. in cit. c. Quintavallis; 23. n. 29. de jureiur. Gail. l. 1. obſ. 150. n. 9. ſicut ergo exceptio doli, metûs, erroris, falſitatis, cōtra omnes tranſactiones opponi poteſt. l. Sub prætextu; 19. l. Interpoſitas; 13. l. Sive; 28. l. Si ex falſis; 42. C. de tranſact. ita etiam hujuſmodi exceptiones à parte læſa cōtra ſententiam arbitri opponi poſſunt. l. Non diſtinguemus; 32. §. Cum quidam; ff. h. t. & l. 3. l. eod. quæ exceptiones perpetuò, etiam ultra 30. vel centum annos, opponi poſſunt. Gloſſ. in l. 3. V. Perſecutione; C. de præſcript. 30. annor. & l. Si pactum; 6. C. de except. VVeſenbec. in parat. ff. de except. n. 12.

LXXVII. Quæritur 2. An ſententia, ſeu laudum arbitratoris reduci poſſit ad arbitrium boni viri? Reſp. affirmativè; prout ſumitur ex l. Societatem; 76. §. Arbitrorum. ff. pro ſocio; ubi dicitur; alterum genus arbitrorum eſſe hujuſmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat; quamvis aliqui aliter expli-

cent baoc leg. ut dictum ſuprà n. 7. ex Molina. Ratio eſt, quia non cenſentur partes velle conſentire in arbitratorem, niſi, quia ſpetant, eum rectè arbitraturum. l. Libertus; 30. ff. de oper. libert. ſi ergo ex eius arbitramento immodicè graventur, poſſunt petere reductionem ad arbitrium boni viri. Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 4. tit. 13. n. 3. & alij DD. communiter.

LXXVIII. Ubi prætetea notandum 1. Hæc reductio petenda eſt, non coram Judice Arbitratoris, ſed coram Judice ordinario, coram quo aliàs agendum fuiſſet, ſi compromiſſum factum non eſſet: quia petitio reducendi eſt quædam provocatio ad judicẽ competentem, qualis in hoc caſu eſt Judex Rei, qui erat futurus judex cauſæ, ſi actor voluiſſet in judicio litigare: nam, ſive reductio petatur jure actionis, ſive ex officio Judicis, ſemper debet adiri Judex Rei, cùm actor ſequi debeat forũ Rei. c. Cùm ſit; 8. de for. compet. & cùm hîc non agatur ex compromiſſo, non debet adiri judex arbitratoris. Bart. in cit. l. Societatem, §. Arbitrorum; num. 19. & 21. ff. pro ſocio. Abb. in cit. c. Quintavallis; num. 39. de jureiur. ubi addit: Si reus petat reductionem arbitramenti, adire debet ſuum judicem, qui eſt judex cauſæ principalis, ad quem provocat quaſi ſuper exceptione ſibi competente. Marant. c. l. num. 114. Gail. l. 1. obſ. 149. n. 2. ubi ait, hanc ſententiam etiam ſequi Cameram Imperialem; quæ eſt communior opinio. Nec obſtat, quòd petitio reductionis habeat ſpeciem appellationis; hæc autem fieri debet ad ſuperiorem eius, qui tulit ſententiam: nam hæc reductio non eſt propriè appellatio, nec ei per omnia æquiparatur; ſed in eo præcipuè eſt ſimilis appellationi, quòd ſententia Arbitratoris per illam retractetur, ſicut per appellationem ſententia judicis, qui eam tulit, & à quo appellatur. Abb. c. l.

LXXIX. Notandum 2. Reductio arbitramenti ad arbitrium boni viri peti poteſt uſque ad xxx. annos; ut ex communiore ſententia docet Bart. c. l. num. 22. Marant. c. l. num. 112. Gail. l. 1. obſ. 150. n. 2. & 3. ubi ait, hanc opinionem etiam Cameram ſequi. Ratio eſt, quia jus petendi reductionem ad arbitrium boni viri eſt perſonale: ideóque non præſcribitur, niſi ſpatio 30. annorum. l. Sicut; 3. C. de præſcript. 30. vel 40. ann. Ex quo ſequitur, quòd ſententia arbitratoris etiam non tranſeat in rem judicatam, nec producat actionem in factum ex re judicata, niſi poſt lapſum 30. annorum, Gail. c. l. Quamvìs alij velint, infra 10. dies poſt latum laudum, ſeu arbitramentum, petendam eſſe reductionem; quia in l. pen. §. Sin autem; C. h. t. dicitur, ſententiam arbitri emologari, ſeu approbari, ſi intra 10. dies non fuerit contra illam reclamatum. Verùm illa lex loquitur de Arbitro compromiſſario, qui habetur inſtar Judicis, à cuius ſententia non poteſt appellari, nec reductio peti, ut ſuprà dictum: hîc autem eſt ſermo de reductione ad arbitrium boni viri, quæ fit contra ſententiam arbitratoris, qui eſt veluti amicabilis compoſitor, & potiùs de facto, quàm de jure procedit; huius enim ſententia non approbatur, niſi lapſu 30. annorum. Marant. c. l. n. 113. Gail. c. l.

LXXX. Notandum 3. Si quis, interpoſito juramento, renonciavit reductioni arbitramenti, ſeu ſententiæ arbitratoris, quòd non velit ab eo recedere; tum illi ſtandum erit, niſi laudum, ſeu arbitramentum contineat evidentem iniquitatem, vel valde enormem læſionem: tunc enim poteſt peti reductio non obſtante renunciatione juratâ; quia juramentum non ſe extendit ad incognita, nec eſt vinculum iniquitatis; ideóque nec requiritur hoc caſu relaxatio juramenti, cùm non poſſit perjurium committi circa id, ad quod juramentum ſe non extendit; quamvìs ad cautelam peti poſſit abſolutio, quam dabit Epiſcopus. Marant. cit. loc. num. 115. Zœſ. ff. h. t. n. ult. Hiltrop. p. 4. tit. 13. num. 8. & ſeqq.

LXXXI. Quæritur 3. An à Judice reductionis, qui ut vir bonus arbitratus eſt, & laudum ab arbitratore latum confirmavit; vel retractavit, appellari poſſit? Negant Bart. & alij. Sed affirmativa ſententia, videlicet licitam eſſe hoc caſu appellationem, verior, & æquior eſt; quam poſt Baldum tenet Covarr. l. 2. var. reſol. c. 12. num. 3. & ſeqq. Gail. cit. obſ. 149. num. 4. & 5. Zœſ. ff. h. t. num. 33. & alij. Ratio eſt, quia, qui pronunciat ſuper cauſâ reductionis, eſt verè Judex ordinarius; quia coram illo ea debet proponi; ut ſuprà dictum num. 78. ſed à Judice ordinario in omnibus cauſis, tam civilibus, quàm criminalibus, licitum eſt appellare, niſi expreſsè reperiatur prohibitum. l. Et in majoribus; 20. C. de appell. ergo, cùm in hoc caſu nullibi reperiatur prohibitum appellare, meritò id permiſſum cenſeri debet gravato, quia pro regula juris præſumitur, donec exceptio probetur.

Nec obſtat, quòd non ſit permiſſum appellare à Judice, quando is ut vir bonus arbitratur: ſed reductio fit ad virum bonum, hoc eſt, judicem ordinarium. ergo ab eo appellatio fieri non poteſt. Accedit, quòd hic judex in locum arbitratoris ſuccedit; adeóque eius naturam, & conditiones imitari debet. ſed ab arbitratore non eſt licitum appellare. l. Societatem; 76. §. Arbitrorum in fine ff. pro ſocio. ergo nec ab hoc judice appellare permiſſum eſt. Verùm reſpondetur, quamvìs non ſit permiſſa appellatio ab eo, cui præcisè, ut viro bono commiſſum eſt arbitrium reducendi laudum, ſive ſententiam latam ab arbitratore, permiſſum tamen eſt appellare, ſi Judici ordinario tanquam bono viro commiſſum ſit arbitrium reductionis: quia per hoc non deſinit eſſe judex ordinarius, à quo appellare licet: & quamvìs hic judex ſuccedat in locum arbitratoris, non tamen jure ſubrogationis, ſed ut judex ordinarius, ratione propriæ juriſdictionis, adeóque ab eo licitè appellatur; non quatenus arbitrator eſt; ſed, quia ut judex ordinarius cognoſcit de cauſa reductionis, & de moderando arbitratoris judicio. Covarr. c. l. n. 4.

§. VIII.

De loco, & tempore ferendi arbitrij, ſeu ſententiæ arbitrorum.

LXXXII. Quæritur 1. In quo loco arbitri cognoſcere debeant de cauſa ipſis commiſſa, ac ſententiam, ſeu laudum proferre? Reſp. Si locus certus ſit deſignatus, in quo arbitri de cauſa cognoſcere, eamq; definire debeant, tum eo in loco cauſâ cognoſcere, & arbitrium pronunciare debent: neq; poſſunt arbitri ad alium locum partes citare, neque citatæ tenentur ibi comparere: ideóque nec pœnam in compro-

promiſſo ſtatutâ incurrunt; prout habetur in l.Quid tamen; 21. quæ aliàs incipit: ſi cùm dies; §.Si arbiter; ff.h.t. Si verò in compromiſſo nihil de loco eſt expreſſum, tum cauſa cognoſcenda, & terminanda eſt in eo loco, in quo compromiſſum factum.cit.§.Si arbiter. Quòd ſi ad locum inhoneſtum,vel indecentem partes compromittentes vocatæ ſunt, impunè non pareat, adeò quidem, ut,etſi locus, non reſpectu n-triuſq;,ſed alterius tantùm ex litigatoribus,ſeu compromittentibus, ſit inhoneſtus, vel indecens: & ad illum accedat, qui honeſtè venire non poteſt, alter verò, qui ſinè turpitudine venire poterat, non accedat, etiam hic pœnam compromiſſi non incurret,cit. l.Quid tamen; §.Sed ſi in in aliquem; ubi in fine ratio redditur: abſurdum enim eſt juſſum (arbitrorum ſcilicet) in perſona unius (ex compromittentibus) ratum eſſe, in alterius non, cùm in judicijs, & arbitrijs ſervari debeat æqualitas. Gl.ibid.V. Abſurdum. Mol. tr. 5. diſ. 44. n. 1. Porrò in Eccleſia non poteſt fieri arbitrium, & laudum latum non tenetet. Arg.c. a. de immunit.Eccleſ. in 6.ubi id decernitur de judice, & cùm hic agatur de peccato impediendo, id rectè extenditur etiam ad arbitrum, qui ſaltem, latè loquendo eſt Judex. Aliud eſt de arbitramento pronunciato ab arbitratore. Abb. in c. Quintavallis; 23. n. 25. de jurejur. Molin.c. l. n. 4.

LXXXIII. Quæritur 2. Quibus temporibus non poſſit ferri ſententia, ſeu laudum arbitri? Reſp. Si arbiter procedat in cauſa,vel ſententiam ferat,diebus feriatis in honorem Dei inſtitutis, non ſolùm illicitè agit, ſed etiam proceſſus eſt nullus, ſicut & ſententia.Arg.l.Omnes; 3.C.de ferijs: niſi neceſſitas urgeat,aut pietas aliud ſuadeat. In ferijs autem legalibus,ſeu civilibus,ut meſſium,ac vindemiarum tempore,etſi regulariter non debeat arbiter in cauſa procedere, neque ad id cogi poſſit; ad petitionem tamen partium poteſt procedere, & arbitrium ferre in hujuſmodi ferijs, & à Judice ordinario ad id ex rationabili cauſa compelli, ut, ſi immineat tempus, quo compromiſſum finiatur,neque intra illud cauſa terminari poſſit, niſi in ea procedatur etiam diebus ſic feriatis, vel ob aliam urgentem cauſam. Mol.cit.diſ.44.n. 2. Aliud eſt de arbitratore, qui licitè poteſt proferre arbitramentum,etiam in diebus feſtis in honorem Dei inſtitutis, quia in illo non debet ſervari forma judicij, ſeu ordo judicialis, maximè, ſi ſuper re illâ non debeat confici publicū inſtrumentum: quamvìs hoc etiam indecentiam aliquam contineat, ſi fiat die feſto, niſi adſit cauſa excuſans. Molin. c. l. n. 3.

§ IX.

De modis, quibus finitur compromiſſum, & Arbitrorum officium, ac poteſtas.

LXXXIV. Aſſertio 1. Finitur compromiſſum, & Arbitrorum poteſtas inprimis, ſi cauſa ſemel per ipſos definita ſit, poſtquam ſcilicet de tota controverſia,vel de omnibus controverſijs, de quibus compromiſſum fuit, Arbitri ſententiam tulerunt, abſolvendo, vel condemnando. l.Qualem; 19. §. 1. & ibi Gl. V. A tota; ff.h.t. nam poſtquam ita ſententia lata eſt, Arbitri nihil in ea addere, vel minuere,vel interpretari poſſunt; nec, ſi erraverint in ſententia,eam mutare, vel corrigere poſſunt. cit. l. Qualem; §. Unde videndum; & l. ſeq. cùm, poſtquam ſuocti ſunt officio ſuo, Arbitri eſſe deſinant. Quod intelligendum eſt de ſententia definitiva,non autem interlocutoria; nam hanc mutare poſſunt. Bart. in cit. l. Qualem; §. Dicere: vel potiùs ſententiam, quæ non finit judicium, mutare poſſunt, non autem eam, quæ finit, ut, ſi v. g. Arbiter interlocutoriè pronunciet, ſe non eſſe judicem competentem, vel non eſſe procedendum, obſtante exceptione rei judicatæ, talem ſententiam mutare non poteſt. Bart. ibid. n. 3. Deinde excipi debet, niſi in compromiſſo expreſſum ſit à partibus, quòd arbiter poſſit judicare ſemel, aut ſæpius, & ipſum judicatum corrigere, & mutare. Bart.in l.Quid tamen; 21.o.2. ff.h.t. Porrò, ſi de quibuſdam tantùm controverſijs, de quibus compromiſſum eſt, arbitri ſententiam dixerunt, de alijs nondum, compromiſſum non exſpirat, nec arbitri eſſe deſinunt: ideòque ſententiam ſuper non tantùm cauſa latam mutare poterunt: niſi compromiſſum ſit, ut ſeparatim ſuper omnibus quæſtionibus pronunciare poſſint, tum enim ſententiam ſuper una latam mutare non poſſunt; cùm plura quaſi ſint, & cenſeantur eſſe compromiſſa. cit. l. Quid tamen: in princ.

LXXXV. Et hinc infertur,quòd arbitri laudum, ſeu ſententiam à ſe dictam exequi non poſſunt, quia, cùm ſolùm conſtituti cenſeantur ad pronunciandum, pronunciatione factâ, extinguitur omnis eorum poteſtas: executio autem laſæ ſententiæ ab ordinario Judice fieri debet; ut colligitur ex c. Si quis contra; 4.de fot. comper. ſicut & arbitramentum arbitratoris. Mol.tr.5. diſ.45.n.5. & poteſt pro executione laudi adiri, non ſolùm Judex ordinarius Rei, contra quem pronunciatum eſt laudum, ſed etiam Ordinarius loci, in quo compromiſſum factum eſt, quia compromittendo in loco, videtur ibi contrahere. Abb. in releɕt. c. Per tuas; 9. n. 54. h. t.

LXXXVI. Aſſertio 2. Finitur prætetea poteſtas Arbitrorum, ſi conditio compromiſſo adjecta deficiat; tunc enim ſit inefficax arbitrium. l.Litigatores; 11.§. fin.ff.h.t. Vel,ſi terminus, ſeu tempus in compromiſſo expreſſum, intra quod arbitrium pronunciari deberet, ſit elapſum. l. Non diſtinguemus; 32. §. Summa; ff.h.t. Poſſunt tamen partes tempus præfixum prorogare, vel in ipſo compromiſſo arbitris poteſtatem dare terminum prorogandi, ſi impedimentum ſententiam pronunciandi intervenſat. cit.l. 32. §.Dies compromiſſi. & §. ſin. cum l. ſeq. ff. eod. quamvìs non obſtante confeſſione diem proferendi arbitro in compromiſſo factâ, is eum proferre, ſeu prorogare non poſſit, ſi utraque pars compromittentium contradicat. l.Arbiter; 33. & ibi Gloſſ. V. Litigatoribus; ff. eod. non tamen arbiter aſſumptus ad certum diem, eo elapſo, cogi poteſt ad iterum acceptandum compromiſſum; ſi per eum non ſtetit, quò minùs pronunciatet in primo termino. cit. l. Quid tamen; §. Papinianus, ſi cùm dies; ff. h. t. Sed,etſi juſtâ cauſâ impeditus ſit arbiter pronunciare intra terminum præfixum, ſi tamen ab initio convenit de profeſendo die,cogitur diem prorogare: vel, etſi de die proroganda in compromiſſo cautum non ſit, ſi tamen communi conſenſu partes velint tempus prorogari, cogitur, vel ſtatim pronunciare arbitrium, ſi

dies arbitrio præfixa extitura ſit, vel aliud compromiſſum acceptare, ſi id ſinè ſuo damno, vel incommodo poſſit. l. Etſi qua; 56. §. h. t. Gloſſ. in cit. l. Quid tamen; §. Si cùm dies; V. Per eum; ff. eod. Quòd ſi nullum certum tempus arbitrio dicendo præfixum ſit, poſt triennium à lite conteſtata, ſi intra illud pronunciatum non ſit ab arbitro, compromiſſum, ſeu arbitrium exſpirat, ſicut judicium, ad cujus ſimilitudinem arbitria redacta ſunt, ſecundùm Gl. in l. Item, ſi unus; 57. V. Si multò; ff. h. t. & Gloſſ. marg. in l. Si compromiſſum; 54. ff. eod. quæ eſt communior DD. ſententia, teſte Molin. cit. diſ. 43. n. ult. quamvìs nonnulli velint, arbitrium etiam ultra triennium durare, ita, ut arbitri compelli poſſint dicere ſententiam, etiam poſt triennium. Gloſſ. fin. in cit. l. 14. Atque hæc locum habent etiam in compromiſſo facto in arbitratores. Molin. c. l. apud quem plura de hoc videri poſſunt.

LXXXVII. Aſſertio 3. Finitur quoque poteſtas arbitrorum morte eorundem, vel, ſi in plures arbitros compromiſſum ſit, etiam morte unius tantùm, ſi res integra ſit, id eſt, ſi arbitrium, ſeu ſententia definitiva nondum prolata ſit; prout habetur in c. Uno; 42. de offic. Jud. deleg. ubi id tam de delegatis, quàm de arbitris expreſſum eſt, & in c. Præſentata; 50. & ibi Gloſſ. V. Solo; & V. Arbitrium; de teſtib. Ratio eſt, quia in eos compromiſſum eſt, ut omnes judicent. Arg. l. Duo; 39. ff. de re jud. Excipe, niſi in compromiſſo expreſsè ſit actum, ut, ſi unus intereſſe non poſſit, alter arbitrium poſſit proferre. cit. c. Uno; & ibi Gloſſ. V. Delegatorum; l. Non diſtinguemus; 32. §. Cùm in plures; ff. h. t.

Portò, ſicut per mortem arbitri compromiſſum ſolvitur, ita etiam per diuturnam abſentiam ejuſdem; ut, ſi arbiter in partes remotas diſceſſit, nec brevi reverſurus ſit. Abb. in cit. c. Præſentata; n. 2. & colligitur ex l. Si longiùs; 58. ff. de judic. Atque hoc caſu recurri poteſt ad Judicem ordinarium, ut litem definiat; ſicut colligitur ex l. pen. C. h. t. & tradit Abb. c. l. Eodem modo exſpirat compromiſſum, ſi quodlibet aliud impedimentum ſuperveniat, ob quod arbiter progredi in cauſa non poteſt, neque illam finire, ſaltem intrà tempus congruum, juxta partium determinationem, aut rationabilem voluntatem; ut, ſi Religionem ingrediatur, vel in ſervitutem redigatur, vel in perpetuum exilium mittatur, &c. Molin. cit. diſ. 43. n. 2. Ratio eſt, quia, ſi in plures arbitros ſimpliciter compromiſſum ſit, omnes convenire debent ad ferendum arbitrium, & intereſſe, unde uno abſente, vel aliàs legitimè impedito, reliquorum poteſtas exſpirat; ut patet ex ſuprà dictis n. 36.

LXXXVIII. Aſſertio 4. Finitur etiam compromiſſum, & conſequenter etiam poteſtas arbitrorum, morte utriuſque, vel etiam unius tantùm compromittentium; prout ſumitur ex c. Ex parte; 10. h. t. Nam, cùm vacante Præpoſiturâ S. Cuniberti Coloniæ, Canonici ejuſdem Eccleſiæ conveniſſent ad eligendum, in diſcordia quidam elegerunt Henricum de Juliaco, alij verò Conradum de Lombardia: poſtea cùm partes, præſente Archiepiſcopo Colonienſi, tractarent ſuper electione in diſcordia factâ, curârunt, fide præſtitâ, fieri compromiſſum in eundem Archiepiſcopum, qui cauſæ meritis diligẽter auditis, & perſpectis, diem partibus conſentientibus ad ferendam ſentẽtiam definitivam aſſignavit. Interea autem mortuus eſt Henricus unus ex electis: quo audito, Archiepiſcopus prohibuit Canonicis, ne pendente ſuâ ſententiâ (id eſt, die ad illam ferendam aſſignatâ) ad aliam electionem procederent; ſed quidam, non obſtante illa prohibitione, Beatum Colonienſem Canonicum elegerunt. Cùm igitur die conſtituto, præſentibus partibus, ſententia ab Archiepiſcopo ferenda eſſet, venit novus electus Beatus, & allegavit, quòd Archiepiſcopus ulteriùs procedere non debeat, eò quòd per mortem Henrici alterius electi compromiſſum fuerit finitum. Super hac re conſultus Papa Honorius III. reſpondit: quamvìs per mortem ipſius Henrici, arbitrium (id eſt, compromiſſum, l. Diem; 27. §. 5. ff. h. t. Gloſſ. hîc V. Arbitrium;) finitum fuerit: priùs tamen de meritis prioris electionis oportebat cognoſcere, quàm procederetur ad ſecundam: quia ſi Conrado priùs electo, & adhuc ſuperſtiti jus ex electione competat, poſteriorem electionem (ſcilicet Beati) penitus non valere.

LXXXIX. Pro explicatione hujus c. notandum 1. Si per duos in diſcordia electos ad eandem Prælaturam compromittatur in Ordinarium, per mortem alterius compromittentium exſpirat compromiſſum: Ordinarius tamen ex ſua poteſtate ordinariâ cognoſcere debet ſuper jure electi ſuperſtitis, antequam ad aliam electionem tranſeatur. Ita intelligit, & explicat hoc c. Abb. hîc in ſumma, & plures alij Canoniſtæ. Nam dupliciter intelligi poteſt hoc c. nempe Primò, quòd compromiſſum hîc fuerit factum, non per electores, ſed per ipſos electos, qui compromiſerunt tantùm ſuper jure ex electione ſibi quæſito; ideóque per mortem alterius electi exſpiravit compromiſſum, nec durare potuit poteſtas compromiſſaria in Canonicis; cùm ipſi non compromiſerint; ita Innocent. hîc, & Abb. n. 4. Secundò, alij intelligunt, quòd hîc compromiſſum factum fuerit per Canonicos eligentes, ideóque Archiepiſcopus procedere debuerit, nõ obſtante morte alterius electi, quia, cùm nec cõpromittentes fuerint mortui, nec arbitri, ideo non exſpiravit compromiſſum; ita Hoſtienſ. hîc V. Partes; & V. Arbitrium. Sed contra eſt, quia Papa hîc expreſsè dicit: quòd arbitrium, ſive compromiſſum finitum ſit morte alterius electi: ergo ipſi electi fuerunt compromittentes, & ſic morte alterius exſpiravit compromiſſum. Abb. c. l.

Notandum 2. Etſi ſuper matrimonio carnali compromitti nequit, quod requirit majores Judices, nec compoſitionem admittit, poteſt tamen ſuper conjugio ſpirituali; ut patet ex hoc c. & dictum ſuprà n. 25. Et quamvìs compromiſſum in arbitros valeat in præjudicium partium compromittentium; non tamen valet in præjudicium Eccleſiæ, vel Superioris confirmantis, quò minùs de jure electionis, vel electi cognoſcere poſſit, an arbitri rectè judicârint. Abb. hîc not. 1.

XC. Notandum 3. Compromiſſum fieri poteſt in Judicem ordinarium, tanquam in arbitrum; ut patet ex hoc c. nam Archiepiſcopus Colonienſis fuit Ordinarius iſtorũ electorum, & tamen in ipſum compromiſſum fuit tanquam in arbitrum; ideóque, ut arbiter præfixit illis diem ad audiendam ſententiam. Abb. hîc not. 2. & dictum ſuprà n. 33. Et quamvìs poſt mortem unius ex electis compromittentibus, Archiepiſcopus non potuerit ampliùs cogno-

Digitized by Google

gnoſcere, ut arbiter; quia finitum erat compromiſſum; adeóque eſt poteſtas arbitri: tamen ut Judex ordinarius adhuc potuit, ac debuit cognoſcere de jure electi ſuperſtitis; ut mox dicetur.

Notandum 4. Defuncto uno ex duobus in diſcordia electis, non eſt procedendum ad novam electionem, priuſquam fuerit cognitum, & diſcuſſum jus coëlecti ſuperſtitis: quin imò ſecunda electio, facta poſt mortem coëlecti, lite pendente, eſt ipſo jure nulla. c. 1. Ut lite pendente &c. in 6. Abb. hîc n. 3. not. 6.

Notandum 5. Per mortem alterius ex compromittentibus exſpirat compromiſſum; etiamſi ante mortem illius in cauſa fuerit concluſum, ita, ut nihil ſupereſſet, niſi proferre ſententiam; & ab arbitris terminus præfixus ſit partibus ad audiendam ſententiam; ut apertè colligitur ex hoc c. & notat Abb. hîc n.2. not. 5.

XCI. Porrò ex eo, quòd, ſi ante latum arbitrium alter compromittentiũ moriatur, extinguitur compromiſſum; juxta cit.c. Ex parte; h.t. ſequitur, quòd » compromiſſum non extenditur, ſive obligatio ejus » non tranſit ad hæredes compromittentis, niſi de i» pſis cautum fuerit in compromiſſo; prout ſtatu» tum eſt in c.Compromiſſum; 14. & ult. h. t. Idémque habetur in l.Diem; 27.§.1. ff.eod. ubi dicitur: Si hæredis mentio, vel cæterorum facta in compromiſſo non fuerit, morte ſolvetur compromiſſum (etiam unius litigatoris: idémque eſt, ſi arbiter moriatur. Gloſſ. ibid. V. Morte;) & in l.Non diſtinguemus; 32. §. Sumã; ibi: *Compromiſſo ſoluto* ff. eod. Ratio hujus conſtitutionis infrà afferetur.

XCII. Notandum 1. Quamvìs ordinariè actio, & obligatio à defuncto contracta ex pactis, & contractibus tranſmittatur ad ipſius hæredes, etiamſi nulla eorum mentio facta ſit; l. Veteris; 13. C. de contrah.ſtipul. ſicut etiam in judicijs obligationes ad hæredes tranſeunt, etſi de ijs mentio non fiat. Auth. Principales; & ibi Gl. V. Migraverint; ff. de jurejur. propt.calumn. dand.l.Oratione; 7.in fin.ff.de ferijs.l. unic.C.Ex delictis defunctorũ &c. Aliud tamen eſt in compromiſſo, ex quo obligatio ad hæredes compromittentium non tranſmittitur, niſi id expreſsè in eo cautum ſit;ut conſtat ex hoc c. & juribus ſuprà allatis. Rationem diſparitatis aſſignat Gl. hîc V.Hæredes; quia compromiſſa ſtricti juris ſunt, ideóque non extendenda, niſi ad ea, de quibus in ijs cautum eſt. c. Cùm dilectus; 6. h.t. cit. l.Non diſtinguemus; §. De officio; ff.eod. nec ad alias perſonas. Verùm hæc ratio non convincit: nam alia etiam pacta, & conventiones, quamvìs ſtricti juris ſint, ad hæredes tranſeunt;quippe qui eadem perſona cum defuncto cenſetur. Vera igitur ratio eſt, quam tradit Abb.hîc n.4. quia à partibus in arbitros plerumque compromittitur ex ſingulari amicitiâ, & fiduciâ erga eos, qualem hæres non ſemper habet,ſed potiùs vult cauſam expediri per Judices viâ ordinariâ: & hæres quandoque non eſt ita notus arbitro, ſicut erat defunctus: ideóque,cùm arbitri aſſumi ſoleant ſub ſpecie amicitiæ, & confidentiæ perſonalis; non debet compromiſſum tranſire ad hæredem. Ob quam cauſam etiam compromiſſum ad ſucceſſores,ſeu hæredes arbitrorum non tranſit, nec perſonam arbitri egreditur, qui non poteſt alium ſuo loco ſubſtituere. cit. l.Non diſtinguemus; §. Quæſitum; & l. In compromiſſis; 45. ff.eod. quia cenſetur compromiſſũ factum ex ſpeciali fiduciâ erga hanc perſonam. Sicut ergo compromiſſum perſonale eſt, quoad arbitros compromiſſarios,nec ad hæredes eorum tranſit: ita etiam perſonale eſſe debet compromiſſum, quoad ipſos compromittentes,ita,ut ad hæredes eorum non tranſeat, niſi aliud exprimatur. Simile eſt in Executoribus teſtamentorum, quod officiũ etiam ſolet committi, ratione amicitiæ, & ſpecialis confidentiæ erga hanc, vel illam perſonam: ideóque etiam ad hæredes ipſorum non tranſit. Abb. c.l. Aliud eſt de judicio, quod ad hæredes, ſive ſucceſſores tranſit; quia Judex ordinarius non eligitur, ratione amicitiæ, & confidentiæ, ſed ex neceſſitate legis aditur, & præſumitur, quòd etiam ſucceſſor in officio juſtitiam adminiſtrabit. Abb. c.l.

XCIII. Notandum 2. Si ſententia, ſeu laudum arbitri latum ſit, ante mortem compromittentis, etſi executioni mandatum non ſit,tranſit tamen ad hæredem compromittentis, ita, ut adhuc contra illum executio ſententiæ fieri poſſit. l. Diem; 27. §. 1. l. Quamvìs; 37. ff.h.t. Durand. in ſpec. tit. de arbit. §. Differt; ubi ait: licèt compromiſſum non extendatur ad hæredes compromittentis, arbitrium tamen extenditur: nam, ſi lata fuit ſententia, ante mortem compromittentis, ceſſat ratio ſuprà allata, ob quam compromiſſum non tranſit ad hæredem ipſius, ſed ſi ſententia, ſeu laudum ſit latum, tunc exſpirat per mortem compromittentis. Abb.hîc n. 5. at verò, ſi ſententia, ſeu laudum arbitri ſit latum, ante mortem compromittentis, non exſpirat, quamvìs non ſit executioni mandatum, ſed ipſum compromiſſum tantùm. cit. l. Diem; §. 1. Idque inſinuat Gloſſ. in cit. c. Ex parte; V. Arbitrium; ubi per arbitrium intelligit compromiſſum, quia nimirum hoc exſpirat per mortem compromittentis: non autem ipſa ſententia, ſeu laudum arbitri extinguitur per mortem ejuſdem, ſi compromittens deceſſit, poſt latam ſententiam, ſeu laudum, quò minùs adhuc executioni mandari poſſit contra hæredem compromittentis. Abb. in cit. c. Ex parte; n.2. in fine.

Notandum 3. Etſi per mortem compromittentis, unâ cum compromiſſo, pereant ea, quæ pertinent ad ordinationem litis, ſeu ad inſtantiam judicij, ut citatio, litis conteſtatio, ſatisdatio, & ſimilia; non tamen exſpirant acta cauſæ in judicio, videlicet depoſitiones teſtium, confeſſiones partium, & ſimilia, quæ concernunt merita cauſæ, ſive ad cauſam inſtruendam pertinent: quia hæc fidem faciunt coram Judice ordinario. l. pen. in fine C. h. t. ſive compromiſſum exſpiret morte, ſive alio modo. Durand. c.l. Abb. hîc n.6. Sed neque effectus, ante latam ſententiam, ſeu laudum, jam productus exſpirat, unâ cum compromiſſo, ut, ſi præſcriptio fuerit interrupta coram arbitris per litis conteſtationem, vel alio legitimo modo. Abb. c.l.

XCIV. Notandum 4. Si in compromiſſo ſolùm expreſſum ſit, ut mortuo uno compromittentium, compromiſſum tranſeat ad hæredes illius, nihílque dictum ſit, ut altero mortuo, tranſiret etiam ad hæredes illius, tunc per mortem cujuſvis compromittentium exſpirabit compromiſſum, nec ad ullius partis hæredes tranſibit, quia ex utraque parte compromittentium debet fieri mentio hæredum, aliàs non tranſit ad hæredes. l. Sed & interpellatur; 49. §. fin.

fin. ff. h. t. Gloſſ. fin. in cit. c. ult. h. t. qoia compromiſſum claudicare non debet, ſed æqualitas ſeivari inier utramque patrem. Gloſſ. margin. in cit. l. 49. Nomine autem hæredis, de quo facta eſt mentio in compromiſſo, ut ad eum tranſeat, non tantùm unus, ſed etiam hæredis hæredes intelliguntur, quia appellatione hæredis omnes comprehendontur, qui alteri ſuccedunt in hæreditate. Abb. in cit. c. ult. n. 9. h. t.

Notandum 5. Si Prælatus, aut Rector Eccleſiæ compromiſit ſuper re, aut jure Eccleſiæ, de quo ipſe per ſe ſolus diſponere poteſt, alienando, tranſigendo, compromittendo, tunc per mortem ejus extinguitur compromiſſum, ſi arbitrium, ſeu laudum nondum latum ſit: quia Prælatus, aut Beneficiarius non poteſt de rebus Eccleſiæ ſolus diſponere, ultra tempus vitæ ſuæ, nec in perpetuum obligare Eccleſiam, vel ſoccesſores in Eccleſia. c. Veniens; 8. de tranſact. & dictum ibid. n. 18. Si verò ſuper rebus, aut juribus Eccleſiæ, de quibos ſolus Prælatus diſponendi facultatem non habet, compromiſſum factum eſt, cum requiſitis juris ſolemnitatibus, videlicet cum conſenſu Capituli, & Superiotis, &c. tum mortuo Prælato, non extinguitur comptomiſſum, ſed ad ſucceſſorem tranſit, ot eo ſtare teneatur; etſi de illo in compromiſſo mentio non ſit facta: quia tunc compromiſſum factum eſt, non nomine proprio Prælati, ſed Eccleſiæ, aut dignitatis, adeòque ipſe non fuit principalis compromittens, ſed miniſter tantùm Eccleſiæ comptomittentis, quæ mortuo Prælato ſuo, non moritur. Abb. in cit. c. ult. num. 12. h. t. & in c. Præſentata; 50. num. 1. de teſtib. Molin. tractat. 5. diſp. 43. n. 2. Quòd ſi compromiſſum factum ſit in aliquem, expteſſo nomine dignitatis tantùm, v. g. in Abbatem S. Galli, illo mortuo, non tranſit in ſucceſſorem, quia tametſi expreſſa ſit dignitas, videtur tamen compromiſſum factum, intuitu perſonæ, cùm plerumque fieri ſoleat in amicos; adeòque electa eſſe induſtria perſonæ, ob ſpecialem in eam fiduciam. Arg. c. ult. h. t. & tradit Imol. in cit. c. Præſentata; n. 7. de teſtib.

XCV. Aſſertio 5. Præter prædictos modos, finitur etiam compromiſſum per acceptilationem, judicium, pactum. l. Non diſtingoemus; 32. §. Summa rei; ff. h. t. Acceptilatione, ut, ſi oni compromittentium accepto ſit lata pœna, non cogitur arbiter dicere ſententiam, ſed compromiſſum exſpirat. l. Pomponios; 13. in princ. ff. h. t. cui ſtatur ſolùm metu pœnæ, quæ & alteri compromittenti videtur accepto lata. Gloſſ. ibidem V. Alteri. Judicio verò finitur, ſi unus compromittentiom ab arbitro receſſerit, & coram ordinario Jodice litem moverit, coram quo deinceps cauſa tractanda eſt, ita tamen, ut recedens pœnam compromiſſo adjectam ſolvere cogatur. l. Si quis rem; 30. ff. eod. tranſactione verò, vel pacto finitur compromiſſum, ſi circa negotium, de quo compromiſſum factum eſt, inter partes tranſactum ſit. cit. l. Non diſtinguemos; §. Item non eſt cogendus: vel, ſi partes inter ſe conveniant, ut à compromiſſo diſcedatur. Molin. c. l. n. 4. ſicut enim mutuo conſenſu compromittentium initur compromiſſum; ita & mutuo conſenſu diſſolvitur. Arg. l. 1. ff. de R. I. Item pœnæ commiſſione ſolvitur compromiſſum. cit. l. 32. §. Summa rei: nec ampliùs, quàm ſemel pœna committi poteſt, niſi actom ſit, ut ſæpius committi poſſit. l. Si duo; 34. in fine ff. h. t. ſi tamen adjecta ſit clauſola: *rato manente compromiſſo.* pœnâ commiſsâ, non ſolvitur compromiſſum; ut patet ex ſuprà dictis. Denique ſi res, de quibus arbitrium ferendum, intereant, exſpirat compromiſſum. cit. §. Item non cogendus. Molin. cit. diſ. 43. n. 4.

XCVI. Cæterùm, quæ hoc §. de arbitris dicta ſunt, locum etiam habent in arbitratoribus: quia generali appellatione arbitrorom, etiam Arbitratores comprehenduntur; ot conſtat ex l. Societatem; 76. §. Arbitrorum; ff. Pro ſocio: & jura, quæ faciunt mentionem de arbitris, etiam ad arbitratores referri debent, niſi ratio diverſitatis appareat, vel aliud jure expreſſum ſit; ot tradit Abb. in c. pen. n. 4. de offic. deleg. et c. ult. n. 8. h. t. Molin. c. l. n. 3. nam & Arbitratores eliguntur, ratione amicitiæ, & confidentiæ, & qoidem magis, quàm arbitri, imò & majorem poteſtatem habent, quàm arbitri; quia poſſunt jus unios adjudicare alteri, ſinè gravi præjudicio alterius, pro bono concordiæ. Abb. cit. loc. Verùm id intelligendom eſt de ijs Arbitratoribus, qui jus partibos dicunt: nam, ſi per Arbitratorem intelligatur is, qui jus partibus non prononciat, ſed amicabiliter tantùm eas componit, talis nomine arbitri non comprehenditor; ut habetur in l. Pomponios; 13. §. Recepiſſe; & ibi Bart. ff. h. t. ac proinde in talibos neqoe locum habebunt, quæ hic de arbitris dicta ſunt.

XCVII. Poſtremò Coronidis loco addendom, quòd contra laodum, ſeu ſententiam injuſtam arbitri tria remedia competunt. Primò, exceptio doli, ſi compromittens conventus actione ex ſtipulatu, ad pœnam promiſſam ſolvendam, opponat exceptionem doli mali. l. Ita demnm; 31. & l. ſeq. §. Cùm qoidam, ff. h. t. l. 3. C. eodem. Secundò, ſi compromittens ſit læſus ultra dimidium juſti pretij, poteſt intentare remedium l. 2. C. de reſcind. vendit. etiamſi laudum, & arbitramentum approbâſſet. Matant. de ordin. judic. p. 4. diſp. 14. n. 8. Mynſing. cent. 1. obſerv. 33. Weſenbec. in paratit. ff. h. t. in fine. quia enormis læſio inducit dolum præſumptum, & eſt dolos in re. l. Si quis; 36. ff. de Verb. obligat. l. Si ſuperſtite; 5. C. de dolo; & conſequenter non ſolùm exceptio doli datur, ſed etiam remedium, ſeo actio, per quam reſcindatur tale arbitrium tanquam injuſtum, & doloſum. Hiltrop. in proceſſ. judic. p. 1. tit. 9. num. 69. & 72. Tertio, ſi laudum contineat valde enormem læſionem, & manifeſtam, ac evidentem iniquitatem, admittitur etiam ab ea appellatio, etiamſi compromiſſum ſit juramento confirmatum. Gail. l. 1. obſerv. 150. n. 9. Hiltrop. cit. loc. n. 73. vel ſaltem reductio laudi ad arbitrium boni viri, quæ eſt quædam quaſi appellatio; ot dictum ſuprà num. 76. Atqoe hic finis eſto Libri I. Decretalium.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
OMNIUM QUÆSTIONUM, QUÆ IN TITULIS LIBRI I. DECRETALIUM CONTINENTUR PER MODUM BREVIS COMPENDII EORUM, QUÆ IN HOC I. TOMO PRÆCIPUÈ TRACTANTUR, CONFECTUS.

TITULUS I.
DE SUMMA TRINITATE, & Fide Catholicâ. *Paginâ* 11.

QUÆSTIO I. Quænam proponantur credenda? in c.1. h. t. n. 2. QUÆST. II. Quales errores damnentur circa Myſterium SS. Trinitatis? in c. 2. h. t. n. 7. QUÆST. III. Quales errores damnentur in c. unic. h. t. in 6. circa proceſſionem Spiritûs S. n. 11. QUÆST. IV. Quæ dogmata proponantur tenenda, & qui errores contra fidem reprobentur in Clement. fidei unic. h. t. n. 14. & 15.

SERIES CAPITULORUM, QUÆ IN hoc Titulo continentur, & explicantur.

Capit. 1. n. 2. & ſeqq. c. unic. in 6. n. 11. & ſeqq.
c. 2. n. 7. & ſeqq. Clem. unic. eod. n. 14. & 15.

TITULUS II.
DE CONSTITUTIONIBUS. *Paginâ* 14.

SECTIO I. *De Conſtitutionibus in genere, earúmque obligatione, & effectu. pag.* 14.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit Conſtitutio? pag.* 14.

ASSERTIO I. Conſtitutio vel generaliter, & latè ſumitur, vel ſtrictè. n. 1. ASSERT. II. Conſtitutiones aliæ ſunt Civiles; aliæ Canonicæ, ſive Eccleſiaſticæ. n. 2.

§. II. *De poteſtate condendi Leges, ſive Conſtitutiones. pag.* 15.

QUÆRITUR I. Quinam habeant poteſtatẽ condendi Leges, vel Conſtitutiones Eccleſiaſticas? Reſpondetur primò. Conſtitutiones Eccleſiaſticas poteſt condere inprimis S Pontifex, & alij Prælati obtinentes juriſdictionem Epiſcopalem. Secundò, Concilium generale. Tertiò, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Sede vacante, & alia Collegia inferiora Eccleſiarum pro ſuo modo. num. 4. 5. & 6. &c.

QUÆR. II. Quinam poſſint condere Leges Politicas, ſive Civiles? Reſpond. Inprimis S. Pontifex in terris ſuis; Imperator, Reges, & alij Duces, ac Magiſtratus, Superiorem non agnoſcentes. n. 10. Præterea Reſpublicæ Liberæ, quæ nullum Superiorem agnoſcunt, n. 11.

§. III. *Quouſque ſe extendat legislativa poteſtas humana? pag.* 16.

QUÆRITUR I. An poteſtas legislativa humana poſſit aliquid ſtatuere circa ea, quæ ſunt juris naturalis, Divini, aut gentium? Reſpondetur primò. Non poteſt contra jus naturale, vel Divinum. num. 12. &c. Secundò. Poteſt mutare, aut tollere ea, quæ ſunt juris naturalis non præceptivi, ſed permiſſivi ſolùm. num. 14. Tertiò. Non poteſt contra jus gentium præceptivum. n. 15. &c. QUÆR. II. Quis poſſit interpretari legem naturalem? Reſpondetur: Magiſtratus, ſive Eccleſiaſticus, ſive Secularis poteſt interpretari, & declarare legem naturalem. n. 17. QUÆR. III. An per Leges, vel Statuta poſſit alijs auferri jus ſuum, iiſque præjudicari? Reſpondetur primò. Non poteſt Princeps, vel Magiſtratus etiam ſupremus ſtatuere aliquid contra præjudicium aliorum, ſinè juſta cauſa. num. 18. Secundò. Ob publicam utilitatem, vel neceſſitatem poteſt. n. 19. &c.

§. IV. *Quomodo, & quando Leges, ſive Conſtitutiones humanæ obligent? pag.* 19.

QUÆRITUR I. An Leges, ſive Conſtitutiones humanæ obligent in foro conſcientiæ, & ſub peccato? Reſpondetur affirmativè. n. 24. &c. QUÆR. II. Quando Lex, ſeu Conſtitutio incipiat obligare? Reſpondetur primò, non obligare, priuſquam publicè eſt promulgata. n. 26. Secundò. Debet promulgari loco, & tempore præſcripto à Legislatore. n. 27. Tertiò. Si nullus locus, vel tempus ſit præſcriptum, Leges Cæſareæ obligant, poſt duos menſes. n. 28. &c. Quartò. Conſtitutiones Pontificiæ probabiliùs ſtatim poſt earum promulgationem. n. 31. &c. Quintò. Statuta, ſeu Leges inferiorũ Magiſtratuum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Secularium, etiam ſtatim poſt promulgationem earum. n. 35. QUÆR. III. Quando obligent Leges irritatoriæ contractuum, vel aliorum actuum? Reſpondetur: Si irritent contractum jure naturali, vel Divino validum, ſaltem ex æquitate; non obligant, priuſquam ſint promulgatæ in ſingulis provincijs, vel in notitiam communitatis venerint. n. 36.

§. V. *An obligent Leges, ſeu Conſtitutiones uſu non receptæ? pag.* 22.

QUÆRITUR I. An Leges, ſeu Conſtitutiones Canonicæ, poſt promulgationem ſtatim obligent ſubditos ad illas acceptandas? Reſp. Conſtitutiones Pontificiæ, ſeu Canonicæ ritè publicatæ ſtatim obligant ſubditos ad acceptandum. n. 37. &c. QUÆR. II. An Lex, ſive Conſtitutio Canonica tollatur per non uſum, vel deſuetudinem? Reſp. Si ex rationabili cauſa ab initio non fuerit recepta, tandem deſinit obligare. n. 39. &c. QUÆR. III. An etiam Leges Civiles obligent independenter ab acceptatione populi?

Reſpondetur 1. Supremus Princeps poteſt obligare ſubditos, etiam ante acceptationem populi. n. 44. &c. Secundò. Probabilius eſt, obligare independenter à conſenſu populi, niſi aliud exprimat. n. 45. &c.

§. VI. *An Leges, ſeu Conſtitutiones Canonicæ, vel Civiles obligent etiam ignorantes? pag. 25.*

Assertio I. Lex etiam rite promulgata, & poſt tempus, quo publicè innoteſcere potuit, non obligat ignorantes. n. 49. &c. Assert. II. Cenſuræ latæ ab Ordinarijs non ligant ignorantes, niſi ignorantia fuerit craſſa. n. 51. &c.

§. VII. *An Lex, vel Statutum obliget ſubditos extra territorium ſtatuentis exiſtentes? pag. 27.*

Assertio I. Leges, vel Statuta Magiſtratûs habentis territorium limitatum non obligant extra illud legem tranſgredientes. n. 55. &c. Assert. II. Nec obligant ſubditos in loco exempto intra territorium ſtatuentis exiſtentes. n. 58. Assert. III. Aliud eſt de præcepto Magiſtratûs, ſeu Superioris, quod obligat ſubditos etiam extra territorium exiſtentes. n. 59. &c.

§. VIII. *Quoſnam obligent Conſtitutiones Canonicæ, ſive Eccleſiaſticæ? pag. 28.*

Assertio I. Canonum ſtatuta ab omnibus ſunt obſervanda. n. 62. &c. Assert. II. Et ſecundùm Conſtitutiones Canonicas etiam in foro externo ſeculari eſt judicandum in materia ſpirituali, & Eccleſiaſtica. n. 69. &c.

§. IX. *Utrùm Leges Civiles, & Statuta Magiſtratûs ſecularis obligent perſonas Eccleſiaſticas? Pag. 30.*

Assertio I. Leges Civiles, quæ expreſsè de Eccleſiaſticis perſonis, vel rebus diſponunt, Clericos non obligant. n. 71. &c. Assert. II. Leges Civiles, quæ non repugnant SS. Canonibus, ſed latæ ſunt, ob publicam utilitatem Reipublicæ; in materia communi Clericis, etiam ab illis ſervandæ ſunt. num. 79. Et quidem probabilius eſt, Clericus ſolùm his legibus indirectè obligari. num. 80, &c.

Sectio II. *De Legibus, ſeu Conſtitutionibus reprobatis, & prohibitis Iure Canonico. pag. 35.*

§. I. *De Legibus, & Statutis Civilibus, quæ adverſantur immunitati Eccleſiaſticæ. Pag. 35.*

Assertio I. Statuta, & Leges Civiles, quæ directè, vel indirectè adverſantur immunitati Eccleſiarum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, earúmque rebus, ſunt injuſtæ, & irritæ. num. 82. &c. Assert. II. In ſpecie tales Leges ſunt: Primò, quæ feruntur de ſolvendis vectigalibus, & collectis, num. 84. Secundò, per quas fiunt tributaria prædia Eccleſiarum, & Clericorum. num. 85. Tertio, per quas gravantur migrantes de uno loco in alium. num. 86. Quartò, per quas ingredientes Religionem excluduntur ab hæreditatibus. num. 87. Quintò, per quas tempus minus ad præſcribendum decernitur, quàm Jure Canonico ſit præſcriptum. n. 88. Sextò, quæ reddunt perſonas ad contrahendum, vel teſtandum inhabiles. n. 89.

§. II. *An Lex Civilis, vel Statutum Principis, vel Magiſtratûs ſecularis prohibens, quovis modo alienari bona immobilia in Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas, ſit validum, & licitum? Pag. 37.*

Assertio I. Lex, vel Statutum Principis ſecularis prohibens, ne ſubditi alienent bona immobilia in Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, prohibetur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. n. 91. &c. Assert. II. Lex, vel Statutum, de non alienandis bonis immobilibus in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, non ſolùm eſt injuſtum, & illicitum, ſed etiam omnino invalidum. n. 94. uſq; ad 99.

§. III. *De aliis Conſtitutionibus reprobatis à Jure Canonico. pag. 41.*

Assertio I. Statutum, quod vergit in aliquorum comodum, & aliorum damnum æquale jus habentium, eſt injuſtum, & invalidum. n. 99. &c. Assert. II. Non valet Statutum, quod in cultus Divini diminutionem cedit. n. 102. Assert. III. Statuta Prælatorum condita contra Jus Canonicum, non valent. n. 103.

Sectio III. *De interpretatione, extenſione, & abrogatione Conſtitutionum, ſeu Statutorum. Pag 44.*

§. I. *De interpretatione Legis, vel Statuti. Pag. 44.*

Assertio I. Prima Regula eſt, in interpretatione Legum, non tam verba ſpectanda ſunt, quàm mens, & intentio Legiſlatoris. Secunda. Verba Legis interpretanda ſunt ſecundùm communem, & propriam ſignificationem. Tertia. Lex generalis generaliter eſt intelligenda, n. 104. Assert. II. Verba Statuti explicari debent, ut, quantùm fieri poteſt, ſalvâ eorũ propriâ ſignificatione, à Jure communi non recedatur. n. 105. &c. Assert. III. In Legibus, & Statutis ſubintelligi debet clauſula ſecundùm Jus commune, & ſtylum Curiæ, aut loci conſuetudinem, apponi ſolita. n. 107. uſque ad 111.

§. II. *De extenſione Legis, vel Statuti. pag. 47.*

Assertio I. Extenſio Legis impropriè dicta, ſive comprehenſiva fieri poteſt in lege favorabili, & odioſa, ſeu pœnali. n. 112. &c. Assert. II. Extenſio Legis propriè dicta, ſive merè extenſiva, nullam obligandi vim habet, extra judicium, & in foro conſcientiæ. n. 114. &c.

§. III. *An Lex, ſive Conſtitutio extendatur ad præterita? pag. 48.*

Assertio I. Lex, quæ novum jus condit, ad prætetita non extenditur. n. 117. Assert. II. Niſi expreſſum ſit, ut extendatur etiam ad præterita: ſi verò Lex dicat, ut ad futura tantùm extendatur; tum ea ad præterita extendi non poteſt: ſi verò abſolutè lata ſit; tum Lex novi juris conſtitutiva non extenditur ad præterita, quæ jam facta ſunt, ſi decernat de ipſo facto, vel forma faciendi; extenditur verò ad præterita nondum executioni mandata. num. 118. & duobus ſeqq. Assert. III. Lex interpretativa juris antiqui abſolutè lata

laſa etiam ad præterita eſt extendenda. num. 121. Assertio IV. Si lex actum jam irritatum anterioribus legibus irritet, non comprehendit actus præteritos: ſi de novo irritet actum validè factum, comprehendere poteſt etiam actus præteritos; niſi irritet actum, ut impediat, ne validus fiat. num. 122. &c.

§. IV. *An Statutum Superioris auctoritate confirmatum, poſſit à ſtatuentibus, ſinè ejuſdem conſenſu, tolli, & revocari?* *pag. 51.*

Assertio I. Statutum Inferiorum Magiſtratuum confirmatum à Superiore, confirmatione ſolùm accidentali, poteſt revocari ab eo, qui tulit. n. 126. Assertio II. Statutum eſſentialiter, & neceſſariò confirmatum, non poteſt revocari ab eo, qui tulit. n. 127. &c. Assertio III. Statutum confirmatum eſſentialiter, & neceſſariò, poteſt revocari à Papa, vel alio ſupremo Legiſlatore. n. 130. &c.

§. V. *An, & quâ ratione prior Conſtitutio tollatur per poſteriorem? pag. 53.*

Assertio I. Conſtitutio poſterior directè contraria priori eam tollit, etſi de ea mentionem non faciat. n. 132. &c. Assert. II. Princeps per generalem Conſtitutionem non cenſetur velle abrogare particularia ſtatuta, vel conſuetudines. num. 137. &c. Assert. III. Statuta municipalia ſecundùm Jus commune condita, abrogato jure communi per novam legem, etiam ipſa abrogata cenſentur. n. 139. &c.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis	c. 9. n. 107. & duobus ſeqq.
Cap. 1. n. 62. & 70.	c. 10. n. 71.
c. 2. n. 49. & 117.	c. 11. n. 105. & 106.
c. 3. n. 115.	c. 12. n. 102.
c. 4. n. 24.	c. 13. & ult. n. 117.
c. 5. n. 70.	In Sexto.
c. 6. n. 99. & 100.	c. 1. n. 132. 136. & 137.
c. 7. n. 77.	c. 2. in princ. n. 51. & 52. &
c. 8. n. 128. &c.	§. Statuto; eod. n. 55.

TITULUS III.

DE RESCRIPTIS.

Pag. 55.

Sectio I. *De Reſcriptis in genere, eorúmque diviſione, & impetratione. pag. 55.*

§. I. *Quid ſit Reſcriptum, & quotuplex?* *Pag. 55.*

Assertio I. Reſcriptum eſt reſponſum Principis ſupremi Eccleſiaſtici, vel ſecularis ſupplicanti, vel conſulenti in ſcripto datū. n. 1. & ſeq. Assert. II. Reſcripta alia ſunt generalia, alia ſpecialia. n. 3. Alia juſtitiæ, alia gratiæ. n. 4.

§. II. *Quinam impetrare poſſint Reſcriptum, qui non; & à quibus, contra quos, & in quibus rebus impetrari poſſit? pag. 57.*

Assertio I. Impetrare Reſcriptum quilibet poteſt, ſive actor, ſive reus, niſi ſpecialiter prohibeatur. n. 6. Assert. II. Excommunicatus nec impetrare poteſt Reſcriptum, nec impetratum eſt validum. n. 7. Extenſiones hujus doctrinæ ponuntur. n. 8. Limitationes. n. 9. & 10.

§. III. *An quis non tantùm pro ſe, ſed etiam pro alio impetrare poſſit Reſcriptum?* *pag. 59.*

Assertio I. Nemo poteſt Reſcripta juſtitiæ pro alio impetrare, ſinè ejus mandato. num. 11. &c. Assert. II. Reſcripta gratiæ etiam pro alio, ſinè ſpeciali ejus mandato poteſt, n. 14.

Sectio II. *De interpretatione Reſcriptorum.* *Pag. 60.*

§. I. *Quomodo interpretari oporteat Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites? pag. 60.*

Assertio I. Reſcripta juſtitiæ explicari debent ſecundùm Jus commune, ne illi derogent. n. 15. Assert. II. Strictè illa interpretari oportet. n. 17. &c. Assert. III. Et verba in ſtrictâ ſignificatione accipienda ſunt, n. 22. &c. Assert. IV. Reſcriptum juſtitiæ impetratum contra aliquem, cum clauſula generali: *& quoſdam alios.* non debet extendi ad ejus hæredem, re integrâ, n. 25. Assert. V. Reſcriptum ad lites ſimpliciter impetratum, vel etiam adjectâ clauſulâ: *& quibuſdam aliis.* non debet extendi ad cauſas poſt impetrationem reſcripti exortas. n. 26.

§. II. *Qualis interpretatio fieri debeat in Reſcriptis gratiæ, ſive ad beneficia? pag. 64.*

Assertio I. Reſcripta ad beneficia conferenda ſtrictè interpretari oportet. n. 27. &c. Assert. II. Reſcriptum ad beneficium vacaturum à Papa, non extenditur ad erectum de novo poſt Datam reſcripti, num. 31.

§. III. *De quibuſdam clauſulis Reſcriptorum.* *Pag. 66.*

Assertio I. Clauſula: *Si preces veritate nitantur.* etiam non expreſſa, ſubintelligi debet. n. 32. uſque ad 39. Assert. II. Altera Clauſula, quæ apponi ſolet, vel ſubintelligi debet, eſt: *Salvo jure alterius.* n. 39. Assert. III. Tertia clauſula: *Si impetrans beneficium ſit dignus.* n. 40. Assert. IV. Aliæ ſunt clauſulæ ſpeciales, quæ in Reſcriptis juſtitiæ, & gratiæ inſeri ſolent, veluti: *Si duo, vel tres exequi non poterunt, alter, vel plures reliqui nihilominus exequantur.* n. 41. Assert. V. Alia clauſula etiam apponi ſolita in reſcriptis ad beneficia eſt: *ſi pro alio non ſcripſimus.* quæ, etſi non expreſſa, ſubintelligi debet. n. 42. Assert. VI. Alia clauſula in reſcriptis ad beneficia eſt: *Niſi Eccleſia ſimili mandato ſit gravata.* n. 43.

Sectio III. *De forma Reſcriptorum.* *Pag. 69.*

§. I. *Quâ ratione ſervandus ſit ordo, & forma, ſeu modus præſcriptus in Reſcriptis? pag. 69.*

Assertio I. In Reſcriptis ordo verborum, ſeu ſcripturæ ſervandus eſt. n. 44. &c. Assert. II. Si forma mandati, ſeu modus procedendi, ſpectato jure communi, non requiratur; ſed à delegante de no-

vo ptæclpiatur; rum, eâ non ſervatâ, actus eſt irritus, n. 46. &c. Assert. III. Si in Reſcripto ex duobus, vel pluribus alternativè unum inquiri mandetur; tum ſufficit unum ex illis eſſe verum, & probari. n. 49. &c.

§. II. *An, & quando, duobus Reſcripiis impetratis, in eadem cauſa, in poſteriore mentio fieri debeat de priore? pag. 71.*

Ad formam, ſeu modum Reſcriptorum etiam pertioet, ut, ſi diverſæ litteræ juſtitiæ in eadem cauſa ad judices delegatos ſint impetratæ, io poſterioribus mentio fiat de prioribus; in qua tres norandæ ſunt regulæ. n. 51. 52. 53. 54. cum limitationibus poſitis, n. 55. & ſeqq.

§. III. *De quibus mentio fieri debeat in Reſcriptis beneficialibus? pag. 74.*

Assertio I. Reſcriptum juſtitiæ impetratum in forma commuoi Clericorum pauperum, ſi non fiat mentio proptij patrimonij, ad quod impetrans eſt ordinarus, eſt obreptitium, & irritum. num. 60. Assert. II. Etiam litteræ gratioſæ, quæ pro pauperibus Clericis emanant, ſunt irritæ; ſi in ijs non fiat mentio beneficij impetrati. num. 61. uſque ad 67.. Assert. III. Non tantùm de beneficio priùs obtento, ſed etiam de Reſcripro priùs impetrato à Sede Apoſtolica, debet fieri mentio ab impetrante; quamvìs eidem renunciârit. num. 67. &c. Assert. IV. Si quis, vi Reſcripti Papalis, receptus eſt io Canonicum ſiuè præbenda, ſed poſtea alias litteras impetret ad beneficium alterius Eccleſiæ, deber in illis mentiooem facere de receptione ſui in Canonicum in una Eccleſia. num. 70. Assert. V. Si beneficium abſenti, & ignoranti collatum ſit, iſque impertet aliud beneficium, nullâ priotis factâ mentinne; valida eſt impetratio; quamvìs utrumque retinere non poſſit, ſi ſint incompatibilia. num. 71. Assert. VI. Reſcriptum beneficiale impetratum contra Eccleſiæ alicujus ſtatutum, vel conſuetudinem, non valet, niſi ejus mentio fiat. num. 72. &c. Assert. VII. In impetratiooe beneficij exprimi debet, quòd impetrans ſit Clericus, n. 79.

§. IV. *De alijs quibuſdam, quæ exprimenda ſunt in impetratione Reſcripti, vel non. Pag. 80.*

Assertio I. In privilegio dato alicui Ordini Religioſo, ut conveniri non poſſit, mentio fieri debet de Ordine. n. 80. &c. Assert. II. In Reſcripto juſtitiæ impetrato ab excommunicato, debet fieri mentio excommunicationis; aliàs non valet. n. 82. Assert. III. In Reſcripto impetrato in cauſa communi Prælato, & Conventui, non neceſſariò debet fieri mentio Conventûs. n. 83. &c.

Sectio IV. *De ſubreptione Reſcriptorum, & aliis modis, quibus vitiantur Reſcripta. Pag. 82.*

§. I. *An ob ſubreptionem vitientur Reſcripta ipſo jure, ſeu facto, & ob quas cauſas fiant obreptitia? Pag. 82.*

Assertio I. Reſcripta gratiæ propter ſobreptionem ipſo jure ſunt irrita: Reſcripta verò juſtitiæ ordinariè per exceptionem irritari debent. num. 85. Assert. II. Reſcripta, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, fiunt obreptitia, vel ob tacitam veritatem, vel expreſſam falſitatem. n. 86.

§. II. *An, & quomodo Reſcripta fiant obreptitia, ſi per dolum ſint impetrata? pag. 83.*

Assertio I. Si in Reſcriptis juſtitiæ per dolum obreptio facta ſit, totum eſt irritum. num. 88. uſque ad 94. Assert. II. Multò magis Reſcripta ad beneficia fiunt obreptitia, ob doloſam expreſſionem falſi, vel ſuppreſſionem veri. n. 94. Assert. III. Obreprio doloſa reddit irritum Reſcriptum juſtitiæ, vel gratiæ, etiamſi non fuerit cauſa cooceſſionis Reſcripti. n. 95. Assert. IV. Si verò ſubreprio doloſa non fuit cauſa cnoceſſionis Reſcripti ad lites; omnino tamen impertinenter ſe habeat ad cauſam contentam in Reſcripto, non redditur irritum: idémque aſt in Reſctiptis gratiæ. n. 96.

§. III. *An, & quomodo ob ſubreptionem vitientur Reſcripta obtenta per ſimplicitatem, vel ignorantiam? pag. 86.*

Assertio I. Subreptio non doloſa, facta ex ſimplicitate, vel ignorantiâ etiam craſsâ, noo reddit irritũ Reſcriptum ad lites, ſi oon ſit cauſa conceſſionis. n. 98. cujus limitatiooes ponuntur. n. 100. & duobus ſeqq. Assert. II. Subreptio etiam ex ſimplicitate, vel ignorantiâ vitiat totum Reſcriptum, ſi ſit cauſa conceſſionis totius Reſcripri: idque locum etiam habet in Reſcriptis gratiæ, ſeu ad beneficia. n. 102.

§. IV. *An ob ſubreptionem, quæ contingit circa cauſam non finalem, ac principalem, ſed impulſivam tantùm, vitientur Reſcripta? pag. 88.*

Assertio I. Reſcriptum, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, non eſt obreptitium, niſi ſubreptio fiat circa cauſam finalem conceſſionis, & non impulſivam tantùm. n. 103. &c. Assert. II. Si veritas tacita, vel falſitas expreſſa merè extrinſecè, & per accidens, ac impertinenter ſe habeat ad rem poſtulatam; non vitiatur Reſcriptum, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ. o. 106.

§. V. *An vitiatâ unâ parte Reſcripti, ob ſubreptionem, vitientur etiam aliæ partes ejuſdem Reſcripti? Pag. 89.*

Assertio I. In Reſcripto juſtitiæ habente plures partes ſeparabiles, ſi ſubreptio contingat in cauſa finali utriuſque partis; totum eſt irritum: ſi verò ſubreptio contingat circa unam tantùm partem Reſcripti; tum vel per dolum, & totum reſcriptum reſcindi poteſt; vel per ſimplicitatem, & ignorantiam, & vitiatur quoad illã partem tantùm, cujus ſubreptio non doloſa cauſa fuit. n. 107. Assert. II. Reſcriptum quoque gratiæ quoad unam partem ſubreptitium, & irritum, ſecundùm alteram ſeparabilam validum eſſe poteſt. n. 108. Assert. III. Sed, etſi ſubreptio per dolum contingat circa unam tantùm partem, probabiliter illa tantùm pars vitiatur; ſi partes Reſcripti omnino ſuot ſeparatæ. num. 109.
Assert. IV. Si Reſcriptum, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ, ob ſubreptiooem etiam non doloſam, ſecundùm partem principalem ſit irritum, etiam ſecundùm partem acceſſoriam irritum eſt. n. 110.

§. VI. *An*

§. VI. *An motus proprius tollat vitium ſubreptionis in Reſcriptis? pag. 91.*

Assertio I. Si gratia motu proprio Principis, vel alterius Ordinarij conceſſa ſit, tollitur vitium obreptionis, ob tacitam veritatem; non autem ob expreſſionem falſi. n. 111. Assert. II. Motus proprius non tollit inhabilitatem perſonæ impetrantis gratiam. n. 112.

§. VII. *An, & quomodo propter errorem qualitatis adiectæ, vitientur, & obreptitia fiant Reſcripta? pag. 92.*

Assertio I. Reſcripta propter errorem qualitatis adjectæ per modum demonſtrationis non vitiantur; ſi de ſubſtantia rei conſtet. n. 113. limitatur n. 114. Assert. II. Si error fiat circa qualitatem adiectam per modum determinationis, vitiatur Reſcriptum; etſi error non ſit eius cauſa. n. 115. &c.

§. VIII. *De aliis modis, ſive cauſis, ob quas Reſcripta redduntur invalida, vel ſuſpecta de falſitate. pag. 94.*

Assertio I. Reſcriptum à Papa impetratum, continens manifeſtum errorem in conſtructione, invalidum eſt. n. 120. &c. Assert. II. Reſcriptum Apoſtolicum datum contra jus commune, de quo mentionem non facit, aut contra ſtylum Curiæ, ſuſpectum eſt de falſitate, & rejici debet. n. 123. Assert. III. Sunt & aliæ cauſæ, ob quas reſcriptum ob ſuſpicionem falſitatis rejici debet. n. 124. uſque ad 128.

Sectio V. *De uſu, & executione Reſcriptorum, eorumque abuſu. pag. 96.*

§. I. *Quibusnam perſonis committi poſſit, ac debeat executio Reſcriptorum Apoſtolicorum, & ubi eorum executio fieri debeat? pag. 96.*

Assertio I. Executio Reſcriptorum Apoſtolicorum non, niſi conſtitutis in dignitate Eccleſiaſtica, vel Canonicis Eccleſiarum Cathedralium committi poteſt. n. 128. &c. Assert. II. Etiam illis, qui dignitatem cum juriſdictione revocabilem habent, ut Vicario Epiſcopi, vel Capituli, committi poteſt. n. 131. & 132. Assert. III. Etiam Priori Conventuali, qui Conventui cum juriſdictione præeſt. n. 133. Assert. IV. Cauſæ delegatæ à Sede Apoſtolica in civitatibus, & locis inſignibus, ubi eſt peritorum copia, tractari debent. num. 134.

§. II. *In quo loco Reus per Reſcriptum impetratum contra illum conveniri debeat? pag. 98.*

Assertio I. Non poteſt quis de Jure antiquo per litteras Apoſtolicas citari ad judicium ultra duas diætas. n. 135. uſque ad 139. Assert. II. Si Actor, & Reus eiuſdem Diœceſis ſint, cauſæ inter illos non poſſunt committi extra Diœceſin. n. 139. Assert. III. Si Actor eiuſdem cum Reo Diœceſis ſit, ſed ſubditus alteri in alia Diœceſi; non poteſt Reus per litteras Apoſtolicas trahi extra Diœceſin, quia Actor eſt ſubjectus ei, qui in alia Diœceſi eſt. n. 140. Assert. IV. Judex à Papa delegatus non poteſt partes citare extra Diœceſin, ad quam eſt deputatus, ſine partium conſenſu. n. 141.

§. III. *De executione Reſcriptorum Sedis Apoſtolicæ vel Delegatorum eius facienda ab Epiſcopo, ſeu Ordinario loci, vel Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, Sede vacante. pag. 102.*

Quæritur I. An, & quomodo Ordinarius loci exequi debeat mandata contraria, quæ à diverſis delegatis Papæ accipit? Reſp. Si delegatus Papæ Ordinario mandet aliquid ad executionem cauſæ pertinens, debet illud Ordinarius exequi. &, quid ſit faciendum, ſi mandata ſint contraria? num. 142.

Quær. II. An, vacante Sede Epiſcopali, poſſit Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Reſcripta, ſeu mandata Sedis Apoſtolicæ exequi, tametſi eorum executio aliàs ad Epiſcopum propriè ſpectet? Quid tum faciendum ſit, explicatur n. 143. uſque ad 147.

§. IV. *De executione Reſcripti impetrati ad abſolvendum excommunicatum. pag. 104.*

Quid tunc obſervandum ſit, habetur n. 147. & 148.

§. V. *De aliis quibuſdam obſervandis circa executionem Reſcriptorum. pag. 104.*

Assertio I. Judex delegatus ad lites nullum munus à partibus accipere poteſt. num. 149.

Assert. II. Judex delegatus à Papa non poteſt aſſumere Aſſeſſorem, ſive Conſiliarium; niſi eo indigeat. n. 150. Assert. III. Quid olim conſuetum fuerit circa executionem Reſcriptorum beneficialium, refertur n. 151. 152. & 153. & quid hodie, n. 154. & 155.

§. VI. *De variis abuſibus, qui fieri poſſunt in uſu, & executione Reſcriptorum. pag. 107.*

Quær. I. Qualiter, ſive quibus modis fieri poſſint, aut ſoleant abuſus Reſcriptorum? Reſp. Varij ſunt modi abutendi Reſcriptis Apoſtolicis, de quibus n. 156. uſque ad 159. Quær. II. Quæ pœnæ Jure Canonico decretæ ſint in abutentes Reſcriptis Sedis Apoſtolicæ? Reſp. duæ, de quibus n. 159.

Sectio VI. *De derogatione, revocatione, & extinctione Reſcriptorum. pag. 108.*

§. I. *An per Reſcriptum ſpeciale derogetur Reſcripto generali? pag. 108.*

Assertio I. Per Reſcriptum ſpeciale continens aliquid contra, vel præter Jus commune, derogatur Reſcripto generali, etiam nullâ de eo factâ mentione. 160. Assert. II. Per Reſcriptum ſpeciale poſterius derogatur generali; etſi ultra Jus commune aliquid concedat, etiam de illo nullâ factâ mentione. n. 161. &c. Limitatur hæc doctrina. n. 163. & 164. Assert. III. Etiam Reſcripto juſtitiæ generali derogatur per alterum Reſcriptum ſpeciale. num. 165.

Assert. IV. Per Reſcriptum ſpeciale, ſeu privilegium latè ſumptum derogatur etiam Reſcripto, ſeu privilegio generali poſteriori. n. 166. uſque ad 169.

§. II. *Ex pluribus Reſcriptis beneficialibus, ſimul, vel ſucceſſivè impetratis, quodnam validum, & præferendum ſit, ac deroget alteri? pag. 111.*

I. Plura Reſcripta ad idem beneficium ſimul impetrata, nullâ factâ mentione de aliis, ſunt valida; n. 169. II. Quid juris ſit, ſi ſecundus impe-

trans beneficium in eadem Eccleſia, priùs litteras Apoſtolicas præſentavit, quàm primus impetrans. num. 170. III. Quis præferendus ſit, ſi quis primò impetravit beneficium ſub conditione, & ſecundus purè, ante eventum conditionis. n. 171. &c. IV. Quid juris ſit, ſi inter duos impetrantes beneficia non appareat de prioritate impetrationis? num. 173. V. Quis præferri debeat, ſi mandatum de providendo beneficio impetratum ab aliquo ſit revocatum, ſed poſtea ei reſtitutum; ſecundus verò impetret aliud Reſcriptum ad idem beneficium, ante reſtitutionem prioris impetrantis factam? n. 184. &c.

§. III. *Quomodo procedendum ſit, ſi ſuper eadem cauſa impetrentur plura diverſa Reſcripta ad diverſos Judices, & dubitetur, quodnam ex ijs alteri ſit præferendum? pag. 114.*

Assertio. I. Iu quæſtinne revocationis Reſcriptntum juſtitiæ ad diverſos Judices, ſi dubitetur, quæ litteræ prævaleant, recurrendum eſt ad arbitros, ſi Judices delegati non concordent. num. 176.

Assert. II. Si cauſa communi conſenſu plurium delegatorũ, qui in diverſis Reſcriptis dati ſunt, decidenda ſit; major pars delegatorum in quolibet Reſcripto conſentire debet. n. 177. uſque ad 181.

§. IV. *De revocatione Reſcriptorum. pag. 115.*

Quær. I. Quomodo revocentur Reſcripta? Reſp. revocantur expreſsè, vel tacitè. num. 181.

Quær. II. An Reſcriptum impetratum à Procuratore revocato à domino valeat, néene? adeóque cenſeatur ſubreptitium? Reſp. Reſcriptum impetratum à Procuratore revocato à domino, extra judicium, non valet, ſi Procurator ſcivit revocationem: valet, ſi in judicio ſit impetratum, & revocatio ad notitiam adverſarij, vel judicis non pervenit. n. 182. &c.

§. V. *An Reſcripta extinguantur, ſeu exſpirent per mortem concedentis? pag. 117.*

Assertio I. Reſcriptum gratiæ impetratum cum clauſula, ad beneplacitum Principis, per mortem concedentis exſpirat. n. 184. &c. Assert. II. Non autem exſpirat per mortem concedentis conceſſum uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, vel alterius in dignitate conſtituti. n. 187. &c.

SERIES CAPITVLORVM.

C. 1. n. 160. & 161.
c. 2. n. 32. 33. & 50.
c. 3. n. 51. & tribus ſeqq.
c. 4. n. 49.
c. 5. n. 125.
c. 6. n. 80.
c. 7. n. 144. & 145.
c. 8. n. 64.
c. 9. n. 56.
c. 10. n. 124.
c. 11. n. 120. & duob. ſeqq.
c. 12. n. 59.
c. 13. n. 41.
c. 14. in princ. n. 176. & 177. &
§. Quoniam. n. 165.
c. 15. n. 17.
§. Nec ſuper, n. 19. & 20.
c. 16. n. 90. & duob⁹ ſeqq.
c. 17. n. 79.
c. 18. n. 15. & 16. (ſeqq.
c. 19. n. 72. & quinque
c. 20. n. 87. 88. & 98.
c. 21. n. 83.
c. 22. n. 46. & 47.
c. 23. n. 57. & 58.
c. 24. n. 142.
c. 25. n. 35. & trib⁹ ſeqq.
c. 26. n. 82.
c. 27. n. 61.
c. 28. in princ. n. 135. &
§. Sunt & alij. n. 11. 12. & 13.
c. 29. n. 178.
c. 30. n. 153.
c. 31. n. 67.
c. 32. n. 70.
c. 33. n. 182. & 183.
c. 34. n. 114.
c. 35. n. 22. & 24.
c. 36. n. 25.
c. 37. n. 152.
c. 38. n. 42.
c. 39. n. 43.
c. 40. n. 146.
c. 41. n. 147.
c. 42. n. 63.
c. 43. & ult, n. 26. 156. & tribus ſeqq.

In Sexto.

c. 1. n. 7.
c. 2. n. 17. & 18.
c. 3. n. 157. & duob. ſeqq.
c. 4. n. 78.
c. 5. n. 184. 187. & 190.
c. 6. n. 28. 29. & 116.
c. 7. n. 71.
c. 8. n. 174. & 175.
c. 9. n. 108.
c. 10. n. 167.
c. 11. in princ. n. 128. & 129.
§. Cùm verò, &
§. Cùm autem. n. 139.
§. In nullo quoque, n. 141.
§. Inſuper. & §. Si quid autem, n. 149.
§. Aſſeſſorem. §. Notarium. §. Si quid autem. §. Pro ferendo. & §. ult. n. 150.
c. 12. n. 170.
c. 13. n. 711. & duobus (ſeqq.
c. 14. n. 173.
c. 15. & ult. n. 181.

In Clementinis.

Clem. 1. n. 140.
Clem. 2. n. 133. & duobus ſeqq.
Clem. 3. n. 155.
Clem. 4. n. 68.
Clem. 5. & ult. n. 31.

TITVLVS IV.

DE CONSUETUDINE.

pag. 118.

Sectio I. *De Conſuetudine, & requiſitis ad eam inducendam. pag. 119.*

§. I. *Quid, & quotuplex ſit Conſuetudo? pag. 119.*

Quær I. Quid ſit conſuetudo? Reſp. dupliciter accipitur. Primò, pro Conſuetudine facti. Secundò, pro ipſo jure conſuetudinis. num. 1. & quomodo à traditione, & ſtylo Curiæ, & more differat? n. 2. 3. & 4. Quær. II. Quotuplex ſit Conſuetudo? Reſp. primò dividitur in generaliſſimam, generalem, ſpecialem, & ſpecialiſſimam, n. 5. Secundò in eam, quæ eſt ſecundùm, præter, vel contra jus, ſeu legem. n. 6. Tertiò, in Canonicam, & civilem. n. 7.

§. II. *Penes quos ſit poteſtas introducendi Conſuetudinem? pag. 121.*

Assertio I. Sola Communitas perfecta, habens poteſtatem condendi leges, vel quæ huius poteſtatis imponendæ eſt capax, poteſt inducere jus conſuetudinis. n. 8. Assert. II. Talis communitas verò libera eſt, quæ nullum ſuperiorem in temporalibus agnoſcit. n. 9. &c. Assert. III. non autem comunitas non libera, n. 11. Assert. IV. Ad inducendum jus conſuetudinis requiritur, ut à toto populo, vel ſaltem majore eius parte ſit obſervata. n. 12. &c.

§. III. *Qualis conſenſus, ſive populi, ſive Principis, neceſſarius ſit ad inducendam conſuetudinem? pag. 122.*

Assertio I. Ad inducendam Conſuetudinem

nem abrogatoriam legis non requiritur perſonalis, ſed ſufficit generalis, ſive legalis conſenſus Principis. n.16. Aſſert. II. Ad inducendam conſuetudinem novi juris conſtitutivam requiritur ſcientia, & perſonalis conſenſus Principis, vel probabilier ſufficit etiam conſenſus generalis. n.17.& 18. Aſſert. III. Ad conſuetudinem ſive abrogatoriam legis, ſive conſtitutoriam novi juris, ſine præſcriptione, requiritur ſpecialis ſcientia, & conſenſus particularis Principis. num.19.

§. IV. *Quot, & qualibus actibus introducatur conſuetudo? pag. 124.*

Assertio I. Ad jus conſuetudinis inducendum reqnirirnr actuum frequentia. num. 20. &c.

Aſſert. II. Actus, per quos inducitur conſuetndo, debent eſſe publici, & notorij ipſo facto. n.22.& 23.

Aſſert. III. Et voluntarij. n.24.&c. Aſſert. IV. ac debenr eſſe actus frequentati à populo, quaſi ex obligarione. n.28.

§. V. *Quomodo debeat conſuetudo eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta? pag. 127.*

Quæritur I. Quæ ſit conſuetndo tationabilis? Reſp. generatim illa, quæ eſt ralis, ut juſta cenſeretur, ſi per leges ſtatuta eſſet. n. 29. &c. Quæt. II. Qno ſenſu conſuetudo non abroget legem, niſi ſit rationabilis, & legirimè præſcripta? n. 32.

§. VI. *De Conditionibus requiſitis ad legitimam præſcriptionem conſuetudinis. pag. 128.*

Quæritur I. Quantum temporis requiratur, ut conſuerudo introducatur præter legem, vel, ut per illam præſcribatur contra legem? Reſp. Ad inducendam præter, vel contra legom, viâ conniventiæ, non roquirirur certum rempus à lege præſcriptum. n.34. Reſp. ſecundò, ad conſuerudinem præter, vel etiam contra legem civilem inducendam, imò eriam Canonicam, ſi per illam non derogetnr juti alterius Eccleſiæ, ſufficit decennium. num. 35. & 36. &c.

Reſp. tertiò, contra legē Canonicam uſu receptam nonniſi 40. annis, viâ præſcriptionis inducitur conſnetudo, ignorante Principe. n.38. quamvìs probabile ſit, etiam ſufficere tempus 10. annorum. n.39.

Reſp. quattò, quòd, ſi lex prohibeat conſuetudinem induci, requiritur tempus 40. annorum cum titulo; vel ſine illo, rempus immemoriale. num.40. Reſp. quintò, requiritur etiam ad inducendam conſuetudinem præter, vel contra legem, viâ præſcriptionis; ut non ſit interrnpta. n.41.&c. Quær. II. An ad Inducendam conſuetudinem, præter, vel contra legem neceſſaria ſit eriam bona fides? Aliqui negant, requiri bonam fidem: ſed probabiliùs omnino eſt neceſſaria ad inducendam conſnetudinem præter, vel contta legem, viâ præſcriprionis. n.43.& 44.

§. VII. *De interpretatione, & extenſione Conſuetudinis. pag. 131.*

Quæritur I. Quomodo, ſi lex ambignum ſenſum habeat, eius interpretatio fieri debeat, ſecundùm Conſuetudinem loci, eriamſi ea contraria ſit juri communi? Reſp. In dubio interpretatio fieri deber, ſecundùm conſuetudinem loci communiter receptam. n.46. & 47. &c. Quær. II. An conſnetndo extendatur ab uno caſu ad alium, vel ab uno loco ad alium locum; vel etiam à perſonis ad perſonas? Reſp. Conſuetudo, quæ eſt præter, vel contra jus, ordinarie non extenditur. n.51. 52. & ſeqq.

§. VIII. *De abrogatione legis per contrariam Conſuetudinem? pag. 134.*

Quæritur I. An Conſuetudo poſſit abrogare legem naturalem, vel Divinā, vel juris gentium? Reſp. Jus naturale, vel Divinum, vel etiam jus gentium per conſuetudinem etiam immemorialem abrogari non poteſt, vel ei derogari. n. 57. Quær. II. An per conſuetudinem poſſit aboleri, & tolli omnis lex humana? Reſp. Poteſt Conſuetudo omnem legem, poſitivam abrogare. n.58. &c. etiam leges pœnales. num. 62. & leges irritantes actus. num. 63. & leges verſantes circa Sacramentalia. num. 64.

Quær. III. An conſuerndo ſaltem immemorialis abrogare poſſit legem, quæ inſertam habet clauſulam generalem derogaroriam: *non obſtante qualibet conſuetudine contraria?* Reſpond. primò, lex revocatoria conſuetndinis, non obſtante clauſulâ generali abrogatoriâ, tolli poteſt. num.65. Reſp. ſecundò, quòd, ſi etiam prohibeat conſuetudinem futuram, non cenſetur comprohendi conſuetudo immemorialis. n. 66.&c. Reſp. tertiò, ſi conſuetudo ſit per legem penitus reprobata tanquam irrationabilis, non poreſt per conſuetudinem etiam immemorialem abrogari lex, niſi mutatis circumſtantiis in obiecto. n. 68. uſque ad 73.

Sectio II. *De nonnullis Conſuetudinibus in ſpecie. pag. 140.*

§. I. *De quibuſdam Conſuetudinibus validis, & in ſpecie à Iure Canonico approbatis. pag. 140.*

Assertio I. Poteſt conſuetudine introduci, ut etiam poſſeſſio rei in alium transferatnr. n.73. &c.

Aſſert. II. Valet conſuetudo, quòd Epiſcopus poſſit corrigere delicta ſnbditorum, ſine conſilio Capituli. n. 75. & 76. Aſſert. III. Valet conſuetudo, ut antiquiores Canonici ſibi optent præbendas meliores. n.77. uſqne ad 85.

§. II. *De pluribus Conſuetudinibus invalidis, & à Iure Canonico ſpecialiter prohibitis, ac reprobatis. pag. 143.*

Assertio I. Conſuetudines, quæ per ſe, ac directè gravamen inferunt Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, ſunt irritæ. n.85. Aſſert. II. Similiter cōſuetudo eriam immemorialis, vi cuius à ſecularibus Magiſtratibns imponuntur contributiones, & vectigalia Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, eſt damnata à Jure Cauonico. n. 86. Aſſert. III. Non valer conſuetudo, ut ex jndicio ſecularium feratur ſententia in cauſis Eccleſiaſticis. n.87.& 88. Aſſert. IV. Non valer conſuetudo etiam immemorialis, ut Clerici, eriam Presbyteri, exerceanr ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. n.89.& 90. Aſſert. V. Conſuetudo, per quam Eccleſiaſtica diſciplina diſſolvitur, irrita eſt. n. 91. Aſſert. VI. Non valet conſuetudo, ut Prælatus immediatè ſubiectus Papæ ad aliam Eccleſiam rtanſear, ſine licentia Papæ, vel Legari eius. n.92.&c. Aſſert. VII. Prnhibitum eſt quoque, ne Capitulum, abſque conſenſu Epiſcopi, Immutet antiqna Eccleſiæ ſtatuta, vel conſuetudines approbatas. num. 94. Aſſert. VIII. Non valet con-

Digitized by Google

conſuetudo, per quam homines inducuntur ad peccandum, vel bona ſua diſſipanda. nnm. 95. & 96. Assert. IX. Non valet conſuetudo etiam immemorialis, ut quis in eadem Eccleſia habeat duas dignitates, vel duo officia, aut dignitates, & officium, unâ cum Canonicatu, ſinè diſpenſatione Papæ. num. 97. Assert. X. Conſuetudo irrationabilis eſt, etiam immemorialis, ut à Vicario Generali Epiſcopi appelletur ad ipſum Epiſcopum. n. 98. Assert. XI. Conſuetudo impediens, ne Legati Sedis Apoſtolicæ recipiantur, non valet. n. 99.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	c. 9. n. 94.
c. 1. n. 85.	c. 10. & ult. n. 29. 57. & 95.
c. 2. n. 73.	In Sexto.
c. 3. n. 87.	c. 1. n. 97.
c. 4. n. 89.	c. 2. n. 98.
c. 5. n. 91.	c. 3. n. 75.
c. 6. n. 53. & 54.	c. 4. & nlt. n. 77. & duobus ſeqq.
c. 7. n. 92.	In Extravagantibus.
c. 8. n. 46. & duobus ſeqq.	Extr. unic. n. 99.

TITULUS V.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Pag. 150.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit Poſtulatio, & quomodo ab electione differat? pag.* 150.

Assertio I. Poſtulatio ſtrictè accepta eſt petitio à Superiore, ut habens impedimentum Canonicum diſpenſativè admittatur ad Prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam. n. 1. Aſſert. II. Diſtinguitur præcipuè ab electione, quòd hæc innitatur juti, illa gratiæ. num. 2. Aſſert. III. Duplex eſt poſtulatio; ſolemnis, & non ſolemnis, ſive ſimplex. num. 3.

§. II. *De his, qui poſtulari poſſunt, vel non poſſunt. Pag.* 151.

Quæritur I. Quinam poſtulari poſſunt, vel non poſſunt? Reſpondetur primò. Illi tantùm ſolemniter poſtulari poſſunt, qui ob impedimentum Canonicum eligi non poſſunt. n. 4. Reſpondetur ſecundò. Neceſſe tamen eſt, ut poſtulatus ſit ineligibilis, ſeu inhabilis propter defectum diſpenſabilem, in quo Superior poſſit, ac ſoleat diſpenſare. n. 5. &c. Sed & illi, qui 27. annum non attigerunt, ad Eccleſias Cathedrales; & Religioſi Profeſſi Mendicantes ad Eccleſias Cathedrales, & ad Monaſteria, extra ſuos Ordines, poſtulari prohibentur. n. 8. Quær. II. An Epiſcopus ad alium Epiſcopatum poſſit eligi, vel an poſtulari debeat? Reſpondetur: Epiſcopus poſtulandus eſt ad alium Epiſcopatum. num. 9. & 10. Quær. III. Utrùm Cardinalis Eccleſiæ Romanæ ad Epiſcopatum eligi poſſit, an verò poſtulari debeat? Reſpondetur: Cardinalis non Epiſcopus, non debet poſtulari ſolemniter, ſed eligi ad Epiſcopatum. num. 11. &c. Quær. IV. An alii Prælati Epiſcopo inferiores eligi poſſint, an verò poſtulari debeant? Reſpondetur: Prælati inferiores Epiſcopo ad Epiſcopatum non debent poſtulari ſolemniter, ſed eligi poſſunt. n. 13.

§. III. *De Superiore, à quo fieri debet poſtulatio. Pag.* 155.

Quæritur I. Cujus ſit, poſtulationem admittere, ſive, à quo Superiore poſtulatio fieri debeat? Reſpondetur: Poſtulatio fieri debet ab eo Superiore, qui confirmare poteſt. n. 14. Quær. II. An Superior poſſit poſtulationem ſibi præſentatam rejicere, ſive non admittere? Reſpondetur: Superior poteſt poſtulationem rejicere. n. 15. & 16.

§. IV. *De iis, qui habent jus, ſive poteſtatem poſtulandi. pag.* 156.

Quæritur I. Quinam poſtulare poſſint? Reſpondetur: Omnes, qui eligere, etiam poſtulare poſſunt. n. 17. Quær. II. Quot ſuffragia poſtulantium requirantur, ut à Superiore poſtulatio ſit admittenda? Reſpondetur: Si poſtulatio ſola fiat, ſufficit, ut ſit facta à majore parte Capituli: ſi verò concurrat cum electione, debet fieri à duabus partibus Capituli. Si denique major pars poſtulârit, minor alium elegerit; in arbitrio Superioris eſt, utram velit admittere, an utramque rejicere. num. 18.; Poſtulatio verò facta à minore, quàm tertia parte Capituli, non eſt admittenda. n. 19. Quær. III. An poſtulantes variare poſſint, ſeu recedere à poſtulatione? Reſpondetur: Poſt præſentationem poſtulationis factam, non poſſunt ab illa recedere; antè verò poſſunt. n. 20. uſque ad 27.

§. V. *De pœna poſtulantium indignum. pag.* 159.

Assertio I. Qui ſcienter poſtulant indignum, pro ea vice privati ſunt poteſtate poſtulandi, & eligendi. n. 27. Aſſert. II. Idem de ijs, qui poſtulationem indigni à Superiore ob vitium perſonæ reprobatam repetunt. n. 28. Et hoc caſu poteſtas eligendi, & poſtulandi, ad alios, qui repetitæ poſtulationi indigni contradixerunt, etſi numero pauciores, devolvitur. n. 29.

§. VI. *De forma poſtulationis ejúſque effectu. Pag.* 161.

Quæritur I. An forma eligendi per ſcrutinium etiam obſervanda ſit in poſtulatione ſolemni? Reſpondetur: Id non eſſe abſolutè neceſſarium. num. 31. Quær. II. Quænam formæ poſtulandi Jure Canonico ſpecialiter ſint prohibitæ, & reprobatæ? Reſpondetur: Eæ, quæ recenſentur in c. un. h. t. in 6. num. 32. uſque ad 38. Quær. III. Quis ſit effectus poſtulationis? Reſpondetur: Effectus poſtulationis ſolemnis eſt, ut admiſſa à Superiore idem jus tribuat, quod electio confirmata. num. 38. Effectus verò poſtulationis ſimplicis, ut obtentâ licentiâ Superioris, ſic poſtulatus poſſit eligi. num. 39.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis	c. 6. & ult. n. 9. & 10.
c. 1. n. 6. 7. & 27.	In Sexto.
c. 2. n. 28. & 29.	c. unic. n. 32. uſque ad 38.
c. 3. n. 12. & 19.	Extravagans unic. inter communes. n. 8.
c. 4. n. 20. & duobus ſeqq.	
c. 5. n. 15. & 16.	

TITU.

TITVLVS VI.
DE ELECTIONE, ET ELECTI poteſtate. *pag.* 164.

SECTIO I. *De Electione in genere, & Electoribus. pag.* 164.

§. I. *Quid ſit Electio, & quomodo ab aliis modis providendi Eccleſiæ differat? pag.* 164.

QUÆRITUR I. Quot modis accipiatur Electio, & quid ſit? Reſp. electio, ſtrictè, & propriè ſumpta, eſt perſonæ idoneæ ad Prælaturam Eccleſiæ vacantis per eos, qui jus eligendi habent, canonica Vocatio. n.1. Q. II. Quomodo in ſpecie Electio differat à libera collatione, præſentatione, & nominatione? Reſp. à libera collatione differt electio, quia per hanc non jus in re, ſed tantùm ad rem tribuitur. n. 2. à præſentatione, quia per electionem plus juris confertur. n. 3. à nominatione verò, quia per hanc non confertur jus aliquod nominato, ſicut per electionem. n.4.

§. II. *De iis, qui eligendi poteſtatem habent. pag.* 165.

Ad quos ſecundùm antiquos Canones pertinuerit electio, traditur. num. 5. & 6. QUÆRITUR I. Quibus jus, ſeu poteſtas eligendi Epiſcopos, vel alios hujuſmodi Prælatos Eccleſiaſticos, jure communi, & ordinario competat? Reſp. ſpectat ad Congregationem, ſeu Collegium Eccleſiaſticum. num. 8. Q. II. Quid hîc intelligatur nomine Collegij Eccleſiaſtici? R. ſoli illi Clerici, qui ut membra faciunt unum corpus Eccleſiaſticum, cuius Caput eſt Prælatus à Collegio eligendus. n. 9. Quot perſonæ requirantur ad conſtituendum Collegium? n.10.11. & 12. Q. III. An omnes, qui ſunt è Collegio Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, jus eligendi Epiſcopum, vel Prælatum habeant? R. ij ſolùm, qui in ſacris ſunt conſtituti. n.13.

§. III. *An poteſtas eligendi aliis quoque Clericis, qui è Collegio non ſunt, vel etiam laicis competere poſſit, vel ijs, qui ſolùm ſunt in poſſeſſione juris eligendi? pag.* 170.

QUÆRITUR. I. An jus eligendi Prælatum, vi privilegij, conſuetudinis, vel pacti, etiam aliis extraneis, qui è Collegio, ſeu Capitulo non ſunt, competere poſſit? R. ex privilegio Papæ etiam aliis, qui non ſunt de Collegio, jus eligendi concedi poteſt. n. 14. Q. II. An jus eligendi Epiſcopos, vel Prælatos etiam laicis competere poſſit? Reſp. 1. Non poteſt. num. 15. nec quidem patrono Eccleſiæ. num. 16. Reſp. 2. Neque etiam per conſuetudinem immemorialem competere poteſt laicis. num. 17. 18. & 16. Q. III. An poteſtas eligendi competat, non ſolùm ei, qui habet jus, ſeu proprietatem, ac quaſi dominium beneficij, v. g. Canonicatus, ſed etiam ei, qui ſolùm eſt in poſſeſſione juris eligendi, & cuiuſnam in concurſu electio præferenda ſit? Reſp. primò, electio facta ab eo, qui eſt in poſſeſſione juris eligendi, cum bonâ fide, eſt valida. num. 20. Reſp. ſecundò, ſi de poſſeſſione conſtet, poſſeſſor bonæ fidei præferendus eſt allegantı jus eligendi ad ſe pertinere: in dubio verò uterque admitti poteſt, factâ proteſtatione. n. 21. Idémque locum habet in præſentatione. n. 22.

§. IV. *An, ſicut electio Epiſcopi, ita etiam electio, ſive inſtitutio Canonicorum, in Eccleſiis Cathedralibus pertineat ad Capitulum? pag.* 174.

ASSERTIO I. De jure communi electio, ſive creatio Canonicorum in Eccleſiis Cathedralibus pertinet ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum. n. 23. Aſs. II. Ex recepta conſuetudine, poteſt ad ſolum Capitulum pertinere. n. 24. &c.

§. V. *De ijs, qui prohibentur eligere Epiſcopos, alióſque Prælatos Eccleſiaſticos. pag.* 175.

QUÆRITUR I. Quinam naturâ prohibeantur eligere? Reſp. impuberes. num. 26. Q. II. Quinam prohibeantur eligere lege Eccleſiaſticâ, ſive Jure Canonico? Reſp. 1. Ligati excommunicatione majore. num. 27. & electio facta ab ijs, qui ſcienter excommunicatum admiſerunt, eſt invalida. n. 29. Reſp. 2. Suſpenſi ab officio, & beneficio, vel etiam ab officio tantùm. num. 30. Reſp. 3. Et perſonaliter interdicti. num. 31. Q. III. An per conſuetudinem poſſint aliqui excludi à jure eligendi, eóque privari? Reſp. affirmativè. n. 32.

§. VI. *De pœnis illegitimè, & contra Iuris prohibitionem eligentium. pag.* 177.

QUÆRITUR I. Quæ ſint pœnæ Clericorum admittentium ſeculares ad electionem? Reſp. Conſentiens electioni de ſe factæ, per abuſum ſecularis poteſtatis, fit ineligibilis ad dignitatem, & electio eſt nulla: eligentes autem à beneficiis per triennium ſuſpenduntur, & tunc ſunt privati eligendi poteſtate. n. 33. uſque ad 41. Q. II. Quæ ſint pœnæ eligentium contra formam Jure Canonico præſcriptam, vel perſonam indignam? Reſp. primò, qui non canonicè elegerunt, pro ea vice privantur poteſtate eligendi. n. 41. Reſp. ſecundò, qui indignum; eligendi poteſtate ſunt privati pro ea vice, & ſuſpenſi ab Eccleſiaſticis beneficiis per triennium. n.42. &c. Inſuper eligens ſcienter indignum, durante ſuſpenſione, ad dignitatem Eccleſiaſticam promoveri non poteſt. n.45. &c.

§. VII. *Ad quos pertineat poteſtas eligendi, quando Capitulares elegerunt indignum? pag.* 182.

QUÆRITUR I. Penes quos ſit jus eligendi, quando aliqui tantùm Capitulares, vel etiam, quando omnes ſcienter elegerunt indignum? Reſp. primò, ſi ſcienter elegerunt indignum, devolvitur ad alios Capitulares, etſi pauciores, qui in electionem indigni non conſenſerunt. n.47. Reſp. ſecundò, ſi omnes elegerunt ſcienter indignum, devolvitur jus eligendi ad Superiorem. num. 48. Reſp. tertiò, ſi non

ſi non omnes Capitulares in prima electiooc deliquerunt; attamen reliqui innocentes, ad quos devolutio poteſtatis eligendi facta eſt, poſtea in altera electione delinquant, ſcienter indignum eligendo; tum jus eligendi non ad priores delinquenres, ſed ad Superiorem, cuius eſt, electum confirmare, pro ea vice, devolvitur. n. 49. Quid requiratur, ur hæc pœna incurratur à ſcienter eligentibus indiguuin. num. 50. Eadem pœna haber locum in eligentibus contra formam Canonicam. n. cir. Q. II. An Capitulares, ad quos, propter delictum aliorum eligentium indignum, rota eligendi poteſtas pro ea vice devoluta eſt, poſſint, ſi velint, privatos admittere ad novam Prælari electionem? Reſp. affirmativè. nnm. 51. uſque ad 55. Q. III. An, quando aliqui Capitularium dignum, alij indignum elegerunt, & inter hos quidain ſcienter, quidam ignorauter, electio digni, etſi facta à maiore parte ſuffragantiuio, valeat, & promulgari poſſit? Reſp. Si eligentes dignuin ſint plures, quàm qui ignoraoter elegeronr indignum, electio digni eſt valida: ſi pauciores, etiam electio digni non valet. n. 55. Q. IV. An, quando una pars Capituli ſcienter eligit indignum, clectio digni facta ab altera parte, quamvìs numero minore, valeat, & promulgari poſſit? Reſp. affirmativè. num. 56. & 57.

§. VIII. *De Electione à Capitulo in diſcordia, concurrente poſtulatione, facta, partim de perſona digna, partim indigna.* *pag. 186.*

Si poſtulatio eum electione concurrit, & poſtulanres ſunt duplò plures, & poſiularus eſt idoneus? poſtulatio admirtitur, reiecta electione: ſi verò indignus, & hoc maior pars poſtulantium ignoraverint, poſtulatio, & electio reprobantur: ſi verò ſciebant, & electus eſt idoneus, confirmatur electio; idémque eſt, ſi oumerus poſtulantium non ſit duplo maior. n. 58. uſque ad 64.

§. IX. *Ad quos pertineat poteſtas eligendi, ſi Capitulares inhabilem, ſive poſtulandum, ſive licentia, ac diſpenſatione Superioris, ad adminiſtrationem recipiant? pag. 188.*

Capitulares recipientes poſtulatum ad adminiſtratioocm Eccleſiæ, anre admiſſionem poſtulationis à Superiore, privantur jure eligcodi; ídque ad alios, ſcilicet pauciores devolvitur, &, ſi omnes privati ſiot, devolvitur ad Superiorem. n. 64. & 65.

Sectio II. *De Electis, vel eligendis ad Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas.* *pag. 189.*

§. I. *De qualitatibus requiſitis in eo, qui eligendus eſt in Epiſcopum. pag. 189.*

Quæritur I. Quænam qualitates requirantur in eo, qui eligitur in Epiſcopum? Reſp. Requiritur ætatis maturitas, morum hooeſtas, & ſcientia. num. 66. & 67. Q. II. In ſpecie, quæ ætas requiratur in eligendo ad Epiſcopatum?

R. Triginta aonorum. n. 68. Q. III. Qualis ſcientia requiratur in eligendo ad Epiſcopatum? Reſp. Scientia conveniens, & ſufficicos. num. 69.

Q. IV. An illegitimè natos ad Epiſcopatum poſſit eligi, vel ſaltem poſtulari? Reſp. Non poteſt eligi, etſi poſſit poſtulari. n. 71. uſque ad 77.

§. II. *De qualitatibus requiſitis in promovendis ad dignitates Epiſcopatu inferiores, & ad beneficia curata. pag. 192.*

Quæritur I. Quæ ætas requiratur in promovendis ad huiuſmodi dignitates, & beneficia curata, & an in ſacris Ordinibus conſtituti eſſe debeant? Reſp. 25. annorum &c. & debent Ordinem requiſitum, intra rempus jure definitum, ſuſcipere. n. 77. & 78. Q. II. Quænam qualitates, ſeu conditiones requiraotor, ut quis promoveri poſſit ad Eccleſiam Parochialem? Reſp. Requiritur, ut ſit idoneus moribus, ſcientiâ, & ætate. num. 79. & ſeq. ídque magìs declaratur. n. 83. uſque ad 86. Q. III. Quis, & ob quam cauſam diſpenſare poſſit cum habeotibus Eccleſias Parochiales, ut etiam, poſt annom elapſum, non teneantur ſoſcipere Sacerdotium? Reſp. Diſpenſare poſſunt Epiſcopi cum habentibus Parochias, uſque ad ſeptennium. n. 86. & 87.

§. III. *Quænam qualitates, ſive conditiones requirantur, ut alicui commendari poſſit Eccleſia Parochialis? pag. 197.*

Eccleſia Parochialis non poteſt dari in commendam non conſtiroro in legitima ætate, & Sacerdotio, ídque, ſi neceſſitas, vel otilitas exigat: talis aotem commenda ultra ſex menſes non durat. n. 88. uſque ad 93.

§. IV. *De ijs, qui eligi prohibentur ad Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas.* *pag. 199.*

Quæritur I. Quinam ob crimen, ſeu defectom morum eligi prohibentur? Reſp. Generatim omnes criminoſi, & infames: in ſpecie ambitioſi, ſacrilegi, notorij uſurarij, perjuri &c. num. 94. & 95. Q. II. An electio ſimoniaci, non ſolùm ſit prohibita, ſed etiam ipſo jure irrita? Reſp. Eſt ipſo jure irrita, etſi electus inculpatè ignoret, ſimoniam interveoiſſe, neque id ratum habeat: niſi ſimoniacè electus expreſsè contradixerit, vel niſi quis in fraudem eligendi, ipſo ignorante, pecuniam promiſerit, ac dederit. num. 96. uſque ad 101.

Q. III. An electio criminoſi, aut infamis ſit ipſo jure irrita? Reſp. 1. electio infamis infamiâ juris eſt ipſo jure nulla: Reſp. 2. imò, & infamiâ facti, ſaltem in foro externo. num. 101. &c.

§. V. *De ijs, qui eligi prohibentur, ob contractas cenſuras, vel irregularitates, vel ob alias cauſas, & impedimenta.* *pag. 202.*

Quæritur I. An excommonicati, vel irregulares poſſint eligi ad Prælaturam? Reſp. 1. Ligati excoomunicatione maiore eligi non poſſunt, & electio eorum eſt irrita. imò etiam, ſi ligatus minore ſcienter electus ſit. num. 103. Reſp. 2. ſuſpenſi etiam ſunt ineligibiles. num. 104. Reſp. 3. Et interdicti perſonaliter. n. 105. Reſp.

Reſp. quartò, & univerſim omnes irregulares. n. 106. Quær. II. An Schiſmatici eligi poſſint in Epiſcopum? Reſp. Non poſſunt eligi ad dignitatem, præſertim Epiſcopalem. n. 107. Quær. III. An, qui ſemel ob defectum repulſus eſt à Prælatura, denuo eligi poſſit ad eandem, vel aliam Prælaturam? Reſp. Si ob vitium perſonæ; non poteſt iterum eligi: ſecus; ſi ob aliam cauſam. num. 108. & ſeq.

Quær. IV. An, & quâ ratione propter plura beneficia ſimul retenta, efficiatur quis ineligibilis ad Prælaturam? Reſp. Habens plures dignitates, vel beneficia curata, ſine diſpenſatione Papæ, ineligibilis eſt. n. 110. uſque ad 114.

§. VI. *An in Epiſcopum, vel Prælatum eligi poſſit extraneus, qui non eſt è Corpore, ſeu Collegio Eccleſiæ? pag. 206.*

Reſp. Ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, etiam extraneus aſſumi poteſt. n. 114. uſque ad 117.

Sectio III. *De præparatoriis ad electionem, ſive de iis, quæ illam præcedere debent. pag. 207.*

§. I. *Quænam ante electionem præmittenda, & obſervanda ſunt? pag. 207.*

Assertio I. Eccleſia prius vacare debet. n. 117. Aſſert. II. Vivente Prælato, Capitulares non poſſunt collegialiter tractare de electione Succeſſoris, aliàs tractatus eſt invalidus, & electio inde ſubſequens. n. 118. uſque ad 123. Aſſert. III. Poſt mortem, & ſepulturam Prælati, Capitulares convenire debent, & diem electioni celebrandæ conſtituere. n. 123.

§. II. *De vocandis Capitularibus ad Electionem. pag. 209.*

Quæritur. I. An omnes Capitulares vocari debeant ad Electionem Epiſcopi, vel Prælati? Reſp. Omnes abſentes vocandi ſunt, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe. num. 124. uſque ad 134. Quòd ſi Canonici aliqui valde remoti ſunt, ijs etiam non vocatis, electio ab aliis, quamvis numero paucioribus peragi poteſt. n. 128. Quær. II. An, ſi Capitulares vocent abſentes ex remotiore loco, quos ob diſtantiam vocare non tenebantur; termino ipſis præfixo, poſſint, ante terminum elapſum, ſine illis ad electionem procedere? Reſp. Teneri illos exſpectare. n. 134. Quær. III. Si ex Capitulo ad tractandum de Electione Epiſcopi, ſeu Prælati, congregato, aliqui Capitulares egrediantur, & diſcordent, & revocati nollnt redire, an alij poſſint electioné proſequi, & perficere? Reſp. Si aliqui Capitulares è loco electionis exeant, reliqui remanentes poſſunt ad electionem procedere, vel eam proſequi; modò major pars omnium Capitularium præſentium remaneat. n. 135. & duobus ſeqq.

§. III. *De Electoribus contemptis, ſeu non vocatis ad Electionem. pag. 213.*

Quæritur I. An, ſi unus, vel plures ex Electoribus vocandis, contempti fuerint, electio valeat, vel ſaltem reſcindi poſſit? Reſp. primò, ſi pauciores, quàm duæ Capitularium partes, ex ijs, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, convenerint, electio eſt irrita ob defectum poteſtatis eligendi: ſecus, ſi duæ partes convenerint, & à majore parte, ac saniore præſentium electio facta ſit. n. 138. Reſp. ſecundò, poſſunt tamen Capitulares contempti petere, ut electio ipſis non vocatis, peracta reſcindatur. n. 139. & duobus ſeqq. Reſp. tertiò, etiam Succeſſor poteſt, proſequi contemptum, ſi ei jus eligendi competat, ratione dignitatis: ſecus, ſi ratione Canonicatus, vel præbendæ. n. 142. Reſp. quartò, poteſt tamen contemptus jus ſuum remittere. num. 143.

Quær. II. An Capitularis citatus ad tractandum de die electionis inſtituendę, ſi tractatui intereſſe nolit, poſtea iterum vocari debeat ad ipſum actum electionis? Reſp. Non debere, ſi abſolutè dixit, ſe nolle, vel non poſſe intereſſe electioni; niſi ignoret terminum, ſive diem ad electionem præfixum: vel, niſi ad totum negotium electionis ſit citatus. Quòd ſi aliunde ſciat diem electionis præfixum, non poteſt agere de contemptu; etſi vocatus non ſit. n. 144.

§. IV. *An Elector abſens poſſit Procuratorem conſtituere, qui ſuo nomine, & loco eligat, vel per litteras ſuum votum, ſeu ſuffragium dare? pag. 216.*

Assertio I. Elector non poteſt ordinariè Procuratorem conſtituere, niſi certæ conditiones adſint. n. 145. & tribus ſeqq. Aſſ. II. Capitulares impediti non tantùm unum, ſed etiam plures Procuratores conſtituere poſſunt; ita tamen, ut omnibus ſimul poteſtatem eligendi committant. n. 149. Aſſ. III. Si unus tantùm Procurator ſimpliciter ſit conſtitutus generaliter; tum nõ poteſt alium ſuo nomine, alium nomine domini ſui eligere: niſi ſpeciale mandatum habeat de certa perſona eligenda; tum enim ſuo nomine alium eligere poterit. n. 150. Aſſ. IV. Non poteſt Capitularis abſens per litteras dare ſuum ſuffragium, ſi nemo à Collegio velit Procuratoris vices agere, nec Capitularem admittere extraneum, & electio fiat ſecundùm formam ſcrutinij. n. 151.

§. V. *De expenſis faciendis pro funere Prælati defuncti, & Electione Succeſſoris? pag. 218.*

Quæritur I. Quis debeat ſuppeditare ſumptus pro funere Epiſcopi, ſeu Prælati defuncti? R. Ordinarij, & moderati ſumptus debent præſtari ex redditibus Eccleſiæ vacantis, ſecus eſt de ſumptibus extraordinariis. n. 152. Q. II. Quis expenſas in Electionem Prælati factas, ſolvere debeat? Reſp. Expenſæ neceſſariæ fieri debent ex redditibus Prælaturæ vacantis. n. 153. & 154. Q. III. A quo expenſæ ſolvi debeant factæ in proſecutione, vel oppugnatione Electionis? Reſp. ex bonis pertinentibus ad Prælaturam, ſi Capitulum ſaltem pro majore parte, proſequatur cauſam electionis. n. 155.

§. VI. *De Adminiſtratore conſtituto, Sede vacante, eiúſque poteſtate, & ad quem ſpectent fructus, ſeu reditus Prælaturæ vacantis? pag. 220.*

Quæritur I. An, & à quo, vacante Eccleſiâ, uſque ad futuram electionem novi Prælati, conſtitui

poſſit Adminiſtrator; & qualem is poteſtatem habeat? Reſpondetur: Etſi adminiſtratio jure communi ſpectet ad Capitulum, poteſt nihilominus ab eo, & ſolet conſtitui Adminiſtrator, qui tamen non habet tam amplam poteſtatem, qualem habet Procurator datus à Papa. n. 156. Quær. II. An Capitulum, vel Capitulares, ad quos jure ordinario, Sede vacante, ſpectat adminiſtratio, poſſit ſibi aliquid ex bonis, vel redditibus Eccleſiæ, vel Prælaturæ vacantis applicare? Reſpondetur: Non poſſunt bona relicta ad Prælaturam ſpectantia occupare; ſed ea debent in utilitatem Eccleſiæ expendi, vel ſucceſſori reſervari ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & quibuſcunque beneficijs. n. 157. & ſeqq. Quær. III. an laici, tanquam patroni, vel advocati, ſeu defenſores Eccleſiæ, poſſint, vacante Prælaturâ, bona ejus adminiſtrare, & proventus ſibi applicare? Reſpondetur: Non poſſunt laici, titulo juris patronatus, vel advocatiæ, percipere copioſos fructus, nec adminiſtrationem ſibi arrogare, vacante Sede, neque vi conſuetudinis immemorialis, & quidem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. n. 159. & 160.

Sectio IV. *De forma Electionis, ſive variis modis eligendi. pag. 222.*

Triplex ſtatuitur in c. 7. h. t. n. 161.

§. I. *De Scrutatoribus conſtituendis in Electione, quæ fit per formam ſcrutinii, & modo, quo ſcrutinium fieri debet. pag. 222.*

Quæritur I. Quinam, & quot Scrutatores conſtituendi ſint? Reſpondetur primò. Tres à Capitulo eligendi ſunt Scrutatores. n. 162. Et quamvis probabiliter aſſumi poſſint etiam extranei, tutius tamen eſt, ut eligantur, qui ſunt de Collegio. num. 163. Reſpondetur ſecundò. Scrutatores debent eſſe fide digni, nec tales, per quos Capitulares à libera electione impediri poſſent. n. 164. Reſpondetur tertiò. Poſſunt Scrutatores ex cauſa à Capitulo revocari. n. 165. Quær. II. Quo modo, & ordine ſcrutinium fieri debeat? Reſpondetur primò. Debet fieri ſecretè. n. 166. Reſpondetur ſecundò. Diligenter. n. 167. Reſpondetur tertiò. Ordinatè. n. 168. Quær. III. Qualia debeant eſſe ſuffragia, quæ dantur in ſcrutinijs, vel electionibus? Reſpondetur: Debent eſſe abſoluta, & certa, non conditionata, & incerta. n. 169. & tribus ſeqq.

§. II. *De publicatione ſcrutinij. pag. 226.*

Assertio I. Peracto ſcrutinio facienda eſt ſuffragiorum publicatio. n. 172. Cujus effectus eſt, ut electores variare nequeant. n. 173. Aſſert. II. Si poſt publicatum ſcrutinium, non procedant ad electionem, à Superiore compelli poſſunt. n. 174. uſque ad 177. Aſſert. III. Ante publicatum ſcrutinium poſſunt variare electores. n. 177.

§. III. *De collatione Suffragiorum. pag. 228.*

Assertio I. Poſt publicatum ſcrutinium debet fieri ſuffragiorum collatio. num. 178. uſque ad 182. Aſſert. II. In ſpecie debet fieri collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum. n. 182. uſque ad 186.

§. IV. *De Electione communi, ſeu Capitulari, & ſolemni. pag. 230.*

Assertio I. Collatione factâ, ſi in unum major pars Capituli conſentiat, decretum electionis formari debet. n. 186. Aſſert. II. Idque ſtatim publicari debet. n. 187. & tribus ſeqq.

§. V. *De Electione facienda à majore, & ſaniore parte Capituli. pag. 233.*

Quæritur I. An electio à minore parte Capituli facta, ideóque irrita, poſſit per ſubſequentem conſenſum, ſeu vota aliorum Capitularium accidentium ad ſuffragia partis minoris, confirmari, & convaleſcere? Reſpondetur negativè, ſi ea acceſſio votorum facta ſit, poſt decretum communis electionis promulgatum. n. 190. & ſeq. Quær. II. Quæ cenſenda ſit pars major Capituli in electionibus? Reſpondetur: Ea, in quam conſenſit pars major totius Capituli præſentia, & non tantùm pars major reſpectu aliarum partium minorum. num. 192. & duobus ſeqq. Quær. III. An ad validam electionem copulativè requiratur, ut ſit facta à majore, & ſaniore parte Capituli? Reſpondetur affirmativè. num. 195. & tribus ſeqq. Quær. IV. Si duæ electiones in diſcordia ſint celebratæ, ita, ut una eligentium pars ſit major numero, altera verò dicatur eſſe ſanior: utra electio alteri præferenda ſit? Reſpondetur: Contra electores in duplo majore numero, vel electum ab eis nihil à minore parte opponi poteſt, quod extenuet vota; bene autem, quod annullet. n. 199. & ſeq. Limitari debet, niſi contra electum à multò majore parte Capituli objectus fuerit, & probatus defectus reddens inhabilem ad Prælaturam: tum enim electio digni facta à minore parte Capituli præferenda eſt. n. 201. & ſeq. Quær. V. An prædicta forma ſcrutinij in omnibus electionibus Capitularibus obſervari debeat? Reſpondetur: Obſervanda eſt ſolùm in electionibus Prælatorum, qui generalem, & ordinariam juriſdictionem exercent in ſuis Eccleſijs. n. 203.

§. VI. *De forma electionis per compromiſſum. Pag. 239.*

Quæritur I. An ad compromiſſum neceſſariò requiratur, ut communi conſenſu fiat? Reſpondetur: Neceſſe eſt, ut ab omnibus jus Suffragij habentibus fiat, nemine diſcrepante. n. 204. Quær. II. Quales compromiſſarij eſſe debeant, & quot numero? Reſpondetur primò. Debent eſſe viri idonei, ijque Clerici. n. 205. Reſpondetur ſecundò. Poteſt compromitti non ſolùm in impares, ſed etiam pares numero. n. 206. & ſeq. Quær. III. Quot, & quibus modis fieri poſſit electio per compromiſſum? Reſpondetur: Præcipuè duobus, abſolutè, & limitatè. n. 208. & duobus ſeqq. De quibuſdam formis compromiſſi invalidis. n. 211. & ſeq. & requiritur etiam in forma electionis per compromiſſum, ut fiat communis electio. n. 213. Quær. IV. Ad quid teneantur Compromiſſarij, quibus data eſt eligendi poteſtas, cum ea limitatione, ut adhibeant conſilium certarum perſonarum? Reſpondetur: Tenentur requirere conſilium illarum perſonarum, & congruo tempore exſpectare reſponſum. num. 214. & 215.

§. VII. An

§. VII. *An Compromiſſarij poſſint eligere aliquem ex ſe ipſis, vel an unus ex ipſis poſſit ſaltem acceſſoriè eligere ſe ipſum? pag. 244.*

Assertio I. Poſſunt; ſi non ſit expreſsè prohibitum. n. 216. Aſſert. II. Poteſt Compromiſſarius electus priùs ab alijs conſeotire in ſe ipſum, ſi & ipſe jus eligendi habeat. n. 217. & 218. Aſſert. III. Si in unum tantùm compromiſſum ſit, ut eligat, non pnteſt eligere ſe ipſum. n. 219.

§. VIII. *An, & qualiter compromiſſum revocari poſſit, vel aliter exſpiret? pag. 245.*

Assertio I. Si res non ſit integra; compromiſſum ordinariè revocari non poteſt; ſecus, ſi ſit integra. n. 220. & quinque ſeqq. Aſſert. II. Si poteſtas eligeodi compromiſſarijs commiſſa ſit limitatè ad certum tempus, vel ſub certa conditióne, eo elapſo, vel deficiente, compromiſſum exſpirat. n. 226. Aſſert. III. Similiter finitur compromiſſum, ſi electio, vel poſtulatio à compromiſſarijs facta, ſive ob electionem perſonæ indignæ, ſive ex quacunque aliâ causâ ſit irrita. n. 227.

§. IX. *De devolutione poteſtatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum Compromiſſariorum, & de Electione per quaſi inſpirationem. pag. 248.*

Quæritur I. Ad quem devolvatur poteſtas eligendi, ſi compromiſſarij negligant eligere, intra tempus à jure præfixum; vel, ſi indignum eligant? Reſpondetur: Si compromiſſarius non eligit intra tempus juris; ad proximum Superiorem devolvitur poteſtas providendi: ſi eligit, ſed indignum; redit ad compromittentes, niſi id ſcienter ratum habuerint. Si Compromiſſarius ſcienter eligit indignum, ipſe ſolus eſt ſuſpenſus à beneficijs per triennium; niſi id compromittentes ſcienter ratum habnetint. n. 228. & duobus ſeqq. Quær. II. Si compromiſſum ſit in plures, & major pars eorùm eligat indignum, minor verò pars dignum; ad quem devolvatur poteſtas eligendi, aut providendi? Reſpondetur: Si ex tribus Compromiſſarijs duo eligunt indignum, tertius verò dignum, tunc probabiliùs poteſtas eligendi redit ad Capitulum. n. 231. Quær. III. Quæ ſit forma eligendi quaſi per inſpirationem? Reſpondetur: Quando electio fit, nullo prævio tractatu, unanimiter ab omnibus Electoribus, nullo contradicente. n. 232.

§. X. *An, & quomodo Electio Prælati debeat fieri liberè? pag. 249.*

Quæritur I. An poſſit ſaltem per conſuetudinem introduci, ut electiò Prælati fiat dependenter ab arbitrio, ſeu voluntate alicujus tertij, ſive ille ſit laicus, ſive Eccleſiaſticus, quem ipſe eligere voluerit? Reſpondetur negativè. n. 233. & tribus ſeqq. Quær. II. An Electio Prælati metu gravi extorta ſit valida, an verò ipſo jure irrita? Reſpondetur: Si metus gravis, & injuſtè incuſſus rogat ad eligendam certam perſonam, ſed unam ex pluribus; non eſt ipſo jure irrita, poteſt tamen reſcindi. n. 237.

§. XI. *De pœna gravantis eos, qui recuſant eligere certam perſonam, ad petitionem illius. pag. 251.*

Qui gravavit aliquem ex electoribus, quia eum, pro quo rogabatur, eligere noluit; vel ejus conſanguineos, vel Eccleſias, earúmque bona; ipſo facto eſt excommunicatus. n. 238. & duobus ſeqq.

Sectio V. *De circumſtantiis, & accidentibus comitantibus, vel conſequentibus Electionem. pag. 252.*

§. I. *De loco, & tempore Electionis, & pœnâ non eligentium, intra tempus jure ſtatutum. Pag. 252.*

Quæritur I. Quo in loco inſtituenda ſit Electio Prælati? Reſpondetur primò. Fieri debet à Capitularibus ſimul in uno loco congregatis. n. 241. Reſpondetur ſecundò, Fieri debet, ſi poteſt, in Eccleſia Cathedrali, vel intra ambitum illius, vel etiam, ſi ibi non poſſit, in alio loco tuto. n. 242. Quær. II. Quando, ſive intra quod tempus Electio novi Prælati fieri debeat? Reſpondetur primò. In Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus, non ultra tres menſes differri debet electio: in alijs inferioribus Prælaturis, & beneficijs non ultra ſex menſes. n. 243. &c. Reſpondetur ſecundò. Tempus verò trimeſtre incipit currere à die habitæ notitiæ de vacatione. n. 245. Quòd ſi Electio non habuerit effectum, quia electus non conſenſit, vel renunciavit, vel mortuus eſt; vel propter occultum ejus defectum, irrita eſt electio: tum eligentes integrum tempus habent, ſeclusâ fraude. n. 246. Reſpondetur tertiò. In caſu tamen neceſſitatis poteſt tempus ſemeſtre reſtringi. num. 247.

Quær. III. Quæ ſit pœna Capitularium per negligentiam, ſeu moram culpabilem non eligentium Prælatum intra tempus jure ſtatutum; & ad quem poteſtas eligendi tunc devolvatur? Reſpondetur: Electores pro ea vice eligendi poteſtate ſunt privati, & quidem ipſo jure. n. 248. & tribus ſeqq. Quær. IV. An Electoribus impeditis, quò minùs eligant, currat tempus jure ſtatutum ad eligendum, ſi ipſi impedimentum tollere poſſint? Reſpondetur affirmativè. num. 252. Quær. V. An Electio Prælati neceſſariò fieri debeat de die? Reſpondetur affirmativè. n. 253.

§. II. *De Electione intimanda Electo, ejúſque conſenſu requirendo, & exhibendo. pag. 256.*

Eligentes, quamprimum poſſunt, electionem electo præſentare debent, & electus intra menſem conſentire; aliàs privatus eſt jure acquiſito, niſi ſine Superioris licentia conſentire non poſſit. num. 254. Quòd ſi Electores intimare electionẽ ultra octo dies differant culpabiliter, non poſſunt electionem proſequi, & à beneficijs per triennium ſunt ſuſpenſi. n. 255. & quatuor ſeqq.

Sectio VI. *De appellatione, & oppoſitione contra Electionem. pag. 258.*

§. I. *An, & à quibus contra Electionem appellari, ſive ea oppugnari poſſit, vel non poſſit; &, an Electio facta poſt appellationem ſit valida? pag. 258.*

Assertio I. Quivis, cujus intereſt, poteſt contra electionem ſe opponere, & appellare. n. 260. Aſſert. II. Ipſi tamen Electores, poſt electionem promulgatam, non poſſunt eam impugnare. num. 261. Aſſert. III. Is, qui renunciavit electioni

de ſe factæ, non poteſt appellare, ad impediendam novam electionem alterius Prælati. n. 262. & pluribus ſeqq. Aſſert. IV. Electio facta poſt appellationem valida eſt, donec per Superiorem caſſetur. n. 266. & ſeqq.

§. II. *Quænam requirantur, ut in Electionibus Epiſcoporum, iiſque Superiorum appellari poſsit ad Sedem Apoſtolicam? pag. 261.*

Per appellationem judicialem, vel extra, devolvuntur cauſæ electionum Epiſcoporum, & ijs Superiorum, ad Papam, ſi in ſcriptis, & ex cauſa probabili fuerit interpoſita. n. 268. & ſeqq. quæ ſit pœna appellantis in cauſis electionum, non obſervatis ijs, quæ Jure Canonico præſcripta ſunt. num. 270. & 271.

§. III. *Quænam Jure Canonico ſtatuta ſunt ad moderandas oppoſitiones, & appellationes in cauſis electionis, & proviſionis beneficiorum? pag. 262.*

De his agitur iu pluribus Capitulis explicatis. n. 272. uſque ad 278.

§. IV. *De examinatione defectuum, qui objiciuntur electo, vel promovendo ad Eccleſiaſticam dignitatem. pag. 264.*

De his etiam agitur n. 278. & ſeq.

§. V. *De forma, & modo interponendi appellationem in cauſis electionum, & aliis beneficialibus. Pag. 265.*

De hoc agitur quoque in pluribus capp. num. 280. & ſeqq.

Sectio VII. *De poteſtate, confirmatione, & conſecratione Electi. pag. 169.*

§. I. *An, & quando poteſtas juriſdictionis, ſeu adminiſtrationis Epiſcopo electo competat? Pag. 269.*

Assertio I. Epiſcopus electus, ſed nondum confirmatus, nullam habet juriſdictionem, vel adminiſtrationem. n. 287. & ſeq. Aſſ. II. Alioquin ejus electio in pœnam caſſari debet. n. 299. & ſeq. Aſſ. III. Neque adminiſtrare debet, ante obtentam confirmationem, ſub quovis alio prætextu. n. 291. & ſeq. Et quid de hoc ſtatutum ſit Jure novo, n. 293. & ſeq.

§. II. *Quinam Epiſcopi, ſeu Prælati adminiſtrare poſſint Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem? Pag. 272.*

Epiſcopi electi, & immediatè ſubjecti Papæ, per ſe, vel per perſonas inſtructas debent adire Papam, & petere confirmationem: quòd ſi electi ſint in concordia, & valde remoti, videlicet ultra Italiam conſtituti, interim adminiſtrare poſſunt, ita tamen, ut nihil alienent; benedicuntur autem, & conſecrantur, prout conſueverunt. n. 295. uſque ad 304.

§. III. *De Confirmatione Epiſcopi, ſeu Prælati electi. Pag. 275.*

Quæritur I. An Epiſcopi electi confirmari debeant? Reſp. affirmativè. n. 304. Q. II. Ad quem pertineat confirmatio? Reſp. ordinariè ad proximum Superiorem. n. 305. Poteſt etiam Epiſcopos, ſpectato Jure communi, confirmare Legatus à Latere. n. 306. Q. III. Quando petenda ſit confirmatio? Reſp. Intra tres menſes, ceſſante juſto impedimento. num. 307. & duobus ſeqq. Sed hoc poſtea immutatum eſt, quoad Eccleſias Cathedrales, & Regulares immediatè Papæ ſubjectas. n. 310. uſque ad 316.

§. IV. *De iis, quæ præcedere debent confirmationem, & de alijs quibuſdam ad eandem pertinentibus. Pag. 279.*

Quæritur I. An, & qualis inquiſitio inſtitui debeat, ante confirmationem Prælati electi? Reſp. Inquiri priùs debet de forma, & proceſſu electionis, & de meritis, & conditione electi. n. 316. uſque ad 321. Q. II. Quinam vocandi ſint, antequam Superior ad confirmationem electi procedat? Reſp. Coëlectus, vel alius electionis adverſarius nominatim vocandus eſt: aliàs per generale Edictum vocandi ſunt ſe opponere volentes; alioquin confirmatio non valet. n. 321. & ſeqq.

§. V. *Proponuntur aliæ nonnullæ quæſtiones, quæ ad confirmationem electionis pertinent. Pag. 281.*

Quæritur I. An is, qui electus eſt ad eandem Eccleſiam duabus electionibus, utramque proſequendo, confirmationem petere poſſit? Reſp. negativè. num. 323. & ſeq. Q. II. Quæ ſit pœna indignum confirmantis? Reſp. Perdit poteſtatem confirmandi proximum ſucceſſorem, & à perceptione proprij beneficij ſuſpenditur, & promotus dejicitur: quòd ſi per malitiam id fecit, graviùs puniendus eſt. n. 325. & ſeq. Q. III. Ubi fieri debeat confirmatio Prælati? Reſp. In Eccleſia, vel domo confirmantis. n. 327. Q. IV. An caſſatâ confirmatione, caſſetur etiam Electio? Reſp. negativè. num. 328. Quòd ſi Papa proviſionem Eccleſiæ Cathedralis ſibi reſervavit, inhibens, ne ad Electionem procedatur; tum non eſt vitiata electio, quæ præceſſit inhibitionem; omnia tamen quæ ſequuntur, carent effectu. n. 329. & ſeq.

§. VI. *De poteſtate Archiepiſcopi, vel Epiſcopi electi, & confirmati, ſed nondum conſecrati. Pag. 284.*

Quæritur I. An Epiſcopus, poſtquam electus, & confirmatus eſt, poſſit exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis? Reſp. Actus proprios dignitatis Epiſcopalis non poteſt exercere, ante Pallium acceptum, alios verò actus poteſt. num. 333. & duobus ſeqq. Electo verò in Archiepiſcopum non traditur Pallium, niſi priùs præſtito juramento fidelitatis, & obedientiæ Sedi Apoſtolicæ. n. 336. & ſeq. Q. II. Quæ ſit poteſtas Epiſcopi electi, & confirmati, ante conſecrationem? Reſp. Poteſt ea omnia exercere, quæ ſolius juriſdictionis Epiſcopalis ſunt. n. 338. & ſeq. Q. III. An Epiſcopus, vel Prælatus confirmatus poſſit actus juriſdictionis exercere, etiam ante inductionem in poſſeſſionem? Reſp. De Jure communi id poteſt. n. 340. & ſeq.

§. VII. *De*

§. VII. *De Conſecratione Epiſcopi electi, & confirmati.* *Pag.* 287.

Quæritur I. Intra qnod tempus Epiſcopus confirmatus conſeceationem accipere teneatur? R. Intra rres menſes, ceſſante impedimento. n. 342. Q. II. A quonam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus conſecrari debeat? R. Olim à Metropolitano; hodie à Papa. n. 343. & ex diſpenſatione Papæ ab unico Epiſcopo poteſt, aſſiſtenribus duobus Prælatis. n. 344. Et in Eccleſia Metropolitana Archiepiſcopus conſecrari debet, qnod tamen in iſtis Provincijs non obſervatur. n. 345. Q. III. Quâ formâ Epiſcopus conſecrati debeat? Reſp. Per manuum impoſitionem in Eccleſia Cathedrali, ſi commodè fieri poſſit, & die Dominicâ n. 346. & tempore Miſſæ, n. 347. & ſeq. Q. IV. Quis ſit effectus Conſecrationis Epiſcopalis? Reſp. Hi enumerantur n. 349. & tribus ſeqq.

Sectio VIII. *De Abbatum, ſeu Prælatorum Regularium electione, confirmatione, & benedictione.* *pag* 291.

§. I. *De ijs, quibus competit jus eligendi Prælatos Regulares.* *pag.* 291.

Quæritur I. Ad quos pertineat jus eligendi Abbatem, ſeu Præpoſitum Regularem? Reſp. Jure communi ad Conventum, ſeu Collegium Religioſorum. n. 353. Q. II. An omnes, qui ad Religioſum Conventum pertinent, habeant jus eligendi Prælatum? R. 1. Jus eligendi competit tantùm Profeſſis expreſsè, vel tacitè. num. 354. R. 2. Non autem Fratribus laicis converſis, unâ cum Clericis, niſi per conſuetudinem, privilegium, vel ſtatutum jus eligendi ipſis competat; vel, niſi ſint Ordines non ad ſpiritualia, ſed temporalia ſolùm miniſteria inſtituti. num. 355. Reſp. 3. Canonici etiam Regulares non poſſunt eligere, niſi ſint Subdiaconi. n. 356.

§. II. *De ijs, qui eligi poſſunt ad Prælaturas Regulares,* *pag.* 292.

Quæritur I. An, qui in Prælatum Regularem eligitur, neceſſariò debeat eſſe Ordinem Profeſſus? Reſp. affirmativè. n. 357. non obſtante contrariâ conſuetudine. n. 358. & ſeq. & non tantùm per viam electionis, ſed etiam alterius proviſionis, non poteſt aſſumi in Prælatum Regularem, niſi Profeſſus. Imò requiritur, ut eligendus expreſsè ſit Profeſſus. n. 360. Ad Epiſcopatum verò ſecularem, vel regularem eligi poteſt etiam tacitè Profeſſus, imò & Novitius. n. 362. Poteſt tamen S. Pontifex Prælaturas, & alia beneficia regularia concedere Clericis ſecularibus in commendam etiam perpetuam. n. 363. Q. II. An quis ſimul poſſit fieri Profeſſus, & in Prælatum Regularem eligi? Reſp. negativè. n. 364. Q. III. An poſſit in Prælatum Regularem eligi, qui paulò antè profeſſionem edidit? R. Per ſe loquendo poteſt, ordinariè tamen non debet. n. 365. & tribus ſeqq. Q. IV. An non Profeſſus poſſit ſaltem poſtulari in Abbatem, ſeu Prælatum Regularem? Reſp. Poſſe ex juſta cauſa. n. 369. & ſeqq.

§. III. *De Electione Prælatorum Regularium, extra ſuum Monaſterium, vel Ordinem.* *pag.* 296.

Quæritur I. An Religioſus, vel etiam Prælatus Regularis poſſit eligi ad Abbatiam alterius Monaſterij? Reſp. Poteſt, ſi Monaſterium ſit ejuſdem Ordinis, non verò, ſi diverſi. n. 371. uſquead 376. poteſt tamen poſtulari non ſolemniter in Prælatum alterius Ordinis. n. 375. Q. II. An, ut Religioſus eligi poſſit in Abbatem alterius Monaſterij, neceſſariò requiratur conſenſus Superioris, & quiſnam Prælatus poſſit talem licentiam dare? Reſp. 1. Neceſſariò requiri. num. 376. Reſp. 2. Licentiam hanc dare poteſt Prælatus immediatus. num. 377. requiritur tamen conſenſus Epiſcopi, ſi Monaſterium ei ſit ſubjectum. n. 378. & ſeq. Q. III. An, ut Religioſus eligi poſſit ad Prælaturam, extra ſuum Monaſterium, præter licentiam datam à Prælato Ordinis, requiratur etiam conſenſus Capituli? Reſp. negativè. n. 380. & ſeq. Q. IV. An etiam requiratur licentia Superioris, ut renunciare poſſit Prælaturæ acceptatæ? Reſp. Probabiliùs eſt, poſſe renunciare ſinè illa. num. 382. Q. V. An, ſi Abbas eligatur in Epiſcopum, vel Abbatem alterius Monaſterij, etiam requiratur conſenſus Superioris? Reſp. affirmativè. n. 383. & ſeq.

§. IV. *An Religioſus profeſſus unius Monaſterij, ſi transferatur ad aliud Monaſterium, vel aſſumatur in Abbbatem alterius Monaſterij, retineat jus eligendi Abbatem prioris Monaſterij?* *pag.* 300.

Reſp. Non retinere. num. 386. & duobus ſeqq.

§. V. *De electione Religioſorum Mendicantium ad Prælaturas, extra Ordinem ſuum, in diſcordia facta, & de electione Religioſorum non Mendicantium à minore parte eligentium factâ.* *pag.* 302.

Non acquiritur aſſumpto quovis modo ad talem Prælaturam in diſcordia jus, nec proviſus conſentire poteſt. Idémque eſt de aſſumpto à minore parte Capituli Religioſo Ordinis non mendicantis. n. 389. uſque ad 397.

§. VI. *De forma electionis Prælatorum Regularium, eorúmque confirmatione, & benedictione.* *pag.* 305.

Quæritur I. Quæ ſit forma eligendi Abbates, & Prælatos Regulares? Reſp. Eadem, quæ in Epiſcopis eſt præſcripta. n. 397. Q. II. A quibus Prælatorum Regularium electiones confirmandæ ſint? Reſp Exempti à Papa; non exempti ab Epiſcopis, quibus ſunt ſubjecti. n. 398. Q. III. An Abbates conſecrentur, an verò benedicantur; & quare hæc benedictio ſit introducta? Reſp. Propriè loqnendo, non conſecrantur, ſed benedicuntur. n. 399. Q. IV. A quibus Abbates benedici debeant? Reſp. Jure communi ab Epiſcopo, ex privilegio etiam ab Abbatibus, dummodo Sacerdotes ſint. n. 400. Q. V. Quo die benedictio Abbatis fieri debeat? Reſp. Tutius eſt, ut fiat die Dominico, non tamen neceſſarium. n. 401. Q. VI. Utrùm Abbas jus adminiſtrandi conſeqnatur per confirmationem, an verò per benedictionem, & an per hanc ſaltem poteſtatem exercendi actus Ordinis?

Reſp. Per confirmationem accipit poteſtatem juriſdi-

riſdictionis; per benedictionem verò poteſtatem exercendi actus Ordinis, niſi ex conſuetudine benedici nou ſoleat. n.402. Q. VII. An benedictio Abbarum reiterari poſſit? Reſp. negaiivè. n.403.

§. VII. *De Abbatiſſarum, ſeu Præpoſitarum Regularium electione, confirmatione, & benedictione. pag. 308.*

Quæritur I. An, & quæ Moniales habeant jus eligendi Abbatiſſam? Reſp. Eæ ſolùm, quæ 12. ætatis annum compleverunt, & expreſsè, vel tacitè Profeſſæ ſunt; aliud eſt poſt Concilium Tridentinum. n. 405. Q. II. Quæ ætas, & aliæ qualitates requirantur, ut aliqua in Abbatiſſam, vel Præpoſitam eligi poſſit? Reſp. 1. Requiritur, ut annum 30. exegerit, & expreſsè profeſſa fuerit: poſt Concilium Tridentin. requiritur, ut annos 40. compleverit, & 8. annis poſt profeſſionem, laudabiliter vixerit. num. 406. Reſp. 2. Debet eſſe virgo. n. 407. Reſp. 3. Et legitimè nata. n. 408. Q. III. Quæ forma ſit obſervanda in electione Abbatiſſæ?

Reſp. Eandem jure communi traditam, & noviſſimè præſcriptam à Concilio Trid. n. 409. Q. IV. Quid agendum ſit, ſi electio Abbatiſſæ per ſcrutinium in diſcordia fiat? Reſp. Obſervari debet, quod in c. 43. §. Sanè; h. t. præſcribitur. num. 410. & tribus ſeqq. Q. V. Quid agendum ſit, ſi Abbatiſſa per compromiſſum electa ſit, & Moniales aliquæ ſe electioni ejus opponant? Reſp. De hoc agitur in cit. c. §. Cæterùm; n. 414. & duobus ſeqq. Q. VI. An, & à quo Abbatiſſa poſt electionem confirmari debeat? Reſp. Si Monaſterium ſit exemptum; à Papa: ſi ſubjectum Religioſo Ordini; à Prælato ejuſdem Ordinis: ſi ſubjectum Epiſcopo; ab eodem. n. 417. Q. VII. An Abbatiſſa neceſſariò benedici debeat? Reſp. 1. Si benedici ſoleat ex conſuetudine, intra annum benedictionem ſuſcipere debet; Abbatiſſæ verò non exemptæ ab Epiſcopo benedici debent, quæ benedici ſolent. n. 418.

Sectio IX. *De Electione Summi Pontificis. Pag. 312.*

§. I. *De ijs, quibus competit poteſtas eligendi Romanum Pontificem. pag. 312.*

Quæritur I. Ad quos pertineat jus eligendi ſummum Pontificem? Reſp. Ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ. n. 419. Q. II. Ad quem ſpectet electio, ſi illegitimè electus Papa in Concilio Generali amotus ſit? Reſp. Probabilius eſt, etiam tum pertinere ad Cardinales, non ad Concilium; niſi ob gravem neceſſitatem adimatur Cardinalibus poteſtas eligendi. n. 421. Q. III. Ad quem ſpectet, omnibus Cardinalibus mortuis? Reſp. Vel ad Clerum Eccleſiæ Romanæ, & quidem Lateranenſis, vel ad Concilium Generale. n. 422. Q. IV. Quid juris habeat Collegium Cardinalium, vacante Sede? Reſp. Non ſuccedit in juriſdictione Papali, niſi quantum Jure Canonico illi conceſſum eſt. num. 423. & ſeq. Ut quòd Camerarium Eccleſiæ eligere poſſit. num. 425. Q. V. An Cardinales debeant in Pontificem eligere aliquem ex ſuo Collegio? Reſp. affirmativè, ſi idoneus adſit. n. 426.

§. II. *De poteſtate, quam habet Papa ſtatuendi circa faciendam electionẽ futuri Pontificis, vel ſubſtituendi ſibi Succeſſorem, & de forma hujus electionis. pag. 314.*

Quæritur I. An Papa poſſit conſtitutionem condere de forma, & modo eligendi futurum Romanum Pontificem? Reſp. affirmativè. num. 427.

Q. II. An Romanus Pontifex poſſit ſibi ſubſtituere Succeſſorem in Papatu? R. non poteſt. num. 428.

Q. III. Quæ forma obſervanda ſit in electione S. Pontificis? Reſp. Ea, quæ præſcripta eſt in Concilio Lateranenſi Canone primo. n. 429. & tribus ſeqq.

Q. IV. In quibus caſibus electio Romani Pontificis, tanquam ipſo jure irrita, oppugnari poſſit, etiamſi à duabus partibus Cardinalium facta ſit? Reſp. Si electus in Papam jure Divino, vel naturali inhabilis ſit ad Papatum. n. 433. & quatuor ſeqq. Q. V. Quæ ſit novo jure forma eligendi Romanum Pontificem? Reſp. Ea quæ præſcripta eſt in Conſtitutione Gregorij XV. n. 438. Electio Romani Pontificis Canonica nõ indiget aliâ confirmatione. n. 439.

§. III. *De tempore, loco, & alijs obſervandis in electione Romani Pontificis. pag. 319.*

De his agitur. n. 440. uſque ad 453.

§. IV. *De Electione Senatorum, & Rectorum, aut ſimilium Officialium Urbis Romæ. pag. 322.*

De hac agitur. n. 453. & 454.

Sectio X. *De Romani Imperatoris electione, confirmatione, conſecratione, & coronatione. pag. 323.*

§. I. *De Electione Imperatoris Romani. pag. 323.*

De hac agitur. n. 455. uſque ad 460.

§. II. *Aliæ quæſtiones de Electione Imperatoris proponuntur, & reſolvuntur. pag. 325.*

Quæritur I. Quibusnam jus eligendi Imperatorem competit? Reſp. Septem Electoribus Imperij. n. 460. Q. II. Quo ordine Principes Electores ſuffragia ſua dare debeant? Reſp. Deſcripto in Aurea Bulla. n. 461. Q. III. An Electores jus habeant ſolùm eligendi Regem Romanorum, an verò etiam Imperatorem? R. Etiam Imperatorem. n. 462. Q. IV. Intra quod tempus Electores debeant eligere Imperatorem? Reſp. Hoc quoque præſcriptum eſt in Aurea Bulla. n. 463. Q. V. Qualis in Regem Romanorum, & Imperatorem eligi debeat? Reſp. Debet eſſe ex gente, & natione Germanorum. n. 464. Q. VI. An Imperator electus, & nondum confirmatus res Imperij adminiſtrare poſſit? Reſp. affirmativè. n. 465. Q. VII. Ad quem pertineat poteſtas adminiſtrandi, vacante Imperio Romano? Reſp. Hoc præſcriptum eſt in Aurea Bulla. num. 466. Q. VIII. Ad quem devolvatur poteſtas eligendi, ſi Electores ſcienter indignum eligant? Reſp. Manet nihilominus penes Electores, &c. num. 467.

§. III. *De confirmatione, unctione, conſecratione, & coronatione Romani Imperatoris. pag. 328.*

Quæritur I. An electus in Imperatorem debeat confirmari? R. Debet à S. Pontifice. n. 468.

Q. II. An electus in Regem Romanorum debeat inungi, & conſecrari? R. affirmativè. num. 469.

Q. III. An etiam coronari debeat? R. de jure communi etiam coronandus, quamvis hodie non ſoleat. n. 470.

SE-

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

Cap. 1. n. 8.
c. 2. n. 6.
c. 3. n. 304. & 320.
c. 4. n. 336. & ſeq.
c. 5. n. 107. & ſeq.
c. 6. in princ. n. 427. & 429. cum ſeq.
c. 7. in princ. n. 42. 66. & duobus ſeqq.
§. Cùm verò. n. 350. & ſeqq.
§. Inferinra; n. 77. & 78.
§. Clerici ſanè; fin. n. 42. & doobus ſeqq.
c. 8. n. 206. & ſeq.
c. 9. n. 287. & ſeq.
c. 10. n. 266. & 267.
c. 11. n. 334.
c. 12. n. 108. & 109.
c. 13. n. 369. & ſeq.
c. 14. n. 233. & ſaqq.
c. 15. n. 338. & ſeq.
c. 16. n. 262. & ſeqq.
c. 17. n. 289. & ſeq.
c. 18. n. 128. & ſeqq.
c. 19. n. 114. 135. & 317.
c. 20. n. 71. & ſeqq.
c. 21. n. 115. & ſeq.
c. 22. n. 201. & ſeq.
c. 23. n. 64. & 65.
c. 24. n. 22.
c. 25. n. 51. & ſeqq.
c. 26. n. 45. & 46.
c. 27. n. 358. & ſeq.
c. 28. io princ. & §. Si autem; n. 339. & ſeqq.
§. Super eo; n. 347.
§. Præterea; n. 333. & §. fin. n. 348.
c. 29. n. 190. & 191.
c. 30. n. 220. & ſeqq.
c. 31. n. 24. & ſeq.
c. 32. n. 208. & ſeq.
c. 33. n. 217. & duobus ſeqq.
c. 34. n. 455. & ſeqq.
c. 35. n. 231.
c. 36. n. 118. & ſeqq.
c. 37. n. 364.
c. 38. o. 365. & ſeqq.
c. 39. n. 28.
c. 40. n. 58. & ſeqq.
c. 41. n. 243. & 248. & ſeqq.
c. 42. in princ. n. 161. & ſeqq.
§. Qui verò; n. 41.
§. Illud autem; n. 145. & ſeqq.
§. fin. n. 186.
c. 43. n. 33. & ſeqq.
c. 44. n. 316. & 325. & ſeq. &
§. Cæterùm; n. 295. & ſeqq.
c. 45. n. 153. & ſeq.
c. 46. n. 187. & ſeqq.
c. 47. n. 386. & dnnbus ſeqq.
c. 48. n. 192. & dnobus ſeqq.
c. 49. n. 357. & duobus ſeqq.
c. 50. n. 178. & ſeqq.
c. 51. n. 15. & 16.
c. 52. n. 214. & ſeq.
c. 53. n. 56. & ſeq.
c. 54. n. 110. & duobus ſeqq.
c. 55. n. 182. & trib. ſeqq.
c. 56. n. 17. & 18.
c. 57. n. 195. & trib. ſeqq.
c. 58. n. 173.
c. 59. n. 98. & ſeqq.
c. 60. & ult. n. 252.

IN SEXTO.

c. 1. n. 272. & tribus ſeqq.
c. 2. n. 169. & ſeqq.
c. 3. n. 440. & multis ſeqq. & §. Iidem quoqne; n. 423.
c. 4. n. 280. & ſeq.
c. 5. n. 291. & ſeq.
c. 6. n. 254. &
§ Cæterùm; in fine. n. 307. & ſeq.
c. 7. n. 50.
c. 8. n. 261.
c. 9. n. 299. & ſeq.
c. 10. n. 268. & ſeqq.
c. 11. n. 278.
c. 12. n. 238. & duobus ſeqq.
c. 13. n. 159. & ſeq.
c. 14. n. 79. & donbus ſeqq.
c. 15. n. 88. & ſeqq.
c. 16. n. 310. &
§. Cæterùm; n. 255. & ſeq.
§. Ad hæc; n. 311.
c. 17. n. 453. & ſeq.
c. 18. n. 48.
c. 19. n. 282. & 317.
c. 20. n. 283.
c. 21. n. 213.
c. 22. n. 82.
c. 23. n. 211.
c. 24. n. 389. & ſeqq.
c. 25. n. 323.
c. 26. n. 246.
c. 27. n. 376. & 380.
c. 28. n. 361. & ſeq.
c. 29. n. 210.
c. 30. n. 311. & ſeq.
c. 31. n. 279.
c. 32. in princ. n. 26. &
§. In Eccleſijs; n. 354. & ſeq.
c. 33. n. 313. & duobus ſeqq.
c. 34. n. 86. & 87.
c. 35. n. 83. & duobus ſeqq.
c. 36. in princ. n. 383. & ſeqq.
§. Si Abbatem; n. 306.
c. 37. n. 228. &
§. Porrò; & fin. 230.
c. 38. n. 284.
c. 39. n. 328.
c. 40. n. 157.
c. 41. n. 285.
c. 42. n. 156.
c. 43. n. 405. uſq; ad 417.
§. Sanè; n. 410.
§. Verùm; n. 411.
§. Si verò; n. 412.
§. Si qua verò; n. 413.
§. Ut autem; ibid. in fioe.
§. Cæterùm; n. 414.
§. Suprà dicta; n. 416.
c. 44. in princ. o 270.
c. 45. n. 329. & ſeq.
c. 46. in princ. n. 149. & §. penult. & ult. n. 151.
c. 47. & ult. o. 321. & ſeq.

IN CLEMENTINIS.

Clem. 1. n. 371. & ſeqq.
Clem. 2. in princ. n. 424.
§. Et tamen; n. 425.
§. Sanè; 448.
§. Porrò; n. 448. & 449.
§ Præterea, n. 446.
§. Cæterùm; n. 431.
§. Verùm; fin. n. 450.
Clem. 3. n. 276. & ſeq.
Clem. 4. o. 286.
Clem. 5. n. 385.
Clem. 6. n. 392.
Clem. 7. n. 158.
Clem. 8. & ult. n. 381.

IN EXTRAVAGANTIBUS Joan. XII.

Extrav. 1. n. 451.
Extrav. 2. n. 452.

IN EXTRAVAGANTIBUS communibus.

Extrav. 1. n. 293. & ſeq.
Extrav. 2. n. 257.
Extrav. 3. n. 331.
Extrav. 4. n. 332.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

Pag. 328.

§. I. *A quo, & cujus auctoritate translatio Epiſcopi, vel alterius Prælati inferioris fieri poſſit? pag.* 329.

QUÆRITUR I. A quo, & cujus auctnritate fieri poſſit translatio Epiſcnpi? R. Epiſcopus propriâ aoctnritate ad aliam Eccleſiam tranſire noo poteſt, n. 2. Sed ſolâ aoctntitate Apoſtolicâ, n. 3, & 5. neque Epiſcopi confitmati, etſi non cnnſecrati. n. 5. uſq; ad 10.

Q. II. A quo transfetti poſſint alij Prælati inferiotes? R. Auctotitate ſui Epiſcopi. n. 10.

§. II. *De pœna Epiſcopi propriâ auctoritate tranſeuntis ad aliam Eccleſiam, &, an is cogi poſſit ad tranſeundum? pag.* 332.

QUÆRITUR I. Quæ ſit pœna Epiſcopi, qui prnptiâ auctnritate ab una Eccleſia ad aliam tranſit? R. Ut ortâque cateat. n. 11. & ſeq. Q. II. An S. Pnntifex poſſit Epiſcopum invitum ab una Eccleſia ad aliam transferte? R. Poteſt ob caoſam cnmmunis neceſſitatis, vel utilitatis. n. 13.

§. III. *De modo, quo facienda eſt translatio Epiſcopi, & de cauſis, & effectibus ejuſdem, pag.* 333.

QUÆRITUR I. Qunmodn fieri poſſit, vel debeat translatio Epiſcopi? R. Regulariter à minore ad majorem dignitatem. n. 14. & ſeq. Q. II. Ob quas cauſas fieri poſſit? R. Generatim duæ ſunt, neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ. n. 16. Q. III. Qui ſint effectus translatioois? R. Pet translationem Epiſcopi diſſolvitur matrimonium ſpirituale cum ptinre Eccleſia, & alteri Eccleſiæ jongitur, & ptinr Eccleſia vacat ipſo jure. n. 17.

SERIES CAPITULORUM.

Cap. 1. n. 3. & ſeq.
c. 2. nom. 5. & dunbus ſeqq.
c. 3. n. 11. & ſeq.
c. 4. in princ. n. 8. &
§. Hnc autem; n. 14. ſeq.

TITVLVS VIII.

DE AUCTORITATE, ET USU PALLII. *pag.* 335.

§. I. *Quid ſit Pallium, à quo, quibus, quando, & quomodo petatur, & tradatur? pag.* 335.

Quærtur I. Quid ſit Pallinm? R. Deſcriſcribitur ibid. n. 1. Q. II. A quo conferri poſſit, ac peti debeat? R. Propriâ auctoritate à ſolo S. Pontifice, ex privilegio etiam ab alijs quibuſdam Patriarchis. n. 2. Q. III. Quibus concedatur? R. 1. S. Pontifici. R. 2. Archiepiſcopis, iiſque Superioribus. R. 3. Etiam quibuſdam Epiſcopis, ex privilegio. n. 3. Q. IV. Intra quod tempus petendum ſit Pallium, & quâ formâ tradendum? R. Intra tres menſes. n. 4. forma autem traditur. n. 5.

§. II. *De uſu Pallij. pag.* 336.

Quæritur I. In quo loco, & quando licitum ſit, uti Pallio? R. Semper, & ubique locorum ſolus Pontifex Pallio utitur. n. 7. Archiepiſcopus nec ſemper, nec ubique, ſed ſolùm in Eccleſijs ſuæ Provinciæ, & inter Miſſarnm ſolemnia, ac permiſſis diebus. n. 8. uſq; ad 13. Q. II. An, & quando Archiepiſcopus poſſit, vel etiam debeat celebrare ſinè Pallio? R. Poteſt tam in ſua, qnàm alienâ Diœceſi, & debet etiam celebrare ſinè Pallio in Miſſis defunctorum. n. 13.

Q. III. An per conſuetudinem obtineri poſſit, ut liceat uti Pallio in aliena Provincia? R. Nec per immemorialem quidem. n. 14. & 15.

§. III. *De auctoritate Pallij, ſive quæ poteſtas per illud conferatur, & an ad alios transferri poſſit? pag.* 338.

Quæritur I. Quid juris, & poteſtatis per Pallij traditionem conſequatur Archiepiſcopus? R. Confertur plenitudo Pontificalis officij. n. 16. & duobus ſeqq. Q. II. An Pallium ad alios transferri poſſit? R. Non poteſt. n. 19. & ſeq.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	c. 5. n. 14. & ſeq.
Cap. 1. n. 8.	c. 6. n. 9. & tribus ſeqq.
c. 2. n. 19. & duob. ſeqq.	c. 7. & ult. n. 13.
c. 3. n. 16. & ſeqq.	Extravag. Joan. XXII.
c. 4. n. 5. & 7.	Unica n. 6.

TITVLVS IX.

DE RENUNCIATIONE. *Pag.* 339.

Sectio I. ***De renunciatione in genere, ejúſque diviſione.*** *pag.* 340.

§. I. *De tacita renunciatione beneficiorum. pag.* 340.

Assertio I. Renunciatio tacita beneficij eſt, per quam ex ipſius juris conſtitutione abſque verbis expreſſis, ipſo facto amittitur beneficium. n. 2. & 3.

Aſſ. II. Quando Canones inducunt renunciationem beneficij ex actu aliquo, non eſt facilè præſumendũ, aliquem renunciâſſe ſuo beneficio; ſed diligenter inquirenda eſt ejus præſumpta voluntas. n. 5. Exempla tacitæ renunciationis ponuntur. n. 6. & ſeqq.

§. II. *De expreſſa renunciatione Beneficiorum. pag.* 343.

Assertio I. Expreſſa renunciatio beneficij eſt dimiſſio ſpontanea, & libera beneficij obtenti, facta cum cauſa coram legitimo Superiore eam acceptante. n. 10. Aſſ. II. Renunciatio expreſſa duplex eſt, una pura, & ſimplex, altera conditionalis. n. 11.

Sectio II. ***De beneficiis, quæ reſignari poſſunt, vel non.*** *pag.* 344.

§. I. *Quæ beneficia reſignari poſſint? pag.* 344.

Assertio I. Omnia beneficia Eccleſiaſtica reſignari poſſunt, niſi quæ ſpecialiter prohibentur. n. 12. Aſſ. II. Quænam in ſpecie reſignari poſſunt? n. 13.

§. II. *Quæ beneficia reſignari non poſſunt? pag.* 345.

Assertio I. Non poteſt reſignari beneficium litigioſum. n. 14. Aſſ. II. Nec beneficia unita, etiam antequam unio ſortiatur effectum. num. 15.

Aſſ. III. Nec beneficia in commendam temporalem data ob utilitatem Eccleſiæ. n. 16. Aſſ. IV. Nec penſiones conſtitutæ loco beneficij in favorem alterius. n. 17.

Sectio III. ***De iis, qui poſſunt renunciare beneficiis, & iis, quibus poſſunt illa reſignari.*** *pag.* 346.

§. I. *Qui poſſint beneficia reſignare? pag.* 346.

Assertio I. Ordinariè omnes beneficiati reſignare poſſunt ſua beneficia. n. 18. & 19. idque procedit potiſſimùm in renunciatione Canonicatuum, & ſimilium beneficiorum ſimplicium. n. 21. Aſſ. II. Etiam Clerici minores 25. annis, ſed majores 14. reſignare poſſunt beneficia, quæ obtinent. n. 22. & 23.

Aſſ. III. Parochus, qui intra annum, poſt obtentam parochiam, promoveri debet ad Sacerdotium, poteſt intra annum, etiam in fine illius, reſignare parochiam. n. 24. Aſſ. IV. Clerici beneficiati, qui Religionem ingredi volunt, poſſunt intra annum probationis reſignare ſua beneficia etiam in favorem alterius, ſpectato jure antiquo: aliud poſt Concil. Trident. n. 25. Aſſ. V. Clerici criminoſi, qui non ſunt privati ipſo jure ſuis beneficijs, poſſunt illa reſignare etiam in favorem alterius. n. 26. & 27. Aſſ. VI. Clerici, qui habent jus ad rem duntaxat ad beneficium, poſſunt illud reſignare purè, & ſimpliciter; non autem in favorem alterius. n. 28. Imò etiam reſignatarius poteſt beneficium reſignatum alteri reſignare. n. 29.

§. II. *An, & quomodo Clerici infirmi poſſint beneficia reſignare? pag.* 351.

Assertio I. Poſſunt jure commmuni reſignare beneficia, quæ obtinent, etiam in favorem alterius. Aliud eſt ſecundùm Reg. Cancellariæ Apoſtolicæ. n. 30. Aſſ. II. In quibus beneficijs habeat locum prædicta Regula? n. 31. & 32. quæ requirantur, ut locum habeat eadem Regula? n. 33. 34. & 35.

§. III. *Qui beneficia reſignare non poſſint, & quibus poſſint reſignari? pag.* 353.

Assertio I. Clerici ob crimen ipſo jure privati beneficijs non poſſunt illa reſignare, neque intruſi, nec ij, qui ad ſecundum beneficiũ cum priore incompatibile, promoti ſunt. n. 36. Aſſ. II. Nec furioſi, & mente capti. n. 37. Aſſ. III. Omnibus Clericis reſignari poſſunt beneficia, modò ſint idonei. n. 38.

Sectio IV. ***De Cauſis, ob quas renunciationes beneficiorum validè, & licitè fieri poſſunt*** *pag.* 354.

§. I. *Ex quibus cauſis Epiſcopus poſſit, aut debeat Epiſcopatui renunciare? pag.* 354.

Prima cauſa eſt conſcientia criminis. n. 41. & 42. Secunda cauſa eſt debilitas corporis. n. 43. 44. & 45.

& 45. Tertia eſt defectus ſcientiæ. n.46. Quarta malitia plebis. num. 47. Quinta grave ſcandalum populi. n. 48. Sexta cauſa eſt irregularitas perſonæ. n.49.

§. II. *An ex alijs cauſis, præter ſex allatas, Epiſcopus renunciare poſſit Epiſcopatui? pag. 357.*

Assertio I. Probabile eſt, etiam ex alijs cauſis poſſe Epiſcopum renunciare Epiſcopatui. num. 50. Aſſ. II. Sinè juſta cauſa non poteſt perere licentiam cedendi. n. 51. Aſſ. III. Non eſt juſta cauſa reſignandi ingreſſus Religionis. n. 52. & 53.

§. III. *Ex quibus cauſis fieri poſſit renunciatio aliarum dignitatum Eccleſiaſticarum, & beneficiorum curatorum, & etiam ſimplicium? pag. 359.*

Assertio I. Ob eaſdem cauſas, ob quas Epiſcopatus, etiam reſignari poſſunt dignitates inferiores, & alia beneficia. n. 54. Aſſ. II. Ob quas cauſas in ſpecie reſignari poſſint, narratur. n. 55. Aſſ. III. Cum duabus tamen conditionibus. n. 56.

Sectio V. *Coram quo Superiore, & cujus auctoritate renunciatio beneficiorum facienda eſt, & admittenda? pag. 360.*

§. I. *An Clericus beneficiatus poſſit propriâ auctoritate, ſinè conſenſu Superioris, beneficium reſignare? Pag. 360.*

Assertio I. Clerici beneficiati non poſſunt beneficia ſua, ſinè conſenſu Epiſcopi dimittere, ſeu reſignare. n. 57. Aſſ. II. Beneficium litigioſum, etſi probabiliter reſignari poſſit, ſinè auctoritate Superioris: contrarium tamen quoque probabile eſt. n. 58. Aſſ. III. Cur autem Clericus criminoſus reſignare poſſit ſinè auctoritate Superioris, declaratur. n. 59. Aſſ. IV. Si beneficiatus Religionem ingredi velit, ſufficit licentiam petere ab Epiſcopo ingrediendi, &, ſi eam non obtineat, tranſire poteſt. n. 60. Aſſ. V. Acquirens beneficium incompatibile cum priore debet prius dimittere coram Superiore. n. 61. An obtinens beneficium poſſit illud dimittere, acceptando aliud beneficium compatibile, ſinè conſenſu Superioris primi beneficij, reſolvitur. n 62.

§. II. *An renunciatio beneficij facta, ſinè Superioris auctoritate, ſit valida? pag. 362.*

Assertio I. Renunciatio beneficij facta coram laico irrita eſt. n. 63. Aſſ. II. Renunciatio beneficij facta in manibus etiam Clerici non habentis poteſtatem admittendi reſignationem valida eſt, in præjudicium renunciantis; invalida quoad Superiorem, coram quo reſignari debuiſſet. n. 64. Id tamen limitatur. n. 65. Aſſ. III. Poteſt tamen renuncians beneficio coram Clerico non habente poteſtatem admittendi, antequam legitimus Superior renunciationem admittat, revocare illam. n. 66.

§. III. *Quinam habeant poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum, vel non? pag. 364.*

Assertio I. Renunciatio beneficij non poteſt fieri coram laico. n. 68. Aſſ. II. In ſpecie autem poteſtas admittendi renunciationes omnium beneficiorum competit S. Pontifici. n. 70. Aſſ. III. Et Legatis de Latere. n. 72. Aſſ. IV. Item Epiſcopo, ſeu Ordinario loci. n. 73. Aſſ. V. Denique etiam Capitulo Cathedrali, vel Eccleſiæ Collegiatæ Inſignis, Sede vacante. n. 74. An ſecundùm Concordata Germaniæ, caſu, quo Epiſcopus reſignet Epiſcopatum in manus Papæ, electio novi Epiſcopi ad Capitulum pertineat, an verò ad Papam? n. 75.

§. IV. *Quinam habeant poteſtatem admittendi renunciationes beneficiorum puras, ſeu ſimplices, aut conditionales. pag. 367.*

Assertio I. Renunciatio ſimplex poteſt admitti coram Epiſcopis, aliiſq; Ordinarijs. n. 76. Aſſ. II. Reſignatio in favorem tertij non poteſt fieri, niſi in manibus Papæ. n. 77. Aſſ. III. Nec poteſt Epiſcopus renunciationem factam in favorem tertij abſolutè admittere, rejectâ illâ conditione. n. 78. Aliud eſt, ſi renunciatio beneficij facta ſit abſolutè, licèt ſub modo appoſito. n. 79. Aſſ. IV. Renunciatio beneficij conditionalis facta, cum reſervatione certæ penſionis, non poteſt fieri coram Epiſcopis. n. 80. Aſſ. V. Renunciatio beneficij cum reſervatione regreſsûs, ingreſsûs, vel acceſsûs, non poteſt fieri, niſi coram ſolo Papa. n. 81. Aſſ. VI. Etſi renunciatio ex cauſa permutationis fieri poſſit coram Ordinario; non tamen renunciationes beneficiorum, reciprocæ. n. 82. & 83.

Sectio VI. *De modo, quo fieri debet, vel poteſt renunciatio beneficiorum. pag. 369.*

§. I. *Quæ requirantur ad legitimam renunciationem beneficiorum faciendam. pag. 369.*

Assertio I. Requiritur 1. Ut renunciatio ſit ſpontanea, & libera. n. 84. Aſſ. II. Debet etiam fieri purè, ſinè pecunia, conditione, modo, vel pacto ſimoniaco. n. 85. Aſſ. III. Requiritur etiam conſenſus patroni, ſi reſignetur beneficium patronatum. n. 86. Aſſ. IV. Reſignatio beneficij debet etiam fieri expreſſis verbis. n. 87.

§. II. *De renunciationibus quibuſdam beneficiorum in ſpecie, an ſint ſimoniacæ, nécne? pag. 370.*

Quæritur I. An renunciatio beneficij in favorem alterius facta ſit ſimoniaca? R. Non continet ſimoniam contra jus naturale, & Divinum, nec contra jus poſitivum. n. 89. Q. II. An renunciatio beneficij facta cum reſervatione annuæ penſionis, ſit ſimoniaca? R. Non eſſe, ſi penſio ſit moderata, & legitimâ auctoritate conſtituta. num. 90.

Q. III. An renunciatio beneficij cum pacto ſolvendi expenſas, ſit ſimoniaca? R. Etſi videatur eſſe licita, contrariũ tamen eſt omninò verum. n. 91.

§. III. *An, & quo pacto contra repetentem beneficium ſpontaneæ renunciationis, exceptio opponi poſſit? pag. 372.*

R. De hoc agitur in c. Super hoc; 5. h. t. n. 92. & duobus ſeqq.

§. IV. *De renunciatione beneficiorum, quæ fit per Procuratorem. pag. 373.*

Quæritur I. An, & quomodo renunciatio beneficij fiat per Procuratorem? R. 1. Renunciare quis poteſt etiam per Procuratorem. n. 93. R. 2. Etiam plures Procuratores conſtitui poſſunt ad reſignandum beneficium, & vel in ſolidum ſinguli, vel omnes ſimul. n. 95. Q. II. Quæ requirantur ad legitimam conſtitutionem Procuratoris ad reſignandum beneficium deputati? R. Inprimis ſpe-

ciale mandatum. 2. Idque ſcriptum, & obſignatum. 3. Ut Procurator ſit liberè conſtitutus, non coactè. 4. Ut inſtromentum non ſit raſum, & deletum. n. 96. Q. III. An beneficium reſignari poſſit per Procuratores coram quolibet Superiore poteſtatem habente admittendi renunciationem? R. Ad reſignandum ſimpliciter poteſt fieri reonunciatio per Procuratorem, etiam coram Ordinario: ad reſignandum verò certo modo, & conditione ſolùm coram Papa. num. 97. & 98.

Q. IV. An, & quâ ratione Procurator ad renunciandum datus revocari queat? R. Revocari poteſt ante factam reſignationem. num. 99. & duobus ſeqq. Q. V. An mandatum Procuratoris datum ad reſignandum beneficium morte mandantis extinguatur? R. affirmativè. n. 102.

§. V. *De publicandis reſignationibus beneficiorum. pag. 376.*

Quæritur I. Ob quam cauſam reſignationes beneficiorum ſint publicandæ? R. Ad vitandas fraudes, & alia iocommoda. o. 103. Q. II. Quænam reſignatiooes beneficiorum ſint publicandæ? R. Regulariter omnes. num. 104. Q. III. Quinam beneficia reſignata pnblicare debeant? R. Omnes reſignatarij etiam exempti. n. 105. Q. IV. An publicanda ſit reſignatio beneficiorum, quomodocunque facta fuerit? R. affirmativè. num. 106.

Q. V. Iotra quod tempus fieri debeat publicatio reſignationum? R. Factæ in Curia Romana citra montes intra ſex menſes, ultra montes intra 9. menſes. n. 107. Q. VI. Ubinam, & quomodo publicationes beneficiorum reſignatorum fieri debeant? R. In Eccleſia beneficij reſignati, & in Cathedrali, ſi verò ſit beneficium, quòd populo careat, in Parochiali, & in Cathedrali. n. 108. Q. VII. Quæ ſit pœna non factæ publicationis? R. Reſignatio eſt irrita. o. 109.

Sectio VII. *De effectibus Renunciationis. Pag. 377.*

§. I. *Qui ſint effectus renunciationis puræ, ac ſimplicis? pag. 377.*

Assertio I. Primus, ac præcipuus eſt, quòd beneficium reſignatum vacet. n. 110. Aſſ. II. Non ſolùm is, qui eſt inſtitutus in beneficio, ſed etiam, qui taotùm electus eſt ad beneficium, illud amittit per renunciationem. n. 111. Aſſ. III. Etiam ij, qui licentiam tantùm cedendi beneficio petierunt, & obtinuerunt, cedere coguntur. n. 112. & 113.

§. II. *An renuncians redire poſſit ad beneficium reſignatum, & an deſcendere à dignore beneficio ad minus dignum? pag. 379.*

Quæritur I. Ao renuncians poſſit beneficium reſignatum denno conſequi? R. Poteſt ex novo titulo ſuperveniente. n. 114. & n. 115. Q. II. An renuncians beneficio majori poſſit deſcendere ad mious? R. Poteſt aliud inferius beneficium conſequi. n. 117.

§. III. *De effectu renunciationis conditionalis, & reſignatione beneficij in fraudem alterius factâ. pag. 382.*

Quæritur I. Quem effectum, & quando conſequatur renunciario beneficij cooditionalis? R. Regulariter oon ante impletam conditionem. o. 120. Q. II. An renunciatio beneficij in fraudem alterius facta effectum habeat? R. Talis renunciatio effectum non habet. n. 121.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	c. 10. n. 40. uſque ad 50. Item n. 51.
Cap. 1. n. 44.	c. 11. n. 115. & ſeq.
c. 2. n. 114.	c. 12. n. 112.
c. 3. n. 3. & ſeq.	c. 13. n. 8.
c. 4. n. 57.	c. 14. & ult. n. 9. & 71.
c. 5. n. 92.	In Sexto.
c. 6. n. 111.	c. 1. n. 19. & ſeq.
c. 7. n. 6. & ſeq.	c. 2. n. 121. & ſeq.
c. 8. n. 63.	In Clementinis.
c. 9. n. 117. & ſeqq.	Clem. unic. n. 99. & ſeq.

TITULUS X.
DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM. *pag. 383.*

§. I. *Quomodo defectus, ſeu negligentia Prælatorum inferiorum, commiſſa in conferendis beneficijs, per devolutionem poteſtatis eorum ad Superiores ſuppleatur? pag. 383.*

Assertio I. Si Ordinarius collator intra tempus à jure præfixum beneficium vacans non contulerit, jus conferendi regulariter ad immediatum Superiorem devolvitur. n. 1. Aſſ. II. Si Capitulum Eccleſiæ Cathedralis beneficia ad ſuam collationem ſpectantia, intra tempus jure definitum, conferre negligat, jus conferendi ad Epiſcopum devolvitur: & vice verſâ ad Capitulum, ſi Epiſcopus negligat conferre beneficia ad ſuã provisionem jure proprio ſpectantia. n. 2. & 3. Aſſ. III. Si privati jure conferendi beneficia, poſt tempus elapſum ad conferendũ, conferant, collatio eſt invalida, niſi toleretur. n. 4. & 5.

§. II. *Per quem, & quomodo Prælatorum Regularium negligentia in conferendis beneficijs, vel præſentando ad illa ſuppleatur? pag. 385.*

Assertio I. Si Prælati Regulares beneficia ſecularia, vel regularia intra ſex menſes non conferant, jus conferendi ad Epiſcopum devolvitur; ſi ei ſint ſubjecti: ſi verò ſint exempti; ad Papam, ſi etiam beneficia ſint exempta; alioquin ad Epiſcopum Diœceſanum, qui auctoritate Apoſtolicâ providebit; ſi beneficia ipſa nõ ſint exempta. o. 6. & duob. ſeqq. Aſſ. II. Si Prælatus Regularis, ad quem jus patronatûs ſpectat alicujus Eccleſiæ, intra tempus legitimum præſentare neglexerit; tum jus providendi ad Epiſcopum devolvitur, ſed pro ea vice tantùm. n. 9. & 10.

§. III. *Quomodo, & per quos in alijs, præter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus Prælatorum ſuppleatur, etiam Eccleſiâ vacante? pag. 387.*

Assertio I. Probabilius eſt, quòd juriſdictio Epiſcopi propter ejus negligentiam, non devolvatur ad Archiepiſcopum, niſi in caſibus jure expreſſis. n. 11. & 12. Aſs. II. Si Epiſcopus fuit excommunicatus ab Archiepiſcopo, ideóque ſuſpenſus ſit ab officio ſuo, oon tamen ideo juriſdictio in ſobditos ad euodem devolvitur, ſed ad Papam. n. 13. & 14. Aſs. III. Si Epiſcopus impeditus ſit, vel inutilis ad admioiſtrationem, ob impedimentum perpetuum, vel diu duraturum, juriſdictio non ad Metropolitanum, ſed ad Capitulum Cathedrale devolvitur io temporalibus, & ſpiritualibus. n. 15. & 16. Aſs. IV. Interdum negli-

negligentia, vel defectus Prælati ſuppletur per dationem curatoris, ſeu coadjutoris. n. 17. 18. & 19. Aſs. V. Eccleſiæ Cathedrali vacanti ſolus Papa adminiſtratorem dare poteſt, niſi Capitulum negligenter, & per malitiam adminiſtraret; tunc Archiepiſcopus conſtituere poterit, n. 20. & 21. & quam poteſtatem habeat adminiſtrator à Capitulo, vel Archiepiſcopo conſtitutus. n. 22. & 23. Et an etiam Capitulum adminiſtratorem conſtituere poſſit, Epiſcopali Sede vacante. n. 24. Aſs. VI. Aliquando etiam propter negligentiam Prælati ſuperioris devolvitur eius poteſtas ad Prælatum inferiorem. n. 25. & 26.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.	c. 2. n. 18. & ſeq.
c. 1. n. 25. & ſeq.	c. 3. n. 15.
c. 2. n. 9. & ſeq.	c. 4. & ult. in princ. n. 20. & ſeq.
c. 3. n. 1.	§. Huiuſmodi. n. 22. & ſeq. & n. 14.
c. 4. n. 4. & ſeq.	IN CLAMANTINIA.
c. 5. & ult. n. 2. & ſeq.	Clem. un. n. 6. & duobus ſeqq.
IN SEXTO.	
c. 1. n. 13. & ſeq.	

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, & qualitate Ordinandorum. *pag.* 391.

SECTIO I. *De Ordinationibus, & qualitate Ordinandorum, poteſtate Ordinandi, & accidentibus Ordinationum. pag.* 392.

§. I. *An prima Tonſura, & Epiſcopatus ſint Ordines, & quidem diſtincti à cæteris Ordinibus? pag.* 392.

QUÆRITUR I. An prima Tonſura Clericalis ſit Ordo? Reſp. Probabilius eſt, non eſſe. num. 1. Q. II. An Epiſcopatus ſit Ordo adæquatè diſtinctus à Sacerdotio? Reſp. Probabilius eſt, eſſe. n. 2. 3. 4. & 5.

§. II. *De ordinandis, & quinam Iure Divino inhabiles ſint ad Ordines ſuſcipiendos? pag.* 395.

AASERTIO I. Jure Divino incapax eſt Ordinis fœmina. n. 6. Aſs. II. Non baptizatus. n. 7. Aſs. III. Ordinatus per vim abſolutam: ſecus, ſi ſit ordinatus per metum gravem injuſtè incuſſum; tum enim Ordo validè eſt collatus, etſi non obligetur ad votum continentiæ annexum ſervandum. n. 8. 9. & 10.

§. III. *Quinam Iure humano, ſeu Eccleſiaſtico prohibiti ſint Ordines ſuſcipere? pag.* 396.

ASSERTIO I. Illicitè ordinantur, qui legitimam ætatem ad Ordines requiſitam non habent. n. 11. & 12. Aſs. II. Ordinari etiam prohibentur illiterati. n. 13. & 14. III. Criminoſi. n. 15. & tribus ſeqq. IV. Omnes infames. n. 19. & plures alij, de quibus. n. 20.

§. IV. *De his, qui ordinandi poteſtatem ordinariam habent. pag.* 400.

ASSERTIO I. Ea competit ſolis Epiſcopis, tanquam miniſtris Ordinariis. n. 21. Aſs. II. Etiam Epiſcopi hæretici, excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti Ordines validè conferunt. num. 22. Aſs. III. Nullus Epiſcopus ordinare poteſt, niſi ſubditos; alienos verò non ſine proprij Prælati licentiâ. n. 23. idque extenditur n. 24. & ſeqq. & limitatur n. 28. & 29.

§. V. *Quinam Epiſcopi ſint proprij ad conferendos Ordines, & qui ob ſpecialem prohibitionem certos quoſdam ordinare non poſſint? pag.* 402.

QUÆRITUR. I. An plures ſint Epiſcopi proprij ad conferendos Ordines? R. Triplex eſt Epiſcopus proprius; originis, domicilij, & beneficij. n. 30. & quatuor ſeqq. Q. II. An, & quando ordinatus ab uno Epiſcopo non poſſit ab alio promoveri ad ſuperiorem Ordinem? Reſp. Non poteſt, ſi ſit ordinatus ab uno ad certæ Eccleſiæ ſervitium. n. 35. nec ordinatus à Papa, ſine eius licentia. n. 36. Q. III. An, & quâ ratione prohibitum ſit, Clericos Latinos ordinari ab Epiſcopis Græcis, & è converſo Græcos à Latinis? R. De hoc agitur n. 37. & 38. Q. IV. An, & qua ratione prohibitum ſit Epiſcopis Italiæ ordinare Ultramontanos? R. de hoc agitur n. 39. & 40.

§. VI. *Quinam habeant poteſtatem extraordinariam, aut delegatam conferendi Ordines? pag.* 406.

QUÆRITUR I. Quibus Abbatibus competat poteſtas conferendi Ordines, & quos, ac quibus perſonis? R. Jure antiquo, omnes Abbates Regulares, modò Presbyteri fuerint, & benedicti, primam Tonſuram, & aliquos Ordines minores conferre poſſunt. n. 41. Jure verò Concilij Trident. omnes quatuor Ordines minores Regularibus ſubditis ſuis cōferre poſſunt, ſi ſint Sacerdotes, & mitrati, vel ex privilegio Sedis Apoſtolicæ Pontificalia exercere poſſint, perinde, acſi benedicti eſſent. n. 42. & tribus ſeqq. An autem poſt Concilium Trident. Prælati proprium territorium quaſi Epiſcopale habentes primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores conferre poſſint, dubitatur, de quo n. 46. Q. II. An aliis quoque Sacerdotibus, vel Clericis delegari poſſit poteſtas ordinandi? R. Poteſt cuivis Sacerdoti, ex ſpeciali privilegio S. Pontificis committi. n. 47. ſaltem ut conferre poſſit Subdiaconatum, & Diaconatum, non autem Presbyteratum. n. 48. Q. III. An ordinatio facta ab Abbate contra formā facultatis ordinandi ſibi conceſſæ, ſit illicita, & invalida? R. Probabilius eſt, Ordinationem, non ſolùm illicitam, ſed etiam invalidā eſſe. n. 49. & 50. Q. IV. Quæ ſit pœna Abbatis ordinantis alios, quàm ſubditos Regulares? R. incurrit pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium abſolutè; & ſic ordinati ab executione Ordinum ſuſpenduntur. n. 51.

§. VII. *De litteris dimiſſoriis. pag.* 410.

QUÆRITUR I. Quinam dare poſſint litteras dimiſſorias, & quibus? R. S. Pontifex omnibus Chriſtianis. n. 53. II. Legatus Sedis Apoſtolicæ à Latere, non autem Archiepiſcopus Suffraganeorum. n. 54. III. Epiſcopus proprius. n. 55. IV. Prælati inferiores ſuis ſubditis, ſed non ad alienum Epiſcopum, niſi ex ſpeciali privilegio. n. 56. V. Vicarius generalis Epiſcopi non poteſt dare, niſi ſpeciale mandatum habeat, vel Epiſcopus ſit in remotis. n. 57.

VI. Capitulum olim poterat dare, Sede vacante, ſed hæc poteſtas per Concil. Trid. eſt reſtricta. n. 58. & duob. ſeqq. Eaſdem poteſt dare Vicarius Capituli, Sede vacante, datus. n. 60. Q. II. An, & quâ ratione Prælati Regulares poſſint ſuis ſubditis Religioſis

giglosis dimiſſorias dare, & an etiam Novitiis? R: 1. Poſſunt ſecundùm formam præſcriptam à Clemente VIII. n.61. R. 2. Non poſſunt dare dimiſſorias Novitiis, niſi fortè privilegium habeant dandi dimiſſorias ad quemcunque Epiſcopum. n. 62. Poſſunt etiam Prælati Regularibus ſuis prohibere, ne Ordines ſuſcipiant, vel ad altiores aſcendant, etiam ob defectum occultum. n.63. & ſeq. Q. III. Quomodo concedi ſoleant dimiſſoriæ? R. Vel generaliter, vel ſpecialiter. n.65. & quid in illis exprimẽdum. n.66. Q. IV. Quàm diu dimiſſoriæ durent? R. Durant etiam poſt mortem, vel finitam poteſtatem concedentis. n.67.

§. VIII, *De Titulo, ad quem ordinandi ſunt Clerici. pag. 416.*

Pro quibus Ordinibus requiratur titulus, vel non. n.68. Quæritur I. Qualis ſit titulus beneficij, & quæ ad illum requirantur? R. De hoc agitur n.69. & duobus ſeqq. Q. II. Qualis ſit titulus patrimonij, & quæ ad illum requirantur? R. De hoc agitur n. 72. ad quem revocatur etiam titulus donationis, ſeu penſionis à laico aſſignatæ. n. 73. Q. III. Qualis titulus ſit, ad quem ordinandi ſunt Clerici Regulares? R. eſt titulus religioſæ Paupertatis, & Profeſſionis. n.75.

§. IX. *De loco, & temporibus Ordinationum. pag. 419.*

Quæritur I. In quo loco Ordines conferendi ſint? Reſp. 1. Minores poſſunt conferri in quovis loco; majores in Eccleſia Cathedrali, ex conſuetudine in qualibet Eccleſia Diœceſis. n.76. R. 2. Ordines omnes conferendi ſunt in propria Diœceſi, non in aliena, in qua nec propriis ſubditis conferri poſſunt, ſine licentia Ordinarij. n.77. Q. 2. Quibus temporibus Ordines conferendi ſint? R. Prima tonſura quolibet die; Ordines minores quovis die Dominico, aut feſto, ſaltem uni, vel alteri. n.78.

R. 2. Ordines ſacri non, niſi in quatuor temporibus, & aliis Ordinarionibus generalibus. n.79. ita, ut nec conſuetudine contrarium induci poſſit: per privilegium tamẽ Apoſtolicum etiam extra illa tempora poſſunt. n.80. in quovis feſto de præcepto, etiam particularis Eccleſiæ. n.81.

§. X. *De gradatione, & Interſtitiis Ordinationum. pag. 421.*

Quæritur I. Quo ordine, & quo intervallo temporis Ordines conferendi ſint? R. 1. Ordines gradatim conferri debent, ita, ut nullus per ſaltum, prætermiſſo Ordine inferiore, promoveatur. n. 82. R. 2. Temporum etiam interſtitia ſunt ſervanda. n. 83. R. 3. Duos Ordines ſacros, non poteſt quis eodem die ſuſcipere. n.84. & tribus ſeqq.

Reſp. 4. certa interſtitia inter Ordines ſacros præſcripta ſunt à Concil. Trident. n. 88. Q. II. Quis poſſit diſpenſare in interſtitiis Ordinum? R. 1. Epiſcopus cum ſuis ſubditis. n.89. R. 2. Cum Religioſis etiam exemptis; niſi Prælati Regulares iiſdem Ordines minores contulerint, vel ſint Prælati quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habẽtes in ſubditos. n.90. Q. III. Quæ ſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in interſtitiis Ordinum? R. in quibuſdam requiritur neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ; ſubinde relinquitur arbitrio Epiſcopi. n.91.

§. XI. *De pœnis Iure Canonico ſtatutis in malè, ſeu illegitimè promoventes, ac promotos ad Ordines. pag. 424.*

Quæritur I. Quæ ſit pœna Ordinantis, vel Ordinati ante legitimam ætatem? R. Ordinans aliquem, ante legitimam ætatem, à collatione Ordinum ſuſpendendus eſt; Ordinatus verò in Sacris ab eorum executione eſt ſuſpenſus. n.92. & quatuor ſeqq. Q. II. Quæ ſit pœna Ordinantis alienum ſubditum, & ſic ordinati? R. Ordinans ſcienter, ſine licentia proprij Epiſcopi, per annum à collatione Ordinum eſt ſuſpenſus. n. 97. & tribus ſeqq. Ordinati legitimam executionem Ordinum non habent. n.101. & tribus ſeqq. Q. III. Quæ ſit pœna ordinantis, vel ordinati in aliena Diœceſi ſine conſenſu Ordinarij loci? R. Ordinans ab exercitio Pontificalium; Ordinati ab executione Ordinum ipſo jure ſunt ſuſpenſi. n.105. Q. IV. Quæ ſit pœna Ordinantis, vel Ordinati extra tempora Jure ſtatuta? R. De Jure antiquo, ordinans privandus eſt poteſtate conferendi Ordines ſic collatos: Ordinati verò privandi ſunt per ſententiam: & quid de Jure novo. n. 106. In qua ſuſpenſione, & irregularitate probabiliter poteſt diſpenſare proprius Epiſcopus. n. 107. Q. V. Quæ ſit pœna Ordines conferentis, vel Ordinati, non ſervatis interſtitiis temporum? R. 1. Qui eodem die duos Ordines ſacros contulit, ſuſpendendus eſt à collatione utriuſque: recipiens verò ſolùm ab executione poſterioris Ordinis eſt ſuſpenſus. n.108. R. 2. Epiſcopus, qui ordinavit ſubditos, non obſervatis interſtitiis temporum, nullam pœnam incurrit: nec ſic Ordinati. n.109. Q. VI. Quæ ſit pœna Epiſcopi Ordinantis aliquem ſine titulo menſæ, aut ſic ordinati?

R. Epiſcopus conferens Ordinem ſacrum debet tali providere neceſſaria alimenta, donec beneficium acquirat. n.110. exceptis certis caſibus. n.111. R. 2. Ordinatus, ſi in culpa non fuit, nullam pœnam incurrit. n.112. & 113. An Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, ſi Ordines ſuſcipiat, ſuſpenſionẽ, vel irregularitatem incurrat? n.114.

§ XII. *De Ordinatione, ſeu Conſecratione Archiepiſcopi. pag. 432.*

De hac agitur n. 115. & 116. quod hodie tamen immotatum eſt.

Sectio II. ***De Poteſtate exercendi alia Pontificalia, præter collationem Ordinum pag. 433.***

§. I. *De Inſigniis Pontificalibus, & poteſtate exercendi actus Pontificales, quæ Epiſcopis competit. pag. 433.*

Quæritur I. Quæ ſint Inſignia Pontificalia, & actus Pontificales proprij Epiſcoporum? R. 1. ea enumerantur. n. 117. R. 2. Actus Pontificales alij ſunt proprij Epiſcoporum, alij verò, qui aliis etiam non Epiſcopis committi poſſunt. cit. n. 117.

Q. II. An poſſit Epiſcopus exercere actus Pontificales, & uti Inſigniis Epiſcopalibus, extra Diœceſin ſuam? R. non poteſt eos, qui habent admixtam juriſdictionem, abſque licentia Ordinarij loci; poteſt tamen alios. n.118.

§. II. *De poteſtate exercendi Pontificalia, quæ competit Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus. pag. 434.*

Quæritur I. Quibusnam Prælatis, & quo jure com-

re com-

re competat jus utendi Inſignibus Pontificalibus, & exercendi actus Pontificales? R. competit jus utendi Pontificalibus pleriſque Abbatibus, ſeu Prælatis Ordinum non Mendicantium, non jure communi, ſed ex privilegio Sedis Apoſtolicæ. n. 119.

Q. II. An Prælatis non Epiſcopis competat poteſtas ſolemniter benedicendi populum? R. competit ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ. n. 120.

Q. III. An Abbates, ſeu Prælati inferiores non Epiſcopi poſſint veſtes ſacras, aliaque paramenta Altaris, vel etiam Corporalia benedicere? R. poſſunt ex privilegio, vel etiam conſuetudine. n. 121.

Q. IV. An Abbates poſſint conſecrare calices, patenas, pixides, & alia huiuſmodi vaſa ſacra, ad quæ unctio Chriſmatis requiritur? R. poſſunt ex privilegio Apoſtolico, non autem ex ſola conſuetudine, etiam immemoriali. n. 122. Q. V. An Abbates, aliique Prælati jus Pontificalia exercendi habentes poſſint conſecrare Eccleſias, & Altaria; vel Eccleſias, aut Cœmeteria violata reconciliare? R. jure communi non poſſunt; ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poſſunt. n. 123. & 124. & conciliare etiam Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria ſua polluta. n. 125.

Q. VI. An Abbates poſſint ſaltem ſolemniter benedicere Eccleſias, an Cœmeteria ſua, item conſecrare, ſeu benedicere Moniales? Reſp. 1. Prælati Ordinum Mendicantium poſſunt ex privilegio Eccleſias ſuas ſolemniter benedicere, pro ſuorum uſu tantùm, & abſque chriſmatis unctione. n. 126.

Reſp. 2. poſſunt Abbates benedicere Moniales, in quas quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habent ex privilegio Sedis Apoſtolicæ. n. 127. Q. VII. An Prælati Regulares, vel etiam Seculares poſſint Pontificalia exercere, & Inſignibus uti extra Eccleſias ſuas? Reſp. non poſſunt, abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, & Prælati eius loci. n. 128. & 129.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	c. 15. n. 86. & ſeq.
c. 1. n. 78. & 79.	c. 16. n. 107.
c. 2. n. 80. & 106.	c. 17. & ult. n. 16. & ſeq.
c. 3. n. 79.	IN SEXTO.
c. 4. n. 15.	
c. 5. n. 63. & ſeq.	c. 1. n. 39. & 40.
c. 6. n. 115.	c. 2. in princ. n. 97. & ſeqq.
c. 7. n. 116.	§. Si Clericis quoque n. 28.
c. 8. n. 106.	
c. 9. n. 37.	c. 3. in princ. n. 30. & ſeqq.
c. 10. n. 114.	§. Inferiores n. 56. & 57.
c. 11. n. 138.	§. Epiſcopo n. 57.
c. 12. n. 36.	§. Religioſi n. 25.
c. 13. n. 84. & ſeq.	c. 4. & fin. n. 11. 20. 24. & 94.
c. 14. n. 92. & ſeqq.	

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE faciendo. *pag.* 437.

QUÆRITUR I. Quid, & quotuplex ſit ſcrutinium? R. eſt examen Ordinandorum, idque duplex. n. 1. Q. II. quomodo, & quando inſtituendum ſit primum ſcrutinium, ante ordinationem? Reſp. prout præſcribitur in Concil. Trid. n. 2. & tribus ſeqq. Q. III. Quomodo peragatur ſecundum ſcrutinium in ipſo Ordinationis die? Reſp. prout præſcribitur Jure Canonico. n. 6. & 7. Q. IV. Quæ ſit pœna ordinatorum, ſine præmiſſo ſcrutinio?

R. Si ſint ignoti, aut indigni, deponendi ſunt. n. 8. Cap. unic. h. t. n. 6. & ſeq.

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, qui renunciavit Epiſcopatui, vel ab excommunicato. *pag.* 439.

Dupliciter poteſt fieri renunciatio Epiſcopatus vel loco tantùm, vel etiam Ordini. n. 1.

QUÆRITUR I. An Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, poſſit adhuc conferre Ordines? R. Qui loco tantùm, poteſt validè, & licitè omnes Ordines conferre, cum licentia alterius Epiſcopi: qui verò etiam Ordini, ſive dignitati Epiſcopali, maiores conferre non poteſt. n. 2. & 3. Q. II. quis diſpenſare poſſit cum Ordinatis? R. cum eo, qui ſcienter accepit ab Epiſcopo, qui dignitati etiam Epiſcopali renunciavit, Ordinem ſacrum, ſolus S. Pontifex: cum eo verò, qui Ordines minores, vel ſacrum, per ignorantiam non craſſam; etiam Epiſcopus n. 4.

Q. III. quis poſſit diſpenſare cum Ordinatis ab Epiſcopo excommunicato? R. cum ijs, qui ignoranter ordinati ſunt, Epiſcopus proprius diſpenſare poteſt. n. 5. nec excuſat metus Ordinati à pœna. n. 6.

SERIES CAPITULORUM.

c. 1. n. 2. & 4. c. 2. n. 5.

TITULUS XIV.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET Ordine præficiendorum. *pag.* 441.

§. I. *De qualitatibus requiſitis in promovendis ad beneficia, præſertim curata in genere. pag.* 441.

ASSERTIO I. Generatim requiritur ſcientia, morum honeſtas, & legitima ætas. n. 1. Aſs. II. Qui dignus cenſetur ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, etiam dignus cenſeri debet ad beneficium. n. 2. & quatuor ſeqq.

§. II. *Quæ ætas requiratur in præficiendis, ſeu promovendis ad beneficia Eccleſiaſtica, & quis in illa diſpenſare poſſit? pag.* 443.

ASSERTIO I. Ad Cardinalatum eadem ætas, quæ ad Epiſcopatum, nempe 30. annorum. n. 8.

Aſs. II. Ad dignitates non curatas, de Jure antiquo non conſtat, quæ ætas requiratur. n. 9. juxta Concilium Trid. requiruntur anni 22. ſaltem inchoati. eod. n. 9. & quæ ætas requiratur in dignitatibus Eccleſiæ Collegiatæ? n. 10. Aſs. III. in Vicariis perpetuis Eccleſiarum Parochialium requiritur eadem ætas, quæ in Parochis; ſicut in adminiſtratore Eccleſiæ Parochialis: in Pœnitentiario verò Eccleſiæ Cathedralis anni 40. completi. n. 11. Aſs. IV. Olim controverſia erat, quæ ætas requireretur ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis: poſt Concilium Trident. requiritur ætas, quam exigit Canonicatus ratione Ordinis ei annexi: aliàs verò ſufficiunt 14. anni inchoati. n. 12. Aſs. V. totidem anni requiruntur hodie juxta Concil. Trident. ad alia beneficia ſimplicia. n. 13. Cæterùm, etſi ad dignitates curatas vigeſimus quintus ſaltem inchoatus requiratur, id

tamen

tamen intelligendum eſt, ſi cura principaliter ſit annexa dignitati; ſecus, ſi acceſſoriè ſolùm; idémque, ſi dignitati non curatæ; vel Canonicatui acceſſoriè ſit annexum beneficium curatum: ſufficit enim tunc, ut proviſus ſit in ætate requiſitâ ad illam dignitatem, vel Canonicatum. n. 14. Aſſ. VI. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ætate jure communi requiſitâ in Ordinandis, vel præficiendis beneficiis. n. 15.

Aſſ. VII. Etſi Jure novo Decretalium Epiſcopus poſsit diſpenſare ad dignitates non curatas cum iis, qui vigeſimum annum compleverunt, poſt Concil. Tridentin. tamen non poteſt. n. 16. & 17. Eſt autem collatio beneficij facta alicui, ante legitimam ætatem, ipſo jure nulla. n. 18.

§. III. *Quæ ſcientia in promovendis ad dignitates, & alia beneficia Eccleſiaſtica ſit neceſſaria? pag. 447.*

Assertio I. Ea ſcientia requiritur, in genere loquendo, quæ ad officium beneficio annexum rite obeundum neceſſaria eſt: quâ ſi caret, illiteratus etiam acquiſitis beneficiis privandus eſt. n. 21. & 22.

Aſſ. II. Quæ ſcientia in ſpecie requiratur in Prælatis Epiſcopo inferioribus, & in beneficiis curatis. n. 23. Aſſ. III. De Jure antiquo nullus gradus Doctoratûs, vel Licentiæ requiritur in ullo beneficio: ſecus ſecundùm Concilium Trident. n. 24. An valeat impetratio beneficij requirentis gradum, ſi quis indignè ad illum promotus ſit? n. 25. In quo potiſſimùm inſtituendi ſint promovendi ad regimen animarum? n. 26.

§. IV. *Quæ morum, vitæque probitas requiratur in promovendis ad beneficia? pag 449.*

Assertio I. Requiritur honeſtas morum, adeóque, ut promovendus non ſit crimînoſus, nec infamis. n. 27. & 28. Aſſ. II. Requiritur etiam, ut non ſit cenſurâ ligatus, nec irregularis, nec perſonaliter interdictus, nec ſuſpenſus ab officio, & beneficio. n. 29. 30. cum tribus ſeqq.

§. V. *De Ordine requiſito in promovendis ad beneficia Eccleſiaſtica. png. 451.*

Quæritur I. Qualis Ordo requiratur in promovendo ad Epiſcopatum? R. debet eſſe actu Subdiaconus. n. 36. Q. II. Quis Ordo ſacer requiratur in promovendis ad dignitates Eccleſiaſticas, quibus cura animarum, & juriſdictio fori externi eſt annexa? R. Ut ſuſcipiant Ordinem requiſitum ad dignitatem. n. 37. & tribus ſeqq. ob neceſſitatem tamen, vel utilitatem Eccleſiæ, etiam in minoribus cõſtitutus ad dignitatem diſpenſativè promoveri poteſt. n. 40. Q. III. Qualis Ordo requiratur in promovendis ad Eccleſias Parochiales? R. Ut ſit Subdiaconus, diſpenſativè tamen etiam, qui in minoribus eſt conſtitutus, ita tamen, ut intra breve tempus in Presbyterum ordinari poſſit. num. 41. & 42.

Q. IV. Qualis Ordo requiratur in Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, ut vocem habere poſſint in Capitulo? R. De hoc agitur n. 43. & tribus ſeqq. & quid jure novo Concilij Trid. n. 47. Q. V. Quis diſpenſare poſſit in promovendis ad Canonicatus ſuper Ordinibus ſacris intra annum ſuſcipiendis?

R. Epiſcopus, & Capitulum poteſt ob cauſam ſtudiorum. n. 48. Q. VI. An in promovendis ad alia beneficia ſimplicia aliquis Ordo ſacer requiratur? R. Nihil de hoc jure communi ſtatutum eſt. n. 49. Q. VII. Qualis Ordo requiratur in Abbatibus habentibus poteſtatem conferendi primam Tonſuram, & Ordines minores? R. ut ſint Sacerdotes. n. 50.

§. VI. *An, & quâ ratione poſsit Epiſcopus Clericos ſibi ſubiectos compellere ad ſuſcipiendos Ordines beneficiis ſuis annexos, vel non annexos? pag. 457.*

Assertio I. Qui beneficia obtinent, poſſunt compelli ad Ordines iis annexos ſuſcipiendos. n. 51.

Aſſ. II. Si nullus Ordo ſit annexus, non poſſunt compelli ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, niſi neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ exigat. n. 52. & duobus ſeqq.

§. VII. *De duobus impedimentis dubiis, uno recipiendi ſacros Ordines, altero obtinendi Prælaturam? pag. 459.*

De his agitur n. 55. & 56.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.	
c. 1. n. 37. & ſeqq.	c. 12. n. 56.
c. 2. n. 15.	c. 13. n. 2. & ſeqq.
c. 3. n. 7. & 9.	c. 14. n. 26.
c. 4. n. 1.	c. 15. & ult. n. 21. & 22.
c. 5. n. 41. & ſeq.	In Sexto.
c. 6. n. 52. & ſeqq.	c. unic. n. 16.
c. 7. n. 55.	In Clementinis.
c. 8. n. 30. & ſeqq.	
c. 9. n. 36.	Clem. 1. n. 6.
c. 10. n. 40.	Clem. 2. n. 43. & ſeqq.
c. 11. n. 50.	Clem. 3. n. 19.

TITVLVS XV.

DE SACRA UNCTIONE.

pag. 460.

Quotuplex ſit Unctio, & qui inungendi? n. 1. & ſex ſeqq.

Cap. unic. h. t. n. 1. & ſeqq.

TITVLVS XVI.

DE SACRAMENTIS NON iterandis. *pag. 461.*

Assertio I. Quid ſupplendum ſit, ſi quid omiſſum ſit in collatione Subdiaconatûs, vel Sacramento confirmationis. n. 1. & 3. Aſſ. II. Quid faciendum, ſi manuum impoſitio omiſſa ſit in Ordinatione Presbyteri, vel Diaconi. n. 4. & 5.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 1. & ſeqq.	c. 3. n. 4. & ſeq.
c. 2. n. 6.	

TITVLVS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORdinandis, vel non. *pag. 463.*

§. I. *Quinam ob defectum natalium ab Ordinibus, & beneficiis Eccleſiaſticis repellantur? pag. 463.*

Assertio I. Filij Presbyterorum, aliique illegitimi ad Ordines ſacros non ſunt promovendi, niſi Religionem ingrediantur. n. 1. Aſſ. II. Nec ad Ordines minores ſine diſpenſatione. n. 2. Adferuntur plures exceptiones. n. 3. & tribus ſeqq. Ad Prælaturas illegitimi, etſi Religioſi facti ſint, non

poſſunt

poſſunt promoveri, ſine diſpenſatione Papæ. n. 7. neque Moniales. n. 8. Aſs. III. Omnes illegitimè nati ſunt irregulares, etiamſi defectus ſit occultus. n. 9.

Aſs. IV. Filij Sacerdotum etiam legitimi ſunt irregulares, ita, ut ad Ordines, & beneficia, ſine diſpenſatione, promoveri non poſſint. n. 10. & 11.

Aſs. V. Infantes vulgò expoſiti ſunt irregulares. n. 12. Quamvis aliqui probabiliter contrarium teneant. n. 13.

§. II. *Quis diſpenſare poſſit cum illegitimis, & qualis interpretatio facienda ſit in eiuſmodi diſpenſationibus? pag.* 467.

Assertio I. Ad Ordines majores, dignitates, & beneficia curata cum illegitimis ſolus Papa diſpēſare poteſt; ad minores Ordines, & beneficia ſimplicia, etiam Epiſcopus. n. 14. & quinque ſeqq.

Aſs. II. Jure communi ſolus Papa diſpenſare poteſt cum Religioſis illegitimis ad Prælaturas. n. 20.

Aſs. III. Diſpenſatio ſuper natalium defectu ſtrictè accipienda eſt, nec extendenda. n. 21. & duobus ſeqq. Illegitimus, cum quo ſuper certo Beneficio fuit diſpenſatum, hoc dimiſſo, aliud conſequi non poteſt ſine nova diſpenſatione, &c. n. 24. & 25.

§. III. *An, & quo pacto filij illegitimi, vel etiam legitimi Presbyterorum à beneficiis paternis, & Eccleſiæ paternæ arceantur, & quis cum ijs diſpenſare poſsit? pag.* 470.

Assertio I. Filius illegitimus Presbyteri, vel Clerici non poteſt habere beneficium in Eccleſia, in qua pater eius beneficium habuit, vel ex officio miniſtravit. 26. uſque ad 36. Aſs. II. Filius etiam illegitimè natus Presbyteri, vel Clerici non poteſt patri immediatè ſuccedere in beneficio, quod in titulum obtinuit. n. 36. idque extenditur ad nepotem. n. 37. & 38. & quid de nepote ex fratre? num. 39.

Aſs. III. Non poteſt etiam filius legitimus obtinere immediatè Vicariam perpetuam patris. n. 40. Poteſt mediatè. n. 41. Aſs. IV. Poteſt Vicariam temporalem patris. n. 42. & ſeq. Aſs. V. Poteſt filius legitimus idem beneficium obtinere, quod pater habuit mediatè. n. 44. Et quid de patre? n. 45.

Aſs. VI. Poteſt filius legitimus aliud beneficium obtinere in eadem Eccleſia, in qua pater habuit. n. 46. Aſs. VII. Solus Papa poteſt diſpenſare, ut filius etiam legitimus in eodem beneficio patri immediatè ſuccedat. n. 47. Aſs. VIII. Si Epiſcopus ex conceſſione Papæ cum filiis legitimis Sacerdotum diſpenſavit, non poſſunt vi reſcripti Apoſtolici poſtea contra eos impetrati removeri. n. 48.

§. IV *Quid Iure novo ſtatutum ſit circa ſucceſsiones filiorum illegitimorum in Eccleſiis, vel beneficiis paternis? pag.* 477.

De hoc agitur n. 49. & decem ſeqq. & quæ ſint quoad hoc differentiæ inter Jus antiquum, & novum. n. 60.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1.	c. 6. n. 35. & ſeq.
c. 2. n. 27.	c. 7. n. 44.
c. 3. n. 28.	c. 8. n. 42.
c. 4. n. 29.	c. 9. n. 48.
c. 5. n. 33.	§. 10. n. 32.
c. 11. n. 36.	c. 15. n. 30.
c. 12. n. 46.	c. 16. n. 31.
c. 13. n. 40.	c. 17. n. 47.
c. 14. n. 10. & ſeq.	c. 18. & ult. n. 14.

In Sexto.

c. 1. in princ. n. 15. & ſeqq.	§. Ille verò n. 23. & ſeq.
	c. 2. n. 25.

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINAMDIS, & eorum manumiſsione. *pag.* 480.

Quæritur I. An, & qualiter ſervi ordinari poſſint, vel non poſſint? R. 1. Non debent ordinari, niſi à ſuis dominis ſint manumiſſi. n. 1. R. 2. Si ſervus ſcienter, & nō contradicente domino ordinatus fuit, hoc ipſo liber fit. n. 3. R. 3. Quid juris ſit, ſi ſervus, ignorante Domino, ſcienter, vel ignoranter ab Epiſcopo ordinatus ſit. num. 4. Hodie, cùm Subdiaconatus ſit Ordo ſacer, quod ſtatutum eſt de ſervo facto Sacerdote, etiam extendi debet ad Subdiaconum. n. 5. Quid, ſi ſervus, ignorante domino, aut invito, ordinatus ſit Sacerdos? n. 6. & quid, ſi ſervus ordinatus ſit Diaconus, vel Subdiaconus, ignorante, vel invito domino? n. 7. Q. II. Quinam præterea ob defectum plenæ libertatis ordinari prohibeantur? De his agitur n. 8. Q. III. Quis in impedimento ſervitutis diſpenſare poſſit? R. Epiſcopus non poteſt, ſed ſolus Papa. n. 9. Q. IV. Qualiter fieri debeat manumiſſio? De hoc agitur n. 10. & duobus ſeqq.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 1.	c. 5. n. 2.
c. 2. n. 3.	c. 6. n. 12.
c. 3. n. 11.	c. 7. n. 5.
c. 4. n. 10.	c. 8. & ult. n. 8.

TITVLVS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ordinandis, vel non. *pag.* 483.

Aliud impedimentum ſuſcipiendi Ordines eſt obligatio ad rationes reddendas, ad quas tenentur Adminiſtratores, & officiales publici, qui, niſi prius depoſito munere, & rationibus redditis, ad Ordines admitti non poſſunt. n. 1. & 2. Excipiuntur Adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum, & alij quidam. n. 3. Et diſtinguendum eſt inter duplicem obligationem reddendi rationes. n. 4. & quid, ſi poſt redditas rationes, maneat aſtrictus debito? n. 5.

Cap. unic. n. 1. & ſeqq.

TITVLVS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, vel non. *pag.* 485.

Aliud impedimentum Ordinis eſt, quod provenit ex vitio corporis n. 1. Q. 1. Quinam ob corporis vitium repellantur ab Ordinibus ſuſcipiendis, vel non? R. 1. Qui defectu laborant impediente exercitium Ordinis, præſertim celebrationem Miſſæ, vel qui magnam deformitatem continet, ita, ut ſine ſcandalo celebrare non poſſint, ordinari non poſſunt.

ſunt. n. 2. Quinam ordinati non poſſint ob impotentiam celebrandi, vel exercendi Ordines? n. 3. & duobus ſeqq. Quinam ob notabilem deformitatem corporis? n. 6. & univerſim omnis deformitas magna impedit ſuſceptionem Ordinum, non autem modica. n. 7. & quænam in ſpecie illæ ſint? n. 8. & 9.

Q. II. Quâ ratione incurratur irregularitas propter vitium corporis ſuperveniens poſt Ordines ſuſceptos? R. Si ſuperveniat poſt Ordines ſuſceptos, inducit irregularitatem ſolùm quoad actum Ordinis, qui exerceri non poteſt ſine ſcandalo; non quoad alios actus. n. 10. Q. III. An, & quomodo irregularitas contrahatur, ſi defectus, ſeu vitium corporis accidat propriâ culpâ Ordinandi, vel Ordinati? R. Qui ſe ipſum propriâ culpâ mutilavit, vel mutilari fecit, eſt irregularis, etiamſi mutilatio non impediat uſum Ordinis, vel deformitatem inducat. n. 11. idque extenditur. n. 12. Aliud eſt, ſi quis, ſine propria culpa, ſit caſtratus, vel mutilatus. num. 13.

Q. IV. An, & quando contrahatur irregularitas ob morbum corporis? R. ſi morbus ſit incurabilis. n. 14. Q. V. Quis diſpenſare poſſit ſuper irregularitate orta ex defectu corporis? R. regulariter ſolus Papa. n. 15.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 4.	c. 5. n. 13.
c. 2. n. 7.	c. 6. n. 3.
c. 3. n. 13.	c. 7. & ult. n. 9.
c. 4. n. 12.	

TITVLVS XXI.
DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.
Pag. 489.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit bigamia? pag.* 490.

ASSERTIO I. Eſt defectus proveniens ex defectu ſignificationis Sacramenti. n. 1. Aſs. II. Eſt triplex, vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. n. 2. 3. & 4. veram bigamiam contrahit, qui cum duabus uxoribus ſucceſſivè matrimonium validè contraxit, & utrumque conſummavit. cit. n. 2. idque extenditur ad eum, qui duas uxores duxit, unam ante baptiſmum, alteram poſt. n. 6. Aſs. III. Bigamiæ interpretativæ quatuor ſunt modi, & quis ſit primus modus? n. 8. & quinque ſeqq. Quis ſecundus? n. 14. Quis tertius? n. 15. & 16. Quis quartus? n. 17. An dentur aliæ præterea ſpecies bigamiæ interpretativæ? n. 18.

Aſs. IV. An, & quando contrahatur bigamia ſimilitudinaria? n. 19. & 20. Aliud exemplum bigamiæ ſimilitudinariæ. n. 21.

§. II. *De effectibus, ac pœnis bigamiæ, & eius diſpenſatione. pag.* 495.

QUÆRITUR I. Quàm pœnam incurrant bigami, qui abſque diſpenſatione ſunt Ordinati? R. Excluduntur non tantùm à ſuſceptione omnium Ordinum, ſed etiam illegitimè ordinati privati ſunt executione eorundem. n. 22. 23. & 24. Q. II. Quæ ſit pœna bigami ordinati, & eum Ordinantis? R. Ordinans privandus eſt poteſtate Ordines collatos conferendi, & ordinatus Ordinis executione, ſi ſit ad ſacros Ordines promotus. n. 25. & 26. Q. III. An, & quis poſſit in irregularitate bigamiæ diſpenſare?

ASSERTIO I. Papa poteſt in omni bigamia. n. 27.

Aſs. II. Epiſcopus non poteſt cum bigamis veris, vel interpretativis, nec quoad ſacros, nec quoad minores Ordines ſuſcipiendos. n. 28. & 29. limitatur. n. 30.

Aſs. III. In bigamia ſimilitudinaria poteſt diſpēſare Epiſcopus certo modo. n. 31. Aſs. IV. Prælati Regulares cum ſuis ſubditis non poſſunt diſpenſare in bigamia vera, & interpretativa, ne quidem ad Ordines minores. n. 32.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.	c. 5. n. 12.
c. 1. n. 1.	c. 6. n. 4.
c. 2. n. 22. 25. & ſeq.	c. 7. & ult. n. 19. & ſeq.
c. 3. n. 22.	IN SEXTO.
c. 4. n. 15.	c. unic. n. 23.

TITVLVS XXII.
DE CLERICIS PEREGRINIS.
Pag. 499.

ASSERTIO I. Clerici peregrini remoti non ſunt admittendi, ac miniſtrare permittendi, niſi, ſe ordinatos eſſe, probent per quinque Epiſcoporum teſtimonia exhibita. n. 2. Et quid hodie poſt Concil. Trid. circa hoc ſit obſervandum? n. 3. & 4. Aſs. II. Non ſunt admittendi ad miniſtrandum in Ordinibus ſuſceptis, nec ad Superiores promovendi, ſi ſine litteris Ordinariorum ſuorum advenlant, etiamſi jurare velint, ſe ordinatos eſſe. n. 5. Aſs. III. Peregrini Sacerdotes non debent permitti celebrare in publico, coram populo, ſine litteris authenticis Ordinariorum; bene tamen in ſecreto. n. 6.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 2.	c. 3. n. 5.
c. 2. n. 4.	c. 4. & ult. n. 6.

TITVLVS XXIII.
DE OFFICIO ARCHIDIACONI.
Pag. 501.

§. I. *De Archidiacono, & an habeat dignitatem, & juriſdictionem? pag.* 501.

QUÆRITUR I. Quis dicatur Archidiaconus? item an, & quomodo differat ab Officiali? De hoc agitur n. 1. & 2. Q. II. An, & qualis dignitas ſit Archidiaconatus? R. eſt dignitas ſtrictè accepta. n. 4.

Q. III. Qualem juriſdictionem habeat Archidiaconus? R. ordinariam. n. 5. Et ex decreto Concilij Trident. debet eſſe graduatus in Theologia, vel Jure Canonico. n. 6. Viginti quinque annorum, ibid. nec poteſt ad libitum Epiſcopi amoveri. n. 7.

§. II. *De Officio, & poteſtate Archidiaconi in ſpecie? pag.* 503.

QUÆRITUR I. Quænam ſpectent ad officium Archidiaconi? De hoc agitur n. 8. & quatuor ſeqq.

Q. II. Quænam Archidiaconus ex vi officij ſui non poſſit facere? De hoc agitur n. 13. & ſeqq. uſque ad finem.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 8.	c. 6. n. 8.
c. 2. n. 9.	c. 7. n. 11.
c. 3. n. 10.	c. 8. n. 15.
c. 4. n. 13.	c. 9. n. 12.
c. 5. n. 14.	c. 10. & ult. n. 16. & ſeq.

TITV-

TITVLVS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI. *pag. 506.*

Quis ſit, & quotuplex? n. 1.

§ I. *De Officio, & poteſtate Archipresbyteri Civitatis, ſeu Decani Eccleſiæ Cathedralis, & Rectoris, aut Decani Eccleſiæ Collegiatæ? pag. 506.*

Quæritur I. Quod ſit officium? explicatur n.2.& tribus ſeqq. Q. II. An, & qualem juriſdictionem habeat Archipresbyter Civitatenſis? R. De Jure communi antiquo nõ habet juriſdictionem fori externi. n. 6. habet autem ordinariam fori interni. n.7. Q. III. Ao Archipresbyter Civitatenſis habeat dignitatem, vel perſonatum? R. Cenſetur habere. n. 8. Q. IV. An, & qualem juriſdictionem habeat Præpoſitus, vel Decanus Eccleſiæ Collegiatæ?

R. Spectato Jure communi probabile eſt, non habere juriſdictionem ordinariam fori externi: in qua re tameo ſpectanda eſt conſuetudo cuiuſque Eccleſiæ. n.9.

§. II. *De Officio, & poteſtate Archipresbyteri, ſeu Decani ruralis. pag. 508.*

Quæritur I. Quod ſit officium? De hoc agitur n.10. Q. II. An habeat externam juriſdictionem? R. Habere n.11.& num ordinariam, an delegatam? n.12. Q. III. An, Archipresbyteri, ſeu Decani rurales habeant dignitatem, vel perſonatum? R. Non habere. n.13.

SERIES CAPITVLORVM.

c. 1. n. 2.	c. 3. n. 4.
c. 2. n. 3.	c. 4. & ult. n. 10.

TITVLVS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII. *pag 509.*

Quæritur I. Quis dicatur Primicerius, & quod ſit eius officium? De hoc agitur n.1.& 2. Q. II. An Primicerius in dignitate ſit conſtitutus? R. affirmativè, ſi præeminentiam habeat inter alios Canonicos; aliàs non. n. 3.

Cap. unic. n. 2.

TITVLVS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTÆ. *Pag. 509.*

Pertinet ad eum cuſtodia ſacrorum vaſorum, & veſtimentorum.

Cap. unic. h. r.

TITVLVS XXVII.

DE OFFICIO CUSTODIS. *Pag. 510.*

De hoc agitur n.1.2.& 3.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.	Extravagans Joan.
c. 1. n. 1.	XXII. unica n. 3.
c. 2. n. 2.	

TITVLVS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII. *Pag. 510.*

Quis dicatur generatim. n. 1.

Sectio I. *De Vicario in Divinis. pag. 512.*

Vicarius in Divinis duplex eſt, perpetuus, & temporalis. n.2.

§. I. *De Vicariis perpetuis, ſeu intitulatis. pag. 511.*

Quæritur I. A quo nominari, & conſtitui poſſit Vicarius perpetuus? R. Ordinariè à Rectore principali Eccleſiæ. n. 3. Cum conſenſu Patroni. n. 4. Q. II. In quibus Eccleſiis, & quibus ex cauſis Vicarius perpetuus conſtitui poſſit? R. In Eccleſiis Parochialibus, & unitis alteri Eccleſiæ. n. 5. ob cauſas ibid. expreſſas. Q. III. An in Eccleſiis Parochialibus perpetuò unitis inſtituendi ſint Vicarij perpetui, an verò etiam eis præfici poſſint Vicarij temporales, & ad nutum amovibiles? R. De Jure communi debent inſtitui perpetui: poſt Concilium Trident. poſſunt etiam conſtitui Vicarij temporales. n. 6. Quid circa hoc poſſint Capitula Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. n. 7.

Q. IV. Quale jus Vicario perpetuo competat, & in quibus æquiparetur Rectori Principali, ſive Parocho? R. Habet jus reale in Eccleſia, & titulum Canonicum, non directum, ſed utilem. n. 8. In quibus Vicarius perpetuus æquiparetur Parocho. n. 9. & quinque ſeqq. Q. V. Qualem poteſtatem habeat Vicarius perpetuus in Eccleſia curata, ſeu Parochiali, io qua Vicarius eſt conſtitutus? R. Eandem, quam Parochus. n. 15. An, & quomodo penes Vicarium ſit exercitium curæ animarum. num. 16.

Q. VI. An Vicarius perpetuus alium Vicarium ſibi ſubſtituere poſſit? R. Non poſſe; poteſt tamen ad tempus breve. n. 17. & 18. Q. VII. An, & quomodo finiatur officium Vicarij perpetui? R. Non exſpirat per mortem, vel depoſitionem Rectoris principalis. n. 19.

§. II. *De Vicariis temporalibus, & Cooperatoribus Parochorum. pag. 515.*

Quæritur I. Ex quibus cauſis conſtitui poſſit Vicarius temporalis? R. Ex pluribus enumeratis. n. 20. Q. II. Quis poſſit conſtituere, & quale jus ei competat? R. Parochus, imò etiam Vicarius perpetuus. n. 21. Q. III. An poſſit alium ſimilem Vicarium ſubſtituere? R. De Jure communi non poteſt, niſi alicubi conſuetudo id permittat. n. 22. Vicarius temporalis habet juriſdictionem quaſi ordinariam. n. 23. Q. IV. Qualiter Parochi aſſumere poſſint Cooperatores, & quam illi juriſdictionem habeant? R. Parochi poſſunt aſſumere Cooperatores, iiſque in foro conſcientiæ delegare juriſdictionem ad univerſitatem cauſarum. n. 24.

Sectio II. *De Vicario Juriſdictionis. pag. 517.*

Vicarius juriſdictionis generatim duplex eſt, unus datus à lege, alius ab homine. n. 25.

§. I. *De Vicario Generali, ſeu Officiali Epiſcopi, eiúſque conſtitutione. pag. 517.*

Quæritur I. Quotuplex ſit Vicarius, ſeu Officialis Epiſcopi? R. Alius eſt ſimpliciter generalis, alius ſecundùm quid. n. 26. Q. II. An Epiſcopus poſſit, ac debeat conſtituere Vicarium generalem? R. Poteſt ſine conſenſu Capituli conſtituere, & ordinariè tenetur. n. 28. & quidem non unum tantùm poteſt, ſed etiam plures. n. 29. & quis præferendus, ſi plures ſint conſtituti? n. 30. Q. III. Qualis debeat eſſe Vicarius? R. Vicarius in temporalibus tantùm, ſeu Oeconomus, poteſt eſſe laicus; in ſpiritualibus verò debet eſſe Clericus. &, quinam non poſſunt conſtitui? n. 31.

§. II *An Vicariatus ſit Eccleſiaſticum beneficium, vel dignitas, & an juriſdictio Vicarij Epiſcopalis ſit ordinaria, an delegata? pag. 519.*

Assertio I. Non eſt beneficium Eccleſiaſticum. n. 33. Aſs. II. Vicarius generalis Epiſcopi eſt in dignitate conſtitutus. n. 34. Aſs. III. Habet juriſdictionem ordinariam, non delegatam. n. 35. & quatuor ſeqq. Aſs. IV. Habet juriſdictionem etiam in ijs, quæ ſpeciale mandatum requirunt; modò generali officio Vicariatûs in prima commiſſione ſpecialiter annectantur, vel intuitu officij Vicariatûs ſpecialiter committantur: ſecus eſt in aliis, in quibus habet ſolùm delegatam. n. 40.

§. III. *De ijs, quæ Vicarius Epiſcopi facere poteſt, vi officij ſui generaliter ipſi commiſſi. pag. 521.*

Assertio I. Poteſt omnes cauſas expedire ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinentes, præter illas, quæ ſpeciale mandatum requirunt. n. 41. Aſs. II. Non cenſentur in generali mandato comprehenſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, niſi exprimantur, quòd ſi uno expreſſo adiiciatur clauſula generalis: *Et omnia alia expediendi, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt.* poterit Vicarius expedire etiam alia nõ expreſſa, dummodo ſint minora, vel æqualia. n. 42.

Aſs. III. Si datur Vicario in generali mandato facultas expediendi omnia, quæ ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinent, exceptâ aliquâ re, quæ ſpeciale mandatum requirit, non poteſt vi talis commiſſionis Vicarius expedire reliqua ſpeciale mandatum requirentia. n. 43.

§. IV. *De ijs, quæ Vicarius generalis non poteſt facere, ſine ſpeciali commiſsione Epiſcopi, & inprimis de poteſtate cognoſcendi cauſas criminales, matrimoniales, vel alias graves expediendi. pag. 522.*

Assertio I. Inter cauſas, quæ ſpecialem commiſſionem exigunt, numerantur primò cauſæ criminales. n. 44. & 45. Aſs. II. Numerantur etiam communiter cauſæ matrimoniales; ſed oppoſitum quoq; eſt probabile. n. 46. & 47. Aſs. III. Sunt & alij caſus enumerati. n. 48.

§. V. *An Vicarius Epiſcopi, vi generalis mandati, ſine ſpeciali commiſsione, poſsit conferre beneficia Eccleſiaſtica, vel aliter circa illa diſponere? pag. 524.*

Assertio I. Inter cauſas ſpeciales, quæ in generali Vicariatûs officio non continentur, eſt beneficiorum collatio. n. 49. & 50. Aſs. II. Neque ſimul poteſt Vicario committi poteſtas admittendi reſignationem certi beneficij, & illud conferendi. n. 51.

Aſs. III. Nec poteſt Vicarius præſentare ad beneficia, quorum præſentatio ad Epiſcopum ſpectat. n. 52.

Aſs. IV. Datâ ſpeciali facultate Vicario admittendi reſignationes beneficiorum, non ideo data eſt poteſtas deponendi, neque vice verſâ. n. 53.

Aſs. V. Conceſsâ Vicario ſpecialiter facultate cõferendi beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, conferre ſolùm poteſt, quæ jure communi, & ordinario Epiſcopus conferre poteſt, non quæ jure ſpeciali, ſeu privilegio, aut ex delegatione Papæ. n. 54. Quamvìs nihiluminus Epiſcopus conferre poſſit, non obſtante conceſſione Vicario factâ. n. 55.

Aſs. VI. Non poteſt Vicarius ſine ſpeciali mandato, beneficia unire, dividere, transferre, vel ſupprimere &c. n. 56.

§. VI. *An, & qualis poteſtas diſpenſandi, vel abſolvendi Vicario competat ex vi officij ſui? pag. 526.*

Assertio I. Non poteſt vi generalis officij ſui diſpenſare in juramentis, votis &c. n. 57. ponuntur exceptiones. n. 58. & 59. Aſs. II. Si Epiſcopus ſpecialiter delegavit facultatem diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus Vicario, non comprehenduntur caſus Epiſcopo à Papa ratione dignitatis ſuæ etiam generaliter delegati, niſi ex conjecturis aliud colligi poſſit. n. 60. Poteſt Epiſcopus etiam ea, quæ ut delegatus Papæ agere poteſt, Vicario ſuo cõmittere ſpecialiter. n. 61. Aſs. III. Vi generalis officij non poteſt Vicarius abſolvere à peccatis Epiſcopo reſervatis. n. 62.

§. VII. *An Vicarius generalis Epiſcopi alium ſibi ſubſtituere poſsit, & in quo loco exercere poſsit ſuam juriſdictionem? pag. 528.*

Assertio I. Non poteſt alium generalem Vicarium ſubſtituere, quamvìs poſſit ad breve tempus. n. 63. Aſs. II. Vicarius generalis certum tribunal habet, ſive Conſiſtorium. n. 64.

§. VIII. *Quis cognoſcere poſsit de delicto, ac negligentia Vicarij Epiſcopi, eúmque punire? pag. 528.*

Assertio I. Metropolitanus non poteſt punire Vicarium Epiſcopi ſuffraganei, ob delictum privatum ipſius, niſi ad ipſum appellatum ſit: ſi verò delinquat in pertinentibus ad ſuum officium, poteſt ipſe Epiſcopus eum punire, ſi ipſe extra culpam ſit; non item Archiepiſcopus. n. 65. Aſs. II. Si Vicarius delinquat in officio ſuo, & Epiſcopus delicti ſit particeps, non ad Epiſcopum, ſed Archiepiſcopum pertinet punire Vicarium. n. 66. & 67.

§. IX. *Quibus modis finiatur, & ceſſet officium, & juriſdictio Vicarij Epiſcopalis? pag. 529.*

Assertio I. Finitur variis modis enumeratis. n. 68. Aſs. II. Juriſdictione Epiſcopi per cenſuram ſuſpenſi, etiam ſuſpenſa eſt juriſdictio Vicarij, etiam quoad negotia cœpta. num. 69. Sicut ſuſpenſo Vicario generali, etiam juriſdictio ſubſtituti eius ſuſpẽſa eſt. n. 70. & duobus ſeqq. An, ſi cauſa delegata ſit ipſi Vicario Epiſcopi ſub nomine officij, ea finiatur, mortuo Epiſcopo? n. 73. An Epiſcopus, Vicario mortuo, talem cauſam expedire poſſit. n. 74. Aſs. III. Finitur officium per eius revocationem expreſſam, vel tacitam. n. 75. & 76.

§. X. *De Vicario Capituli, Sede Epiſcopali vacante. pag. 532.*

Assertio I. Poteſt Capitulum, mortuo Epiſcopo, Vicarium generalem conſtituere, etſi non teneatur de Jure communi: aliud eſt poſt Concilium Trid. n. 77. Aſs. III. Poteſt à Capitulo revocari. n. 79.

§. XI. *De Vicario Papæ in Urbe, eiúſque poteſtate. pag. 533.*

Assertio I. De Jure communi Vicarius Papæ nõ poteſt exercere juriſdictionẽ extra Urbem, ſine ſpeciali cõmiſſione. n. 80. Aſs. II. De facto tamẽ exercet etiam extra Urbem in tota Diœceſi Romana. n. 81.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	In Sexto.
c. 1. n. 9.	c. 1. n. 70. & ſeqq.
c. 2. n. 12.	c. 2. n. 44.
c. 3. n. 13.	c. 3. n. 49.
c. 4. n. 17.	In Clementinis.
c. 5. n. 80.	Clem. unic. n. 8.
c. 6. & ult. n. 10.	Conſtitut. Conc. Trid. n. 6.

TIIV-

TITVLVS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI. *pag.534.*

SECTIO I. *De Delegatione in genere, & iis, qui poteſtatem delegandi habent, vel non. pag. 534.*

§. I. *Quid ſit delegatio, ſive quis ſit Judex delegatus, & quotuplex? pag. 534.*

ASSERTIO I. Definitur, quid ſit Judex delegatus. n. 1. Aſſ. II. Delegatorum varia ſunt genera. n. 2.

§. II. *Quinam habeant poteſtatem delegandi, aut ſubdelegandi? pag. 536.*

ASSERTIO I. Regulariter quilibet Judex ordinarius. n. 3. Aſſ. II. Delegatus à Principe poteſt ſubdelegare. n. 4. idque extenditur. n. 5. & tribus ſeqq. limitatur n. 9. & ſex ſeqq.

§. III. *An, & quâ ratione ſubdelegare poſſit delegatus Papæ, vel Principis, adjunctis ei aliis Judicibus delegatis, vel cum poteſtate ſubdelegandi alteri? pag. 539.*

ASSERTIO I. Delegatus Papæ poteſt ſubdelegare, licèt datus ſit ex partium conſenſu, vel officio Judicis, vel cum clauſula: *Quòd ſi non omnes.* n. 16. Aſſ. II. Si cauſa pluribus etiam ſimpliciter commiſſa ſit, quilibet ſubdelegare poteſt. n. 17. Aſſ. III. Delegatus ſubdelegatum collegæ impediti non tenetur admittere, ſi cauſa delegata ſit cum clauſula: *Quod ſi ambo, &c.* n. 18. & 19. Aſſ. IV. Nullus delegatus, etiam Principis, poteſt ſubdelegare, ita, ut ſubdelegatus iterum ſubdeleget. n. 20.

§. IV. *An, & quando delegatus ab inferiore Judice ordinario ſubdelegare poſſit? pag. 541.*

ASSERTIO I. Delegatus ab ordinario Judice Inferiore non poteſt ſubdelegare. n. 21. ponuntur exceptiones. n. 22. & 23. deducuntur corollaria. n. 25. & 26. Aſſ. II. Delegatus ab Ordinario inferiore, & ad unam tantùm cauſam, non poteſt totam illam cauſam, nec articulum juriſdictionalem ſubdelegare, etſi poſſit nudum miniſterium. n. 27. & 28.

SECTIO II. *De iis, quibus delegari poteſt. pag 544.*

§. I. *Qui poſſunt eſſe Judices delegati, & quibus delegare? pag. 544.*

ASSERTIO I. Omnes, qui non prohibentur. n. 29. Aſſ. II. Impubes non poteſt eſſe Judex delegatus. n. 30. & 31. Aſſ. III. Neque poteſt eſſe delegatus, qui non eſt in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus, vel Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. n. 32. Aſſ. IV. Delegatus Epiſcopi poteſt eſſe ſimplex Clericus n. 33. Aſſ. V. Cauſæ Eccleſiaſticæ non laicis, ſed Clericis tantùm delegari poſſunt. n. 34. Aſſ. VI. Judex ordinarius poteſt cauſas ſuas delegare etiam non ſubdito. n. 35.

§. II. *An pluribus Judicibus eadem cauſa ſimul delegari poſſit, & quomodo illi procedere debeant? pag. 546.*

ASSERTIO I. Non tantùm unus, ſed etiam plures delegati poſſunt ad eandem cauſam. n. 36. Aſſ. II. Si cauſa delegata ſit tribus cum clauſula: *Quod ſi non omnes, &c.* priuſquam appareat, quod tertius non poſſit, vel nolit adeſſe, duo reliqui procedere non poſſunt. n. 38. Hinc etiam, ſi ex tribus delegatis unus, aut duo tantùm citent partes, eæ non tenentur comparere. n. 39. & 40. Idque procedit, etſi tertius Judex ratum habeat, quod duo geſſerunt. n. 41.

Aſſ. III. Si delegatio facta ſit cum clauſula: *Si non omnes poteritis, &c.* tum, ſi unus, vel plures eorum, licèt poſſint, tamen nolint cognoſcere; alter, vel reliqui procedere poſſunt; idémque in duobus datis cum clauſula: *Quòd ſi non ambo, &c.* n. 42. Aſſ. IV. Ex pluribus delegatis in ſolidum quilibet cognoſcere poteſt, & habet inter eos locum præventio. n. 43. & 44. &, ſi unus cauſam incepit, perpetuatur juriſdictio etiam quoad alios. n. 45. & 46.

§. III. *An una cauſa delegata etiam pluribus poſſit ſubdelegari? pag. 550.*

ASSERTIO I. Delegatus Principis cauſam ſibi commiſſam non tantùm uni, ſed etiam pluribus ſubdelegare poteſt. n. 47. Aſſ. II. Quid faciendum ſit, ſi ſubdelegati à delegato diſſentiant, vel inter ſe, vel cum altero delegato. n. 48.

SECTIO III. *De Cauſis, quæ delegari poſſunt, & de forma, ſeu modo delegandi. pag. 550.*

§. I. *Quæ cauſæ delegari poſſint, vel non? pag. 550.*

ASSERTIO I. Omnes cauſæ, quæ ad ordinariam juriſdictionem delegantis pertinent, poſſunt delegari. n. 49. Aſſ. II. Etiam ea, quæ ſunt Ordinis, delegari poſſunt. n. 50.

§. II. *An cauſæ meri, & mixti Imperij delegari poßint? pag. 551.*

ASSERTIO I. De Jure Civili ordinariè poſſunt. n. 51. Aſſ. II. Imò etiam de Jure Canonico, exceptis caſibus ſpecialibus. n. 52. Aſſ. III. Delegati à Principe utroque Jure cauſas etiam criminales, meri, aut mixti imperij delegare poſſunt, niſi ſit induſtria perſonæ electa. n. 53.

§. III. *De cauſis delegatis, ratione dignitatis, vel officij, non perſonæ. pag. 553.*

ASSERTIO I. Si alicui, ratione dignitatis, vel officij Ordinarij, conceſſa ſit voluntaria juriſdictio, etiam generaliter alteri delegare eam poteſt. n. 54. Aſſ. II. Idémque dicendum, ſi alicui nudum miniſterium, ſeu executio ratione officij ſit delegatum n. 55.

§. IV. *Quâ formâ, & modo fieri poſſit, vel debeat delegatio? pag. 553.*

ASSERTIO I. Forma delegationis conſiſtit in modo procedendi præſcripto in mandato delegationis. n. 56. Aſſ. II. Si certa forma delegationis præſcripta ſit, ea diligenter ſervanda eſt. n. 57. & duobus ſeqq. idque, ſi non jure communi requiratur, ſed de novo præſcribatur. n. 60. Aſſ. III. Ad formam quoque requiritur, ut, ſi diverſæ litteræ juſtitiæ ſuper eadem cauſa ad Judices delegatos ſint impetratæ, in poſterioribus mentio fiat de prioribus. n. 61. & duobus ſeqq.

§. V. *De interpretatione, & probatione mandati delegationis. pag. 556.*

ASSERTIO I. Reſcriptum ita intelligendum eſt, ut alteri præjudicium non inferatur. n. 64. & ſeq. Aſſ. II. Etſi certa forma procedendi præſcripta ſit delegato à Principe, poteſt tamen legitimas exceptiones admittere. n. 66. & ſeqq. Aſſ. III. Debet delegatus mandatum delegationis in forma authentica exhibere. n. 68. idque extenditur. n. 69. & limitatur. n. 70.

Sectio IV. *De officio, & poteſtate Iudicis delegati. pag.* 558.

Delegatus propriam juriſdictionem habet diſtinctam à juriſdictione delegantis. n. 71.

§. I. *De poteſtate judicandi, & puniendi conceſsâ Judici delegato. pag.* 559.

Assertio I. Poteſt delegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa Ordinarium per cenſuras etiam compellere, ſi contumax ſit. n. 72. & 73. Ordinarius loci non debet violenter reſiſtere delegato Papæ, ſi mandet aliquem in poſſeſſionem mitti, etſi ſciat, eum non canonicè inſtitutum. n. 74. Aſſ. II. Delegatus poteſt exercere juriſdictionem, non tantùm in partes, ſed etiam in alios, qui juriſdictionem ipſius impediunt. n. 75. poteſt etiam partes contumaces punire, &c. n. 76. idque extenditur. n. 77. & duobus ſeqq. idémque poteſt ſubdelegatus à delegato Papæ. n. 80. & 81. poteſt etiam delegatus Principis cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio. n. 83.

§. II. *Quomodo Iudex delegatus procedere debeat in certis quibuſdam cauſis delegatis? pag.* 562.

Assertio I. Si reus coram delegato objiciat excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor: ſi verò probat, delegatus abſolvit actorem, ſi excommunicatus eſt propter cauſam ſibi commiſſam: ſi verò propter aliam, ad excommunicatorem eum remittet, qui, ſi non vult eum abſolvere, delegatus Papæ eum abſolvet, niſi ſit excommunicatio Papæ reſervata. n. 84. & ſeq. Prætetea, ſi excommunicator malitioſè recuſet abſolvere actorem, & delegatus ipſum abſolvat, actor ſuper illa cauſa reſpondebit, niſi ſit alteri delegata. n. 86. Aſſ. II. Reo abſente, non per contumaciam, delegatus datus, etiam ad diem, non reſtituet actorem, licèt poſſeſſionem, & dejectionem probare volentem. n. 87. & ſeq. Aſſ. III. Si juriſdictio delegati exſpiret in termino peremptorio, quem partibus aſſignavit, poſt congruam horam peremptorii Judex non exſpectabit contumacem: ſi non exſpirat, poteſt exſpectare in diem alteram, & iterum eum citare. n. 89. & 90. Aſſ. IV. Delegatus, qui impeditur die ſtatuto procedere, partem hoc procurantem puniet, & ad eandem diem alteri cauſam committet, appellatione remotâ, niſi partes eam prorogent. n. 91.

§. III. *De poteſtate exequendi, quæ competit Iudici delegato, & tempore, intra quod fieri debet executio p.* 564.

Assertio I. Delegatus Papæ habet poteſtatem etiam exequendi. n. 92. & 93. & Ordinarius tenetur exequi ſententiam latam à delegato, etiamſi ſciat, illam eſſe injuſtam. n. 94. Aſſ. II. Poteſt delegatus Papæ, ſi ſententiam à ſe latam exequi nequeat, etiam invocare brachium ſeculare. n. 95. Aſſ. III. Habet delegatus Papæ integrum annum ad exequendam ſententiam à ſe latam. n. 96. & ſeq. & quid de delegato ab inferiore Ordinario. n. 98. & quid Jure novo ſtatutum ſit circa executionem litterarum delegationis Sedis Apoſtolicæ. n. 99.

§. IV. *Quando, & ubi, ſive quo in loco Iudex delegatus juriſdictionem ſuam exercere poſſit, vel debeat? p.* 567.

Assertio I. Delegatus non poteſt exercere ſuam juriſdictionem, niſi poſtquam ei litteræ delegationis ſunt præſentatæ. n. 100. Aſſ. II. Judex delegatus à Papa, ut certo loco cauſam cognoſcat, non poteſt eam alibi cognoſcere, niſi ob juſtum impedimentum. n. 101 idemque eſt de delegato ab inferiore Ordinario. n. 102.

Sectio V. *De appellatione in cauſis delegatis. pag.* 568.

§. I. *An, & quando appellari poſſit à Iudice ſubdelegato, vel ab Auditore? pag.* 568.

Assertio I. A Judice ſubdelegato, cui cauſa commiſſa eſt, appellari poteſt cum cauſæ cognitione, non à mero executore. n. 103. & ſeq. Aſſ. II. Si delegatus Papæ ſubdeleget non in totum, pars à ſubdelegato non poterit appellare ex eo, quòd datus ſit ſinè ſuo conſenſu; poteſt tamen recuſari, oſtendendo cauſam juſtam coram delegato, & tunc delegatus definiet; à quo etiam, ſi noluit recuſationem admittere, appellatur ad Papam. n. 106.

§. II. *Ad quem appellandum ſit à Iudice delegato, vel ſubdelegato? pag.* 570.

Assertio I. A delegato Judice ordinariè ſemper appellari debet ad delegantem. n. 107. Si Papa ſcienter commiſit appellationem interpoſitam à ſuo delegato dato cum clauſula ſinè appellatione, juriſdictio primi delegati eſt interim ſuſpenſa quoad executionem. n. 108. Aſſ. II. Quando delegatus Papæ alteri ſubdelegavit cauſam totam, talis ſubdelegatus non ad ſubdelegantem, ſed ad primum Delegantem, ſive Papam appellare debet. Secus ſit, ſi non totam cauſam ſubdelegavit. n. 109. Aſſ. III A ſubdelegato delegati Papæ, qui ſubdelegavit non in totum, non ad Papam, ſed ad ipſum delegatum appellari debet. n. 110. Idque extenditur, quòd ſemper à ſubdelegato ad delegatum, qui ſibi aliquid juriſdictionis reſervavit, appellari debet, etiam poſt ſententiam. num. 111. Aſſ. IV. Si unus ex duobus delegatis Papæ cum clauſula: *Appellatione remotâ*. ſubdeleget alteri acceptanti, non poteſt acceptans ſubdelegare, nec appellatione remotâ procedere, quod tamen ante acceptationem poterat, &, ſi ab ipſo appellandum fuerit, ad Papam appellabitur, etiamſi fuerit ſubdelegatus non in totum. n. 113. & 114.

§. III. *Quibus caſibus à Subdelegato, non ad ſubdelegantem, ſed ad primum delegantem ſit appellandum, & ad quem ab Arbitris appellatio fieri debeat. p.* 573.

Assertio I. Si delegatus excommunicatus, vel mortuus fuerit, à ſubdelegato, non in totum, appellatur ad primum delegantem. n 115. Aſſ II. Delegato procedente, cum duobus ſubdelegatis, non in totum, ad Papam, non ad condelegatos appellari debet. n. 117. extenditur eadem aſſertio. num. 118. Aſſ. III. Quòd ſi à ſubdelegato non in totum appellatur, quia non admittit exceptionem, per quam negatur, etiam delegatum habere juriſdictionem, ad primum delegantem appellabitur. n. 119. & 120. Aſſ. IV. Ab arbitris juris appellatur ad Papam. n. 121.

§. IV. *An delegatus Papæ poſſit abſolvere eum, qui dicit, ſe ab Ordinario ſuo injuſtè, vel poſt legitimam appellationem, excommunicatum eſſe? p.* 575.

Si mandatur alicui delegato, ut illum, qui dicit, ſe eſſe injuſtè excommunicatum, abſolvat, ante probationem illum abſolvere debet: ſi verò dicat excommunicationem nullam, probationem nul-

nullitatis ante pronunciationem admittat. n. 122. & ſeq.

Sectio VI. *De prorogatione juriſdictionis Iudicis delegati, & ejuſdem recuſatione. pag. 576.*

§. I. *De prorogatione, ſeu extenſione juriſdictionis delegatæ. pag. 576.*

Assertio I. Juriſdictio delegata, etiam partium conſenſu ad perſonas non expreſſas in reſcripto prorogari non poteſt. n. 124. ponuntur exceptiones. n. 125. & 126. Aſſ. II. Juriſdictio delegata non poteſt prorogari à cauſa ad cauſam non expreſſam; ſicut nec mandatum Procuratoris ad ea extendi debet, quæ non ſunt in eo expreſſa. num. 127. & ſeq.

Aſſ. II. Poteſt tamen juriſdictio delegata extendi quoad accidentalia, tempus, locum, &c. cum partium conſenſu. 129.

§. II. *De recuſatione Iudicis delegati. pag. 578.*

Assertio I. Judex delegatus ut ſuſpectus recuſari poteſt. n. 130. etiamſi plures ſint recuſati. n. 131. limitatur. n. 132. ponitur alia cauſa recuſationis. n. 133. & ſeq. Aſſ. II. Si Judex ut ſuſpectus recuſetur, arbitri ex partium conſenſu ſunt eligendi. n. 135. & ſeq. limitatur n. 137. & duobus ſeqq. ponuntur alij duo caſus, in quibus arbitri non eliguntur ad recuſandum Judicem, ut ſuſpectum. n. 140. & ſeq. ponitur alia limitatio. n. 143.

§. III. *Aliæ quædam aſſertiones circa recuſationem Iudicis delegati proponuntur pag. 581.*

Assertio I. Non tantùm partes, ſed etiam tertius interveniens, poteſt recuſare Judicem ſuſpectum. n. 144. & duobus ſeqq. Aſſ. II. Judex delegatus, licèt ſuſpectus, poteſt tamen ſubdelegare, antequam recuſatio contra ipſum propoſita eſt: & tum, ſi in totum ſubdelegavit, recuſari ampliùs non poteſt; ſecus, ſi tantùm in partem. num. 147. & ſeq. Cauſâ autem recuſationis jam propoſitâ, vices ſuas committere alteri ampliùs non poteſt; niſi pars recuſans conſentiat, & ſuper recuſationis cauſa pronunciatum nondum ſit. n. 149. Aſſ. III. Non tantùm Judex delegatus ſuſpectus, ſed etiam locus recuſari poteſt. n. 150. & ſeq. Qui acta cauſæ relationis Judicum delegatorum, ad delegantem, amotis ſigillis, aperuit, poſtea non eſt audiendus; etiamſi, falſa eſſe, oſtendere voluerit. n. 52. & ſeq.

Sectio VII. *Quibus modis officium, & poteſtas Iudicis delegati finiatur? pag. 585.*

§. I. *An, & quomodo finiatur poteſtas Iudicis delegati per ſententiæ executionem; vel, ſi pronunciet, juriſdictionem ſibi non competere in cauſa; aut per lapſum temporis? pag. 585.*

Assertio I. Ceſſat ejus juriſdictio poſt ſententiam executioni mandatam. n. 154. & tribus ſeqq. Aſſ. II. Si delegatus pronunciet, ſe juriſdictionem non habere, non poteſt officium Judicis reaſſumere, nec quidem ex conſenſu partium. n. 158. & tribus ſeqq. Aſſ. III. Si cauſa committatur intra certum tempus decidenda, finito tempore, exſpirat juriſdictio; niſi conſenſu partium fuerit prorogata. n. 162. & ſeq.

§. II. *An, & quomodo finiatur juriſdictio, & poteſtas Iudicis delegati morte ejuſdem? pag. 587.*

Assertio I. Finitur morte delegati, ſi delegatio facta ſit perſonæ. n. 164. & ſex ſeqq. Aſſ. II. Finitur etiam uno ex pluribus delegatis, vel arbitris mortuo. n. 171. & ſeq.

§. III. *An, & quomodo poteſtas Iudicis delegati exſpiret morte delegantis? pag. 590.*

Assertio I. Finitur juriſdictio delegati ad lites, morte delegantis, re adhuc integrâ; non item, ſi cauſa jam cœpta ſit. n. 173. Quando verò res deſinat eſſe integra, ſive cauſa cenſeatur eſſe cœpta, utrùm per litis conteſtationem, an per citationem, dicitur n. 174. & quinque ſeqq. Quod autem juriſdictio delegata, re integrâ, exſpiret per mortem delegantis, id extenditur. n. 180. & duobus ſeqq. Aſſ. II. Juriſdictio ſubdelegati exſpirat etiam morte delegantis. n. 183. & duobus ſeqq.

§. IV. *Quibus caſibus juriſdictio delegata non exſpiret per mortem delegantis, etſi res ſit integra? pag. 593.*

Assertio I. Mandatum ordinarij Judicis, eo mortuo, etiam re integrâ, non exſpirat, ſi mandetur aliquid ad ordinariam juriſdictionem pertinens. n. 186. Aſſ. II. Juriſdictio delegata alicui ratione dignitatis, non exſpirat morte delegantis, etiam re integrâ. n. 187.

§. V. *An mandata, ſeu commiſſiones gratiæ exſpirent morte committentis, ſi res ſit integra, vel non integra? pag. 594.*

Assertio I. Reſcripta gratiæ non exſpirant morte mandantis, tametſi res ſit integra. n. 190. Aſſ. II. Si gratia alicui jam ſit facta, non exſpirat morte mandantis, etiam re integrâ. n. 191. & ſeq. Aſſ. III. Aliud eſt de gratia facienda. n. 193. & ſeq.

§. VI. *An, & quomodo poteſtas Iudicis delegati finiatur per revocationem delegantis? pag. 595.*

Assertio I. Finitur juriſdictio delegata per revocationem delegantis. n. 195. & ſeq. Aſſ. II. Delegatus ſubdelegans cauſam in totum, illam revocare poteſt, re adhuc integrâ, num. 197. & duobus ſeqq.

Aſſ. III. Si delegatus cauſam ſubdelegavit limitatè, quoties abeſſet, vel donec eum revocaverit, re non integrâ, morte ſubdelegantis non exſpirat. n. 200. & ſeq.

Sectio VIII. *De Iudicibus Conſervatoribus. pag. 597.*

§. I. *Quis ſit Iudex Conſervator, à quo dari, & quinam eſſe poſſint Conſervatores? pag. 597.*

Assertio I. Conſervator eſt Judex delegatus ad defendendum aliquos à manifeſtis injurijs, & violentijs. n. 202. & ſeq. Aſſ. II. Solus Papa poteſt dare Judices Conſervatores. n. 204. Aſſ. III. Non poſſunt Conſervatores deputari, niſi Epiſcopi, iiſque Superiores. n. 205. Quomodo Conſervator ab alijs Judicibus delegatis differat? n. 206. Quos Conſervatores habere poſſint Religioſi Mendicantes? num. 207.

§. II. *Quod ſit officium, & poteſtas Iudicis Conſervatoris, & quando exſpiret? pag. 598.*

Assertio I. Poteſt Conſervator cognoſcere de manifeſtis ſolùm injurijs, & violentijs. num. 208.

Aſſ. II. Juriſdictio Conſervatoris non ſolùm ſe extendit ad defenſionem ab injurijs manifeſtis illatis, ſed etiam inferendis. n. 209. & ſeq. Aſſ. III. Quid Conſervatores non poſſint; & an, ac quibus poſſint delegare? quæ ſit pœna eorum, ſi limites poteſtatis excedant? n. 211. De poteſtate Conſervatorum, qui

qui dantur Ordinibus Mendicantibus. num. 212. Aſſ. IV. Debent Conſervatores debitâ moderatione uti in procedendo contra Epiſcopos. n. 213. & ſeq. Aſſ. V. Quando officium Conſervatorum exſpitet? n. 215. & duobus ſeqq. Quid circa Conſervatores ſtatutum Jure novo Concil. Trid. n. 218.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
Cap. 1. n. 75.
c. 2. n. 61. & 62.
c. 3. n. 4.
c. 4. in princ. n. 162.
§. Illis etiam; n. 78.
c. 5. n. 76.
c. 6. n. 17.
c. 7. n. 92. & 93.
c. 8. n. 74.
c. 9. n. 154. & ſeqq.
c. 10. n. 87. & 88.
c. 11. n. 71. & duob. ſeqq.
c. 12. n. 63.
c. 13. n. 66. & 67.
c. 14. n. 165. & trib. ſeqq.
c. 15. n. 64. & 65.
c. 16. n. 36.
c. 17. n. 130.
c. 18. n. 110.
c. 19. n. 174.
c. 20. n. 175. & 177.
c. 21. in princ. n. 38.
§. Adjicimus; n. 42.
§. Sexta; n. 84. & 85.
§. Si verò; n. 86.
c. 22. n. 39. & 40.
c. 23. n. 144. & duobus ſeqq.
c. 24. n. 89. & 90.
c. 25. n. 133. & ſeqq.
c. 26. n. 96. & 97.
c. 27. in princ. &
§. Intentionis; n. 103.
§. Verùm; n. 104.
§. Porrò; n. 109. & 110.
§. Eum verò; n. 105.
§. Si verò; n. 113.
§. Ejus ergo; & ult. n. 106.
c. 28. in princ. n. 5.
§. Item cùm totum; n. 7.
§. Prætetea; n. 108.
§. Quia verò; n. 94.
§. Cùm autem; ult. n. 91.
c. 29. n. 80. & 81.
c. 30. n. 183. & duobus ſeqq.
c. 31. n. 68. & duob. ſeqq.
c. 32. n. 127. & 128.
c. 33. n. 152. & ſeq.
c. 34. n. 18. & 19.
c. 35. n. 150. & ſeq.
c. 36. n. 122. & 123.
c. 37. n. 58. & 59.
c. 38. n. 158. & trib. ſeqq.
c. 39. n. 135. & ſeq.
c. 40. n. 124.
c. 41. n. 30.
c. 42. n. 171.
c. ult. in princ. & §. Idem quoque; n. 16.
§. Is autem; n. 10.
§. Cæterùm; n. 12. & 13.

In Sexto.
c. 1. n. 202. & ſeq.
c. 2. n. 213. & ſeq.
c. 3. n. 117.
c. 4. in princ. n. 138. & in fin. n. 139.
c. 5. n. 147. & duobus ſeqq.
c. 6. n. 197.
c. 7. in princ. n. 200. & ſeq.
§. Ad eum quoque; n. 111.
c. 8. n. 43. & 45.
c. 9. n. 191.
c. 10. n. 115. & 116.
c. 11. n. 121.
c. 12. n. 11.
c. 13. n. 101.
c. 14. n. 119.
c. 15. & ult. in princ. n. 205.
§. Conſervatores; n. 211.
§. Vices quoque; n. 211.
§. Ut autem; n. 211.
§. Officium; n. 215.
§. Circa; & §. ult. n. 217.

In Clementinis.
Clem. unic. n. 14. & 15.

In Extravagantibus Joan. XII.
Extrav. unic. n. 99.

TITVLVS XXX.
DE OFFICIO LEGATI.

pag. 601.

§. I. *Quot ſint genera, ſeu ſpecies Legatorum Sedis Apoſtolicæ? pag. 601.*

Sunt triplices, Legati à Latere; Legati, ſeu Nuncij miſſi; Legati nati, n. 1. & 2.

§. II. *De juriſdictione, & poteſtate communi omnibus Legatis Pontificiis. pag. 601.*

Assertio I. Poteſtas Legati Apoſtolici pendet ex voluntate Papæ delegantis, n. 3. Aſſ. II. Quod ſit eorum officium in genere, n. 4. & quid non poſſint in ſpecie. n. 5. & duobus ſeqq. Aſſ. III. Legati Apoſtolici ſtatuta durant etiam legatione finitâ; exſpirat tamen ejus juriſdictio, ſi citatio non præceſſit. n. 8. & 9. Aſſ. IV. Poteſt Legatus ſuper electione Epiſcopi examen inſtituere; ita, ut illud ad Papam mittat; & tunc non poteſt in cauſa ampliùs procedere. n. 10. Aſſ. V. Poteſt Legatus Papæ omnes cauſas ad ipſum per appellationem, vel ſimplicem querelam delatas cognoſcere. n. 11. & 12. Aſſ. VI. non poteſt ſe cauſis ſpecialiter à Papa delegatis immiſcere. n. 13. idque extenditur. n. 14. & limitatur. n. 15. & 16.

§. III. *De poteſtate ſpeciali Legati à Latere. pag. 605.*

Assertio I. Habet majorem poteſtatem, quàm alij Legati; quo præſente, aliorum officium interim ſuſpenſum eſt. n. 17. Aſſ. II. Quæ ſit poteſtas Legati à Latere in ſpecie? n. 18. & quinque ſeqq. Limitatur poteſtas Legati à Latere circa beneficia reſervanda, vel conferenda. num. 24. & duobus ſeqq.

Aſſ. III. Legatus à Latere poteſt abſolvere excommunicatos ob percuſſionem Clerici, non autem alij Legati. n. 28. & duobus ſeqq. Aſſ. IV. Legatus à Latere poteſt confirmare electos Epiſcopos, & Prælatos exemptos; non item alij. n. 31.

§. IV. *Quomodo, & quo loco Legatus Sedis Apoſtolicæ exercere poſſit ſuam juriſdictionem? pag. 610.*

Assertio I. Etſi Legatus Papæ, ante ingreſſum in Provinciam, geſtare poſſit Inſignia legationis, non tamen poteſt exercere juriſdictionem contentioſam. n. 32. Aſſ. II. Voluntariam tamen poteſt. n. 33. Aſſ. III. Legatus in pluribus Provincijs, aut locis poteſt in quolibet eorum exercere juriſdictionem ſuam, etiam contentioſam. n. 34.

§. V. *Quibus modis finiatur officium, ſeu poteſtas Legati Apoſtolici? pag. 611.*

Finitur quatuor modis. Primò. Lapſu temporis, ad quod datus eſt. Secundò. Revocatione Papæ, à quo miſſus eſt. n. 36. Tertiò. Digreſſu è Provincia ſponte facto, animo non redeundi. n. 37. Quartò. Morte ipſius Legati, non autem morte Papæ legantis. n. 38.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
Cap. 1. n. 11. & 12.
c. 2. n. 13. & duobus ſeqq.
c. 3. n. 5.
c. 4. n. 6.
c. 5. n. 10.
c. 6. n. 20. & duobus ſeqq.
c. 7. n. 34.
c. 8. n. 17.
c. 9. n. 29. & 30.
c. 10. n. 8. & 9.

In Sexto.
c. 1. n. 18. & ſeq.
c. 2. in princ. n. 4.
In fine n. 38.
c. 3. n. 23. & 24.
c. 4. n. 25. & 26.
c. 5. n. 27.

TITVLVS XXXI.
DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII. *pag. 612.*

Sectio I. *De juriſdictione in genere, & de juriſdictione, ſeu poteſtate Iudicis ordinarij univerſim. pag. 612.*

§. I. *Quid*

§. I. *Qnid, & quotuplex ſit juriſdictio in genere? pag. 612.*

Assertio I. Definitur juriſdictio. n. 1. Aſſ. II. Variè dividitur. n. 2. & 3.

§. II. *De Jndice ordinario in genere, ejúſque juriſdictione, ac poteſtate. pag. 613.*

Quæritur I. Quis ſit Judex ordinarius? R. Is, qui ex proprio munere juriſdictionem exercet. n. 4. Q. II. Quot, & quibus modis acquiratur juriſdictio ordinaria? R. Ea tribus modis acquiri poteſt, vel enim conceditur à Principe, vel à Lege, ſeu Canone, vel ex conſuetudine n. 5. & duobus ſeqq. Unde colligi poſſit, an juriſdictio conceſſa alicui ſit ordinaria, necne. n 8. 9. & 10. Q. III. Quinam Judices ordinarij dari poſſint? R. Generatim omnes poſſunt eſſe Judices, qui non prohibentur. Quidam autem prohibentur naturâ, alij Lege, alij ex recepta conſuetudine. n. 11. Q. IV. Quibus modis finiatur officium Judicis ordinarij? R. Quatuor: per mortem Judicis, renunciationem illius, depoſitionem, tranſlationem; non autem per mortem concedentis. n. 12.

Sectio II. *De Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano, ejúſque juriſdictione, ac poteſtate. pag. 616.*

§. I. *De juriſdictione, & poteſtate Archiepiſcopi in Epiſcopos Suffraganeos ſibi ſubjectos. pag. 617.*

Assertio I. Archiepiſcopus ordinariam juriſdictionem habet in omnes Coëpiſcopos non exemptos ſuæ Provinciæ. n. 14. Aſſ. II. Vicarius, ſeu Officialis Archiepiſcopi non poteſt cenſuras infligere Epiſcopis Suffraganeis, quamvis ipſe Archiepiſcopus poſſit. n. 15. Aſſ. III. Archiepiſcopus poteſt ſtatuta provincialia condere; cum conſenſu tamen Coëpiſcoporum. n. 16. Quando debuerit olim celebrari Concilium provinciale; quando nunc? n. 17. Aſſ. IV. Olim confirmare, & conſecrare Epiſcopos Suffraganeos, ſpectabat ad Archiepiſcopum. n. 18. Poteſt tamen Archiepiſcopus impeditus conſecrationem Suffraganei ſui alteri committere, n. 19.

§. II. *De juriſdictione, & poteſtate Archiepiſcopi in ſubditos Epiſcoporum Suffraganeorum. pag. 619.*

Archiepiſcopus nullam habet juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum, niſi in caſibus jure expreſſis: Veluti Primò, ſi ab Epiſcopo appellatur ad Archiepiſcopum. n. 20. & quinque ſeqq. Secundò, cùm viſitat Provinciam. n. 25. Tertiò, in caſu, quo agitur de tollenda prava conſuetudine Provinciæ. n. 26. Quartò, ſi Canonici, ſinè manifeſta, & rationabili cauſa ceſſent à Divinis; poteſt Archiepiſcopus per cenſuras eos compeſcere, & punire. n. 27. Quintò, ſi cauſa criminalis agitetur inter Epiſcopum, & Clericum ſubditum, ea deferri debet ad Concilium provinciale, in quo præſidet Archiepiſcopus. n. 28. Sextò, ſi Epiſcopus ſit negligens in officio ſuo, tum poteſtas juriſdictionis devolvitur ad Archiepiſcopum; ſed contrarium eſt probabilius. n. 29. Porrò, ſicut Archiepiſcopi non poſſunt, ita nec Patriarchæ regulariter exercere juriſdictionem in ſubditos Metropolitanorum. n. 30 & 31.

§. III. *Aliæ nonnullæ quæſtiones circa juriſdictionem, & poteſtatem Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani proponuntur, & reſolvuntur. pag. 623.*

Quæritur I. An, & quâ ratione Archiepiſcopus poſſit excomunicatum à Suffraganeo abſolvere? De hoc agitur n. 32. & 33. Q. II. An, non obſtante mãdato Papæ, quod dedit Ordinario, ut ſubditos ſuos corrigat, poſſit ab ipſo appellari ad Archiepiſcopum? R. affirmativè. n. 34. & ſeq. Q. III. In quo loco Archiepiſcopus juriſdictionem ſuam exercere poſſit in ſubditos Suffraganeorum? R. Non poteſt cauſas eorum alibi cognoſcere, niſi in propria ſua civitate, vel unde cauſæ illæ ſunt devolutæ. n. 36. & ſeq.

Sectio III. *De juriſdictione, officio, & poteſtate Epiſcopi. pag. 625.*

§. I. *An Epiſcopis poteſtas juriſdictionis ſuæ competat immediatè ex Iure Divino, an verò ex Iure humano, ſeu Eccleſiaſtico? pag. 625.*

Verius eſt, Epiſcopos juriſdictionem immediatè non accipere à Chriſto, ſed ab Eccleſia, ejúſque Capite, videlicet Papâ. n. 39. & ſeq.

§. II. *De duabus Legibus, juriſdictionali, & Diœceſana, in quibus totum jus, ſive officium, & poteſtas Epiſcopi conſiſtit. pag. 626.*

De his agitur n. 41. & 42. Sunt autem lex juriſdictionalis, & Diœceſana diverſæ; unde res judicata in una non obſtat agenti in alia. n. 43. & 44.

§. III. *De iis, quæ ad officium Epiſcopi ex Lege juriſdictionis ſpectant, & in ſpecie de poteſtate judicandi, inquirendi, puniendi, & corrigendi, ac reformandi. pag. 628.*

Primò, pertinet judicialiter cognoſcere omnes cauſas Eccleſiaſticas. n. 45. Secundò, inquirere, & punire crimina. n. 46. 47. & 48. Tertiò, non tantùm poſſunt, ſed etiam tenentur ſubditorum crimina corrigere. n. 49. & 50. Quartò, etiam Prælati inferiores, per privilegium, vel conſuetudinem poſſunt acquirere poteſtatem corrigendi, & puniendi Clericos ſubditos, etiam excluſo Epiſcopo. n. 51. & ſeq. Quando poteſtas corrigendi, & puniendi crimina Clericorum, propter negligentiam Capituli in correctione devolvatur ad Epiſcopum, vel non? n. 53. Id verò non procedit in Prælatis exemptis, à quibus devolvitur ad Papam. n. 54. & ſeq. Quintò, poſſunt Epiſcopi, aliique ſimiles Prælati Clericos, imò & laicos, ob crimina Eccleſiaſtica capere, incarcerare, & alijs pœnis afficere. n. 56. & ſeq. Sextò poſſunt Epiſcopi Regulares nõ exemptos ob crimina graviora punire. n. 58. Imò etiam, ſi Prælatus Regularis ſit negligens in obſervanda diſciplina regulari, poteſtas corrigendi ad Epiſcopum devolvitur. n 59.

§. IV. *De poteſtate inſtituendi in beneficijs, & deſtituendi, ſeu deponendi. pag. 632.*

Assertio I. Poteſt Epiſcopus etiam Inſtituere in beneficijs, ac deſtituere, ſeu deponere. n. 60. Aſſ. II. Si vacante Eccleſiâ etiam patronatâ, non poſſit ſtatim Rector, vel Beneficiatus inſtitui, Epiſcopus interim Oeconomũ ibi conſtituere debet. n. 61. & ſeq. Aſſ. III. Ad Epiſcopum ſpectat etiam inquirere, num beneficiati canonicè fuerint in beneficijs inſtituti. n. 63. & tribus ſeqq. Aſſ. IV. Epiſcopi, aliique Prælati non habent poteſtatem occupandi reditus Eccleſiarum, vel dignitatum vacantium. n. 67. & ſeq.

§. V. *De poteſtate inferendi cenſuras Eccleſiaſticas, & ab iiſdem abſolvendi. pag. 636.*

Assertio I. Poſſunt Epiſcopi etiam inferre cenſuras Eccleſiaſticas. n. 69. Aſſ. II. Poſſunt Epiſcopi etiam à cenſuris abſolvere, aliáſque pœnas canonicas relaxare. n 70. & 71. Aſſ. III. Poſſunt etiam Epiſcopi lapſos in hæreſin in foro externo abſolvere.

n.72. Aſſ. IV. Poteſt Epiſcopus relaxare cenſuras ab inferiore Prælato ſibi ſubjecto latas. n. 73. & tribus ſeqq. Aſſ. V. Si conſtet Epiſcopo, ſeu Ordinario, quòd abſolutus à Papa, quem ipſe excommunicavit, ſuppreſſit veram cauſam, ob quam fuit excommunicatus; debet illum remittere ad Papam: ſi verò ſolùm ſuſpectus ſit de ſubreptione; impetratâ abſolutione, debet eum cogere, ut ſe canonicè purget. n.77. Aſſ. VI. Mortuo delegato Papæ, qui reum excomunicavit, vel actorem in poſſeſſionem rei miſit, non poteſt Epiſcopus excommunicatum à delegato abſolvere, niſi in mortis articulo; vel, niſi ſucceſſorem habeat in delegatione: tunc enim iſte abſolvet, aliàs ſolus Papa abſolvet, & reſtituet in poſſeſſionem. n.78. & ſeq. Aſſ. VII. Poteſt Ordinarius, cui competit poteſtas abſolvendi ab excommunicatione Canonis, eam alijs committere. n. 80. Quomodo Epiſcopus, vel alius Sacerdos, ſi occultè ſciat, aliquem eſſe reum criminis, eum arguere poſſit. n. 81. & 82. Porrò Ordinarius loci, ſi ex deſidia, vel malitia delegati Papæ quis in peccato perſeveret, poteſt ſupplere defectum delegati, cui cauſa commiſſa eſt; & reum excommunicare. n. 83. & ſeq.

§. VI. *De poteſtate diſpenſandi conceſſa Epiſcopis. p.641.*

Quæritur I. An Epiſcopi poſſint diſpenſare in univerſalibus Conſtitutionibus SS. Canonum, & Decretis Conciliorum generalium? R. Non poſſunt, niſi in caſibus ipſis à jure conceſſis. n. 85. & duobus ſeqq. Q. II. In quibus caſibus Epiſcopus diſpenſare poſſit in lege Pontificia, vel Canone Concilij generalis? R. In tribus; Primò, quando ſimpliciter dicitur, in lege poſſe diſpenſari. Secundò, ex cauſa urgentis neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, ſi ſit periculum in mora. Tertiò, vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ. n.87. Q. III. In quibus caſib⁹ præterea poſſit diſpenſare Epiſcopus? R. Ii in genere referuntur. n.88.

§. VII. *De Collatione Sacrorum, & Prædicatione, impoſitione pœnitentiarum, & conceſſione Indulgentiarum. pag. 642.*

Assertio I. Ad Epiſcopum ſpectat collatio omnium Sacrorum, præſertim Sacramenti Confirmationis, & Ordinum, aliæque conſecrationes. n.89. Item prædicare Verbum DEI. n 90. & ſeq. Quomodo providere debeat Epiſcopus, ſi in aliquo loco ſint populi diverſarum linguarum? n.92. Aſſ. III. Ad Epiſcopum pertinet pœnitentias imponere publicas. n. 93. Aſſ. IV. Et indulgentias concedere. n.94.

§. VIII. *De Viſitatione Epiſcopi. pag. 644.*

Assertio I. Ad officium Epiſcopi etiam ſpectat viſitatio annua Diœceſis. n.95. Aſſ. II. Viſitari debent omnes Eccleſiæ non exemptæ. n. 96. Aſſ. III. Epiſcopus viſitans Monaſteria non debet ſeculares introducere; ſed duos, aut tres Canonicos ſuos, cum quibuſdam Religioſis. n. 97. & duobus ſeqq. Quid ſtatutum ſit, ne præcipuus viſitationis effectus, qui eſt criminum correctio, & morum reformatio, impediatur. n. 100. & ſeq.

§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad officium Epiſcopi ex Lege Diœceſanâ. pag. 646.*

Assertio I. Omnia Monaſteria regulariter ſunt exempta à Lege Diœceſana Epiſcopi. n. 102. Aſſ. II. In quibus conſiſtat lex Diœceſana? n. 103. & quatuor ſeqq. Epiſcopus ſi per alium viſitat, viſitati tantùm providebunt de victualibus viſitanti, & Epiſcopus de reliquis neceſſarijs; nec Epiſcopus accipiet procurationem à viſitatis. n. 108.

§. X. *Quibus caſibus Epiſcopus loci juriſdictionem habeat in Regulares exemptos? pag. 648.*

Plures referuntur à n. 110. uſq; ad n. 115. incluſivè.

§. XI. *De loco juriſdictionis Epiſcopi. pag. 650.*

Quæritur I. In quo loco poſſit Epiſcopus exercere juriſdictionem? R. In quovis loco ſuæ Diœceſis. n. 116. & duob. ſeqq. Q. II. An Epiſcopus exercere poſſit juriſdictionem in loco exempto intra Diœceſin ſuâ ſito? R. Non poteſt, ſaltem contentioſam. n. 119.

§. XII. *De poteſtate Capituli indicendi ceſſationem à Divinis. pag. 651.*

Quomodo puniendi ſint Canonici ceſſantes à Divinis officijs, abſque manifeſta, & rationabili cauſa. n. 120. & ſeq. Quomodo indicenda ſit ceſſatio à Divinis ab aliquo Capitulo. n. 122. & ſeqq.

Sectio IV. ***De officio, & juriſdictione ordinariâ Prælatorum Regularium Epiſcopis inferiorum. p. 652.***

§. I. *De juriſdictione, & poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium in genere. pag. 652.*

Quæritur I. Qualem poteſtatem habeant Prælati Ordinum in ſubditos ſuos Regulares? R. duplicem; unam privatam, ſive domeſticam; alteram publicam juriſdictionis ſpiritualis. n. 124. Q. II. An Prælati Regulares habeant ſpirituale juriſdictionem ordinariam? R. affirmativè. n. 125. Q. III. An habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos Regulares? R. Prælati exempti habent. n. 126. Imò etiam Prælati nō exempti habent juriſdictionem ordinariā in ijs, quæ pertinent ad vota, obſervationem Regulæ, & Religioſam diſciplinam: in quibus ſe immiſcere non debet Epiſcopus; niſi Prælatus ſit negligens. In ijs, quæ ad externā diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, Regulares ſunt ſubjecti Epiſcopo loci, à quo, quoad crimina graviora, puniri poſſunt. n. 127.

§. II. *De poteſtate excommunicandi, aliáſque cenſuras inferendi, & ab iis abſolvendi, item reſervandi peccata, ac diſpenſandi, & denique adminiſtrandi, quæ competit Prælatis Regularibus. pag. 653.*

Assertio I. Prælati Ordinum poſſunt excommunicare, & alias cenſuras ferre in ſuos ſubditos Regulares. n. 128. & ſeq. Aſſ. II. Poſſunt eoſdem abſolvere à peccatis, & cenſuris non reſervatis. n. 130. Aſſ. III. Poſſunt etiam peccata gravia, & magis noxia abſolutioni ſuæ reſervare. n. 131. & ſeq. Aſſ. IV. poſſunt item diſpenſare in Regula, limitatè tamen. n. 133. Aſſ. V. Pertinet ad Prælatum Ordinis libera adminiſtratio Monaſterij, vel Collegij Regularis in ſpiritualibus, & temporalibus. n. 134. idque limitatur. n. 135.

§. III. *De Abbatiſſarum, ſeu Præpoſitarum Regularium officio, & poteſtate. pag. 656.*

Assertio I. Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ Regulares ſtrictè ſpiritualem ordinariam juriſdictionem non habent; ideo excommunicare, aliáſque cenſuras ferre non poſſunt: habent tamen exercitium ſpiritualis juriſdictionis in ſubditas Religioſas: quamvìs aliqui putent, Abbatiſſam eſſe ſimpliciter capacem juriſdictionis ſpiritualis. n 136. Aſſ. II. Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ habent poteſtatem adminiſtrandi, non tantùm in res temporales, ſed etiam poteſtatem gubernandi ſpiritualem; ratione cujus

eis præcipere poſſunt, etiam in virtute obedientiæ, n. 137. & ſeq.

Sectio V. *De officio, & poteſtate Parochi.* pag. 657.

§. I. *De Parochis, ſeu Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, eorúmque officio, & poteſtate in communi.* p. 657.

Quæritur I. Quinam ſint, & dicantur Parochi? R. n. 139. Q. II. An habeant juriſdictionem ordinariam? R. Habent in foro interno conſcientiæ, non externo, ne quidem voluntariam; undeJure communi nec diſpenſare poſſunt in præceptis Eccleſiaſticis per ſe, nec in votis, nec excommunicare. n. 140. & ſeq.

§. II. *De celebratione Miſſæ, & adminiſtratione SS. Eucharistiæ.* pag. 658.

Assertio I. Parochi tenentur in propriis Eccleſia Miſſam celebrare, per ſe, vel per alios, ſaltem omnibus diebus Dominicis, & Feſtis; non tamen tenentur parochiani accedereParochiam propriam adMiſſam audiendam. n. 142. Aſſ. II. Nullus Sacerdos, ſinè ordinarij Paſtoris facultate, expreſsâ, vel tacitâ, poteſt miniſtrare Sacramentum Eucharistiæ, excepto articulo mortis. n. 143. Aſſ. III. OmnesRegulares excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam, ſi ſinè licentia Parochorum, ipſorum ſubditis Eucharistiam miniſtrent, niſi privilegium Sedis Apoſtolicæ habeant. n. 144.

§. III. *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum.* pag. 659.

Assertio I. Parochus confeſſiones audire poteſt ſuorum Parochianorum ubique locorum. num. 145.

Aſſ. II. Peregrini confiteri poſſunt Parocho loci, in quo pro tempore verſantur, & ab eo Eucharistiam accipere. n. 146. Aſſ. III. Non poteſt Parochus aliorum Parochianorum confeſſiones audire, ſinè conſenſu expreſſo, vel tacito Parochi illorum. n. 147. Ex privilegio tamen Sedis Apoſtolicæ poſſunt Regulares Mendicantes audire confeſſiones omnium fidelium, etiam ſinè licentia Parochorum. n. 148. Aſſ. IV. Poſſunt Parochi, aliique Confeſſarij pœnitentes in foro conſcientiæ abſolvere ab excommunicatione majore in jure non reſervatâ. num. 149. Aſſ. V. Imò etiam probabiliter in caſibus, qui per accidens Epiſcopales ſiunt, propter difficultatem adeundi Papam, vel ejus Legatum, aut Delegatum. n. 150. Aſſ. VI. Ad officium Parochi etiam ſpectat adminiſtrare baptiſmum ſuis parochianis. n. 151. Aſſ. VII. Et infirmis unctionem extremam conferre. n. 152.

§. IV. *De Prædicatione Verbi Dei, & doctrina Christiana per Parochos tradenda, & alijs functionibus, & obligationibus Parochialibus.* pag. 662.

Assertio I. Parochi tenentur per ſe, vel per alios, ſi ipſi impediti ſint, prædicare, ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus; debent etiam tradere doctrinam Christianam. n. 153. Aſſ. II. Sunt & aliæ functiones parochiales; de quibus n. 154.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
Cap. 1. n. 46. & 47.
c. 2. n. 81. & 82.
c. 3. n. 74. & 75.
c. 4. n. 61. & 62.
c. 5. n. 77.
c. 6. n. 83. & 84.
c. 7. n. 59.
c. 8. n. 32. & 33.
c. 9. n. 30.
c. 10. n. 19.
c. 11. in princ. n. 23. &
§. Præterea; n. 78. & 79.
c. 12. n. 34. & 35.
c. 13. in princ. n. 49.
§. Cæterùm; n. 27.
§. Exceſſus; & §. ult. n. 51. & duobus ſeqq.
c. 14. n. 92.
c. 15. n. 90. & 91.
c. 16. n. 41. & 42.
c. 17. n. 97. & 98.
c. 18. n. 43. & 44.
c. 19. n. 54. & 55.
c. 20. & ult. n. 80.
In Sexto.
c. 1. in princ. n. 21. & 22.
§. Officialis. n. 25.
c. 2. n. 120. & 121.
c. 3. n. 63. & 64.
c. 4. n. 100. & 101.
c. 5. n. 36. & 37.
c. 6. n. 108.
c. 7. n. 116. & tribus ſeqq.
c. 8. n. 122. & ſeq.
c. 9. & ult. num. 67. & 68.
In Clementinis.
Clem. 1. n. 50.
Clem. 2. n. 66.
In Extravantibus communibus.
Extrav. 1. n. 99.
Extrav. 2. n. 65.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS.

Pag. 663.

Quis ſit Judex, & quotuplex ejus officium? n. 1.

§. I. *De duobus caſibus ſpecialibus pertinentibus ad officium Judicis, de quibus agitur hoc Titulo.* pag. 663.

Assertio I. Ad officium Judicis ſpectat dare advocatum parti, quæ habere non poteſt, etiam ex ſuis domeſticis. n. 2. & 3. Aſſ. II. Si officium Judicis principaliter imploretur, requiritur litis conteſtatio, aliàs non. n. 4. ex quo colliguntur duæ regulæ. n. 5. & 6.

§. II. *Utrùm Judex ex officio ſuo debeat judicare, ſecundùm allegata, & probata?* pag. 664.

De hac quæſtione agitur à n. 7. uſque ad 16. incluſivè.

§. III. *Aliæ quæſtiones ad officium Judicis pertinentes proponuntur, & reſolvuntur.* pag. 669.

Quæritur I. An Judex ſecundùm Leges publicas judicare debeat? R. affirmativè. n. 17 & 18.

Q. II. An, & quibus caſibus Judex ſupplere poſſit, vel etiam debeat omiſſa à partibus? R. Debet ſupplere, quæ ad jus, non autem, quæ ad factum pertinent. n. 19. exceptis quibuſdam caſibus. n. 20.

SERIES CAPITULORUM.

Cap. 1. n. 2. & ſeq.
c. 2. n. 4.

TITULUS XXXIII.

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA. pag. 670.

Sectio I. *In quibus conſiſtat majoritas, ſive prærogativa, ac præeminentia majorum, & obedientia, ac reverentia à minoribus, ſeu inferioribus exhibenda majoribus, ſeu ſuperioribus?* p. 670.

§. I. *Quâ ratione quis, & ex quibus cauſis major habeatur inter Clericos?* pag. 670.

Assertio I. Ratione Ordinis unus Clericus eſt major, & dignior altero, ita, ut in loco, & portione beneficiali præferatur; etſi in Eccleſia poſteriùs ſit receptus. n. 1. & 2. Aſſ. II. Major etiam eſt quis altero, ratione antiquitatis, ſeu prioritatis temporis. n. 3. & 4. Aſſ. III. Ratione dignitatis ordinantis, ſi quis à Papa ordinatus, præferendus eſt alijs, cæteris paribus. n. 5. & ſeq.

§. II. *De obedientia, & reverentia à minoribus, ſeu inferioribus præſtanda majoribus, & ſuperioribus, & pœnis inobedientium. pag. 672.*

In quo conſiſtat generatim obedientia debita majotibus? n. 7. Q. I. Qui, & in quibus rebus obedientiam debent exhibere Epiſcopis? R. 1. Omnes Diœceſani, etiam Principes, obedire debent Epiſcopo ſuo. n. 8. Ratio eſt, quia poteſtas Eccleſiaſtica major, & dignior eſt ſeculari. n. 9. & 10.

R. 2. Abbates, & Sacerdotes ſubjecti Epiſcopo loci, venire debent, ſi ad Synodum Diœceſanam vocentur, & ad obedientiam compelli poſſunt per cenſuram Eccleſiaſticam. num. 11. & duobus ſeqq.

Q. II. Qualem obedientiam Capellani, Presbyteri, & alij Clerici Eccleſiæ Titularis alicujus Cardinalis, eidem exhibere debeant? R. Debent exhibere obedientiam, reverentiam, & honorem Cardinali; recipere correctionem ipſius; obſervare cenſuras ab ipſo latas: vacante verò Eccleſia Titulari, ſuccedit Capitulum, niſi Papa ſibi reſervaverit poteſtatem corrigendi, & cenſuras inferendi. n. 14. & duobus ſeqq. Q. III. Quam obedientiam, & reverentiam Moniales exhibere debeant ſuæ Abbatiſſæ? R. Quamvìs Abbatiſſa non poſſit excommunicare Moniales, & Clericos ſibi ſubjectos, obedire tamen ei tenentur. num. 17. & ſeq. Q. IV. An Clerici Epiſcopo ſubjecti teneantur ad præſtandam obedientiam in ſcripto, vel per juramentum?

R. Clericus, qui adminiſtrationem non habet, non tenetur ſcripto, vel juramento promittere obedientiam Epiſcopo. num. 19. Prætetea ſimplices beneficiati, qui adminiſtrationem non habent, ſicut & Regulares compelli debent ad juramentum obedientiæ Prælato ſuo præſtandum, ſi inobedientes, & contumaces fuerint, & à conſortio aliorum ſunt ſeparandi. n. 20. & ſeq. Porrò, ſi Metropolitanus à Suffraganeo ſuo juramentum exigat, prætet formam præſcriptam à SS. Canonibus, ad illud non obligatur. n. 22. & ſeq. Q. V. Quomodo componenda ſit controverſia orta inter Clericos de ſuperioritate unius, & ſubjectione alterius?

R. Ortâ controverſiâ inter duos Archiepiſcopos de jure Primatûs, requiritur conſenſus Prælatorum, & Capitulorum utriuſque partis: &, ſi conſentire nequeant, ad Sedem Apoſtolicam accedere debent, ut proſequantur jus ſuum. n. 24. & duobus ſeqq. Q. VI. Quæ ſint pœnæ Jure Canonico decretæ in eos, qui ſunt inobedientes ſuis Superioribus, ſeu Prælatis Eccleſiaſticis, eorûmque ſtatutis? R. Si per contumaciam non obtemperaverint, excommunicari debent. n. 27. & inobedientiæ notam, ſeu infamiam quodammodo incurrunt. n. 28.

§. III. *An minor, ſeu inferior poſſit exercere juriſdictionem, ac poteſtatem in majorem, ſeu ſuperiorem, & hic ſubjici minori? pag. 678.*

Eccleſia ſita in aliquo, v. g. Archidiaconatu, ſi erigatur in Cathedralem, à juriſdictione Archidiaconi eximitur, quia inferior in ſuperiorem poteſtatem habere non debet. n. 29. & tribus ſeqq.

§. IV. *An Eccleſia, cujus Epiſcopus, ſeu Prælatus, vel etiam Capitulum, & Clerus in hæreſin, vel ſchiſma incidit, juriſdictionem, & alia jura, ac privilegia amittat? pag. 679.*

R. Eccleſiam lapſam in hæreſin, vel ſchiſma, amittere omnia priſtina jura, & privilegia, ſaltem quoad exercitium, ita, ut Eccleſiæ antea illi ſubjectæ ab ejus juriſdictione ipſo facto eximantur. n. 33. & duobus ſeqq. Quamvìs, ſi redeat ad Catholicam fidem, recuperet jura amiſſa, vel ipſo facto, vel ſaltem per reſtitutionem in integrum. n. 36.

§. V. *De ſubjectione, & obedientia exhibenda Summo Pontifici. pag. 680.*

Omnes Chriſti fideles, ex neceſſitate ſalutis Rom. Pontifici ſunt ſubjecti. n. 37. Epiſcopi, aliique ſimiles Prælati, abſque rationabili cauſa, extra ſuam Diœceſin, vel Provinciam, præſertim mutato habitu, non diſcurrant; nec, ſi Romam veniant, ſinè licentia Papæ, inde diſcedant. n. 38. Quicunque Epiſcopus Romam veniens ſe ſiſtere debet Papæ, eique exhibere debitam reverentiam. n. 39. Nullus deinceps debet fieri Poteſtas, aut Capitaneus in terris, & caſtris S. Pontifici ſubjectis, ſinè ſpeciali illius licentia. n. 40.

SECTIO II. *De juriſdictione, & poteſtate Capituli. pag. 681.*

Quid intelligatur nomine Capituli. n. 41.

§. I. *De officio, & poteſtate Capituli, Eccleſiâ, vel Sede non vacante? pag. 681.*

ASSERTIO I. Capitulum, etiam Cathedrale, vivente Epiſcopo, nullam juriſdictionem habet in Clericos. n. 42. Aſſ. II. Habet tamen uſum, ſeu exercitium quoddam juriſdictionis, ita, ut poſſit aliqua ſtatuta ad adminiſtrationem pertinentia, & pœnam aliquam ijs adjicere, quæ obligent, ſaltem per modum pacti, ſeu conventionis. n. 43.

§. II. *De juriſdictione, & poteſtate Capituli Cathedralis, Sede vacante. pag. 682.*

ASSERTIO I. Capitulum Cathedrale, Sede vacante, habet juriſdictionem Epiſcopalem ordinariam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus. n. 44. idque extenditur n. 45. Aſſ. II In ſpecie poteſt primò excom̃unicatos abſolvere. Secundò excom̃unicare, ſuſpendere, deponere, & privare beneficijs. n. 46. Tertiò diſpenſare in caſibus, quibus Epiſcopus poteſt: Quartò facere ſtatuta. Quintò compellere executores teſtamentorum ad exequendum. n. 47.

§. III. *De caſibus exceptis, in quibus Capitulum Cathedrale, Sede vacante, non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi; & de poteſtate, quam habet in cauſis beneficialibus. pag. 683.*

QUÆRITUR I. Quando juriſdictio, ſeu poteſtas Epiſcopi non tranſeat ad Capitulum, Sede vacante? R. Non ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione delegata. n. 48. nec in poteſtate Epiſcopis conceſſâ, ratione dignitatis, ac præeminentiæ ſuæ. n. 49. Neque poteſt viſitare Diœceſin, ſi Eccleſia non diu vacet, vel niſi neceſſitas urgeat: nec Synodum convocare. n. 50. nec donare, & alienare jura, ac bona Epiſcopatûs. n. 51. neque etiam ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione feudali. n. 52. Q. II. Quid poſſit Capitulum, Sede vacante, in cauſis beneficialibus, vel non poſſit? R. Poteſt inſtituere præſentatos à patronis; & confirmare electos. n. 53. R. 2. Non poteſt conferre beneficia, quæ ad ſolius Epiſcopi collationem pertinent; nec ea, quorũ collatio ad Epiſcopum pertinet jure devolutionis. n. 54. R. 3. Poteſt

Ca-

Capitulum beneficia etiam libera, Sede vacante, dare in commendam ad ſex menſes, & conferre beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum, & Capitulum pertinent, ſicut & hoc caſu præſentare, & eligere poteſt. n. 55. item beneficia unire, ob gravem neceſſitatem, vel utilitatem evidentem. n. 56. R. 4. Capitulum non poteſt recipere reſignationes beneficiorũ. n. 57.

§. IV. *De juriſdictione, & poteſtate Capituli Eccleſiæ non Cathedralis, ſeu Collegiatæ, ſive ſecularis, ſive regularis, Prælaturâ vacante.*

Assertio I. Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ exemptæ, cuius Prælatus quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habet, vacante Prælaturâ, omnem juriſdictionem habet, ſicut Capitulum Cathedrale. n. 58.

Aſs. II. Si Prælatus Eccleſiæ Collegiatæ ſecularis non exemptæ juriſdictionem obtineat in Clericos ſuos, excluſo Epiſcopo, tum de Jure communi ea non ad Capitulum illius Eccleſiæ, ſed ad Epiſcopum tranſit, cui ea ſubiecta eſt. n. 59. Aſs. III. Sed neque vacante Prælaturâ, regulariter Capitulum non exemptum in juriſdictione ſuccedit, ſed ad Epiſcopum devolvitur. n. 60.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.	c. 13. n. 22. & 23.
c. 1. n. 3.	c. 14. n. 44. & 53.
c. 2. n. 27.	c. 15. n. 1. & 2.
c. 3. n. 19.	c. 16. n. 29. & ſeqq.
c. 4. n. 8.	c. 17. & ult. n. 24. & 25.
c. 5. n. 28.	In Sexto.
c. 6. n. 9.	c. unic. n. 46.
c. 7. n. 5. & 6.	Extravagans Joan. XXII. unic. n. 40.
c. 8. n. 33. & tribus ſeqq.	In Extravagantibus communibus.
c. 9. n. 11. & 12.	Extravag. 1. n. 37.
c. 10. n. 20. & 21.	Extravag. 2. n. 38.
c. 11. n. 14. & duobus ſeqq.	Extravag. 3. n. 39.
c. 12. n. 17. & 18.	

TITVLVS XXXIV.

DE TREUGA, ET PACE. *Pag. 687.*

Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Treuga? R. ea definitur n. 1. Eſt autem duplex, conventionalis, & canonica, ſeu legalis. n. 2. Q. II. Quibus diebus ſervandæ ſint treugæ, & quæ ſint pœnæ eas violantium? R. ij expreſſi ſunt in c. 1. h. t. uti & pœnæ eas violantium. n. 3. & ſeq. Q. III. Qui gaudeant treugâ, ſeu ſecuritate perpetuâ? R. illi quoque enumerantur in c. 2. h. t. n. 5. & 6. Q. IV. An Judex, ſeu Superior poſſit ſubditos, aut partes litigantes cogere ad pacem, & tranſactionem faciendam? R. In publicis bellis poteſt; non item in privatis litibus. n. 7. & 8.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.	In Extravag. com.
c. 1. n. 3. & 4.	Extrav. 1. n. 9.
c. 2. n. 5.	Extrav. 2. n. 10.

TITVLVS XXXV.

DE PACTIS. *Pag. 689.*

§. I. *Quid ſit pactum, & quomodo dividatur, qui paciſci poſsint, & quæ ſit materia pactorum in genere, & quæ forma? pag. 690.*

Assertio I. Definitur n. 1. & 2. Aſs. II. Variè dividitur. n. 3. & tribus ſeqq. Aſs. III. Paciſci omnes poſſunt, qui non prohibentur. n. 7.

Aſs. IV. De omnibus rebus licitis, & honeſtis paciſci licet. n. 8.

§. II. *De obſervatione pactorum, & eorum confirmatione per Superiorem. pag. 693.*

Assertio I. Pacta legitima inter Chriſtianos inita ſervari debent. n. 9. & ſeq. Aſs. II. Pacta inter aliquos inita poſſunt per ſupervenientem ratihabitionem Superioris confirmari. n. 11. & 12. Porrò non ad omnia pacta inferiorum, ſeu ſubditorum confirmanda requiritur conſenſus, aut ratihabitio Superiorum. n. 13. & 14.

§. III. *De diverſis pactis illicitis, & Iure Canonico prohibitis, ac reprobatis. pag. 694.*

Assertio I. Prohibitum, & illicitum eſt pactum in præjudicium juris parochialis alterius Eccleſiæ, v. g. de decimis ſolvendis, vel ſepulturâ eligendâ, in præjudicium Eccleſiæ parochialis. n. 15. & 16. Et hinc irritum eſt pactum, ut quis ſepeliri debeat, extra parochiam ſuam; quamvis valeat pactum Religioſorum, qui ex privilegio jus ſepeliendi extraneos habent, de non ſepeliendis in ſua Eccleſia extraneis. n. 17. & ſeq. Aſs. II. Illicitum eſt pactum, ſine Superioris auctoritate factum, ut una pars lite, & jure ſuo, ſi quod in illo officio habeat, cedat; altera verò temporale aliquid det. n. 19. & 20. Aſs. III. Irritum eſt pactum de ſuccedendo alicui in ipſius Eccleſia, vel beneficio. n. 21. Aſs. IV. Irritum eſt pactum, ſi quis promittat, penſionem ſe ſoluturum, ſub ſpe beneficij conſequendi. n. 22. & ſeq. Aſs. V. Generaliter irrita ſunt pacta pro ſpiritualibus obtinendis. n. 24. & tribus ſeqq.

§. IV. *De pacto, tum negativo de non ſuccedendo, per quod renunciatur hæreditati futuræ; tum affirmativo de ſuccedendo alicui. pag. 697.*

Quæritur I. An pactum de non ſuccedendo, per quod renunciatur hæreditati ſibi deferendæ, confirmetur per appoſitum juramentum, ita, ut vim obligandi habeat? R. affirmativè. n. 29. idque extenditur n. 30. & 31. limitatur n. 32. & 33. Q. II. An pactum affirmativum de ſuccedendo in hæreditate valeat, & juramento confirmari poſſit? R. tale pactum nec appoſito juramento confirmari poteſt. num. 34.

§. V. *De effectu pactorum. pag. 700.*

Assertio I. Jure Civili non datur actio ex nudo pacto, etſi alij effectus ex eo oriantur. n. 35.

Aſs. II. Jure Canonico datur, ſi acceptatum ſit. n. 36. idque limitatur, & declaratur. n. 37.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	c. 7. n. 15. & ſeq.
c. 1. n. 9.	c. 8. & ult. n. 24. & tribus ſeqq.
c. 2. n. 11.	In Sexto.
c. 3. n. 9.	c. 1. n. 17. & 18.
c. 4. n. 19. & ſeq.	c. 2. n. 29.
c. 5. n. 21.	c. 3. n. 13. & ſeq.
c. 6. n. 22.	

TITVLVS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS. *Pag. 701.*

§. I. *Quid, & quotuplex ſit Tranſactio? pag. 702.*

Assertio I. Sumitur dupliciter, latè, & ſtrictè,

 n. 2.

n. 2. & quatuor ſeqq. Aſs. II. Alia eſt realis, alia perſonalis. n. 7.

§. II. *De ijs, qui tranſigere poſſunt, vel non poſſunt; & ſpeciatim, an, & quatenus Prælati, vel Rectores Eccleſiarum tranſigere poſſint de rebus, & juribus Eccleſiaſticis? pag. 703.*

Assertio I. Generatim tranſigere poſſunt, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent. n. 8. Aſs. II. Prælatus non poteſt tranſigere ſuper bonis Eccleſiaſticis immobilibus, vel mobilibus pretioſis, ſine conſenſu Capituli. n. 9. ponuntur exceptiones. n. 10. & duobus ſeqq. Aſs. III. Requiritur etiam conſenſus legitimi Superioris, v.g. Epiſcopi, cui Eccleſia eſt ſubiecta. n. 13. & 14. Poteſt tamen Prælatus tranſigere ad certum tempus, vel annos vitæ partis tranſigentis. n. 15. & ſeq. tranſactio ſuper juribus ſpiritualibus, ſine Superioris conſenſu, facta, ad Succeſſores non tranſit. n. 17. & 18.

§. III. *An, & quâ ratione liceat tranſigere de rebus ſpiritualibus, vel iis, quæ ſpiritualibus annexa ſunt? pag. 706.*

Assertio I. Super Eccleſiaſtico beneficio in litem deducto non poteſt tranſigi, ut pro jure ſpirituali, detur, vel remittatur aliquid temporale. n. 19. idque extenditur. n. 20. & tribus ſeqq. Aſs. II. Non licet tranſigere ſuper jure patronatûs pro re temporali. n. 24. Aſs. III. Tranſactio ſuper ſubiectione ſpirituali eſt etiam irrita. n. 25. & duobus ſeqq.

Aſs. IV. Super matrimonio, nec tranſactio, nec amicabilis compoſitio fieri poteſt. n. 28. & ſeq.

§. IV. *De quibus præterea rebus, ſeu cauſis licitum ſit tranſigere, vel non? pag. 709.*

Assertio I. De publico crimine capitali tranſigere licet. n. 30. Aſs. II. De aliis publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non irrogant, tranſigere non licet, præter accuſationem falſi. n. 31. & ſeq.

Aſs. III. De criminibus privatis, quibus pœna ſanguinis non irrogatur, illicita, & invalida eſt tranſactio, ſi criminaliter agatur; ſecus ſi civiliter. n. 33.

Aſs. IV. De ijs, quæ in teſtamento, vel codicillo relicta ſunt, ſinè judice tranſigi non poteſt, niſi inſpectis, cognitiſque verbis teſtamenti. n. 34.

§. V. *De forma tranſactionis, eiúſque extenſione, & remiſſione. pag. 710.*

Assertio I. Tranſactio fit duobus modis. n. 35. & ſeq. Aſs. II. Tranſactio de certis rebus non debet extendi ad alias non expreſſas, nec connexas. n. 37. Aſs. III. Tranſactio ex variis cauſis reſcindi poteſt. n. 38.

§. VI. *De effectu tranſactionis. pag. 711.*

Assertio I. Præcipuus eſt, quod per illam finis litibus imponatur. n. 39. idque extenditur. n. 40. & ſeq. Aſs. II. Alter effectus eſt, quòd exceptionem patiat. n. 42. poteſt Advocatus in cauſa principali unius partis litigantium, ſi ea per tranſactionem componatur, eſſe teſtis huius tranſactionis. n. 43. & ſeqq.

SERIES CAPITULORUM.

c. 1. n. 40. & ſeq.	c. 5. n. 15. & ſeq.
c. 2. n. 13. & ſeq.	c. 6. n. 43.
c. 3. n. 11.	c. 7. n. 19.
c. 4. n. 21. & duob. ſeqq.	c. 8. n. 17.
c. 9. n. 24.	c. 11. & ult. n. 28. & ſeq.
c. 10. n. 25. & ſeq.	

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO. *Pag. 713.*

§. I. *Quid ſit poſtulare, ſeu advocare? quomodo Advocatus à Procuratore differat, & à quo conſtituantur Advocati? pag. 713.*

Assertio I. Poſtulare hîc accipitur pro advocatione, ſeu officio Advocati. n. 1. Aſs. II. In quibus Advocatus differat à Procuratore? n. 2. Aſs. III. Judex debet partibus litigantibus, ſi petant, dare Advocatos. n. 3.

§. II. *De ijs, qui ſuo, vel alieno nomine poſtulare poſſunt, vel non poſſunt. pag. 714.*

Quæritur I. Quinam edicto probibeantur poſtulare? R. alij tam pro ſe, quàm pro aliis, alij pro aliis tantùm poſtulare prohibentur; alij pro ſe tantùm, non pro aliis, niſi pro certis perſonis. n. 4.

Q. II. An, & qua ratione lege Canonicâ Clerici prohibeantur poſtulare, ſeu advocare? R. Clerici in ſacris, vel in minoribus, ſed beneficiati, poſtulare prohibentur, niſi pro ſe, vel Eccleſiâ ſuâ, vel miſerabilibus perſonis. n. 5. Item nullus Sacerdos poteſt poſtulare, niſi pro ſe ipſo, Eccleſiâ, vel perſonis conjunctis, aut miſerabilibus. n. 6. & ſex ſeqq. neque ullus Clericus contra Eccleſiam ſuam, ſub pœna privationis beneficij. n. 13. & duobus ſeqq. Q. III. An Religioſi prohibeantur eſſe Advocati in judicio? R. Monachi, & Canonici quoque Regulares non poſſunt poſtulare, niſi pro utilitate Eccleſiæ, vel Monaſterij ſui, & ex mandato Abbatis. n. 16. & tribus ſeqq. Q. IV. Quinam præterea lege prohibeantur advocare? R. Hæretici, aliíque, de quibus n. 20.

Q. V. Quinam ſententia Judicis poſtulare prohibentur? R. de his agitur n. 21.

§. III. *De officio, & obligatione Advocati, & effectu poſtulationis. pag. 718.*

Aſs. I. Officium Advocati eſt, ut ad cauſam Clientis ſui ſpectantia in judicio proponat, & ambigua dirimat. n. 22. Aſs. II. Is, qui prohibetur poſtulare, non poteſt advocare, etſi adverſarius conſentiat. n. 23.

SERIES CAPITULORUM.

c. 1. n. 5. & 6. & ſeqq.	c. 3. & ult. in princ. n. 6. & ſeqq.
c. 2. n. 16. & tribus ſeqq.	§. Clerici n. 13.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS. *Pag. 719.*

§. I. *Quis ſit Procurator, & quotuplex? pag. 719.*

Assertio I. Procurator eſt, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat. n. 1. & quatuor ſeqq.

Aſs. II. Varia ſunt genera, ſeu ſpecies Procuratorum. n. 6.

§. II. *De ijs, qui poſſunt conſtituere Procuratorem, vel non poſſunt. pag. 721.*

Quæritur I. An univerſitas poſſit conſtituere Procuratores? R. affirmativè. n. 7. & 8. Q. II. An excommunicatus poſſit conſtituere Procuratorem ad agendum in judicio? R. negativè, n. 9. & 10. Ponuntur exceptiones. num. 11. & duobus ſeqq.

Q. III. Quinam præterea Procuratorem conſtituere

tuere poſſint, vel prohibeantur? R. De his agitur n. 14. Secundùm Canones, Prælati in ijs rebus, in quibus liberam, & generalem adminiſtrationem habent, Procuratorem conſtituere poſſunt; Religioſus verò non poteſt, ſine licentiâ Superioris. n. 15. Nemo autem tenetur Procuratorem loco ſui conſtituere. n. 16. & 17.

§. III. *Quinam poſsint dare Procuratores, vel non? pag. 724.*

Assertio I. Omnes, qui non probibentur. n. 18. in ſpecie laicus poteſt eſſe Procurator, etiam in cauſis ſpiritualibus, n. 19. etiam filiusfam. n. 20.

Aſs. II. Prohibentur eſſe Procuratores ad judicia Primò, Minores xxv. annis. n. 21. Secundò, Clerici in majoribus conſtituti. n. 21. & 22. Tertiò, Religioſi, niſi cum limitatione. n. 22. Quartò, excommunicati. n. 23. Quintò, infames. n. 23. & alij plures. num. 24.

§. IV. *De cauſis, in quibus conſtitui poteſt Procurator, vel non poteſt. pag. 726.*

Assertio I. In omnibus cauſis civilibus in judicio intervenire poteſt Procurator. n. 25. etiam matrimonialibus. n. 26. & quinque ſeqq. Aſs. II. In cauſis criminalibus, in quibus imponitur pœna capitalis, vel alia corporalis, non admittitur Procurator. n. 31. limitatur. n. 32. & ſeq.

§. V. *De forma, ſeu modo conſtituendi Procuratorem. pag. 729.*

Assertio I. Procurator, non tantùm præſens, ſed etiam abſens conſtitui poteſt, modò conſentiat. n. 34. & ſeq. Poteſt autem Procurator ab abſente conſtitutus, ſi nolit acceptare mandatum, poſtea pœnitere, & illud acceptare, quàm diu conſtituens in eadem perſtiterit volunrate. n. 36. & ſeq. Aſs. II. Procurator conſtitui poteſt, non tantùm ad præſentes, ſed etiam ad futuras lites. n. 38. Aſs. III. Non tantùm unus, ſed etiam plures ſuper eadem cauſa conſtitui poſſunt, vel ſimul, & eodem, vel diverſis temporibus; in ſolidum, vel ſimpliciter. n. 39. & 40. quid fieri debeat, ſi plures ſimpliciter, vel ſinguli in ſolidum ſint conſtituti. n. 41. & ſeq. & quid, ſi unus ex pluribus Procuratoribns in ſolidum datus, alios prævenit? n. 43. & quid, ſi in cauſis ſpiritualibus plures ſimpliciter dati ſunt Procuratores. n. 44. & 45.

§. VI. *De mandato procuratorio, & ſatisdatione Procuratoris. pag. 732.*

Assertio I. Ad Procuratoris conſtitutionem requiritur etiam, ut habeat legitimnm mandatum à domino. n. 46. & quatuor ſeqq. Aſs. II. Si detur Procurator non babens ſufficiens mandarum, perinde eſt, ac ſi nnllus datus eſſet. n. 51. & ſeq.

Aſs. III. Quid continere debeat mandatum procuratorium? n. 53. Aſs. IV. Si de mandato legitimo Procuratoris conſtet, non tenetur is cavere de rato habendo. n. 54. nihil verò refert, qno nomine appellentur in mandato, qui deputanrur ad res alienas gerendas. n. 55.

§. VII. *De officio, & poteſtate Procuratoris. pag. 735.*

Assertio I. Procuratoris ad judicia officium eſt agere, reſpondere, defendere dominum ſuum. n. 56. & debet eſſe conſtitutus à domino, cum plena libertate. n. 57. & ſeq. Aſs. II. Procurator generaliter conſtitutus ad negotia, cenſetur etiam conſtitutus ad judicia. n. 59. & ſeq. Aſs. III. Procurator generaliter conſtitutus ad omnia, non poteſt agere, quæ ſpeciale mandatum requirunt, niſi aliqua fuerint ſpecificata, ſeu nominatim expreſſa. n. 61. idque ulteriùs declarari, & limitari debet. n. 62. & duobus ſeqq. Aſs. IV. Procurator generaliter conſtitutus non poteſt juramentum deferre, tranſigere, vel paciſci, ſine ſpeciali mandato, niſi libera adminiſttatio ei ſit conceſſa. n. 65. & ſeq. Aſs. V. Ad officium Procuratoris etiam pertinet appellare. n. 67. Limitatur n. 68. Ponitur caſus ſpecialis, in quo Procuratori generali licet appellare. n. 69. & ſeq. Aſs. VI. Poteſt Procurator ad lites etiam ſubſtituere aliũ ſuo loco, poſt litem conteſtatam, non item antè: ad negotia verò datus liberè poteſt. n. 71. quibus caſibus in ſpecie etiam Procurator ad lites poſſit ſubſtituere alium. n. 72. & quinque ſeqq.

§. VIII. *An, & quà ratione factum, vel omiſsio Procuratoris noceat domino, ſeu principali, & quinam alij ſint effectus mandati procuratorij? pag. 739.*

Assertio I. Si Procurator omiſit facere, quod dominus facere debuiſſet, id nocet, & imputatur domino. n. 78. Aſs. II. Secus eſt, ſi ipſe Procurator aliquid facere ſit obligatus. n. 79. Aſs. III. Si non ſit certum, omiſſionem Procuratoris eſſe culpæ, vel pœnæ obnoxiam, tunc ea præjudicat domino. n. 80.

Aſs. IV. Quando Procurator aliquid poſitivè facit, quod illicitum eſt, id non præjudicat domino. n. 81. Aſs. V. Confeſſio Procuratoris facta in judicio ordinariè domino præjudicat. n. 82. Quinam prætetea ſint effectus mandati procuratorij. n. 83. quænam actio ex mandato Procuratoris competat? n. 84. & tribus ſeqq.

§. IX. *An, & quo pacto officium, ac poteſtas Procuratoris ad judicia dati finiatur per revocationem ejuſdem à domino factam? pag. 741.*

Assertio I. Procnrator ad lites, ante litem conteſtatam, liberè poteſt revocari à domino, non verò poſtea. n. 88. & duobus ſeqq. Aſs. II. Si Procurator ſit revocatus, ſciens revocationem; tum ſententia contra ipſum lata, in præjudicium domini, non valet. n. 91. & ſeq. Aſs. III. Reſcriptum impetratum à Procuratore revocato ſcienter, eſt nullum, nec proceſſus, aut ſententia vi illius lata valet, ſi revocatio etiam pervenit ad notitiam adverſarij. n. 93. & ſeq.

Aſs. IV. Revocatio Procuratoris in contemptum Judicis, præſertim Sedis Apoſtolicæ, & in præjudiciũ adverſarij facta, poſtquam in cauſa concluſum eſt, non tenet; & revocans condemnari debet in expenſas. n. 95. & ſeq. Aſs. V. Revocatio Procuratoris inſinuari debet Judici, vel adverſario. n. 97. & ſeq.

Aſs. VI. Procurator habens mandatum ſubſtituendi, ſubſtitutum à ſe, poſt ſuſceptum mandatum, etiamſi eo non ſit uſus, revocare non poteſt, niſi etiã habuerit poteſtatem revocandi: quòd ſi eſſet Procurator ad plures cauſas, & in una ſubſtituit; in aliis remanet Procurator. n. 99. & ſeq. Aſs. VII. Si quis det Procuratorem hoc modo: *Quoties me abeſſe contigerit*, tum dominus cauſam tractando, non intelligitur revocare Procnratorem: ſecus, ſi ſimpliciter ſit datus; niſi expreſsè proteſtetur, quod ipſum revocare non intendit, vel ex aliis probabilibus conjecturis id appareat. n. 101. & ſeq.

§. X. *De*

§. X. *De revocatione Procuratoris ad negotia, & aliis modis, quibus finitur officium Procuratoris, ſive ad negotia, ſive ad judicia dati. pag. 747.*

Qværitvr I. Quo pacto revocetur Procurator ad negntia conſtitutus? R. Si generaliter Procuratnr ſit conſtitutus ad nmnia negotia, revncatin illius nnn habet effectum, priuſquam ei intimata ſit. n. 103. & 104. ubi ponuntur exceptiones: ſi verò datus ſit ſnlùm ad certos actus, tum neceſſe eſt, ut revocatio Procuratoris veniat ad notitiam, non ſolùm Procuratoris, ſed etiam alterius partis, cum qua contrahitur, vel litigatur, vel ſaltem Judicis. n. 105. & ſeq. Q. II. Quibuſnam præterea modis finiatur officium Procuratnris? R. Finitur mutun cnnſenſu domini, & Procuratnris., n. 1n7. Quamvls etiam interdum exſpiret officium Procuratnris, re integrâ, per mnrtem cnnſtituentis. n. 108. & ſeq. Exſpirat etiam per tranſactionem, vel depoſitinnem Prælati conſtituenris Procuratorem. n. 110. & ſeq. & per mortem ipſius Procuratnris. n. 112.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.	§. Licet, & fin. n. 71. & plurib. ſeqq.
c. 1. n. 46. & ſeqq.	c. 2. n. 88. & duob. ſeqq.
c. 2. n. 16. & 17.	c. 3. n. 99. & 100.
c. 3. n. 91. & 92.	c. 4. in princ. & §. Sed ſi aliquis. n. 61.
c. 4. n. 93. & 94.	§. fin. n. 65. & 66.
c. 5. n. 32. & 33.	c. 5. in princ. n. 59.
c. 6. n. 85. & duob. ſeqq.	§. Nedum. n. 20. &
c. 7. n. 7. & 8.	§. fin. n. 21.
c. 8. n. 95. & 96.	c. 6. n. 41. & tribus ſeqq.
c. 9. n. 55. & 56.	c. 7. n. 36. & 37.
c. 10. n. 57. & 58.	c. 8. n. 101. & 102.
c. 11. n. 69. & 70.	c. 9. & ult. n. 26. & ſeqq.
c. 12. n. 51. & ſeq.	In Clementinis.
c. 13. n. 97. & 98.	Clem. 1. n. 34. & 35.
c. 14. in princ. n. 10. 39. & 40.	Clem. 2. n. 62. & 63.
§. Potuit ult. num. 67. & 68.	Clem. 3. n. 15. & 22.
c. 15. & ult. n. 9. & 10.	Clem. 4. n. 109. & duob. ſeqq.
In Sexto.	
c. 1. in princ. n. 19.	

TITVLVS XXXIX.

DE SYNDICO. *Pag. 749.*

Quærıtur I. Quis ſit Syndicns, & quomodo à Procuramte, & aliis ſimilibus differat? R. eſt Procurator Univerſitatis, ad illius negotia, ac præcipuè ad lites tractandas cnnſtitutus. in quibus à Procuratore differat, dicitur n. 1. Q. II. Quomodo cnnſtituatur Syndicus? R. Omnes de cnmmunitate citandi ſunt, qui jus ſuffragij habent; & conſtituitur à majore parte præſentium. n. 2. Requiritur etiam conſenſus Rectoris, ſeu Superintis Cnllegij, ſive Univerſitatis. n. 3. Q. III. Qnis, & qualis conſtituendus ſit Syndicus? R. conſtitui poteſt Syndicus, ſive ex ipſa Univerſitate, ſive extraneus. n. 4. Q. IV. An Religioſi Syndici eſſe poſſint in cauſis ſui Monaſterij? R. conſultius eſt, ut conſtituatur extraneus, etiam laicus, dato ei ſalario. n. 5. & 6. Q. V. Quæ ſit poteſtas Syndici? R. omnia poteſt expedire, etiam quæ ſpeciale mandatum requirunt; finitur eius officium iiſdem ferè modis, quibus officium Procuratoris. n. 7.

Cap. unic. h. t. n. 5. & 6.

TITVLVS XL.

DE IIS, QUÆ VI, METUSVE CAUſa fiunt. *Pag. 751.*

§. I. *Quid ſit vis, quid metus, & quotuplex? pag. 751.*

Assertio I. Vis eſt majnris rei impetus, qui repelli nnn poteſt. n. 1. Aſſ. II. Metus eſt, inſtantis, vel futuri periculi causâ, mentis trepidatio. num. 2. & quomodo à vi differat? ibid. Vis abſoluta ſemper, & omnino excuſat à culpa, & pœna; non item metus, licèt culpam minuat. num. 3. & duobus ſeqq. Aſſ. III. Metus alius eſt gravis, alius levis, alius prnbabilis, & juſtus, alius injuſtus. num. 6.

§. II. *An per vim, ſeu coactionem abſolutam vitientur contractus, aliique actus, & quomodo probanda ſit violentia, & amiſſa per illam? pag. 753.*

Assertio I. Quæ per vim abſolutam, & injuſtam geſta ſunt, ipſo jure ſunt irrita. num. 7.

Aſſ. II. Violentia probatur per teſtes; quantitas autem rerum ablatarum, per juramentum ſpoliati, præviâ Judicis taxatinne. n. 8. & ſeq.

§. III. *An, & quomodo metus vitiet contractus, alióſque actus, etiam juramento confirmatos?. pag. 754.*

Assertio I. Actus per metum, etiam injuſtum, & gravem facti, regulariter ipſo jure ſunt validi in utroque foro; quamvis reſcindi poſſint. n. 10. ſolvuntur obiectiones. n. 11. & tribus ſeqq. Aſſ. II. Qui per metum gravem injuſtè incuſſum renunciavit juri ſuo, v. g. electinni, poteſt non obſtante tali renunciatione, inſtitui in Eccleſia, ad quam eſt electus, dummodn juramento confirmata non fuerit; quamvis eius relaxationem petere poſſit, & eo relaxato, renunciatio reſcindi. n. 15. & duobus ſeqq. Similiter, ſi quis gravi metu cnactus juravit, ſe reſignaturum beneficium, illúdqne reſignavit, pnteſt nihilominus petere, ut idem ſibi reſtituatur. num. 18. & 19.

Aſſ. III. Si promiſſio, vel vntum juratum in alicuius hominis gratiam factum ſit, id ſervandum eſt, niſi gravi metu, vel dnlo emiſſum ſit. n. 20. & 21. Sed & prnmiſſio jurata per levem metum injuſtè facta, relaxari poteſt, in odium metum incutientis. n. 22.

§. IV. *Quinam contractus, aliive actus metu gravi facti ſint ipſo jure irriti? pag. 759.*

Assertio I. Contractus matrimonij per metum gravem injuſtè incuſſum eſt ipſn jure Eccleſiaſtico irritus. n. 23. Secundò, etiam prnfeſſio religioſa. n. 24. & duobus ſeqq. Tertiò, quodlibet vntum etiam ſimplex. n. 27. Quartò, contractus doris prnmiſſæ, vel ſolutæ ex ſimili metu. n. 28. Quintò, promiſſio, vel traditio rerum Eccleſiæ facta ex metu gravi. n. 29. Sextò, abſolutin à cenſura per vim, & metum extorta, vel revncatio cenſuræ incurrendæ. n. 30 & dunbus ſeqq. Aſſ. II. Adferuntur alij quidam caſus, in quibus actus ipſn jure ſit irritus, nb metum gravem, & injuſtum, qui tamen certi non ſunt. n. 33. & quatunr ſeqq.

§. V. *De conditionibus requiſitis, ut ex cauſa metûs, contractus, vel alius actus reſcindatur, vel etiam ipſo jure irritus reddatur. & de actione, & exceptione, quæ datur metum paſſo. pag. 762.*

ASSERTIO I. Plures tales conditiones requiruntur. Veluti prima, ut metus gravis ſit. num. 38. Secunda, ab extrinſeca cauſa libera illatus. num. 39. Tertia, ut injuſtè ſit illatus. num. 40. Quarta, ut incutiatur directè ad extorquendum conſenſum; quamvìs aliqui contrarium teneant. num. 41. Quinta, ut metum paſſus damnum inde acceperit. num. 42. Aſſ. II. Ei, qui metum gravem, & injuſtum paſſus eſt, non ſolùm actio, ſed etiam exceptio: Quod metûs causâ; datur. n. 43. & ſeq.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	c. 5. n. 3. & duob. ſeqq.
c. 1. n. 24. & duob. ſeqq.	c. 6. n. 20. & 21.
c. 2. n. 10. & 11.	c. 7. n. 8. & 9.
c. 3. n. 15. & 16.	IN SEXTO.
c. 4. n. 18.	c. un. n. 30. & duob. ſeqq.

TITULUS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE. *Pag. 764.*

§. I. *Quid ſit reſtitutio in integrum, & quæ ad illam requirantur? pag. 765.*

ASSERTIO I. Eſt remedium extraordinarium, per quod læſus, vel deceptus, intra, vel extra judicium, cum cauſæ cognitione, in priſtinum ſtatum, ac jus reſtituitur. num. 1. Aſſ. II. Ad reſtitutionem concedendam requiritur primò, ut contractus, vel actus, in quo aliquis petit reſtitui, jure ſit validus. num. 2. Secundò, ut reſtituendus ſit læſus ex illo actu, idque probari poſsit. n. 3. Tertiò, ut læſio ſit gravis, ſeu notabilis. n. 4.

§. II. *Quibus in ſpecie conceditur reſtitutio in integrum? pag. 766.*

ASSERTIO I. Hoc beneficium datur in primis minoribus xxv. annis. num. 5. & tribus ſeqq.
Aſſ. II. Conceditur etiam Eccleſiæ. n. 9. & tribus ſeqq. Imò & aliis Collegiis, & locis piis. n. 13. & 14. Aſſ. III. Etiam Reipubl. n. 15. Aſſ. IV. Et interdum etiam maioribus xxv. annis. n. 16.

§. III. *In quibus cauſis, ſeu caſibus in ſpecie concedatur reſtitutio in integrum minoribus, vel Eccleſiæ? pag. 709.*

ASSERTIO I. Si minor, vel Eccleſia læſa ſit in contractu aliquo, quoad ſubſtantiam, tunc is omnino reſcinditur: ſi verò ſolùm quoad accidentia, v. g. quantitatem, contractus reſcindi non debet, ſed ad æquitatem reduci. num. 17. Aſſ. II. Si minor, vel Eccleſia, propter negligentiam tutoris, vel Procuratoris, ſit læſa, poteſt petere reſtitutionem in integrum. n. 18. & ſeq. Aſſ. III. Si minor, vel Eccleſia læſa ſit, propter negligentiam propriam, v. g. ob amiſſam neceſſariam probationem, poteſt petere reſtitutionem in integrum. n. 20. & ſeq. Quamvis autem Eccleſia, vel minor, poſt elapſum terminum peremptorium, non audiatur ampliùs de Jure communi; admittitur tamen per beneficium reſtitutionis in integrum. num. 22. & ſeq. Aſſ. IV. Etiam contra ſententiam latam à Papa peti poteſt reſtitutio in integrum. num. 24. uſque ad 33.
Aſſ. V. Si Eccleſiæ denegata ſit reſtitutio, ea ulteriùs ipſi non conceditur, niſi ad appellandum à denegata reſtitutione, vel, niſi novæ defenſiones emergant. n. 33. & quatuor ſeqq.

§. IV. *Quâ ratione Eccleſiis, vel minoribus læſis, ob damnum illatum, vel lucrum ceſſans, ſuccurratur per reſtitutionem in integrum, & an etiam minor, vel Eccleſia adverſus alium minorem, vel Eccleſiam reſtituenda ſit? pag. 776.*

ASSERTIO I. Sicut minores, ita etiam Eccleſiæ læſæ, non tantùm in damno illato, ſed etiam in lucro ceſſante reſtituendæ ſunt. num. 38.
Aſſ. II. Sicut minor læſus contra minorem, ita & una Eccleſia contra aliam reſtituenda eſt. n. 39.

§. V. *In quibus caſibus reſtitutio in integrum minoribus non concedatur. pag. 777.*

Plures ſunt tales caſus. Veluti primò, ſi major factus ratificet geſta in minore ætate. num. 40. Secundò, ſi dolo aſſerat, vel fingat ſe majorem, & inducat alium ad ſecum contrahendum. num. 41. Tertiò, ſi veniam ætatis impetravit. num. 42. Quartò, non reſtituitur adverſùs caſum fortuitum. num. 43. Quintò, ſi minor pubes contractum ſponte factum juramento confirmet. num. 44. Aliud eſt de Prælato Eccleſiæ, quia Eccleſia ex contractu illo læſa reſtituitur, non obſtante juramento. num. 45. Sextò, non reſtituitur minor in delictis per dolum commiſſis. num. 46. Septimò, non reſtituitur ex profeſsione Religionis, ad quam ex falſa cauſa eſt inductus. num. 47.

§. VI. *Intra quod tempus peti debeat reſtitutio in integrum? pag. 779.*

ASSERTIO I. Sicut minor, ita etiam Eccleſia quadriennium continuum habet ad petendam reſtitutionem, non autem poſtea. num. 48. & quatuor ſeqq. Aſſ. II. Eccleſia probans, ſe læſam per lapſum temporis, ad illud tempus tantùm, reſtituitur, & intra quadriennium à tempore læſionis. num. 53. & duobus ſeqq. Aſſ. III. Eccleſia ex confeſsione ſua læſa per beneficium reſtitutionis in integrum admittitur intra quadriennium; non autem poſtea, niſi velit revocare errorem per viam communem, & ordinariam. n. 56. & duobus ſeqq.

§. VII. *Coram quo Judice petenda ſit reſtitutio in integrum, ſive quis de ea cognoſcere poſſit? pag. 782.*

ASSERTIO I. Ordinariè ea petenda eſt à Judice illius, contra quem petitur. num. 59. Eccleſia autem eam petere poteſt, etiam adverſùs laicum, coram Judice proprio Eccleſiaſtico. num. 60.
Aſſ. II. Cauſa reſtitutionis in integrum coram Judice ordinario adminiſtrationem habente tractanda eſt, vel à delegato eius: at verò delegatus ab Ordinario adminiſtrationem non habente, ſed ſimplicem juriſdictionem tantùm, de cauſa reſtitutionis cognoſcere non poteſt, ſicut nec arbiter, niſi coram eis incidenter mota ſit. num. 61. & ſex ſeqq.
Aſſ. III. Solus Princeps ſupremus poteſt reſti-

tuere adverſùs ſententiam ipſius, vel Vicarij, aut delegati eiuſdem. n.68.

§. VIII. *De forma, & effectu reſtitutionis in integrum, & de reſtituendis fructibus, ac expenſis. pag. 784.*

Quæritur I. Quâ formâ peti, & fieri debeat reſtitutio in integrum? R. ut fiat petitio intra legitimum tempus, causâ cognitâ, & probatâ. n.69.

Q. II. Quis ſit effectus reſtitutionis in integrum? R. is eſt, ut quiſque jus ſuum in integrum recipiat. num.70. Q. III. An, ſi minor, vel Eccleſia læſa ſit ex alienatione fundi, poſſit petere reſtitutionem fructuum perceptorum? R. Si res Eccleſiæ, vel minoris per contractum gratuitum ſit alienata; res reſtituenda eſt, unâ cum fructibus ex ea perceptis: ſi verò alienata fuit per contractum oneroſum, & Eccleſia, vel minor læſus ſit, propter inæqualitatem contractûs, circa quantitatem pretij; tunc unâ cum re, fructus reſtituendi ſunt, ſecundùm proportionem pretij minùs juſto dati: ſi denique res Eccleſiæ, vel minoris alienata ſit per contractum oneroſum, ſed juſto pretio; & reſtitutio petatur, ob læſionem in ſubſtantia alienationis; tum ordinariè non ſunt reſtituendi fructus percepti ante reſciſſionem contractûs. n.71. & quatuor ſeqq. Q. IV. An expenſæ neceſſariæ, & utiles, unâ cum æſtimatione laboris, computari debeant, ac reſtitui abſolutè: an verò in ordine ad valorem meliorationum, quam habent tempore, quo facienda eſt reſtitutio? R. Si æſtimatio expenſarum, & laboris major ſit, quàm valor meliorationum, tempore faciendæ reſtitutionis; tum ſufficit reſtituere valorem præſentis meliorationis. n.76. Si verò æſtimatio expenſarum non ſit minor, quàm valor æſtimationum; tum ſatis eſt expenſas, & laboris æſtimationem reſtituere. n.77.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.	c. 10. & ult. n.33. & aliquot ſeqq.
c. 1. n. 9. & tribus ſeqq.	In Sexto.
c. 2. n.18. & 19.	c. 1. n.48. & plurib. ſeqq.
c. 3. n. 20. & 21.	c. 2. n.56. & 57. & duob. ſeqq.
c. 4. n.30. & duobus ſeqq.	In Clementinis.
c. 5. n. 24. & duob. ſeqq.	Clem. un. n.53. & duob. ſeqq.
c. 6. n. 27. & duob. ſeqq.	
c. 7. n. 22. & 23.	
c. 8. n. 6.	
c. 9. n.61. & plurib. ſeqq.	

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI causâ, factâ. *pag. 787.*

Quæritur I. Quid ſit alienatio, judicii mutandi causâ, facta? R. 1. ea fieri dicitur, ſi quis metu litis impendentis, ſuper re aliqua, dolo malo, eam in alium transfert, vel rei poſſeſsionem. num. 1.

R. 2. ut actio ex alienatione facta competat adverſùs alienantem, requiritur Primò, ut ea judicii mutandi causâ facta ſit. n.2. Secundò, ut dolo malo, res, aut poſſeſsio rei translata ſit. num. 3. & 4. Tertiò, ut interſit eius, qui petit reſtitutionem. num. 5. & 6. Q. II. Quid Jure Canonico ſtatutum ſit circa alienationem judicii mutandi causâ factam? R. de hoc duo ſtatuta ſunt. Primò, ut vigore reſcripti impetrati contra alienantem, conveniatur is, in quem eſt facta alienatio rei, mutandi judicii causâ. num.7. & 8. Secundò, prohibitum eſt ſub cenſuris, ne Clerici faciant ſibi cedi actiones, & lites à laicis, causâ mutandi judicium, ut laicos ad forum Eccleſiaſticum trahant. num. 9. & duob. ſeqq.

Q. 3. An actio in factum ex hoc Edicto competens tranſeat ad hæredes? R. Tranſire ad hæredes ejus, in cujus fraudem facta eſt alienatio, judicij mutandi causâ. n. 12.

SERIES CAPITULORUM.

Cap. 1. n. 7. & 8. c. 2. n. 9. & duobus ſeqq.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

Pag. 790.

§. I. *De Arbitris in genere, eorúmque diviſione, & differentijs inter arbitrum, & Judicem. pag. 790.*

Quæritur I. Qui ſint, & dicantur Arbitri? R. Propriè arbiter dicitur is, qui conſtituitur, ut circa controverſiam aliquam ſuum arbitrium, ſive judicium proferat. n. 1. Q. II. Quotuplices ſint arbitri? R. Alij ſunt arbitri juris, ſive neceſſarij, qui ex præſcripto legis conſtitui debent; alij voluntarij, ſeu compromiſſarij, qui ex liberó partium conſenſu conſtituuntur. n. 2. Plures ſunt inter utroſque hos arbitros differentiæ. n. 3. & duobus ſeqq. Præterea alij compromiſſarij, ſtrictè dicti, qui procedere debent, ſervato juris ordine; alij, qui procedunt ſinè juris ordine, qui Arbitratores vocantur. n. 6. & 7.

Rurſum alij arbitri, vel arbitratores ſunt amicabiles compoſitores. n. 8. Q. III. In quibus arbiter differat à Judice? R. Plures ſunt differentiæ, de quibus. num. 9.

§. II. *De ijs, qui compromittere in arbitros, & qui arbitri eſſe poſſunt, vel non poſſunt. pag. 793.*

Quæritur I. Quinam poſſint compromittere in arbitros, vel non? R. Generatim quilibet, qui habet liberam rerum ſuarum adminiſtrationem. n. 10. ex quo colligitur, quinam compromittere non poſſint. n. 11. Q. II. Quinam poſſint eligi in arbitros, vel non? R. Omnes arbitri eſſe poſſunt, niſi jure prohibeantur; etiam Judex aliàs ordinarius compromittentium, vel delegatus. n. 12. & tribus ſeqq. Q. III. Quinam in ſpecie prohibeantur eſſe arbitri compromiſſarij? R. Inprimis ſervus. R. 2. Pupillus, furioſus, mutus aut ſurdus, minor 20. annis. n. 16. R. 3. Mulier; niſi habeat juriſdictionem, ut, ſi regnum ad illam ſpectet. n. 17. & duobus ſeqq. R. 4. Laicus in cauſis ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis non poteſt eſſe arbiter compromiſſarius. n. 20. idque extenditur. n. 21. & limitatur. n. 22. poteſt tamen probabiliùs laicus eſſe arbitrator, ſeu amicabilis compoſitor. n. 23. R. 5. Religioſus non poteſt eſſe arbiter compromiſſarius, niſi ob utilitatem Monaſterij cum licentia Prælati; poteſt tamen eſſe arbitrator, cum conſenſu Superioris. n. 24.

R. 6. Nec notoriè excommunicatus, & vitandus: Imò nec arbitrator. n. 24. R. 7. Nemo in re propria poteſt eſſe arbiter. n. 24.

§. III. De

§. III. *De cauſis, in quibus compromitti poteſt in Arbitros, vel non. pag. 797.*

Assertio I. Cauſæ valde arduæ, & magni præjudicij arbitris committi non poſſunt, quales ſunt, matrimoniales, liberales, in quibus agitur de ſtatu, & libertate hominis; criminales, & quæ ad merum, vel mixtum imperium pertinent. num. 25. Aſſ. II. Non poteſt compromitti in arbitros de ijs, quæ vergunt in præjudicium Eccleſiæ, v.g. à Clericis immediatè ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, in præjudicium exemptionis. n. 26. & tribus ſeqq. Aſſ. 3. Nec poteſt compromitti de ijs, quæ per certam ſententiam, quæ tranſijt in rem judicatam, ſunt deciſa. n. 30. & ſeq.

§. IV. *De forma, ſeu modo, quo fieri debet, vel poteſt compromiſſum in Arbitros. pag. 799.*

Assertio I. Poteſt compromitti in unum, vel plures Arbitros, pari, vel diſpari numero, quamvìs poſterius ſit conſultius. num. 32. & ſeq.

Aſſ. II. De jure civili requiritur, ut omnes arbitri, in quos compromiſſum eſt, ſint præſentes; nam, vel uno abſente, arbitrium non valet. num. 34. Aliud eſt de Jure Canonico, ſecundùm quòd, ſi ex tribus arbitris unus nolit intereſſe, examinando, vel definiendo cauſam, alij duo procedere poſſunt. num. 35. & duob. ſeqq. Aſſ. III. Si ex tribus arbitris duo conſentiant in certa ſumma, tenet illorũ ſententia: ſi omnes diſcordent, tenet ſententia de ſumma minore. n. 38. & ſeq. neque habet hoc locum in arbitratoribus. num. 40. Aſſ. IV. Compromiſſum factum in duos, vel plures arbitros, hoc pacto, ut, ſi diſcordent, ipſi, vel alij poſſint eligere tertium incertum, non valet. num. 41. & duobus ſeqq.

Aſſ. V. Valet compromiſſum factum ſub hac forma, in unum, vel plures, ut ipſi per ſe cauſam definiant, vel per alios, quos ipſi elegerint. n. 44. & ſeq.

Aſſ. VI. Si in arbitros compromiſſum ſit, eâ lege, ut adhibito conſilio aliquorum, ſententiam ferant, tenentur illud exquirere, ſed non ſequi. n. 46. & 47. Aſſ. VII. Compromiſſum ſolo conſenſu compromittentium, & arbitrorum perficitur; & variis modis fieri poteſt. n. 48.

§. V. *De officio, & poteſtate Arbitri. pag. 804.*

Assartio I. Poteſtas, & officium Arbitri ex compromiſſo dependet, ita, ut arbiter de ijs tantùm ferre poſſit arbitrium, quæ in compromiſſo expreſſa ſunt, niſi ſint connexa. n. 49. coram arbitris compromiſſarijs non poteſt fieri reconventio. n. 50. poteſt tamen coram arbitris juris. n. 51. non poteſt arbiter compromiſſarius alium ſubſtituere. ibid.

Aſſ. II. Arbiter debet ſententiam ſuam ferre, præſentibus partibus. n. 52. Aſſ. III. Arbiter debet procedere in forma judicij. n. 53. Aſſ. IV. Ad officium arbitri etiam pertinet, ut arbitrium juſtum, & æquum ferat, quare ſi illud dolo ipſius latum ſit, obſervandum non eſt; vel, ſi ſimoniam, aut aliam iniquitatem contineat. n. 54. & quatuor ſeqq. Aſſ. V. Arbiter electus in cauſa patrimoniali alicujus Clerici, non poteſt adjudicare rem Eccleſiæ pro re temporali poſſidendam, etiam ad vitam Clerici. num. 59. & ſeq.

§. VI. *De effectu, ſeu obligatione compromiſſi, & ſententiæ, ſeu laudi arbitrorum. pag. 807.*

Assertio I. De Jure Civili ex compromiſſo facto per ſimplex pactum, ſinè ſtipulatione, vel pœnæ adjectione, nulla oritur actio: ſecus de Jure Canonico. n. 61. niſi arbitrium ex tali compromiſſo latum fuerit à partibus receptum, & approbatum. n. 62. & quatuor ſeqq. Aſſ. II. Si compromiſſum in arbitros factum ſit, adjectâ pœnâ tranſgreſſori, ſinè juramento; tum is, qui compromiſſo, vel ſententiâ arbitri non ſtat, pœnam ſolvere tenetur, quâ ſolutâ, non poteſt cogi ad obſervandum arbitrium. n. 67. ponuntur exceptiones. num. 68. & duobus ſeqq.

Aſſ. III. Si compromiſſo juramentum adjectum ſit, quo partes ſe obligârunt ad ſtandum ſententiâ arbitri, naſcitur ex eo tam de Jure Civili veteri, quàm de Jure Canonico actio: quamvìs Jure Civili noviſſimo prohibitum ſit juramentum apponere in compromiſſis: quod tamen ſervandum eſt de Jure Canonico, ſi juramento firmatum ſit, etiamſi illud iniquum ſit; modò conſtet de intentione ſe obligandi ad illud ſervandum ex parte jurantis. num. 71. & 72. quando arbitrium non ſit ſervandum à partibus? n. 73. alij plures ſunt effectus compromiſſi; de quibus. num. 74.

§. VII. *De reductione laudi, ſive arbitrorum, ſive arbitratorum, ad arbitrium boni viri. pag. 811.*

Ab arbitris compromiſſarijs regulariter appellari non poteſt. n. 75. Q. I. An peti poſſit reductio ad arbitrium boni viri, à ſententia arbitri compromiſſarij? R. Non poſſe, niſi arbitrium valde enormem læſionem, vel manifeſtam iniquitatem contineat. n. 76. Q. II. An ſententia, ſeu laudum arbitratoris reduci poſſit ad arbitrium boni viri? R. affirmativè. n. 77. & tribus ſeqq. Q. III. An à Judice reductionis, qui ut vir bonus arbitratus eſt, & laudum ab arbitratore latum confirmavit, vel retractavit, appellari poſſit? R. affirmativè. n. 81.

§. VIII. *De loco, & tempore ferendi arbitrij, ſeu ſententiæ arbitrorum. pag. 812.*

Quæritur I. Quo in loco arbitri cognoſcere debeant de cauſa ipſis commiſſa, ac ſententiam, ſeu laudum proferre? R. Si in compromiſſo nihil ſit de loco expreſſum, tum cognoſci debet cauſa in loco compromiſſi facti, modò is honeſtus, ac decens ſit. n. 82. Q. II. Quibus temporibus non poſſit ferri ſententia, ſeu laudum arbitri? R. Non poteſt in ferijs Deo ſacris; bene autem in ferijs merè civilibus; arbitramentum poteſt etiam in ferijs ſacris. num. 83.

§. IX. *De modis, quibus finitur compromiſſum, & arbitrorum officium, ac poteſtas. pag. 813.*

Assertio I. Finitur compromiſſum, & arbitrorum poteſtas, ſi cauſa ſit deciſa, ac definita. n. 84. neque poteſt arbiter ſententiam ſuam exequi. n. 84. & ſeq. Aſſ. II. Finitur etiam poteſtas arbitrorum, deficiente conditione compromiſſo adjectâ, vel, ſi tempus in compromiſſo præſcriptum ſit elapſum, niſi partes illud prorogent. 86. Aſſ. III. Finitur item morte arbitrorum, vel etiam morte unius tantùm, ſi in plures ſit compromiſſum, & res ſit integra, niſi adjecta ſit clauſula: *ut, ſi unus non poſſit cognoſcere, alter poſſit.* Finitur etiam per diuturnam abſentiam

arbitri, vel aliud impedimentum. n. 87. Aſſ. IV. Finitur item compromiſſum, adeóque & poteſtas arbitrorum, morte utriuſque, vel unius tantùm compromittentium. n. 88 & duobus ſeqq. Ex quo ſequitur, quòd compromiſſum non tranſit in hæredes compromittentium, niſi id expreſſum ſit in compromiſſo. n. 91. & tribus ſeqq. Aſſ. V. Finitur præterea compromiſſum & alijs modis, de quibus. n. 95. Quæ dicta ſunt de arbitris, etiam locum habent in arbitratoribus, qui tamen jus partibus dicunt, non de ijs, qui ſunt tantùm amicabiles compoſitores. n. 96. contra ſententiam injuſtam arbitri tria dantur remedia. n. 97.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.

Cap. 1. 32. & 33.
c. 2. n. 54. & pluribus ſeqq.
c. 3. n. 59. & 60.
c. 4. n. 17. & duobus ſeqq.
c. 5. n. 26. & duobus ſeqq.
c. 6. n. 50. & 51.
c. 7. n. 46. & 47.
c. 8. n. 20. & duobus ſeqq.
c. 9. n. 62. & aliquot ſeqq.
c. 10. n. 88. & aliquot ſeqq.
c. 11. n. 30. & ſeq.
c. 12. n. 41. & duob. ſeqq.
c. 13. n. 44. & 45.
c. 14. & ult. n. 91. & pluribus ſeqq.

IN SEXTO.

c. 1. n. n. 38. & duobus ſeqq.
c. 2. n. 35. & ſeqq.

EMENDANDA.

Paginâ.	*Columnâ.*	*Lineâ.*	*Legendum.*	*Paginâ.*	*Columnâ.*	*Lineâ.*	*Legendum.*
51.	1.	53.	ſuprà n. 121.	504.	1.	41.	item Abbates,
86.	2.	52.	conſiſtit,	514.	1.	10.	vix quidquam
106.	1.	34.	Dele. c. *Quod ſi verò.*	526.	2.	36.	facultatem, v. g.
109.	2.	16.	non recordari:	537.	1.	48.	illud neceſſariò
121.	2.	57.	legem condere,	545.	1.	4.	eſt attendendum.
128.	1.	62.	præſumptus: non	554.	2.	57.	eſt juriſdictio
130.	1.	26.	centenaria ſolùm	561.	2.	52.	limitationis exempla
136.	1.	42.	culpabilem	590.	2.	34.	litis conteſtatæ
138.	1.	47.	viâ conniventiæ,	606.	1.	30.	aut Primates. Azor
144.	2.	43.	exactionibus	642.	1.	59.	in juramentis, &
229.	1.	36.	non valeant, niſi	755.	2.	28.	etſi reſcindendi ſunt,
305.	1.	44.	ex duodecim.	761.	2.	41.	ſic detentus ſit
446.	1.	6.	ut putat Hoſtienſ.	776.	1.	32.	Dele. *ita, & Eccleſia reſtituenda eſt.*
446.	2.	17.	quæras; Barb.	776.	1.	37.	Ita etiam Eccleſiæ
482.	2.	52.	eis debitum,	795.	1.	61.	nam arbitria ad
484.	2.	26.	nondum reddideris,	796.	2.	17.	quia inferior non
492.	1.	60.	à ſe ipſo	811.	1.	55.	fidem faciunt,

Ad maiorem DEI Gloriam.

INDEX ALPHABETICUS QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC PRIMO LIBRO DECRETALIUM CONTINENTUR.

Numerus prior indicat Titulum; poſterior Tituli contextum.

A.

ABBAS, ſeu Prælatus Regularis, à quibus, & quâ formâ eligendus? *Titulo* 6. *Num.* 353. &c. Benedicendus. 6. 399. Transferendus. *Tit.* 7. *toto.* Reſignans. 9. 54. &c. Negligens. *Tit.* 10. *toto.* Vide de hi. plura infra, Verbis *Electio. Translatio. Renunciatio. Negligentia.*

Abbas, ſeu Prælatus Regularis quam juriſdictionem, ſeu poteſtatem habeat in ſuos ſubditos Regulares? 31. 124. Num ſpiritualem ordinariam? 31. 125. Num quaſi Epiſcopalem? 31. 126. &c. Num eam poſſit delegare? 31. 125. Num poſſit excommunicare? 31. 128. &c. Num à cenſuris abſolvere? 31. 130. Num peccata reſervare? 31. 131. &c. Num in regulis diſpenſare? 31. 133. Num gubernare etiam in temporalibus? 31. 134. &c.

Abbatiſſa, vel alia Præpoſita Regularis eligenda, confirmanda, benedicenda. 6. 405. *uſque ad* 418. Vide plura infrà *V. Electio.* Num juriſdictionem Eccleſiaſticam habeat? 31. 136. Num in ſuas Moniales ſimul ſpiritualem, & temporalem? 31. 137. &c. Quænam ei obedientia debeatur? 33. 87. &c. Abbatiſſæ ſeculares quam habeant poteſtatem? 31. 138. circa finem.

Abſolutio. Num abſolvere poſſit Delegatus Papæ eum, qui dicit, ſe ab Ordinario ſuo poſt appellationem legitimam excommunicatum? 29. 122. &c. Num ab excommunicatione, aliiſque cenſuris, & reſervatis, & quâ ratione poſſit abſolvere Epiſcopus? 31. 69. *uſque ad* 85. Num Parochus? 31. 149.

Abuſus Reſcriptorum. De hoc. 3. 128. &c. Item 3. 156.

Advocatus, *advocare*, ſive poſtulare quid ſit? 37. 1. Quomodo differat Advocatus à Procuratore? 37. 2. Num partibus litigantibus, ſi petant, debeat dari à Judice? 37. 3. Quinam prohibeantur advocare, ſive poſtulare? 37. 4. Num etiam Clerici? 37. 5. *uſque ad* 16. Num & Religioſi? 37. 16. *uſque ad* 20. Num & hæretici & pagani, & alij plures? 37. 20. &c. Quodnam ſit officium Advocati? 37. 22. Quis effectus poſtulationis interdictæ? 37. 23.

Alienatio Judicii mutandi cauſâ facta quid ſit? & quæ ad illam requirantur? 42. 1. *uſque ad* 7. Quid Jure Canonico circa eam ſtatutum ſit? 42. 7. *uſque ad* 12. An actio in factum ex hoc Juris edicto competens tranſeat ad hæredes? 42. 12.

Apoſtolicus Nuncius. De hoc *Tit.* 30. *paſſim.* Vide plura infrà *V. Legatus.*

Appellatio num detur à Judice ſubdelegato, vel Executore? 29. 103. &c. Ad quem appellandum ſit à Judice delegato, vel ſubdelegato? 29. 107. *uſque ad* 124. Num ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum? 31. 20. &c.

Arbitri qui ſint? 43. 1. Quot ſpecies eorum? 43. 2. *uſque ad* 9. In quibus Arbiter, præſertim compromiſſarius, differat à Judice? 43. 9. Quinam poſſint compromittere in Arbitros, & eſſe Arbitri? 43. 10. &c. Quinam poſſint eligi, & aſſumi in Arbitros? 43. 12. *uſque ad* 16. Quinam prohibeantur eſſe Arbitri compromiſſarii? 43. 16. *uſque ad* 25. In quibus cauſis non compromitti poſſit in Arbitros? 43. 25. *uſque ad* 32. Quâ formâ fieri debeat compromiſſum in Arbitros? 43. 32. &c. An ſententia ferri poſſit, uno illorum abſente? 43. 34. *uſque ad* 38. Quid faciendum, ſi Arbitri diſſentiant? 43. 38. *uſque ad* 41. Num validum ſit compromiſſum in duos Arbitros, &, ſi diſſentiant, in tertium aliquem non nominatum? 43. 41. &c. Num validum compromiſſum in Arbitros, ut ipſi, vel per ſe, vel per alios cauſam definiant? 43. 44. Quando compromiſſum invalidum? 43. 46. &c. Quando validum? 43. 48. Quodnam officium, quæ poteſtas Arbitri? 43. 49. &c. Ubi, quomodo, & qualem debeat dicere ſententiam Arbiter, ut ſit valida? 43. 52. *uſque ad* 61. Num obliget compromiſſum, & ſententia per Arbitros lata? 43. 61. *uſque ad* 75. An à ſententia Arbitri compromiſſarii peti poſſit reductio ad arbitrium boni viri? 43. 76. An ſententia Arbitratoris reduci poſſit ad arbitrium boni viri? 43. 77. &c. An, ſi unus Judex reductionis ſententiam tulit, ab eo appellari poſſit? 43. 81. In quo loco cognoſcere debeant Arbitri cauſam ſibi commiſſam, & ſententiam, ſeu laudum proferre? 43. 82. Quo tempore hoc non poſſit fieri? 43. 83. Quomodo finiatur compromiſſum, & Arbitrorum poteſtas? 43. 84. *uſque ad* 97. Contra laudum, ſeu ſententiam Arbitri injuſtam, quæ remedia competant? 43. 97.

Archidiaconus quis? 23. 1. &c. An Archidiaconatus ſit dignitas? 23. 3. &c. Qualem juriſdictionem habeat? 23. 5. &c. Quænam ſpectent ad officium ejus? 23. 8. &c. Quænam non? 23. 13. &c.

Archiepiſcopus quis ſit? 1. 13. Quæ ordinatio ſeu conſecratio Illius? 11. 115. Quam juriſdictionem habeat in Epiſcopos? 31. 14. &c. Num poſſit ſtatuta provincialia condere? 31. 16. &c. Num etiam Suffraganeos electos confirmare? 31. 18. Num & conſecrare? 31. 18. &c. Num & juriſdictionem habeat in Suffraganeorum ſubditos? 31. 20. *uſque ad* 30. Num poſſit à Suffraganeo excommunicatum abſolvere? 31. 32. &c. Num ad Eum poſſint ſubditi Suffraganei appellare? 31. 20. &c. item 31. 34. In quibus caſibus, & ubi poſſit exercere ſuam juriſdictionem in Suffraganeorum ſubditos? 31. 36. &c. Reliqua huc etiam ſpectantia vide infrà *V. Epiſcopus.*

Archipresbyter civitatis quis? 24. 1. Quodnam Ejus officium? 24. 2. &c. Qualis juriſdictio? 24. 6. &c. Dignitas? 24. 8. &c. Quæ Ejus poteſtas in Eccleſia Collegiata? 24. 9. Quænam in Rurali? 24. 10. &c.

B.

BENEDICTIO Romani Imperatoris. 6. 469. &c. Epiſcopi. 6. 342. *uſque ad* 349. Abbatis, vel alterius Præpoſiti Regularis. 6. 399. *uſque ad* 403. Abbatiſſæ. 6. 418.

Beneficium ſive curatum, ſive ſimplex quid exigat in eo, cui confertur? 14. 1. &c. Quam ætatem? 14. 7. Item 6. n. 67. 77. 78. Quis in hac diſpenſare poſſit? 14. 15. &c. Quam ſcientiam? 14. 20. &c. Quam morum probitatem? 14. 27. &c. Quem ordinem? 14. 34. &c. *uſque ad* 51. Filii Presbyterorum poſſintne Parenti ſuccedere in Beneficio? 17. 26. *uſque ad* 46. Num alio frui Beneficio in eadem Eccleſia cum Patre? 17. 46. Quis in his poſſit diſpenſare? 17. 47. &c. Jure novo de his quid ſtatutum? 17. 49.

Bigamia quid, & quotuplex? 21. 1. &c. Bigami ordinati abſque diſpenſatione quam pœnam incurrant? 21. 22. &c. Quam ille, qui eos ordinat? 21. 25. &c. Cum his quis poſſit diſpenſare? 21. 27. &c.

Breve Pontificium. 3. 5.

C.

CANONICI Juris Definitio, Diviſio, fontes, partes, tractandi methodus. in Prolegomenis *Num.* 14. *uſque ad finem.* Vide V. *Ius.*

Canonicatus quam ætatem requirat? 14. 12. &c. quem Ordinem? 14. 43. &c. quis in hoc diſpenſare poſſit? 14. 48.

Cantor, vel Primicerius. *Titulo* 25. *toto.*

Capellanus quid? 31. 139.

Capitulum quid ſit? 33. 41. Cathedrale quam poteſtatem habeat, Sede non vacante? 33. 42. &c. Quamnam Sede vacante

cante? 33. 44. &c. In quibus caſibus non habeat poteſtatem Epiſcopalem, licet Sede vacante? 33. 48. &c. Quid tum poſſit in cauſis beneficialibus? 33. 53. Num puniendi poteſtatem habeat? 31. 58. &c. Num indicere poſſit ceſſationem à Divinis? 31. 120. &c. Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, ſive Regularis, ſive ſecularis, quam habeat poteſtatem, Prælaturâ vacante? 31. 58. &c.

Cardinales num ſoli eligant Summum Pontificem? 6. 419. &c. Num vacante Sede Apoſtolicâ fungantur juriſdictione Papæ? 6. 423. &c. Quænam Cardinali obedientia debeatur à Clero Eccleſiæ titularis Eiuſdem? 33. 14. &c.

Catechiſmus à Parochis tradendus. 31. 153.

Catholicæ Fidei Summa. 1. 1. &c.

Cenſura. Num Epiſcopus eam inferre poſſit, & ab eadem abſolvere? 31. 69. *uſque ad* 85. Num Abbas? 31. 128. &c. Vide plura infra *V. Excommunicatio.* & ſuprà *V. Abſolutio.*

Clericus. Num vagus & ignotus ordinari poſſit? *Titulo* 22. *toto.* Num Advocatum agere poſſit Clericus, ſeu poſtulare? 37. 5. *uſque ad* 16. Vide plura infrà *V. Ordo.*

Collegium Eccleſiaſticum quid? 6. 9. Quot ad hoc perſonæ neceſſariæ? 6. 10. &c. Quot ad Collegium civile? 6. 12.

Compromiſſum, & Compromiſſarij in electione quid ſint? & quid poſſint? 6. 204. *uſque ad* 228. Compromiſſum in Arbitros ad definiendam aliquam cauſam quam vim habeat? &c. 43. 10. *& toto Titulo illo.* &c. Vide plura ſuprà *V. Arbitri.*

Confeſſio num excipi debeat à Parocho? 31. 145. &c. Num poſſit a Religioſo ubique, & ſemper? 31. 148.

Confirmationis Sacramentum, ſi quid in ejus collatione neglectum ſit, num iterandum? 16. 1. &c.

Conſecratio Romani Imperatoris. 6. 469. &c. Epiſcopi. 6. 342. *uſque ad* 349. Abbatis, vel alterius Præpoſiti Regularis. 6. 399. *uſque ad* 403. Abbatiſſæ. 6. 418.

Conſervator Judex quid ſit? 29. 202. &c. A quo dari poſſit? 29. 204. Quis dari poſſit? 29. 205. &c. Quod ſit eius officium? quæ poteſtas? 29. 208. *uſque ad* 215. Quando hæc exſpiret? 29. 215. &c.

Conſtitutio quid, & quotuplex? 2. 1. Civilis, & Eccleſiaſtica. 2. 2. &c. Quis habeat poteſtatem condendi? 2. 4. &c. Quouſque ſe hæc poteſtas extendat? 2. 12. Quis poſſit interpretari, vel declarare legem naturalem? 2. 17. Num per leges, & ſtatuta poſſimus aliis auferre jus ſuum? 2. 18. &c. An Leges, ſive Conſtitutiones humanæ obligent in foro conſcientiæ? 2. 24. &c. Quando incipiant obligare? 2. 26. &c. Quando obligent Leges irritatoriæ contractuum, vel aliorum actuum? 2. 36. Num obligent leges ſtatim poſt promulgationem? 2. 37. &c. An tollantur per non uſum? 2. 39. &c. An leges etiam civiles obligent independenter ab acceptatione populi? 2. 44. &c. Num etiam eos, qui has ignorant? 2. 49. Num etiam ſubditos extra territorium legem ferentis exiſtentes? 2. 55. &c. Quoſnam obligent Conſtitutiones Canonicæ? 2. 62. &c. Num Perſonæ Eccleſiaſticæ obligentur legibus Civilibus? 2. 71. &c. Num & illis, quæ adverſantur immunitati Eccleſiaſticæ? 2. 82. *uſque ad* 99. Quænam aliæ ſint leges reprobatæ? 2. 99. Quid in interpretatione legis obſervandum? 2. 104. &c. Quid in eius extenſione? 2. 111. &c. Num etiam ad præterita extendatur? 2. 117. &c. A quibus abrogari poſſit? 2. 125. &c. Et num lex prior per poſteriorem? 2. 132. &c.

Conſuetudo quid, & quotuplex? 4. 1. &c. A quo poſſit introduci? 4. 8. &c. Quis ad hoc conſenſus neceſſarius? 4. 15. &c. Quot, & quinam actus? 4. 20. &c. Num notorij, & publici? 4. 22. &c. Num voluntarij? 4. 24. &c. Num facti animo introducendæ conſuetudinis? 4. 28. Num irrationabilis conſuetudo ſufficiat ad abrogandam legem? 4. 29. An non legitimè præſcripta? 4. 32. &c. Ad legitimam quantum tempus neceſſarium? 4. 34. Quæ fides? 4. 43. &c. Quam vim habeat in interpretatione legis conſuetudo loci? 4. 46. &c. Quam conſequentiam ab uno caſu, loco, homine, ad alium? 4. 51. &c. Quam vim abrogandi legem? 4. 57. &c. *uſque ad* 73. Quænam ſpeciales conſuetudines à Jure Canonico approbatæ? 4. 73. &c. Quænam ab eodem prohibitæ? 4. 85. &c. *uſque ad* 99.

Contractus metu initus quibus conditionibus reſcindendus? 40. 38. *uſque ad* 43.

Cooperator num à Parocho aſſumi poſſit? quámque juriſdictionem habeat? 28. 24.

Curatum Beneficium quid exigat in eo, cui confertur? 14. 1. *uſque ad* 51. Vide plura ſuprà *V. Beneficium.*

Curio quid? unde dictus? 31. 139.

Cuſtodis officium. *Titulo* 27. *toto.*

D.

DECANUS Cathedralis Eccleſiæ quod officium, quam juriſdictionem, & dignitatem habeat? 24. 1. &c. Quamnam Eccleſiæ Collegiatæ? 24. 9. Decanus Ruralis qualem? 24. 10. &c. Num punire poſſit? 31. 51. &c.

Decima Epiſcopi. 31. 105.

Delegatus quid ſit? 29. 1. Quot eius ſpecies? 29. 2. Quis poſſit delegare, & ſubdelegare? 29. 3. *uſque ad* 16. Delegatus Papæ, vel Principis, ſi cojudices delegatos alios ſecum habeat, quid poſſit? Num etiam ſubdelegare? 29. 16. &c. Poſſitne idem non à Principe, ſed ab inferiore delegatus? 29. 21. *uſque ad* 29. Quinam ſint capaces, ut fiant judices delegati? 29. 29. *uſque ad* 36. Poſſitne pluribus judicibus eadem cauſa ſimul delegari? 29. 36. &c. Hi quomodo procedunt? 29. 38. *uſque ad* 47. Num ſimiliter eadem cauſa pluribus judicibus poſſit etiam ſubdelegari? 29. 47. &c. Quænam cauſæ poſſint delegari? 29. 49. Num etiam meri, & mixti imperii? 29. 51. &c. Quid ſi cauſa delegata non perſonæ, ſed officio ſit annexa? 29. 54. &c. Quâ formâ fiat delegatio? 29. 56. *uſque ad* 64. Quænam interpretatio huius formæ? 29. 64. &c. Quæ probatio? 29. 68. &c.

Delegati quæ poteſtas? quod officium? 29. 71. *uſque ad* 84. In certis quibuſdam cauſis quomodo procedet? 29. 84. *uſque ad* 92. Num & executio ad eum ſpectat? 29. 92. &c. Quantum tempus ad hanc conceſſum? 29. 96. &c. Quando exercere poſſit ſuam juriſdictionem? 29. 100. Et ubi? 29. 101. &c. Num detur etiam appellatio à judice delegato? 29. 103. Ea ad quem? 29. 107. *uſque ad* 124. Quâ ratione prorogari poſſit juriſdictio delegata? 29. 124. &c. Num & recuſari poſſit judex delegatus? 29. 130. &c. Id quâ ratione? 29. 135. *uſque ad* 154. Num finiatur eius poteſtas per ſententiæ executionem; vel executionis delegationem? 29. 154. &c. Num per propriam Confeſſionem, ſe hanc poteſtatem non habere? 29. 158. &c. Num per temporis lapſum? 29. 162. &c. Num per eius mortem? 29. 164. *uſque ad* 173. Num per mortem delegantis? 29. 173. *uſque ad* 190. Num mandata gratiæ exſpirent morte mandantis, ſeu committentis? 29. 190. *uſque ad* 195. Num poteſtas judicis delegati finiatur per revocationem delegantis? 29. 195. &c. Num hic pro arbitrio poſſit revocare? 29. 197. &c.

Dimiſſoriæ literæ à quo, & quibus dari poſſint? 11. 53. &c. Num & ſubditis à ſuis Prælatis? Num etiam Novitiis? 11. 61. &c. Id quomodo? 11. 65. &c. Datæ dimiſſoriæ quàm diu durent? 11. 67.

Diſpenſatio. Quibus caſibus poſſit Epiſcopus in Jure Canonico diſpenſare? 31. 85. *uſque ad* 89. Num etiam Abbas? 31. 133.

E.

ECCLESIA læſa num in integrum reſtituenda? 41. 9. *uſque ad* 15. Vide plura infrà *V. Reſtitutio in integrum.*

Electio quid ſit? 6. 1. Quomodo differat à libera collatione, præſentatione, nominatione? 6. 2. &c.

Eligentes. Quinam jus habeant eligendi? 6. 5. &c. Num è Collegio omnes? 6. 13. Num & alij extra Collegium? 6. 14. Num & laici? 6. 15. &c. Num etiam, qui beneficium necdum poſſidet, licèt jus habeat ad illud? 6. 20. Quis præferendus, ſi duo jus idem prætendant? 6. 21. Eligere in Canonicum quis poſſit? 6. 23. &c. Qui lege naturali prohibeantur eligere? 6. 26. Qui lege Eccleſiaſticâ? 6. 27. &c. Qui Conſuetudine? 6. 32. Quomodo puniendi Clerici, qui ad electionem Prælati admittunt Seculares? 6. 33. &c. Aut, qui formam eligendi præſcriptam negligunt? 6. 41. Vel ſcienter eligunt indignum? 6. 42. &c. In hoc caſu ad quem poteſtas eligendi tranſeat? 6. 47. &c. In eligentium diſcordia quid agendum? 6. 58. &c. Quid in horum errore? 6. 64. &c.

64. &c. Quâ libertate agere debeant eligentes? 6. 233. &c. Quæ pœna illius, qui hanc impedit? 6. 238. &c.

Eligendi in Epiſcopum quibus qualitatibus debeant eſſe prædíti? 6. 66. &c. *uſque ad* 77. Quibus ad inferiores Prælaturas, & ad beneficia curata? 6. 77. *uſque ad* 88. In eligendis Parochis quæ requirantur? 6. 88. Quinam eligi non poſſint? 6. 93. *uſque ad* 114. Num poſſit extraneus? 6. 114. &c.

Electio Summi Pontificis. Quinam Eum eligere poſſint? 6. 419. &c. Num neceſſariò ex Cardinalium Collegio eligendus? 6. 426. Num Papa poſſit præſcribere formam eligendi Succeſſorem? 6. 427. Num Ipſe Sibi Succeſſorem eligere? 6. 428. Quando oppugnari poſſit electio Pontificis, tanquam irrita? 6. 433. &c. Quis novus hujus electionis modus? 6. 438. &c. Ubi, & quando ea inſtituenda? 6. 440. &c.

Electio Romani Imperatoris quâ ratione inſtituenda? 6. 455. &c. A quibus? 6. 460. Quo ordine danda ſuffragia? 6. 461. Quanto tempore? 6. 463. Qualis eligendus? 6. 464. Quam poteſtatem ſtatim poſt electionem habeat? 6. 465. Vacante Imperio, ad quem devolvatur jus illud adminiſtrandi? 6. 466. Quid, ſi Electores ſcienter indignum eligant? 6. 467. Electus Imperator num etiam confirmandus? 6. 468. A quo inungendus, conſecrandus, & coronandus? 6. 469. &c.

Electio Epiſcopi, vel alterius Prælati quænam præparatoria requirat? 6. 117. *uſque ad* 124. Quinam Capitulares vocandi? 6. 124. *uſque ad* 138. Quid, ſi unus horum non vocatus ſit? 6. 138. &c. Quid, ſi vocatus venire nolit? 6. 144. Poteſtne per Procuratorem, vel litteras ſuffragium dare? 6. 145. &c. Cujus impenſis fiet electio? 6. 152. &c. Quis adminiſtrator? quæ ejus poteſtas? 6. 156. Cujus ſunt reditus vacantis Prælaturæ? 6. 157. &c. Quas circumſtantias requirat talis Electio? quem locum? 6. 241. &c. Quod tempus? 6. 243. *uſque ad* 254. Num de die fieri debeat? 6. 253. Quæ pœna negligentium præſcriptum tempus? 6. 248. *uſque ad* 253. Quis neceſſarius electi conſenſus? 6. 254. &c.

Electionis per Scrutinium ratio quæ? 6. 161. *uſque ad* 172. Quæ publicatio? 6. 172. &c. Quæ ſuffragiorum collatio? 6. 178. &c. Quæ pars ſuffragiorum præferenda? major? an ſanior? 6. 186. *uſque ad* 204.

Electionis per Compromiſſum quæ forma? 6. 204. Quot, & qui modi? 6. 208. &c. *uſque ad* 216. Compromiſſarij quales, & quot? 6. 205. &c. An unum ex ſe ipſis eligere poſſint? 6. 216. An aliquis ſe ipſum? 6. 217. &c. Quomodo exſpiret compromiſſum? 6. 220. &c. Ad quem deinceps poteſtas eligendi devolvatur? 6. 228. &c.

Electionis impugnatio. Quinam appellare poſſint contra electionem? 6. 260. &c. Num facta poſt appellationem ſit nihilominus valida? 6. 266. &c. Quid requiratur, ut in electione ad Sedem Apoſtolicam appellari poſſit? 6. 268. &c. Quænam hujus appellationis moderamina? 6. 272. &c. Quæ forma? quis modus? 6. 280. *uſque ad* 287.

Electus Epiſcopus. Num Ejus defectus examinandi? 6. 278. &c. Quando electi Epiſcopi poteſtas incipiat? 6. 287. *uſque ad* 304. Num ſit neceſſariò confirmandus? 6. 304. Et à quo? 6. 305. Quando petenda confirmatio? 6. 307. &c. Quænam eam præcedant, comitentur? 6. 316. *uſque ad* 333. Quænam poteſtas electi, & confirmati Epiſcopi, ſed nondum conſecrati? 6. 333. *uſque ad* 342. Quando conſecrandus? 6. 342. & 347. A quo? 6. 343. &c. Quâ formâ? ubi? 6. 346. &c. Quis effectus conſecrationis Epiſcopalis? 6. 349. &c.

Electio Abbatis, ſeu Præpoſiti Regularis. Quinam eligere poſſint? 6. 353. &c. Quinam eligi? 6. 357. &c. Num & non Profeſſi? 6. 369. &c. Num etiam ex alio Monaſterio? 6. 371. &c. Num etiam invito Superiore illius Monaſterii? 6. 376. Num invito quoque Capitulo ejuſdem? 6. 380. &c. Sic electus Abbas ex alieno Monaſterio an adhuc jus retineat eligendi alium in ſuo? 6. 386. Quæ forma eligendi Prælatum Regularem? 6. 397. Quæ confirmatio? 6. 398. Num per eam jus obtineatur? 6. 402. Quæ conſecratio? 6. 399. A quo? 6. 400. Quo die? 6. 401. An ea repeti poſſit? 6. 403. &c.

Electio Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ Regularis. Quænam eligendi jus habeant? 6. 405. Quænam qualitates neceſſariæ in eligenda? 6. 406. &c. Quæ ſit forma eligendi? 6. 409. Quid, ſi in diſcordia fiat electio? 6. 410. &c. An, & à quo confirmanda? 6. 417. An, & à quo benedicenda? 6. 418.

Electio Senatorum, & Officialium Romæ. 6. 453. &c.

Epiſcopatus num ſit ordo? 11. 2. &c.

Epiſcopus eligendus. 6. 66. *uſque ad* 77. Electus. 6. 278. *uſque ad* 304. Confirmandus. 6. 304. *uſque ad* 333. Conſecrandus. 6. 342. *uſque ad* 353. Transferendus. *Titulo* 7. *toto.* Reſignans. 9. 40. &c. Impeditus. 10. 15. &c. Negligens. 10. 11. &c. Vide plura de his ſuprà V. *Electio.* & infrà V. V. *Renuntiatio. Translatio. Negligentia.*

Epiſcopus eligendus quem ordinem habere debeat? 14. 36. An ungendus? *Titulo* 15. *toto.* Ejus ordinatio, ſeu conſecratio qualis? 11. 115. &c. Quænam inſignia? 11. 117. Quæ poteſtas exercendi Pontificialia? 11. 118. &c. Quid, ſi excommunicatus ordinet, aut poſtquam Epiſcopatui renunciavit? *Titulo* 13. *toto.* Quam juriſdictionem habeat? 31. 38. A quo illam accipiat; num immediatè à CHRISTO, an ab Eccleſia? 31. 39. &c. Quænam ſpectent ad legem Ejus juriſdictionalem? 31. 45. *uſque ad* 102. Num inquiſitio? 31. 45. &c. Num punitio? 31. 46. &c. Num morum correctio? 31. 49. &c. Num punire poſſit pœnâ carceris, triremium? &c. 31. 56. Quam juriſdictionem habeat in Abbates, & Religioſos? 31. 58. &c. Quid poſſit in beneficiis conferendis? quid in eripiendis? 31. 60. *uſque ad* 69. Quid inferendo cenſuras? quid ab iis abſolvendo? 31. 69. *uſque ad* 85. Quid diſpenſando in Jure Canonico? 31. 85. *uſque ad* 89. Quid in collatione Sacramentorum? 31. 89. Quid in prædicatione Evangelij? 31. 90. &c. Quid in pœnitentiarum impoſitione? 31. 93. Quid in indulgentiarum conceſſione? 31. 94. Quid in viſitatione? 31. 95. *uſque ad* 102. Quænam ſpectent ad legem Ejuſdem Diœceſanam? 31. 102. *uſque ad* 116. Quid poſſit in Monaſteriis? 31. 102. *item* 31. 110. *uſque ad* 120. Quid in vocatione ad Synodum? 31. 103. Quid in exactione pecuniæ? 31. 104. Quid in Decimis? 31. 105. Quid in quarta mortuariorum? 31. 106. Quid in procuratione victualium? 31. 107. &c. Quid in procuratione auxilii charitativi? 31. 109. In quo loco poſſit exercere ſuam juriſdictionem? 31. 116. &c. Quæ obedientia Ei debeatur? 33. 8. *uſque ad* 14.

Evangelium num ab Epiſcopo prædicandum? 31. 90. &c. Num à Parocho? 31. 153.

Euchariſtia num à Parocho debeat diſpenſari? 31. 143. Num à Religioſis? 31. 144.

Examen ordinandorum. *Titulo* 12. *toto.*

Exceptio num detur metum paſſo? 40. 43. &c.

Excommunicatio num incurratur ab eo, qui communicat excommunicato, vi, vel metu adactus? 40. 3. &c. Num excommunicato Epiſcopo, vel ſuſpenſo, aut interdicto, etiam Ejuſdem Vicarij juriſdictio ſuſpendatur? &c. *Tit.* 28. *Num.* 69. & 70. Num Epiſcopus poſſit excommunicare, & ab excommunicatione abſolvere? 31. 69. *uſque ad* 85. Num Abbas? 31. 128. &c. Num Parochus? 31. 141. *item* 31. 149. &c. Num per Reſcriptum impertiatur abſolutio, & quomodo id executioni dandum? 3. 147. &c. Num excommunicatus poſſit conſtituere Procuratorem? 38. 9. *uſque ad* 14. Num ipſemet agere? 38. 23.

Excommunicatus Actor à quo abſolvendus? *Tit.* 29. *n.* 84. &c. Vide plura ſuprà V. *Abſolutio.*

Executio Reſcriptorum. 3. 128. &c.

F.

FIDEI Catholicæ Summa. 1. 1. &c.

Funus Prælati cujus expenſis curandum? 6. 151.

H.

Hæreſis. Num propter hæreſin, aut ſchiſma ſui Prælati, aut Capituli Eccleſia ſuam juriſdictionem amittat? 33. 33. &c. Num hæreticus poſſit poſtulare, vel advocare? 37. 20.

I.

IMMUNITAS Eccleſiaſtica. 2. 82. &c. *uſque ad* 99.

Imperatoris Romani Electio, confirmatio, coronatio. 6. 455. *uſque ad* 470. Vide plura V. *Electio.*

Indulgentia num ab Epiſcopo concedi poſſint? 31. 94.

Irregularitas num contrahatur ex illegitimis natalibus? &c. 17. 1. *uſque ad* 16. Num ex ſervitute? *Titulo* 18. *toto.* Num ex dandis ratiociniis? *Tit.* 19. *toto.* Num ex corporis vitio, aut morbo? *Tit.* 20. *toto.* Num ex Bigamia? *Tit.* 21. *toto.* Num aliis modis? *Tit.* 11. *num* 6. *uſque ad* 20. & *Tit.* 14. *num.* 55. Vide plura infrà V. *Ordo.*

Iudex unde ſic nominatus. 32. 1. Quotuplex ejus officium? 32. 1. Quantum ſit? 32. 2. Duo caſus ſpeciales ſpectantes ad officium judicis recenſentur. 32. 2. *uſque ad* 7. An debeat judicare ex officio ſuo ſecundùm allegata, & probata, licèt privatâ ſcientiâ, contrarium verum eſſe, certò cognoſcat? 32. 7. *uſque ad* 17. An debeat judicare ſecundùm publicas leges? 32. 17. &c. An ſupplere omiſſa à partibus litigantibus, vel earum advocatis? 32. 19. An poſſit cogere litigantes ad treugam, ſeu tranſactionem? 34. 7. &c. Quomodo differat ab arbitrio, præſertim compromiſſario? 43. 9.

Iudex Ordinarius quis? 31. 4. Quomodo acquiratur juriſdictio ordinaria? 31. 5. &c. Unde colligatur eſſe ordinaria? 31. 8. &c. Quinam ordinarii Judices dari poſſint? 31. 11. Quibus modis officium ordinarii judicis finiatur? 31. 12.

Iudex delegatus. *Titulo* 29. *propè toto.* Vide ſuprà V. *Delegatus.*

Iudex conſervator quid ſit? 29. 202. A quo dari poſſit? 29. 204. Quis dari poſſit? 29. 205. &c. Quod ſit eius officium? quæ poteſtas? 29. 208. *uſque ad* 215. Quando hæc exſpiret? 29. 215. &c.

Iuramentum promiſſorium metu factum num neceſſariò ſervandum? 40. 20. &c.

Iuriſdictio quid? 31. 1. Quotuplex? 31. 2. &c. Juriſdictio Legati, ſive Nuncii Apoſtolici. 30. 3. *uſque ad* 38. Patriarchæ. 31. 30. Archiepiſcopi. 31. 14. *uſque ad* 38. Epiſcopi. 31. 39. *uſque ad* 120. Abbatis, ſeu Prælati Regularis. 31. 124. *uſque ad* 136. Abbatiſſæ. 31. 136. *uſque ad* 139. Parochi. 31. 139. *uſque ad* 154. Capituli. 33. 41. *uſque ad* 60.

Ius quid, & quotuplex? *in Prolegomenis*, *Num.* 1. &c. Publicum, & privatum. *in Prolegom.* 7. Naturale, & poſitivum. *Ibidem.* 8. &c. Jus gentium. *Ibid.* 10. &c. Jus Civile. *Ibid.* 12. Jus Divinum, & humanum; Vetus, & novum. *in Prolegomenis.* 13. Jus Canonicum quid? *Ibid* 14. &c. Quomodo à Civili differat? *Ibid.* 16. Aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum. *in Prolegomenis.* 17. Eius Principia. *Ibid.* 17. &c. Eiuſdem partes, & tractandi methodus. *Ibid.* 22. *uſque ad finem.*

L.

LAUDUM, ſive ſententia Arbitrorum ubi, & quando ferri poſſit? 43. 82. &c. Vide plura ſuprà V. *Arbiter.*

Legatus quid ſit, & quomodo differat à Delegato? *Tit* 30. *ante numerum primum.* Quid ſint Legatus à Latere, Legatus miſſus, ſive Nuncius Apoſtolicus, & Legatus Natus? 30. 1. &c. Quanta poteſtas ſit Legati, ſive Nuncii Apoſtolici? 30. 3. Quod officium? 30. 4. *uſque ad* 8. Num poſſit ſtatuta condere ſemper duratura? 30. 8. &c. Num inſtituere examen ſuper cauſa electionis Epiſcopi? 30. 10. Num omnes cauſas Provincialium cognoſcere? 30. 11. &c. Num etiam cauſam ſpecialiter alteri à Summo Pontifice delegatam? 30. 13. *uſque ad* 17. Num præſente Legato à Latere, alius Legatus, qui non eſt à Latere, ſuam poteſtatem exercere poſſit? 30. 17. Num Legatus à Latere poſsit conferre beneficia? 30. 18. *uſque ad* 28. Num abſolvere quoſcunque Clericorum percuſſores, etiam poſt legationem finitam? 30. 28. Legati non à Latere miſſi num idem poſsint? 30. 29. Num poſsint idem Legati nati? 30. 30. Num poſsit Legatus à Latere confirmare electiones Archiepiſcoporum? &c. 30. 31. Quando, & ubi poſsit Legatus Apoſtolicus exercere ſuam Juriſdictionem? 30. 32. *uſque ad* 35. Quibus modis ea finiatur? 30. 35. *uſque ad finem.*

Lex juriſdictionis Epiſcopi, & Diœceſana quomodo differant? 31. 41. &c. Quænam ſpectem ad legem juriſdictionalem Epiſcopi? 31. 45. *uſque ad* 102. Quænam ad Diœceſanam? 31. 102. *uſque ad* 116. Quis locus, ubi exercere poſsint ſuam juriſdictionem? 31. 116. &c. Vide plura ſuprà V. *Conſtitutio. Titulo* 2. *Num.* 1. *uſque ad* 140.

M.

MAIORITAS. Num ratione ordinis unus Clericus ſit major altero? 33. 1. &c. Num ratione antiquitatis? 33. 3. Num ratione illius, à quo ordinatus eſt? 33. 5. &c. Quomodo controverſia de jure Primatûs ſit componenda? 33. 24. &c. Num minor poſsit exercere juriſdictionem in majorem? 33. 29. &c. An Eccleſia juriſdictionem amittat, & privilegia Majoritatis &c. propter hæreſin, aut ſchiſma ſui Prælati, Capituli, aut Cleri? 33. 33. &c.

Matrimonium metu contractum num reddatur irritum? 40. 23.

Metropolitanus quis? 31. 13. Vide ſuprà V. *Archiepiſcopus.*

Metus quid ſit? 40. 2. Quomodo differat à vi? 40. 3. Quotuplex ſit? 40. 6. An, & quomodo vitiet contractus etiam juramento confirmatos? 40. 10. *uſque ad* 23. An matrimonium contractum irritum reddat? 40. 23. Num irritet Profeſsionem Religioſam? 40. 24. &c. Num quodlibet votum? 40. 27. Num promiſſam dotem? 40. 28. Num factam promiſsionem, ſeu traditionem rerum ad Eccleſiam ſpectantium? 40. 29. Num abſolutionem à cenſuris? 40. 30. &c. Referuntur plures hujuſmodi caſus. 40. 33. *uſque ad* 38. Quænam conditiones requirantur ad reſcindendum contractum metu initum? 40. 38. *uſque ad* 43. Num metum paſſo detur non tantùm actio, ſed exceptio? 40. 43. &c.

Minor ætate læſus num ſit in integrum reſtituendus? 41. 5. *uſque ad* 9. Vide plura infrà V. *Reſtitutio in integrum.*

Miſſa num à Parocho neceſſariò fiat? 31. 142.

Monaſteria num ſubjecta Epiſcopo? 31. 102. *item* 31. 110. *uſque ad* 116.

Mortuariorum quarta Epiſcopo debita. 31. 116.

N.

NEGLIGENTIA Prælatorum inferiorum in conferendis beneficiis commiſſa per quem ſupplenda? *Tit* 10. 1. &c. Quid ſi Prælati Regulares ſint? 10. 6. &c. Alij defectus Prælatorum à quo ſupplendi? 10. 11. &c.

Nuncius Apoſtolicus. *Titulo* 30. *paſſim.* Vide plura ſuprà V. *Legatus.*

O.

OBEDIENTIA Majoribus debita in quo conſiſtat? 33. 7. Quænam obedientia præſtanda Summo Pontifici? 33. 37. &c. Quænam debeatur Cardinalibus à Clero Eccleſiæ Titularis Eiuſdem? 33. 14. &c. Num Epiſcopo ſemper, & ab omnibus exhiberi debeat? 33. 8. *uſque ad* 14. Num Clerus Epiſcopo ſubjectus obligetur præſtare obedientiam in ſcripto, vel per juramentum? 33. 19. Num ſimplices Beneficiati ſeculares, vel Regulares ad obedientiam ſuo Prælato præſtandam compelli debeant? 33. 20. &c. Num aliquando ſe poſsit opponere ſuo Prælato ſubditus, & ab eo appellare? 33. 23. Quænam Abbatiſſæ debeatur obedientia à ſuis Monialibus? 33. 17. &c. Quænam pœnæ inobedientium? 33. 27. &c.

Officialium Romæ electio. 6. 455. &c.

Ordo Sacramentum num aliquando iterandum? 16. 1. &c. Num prima tonſura ſit Ordo? 11. 1. Num Epiſcopatus? 11. 1. &c. Quis ordinationis locus? 11. 76. &c. Quod tempus? 11. 78. &c. Quæ gradatio, & interſtitia? 11. 82. &c. Quis in his poſſit diſpenſare? 11. 89. &c. Et quam ob cauſam?

ſam? 11. 91. Quis neceſſarius Ordo ad Beneficia Eccleſiaſtica conſequenda? 14. 34. *uſque ad* 55.

Ordinantes. Quis poteſtatem ordinariam habeat ordinandi? 11. 21. *uſque ad* 41. Quis extraordinariam, aut delegatam? 11. 41. &c. Literæ dimiſſoriæ Ordinandis quandoque dandæ? à quo debeant dari, & quibus? 11. 53. Quomodo? 11. 65. &c. Quàm diu durent? 11. 67. Quid, ſi Epiſcopus excommunicatus ordinet; aut, qui Epiſcopatui renunciavit? *Titulo* 13. *toto*.

Ordinandi. Quinam ſint capaces ordinum Clericalium? 12. 6. &c. Num fœmina? 12. 6. Num non baptizatus? 12. 7. Num per vim coactus? 12. 8. &c. Num puer? 12. 12. &c. Num illiteratus? 12. 13. &c. Num ſceleratus? 12. 15. &c. Num infamis? 12. 19. Num uxoratus? 12. 20. Num rebaptizatus? 12. 20. Num baptizatus ab hæretico? 12. 20. Num adultus in ægritudine baptizatus? 12. 20. Num neophytus? 12. 20. Num non præmiſſo confirmationis Sacramento? 12. 20. Num publicè pœnitentes? 12. 20. Num irregulares? 12. 20. Num Novitii? 12. 20. Num Medicus? 14. 55. Num filij Presbyterorum? 17. 1. Num illegitimè nati? 17. 2. &c. Num infantes vulgò expoſiti? 17. 12. &c. Quis cum his poſſit diſpenſare? 17. 14. *uſque ad* 26. Num ſervi ordinari poſſint? 18. 1. &c. Quis cum his poſſit diſpenſare? 18. 9. Qualiter horum manumiſſio fiat, ut poſſint ordinari? 18. 10. &c. Num obligati ad ratiocinia poſſint ordinari? *Titulo* 19. *toto*. Num corpore vitiati? 20. 2. Quid ſi tale vitium poſt ordines jam ſuſceptos ſuperveniat? 20. 10. Et quidem propria culpâ? 20. 12. &c. Quid ſi morbo? 20. 14. In talibus quis diſpenſet? 20. 15. Bigami num ordinari poſſint? *Tit*. 21. *toto*. Num Clerici peregrini, ignoti? *Titulo* 22. *toto*. Ordinandorum examen, ſeu ſcrutinium quale? *Titulo* 12. *toto*. Quomodo ordinandus Archiepiſcopus, aut Epiſcopus? 11. 115. &c. Unctio Ordinandorum. *Titulo* 15. *toto*.

Ordinationis Titulus quis requiratur, aut ſufficiat? 11. 68. Num titulus beneficii? 11. 69. &c. Num patrimonii? 11. 72. &c. Num etiam Religioſæ Paupertatis? 11. 75.

Ordinum illegitimè collatorum, aut ſuſceptorum pœna. Quid ſi ordines conferantur ante legitimam ætatem? 11. 92. &c. Aut alieno ſubdito? 11. 97. &c. Aut in aliena Diœceſi? 11. 105. Vel non debito tempore? 11. 106. &c. Aut ſine titulo menſæ, 11. 110. &c.

P.

PACTUM quid ſit? 35. 1. Aliud nudum, aliud veſtitum. 35. 3. Quibus modis veſtiatur? 35. 4. &c. Quinam poſſint paciſci? 35. 7. Et quibus de rebus? 35. 8. Num pacta obligent? 35. 9. *uſque ad* 13. Num à Superioribus debeant confirmari? 35. 13. &c. Quænam pacta ſint à Jure Canonico reprobata? 35. 15. *uſque ad* 28. An pactum de non ſuccedendo in hæreditate obliget? 35. 29. &c. *uſque ad* 34. An obliget pactum de ſuccedendo in ea? 35. 34. An ex pacto oriatur obligatio efficax, & jus petendi in judicio, quod promiſſum eſt? 35. 35. &c. *uſque ad finem tituli*

Pallium quid ſit? 8. 1. A quo conferri poſſit? 8. 2. Quibus? 8. 3. Quando? & quâ formâ? 8. 4. &c. Ubi, & quando uſurpandum? 8. 7. &c. Num ſemper? 8. 13. Num in aliena provincia? 8. 14. &c. Quænam pallii authoritas? 8. 16. &c. Num ad alios transferri poſſit? 8. 19. &c.

Parochus quis? 31. 139. Num habeat juriſdictionem ordinariam? 31. 140. Num poſſit excommunicare, aut alias cenſuras inferre? 31. 141. Num obligetur Miſſam celebrare? 31. 142. Num SS. Euchariſtiam diſpenſare? 31. 143. &c. Num poſſit ſuorum ſubditorum confeſſiones extra ſuam Parochiam audire? 31. 145. Num peregrinorum? 31. 146. Num alienorum Parochianorum? 31. 147. Num abſolvere à peccatis reſervatis, & excommunicatione? 31. 149. &c. Num debeat baptizare? 31. 151. Num extremam unctionem conferre? 31. 152. Num prædicare, & Catechiſmum tradere? 31. 153. Num benedicere candelas, cineres, fontem baptiſmalem? & ſimilia? 31. 154. Num poſſit Cooperatores aſſumere? 38. 14. Quinam adhuc alij ſint actus Parochiales? 31. 154. Vide plura ſuprà V. *Beneficium*. Item, *Ordo*.

Patriarcha num habeat poteſtatem in omnes Archiepiſcopos ſibi ſubjectos, & eorum ſubditos? 31. 30.

Pax. *Titulo* 34. *toto*. Vide plura infrà V. *Treuga*.

Plebanus unde dictus? 31. 139.

Pœnitentiæ ab Epiſcopo imponendæ. 31. 46. &c. *Item* 31. 93.

Pontifex Summus quâ ratione eligendus? 6. 419. *uſque ad* 451. de quo vide plura ſuprà V. *Electio*. Quæ obedientia ei debeatur? 33. 37. &c.

Poſtulatio quid ſit? 5. 1. Quomodo differat ab electione? 5. 2. Quotuplex ſit? 5. 3. Quinam poſſint poſtulari? 5. 4. &c. Num & Epiſcopus ad alium Epiſcopatum? 5. 9. &c. Num & Cardinalis? 5. 11. &c. Num & Prælati inferiores? 5. 13. &c. Cujus ſit poſtulationem admittere? 5. 14. Aut rejicere? 5. 15. &c. Quinam habeant jus poſtulandi? 5. 17. Quot ſuffragiis opus? 5. 18. &c. Num mutare poſſint poſtulationem jam propoſitam? 5. 20. &c. Poſtulantes ſcienter indignum quomodo puniendi? 5. 27. &c. Quæ forma poſtulandi eſſe debeat? 5. 31. Quænam prohibita ſit? 5. 32. &c. Quis effectus poſtulationis? 5. 38. &c.

Poſtulare, id eſt, advocare. *Titulo* 37. *toto*. Vide plura ſuprà V. *Advocatus*.

Præcentor, ſive Primicerius. *Titulo* 25. *toto*.

Prædicare, ſive concionari cujus ſit officium? 31. 90. &c. *Item* 31. 153.

Prælatus. De hoc actum ſuprà V. V. *Archiepiſcopus*. *Epiſcopus*. *Archidiaconus*. *Abbas*. &c. Eius funus cuius expenſis curandum? 6. 152.

Præſentatio quomodo differat ab electione? 6. 2. &c. Num & laicis concedatur? 6. 19. Quis præferendus, ſi idem jus præſentandi prætendant duo? 6. 22. Præſentatio neglecta. *Titulo* 10. *toto*.

Primas quomodo differat à Patriarcha? 31. 31.

Primatûs controverſia quomodo componenda? 33. 24. &c. Vide plura V. *Maioritas*.

Primicerius quis? & quod ejus officium? 25. 1. &c. Quæ dignitas? 25. 3.

Prior. Vide *Abbas*.

Procurator quis ſit? 38. 1. *uſque ad* 6. Quotuplex? 38. 6. Quis poſſit eum conſtituere? Num univerſitas? 38. 7. &c. Num excommunicatus? 38. 9. *uſque ad* 14. Num pupillus? 38. 14. Quinam alij? 38. 14. Num Prælatus? 38. 15. Num Religioſus? 38. 15. &c. Num quivis poſſit dari Procurator? 38. 18. Num laicus in cauſa ſpirituali? 38. 19. Num filius familias? 38. 20. Num minor viginti quinque annis? 38. 21. Num Clericus? 38. 21. Num Religioſus? 38. 22. Num excommunicatus? 38. 23. Num fœmina, miles, ſervus? 38. 24. Num poſſit in omnibus cauſis conſtitui Procurator? 38. 25. *uſque ad* 31. Num etiam in capitali, & publica? 38. 31. &c. Num poſſit abſens conſtitui Procurator? 38. 34. &c. Num ad futuras lites? 38. 38. Num plures Procuratores pro cauſa eadem? 38. 39. *uſque ad* 46. Quale mandatum habere debeat? 38. 46. *uſque ad* 56. Quodnam eius officium, quæ poteſtas? 38. 56. *uſque ad* 78. Num eius factum, vel omiſſio aliqua noceat Principali? 38. 78. *uſque ad* 88. Num revocari poſſit Procurator a Principali ſuo? & num ejus officium hoc modo finiatur? 38. 88. *uſque ad* 103. Quomodo revocetur Procurator ad negotia conſtitutus? 38. 103. *uſque ad* 107. Quibus aliis modis finiatur officium Procuratoris? 38. 107. *uſque ad tituli finem*. Quomodo differat ab Advocato. 37. 2. Quomodo à Syndico. 39. 1.

Profeſſio Religioſa metu facta num obliget? 40. 24. &c.

Promiſſio dotis metu extorta num obliget? 40. 28. *uſque ad* 38.

Q.

QUARDIANUS. 31. 131. Vide *Abbas*.

Quarta Decimationum Epiſcopo debita. 31. 105.

Quarta mortuorum Epiſcopo debita. 31. 106.

R.

RECTOR. Rectoris. *Tit* 31. Num. 131. & 139. Vide plura V. *Abbas*, & *Parochus*.

Religioſus num per electionem diſcordem jus acquirat ad Prælaturam extra ſuum Ordinem? 6.389.&c. Num poſſit agere Advocatum? 37.16. *uſque ad* 20. Num conſtituere? 38. 15.&c. Num licitè SS. Eucharistiam diſpenſare? 31. 144. Num confeſſiones ubique, & ſemper audire? 31. 148. Vide plura V. *Obedientia. Ordo.*

Renunciatio quid ſit? *Tit.* 9. *Num.* 1. Alia expreſſa, alia tacita, quid ſit hæc poſterior? 9. 2. &c. Quando præſumenda? 9. 5. &c. Renunciatio capteſſa quid? 9. 10. Quotuplex? 9. 11. Quibus beneficiis fieri poſsit? 9. 12. &c. Quibus non? 9. 14. &c. Quinam poſsint renunciare, ſive reſignare? 9. 18. *uſque ad* 36. Qui non? 9. 36. &c. Quibus poſsint? 9. 38. Quibus ex cauſis poſsit Epiſcopus reſignare? 9.40. *uſque ad* 54. Ex quibus alii? 9. 54. &c. Num fieri poſsit ſine conſenſu Superioris? 9. 57. *uſque ad* 68. Quis admittendi renunciationes poteſtatem habeat? 9. 68. *uſque ad* 84. Quo modo fiat legitima renunciatio beneficii? 9. 84. Quænam ſit Simoniaca? 9. 88. Quid, ſiquis repetat beneficium, quod reſignavit? 9. 92. &c. Quid, ſi per Procuratorem reſignet? 9. 94. *uſque ad* 103. Num publicanda quævis talis reſignatio. 9. 106. Cur? 9. 103. Quænam? 9. 104. Quis debeat publicare? 9. 105. Quando? 9. 107. Ubi? & quomodo? 9. 108. Quæ pœna neglectæ publicationis? 9. 109. Quis effectus renunciationis ſimplicis? 9. 110. &c. Quis renunciationis conditionalis? 9. 120. Quis in fraudem alterius factæ? 9. 121. &c. Poſsitne renuncians redire ad beneficium reſignatum? 9. 114. &c. Vel à majore deſcendere ad minus. 9. 117. &c.

Reſcriptum quid, & quotuplex? 3. 1. &c. Quis impetrare poſſit, contra quos, & quibus in rebus? 3. 6. &c. An etiam pro alio? 3. 11. &c. Quomodo interpretari oporteat Reſcripta Juſtitiæ? 3. 15. &c. Quomodo Reſcripta Gratiæ? 3. 27. &c. Quas clauſulas habeant? 3. 32. &c. Quem ordinem, & formam? 3. 44. &c. An in poſteriore facienda mentio prioris? 3. 51. &c. In beneficialibus Reſcriptis quorum mentio facienda? 3. 60. &c. *uſque ad* 85. Quomodo vitientur, & fiant obreptitia? 3. 85. &c. Num impetrata per dolum? 3. 87. &c. Num per ſimplicitatem, vel ignorantiam? 3. 98. &c. Num per cauſam nec finalem, nec principalem. 3. 103. &c. Num propter errorem adjectæ qualitatis? 3. 113. &c. Num per corruptam Latinitatem? 3. 120, &c. Num per neglectum ſtylum Curiæ Romanæ? 3. 123. Num per judicem conſtitutum unicum? 3. 124. Num per judicem incertum 3. 124. Num per alias cauſas? 3. 127. Num per unam partem Reſcripti vitiatam vitientur omnes? 3. 107. &c. Num motus proprius tollat vitium ſubreptionis. 3. 112. &c. Quibus perſonis committenda executio Reſcriptorum? 3. 128. &c. Ubi illa facienda? 3. 134. Ubi conveniendus Reus per Reſcriptum? 3. 135. &c. Quomodo exequatur Epiſcopus, ſive Ordinarius? 3. 142. Quomodo Capitulum? 3. 145. &c. Quomodo exequendum Reſcriptum de abſolvendo excommunicato? 3. 147. Num à Reſcripti Executore admittendum munus? 3. 149. Num Aſſeſſor? 3. 150. Reſcripta monitoria, præceptoria quam vim habeant? 3. 151. &c. Quinam abuſus in executione Reſcriptorum? 3. 156. &c. Num derogetur per Reſcriptum ſpeciale generali? 3. 160. &c. Num per unum alteri aut ſimul, aut ſucceſſivè dato? 3. 169. *uſque ad* 181. Quomodo revocentur? 3. 181. &c. An exſpirent per mortem concedentis? 3. 184. &c.

Reſignatio beneficiorum. *Titulo* 9. *toto.* Vide præcedens Verbum, *Renunciatio*, quia idem ſunt.

Reſtitutio in integrum quid ſit? 41. 1. Quid requiratur, ut læſus ex contractu, vel quaſi contractu, aut actu alio, in integrum reſtitui debeat? 41. 2. &c. Reſtitutio in integrum num detur ætate minoribus? 41. 5. *uſque ad* 9. Num Eccleſiæ? 41. 9. *uſque ad* 15. Num Reipublicæ? 41. 15. Num omnibus graviter læſis? 41. 16. In quibus caſibus hæc concedatur? 41. 17. *uſque ad* 24. An contra ſententiam latam à Papa, vel alio ſupremo Principe, peti poſſit reſtitutio in integrum? 41. 24. *uſque ad* 33. Num, ſi Eccleſiæ ſemel negata eſt reſtitutio in integrum, ea in alio judicio concedi poſſit? 41. 33. *uſque ad* 38. Quâ ratione concedatur Eccleſiæ, & minoribus non tantùm ob illatum damnum, ſed ob lucrum etiam ceſſans? 41. 38. Num poſſit reſtitui in integrum minor contra minorem, Eccleſia contra Eccleſiam? 41. 39. In quibus caſibus reſtitutio in integrum minoribus non concedatur? 41. 40. *uſque ad* 48. Intra quod tempus peti debeat? 41. 48. *uſque ad* 59. Coram quo judice? 41. 59. *uſque ad* 69. Quâ formâ peti, & fieri debeat reſtitutio in integrum? 41. 69. Quis ſit effectus illius? 41. 70. An non tantùm res principalis, ſed etiam fructus inde percepti reſtituendi ſint? 41. 71. *uſque ad* 76. An in tali reſtitutione detrahi poſſint expenſæ neceſſariæ, & utiles in fundum factæ? 41. 76.

S.

SACERDOS an ungendus? *Titulo* 15. *toto.* Vide plura ſuprà V. *Ordo.*

Sacriſtiæ officium. *Titulo* 26. *toto.*

Scrutinium. Scrutatores in electione alicuius Prælati quid efficiant? 6. 162. &c. Scrutinium, ſive examen ordinandorum quale eſſe debeat? *Titulo* 12. *toto.*

Senatorum Romæ electio. 6. 453. &c.

Subdelegatus quis ſit, & quam poteſtatem habeat? &c. *Titulo* 29. 4. &c. Vide plura ſupra V. *Delegatus.*

Suffragia eligentium. 6. 178. *uſque ad* 204.

Syndicus quid ſit, & quomodo à Procuratore & aliis differat? 39. 1. Quomodo conſtituatur? 39. 2. &c. Quis, & qualis conſtituendus ſit? 39. 4. Quis poſſit eſſe Syndicus? num Religioſus? 39. 5. &c. Quænam eius poteſtas? 39. 7. Quomodo eius officium finiatur? 39. 7.

Synodus à quo cogenda? 32. 103.

T.

Timor quomodo contractus, actúſque alios vitiet? 40. 10. *uſque ad* 38. Vide plura V. V. *Metus. Vis.*

Titulus menſæ quis Ordinandis ſufficiat? 11. 68. Num ex beneficio? 11. 69. &c. Num ex patrimonio? 11. 72. &c. Num ex Religioſa paupertate? 11. 75. Quæ pœna neglecti hujus Tituli? 11. 110. &c.

Tonſura prima num ſit Ordo? 11. 2.

Tranſactio quid ſit? 36. 2. *uſque ad* 7. Alia realis, alia perſonalis? 36. 7. Quis tranſigere poſſit? 36. 8. Num Prælatus, Abbas, Prior? 36. 9. &c. Num requirere debeant non tantùm conſenſum Capituli, ſed & legitimi Superioris? 36. 13. &c. *uſque ad* 19. Num tranſigere poſſint de re ſpirituali? 36. 19. *uſque ad* 24. Num de jure Patronatûs, ſeu præſentandi ad beneficia? 36. 24. Num de ſpirituali ſubjectione? 36. 25. &c. Num de matrimonio. 36. 28. &c. Num liceat tranſigere de publico crimine capitali? 36. 30. &c. Num de publico crimine non capitali? 36. 31. &c. Num de crimine privato? 36. 33. Num de teſtamento, & codicillo? 36. 34. Quot modis fiat tranſactio? 36. 35. &c. Num ad libitum extendi poſſit? 36. 37. Quibus cauſis reſcindi poſsit? 36. 38. Quænam ſint effectus tranſactionis? 36. 39. *uſque ad tituli finem.* Vide etiam infra V. *Treuga.*

Translatio Epiſcopi, aut alterius Prælati inferioris, cujus authoritate fieri poſsit? 7. 1. &c. Si propriâ authoritate tranſeat, quomodo puniendus? 7. 11. &c. Num cogi poſſit ad tranſeundum? 7. 13. Hujus translationis quis modus? 7. 14. &c. Quæ cauſa? 7. 16. Quis effectus? 7. 17.

Treuga quid ſit? 34. 1. Treuga conventionalis quid? 34. 2. Quid Canonica, ſive legalis? 34. 2. Quibus diebus ſervandæ? 34. 3. Quæ pœnæ eas violantium? 34. 3. Quinam gaudeant Treuga, ſive ſecuritate perpetua? 34. 5. &c. Num judex poſſit litigantes cogere ad treugam, ſeu tranſactionem faciendam? 34. 7. &c.

TRINITAS SSS. 1. 1. &c.

V.

VICARIVS quis? 28. 1. Vicarius perpetuus à quo conſtitui poſsit? 28. 3. &c. Ubi & cur? 28. 5. &c. Quale jus habeat? 28. 8. &c.

28. 8. &c. Quam poteſtatem in Eccleſia curata? 28. 15. An alium Vicarium ſibi ſubſtituere poſſit? 28. 17. An, & quomodo eius officium finiatur? 28. 19. Vicarius temporalis cur conſtitui poſſit? 28. 20. Et à quo? & quæ illi poteſtas conferri? 28. 21. An alium ſibi Vicarium poſſit ſubſtituere? 28. 22. *Item* 28. 63. Quomodo diſtinguatur à Cooperatore? 28. 24. Vicarius juriſdictionis quis? 28. 25. Vicarius Epiſcopi quotuplex? 28. 26. Vicarii generalis quæ poteſtas? 28. 27. &c. An debeat ab Epiſcopo conſtitui? 28. 28. &c. Ecqualis? 28. 31. &c. Num ſit beneficium Eccleſiaſticum Vicariatus? 28. 33. Num dignitas? 28. 34. Num eius juriſdictio ordinaria, an delegata? 28. 35. &c. Num ſe extendat etiam ad cauſas, quæ ſpeciali commiſſione opus habent? 28. 40. Quidnam facere poſſit vi officii ſui generaliter commiſſi? 28. 41. &c. Quidnam non poſſit, niſi ex ſpeciali commiſſione? 28. 44. *uſque ad* 64. Ubi poſſit ſuam juriſdictionem exercere? 28. 64. A quo puniri poſſit? 28. 65. &c. Quibus modis eius officium finiatur? 28. 68. *uſque ad* 77. Vicarius Capituli, Sede Epiſcopali vacante, quam poteſtatem habeat? 28. 77. &c. Vicarius Papæ in Vrbe quam? 28. 80. &c. Vicarius Archiepiſcopi generalis num poſſit Suffraganeos excommunicare? 31. 15.

Vis quid ſit? 40. 1. Quomodo differat à metu? 40. 2. &c. Quem valorem habeant geſta per vim 40. 7. &c. Quomodo vis illata, & per illam amiſſa probentur? 40. 8. &c. Vide plura ſuprà V. *Metus.*

Viſitatio Epiſcopo incumbens. 31. 95. *uſque ad* 102.

Vnctio extrema. Num debeat à Parocho conferri. 31. 152. Vnctio in Sacris Ordinibus adhibenda. *Titulo* 15. *toto.* Vnctio Romani Imperatoris à quo fieri debeat? 6. 469. &c.

Votum etiam juratum metu factum num neceſſariò ſervandum? 40. 20.

ANT 13 1640

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7170